SCRIPTORES ORDINIS PRÆDICATORUM RECENSITI.

TOMUS PRIMUS.

SCRIPTORES ORDINIS PRÆDICATORUM RECENSITI,

NOTISQUE HISTORICIS ET CRITICIS ILLUSTRATI,

OPUS QUO SINGULORUM VITA,
Præclareque gesta referuntur, Chronologia insuper, seu tempus quo quisque floruit certo statuitur:

FABULÆ EXPLODUNTUR:

SCRIPTA GENUINA, DUBIA, SUPPOSITITIA EXPENDUNTUR,
Recentiorum de iis judicium aut probatur, aut emendatur:

CODICES MANUSCRIPTI, VARIÆQUE E TYPIS EDITIONES,
& ubi habeantur, indicantur:

ALUMNI DOMINICANI, QUOS ALIENI RAPUERANT, VINDICANTUR,
Dubii, & extranei, falsoque ascripti ad cujusque seculi finem rejiciuntur, & suis restituuntur:

PRÆMITTITUR IN PROLEGOMENIS

NOTITIA ORDINIS QUALIS FUIT AB INITIO AD AN. MD.
Tum Series Capitulorum generalium iis annis habitorum, *Denique* Index eorum qui ad ecclesiasticas dignitates promoti fuerunt, vel in hoc Tomo laudatorum, vel alias ab aliis omissorum.

Inchoavit R. P. F. JACOBUS QUETIF S. T. P. *absolvit* R. P. F. JACOBUS ECHARD,
ambo conventus SS. Annunciationis Parisiensis ejusdem ordinis alumni.

TOMUS PRIMUS.

LUTETIÆ PARISIORUM,
Apud J-B-CHRISTOPHORUM BALLARD, Christianissimi Regis Monotypographum, &c. viâ sancti Joannis-Bellovacensis, sub signo Montis-Parnassi.
ET
NICOLAUM SIMART, Serenissimi Delphini Typographum, viâ Jacobæa, sub signo Delphini coronati.

M. DCC XIX.

Cum Approbatione, & Privilegio.

REVERENDISSIMO PATRI
F. ANTONINO CLOCHE,
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORI,
AC TOTIUS ORDINIS FF. PRÆDICATORUM
GENERALI MAGISTRO.

ADVOLAT *ecce in gremium tuum* REVERENDISSIME PATER *Opus te auspice inceptum, te favente, adjuvante, instante promotum, ac tandem absolutum, eoque vel solo nomine debitum tibi, quod assumtus ad sacri Prædicatorum ordinis regimen annos ab hinc amplius triginta, Spartam hanc ut ornares, nihil omisisti. Asserendæ regulari disciplinæ quantopere incubueris, non morabor: insigne sunt argumentum saluberrimæ illæ ordinationes in generalibus comitiis a te coactis sancitæ, quæ quidem comitia plura habuisti, frequentiora multo habiturus more majorum, si per iniqua hæc tempora licuisset: memor scilicet ea maxime ratione firmari legum observationem, & perrarum illum in societatibus, quæ ex omnibus populis & linguis coalescunt, in nostra autem semper quæsitum morum consensum, cùm sodalibus undecunque in unum convenientibus, uno velut ore damnatur si quid in dissidium vergit, labantia priscorum patrum instituta constabiliuntur, caveturque ut nihil innovetur nisi quod traditum est.*

Sed tuam in excitandis & ad summum provehendis studiis solertiam & diligentiam quî explicem pro merito? Noverat eam eminentissimus cardinalis Casanata. Hæc illi causa fuit, ut quod ipse sibi apud animum suum proposuerat ex viris S. Thomæ doctrinæ addictis collegium instituere, opime dotare, & ditissima sua bibliotheca locupletare, tandem exolveret, curisque tuis committeret exequendum.

Neque sane spem ejus fefellisti, imo complevisti. Vix enim supremum obierat diem vir immortalis apud nos memoriæ, cum reponendæ ipsius bibliothecæ jam refertissimæ, sed quam in dies augere non cessas, ædes magnificentissimas extruxisti: viros ad hæc ex omnibus Europæ Christianæ regnis selectos, & sacra eruditione præstantes Romam accivisti, quibus ut fidei adversus ingruentes errores tuendæ, doctrinæque Thomisticæ sartæ tectæque servandæ sedulam navent operam, otium illud facis litteris tam commodum quam necessarium.

Nusquam non intentus ad eas in religionis bonum promovendas quoscunque e nostris hominibus nosti earum amantes, identidem commonefacis se ut Ecclesiæ utiles præstent: qui historiæ ecclesiasticæ dilucidandæ incumbunt, omni favore prosequeris: linguarum sanctarum peritos, & in Patrum Græcorum lectione exercitatos hortaris, ut eorum operibus emaculandis, nondumque editis in lucem promendis & Latine vertendis elaborent, nullis parcens sumtibus, ut quæ sunt iis opus antiqua monumenta ex Vaticano descripta transmittas: addis omnibus animos, ne quod tibi summe cordi est, S. Thomam antesignanum nostrum, & scholarum omnium communem magistrum inultum, ejusve dicta in pravos detorta sensus adversariis dimittant. Hinc prodiit accuratissima illa, & ex primis genuinisque documentis depromta Congregationum de Auxiliis sub summis pontificibus Clemente VIII & Paulo V historia, ex qua palam fit, Prædicatorum ordo quam strenue pro gratia per se efficaci, ceu pro Ecclesiæ Palladio a majoribus accepto, veroque & solo christianorum solatio decertarit.

Accedit ardentissimus ille tuus REVERENDISSIME PATER, *pene dixerim immensus, zelus quo zelatus es ad mittendos ubique terrarum in Domini messem operarios. Occidentales Indias prætereo, tametsi jam apud illas efflorescens a duobus & amplius sæculis ordo noster, te felicius providente incrementum plurimum sumsit, & sanctorum fastos in dies auget: Sed de Orientalibus silere gravitas rerum non sinit. Ecquas enim illic oras non pervadant, quas regiones non adeunt apostolici pectoris viri Roma a te missi? Magnum eis in Perside ostium apertum esse, jamque evangelium ab eis palam prædicari litteris ipsi suis significant: in Tunchino & Cochinchina vicarios agunt apostolicos, invictique inter adversa omne genus seu ab infidelibus seu etiam a falsis fratribus illata fructum Christo multum afferunt. Quid autem apud Sinas? Quot inibi a nostris exantlati labores? Quot adita pericula, quot perlata incommoda, dum profitentes se nihil aliud scire nisi Jhesum Christum & hunc crucifixum, cum ambitiosa superstitione bellum gerere fortiter & animose perseverant? Tibi vero* PATER REVERENDISSIME, *quale gaudium fuit, cum audisti eos e Sinensi illo regno exturbari potius maluisse, quam refertis idololatria ritibus tolerandis assentiri? Quanta te voluptate perfudit, quod non modo legati apostolici eminentissimi Turnonii decretis se præbuerint obsequentissimos, sed & eumdem carcere detentum omnibus officiis capitis etiam periculo*

prosecuti fuerint? Quam acri porro quam magno animo nihil motus instantissimis virorum primæ notæ sollicitationibus apud sanctam sedem egisti, ut causa illa de Sinicis ritibus a septuaginta annis circiter pendens, & potentissimorum hominum artibus fulta finiretur, quod & a summo pontifice Clemente XI solemni tandem judicio obtinuisti.

Dum tuendæ, illustrandæ, propagandæ fidei pro instituto ordinis tui primario sic studes, ordo interim ipse curarum sibi tuarum maximam vindicat partem, non eo tantum ut hunc regas eximia illa sapientia, quæ suavissimæ conjuncta humanitati te summis pontificibus regibusque christianis inter se etiam dissidentibus constanter gratum, te æmulandum politicis exemplar, te ordinis amorem ac delicias facit, sed ut decus huic novum splendoremque quotidie accersas: quasi constitutum tibi esset nihil ad gloriam ejus desiderandum relinquere, decessoresque tuos quemadmodum superas diuturnitate regiminis, ita & magnitudine laborum, & susceptarum rerum laude omnibus anteire.

Hanc tuam mentem luculente declarant, quæ sodalibus imponis conficienda opera. Aliis enim annales ordinis committis: Aliis ut Sanctorum, Beatorum, Illustrium hominum nostrorum acta lingua quisque sua describant injungis. Alios delegas, qui Bullas summorum pontificum & regia diplomata in gratiam ordinis data colligant. Alios jubes ad coercendam laxiorem de moribus doctrinam hac nostra ætate in Ecclesiæ scandalum exundantem, antiquos purioris doctrinæ scriptores nostros novis & accuratioribus typis edere, cujusmodi sunt sancti Raimundus de Pennaforti jam prælo datus, & qui brevi sub oculis tuis prodibit Antoninus, uterque sapientum omnium calculo inter canonici juris peritos doctissimi pariter & sapientissimi.

Me quoque omnium minimum, REVERENDISSIME PATER, *in laboris & laudis consortium vocasti, provinciamque demandasti, arduam illam quidem, sed ordinis gloriæ perutilem imo necessariam, ut nempe Scriptorum qui per annos ab ejus institutione quingentos in eo claruerunt, seriem texerem, præclare ab eis gesta proderem, opera eorum undequaque dispersa colligerem, spuria & fabulosa abjudicarem, certa assererem, & in commodum rei litterariæ pro eruditorum voto in lucem darem. Opus inquam arduum, in quo jam a viginti annis totus sum, quippe quod nonnisi discussis innumerarum bibliothecarum arcanis, labore immenso, & solis expertis æstimando absolvi potuit. Opus tamen necessarium, ut inter tot fabulas quæ sensim irrepunt, & in dies crescunt, quid certum, quid dubium, quid probandum, quid abjiciendum habeatur. Opus addo illustrando ordini peropportunum. Enimvero quam speciosa facie suspiciendus venit, quam idonea ad comparandam existimationem, benevolentiam, reverentiam! cum ab incunabulis ostendit se tantorum totque virorum parentem: qui studiis quasi addicti & consecrati omni scientiarum genere floruerunt, academias ubique rexerunt & collustrarunt, sacræ scripturæ textum a mendis quæ notariorum oscitatione irrepserant expurgarunt, ex Hebraico & Græco Latinum fecerunt, eumdemque commentariis egregiis dilucidarunt: adversus hæreses seu antiquas, seu suis temporibus exortas acriter & impigre verbo & scripto decertarunt: Judæorum pervicaciam ex ipso ab eis agnito canone & ipsa eorum lingua revicerunt: ethicæ christianæ temperatam evangelii se-*

veritatem a duritia pariter & mollitudine alienam asseruerunt : terminos & leges posuerunt scholasticæ theologiæ , exegeticam & parænеticam tot editis voluminibus ditarunt : ætatis suæ historiam utramque ecclesiasticam & profanam memoriæ posterorum commendarunt, philologiam denique & scientias etiam tum naturales tum mathematicas excoluerunt , tradideruntque ceu ancillas doctrinæ sacræ famulantes. Quæ singula hoc opere demonstrantur.

Nec vero hæc sola fuerit ejus utilitas. Attente si legerint sodales nostri, futurum spero ut præter plenissimam historiæ nostræ notitiam duos insuper capiant fructus. Unus est ut commonente & incitante patrum exemplo piaculi instar habeant otio desidioso marcescere , seque turpiter degeneres & ingratos putent, nisi pariter vocati ad ferendum Ecclesiæ auxilium, pari studio conentur unusquisque pro virili utilem ei operam dare. Alter est ut abundantius æmulatores paternæ traditionis nefas ducant a S. Thomæ placitis recedere vel latum unguem. Hoc enim in schola nostra jam ab ejus exordiis [illegible] observatum , omnes etiam ingenii acumine & doctrina præstantissimos magistrum sibi unum voluisse Aquinatem, unum audiisse, unanimes & uno sensu quod ab eo acceperant, posteris tradidisse : si qui ab eo desciverint, tantumdem sibi ascivisse dedecoris, nec levem gloriæ suæ maculam aspersisse.

Unum superest REVERENDISSIME PATER, *quod supplex exoro, ut opus hoc pro paterna tua benevolentia benigne suscipias, & siquidem ex tua sententia confectum sit, quod mihi ut agerem præ oculis semper fuit, illud in omnium manus venire cures, si quæ in tanta scriptorum multitudine exciderint, libenter moneas, errata & omissa corrigere & supplere paratissimum, qui sum*

REVERENDISSIMÆ PATERNITATIS TUÆ

Demississimus & obsequentissimus
servus ac filius
F. JACOBUS ECHARD.

E conventu SS. annunciationis
Parisiensis kal. julii 1719.

PRÆFATIO.

TRADITIO qua fidei Christianæ non exigua pars innititur, non alia ratione certius comprobatur, quam scriptorum ecclesiasticorum constanti per seculorum seriem in suis operibus testimonio. Hinc qui jam a nascentis Ecclesiæ primordiis in ea floruerint scriptores, quæve eorum fuerint opera certa & indubitata cognoscere curarunt viri eruditi, eorumque notitiam posteris servare studuerunt. Sic Eusebius Cæsareensis partem historiæ Ecclesiasticæ censuit, scriptores qui ad suam ætatem Ecclesiam operibus suis illustrarant, memoriæ commendare. Sic post Eusebium Hieronymus syllabum auctorum qua Græcorum qua Latinorum qui ad seculi quinti Christiani initia quid scripto ediderant, confecit. Illis succenturiarunt deinceps non pauci, Gennadius, Isidorus, Sigebertus, Henricus de Gandavo & alii. Verùm cùm successu temporis notariorum incuria in historiam hanc litterariam multa irrepsisset confusio, quæ & a nata seculo XV Typographia plurimum aucta, dum sub nomine sanctorum Patrum excusa sunt opera plane illis supposita, & aliis quorum nomina vel oblivione vel ignorantia exciderant sublata: hanc partem eruditionis ecclesiasticæ elucubrare, expurgare, & illustrare aggressi sunt seculo ultimo proxime elapso viri docti & perspicaces, ad eamque accurationem promoverunt, ut quæ genuina cujusque auctoris sint opera, jam fere pateat, libri a sanctis Patribus certo scripti, illis asserti, supposititii partim rejecti, partim suis auctoribus restituti, plurium quorum nomina exciderant, memoria suscitata, chronologia ad incudem revocata, serioque & ad unguem emendata. Jamdiu est, quod a viris eruditis expectatur, ut quique ordines regulares, qui haud ignobilis sunt Ecclesiæ pars, idem in indice suorum scriptorum præstent: quos falsò sibi vindicarunt, restituant, multiplicationem ejusdem auctoris in duos tresve, seu etiam variorum in unum confusionem corrigant, certam cujusque chronologiam quoad fieri potest statuant, ita denique hanc historiæ suæ partem illustrent, ut quid jam certum tenendum habeatur.

Id attendens R. P. Jacobus Quetif Parisinus ordinis Prædicatorum domus SS. Annunciationis Parisiensis alumnus, nostrosque qui bibliothecam ordinis a seculo XVI accurarunt, in istis non parum aberrasse videns, eam emendandam sibi proposuit, nullisque laboribus ut verum assequeretur pepercit. Vir erat ad hoc opus obeundum aptissimus, firmæ valetudinis, lectionis immensæ & indefessæ, in re litteraria & chronologica peritissimus: historias & annales non solum ordinis, sed & extraneas ecclesiasticas & civiles regnorum & urbium Italiæ, Hispaniæ, Germaniæ, Belgii, Magnæ Britanniæ & Hyberniæ, Galliæ tandem diligenter evolverat: scriptores qui bibliothecas variarum nationum, vel speciales civitatum, aut etiam ordinum regularium ediderant, seu etiam indices bibliothecarum famosiorum comparaverat; quæ ad rem

litterariam nostram attinebant excerpserat, & acri quo valebat criterio expenderat. Ad hæc itinera plura suscepit, in Belgium, in Germaniam saltem ad Rhenum, in varias Galliæ provincias, ubique bibliothecas quæ ei patuerunt lustrans, nam & quædam ei occlusæ, ut & alii viri docti sibi accidisse queruntur: cum viris rei litterariæ peritis in Hispania Italia & Belgio epistolarum commercium iniit; nihil demum omisit, ut accuratam auctorum nostrorum, eorumque certorum operum notitiam adipisceretur. Viri eruditi Parisiis agentes, queiscum magna ei intercessit studiorum necessitudo, diligentiæ ejus & acerrimi judicii apprime gnari, opus ejus summo desiderio expectabant, & ut prope edendum quidam rei litterariæ nunciarunt; Verùm cùm & multis aliis juris canonici, cujus ut & regularis peritissimus erat, negotiis distractus fuerit, nonnisi octingentorum circiter scriptorum nostrorum elogia finierat, cùm anno ætatis LXXVIII morte collectus est, nec in iis antiquiorum nostrorum Vincentii Bellovacensis, Alberti Magni, S. Thomæ de Aquino, S. Antonini & aliorum fœcundiorum scriptorum chronologiam aut opera expenderat, quid in dies de iis accuratius se adepturum sperans. Cæterum aliorum plusquam duorum millium ingentem in adversariis suppellectilem undique collectam reliquit.

Hæc omnia mihi Jacobo *Echard* (vel ut Italis pronunciationem levem *Eciard*) ejusdem domus Parisiensis alumno, sed ad tam eximium virum longe impari, concinnanda & adornanda anno MDCXCIX commissa sunt. Verùm cùm in tanta collectionum multitudine quid adhuc deesse animadverterem, quod R. P. Jacobo Quetif obvium & commodum non fuerat, addendum putavi. Nimirum cùm ordo Prædicatorum ducentis fere ante natam typographiam annis floruerit, & scriptores XIII & XIIII seculi opera sua MS reliquerint, bibliothecas in quibus servari suspicatus sum lustrandas censui. Regiam humanissime mihi aperuerunt ejus præfectus D. abbas *de Louvoy*, & custodes clarissimi viri *Clement* & *Boivin* erga rem litterariam & ei accurandæ incumbentes propensissimi. Hanc itaque feracissimam, & cui nulla alia in Europa seu codicum MS seu impressorum copiam spectes, veniat conferenda, totam perscrutatus sum, non solum bibliothecæ indices, ut aliis non paucis excidit exinde in errores inductis, sed & ipsos codices revolvens, unde certa auctoris eruitur notitia, quod & idem in sequentibus egi. Hinc in Colbertinam inter Europæ ditissimas etiam numerandam permittente illustrissimo Ecclesiæ principe Jacobo Colbert archiepiscopo Rotomagensi cujus tum erat, descendi, & benignissime assentiente D. *du Chesne* custode integram etiam lustravi: hinc in alias Parisienses, quas codicibus MS seculorum quibus opus erat abundare noveram, me contuli: Victorinam in qua ad mille & quingentos & amplius codices, quos evolvere concessit ejus ecclesiæ canonicus meritissimus D. *Vion d'Heroval*: Sorbonicam in qua ad mille & ducentos & amplius codices, quos sapientissimi hujus collegii sacræ theologiæ magistri non solum evolvere permiserunt, sed & cum ab eorum socio viro doctissimo D. *Bembe* bibliothecæ præfecto rescivissent, me in istis scriptis Gothicis lectu difficilibus exercitatum, ut eidem in indice codicum conficiendo operam meam commodarem, oraverunt: Navarræam ejusdem circiter quoad codices feracitatis, quam etiam assentientibus D. Chenu præfecto S. T. M. & sociis ejus regii gymnasii DD. Baccalaureis totam versavi: in Gervasianam seu gymnasii dicti *Maitre Gervais* & in Choleteam me comiter admodum duxit D. abbas d'Argentré S. T. M. & socius Sorbonicus regi ab eleemosynis vir admodum officiosus, non copiosas illas quidem, sed præstantibus XIII seculi & qui rem meam tangebant codicibus quibusdam divites. Ditissimam Sangermaneam asceterarum Maureorum aperuit Dominus *Beaugendre*, & seculorum XIII & XIIII

codices lustrare officiosissime concessit. Augustinianam ad pontem novum in qua ad trecentos & amplius codices ejus ætatis quam quærebam ingredi, & singulos diligenter perspicere humanissime annuerunt R. P. Prior, & bibliothecæ custos. Sanjacobea nostra aliâs ex donis regiis S. Ludovici & successorum, vel etiam sodalium qui in eo gymnasio vixerunt, scripta sua confecerunt & morientes reliquerunt, inter opulentas numeranda, nunc vero seu vicissitudine temporum, seu venditione quam cogunt aliquando annonæ penuria & caritas certis annis & non raris contingens, seu direptione quam seculo XVI ubique in hoc potissimum genere furentes exercuerunt Lutherani, seu custodum incuria præsertim initio nascentis typographiæ, quo codices MS ignaris viles esse cœperunt, & ipsi bibliopolæ bibliothecas invaserunt & audacter depeculati sunt, ut suis libris chartaceis compingendis hæc pergamena MS deservirent, quacunque tandem ex causa ad pauperiem fere redacta est. In ea tamen supersunt quædam antiqua monumenta, quæ omnia recensui. Non numero plures extra Parisios a me lustratas, & in hoc opere ubi se dat occasio, indicatas, ubicumque enim me ex itinere adesse contigit, si extabat bibliotheca, hanc ingrediendi & libros evolvendi facultatem a prælato exorabam & obtinebam.

Eruditissimum ascetam Maureum Bernardum Montfauconium omittere scelus esset, qui perquam humaniter plures indices accuratiores codicum MS in variis bibliothecis servatorum mihi commodavit, maxime Florentinis Medicea, nostra S. Marci, & SS. Annunciationis Servitarum. Indices alios habui, ut Ecclesiæ Carnotensis agente D. Gueau canonico in gratiam meam hunc laborem comiter suscipiente, domus nostræ Tolosanæ a RR. PP. sacræ theologiæ professoribus Josepho *Roux*, & Antonino *Mom* viris accuratis, domus etiam nostræ Claromontanæ in Arvernis, in qua codices trecenti septuaginta novem MS elegantes etiamnum habentur, hunc mihi misit R. P. prior Joannes *Roiguan* vir religiosissimus & urbanissimus. Indices variarum Europæ bibliothecarum Angliæ, Augustæ Vindelicorum, Basileæ, Lipsiæ, Sueciæ, & aliarum regionum & urbium, ut & catalogos auctorum variarum nationum, qui vel R. P. Jacobum *Quetif* fugerant, vel a morte ejus lucem viderunt, non prætermisi sed diligentius expendi, ex omnibus profeci, sed & aliquando emendavi. Belgicæ provinciæ operi plus emolumenti attulerunt, quam cæteræ ordinis. Nam cùm R. P. Ghilbertus *de la Haye* Insulensis vir laboriosissimus una & diligentissimus ac criterii exquisiti scriptores nostros Belgas illustrare constituisset, Belgium fere totum percurrit, bibliothecas lustravit, codices MS evolvit, libros e prælo excusos veteres & novos perquisivit, editiones omnes scrutatus est, ex his vero opus confecit cui titulum indidit, *Bibliotheca Belgo-Dominicana*, sed morte præventus non edidit. Hanc MS mihi commodarunt sodales Insulenses, quam ut vidi accuratam, annotatis plerumque ex tabulis cujusque domus scriptorum annis professionis aut saltem mortis & aliquando ætatis, totam in hoc opus mutato tamen stylo convasavi. His & aliis quæ nunc omitto, siquidem ex sequentibus patebunt, subsidiis adjutus, opus confecisse putabam, adeo ut jam prælo paratum videretur.

Id cùm meditarer, & consilium cum viris eruditis conferrem, iisque qua ratione R. P. Quetif opus adornarat, ipseque ejus vestigia secutus prosequutus fueram ordine scilicet nominum scriptorum alphabetico significarem: tum reclamarunt omnes, & ordine chronologico astruendum edixerunt. Reponebam bibliothecas fere omnes regnorum, nationum, urbium, ordinum regularium per alphabeti litteras concinnatas esse, huncque ordinem lectoribus apprime commodum videri. Fassi sunt, si ordo Prædicato-

rum ab uno tantum seculo, vel ad summum sesqui seculo ortus esset, id forte ferendum esse: sed cùm a quinque jam seculis integris in Ecclesia floreat, rationi consentaneum non esse, ut auctores seculi XIII V. G. cum auctoribus XVII & XVIII confusi viderentur: illud absurdum secuturum, nam hoc inter alia exemplum opponebant, S. Thomam de Aquino ad finem fere hujus collectionis amandandum, cùm innumeri ejus commentatores ratione nominis ab initio jam præivissent. Addebant faciliorem exinde posteris fore operis continuationem, dum florentes annis sequuturis auctores soli addendi essent, vel si qui seculorum & annorum elapsorum diligentiam fugerant, initio supplendi & præfigendi. Doctissimorum virorum consiliis non acquiescere nefas duxi, etsi post tantum laboris hactenus exantlati novus mihi subeundus esset: nam totum fere opus dilacerandum, & integrum ab ovo resumendum & exscribendum, ut novo hoc ordine chronologico concinnarem.

Ordo itaque hujus operis hic est. Primo scriptores ad annum mortis, cùm certo rescire potui, alligavi, si magistros ordinis excipias, quos ad annum quo ad regimen assumti sunt, collocavi, ut qui sub iis floruerint auctores lectori pateret, vel etiam paucos alios, ut Albertum Magnum, quem ad annum quo maxime florebat astrinxi, quod ejus notitia necessaria esset ad pleniorem S. Thomæ ejus discipuli notitiam, qui sex annis tamen ante magistrum vita functus est. Quorum annum mortis retegere non potis fuit, ad annum quo certo floruisse scivi, eos retuli. Quorum seculum tantum quo vixerunt assecutus sum, non autem annos seculi, quibus vixerint, vel mortui sint, hos ad finem cujusque seculi relegavi, & ordine alphabetico recensui. Iis subjunxi qui mihi dubii fuerunt, an nostrates essent, & in ultimum ordinem amandavi ad quodque seculum, quos ab incautis bibliothecariis falso nostris ascriptos deprehendi. Viros jam scriptis suis satis illustres, infulis etiam ornatos fuisse si adderetur, fuerunt per omnes ætates qui laudi ducerent: quasi vero homini honorem tribuas, an potius illudas, cùm dignitatem ei affingis, qua vel ipse scit se, vel ipse scis eum nunquam ornatum. Quos itaque ex auctorum æqualium testimonio, vel ex tabulis Ecclesiarum ad infulas evectos agnovi, hanc eis dignitatem asserui: secus vero de his quos vel a nostris vel ab extraneis scriptoribus episcopos falso laudatos compertum mihi fuit. Denique in universo hoc opere in hunc finem solum collimavi, quod & Reverendissimus magister ordinis Antoninus Cloche pro sua sapientia injunxerat, quodque nisi licuisset, nunquam suscepissem, ut veritatem ubique assequerer, & fabulas quantumcumque antiquas & vulgatas (nam ut in historiis omnium gentium sic & in historiis omnium ordinum regularium suæ sunt fabulæ, sic decursu temporis firmatæ, ut iis fidem non adhibere, quibusdam religio sit) ipse vero longe aliter sentiens, & eas dehonestamentum historiæ, non ornamentum habens rejeci, certa certo, dubia dubie retuli: ubi defecerunt antiqua & æqualia documenta, scriptores & eorum scripta in fide eorum qui eos vel ea laudant, adoptavi nihil asserens, sed sodales cujusque domus excitans, ut veritatem diligentius indagent, huicque operi addant.

Quædam adhuc de hac editione veniunt monenda. Ubi ad caput cujusque scriptoris annum tantum in margine notatum videris, hoc elogium a R. P. Jacobo *Quetif* integrum adornatum scias, etsi plerumque ubi habeantur codices MS, aut librorum impressorum varias editiones addiderim. Ubi in margine supra annum asteriscus apparet, hæc a me omnia prodierunt. Ubi vero ad annum jungitur crucula, hæc partim ex adversariis dicti Jacobi Quetif, partim ex amplioribus notitiis aliunde mea diligentia collectis concinnata esse noveris. Sic enim omnia distinguenda esse judicavi, ne viri eru-

ditissimi elegantes lucubrationes quis mihi arrogaret, ac ne quantum in hoc opere laboris impenderit, posteris ignotum esset.

Auctorum omnium, quos in hoc opere conficiendo uterque consuluimus, indicem hîc prodere, & fusius esset & supervacaneum, cùm ubique citentur: pauca solum ne lector aberret, occurrunt addenda. Cùm Leander Albertus qui ex nomenclatoribus nostris accuratior est, in suo *de viris illustribus ordinis Prædicatorum* opere citatur, ne frequentius id repetere molestum esset, *Leander fol. tali a vel b*, id est pagina prima vel altera indicandus visus est. Cùm alia ejus opera præsertim Italiæ descriptio, tum id distincte notatur. Cùm Antonius Senensis, qui in hac parte ex diligentioribus est, licet non in paucis aberrarit, laudatur in sua ordinis bibliotheca, tum communi & usitato apud nostrates vocabulo *Lusitanus* simpliciter dicitur, e Lusitania enim originem duxit. Cùm Ambrosius Taëgius Leandri Alberti æqualis, qui ob antiquorum ordinis monumentorum diligentem & accuratam collectionem de ordine optime meritus est, & nunquam satis commendandus, sex enim majores & non parvæ molis codices horum monumentorum MS reliquit, citatur, his tantum voculis & litteris designatur *Taëgius P. P. M. O.* vel *II. P.* &c. id est prima parte monumentorum ordinis vel secunda &c. ut mirum sit quosdam, inter quos Soegius noster in Anno Dominicano Gallico, quia apud Lusitanum aliquando viderunt omisso nomine *Taëgii* citari P. P. Mon. O. duas priores litteras sic interpretatos esse, quasi quidam *Petrus Pictavinus* auctor incognitus & revera fictitius laudaretur. Michael Pius inter historicos nostros non parum nominatus, secunda potissimum historiarum suarum parte in hoc opere nobis usui fuit, & sic citatur Pius P. II. col. tali, ubi vero omittitur P. II, quod non raro contingit, hanc tamen secundam partem citari certum habeas. Cùm bibliothecam Sorbonicam lustrare permissum mihi fuit, tum codices MS variis numeris notati erant in dorso, in latere, prima pagina pura, hunc tertium ut securiorem elegi, & ubique annotavi. Vir eruditus D. Franciscus Salmon doctor & socius Sorbonicus, qui jam huic bibliothecæ præest, novos numeros apposuit, sed hos ut colligerem nec otium fuit, nec permisit valetudo.

Viros eruditos veteres & recentiores, qui historiæ ecclesiasticæ vel etiam litterariæ expurgandæ & accurandæ incubuerunt, vel etiamnum incumbunt, omni qua par est reverentia prosequor & ubique laudo, ceu ex quorum lucubrationibus non parum profecerim. Inter alios nominandi veniunt eruditi Actorum Sanctorum, quæ Antverpiæ in dies prodeunt editores, quosque gratus animus oblivisci non sinit, cùm multa ordinis monumenta e tenebris eruerint, quorum apud nos nulla jam extabat memoria. Cùm tamen ordinis Prædicatorum regimen nec illi nec alii a nobis extrates calleant, ut nec rescire illis obvium est, sicubi a vero aberrant, quod aliquando contingit, eos ea libertate emendo, quam permittit veritatis amor, quo se unice flagrare præstant, & quo uno flagrare omnes tenemur, nullo vero contendendi affectu a quo sum alienissimus. Idem omnibus eruditis integrum de hoc opere judicium relinquo, tantumque abest, ut si aliquoties erraverim, emendari ægre patiar, quin idipsum totis præcordiis exoptem, ut historia nostra litteraria quam purissima tandem & ab omnibus sphalmatis expurgatissima prodeat.

Ut majorem huic operi lucem afferam duplex cuique volumini notitia præmittenda visa est, prima status ordinis, provinciarum nempe ex quibus constat, & domorum in quaque extantium, altera comitiorum seu ut loquimur capitulorum generalium ab initio ad hoc ultimum quo vivimus seculum, addita præter diem mensis & anni cujusque ratione. Et primo quidem huic tomo præmittitur notitia provinciarum ab anno MCCXX ad MD, quibus seculis

ã iv

eadem fere permansit earum divisio, licet seculo XV quædam divisæ fuerint, ut Dalmatia ab Hungaria, Sicilia trans pharum a Regno Siciliæ citra pharum, Lusitania ab Hispania, Scotia ab Anglia, surrexerint etiam variæ congregationes severiorem legum nostrarum observationem amplexæ, sed quæ statum provinciarum non immutabant. Altera est series capitulorum generalium ab anno MCCXX ad annum MD habitorum longe accuratior, quam vel a Michaele Pio in prolegomenis suæ secundæ partis, vel a Vincentio Maria Fontana initio sui operis cui titulus, *Declarationes constitutionum* data sit: ceu quam ex actis ipsis, vel ex duobus antiquis codicibus MSS Lingonensi uno, altero Victorino ejus ætatis eruimus. Alteri Tomo præfigetur notitia provinciarum, quarum numerus ab anno MD ad hoc ultimum seculum plurimum auctus est seu ex quarumdam divisione, seu ex domorum novarum erectione, ex quibus jam ordo coalescit. Tum sequetur series capitulorum generalium ab anno MD ad præsentem annum MDCCXIX habitorum. Ex hac duplici notitia & plures historiæ nodi solvuntur, & cujus provinciæ cujusve domus quisque scriptor fuerit, quivis facile deprehendet.

Denique quod superest, me unius sanctæ Catholicæ Romanæque Ecclesiæ filium addictissimum protestor omnia in universo hoc opere dicta ejus censuræ animo demisissimo subjicere: & si quæ mihi exciderint ab ea non probata, quamvis nullius mihi conscius sim, ea me jam ex nunc revocare.

ADDENDA ET EMENDANDA IN HOC TOMO.

In serie capitulorum generalium ad finem:

Ad MCCCCXCVIII *dele* III junii. *Scribe* XX junii contra morem ob difficultatem temporum.

In serie episcoporum in Suecia addendi

Martinus Sxytte ep. Aboënsis.

Thomas Anglus ep. Finlandensis.

De utroque vide p. 428.

In serie archiepiscoporum addendi

Heinricus ex provinciali Prædicatorum art. Ardmachanus in Hybernia, inde ad Culmensem sedem in Prussia translatus servato in bullis apostolicis archiepiscopi titulo, mortuus anno MCCLIV die I julii. *Vide Acta SS. T. VII maii p.* 603 *&* 607 *a.*

Petrus Philippi arc. Upsalensis XLV. *Vide hujus Tomi* p. 428.

In serie patriarcharum addendus

Elias Regiensis Antiochenus qui sedit a MCCXL ad MCCL.

Sic refert in catalogo patriarcharum Antiochiæ Rodericus de Acuña archiepiscopus Bracharensis Tractatus de Primatu Brachar. Ecclesiæ p. 202. *Editus est in fol. Brachara typis Joan. Roderici* 1632.

P. 404 *a, ubi de Guidone de Turre adde:*

Certissimum est Guidonem de Turre suum testamentum fecisse apud Oratorium anno MCCLXXXV stylo veteri, novo LXXXVI. Oratorium (Gallice *Ouzoir sur Trezée*) oppidum est diœcesis Autissiodorensis passus circiter mille a Ligeri dissitum. In Ecclesia verò S. Martini ejus loci parochiali etiamnum visitur tumulus, cui insculpta effigies episcopi cum hoc epitaphio lectu difficili:

Hic jacet D. D. Guido de Turre quondam episcopus Claromontensis.

Notæ hujus tumuli præsertim insula indicant opus esse seculi XIII exeuntis. Hinc constare videtur Guidonem apud Oratorium obiisse, & primo ibidem sepultum: unde Claromontium ad Basilicam majorem corpus ejus translatum fuerit, si verum est quod vulgo fertur, in ea jam ad majus altare jacere.

Hic Tomus jam prælum exierat, cùm hanc notitiam a R. P. Domno Jacobo Boyer asceta Benedictino viro accurato, & diligenti rei antiquariæ scrutatore accepi. Vidit ille & tumulum indicatum & testamenti instrumenta seu apud canonicos ecclesiæ Claromontanæ seu apud nostros ibidem servata. Singularis hujus notitiæ gratiam illi debet mecum ordo universus.

P. 519 *ad opera Johannis a S. Geminiano addenda Vita S. Finæ virginis in Etruria.* Hanc ex cod. MS ejus ætatis Florentiæ servato editam habes in Actis SS. T. II martii ad diem XII p. 236.

Dum prælum sudaret, quidam scriptores incautè duplicati fuerunt.

Antonius de Nazario bis laudatur ad p. 210 b, tum ad p. 795 b.

Georgius de Peyra bis ad p. 725 a, tum ad 901 a.

Guillelmus Brunyardus bis ad 634 b, tum ad 701 b.

Horum articulorum alteruter delendus est.

Errata quædam omissa in Indice erratorum.

P. 849. b lin. 5 & 6 *ante fin. ubi de* Alano de Rupe *dele* B. M. *lege* F.

P. 924 in inferiori margine col. 2 lin. 7 πατηόντα lege πατηότητι.

In Indice nominum alphabetico.

Bernardus de Claromonte *dele* 784 *lege* 384.

Federicus Frezzius *dele* 578 *lege* 758.

Gaſthaldus Teutonicus *dele* vide Godefridus, *lege* 634 b.

NOTITIÆ

NOTITIA
PROVINCIARUM ET DOMORUM
ordinis Prædicatorum

Ab initio ad annum M D.

Duplex hujusmodi notitia nobis servata est apud Bernardum Guidonis, prima antiquior sed generalis tantum, qua domus cujusque provinciæ in globo tantum recensentur excepta provincia Provinciæ cujus domos sigillatim refert. Altera est status ordinis ab anno MCCCIII, quo divisis quibusdam provinciis, auctus est earum numerus. Utraque sequitur.

NOTITIA PRIMA ET ANTIQUA ORDINIS.

Anno Domini MCCLXXVII in capitulo Generali Burdegalis celebrato erant conventus Fratrum & sororum tot.

CHORUS DEXTER.

1. IN provincia Hispaniæ xxxv erant conventus Fratrum, duo monasteria Sororum, quorum unum est in Calaroga villa nativitatis B. Dominici nobiliter fundatum. Habebat Fratres defunctos miraculis coruscantes multos.

2. In provincia Franciæ conventus Fratrum quinquaginta duo, monasteria Sororum quatuor, unum in Monte Argil, ubi jacet domina Amicia: secundum fundavit rex sanctus Ludovicus Rotomagi, tertium sacerdos quidam in Lotaringia, & quartum comitissa Flandriæ in Insula.

3. In provincia Tusciæ conventus Fratrum triginta duo, monasteria tria in Urbe, in Florentia, in Pisis.

4. In provincia Teutoniæ conventus Fratrum quinquaginta tres, monasteria seu claustra Sororum, prout ipsi Teutonici vocant XL, quorum sex sunt in suburbio Argentinensi.

5. In provincia Poloniæ conventus Fratrum XXXVI, monasteria Sororum duo. In Cracoviensi jacet Frater Iascon potens in mortuis suscitandis, & Vitus episcopus potens in miraculis patrandis.

6. In provincia Græciæ conventus Fratrum septem, quorum unum est in Creta.

CHORUS SINISTER.

1. IN provincia Provinciæ conventus Fratrum quadraginta duo, monasterium Sororum unum scilicet Prulianum a B. Dominico fundatum.

2. In provincia Lombardiæ conventus Fratrum XLVI, monasteria Sororum tria, quorum unum est S. Agnetis (Bononiæ) a B. Dominico fundatum, aliud in Revulis (ad Florentiam.)

3. In provincia Ungariæ conventus Fratrum triginta, monasteria Sororum duo.

4. In provincia Angliæ conventus Fratrum quadraginta.

5. In provincia Daciæ conventus Fratrum viginti octo, monasteria Sororum unum tantum.

6. In provincia Terræ Sanctæ conventus Fratrum tres, scilicet in Achon, in Nicosia, in Tripoli.

In sequenti capitulo generali apud Mediolanum celebrato anno MCCLXXVIII concessæ sunt domus provinciis

Hispaniæ duæ	Provinciæ duæ
Tusciæ seu Romanæ una	Lombardiæ duæ
Teutoniæ duæ	Ungariæ duæ
Poloniæ quæ & Boemiæ duæ	

Erantque tunc omnes conventus ordinis numero quadringenti decem & septem.

NOTITIA SPECIALIS PROVINCIÆ PROVINCIÆ ante divisionem factam anno MCCCIII *ex eodem Bernardo Guidonis excepta.*

Anno Domini MCCCII sic tenebant loca sua in capitulo provinciali prior provincialis & priores conventuales in provincia Provinciæ ordinis Prædicatorum:

PRIOR PROVINCIALIS.

A DEXTRIS

Priores conventuales.

1. Tolosanus. Primus prior S. Romani appellatus B. Dominicus anno Domini MCCXVI.

2. Montispessulani anno Domini MCCXX.

3. Aniciensis anno Domini MCCXXI.

4. Narbonensis.

5. Avenionensis.

6. Arelatensis.

7. Niciensis.

8. Perpiniani.

9. Cistaricensis.

10. Carcassonensis. Locus fuit datus a S. Ludovico anno Domini MCCXLVII, conventus autem fuit ibi positus in capitulo provinciali Montispessulani anno Domini MCCLII. Primus prior institutus F. Ferrarius Catalanus. Primus supprior F. Lucas Figiacensis. Primus lector F. Petrus Regis de Fanojovis.

11. Orthesiensis. Locus fuit receptus in capitulo provinciali Narbonensi anno Domini MCCL, sed conventus fuit positus in capitulo provinciali Lemovicensi anno Domini MCCLIII.

12. Figiacensis.

13. Castrensis. Locus fuit concessus per magistrum Humbertum & diffinitores capituli generalis anno Domini MCCLVIII: conventus vero fuit positus in capitulo provinciali Massiliæ anno MCCLX. Primus prior F. Petrus Hispanus Lemovicensis, primus supprior F. Elias de Brivia Lemovicensis.

14. Condomiensis anno Domini MCCLXI.

15. Brageriacensis. Locus fuit receptus in capitulo provinciali Narbonensi anno Domini MCCLXII, conventus vero fuit positus in capitulo provinciali Avenionensi anno MCCLXIIII. Primus prior F. Wilhelmus de sancto Asterio, lector assignatus F. Jo. de Chastant Lemovicensis.

16. Albenaci. Conventus fuit positus in capitulo provinciali Lemovicensi anno Domini MCCLXVI. Primus prior ibidem institutus F. Guillelmus Vitalis, primus lector assignatus F. Guillelmus Petri Astoaldi.

17. Aurasicensis. Conventus fuit ibi positus in capitulo provinciali Montispessulani anno Domini

A SINISTRIS

Priores conventuales.

1. Lemovicensis. Locus fuit receptus a F. Petro Cellani, qui fuit socius B. Dominici, missusque fuit illuc ab eodem de Parisius anno Domini MCCXIX. Hic fuit ibidem primus prior.

2. Baionensis MCCXXI. Hunc conventum acceptavit F. Pontius Samatano.

3. Caturcensis.

4. Burdegalensis anno Domini MCCXXX.

5. Massiliensis.

6. Petragoricensis anno MCCXLI.

7. Valentinus.

8. Biterrensis.

9. Agennensis conventus fuit positus in capitulo provinciali Montispessulani anno Domini MCCLII. Prior ibidem institutus F. Guillelmus de Blavia. Lector assignatus F. Galhardus de Ursi saltu, *Orsault.*

10. Alestensis.

11. Montisalbani in capitulo provinciali Lemovicensi anno Domini MCCLIII.

12. Tarasconensis. Conventus fuit positus in capitulo provinciali Avenionensi anno MCCLVI. Prior ibidem institutus F. Galhardus d'Orsault.

13. Nemausensis.

14. Brivensis. Vicarius fuit assignatus loco Brivensi F. Bernardus de Cella Lemovicensis, & Fratres in capitulo provinciali Tolosæ anno Domini MCCLXIII, sed ante erant ibi ad promovendum locum. Conventus fuit ibi positus in capitulo provinciali Avenionensi anno MCCLXIIII. Prior ibi institutus F. P. de Plavis, lector assignatus F. Joannes de Montecuto, sed non venit nec legit, idem F. Petrus fuit prior & lector simul.

15. Sancti Emiliani. Locus receptus in capitulo provinciali Narbonensi anno Domini MCCLXII, conventus vero fuit positus in capitulo provinciali Montispessulani anno MCCLXV. Prior ibidem institutus F. G. de Arsis, lector assignatus F. Guillelmus Aosterit.

16. Appamiensis. Huic loco promovendo fuerunt assignati FF. Peregrinus & Guillelmus Blanc in capitulo provinciali Biterrensi anno Domini MCCLXIX, conventus vero fuit positus in cap. prov. Cistaricensi anno MCCLXX. Prior ibid. institutus F. Guillelmus Garini de Fanojovis, lector assignatus F.P. Durandi.

17. Morlanensis. Locus concessus fuit in capitulo generali Viterbii anno MCCLXVIII, locus vero fuit

MCCLXII. Primus prior ibidem institutus F. Guillelmus Petri de Gigondacio, primus lector assignatus F. Petrus Hysmisolis.

18. Rivensis. Ad promovendum locum Rivensem fuit assignatus vicarius F. R. de Ponte in cap. prov. Narbonæ anno MCCLXXII. De loco isto fuit commissum duobus prioribus ad inquirendum in cap. prov. Caturcensi anno MCCLXXIII. Locus fuit acceptus, & F. P. Bertrandi Castrensis vicarius positus in cap. provinc. Tolosæ anno MCCLXXIIII. Conventus fuit ibi positus in cap. prov. Perpiniani anno MCCLXXV. Prior ibidem institutus F. R. de Ponte, lector assignatus F. R. Huhaudi.

19. Grassensis. Ad promovendum domum Grassensem fuit assignatus vicarius F. B. de Portali in cap. prov. Narbonensi anno Domini MCCLXXII. Locus fuit acceptus in cap. prov. Tolosæ MCCLXXIIII, & vicarius ibidem positus F. Guillelmus Dominici. Conventus autem fuit ibi positus in cap. prov. Perpiniani MCCLXXV. Prior ibidem institutus F. Petrus Hysmisolis, lector assignatus F. Joannes Armelli de Montepessulano.

20. Amiliavi. Locus fuit receptus in cap. prov. Castrensi anno Domini MCCLXXIX. Vicarius ibidem positus F. Guillelmus de Rupe de Montepess. Conventus vero fuit positus in cap. prov. Carcassonensi MCCLXXXII. Prior F. Bernardus Garini Narbonensis, lector assignatus F. P. de Bayraco.

21. Sancti Severi. Conventus fuit positus in cap. prov. Carcassonensi anno Domini MCCLXXXII. Prior ibidem institutus F. Petrus de Salvaterra, lector assignatus F. Odo de Marcino.

22. Ruthenensis. Anno Domini MCCLXXXIII erant ibi Fratres ad promovendum locum ut moris est. Conventus fuit positus in cap. prov. Pirpiniani MCCLXXXIII. Prior ibidem institutus F. Joannes de Veyreriis Caturcensis, lector assignatus F. Guillelmus Aymerici Tolosanus.

23. Lectorensis. Locus fuit concessus conditionaliter in cap. prov. Condomiensi anno Domini MCCLXXXV, scilicet si Fratribus ad hoc missis illud videretur expediens. Conventus vero fuit positus in cap. prov. Burdigalensi post generale ibidem anno MCCLXXXVII. Prior ibidem institutus F. Petrus de Tapia, lector assignatus F. Petrus de Labacut.

24. Cauquiliberi. Locus fuit receptus & conventus ibi positus ad petitionem regis Majoricarum in cap. prov. Appamiensi anno Domini MCCXC. Prior ibidem institutus F. P. Mivisse, lector assignatus F. Jacobus de Arulis, qui postmodum transivit ad prædicandum gentibus.

25. Sancti Maximini. Locus fuit datus ordini, simulque conventus positus per D. Bonifacium papam VIII petente & procurante, imo totum faciente D. Karolo II rege Siciliæ. Prior fuit ibi institutus per eumdem D. papam F. Guillelmus de Tonenth, sed minime præfuit ibi. Quo absoluto factus fuit prior F. Radulphus de Fontesenioruni Cistaricensis. F. Petrus de Alamanone episcopus Cistaricensis ex commissione sibi facta a summo pontifice instituit ibi subpriorem & assignavit Fratres. Anno Domini MCCXCV in cap. prov. Castrensi in festo S. Joannis Baptistæ celebrato venit rumor, & littera præfati domini episcopi Cistaricensis ad provincialem & diffinitores continens veritatem.

receptus in cap. prov. Biterrensi anno MCCLXIX, conventus vero fuit positus in cap. prov. Caturcensi anno MCCLXXIII. Prior ibidem institutus F. B. de Villa, lector assignatus F. G. Arnaldi de Maloleone.

18. Aquensis. Ad promovendum locum Aquensem fuerunt assignati FF. Guillelmus Bernardi & Hugo Blanquerii in cap. prov. Narbonensi anno Domini MCCLXXII. Locus fuit receptus in sequenti cap. prov. Caturcensi MCCLXXIII, vicarius ibidem assignatus F. R. Magistri, conventus vero fuit positus in sequenti cap. prov. Tolosæ MCCLXXIIII. Prior ibidem institutus F. Ricardus, lector assignatus F. R. Magistri.

19. Altavillaris. Locus fuit receptus & conventus similiter positus in cap. prov. Pirpiniani anno Domini MCCLXXV. Prior ibidem institutus F. Arnaldus de Pontiaco Condomensis, lector assignatus F. R. Guillelmi de Villa Franca.

20. Albiensis. Ad promovendum locum fuerunt assignati Fratres in cap. prov. Pirpiniani anno Domini MCCLXXV. Locus fuit receptus & conventus ibi positus in cap. prov. Agennensi MCCLXXVI. Prior ibidem institutus F. Bernardus de Bociacis, lector assignatus F. Guillelmus Andreæ de Marologio.

21. Marologii. Locus fuit receptus in cap. prov. Montispessulani anno Domini MCCLXXVIII Vicarius factus F. Joannes de Balmellis, pro lectore assignatus F. Petrus de Fraysseneto. Conventus vero fuit ibi positus in cap. prov. Massiliæ MCCLXXXI. Prior ibidem institutus F. Joannes de Balmellis, lector assignatus F. Joannes Gobi Alestensis.

22. Diensis. Locus fuit receptus & ad promotionem ejus Fratres assignati in cap. prov. Pirpiniani anno Domini MCCLXXV. Conventus vero fuit ibi positus in cap. prov. Carcassonæ MCCLXXXII. Prior ibidem institutus F. Jacobus de Upasio, lector assignatus F. Petrus Tardini.

23. Podii-Cerdani. Locus fuit receptus, & conventus similiter positus ad petitionem domini regis Majoricarum in cap. prov. Biterrensi anno Domini MCCXCI. Prior ibidem institutus F. Bernardus Guillelmi de Villafranca, lector assignatus F. Guillelmus Pagani.

24. Sancti Gaudentii. Locus fuit receptus in cap. prov. Brivensi anno Domini MCCXCII, vicarius ibi positus F. Arnaldus de Morlanis, sed ante quasi per duos annos erant ibi Fratres ad promotionem loci. Conventus vero fuit ibi positus in cap. prov. Carcassonæ MCCXCIII. Prior ibidem institutus F. Bernardus de Campo Bernardi, lector assignatus F. Ademarius de sancto Paulo.

NOTITIA ALTERA STATUS ORDINIS,

Qualis erat anno MCCCIII *post erectionem sex novarum provinciarum ex divisione totidem antiquarum ex Bernardo Guidonis, qui singulas cujusque domus enumerat aliquando per regna, aliquando juxta ordinem quo earum priores in comitiis provincialibus sedebant, scilicet juxta antiquitatem erectionis cujusque.*

HISPANIA.

Anno Domini MCCCI in actis capituli generalis Coloniæ celebrati fuit constitutio confirmata, quæ in præcedentibus duobus capitulis inchoata fuerat & etiam approbata, quod provincia Hispaniæ divideretur in duas: ita quod Castella, Legio, Gallicia & Portugallia sint una provincia & vocetur *Provincia Hispaniæ*, & teneat primum locum in dextro choro: Aragonia vero & Cathalonia & Navarra sint alia provincia & vocetur *Provincia Aragoniæ*, & teneat locum in dextro choro post provinciam Græciæ.

In provincia Hispaniæ erant hi conventus.

IN CASTELLA.

1. Victoriensis.
2. Burgensis.
3. Palentinus.
4. Vallisoletanus.
5. Segobiensis, *ubi fuit prima domus Fratrum in Hispania anno Domini* MCCXVII.
6. Toletanus.
7. Cordubensis.
8. Hispalensis.
9. Xericiensis.
10. Murciensis.

IN LEGIONE.

1. Legionensis.
2. Benaventanus.
3. Zamorensis.
4. Taurensis.
5. Salamantinus.
6. Civitatensis.

IN GALICIA.

1. Compostellanus.
2. Lucensis.
3. Pontis veteris.
4. Gruviensis.
5. Ripaviensis.
6. Tudensis.

IN PORTUGALIA.

1. Portugalensis.
2. Colimbricensis.
3. Santarenensis.
4. Vimeranensis.
5. Ulisbonensis.
6. Elnenensis.
7. Elborenensis.

In ea vero erant hæc Sororum monasteria.

1. Apud Majoricum (id est Madritum) ubi fuit a principio locus Fratrum per B. Dominicum institutus, sicut in gestis ejus colligitur evidenter.
2. Apud Calarogam in loco nativitatis S. Dominici patris omnium.
3. Apud Achellas.
4. Apud Ulisbonam.
5. Apud Zamoram.
6. Apud Segobiam.

II. TOLOSANA.

Anno Domini MCCCIII in generali capitulo Bisuntino fuit confirmata constitutio, quæ in præcedentibus duobus capitulis inchoata fuerat & approbata quod provincia Provinciæ divideretur in duas hoc modo, videlicet quod conventus Tolosanus, Carcassonensis, Appamiensis, Castrensis cum cæteris versus Lemovicam, Burdegalam & Baionam cum monasteriis Sororum interclusis sint una provincia & vocetur Provincia Tolosana, & teneat primum locum in choro sinistro. Conventus vero Montispessulani cum Narbonensi, Biterrensi, & tribus conventibus de dominio regis Majoricarum & conventibus Amiliavi, Podiensi, Albenacii, Marologii, Alestensi, Nemausensi, & conventibus qui sunt ultra Rhodanum cum monasteriis Sororum interclusis sint alia provincia & *Provintia Provinciæ* nominetur, & teneat locum in choro dextro post provinciam Aragoniæ.

Conventus

Conventus hi erant in provincia Tolosana, & priores juxta antiquitatem cujusque conventus sic sedebant in capitulis provincialibus.

CHORUS DEXTER.

1. Tolosanus erectus anno MCCXVI.

2. Baionensis anno MCCXXI. Hic fuit mutatus de sinistro choro ad dextrum in capitulo provinciali Montisalbani anno MCCCIII.

3. Burdegalensis circa MCCXXX. Hic fuit mutatus de sinistro choro ad dextrum in cap. prov. jam laudato.

4. Carcassonensis anno MCCLII.

5. Orthesiensis anno MCCLIII.

6. Figiacensis anno MCCLIV.

7. Condomiensis anno MCCLXIII.

8. Brageriacensis anno MCCLXIV.

9. Appamiensis anno MCCLXX. Hic fuit mutatus de sinistro choro ad dextrum cum supra laudatis.

10. Rivensis anno MCCLXXV.

11. Albiensis anno MCCLXXVI. Hic fuit mutatus de sinistro choro ad dextrum cum supra laudatis.

12. Rutenensis anno MCCLXXXIV.

13. Sancti Gaudentii anno MCCXCIII, & hic mutatus de sinistro choro ad dextrum cum supra laudatis.

CHORUS SINISTER.

1. Lemovicensis ubi venerunt primitus Fratres a B. Dominico de Parisius destinati anno Domini MCCXIX paulo ante quadragesimam. Nota stylo veteri novo MCCXX.

2. Caturcensis, qui cœpit ut æstimo ex auditu anno Domini MCCXXV.

3. Petragoricensis, ubi venerunt primitus Fratres anno Domini MCCXLI vel circa. Scilicet F. Joannes Balistarius Lemovicensis locum accepit.

4. Agennensis anno MCCLII.

5. Montisalbani anno MCCLIII.

6. Castrensis S. Vincentii anno MCCLX. Hic fuit mutatus de choro dextro ad sinistrum in cap. prov. Montisalbani in festo S. Michaëlis anno MCCCIII.

7. Brivensis anno MCCLXIV.

8. Sancti Emiliani anno MCCLXV.

9. Morlanensis anno MCCLXXIII.

10. Altivillaris anno MCCLXXV.

11. Sancti Severi anno MCCLXXXII. Hic fuit mutatus de dextro choro ad sinistrum cum supra laudatis.

12. Lectorensis anno MCCLXXXVII. Hic fuit mutatus de dextro choro ad sinistrum cum supra laudatis.

Sequentes postea & etiam alia manu additi.

14. Sancti Juniani, ubi fuit datus locus Fratribus, & prima missa ibidem celebrata anno Domini MCCXCII, die tertia mensis novembris. Conventus vero positus in capitulo provinciali Appamiensi MCCCX, & in dextro choro locatus.

15. Belvidere. Et hic concessus in capitulo generali Florentiæ MCCCXXI.

16. Limosi. Hic fuit erectus conventus circa MCCCXL.

17. De Bagneriis diœcesis Tarbensis. Hic concessus fuit in capitulo generali Podii in Velaunis anno MCCCXLIV.

18. Rebelli, cujus erectionem quidam referunt ad ann. MCCCLXVIII.

19. De Genisacco diœcesis Burdigalensis. Hic fuit acceptatus in cap. gen. Romano anno MDXXX.

13. Sancti Geruntii diœcesis Coseranensis, ubi fuit locus datus Fratribus, & prima missa celebrata ibidem in vigilia B. Matthæi apostoli & evangelistæ anno Domini MCCIX. Conventus vero fuit positus & receptus in capitulo provinciali Appamiensi anno MCCCX, & in sinistro choro locatus.

14. Marciaci. Hic fuit concessus in cap. generali Florentiæ anno MCCCXXI.

15. Portus sanctæ Mariæ. Hic fuit concessus in capitulo generali Londini habito anno MCCCXXXV.

16. De Fanojovis. Hic fuit erectus circa MCCCXLIV.

17. Malivicini. Hunc dicunt erectum circa MCCCL.

18. Regulæ Gallice *La Reole*, quem certum longe ante annum MD erectum.

19. Quillanus. Hic jam erectus erat anno MDXXX.

Monasteria Sororum in provincia Tolosana anno MCCCIII hæc tria sola erant.

1. Prulianum in diœcesi tum Tolosana, quod incepit fundari a B. Dominico anno Domini MCCVI.

2. Pontis viridis in Condomio diœcesis Agennensis, quod incepit fundari primitus anno MCCXC. Sorores vero tredecim de monasterio Pruliani fuerunt illuc adductæ & positæ anno MCCXCIII circa festum S. Michaelis. Prima ibidem priorissa soror Blanca de Burdegalis. Patrona & fundatrix fuit Domina Vienna.

3. S. Pardulphi in diœcesi Petragoricensi, cujus locus ædificatus prius ut poneretur & esset ibi conventus sanctimonialium fœminarum de bonis dominæ Margaretæ vicecomitissæ Lemovicensis filiæ ducis Burgundiæ, datus fuit pro sororibus Pruliani actore magistro Gerardo de Malomonte anno MCCXCI ab exordio computando. Sorores vero sex de monasterio Pruliani fuerunt illuc adductæ, & positæ in festo translationis S. Dominici, quæ illo anno simul in eodem die concurrit cum festo Trinitatis anno Domini MCCXCIII. Prima ibidem priorissa fuit soror Fina de Aragone.

III. FRANCIÆ.

In provincia Franciæ hoc ordine sedebant in capitulis provincialibus Priores.

CHORUS DEXTER.

1. Parisiensis, ubi Fratres missi a B. Dominico de Tolosa Parisius primitus advenerunt pridie idus septembris anno Domini MCCXVII, & domum sibi juxta hospitale B. Virginis ante fores Parisiensis episcopi conduxerunt. Anno subsequenti MCCXVIII data fuit Fratribus domus S. Jacobi a magistro Joanne decano S. Quintini & universitate Parisiensi, quam intraverunt ad habitandum VIII idus augusti.
2. Remensis anno MCCXIX.
3. Pictaviensis anno MCCXIX.
4. Bisuntinus.
5. Andegavensis.
6. Senonensis.
7. Rupellensis.
8. Leodiensis.
9. Cenomanensis.
10. Trecensis.
11. Cadomensis.
12. Belvacensis.
13. Atrebatensis.
14. Brugensis.
15. Virdunensis.
16. Divionensis anno MCCXXXVI.
17. Altissiodorensis, ubi fuit domus concessa in capitulo generali Bononiæ anno MCCXL.
18. Ambianensis anno MCCXLIII.
19. Bergensis.
20. Pontensis.
21. Lexoviensis.
22. Compendiensis.
23. Duacensis.
24. Kemperliensis.
25. Pruvinensis.
26. Ebroicensis. Dominus Philippus episcopus fundavit & fuit patronus, & introduxit conventum anno MCCLXXVIII in conversione S. Pauli. Nota stylo veteri, novo MCCLXXIX.
27. Blesensis.
28. Gratianopolitanus.
29. Fontiniacensis.

CHORUS SINISTER.

1. Lugdunensis anno MCCXVIII.
2. Metensis anno MCCXIX.
3. Aurelianensis, ubi fuerunt primitus missi Fratres de Parisius anno MCCXIX.
4. Rotomagensis.
5. Insulensis anno MCCXXIV.
6. Claromontensis Arvernorum.
7. Gandavensis anno MCCXXVIII.
8. Sancti Quintini in Veromanduis.
9. Carnotensis.
10. Lingoniensis.
11. Dinanensis.
12. Cathalaunensis.
13. Lausanensis.
14. Valencenensis anno MCCXXXIII.
15. Montisrelaxi.
16. Bituricensis.
17. Constantiensis in inferiori Normania.
18. Turonensis.
19. Tullensis.
20. Nannetensis.
21. Matisconensis.
22. Genevensis, ubi fuit domus concessa anno MCCLXIII.
23. Iprensis.
24. Belveariensis.
25. Poliniacensis.
26. Sancti Joannis Angeliaci.
27. Guingapensis.
28. Engolismensis.
29. Nivernensis, ubi fuit fundatus locus conventualiter anno MCCCV Dominica in quinquagesima.

Sequentes jam anno MCCCXLV additi erant.

30. Xantonensis.
31. Sancti Adomari.
32. Chamberiaci.
33. Burgensis in Bressia.

30. Argentomensis.
31. Montismeliani.
32. Anessiaci.
33. Montis-Bosonis.

Monasteria Sororum hæc erant.

1. De monte Argino juxta Senonas.
2. Sancti Matthæi juxta Rotomagum.
3. Apud Methim.
4. Apud Vivarium juxta Sarborc.
5. Apud Insulam in Flandria.
6. Apud Lausannam.
7. De Pissiaco prope Parisius, quod incepit fundari in honorem gloriosissimi confessoris B. Ludovici regis piissimi quondam regis Francorum, a domino rege Philippo tam insigniter quam regaliter & potenter anno Domini MCCXCVII, audita canonizatione S. Ludovici piissimi regis Francorum quondam avi sui, qui apud Pissiacum natus est in hoc mundo, & sacrum baptisma suscepit. Natus est vero in festo beati Marci evangelistæ anno MCCXIIII, coronatus autem fuit in regem dominica prima adventus anno MCCXXVI, ætatis vero suæ anno decimo quarto, quem completurus erat in sequenti festo sancti Marci evangelistæ, crucem autem Domini assumsit pro primo passagio transmarino anno MCCXLIV, ætatis vero suæ anno trigesimo jam completo. Transfretavit autem prima vice anno Domini MCCXLVIII, cum jam trigesimum quartum annum attigisset ætatis. Rediit autem inde exacto jam septennio inter moras anno MCCLIV. Transfretavit secunda vice anno MCCLXX, ubi & pertransivit mare

præsentis seculi in exercitu Domini in castris apud Tunicium octavo Kalendas septembris anno Domini prætaxato, ætatis vero suæ anno quinquagesimo septimo. Fuit autem canonizatus, & sanctorum confessorum catalogo annotatus per Bonifacium VIII papam tertio idus augusti Dominica die in Urbeveteri pontificatus sui anno Domini MCCXCVII.

IV. PROVINCIA LOMBARDIÆ.

Anno Domini MCCCIII in actis capituli generalis Bisuntini fuit constitutio confirmata, quæ in præcedentibus duobus capitulis inchoata fuerat, & etiam approbata, quod provincia Lombardiæ divideretur in duas hoc modo, videlicet quod conventus omnes Marchiæ Anconitanæ & Romaniolæ tum Bononia, Mutina, Regio, Parma & Ferraria, & omnes conventus patriarchatus Aquilegiensis & Gradensis excepto Cumano (id est Novo Comensi) sint una provincia, & vocetur, *Lombardia Inferior*; & teneat secundum locum in choro sinistro post provinciam Tolosanam. Omnes autem conventus de archiepiscopatu Mediolanensi & Januensi cum conventibus Papiensi, Placentino & Cumano sint alia provincia, & *Lombardia Superior* nominetur, & teneat locum in choro dextro post provinciam Provinciæ.

In provincia Lombardiæ inferioris anno MCCCIII *hoc ordine sedebant priores in comitiis provincialibus.*

IN DEXTRO CHORO.	*IN CHORO SINISTRO.*
1. Bononiensis.	1. Veronensis.
2. Faventinus.	2. Parmensis.
3. Venetus.	3. Paduanus.
4. Trivisinus.	4. Esinus.
5. Reginus.	5. Ferrariensis.
6. Mantuanus.	6. Sancti Severini.
7. Firmanus.	7. Tridentinus.
8. Mutinensis.	8. Esculanus.
9. Civitatensis.	9. Anconitanus.
10. Forliviensis.	10. Ariminensis.
11. Vicentinus.	11. Fanensis.
12. Ravennas.	12. Racanatensis.
13. Cesenas.	13. Ripanus.
14. Imolensis.	14. Bolzanensis.
15. Pesauriensis.	15. Clugiensis.
16. Urbinas.	16. Justinopolitanus.
17. Camerinensis.	

Loca nova erant anno Domini MCCCVIII in capitulo Paduano.

	17. Fabrianensis
18. Cingulanus.	18. Utinensis.
	ante MCCCXIV.
19. In Monte Silicis.	19. S. Dominici de Venetiis.

Monasteria Sororum hæc erant.

1. Bononiæ S. Agnetis, quod prius fuit in loco alio a B. Dominico institutum.	7. Parmæ. S. Dominici.
2. Imolæ, S. Dominici.	8. Trivisii. S. Pauli.
3. Ibidem. S. Mariæ de Caritate.	9. Regii. S. Petri Martyris.
4. Vicentiæ. S. Dominici.	10. Forilivii. S. Dominici.
5. Paduæ. S. Annæ.	11. Ibidem. S. Mariæ Magdalenæ.
6. Utini. S. Mariæ de Cella.	12. Fani. S. Martini.
	13. Ferrariæ. S. Catharinæ.

Mantuæ monasterium S. Vincentii a Bernardo Guidonis omissum testatur Papebrochius jam ab anno MCCLIV erectum. Vide Acta SS. T. III junii ad diem XVIII in vita B. Osannæ p. 704 Annotat. a.

V. TUSCIA.

Anno Domini MCCXCIV fuit divisa provincia Tusciæ in duas provincias, & vocata est *Romana provincia* pars una, altera vero pars *Provincia Regni Siciliæ* appellata auctoritate & mandato pontificis domini Cælestini papæ V, domino Carolo rege Siciliæ procurante suggerentibus Fratribus illarum partium. Provincia vero Regni Siciliæ suum locum tenet post provinciam Romanam immediate ex ordinatione papæ sicut habetur in actis capituli generalis in Argentina celebrati anno Domini MCCXCVI.

In provincia Romana anno MCCCIII erant hi conventus.

1. Romæ S. Sabinæ.
2. Ibidem. In Minerva.
3. Florentinus S. Mariæ Novellæ.
4. Senensis S. Dominici.
5. Trasensis.
6. Viterbiensis.
7. Pisanus.
8. Urbevetanus.
9. Perusinus.
10. Aretinus.
11. Lucanus.
12. Tudertinus.
13. Anagninus.
14. Spoletanus.
15. Pistoriensis.
16. Reatinus.
17. Narniensis.
18. Tiburtinus.
19. Castellanus.
20 Eugubinus.
21. Pratensis.
22. Fulginas.
23. Curtonienfis.
24. Castri Castrorum in insula Sardiniæ.
25. S. Benedicti de ..... ubi monachi facti fuerunt Prædicatores.

Ante MCCCXLV hi jam accesserant.

26. Mevennas.
27. Terracinensis.
28. Sarectanensis.
29. Sancti Miniatis.
30. Sancti Geminiani.
31. Locus de Piperno.

Monasteria Sororum hæc erant.

1. Romæ S. Sixti fundatum a B. Dominico anno Domini MCCXIX (*intellige stylo veteri novo* MCCXX) ubi prius fuit conventus Fratrum, sicut patet in gestis S. Dominici.
2. De Fossa Baudi in civitate Pisana.
3. Sanctæ Mariæ de Angelis in Lucha civitate.
4. De Ripolis in Florentia.
5. Ibidem S. Dominici.
6. S. Mariæ de virginibus in Perusio.
7. S. Georgii etiam in Perusio.
8. S. Petri apostoli in Urbeveteri.
9. S. Pauli apostoli ibidem in Urbeveteri, ubi fuerunt olim moniales sub cura monachorum ordinis S. Benedicti, a quibus resilierunt, & habitum S. Dominici & sub regimine Fratrum esse elegerunt tempore Domini F. Latini cardinalis. Quod postmodum extitit confirmatum per D. Benedictum papam XI cum omnibus privilegiis concessis Sororibus ordinis anno Domini MCCCIII.
10. S. Agnetis in Reate.
11. De Fulgineo in ducatu Spoletano.

VI. REGNI SICILIÆ.

In provincia Regni Siciliæ anno MCCCIII erant hi conventus.

IN INSULA SICILIÆ.

1. Messanensis S. Dominici.
2. Placiensis.
3. Augustanus.
4. Panormitanus.
5. Cataniensis.
6. Trapanensis.

Loca nova sunt anno MCCCVIII.

7. Syracusanus.
8. Agrigentinus.

Additus postea.

9. Reapanensis.

IN TERRA LABORIS.

1. Neapolitanus antiquior S. Dominici.
2. S. Petri Martyris in Neapoli.
3. Gaetanus.
4. Beneventanus.
5. Salernitanus.
6. Capuanus.
7. Adversanus.
8. Suessanus.
9. Sumanus.

IN TERRA ABRUTII.

1. Aquilanus.
2. Adrianus.
3. Pennensis.
4. Teatinus.
5. Sulmontinus.

Additi postea ante MCCCXLV.

6. Ortonensis.
7. Athesanus.
8. Terramanus.

IN APULIA.

1. Barolitanus.
2. Monopolitanus.
3. Tranensis.
4. Fogetanus.
5. Barensis.
6. Tarentinus.
7. Brundusinus.

Additi postea ante MCCCXLV.

8. Lucerinus.
9. Manfredoniensis.
10. Venusinus.
11. Troianus.

Monasteria Sororum hæc erant.

IN INSULA SICILIA.

1. S. Catharinæ Martyris apud Panormum.

IN TERRA LABORIS.

2. S. Dominici in Benevento.
3. S. Annæ in terminis de Salerno in terra Laboris quod est quasi in nemore positum.
4. S. Petri Martyris ad Castellum in civitate Neapoli in monasterio ubi erant prius monachi nigri: quibus inde depulsis fundatum extitit & dotatum a Carolo rege Siciliæ, de consensu & auctoritate D. Bonifacii papæ VIII, ad instantiam ipsius regis, & magis ac principaliter dominæ Marthæ reginæ uxoris suæ super hoc specialiter supplicantis

anno

anno Domini MCCC. Ubi rex & regina posuerunt sororem Elisabeth germanam ipsius reginæ, filiamque regis Ungariæ, quæ aliàs fuerat Soror in monasterio de Insula Sororum ordinis in Ungaria.

VII. UNGARIA.

In provincia Ungariæ anno MCCCIII *erant hi conventus.*

IN PANNONIA.

1. Albæ Regalis.
2. Pestensis.
3. Budensis.
4. Strigoniensis.
5. Taurinensis.
6. S. Martini.
7. Ferrei Castri.

IN TRANSILVANIA ULTRA SILVAM.

1. Albæ Transilvanæ.
2. Soybiniensis.
3. Albensis Transilvanæ.
4. Hystrice.
5. Transilvanensis.
6. Simulu.

IN SCLAVONIA.

1. Chamensis.
2. Veronica.
3. Possega.
4. Çagrabiensis.
5. Bihig.
6. Jadrensis.

CITRA DANUBIUM.

1. Trna *forte* Tirnuw.
2. Banensis.
3. Cassa.
4. Budruc.
5. Francavilla.
6. Apud Siculos.

IN DALMATIA tum ejusdem provinciæ.

1. Spalatinus.
2. Ragusinus.
3. Duracium.
4. Novensis.
5. Quinqueecclesiensis.
6. Marchianus.
7. Zeuriensis.
8. Pothoxensis.

Monasteria Sororum hæc erant.

1. Apud insulam fundatum a rege Hungariæ, ubi pro thesauro pretiosa soror Margareta virgo electa & sancta filia regis Hungariæ nomine Bela in vita sua virtutibus & miraculis multis effulsit, & post mortem vivens cum Deo miraculis demonstratur.
2. Apud Veprinum.
3. Apud Jadre.

VIII. TEUTONIA.

Anno Domini MCCCIII in actis capituli generalis Bisuntini fuit constitutio confirmata, quæ in præcedentibus duobus capitulis inchoata fuerat & etiam approbata, quod provincia Teutoniæ divideretur in duas hoc modo, quod Austria cum adjacentibus conventibus, Bavaria, Svevia, Franconia usque in Coloniam inclusive cum Brabantia sint una provincia & vocetur *Provincia Teutonia*, & teneat locum in dextro choro post Romanam provinciam: Mysia, Turingia, Hassia, Saxonia, Sclavia, Frizia, Zelandia & Hollandia sint alia provincia, & *Provincia Saxonia* nominetur, & teneat locum in sinistro choro immediate juxta Boemiam.

In provincia Teutoniæ anno MCCCIII *erant hi conventus & sic sedebant priores in capitulo provinciali.*

IN DEXTRO CHORO.

1. Frisacensis.
2. Argentinensis.
3. Viennensis.
4. Vormaciensis.
5. Thuricensis.
6. Bethoniensis.
7. Ezelingensis.
8. Basileensis.
9. Friburgensis.
10. Fribergensis.
11. Augustanus.
12. Stralsundensis.
13. Maguntinensis.
14. Trajecti superioris.
15. Bernensis.
16. Nurembergensis.
17. Phorzemensis.
18. Lubinensis.
19. Tulnenensis.
20. Landezhudensis.

IN SINISTRO CHORO.

1. Coloniensis.
2. Treverensis.
3. Herbipolensis Virsburg.
4. Ratisponensis.
5. Lovaniensis.
6. Confluentinus.
7. Constantiensis ad Rhenum.
8. Cremensis.
9. Francanwortdiensis.
10. Antwerpiensis.
11. Spirensis.
12. Rottwillensis.
13. Wimpinensis.
14. Novæ Civitatis.
15. Eycstedensis.
16. Columbariensis.
17. Curiensis.
18. Ulmensis.
19. Wrzeburgensis.
20. Margentinensis vel Mergenteinensis.

IN DEXTRO CHORO.

21. Zomergensis.
22. Hagenovensis.
23. Luceburgensis.
24. Sleestadensis.
25. Aquensis.
26. Boscus ducis.

IN SINISTRO CHORO.

21. Gamundiensis.
22. Gembrensis *vel* Gambrensis.
23. Retensis.

Monasteria Sororum hac erant anno MCCCIII.

1. Apud Luenz in terminis conventus Frisacensis.
2. Apud Merinberc in terminis ejusdem conventus.
3. Apud Studimz in terminis conventus Bethoniensis.
4. In Nova Civitate ad Speram *id est* clausuram.
5. In Vienna ad Sanctum Laurentium.
6. In Ripa Amoris in terminis conventus Cremensis, quod vocatur Minba vel Nimba.
7. Tulnense.

IN RATISPONA SUNT TRIA.

8. Sanctæ Crucis.
9. Betendorf, *id est* villa orationum.
10. *Tertii nomen deest.*
11. Apud Wulcep in terminis conventus Landshudensis.
12. Apud Hohenobre in terminis ejusdem conventus.

IN AUGUSTA SUNT DUO.

13. Sanctæ Catharinæ.
14. Sanctæ Margaretæ.
15. In Meding.
16. Medling.
17. Ulmense.
18. Alterum in terminis ejusdem conventus Ulmensis.
19. Apud Leontal *id est* Vallis Leonis in terminis conventus Constantiensis.
20. Apud Tiezenhoven in terminis ejusdem Constantiensis.
21. Apud Otonbach Turicense.
22. Apud Tueze *vel* Tireze in terminis conventus Turicensis.
23. In terminis conventus Ezelingensis sunt sex scilicet sanctæ Crucis.
24. Alterum in villerio Magerii.
25. Tertium in Steynheym.
26. Quartum in Kirycheim.
27. & 28. *Quinti & Sexti nomina seu loca desunt in cod. MS a me visis, indicantur solum.*
29. Apud Kyrichberch *id ist* in Monte Ecclesiæ in terminis conventus Rotwillensis.
30. Alterum in terminis ejusdem Rothwillensis.
31. In Basilea in Chilngendal.
32. Apud Gewiler.
33. In civitate Vriburgensi sunt tria scilicet Adelhusen.
34. Alterum Sanctæ Agnetis.
35. Tertium Sanctæ Catharinæ.
36. In Columbaria sunt tria, scilicet Subtilia magnum & opulentum.
37. Alterum Amersiwlr.
38. *Tertii nomen & locus desunt.*
39. In civitate Sleestadensi quod vocatur In Syl.
40. In circuitu civitatis Argentinensis sunt septem scilicet primum S. Nicolai.
41. Alterum Sanctæ Elisabeth.
42. Tertium Sancti Marci Evangelistæ.
43. Quartum Sancti Joannis Evangelistæ.
44. Quintum sanctæ Agnetis.
45. Sextum sanctæ Catharinæ.
46. Septimum Sanctæ Margaritæ.
47. In civitate Wormatiensi sunt duo, scilicet unum in Hocheim.
48. Alterum in Columbario.
49. In civitate Treverensi sunt duo scilicet Sanctæ Catharinæ.
50. Alterum sanctæ Barbaræ.
51. Apud vallem S. Mariæ in terminis conventus Lutzemburgensis.
52. In civitate Confluentina.
53. Sanctæ Gertrudis in Colonia.
54. In Valleducis in terminis conventus Lovaniensis.
55. Herbipolense S. Marci Evangelistæ.
56. Alterum in terminis conventus Herbipolensis.
57. Tertium in terminis ejusdem.
58. In civitate Spirensi in Lansenphaël.
59. Apud S. Lambertum in terminis conventus Spirensis.
60. Apud Rottemburch in terminis conventus Mergentemien.
61. In civitate Nurembergensi duo, unum in Engeldal, *id est* Vallis Angelorum.
62. Alterum in Vrach.
63. Vimpinense in Lauffen, *id est* in Cursu.
64. In villa Piborgenensi sunt duo, sed nomina seu loca desunt.
65.

IX. ANGLIA.

In provincia Angliæ quæ Angliam, Walliam, Hyberniam & Scotiam complectebatur erant anno MCCCIII *hi conventus.*

IN ANGLIA.

1. Cantuariensis.
2. Londoniensis.
3. Arundeliensis.
4. Cicestrensis.
5. Wiconiensis.
6. Wilitone *vel* Guldefordie.
7. Salesberiensis.
8. Wincestrie.
9. Oxoniensis.
10. Bristolli.
11. Gloverine.

IN WALLIA.

1. In Wallia.
2. Cardiniæ.
3. Haverfordiæ.
4. Bangoriæ.
5. Zodolani *vel* Hodolani.
6. Breconie.

IN HYBERNIA.

1. Dublinensis.
2. Muliger *vel* Mulinger.
3. Kixemnensis *vel* Kilxemnensis.

12. Warwici *vel* Wabwici.
13. Vigorniensis.
14. Salopesburie.
15. Dunstaplie *vel* Dimistaplie.
16. Cestria.
17. Derbeie.
18. Leycestrie.
19. Norantone.
20. Stanfordie.
21. Licolnie.
22. Sancti Botulfi *vel* Betulfi.
23. Cantabrigiæ.
24. Lecuniæ *vel* Lennie.
25. Norwici.
26. Dumwici.
27. Cipuyci *vel* Gipnici.
28. Subirie.
29. Bevelati *vel* Beverlati.
30. Eboraci.
31. Pontisfracti.
32. Lancastrie.
33. Larini *vel* Jaruni.
34. Novicastri super Tynam.
35. Novi castri super Limam.
36. Banburgiæ.
37. Carleoli.
38. Winchese.

Alter codex scilicet Lingonensis hos addit hic omissos.

Post 8. Trinerii *vel* Triverii.
Post 20. Langeleie.
Post 25. Gernenmite.
Post 28. Chelinerfordiæ.
Post 33. Scardeburgie.
Post 36. Herfordia.

4. Zossensis *vel* Rossensis.
5. Athy.
6. Waterfordie.
7. Casseli.
8. Lymerici.
9. Corxagie.
10. Sligahuh.
11. Roscoman.
12. Ardo.
13. Nove ville.
14. Bannie *vel* Sannie.
15. De Ponte.
16. Athueri *vel* Athneri.
17. Atlecari.
18. Trayli.
Hîc sex desunt: [illegible] *in meo cod. MS ejus ætatis.*

IN SCOTIA.

1. Berwici.
2. Prersli *vel* Perse.
3. Castri puellarum.
4. Are.
5. Glasgu.
6. Vigtone.
7. Strevelym.
8. Montisrosarum.
9. Abrden *Aberdona.*
10. Invernis.
11. Orti Regii *vel* Horti.
12. Candide case.
13. Moraviensis *vel* Moranicensis.

In codice Lingonensi in Hybernia hi adduntur.

19. Bethorie *vel* Lethorie.
20. Kilone.
21. Derie.
22. Rahthramie.
23. De Ros.

X. POLONIA.

Anno Domini MCCCI in actis capituli generalis Coloniæ celebrati fuit constitutio confirmata, quæ in præcedentibus capitulis generalibus duobus inchoata fuerat & approbata, quod provincia Poloniæ divideretur in duas hoc modo, videlicet quod Polonia sit una provincia, & vocetur *Provincia* Poloniæ, & teneat locum in dextro choro post provinciam Teutoniæ: Boemia vero & Moravia sint alia provincia, & vocetur *Provincia Boemiæ*, & teneat locum in sinistro choro post provinciam Terræsanctæ.

Anno MCCCIII *hi erant conventus in provincia Polonia.*

1. Cracoviensis. *Krakow caput Poloniæ minoris.*
2. Wratislaviensis. *Breslaw in Silesia.*
3. Caminensis. *Kamin episcopalis in ora Pomeraniæ.*
4. Plocensis. *Plocko episcopalis in Mazovia.*
5. Gedanensis. *Gdansk vel Dantzich in Prussia regia.*
6. Sandomiriensis. *Sendomierz in Polonia minori.*
7. Culmensis. *Chelmno in Russia Rubra.*
8. Syradiensis. *Sirackz in Polonia majori.*
9. Helbicensis. *Elbing in Prussia regia.*
10. Ratiboriensis. *Ratibor in Silesia superiori.*
11. Posnaniensis. *Posnan in Polonia majori.*
12. Brestensis. *Brest in Cujavia.*
13. Fracstemiensis. *Frischhaff vel Fravenburg in Prussia regia*
14. Glogoviensis. *Glogow in Silesia inferiori.*
15. Bolelaviensis. *Buntzlaw in Silesia inferiori.*
16. Gribsvaldensis. *Gripswaldt in Pomerania.*
17. Lublinensis. *In Polonia minori.*
18. Thesniensis. *Teschen in Silesia superiori ad Elsam.*
19. Legnicensis. *Lignitz in Silesia ad Cartum.*
20. Thorunensis. *Thorn in Prussia regia.*
21. Lanchiciensis. *Lenczycæ vel Lanschet in Polonia majori.*
22. Wtoncensis.
23. Oppatovicensis. *In Palatinatu Sandomiriensi.*
24. Zlupensis. *In Polonia majori.*
25. Osuentimiensis. *Olssna seu Oëlss vel Elss in Silesia*
26. Warcensis. *In Mazovia ad Pilzam.*
27. Oppoliensis. *Oppelen in Silesia superiori.*
28. Tersoviensis seu Dersoviensis. *Dirschaw in Prussia regia.*
29. Leviniensis. *Forte Leopoliensis in Russia Rubra.*
30. Sochacomensis. *Sochaczow in Polonia Majori.*
31. Posvolcensis. *Paswalck in Pomerania.*
32. Suidnicensis. *Schwezdnitz in Silesia superiori.*

In cod. MS *Lingonensi adduntur post 28 hic omissi.*

1. Crosnensis. *Crossen in Silesia inferiori.*
2. Sinigrodensis.
3. Bregensis. *Brieg in Silesia superiori.*

Monasteria Sororum hæc erant anno MCCCIII.

1. Posnanense in civitate Posna.
2. Wratislaviense in Wratislavia.
3. Ratboriense in Ratibor.

XI. DACIÆ PROVINCIA.

Dacia provincia Daniam, Sveciam & Norwegiam complexa hos habebat conventus anno MCCCIII.

IN REGNO DANIÆ erant hi.

1. Londensis.
2. Roskildensis.
3. Aotiensis.
4. Alinstadensis *vel* Almstadensis.
5. Helsinburgensis.
6. Neest-Wethensis.
7. Holopectensis *vel* Halobectensis.
8. Otoniensis.
9. Arusiensis.
10. Wibergensis.
11. Ripensis.
12. Gleswicensis.
13. Aderslenensis.
14. Revalliensis.

In codice Lingonensi additur.

15. Wetlensis.

IN REGNO SVECIÆ erant hi.

1. Sictoniensis.
2. Skenigirensis.
3. Wisbucensis.
4. Kalmarniensis.
5. Skarensis.
6. Lichosiensis.
7. Insulensis.
8. Finlandensis.
9. Strengenensis.

IN REGNO NORWEGIÆ erant hi.

1. Nidrosiensis.
2. Bergensis.
3. Asloensis.

Monasteria Sororum hæc erant.

1. Roskildense.
2. Skemungense.

XII. PROVINCIA GRÆCIÆ.

In ea erant anno MCCCIII *hi conventus.*

1. Clarentinus. } Gallicorum.
2. Thebarum. } Gallicorum.
3. Nigropontensis. } Lombardorum.
4. Candiensis in Creta. } Lombardorum.
5. In Canea, *qui cœpit anno* MCCCVI.

In codice Lingonensi additur.

6. Motonensis.

XIII. PROVINCIA TERRÆ-SANCTÆ.

In ea erant hi conventus anno MCCCIII.

1. Nicosiensis qui est & fuit primus Terræ-sanctæ.

2. Famagustanus, ubi fuit conventus positus cum priore anno Domini MCCC in æstivo. Erant autem Fratres ibidem prius per annos aliquot ad promovendum locum ex more ordinis.

3. Nimosiensis vulgariter dictus *Limisso*, ubi fuit conventus positus cum priore anno Domini MCCC in æstivo. Erant Fratres ibidem prius &c. ut supra.

XIII. ARAGONIA.

In provincia Aragoniæ anno MCCCIII *erant hi conventus.*

IN CATALONIA.

1. Xativensis.
2. Terragonensis.
3. Gerundensis.
4. Barchinonensis primus.
5. Ilerdensis.
6. Majoricensis.
7. Valentinus, qui incepit quando fuit a Christianis civitas acquisita capta.
8. Urgellensis.

In codice Lingonensi adduntur hic omissi.

9. Minoricensis.
10. Ceryariensis.
11. Castellionensis.
12. Balagariensis.

IN ARAGONIA.

1. Cæsaraugustanus.
2. Oscensis.
3. Calatajubensis.

IN NAVARRA.

1. Pampilonensis.
2. Stellensis.
3. Sagonensis.

In codice Lingonensi additur hic omnibus.

1. Sacerienſis in Sardinia.

Monasteria Sororum hæc erant.

1. Apud Valentiam.

2. Apud Cæsaraugustam, quod domina Blanca regina Aragoniæ filia Caroli regis Siciliæ ibi esse voluit & fundavit, & in ecclesia primarium lapidem posuit. Domina vero Sancia Petri de Aguilar nobilis baronissa dedit omnia sua magna & multa pro monasterio Sororum construendo & fundando. Hæc sepulta jacet apud Fratres Cæsaraugustæ. Sorores sex de Pruliano antiquo fuerant illuc perductæ & positæ in festo assumtionis beatæ semper Virginis

ginis Mariæ, & a præfata regina susceptæ anno Domini MCCC. Prima fuit ibidem posita priorissa a prædictis sex Soror Joanna de Sinhas Tarasconensis.

XV. BOEMIA.

In provincia Boemiæ erant anno MCCCIII *hi conventus.*

1. Pragensis.
2. Gradicensis Koningsgratz.
3. Olmucensis.
4. Brunensis Bryn caput Moraviæ.
5. Opaviensis Tropaw tum in Moravia.
6. Brodensis.
7. Yglaviensis Iglaw *vel* Gihlowa in Moravia.
8. Bodivogiensis Budweiss.
9. Piestensis *vel* Prestensis.
10. Hustensis.
11. Wercensis.
12. Pissnensis *verius* Pilsnensis Pilsen.
13. Glacoviensis Glatz.
14. Limensis in Lima Limburg.
15. Litomiricensis Leutmeritz *vel* Litomiersk.
16. Jablonensis Jablonka ad Elsam.
17. Turnoniensis Tirnaw in Moravia.
18. Crudimensis Chrudim ad fluviolum hujus nominis.
19. Numburgensis Nimburg ad Albim.
20. Coloniensis Koeln *vel* Kolin ad Albim.
21. Suxoniensis *Suschitz ad Ottava.*

In codice Lingonensi additur hic omissus.

22. Somburgensis.

Monasteria Sororum hæc erant.

1. Brinense ad beatam virginem.
2. Gradicense.
3. Olmucense.
4. In Praga civitate.
5. Salucicense.
6. Brunense ad Sanctam Annam.

XVI. PROVINCIA.

In provincia Provinciæ sic sedebant Priores anno MCCCIII *in capitulo provinciali.*

IN DEXTRO CHORO.

1. Montispessulani anno MCCXX.
2. Narbornensis anno MCCXX, unde Fratres expulsi ad tempus aliquod discesserunt.
3. Massiliensis.
4. Valentinus.
5. Pirpiniani.
6. Cistaricensis anno MCCXLVII.
7. Tarasconensis anno MCCLVI.
8. Albenacii anno MCCLXVI.
9. Aquensis anno MCCLXXIV.
10. Marologii anno MCCLXXXI.
11. Amiliavi anno MCCLXXXII.
12. Podii Cerdani anno MCCXCI.
13. De Genolhaco, ubi habita licentia recipiendi locum a Bonifacio papa VIII anno magnæ indulgentiæ MCCC, paulo post fuerunt illuc missi Fratres, conventus vero fuit positus in cap. prov. Marologii anno MCCCV.
14. Draguiniani, ubi a papa habita licentia recipiendi locum, qui fuerat Saccatorum, fuit receptus locus in cap. prov. in Aquis celebrato anno MCCCIII, conventus vero fuit positus in cap. prov. Marologii anno MCCCV.

IN SINISTRO CHORO.

1. Aniciensis alias dictus Podiensis B. Mariæ.
2. Avinionensis, unde tempore obsidionis civitatis, quæ fuit anno Domini MCCXXVI discesserunt ad tempus, qui illuc venerant antea quasi per annum ut audivi.
3. Arelatensis.
4. Niciensis.
5. Biterrensis anno MCCXLVII.
6. Alestensis anno MCCLI.
7. Nemausensis anno MCCLXIII.
8. Aurasicensis anno MCCLXXI.
9. Grassensis anno MCCLXXV.
10. Diensis anno MCCLXXXII.
11. Cauquilibri anno MCCXC.
12. Sancti Maximini MCCXCV.
13. Tolonensis ubi habita prius licentia recipiendi locum a Domino Benedicto papa XI fuit locus receptus in cap. prov. in Aquis celebrato anno MCCCIII, conventus vero fuit positus in cap. prov. Marologii anno MCCCV.
14. De Buxo, ubi fuit receptus locus & simul conventus positus per priorem provincialem Guillelmum de Lauduno de licentia & auctoritate Clementis papæ V Dominica secunda anno MCCCX.

In codice Lingonensi adduntur hi postea erecti sed ante MCCCXLV.

15. Claromontensis Lutevorum.
16. Barchinoniæ.
15. Carpentoratensis.

Monasteria Sororum hæc erant anno MCCCIII.

1. In Aquis Provinciæ civitate quod olim primo fuit in Massilia prope Fratres *(hoc est in suburbio)* & illuc primo fuerunt perductæ sorores quatuor de monasterio Pruliani circa annum Dñi MCCLXXXVIII, & annis paucis permanserunt: deinde in Duranna prope Aquis anno quasi uno. Demum dominus Carolus rex Siciliæ inde transtulit eas in melius in Aquis, in loco qui fuerat Saccatorum anno Domini MCCXCII, ubi fundavit & ædificavit & dotavit regaliter. Prima istarum Sororum priorissa dum adhuc erant in Massilia fuit Soror Matheudis *de Folcalquier.*

2. In Montepessulano est alterum sed longe dissimile monasterium Pruliani, ubi cœpit locus primitus promoveri in capitulo provinciali Avinionensi in festo B. Mariæ Magdalenæ celebrato anno Do-

mini MCCLXXXVIII. Sorores autem undecim de majori Pruliano fuerunt illuc adductæ & positæ anno MCCXCV infra octavas ascensionis Domini, & F. Bernardus Grandis fuit per F. Petrum de Mulceone priorem provincialem prior institutus, prima ibidem priorissa fuit Soror Pros Renadina.

XVII. LOMBARDIA SUPERIOR.

In provincia Lombardiæ superioris hoc ordine sedebant priores in capitulo provinciali anno MCCCIII.

IN DEXTRO CHORO.

1. Pergamensis (nunc Bergomensis) antiquior omnibus & primus in dextro choro.
2. Brixiensis.
3. Astensis.
4. Papiensis.
5. Cumanus.
6. Terdonensis.
7. Taurinensis.
8. Queriensis in Querio.
9. Sagonensis.
10. Albinganensis
11. Ipporigiensis ubi fuit locus acceptus anno Domini MCCXCIV, conventus vero positus anno MCCXCV.

IN SINISTRO CHORO.

1. Mediolanensis, ubi disponente venerabili Domino Henrico archiepiscopo Mediolanensi fuit assignata ecclesia & locus S. Eustorgii Fratribus Prædicatoribus anno Domini MCCXX idibus Martii dominica Passionis, quæ Dominica dicitur sancti Lazari secundùm Ambrosianos.
2. Placentinus.
3. Januensis S. Dominici.
4. Cremonensis.
5. Vercellensis.
6. Alexandrinus.
7. Laudensis.
8. Novariensis.
9. Savillianensis.
10. Cremensis.
11. Albensis. In Alba fuit locus acceptus anno Domini MCCXCIV & conventus positus anno MCCXCV.

In codice Lingonensi hi adjiciuntur non longè postea erecti.

12. Ripolarum.
13. Cherasci.

12. Modoetiæ.
13. Salutiarum.
14. Revello.

Monasteria Sororum hæc erant.

1. In civitate Januensi.
2. S. Mariæ de Nazareth in civitate Papiensi, in loco in quo Fratres Prædicatores primo ibidem habitaverunt.
3. S. Mariæ de Revella sub conventu Savilianensi fundatum & dotatum a nobili viro domino Thoma marchione Salutiarum, in quo quatuor filias suas nobiles Christo Domino desponsavit, ubi cœperunt esse primo Sorores anno Domini MCCXC.
4. S. Catharinæ in Alba civitate fundatum & dotatum a Domino Bonifacio episcopo Albensi, ubi fuerunt introductæ Sorores anno Domini MCCCV in adventu Domini.
5. In Mediolano sunt novem monasteria mulierum, quæ sub Augustini regula & constitutionibus Sororum ordinis S. Dominici vivunt inclusæ, & se regunt ac diriguntur Fratrum Prædicatorum consilio, qui earum confessiones audiunt, & celebrant eis missas: non tamen sunt incorporatæ ordini quoad obedientiam & regimen earumdem, quinimo Mediolanensi archiepiscopo subjectæ sunt:

Quorum nomina hæc sunt.

1. Monasterium de vinea prope Fratres in honorem S. Petri apostoli, cujus monasterii dispositor & institutor fuit a principio sui S. Petrus Martyr de ordine Prædicatorum dum adhuc viveret, cujus capsa lignea in qua corpus ejus sacrum primo fuit reconditum habetur in dicto monasterio, & suprà quoddam altare cum devotione congrua custoditur.
2. De veteribus.
3. De virginibus.
4. De supra muro in honorem B. Mariæ.
5. S. Dominici.
6. S. Petri Martyris.
7. S. Augustini.
8. S. Agnetis.
9. S. Mariæ Novæ.

XVIII. SAXONIA.

In provincia Saxoniæ hoc ordine sedebant anno MCCCIII *Priores in capitulo provinciali.*

IN DEXTRO CHORO.

1. Bremensis.
2. Lubicensis.
3. Isnacensis.
4. Hildesemensis.
5. Werbergensis *vel* Warbergensis.
6. Sosaciensis *vel* Sozaciensis ut in cod. Lingon. fortè Suzatum.
7. Rigensis Riga in Livonia.

IN SINISTRO CHORO.

1. Magdeburgensis.
2. Erphordensis.
3. Lipzensis.
4. Halberstatensis.
5. Trajecti inferioris ad Rhenum 1248.
6. Mindensis.
7. Hamburgensis.

IN DEXTRO CHORO.

8. Livaldensis Liwardensis.
9. Sundensis.
10. Sehusensis.
11. Nordensis.
12. Hallensis.
13. Soloniensis *vel* Soldinensis *f.* Solms in Hassia.
14. Wincemensis.
15. Genensis *verius ut in cod. Lingon.* Ienensis.
16. Treysensis.
17. Brindemburgensis.
18. Sutfaniensis Zutfen.
19. Lucrowensis.
20. Gottingensis.
21. Harlemensis.
22. Egrensis.
23. Ystiacensis.

IN SINISTRO CHORO.

8. Rupinensis.
9. Geruzebergensis *vel* Struzebergensis.
10. Rostochensis.
11. Plawensis.
12. Priuszaviensis *vel* Prizlaviensis.
13. Sirigtensis *vel* Zirigzensis.
14. Wartbergensis.
15. Northusensis.
16. Robellensis Revel in Livonia.
17. Molenhusensis.
18. Martbergensis.
19. Wesaliensis.
20. Wismariensis.
21. Osnaburgensis.
22. Noviomagensis.
23. Berlinensis.
24. Darbatensis Derpt *vel* Doerpt in Livonia.

In codice Lingonensi adduntur sequentes.

24. Tremoniensis.
25. Brunzwicensis.
25. Groningensis.
26. Pirnensis.

Hæc erant Sororum monasteria.

1. Apud Corvic in terminis conventus Magdeburgensis.
2. Halberstadense in civitate Halberstadt.
3. Wederstede in terminis conventus Halberstadensis, ubi sunt sorores communiter plusquam centum.
4. Lode in terminis conventus Mindensis, nunc translatum in civitatem Lemego.
5. Quod dicitur Paradisus juxta Sozatum civitatem.
6. In civitate Plawensi sunt duo, sed quorum
7. & nomina & locus desunt in codd. a me visis.
8. Quod vocatur Rede prope sed tamen extra civitatem Vincemensem.
9. Blankenborg in terminis conventus Bremensis.

Magister ordinis Prædicatorum, Et priores provinciales in capitulo generali sic teneant loca sua.

MAGISTER ORDINIS.

A DEXTRIS.

1. Prior Hispaniæ.
2. Prior Franciæ.
3. Prior Tusciæ seu Romanæ provinciæ.
4. Prior Regni Siciliæ. Hanc provinciam fecit dominus papa Cælestinus V divisa Tuscia in duas provincias anno Domini MCCXCIV, eique hunc locum privilegio concessit.
5. Prior Teutoniæ.
6. Prior Poloniæ.
7. Prior Græciæ.
8. Prior Aragoniæ.
9. Prior provinciæ Provinciæ.
10. Prior Lombardiæ superioris.

A SINISTRIS.

1. Prior provinciæ Tolosanæ, quæ sub nomine provinciæ Provinciæ incepit ab initio, sed divisa in duas locum suum primum retinuit; & fuit sibi impositum nomen novum.
2. Prior Lombardiæ inferioris quæ erecta ab initio sub communi nomine Lombardiæ, sed divisa in duas superiorem locum jure retinuit, quamvis inferioris (ratione regionum) vocabulum sit sortita.
3. Prior Ungariæ.
4. Prior Angliæ.
5. Prior Daciæ.
6. Prior Terræ-sanctæ.
7. Prior Boemiæ.
8. Prior Saxoniæ.

Sic magister ordinis decem priores provinciales assidentes habebat a dextris, octo tantum a sinistris: hicque status ordinis perseveravit toto fere seculo XIV, sed exorto diro illo schismate Clementis VII contra Urbanum VI variæ sequutæ sunt provinciarum scissiones, erectiones postea congregationum severioris disciplinæ seculis sequentibus, novarum etiam provinciarum institutiones, donec tandem eam rationem ordo consecutus est, in qua nunc conquiescit; quæ sequenti volumine dabitur.

SERIES CAPITULORUM GENERALIUM
SECULIS XIII, XIV & XV. HABITORUM.

AD sequentem capitulorum generalium seriem dignoscendam, sciendum ab ipsis nostris incunabulis ita constitutum fuisse, ut duplicis generis haberentur, prima quæ Provincialium dicerentur, altera quæ Diffinitorum, hoc ordine ut post unum Provincialium duo sequentia essent Diffinitorum. Cum capitulum habendum erat Provincialium, ad locum indictum priores provinciales ex jure conveniebant cum socio ipsis a diffinitorio capituli provincialis dato & adjuncto: cum capitulum erat Diffinitorum, iste Diffinitor ab omnibus in comitiis cujusque provinciæ jure vocis gaudentibus eligebatur, sociusque illi a diffinitorio solo constituebatur, ut jam dictum de provinciali. His non obstantibus si in comitiis generalibus eligendus erat magister ordinis, ad ea tum accedebant Provinciales, etiamsi capitulum habendum esset Diffinitorum non Provincialium: at tum non eis a Diffinitorio capituli provincialis dabatur socius, iique una simul cum Diffinitoribus cujusque provinciæ omnia gerebant & ordinabant. Similiter si comitia illa eligendi magistri cadebant anno capituli Provincialium, cum iis una considebant & omnia definiebant ex quaque provincia missi Diffinitores. Exinde vero nulla sequebatur rationis capitulorum confusio aut perturbatio: nam semper dicebatur capitulum Diffinitorum quando horum juris erat, etiamsi in eo sedissent Provinciales; & capitulum Provincialium, cum horum ordo erat etiamsi cum iis diffinitores ex singulis provinciis missi omnia decrevissent. Hæc ratio ab initio ordinis ad hæc nostra tempora inviolate servata est. Eam porro sic indicamus & distinguimus in sequenti serie. Quibus addita est littera P, intellige capitulum Provincialium: quibus littera D. I vel D. II, intellige capitulum Diffinitorum Primum, vel Diffinitorum secundum.

Unum superest monendum in ordine Prædicatorum capitula generalia semper haberi in solemniis Pentecostes, & ita semper servatum ab initio tribus aut quatuor tantum exceptis, quæ volente summo pontifice aliis temporibus celebrata sunt, & hæc felicia non fuisse a pluribus nostris inter alios a Fontana fuit notatum. Ideo ad plenam horum capitulorum cognitionem non solum annum sed & diem mensis quo inchoata sunt indicamus.

1. MCCXX. Bononiæ XVI maii, quod fuit acceptationis constitutionum sub B. Dominico.
2. MCCXXI. Bononiæ XXX maii, quod fuit divisionis ordinis in octo provincias & institutionis provincialium.
3. MCCXXII. Parisiis XXII mai, P.

In isto electus est B. Jordanus magister ordinis II. feria secunda pentecostes XXIII maii.

4. MCCXXIII. Bononiæ XI junii. D. I.
5. MCCXXIV. Parisiis II junii. D. II.
6. MCCXXV. Bononiæ XVIII maii. P.
7. MCCXXVI. Parisiis VII junii. D. I.
8. MCCXXVII. Bononiæ XXX maii. D. II.
MCCXXVIII. Parisiis XIV maii Generalissimum primum.
9. MCCXXIX. Bononiæ III junii P.
10. MCCXXX. Parisiis XXVI maii. D. I.
11. MCCXXXI. Bononiæ XI maii. D. II.
12. MCCXXXII. Parisiis XXX maii. P.
13. MCCXXXIII. Bononiæ XXX maii. D. I.
14. MCCXXXIV. Parisiis XI junii. D. II.
15. MCCXXXV. Bononiæ XXVII maii. P.
MCCXXXVI. Parisiis XVIII maii Generalissimum alterum & ultimum quod hactenus fuerit, saltem quoad auctoritatem constitutiones condendi.
16. MCCXXXVIII. Bononiæ XXIII maii. D. I.

In isto electus est S. Raimundus magister ordinis III feria secunda pentecostes XXIV maii.

17. MCCXXXIX. Parisiis XV maii D. II.
18. MCCXL. Bononiæ III junii. P.
19. MCCXLI. Parisiis XIX maii. D. I.

In isto electus est B. Joannes Teutonicus magister ordinis IIII feria secunda pentecostes XX maii.

20. MCCXLII. Bononiæ VII junii. D. II.
21. MCCXLIII. Parisiis XXXI maii. P.
22. MCCXLIV. Bononiæ XXII maii. D. I.
23. MCCXLV. Coloniæ Agrippinæ IV junii. D. II.
24. MCCXLVI. Parisiis XXVII maii. P.
25. MCCXLVII. In Montepessulano XIX maii. D. I.
26. MCCXLVIII. Parisiis VII junii D. II.
27. MCCXLIX. Treviris in Teutonia XXIII maii. P.
28. MCCL. Londini in Anglia XV maii. D. I.
29. MCCLI. Metis IV junii. D. II.
30. MCCLII. Bononiæ XIX maii. P.
31. MCCLIV. Budæ in Ungaria XXXI maii. D. I.

In isto electus est B. Humbertus de Romans magister ordinis V. feria secunda pentecostes I. junii.

32. MCCLV. Mediolani XVI maii. D. II.
33. MCCLVI. Parisiis IV junii. P.
34. MCCLVII. Florentiæ XXVIII maii. D. I.
35. MCCLVIII. Tolosæ XII maii D. II.
36. MCCLIX. Valencenis in Hannonia I junii. P.
37. MCCLX. Argentinæ XXIII maii. D. I.
38. MCCLXI. Barcinone in Catalania XII junii D. II.
39. MCCLXII. Bononiæ XXVIII maii. P.
40. MCCLXIII. Londini in Anglia XX maii. D. I.

41.

41. MCCLXIV. Parisiis VIII junii. D. II.
In isto electus est F. Joannes de Vercellis magister ordinis VI. sabbato vigilia pentecostes VII *junii.*
42. MCCLXV. In Montepessulano XXIV maii. P.
43. MCCLXVI. Treviris in Teutonia XVI maii. D. I.
44. MCCLXVII. Bononiæ V junii. D. II.
45. MCCLXVIII. Viterbii XXVII maii. P.
46. MCCLXIX. Parisiis XII maii. D. I.
47. MCCLXX. Mediolani I junii. D. II.
48. MCCLXXI. In Montepessulano XXIV maii. P.
49. MCCLXXII. Florentiæ XII junii. D. I.
50. MCCLXXIII. Pesti ad Budam in Ungaria XXVIII maii D. II.
51. MCCLXXIV. Lugduni XX maii. P.
52. MCCLXXV. Bononiæ II junii. D. I.
53. MCCLXXVI. Pisis in Etruria XXIV maii. D. II.
54. MCCLXXVII. Burdigalæ XVI maii. P.
55. MCCLXXVIII. Mediolani V junii. D. I.
56. MCCLXXIX. Parisiis XXI maii. D. II.
57. MCCLXXX. Oxoniæ in Anglia IX junii. P.
58. MCCLXXXI. Florentiæ I junii. D. I.
59. MCCLXXXII. Viennæ in Austria XVII maii. D. II.
60. MCCLXXXIII. In Montepessulano VI junii. P.
61. MCCLXXXV. Bononiæ XIII maii. D. I.
In isto electus est F. Munio de Zamora magister ordinis VII. sabbato vigilia pentecostes XII *maii.*
62. MCCLXXXVI. Parisiis II junii. D. II.
63. MCCLXXXVII. Burdigalæ XXV maii. P.
64. MCCLXXXVIII. Lucæ in Etruria XVI maii. D. I.
65. MCCLXXXIX. Treviris XXIX maii. D. II.
66. MCCXC. Ferrariæ XXI maii. P.
67. MCCXCI. Palentiæ in Hispania X junii. D I.
68. MCCXCII. Romæ XXV maii. D. II.
In isto fuit electus F. Stephanus de Bisuntio magister ordinis VIII. sabbato vigilia pentec. XXIV *maii.*
69. MCCXCIII. Insulis Flandrorum XVII maii. P.
70. MCCXCIV. In Montepessulano VI junii. D. I.
71. MCCXCVI. Argentinæ XIII maii D. II.
In isto fuit electus B. Nicolaus de Tarvisio magister ordinis IX. sabbato vigilia pentec. XII *maii, qui fuit postea cardinalis & tandem papa Benedictus XI.*
72. MCCXCVII. Venetiis II junii. P.
73. MCCXCVIII. Metis XXV maii. D. I.
74. MCCC. Massiliæ XXIX maii. D. II.
In isto electus fuit F. Albertus de Genua magister ordinis X. sabbato vigilia pentec. XXVIII *maii intra annum mortuus.*
75. MCCCI. Coloniæ Agripp. XXI maii. P.
In isto electus fuit F. Bernardus de Juzico magister ordinis XI. sabbato vigilia pentec. XX *maii.*
76. MCCCII. Bononiæ X junii. D. I.
77. MCCCIII. Bisuntii in Burgundia XXVI maii. D. II.
78. MCCCIV. Tolosæ XVII maii. P.
In isto electus est F. Aimericus de Placentia magister ordinis XII. sabbato vigilia pentec. XVI *maii.*
79. MCCCV. Genuæ VI junii. D. I.
80. MCCCVI. Parisiis XXII maii. D. II.
81. MCCCVII. Argentinæ XIV maii. P.
82. MCCCVIII. Patavii seu Paduæ II junii. D. I.
83. MCCCIX. Cæsaraugustæ XVIII maii. D. II.
84. MCCCX. Placentiæ VII junii P.
85. MCCCXI. Neapoli in Regno Siciliæ XXX maii. D. I.
86. MCCCXII. Carcassonæ XIV maii D. II.
In isto electus est F. Berengarius de Landorra magister ordinis XIII. sabbato vigilia pentec. XIII *maii.*
87. MCCCXIII. Metis. III junii. P.
88. MCCCXIV. Londini in Anglia XXVI maii. D. I.
89. MCCCXV. Bononiæ XI maii. D. II.
90. MCCCXVI. In Montepessulano XXX maii. P.
Acta omnium capitulorum superius relatorum typis edidit D. Edmundus Martene *asceta Maureus T. IV. sui Thesauri Novorum Anecdotorum, qui si mihi suum consilium aperuisset, sequentia ad* MCCCL *quæ deerant in suo codice* MS *libens dedissem addenda, a me exscripta ex codice* MS *ejus ætatis in domo nostra Lingonensi servato.*
91. MCCCXVII. Pampilonæ in Navarræ regno XXII maii. D. I.
92. MCCCXVIII. Lugduni XI junii. D. II.
In isto electus est F. Hervens Natalis magister ordinis XIV. sabbato vigilia pentec. X *junii.*
93. MCCCXIX. Caturci XXVII maii. P.
94. MCCCXX. Rotomagi XVIII maii. D. I.
95. MCCCXXI. Florentiæ VII junii. D. II.
96. MCCCXXII. Viennæ in Austria XXX maii. P.
97. MCCCXXIII. Barcinone in Catalania XV maii. D. I.
98. MCCCXXIV. Burdigalæ III junii. D. II.
In isto electus fuit F. Barnabas de Vercellis magister ordinis XV. sabb. vig. pentec. II *junii.*
99. MCCCXXV. Venetiis XXVI maii. P.
100. MCCCXXVI. Parisiis XI maii. D. I.
101. MCCCXXVII. Perpiniani XXXI maii. D. II.
102. MCCCXXVIII. Tolosæ XXII maii. P.
103. MCCCXXIX. Cistarici in Provincia XI junii. D. I.
104. MCCCXXX. Trajecti ad Mosam XXVII maii. D. II.
105. MCCCXXXI. Victoriæ in Hispania XIX maii. P.
106. MCCCXXXIII. Divione XXIII maii. D. I.
In isto electus fuit F. Hugo de Vaucemain Campanus magister ordinis XVI. sabbato vigil. pentec. XXII *maii.*
107. MCCCXXXIV. Lemovicis XV maii. D. II.
108. MCCCXXXV. Londini IV junii. P.
109. MCCCXXXVI. Brugis in Flandria XXVI maii. D. I.
110. MCCCXXXVII. Valentiæ Delphinatus VIII junii. D. II.
111. MCCCXXXIX. Claromontii Arvernorum XVI maii. P.
112. MCCCXL. Mediolani IV junii. D. I.
113. MCCCXLI. Avinione XXVII maii. D. II.
114. MCCCXLII. Carcassonæ XIX maii. P.
In isto fuit electus F. Gerardus de Daumaro magister ordinis XVII. sabb. vigil. pentec. XVIII *maii, eodem anno assumptus cardinalis.*
115. MCCCXLIII. Parisiis I junii. D. I.
In isto electus fuit F. Petrus de Palma Burgundus magister ordinis XVIII. sabbato vigil. pentec. XXXI *maii.*
116. MCCCXLIV. Anicii seu Podii XXIII maii. D. II.
117. MCCCXLVI. Brivæ IV junii P.
In isto fuit electus F. Garinus de Giaco magister ordinis XIX. sabbato vigilia pentec. III *junii.*
118. MCCCXLVII. Bononiæ XX maii. D. I.
119. MCCCXLVIII. Lugduni VIII junii D. II.
120. MCCCXLIX. Barcinone in Catalania XXXI maii. P.
In isto electus est F. Joannes de Molendino magister ordinis XX. sabbato vigilia pentec. XXX *maii.*
121. MCCCL. In Montepessulano XV maii. D. I.
122. MCCCLII. Castris XXVII maii. D. II.
In isto electus est F. Simon Lingonensis magister ordinis XXI. in vigilia sabbato pentec. XXVI *maii.*
123. MCCCLIII. Bisuntii XII maii P.
124. MCCCLIV. Narbonæ I junii D. I.
125. MCCCLV. Pampiloniæ XXIV maii. D. II.
126. MCCCLVI. Virduni XII junii P.
127. MCCCLVII. Venetiis XXVIII. maii. D. I.
128. MCCCLVIII. Argentinæ XX maii. D. II.

129. MCCCLIX. Pragæ in Boemia x junii. P.
130. MCCCLX. Perpiniani xxiv maii. D. I.
131. MCCCLXI. Rotomagi xvi maii. D. II.
132. MCCCLXII. Ferrariæ v junii P.
133. MCCCLXIII. Magdemburgi xxi maii. D. I.
134. MCCCLXIV. Valentiæ in Delphinatu xii maii. D. II.
135. MCCCLXV. Januæ i junii. P.
136. MCCCLXVII. Avenione vi junii. D. I.

In isto fuit electus F. Elias Raimundi magister ordinis XXII. sabbato vigilia pentec. v *junii.*

137. MCCCLXIX. Brugis Flandrorum xx maii. D. II.
138. MCCCLXX. Valentiæ Aragonum ii junii. P.
139. MCCCLXXII. Tolosæ xvi maii. D. I.
140. MCCCLXXIV. Florentiæ xxi maii. D. II.
141. MCCCLXXVI. Bituricii i junii. P.
142. MCCCLXXVIII. Carcassonæ vi junii. D. I.

Anno illo MCCCLXXVIII exorto diro schismate, quo Ecclesia se inter duos summos pontifices divisam Urbanum VI Romæ sedentem, & Clementem VII Avenione se legitimum solum præstantem luxit, secuta est eadem scissio in omnibus ordinibus regularibus: & in ordine Prædicatorum, provinciæ quæ Urbano VI adhærebant, specialem sibi magistrum præfecerunt: provinciæ vero quæ Clementi VII obediebant, Eliam Raimundi magistrum agnoscere perrexerunt, eique cum mortuus est successores in eadem obedientia suffecerunt: ambæque partes sua capitula generalia pro more distinctim celebrarunt. Hæc Pius & Fontana non accurate referunt, vel potius confundunt, ea nos diligenter distinguimus ex codice MS Lingonensi ejus ætatis, & ex altero codice MS Victorino nostri Laurentii Pignon, qui durante schismate vivebat, eaque sigillatim annotare curavit. In una columna Clementistarum, in altera Urbanistarum, sic enim tum se mutuo excipiebant, capitula generalia exhibemus.

CAPITULA CLEMENTISTARUM seu in obedientia Avenionensi.

143. MCCCLXXX. *Generale capitulum celebrari debuit in Bononia, sed mutatum fuit per magistrum ordinis* (Eliam Raimundi) *in Lausanna provincia Franciæ causa schismatis in Ecclesia tunc exorti.* Sic manu æquali in codice Lingonensi. Habitum itaque fuit die pentecostes xiii maii; & fuit D. II.
144. MCCCLXXXI. Biterris ii junii. P.
145. MCCCLXXXIII. Valleoleti x maii. D. I.
146. MCCCLXXXV. Divione xxi maii. D. II.
147. MCCCLXXXVI. Avenione x junii. P.
148. MCCCLXXXVIII. Ruthenis xvii maii. D. I.
149. MCCCXCI. Cæsaraugustæ xiv maii. D. II.

In isto fuit electus F. Nicolaus de Troia ex provincia Regni Siciliæ magister ordinis XXIII sabbato vigilia pentecostes xiii *maii.*

150. MCCCXCIV. Narbonæ vii junii. P.

In isto fuit electus F. Nicolaus de Valleoleti magister ordinis XXIV. sabbato vigilia pentec. vi *junii.*

151. MCCCXCVI. Claromontii Arvernorum xxi maii. D. I.
152. MCCCXCIX. Lemovicis xviii maii. D. II.

In isto fuit electus F. Joannes de Podionucis magister ordinis XXV. sabbato vigil. pentec. xvii *maii.*

153. MCCCCI. In Montepessulano xiv maii. P.

In isto capitulo nullus de provincia Aragoniæ comparuit ratione cujusdam disturbii orti eodem anno inter magistrum ordinis (Joannem de Podionucis) *& illam provinciam. In eodem etiam loco & tempore fuit capitulum provinciale provinciæ Tolosanæ celebratum. Capitulum etiam provinciale provinciæ Provinciæ fuit ibidem tunc celebratum, & fuerunt duo magistri in theologia electi in provincialem dictæ provinciæ: sed magister ordinis cum diffinitorio suo confirmavit alterum ipsorum, scilicet magistrum Avinionem, parte altera se opponente, & per appellationem contra magistrum ordinis & diffinitorium contradicente.* Sic Laurentius Pignon.

154. MCCCCIII. Palentiæ in Hispania iii junii. D. I.

CAPITULA URBANISTARUM seu in obedientia Romana.

143. MCCCLXXX. *Capitulum generale Urbanistarum in Bononia fuit, ubi elegerunt F. Raimundum de Capua Regni Siciliæ* XXIII *magistrum ordinis.* Sic in codice Lingon. Nempe sabbato vigil. pentec. xii maii, & fuit D. II.
144. MCCCLXXXII. Budæ in Hungaria xxv maii. P.
145. MCCCLXXXV. Veronæ xxi maii. D. I.
146. MCCCLXXXVIII. Viennæ in Austria xvii maii. D. II.
147. MCCCXCI. Ferrariæ xiv maii. P.

Annis XCII *&* XCIII *nullum in ista obedientia habitum capitulum generale asserit Laurentius Pignon, quod & Raimundi negligentiæ ascribit. Itaque quod Pius & Fontana his annis coactum volunt habitum fuerit*

148. MCCCXCIV *vel* XCV. Venetiis. D. I.
149. MCCCXCVII. Francofurti in Teutonia x junii. D. II.
150. MCCCCI. Utini in Lombardia inferiori xiv maii. P.

In isto electus est F. Thomas de Firmo magister ordinis XXIV. in ista obedientia sabbato vigil. pentec. xiii *maii.*

151. MCCCCIII. Erphordiæ in Saxonia iii junii. D. I.

155. MCCCCV. Barcinone in Aragonia VII junii. D. II.

156. MCCCCVII. Pictavis in Francia XV maii. P.

157. MCCCCIX. Alicubi in Hispania XXVI maii. D. I.

158. MCCCCXI. Gerundæ in Aragonia XXXI maii. D. II.

159. MCCCCXIII. Alicubi in Hispania XI junii. P.

160. MCCCCXV. Perpiniani tum provinciæ Provinciæ, sed ditionis regis Aragoniæ XIX maii. D. I.

Ista duo capitula Gerundense & Perpinianense laudat etiam Diagus Hist. prov. Arag. lib. I. cap. 32 ex actis a se visis, & addit Perpiniani quamvis alterius provinciæ una cum generali habitum provinciale Aragoniæ.

152. MCCCCV. Nuribergæ in Teutonia VII junii. D. II.

In isto indictum fuerat sequens biennio post habendum Wratislaviæ in Polonia, sed Pius & Fontana volunt habitum

153. MCCCCVII. Bononiæ XV maii. P.

Anno MCCCCIX *habitum est concilium generale Pisanum, in quo ejecti Gregorius XII papa Romanus & Benedictus XIII papa Avenionensis, electus vero fuit Alexander V, cui tum accessit & adhæsit Gallia, tumque Thomam de Firmo magistrum ordinis provinciæ ordinis Gallicanæ agnoverunt. At Joannes de Podionucis Benedicto XIII. adhærere perstitit, cum provinciis solis Hispaniæ, Aragoniæ, & parte provinciæ Provinciæ ditionis regis Aragoniæ suaque pro more habuit capitula generalia, ut in altera columna ad latus videbis.*

154. MCCCCX. Bononiæ XI maii. D. I.

155. MCCCCXIII. Genuæ teste Raphaele de Pornaxio, qui acta vidit, quod itaque fuerit. D. II.

156. MCCCCXIV. Florentiæ XXVII maii. P.

In isto electus est F. Leonardus Statius de Datis magister ordinis XXV. sabb. vigil. pentec. XXVI *maii.*

157. MCCCCXVII. Argentinæ XXX maii. D. I.

Anno tandem MCCCCXVII extinctum est Schisma in concilio Constantiensi, & XI novemb. electo Martino V tota deinceps obedivit Ecclesia, & unica etiam amodo fuerunt in ordine capitula generalia, quæ sequuntur.

158. MCCCCXIX. Metis IV junii. D. II.
159. MCCCCXXI. Florentiæ XI maii. P.
160. MCCCCXXIII. Papiæ XXIII maii. D. I.
161. MCCCCXXVI. Bononiæ X maii. D. II.
In isto electus est F. Bartholomæus Texerii magister ordinis XXVI sabb. vigil. pentec. IX *maii.*
162. MCCCCXXVIII. Coloniæ Agrippinæ XXIII maii. P.
163. MCCCCXXXI. Lugduni XXX maii. D. I.
164. MCCCCXXXIV. Columbariæ in Alsatia XVI maii. D. II.
165. MCCCCXXXVII. Venetiis XIX maii. P.
166. MCCCCXXXIX. Saviliani XXIV maii. D. I.
167. MCCCCXLII. Avenione XX maii. D. II.
168. MCCCCXLIV. Divione XXXI maii. P.
169. MCCCCXLVII. Anicii seu Podii in Velaunis XXVIII maii. D. I.
170. MCCCCL. Lugduni XXIV maii. D. II.
In isto electus est F. Petrus Rochim magister ordinis XXVII sabbato vigil. pentec. XXIII *maii.*
171. MCCCCLI. Romæ XIII junii. P.
In isto electus est F. Guido Flamochetti magister ordinis XXVIII sabb. vigil. pentec. XII *junii.*
172. MCCCCLIII. Nannetis in Armorica XX maii. D. I.
In isto electus est F. Martialis Auribelli magister ordinis XXIX sabb. vig. pent. XIX *maii.*
173. MCCCCLVI. In Montepessulano XVI maii. D. II.
174. MCCCCLIX. Noviomagi in Gheldria XIII maii. P.
175. MCCCCLXII. Senis XV augusti. D. I.
In isto amoto a Pio II. Martiali electus est F. Conradus Astensis magister ordinis XXX.
176. MCCCCLXV. Novariæ II junii. D. II.
In isto amoto Conrado auctoritate Pauli II in integrum restitutus est & reelectus F. Martialis Auribelli dictus tum magister ordinis XXXI. sab. vig. pent. I *junii.*
177. MCCCCLXVIII. Romæ V junii P. Acephalum tamen declaratum.
178. MCCCCLXX. Avenione X junii. D. I.
179. MCCCCLXXIII. Basileæ VI junii. D. II.
180. MCCCCLXXIV. Romæ XXIX maii. P.
In isto electus fuit F. Leonardus de Mansuetis magister ordinis dictus tum XXXII. sab. vigil. pentec. XXVIII *maii.*
181. MCCCCLXXVIII. Perusii X maii. D. I.
182. MCCCCLXXXI. Romæ X junii. D. II.
In isto electus fuit F. Salvus Cassetta magister ordinis dictus tum XXXIII. sab. vig. pentec. IX *junii.*
183. MCCCCLXXXIV. Romæ extra tempus consuetum X octobris.
In isto sed inquiunt non sine magna altercatione electus est F. Bartholomæus de Comatiis magister ordinis tum dictus XXXIV.
184. MCCCCLXXXVI. Venetiis iterum extra tempus XXIX junii.
In isto electus est F. Barnabas Saxonus magister ordinis tum dictus XXXV.
185. MCCCCLXXXVII. Iterum Venetiis III junii. P.
In isto electus est F. Joachimus Turrianus magister ordinis tum dictus XXXVI. sab. vig. pent. II *junii.*
186. MCCCCXCI. Cenomanis in Francia XXII maii. D. I.
187. MCCCCXCIV. Ferrariæ XVIII maii. D. II.
188. MCCCCXCVIII. Iterum Ferrariæ III junii. P.

Capitulorum hactenus relatorum conditionem ut ita loquar, idest distinctionem provincialium & diffinitorum primi & secundi ex ipsis depromo actis, quæ a prin-

cipio ad annum MCCCL mihi servantur in adversariis, eaque accuratiora quam in editione Marteneana, cætera ad MCCCCX annotata habeo manu æquali ex codicibus MS laudatis, a MCCCCI vero ad MD plura mihi adsunt rationem præcedentium & subsequentium testantia. Hæreo solum in duobus quæ extra tempus consuetum celebrata sunt Romano anni MCCCCLXXXIV & Veneto anni MCCCCLXXXVI, quorum rationem deprehendere non potis fuit.

INDEX

INDEX
EORUM QUI AD DIGNITATES ECCLESIASTICAS PROMOTI SUNT, & in hoc Tomo primo laudantur incipiendo ab inferioribus.

MAGISTRI SACRI PALATII.

QUÆ fuerit magistrorum sacri palatii toto seculo XIII series, non ita dictu promtum, nisi antiqua monumenta evolvantur, quod solis Romanis nostris facile. Verùm cùm eo seculo id munus in scholæ Romanæ & pontificiæ regimine, & in publica sacræ scripturæ expositione potissimum contineretur, quos duplici hoc officio functos certo nobis constat, hos inter sacri palatii magistros recenseri nemo mirabitur.

EPISCOPI IN HOC TOMO PRIMO LAUDATI, additis identidem aliis a nostris nomenclatoribus vel omissis, vel non accurate recensitis.

IN HISPANIA.

Raimundus de Ponte ep. Valentinus.

Robertus Hispanus ep. Silvensis in Algarviis anno 1247. *Ex appendice monarchia Lusitania* & *ex Roderico Acuña Hist. archiep. Bracar. cap. 61. p. 257. ubi differtur ad ann.* 1254. Hic omissus a Fontana & aliis nostris.

Thomas Serrano ep. Canariarum IV, qui tum dicebatur episcopus S. Martialis de Rubicon in insula *Lancerote* sub Nicolao papa V & Paulo II. Hic insulas Canariæ & Tenerifæ ad fidem adducere laboravit, & successorem habuit Joannem *de Frias*, qui ex insula *Lancerote* sedem in Canariam transtulit anno 1485 die 20 novemb. *Ex historia sacra majoris Canariæ, quam scripsit Christophorus de la Camara Canariarum episcopus XXV, & edidit Matriti anno 1634 in 4.* Et hic Thomas a Fontana & aliis nostris omissus.

IN GALLIA.

Abel de Sancto Brioco conventus Redonensis filius sacræ theologiæ magister Parisiensis respondit de tentativa die veneris 24 septemb. 1473, de Sorbonica vero xi & ultimus anno 1474, de magna ordinaria die martis 17 junii 1477 sub decano facultatis & licentiatus decimus quintus inter 18 die martis 27 januarii 1477 stylo veteri novo 78, reversus ad suos promotus est episcopus titularis Dionysiensis in Aphrica, quo titulo ecclesiam domus nostræ Lavallensis consecravit 25 julii 1489. *Ex actis sacræ facultatis & dictæ domus Lavallensis. Vide etiam p. 210. a.* Hic a Fontana & aliis nostris omissus.

Adam *de Nemours*, vel de Nemosio conventus Senonensis filius ep. Silvanectensis circa 1350, quem nostri perperam ad 1440 prorogant. *Ex Laurentio Pignon.*

Arnaldus Fradeti ep. Consoranensis. *Scriptor.*

Andreas de Porta Mosellæ Metensis conventus filius ep. titularis Gabulensis suffraganeus Metensis, obiit Metis anno 1391 die 8 decemb. jacet Metis ad Prædicatores. *Ex chronico conventus Metensis.* Hic a Fontana & aliis omissus.

Bartholomæus de Riparia ep. Baionensis. *Scriptor.*

Bertrandus *le Hungre* Metis natus & conventus Metensis filius ep. titularis Thessaliensis & episcopi Tullensis suffraganeus a 1366 ad 1377, qui die 18 januarii sequentis obiit Tulli sepultus ad Prædicatores. *Ex monumentis conventus Tullensis.* Hunc Fontana & alii perperam confundunt cum sequenti.

Bertrandus *seu* Bertramus Teuto Confluentinus ep. Tephelicensis titularis, de quo *vide p. 689. b.* Scriptor.

Bernardus Bruni ep. Consoranensis. *Vide p. 562. b.*

Bernardus Guidonis ep. Tudensis tum Lodovensis. *Scriptor.*

Conradus Lugdunensis ep. Lausanensis datus ab Urbano VI anno 1381, sed Lausanæ non receptus. Sic *Laurentius Pignon ante* 1394 & *Ruchat in Hist. ejus Ecclesiæ.*

Dionysius Gor Leodii natus & Leodiensis conventus alumnus ep. titularis Brachiliensis *vel* Brachialensis, ante 1394. *Sic Laurentius mox citatus.*

Dominicus de Florentia Clementis VII papæ Avenionensis confessarius ep. Albiensis, tum S. Pontii Tomeriarum, rursus Albiensis. *Scriptor.*

Dominicus Grima *vel* Grenier ex magistro sacri palatii ep. Appamiensis. *Scriptor.*

Durandus de Sancto Portiano ep. Aniciensis, tum Meldensis. *Scriptor.*

Evenus *vel* Yvo de Begaignon ep. Trecorensis. *Scriptor.*

Franciscus ep. Salubriensis Leodiensis episcopi suffraganeus & vicesgerens florebat anno 1294, quo ædem sacram nostram Trajecti ad Mosam dedicavit. *Ex tabulis ejus domus.* Omittitur a Fontana & aliis nostris.

Godefridus de Leodio ep. Brachialensis, suffraganeus episcopi Tullensis obiit xi octob. 1334, & jacet Tulli apud Prædicatores ad cornu evangelii altaris majoris. *Ex monum. Tullens.*

Guarinus Ebroicis natus & ordinem professus ep. Sagiensis in Neustria circa 1306. *Ex monum. conv. Ebroic.* Perperam Cenomanensis & ep. Sagonensis in Corsica a nostris dicitur.

Guido de Turrepinu ep. Claromontanus in Arvernia. *Scriptor.*

Guillelmus *vel* Petrus de Rancé Joannis I regis Franciæ confessarius ep. Sagiensis. *Scriptor.*

Guillelmus Sudre Lemovix ep. Massiliensis. *Scriptor.*

Guillelmus de Vallone Caroli VI regis Franciæ confessarius ep. primum Bethlehemitanus, tum Ebroicensis. *Vide p. 692. a.* Corrupte a Fontana dictus de Valen. & Balam, & perperam in duos divisus.

Guillelmus Vanosoris conventus Audomarensis filius pœnitentiarius apostolicus ep. titularis Sareptanus, suffraganeus episcoporum trium Tornacensium ab anno 1459 ad 1475, quo obiit Gandavi apud Prædicatores sepultus in Odeo. *Ex monum. Gand.* & ex Sandero *Rer. Gandav. lib. 5. cap. 7.* Omittunt nostri.

Hugo Scoquet *vel* Scotarii Armoricus conventus Montis-relaxi filius sacræ theologiæ magister Parisiis anno 1403 licentiatus, ducis Britanniæ confessarius ep. Trecorensis postea Venetensis *seu* Vannensis, ut scribit Laurentius Pignon æqualis. *Vide p. 694. a.*

Hugo Turonensis patria & professione ep. Bethlehemitanus ante 1394. *Sic Laurentius Pignon.*

Jacobus de Baiona ep. Baionensis ante 1394. *Ex Laurentio Pignon.* Hinc a nostris perperam relegatus ad 1454. Forte Laurentius erraverit in nomine & is forsan non alius a Petro San-Johannio ortu & professione Baionensi anno 1319 electo ep. Baionensi. Porro iste Petrus San-Johannius distinguendus a F. Petro de Maslaco episcopo etiam Baionensi anno 1316 a Johanne XXII promoto, & anno 1318 defuncto, non cum eo confundendus, ut habent Fontana & sequaces: diserte distinguuntur a Bernardo Guidonis.

Inguerandus Seignart *vel* Sugnard patria & professione Cadomensis S. T. M. P. die 4 januarii 1452 licentiatus prior conventus Parisiensis S. Jacobi, confessarius ducis Burgundiæ ep. Salubriensis titularis anno 1464 consecratus, tum Autissiodorensis.

Joannes de Basilea ep. Lombariensis. *Scriptor.*

Joannes de Geneneo Flemingus ep. Bethlehem Franciæ ante 1394. *Sic Laurentius Pignon.*

Joannes Gibrois *vel* de Gibrosco Pruvinensis patria & professione, confessarius Ludovici I ducis Andegavensis regis Siciliæ, ep. Tolonensis. Is autem videtur, qui in Nova Gallia Christiana cognominatur *Silvester de Girbiotto* promotus anno 1371, & mortuus anno 1380, sed perperam dictus *Hispanus*, quem Laurentius Pignon præstat Gallum & Pruvinensem.

Joannes Guasquy ep. Massiliensis anno 1333 ad 1345. *Ex addit. ad Bern. Guidonis.*

Joannes *Marchand* Latine Mercatoris patria & professione Senonensis Joannis ducis Burgundiæ confessarius ep. Bethlehemitanus Franciæ jam anno 1411 consecratus, quo die 22 octob. odeum ecclesiæ nostræ Insulensis ab integro recens refectum

dedicavit: obiit Insulis anno 1424 die XI decemb. in eodem quem dedicaverat odeo dicto sepultus. *Ex Laurentio Pignon & ex monumentis conventus nostri Insulensis.*

Joannes de Prato patria & professione Ebroicas ep. Ebroicensis. *Scriptor.*

Joannes Revolli ep. Arausicanus. *Vide p. 614. a & 641. b.* Corrupte a quibusdam nostris nuncupatur *Renolio.*

Laurentius Pignon *vel* Pinon ep. Bethlehem Franciæ, tum Autissiodorensis. *Scriptor.*

Martinus Poré ep. Atrebatensis. *Scriptor.*

Mauritius de Colangiis vinosis professione Autissiodorensis regum Franciæ Caroli V & VI confessarius, ep. Nivernensis anno 1382 electus non ab Urbano VI sed a Clemente VII papa Avenionensi; obiit anno 1394 die 16 januarii. *Vide Guy Coquille Hist. Nivern. p. 73.*

Petrus de Allamanono Caroli II principis Siciliæ & Provinciæ confessarius ep. Sistaricensis jam anno 1292, mortuus est Kal. Augusti 1303. *Nov. Gall. Christ.*

Petrus Avogadri patria & professione Vercellensis ex episcopo Albensi in Insubribus ep. Sistaricensis anno 1349, sedit ad 1361 circiter. *Nov. Gall. Christ.*

Petrus de Boncherio *vel* Gaucherio ep. Tiniensis. *Scriptor.*

Petrus de Maravilla patria & professione Bituricensis ep. Tolonensis a 9 novemb. 1395 ad 1402, quo obiit 3 septemb. *Ex monum. conv. Tolon. in quo jacet.*

Petrus de Palude ep. Conseranensis. *Scriptor.*

Petrus Perrigant patria & professione Andegavensis sacræ theologiæ magister ep. Aptensis sub Aquensi circa 1410. *Ex Laurentio Pignon æquali.* Is est qui in *Nov. Gall. Christ.* cognominatur Pricaudi, & tacetur fuisse ord. Prædicat.

Petrus de Pireto ex magistro sacri palatii ep. Mirapicensis *vide p. 584. a.*

Petrus de Remis ep. Agennensis. *Scriptor.*

Petrus de Triniaco, at de Glaco a Laurentio Pignon dictus, professione Autissiodorensis Philippi VI Valesii dicti regis Franciæ confessarius ep. Silvanectensis circa 1340. *Ex Laurentio dicto, & ex monum. conv. Antissiodor.* Hunc perperam nostri ablegant ad 1434.

Petrus Turturellus *seu* Tureluré Gallus ep. Diniensis ab anno 1445 ad 1466, quo obiit 22 julii. *Ex Petro Gassendi in Notit. Eccl. Dinien. p. 161.*

Petrus de Villiers professione Trecensis, Caroli V regis Franciæ confessarius, dein ep. Nivernensis, postea Trecensis obiit Trecis XI junii 1377. Jacet apud Prædicatores ad majus altare sub pario marmore effigie illius ac metris insculpto. *Ex monum. conv. Trecen. & ex G. du Peyrat p. 326.*

Philippus Frumenti Gallice *Froment* patria & professione Autissiodorensis, ducis Burgundiæ diutius confessarius, exinde ep. Nivernensis post obitum Mauritii de quo anno 1394 electus. *Sic Laurentius Pignon anno illo scribens.*

Raimundus Gallus ep. Grassensis. *Scriptor.*

Raimundus de Medullione ep. Vapincensis. *Scriptor.*

Raimundus de Miromonte ex priore provinciæ antiquæ Provinciæ electus ep. Tolosanus 22 martii 1231 stylo veteri novo 1232, mortuus 1270 *vide p. 126. a.*

Raimundus de Tilli conventus Carcassonensis alumnus & inquisitor, rexit ecclesiam Vasatensem *seu* Basatensem circa ann. 1440. *Ex Percini Monum. Tolos. p. 100.*

Raimundus de Tullio ep. Conseranensis electus 3 idus octob. 1443. *Ex nova Gall. Christ.* Sed aut non sedit, aut non diu stetit.

Rainerius Lombardus ep. Magalonensis. *Scriptor.*

Robertus ep. Vapincensis jam sedebat anno 1225. Obiit in habitu ord. Prædic. 14 febr. 1251, quo tantum datus illi successor. Hinc colligo ad mortem usque episcopatum retinuisse, quocunque anno vestem nostram induerit, seu 1245 ut volunt quidam seu tantum in extremis. *Bernardus Guidonis.*

Robertus Gervasii ep. Senecensis. *Scriptor.*

Sanctius Mulierii ep. Oloronensis. *Scriptor.*

Simon de Clisson professione Nannetensis ex priore conventus Parisiensis S. Jacobi ep. Macloviensis vulgo *S. Malo* a 1259 ad 1285, quo 3 februarii mortuus est. *Bernardus Guidonis.*

Simon patria & professione Lingonensis ep. Nannetensis postea Venetensis. *Scriptor.*

Simon de Laude patria & professione Duacensis Philippi Boni ducis Burgundiæ confessarius ep. titularis Salubriensis a quibusdam nostris perperam *Saubant* nuncupatus & conventus Trecensis filius dictus, fuit autem promotus ab Eugenio IV litteris datis Florentiæ anno 1439 sexto Kal. novemb. anno nono, quarum exemplum mihi est præ manibus. Obiit vero anno 1463. Non fuit suffraganeus Atrebatensis ut quibusdam visum est.

Umbertus patria & professione Lugdunensis ep. Sistaricensis electus anno 1251 & sedit ad 1257, quo abdicavit & in domum suam Lugdunensem se recepit. In festo assumptionis B. V. anno 1252 primam missam in æde sacra nostra Sistaricensi recens erecta solemniter celebravit. *Ex monum. dictæ domus.* Laudant nostri sed non accuratè.

Wlfrannus de Abbatisvilla conventus Ambianensis filius ep. Bethlehemitanus aderat hoc titulo dedicationi basilicæ Scoiensis *Escouy* vulgo in Normania anno 1313 peractæ. *Vide p. 557. a.* Laudat etiam Laurentius Pignon, at omittunt nostri, nisi sit quidam Ulfanus Dealbatus ab iis corrupte dictus.

Yvo de Pontsal Quimperlaiensis conventus filius ep. Venetensis in Armorica ab anno 1444 ad 1471 sedebat. *Ex monum. dicti sui conventus* & ex Alberto Legrand *Histoire eccl. de Bretagne.* Hic a Fontana & Jo. Bapt. Cavalieri omissus.

IN ITALIA ET INSULIS ADJACENTIBUS.

Ubi non additur annus vel pagina scias omnes esse scriptores.

Ægidius de Galluciis ep. Torcellanus.

Ægidius alter ep. Torcellanus. *Vide* 257. *b.*

Albertus de Brixia ep. Brixiensis.

Aldobrandinus de Calvacanti ep. Urbevetanus.

Andreas de Boccagnis ep. Pistoriensis.

Angelus Acciaioli ep. Florentinus. *p.* 570. *b.*

Angelus de Bario ep. Biroctensis.

Angelus Portasole ep. Grossetanus.

Antonius Corrarius ep. Æmoniensis, postea Cenetensis.

Antonius de Senis ep. Lunensis.

Arnulfus de Viterbio ep. Humanatensis. *p.* 257. *b.*

Augustinus Gazothus ex ep. Zagrabiensi ep. Lucerinus.

Baptista de Judice ep. Vintimiliensis.

Bartholomæus de Bario ep. Vigiliensis.

Bartholomæus de Biscie ep. Bononiensis.

Bartholomæus de Bregantiis ex ep. Nimociensi ep. Vicentinus.

Bartholomæus de Lucha ep. Torcellanus.

Bartholomæus de Papazurris ep. Theanus deinde Teatinus.

IN GERMANIA, HUNGARIA, DALMATIA, ANGLIA, Scotia, Hybernia, Dania, Suecia, Polonia, Scriptores: additis identidem quibusdam a nostris auctoribus omissis.

Clemens

Clemens Scotus ep. Dumblanensis in Scotia sub Andreapoli. *Hanc Ecclesiam non novit Fontana.*

Cornelius O Ferall ep. Ardachadensis in Hybernia sub Armachana electus 3 febr. 1418, obiit anno 1424, & sepultus fuit apud Prædicatores de Longford. *Sic Varæus. Omittunt nostri.*

Eghisilus Suecus ep. Arosiensis in Suecia sub Upsalensi, & legatus domini papæ. Sic Laurentius Pignon scribebat ante 1394. Hinc perperam a nostris ad 1450 amandatur.

Ernestus Prussus ep. Pomesanensis in Prussia Ducali, quæ sedes erecta anno 1043 sub Gnesnensi, cujus episcopus olim morabatur Guizini vulgo Marienwerder, at nunc urbe a Luteranis occupata episcopatus conjunctus est Culmensi. Obiit Ernestus anno 1269. Sic Bucelinus. *Omittit Fontana.*

Everhardus de Westerheim *seu* de Westrum nobili equestrique familia natus in Westphalia ep. Sebastensis & suffraganeus Coloniensis sub Frederico III archiepiscopo LXV obiit 3 maii 1392. Ex ejus epitaphio apud nostros Colonienses ad cornu evangelii majoris altaris. *Meminit Heister in suffrag. Colon. Omittit Fontana.*

Garterus de Argentina ep. Marmorensis. Sic Pignon citatus scribebat anno 1394, ex quo habuit Sampayo. Hinc corrupte a nostris vocatur Batterus, & perperam ad 1450 amandatur.

Gerlacus Teuto ep. Hierapolitanus suffraganeus Ultrajectinus ex missali olim ecclesiæ sanctimonialium ordinis Leidensium, quarum Sacellum dedicavit anno 1450 mense julio. *Omittunt nostri.*

Gregorius ep. Tergestinus electus anno 1325. *Sic Bucelinus. Omittunt nostri.*

Guillelmus Andreas S. T. M. ep. Achadensis in Hybernia sub Tuamensi promotus a Gregorio XI die 1 Aug. 1374, quam sedem annis sex rexit, hinc ab Urbano VI anno 1380 translatus ad Midensem, ubi obiit anno 1385. *Sic Varæus. Omittunt nostri.*

Guillelmus de Bottelsham ep. Nanatonensis, tum Landavensis tandem Roffensis in Anglia.

Guillelmus Vanossoris patria & professione Audomarensis in Artesia, primum Romæ pœnitentiarius apostolicus, tum ep. Sareptanus & suffraganeus Tornacensis ab anno 1459 ad 1475 quo obiit. *Ex monum. conv. Gandav. & ex Sandero Rer. Gandav. lib. 5. cap. 7. Omittunt nostri.*

Henricus Dacus ep. Kioviensis in Litwania ante 1394. *Sic Pignon citatus, omittunt nostri.*

Henricus de Henreberch ep. Gabanligensis ante 1394. *Sic Pignon citatus, omittunt nostri.* Quæ hæc Ecclesia, an Gabulensis in patriarc. Antioch. sub Sidonien.

Henricus de Rubenach ep. Venecomponensis S. T. M. Roberti Bavari archiepiscopi Coloniensis suffraganeus ab anno 1458, qui Roberto abdicante, & ipse abdicavit, deinde Coloniæ legit publice theologiam, & decanus fuit gymnasii theologici, & obiit anno 1484 sepultus ad Prædicatores. *Sic Heister in suffrag. Colonien. p. 98. A nostris de Ravennato* vel *Rivenio corrupte dictus.*

Henricus Saxo ep. Oesiliensis primus. *Vide. p. 849. b.* Osilia vero vernaculè *Oesell* insula est ad Livoniam, ad quam ex urbe Hapsilia sedes translata fuit. Hic Henricus sedit a 1259 ad ..... *Meminere Pinon citatus & Heister citati. Omittunt nostri.*

Henricus Teuto ep. Chiemensis sub Salisburgensi in Norico promotus anno 1250 ad . Meminit Pignon citatus & refert Wiguleus Hund in Metrop. Salisburg. p. 14. *Omittunt nostri.*

Henricus Teuto alter I. C. D. ep. Bambergensis promotus anno 1321 obiit 1329. Sic Bucelinus. *Omittunt nostri.*

Hubertus Schenck ep. Hippusensis, suffraganeus Ultrajectinus circa 1382, obiit 7 martii *vel* maii 1408. A nostris perperam dicitur ep. Hipponensis. Est autem Hippus in 2. Palæstina sub Nazareth.

Jacobus de Cartagine ep. Marsiliæ ante 1394. Sic Pinon citatus. Illa Marsilia forte quæ in Lucania sub Cusentina nunc Cassanensi adunata: certo non Massiliæ Gallicæ. A nostris perperam ad 1451 relegatus.

Jacobus de La patria & professione Gandavensis ep. Gilbeldensis, idest Bybliensis in Phœnicia, quæ vulgo *Giblet. Ex Sandero Rer. Gandav. lib. 5. cap. 7: & ex monum. conv. Gandav. in quibus dicitur mortuus ann.* 1422. Ghilbertus de la Haye noster conjiciit suffraganeum fuisse ep. Morinensis. Corrupte *Bla* dicitur a Fontana; & corruptius ep. Gandensis.

Joannes Aubry Hybernus patria Trimensis anno 1373 electus ep. Ardachadensis ab una parte capituli. *Ex Warao.*

Joannes de Bewre Valencianensis in Flandria patria & professione ep. titularis de Potaneis ad ann. 1312. *Ex Sanderi Fland. Illustr. T. I. p. 645, & ex monum conv. Valencian.*

Joannes de Constantia ep. Scopiensis, ut legit Pinon citatus, vel ut habet ejus epitaphium Coloniæ apud Prædicatores Scopulensis anno 1298 electus obiit 17 octob. 1321. Fuit suffraganeus Coloniensis. *Sic Heister citatus.* Hinc perperam a nostris ad 1451 relegatus.

Joannes de Cors Gallus ep. Tiniensis in Dalmatia.

Joannes alter ep. Scopiensis suffraganeus Coloniensis ab anno 1321 ad 1331. *Sic idem Heister.* Fortè ille est qui a Laurentio Pignon dicitur Joannes de Limengaublie ep. Scopiensis, qui certo sedebat ante 1394, ac proinde a nostris non recte amandatur ad 1451. Scopolus unde Scopiensis civitas est in Bulgaria sub Adrianopolitana.

Joannes Danus ep. Burglaviensis tertius. Sic Pignon citatus. Hæc sedes quæ in Nortjutlandia Daniæ anno 1165 erecta nunc Alburgum translata in eadem provincia. Hinc seculo XIII hunc Joannem floruisse habes. *Omittunt nostri.*

Joannes Danus alter ep. Roskildensis in Dania; prius pœnitentiarius Joannis papæ XXII circa 1320 sedebat. *Sic Pignon citatus.*

Joannes Gilbert Anglus ep. Bangorensis, tum Herefordensis tandem Menevensis. *Vide p. 699. b.*

Joannes Grignart patria & professione Valencenas ep. Gebeldensis suffraganeus Cameracensis anno 1423, florebat adhuc 1435. Laudat G. Seguierius noster, *omittunt Fontana & sequaces.*

Joannes de Heglescliff Anglus, Helchistede corrupte dictus a L. Pinon, corruptius a Fontana & aliis nostris Helchisades ep. primum Bethlehemitanus, tum Conorrensis in Hybernia, demum anno 1323 mense septemb. Landavensis in Anglia. Obiit Bishonæ anno 1346 die 2 januarii sepultus apud Prædicatores Cardiffæ. Perperam amandant nostri ad 1483, cujus meminit Pinon anno 1394 scribens.

Joannes de Herderen Trajecti ad Mosam ordinem amplexus ep. Barensis anno 1360, suffraganeus Leodiensis. *Ex monum. conv. Mosæ-Traject.* Omittunt nostri. Est autem Bara *vel* Vara civitas in Hellesponto sub Cysico metropoli.

Joannes Hungarus ep. Scardonensis in Dalmatia electus anno 1250 florebat adhuc an. 1266. *Ex Thoma archidiacono Spalatensi.* Omittunt nostri.

Joannes de Monte ep. Azotensis, electus 4 sept. 1419 suffraganeus Trevirensis sedit ad 1442, quo mortuus est die 17 dec. *Ex monum. conv. Trevir. & ex actis cap. gen. Metis anno 1421 habiti.*

Joannes ep. Millensis.

Joannes Obim patria & professione Tullensis S. T. M. ep. Christopolitanus suffraganeus Tullensis, obiit Tulli 8 sept. 1465. Apud Prædicatores ibidem sepultus. *Omisit Fontana.*

Joannes Payn Hybernus S. T. D. ep. Midensis sub Armarch. die 4 augusti anni 1483 possessionem iniit, & obiit 6 maii 1506 sepultus Dublini ad Prædicatores. *Ex Varæo.* Omittunt nostri.

Joannes Schadland ep. Culmensis, tum Hildeshimensis, tandem Wormatiensis, una & Augustanus.

Joannes Suecus ep. Aboensis.

Joannes de Wildeshusen ep. Bosnensis.

Joannes Ysambardi ep. Christopolitanus suffraganeus Metensis dedicavit altare quoddam in ecclesia nostra Metis anno 1454.

Israel Erlandi ep. Arosiensis.

Judocus Borre ep. Hierapolitanus, suffraganeus Ultrajectinus anno 1450 circiter consecratus, obiit 25 julii 1470. *Ex monum. conv. Ultraject. & monialium ordinis Leydensium.* Corrupte a Fontana & sequacibus dicitur Ludovicus. *Vide Bataviam sacram.*

Ludovicus de Foro professione Wesaliensis ep. Fogiensis circa 1450. Ex Chronica Wesaliensi antiqua MS a nostro Henrico Hilden S. T. M. Coloniensi visa. *Omittunt aut non norunt nostri.*

Martinus de Soleta ep. Christopolitanus suffraganeus Basileensis.

Matthias Teuto ep. Biduanensis, suffraganeus Ultrajectinus ab anno 1406 florebat adhuc & exercebat anno 1425. Biduana seu verius Bitoana ecclesia est in prima Phrygia Capathiana sub Laodicena. *Laudant nostri, sed non accurate.*

Nicolaus Meysen ep. Lubecensis datus per papam anno 1378. Sic Bucelinus. Hic videtur qui a nostris Millina agnominatur, & quem referunt ad 1385.

Nicolaus Stainecher Teuto ep. Varnensis electus a Bonifacio IX anno 1394 die 24 januarii. Ex bulla ipsius pontificis data Perusii 9 Kal. febr. anno quarto. Varna civitas est in Moesia ad ostium Zyræ, quæ olim Odessus dicebatur, postea Tiberiopolis. *Hunc nostri non norunt.*

Nicolaus Teuto ep. Bothruntinus.

Otto de Hoia ep. Mindensis. *Vide p. 849. b.*

Petrus Boncherius ep. Tiniensis.

Petrus Palmar ep. Bosnensis sub finem sec XV. Ex actis cap. gen. Ferrariæ anno 1498 habiti, in quibus ad gratias ordinis recipitur. *Hunc omittunt nostri.*

Ponsa *vel* Ponza ep. Bosnensis successor Joannis de Wildeshuzen. *Vide p. 112. a. Hunc omittunt nostri.*

Ricardus Winchelsey ep. Ossoriensis in Hybernia.

Robertus Reade ep. primum Carliolensis in Anglia, tum a Bonifacio IX rege petente, rejectaque electione Guillelmi Stirkland electi, Cicestrensis est electus episcopus anno 1396. Obiit ad pentecosten anni 1417. *Ex Goswino. Omittit Fontana.*

Robertus Rochford S. T. P. ep. Connorensis in Hybernia electus anno 1451. *Ex Waræo. Hunc non norunt nostri.*

Siffridus Teuto ep. Cyrrensis suffraganeus Moguntinus.

Theodoricus de Wischel Teuto ep. Naturensis conventus Wesaliensis alumnus ep. Naturensis circa 1350. Cœnobium suum Wesaliense 7 augusti casu totum igne consumtum suis curis & largissimis eleemosynis reparavit. Sic refertur in quodam codice antiquo MS cui titulus *Chronica Wesaliensis. Hunc non norunt nostri.* Ecclesia Naturensis in antiqua Notitia Ecclesiastica MS, quam habeo præ manibus ponitur sub Constantinopolitana immediate.

Thomas Lylde. ep. Eliensis.

Thomas Rinstede ep. Bangorensis.

Thomas Rushoock Anglus S. T. M. Ricardi II regis Angliæ confessarius die 3 maii 1383 ep. Landavensis consecratus, exinde 20 octob. 1385 ad Cicestrensem translatus anno 1388 abdicare cogitur & exulare. *Sic Goswinus. Hunc nostri non norunt.*

Vincentius Mapcello *vel* Maxcello Teuto *vel* Danus ep. Berigensis (forte Berghensis sub Nidrosiensi) anno 1498 in actis cap. gen. Ferrariæ habiti ad gratias ordinis acceptatur. *Hunc a nostris omitti mirum.*

Walterus Mauklerck ep. Carleolensis in Anglia.

Walterus *seu* Gualterus Teuto ep. Diagorganensis suffraganeus Bambergensis per annos triginta, factus senex ad Cartusianos transiit. Sic Miræus in Orig. Cartus. p. 47. *Omittunt nostri.* Diagorganum est in Indiis Orientalibus.

Wolframus *seu* Wolphangus de Fleckestein ep. Salviensis anno 1313 die 20 maii ædem sacram Prædicatorum Wormatiensium dedicavit. *Ex prodromo Annal. Wormatien. Georgii Helwich, & hunc ommittunt nostri.*

EPISCOPI IN ASIA ET APHRICA SEDENTES.

Alphonsus Bonihominis Hispanus ep. Marrocensis in Aphrica a Clemente VI promotus & missus, vir Arabice peritus.

Andreas Dias Ulyssiponensis patria & professione ep. Megarensis sub Athen. in Achaia anno 1432 consecratus. *Ex Souza Hist. Prov. Portug. P. I. lib. 3. cap. 36. fol. 193.*

Andreas Doria ep. Andrensis sub Naxiensi in Archipelago.

Bartholomæus de Bregantiis ep. primum Nimociensis *vel* Lymissensis in Cypro.

Bartholomæus Lapaccius ep. primum Argolicensis, tum Coronensis in Peloponeso.

Bartholomæus Parvus ep. Maragacensis in majori Armenia.

Galardus de Ursisaltu vernacule *d'Oursault* Vasco primus prior conventus Tarasconensis ep. Bethlehemitanus anno 1256. *Ex Bernardo Guidonis & ex monum.* MS *conventus Tarasconensis.* Perperam a Fontana & aliis nostris ad sec. XIV aut XV amandatur.

Gaufridus (Anglus ut puto) ep. Ebronensis. *Vide p. 382. b.*

Guillelmus Gallus ep. Antheradensis.

Hieronymus de Genua ep. Caphensis.

Joannes de Florentia ep. Tephelicensis.

Joannes N. ep. Millensis.

Joannes de Ragusio ep. Argensis id est civitatis Argos dictæ. Perperam a nostris dictus Argentinensis.

Joannes de Rotomago ep. Taurisiensis, tum postea Caphensis.

Lambertus *vel* Leonardus de Solis ep. Andrensis successor Andreæ Doria laudati. *Vide p. 790. b.* Hunc omittunt nostri.

Ludovicus Longus ep. Methonensis.

Michaël Græcus ep. Caneæ in Creta insula. *Vide p. 875. a.*

Nicolaus de Tenda ep. Famagustanus in Cypro.

Thaddæus N. ep. Caphensis. *Vide p. 537. a.*

Thomas Agni de Lentino ep. Bethlehemitanus in Palæstina.

D. Joannes papa XXII fecit quemdam de ordine Fratrum Prædicatorum archiepiscopum Soltanionsem in partibus Aquilonis, & misit sibi septem Fratres ipsius ordinis pro suffraganeis, quos fecit consecrari in episcopos, & fuit sibi missum pallium de curia, & ordinatum etiam quod esset pro successoribus propter loci distantiam. *Sic in antiqua notitia ecclesiastica MS, quæ extat in Regia in membr. n. 4506, & ex simili quæ apud nostros Parisienses ad S. Honorati.*

Archiepiscopus ille fuit Francus de Perusio, de quo mox in archiepiscopis: episcopi vero in bulla nominati sunt

Bartholomæus Abaliati, Bartholomæus de Podio. Bernardinus de Placentia, Bernardus Moreti. Gerardus Calvensis, Guillelmus Adæ. *Vide p. 537 a.*

ARCHIEPISCOPI IN HOC OPERE LAUDATI.

In Hispania.

Berengarius de Landora ar. Compostellanus.

In Gallia.

Dominicus de Florentia ar. Tolosanus.
Guido de Soliaco ar. Bituricensis.
Guillelmus de Lauduno ar. Viennensis, tum Tolosanus.
Humbertus Delphinus ar. Remensis.
Petrus de Tarentasia ar. Lugdunensis.
Raimundus de Medullione ar. Ebredunensis.

In Italia et Insulis adjacentibus.

Andreas de Turre ar. Januensis, *Scriptor ut & sequentes.*
S. Antoninus ar. Florentinus.
Antonius de Carlenis ar. Amalphitanus.
Baptista de Judici ar. Amalphitanus, tum Patracensis.
Bonifacius de Lavania ar. Ravennas.
Jacobus de Voragine ar. Januensis.
Joannes de Columna ar. Messanensis.
Joannes de Polo ar. Pisanus.
Isnardus Tacconus ar. Papiensis seu Ticinensis.
Lucas de Neapoli ar. Hydruntinus.
Matthæus de Ursinis ar. Sipontinus.
Reginaldus de Leontino ar. Messanensis. *Vide p. 359. a.*
Simon Saltarelli ar. Pisanus.
Thomas Agni de Lentino ar. Cusentinus.
Anonymus ar. Ravennatensis.

In Germania Anglia & cæteris Europæ Regnis.

Andreas Hungarus ar. Antibarensis.
David Mac-kelli conventus Corkagiensis alumnus ex episcopo Clonensi in Momonia sub Cassellensi ar. Cassellensis ipse anno 1237 electus, domum ordini suo erexit ibidem anno 1243, & obiit 2 martii 1252 stylo novo 1253. *Ex Wareo.*
G. Adæ ar. Antibarensis.
Gualterus de Jorz Thomæ cardinalis germanus Edwardi II regis confessarius bulla Clementis V 8 idus aug. 1306 creatus & a Nicolao cardinali Ostiensi consecratus, anno 1311 die 16 novemb. abdicavit.
Guillelmus de Hottun ar. Dublinensis.
Henricus Kalt-Eysen ar. Cæsareensis & Nidrosiensis.
Joannes Baterley Hybernus ar. Tuamensis.
Joannes Derlington Anglus ar. Dublinensis.
Joannes Dominici ar. Ragusinus.
Joannes de Scardona electus a capitulo ar. Spalatensis anno 1249, sed electionem confirmare noluit Innocentius IV, qui alium suffecit. *Ex T. VII Miscellan. Baluzii p. 493.*
Joannes Suecus ex episcopo Aboensi ar. Upsalensis.
Martinus Polonus ar. Gnesnensis.
Patritius O Scanlain Hybernus ex episcopo Rapotensi electus a capitulo ar. Armachanus & ad regis preces ab Urbano IV die 5 novemb. 1261 confirmatus, obiit 16 martii 1270 Dondalkiæ in cœnobio S. Leonardi, fuitque Pontanæ seu Droghedæ sepultus apud Prædicatores. *Ex Wareo. Omittit Fontana.*
Reginaldus ar. Armachanus non obiit Londini mense aprili 1258 ut putavit Matthæus Paris & scripsit in sua Historia, sed Romæ anno 1256 ut contendit Waræus. *Vide pp. 22, 41 & 105.*
Robertus Kilwardby ar. Cantuariensis.
Rolandus de Jorz Walteri supra laudati germanus die 15 septemb. 1311 electus ar. Armachanus, die 19 martii 1320 sponte abdicavit. *Ex Wareo. Omittit Fontana.*

In Asia.

Ægidius de Gallutiis ar. Cretensis.
Andreas Græcus ar. Colossensis *vel* Rhodius.
Antonius N. ar. Solthaniensis III.
Baptista de Judici ar. Patracensis.
Bartholomæus de Papazurris ar. Patracensis.
Bonacursius Ultramarinus ar. Tyri. *Vide p. 156. b.*
Francus de Perusio ar. Solthaniensis I.
Guillelmus Adæ ar. Solthaniensis II.
Guillelmus de Moerbecka ar. Corinthiensis.
Joannes de Polo ex ar. Pisano ar. Nicosiensis.
Leonardus de Chio ar. Mitylenensis in Lesbo insula.
Matthæus Osenio ar. Corinthiensis, successor Guillelmi laudati sic nominatur a Bernardo Guidonis, at a Fontana corrupte de Costino.
Nicolaus ar. Tyri ante 1280. *Vide p. 159. a.*
Petrus de Ripa Transona ar. Corinthiensis.
Simon Jatumæus ar. Thebanus.
Yvo Gallus ar. Nazarethanus.
Anonymus ar. in Oriente. *Vide p. 571. a.*

PATRIARCHÆ *Scriptores omnes.*


Matthæus Ebroicensis P. Constantinopolitanus.
Humbertus Delphinus P. Alexandrinus.
Isnardus Tacconus P. Antiochenus.
Thomas Agni de Lentino ex ar. Cusentino P. Hierosolymitanus.
Nicolaus de Hanapis P. Hierosolymitanus.
Radulphus de Grandivilla P. Hierosolymitanus.
Petrus de Palude P. Hierosolymitanus.
Guillelmus Militis P. Hierosolymitanus.
Paulus de Pilastris P. Gradensis.

S. R. E. CARDINALES *Scriptores omnes.*

SUMMI PONTIFICES.

INDEX ACTORUM IN HOC PRIMO TOMO RELATORUM, ut & Dissertationum quarumdam additarum.

SCRIPTORES



SCRIPTORES ORDINIS PRÆDICATORUM RECENSITI, NOTISQUE HISTORICIS ET CRITICIS ILLUSTRATI.

S. DOMINICUS.

* 1221. SANCTUS DOMINICUS ordinis Fratrum Prædicatorum institutor, cùm inter auctores ab omnibus virorum eruditorum nomenclatoribus numeretur, merito hujus operis initium nobilitare debuit, & tam insigni scriptorum turbæ ipse omnium parens præponi : ceu quem solem suum sidera cætera quantumcunque fulgentia agnoscunt, quem agonothetam & aliptem a quo in arenam producti, & ad ineunda cum fidei priscæque sanctorum patrum doctrinæ adversariis certamina inuncti, athletæ quantumlibet fortes prædicant : e cujus denique magistri exercitatissimi, Deique gloriæ & Ecclesiæ sanctitatis æmulatoris ardentissimi manibus calamum accipientes fuerunt ad scribendum excitati. Innumeri qua nostrates qua exteri gesta ejus enarrare aggressi sunt, quæ forte ratio esset ab iis hîc abstinendi : verùm quia nullus hactenus chronologiam ejus vitæ certam prodidit, imo & quidam fabulis inquinarunt non tolerandis, aliunde antiqua quæ huc usque prælum non subierunt, feliciter occurrerint monumenta, operæ pretium visum est, & lectori gratissimum fore, si ea ederentur, & sin minus plura sancti opera quæ vetus exedit ætas indicari possint, saltem ejus vita quæ præstantissimum ejus opus est, sincera & quanta potuit diligentia accurata hîc haberetur.

Tres potissimum recensentur primi vitæ sancti Dominici scriptores : antiquior beatus Jordanus ejus in magistratu ordinis successor, qui & eum vidit Parisiis & Bononiæ, & toto regiminis sui tempore ab anno MCCXXII ad MCCXXXVI quæ ad illum attinerent in suis per varia Europæ regna visitationibus ab æquævis & convictoribus diligenter inquisivit : alter Frater Petrus Ferrandi Lusitanus vir eximius de quo postea ab ipsis in Hispania sodalitatis nostræ incunabulis eidem aggregatus : tertius Constantinus Medices Etruscus episcopus exinde Urbevetanus, qui jubente Joanne ab Wildeshusen IV ordinis magistro novam legendam scripsit ac edidit inter MCCXLII & MCCXLVII, multa a Jordano omissa addens testibus usus, qui sancto annis pluribus familiariter convixerant. Ex his tribus quartam adornavit beatus Humbertus V ordinis antistes, modo eadem aut totidem verbis aut stylo mollito referens, quædam aliquando non quidem ex actis sed ex commentariis redundantia resecans, nova etiam identidem adjiciens, omnia ad leges chronologiæ rectius concinnans, quam & pro lectionibus officii cùm de sancto agebatur recitandam proposuit & edixit anno ipso MCCLII. His quatuor accessit Frater Gerardus de Fracheto, qui spicas post messem colligens, quæ laudatos fugerant, parte altera libri cui titulus *Vitas Fratrum* memoriæ commendavit & edidit circa MCCLX. Sæc. XIII.

Hæc est igitur sequentium series. Primò datus

Sec. XIII. vita a beato Jordano scripta, nam nunquam typis prodiisse certo certius est, falluntur que & Gerardus Vossius de Histor. Lat. p. 458. & eum in suis notis excipiens Christophorus Sandius, cum asserunt Romæ editam anno MDLXXXVII notis Antonii Maffei Salernitani illustratam: hoc enim opus non nostri Jordani sed longe diversum, nempe vitæ primorum Eremitarum Augustinianorum a Jordano Quindelimburgio Eremita sæculo XIV quo vivebat exaratæ, quas Augustinus Fivizanius & ipse Eremita summique Pontificis æditimus eo anno edendas curavit, quæ editio in Bibl. Bodley. recensetur. Huic vitæ adjungetur caput XXVII Hist. Occid. Jacobi de Vitriaco episcopi Aconensis ac demum cardinalis, de nostris enim eo capite agi luce clarius ibidem ostendetur. Cùm vitam a Fratre Petro Ferrandi scriptam videre non licuerit, sequetur altera per Constantinum scripta, cujus quidem pars magna totidem verbis legitur apud Vincentium Bellovacensem Spec. Histor. lib. XXX passim, at non solùm mutila, sed & gravioribus scatens erratis in editione Duacena, pura itaque & integra hîc oculis lectoris subjicietur. Utramque in notis illustrabit vita per beatum Humbertum concinnata: ubi eadem habet aut totidem verbis aut stylo mollito, id tantùm monebitur: ubi quædam resecat, ea intra parenthesim claudentur: ubi quid habet amplius, illud etiam ne quid hîc desit, addendum curabitur.

Ad hæc accedent tum supplementum ex P. II. libri citati *Vitas Fratrum*, illudque longe emaculatius quam in edit. Duac. typis Belleri anni 1619. in 4. tum inquisitio duplex de vita & moribus beati in ordine ut aiunt ad canonizationem acta, prior Bononiæ anno MCCXXXIII, ubi novem testes ex nostris auditi suo primigenio stylo repræsentantur, non ut hactenus tantùm visi sunt ab Antonio Flaminio viro eloquenti & eleganti interpolati, altera Tolosæ eodem anno: tum denique Chronicon parvum Humberti laudati vulgo dictum: omnia vero superiora notis ex auctoribus æquævis aut supparibus Petro de Vallesernaii, Stephano de Borbone seu Bellavilla nostro anno MCCXXII jam claro in suo magno de septem donis Spiritus sancti opere, Theodorico de Appoldia itidem nostro, aliisque veteribus monumentis ubique illustrantur. Quatuor præterea dissertationes historicæ ad præcipua quædam sancti gesta dilucidanda, chronologiamque ejus vitæ certam statuendam addendæ visæ sunt, de quibus judicabunt periti: sequetur brevis conspectus vitæ sancti per annos digestæ, ut quid unoquoque egerit eximium, uno fere oculorum conjectu lector videat. Nemini verò mirum videatur nihil hîc ex piæ memoriæ Alano de Rupe adduci, cùm ducentis quinquaginta & amplius annis post mortem sancti floruerit, adeoque ejus actorum post tantum temporis decursum testis idoneus proferri non possit: præsertim cùm nova & stupenda & eo usque inaudita, quæque cum certa vitæ sancti serie conciliari nequeunt, prodat: de revelationibus ejus ut & de duobus ab eo sæpius laudatis testibus Johanne de Monte & Thoma de Templo quid sentiendum, ubi singuli suo postea ordine occurrent, commodius dicetur.

Inter elogia sancti Dominici, a quibus ut operis parcam hîc abstineo, illud visum est non omittendum, quod apud Anonymum sodalem nostrum Etruscum & Florentinum legitur in ejus Commentariis in libros Regum Parisiis in Colbert. cod. 4519 servatis, ubi sic habet fol. 100. *Bonifacius* nempe Papa VIII. *aliquando loquens de P. N. B. Dominico dicebat, ille sapiens homo sic fecit vel dixit*: quod auctor scire facile potuit, cùm quantùm ex ejus opere conjicere est, sæculo XIV ineunte claruerit.

Prima vita sancti Dominici ex antiquissimo sæculi XIII codice MS membr. apud sanctimoniales nostras Prulianas servato datur, cujus exemplum accuratum agente R. P. Petro Estienne S. T. P. tum priore Carcassonensi consecutus sum. Ubi verò in notis citatur vita per Humbertum, laudatur ex cod. MS item membr. sec. XIII domus nostræ Paris. ad sancti Honorati collato cum celebri illo San-Jacobeo Paris. codice anno MCCLII scripto, officio scilicet ecclesiastico ab ipsomet Humberto ordinato: similiter opus de septem donis Stephani de Borbone ex cod. Sorbon. sec. XIII integro & accurato, cujus etiam paginæ indicantur.

Incipit liber principii ordinis Fratrum Prædicatorum editus a Fratre Jordano, qui post Beatum Dominicum tenuit magistratum ejusdem ordinis.

IN Hispaniarum partibus vir erat vitæ venerabilis Didacus nomine Ecclesiæ Oxomensis episcopus [A], quem sanctarum literarum notitia, & secundùm sæculum natales, ingenium, magis autem morum insignis decorabat honestas. Hujus amor sic Deo totus inhæserat, ut seipsum abjiciens, & sola quæ Jesu Christi sunt quærens, ad id summopere animum intentionemque converteret, qualiter animarum multarum fœnerator effectus, talentum sibi creditum cum usura vel fœnore multiplici suo Domino reportaret: Satagebat igitur ubicumque perscrutari posset, viros honestate vitæ moribusque laudabiles sibi modis quibus valebat attrahere, & in Ecclesia cui præerat beneficiando locare: illos verò subjectorum suorum quibus desidiosa foret ad sanctitatem voluntas, prona magis ad sæculum, ut laudabilium morum atque religiosioris vitæ formam assumerent, suadebat verbis, invitabat exemplis. Hinc accidit ut daret operam suis id persuadens canonicis crebris admonitionibus & exhortationibus pervigilibus, quatenus sub regula beati Augustini ad observantiam religionis canonicæ consentirent: tantaque hoc ipsum egit solicitudine, ut eorum animos (licet quosdam ex ipsis contradictores habuerit) ad suum desiderium inclinaret.

Incipit vita Beati Dominici primi Patris Fratrum Prædicatorum.

I. HUjus (Didaci) temporibus fuit quidam adolescens nomine Dominicus eadem oriundus diœcesi, villa quæ dicitur *Charaloga*, cujus matri antequam ipsum conciperet, in visione monstratum est, quod catulum gestaret in utero, qui facem ardentem in ore portabat, & de ventre egrediens omnem orbem succendere videbatur: quo præfigurabatur concipiendum ab ea prædicatorem insignem, qui sacræ eruditionis latratu soporatas peccatis animas ad vigilandum excitaret, & ignem quem Dominus Jesus venit mittere in terram, mundo spargeret universo. Hunc igitur ab annis puerilibus parentum suorum, specialiter autem cujusdam archi- *Nativitas B. Dominici.*

A Quandonam Didacus electus fuerit episcopus Uxamensis, nullus certò refert: Ægidius Gundizalvus Davila, *Teat. Eccl. de las Españas* Martinum Baçan ejus decessorem afferens electum anno MCLXXXVI, & post XVI annos regiminis mortuum, innuit Didacum electum tantum anno MCCII, sed a vero aberrat longius: extat enim epistola Innocentii III ad Didacum Oxomensem episcopum, qua commutationem ab isto in sua Ecclesia factam canonicorum secularium in regulares approbat, eaque data V idus Martii anno secundo, hoc est Christi MCXCIX, cum ille Pontifex electus fuerit VIII Jan. anni MCXCVIII; quod argumentum est Didacum eodem saltem cum Pontifice anno ad suam sedem promotum. Epistolam illam referunt Malvenda Annal. pag. 35. & accuratius Tamayus Mart. Hisp. mens. Febr. ad diem VI.

presbyteri sui avunculi diligentia nutriebat. Quem primitus in usu ecclesiastico erudiri fecerunt, ut quem sibi Deus vas electionis futurum præviderat, in ipsa adhuc puerili ætate velut testa recens imbiberet, (a quo nec postmodum immutaretur) sanctitatis odorem. B

Palentiam mittitur ad studia.

2. Postmodum autem missus Palentiam C, ut in liberalibus formaretur scientiis, quarum studium vigebat ibidem, postquam eas ut sibi videbatur satis edidicit, relictis iis studiis, tanquam in quibus temporis hujus angustias minus fructuose vereretur expendere, ad theologiæ studium convolavit, cœpitque divinis inhiare vehementer eloquiis, ut pote dulcioribus super mel ori suo. Itaque in iis sacris studiis annos transegit quatuor, per quos hauriendis sacrarum scripturarum rivulis tam incessanter tamque avidus inhiabat, ut præ discendi infatigabilitate noctes pene insomnes perageret, & veritatem quæ auribus ingerebatur, profunde mentis repositam sinu tenaci memoria retineret. Ea namque quæ facilitate capiebat ingenii, piis irrigabat affectibus, & ex iis opera salutis germinabant. Beatus in hoc sane juxta veritatis sententiam dicentis in evangelio, *Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Luc. XI. Etenim cùm gemina sit divini verbi custodia, una qua quod aure suscipimus memoria retinemus, altera verò qua & ipsum quod audivimus mancipamus effectui & exhibemus in opere, quod custodiæ genus commendabilius nemo est qui ambigat, quemadmodum granum frumenti melius conservatur terræ mandatum quàm in arca repositum: in neutro deficiebat felix hic Dei famulus, cujus memoria velut quoddam Dei promtuarium ex hoc in illud eructabat uberius, forisque mores & opera quid sacro reconditum lateret in pectore, manifestissime clamitabant. Ob hoc ergo quia mandata Domini tam fervido complectebatur affectu, excipiens vocem sponsi tam pio bonæ voluntatis applausu, gratiam ei Deus scientiarum adauxit, ut non solùm ad lactis potum redderetur idoneus, sed & quæstionum difficilium humili cordis intelligentia penetraret arcanum, & solidioris cibi scrutinium sufficienti admodum facilitate glutiret.

De bona indole B. Dominici ab ipsis incunabulis.

3. Iste fuit ab ipsis cunabulis indolis valde bonæ, & jam magnum aliquid insignis præconizabat infantia, quod futurum maturiori præstolaretur ætati. Non se cum ludentibus miscuit, neque cum iis qui in levitate ambulant participem se præbuit: sed instar placidi Jacob vagos Esau cavebat excursus, sinum matris Ecclesiæ, ac domestica sanctæ quietis tabernacula non relinquens. Juvenem simul ac senem aspiceres, quoniam & paucitas dierum loquebatur infantiam, & senem jam ipsa conversationis maturitas, & morum constantia prædicabat. Respuebat sæculi lascivientis illecebras, ambulans in via immaculata virginitatis suæ decus illibatum usque in finem incorruptionis amatori Domino conservavit. Cogitavit a vino tunc abstrahere carnem suam, unde & vinum per decennium non bibebat.

Quod matri suæ per visionem in ejus pueritia apparuit veluti stellam habens in fronte.

4. Jam autem in illa sua juvenili ætate futurorum præscius Deus aliquatenus est dignatus ostendere, quod insigne aliquid proventurum ex puero speraretur. Denique matri suæ in visione velut habens stellam in fronte a Deo cœlitus est ostensus. Quo profecto præfigurabatur dari eum aliquando in lucem gentium, illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sederent, ut rei postmodum probavit eventus. D

De venditione librorum & supellectilis suæ, quæ omnia dedit pauperibus tempore famis.

5. Eodem tempore cum Palentiæ studens persisteret, oborta est fames valida fere per totam Hispaniam. Tunc ipse necessitate pauperum permotus, & æstuans in se compassionis affectu, uno decrevit opere divinis obsecundare consiliis, & resarcire pro posse morientium egenorum inopiam. Vendens itaque libros quos oppido necessarios possidebat, cum omni supellectili sua, eleemosynam quamdam instituens dispersit, dedit pauperibus. Cujus pietatis exemplo suo sic aliorum theologorum ac magistrorum animos provocavit, ut ex juvenis liberalitate suam parcam segnitiem æstimantes, eleemosynis ex tunc largioribus abundarent. E

Qualiter vocatus fuerit ad Ecclesiam Oxomensem & supprior ejusdem Ecclesiæ factus.

6. Hujuscemodi ascensiones dum in corde suo vir Dei disponeret, & de virtute progreditur in virtutem, se ipso melior effectus quotidie cunctorum oculis (inter quos quasi stella in medio nebulæ per vitæ innocentiam rutilabat) mirabilis videretur, ad audientiam episcopi Oxomensis ipsius fama pervenit, qui diligenter percunctata de ipso veritate accersitum in sua fecit Ecclesia canonicum regularem. Ille vero confestim inter suos canonicos velut singulare jubar emicuit, humilitate cordis imus, sanctitate præcipuus, factus in omnibus odor vitæ in vitam, & quasi thus redolens in diebus æstatis. Mirantur tam celerem & invisum religionis apicem, & suppriorem eum constituunt, quatenus in eminentiori specula constitutus omnium splenderet obtutibus, & omnes invitaret exemplis. Ipse autem velut oliva pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens, die noctuque tenebat ecclesiam, orationi sine intermissione vacabat, & redimens sibi contemplationis otia, vix extra septa monasterii comparebat. Flendi pro peccatoribus, pro miseris, pro afflictis singularem gratiam tribuerat ei Deus,

B Natus est Dominicus anno salutis MCLXX, ut habet Theodoricus, & certò colligitur ex ejus ætate cum mortuus est, quam omnes eamdem referunt. Regnabant tum Romæ Alexander III, in Imperio Fridericus I, in Gallia Ludovicus VII, in Anglia Henricus II, in Hispania Sanctius III, in Oriente Manuel Comnenus. Patriam non *Charaloga* ut legit Jordanus nec *Calaroga* ut vulgo alii, sed *Caleruega* enunciandam monet Garibay Hist. Hisp. T. II p. 167 a. Avunculus apud quem educatus est, Archipresbyter erat in ecclesia Gumielis Isanensis haud procul a Caleruega, inquit Malvenda, addens apud eum stetisse ab anno MCLXXVI ad MCLXXXIV sive a VII ætatis ad XVI.

C *Palentiam.* Idem habent Constantinus n. 5, & Humbertus cap. 5. Theodoricus & S. Antoninus legunt *Valentiam,* sed corrupte: nam ut recte observat Malvenda, Valentia tum Maurorum imperio subjecta gravi servitute premebatur. De urbe Palentina scribit Lucas Tudensis in chronico, *semper ibi ut antiquitas refert, viguisse scholasticam sapientiam,* quam ut celebriorem redderet Aldephonsus IX nobilis ob gesta egregia dictus, qui thronum Castellæ sub annum Christi MCLXXXVIII ascendit, *procurante Tellione ejusdem civitatis episcopo* ad annum MCCX circiter promoto, *magistros theologicos & aliarum artium liberalium evocavit, & Palentia scholas constituit:* Intellige, auxit adjectis stipendiis ut habet Rodericus, & famosiores effecit. Cæterùm universitatem seu studium generale ut tum loquebantur, ibidem floruisse cùm eo missus est Dominicus anno MCLXXXIV ut conjicit Malvenda, conveniunt omnes. Vide postea Constantinum & Humbertum locis citatis.

D Vide Constantinum, ubi rem paulo aliter refert n. 2.

E Vide postea Constantinum n. 6. Idem habet Humbertus cap. 6 sed stylo mollito. Trivetum nostrum eadem referentem exscribens Joannes Launoius de scholis celebrioribus, cap. 57 sic exclamat: O *rarissimum exemplum, & gentium omnium linguis prædicandum! Dominicus adolescens discipulum simul agit & doctorem, discipulum quidem cùm ibi humaniores addiscit litteras, doctorem verò cùm qua ratione sublevandi sint oppressi fame pauperes docet, & statim ad christianæ perfectionis gradum altissimum conscendit.*

Malvenda istud contigisse censet anno MCXCI quo universus pene orbis gravissima fuit afflictatus fame, testemque profert Cantimpratanum de Apibus lib. 2 cap. 3, § 8, tumque Dominicus annum ætatis XXI decurrebat: sed nihil obstat quin aliquo sequentium ante MCXCVIII fames si non in orbe saltem in Hispania speciatim acciderit, quæ tam eximiæ Dominici caritati ansam præbuerit, quod & censuerim probabilius. Idem Malvenda p. 46 simile putat iterum egisse sanctum, cùm jam canonicus allectus esset Uxamensis, propter testimonium Stephani Lombardiæ provincialis in proc. canon. testis VII. Verùm quî sit intelligendus commodius postea dicetur in notis ad hoc testimonium propriis Stephani verbis referendum n. 1.

SÆC. XIII. quorum calamitates in intimo gestans sacrario, æstuantem interius per exitus oculorum foras ebulliebat affectum. Pernoctandi in orationibus mos erat ei creberrimus, & clauso ostio orare Patrem suum. Interdum & inter orationes a gemitu cordis sui rugitus & voces solebat emittere, nec continere se poterat, quin erumpens evidenter eminus audiretur. Fuit autem ei frequens & specialis quædam ad Deum petitio, ut ei largiri dignaretur veram caritatem curandæ & procurandæ saluti hominum efficacem, arbitrans se se tunc primum fore veraciter membrum Christi, cùm se totum pro viribus lucrifaciendis animabus impenderet, sicut salvator omnium Dominus Jesus totum se nostram obtulit in salutem. [F]

7. Librum quemdam qui Collationes Patrum inscribitur, tractantem de vitiis & omnis spiritualis perfectionis materia, hunc inquam legens, & diligenter in eo salutis rimari semitas, easdemque tota animi virtute studuit imitari. Hic liber ad arduam conscientiæ puritatem, ad multam contemplationis lucem, ad magnum eum perfectionis apicem gratia suffragante provexit. [G]

Qualiter episcopus Oxomensis ad Marchias profectus est, & qualiter B. Dominicus convertit apud Tolosam hospitem suum hæreticum.

8. Dum in hunc modum decoræ Rachelis frueretur amplexibus, Lia non sustinens cœpit ipsum impetere, quatenus ad ipsius ingressum prole fœcundata multiplici suæ lippitudinis sopiret opprobrium. Accidit itaque tunc temporis Ildephonsum regem Castellæ inter filium suum Ferdinandum, & quamdam nobilem de Marchiis desiderare connubium. Quamobrem adiit præfatum episcopum Oxomensem, postulans fieri eum procuratorem hujus negotii. Precibus regis acquievit episcopus, moxque adjuncta sibi juxta suæ sanctitatis exigentiam honesta societate, secum etiam virum Dei sanctum Dominicum præmemoratum Ecclesiæ suæ suppriorem adduxit, atque iter arripiens Tolosam usque pervenit. Cujus terræ incolas cum deprehendisset jamdudum fuisse hæreticos, cœpit super illusis tam innumeris miserabiliter animabus multa cordis compassione turbari. Ipsa vero nocte qua in præfata civitate hospitati sunt, supprior ille cum hospite domus hæretico multa disputatione & persuasione fortiter & ferventer agens, dum non posset hæreticus resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur, ad fidem ipsum spiritu Dei mediante reduxit. [H]

Iterum ad Marchias proficiscuntur.

9. Postmodum recedentes inde & ad locum destinatum ubi puella erat multorum tandem laborum dispendio venientes, exposita causa sui itineris habitoque consensu, confestim ad regem festinaverunt reverti, cui rem prospere actam & puellæ consensum nunciavit episcopus. Rex igitur iterato duxit eum cum majoris apparatus honorificentia remittendum, quatenus cum omni honore puellam adduceret filio suo copulandam. Qui laboriosum iter rursus aggrediens cum ad Marchias [I] pervenisset, puellam interim defunctam invenit, Deo salubrius sui causam itineris disponente, quatenus per ejusdem occasionem viæ multo magis excellentium nuptiarum procuraretur exordium inter Deum & animas per universam Ecclesiam ad æternæ salutis copulam de diversis peccatorum erroribus multifarie revocandas, sicut consequentium probavit eventus.

Qualiter episcopus ad Papam iverit, & quid cum eo tractaverit.

10. Igitur episcopus remisso ad regem nuncio ipse cum clericis suis habita opportunitate ire ad curiam festinavit. Veniens autem ad D. Innocentium summum Pontificem instanter expetiit si fieri posset gratiam cessionis, suam multipliciter allegans insufficientiam, & immensam supra vires officii dignitatem. Revelavit quoque summo Pontifici sui cordis esse propositum conversioni Cumanorum pro viribus operam adhibere, si cessionem ejus dignaretur admittere. Non acquievit Papa postulantis instantiæ, sed nec saltem ei quamvis petenti voluit indulgere, vel in remissionem peccatorum injungere, ut manens episcopus fines Cumanorum ad prædicandum intraret: occulto sane Dei nutu, qui ad alterius salutis uberem frugem tanti viri labores providerat. [K]

F. *Vix extra septa Monasterii comparebat.* Hæc docent ex quo Oxomensis canonicus allectus fuit, vix eâ civitate egressum, nisi fortè ad obeundas cum episcopo diœcesis visitationes, vel ad habendas in eadem conciones, fabulamque lectoribus obtrudere, qui narrant a viris Palentiæ academicis episcopum requisitum, ut eum jam canonicum illis concederet rursus apud eos sacras litteras professurum, & Didacum assensisse.

Quo anno canonicus regularis advocatus fuerit quærunt aliqui: id autem evenisse probabilius ex quo plerisque suorum canonicorum vitam Didacus persuasit amplecti regularem: cùm verò Didacum ad annum tantùm MCXCVIII episcopum electum teneamus, anno sequenti Dominicum ab eo Palentia revocatum probabilius est, annos tum XXVIII vel XXIX natum. Sed quid tum Palentiæ agebat? Non produnt speciatim scriptores, unde augurandum relinquunt egisse, quod in academiis eâ præsertim ætate solemne. Sex circiter annos artibus, id est, litteris humanioribus & philosophiæ dederat, theologiæ quatuor ab anno ætatis XX ad XXIV: deinceps pro more, nam is erat ad gradus scholasticos ascendendi modus, ipsemet sacram doctrinam, libros potissimum veteris ac novi testamenti, quod tum maxime in usu, interpretatus est, & indicat Stephanus septimus in proc. canon. testis posteà referendus, cùm ait in fame supra relata *vendidisse libros suos manu sua glossatos*: conciones etiam identidem habebat, nam hæ inter actus academicos numerabantur: hisque omnibus officiis perfunctum Dominicum satis innuunt auctores, cùm tamdiu Palentiæ morantem exhibent.

Plura verò quæ his annis vel etiam ex quo fuit canonicus, ab eo in variis Hispaniæ provinciis gesta, aut etiam tolerata ad captivitatem usque inter maritimos prædones commentantur quidam recentiores, nec conveniunt cum relatis a Jordano, Constantino, Humberto, Theodorico, Bernardo Guidonis & cæteris ad S. Antoninum, quibus omnibus fuerunt ignota, quos tamen si vera essent non fugissent, nec sancto viro digna, nec ulla verisimilitudine fulcita.

G Quæ his duobus nn. 6 & 7 Jordanus, eadem habet Humbertus cap. 7, sed stylo innovato. Ne verò quis putet Semipelagianismi errores in collationum Cassiani lectione suxisse, juvenis sapiens juxta præceptum Pauli cujus epistolas assidue legebat, & toto vitæ cursu secum semper in sinu ferebat, omnia probabat & quod bonum est tenebat, isque erat qui sciret reprobare malum & eligere bonum. Sub Augustini regula professus sancti patris ecclesiæ solis fulgentissimi doctrinam medullitus animo insertam habuit, illumque suos post Christum & Apostolos præcipuum habere magistrum voluit. De Cassiano præclare omnino hac occasione agit Malvenda in Annal. merito legendus.

H Eadem Humbertus c. 8 stylo innovato.

Rachelis frueretur amplexibus. Hæc confirmant superius annotata, Dominicum antea nec Palentiam & ex quo fuit canonicus nec diœcesis Oxomensis terminos huc usque exivisse. Conversioni hujus hospitis addit Bernardus Guidonis: *Et ex tunc concepit infidelium conversioni operam dare, ac statum religiosorum instituere, & ipsum evangelicæ prædicationi dedicare.* Superiùs dixerat: *Incepit autem ordinem Prædicatorum mente concipere & tractare in partibus Tolosanis a primordio computando, quo primùm Tolosam advenit anno Dñi* MCCIII, *pontif. Innocentii III anno* VI.

I Quæ sint illæ Marchiæ quas ex Hispania petentibus Tolosa transeundum fuerit, nemo clare explicat. An Marchia in Aquitania Lemovicensis provinciæ pars, cujus comes tum erat in Gallia potentissimus, qui & Ludovico IX Francorum regi non levia negotia facessivit? Sic plures censent, sed obstat quod cum regio illa non tam longe a Tolosa dissita sit, non tantis quantis innuit Jordanus, illud iter Didaco constitisset laboribus. Bernardus Guidonis in chronico ordinis sic habet: *Anno Dñi* MCCIII *B. Dominicus cum felicis memoriæ Didaco suo episcopo Oxomensi in Marchias sive in Daciam proficiscens exigente matrimoniali negotio ab Alphonso rege Castellæ sibi commisso &c.* eadem. Frustra hîc quidam sibi fingunt castrum in Marchia Lemovicensi Daciæ nomine insignitum, nam etiamsi forsan ejusmodi quoddam fuerit, quod non probant, non solent ejus rationis loca passim non nota apud antiquos scriptores annotari. Dacia prout sæculo XIII accipiebatur & in notitia provinciarum ordinis nostri, & apud Bernardum Guidonis, Daniam, Sueciam & partem Marchiæ nunc Brandemburgensis complectebatur: nec mirum principem aliquam harum regionum fœminam a rege Hispano quæsitam filio suo uxorem, cùm Philippus Augustus Francorum rex exinde sibi conjugem ascivisset regis Dani filiam Ingelburgim. Verùm Hispani soli ex archivis suis regiis quænam sit illa virgo Ferdinando Alphonsi IX primogenito XVI tum annos nato in sponsam petita, & cujus principis filia, docere possunt, quod hactenus neglexere.

K Bernardus citatus in chronico n. 1 sic addit ad annum MCCIII: Dominicus *per annum in dicto negotio regis Castellæ*

Qualiter apud Cistercium habitum assumpsit.

11. Revertens itaque in via Cistercium visitavit, ubi multorum servorum Dei conversationem intuitus & altitudine religionis illectus, assumto ibidem habitu monachali, & aliquibus monachis quorum instructione formam conversationis addisceret secum adductis, reverti in Hispaniam properabat, ignorans adhuc qualem in via procurante Deo suæ festinantiæ foret obicem habiturus. [L]

De consilio quod dedit iis qui a Papa missi erant.

12. Eo etenim tempore D. Innocentius Papa III duodecim abbates ordinis Cisterciensis cum uno legato contra hæreticos Albigenses ad prædicandam fidem direxerat. Qui celebrato cum archiepiscopis & episcopis aliisque illius terræ prælatis concilio deliberabant quisnam aptior esset modus ad id pro quo missi fuerant fructuosius exequendum. Interim cùm sic consiliarentur ad invicem, accidit memoratum episcopum Oxomensem per Montempessulanum iter agere, ubi concilium agebatur. Venientem igitur cum honore suscipiunt, quærunt consilium scientes hominem sanctum, maturum & justum fidei zelatorem. Ille ut erat vir circumspectionis & gnarus viarum Dei, de ritu & moribus hæreticorum cœpit inquirere, atque advertere modum quo aliquos ad perfidiæ suæ partes persuasionibus & prædicationibus ac simulatæ sanctitatis exemplis allicere consueverunt: vidensque ex adverso grandem eorum qui missi fuerant, & copiosum in expensis, equis & vestibus apparatum: non sic ait fratres non sic vobis arbitror procedendum: impossibile videtur mihi homines istos solis ad fidem reduci verbis, qui potius innituntur exemplis. En hæretici dum speciem præferunt sanctitatis, dum evangelicæ parsimoniæ & austeritatis mentiuntur exempla, persuadent simplicibus vias suas: quamobrem si contraria monstrare veneritis, ædificabitis parum, destruetis multum, & nullatenus acquiescent. Clavum clavo retundite, fictam sanctitatem vera religione fugate, quia fastus pseudoapostolorum evidenti vult humilitate convinci. Sic Paulus cogitur fieri insipiens suas veras enumerando virtutes, austeritates & pericula proferendo, ut eorum tumorem refelleret, qui se de merito vitæ jactabant. Dicunt ei, quod ergo das consilium bone pater? Quibus ille, quod me videritis facere, faciatis. [M]

Qualiter consilium datum ipse primus exequitur.

13. Mox itaque insiliente spiritu Domini in eum vocavit suos, eosque Oxomam cum equitaturis & supellectili & diverso quem secum habebat apparatu remisit, paucis clericis in sua societate detentis, dixitque suum propositum in eo esse, ut in illa terra moram faceret causa fidei propagandæ. Detinuit etiam secum prædictum S. Dominicum suppriorem quem magni æstimabat, magno complectens eum affectu. Hic est Frater Dominicus primus Prædicatorum ordinis institutor & qui ex eo deinceps tempore cœpit non supprior sed Frater Dominicus appellari; quia vere Dominicus custoditus a Domino & innocens a peccato, vere Dominicus omni virtute custodiens Domini voluntatem. Audito igitur abbates hujuscemodi consilio & animati exemplo acquieverunt & ipsi simile aggredi, remittentes singuli ad loca sua quæ secum adduxerant, retentis secum duntaxat libris ad horas ad studium atque disputationem cùm opportunum foret necessariis; & habentes prædictum episcopum super se majorem, & quasi caput totius negotii, pedites sine expensis in voluntaria paupertate fidem annunciare cœperunt. Quod ubi viderunt hæretici, cœperunt & ipsi ex adverso fortius prædicare. [N]

motam contrahens cum episcopo Romam adiit, & notitiam nec non & gratiam sibi summi pontificis ac ejus collateralium vindicavit. Quæ sic interpretor, ut Didacus ex Hispania primum iter ad Marchias sub finem anni MCCIII aggressus intra sex menses reversus sit, alios sex menses secundæ legationi dederit, tum itineri Romano sex adhuc menses impenderit, quæ nos ducunt ad medium circiter anni MCCV, annum numerando stylo veteri vel a pascha vel a XXV martii. Quod ad sequentium intelligentiam necessariò monendum fuit. Animadverte etiam Dominicum jam tum Innocentii III gratiam sibi conciliasse, & cardinalibus familiarem effectum.

[L] Quæ his tribus nn. 9, 10, & 11 Jordanus, eadem habet sed stylo innovato Humbertus cap. 9, ubi tamen de assumto a Didaco habitu Cisterciensi silet.

[M] Ut hæc constent, ratio hujus temporis & gestorum clarius explicanda. Didacus itaque & Dominicus ex aula Romana redeuntes, & in Hispaniam properantes, Montempessulanum sub finem anni MCCV advenerunt. Cùm dico finem anni, stylo veteri loquor circa Februarium aut Martium qui stylo novo MCCVI diceretur. Sic enim Bernardus citatus in Chronico: *Anno Dñi* MCCV *in fine istius anni deliberavit præfatus episcopus cum S. Dominico redire in Hispaniam: transeuntes autem per Montempessulanum, &c.* eadem. Certum est autem Bernardum annos stylo veteri numerare. Idem indicat Guillelmus de Podiolaurentii Hist. de bello Albig. ubi cap. 7 narrat Fulconem ex abbate Terondeti episcopum Tolosanum electum, & suam Ecclesiam primo ingressum anno MCCV Febr. v festo S. Agathæ die Dominica in sexagesima: sic enim legendum, non quadragesima, quod typorum erratum evincitur ex eo quod addit, ipsum super evangelium dici, *Exiit qui seminat, &c.* concionem ad populum habuisse. Ille autem annus quem stylo veteri dicebant MCCV, ille est quem jam novo stylo numerarent MCCVI, quo littera Dominicalis A, aur. num. 10, sexagesima v Febr. Pascha 11 April. quod frustra quæras in antecedentibus & subsequentibus. Idem verò Guillelmus cap. 8 sequenti Didaci & Dominici adventum ad Montempessulanum refert, ceu qui Fulconis inaugurationem subsecutus fuerit, & ambos ut electos Dei pugiles eximie commendat.

Quos verò in Montepessulano invenerint congregatos dubium est. Petrus Sernensis Hist. Albig. cap. III sic habet: *Contigit igitur ut cùm Didacus reverteretur a curia Romana, & ad Montempessulanum pervenisset, reperiret ibi honorabiles viros Arnaldum abbatem Cisterciensem, & Fratrem Petrum de Castronovo & Fratrem Radulphum monachos Cistercienses apostolicæ sedis legatos, &c.* Cùmque alios non nominet, putat Malvenda plures tum non fuisse. Aliunde Didacum cùm primùm in eam urbem advenit, duodecim abbates Cistercienses cum legato vel legatis summi Pontificis adunatos reperisse constanter veteres omnes nostri scriptores asserunt, Jordanus, Constantinus, Humbertus, Theodoricus, Trivetus, Bernardus Guidonis: Stephani nostri de Borbone testimonium afferre placet de septem donis P. IV de dono fortitud. Tit. V De malo exemplo & bono. cap. 1. cod. Sorb. fol. 330 col. 3. *Item audivi à Fratribus Provinciæ illius temporis, quod cùm quidam legati &* XIII *abbates missi fuissent ad terram Albigensium ad prædicandum contra hæreticos Albigenses, cùm ipsi secum haberent equitaturas ad portandum vestes suas & ad viæ necessaria, & prædicarent contra hæreticos & errores, insurgebant contra eos hæretici prædicantes contra exempla mala & insolentiam vitæ catholicorum, de corruptela cleri & religiosorum maxime texentes sermonem. Ex quo maxime illi abbates confusi sine multo fructu a prædicatione cessantes a terra illa recesserunt, dicentibus hæreticis: ecce quomodo isti equites prædicant nobis Christum Dominum suum peditem, divites pauperem, honorati abjectum & vilem & hujusmodi.* Id non evenisse postquam Montempessulanum pervenit Didacus, certo certius est & jamjam probabitur: igitur jam antea isti XIII abbates missionem apud Albigenses aggressi erant, sed ob istorum reprehensiones indignati recesserant, stabantque adhuc in Montepessulano deliberantes quid agerent. Quibus alludere videtur Petrus Sernensis sic addens ad supra ex eo relata: *Dolore quodam & indignatione commoti legati illi, propterea quod parum aut nihil profecissent in prædicando adversus hæreticos, istis perversos clericorum mores objicientibus, oportuit ipsos ab officio prædicationis cessare.* Et sane nemo sibi persuadebit tres summi pontificis legatos sine gravi & honesto plurium abbatum & prædicatorum comitatu ad eam missionem venisse in eaque stetisse: vel etiam opus deserere coactos ac perplexos ut quid agendum scirent, episcopos earum partium in concilium non vocasse.

An verò illa legatorum episcoporum & abbatum congregatio inter concilia numeranda sit, penes eruditos sit arbitrium: Jordanus, Humbertus, Theodoricus, Bernardus Guidonis concilium vocant; Constantinus, Trivetus, Petrus Sernensis, Guillelmus de Podiolaurentii hac voce abstinent, & omnibus attentis ceu colloquium tantùm habeatur per me licet. In editione conciliorum Parisiensi anni 1672 dicitur *concilium in provincia Narbonensi incerto loco celebratum anno Dñi* MCCVII *pro convertendis Albigensibus:* Sed cum eruditi Labbeus & Cossartius S. I. annotent hujus concilii præter gestorum S. Dominici auctores neminem meminisse, addendum non omnes vitæ sancti scriptores nostros voce *concilii* usos, ac preterea ex mente eorum qui *concilium* vocarunt, vel in Montepessulano februario aut martio anni MCCV stylo veteri, novo MCCVI habitum vel nullum.

[N] Quæ his duobus nn. 12 & 13 habet Jordanus, eadem etiam Humbertus cap. 10, sed stylo innovato & mollito.

Sæc. XIII.

Apud Fanumjovis de libro ter in flammas tradito.

14. Factum est autem ut apud Appamias & apud Vaurum, apud Montem regalem & apud Fanumjovis [o] frequenter disputationes fierent sub judicibus deputatis, ad quos conveniebant statutis diebus magnates & milites, mulieres & populi fidei scrutiniis interesse volentes. Contigit autem apud Fanumjovis [p] celebrem quamdam disputationem institui, ad quam convocati sunt tam fidelium quam infidelium plurima multitudo. Plerique igitur fidelium suos interim conscripsere libellos, rationes atque auctoritates ad confirmationem fidei continentes: inter quos omnibus inspectis beati viri Dominici libellus plus cæteris commendatus est & communiter approbatus: statutumque est quatenus tribus arbitris de assensu partium ad sententiæ definitionem electis cum libello hæreticorum quem & ipsi pro se scripserunt, præsentari deberet, & cujus partis rationabiliorem arbitri judicarent, ejus fides præstantior haberetur. Cùmque multa verborum disceptatione ad alteram partem arbitri convenire non possent, tandem incidit eis consilium, ut libellos utrosque flammis injicerent, & si quem illorum non comburi contingeret, ille veram fidem proculdubio contineret. Accensus est igitur ignis magnus, utrumque libellum injiciunt, liber hæreticorum confestim exuritur, alter verò quem scripserat vir Dei B. Dominicus, non solùm permansit illæsus, sed etiam de flammis palam omnibus in longinquum exiliit: iterumque rejectus & tertio, totiesque resiliens, monstravit aperte & fidei veritatem, & ejus qui libellum conscripserat sanctitatem. At verò tam insigne morum decus fulgebat in viro Dei Didaco episcopo, ut ipsorum quoque infidelium sibi vendicaret affectum, & cordibus omnium inter quos versabatur influeret: unde de ipso pronunciabant hæretici, impossibile fore talem hominem non esse prædestinatum ad vitam, atque ob hoc in partes illas fortasse transmissum, ut veræ fidei inter ipsos apprehenderet disciplinam.

De institutione monasterii sororum apud Prulianum.

15. Ad susceptionem autem quarumdam fœminarum nobilium, quas parentes earum ratione paupertatis erudiendas & nutriendas tradebant hæreticis, earum miseratus opprobrium servus Dei Dominicus, quoddam instituit monasterium inter Fanumjovis & Montem regalem: nomen loci ejusdem Prulianum, ubi usque in hodiernum diem ancillæ Christi grata exhibent suo creatori servitia, magno sanctitatis vigore, & præclaram innocentiæ puritate vitam agentes salutarem sibi, hominibus exemplarem, jucundam angelis, gratam Deo. [q]

Hæc confirmantur ex Petro Sernensi cap. 3 cit. ubi post relatum legatorum a prædicatione cessandi fere consilium, addit: *Memoratus autem episcopus adversus hujusmodi perplexitatem salubre dedit consilium, monens & consulens, ut cæteris omissis prædicationi ardentius insudarent, & ut possent ora obstruere malignantium, in humilitate præcedentes exemplo pii magistri facerent & docerent: irent pedites sine auro & argento per omnia formam apostolicam imitantes. Dicti verò legati hæc omnia quasi quamdam novitatem per se arripere non volentes dixerunt, quod si quis favorabilis auctoritatis eos sub hac forma vellet præcedere, ipsum libentissime sequerentur. Quid plura? Obtulit se vir Deo plenus, moxque familiam suam* Oxomum *transmittens uno comite contentus &c.* ut supra. Hunc verò comitem postea cap. 7 docet fuisse S. Dominicum.

Audiendus & Guillelmus de Podiolaurentii, qui post jam ex eo relata sic habet cap. 8. *Duo ergo isti* (Didacus & Dominicus) *mittentes manus ad fortia, aggregatis illis abbatibus ordinis Cisterciensis, & aliis bonis viris, superstitionem hæreticorum in altitudine sathanæ gloriantium cum omni humilitate, abstinentia, patientia cœperunt aggredi, non pomposa aut equestri multitudine, sed calle pedestrico ad indictas disputationes de castro in castrum nudis plantis & pedibus ambulabant.* Ex quibus clare confutatur opinio Malvendæ, qui ex eo quod Petrus Sernensis in colloquio Monspeliensi supra laudato non nisi unum abbatem nominet, censet tum non fuisse plures, cùm ex Guillelmo de Podio alii fuerint, & una scriptorum nostrorum voce fuerint saltem duodecim. Ipse Petrus Sernensis testatur Guidonem Vallium Sernaii abbatem eò anno MCCVI fuisse cum episcopo Didaco & aliis missionariis juxta Carcassonam die S. Joannis Baptistæ, & segetes hæreticorum vidisse sanguine fluentes. Si Guido abbas in diœcesi Parisiensi tum aderat, quanto magis vicinarum partium abbates.

Paucis tamen postea diebus abbas Cisterciensis Arnaldus missionem deserere cogitur, & Cistercium reverti ad comitia ordinis sui celebranda, nec dubium quin cum eo iverint plures ex duodecim sui in ea expeditione sacra socii abbates. Hæc comitia mense julio vel augusto MCCVI habita fuisse conjicitur ex epistola Innocentii III, ad universos abbates in generali capitulo Cistercii congregatos, data Ferentini V idus julii pont. IX quam videsis apud Rainaldum ad 1206 n. 30.

[o] *Appamias, Vaurum, Montemregalem, Fanumjovis.* Conglobatim & absque ordine loca præcipua quibus habitæ disputationes cum hæreticis annis MCCVI & MCCVII refert Jordanus: accuratius ordinat Petrus Sernensis, licèt & quædam sit in ejus narratione perturbatio. Vult itaque hic mox a consilio per Didacum dato prædicatores ad cives Montispessulani conciones habuisse, tum Arnaldum abbatem Cistercium abiisse ad comitia sua generalia habenda: cæteros qui remanserant cum Didaco e Montepessulano progressos *Carmanum*, ubi octo diebus disputaverint. Iste locus jam incognitus est, nec aliud modò cognoscunt *Carmanum* in Occitania, quàm quod Tolosam inter & Appamias jacet vernacule *Carmain*. Hinc inquit recto itinere Biteras aggressi sunt, ubi per quindecim dies disputatum. Exinde Carcassonam devenerunt, ubi hæretici die nativitatis S. Joannis Baptistæ metentes, spicas suas sanguinolentas conspexere, cujus miraculi testis fuit Guido abbas Vallium Sernaii, ut supra relatum. Illam verò Occitaniæ regionem semel ingressi viri apostolici, inquit Sernensis, id est prædicatores nostri circuibant per castra evangelizantes & disputantes ubique: *quæ longum* ait *esset enarrare per ordinem.* Unde colligas plura ab eo omissa, nec proinde mirum, quod non meminerit nec Viride folium, (castrum est diœcesis Tolosanæ vernacule *Verfeüil*) quod tamen à Guillelmo de Podiolaurentii memoratur, ceu in quo una e primis disputationibus habita, eaque celebris, & apud ipsum merito legenda cap. 8, nec Fanumjovis ubi ex Jordano B. Dominicus tantùm emicuit.

[p] *Contigit autem apud Fanumjovis.* Vide postea Constantinum, qui idem habet n. XI. Hujus miraculi fama ita civium Fanijovis animis insederat, ut domum nobilis viri Raimundi de Duroforti ejus castri condomini, in qua rem gestam traditione acceperant, in sacellum sub S. Dominici nomine converti curaverint, cui postea claustrum adjunctum & nostris datum. Videsis Percinum Mon. Con. Tolos. ad 1206 n. 13, ubi litteras Caroli IV Francorum regis anno MCCCXXV mense Octob. datas id testantes refert, tum & alias plures Clementis VI Papæ, & Joannis I ac Caroli V Franciæ regum. Vide etiam Soegium nostrum Anni Domin. T. I Aug. p. 171, ubi ex Cod. MS Carcasson. in additis ad Bernardum Guidonis docet qui sacellum præfatum jam a pluribus annis in hujus facti memoriam erectum F. Raimundus de Duroforti prior provincialis Tolosanus, & F. Elias de Ferrariis X Sept. MCCCXLVI a sodalibus nostris deinceps colendum receperunt.

Hactenus a Jordano relata anno MCCVI acta sunt.

[q] Præstat hoc loco Humbertum de his suo stylo loquentem cap. 12 audire, sic ergo habet: *Erant in illis locis nobiles quidam, qui egestate compulsi filias suas tradebant hæreticis nutriendas & erudiendas, imo revera erroribus pestiferis eludendas, quarum perniciosum miseratus opprobrium Dei servus Didacus episcopus, monasterium quoddam ad earum susceptionem instituit in loco qui dicitur Prulianum, ubi ancillæ Christi sub clausura perpetua, sub observantiis mirabilibus, sub arcto silentio, manibus laborantes in puritate conscientiarum creatori suo jocundum exhibent famulatum. Quæ cùm numero & merito creverint in immensum, odorem suum longe lateque diffundentes multas Deo devotas ad imitationem sui sanctam fœminas provocarunt ad similia cœnobia construenda.* Hoc utrumque sanctimonialium Prulianarum elogium eo illustrius, quod duorum sit ordinis magistrorum sanctitate conspicuorum, qui pluries ambo hoc monasterium visitaverant ex officio, nec adulari noverant.

Tempus erectionis hujus monasterii sic refert Bernardus Guidonis: *Anno Domini* MCCVI *S. Dominicus monasterium quoddam instituit, quod dicitur Prulianum in diœcesi Tolosana* (tum scilicet sic erat, nunc verò Papulisani, ex quo hæc nova sedes a Joanne XXII erecta) *ad susceptionem monialium sub clausura perpetua propriis manibus laborantium, & ex tunc fortius cœpit de ordinis institutione tractare.* Quæ primæ ingressæ sunt sic describuntur in actis hujus monasterii, quorum exemplum penes me est in schedis: *Novem nobiles matronæ Fanijovis incolæ prædicatione & exemplis sancti Patris ab hæresi conversæ sunt per miraculum, quod viderunt dæmonis sub forma bestiæ egredientis in tempore, quo vir Dei concionem finivit: quarum una nomine Berengaria in inquisitione facta pro sancti viri canonizatione dictum miraculum a se visum cum juramento testata est.* Vide postea acta inquisitionis Tolosæ factæ n. 20. Harum novem nomina hæc sunt ex iisdem actis. Sorores Aadaicia, Raymunda Passarina, Berengaria, Richarda, Barbairana Jordana, Guillelmina de Bellopoнте, Curto-

De reversione episcopi Oxomensis in Hispaniam & obitu ejus.

16. In hujus prædicationis exercitio permansit Didacus episcopus annis duobus, quibus expletis veritus ne forsan negligentiæ posset argui circa suam domesticam Ecclesiam Oxomensem, si diutius moram protraheret, in Hispaniam redire decrevit, proponens visitata Ecclesia sua aliquam inde pecuniam ad consummationem præfati monasterii fœminarum secum assumere & reverti, & tunc demum cum assensu D. Papæ in illis partibus aliquos ordinare viros ad prædicandum idoneos, quorum esset officium hæreticorum errores semper elidere, & tuendæ veritati fidei non deesse. Eis autem qui remanserunt S. Dominicum in spiritualium cura tanquam spiritu Dei vere plenum præposuit, in temporalibus vero Guillelmum Clareti Appamiensem, ita duntaxat ut ad S. Dominicum referret omnium quæ ageret rationem. Valedicens ergo Fratribus cum venisset Oxomam pedes transiens per Castellam, post paucos dies infirmitate corripitur, & ad finem usque perductus, vitam præsentem in magna sanctitate complevit, bonorum laborum gloriosum fructum accipiens, & in abundantia sepulcrum ingrediens in requiem opulentam. Fertur autem ipsum post mortem miraculis claruisse, (nec mirum si in operandis virtutibus potens apud omnipotentem Deum existeret, qui inter homines in hoc infirmo & flebili positus incolatu tantis pollebat insigniis, tanto radiabat decore virtutum.) R

lana, Raimunda Claretta, Gentiana, quæ domum qualemcunque ad sacellum B. Virginis Prulianum constructam intrarunt die S. Cæciliæ XXII Nov. & die S. Johannis Evangelistæ sequenti XXVII Dec. MCCVI sub clave deinceps non egressuræ clausæ fuerunt. His paulò post duæ se adjunxere Manenta, & Guillelmina de Fanojovis, quam ultimam B. Dominicus priorissam constituit. Videsis Percinum nostrum in Mon. Tolos. ad 1206 eadem ex iisdem actis etiam referentem.

Hæc confirmant diplomata sequentia in dicto monasterio servata. Primum. *Notum sit omnibus quod nos Berengarius D. G. Narbonensis archiepiscopus de consensu & voluntate sociorum nostrorum damus & libere concedimus per nos & successores nostros in redemptionem animarum nostrarum priorissa & monialibus noviter conversis monitis & exemplis Fratris Dominici Oxomensis sociorumque ejus, habitantibus nunc & in perpetuum in castro Fanijovis, & in ecclesia B. Maria de Pruliano Tolosana diœcesis, ecclesiam B. Martini de Limosio & territorii de Saxo eidem contigui cum omnibus juribus suis & pertinentiis jure perpetuo integre possidendam per dictas moniales, & per ipsas nomine earum Fratrem Dominicum & Fratrem Guillelmum Clareti &c. Actum Carcassona in domo D. episcopi anno* MCCVII XV *Kal. maii.* Igitur sanctimoniales illæ paulò ante & saltem a mense Decembri anni superioris apud Prulium erant constitutæ, quæ mense Aprili sequenti priorissam habebant & donationum capaces erant. Ille autem archiepiscopus erat Berengarius II, qui sedit ab anno MCXCI ad MCCXII.

Alterum diploma sic habet. *Manifestum sit omnibus præsentibus & futuris hanc chartam legentibus, quod D. Fulco D. G. sedis Tolosana minister humilis dedit & concessit ecclesiam B. Maria de Pruliano ad preces domini Dominici Oxomensis pro mulieribus conversis per prædicatores ad prædicandum contra hæreticos & ad repellendam hæresim delegatos, tam præsentibus quàm futuris religiose viventibus absque decimis & primitiis : & ipsam ecclesiam possideant absque aliquo censu & servitute. Datum anno* MCCXI. Sic ecclesiam illam quam ab anno MCCVI. jure tantùm fiduciario incoluerant, plane & absolute sibi datam possederunt anno MCCXI. Ubi notandum hujus monasterii erectionem (favente quidem & suppetias conferente Didaco) ut singulare Dominici opus fuisse, qui & fœminas illas convertit, ut ait archiepiscopus, & optimis legibus instituit, & primus earum prior seu præpositus fuit : quod laudantes & foventes sacri præsules multis deinceps prædiis has sanctimoniales ditarunt. Hæc verò probant quàm gnaviter a primordio Albigensium conversioni, & efficaciter ac prudenter hæresis destructioni desudaret Dominicus testibus Ecclesiæ principibus, licet parce admodum ejus meminerit Sernensis.

R Idem habet Humbertus cap 13 stylo paululùm mollito, & resectis quæ ideo parenthesi clausa.

Multa hic unâ congerit Jordanus, quæ ex aliis auctoribus dilucidanda magis & distinctius explicanda sunt. Ac primò meminerit lector dictorum in Notis ad n. 13 Arnaldum abbatem Cisterciensem cum pluribus suis Cistercium rediisse æstate anni MCCVI. Rediit autem ad missionem post pascha anni MCCVII. Rem sic narrat Petrus Sernensis cap. 5. *Celebrata disputatione pranotata* (sub finem, cap. 3.) *in Monteregali* (castrum est diœcesis Carcassonensis vernacule, *Montregeau*) *dum adhuc essent prædicatores nostri* (Didacus, Dominicus, & alii) *apud Montemregalem, & circumquaque verbum Dei & salutis monita seminantes mendicarent ostiatim panem suum, supervenit vir venerabilis abbas Cistercii Arnaudus nomine a partibus Francia, abbates duodecim habens secum, qui totius viri religionis, viri perfecta ac sancta scientia, viri incomparabilis sanctitatis juxta numerum SS. Apostolorum cum abbate decimotertio advenerunt, omnem sectantes humilitatem juxta exemplar quod eis ostensum erat in monte, id est quod audierant de episcopo Oxomense pedites procedebant.* Quæ ultima verba maxime attendenda : indicant enim jam anno superiori abbates illos saltem plures ad eam missionem venisse, sed alio plane cultu, nempe in equis & cum plurimis sarcinis & impedimentis, at exhortationis sibi tum in Montepessulano a sancto episcopo Didaco factæ memores, hac altera vice quales volebat sanctus antistes viros vere apostolicos se exhibuisse.

Tempus certò notat Guillelmus de Nangis in Chronico ad MCCVII, sic loquens : *De consilio Innocentii Papa Cisterciensis abbas aliique circiter tredecim ejusdem ordinis abbates delegantur viri probabiles omnes, &c.* Plura in eorum laudem. *Egressi igitur de Cistercio mense maio per Ararim labuntur in Rhodanum modicis expensis, equitaturis nullis, ut per omnia viros evangelicos se probarent : Ingressi denique quo tendebant, bini vel trini ad invicem divisi partes illas perambulabant, hostes fidei doctrina spiculis appetentes, &c. Per tres itaque menses urbibus villis & oppidis multo labore & insidiis appetiti paucos revocant, paucos fideles repertos de fide certius instruunt & confirmant. Adfuit etiam cum eis venerabilis Elidachus* (Didacus) *Oximensis civitatis Hispania episcopus, qui & ipse lucrandis Deo animabus invigilans, de reditibus suis ciborum copiam prædicatoribus verbi Dei largiter exponebat.* Ubi audis Didacum & una Dominicum intellige, qui ceu alter Timotheus suum Paulum comes individuus ubique sequebatur. Illa autem altera XII abbatum missio cum Arnaldo legato apostolico ea est, quam laudat Vincentius Bellovacensis Spec. Histor. lib. 29 cap. 93, ubi sic habet : *Anno Christi* MCCVII *missi sunt ab Innocentio Papa duodecim abbates Cisterciensis ordinis cum uno apostolica sedis legato.* Tum verò ullum colloquium vel concilium habitum nulla est memoria : nam quod in sequentibus ὕστερον πρότερον narrat Bellovacensis compilator, ad primum congressum in Montepessulano anno MCCVI supra relatum revocandum est, in quo cùm præscriptus fuisset modus in prædicatione servandus, nulla circa hoc deinceps nata refertur ambiguitas : imo hac altera vice Montempessulanum adiisse non leguntur abbates aut Didacus & Dominicus.

Varias fuisse cum hæreticis apud Montemregalem concertationes indicat Sernensis, una autem solemnis ab eo refertur cap. 7. *Contigit tempore illo quoddam miraculum fieri, quod in hoc loco duximus interserendum. Disputaverant quadam die quidam prædicatores nostri viri religiosi adversus hæreticos : unus autem de nostris Dominicus nomine vir totius sanctitatis, qui socius fuerat episcopi Oxomensis, auctoritates quas in medium produxerat, redegit in scriptum, & cuidam hæretico tradidit schedulam illam, ut supra objectis deliberaret. Nocte igitur illa erant hæretici congregati in una domo sedentes ad ignem. Ille autem cui vir Dei tradiderat schedulam, produxit eam in medium : tunc dixerunt socii sui, ut in medium ignem illam projiceret, & si schedula illa combureretur, vera esset fides imo perfidia hæreticorum : si verò incombusta maneret, fidem quam prædicabant nostri, veram esse faterentur. Quid plura? In hoc consentiunt omnes, schedula in ignem projicitur, sed cùm in medio igne aliquantulùm moram fecisset, incombusta penitus ab igne resilivit. Stupentibus qui aderant unus cæteris durior ait illis, projiciatur in ignem iterum; ex tunc experiemini plenius veritatem: projicitur iterum, iterum resiliit incombusta: quod videns ille durus & tardus ad credendum dixit iterum, tertia vice projiciatur, & tunc sine dubio rei exitum cognoscemus : projicitur tertiò, nec tunc quidem comburitur, sed integra ab igne resiliit & illæsa : hæretici autem visis tot signis nec tunc ad fidem voluerunt converti, sed in sua manentes malitia districtissime sibi invicem inhibuerunt, ne miraculum illud per narrationem alicujus ad nostrorum notitiam deveniret : sed miles quidam qui erat cum illis, qui aliquantulùm consentiebat fidei nostra, noluit celare quod viderat. Factum est autem hoc apud Montemregalem, sicut ab ore viri religiosissimi audivi, qui schedulam hæretico tradidit suprascriptam.* Hoc miraculum totidem verbis habet Humbertus cap. XI. Sic incipit : *legitur autem in gestis nobilis & nominati viri Simonis comitis Montisfortis, quod tempore illo disputaverant &c.* ut supra ex Sernensi ad usque, *Factum est autem hoc apud Montemregalem.* Et addit. *Simile quiddam dicitur contigisse apud Fanumjovis, indicta ibidem in diebus illis quadam contra hæreticos disputatione solemni.* Nec quid amplius de hoc altero, quod fusius describebat Jordanus supra n. 13. Ex hac narratione infertur, cùm Sernensis Dominicum inter prædicatores hujus missionis recenseat & adeo laudet, ubi alias generatim prædicatorum gesta refert, in his etiam ab eo includi Dominicum, licèt speciatim non nominet : præ-

SEC. XIII.

De reversione eorum qui à Papa missi fuerant ad partes Albigenses.

17. Igitur intellecto viri Dei (Didaci) transitu ii qui in partibus Tolosanis permanserant, singuli ad propria redierunt: S. vero Dominicus solus ibidem in prædicationis jugitate permansit: quem licet interdum aliqui pro tempore sequerentur, non tamen ei quasi per obedientiam tenebantur. (Ex his autem suis sequacibus erant memoratus Guillelmus Clareti & Frater Dominicus quidam Hispanus, qui postmodum in Hispania prior extitit de Manino.) [s]

terea miraculum Montisregalis aliud esse a miraculo Fanijovis, istud enim publicum fuit, illud verò secretum. Theodoricus & Bernardus Guidonis utrumque ut diversum referunt, Constantinus solius apud Fanumjovis, contrà Trivetus solius apud Montemregalem meminit.

De eadem illa concertatione agere videtur Guillelmus de Podiolaurentii chronicæ cap. 9, ubi sic: *Inter plurimas disputationes quas in diversis locis habuerunt cum hæreticis, una fuit solemnior apud Montemregalem, cui interfuerunt prædicti nostri pugiles (* Scilicet Didacus & Dominicus quos paulo ante eo titulo ornaverat *) & venerabilis vir de Castellonovo legatus, & collega suus magister Radulphus ex parte sua, & plures alii boni viri: & ex parte altera hæresiarcha Arnaldus Othonis, Ghilhabertus de Castris, Benedictus de Termino, Pontius Jordani, & multi alii quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ anno Domini* MCCVII, *fuitque per scripta diebus pluribus disputatum coram arbitris a partibus electis, scilicet Bernardo de Villanova & Bernardo de Arcens militibus, & Bernardo Goti & Arnaldo Riberia Burgensibus, quibus sua scripta partes undique tradiderunt. Fuitque fundamentum a parte hæreticorum disputationis, quod Arnaldus Othonis appellavit Ecclesiam Romanam, quam episcopus Oxomensis defenderat, non esse sanctam Ecclesiam neque sponsam Christi, sed ecclesiam diaboli & doctrinam dæmoniorum, & esse illam Babylonem quam Joannes appellat in Apocalypsi matrem fornicationum & abominationum, ebriamque sanguine sanctorum & martyrum Jesu Christi, ejusque ordinationem non esse sanctam neque bonam, neque statutam a Domino Jesu Christo, & quod nunquam Christus neque apostoli ordinaverunt aut posuerunt ordinem missæ, sicut hodie ordinatur. Quibus in contrarium probandum se obtulit episcopus novi auctoritatibus testamenti. Proh dolor! quod inter Christianos ad istam vilitatem status Ecclesiæ fideique catholicæ devenisset, ut de tantis opprobriis esset laicorum judicio decernendum. Traditis ergo hinc inde scriptis prædictis laicis, quibus diffinitionis data erat auctoritas ab ipsis partibus, eisque deliberare volentibus, ita ab invicem discesserunt negotio imperfecto. Ego autem processu annorum plurimorum inquisivi Bernardum de Villanova, quid de scriptis actum fuerat supradictis, aut an fuisset disputatio diffinita? Qui mihi respondit quod nihil extitit diffinitum: nam scripta fuerunt deperdita in adventu cruce signatorum de castro illo & aliis fugientibus universis: dixit tamen quod intellectis quæ dicta erant hæretici centum quinquaginta circiter ad fidem sunt conversi. Ego verò suspicor quod aliqui collegæ ipsorum quos hæretici habebant favorabiles, scripta hujusmodi suppressissent: nec multò post D. Petrus de Castellonovo legatus transiit ad Dominum per gladios impiorum, cujus rei suspicione comes non caruit Tolosanus.* Licèt autem hic auctor miraculum schedulæ ab igne illæsæ non meminerit, nihil tamen habet contrarium; nam schedula illa non cum aliis scriptis neque judicibus, sed cuidam privato hæretico a Dominico fuerat data. Disputationem hanc in Monteregali circa mensem novembrem MCCVII recte colloces.

At prius quàm Petrus de Castellonovo ab hæreticis occidetetur, jam Didacus abierat in Hispaniam. Ejus discessum sic narrat Sernensis cap. 6. *Episcopus Oxomensis voluit ad suum redire episcopatum, ut & domui suæ disponeret, & prædicatoribus verbi Dei in Narbonensi provincia de suis proventibus necessaria provideret. Dum ergo recederet tendens ad Hispaniam, venit apud Apamias in territorio Tolosano, & convenerunt ad eum Fulco Tolosanus & Navarrus Conforanensis episcopi & plurimi abbates. Habita ibi disputatione cum Waldensibus, plane convicti sunt Waldenses & confusi, & populus castri præcipue pauperes ex parte maxima favit nostris. Ille etiam qui constitutus erat judex in disputatione, & erat favens Waldensibus, magnusque in castro illo, renunciavit pravitati hæreticæ, & in manu D. Oxomensis obtulit se & sua: a die etiam illa & deinceps sectatores superstitionis hæreticæ viriliter impugnavit, &c. Celebrata autem disputatione prædicta in palatio ipsius Comitis Fuxi, idem comes Vualdenses die uno, prædicatores nostros die altero procuravit, &c. Post hæc episcopus Oxomensis ad suum perrexit episcopatum, firmum habens propositum redeundi quam citius posset ad peragendum negotium fidei in provincia Narbonensi. Peractis verò in episcopatu paucis diebus dum redire disponeret, morte præventus in senectute sua feliciter obdormivit.* Et hîc inter prædicatores intellige Dominicum, qui non parum inter illos eminebat, cui prætereа ut adesset specialis & urgens ratio erat, ut Didacum episcopum suum a quo in paucis habebatur, abeuntem amplexaretur.

Bernardus Guidonis de his sic habet: *Per continuum biennium Didacus & Dominicus cum abbatibus & cæteris sunt in dicto prædicationis negotio demorati: post biennium verò præfatus Didacus episcopus Oxomensis in Hispaniam redire decrevit, qui cum Castellam intrasset, post paucos dies vitam præsentem in magna sanctitate complevit anno Domini* MCCVII. Hæc ejus tumulo in ecclesia suburbii Oxomensis insculpta epigraphe a Malvenda & a Tamajo in martyrologio Hispano ad diem sextam februarii relata. *Hic jacet Didacus Azebes episcopus Oxomensis. Obiit Æra* MCCXLV. Cùm autem Æra Hispana Christianam præcedat annis XXXVIII, annus in tumulo notatus convenit cum anno Christi MCCVII; quem tamen intelligas stylo veteri, novo MCCVIII Febr. VI. Sic qui anno MCCVI circa februarium Montempessulanum advenerat, biennium fere in Occitania cum hæreticis viriliter decertavit.

Quod autem ait Jordanus Dominicum a Didaco priusquam abiret, iis qui in missione remanserant præfectum fuisse in spiritualibus, quis fortè in dubium revocet, quia Sernensis sic habet cap. 6. *Subtractis igitur his duobus luminaribus episcopo Oxomensi & F. Radulpho, (* is erat unus e tribus legatis pontificiis Cisterciensibus supra laudatis, & ante dictum episcopum obierat, ut narrat ibidem Sernensis *) venerabilis Guido abbas Vallium Sernaii in diœcesi Parisiensi, qui cum aliis abbatibus causa prædicationis in Narbonensem provinciam venerat, vir nobilis genere, sed scientia longe nobilior & virtute, qui etiam postea episcopus factus est Carcassonensis, prior inter prædicatores constitutus est & magister, abbas siquidem Cisterciensis (* Arnaldus *) ad alias partes se transtulit, quibusdam magnis negotiis tunc temporis impeditus.* Responderi posset Guidonem suorum Cisterciensium prædicatorum præfectum fuisse superiorem, Dominicum verò ecclesiasticorum suorum sociorum; neque enim Petro Sernensi de suis ex professo scribenti major fides debetur, quàm Jordano & aliis nostris ejus ætatis de Dominico, cujus gesta curiosius scrutati sunt scribentibus: sed etsi concedatur Guidonem omnibus præpositum, non diu hoc perfunctus est officio ipso teste Sernensi, qui sic prosequitur: *Discurrentes igitur prædicatores sancti, hæreticosque disputando manifestissime convincentes, sed quia obstinati erant in malitia convertere non valentes, post multum temporis (* incluso biennio quod cum Didaco exegerant, neque enim istuc *multum temporis* aliter accipi potest *) cum parum aut nihil prædicando sive disputando proficere potuissent, ad partes Galliæ sunt reversi.* Addo & in primis Guido Vallium Sernaii abbas, qui eodem anno MCCVIII rediit in Franciam: ubi crucis jam adversus Albigenses constitutæ fuit vehementissimus prædicator, & Simonem Montisfortis comitem quîcum alias ad expeditionem Terræ sanctæ iverat, reluctantem excitavit, ut cruce signatorum imperium sibi collatum acciperet anno MCCIX. E Francia verò dictus Guido in Occitaniam rediisse non videtur nisi anno MCCXII, quo episcopus Carcassonensis electus est, ut dicit idem Sernensis cap. 60. *Advenerat ibi a Francia abbas Vallium de quo supra fecimus mentionem, erat enim electus in episcopum &c.* Quæ amplius patebunt ex sequentibus.

Non possum quin moneam apud Albericum in ejus chronico ad MCCVIII sic legi: *Dicitur quod annus iste quinquagesimus sive Jubilæus & remissionis in curia Romana sit celebratus.* Quod discutiant periti, interim Jubilæum a Bonifacio VIII anno MCCC concessum non esse primum ut vulgo creditur, argumentum habes invictum.

[s] Idem habet Humbertus cap. 14 stylo mollito, & rescissis quæ ideo intra parenthesin clausa.

Confirmat hîc Jordanus quæ superius mox annotata, prædicatores alios, in quibus & ponendus Guido Vallium Sernaii abbas, missionem reliquisse anno MCCVIII. Superiori etiam n. 16 monebat idem Jordanus Dominicum in spiritualium cura iis qui remanserant prædicatoribus a Didaco præpositum, quod indicat hunc episcopum auctoritate papæ quoad has regiones tum speciali fultum, ut eam Dominico commendare posset. At non a Didaco solùm, sed & tantam sibi pepererat veri ac secundùm scientiam zeli famam, ab Arnaldo Cisterciensi abbate & papæ legato Dominicus subdelegatus est, qui fidei catholicæ promovendæ præsideret. Quod quidem evincit sequens instrumentum ab eo emanatum.

Universis Christi fidelibus ad quos præsentes literæ pervenerint F. Dominicus Oxomensis canonicus salutem in Christo. Auctoritate D. abbatis Cisterciensis apostolicæ sedis legati, qui hoc nobis injunxit officium, reconciliavimus præsentium latorem Pontium Rogerium ab hæreticorum secta Deo largiente conversum, mandantes in virtute præstiti sacramenti, ut tribus Dominicis festivis diebus ducatur a sacerdote nudus in femoralibus ab ingressu villæ usque ad ecclesiam verberando. Injungimus etiam ei, ut a carnibus, ovis, caseo, seu omnibus quæ sementinam trahunt carnis originem, abstineat omni tempore, excepto die paschæ, die pentecostes, & die natalis Domini, in quibus ad abnegationem erroris pristini præcipimus ut eis vescatur: tres quadragesimas in anno faciat a piscibus abstinens & jejunet, nisi corporalis infirmitas vel calores æstatis exegerint dispensationem. Religiosis vestibus induatur tum in forma tum etiam in colore, quibus in directo utrinsque papillæ singulæ

cruces

De prædicatione crucis contra Albigenses.

18. Post mortem episcopi Oxomensis cœpit crux adversus Albigenses in Francia prædicari, siquidem indignatus Papa Innocentius III quod indomabilis hæreticorum rebellio nulla veritatis posset pietate molliri, nec transverberari gladio spiritus quod est verbum Dei, materialis saltem gladii decrevit aggrediendos potentia. (Quam sæcularis districtionis animadversionem Didacus episcopus adhuc vivens quasi prophetalis spiritus imprecatione futuram prædixerat. Nam dum aliquando hæreticorum erroneam rebellionem coram multis nobilibus evidenter & publice confutasset, illique irridentes suos subversores sacrilega excusatione defenderent, indignatus manum ad cœlum tetendit & ait: Domine mitte manum tuam & tange eos. Quod verbum qui audierunt, prolatum in spiritu postmodum adverterunt, dum eis hunc saltem vexatio tribueret intellectum.) T

De injuriis S. Dominico illatis in partibus Albigensibus & desiderio sustinendi martyrium.

19. Eo tempore quo ibi cruce signati fuerunt, mansit S. Dominicus usque ad obitum comitis Montisfortis verbi divini sedulus prædicator. Multas in illis diebus pertulit ab iniquis injurias, superavit & insidias. Denique dum aliquando ei minarentur interitum, imperterritus respondebat: Non ego martyrii dignus sum gloria, nondum merui mortem istam. Postmodum autem locum præteriens, in quo positas sibi forte suspicabatur insidias, cantans & alacer incedebat. Quod cum insinuatum fuisset hæreticis, mirantes tam inconcussam ejus constantiam dixerunt ei: nunquid non horres mortem? quid acturus fueras si comprehendissemus te? At ille. Rogassem vos inquit, ne repentinis me subito perimeretis vulneribus, sed successiva mutilatione membrorum protraheretis martyrium: deinde ostensis ante meos oculos detruncatis membrorum particulis, & erutis postmodum oculis truncum relinqueretis in hunc modum suo sanguine volutantem, vel extingueretis omnino, quo majorem coronam martyrii protractione mererer. Stupuerunt ad hujusmodi verba veritatis inimici, & jam ultra ei non posuerunt insidias, nec captabant in animam justi, tanquam cui mortis illatione obsequerentur potius quàm nocerent. Ipse verò totis viribus & zelo ferventissimo satagebat animas quas posset lucrifacere Christo, & inerat cordi ejus mira & pene incredibilis salutis omniū æmulatio.

20. Nec certe deerat ei caritas, quam nemo majorem habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis: siquidem dum piis exhortationibus quemdam infidelem ad fidele matris Ecclesiæ gremium invitaret, & ille responderet necessitudinem temporalium sibi (imponere necessitatem) societatis infidelium, pro eo quod eidem ab hæreticis ministrabantur impensæ, quas aliunde habere non poterat: ex intimo mox ei compassus affectu, seipsum venundare decrevit, & pretio sui redimere animæ periclitantis inopiam. Quod fecisset nisi qui dives est in omnes aliunde providisset, quo illius hominis egestas relevaretur. Itaque virtute & opinione proficiebat servus Dei Dominicus, & invidebant ei hæretici. Quanto autem iste bonus erat, tanto nequior illorum oculus sua lippitudine radium lucis ejus ferre non poterat. Irridebant autem eum & adhærentes ei subsannabant, de malo thesauro cordis sui proferentes mala: sed subsannantibus infidelibus, fidelium ei congratulabatur devotio, & a catholicis omnibus multo venerabatur affectu, ita ut sanctitatis ejus suavitas & venustas morum magnatum quoque corda percelleret, & ab archiepiscopis & episcopis & aliis quoque prælatis illarum partium multo dignus haberetur honore. V

cruces parvulæ sint assutæ: quotidie si opportunum fuerit missam audiat, & diebus festivis ad vesperas in ecclesiam pergat, alias horas tam nocturnas quàm diurnas ubicunque fuerit Deo reddat, scilicet septies in die decies Pater noster dicat, media nocte vigesies: castitatem observet, & manè apud Cererim villam chartam istam capellano suo per singulos menses ostendat. Capellano autem præcipimus, ut de vita ejus diligenter curam habeat. Hæc omnia diligenter observet, donec alias super his dñus legatus suam nobis exprimat voluntatem. Quod si ea contemserit observare, tanquam perjurum & hæreticum & excommunicatum ipsum haberi præcipimus, & a fidelium consortio sequestrari.

Quo anno quove mense ac die data fuerit hæc sententia non subjicitur, sed anno MCCVIII datam merito conjicias, quo nempe Arnaldus abbas & legatus Occitaniam relinquens in Franciam ad regem Philippum conveniendum ivit, & priusquam discederet suam auctoritatem Dominico delegavit. Sed & prout novus in eam provinciam a pontifice legatus veniebat, eamdem potestatem ei confirmabat, quod probant hæ aliæ ejus litteræ.

Universis Christi fidelibus ad quos litteræ præsentes pervenerint F. Dominicus Oxomensis canonicus Prædicationis humilis minister salutem & sinceram in Domino caritatem. Discretio vestræ universitatis cognoscat, quod nos Raimundo Guillelmo de Altaripa Pelaganirio licentiam concessimus, ut Guillelmum Ugutionem hæreticali quondam habitu ut idem coram nobis asseruit investitum, secum in domo sua apud Tolosam teneat more aliorum hominum conversantem, quousque super hoc nobis vel sibi expressius mandatum faciat D. cardinalis: & quod sibi non cedat videlicet Raimundo Guillelmo ad infamiam sive damnum.

Neque his litteris additur quo anno mense dieve datæ, sed cùm duos tantum cardinales circa hæc tempora ferant legatos in Occitaniam missos, Jacobum Gualla diaconum tituli S. Mariæ in Porticu circa MCCX, & Petrum Urbevetanum tit. S. Mariæ in Aquiro etiam diaconum ad MCCXIII Guallæ successorem, inter MCCX & MCCXV a Dominico emanarint hæ litteræ posteriores. Modum illum loquendi perpendat lector, *Prædicationis humilis minister*, hæc enim verba quamdam totius hujus missionis administrationem, & ut ita dicam supra cæteros prædicatores quemdam præsidatum sonant. De Petro Urbevetano a latere legato vide Guillelmum Catel pag. 290 & sequenti, ubi tria Innocentii III diplomata data mense Januario anno XVI, qui est Christi MCCXIII.

T Idem habet Humbertus cap. XV stylo mollito, rescissis tamen quæ ideo intra parenthesin clausa, quorum loco hæc addit: *Ut infructuosos palmites quos verbi Dei gladius putare non poterat, ipsos priusquam vineam Domini Sabaoth demolirentur ad libitum, materialis gladius penitus amputaret.*

Sic etiam refert Sernensis quem consulas cap. 9. Breviter dico Fulconem Tolosanum, & Navarrum Consoranensem episcopos Romam anno MCCVIII a sua provincia legatos ab Innocentio III id obtinuisse. Crux autem prædicata fuit in his Galliæ provinciis Armorica, Neustria, Insula Franciæ, Campania, Burgundia & tractu Lugdunensi. Hoc munere inter alios magno ardore functus est Guido supra laudatus abbas Vallium. Vide Sernensem, cap. 17, ubi suum illum abbatem narrat a Duce Burgundiæ ad Simonem Montisfortis comitem missum, qui hunc ad sacram hanc expeditionem cum imperio exercitus suscipiendam excitaret, quod & ei persuasit. Interim Dominicus in provincia Narbonensi totus conversioni hæreticorum desudabat, juxta apostoli monitum prædicans opportune importune, arguens obsecrans increpans in omni patientia & doctrina, ut innuit Jordanus n. seq. Vide etiam postea Constantinum n. 12.

V Quæ his nn. 19 & 20, de B. Dominico habet Jordanus non leviter pensanda sunt, in his enim quæ toto tempore quo cruce signati in provincia Narbonensi fuerunt ab anno MCCIX ad MCCXVIII bello tum inter eos & hæreticos incenso eoque atrocissimo & utrinque pertinacissimo egit sanctus, nobis exhibet: adeo ut Simon Montisfortis comes & copiarum cruciatæ imperator, & Dominicus Prædicatorum antesignanus ambo animo conjunctissimi rem ita inter se divisisse videantur, ut comes ferro hæreticos domare aggrederetur, Dominicus illis ab errore revocandis gladio spirituali nempe verbo Dei accinctus totus & unice incumberet: multa ab iis vir Dei passus legitur, irrisiones, contumelias, minas, insidias, aliud apud eos egisse quàm verbo Dei instantem fuisse non legitur: in expugnatione castrorum hæreticos pertinaces ac graviorum scelerum reos aliquando centum, quadringentos aliquando flammis absumtos narrant historici, sed id agebant cruce signatorum principes ac duces, in his non apparet Dominicus: at errantibus convertendis operam dare, conversis pœnitentiam salubrem imponere, hoc reconciliationis ministerium a sedis apostolicæ legatis acceptum ad animæ usque traditionem paratum implere, hæc inquam egisse Dominicum & jam dictum est, & amplius postea videbitur. Celebri tamen illi apud Muretum prælio affuit, cum comes octingentis tantùm equitibus & ducentis ad summum peditibus stipatus Petrum Aragoniæ regem centum millium bellatorum exercitu vallatum solo prostravit, aciemque illam innumeram viginti millibus occisis devicit, sed qua ratione nos docet Bernardus Guidonis in chronico ubi sic habet.

Sæc. XIII. *De quibusdam possessionibus sibi datis.*

21. Comes etiam Montisfortis qui speciali ipsum devotione fovebat, cum assensu suorum castrum insigne quod dicitur Cassanel dedit ei & suis sequacibus, quicunque ei in officio inchoatæ salutis assisterent. Habebat insuper ipse S. Dominicus ecclesiam Fanijovis & quædam alia, de quibus omnibus sibi & suis poterat sustentationem accipere. Quæ verò de eisdem reditibus sibi possent subtrahere, impartiebantur sororibus monasterii de Pruliano. Necdum enim ordo Prædicatorum fuerat institutus, sed solùm de ordinis institutione fuerat tractatum, quamvis ipse pro viribus officio prædicationis insisteret: nec illa postmodum edita constitutio servabatur, ut nec recipere possessiones, nec receptas jam retinere liceret. x

Anno Dñi MCCXIII *die martis post nativitatem B. Mariæ, scilicet* IV *idus Septembris* (erat lit. Dominic. F) *Petrus rex Aragonum habens secum magnum exercitum Aragonum & Catalanorum, ac etiam comites Raimundus Tolosanus & Fuxensis ac Convenarum, civesque cum populo Tolosano cum exercitu copioso usque ad centum millia pugnatorum exeuntes de Tolosa obsederunt castrum Murelli situm in ripa Garonæ non longe a Tolosa cum magna potentia & majori superbia contra Deum & Ecclesiam, & contra Dei athletam Simonem comitem Montisfortis, qui causam Dei & fidei pro obedientia Romanæ Ecclesiæ contra hæreticos & credentes ac fautores ipsorum assumserat & gerebat, & dictum castrum stabiliverat contra fidei inimicos, dimissis ibidem paucis tunc militibus quos habebat. Cùmque innotuisset comiti Simoni memorato, de Fanojovis ubi tunc erat tamquam leo fortissimus obsessis suis properat in succursum, & sequenti die mercurii cum exercitu signatorum Dei & septem episcopis & tribus abbatibus de mandato legati sedis apostolicæ archiepiscopi Narbonensis ad castrum Murelli perveniens, ad suos videntibus & invitis adversariis introivit. Præfati autem episcopi cœperunt missis ad regem nunciis quæ pacis erant quærere & tractare, qui etiam nudis pedibus decreverant ad eum accedere, ut tantam cordis ejus duritiam emollirent, & consulerent ei ac populo pereunti. Cùmque præfatus rex, nec monitis nec inhibitionibus apostolicis per destinatas litteras sibi factis, nec piis precibus & exhortationibus prælatorum a male inceptis vellet desistere &c.* quibus refert pugnam & victoriam cruce signatorum & addit: *Interim autem dum bellum Domini gerebatur, septem episcopi qui convenerant, Fulco Tolosanus, & Guido Carcassonensis, & Seditius Agathensis, Nemausensis, Uticensis, Lodovensis & Convenarum, ac tres abbates, scilicet de Clayraco, de Villamagna & sancti Tiberii cum suis clericis & aliquibus religiosis, inter quos aderat religiosus Dei amicus Frater Dominicus canonicus Oxomensis postmodum Fratrum Prædicatorum ordinis institutor, ecclesiam intraverunt exemplo Moysi in bello Josue levantes manus in cœlum, deprecantes Dominum pro servis suis, qui se mortis imminentis periculo pro ejus nomine ac fide exponebant: orantes vero & clamantes in cœlum tantum mugi um pro imminenti angustia emittebant; quod ululantes videbantur potiusquam orantes &c.* Quæ totidem verbis legas in chronico cui titulus, *Præclara Francorum facinora*, ex quo videtur Bernardus Guidonis excepisse. In qua tamen narratione error venit emendandus, cùm Guido Carcassonensis episcopus laudatur ut præsens, ceu qui toto anno MCCXIII egit in Francia pro negotiis cruciatæ, nec in partes Albigenses rediit nisi post pascha anni MCCXIV, ut habet Sernensis cap. 78. Revera in epistola quam septem episcopi de celebri illa victoria scripserunt, non recensetur *Carcassonensis*, sed *Biterensis* hic omissus & in illius vicem restituendus. Cæterum hinc habetur, cùm Montifortius manus cum hoste consereret, Dominicum in sacello cum episcopis Deum orasse, & de cœlo auxilium super arma Catholicorum implorasse, quod ejus gravitate, pietate ac zelo erat dignissimum.

Exinde verò colligas ætate Bernardi Guidonis nondum adinventum, quod vulgo jam apud recentiores invaluit, scilicet Dominicum crucem præ manibus gestantem in prima aciei catholicæ fronte obviam hostibus occurrisse, sagittasque undique vibratas receptas in cruce omnes, ita tamen divinitus ut nulla in Christi figuram ceciderit, sed vel ad latera vel inter crura affixa fuerit, quam crucem etiamnum apud nostros Tolosanos servari & ostentari dicunt. Hæc inquam nondum sic narrabantur ætate Guidonis, qui tamen pluribus annis nempe a MCCCVIII ad MCCCXXII inquisitorem egit Tolosæ, aliàs rerum ordinis curiosissimus scrutator ista non omisisset, nec tam distincte Dominicum cum episcopis in ecclesia orantem dum ferveret prælium exhibuisset.

Verùm his facile est lucem afferre, si qua ratione crux in præliis vel in urbium obsidione a cruce signatis præferretur, quis attendat. Primò enim singuli quamdam crucem in superiori veste circà pectus assutam ceu militiæ Sacræ signum habebant, in quam si quando sagitta caderet, ictu casso retrorsum abiisse pluries animadversum, de quo videsis Sernensem cap. 34. Secundò in obsidione urbium in summitate machinarum crucem imponebant, quam hæretici perosi omni industria vibratis contra lapidibus confringere nitebantur, videsis Sernensem cap. 52. Tertiò cùm castrum aliquod impugnabant, & irruptionem milites tentarent, episcopi & clerus in locum quemdam tutum secedebant, ubi extra omne periculum cruce coram se posita auxilium divinum invocabant. Vide Sernensem cap. 63, ubi de impressione in castrum Mosaicum illudque munitissimum facta sic habet. *Cùm fieret autem insultus iste episcopus Carcassonensis & ego per exercitum discurrebamus nostros exhortantes: archiepiscopus autem Remensis & Tullensis & Albiensis episcopi & Guillelmus Archidiaconus Parisiensis, abbas etiam Mosaici cum quibusdam monachis, reliquusque clerus exercitus in montis decessu ante castrum stabant induti vestibus albis & nudis pedibus tenentes ante se crucem cum reliquiis sanctorum, voce altissima & devotissima cantabant,* Veni Creator Spiritus, *divinum auxilium flagitantes, nec defuit exorantibus Paracletus, sed mox ut verbum hymni scilicet* Hostem repellas longius, *tertiò repetentes inceperunt, exterriti adversarii divinitus & repulsi se intra murorum ambitum concluserunt.* Quartum modum indicat idem Sernensis, nempe castro vel vi vel compositione expugnato, cum intrarent victores catholici, crucem ante se ferri jubebant. Sic cap. 37. de arcis Minerbæ deditione. *His diebus præcedente cruce & vexillo comitis subsequente villam nostri & cantantes* Te Deum laudamus, *ecclesiam adeunt, quâ reconciliatâ crucem Dominicam in summitate turris ponunt, vexillum comitis alia in parte locantes. Christus quippe villam ceperat, & dignum erat ut vexillum ejus præcederet, & in eminentiori loco positum christianæ victoriæ testimonium perhiberet.* At quod in pugna aciebus adversis hinc inde concurrentibus, quis clericus seu canonicus monachusve in fronte exercitus catholici cætera inermis crucem gestans præiverit, nec apud Sernensem, nec apud alios hujus belli scriptores legitur: nec verisimile, cùm nec prudentiæ fuisset ita gratis se periculo exponere, ac Deum ista non jubentem tentare. Astipulatur Malvenda ad 1213 n. 6, ad cujus dicta Quetivius noster hanc notam sua manu adjecit. *Hinc satis convellitur asserta S. Dominici inter pugnam præsentia crucem elatam manu præferentis, quæ etiamnum Tolosæ visitur exigua sagittarum contis transfixa in ædibus inquisitionis, quod veterum scriptorum nulla probatur auctoritate.* Hanc crucem viderat Quetivius aliquando Tolosæ commoratus. Itaque si crux ejus est ætatis ut volunt, ea forte est non quæ in prælio delata fuerit, sed quam sibi præferri jubebant episcopi, & quam ubi Monfortio ejusque copiis e loco eminentiori benedictionem impertivit episcopus Convenarum, ut habet Sernensis loco citato, secum in ecclesiam reportarunt, coram ea Dominum pro felici pugnæ exitu deprecaturi: cui denique in signum victoriæ quasdam hostium sagittas affixerint, & ceu quoddam anathema appenderint.

Quæ duobus præcedentibus nn. 19 & 20 Jordanus, eadem Humbertus capp. 16 & 19 habet, sed stylo mollito.

x Idem habet Humbertus cap. 20 sed pressius.

Animo erga B. Dominicum plane regio fuisse Montisfortis comitem probant castra & prædia ab isto illi donata, quæ tamen omnia postea sanctimonialibus Prullianis cesserunt. Harum donationum instrumenta quædam referre visum est, cùm ad chronologiam vitæ sancti statuendam non parum conferant, & non leve sint laboris ejusdem in convertendis Albigensibus præ aliis indefessi argumentum.

Primum. *Notum sit omnibus hæc audientibus, quod ego Usalguerius de Fenoleto, & ego Rannes frater ejus & simul ambo bono animo ac spontanea voluntate & sine omni dolo per nos & per omnes successores nostros damus & concedimus & tradimus sine omni nostro nostrorumque retentu Domino Deo & B. Mariæ de Pruliano & omnibus monialibus ibidem nunc & in perpetuum commorantibus, & ibi Deo & S. Mariæ servientibus & semper permanentibus, pro redemtione animarum nostrarum & parentum nostrorum, totum quidquid habemus vel habere debemus in territorio de Tenoleto & in terminis ejus in terris cultis & incultis, pratis, pascuis, aquis, nemoribus & hominibus, & omnia quæ aliquo jure nobis contingunt vel contingere possunt in prædicto territorio, ut habeant & teneant & semper possideant ad omnem suam voluntatem faciendam. Dictum territorium quod situm est in Narbonensi diœcesi in terra Tedesii, sic concluditur inter territorium de Fontazellis & territorium de Onelio, & nos erimus inde semper boni gerentes bona fide. Testes hujus rei sunt Pontius capellanus, Raimundus Garda, magister Paganus, Isarnus Bota, Petrus Boet. Facta est charta ista* V *idus febr. feria quinta anno ab incarnatione Christi* MCCXI *regnante Philippo rege Francorum. Arnaldus Sancii de Lauriaco notarius.* Intellige annum MCCXI stylo veteri, novo MCCXII., quo lit. Dom. A. G. Per hanc chartam videntur isti duo fratres se donatos ut aiunt monasterii constituisse, cùm addunt se boni futuros gerentes bona fide.

Confirmatio superioris donationis. *Pateat universis quod nos Simon D. G. comes Licestriæ, dominus Montisfortis, dux Narbonensis, comes Tolosanus, vicecomes Biterensis vidimus chartam sigillo ven. P. N. Fulconis Tolosani episcopi pendente munitam, nobis per F. Dominicum dilectum nostrum priorem*

De F. Petro Cellani & F. Thoma Tolosanis qui se prius obtulerunt, & ubi Tolosæ Fratres primitus habitare cœperunt.

22. Igitur a tempore obitus episcopi Oxomensis usque ad Lateranense concilium anni fluxerunt ferme decem, quo tempore quasi solus permansit ibidem. Ingruente autem tempore quo ad Lateranense concilium Romam adire cœperunt episcopi, obtulerunt se S. Dominico dŭo probi viri & idonei de Tolosa, quorum unus fuit F. Petrus Cellani postmodum primus prior Lemovicensis, alter verò F. Thomas vir admodum gratiosus & sermone facundus. Horum primus F. Petrus sublimes & nobiles quas Tolosæ circa castrum Narbonense domos possederat, tradidit S. Dominico & ejus sociis, a quo tempore cœperunt primùm apud Tolosam in eisdem domibus commorari, atque ex tunc omnes qui cum ipso aderant, magis ac magis ad humilitatem descendere, & religiosorum se moribus conformare. [Y]

monasterii monialium B. M. de Pruliano præsentatam in hac forma. Noverint universi quod nos Usalguerius & Raines de Fenoleto fratres damus bono animo & spontanea voluntate concedimus in redemtionem animarum nostrarum priorissæ & monialibus noviter conversis monitis & exemplis F. Dominici Oxomensis sociorumque ejus habitantibus nunc & in perpetuum in castro Fanijovis & in ecclesia B. M. de Pruliano Tolosanæ diœcesis, villam nostram de Fenoleto Narbonensis diœcesis in Tedesio intus & extra cum terris cultis & incultis agris pascuis nemoribus & omnibus juribus & pertinentiis suis jure perpetuo integre possidendam: & dictas priorissam & moniales, & per ipsas & nomine earum F. Dominicum & F. Guillelmum Clareti cum traditione præsentis chartæ in possessionem dictæ villæ mittimus corporalem. Actum est hoc anno incarnat. MCCXII V *Kal. maii in castro Fanijovis in præsentia ven. P. N. Fulconis Tolosani episcopi & dñi B. de Duroforti, & dñi P. Rii de Toneexl & dñi Isarnii de Pruliano & Arnaldi Sancii qui hanc chartam scripsit precibus supradictorum. Et nos F. Dei permissione Tolosanus episcopus precibus prædictorum Usalguerii & Raines præsentem chartam in testimonium supradictæ piæ donationis sigilli nostri munimine fecimus roborari. Nos autem videntes concessionem devotionem, & dicti magistri piam præsentationem considerantes, dictam donationem in redemtionem animarum nostri & parentum nostrorum sicut superius in præsenti pagina plenius continetur, libere confirmamus, & dictam villam cum omnibus juribus & pertinentiis suis dictis monialibus jure perpetuo integre concedimus possidendam. In cujus robore firmitatis præsentem chartam sigilli nostri munimine duximus confirmandam. Actum est hoc Carcassonæ in domo D. episcopi anno* MCCXIII V *Kal. April.* Scilicet in provincia Narbonensi annum inchoabant a XXV martii seu a die Annunciationis.

Alterum instrumentum. *Noverint universi quod ego Simon dominus Montisfortis D. G. vicecomes Biterensis & Carcassonensis assensu & voluntate A. uxoris meæ & A. primogeniti mei ad honorem Dei & B. M. & in remissionem peccatorum nostrorum dono & concedo & confirmo quicquid Ugo de Lascum dñus Lauriacensis & Castrinovi dedit dño Dominico Oxomensi canonico & Fratribus & Dñabus de Prolan nunc & in perpetuum, quod prædictus Ugo de Lascum habet & habere debet apud Villamnovetam inter Podiumserranum & Villampictam. Præterea dono & concedo & confirmo similiter quicquid Fratres prædictæ domus habent vel possident jure emtionis sive donationis sive alio justo modo vel habituri sunt: & ut firmum & stabile maneat in perpetuum, sigilli nostri appositione præsentem paginam confirmamus. Dat. apud Carcassonam mense maio. A. D.* MCCXIII.

Castrum Cassanel vel Cassanuel de quo Jordanus hoc n. quale fuerit docet Sernensis cap. 79. *Erat autem castrum Cassanolii nobile & fortissimum in territorio Aginnensi: ad pedem siquidem cujusdam montis in amœnissima planitie situm erat, sed & aquis circumfluentibus & nativis rupibus cingebatur. Erat in castro illo sedes hæreticorum una de principalibus, & fuerat ab antiquo: homines autem castri illius erant pro magna parte raptores & perjuri, repleti omni iniquitate & genere peccatorum. Jam enim semel & iterum reddiderant se Christianitati, nunc etiam & tertiâ vice Christianitati & comiti nostro resistere attentarunt &c.* apud auctorem legenda cum expugnatione castri XVI Kal. sept. MCCXIV. Munitionibus solo æquatis castrum Dominico dedit Montifortius, quod deinde monialibus Prulianis cessit. Percinus noster ad annum citatum n. 18 monet ab illis in alia prædia commutatum.

[Y] Idem totidem verbis habet Humbertus capp. 20 & 21. phrasi tamen paululum mollita. Recte vero monet Jordanus non decem sed ferme decem annos fluxisse, certum enim inter utrumque terminum novem tantum posse numerari annos, primum saltem exeuntem, cùm Didacus mortuus sit VI Febr. MCCVII stylo veteri, ultimum ex majori parte transactum, cùm Lateranensis synodus habita fuerit anno MCCXV mense Novembri, qui numerandi modus non infrequens. De his sic scribit Bernardus Guidonis in chronico. *Post obitum verò præfati D. Didaci mansit B. Dominicus quasi per decem annos in provincia Narbonensi maxime Tolosani & Carcassesii & Albigesii, in quibus pestis hæretica amplius sæviebat confundens hæreticos & confirmans catholicos verbis pariter & exemplis, annuncians Dominum Jesum Christum sequentibus signis & miraculis gloriosis usque ad tempus Lateranensis concilii, quod celebratum est sub præfato Innocentio Papa III anno Dñi* MCCXV *mense Novembri.* Ex hac verò narratione in qua cæteri antiqui scriptores conveniunt, infertur Dominicum toto illo intermedio tempore continuò in illis partibus stetisse, nec aliorsum excurrisse: eos itaque sua nobis commenta obtrudere, qui in Franciam tum & Parisios venisse fingunt: revera nullum aliud Dominici iter Parisiense agnoscunt veteres nostri scriptores, quàm quod ex Hispania suscepit anno MCCXIX de quo postea.

Sed quid sibi vult his verbis Jordanus, *quasi solus permansit ibidem?* Nonne toto illo tempore & ultra viguit ut aiunt cruciata? Nonne innumeri omnium ordinum, episcopi, abbates, archidiaconi, clerici, monachi cruce adversus Albigenses & Waldenses accepta in Occitaniam ex omnibus Franciæ provinciis advenerunt? Verum est, sed illi plerique vix quadraginta dies ibi morabantur, quibus elapsis quantumcumque necessarii essent, & ut diutius remanerent exorarentur, mox quisque ad patriam remeabat. Vide Sernensem capp. 41. & 42. ubi de episcopis Carnotensi & Bellovacensi, Drocensique & Pontivi comitibus queritur, quod non completa sua quadragesima recesserint, quamvis Papa declarasset eos indulgentiam non consecuturos, qui in servitio J. C. unam minimum quadragesimam non complevissent. Adde illos cruce signatos etiam ecclesiasticos plerosque non ut prædicarent eo se contulisse, sed ut adversus hæreticos fortiter se defendentes pugnarent, eosque debellarent ac subjicerent: quod quidem necessarium erat, ut eorum conversioni attendi posset, sed hanc operam aliis relinquebant: hanc autem unicam sibi usurpabat Dominicus cum paucis sibi adjunctis, unde inter tot strages hæreticorum tum editas, in tot castrorum expugnationibus nullus Dominici meminit, haud dubie quia non aderat. Quid ergo tum agebat? Respondet Jordanus n. 21. *Officio prædicationis pro viribus insistebat:* Respondet Constantinus postea n. 12. *in prædicationis indefessa continuatione permansit contra hæreticos maxime, constanter annuncians verbum Dei:* Acta ipsius pro eo loquantur, ministerio reconciliationis ei a sanctæ Sedis legatis injuncto diligenter fungebatur, adeo ut si quando pertinaces hæreticos præpositi judices flammis addicerent, quos altiori lumine prævidebat ad frugem postea redituros a supplicio eximeret, cujus insigne exemplum habet postea Constantinus n. 36. Vide etiam apud eumdem n. 40.

Castrum Narbonense de quo Jordanus hoc n. arx erat munitissima & Tolosæ palatium comitis: non longe dissitas Petrus Cellani domos habebat, quas Dominico dedit, seseque unâ socium adjunxit. Unde ceu vir jucundus & morum suaviorum eleganti joco dicere solebat alios ab ordine receptos, a se ordinem apud se receptum. Revera in illis ædibus primos socios adunavit Dominicus, & ad ritum ordinis quem a pluribus annis meditabatur informare cœpit anno MCCXV, eaque domus exinde ad nostra tempora inquisitorum domicilium fuit, quorum primus laudatur idem Petrus Cellani litteris Gregorii IX constitutus anno MCCXXXIII, postquam conventum Lemovicensem annis XII primus prior rexisset, Thomam virum illum gratiosum & facundum quidam recentiores germanum dicti Petri censent, cujus nulla apud antiquos memoria, ut accurate notant nostri Percinus & Soëgius.

Non omittendum hîc ceu in proprio loco quod habet Humbertus cap. 32. *Cùm apud Tolosam in theologia regeret magister quidam genere scientia & fama præclarus, quodam mane ante diem dum suas lectiones prævideret, oppressus gravi somno caput suum in cathedra paululum reclinavit & dormire cœpit: visumque est eidem eadem hora, quod sibi septem stellæ præsentarentur. Qui dum de novitate talis xenii plurimum miraretur, subito in lumine & quantitate tantum excreverunt, quod totam patriam & mundum illuminaverunt. Qui statim a somno excitatus ortum diei percepit, & vocatis servientibus, qui libros suos deferrent, scholas intravit. Et ecce B. Dominicus cum sex sociis ejusdem habitus ad ante dictum magistrum humiliter accesserunt, intimantes eidem quod Fratres essent, qui evangelium Dei in partibus Tolosanis contra infideles & fidelibus prædicarent, significantes eidem quod scholas suas venerant frequentare, & lectiones audire avidis cordibus cuperent & optarent. Dictus verò magister multo tempore dictos septem Fratres familiares & devotos habuit & scholares instruxit. Recolens autem visionem quam paulo ante viderat, B. Dominicum & socios suos quos stellas lucidas interpretatus est, (&) quos immenso lumine fama & scientia vidit subito clarescere, summa est veneratione prosecutus, grandi etiam est jugiter ex tunc dilectionis affectu amplexatus. Hoc autem retulit idem magister Fratri Arnulpho de Bethunia & socio ejus, cum essent in Anglia in curia regis.*

Cùm istud primus referat Humbertus, eum a dicto F. Arnulpho audivisse conjectu pronum est, & licèt quando id acci-

Sæc. XIII. De reditibus unde poſt victum acceperunt & neceſſaria.

23. At verò epiſcopus Toloſanus felicis memoriæ Fulco nomine, qui tenerrime diligebat dilectum Deo & hominibus S. Dominicum, videns eorumdem Fratrum religionem & gratiam, atque in prædicatione fervorem, exultans ad novæ lucis exortum, de conſenſu totius ſui capituli contulit eis ſuæ diœceſis ſextam partem decimarum, cujus emolumenti ſubſidio ſuis ad libros atque ad ſuſtentationem neceſſariis providerent. [z]

Qualiter S. Dominicus cum epiſcopo Toloſano ad D. Papam acceſſit.

24. Adjunctus autem eidem epiſcopo S. Dominicus, ut ſimul adirent concilium Lateranenſe, & pari voto D. Papam Innocentium, ut confirmaret S. Dominico & ſociis ejus ordinem qui Prædicatorum diceretur & eſſet: confimaret nihilominus prædictos reditus tam a comite quàm ab epiſcopo Fratribus aſſignatos [A]. Auditis igitur eis ſuper hac poſtulatione [B] Romanus antiſtes hortatus eſt S. Dominicum reverti ad Fratres ſuos [C], & habita cum eis plena deliberatione communi eorum conſenſu regulam aliquam approbatam eligerent [D], ac demum iis peractis rediret ad papam confirmationem ſuper omnibus accepturus. Itaque celebrato concilio revertentes [E] verbo D. papæ Fratribus publicato, mox B. Auguſtini prædicatoris egregii ipſi futuri Prædi-

derit non ita facile dictu, creditu tamen promtius id actum, cùm primos ſodales puta ſex in ædibus Petri Cellani ad caſtrum Narbonenſe anno MCCXV ante vel circa æſtatem ſecum adunavit: hos enim forſan nondum ſatis theologia informatos veriſimillimum eſt Dominicum ad ſcholam publicam ſecum duxiſſe, quam & per duos annos ſequentes ad uſque ipſorum diſperſionem æſtate anni MCCXVII, de qua mox frequentare perrexerint, dum interea Dominicus Romam bis adivit inſtitutionem ordinis impetraturus: ſic enim verum fit quod in narratione habetur, multo tempore illos hunc theologum audiviſſe. Hinc etiam inferas jam ante MCCXV ſcholam theologicam Toloſæ erectam floruiſſe, licèt Raimundus ſenior comes paucis poſtea annis eam diſſiparit, cùm nempe hanc civitatem recuperavit, donec eam reſtituere a rege Franciæ Ludovico IX coactus eſt circa MCCXXX, & inter primos S. T. magiſtros Pariſienſes eo miſſos fuere ex noſtris F. Rolandus de Cremona qui ibi jam publice legebat anno MCCXXXI, & qui ei ſucceſſit anno MCCXXXII vel XXXIII F. Joannes Ægidius vel de S. Ægidio, ut poſtea dicetur ubi de ſingulis. Attendas præterea velim ad illa verba, *Ecce B. Dominicus cum ſex ſociis ejuſdem habitus*, hinc enim recte colligas Dominicum hos ſex primos ſodales ſua eadem veſte induiſſe, tunica talari alba ſcilicet, caputio item albo cum ſcapulari adjuncto, & capa deſuper nigra: alioquin theologus ille poſtea in Anglia agens, ſi Arnulphum de Bethunia dictum & ſocium ejus alio cultu ornatos vidiſſet, quàm quos Toloſæ auditores habuerat, ejuſdem eſſe ordinis in animum non induxiſſet, ſed de his poſtea fuſius.

z Idem totidem verbis ordine paululum immutato habet Humbertus cap. 21. Inſtrumentum verò donationis tale eſt. *In nomine D. N. J. C. Notum ſit omnibus præſentibus & futuris, quod nos Fulco D. G. Toloſanæ ſedis miniſter humilis ad extirpandam hæreticam pravitatem & vitia expellenda, & fidei regulam edocendam, & homines ſanis moribus imbuendos, inſtituimus Prædicatores in epiſcopatu noſtro F. Dominicum & ſocios ejus, qui in paupertate evangelica pedites religioſe propoſuerunt incedere, & veritatis evangelicæ verbum prædicare. Et quia dignus eſt operarius cibo ſuo, & os bovis triturantis non eſt obturandum, imo qui evangelium prædicat, de evangelio debet vivere, volumus ut cùm prædicando inceſſerint, de epiſcopatu habeant victui neceſſaria, & de conſenſu capituli eccleſiæ B. Stephani & cleri Toloſanæ diœceſis aſſignamus in perpetuum prædictis Prædicatoribus & aliis quos zelus Domini & amor ſalutis animarum eodem modo ad idem prædicationis officium accinxerit, medietatem tertiæ partis decimæ, quæ aſſignata eſt ornamentis & fabricæ omnium parochialium eccleſiarum, quæ in noſtra poteſtate ſunt, ad indumenta & cætera neceſſaria in infirmitatibus ſuis, & cùm quieſcere aliquando voluerint. Si quid verò poſt annum ſuperfuerit, volumus & ſtatuimus, ut ad eaſdem parochiales eccleſias refundatur adornandas, vel ad uſus pauperum ſecundùm quod epiſcopus viderit expedire. Cùm enim jure cautum ſit, quod aliquanta pars decimarum debeat ſemper pauperibus aſſignari & erogari, conſtat illis pauperibus nos teneri partem aliquam decimarum potius aſſignare, qui pro Chriſto evangelicam paupertatem eligentes, univerſos & ſingulos exemplo & doctrina donis cœleſtibus innituntur & elaborant ditare: ut a quibus nos metimus temporalia, per nos & per alios poſſimus congruenter & opportune ſpiritualia ſeminare. Datum anno verbi incarnati* MCCXV *regnante Philippo rege Francorum, & comite Montisfortis principatum Toloſæ tenente.* Licèt menſis dieſve in hac charta non exprimantur, datam priuſquam epiſcopus & cum eo Dominicus Romam ad ſynodum Lateranenſem ſe conferrent, patebit ex ſequentibus.

A *Confirmaret reditus ab epiſcopo aſſignatos.* Hæc probant chartam mox relatam, priuſquam Romanum iter aggrederentur jam fuiſſe confectam, neque enim alios reditus Dominico & ſociis epiſcopus aſſignarat.

B *Auditis igitur eis ſuper hac poſtulatione.* Hanc de ordinis Prædicatorum confirmatione poſtulationem ante apertionem ſynodi ab ambobus pontifici propoſitam conjectu pronum, nam ubi primùm Romam advenit Dominicus, certò ante inchoationem concilii diploma obtinuit a pontifice, quo bona omnia eatenus monaſterio Pruliano collata confirmantur. Incipit: *Juſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem præbere aſſenſum &c.* in quibus numerantur prædia & caſtra dicto monaſterio a comite Montisfortis & aliis donata. *Datum Laterani* VIII *idus octob. pont. Innocentii III anno* XVIII. Sic ex archivo Pruliano refert Percinus Mon. Toloſ. ad MCCXVI n. 25, qui utinam diploma integrum repræſentaſſet. Exinde ſaltem conficitur jam ante concilium menſe novembri circa feſtum S. Martini tantùm apertum, Dominicum Innocentio fuiſſe apprime & in bonis cognitum. Putas autem illum de monaſterio Pruliano & de ejus temporalibus fuiſſe ſollicitum, & de ordine quem a tot annis meditabatur, & cujus gratia hoc iter ſuſceperat cum pontifice non tractaſſe?

C *Romanus antiſtes hortatus eſt Dominicum reverti ad Fratres ſuos, &c.* Hæc Jordani ſimplex actorum in poſtulatione ordinis narratio admodum placet, nullam ex parte pontificis factam difficultatem innuit, ſaltem quæ Jordano eo uſque cognita fuerit: idque eo fit veriſimilius, quod hæc ſupplex petitio cum iis quæ de prædicatoribus in Synodo ſtatuenda jam apud ſe decreverat pontifex, recta ac mire convenirent. Sic enim actorum Synodi cap. 10. legitur. *Inter cætera quæ ad ſalutem ſpectant populi chriſtiani pabulum verbi Dei permaxime noſcitur ſibi eſſe neceſſarium, quia ſicut corpus materiali, ſic anima ſpirituali cibo nutritur, eo quod non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Unde cum ſæpe contingat quod epiſcopi propter occupationes multiplices vel invaletudines corporales aut hoſtiles incurſus ſeu occaſiones alias, (ne dicamus defectum ſcientiæ, quod in eis eſt reprobandum omnino nec de cætero tolerandum) per ſeipſos non ſufficiunt miniſtrare populo verbum Dei, maxime per amplas diœceſes & diffuſas, generali conſtitutione ſancimus: ut epiſcopi viros idoneos ad ſanctæ prædicationis officium ſalubriter exequendum aſſumant potentes in opere & ſermone, qui plebes ſibi commiſſas vice ipſorum, cùm per ſe idem nequiverint, ſolicite viſitantes eas verbo ædificent & exemplo, quibus ipſi cùm indiguerint congrue neceſſaria miniſtrent, ne pro neceſſariorum defectu compellantur deſiſtere ab incepto. Unde præcipimus tam in cathedralibus quàm in aliis conventualibus eccleſiis viros idoneos ordinari, quos epiſcopi poſſint coadjutores & cooperatores habere, non ſolùm in prædicationis officio, verùm etiam in audiendis confeſſionibus & pœnitentiis injungendis ac cæteris quæ ad ſalutem pertinent animarum. Si quis autem hoc neglexerit adimplere, diſtrictæ ſubjaceat ultioni.* Hæc inquam cùm in ſynodo decernenda jam animo gereret pontifex, quid ei magis arridere poterat, quàm Dominicum videre virum utique potentem in opere & ſermone ſibi ab epiſcopo Toloſano oblatum, & ſocietati hominum inſtituendæ anhelantem, qui pro nomine Chriſti Jeſu animas ſuas traderent, & prædicationis officio ſe totos ac per orbem terrarum devoverent.

D *Regulam aliquam approbatam eligerent.* Et hoc prudenter omnino juſſit pontifex, qui ſic conſtituendum in ſynodo decreverat, ut in actis legitur cap. XIII. *Ne nimia religionum diverſitas gravem in Eccleſia Dei confuſionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam religionem inveniat, ſed quicumque voluerit ad religionem converti, unam de approbatis aſſumat. Similiter qui voluerit religioſam domum fundare de novo, regulam & inſtitutionem recipiat de religionibus approbatis.* Enim verò regulam & inſtitutiones jam approbatas aſſumere, non tam erat novum ordinem fundare, quàm jam conſtitutum erigere ad perfectiora: unde Dominicus cum ſuis eligendo regulam S. Auguſtini & inſtitutiones in aliis congregationibus maxime canonicorum regularium jam uſu receptas & approbatas, non tam ordinem novum erexit, quàm ordinem canonicum auxit in apoſtolicum. Hinc ut videbitur poſtea in bulla confirmationis ordinis Honorius III de domo S. Romani Toloſana quæ fuit omnium prima ſic loquitur, *ut ordo canonicus qui ſecundùm regulam B. Auguſtini in eadem eccleſia inſtitutus eſſe dignoſcitur &c.* Imo & noſtri primi ſodales diutius *Fratres canonici ordinis Prædicatorum* dicti ſunt, ſed de his aliâs: hic ſatis ſit hæc duo ut quidem videtur eviciſſe, & propoſitionem de ordine Prædicatorum inſtituendo ante inchoatam ſynodum a Dominico favente & ſolicitante Fulcone epiſcopo Toloſano Innocentio III factam, & ſummum pontificem eam probando nihil niſi ad leges in ſynodo poſtea latas conceſſiſſe.

E *Celebrato concilio revertentes.* Cùm concilium poſt tres ſeſſiones circa feſtum S. Andreæ abſolutum fuerit, ambos con-

catores regulam elegerunt, quasdam sibi super hæc in victu & jejuniis & lectis & laneis arctiores consuetudines assumentes. Proposuerunt etiam & instituerunt possessiones non habere, ne prædicationis impediretur officium solicitudine terrenorum, sed tantùm reditus eis adhuc habere complacuit. Episcopus etiam Tolosanus cum assensu sui capituli tres eis ecclesias assignavit, unam intra terminos civitatis, aliam in Appamiensi villa, tertiam inter Soricinium & Podium Laurentii scilicet ecclesiam sanctæ Mariæ de Lascura, in quarum qualibet conventus & prioratus esse debebat.

De prima ecclesia Fratribus collata apud Tolosam.

25. Anno Domini MCCXVI æstatis tempore data est Fratribus prima ecclesia in civitate Tolosana, quæ in honorem B. Romani [F] fundata est, in reliquis autem duabus ecclesiis nullum unquam Fratrem contigit habitare. At verò in prædicta ecclesia sancti Romani protinus ædificatum est claustrum cellas habens ad studendum & dormiendum desuper satis aptas. Erant autem Fratres numero circiter sexdecim. *Excipit Humbertus, cap. 24.*

De obitu D. Innocentii & ordinatione Papæ Honorii & de confirmatione ordinis.

26. Interim D. Innocentius Papa sublatus est de medio & successor pro eo Honorius constitutus est, quem mox adiit S. Dominicus, & juxta propositum ordinationemque conceptam confirmationem ordinis, & omnium quæ obtinere voluisset plene per omnia impetravit. [G]

tinuò de repetenda Gallia cogitasse haud dubium, quando in Occitaniam advenerint non produnt annales, sed tantùm statim a reditu Dominicum anno MCCXVI ac proinde circa pascha, quod eo anno X aprilis accidit, socios in monasterio Pruliano coegisse, unàque omnes ut pontifici morem gererent, regulam S. Augustini & instituta quædam in victu arctiora e Premonstratensibus, inquit Humbertus, sed quæ apud quasdam alias canonicorum regularium congregationes tum florentes & severiores, & forte in ipsa Oxomensi reformatione in usu erant adoptasse sibique imposuisse, ut non tam novus ordo, quàm nova canonicorum regularium prædicationi speciatim addictorum congregatio videretur, sicque nihil jussis concilii adversum fieret. Nota etiam propositum de renunciandis possessionibus tum etiam decretum, interim ad opportunum tempus prolatatum.

F Apud illam S. Romani ecclesiam nostri manserunt ad annum MCCXXXII circiter, tum enim ad locum quem modò inhabitant se transtulerunt. Fratres illi sexdecim primi Dominici socii hi a Stephano Salanhaco & Bernardo Guidonis numerantur, Matthæus olim S. Vincentii de Castris prior, Natalis de Prulio, Bertrandus de Garriga a loco natali ad Arelatum sic nuncupatus, Petrus Cellani & Thomas ambo cives Tolosani nobiles, Stephanus Metensis, Guillelmus Clareti Appamiensis, & Odorius conversus Neustrius, hi octo Galli : septem sequentes Hispani, Mannes vel Mammes germanus uterinus B. Dominici, Michael Fabra, Michael de Uzero, Petrus de Matrito a quibusdam agnominatus, Suerius Gomezius, Dominicus alius, Joannes de Navarra, denique Laurentius Anglicus, de quibus singulis breviter postea agetur.

Ecclesia de Lascura hîc laudata recensetur in bulla confirmationis ordinis, eaque forsan monasterio Pruliano cesserit, quod idem dicendum de tertia ecclesia Appamiensi. Etsi autem in hoc ultimo loco sub B. Jordano & postea diutius Fratrum collegium non fuerit, tandem anno MCCLXIX sodales nostri eo vocati domum conventualem erexerunt.

G Idem Humbertus cap. 25 stylo mollito.

Innocentius III obiit XVII Kal. aug. MCCVIII, altero post die suffectus est Honorius III. S. Dominicus Tolosæ adhuc aderat XXVIII augusti, eo enim die F. Joannis de Navarra professionem inter manus suas in S. Romani ecclesia accepit, ipso teste Joanne : adeo ut Romam rediturus iter arripere non potuerit nisi mense septembri, nec proinde in Urbem nisi mense octobri pervenire : sic autem instanter egit, ut ante natale Domini quæ volebat obtinuerit. Rem clare narrat Bernardus in ordinis chronico. Postquam enim retulit electam ab omnibus concorditer S. Augustini regulam, quod scriptorum consensu factum est anno MCCXVI, ac proinde mense aprili ut superius annotatum, addit, *post aliquos autem menses regressus est Romam B. Dominicus &c.* Deinde. *Anno Dñi* MCCXVI *æstatis tempore data est B. Dominico ecclesia B. Romani &c.* ac proinde circa finem junii aut julio sequenti : extruendo ad eam ecclesiam claustro, & erigendis officinis aliquod tempus insumtum est, aliunde e manibus Dominici vestem in S. Romani accepisse se testatur Joannes de Navarra, idque die S. Augustini, & eodem die se professum : sic constat chronologia supra stabilita, Dominicum non ante septembrem hoc alterum iter Romanum aggressum. Prosequitur Bernardus. *Anno Dñi* MCCXVI XI *Kal. jan. ind.* V *in crastino B. Thomæ apostoli Romæ apud S. Petrum* (diplomata tamen ferunt *apud S. Sabinam) fuit confirmatus ordo Prædicatorum, & B. Dominicus quem Deus elegerat ab æterno, & Innocentius papa III approbaverat præcedenti anno, fuit institutus & confirmatus magister & dominus ordinis ab Honorio papa III successore præfati D. Innocentii, pontificatus ipsius D. Honorii anno* I. *Hic Honorius S. Dominico & Fratribus suis plura privilegia & libertates contulit, & ecclesiam ac decimas atque castra & possessiones datas S. Dominico conservavit, sicut in privilegio de confirmatione ordinis continetur.* Plura hic congerit Bernardus, quæ ex ipsis diplomatibus distinctius explicanda. Dominum omnium bonorum ordinis cum amplissima super sodales auctoritate constitutum Dominicum facile assentiuntur omnes, sed nondum magistri titulo tum ornatum palam est ex ipsis litteris pontificiis, quæ sic habent.

Honorius &c. Dilecto filio Fratri Dominico priori S. Romani de Tolosa & Fratribus tuis regularem vitam professis & professuris S. & A. B. Nos attendentes Fratres ordinis tui futuros pugiles fidei & vera mundi lumina, confirmamus ordinem tuum cum omnibus castris & possessionibus habitis & habendis, & ipsum ordinem ejusque possessiones & jura sub nostra gubernatione & protectione suscepimus. Datum Romæ apud S. Sabinam. XI *Kal. jan. an.* I. Sequitur altera fusior.

Honorius &c. Dilectis filiis Dominico priori S. Romani Tolosanensis ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis S. & A. B. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur quod absit sacræ religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & ecclesiam S. Romani Tolosanensis in qua divino estis mancipati obsequio sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus : in primis siquidem statuentes ut ordo canonicus qui secundùm Deum & B. Augustini regulam in eadem ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur : præterea quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant : in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, scilicet locum in quo præfata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, villam de Cassenolio cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam S. Mariæ de Lescura cum omnibus pertinentiis suis, hospitale Tolosanense quod dicitur Arnaldi Bernardi cum o. p. suis, ecclesiam sanctæ Trinitatis de Lobens cum o. p. suis : decimas a venerabili fratre nostro Fulco Tolosanensi episcopo de assensu capituli sui vobis pia & provida liberalitate concessas, prout in eorum litteris plenius continetur. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus vel sumtibus vestris colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos & absolutos a seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque ulla contradictione retinere. Prohibemus insuper ut nulli Fratrum post factam in ecclesia vestra professionem fas sit sine prioris sui licentia de eodem loco nisi arctioris religionis obtentu discedere, discedentum verò absque communi literarum cautione nullus audeat retinere. In parochialibus verò ecclesiis quas habetis, liceat vobis sacerdotes eligere, & diœcesano episcopo præsentare, quibus si idonei fuerint, episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus vobis verò de temporalibus debeant respondere. Statuimus præterea ut nulli liceat ecclesiæ vestræ novas & indebitas exactiones impendere, aut in vos vel in prædictam ecclesiam vestram sine manifesta & rationabili causa excommunicationis vel interdicti sententias promulgare. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis suppressa voce divina officia celebrare. Chrisma verò & oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipiatis episcopo, siquidem catholicus fuerit, & gratiam & communionem sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere, alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem gratiam & communionem sedis apostolicæ habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatis impendat. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte verò te nunc ejusdem loci priore, vel tuorum quolibet successorum, nullus qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem Fratres communi consensu vel Fratrum pars majoris & sanioris consilii secundùm Deum & B. Augustini regulam providerint eligendum. Libertates quoque & immuni-

Sæc. XIII. *tates antiquas & rationabiles consuetudines ecclesiæ vestræ concessas & hactenus observatas ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Decernimus ergo ut nulli hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere vel minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, & diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemtoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.*

† *Ego Honorius catholicæ Ecclesiæ episcopus.*
† *Ego Cinthius tit. S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis.*
† *Ego Leo tit. S. Crucis in Jerusalem presb. card.*
† *Ego Robertus tit. S. Sixti in Monte Cælio presb. card.*
† *Ego Stephanus tit.* XII. *apostolorum presb. card.*
† *Ego Nicolaus Tusculañ episcopus.*
† *Ego Guido Prænestinus episcopus.*
† *Ego Hugolinus Ostiensis & Veletreñ episcopus.*
† *Ego Pelagius Albaneñ episcopus.*
† *Ego Gregorius tit. S. Anastasiæ presb. card.*
† *Ego Petrus tit. S. Laurentii in Damaso presb. card.*
† *Ego Thomas tit. S. Sabinæ presb. card.*
† *Ego Guido S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis.*
† *Ego Octavianus SS. Sergii & Bacchi diac. card.*
† *Ego Joannes SS. Cosmæ & Damiani diac. card.*
† *Ego Gregorius S. Theodori diac. card.*
† *Ego Rainerius S. Mariæ in Cosmedin. diac. card.*
† *Ego Romanus S. Angeli diac. card.*
† *Ego Stephanus S. Hadriani diac. card.*

Sigillum Honorii pendet cum hoc lemmate: *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.*

Datum Romæ apud S. Sabinam per manum Rainerii prioris S. Fridiani Lucanæ diœcesis S. R. E. Vicecancellarii XI *Kal. jan. ind.* V *Incarn. Dñi anno* MCCXVI, *pontif. verò Honorii papæ III anno* 1.

Duo sunt in his actis attendenda, primum villas & alia beneficia Dominico collata recenseri ac confirmari, quod mirum non est: licèt enim in paupertate absoluta & pedites provincias percurrendo ipse & sui verbum Dei annuntiare statuissent, ut Fulco episcopus supra testabatur, sacrum gynecæum Prulianum jam numerosius & in dies crescens non solùm in spiritualibus sed & in temporalibus sustentandum Dominicus in suam curam assumserat, eoque nomine excepta decimarum diœcesis Tolosanæ parte sexta, cætera dono acceperat: sic enim præter chartas supra n. 21 relatas istæ aliæ ferebant: *Notum sit omnibus, quod nos Fulco D. G. Tolosanus episcopus de consensu & voluntate D. Jordani abbatis S. Saturnini Tolosæ, dedimus & damus hospitale quod est ad portam Arnaldi Bernardi cum omnibus juribus & pertinentiis suis F. Dominico Oxomensi canonico ad opus dominarum conversarum Prulii eis temporalia & spiritualia ministranti. Datum anno* MCCXV. Hospitale idem est in secunda bulla superius memoratum. Idem patet in alia ejusdem episcopi donatione anno superiori facta. *Notum sit omnibus quod ego Fulco &c. voluntate & assensu F. Dominici capellani de Fanojovis do & concedo in perpetuum monialibus de Pruliano decimas & primitias trium aratorum suorum &* XXX *arpentorum vinearum quæ sunt ejusdem domûs in territorio & decimario de Fanojovis, & ut rectum & inconcussum sit, præsentem paginam sigilli mei munimine roboravi. Datum in Fanojovis* VIII *Kal. junii* MCCXIV. Sic ex archivo Pruliano referunt nostri Joannes a S. Maria & Percinus. Cùm ergo istud monasterium societati nostræ aggregandum esset, & pars insignis futura, etiam bona illi collata in confirmatione ordinis recensenda erant. Monendum hîc obiter: scilicet post quarteriam grani decimam pro jure decimatoris seorsim positam, revolvebatur quarteria ejusque fundus cumulatus dabatur pro primitiis, adeo ut tres fundi unam quarteriam æquarent. Sic explicat Guillelmus de Podiolaurentii cap. 6. Hinc quid per decimas & primitias datas episcopus intelligat, facilè capies.

Alterum in allatis literis notandum ac præsertim in prima breviori hoc est, Dominicum quidem quod potissimum intendebat consecutum esse nempe ut suus ordo Prædicatorum esset: id enim exprimunt verba pontificis, *Nos attendentes Fratres ordinis tui futuros pugiles fidei & vera mundi lumina:* sed tandem illud non videri obtinuisse, ut *ordo Prædicatorum* diceretur: verùm id etiam impetravit hoc tertio diplomate a Rainaldo relato ad MCCXVII n. 20.

Honorius &c. Dilectis filiis priori & Fratribus S. Romani Prædicatoribus in partibus Tolosanis S. & A. B. Gratiarum omnium largitori dignas referimus gratiarum actiones in gratia Dei quæ data est vobis, in qua statis & stabitis finaliter ut speramus, quia intus caritatis flamma flagrantes, exterius famæ fragratis odore, qui & sanas delectat & reficit mentes infirmas: quibus etiam ne remaneant steriles, spirituales mandragoras tanquam studiosi medici exhibentes, eas semine verbi divini vestra salutari fæcundia fœcundatis: sic velut servi fideles talenta vobis credita arrogantes, ut eadem reportetis Domino geminata: sic sicut invicti Christi athletæ scuto fidei & galea salutis armati, non timentes eos qui corpus possunt occidere, verbum Dei quod est penetrabilius omni gladio ancipiti magnanimiter contra fidei exeritis inimicos: sic in hoc mundo vestras animas odientes, ut in vitam æternam custodiatis easdem. Cæterùm quia finis non pugna coronat, & currentibus in stadio virtutibus universis sola perseverantia bravium accipit destinatum, caritatem vestram rogamus & hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, & in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus magis ac magis in Domino confortati, evangelizare verbum Dei studeatis, opportune importune instantes, & opus evangelistæ laudabiliter adimplentes. Si quas autem propter hoc tribulationes passi fueritis, non solùm eas æquanimiter toleretis, sed gloriemini cum apostolo in eisdem gaudentes, quia digni habiti estis pro nomine Jesu contumelias sustinere. Hoc enim leve & momentaneum tribulationis immensum pondus gloriæ operatur, ad quam non sunt condignæ hujus temporis passiones. Nos quoque intendentes vos tamquam speciales filios favorabiliter confovere, petimus ut pro nobis offeratis Domino vitulos labiorum, si forte quod nostris meritis non valemus, vestris suffragiis assequamur. Datum Laterani VII *Kal. febr. pont. an.* 1.

Quo certe diplomate nullum illustrius Dominicus obtinere potuit, eo enim accepit & Prædicatorum adeo ardenter quæsitum nomen, & rei id est prædicationis hactenus a se suisque bene & feliciter gestæ laudem insignem, & ad pergendum eadem via fervidam exhortationem, imo & urgens mandatum, ac denique exantlandorum laborum verum & unicum lenimen, scilicet pro nomine Jesu contumelias sustinendi dignitatem & gloriam. Quia verò de Prædicatorum nomine varii varie disserunt, veram & simplicem ejus originem facile est indicare.

Sciendum igitur eos qui primi Albigensium conversioni operam dederunt, vulgo Prædicatores dictos fuisse, quod obvium passim apud Sernensem. Vide titulum cap. 3 & sub finem capitis: *Quia longum*, inquit, *esset enarrare per ordinem, quomodo viri apostolici, scilicet Prædicatores nostri circuibant per castra &c. &. cap. 6. Guido abbas vallium Sernaii prior inter Prædicatores &c. discurrentes igitur Prædicatores sancti* 2 *& cap. 7. Disputaverant quadam die quidam Prædicatores nostri, unus autem de nostris Dominicus nomine &c.* nempe noster. Hoc autem inter eos discrimen. Alii omnes legati abbates monachi Cistercienses nomen & onus Prædicatorum ad tempus tantùm assumebant, quo transacto & nomen & officium deponebant ad sua mox redeuntes. Hinc episcopi hæreticorum pertinaciæ pertæsi summum pontificem adierunt ad cruciatam consilia sua omnia vertentes. Id narrat Sernensis cap. 9. *videntes prælati Narbonensis provinciæ & alii quos tangebat negotium pacis & fidei, decessisse bonos viros Oxomensem episcopum & fratres Petrum de Castronovo & Radulphum, qui fuerant prædicationis in terra prænotata principes & magistri, animadvertentes quod eadem prædicatio etiam jam peregerit ex parte maxima cursum suum*, (nota illos ad certum tempus tantùm huic missioni se addixisse) *nec multùm profecerit, imo penitus fructu frustrata sit exoptato, ad pedes summi pontificis judicant transmittendum &c.* Ita quidem illi, at Dominicus contrà ex quo huic se dedit operi, ac titulo Prædicatoris ornatum se vidit, in eo ita sibi complacuit, ut semel assumtum numquam dimiserit, imo in cognomen asciverit; sigilloque suo voluerit insculptum & expressum. *S. F. Dominici Prædicatoris.* Sic etiamnum visitur in actu hominii, quod episcopus Cadurcensis Simoni comiti Montisfortis præstitit XII Kal. jul. MCCXI Cadurci, cui cum aliis pluribus magnatibus & viris religiosis Dominicus præsens & testis affuit. Quod antiquum instrumentum habetur in registro curiæ Franciæ D. Regis de feudis & negotiis senescalliarum Carcassonensis, Bellicardi, Cadurci & Rutenensis fol. 12, viditque Percinus noster inter manus R. P. Dominici Serres antecessoris Cadurcensis ord. Præd. & Occitaniæ exprovincialis. Videsis Percinum ad 1211. n. 3. Bernardus Guidonis in chronico ordinis docet Dominicum qua primum vice Tolosam advenit anno MCCIII, ac suum hospitem convertit, tam felici successu quasi illicio quodam attractum, ex eo momento de ordine Prædicatorum instituendo consilium mente gestasse, quod ubi se inter Prædicatores missionis Albigensis anno MCCV allectum vidit, fovit in dies magis ac magis, donec hunc titulum sibi & suis a Fulcone primum in diplomate supra n. 23. in Notis relato datum, tandem ab Honorio III solemniter obtinuit.

Non omittendum quartum diploma, quod ab eodem pontifice Dominicus hac vice accepit, & profert Bzovius in An-

De obitu comitis Montisfortis quem S. Dominicus prævidet.

27. Anno Domini MCCXVII disposuerunt Tolosani insurgere contra comitem Montisfortis, quod & virum Dei Dominicum per spiritum aliquatenus antea cognovisse declaratum est. Monstrata est ei arbor in visione protractione grandis, venustate grata, in cujus ramis multus avium numerus habitabat. Præcipitata est arbor, & requiescentes in ea volucres diffugerunt. Intellexit igitur homo spiritu Dei plenus comiti Montisfortis magno videlicet & sublimi principi & multorum pupillorum tutori proximum mortis excidium imminere. Et invocato sancto Spiritu, convocatisque Fratribus dixit hoc esse sui cordis propositum, ut omnes eos licèt paucos per mundum transmitteret, nec jam ibi diutius insimul habitarent. Admirati sunt omnes tam subitæ dispersionis prolatam sententiam ab eo, sed quoniam animabat eos evidens in ipso sanctitatis auctoritas, acquieverunt facilius ad bonum hæc finem proventura sperantes. Visum est autem ei bonum ut aliquem Fratrem sibi in abbatem eligerent, cujus auctoritate cæteri regerentur ut majoris capitis, cujus tamen correctionem ipse sibi retinuit. Et electus F. Matthæus canonice in abbatem, ipse primus atque novissimus abbas in hoc ordine appellatus est, quia postmodum placuit Fratribus, ut ob humilitatis insinuationem is qui præesset non abbas sed Magister ordinis diceretur. H

De Fratribus missis in Hispaniam.

28. Destinati sunt igitur quatuor Fratres in partes Hispaniæ, F. Petrus Madriteñ, & F. Gnomitius, F. Michael de Uzero, & F. Dominicus: qui novissimi duo postmodum missi Bononiam de Roma per magistrum Dominicum, ad quem de Hispania redierant, fecerunt moram ibidem, neque enim sicut desideraverant, fructificare in Hispania potuerunt, reliquis duobus tamen abunde proficientibus & disseminantibus verbum Dei. Fuit autem hîc memoratus Dominicus humilitatis eximiæ, homo parvus quidem scientia, sed virtute magnificus, de quo aliquid commemorare non erit inutile.

De quodam F. Dominico qualiter mulieris insidiantis tentationem devicit.

29. Dispositum fuit aliquando cum sociis quibusdam forsitan æmulis, ut mulier quædam effrons & meretrix, instrumentum satanæ, castitatis obex, facula vitiorum, sub simulatione confessionum veniret ad eum, quæ & talibus eum alloquitur. Angustor nimis, supra modum exæstuo, vehementer aduror, & nunc heu me non novit: si tamen novisset, non me forsitan dignaretur ille quem diligo, cujus amor cor meum irremediabiliter penetravit: da quæso consilium, adhibe remedium pereunti, potes enim. Dum hujusmodi virulentis & exquisitis sermonibus ad illecebrandum innocentem uteretur meretrix, & a sua per salutiferam Fratris persuasionem flecti non posset instantia, scrutatur ille personam causamque periculi. Prodit illa suum incendium ipsum esse. Vade inquit nunc, & ad tempus revertere, parabo locum ubi congruenter convenire possimus. Intrans itaque in cubiculum duos ignes præparabat hinc & inde, vicinos tamen ad invicem, & veniente meretricula seipsum prosternit in medio, ipsamque hortatur ut veniat: en inquit locus congruus tanto facinori, veni si placet, ut commisceamur ad invicem. At illa vehementer exhorruit videns hominem circum flagrantibus ignibus imperterritum irruisse, & exclamans compuncta recessit. Ipse vero surrexit intactus nullo sibi prorsus æstu vel materialis incendii, vel illecebrosæ libidinis dominante. I

nal. ordinis MS ex registro anni primi. *Honorius &c. Priori S. Romani &c. Justis petentium votis inclinati, auctoritate apostolica districtius inhibemus ut nulli Fratrum vestrorum post factam in eo professionem fas sit sine tua fili prior aut successorum tuorum licentia, nisi arctioris religionis obtentu ab eodem loco discedere, discedentem verò absque communium vestrarum litterarum cautione nullus audeat retinere. Quos si quis forte retinere præsumserit, licitum sit vobis in ipsos Fratres regularem sententiam promulgare. Nulli ergo &c. Datum Laterani* VII. *idus febr. pont. an.* I. Ex hoc diplomate habetur Dominicum Romæ adhuc perstitisse VII febr. anni MCCXVI veteri stylo novo MCCXVII quo Num. Aur. 2. lit. Dom. A. pascha XXVI martii. Quadragesimam autem quæ VIII febr. incepit, ibidem transegisse docebit postea Guillelmus de Monteferrato secundus in processu canonizationis testis. Itaque sic statuimus Dominicum post accepta quatuor relata diplomata non tam cito sed post pascha anni MCCXVII Roma exivisse, nec dubium quin toto hoc tempore pluries prædicaverit, ut illi ubique solemne, forteque etiam tum in aula summi pontificis S. Pauli epistolas interpretatus fuerit, quod sacri palatii magistri munus erigendi occasionem dederit.

Duas in illa commoratione Romana factas Dominico visiones narrant. Prima refertur in vitis Fratrum lib. 1. cap. 3. *Frater quidam Minor religiosus & fide dignus, qui socius B. Francisci multo tempore fuit, narravit Fratribus quibusdam, quorum unus hoc magistro ordinis scripsit, quod cum esset Romæ B. Dominicus, & pro ordinis confirmatione apud Deum & apud D. papam instaret, quadam nocte orans more solito vidit in visione ut sibi videbatur D. Jesum Christum stantem in aere* vehementer iratum, cui B. Virgo B. Dominicum & B. Franciscum obtulit spondens hominum conversioni ferventem operam daturum utrumque. *B. autem Dominicus in visione illa socium diligenter considerans quem ante non noverat, in crastinum cùm eum in ecclesia reperisset, ex his quæ nocte viderat recognovit, & in oscula sancta ruens & sinceros amplexus dixit, tu es socius meus, tu curres pariter mecum, stemus simul & nullus adversarius prævalebit. Visionem etiam prædictam narravit, & ex tunc facti sunt cor unum & anima una in Deo, quod & in suis posteris mandaverunt in perpetuum observari.* Mirum id Dominicum sodalibus suis non revelasse, adeo ut nonnisi per Franciscanum a nostris cognitum fuerit: mirum & id a S Bonaventura in vita B. Francisci omissum. Cæterum ea visio confirmationem ordinis præcessit: alteram ibidem ei factam sed ordine jam confirmato videsis postea in vita per Constantinum n. 10.

H Visionem de præviso a B. Dominico comitis Montisfortis occasu Humbertus rejicit inter miracula & habet cap. 49. stylo innovato & mollito.

Anno MCCXVII post pascha quod fuit XXVI martii Dominicus peractis Romæ negotiis discessit, & in Galliam ad suos Tolosæ in S. Romani agentes reversus est, quos quatuor bullarum relatarum lectione beavit: tum jamjam a se dividendos monuit, quamquam ne id faceret dissuaderent Montisfortis comes, archiepiscopus Narbonensis, episcopus Tolosanus & alii plures: sed eum urgebat propagandi per orbem ordinis ratio. Huic divisioni diem assumtionis XV augusti ejus anni elegisse prodit Salanhacus, locum verò monasterium Prulianum. Idem habetur ex actis in archivo Pruliano servatis in quibus sic legitur: *In die assumtionis apud Prulianum illuc enim Fratres vocaverat, & inde eos ad diversas provincias misit.* Vide Percinum ad 1217 n. 47.

F. Matthæus hac occasione electus abbas non aliam hoc titulo videtur habuisse auctoritatem quàm superioris in Francia, & præsertim Parisiis ad annum usque MCCXXI, quo ultima ordini forma data, ut postea dicetur.

Tolosanorum adversus Monfortium tum absentem, & in Provincia cujusdam castri (Crestum vocant) obsidione detentum rebellio, de qua Jordanus hoc n. erupit solùm mense septembri MCCXVII, quo Raimundus senior comes Tolosanus ex Aragonia reversus, Tolosam subdole ingressus est, ut refert Guillelmus de Podiolaurentii cap. 30.

I De F. Petro Matritensi hîc laudato legendus Malvenda p. 174 n. 1 qui addit verisimile Matritum usque progressum, & domum ordinis ascitis aliquot sodalibus ibidem erexisse, quam B. Dominicus eo postea veniens jam inchoatam reperit, & quæ vivo adhuc sancto deinde in sacrum gynecæum conversa est.

F. Gnomitius (legunt alii *Gomizius*, quod agnomen fuisse volunt, nomen verò Suerius) vir nobili loco natus Lusitanus ortu cœnobium scalabitanum erexit, in eoque plures ad ordinem adduxit, de quo legendi uterque Ludovicus Cacegas & Sousa Hist. prov. Portug. P. 1.

Quod hic legitur de F. Dominico, aliter habetur apud Bernardum Guidonis citatum a Malvenda p. 174. b. *Fuit memoratus Dominicus humilitatis eximiæ, homo quidem parvus corpore, sed scientia & virtute magnificus.* Idem Bernardus ibidem monet hunc eumdem esse de quo Jordanus supra n. 17. qui e Bononia tandem a sancto in Hispaniam remissus fuit prior monasterii *de Manino*: at quodnam illud? an erratum codicis Pruliani positum pro Matrito, an aliud indigenarum diligentiæ disquirendum permitto.

Porro quod hic n. 29 de isto F. Dominico refertur, cum quibusdam aliis circumstantiis habetur in vitis fratrum lib. 4 cap. 4 §. 2. ubi videsis. Legendus & Malvenda ad MCCXIX n. 8 & seqq. ubi plura circa hoc gestum commentatur egregia. Noster Stephanus de Borbone lib. de septem donis p. IV tit. 7. cap. 15 cod. Sorb. fol. 356 col. 3 aliud de eodem narrat non minus mirandum. *Vidi ego quemdam sanctum*

Sæc. XIII. *De septem Fratribus primò missis Parisius.*

30. Missi sunt quoque Parisius F. Matthæus electus abbas cum F. Bertrando, qui postmodum fuit prior provincialis Provinciæ, vir existens sanctitatis magnæ & rigoris circa seipsum inexorabilis: quoniam suæ carnis erat mortificator acerrimus, & S. Dominici sibi formam & exemplar in multis imbiberat: cui etiam aliquando comes itineris sui fuit. Hi inquam destinati sunt Parisius cum litteris summi Pontificis ut ordinem publicarent, & cum eis alii duo Fratres, Joannes videlicet de Navarra, & F. Laurentius Anglicus, cui antequam Parisius ingrederentur, multa ex his quæ circa Fratres accidere Parisius videlicet de habitatione & situ domorum, de receptione multorum Fratrum a Domino revelata sunt, prout ipse prædixit, & rei postmodum probavit eventus: seorsum autem ab iis F. Mames uterinus frater S. Dominici, & F. Michael Hispanus habentes secum conversum Normannum, cui nomen Odorius. Hi omnes Parisius sunt transmissi, sed novissimi tres agentes celerius citius pervenerunt, ingressi Parisius pridie Idus Septembris anno Domini MCCXVII, quos post trium septimanarum spatium subsecuti sunt alii supradicti. Conduxerunt autem sibi domum juxta hospitale B. M. Virginis ante fores Parisiensis episcopi. [k]

De domo S. Jacobi collata Parisius Fratribus.

31. Anno Domini MCCXVIII data est Fratribus domus S. Jacobi quamvis nondum absolute a magistro Johanne decano S. Quintini, & ab universitate Pari-

virum de quo audivi, quod Deus per eum multa fecerat miracula: quem cùm rogarent quadam domina, quod oraret pro quadam domicella nobili, & imponeret ei manum, quod assidue cruciabatur dolore capitis. Qui dixit ei quod si promitteret ei quod deponeret crocum & ornatum nimis vanum & superbum capitis, oraret Dominum pro ea, confidens quod tunc & non aliter curaretur, quod frequenter a Domino per capitis superbiam mulieres flagellabantur. Quod cum illa facere nollet, & magis ac magis infirmitas eam urgeret, ad ultimum fecit illum vocari, promittens ei quod de cætero nec crines alienos, nec croceatam vittam in capite portaret. Qui cùm orasset pro ea, statim ab illa passione capitis est liberata. Et ille fuit quidam Frater Dominicus Hispanus, qui fuit socius B. Dominici in terra Albigensium, de quo etiam in vita B. Dominici fit mentio: & hoc fuit factum apud S. Antonium Parisius circa quamdam domicellam uxoris comitis Montisfortis. An viduæ Simonis in obsidione Tolosana anno MCCXVIII occisi, an conjugis Almarici ejus filii? Stephanus hujus Dominici videndi pluries occasionem habuit, vel si iste titulo socii aut diffinitoris Hispaniæ ad comitia ordinis, quæ quolibet biennio Parisiis habebantur ea ætate, missus fuerit: vel etiam si quibusdam annis Parisiis in domo S. Jacobi assignatus manserit, quod tum solemne. Malvenda citatus eumdem Dominicum primum fuisse conventus Segobiensis priorem a sancto præfectum asserit ex Flaminio penes quos fides.

[k] De F. Mattheo primo & unico in ordine abbate præter superius dicta vide postea de eo suo ordine.

F. Bertrandus hîc laudatus de Garriga nuncupabatur a suæ originis loco villa ad Alestum seu Alesiam vernacule *Alés* civitatem jam ab anno MDCCXIV episcopalem sub metropoli Narbonensi, fuitque S. Dominici in missione Albigensi post recessum episcopi Oxomensis laborum socius, quem sanctus Romam anno MCCXV & iterum MCCXVI profectus suis sodalibus Tolosæ præfecit, ut docent acta plura ejus sigillo iis annis munita & apud nostros ibidem etiamnum servata.

De F. Joanne de Navarra postea suo ordine agitur, ac præterea in sequentibus pluries occurret.

De F. Laurentio Anglico præter hîc relata, quæ virum probant eximium, & supra sortem communem, nihil habetur certi addendum. In vitis fratrum lib. 4 cap. 24 §§. 15 & 16 quidam laudatur F. Laurentius, cui duo miracula tribuuntur, hæcque Laurentio isti Anglico ascribit Leander Albertus, & excipit Malvenda ad MCCXVII n. 5: sed eadem alii inter quos Pius & Ludovicus Cacegas post Stephanum Sampajo F. Laurentio Menendez Lusitano asserunt, omnes incerte.

De F. Mammete vide postea supplementi n. 1.

F. Michael hîc laudatus de Fabra cognominabatur, & Aragonus ab aliis, ab aliis e veteri Castilia ortus fertur. Hunc titulo lectoris theologiæ ornatum Parisios missum, & primum suis sodalibus sacras litteras interpretatum esse aiunt, idque ex inscriptione ejus tumulo insculpta anno MCCXLVIII quo mortuus est constare. Vir fuit magnarum partium, qui in Aragoniam reversus a Jacobo I rege ascitus est a confessionibus, eidemque in expeditione tum insularum Balearium, tum Valentina adversus Mauros sanctitate consiliis & animi fortitudine multo fuit adjumento. De quo legendus Franciscus Diago Hist. prov. Arag. P. II cap. 45.

F. Odorio ex eorum genere quos conversos dicimus, satis est laudis manu S. Dominici formatum fuisse. Armoricum non Neustrium quidam contendunt, sed Jordano major fides, qui expressis verbis Normanum asserit.

E sedecim primis sociis cum quatuor in Hispaniam & septem Parisios misisset Dominicus, quinque reliquos sic distribuit F. Natalem de Prulio & F. Guillelmum Clareti in monasterio Pruliano constituit, primum in spiritualibus præfectum, alterum in temporalibus curatorem, ut constat ex antiquis loci monimentis mihi inter schedas servatis. F. Petrum Cellani & F. Thomam Tolosanos Tolosæ reliquit in S. Romani, interim verò plures alios sodales admisit, inter quos isti numerantur, F. Pontius de Samatan conventus Baionensis primus erector & prior anno MCCXXI, de quo ipse Bernardus Guidonis dubitat, an non in electione regulæ & constitutionum anno MCCXVI cum aliis affuerit, F. Raimundus de Fulgario de Miromonte illustri sanguine ortus domus Montispessulanæ anno MCCXX erector, episcopus postea Tolosanus, F. Arnaldus quem Tolosanum volunt primus conventus Lugdunensis anno MCCXIX erecti prior, viri omnes nominati & alii plures.

B. Dominicus adhuc aderat in partibus Tolosanis XI Sept. MCCXVII, nam cùm orta esset nuntios FF. Prædicatorum inter & nuntios episcopi Tolosani de sexta portione decimarum controversia, episcopus & sanctus instrumento publico amice transegerunt, cujus hic finis: *Ut autem hac inconcussa permaneant, nos Fulco D. G. Tolosanus episcopus & F. Dominicus sigillorum nostrorum munimine ea confirmamus. Factum fuit hoc in Castronovo III idus Sept. & secunda feria anno* MCCXVII. Erat lit. Dom. A. *Extat inde littera amborum per alphabetum partita, cujus ego F. Bernardus Guidonis ipsum originale vidi & tenui, & de verbo ad verbum extraxi: tamen ablata erant inde sigilla amborum, locis in quibus appensa fuerant apparentibus manifeste.* Integrum refert Percinus ad 1217 n. 50. Extant & litteræ Simonis comitis Montisfortis, quæ sic habent idiomate vernaculo ejus ætatis: *Symo per la gracia de Dio duc de Narbona, coms de Tholosa & de Lencastre, vescons de Beses & de Carcassonna à ses amats fiels als senecals de Carcasses & Agenes salut & dileccio. Mandem vos & vos comandem que todas mages è las causas del nostre car frayre Domenge Carorgue gardet & deffendat com las nostras proprias causas. Lettras dadas el cetti de Tholosas en ydas de desembre.* Sic leguntur cod. MS Colbert. 2835. fol. 42. b. Easdem originales apud Tolosanos nostros etiamnum servari testatur Percinus loco mox citato, quas sic Latine reddit. *Simon D. G. dux Narbonensis comes Tolosa & Leycestria, vicecomes Biteris & Carcassona dilectis & fidelibus suis Carcassonensi & Aginensi senescallis salutem & dilectionem. Mandamus vobis & pracipimus, quatenus domos & res omnes cari nostri Fratris Dominici canonici, ut nostra propria custodiatis ac defendatis. Datum in obsidione Tolosa. Idibus decemb.* Si Dominico ipsi præsenti illæ litteræ tutelares concessæ fuerint, ut conjectu pronum, nonnisi post XIII decembris MCCXVII partes Tolosanas reliquerit Italiam repetiturus. Ut ut sit, Romam advenisse certum ante quadragesimam sequentem, qua dies cinerum accidit XXVIII februarii, ea enim quadragesima in Urbe prædicavit, ut in sequentibus probabitur. Quod verò quidam volunt ex itinere Venetias adiisse & domum ordinis ibidem erexisse, nullo veteri ejus ætatis documento fulcitur: imo ex actis a Bernardo Guidonnis collectis conventus Venetus nonnisi tertium locum in dextro choro sortitus est in provincia Lombardiæ inferioris, quod argumentum est invictum non solùm post quatuor alios antiquiores, sed etiam post quosdam Lombardiæ superioris, quæ primitus una fuit cum inferiori fuisse erectum.

Quatuor socios hac vice secum duxisse sanctum asserit Theodoricus lib. 2 cap. 3. Othonem, Henricum, Albertum, Gregorium, vel quos in partibus Tolosanis post primorum dispersionem allegerit, vel quos in itinere sua veste donarit: Sed & F. Stephanum Metensem e sexdecim primis ejus sodalibus unum secum assumsisse quis conjecerit, cùm ejus socius a Constantino n. 40, & in monumentis Metensibus individuus vocetur, & plura de gestis sancti ab ejus morte revelaverit, quæ cum tum in Italia egisse indicant. Ut ut sit, *ubi Romam venit Dominicus concionandi munus ad quod divinitus accitus, & ab apostolica sede institutus fuerat, in pracipuo apostolica auctoritatis loco cœpit frequenter, humiliter & pie exercere.* Verba sunt Theodorici lib. 2 cap. 3. Tum verò ecclesiam S. Sixti ab Honorio III accepit, & claustrum ad eamdem jam tempore Innocentii III inchoatum licèt non perfectum, accepit non quidem absolute, nam anno tantùm MCCXIX die XVII decemb. litteris pontificiis plene ei concessam postea videbitur: satis est in præsenti scire in ea cum sodalibus quos in dies augebat primum habitasse, & plura admiranda eo loci egisse, quæ refert postea legendus Constantinus nn. 27 & 28 & seqq. Facile etiam crediderim tum suas in palatio apostolico epistolarum S. Pauli lectiones resumsisse & prosecutum.

fiensi

siensi ad instantiam precum D. Papæ Honorii, quam intraverunt ad habitandum octavo idus augusti. [L]

32. In ipso etiam anno missi sunt Aurelianis quidam juvenes Fratres & simplices, qui & ipsi tan-

Sec. XIII. De Fratribus qui primo Aurelianis missi fuerunt.

[L] Idem totidem verbis habet Bernardus Guidonis in notitia provinciæ Franciæ: recte verò monet Jordanus tum nondum absolute datam illam ecclesiam, nam nonnisi post tres circiter annos nostris plane concessa est. Rem sic actam ex antiquis ejusdem domus San-jacobeæ tabulis depromo. Nostri ut primum Parisios accesserunt hospitium ad palatium episcopale conduxere, quem locum eos elegisse non dubitaverim, tum ut episcopo suam in ministerio evangelico promtius exiberent operam, tum ut scholas capituli Ecclesiæ Parisiensis theologicas commodius frequentarent, ut antea frequentarant Tolosanas. Cùm tamen domus esset conductitia, locum interim ampliorem quærebant, ubi mansionem stabilem erigerent. Occurrit eis Joannes S. Quintini decanus, quem de Barastre agnominat Hemeræus in sua decanorum Quintinisani chronologia, vir ea ætate nominatus, regius sacellanus, ac unus ex sacræ facultatis professoribus publicis: is ut erat pietati deditus, publicam pauperum advenarum domum cum sacello sub invocatione S. Jacobi recens erexerat ex altera parte S. Stephani in exitu civitatis ad portam Aurelianensem, in eoque Fratres quosdam conversos qui pauperibus inservirent constituerat: at seu hoc institutum non satis firmum agnosceret, seu alia quacunque de causa, certe majus Ecclesiæ commodum perpendens, relicto priori consilio, dimissisque illis conversis, nostros ibidem collocavit VI augusti MCCXVIII, & tandem cum iis ultimo transegit anno MCCXXI. Hæc probant sequentia instrumenta ex archivo San-jacobeo depromta.

1. *In nomine P. & F. & SS. A. Ego Simon de Pisciato notum facio universis præsens scriptum inspecturis, quod ego de consensu & concessu Agnetis uxoris meæ & hæredum meorum concessi & dedi magistro Johanni regis clerico & amico meo* XVI *denarios in censu, quos habui ante ecclesiam S. Stephani Parisius cùm omni libertate & dominio & justitia ejusdem censivæ ad opus domus Dei hospitalis videlicet S. Jacobi, quod idem Johannes ibidem construere proponit, in perpetuum libere possidendos. Ut autem hæc donatio firma sit, sigilli mei munimine hanc chartulam roboravi. Rogo etiam dilectissimum dominum meum Philippum Francorum regem, quatenus amore Dei & meo ipsi hoc factum meum placeat confirmare. Actum apud Egremont anno incarn. Dom.* MCCIX.

Hæc primum Joannis decani consilium probant, alterum sequentia.

In N. P. & F. & SS. Ego Johannes decanus S. Quintini notum facimus &c. quicquid juris habemus in loco nostro, qui est Parisius coram S. Stephano ad manum dextram inter duas portas proximas in exitu civitatis, sicut viæ communes ambiunt tam in terris quam ædificiis omnibus, dilectis Fratri Matthæo priori suisque Fratribus ordinis Prædicatorum conferimus & donamus &c. ita tamen quod jus honorem & reverentiam, quæ debentur de communi jure patronis & fundatoribus locorum religiosorum, nobis personaliter tantùm teneantur exhibere: inter quæ hæc duximus amplius declaranda, locum in choro, in refectorio, in capitulo: quod nobis inclinent advenientibus, sepulturam in ecclesia, exequias & memorias per omne tempus sicut uni Fratrum, & singulis annis anniversarium diem nostri transitus celebrabunt: & quod in diebus solemnibus possimus & horas in choro & missam in majori altari si voluerimus celebrare: aliis verò diebus vel unus de Fratribus nobis missam celebrabit si poterit, aut nobis assistens vel capellano nostro in nostra præsentia hora competenti celebrare volentibus ministrabit. Si verò prædicti Fratres vel eorum successores locum ipsum nisi causa studii vel interdicti generalis reliquerint, habitationem & statum suum ad locum alium penitus transferentes, volumus quod locus ipse ad nos si vivimus, aut ad Fratres conversos, qui locum prius inhabitarant, si pauperum hospitalitatem retinuerint revertatur: ita tamen quod pro iis quæ in eo ipsi Fratres Prædicatores posuerint tam pro ecclesiis quàm pro terris, secundùm æstimationem D. episcopi Parisiensis & nostram & aliorum bonorum virorum a nobis vel ab ipsis Fratribus conversis recipiant. Quod si nos vel prædicti Fratres hospitalis non potuerimus vel noluerimus juxta æstimationem prædictam prænominatis Fratribus Prædicatoribus reddere de omnibus suis missionibus (id est expensis:) *Si aliquam tamen partem prædictorum retinere voluerimus, illam juxta prædictorum virorum æstimationem retinebimus: de cæteris autem secundùm quod prædicti viri ordinaverint, maneat ordinatum. Ad cujus rei memoriam & perpetuam in posterum firmitatem præsentem paginam tam venerabilium patrum Dñi episcopi, decani, & cantoris Parisiensis sigillis, quàm nostro fecimus roborari. Actum in eodem loco in capella S. Jacobi anno incarn. Dom.* MCCXXI, V *nonas maii.*

Istum Joannem Parisiis sacras litteras interpretantem testatur se audivisse noster Stephanus de Borbone, priusquam ordini nomen daret, quem jam amplexus erat ante annum MCCXXIII. Sic enim habet lib. de septem donis P. I de dono timoris. tit. 5 cap. 5 cod. Sorb. fol. 158. d. *Audivi a magistro Johanne quondam decano S. Quintini & lectore Parisius in theologia &c.* & P. IV de dono fortitudinis tit. 4 cap. 9 fol. 329 a, ubi idem repetit, dicit eum se *audivisse in scholis theologiæ* narrantem de quodam a se in Anglia viso, qui in celebri S. Patritii purgatorio semel cùm fuisset, deinceps totus pallidus non risit. Hanc Joannis donationem suis litteris roboravit Universitas, quæ sic habent.

In nomine &c. Ad honorem Dei BB. V. M. B. Jacobi apostoli & omnium sanctorum. Nos universitas magistrorum & scholarium Parisiensium pro salute animarum nostrarum, quicquid juris habemus vel habuimus in loco S. Jacobi, qui est coram ecclesia S. Stephani in exitu civitatis Parisiacæ, F. Matthæo priori suisque Fratribus ordinis Prædicatorum, & ipsi ordini sponte ac libere offerimus & donamus, & in signum reverentiæ & recognitionis, quod locum ipsum teneant a nostra universitate tanquam a domina & patrona, ipsi nos recolligant nostrosque successores in participationem generalem & perpetuam omnium orationum & beneficiorum suorum tanquam confratres suos: insuper singulis annis in crastino festivitatis B. Nicolai missam solemnem in majori altari præsente conventu pro vivis magistris & scholaribus, necnon & pro conservatione studii Parisiensis: in crastino verò purificationis B. M. V. cum eadem solemnitate missam pro illis qui de universitate nostra Parisius decesserint, celebrabunt. Præterea pro quolibet magistro cujuscunque facultatis fuerit de nostris, qui in officio regendi decesserit Parisius, tantam facient solemnitatem quantam facerent pro uno de Fratribus suis defunctis, & quilibet sacerdos de eis celebrabit missam pro eo, & prior eorum faciet legi tria psalteria pro eodem. Si verò ibi elegerit sepulturam, si fuerit theologus, sepelient eum in capitulo suo, si autem alterius facultatis in claustro. In cujus rei perpetuam firmitatem præsentem paginam sigillis magistrorum theologiæ fecimus roborari. Actum anno gratiæ MCCXXI.

Cùm numerus magistrorum in quaque facultate tum esset parcior, nulla erat in his conditionibus difficultas: verùm multiplicatis abinde gymnasiis præsertim sub finem seculi XIII & toto sequenti, numeroque magistrorum in immensum aucto, ultimis pacti conventis modum adhibere necesse fuit, quod & gravissimo Parisiensis senatus consulto factum est, sed hæc πάρεργα. Quibusdam visum est eo usque id est ad annum illum MCCXXI nostris in dicta S. Jacobi ecclesia nec divini Officii celebrandi, nec mortuorum suorum sepeliendorum liberam fuisse facultatem: quod quidem de sepultura facile concedam, cùm jus cœmeterii antea non haberent, at non ita de canendo divino officio, nam ut postea dicetur, B. Jordanus in eadem S. Jacobi ecclesia vestem ordinis induit die cinerum XII febr. MCCXX, cùm nostri ritum hujus diei actu celebrarent, & hanc antiphonam cantarent: *Immutemur habitu.* Quia autem monachi majoris monasterii, quorum erat tum prioratus & ecclesia S. Mariæ de vineis, ut in ista mortuos suos nostri sepelirent, faciles se præstiterant, quam acceptum sibi fuerit hoc pietatis genus Honorius III declaravit hoc illis Brevi misso. *Honorius &c. Dilectis filiis priori & Fratribus conventus S. Mariæ de vineis extra portam Parisiensem constitutis. Gratum gerimus quod dilectos filios Fratres ordinis Prædicatorum in sacra pagina studentes apud Parisios in visceribus caritatis vestræ pietatis officiis laudabiliter confoveatis &c. Datum* IV *Kal. martii anno* IV, scilicet XXVII feb. MCCXX, sed stylo veteri adhuc MCCXIX: quod breve obtinuerit B. Dominicus tum Romæ e Parisiis redux existens, ut ex sequentibus clarum fiet. Attendas autem velim qui primos nostros sodales Parisiis agentes nominet pontifex nempe *studentes in sacra pagina*, unde colligas domum sancti Jacobi ab ipsis initiis gymnasium fuisse, nostrosque tum apud se ab uno suorum lectionem sacræ scripturæ quotidie audiisse, tum scholam publicam theologiæ ut aliâs Tolosæ frequentasse, saltem usquequo sacræ facultatis magistrum apud se habuerunt, quod brevi evenit, ad quod alludere videtur universitas magistrorum & scholarium dum eos supra confratres vocat, sicque a principio in gremium asciviſſe docet. Quia verò capitulum Ecclesiæ Parisiensis in his omnibus obtinendis plurimum nostris faverat, his litteris laudavit pontifex. *Gaudemus in Domino & in vestris laudibus gloriamur, quod vos & ad obedientiæ bonum pronos, & ad pietatis studia promtos, sicut decet devotos filios invenerimus &c.* Quas litteras in magno pastorali ecclesiæ Parisiensis lib. 19 charta 35 servari asserit Jacobus du Breul in Theatro antiq. Paris. Gallico pag. 379. Hæ verò probant dictum Jordani, donationem absolutam ecclesiæ S. Jacobi nostris demum factam ad instantiam precum summi pontificis.

quam parva quædam semina, futuri postmodum uberioris germinis principium extiterunt. [M]

De Fratribus primò missis Bononiam.

33. Anno Domini MCCXVIII circa principium missi sunt a Roma per S. Dominicum Fratres Bononiam, videlicet F. Joannes de Navarra & quidam F. Bertrandus, postmodum verò F. Christianus cum fratre converso, qui moram facientes Bononiæ magnam perpessi sunt ibidem paupertatis angustiam. [N]

De miraculosa receptione M. Reginaldi apud Romam per B. Dominicum.

34. Eodem anno [MCCXVIII] cùm S. Dominicus esset Romæ magister Reginaldus decanus sancti Aniani Aurelianensis mare transiturus illuc usque pervenit. Erat autem vir opinione magnus, doctus scientia, celebris dignitate, qui in jure Canonico rexerat Parisius annis quinque. Hic igitur cùm venisset Romam gravi infirmitate corripitur, ad quem S. Dominicus aliquoties ut eum visitaret advenit, & exhortans eum ad paupertatem Christi & ordinis sui consortium, liberum & plenum suscipiendæ ab eo religionis hujus consensum elicuit, ita ut se voto astringeret. Relevatus est igitur ab infirmitatis suæ gravi & quasi desperato periculo, sed non sine divini virtute miraculi. Nam visibiliter inter æstus febrium suarum ad eum veniens regina cœli, misericordiæ Mater Virgo Maria, & ejus oculos aures nares os umbilicum manus pedesque quadam salutari quam secum detulerat inunctione perungens, hujuscemodi verba subjunxit, *ungo pedes tuos oleo sancto ad præparationem evangelii pacis.* Nihilominus etiam ei omnem hujus ordinis habitum demonstravit. Confestim igitur sanatus est, & sic repente toto corpore reparatus, ut medici qui de ejus convalescentia quasi desperaverant, visis ejus sanitatis indiciis mirarentur. Hoc insigne miraculum multis usque hodie S. Dominicus post publicavit, & cùm aliquando pluribus in collatione recitaret Parisius, ego ipse præsens interfui. [O]

Qualiter M. Reginaldus mare transierit, & revertens Bononiæ multos ad ordinem susceperit.

35. Igitur magister Reginaldus sanitate recepta licèt jam professione ordini teneretur, ad complendum desiderium suum mare pertransiit, & inde revertens venit Bononiam XII Kal. Jan. Cœpit autem prædicationi totus insistere, & ignitum erat ejus eloquium vehementer, sermoque ipsius quasi facula ardens corda cunctorum audientium inflammabat, ut vix esset tam saxeus, qui se absconderet a calore ejus. Tota tunc fervebat Bononia, quia novus insurrexisse videbatur Elias. In diebus illis multos Bononiæ recepit ad ordinem, & numerus discipulorum cœpit excrescere, & plures additi sunt ad eos. [P]

De via S. Dominici in Hispaniam & reditu ipsius.

36. Anno eodem [MCCXVIII] perrexit in Hispaniam S. Dominicus, ibique duabus domibus instauratis, una apud Madrid, quæ nunc est monialium, altera verò apud Segobiam, quæ prima fuit domus Fratrum Hispaniæ, revertens inde Parisius venit anno MCCXIX ubi Fratrum fere triginta congregationem invenit. Paulolum autem ibi demoratus venit Bononiam, & apud S. Nicolaum magnum invenit Fratrum collegium, quos sub disciplina Christi F. Reginaldi cura & diligentia nutriebat. Venientem itaque omnes excepere cum gaudio reverentiam deferentes ut patri: & mansionem faciens apud eos informabat teneram adhuc novellæ plantationis infantiam spiritualibus monitis & exemplis. [Q]

[M] *In ipso etiam anno.* Id sic intelligo, intra spatium anni ab ingressu nostrorum in ecclesiam S. Jacobi, nam Bernardus Guidonis sic habet in notitia provinciæ Franciæ: *Conventus Aurelianensis, ubi fuerunt primitus missi Fratres de Parisius anno Dñi* MCCXIX. Revera conventus Aurelianensis nonnisi sextum locum, seu tertium in choro sinistro sortitus est in comitiis provinciæ Franciæ, hique quatuor præcedunt Lugdunensis, cui primus prior præfuit F. Arnaldus laudatus a Stephano de Borbone jam citato P. I de dono timoris tit. I cap. I, Remensis cui primus prior datus F. Philippus teste eodem Stephano P. IV tit. 12 cap. 16 cod. Sorb. fol. 515 col. 2, Metensis cujus fundator & primus prior F. Guerricus ex eadem civitate ortus, cujus meminit idem Stephanus P. IV tit. 10 cap. 9 cod. Sorb. fol. 446 col. 2, Pictaviensis cujus primus prior F. Guillelmus ex actis ejusdem domus, & hi omnes præfecti in eas civitates missi videntur a B. Dominico, cùm primo Parisios accessit anno MCCXIX circa pentecosten mense maio: certe non majoris antiquitatis sunt illæ domus, & idem dicendum de Aurelianensi quæ omnibus relatis subjicitur tanquam posterior.

[N] Idem totidem verbis excipit Bernardus in chronico ordinis. Recolendum quod supra jam notatum Dominicum relicta Occitania Romam pervenisse ante quadragesimam anni stylo veteri MCCXVII sed novo MCCXVIII; itaque cùm hîc dicitur misisse Fratres Bononiam in principio anni MCCXVIII intellige principium stylo ejus seculi, id est post XXV martii vel post pascha quod fuit XV aprilis.

Joannes de Navarra anno superiori MCCXVII mense augusto cum aliis sex Parisios missus fuerat: unde dicendum est illum post quatuor aut quinque menses Romam ad B. Dominicum rediisse, qui gestorum forsan illi rationem redderet, tumque mense aprili circiter Bononiam amandatum; hincque rursus postea Parisios remissus videtur studiorum causa, ut ipse innuit in suo testimonio in proc. canoniz.

Bertrandus socius illi datus cùm dicitur *quidam Frater*, satis indicatur alter a celebri F. Bertrando de Garriga Parisios etiam anno superiori cum F. Matthæo misso. Sic monet Soëgius noster, qui emendat Flaminium, Castillum & Malvendum, a quibus uterque in unum confunditur.

Præter quatuor hîc laudatos, quidam F. Richardus senex memoratur in Vitis fratrum P. IV cap. 13 §. 1 prior nostrorum Bononiæ, eo proinde etiam a B. Dominico missus, nam Tancredum illum in vita sancti adeo laudatum ad ordinem recepit.

Inter gesta hoc anno MCCXVIII, quo diutius Romæ Dominicus commoratus est, reponendum censeo, quod de eo refert Stephanus de Borbone licèt ab aliis omissum. Sic igitur habet P. II de dono pietatis tit. 6, de operibus misericordiæ cap. 11 cod. Sorb. fol. 242. a. *De B. Dominico audivi, quod ipse cùm esset Romæ, postquam officium suum audierat, fere singulis diebus muros urbis circuibat, & alia loca ubi erant immurati, & eis monita salutis dabat: similis Tobiæ de quo legitur ejusdem cap. 1 c. pergebat per omnes qui erant in captivitate & monita salutis dabat eis.* Hoc autem se audivisse addit a Bartholomæo de Clusa archidiacono Matisconensi & canonico Carnotensi, a quo etiam audivit quod sancto Romæ confessus est peccata aliquando, *& quod ei quia nolebat ordinem amplecti, sanctus multa prædixit, quæ ei ut dicebat postea acciderunt.* De isto Bartholomæo iterum redibit sermo in supplemento ex vitis fratrum n. 33.

[O] Simplici huic narrationi, quæ ut sensum meum prodam, mirum perplacet, sequentes scriptores alias addiderunt circumstantias, & quo recentiores eo ampliores. Vide postea Constantinum n. 24 & Humbertum ibidem. Videsis etiam Theodoricum lib. 2 cap. 11 & S. Antoninum tit. 23 cap. 4 §. 4. Interim singula Jordani verba & rerum ordinem perpende ac memoria tene, & qui non addat ex hac visione ullam esse a Dominico factam vestis qua seu ille seu sodales hactenus usi erant mutationem, quod dissertatione speciali postea discutietur.

[P] Si ponatur Reginaldus mense aprili sanatus & maio sequenti iter Jerosolymitanum aggressus, facile potuit circa octobrem Romam esse redux, præsertim cùm hæc peregrinatio ea ætate & frequentissima esset & facillima, sicque Dominicum adhuc in Urbe repererit, a quo Bononiam legatus fuerit, & suus super sodales ibi agentes vicarius institutus. Ut ut sit, sive a sancto Romæ etiamnum consistente, sive eo jam ex Urbe egresso litteris ante exitum relictis hanc de se ordinationem didicerit, Bononiam tandem advenit XXI decembris, ibidemque multam ex concionibus sibi pepererat famam, cùm die S. Stephani prædicavit. Vide Theodoricum lib. 3 cap. 1 ubi & iter Jerosolymitanum Reginaldi & ejus Bononiam adventum, & præclare in ea urbe ab illo gesta, & insignes viros ejus opera ad ordinem adductos narrat. Bernardus citatus de his hæc solùm habet in chronico: *Missus est (Reginaldus) Bononiam per B. Dominicum, quo pervenit* XII. *Kal. Jan. scilicet in festo B. Thomæ apostoli, ibique ædificationi populorum & multiplicationi Fratrum dedit operam efficacem.*

[Q] Idem habet Humbertus cap. 28, sic incipit: *Post receptionem magistri Reginaldi in ordine, B. Dominicus in Hispaniam profectus est A. D.* MCCXVIII, *ubi duas domos instituit, unam scilicet apud Majoricum quæ modo est monialium, alteram apud Secubiam quæ domus Fratrum Prædicatorum in Hispania prima fuit.* Et cap. 29 seq. *Post hæc veniens Parisius anno Domini* MCCXIX, *ibique paululum cum Fratribus demoratus, qui ibidem anno præcedenti domum S. Jacobi receperant, & jam erant ferme triginta Bononiam adiit &c.*

Qualiter Mag. Reginaldū transmisit Parisius.

37. Transmisit autem inde Parisius F. Reginaldum non sine gravi desolatione filiorum, quos per verbum evangelii recenter Christo genuerat, qui flebant a consuetæ matris uberibus sese tam festinanter avelli, sed hæc omnia divinis nutibus agebantur. [Eratque valde quoddam mirabile de servo Dei S. Dominico, ut in mittendis huc illucque per diversas Ecclesiæ Dei partes, quemadmodum supra memoratum, sic omnia faceret confidenter, & absque dubitationis ambiguo, licèt non sic faciendum aliis videretur interdum, ac si jam de futuris eventibus certus existeret, ac per revelationem spiritus sancti fuisset edoctus. Et hoc inficiari quis audeat? Paucos primùm Fratres secum habuerat, & eosdem ut plures exigue litteratos & simplices, illos mittens sparsim per ecclesias dividebat, ut filiis hujus sæculi secundùm suam prudentiam judicantibus potius id quod fuerat inchoatum diruere, quàm magna instruere videretur. Quos autem mittebat, orationum adjuvabat suffragiis, & virtus Dei erat ad multiplicandum eos.] [R]

De itinere Dominici Hispano & exinde Parisiensi agetur postea dissertatione speciali: hîc breviter seriem viarum & temporum enarro. Dominicus Roma egressus puta mense octobri MCCXVIII, in Occitaniam venit. Ut in eam provinciam se conferret, plura urgebant: mors Simonis comitis Montisfortis amici sui conjunctissimi, quem in obsidione Tolosæ a novem mensibus hærentem lapis e machina projectus obruerat die XXV junii ejusdem anni: sodales sui amisso insigni illo Heroë patrono suo beneficentissimo mœrore confecti & consolandi: res sui ordinis prævalentibus in illa regione hæreticis non parum perturbatæ: his quantùm licuit in transcursu reparatis, recreatis Fratribus, & ad sustinenda pro fide quæque adversa excitatis, relicto ipsis præfecto F. Bertrando de Garriga, quem anno superiori cum abbate Matthæo Parisios miserat, sed qui ut conjicere est tum Tolosam redierat, Hispaniam ingressus est, Segobiæque jam aderat ante natale Domini, ibidemque pro more prædicabat, & incolis ob diutinam siccitatem, quæ agricolas eatenus seminare prohibuerat, afflictis & pene jacentibus, copiosissimum e cœlo imbrem obtinuit.

Duas in Hispania domos instituisse certum, primam Segobiæ quo prius pervenerat, hancque ejus unius opus facile credas, alteram Matriti, quam F. Petrus quem e Tolosa eo miserat anno superiori inchoarat, sed B. Dominicus instauravit, & pluribus ad ordinem allectis auxit. An verò eam Matritensem domum tum e cœnobio Fratrum in monasterium monialium immutarit dubium. Modus loquendi Jordani, *duabus domibus instauratis una apud Madrid, quæ nunc est monialium*, innuit nondum tunc factam immutationem: præterea Castillus & Malvenda p. 254 chartam referunt mense maio MCCXIX Matriti datam, qua Fratribus Prædicationis Jacobus Mames prædium quoddam donat, nulla sanctimonialium quæ ibi degant facta mentione: adde Honorium III breve Viterbii XIII Kal. april. an. IV hoc est XX martii MCCXX datum universo populo Majorici (sic Madrid ea ætate latine reddebant, ne quis hîc *Majoricam* e Balearibus primam cogitet, ceu quæ Mauris tum obediebat,) scripsisse, quo gratum omnino & acceptum sibi fuisse testatur, quod Fratres ordinis Prædicatorum receperint in visceribus caritatis, & ut magis ac magis habeant affectuosius commendatos hortatur, ceu qui saluti animarum indefatigabiliter studeant ac desudent: unde sequi videtur nonnisi post generale capitulum anni MCCXX, in quo omnibus possessionibus & reditibus renunciandum jussum est, domum Matritensem quæ quibusdam prædiis gaudebat a Fratribus relictam & Sororibus deinceps concessam. Breve Honorii refert Malvenda pag. 294, & simile X Kal. april. eodem anno seu XXIII martii ibidem datum populo Segobiensi asserit post Castillum, quæ utramque domum ejusdem rationis, id est a Fratribus eo usque inhabitatam indicant. Hæc tamen majori indigenarum disquisitioni lubens permitto.

Cùm quibusdam mensibus Dominicum ferant in Hispania restitisse, alias a relatis domos erexisse haud dubitaverim: vir enim fuit quietis impatiens, & qui ut verbo Dei prædicando, sic & suo ordini augendo impigre & continuò laborabat. Superest ut qui sua ab eo erecta cœnobia erecta contendunt, id certis & veteribus documentis evincant & astruant. Quæ stupenda miracula ab eo in illis partibus patrata ex Flaminio refert Malvenda ad MCCXIX nn. 15 & 16 de Petro quodam sancti cognato, ex perditis moribus ad frugem revocato, de quadam Lucia prægnante apud Mauros captiva & post partum cum filio suo a Christo ipso baptizato in suam patriam christianam in momento mirabiliter translata, de Alexandra dicta, cujus caput a quinque mensibus recisum e puteo vivum emerserit, de insigni latrone occiso putato & a sociis in via sepulto, sed sub terra ad Dominici adventum vivo divinitus servato, si alium non habent ut ille præstat, quàm Joannem de Monte auctorem hominem pure fictitium, vereor ut apud sapientes fidem inveniant, eo magis quod & Jordano & Humberto qui Hispanias peragrarunt, incognita fuerint. Hujusmodi miraculis non indiget gloria Dominici, nec iis astruitur dignitas societatis rosarii propriis meritis abunde stabilita.

Anno MCCXIX Hispaniam reliquisse & exinde in Franciam & Parisios usque venisse Dominicum asserit Jordanus, adeoque juxta stylum ejus ætatis post XXV martii vel post pascha quod fuit VII aprilis Hispania egressus est. Occitaniam repetens & suos Tolosanos ultimo amplexus, F. Bertrandum de Garriga socium assumsit, & magnis itineribus Parisios contendit: cùm paululum demoratum addant Jordanus & Humbertus mensem circiter in regia urbe substiterit. Interim ut illi solemne erat ubique, collationes publicas habuit, quibus Jordanus ipse tum sacræ facultatis baccalaureus se affuisse testatur, imo & ei in sacro tribunali peccata confessum, & ejus monitis diaconatum suscepisse. Tum verò ut supra ad n. 32 annotatum plures ad erigendos Lugduni, Remis, Metis, Pictavis, Aureliæ conventus misisse conjectu pronum. F. Petrum Cellani quem Parisiis invenit, & quo se contulisse post mortem comitis Montisfortis merito putes sive ut Raimundi comitis Tolosani Albigensiumque victorum furorem effugeret, sive ut sacras litteras aliquandiu saltem Parisiis audiret, Lemovicas erigendi cœnobii causa legavit: qui tamen sancto haud dubie sic disponente non tam cito Parisiis exiit, siquidem Lemovicas cum sociis sibi designatis non advenit nisi circa epiphaniam sequentem anno MCCXIX stylo veteri, novo MCCXX. Guillelmum de Monteferrato quem anno MCCXVII per quadragesimam Romæ noverat, ut supra n. 26 in notis indicatum & postea fusius dicetur in ejus testimonio, & a quo tum promissum de intrando ordine postquam duobus annis Lutetiæ scholam theologiæ frequentasset, ibidem repertum promissi admonuit, & consentientem sua veste induit, imo & comitem in reditu adjunxit. Ipsissima sunt Guillelmi verba: *Et dum ipse studeret Parisius, venit præfatus F. Dominicus illuc de Hispania, & tunc recepit habitum FF. Prædicatorum & intravit ordinem, &c.* postea legenda.

Parisiis ita tempestive exivit Dominicus, ut circa finem augusti Bononiam advenerit. Iter per Burgundiam instituit, & superatis Alpibus Bergomum primùm accessit, tumque ab ejus urbis civibus oblatum ei fuisse locum erigendo cœnobio commodum facile credas. Ulterius progressus Mediolanum venit, ubi quid egerit narrat noster Gualvaneus de la Flamma Mediolanensis in chronica ordinis. *B. Dominicus*, inquit, *exiens de Tolosa* (scilicet post reditum ex Hispania anno MCCXIX) *transiens per Franciam* (& per Parisios) *& transactis Alpibus Italiæ intra planum Lombardiæ pervenit Mediolanum in habitu regulari, & dicit quidam canonicus antiquissimus S. Nazarii, quod B. Dominicus canonicam S. Nazarii, ubi canonici habitum regularem deferebant, ingressus est, qui ipsum B. Dominicum in habitu regulari quasi unum de ipsis honorifice susceperunt.* Quæ verba valde notanda, cùm indicent B. Dominicum etiam post receptionem Reginaldi eumdem habitum cum S. Nazarii canonicis gestasse. Ambrosius Taegius qui narrationem illam ex Gualvanei chronica excepit & refert P. VI Mon. Ord. fol. 253 a prosequitur eumdem excipiens eadem P. VI fol. 16 a ad annum MCCXIX. *Perveniens autem B. Dominicus in Lombardiam Mediolanum applicuit, & in canonica S. Nazarii ut dictum hospitatus est. Per quosdam autem dies ibi moram trahens prædicationis officio insistere cœpit, & non modicum in populo illo fructum fecit. Quosdam autem præclaros viros tunc temporis ad ordinem recepit, videlicet F. Amizionem de Solario Mediolanensem jurisperitum &c. F. Guidonem de Sexto Mediolanensem decretorum doctorem &c. F. Rogerium de Merate seu de Vicomercato Mediolanensem doctorem juris famosissimum &c.* Gualvaneus qui hæc refert vivebat initio XIV seculi, de quo videsis postea. Idem habet Tristanus Calchus Hist. Mediolan. lib. XIII ad an. MCCXVIII. *Tandem B. Dominicus Bononiam devenit*, (sic idem Gualvaneus) novos utique suos tres alumnos ad ritum ordinis plenius informandos secum ducens. Vide dissertationem tertiam sequentem, ubi hæc chronologia clare demonstratur.

[R] Quæ hic Jordanus de Reginaldo, eadem habet Humbertus cap. 29, cætera ideo intra parenthesin clausa omittit.

Felix Reginaldi Bononiæ opera, ubi tot ordinis sodales aggregarat, Dominico facile persuasit non minorem Parisiis navaturum, eoque ideo illum ablegavit. De quo videsis postea ubi de eo & B. Jordano: sed & plures ex numeroso illo Bononiæ conventu ad varias Italiæ civitates misit Dominicus, primo Bergomum vel ut aliâs Pergamum: revera conventus in ea urbe erectus omnibus Lombardiæ post Bononiensem antiquior asseritur a Bernardo Guidonis in notitia ejus provinciæ, & a Pio anno MCCXIX perhibetur fundatus.

Secundò Mediolanum, quo nuper dum illac transiret, quosdam se missurum promiserat, de quo Taegius jam citatus sic

Sæc. XIII. *De primo capitulo Bononiæ celebrato.*

38. Anno Domini MCCXX primum capitulum generale hujus ordinis Bononiæ celebratum est, cui ego ipse interfui missus de Parisius cum tribus Fratribus, eo quod magister Dominicus mandasset per litteras suas quatuor Fratres de eadem domo Parisiensi ad Bononiense capitulum sibi mitti, sed cùm mitterer necdum in ordine adhuc duos menses peregeram. In eodem capitulo de communi Fratrum consensu statutum est generale capitulum uno anno Bononiæ, altero verò Parisius celebrari, ita tamen ut proxime futuro anno apud Bononiam ageretur. Tunc etiam ordinatum est ne possessiones vel reditus de cætero tenerent Fratres nostri, sed & iis renunciarent quos habuerant in partibus Tolosanis. Alia quoque plura ibi constituta sunt, quæ usque hodie observantur. [s]

habet. *Per idem tempus B. Dominicus misit Mediolanum F. Jacobum de Arriboldis & F. Robaldum præfatos* (paulo ante illos jam nominaverat) *ut ibidem prædicarent, locum pro conventu recipiendo. Qui Mediolanum venientes in canonicam S. Nazarii ubi aliquando B. Dominicus hospitatus est, recepti sunt de mense martii.* Id indicaret illos Mediolanum venisse tantùm anno MCCXX, at citius nempe ipso anno MCCXIX jam adfuisse mox evincetur. Prosequitur Taegius: *Cœperunt autem prædicare contra errores hæreticorum, quibus quasi tota infecta erat civitas: & facti sunt Fatribus favorabiles D. Hugolinus* (leg. *Hugo*) *de Setara cimiliarcha D. Uberti* (hîc rursus mendum & leg. *Henrici*) *de Setara archiepiscopi vicarius unâ cum majoris ecclesiæ canonicis. Ad horum prædicationem tota confluebat civitas hæreticis in contrarium prædicantibus. Prævaluit autem Spiritus Dñi, qui per os servorum suorum loquebatur, & quamplures hæretica pravitate abjurata ad Ecclesiæ unitatem redibant.* Quid exinde secutum fuerit, addit idem Taegius: *Eodem anno* MCCXX *decimo quinto die februarii* (ut hic non sit adversus supra ex eo relata repugnantia, dicendum hîc etiam mendum irrepsisse & pro *februarii* legendum *martii*, quod etiam ex sequentibus patebit) *Fratres qui Mediolanum a B. Dominico missi fuerant, ecclesiam S. Eustorgii obtinuerunt & ingressi sunt procurante D. Hugolino Ostiensi episcopo cardinali apostolicæ sedis legato, qui Mediolani erat pro pace confirmanda inter Mediolanenses & Cremonenses, D. Uberto de Marinonibus præposito & suis canonicis resignantibus, & ad ecclesiam S. Laurentii transeuntibus cum omnibus reditibus & vestibus ecclesiasticis, calicibus & aliis ad dictam ecclesiam pertinentibus, excepta superstantia, quæ erat in reditu librarum sexaginta pro reparatione ecclesiæ relicta.* Citius verò quàm dicat Taegius, sodales nostros venisse Mediolanum ibique jam fuisse anno MCCXIX asserit Bernardinus Corius scriptor accuratus in chronico suo Mediolanensi, ubi sic habet ad annum MCCXX. *In questi giorni da Hugone cimiliarcha & vicario dell' arcivescovo di Milano, la chiesa di sant' Eustorgio, che era tenuta da un preposto & da quattro canonici, i quali insieme contribuivano con la canonica di san Lorenzo, fù concessa a Frati di san Domenico detti de' Predicatori, che ne pigliarono la custodia a quindeci di Marzo predetto, come che l'anno innanzi due di loro fossero venuti ad habitare in questa città.* Clarius dicere non potuit præfatos Jacobum de Arriboldis & Robaldum a Dominico missos Mediolanum jam venisse anno MCCXIX, nam Mediolani annus a prima januarii etiam tum incipiebat. Corius mortuus est circa MD. ejusque chronicon typis prodiit Mediolan 1503. Patavii 1646 & Venetiis 1654.

Puricellus ex quo in Dissert. Nazar. quæ hîc ex Gualvaneo & Taegio allata excerpta sunt, addit pag. 547 in prægrandi codice veteri MS dicti cœnobii Eustorgiani, quo multæ in primis SS. lectiones matutinarum continentur, deinde memoratur etiam Basilicæ ipsius concessio nostris facta, & ad extremum variæ altarium ejusdem consecrationes, hæc legi: *Anno ab incarnatione Domini N. J. C.* MCCXX *Idibus martii dominica de passione, qua dicitur Dominica Lazari secundùm Ambrosianos sub pontificatu ven. dñi Henrici Mediolaneñ archiepiscopi ipso disponente assignata fuit ecclesia & locus B. Eustorgii FF. ordinis Prædicatorum.* Quæ eadem habet totidem verbis Bernardus Guidonis in notitia provinciæ Lombardiæ superioris. Puricellus se non satis intelligere ait, quomodo XV illa martii dies fuerit dominica passionis & Lazari, quia inquit pascha ejus anni in ejusdem martii diem XXVI incidit, ut ex tabulis paschalibus constat: verùm tabulas quibus usus est falsas dicendum est, nam ex veris anno MCCXX erat Num. Aur. 5. Lit. Dom. E. D. pascha XXIX martii, ac proinde dominica passionis Idibus seu XV martii. Obiter monendum Clar. Ducangium in suo med. & inf. Latin. vocabulario in idem erratum cum Puricello incidisse. Idem Puricellus p. 559 diploma integrum refert, quo Henricus archiepiscopus laudatus nostris præfatam donationem confirmat, datum anno D. J. MCCXX die sabbati VIII Kal. novemb. seu XXV octob. indict. 9. Difficultatem forte quis moveat, quia ille dies VIII Kal. erat dominicus, sed forsan Mediolani quæ dominico die agebantur diplomata in sabbatum præcedens rejiciebantur, nam idem occurrit apud eumdem p. 558, ubi aliud diploma refertur quo idem archiepiscopus eadem iterum nostris confirmat datum anno MCCXXVII die sabbati IX Kal. febr. quo certo erat dies dominicus, nam erat lit. dom. C. vel aliam rationem dent indigenæ.

At non Bergomum solùm aut Mediolanum anno MCCXIX sodales misit B. Dominicus, sed & ad celebriores Longobardiæ civitates Veronam, Brixiam, Faventiam. Placentiam, qui verbo & exemplo ita earum urbium cives sibi devinxerunt, ut & plures ad ordinem aggregarint, & intra annum sequentem MCCXX forte etiam ante pentecosten in iis omnibus cœnobia erexerint.

His ita Bononiæ constitutis, sed & pluribus eximiis viris recens in societatem aggregatis, F. Ventura Veronensi qui primus fuit in proc. canon testis, F. Stephano Lombardo qui septimus in eodem & aliis, Dominicus ipse Romanum iter aggressus est summo pontifici gestorum rationem redditurus, & plura seu pro regimine ordinis seu pro ejus ad exteros commendatione petiturus. Comites duxit F. Guillelmum de Monteferrato & F. Bonvisium de Placentia, quod & ipsi testantur, nec dubium quin & alios adjunxerit. Quocumque verò die Bononia excesserint, Florentia transeuntes ut postea probabitur, jam Viterbii Honorium III ibi agentem convenerant XV novemb: eo enim die Dominicus ab eo diploma obtinuit datum Viterbii XVII Kal. dec. anno IV, quo papa archiepiscopis & cæteris prælatis per Hispaniam constitutis latores præsentium commendat omni meliori modo. Literas habet Malvenda p. 281. a. Duo alia diplomata postea referentur, alterum datum ibidem VI idus decemb. alterum XVI Kal. jan. in civitate Castellana, utrumque anni IV, quæ probant Dominicum ab initiis novemb. ad medium circiter decemb. in aula pontificis remoratum. Tum verò grave illud sanctimonialium Romanarum in cœnobium S. Sixti cogendarum consilium Fratribus exinde in S. Sabinam translatis cepit Honorius III, quod & Dominico pro sua prudentia exequendum commisit, iste verò feliciter perfecit mensibus januario & februario. sequentis anni MCCXIX stylo veteri novo MCCXX, ut dissertatione IV his postea addenda mihi videor invictis argumentis demonstrare.

Martii majorem partem stabiliendo & ordinando utrique novo S. Sabinæ Fratrum & S. Sixti jam Sororum cœnobio Romæ Sanctus substitit, tum verò ad pontificem Viterbii etiamnum agentem rediit, res in translatione monialium prospere actas retulit, & ab eo seu vivæ vocis oraculo, seu scripto & sigillato diplomate, sed quod jam non extat, absolutam & plenam in universum ordinem ubique terrarum potestatem obtinuit. Sic enim Ventura Veronensis primus in proc. canoniz. testis quem videsis postea n. I. Legesis & Malvendam p. 272. b: ubi hæc egregie explicat. Ab eodem pontifice videtur tum obtinuisse breve de quo nos supra in notis ad n. 36 populo Matritensi directum datum viterbii XIII Kal. April. anno IV. Exinde Sanctus forte post pascha quod ut jam pluries dictum IV Kal. april. seu XXIX martii accidit, Bononiam properavit prima ordinis comitia ad pentecosten celebraturus. Præter socios jam indicatos secum etiam duxisse crediderim S. Hyacinthum, ejus germanum B. Ceslaum, FF. Henricum & Hermannum quatuor Polonos, quos quadragesima hujus anni suis sodalibus allegisse verisimilius est, ut fusius dicetur dissert. IV seq.

[s] Idem fere habet Bernardus Guidonis in chronico sic. *Anno Dñi* MCCXX *S. Dominicus primum generale capitulum Bononiæ celebravit, in quo capitulo per constitutionem perpetuam omnibus temporalibus abdicatis, resignando tam præsentibus reditibus, quàm futuris ordo Prædicatorum paupertatem voluntariam est professus: in quo etiam fuit statutum, ut capitulum generale uno anno Bononiæ celebretur, alio anno Parisius, ita tamen quod sequens immediate capitulum deberet propter solemnitatem magis tunc numerosi conventus apud Bononiam celebrari, sicut & factum fuit. Multa etiam fuerunt statuta ibidem, quæ usque hodie in ordine observantur. Huic capitulo interfuit F. Jordanus successor B. Dominici, sicut ipsemet in suo libello scribit* Hoc primum capitulum celebratum est feriis pentecostes, quæ eo anno incidit in XVII maii, & nuncupari potest institutionis & promulgationis legum nostrarum, & acceptationis constitutionum, inter quas hæc videtur posita, ut abrogata omni alia nomenclatione superiores conventuum priores dicerentur, revera ut supra legitur in pactis cum Joanne decano S. Quintini de ecclesia S. Jacobi Parisieñ. tertia maii anni sequentis F. Matthæus jam non *abbas* sed solùm *prior dicitur.*

De Sancti postea gestis hæc refert Puricellus Dissert. Naz. p. 552 ex Taegio cit. P. VI fol. 19. a. *Finito autem capitulo generali beatus toto illo anno planum Lombardiæ circuivit præ-*

De injunctione prioratus Lombardiæ F. Jordani & missione Fratrum in Angliam.

39. Anno Domini MCCXXI in Bononiensi capitulo generali visum est eis mihi officium prioratus super provinciam Lombardiæ primùm imponere, cùm anni spatium peregissem in ordine, nondum fixis quantum oportuit radicibus, ut regendis aliis ante præficerer, quàm meam imperfectionem regere didicissem. In ipso capitulo quoque conventus Fratrum in Angliam cum F. Giliberto priore transmissus est. Huic ergo capitulo minime præsens interfui. T

dicationi & saluti animarum intendens. Pervenit itaque Mediolanum in festo S. Barnabæ apostoli, & ad conventum Fratrum declinans magnum ibi reperit numerum Fratrum, a quibus summo cum honore & omnium lætitia receptus fuit. Post non modicum arripuit eum febris, in cujus accessione jugiter orabat : unde F. Bonvisius, de quo supra mentio sæpius facta est, qui socius ejus tunc temporis erat, per signa vultus deprehendit ipsum multas consolationes recipere divinas ac cœlestia contemplari : discedente vero febre librum ante se deferri fecit, sermonemque legi faciebat : postmodum cœpit Deum laudare & Fratribus prædicare, convalescensque de infirmitate valedicens Fratribus inde discessit. Utinam quæ sequuntur apud Taegium haberentur, interim dum quis diligentior ea prodat, sanctum alias Lombardiæ civitates præsertim ad quas anno superiori sodales miserat percurrisse creditu proclive, ita tamen ut Bononiam juxta quod se dabat via, semper se reciperet : sic mense augusto diem assumtionis B. V. Bononiæ celebrasse docebit postea Constantinus n. 42.

Mense novembri Romam eundo Florentia iterum transivisse probabitur postea in notis ad vitæ per Constantinum n. 35. Romæ verò sub initium decembris jam fuisse plura diplomata pontificia evincunt. Primum profert Malvenda p. 293. b. quod sic incipit: *Honorius &c. Dilecto filio F. Dominico priori ordinis Prædicatorum &c.* Concedit ut cum sodalibus qui in seculo existentes ecclesiasticos ordines minus canonice susceperant, dispensare possit. Datum Laterani VI id. decemb. *pontif. anno* IV, vel V, addit Malvenda. Certò non potest esse anni IV nam VI idus dec. Honorius agebat Viterbii, ut docet Rainaldus ad 1219 n. 54, superest ut sit anni V, seu MCCXX. Alterum diploma idem profert p. 325. b. cujus initium, *Honorius &c. Venerabilibus Fratribus archiepiscopis &c.* iis commendat ordinem Prædicatorum & nominatim *dilectum filium F. Dominicum præsentium latorem supradicti ordinis canonicum &c. Datum Laterani* XV *Kal. febr. anno* V. Cùm dicit præsentium latorem indicat præsenti datum. Tertium idem addit p. 326. *Honorius &c.* Ecclesiarum prælatis commendat rursus Fratres ordinis & præsertim *F. Dominicum priorem ordinis Prædicatorum &c. Dat. Laterani* IV *Kal. april. anno* V. Dum in his litteris Dominicum pontifex modò canonicum tantùm, modò priorem simpliciter nuncupat, indicat titulum magistri ordinis nondum ei collatum fuisse. Vide dissertationem IV sequentem, ubi de hoc ultimo Dominici itinere Romano accurate & peremtorie agitur.

Ex Urbe Bononiam Sanctus repetens Rainerium Capoccium S. Mariæ in Cosmedin diaconum cardinalem comitari potuit Viterbium usque, & consentit Malvenda, qui & verisimilius habet tum ab eodem cardinali quam erexerat S. Mariæ ad gradus ecclesiam cum claustro eidem adjuncto accepisse. Exinde suos Senis & Florentiæ agentes in transcursu visitaverit.

T Hæc magis explicat Bernardus Guidonis in chronico. *Anno Dñi* MCCXXI *fuit a B. Dominico secundum generale capitulum Bononiæ celebratum, in quo capitulo vel in præcedenti quod magis æstimo, sed certitudinem plenariam non inveni, fundatis jam per orbem conventibus circiter sexaginta, dicti conventus per octo provincias sunt distincti, scilicet Hispaniam, Provinciam, Franciam, Lombardiam, Romanam provinciam, Teutoniam, Hungariam, Angliam. Priores provinciales in prædictis provinciis fuerunt in illo capitulo instituti.* Capitulum hoc habitum est feriis pentecostes, quæ hoc anno incidit XXX maii: quoad numerum domorum videtur hîc positus certus pro incerto, vel quæ brevi sperabantur erigendæ indicatæ ceu jam essent institutæ : nam ex notitia ordinis supra posita jam erectæ ultra quadraginta ascendisse non apparent. Priores provinciales tum instituti hi fuerunt ex eodem Bernardo viri graves omnes & spectatissimi.

In Hispania F. Suerius Gomesius Lusitanus de quo supra in notis ad n. 28.

In Provincia F. Bertrandus de Garriga supra etiam laudatus ad n. 30 in notis.

In Francia F. Petrus Remensis ut certis documentis evincetur postea ubi de eo inter scriptores. Scio a quibusdam F. Matthæum primum Franciæ provincialem dici, quia nempe titulo abbatis non solam domum Parisiensem sed & cæteras Franciæ a MCCXVII rexit, sed expuncto in comitiis anni MCCXX abbatis titulo, prior Parisiensis tantùm habitus est postea, quod munus gerebat etiamnum anno MCCXXV, tantùm abest ut obierit anno MCCXX, ut habet Malvenda p. 321. b.

In Lombardia F. Jordanus, ut ipsemet ait, licèt absens a capitulo, de quo etiam postea.

In Romana F. Clarus qui multis laudibus ornatur in vitis Fratrum lib. 1 cap. 5 §. 1, ac de quo suo ordine agetur.

In Teutonia F. Conradus ille scilicet de quo postea Constantinus n. 42 die assumtionis B. V. anno superiori MCCXX ordini aggregatus, qui mox a finitis comitiis iter arripiens Frisaci vel ut alii scribunt Friesaci substitit cum sociis, ibidemque primam Teutoniæ domum erexit, vel ut alii volunt a S. Hyacintho anno superiori tantùm MCCXX (non MCCXVIII ut habet Malvenda) jam erectam instauravit. vide differt. IV sequentem. Est autem Friesacum non ut rursus habet Malvenda, Viranum Ptolemæi quod ad Dravum in Noricis, & vernacule Volckmarck nunc dicitur, sed urbecula ditionis archiepiscopi Salisburgensis seu Luvaviæ in superiori Carinthia ad torrentem Matnitz sita cum arce supra rupem vicinam valida, & in qua episcopus Lavantmundensis sæpius commoratur. Hunc Conradum eum facile censeas de quo Cantimpratanus de Apibus lib. 2 cap. 57 §. 23 qui anno MCCXXXI provincialis munere etiamnum fungebatur : certo ille est cujus pretiosa mors Magdeburgi XXIV novemb. refertur in vitis Fratrum lib. 5 cap. 2 §. 3.

In Hungaria F. Paulus ut verisimile indigena, qui cum esset Bononiæ publicus J. C. professor hoc eodem anno MCCXXI ab ipso S. Dominico veste accepta in ejus manibus professionem emiserat, de quo legendus Theodoricus lib. 4 cap. 7 & lib. 8. cap. 1. Huic mox in Pannonias abeunti adjuncti sunt quatuor sodales, inter quos F. Sadoch vir magnæ perfectionis, qui ut addit ibidem Theodoricus ad civitatem Lauriensem cùm venissent, tres juvenes gymnasium frequentantes ad ordinem allegerunt, & secum in Pannoniam duxerunt, ubi intra paucos annos plures eorum diligentia & zelo domus erectæ. Civitas Lauriensis hîc laudata haud dubie est Lauriacum ad confluentem Anisi in Danubium Lentiam inter cui proximius & Vindobonam situm, quod quidem alias florentissimum fuit sedesque archiepiscopi, verùm nunc dignitate Luvaviam translata in oppidum redactum, *Lorch* ab indigenis etiamnum dictum. Revera hinc secundo Danubio Hungariam quam petebant ingredi facile, aliunde Italiam egressis Noricisque Alpibus superatis & Mediterraneis transactis portus ille commodus occurrebat.

Ferunt autem istum Paulum post plura ordinis cœnobia in Pannonia erecta, ut quod in votis B. Dominicus semper habuerat nec potuerat perficere impleret, ad Cumanos partem Hungariæ incolentes se transtulisse, pluribusque eorum etiam principibus ad fidem conversis non pœnitendum fructum perse suosque sodales apud eam gentem reportasse, vitamque tandem cum Tartari Hungaria invasa ferro & igne omnia popularentur illustri martyrio finiisse. Id autem quando acciderit variant auctores. Leander Albertus vir. illust. fol. 58. b. annum MCCXXII indicat : revera sic habet Tholomæus noster de Lucha Histor. Scholast. lib. 21 cap. 25. *Anno* MCCXXII. *Honorii III papæ* VII *Tartari transierunt montes Ryphæos, qui dividunt Asiam majorem ab Europa, ut habes in nostra Tripartita lib. 2. Marchias Ungarorum perforant, quas ipsi sylvas vocant, totam regionem quasi vastant nemini parcentes sive sexui sive ætati, ut historia Germanorum tradunt.* Verùm hac vice Tartari Marchias solùm seu fines Hungariæ attigerint, nam Theodoricus vitæ B. Dominici lib. 8 cap 1 nostros ordinem prius in Hungaria pluribus erectis domibus stabilivisse, quàm ad Cumanos se contulerint tradens, imo & variis vicibus proinde variis annis cum ejicerentur ad eos rediisse, donec duos illorum reges aut duces feliciter converterint, satis innuit hæc non intra annum MCCXXII contigisse. Hæc itaque referenda videntur ad luctuosam illam a Tartaris Hungariæ invasionem, quæ ex Alberico incepit anno MCCXXXVIII, quo *cùm rumor esset populum Tartarorum in Comoniam & Hungariam velle venire, utrum hoc verum esset, missi sunt de Hungaria quatuor Fratres Prædicatores, qui usque ad veterem Hungariam per centum dies iverunt, quibus reversis nunciaverunt, quod Tartari jam veterem Hungariam occupaverant & suæ ditioni subjecerant.* At tandem annis sequentibus ulterius progressi, anno MCCXLI Pannoniam ingressi eas strages ediderunt, quas Bonfinius describit lib. 8. Bela IV rex ut eorum furorem evaderet in insulas Dalmatiæ vicinas se recepit, plurimi tum e nostris sodalibus occisi, alii ad alias ordinis provincias fugerunt, de quibus sic legitur in actis capituli generalis Parisiis anno MCCXLVI habiti. *Fratres Hungariæ in provinciam suam revertantur.* Quod signum non diu ante res in illo regnò pacatas. Videsis chronicon parvum ad finem constitutionum cap. 3.

Denique in Anglia prior provincialis præfectus est F. Gisilbertus, quem cum sociis B. Dominicus in illud regnum misit, de quo sic habet noster Nicolaus Trivetus ad annum MCCXXI. *De secundo capitulo generali Fratrum ordinis Prædicatorum, quod sub B. Dominico celebratum est Bononiæ, hoc anno missi sunt Fratres Prædicatores in Angliam, qui numero tredecim habentes priorem F. Gilbertum de Fraxineto in comitiva venerabilis patris D. Petri de Rupibus Vuintoniensis episcopi Cantuariam pervenerunt, ubi cùm se D. Stephano Cantuariensi archipræsuli præsentassent, audito quòd*

Sæc. XIII.

De obitu S. Dominici.

40. Interim apud Bononiam magister Dominicus propinquante suæ peregrinationis termino cœpit graviter ægrotare, & in ipso suæ ægritudinis lectulo duodecim ex Fratribus discretioribus advocans, cœpit ad fervorem & promotionem ordinis ac perseverantiam sanctitatis exhortari, admonens fœminarum maxime juvencularum suspecta vitare consortia: quoniam hoc genus illecebrosum est nimis & efficax illaqueandis animabus nondum ad purum excoctis. En inquit usque ad hanc horam in carnis incorruptione misericordia me divina servavit [v]. Ante mortem quoque suam dixit Fratribus confidenter, quod defunctum eum utiliorem forent habituri quàm vivum. Sciebat nimirum cuinam credidisset sui laboris & vitæ depositum, non diffidens de reliquo sibi repositam esse coronam justitiæ, qua percepta tanto fieret ad impetrandum potentior, quanto in potentias Domini jam securior introisset. Itaque invalescente magis infirmitatis angustia, denique febribus simul laborabat & fluxu: tandem pia anima illa carne soluta est pergens ad Dominum qui eam dederat, & lugubrem incolatum cœlestis habitationis perenni consolatione commutans.

De visione quæ in hora mortis F. Gualæ apparuit.

41. Eadem autem die eademque hora defunctionis ipsius F. Guala prior Brixiæ, postmodum autem civitatis ejusdem episcopus in loco campanilis Fratrum in Brixia reclinatus obdormierat levi somno, viditque velut aperturam quamdam in cœlo, per quam duæ scalæ candidæ descendebant, quarum unam Christus in summitate tenebat, alteram mater ejus, & per utrasque angeli descendentes & ascendentes discurrebant. Igitur in imo scalarum inter medium earum sedes est posita, & super sedem sedens veluti Frater unus ordinis faciem habens velatam caputio, quemadmodum moris est mortuos nostros sepeliri: scalas autem sursum trahebant paulatim Christus Dominus & mater ejus, quousque ad summum usque pervenit qui in imo fuerat collocatus: isque demum cùm fuisset cum immenso splendore psallentibus angelis receptus in cœlum, clausa est illa apertura cœli præfulgida, nec quidquam ultra comparuit. F. Guala qui hoc viderat quamvis infirmus admodum fuisset & debilis, resumtis mox viribus confestim Bononiam iter arripuit, ubi comperit eadem die atque ipsa diei hora defunctum fuisse servum Christi, sicut ipso nobis narrante didicimus. [x]

De sepultura S. Dominici & operatione miraculorũ.

42. Sed adhuc paulisper ad beati viri venerabiles redeamus exequias. Diebus igitur defunctionis suæ contigit venerabilem virum Ostiensem episcopum sedis apostolicæ tunc temporis in Lombardia legatum, nec non (*jam*) sedis Romanæ summum Pontificem Papam Gregorium venisse Bononiam, ratione cujus multi magni viri & Ecclesiarum prælati præsentes tunc aderant. Qui cognito magistri Dominici ab hac vita discessu præsens advenit, quippe qui valde familiariter eum noverat, & multo dilexerat amoris affectu, sciens virum justum & sanctum, ejusque sepulturæ per semetipsum explevit officium, ibidem præsentibus in quorum cordibus felix beati viri transitus, & manifesta cunctis sanctitas fuit, quam hic vivens habuerat. Stola quippe immortalitatis æternæ, quam eum percepisse jam astantium conscientia testabantur, despectum seculi loquebatur: dum in eisdem exequiis considerandum occurreret, quàm sit securum illius supernæ habitationis & æternæ requiei locum vitæ præsentis despectione mereri, & vilitate conversationis hujusmodi mortem sibi conquirere pretiosam. Itaque expergefacta est devotio vulgi reverentia populorum; & accurrentes multi qui infirmitatum quarumcunque premebantur molestiis, ibique permanentes diebus ac noctibus fatebantur omnino percepisse se remedia sanitatum, curationum suorum testimonia defe-

Prædicatores essent, statim F. Girberto imposuit, ut coram se sermonem faceret in ecclesia quadam, in qua ipsemet proposuerat eodem die prædicare. Cujus verbis admodum ædificatus pontifex toto suo tempore religionem Fratrum Prædicatorum & officium prosecutus est gratia & favore. Progredientes autem Fratres de Cantuaria venerunt Londonias in festo S. Laurentii, & ulterius Oxoniam in festo assumtionis gloriosæ virginis, in cujus honore oratorium construxerunt, & habebant scholas illas quæ nunc S. Edwardi dicuntur, in cujus parochia locum acceperant, in quo tempore aliquo morabantur, sed cùm non esset opportunitas locum sufficienter dilatandi, transtulerunt se ad locum a rege eis concessum, ubi nunc habitant extra muros. Ex quibus has tres domos Cantuariensem, Londoniensem, & Oxoniensem primas provinciæ Angliæ fuisse colligas.

Ex Anglia nostros in Hyberniam trajecisse non diu postea constat ex actis, forteque Frater ille Reginaldus in vitis Fratrum lib. 2 n. 16 laudatus de quo postea e duodecim fuerit cum Gilberto in Angliam missis unus, qui exinde in Hyberniam, quam ejus patriam conjicere est, licèt dubitet Varæus, trajecerit, & post quasdam erectas ordinis domos in Italiam reversus, & a Gregorio IX inter pœnitentiarios ascitus, ab eodem archiepiscopus Armachanus & Hyberniæ primas evectus est, quod munus nonnisi indigenæ & ejus linguæ homini conveniebat, quæ tamen Hybernorum nostrorum diligentiori criterio lubens permitto.

Scotiam etsi Angliæ finitimam non tam cito nostros intrasse constat ex chronico Maylrossensi pag. 200 ubi sic legitur: *A. D.* MCCXXX *primo ingrediuntur Scotiam Fratres Jacobini, quos allexit Alexander II rex, & in magna teneritudine tanquam patronus & procurator singularis eis astitit, assignavit loca, ornavit ac fundavit.* Chronicon illud MS memb. seculo XIII scriptum servatur etiamnum in Anglia in celebri Bibl. Cotton. viditque D. Ines Scotus vir eruditus Parisiis hoc anno MDCCXVII agens, ac illustrandæ historiæ ecclesiasticæ Scoticæ incumbens, a quo & notitiam istam accepi, qui & conjicit e domo San-jacobea Parisiensi primos nostros sodales a rege Alexandro laudato accitos, quia in ipso in Scotiam ingressu dicti sunt Jacobini, non verò ex Anglia, in qua hoc nomine nostros audiisse nuspiam legitur.

In his alteris a B. Dominico habitis comitiis ultimam ordinis regimini formam præscriptam recte monet Malvenda, & ut qui certo domorum numero præfecti fuere, priores provinciales dici placuit, sic & statutum, ut qui universis præpositus esset, magister ordinis deinceps vocaretur. Comitiis dimissis civitates Lombardiæ lustrare aggressus est B. Dominicus, & mense julio Venetiis aderat cum Hugolino episcopo Ostiensi de rebus ordinis agens, ad quod tempus erectionem domus nostræ Venetæ recte referas. De his sic Taegius referente Puricello p. 552. *Post celebrationem capituli B. Dominicus D. Hugolini sæpedicti legati in Lombardia curiam visitavit, regrediens autem a legato circa finem mensis julii venit Bononiam valde lassus, æstus quoque erat magnus, & labor itineris fuerat multum gravis: tunc ægrotare cœpit ex infirmitate qua decessit &c.* Idem Puricellus Dominicum vult seu eundo ad dictum legatum seu redeundo per Mediolanum transiisse, & suos Eustorgianos sua iterum præsentia beasse.

[v] *En usque ad hanc horam in carnis incorruptione misericordia me divina servavit.* Manifestum non integram esse sententiam & aliquid fuisse rescissum. Revera sic legitur in actis capituli generalis Bononiæ anno MCCXLII celebrati: *Item monemus & volumus quod abradatur de legenda B. Dominici, ubi semeptipsum asserit, licèt in carnis integritate conservatum, nondum illam imperfectionem evadere potuisse, quin magis afficeretur in juvencularum colloquiis quàm in affatibus vetularum.* Sapientes illi viri (erat capitulum diffinitorum secundum) forsan veriti sunt, ne ista confessio eximiæ B. Dominici sanctitati officeret, & labem inureret, eorumque prudentia in harum linearum abrasione nonnisi laudanda est: verùm cùm affectio illa externa tantùm esset, nec ad sancti animam penetraret, imo quam toto corde detestabatur, quid obstat si ipse ita fassus est, ut nos fragiles nobis caveremus, quominus eum tam sanctum humani quid tamen passum esse salva innocentia, sciamus.

Vide postea quæ F. Ventura Veronensis in proc. canoniz. primus testis de obitu B. Dominici habet, ubi circunstantias omnes fusius explicat.

[x] Hæc visio ratione personæ gravioris & a sanctitate in primis commendatæ cui facta est, celebris habita est in ordine. Eamdem totidem fere verbis refert Constantinus postea n. 46: habet etiam Stephanus de Borbone de septem donis P. v. tit. 3 de temperantia ubi de paupertate voluntaria cod. Sorb. fol. 653. a.

Hinc etiam patet conventum Brixiensem ipso vivente B. Dominico erectum, certe secundum locum in choro dextro obtinebat in provincia Lombardiæ superioris.

F. Guala hîc laudatus episcopus Brixiensis electus est an-

rebant, suspendentes ad tumulum beati viri cereas oculorum, manuum ac pedum cæterorumque membrorum effigies, prout varia eorum infirmitas & corporum seu rerum multifarie reddita valetudo. Sed inter hæc non erat, qui huic divinæ gratiæ cum digna gratiarum occurreret actione. Si quidem visum est plerisque non debere receptari miracula, ne sub velamento pietatis speciem quæstus incurrerent, sicque dum propriam opinionem inconsiderata sanctitate celarunt, communem Ecclesiæ neglexere profectum, & gloriam sepeliere divinam. [Y]

Visitatio cujusdam ...cens Ro-

43. Constat tamen in hac vita positum certis fulsisse virtutibus, coruscasse miraculis, & ex iis plura quidem audivimus, sed ob diversitatem narrantium scripto mandata non sunt, ne forte dum res gesta ordine describeretur incerto, incertum generaret legentibus intellectum. Libet tamen eorum quædam prout certius nobis innotuerunt advertere. Cùm esset aliquando Romæ, quidam D. Stephani Cardinalis de Fossanova consanguineus adolescens, dum insederet equo, & incaute lasciviens cursu ferretur præcipiti, lapsus gravissime deferebatur cum lacrymis, quem vix semivivum, vel forte jam indubitanter exanimem inter mortuos existimabant. Cùmque circa defunctum mœror increscerer, affuit ibidem magister Dominicus, & cum ipso F. Tancredus vir bonus & fervidus prior aliquando Romanus, cujus relatione hæc didici. Qui dixit ad eum, quare dissimulas, cur non interpellas Dominum? Ubi nunc compassio tua ad proximos? ubi ad Deum fiducia cordis tui? commotus igitur exhortatione Fratris, & victus æstuantis compassionis affectu, asportatum clam juvenem in conclavi virtute precum suarum refocillavit ad vitam, & palam cunctis eduxit incolumem. [Z]

44. Retulit quoque mihi F. Bertrandus, de quo transmisso Parisius facta est superius mentio, quod cùm aliquando una cum ipso iter ageret, & gravis super eos intemperies aëris oriretur, jamque pluviarum inundatio multam terram infunderet, facto signo crucis magister Dominicus sic ante se depulit omnem ejusdem inundationis eluviem, ut gradientibus eisdem semper ante se viderent ad trium cubitorum spatia stillicidia dense stillantia super terram, nec una quidem gutta vel fimbriam vestimentorum ejus contingeret. [A]

De moribus B. Dominici.

45. De curationibus etiam infirmitatum plura nobis innotuerunt, quæ ad præsens scripto mandata non sunt, ejus sanctitatis valida argumenta. Cæterùm quod ipsis fulgentius est, magnificentiusque miraculis, tanta morum honestate pollebat, tanto divini fervoris impetu ferebatur, ut ipsum esse vas honoris & gratiæ, vas ornatum omni lapide pretioso haud dubie probaretur. Inerat illi firma valde mentis æqualitas, nisi cùm ad compassionem & misericordiam turbaretur: & quia cor gaudens exhilarat faciem, placidam interioris hominis compositionem manifesta deforis benignitate ac vultus hilaritate prodebat. Tantam autem servabat in iis quæ secundùm Deum rationabiliter concepisset fieri, cordis constantiam, ut vix aut nunquam semel enunciatum cum digna deliberatione sermonem acquiesceret immutare. Cùm multa in ejus facie sicut commemoratum est, de bono conscientiæ testimonio semper eluceret hilaritas, omnium sibi facile vendicabat amorem, omnium sine difficultate mox ut eum aspicerent, illabebatur affectibus. Ubicunque versaretur sive in via cum sociis, aut in domo cum hospite reliquaque familia, aut inter magnates principes aut prælatos semper ædificatoriis affluebat sermonibus, abundabat exemplis, quibus ad amorem Christi seculive contemtum audientium animi flecterentur. Ubique virum evangelicum verbo se exhibebat & opere. Tempore diurno cum Fratribus sociisve nemo communior, nemo jucundior: nocturnis horis nemo vigiliis & obsecrationibus per omnem modum instantior. Ad vesperum demorabatur ei fletus, & ad matutinum lætitia. Diem impartiebatur proximis, noctem Deo, sciens quoniam in die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus. Flebat autem uberrime atque creberrime, & fuerunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, die quidem tunc magis cùm missarum crebra quotidiana celebraret solemnia, nocte verò cùm supra omnes infatigabilibus excubaret vigiliis.

46. Erat ei in ecclesiis pernoctandi creberrima consuetudo, usque adeo ut vix aut raro certum ad quiescendum lectum videretur habere. Orabat igitur noctibus & perseverabat vigilans, quantùm a fragilitate corporis extorquere potuisset: & cùm tandem lassitudine succedente, & lentescente spiritu somni interpellaret necessitas, sive ante altare sive alio quocunque loco, aut certe super lapidem instar patriarchæ Jacob capite reclinato paululum requiescens, rursus evigilabat ad spiritus orationisque fervorem. Omnes homines largo excipiebat caritatis sinu, & cùm omnes diligeret, ab omnibus amabatur. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus sibi proprium vendicabat, affluens pietate, & se totum in proximorum curam atque miserorum compassionem effundens. Hoc etiam cunctis eum faciebat gratissimum, quod simplici gradiens via, nullum unquam in verbo vel opere duplicitatis aut fictionis prætendebat vestigium. Verus erat amator paupertatis, vilibus utens indumentis. In cibo simul & potu modum temperatissimum observabat, delicata vitans, & libenter simplici pulmento contentus, habens firmum suæ carnis imperium, & utens vino sic temperate lymphato, ut necessitati satisfaciens corporali, nunquam subtilem ejus spiritum hebetaret. Quis hujus hominis usquequaque virtutem imitari sufficiat: Mirari possumus, & exemplo ipsius pensare nostri temporis inertiam: posse verò quod ille potuit, non humanæ virtutis, sed singularis est gratiæ, nisi quem fortè miserans Dei bonitas in simile dignata fuerit prorogare sanctitatis fastigium. Sed ad hæc quis idoneus? Imitemur tamen Fratres ut possumus paterna vestigia, simul & agamus gratias redemtori, quod talem in via hac qua ambulamus, ducem exhibuit servis suis per eum in hujus conversationis lucem regeneratis, & deprecemur misericordiarum patrem, ut illo nos regente spiritu quo filii Dei aguntur, per terminos quos posuerunt patres nostri, ad eamdem metam perpetuæ felicitatis & sempiternæ beatitudinis, ad quam ille sine fine felix introivit, nos quoque indeflexo tramite pertingere mereamur. [B]

no MCCXXIX, cessit contemplationis cupidus anno MCCXL, mortuus est III novemb. MCCXLIV, de quo insigni viro legendus Ughellus.

[Y] Hæc magis explicat Ventura Veronensis citatus quem videsis postea.

[Z] Vide postea vitam per Constantinum n. 26 & dissertationem IV sequentem, ubi annus, mensis & dies patrati hujus miraculi quanta potuit diligentia expenduntur.

[A] Hic F. Bertrandus de Garriga nuncupatus e primis fuit in terra Albigensium B. Dominici sociis: itaque cùm has regiones aliquando percurrerent, id accidisse verisimiliter conjicitur. Videsis Percinum Mon. Tolos. ad 1209 n. 39.

[B] Præter hanc S. Dominici vitam Jordanus epistolam encyclicam ad universum ordinem scripsit, in qua omnia gesta in translatione corporis sancti narrat, quam si lector curiosus videre velit, Bzovium adeat, qui eam habet ad MCCXXXIII n. 5, vel etiam Malvendam ad eumdem annum n. 9. Finem tantùm hìc addere necessarium: *Acta sunt hæc in civitate Bononiensi IX Kal. junii anno gratiæ* MCCXXXIII *Indict.* VI *Romanæ sedi Gregorio IX præsidente, & imperii sceptra Friderico II gubernante.* Ubi annotandum venit hanc epocham actorum esse diei translationis, non autem ipsius epistolæ a Jordano scriptæ.

SEC. XIII. Pro coronide hujus vitæ addendum visum est caput XXVII Historiæ occidentalis Jacobi de Vitriaco episcopi Aconensis, tum postea Tusculani a Francisco Moscho Duaci apud Bellerum 1597 in 8 editæ, caput scilicet illud ad codicem Sorbonicum seculi XIII aut XIV recognitum & emendatum.

De nova religione & prædicatione Bononiensium Canonicorum.

EST alia regularium canonicorum Deo grata & hominibus gratiosa congregatio extra civitatem Bononiæ non longe ab ea in castris æterni regis militantium, & eidem sub unius majoris obedientia in fervore spiritus & mentis excessu tam devote quàm humiliter servientium. Hi siquidem adeo expediti post Dominum currunt, & nudi nudum sequuntur, quod omnem exteriorum curam, & temporalium possessionem a se penitus rejecerunt, omnia transitoria tanquam stercora reputantes ut Christum lucrifaciant. Sapienter enim pensantes, & prudenter attendentes quod sufficit diei malitia sua, in tantum de crastino non cogitant, quod eleemosynas aliquas a fidelibus non recipiunt, nisi quantum sobriæ vitæ suæ ad arctam necessitatem possit sufficere. Tribus in hebdomada diebus carnes si eis apponantur, non recusant, simul in refectorio manducantes & in dormitorio quiescentes, & horas canonicas secundùm B. Augustini regulam pariter in ecclesia in voce exultationis & confessionis Domino concinentes, immolantes Deo sacrificium laudis, & reddentes altissimo vota sua. Ipsi autem ex numero scholarium Bononiæ causa studii commorantium in unum Domino inspirante congregati, divinarum scripturarum lectiones uno eorum docente singulis diebus audiunt. Quæ autem diligenter audierint, summi Pontificis authoritate, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ institutione Christi fidelibus diebus festis in prædicatione refundunt: Canonicam regulam, & salutares regularium observantias prædicationis & doctrinæ gratia decorantes, & Prædicatorum ordinem canonicorum ordini conjungentes. Hæc igitur dulcis mixtura bonorum multos ad imitandum allicit & provocat & accendit, & diebus singulis sancta & honesta Christi scholarium congregatio & numero ampliatur, & caritate dilatatur. Attendentes enim fortes athletæ Jesu Christi, quod nullum sacrificium magis placitum sit Deo quàm zelus & salus animarum, & quod anima quæ impinguat impinguabitur, & qui inebriat ipse quoque inebriabitur, sumentes in vasis suis de optimis terræ fructibus & ferentes viro munera, aquas suas in plateis dividunt, & fontes eorum derivantur foras in agro Domini fructum centesimum recepturi, unanimiter laborantes ut animas peccatorum de faucibus Leviathan extrahentes, postquam ad scientiam erudierint multos, fulgeant tanquam stellæ in perpetuas æternitates. [c]

Hanc enim certum est nonnisi post B. Dominici canonizationem anno sequenti factam ad provincias ordinis missam fuisse: cujus argumentum invictum est in ea hujus canonizationis fieri mentionem. Quando autem & ubi quove die B. Dominicus sanctorum albo inscriptus fuerit, postea commodius annotabitur ad finem chronici Humberti.

[c] Mira semper mihi visa est Andreæ Hoii ad editionem citati Francisci Moschi observatio, ubi miratur Jacobum de Vitriaco etsi S. Dominico synchronum inter tot regulares quos laudat, ordinis Prædicatorum non meminisse: cùm in isto capite tam clare primorum nostrorum Bononiensium vitam, redituum quorumcumque abdicationem, victum e mendicato quæsitum, in studiis assiduitatem, zelum salutis animarum, concionum frequentiam describat, ut cæcum esse oporteat, qui sodales Dominicanos in hac narratione non agnoverit. Viro erudito fucum forsan fecit & tenebras offudit, quod illi primi nostri sodales canonici nuncupentur, at velum facile est reducere, & tenebris dispulsis lucem afferre. Certum itaque habendum nostros in illis ordinis initiis canonicos vulgo audiisse. Jam supra in notis ad Jordani n. 37 allatum est diploma Honorii III Laterani XV Kal. feb. anno V datum, hoc est juxta stylum hujus ætatis XVIII jan. MCCXXI, & ab ordinis confirmatione jam anno IV, in quo pontifex B. Dominicum non aliter nuncupat, quàm *ordinis Prædicatorum canonicum.* Imo ne plura aliunde documenta accersere necesse sit, in ipsis constitutionibus nostris ad annum usque MCCLI sic vocabamur. Taceo quod etiamnum in ipso prologi principio ordo noster dicatur *canonica religio*, sic enim legitur: *Justum est ut qui sub una regula & unius professionis voto vivimus, uniformes in observantiis canonicæ religionis inveniamur.* At in cap. XIII de recipiendis, textu V sic aliâs legebatur: *Nullus recipiatur in canonicum ad probationem vel professionem, nisi a priore provinciali vel a priore conventuali cum assensu totius vel majoris partis capituli.* In actis verò capituli generalis anno MCCXLVI Parisiis celebrati quod erat priorum provincialium sic declaratum fuit: *Item sciant omnes, quod in illa constitutione ubi dicitur, nullus recipiatur in canonicum &c. debet esse canonicum, & qui non habent apponant.* Anno tantùm MCCXLIX in cap. gen. Treviris inchoatum est, & in sequenti Londini MCCL approbatum, & tandem Metis MCCLI confirmatum, ut deinceps textus allatus sic legeretur: *Nullus recipiatur in Fratrem clericum*, expuncto *canonici* vocabulo. Neque solùm sic inter nos, sed & ab exteris sic nuncupabamur. Bononienses nostri sic appellantur in processu canonizationis B. Dominici, cujus hoc est initium: *Testes recepti super vita &c. B. Dominici &c. & sunt introducti a F. Philippo Vercellensi ejusdem ordinis canonico procuratore &c.* postea afferenda. In Galliis idem usus erat. Girardus I archiepiscopus Bisuntinus laudans nostrorum ad suam civitatem a capitulo majoris ecclesiæ vocationem, sic loquitur in diplomate anno MCCXXIV dato: *Memoriæ duximus tradere futurorum, quod venerabiles Fratres nostri decanus totumque capitulum nostræ Bisuntinæ matricis ecclesiæ S. Joannis Evangelistæ attendentes &c. reverendos Fratres canonicos ordinis Prædicatorum ad civitatem nostram instinctu sancti Spiritus vocaverunt &c.* & sub finem diplomatis: *Et quicumque in domo illa pro tempore prior extiterit, fidelitatem & reverentiam debet ecclesiæ supradictæ S. Joannis, sicut canonicus spiritualis ecclesiæ.* Sic refert Jo. Jac. Chiffletius in sua Vesuntione P. II p. 258. Quod nostros ea ætate canonicos vulgò nuncupatos & habitos argumentum. Vide superius ad n. 24 Jordani annotata. Non mirum itaque si Jacobus de Vitriaco primos ordinis sodales laudans eos dicat, *Prædicatorum ordinem canonicorum ordini conjungere*, tale enim fuit Dominici consilium.

Bononienses speciatim exprimit, quia quo tempore scribebat, conventus erat numerosior, in quo B. Dominicus veluti sedem posuerat, & ex quo velut ex equo Trojano exibant in dies & alio mittebantur qui congregationem nostram dilatarent. Ex numero scholarium Bononiæ causa studii commorantium in unum Dño inspirante congregari addit: scholarium vocabulo norunt omnes ea ætate indicatos quoscumque gymnasia frequentantes, non solùm auditores sed & magistros cujuscumque gradus & facultatis: si legantur autem nostræ historiæ, occurrent innumeri, qui ex universitate Bononiensi ordinem amplexi, eumdem vel in Italia vel in aliis regnis propagarunt. Hinc Rolandus Cremonensis regens magni nominis, hinc Clarus ibidem juris utriusque professor, hinc Moneta celebris artium magister post alios quam plures a B. Reginaldo allectos, hinc Conradus Teuto Bononiæ magister & regens famosus precibus B. Dominici ad ordinem adductus & primus Teutoniæ provincialis, hinc Paulus Hungarus etiam Bononiæ J. C. professor & Hungariæ primus provincialis datus, hinc Gilbertus cum XII Anglis ibidem studentibus, & in Angliam cum iisdem missus, hinc S. Raimundus & innumeri alii. Novi illi canonici prædicatores dicuntur sacræ scripturæ lectionem uno eorum docente quotidie audire: idque ita ratum & fixum mansit toto ordinis seculo primo, ut constat ex actis capitulorum seu generalium seu provincialium, ut nec ipsi priores a frequentandis quotidie scholis eximerentur. Dicuntur ad Bononiam non longe ab ea morari, & id nostris convenit, qui ad S. Nicolaum de vineis nondum intra urbis mœnia conclusum habitabant. Denique si quis hoc capite Vitriacum de nostris non agere contendat, ostendat novam religionem prædicationi deditam, ætate Vitriaci Bononiæ summi pontificis auctoritate institutam, numerosiorem in dies factam, ubivis terrarum sese dilatantem, & quæ *Prædicatorum ordinem canonicorum ordini* conjunxerit aliam a nostra, & erit mihi magnus Apollo.

Scrupulum forsan quis ingeret, quod idem Vitriacus addat, Prædicatores illos tribus in hebdomada diebus carnes si eis apponerentur non recusasse. Sed facilis responsio Vitriacum non ad amussim de his quæ in quaque religione præsertim nova observabantur, edoctum fuisse: sic enim ubi de ordine Minorum quædam habet, quæ apud eos nunquam fuerunt in usu: ut cùm dicit summum apud eos esse priorem, cui subsunt priores inferiores, quas denominationes nunquam usurparunt: item capitula generalia quotannis semel vel bis etiam apud eos convocari, quod non verum, nec agnoscit ipse Wandinghus. Adde forsan Bononiæ in illis principiis & antequam B. Dominicus sua haberet capitula generalia,

ALTERA S. DOMINICI VITA.

Ex codice MS *memb. in* 8 *seculi* XIII *apud FF. Prædicatores Parisienses ad S. Honorati servato.*

Sec. XIII.

INcipit prologus in legenda B. Dominici primi fundatoris ordinis FF. Prædicatorum compilata per Fratrem Constantinum.

Multifarie multisque modis olim Deus electos ad æternum invitans convivium, novissime diebus istis (1.) misit servum suum dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia: servum hunc ordinem Prædicatorum sanctus interpretatur Gregorius novissimis dirigendum temporibus ad humanas videlicet mentes de vicino adventu judicis commonendas. Novum enim aliquem Prædicatorum ordinem futurum scriptura præmonuit, quem circa finem seculi mittendum tam signanter expressit: misit inquiens servum suum hora cœnæ. Hora cœnæ finis est mundi, nos autem sumus in quos fines seculorum devenerunt. (2.) Hujus ordinis primus institutor & pater extitit B. Dominicus, cujus vitam inclitam (3.) & obitum gloriosum, nec non virtutum prodigia, quibus divina potentia largiente sive dum viveret sive post obitum coruscavit, prout ad nos veritatem omnem per testes idoneos sancita transmisit auctoritas, humili quidem sed veraci stylo perstringimus, illius gratiam invocando, qui sanctorum suorum & vitam ad meritum, & obitum provehit ad triumphum, propter quod nec immerito in sanctis suis mirabilis prædicatur.[A]

De ortu ejus & qui revelatus est matri in forma catuli nasciturus.

1. Venerabilis igitur pater B. Dominicus[B], quem tempore mundo pariter occidenti destinandum providentia divina disposuit, ex occiduis partibus Hispaniæ, scilicet villa quadam quæ dicitur Calaroga Oxomensis diœcesis patre Felice, matre verò Joanna nomine secundùm carnem duxit originem. Cujus mater priusquam ipsum conciperet, ut quis esset futurus, non solùm facta sequentia, verùm etiam factorum sequentium procurata divinitus præsagia loquerentur, vidit in somnis se catulum gestantem in utero ardentem faculam bajulantem in ore, qui egressus ex utero totam mundi faciem inflammabat[C]. In quo quid daretur intelligi, nemo qui Prædicatorem in catulo, in ardente vero facula divinum eloquium sacra attestante scriptura designari recordatur, ignorat.

De stella visa in fronte ejus totum mundum illustrante.

2. Aliud quoque secuturæ veritatis indicium, a præcedenti verò in re significata non discrepans, matronæ cuidam nobili non minus honestate quam genere, quæ jam natum servum Dei Dominicum ex sacri baptismatis fonte suscepit, in visione monstratum est. Videbatur enim ei quod puer Dominicus stellam præfulgidam haberet in fronte, quæ splendoris sui irradiatione multimoda totum orbis ambitum illustrabat. (O conveniens hinc inde præsagium, ardens facula, stella micans, ut in uno quidem veteris paginæ zelatori Eliæ videlicet de quo scriptum est, surrexit Elias quasi ignis, & verbum illius quasi facula ardebat: in altero verò novæ gratiæ præcursori, de quo ad beatum Job dicitur, nunquid producis luciferum in tempore suo &c, puer Dei Dominicus non immerito prædicetur:)[D]

lia, carnium usum tribus hebdomadæ diebus si offerrentur licitum fuisse, aut certe nondum prohibitum, vel tandem de infirmis id intelligendum. In capitulo generalissimo Parisiis anno MCCXXVIII celebrato constitutiones quædam declaratæ sunt immutabiliter in perpetuum observandæ, quædam verò aliæ quas simile capitulum pro tempore mutare posset, inter has vero illa de carnibus nisi causa infirmitatis non comedendis recensetur, quod signum primitivis illis patribus hanc in præcipuis & maxime necessariis non visam habendam: feliciter tamen quoad hoc nihil hactenus est innovatum, spesque est in isto si unquam alias ordinis flore nihil a posteris innovandum. Si eruditi Actorum SS. editores hæc aliquando legerint, eos sperare ausim emendaturos quod T. III maii p. LIV in serie epp. Hierosol. a Daniele Pappebrochio sola Andreæ Hoii supracitati fide innixo ceu certum profertur, nullam a Vitriaco fieri ordinis Prædicatorum mentionem.

A Humbertus hunc prologum totidem verbis excipit, sed & quædam interserit quæ visa sunt non omittenda.

1. *Diebus istis.* Id est hora undecima.

2. *Seculorum devenerunt.* Missus est igitur hora cœnæ id est novissimis diebus ordo novus, novus inquam pariter & antiquus, novus institutione antiquus auctoritate: novus imo novissimus spatio, primus autem officio. Conductis equidem primo mane operariis vineæ ex denarii conventione cultoribus, & etiam hora tertia sexta & nona, hora restat imo jam extat undecima, qua novissimi multiplicentur cultores. Hi sunt Prædicatores, quorum ordinem temporum novissimorum periculis dispensatio divina providit, ut appropinquante judicio illius, cujus in humilitate judicium est sublatum, testium numerus augeretur. Idcirco jam nunc multiplicantur in senecta uberi, ut bene patientes annuntient, quoniam rectus Dominus Deus noster. Hæc sunt tintinnabula, quibus pontificalis poderis extremitas decoratur: hi sunt equi fortes & varii in quadriga novissima de medio duorum montium æreorum egressi, ut perambulent omnem terram. Hujus ordinis primus institutor &c. ut supra.

3. *Vitam virtutibus plenam*, Deoque gratissimam, obitum quoque & ex parte miracula, & ordinis ipsius in occiduis mundi partibus & occasu temporis orientis exordium rudi quidem sed veraci stylo perstringere operæ pretium est opitulante gratia Jesu Christi.

B *Sic vero Humbertus incipit cap.* 1. Beatus Dominicus Prædicatorum dux & pater inclitus, qui appropinquante mundi termino quasi novum sidus emicuit, ex Hispaniæ partibus villa quæ dicitur Calaroga Oxomensis diœcesis oriundus fuit. Decebat sane, ut qui olim luciferum in tempore suo produxerat, vesperum quoque advesperascente jam die super filios terræ consurgere faceret ab occasu: ut extremis temporibus ab extremis terræ nubes educeret, quarum imbre serotino vineam quam dextera ejus plantaverat, liberius irrigaret. Sicut enim Johannes Baptista velut lucifer solis ortum præveniens salvatoris primum prænunciavit adventum, sic sanctus iste Dominicus vespertini sideris in se gerens officium, occidente seculi luce vicinum creditur prævenisse judicium.

C *Mundi faciem inflammabat.* Humbertus cap. 2. totum mundum incendere videbatur. Quo præfigurabatur ex ea prædicatorem eximium nasciturum, qui facem igniti portaret eloquii, quo frigescentem in multorum cordibus caritatem vehementius inflammaret, & sedulæ prædicationis latratibus lupos arceret a gregibus: dormientes quoque in peccatis animas ad virtutum vigilantiam excitaret. Quod & rei postmodum probavit eventus: fuit enim vitiorum mirabilis objurgator, oppugnator hæresum, fidelium diligentissimus exhortator. Verba quidem ejus ardebant ut faculæ, quia in spiritu venerat & virtute Eliæ.

Idem cap. 3. *Pater ejus Felix, mater verò Johanna nuncupata est.* Sicque deinceps cæteri. Theodoricus lib. 1 cap. 1. *Erant hi tum secundùm seculi conditionem satis honesti, tum erga Deum christiana pietate devoti.* τὸ *Satis* juxta grammaticos significat *abunde*, itaque *satis honesti*, hoc est multum præstantes, maxime illustres honesti, & generis nobilitatem indicat. Ex illustri gente Gusmana Felicem ortum accurate probasse dicitur noster Andreas Ferrer Valdecebro in Historia ordinis idiomate Hispano elegantissime scripta, sed quam morte præventus typis non edidit: sic enim refert Josephus de Sarabia itidem noster in Annalibus ordinis Hispane editis t. 1 p. 175. Matrem etiam Hispanam ex stirpe dominorum de Aza æque clara fuisse prodit Malvenda de his legendus.

D Humbertus cap. 4 visionem etiam matri spirituali tribuit, rescissis verò, quæ ideo intra parenthesim clausa, sic habet. Quo dabatur intelligi, quod dandus foret quandoque in lucem habitantibus super terram, illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent: ipse enim quasi stella matutina fulsit in mundo, visaque est cum eo nova lux quædam oriri seculo, cujus claritas jam diffusa est ubique terrarum. Erat autem hæc matrona nobilis, quæ visionis magnitudine stupe-

SÆC. XIII.

De profectu pueritiæ ipsius.

3. Crevit itaque sub honestorum parentum diligentia religiose nutritus, & ut cordis ejus adhuc recens hospitium, priusquam in eo mundus gressum infigeret, salutaris sibi disciplina præveniens vendicaret, (instar pueri Samuelis) ecclesiasticis erudiendus officiis mancipatur: unde factum est, ut quasi firmo fundamento supposito non minus mente quàm ætate proficiens ad virtutum arcem feliciori quotidie gradu conscenderet. Qua propter sub silentio prætereundum non est, quod adhuc parvulus sub nutricis custodia constitutus, supplente in eo gratia quod natura negabat, quasi quædam furtiva futuræ religionis captans præludia, deprehensus est sæpe lectum dimittere, eligebatque (cum Jacob) super nudam terram accumbere; quasi carnis jam delicias abhorreret: (nimirum illi puerorum factori in hoc prout poterat vicem rependens, quem intemerata mater & felix puerpera statim natum non in lecto regio, sed in fœni præsepio reclinavit.) E

De studio ejus apud Palentiam & studii profectu.

4. Puerilibus igitur annis innocenter excursis tandem missus Palentiam, ubi tunc temporis studium generale florebat, postquam liberalibus artibus diligenter insudans sufficienter edoctus est, ne in eis diutius tempus debitum salubrioribus disciplinis expenderet, ad Theologiam se transtulit, cujus studiis per quatuor annos ardenter invigilans, de thesauris ejus hausit avide, quæ postea effudit abunde. F

Qualiter amore sapientia adipiscenda per decem annos vinum non bibit.

5. (Libet autem adhuc diligenter advertere, vas electionis futurus vir Dei Dominicus, postquam adipiscendæ scientiæ cœpit intendere, quanto discendi desiderio ferebatur. Nam Salomonis, quem nondum forsan legerat, imitatus propositum,) ut animum suum plenius transferret ad sapientiam, cogitavit a vino abstrahere carnem suam. (cogitavit inquam, & quod cogitavit effecit,) nam & vinum per decennium non gustavit. Postmodum a bonæ memoriæ Didaco Oxomensi episcopo (quasi alter Timotheus a Paulo) compulsus est vino uti sed modico, & hoc propter stomachum lacessentem, quod tamen ita temperatum bibebat, ut in eo vix saporis vestigium remaneret. G

Qualiter distraxit libros & omnia & dedit pauperibus.

6. Per idem tempus cùm universam Hispaniam clades famis invaderet, vir Dei Dominicus adhuc Palentiæ constitutus mira quorumdam pereuntium inopum compassione commotus, cum aliunde subvenire non posset, distractis libris cum omni suppellectili quam habebat, dispersit dedit pauperibus, prudenter sane imo simul misericordiæ opere & egenorum necessitatibus providens, & evangelicis consiliis obsecundans. Qua in re non paucos de scholaribus & magistris ad misericordiæ opera provocavit. *Vide Jordanum supra n. 6 & notas ibidem.*

Qualiter factus est canonicus regularis, & de profectu ipsius in religione.

7. Interea dum vir Dei hujuscemodi ascensionibus in corde suo dispositis de virtute proficeret in virtutem, fragrans odor conversationis ipsius ad notitiam bonæ memoriæ Didaci Oxomensis episcopi fama celebri deferente pervenit. Accersitum ergo in sua fecit ecclesia canonicum regularem, beatum sane se reputans in hoc ipso, dum & sibi de tanto filio & suæ ecclesiæ de ministro tam inclyto providisset. Nec multo post ipse factus omnibus vitæ speculum, religionis exemplum, a concanonicis in eadem ecclesia supprior ordinatur. Ipse verò ad totius sanctitatis studium se totum conferens, totus pergens in Deum die noctuque terebat ecclesiam, lectioni & orationi sine intermissione vacabat, secumque cum Jacob in tabernaculis habitans, Esaü vagos declinabat excursus. In libro quoque de collationibus Patrum frequentissime studiosissime legens, magnum ex eo perfectionis cumulum apprehendit. Flebat autem uberrime, hanc enim specialem gratiam contulerat ei Deus, pro peccatoribus miseris & afflictis, novumque in se præferens Jeremiam, totus erga pereuntium animas miro compassionis liquescebat affectu. Quapropter hoc apud se semper speciali desiderio pulsabatur, ac præcipue & incessanter aures divinæ clementiæ petitione hac pulsabat, quatenus hanc sibi gratiam dignaretur infundere, qua se totum aliquando saluti posset impendere proximorum: nec fraudatus est tandem a desiderio suo. *Vide supra Jordanum n. 7 & ibidem notas.*

Qualiter processit in publicum mediante Didaco Oxomensi episcopo, & de conversione cujusdam hæretici hospitis sui.

8. Igitur cùm jam tempus esset in janius, quo divinæ voluntatis propositum exigebat, ut beati viri virtus prodiret in publicum, ne diutius lucerna, quam divinus ignis tam diligenter accenderat, sub modio latitaret, factum est ut bonæ memoriæ Didacus Oxomensis episcopus cujus cor Deus jamdudum simili procurandæ salutis inspiratione tetigerat, rogatu regis Castellæ proficisci deberet ad Marchias, occasione cujusdam connubii inter ipsius regis filium & quamdam puellam nobilem procurandi. Assumto itaque comitatu decenti, secum etiam servum Dei Dominicum non sine Dei nutu in sanctæ collationis solatium, nec minus in religiosæ societatis ornamentum assumsit. Cùm autem cœpto itinere pervenissent Tolosam, eadem nocte qua ibidem hospitio sunt recepti, deprehendit vir Dei Dominicus suum hospitem hæretica pravitate corruptum. Quem benigna simul & evangelica persuasione conveniens, & ad fidem convertens, quasi quemdam primitiarum manipulum futuræ messis congregandæ per ipsum Domino præsentavit. *Vide supra Jordanum n. 9 & notas ibidem.*

De voto ipsius.

9. Legatione denique semel & iterum consummata, sed puella quæ tandem ducenda fuerat jam defuncta, supradictus episcopus ad concepti propositi complementum anhelans, & excellentiora connubia spiritualium scilicet nuptiarum procurare disponens, respondens regi per nuntium Romam adiit, summo pontifici propositum suum exposuit, cessionem rogavit, asserens sui fore voti Cumanorum conversioni curam impendere: sed nequaquam quod petiit assecutus redire compulsus est, a petitione quidem vacuus, sed nequaquam a salubri proposito permutatus. *Vide supra Jordanum n. 11.*

facta, matri ejus cum ingenti gaudio quod viderat nuntiavit.

E Humbertus ex hoc n. 3 sed rescissis quæ ideo intra parentheses clausa, & ex n. 3 Jordani suum caput 3 conflavit stylo mollito. *In illa*, inquit, *sua puerili ætate cor ei senile jam inerat, & sensus veneranda canitiei sub tenella facie latitabat.* Et ad finem: *Ex tunc autem duxit in consuetudinem declinata stratus mollitie frequentissime super terram dormire.*

F Humbertus excipit cap. 5 sed stylo mollito, & quædam addit. *Sic ad studium generale florebat.* Subjicit, *abundans tam multitudine numerosa scholarium, quàm studiosa perfectione doctorum. Cœpit igitur sancta puer indolis non segniter agere, eruditioni cujus gratia missus erat diligenter intendere, omissisque frivolis quibus adolescentior solet ætas effluere, maturioribus sese studiis occupare.*

G Humbertus cap. 5 rescissis quæ ideo intra parentheses clausa, cætera totidem verbis habet, & addit: *Unde factum est, ut in liberalium artium eruditione supra multos coætaneos suos spatio breviore proficeret. His ergo competenter instructus, ne in hujusmodi non tam scientiis, quàm vera & summa philosophia præludiis tempus salubriori disciplina congruum deperiret, ad theologiæ studium se contulit, cœpitque divinis inhiare vehementer eloquiis: quorum mellea delectatus dulcedine, hauriebat avide, quod postea effudit abunde. His itaque sapientia salutaris studiis quatuor annis invigilans, tanta diligentia tantaque discendi aviditate sacris litteris inhærebat, quòd pene noctes ducebat insomnes. Divini quoque verbi semina intenta cordis aure suscipiens, tamquam terra cœlesti imbre perfusa, non solùm sanctarum meditationum & affectionum segetes, sed etiam operum bonorum fructus uberrimos producebat. Effudit proinde largius intellectum fons sapientiæ super latitudinem cordis ejus, & quod etiam humana peritia deerat, hoc in eo divina gratia illuminatio abundanter supplebat. Sanctitatem quidem vitæ ratiocinationum argutiis, & spiritualem fructum verborum foliis præponebat: & sermo ejus & prædicatio ejus erat non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis.*

Qualiter XII abbates Cistercienses missi sunt ad conversionem Albigensium.

10. Adhuc eo tempore invalescente morbo pravitatis hæreticæ in partibus Albigensium, ad ipsius morbi per verbum prædicationis pestem mortiferam exstirpandam a summo pontifice Innocentio III duodecim abbates Cisterciensis ordinis adjuncto eis apostolicæ sedis legato ad easdem partes fuerunt destinati. Quibus cum prælatis cæteris Ecclesiarum regionis illius congregatis in unum, & diligenter inter se conquirentibus, quisnam modus aptior haberetur ad id cujus rei gratia missi fuerant fructuosius exequendum, præfatus Didacus Oxomensis episcopus illinc iter faciens advenisse refertur. Lætantur omnes, advenientem vocant, vocatum cum honore suscipiunt, & quia sciebant eum virum non minus sanctitate vitæ quàm scientiæ discretione conspicuum, ipsius sententiam super hujusmodi consilii deliberatione requirunt. Ille verò hinc pompam in equis & sarcinis varii quem secum tulerant apparatus considerans, hinc hæreticorum versutiam ex hoc maxime contra Romanam Ecclesiam ad subversionem simplicium insultationis suæ syllogismos connectere non ignorans, nec minus ex præcedentium fidei Jesu Christi præconum tot & tantis exemplis argumentum assumens, hac sententia sui determinationem consilii Spiritu Sancto dictante conclusit, ut abjectis armis Saülis id est temporalium sarcinis, cum David in funda & baculo contra Goliath prosternendum pergentes, Christum pauperem in paupertatis semita prædicarent, ut sic clavum clavo retunderent, dum quod linguæ vox promeret, vitæ meritum confirmaret, & adversariorum religionem sophisticam sanctitatis veræ confutaret aspectus. Statimque dictis facta connectens, equos cum pueris, nec non & cætera suppellectili quam habebat remisit Oxomam, retentis secum paucis ex clericis, præ cæteris autem servo Dei Dominico admodum sibi ad hoc necessario, cui etiam per hæc omnia ad id quod per eum consummandum præviderat, viam Dominus præparabat. Unde & tunc cœpit non supprior, sed Frater Dominicus appellari. Nec mora, acquiescunt omnes qui causa fidei prædicandæ missi fuerant salutari consilio, & quod consultum est executioni demandatum, remissisque omnibus ad loca propria temporalium sarcinis, cœperunt pariter Christum pauperem pedes & pauperes prædicare. Quod videntes hæretici nec modicum invidentes ex adverso fortius insistere prædicationi cœperunt. *Vide supra notas ad Jordani n. 13.*

Qualiter libellus quem scripsit B. Dominicus de fide catholica contra hæreticos ter exiit illæsus ab igne.

11. Cùm igitur inter catholicos & hæreticos tunc temporis in eisdem partibus frequenter fierent disputationum conflictus, ad quas utriusque sexus multitudo populi confluebat, factum est ut apud Fanumjovis celebris indiceretur disputatio sub judicibus deputatis, quibus ab utraque parte scripto præsentari deberet assertio fidei quam docebat. Quapropter conscriptis diversis super hoc a diversis catholicis diligenter libellis & in commune redactis, ac mutua inter se collatione discussis, libellus quem scripserat vir Dei Dominicus, communiter & commendatur præ cæteris, & decernitur præsentandus. Statuto itaque die ac multitudine populi circumstante libelli utriusque partis in medium proferuntur: verùm judicibus inter se discrepantibus hæc fuit tandem communis eorumdem sententia, ut utrosque libellos flammis injicerent, & quem ab igne contingeret non comburi, ille veram fidem procul dubio contineret. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, accensus est in publicum magnus ignis, libelli projiciuntur in medium, libellus partis hæreticæ statim comburitur, libellus verò servi Dei Dominici non solùm non læditur, verùm ab igne foras prosilit in longinquum: secundo injectus ac tertio, æque prodiit incombustus, ut sic divina potentia quod olim in tribus pueris gestum cognovimus, in uno eodemque libelli prorsus ab igne conservati stupendo prodigio & orthodoxæ fidei veritatem, & sui comprobaret sanctitatem auctoris. *Vide notas ad Jordani n. 14.*

Qualiter remansit solus in prædicatione contra hæreticos, & de persecutionibus eorumdem.

12. Sane dignæ memoriæ Oxomensi episcopo postquam in hujusmodi prædicationis officio peregit biennium feliciter ex hac luce subtracto, cæteri qui in partibus Tolosanis gratia prædicandi remanserant, ad propria sunt reversi, solus verò vir Dei Dominicus cum paucis sibi adhærentibus, sed nequaquam adhuc sibi aliquando aliquo vinculo professionis affectis, in prædicationis indefessa continuatione permansit, contra hæreticos maxime constanter annuncians verbum Dei. O quantas in illis diebus pertulit ab eisdem injurias, audivit minas, pertransivit insidias! Irridebant siquidem & multipliciter subsannabant adversarii fidei servum Dei, sputa lutum & hujuscemodi multa projicientes in eum, & a tergo pro derisu sibi paleas alligantes: sed in his omnibus cùm apostolo superabat, beatum se reputans quoniam dignus habitus est pro nomine Jesu contumelias pati. Nec solùm hoc, verùm etiam captabant in animam justi, & mortis in eum consilia disponebant. Denique cùm aliquando sibi minarentur interitum, imperterritus respondebat, non ego martyrii dignus sum gloria, nondum merui mortem istam. Quapropter locum transiens, in quo sibi præparatæ ferebantur insidiæ, non solùm intrepidus, verùm etiam cantans & alacer incedebat. Admirantes igitur antichristi satellites tantam viri Dei constantiam, tentantes aliquando dixerunt ei: Nunquid non tu mortis horrore concuteris? Quid acturus eras si comprehendissemus te? At ille rogassem vos inquit, ne repentinis me subito perimeretis vulneribus, sed paulatim & successive membra singula mutilantes, demum ostensis coram meis oculis detruncatis membrorum particulis, ipsos etiam oculos eruentes ad ultimum semivivum laceratumque corpus sic permitteretis in suo sanguine volutari, vel prorsus ad libitum necaretis. H

Qualiter se obtulit vendendum pro conversione cujusdam ab hæreticis perversi.

13. Tanto verò erga proximorum animas convertendas caritatis ferebatur ardore, ut aliquando exhortatus quemdam hæretica malignitate seductum, cùm didicisset eum intuitu temporalis subsidii propter nimiam quam patiebatur inopiam hæreticorum consortiis adhæsisse, Paulum sequens dicentem Corinthiis, ***libentissime impendam & super impendar ego ipse pro animabus vestris***, decrevit seipsum venumdare, quatenus ex accepto pretio de seipso & egestatis simul occasionem præcideret, & sub errore venumdatum liberaret. Quod fecisset nisi aliunde quo illius resarciretur inopia, dives in omnibus divina dispensatio providisset. I

Qualiter se obtulit vendendum pro redemtione cujusdam captivi.

14. Aliàs etiam simile quiddam dudum fecisse existens in sua patria perhibetur. Cùm enim quædam mulier fratrem suum lamentabili sibi conquestione in Saracenorum captivitate detentum exponeret, nullumque sibi ad liberationem illius fateretur superesse consilium, vir Dei Dominicus intima qua plenus erat compassione commotus, vendendum se obtulit pro redemtione captivi. Sed Deus qui ipsum ad multorum necessariorem redemtionem spiritualiter scilicet captivorum præviderat, non permisit. K

H Humbertus ex hoc Constatini n. 12 & Jordani supra relato n. 19 suum caput 16 composuit stylo mollito.

I Humbertus ex hoc n. 13 & supra relato Jordani n. 19 suum caput 17 concinnavit stylo mollito.

K Idem habet Humbertus cap. 17 stylo innovato & hæc addens: *Clarificatur enim in hoc Pater, non solùm ut discipuli fructum, sed & fructum plurimum afferant: & vult ut servi sui pecuniam sibi traditam cum multo reportent fœnore usurarum: & ideo revocat interdum a bonis minoribus, quos dotavit donis cœlestibus ad majora.*

Sec. XIII.

Qualiter convertit quasdam nobiles mulieres perversas ab hæreticis.

15. Cùm autem in partibus Tolosanis quamplurimos etiam nobiles diabolica videret operatione delusos, quos lupi rapaces hæretici in vestimentis ovium venientes ad se prætextu simulatæ religionis attraxerant, fremens spiritu & tactus dolore cordis intrinsecus, cogitavit fervidus animarum zelator clavum clavo retundere, & umbræ mundanum veræ lucis illustratione fugare. Hospitatus igitur apud quasdam nobiles mulieres votum quidem benefaciendi gerentes, dolo tamen familiaritatis hæreticæ circumventas, & ibidem per unius quadragesimæ spatium demoratus, tantum in se præcipue in victûs austeritate disciplinæ rigorem exercuit, ut per totam illam quadragesimam in pane solo & aqua frigida cum adjuncto sibi socio quotidie jejunaret. Noctes verò ex more sibi vigiliis vendicans, cùm ad horam necessitas exigebat, ut quietem corpori naturali cogente fragilitate concederet, lassa membra super nudam tabulam reclinabat. In his omnibus usurpans sibi nimirum illud apostoli, *sive mente excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis, caritas enim Christi urget nos.* Unde factum est, ut præfatas mulieres non solùm ad admirationis provocaret excessum, verùm etiam ad cognitionem veritatis divina gratia suffragante perduceret. [L]

Qualiter cœpit disponere de ordinis institutione, qui prædicatorum diceretur & esset.

16. Igitur vir Dei Dominicus virtute Domini confortatus, dum sic in omnibus quocumque se verteret, prudenter agens, apud Deum & homines gratia simul & opinione proficeret, cœpit de institutione ordinis cogitare, cujus esset officium verbo pariter & exemplo evangelizando per mundum discurrere, & contra succrescentes hæreses fidem catholicam communire. Cæterùm in illis partibus scilicet Tolosanis mansit quasi solus annis fere decem a transitu scilicet felicis memoriæ Didaci Oxomensis episcopi usque ad tempus, quo Lateranense Concilium debuit celebrari. *Vide supra Jordanum n. 22 & notas ibidem.*

Qualiter super hoc adiit Innocentium papam, & de visione ostensa divinitus ipsi papa.

17. Post hæc bonæ memoriæ Fulcone Tolosano episcopo proficiscente Romam ad Concilium generale, adjunctus est ei vir Dei Dominicus, qui ab eodem episcopo propter suæ meritum sanctitatis tenero dudum confovebatur affectu. Cum quo etiam summum pontificem Innocentium adiit, atque ordinem qui Prædicatorum diceretur & esset, confirmari sibi suisque sequentibus postulavit. At ille postulationi hujusmodi visus est aliquantulum primitus se difficilem exhibere, quod tamen non sine nutu divino factum est, ut nimirum ex revelatione sequenti vicarius Jesu Christi cognosceret, quàm necessarium esset universali cui præsidebat Ecclesiæ, id ad quod vir Dei Dominicus inspiratus divinitus aspirabat. Sicut enim a plerisque fide dignis compertum est, quadam nocte idem summus pontifex Deo sibi revelante videbat in somnis, quod Lateranensis ecclesia quasi suis compagibus resolutis gravem subito minaretur ruinam. Quod dum tremens simul ac mœrens aspiceret, ex adverso vir Dei Dominicus occurrebat, humerisque suppositis totam illam casuram fabricam sustentabat. Cujus quidem visionis novitatem admirans & significationem prudenter intelligens, sine ullo dilationis obstaculo viri Dei & commendavit propositum, & petitionem hilariter acceptavit, hortans eum ut ad Fratres suos rediens & diligenter deliberans cùm eisdem, pari voto regulam sibi aliquam approbatam eligerent, super quam inchoandi ordinis promotionem firmarent, & sic deinde ad ipsum veniens confirmationem ad libitum reportaret. (Quod sapienter sane nec sine Sancto Spiritu suggerente consideravit vir sapiens, sciens nimirum validiora esse ædificia, quæ fundamentis ex antiquo suppositis innituntur, viasque antiquas & regias novis semitis tutiores, dicente Domino per prophetam: *State super vias & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona & ambulate in ea.*) [M]

De deliberatione habita cum Fratribus suis circa regulam eligendam.

18. Regressus igitur post celebrationem concilii vir Dei Dominicus verbum summi pontificis Fratribus patefecit, erant autem Fratres numero circiter sexdecim. Qui mox invocato Spiritu Sancto regulam B. Augustini doctoris & prædicatoris egregii ipsi pariter re & nomine Prædicatores futuri unanimiter elegerunt, quasdam quidem arctioris vitæ consuetudines, (quas sibi per formam constitutionum observandas statuerent) insuper assumentes. (In quo pater providus circa ordinis sui componenda primordia præcedentium patrum non dedignatus vestigia sic medium tenuit, ut eis qui nascerentur & exurgerent filiis, & in quo starent, modus debitæ perfectionis adesset, & quo possent ascendere per profectum continuum non deesset, non ignorans quod scriptum est, *Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem.* Et hoc satis consulte, ne dum statim se in altum supra modum extenderet, succedentes in posterum retrocedere potius quam procedere cogerentur: sicque merito contra ipsos juxta evangelicum illud improperium diceretur, iste ordo cœpit ædificare & non potuit consummare.) Quapropter ne prædicationis, cui summopere debebant intendere, impediretur

Istud autem factum volunt cùm Palentiæ moraretur, & venditis libris pretioque in pauperes distributo, ut supra n. 5 dictum, nihil jam ei superesset. Ea ætate Saraceni seu Arabes non parvam Hispaniæ partem obtinebant, & in continuis adversus christianos præliis plures captivos abducebant.

L Cum Humbertus id explicatius narret cap. 18 placet hîc integrum inserere: Sic ergo habet. *Eo tempore sciens Dei famulus secularium corda exemplis potius moveri quàm verbis, ideoque quamplurimos subdola hæreticorum superstitione illectos pertrahi ad errorem, excogitavit exemplis exempla retundere, & veris virtutibus sophisticas expugnare. Erant siquidem personæ quædam nobiles in partibus Tolosanis, quarum sibi familiaritatem lupi rapaces hæretici pellis ovinæ superducto velamine vendicabant. Prætendebant enim ut assolent miram humilitatem in habitu, simplicitatem in gestu, dulcedinem in affatu, nimiam austeritatem in victu: exterminabant quippe facies suas, ut viderentur ab hominibus jejunantes. Quis vel sapiens in prima fronte non deciperetur a talibus? Quis non eos sanctissimos reputaret? Dolens igitur sanctus animarum zelotypus hæreticis figmentis seduci mentes simplicium, quasdam nobiles dominas incredulorum credentes ac familiares adiit, & apud eas hospitio receptus est, & per totam quadragesimam ibi mansit. Igitur ut & ipse eas ostensione sanctitatis alliceret, jejunavit vir sanctus cum socio suo in pane & aqua quotidie per totam quadragesimam usque ad pascha, ita ut mirarentur familiares hæreticorum & dicerent, vere isti homines boni sunt. Stratus quoque cùm sibi pararetur ad quiescendum idoneus, non inquit in hac mollitie, sed super tabulas quiescemus. Stratis itaque sibi nudis tabulis accubuerunt. His lectis his culcitris hac suppellectili per totam quadragesimam singulis noctibus utebantur, carnemque propriam pro salute proximi crucifigebant quotidie nudo dormientes in ligno, exemplo ejus qui somnum mortis cepit in crucis patibulo. Somnus autem eorum brevis erat, surgebant enim quam citius, & anticipabant vigilias orationibus insistentes. Allocutus etiam B. Dominicus aliquas ex dominabus illis, rogavit ut sibi & socio suo vestes quasdam viles quidem sed admodum necessarias quærere dignarentur. Interrogantibus autem illis cujusmodi vestes essent, quibus tantopere indigerent, cilicia inquit, addiditque nemo sciat, servetur secretum. Stupuerunt itaque admirantes tantam excellentiam sanctitatis, & cœperunt magis ac magis allici ad fidem catholicæ veritatis. Hæc autem faciebat vir spiritu Dei plenus, non ut sibi favorem humanæ laudis acquireret, sed ut mentes infidelium ad amorem catholicæ religionis alliceret, & ab errore superstitionis hæreticæ revocaret. Hinc nonnunquam pater iste sanctus admonebat Fratres suos, ut cùm apud seculares essent, ad proximorum ædificationem aliquam ostenderent in seipsis virtutis apparentiam, in abstinentiis, in vigiliis, verborum quoque ac gestuum disciplina: ut sic eos ad fidei reverentiam & virtutis amorem propensius invitarent, juxta quod scriptum est,* sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.

M Eadem Humbertus cap. 22 totidem verbis, exceptis quæ ideo intra parenthesim clausa. Vide supra Jordanum n. 24 & notas ibidem.

officium, proposuerunt ex tunc terrenas possessiones & reditus prorsus abjicere, quod postmodum in primo capitulo generali Bononiæ anno Domini MCCXX celebrato affectu pariter & effectu per constitutionem (immobilem) perpetuæ fuit executioni mandatum. *Idem iisdem verbis Humbertus, cap. 23 his exceptis quæ ideo intra parentheses clausa.*

Qualiter confirmatus est ordo ab Honorio papa.

19. Interea Innocentio papa per mortem mediam sublato de medio, Honorius apostolicæ sedis honorem accepit: ad quem accedens servus Dei Dominicus confirmationem ordinis sicut prædecessor ejus promiserat impetravit. Anno Domini MCCXVI ordo Fratrum Prædicatorum confirmatus est. *Idem Humbertus, cap. 25 verbis fere totidem.*

De visione quam vidit in basilica apostolorum Petri & Pauli in Urbe.

20. Cùm igitur vir Dei Dominicus esset Romæ, & in basilica S. Petri in conspectu Dei orationem suam pro conservatione & dilatatione ordinis, quem per ipsum dextera ejus propagabat effunderet, facta manu Domini super eum, gloriosos principes Petrum & Paulum ad se subito visione quadam imaginaria venientes aspexit, quorum primus Petrus videlicet baculum, Paulus verò librum sibi videbatur tradere: addebantque dicentes, vade prædica quoniam a Deo ad hoc ministerium es electus, moxque in momento temporis videbatur ei, quod filios suos per totum mundum dispersos aspiceret, incedentes binos & binos, & verbum Dei populis prædicantes. [N]

De voto eundi ad conversionem Saracenorum & dispersione Fratrum ad prædicandum per mundum.

21. Quapropter Tolosam rediens, ubi jam Fratres in ecclesia S. Romani, quam eis supradictus Fulco episcopus Tolosanus contulerat, claustrum construxerant & manebant, convocatis omnibus dixit hoc suum esse propositum, ut Fratres omnes licèt paucos per diversas mundi dispergeret regiones, sciens quia semina dispersa fructificant, congesta putrescunt. Voluit etiam ut sibi quemdam per electionem præficerent, penes quem super omnes sub ipso tamen regendi & corrigendi auctoritas resideret. Hoc autem faciebat vir sanctus disponens adire terram Saracenorum, & eis verbum Domini prædicare: propter quod etiam barbam aliquanto tempore nutriebat. Electus est igitur Frater Matthæus, & abbatis nomine nuncupatus, post quem in eodem ordine abbas nec surrexit alius nec exsurget. Placuit namque postmodum Fratribus, ut qui toti præesset ordini non abbas sed magister ordinis diceretur, cæteri verò inferiores prælati priorum & suppriorum communi scilicet religiosorum vocabulo censerentur; (devitantes nimirum juxta apostolum etsi non profanas, superstitiosas tamen vocum in omnibus novitates,) Invocato igitur Spiritu Sancto dispersit fidelis dispensator & prudens servus Dei Dominicus Fratres suos, & quosdam in Hispaniam, quosdam verò Parisius, alios tandem Bononiam destinavit: illi autem profecti salutarem ubique disseminaverunt scientiam, magnas quidem sustinentes angustias paupertatis, & virtus Dei erat ad multiplicandum eos. Ipse verò Romam Domino ducente profectus est. [O]

De eo quod ostensum est sacerdoti cuidam qui ordinem intravit.

22. Sacerdos quidam videns aliquando B. Dominicum cum suis Fratribus prædicationi tam ferventer insistere, terrenisque postpositis solis spiritualibus curam dare, ad eorum vitam pia æmulatione suspirans, deliberavit prorsus relictis omnibus eorum adhærere vestigiis, dummodo novi testamenti librum haberet, quem sibi ad prædicandum necessarium æstimabat. Hæc autem eo cogitante ecce quidam juvenis venale testamentum sub veste bajulans affuit, quod statim cum magno gaudio sacerdos emit. Verùm testamento habito irrepsit ei tentatio, hæsitareque cœpit, an illud exequi quod mente conceperat, expediret. Cùm ergo in corde ipsius variæ cogitationes excrescerent, visum est ei in eodem libro quem emerat, (non quidem quasi sortilegorum detestandis utens præstigiis, sed pia quadam intentione providentiæ se summæ committens) divinum flagitare responsum. Fusa itaque ad Deum prece, impressa super librum exterius cruce in nomine Domini librum aperuit, & oculos ad capitulum quod primo se obtulit in ipsa libri apertione conjecit. Occurrit autem ei mox illud quod in actibus apostolorum B. Petro per spiritum dictum est: *Surge descende & vade cum eis nihil dubitans, quia ego misi illos.* Statim igitur tanquam divino certificatus oraculo relictis omnibus sequutus est eos. [P]

De eo quod ostensum est Portuensi episcopo apud Bononiam in domo Fratrum.

23. Accidit etiam quodam alio tempore, ut quidam apostolicæ sedis legatus, episcopus videlicet Portuensis Conradus nomine vir religiosus de ordine Cisterciensi Bononiam advenisset, hic ad domum Fratrum Prædicatorum veniens cum debito honore susceptus est. Quædam autem hæsitatio de hoc ordine, quare scilicet & ad quid esset inceptus, menti ejus cœpit irrepere. Residens igitur in ecclesia Fratrum librum aliquem petiit, oblatusque est ei liber missalis, quem facto signo crucis aperiens, in superiori primi folii, sicut in animo suo destinaverat, parte legit, *laudare, benedicere & prædicare.* Quo tanquam cœlitus emisso responso statim exhilaratus omnem a se dubietatis scrupulum jam certus abjecit, sesque Fratribus & totaliter obtulit, & devotissime commendavit. [Q]

De conversione F. Reginaldi mirabili.

24. Romæ igitur viro Dei Dominico posito, eodem tempore vir quidam venerabilis magister Reginaldus S. Aniani Aurelianensis decanus, peritus scientia, virtute conspicuus, & opinione præclarus, qui etiam Parisius in jure canonico rexerat annis quinque, Romam unâ cum Aurelianensi episcopo mare transiturus advenerat. Hujus viri cor tali Deus

[N] Idem Humbertus totidem verbis cap. 26. Porro hæc visio illi contigerit inter XXII decemb. MCCXVI & pascha sequens, toto enim illo tempore Dominicus Romæ demoratus est.

[O] Eadem totidem verbis excipit Humbertus cap 26, recisis tamen quæ ideo intra parenthesin clausa, & identidem quibusdam verbis additis quorum hæc præcipua: *Ad congesta putrescunt*, addit: *Admirantes autem Fratres, cur sic eos dispergeret, altiori quidem id agi consilio ignorabant, nemo tamen ejus sententiæ contraire præsumsit. Voluit autem eos aliquem sibi ex Fratribus eligere in abbatem, cujus arbitrio cæteri regerentur, ita tamen ut tam super ipsum abbatem quam super cæteros Fratres penes ipsum resideret auctoritas corrigendi.*

Ad *placuit postmodum Fratribus*, addit, *insinuandæ humilitatis gratia.*

Ad *dispersit Fratres suos*, addit, velut *quædam semina salutis animarum fructus uberrimos productura.*

Denique hanc dispersionem ait factam anno MCCXVII.

[P] Idem habet Humbertus cap. 30 stylo paululum mollito, & resectis quæ ideo parenthesi clausa. Quandonam verò & ubi id acciderit incertum. Flaminius censet id contigisse Bononiæ, & sequitur Malvenda pag. 344: at potuit etiam accidisse Tolosæ, ubi & Dominicus & sui tam ferventer prædicabant.

[Q] Idem habet Humbertus cap. 31 sed stylo mollito. Sic incipit. *Accidit etiam quodam tempore, cùm jam Fratrum conventus numerosior esset Bononiæ, ut quidam &c.* post certus abjecit, addit: *Tunc quasi totis visceribus Fratres amplexus ait. Ego quidem etsi alterius professionis habitum exterius præfero, vestrum tamen interius mente gero, nec dubium vobis sit, quin totus sim vester, vestri ordinis sum, vobis me tota devotione committo.*

Hic Conradus Teuto ex illustri Thuringiæ ducum sanguine ortus monachus fuit cœnobii Villariensis in Belgio, & gradatim tum dicti cœnobii, postea Clarevallensis, demum Cisterciensis abbas electus, tandem cardinalis episcopus Portuensis ab Honorio III anno MCCXIX assumtus, legatus ab eodem missus est in Occitaniam adversus Albigenses, qui ex itinere Bononiam adierit, ubi cùm rem relatam accidisse & Constantinus & Humbertus constanter asserant, emendandus Cantimpratanus cùm vult id Parisiis factum. Obiter monendum Bailletum in vita S. Dominici allucinari, cùm hunc Conradum ejusdem sancti in schola Palentina vult fuisse condiscipulum, & ab eodem ex licentiori vita ad frugi conversum, qui sub cura parentum sanctissime educatus, & sui semper similis deinceps, Hispaniam certe ad annum MCCXXI non viderat: sed apud hunc auctorem plura alia sunt errata.

dudum inspiratione tetigerat, ut relictis omnibus prædicationis officio se totaliter manciparet: quonam autem modo quod mente conceperat ad effectum perduceret, necdum adverterat, nec adhuc recens Prædicatorum ordinis institutio sibi fuerat manifesta. Cùm autem a quodam cui familiari colloquio hujusmodi votum expresserat, jam novum ordinem juxta desiderii sui propositum institutum, ejusdemque ordinis institutorem & patrem, videlicet servum Dei Dominicum in eadem urbe prædicationis insistentem officio didicisset, accersito eo ejusque mira collocutionis dulcedine vehementer affectus, nec minus aspectu suæ sanctitatis attractus, mentis suæ proposito revelato ex tunc ipsius ordinis deliberavit ingressum. Nec mora, gravi febrium infirmitate corripitur, dumque languor fortius invalescens medicinæ remedia natura prorsus deficiente nequaquam admitteret, excluserat enim penitus mors in januis spem salutis: at vir Dei Dominicus expectatæ sobolis intempestiva damna non sustinens totum se ad orationem contulit, aures divinæ clementiæ, (reginæque misericordiæ B. Mariæ, cui tanquam speciali patronæ curam ordinis commiserat,) importunis cordis clamoribus interpellans, ne se tam subito nondum nati, sed quodam modo concepti filii consolatione privaret: tantoque importunius insistebat, ut vel saltem eum modico tempore sibi concedere dignaretur, (quanto certius ipsum futurum vas electionis & gratiæ nullatenus dubitabat.) Eo igitur in oratione persistente, ecce subito reginam misericordiæ duabus admodum speciosis comitatam puellis Reginaldus vigilans & mortem expectans ad se visibiliter venientem aspexit, blandaque facie dicentem sibi, Pete a me quod vis & dabo tibi. Expavescenti autem ad tam venerandæ visitationis occursum, deliberantique quid peteret, una ex his quæ reginam comitabantur puellis suggessit ei, ne quid peteret, nisi quod regina misericordiæ dignaretur conferre, sesequé totum ejus committeret voluntati. Quod cùm factum esset, tunc illa manum extendens, ægrotantis oculos aures & nares, os quoque & manus, renes & pedes, salutari quam secum detulerat unctione perunxit, formulas verborum proprias ad singulas unctiones subinferens: quorum verborum ea dumtaxat comperta sunt, quæ ad renum & pedum protulit unctionem: ad renes quidem ait, *stringantur renes tui cingulo castitatis*, ad pedes autem, *ungo pedes tuos in præparationem evangelii pacis.* Tunc ei habitum ordinis Prædicatorum ostendens, en inquit *iste est habitus ordinis tui*, statimque & illa ab ægrotantis oculis speciem suæ visionis subtraxit, & ægrotans languore penitus propulsato convaluit, nimirum ut pote quem mater ejus perunxerat, qui novit unctiones conficere sanitatis. (Hoc autem totum quod erga præfatum Reginaldum præsentialiter gestum est, servum Dei Dominicum in oratione absentialiter positum Deo sibi revelante non latuit.) Mane itaque ad eum veniens, & sanum reperit, & ab eodem pariter totius seriem visionis audivit. (Hujus etiam tam stupendi miraculi vir quidam religiosus de ordine Hospitalariorum testis extitit, qui die tertia ejusdem visionis seriem eidem Reginaldo, præsente quoque viro Dei Dominico iterato exhibitam ipse simul ibidem præsens existens propriis oculis Deo sibi concedente & vidit & stupuit.) Illa autem cœlestis unctio ita corpus ipsius magistri Reginaldi non solùm ab æstu febrium, verùm etiam ab ardore concupiscentiæ temperavit, quod sicut ipse postmodum est confessus, nec primus in eo motus libidinis de cætero pullulavit. (Hanc visionem, hoc insigne miraculum multis Fratribus ex quibus adhuc nonnulli supersunt, maxime post illius transitum servus Dei Dominicus publicavit.) Recepta igitur taliter sanitate Deo se & ordini totaliter obtulit, votoque potitus tandem Bononiam adiit, prædicationi tam ardenter insistens, (ut quasi alter surrexisse videretur Elias, & ex tunc maxime ad prædicationem ejus cœpit numerus Fratrum excrescere, & ordo fortius promoveri. Post hoc missus Parisius a viro Dei Dominico, Christumque prædicans verbo pariter & exemplo non post multos dies obdormivit in Domino, consummatus in brevi explevit tempora multa, sepultus in ecclesia S. Mariæ de Campis, eo quod Fratres Prædicatores nondum habebant jus propriæ sepulturæ.) [R]

De multis quæ in Urbe similiter contigerunt.

25. Sed adhuc libet ab Urbe nequaquam divertere, ea quæ in ea aliis quoque temporibus per eumdem servum Dei Dominicum contigisse didicimus prosequentes. [S]

De resuscitatione nepotis D. Stephani Cardinalis de Fossanova apud S. Sixtum.

26. Die quadam D. Stephanus de Fossanova venerabilis cardinalis ad S. Sixtum, ubi tunc temporis vir Dei Dominicus cum suis Fratribus morabatur accesserat: cujus nepos adolescens quidam dum cursu vago ferretur, præcipiti equo tandem in foveam præcipitato collapsus, collisus graviter plangentium manibus ferebatur exanimis. Ad hoc F. Tancredus vir probatus satis & famosus in ordine ad virum Dei Dominicum confidenter accedens, quid inquit agis pater? casus iste virtutis

R Idem habet Humbertus cap. 27 stylo mollito, & refectis quæ ideo intra parenthesim clausa. Quædam tantùm huic narrationi lucem allatura refero. *Cùm igitur ibidem,* (Romæ) *moram contraheret contigit magistrum Reginaldum venerabilem S. Aniani Aurelianensis decanum illuc usque venire anno Dñi* MCCXVIII. *Erat iste magister Reginaldus vir scientia præditus, virtute pariter & opinione præclarus &c.* & postea: *Habito autem cum quodam sedis apostolicæ cardinali colloquio suum ei propositum revelavit, dicens se admodum affectare, si quomodo posset hujusmodi vitæ genus attingere, ut relictis omnibus Christum prædicando per diversa loca discurreret in voluntaria paupertate. Tum ille. En inquit novus ordo Prædicatorum exoritur, qui secundùm quod appetis & prædicationis officium & paupertatem voluntariam profitetur: magister quoque ipsius ordinis in hac Romana urbe prædicationis insistens officio demoratur. His auditis magister Reginaldus continuo B. Dominicum accersiri fecit &c.* eodem modo innovata. Post illa verba: *concepti filii consolatione fraudaret:* addit, *& sicut ipse* (Dominicus) *postmodum in collatione Fratribus referebat, obsecrans ut vel modico tempore sibi eum concedere dignaretur. Eo igitur in oratione persistente &c.* Ad finem visionis: *Tunc ei habitum ordinis Prædicatorum ostendit, en inquit hic est habitus ordinis tui &c.* Post *unctiones conficere sanitatis* immediate subjungit: *Mane autem facto venienti ad se B. Dominico, & qualiter se haberet familiariter sciscitanti, sanus inquit sum, tunc narravit ei ex ordine visionem. Aguntur ergo gratiæ, & quidem non indevotæ ut arbitror Salvatori, qui sanat quos percutit, & eis quos vulnerat, salutarem adhibet medicinam. Mirantur medici tam subitam & insperatam salutem, ignorantes cujus medicinæ fuisset exhibitione curatus, qui secundùm eorum sententiam de vita fuerat desperatus. Die autem tertio sedente B. Dominico cum magistro Reginaldo, erat cum eis quidam vir religiosus de ordine Hospitalariorum testificans quod vidit manifeste B. Virginem venientem, & totum corpus magistri Reginaldi manu propria perungentem. Illa verò cœlestis unctio &c.* eadem. Nihil habet de iterata illo die tertio & illis præsentibus visione & unctione, quæ etiam prorsus inutilis. Post *pullulavit*, addit: *Hanc visionem B. Dominicus post ejus transitum Fratribus publicavit, adjuratus enim ab ipso F. Reginaldo fuerat, ne hoc in vita ipsius alicui revelaret, sed secretum quasi sub sigillo confessionis servaret. Recepta igitur cœlitus sanitate F. Reginaldus Deo se totum obtulit, & B. Dominico professionis se vinculo obligavit. Tandem verò Bononiam adiit, ubi prædicationi totus insistens, totam civitatem salutari turbatione commovit, & Christo quamplures animas lucrifecit. Multi etiam per eum Prædicatorum ordinem sunt ingressi, & ex tunc maxime Fratrum numerus cœpit augeri.* Nulla hîc ut nec apud Constantinum legitur ex ea visione facta in ordine vestis mutatio. Vide supra notas ad Jordanum nn. 34 & 35. Vide etiam dissertationem 1 sequentem. Quæ hîc de morte Reginaldi refert Constantinus, eadem habet Humbertus cap. 29.

S Ex hoc brevi præludio sequens saltem miraculum evincimus non eodem anno patratum, quo Dominicus Reginaldum Romæ inter suos sodales allegit.

tuæ experimentum expectat, nostra res agitur, eia ergo precare Dominum, compassionem tuam fiduciamque in Domino probet effectus, manifestet prodigium. Tunc tam ille Fratris vivis animatus sermonibus, quàm virtute desuper infusa de futuro signo quasi certus effectus, adolescentis corpus extinctum jam penitus in quamdam cameram, quæ nunc est cellarium sanctimonialium ibidem morantium, fecit seorsum ab omnibus introduci: factaque oratione mox mirum in modum adolescentem & vivum reddidit & incolumem præsentavit. T

De resuscitatione cujusdam architecti in eodem loco.

27. In eodem loco architectum quemdam conductum a Fratribus sub crypta quadam ruina desuper resoluta contrivit, diuque sub tumulo cadentis maceriæ jacentem extinxit. Concurrunt Fratres ad tam diri casus inopinatum eventum tristes supra modum effecti, solicitabat enim eos & defuncti status incerta conditio, & tumultuantis populi contra eos ex hoc quod inter ipsos contigerat, rumor futurus ambiguus, ut pote quorum opinio tantò facilius lædi poterat, quantò minus adhuc apud homines status ordinis notus erat: sed pius pater vir Dei Dominicus, cujus cor erat fiduciam habens in Domino, desolationem filiorum non sustinens, corpus de caverna subductum ad se deferri jussit, orationumque suffragio statim vitæ simul & sanitati restituit. V

De miraculo panum divinitus oblatorum in eodem loco.

28. Præterea sub silentio prætereundum non est quod cùm Fratres adhuc apud locum S. Sixti morarentur in Urbe, multamque necessariorum propter ordinem apud homines nondum notum frequenter paterentur inopiam, contigit die quadam, ut procurator Fratrum F. scilicet Jacobus de Melle Romanus panem quem apponeret Fratribus non haberet. Missi verò Fratres pro eleemosyna cùm domos multas more solito circuissent, (sacerdotes quidem & levitas quamplurimos, sed Samaritanum rarissime invenerunt, unde factum est ut) panis vix modicum & valde modicum reportarent. Imminente igitur refectionis hora ad servum Dei Dominicum qui tunc præsens erat, procurator accessit, defectum exposuit: ipse verò exultans spiritu alacri benedixit Deum, & quasi quadam fiducia infusa sibi desuper confortatus, id modicum quod habebatur panis per partes dividi super mensam mandavit. Erant autem in conventu tunc temporis Fratres circiter quadraginta. Facto itaque signo veniunt Fratres ad refectorium, benedictionem mensæ lætis vocibus prosequuntur, dumque per ordinem residentes buccellam panis quam unusquisque coram se reperit cum gaudio frangerent, ecce duo juvenes ejusdem habitus formæque consimilis refectorium intraverunt, palliorum sinus quæ a collo pendebant, plenos panibus quales ille pistor qui mittebat novit conficere deferentes: quibus in capite unius mensæ, juxta quam vir Dei Dominicus residebat, silenter oblatis, ita subito discesserunt, ut nullus unquam de cætero vel unde venerint scire potuerit, vel quo postmodum divertissent. Illis verò prædictis juvenibus discedentibus vir Dei Dominicus manu ad Fratres circumquaque protensa, modo inquit Fratres mei comedite. Quod autem hoc divinitus meritisque servi Dei Dominici fuerit procuratum, nemo penitus dubitavit, sicut quamplures adhuc superstites ex illis qui tunc aderant Fratribus attestantur. X

Qualiter idem miraculum iterum contigit, & de curatione cujusdam Fratris a portis mortis in eodem loco.

29. Alia quoque vice in casu consimili miraculum simile de panibus scilicet divinitus procuratis in eadem urbe meritis ejusdem servi Dei Dominici eodem F. Jacobo viro siquidem fide digno procuratore tunc temporis similiter existente, & postmodum me audiente narrante contigisse compertum est. A quo etiam aliud quoddam non minus relatione dignum, quod ibidem per eumdem virum Dei Dominicum circa se gestum referebat, audivi. Narrabat namque quod quodam tempore gravi quadam infirmitate præventus, morboque invalescente quotidie, jam ad extremum vitæ natura prorsus succumbente devenerat. Cùmque Fratres unctionis officio jam præmisso circa eum ut egredientem spiritum orando protegerent, convenissent, tristesque essent non modicum de subtractione Fratris sibi tunc temporis tam necessarii, pro eo quod tam notum in Urbe Fratrem alium non haberent, benignus pater filiorum admodum compassione commotus, seclusis omnibus clausoque ostio (super se, super corpus Fratris morientis incubuit, mensusque se quasi alter Elisæus per membra singula) super eum oratione fusa egredientem spiritum potenter retinuit, Fratribusque vocatis reparatum Fratrem ipsis per manum restituit, suoque officio Fratrem incolumem resignavit. In quo nimirum id quod in socru Petri per Dominum gestum esse cognovimus, manifeste per servum ejus conspicimus innovatum. *Idem totidem verbis excipit Humbertus cap. 36, rescissis quæ intra parenthesim.*

Qualiter signo crucis propulsavit a se & socio pluviam.

30. Viro Dei Dominico aliquando in itinere constituto, adjuncto sibi in socium Fratre Bertrando viro vitæ laudabilis & fide digno, cujus etiam hoc attestatione probatum est, facta est subito super eos gravis intemperies aeris, quam magna statim secuta est inundatio pluviarum. Cùmque densus imber per circuitum terram infunderet, vir Dei Dominicus signo crucis sic ex omni parte circa se omnem illam inundationis eluviem propulsavit, ut quasi facto papilione de cruce, cùm totam terram prospicerent densa imbrium infusione madescere, nec una gutta ad trium spatium cubitorum vel fimbriam vestimentorum ipsorum contingeret. *Idem habet Humbertus cap. 37 phrasi mollita.*

Qualiter cum vestibus madefactis pernoctabat in oratione in ecclesiis, & mane inveniebantur exsiccatæ.

31 Sæpe etiam contigit ut in via supervenientibus pluviis sua sociorumque plurimum madefierent vestimenta: cùmque post cœnam socii ejus remanerent ad ignem, ut & vestes ad siccandum extenderent, & corpora pariter aliquantulum recrearent, vir Dei Dominicus sancti spiritus igne fervens more suo statim ecclesiam ad orandum, imo in oratione potius pernoctandum sic cum vestibus quantumcunque videlicet madefactis intrabat. Mane verò vestibus etiam aliorum qui ad ignem remanserant existentibus madefactis, vestes ejus ita inve-

T Humbertus hoc miraculum nonnisi post iter Dominici Hispanum refert cap. 33, & licèt eadem fere habeat, placet tamen & ejus verbis repetere. *Cùm B. Dominicus esset Romæ apud S. Sixtum, ubi tunc Fratres morabantur, die quadam quidam adolescens consanguineus D. Stephani cardinalis de Fossanova, qui cum eo illuc advenerat, lapsus equo præcipiti graviter collisus deferebatur exanimis. Cùmque plangentium circa eum clamor incresceret, contigit advenire B. Dominicum, & cum eo F. Tancredum virum religiosum. Hic sua exhortatione cœpit sollicitare B. Dominicum, quatenus pro salute adolescentis Dominum precaretur. Ubi est inquit pietas tua pater, ubi fides nunc in Domino? cur non Dominum deprecaris? Ille tam Fratris precibus quàm pietatis motus visceribus, fecit illud adolescentis corpusculum in conclave clanculo deportari: facta autem oratione protinus eum vita restituit & saluti.* Vide dissertationem IV sequentem.

V Idem Humbertus totidem verbis cap. 34. Porro miraculum hoc factum fuerit initio anni MCCXVIII, cùm ad perficiendam S. Sixti domum sodales laborarent.

X Eadem totidem verbis excipit Humbertus cap. 35 rescissis tamen quæ ideo intra parenthesin clausa.

Hoc miraculum & sequens de panibus cœlitus missis refert etiam Theodoricus lib. 3 cap. 4 sed inverso ordine: nam quod est secundum apud Constantinum primum est apud Theodoricum & fusissime narratum apud S. Sixtum etiam patratum. Quod verò primum Constantini, secundum est Theodorici & brevissime relatum. In primo Constantini & secundo Theodorici erant tantum circa XL Fratres. In secundo Constantini & primo Theodorici erant ad centum. Hinc invicte probatur Dominicum diutius apud S. Sixtum mansisse quàm putet Malvenda: dato enim quod Romam pervenerit mense novembri MCCXVII, nam citius certo non potuit, incredibile est sodales ad centum auxisse ante XVI Kal. martii anni sequentis, quo tamen die vult Malvenda eos ad S. Sabinam transiisse. Vide dissertationem IV sequentem.

Sæc. XIII.

niebantur penitus exsiccatæ, ac si in calenti furno tota nocte positæ perstitissent. *Idem verbis totidem Humbertus cap.* 38.

De denario procurato divinitus pro mercede navigii.

32. Nec illud a laude viri Dei vacare videtur, quod in partibus Tolosanis, sicut per juratos testes inventum est, cum quadam die evangelizando discurrens cum multis aliis transisset navigio quamdam aquam, nauta qui eum transvexerat, importune denarium ab eo pro mercede transitus exigebat. Cui vir Dei pro servitio sibi exhibito regnum promittebat cœlorum, addens quod servus Christi & discipulus ejus nec aurum nec argentum secum penitus deferebat. At ille promissionem ejus non solùm ducens pro nihilo, verùm etiam ex hoc potius provocatus acrius & importunius instans, ac eum per capam violenter trahens, aut capam inquit dimittes, aut denarium mihi solves. Tunc vir Dei erectis in cœlum oculis, paululumque intra semetipsum orans, moxque in terram prospiciens, & denarium divino nec dubium procuratum nutu jacentem videns, ecce inquit frater quod postulas, tolle & me liberum in pace dimitte. Qua in re quid aliud in servo suo Dominus ostendere voluit, nisi quod in seipso exhibuit, cum scilicet pro solutione tributi per ministerium Petri de ore piscis staterem procuravit. [Y]

De dono linguarum impetrato divinitus.

33. Sed & istud relatione dignum non parum est, quod etiam per reverendum patrem D. Rainerium S. Mariæ in Cosmedim venerabilem cardinalem in conventu Fratrum in festo ejusdem sancti viri beati Dominici præsentibus quibusdam episcopis aliisque non paucis clericis sermocinantem atque referentem verum prorsus fuisse compertum est. Contigit enim aliquando viro Dei iter agente associari sibi religiosum quemdam conversationis quidem sanctitate domesticum, sed loquela & lingua penitus alienum. Dolens itaque quod de divinis verbis unâ cum illo mutua se collocutione refovere non posset, tandem a Domino orationum suarum instantia, ut unus lingua loqueretur alterius, verbisque sic alterutrum variatis sese per triduum quo videlicet simul ituri erant, intelligerent impetravit. [Z]

Qualiter mirabiliter liberavit quemdam obsessum multis dæmonibus.

34. Nec defuit viro Dei Dominico ad assertionem sanctitatis ipsius virtus altissimi in dæmonibus effugandis: sicut enim idem etiam D. Rainerius venerabilis cardinalis in eodem sermone ad Fratres coram omnibus supradictis fideli quidem attestatione narravit: quadam die viro Dei Dominico in quadam ecclesia constituto, accidit sibi quemdam obsessum diversis dæmonibus præsentari. Qui accepta stola prius ad collum proprium posuit, deinde eadem collum cinxit ejusdem dæmoniaci, mandans illis ut de cætero illum hominem non vexarent. Ipsi verò in ejusdem obsessi corpore torqueri statim cœperunt fortiter & clamare, permitte nos exire, quare nos hic cruciari compellis. At ille, non dimitto vos inquit, nisi mihi fidejussores dederitis, quod hanc ultra nequaquam de cætero redeatis. Quos inquiunt illi, fidejussores possumus tibi dare? Et ille, sanctos martyres quorum corpora in ecclesia hac requiescunt. Qui dixerunt, non possumus, quia nostra merita contradicunt. Oportet inquit vos dare, alioquin a cruciatu hoc nequaquam liberos vos dimittam. Tunc illi responderunt ad hoc se daturos operam prout possent, & interjecto modico intervallo dixerunt, ecce impetravimus licèt immeriti, quod sancti martyres fidejusserunt pro nobis. Quod signum ait, quia hoc verum sit, datis mihi? Qui dixerunt, eatis ad capsam in qua sunt recondita capita martyrum, & eam invenietis inversam. Mira res & divinis prorsus ascribenda prodigiis! Quæsitum est & ita inventum per omnia sicut illi fuerant protestati. *Idem Humbertus cap.* 41. *totidem verbis.*

De eodem circa Sororem Benedictam.

35. Rem promo quam tanto securius refero, quanto per eamdem circa quam gesta est, Sororem Benedictam videlicet ancillam Christi instructus certius devote scribo. Hæc namque mulier multo tempore mundo dedita carnis illecebris vacabat, sed culpa tandem pœna non caruit, nam hanc malignus spiritus per intervalla temporum graviter vexare cœpit. Erat autem vicina ecclesiæ in qua tunc temporis Prædicatores Fratres Florentiæ morabantur, quo adveniens vir Dei Dominicus ipsam primitus ad pœnitentiam exhortando perduxit. Postmodum etiam vexationi ipsius compatiens, suis orationibus, ut ab ea malignus discederet spiritus impetravit, ita ut quæ vix interpolatis diebus quietem modicam habere poterat, ultra annum vexationis solitæ molestiam non sentiret. Verùm a vexatione carnis libera vexari se deterius in animo deprehendit, & medecina corporis sibi facta est protinus morbus mentis, tantoque negligentius a Dei servitio cœpit tepescere, quanto a carnis illecebra redivivis tentationibus fortius trahebatur. Quod ubi viro Dei exposuit, illeque beneficium præstitum in ruinæ scandalum versum vidit, blande eam an reduci vellet ad statum pristinum requisivit. Quæ cùm voluntati Dei suæque discretioni committeret, rogabo inquit igitur Dominum filia, ut tibi fiat quod saluti tuæ magis viderit expedire. Unde factum est ut non post multos dies malignus spiritus super corpus ancillæ Christi iterato potestatem acciperet, quatenus anima salva permaneret, & vexatio quæ prius pœna culpæ extitit, postmodum fieret conversationis remedium & cumulus meritorum. [A]

[Y] Idem totidem verbis Humbertus cap. 39: Incipit: *In partibus Tolosanis &c.* Illud miraculum Malvenda refert ad annum MCCXI: certum id accidisse iis annis quibus Albigensium conversioni desudabat inter MCCVIII & MCCXV.

[Z] Idem Humbertus totidem verbis cap. 40. Raynerius hic diaconus cardinalis ab Innocentio III creatus fuit. Miraculum hîc relatum dubitat Malvenda an sit unicum vel duplex, quia bis apud Theodoricum habetur scilicet lib. 1 cap. 7 & iterum lib. 3 cap. 8. Unicum potius censuerim bis a Theodorico repetitum, cùm semel tantùm a Constantino & Humberto antiquioribus referatur.

[A] Humbertus cap 42 sic incipit: *Aliud quoque simile tanto certius est, quanto per eamdem circa quam gestum est Sororem Bene videlicet ancillam Christi ad notitiam plurimorum pervenit. Hæc namque mulier &c.* totidem verbis.

Ut hæc historia cum serie gestorum B. Dominici conveniat, dicendum illum cùm primùm ex itinere Hispano & Parisiensi Bononiam accessit mense augusto MCCXIX, & in quasdam Longobardiæ civitates sodales dilatandi ordinis causa mitteret, Florentiam etiam aliquos destinasse præfecto iis superiore F. Joanne Salernitano viro insigni: Dominicum ipsum postea anno eodem circa novembrem Romam proficiscentem Florentia ut suos visitaret iter instituisse, tumque concionibus quas indesinenter ubique habebat, Benedictam de qua hîc ad meliorem frugem adduxisse, & a maligno spiritu liberasse. Non dubitaverim quin sanctus anno sequenti post pascha Roma per Viterbium Bononiam repetens, etiam Senis & Florentia transierit: ut ut sit, certe sub finem anni MCCXX puta novembri Romam rursum vadens Florentia denuo iter habuerit, & Benedictam tepidam & in rebus salutis negligentem reperiens, ea consentiente, ipsoque rem Deo committente iterum a maligno spiritu vexatam viderit. His ita explicatis necesse non est ut vult Malvenda Constantinum eumque excipientes Humbertum, Bellovacensem & S. Antoninum emendare, quodque illi omnes habent *ultra annum* sanam perstitisse Benedictam, expungere: sed ipse potius corrigendus Malvenda, qui de itineribus B. Dominici tribus his ultimis vitæ suæ annis haud accurate agit.

Opponit tamen Malvenda p. 313 traditionem antiquam, nostros scilicet Florentiam non accessisse nisi anno MCCXX post capitulum primum generale Bononiæ habitum, nimirum tum civem Florentinum nomine Deusdedit Bononiam venisse, ac domum quamdam religiosis accommodam a se in planitie Ripolitana extructam S. Dominico obtulisse, qui continuo eo Fratres miserit, sicque sibi a Seraphino Razzio scriptum. Sed facilis responsio. Si monumenta antiqua proferrentur rem ita se habere testantia, libens acquiescerem: sed traditionem absque documentis frustra opponat quis notitiæ

antiquæ

Qualiter claruit spiritu prophetiæ, & 1. qualiter prædixit conversionem Raimundi qui prius fuit hæreticus.

36. Quanto autem divinæ gratiæ munere etiam in spiritu prophetiæ vir Dei claruerit, libet per aliqua de multis elicita breviter prodere. Prædicante aliquando viro Dei Dominico in partibus Tolosanis contigit quosdam hæreticos captos & per eum convictos cùm redire nollent ad fidem catholicam, tradi judicio seculari. Cùmque essent incendio deputati, aspiciens inter alios quemdam Raimundum de Grossi nomine, ac si aliquem in eo divinæ prædestinationis radium fuisset intuitus, istum inquit officialibus curiæ reservate, nec aliquomodo cum cæteris comburatur : conversusque ad eum blandeque alloquens, scio inquit fili mi, scio quod adhuc licèt tarde bonus homo eris & sanctus. Res stupenda & digne commendanda memoriæ. Dimissus namque per annos fere viginti in hæretica cæcitate permansit : tandem verò Dei gratia illustratus, relictis tenebris ad lumen venit, Frater etiam Prædicator effectus in eodem ordine vitam suam & laudabiliter duxit, & feliciter consummavit. [B]

Qualiter prædixit conversionem F. Hugonis de Sexto ad ordinem.

37. Apud Florentiam erat quædam mulier per virum Dei Dominicum de mundo noviter ad Deum conversa Benedicta nomine, nunc verò Benedicta soror, de qua paulo superius (n. 35.) sermo est habitus, cui non paucas quidam clericus Hugo nomine molestias inferebat. Cùm itaque frequenter super hoc ad virum Dei Dominicum præfata mulier lamentabiles querimonias detulisset: tandem ille blandis eam consolans sermonibus, patienter inquit age filia, sciens quod iste citò bonus ordinis Frater erit, & in eodem ordine labores non paucos & longo tempore sustinebit. Fidelis sermo. Effectus sequens totum per omnia quod vir Dei prædixerat comprobavit. [C]

Qualiter prævidit quosdam Fratres recessuros ab ordine, quos postea suis orationibus revocavit.

38. Cùm autem esset in Hispania in loco qui dicitur Gualdafaien, quibusdam sibi Fratribus sociatis tentavit eos satanas, ut a beati viri societate discederent, quod virum Dei non latuit Sancto sibi Spiritu revelante. Apparuit enim ei per visum immanissimus quidam draco, qui Fratres illos qui secum erant absorbere apertis faucibus videbatur. Intellexit igitur vir spiritu Dei plenus grave Fratribus tentationis imminere discrimen, quibus etiam visionem illam terribilem propalavit, hortans eos ut tentationibus futuris constanter resisterent, a quibus nemo nisi spontaneus absorbetur. Brevi autem spatio temporis interjecto draco ille qui paulo ante Fratres illos absorbebat per visum, absorbuit per effectum. Nam omnes qui cum viro Dei Dominico fuerant, exceptis tribus scilicet Fratre Adam & duobus conversis, suadente diabolo recesserunt. Interrogatus autem quidam ex illis a viro Dei, an & ipse vellet abire, absit inquit pater carissime, ut relicto capite sequar pedes. At verò pater misericors erga eos qui recesserant non indignatione sed compassione commotus, continuo ad consuetum orationis refugium se convertit, & quos monitis retinere non potuit, orationibus revocavit : nam paulo post omnes fere ad eum instinctu divinæ gratiæ redierunt. [D]

Qualiter prævidit duos Fratres morituros in corpore & duos in spiritu.

39. Præterea cùm adhuc Fratres apud S. Sixtum morarentur in Urbe, & ibidem vir Dei Dominicus præsens esset, quasi subito facto Spiritu Domini super eum, ad capitulum Fratribus convocatis palam omnibus nunciavit quatuor Fratres ex ipsis in brevi duos videlicet in corpore, duos autem in spiritu morituros. Nec mora, verbum comitatur effectus, nam non multo post tempore duo Fratres carnis debitum exsolventes migraverunt ad Dominum, duo vero alii ad seculum redeuntes de ordine penitus recesserunt. [E]

antiquæ Romanæ provinciæ, juxta quam conventus Florentinus post Romanum cæteros antiquitate præit, qui proinde jam anno MCCXIX erectus fuerit : nam Senensis posterior anno MCCXX mensis martii die XIV certo fertur inchoatus, nempe a sodalibus quos Dominicus tum Romæ existens eo misit, qui die indicata cum domus hospitalis Magdalenæ curatoribus transegere. Vide postea testimonium Frugerii Pennensis in proc. canoniz. testis IX n. 1.

B A verbo *Prædicante* ad finem totidem verbis excipit Humbertus cap. 45. Istud porro egerit Dominicus inter annum MCCIX & MCCXV, quibus a legatis apostolicis potestatem in hæreticos reconciliandos acceperat. Videsis postea F. Guillelmus Pelhisso, qui hunc Raimundum de Grossi docet anno demum MCCXXXVI sponte conversum.

C Humbertus cap. 46 id magis explicat. *Apud Florentiam quidam clericus secularis pro eo quod ecclesia in qua erat clericus, collata fuerat Fratribus, in qua etiam Fratres aliquanto tempore in principio ordinis commorati sunt, gravem in eumdem ordinem persecutionis tyrannidem exercebat. Erat & quædam mulier in eadem parochia per virum Dei Dominicum de mundo noviter ad Deum conversa Bene nomine, nunc verò soror Benedicta, de qua paulo superius sermo est habitus, cui etiam in Fratrum odium, non paucas quotidie dictus clericus molestias inferebat &c*, ut apud Constantinum.

Hanc mulierem quam prius *Bene*, scilicet cùm adhuc esset in seculo nominat Humbertus, *nunc verò sororem Benedictam* uterque Constantinus & Humbertus nuncupant, indicant ambo cùm hæc scriberent adhuc fuisse in vivis & ordini aggregatam sive in monasterio Ripolitano ad Florentiam ex Fratrum cœnobio in sacrum gynæceum paucis post B. Dominici obitum annis converso, quod verius æstimo, sive sub regula tertii ordinis de pœnitentia tantùm, ut vult S. Antoninus. Quas verò huic sorori Benedictæ visiones tribuit Flaminius a Malvenda exceptus p. 320 nec probamus, nec ab ullo exquisiti judicii viro probandas censemus. Quis eos ferat narrantes Benedictam dum B. Dominicus sacrum faceret, vidisse B. Virginem partem Eucharistiæ sumentem ac edentem, similiter partem sanguinis ex eodem calice bibentem, sicque cum sancto in signum amicitiæ unâ communicantem ? Et cætera ejusdem farinæ ex libello cui titulus *speculum peccatricis animæ* depromta. Qui libellus licèt sub nomine nostri Alani de Rupe ab ejus morte prodierit, vix adducor ut ejus esse credam. Sic eruditi Actorum SS. editores T. III junii ad vitam B. Elisabeth Schonaugiensis, XI millium virginum historiam sub ejus licèt nomine editam ceu ipsi revelatam ob inepta & insulsa quibus scatet, ejus esse sibi persuadere non possunt. Ut ut sit, de ista Benedicta nihil certi habetur quam quod his duobus nn. 35 & 37 a Constantino refertur.

D Idem totidem verbis habet Humbertus cap. 28 sed pro *Gualdafaien* legit *Godalfaira*. Malvenda Castillum excipiens eumdem locum putat, qui nunc dicitur Guadalajara. Idem gestum refert Stephanus de Borbone P. IV tit. VII cap. 21 cod. Sorb. fol. 371. b. hoc solo discrimine quod id ait evenisse *cùm Dominicus ædificaret quemdam Fratrum conventum in Hispania*. Fratres autem illos qui a B. Dominico defecerunt, intellige Hispanos quos recens in ea regione sibi allegerat, non socios quos ex Italia vel Gallia secum adduxerat, jam antiquitus sibi adjunctos. Istorum nomina non produnt scriptores, sed si quis conjecturæ locus, alter fuit F. ille Dominicus Hispanus, de quo Jordanus n. 30 quem anno MCCXVII in divisione Fratrum ad Hispaniam amandarat, & Romam ad se reversum anno MCCXVIII Bononiam legavit circa pascha, quem exinde revocaverit ut hujus itineris sibi comes esset, & quem tandem volunt cœnobio Segobiensi primum priorem præfecisse : alter fuerit F. Stephanus Metensis, quem monumenta supra relata B. Dominici socium præstant individuum.

E Idem Humbertus totidem verbis excipit cap. 47.

Malvenda qui sibi persuasit Fratres apud S. Sixtum non mansisse nisi paucis mensibus ab initio decemb. MCCXVII puta ad XIV februarii sequentis, vult id evenisse ante quadragesimam anni MCCXVIII : at dissert. IV sequenti evidenter probabitur ibi mansisse ad quadragesimam anni MCCXIX stylo veteri, novo MCCXX, proinde non necesse ut hæc tam cito facta fuerint.

Fratres illos duos mortuos Theodoricus lib. 2 cap. 3 nuncupat Gregorium & Albertum : Malvenda verò p. 196 a. vult constare ex tabulis Ecclesiæ Spalatensis in Dalmatia, Gregorium illum domum ordinis Spalati erexisse anno MCCXVII & Ugrinum de Hungaria Spalatensem archiepiscopum obiisse anno MCCXIX postquam per annum sedisset, & apud nostros ibidem sepultum. Verùm a tabulis sibi communicatis delusus est Malvenda. Nam Ugrinus de Hungaria nonnisi anno MCCXLVIII electus est archiepiscopus, & mortuus est anno sequenti MCCXLIX, apud nostros ibidem sepultus, uti habet Thomas archidiaconus ejus Ecclesiæ in historia archiepiscoporum Spalatensium a Lucio typis data, in historia Dalmatiæ & Croatiæ edita Amstelædami 1666. Aliunde certum conventum Spalatensem & alios Dalmatiæ a Fratribus provinciæ Hungariæ erectos omnes fuisse, cujus & pars toto primo ordinis seculo & ultra fuerunt : Paulus autem Hungarus primus ejus provinciæ præfectus institutus in capitulo secundo generali MCCXXI, nonnisi post hæc comitia ad eas regiones progressus est, & primos conventus erexit. Unde non tanta est antiquitas conventus Spalatensis quantam putavit Malvenda : si verò quis Gregorius ejus est fundator, alius plane est ab eo qui apud S. Sixtum prævidente B. Dominico mortuus est.

Qualiter prævidit mortem regis Aragonum.

40. Sane demoratus est aliquando vir Dei apud Carcassonam in domo episcopi per unam quadragesimam prædicationi insistens, ubi etiam vices episcopi tunc temporis existentis in Francia ab eodem sibi commissas in spiritualibus exercebat. Cùm autem in diebus illis guerra multùm increfceret inter D. Simonen comitem Montisfortis pro parte Ecclesiæ, & comitem Tolosanum, comesque Tolosanus multùm inciperet adversus Ecclesiam prævalere, conversus quidam Cisterciensis ordinis religiosus ibidem existens, dolens quamplurimum super his, & ad virum Dei Dominicum quadam die sic affectus accedens, magister inquit Dominice nunquamne finem habitura sunt ista mala? Cumque vir Dei reticeret, illeque importunius ageret non ignorans, quod ei multa Dominus revelaret, tandem præsente F. Stephano Metensi socio suo tunc temporis, cujus etiam hoc frequenti relatione vulgatum est, finem ait certe habebit istorum Tolosanorum malitia, finem habebit, longe tamen est finis: multorum sanguis interim effunderur, & unus rex in hujus guerræ certamine interemtus occumbet. Illis autem timentibus ne hoc de rege Franciæ, qui tunc de novo assumserat negotium Albigense deberet intelligi, ne timeatis inquit de rege Franciæ, alius rex erit & cito erit, cujus vitam præsentis guerræ varietas intercidet. Sequenti igitur anno rex Aragonum juvans partes comitis Tolosani in prælio occiditur, (qui utinam non in perpetuum contra Ecclesiam videlicet dimicando infelicius occidisset.) *Idem totidem verbis excipit Humbertus c. 48 excisis quæ intra parenthesin.*

Qualiter totam quadragesimam jejunavit in pane & aqua.

41. Addebat quoque idem F. Stephanus quod vir Dei Dominicus per totam illam quadragesimam non comedit aut bibit nisi panem & aquam, nec lectum intravit. Adveniente autem pascha & fortiorem se esse dicebat, pulchriorque & pinguior apparebat. *Idem habet Humbertus cap. 52.* [F]

Qualiter prædixit conversionē F. Conradi, & suis orationibus ipsum mirabiliter convertit.

42. Viri vitæ venerabilis Alatrini episcopi fidelissima attestatione quod refero comperi, qui hoc etiam F. Joanni de Columpna priori Fratrum tunc temporis in Romana provincia sollicite perquirentibus per suas litteras proprioque sigillo communitas transmisit. Hic cùm adhuc esset prior monasterii Casamariæ de ordine Cisterciensi, quodam tempore dum a bonæ memoriæ papa quondam Honorio in Theotoniam missus per Bononiam iter faceret, ad dilectum virum Dei Dominicum, cum quo magnæ familiaritatis notitiam dudum Romæ contraxerat, visitandum accessit. Erat autem tunc temporis Bononiæ magister quidam Conradus Theotonicus, cujus ingressum ad ordinem Fratres mirabiliter affectabant. Cùm ergo in vigilia assumtionis B. Mariæ vir Dei Dominicus cum præfato tunc priore, quem intimo diligebat affectu, secretam atque consolatoriam de divinis vitæque cœlestis deliciis collationem haberet, familiari quadam confidentia exigente materia dixit ei: Fateor tibi prior, quod tamen adhuc nulli unquam exposui, nec tu alteri quandiu vixero revelabis, quod numquam adhuc a Deo in hac vita aliquid petii, quod non assequerer juxta votum. Ille verò vehementer admirans, & desiderii quod habebant Fratres circa conversionem supradicti magistri Conradi Theotonici conscius, confidenter adjecit: Pete ergo pater, ut det tibi magistrum Conradum ad ordinem, cujus Fratres introitum tam ardenter flagitare videntur. At ipse, rem inquit Frater bone difficilem postulasti, si tamen volueris in hac nocte orationi mecum insistere, confido in Domino, quod nos a petitionis nostræ desiderio non fraudabit. Finito itaque completorio Fratribus ad quiescendum pergentibus, vir Dei Dominicus in ecclesia præsente dicto priore & vidente remansit, & in oratione more solito pernoctavit. Peractis verò solemniter tam celebrium matutinarum vigiliis, illucescenteque die convenientibus ad primam Fratribus, cùm cantor incepisset: Jam lucis orto sidere, ecce lucis veræ sidus novum futurus magister Conradus subito veniens, & ad pedes B. Dominici prostratus habitum ordinis & instanter petiit, & perseveranter accepit. Quo statim cum Fratribus aggregato, Deus omnipotens servi sui Dominici, & præcedens verbum & sequens oratio quam ab effectu suo nequaquam vacua fuerit, indicavit. [G]

Qualiter prædixit & impetravit continentiam carnis cuidam decano.

43. Decanus quidam de Francia Romam vadens virum Dei Dominicum apud Mutinam prædicantem invenit, ad quem accedens, & de salute animæ suæ secum conferens, hoc inter alia sibi dolenter exposuit, suumque quasi inevitabile naufragium esse dixit, quod a carnis lubrico continere non poterat, prop-

[F] Episcopus Carcassonnensis hîc laudatus erat Guido abbas Vallium Sernaii, qui absens & in Francia a tribus annis agens, ubi crucem adversus Albigenses prædicabat, electus est anno MCCXII, & Albiam jam advenerat vigilia paschæ XXIV Martii, ut habet Petrus Sernensis c. 60 sub finem. Exinde Narbonam progressus ad Arnaldum abbatem Cistercii electum archiepiscopum Narbonensem, cum eo mense maio consecratus est, ut habet idem Sernensis cap. 62 initio: sub finem verò ejus anni in Franciam videtur reversus, certe toto anno sequenti MCCXIII in Francia moratus est, unde non rediit ad partes Tolosanas nisi post pascha anni MCCXIV, sic enim Sernensis citatus cap. 78. *Anno verbi incarnati* MCCXIV *venerabilis Carcassonæ episcopus, qui toto præcedenti anno pro negotiis fidei contra hæreticos discurrendo & prædicando laboraverat in partibus Gallicanis circa octavam resurrectionis* (pascha fuit XXX martii) *iter ad partes arripuit Albigenses &c.* Itaque quadragesima illa qua Dominicus ejus vicarium egit Carcassonæ, non a capitulo Ecclesiæ ut excidit Malvendæ, sed ab ipso episcopo positus, ut dicit Constantinus, fuit quadragesima anni MCCXIII, sed quæ stylo veteri dicebatur anni MCCXII: quod semper habendum præ oculis: sic enim intelliges, quî rex Aragoniæ dicatur anno sequenti occisus nempe XII septemb. MCCXIII. Sed & hinc conjectu pronum Dominicum toto tempore hujus absentiæ episcopi ejus vicarium generalem in spiritualibus egisse: Vide supra notas ad Jordani n. 21.

[G] His quæ totidem verbis excipit Humbertus cap. 50 hæc addit non negligenda: *Narravit quoque prædictus episcopus, quod cùm B. Dominicus ipsum rogaret, ut hujusmodi factum secretum haberet dum viveret, & ipse episcopus responderet, quod fortassis priusquam ipse moreretur, respondit B. Dominicus quod sciret ipse post eum se supervicturum. Quod & postmodum rei demonstravit eventus, cùm multo plus quàm per* XX *annos post B. Dominicum ipse vixerit.*

Alatrini episcopi. Alatrium civitas est Campaniæ Romano pontifici immediate subjecta, cujus hic Cisterciensis tum prior *Casamariæ* vel ut legit Humbertus *Casamaris*, promotus est postea episcopus. Emendandus autem Malvenda qui pag. 311 b. hanc historiam ex Vincentio Bellovacensi excipiens, ob pravam hujus in editione Duacensi lectionem, pro *Alatrino* legit *Alacrion*, tale istius prioris nomen fuisse putans: & quod mireris, Henriquezius & Chalemotus ambo martyrologii Cisterciensis scriptores in eumdem scopulum impegerunt, quinta Januarii *B. Alachrium* Casamariæ priorem, & civitatis ignotæ in Italia episcopum B. Dominici amicum suis venerandum exhibentes. Legendum itaque *Alatrinus episcopus*, ille verò haud dubie est, qui decimus nonus inter episcopos Alatrinos ab Ughello numeratur nomine Joannes, qui jam sedebat anno MCCXXXIII, ut constat ex diplomate eo anno mense junio indict. 6 dato, & ab eodem Ughello relato, quo dictus Joannes episcopus cum suis canonicis Stephano presbytero cardinali S. Mariæ Transtiberim dat ecclesiam S. Benedicti pro monasterio S. Sebastiani. Hunc autem esse evincitur ex ipsamet relatione, in qua dicitur sic scripsisse F. Joanni de Columna tum provinciæ Romanæ priori, quod munus iste jam obibat prima vice anno MCCXXXVI.

Ex ea verò ratione qua iste Humbertus scilicet in additione mox relata loquitur, conjectu pronum est tum cùm hæc scriberet, istum episcopum mortuum fuisse, alioquin non dixisset XX & amplius annis post B. Dominicum vixisse, sed addidisset, & *vivit etiamnum*: unde cùm hanc B. Dominici vitam Humbertus circa MCCL scripserit, quibusdam annis antea hunc episcopum obiisse verisimile est: ac proinde non eumdem ut putavit Ughellus, sed alium fuisse Joannem ejus successorem, qui ad MCCLXIII devixit, & cui ut alterum sufficerent canonici, jussit Urbanus IV.

Conradus Theotonicus. Iste ordini nomen dedit XV augusti MCCXX, nullo enim alio anno festum assumtionis B. V. Dominicus Bononiæ celebravit, anno verò sequenti in comitiis generalibus ad pentecosten habitis datus est primus Teutoniæ præfectus provincialis.

ter quod etiam ab aliis bonis operibus exercendis quasi desperatus abstinebat. Cui vir Dei divina qua plenus erat confortatus fiducia, vade inquit de cætero viriliter age, & de Dei misericordia non desperes, ego tibi a Domino carnis continentiam impetrabo. Sic dixit, & sicut postmodum veraciter claruit, sic evenit: nam qui fuerat immundus & lubricus, deinceps castus & continens est effectus, dum servi promissio cum promissione Domini qua videlicet dixit, *Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, fine debito concordavit. [H]

Brevis & generalis descriptio morum & conversationis ipsius.

44. Tanta præterea venerabilis pater vir Dei Dominicus morum honestate pollebat, tanto in omnibus divini fervoris impetu ferebatur, ut ipsum esse vas honoris & gratiæ, vas ornatum omni lapide pretioso, nemo qui vitam ejus diligenter adverteret, dubitaret. Inerat ei firma valde mentis æqualitas, nisi cùm ad compassionem & misericordiam turbaretur: & quia cor gaudens exhilarat faciem, placitam interioris hominis compositionem manifesta deforis benignitate prodebat: & cùm in ejus facie de bonæ conscientiæ testimonio procedens semper elucerer hilaritas, lux tamen vultus ejus non cadebat in terram: denique per hanc omnium sine difficultate sibi facile vendicabat amorem, omnium sine difficultate mox ut eum aspicerent, illabebatur affectibus. Tantam autem servabat in his quæ secundùm Deum rationabiliter fieri concepisset, mentis constantiam, ut vix aut numquam semel enunciatum cum digna deliberatione sermonem acquiesceret immutare. Ubicumque versaretur sive in via cum sociis, aut in domo cum hospite reliquaque familia, aut inter magnates & principes vel prælatos, semper ædificatoriis affluebat sermonibus, abundabat exemplis, quibus ad amorem Christi seculive contemtum audientium animos invitaret. Vix ipsa communis ejus locutio a virtutis erat pondere vacua, quia cujus cor sese in alta suspenderat, nequaquam verba de ore illius incassum cadebant, ubique se verbo & opere virum evangelicum exhibebat. Tempore diurno cum Fratribus sociisve salvo quidem in omnibus honestatis tenore nemo communior, nocturnis horis vigiliis & orationibus per omnem modum nemo instantior. Diem impertiebatur proximis, noctem Deo, sciens quoniam in die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus. Sane de suis oculis quasi quemdam fontem effecerat lacrymarum, fuerunt ei lacrymæ ejus panes die ac nocte: die quidem magis, cùm missarum crebra & quotidiana celebraret solemnia: nocte verò cùm super omnes infatigabilibus excubaret vigiliis. Frequenter autem quando corpus Domini elevabatur in missa in tantum mentis rapiebatur excessum, ac si ibidem præsentem Christum incarnatum videret: propter quod missam cum cæteris multo tempore non audivit. Erat ei pernoctandi in ecclesia consuetudo creberrima, usque adeo ut vix aut raro certum ad quiescendum lectulum videretur habere. Tres singulis noctibus recipiebat manu propria de quadam catena ferrea disciplinas, unam videlicet pro se, alteram pro peccatoribus qui versantur in mundo, tertiam verò pro his qui in purgatorio cruciantur. Orabat igitur noctibus & perseverabat vigilans quantùm a fragilitate corporis extorquere potuisset, & cum tandem lassitudine succedente somni interpellabat necessitas, sive ante altare, sive alio quocunque loco, aut certe super lapidem instar patriarchæ Jacob capite reclinato quiescens paululum, rursus evigilabat ad Spiritus orationisque fervorem. Omnes homines largo excipiebat caritatis sinu, & cum omnes diligeret, ab omnibus amabatur. Gaudere cùm gaudentibus, flere cum flentibus sibi proprium vendicabat: hoc etiam cunctis eum faciebat gratissimum, quod simplici gradiens via, nullum umquam verbo vel opere duplicitatis vel fictionis prætendebat vestigium. Verus erat paupertatis amator utens vilibus indumentis. In cibo quoque temperatissimus, delicata vitans & simplici pulmento libenter contentus, habens in omnibus liberam sui corporis potestatem. Mundum denique sibi, mundique gloriam sic prostravit, ut cum Petro siccis vestigiis ambulans supra mare, nequaquam umquam in eo figeret gressum cordis. Proinde electus aliquando in Cozeranensem episcopum omnino renuit, contestans se prius terram deserere, quàm electioni alicui de se factæ aliquatenus consentiret. Illius nimirum imitatus exemplum, qui cùm eum ut regem facerent, turbæ conquirerent, in montem fugiens, manifeste quàm sit prælationis officium appetendum ostendit. Interrogatus verò aliquo tempore, cur non libentius Tolosæ in Tolosanaque diœcesi moraretur, quia in Tolosana inquit diœcesi multos qui me honorant invenio, apud Carcassonam verò omnes e contrario me impugnant. Hæc in summa quædam & breviter de beati viri Dominici vita perstricta sunt, ut non minus quidem ex his, quàm ex miraculorum prodigiis, quam digne apud Deum & homines gloriosus habendus sit, luce clarius elucescat. [I]

De felici ipsius obitu apud Boniam.

45. Igitur appropinquante peregrinationis termino fineque certaminis, quo laborum bonorum vir Dei Dominicus gloriosum fructum perciperet, coronamque victoriæ reportaret, constitutus apud Boniam gravi cœpit corporis infirmitate languere. Positis autem ex his qui tum aderant filiis coram eo, testamentum pacis disposuit, in quo præcipue tam ipsis quàm cunctis per ordinem circumquaque diffusis, salubri quadam admonitione præmissa, caritatis, humilitatis atque paupertatis legitimam successionem legavit: in hujus inquam triplicis proprietate thesauri summopere universos filios hæredes instituit, per quem nimirum illius regni quod repromisit Deus diligentibus se, secum fierent cohæredes. Illud verò qua potuit districtione prohibuit, ne quis unquam in suo ordine possessiones induceret temporales, maledictionem Dei omnipotentis & suam terribiliter imprecans, ei, qui Prædicatorum ordinem, quem præcipue paupertatis decorat professio, terrenæ substantiæ veneno respergere laboraret. Denique circumstantibus Fratribus, & quasi inconsolabiliter de tanti patris destitutione dolentibus, dulciter consolans eos adjunxit: Ne vos mea filii corporalis turbet discessio, nullatenus dubitantes vos meliorem me mortuum habituros, quàm vivum. Grandis sane sed non vana fiducia, sciebat enim nimirum cui crediderat, & de reposita sibi corona gloriæ certus erat, qua percepta tanto fieret ad impetrandum potentior, quanto in potentias Domini jam securior intrasset. Proinde ad extremam horam veniens anno ab incarnatione Dñi MCCXXI VIII idus augusti obdormivit in Domino, illius vocis quæ ad Joannem in Apocalypsi de cœlo dudum insonuit, non solum sonum, sed & effectum indubitanter percipiens, *Beati mortui qui in Domino moriuntur*. Interfuit autem ejus exequiis venerabilis tunc quidem Ostiensis episcopus, & apo-

H Idem excipit Humbertus cap. 51. Malvenda hoc gestum refert ad ann. MCCXX. & libens assentior.

I Vide supra Jordani n. 49 ubi simile sancti elogium: ex utroque suum concinnavit Humbertus cap. 51.

Electus in Cozeranensem episcopum. Sedes Consoranensis vacasse fertur anno MCCXV mortuo tum Navarro Dacqs, de quo supra ad Jordani n. 16. Tum itaque hujus successor a capitulo Dominicus electus fuerit, eo verò recusante C. ad eam evectus est.

SÆC. XIII. stolicæ sedis in Lombardia legatus, postmodum verò papa Gregorius, corpusque ejus sacrosanctum cum digna devotione per semetipsum in ecclesia Fratrum sepulturæ mandavit.[K]

De revelatione facta F. Guala eodem die circa transitũ ejus apud Brixiam.

46. Eadem verò die eademque hora qua beatus pater migravit a corpore, F. Guala ejusdem ordinis tunc prior Brixiæ, postmodum autem civitatis ejusdem episcopus, cùm in loco campanilis Fratrum in Brixia paululum reclinasset, levi quadam somni dulcedine dormitavit: viditque revelatione divina velut aperturam quamdam in cœlo, per quam duæ scalæ candidæ submittebantur ad terram: summitatem quoque unius scalæ manu tenebat Christus Dominus, summitatem verò alterius scalæ virgo mater, per utrasque autem descendentes & ascendentes angeli discurrebant: & ecce in medio scalarum in imo sedes est posita, & supra sedem sedens, & qui sedebat similis erat Fratri habenti faciem velatam caputio, quemadmodum mos est in ordine Fratres mortuos sepelire. Scalas autem sursum paulatim trahebant ex una parte Christus Dominus, & ex altera mater ejus, donec psallentibus angelis ad summum usque pervenit is qui in sede fuerat collocatus: receptisque in cœlo scalis, & sede pariter cum sedente, illa cœli apertura clausa est, visioque disparuit. Excitatus igitur idem Frater a somno, quamvis ex infirmitate præcedenti debilis adhuc esset, confestim Bononiam quo beatum patrem ægrotasse sciebat, iter arripuit, comperitque veniens eamdem diem eamdemque fuisse horam, qua & illa sibi visio cœlestis apparuit, & vir Dei Dominicus de mundo transiens cœli gloriam introivit: ad cujus rei certitudinem ampliorem mox coram omnibus visionem hujusmodi publicavit.[L]

De revelatione facta F. Raoni eodem die similiter apud Tibur.

47. (Verùm non inferioris habet stuporis indicium, non minoris certitudinis argumentum, quod de transitu ejusdem beati patris F. Raoni ejusdem ordinis viro prorsus sanctitatis præcipuæ longius posito luce clarius revelatum fuisse compertum est.) Eadem namque die defunctionis ipsius dictum F. Raonem cum F. Tancredo, de quo in loco alio facta est mentio, de Urbe Tibur contigit accessisse. Pervenientibus autem ipsis ad hospitium solitum hora quasi sexta de mandato ipsius F. Tancredi F. Rao ad altare missam celebraturus accessit: a quo etiam præmissa confessione injunctionem accepit, ut dilecti patris quem ægrotasse Bononiæ nuper audiverant, memor esset. Cùm igitur ad illum locum in quo in missa de vivis consuevit fieri mentio pervenisset, injunctionemque factam sollicitus ad memoriam revocasset, subito factus est in excessu mentis, stansque immobilis in altari, raptus in spiritu, vidit manifesta siquidem visione virum Dei Dominicum corona quadam aurea laureatum, totumque mirabili splendore fulgentem, duobus quibusdam reverendis viris comitatum hinc inde extra Bononiam via regia procedentem. In eadem verò visione revelatione certa sibi dabatur intelligi, quod vir Dei Dominicus eadem hora scilicet sexta, sextaque feria migrans a corpore cœlestem patriam gloriosus adiisset. Visione autem illa perfecta mox ad se reversus, sibique redditus ab eodem loco quo in excessu factus dimiserat, quam inceperat missam prosecutus explevit. (F. verò Tancredus qui se post eum ad terram prostraverat, sive somni præ lassitudine vix sopore depressus, sive alia quacumque meditatione suspensus, nec interpositæ moræ distantiam, nec ipsius raptus argumentum aliquod deprehendit.) Hanc autem visionem ex humilitate quadam qua procul dubio plenus erat, is qui viderat Frater longo tempore tacuit, postmodum autem divina inspiratione præmonitus pluribus revelavit, (eoque referente frequenter audivi, eamdemque manu propria mihi scripsit.)[M]

De translatione sacrosancti corporis ejus, & mirabilis odoris fragrantia.

48. Post transitum quoque venerabilis patris B. Dominici a multiplicandis miraculis per ejus merita divina potentia incessanter non destitit: quorum quam plurima indiscreta Fratrum humilitas, ne videlicet sub hoc obtentu notam superbiæ vel cupiditatis incurrerent, occultavit: sicque sibi tam improvide providentes, unde famæ suæ cogitaverunt inconsulte consulere, inde quantùm Dei subtraxerint gloriæ, minus providi non viderunt. Nonnulla verò per negligentiam prætermissa ingratitudinis proles oblivio sub silentio sepelivit, sed Deus omnipotens qui in sanctis suis gloriosus ostenditur, non est passus solem sub nubilo obumbrari, nec thesaurum in pulvere latitare, ut nimi-

[K] Hoc caput sic innovavit Humbertus suo cap. 53, ut ejus stylo visum fuerit integrum referendum. *Appropinquante fine certaminis, cursus meta, & bonorum laborum fructu glorioso B. Dominicus repositam sibi coronam justitiæ accepturus in cœlo, cœpit apud Bononiam positus gravi corporis ægrotatione languescere, spiritu tamen Deo infatigabiliter adhærebat. Invalescente siquidem infirmitate corporis, non deficiebat sed proficiebat, & perficiebatur potius virtus interior mentis. Convocatis igitur ex Fratribus Bononiensis conventus duodecim, cœpit eos ad canonicæ religionis observantiam, ad virtutis constantiam exhortari. Admonuit quoque cavenda esse summopere fœminarum & maxime juvencularum suspecta consortia, quæ illecebrosa admodum viriles etiam animos aut emolliunt aut inclinant. Ne autem filios quos dederat ei Dominus exhæredes & orphanos derelinquere videretur, utpote tanti patris ope ac consolationum ipsius opibus destitutos, testamentum condidit, quale decebat pauperem Christi divitem in fide & cohæredem regni quod repromisit Deus diligentibus se: testamentum inquam non terrenæ pecuniæ sed gratiæ, non materialis suppellectilis, sed spiritualis virtutis, non terrenæ possessionis, sed cœlestis conversationis, denique quod possederat hoc legabat. Hæc sunt inquit Fratres carissimi, quæ vobis tanquam filiis hæreditario jure possidenda relinquo: caritatem habete, humilitatem servate, paupertatem voluntariam possidete. O testamentum pacis, testamentum nulla oblivione delendum, nulla dedignatione spernendum, nulla superordinatione mutandum! Testamentum inquam non morte testatoris, sed immortalis vitæ adeptione sancitum! Beatus qui non negligit, qui non spernit vel abjicit caritatis incorruptibile vestimentum, fertilem humilitatis fundum, desiderabilem paupertaits thesaurum, tanti patris sibi traditione legatum. Has virtutes S. Dominicum possedisse non ambigit, quisquis ejus adhuc in carne positi conversationem novit, quam virtutibus plenam fuisse etsi taceat lingua, clamant miracula, felicem ejus transitum tam præcedentia, quàm etiam subsecuta. Ipsa quoque ejus grandis in morte fiducia justum eum proloquitur, ut meritò ejus memoria cum laudibus habeatur. Fratribus namque tanti patris decessum ægre ferentibus confidenter asseruit, non oportere eos de sua dejunctione tristari, cùm utiliorem eum forent post obitum habituri. Certus enim de sua, pro suorum salute erat sollicitus, eo potentiorem se ad impetrandum fore non dubitans, quo in potentias Domini securior introisset. Illud autem pater egregius quanta potuit districtione prohibuit, ne quis in hoc ordine possessiones induceret temporales, maledictionem Dei & suam terribiliter imprecans ei, qui hunc ordinem quem præcipue paupertatis decorat professio, terrenarum divitiarum pulvere præsumserit maculare. Denique B. Dominicus post labores diuturnos, quibus in vinea Domini Sabaoth fideliter desudaverat, introivit in gaudium Domini sui, diurnumque accepit denarium, complevitque dies suos in bono & annos suos in gloria, anno incarn. Domini MCCXXI VIII idus augusti post secundum capitulum generale, quod eodem anno fuerat celebratum. Interfuit autem &c.* ut supra Constantinus, usquead *mandavit.* Quibus addit: *Noverat quippe sanctam conversationem ejus in Domino, & specialis eum sibi dum adhuc viveret astrinxerat dilectionis amplexu. Sepultus est autem Bononiæ in ecclesia S. Nicolai Fratrum Prædicatorum, quorum ordinis ipse primus extitit institutor. De his legendus potissimum F. Ventura Veronensis primus in proc. canon. testis.*

[L] Idem habet Humbertus cap. 54, sed stylo identidem mollito. Post *visio cœlestis apparuit*, sic prosequitur, *& quæ sancta illa anima beatissimi patris Dominici migravit a corpore, præsentis incolatum miseriæ supernæ beatitudinis habitatione commutans, ubi ab ubertate domus Dei feliciter inebriatur, regem gloriæ, dominumque virtutum in decore suo conspiciens Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.* Vide etiam supra Jordanum n. 42.

[M] Idem totidem verbis refert Humbertus cap. 55. exceptis quæ ideo parenthesi clausa.

rum lucerna tam inclita super candelabrum Ecclesiæ posita ad profectum omnium coruscaret signis, radiaret exemplis. Quapropter crebrescentibus indesinenter miraculis, cùm non posset ulterius beati viri sanctitas occultari, fidelium dignum duxit devotio, corpus ejus humili prius loco depositum ad altiorem debito cum honore transferre. Indignum namque videbatur & erat, ut illius ossa vilis theca contegeret, cujus merita Dei potentia signis tam evidentibus prædicaret. In diebus autem illis apud Bononiam multitudo Fratrum convenerat ad capitulum generale: aderat etiam F. Nicolaus de Juvenatio vir virtute pariter & opinione non mediocriter celebris, qui cùm intempestæ noctis silentio super instanti translatione solicitus, quædam in animo volveret de futuri casus incertitudine videlicet anxius, utrumne Dominus ad exaltationem sancti sui Dominici signum aliquod dignaretur ostendere, tandem quasi inter soporem & vigiliam constituto visum est virum quemdam astantem sibi conspicere, claraque simul voce dicentem: *Hic accipiet benedictionem a Domino & misericordiam a Deo salutari suo.* Statuta igitur hora hi qui ad exequendum præfatæ translationis negotium interesse debuerant convenerunt. Erat autem monumentum in quo tam pretiosus thesaurus jacebat reconditus, grandi lapide supertectum, durissimoque cæmento circumquaque conclusum, ita ut nec spiramen quidem vel ab interioribus posset procedere, vel ab exterioribus subintrare. Hoc cùm fuisset fracto vix ferreis instrumentis cæmento sublatoque lapide patefactum, tanta subito ex ipso erupit suavissimi odoris fragrantia, ut non tam sepulcrum quàm cella videretur aromatum patuisse. O stupendum sed omni prorsus consentaneum rationi miraculum! Decebat namque & omnino decebat, ut corpus illud quod in hac vita sicut luce clarius patuit, divina conservante virtute, perpetua virginitate illibatum permanserat, ipsius virginitatis etiam mortuum testimonium perhiberet: dum ad honorem & gloriam conditoris, unde nullus unquam exhalaverat fœtor detestandæ libidinis, inde mira suavitas fragraret odoris: & quod per incorruptionis munditiam aliarumque possessionem virtutum super terram positum Sancti Spiritus odoriferum extiterat organum, sub terra reconditum unguentorum fragrantium fieret alabastrum: odorique odor per consequentiam responderet. (1) Odor inquam & talis odor cujus suavitas, si illius antiqui quondam patris Isaac nares forsitan attigisset, vere siquidem potuisset exultare rursum & dicere, *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Annon vere Dominus benedixit ei, de quo vox ut supra divinitus illata testata est, *Hic accipiet benedictionem a Domino & misericordiam a Deo salutari suo:* an non inquam vere illi Dominus benedixit, quem in benedictionibus dulcedinis tot prævenit? benedictionibus quidem cœli desuper, per virtutum quæ de cœlo sunt, quibus dum vixit claruit, abundantiam: benedictionibus abyssi jacentis deorsum, per eam quæ de tumulo ipsius odoris post mortem erupit fragrantiam: ideoque ipsius memoria in benedictione non immerito perseverat. Erat autem odor ille (2) tantus tamque terribilis, ut inusitata suavitate fragrantiæ cuncta plane superaret aromata, nec alius rei naturalis odori similis videretur. Nec solùm ossibus aut pulveri sacri corporis vel capsæ inerat, verùm etiam (3) terræ circumquaque congestæ, ita ut ad longinquas postmodum regiones delata odorem ipsum longo tempore retineret. Fratrum verò manibus maxime aliquid de reliquiis sacrosanctis tangentibus sic inhæsit, ut quantumcunque lotæ vel etiam confricatæ per plures dies conservatæ fragrantiæ testimonium præsentarent. Multi etiam de populo concurrente ex eodem sacro conspersi pulvere sanitatum beneficia receperunt. (4) Interfuerunt autem huic tam reverendæ translationi exceptis Fratribus venerabiles viri, unus archiepiscopus scilicet Ravennas, quatuor episcopi scilicet Mutinensis postmodum verò Sabinensis, Brixiensis, Bononiensis (5) & quidam alius: insuper autem & potestas Bononiensis cum suis militibus, qui sepulcrum accincti armis, ne quis videlicet de sacrosanctis reliquiis quicquam subriperet, circumstabant. Hi omnes testes omnium quæ circa præsens negotium vel humanitus gesta sunt vel ostensa divinitus extiterunt ad honorem & gloriam Jesu Christi qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in secula seculorum. Amen. [N]

SUPPLEMENTUM vitæ S. Dominici ex parte altera libri cui titulus *Vitas Fratrum.*

Ex duplici codice MS *utroque seculi* XIII *domus Parisiensis SS. Annunciationis ordinis Prædicatorum.*

1. NOn debet videri superfluum, si ea quæ ab ipsis compilatoribus legendæ B. P. N. Dominici fuerunt omissa vel ignorata quasi spicas elapsas de manu metentium colligamus. In primis igitur ad sanctitatis ejus argumentum dicimus, quod non solùm parentes habuit honestos & pios, sed & duos germanos fratres viros valde perfectos, quorum unus presbyter operibus misericordiæ in quodam hospitali se totum exponens in obsequium pauperum fertur in vita & post miraculis claruisse: alter verò Manes dictus vir contemplativus & sanctus Deo diu in ordine serviens bono fine quievit. Duo etiam nepotes eorum in ordine sancte & laudabiliter vixerunt. [A] *De progenie ejus sancta.*

2. Indicta fuit generalis contra hæreticos aliquando disputatio, ad quam cùm episcopus loci vellet cum pomposa societate procedere, non sic ait B. Dominicus non sic domine pater contra tales oportet exire: potius humilitatis & aliis exemplis virtutum sunt hæretici convincendi, quam exteriori apparentia vel pugna verborum: armemus igitur nos devotis orationibus, & veræ humilitatis indicia præferentes, discalceatis pedibus contra Goliath procedamus. Credidit episcopus viro Dei & dimissis equitaturis discalceati sunt omnes. Distabat autem locus per milliaria multa. Dum autem irent, *De patientia hilari qua hæreticum convertit.*

[N] Eadem totidem verbis habet Humbertus cap. 57: quædam tamen identidem addit visa hîc annotanda.

1 *Odor suavissimus, odor inenarrabilis, cujus suavitas &c.*

2 *Tantus tamque mirabilis.*

3 *In re circumquaque congesta.*

4 *Sic revera prudenter & suaviter sapientia disposuit redemtoris, ut illius corpus emortuum corporum cederet in medelam, cujus nimirum lingua felix animarum languentium salutaris extiterat medicina: illius caro sanctissima digne in opinione mortalium venerabilis haberetur propter coruscantia beneficia sanitatum, quæ per virginitatis gloriam illibatam germana fuerat angelorum. Quid denique mirum, si virtutes spirituales retinuerunt pulveres illius corporis, quod tam diu largitor virtutum omnium inhabitavit Spiritus Dei. Interfuerunt &c.*

5 *Tornacensis.*

[A] *Alter Manes dictus.* De hoc sic habet Bernardus Guidonis. *Hic obiit & quiescit in monasterio quodam monachorum alborum in Hispania, ubi miraculis & virtutibus claruit. Sanctus reputatur & honorabiliter custoditur prope altare ibidem habens honorabilem sepulturam. Sic de loco sepulturæ & fama sanctitatis retulit in capitulo generali Tolosæ A. D.* MCCCIV *quidam Frater Hispanus, qui erat socius prioris provincialis Hispaniæ, & fuerat ad tumulum ejus.* Vide Malvendam ad ann. 1217 cap. 6 ubi hoc monasterium extare dicit apud S. Petrum Gumielis in Arevacis. Duo verò nepotes hîc laudati filii fuerint cujusdam S. Dominici sororis, nisi tertius ei fuerit frater hîc non recensitus.

& jam aliquantulum dubitarent de via, quæsierunt a quodam quem credebant catholicum, sed revera hæreticus erat, optime inquit & libenter non solùm viam ostendam, sed etiam vos illuc perducam. Ducens ergo eos per quoddam nemus, fecit eos in tantum malitiose errare per spinas & vepres ducendo, quod pedes eorum & crura fuerunt sanguine cruentata. Vir igitur Dei totum hoc patientissime ferens, & in quamdam laudem Dei jocundam prorumpens, omnes ad laudem Dei & patientiam hortatus est dicens: carissimi sperate in Domino, quia victoria nobis proveniet, jam enim peccata nostra per sanguinem purgantur. Ille ergo hæreticus cernens mirabilem & lætam eorum patientiam, & viri Dei verbis bonis compunctus, fraudis venena detexit & hæresim abjuravit: venientibus autem ad locum omnia prospere successerunt. [B]

De submersis ejus oratione restitutis.

3. Antiquus quidam & honestus civis Caturci narravit Fratribus hoc paratus jurare, quod ipse vidit cùm esset in obsidione Tolosæ, quod peregrini de Anglia limina B. Jacobi visitare volentes, propter excommunicationem vitantes intrare Tolosam, navem modicam ascenderunt, ut fluvium pertransirent: præ multitudine autem, nam fere quadraginta erant, absorpta est navis, & submersi sunt omnes, ita quod etiam nec eorum capita apparebant. Ad clamorem autem pereuntium & circumstantis exercitus excitatus B. Dominicus, qui in quadam ecclesia prope fluvium erat orans, exivit & videns periculum toto prostratus corpore manibus in modum crucis expansis, amarissime flens ad Deum clamavit, ut suos peregrinos liberaret a morte: & post paululum surgens sumta de Deo fiducia imperavit in Christi nomine, ut ad ripam venirent. Mira res sed ab eo facta qui facit mirabilia solus, statim videntibus multis qui ad tam triste spectaculum aderant, super undas apparuerunt. Tunc undique accurrentes extenderunt eis hastas & lanceas, & universos de fluctibus incolumes extraxerunt. [C]

De libris ejus qui per triduũ in aqua fuerant & hamo illæsi reperti sunt.

4. In eisdem partibus Tolosanis accidit, quod B. Dominicus, qui causa prædicationis discurrebat frequenter, transiret vado fluviolum, qui vocatur Aregia, & in medio ejus libri quos in sinu portabat, cùm se succingeret ceciderunt. Qui laudans Deum venit ad domum cujusdam bonæ matronæ, nuncians ei suorum perditionem librorum. Tertia autem die piscator quidam in aqua illa hamum projiciens, cum magnum piscem se habiturum speraret, dictos libros extraxit, sic penitus illibatos ac si in armario aliquo fuissent cum magna diligentia custoditi. Quod fuit ultra modum mirabile, cum nec pannum nec corium nec aliquod conservatorium libri illi haberent. Suscipiens autem illos dicta matrona cum gaudio, beato patri apud Tolosam transmisit. [D]

De vino augmentato.

5. Quadam die cùm in partibus illis cum multis Fratribus iter ageret, & ad prandium nonnisi unum scyphum vini haberent, beatus pater compatiens aliquibus qui in seculo multum fuerant delicati, jussit illud modicum fundi in vase magno, & aquam in abundantia superfundi: erant autem octo Fratres, qui omnes abunde biberunt aquam vinum factam valde bonum, & superfuit illis. [E]

De pluvia quam precibus obtinuit.

6. Tempore quo B. Dominicus in Hispania apud Segobiam domum accepit, accidit ut die quadam extra muros dictæ civitatis ingenti convocato populo prædicaret. Non autem latebat eum populum pro defectu pluviæ multa tristitiæ materia innodatum, cùm instaret festum nativitatis Dominicæ, & deficiente pluvia nondum agricolæ seminare cœpissent. Post sermonis igitur sui primordia vir Dei divinitus inspiratus in hæc verba prorupit: nolite expavescere fratres, confidite de Dei misericordia, quia hodie abundanti concessa vobis a Domino pluvia, tristitia hæc vestra in gaudium convertetur. Sane tunc temporis nullum pluviæ apparebat indicium, quin potius totus aer solaribus radiis claritate fulgentibus, nec cujusquam nubis oppositione fuscatis, serenissimus effulgebat. Eo igitur cœpto sermoni instante, ecce subito tanta tamque vehemens descendit pluvia, ut propter aquæ inundationem vix possent ad civitatem redire, certatim domos proprias repetentes. Aguntur gratiæ Deo ab omni populo, qui facit mirabilia magna solus, quique servi sui Dominici promissum tam velociter perducere voluit ad effectum. [F]

De impediente sermones cujus mortem prædixit.

7. Per idem tempus cùm idem servus Dei Dominicus vellet quodam die festo in consilio jam dictæ civitatis proponere verbum Dei, omnesque qui convenerant regales quæ tunc temporis eis missæ fuerant litteras audivissent, ait: huc usque fratres mei terreni & mortalis regis audistis edicta, jam igitur mandata regis cœlestis & immortalis audite. Ad quam vocem nobilis quidam secundùm seculi fastum sensu carnis inflatus non solum audire contemsit, verùm etiam in verba indignationis prorupit dicens: numquid non esset malum, quod verbosus iste detinens diem sermonibus nos a prandio impediret? Dixit atque in continenti equum cui insidebat versus domum suam quæ prope erat dirigens, abiit murmurando. Cui B. Dominicus ait: ecce nunc quidem receditis, sed antequam anni circulus evolvatur, equus vester proprio qui ei nunc insidet sessore carebit, & ad turris vestræ elaboratum præsidium occupante interfectore non poteritis pervenire. Quod verbum ex Dei sententia fuisse prolatum sequens eventus manifestissime comprobavit. Nondum enim anno peracto idem nobilis eodem loco quo ibat, cùm sententia proferretur, fuit a suis æmulis cum proprio filio ac consobrino atrociter interemtus, dum ad turrem quam sibi ædificaverat, ut posset evadere, festinaret.

De Fratre famelico cui panem cœlitus impetravit.

8. Post hoc gloriosus pater in Italiam rediit quodam F. Joanne converso sibi associato, qui F. I. inter Alpes Lombardiæ subito cœpit præ fame de-

[B] Ad annum MCCXI cap. 3 hoc gestum refert Malvenda, & Fulconem episcopum Tolosanum eum esse de quo hîc agitur post Castillum indicat: verùm nec locus nec tempus nec episcopus certò designari possunt. Sufficit rem ita gestam scire quocumque anno post MCCVI ante MCCXIV

[C] Duplex fuit a Simone Montisfortis comite Tolosæ obsidio, prima anno MCCXI, quam non multos post dies solvere coactus est: altera anno MCCXVII quæ sub finem septembris inchoata, ultra mensem junium anni sequentis MCCXVIII protracta est, & in qua ipse comes die XXV junii occubuit. In alterutra miraculum factum est, in secunda si non tam cito post divisos anno MCCXVII sodales Dominicus has partes reliquerit, nec iter Romanum aggressus fuerit nisi mense novembri aut etiam tardius. Vide supra notas ad Jordani n. 31. Malvenda tamen ad obsidionem primam id refert, quem videsis ad MCCXI cap. 7. Cæterùm hinc quis fuerit Dominico in certaminibus modus se gerendi colligat lector, scilicet totum se orationi dabat, nec pugnis se immiscebat.

[D] Aregia qui & Aurigera & Alburacis dicitur, vernacule l'*Auriegue* vel etiam l'*Ariege* fluvius est qui e Pyrenæis montibus ortus, urbes Fuxum, Pamias alluit, & duobus supra Tolosam milliaribus Gallicis in Garumnam labitur.

[E] Hoc miraculum Malvenda refert ad annum MCCXIX n. 18 ad reditum B. Dominici ex Hispania, & in gratiam juvenum Hispanorum actum, quos scilicet recens ad ordinem ascitos Tolosam secum adduxisse putat, quod non placet: cùm enim dilatando in Hispania ordini studeret, verisimile non est sodales ibi allectos a patria ubi necessarii erant removisse. Rectius censet Soëgius id actum sodalium Tolosanorum gratia, quorum plures cùm illac transiret sanctus vel Hispaniam petens, vel exinde Parisios cogitans, quamdam itineris partem ut dulcibus ejus colloquiis fruerentur, eum comitari voluerunt.

[F] Hic articulus ut & tres sequentes absunt ab altero nostrorum codd. MS quem antiquiorem censeo, sed ex altero ejusdem seculi eduntur. Ex hac porro narratione clare colligitur Dominicum Roma anno MCCXVIII ita tempestive exivisse, ut ante Natale Dñi ejusdem anni jam Segobiæ adesset. Vide dissert. III seq.

ficere, ita ut nec ultra posset procedere, nec de terra præ lassitudine se levare. Cui pius pater ait, quid est fili quod non potes ire? & ille, pater sancte fames ait invasit me. Cui iterum sanctus ait, confortamini fili, & procedamus paulatim, & perveniemus ad locum, ubi aliquam refectionem invenire possimus. Cui cùm ille nequaquam se posse procedere responderet, sed usquequaque deficere, vir sanctus pietate qua plenus erat, ac Fratris miseratione commotus, ad solitum se convertens refugium, breviter oravit ad Dominum, ac conversus ad Fratrem ait: surgite fili, & ite ad locum illum, & quod ibi inveneritis hucusque afferte. Surrexit ille quanquam cum multa difficultate, & gressu quo potuit ad locum qui ad jactum lapidis distare poterat tandem perveniens, panem unum miri candoris candidissimis mappis involutum reperit, assumtoque eo ad sanctum Dei rediit, ac de ejus mandato de eodem pane comedens ad sufficientiam vires recepit. Interrogatusque a viro Dei, an jam fame fugata refectus posset incedere, respondit se & sufficienter refectum, & optime posse prosequi cœptum iter, qui paulo ante non poterat se movere. Surgite ergo inquit fili, & residuum panis mappis involutum in loco quem invenistis reponite, quo facto cœptum iter ire cœperunt. Cùm autem aliquantulum processissent, Frater reversus ad se ait intra se, Deus meus quis panem illic posuit, aut unde illic allatus fuit? Annon & ego lentus pariter & ignarus, qui nihil super hoc hactenus inquisivi? Tunc ait ad sanctum, pater sancte panis ille unde allatus fuit? aut quis eum illic posuit: Tunc verus humilitatis amator & conservator Fratrem interrogavit dicens, fili comedistis quod sufficit vobis? & ille ait, comedi. Si inquit quod vobis sufficit comedistis, Deo gratias agite ut dignum est, & nequaquam ultra inquiratis. Hæc dictus F. Joannes cui contigit, postmodum in Hispaniam rediens Fratribus enarravit. Qui tandem associatus Fratribus, qui de D. Papæ mandato ob fidem catholicam prædicandam in Aphricam ibant, Marrochium perveniens migravit ad Dominum cursu feliciter consummato.

De tunica ejus qua ignem repressit.

9. In civitate Segobiensi fuit quædam mulier Deo devota, apud quam aliquando sanctus Dei Dominicus hospitatus, saccineam tunicam qua loco cilicii ad tempus usus fuerat, deposuit invento asperrimo cilicio, & juxta voluntatem suam admodum pungitivo. Quam tunicam mulier multa cum devotione suscipiens in arca sua inter pretiosiora quæque posuit, & diligentius quam regalem purpuram custodivit. Accidit igitur ut quadam die dicta mulier ad negotium expediendum egrediens, solam ac clausam relinqueret domum suam, relicto ibidem alia ex causa igne accenso. Quo paulatim invalescente, quicquid in pavimento domus erat exustum est, nisi sola arca lignea, in qua sancti tunica servabatur, quæ in medio incendii posita non solùm non arsit, sed nec fumo fuit aliquatenus obfuscata. Rediens igitur mulier, ac de tam vehementi miraculo obstupescens, primo quidem gratias egit Deo & B. Dominico hospiti suo, qui cum tunica sua etiam totam substantiolam suam quam pene totam in arca habebat repositam, ab incendio reservavit, ac detentis ad devotionem tunicæ manicis, partem reliquam Fratribus reservandam tradidit, quæ usque hodie in conventu Fratrum pro reliquiis conservatur. [G]

Quod Teutonice dono Dei locutus est.

10. Idem B. P. Dominicus de Tolosa vadens Parisius per Rupem amatoriam transiens, in ecclesia B. Mariæ pernoctavit devote, habens socium itineris sanctitatis & devotionis F. Bertrandum, qui fuit primus Fratrum Provinciæ prior. In crastinum autem quosdam peregrinos Teutonicos obvios habuerunt in via. Qui audientes eos psalmos & litaniam dicentes, eis adhæserunt devote, & ad villam prævenientes invitaverunt eos, & more suo dapsiliter procurarunt: sicque fecerunt per quatuor continuos dies. Quadam igitur die ingemiscens B. Dominicus dixit socio suo: F. Bertrande vere conscientiam habeo, quod istorum peregrinorum carnalia metimus, cum eis spiritualia non seminemus. Unde si placet flexis genibus oremus Dominum, ut linguæ ipsorum intellectum det nobis pariter & loquelam, ut eis Dominum Jesum annunciare possimus. Quod cùm fecissent, stupentibus illis intelligibiliter Teutonice sunt locuti, & per alios quatuor dies ambulantes cum eis, & loquentes de Domino Jesu, tandem venerunt Aurelianum. Cumque dicti Teutonici vellent ire Carnotum, dimiserunt eos in strata Parisiensi eorum se orationibus humiliter commendantes. Altera verò die dixit B. pater F. Bertrando, ecce Frater ingredimur Parisius, si sciverint Fratres miraculum quod Dominus fecit nobis, credent nos sanctos, cùm simus peccatores, & si ad seculares venerit, multæ patebimus vanitati: unde per obedientiam prohibeo tibi, ne hoc ante mortem meam alicui dicas, sicque servatum est: post mortem enim B. patris hoc dictus F. Bertrandus devotis Fratribus enarravit. [H]

De fervore orationis qua recedentem Fratrem ad ordinem compulit.

11. Recepit idem B. pater quemdam Apulum, qui dictus est F. Thomas, quem ob innocentiam & simplicitatem in tantum dilexit sancto quodam amore, quod a Fratribus filius B. Dominici vocabatur. Quadam autem die socii ejus quidam satellites diaboli captantes opportunitatem violentia & fraudulentia ipsum in quamdam traxerunt vineam, & vestes seculares induerunt claustralibus spoliantes. Quo audito currunt Fratres ad patrem, heu inquiunt filius vester ad seculum trahitur a consociis suis. Mox sanctus ecclesiam intrans se in oratione prostravit, nec frustra, nam quantæ fuerit virtutis ejus oratio, patuit per effectum. Statim enim ut dictus juvenis camisia fuit indutus ad carnem, clamare cœpit fortiter dicens, heu totus exuror [I], nec aliquo modo quiescere potuit; quousque exutus camisia, religiosis vestibus est indutus, & ad claustrum reductus. Vixit autem postea multo tempore Frater utilis & admodum gratiosus.

De puero suscitato & matre ejus a quartana sanata.

12. Cùm idem pater per Franciam vadens ad castrum Castellionis venisset, contigit filium sororis capellani qui eum receperat hospitio, de solario cadere, & quasi exanimem a matre & parentibus plangi. Quibus B. Dominicus compassus sese in oratione cum lacrymis prostravit, & exauditus a Deo puerum reddidit incolumem matri suæ. Tristitia igitur conversa in gaudium, sacerdos avunculus pueri fecit convivium magnum multis Deum timentibus invitatis. Cùm autem mater pueri aliis anguillas edentibus non gustaret, quia patiebatur quarta-

G Hinc arguitur cœnobium Segobiense nondum inceptum cùm B. Dominicus ad eam urbem pervenit, alioquin apud Fratres suos non apud mulierem devotam hospitatus esset: primùm tamen Hispaniæ dicitur erectum, quia Matritense licèt a sodalibus anno MCCXVII eo missis jam inchoatum, in sacrum gynæceum vivo adhuc sancto conversum est: nec nisi longe postea domum Fratrum Matriti ordo habuit.

H Patet hæc acta cùm Dominicus anno MCCXIX ex Hispania post pascha egressus Tolosam rursus venit, & Tolosa ad Rupemamatoriam vernacule *Rocamadour* XL milliaribus inde versus Franciam dissitam accedens Parisios contendebat.

I *Heu totus exuror.* Sic codex noster primus, alter autem *Heu æstuo heu exuror.* Hunc autem novitium Thomam Bononiæ a Dominico fuisse allectum asserit Theodoricus, ac satis recte id ad MCCXX n. 25 refert Malvenda. Falluntur verò Joannes Caroli & eum excipiens Castillus cùm hunc Thomam eumdem cum Joanne Salernitano censent: neque enim Salernum in Apulia sed in Picentinis, ac præterea Joannes hic non juvenis sed jam ætate maturus ordinem amplexus est, a B. Reginaldo ut videtur indutus, ceu qui anno MCCXIX Florentiam missus est præfectus domus ordinis ibidem erigendæ.

Sæc. XIII.

nam, B. Dominicus frustum anguillæ signans sibi dedit in nomine Christi dicens, comede in virtute Domini Salvatoris. Comedit, & ab omni febre sanata est. [K]

De eo quod januis clausis bis intravit ad Fratres.

13. Venit aliquando beatus pater ad quemdam religiosum conventum, postquam omnes lectos intraverant, & timens eos inquietare, prostratus ante portam cum socio rogavit Dominum, ut sine eorum inquietudine suis necessitatibus provideret. Mira res, sic enim prostratos ut erant foris, statim invenerunt se intus. Hoc idem ei accidit cùm esset in conflictatione hæreticorum cum quodam converso ordinis Cisterciensis viro valde devoto. Venit enim sero ad quamdam ecclesiam & clausam invenientes cum orassent ad ostium, subito se deintus invenerunt, & totam illam noctem orationi dederunt. [L]

De diabolo qui jecit super eum lapidem, sed ab oratione non retraxit.

14. Dum quadam nocte vir sanctus in oratione prostratus jaceret, diabolus invidens ei de tecto ecclesiæ lapidem magnum projecit tam fortiter juxta eum, ut per totam ecclesiam sonitum faceret, ut scilicet eum ab orationis instantia deturbaret. Venit autem lapis tam prope, ut & tangeret caputium capæ ejus. Cùmque vir sanctus immobilis in oratione persisteret, diabolus mox voce terribili ejulans confusus abcessit. [M]

De dæmone qui eum frangere de nocte silentium fecit.

15. Existente item ipso in oratione dum jam Fratres dormirent, venit diabolus in specie Fratris quasi orans coram quodam altari: sanctus autem admiratus quod Frater ultra signum remanserat, manu ei innuit quod cubitum iret, cui ille caput inclinans recessit. Post matutinas autem monuit Fratres, ne post ultimum signum in ecclesia remanerent, sic tamen ille falsus Frater & secundo & tertio fecit. Tertia igitur nocte cùm iterum orationem fingeret, accedens beatus vir & increpans eum dixit: quanta inobedientia ista est, jam toties dixi quod nullus remaneret, & te jam tertio deprehendi. Tunc ille cachinnans, modo inquit te feci frangere silentium. Cui vir sanctus deprehendens astutias audacter respondit, noli lætari miser de eo quod tibi non proderit, quoniam ego super silentium sum, & possum cum mihi videbitur loqui, atque ille confusus recessit.

De dæmone quem circumeuntem officinas invenit.

16. Alia vice invenit sanctus diabolum omnia loca domus circumeuntem, cùmque quæreret, quare hoc faceret. Respondit, propter lucrum quod inde recipio. Dixit ei, quid lucraris in dormitorio? Respondit facio eos nimis dormire, tarde surgere sicque a Dei officio remanere, necnon etiam cùm possum, carnis stimulos & illusiones immitto. Inde traxit eum ad oratorium & ait, quid in tam sancto loco lucraris? Respondit, o quot feci tarde venire, cito exire, & se interim oblivisci. De refectorio quoque interrogatus, respondit quis ut plus, quis ut minus hic comedat. Hinc ad locutorium ductus respondit cachinnans, hic locus est totus meus, hîc veniunt risus, hîc rumores & verba proferuntur in ventum. Cùm autem ultimo traxisset eum ad capitulum, cœpit fugere & horrescere, & ait, iste locus mihi infernus est, & quicquid lucror alibi, hîc totum perdo: nam hîc monentur, hîc confitentur, hîc accusantur, hîc verberantur, hîc absolvuntur, unde hanc domum super omnes detestor. [N]

De charta quam sanctus diabolo abstulit.

17. Alia vice invenit sanctus diabolum manibus quasi ferreis tenentem cedulam & ad lampadis lumen legentem: qui quærenti ab eo quid legeret, ait, peccata Fratrum tuorum. Præcepit ergo sanctus isti in Christi nomine ut chartam dimitteret, quod & fecit, invenit autem ibi plura, super quibus Fratres correxit.

De modo & fervore orationis beati viri.

18. F. Joannes Bononiensis vir discretus & bonus dixit, quod septem noctibus vigilaverat, ut videret qualiter beatus pater se habebat in nocte. Dixit ergo quod in oratione modo stans, modo ingeniculatus, modo prostratus in tantum perseverabat, quousque somnus eum arripiebat. Qui cùm evigilasset, statim visitabat altaria, & ita usque circa mediam noctem agebat. Tunc autem Fratres dormientes quietissime visitans discoopertos cooperiebat: quo facto rediens in ecclesia continue orabat. Dixit idem Frater, quod cùm frequenter juvaret eum ad missam, vidit quod cùm post sumtum corpus Dominicum se vertebat ad vinum & aquam, sæpe fluebant lacrymæ ab oculis ejus. [O]

De efficacia verbi ejus & operis.

19. Interdixit aliquando F. Bertrando socio suo, ne suas sed aliorum culpas defleret, attendens quod pro peccatis suis se nimis affligebat, & tantæ virtutis verba fuerunt, ut pro aliis abundanter fleret, pro se autem flere non posset etiam volens. Cuidam usurario sibi mentienti justitiam & petenti eucharistiam sacram porrexit hostiam, quæ mox quasi carbo ignitus ejus palatum adurere videbatur, ut mulcebris ignis puerorum refrigeravit viscera, & combussit Chaldæi nequitiam. Unde compunctus conversus est, quæ male acquisierat restituens universa. [P]

[K] Id recte ad reditum sancti e Parisiis Italiam repetentis mense circiter junio MCCXIX refertur, cum hac vice tantùm in urbem hanc regiam venisse ex antiquis monumentis habeatur, & cùm per Burgundiam iter instituerit, ut annotatum supra ad Jordani n. 36 castrum Castellionis hîc intelligendum quod ad Sequanam, non aliud ejusdem nominis quod ad Matronam, idque amplius patebit ex dicendis dissert. IV seq.

[L] Miraculum secundum Malvenda refert ad 1211 cap. 7: primum verò ad 1221 cap. 14. Fassus tamen utriusque tempus certò præfigi non posse.

[M] Romæ in ecclesia S. Sabinæ id evenisse Romani sodales asserunt, ceu traditione acceptum: quod si verum, cùm hanc ecclesiam non obtinuerit Dominicus, nec cum suis ingressus fuerit nisi mense februario MCCXIX stylo veteri novo MCCXX, ad hunc annum vel sequentem hoc factum revocandum est.

[N] Simile quiddam refert noster Stephanus de Borbone P. III tit. 4 cap. 4. cod. Sorb. fol. 259. a. *Dicitur quod quidam sacrista cujusdam abbatiæ surrexit ut pulsaret ad matutinas, & vidit diabolum portantem saccum plenum & librum in manu. Cùm quæreret dictus sacrista quis esset? Respondit quod erat circator officinarum, qui faciebat monachos in dormitorio vigilare, in ecclesia dormire, in refectorio mala signa facere & micas dispergere, de quibus saccus quem ferebat erat plenus ut dicebat, & liber quem ferebat de negligentiis Fratrum. Sed dicebat quod super omnia oderat capitulum, quia sæpe in capitulo amittebat quidquid laboraverat propter confessiones & accusationes ibi factas & pœnitentias.* Quæ hîc ceu ex ore dæmonis prolata narrantur, absque ejus visione aut allocutione nemo non videt esse verissima, adeo ut superioris subditos suos admonentis figurata oratio tantùm videatur: quod idem sentias de art. seq.

[O] De his sic noster Stephanus de Borbone P. III tit. 7 cap. 1 cod. Sorb. fol. 283. d. *De B. Dominico audivi a quodam Fratre, quod cùm ipse per maximam partem noctis pernoctasset apud Bononiam in oratione, tunc ascendebat super quasdam caulas vimineas, quæ erant juxta lectum dicti Fratris. Cùm autem audiret gemitus crebros ejus & rugitus, & nunquam ita tarde intraret lectum, quod eum ibi inveniret, nec ita cito surgeret* (quin jam ille surrexisset) *tunc quæsivit a quodam alio Fratre quid poterat hoc esse? qui dicebat ei quod erat B. Dominicus, qui ibi cùm esset prope matutinas veniebat ad aliquantulum pausandum.* Assentiuntur testes in proc. canon. F. Radulphus Faventinus testis sextus: *Quandoque jacebat in terra, quandoque super quamdam cratem, super quam ipse testis consuevit extendere quemdam pannum, super quem ipse jacebat.* F. Paulus Venetus testis octavus: *Nunquam recolit quod haberet certum locum in quo jaceret, de nocte, sed quandoque jacebat in terra, quandoque in crate de viminibus, quandoque in assere.* Sic *caulas vimineas* Stephani, intellige *crates vimineas. Caulas* Gallice *claies* juxta ejus sæculi Latinitatem infimam.

[P] Secundum articulum aliter refert Stephanus de Borbone P. IV tit. XI cap. 13 cod. Sorb. fol. 479. b. ubi sic habet: *Legi in libro cujusdam antiqui Fratris, quod in Lombardia B. Dominicus visitavit ad preces aliquorum quemdam legistam magnum advocatum & usurarium: quem graviter infirmum rogavit in præsentia sacerdotis B. Dominicus, quod usuras suas restitui præciperet. Qui nolebat acquiescere, dicens quod filios & filias nolebat pauperes relinquere, & ideo recessit S.*

Dominicus

De panibus multiplicatis.

20. Narravit F. Reginaldus D. papæ pœnitentiarius & post archiepiscopus Armachanus vir valde religiosus, quod ipse præsens fuit Bononiæ, quando procurator accedens ad virum Dei Dominicum cœpit conqueri, quod non haberet quid apponeret ingenti Fratrum multitudini nisi tantummodo duos panes: quos Domini imitator Dominicus jussit in modica frusta comminui, dataque benedictione confidens in Domino, qui dives in omnes qui invocant illum, implet omne animal benedictione, fecit servitorem circueundo per mensas apponere duo vel tria frusta dicti panis: cùmque sic circuisset, & adhuc superesset de pane, secundo circuivit ac tertio de dictis frustis parum sibi (*codex alter* similiter) apponendo, & iterum quod modicum fuerat abundavit. Quid plura toties circuivit & apposuit Fratribus, quod omnes satiati sunt: & multo plus de pane sublatum est divino munere, quàm per homines appositum foret. [Q]

De angelis quos ad custodiam Fratrum vidit.

21. Legista quidam Bononiæ civis intravit ordinem, quem cùm de domo carnales ejus amici vellent violenter extrahere, timentibus Fratribus & volentibus mittere ad quosdam milites patronos ut defenderent domum, ait B. Dominicus, non indigemus auxilio militum, quia ego plusquam ducentos angelos video circa ecclesiam, qui missi sunt ad custodiam Fratrum. Recesserunt ergo illi nutu divino territi & confusi, & novitius consolatus permansit.

De Fratre guloso quem a dæmone liberavit.

22. Quidam Frater ad serviendum infirmis Bononiæ positus, carnes quæ remanebant interdum & sine licentia comedebat. Quodam autem sero cùm hoc faceret, a diabolo correptus cœpit fortiter & terribiliter clamare. Concurrentibus igitur Fratribus beatus pater advenit, & compatiens Fratri qui graviter vexabatur, arguebat dæmonem quod corpus Fratris sui intraverat. Dixit autem diabolus, intravi in eum quia meruit, nam carnes infirmorum occulte & sine licentia comedebat contra ordinationem constitutionum tuarum. Tunc B. Dominicus ait, Ego auctoritate Dei absolvo eum a peccato quod fecit: tibi autem dæmon præcipio in nomine Domini Jesu Christi ut exeas ab eo, & amodo non vexes eum, statimque liberatus est.

De compassione ejus ad peccatores & cavenda nota.

23. Super peccatis hominum mirabiliter sanctus pater compatiens, quando appropinquabat villæ vel civitati, quam posset a longe videre, recogitans miserias hominum & peccata quæ fiebant in illa, totus in lacrymas solvebatur. Cùm autem post laborem itineris divertebat ad seculare hospitium, extinguebat primo sitim ad aliquem fontem vel aquam vicinam, timens ne ex siti quæ a labore accenditur, plus bibendo notam incurreret, quàm non solùm in hoc, sed in omnibus supra modum cavebat.

De abstractione a secularibus.

24. Amorem verò suum ita tenebat affixum in Deum, quod a rebus exterioribus non solùm magnis sed etiam parvis & vilibus affectum retraheret, ut vestibus, libris, calceamentis, cingulo, cutello & aliis hujusmodi, quæ vilia portabat, & curiositatem vel nimiam decentiam in illis reprehendebat frequenter.

Sec. XIII. De studio ejus in libris caritatis.

25. Quæsivit quidam scholaris ab eo in quibus libris studuerat, (amplius *alter codex*) videbat enim eum optime prædicantem, & de scripturis ad placitum disserentem. Cui vir sanctus respondit, Fili in libro caritatis plusquam in alio studui, hic enim de omnibus docet. [R]

De lubrico carnis odore manus ejus restricto.

26. Quidam scholaris Bononiæ admodum lubricus venit in quodam festo ad domum Fratrum, ut missam & sermonem audiret. Qui cùm B. Dominico celebrante ad oblationem accederet cum sociis, subito in osculatione manus ejus beatæ tantam sensit fragrantiam, quantam in vita sua non senserat unquam. Mira res de odore percepto, sed admiranda magis de lubrico carnis in eo restricto. Sicut enim ipse testatus est, ex tunc tantam sensit temperantiam carnis quod sibi fieret facile continere, cùm id prius sibi impossibile videretur.

Quod obitum suum prædixit.

27. Visitavit ipse beatus pater semel Bononiæ scholares quosdam sibi multum familiares: cùmque recedere vellet, eis inter cætera transitum suum prædixit, inducens eos ad mundi contemtum & memoriam mortis. Vos inquit carissimi modo videtis me sanum, sed antequam veniat assumtio Dominæ nostræ, ego submotus ero de vita ista mortali. Quod rei probavit eventus, nam parum ante assumtionem Dominæ a Domino est assumtus.

De socio quem ad Christum vocavit defunctum.

28. Cùm B. Dominici corpus in ecclesia positum a filiis psalmis & canticis spiritualibus cum lacrymis plangeretur, felicis memoriæ frater Albertus prior Bononiæ sanctæ Catharinæ, qui beati patris fuerat valde familiaris affuit. Qui cernens amicum planctum in jubilum commutasse, & ipse cœpit gaudere. Verùm sui miseratus ad corpus accedens in amplexus & oscula ruit, nec inde surrexit, donec mortis meruit habere responsum. Unde surgens priori Fratrum Bononiæ gaudens & lætus ait, boni rumores prior, magister Dominicus amplexatus est me dicens, quod hoc anno ibo post ipsum ad Christum. Quod sequens probavit eventus, nam ipso anno defunctus est.

De scholari qui absens eum in gloria vidit.

29. Contigit quemdam scholarem honestum ab exequiis ejus quadam occasione deesse, qui tamen obitum ejus audierat. Nocte subsequente vidit in somnis B. Dominicum in ecclesia B. Nicolai sedentem in cathedra gloria & honore mirifice coronatum: cui dixit, nonne vos estis magister Dominicus, qui mortuus estis? Respondit, non sum mortuus fili, quia bonum Dominum habeo, cum quo vivo. Mane facto pergens ad ecclesiam Fratrum in loco illo sanctum sepultum reperit, ubi eum inthronizatum in somnis viderat, quod tamen penitus ignorabat.

30. Narravit F. Chabertus de terra Sabaudiæ fervens & gratiosus prædicator, qui post mortem multis dicitur miraculis claruisse, quod cùm esset scholaris Bononiæ, in crastinum sepulturæ B. P. Dominici vidit cum aliis multis quemdam dæmoniacum ad sepulcrum beati patris adduci: qui cùm esset ingressus, clamare cœpit dæmon, quid mihi vis Dominice? frequenter clamans & replicans, Dominice: & sic super sepulcrum tractus obsessus est a dæmonio liberatus.

Dominicus cum aliis & cum corpore Christi. Confusi autem sunt amici, rogaverunt eum ut promitteret usquequo communionem reciperet, & ne sepultura christiana careret, quod fecit sic eos decipere credens. Eis autem recedentibus postquam communionem receperat, cœpit clamare se totum succendi, & quod posita erat gehenna in os ejus: ecce totus ardeo, & elevata manu dicebat, ecce tota ardet, & sic de aliis membris, & sic mortuus & consumtus est.

[Q] Recte monet Malvenda ad MCCXX n. 6 hoc miraculum non in S. Maria de Mascarella, ut quibusdam placet, sed apud S. Nicolaum patratum, quod & ipsa narratio evincit. Priusquam enim B. Reginaldus Aurelianensis Bononiam veniret ad finem anni MCCXVIII paucissimi erant Fratres, adeo ut quidam ex illis augendum unquam numerum desperantes, ut habetur in vitis Fratrum lib. 5 cap. 1 §. 1 ad alium ordinem se transferre voluerint: hic autem dicitur ingentem fuisse Fratrum multitudinem, quod invictum argumentum est istud evenisse, postquam S. Dominicus ex itinere Parisiensi anno MCCXIX mense augusto reversus Bononiam adivit, & magnum ibi Fratrum conventum invenit.

De F. Reginaldo, vel ut in altero codice nominatur, Raynaldo vide supra annotata ad Jordani n. 39. Archiepiscopus Armachanus electus est anno MCCXLVII sub Innocentio IV, mortuus est anno MCCLVI. Alterum simile miraculum Bononiæ etiam actum narrat F. Bonvisus in proc. canon. testis quartus postea referendus.

[R] Ex hoc articulo habes quæ fuerit Dominico sermonum materies, nimirum sacra scriptura quam in promtu tenens pro libito versabat. Vir divinus nonnisi certa, solida, divina populis annunciare noverat.

Sæc. XIII.

De Fratre ab hæmorrhoidis, & post a ruptura ad invocationem ejus sanato.

31. Frater quidam plusquam sexagenarius, quem B. Dominicus recipi ad ordinem fecerat in conventu Lemovicensi, cùm viginti (*alter codex* multis) annis hæmorrhoidas passus fuisset, auditis miraculis quæ fiebant ad tumulum B. Dominici antequam canonizatus fuisset, ante altare se prosternens humiliter ait, Domine Jesu Christe qui per magistrum Dominicum ad hunc ordinem me vocasti, si vera sunt quæ audio, & dictus pater potest aliquid apud te, sicut & vere credo, quæso ut ejus meritis ab hac turpi infirmitate me sanes. Statim igitur sanatus Deo gratias egit, nec unquam postea cùm per septennium vixerit, est illa infirmitate fœdatus. Idem Frater in Caturcensi conventu positus, ubi & obiit, cùm beatum patrem canonizatum audisset, & cum Fratribus *Te Deum laudamus* ob hoc devote cantaret, a ruptura quam aliquibus annis habuerat, est subito & perfecte curatus, cùm hoc tantùm dixisset: O B. P. Dominice qui me ab alia turpi infirmitate curasti, ab hac quoque gravi meam libera senectutem.

De surda quæ ad invocationem ejus recuperavit auditum.

32. In eodem conventu cùm prior Fratrum de miraculis B. Dominici populo prædicaret, quædam monialis quæ multis annis surda fuerat B. Dominicum invocans plene recuperavit auditum.

De litteris canonizationis ejus quæ non sunt aquis destructæ.

33. Dominus Bartholomæus cantor Tripolitanus, & veneranda persona retulit, quod cùm transfretaret, & Fratres ei tradidissent litteras canonizationis B. Dominici de novo factæ, transmarinis Fratribus deferendas, contigit ex vi ventorum & tempestate navem circa quemdam portum fractionis sustinere jacturam: unde omnia quæ supra & infra erant, fuerunt deturpata & multipliciter læsa, litteræ autem prædictæ non sunt læsæ in aliqua parte, cùm secundùm naturam solo tactu aliorum quæ madefacta erant, saltem debuissent deturpari. Quod non sine miraculo Dei providentia creditur evenisse, ut honor Dei in sancto suo in populis Syriæ non subtraheretur: nam si deletæ fuissent, annus & plus transiret, antequam aliæ perlatæ fuissent. [S]

De liberatis a periculo maris.

34. Dum quædam navis recessisset de Trapis [T] civitate Siciliæ, ut Januam perveniret, orta est tempestas tam valida, & tanta insuper inundantia pluviæ, quod & navi fractura, & omnibus mortis periculum imminebat: jam velum cum temone perdiderant, jam navem alleviabant ab omnibus quæ tamen cara plurimum erant, jam omnes alterutrum sua confitentes peccata, sanctos quos in maris periculis invocari mos est, flentes uberrime invocabant. Contigit autem ibi esse quemdam ordinis Prædicatorum Fratrem, qui in illis invocationibus nullam audiens de B. Dominico fieri mentionem, quodam sancto zelo succensus, eos ad invocandum B. Dominicum hortabatur. Et cum respondissent se non consuevisse, nec eum agnoscere, Frater de sancti meritis concepta fiducia dixit, Invocate illum ex toto corde, & vovete aliquam reverentiam vos ei facturos, & pro certo ejus auxilium sentietis. Emiserunt ergo omnes votum communiter; quod si eis sanctus succurreret, omnes simul cum cereis ardentibus, cum nudis pedibus ad ejus ecclesiam venirent. Emisso itaque voto cùm omnes simul clamarent, *S. Dominice adjuva nos*, mox serenatur aër, tranquillatur mare, sedatur tempestas, redditurque ipsa facies ponti jucundior: fit post mœrorem lætitia, exultatio post lamentum, aguntur Deo gratiæ in communi, & S. Dominicus commendatur. Cùm autem omnes sani & incolumes Januam pervenissent, non immemores voti statim cum ipso Fratre & socio quod promiserant impleverunt, processionaliter discalceati cum cereis ardentibus ad locum Fratrum & ad altare B. Dominici devotissime venientes.

35. Est apud Tripolim civitatem Syriæ [V] quoddam monasterium fœminarum quod dicitur Magdalene, ubi quædam monialis nobilis nomine Maria de Bellomonte magnæ simplicitatis & innocentiæ fuit. Hæc post multas graves infirmitates quibus fuerat probata, tandem in femore & pede tanta percussa est passione, quod per quinque menses se non potuit vertere, nec sustinere quod ab aliis verteretur, sed jacebat continue resupina ex adhæsione lecti carnibus jam consumtis. Illorum autem quinque mensum tribus primis tam acutis cruciabatur doloribus, quod ejus clamoribus miserabilibus multùm inquietabantur Sorores: unde præ doloris vehementia septem diebus languit sine cibo, & singulis horis expectabatur exitus, maxime quia deficiente spiritu & vultu in pavorem (*alter codex* pallorem) converso aliquando sine sensu jacebat & motu. Verùm post illos septem dies cœpit aliquantulum respirare, quia femur cum tibia & pede factum est quasi mortuum, & quasi lignum insensibile pulvinari innixum immobile jacebat. Igitur de consilio medicorum mater ejus & consanguinei ordinaverunt, ut eam de monasterio deportarent ad domum propriam, ut liberius foveretur balneis & unguentis & aliis remediis medicinæ, petita super hoc licentia & obtenta a quodam abbate, qui erat ordinis illius visitator. Quod ubi intellexit puella religiosa recusavit omnino extra monasterium in domo secularium contra consuetudinem ordinis [X] commorari, & ne in periculosum exemplum traheretur membra virginea per vicos & plateas ad balnea deportari. Super quo cùm corriperetur a sorore germana, quæ erat ejusdem monasterii monialis & per ironiam diceret: modo sanabit te Deus per sanctitatem tuam, matre etiam asserente non esse modo tempus antiquum, in quo Deus miracula faciebat, recesserunt propter illius pertinaciam indignatæ, eam sibimet relinquentes. Ipsa verò formidans ne eam juxta quod ordinaverant deportarent, totam se dedit ad Dominum deprecandum humiliter dicens: mi Domine Deus non sum idonea te rogare, nec digna exaudiri a te, sed rogo dominum meum B. Dominicum servum tuum, ut sit mediator inter me & te, & suis meritis & precibus mihi impetret beneficium sanitatis. Et tanta precum instantia tantaque abundantia lacrymarum interpellavit B. Dominicum, cui multùm erat devota, quod data est ei in corde certa fiducia obtinendi. Siquidem pater harum virginum vir nobilis dum viveret, mul-

[S] Iste Bartholomæus *de Clusa* agnominatus, ut expresse habetur in altero codice nostro, archidiaconus erat Matisconensis & canonicus Carnotensis, ut supra Jordani n. 33 observatum in notis ex Stephano de Borbone, qui eum cognovit & allocutus est, & dicto n. 33 relatis hæc addit, quibus hîc narrata non parum dilucidantur. *Item de eodem B. Dominico dixit mihi idem archidiaconus, quod cùm ipse esset Romæ* (intellige in curia Romana) *canonizatus, & ipse præsens esset in canonizatione B. Dominici, cùm ipse esset tunc Tripolitanus cantor, & deberet transfretare, rogaverunt eum Fratres Prædicatores, qui tunc erant Romæ, quod ferret litteras canonizationis B. Dominici ad Fratres transmarinos. Quod cùm faceret, in quodam loco cùm applicuisset, submersa est navis, & omnia quæ erant dicti archidiaconi cum aliis: & quæcumque erant in ejus cophinis repleta sunt aqua, in qua diu jacuerunt & læsa, litteræ autem dictæ inventæ sunt illæsæ solæ ab aqua, in qua diu jacuerant in medio aquæ, ac si eas aqua omnino non tetigisset.* Sic cod. Sorbon. fol. 242. a. Rem itaque ab ipsius Bartholomæi ore audivit F. Stephanus.

[T] *Trapas* censeo civitatem quæ Latine *Drepanum*, incolis vernaculè *Trapani*, in valle Mazaræ sitam, ubi portus jam olim celebris.

[V] *Apud Tripolim Syriæ.* Hæc civitas tum erat nobilis & opulenta de qua legendus Jacobus de Vitriaco Hist. Orien. cap. 33. In ea erat sacrum ordinis Cisterciensis gynæceum, ut scribit idem Hist. Occid. cap. 15 cujus sanctimonialem fuisse virginem hoc capite laudatam relatæ omnes circunstantiæ arguunt.

[X] *Contra consuetudinem ordinis.* Sic primus codex, alter verò sic legit, *præter statuta loca & consuetudinem &c.*

tùm devotus fuerat B. Dominico, & ei filias & totam commendaverat domum suam. Cùm igitur dicta sanctimonialis in nullo se sentiret alleviatam, cœpit familiari quadam objurgatione beatum inclamare Dominicum, eo quod ejus preces non statim exaudisset. Quem iteratis precibus & lacrymis interpellans in mentis extasi posita, vidit ipsum cum duobus Fratribus aperta cortina quæ ante lectum ejus pendebat intrantem. At illa cùm esset ei datum cognoscere illum, suppliciter de sua sanitate rogabat. Cui cùm sanctus diceret, quare optas tantùm sanari, respondit quod hoc optabat, ut Deo devotius serviret, si tamen suæ expediret saluti. At ille, extende inquit tibiam tuam in nomine Christi: cui cùm illa diceret se nullo modo posse, ille de sub capa proferens unctionem miræ & inconsuetæ fragrantiæ manu sancta perunxit, & statim perfecte sanata tibiam extendit libere & retraxit. Postmodum ait [illi] B. Dominicus, hæc unctio pretiosa & dulcis est, nec non & valde difficilis. Cujus verbi puella cùm quæreret rationem, sanctus respondit, hæc unctio dilectionis Dei signum est & figura, quæ revera pretiosa est, quia nullo pretio comparari potest, & quia in donis Dei nullum melius est: dulcis est, quia nihil dulcius caritate: difficilis est, quia cito perditur nisi valde caute custodiatur. Ipsa autem nocte apparuit B. Dominicus sorori suæ in dormitorio quiescenti dicens, Ego sanavi sororem tuam. Quæ statim ad sororem currens invenit eam sanatam plene, Deo & S. Dominico gratias referentem. Cùm autem dicta puella inveniret se unctam etiam sensibili unctione, extergens cum bombace [Y] per dies plures, apud se ex humilitate illam unctionem retinuit nulli dicens. Tandem cogente conscientia matri suæ & confessori suo viro religioso aperuit, ut docerent quid faceret de tam sacra apud se reposita unctione. Cùm autem protulisset quod in bombace habebat, ipse confessor & mater & soror tanta & tam nova suavissimi odoris fragrantia sunt perfusi, ut nulla possent ei aromata comparari, sicut quatuor honestæ personæ senserunt [& *alt. cod.* retulerunt.] Puella verò sicut extra sanata est, ita intus est cœlesti unctione perfusa, & divino amore succensa, in humilitate multa Domino serviens & fervore. Hoc miraculum cum magna diligentia examinavit & scripsit F. Yvo prior provincialis Fratrum in Terra sancta, vir totius sanctitatis & religionis, apud Deum & homines gratiosus, & in linguis pluribus optimus prædicator: quem rex Franciæ & regina transeuntes mare invenerunt illuc, & specialiter dilexerunt, & laudes ejus magnifice extulerunt.

De hydropico sano.

36. Fratres [Z] quidam transeuntes per terram de Pedemontis in Lombardia, prædicaverunt quædam miracula de B. Dominico, quorum prædicationi interfuit quidam qui habebat fratrem hydropicum monstruose inflatum, & rediens domum narravit fratri illa quæ audierat miracula, monens eum ut se B. Dominico devoveret, ut sibi sanitatem conferret, quod infirmus devotissime fecit. Et ecce illi dormienti apparuit B. Dominicus, ventrem ejus aperuit, immunditias extraxit, non inferens molestiam vel dolorem, & iterum manu sua sancta ventrem ejus solidavit. Igitur expergefactus infirmus, & se sanum inveniens visionem omnibus enarravit, & contra omnium medicorum opinionem sanus & gracilis manens Deo & B. Dominico suo curatori gratias multas egit.

De vino ad invocationem ejus augmentato.

37. In Sicilia insula villa quæ dicitur Placia [A] fuit mulier multùm Deo devota, & Fratribus valde obsequiosa, suo viro tamen non modicum adversante. Contigit autem ut æstivo tempore vinum conventui Fratrum deficeret; unde ipsa nesciente viro singulis diebus eis vinum mittebat. Cùm ergo processu temporis tum propter familiæ propriæ tum propter Fratrum multitudinem vinum in vegete defecisset, contigit virum dictæ fœminæ vinum petere de vase illo, & cùm missum fuisset, & nihil aliud quam fæx ibi reperiretur, stupet ancilla, & dominæ suæ clanculo nuntiat. Quæ audiens remittit ad vegetem ancillam, & timens vehementer ne maritus tumultum faciat, & inventa occasione eam a Fratrum devotione retraheret, genibus in terra positis B. Dominicum invocat, & firmam de meritis ejus fidem concipiens, tertio ad vacuam vegetem ancillam remittit. Quæ murmurando rediens (*cod. alt.* vadens) tantam vini abundantiam reperit, ac si nunquam aliquid fuisset extractum. Mira res & a Domino vere facta, vinum enim quod illi familiæ ad mensem & dimidium sufficere consueverat, tam familiæ quam Fratribus per quatuor menses illud Deo multiplicante suffecit. De quo cùm vir ejus miraretur quamplurimum, audivit quemdam Fratrem tacitis personis in statione publica prædictum miraculum prædicantem, jam enim domina illa Fratribus narraverat illud totum. Unde domum reversus requirit, quomodo vinum illud tantùm durare potuerit, cum quadam cautela miraculum deridens: mulier autem ipsum pie redarguens, & miraculi seriem narrans Deo & Fratribus fecit eum esse devotum. Quod miraculum valde notum est in partibus illis.

De hydropico ejus medicina curato.

38. In eadem patria castro quod dicitur Johannis [B] fuit juvenis quidam, qui hydropisis morbo ventrem mira turgiditate inflatum, cæteris membris tanta gracilitate debilitatis habebat, ut jam mortem expectaret vicinam: attamen paupertate gravatus, cogebatur exire ad campos, ut fasciculum de lignis apportaret, qui seipsum vix portare valebat. Cùm autem quadam die in campo jaceret, & suam miseriam querulosis vocibus deploraret, inter fletus recolens quod B. Dominicus ad se clamantibus subveniret, fecit votum intra se, quod Fratribus ejus commorantibus in Placia serviret per annum, si ejus meritis sanaretur. Igitur antequam de loco surgeret in quo jacebat, vidit ut sibi videbatur Fratrem astantem sibi, qui extendit manum suam versus arborem sambuci sub qua idem jacebat & ait: accipe folia hujus sambuci [C], & tere, & bibe succum ejus, & sanaberis, quo dicto disparuit. Surgens autem statim cum lapidibus trivit, expressit, & bibit, & illico venter ejus solutus est, & ipse plene curatus, & fascem magnum de lignis bajulans incolumis ad sua rediit, miraculi seriem omnibus narrans, & valedicens matri ad domum Fratrum de Placia venit, & eis per annum ut voverat devote servivit. Per omnia benedictus Deus Amen.

De aliis quibusdam ex virtute reliquiarum ejus curatis.

39. Civis quidam Lodiensis [D] villicus ejusdem ur-

[Y] *Bombace.* Jacobus de Vitriaco Histor. Orien. cap. 86. *Sunt ibi præterea arbusta quædam ex quibus colligunt Bombacem, quæ Francigenæ* cotonem *seu* coton *appellant: est quasi medium inter lanam & linum, ex quo subtilia vestimenta contexuntur.*

[Z] Alter codex sic incipit. *Fratres quidam transeuntes per terram Italiæ quæ dicitur de Pedemontis prædicaverunt. &c.*

[A] *Placia* vel *Platia* vernacule *Piazza* municipium est insulæ Siciliæ in valle Neti, in insulæ fere meditullio, ubi cœnobium ordinis ex antiquioribus ejus regni.

[B] *Castrum Johannis* duodecim milliaribus circiter a Placia distat versus Boream.

[C] *Folia Sambuci.* Foliorum hujus arboris succum potum hydropisin potenter exigere docent medici: miraculum tamen hìc agnoscendum, tum in detectione remedii certi juveni ignaro cœlitus facta, tum in curatione tam subita nullis aliis fomentis adhibitis.

[D] *Civis Lodiensis.* Civitatem censco indicari, quæ Latine *Lauda*, aliis *Laus Pompeia*, vernacule *Lodi*, estque episcopalis sub metropoli Mediolanensi ad Adduam Italice *l'Adda* sita, ubi cœnobium ordinis si Pio fides, jam anno MCCXX, certo ante MCCXXX erectum.

Non plura sunt in codice nostro antiquiori, in altero autem recentiori ejusdem tamen seculi XIII hæc etiam adduntur.

Sæc. XIII. bis morbum patiebatur in collo, pro quo loca sanctorum visitaverat multa, & cùm minime curaretur, rogavit priorem FF. Prædicatorum, ut secreto reliquias B. Dominici poneret super morbum, quo facto perfectam recepit continuo sanitatem. Hoc ipse prior mihi enarravit.

Alius de ditioribus ejudem civitatis morbum gravem cum tumore magno & ulcere terribili patiebatur, ita quod de vita ejus sui penitus desperabant. Tantus enim erat ejus dolor & cruciatus, quod nec palpationem medici poterat sustinere. Frater autem Lambertus cùm videret illius afflictionem permaximam, induxit eum ut haberet devotionem ad B. Dominicum, quia per eum Dominus fecerat mirabilia multa. Ille statim devote rogavit, ut afferretur ei aqua ablutionis reliquiarum B. Dominici, qua super locum aspersa statim incepit dolor minui & tumor evanescere, & sic est perfecte curatus.

De duobus Fratribus curatis.

40. Frater quidam in conventu Metensi ob os quod supercreverat ei in conjunctura, quæ est inter pugnum & brachium, graviter patiebatur in manu, ita ut timeret probabiliter amittere usum manûs: super quo frequenter a medicis & chirurgicis habuit responsum, quod non posset curari nisi per incisionem, quod tamen periculum erat propter venarum & nervorum ibidem concursum. Contigit autem in vigilia B. Mariæ Magdalenæ patronæ in conventu prædicto, quod duo Fratres venientes de remotis partibus Teutoniæ, hora qua parabatur altare post nonam introirent chorum ad benedictionem [E]: Frater autem qui patiebatur in manu, unus erat de parantibus cum sacrista. Qui dimittentes altare Fratribus benedictionem dederunt, & surgentes a benedictione dixerunt, detulimus nobiscum de pulvere B. Dominici [F] patris nostri. Frater ille qui patiebatur in manu audito nomine B. Dominici & adventu reliquiarum ejus, repletus devotione & mentis exultatione non modica cœpit dicere corde & ore, pater pater bene veneritis ad nos, qui sequendo Fratres sacras reliquias ad altare deferentes, plaudens manibus post eos incessanter, pater pater bene veneris, clamabat. Et accedens ad altare, reliquias accipiens cum duabus manibus, & eas deosculans subito est ab ossis illius periculo liberatus. Et cùm recederet ab altari, videns quasdam immunditias circa lampadem in medio chori, tangendo & mundando lampadem, manus aliquantulum sordidavit: & vadens ad lavatorium dum manus lavaret, scivit tunc primo ab illius ossis periculo se curatum, & præ gaudio illotis manibus currens ad priorem qui erat in capitulo, curatum in adventu reliquiarum B. Dominici se ostendit. Quod cùm esset mirabile in oculis Fratrum, & divulgaretur per domum, Frater quidam decumbens in infirmitorio, qui tortionibus ventris gravissime torquebatur, hoc audiens petiit devote sacras reliquias B. Dominici sibi deferri, & ad tactum earum alleviatum se a suis doloribus asseruit & sanatum.

De quartana ad ejus invocationem fugata.

41. Quidam Frater conversus in conventu eodem febre quartana diutissime laborans, & tam gravissime afflictus, & valde turpiter habens caput inflatum, dum in vigilia primi festi B. Dominici horam suæ accessionis expectaret, prior eum visitavit, & dum quæreret ab eo Fratre, quomodo vobis est, respondit accessionem meam expecto? Et prior ad eum, potens est Deus meritis S. Dominici vos ab hac & ab aliis accessionibus liberare misericorditer: & Frater conversus ad priorem, credo firmiter quod si vos præciperetis febri ex parte Dei & ex parte B. Dominici ne me amplius vexaret, quod curaret. Tunc prior sumta de Dei bonitate & meritis B. Dominici fiducia, imperavit febri ut dimitteret eum & ne amplius affligeret Fratrem illum, & continuò dimisit eum febris, nec illam accessionem nec aliam sensit postea Frater ille, similiter & ab inflatione capitis est plene liberatus. Et hoc retulit prior prædictus Frater Jacobus vir magnæ famæ magistro ordinis. [G]

EX COD. MS F. BERNARDI Guidonis in archivis conventus Carcassonensis asservato.

Dicta testium super inquisitione facta de vita, obitu & miraculis B. Dominici.

Testes recepti super vita conversatione & transitu Fratris Dominici plantatoris fundatoris ordinis Fratrum Prædicatorum & primi magistri, auctoritate D. Gregorii papæ IX per magistrum Tancredum archidiaconum Bononiensem, & Thomam priorem sanctæ Mariæ de Rheno, & Fratrem Palmerium ecclesiæ de Campagnola Bononiensis & Reginæ diœcesum: & sunt introducti a F. Philippo ejusdem ordinis canonico, constituto procuratore [A] a F. Ventura priore conventus ecclesiæ S. Nicolai ordinis FF. Prædicatorum & capitulo ipsius ecclesiæ congregato more solito ad sonum campanæ in ipso capitulo: & super miraculis quæ Deus operatus est per merita F. Dominici ante obitum ejus & post. Et juraverunt coram dictis inquisitoribus sub anno Dñi MCCXXXIII Ind. sexta.

TESTIS I.

1. *Frater Ventura Veronensis* presbyter & prior conventus Fratrum Prædicatorum de Bononia juratus dixit quod XIII anni sunt & plus, quod ipse testis intravit ordinem FF. Prædicatorum ad inductionem & admonitionem Fratris Dominici ordinis FF. Prædicatorum fundatoris & primi magistri, & in manu ejus fecit professionem, & ab eo habitum recepit [B]. Et tunc temporis ipse F. Dominicus habebat plenam potestatem & dispensationem & ordinatio-

[E] *Ad benedictionem.* Intellige preces quæ ex ritu ordinis super Fratres itinerantes ad terram prostratos, cùm ad domum accedebant, a quolibet sacerdote obvio dicebantur: præter eas verò alia est simplex benedictio cum signo crucis a prælato accipienda.

[F] *De pulvere B. Dominici.* Cùm facta est anno MCCXXXIII maii XXIV translatio corporis ejus, pulverem in capsa inventum sodalibus qui ex omnibus provinciis Bononiam ad capitulum generale venerant, distribuit B. Jordanus: exinde haud dubie hi Teutones in patriam redeuntes veniebant sua dicti pulveris portione donati.

[G] In chronico conventus Metensis anno MDXXI ab anonymo ejusdem alumno scripto, ubi de prioribus quartus laudatur F. Jacobus de Mandris primus ejus nominis, altis ortus natalibus, anno MCCXXV ad ordinem ascitus, prior verò electus anno MCCXLIX, & Kal decemb. MCCLXXVII in munere defunctus, tantæ verò auctoritatis & famæ, ut comes Parvæ Petræ jura sua de bello quod cum Argentinensibus & Tullensibus ipsi erat ei commiserit, quod ille cum omnium partium approbatione composuit anno MCCLXX. Hunc facile censuerim de quo agitur hoc n. nisi obstaret quod hoc dicitur evenisse vigilia primi festi B. Dominici, quod haud dubie anno ipso canonizationis MCCXXXIV celebrarunt. Itaque dicendum vel hunc Jacobum de Mandris jam ante MCCXLIX quibusdam annis præfuisse circa MCCXXXIV, & a munere solutum ut ea ætate consuetum, locum aliis dedisse ad MCCXLIX, quo ad idem munus resumtus fuit, vel alium Jacobum in hoc chronico omissum ad MCCXXXIV priorem egisse, quod creditu difficilius.

[A] De isto procuratore F. Philippo fusius agemus postea ad annum 1237, monendus hîc lector, ut meminerit, quî hic nominetur, nempe *ordinis Prædicatorum canonicus*, quod argumentum invictum nostros ea ætate dictos fuisse canonicos.

[B] Cùm S. Dominicus ex itinere Parisiensi redux Bononiam primùm accesserit sub finem augusti MCCXIX, aliquo ex mensibus sequentibus ejusdem anni, vestem ordinis ex ejus manibus Ventura induerit, & unâ vel paulo post professus fuerit: certò id actum ante pentecosten anni sequentis MCCXX, cùm comitiis primis generalibus tum habitis præsentem se fuisse testetur: sicque constant XIII anni & plus quàm ordi-

nem, & correctionem totius ordinis FF. Prædicatorum poſt D. Papam. Et eodem anno fuit celebratum primum capitulum generale ordinis ipſo teſte præſente apud Bononiam. Et tunc placuit ipſi F. Dominico, quod diffinitores conſtituerentur in capitulo, qui haberent plenam poteſtatem ſuper toto ordine, & ſuper ipſo magiſtro, & ipſius ordinis diffinitoribus, ſcilicet diffiniendi, ſtatuendi, ordinandi & puniendi ſalva reverentia magiſtrali. Et ſtetit cum ipſo F. Dominico in civitate Bononienſi: & in eundo cum ipſo extra civitatem per provinciam Lombardiæ, & multa familiaritate uniebatur ipſi F. Dominico in eundo, redeundo, ſtando, comedendo & bibendo, & jacendo, & orando.

2. Item dixit quod eundo per viam fere omnibus qui ibant ſecum volebat proponere verbum Dei per ſe vel per alios, & hoc ſcit quia ſæpe vidit prædicta. Et ſemper volebat vel diſputare de Deo vel conferre vel docere vel legere dum in via erat vel orare. Et etiam eundo fere ſingulis diebus celebrabat miſſam, ſi eccleſiam inveniebat. Et quando miſſam cantabat, multas lacrymas effundebat, ſicut ipſe teſtis vidit. Et quando veniebat ad hoſpitium, ſi erat ibi eccclesia, ſemper ibat ad orandum in eccleſia. Et fere ſemper cùm eſſet extra conventum, cùm audiſſet primam pulſationem matutini monaſteriorum, ſurgebat & excitabat Fratres, & celebrabat cum multa devotione totum divinum officium diurnum & nocturnum, ita quod nihil dimittebat: & poſt completorium erat & faciebat ſocios ſuos eſſe in ſilentio in itinere, ac ſi eſſent in conventu. Et in mane dum ibat, ſervabat & faciebat Fratres ſuos ſervare ſilentium fere omni die uſque ad tertiam. Et dum erat in itinere jacebat in palea veſtitus & calceatus, ſicut ambulabat in die, tamen credit quod extrahebat ſotulares.

3. Item dixit quod eundo per vias obſervabat jejunium continuum a feſto exaltationis ſanctæ crucis uſque ad feſtum Reſurrectionis, & etiam in æſtate omnia jejunia ab Eccleſia inſtituta, & omnes ſextas ferias: & in itinere ea quæ dabantur ſibi ad comedendum patienter comedebat, excepto quod non comedebat carnes, nec aliqua cibaria condita cum carnibus vel ſagimine ſcienter. Et ſi quando male procuraretur in via in cibo & potu, non inde conquerebatur, ſed inde videbatur gaudere. Et ſcit, quia eundo cum eo prædicta videbat. Et cùm erat in itinere, quando veniebat ad locum ubi Fratres habebant conventum, non ibat ad quieſcendum, ſicut quidam faciunt, ſed convocatis Fratribus faciebat eis ſermonem, & proponebat eis verbum Domini & multam conſolationem.

4. Item dixit quod quando F. Dominicus erat in conventu, ubi moram deberet facere, conformabat ſe conventui in cibo & menſa, & obſervabat regulam integre & pleniſſime, & pro poſſe laborabat ut Fratres ſui ſervarent. Et omnia prædicta ſcit, quia vidit, & nunquam recordatur quod viderit vel audiverit eum contraria facientem vel dicentem: nec audivit unquam vel vidit quod diceret verbum otioſum vel injurioſum, vel detraheret alicui. Item dixit quod idem F. Dominicus erat ſapiens, diſcretus, patiens, benignus, & multùm miſericors, multùmque familiaris, ſobrius & juſtus, ita quod toto tempore vitæ ſuæ non credit ſe vidiſſe aliquem hominem conſideratis omnibus conditionibus, qui magis polleret omnibus virtutibus, licèt multos viderit & noverit bonos religioſos viros in diverſis partibus mundi. Et dixit quod audivit ejus confeſſionem in ægritudine de qua migravit ad Dominum, generaliter de omnibus actis ſuis, præſentibus multis ſacerdotibus & audientibus, & credit eum nunquam mortaliter peccaſſe: & credit eum ſemper virginem fuiſſe, & hoc credit per confeſſionem prædictam generalem, quam ab eo audivit: & poſtea dixit ipſi Fratri in ſecreto, Frater ego peccavi quia publice dixi de virginitate mea coram Fratribus, quod non debuiſſem dixiſſe.

5. Item dixit quod quando erat in itinere, viſitabat loca religioſa, cujuſcumque ordinis eſſent, & prædicabat eis, & hortabatur ad bonum, & hoc ſæpiſſime vidit. Item dixit quod ſi quis Frater ſui ordinis vel alieni tentationem vel turbationem haberet, & iret ad eum locuturus ſuper hoc, valde bene hortabatur eos, ita quod fere omnes bene conſolati recedebant ab eo: & hoc ſæpiſſime vidit per provinciam Lombardiæ, ſcilicet apud Mediolanum & Columbam [C], & alibi in multis locis. Item dixit quod fere omni die non magna neceſſitate impeditus faciebat prædicationem & collationem Fratribus, & multùm plorabat, & provocabat alios ad plorandum. Item dixit quod zelator erat regulæ & rigide puniebat culpas Fratrum, tamen in tanta dulcedine & benignitate injungebat pœnitentias, quod Fratres patienter ſuſtinebant. Item dixit quod aſſiduus erat in officio, & ſequebatur chorum in officio. Item dixit quod neſcivit unquam quod haberet proprium locum jacendi niſi in infirmitate, nec de levi potuiſſet habuiſſe quin ſciviſſet. Item dixit quod pro majore parte noctis erat in oratione, & ſæpiſſime pernoctabat in eccleſia, & multùm plorabat in oratione. Interrogatus quomodo ſciret, reſpondit quod ſæpiſſime invenit eum in eccleſia orantem & plorantem, & aliquando victum a ſomno dormientem: & propter multas vigilias præcedentes ſæpiſſime dormitabat in menſa.

6. Item dixit quod circa finem menſis julii, ſicut de tempore credit, fuit reverſus de curia dñi Hugolini tunc temporis Oſtienſis epiſcopi & apoſtolicæ ſedis legati & nunc ſummi pontificis, qui erat Veneriis, ſicut ipſe certiſſime credit de loco, & rediit F. Dominicus valde laſſus, & licèt ſic fatigatus eſſet, locutus fuit cum ipſo teſte, qui tunc fuit novus prior [D], & F. Radulpho uſque ad magnam partem noctis de facto ordinis: & dum iſte vellet dormire, rogavit dictum F. Dominicum, quod iret ad dormiendum, & non ſurgeret in nocte ad matutinas; ſed ipſe non acquievit precibus iſtius, ſed intravit in eccleſiam, & pernoctavit in oratione, & nihilominus interfuit in matutinis, ſicut audivit a Fratribus & ab eodem F. Dominico; & poſt matutinas audivit ab eo quod dolebat caput, & ex tunc cœpit languere manifeſte de illa ægritudine, de qua migravit ad Dominum. Item dixit quod dum jacebat in ipſa ægritudine, noluit jacere in lecto, ſed in ſaccone, & faciebat vocari ad ſe Fratres novitios, & dulciſſimis verbis & alacri vultu conſolabatur eos, & hortabatur ad bonum: & ita patienter ſuſtinebat illam ægritudinem & etiam alias, quod nec conquerebatur, nec

nem intraverat, cùm hoc teſtimonium reddebat menſe auguſto MCCXXXIII.

C *Mediolanum & Columbam.* Locus hic ultimus idem videtur cum Columbaniſano caſtro celebri a Friderico Ænobarbo in imperatorum commodum ad Lambrum fluvium ædificato anno MCLXIV, de quo Leander Albertus in deſcriptione Italiæ legendus ubi de Lombardia Tranſpadana, edit. Venet. 1551 in 4 fol. 338. b. Verſ. Kyriand. p. 646 quod per ſyncopen Columbam forte vulgo dicebant.

D *Tunc fuit novus prior.* In alteris quæ S. Dominicus habuit Bononiæ anno MCCXXI comitiis generalibus conſtitutæ ſunt ut ſupra obſervatum eſt, officiorum ordinis appellationes magiſtri, priorum provincialium, & priorum conventualium id eſt eorum qui unius cœnobii regimini præficiebantur, cùm antea ſolo vicarii nomine gauderent. Itaque in iiſdem comitiis hic F. Ventura primus Bononienſis prior videtur poſitus & a B. Dominico inſtitutus, quo munere videtur continuo functus ad annum MCCXXXIII, certo eo anno fungebatur adhuc cùm hoc teſtimonium reddidit menſe auguſto, forte & ultra geſſit.

gemitum emittebat, imo videbatur esse semper hilaris & jucundus.

7. Item dixit quod dum graviter infirmaretur, fecerunt eum portare ad sanctam Mariam de Monte, qui erat sanior locus, & cùm crederet se mori, vocavit istum priorem & Fratres: & venerunt illuc fere viginti Fratres cum dicto priore, & cùm essent circa eum, ipse sic jacendo cœpit prædicare eis, & fecit eis valde bonum sermonem, & compunctivum, & nunquam audivit magis ædificativum sermonem ab ore ejus, & sicut credit, tunc inunxerunt eum. Et audivit tum a quibusdam, quod monachus qui erat tunc rector in dicta ecclesia dixit, quod si moreretur ibi, non dimitteret asportari eum, sed faceret eum sepeliri in dicta ecclesia. Sed cùm ipse prior retulisset prædicta F. Dominico, ipse F. Dominicus respondit: Absit quod ego sepeliar nisi sub pedibus Fratrum meorum: *Portate me extra ut ego moriar in vinea illa, ut possitis me sepelire ad ecclesiam nostram.* Et tunc sumentes eum reduxerunt eum Bononiam ad ecclesiam S. Nicolai, timentes ne in via moreretur. Et cùm fuisset illic, stetit per bonam horam, & fecit vocari postea priorem, & dixit ei, *praparate vos.* Et cùm iste prior & alii Fratres præparassent se solemniter ad commendationem animæ, & cùm venissent circa eum, ipse F. Dominicus dixit huic priori & Fratribus: *Expectate adhuc.* Et dum ista fierent, dixit ipse prior ei: Pater tu scis quomodo dimittis nos desolatos & tristes, memento nostri ut ores pro nobis ad Dominum. Et ipse F. Dominicus elevatis oculis in cœlum & manibus dixit: *Pater sancte quia libenter persititi in voluntate tua, & illos quos dedisti mihi custodivi & conservavi, ego recommendo eos tibi, conserva & custodi eos.* Et dixit se audivisse a Fratribus quod dum rogarent eum de se, respondit eis: *Ego utilior ero vobis & fructuosior post mortem, quàm fuerim in vita mea.* Et post paululum ipse F. Dominicus dixit huic & Fratribus: *Incipite.* Et inceperunt officium commendationis animæ solemniter facere. Et sicut credit ipse F. Dominicus dicebat officium cum eis, quia movebat labia: & dum officium facerent, vitam finivit, & credit firmiter quod dum dicebant verba illa, *Subvenite sancti Dei, occurrite angeli Domini, suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi*, quod tum emisit spiritū. Et sic credit, quod ex benignitate & providentia Dei factum fuit, quod D. Hugolinus Ostiensis episcopus & nunc apostolicus & D. patriarcha Aquileiensis & multi venerabiles episcopi & abbates interfuerunt sepulturæ ejus. Et ipse D. Ostiensis episcopus nunc apostolicus celebravit missam, & commendavit animam ejus, & fecit exequias. Et dixit quod in festo S. Sixti proxime præterito fuerunt XII anni quod migravit ad Dominum. [E]

8. Item dixit quod in eodem anno quo mortuus fuit, in hieme sequenti maximus odor sentiebatur in ecclesia veteri in qua sepultus fuit, & per totam ecclesiam, sed præcipue circa sepulturam, & ipse testis sensit ipsum odorem, & multi Fratres senserunt qui adhuc vivunt, sicut eos audivit dicentes, & duravit per multos dies, sed nesciebant quis odor esset, credentes firmiter quod de sepultura exiret. Item dixit quod sicut audivit & firmiter credit, Deus multa miracula operatus fuit per eumdem F. Dominicum in morte ejus & post mortem ejus in eo anno & sequentibus annis. Et hoc ideo credit & dixit, quia multi viri & mulieres veniebant ad sepulturam ejus cum candelis & imaginibus & votis, dicentes quod Deus operatus fuerat miracula circa eos vel suos per merita B. Dominici. Et voluerunt quidam claudere sepulturam ipsius F. Dominici, & cooperire pannis sericis, sed Fratres timentes prohibuerunt, ne ordo inde propter multitudinem turbaretur, & ne aliqui dicerent, quod propter cupiditatem & jactantiam facerent Fratres, vel fieri paterentur.

9. Item dixit quod quando corpus prædicti F. Dominici debuit transferri de loco in quo erat in locum in quo nunc est, ex mandato Potestatis Bononiensis multi honorati cives custodierunt arcam per multos dies, timentes ne subriperetur eis. Unde cùm in nocte Fratres venerunt ad aperiendam arcam præsente Potestate & multis civibus Bononiensibus & aliis honoratis & religiosis viris clericis & laicis, invenerunt sepulcrum bene clausum & cæmentum durum & valde forte [F], ita quod vix elevaverunt lapidem superiorem. Et cùm elevatus fuisset lapis, exivit inde mirabilis & suavissimus odor, & omnibus qui ibi erant incognitus, & talis qui videbatur superare omnia aromata, nec videbatur habere odorem alicujus rei humanæ. Et elevato dicto lapide invenerunt capsam ligneam bene clausam & firmam cum clavis ferreis, in qua dictum corpus F. Dominici requiescebat, quam similiter aperuerunt, & valde majorem fragrantiam odoris statim senserunt: & ossa ipsius corporis quæ erant in antiqua capsa, posuerunt in nova bene firmata cum clave, quam semper tenebat Potestas & tenet, quæ postea in aurora in adventu archiepiscopi & multorum episcoporum aperta fuit, & eumdem reddidit odorem, & deposita fuit cum ossibus per archiepiscopum & alios episcopos in novo sepulcro: quo clauso idem sepulcrum in octava die apertum fuit præsente Potestate Bononiensi & multis aliis civibus & magistro Jordane & priore Provinciæ & multis aliis prioribus & Fratribus ordinis Prædicatorum: & tunc magistro Jordane tenente caput dicti F. Dominici in manibus suis, quasi trecenti Fratres de ordine Prædicatorum & ultra osculati fuerunt caput sentientes eumdem inenarrabilem odorem: & mirabilis & inenarrabilis odor remansit in manibus magistri Jordanis & hujus testis & omnium illorum qui tetigerunt de ossibus suis.

Interrogatus quomodo scit prædicta omnia, res-

[E] *Et dixit quod in festo S. Sixti proxime præterito.* Hæc rursus confirmant B. Dominicum VIII idus augusti MCCXXI feria VI nam erat Lit. Dom. C. obiisse. Ista verò si junxeris cum iis quæ habet Testis V F. Joannes Hispanus n. I *in festo S. Augustini proximo venturo erunt &c.* Recte colliges hos omnes testes auditos fuisse inter sextam augusti & XXVIII ejusdem mensis anni MCCXXXIII sed & obiter animadverte speciatim ab eo notari festum S. Sixti, non festum transfigurationis, quia scilicet festum transfigurationis etsi jam in quibusdam Ecclesiis celebraretur, non tamen ea ætate in ecclesia Romana, nec in ordine: neque enim in Kalendariis nostris seculi XIII & sequentis XIV annotatur. Falluntur ergo qui hactenus putarunt festum B. Dominici ab octavo idus ad nonas augusti a Gregorio IX translatum ratione festi transfigurationis, cùm nonnisi ob festum S. Sixti summi pontificis & martyris id factum fuerit: seculo verò XVII ob festum S. Mariæ ad Nives a nonis augusti ad pridie nonas a S. P. Clemente VIII rursus est translatum. Festum verò transfigurationis Calixtus III primus per totam ecclesiam Latinam jussit celebrari ob insignem victoriam sexta augusti de Turcis reportatam anno MCCCCLVI. Vide postea ubi de F. Jacobo Gil seu Ægidii, qui jubente illo pontifice officium hujus solemnitatis concinnavit.

[F] *Cæmentum durum & valde forte.* Idem habent sequentes plures. Intelligo arenatum ex arena & calce confusis constans, vel etiam ex testis tusis & calce mistis opus ut aiunt signinum.

Quandiu postea vixerit hic Ventura, non produnt annales nostri: eum anno MCCXXXVII primum cœnobii Luchesis præfectum priorem conjicit Malvenda Annal. p. 554. a. ex memoriis ejus domûs ad se missis, cui assentiri non possum. Cùm enim hujusmodi primi priores in comitiis cujusque provinciæ instituerentur, non videtur provinciam Romanam quæ viris ad regimen idoneis non carebat, ex provincia Lombardiæ hominem evocasse quem Luchæ præficeret suis mandatis obsequi non astrictum. Itaque Ventura ille primus prior Luchensis alius fuerit. Noster autem Veronensis quin vir sua ætate nominatissimus fuerit, de Ecclesia & ordine in sua provincia optime meritus, tanta ejus cum SS. Parente familiaritas ut dubitemus non sinit.

pondit quia interfuit omnibus prædictis, & vidit, & sensit odorem non solùm in ossibus, & vestimentis & capsa & pulvere, sed etiam in suis manibus & Fratrum qui tetigerunt supradicta, vel aliquid de prædictis. Item dixit quod multoties usque ad hoc tempus sensit istum odorem incognitum.

Item dixit quod in tantum erat zelator animarum quod non solùm ad fideles, sed etiam ad gentes & infideles & in inferno damnatos extendebat caritatem suam & compassionem & multùm pro eis flebat, & multùm erat fervens quoad se ad prædicandum & quoad alios in mittendo prædicatores, in tantum etiam quod desiderabat ire ad prædicandum gentibus. Interrogatus quomodo scit hoc, respondit quia audiebat ab eo & ab aliis Fratribus, & in talibus tractatibus sæpe fuit cum eo, & etiam in collationibus.

TESTIS II.

1. *Frater Guillelmus de Monteferrato* de ordine Prædicatorum presbyter juratus dixit, quod XVI anni sunt vel circa tempus illud, quod ipse venit ad urbem Romanam, ut celebraret ibi quadragesimam, & D. Papa qui nunc est, qui tunc erat Ostiensis episcopus recepit eum in domo sua; & in diebus illis F. Dominicus ordinis Prædicatorum inventor & primus magister erat in curia Romana, & sæpe veniebat ad domum D. Ostiensis episcopi, unde ex tunc ipse habuit notitiam ejus, & placuit sibi conversatio dicti Fratris, & cœpit diligere eum, & multoties tractabat cum eo de his quæ pertinebant ad salutem eorum & aliorum hominum. Et videbatur sibi testi quod F. Dominicus esset multùm religiosus magis quàm aliquis homo quem unquam viderat, quamvis cum multis religiosis ipse testis locutus fuisset. Et videbatur ei quòd magis esset zelator salutis humani generis, quàm aliquis quem vidisset. Et in eodem anno ipse testis ivit Parisios auditurus theologiam, quia primo promiserat, & convenit cum eo, quod postquam audiisset per biennium theologiam, & ipse ordinasset Fratres suos, ambo simul irent ad convertendum paganos qui morabantur in Pcia (an *Percia* pro *Persia*, vel *Grecia?*) & aliis partibus Septentrionis. Et dum ipse studeret Parisius, venit præfatus F. Dominicus illuc de Hispania, & tunc recepit habitum Fratrum Prædicatorum, & intravit ordinem, & ex tunc conversatus fuit cum eo pluribus temporibus diversis locis in eundo ad curiam Romanam & alibi, eundo, stando & redeundo, comedendo, bibendo, jacendo, orando, cum eodem Fratre Dominico sano & infirmo [A]. Et dixit quod toto tempore quo fuit cum eo, vidit eum servantem regulam Fratrum Prædicatorum & ordinem multùm districte, & bene dispensabat cum Fratribus suis, sed secum non dispensabat. Et vidit quod jejunia statuta in regula omnia servabat & in sanitate & in infirmitate. Et vidit eum eundo secum Romam patientem gravem infirmitatem scilicet fluxum ventris, & tamen propter hoc non fregit jejunium, nec carnes comedit, nec pictantiam sibi fecit nisi de pomis sive de rapis aliquando: & hoc scit quia semper erat in comestione cum eo, & in infirmitatibus in quibus eum vidit, eodem modo se habebat. Interrogatus ubi eum vidit aliàs infirmum? Respondit quòd apud Viterbium, sed non recordatur quam infirmitatem patiebatur.

2. Item dixit quod quandiu fuit cum eo, licèt sæpe male procurarentur in cibo & in potu, & male reciperentur, & male jacerent, nunquam audivit eum conquerentem de his nec in infirmitate nec in sanitate. Item dixit quod quotiescumque debebat se collocare in lecto, prius incumbebat multùm orationi, & pluribus vicibus cum gemitu & lacrymis, ita quod sæpe excitabat ipsum testem & alios cum gemitu & fletu suo a somno. Et firmiter credit quod majori spatio temporis erat in oratione quàm in dormitione: & semper jacebat indutus & cum capa & cinctus, & cum caligis calceatus, dum cum eo fuit, & semper sine culcitra, videlicet in terra, tabula sive palea vel alio stramine. Silentium semper horis consuetis & debitis secundùm ordinem observabat, a verbis otiosis abstinebat, & semper de Deo vel cum Deo loquebatur. Interrogatus qualiter scit ista? Respondit quod tanquam principalis socius conversabatur cum eo de die & nocte eundo & stando, & videbat & audiebat prædicta sicut præmissa sunt.

3. Item dixit quod firmiter credit, quod idem F. Dominicus semper servaverit virginitatem: & hoc credit propter bonam conversationem quam vidit eum habere, & quia hoc audivit a multis viris religiosis, & ab aliis fide dignis qui cum eo longo tempore fuerunt conversati. Interrogatus a quibus hoc audivit? Respondit ab episcopo Oxomensi [B] cujus canonicus fuerat & a canonicis suis cum quibus erat in seculo conversatus, & ab aliis de quorum nominibus non recordatur.

4. Item dixit quod ipse interfuit in translatione præfati F. Dominici, quando corpus ejus translatum fuit a priori sepultura in ecclesiam ad locum in quo nunc est. Et dixit quod prior provincialis & Fratres ecclesiæ S. Nicolai timebant ne fœtor esset in ecclesia ubi jacebat corpus, & ideo quia locus erat valde depressus, & aquæ multæ pluviales defluxerant ad locum sepulturæ, & propter hoc nolebant quod laici & extranei interessent, quando aperirent sepulturam: sed non potuerunt facere, quin Potestas cum XXIV nobilibus & honoratis civibus Bononiensibus interessent in apertione dictæ sepulturæ, quorum quidam custodierant ipsam sepulturam antequam aperiretur pluribus noctibus. Et cùm sublatus esset lapis qui superpositus erat dictæ sepulturæ, & apparuit capsa in qua jacebat corpus dicti F. Dominici, exivit tunc de ipsa tumba odor suavis & delectabilis, nec potuit unquam perpendere, cujus rei aromaticæ esset odor ille. Et ipse & omnes alii senserunt ipsum odorem: & inclinavit se & osculatus fuit capsam, & majorem sensit odorem. Hoc etiam alii fecerunt tam Fratres quàm seculares qui erant ibi, & senserunt eumdem odorem, & præ gaudio & devotione multùm fleverunt. Tandem translatum fuit corpus ad locum in quo nunc jacet.

5. Item dixit se postea plures vidisse personas quæ dicebant se passas graves infirmitates & diversas, & se liberatas fuisse per merita B. Dominici, sed non recordatur qui fuerunt, scilicet qualiter nominarentur, quia non noverat eos ante, eo quod

[A] Hanc narrationem sic intellige. Quadragesima anni MCCXVII, cujus prima dies VI idus seu VIII februarii ea est, qua Guilielmus de Monteferrato Romam adiverat, & apud cardinalem Ostiensem hospitabatur. Dominicus tum adhuc Romæ post confirmatum XXII decemb. præcedenti ordinem perstans, & eamdem domum frequentans, cum eo necessitudinem junxit, imo & promissum accepit ordinem ab eo amplectendum, postquam biennium Parisiis theologiam audiisset. Eodem anno Guilielmus Lutetiam se confert, & theologiæ operam dat. Anno MCCXIX Dominicus ex Hispania Lutetiam circa pentecosten primùm accedit, & ibidem Guilielmum duos annos studii complentem inveniens promissi admonet: quod ille non abnuens, imo intimis ex præcordiis concupiscens, vestem e Sancti manibus accipit, comitemque deinceps individuum se eidem adjunxit. Hæc acta Sancti plurimum dilucidant. Ab anno MCCXVII ad mensem augustum anni MCCXXXIII quo testimoniũ hoc redditum, anni XVI effluxerant.

[B] Quando & ubi episcopum Oxomensem Didacum VI februarii MCCVIII mortuum Guilielmus viderit, non ita conjectu facile. Fortè ille non ab ipsomet episcopo, sed a canonicis non suam solùm sed & ipsius episcopi olim sic sibi attestantis fidem præstantibus audierat.

Sæc. XIII. erat unus de diffinitoribus [c], & non poterat illis intendere.

TESTIS III.

1. *F. Amizo Mediolanensis* prior Paduanus & presbyter juratus dixit, quod magister Dominicus fuit homo humilis, mansuetus, patiens & benignus, & quietus, pacificus, sobrius & modestus, & in omnibus actibus suis & verbis valde maturus, pius, consolator aliorum & maxime Fratrum suorum, regularis observantiæ zelator præcipuus, summus paupertatis amator tam in victu & vestitu Fratrum ordinis sui, quàm in ædificiis suis & ecclesiis Fratrum, & in cultu etiam & ornatu vestium ecclesiasticarum. Multùm enim ad hoc studuit in diebus suis & operam dedit, quod Fratres in ecclesiis non uterentur vestimentis purpureis vel sericis tam super se quàm in altaribus, nec vasa aurea vel argentea haberent præterquam in calicibus.

2. Item dixit quod fuit assiduus in oratione tam diebus quando vacabat quàm noctibus, & pernoctabat frequenter in oratione, ita quod parum vel nihil recipiebatur in lecto. Item dixit quod integre ordinem suum super omnes suos servabat, nec de levi sibi parcebat in aliquo, sed plene tenebat conventum suum in choro & in refectorio & in aliis. Item dixit quod erat multùm frequens in prædicatione & zelator animarum, & ad hoc ipsum Fratres suos studiose invitabat. Item dixit quod religiones & viros religiosos multùm diligebat & commendabat. Interrogatus quomodo sciret hoc? Respondit quia fuit conversatus cum eo aliquanto tempore, & ex prædictis plura vidit & cognovit in ipso, pluraque audivit, & firmiter credit ita fuisse.

3. Item dixit quod audivit & credit quod virgo semper usque in finem perseveravit, & de hoc erat fama publica inter Fratres. Item dixit, quod post translationem F. Dominici nuper factam quadam nocte præsente Potestate Bononiensi cum multis militibus & magistro ordinis, & priore provinciali, aliisque multis Fratribus & prioribus [A] ad hoc instantibus, aperta fuit arca & capsa, & ostensa fuerunt ossa Fratribus, inter quos unus ipse fuit, & sensit ibi magni odoris suavitatem in deosculatione ossium & aspectu & odoratu eorum, & talem odorem nunquam meminit se sensisse.

TESTIS IV.

1. *Frater Bonvisus Placentinus* sacerdos de ordine Prædicatorum juratus dixit, quod XIV anni sunt & plures, quod intravit ordinem FF. Prædicatorum & fuit conversatus cum F. Dominico circa tempus quatuor mensium Bononiæ in claustro B. Nicolai & etiam Romæ, & eundo Romam & Mediolanum conversatus fuit cum eo, & in infirmitate custodivit eum. Et dixit quod habebat hanc consuetudinem, scilicet quod quando Fratres sui post completorium egrediebantur de ecclesia, ut irent dormitum, ipse F. Dominicus ut oraret se in ecclesia occultabat. Et ipse testis cùm hoc cognoscere vellet, quid dictus F. Dominicus faceret in ecclesia, sæpius se occultavit in ecclesia, & audiebat eum cum clamore maximo & lacrymis orantem Dominum, & cum gemitu maximo. Interrogatus quomodo scit quod esset F. Dominicus? Respondit quia videbat eum, cùm esset lumen in ecclesia, & eum in voce similiter cognoscebat, ita quod bene certus est quod erat F. Dominicus. Item dixit quod firmiter credit quòd sæpius pernoctabat in oratione Dei, & hoc erat famosum inter Fratres: & cùm vellet scire locum ubi jaceret, non potuit invenire quem locum haberet ipse proprium jacendi, sicut habebant alii Fratres: sed quandoque inveniebatur in banco dormire, quandoque in terra, & quandoque in funibus cathedræ vel cadeleti. Item dixit quod ita jacebat indutus in nocte, sicut ambulabat in die. Interrogatus quomodo scit hoc? Respondit quia vidit, & communis erat fama inter Fratres.

2. Item dixit quod veniendo Romam cum eo, quando F. Dominicus egrediebatur de aliqua civitate seu villa vel castro, discalceabat se, & nudis pedibus ambulabat, & ipsemet portabat sotulares super spatulas, & nolebat dare ipsi testi qui paratus erat portare, donec venirent prope aliquam civitatem vel villam vel castrum, & tunc calceabat se, & exeundo iterum discalceabat, & discalceatus ibat donec venirent ad locum destinatum. Et cùm venissent ad quemdam locum, ubi lapides erant acutissimi, tunc dixit ipsi testi: heu ego miser! hîc fui coactus semel calceare. Et dictus testis quæsivit quare, & ipse F. Dominicus respondit, quia tunc pluerat. Interrogatus quomodo scit hoc? Respondit quia in-

[c] Capitulum generale Bononiæ anno MCCXXXIII habitum fuit diffinitorum primum, & ex hoc testimonio habetur Guilielmum in eo pro sua Lombardiæ provincia diffinitorem sedisse. F. Stephanus Hispanus de quo mox erat ejusdem eo anno prior provincialis.

Ad horum complementum addo hunc F. Guilielmum de Monteferrato anno MCCXXXV ad Saracenos a Gregorio IX missum, qui eis evangelium prædicaret, ut narrat Rainaldus ad eum annum n. 36: ex litteris autem F. Philippi Terræ sanctæ prioris provincialis de quo postea ad annum MCCXXXIII ad Gregorium IX scriptis, discimus eum anno MCCXXXII inter Saracenos qui Mesopotamiam & Chaldæam occupaverant, egisse cum duobus nostris sodalibus ejus linguæ peritis, & *Jakelich* id est catholicum seu patriarcham Nestorianorum Seleuciæ ad Tygrim vel Bagdat seu Irenopoli sedentem eo adduxisse, ut fidem catholicam & Romanæ sedi obedientiam se amplexurum ei promiserit: de quo dictum Philippum pluribus epistolis certiorem fecit. Forsan & ibidem obierit Guilielmus noster, nam nulla ejus deinceps apud scriptores nostros mihi occurrit memoria.

[A] *Multis Fratribus & prioribus.* Mos erat tum, qui & diu perseveravit in ordine, ut ubi celebrabatur capitulum generale, priores conventuales omnes ejus provinciæ eo accederent comitia provincialia post generalia habituri. Itaque ad hoc capitulum generale anno MCCXXXIII Bononiæ coactum venerunt priores omnes provinciæ Lombardiæ.

Istum F. Amizonem vel Amizium, ut alii vocant, indicavimus supra ad vitæ per Jordanum n. 36 in Annotatis a B. Dominico ad ordinem allectum anno MCCXIX, dum Sanctus e Lutetia redux in Italiam, & Bononiam pergens, Mediolano transiret. Rem sic narrat Taegius Mon. ord. P. VI fol. 16 pag. 1. *Anno* MCCXIX *perveniens B. Dominicus in Lombardiam, Mediolanum applicuit, & in canonica S. Nazarii ut dictum hospitatus est. Per quosdam autem dies ibi moram trahens, prædicationis officio insistere cœpit, & non modicum in populo illo fructum fecit. Quosdam præclaros viros tunc temporis ad ordinem recepit, videlicet F. Amizionum de Solario Mediolanensem jurisperitum, qui fuerat sacri palatii notarius, & in ordine (fuit) prior Mediolanensis & Paduanus, & sanctitatis B. Dominici testis adjuratus, qui & B. Dominici socius aliquando fuit: F. Guidotum de Sexto Mediolanensem decretorum doctorem auditoremque contradictoriarum in curia, & in ordine unum ex primis inquisitoribus hæreticæ pravitatis in Lombardia: F. Rogerium de Merate seu de Vicomercato doctorem juris famosissimum qui & postmodum in ordine prior Mediolanensis fuit. Tandem B. Dominicus Bononiam devenit.* Quæ ex chronica ordinis a F. Gualvaneo de la Flamma circa MCCC florente scripta excipere se profitetur Taëgius: Taëgium verò exscribit Puricellus Dissert. Nazar. cap. 109 p. 551. Eadem fere habet Tristanus Chalcus Hist. Mediol. lib. XIII ad annum circiter MCCXVIII tres hos sodales a B. Dominico allectos, *viros doctrina claros & juris scientia celebres* fuisse testatus.

Pius Amizium hunc refert notarium postea egisse in inquisitione adversus sicarios auctores necis S. Petri martyris anno MCCLII, quod creditu facile. Addit idem Pius Amizium ad annum MCCLXXXVIII pervenisse, eumdemque esse cum B. M. Ardigono Mediolanensi eo anno mortuo & miraculis claro, de quo Leander agit fol. 223. a. propterea que vult juniorem a B. Dominico ascitum. Verùm his non facile assentiar, cùm repugnare videantur ea quæ de istis tribus ordini ascitis docent Chalcus & Taëgius, viros fuisse doctrina claros & juris scientia celebres, & speciatim Amizium jam egisse sacri palatii notarium, quæ XXX minimùm aut etiam XL circiter ætatis attigisse arguunt, cùm a B Dominico ordini cooptatus est. Alius itaque fuerit ab Ardigono, de quo revera Leander non dicit a B. Dominico vestem accepisse, quod non tacuisset si idem fuisset, alius inquam, & qui eo pluribus annis antea in cœlum evolarit. Quæ tamen Eustorgianorum nostrorum diligentiori disquisitioni permittimus.

terfuit

terfuit & vidit. Item quod cùm dictus testis ambularet cum dicto F. Dominico in eadem via, invaserunt eum inundationes aquarum & pluviarum, ita quod rivi & flumina plurimùm creverunt, & tunc ipse cùm esset gaudens in tribulationibus laudabat & benedicebat Dominum, cantando alta voce, *Ave maris stella*, & finito isto hymno incipiebat alium hymnum scilicet *Veni creator Spiritus*, & cantabat cum alta voce usque in finem. Item dixit quod quando veniebant ad aquas magnas, quæ creverant propter inundationes & pluvias, dictus F. Dominicus signabat aquas, & dicebat ipsi testi qui timidus multùm erat in aquis, quod ingrederetur in nomine Domini, & ipse confisus de signaculo crucis ab eo facto, & obedientia securus intrabat aquas quæ periculosæ videbantur, & prospere credebat ei. Item dixit quod aliquando juvabat eum in celebratione missæ, & tunc inspiciebat vultum ejus, & videbat lacrymas decurrentes in faciem suam in tanta quantitate, quod una gutta non expectabat aliam: & hoc etiam vidit ei contingere in psalmodia.

3. Item dixit quod quando debebant alicubi hospitari vel comedere, non sequebatur voluntatem suam, sed voluntatem Fratrum suorum qui secum erant: & si male procurabatur, majora signa gaudii ostendebat, quàm si bene procuraretur. Interrogatus quomodo scit hæc? Respondit quia vidit & fuit præsens prædictis. Item dixit quod cùm esset Mediolani, & custodiret eumdem F. Dominicum in infirmitate positum, & ipse haberet accessionem febris, non conquerebatur de infirmitate, sed videbatur ipsi testi, quia ipse esset in oratione & contemplatione: & istud videbatur propter quædam signa quæ videbat in facie sua, quæ quidem signa consueverat ipse habere tempore sanitatis, cùm esset in oratione & contemplatione, sicut ipse bene noverat. Item dixit quod quando febris recesserat, tunc loquebatur de Deo cum Fratribus, vel tenebat librum, vel faciebat sibi legi, & laudabat Deum, & de infirmitate gaudebat, sicut moris erat ipsius gaudere semper in tribulationibus potius quàm in prosperitatibus. Item dixit quod cùm idem testis esset procurator Bononiæ, & procuraret Fratres in conventu Bononiensi in refectorio, & deficeret panis in refectorio quadam die jejunii, tunc F. Dominicus fecit signum ut apponeretur panis coram Fratribus: qui testis etiam dixit ei, quod non erat panis ibi. Tunc F. Dominicus alacri facie elevavit manus suas, & laudavit Dominum & benedixit, & statim incontinenti intraverunt duo qui portaverunt duo canistra unum de pane & aliud de ficubus siccis, ita quod abundanter habuerunt Fratres: & hoc dixit se scire quia interfuit his. Item dixit quod fuit valde humilis, benignus, pius & misericors, patiens, sobrius, zelator paupertatis & salutis animarum, amator religiosorum & religionum omnium. Item dixit quod in se regulam rigide observabat, & dixit quod non reddebat malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed maledicentibus benedicebat. Interrogatus quomodo scit hoc? Respondit quia conversatus fuit cum eo in eundo & redeundo, stando, in sanitate, in infirmitate comedendo & jacendo.

4. Idem dixit quod post translationem corporis B. Dominici de priori loco in quo jacebat ad locum in quo nunc est, a magistro ordinis ostensa fuerunt ossa dicti F. Dominici magistri ordinis Fratribus qui non interfuerant translationi, quia multùm illa desiderabant videre: & ipse testis fuit tum præsens, quando dicta ossa ostensa fuerunt præsente Potestate Bononiensi & aliis quibusdam civibus & priore provinciali & aliis omnibus Fratribus: & odorem mirabilem & suavissimum sensit egredientem de ossibus, sed cujus rei aromaticæ esset ignorabat, sed videbatur ei quod omnis rei aromaticæ odorem excederet, nec credit quod talis & tantus odor ibi posset esse, nisi miraculose a Domino cœlitus esset datus. Et non solùm iste testis persensit istum odorem, sed multi alii senserunt, sicut sibi dixerunt positi a remotis.

5. Item dixit ipse testis quod quando ipse erat novitius, & non haberet aliquam peritiam prædicandi, quod nondum in sacra pagina studuisset, prædictus F. Dominicus præcepit ei Bononiæ existenti, quod deberet ire Placentiam prædicaturus ibidem: & cùm ipse propter imperitiam se excusaret, dulcissimis eum verbis induxit quod ire deberet & dixit. Vade secure, quia Dominus tecum erit, & ponet verbum prædicationis in ore tuo: & ipse testis obediens ivit Placentiam & prædicavit, & tantam gratiam contulit sibi Deus in prædicatione, quod ad prædicationem ejus tres Fratres intraverunt ordinem Prædicatorum. [A]

TESTIS V.

1. *Frater Joannes Hispanus* sacerdos de ordine Prædicatorum juratus dixit, quod in illo anno quo confirmatus fuit ordo Prædicatorum in concilio D. Innocentii papæ III, ipse testis intravit ordinem istum, & in festo S. Augustini proximo venturo erunt octodecim anni, sicut Frater credit de tempore, quod recepit habitum de manu Fratris

[A] Ex hoc testimonio habetur hunc Bonvisum, quem ex stirpe *de' Monachi* Placentiæ haud ignobili ortum volunt, anno MCCXIX e manibus B. Reginaldi Bononiæ vestem ordinis induisse, quocumque mense ante augustum ejus anni id acciderit: sic enim constant XIV anni & plus quàm ordinem intraverat, cum mense augusto MCCXXXIII sic testaretur. Scio Flaminium legere annos XV, sed hæc lectio rejicitur tam ex cod. nostro MS genuino, tum ex eo quod ipsemet addit se fuisse novitium adhuc, cùm S. Dominicus Bononiam advenit mense augusto MCCXIX, id est recens & fortè ante quatuor aut quinque menses ordini ascitum. Rursus cùm audis *novitium*, ne putes non professum ut censet Pius, nec enim verisimile a S. Dominico hominem votis nondum sibi devinctum ad prædicandum Placentiam missum fuisse: præterea in illis primordiis plerique vestem accipiendo unâ profitebantur, alii post tres menses, cujus multa habentur in hoc opere exempla. Itaque *novitium* intellige a paucis mensibus in societatem admissum, & nondum theologiæ scientia sat instructum, ut eam ex sacro pulpito tractare posset. Placentiam tamen patriam suam ivit ex obedientia, & favente Deo tanto cum fervore concionatus est, ut tres gentiles suos ad ordinem adduxerit. Hos Petrus Maria Campi *Histor. Eccl. di Piacenza, P. II p. 119. b.* nominat FF. Joannem *de' Salomoni*, Nicolaum de Parma, & Guilielmum Telusa. Ut ut sit cum sua felici præda Bononiam ad S. Dominicum reversus cum eo quibusdam mensibus convixit familiaris in primis & itinerum Romam, Mediolanum & aliâs socius. Ab eodem anno MCCXX videtur iterato Placentiam cum mox nominatis collegis missus, qui domum ordinis in patria erigeret. Cùm enim conventus Mediolanensis nonnisi XV martii ejus anni positus fuerit, Placentinus qui certò posterior est, imo & Brixiensi post Mediolanensem erecto, ad hunc annum revocandus est, fortè post primum capitulum generale eo anno Bononiæ habitum. Quandiu post latum eo anno MCCXXXIII de vita & moribus Sancti testimonium vixerit, nemo certò refert. Hist. Eccl. Placent. cit. p. 392 refertur instrumentum compromissorium cleri Placentini de electione sui episcopi ad arbitrium cardinalis Prænestini Jacobi anno MCCXXXVI ind. X die Dominica XI octob. præsentibus inter alios *F. Jacobo de Castelarquato Priore FF. Prædic. & F. Viso Fratre dicti ordinis.* Campius citatus hujus historiæ editor p. 154 hunc F. Visum putat verisimile nostrum esse Bonvisum per syncopen Italis familiarem sic dictum, ac proinde eo anno superstitem adhuc & sanum. Addo tamen mendum esse in die mensis & pro XI *octob.* legendum esse XII: nam anno MCCXXXVI Bissext. erat lit. Dom. F. E. ac proinde XI octob. sabbatum. Quod & evincitur ex prorogatione ejusdem compromissi inter manus ejusdem cardinalis anno sequenti MCCXXXVII ind. XI die veneris XVI mensis octobris facta, & ab eodem Campio relata p. 394. Plura habet idem Campius p. 117 & seqq. de Bonviso præclara & merito legenda, sed emendandus seu cùm vult p. illa 117 jam anno MCCXVII ordini accensum, seu p. 123 cùm cœnobium Placentinum erectum astruit ante Brixiense, quo certissime posterius est ut & Mediolanensi teste Bernardo Guidonis ex antiquis provinciæ utriusque Lombardiæ inferioris & superioris monumentis. Ejusdem Bonvisi meminit Rovetta ad 1227 eique ascribit sed sine teste.

Grande opus adversus hæreses valde eruditum.

Sec. XIII. Dominici plantatoris ipsius ordinis & primi magistri, & ipsa die fecit professionem in manu prædicti Fratris in ecclesia S. Romani apud Tolosam: & ex tunc conversatus fuit cum dicto F. Dominico, & stetit & ivit cum eo per diversa loca & per diversas terras tam de die quàm de nocte. Et dixit quod prædictus F. Dominicus erat in oratione assiduus die ac nocte. Item dixit quod plus orabat quàm cæteri Fratres cum quibus conversabatur, & plus etiam vigilabat, & majores disciplinas in corpore suo accipiebat & frequentiores, & hoc scit quia vidit eum prædicta sæpissime facientem. Item dixit se etiam audivisse a quibusdam de Fratribus, quod idem magister Dominicus faciebat se disciplinari, & etiam se disciplinabat cum catena ferrea, quæ habebat tres ramos, & de hoc erat fama publica inter Fratres, & dixit hoc se audivisse a Fratribus qui ei disciplinas dederunt. Item dixit quod Fratres peccantes secundùm regulam puniebat, tamen peccantibus compatiebatur, & multùm dolebat quando pro culpa aliquem puniebat.

2. Item dixit quod proximis compatiebatur, & salutem eorum ardentissime desiderabat, sæpe & frequenter ipsemet prædicabat, & Fratres ad prædicandum modis quibus poterat inducebat, & mittebat ad prædicandum, rogans & monens quod essent de animarum salute soliciti, & multùm confidens de Deo mittebat etiam simplices ad prædicandum dicendo: *Ite secure, quia Dominus dabit verbum prædicationis vobis, & erit vobiscum, & nihil deerit vobis;* Et ibant & cedebat eis sicut dicebat. Item dixit quod cùm esset cum dicto F. Dominico apud Tolosam in conventu ecclesiæ supradictæ, ipse F. Dominicus contra voluntatem comitis Montisfortis & archiepiscopi Narbonensis, & episcopi Tolosani, & quorumdam aliorum prælatorum misit hunc testem quamvis invitum Parisios cum ullis Fratribus clericis & uno converso ut studerent & prædicarent, & conventum ibi facerent, & non timerent quia omnia eis prospere cederent; & prælatis prædictis & comiti & Fratribus dicebat: *Nolite contradicere, ego scio bene quod facio.* Et tum alios etiam misit in Hispaniam, & similia eis dicebat & præcipiebat. Et dum ipse testis & socii studerent Parisius, data fuit ei & sociis suis a magistro Joanne decano S. Quintini tunc regente in theologia Parisius, & ab universitate magistrorum & scholarium Parisiensium ecclesia S. Jacobi posita in porta Aurelianensi, ubi steterunt & fecerunt conventum, ubi multos bonos clericos receperunt, qui ordinem FF. Prædicatorum intraverunt, & multæ possessiones & redditus eis tunc datæ fuerunt, & omnia cesserunt eis prospere, sicut F. Dominicus eis prædixerat: & etiam temporibus ipsius data fuerunt ordini Prædicatorum castra & possessiones multæ in partibus Tolosanis & Albigensibus. Item dixit quod cùm ordo FF. Prædicatorum haberet castra & possessiones multas in partibus supradictis, pecuniam portarent secum in via & equitarent, & superpellicea deferrent, præfatus F. Dominicus laboravit & fecit, quod Fratres ipsius ordinis dimitterent & contemnerent omnia temporalia & insisterent paupertati, & non equitarent, & viverent de eleemosynis, & nihil secum in via portarent, & ita datæ fuerunt possessiones de Francia monialibus ordinis Cisterciensis & aliæ aliis. Et ut Fratres fortius intenderent studio & prædicationibus, voluit dictus F. Dominicus, quod conversi ejus ordinis illiterati præessent Fratribus literatis in administratione & exhibitione rerum temporalium: sed Fratres clerici noluerunt quod conversi præessent eis, ne contingeret eis sicut contigit Fratribus Grandimontensis ordinis de suis Fratribus. Interrogatus quomodo scit omnia prædicta? Respondit quia diu conversatus est cum dicto F. Dominico, & vidit ea quæ de eo dixerat, excepta disciplina de catena ferrea de qua supra dixerat: & alia scit quia vidit & interfuit prædictis, & contigerunt sibi & suis sociis.

3. Item dixit quod omnibus divitibus, pauperibus, Judæis & gentilibus, quorum multi sunt in Hispania, se præbebat amabilem, & ut vidit ab omnibus amabatur, exceptis hæreticis & inimicis Ecclesiæ quos in disputationibus & prædicationibus suis insequebatur & convincebat: & tamen eos charitative ad pœnitentiam & conversionem fidei hortabatur & monebat, sicut prædicta audivit & vidit. Item dixit quod sicut ibat in die, sic jacebat in nocte, nisi quod extrahebat sotulares, & dixit hoc sæpissime se vidisse. Item dixit quod quando idem F. Dominicus ibat de una terra ad aliam terram, discalceabat se, & ibat discalceatus usque ad aliam terram, & tunc calceabat se, & iterum in egressu discalceabat se, & portabat ipse sotulares suos, & nolebat quod aliquis juvaret eum in his portandis. Interrogatus quomodo scit istud? Respondit quia hoc audivit a Fratribus, & sæpe vidit ea. Et si quando offendebat pedem ad lapidem, alacri facie sustinebat, & non turbabatur & dicebat, *Hæc est pœnitentia*, sicut homo qui gaudebat semper in tribulationibus suis. Item dixit quod paupertatem multùm dilexit, & ut Fratres eam diligerent eos studiose monebat. Interrogatus quomodo scit? Respondit quia vilibus vestibus gloriabatur, & quia temporalia omnia dimisit, & eo præsente Fratres sæpissime ad paupertatem hortabatur.

4. Item dixit quod in cibo & potu fuit parcus & in pictantiis maxime, ita tamen quod licèt cum aliis dispensaret, secum tamen dispensare nolebat, imo regulam in se totam rigide observabat. Interrogatus quomodo scit? Respondit quia vidit hoc. Item dixit quod quando ambulabat per civitates & villas, oculos a terra vix elevabat, & hoc scit quia cum eo ambulavit per civitates & villas & vidit ea. Item dixit quod non habebat proprium lectum jacendi sicut alii Fratres: & interrogatus quomodo sciret hoc? Respondit quia si locum proprium habuisset, bene scivisset maxime cùm studiosus fuit in quærendo. Item dixit quod bis vel ter electus fuit in episcopum, & ipse semper renuit, volens potius cum Fratribus suis in paupertate vivere, quàm aliquem episcopatum habere. Interrogatus quomodo scit? Respondit quia non solùm de hoc communis fama erat tunc temporis inter fratres, sed etiam apud omnes alios laicos & clericos. Interrogatus ad quos episcopatus fuit electus? Respondit ad Biterensem & Convenarum. Interrogatus quando hoc scivit? Respondit antequam intraret ordinem Prædicatorum.

5. Item dixit quod raro loquebatur nisi cum Deo scilicet orando, vel de Deo, & de hoc monebat Fratres. Item dixit quod semper vidit eum lætum in præsentia hominum, sed in orationibus frequenter plorabat, & hoc scit quia vidit & audivit eum plorantem. Item dixit quod audivit tempore vitæ ipsius F. Dominici & etiam post, quod permansit in virginitate usque ad mortem, & de hoc est fama publica inter Fratres. Item dixit se audivisse aliquando ab eo dici, quod desiderabat flagellari & frustatim incidi & mori pro fide Christi. Item dixit quod prædictus F. Dominicus sæpe monebat & hortabatur Fratres dicti ordinis verbis & literis suis *quod semper studerent in novo & veteri testamento:* & hoc scit quia audivit eum illa dicentem, & literas ejus vidit. Item dixit quod *semper gestabat secum evangelium Matthæi & epistolas Pauli*, & multùm studebat in eis, ita quod fere sciebat eas corde tenus. Item dixit se audivisse a concanonicis dicti Fratris Dominici, & a multis aliis viris fide dignis, quod

quando ipse F. Dominicus erat in seculo, & studebat Palentiæ, invaluit fames in regione illa, ita quod pauperes fame affligebantur, & multi moriebantur: unde dictus F. Dominicus motus pietate & caritate vendidit libros & omnia quæ habebat, & dedit pro cibo pauperum, cujus exemplo sicut audivi multi multa dederunt.

TESTIS VI.

1. *F. Radulphus* A qui fuit de Faventia de ordine Prædicatorum juratus dixit, quod ipse erat rector & capellanus ecclesiæ S. Nicolai de Bononia, quando data fuit Fratribus Prædicatoribus a D. Bononiensi episcopo dicta ecclesia S. Nicolai ad preces venerabilis patris Hugolini tunc temporis Ostiensis episcopi, & apostolicæ sedis legati, & nunc summi pontificis. Et sunt quatuordecim anni & plus quod hoc fuit. Et eodem anno venit F. Dominicus primus magister ordinis Prædicatorum & ejusdem ordinis inventor: & a dicto tempore ex quo venit Bononiam usque ad finem vitæ suæ stetit in dicta civitate Bononiensi, nisi quando ivit ad curiam Romanam, & visitavit quasdam villas terræ Lombardiæ & etiam civitatem Venetiarum. Et toto tempore quo F. Dominicus stetit in civitate Bononiensi, ipse testis conversatus fuit cum eo in ecclesia in officio, in dormitorio, in refectorio die ac nocte, quoniam ipse testis erat procurator domus & Fratrum, & unus de ordine qui fecerat professionem antequam dictus F. Dominicus veniret Bononiam, & bene novit personam & vitam dicti F. Dominici. Item dixit quod dictus F. Dominicus habebat consuetudinem sæpissime pernoctandi in ecclesia, & orabat & in oratione plorabat cum lacrymis & multo gemitu. Interrogatus quomodo scit prædicta? Respondit quia sæpissime sequebatur eum in ecclesia, & videbat eum, & stabat sæpe cum eo de nocte, & videbat sæpe sic orantem, & plorantem audiebat: & sæpe vidit eum stantem in oratione in infirmitate pedum, & tenebat manus suas elevatas quasi esset in oratione. Interrogatus quomodo vidit eum cùm esset de nocte? Respondit quia lumen semper erat in ecclesia, & ipse testis ponebat se ad orandum prope ipsum, quia erat multùm familiaris ei. Et pro certo dixit quod multùm erat devotus & assiduus in oratione magis quàm aliquis homo quem unquam vidisset.

2. Item dixit quod dictus F. Dominicus semper portabat catenam ferream cinctam ad carnem super lumbos, & portavit eam sic cinctam usque ad mortem. Interrogatus quomodo scit hoc? Respondit quia quando mortuus fuit, invenit eum cinctum dicta catena, & ipse accepit eam, & habuit eam, sed postea dedit magistro ordinis, scilicet magistro Jordani. Item dixit quod semper jacebat de nocte ita indutus sicut ambulabat in die, nisi quod extrahebat sotulares, & quandoque jacebat in terra, quandoque super quamdam cratem, super quam ipse testis consuevit extendere quemdam pannum, super quem ipse jacebat, & sæpissime ipse dormiebat sedendo. Item dixit quod sæpe dormiebat in mensa propter multas vigilias & pernoctationes quas faciebat in oratione. Item dixit quod assiduus erat in officio, & semper sequebatur conventum tam in officio quàm in mensa, & reficiebatur eisdem cibis quos manducabat conventus: & quando ipse testis qui procurator erat, faciebat Fratribus pittantiam aliquam, ipse F. Dominicus vocabat eum, & sub silentio dicebat ei: Quare interficis Fratres dando eis pittantias? Item dixit quod quando panis vel alia cibaria, sive vinum deficiebat in domo, ibat ad dictum F. Dominicum & dicebat ei, non habemus panem vel vinum: & ipse dicebat, vade & ora quia Deus providebit: & ipse testis ibat in ecclesiam ad orandum, & dictus F. Dominicus sæpe sequebatur eum: & sic faciebat Deus quod semper habebant idoneas sustentationes, & quandoque illum modicum panem quem habebant, de mandato ejus ponebat in mensa, & Dominus supplebat defectum eorum. Item dixit quod ipse F. Dominicus plenissime servabat regulam & ordinem Fratrum Prædicatorum quoad se & quoad alios in vestimentis in cibo & potu in jejuniis & omnibus aliis. Et hoc scit quia conversabatur cum eo, & sæpissime videbat prædicta.

3. Item firmiter dixit quod nunquam vidit hominem, qui tantùm sibi placeret in religione & devotione, quantùm dictus F. Dominicus. Item dixit quod desiderabat salutem omnium animarum tam Christianorum quàm etiam Saracenorum & specialiter Cumanorum & aliorum: & magis erat zelator animarum, quàm aliquis homo quem unquam viderat: & sæpe dicebat quod desiderabat ire ad Cumanos & alias gentes infideles. Item dixit quod erat jucundus, hilaris, patiens, misericors & benignus, & Fratrum consolator: & si quem Fratrem videbat in aliquo delinquentem, quasi non videret pertransibat: sed postea placito vultu & blandis verbis, Frater tu malefecisti confitere, & benignis verbis omnes inducebat ad confessionem pœnitentiæ: & licèt cum humilitate verborum graviter puniebat excessus eorum, tamen consolati ab eo recedebant. Item dixit quod dictus F. Dominicus multùm diligebat paupertatem, & hortabatur Fratres ad paupertatem. Et scit hoc quia quando dictus F. Dominicus venit Bononiam dominus Hodoricus Galiciani volebat dare Fratribus quasdam possessiones suas, quæ valebant bene ultra quingentas libras Bononienses, & facta erat inde charta coram D. episcopo Bononiensi: sed ipse F. Dominicus fecit rescindi contractum, & noluit quod haberent illas vel quasdam alias possessiones, sed solummodo viverent de eleemosynis & parce: quoniam si haberent in domo unde possent vivere in die, nolebat quod reciperent aliquid illa die, nec mitterent pro eleemosynis. Et volebat quod haberent parvas domos & viles vestes, & etiam in ecclesia nolebat quod essent panni serici, sed essent indumenta de Buca-

A Ex hoc testimonio habetur Radulphum hunc a patria vernacule *Faenza* Æmiliæ civitate nuncupatum & ecclesiæ S. Nicolai de vineis Bononiæ rectorem dictam suam ecclesiam nostris non solùm concessisse, sed & unà ordini nomen dedisse simulque vel paulo post vota religiosa emisisse, quod factum circa quadragesimam anni MCCXIX. Ejusdem celebris mentio est in vitis Fratrum lib. 1 c. 5 §. 2 ubi post relatam gravem illam in conventu Bononiensi commotionem pluribus sodalibus ad ordinem Cistercienscm transire volentibus, caque mox sedata, sic legitur: *Sequenti autem nocte prædictum F. Rudolphum qui de priori illa Fratrum commotione tristis admodum erat, hujusmodi visione est Dominus consolatus. Videbatur enim sibi videre Christum & ex una parte B. Mariam & ex alia B. Nicolaum qui manum sibi super caput ponebat dicens: Ne timeas Frater quia omnia prospere evenient tibi & ordini tuo. Domina nostra curam habente de vobis. Et statim vidit in aqua qua transit juxta Bononiam navem plenam multitudine Fratrum. Et ait ei B. Nicolaus: vides hos Fratres? Ne timeas quia tot sunt quod totum mundum implebunt. Retulit idem Frater quod cùm quadam die defecisset vinum in quodam vasculo infirmorum, (nam sani aquam plerumque bibebant) veniens infirmarius cum multa compassione nunciavit B. Dominico qui tunc aderat infirmorum defectum: qui statim suo more ad orationem recurrens, Fratres ad idem monuit verbo pariter & exemplo. Postmodum autem dixit prior conventualis infirmario, quod illud vasculum elevaret, ut illam diem quoquo modo transirent. Qui veniens ut juxta mandatum faceret, illud invenit plenum usque ad summum: unde Fratres glorificaverunt Deum qui curam habet de suis.* Istius modi miraculum indicat ipse Radulphus n. 2 sui testimonii. Videtur autem mortuus hic Radulphus circa annum MCCL. Videsis postea ubi de F. Rolando Cremonensi, eodem enim tempore ambo mortui sunt.

Sæc. XIII. panno vel aliquo alio panno. Item dixit quod nolebat quod Fratres intromitterent se de temporalibus nec de facto domus, nec de consiliis temporalium, exceptis illis quibus fuerat commissa cura domus, sed volebat quod alii semper essent intenti lectioni, orationi & prædicationi: & si quem Fratrem sciebat utilem ad prædicandum, nolebat quod injungeretur ei aliud officium. Item dixit quod semper volebat in domo & in via loqui de Deo vel salute animarum, & nunquam audivit verbum otiosum vel nocivum vel detractionis exire de ore ejus. Et omnia prædicta dixit se scire, quia conversabatur cum eo de die & de nocte, & videbat & audiebat eum prædicta facientem & dicentem.

4. Item dixit quod multùm erat solicitus & devotus & assiduus in prædicationibus & confessionibus, & sæpe plorabat in prædicationibus, & movebat auditores ad plorandum. Item quod tempore quo primum capitulum FF. Prædicatorum fuit celebratum in civitate Bononiensi, dictus F. Dominicus dixit inter Fratres. Ego sum dignus depositione, quia ego sum inutilis & remissus & humiliavit se multùm in omnibus: & cùm Fratres nollent ipsum deponere, placuit ipsi F. Dominico quod constituerentur diffinitores, qui haberent potestatem tam super ipsum quàm super alios & super totum capitulum statuendi diffiniendi & ordinandi donec duraret capitulum. Item dixit quod quando dictus F. Dominicus erat in infirmitate de qua mortuus est, Fratres erant circa ipsum & plorabant, & ipse testis tenebat ejus caput cum quadam toalia, & tergebat faciem ejus de sudore, & F. Dominicus dixit: Nolite plorare, quia ego utilior ero vobis ad locum ad quem vado, quàm hîc fuerim. Interrogatus qui erant præsentes? Respondit, Multi Fratres de quorum nominibus non recordatur. Item dixit quod unus Frater tunc interrogavit eum & dixit ei: Pater ubi vultis sepeliri corpus vestrum? & ipse dixit, sub pedibus Fratrum. Item dixit quod firmiter credit, quod cùm dicebant Fratres qui faciebant officium commendationis ipsius F. Dominici, verba illa: ***Subvenite sancti Dei, occurrite angeli Domini, suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu altissimi:*** quia tunc emisit spiritum. Et dixit quod ista dicta & facta fuerunt in quadam cella apud S. Nicolaum. Item dixit quod nunquam vidit ipsum jacentem in lecto plumæ, nec etiam in saccone, nisi tunc quando mortuus fuit, quia jacebat in saccone. Item dixit quod idem F. Dominicus cùm erat in articulo mortis, dixit Fratribus, Parate vos: & Fratres iverunt & paraverunt se, & dum fieret commendatio animæ, emisit spiritum tenendo manus elevatas versus cœlum.

5. Item dixit quod ipse testis fecit fieri sepulturam, & invenit lapidem qui fuit superpositus sepulturæ, & fecit fieri capsam ligneam, in qua corpus fuit clausum cum clavis ferreis, & ipse clausit ipsum corpus in capsa lignea cum clavis ferreis, & diligenter custodivit donec sepultum fuit. Et nullæ species [B] nullæque res aromaticæ fuerunt positæ in capsa vel sepultura, nec potuissent esse quin ipse vidisset, quoniam ipse procurator erat domus, & omnia ad mandata ejus fiebant. Item dixit quod fuit unus de illis qui aperuerunt sepulturam ipsius F. Dominici, in qua primò sepultus fuit, quando translatum fuit corpus ad locum in quo nunc est, & ipsemet cum malleis ferreis fregit murum sepulturæ, qui murus erat multùm fortis, & cum forti & duro cæmento compositus, & cum palo ferreo elevavit lapidem superiorem, quia sepulcrum erat valde magnis lapidibus munitum, & cum cæmento firmatum: quod diligenter fieri fecerat a principio, ne aliqui furarentur corpus illud. Et quando dictus testis elevavit lapidem illum cum palo ferreo & aperta fuit sepultura, magnus imo maximus & suavis & delectabilis odor & sibi incognitus exivit de sepultura, & non credit quod fuerit similis odori alicujus rei aromaticæ: & ita magnum sensit odorem, quod nec in apotheca specialium, nec in aliquo loco ita magnum vel delectabilem vel similem senserit odorem. Et hoc idem testabantur omnes qui erant ibi, scilicet episcopi, clerici, Potestas Bononiensis, multi honorati cives qui custodiebant sepulcrum, & odor ille remansit postea multis diebus in priori sepultura, & in rebus in ea positis, & in vestimentis & in manibus illorum qui illa tetigerant, & adhuc hodie durat in ossibus prædicti F. Dominici. Et prædicta scit quia vidit & interfuit, & manibus suis contrectavit.

TESTIS VII.

1. ***Frater Stephanus*** [A] prior provincialis ordinis Prædicatorum provinciæ Lombardiæ juratus dixit, quod quindecim anni sunt & plus quod novit magistrum Dominicum fundatorem & plantatorem ordinis FF. Prædicatorum & primum magistrum, sed antequam haberet per visum notitiam personæ ipsius, audivit multa bona de eo a magnis viris fide dignis, scilicet quod cùm esset prior vel supprior Ecclesiæ Oxomensis cujus erat canonicus studebat apud Palentiam in divina pagina, & tempore illo incepit invalescere fames pessima in regione illa, ita quod multi pauperes ibi fame moriebantur: unde F. Dominicus motus compassione & misericordia vendidit libros suos manu sua glossatos, & pretium ipsorum & alias res quas habebat dedit pauperibus dicens, nolo studere super pelles mortuas, & homines moriantur fame: cujus exemplo quidam magnæ auctoritatis similia fecerunt, & ex tunc cum eo prædicare cœperunt. Et sicut intellexit post paucos dies venit F. Dominicus ad partes Tolosanas cum episcopo Oxomensi ad prædicandum, & præcipue contra hæreticos, & ibi instituit & ordinavit ordinem Prædicatorum.

[B] *Nulla species*, & postea *apotheca specialium*. Norunt omnes his vocabulis significari *aromata*. Videsis Ducangium in vocabulario med. & inf. Latin. Ibidem, *duro camento*, & postea *cum camento firmatum*. Intellige *arenato ex arena & calce una confusis*: vel etiam *ex testis tusis calce addita signinum opus factum*.

[A] Ad marginem initio hujus testimonii addidit Bernardus Guidonis: *Iste Frater Stephanus fuit Hispanus natione*. Hinc cùm ait XV annos & plus esse quod B. Dominicum noverat, sic facile intelligo eum anno MCCXVIII jam vidisse ac verisimilius Romæ quo tum ut etiam nunc Hispani frequentes adibant: exinde verò B. Dominico eodem anno in Hispaniam pergente, Stephanum Bononiam studiorum causa se contulisse. Quod ibidem addit priusquam ipsius per visum notitiam haberet, jam a magnis viris de eo multa audivisse, nullum dubium quin ista audierit in Hispania, ac priusquam Romam se conferret. Sequentia Malvendæ occasionem dederunt duplicandæ celebris illius a B. Dominico factæ suorum librorum Palentiæ venditionis in pauperum commodum, adeo ut prima vice id egerit secularis adhuc & studens, altera jam canonicus & supprior Oxomensis. Verùm cùm alii omnes Jordanus, Constantinus, Theodoricus, qui hoc Stephani testimonium legerant, nonnisi semel id egisse B. Dominicum narrent, his assentiendum certius censeo, eo magis quod Sanctus ex quo canonicus regularis allectus est, nihil proprium habuerit. Vide etiam supra Joannis Hispani testimonium v n. 5. Itaque in hoc Stephani testimonio agnoscendum irrepsisse ὕστερον πρότερον adeo ut quod occasio fuit (illa scilicet mira tumque ab omnibus laudata in pauperes caritatis effusio) ut Didacus episcopus Uxamensis Dominicum in suum collegium asciceret, putarit Dominicum jam priorem vel suppriorem Uxamensem egisse. Neque verò mirum Stephanum in eo lapsum esse, qui a se tum adhuc seculari & juvene audita solùm referat, & rem quidem gestam quod potissimum erat narret, quoad verò rationem temporis quod levius non ita certò doctus fuerit. Quod addit ibidem Stephanus viros illos graves, qui exemplo B. Dominici moti sua etiam vendiderunt & pauperibus distribuere, cum eodem prædicare cœpisse, probat quod supra dicebamus ad vitæ per Jordanum n. 6 in Annotatis, Dominicum Palentiæ cômorantem adhuc prædicationi operam dedisse.

2. Item dixit quod cùm studeret Bononiæ ipse testis, præfatus magister Dominicus venit Bononiam, & prædicabat scholaribus & aliis bonis hominibus, & ipse testis confitebatur ei peccata sua, & videbatur sibi quod diligeret eum. Et quodam sero dum ipse testis vellet cœnare in hospitio suo cum sociis suis, præfatus F. Dominicus misit duos Fratres dicentes huic: F. Dominicus mandat vobis, quod statim veniatis ad eum. Et ipse dixit, cùm cœnavero statim veniam ad eum. Et ipsi dixerunt, imo statim veniatis: & surgens relictis omnibus venit ad eum, & invenit eum cum multis Fratribus apud ecclesiam S. Nicolai. Et dictus F. Dominicus dixit Fratribus, instruite eum qualiter petat veniam. Et venia facta misit se in manibus ejus, & antequam recederet induit eum habitum ordinis Fratrum Prædicatorum [B] dicens: Ego volo dare tibi arma cum quibus toto tempore vitæ tuæ debeas pugnare contra diabolum. Et multùm fuit ipse testis tunc miratus & etiam postea, quo instinctu ipse F. Dominicus sic eum vocavit & induit eum habitum FF. Prædicatorum, quia primò nihil tractaverat de conversione ipsius cum eo ad religionem: credit tamen quod divina inspiratione vel revelatione hoc fecit.

3. Item dixit quod dictus F. Dominicus fuit optimus & summus consolator Fratrum in tentationibus Fratrum & aliorum, & hoc scit quia cùm in principio conversionis ipsius erat novitius, multas & varias tentationes habuit, de quibus per admonitionem & prædicationem ejus plenam consolationem recepit. Hoc idem contigit multis aliis Fratribus novitiis, sicut ab eis audivit. Et dixit ipse testis quod post conversionem suam stetit cum dicto F. Dominico in claustro S. Nicolai Bononiensis fere per annum, & magnam familiaritatem habuit cum eo: & toto prædicto tempore quo conversatus fuit cum prædicto F. Dominico, dixit non audivisse malum vel nocivum, vel otiosum verbum ab ore ejusdem F. Dominici. Item dixit quod in prædicationibus erat assiduus & solicitus & verba habebat ita commotiva, quod sæpissime commovebat se & auditores ad fletum: ita quod nunquam audivit hominem, cujus verba ita commoverent Fratres ad compunctionem & fletum. Item dixit quod consuetudo sua erat ut de Deo vel cum Deo semper in domo & extra domum & in via loqueretur: & ad hoc idem hortabatur Fratres, & etiam in constitutionibus suis posuit: & hoc scit quia vidit & interfuit & audivit & conversatus fuit cum eo. Item dixit quod erat assiduus & devotus in oratione super omnes homines quos unquam vidit: hanc consuetudinem habebat, sicut dixit se vidisse, quia post completorium & orationem communiter factam a Fratribus, faciebat nos intrare dormitorium, & ipse remanebat in ecclesia in oratione: & in nocte dum orabat, ad tantum gemitum & planctum prorumpebat & movebatur, quod Fratres qui erant in vicino excitabantur a somno, & quidam eorum ad lacrymas commovebantur: & sæpissime in oratione pernoctabat usque ad matutinas, & nihilominus stabat in matutinis circumeundo utramque partem chori, monendo & solicitando eos ut alte & devote cantarent: & ita pernoctabat in oratione quod nunquam recolit se eum vidisse dormientem in lecto de nocte, licèt quidam locus appropriaretur ei ad jacendum, ubi erat solummodo coopertorium extensum super cadeletum unum sine palea & sine saccone, quando tanto tempore stetisset in uno claustro cum eo, & sollicite perquisivisset & sæpissime, si eum invenire posset in lecto.

4. Item dixit quod sæpissime vidit eum celebrare missam, & semper in canone missæ vidit oculos & maxillas ejus lacrymis irrigari: & cum tanta devotione celebrabat, & orationem Dominicam in missa dicebat, quod bene poterant circumstantes devotionem ejus intelligere: & nunquam recolit eum se vidisse celebrantem, quin ita moveretur ad lacrymas, sicut superius dixit. Et hæc omnia dixit se vidisse & audivisse sicut superius testatus est. Item dixit quod ipse erat zelator & conservator ordinis & regulæ, & consolator Fratrum magis quàm aliquis quem unquam viderit, & vix credit quod unquam similem sibi in prædictis habeat successorem. Item dixit quod ipse F. Dominicus erat amator paupertatis, & hoc audivit eum sæpissime prædicantem, & Fratres hortari ad paupertatem: & si quando sibi vel collegio Fratrum offerebantur possessiones, nolebat eas recipere, nec permittebat Fratres recipere: & volebat quod haberent viles domos & parvas, & ipsemet vilissimum habitum portabat & viles vestes. Interrogatus quomodo scit hoc? Respondit quia vidit eum sæpissime portare vilissimum habitum & curtum scapulare, nec volebat ipsum capa cooperire etiam in præsentia magnorum. Item dixit quod cùm haberent Fratres apud S. Nicolaum cellas vilissimas & parvas, & F. Radulphus qui erat procurator Fratrum in absentia ejusdem F. Dominici quasdam cellulas cœpit per brachium elevare: sed F. Dominicus revertens cùm videret cellulas elevatas cœpit cum fletu pluries prædictum Fratrem Radulphum & Fratres alios reprehendere, dicendo sibi & aliis Fratribus: Vultis tam cito paupertatem relinquere, & magna palatia ædificare. Unde injunxit eis quod prædictum opus dimitterent, & sic stetit imperfectum donec vixit. Item dixit quod sicut amaverat paupertatem in se, sic amavit eam in Fratribus suis, unde injunxit eis ut vilibus vestibus uterentur, & in via nunquam pecuniam portarent, sed ubique de eleemosynis viverent, & hoc fecit in sua regula seu constitutionibus scribi. Item dixit dictus testis quod fuit parcus in cibo & potu. Interrogatus quomodo scit? Respondit quia vidit multoties in refectorio, quod quando Fratres habebant duo pulmenta cocta seu duo fercula, quod unico erat contentus, & aliis Fratribus comedentibus ipse F. Dominicus quasi semper super mensam dormiebat propter nimias vigilias, quibus adeo fatigatus erat, quia & parum comedebat & parum bibebat, & sic a somno super mensam quasi violenter occupabatur.

5. Item dixit quod firmiter credit quod dictus F. Dominicus fuit virgo mente & corpore usque ad finem vitæ suæ. Interrogatus quomodo hoc credit? Respondit quia & præfatus F. Dominicus sibi fuit confessus, & nunquam ex sua confessione potuit intelligere eum peccasse mortaliter. Item dixit quod erat patiens & gaudens in tribulatione. Interrogatus quomodo scit? Respondit quia videbat eum in necessitatibus suis in indigentiis suis & Fratrum

[B] De eodem Stephano sic addit ad marginem Bernardus Guidonis. Hic *intravit ordinem Bononiæ sub B. Dominico anno Dñi* MCCXIX (proinde post mensem augustum) *vel circa* (puta MCCXX) *& fuit prior provincialis Lombardiæ secundus ut puto.* Si secundus ut verisimillimum, B. Jordano qui fuit primus & ex eo munere ad supremum magistratum ordinis evectus fuit anno MCCXXII, eodem anno suffectus fuerit. Prosequitur idem Bernardus Guidonis: *Fuit autem absolutus a provincialatu in capitulo generali Bononiensi anno Dñi* MCCXXXVIII. Adeo ut sexdecim annis circiter continuis hoc munere functus sit. In actis cap. gen. Bononiæ anno MCCXXXVIII celebratis, ubi electus est magister ordinis S. Raimundus absens & Barcinone agens, sic legitur: *Missi sunt pro magisterio* (nempe Raimundo) *præsentando F. Hugo prior provincialis Franciæ &c. F. Stephanus Hispanus, qui in eodem capitulo fuerat absolutus a prioratu Lombardiæ quem diu rexerat, & alii multi electi Fratres*, id est primores & illustriores. Quandiu autem postea vixerit, quæ præclare gesserit aut etiam scripserit, ubi & quo anno quove die obierit, nulla apud nostros mihi est memoria.

Sæc. XIII. quas patiebatur in illo tempore in victu & vestitu jucundari & lætari. Item dixit prædictus testis quod firmiter credit, quod gratia quæ his temporibus collata est Fratribus Prædicatoribus in Lombardia & in aliis provinciis, precibus & meritis F. Dominici sit collata vel etiam augmentata. Interrogatus quare hoc credit? Respondit quod ab illo tempore postquam F. Joannes Vincentinus cœpit prædicare revelationem sibi de F. Dominico divinitus factam, & vitam & conversationem & ipsius sanctitatem populo nunciare, & ipse testis cum aliquibus Fratribus cœpit tractare de translatione corporis prædicti F. Dominici, ex tunc manifeste refulsit & apparuit amplior gratia, tam in Fratribus qui ejus sanctitatem prædicabant, quàm etiam in populis qui eos audiebant, sicut patet per effectum in civitatibus Lombardiæ, in quibus maxima hæreticorum multitudo combusta est, & plusquam centum millia hominum qui nesciebant utrum Ecclesiæ Romanæ an hæreticis deberent adhærere, ad catholicam fidem Romanæ Ecclesiæ per prædicationes FF. Prædicatorum ex corde sunt conversi: & hoc quia illi conversi hæreticos quos primo defendebant, modo persequuntur & abominantur. Et fere omnes civitates Lombardiæ & Marchiæ facta sua & statuta ordinanda & mutanda ad voluntatem Fratrum tradunt in manibus eorum, ut radant, addant, minuant & mutent secundùm quod eis visum fuerit expedire. Et etiam hoc faciunt de guerris extirpandis, & pacibus faciendis & componendis inter eos, & de usuris male ablatis reddendis, & confessionibus audiendis, & multis aliis bonis, quæ longum esset enarrare.

6. Iterum dixit prædictus testis quod ipse ordinavit de die & modo transferendi corpus prædicti magistri Dominici, & interfuit ipsi translationi cum multis Fratribus & Potestate Bononiensi, & multis honoratis civibus ipsius civitatis, & aliis multis aliarum civitatum, in quorum præsentia ipse testis cum aliis Fratribus palis ferreis & piconibus cœperunt fodere, & invenerunt terram duram & cæmentum fortissimum & durum cum quo clausum erat sepulcrum. Et elevantes lapidem qui erat superpositus sepulcro, tantam senserunt odoris fragrantiam tam ipsi quàm omnes circunstantes, quod ipse ut asserebat narrare non posset, cùm nullius rei mundanæ videretur habere odorem. Propter cujus odoris fragrantiam tam Fratres quàm omnes circunstantes prostraverunt se ad terram cum lacrymis laudantes & benedicentes Deum, qui tam mirifice ostendit sanctum suum fore glorificandum. Et invenerunt capsam ligneam in qua corpus præfati F. Dominici reconditum erat clavis ferreis fortiter clausam & firmatam, quam similiter aperuerunt, & tunc ex ea major odor primo odore spiravit. Et tunc cum reverentia & devotione magister ordinis cum aliis Fratribus præsente D. archiepiscopo Ravennate & aliis pluribus episcopis & clericis & Potestate Bononiensi cum multis aliis civibus Bononiensibus ad sepulcrum marmoreum in quo nunc est transtulerunt. Item dixit prædictus testis quod plures dies postmodum sentiebat vestigia primi odoris tam in suis manibus quàm aliorum, qui ossa dicti F. Dominici tractaverunt. Et hæc omnia prædicta scit, quia vidit & interfuit, & suis manibus tractavit, & odorem in suis manibus & aliorum Fratrum, qui prædicta tractaverant, & tetigerant, postmodum pluries persensit.

TESTIS VIII.

1. *Frater Paulus Venetus* sacerdos de ordine Prædicatorum juratus dixit, quod quatuordecim anni sunt & plus, quod intravit ordinem Prædicatorum Bononiæ, & professionem fecit in manibus magistri Reginaldi, & recepit habitum [A] Dominica, in qua cantatur evangelium Chananææ: & magister Dominicus in sequenti æstate venit Bononiam. Et ab eo tempore quo dictus magister Dominicus venit in civitatem Bononiensem dictus testis magnam familiaritatem habuit cum eo, & diu conversatus fuit cum eo stando in conventu Bononiensi, & eundo secum fere per totam Marchiam Trivisinam, comedendo, bibendo, stando, eundo, & in officiis tam de die quàm de nocte fere per duos annos. Item dixit quod non meminit se audivisse ab eo verbum otiosum, vel detractionis, vel adulationis, vel nocivum: imo quando erat secum in itinere, vidit aut eum orare, aut prædicare, aut ipse vacabat orationi aut meditationi de Deo. Interrogatus quomodo scit? Respondit quia dictus magister Dominicus dicebat ipsi testi & aliis qui cum eo erant, Procedite & cogitemus de Salvatore nostro, & audiebat eum gementem & suspirantem. Item dixit quod ubicumque esset dictus magister, de Deo vel cum Deo semper loquebatur, & ad hoc hortabatur Fratres suos, & in regula id est in constitutionibus Fratrum Prædicatorum hoc scribi fecit. Interrogatus quomodo scit? Respondit quia diu conversatus est cum eo, & vidit & audivit hoc. Item dixit quod nunquam vidit eum iratum nec commotum, nec turbatum, nec in labore itineris, nec in fervore passionis, nec alibi: sed vidit eum in tribulationibus gaudentem & in adversitatibus patientem.

2. Item dixit quod diligebat paupertatem habere in se & in ordine, & ad hoc hortabatur Fratres. Item dixit quod quando dictus magister erat Bononiæ quidam Bononienses volebant dare possessiones ordini, & ipse noluit recipere, & prohibuit Fratribus ne reciperent, & posuit in constitutionibus suis ne possessiones reciperentur in ordine. Item dixit quod habitum vilissimum portabat, & in exitu viarum (f. *villarum*) & civitatum se discalceabat, & nudis pedibus itinerando ambulabat, & hoc sæpissime vidit eundo secum per viam. Item dixit quod vidit ipsum F. Dominicum quandoque eundo ostiatim quærendo eleemosynas, & recipere panem sicut pauper: & apud Duliolum [B] dum quæreret eleemosynas, quidam homo obtulit ei unum panem integrum, quem ipse pater flexis genibus cum multa humilitate & devotione suscepit: & volebat & dicebat Fratribus sicut sæpe audivit, quod de eleemosynis viverent. Item dixit quod eundo per viam cum eo, nunquam vidit quod ipse jaceret in lecto, sed aliquando jacebat in stramine, & quod cùm venisset cum eo longo itinere & hospitati essent, ipse B. Dominicus & ipse testis cum socio apud plebem de Portu Lignatico [C], ipse F. Dominicus fecit præparari locum in quo jacerent socii, & ipse intravit ecclesiam & pernoctavit in ea

[A] Ex die quo iste Paulus Venetus indicat se vestem ordinis induisse, colligitur fuisse Dominicam secundam quadragesimæ, qua tum & tribus fere postea seculis apud nos legebatur evangelium Chananææ, ac proinde tertiam martii diem anni MCCXIX quo pascha fuit Aprilis VII: hanc enim solam quadragesimam B. Reginaldus Aurelianensis Bononiæ transegit. Bernardus Guidonis ad marginem hujus testimonii scripsit: *Scilicet anno* MCCXIX *in principio vel* MCCXVIII *in fine*, & id propter variam gentium diversarum computandi rationem sæpius a nobis annotatam, aliis initium anni a die nativitatis Christi, aliis a die annunciationis, aliis a festo paschæ ducentibus: cæterùm certum annum fuisse qui nunc dicitur MCCXIX quo eodem anno mense augusto S. Dominicus ex itinere Parisiensi Bononiam prima vice accessit.

[B] *Duliolum* mihi non occurrit in mappis nec in vocabulariis geographicis. An castrum aliquod ad amnem Doliam unde etiam vallis Dolia nomen ducit, qui & in Madiam influit, de quibus Leander Albertus agit in Lombardia Transpadana edit. Venet. 1551 in 4 fol. 365. a.

[C] *Apud plebem de Portu Lignatico.* In chartis Blaevv ad Athesim indicatur *Lignago Porto.* De quo sic Leander citatus in *Marca Trivigiana* fol. 373. a. *Salendo adunque longo la sinestra riva di Ladice, appare Lignago da i Latini Liniacum nominato, castello molto bello grande nobile & ricco & ben*

in oratione, & nihilominus fuit in matutino cum clericis ecclesiæ & sociis suis. Item dixit quod itinerando jejunabat ipse B. Dominicus, & faciebat socios qui cum eo ibant comedere propter laborem itineris. Item dixit quod licèt steterit cum eo apud ecclesiam S. Nicolai sicut præmissum est, nunquam recolit quod haberet certum locum in quo jaceret de nocte, sed quandoque jacebat in terra, quandoque in crate de viminibus, quandoque in assere & sæpissime pernoctabat in oratione in ecclesia, & orando multùm plorabat. Et hoc scit quia vidit eum pluries sic facientem: & aliquando vocavit eum ab oratione, & vidit faciem ejus lacrymis perfusam. Et dixit quod ipse erat devotus & assiduus in oratione etiam eundo per viam, & omni die volebat cantare missam, si inveniebat ecclesiam idoneam ad hoc.

3. Item dixit quod multùm desiderabat salutem animarum tam fidelium quàm infidelium, & sæpe dixit huic testi: Postquam ordinaverimus & instruxerimus ordinem nostrum, ibimus ad Cumanos, & prædicabimus eis fidem Christi, & acquiremus eos Domino. Item dixit quod rigide & perfecte servabat regulam quoad se, & hortabatur Fratres, & præcipiebat eis quod regulam plene observarent, & delinquentes rigide puniebat, tamen cum tanta patientia & benignitate verborum corripiebat eos, quod nullus super correctionem commovebatur vel turbabatur. Item dixit quod ipse sequebatur conventum & in cibis & in officiis, & licèt sæpissime pernoctaret in ecclesia & in orationibus, tamen semper erat cum Fratribus in matutino, & circuibat utramque partem chori, & hortabatur eos verbis & factis, quod bene & intente cantarent, & psalmos devote dicerent, & sic devote insistebat orationibus, quod propter tumultum aliquem vel turbationem aliquam non movebatur ab oratione. Item dixit quod ipse fuit summus consolator Fratrum, & aliorum existentium in tribulationibus & tempestatibus, & hoc scit quia in se probavit & ab aliis audivit. Item dixit quod fuit patiens & misericors, sobrius, pius, humilis, benignus, castus, & sicut firmiter credit & audivit semper virgo fuit, & prædictis virtutibus & aliis ita pollebat, quod non credit aliquem hominem tempore vitæ suæ meliorem fuisse, nec aliquem scit esse sibi æqualem. Item dixit quod cùm ibat per viam, omnibus qui se adjungebant ad eundum cum eo prædicabat, & hortabatur eos ad bonum & ad pœnitentiam.

4. Item dixit quod interfuit translationi corporis magistri Dominici de sepultura in qua dum moreretur sepultum fuit (cui sepulturæ ipse testis interfuit) ad locum in quo nunc requiescit, & quando debuit [aperiri] prima sepultura in qua a principio positum fuerat, & intererant ibi multi episcopi & multi alii clerici, & Potestas Bononiensis cum multis aliis civibus honoratis: & incipientes fodere invenerunt terram durissimam & murum fortem & cæmentum valde forte & durum, ita quod vix fregerunt illud cum malleis & palis ferreis, & cum difficultate levaverunt lapidem qui superpositus fuerat sepulturæ: & quando ipse lapis separatus fuit a muro, & cœpit aperiri sepulcrum, odor maximus & delectabilis & suavis exivit de sepultura illa, ita magnus quod replevit totam ecclesiam, ita quod cùm ipse testis sensit & alii qui ibi erant, prostraverunt secum lacrymis referentes gratias Domino de odore quem senserant, & nunquam tantum odorem in apotheca specierum vel in multitudine florum vel in aliquo loco sensit, & odor ille erat sibi incognitus & aliis sicut dicebant, nec videbatur similis odor alicujus rei temporalis. Et hoc scit quia interfuit apertioni, & vidit & sensit odorem, sicut prædixit.

5. Item dixit dictus testis quod die Dominica proxime præterita venit a Venetiis Bononiam pro isto testimonio faciendo, & eodem die in sero invasit eum dolor maximus renum & lumborum, qui consuevit eum affligere pluribus diebus: unde ipse timens ne posset facere istud testimonium ivit ad arcam B. Dominici, & devotissime rogavit quod juvaret eum & liberare dignaretur, & quasi in continenti fuit plenissime liberatus.

TESTIS IX.

1. *Frater Frugerius Pennensis* [A] ordinis Prædicatorum juratus dixit, quod quatuordecim anni fuerunt in quadragesima proxime præterita quod ipse intravit ordinem Prædicatorum, & fecit professionem in manibus Fratris Reginaldi, & ab eodem recepit habitum apud ecclesiam de Mascarella [B], ubi primo fuit ordo Prædicatorum Bononiensium: & eodem anno in æstate sequenti venit F. Dominicus fundator ordinis S. Nicolai & primus magister Bononiam. Et quia de licentia magistri Reginaldi visitavit propria, & in Kalendis septembris rediit Bononiam, & invenit apud ecclesiam S. Nicolai de Bononia ordinis Prædicatorum dictum magistrum Dominicum. Et dixit quod conversatus fuit cum eo quatuor menses & amplius in conventu Bononiensi & in conventu Florentino, & in conventu Romano [C], in eundo cum eo Romam & per alias civitates, & stando secum & in officio & in comedendo, loquendo, & confessiones ejus audiendo, & in orationibus, & conferendo de Deo cum eo tam de die quàm de nocte. Item dixit quod fuit assiduus & devotus in oratione tam in itinere quàm in conventu, adeo quod nunquam potuit percipere, quod in lecto jaceret, licèt aliquando pararetur sibi, nec in via, nec in conventu: sed aliquando fatigatus nimia pernoctatione, super se ipsum, vel super terram, vel super lignum aliquando dormiebat. Interrogatus quomodo scit? Respondit quia vidit. Item dixit quod cùm plures missas audiverit ab eo in conventu & in itinere, nòn audivit aliquam, in qua multas lacrymas non effunderet, & hoc scit quia vidit.

2. Item dixit quod pernoctabat in oratione & cum gemitu & lacrymis orabat, & quando faciebat sermonem Fratribus lacrymas effundebat, & propter hoc Fratres sæpius ad lacrymas movebantur. Item dixit quod nunquam audivit verbum otiosum vel nocivum, adulationis vel detractionis ab eo, sed semper de Deo vel cum Deo loquebatur, & cuicunque se adjungebat in via, prædicabat de Deo, & ad hoc ipsum hortabatur Fratres suos, & hoc in Fratrum Prædicatorum regula fecit poni. Item dixit quod multùm zelabat salutem animarum, quod

popolato: del quale sono usciti molti vertuosi huomini, & massimamente dell' ordine de i Predicatori. Quæ sic reddit Kyriander p. 713. Itaque læva sursum Athesis ripa Liniacum occurrit pernobile, frequens, lautum, amplum & splendidum oppidum, ex quo multi homines illustres præcipueque Prædicatorum ordinis prodiere.

Quandiu postea vixerit hic testis, nihil certi habeo ex annalibus nostris: Venetorum nostrorum diligentiæ erit vetera SS. Joannis & Pauli monumenta excutere, & si quid de tam eximio piissimoque viro invenirent, posteris non invidere.

[A] *Pennensis.* Haud dubie sic a loco originis dictus: duplex autem *Penna* laudatur a Leandro Alberto jam citato, alia in Aprutio ulteriori sive in Samnitibus edit. Venet. 1551 fol. 211. a. versionis Kyriandri p. 390, alia in Piceno seu Marca Anconitana fol. 230. a. Kyriand p. 424. Ex hac posteriori ortum Frugerium vult Pius *Della progenie* p. 77 cui libens assentiar.

[B] *Apud ecclesiam de Mascarella.* Eo loci ab initio habitarunt nostri a pascha MCCXVIII circiter ad pascham MCCXIX, quo circum circa collata eis fuit ecclesia S. Nicolai.

[C] *In conventu Bononiensi, Florentino, Romano.* Per hæc insinuare videtur Frugerius se cum B. Dominico postquam accessit Bononiam, quandiu eo anno MCCXIX ibi stetit, tandiu cum eo mansisse, cum eo verò eodem anno primùm Florentiam tum Romam perrexisse: quæ confirmant a nobis dicta vitæ per Constantinum n. 35 in Annotatis.

Sæc. XIII. ipse Fratribus suis ordinatis disposuerat ire ad gentes & mori pro fide si expediret. Interrogatus quomodo hoc scit? Respondit quia vidit eum dicentem & facientem supradicta. Item dixit quod asper erat sibi in tantùm, quod cùm esset in via observabat integre jejunia ordinis, nec volebat comedere ante horam, socios tamen faciebat comedere bis. Una tunica hieme & æstate utebatur. Item dixit quod diligebat paupertatem, & ad hoc hortabatur Fratres suos. Interrogatus quomodo scit? Respondit quia vidit eum portantem vilem habitum, & audivit eum hortantem Fratres suos ad paupertatem amplexandam & diligendam: & si inveniebat aliquem Fratrem habentem vestimenta reprehensione digna quoad pretiositatem vel quoad formam, statim corrigebat & emendabat. Et in tantùm dilexit paupertatem, quod noluit quod Fratres deberent recipere possessiones, sed de eleemosynis viverent, & hoc in Fratrum regula fecit scribi. Volebat quod viles domos haberent, & viles discos ad legendum, ita quod quasi in omnibus vilitatem & paupertatem prætenderent.

3. Item dixit quod dictus F. Dominicus in se regulam integre & rigide observabat & volebat a Fratribus observari. Et si quos trangressores regulæ aliquando inveniebat, cum maxima mansuetudine verborum & dulcedine puniebat, ita quod nullus scandalizabatur, licèt pœnitentia esset multùm gravis. Interrogatus quomodo scit? Respondit quia diu conversatus fuit cum eo, & vidit & audivit ab eo. Item dixit quod audivit confessionem ejus, & ex ea percepit & ita firmiter credit, quod nunquam inquinatus fuerit aliquo mortali peccato. Item dixit quod fuit humilis, benignus, patiens in tribulationibus, & gaudens in adversitatibus, pius, misericors, consolator Fratrum & aliorum, & virtutibus omnibus ita ornatus, quod per ea quæ vidit & cognovit in eo, firmiter credit quod non habuit similem aliquem sibi, quem ipse viderit vel cognoverit.

4. Aldrevander quondam Tebaldi auctoritate imperiali notarius hos testes de mandato dominorum magistri Tancredi Bononiensis archidiaconi, Thomæ prioris de Rheno, & Fratris Palmerii de Campagnola judicum delegatorum a D. P. Gregorio IX recepit, & in publicam formam redegit, & scripsit. Deo gratias. Amen.

Exemplum Epistolæ quam miserunt quidam abbas & duo archidiaconi de Tolosa venerabilibus viris magistro Tancredo archidiacono Bononiensi, & D. Thomæ priori S. Mariæ de Reno & Fratri Palmerio de Campagnola a Sede apostolica delegatis super examinatione vitæ B. Dominici, de his quæ invenerunt & audierunt ab his qui conversati sunt cum prædicto viro Dei, sicut inferius continetur.

Viris venerabilibus & discretis magistro Tancredo Bononiensis ecclesiæ archidiacono, & Thomæ priori S. Mariæ de Reno, & F. Palmerio canonico S. Trinitatis judicibus seu inquisitoribus a Sede apostolica delegatis, P. dictus abbas S. Saturnini de Tolosa, Raimundus Donati archidiaconus S. Stephani de Tolosa, & Pontius archidiaconus Ecclesiæ S. Saturnini de Tolosa, Salutem & reverentiam. Sicut per vestras literas nobis auctoritate apostolica mandavistis de vita & conversatione B. Dominici per viros reverendos Raimundum priorem de Pruliano & P. Agennensem Fratres ordinis Prædicatorum, necnon R. de Aura priorem S. Antonini & R. de Villario cellararium S. Antonini veritatem diligentius inquisitam cum sigillis nostris pendentibus discretioni vestræ duximus transmittendam.

1. D. P. abbas Bolbonensis ordinis Cisterciensis juratus dixit, quod ipse erat archidiaconus Tolosanus, & in eadem civitate etiam audivit a D. Fulcone bonæ memoriæ tunc episcopo Tolosano, & ab ipso B. Dominico & a multis aliis, quod archiepiscopus Auxitanus præsentavit B. Dominico prædicto episcopatum Coseranensem, qui ad ejus curam pertinebat, & ipse noluit recipere: ad cujus instantiam opposuit excusationem de novella plantatione Prædicatorum & sanctimonialium de Pruliano, quæ ad ipsum spectabant, & credit quod electio ejus esset canonica & concors. Et novit quod ipse fuit zelator animarum, fervens in oratione & prædicatione, & persecutor hæreticorum [A], amator paupertatis, parcus sibi, aliis benignus, castus, humilis, patiens, in persecutionibus securus, in tribulationibus lætus, religiosus, sibi despectus, pater & consolator infirmorum Fratrum & eorum qui erant in tribulationibus, amator disciplinæ, exemplum Fratrum in omnibus, fugiens gloriam mundi, largus, hospitalis, amator universorum religiosorum, vilis in vestibus, amator negotii fidei & pacis, & quod peccata aliorum cruciabant eum, ita quod de ipso dici poterat quod de apostolo, quis infirmatur & ego non infirmor? & credit eum fuisse virginem.

2. F. Guilielmus ejusdem loci sacrista juratus dixit idem excepta electione episcopatus, & excepto quod super hospitalitate. Dixit quod pauper erat dum ipse secum iret. Dixit quod largus erat in conferendis tunicis, quæ sibi dabantur, Fratribus.

3. F. B. Clareti ejusdem loci monachus testis juratus dixit idem quod sacrista, & adjecit quod audivit electum fuisse in episcopum Coseranensem, & quod dum erat canonicus Oxomensis carnes cum Fratribus non comedebat nec respuebat, sed inter pulmenta abscondebat.

4. D. M. abbas Appamiensis dixit idem quod abbas Bolbonensis, addens quod ipse novit visu & auditu ejulatum & effusionem lacrymarum in orationibus, & quod unicam tunicam ferebat.

5. Magister A. de Campranhano ejusdem loci sacrista juratus dixit, quod ipse vidit & audivit D. Dominicum persecutorem hæreticorum [B] assiduum & redargutorem tam verbo quàm exemplo bonæ vitæ, & quasi viribus indefessis laborabat ad promotionem pacis & fidei, & ob hoc variis periculis se exponebat: & credit omnia capitula prædicta esse vera.

6. Raimundus Major canonicus testis juratus dixit, quod scit prædicta capitula esse vera, & credit eum fuisse virginem: & dixit quod in inpositione manus ipsemet sanatus est a febribus.

7. Raimundus Garaldus testis juratus dixit, quod novit & credit omnia capitula esse vera, addens quod cùm iret cum eo & aliis per nemora, remanebat ultimus, & cum requireretur, sæpius inveniebatur flexis genibus non obstante timore luporum rapidorum (an *rabidorum*) qui multos invadebant.

8. Guilielmus de Varnhola testis juratus dixit, quod ipse novit eum visu & auditu, ferventem in oratione & prædicatione, religiosum, sibi despectum,

A *Persecutor hæreticorum.* Quî hoc intelligendum vide postea n. 5.

B Viden quî hæreticorum assiduus persecutor fuerit, nempe *redarguendo tam verbo quàm exemplo bonæ vitæ*, non jugulum petendo, non ferrum & ignem minitando, quod sui non erat officii: vide supra vitæ per Jordanum n. 12 13 14 15 19 20 & vitæ per Constantinum n. 10 11 12 13 15 16 36 40 41 & supplem. n. 2. & aliàs: item laborando ad promotionem non belli cui etsi justissimo non se immiscuit, sed pacis & fidei.

tum, castum, humilem, paupertatis amatorem, cujus lectus erat ecclesia præcipue, persecutorem hæreticorum [C], & alia capitula credit esse vera.

9. Geraldus de Oleris testis juratus dixit se scire prædicta capitula esse vera, & credit eum fuisse virginem, & cùm eum familiarem haberet, nunquam de eo aliquid novit vel audivit suspectum vel finistrum.

10. Bernardus de Baulhanis testis juratus dixit, quod B. Dominicus fuit zelator animarum, fervens in oratione & prædicatione, persecutor hæreticorum assiduus [D], amator paupertatis, parcus sibi & aliis benignus, patiens, humilis, religiosus, & sibi despectus, amator disciplinæ, & fugiens gloriam mundi, vilis in habitu, amator negotii fidei & pacis, omnia capitula alia credit esse vera.

11. Petrus Bruneti testis juratus dixit se scire & credere omnia prædicta capitula esse vera: & addidit quod cùm quadam die aquam navigio pertransisset, nautæ pro mercede sua petierunt denarium, & cùm ipse non haberet unde solveret, ipsi instantes petierunt pignus aut denarium, & ob hoc eum detinuerunt: at ipse figens oculos in terra, ostendit eis denarium dicens, accipite de terra quod a me petitis, & accipientes denarium dimiserunt eum.

12. Guilielma uxor Eliæ Martini testis jurata dixit, quod ipsa nebat pro cilicio, quod ad induendum ipsi parabatur: & scit & credit prædicta capitula esse vera, & credit eum virginem: & ducentis vicibus & plus comedit secum, sed non credit eum quartam partem frustati piscis in uno prandio comedere, vel ultra duo vitella ovorum, nec bibere ultra unum scyphum vini lymphatum pro tribus aquæ: nec etiam vidit eum comedere ultra unam lenam panis. Vidit etiam quod cùm gravissimo dolore affligeretur sæpissime, circumstantes eum in lecto ponebant, & ipse se statim in terra prostrabat, quia non consueverat in lecto jacere.

13. Tolosana Neguesa testis jurata dixit quod novit supradicta capitula esse vera, & eum credit virginem: & dixit quod ipsa nebat cilicium de pilis pardorum & hircorum ad usum ipsius.

14. Beceda monacha S. Crucis testis jurata dixit, quod novit supradicta capitula esse vera, & eum virginem: & congregavit caudas boum ad cilicium faciendum ad opus ipsius & D. Fulconis episcopi Tolosani: & non audivit ab eo unquam vanum verbum, licèt multum fuerit ei familiaris: & cùm ipsa fecisset sæpe ei lectum, non jacebat ibi, imo mane inveniebat ita paratum sicut dimiserat quando straverat: & hoc etiam faciebat quando erat infirmus, imo etiam sæpe inveniebat ipsum dormientem in solo discoopertum, & cùm eum cooperuisset, quando redibat, inveniebat eum orantem vel stantem prostratum, magnam enim curam habebat circa eum. Dixit etiam quod cùm ipse comedisset ultra ducentas vices in domo in qua ipsa habitabat, ad plus comedebat duo ova, licèt plura cibaria pararentur ei. De omnibus autem supradictis capitulis est publica & celebris fama per episcopatum Tolosanum totum & Coseranensem, & undecumque ipse transitum fecit, si tamen moram aliquam ibi contraxit inter religiosos, clericos & laicos, viros & mulieres qui eum cognoverunt.

15. D. Guilielmus Petri abbas monasterii S. Pauli testis juratus dixit, quod B. Dominicus ardentissime sitiebat salutem animarum, & erat zelator maximus animarum: item fervens in prædicatione in tantum ut de die ac de nocte in ecclesiis, in domibus, in agris, in viis, & ubicumque volebat & hortabatur Fratres, ut verbum Domini prædicarent, & non loquerentur nisi de Deo. Item dixit quod fuit persecutor hæreticorum, & eis prædicando, disputando, & in omnibus quibus poterat se opponebat. Item dixit quod amator fuit paupertatis, in tantum quod possessiones, villas, castra, reditus, quibus in diversis partibus fuerat ordo ditatus respuerit, & eis abrenunciarit. Item dixit quod fuit sibi valde parcus in cibis, & præter panem & unum pulmentum non comedebat, nisi propter Fratres vel circumstantes gustaret aliquantulum de pittantiis. Voluit autem semper alios secundùm facultates domus & ut possibilitas permittebat abundare. Item dixit quod fuit virgo, sicut audivit a multis. Item dixit quod respuit episcopatum Coseranensem, nec voluit præesse illi Ecclesiæ, licèt in pastorem & prælatum esset electus. Item dixit quod nunquam in omnibus ita humilem hominem vidit, nec magis contemnentem gloriam mundi, & ea quæ pertinebant ad gloriam temporalem. Item dixit quod convitia & maledicta & vituperia patientissime ac cum gaudio tanquam donum & exenium (sic ἀντὶ xenium) magnum accipiebat. Item dixit quod in persecutionibus nunquam molestabatur, sed securus & intrepidus frequenter ibat inter discrimina, nunquam pavore perterritus divertit a strata. Imo quando somnus eum capiebat, in via vel juxta viam se projiciebat & dormiebat. Item dixit quod excellebat universos, quos vidit in religione. Item dixit quod se valde despiciebat, & tanquam nullum se reputabat. Item Fratres infirmos paterne consolabatur, & infirmitatum eorum erat mirabilis supportator. Item dixit quod quando sciebat aliquos in tribulationibus constrictos, ad patientiam admonebat, & quando poterat consolabatur. Item dixit quod fuit amator disciplinæ, & delinquentes paterne corripiebat. Item dixit quod Fratribus se præbuit exemplum in omnibus in dictis & factis, in cibis & in vestitu, & in moribus bonis. Item dixit quod non vidit hominem tam frequentem in oratione, nec qui tantùm in lacrymis abundaret. Item dixit quod quando erat in oratione, clamabat in tantùm quod undique audiebatur, & in clamore dicebat: Domine miserere populo, quid facient peccatores; & sic noctes ducebat insomnes, plorando & ejulando pro peccatis aliorum. Item dixit quod fuit largus & hospitalis, & cum pauperibus ea quæ habebat libentissime dividebat. Item dixit quod religiosos & religionis amatores amabat & honorabat. Item dixit quod nunquam audivit vel scivit quod lectum haberet nisi ecclesiam, ubi commode poterat ecclesiam invenire. Ubi verò ecclesiam non habebat, semper vel in terra jacebat vel in scamno, vel in chordis lecti deposita culcitra & pannis quos posuerant in lecto ad jacendum. Item dixit quod nunquam vidit eum nisi cum una tunica, & illa erat pitaceata. Item dixit quod viliores capas volebat semper portare quàm alii Fratres. Item dixit quod fuit amator negotii fidei & pacis & promotor quantum potuit fidelissimus & adjutor.

16. Hæc omnia dixerunt & concesserunt dato & præstito juramento A. capellanus de Villario, qui & vidit dæmoniacam a dæmonio liberatam in Fanojovis mediantibus orationibus B. Dominici. Et A. Pontii capellanus, & Raimundus etiam de Villario sacerdos de Fanojovis, & R. clericus qui etiam meritis ipsius credit se a febribus liberatum: & isti omnes & alii plures de Fanojovis dicentes una voce, quod nunquam tam sanctum tam honestum hominem viderunt in carne. [E]

C *Persecutorem hæreticorum.* Intellige ut supra n. 5 verbo & exemplo, quæ in illos gravior & potentior est persecutio.

D *Persecutor hæreticorum assiduus*, nempe ut postea dicit Humbertus in chronico *gladio verbi Dei*, dum contra eos comes Montisfortis pugnaret *gladio materiali*.

E *Ad istum articulum videtur alludere Humbertus vita sancti cap. 43. ubi sic habet:* Inventum est etiam per illos

Sæc. XIII.

17. Frater Michael juratus dixit, quod omnia supradicta sunt vera, scilicet quod vidit & audivit. Item dixit quod B. Dominicus spiritu prophetico cognovit, quod oportebat recedere Fratres de Tolosa.

18. Frater R. dixit idem quod suprapositus: audivit autem de virginitate sua a D. Fulcone episcopo Tolosano, a Fratre D. Aniamino & a Fratre Johanne de Calagora, & quod respuit episcopatum Biterensem, & quod vidit quemdam liberatum a dæmone per ipsum.

19. Marcus diaconus juratus dixit quod episcopatum respuit, & ubi oravit invenit lacrymas & locum madefactum de lacrymis.

20. Berengaria jurata dixit quod ipsa oculis vidit & auribus audivit, quando B. Dominicus præcepit novem mulieribus hæreticis ab errore conversis prospicere in dæmonium, quod eas possidebat in specie cati, cujus oculi erant quasi bovis & velut flamma ignis, & linguam per dimidium pedem extrahentem quasi ignem & caudam quasi dimidiam branchiam habentem, & magnum quasi....... canem: & ad præceptum ipsius per foramen chordæ campanæ exivit, & ab oculis earum evanuit: tamen primo prædixerat eis quod non timerent, quia ipse ostenderet eis, cui domino servierant. [F]

21. Raimundus de Sanchis dixit quod ad orationem ejus filia cujusdam mulieris restituta est sanitati: rogaverat enim eum ut visitaret eam, cui dixerat: recede & ego orabo pro ea, & in crastino ut dixit mater sanata est filia sua.

22. Raimundus & Zonzamias dixerunt quod audierunt ab eo quod ante fugeret de nocte cum baculo suo, quàm acciperet episcopatum vel aliam dignitatē.

In fine autem hujus literæ posita erant ultra trecenta nomina virorum & mulierum sub juramento testificantium supradicta, inter quos erant multi religiosi & presbyteri & clerici & sanctimoniales & aliæ personæ honestæ & fide dignæ. Sed & super hæc omnia de his omnibus in partibus illis in quibus fuerat commoratus, erat tunc publica vox & fama de sanctitate & virtutibus ejus, sicut patet in litera sigillorum prædictorum dominorum munimine roborata.

De Miraculis quæ post hæc in diversis locis ostensa sunt, & primùm de iis quæ in Lombardia contigerunt, & coram papa Gregorio probata fuerunt.

De curatione cujusdam scholaris a gravi dolore renum ac genuum.

1. Quidam scholaris nomine Nicolaus de Bosco Anglicus natione Vigoriensis [A] diœcesis degens Bononiæ gravi renum ac genuum dolore vexatus, a festo S. Michaelis usque ad pentecosten nec per se jam poterat surgere, nec per domum sine baculo, vel alterius sustentationis adminiculo ambulare. Denique invalescente morbi molestia xv diebus de lectulo non surrexit: sed & lævum femur ejus vehementi macie attenuatum emarcuit in tantum, ut omnis ab eo secundùm medicorum judicia spes curationis abcessisset. Adhibitis enim pluribus medicinæ remediis nihil ei proderat, sed magis deterius habebat. Itaque humano destitutus auxilio Christo Domino se devovit & B. Dominico dicens, Ego me voveo Jesu Christo & B. Dominico, ut me ab hac infirmitate liberet, quod utique si voluerit & valebit. Volens etiam in signum devotionis offerre candelam juxta modum propriæ quantitatis, cœpit filo stupeo, de quo facienda erat candela corporis sui longitudinem & grossitudinem mensurare. Cùmque se totum mensus esset in longum, caput etiam & collum ac pectus, deinde renes ac femora, tandem genu filo ambiente cinxisset, invocato ad quamlibet mensurationem nomine Jesu Christi & B. Dominici, continuo se alleviatum sentiens exclamavit, Ego sum liberatus, & exurgens lacrymabatur præ gaudio, currensque sine baculo vel aliquo fulcimento venit non egens vehiculo ad ecclesiam S. Nicolai, ubi corpus B. Dominici quiescebat: distabat autem ecclesia ab ejus hospitio quantum jacere potest arcus. Recessit igitur restitutus pristinæ sanitati, Christi Jesu gratias agens nomini, ac B. Dominici testimonium perhibens sanctitati.

De quadam puella curata a gravi morbo in maxilla.

2. Quædam puella Bononiensis nomine Thomasina gravem morbum & pene incurabilem diebus xv in sinistra patiebatur maxilla: cùmque multa putredinis sanie ulcerata ejus facies fœdaretur, impossibile videbatur, quin aliqua cicatrice vel deformi macula turparetur. Tentatis igitur frustra variis medicinæ remediis, ad invocationem B. Dominici beneficium obtinuit sanitatis. Mane siquidem diei sequentis nec vestigium quidem morbi remansit in facie, excepta quadam rubedine nullam deformitatem præstante, sed tanti miraculi memoriam commendante.

De dextro latere restituto cuidam mulieri.

3. Bononiensis quædam domina Gilla nomine octo annis dextri lateris a cingulo inferius vires prorsus amiserat, ita quod nec pedem nec tibiam movere poterat, nisi fortè manibus sicut lignum. Hæc invocato B. Dominico adepta protinus sanitate caruit omni morbo, gratias agens Deo.

De quodam juvene curato ab infirmitate omnium membrorum.

4. Juvenis quidam de Manzolino nomine Manfredinus a festo S. Agathæ usque ad festum pentecostes omnium membrorum viribus destitutus, nec

quibus post obitum viri Dei commissa est inquisitio super miraculis perpetratis per eum in partibus Tolosanis, sacerdote quodam attestante, quem non solùm officium, verùm etiam ætatis reddebat maturitas fide dignum, quod in sua parochia homo fuerat, qui male dudum a dæmonio vexabatur: cùm autem causa prædicationis illuc vir Dei Dominicus advenisset, oratione sua & devotione & dæmonem expulit, & hominem liberavit. Addebat præterea quod in eadem parochia multos a languoribus febrium orationum suffragio restituit sanitati.

[F] *Hoc testimonium Humbertus a se forsan diligentius examinatum distinctius refert vita sancti cap.* 44. Cùm aliquando apud Castrum quod dicitur Fanumjovis in prædicatione quadam idem B. Dominicus fidem probans catholicam hæreticorum perfidiam multipliciter improbasset, post prædicationem more solito in ecclesia ad orandum remansit. Et ecce novem matronæ nobiles ex eodem castro intrantes ecclesiam ad pedes ejus prociderunt dicentes, serve Dei adjuva nos. Si vera sunt quæ hodie prædicasti, jamdiu mentes nostras erroris spiritus excæcavit: nam istis quos tu hæreticos vocas, nos autem bonos homines appellamus, usque in hodiernum diem credidimus & adhæsimus toto corde, nunc autem in medio fluctuamus. Serve Dei adjuva nos, & ora Dominum Deum tuum, ut notam nobis faciat fidem suam, in qua vivamus moriamur & salvemur. Tunc vir Dei stans aliquandiu & intra semetipsum orans post aliquantulum dixit eis: Constantes estote & expectate intrepidæ, confido in Domino Deo meo, quod ipse qui neminem vult perire, jam ostendet vobis quali domino hactenus adhæsistis. Statimque viderunt de medio sui cattum unum teterrimum prosilire, qui magni canis præferens quantitatem, habebat grossos oculos & flammantes, linguam longam latamque atque sanguinolentam & protractam usque ad umbilicum, caudam verò habens curtam sursumque protensam, posteriorum turpitudinem quocumque se verteret ostendebat, de quibus fœtor intolerabilis exhalabat. Cùmque circa matronas illas se per aliquam horam huc illucque vertisset, ad chordam ex qua campana pendebat exiliens, & per eam usque ad superiora conscendens, tandem per campanile lapsus disparuit, fœda post se vestigia derelinquens. Conversus autem ad matronas illas vir Dei Dominicus & consolans eas: ecce inquit per hoc quod coram oculis faciente Deo figurative comparuit, potestis advertere, qualis est ille cui hactenus sequentes hæreticos servivistis. Illæ verò Deo gratias referentes ab illa hora ad fidem catholicam perfectissime sunt conversæ. Quarum etiam aliquæ apud Sorores de Pruliano religionis habitum assumserunt.

[A] *Vigoriensis.* Alter codex habet *Wingoavensis.* Legendum censeo Wigorniensis, quæ civitas episcopalis indigenis dicitur *Worcester.* Hujus miraculi meminit Jordanus in epistola quam de actis in translatione corporis B. Dominici scripsit. *Salientem inquit vidimus Nicolaum Anglicum diu paralyticum in hac solemnitate.*

ambulare per se poterat, nec super latus jacere, nec in terra nisi alio se deponente sedere, nec se nisi alio se trahente levare. Tibias quoque proprias frustra & quasi alienas portabat. Is cùm adhibita sibi medicamina expertus esset inania & nociva, invocavit B. Dominicum, & perfectæ sanitatis continuo assecutus est donum.

De brachio arefacto & restituto cuidam mulieri.

5. Gillina quædam mulier apud Manzolinum commorans ab introitu quadragesimæ usque ad translationem B. Dominici gravi totius corporis infirmitate detenta, brachii sinistri & usum pariter & sensum amiserat: quod ita erat emortuum & penitus arefactum, quod nec vulnus in eo causa minutionis illatum sentire poterat, nec ex ipso vulnere sanguinem emittebat, eratque ipsum brachium dextro gracilius, quia ipsum nimis extenuaverat longus morbus. Quæ ut B. Dominico se devovit, statim perfectæ curationis beneficium reportavit.

De curatione labii cujusdam mulieris.

6. Alia quoque manens apud Manzolinum[B] mulier nomine Menacheta labii inferioris jam per anni spatium privata erat officio, ut nec loqui posset nec sine magna difficultate sumeret alimenta, eo quod enormiter labium illud intumuerat, & quasi emortuum dependebat. Invocavit opem B. Dominici, & dudum amissæ reddita est continuo sanitati. Nec mirum si labia sanat corporis, cujus labiis sæpe curatæ sunt pestes mentis.

De quodam a gravi languore curato.

7. Sed & juvenis quidam nomine Geminianus per quatuor annos & amplius gravi languore detentus, ita ut capillis elapsis a capite & sanie defluente gravissimæ passionis præferret indicia, B. Dominici meritis potitus est beneficio sospitatis. Cùm enim juvari non posset a medicis, invocato B. Dominico a longo breviter liberatus est morbo.

De quodam liberato ab arista inhærenti gutturi ejus.

8. Quidam Cambius nomine de Batitoribus apud Pragatuli, dum purgaret aream, ingressam in guttur atque inhærentem rejicere non valebat aristam: octo denique diebus gravi gutturis dolore gravatus, per dies quatuor increscente gravamine nec cibum sumsit nec sermonem emisit, cùmque sibi medicinæ remedio subveniri non posset, ad invocationem B. Dominici statim redditus est sanitati.

De quodam curato a lethali infirmitate.

9. Alius quoque nomine Marsilius de sua vita desperans febre continua & gravi pectoris dolore vexatus, & quasi jam in extrema vitæ suæ regula constitutus, B. se commendans Dominico statim convaluit, admirantibus cunctis præ subitatione insperatæ salutis.

De digito arefacto restituto cuidam mulieri.

10. Quædam mulier nomine Johanna Ultramontana usum digiti annis xx. amissum, incurabiliter siquidem arefactus fuerat & contractus, S. Dominici devota invocatione statim recepit.

De quodam rupto in inguine curato.

11. Raphanellus quidam nomine ruptus in inguine descendentibus quoque in virilia intestinis vehementer afflictus, invocato B. Dominico fuit continuo liberatus.

De eodem in quodam puero similiter curato.

12. Ante translationem autem corporis B. Dominici quidam puer nomine Petriciolus rupturam passus in inguine annis duobus defluentia in scrotum[C] intestina gestabat. Cùmque nulla posset medicorum ope curari, matre ejus invocante B. Dominicum præter spem diu desperatam recuperavit salutem.

De muliere curata a scrophulis & glandulis & vesicis.

13. Quædam mulier Alda nomine quinque annis habens scrophulas & glandulas sub ascella, vesicas etiam circa mamillas in dextro latere fœtida valde sanie defluentes gravi admodum affligebatur dolore, ita ut nec etiam super dextrum latus posset jacere. Hanc quoque ad invocationem B. Dominici Jesu Christi pietas omnino liberavit.

Sec. XIII. De scholari quodam a lethali infirmitate curato.

14. Scholaris quidam Guillermus nomine Alarre de castro Vauri diœcesis Tolosanæ studens Bononiæ duplici tertiana graviter cruciatus, cùm jam incurreret desperationem de recuperandæ remedio sanitatis, ad ecclesiam S. Nicolai veniens super lapidem superpositum sepulchro B. Dominici jacuit, perceptaque continuo sanitate surrexit.

De muliere curata a quodam morbo, qui Ficus dicitur.

15. Quædam mulier nomine Bonafilia nasi & superioris labii tumore non mediocriter gravabatur. Obortus siquidem morbus qui *Ficus* dicitur[D], sic labium ipsius & nasum inflabat, quod ad modum ovi gallinæ ori ejus deformis grossities imminebat, ac fœtorem horribilem exhalabat. Hoc malum igitur perpessa biennio, nec quicquam proficiens medicorum auxilio, B. Dominicum precibus adiit, & diu desideratam salutem subito impetravit.

De puero de vita desperato curato.

16. Puer quidam Johannes nomine gravissima per tres dies decubuit infirmitate, cùmque jam evidenter apparerent mortis indicia, omnis etiam medicinæ artis periti de ejus desperarent vita, mater ejus B. Dominicum petiit, & ab ipsis mortis janius revocatum incolumem filium mox recepit.

De muliere curata ab infirmitate omnium membrorum.

17. Mulier nomine Cortesina gravi per annum & dimidium & amplius infirmitate contracta, omnium fere membrorum erat officio destituta, & inutilis prorsus effecta, ita ut non posset quippiam operis exercere. Invocatione autem facta ad B. Dominicum liberata continuo vires corporis recuperavit & usum.

De puero a portis mortis reducto.

18. Quidam puer Heimericus nomine per octo dies & amplius gravissima ægrotatione decumbens, nec loqui jam poterat, nec cibum aut potum sumere prævalebat, totumque corpus ejus lethali jam pene frigore congelatum vicinæ mortis evidens præferebat indicium. Cunctis igitur de salute ejus desperantibus invocatur B. Dominicus, & subito redit salus.

De eodem miraculo in alio puero.

19. Alius quoque puer nomine Petrinus per xv dies & amplius gravissimæ infirmitatis molestiis occupatus miserabiliter intuentium molestabat aspectus: ab umbilico siquidem inferius grandi tumore inflatus suique impotens erat effectus, ita ut nec ire posset aut stare, vel aliquatenus se juvare, nec erat quisquam qui eum cerneret, qui non ipsum quasi unum ex mortuis reputaret. Facto autem voto ad B. Dominicum contra spem omnium adeptus est celerem sanitatis effectum.

Item idem miraculum in alio puero.

20. Languens per tres septimanas & amplius quidam puer Redulphinus nomine ad portas mortis evidenter & secundùm rationem inferioris naturæ irrevocabiliter appropinquabat: denique diebus octo nec cibum sumere poterat, nec mamillam sugebat, eratque jam illud corpusculum summa confectum macie, naturali quoque calore adeo destitutum, ut nemo esset, qui ipsum ad vitam præsentem confideret rediturum. Facto autem pro ejus salute a parentibus voto ad B. Dominicum, invenerunt eum protinus liberatum.

De muliere a dolore dentium liberata.

21. Mulier quædam Gisla nomine apud Imolam gravi dentium urgebatur dolore: itaque vehementissimi cruciatus aculeis agitata, nec quiescere poterat, nec somnum oculis capiebat, sed velut furiosa continuis clamoribus ululabat. Facto autem ad B. Dominicum voto incolumitatem obtinuit in momento.

De quodam a lethali apostemate curato.

22. Andulphus nomine de Manzanello periculosi admodum apostematis per mensem & amplius inflatione gravatus, ab omnibus videntibus judicabatur mali illius gravamine moriturus: erat enim apostema illud præturgidum in parte interiori dextri lateris

[B] Manzolinum de quo in tribus his numeris oppidum est agri Bononiensis ad viam Æmiliam inter præfecturas minores ejus reipublicæ censum.

[C] *Scrotum.* Codex ms legit *ocreum* vel *octeum*, quod quid sit, cùm non occurrat, sic immutandum duxi.

[D] *Morbus qui Ficus dicitur:* eo vocabulo hîc intelligitur marisca seu tuberculum ulcerosum.

Sec. XIII.

sub ascella, nec videbatur ulla ei posse succurrere medicina. At verò facto voto invocatus est B. Dominicus, statim sanitatis effectrix affuit Dei virtus: nam protinus ulcus detumuit, & is de cujus vita desperabatur, homo sanus evasit.

De duobus pueris mutis a nativitate curatis.

23. Duo pueri cujusdam Alberti de Tusignato [E] filii muti a nativitate permanserunt, ætatis quidem alter supra quintum & dimidium, alter verò supra tertium & dimidium annum agens: facto autem voto pater eorum invocavit B. Dominicum, & statim utrique datum est divinitus expeditæ locutionis officium, & vetus absolvit silentium novum verbum.

De loquela restituta cuidam puellæ.

24. Puellæ cujusdam Bertæ nomine lingua trans guttur bovis cornupetæ percussione discissa muti oris inutiliter occupabat claustra, coactoque pressa silentio nulla formare poterat prorsus verba: invocato autem B. Dominico fecit votum, & integritatem linguæ pariter recuperavit & usum.

De lumine restituto cuidam mulieri.

25. Quædam mulier nomine Druda oculorum privata lumine, per tres annos & amplius extincti sustinuit damna visus, nec ullius potuit medicaminis exhibitione juvari: invocato autem B. Dominico votum fecit, & statim lumen oculorum recepit.

De auditu restituto cuidam puellæ.

26. Quædam puella Gilburga nomine surditatem occurrerat, ita quod per mensem & amplius nihil prorsus intelligere poterat vel audire; clamans ejus mater ad B. Dominicum exaudiri meruit, & auditum filiæ impetravit.

De auditu restituto cuidam alteri mulieri.

27. Quædam mulier nomine Ricaldina de Serra diœcesis Imolensis per annum & amplius tantæ surditatis sustinebat incommoda, ut nihil auditu perciperet, nisi quis super eam auribus ejus fortiter inclamaret. Invocatus igitur ab ea B. Dominicus, & clamosis precibus aures præbuit, & auditum surdis auribus restauravit.

De miraculis factis in Hungaria.

De resuscitatione cujusdam pueri.

28. In Similou [F] quæ Hungariæ provinciæ regio quædam est, vir quidam nobilis cum uxore sua devotionis causa ad reliquias B. Dominici, quæ in domo Fratrum habebantur visitandas accessit: cujus filius quem secum duxerat, parvulus infirmatus ibidem ad extremum vitæ moriendo pervenit. Quem pater mœrens ad ecclesiam deferens, & coram altari B. Dominici collocans voce flebili lamentari cœpit & dicere: Beate Dominice lætus veni ad te, en tristis redeo, cum filio veni en orbatus recedo, redde mihi quæso filium meum, redde mihi lætitiam cordis mei. Cùmque sic lugens usque ad noctem perseveranter insisteret, circa noctis medium puer revixit, lac suxit, & per ecclesiam ambulavit, tandemque ad domum propriam a parentibus est incolumis cum lætitia reportatus.

De resuscitatione cujusdam juvenis suffocati in aqua.

29. Juvenis quidam dominæ Justinæ Michæ [G] comitis uxoris mancipium dum in Eris flumine [H] piscationi minus cautus insisteret, in aquam lapsus suffocatus disparuit: magno autem spatio temporis interjecto ejus corpus in profundo fluminis requisitum mortuum est eductum. At præfata domina super subtracti famuli nece tam miserabili condolens, pro resuscitatione ejus B. Dominicum invocavit, promittens se & ad suas reliquias in *Similou* visitandas personaliter nudis pedibus accessuram, & resuscitatum mancipium libertati daturam; statimque qui fuerat mortuus in medium videntibus omnibus vitæ redditus prosilivit. Quem devota domina in *Similou* sicut promiserat veniens priori domus & Fratribus & suscitatum retulit & liberum præsentavit.

De resuscitatione cujusdam pueri.

30. Cujusdam viri nobilis Ladizlai nomine filius parvulus lethali febrium infirmitate præventus per mortis transitum ex hac vita discessit, cujus corpusculum pannis juxta consuetudinem involutum extra domum fuerat jam delatum. Mater verò nobilis domina inter nimiam qua absorpta fuerat tristitiam resumens spiritum, accersiri fecit ad se continuo sacerdotem: coram quo emisso voto cùm B. Dominicum devote invocasset, quem plorabat mortuum, recepit filium vitæ protinus restitutum: tumque in Similou reverenter accedens præsente sacerdote coram quo puer fuerat suscitatus, viroque ipsius, & rei veritatem exposuit, & in sancto suo Dominico debitas egit gratias salvatori.

De resuscitatione cujusdam alterius.

31. Vir quidam de castro Sounuch de villa Lelez [I] Gothard nomine orbatus filio Thoma nomine jam defuncto, superveniente nocte circa corpus ejus plorans & ejulans residebat: socio tandem qui secum aderat ad quiescendum pergente cùm remansisset solus, accenso lumine juxta caput adolescentis filii defuncti se collocans, habenas lacrymis relaxavit B. Dominicum ut patri redderet filium incessanter votis pariter & vocibus interpellans. Factum est igitur ut circa pullorum cantum qui mortuus fuerat se moveret, & apertis oculis patri dixit, quid est pater quod sic habes [K] faciem madefactam? Cui ille, lacrymæ patris tui sunt fili, quia tu mortuus fueras, & ego solus remanseram omni gaudio destitutus. At ille, multùm inquit flevisti pater, sed B. Dominicus desolationi tuæ compatiens, ut tibi vivus redderer suis meritis impetravit.

De resuscitatione filii cujusdam increduli postmodum conversi.

32. Crebrescente per totam Hungariam virtutum fama quam per merita B. Dominici super vivos & mortuos manus Domini frequentabat, vir quidam ad omnia infidelis prorsus & incredulus persistebat: contigit autem ejus filium quem habebat graviter infirmari, in qua etiam infirmitate tandem spiritum exhalavit. Quidam autem de his qui ad consolandum patrem, & ad assistendum nocte circa corpus defuncti filii ex more convenerant, dixit illi: crede B. Dominicum magni esse meriti apud Deum, virtutemque Dei in veritate operari per eum miracula quæ feruntur, nec non & ipsum invoca toto corde, forsitan qui plerosque mortuos suis meritis suscitavit, tuum etiam filium suscitabit. Tunc ille compunctus corde super incredulitate præterita amarè redarguit semetipsum, assumtaque fiducia ab invocatione B. Dominici per noctem illam cordis gemitibus ac oris precibus non cessavit. Igitur prima hora diei qui jacebat mortuus manum movit, &

[E] *Tusignatum.* Fallor aut legendum *Tausignanum* vernaculè *Tossignano*, quod castrum VII milliariis Imola seu Forocornelii dissitum, de quo legendus Leander Alberti in Romanula.

[F] *Similou* In altero meo codice legitur *Similii.* Bernardus Guidonis in Notitia ordinis scribit *Simulu.* Ferrarius Hist. Hung. p. 74 censet civitatem esse, quæ Similium vel Simigium dicitur, & caput est comitatus Simigiensis, Hungarice *Somogy*, apud Baudrandum *Zegzard* in Pannonia inferiori ad fluvium *Sarwitzam.* Verùm falli existimo, cùm Bernardus Guidonis domum nostram Simuluensem collocet in Transilvania: censuerim potius castrum esse *Semlin* seu *Zemlin* in tabulis hodiernis dictum, ad confluentem fere fluviorum *Bodrocz* & *Labarcz* situm, & caput est comitatus ejusdem nominis, decem circiter horis supra Tokaium. Exinde habetur domum ordinis in ea urbe jam ante annum MCCXXXIII erectam, nam nostri qui ex Hungaria Bononiam ad comitia generalia eo anno coacta venerunt, digitum e corpore B. Dominici in ejus translatione avulsum acceperunt, & Similium secum detulerunt.

[G] *Micha.* Sic uterque codex meus: & istud nomen commune fuisse apud Hungaros certum ex historia gentis. *Micha* fortè *Michael.* Flaminius legit *Nuke* sed corrupte.

[H] *Eris flumine.* In altero meo codice legitur *Cris*, Flaminius legit *Oris.* Nomen est haud dubie fluminis ejus regionis, forsan quod *Keresz* jam in tabulis dicitur. Ferrarius sibi visus est rectius scribere sic emendans *in ora fluminis*: sed censeo falli.

[I] *Sounuch de villa Lelez.* In altero meo codice legitur, *Soimuc de villa Leley*: Ferrarius citatus legit Lelesz.

[K] *Quod sic habes faciem.* Alter meus codex legit, *quod sic habeo*: quæ lectio correctior videtur, patris enim ad caput adolescentis inclinati lacrymæ in filii faciem haud dubie deciderant & totam laverant.

velamen subjecit quo ejus facies involuta fuerat, ac surrexit, tandemque pater cum filio suscitato in *Similon* properans quanta sibi fecerat Dominus ad honorem gloriosi confessoris sui Dominici nunciavit.

De resuscitatione cujusdam filii honesti viri.

33. Honestus quidam vir Gentus nomine de villa *Pinar*, quæ est sub castro Karassu [L] cum suis parochianis ad Fratres venit, parvulum filium secum ferens ac dicens, hic est filius meus, quem B. Dominicus jam defunctum a mortuis suis meritis suscitavit: nam cùm a summo mane usque post meridiem in domo mea in medio ululantis familiæ jaceret exanimis, subtraxi me paululum, & recordatus quod Deus B. Dominico super mortuos suscitandos tantam gratiam contulisset, sumta fiducia locum in quo orare consueveram adii, & gloriosum Domini confessorem ut orbato patri unicum redderet filium fusis amarissimis lacrymis invocavi. Cùmque rediissem ad corpus pueri, & me super ejus faciem flens & ejulans incurvassem, ecce puer aperuit oculos factus vivus, quem ad vos attuli ad laudem & gloriam Salvatoris, qui sancti sui Dominici merita tot & tantis miraculis exaltare non cessat.

De quodam languido & cæco curato.

34. Languidus & morti proximus lecto decumbens, qui etiam a decem & octo annis lumen amiserat oculorum, cùm audivisset sacerdotem cum parochianis suis proficisci velle ad B. Dominici reliquias visitandas confortatus spiritu voluit & ipse pariter proficisci. Cùm autem eum sacerdos tanquam rem impossibilem præsumentem modis omnibus prohiberet, tandem valetudinem corporis desiderio cordis exsuperans, tanquam tentans ire de lecto surrexit: tantamque subito sibi sensit infundi virtutem, quod passu concito gradi cœpit, tanto magis ac magis in convalescentia corporis & oculorum illuminatione proficiens, quanto quotidie in itinere procedebat, donec tandem ad locum destinatum perveniens, perfectam recepit utriusque beneficium sanitatis.

De quadam monstrose totaliter curata.

35. Quædam mulier de villa Chontondiensi [M] ab antiquo tempore dorsum habens monstruose contractum, ita ut quasi in dorsum versa statura cætera corporis videretur, ad reliquias B. Dominici super currum posita ducebatur. In mente autem illi venit, ut quod petebat facilius impetraret, ut ex devotione quamvis non sine multa molestia pedes aliquantulum ambularet: igitur de curru deposita, dum vix attrahens spiritum, cœpisset incedere, subito fracto cingulo & in terram fluente, corpus ejus in directum extensum est, & ad statum debitum mirabiliter reformatum. Quam sacerdos suus & cæteri convicini qui secum venerant, accedentes ad locum Fratribus præsentaverunt, tam infirmitatis pristinæ, quàm sanitatis totaliter subsecutæ testimonium perhibentes.

Qualiter quidam curatus per ipsum & ingrato apparuit in visione.

36. De villa Tituliensis [N] ecclesiæ quidam Requeren [O] nomine cùm propter infirmitates graves quas patiebatur in dorso scapulis atque brachiis reliquias B. Dominici visitasset, sanitatem ad integrum de omnibus reportavit. Post paucos autem dies morderi cœpit in conscientia, quod perceptæ beneficium sanitatis, quo Deo debitæ gratiæ redderentur, nequaquam Fratribus revelasset, unde & se promisit continuo rediturum. Cùm autem iterum ex negligentia hoc differret, nocte quadam apparuit ei dormienti B. Dominicus, & ab eo sanitatis præstitæ pretium exigebat. Quapropter expergefactus a somno statim iter arripuit, ad locum venit, & coram Fratribus de ingratitudine seipsum redarguens, quod factum fuerat totum, tam de sanitate prius exhibita, quàm de revelatione postmodum subsequuta, devote simul & diligenter exposuit, audiente quamplurimo qui tunc aderat populo, & Deo gratias digne referente.

Sæc. XIII.

De curatione cujusdam in pedibus monstruose contracti.

37. Juvenis quidam tortos habens pedes, ita quod in superficie pedum cum afflictione non modica plantis contractis & inversis postremis ambulabat, ad B. Dominici sacrosanctas accedens reliquias curationis est integræ gratiam assecutus. Huic non solùm mater & cognati vicinique quamplurimi, verùm etiam ipsa postmodum pedum superficies figuram plantæ retinens ingrossatæ, infirmitatis pristinæ testimonium perhibebat.

De curatione filii cujusdam comitis.

38. Filius cujusdam comitis curialis diebus plurimis graviter infirmatus, ductus tandem ad reliquias sacrosanctas, & tactus eisdem, perfectam recepit in virtute Domini sanitatem.

De curatione pueri muti.

39. De villa Ondonio [P] puer quidam mutus, cujus pater vocabatur Mochor [Q] ad tactum reliquiarum B. Dominici loquelæ protinus beneficium reportavit.

De curatione alterius mutæ.

40. Vidua quædam Orodiensis [R] Pica [S] nomine post annum tertium maritalis thori loquelæ usum prorsus amiserat muta facta: hæc jam vetula tactis sacrosanctis reliquiis linguæ officium sibi sensit statim integre restitutum.

De curatione viri ab antiquo surdi.

41. Senex quidam clericus, qui ab antiquo gravem aurium incurrerat surditatem, cum convicinis suis ad reliquias B. Dominici visitandas accessit: quas cùm osculatus esset, & ab eisdem iterum iterumque tactus, ad auditum integrum proficiendo pervenit.

42. De villa Resend vir quidam nomine Tybi filium surdum penitus Guttu [T] nomine ad reliquias sacrosanctas adduxit, quibus tactis audiendi beneficium incunctanter accepit.

De cæco illuminato.

43. Cæcus quidam Paulus nomine de villa Urecha [V] in festo BB. MM. Abdon & Sennen meritis B. Dominici lumen recepit integrum oculorum.

De paralytica curata.

44. Eodem die mulier quædam Lesena [X] nomine uxor Unonet paralytica perfectæ sanitatis gratiam est adepta.

De furioso a furia liberato.

45. De villa Tycha vir quidam Bulchum nomine tanta cordis vesania vexabatur, quod in omnes homines quos habebat obviam quasi canis rabidus insurgebat, & fere nihil comedens die noctuque agitatus furiis ferebatur. Hic ad reliquias ductus B. Dominici, ad earum tactum sanæ mentis statim compos effectus est rationi pristinæ restitutus.

De quodam ab infestatione dæmonum & ab infirmitate liberato.

46. De villa Geneu juvenis quidam Sandur nomine Orodiensis præpositi dapifer gravissima quadam infirmitate detentus est, in qua manifeste contra se videbat irruere multitudinem dæmonum infinitam, nunc ad suspendium eum trahentium, nunc diversis generibus affligentium tormentorum. Ipse verò inter hæc inæstimabili timore depressus voto simul & voce qua poterat Deo se & B. Dominico commendabat: statimque in forma Fratris B. Dominicus aderat, qui

L *Villa Pina quæ est sub castro Karassu.* An quod in tabulis *Keresck* jam indicatur ad fluvium *Keres* situm medium inter Wardinium & Naz oppida ad eumdem fluvium?

M *De villa Chontondiensi.* Ferrarius legit *Kotsord.*

N *Titul* in mappis exhibetur ad Tibiscum paulo supra quam in Danubium influat, ex Ferrario verò citato collegium habet canonicorum sub præposito.

O *Requeren:* in altero meo codice legitur *Tequeren*, Ferrarius p. 82 legit *Tequt* ex Theodorico de Appoldia, sed ut censeo corrupte: verùm res est parvi momenti.

P *Ondonio.* Ferrarius legit *Ondod.*

Q *Mochor.* Ferrarius legit *Morits* & interpretatur *Mauritius.*

R *Orodiensis* comitatus Transilvaniæ hos habet in tabulis fines, a septentrione fluvium Fekyerkerez, ab occidente Tibiscum, a meridie Rhabonem seu Mariscum, ab oriente montes Sylmoz.

S *Pica* Ferrarius legit *Pirca*, & interpretatur *Prisca* an rectius?

T *Guttu* Ferrarius legit *Gursu*: an rectius?

V *Urecha*, aut *Vrecha.*

X Sic meus codex. Ferrarius legit, *Lensena uxor Nouet.*

sinu capæ collecto importunas ab eo dæmonum abigebat molestias, eorumque impetum virtuosa potentia coercebat, nec mora, simul eumdem ab infirmitatis desperato gravamine penitus liberavit. Quapropter ad reliquias B. Dominici properans, de tanto beneficio coram Fratribus gratias retulit, & peccata sua humiliter confitens emendationē vitæ proposuit & promisit.

De miraculo exhibito in candelis.

47. Matrona quædam de villa Pinar ætate pariter & honestate provecta, votivam missam ad honorem B. Dominici disponens facere celebrari, candelas tres ad hoc idoneas præparavit: sed hora debita sacerdotem qui missam celebrare debuit non invenit, quapropter candelas ipsas in vase quodam reposuit manutergio mundo pariter involutas. Cùm autem aliquantulùm divertisset, post horam rediens candelas flammis patentibus ardere vidit. Stupefacta igitur foras exivit, vicinas undique convocavit: occurrunt omnes ad mirandum spectaculum, tamque diu ibi trementes pariter & orantes steterunt, donec prædictæ candelæ ipsis videntibus penitus arserunt. Sic autem usque ad extremum paulatim ardendo consumtæ sunt, quod manutergium vel aliquid quod in vase fuerat non læserunt. [Y]

De quibusdam aliis notabilibus, quæ contigerunt in diversis partibus Italiæ.

De curatione viri religiosi, qui prius detraxerat B. Dominico.

48. Cùm de sanctitate B. Dominici, quæ in ipsius est translatione potissime patefacta varii varie loquerentur, contigit ut Frater quidam Prædicator quodam sero coram quodam viro religionis eximiæ Nicolao nomine, origine Veronensi, per quem etiam hoc scripto est demandatum, B. Dominicum commendaret. Quem cùm e contrario prædictus Nicolaus verbis stomachantibus despexisset, eodem sero febris eum arripuit, quem & vexavit gravissime tota nocte: ad quem visitandum cùm supradictus Frater accederet, eique diceret, vide Frater ne quia despexisti S. Dominicum hoc tibi contigerit: non solùm culpam præteritam non agnovit, sed indignans potius ad verba iterum contumeliosa prorupit. Sequenti verò die cùm febris violentia non cessaret, sed gravius convalesceret in augmentum, hora nonæ cùm vehementius æstuaret, ad se compunctus rediens secum dixit: vere vereor quod hoc idcirco mihi accidit, quòd Sanctum Dei blasphemavi: voveo igitur Deo & sibi, quòd si me liberaverit usque ad vesperas, nunquam de eo aliquid mali dicam de cætero, sed dicentibus contradicā. Mirum in modum vix verba finierat, & ab ipsa febre se sensit continuò liberatū.

De alio religioso liberato a gravi infirmitate.

49. Quidam vir magnæ religionis in civitate Bononiensi ætate septuagenarius vel amplius, herniosus defluentibus ad inferiora intestinis graviter nimis affligebatur: timensque ne fortè esset oneri Fratribus suis sedulo interpellabat pro curatione sua sanctos illos quos habebat familiares, videlicet S. Jacobum cujus limina visitaverat, cùm adhuc esset in seculo, aliosque nonnullos. Et cùm a nullo eorum præstari sibi sentiret auxilium, occurrit menti ejus B. Dominicus, qui de novo fuerat canonizatus, quem quidem bonum hominem fuisse audierat, & bene credebat ipsum esse cum Christo in vita æterna, sed non tanti meriti ut posset invocantibus patrocinari, ut multi asserebant. Cùmque firmasset cor suum ad invocandum eum, & promitteret se crediturum vera esse quæ de ipso dicebantur, & glorificaturum Deum in illo, si per ejus preces & merita sanaretur, post prolixam orationem aliquantulùm soporato apparuit B. Dominicus, colligens in anteriori parte scapularis sui defluentia intestina ejus: & statim expergefactus sensit se penitus liberatum, gratias agens Deo & B. Dominico: & hoc Fratribus suis indicavit, per quos prædicatum & divulgatum est miraculum ad gloriam Salvatoris.

De muliere quæ in B. Dominicū blasphemavit.

50. In Siciliæ partibus apud Augustam [Z] in festo translationis B. Dominici, cùm matronæ quædam quæ in ecclesia Fratrum interfuere missarum solemniis, domum redirent, invenerunt quamdam mulierem domus suæ sedentem præ foribus & filantem: quàm cùm verbis caritativis arguerent, quare in festo tanti patris a servili opere non cessasset, illa protinus indignanti animo & turbata facie dixit eis: vos quæ estis bizotæ Fratrum ejus, festa colite Sancti vestri: statimque oculi ipsius in tumorem cum pruritu conversi sunt, & ex ipsis cœperunt vermes protinus scaturire, ita quod vicina quædam quam ad se perterrita convocavit, decem & octo vermes eduxit ab ejus oculis in instanti. Quapropter contrita spiritu ad ecclesiam B. Dominici cum ejulatu cucurrit, ante cujus januam se prosternens, & peccata sua confitens cuidam Fratri, facto voto quod de cætero sancto Dei Dominico nunquam detraheret, & festa ejus devotissime custodiret, continuò tumor cum pruritu disparuit, & in ejus oculis vermes amplius non fuerunt.

De puella a vitio lapidis curata.

51. In eadem civitate devotæ cujusdam matronæ filia vitio lapidis longo tempore laboravit, nullo autem medicinæ consilio suffragante, solum sibi supererat remedium incisuræ. Cùm igitur dies esset statuta, in qua puellam oportebat incidi, mater timens periculum filiæ, præcedenti die ad ecclesiam B. Dominici perrexit, orationi se contulit, suamque filiam Deo & S. Dominico voto quo potuit commendavit. Sequenti ergo nocte dormienti puellæ B. Dominicus astitit, in manu ejus quo torquebatur lapidem posuit, & abcessit. Quem puella evigilans, & se liberatam inveniens matri dedit, & visionem per ordinem explicavit. Mater verò cum ingenti lætitia lapidem ad Fratres attulit, rem gestam coram multis exposuit: quem Fratres in ecclesia coram imagine B. Dominici in futuram memoriam tam stupendi miraculi suspenderunt.

De puero liberato a scrophulis.

52. Apud Placiam [A] in Sicilia mulier quædam pauper habuit filium, qui graviter affligebatur infirmitate quadam scrophularum, quas in collo solent habere pueri: cùm autem super hoc nullum posset remedium invenire, accessit ad ecclesiam Fratrum cui vicina erat, & videns Fratres laborantes in opere ecclesiæ, fecit votum B. Dominico, & dixit quod faceret gratis in opere ecclesiæ Fratrum filium suum laborare, si ei sanitatem apud Dominum impetraret. Sequenti autem nocte apparuit ei in somnis quidam in habitu Fratris & dixit ei: mulier cognoscis hujusmodi res, nominans ei quatuor genera rerum, scilicet æs viride, & pilatrum, & lapatium, & succum porri [B]. Et dixit mulier, cognosco: tunc ille, vade inquit, & accipe hæc, & conficias ea cum succo porri, & pone ea super baubantium [C], & impone collo filii tui, & sanabitur.

[Y] Plura Ferrarius ex Theodorico de Appoldia lib. 8 refert in Hungaria patrata miracula, quæ cum desint in utroque meo codice, iis edenda relinquo, quibus exemplum Theodorici integrum habere feliciter contigerit.

[Z] *Apud Augustam*, in altero meo codice *Agustam*. Municipium est in insula Siciliæ diœcesis Syracusanæ antiquum, quod cùm dirutum fuisset Fridericus II imperator instauravit anno MCCXIX ut habet Rochus Pirro Not. syrac. p. 244 non MCCXXIX ut mendose legit Baudrandus, & suo nomine *Augustam*, vel ut loquuntur incolæ *Agustam* appellavit. Domus ordinis ibidem erecta ex antiquioribus est insulæ.

[A] *Placia* vernacule *Piazza* municipium est insulæ Siciliæ in valle Neti, in meditullio fere insulæ, ubi domus ordinis ex antiquioribus ejus regni.

[B] *Æs viride* seu ærugo quid sit omnes sciunt: *Pilatrum* non invenio nisi fortè sic corrupte vulgariter dictum sit pro *Pyretro* herbæ specie cujus radicis usus est frequens in remediis hujus morbi. *Lapatium* corrupte, haud dubie *Lapathum* herba Gallis *Patience* dicta.

[C] *Pone ea super baubantium*, sic intelligo, *fac emplastrum in linteolo, &c.* Baubantium vox ipsi Ducangio in vocabul. inf. Latin. ignota. Ulcera seu vulnera puerorum a Gallis vulgari proverbio *Bobo* vocantur, quæ vox ætate auctoris Siculis etiam fuerit in usu ex Græco βουβὼν *tumor*, derivata: hinc forsan emplastrum in linteolo quo ulcera involvebantur, baubantium dictum fuerit.

Evigilans autem mulier ivit mane ad apothecam, & fecit ut ei dictum fuerat, & sanatus est filius ejus. Et adducens eum ad Fratres fecit eum juxta votum gratis in ecclesia Fratrum laborare.

Multa quidem & alia tam in vita gloriosissimi patris hujus, quàm post obitum perpetrata innotuere miracula, quæ styli officio non sunt designata: hæc autem breviter annotata sunt ad astructionem sanctitatis ipsius, ad ædificationem fidelium, ad laudem quoque & gloriam ejus qui facit mirabilia magna solus, qui trinus & unus Deus vivit & regnat per infinita secula seculorum. Amen. Deo gratias.

Sequuntur in altero meorum codicum, scilicet in quo vita per Humbertum, miracula Rothomagi patrata.

ANno Dñi MCCLXI placuit Altissimo clarificare miraculis apud Rothomagum in Normannia B. P. Dominicum, & celebre facere nomen ejus, ex quibus multis aliqua pauca, quæ ad Fratrum pleniorem notitiam pervenerunt, rudi quidem sed veraci stylo sunt conscripta examinatione diligenti præmissa.

1. Apud Rothomagum in parochia S. Eligii [A] fuit quidam parvulus Johannes nomine circiter anni unius, qui cùm secunda feria in mane infra octavam B. Dominici coram matre luderet cum quodam urceolo ligneo [B], quod est pondus fusi nentium mulierum juxta satis grossæ nucis quantitatem, illum cum fuso in gutture infixit: extractoque fuso urceolus in gutture infixus remansit. Aspiciens autem mater parvulum coram se præ angustia volutantem digitos infixit in gutture, fortiusque urceolum infixit, quod sibi multi accurrentes faciebant, aliud facere non valentes, tundebantque parvulum per pedes suspensum sub Gutture & super collum, nec educi valebat urceolus aliquatenus nec induci. Supervenit autem quidam chirurgicus qui omnem suæ artis expertus industriam, tandem, dixit hoc solum superesse remedium, ut guttur parvuli finderetur: quo audito & viso mater ejus quasi amens aufugit. Accurrens autem avia parvuli ad memoriam reducens miracula quæ per B. Dominicum fieri audierat, exclamat, S. Dominice redde mihi filium meum. Susceptusque parvulus ab una e vicinis ad Fratrum ecclesiam gestabatur, semper avia per vicos clamante, B. Dominice mihi redde filium meum. Sicque ad altare B. Dominici [C] delato parvulo, conventu Fratrum missam de B. Dominico solemniter inchoante, fit concursus populi ad ecclesiam flentis & compatientis parvulo tam elegantis formæ in tanto periculo constituto, cui per humanum auxilium erat omnino impossibile subveniri. Sic enim urceolus gutturi parvuli adhærebat, intraque gutturis angustias constrictus erat, ut carnibus intra urceoli foramina impactis, sicut in axe rota tangentium digitis in gutture volveretur. Missa itaque solemniter celebrata, dictaque sexta, jam ipsius carne præmortua, colore mutato, artubus rigidis frigidisque jam effectis, invicem dentibus constrictis, anhelitu intercluso, per os, nares, auresque sanguine defluente, cùm jam omni motu ac sensu privatus penitus videretur, a multisque mortuus indubitanter clamaretur, omninoque ab omnibus desperaretur de vita: ecce mirantibus omnibus subitò redit vita, repenteque urceolum multo sanguine cruentatum in manum Fratris qui astabat cunctis cernentibus evomuit, vivificatoque & exhilarato vultu quasi risum emisit plenarie liberatus. Quo viso clamor populi attollitur, laudes & gratiæ Deo & B. Dominico a populo & Fratribus non sine lacrymis exolvuntur: Urceolus autem super altare B. Dominici in testimonium tanti miraculi suspenditur, ad laudem ejus & gloriam, qui in sanctis suis mirabilis prædicatur.

2. Mulier quædam ætate & honestate provecta Agnes nomine, cujusdam servientis regis uxor de parochia S. Laurentii [D] Rothomagensi gravi quadam gutta quæ dicitur arthritica in omnibus suis membris detinebatur per dimidium annum & amplius graviter cruciata, ita quod nec stare, nec surgere, nec aliquod membrorum suorum excepta lingua per se movere poterat ad momentum: sed nec etiam ab alio moveri valebat sine gravamine & dolore. Multis autem & variis remediis frustra adhibitis medicorum, cùm mulier nullum illorum sibi prodesse sed potius obesse sentiret, quasi de recuperanda sanitate penitus desperata, omnia medicamina abjecit penitus & rejecit. Sic itaque omni humano auxilio & consilio de recuperandæ sanitatis beneficio destituta, omnibus rite dispositis ad moriendum parata, B. Dominicum devote fusis lacrymis invocavit, votumque vovit se deinceps ejusdem esse servam & famulam, si ipsam a tanto discrimine liberaret. Fidelis sermo. Mox enim ut orationem votumque complevit, manus per se movere cœpit, assumtaque fiducia voce magna clamans, B. Dominicus me liberavit, per se de balneo in quo suorum manibus posita fuerat surrexit, perseque cunctis qui aderant stupentibus lectum intravit, quæ paulo ante si in aquam fuisset paululùm inclinata se permisisset submergi, nisi alterius auxilio juvaretur. Sicque post modicum recuperatis a Deo per B. Dominicum plenarie viribus, altare B. Dominici devote visitavit, votumque reddidit, & a longo morbo in brevi liberata, devotas gratias egit de percepto plenariæ & integræ beneficio sanitatis.

3. Juvenis quidam Guillelmus nomine ætatis annorum XV de parochia S. Petri portarii [E] Rothomagensi dominica in sexagesima iter faciens per locum quemdam in quo multitudo suspensorum erat, horrore nimio ac tremore percussus quamdam mentis alienationem incurrit, unde ad domum rediens quasi alienatus lecto languidus per octo dies decubuit. Octava autem die cùm Christi corpus recepisset, assumtis quibusdam forcipibus [F] illas in ventrem infigere & occidere se volebat, nisi fuisset prohibitus a quadam muliere matrona illi pro custodia deputata. Confestim autem privatus est sensu loquela & auditu omniumque penitus membrorum usu. Ipsum ergo factum tanquam animal brutum & inutile, ac in tali miseria decem diebus continue permanentem prædicta mulier multis sanctis devovit. Cùm autem adhuc ju-

A Ecclesia S. Eligii non longe distat a domo Prædicatorum, cujus muros inferiores attingunt ejus paroeciæ fines.

B *Urceolus fusi*, hîc intelligitur globus qui in aliis minor in aliis major pro nentium arbitrio ad extremitatem fusi superadditur, ut hic torquentis manui facilius obediat, & ad primam digitorum pressionem pluribus gyris sibi relictus circumvolvatur. Æque crassis ac qui in isto miraculo laudatur fortè & amplius etiamnum utuntur: cæterum iste globus e fuso facile elabitur.

C *Altare B. Dominici.* Cùm primum erectum est templum nostrum Rotomagense, odeum ut & in omnibus aliis basilicis erat ante majus altare: ad januam verò odei hinc & inde duo erant altaria, unum sub invocatione S. Dominici, alterum sub nomine S. Petri martyris, quæ anno circiter MDCXXX eversa fuere omnia, in aliam partem translato odeo.

D Templum S. Laurentii dictum in meditullio fere est civitatis. *Serviens regis* hoc est aulæ regiæ minister.

E Templum S. Petri portarii sic dictum, quod aliâs proxima esset porta civitatis *de Calceia* dicta nunc occlusa in eodem vico *Brasiere* dicto situm est, quo domus Prædicatorum.
Rus forsan ibat iste adolescens; & per eum montem ascendit urbi vicinum, ad quem latronum & sicariorum ultimo supplicio affectorum corpora deferuntur, & ibi ad malorum terrorem suspensa relinquuntur corvorum & hujusmodi rapacium avium esca futura.

F Existimarim autem *forcipes* hîc scriptum esse pro *forficibus*: non enim facile intelligitur quî forcipes in ventrem infigere tentarit.

Sæc. XIII. venis semper in eodem statu miserabili persisteret, mulier quasi desperata de recuperanda ipsius juvenis sanitate, dixit quod ipsum nulli sancto de cætero devoveret. Decima autem die ad memoriam reducens miracula quæ Deus tunc temporis per B. Dominicum faciebat, calore fidei succensa ait: confido in Domino, quod Deus per B. Dominicum in isto faciet miraculum: & adjunxit, B. Dominice si unquam fecisti quod Deo placuit, & si quid potes apud eum, redde isti juveni sensum suum & verbum. Mane autem facto stans mulier coram ægroto ait, Guillelme, ego te vovi B. Dominico, & te ducam ad illum si tibi dederit sanitatem, nonne vis ire fili mi? loquere mihi in caritate. Cùmque idem verbum iterum repetiisset, ecce subito juvenis sensu sibi reddito auditu recuperato linguæque soluto vinculo clara voce respondit, trade ergo mihi vestes meas in nomine Domini, & ibimus ad B. Dominicum. Confestim currens mulier attulit candelam longitudinis ejus cum gaudio. Continuò verò surgens juvenis se induit, seque ipsum per se calceavit, qui paulo ante nec ad modicum pedem aut manum movere poterat, signo crucis se muniens Deoque & B. Dominico recommendans, sicque ad altare B. Dominici ab amicis cum ingenti lætitia deducitur proprio restitutus sensui & saluti.

4. Eadem hora qua cùm prædictum miraculum multis astantibus coram altari B. Dominici referretur, Deoque & B. Dominico gratiæ agerentur, affuit quidam civis Rothomagensis vir honestus Deo & B. Dominico pro se similiter gratias agens, asserens se per eum liberatum a gravi dolore & morbo tibiæ medullitus intercluso, qui nec curari valebat a medicis nec cognosci. Siquidem paulo ante se B. Dominico devoverat, & in signum devotionis tibiam ceream obtulerat, spem suam ponens in Deo & B. Dominico, auxilio in hominibus non invento.

5. Frater quidam de conventu Rothomagensi vir religiosus & antiquus in ordine Fr. Johannes de Ergolio nomine, de civitate Rothomagensi, gravi dentis cujusdam maxillaris dolore torquebatur: vocatus autem quidam peritus artis extractoriæ dentium, cùm in extrahendo dente cum forfice [G] ferreo non sine Fratris angustia, ter totum frustra exercuisset conatum quarta vice dentem medium fractum extraxit, reliqua parte media radicitus remanente. Cùm autem partem illam toto conamine extrahere bis attentasset nec posset, remansit dens cum vehementissimi doloris angustia, tumore nimio vultus & gutturis subsecuto. Paucis autem evolutis diebus cùm nec adhuc dolor cessaret, quin potius dens corruptione & fœtore os inficeret, mandavit idem Frater pro quodam alio qui se in hac arte peritiorem dicebat. Cùm autem ejus adventum trepidus expectaret, non immemor pristini adhuc recentis vehementissimi cruciatus, adhuc expectans similem vel majorem, ad B. P. Dominicum ut tutum refugium se convertit ipsum devote invocans atque orans in hæc verba: B. P. Dominice miserere mihi servo tuo Deo tibique in tuo ordine famulanti, & me a tanto dolore, quem jam tam anxium sum expertus, & quem iterum expecto pavidus, digneris misericorditer liberare. Mox autem ut orationem complevit, dens ille evulsus radicitus sine omni imo omni prorsus fugato dolore in manum ejus mira celeritate protinus exilivit: currensque Frater cum ingenti lætitia ad altare B. Dominici, Deo & B. P. Dominico de tanto beneficio dignas laudes exolvit. Factum est autem hoc eo tempore, quo adhuc Fratres apud S. Matthæum ultra Sequanam morabantur. [H]

6. In parochia sanctæ Crucis [I] Rothomagensi fuit quidam puer Garnerus nomine contractas habens tibias & natibus adhærentes, quæ si aliquando extenderentur aliquantulum violenter, mox ad nates redibant. Accidit autem ut quadam die mulier quædam quæ parvulum ex sacro fonte levaverat, ipsum tenens super gremium, contracto filiolo compatiens diceret matri ejus: commater voveamus filiolum meum B. Dominico qui est ad S. Jacobum, sic enim Fratrum ecclesia vocitatur, (*nimirum altera ad quam anno relato se transtulerant*) qui ut dicitur sanat pueros, ut sanet eum. Placet inquit mater. Tunc illa, filiole voveo te B. Dominico rogans illum, ut tibi in tibiis tribuat sanitatem, & cum candela tuæ longitudinis te ducam ad illum. Mox ut verbum complevit, parvulus unam tibiam extendit, qua appodiare se cœpit. Tunc illa assumta fiducia exclamavit, B. Dominice, qui unam tibiam reddidisti, redde & aliam. Confestim parvulus aliam tibiam extendit, & juxta ætatis suæ modum ambulare cœpit. Quem mater & matrina ad Fratrum ecclesiam attulerunt gaudentes, dignas Deo & B. Dominico gratias exsolventes.

7. Puellam quamdam Amelinam nomine annorum trium de parochia S. Salvatoris [K] Rothomagensi quodam sabbato invasit subito horribilis infirmitas, ut toto corpore ac membris singulis horribiliter distenderetur, ac tremeret, & sine voce apertis oculis nihil videns in colorem tetrum ac terrenum mutaretur. Cujus mater nimium stupefacta post longam moram continue invalescente molestia, ut puella mori morte horribili videretur, per quamdam vicinam suam admonita parum ante completorium puellam ad ecclesiam Fratrum coram altari B. Dominici cum lacrymis attulit. Quæ mox voce horribili clamare cœpit, adeo ut clamore terribili ac membrorum motibus intuentibus & audientibus terrorem incuteret ac horrorem. Appositis autem super illam B. Dominici reliquiis post modicum spatium antequam completorium finiretur, quievit, mammas suxit, & sugendo suaviter obdormivit. Tota autem nocte suaviter dormiens facto mane sana & incolumis exurrexit, cujus mater gratias agens Deo & B. Dominico puellam sanam & hilarem Fratribus præsentavit.

8. Parvulus quidam Durandus nomine cujusdam divitis filius de parochia S. Eligii Rothomagensi testam mediam conchæ marinæ, quas Gallice *moules* [L] dicunt, habuit in gutture infixam profunde, ita quod nec tunsionibus super collum & guttur, sive aliquo alio remedio aliquatenus educi poterat vel induci. Imminente ergo parvuli morte, vultusque mutato colore, cùm jam omnino humanum deesset auxilium, invocavit mater B. Dominicum, ut sibi redderet filium. Continuò parvulus testam cruentatam evomuit, statimque ad altare B. Dominici defertur cum gaudio pristinæ redditus sanitati.

[G] In isto exemplo contra quam in superiori 3. *forfices* scribitur pro *forcipibus*, his enim aliàs dentes evellebant, non secus ac nunc, quod instrumentum a Gallis *Davier* vocatur, huic verò operæ forfices gallice *ciseaux* nullius sunt usus.

[H] Prædicatores anno MCCXXI circiter Rotomagi recepti primum domicilium habuerunt ultra Sequanam in suburbio S. Severi ad ecclesiam S. Matthæi, quæ eis data fuit, quæ nunc est Sororum ejusdem ordinis, quas vulgo *Immuratas* dicunt: nostri verò ad locum quem modo incolunt in vico *Brasiere* dicto se transtulerunt circa annum MCCXLVIII. *Ex actis.* Hinc miraculum hîc relatum evenerit inter MCCXXXIV, quo S. Dominicus canoni ascriptus fuit & annum MCCXLVIII.

[I] Duplex Rotomagi ecclesia sub nomine S. Crucis: altera quæ dicitur ad S. Audoënum, quæ etsi nunc intra urbem tum in suburbio erat, quam propterea hîc laudari non putem, sed alteram quæ *de pelletariis* nuncupatur, & in civitate semper numerata est.

[K] Ecclesia S. Salvatoris non longe distat a templo Prædicatorum, quod in ea paroecia situm est.

[L] Gallice *moules* mutili a Latinis dicuntur.

9. Sancti-

9. Sanctimonialis quædam de Bondevilla [M] Rothomagensis diœcesis Mabilia nomine antiqua & devota fœmina apud Rothomagum acuta febre laborans gravissima, invalescente morbi molestia desperata est a medicis evidentibus signis mortis: in qua quidem infirmitate devote Deo & B. Dominico se devovit. In illo igitur discrimine constituta cùm aliquantulum in pectore sudare cœpisset, de lecto surrexit, & postmodum ad lectum rediens omnino sudorem se amisisse invenit. Cùm autem conquereretur nimium ac doleret de sudore perdito, ipsumque recuperare conaretur nec posset, levi quodam corripitur somno, visumque est ei, quod Frater quidam Prædicator similitudinem habens imaginis B. Dominici, quæ super ejus altare in ecclesia Fratrum decenter habetur insculpta, ipsam aqua suis digitis leviter aspergebat, blandisque verbis eam consolabatur dicens: Confide filia ne desoleris, quia tibi dabo satis aquam: in qua aspersione & jocunda visione miro delectabatur modo. Expergefacta verò invenit sudore se adeo madefactam, ut in aqua immersa penitus videretur: in quo sudore convaluit, & Deo Beatoque Dominico gratias dignas egit.

10. Mercator quidam de parochia S. Eligii Rothomagensi in quibusdam existens nundinis quinquaginta leucis a Rothomago distantibus gravi cordis dolore per triduum vexabatur, eique videbatur quod cor ejus aculeis pungeretur, adeo quod nec valeret quiescere ad momentum. Die ergo tertia ad memoriam reducens beneficia, quæ Deus per B. Dominicum ipsum invocantibus apud Rothomagum exhibebat, B. Dominicum invocavit, illique se devote devovit, alleviatum liberatumque se continuò sensit. Qui postquam Rothomagum rediit, B. Dominicum adiit, votumque suum reddidit, liberatorique suo gratias egit.

11. In festo B. Mariæ Magdalenæ venit quidam fullo de parochia S. Machuti [N] Rothomagensi ad reliquias B. Dominici visitandas, quas cùm devote oscularetur, devote Deo & B. Dominico gratias exsolvebat, asserens se a magnis & gravibus doloribus, qui ipsum per triduum vexaverant liberatum. Testabatur etiam quod uxorem suam a febre quartana quæ ipsam per annum integrum vexaverat, mox ut se B. Dominico devovit, penitus liberavit.

12. Eadem hora astitit matrona quædam Rothomagea gratias agens & B. Dominici testimonium perhibens sanctitati, asserens se die dominica præcedenti in sero propter ulcus periculosum & grande quod super aurem habebat, graviter cruciatam, quæ invocato B. Dominico beneficium sanitatis obtinuit in momento.

13. Eadem die post prandium duæ mulieres ecclesiam intraverunt, quarum una matrona puerulum gestabat in sinu, quem inde extrahens super altare B. Dominici projecit. Cùmque a Fratribus qui astabant, an parvulus esset mortuus, nulla enim ejus vox audiebatur, quæreretur: responderunt, absit inquiunt, sed per B. Dominicum vita vivit: nam cùm mater ejus in partu per triduum laboraret, plusquam decem galones aquæ sive quartas diebus singulis hauriebat, ita quod parvulum submersum indubitanter in utero credebamus. Heri ergo ipsam & parvulum B. Dominico devovimus, & continuò parvulum istum sanum & incolumem ex maternis visceribus suscepimus, propter quod non immerito Deo & B. Dominico gratias agimus.

14. Ante festum B. Dominici tribus circiter septimanis Robertus piscarius de parochia S. Michaelis [O] Rothomagensi gravi dolore dentium cruciatus, invocato B. Dominico est continuò liberatus; qui tamen ex oblivione vel negligentia liberatori suo distulit reddere votum suum, unde factum est ut feria tertia ante dictum festum dolor idem rediret immanior, & adeo gravior, ut ab illa die usque ad sextam feriam nec dormire posset, nec nisi vix cibum sumere, nec ad momentum quiescere, dolore nimium ingravante, vultu ejus converso horribiliter in tumorem. Feria ergo sexta prædicta qua vigilia B. Dominici habebatur, infirmus ad se rediens ait uxori: Credo quod hæc tam gravis infirmitas mihi accidit, quia de sanitate doloris pristini dentium per B. Dominicum mihi reddita ipsi condignas non egi gratias, nec reddidi votum meum: vade inquit cito, & fac mihi fieri vultum cereum, si fortè eum inveniam mihi placatum. Quo facto ad ecclesiam Fratrum venit, votum suum super altare B. Dominici devote obtulit, & antequam ad domum rediisset propriam, beneficium sanitatis obtinuit. In crastinum autem ad ecclesiam Fratrum rediit, Deo & B. Dominico gratias egit, & prædicta Fratribus nunciavit. [P]

15. Mulier quædam Johanna nomine de parochia S. Eligii Rothomagensi in partu diebus XV laboravit: viribus ergo corporis penitus destituta, succumbente prosus natura, deficiente voce, cùm jam se sentiret in extremo spiritu constitutam, B. Dominici memoria ejus menti occurrit. Cùmque ipsum devote ut poterat invocasset, illique votum vovisset, si ab instanti periculo liberaret, continuò prospere partum edidit, liberataque liberatori suo dignas laudes gaudens exsolvit.

16. Matrona quædam nobilis domina Elisabeth de Perches nomine de parochia S. Gervasii [Q] Rothomagen. in ecclesia Fratrum aliquando existens, videns populum devote ad altare B. Dominici confluentem, signaque devotionis plurima offerentem, audiensque quod Deus ibidem per B. Dominicum miracula & virtutes plurimas faciebat, devotionem hujusmodi & miracula contemnebat, & incredula per omnia existebat, nomenque B. Dominici retinere nullatenus poterat, sed quantumcunque sibi frequenter esset nominatum, oblivioni statim dabat. Ipsa igitur in tali cordis duritia persistente, diebus XII circiter ante festum B. Dominici invasit eam subito dolor gravissimus tibiæ in tumorem nimium repente conversæ, adeo quod tibia cruri in grossitie æquaretur, ulceribus lividis ac rubeis sparsim per totam tibiam superfusis. Vocantur chirurgici, apponunt remedia & augent supplicia: quantoque plura remedia adhibebantur, tanto plus de die in diem dolor intolerabilis augebatur. Hujuscemodi ergo flagello per dies circiter XII cruciata, ita quod nec quiescere valeret aliquatenus ad momentum, in sero quodam quo B. Dominici vigilia habebatur, severitatem divinæ justitiæ in se sentiens manifeste, adeo quod igne infernali comburi tibiam æstimaret, ad se rediit, devoteque B. Virginem invocavit, vere confitens & arbitrans tantum & tam grave fla-

[M] *Bondevilla* bis mille & quingentis circiter passibus versus Caletes Rothomago distat: ibi in valle situm est antiquum ordinis Cistercienſis sacrum Gynæceum, cujus erat hæc Soror Mabilia, quæ superiorum permissu in urbem unde orta erat fortè venerat. De hoc monasterio iterum redibit sermo.

[N] *S. Machuti* idest S. Maclovii, quæ parœcia ex amplioribus urbis, & in qua habitant fullones & hujusmodi artifices: ecclesia verò sita est in vico retro chorum basilicæ majoris.

[O] Ecclesia S. Michaelis ad initium magni vici sic dicti sita est, vicinumque est forum piscarium.

[P] Cum verò miracula hîc relata ab anno MCCLXI numerari incipiant, istud anno MCCLXII factum fuerit, quo litera dominic. A. & proinde festum S. Dominici sabbato quinta augusti, qua tunc celebrabatur.

[Q] Ecclesia S. Gervasii est in suburbio Caletensi, ad portam quam *de Cauchoise* vernacule dicunt. Area tum ampla nunc ob plura ædificia ultimo sæculo erecta minor ante ecclesiam nostram extat: ad hanc aream muris cinctam est prima porta.

SAEC. XIII. gellum sibi propter peccatum aliquod accidisse. Cœpitque ipsam devote circiter centum vicibus salutatione angelica salutare: in qua oratione subito obdormiens vidit se in ecclesia Fratrum coram altari B. Dominici orantem in hæc verba, cùm tamen de hoc nunquam ullatenus cogitasset, & festum penitus ignoraret: Beate Dominice propitius esto mihi peccatrici, quæ tibi & tuis miraculis detraxi, tibique devotos tanquam fatua derisi: miserere quæso mei & indulge mihi. In quibus verbis excitata, si adhuc dies esset ad familiam exclamavit: comperto verò quod non dies esset, expectata luce cum desiderio, statim ceream tibiam fieri sibi jussit; quam assumens surgere cœpit dicens se velle ire ad S. Jacobum ad B. Dominicum, cunctis qui aderant stupentibus & clamantibus, quod hoc facere aliquatenus non valeret. Cùm ergo domum egressa paululum processisset, mox in tibia sensit pruritum & quasi graves formicarum puncturas. Cùm autem portam primam Fratrum fuisset ingressa, cessaverunt omnino punctiones hujusmodi & pruritus: ut autem ad B. Dominici reliquias accessit & adoravit, omnis penitus dolor aufugit. Rediensque cum gaudio sine difficultate ad domum, invenit tibiam ab omnibus ulceribus & doloribus penitus liberatam. Mirantur amici, vicini, insuper chirurgici, gratias agentes Deo & B. Dominico, qui sicut vult salubriter percutit & sanat, erudit & flagellat. Verumtamen præfata domina rem gestam fortassis ex quadam verecundia, quia sancto detraxerat, non statim Fratribus intimavit: sed postmodum per sororem frequenter admonita, diligenter de vita B. Dominici a Fratribus inquisivit, devote & cum lacrymis audivit, & totius rei gestæ seriem recognovit, se deinceps servam & famulam B. Dominici profitendo.

17. Mulier quædam Petronilla *de Chaumont* nomine de parochia S. Candidi [R] junioris Rothomagen. in festo B. Augustini in sero carnes comedens, os quoddam ex utraque parte acutum & longum juxta fere duorum latitudinem digitorum transglutivit: sed profundum in gutture transversatum & infixum remansit, ita quod nullatenus educi potuit vel induci. Cùmque vehementissimi cruciatus aculeis agitata multis se devovisset Sanctis, adhuc nihilominus instabat periculum mortis. In lecto ergo suorum manibus reposita cùm nullatenus quiesceret, utpote quæ mortis instantis in se sentiebat indicia, a filia est admonita, ut se B. Dominico devoveret. Quæ mox de lecto consurgens cubitos & genua cum filia in terra posuit, B. Dominicum devotione qua potuit invocavit, illique vovit quod ejus reliquias nudis pedibus & sine camisia [S] visitaret, si ipsam ab instanti mortis periculo liberaret. Mirum in modum mox ut verbum complevit, os mira celeritate evomuit, & hæc de cujus omnino desperabatur vita, sana gaudens evasit. Mane igitur facto sicut devoverat, devote ad altare B. Dominici venit, rem gestam coram multis retulit, Deo & B. Dominico gratias egit, osque prædictum Fratribus præsentavit.

18. Puella quædam septennis Johanna nomine de parochia S. Hermelandi [T] Rothomagen. aliquo tempore amiserat usum linguæ: ducta autem a matre ad reliquias B. Dominici, mox ut de vino gustavit, in quo intinctæ B. Dominici fuerant reliquiæ, integritatem linguæ pariter recuperavit & usum.

19. Juvenis quidam Guillelmus nomine de parochia S. Gildardi [V] Rothomagen. sabbato post nativitatem B. Virginis os quoddam grossæ persicæ usque ad os stomachi transglutivit, sed ultra nullatenus transire valens ibidem infixum remansit. Qui mox pene exanimatus & spasmum passus corruit, sed super collum ab astantibus percussus & concussus expergefactus est, admonitusque a circumstantibus ad altare B. Dominici prout citius potuit cucurrit. Cùmque de vino reliquiarum in ejus esset stillatum ore, nec unam quidem guttam potuit transglutire. Volutabatur itaque coram altari B. Dominici miserabiliter, multis eum aspicientibus & compatientibus in tanta angustia, & instantis mortis discrimine constituto. Admonitus autem a quodam Fratre, peccata sua tanquam mox moriturus prout potuit est confessus. Facta autem confessione Deo & B. Dominico emendationem vitæ prout loqui poterat promisit, devoteque se devovit, si eum ab imminentis mortis periculo liberaret. Facto autem modico intervallo populo & Fratribus Deum & B. Dominicum pro illo devote rogantibus, cùm se jam suffocari sentiret & extingui, jamque anhelitum penitus intercludi, Deoque animam suam velut moriens commendaret, omninoque desperaret de vita, de vino reliquiarum in ejus ore est iterum instillatum. Fidelis sermo, mox enim ut vinum transglutivit, mirabili facilitate multis astantibus coram altari super pavimentum os illud evomuit adeo subito quod nec sensit. Clamor populi cum lacrymis præ gaudio attollitur, devoteque a populo & Fratribus Deus in sancto suo Dominico collaudatur.

20. In parochia de Doudevilla versus Fiscanum [X] fuit quidam juvenis clericus Guillelmus de Fraxino nomine, cujus pater eodem nomine vocabatur, nomen autem matris ejus Johanna. Hic cùm laborasset diuturna infirmitate febrium & lateris, tandem incidit in languorem. Qui cùm vidisset quod nulla humana medicamina nec in febre nec in languore ei aliquatenus profecissent, licèt multa talia circa ipsum apposita fuissent, jam omni spe curationis destituti, non expectabant ipse & parentes ejus de ipso nisi ejus mortem, maxime cùm ipse in tantum fœteret, quod vix poterat sustineri, & jam ita erat extenuatus, quod hanchæ suæ videbantur perforatæ, & per multum temporis omne quod comedebat per os rejiciebat, etiam quod in intestinis jam receptum erat. Accidit autem quadam die Domino volente, quod quædam mulier de Rothomago familiaris eorum veniebat per locum illum apud Fiscanum peregre proficiscens: & cùm mater infirmi desideraret ire cum ea, filius hæc audiens prohibuit, dicens sibi mortem imminere, ita quod quasi certus erat, quod moreretur ea nocte. Sed tunc misericors Dominus qui non vult mortem peccatoris, misit in mentem mulieris advenæ miracula B. Dominici: & ait, ha quare morietur juvenis iste? & conversa ad infirmum dixit, eia carissime, devovete vos ad B. Dominicum, cujus altare & reliquiæ sunt in ecclesia FF. Prædicatorum Rothomagi, qui tam crebra facit miracula apud nos. Qui desiderans salutem propriam corporis continuò votum emisit, quod requireret, & esset de cætero servus ejus, & statim melius fuit ei, & quod stupendum est, sensit quasi quoddam lignum aridum in corpore suo interius frangi, dixitque clara voce, ego sum totus sanus, & venit ad reddendum gratias Deo & B. Dominico cum sacerdote quodã honesto & Fratribus noto.

21. Apud Novum castrum in Braio [Y] quædam mulier nomine Ydonia habebat quemdam puerum

[R] Duplex Rotomagi ecclesia & parœcia S. Candidi vernacule *Candre*; altera dicitur veteris, quæ exempta & diœcesis Lexoviensis, altera junioris fortè quòd recentior.

[S] *Sine camisia.* An subucula, an potius ornamento quodam, quo supra vestes tum mulieres utebantur?

[T] Ecclesia S. Hermelandi sita est in fine magni vici ante aream basilicæ majoris.

[V] Ecclesia S. Gildardi & ecclesia S. Laurentii de qua supra ita vicinæ sunt ut solo cœmeterio xxx circiter passuum secernantur.

[X] Fiscannum celebris est in ora Normanniæ portus, ubi abbatia dives. Doudevilla pagus est in archidiaconatu quem vocant parvi Calcetensis decanatus Cauvillæ, quinque circiter milliaribus Gallicis seu leucis Fiscanno versus Rotomagum distans.

[Y] *Braium* vernacule *le païs de Bray*, regio quædam est ad agrum Calcetensem in Normannia diœcesis Rotomagensis, ea-

masculum, qui erat maliginosus & gravis mirabiliter ad educandum. Qui cùm supra modum gravaretur amittendo somnum suum sæpissime & in aliis multis, quadam nocte instinctu diabolico licèt esset mulier devota, cum esset valde tædio affecta præ gravamine quasi effrænata maledixit puero passione illa pessima, ad quam male assueti sunt multi, & quod horrendùm est; statim illa passio occupavit puerum fortè tricesies vel quadragesies illa nocte & die sequenti vexans eum. Quod cùm scivit soror sua devota mulier valde, recordata miraculorum B. Dominici emisit votum pro nepotulo suo ad sanctum Dei Dominicum, & ex tunc a morbo illo caduco liberatus est. Sed non multo post tempore ipsa pueri supradicti mater peracuta febre correpta in tantum vexata est, ut morte ut dicitur imminente, & ut credebatur muta est effecta. Quod videns dicta Beatrix soror sua, cùm esset teneræ conscientiæ, vehementer timuit ne moreretur dicta soror sua insufficienter parata: unde & B. Dominicum rogavit devotissime pro reddenda sorori loquela, ut saltem posset sufficienter confiteri peccata, vel quod mallet impetraret ei sanitatem perfectam. Quod statim factum est, quia illico ei loquuta est, & in brevi recuperavit sanitatem.

22. Quædam puella circa XIII annos ætatis habens Marota [Z] nomine de parochia S. Eligii Rothomag. cùm jam vexata fuisset febre quotidiana fere per totam quadragesimam, circa pascha recordata miraculorum B. Dominici venit ad altare ejus, & sicut videbat & audiebat ab aliis fieri, candela emta rogavit sanctum Dei ut sanaret eam, statimque curata est, ita quod ex tunc de illo morbo maculam non senserat aliquam.

23. Mulier quædam erat Rothomagi quæ habebat filium parvulum quem permultum diligebat, maxime quia videbatur ei quod pro puero illo maritus ejus magis ipsam diligeret, cùm prius eam potius haberet despectui: sed diabolus totius boni æmulator procuravit, ut puer subito moreretur. Sed ipsa mater aliunde veniens, puerum mortuum deprehendens, vicinas convocans, & præ dolore in altum ejulans, devovit eum B. Dominico, & attulit & revixit.

24. Mulier quædam alia attulit filium suum quasi trium annorum ad altare B. Dominici, cujus brachium dextrum erat emortuum, ita quod pendebat ad latus ejus quasi quædam manica pellicea. Cùm autem mater vellet offerre pro filio candelam accensam, mox puer extendit manum prius mortuam ad candelam, & cepit eam de manu matris, & ex tunc curatus est.

25. Alia quædam de parochia S. Gervasii habebat filium parvulum, quo lacte mammillarum pasto necesse habuit mater ire in civitatem: & non habens commode & prompte cui dimitteret filium custodiendum nisi Deo & B. Dominico, ipsum dimisit securæ commendans B. Dominici custodiæ. Cùm verò post magnum temporis spatium eadem tamen die rediret, percepit fumum magnum exire de domo & loco ubi jacebat puer, & cùm intraret deprehendens lectum suum jam inflammatum, clamans quasi furibunda, B. Dominice reddite mihi filium, appropinquavit ad puerum, & extrahens eum de lecto, invenit puerum sanum & incolumem, licèt ignis fere omnia circa puerum consumsisset videlicet stramen, culcitram & pannos super quæ jacebat, & etiam manicam circa brachium pueri ipso brachio illæso remanente.

26. Monialis quædam de Bondevilla [A] Maria nomine cognata de Vernone, cùm fere XII annis interius ad minus X in corpore quasi morbo qui dicitur ficus [B] vel potius hydropisis infirmaretur, vultuque semper pallido manente debilis & aliis onerosa multùm esset, nec aliqua medicinalia eidem valuissent, licèt multa adhibita fuissent, tandem confirmata est in hydropisim, & tunc venit Rothomagum, & mansit ibidem per fere tres menses, ut haberet consilium medicorum. Sed cùm tædio affecta in quærendo & sustinendo diversas medicinas jam esset, nec speraret aliqua medicinalia sibi valitura, maxime cùm de die in diem deterioraretur, rediit ad domum suam, & quotidie plus & plus sentiebat se debilitari & inflari, & in corrigia sua percipiebatur inflatio excrevisse circa mensuram pedis. Dicebant etiam medici quod in brevi moreretur. Porro quia summus medicus reservabat eam a se per sancti sui Dominici merita sanandam, cùm ei placuit missa sibi occasione venit ibi quidam Frater devotus Amicus nomine tunc lector in conventu FF. Prædicatorum Rothomagi, qui eam monuit de faciendo voto ad sanctum Dei Dominicum. Quo facto statim sensit se elevari in spem recuperandi sanitatem, & jam se melioratam, & in brevi quasi in tribus diebus perfecte curata est, infra enim triduum post votum sensit morbum quasi omnino eam reliquisse. Sed & ex tunc cœpit in B. Dominicum tantam fiduciam habere, quod in omnibus necessitatibus suis sive corporalibus sive spiritualibus & angustiis ipsum interpellans sensit semper sibi ab ipso subveniri. SEC. XIII.

27. Quædam autem alia monialis discipula supradictæ curatæ Ascelina nomine viso tanto miraculo, cùm esset quartanaria, & vexasset eam febris quartana per menses circa VIII, facto voto ad B. Dominicum perfectam ex tunc recuperavit sanitatem. Voverunt enim tam magistra quàm discipula, quod si B. Dominicus impetraret eis sanitatem, facerent officium suum amodo in festis suis annuis.

28. Anno etiam dñi MCCLXVII circa nativitatem Domini supradicta Maria monialis de Bondevilla usu membrorum suorum omnino per tres dies destituta, cùm se devovisset B. Dominico, quem multoties senserat sibi beneficum in infirmitatibus suis tam spiritualibus quàm corporalibus, continuò arripuit eam sudor suavissimus durans per tres dies, & in illis tribus diebus perfecte curata est, licèt a multis paralytica judicaretur. Sed & discipula sua supradicta hoc viso, & a sua magistra de indevotione ad sanctum Dei Dominicum reprehensa, facto voto liberata est a tentatione & tribulatione maxima, diu tamen a talibus antea vexata. Quæ etiam cùm esset in anxietate & fletu magno pro se & pro magistra sua, aliquantulum præ lassitudine soporata, apparuit ei quidam pulcher & venerandus senex in specie Fratris dicens ei, ne timeas quia juvabo te.

29. Fuit apud vallem Rodolii [C] quædam devota mulier a longo tempore dolore dentium acerrime vexata Ada nomine, erat autem priorissa hospitii Dei, & habebat unam sociam de Beguinnis Rothomagen. Aelesiam nomine, quæ hortabatur eam de faciendo votum ad B. Dominicum. Quæ cùm ei non assentiret, fecit sibi dentem extrahi maxillarem a quodam chirurgico dentium; qui fere extraxit maxillam, remansit tamen gena quasi disjuncta cum media parte dentis, in quo dolorem senserat, dolore autem ultra modum augmentato. Sed tandem compuncta de consilio castellanæ de Vallerodolii

que pinguissima & fertilissima, ubi plura non contemnenda oppida, inter alia Novum-castrum vernacule *Neuchatel* ad initia fluvioli Arcæ vernacule *Arques* dicti situm.

[Z] *Marota*. Sic Rotomagi puellas quibus nomen est Mariæ infra pubertatem vocare solent.

[A] De Bondevilla vide supra n. 9.

[B] De morbo qui dicitur *Ficus*, ex hoc loco habetur sic aliàs dictam quamcumque distillationem seu tumorem vel epiphoram potissimum ventris, ut hîc significat hydropisim.

[C] Vallis Rodolii insignis est & frequens pagus diœcesis Ebroicensis ad Aduram medius circiter inter Luparias & Pontem arcus situs.

Sec. XIII. devovit se sancto Dei Dominico, & continuò fuit curata, venitque statim Rothomagum ad memoriam sancti, dignas Deo & sancto suo Dominico gratias exsolvens.

30. Quædam juvenis Beguinna, quæ creditur multùm simplex & devota nomine Johanna, cùm infirmaretur gravissime febre tertiana, & jam continuata esset sibi febris per sex septimanas, nec jam expectaret nisi mortem sibi appropinquantem, deficiente sibi penitus cibi cujuslibet appetitu, & quasi tota virtute membrorum destituta, cum fiducia venit ad B. Dominicum prosternens se ante ejus altare, preces & devotiones suas Deo & sancto suo effundens, vovit quod si ab illa febre liberaretur, ipsa de cætero festivaret B. Dominici festum. Mira res quia statim fuit a febre curata, cùm illa hora esset in fervore suæ accessionis, nec deinceps habuit aliam accessionem.

31. In civitate Rothomag. erat quædam Burgensis, cui satis hujus seculi prosperitas arridebat nomine Johanna de Boutelles, quæ quemdam parvulum habebat, quem tenerrime diligebat Thomam nomine; qui sæpe gravi laborabat infirmitate, & semel & iterum invaluit in eo, quod nihil aliud in ipso nisi mors sperabatur. Quæ cùm filium suum quasi mortuum deflevet, nec consolationem vellet accipere, nutrix pueri Matildis nomine ait matri: dña mi vovete filium vestrum B. Dominico per cujus merita Dominus multis patrocinatur. Respondit illa, quare petam quod obtinere non possum, en moritur puer. Secure ait nutrix vovete, quia inde nihil potestis amittere. Tunc mater, Dñe inquit S. Dominice succurrite isti matri miseræ, & reddite mihi filium meum si potestis, & ipse erit homo vester reddens singulis annis altari vestro quatuor denarios. Mira res vix verba ista finierat, & ipse puer pristinæ sanitati fuit statim restitutus. Mater verò ingratitudinis oblivio propositum matris ita impedivit, quod infra usque ad annum ad B. Dominicum puerum afferre distulit. Unde accidit quod infirmitas gravissima puerum eumdem arripuit, quæ in tantum eum vexavit, quod jam nonnisi de sepultura & feretro cogitarent assistentes. Mater tamen ad se rediens animadvertit, quod votum dudum factum pro puero non solverat, & ideo sibi merito hoc accidere debebat. Quæ accurrens cum magno ejulatu ad ecclesiam Fratrum venit, sed intrare non potuit quia nimis erat tarde, de voto tamen satisfecit: ipsa verò ad domum rediens putavit puerum invenire mortuum, sed per Dei virtutem & B. Dominici meritis invenit eum pristinæ sanitati penitus restitutum.

32. Sub silentio similiter non est prætereundum, quod accidit in parochia S. Andreæ [D] extra portam. Quidam enim civis Rothomagensis Galterus de Ambianis nomine, & uxor ejus Gemmina habebant quamdam filiam parvulam, quam tenerrime diligebant. Hæc cùm quadam die ascenderet solarium domus, in quo solario erat quædam apertura, per quam in domum inferius respici poterat: & pater timens de casu filiæ, multotiens ea die ab illa apertura puellam fecerat reportari: instigante tamen inimico humani generis occupatis parentibus, filia sua iterum ascendit, & per dictam solarii aperturam respiciens, in aream domus quæ distabat a solario plus quam xxv pedibus corruit, & quasi exanimis ad terram jacuit: pater verò casum intelligens accurrens & ejulans & jurans dicebat matri, verè accidit quod verebar, mortua est filia tua. Mater verò ponens in Domino & B. Dominico totam fiduciam suam, votum faciens ad B. Dominicum, quod si ei illam filiam suam sanam redderet, eidem vultum cereum filia singulis annis offerret. Quo facto Deus qui in Sanctis suis ostendit se mirabilem, dictam puellam prius omni motu & sensu destitutam ad honorem suum & sancti sui Dominici exaltationem, nulla apparente læsione vel livore, pristinæ reddidit sanitati.

33. Anno Dñi MCCLXV quodam sabbato Stephanus *le Danois* de parochia S. Machuti, (ejus uxor Johanna nuncupata est) filiam habebat nomine Petronillam, quæ monstruose & deformiter manus habebat inversas & penitus inutiles ad operandum: cujus pater recolens multa per merita B. Dominici auribus suis insonuisse miracula, eidem filiam suam assumta fiducia devovit, & suam oblationem B. Dominico se redditurum promisit. Mirum in modum, vix verba finierat, & ecce puella statim usum dexteræ totaliter recuperavit; & in crastino videlicet dominica usum sinistræ & plenam ambarum manuum ad gloriam Dei & sancti Dominici sui recepit sanitatem.

34. Anno autem Dñi MCCLXVI accidit in parochia S. Mariæ dictæ *la petite* [E] quod quædam mulier nomine *Aviegne* habebat quemdam puerum nondum anniculum Robinum: huic tradidit mater annulum suum cupreum, quem puer ori suo applicans in guttur recepit, quem cùm non posset inducere vel educere, mutato jam colore propter constrictionem, gutturis angustiam & anhelitus interclusionem, quasi in extremo spiritu positus, vicinæ mortis eventum sentiens expirabat. Quo comperto a parentibus & dicente matre se credere quod haberet annulum suum in gutture, pater imposito digito tentabat annulum eripere. Quod cùm non posset devoverunt se & puerum sanguini Fiscannum [F]. Quod cùm non sibi prodesse viderent, consilio cujusdam devotæ mulieris devoverunt eum B. Dominico. Quo facto vix etiam voto emisso puer evomuit annulum sanguinolentum recuperata penitus sanitate.

35. Eadem die & anno in parochia S. Petri [G] Honorati fuit quædam puella quasi xv annorum Aeliesa nomine quæ usum linguæ quoad loquelam omnino amisit, & propter curationem in civitate sua Rothomagensi multa de consilio amicorum suorum, Sanctorum & Sanctarum petivit limina nec profecit: tandem ad reliquias B. Dominici veniens facta oratione & oblatione loquelam illico recuperavit.

36. Apud Bondevillam [H] versus Fiscannum fuit quædam mulier, quæ os quoddam cum poreta sua satis magnum ignoranter sumsit, quod ita fortiter gutturi inhæsit, quod nec inducere illud poterat, nec cibum nisi in liquida substantia sumebat, & fere deficiebat: factis autem votis ad plures Sanctos, videns

D Duplex Rothomagi S. Andreæ parœcia & ecclesia: prima in urbe inferiori versus portum: altera quæ vernacule dicitur *hors de la porte* extra portam scilicet Caletensem in ipso suburbio.

E *S. Maria la petite* sic etiamnum vernacule dicitur, id est parva, ad discrimen basilicæ majoris.

F *Sanguini Fiscannum.* Sic fortè tum ob rem vulgo notam compendio loquebantur: scilicet in sacrario monasterii Fiscannensis servatur phiala, quam plenam sanguine Christi ferunt a Nicodemo in Angliam transfretante apud Fiscannum relictam, quæ cùm pluribus annis latuisset sub Richardo duce Normaniæ a monachis Fiscannensibus retecta est. Certius cum S. Thoma dixeris ejus rationis esse sanguinem, qualis in pluribus aliis locis habetur, qui ex aliqua imagine Christi percussa miraculose fluxerit, ex crucifixo puta Berythensi adeo celebri, & ex Oriente a quodam Terræ-sanctæ peregrino allatus fuerit.

G Tres sunt Rotomagi sub nomine S. Petri ecclesiæ & parœciæ, prima superius laudata *Portarii* dicta, altera elegans quæ *Honorati* agnomen habet, ad initium vici lebetum æreorum fabris dicati, tertia *de castello* in civitate inferiori non longe a statione navium sita.

H Bondevilla de qua hoc n. uno tantum milliari Gallico seu leuca Fiscanno distat, proindeque altera est a Bondevilla de qua supra nn. 9, 26, 27 & 28. Erratum autem notarii censeo ubi id accidisse dicitur *anno* MCCLVI *prædicto*, nam nulla hujus anni in superioribus mentio. Legendum itaque censuerim MCCLXVI, qui indicatur n. 34 & ad quem alludit auctor ceu superius relatum.

ſe in nullo proficere, de conſilio cujuſdam alterius ad B. Dominicum ſe devovens ſtatim uſum comedendi recepit, & dolorem priſtinum amplius non ſenſit: & interjecto temporis ſpatio doloris anterioris oblita, os illud quod tandiu gutturi ſuo inhæſerat, abſque humano adminiculo in manu ſua cecidit, plena ſanitate ſecutâ. Hæc omnia dicta mulier cum marito adjunctis ſibi pluribus promiſcui ſexus in eccleſiâ Fratrum coram pluribus Fratribus & pluirimorum teſtimonio vicinorum aſſeruit eſſe vera. Habebat etiam in ſocietate quamdam mulierem cum parvulo & patre, qui emiſſo voto ad ſanctum Dei Dominicum, uxor ejus a quartana febre & puer a tertiana fuerunt protinus liberati. Hæc autem facta ſunt circa nativitatemB. Joan. Bapt. anno Dñi MCCLVI prædicto.

37. De parochia de Sottevilla [I] juxta Rothomagum vir quidam nomine Guillelmus *le Pilouer*, quem gravis dolor guttæ in via S. Jacobi arripuit, vovit ſe B. Dominico, & fuit omnino liberatus.

38. Quædam mulier de Boſco Guillelmi [K] cujus filius graviter infirmabatur, vovit eum B. Dominico, & continuò recepit ſanitatem, & inde gratias Deo & Sancto referens obtulit in altari B. Dominici pallam unam.

39. In domo Sororum Ordinis B. Dominici Rothomagen. [L] Soror quædam juvencula Perreta nomine neptis Fratris Gaufridi de Belloloco, gravi manus circa nodum percuſſa eſt morbo: invaleſcenteque moleſtia morbus uſque ad totum brachium, poſtremò uſque ad ſpatulam graviter ſe infudit. Adhibitis igitur per cujuſdam Sororis magiſtræ ſuæ ſolicitudinem multis & variis medicorum remediis non ſolùm non convaluit, quin immo morbus fortius invaleſcens continue augebatur, & in tantùm poſtremò invaluit, quod brachium emortuum & omnino invalidum remanſit. Deſperantibus igitur de puellæ convaleſcentia medicis, videns præfata Soror humana omnino deeſſe juvamina ſe contulit ad divina. Unde de conſilio & licentia confeſſoris ſui puellam Deo & B. P. Dominico devotione qua potuit tradidit & devovit. Dum autem cum puella haberet colloquium ipſam monendo & inſtruendo qualiter a prioriſſa peteret licentiam B. Dominico ſe vovendi, ſubito manum extendit, quam ante tanquam penitus invalidam nec ad modicum movere valebat. Quo viſo dicta Soror tanto repleta eſt gaudio pariter & ſtupore, quod pene neſciret, quaſi extra ſe poſita, ubi eſſet. Cùm autem puellam ad prioriſſam perduxiſſet, ſanum brachium invenerunt. Congregato igitur conventu Sorores campanam pulſaverunt, & Deo gratias agentes *Te Deum laudamus* devotis mentibus cantaverunt. Interim autem dum cantarent, puella flexis genibus ſalutationem B. Virginis frequenter repetens, formicationes quaſdam in brachio ſentiebat. Finitis autem a Sororibus *Te Deum*, & a puella centies ſalutatione virginea, repertum eſt brachium ab omni infirmitate totaliter liberatum omnibus prorſus doloribus effugatis. Hæc autem a prioriſſa dicti loci, & a prædictis puella ſcilicet de qua agitur & magiſtra ejus fide per omnia dignis audivi, & ſcripto fideliter commendavi. Actum eſt hoc anno gratiæ MCCLXX. Sæc. XIII.

[I] Sottevilla pagus eſt ad Rotomagum ex alterâ parte Sequanæ a delicata ſpumæ lactis pinguioris & concretioris concinnatione in ea regione celebrior eaque ratione frequentatus.

[K] Boſcus Guillelmi ſic etiamnum dictus vernacule *Boguilleaume* pagus eſt ampliſſimus in monte ad & ſupra Rotomagum ſitus.

[L] Domus Rotomagenſis Sororum ordinis, quæ ob longum monaſterii murorum tractum *Immurata* vulgo dicuntur, ipſa eſt S. Matthæi in ſuburbio S. Severi ultra Sequanam, quam primo noſtri Prædicatores inhabitarunt, & quam in urbem ſe transferentes Odoni Rigaudi ord. Min. archiepiſcopo Rotomagenſi reliquerunt anno MCCXLVIII: a quo poſtea anno MCCL ſanctus Francorum rex Ludovicus IX redemit, & in monaſterium Sororum ordinis erexit, agente haud dubie confeſſario ſuo F. Gaufrido de Belloloco hîc laudato, qui propterea cujuſdam aut germani ſui aut germanæ filiam ad religioſam vitam aſpirantem in eo monaſterio collocavit.

CHRONICON VULGO DICTUM Humberti V magiſtri ordinis.

Ex duplici cod. MS *noſtro antiquiori ad calcem libri vitas Fratrum ubi titulum habet, Chronica ordinis, altero monaſterii regalis Piſſiacenſis circa* MCCC *ſcripto, ubi eſt caput* X *partis quinta ejuſdem operis* vitas Fratrum.

ANno Dñi MCCIII B. Dominicus cum Oxomenſi epiſcopo Didaco Toloſam venit, ubi ipſa die cooperante Deo hoſpitem ſuum hæreticum ad veram fidem reduxit. Deinde peracta legatione regis ſemel & iterum, & curia viſitata ab ipſo epiſcopo, remanſit cum eodem quaſi per biennium in prædicationis officio in partibus Toloſanis. A. D. MCCV.

Poſt reditum Didaci epiſcopi ad ſuam diœceſim B. Dominicus remanens quaſi ſolus paucis ſibi adhærentibus ſine profeſſionis tamen vinculo per decem annos per diverſa loca provinciæ Narbonenſis, & præcipue Carcaſſonam & Fanumjovis impugnando hæreticos catholicam fidem extulit, & animarum ſaluti datus totus officio prædicationis vacavit, multas vilitates & abjectiones & anguſtias læte ſuſtinens propter nomen Domini Jeſu Chriſti. Illis etiam temporibus domum Sororum de Pruliano inſtituit ante ordinis confirmationem.

Illo quoque in tempore comes Montisfortis pugnans contra hæreticos gladio materiali, & B. Dominicus gladio verbi Dei in partibus illis facti adeo familiares, quod voluit comes, quod ipſe B. Dominicus benedictionem faceret in nuptiis uxoris filii ſui [A], quam accepit, filiæ ſcilicet Delphini Viennenſis apud Carcaſſonam, & filiam quamdam ſuam baptizaret, quæ uſque hodie vivens & prioriſſa apud S. Antonium Pariſius religioſiſſima & magnæ ſanctitatis habetur. Dedit etiam quoddam caſtrum B. Dominico in ſuſtentationem ſui & ſibi adhærentium in prædicatione. Unde uſque hodie genus illud dilectionem & familiaritatem habet ad ordinem, in tantùm quod quædam filia comitis prædicti ſcilicet dña Amicia de Joviniaco magni nominis & ſancta mulier voluit multotiens, quod filius ſuus unigenitus & excellentis gratiæ intraret ordinem ſi Fratres voluiſſent: & in extremis agens ipſe apud Cyprum in exercitu regis Francorum habitum noſtrum ſuſcepit & factus eſt Frater. Ipſa quoque ſicut dixit quia homo non erat, nec eſſe Frater poterat, ut ſaltem Soror fieret, fecit domum Sororum de Monte Argis & bene dotavit, in qua taxatus eſt numerus quinquaginta Sororum, quæ ſpeciali prærogativa ſanctitatis & religionis fulgent in Francia, inter quas & ipſa ſepulta requieſcit. Fuit autem tanti fervoris & animi in domus prædictæ promotione, quod cùm Fratribus

[A] *Benedictionem faceret in nuptiis uxoris filii ſui.* De his ſic Sernenſis cap. 79 ad MCCXIV. *Ipſe verò comes (Montisfortis) cum ſuo primogenito Almarico deſcendit uſque Valentiam, invenitque ibi ducem Burgundia & Delphinam, habitoque ſuper præfato matrimonio conſilio & aſſenſu, comes noſter quia non erat tempus congruum ad contrahendum, nec ipſe propter multimodas guerra neceſſitates ibi poterat facere multos dies, dictam puellam duxit ſecum Carcaſſonam, ibique fuerunt nuptia celebrata.* Non addit Sernenſis benedictionem a B. Dominico impartitam, ſed quis poſt Humberti teſtimonium de eo dubitet? Hinc a Sernenſi multa omiſſa colligas. Iſta princeps Beatrix dicebatur, filia Andreæ Burgundi & a matre Delphini & ejus primæ conjugis Beatricis *Clauſtral* e ſtirpe *Sabran*. Sic Quercetanus in genealogia Delphinorum edit. alter. Pariſiis, Cramoiſy 1628. 4.

Sæc. XIII. multis se opponentibus licentiam construendi illam habere non posset aliquomodo ab ordine, in propria persona multotiens ivit ad curiam papæ, & obtinuit litteras efficacissimas ad suum desiderium consummandum.

Porro instante tempore quo prælati se parabant ad eundum ad concilium Lateranense, quidam de Tolosa Petrus Sciliani nomine se & domos nobiles quas habebat juxta castrum in eadem civitate obtulit B. Dominico, in quibus primò apud Tolosam ipse cum sibi adhærentibus habitavit, & ibi moribus religiosorum se conformare cœperunt. Episcopus verò Tolosanus vir sanctus & fidei zelator Fulco nomine sextam partem decimarum cum consensu capituli dedit ad libros & necessaria, sperans se habiturum eos fideles pugiles ad hæresim expugnandam.

A. D. MCCXV B. Dominicus Romam ivit ad concilium generale cum episcopo Tolosano Fulcone causa procurandi ordinis, qui diceretur & esset ordo Fratrum Prædicatorum, & tunc accepit responsum de redeundo ad Fratres, & regulam eligendi.

A. D. MCCXVI. Redeunte B. Dominico Romam Innocentio mortuo & Honorio substituto, concessus est ordo & confirmatus. Eodem anno data est Fratribus ecclesia prima quam habuit ordo scilicet S. Romani infra Tolosam, in qua fecerunt claustrum & cellas, & erant numero circiter sexdecim.

A. D. MCCXVII. Disponentibus Tolosanis insurgere contra comitem Montisfortis, dispersit B. Dominicus Fratres, electo primo in abbatem F. Matthæo, alios mittens in Hispaniam, alios Parisius, & ipse Romam ivit, & illo tempore domum S. Sixti Sororum instituit.

A. D. MCCXVIII. Circa principium anni misit B. Dominicus Fratres de urbe Bononiam, & eodem anno in curia F. Reginaldi notitiam acquisivit, qui eodem anno venit Bononiam XII Kal. januarii.

Eodem quoque anno B. Dominicus in Hispaniam rediens, duas ibidem domos instituit, & eodem anno data est Fratribus Parisius domus S. Jacobi, nam ante stabant in domo conducta intra domum episcopi & domum Dei.

A. D. MCCXIX. De Hispania venit B. Dominicus Parisius, & invenit ibi de Fratribus ferme triginta. Paululum ibi commoratus divertit Bononiam, ubi jam magnus erat Fratrum numerus sub F. Reginaldo congregatus apud S. Nicolaum: nam ante fuerant in alio loco a principio: qui eum cum mirabili gaudio receperunt, & ideo misit F. Reginaldum Parisius.

A. D. MCCXX. Primum capitulum generale celebratum est Bononiæ sub B. Dominico, cui interfuit etiam F. Jordanis missus ad istud de Parisius, ubi intraverat paulò ante ordinem in quadragesima præcedenti. In hoc autem capitulo inter multa quæ statuta fuerunt, fuit & hoc statutum, quod amodo possessiones & redditus non reciperentur, & quod illa resignarent, quæ habebant in partibus Tolosanis, & quod capitulum generale uno anno Parisius, alio anno Bononiæ celebraretur, quod longo tempore observatum fuit sed postmodùm aliter est statutum.

A. D. MCCXXI celebratum est secundum capitulum generale Bononiæ sub eodem patre Dominico, & de illo capitulo missi sunt Fratres in Angliam, & Fratri Jordani qui præsens non erat injunctum est officium prioratus provinciæ Lombardiæ, ad quod officium exequendum cùm iret de Parisius, F. Everardus archidiaconus quondam Lingonensis vir magnæ auctoritatis, qui suo exemplo ad ingressum ordinis multos commoverat Parisius, vadens cum eo desiderio videndi B. Dominicum, & ipsius F. Jordanis amore illectus, mortuus est apud Lausannam, ubi aliquando in episcopum fuerat electus.

Interim autem eodem anno mortuus est B. Dominicus octavo Idus augusti, & intra ecclesiam Fratrum honorifice sepultus.

Postea ubi de B. Jordano S. Dominici in magistratu Ordinis successore, sic habet:

Sub eo etiam A. D. MCCXXXIII translatum est corpus B. Dominici ad locum honorabiliorem, & eodem anno est Sanctorum catalogo [B] aggregatus apud Perusium per papam Gregorium IX: in quo tempore tanta gratia prædicationis & mirabilium per Fratres effusa est in Lombardia, & alibi per Fratres inde venientes, quod totus mundus fere ex auditu stupebat.

[B] Mirum in re tam publica qualis fuit B. Dominici canonizatio, tantum inter scriptores & æquales & suppares, imo eorumdem scriptorum varios codices, & bullæ ipsius varia exempla esse discriminis, ut nec quoad locum, nec quoad annum mensem diemve conveniant. Ambo codices hîc excepti nostrum & Pissiacense actam Perusii eodem translationis anno statuunt. Contrà Malvenda in suo cod. MS quem præstat antiquissimum, actam legebat *apud Reatem*, cætera eadem.

Trivetus noster locum omittit, at cætera consentit, sic enim habet ad ann. MCCXXXIII. *Gregorius papa B. Dominicum, qui primus ordinem Prædicatorum instituit, catalogo sanctorum ascripsit, cujus corpus eodem anno in capitulo Fratrum generali Bononiæ ad eminentiorem translatum est locum.*

Theodorici de Appoldia codices MS non conveniunt. In eo quo usus est Surius sic legit lib. 7 cap. I. *Itaque a partu Virginis* MCCXXXIII *Romanus pontifex &c. præsentibus archiepiscopis &c. fidelem Christi servum Dominicum Perusii in sanctis numerandum pronunciavit &c.* In bulla verò quam refert integram ad finem lib. 8 sic legitur: *Datum Reate tertio idib. julii pontif.* VIII. Contrà in cod. ejusdem Theodorici MS apud nostros Tolosanos servato, in bulla quæ sequitur ad lib. 8 sic legitur: *Datum Spoleti* V *Kal. Sept. pont.* VIII. Idem Datum legitur apud S. Antoninum P. III Tit. XXIII cap. V § XVII.

Tholomæus de Lucha Hist. Eccl. Nov. lib. XXI cap. XXXV sic loquitur: *Propter quæ miracula* (scilicet in translatione patrata) *Gregorius motus est apud Reate ipsum sanctorum catalogo adnotare.* De anno mense die silet.

Bzovius in Annal. ordinis MS omnia componere sibi visus est, dicendo canonizationem factam Perusii anno MCCXXXIII augusti XXVIII seu V Kal. sept. diploma verò a Gregorio IX non prodiisse nisi anno sequenti Reate julii XIII. Idem tamen in Annal. Ecclesf. post Baronium, cætera omittens bullam simpliciter profert datam Reate III idibus julii pont. VIII.

Ferdinandus de Castillo Hist. Gen. lib. 2 cap. 9 videtur indicare rem actam Romæ anno MCCXXXIV julii XIII pont. VIII, sed typorum erratum crediderim, cùm bullam citet Romæ apud Antonium Bladum anno 1556 editam, in qua certò legitur *Reate*: & Joannes Lopez Ferdinandum fere totidem verbis excipiens, & eamdem bullæ editionem citans, legit *Reate*, cætera eadem.

Malvenda contendens literas apostolicas non alia temporis nota consignari, quàm ejusdem anni mensis & diei, quibus solemne canonizationis officium a papa peractum est, non dubitandum addit, quin B. Dominici in sanctorum album relatio facta sit Reate tertio idus julii pontif. VIII: sic enim haberi in registro Gregorii IX, ex quo has litteras sibi describi summa diligentia curavit. Malvendæ favet Bernardus Guidonis, qui sic habet in chronico ordinis: *Hunc B. P. Dominicum præfatus D. Hugolinus episcopus Hostiensis post mortem D. Honorii* III *factus papa & Gregorius* IX *appellatus canonizavit apud Reatem civitatem Tusciæ* III *idus julii A. D.* MCCXXXIV *pontif. Gregorii papæ anno* VIII: *a confirmatione verò ordinis* XIX, *& a felici ejus transitu* XIII. Idem totidem verbis habet in chronico pontificum.

Omnes tamen hactenus relatos fatendum est rem ad unguem non attigisse, quamvis ultimi ad veritatem propius accesserint. Certissimum itaque habeat lector, B. Dominicum sanctorum fastis inscriptum Reate anno MCCXXXIV quinto nonas julii pontif. VIII, sic enim habet Bulla ejus ætatis authentica sigillo plumbeo firmata & apud nostros Tolosanos servata. Sic antiquum bullarium ordinis apud eosdem servatum MS in memb. in quo eædem litteræ apostolicæ integræ transcriptæ. Sic etiam eædem ibidem tertio habentur ad calcem vitæ B. Dominici per B. Humbertum V ordinis magistrum concinnatæ. Odoricus Rainaldus qui easdem refert ad MCCXXXIV nn. 24 & 25, haud dubie ex ipso Gregorii IX registro datas prodit *Reate quinto nonas julii anno pont.* VIII. Hanc eamdem epocham confirmat Stephanus Salanhacus æqualis & jam anno MCCXXVIII ordini ascriptus in suo de rebus Ordinis opere, quod bis habetur MS Tolosæ apud nostros in duobus variis Bernardi codd. MS, in utroque enim legitur bulla *data Reate* V *nonas julii pontif.* VIII. Verum est in alio ejusdem operis codice seorsim scripto legi III *nonas julii*, sed non dubium quin sit notarii erratum, nam codicem illum non ita

AD MAJOREM ACTORUM S. Dominici illustrationem quædam visæ sunt addendæ dissertationes historicæ & criticæ, ex quibus historia nostra antiqua non parum lucis accipiet.

DISSERTATIO PRIMA.

An ex Reginaldi Aurelianensis S. Aniani decani visione indumenta priora S. Dominicus mutaverit, & novo cultu sodales suos induerit.

CEleberrima est in ordinis annalibus, quæ supra n. 34 Jordani & 24 Constantini relata est, visio B. Virginis Reginaldo ægrotanti apparentis, & ut Prædicatorum ordinem amplecteretur excitantis: exinde Dominicum vestem priorem dimisisse, & novam ut volunt a B. Virgine Reginaldo ostensam induisse, ac sodalibus induendam jussisse, plures etiam antiqui narrant: alii non alteram sed eamdem, qua jam Dominicus suique per Europam tum dispersi utebantur, a B. Virgine Reginaldo allatam, & ut acciperet ab eadem excitato contendunt. Utrorumque momenta visa sunt referenda, ut quid tenendum peritiores antiquitatum nostrarum scrutatores judicent.

Qui immutationi favent isti sunt, F. Jacobus de Voragine sub finem seculi XIII clarus qui in sua SS. Legenda vitam S. Dominici ex ea quam Constantinus scripserat, in compendium contraxit, & laudatam visionem fere totidem verbis refert, sed ad hæc Constantini verba, *Mane autem facto ad eum (Reginaldum) S. Dominicus veniens, eum sanum reperit, & ab eodem totius visionis seriem audivit*, hæc addit quæ non habet Constantinus, *& habitum quem virgo monstraverat, assumsit, nam antea Fratres superpelliceis utebantur.*

Theodoricus de Appoldia vitæ B. Dominici lib. 2 cap. II apud Surium pag. 64, post relatam visionem sic commentatur: *Qua autem est pietate efferendus, & quanta veneratione prosequendus hujus instituti habitus, qui a matre Domini eidem Reginaldo in visione ostensus fuit &c. specialis enim caritatis argumento, singularisque gratiæ privilegio hujus sacri Ordinis filiis ipsa habitum tribuit peculiari eos ornans indumento: cùm enim initio canonicorum regularium vestibus uterentur, nunc beatissimæ Virginis vestiti amictu cœlitus præ cæteris gloriantur.*

Clarius id explicat Bernardus Guidonis vitæ S. Dominici jam pluries laudatæ cap. 34: *Post prædictam verò cœlestem visionem & habitus ordinis Prædicatorum ostensionem B. Dominicus & cæteri Fratres deponentes superpellicia, loco ipsorum alba scapularia pro habitu distinctivo induerunt, capas desuper tunicas albas retinentes, quas prius ut canonici regulares deferebant.*

Hinc saltem clare refellitur recens historiæ ordinum regularium cum imaginibus ex ære excusis illorum varias vestes exhibentibus Gallice scriptæ editor. Quantùm in aliis a vero aberrarit, illis quos res tangit, discutiendum relinquo, nostra tantùm attingo. Huic igitur novo auctori ubi de ordine Prædicatorum, placuit imaginem primam cudere, in qua vir exhibetur tunica nigra ad talos usque demissa, & desuper rocheto cum manicis ad pugnum strictioribus, vixque ad genua descendente, brevi quale nunc episcopi & abbates gerunt, vestitus, cætera capite omnino nudo & libero, eamque S. Dominici & sodalium ad annum usque MCCXIX vult fuisse se vestiendi rationem. At purum putum esse hominis aberrantis commentum, nullo veteri documento innixum, nulla antiqua imagine astructum evincunt allata testimonia, quæ S. Dominicum ex quo in capitulum Oxomense allectus est, tunica talari alba, & saltem capa desuper nigra cum caputio ejusdem coloris vestitum fuisse asserunt. Rochetum a Sancto nunquam gestatum patebit ex sequentibus, ubi genus hoc indumenti toto seculo XIII incognitum fuisse ostendetur. Itaque prosequamur.

Idem Bernardus in commentario rerum ordinis citato, sic habet: *Anno eodem* MCCXVIII *cùm S. Dominicus esset Romæ, M. Reginaldus S. Aniani Aurelianensis decanus a regina cœli perunctus est Romæ, ostenso sibi cœlitus per B. Virginem habitu Prædicatorum. En inquit Virgo Maria habitus ordinis tui, scapulare quale deferimus, omnemque hujus ordinis habitum sibi demonstrans: & ex tunc tam B. Dominicus quàm cæteri Fratres habitum quem virgo demonstraverat assumserunt: nam antea superpelliciis utebantur, ipsumque habitum Reginaldus a B. Dominico tam feliciter quàm perseveranter accepit, &c.*

Præterea Stephanus de Salanhaco in suo libro de quatuor in quibus Deus ordinem Prædicatorum insignivit, ubi de illustri prole sic habet: *F. Reginaldus S. Aniani Aurelianensis aliàs decanus, quem Virgo Maria corporaliter visitans ad ingressum ordinis Prædicatorum monuit & induxit, habitumque nostrum ostendit, quia ante adhuc Fratres vestiebantur superpelliciis &c.* Quod testimonium magni esset momenti, si a Salanhaco scriptum esse constaret, sed cùm Bernardus Guidonis ipse moneat hunc tractatum a se ubique interpolatum, & plura postea sibi cognita & a Salanhaco omissa a se suis locis inserta, non aliam quàm a Bernardo habet auctoritatem, cujus ætate ista de mutatione facta invaluerat opinio.

Hinc quidam ex nostris Anonymus, quem censeo Italum & sub finem seculi XIII viventem, qui scripsit *Tractatum de approbatione ordinis Prædicatorum*, (extat Parif. in Colbert. cod. MS 3118 memb. fol.) agens de indumentis ordinis, sic habet: *De habitus verò seu vestium eorumdem prærogativa sciendum quod eminet a duobus, scilicet ab instituentis dignitate seu nobilitate, & a convenienti officio significatione. Primum patet, quia Dei genitricis dignitati nulla alia valet comparari.* Et post quædam ex scripturis sic prosequitur: *Ambrosius. Quid nobilius Dei matre, quid splendidius ea quam splendor elegit? Habitaque tam digna, tam nobilis, tam præclara, quæ sua Virgineæ carnis talari tunica verum Joseph induit, etiam hujus ordinis habitum ap-*

esse accuratum aliunde mihi perspectum est, ut alibi moneo. Accedit ipse Bernardus Guidonis, qui cou alibi scripta emendans, sic habet in vita B. Dominici ex tribus antiquioribus concinnata & pluribus aucta cap. 66. *Fuit autem B. Dominicus canonizatus & sanctorum confessorum catalogo annotatus per Gregorium papam IX apud Reatem urbem Tusciæ pontificatus sui anno* VIII *quinto nonas julii, Domin. verò Incarn. anno* MCCXXXIV, *a felici ejus transitu anno* XIII *decurrente.* Hanc vitam edidit Percinus in suis Monum. Tolos. ex cod. MS ejusdem domus, scilicet ex P. IV speculi sanctoralis: quæ eadem quarta pars Parisiis habetur in Colbert. n. 748, qui idem est codex membrancus quem auctor D. tit. S. Stephani in Cœlio monte presbytero cardinali dedit, ut initio annotatur, idem verò totidem verbis habet, quod Tolosanus.

Ex hactenus dictis colligas non absolute verum quod astruit Malvenda, saltem seculo XIII non observatum, ut bullæ pontificiæ eo semper die datæ signentur, quo primum prodierunt, nisi id de primis intelligatur: nam in posterioribus exemplis & locus & annus & dies mensis apponebantur, quibus qualibet vice rursus ex actis pontificiis prodibant. Hinc bullarum canonizationis S. Dominici varietas quoad locum annum & diem mensis: præter jam indicatas, mihi est præ manibus data Perusii II idus octob. ann. VIII: duæ sunt apud San-jacobeos Parisienses a me visæ, Perusii datæ altera V Kal. martii, altera V nonas martii ann. VIII hæ proinde anno MCCXXXV tantùm ex archivis pontificiis depromtæ, nam Gregorius XX aprilis MCCXXVII tantùm electus est. Itaque cum omnibus antiquiores datæ ascribantur V non. julii ann. VIII. is merito dies canonizationis statuitur.

 parens illi infirmo felici Reginaldo demonstravit & instituit dicens, Hic est habitus ordinis tui. Nonne videtur tibi quod tanquam materfamilias familiæ sponsi sui curam gerens solicitam, domesticos speciales vestivit duplicibus? duplicibus quia albo & nigro, ut infra dicendum est. O Frater qui a tam præclara patrona opertus es quasi pallio zeli, cogita diligenter, & perpende subtiliter, & revolve frequenter, quia nec Salomon in omni gloria sua opertus est sicut tu. Defer ergo reginæ cœli honorem cujus geris insignia, habitum ipsum tanquam de vellere Gedeonis manibus sacræ Virginis transfusum dignis moribus & religiosis gestibus pariter ac motibus adornando &c. plura: quæ licèt oratorie magis quàm historice dicta docent sub finem seculi XIII visionem Reginaldi sic vulgo in ordine intellectam, quasi ex ea immutatio superpelliceorum in scapularia facta sit.

Recentiores supervacaneum esset hic afferre, cùm omnes, Jacobus de Susato, Leander Albertus, Lusitanus, Michael Pius & cæteri, qui de actis S. Dominici scripserunt, hanc sententiam amplectantur, & ut indubiam habeant, præsertim cùm sodalibus & pietatem erga B. Virginem ceu dulcissimam matrem, & reverentiam etiam erga vestem ut de cœlo allatam inspiret, quod viris religiosis, ac potissimum candidatis & tironibus haud parum utile.

Non desunt tamen qui veteribus monumentis attentius & accuratius perpensis, nullam ex ea visione immutationem in vestibus factam, sed iisdem jam antea Dominicum usum contendant. Notant enim antiquiores qui sancti gesta scripserunt, altum de ea immutatione facta silentium servare. Jordanus supra n. 34 hæc tantùm habet: *Nihilominus etiam ei* (Reginaldo scilicet B. Virgo) *omnem hujus ordinis habitum demonstravit.* Quæ facile sic intelligas, Reginaldum jam propensum a B. Virgine etiam excitatum, ut ad ordinem qui his vestibus uteretur, absque mora se aggregaret.

Constantinus post relatam unctionem addit n. 24: *Tum ei habitum ordinis Prædicatorum ostendens, en inquit iste est habitus ordinis tui: statimque illa ab ægrotantis oculis speciem suæ visionis subtraxit.* Sane sic planus est sensus, En quo habitu induuntur sodales illius ordinis, cui te adscribendum cupio & moneo. Alioquin si diverso cultu Dominicum quem jam noverat, indutum vidisset, non ei sibi adhærendum putasset, sed alium sibi quærendum ordinem, qui tali veste uteretur: unde mox subjicit Constantinus: *Recepta igitur taliter sanitate Deo se & ordini totaliter obtulit.* Nulla mentio Dominicum ac sodales ea ratione vestes mutasse: quod signum Reginaldum solùm vestem jam in ordine usu receptam & a B. Virgine sibi monstratam e manibus B. Dominici accepisse. Constantinum totidem verbis excipiunt Vincentius Bellovacensis, & Humbertus supra relatus, de ulla in vestibus ordinis mutatione facta nihil addunt.

Sed audiendus Stephanus de Borbone anno MCCXXIII jam ordini adscriptus, & tum jam clarus, qui sic habet P. II de dono pietatis, tit. VI cap. 16 cod. Sorb. fol. 229. a. *Legitur in vita B. Dominici, quod cùm magister Reginaldus decanus Aurelianensis ei* (B. Virgini) *devotus laboraret in extremis, & esset ab omnibus remediis quasi desperatus relictus, apparuit ei B. Virgo cum duabus puellis, quarum altera portabat ordinis Prædicatorum habitum, qui ordo novus erat & incognitus, & altera unguentum. Quem inunxit B. Virgo supra membra singula exprimens certam formam verborum, & ostendit ei habitum ordinis prædicti, quem monuit eum suscipere: & cùm pedes inungeret, dixit, ungo tibi pedes in præparatione evangelii pacis: cùm renes dixit, constringantur renes isti cingulo castitatis, & promisit ei quod die tertia rediret, & plenam sanitatem ei daret. Cùm autem die tertia coram dicto magistro esset B. Dominicus & quidam Frater Hospitalarius, affuit B. Virgo, quæ etiam non solùm liberavit dictum Reginaldum ab infirmitate corporis, sed a tentatione carnis, ita ut postea factus Frater Prædicatorum ordinis & egregius Prædicator, primum etiam motum carnis ex ipsa unctione ejus non sentiret, ut ipse postea fuit confessus.* Quid clarius? Hæc solùm perpendas: *Apparuit ei B. Virgo cum duabus puellis, quarum altera portabat ordinis Prædicatorum habitum*, nempe quo Dominicus ejusque sodales jam vestiti erant: *qui ordo novus erat & incognitus*, cujus proinde vestis Reginaldo exhibenda erat, ut etsi recens institutum Virgini admodum placere ille nosset: *& ostendit ei habitum ordinis prædicti, quem monuit eum suscipere.* Non dixit: Dic Dominico ut hunc habitum prius induat, & suis sodalibus tradat, postea eumdem de manibus ejus suscipies: sed cùm esset jam ordinis prædicti vestis, Reginaldum monuit ut eamdem acciperet. Unde postea nihil addit de ulla mutatione in ordine circa vestes exinde sequuta, sed Reginaldum tantùm ordini Prædicatorum continuò nomen dedisse. Hæc jam a pluribus annis scripseram, cùm apud Joan. Petrum Puricellum in Dissert. Nazar. aliud quærenti simile ratiocinium occurrit p. 556. Locum integrum placet referre.

Contendit ille jam a confirmatione ordinis anno MCCXVI Dominicum eadem veste usum quam gessit deinceps, sicque habet: *Reginaldus profecto priusquam in urbe Roma æger jaceret in lecto satis jam noverat Dominicum Prædicatorii ordinis fundatorem, cui se ordini jam tandem aggregare decreverat, posteaquam cum Dominico ipso familiariter colloquutus fuisset: qualibus item indumentis Dominicus tunc uteretur, quàm optime viderat. Ex altera verò parte Deipara Virgo Reginaldi oculis obversata omnem Prædicatorii ordinis habitum ei demonstrans sic eum alloquitur:* Hic est habitus ordinis tui. *Per hæc utique Deipara illum in suo Prædicatorii ordinis, quem Dominicus instituerat quemque profitebatur, suscipiendi proposito confirmare intendit, ejusdemque propterea ordinis habitum illi demonstravit. Non igitur habitum illi demonstravit alium & diversum ab eo quem Dominicus tunc gestabat, quemque Reginaldus in ipso proxime conspexerat. Si enim alium & diversum ab eo demonstrasset, quidni Reginaldus talem Deiparæ sermonem ita potius interpretari debuisset, ut non Prædicatorius sed alius & diversus ordo sibi secundùm divinam voluntatem consectandus proponeretur? Non enim ostensio ipsamet habitus non adjecta verba significabant novum tunc habitum ab ipsamet Deipara pro Prædicatorio instituti præscribique ordine: quocirca ne Reginaldus quidem prudenter exinde percipere hoc poterat. Sin autem supponamus* (*ut ipsamet ostensio & verba illa secundùm propriam & usitatam significationem suam præferunt*) *ostensum illi tunc fuisse habitum illum, quem proxime in Dominico ipso conspexerat, quid pronius intellectu quid facilius, quam sibi quoque divino nutu capessendum esse ordinem ipsum a Dominico pariter ipso institutum & professum.* Hoc argumentum sane videtur omnino peremtorium, quod & cætera omnia confirmant.

Primò. F. Gerardus de Fracheto in vitis Fratrum, & F. Thomas de Cantimprato in libro de Apibus, etsi uterque ea sibi sumserit supplenda, quæ in vitis prioribus S. Dominici omissa fuerant, quæque ad laudem ordinis faciebant, neuter quicquam habet de mutato habitu: idque eo magis urget, quod primus P. I. cap. I id susceperat probandum, *quod Domina nostra ordinem FF. Prædicatorum impetravit a Filio:* & cap. 6 *quod Domina nostra speciali affectu & effectu ordinem diligit & procurat:* Cantimpratanus

tanus verò minuta quæque quæ ordini quomodocumque honori esse possunt colligit. Cùm igitur ambo de ea mutatione sileant, adhuc sua ætate in ordine nondum adinventam nec vulgatam indicant.

Secundò. Ipsi testes in processu canonizationis S. Dominici auditi, qui ab ipso plures ad ordinem asciti fuere, nihil de ea vestis immutatione loquuntur, quam tamen si vera esset, mirum foret ab iis silentio pressam. Laudandus inter alios venit F. Joannes Hispanus testis quintus, cujus hæc tantùm repeto verba: *Juratus dixit quod in illo anno quo confirmatus fuit ordo Prædicatorum in concilio D. Innocentii papæ III, ipse testis intravit ordinem istum, & in festo S. Augustini proximo venturo erunt decem & octo anni, sicut Frater credit de tempore, quod recepit habitum de manu F. Dominici plantatoris ipsius ordinis & primi magistri: & ipsa die fecit professionem in manu prædicti Fratris in ecclesia S. Romani apud Tolosam &c.* Facilè omnes intelligunt Joannem testari se anno MCCXVI in festo S. Augustini Tolosæ in S. Romani & ad ordinem ascitum & unâ simul eodem die professum, quod tum commune: currebat enim tùm annus quo in Lateranensi synodo mense novembri MCCXV habita Innocentius III S. Dominici consilium de ordine Prædicatorum instituendo approbarat: cùmque hoc testimonium ferret anno MCCXXXIII circa medium augusti, juxta communem loquendi modum in festo S. Augustini proximo XVIII ab ejus in ordinem ingressu numerandus erat annus: ac proinde duobus circiter annis ante Reginaldi visionem quæ anno tantùm MCCXVIII scilicet post pascha evenit. Perpendas autem quod ait habitum ordinis tum se de manu B. Dominici recepisse, habitum scilicet saltem quoad formam quem tum ferebat, cùm hoc testimonium redderet, alioquin si ex visione Reginaldi immutatus fuisset, dixisset se & priorem anno MCCXVI Tolosæ induisse, & in posteriorem cum aliis anno MCCXVIII jussu B. Virginis mutasse, quod honorificum erat nec silendum.

Tertiò. Qui primi immutationem factam scripserunt, quantis difficultatibus subjaceat, non videntur satis attendisse, videas enim. Ex Constantino n. 28 jam anno MCCXVII sodales XL in S. Sixti cum B. Dominico degebant, & plures fuisse anno MCCXVIII verisimillimum est: itaque ob novitium unum scilicet Reginaldum recipiendum non alia data ratione, quàm id divino consilio fieri (nam ut scribit Humbertus, quem alii excipiunt ad S. Antoninum usque, adjuratus a Reginaldo fuerat Dominicus, ne visionem eo vivente alicui revelaret, quod secretum saltem in ipsis initiis servatum fuerit) tantùm panni emendum pauperibus, quibus sæpius panis deficiebat, tot scindendæ, suendæ, innovandæ vestes: Dominicus summo pontifici ac cardinalibus notus erat in primis & acceptus, ac frequentius eos invisebat: ergo qui heri & nudius tertius alio cultu ad illos accesserat, qua recepit Reginaldum die, novo ac inviso hactenus vestis genere illis appareret: putas Ecclesiæ principes ratione allata contentos, nec sanctum virum arguisse levitatis? In Hispaniis, Bononiæ, Tolosæ, Parisiis ordo jam erat stabilitus, sodales a sancto per eas regiones dispersi quamplures sibi jam aggregarant: jubendum igitur erat, ut omnes prioribus in quibus professionem emiserant vestimentis rejectis, pannos novos pauperrimi ac panem ostiatim mendicantes emerent, seseque novo illo cultu adornarent. Quæ populorum admiratio? Quæ inter Fratres ipsos de ea novitate collocutiones? Annon verendum ne quidam obluctarentur? Id non attenderunt primi immutationis scriptores, sed posteriores ut Jo. Ant. Flaminius, Lusitanus, & ex iis Malvenda videre, qui & narrant sodales Tolosanos, eos nimirum primogenitos Dominici filios immutationi revera obstitisse: & quidem ita pertinaciter, ut licèt sanctus post admissum Reginaldum Hispaniam petens Prulio & Tolosa iter habuerit, & ex Hispania regressus Tolosa iterum Parisios petens transierit, eosque ut pote non amplius visurus tenerrime amplexus sit, novum ejus habitum exhorruerint, ac induere detrectarint. Imo amplius. Etsi anno MCCXX in comitiis primis Bononiæ sub sancto habitis nova illa habitus forma præcepta fuerit, mortuo tum Reginaldo, & visione omnibus jam revelata, Tolosanos adhuc non solùm non acquievisse, sed summum pontificem appellasse, Romamque procuratores litem contestaturos misisse, quos nisi casu Bononia transeuntes Dominicus adhibito brachio seculari apprehendisset, ac severius castigasset, ordo nascens funestissimum schisma cum maximo Ecclesiæ scandalo passurus erat. Hæc referre visum est, ut quæ immutationis defensores fingere ac devorare coguntur, omnibus pateat. Nam ista omnia putidissimam esse fabulam certo certius est, cujus nec apud Jordanum nec in vitis Fratrum quo in libro nostrorum defectus nec omittuntur, nec palpantur, nec apud ullum scriptorem æqualem aut supparem vel levissimum vestigium. Tolosanos itaque sodales Dominico summa animorum consensione conjunctissimos semper fuisse certissimum est: neque sanctis illis ordinis lapidibus primariis ejusmodi protervia nisi per summam calumniam tribui potest. Scio nostros Soëgium & Percinum fabulam illam Flaminianam ex eo refellere, quod velint Tolosanos ita sancto semper obsecutos, ut ad primas ipsius literas continuò novum habitum assumserint: verùm annon promtius revera non reluctatos, quia revera nulla facta est immutatio, factam enim nemine reluctante Flaminii sequaces sibi persuaderi difficillime patientur.

Quartò. Ab immutationis propugnatoribus libens peterem, in quo innovationem factam esse velint. Malvenda ad 1218 cap 20 quem excipit Soëgius T. I augusti p. 351 censet ante Reginaldi visionem habitum ordinis fuisse tunicam talarem albi coloris, superpelliceum lineum & capam nigram absque ullo caputio. Verùm ille licèt aliàs accuratus seculorum XII, XIII, & XIV mores non attendisse certò dicendus est: nam iis temporibus non solùm regulares, sed & seculares clericos & laicos, nobiles & cives caputiis usos imagines ejus ætatis invictè probant. Percinus in Monum. Tolos. pagg. 24 & 25 vult habitum priorem Dominici hæc comprehendisse, tunicam talarem albam cum caputio albo more inquit ecclesiæ Oxomensis, rochetum more canonicorum regularium, capam cum caputio nigri coloris: in immutatione verò habitus loco rocheti quod deposuit, caputio albo appendicem illam additam anteriorem & posteriorem quam scapulare vocant, non quidem a caputio divisam, qualem nunc gestamus, id enim novitium est, sed ipsi caputio assutam, qualem primis ordinis seculis tulerunt, unde in constitutionibus caputium & scapulare indiscriminatim pro eodem usurpantur. Tota igitur difficultas eo tandem redibit, an caputium illud album quo more ecclesiæ Oxomensis juxta Percinum Dominicus utebatur, collo tunicæ assutum fuerit, an appendicium illud anterius & posterius habuerit quod scapulare vocant. Sane ejusmodi est ipso Percino teste oculato, quod apud sanctimoniales Prulianas etiamnum ut Dominici proprium servatur: & licèt cujus anni sit jam ignoretur, ex iis unum esse verisimillimum est, quæ Sancto dum earum institutioni ab anno MCCVI ad MCCXVII operam daret, conficiebant & lavabant ipsæ: nam post hunc ultimum annum, nonnisi in transcursu dum iter Hispanicum conficeret, eas vidit. Rochetum verò a sancto Dominico nunquam gesta-

Sæc. XIII. tum invictum argumentum est, quòd genus indumenti sit toto seculo XIII & sequenti regularibus omnino incognitum & a nullis usurpatum, nam & ipsi canonici Victorini tum non rochetis, sed superpelliceis tantùm utebantur tunicæ albæ fere æqualibus, & quorum manicæ latiores duobus palmis ultra digitos prominebant, sic enim in eorum constitutionibus antiquis forma præscribitur.

Quintò. Caputium scapulare habens adjunctum inter vestes regulares initio seculi XIII non fuit ita rarum, ut eam habitus formam cœlitùs doceri necesse fuerit. Canonici Vallis Scholarium, qui teste Bernardo Guidonis in chronico pontificum ab Honorio III anno MCCXVII confirmati fuerunt, ubi capas nigras deponebant, mox caputia alba cum lato scapulari induebant, sicque ipsis præscribit summus pontifex in litteris confirmationis, *ut Fratres scapularia deferant laborantes*. In eorum verò rituali die cœnæ ad mandatum peragendum sic legitur: *Provideant Fratres ut ante illam horam induti sint scapularibus subtus capis: tunc in choro debent omnes Fratres in sedibus suis capas deponere & sic in scapularibus ad lotionem pedum simul exire.* Quæ habitus forma processu temporis illis ita commoda visa est, ut semper & ubique scapularia illa deferrent. Actorum sanctorum eruditi editores T. I. junii p. 861 occasione scapularis Præmonstratensium notant caputium scapulare habens assutum non solùm apud ecclesiæ Laudunensis canonicos, sed & in pluribus ecclesiis cathedralibus aliàs in usu fuisse, & addunt: *Nam eos qui proprio titulo dicti fuere Prædicatores, uti a S. Dominico canonico Oxumensi instituti seculo* XIII *sunt, ita verisimile est sui quoque vestitus, adeoque & scapularis formam similiter ab Oxumensibus in Hispania canonicis retinuisse.* Optandum esset ut curiosius quis inquireret, qualis revera Oxumensium canonicorum in reformatione Didaciana vestis fuerit, quod fortè illi eruditi editores præstabunt aliquando, tum certò & non verisimiliter tantùm locuturi. Quod autem ante Reginaldi receptionem Dominicus scapulare gesserit, asserit ipse Theodoricus vitæ ejus lib. 2 cap. 3 apud Surium. Sic enim ibi de populi Romani erga sanctum concionantem devotione legitur: *Itaque cucullus & caputium ejus adeo ab illis conscindebantur, ut vix sufficerent genibus obtegendis &c.* Caputium ad genua & infra descendens procul dubio caputium est scapulare habens adjunctum. Cùm autem hæc ad annum MCCXVII referat, manifestum est ipsomet teste Dominicum scapulare gestasse ante visionem Reginaldi, quem nonnisi anno MCCXVIII post pascha cognovit, ut ipse fatetur Theodoricus cap. II sequenti, & Jordanus, Constantinus, Humbertus uno ore affirmant. Hoc idem accurate annotavit Puricellus citatus pagg. 553 & 554.

Omnia componere haud esset difficile, dicendo habitum eumdem ordinarium domesticum & civilem more ecclesiæ Oxomensis a B. Dominico ab ipsis initiis semper gestatum hæc scilicet complectentem, tunicam albam talarem laneam, cingulum coriaceum, caputium album scapulare habens assutum, capam desuper nigram cum caputio ejusdem coloris itidem assuto, & sodales ejus primores sic vestitos ab initio incedisse: cùm verò chorum ingrederentur, vel altari ministraturi se pararent, non solùm capa si fortè tum haberent, sed & caputio albo proindeque & scapulari ei adjuncto depositis, superpellicea more canonicorum induisse, quæ rursus e choro vel ex altari recedentes exuerent, resumto tum caputio albo, & sæpius etiam capa præsertim ubi coram secularibus comparere tenebantur. At post Reginaldi visionem, vel ut hoc Flaminio concedam & verisimilius videtur, in primis comitiis anno MCCXX Bononiæ habitis, ob reverentiam B. Virginis quæ Reginaldo apparens sola priora indumenta exhibuerat, a superpelliceis in choro deportandis ut omnes deinceps abstinerent, communi consensu decretum fuisse: quod cùm paupertatem præterea maxime deceret, nemine refragante acceptum fuerit. Nec mirum videri debet, quod dico caputium etiam album nostros exuisse, cùm superpellicea aut alias sacras vestes induerent, siquidem ab ipsis ordinis primordiis ad usque saltem XIII seculi finem ita in rubricis præscribebatur, ut quoties ecclesiastica indumenta altari ministraturi acciperent, caputium album proindeque scapulare adjunctum prius exuerent. En rubrica ex officio ecclesiastico ab Humberto V ordinis magistro concinnato excerpta: *Quando missa in conventu fuerit celebranda, ministri altaris audito signo se praeparare non differant, & in primis acolythi superpelliciis induti vel albis in duplicibus & totis duplicibus alios ministros juvent. Nihilominus tamen subdiaconus & diaconus juvent se mutuo & ambo sacerdotem. In hujusmodi autem praeparatione semper sunt deponenda caputia a ministrantibus in conventu, nisi forsan interdum propter frigus retineant, & tunc sic aptanda sunt sub vestibus ecclesiasticis, ne gibbus aliquis notabilis appareat in humeris Fratrum.* Quibus verbis indicatur, si scapularia ob frigus retinerent, caputia iis assuta sub sacris vestibus occultata fuisse, & sic decenter inter humeros aptata & compressa, ne gibbum facerent. Et in rubrica de processione ad *Salve regina* sic legitur: *Omni tempore praeterquam in* IV *&* V *&* VI *feria ante pascha cantetur post completorium antiphona Salve regina vel Ave regina praecedentibus duobus qui notati sunt ad acolythatum in missa cum candelabris & cereis in superpelliciis sine caputiis.* Quæ ostendunt jam a primordio ordinis sic fuisse observatum, & postea diutius custoditum. In cap. gen. Paris. anno MCCLXXXVI tantùm video inchoatum ut acolythi scapularia retinerent, & caputium album extra superpelliceum appareret. Sic enim in actis titulo *Ista sunt inchoationes*, legitur: *Item hanc in ordinario in rubrica de officio ministrorum altaris, ubi dicitur, in primis acolythi superpelliciis induti &c. addatur: quicunque autem Fratres sive ad officium missae sive ad alia officia superpelliciis utantur, sub ipsis* (scilicet superpelliciis) *scapularibus sive suis sive communibus a sacrista praeparatis, mundis tamen retentis, ita tamen quod caputium scapularis sit extra superpellicia inter scapulas ordinatum.* An verò ita tum inchoatum servatum deinceps fuerit, dubitaverim, nam in sequentibus capitulis id non lego nec approbatum nec confirmatum.

Jam ut ad propositum revertar, si Jacobum de Voragine & Bernardum Guidonis excipias, apud omnes antiquiores nullam lego in vestibus factam immutationem, sed apud quosdam sola superpellicea quæ antea deferebant exclusa, quod recte intelligas, ubi chorum ad laudes divinas canendas intrarent: idque alii ratione paupertatis, alii ob visionem Reginaldi præceptum indicant. Joannes Hispanus quintus in proc. canoniz. testis jam laudatus post alia plura sic habet: *Item dixit quod cùm ordo Fratrum Praedicatorum haberet castra & possessiones multas in partibus supradictis* (nota *Tolosanis*) *pecuniam portarent secum in via, & equitarent, & superpellicia deferrent, praefatus F. Dominicus laboravit & fecit quod Fratres ipsius ordinis dimitterent & contemnerent omnia temporalia, & insisterent paupertati, & non equitarent & viverent de eleemosynis, & nihil secum in via portarent.* Hic superpellicea ratione paupertatis dimissa, nullam aliam in vestibus immutationem factam innuit. Salanhacus citatus si non interpolatus sic loquitur: *Reginaldo virgo Maria habitum nostrum*

ostendit, quia ante adhuc Fratres vestiebantur superpelliciis. Hîc videtur indicare B. Virginem ex prioribus indumentis superpelliceum Reginaldo non ostendisse, ideoque Dominicum & sodales ceu illi morem gesturos priori cultu ita se ornasse, ut a superpelliceis deinceps abstinerent. Verùm illud *quia &c.* Guidonis additamentum esse facile suspicor, unde ad priora ordinis Bononiæ anno MCCXX comitia id potius revocandum cum Flaminio censuerim. Cæterùm hactenus dicta peritiorum ac in antiquis ordinis ritibus monumentisve magis versatorum arbitrio permitto, quicquid cuilibet opponere visum fuerit nunquam repositurus: si enim certiora protulerint, libenter amplectar, & ex nunc plaudo: si jurgia aut lites tantùm moverint, silentium unum erit fortitudo nostra.

Addo solùm pro iis qui aliquam in veste e cœlo allata pietatis partem ponunt, nihil honorificentius de ordinis Prædicatorum veste dici posse, quàm eam nos adhuc deferre propugnando, quam ab initio SS. parens gestavit. Quid enim honorificum magis, quàm ea nos veste indui, qua sanctus Dominicus decem & amplius annis adversus hæreticos decertavit, quam tot sudoribus apostolicis consecravit, quam cœlum ipsum tot visionibus illustravit? In ea scilicet Innocentio III beatus visus est ecclesiam Lateranensem humeris sustinere, ex quo summus pontifex ejusdem filios auguratus est in eadem illa veste Ecclesiam universam sustentaturos. In ea patriarcham eumdem confirmationi ordinis anno MCCXVI instantem cum S. Francisco B. Virgo Filio suo præsentavit, quo ejus iram adversus mundum accensam mitigaret, ambos præstans omnium saluti impigre allaboraturos, quod & supremo judici probatum est: sane si prior illa vestis divinæ matri displicuisset, tum Dominicum ut eam mutaret, monere commodius erat. In ea eidem sancto confirmato tum primùm ordine oranti anno eodem MCCXVI Petrus & Paulus apparentes dederunt alter librum alter baculum hæc addentes: *vade & prædica, quoniam a Deo ad hoc ministerium es electus,* & statim filios suos in eadem veste vidit per orbem dispersos binos & binos incedentes, verbum Dei populis omnibus annunciantes: unde & visionem illam veluti cœleste monitum & prophetiam e cœlo allatam interpretatus, quamprimum Roma Tolosam anno MCCXVII rediit, sodales quantumvis paucos in diversas Europæ regiones dispersit: si vestis immutata, prophetia falsa fuit. Quid supererat quàm ut B. Virgo quantùm illa vestis prior sibi accepta esset, ipsa declararet, eam Reginaldo sibi devoto suamque expetenti voluntatem e cœlo ipso afferri jubens, & ad eam induendam ordinemque amplectendum excitans. Hæc sunt si qua sunt Dominicanæ vestis decora, quibus nos spoliant, non ornant, qui factam immutationem volunt.

DISSERTATIO II.

De antiquis ordinis Prædicatorum vestibus.

AD complementum dictorum in superiori dissertatione, & illustrationem dicendorum in sequenti, discutiendum est quæ primis ordinis sodalibus vestes in usu fuerint: licèt enim præcipuæ notæ sint & hactenus servatæ, est tamen in iis quiddam decursu longioris temporis neglectum, indeque etiam plerisque incognitum. Cùm verò Anonymus superius laudatus, ac sub finem seculi XIII vivens in suo *De approbatione ordinis Prædicatorum* libro eas omnes sibi proposuerit explicandas, illas ex eo desumemus resectis tamen allegoriis, quibus eas ornare studuit, & ejus dicta tum ex constitutionibus tum ex antiquis nostris scriptoribus confirmabimus, unde plana erit toto seculo XIII & sequenti XIV quoad vestes, ordinis facies.

Non abs re erit præmittere qua ratione motus ille Anonymus scripserit, eam autem in fine libri sic refert: *Hæc Frater carissime imo Pater in Christo reverende, qui me hujus habitus tam præclara vestisti armatura, & gladio verbi accinxisti ad prælium, ad tua precis exhortationem de ipsius ordinis & habitus qualitate ad juniorum informationem, non tam ex meo ingenio vel studio quàm sanctorum Patrum testimonio perstrinxi: rogans in Christo tuam paternitatem, & aliorum qui hoc legerint caritatem, quatenus pro me apud Christum & ejus beatissimam genitricem intercedatis, ut hoc quod alios de hoc ordine vel habitu monui, ipse quoque implere possim efficaciter & servare perseveranter, ut illius beatitudinis particeps efficiar, cujus meminit Joannes Apocal. 16. Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, ipso præstante &c. Explicit tractatus qui est de approbatione ordinis Fratrum Prædicatorum.* Jam monui extare in Colbert. cod. MS 3118 fol. memb.

Non immoror in colore albo & nigro, de quibus ille fusius, cùm res sit omnibus nota. Vestes sex aut septem distinguit, quæ sic ab eo numerantur, tunica, cingulum duplex exterius & interius seu lumbare, scapulare, capa, calceamenta, & tonsura cum corona rasili, plerasque breviter perstringo.

Tunica inquit, *qua primò induimur, & notandum quod tunica sub numero quaternario Fratribus conceditur &c.* cui consonant constitutiones dist. 1 cap. 10. de vestitu: *Nullus habeat plures tunicas quàm tres* cum pelliceo in hieme, vel quatuor sine pelliceo. His intelliguntur interula lanea carnem ipsam constringens, thorax interior, pelliceum in hieme vel ejus loco thorax alter, & vestis alba ad talos descendens.

Cingulum duplex remitto ultimo describendum, quia plura sunt de eo notanda.

Scapulare sic pingit, *quod caputio operit caput, nos etiam ante pectus operit & a dorso: hæc pars posterior in parte superiori jungitur cum parte anteriori, & ambæ conjunguntur cum caputio.* Quibus docet scapulare tum non fuisse ut his temporibus a caputio separatum. Hinc in constitutionibus loc. cit. pro eodem usurpantur: *Scapularia circa coöperturam genuum descendant*, nihil de caputio dicitur, quia non distinguebatur. Prosequitur Anonymus.

Capa operiendo, & capiti servit, & protegit vestes sub se contentas, & sua capacitate corpus complectitur. His etiam docet quam vocamus capam cum caputio nigro assutam fuisse, non ut nunc divisam, quod etiam indicant omnes ejus ætatis imagines. De forma caputii nihil addit, quia eadem erat non solùm regularibus omnibus, sed & clericis secularibus, canonicis, magistris artium, doctoribus, episcopis, laicis etiam communis, ea ætate acuminata qualem gestant qui proprio nomine vocantur Capucini: quod etiam probant imagines ejus seculi & sequentis: postea pro ratione qua variabatur apud seculares, apud regulares etiam varia fuit, ut & nunc qui regulares pileis utuntur, ea forma deferunt, quæ laicis est in usu, quia in his nihil sancti vel sacri unquam habitum est.

De calceamentis fusius agit, afferens illud apostoli Ephes. 6. *Calceati pedes in præparatione evangelii pacis. Nota quod non vult apostolus nudis pedibus evangelium prædicari, ne prætermissis sanctorum vestigiis propriæ prudentiæ vel subtilitati tanquam nudo pedi innitamur &c.* quibus redarguit hæreticos suæ ætatis Valdenses forsan & Albigenses vel eorum reliquias, qui supra alios se jactabant

 Christi & apostolorum maxime esse imitatores, quod nudis pedibus incederent. Videant ne fortè sic imitantur propria cuti corporis, & sic humilitate postposita confidant in sensibus proprii cordis: sciantque nihilominus, quod melior est humilitas calceata quàm discalceata superbia. Annon est superbia contra evangelium contra sanctos asserere Christum & apostolos non fuisse usos calceamentis? Et allato Joannis loco cap. 1 & explicatione Augustini lib. 83 QQ. cap. 70 cum eodem concludit, *fit ergo obedientia, non subrepat superba jactantia. Et quæ sit illa jactantia subjungit. Ego evangelium impleo, quia nudo pede ambulo.* Plura addit eximia ex SS. Patribus, præsertim ex S. Gregorio, & ex S. Augustino, quæ brevitati studens omitto. Addo solùm in his de sacro Minorum ordine non agere, unde subjungit: *Quod etiam apostoli calceamentis usi sint Marco cap. 6 referente cognoscimus, quia sandalia in pedibus, quod utique genus est calceamenti jubente Domino habuerunt.* Concludit tandem: *Sed de hoc satis ad præsens, cùm sive calceato sive discalceato orandum sit cum propheta: Non veniat mihi pes superbiæ, quia ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.*

Agit postea de pilorum tonsura, & coronæ rasura. *Sub hac tonsura*, inquit, *merito aures ordinantur situ propinquo &c. & nota quod inter coronam rasilem & aures jubetur, ut non sit nisi trium digitorum distinctio &c.* quæ omnia ad mores religiosos eleganter traducit.

Nunc pluribus agendum de cingulo, quod duplex distinguit, exterius & interius, exterius quod ad tunicam albam talarem, & *de corio* est inquit, *mortui animalis*; interius quod *lumbare* vocat, quia ad carnem & supra renes portabatur. *Secundùm autem institutionem ordinis*, inquit, *lumbare hoc ex funiculo filis conferto componitur, & situm habet circa renes, sicut lumbare adhæret ad lumbos viri, ut dicitur Jerem.* 13 & addit: *Nec abs re est, quod in die utimur duplici cingulo, unico autem de nocte.* Quibus docet qua ratione intelligendum, quod dicitur in constitutionibus dist. 1 cap. 9. *Cum tunica & caligis cincti dormiant.* Manifestum enim cingulum noctu servandum non esse exterius quod ad tunicam talarem, sed interius seu lumbare, quod ad carnem, & a renibus numquam dimittendum. Quod cùm fere in desuetudinem abierit, & a paucis cognitum sit, imo & Wadinghus de ea cæremonia perperam commentetur, accuratius est explicandum.

Ita sua ætate fuisse observatum docet Humbertus lib. Institut. de offic. vestiarii cap. 32. *Ad officium ejus pertinet habere curam de omnibus, quæ pertinent ad indumenta & calceamenta & annexa his ut sunt capæ, caputia, tunicæ, pellicia, capelli, cingula &c. brachalia sive chorda &c.* Vides distinctionem cinguli a brachali sive chorda. Et de officio magistri novitiorum cap. 5 §. quoad vestes. *Item novitii informandi sunt quod ad primam tunicam cingulum, & chordam pro brachali habeant &c.* En cingulum a chorda clare distinctum, *cingulum* quod ad primam tunicam id est exteriorem, & quæ prima se oculis offert, & *chorda* pro brachali. *Brachale* inquit Joannes de Janua noster in vocabulario quod inscripsit *Catholicon*, idem est ac lumbare, hinc Gallicum *Braier*, quod certe super nudo: chordam igitur ad carnem & super lumbos in ipso ingressu novitii deferre docebantur. Idem testatur Stephanus de Salanhaco P. IV de securo modo professionis & vitæ. *Austerior est*, inquit, *quàm appareat, quia magis est in existentia quàm in apparentia: chordam enim portat intrinsecus ad carnem, non exterius ad hominem.* Idem habet Cantimpratanus lib. 2 de Apibus cap. 10 § 10 ubi austeritates ordinis Prædicatorum recensens hanc inter alias refert: *Ad nudum in Prædicatoribus durus super lumbos funiculus.* Ad id attendebat capitulum provinciale provinciæ Provinciæ anno MCCLVII celebratum, inter alia sic monens: *Item quod a monialibus chordas vel cingula non quærant, nec tersoria.* Hanc ordinis austeritatem tyronibus mollire satagebat Anonymus quidam mystagogus anno MCCLXXXIII florens opusculo sic inscripto, *De consolatione & instructione novitiorum a quodam Fratre ordinis Prædicatorum*, quod MS memb. in 4 foll. 247 constans etiamnum apud nostros Tolosanos servatur, ubi sic habet particula 2 dist. 9 cap. 4. *De duplici cingulo. Byssinum & cingulum cœlestis vestiarius dedit Prædicatori dicens, cinxi te bysso & candore continentiæ & castitatis: propter quod quilibet Frater ordinis nostri portat duplex cingulum sive zonam, interiorem scilicet & exteriorem, ut interius & exterius sit præcinctus in signum duplicis castitatis corporalis simul & mentalis: ut videlicet quantùm ad lumbos mentis & corporis sit præcinctus, juxta id quod idem cœlestis vestiarius dicit discipulis suis, sint lumbi vestri præcincti*, Luc. 12. *Sed & B. Petrus dicit, succincti lumbos mentis vestræ, sobrii & perfecti sperate in eam quæ vobis offertur gratiam.* 1 Pet. 1. *Sed & B. Paulus dicit, state succincti lumbos vestros in veritate.* Ephes. 6. *Servit hoc genus vestimentorum ad fortitudinis firmitatem, quia scriptum est de muliere forti: Accinxit fortitudine lumbos suos.* Proverb. ultimo. Quod opusculum ut ad calcem ejusdem legitur jubente magistro ordinis VI Joanne de Vercellis anno indicato examinatum fuit.

Hoc verò pœnitentiæ genus unde B. Dominicus acceperit, non longius arcessendum: nimirum is erat mos jam olim in antiquioribus receptus seu monachorum seu canonicorum regularium congregationibus, quarum consuetudines quasdam ascivit sanctus. Hanc habebant tum, & nunc etiam observant Cartusiani, quorum in consuetudinibus sic legitur lib. 1 cap. 57. *Ad vestitum habent tunicas tres &c. lumbaria duo &c.* Idem repetitur lib. 2 cap. 15 *lumbaria duo canabina & grossa.* Et lib. 3 cap. 12 de vestimentis: *Ad vestitum accipimus tria cilicia, duo lumbaria, id est funiculos, quibus renes super carnem præcingimus &c.* De quo etiam legendus Petrus Sutor de vita Cartusiana lib. 1 cap 5 ubi sic habet: *Porro duplex cingulum gestant Cartusiani, extrinsecus unum, alterum intrinsecus. Quod exterius ostentant &c. Quod autem interius occulte geritur, lumbare dicitur. Est enim funis ex canabe cruda quo lumbi cinguntur &c.*

Sed hac de re audiendus in primis noster Stephanus de Borbone P. V de dono consilii. Tit. de prudentia. cod. Sorb. fol. 616. b. ubi pastoribus Ecclesiæ proponit in exemplum duodecim conditiones pastorum ovium. *Quintò pastor materialis non curat habere corrigiam de serico vel de auro vel argento; sed habet funem pro cingulo, quo constringit ventrem & renes: similiter pastores animarum non debent curare, quod pretioso cingulo vel vinculo constringant saccum stercorum. Ideo multi nobiles & de genere regio se humiliant adeo propter Deum, ut veniant usque ad chordam intrando religionem paupertatis & vilitatis, ut ad literam religiosi constringuntur fune ad nudam carnem, quam non ferunt manifeste coram hominibus sed sub vestibus, ut sit eis memoriale, quod sicut chorda constringit eorum renes & ventrem, sic constringantur renes & venter eorum cingulo continentiæ, ut servent sic arctam castitatem & sobrietatem, ut possint digne verbo Dei populum ejus pascere, & agnum paschalem suscipere. Unde eis qui debebant carnes agni suscipere dicitur Exod.* XII. *Renes vestros accingetis &c. Eis etiam potest competere quod Job* XII *dicitur: Baltheum regum dissolvit, & præcingit fune renes eorum: hoc facit Dominus, quando nobiles & divites addu-*

rit ad humilitatem ordinis, in quo pro nobili baltheo constringuntur in renibus corda dura ad castigationem carnis, & ut eam redigant in servitutem, ne cùm aliis prædicaverint, ipsi reprobi efficiantur. Aliqui etiam religiosi ex ordinis sui statuto deforis super vestes suas deferunt dictam chordam ad humilitatis exemplum, & paupertatis indicium, & sobrietatis & castitatis servandæ evidens monimentum. Quibus addendum quod habet Tit. seq. de Temperantia. cap. Incitativa ad virginitatem. cod. Sorbon. fol. 633. c. *Hæc autem duplex castitas carnis & cordis significatur in duplici cingulo religiosorum: cum uno debent religiosi dormire scilicet interiori, ut semper habeant soli in corde propositum castitatis, & rejiciant a se omnes cogitationes & delectationes noxias. Isa. XI. Erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus.*

In his multa veniunt notanda, & ut ab ultimo loco incipiam, per cingulum interius proculdubio intelligit chordam illam ad renes, quam religiosi semper deferebant, & qua etiam dormientes cincti esse debebant, ut supra docebat Anonymus. Præterea cùm de religiosis in communi loquatur in utroque loco, id non solùm apud nostros, sed & apud alios ea ætate usu receptum fuisse insinuat, quamvis & nostros speciatim satis indicet, cùm dicit *corda dura in renibus constringi ad castigationem carnis, ne cùm aliis prædicaverint, ipsi reprobi efficiantur.* Licèt enim & alii prædicent, *aliud est*, ut recte Anonymus primus citatus, *quod fit ex quadam accidenti imitatione, & aliud quod ex propria & principali institutione.* Denique non negligendum quod ibidem addit Stephanus noster: *aliqui etiam religiosi ex ordinis sui statuto deforis super vestes suas deferunt dictam chordam &c.* ubi modus ille loquendi notandus, *deferunt dictam chordam*: is enim ostendit chorda præcingi apud religiosos fuisse commune, at cùm cæteri occulte & sub vestibus, aliquos Fratres scilicet Minores etiam palam detulisse, quod & in aliis S. Francisci ingenium fuit. Nam cùm aliorum ordinum regularium institutores austeritates suas ab hominum visu subducere curarint, Franciscus nova mundum arte aggressus, quæcumque abjecta quæcumque horrida omnium oculis objecit. Dominicum nudis pedibus sæpius itinera confecisse post institutum ordinem produnt scriptores, at quandiu tantùm id secreto poterat, ex quo poterat videri, calceamenta resumebat: Franciscus palam calceos rejecit. Dominicus ut & cæteri ordinum institutores vili at honesto habitu suos indui voluit, quod quibusdam aliquando offensioni fuit, ut piæ illi fœminæ de qua in vitis Fratrum P. I cap. 6 §. 4 quæ considerans ejus sodales *juvenes & pulchros & in honesto habitu despexit eos, existimans quod tales per mundum discurrentes non possent diu vivere continenter*, quam nocte sequenti correxit B. Virgo: Franciscus novis etiam vestibus segmina *panni detriti super assui, quæ paupertatem ostentarent, commendavit.* Hunc tamen & illos in his quantumvis diversis agendi rationibus a Spiritu Sancto edoctos nemo cordatus ac vere pius ibit inficias.

Ex hactenus dictis colliges Georgio Colvenerio in suis notis ad locum Cantimpratani supra citatum nostros sciscitanti recte respondisse eam se ex ordine consuetudinem habere, duro nempe funiculo ad carnem constringi: sed puram putam fabulam esse, quod ibidem Colvenerius subjungit ex Henrico Sedulio in commentario ad caput XII vitæ S. Francisci, & ex libro cui titulus *Speculum vitæ ejusdem sancti*, Dominicum cum Francisco aliquando congressum ab eo chordam nodosam qua cingebatur petiisse, & licèt ægre tamen obtinuisse, qua mox sub interiori tunica se cinxit, nec deinceps dimisit. Primò enim licèt B. Dominicus durum funiculum ad renes suis præscripserit ex more apud religiosos communi, ipse funiculum nunquam gestasse legitur, sed catenam ferream. Sic enim Rodulphus Faventinus sextus in proc. canon. testis: *Item dixit quod dictus F. Dominicus semper portabat catenam ferream cinctam ad carnem super lumbos, & portavit eam sic cinctam usque ad mortem: & quando mortuus fuit invenit eum cinctum dicta catena, & accepit eam, & postea dedit magistro ordinis scilicet magistro Jordani.* Qui locus illic chordæ, ubi catena ferrea? Sane si & illa etiam fuisset, eam non secus ac catenam ceu depositum duplici ex capite sacrum Rodolphus servasset, & quod S. Francisco usui fuisset aliquando, & quod S. Dominico tam arcte tamque intime adhæsisset, cujus tamen nulla est memoria. Exemplum Dominici plures imitati sunt ejus sodales, qui funem quantumvis asperum suaviorem existimantes catenam ferream ei substituerunt. Sic sanctus ille Frater de quo in vitis Fratrum P. IV cap. 4 §. 3. Sic B. Jacobus de Mevania ut in ejus festi lectionibus habetur, sic innumeri alii, quod & infirmioris sexus non paucæ aggressæ sunt. Secundò quod sibi fingit Colvenerius istum apud nostros morem fune ad carnem se præcingendi, ex illo Dominici cum Francisco congressu fluxisse, jam supra abunde confutatum est, ubi ostendimus istum morem fuisse religiosis antiquioribus communem, nisi velit Cartusianos qui jam ante annum MC eumdem cultum servabant, & etiamnum servant, & eum a S. Francisco centum annis & plus juniore accepisse. Memini me legisse Templarios in solemni adversus illos instituto processu interrogatos, cur funiculo ad renes sub interula cingerentur, hujus ritus rationem dare non potuisse, nec id mirum in equitibus cætera parum piis, sed haud dubie ut religiosi id ferebant a majoribus acceptum, & ut verisimile a S. Bernardo qui illis regulam scripsit institutum. At quandoquidem Wadinghus non solùm hanc Sedulii fabulam sustinet Annal Minor. T. I. ad ann. MCCXIX. n. 2, sed & id in capitulo generali primo Storearum dicto evenisse asserit, volens illi conventui Dominicum adfuisse & cum S. Francisco tum congressum. Nova ista fabula sequenti dissertatione refellenda est.

DISSERTATIO III.

Quo anno S. Dominicus iter Hispanicum & exinde Parisiense aggressus est & confecit, & an comitiis primis ordinis Minorum Storearum dictis affuit?

S. Dominicum post stabilitum Romæ in sancti Sixti institutum iter Hispanicum unà & Parisiense suscepisse & confecisse certissimum est. Tempus hujus itineris sic definiunt Ferdinandus de Castillo, Joan. Ant. Flaminius, Thomas Malvenda & alii nostrates, ut Roma Dominicus egressus sit circa octobrem anni MCCXVIII, Segobiæ affuerit & prædicarit ante Natale Domini, hiemem & partem veris anni sequentis in Hispania egerit usque post pascha, tum Hispania relicta Galliam repetens Parisios usque excurrerit, unde in Italiam reversus Bononiam pervenit circa finem augusti ejusdem anni MCCXIX, tumque Reginaldum Aurelianensem Parisios misit.

Annalium ordinis Minorum parens Lucas Wadinghus fines suos egressus, non sua tantùm sed & nostra cernere sibi assumens, Castillum & sequaces emendare aggreditur, illudque Dominici iter sic definit, ut Roma exiens anno MCCXVIII Hispaniam intrarit, & eodem anno inde egressus per Galliam & Parisios Italiam repetens Romæ redux fuerit ante quadragesimam sequentem, quæ stylo nunc usitato

Sec. XIII. dicenda anni MCCXIX. Sic enim ille Annal. T. I. ad MCCXIX n. 5 & seqq. Hæc autem ita statuit, ut Dominicum probet post pascha ejus anni S. Francisci visendi causa Perusium venisse, habitoque cum eo de multis colloquio ab eodem sancto invitatum ad numerosum illud capitulum generale Storearum Gallice *des nattes* dictum, cui quinque, vel ut habet ad hunc annum Brietus decem Minorum millia & amplius interfuisse narrant, etiam accessisse: quibus ita constitutis & ut putat demonstratis, plura superstruit Dominico ne quid gravius dicam, haud digna.

An capitulum illud Storearum revera habitum sit, seu potius, nam congregationem Fratrum suorum principum S. Franciscum convocasse nemo forsan negabit, quam si capitulum generale appellare placuerit, fas esto: verùm an tot millia sodalium suo cœtui jam tum allecta fuerint, unaque in illis comitiis convenerint, inquirere non est animus: erunt fortassis aliquando, qui rem a S. Bonaventura omissam, at ei quantùm conjicere licet, vel incognitam, vel non probatam scrutabuntur curiosius, legendamque trium S. Francisci sociorum nomine jactatam, quam se exscribere profitetur Wadinghus, ad lydium lapidem revocantes, quam fidem mereatur, pro suscepta provincia docebunt. De S. Dominico hîc tantùm ago, contendo plane commentitium esse relatum illud ab Wadingho ejus cùm S. Francisco seu Perusii seu Assisii in capitulo Storearum colloquium.

Ipso Annalista Franciscano teste in eo tota vertitur quæstio, an anno MCCXIX festum pentecostes S. Dominicus in Italia celebrarit, quem proinde si in Hispania vel Gallia tum egisse demonstravero, narrationem Wadinganam funditus ruere necesse est. Rem conficere ex auctoribus æqualibus haud est difficile, sed priusquam affero, monendus lector, ut semper ob oculos habeat in computandis annis styli veteris discrimen a novo, quod cùm scriptores quidam recentiores & in iis Wadinghus sæpius non attenderint, in varias ambages sese intricarunt, & gravissime sunt allucinati. Scriptores itaque seculi XIII, & in iis nostrates, ubi de chronologia agunt, stylum veterem semper sequuntur, quo annus vel a die Annunciationis XXV martii ad XXV martii sequentis, vel a festo paschæ ad pascha sequens computabatur, adeo ut januario, februario, martio & aliquando aprilis parte acta ad annum præcedentem referant. Hunc stylum sequebantur in Gallia, Hispania, & pluribus Italiæ civitatibus ut Florentiæ & Romæ, quod innumeris diplomatibus pontificiis ab Odorico Rainaldo relatis evincere facillimum. Legatur tantùm ad annos 1217 & 1218, ubi litteras refert cardinalis Rainerii datas primas Laterani v. Kal. martii MCCXVI Honorii anno I: alteras itidem Laterani VI idus febr. ind. VI MCCXVII Honorii anno II, quæ juxta stylum novum datæ dicendæ essent primæ anno MCCXVII, alteræ anno MCCXVIII, sed his non immorandum, cùm in confesso sint apud omnes.

Præmittenda tamen est adhuc certa festorum mobilium in annis de quibus agendum notitia, neque enim ab Wadingho, nec a quibusdam aliis accurate notantur. Erant igitur,

Anno MCCXVIII Lit. Dom. G. Num Aur. 3. Pascha XV april. Pent. III junii.

An. MCCXIX Lit. Dom. F. Num. Aur. 4. Pascha VII april. Pent. XXVI maii.

An. MCCXX Lit. Dom. E. D. Num. Aur. 5. Pascha XXIX mart. Pent. XVII maii.

An. MCCXXI Lit. Dom. C. Num. Aur. 6. Pascha XI april. Pent. XXX maii.

Igitur quæ mensibus illorum annorum ante pascha acta sunt, ea seculi XIII. scriptores ad annum præcedentem referunt, sic acta jan. febr. martio ante pascha MCCXIX ad annum MCCXVIII pertinent, & sic de aliis. Novi Senis & Lucæ alium fuisse computum, sed de isto in præsenti non agitur. His ita præstitutis ad iter Dominici Hispanum & Parisiense venio, cujus tempus certo docebunt & cernent nostri seculi XIII & æquales scriptores, quibus accedent suppares & alii deinceps.

Primus laudandus est Jordanus, cujus hæc solùm supra relata n. 37 recolenda sunt: *Anno eodem* MCCXVIII *perrexit in Hispaniam S. Dominicus, ibique duabus domibus instauratis, revertens inde Parisius venit anno* MCCXIX *&c. paululum autem ibi demoratus venit Bononiam &c. Transmisit autem inde Parisius F. Reginaldum.* Nihil clarius. Roma exivit anno MCCXVIII pergens in Hispaniam. Mensem quidem non notat quo Roma egressus est, sed ex quo exivisse & in Hispaniam venisse anno MCCXVIII asserit, satis monet apud Hispanos jam fuisse ante pascha anni MCCXIX. Præterea in vitis Fratrum P. II supra relata n. 6. Segobiæ fuisse & prædicasse instante festo nativitatis Dominicæ diserte affirmatur, tumque insigne illud miraculum de pluvia divinitùs obtenta egisse, ex quo sequitur ita tempestive Roma exivisse anno MCCXVIII, ut jam Segobiæ adesset ante natale Domini. Addens verò Jordanus ex Hispania Parisios venisse anno MCCXIX docet Hispaniam reliquisse post pascha ejus anni quod fuit VII aprilis, & Parisiis affuisse circa finem maii vel initia junii, unde in Italiam rediit, ita ut Bononiæ affuerit circa finem augusti.

Idem habet Humbertus in chronico: *Eodem quoque anno* MCCXVIII *B. Dominicus in Hispaniam rediens duas ibidem domos instituit &c. Anno* MCCXIX (ac proinde post pascha) *de Hispania venit B. Dominicus Parisius, & invenit ibi de Fratribus ferme* XXX. *Paululum ibi commoratus divertit Bononiam, ubi jam magnus erat Fratrum numerus sub F. Reginaldo congregatus apud S. Nicolaum &c. & ideo misit F. Reginaldum Parisius.* Vides Humbertum convenire cum Jordano. Constantinus meminit quidem itineris Hispanici, sed nihil habet de Gallico.

Theodoricus lib. 4 cap. 8 sic habet stylo suo primigenio: *Cùmque in Hispania duos instaurasset conventus, non sua sed quæ Jesu Christi jugiter quærens ad terras alias properavit.* Ex Hispania egressum Tolosa transiisse refert. *Tolosa*, inquit, *proficiscens Lutetiam ad Rupemamatoriam venit, ubi in ecclesia B. matris Dei vigilans pernoctavit.* Exinde Aureliam octavo die pervenisse narrat. Sic autem prosequitur: *Anno reparatæ salutis* MCCXIX *B. Dominicus Lutetiam veniens in cœnobio S. Jacobi* XXX *Fratres invenit, apud quos ad breve tempus hærens eis valedixit, & gratiæ Dei eos commendans profectus est. Inde ad Castellionis castrum accessit &c. Tandem æstate B. Dominicus Bononiam ingressus est.* Et post plura: *Eodem anno quo Bononiam venit Dominicus, F. Reginaldus ab illo Lutetiam missus est.* Theodoricum licèt annum non notet, quo Dominicus Roma exiit Hispaniam petiturus, facile tamen est ostendere in omnibus cum Jordano & Humberto convenire. Hæc enim attendas velim. Sanctum Lutetia in Italia reducem Bononiam æstate MCCXIX ingressum ait, nempe ut mox evincetur ad finem augusti: Lutetiæ igitur sub finem maii vel mensis junii initiis aderat. Cùm verò Lutetiam e Tolosa, & Tolosam ex Hispania anno MCCXIX venerit, post pascha Hispaniam reliquerit & hoc iter aggressus sit, hiems igitur quam in Hispania transegit, fuit anni præcedentis MCCXVIII, quo Roma egressus Segobiæ jam aderat ante Domini natale. Hæc enim omnia itinera continenter, & ut ita dicam uno contextu facta.

Nec piget referre quæ habet Bernardus Guidonis in ordinis chronico, licèt Jordanum & Humbertum fere totidem verbis excipiat, ut testium multitudine narrationem Wadinganam evertam. Sic ergo Bernardus.

Anno eodem Domini MCCXVIII *post receptionem F. Reginaldi ad ordinem Beatus in Hispaniam profectus est, ubi duas domos instituit, unam scilicet apud Matritum vel Majoricum, quæ modo est monialium Sororum ordinis nostri, & alteram in Hispania apud Segobiam, quæ domus FF. Prædicatorum prima fuit.*

A. D. MCCXIX *B. Dominicus de Hispania venit Parisius, & in domo prædicta S. Jacobi conventum* XXX *Fratrum invenit, & inde misit Lemovicas ad conventum accipiendum ibidem F. Petrum Cellan Tolosanum superius memoratum: qui cùm ignorantiam & librorum penuriam allegaret, nam unum solum quaternum de homiliis B. Gregorii tantùm habebat, respondit pius pater, cujus cor erat fiduciam habens in Domino, vade inquit fili, & confidenter vade, omni die bis habebo te coram Deo, & ne dubites multos acquires Deo & afferes multum fructum, cresces & multiplicaberis, & Dominus erit tecum &c.* Revera idem Bernardus in catalogo priorum Lemovicensium sic habet: *Anno* MCCXIX *circa epiphaniam Domini F. P. Cellani Lemovicas veniens ab episcopo & capitulo Lemovicensis ecclesiæ benigne receptus fuit.* Ubi annum MCCXIX intellige stylo veteri, novo MCCXX. Prosequitur Bernardus in chronico.

Anno eodem D. MCCXIX *de Parisius profectus est* (B. Dominicus) *Bononiam, & apud S. Nicolaum reperit magnum Fratrum collegium quos sub disciplina Christi F. Reginaldi cura & diligentia nutriebat: transmisit autem inde Parisius memoratum F. Reginaldum, qui semper & ubique indefesso mentis fervore Christum Jesum & hunc crucifixum verbo prædicabat & opere, sed cito de terra sustulit illum Deus &c.* Mortuum fuisse initio februarii sequentis MCCXIX stylo veteri novo MCCXX postea ubi de eo probatur: at quantùm ad iter B. Dominici Hispanicum & Parisiense, vides Bernardum cum supra citatis omnino consentire.

S. Antoninus P. III tit. XXIII cap. IV §. V idem habet: *Post receptionem magistri Reginaldi in ordinem, B. Dominicus in Hispaniam profectus est anno D.* MCCXVIII *&c.* eadem. *Post hoc veniens Parisios, anno D.* MCCXIX (ac proinde post pascha) *ibique paululum cum Fratribus demoratus &c. Bononiam adiit.*

Sed audiendi selecti illi in processu canonizationis ex ordine jurati & oculati testes.

Guillelmus de Monteferrato testis secundus de se sic loquitur: *Dum ipse studeret Parisius, venit præfatus F. Dominicus illuc de Hispania, & tunc recepit habitum Fratrum Prædicatorum, & intravit ordinem &c.* Hic Guillelmus ut supra in ejus testimonio videre potes, B. Dominicum Romæ quadragesima anni MCCXVII noverat, ac de ordine amplectendo promissum tum fecerat, sed postquam Parisiis annis duobus theologiæ operam dedisset: tempora conveniunt, anno MCCXIX post pascha jam duo anni effluxerant.

Paulus Venetus testis octavus *juratus dixit quod* XIV *anni sunt & plus quod intravit ordinem Prædicatorum Bononia & professionem fecit in manibus magistri Reginaldi, & recepit habitum Dominica in qua cantatur evangelium Chananæa* (ea erat secunda Dominica quadragesimæ, quæ anno MCCXIX accidit tertia martii) *& magister Dominicus in sequenti æstate venit Bononiam &c.*

Id magis explicat testis nonus Frugerius Pennensis: *juratus dixit quod quatuordecim anni fuerunt in quadragesima proximo præterita, quod ipse intravit ordinem Prædicatorum, & fecit professionem in manibus F. Reginaldi, & ab eodem recepit habitum apud ecclesiam de Mascarella, ubi primò fuit ordo Prædicatorum Bononiensium: & eodem anno in æstate sequenti venit F. Dominicus fundator ordinis S. Nicolai & primus magister Bononiam: & quia de licentia magistri Reginaldi visitavit propria, & in Kalendis septembris rediit Bononiam, & invenit apud ecclesiam S. Nicolai de Bononia ordinis Prædicatorum dictum magistrum Dominicum &c.*

Quadragesima quam unicam Reginaldus Bononiæ transegit, ea est quæ stylo veteri MCCXVIII numerabatur adhuc, & stylo novo MCCXIX diceretur, cui quadrant hæc duo testimonia, quæ anno MCCXXXIII mense augusto reddita fuere, quo a quadragesima jam XIV anni effluxerant. Vides igitur testes cum chronographis laudatis convenire. Nempe chronologi Dominicum dicunt anno MCCXVIII Roma egressum, instante natali Domini Segobiæ concionem habuisse, ex Hispania excessisse anno MCCXIX ac proinde post XXV martii vel post pascha, alterutro enim tum annus incipiebat, Parisios eodem anno venisse, unde in Italiam reversus æstate Bononiam intravit. Testes narrant unus se fuisse Parisius cùm ex Hispania venit Dominicus, & ab eodem tum ordini ascitum, alii duo se Bononiæ illum æstate advenientem & ante Kalendas septembris jam ibi exstantem vidisse. Quis jam Wadinghi narrationem de congressu B. Dominici cum S. Francisco Perusii paulo post pascha MCCXIX, & deinde Assisii in capitulo Storearum maii XXVI; (qua non verò XIX die ut mendose habet Wadinghus festum pentecostes incidit eo anno) plane eversam non videat? Quis eum ferat sic obfirmate asserentem loco citato, *se nullum ex vetustis aut probatis recentioribus S. Dominici vitæ scriptoribus invenire, qui expresse aut asseveranter Hispaniæ iter hoc anno* MCCXIX *reponat.* Qui vestutiores probatioresve vitæ Dominici scriptores quàm Jordanus, Humbertus, Theodoricus & alii jam adducti, quam apotheosi ejus asserendæ testes adhibiti? An expressius asseverantiusve, luce ipsa meridiana clarius Hispanicum & Parisiense iter ad annum MCCXIX reponere potuerunt, quàm ipsorum verbis mox retulimus?

At inquit Wadinghus, monumenta Hispana Dominicum testantur anno MCCXVIII in ea regione fuisse. Est in cœnobio Segobiensi antiqua inscriptio lapidi sacrarii insculpta sic habens: *Hic servantur multæ reliquiæ Sanctorum, & corpus S. Corbalani socii S. P. N. Dominici, qui obiit in hac æde anno* MCCXVIII. Est & altera in æde monialium S. Dominici Matriti, quæ sic habet: *A. D.* MCCXVIII *venit P. M. S. Dominicus in hanc ædem, & rem sacram fecit in hac ædicula, & in eadem plures puellas suo vestivit habitu.* Sed quid tum? Ergo Dominicus jam erat in Hispania anno MCCXVIII. Et id tantùm abest ut negemus, quin supra monebamus Segobiæ eo anno jam affuisse ante natale. Adde & annum MCCXVIII stylo veteri numeratum ad XXV martii saltem aut etiam ad pascha sequens, quo incepit annus MCCXIX, tumque Hispaniam egressus venit Dominicus Parisios, unde Bononiam non accessit nisi mense augusto. In feriis igitur pentecostes anni MCCXIX quadringentis ab Assisio leucis aberat B. Dominicus.

Subruto fundamento ædificium superstructum ruat necesse est, quia tamen scriptores nonnulli Wadinghi fidei nimium tribuentes, ejus dicta suis historiis ceu authentica inseruerunt, cujus postea eos plurimum puduit, cùm erroris admoniti & convicti fuere, agedum quænam sunt illa tam gravia quæ Dominicum rebus sui ordinis retraxerunt, ut S. Franciscum inviseret? Tria in colloquio Perusino inter utrumque acta narrat Wadinghus: primum ambos coram Hugolino cardinali præsentes ab eoque interrogatos, an non e re Ecclesiæ censerent eorum sodales ad infulas abripi: alterum Dominicum a Francisco petiisse, ut ex ambobus ordinibus unus

Sec. XIII. fieret, quod iste non probavit: tertium Dominicum tandem amica humilitate & sancta importunitate a Francisco saltem nodosam qua præcingebatur chordam obtinuisse, quam mox ille sub suis vestibus corpori circumdederit. Nænias scilicet istas tyrunculis Minoritis cùm vestiebantur canebant, puerilia enim ejusmodi & insulsa pueris tantùm conveniunt, verùm sanctorum ad majorem Dei gloriam nonnisi magna cogitantium haud majestate digna. Non chorda Dominicum, sed catena ferrea occulte cinctum, S. Franciscum verò quam antiquiores monachi sub vestibus ferebant chordam, suis ut aperte supra vestes omnium oculis objicerent præscripsisse dissert. super. ostensum est. Alterum ut ex ambobus ordinibus unus fieret, quocunque mŏdo intelligatur, in mentem Dominici venire non potuit: non quidem ut in Franciscanum suus transiret, quem tot laboribus instituerat, per Europam jam disperserat, cœlum tot visionibus approbarat, summus pontifex solemni diplomate confirmarat, & multis privilegiis jam ornarat, cùm S. Franciscus nullam adhuc suæ societatis confirmationem scripto saltem obtinuisset, nec nisi pluribus annis postea obtinuerit: neque etiam ut suo Franciscani accederent, Dominicus enim ut alter Paulus, quemque in sua vocatione permanere suadebat, sic ut dissert. seq. ostendetur, varios ex variis ordinibus & monasteriis socios in prædicatione anno MCCXX asciscebat, sed in proprio quemque sui ordinis habitu, cur Minores suum deponere voluisset? Jam quantùm ad cardinalis Hugolini propositionem, utrumque sanctum Wadinghus fateor summa cum modestia respondentem exhibet, at idne tanti est, ut tota Dominici vitæ ratio propterea evertenda sit. S. Bonaventura quidem de his Hugolinum cum S. Francisco aliquando egisse refert: at cùm nec ille nec scriptores nostri qui ante MCCC floruerunt, Dominicum in eo congressu præsentem fuisse meminerint, istud postea adinventum credere est ab iis, qui res ut apud primos ac ingenuos auctores legitur, simpliciter narrare non sustinent, nisi novis pro libito circumstantiis augeant & adornent. Scio S. Antoninum qui in vita S. Dominici hujus congressus nullus meminit, eum in vita S. Francisci P. III tit. XXIV cap. 2 §. 2 referre. Verùm nec S. Antoninus nec qui eum ex nostris excipiunt, Wadinghum quicquam juvant, ille enim non Perusii sed Romæ habitum hoc colloquium scribit absque nota anni. Soëgius noster Anni Dominicani Gallici T. I augusti p. 381 Romæ item collocat ante pascha anni MCCXX, quod cum chronologia vitæ S. Francisci nullo modo cohæret, nam post annum MCCXVI ambos sanctos Romæ convenisse negat & probat Wadinghus. Anno autem MCCXX vix e Palæstina vel Syria ubi annum circiter hæserat redux S. Franciscus, non Romam sed per plures Longobardiæ civitates pedetentim Assisium, ubi plurima ipsi negotia erant, se contulit. Tot incerta S. Bonaventuræ narrationi standum evincunt, nihilque addendum.

Jam ad alterum in capitulo storearum colloquium veniendum, quo cùm sola tam celebris quinque millium & amplius Minorum simul adunatorum cœtus visendi curiositate motum Dominicum cum septem suis accessisse velit Wadinghus, satis est ut non adfuisse censeamus, cùm aliunde actorum ejus accurata ratio mox stabilita id non permittat. Hujusmodi enim curiositas fraterculos otiosos forsan moveat, non grandes illas animas nonnisi magna & excelsa cogitantes, & ad suorum consiliorum perfectionem redimendo tempori unice applicitas. Relationem illam Wadinganam Soëgius noster in vita S. Dominici loco citato sic evertit, ut addito non sit opus. Sed quid tandem de habito illic colloquio narret Wadinghus expendere placet. Vult tum primò Dominicum S. Francisci exemplo de reditibus in ordine non habendis, ac victu ostiatim emendicando consilium cepisse, cujus contrarium antiqua omnia monumenta evincunt. Videsis supra Jordanum n. 24 ubi de Prulii gestis post reditum a concilio Lateranensi in electione regulæ anno MCCXVI. *Proposuerunt etiam & instituerunt possessiones non habere, ne prædicationis impediretur officium sollicitudine terrenorum, sed tantùm reditus eis adhuc habere complacuit*, scilicet quousque plenam & certam haberent ordinis confirmationem. Idem habet Constantinus n. 17 de deliberatione circa regulam eligendam: *Ne prædicationis cui summopere debebant intendere, impediretur officium, proposuerunt ex tunc terrenas possessiones & reditus prorsus abjicere, quod postmodum in primo capitulo generali Bononiæ celebrato affectu pariter & effectu per constitutionem immobilem perpetuæ fuit executioni mandatum.* Quæ deliberatio certo habita ante donationem ecclesiæ S. Romani, quam acceperunt æstate anni MCCXVI, tum autem Dominicus nondum S. Franciscum noverat. Quibus addas quos exinde conventus erexit sanctus, sine reditibus voluisse, & ex mendicato vivendum instituisse. Sic refert idem Constantinus n. 27. *Sub silentio*, inquit, *prætereundum non est, quod cùm Fratres adhuc apud locum S. Sixti morarentur in Urbe, multamque necessariorum propter ordinem apud homines nondum notum frequenter paterentur inopiam, contigit die quadam ut procurator Fratrum Frater scilicet Jacobus de Melle Romanus panem quem apponeret Fratribus non haberet: missi verò Fratres pro eleemosyna, cùm domos multas more solito circuissent &c. factum est ut panis vix modicum & valde modicum reportarent &c. erant autem in conventu tunc temporis Fratres circiter quadraginta &c.* Viden Fratres pro eleemosyna domos more solito circumeuntes? en jam igitur Romæ ab anno MCCXVII vitam mendicantem a Dominico institutam in ipso ordinis primordio.

Cætera conveniunt. Rodulphus Faventinus in proc. canon. testis sextus sic de Sancto loquebatur: *Quod dictus F. Dominicus multum diligebat paupertatem, & hortabatur ad paupertatem, & scit hoc quia quando dictus F. Dominicus venit Bononiam, D. Hodoricus Galiciani volebat dare Fratribus quasdam possessiones suas, quæ valebant bene ultra quingentas libras Bononienses, & facta erat inde charta coram D. episcopo Bononiensi: sed ipse F. Dominicus fecit rescindi contractum, & noluit quod haberent illas vel quasdam alias possessiones, sed solummodo viverent de eleemosynis & parce: quoniam si haberent in domo, unde possent vivere in die, nolebat quod reciperent aliquid illa die, nec mitterent pro eleemosynis &c.* Id demonstrat Dominicum in itinere Hispanico & Parisiensi ex quo redibat cùm Bononiam accessit, in erectione domorum per illa regna tum redituum omnium abdicationem, tum vitam ex mendicato instituisse: neque enim dicas in Hispania aut Gallia permisisse, quod Bononiæ ubi primùm ingreditur, tam severe prohibet. Quæ Wadinghum eo magis urgent, quod illud iter Hispanicum ante capitulum storearum exactum velit. Clariora hæc adhuc & certiora evadent ex actis capituli primi generalis ad sacra pentecostes MCCXX Bononiæ habiti, de quo sic chronicon Humberti: *In hoc autem capitulo inter multa quæ statuta fuerunt, fuit & hoc statutum, quod amodo possessiones & reditus non reciperentur, & quod illis resignarent, quæ habebant in partibus Tolosanis.* Quod signum est Tolosæ solùm bona, decimas scilicet ab episcopo Tolosano jam ante inchoatum ordinem collatas, non verò in aliis cœnobiis ad quadraginta circiter jam erectis recepta fuisse: alioquin tam istis quam Tolosanis ut renunciaretur jussum fuisset.

Illæ ipsæ litteræ episcopi Tolosani anno MCCXV datæ, quibus sextam partem decimarum Dominico ejusque

ejusque sociis nutriendis, vestiendis ac in valetudine procurandis, idque tantùm cùm prædicando discurrerent, contulit, votum ipsum de possessionibus non habendis ab illis jam conceptum ac propositum exprimunt. *Instituimus*, inquit Fulco, *Prædicatores in episcopatu nostro F. Dominicum & socios ejus, qui in paupertate evangelica pedites religiosè proposuerunt incedere, & veritatis evangelicæ verbum prædicare: & quia dignus est operarius cibo suo &c.* Unde si quid post annum supererat, non nobis accrescebat, sed ad parochiales ecclesias adornandas, vel in usum pauperum juxta episcopi beneplacitum refundebatur. Eane verò erat possessio? sed & ratio quam affert episcopus notanda: *Cum enim jure cautum sit, quod aliquanta pars decimarum debeat semper pauperibus assignari & erogari, constat illis pauperibus nos teneri partem aliquam decimarum potius assignare, qui pro Christo evangelicam paupertatem eligentes, universos & singulos exemplo & doctrina donis cœlestibus elaborant ditare &c.* Viden illis decimas titulo paupertatis missionisque sustentandæ causa designatas potius quàm datas, remanente scilicet penes episcopum dominio, qui quod supererat, ut sibi videbatur, aliis distribuebat: & tamen quia jus quoddam eo instrumento ad eas decimas acquisitum erat, & quamdam possessionis speciem prætendebat, & illud abdicandum præceptum est.

Itaque ut hactenus dicta colligam, jam anno MCCXV, quo prima ordinis delineatio facta est & ante concilium Lateranense IV, simul & propositum de nullis possessionibus habendis a S. Dominico conceptum: anno MCCXVI in electione regulæ & constitutionum votum illud etiam ab omnibus unanimiter approbatum: anno MCCXVII sodales in diversa regna divisi absque viatico mittuntur, uno excepto Joanne de Navarra, cui ad duritiam cordis, cujus ipsum postea graviter pœnituit, verùm adhuc neophyto tum & delicato duodecim denarii, ut Tolosa Parisios iret concessi: in S. Sixto Romæ annis MCCXVII & MCCXVIII ex pane ostiatim mendicato vivitur: Bononiæ anno MCCXIX charta primi prædii oblati jam scripta mox ut rescitur, cum quadam horroris specie coram episcopo abrogatur: anno MCCXX in primis comitiis mendicitas lege perpetua sancitur: eo toto temporis decursu S. Franciscus nonnisi semel Dominico visus sub finem anni MCCXVI, nempe Romæ, cùm hic ordinis confirmationi instaret, quo in colloquio supra relato de paupertate nihil inter eos actum, & fatetur Wadinghus: a novembri MCCXVIII ad augustum MCCXIX Dominicus Italia abfuit: a feriis pentecostes MCCXIX S. Franciscus per annum & amplius egit in Syria: quî Wadingho venit in mentem Dominicum a S. Francisco de abdicandis possessionibus consilium accepisse?

Si hæc aliquando eruditi Actorum SS. editores Antverpiani legerint, ac pro criterio suo attentius perpenderint, non dubito tum ab ipsis longe aliter sentiendum, quàm scripserint in appendice ad Tomum II maii in vita S. Angeli Carmelitæ cap. 5 pag. 828 col. 1, ubi sic habent: *S. Dominicum Romæ fuisse saltem usque ad martium* MCCXIX *demonstrat satis clare Wadinghus: docet etiam utrumque Franciscum & Dominicum intra festum paschatis & pentecostes fuisse Perusii apud cardinalem Hugolinum, & deinde Assisii in capitulo generali Minorum, cui initium ipsa die pentecostes* XXV *maii.* Erratum hic ut conjicio typorum, legendum enim XXVI. Hæc eadem repetunt Append. I in vita ex aliis conflata pag. 840 col. 1. Ubi inquam hæc ad examen revocaverint, fatebuntur si unquam aliâs, hîc sane sibi accidisse, quod ejusdem vitæ S. Angeli Anacephaleosi pag. 835 col. 1 profitentur, multa quæ ipsis primò visa sunt solidissima atque indubitabilia, doctioribus postea factis judicata revera nihil aliud esse quàm figmenta. Wadinghum jam ipsi maxima ex parte deserunt, nam iter Dominici Hispanicum post capitulum Storearum collocant, ubi contra Wadinghus totus in eo est, ut probet ex eo itinere jam quibusdam ante capitulum mensibus Romam rediisse. Viderunt nempe eruditi editores narrationem Wadinganam nulla ratione stare posse cum iis, quæ auctores æquales constanter unoque ore asserunt, Dominicum ex itinere Hispano & Parisiensi non recta Romam, sed Bononiam accessisse mense augusto.

At quod iidem editores eo loci astruunt seu potius proponunt re nondum discussa, ubi diligentius inspexerint, veritati non magis consonum agnoscent. Sic enim illi pag. cit. 828 col. 1. *Ex illo capitulo* (Storearum ad pentecosten MCCXIX, *Dominicus in Hispaniam pedes iter instituit, & magna æstatis parte peracta Segoviam appulit, nec nisi sequenti anno mense septembri Bononiam rediit, neque Romæ fuit quoad vixit, id est usque ad augustum anni* MCCXXI. Hæc inquam se ipsis ruunt omnia. Si Dominicus post pentecosten anni MCCXIX tantùm peracta jam fere æstate Segoviam venerit, nec ex eo itinere Bononiam redierit nisi mense septembri anni sequentis, ergo anno MCCXX sacris pentecostes feriis primum suum capitulum generale Bononiæ non habuit, quod esset soli ipsi tenebras offundere, ipsique editores non probabunt, cùm eorum meminerint, quæ Bollandus ad vitam B. Jordani mense februario in commentario prævio præfatur. Quid eruditis viris imposuerit non ignoro. Noverant integram hiemem Dominicum in Hispania restitisse, nec inde per Parisios reversum nisi circa septembrem anni sequentis, & ob nimiam Wadingho fidem ut capitulum storeatum salvarent, seu potius Dominici cum S. Francisco in illo capitulo colloquium, iter Dominici Hispanum post capitulum prorogare maluerunt. At si unquam hæc retractent, tum iis ex ipso Bollando constabit de capitulo primo generali Bononiæ ad pentecosten anni MCCXX a Dominico celebrato: hinc colligent septembrem anni præcedentis MCCXIX eum esse quo Dominicus ex itinere Hispano Bononiam appulit, ac proinde cùm hiemem in Hispania ab eo actam negari nequeat & ipsimet statuant, jam ab anno MCCXVIII saltem ante natale Domini Roma Segoviam accessisse certissime concludent. Ex quibus luce clarius ipsis demonstratum erit, colloquium illud a Wadingho adeo decantatum Dominici cum S. Francisco, seu Perusii coram cardinali Hugolino, seu Assisii in capitulo storearum ad pentecosten MCCXIX, inter tot quæ ipsis in decursu immensi operis occurrerunt figmenta, non aliam quam ex insulsis Fratrum quorumdam otiosorum confabulationibus originem habentia numerandum.

Quod autem addunt eruditi editores Dominicum ex quo Bononiam ex itinere Hispano accessit, Romæ quoad vixit non fuisse, id est usque ad augustum anni MCCXXI, cùm ab ipsis absolute asseratur, & id cum gestis sancti non convenire jam superest demonstrandum.

DISSERTATIO IV.

Quo anno quove mense B. Dominicus Neapoleonem Stephani cardinalis a Fossanova consanguineum suscitavit, & Sanctimoniales apud S. Mariam trans Tiberim degentes ad S. Sixti cœnobium transtulit.

Neapoleonem nobilem juvenem Romæ apud S. Sixtum a B. Dominico suscitatum tradunt tres primi ejus vitæ scriptores Jordanus, Constantinus, & Humbertus, ut supra relatum est, at annum mensemve quo patratum hoc miraculum illi

Sæc. XIII. tres omiserunt. Mirum verò illos de translatione Sanctimonialium e S. Maria trans Tiberim ad S. Sixti domum cedentibus Fratribus & ad S. Sabinam transeuntibus omnino tacuisse, quamvis utrumque opus eodem tempore actum sit. De illa tamen translatione a Dominico summa prudentia ad finem usque perducta nullatenus est dubitandum, cùm revera Sanctimoniales illæ domum S. Sixti quadringentis fere annis incoluerint, pluribus diplomatibus pontificiis in ea constitutæ & ornatæ, hujusque translationis fidem faciant ipse Humbertus non quidem in vita sancti ut dictum est sed in chronico, Theodoricus de Appoldia, Bernardus Guidonis in notitia ordinis, S. Antoninus & alii deinceps. Verùm isti veteres alii tempus hujus translationis non annotarunt, alii ita retulerunt, quod vitio notariorum ascribendum censeo, ut in innumeras ambages scriptores seculi XVI & XVII conjecerint, sicque cùm omnes annum & mensem conentur indicare, neminem adhuc legerim, qui aliquid certi & ad rationem chronologiæ accurati astruat.

Ut pedetentim in re tam obscura procedam, illud in primis statuendum, in eo enim omnes conveniunt, translationem illam factam mense februario, adeo ut supersit tantùm quærendus annus quo acta. De tribus autem annis tantùm potest esse quæstio, an anno MCCXVII stylo veteri novo MCCXVIII, an anno MCCXVIII stylo veteri novo MCCXIX, an anno MCCXIX stylo veteri novo MCCXX. Jam ex dictis dissertatione superiori explodendus est februarius anni MCCXVIII stylo veteri novo MCCXIX, tot enim argumentis evictum est Dominicum jam ante natale Christi anni MCCXVIII ad augustum anni sequentis MCCXIX Roma abfuisse & in itinere Hispano & Parisiensi egisse, ut in controversiam nunc venire non possit. Februarium anni MCCXVII stylo veteri novo MCCXVIII eligit Malvenda, idque primùm mihi magis arridebat, ceu quod commodum omnino videretur ad plura expedienda, quæ apud alios legebam haud parum intricata. Hac enim ratione miraculum Neapoleonis suscitati inveniebam factum XVI Kal. martii die mercurii non quidem cinerum, sed septuagesimæ, translationem Sanctimonialium XII Kal. martii die Dominica non prima quadragesimæ, sed Dominica sexagesimæ, quod viris in hisce antiquis versatis forsan non displicebit. Verùm re attentius perpensa, pluribusque inspectis veteribus instrumentis & ille annus rejiciendus visus est.

Superest itaque februarius anni MCCXIX stylo veteri novo MCCXX ad quem translationem dictam censeo revocandam. Primò enim omnes qui annum distincte annotarunt, februarium anni MCCXIX diserte exprimunt: certissimum autem illos stylo suâ ætate vulgari usos esse, ac proinde mensem eum indicare qui nunc februarius MCCXX diceretur. Audiendus Theodoricus de Appoldia qui primus tempus & miraculi & translationis retulit: sic enim ille vitæ S. Dominici lib. 2 cap. 4. *Per id tempus consentientibus cardinalibus constituerat Honorius pontifex omnes sanctimoniales per diversa urbis loca dispersas modo id fieri posset in unum redigere, ut & facilius possent regi & cautius custodiri. Porro illas ita adunatas decreverat apud S. Sixtum propter antiqui loci reverentiam & opportunitatem collocare. Cernens verò B. Dominicum per omnia virum religiosum & ad omnes gratiosum illi pium hoc opus committendum censuit. At ille nihil pontificis voluntati resistens id unum a pontifice modestissime petiit, quandoquidem tam grande opus ipsius unius vires sustinere non possent, adjutores idoneos ut ipsi largiretur. Adjuncti sunt igitur ei a pontifice tres cardinales, Hugolinus Ostiensis qui postea fuit pontifex maximus, Stephanus de Fossanova, Nicolaus cardinalis Tusculanus episcopus, quorum hac in re exequenda fideli opera & consilio usus est.*

Et post plura quæ hîc non necessaria, sic prosequitur cap. 6. *Postea fidelis Domini servus & prudens ex consensu trium cardinalium, quorum regebatur & muniebatur auxiliis, id constituit ut apud S. Sixtum quarta feria in capite jejunii ipsi quatuor convenirent, & ibidem abbatissa cum monialibus omnibus præsens administrationem & jura omnia cardinalibus & ipsi resignaret, uti etiam factum est. Ecce autem sedente viro sanctissimo cum illis cardinalibus in media capitulari domo, abbatissa verò cum monialibus astante, ut ea res divinitus gesta evidenti miraculo declararetur, vir quidam ejulans & comam vellens voce horribili exclamat eheu eheu. Cunctis exterritis & sciscitantibus quid haberet, respondit, nepos Stephani cardinalis ab equo cadens mortuus est, dicebatur is Neapoleon.* Post relatas omnes miraculi secuti circumstantias, sic concludit: *Jacuerat Neapoleon mortuus a mane usque ad horam nonam, suscitatus verò est ut opinor & conjicere possum XVI Kal. martii in die martyris Valentini.* Difficultatem quam ingerit illa diei nota postea explicabimus, sed prius videnda sequentia.

Cap. 7 sic habet: *Ad hoc usque tempus in Urbe FF. Prædicatores apud S. Sixtum manserant, ubi hæc & plura alia admiranda omnipotens salvator per S. Dominicum operatus est. At pontifex Honorius qui virum Dei haud vulgariter amabat, ecclesiam S. Sabinæ eis tradidit incolendam, ubi hodieque pontificum benevolentia perseverant. Eo libros & omnia quæ hactenus apud S. Sixtum habuerant transtulere. Ad quam sane cùm se contulissent ut diximus Fratres cum omnibus rebus suis, agente B. Dominico tempus præstitutum est, quo deberent sorores in ecclesiam S. Sixti ubi Fratres hactenus habitaverant succedere.* Cap. 8 sic prosequitur: *Anno ab incarnatione Dñi* MCCXIX, XII *Kal. martii, quæ tunc erat Dominica prima quadragesima, venerunt D. abbatissa cum sanctimonialibus suis de Transtiberim accipientes in possessionem ecclesiam S. Sixti ubi habitare cœperunt Domino perpetuo servituræ, inter quas erat quædam puella nomine Cecilia tunc* XVII *annorum juvencula, quæ in ipso portæ introitu prima omnium habitum ordinis assumsit a patre sancto, in manibusque ejus tertia vice obedientiam professa est, post hanc abbatissa cæteræque moniales, nec non tota alia similiter induta & professa sunt, quæ omnes numero* XLIV *extiterunt &c.* apud auctorem legenda.

Quæ hactenus referenda fuerunt, ut rei gestæ lector seriem habeat, in his verò annotandi potissimum sunt annus & dies miraculi Neapoleonis scilicet suscitati, tum & dies translationis monialium. Annus statuitur MCCXIX & mensis februarius, recte, nempe juxta computum seculo XIII Romæ usurpatum, quo annus incipiebat XXV martii, ille qui nunc MCCXX diceretur. At quantùm ad utrumque diem assignatum error intolerandus irrepsit, quod vitio notariorum ascribas. Dies suscitati Neapoleonis indicatur feria quarta cinerum XVI Kl. martii, dies verò translationis monialium dominica prima quadragesimæ XII Kal. martii, quod utrumque impossibile est. Nam quod mireris inter annum MCLXXXXIV & MCCLXIII spatio octoginta annorum nullus fuit, quo pascha die prima aprilis evenerit, & consequenter quo dies cinerum fuerit XVI Kal. martii, & dominica prima quadragesimæ XII Kal. martii. Hunc itaque Theodorici locum corruptissimum esse certissimum est. Quid igitur? Expungendi dies ab eo notati & standum in anno ab illo indicato nempe MCCXIX more Romano ejus seculi, qui nova nostri seculi computandi ratione MCCXX diceretur, adeo ut miraculum suscitati Neapoleonis XVI Kal. februarii feria VI post cineres patratum fuerit, translatio verò monialium acta XIV Kal. martii domin. prima quadragesimæ.

Huic nostræ sententiæ cætera omnia conveniunt. Theodoricus ipse cum Jordano & Constantino F. Tancredum miraculo præsentem exhibet & præcipuum actorem: at ipse Tancredus habitum ordinis

non induit nisi post pascha anni MCCXVIII, cùm illum acceperit Bononiæ, quo S. Dominicus sodales non misit nisi circa pascha ejus anni, ut supra narrabat Jordanus n. 34. Cùm igitur quadragesimam anni MCCXVIII stylo veteri novo MCCXIX Dominicus in Hispania egerit, superest ut miraculum & translatio evenerint quadragesima anni MCCXIX stylo veteri novo MCCXX. Favet S. Antoninus P. III tit. XXIII cap. IV §. VII ubi sic habet de miraculo : *Jacuerat autem Neapoleo mortuus a mane usque ad horam nonam, suscitatus verò est ut opinor XVI Kal. martii in die martyris Valentini.* Ubi notandum non addere id factum feria quarta : dixerat quidem paulo ante abbatissam cum monialibus convenisse apud S. Sixtum *in capite jejunii*, sed id de feria sexta post cineres æque intelligi potest. De translatione verò monialium sic habet §. XI. *Anno MCCXIX venerunt dominæ abbatissa cum suis monialibus de Transtiberim accipientes in possessionem ecclesiam S. Sixti, ubi habitare cœperunt &c.* Inferius verò docet hanc translationem factam dominica prima quadragesimæ. Sic enim ille. *Cum autem in secunda dominica quadragesima, scilicet post octo dies ab accessu earum ad dictum locum B. Dominicus ibi prædicaret in ecclesia &c.* ubi expulsionem dæmonis a sorore Amata refert. Nota rursus S. Antoninum non addere dominicam illam primam evenisse XII Kal. martii. Annus MCCXIX apud S. Antoninum Florentiæ scribentem, ubi stylus numerandi Gallicus erat in usu, ut multis exemplis evincetur in hoc opere, præsertim ubi de F. Jordano de Pisis, quoad tres menses januarium, februarium & martium ad pascha usque, ille est qui nunc MCCXX diceretur. Itaque juxta S. Antoninum miraculum factum fuerit anno stylo novo MCCXX die XIV februarii seu XVI Kal. martii feria VI post cineres, translatio verò monialium domin. I quadragesimæ, quæ anno illo accidit XVI febr. vel XIV Kal. martii. Et cùm S. Antoninus Theodoricum fere totidem verbis excipiat, licèt non eodem ordine, colliges vel in suo codice Theodorici duas illas notas quæ hactenus scriptores adeo torserunt, *feria IV cinerum XVI Kal. martii* ad miraculum, & XII. *Kal. martii dom. I. quadragesimæ* ad translationem non legisse, vel si legit expungendas ut rem totam evertentes judicasse. Ego verò Antonini narrationi lubens assentior, existimoque verissimam, & talem a rei chronologicæ peritis habendam spero.

Confirmatur ex Constantino, qui relata n. 23 B. Reginaldi mirabili curatione, & ad ordinem aggregatione, quod gestum vult cùm S. Dominicus & sui sodales adhuc ad S. Sixtum morarentur, sic habet n. 24. *Sed adhuc libet ab Urbe nequaquam divertere, ea quæ in ea aliis quoque temporibus per eumdem servum Dei Dominicum contigisse didicimus prosequentes.* Et immediate subjungit suscitationem nepotis Stephani cardinalis de Fossanova apud S. Sixtum. Istud *aliis temporibus* denotat non eodem anno suscitatum Neapoleonem, quo Reginaldus ordinem amplexatus est: ac proinde cùm hic anno MCCXVIII post XXV martii nostris allectus fuerit, rectè nos translationem Fratrum ad S. Sabinam & monialium ad S. Sixtum ad annum MCCXX prolatamus.

Hæc amplius illustrabit F. Benedictus de Montefiascone, qui ab anno MCCCXI ad MCCCXVIII negotia monialium S. Xisti gessit, & chronicon ejus monasterii ab initio ad sua usque tempora scripsit. Sic autem ille : *Nota quod D. Innocentius papa III monasterium S. Xisti cum devotione animi ædificare de bonis Ecclesiæ cœpit, ut mulieres urbis ac moniales aliorum monasteriorum urbis per diversa vagantes possent ibi sub arcta clausura & diligenti custodia Domino famulari. Sed dum ad promotionem dicti loci ferventissimo instaret animo morte præventus, monasterium imperfectum remansit. Honorius autem papa III immediate successor præfati Innocentii ad instantiam B. Dominici fundatoris & institutoris ordinis FF. Prædicatorum ipsum ordinem confirmavit, & eidem B. Dominico & suis Fratribus dictum locum S. Xisti ad eorum usum concessit. B. Dominicus processu temporis audiens dictum monasterium ad usum monialium fuisse ædificatum, ductus teneritudine conscientiæ, noluit quod Fratres sui ordinis ulterius ibi manerent, sed cum multa sollicitudine multoque labore ecclesiam S. Sabinæ a summo pontifice sibi & suo ordini impetravit. Postremo verò ipse B. Dominicus, ne locus S. Xisti ad Dei honorem ædificatus ad alios usus quam ordinatio ædificantis intenderat, poneretur, & ne ipse cui prædictus locus dudum concessus fuerat, aliquo remorsu conscientiæ læderetur, cœpit ex concessione sibi a summo pontifice facta per Urbem diversa sanctimonialium monasteria circuire, eisque verbum Domini prædicare, & ad introitum dicti monasterii admonere, sicque ibi multas voluntarias tandem sub debita clausura locavit. B. ergo Dominicus omnes moniales S. Mariæ in Templulo, & magnam partem monialium S. Bivianæ de licentia præfati Honorii papæ & de voluntate ipsarum transtulit ad prædictum monasterium S. Xisti. Itaque uno die translatæ sunt XL moniales tam dicti monasterii, quàm XXI de diversis aliis monasteriis urbis ad monasterium S. Xisti : multas & alias dominas seculares post hæc B. Dominicus ad ordinem recepit, & cum aliis in dicto monasterio reclusit. Idem quoque B. Dominicus eisdem monialibus sibi a papa concessis habitum sui ordinis quo utuntur induit, & velum tradidit, faciem cooperuit, ad ordinem recepit, professionem ipsarum secundùm regulam B. Augustini & institutiones FF. Prædicatorum admisit.*

In qua narratione quæ ab ingenuitate plurimum allubescit, licèt non ita cum dictis Theodorici conveniat, illa saltem verba velim attendas : *B. Dominicus processu temporis audiens &c.* & illa alia : *Et ne ipse cui prædictus locus dudum concessus fuerat &c.* Quæ arguunt non tam cito Dominicum destinationem Innocentii III circa locum S. Sixti cognovisse, & jam dudum id est duobus saltem annis solidis nostros illum incoluisse, cùm de eo relinquendo Sanctus cogitavit : quod translationem monialium ad quadragesimam anni MCCXX stylo novo facile rejicit. Imo id evincunt, quæ ibidem addit dictus F. Benedictus. Sic enim prosequitur : *Post hæc B. Dominicus ad informationem dictarum monialium vocavit de monasterio de Pruliano, quod ipse ædificaverat sororem Blancham cum septem aliis monialibus, quarum quatuor post aliquot tempora ad supradictum monasterium redierunt : prædicta verò soror Blancha cum aliis tribus usque in finem remansit in monasterio S. Xisti, ubi eam B. Dominicus priorissam instituit, quæ præfatas moniales de ordinis observantiis docuit, loqui per signum manuum indicavit.* Ex archivo autem Pruliano habetur vocationem illam sororis Blanchæ & septem aliarum factam esse a B. Dominico anno MCCXIX nempe stylo veteri, novo MCCXX. Quæ confirmant eodem anno & non antea translationem monialium in S. Sixtum factam, incredibile enim est Dominicum eas duobus annis vel etiam uno anno solido sine præfecta nova & sui ordinis reliquisse : præsertim cùm ibidem addatur abbatissam S. Mariæ de Templulo intrando in S. Sixtum munus suum inter manus B. Dominici resignasse. Percinus qui in Monum. Tolos. hæc refert ex cod. MS archivi Pruliani a se viso, addit hanc sororem Blancham ibidem dici origine Tolosanam nobilique viro prius matrimonio junctam, qui & ipse ordinem amplexus est, ambosque bona sua monasterio Pruliano dedisse, ex quibus media pars dormitorii constructa est. Verum est Percinum ibidem pag. 22 b. non parum laborare, qui hanc Blanchæ vocationem anno MCCXIX componat cum Dominici itinere Hispano anno eodem facto, quia scilicet ad distinctionem styli veteris a novo non attendit : Dominicus enim æstate anni MCCXIX jam in Italiam redierat, & Romam mense decembri, januario verò & februario sequentibus qui ejusdem

Sæc. XIII. anni MCCXIX tum adhuc computabantur, tractata est & completa monialium Romanarum in S. Sixtum translatio, tumque etiam ad eas regendas sorores e Prulio vocatæ.

Sed quid plura. Rem conficiunt Honorii III diplomata duo. Primum quo S. Dominico & ejus sodalibus pontifex ecclesiam S. Sixti donat, & sic a Rainaldo ad ann. 1219 n. 50 refertur: *Honorius papa III. Ligna pomifera in Ecclesiæ paradiso plantare ac fovere plantata, juxta quod ex officii nostri tenemur debito cupientes, dilecto filio F. Dominico & Fratribus sui ordinis ecclesiam S. Xisti de Urbe duximus concedendam, sperantes in Domino, quod tam ipse quàm Fratres sui poma nova & vetera, quæ sponsus legitur sponsæ servasse, ministraturi sint esurientibus animabus &c. Datum apud civitatem Castellanam* XVI *Kal. januarii pontif. nostri anno* IV quod est XVII dec. MCCXIX. Cùm igitur in hoc diplomate nulla fiat monialium mentio, sed Dominici tantùm ejusque Fratrum, argumentum est invictum eos ibidem decembri MCCXIX adhuc mansisse, nec moniales in eam ecclesiam translatas nisi februario sequenti. Scio Fontanam in Mon. Domin. pag. 12 Breve datum legere anno III non IV, sed erratum esse haud dubium, cùm ipse testetur se ex Rainaldo excipere. Deinde Rainaldus dicit epistolam esse 654 libri 4 quo ex libro epistolas omnes anni 4 Honorii depromit. Non mirum autem ecclesiam S. Sixti nostris tantùm datam decembri MCCXIX, licèt a duobus annis & amplius eam incolerent: sic enim & Parisiis ecclesiam S. Jacobi nostri intrarunt mense augusto MCCXVIII, quæ tamen ut Jordanus notat supra n. 31 non fuit tum eis absolute data, sed tantùm mense maio MCCXXI.

Alterum diploma Honorii III in favorem monialium sic habet: *Dilectis in Christo filiabus priorissæ ac conventui S. Sixti de Urbe &c. sane cum ecclesia S. Mariæ de Tempore usque adeo in spiritualibus esset collapsa, & in temporalibus diminuta, quod nequaquam ibi abbatissa & moniales ipsius possent commode remanere, nos more industrii vinitoris, qui plantas fructiferas de loco sterili ad fertilem satagit transplantare, tam abbatissam quàm moniales cæteras ad ecclesiam S. Sixti, ubi per Dei gratiam domus religioni aptissima cum multa diligentia sunt fabricata duximus transferendas, translata etiam magna parte monialium ecclesiæ S. Bibianæ de voluntate ipsarum, quæ unà vobiscum elegerunt Domino famulari &c.* in quibus pontifex S. Sixti monasterio dat bona omnia monasterii S. Mariæ de Tempore, & pleraque monasterii S. Bibianæ, cui tamen ultimo aliqua relinquuntur ad earum sustentationem, quæ ibi remanserant. *Datum Laterani* VII *Kal. maii ann.* V scilicet XXV *april.* MCCXXI: quod signum est ab anno superiori ad summum eas in S. Sixtum migrasse, neque enim credibile duos aut tres annos pontificem eas sacras virgines absque bonis ad victum necessariis reliquisse: post annum verò id urgebat, ut & secure earum villici solvere, & jure illæ debita exigere possent. Hoc diploma sanum & integrum cum bulla plumbea etiamnum apud dictas moniales ad SS. Sixti & Dominici *de Magnanapoli* nunc morantes servatur, viditque Franciscus M. Torrigius, & refert in sua *historia dell' imagine di Maria Vergine posta nella chiesa di dette monache.* Romæ Manelfi. 1641 in 4.

Solvendus jam est nodus quem proponunt eruditi Actorum SS. editores loco ad finem dictæ rationis superioris laudato, sic enim illi: *Dominicus ex Hispania mense septembri Bononiam rediit, neque Roma fuit quoad vixit, id est usque ad augustum anni* MCCXXI. At quibus documentis persuasi id astruant, suspicari non possum: contrarium enim evincunt & testes in processu ejus canonizationis auditi, & diplomata plura Romæ ab eo vel obtenta vel signata. Testes supra relati hi speciatim legendi: primus Ventura Veronensis hæc habet notanda: *& stetit cum ipso F. Dominico in civitate Bononiensi, & in eundo cum ipso extra civitatem per provinciam Lombardiæ &c.* Et postea pluribus relatis de his quæ sanctus in itineribus observabat, addit: *& hoc sæpissime vidit per provinciam Lombardiæ scilicet apud Mediolanum & Columbanum & alibi in multis locis.* Quæ probant Dominicum ex Hispania reducem non ita sedem fixisse Bononiæ, ut non inde sæpius ad præcipuas Italiæ civitates excurreret. Secundus Guillelmus de Monteferrato, qui Parisiis in S. Jacobi e manibus Sancti vestem induit anno MCCXIX sic habet: *Et ex tunc conversatus fuit cum eo pluribus temporibus diversis locis in eundo ad curiam Romanam & alibi &c.* Et postea: *Et vidit eum eundo secum Romam patientem gravem infirmitatem &c.* & rursus: *Interrogatus ubi aliàs eum vidit infirmum, respondit quod apud Viterbium.* Viterbium sane in via est itineris Romani. Testis quartus *Bonvisus de Placentia juratus dixit, quod fuit conversatus cum F. Dominico circa tempus quatuor mensium Bononiæ in claustro B. Nicolai, & etiam Romæ & eundo Romam & Mediolanum &c.* Testis sextus Radulphus de Faventia dixit, *quod nunc sunt* XIV. *anni* (igitur anno MCCXIX) *& venit F. Dominicus, & ex quo venit Bononiam usque ad finem vitæ suæ stetit in dicta civitate Bononiensi nisi quando ivit ad curiam Romanam, & visitavit quasdam villas terræ Lombardiæ, & etiam civitatem Venetiarum &c.* De isto F. Radulpho cœnobii Bononiensis procuratore narrat Stephanus Lombardiæ prior provincialis testis septimus, illum absente aliquando B. Dominico ædificia quædam ampliora extruxisse, quæ Sanctus in reditu videns ægre admodum tulit, & ne perficerentur severe prohibuit. Ad suscipienda autem hujusmodi ædificia quatuor aut quinque mensium spatium vix sufficit: unde conjectu pronum tum Radulphum hoc opus aggressum esse, cùm Romæ Sanctus translationi monialium relatæ incumberet. Hæc B. Dominici itinera adhuc magis explicat testis nonus Frugerius Pennensis, *qui juratus dixit quod quatuordecim anni fuerunt in quadragesima proximo præterita quod ipse intravit ordinem Prædicatorum & fecit professionem in manibus F Reginaldi &c.* c proinde anno MCCXIX; *& eodem anno in æstate sequenti venit F. Dominicus fundator ordinis Bononiam &c. & dixit quod conversatus fuit cum eo quatuor menses & amplius in conventu Bononiensi, & in conventu Florentino, & in conventu Romano, in eundo cum eo Romam & per alias civitates &c.* ubi iter Dominici Romanum sub finem anni MCCXIX eadem ratione narrat, quo supra a nobis constituebatur, ut scilicet Bononia Florentiam iverit, ubi cœnobium jam erectum reperit, quo proinde F. Joannem Salernitanum antea miserat, & Florentia ad curiam Romanam Viterbii agentem, denique Romam.

Acta plura proferre haud difficile est quæ hactenus dicta confirmant. Jam supra relatum diploma donationis ecclesiæ S. Sixti Dominicum probat XVII dec. MCCXIX pontificem in civitate Castellana convenisse. Aliud refert Rainaldus ad 1219 n. 54 quo Honorius archiepiscopis &c. Ecclesiarum prælatis commendat priorem Dominicum & Fratres suos ordinis Prædicatorum, datum Viterbii VI idus decem. pontif. anno IV, id est VIII dec. MCCXIX, & hoc probat pluribus diebus Dominicum in illis non longe a Roma civitatibus cum pontifice egisse: & forte tum consilium de transferendis in S. Sixtum monialibus captum, cujus exequendi causa Romam Sanctus progressus fuerit, & februario sequenti feliciter consummarit. Duo alia diplomata, alterum datum Viterbii XIII Kal. april. ann. IV, alterum ibidem pridie nonas maii ann. etiam IV, scilicet XX martii & VI maii MCCXX refert Malvenda pagg. 294 & 295, quæ forsan obtinuerit Romæ post stabilitas in S. Sixto moniales Bononiam capitulum suum primum generale ad pentecosten XVII maii celebraturus redeundo. Aliud est quod ut pote rarum & a Soegio

Tabula Chronologica Actorum Sancti Dominici, additis ad marginem cujuslibet anni Indictione, Numero aurec veteri a die Paschæ seu novo a prima Januarii, monitus unâ apud Chronologos seculi XIII præ

Anni.	Indict.	Num. Aur.	Lit. Dom.	Pascha.	
MCLXX	3	12	D	v. Apr.	DOMINICUS nascitur.
MCLXXVI	9	18	D C	IV. Apr.	Avunculo suo traditur educandus.
MCLXXXIV	2	7	A G	I. Apr.	Palentiam in universitate humanis & divinis instruendus disciplinis amandatur.
MCXCI	9	14	F	XIV. Apr.	Theologiæ dans operam exorta fame libros & supellectilem distrahit & pretium dat pauperibus & per dece annos a vino abstinet.
MCXCIV	12	17	B	X. Apr.	Palentiæ sacras interpretatur literas.
MCXCIX	2	3	C	XVIII. Apr.	Hoc anno circiter Palentia unde nondum aliò excurrerat, Uxamum sive Oxomam evocatur a Didaco epi copo, fitque canonicus regularis, tum capituli supprior: collationes Patrum legit: si quandoque concionatu ut verisimile, semper intra fines diœcesis.
MCCIII	6	7	E	VI. Apr.	Hactenus nondum Uxamo egressus, Didacum episcopum ad Marchias Alphonsi regis Castiliæ legatum c mitatur, & Tolosa transiens hospitem suum hæreticum convertit.
MCCIV	7	8	D C	XXV. Apr.	Cum episcopo ad regem Alphonsum reversus, rursus cum eodem iterum a rege ad Marchias legato vadit.
MCCV	8	9	B	X. Apr.	Cum eodem episcopo legatione peracta Romam pergit, unde redeundo Montempessulanum accedunt sub fine anni februario scilicet vel martio sequenti: tres legatos & duodecim ordinis Cisterciensis abbates ibidem con gregatos inveniunt, quos ad prosequendam apud Albigenses missionem adhortati eisdem duces se præstant Fulco recens electus episcopus Tolosanus possessionem init quinta februarii stylo novo MCCVI veteri MCCV
MCCVI	9	10	A	II. Apr.	Circa pascha ut dictum vel paulo ante vel paulo post Didacus episcopus & Dominicus ceu Prædicatorum lau datorum antesignani & duces, hæreticos Albigenses verbo & exemplo adoriuntur, variisque in locis acre cum iis habent concertationes. Apud Carcassonam messes hæreticorum sanguine fluentes apparent die S Joannis-Baptistæ. Arnaldus unus e legatis & abbas Cisterciensis mense julio vel augusto Cistercium a comitia ordinis generalia regreditur, & sequuntur plures abbates. Didacus & Dominicus in missione perstan impigri. Apud Fanumjovis celebris habetur cum hæreticis disputatio. Libellus a Dominico scriptus fidem catholicam exponens ter in ignem projectus exit illæsus. Dominicus tum monasterium Prulii erigit, & fœminas nobiles a se conversas ibidem includit intra natale Domini.
MCCVII	10	11	G	XXII. Apr.	Mense aprili Berengarius archiepiscopus plura monasterio Pruliano confert beneficia. Apud Montemregalem plures habentur cum hæreticis disputationes. Ibi adhuc erant Didacus, Dominicus & alii Prædicatores, cum Cistercio redit Arnaldus abbas & legatus abbatibus duodecim comitantibus mense maio. Hi omnes nudi pedes bini vel terni divisi totam regionem perambulant ubique per tres menses evangelizantes. Dum quadam die nostri Prædicatores cum Albigensibus disputarent, Dominicus uni ex illis schedulam dat a se scriptam, & fidei catholicæ argumenta continentem. Hanc hæreticus cùm suis sodalibus tradidisset, hi in ignem ter projiciunt, unde semper evolavit illæsa: sed hoc privatim & inter perfidos solùm actum, quod tamen revelavit miles quidam qui affuerat. Appamiis solemnis indicitur circa novembrem vel decembrem disputatio cum Valdensibus: eo se conferunt plures episcopi & abbates, inter quos Fulco Tolosanus, Navarrus Conseranensis, Didacus Oxomensis cum Dominico & alii. Exitus felix fuit plurimis conversis, aut in vera fide confirmatis. Tum in Hispaniam redit Didacus, sed priusquam discederet, Dominicum prædicationis ducem & præfectum instituit: jam quibusdam antea mensibus plerique abierant abbates. Petrus de Castellonovo unus ex legatis papæ tum occisus est: Radulphus alter legatus tum etiam obiit: Arnaldus jam laudatus vir magnarum partium in Franciam ad regem se contulit.
MCCVIII	11	12	F E	VI. Apr.	Didacus Uxami moritur sexta februarii. Fulco Tolosanus & Navarrus Consoranensis episcopi Romam adeunt, ut ab Innocentio III crucem obtineant adversus Albigenses prædicari. Voto adepto crux in Francia prædicatur in provinciis præsertim Cis-Ligerianis. Guido Vallium-Sernaii abbas inter prædicatores crucis ferventissimus claret. Interim Dominicus in Occitania perstat Albigensium conversioni in omni patientia & doctrina totus incumbens.
MCCIX	12	13	D	XXIX. Mar.	Cruce signati duce Simone Montisfortis comite in Occitaniam adveniunt. Dominicus huic bello non implicitus verbo Dei solùm instat. Irrisiones contumelias insidias ab Albigensibus patitur. In his omnibus superat suo eis martyrii desiderio declarato.
MCCX	13	14	C	XVIII. Apr.	Idem prædicatoris munus Dominicus prosequitur. Hospitatus apud nobiles dominas quadragesimam in pane & aqua jejunat & super nudam tabulam cubat, easque ad fidem reducit.
MCCXI	14	15	B	III. Apr.	Concionari pergit. Simon comes Montisfortis Tolosam obsidet: interim Dominicus in quodam ad Garumnam sacello orat, & XL peregrinos Anglos navi qua flumen trajiciebant demersa pereuntes suis precibus ex aquæ profundo sustollit & liberat. XII Kal. junii Guillelmus de Cardalliaco episcopus Caturcensis apud Simonem Montifortium clientelam profitetur: inter magnates testes adest Dominicus, & instrumento exinde confecto sigillum apponit. *S. F. Dominici Prædicatoris.*
MCCXII	15	16	A G	XXV. Mar.	Guido Vallium Sernaii abbas electus episcopus Carcassonensis e Francia redit, & Albiæ jam aderat vigilia paschæ; mense maio Narbonæ consecratur: quibusdam postea mensibus in Franciam revertitur relicto in spiritualibus & constituto vicario Dominico. Ipse Dominicus Ecclesiarum Consoranensis, Convenarum, & Biterensis pastor eligitur, quas omnes constanter recusat.
MCCXIII	1	17	F	XIV. Apr.	Guidone toto hoc anno absente Dominicus vicarias ejus partes agit, & per quadragesimam conciones semper habens, in pane & aqua jejunat, nec lectum intrat. Mense septembri committitur prælium ad Murellum. Vincit Monfortius. Petrus Aragonum rex occiditur. Interim dum fervet pugna, Dominicus cum episcopis in ecclesia Murelli auxilium divinum implorat.
MCCXIV	2	18	E	XXX. Mar.	Guido episcopus Carcassonensis e Francia in Occitaniam revertitur, & ad partes Albigenses venit circa octavam paschæ. Dominicus nuptiis Almarici primogeniti Montisfortis cum Beatrice Delphina benedictionem impertit Carcassonæ: filiam Simonis Montisfortis patris hoc circiter anno baptizat.
MCCXV	3	19	D	XIX. Apr.	Petrus Cellani quas Tolosæ ad castrum Narbonense habebat ædes dat Dominico, qui eum & Thomam civem Tolosanum virum nobilem aliosque ordini a se instituendo aggregat. Fulco episcopus Dominicum & socios Prædicatores constituit in sua diœcesi, & ut victui aliisque necessaria habeant, sextam partem decimarum eis confert. Eumdem episcopum Romam ad concilium Lateranense pergentem comitatur Dominicus, qui Romæ jam existens mense octobri ab Innocentio III ante concilium ecclesiarum, castrorum, prædiorum, redituum hactenus monasterio Pruliano datorum confirmationem obtinet. Tum ab eodem pontifice postulat, ut ordinem instituere sibi liceat, qui Prædicatorum ordo diceretur & esset. Responsum accipit ut ad sodales Tolosæ agentes redeat, cum eis communi consilio regulam jam approbatam electurus, & postea Romam repetat confirmationem sui ordinis accepturus.
MCCXVI	4	1	C B	X. Apr.	Dominicus Prulii cum sexdecim circiter sociis regulam S. Augustini & quasdam severiores institutiones eligit. Mense junio vel julio datur eisdem ecclesia S. Romani Tolosæ, ibique erigitur prima ordinis domus. XVI julii moritur Innocentius III, cui altero die sufficitur Honorius III. Sex e suis sodalibus nondum in sacris literis satis exercitatos Dominicus ad scholam Theologiæ publicam ducit, ac sedulam studiis operam dare jubet: ipse verò Romam abit, eratque jam in Urbe ut verisimile mense Novembri. XXII decembris confirmationem ordinis duplici diplomate testatam obtinet.
MCCXVII	5	2	A	XXVI. Mar.	Duo alia diplomata Dominicus ab Honorio III obtinet mensibus januario & februario. Quadragesimam Romæ transigit, & ut conjectu pronum in aula pontificis epistolas S. Pauli explicat publice. Tum apud cardinalem Ostiensem frequentans cum Guilielmo de Monteferrato ibidem morante familiaritatem jungit, a quo & promissum accipit ordinem amplectendi, sed postquam per biennium exinde Lutetiæ theologiam audiisset. Post pascha in Galliam ad suos revertitur Dominicus, quos Tolosæ in S. Romani agentes invenit: menses duos tresve iis ultimo formandis insumit. Die assumtionis omnes in Pruliano monasterio congregatos dividit, quatuor in Hispaniam, septem Parisios ablegat: duos Prulii, totidem Tolosæ e primis sociis relinquit, sed & plures tum ad ordinem allegit. Mense septembri etiamnum ipse in partibus Tolosanis perstabat, fortè & ultra. Tum Romam vadit socium assumens F. Stephanum Metensem sed & quatuor alios recens ad ordinem ascitos. Quos Lutetiam miserat, XII septembris alii, alii paulo post advenerant, & domum ad majorem ecclesiam conduxerant, ubi fere per annum morabantur. Quos in Hispaniam F. Petrus Matriti, F. Suerius Gomez Scalabi domos ordinis erexerunt, alii duo F. Michael de Uzero & F. Dominicus ad ipsum Romam redierunt.
MCCXVIII	6	3	G	XV. Apr.	Dominicus Romæ ab Honorio ecclesiam S. Sixti & cœnobium ei adjunctum accipit. Sodales plures in dies aggregat. Collationes in palatio apostolico resumit, vel evangelium Matthæi, vel epistolas Pauli explicare pergendo: interim & per Urbem concionatur, etiam in S. Petri basilica tanto plausu & fructu ut ejus vestes auditores veluti reliquias conscinderent, ita ut ejus scapulare sic per particulas decisum vix ad genua descenderet. Circa initium anni quod Romæ a die annunciationis numerabatur, quosdam e suis nempe Joannem de Navarra & quemdam Bertrandum Bononiam mittit, iisque Ricardum ætate jam provectum præficit illum scilicet qui Tancredum virum nobilem & alias in exercitu imperatoris tribunum allegit ad ordinem,

Littera Dominicali, ac die Paschæ in commodum lectoris ut in promtu habeat, quî numeret initium anni seu stylo … Gallos annum a Pascha semper inchoari, mensesque præcedentes superioris anni censeri.

Anni.	Indict.	Num. Aur.	Lit. Dom.	Pascha.	
					quibus postea Michaelem de Uzero & Dominicum ad se ex Hispania reversos jungit. Tum etiam Reginaldum Aurelianensem S. Aniani decanum a febre ardentissima miraculose sanatum veste sua donat, voti tamen explendi causa in Palæstinam ire permittit. Plura ipse in S. Sixti miracula edit. Architectum sub ruina ædificii oppressum incolumem restituit. Sodales in summa rerum omnium penuria una vice quadraginta, altera ad centum pane cœlitus misso pascit. Conventus procuratorem jam inunctum & jamjam animam exhalantem ad vitam revocat. Ex Urbe ita tempestive egreditur, ut per Galliam Narbonensem Tolosanasque partes transeundo, Segobiæ in Hispania affuerit paulo ante natale Domini, ubi cùm ob summam siccitatem agricolæ nondum seminare incepissent, precibus copiosum illis e cœlo imbrem impetrat, & domum ordinis erigit. Reginaldus e Palæstina redux Bononiæ jam aderat XXI decembris. Hoc eodem anno sodales Lutetiæ agentes e domo a se conducta ad ecclesiam S. Jacobi sibi concessam transeunt & ingrediuntur sexta augusti.
MCCXIX	7	4	F	VII. Apr.	Matritum Dominicus progressus domum a F. Petro, quem e Tolosa eo miserat, anno MCCXVII erectam instaurat, & plures ad ordinem allegit. Apud *Gualdafaten* seu *Guadalajara* multos novitios induit, moxque propositi pœnitentes liberos abire sinit, sed precibus ad Deum fusis ut redeant obtinet. Pluribus in Hispania gestis circa pascha in Galliam revertitur. Tolosa rursus iter habet. Sodales tirones aqua in vinum versa recreat, & verbis mellifluis ad dura quæque pro Christo fortiter sustinenda excitat. Tum F. Bertrandum de Garriga ibi inventum socium assumens primò ad Rupem-amatoriam, exinde octo diebus Aurelianos, ac tandem Parisios advenit, ubi conventum triginta sodalium sub F. Matthæo abbate sanctissime rectum lætus aspicit. Collationes plures ut illi ubique solemne, publice habet. Remos, Metas, Pictavos, Aurelianos mittit, qui in his civitatibus domos novas erigerent. F. Petrum Cellani ibidem inventum cum quibusdam sociis Lemovicas destinat, & jubet ut intra januarium sequentem eo advenerit. Jordanum suum postea successorem, tum sacræ facultatis baccalaureum, nec de ordine amplectendo adhuc cogitantem, familiarem sibi facit. Guillelmum de Monteferrato de quo supra, & a duobus annis Lutetiæ ex condicto theologiæ dantem operam, promissum exigens sua veste induit & socium assumit, Bertrando de Garriga Tolosam dimisso. Italiam tum cogitans iter per Burgundiam instituit. Castellione transiens, filium sui hospitis qui de superiori tabulato ceciderat, quasi exanimem vitæ restituit. Alpes dum pedes superat quemdam F. Joannem conversum secum ex Hispania deductum, animo præ lassitudine & fame deficientem pane cœlitus misso reficit. Bergomum primò, tum Mediolanum ingreditur. Hîc apud canonicos S. Nazarii honorifice excipitur. Concionibus suis totam commovet civitatem, tresque præstantissimos viros ad ordinem asciscit. Hos secum ducens Bononiam pervenit sub finem augusti. Numerosius jam erat Bononiæ Fratrum collegium ferventissimis Reginaldi concionibus & sanctissimis exemplis aggregatum. Hinc itaque Dominicus eumdem Reginaldum Parisios ablegat, similem ab eo sperans in regia urbe successum. Tum verò sodales ad celebriores Longobardiæ civitates mittit, qui domos ordinis erigant & inter alios F. Joannem Salernitanum Florentiam. Ipse Romam cogitans Florentia transit, ubi Benedictam fœminam nobilem, sed ob mores mundanos permittente Deo a malo spiritu vexatam liberat, & ad meliorem frugem adducit. Viterbii apud S. P. Honorium III jam aderat XV novembris. Aulam summi pontificis sequitur ad XVII decemb. quo die per breve apostolicum in civitate Castellana datum ecclesiam S. Sixti sibi suisque Fratribus absolute concedi obtinet. Postea Romam pergit.
MCCXX	8	5	E D	XXIX. Mar.	Dominicus Romam fortè ante Natale ingressus sodales sua præsentia beat. Tum verò resciens cœnobium ad ecclesiam S. Sixti quod sui inhabitabant, olim ab Innocentio III recludendis sanctimonialibus Romanis erectum fuisse, licèt morte pontificis opus interrumpente non perfectum, consilium Innocentii tam salubre se tum conscio & quodammodo obice irritum fieri non patitur: facilem esse omnia componendi rationem Honorium monet, sibi ecclesia S. Sabinæ detur, in eam sui sodales deducantur, tum in S. Sixti cœnobium nostrorum curis religioni aptissimum factum transferantur moniales Romanæ. Laudat Honorius, negotio cum Dominico conficiendo tres præponit cardinales, Hugolinum Ostiensem & Nicolaum Tusculanum episcopos, ac Stephanum de Fossanova tit. XII apostolorum presbyterum. Januario res incepta, februario perficitur, at non sine miraculo. Die S. Valentini martyris XIV februarii feria sexta cinerum ad S. Sixtum accesserat cardinalis Stephanus præfatus & cum Dominico colloquebatur, & ecce affertur Neapoleonis juvenis dicti Stephani consanguinei cum equo in foveam præcipitati corpus ab omnibus existimatum jam inanime. Dominicus jubet in quamdam cellam deferri, omnibusque exclusis solus ingressus oratione ad Deum fusa juvenem vitæ restituit, & patruo Stephano coram astantibus reddit sanum & incolumem. Præsentem miraculo ait Theodoricus fuisse abbatissam S. Mariæ de Tempore, quæ cum quibusdam suis monialibus venerat, ut cœnobium in quod transferendæ erant lustraret. Dominica sequenti prima quadragesimæ XVI febr. quadraginta moniales omnes ecclesiæ S. Mariæ de Tempore, vel ut alii scribunt de Tempulo ad S. Sixtum veniunt ibi deinceps intra claustra absque egrediendi facultate moraturæ. His voluntariæ se jungunt eodem die magna pars monialium S. Bibianæ, & aliæ ex diversis Urbis monasteriis ad numerum viginti unius: quibus deinde accessere plures nobiles virgines Romanæ, quæ seculi deliciis contemtis crucem Christi magno animo amplexæ sunt. Octo Sorores e monasterio Pruliano a Dominico vocatæ mox adveniunt, quarum primam nomine Blancam sanctus vir monialibus S. Sixti dat præfectam seu priorissam. Has certum e Prulio excessisse saltem mense martio, fortè & Romam advenerint ante XXV martii, quo Romæ novus annus incipiebat.
					Dominicus hac occasione S. Hyacinthum ejusque socios B. Ceslaum, Henricum & Hermannum ad ordinem allegit, & post pascha secum Bononiam ubi ad pentecosten prima sua comitia generalia habenda edixerat deducit. Ex itinere Senis transit, ubi sodales a se Roma missos invenit jam a XIV martii locum a valetudinarii publici curatoribus ad inhabitandum accepisse, interim dum commodius ad erigendam ordinis domum solum reperiretur. Florentiam etiam in transcursu visitasse volunt. In illis primis Bononiensibus comitiis regula S. Augustini & constitutiones in monasterio Pruliano anno MCCXVI superadditæ ab omnibus confirmantur, & pro toto ordine acceptantur, illa in primis qua reditus certi cujuscunque generis abdicantur. Mox a finitis comitiis Dominicus Hyacinthum & socios in Poloniam ablegat. Ipse civitates Longobardiæ percurrit, ubique de more concionatus. Mediolani erat die S. Barnabæ, suosque in S. Eustorgii ecclesia quam dominica passionis XV martii intraverant jam stabilitos & in magno numero religiosissime viventes lætus videt. Ibidem febri correptus quibusdam diebus hærere cogitur, sed mox convalescens alio pergit, ubi domus ordinis nondum erectæ erant facilè obtinens. Bononiam jam redierat ante assumtionem B. V. illoque ipso festo die Conradum Teutonem famosum universitatis magistrum dum primam canerent ad pedes suos prostratum & habitum ordinis enixe petentem absque mora in gremium admittit. Postea identidem ad alias Longobardiæ ut videtur inferioris civitates ordinis dilatandi causa se transfert, tumque ut conjectu pronum, cum Mutinæ prædicantem decanus quidam de Francia audivit, qui & ei tentationem gravem qua impetebatur confessus, ejus precibus a Deo castitatem obtinuit. Dum etiam agit Bononiæ sive hoc anno sive superiori Fratres victui necessariis carentes misso cœlitus pane bis reficit. Mense novembri Romam rursus contendit, & Florentia iter instituens, ac Benedictam quam anno superiori a maligni spiritus vexatione liberaverat, in negotio salutis negligentiorem reperiens, ea consentiente, ipsoque Deo rem committente, ut spiritus salvus fieret, in carne ut olim vexatam videt. Initio decembris Dominicus jam erat Romæ. Vide annotata ad vitam per Jordanum n. 37.
MCCXXI	9	6	C	XI. Apr.	Dominicus Romæ agens XVIII januarii ab Honorio III breve obtinet, in quo canonicus tantùm dicitur, & aliud XXIX martii in quo prior ordinis Prædicatorum nominatur. Lectiones verò suas in palatio apostolico resumsisse vix dubitaverim, ut & passim in urbe prædicasse, id enim illi semper in more. Ibidem existens mille nonaginta libras dono accipit pro monasterio Sororum S. Sixti. Perstabat adhuc die XVII aprilis, quo cum Fulcone episcopo Tolosano in Urbe etiam præsente transigit, & sextam partem decimarum olim ab eo sibi & suis concessam in ejusdem manibus remittit, cedit, & ut loquitur, desamparat in perpetuum.
					Bononiam redeundo quam viam tenuerit non omnino certum: probabilius Viterbium cum Raynerio cardinali Capoccio ivisse, tumque ab eo ecclesiam S. Mariæ ad gradus & cœnobium adjunctum accepisse, hinc Senas, Florentiam & tandem Bononiam. Ad ferias pentecostes XXX maii secunda habet in ea civitate comitia generalia. In his ordine in octo provincias distributo totidem præfecti provinciales creantur, & ut supremum super eos caput magister deinceps vocaretur, injungitur. Post comitia quinta junii absoluta Venetias ad cardinalem Hugolinum vadit, tumque ut verisimillimum in ea urbe cœnobium ordinis erigit: redit sub finem julii, sed præ nimio æstu febre acriori correptus, qua in dies invalescente tandem in cœlum rapitur VIII idus seu sexta augusti die veneris hora meridiana, ætatis quinquagesimo primo. In ecclesia veteri S. Nicolai sepultum fuit ejus corpus, sacra & omnia funeris officia celebrante sæpius nominato D. Hugolino Ostiensi episcopo summo postea pontifice Gregorio IX.
MCCXXXIII	6	18	B	III. Apr.	Die XXIV maii feria tertia pentecostes dum comitia ordinis generalia Bononiæ haberentur, præside magistro ordinis B. Jordano S. Dominici successore, hujus sanctissimi parentis corpus in locum decentiorem celeberrima cum pompa translatum fuit. Cujus translationis historiam scripsit idem Jordanus, quam videsis apud Bzovium in Ann. Eccle. ad MCCXXXIII n. 5. & apud Malvendam ad eumdem annum n. 9.
MCCXXXIV	7	19	A	XXIII. Apr.	Gregorius IX B. Dominicum SS. albo inscribit Reate V Non. julii.

primum editum visum est hic inserendum: *Honorius &c. Dilectis filiis magistro Roberto S. Victoris, Vincentio de Sillia, Cattorgio de Mansu, Josepho de Flore, Jacobo Vallisumbrosæ, & Domingo de Aquilari monasteriorum monachis &c. Quia qui seminant super aquas, & qui frumentum abscondunt, in populo maledicuntur, consulte agitis, si talentum vobis a Deo creditum in sudario non ligatis, cùm a nemine accendatur lucerna ut ponatur sub modio, sed super candelabrum ut cunctis qui in domo sunt luceat, statuatur. Cùm ergo dilectus F. Dominicus prior ordinis Prædicatorum magnum credat animarum profectum, si quam recepistis a Domino prædicationis gratiam, juxta suam erogetis providentiam utilitatibus proximorum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus pro illius amore qui propter nimiam caritatem qua dilexit nos, de secreto patris ad publicum humanæ conditionis exivit, proficiscamini cum ipso F. Dominico ad proponendum quibus expedire viderit verbum. Dei, quo lumine veritatis ostenso errantes ad viam justitiæ revertantur; scientes quod vos concessimus Fratri prædicto, ut eidem in ministerio verbi Dei cooperari teneamini proprium semper habitum deferendo. Datum Viterbii* IV *idus maii pont. nostri ann.* IV, scilicet XII maii MCCXX. Hoc diploma non putem Dominicum præsentem accepisse, cui non satis superfuisset temporis, ut Bononiam rediret, ubi XVII ejusdem mensis die pentecostes capitulum suum generale aperire debebat, sed saltem ad ejus preces dum Roma paulo ante reverteretur a pontifice obtentum. Porro ex his litteris Dominicum discimus etiam dum institutioni ordinis ardentius instaret, a prædicationis officio propterea non retardatum, sed perpetuo ac indesinenter ei desudasse, & quotquot ex aliis etiam ordinibus ad idem munus aptos viros graves & eruditos noverat allegisse, sibique socios adjunxisse.


Anno sequenti Dominicum non paucis mensibus Romæ fuisse acta plura probant. Diploma Honorii III refert Malvenda pag. 323 Dominico priori ordinis Prædicatorum inscriptum, datum Laterani VI idus dec. anno V, scilicet VIII dec. MCCXX. Idem Malvenda pag. 325 & 326 alia duo profert, primum in quo Dominicus dicitur canonicus ordinis Prædicatorum & præsentium lator, datum Laterani XV Kal. jan. anno V: alterum in quo idem sanctus dicitur prior ordinis Prædicatorum, & verbi Dei evangelizationi totaliter deputatus, datum Laterani IV Kal. april. anno V id est XXIX martii MCCXXI, quæ ostendunt adventum & quadragesimam ejus anni & Romæ egisse, imo & ultra, nam acta hæc habentur ibidem ab eo signata.

In nomine Domini. Notum sit omnibus præsentem paginam inspecturis, quod nos Fulco Tolosanæ Ecclesiæ gratia Dei episcopus donamus & libenter concedimus per nos & successores nostros in remissionem animæ nostræ & ob tuitionem fidei catholicæ, & ad utilitatem totius diœcesis Tolosanæ tibi dilecto Dominico magistro Prædicationis & pro te tuis successoribus & Fratribus ejusdem ordinis ecclesiam B. Mariæ Fanijovis, quam eidem ordini Prædicationis cum decimis sive ad nos sive ad fabricam ecclesiæ sive ad capellanum ibidem instituendum quondam pertinentibus oblationibus & cum omnibus juribus suis & pertinentiis jure perpetuo possidenda integre assignamus: te & per te Fratres ejusdem ordinis cum traditione præsentis chartæ in possessionem inducentes, salvo tamen jure episcopali nobis & successoribus nostris tam in cathedratico quàm in procurationibus, & in commissione curæ animarum illi sacerdoti, qui a magistro vel priore in dicta ecclesia a dicto magistro instituto, vel Fratribus jam dicti ordinis nobis vel nostris successoribus fuerit præsentatus.

Et nos supradictus Dominicus magister Prædicationis per nos & successores, & Fratres ipsius ordinis, vobis D. Fulconi episcopo & vestris successoribus sextam partem decimam ecclesiarum parochialium totius Tolosanæ diœcesis, quam nobis & ordini prædicto de consensu canonicorum S. Stephani Tolosani retroactis temporibus libere concessistis, sicut in instrumento publico plenius continetur, solvimus & desemparamus in perpetuum, ita quod dictum instrumentum sit penitus irritum & inane, renunciantes omni legum & canonum auxilio, quod nobis vel ordini antedicto ex donatione vestra vel alio modo super prædicta sexta parte decimarum posset competere vel valere.

Ut autem omnia supradicta omni firmitate subnixa permaneant, sigillorum nostri & Dominici magistri Prædicationis præfati munimine fecimus roborari. Actum in urbe Roma anno Dñi MCCXXI *indict. 9.* XV *Kal. maii. Præsentibus ad hoc convocatis Aimerico & Petro monachis Cisterciensis ordinis, & F. Bertrando converso ejusdem ordinis, & magistro Arnaudo de Campragnano, & Willelbo Calveto, & me W. Garrado, qui hoc rogatus scripsi D. Amico Arelatensi archidiacono dictante.*

Sic exscripsit Quetifius noster ex archetypo Tolosæ apud nostros etiamnum servato, cui pendent tria sigilla, primum ecclesiæ S. Stephani, alterum episcopi, tertium Dominici ministri Prædicationum hac forma.



Quibus addendum S. Dominicum jura omnia sibi & suis super dictam ecclesiam Fanijovis per hoc instrumentum acquisita, monialibus Prulianis cessisse, quæ iis ab eo tempore etiamnum potiuntur.

Sec. XIII. Aliud instrumentum eodem tempore Romæ cum sancto actum refert clarissimus Mabillonius Musei Italici T. I p. 74 ex veteri codice Bibl. Chigianæ, quod sic habet: *Magister Centhius Gregorii Ranpazoli in presentia Stephani cardinalis sanctorum apostolorum reverendo & per omnia referto Fratri Dominico priori venerabilis monasterii S. Sixti recipienti pro ipso monasterio & pro monasterio S. Mariæ in Tempulo & eorum servientibus in perpetuum concedit mille nonaginta libras prov. Sen. quas Dna Eugenia olim abbatissa dicti monasterii S. Mariæ in Tempulo mutuaverat, & de quibus ipse pignus fecerat, scilicet in hortis ipsius monasterii de circulo maximo. Actum anno* MCCXXI *pont. D. Honorii papæ anno* V *indict.* IX. ac proinde saltem post XXV martii quo die annus Romæ tum incipiebat. Post tot acta & testimonia, quin B. Dominicus duobus ultimis vitæ suæ annis Romam bis saltem iverit, pluribusque mensibus qualibet vice commoratus fuerit, nemo jam ut existimo negabit: prima Fratres suos in S. Sabinam & moniales Transtiberinas in S. Sixtum transtulit, quod actum mense februario MCCXIX stylo veteri, novo MCCXX: altera sufficiens erat itineris causa, ut & Fratres & Sorores in suscepta religione magis ac magis stabiliret: utraque multa in gratiam ordinis a pontifice diplomata obtinuit.

Non puto objiciendam mihi quæ nunc visitur in ecclesia SS. Sixti & Dominici supra montem Magnanapoli inscriptionem ad imaginem B. Virginis, quam esse credunt a S. Luca depictam, & a S. Gregorio papa I in solemni supplicatione olim latam, cujus inscriptionis hæc est ultima linea: *Contigit ea translatio ad S. Sixti anno* MCCXIX *februarii* XXIV *prima dominica quadragesima.* Facilis enim responsio: nempe hoc monumentum opus est seculi ultimo elapsi, occasione novæ circa MDCXL imaginis B. Virginis in locum magnificentiorem & ornatiorem translationis erectum, & ab homine in veteri numerandi anni ratione non versato scriptum. Is legens apud Theodoricum de Appoldia antiquam ejus imaginis e S. Maria trans Tiberim ad veterem S. Sixtum translationem factam anno MCCXIX, XII Kal. martii dom. I. quadragesimæ, annum MCCXIX juxta usum hodiernum accepit: sed ex ephemeridibus accuratis videns anno illo sic computato dominicam primam quadragesimæ non XII Kal. sed VI Kal. martii evenisse, Theodoricum corrigendum merito putavit, sed perperam correxit scribens XXIV februarii factam translationem. Cùm autem constet seculo XII & XIII & ultra diutius annum Romæ & alibi a die annunciationis XXV martii fuisse inchoatum, cujus præter exempla jam superius data, & hoc addendum ex Ughello Ital. sac. T. VI p. 499 ubi refert diploma Lucii III datum Velletri XIII Kal. april. indict. I, incarn. Dom. anno MCLXXXII pont. anno secundo: nisi enim computum veterem a moderno distinguas, egregie falleris: Lucius enim electus fuit circa septembrem MCLXXXI: præterea anno MCLXXXII juxta computum hodiernum erat indictio XV: superest igitur ut ille annus MCLXXXII mense martio ante diem annunciationis sit ille qui nunc diceretur MCLXXXIII quo erat indictio I, & annus Lucii secundus: cùm inquam hæc constent apud peritos, certo apud Theodoricum annus MCCXIX mense februario intelligendus venit ille qui nunc MCCXX quo dominica I quadragesimæ fuit XIV Kal. martii seu XVI februarii, & sic emendandus erat Theodoricus, sicque corrigenda inscriptio Romana nobis objecta. In idem erratum impegit Torrigius supra citatus *Historia dell'imagine &c. cap.* 5. ipse emendandus, dum Theodoricum seu potius ejus codicem mendosum non recte corrigit: quem tamen Torrigium cætera magni facio ceu virum diligentem, & cui plura antiqua ordinis monumenta, inter alia supra relatum F. Benedicti de Montefiascone me debere libens & gratus agnosco.

Si supra relata omnia acta Malvenda vidisset, non ita in gestis B. Dominici per tres ultimos vitæ suæ annos recensendis ac in ordinem collocandis intricatum se exhiberet, qualem ipsum videre est pagg. 203 216 236 & seqq. nec dixisset *extra omnem controversiam esse S. Dominicum nonnisi post migrationem monialium in S. Xistum ivisse in Hispanias*, quod abunde jam confutatum. Quæ verò addit eadem pag. 236 b. certum esse ex consensu auctorum S. Hyacinthum cum tribus sociis ordinem intrasse anno MCCXVIII, & tamen post suscitatum Neapoleonem, nec veriora sunt nec certiora, imo ex jam dictis facile refelluntur. Ivonem electum Cracoviensem episcopum anno MCCXVIII Matthias Michoviensis ab eo citatus scribit quidem, sed quo mense non addit. Vel igitur Michoviensis annum numerat stylo novo, tumque etiamsi Ivonem statuat electum mense januario, impossibile videtur ut episcopus tantam familiam secum ducens, totque impedimenta trahens Romam advenire potuerit, ac jam ibi præsens negotia sua omnia expedivisse ut vult Malvenda ante miraculum suscitati Neapoleonis, quod die S. Valentini martyris XIV februarii patratum narrant Theodoricus & S. Antoninus: vel quod verisimilius, Michoviensis ceu qui hæc ab antiquis scriptoribus excipit, annum MCCXVIII numerat stylo veteri, tumque Malvendam nihil juvat, nam februarius hujus anni ille est, qui nunc diceretur anni MCCXIX, quo S. Dominicum in Hispania egisse contendit & recte Malvenda. Itaque velit nolit ad nostram sententiam accedat necesse est, scilicet miraculum factum februario anni MCCXX sed qui ea ætate MCCXIX tantùm dicebatur saltem ad XXV martii.

Sed quid tum de Hyacintho ejusque sociis? Veteribus instrumentis destituti, nam hactenus nulla vidi a Polonis scriptoribus allata, nihil certi astruere possumus, at en quod probabilius videtur. Ivo sub finem anni MCCXVIII electus fuerit præsul Cracoviensis, parando itineri aliquot menses insumserit, Romam pervenerit anno MCCXIX post pascha reliquum anni & menses aliquot sequentis expediendis negotiis moram fecerit, interea mense decembri ejusdem anni MCCXIX Romam advenit B. Dominicus & februario sequenti XVI Kal. martii feria VI post cineres Neapoleonem suscitavit, XIV Kal. martii dom. I. quadragesimæ sanctimoniales e S. Maria trans Tiberim ad S. Sixti perduxit, his admirandis gestis Ivo cum suis familiaribus præsertim cum Hyacintho & Ceslao affuit, isti ambo juvenes tum his miraculis excitati, tum concionibus Dominici accensi nomen ei dederunt, ejusque institutum amplexi sunt, ad aprilem cum eo in S. Sabina permanserunt, fortè & cum eo Roma Viterbium & Bononiam iverunt, & capitulo generali ordinis primo ad pentecosten XVII maii affuerunt, hinc per Frizacum in patriam suam redierunt: id certe æque probabile imo longe verisimilius quàm quod habet Malvenda, illos cum Ivone patruo rediisse, quibus jam Fratribus pedibus tantùm non in curribus & equis ire liceret, prætertim cùm Malvenda velit illos Frizaci totos sex menses substitisse, quo certo pedites & a patruo Ivone separati pervenerunt. Cùm instituta a nobis narratione conveniunt omnia, stat & quod in litteris canonizationis legitur, *perexiguo tempore omni Dominici disciplina egregie instructum Hyacinthum.*

Quod verò per annum circiter Ivonem electum Cracoviensem retinemus Romæ, non mirabitur qui causam itineris noverit. Nimirum Vincentii episcopi Cracoviensis viri religiosissimi, & jam a XII circiter annis suo munere diligentissime perfuncti ab-

dicatio voluntaria pontifici probanda erat, sic enim refert Dlugossus Hist. Polon. lib 6 ad ann. MCCXVIII, hujusmodi autem cessiones ejus meriti episcopis ægerrime semper summi pontifices permiserunt: adde & ea concessa, suaque ob egregias dotes cardinali Hugolino ab olim cognitas facile probata in locum Vincentii surrogatione, Ivonem alia forsan Ecclesiæ Sarmaticæ habuisse negotia pertractanda, quæ citius exequi non potuit. Unde Dlugossus sic habet loco citato: *Qui* (Ivo) *dum Romæ promotionis suæ pertractans negotia moraretur, B. Dominicum magnis jam prodigiis initia suæ sanctitatis & religionis declarantem videre, ejusque familiari conversatione uti, & prædicationi suæ coram interesse promeruit.* Has fateor solùm esse conjecturas, rem forsan accuratius narrabunt Poloni, si quando episcoporum suorum seriem scripserint, & ex litteris pontificiis suisque archivis, & mensem quo electus Ivo, ut & illum quo ab Honorio probatus, ac diem tandem & annum quo ab Henrico Gnesnensi archiepiscopo consecratus fuit, prodant. Interim mihi satis est ut quidem opinor demonstrasse, illum Romæ Dominicum ante quadragesimam anni MCCXVIII stylo novo videre non potuisse, siquidem nondum erat electus, vel si electus in Urbem tam cito pervenire non potuit: Dominicum in Hispania egisse mense februario anni MCCXIX stylo novo, ac proinde Hyacinthi vocationem ad ordinem in annum sequentem rejiciendam mense februario stylo novo MCCXX, sed stylo ejus seculi MCCXIX.

Chronologiæ hactenus tam apte ad tempora concinnatæ, unum tantùm video quod objici possit, nempe quod habet Theodoricus lib. 3 cap. 7 ubi sic loquitur: *Tempore quodam rediens de Hispania S. P. Dominicus detulit Sororibus cochlearia cypressina unum pro qualibet Sorore.* Hæc enim jam in S. Sixtum translatas moniales indicare viderentur, priusquam B. Dominicus iter Hispanum susciperet, adeo ut ille filiarum suarum vel Segobiæ vel Matriti memor singulis hæc xeniola compararit. Sed idne tanti est, ut propterea tota ratio itinerum sancti tot momentis firmata sit evertenda. Itaque cum ὕστερον πρότερον in narratione Theodorici necessario sit agnoscendum, ubi translationem monialium refert ante iter Dominici Hispanum, utrumque tamen ad annum MCCXIX collocans, quod si verum ut mihi constat, iter præcessit, & translatio subsequuta est, ut supra a nobis constitutum: sic & in ista cochlearium delatione ac distributione aliquid in Theodorico necessario supplendum. Nam præterea incredibile est etiam si moniales illæ ante iter Dominici Hispanum translatæ asserantur, sanctum ex Hispania tot regiones peragrare pedes cogitantem, scilicet Galliam universam Parisios usque, exinde per Burgundiam in Italiam, tandem Bononiam, ubi tribus circiter mensibus substitit, priusquam Romam adiret, hujusmodi onus plusquam centum cochlearium, nam ab ipsis initiis plusquam centum Sorores apud S. Sixtum fuisse omnes produnt, centum inquam illa & amplius cochlearia suis humeris imposuisse: onus illud importunum & fastidiosum secum semper habuisse Tolosæ, Parisiis, in Burgundia, per Alpes, Bergomi, Mediolani, Bononiæ: sodales eum non interrogasse quid secum deferret, nullos ut sibi daret postulasse. Serio Dominicum alta omnia pro Dei gloria, pro majori Ecclesiæ incremento, pro stabilimento ordinis in toto hoc itinere cogitantem, ubique prædicationi indefatigabiliter insistentem, aliunde codicibus evangeliorum & epistolarum Pauli, quos semper secum in via ferebat satis onustum, ad cochlearia attendisse nemini sapienti probabitur. Quid ergo? En quod verisimilius videtur, nimirum quemdam e sodalibus Hispanis, qui ad prima ordinis comitia Bononiam anno MCCXX venerunt, hæc cochlearia secum attulisse, a quo B. Dominicus dono accepta postea sub finem anni Romam ut dictum est se conferens Sororibus Sanxistinis munusculum hoc Hispanum distribuerit: sicque verba Theodorici recte ordines: *Tempore quodam rediens Romam B. Dominicus detulit Sororibus ex Hispania allata cochlearia cypressina, unum pro qualibet Sorore.*

Adde sororem Cæciliam ex cujus ore hæc Bononiæ anno MCCLXXXVIII a F. Gerardo tum pro Teutonia in comitiis generalibus Luchæ habitis diffinitore, & postea ejusdem Teutoniæ priore provinciali accepta sunt, octogesimum quartum ætatis tum excessisse, quæ & facile præ senio in quibusdam circumstantiis rei ante annos LXVIII gestæ errare potuerit. Imo ut vetularum est quæ sua juvenili ætate acciderunt non rarò exaggerare, hinc evenisse haud immeritò quis putet, ut prædicta Cæcilia quædam de B. Dominico retulerit, verbi gratia de dæmone in specie modò lacertæ, modò passeris moniales turbante aut terrente, vel etiam simiæ quam Sanctus candelam coram se tenere ad digitorum usque combustionem jusserit & alia similia, quæ ut verbo Ferdinandi de Castillo ad historiam generalem ordinis præfantis utar, a viris gravioribus ceu pueriles ineptiæ, *nineria y cuentos* habentur. Hæc enim cùm antiquiores & sancto æquales vel suppares scriptores Jordanus, & Humbertus ordinis magistri & Constantinus provinciæ Romanæ alumnus, ejus licèt rerum vel minimarum curiosissimi non meminerint, de iis nil unquam vel a sororibus Sansixtinis vel a sodalibus qui vivum viderant se audiisse ostendunt: ac proinde ceu viro sapiente ut Dominicum Bonifacius VIII vocare solebat, non satis dignis, ea saltem ratione qua a Theodorico narrantur, si fidem omnino non adhibeas, haud injuria feceris: ita tamen ut in relatis aliquid veri latere existimes, sicque Melchiorem Canum de locis theologicis lib. XI cap. 6 omnia susque deque habentem, & Malvendam ad MCCXIX n. 24 omnia suspicientem ac propugnantem conciliabis.

OPERA.

1. *Libellus rationes atque auctoritates in confirmationem fidei continens.* In disputatione apud Fanumjovis cum Albigensibus habita a B. Dominico scriptus fuit, & omnibus aliis per prædicatores in illis partibus tum agentes scriptis plus cæteris commendatus & approbatus, quique palam in ignem projectus illæsus evasit. Sic Jordanus n. 14. Constantinus n. 11. Theodoricus lib. 1 cap. 6.

2. *Schedula auctoritates pro Ecclesiæ catholicæ fide exhibens.* Hanc in alia apud Montemregalem disputatione cuidam hæretico tradidit B. Dominicus, quam ille hæreticus sociis suis præbuit, a quibus ter in ignem projecta, toties sana & integra resilivit. Sic Petrus de Vallibus Sernaii cap. 7. Quæstio erat an ecclesia Romana esset sancta & sponsa Christi ut sustinebant catholici, an Babylon meretrix & mater fornicationum ut objiciebant hæretici. Sic Guillelmus de Podiolaurentii. Fructus hujus scripti eodem teste fuit 150 hæreticorum in sinum ecclesiæ reversio.

Porro duo scripta superiora inter manus judicum quibus tradita fuerant, & quorum plures hæreticis favebant perierunt, ut de ultimo speciatim monet Guillelmus mox citatus.

3. *Acta ejus ut ministri prædicationis seu potius ut ministri reconciliationis hæreticorum in sinum Ecclesiæ redeuntium a legatis summi pontificis constituti.* Duæ sententiæ ab eo hujus officii auctoritate latæ supra in notis ad Jordani n. 17 referuntur, quæ multò plures hujus generis ab eo prodiisse indicant. Qui acerbiores censuerint, sic apud se existiment antiquam seculo XIII adhuc viguisse disciplinam, nec Dominico leges a legatis sibi præscriptas transgredi licuisse, cùm ipsi legati Raimundo comiti Tolosano duriores imposuerint. Hoc verò reconciliationis ministerium Sancto

 per quam honorificum est, quod apostolus in se posuisse Christum tantùm gloriatur.

Hac occasione quæritur an S. Dominicus hæreticorum censor, & ut aiunt inquisitor fuerit institutus? Breviter respondeo certum esse apud omnes hoc munere non functum, imo nec ullum alium id gessisse ante concilium Lateranense IV. Hinc illi gravissime allucinantur, & gestorum ejus ætatis prorsus ignaros se produnt, qui Petrum de Castellonovo primum inquisitorem fuisse asserunt. Legatus ille apostolicus fuit adversus Albigenses, sed non ideo inquisitor dicendus, alioquin legati omnes, imo omnes episcopi quibus ex jure competit in hæreticos animadvertere, inquisitores dicendi essent, quod nescio an facile paterentur. Sed est quid amplius. Nempe Petrus nullum revera inquisitionis actum exercuit: an & qui essent hæretici scrutandum non habuit, tum enim palam se prodebant fidei catholicæ hostes, adversus legatos apostolicos, iisque subministrantes prædicatores locis condictis ex æquo publice disputabant, suos errores pro virili propugnabant, ullum hæreticum Albigensem ad annum usque MCCIX captum, ullum brachio seculari traditum, ullum morti addictum nulla est memoria. Legati apostolici eorumque adjutores patientiam solam hæreticis objecerunt, & cùm paterentur non comminabantur: imo ipse Petrus de Castellonovo ab Albigensibus, quibus tamen nihil unquam vel minimum intulerat mali, quos solùm ad fidem revocare studuerat, impie interfectus est, verus Christi martyr & innocens victima circa finem anni MCCVIII. Jam verò ab anno MCCIX quo cruce signati in Occitaniam venerunt, ad concilium usque Lateranense nulla etiam hæreticorum perquisitio apparet. Bello acri fateor hæretici oppugnabantur, sæpius vincebantur, sed ipsi non se occultabant, imo fortiter & animose resistebant, & aliquando superiores erant: tum quidem multi rebelles ac in errore pertinaces flammis addicti, sed a principibus & ducibus cruce signatorum hæ strages fiebant, in his primorum Prædicatorum & speciatim B. Dominici assensus non petebatur. Huic multas contumelias illatas, multas structas insidias legimus, vim vi repulisse non legimus, imo martyrii sitibundum intrepidum apud eos mansisse, quod cùm illi viderent, & persequi desierunt. Ut Christo & Ecclesiæ reconciliarentur hortabatur indefesse, quos ob paupertatem hæreticis addictos noverat, iis necessaria ministrabat, apud nobiles fœminas aliquando hospitabatur, ut sancta sua austeraque vitæ ratione ab hæresi revocaret, & tandem obtinebat: conversis vel de fide periclitantibus monasterium erexit in quo secure viverent, & in fide catholica instruerentur.

In concilio Lateranensi sui officii moniti sunt episcopi, ac in primis ut quisque hæreticos a sua diœcesi ejicere satageret, unde inquisitorem tum B. Dominicum delegatum nemo statuit.

An verò post concilium hoc ei munus impositum fuerit, dubium: affirmant aliqui & litteras hujus institutionis se vidisse testantur, sed quas deperditas dolent: negant alii nec argumentis carent. Primò quod nullum in actis Vaticanis ejus ætatis supersit instituti hujus officii vestigium. Secundò omnes illorum temporum historiæ ecclesiasticæ vel etiam vitæ B. Dominici scriptores altum de tribunali inquisitionis tum constituto servant silentium. Tertiò mox a Lateranensi synodo finita hæretici in Occitania prævalere cœperunt, & annis sequentibus superiores catholicis fuerunt, usquequo illa provincia regi Franciæ cessit, quod non nisi post mortem B. Dominici evenit, adeo ut illo vivo nulla fuerit erigendi hujus tribunalis libera facultas. Quartò quia post illam synodum B. Dominicus non vitam statariam ullibi egit præsertim in Gallia, quod tamen ad hujus tribunalis erectionem & officii executionem necessarium erat, sed in continua concursatione fuit ordinis sui stabiliendi causa, in Galliam & Italiam pluries eundo & redeundo, Hispaniam postea tum & Parisios petendo, Bononiæ denique sedem figendo, ubi tamen vix paucis mensibus hærebat, alternis exiens, ubique verbum reconciliationis ad ultimum usque spiritum populis annuncians, sed nullum tribunalis inquisitionis actum exercens, saltem quem prodant historici. Denique quia hujus tribunalis erectio a scriptoribus Gregorio IX asseritur, qui illud in Teutonia primùm instituit ac magistro Conrado Marpurgensi commisit anno circiter MCCXXXI, Tolosæ verò anno MCCXXXIII, de quo sic Bernardus Guidonis in chronico pontificum: *In diebus autem legationis ejusdem episcopi Tornacensis* (is erat Walterus de Marvis) *per summum pontificem Gregorium IX commissa est Fratribus ordinis Prædicatorum inquisitio in partibus Tolosanis, Albigensibus, & Carcassonensibus, atque Agennensibus contra hæreticos facienda A. D. MCCXXXIII pontif. sui anno VII, X Kal. maii &c.* Ipse verò Gregorius hujus consilii sui episcopos Galliæ antea idibus aprilis ejusdem anni monuerat, iis scribens se attendisse quod diversis occupationum turbinibus agitati, vix valerent inter inundantium solicitudinum angustias respirare, ac per hoc dignum duxisse ut eorum onera aliis dividerentur, ejus *exemplo qui & duodecim apostolos & alios* LXX *elegit &c.* Primi virtute hujus diplomatis Tolosæ instituti inquisitores fuerunt F. Petrus Cellani de quo in vita S. Dominici, & F. Guillelmus Arnaldi, de quibus fusius agunt nostri scriptores legendi.

Cæterum qui ita sentiunt, B. Dominicum tamen agnoscunt perfectum inquisitorum exemplum innocentia & austeritate vitæ, accurata sanctarum scripturarum & sacrorum canonum peritia, ardentissimo pro Christi sponsæ Ecclesiæ decore zelo, odio in errores, in errantes caritate insuperabili, patientia in persecutionibus læta & gloriante, constantissima in sedem apostolicam devotione, animo ad effundendum pro fide sanguinem paratissimo, virum denique omni virtutum genere fulgentem, quibus alterum se sui seculi Paulum exhibuit. Quæ verò ego hactenus, hæc tantùm relative scribo, nam de munere inquisitoris quid certum ac tenendum a sapientioribus & rerum ordinis peritioribus libens docebor. Jam revertor ad opera.

4. *Constitutionum quas S. Augustini regulæ superaddidit, corpus ab ipso de primorum sodalium assensu ex antiquiorum ordinum statutis collectum & concinnatum.* Hoc MS in memb. etiamnum apud nostros Ruthenenses servari me monuit R. A. P. Melchior Thomas de Lermite ceu a se visum, dum provinciæ Tolosanæ præfectus visitationes suas obiret. Opus jam rarum, ex quo B. Raimundus tertius ordinis magister licèt idem alia tamen ratione composuit.

Hæc præterea recensentur a Lusitano.

5. *In Pauli apostoli epistolas lectiones Romæ in palatio apostolico dictæ.*

6. *In psalmos & epistolas canonicas collationes Bononiæ habitæ.*

7. *Super Evangelium Matthæi enarrationes ac seorsim super caput* VIII. *Ascendente Jesu in naviculam &c. ubi omnia navis armamenta ad mores eleganter trahit.*

Vide quæ supra de eo habet Joannes Hispanus testis in proc. canoniz. quintus: *Item dixit quod prædictus F. Dominicus semper gestabat secum evangelium Matthæi & epistolas Pauli, & multùm studebat in eis, ita quod fere sciebat eas corde tenus.* Qui Matthæi evangelium, qui Pauli epistolas continuo legebat, adeo ut corde teneret integras, difficile

ficile est quin de his plura commentatus sit, præsertim cùm asserente Stephano in eodem processu teste septimo, juvenis adhuc & in schola Palentina agens codices plures, quos scripturæ sacræ rectè conjicias, manu sua glossis illustrasset. Fatendum tamen rerum ac temporum seu vicissitudine seu incuria, ubi jam hæc ejus scholia habeantur, a nemine prodi. Hinc saltem discimus, quæ fuerit ejus prædicandi ratio, quæve auditoribus pro concione depromeret: cùm enim ex abundantia cordis os loquatur, nonnisi veritates evangelicas solidamque apostoli de fide & moribus doctrinam populis constanter annunciabat. Quod agebat & suis præscripsit, sic enim addit idem Joannes Hispanus: *quod prædictus F. Dominicus sæpe monebat & hortabatur Fratres dicti ordinis verbis & litteris suis, quod semper studerent in novo & veteri testamento, & hoc scit quia audivit eum illa dicentem, & litteras ejus vidit.* Idem habet Theodoricus lib. 4 cap. 4: *suadebat fideliter filiis ut semper studerent in novo & veteri testamento: ipse etiam beatus vir evangelium S. Matthæi & epistolas Pauli secum deferens, multùm studebat in eis, ut eas fere corde tenus retineret.* Et lib. 7 cap. 7. *Matthæi evangelium cum septem canonicis epistolis tantùm in prædicationem euntes deferebant* Fratres ordinis: *divinus namque vir S. Dominicus hæc deferenda provida dispensatione decreverat, ut filiorum suorum prædicatio, & evangelica veritate firmaretur, & apostolica auctoritate roboraretur.*

8. *Laudantur variæ ad suos epistolæ.* Ejus quam Parisios e Bononia scripsit, mandans ut ad sua prima comitia quatuor sodales Sanjacobei mitterentur, Jordanus meminit: similes Tolosam in Hispaniam & Romam misisse haud dubium. Plures alias circa studium Fratrum Joannes Hispanus mox citatus vidit. Quam ad Sanctimoniales Matritenses scripsit habent Malvenda & alii, utinam auro pretiosiores omnes servatæ fuissent. Caveas autem ne quam in fide Bzovii idem Malvenda refert, ceu a B. Dominico e suo altero capitulo generali ad provinciam Poloniæ scriptam, ejus esse credas: est enim magistri ordinis IV F. Joannis a Wildeshuzen e comitiis Londini anno MCCL habitis data, ut ex actis ubique servatis constat. Adde cœnobia Poloniæ in provinciam distinctam nonnisi in generalissimis Lutetiæ anno MCCXXVIII habitis fuisse erectam.

Opera Supposititia.

1. *Liber de corpore Christi.* Hunc ei tribuunt sese mutuo excipientes Bernardinus de Bustis Marial. serm. 5, Pelbertus de Temesvar Stellarii P. 1 art. ult. Galatinus de arcan. cap. 5, Cucarus in Elucid. Helmesfeus serm. 7, Cocceius Thesauri lib. 3, Petrus Canisius de B. Virg. lib. 1 cap. 7, Salmeron in epist. ad Rom. Suarez Vasquez & alii, quos colligit Petrus de Alva, qui præterea hunc librum eumdem esse contendit, qui in flammas ab hæreticis ter projectus, ter etiam illæsus resilivit. Hos autem quorum antiquior sub finem seculi XV florebat, falli omnes ex eo facile probatur, quod libellus B. Dominici Fanijovis in ignem injectus, omnia fidei capita ab hæreticis impugnata continebat, sic enim refert Theodoricus lib. 1 cap. 6: atqui Albigenses non solam in sacramento eucharistiæ veram corporis Christi præsentiam negabant: schedula verò apud Montemregalem etiam igni tradita, teste Guillelmo de Podiolaurentii supra laudato, de sanctitate Ecclesiæ Romanæ agebat. His omnibus, & si qui sunt alii qui idem astruant, allucinandi occasio fuit, quod noster Dominicus de Pantaleonibus Florentinus librum scripsit hoc titulo *De corpore Christi*, & quod erat discipuli ob nominis cognationem magistro tribuerunt. Idque jam observarunt Joannes de Turre-cremata tractatu de conceptione B. V. Bartholomæus de Pisis opusc. de univ. corr. gen. hum. Malvenda lib. de Paradiso cap. 60, Theophilus Rainaud. de bonis & malis libris Erot. 10 n. 215, & Dyptica Mar. P. 2 punct. 2 n. 19 quibus astipulatur Nicolaus Antonius Bib. Hisp. vet. lib. 8. cap. 7. SEC. XIII.

2. *De gratia Dei homiliæ tres & totidem de ineffabili Trinitate.* Has in museo suo se habere Alphonsus Ciccarellus aiebat, sed planum illum nullius fidei virum, impostorum coriphæum vocat citatus Nicolaus Antonius loco laudato.

Tabula brevem conspectum vitæ S. Dominici per annos digestæ exhibens hic reponenda n. 89.

B. M. F. REGINALDUS.

B. M. F. REGINALDUS olim ecclesiæ & capituli sancti Aniani Aureliæ in Francia decanus inter primitivos ordinis patres, & ardentiores felicioresque promotores in nostris annalibus laudatus, hanc etiam bibliothecam merito ornabit. Ejus quidem supra in utraque S. Dominici vita celebris extat mentio, nunc verò actorum ejus accuratior exhibenda est chronologia. Quam Galliæ civitatem patriam habuerit & locum natalem hactenus incompertum. Quod enim ex municipio sancti Ægidii dicto diœcesis Nemausensis in confiniis Occitaniæ & provinciæ sex circiter infra Bellamquadram milliariis sito ortum quidam ariolantur, sola Antonii Senensis in chronico p. 43 fide innititur, cui primo eum *de sancto Ægidio* agnominare placuit nullo veteri allato documento: apud quem erratum forsan irrepsisse quis conjiciat, & *de S. Ægidio* pro *de S. Aniano* scriptum, quod proclive: Ut ut sit Academiam Parisiensem prioribus annis coluit & illustrâvit Reginaldus, & juris canonici in ea doctor laureatus, idem jus ibidem annis quinque e superiori loco interpretatus est. Exinde ecclesiæ & collegii canonicorum S. Aniani summo pontifici nullo medio subjecti decanus assumtus, eo titulo jam gaudebat anno MCCXII, ut constat ex instrumento ab eo cum capitulo dictæ ecclesiæ acto ejusdem anni mense januario, quod videsis apud Franciscum *le Maire* in hujus opere cui titulus, *Antiquitez de l'Eglise & diocese d'Orleans* tomo altero pag. 82 & incipit: *Reginaldus B. Aniani Aurelianensis decanus, & universum ejusdem ecclesiæ capitulum &c.* Cum Manasse II *de Signelay* nuncupato episcopo Aurelianensi summa animorum conjunctione vixit, quem Romam proficiscentem, exinde in Terram-sanctam transfretaturum comitatus est, & Romæ jam aderat initio anni MCCXVIII circa finem martii vel initio aprilis. Quî tum in B. Dominici notitiam venerit, supra relatum est vitæ sancti per Jordanum nn. 34 & 35, & vitæ per Constantinum n. 24, & Dissert. IV ubi ejus ad ordinem cooptatio accurate quoad licuit tractata est. Ordini igitur aggregatus, veste donatus & in manibus Dominici una professus, voti explendi causa in Terram-sanctam abire a sancto permissus est puta mense maio, unde reversus forsan circa octobrem, ejusdem sancti jussu vicarius etiam suus institutus Bononiam adiit, & ingressus est XII Kal. januarii seu XXI decembris ejusdem anni MCCXVIII, eamque urbem disertissimis & ardentissimis suis concionibus totam ita commovit, ut cùm sodales initio hujus anni a sancto missi eo usque parum profecissent, quamplures ipse & illustriores Academiæ Bononiensis professores nostris allegerit: quos & mira suavitate regebat, ita tamen ut ne minimum adversus leges erratum impune transire permitteret. Cujus & hæc in vitis Fratrum habentur exempla par 4 c. 2. *Tantus rigor circa corrigenda vitia & maxime proprietatis vitium servabatur, ut modicum acceptum vel da-* * 1220.

Sæc. XIII. *tum sine speciali licentia graviter puniretur. Unde contigit Bononiæ, quod quidam Frater conversus quemdam pannum vilem sine licentia recepisset: hoc comperto beatæ memoriæ magister Reginaldus conversum in capitulo fortiter disciplinavit, & pannum coram omnibus concremavit. Cum autem dictus conversus non recognosceret culpam, nec se vellet humiliare ad disciplinam, sed potius murmuraret; ait vir Dei Fratribus, ut violenter eum ad disciplinam pararent. Quo facto magister Reginaldus erectis ad cœlum oculis ait cum lacrymis: Domine Jesu Christe qui famulo tuo Benedicto dedisti virtutem, ut per disciplinam a corde monachi sui expelleret dæmonis aculeum, da quæso ut hujus virtute disciplina ab hujus Fratris anima diaboli tentatio expellatur. Dedit ergo ei disciplinam tam magnam, ut Fratres moverentur ad fletum. Frater autem surgens cum lacrymis ait: Gratias ago tibi pater, quia vere a me diabolum expulisti: manifeste enim sensi quemdam serpentem exiisse a renibus meis: & sic proficiens valde factus est bonus & humilis Frater.* Additur & hoc aliud exemplum. *Quidam Frater tentatus de exitu ordinis, & deprehensus, cùm domum vellet exire, ductus est ad capitulum coram F. Reginaldo Bononiæ: & ipso culpam recognoscente, dixit F. Reginaldus, ut se pararet ad disciplinam. Quo facto incepit eum fortissime disciplinare, & modo vertens se ad eum percutiendo fortiter, dicebat Exi dæmon: modo vertens se ad Fratres dicebat; orate Fratres, sic volens per disciplinam & orationem fugare dæmonem de corde illius. Cùm autem sic diu fecisset, exclamavit ille & dixit, Pater audi me. Quo respondente, quid dicis fili? Ait ille: vere dico tibi, quod diabolus recessit, & promitto tibi stabilitatem. Quo audito gavisi sunt Fratres gratias agentes Deo, & ille in ordine confirmatus remansit.* Cum primùm sodales initio anni MCCXVIII id est circa finem martii vel initio aprilis a B. Dominico missi Bononiam advenerunt, data eis fuit ecclesia S. Mariæ *della Mascarella* dicta, ibique Reginaldus sub finem anni veniens quibusdam mensibus commoratus est, eratque adhuc quadragesima sequenti, ut ex supra relato Fratrum Pauli Veneti & Frugerii Pennensis in procef. canoniz. testimonio constat: at cùm locus non esset commodus, ita cum episcopo Bononiensi favente insuper Hugolino Ostiensi episcopo & summi pontificis legato egit Reginaldus, ut ecclesiam S. Nicolai ad vineas obtinuerit, hujusque ecclesiæ rectorem etiam ordini aggregarit. Eo verò loci longe plures & insignes viros in gremium cooptavit, adeo ut B. Dominicus ex itinere Hispano & Parisiensi in Italiam redux, Bononiam intrans sub finem augusti ejus anni, magnum ibi repererit sodalium collegium. Hinc sanctus eximiam in promovendo ordine Reginaldi industriam miratus, Parisios remittendum censuit, sperans in patria futurum adhuc feliciorem, qui tantum profecerat in aliena. Verùm aliter disposuit Deus, qui eum paulo post quam Parisios advenit, a suis laboribus requiescere voluit. Sed hæc narrantem Jordanum audiamus: *Venit itaque sanctæ memoriæ F. Reginaldus Parisius, & indefesso mentis fervore Christum Jesum & hunc crucifixum verbo prædicabat & opere; sed cito de terra sustulit illum Deus, & consummatus in brevi explevit tempora multa. Denique pauco post tempore correptus ab infirmitate, & ad mortem usque perductus obdormivit in Domino, pergens in gloriosas divitias domus Dei, qui dum hic viveret paupertatis ac vilitatis strenuum se exhibuerat amatorem. Sepultus est autem in ecclesia B. Mariæ in campis, eo quod nondum Fratres sepulturam haberent. Et jam subit animum, quod dum adhuc viveret F. Matthæus* (nempe primus & ultimus ordinis Parisiis abbas) *qui ipsum in seculo gloriosum delicatumque cognoverat, aliquoties velut admirans requisivit ab eo: estne vobis magister sævum hunc habitum assumpsisse? At ille vultu submisso respondit: nihil in hoc ordine mereri me reputo, quia nimis in eo mihi semper complacuit.* Hæc de Reginaldo Jordanus, qui cùm addat se & F. Henricum Teutonicum juniorem solos ab eo Parisiis ad ordinem adductos, manifeste probat eos falli, qui longe plures alumnos eidem ascribunt. Cùm autem anno MCCXX dies cinerum quo Jordanus & collega suus Henricus vestem ordinis induerunt, in XII februarii inciderit, & paulo ante Reginaldus obiisset, circa initium ejus mensis mortuum colligas: emendandique tum auctor Anni Dominicani Gallici qui ad diem X martii prorogat, tum Andreas du Saussay in martyrologio Gallicano, & hunc excipientes Actorum SS editores, qui ad XVIII aprilis ascribunt. Non omittendum quod de eodem servo Dei legitur in vitis Fratrum P. V cap. 2. §. 1. *Narravit venerabilis pater primus & ultimus ordinis nostri abbas, & post multo tempore Parisius prior F. Matthæus, quod cùm sanctæ memoriæ F. Reginaldus quondam decanus S. Aniani Aurelianensis morti propinquus esset, accessit ad ipsum, rogans ut se inungi permitteret, quia jam lucta mortis & dæmonum prope erat. Cui ille beatus respondit: Ego luctam istam non timeo, sed cum gaudio expeto & expecto. Mater quidem misericordiæ me Romæ inunxit, & in ipsa confido, & ad ipsam cum multo desiderio vado: tamen ne hanc ecclesiasticam unctionem contemnere videar, placet & eam peto. Postquam igitur inunctus est, coram positis Fratribus & orantibus in Domino obdormivit.* Hæc sunt antiquiora & certiora de B. M. Reginaldo ordinis monumenta: quædam solùm supersunt a Malvenda allata ad incudem revocanda. Omitto quod habet Reginaldum jam ante natale Dñi MCCXIX mortuum, eo quod Theodoricus de Appoldia lib. 3 vitæ S. Dominici cap. 10 sub finem ejus anni obiisse asserat: sed cùm Theodoricus id a nostris Parisiensibus acceperit, apud quos finis anni erat finis quadragesimæ sequentis, constat quod supra notatum est paulo ante quadragesimam anni stylo veteri MCCXIX novo MCCXX defunctum. Circa titulum vicarii B. Dominici, quo Reginaldus insignitur in vitis Fratrum P. I cap. 5 §. I Malvenda interpretatur, quasi institutus fuerit vicarius generalis ordinis cum amplissima potestate: quod non placet, neque enim superiorem Romanum S. Sabinæ Reginaldo subditum quis dixit hactenus, aut ullo documento veteri probarit. Vicarium itaque intellige vicesgerentem B. Dominici idque tantùm Bononiæ. Addit Malvenda: *Hisce nostris temporibus* (nempe quibus anales scribebat a MDCV ad MDCVIII) *effossum corpus ejus repertum est integrum & incorruptum, & in decentiorem locum translatum.* Penes quem fides, nam nulla horum mihi aliunde memoria: scio tantùm constantem fuisse populi Parisiensis ad ejus sepulcrum sex unciis a solo eminens per quadringentos annos devotionem: quousque anno MCCXIV ecclesia S. Mariæ de Campis sanctimonialibus Teresianis concessa est, tum enim illæ sacellum ubi erat illud sepulcrum exteris clauserunt, & suis usibus religiosis aptarunt. Dicuntur & variis tabellis ornasse præcipua beati viri gesta repræsentatibus: sic enim refert Joannes Franciscus Senault olim Oratorii Gallici præpositus generalis in vita ejus beati, quam ad instantiam dictarum monialium eleganti stylo Gallico scripsit & edidit Parisiis apud Petrum le Petit 1645 in 12 par. Rovetta ad 1220 Reginaldum suos inter scriptores Lombardos recenset, nec quin plura scripserit dubitaverim, *Sermones* præsertim aliaque opuscula, sed quæ temporum vicissitudine perierint: saltem ex hactenus dictis chronologiam gestorum ejus accuratiorem quam tradita fuerit hactenus lector hîc inveniet.

F. TANCREDUS BONONIENSIS.

F. TANCREDUS Bononiensis saltem a professione, 1221.
nam ejus patria quæ fuerit hactenus incompertum cujus insignis est in utraque B. Dominici vita

superius relata memoria, hîc speciatim laudandus venit, ne cum nescio quo F. Tancredo de Tancredis Senensi confundatur, ut a nostro Gregorio Lombardelli factum est, sed in hac parte inconsiderato. Tancredus itaque hic Bononiensis is est de quo in vitis Fratrum P. IV cap. 13 de intrantibus ex inspiratione B. Mariæ sic legitur: *Narravit F. Tancredus. de quo fit mentio in vita B. Dominici, quondam prior Romanus, quod cùm ipse miles esset in curia imperatoris* (Frederici II) *& quadam die considerans statum suum periculosum, toto corde orasset B. Mariam Virginem, ut eum dirigeret ad salutem, vidit in somnis ipsam dicentem sibi, veni ad ordinem meum. Cùmque ille evigilasset Bononiæ existens, & iterum instanter orasset B. Virginem, & iterum obdormisset, apparuerunt ei duo viri in habitu Prædicatorum, quorum unus senex dicebat ei: Tu rogas B. Virginem, ut dirigat te ad salutem, veni ad nos veni & salvus eris. Evigilans autem & non inveniens hujusmodi ordinis habitum, quia nondum viderat Fratres, se delusum somno reputabat. Et surgens mane rogavit hospitem suum, ut eum duceret ad ecclesiam, ubi missam audiret. Qui duxit eum ad ecclesiam B. Nicolai, ubi de novo venerant Fratres Prædicatores. Cùmque intrasset claustrum, statim occurrerunt ei duo Fratres, quorum unus erat prior Fratrum scilicet F. Ricardus senex, quem ille statim recognovit, quia ipse esset vere qui eadem nocte apparuerat ei, & disponens de rebus suis ordinem ibidem intravit.* Qua in narratione duo sunt maxime attendenda, primum hunc Tancredi ad ordinem ingressum necessariò referendum ad annum MCCXVIII stylo veteri id est post XXV martii hujus anni: tum enim primò B. Dominicum sodales Bononiam misisse docent Jordanus supra relatus n. 33 & Humbertus in chronico. Inter sodales verò missos unus fuerit iste senex F. Ricardus, qui ratione antiquitatis & gravitatis aliis præfectus fuerit. Nec obstat quod dicitur ductus ad ecclesiam B. Nicolai, quam ordini non fuisse concessam nisi anno MCCXIX circa pascha supra statutum est, ubi de B. Reginaldo: fortè enim Gerardus auctor operis de vitis Fratrum, cujus ætate jam a pluribus annis apud S. Nicolaum degebant nostri, distinguere non curavit hunc posteriorem locum a priori S. Mariæ ad Mascarellam quem ab initio inhabitaverant. Unde per ecclesiam S. Nicolai rectè intelligas ecclesiam Prædicatorum quæcumque illa fuerit anno MCCXVIII, quo dictus F. Ricardus nostris præerat: nam ex quo illuc advenit B. Reginaldus XXI decembris ejusdem anni, præses fuit sodalium, & omnes vestis nostræ candidatos suis ipse manibus induit. Alterum notandum est de duobus illis viris qui Tancredo in somnis apparuerunt in habitu Prædicatorum illi eo usque non viso: quod argumentum est & B. Dominicum & socios jam ab ipsis initiis ordinis eamdem vestem induisse quam modo gerimus, nullamque mutationem a visione Reginaldi Romæ anno MCCXVIII factam. Si enim aliam vestē habuissent illi Prædicatores in somnis a Tancredo visi, puta canonicorum regularium ut volunt, (id enim antequam Reginaldus nostris cooptaretur evenisse merito statuimus) certe Tancredus dubius non hæsisset, ad quem ordinem eum B. Virgo vellet accedere, cùm nullus esset ordine canonicorum regularium ea ætate ubique clarior, nec vestis notior. In utraque vita B. Dominici prima per Jordanum n. 43, altera per Constantinum n. 25, laudatur iste Tancredus, ceu qui vivis sermonibus B. Dominicum ad suscitandum Neapoleonem excitarit. Quod & supra dissert. IV a nobis annotatum ut argumentum invictum miraculum suscitati Neapoleonis & monialium e S. Maria Transtiberim in S. Sixtum translationem non evenisse quadragesima anni MCCXVIII ut vult Malvenda, neque sequenti qua B. Dominicus agebat in Hispania, sed mense februario anni MCCXIX stylo veteri, novo MCCXX. Eumdem Tancredum priorem Romanum S. Sabinæ fuisse constat ex loco vitæ Fratrum hîc citato, eo verò munere functum verisimillimum, cùm anno MCCXXI augusti VI mortuus est B. Dominicus, quo die Roma exiens Tibur accessit, & F. Raoni socio suo celebraturo commendavit, ut beati patris quem de vita periclitantem audierant, in sancto sacrificio memor esset. Quandiu postea vixerit Tancredus, quæve præclarè gesserit, ubi & quando obierit, nemo refert, eum tamen aliqua a se visa de B. Dominico scripsisse, aut aliis qui scripserunt aperuisse vix dubitaverim. Ejus præter citatos meminerunt Leander Albertus passim in vita B. Dominici & speciatim fol. 185. a. Pius P. I col. 19. Malvenda p. 195. b. quos tamen in quibusdam deserere antiqua nos coegerunt monumenta. Ex hactenus dictis quid sentiendum colligas de quodam. SÆC. XIII.

F. Tancredo de Tancredis Senensi inter scriptores nostros ex fide Gregorii Lombardelli recensito. Hunc Tancredum is vult Senis nobili stirpe natum anno MCLXXXV, Parisiis ubi studia exegerat laureatum, ac apud suos reducem e manibus S. Dominici e synodo Lateranensi cum Fulcone episcopo Tolosano revertentis & per Senas transeuntis habitum ordinis accepisse anno MCCXV cum decem circiter gentilibus suis, & primum ordinis cœnobium ibidem erexisse tum apud S. Mariam Magdalenam, tum Romæ apud S. Sixtum priorem præfectum annis MCCXVIII & MCCXIX: mortuo verò B. Dominico ab ejus successore B. Jordano anno MCCXXII in Terram-sanctam missum cum F. Burchardo & F. Bene annis novemdecim ibi stetisse modo vicarium generalem, modo priorem provincialem, modo in variis quæ erexerat cœnobiis, Ptolemaide, Hierosolymis, Damasci, Bethlehem, Nazareth præsidem, ac tandem anno MCCXLI cum fama sanctitatis obiisse. Quæ omnia sine ullo veteri documento astructa, pleraque etiam falsi arguuntur. Nam primò S. Dominicum e Lateranensi synodo revertentem nullum cœnobium erexisse prius quàm Tolosam ad suos socios rediret, cum quibus regulam & constitutiones elegit anno MCCXVI in monasterio Pruliano, certius est quàm ut in eo probando immorandum sit. Præterea cœnobium Senense apud S. Mariam Magdalenam primò institutum, nonnisi anno MCCXX, vel etiam sequenti MCCXXI die XIV martii nostris concessum est, cujus instrumentum actum cum magistratu loci vidit Pius, ut refert *della progenie* p. 202. a. Tancredus qui priorem agebat Romæ vivente B. Dominico non Senis sed Bononiæ vestem induit. Anno MCCXXII plures ex nostris in Terram-sanctam transfretasse non negaverim, sed F. Burchardum illum nempe qui ejus descriptionem edidit, ac de quo postea, tum eo missum verum non est. Tandem cùm provincia Terræ-sanctæ erecta est anno MCCXXVIII, primus in ea provincialis institutus fuit F. Henricus Teutonicus senior, cui successit F. Philippus, & huic anno MCCXXXVIII F. Yvo Brito, de quibus postea agetur singillatim, adeo ut nullus locus Tancredo de Tancredis relinquatur. Huic tamen Tancredo plura tribuit opera Lombardellus penes quem fides, cùm ubi serventur non addat.

1. *Commentaria super libros IV sententiarum.*
2. *Postilla super Cantica canticorum, Jeremiam, Danielem & Pauli epistolas.*
3. *Tractatus de Dei misericordia, potentia, scientia, prædestinatione, ac reprobatione, & de utilitate credendi.*
4. *Sermones quadragesimales, adventus, de tempore & de SS. per annum.*
5. *Centum Sermones de B. Virgine.*

Sæc. XIII. 6. *Commentaria in libros posteriorum, physicorum, de generatione & corruptione, de anima, ethicorum, politicorum, œconomicorum, metaphysicorum, de causis & parva naturalia Aristotelis.*

7. *Variarum quæstionum libri decem.*

Quæ ut verum fatear, omnia fictitia videntur.

F. MATTHÆUS GALLICUS.

* 1221. F. Matthæus Gallicus quæcumque ei fuerit patria, quam cùm sileant veteres annales nostri, frustra quis jam arioletur, in academia tamen Parisiensi educatus, ubi B. M. Reginaldum de quo paulo supra, jus canonicum e superiori loco interpretantem, tum in seculo gloriosum ac delicatum cognovit, vir evasit ipse magnarum partium. Simonem Montisfortis comitem in expeditione crucis adversus Albigenses anno MCCIX secutus est, huic exercitus catholici imperatori a sacris minister sicque acceptus, ut cùm illi visum fuisset in ecclesia S. Vincentii apud Castra Albiensium collegium XII canonicorum instituere, Matthæus ab eodem hujus capituli prior nominatus sit. Quo dum fungitur officio, B. Dominicum annis illis adversus hæreticos strenue prædicantem hospitio pluries excepit, sanctissimaque ejus vivendi ratione adeo illectus fuit, ut cùm vidit ordini Prædicatorum erigendo serio incumbentem abjecto prioratu totum se ei dederit, & ex sexdecim ejus primis sociis non ultimus fuerit. Anno MCCXVI cum eodem aderat in monasterio Pruliano, cùm facta est regulæ & constitutionum electio, exinde cum aliis Tolosæ in S. Romani per annum demoratus est. Anno MCCXVII Roma post confirmatum ordinem B. Dominico reverso, ab eodem Matthæus prius a sodalibus abbas electus, Parisios cum sex sociis legatus est, in eaque urbe regia quam intraverunt alii pridie idus seu XII septembris, alii initio octobris in domo conducta valetudinarium pauperum inter & palatium episcopale manserunt fere per annum. Interea Matthæus vir industrius & solers cum Johanne S. Quintini decano & theologiæ Parisiis magistro ac regente agebat, & ab eo sacellum S. Jacobi, ædesque adjunctas tandem obtinuit, sociosque suos eo transtulit VI augusti seu VIII idus ejus mensis anni MCCXVIII. Cùm nostri ferventissime verbo Dei instarent, & in primis Matthæus, quam plures in academia Parisiensi litteris operam dantes ordini aggregavit, adeo ut triginta circiter sodales jam haberet, cùm anno sequenti MCCXIX circa pentecosten quæ fuit XXVI maii B. Dominicus ex Hispania Lutetiam prima & ultima vice accessit: quorum plures Sanctus ad varias urbes misit Remos, Metas, Pictavos, Aurelianum, ut domos ordinis in iisdem erigerent. Tandem anno MCCXXI V nonas maii Matthæus cum Johanne S. Quintini decano de Sacello S. Jacobi & ædibus adjunctis ultimo transegit, cujus instrumentum videsis supra in annotatis ad n. 31 vitæ S. Dominici per Jordanum. Quo in actu cùm Matthæus non abbas sed prior Fratrum Prædicatorum nominetur, conjiciendum relinquitur in actis primi capituli generalis a B. Dominico anno MCCXX celebrati statutum fuisse, ut suppresso deinceps abbatis titulo conventuum administri priores tantùm dicerentur. Hoc verò munus prioris S. Jacobi ad mortem usque exegit idem Matthæus: unde emendandi qui primum Franciæ provincialem anno MCCXXI institutum volunt nullo veteri documento fulti: semper enim prior S. Jacobi Parisiensis, nunquam provincialis dicitur. Unde in vitis Fratrum P. V cap. 2 §. 1 sic legitur: *Narravit venerabilis pater primus & ultimus ordinis nostri abbas, & post multo tempore Parisius prior &c.* supra ubi de B. Reginaldo relata. Quæ verba non leviter prætereunda. Cùm enim abbatis titulo potitus sit ad usque primum capitulum generale MCCXX & exinde prior tantùm dictus multo tempore hoc munere functus asseratur, evidens est non tam citò mortuum ut pluribus nostris visum est, qui saltem anno MCCXXI volunt obiisse. Imo vivebat adhuc vegetus & alacer prioris munere fungens anno MCCXXV die S. Martini XI novemb. quo ex ejus manibus F. Gerardus de Fracheto Lemovicensis Parisiis vestem ordinis induit, ut iste propria manu scripsit in uno e codd. Carcassonensibus, & legit Soëgius noster: ex quo ad annum MCCXXVI & fortè etiam tardius mortem Matthæi prolatandam rectius existimarim. Perhonorifice sepultus fuit in eadem ecclesia S. Jacobi Parisiensi in odeo ante sedem prioris, quasi significare voluerint, omnibus qui eodem munere functuri essent, in eum semper aspiciendum ceu in perfectum exemplar. Quædam scripsisse haud dubitaverim præsertim *Sermones*. Quasdam parabolas seu historias ex ore concionantis auditas refert noster Stephanus de Borbone inter alia legendus. P. I de dono timoris T. I cap. 2 §. 2 quod Deus timendus est. cod. Sorb. fol. 140 col. 2 princ. *Ad hoc facit exemplum quod audivi a F. Matthæo primo Fratrum Prædicatorum Parisius priore, qui dicebat vel parabolice vel in veritate &c.* Et P. IV de dono fortitudinis tit. VII cap. V cod. Sorb. fol 347 col. I. *Audivi a F. Matthæo priore FF. Prædicatorum Parisius &c.*

F. CLARUS BONONIENSIS.

F. Clarus Bononiensis saltem professione e B. M. Reginaldi manibus vestem induit sub finem anni * 1221.
MCCXVIII, & in vitis fratrum P. I cap. 5 §. 1 his verbis laudatur: *F. Clarus vir bonus & magnæ auctoritatis, & peritus in jure civili, qui etiam in artibus & jure canonico rexerat, & postmodum fuit prior provincialis in Romana provincia, & D. papæ pœnitentiarius & capellanus, exorsus est loqui ad Fratres, & eos multis rationibus confortare. Vix sermonem compleverat, & ecce magister Rolandus &c.* Ex quibus discimus tum quis fuerit ante ingressum ordinis, scilicet academiæ Bononiensis juris utriusque doctor & professor, virque auctoritate gravis, tum quæ in ordine gesserit munia, primus nempe in Romana provincia prior provincialis a B. Dominico in alteris suis comitiis Bononiæ anno MCCXXI institutus, exinde a summo pontifice Honorio III & Gregorio IX pœnitentiarius & capellanus ascitus. Unde autem ortum duxerit, dissident scriptores etiam nostrates. Romanum vult Prosper Mandozius, sed non alia ratione, quàm quia primus Romanæ provinciæ præfectus fuerit. Gregorius Lombardelli noster Senensem contendit, uno ut videtur patriæ amore persuasus. Malvenda pag. 247 locum ex vitis Fratrum citatum sic legit. *F. Clarus de Sexto diœcesis Florentinæ vir bonus &c.* eadem. At unde illud additamentum acceperit me latet, non solùm enim in duobus codd. MS meis sec. XIII sed nec in editione Duacena Belleri 1629 leguntur illæ voces *de Sexto diœcesis Florentinæ.* Aliunde Bononienses Bononiensem vindicant, eo quod videatur puer educatus Bononiæ, proindeque natus, & eumdem asserunt de quo sic legitur in vitis Fratrum citatis P. I. cap. 4 §. 4. *F. Clarus etiam testatus est, quod cùm esset puer, & cum patre suo qui bonus & fidelis erat, juxta locum illum* (Bononiæ) *quem modo Fratres habent quadam die transiret, dixit ei pater suus: Fili in loco isto auditi sunt frequenter cantus angelorum. Cui cùm dixisset puer, fortè sunt voces hominum ludentium vel monachorum B. Proculi. Respondit pater, aliæ sunt voces hominum, & aliæ angelorum & multùm differentes. Quæ verba nunquam ab ejus memoria exciderunt.* Et sane si idem est, lo-

cus videtur peremtorius: verùm ut subdubitem facit quod in antiquiori meo codice MS iste non *F. Clarus*, sed F. Clarinus dicitur, unde conjicere quis posset alium esse, qui cùm junior esset altero, ad discrimen *F. Clarinus* dictus fuerit. Cæterùm cùm res sit parvi momenti, alterius otiosioris diligentiori disquisitioni id totum lubens permitto. Quandonam autem & ubi hic noster Clarus pœnitentiarius obierit, hactenus non produnt vetera monumenta, solusque Fontana vult ad annum MCCXL pervenisse. Ejus meminerunt præter citatos Leander Albertus fol 182. b. Lusitanus in Bibl. Fernandez, Altamura ad 1219. Rovetta ad 1221. Gaspar Bombaci inter illustres sanctitate Bononienses pag. 59 edit. Bonon. 1640 in 4. Nicolaus Pasqualius Alidosius inter scriptores Bononienses. Bumaldus in Minerval. Bonon. a quibus ei ascribuntur.

Tractatus ascetici & spirituales.

Tum de jure canonico, de philosophia & de theologia quadam opera. At quæ omnia jam latere omnes fatentur.

Oldoinus ansam ex eo arripiens, quod *de Sexto* a quibusdam agnominetur, suis asserit scriptoribus Liguribus, quasi ex alterutro fuerit oppido in ora Ligustensi, quibus nomen *Sestri di Levante*, *o Sestri di Ponente*. At præterquam quod *τὸ de Sexto* adjectitium esse jam monui, plura sunt alia in Italia ejus nominis oppida, in Lombardia ipsa Sextum ad exitum Ticini e lacu Verbano. Omnibus pensatis Bononiensibus litem adjudicarim.

B. JORDANUS SAXO.

* 1222. B. Jordanus Saxo alter a S. Dominico ordinis Prædicatorum magister, totius religionis speculum & virtutum exemplar, uti de eo legitur in vitis Fratrum P. III cap. I jam nobis est laudandus: omissis verò quæ dicta P. III tota in Actis SS. februarii T. II ad diem XIII pag. 720 relata legere possunt curiosi, vetera & certa quæ a nobis expectari aut etiam exigi possunt monumenta, vel nondum edita, vel editis accuratiora notis ubi necesse fuerit adjectis hîc dabimus: ac primò quidem quæ de seipso ipse B. Jordanus habet in suo de principiis ordinis Prædicatorum libello. Sic autem exorditur.

De visione quadam post obitum F. Reginaldi. 1. Ipsa nocte qua spiritus sancti viri (Reginaldi Aurelianensis de quo supra) evolavit ad Dominum, visum est mihi nondum quidem secundùm habitum Fratri, sed in ipsius manibus jam professo, Fratres in quadam navi per medium aquæ vehi: submersa est autem navis qua vehebantur, ipsi verò de aqua incolumes exierunt. Hanc navem ipsum F. Reginaldum existimo fuisse, quem itaque Fratres tunc temporis suum bajulum [A] æstimabant.

De visione quadam ante mortem ipsius 2. Visum est autem alii cuidam ante mortem ipsius, veluti si videret fontem quemdam limpidum obturari, pro quo alii duo fontes protinus erupperunt. Quæ visio an aliquid sibi verum voluerit, ego propriæ sterilitatis conscius [B] interpretari non audeo. Unum scio neminem apud Parisius præter duos [C] ipsum ad professionem ordinis suscepisse, quorum quidem ego primus, alter verò F. Henricus postmodùm prior Coloniensis, mihi singulari affectu præ cunctis ut puto mortalibus in Christo carissimus, tanquam vere vas honoris & gratiæ, quo gratiosiorem creaturam me in hac vita vidisse non recolo. Qui quam celeri maturitate festinavit ingredi in requiem Domini, quantarum virtutum homo fuerit commemorare non erit inutile.

De F. Henrico, qualiter aut ubi fuerit educatus. 3. Hic ergo Frater Henricus bonis quidem secundùm seculum ortus natalibus, cùm esset in ecclesia Trajecti inferioris canonicus, ibidem ab annis puerilibus a viro quodam sancto ac plurimum religioso ecclesiæ illius canonico sub disciplina & timore Domini diligenter educatus est. Nam cùm idem vir bonus & justus carnem suam crucifigendo seculi hujus nequam calcaret illecebras, & multis abundaret pietatis operibus, tenerum adhuc animum adolescentis ad omne virtutis opus imbuerat, faciens eum pedes lavare pauperum, frequentare ecclesiam, horrere vitia, spernere luxum, diligere castimoniam. Et iste cùm optimæ esset indolis adolescens, in omnibus sese exhibuit ad disciplinam docilem, facilem ad virtutes. Sicque dum cresceret ætate, crescebat simul & moribus: usque adeo ut si cum ipso conversareris, velut angelum existimares, & quasi innatam ei crederes honestatem. Itaque processu temporis venit Parisius, & statim ad studium theologiæ se contulit, habens magnum ingenii naturalis acumen, & ordinatissimam rationem. Adjunctus autem est mihi hospitio, & commanentes in suavem ac validam convenimus concordiæ unitatem. Interea F. Reginaldo felicis memoriæ veniente Parisius, & strenue prædicante, ego divina punctus gratia concepi & vovi intra meipsum ordinem istum assumere, arbitrans securam me reperisse salutis semitam, qualem & ante Fratrum cognitionem in animo meo sæpe deliberando conceperam. Firmato igitur cordis mei proposito laborare cœpi tota solicitudine, qualiter socium & amicum animæ meæ pari mecum voto pertraherem, videns eum naturali simul & gratuita dispositione ad ministerium prædicationis perutilem. Renuebat ipse, & ego magis insistere non desii. Itaque procuravi ut ad F. Reginaldum confessionem facturus, & exhortationem accepturus accederet. A quo rediens ad me, codicem Isaiæ velut conjectandi causa aperuit, & in eum locum primum conjecti sunt oculi ejus, ubi dicitur: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lapsus est verbo: erigit mane, mane erigit mihi aurem ut audiam quasi magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii.* Isa. 50, 5. Quæ verba prophetæ dum interpretarer ei veluti ipsius intentioni tam proprie respondentia, & quasi de cœlo sonantia (erat enim linguæ facundissimæ) hortabar eum sub jugo obedientiæ suam redigere juventutem: Advertimus post paulùlum illud quod sequitur, *Stemus simul*, tanquam si admoneremur in hoc præclaro societatis genere alter alterum nequaquam deserere. Hujus occasione verbi [D] postmodùm dum essem Bononiæ, ipse de Colonia mihi scripsit: *Ubi nunc estis, stemus simul? Vos Bononiæ & ego Coloniæ.* Dixi itaque ei: *Quid nam quæso ad meritum ditius, quid gloriosius ad coronam, quàm fieri paupertatis illius participes, quam in se ipso Christus exhibuit, & sui sequaces apostoli tenuerunt, si totum hoc seculum ejus amore spreverimus?* Acquievit ergo rationis judicio, sed voluntas pigra recalcitrans suadebat contrarium.

Qualiter mota fuerit voluntas F. Henrici. 4. Eadem igitur nocte cum ad matutinas ecclesiæ B. Virginis perrexisset, perduravit ibidem usque ad diluculum, orans & deprecans matrem Domini, quatenus ejus voluntas ad hoc propositum

[A] *Bajulum*, quod interpretor tutorem, mystagogum, ceu penes quem erat cura & educatio sodalium.

[B] *Ego propria sterilitatis conscius.* Quam visionem de se & F. Henrico interpretari non audet Jordanus præ modestia, de illis explicat auctor vitæ Fratrum P. III cap. 4.

[C] *Neminem apud Parisius præter duos.* Hinc patet eos falli qui volunt a B. Reginaldo ad ordinem adductos Brocardum Teutonem, Robertum Kilvuardby Anglum, Guillelmum de Peraldo & alios.

[D] *Hujus occasione verbi.* Manifestum est hæc scripsisse Henricum cùm priorem ageret Coloniæ, & Jordanus tum magister ordinis ageret Bononiæ: unde miror cuidam nostro scriptori excidisse, ut putaret ambos ante ingressum ordinis ab invicem discessisse, & Jordanum Bononiam Henricum Coloniam abiisse, unde hæc Jordano scripserit.

 flecteretur. Et cùm nihil ut sibi videbatur orando proficeret, sentiens adhuc cordis duritiem, super seipso compati cœpit, & parare recessum, dicens intra se: Nunc o Virgo beata, quod me non digneris experior, non est mihi pars in pauperum Christi collegio. Siquidem urgebat cor ipsius professionis illius appetitus, quam inesse sciebat voluntariæ paupertati: quoniam aliquando monstratum erat ei a Domino, quàm secura coram vultu districti judicis paupertas assisteret.

De visione quadam & ejus interpretatione.

5. Nempe dum quadam vice in visione se coram tribunali Christi putaret assistere, immensam illuc judicandorum, & cum Christo judicantium vidit adesse multitudinem. Ipse autem inter alios judicandus, dum sibi de nullo crimine conscius securus & innocens putaret evadere, quidam a latere adversus eum extenta manu talibus alloquitur: Tu qui astas, dic quid aliquando pro Domino reliquisti? Exterruit eum tam districtum interrogationis examen, quoniam ad interrogata quid responderet non habuit, sicque visio illa disparuit. Hinc ergo admonitus magis optabat evangelicæ paupertatis fastigium, nisi voluntatis segnities impediret. Itaque sicut memoratum est, dum jam pene de ecclesia se ipsum redarguens & mœstus ascenderet, subvertit fundamenta cordis ejus ille qui humilia respicit & obortis mox lacrymis ac resoluto spiritu se totum coram Domino cœpit effundere, & contrita est illa omnis durities in spiritu vehementi, ut suave jugum Christi, quod paulo ante gravissimum existimabat, jam computrefactum a facie olei leve per omnia fieret & jucundum. Surgens ergo in illius fervoris impetu, & ad magistrum Reginaldum properanter accedens votum emisit: moxque ad me rediens, dum in angelico ipsius vultu lacrymarum considerarem vestigia, & unde veniret perquirerem, respondit votum vovi Domino & solvam. Distulimus tamen usque ad quadragesimæ tempus tyrocinium nostrum, lucrati interim unum ex sociis nostris Fratrem Leonem, qui F. Henrico postmodum successit in officio prioratus.

De ingressu F. Jordanis F. Henrici & F. Leonis.

6. Veniente itaque die quo cinerum impositione suæ fideles admonentur originis & reversionis in cinerem, disposuimus & nos congruo ad pœnitendum exordio quod Domino voveramus implere, ignorantibus tamen adhuc sociis ejusdem nobiscum hospitii. Unde cùm F. Henricus egrederetur de hospitio, & unus sociorum requireret, Dñe Henrice quo itis? vado inquit in Bethaniam. Quod verbum ille non tunc quidem, sed facti postmodum explicatione intellexit, quid sibi voluerit: cùm ipsum Bethaniam, quod est interpretatum, Domus obedientiæ, videret ingressum. Convenientes igitur nos tres ad S. Jacobum, Fratribus jam decantantibus, *Immutemur habitu*, nos in medium eorum improvise quidem sed opportune advenimus: confestim veterem hominem exuentes ibidem novum induimus, ut quod illi voce psallebant, in nobis opere compleretur [E].

De revelatione quadam.

7. Post ingressum F. Henrici vir ille sanctus qui ipsum nutrierat, cum duobus aliis ecclesiæ spiritualibus & bonis viris, qui tres eum grandi affectu dilexerant, gravissime sunt turbati, ignorantes adhuc novam eisque inauditam religionem, & quasi perditum tantæ spei juvenem existimantes. Igitur in hoc pene convenerant, ut aliqui vel aliquis eorum vadens Parisius, ipsum ab hac indiscretione ut sibi videbatur averteret atque retraheret. Tunc unus ex eis; non sic ait præcipitanter agamus, sed hanc noctem pari voto peragamus postulantes, ut suum nobis super hac re bene placitum Dominus aperire dignetur. Venit nox & orantibus eis vocem de sublimi sonantem unus eorum audivit, A Domino factum est istud & non poterit immutari. Itaque hac revelatione divina facti certissimi jam non amplius conturbabantur, sed scribentes Parisius, ut perseveraret fiducialiter hortabantur, insinuantes ei revelationis hujus modum & ordinem. Quas litteras pietate plenas, suaves & melleas ego legi.

De vita F. Henrici & gratia sibi a Deo data.

8. Hic est F. Henricus, cui multam atque mirabilem in verbo suo ad clerum Parisiensem Dominus largitus est gratiam, cujus sermo vivus & efficax audientium corda violentissime penetrabat. Non est visus ante ipsum nostræ recordationis temporibus apud Parisius in audientia omnis cleri tam juvenis, tam facundus, tam gratiosus per omnia prædicator. Et quidem in hoc vas electionis multa contulerat Deus gratiarum insignia. Erat nempe obedientia promtus, patientia firmus, mansuetudine placidus, hilaritate gratus, caritate diffusus, nec deerat ei morum honestas, cordis sinceritas, & in carne virginalis integritas: quippe qui in omni vita sua mulierem impudica cordis intentione non vidit nec contigit. Inerat ei sermonis modestia, linguæ facundia, acumen ingenii, gratia faciei, personæ venustas, scribendi habilitas, dictandi peritia, vocis angelicæ melodia. Nunquam tristem, nunquam turbulentum aspiceres; semper æquanimis, semper hilaris. Licentiaverat eum ab austeritate rigoris justitia, totumque eum sibi vendicaverat misericordia. Tanta enim facilitate cordibus omnium influebat, tam se cæteris exhibuit socialem, ut si cum eo conversareris ad modicum, dilectum te ab ipso præ omnibus existimares. Et necesse fuit quem perfuderat Deus gratia, ut ab omnibus amaretur. Et cùm in omnibus prædictis sic omnes excelleret, ut singulariter bonus in quacumque gratia videretur, de his tamen nesciebat extolli, a Christo enim didicerat esse mitis & humilis corde.

De missione ejus Coloniam.

9. Missus autem pro priore Coloniam [F], quam copiosum ibidem & uberem manipulum animarum in virginibus, in viduis, in veris pœnitentibus per assiduam prædicationem lucrifecerit Christo: quamque diligenter ignem quem Dominus venit mittere in terram, in cordibus multorum accenderit, & accensum nutrierit, tota adhuc clamat Colonia. Nomen Jesu admonere consueverat omni reverentia cultuque dignissimum, nomen inquam quod est super omne nomen nominatum, ut usque hodie cùm in ecclesia aut prædicatione sacrum hoc nomen sonuerit, multorum cordium ad alicujus exhibitionem reverentiæ confestim expergefiat devotio.

De ipsius obitu.

10. Tandem completo felicis vitæ cursu præsentibus Fratribus atque orantibus sancto fine quievit in Domino [G]. Sed ante egressum animæ cùm extremæ unctionis eidem exhiberentur officia, ipse velut unus ex Fratribus litanias & suffragia vivaciter perorabat. Completo illo officio devotis verbis Fratres admonens, uberes eos provocavit ad lacrymas. Quanti autem in ejus morte fletus, quanti viduarum & virginum singultus ac gemitus, quot Fratrum & amicorum suspiria quis enumeraret? Multa quidem de ipso mens suggerit, sed ne fortè nimis in longum pergat oratio, unum saltem ex iis quæ post mortem ejus plura per veritatem confessionis, & a personis sanctis & fidelibus intellexi, commemorare sufficiat.

De manifestatione ipsius facta cuidam religioso.

11. Fuit in civitate Colonia venerabilis quædam matrona, quæ dum ipsum F. Henricum adhuc vi-

E Anno MCCXX. Num. aur. 5. Lit. Dom. E D. Dies cinerum XII febr. quo illi tres vestem induerunt in S. Jacobi.

F In vitis Fratrum P. IV cap. 13 §. 3 iste F. Henricus dicitur fuisse primus nostrorum Coloniæ prior, ac proinde anno MCCXXIV Parisios reliquerit, nam eo anno cœnobium Coloniense fuit erectum.

G Ex his habetur mortuum ante MCCXXXIV, nam ante hunc annum hæc scripserat Jordanus.

ventem mira devotione diligeret, aliquando precabatur eum, ut sponderet se post mortem eidem apparere velle, si tamen ipse primitus moreretur. Acquievit ille precibus postulantis, si tamen divinæ foret placitum voluntati. Defuncto igitur eo præstolabatur illa, & graviter æstuabat videre promissum: & tunc quoque quadam pulsari consueverat tentationis molestia, ut circa fidem inquietudines graves ab adversario pateretur, an scilicet post hanc vitam redigerentur in nihilum, an viverent animæ defunctorum. Sed expectanti diutius & desideranti nihil apparuit. Itaque gravius invalescebat tentatio, & dicebat illa in corde suo, si quid de futura vita quod nobis annunciatur, veritatis haberet, is quem tanto venerabar affectu, me jam certificasse debuerat. Dum sic affligeretur & in corde tabesceret, ecce cuidam viro religioso F. Henricus apparuit, & ait ei: vade ad matronam illam proprio vocans eam nomine, quod videlicet nomen usque tunc vir ille nescierat, quia mutatum ab infantilibus annis ex quadam devotione vocabulum vero nomini in baptismate dato præjudicaverat, quod tunc primum vir ille F. Henrico sibi declarante & exponente cognovit. Vade inquit ad eam, & cùm ipsam pro me salutaveris, dices ad eam: Hæc & hæc opera facere consuevisti, non sic amodo facies, sed talem & talem modum observabis in eis. Erant autem eadem opera sic occulta, ut præter eam nullus hominum ea nosset. Dum loqueretur hoc, advertit ille bonus gemmam in pectore illius claram nimis & fulgidam, & quemdam murum ante faciem ejus lapidibus pretiosis intextum, quem multo contemplabatur intuitu. Dixitque ei: Quid sibi vult Domine mi, gemma in pectore vestro tam fulgida, & hic murus pretiosus? At ille: Hæc gemma munditiæ cordis indicium est, quam habebam in seculo, & dum eam respicio, multa consolatione perfundor: hic quoque murus pars illa est in ædificio Domini, quam adhuc vivens, consilio prædicatione & confessione construxi. Interea supervenit Regina cœli mater misericordiæ virgo Maria, & ea propinquante dixit F. Henricus ad hominem, Hæc est Dña mea Salvatoris mater, quæ me in suum famulatum elegit, pensa quantum sit refugium in ipsius consortio. Hæc cùm dixisset, confestim associatus ei cum ipsa discessit. Venit itaque vir ille bonus, & eidem matronæ revelavit cuncta per ordinem, prodens ei quædam suorum operum maxime secretorum manifesta sibi intersignia, quorum revelatione veritas probaretur. Illa verò multa consolatione recepta a suæ tentationis æstu relevata est. Sed fortius consolabatur eam quiddam, quod per seipsam postmodum meruit experiri. Denique dum aliquando inclinata super arcam quamdam in thalamo domus suæ, litteras a F. Henrico sibi quandoque transmissas cum pia dilectione relegeret: occurrit in eisdem litteris verbum quoddam, cujus secundùm Latinam interpretationem hæc erat sententia: super dulce Jesu pectus recumbite, & animæ vestræ sitim extinguite. Cujus verbi commemoratione succensa, veluti si illud ex ore viventis adhuc & præsentis exciperet, rapta est spiritu, viditque se ab una parte juxta pectus Christi Jesu assistere, & F. Henricum ab altera. In quo raptu tam profundum tamque mirificum experta est divinæ consolationis gustum, ut inebriata prorsus tam immenso salutaris influitionis irriguo, præsentes ancillas domus & vociferantes ad ipsam, quatenus ad mariti præstolantis mensam festina veniret, minime persensisset, quousque tandem ab hujus melliflua spiritus delibatione reversa, sensibus reddita est. His de F. Henrico commemoratis jam residua prosequamur. Sæc. XIII.

Refert exinde Jordanus se missum ad primum capitulum generale a B. Dominico Bononiæ anno MCCXX *celebratum: & qui in altero anno sequenti* MCCXXI. *ibidem habito licèt absens datus fuerit primus provinciæ Lombardiæ prior provincialis. Quæ videsis supra vitæ B. Dominici per Jordanum nn. 38 & 39. Sic autem prosequitur.*

De F. Everardo qui fuit archidiaconus Lingoniensis.

12. Intravit autem tunc temporis apud Parisius F. Everardus archidiaconus Lingoniensis vir multarum virtutum, opere strenuus, consilio providus: qui cùm esset auctoritatis eximiæ, quanto latius fuerat notus in seculo, tanto plures assumtæ paupertatis ædificavit exemplo. Hic mecum ituro in Lombardiam, quem tenero diligere videbar affectu, iter arripuit desiderans videre magistrum Dominicum: & per omnes partes Galliæ & Burgundiæ, quas mecum pertransibat, in quibus ipse fuerat aliquando notus, Christum egenum & pauperem in corde suo circumferens prædicabat. Tandem infirmitate corripitur, & apud Lausanam, ubi quondam fuerat electus episcopus, sed acceptare renuerat, vitam hanc criminosam & flebilem festino quidem, sed omnino felici fine complevit. Paululum verò antequam moreretur, cùm jam certum ipsius obitum physicorum pronunciaret sententia, sed hoc ipsum celaretur ab eo, dixit mihi: si moriturus sum medicorum judicio, quare mihi non dicitur? Celetur ab eis mors, quibus mortis est amara memoria, ego morte non terreor: nihil ei timendum, qui si terrestris domus hæc misera carnis subruitur, domum non manufactam æternam in cœlis felici commutatione consolatus expectat. Defunctus est igitur ibidem commendans terræ corpusculum, spiritum creatori. Felicis autem defunctionis ejus hoc mihi laudabile fuit indicium, quod in exitu spiritus ejus, cùm me ad dolorem cordis & turbationem spiritus crederer excitari, quadam e contra devotione atque jucunda sum hilaritate perfusus: ut jam minime flendum eum quod migrasset ad gaudia, testimonio conscientiæ commonerer [H].

De vexatione cujusdam F. Bernardi per dæmonem.

13. Itaque defuncto apud Losanam ut dictum est F. Everardo, ego procedens Lombardiam intravi [I], injunctum mihi per illam provinciam ministerium peracturus. Erat tunc quidam Frater Bernardus, qui obsessus acerrimo cruciabatur dæmonio in tantum, ut die noctuque furiis exagitaretur horrendis, & supra modum omne Fratrum exturbaret collegium. Quam tribulationem haud dubie operandæ patientiæ servorum suorum misericordia divina providerat. Sed referam quo ordine huic tale flagellum evenerit. Post ingressum enim suum ad nos, peccatorum suorum crebro doloribus stimulatus, desiderabat a Domino aliquod sibi genus purgationis infligi. Suggerebatur cordi ejus an vellet affligi obsessione dæmonis, & horrebat animus, nec poterat consentire. Tandem post multas deliberationes, cùm quadam vice suis offensis esset gravius indignatus, assensit animo, ut corpus ejus operandæ purgationis causa dæmoni traderetur, ut ipse mihi retulit: & sic confestim factum est, ut idem quod corde conceperat permittendo, perficeretur in opere. Multa per os ejusdem dæmon evomuit. Interdum quoque licèt obsessus ille non foret in theologia peritus, & sanctarum velut inscius scripturarum, adeo tamen per os ejus profundas de scripturis eliciebat sententias, ut hujusmodi etiam per Augustinum edita laudabilia merito conferentur. Gloriabatur autem quamplurimum suggerente superbia, si quis aurem suis sermoni-

H Hoc n. relata habentur etiam in vitis Fratrum P. 5. cap. 2. §. 2 & in actis SS. T. II febr. p. 736 n. 91 sed compendiario.

I Cùm mortuo jam B. Dominico Jordanus Bononiam advenerit, patet nonnisi post sextam augusti eo accessisse.

bus inclinaret. Interdum hanc ut recolo mihi conditionem exhibuit, ut a prædicatione deſiſterem, & ipſe a Fratrum omnium tentatione ceſſaret. Cui ego: Abſit ut fœdus cum morte ineam [K], aut pactum faciam cum inferno. Tuis tentationibus te nolente Fratres proficient, & ad vitam gratiæ convaleſcent, quia tentatio eſt vita hominis ſuper terram. Nitebatur autem ſub quadam fraudulenta palliatione verborum & crebro aliquod in cordibus noſtris ſuæ nequitiæ ſeminare veſtigium. Quod ego dum adverterem, dixi ei: ut quid nobis toties geminas dolos tuos? non ignoramus cogitationes tuas. At ille: Et ego cognovi figmentum tuum. Quod ſemel tibi oblatum reſpuis & contemnis, tandem verò mea ſupplantatus improbitate facile & gratanter admittes. Audiant hæc milites Chriſti: non eſt colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus: ut diſcant ex ipſorum hoſtium ſedulitate continua ſuum e contra continuare fervorem, & vitare ſpiritus in ſe torpentis ignaviam. Interdum quoque quod amplius eſt, tam efficacibus utebatur velut in modum prædicationis ſermonibus, ut ipſo pronunciationis modo, ac pietate ſimul & profunditate verborum uberes elicuerit lacrymas de cordibus auditorum. Mirum in modum etiam ipſum Fratris obſeſſi corpus ſuaviſſimis aliquando ſuper omnem humanam conſtructionem perfudit odoribus. Idemque tentationis genus mihi in memetipſo nequiter intulit, ſimulans ſe torqueri graviter eiſdem odoramentis velut ab angelo cœlitus procuratis: cùm ipſe foret omnino per quem ad ſuſcitandam temerariam ſanctitatis præſumtionem hujuſmodi tendebantur inſidiæ.

De tentatione odoris procurati per dæmonem.

14. Denique dum quadam vice Fratrem illum nobis præſentibus graviter afflixiſſet, cœpit ſimulare turbationem gravi voce & dicere: Ecce odor, ecce odor, ecce odor, & poſt puſillum effuſa ſuper illum Fratrem odoris illius ſuavitate, horrorem & deſpectum (in) ſe pari vultu ſimul ac voce ſimulatorie demonſtravit. Dixitque mihi: Sciſne quid modo abhorream? Ecce angelus hujus Fratris ſuaviſſimis his eum odoribus conſolaturus advenit, & in ejus conſolatione grave mihi tormentum incuſſit. Sed ecce profero tibi de theſauris meis alterius modi odoramenta, quibus ego viſitare conſuevi. Moxque ut verbum protulit, ſulphureis aërem reſperſit fœtoribus, intendens eorumdem ſucceſſione præcedentis illius ſuavitatis palliare fallaciam. Igitur cùm & mihi feciſſet ſimilia, ego multa perplexus ambiguitate diffidebam quidem de meritis, ſed tamen hæſitabam incertus, quocumque pergerem mira circumfuſus fragrantia. Vix ipſas manus audebam extrahere, veritus eamdem (de) qua nondum conſcius eram mihi, prodere ſuavitatem. Si geſtarem calicem, ut interdum fieri ſolet, pro hoſtia corporis Domini deferenda, tanta de ipſo calice prodire videbatur miri odoris ſuavitas, ut totus poſſem per immenſitatem tantæ dulcedinis immutari. Sed non paſſus eſt ſpiritus veritatis maligni ſpiritus in longum durare fallacias. Nempe dum quadam die divina celebraturus in quodam loco pſalmum iſtum, *Judica Domine nocentes me,* propulſandis tentationibus efficacem cum aliqua attentione ſpiritus perorarem, & jam iſtum ruminarem verſiculum, *Omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis tui?* repente tanta ſuper me effuſa eſt odoriferi dulcoris immenſitas, ut revera viderentur omnes medullæ meorum oſſium irrigari. Stupeſcens ergo & tali plus ſolito raritate percuſſus, oravi ad Dominum, ut ſi diabolicis hoc ageretur inſidiis, ſua gratia revelaret, nec jam calumniari ſineret pauperem a potente, cui aliunde certus non erat adjutor. Mox ut oravi ad Dominum, (in ipſius laudem refero) tantam recepi ſpiritus illuſtrationem intrinſecus, tam indubitatum per infuſam veritatem plenæ ſecuritatis indicium, ut jam omnino nihil ambigerem, cuncta hæc fraudulenti hoſtis extitiſſe figmenta. Jamque ex tunc revelato iniquitatis arcano, cùm Fratrem iſtum de diabolica tentatione certum feciſſem, ab utroque noſtrum ceſſavit illius odoris immiſſio. Atque ex tunc mala loqui cœpit & turpia, qui prius ſermones multos devotione plenos nobis narrare conſueverat. Cui cùm dicerem: ubi nunc ſunt pulchri ſermones tui? Reſpondit mihi: manifeſtum eſt nunc meæ fraudis conſilium, manifeſtam jam volo exercere nequitiam [L].

De inſtitutione antiphonæ Salve regina poſt completoriũ.

15. Hujus prædicti F. Bernardi tam fera vexatio prima fuit occaſio, qua permoti *Salve Regina* [M] antiphonam poſt completorium decantandam inſtituimus apud Bononiam. Quod de domo eadem per omnem poſtmodum cœpit Lombardiæ frequentari provinciam, & ſic demum in univerſum ordinem hæc pia & ſalutaris invaluit conſuetudo. Quantis hæc ſancta laus venerandæ matris Chriſti lacrymas devotionis excuſſit, quot audientium pariter atque pſallentium liquefecit affectum, emollivit duritiem & piorum cordibus invexit ardorem! Annon credimus matrem Redemptoris noſtri talibus delectari laudibus, mulceri præconiis? Retulit mihi vir Dei religioſus & fide dignus frequenter ſe vidiſſe in ſpiritu, dum Fratres canerent, *Eia ergo advocata noſtra*, ipſam matrem Domini ante filii ſui proſterni præſentiam, & pro totius ordinis conſervatione precari. Quod idcirco commemoratum ſit, ut legentium Fratrum devotio magis jam deinceps in laudem Virginis animetur.

[K] *Abſit ut fœdus cum morte ineam.* Digna Jordano reſponſio, quæ & in vitis Fratrum P. III cap. 30, eadem habetur: adeo ut certiſſimum ſit Jordanum nec per levem temporis morulam pacto a dæmone propoſito aſſenſiſſe, ſed mox exhorruiſſe & indignabundum ſubito a ſe & a ſuis propulſaſſe. Novi Thomam Cantimpratanum lib. II de apibus cap. 57 §. 48 narrare Jordanum primo dæmoni acquieviſſe, cœlitus verò poſtea monitum fœdus fregiſſe. Sed cui potius credas an Cantimpratano, an Jordano de ſe teſtanti? Cantimpratanus itaque ut uſu venit, & quotidie experimur, a quibuſdam non recte audita, ſed aucta & interpolata narrantibus hoc acceperit & ſcripſerit, ſed jam Jordano ipſo audito circumſcribendum & omnino expungendum.

[L] Hiſtoria prædicti Fratris obſeſſi in vitis Fratrum P. III per varios articulos diviſa habetur, adeo ut neſcias an de eodem an de diverſis narretur. Ex hac autem relatione patet de eodem obſeſſo eodemque dæmone agi. Vide Acta SS. citata T. II febr. p. 729 nn. 37, 38, 39, & pag. 736 n. 89, & p. 737 n. 8, & p. 738 n. 9.

[M] Ex hac narratione habetur morem cantandi *Salve Regina* cum proceſſione poſt completorium Bononiæ primùm incepiſſe, quo autem anno non ita liquet. Certius exiſtimarim id inſtitutum, cùm jam a quibuſdam annis Jordanus totius ordinis magiſter ageret. Nam dæmon ille de quo ſuperioribus nn. Jordanum ſæpius cæcum appellabat, ut videre eſt in vitis Fratrum P. III nn. 30 & 31, ideo ut videtur quod altero oculo captus eſſet, cujus oculi uſum non amiſit niſi poſt quoſdam regiminis totius ordinis annos, ut habetur ibidem n. 21. Quæ autem de hac inſtitutione refert noſter F. Stephanus de Borbone lib. de ſeptem donis Spiritus Sancti viſum eſt hîc addere. Sic enim ille P. III, de dono ſcientiæ. tit. V de ſatisfactione cap. 3. Quale debet eſſe jejunium cod. Sorb. fol. 271. c. *Videns autem diabolus in principio ordinis Prædicatorum Fratres nimis affligi paupertate & defectu cibi & ſomni: & cùm multum affligeret eos etiam corporaliter: Fratres ſtatuerunt, ut in fine matutinarum cantarent*, Te ſanctum Dominum, *ut boni angeli quos invocabant, malorum nocumentum reprimerent. Clamavit diabolus per os cujuſdam Fratris, quem propter indiſcretam abſtinentiam arripuerat, cùm cantarent*, Cherubim quoque ac Seraphim &c. O *miſeri vos neſcitis quid cantatis, neſcitis quàm ſublimes iſti ſunt, ſed ego ſcio qui de eorum conſortio cecidi: & cùm non habeam carnem, in qua poſſim facere pœnitentiam, non poſſum illuc ultra conſcendere: ſed certe ſi tantum haberem de carne, quantum eſt in pollice humano, tantum facerem in ea de pœnitentia, quod adhuc ad altiorem ſtatum aſcenderem. Magiſter autem Jordanus videns dæmonis fallaciam, monebat Fratres contra indiſcretam abſtinentiam.* Idem clarius aperit

P. II

Cùm B. Jordanus nihil de sua in magistrum ordinis electione referat, addendum visum est quod de eo habetur in Chronico quinque priorum ordinis magistrorum; quod vulgo dicitur chronicon Humberti. ex meo cod. MS sec. XIII.

1. Anno Dñi MCCXXII [N] celebratum est tertium capitulum generale Parisius, in quo electus F. Jordanis in magistrum, licèt nondum complesset in ordine duos annos & dimidium. Hic fuit Teutonicus de Saxonia villa quæ dicitur *Borcberge* [O] in diœcesi Maguntina oriundus. Hic cùm esset scholaris Parisius & probus in theologia [P] cogitaverat in corde suo de hujusmodi vita Fratrum, quorum jam habebat notitiam, assumenda. Veniente ergo F. Reginaldo Parisius & prædicante ferventer, vovit apud se se ordinem intraturum. Habebat autem apud se F. Henricum, qui fuit primus prior Coloniensis, juvenem utique angelicum, gratiosissimum in omnibus, & præcipue in prædicatione, qui totam universitatem Parisiensem multum commovit, de cujus laudibus mira scripsit in libello quem composuit supradicto. Hunc autem laboravit secum ad ordinem trahere, & emisso prius voto de ingrediendo ordinem in manibus prædicti F. Reginaldi ab utroque, intraverunt ambo in die cinerum, & receperunt habitum, dum in officio Fratres cantarent, *Immutemur in melius &c.*

2. In diebus ejus ordo fuit valde dilatatus in provinciis, in conventibus, in numero Fratrum, & multi viri & excellentes in nobilitate & divitiis intraverunt. Sub eo etiam fuerunt prius licentiati [Q] Fratres Parisius ad legendum, & habuerunt duas scholas. Intravit etiam F. Johannes de sancto Ægidio Anglicus natione magister in theologia facto sermone prius. Fuerunt autem inter hujusmodi Fratres ab illo tempore multi valde excellentis gratiæ & doctrinæ, sicut eorum scripta & memoria usque hodie manifeste declarat. Ipse est etiam qui induxit consuetudinem de faciendis collationibus [R] Parisius scholaribus. Et sub eo etiam inducta est consuetudo de cantando *Salve regina* post completorium. Sub eo etiam celebrata sunt duo capitula generalissima Parisius, in quorum ultimo factum est statutum de silentio mensæ. Ejus tempore etiam quatuor minores provinciæ [S] coæquatæ sunt aliis octo in potestate quoad diffinitores & electionem magistri, quod antea non habebant.

3. Ipse etiam induxit consuetudinem quam habent magistri ordinis, de mittendo litteras de capitulo generali. Scribebat enim sæpe Fratribus, quos videre non poterat litteras dulcissimas sanctæ consolationis & exhortationis plenas, & modo omnibus modo aliquibus provinciis, conventibus, vel Fratribus sic scribebat. Sub eo etiam anno Dñi MCCXXXIII translatum est corpus B. Dominici ad locum honorabiliorem, & eodem anno est sanctorum catalogo aggregatus [T] apud Perusium per papam Gregorium IX. In quo tempore tanta gratia prædicationis & mirabilium effusa est in Lombardia & alibi per Fratres inde venientes; quod totus mundus fere ex auditu stupebat. Fuit autem magister iste multum notus & dilectus a D. papa Gregorio prædicto, & ab aliis curialibus, & gratiosus apud magnates & religiosos, & clerum & populum & universitates scholarium ubique, adeo quod vix poterant satiari de verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus sive in sermonibus, sive in sanctis collationibus quas habebat. Unde quando erat Parisius, incumbebat ei omnes sermones Fratrum facere, & quando prædicabat alius, & sciebant eum scholares præsentem, vix volebant in fine recedere, priusquam ipse aliquid diceret post alios.

4. Fuit autem ejus summum studium ordinem dilatare propter fructum animarum, propter quod totum se dabat ad trahendas personas bonas ad ordinem: & ideo immorabatur quasi semper in locis in quibus erant scholares, & præcipue Parisius, nisi quando eum ire ad curiam oportebat. Erat autem illi consuetudo, quando erat Parisius, quasi omni die quando non erat sermo facere collationem

p. 11 de dono pietatis tit. 2 de B. Maria, cap. 14 cod. Sorb. fol. 227. c. *Cùm in principio ordinis Prædicatorum dæmones totis viribus laborarent ad infestationem Fratrum non solùm invisibiliter sed spiritualiter tentando & impugnando, imo etiam multos multipliciter & corporaliter affligendo, apparuit aliquando diabolus Jordano bonæ memoriæ dicti ordinis magistro, ut audivi ab aliis de eo, & ab eo de quodam Fratre non se nominando, dicens quod si vellet tantùm facere, scilicet quod eum prædicando non molestarent sui Fratres, ipse eos in pace dimitteret. Quod autem respondisset ei, quod ipsi propter eum a prædicatione non cessarent, sed fortius instarent, ipse quantum poterat fortius Fratres impugnabat. Unde ordinavit dictus Jordanus, quod per totum ordinem finitis matutinis responsorium de Angelis*, Te sanctum Dominum, *cum alta voce cantaretur pro adjutorio bonorum Angelorum invocando. Per quod cùm non cessaret dæmonum sævitia, statuerunt ut post completorium alta voce* Salve regina misericordiæ, *cantaretur ad adjutorium B. Virginis implorandum contra dæmonum sævitiam: & ex tunc per ejus misericordiam dæmones qui maxime solebant de nocte Fratres vexare, magis infrænati sunt, ne possent desævire ut prius: & exemplo Fratrum multæ Ecclesiæ idem facere statuerunt.* Ubi notandum quî antiphōna illa aliâs diceretur, nempe *Salve regina misericordia* tantùm non addito vocabulo *mater*, ut & in fine, *O dulcis Maria*, tantùm: quod & diutius observatum, ut ex antiquis codd. MS expertus sum.

N *Anno* MCCXXII erat aur. num. 7 lit. Dom. B. Pascha 3 april. Pentec. 22 maii, feria autem 2 sequenti 23 mensis facta est electio.

O *Borcberge.* Bollandus in comment. præv. dicit Ægidium Gelenium quærenti sibi respondisse locum illum jam Borrentrick appellari, oppidumque esse haud procul Warburgo in diœcesi Paderbornensi situm sub metropoli Moguntina.

P *Probus in theologia.* Jam erat baccalaureus in theologia facultatis Parisiensis ex vitis Fratrum citatis cap. 42 apud Acta SS. citata p. 733 n. 65.

Q *Fuerunt licentiati.* Id primùm evenisse conjicio anno MCCXXVIII, quo in primo capitulo generalissimo Parisiis habito Johannes de S. Ægidio magister in theologia in medio sermone vestem ordinis induit. Videsis postea ubi de eo.

R *De faciendis collationibus.* Ut id clarum fiat, sciendum ætate Jordani sermones in templis Parisiensibus a collegis universitatis ad id nominatim designatis haberi consuevisse. Cùm autem illi plerumque matutinis horis dicerentur, B. Jordanus non ferens juvenes studiis operam dantes de meridie verbum Dei non audire, sicque dominicis & festis pro libito vagari, obtinuit ut vespertinis horis fierent conciones quas collationes vocabant. Hinc in plerisque hujus sæculi XIII & sequentis sermonum collectionibus post quemque sermonem sequitur collatio. De his sic legitur in statutis universitatis pro facultate theologiæ: *Item nota quod quando unus magister in theologia, qui est de ordine mendicantium facit sermonem de mane in universitate in domo ordinis sui, ipse tenetur eadem die facere collationem. Sed si faciat in domo alterius religionis sermonem de mane, tunc non tenetur facere collationem. Item nota quod quando unus prælatus, vel unus magister in theologia facit sermonem de mane in universitate in aliquo festo in aliqua domo mendicantium vel alibi, tunc ille qui facit collationem post prandium, debet accipere illud thema in collatione, quod assumptum fuit per prælatum, vel per magistrum, qui fecit sermonem eadem die. Item nota quod quando theologi habent aliquod festum quo ipsi non legunt, licèt in illo festo legatur in aliis facultatibus, nihilominus in illa die fit sermo de mane, & collatio in vesperis in Cordigeris vel in Jacobitis.* Hæc ex libro rectoris universitatis. Hæc igitur collationum consuetudo a B. Jordano initium cepit.

S *Quatuor minores provinciæ.* Nempe Poloniæ, Daciæ, Græciæ & Terræ-sanctæ institutæ fuerunt in capitulo generalissimo Parisiis habito anno MCCXXVIII sub B. Jordano: sed nonnisi post ejus mortem in cap. gen. Paris. MCCXXXIX sub B. Raimundo inchoatum est, ut in potestate quoad diffinitores & duos electores magistri ordinis cæteris æquales essent: quod Bononiæ MCCXL approbatum, Parisiis tandem MCCXLI fuit confirmatum & in constitutionem redactum. *Ex actis.*

T *Sanctorum catalogo aggregatus.* Supra de anno die & loco canonizationis B. Dominici abunde actum est, ubi videsis.

 novitiis, ad quam etiam alii majores libenter convenientes magnam consolationem & instructionem recipiebant in eis. Hic cùm transisset mare ad visitandam Terram-sanctam & Fratres, in regressu cùm festinaret in galea versus Neapolim [V] ad prædicandum ibidem scholaribus, irruente tempestate defunctus est versus gurgitem Sataliæ, anno Dñi MCCXXXVI [X] Idibus febr. Fratres verò Aconenses illuc pergentes corpus ejus beatum retulerunt in Acon, & in ecclesia sua honorifice sepelierunt. Plura verò alia de eo scripta sunt in libri hujus tertia parte, nec tamen sufficienter, quia laus ejus & gratia a quocumque scriptore non posset facile comprehendi.

Cùm Bernardus Guidonis a plurimis præsertim a Malvenda citetur, at non accurate, placet & quæ de B. Jordano habet in suo magistrorum ordinis catalogo hic addere.

Secundus magister ordinis dignus successor ac imitator B. Dominici sedulus F. Jordanis Teutonicus [Y] verus Israelita Dei. Hic electus fuit in magistrum in tertio capitulo generali ordinis, quod fuit Parisius celebratum anno Dñi MCCXXII. Erat autem tunc temporis prior provincialis Lombardiæ. Sub isto autem magistro maxime fuit ordo & merito & numero dilatatus. Hic namque annis fere quindecim optime regens & dirigens ordinem mille & amplius manu sua fertur & scribitur ad ordinem recepisse & habitu induisse. Tempore quoque ipsius anno Dñi MCCXXVIII in primo capitulo generalissimo ordinis, quod fuit Parisius celebratum, primis octo provinciis per B. Dominicum institutis fuerunt quatuor superadditæ, scilicet Polonia, Dacia, Græcia, Terra-sancta, sicut notatum inveni. Qualis autem & quantus fuerit pater & magister iste in libro tertio, qui vitas Fratrum inscribitur, plenius est descriptum. Hic consuetudinem de cantando antiphonam *Salve regina* induxit: duo capitula generalissima celebravit. Litteras de capitulo generali ad provincias primus misit. Sub eo Fratres ad legendum Parisius primo licentiati fuerunt & duas scholas habuerunt. Hic B. pater dum ad Terram ad visitandum loca sancta & Fratres transiret, transivit ad terram viventium beatorum Idibus februarii anno Dñi MCCXXXVI [Z]. Non fuit autem celebratum generale capitulum in sequenti festo pentecostes illo anno. Locus autem ubi sancta corpora ipsius patris Jordanis & sociorum duorum, scilicet unius Fratris clerici Geraldi nomine, ac unius Fratris conversi, vocatur Albisium [A] in littore insulæ quæ vocatur Sathaliæ, quæ dicitur Persilene: usquequo Fratres de Acon venerunt, & cum barcha in suam ecclesiam transtulerunt, ubi dictus pater quiescit in Domino, & multa multis præstitit beneficia salutis.

OPERA.

De his sic noster Nicolaus Trivet in chronico ad annum MCCXXII. Vide Spicilegii Dacheriani T. VIII pag. 572.

Hoc anno in capitulo FF. Prædicatorum generali tertio, quod Parisius celebratum est, successor B. Dominici in magisterio ordinis FF. Prædicatorum factus est F. Jordanus natione Teutonicus diœcesis Maguntiæ, qui cùm Parisius secularibus & præcipue in mathematicis magnus haberetur libros duos admodum utiles

Unum de ponderibus & alium de lineis datis dicitur edidisse. Postea ad studium theologiæ se transferens, tandem ad prædicationem F. Reginaldi de quo supra facta est mentio, ordinem Prædicatorum ingressus est in die cinerum &c.

2. *Super Priscianum minorem & quædam grammaticalia delicata.* Sic Laurentius Pignon & Leander Albertus. Quod scriptum servari censuerim Lipsiæ in Bibl. Paul. hoc titulo: *Optima notula magistri Jordani super Prisciani majoris volumen.* cod. MS memb. in 4. vide catalogum Felleri p. 296. Recensentur & Patavii apud S. Joan. in viridario Plut. 28 *Glossæ Jordanis super Priscianum. Donum Petri de Montagnana.* Sic Tomasinus in Bibl. Patav. p. 27. Cùm de his scripserit Jordanus, priusquam ordini nomen daret, non mirum magistrum appellari.

3. *Postilla super Apocalypsin.* Sic Laurentius Pignon jam citatus, qui & innuit hanc ab eo scriptam, priusquam ordinem intraret, sic enim ille: *F. Jordanis natione Teutonicus scripsit Postillam super Apocalypsin, & super Priscianum breviorem, & legit evangelium Parisius Fratribus postea ibidem.* Et sane inter statuta antiqua universitatis de baccalaureis n. 10 sic habetur. *Item nota quòd studentes in theologia si sint seculares, habent ibi audire per septem annos, antequam admittantur ad lecturam bibliæ.* Et n. 11. *Item nota quod admissi ad lecturam Bibliæ debent solùm legere duos libros, & tales sicut voluerint eligere, unum de veteri testamento, & alium de novo.* Et postea tantùm ad legendas sententias promovebantur. Cùm ergo Jordanus jam esset baccalaureus priusquam ordinem amplexaretur, jam alicujus librorum novi testamenti lectione & interpretatione functus erat. Hunc autem librum Apocalypsis indicat Laurentius Pignon, qui præterea cùm indicem scriptorum nostrorum testetur se anno MCCCLXXXIX jam incepisse, Jordanum nostrum confundere non potuit cum Jordano item Saxone eremita Augustiniano Viennæ anno MCCCLXXX mortuo forsan sibi non noto, qui & in Apocalypsin scripsit. Unde Bollandi nota in commentario prævio ad vitam B. Jordani nostri p. 722 n. 12 nobis non probatur, cùm ex eo quod Jordanus Augustinianus in Apocalypsin commentatus est, similem Jordano nostro scriptionem abrogat. Imo seculo XIII & XIV nihil communius quam ejusmodi commentaria.

4. *Postilla super Lucam quam legit Fratribus.* Sic Ludovicus a Valleoleti, & indicat Laurentius Pignon citatus. Hoc munus impositum ei fuisse volunt in cap. gener. primo Bononiæ MCCXX habito, cui aderat.

5. *Corona B. Virginis ex his constans, primo hymno* Ave maris stella, *tum quinque psalmis*, Magnificat, Ad te Domine levavi, Retribue, In convertendo, Ad te levavi, *adjecta singulis salutatione angelica.* Quam in usu ei fuisse legitur Vit. Frat. P. III cap. 23. Sub ejus nomine sed antiphonis & orationibus auctam editam Placentiæ, Jo. Bazachii 1599 in 12 testatur Altamura: sed hujus erga

[V] *Neapolim.* Hanc Malvenda p. 577. a. putat esse Neapolim Pisidiæ, cui non assentior, cùm non videatur ibi fuisse tum studentium gymnasium. Jordanum itaque e Terra-sancta revertentem galeam existimarim ascendisse, quæ Italiam petebat, ut tum frequens, eo quidem animo ut Neapoli regni Siciliæ principe transiret, & ludum literarium ibidem frequentantibus prædicaret in transcursu. Fredericum imperatorem tum & Jerusalem & Siciliæ regem fuisse omnibus notum.

[X] Anno MCCXXXVI stylo veteri, novo MCCXXXVII.

[Y] *Jordanis Theutonicus..* Nihil amplius in meo cod. MS. Quod verò Malvenda p. 287. b. addit quasi ex Bernardo acceptum, in Terra-sancta natum & in Jordane fluvio baptizatum, indeque Jordanem nuncupatum, undenam eruerit, nescio nisi forsan ex Sebastiano de Olmedo. Ut ut sit, non verisimile videtur.

[Z] MCCXXXVI veteri stylo, novo MCCXXXVII ut jam indicatum.

[A] Albisium & Persilene geographis nostris jam nomina ignota, sed Persilenen conjicias insulam in sinu Sathaliæ sitam.

B. Virginem cultus Jordanum primum non esse auctorem ferunt. Vide Cantimpratanum de Apibus lib. 2 c. 29 §. 15 & notas ibidem Colvenerii, & Malvendam pag. 562 a.

6. *Oratio ad eamdem B. Virginem & Oratio ad B. Dominicum piissima*, quæ incipit: *Sacerdos Dei sanctissime, confessor alme &c.* Sic Malvenda p. 583 b. Hæc in breviario nostro Venetiis 1492 impresso edita est, legenda pro sex primis matutinarum lectionibus in festo S. Dominici.

7. *Volumen sermonum.* Et sane qui frequentissime concionabatur, difficile est quin ad omne genus hominum silvam dicendorum habuerit paratam. In catalogo codd. MS Angliæ T. II P. I n. 7647 28 laudatur *Jordani ordinis Prædicatorum generalis compilatio de superbia &c.* Patavii in Bib. Zabarella inter codd. MS chart. *Concio Fratris Jordanis.* an ejus? vide Tomasinum de Bibl. Patav. p. 91.

8. *Litteræ encyclicæ ad provincias e XV capitulis generalibus quæ habuit Parisiis & Bononiæ alternatim datæ.* Mirum has nostrorum Stephani Salanhaci & Bernardi Guidonis diligentiam fugisse: nam cum actis periisse jam dolemus.

9. *Litteræ speciales ad quosdam conventus & monasteria quædam scriptæ.* Ad se datas servat monasterium Bononiense S. Agnetis uno volumine MS sic testatur Pius. Alias in aliis ordinis domibus haberi dicunt, & creditu proclive.

10. *De principio ordinis FF. Prædicatorum.* Hoc opusculum integrum tibi damus, majorem partem supra ubi de B. Dominico, reliqua hîc ubi de B. Jordano ex cod. MS & auctori æquali apud monasterium Prulianum servato. Solum primum prologum, ut nihil tibi desit hîc addimus.

Incipit prologus in descriptionem principii ordinis Fratrum Prædicatorum.

Filiis gratiæ & cohæredibus gloriæ Fratribus universis F. Jordanis eorumdem servus inutilis salutem, & in sancta subsequi professione lætitiam.

Flagitantibus plerisque Fratrum & scire cupientibus, qualiter hic ordo Prædicatorum, quem horum temporum novissimorum periculis dispensatio divina providit, sumserit institutionis exordium: quales etiam extiterint, qualiterve nunc multiplicati fuerint & confortati per gratiam Dei primitivi ordinis nostri Fratres, jamdudum investigatum est & compertum ab eisdem Fratribus qui novellis interfuere primordiis, quique viderunt & audierunt venerabilem servum Christi [B] magistrum Dominicum primum religionis hujus institutorem magistrum & Fratrem, qui in hac carne vivens inter peccatores, cum Deo & Angelis pia mente conversabatur, præceptorum custos, consiliorum æmulus, & ex omni quod scivit & potuit, æterno suo Creatori deserviens, & lucens in hujus mundi tetra caligine per vitam innocuam, & conversationis sanctissimæ cœlibatum. Igitur visum est mihi hæc omnia per ordinem assecuto, qui licèt omnino de primis non fuerim, cum primis tamen conversatus sum, & ipsum sanctum magistrum Dominicum non solùm extra ordinem [C], sed & existens in ordine satis vidi, familiariterque cognovi, qui ei confessus sum, & ad ipsius voluntatem suscepi diaconatus officium, qui etiam quadriennio [D] post primam ordinis institutionem habitum hunc assumsi: visum est inquam mihi ea quæ vidi personaliter & audivi, ac primitivorum Fratrum relatione cognovi, de principiis ordinis, de vita & miraculis beati viri patris nostri Dominici, de aliis quoque quibusdam Fratribus, prout se memoriæ meæ talium ingessit occasio, sub scripto redigere, ne filii qui nascentur & exurgent, ordinis hujus ignorent primordia, & tunc frustra scire desiderent, cùm inveniri non possit ex nimio processu temporis, qui de eisdem principiis certum aliquid enarrare sufficiat. Igitur dilectissimi in Christo Fratres & filii hæc quæ subsequuntur ad consolationem atque ædificationem vestram qualitercunque collecta devote suscipite; & primæ caritatis Fratrum nostrorum æmulatione fervete.

Hoc idem Jordani opusculum habetur Lipsiæ in Bibl. Paul. & illud esse censeo quod a Fellero recensetur Repos. Theol. III serie III inter codd. MS fol. pag. 159 n. 35 hoc titulo, *Vita S. Dominici, Jordani magistri ord. Prædic. Henrici Teutonici prioris Frat. Prædicat. in Colonia* Rursus ibidem p. 160 n. 41 *Vita S. Dominici. Revelationes quædam. Vita S. Jordani.*

11. *Epistola encyclica ad universum ordinem de actis in translatione corporis B. Dominici* anno MCCXXXIII die XXIV maii feria tertia pentecostes. Quam tamen missam non putem nisi anno sequenti post canonizationem dicti B. Dominici, cùm hujus canonizationis in ea fiat mentio. Edidit Bzovius in Annal. Eccl. T. I ad 1233 n. 5.

12. *Officium quo utitur ordo Prædicatorum in festo ejusdem B. Dominici* Jordano tribuitur a quibusdam, sed certius ab aliis F. Constantino episcopo Urbevetano asseritur.

13. *Commentarium in quatuor libros sententiarum* ab eo lectum Parisiis anno MCCXXV ei etiam tribuitur ab Altamura ad 1236, sed nulla fide: nec verisimile, cùm ex quo Jordanus magister ordinis assumtus est anno MCCXXII vitam statariam non egerit, nec theologiæ legendæ otium habuerit at solùm concionandi.

Jordani præter citatos cum laude meminerunt Tritemius, Eisengreinius ad 1219, Volaterranus lib. 21, Pantaleo Prosopograp. P. II ad 1234 p. 228, Simlerus, Possevinus, Caveus ad 1223, Dupinius seculo suo XIII & alii. Nostrates Leander Albertus, Castillus, Pius, Fernandez & omnes qui de rebus ordinis scripserunt.

Quandoquidem in hac Jordani relatione de F. Henrico Teutonico juniore dicto & primo priore domus Coloniensi fusius agitur, addendum & hunc inter scriptores nostros recensendum: cùm enim disertissimus & gratiosissimus fuerit prædicator, ut supra videri potest, & dicitur etiam in vitis Fratrum P. IV cap. 13 §. 3 nullus dubitaverit quin reliquerit.

Elegantium suarum concionum volumen.

In Elencho codd. MS Belgii a Sandero collecto P. I p. 364. inter codd. monasterii Cameronensis numerantur *F. Henrici Theotonici sermones.* Sed an sint hujus an nostri Henrici Teutonici senioris de quo mox dubium. Cæsarius Heicterbacensis Dialogorum lib. 6 cap. 37 post quamdam visionem relatam sic habet: *Testis hujus visionis est Henricus prior Prædicatorum in Colonia, qui se eam a prædicti loci præposito audivisse commemorat.* Haud dubie in quodam sermone scripto. Ejusdem meminit noster Stephanus de Borbone lib. de septem donis, & quædam ab eo pro concione dicta & a se audita Remis

B *Venerabilem servum Christi.* Modus iste loquendi indicat hoc opusculum a Jordano ante canonizationem B. Dominici scriptum.

C *Non solùm extra ordinem.* Cùm B. Dominicus ex Hispania Lutetiam venit anno MCCXIX, eum tum vidit & concionantem audivit Jordanus vir tum academicus & sacræ facultatis bacealaureus: peccata etiam tum ei in confessione aperuisse, & ad ejus consilium diaconatus ordinem suscepisse verisimilius: difficile enim mihi persuadeo sacerdotem non fuisse cùm anno sequenti MCCXX ad capitulum generale Bononiam missus est.

D *Qui etiam quadriennio.* Non integro sed circiter. nam ordo confirmatus fuit XXII decem. MCCXVI, vestem autem induit Jordanus XII febr. MCCXX.

Sec. XIII. & alibi refert P. II de dono pietatis tit. 5 cap. 8 cod. Sorbon. fol. 215. c. & P. IV de dono fortitudinis tit. 12 cap. 9 cod. Sorbon. fol. 508. a. Vide etiam postea. *F. Henricus Teutonicus senior.*

F. JOSEPH.

* 1234. F. Joseph quidam Gregorii IX summi pontificis notarius florebat anno MCCXXXIV, & licet ordinis Prædicatorum fuisse asserere non ausim, non levis tamen mihi conjectura nostrum dicendum. Extat ejus a me visa in cod. MS memb. fol. med. & eleganti Gymnasii Navarræi post plura, quorum primùm *vita S. Martini per Severum Sulpitium*, ultimo loco,

Epistola Fratris Joseph D. papa notarii de S. Dominico de ordine Prædicatorum. In ea refertur integra bulla canonizationis dicti B. Dominici.

F. JOANNES ÆGIDII.

† 1228. F. Joannes Ægidii vel *Ægidius*, at de *Sancto Ægidio* in antiquis nostris monumentis nuncupatus, natione Anglus, physicus sua ætate celebris, a Philippo II Augusto Francorum rege in medicum ordinarium ex Anglia accersitus est & assumtus, Parisiis etiam tum medicinam professus est in universitate, deinde in Montepessulano cujus academiam non parum illustravit, sed & quod tum non infrequens sacræ theologiæ lauream Parisiis obtinuit. Hanc in una e scholis Parisiensibus docebat ingenti auditorum concursu & plausu, cùm anno MCCXXVIII apud nostros Sanjacobeos habita sunt generalissima ordinis comitia, ad quæ ille invitatus coram patribus congregatis, clero plurimo frequentissimoque populo concionatus est, ac institutum nostrum laudans, ut dicta factis probaret, in medio sermone e suggestu descendens habitum ordinis a magistro F. Jordano supplex postulavit, eoque mox indutus, ad suggestum reversus, sermonem paulisper intermissum prosecutus est, & majori cum zelo complevit. Sed nec propterea cessavit a lectionibus, quas instantibus discipulis indesinenter resumsit, tumque primum scholæ nostræ Sanjacobeæ erectæ sunt, nostrique ad gradus in sacra facultate promoti. F. Rolandus de Cremona primus sub eo baccalaureum egit, sententiasque legit eodem illo anno MCCXXVIII, tum & isto laurea insignito sub eo F. Hugo de sancto Charo anno MCCXXX, & sic deinceps: adeo ut exinde duas habuerimus scholas quas vocant magnas, cæteris ordinis provinciis unam, alteram provinciæ Franciæ speciatim addictam. Cùm verò ea tempestate in partibus Tolosanis Albigensium hæresis grassari pergeret, proptereaque curante sancto rege Ludovico IX Parisiis Tolosam mitterentur sacræ theologiæ magistri, qui fide catholicam doctrina sua tuerentur, academiamque Tolosanam juxta leges Parisiensis instituerent, quo & post exactum triennium F. Rolandus prædictus anno MCCXXXI missus fuerat, isto ad suos Cremonenses anno MCCXXXIII recedente, suffectus ei fuit eodem anno noster Joannes de Sancto Ægidio, qui duobus annis theologiam apud Prædicatores publice professus est, & inquisitionis officium suis consiliis suaque auctoritate non parum adjuvit, sed & tribulationis ea ratione in nostros excitatæ particeps fuit. Anno MCCXXXV ante mensem novembrem Tolosa cum sociis suis excesserat, dato ei cathedræ successore F. Laurentio de Filgeriis vernacule *Fougeres* Armorico sacræ facultatis Parisiensis itidem magistro, eodemque ante ingressum ordinem jam doctore medico: tumque in Angliam remeasse videtur Oxoniæ apud nostros sacras litteras publice interpretaturus. Certum ibidem annis pluribus scholas nostras publicas rexisse, magnamque ei fuisse cum celebri Roberto Capitone Lincolniensi episcopo necessitudinem, quam epistolis mutuo scriptis fovebant: adeo ut eum Robertus graviori morbo quo & mortuus est anno MCCLIII laborans accersierit, qui corpus quidem ut medicus consiliis suis levaret, sed animam præsertim in exitu ut sapiens theologus piis adhortationibus foveret ac solaretur. Quantùm verò postea Joannes ipse noster vixerit, quo anno quove die obierit, non produnt quæ hactenus videre licuit monimenta. Cùm verò hîc non pauca promamus, quæ quibusdam non videbuntur aliorum auctorum seu nostrorum seu extratium dictis admodum consona, quibus documentis hæc astruamus, operæ pretium est addere, ut fidem apud cordatum lectorem liberemus.

1. In catalogo magistrorum nostrorum Parisiensium a Salanhaco concinnato sic legitur n. 1. *F. Rolandus Lombardus Cremonensis fuit primus licentiatus Parisius de ordine Prædicatorum.* n. 2. *F. Joannes de Sancto Ægidio Anglicus, qui intravit ordinem Prædicatorum magister existens. Sub eo incepit prefatus F. Rolandus.*

2. F. Guillelmus Pelhisso Tolosanus de quo posteà scribens a se visa sic habet ad MCCXXXI: *Absoluto F. Joanne prædicto* (nempe de Johanino priore Tolosano) *fuit post eum prior F. Petrus de Alesto. Legebat ibi tum temporis theologiam magister Rolandus, qui venerat de Parisius ubi fuerat factus magister in theologia cathedralis.* Et postea ad annum MCCXXXIII: *In illis diebus absolutus est a prioratu F. Petrus de Alesto, & magister Rolandus recessit Tolosa, & ivit ad terram suam, & in loco ejus legit theologiam in Tolosa magister Joannes de Sancto Ægidio vir bonus & sanctus, & facies ejus & vita ejus gratiosa, qui magister fuerat in theologia Parisius cathedralis &c.* Et postea ad MCCXXXV: *Prior habito consilio cum Fratribus domus, & cum F. Laurentio, qui eadem die venerat de Parisius ad legendum in theologia, quia magister Johannes de Sancto Ægidio jam recesserat de domo cum sociis suis &c. In sequente verò die feria tertia post festum omnium Sanctorum nonis novembris anno Domini MCCXXXV celebrata missa conventuali &c.* Ubi erratum tamen fortè notarii & legendum feria secunda, nam eo anno erat lit. Dom. G. ac proinde Nonæ die lunæ non die martis. Hinc constat Joannem nostrum paulo ante Tolosa abiisse.

3. Matthæus Parys ad MCCLIII. *Diebus sub iisdem cùm dies caniculares suam exercuissent malitiam, episcopus Lincolniensis Robertus apud Buchedonam manerium suum decubuit graviter infirmatus. Vocavit igitur ad se quemdam Fratrem de ordine Prædicatorum magistrum Joannem de Sancto Ægidio in arte peritum medicinali, & in theologia lectorem eleganter eruditum & erudientem, ut ab eo corporis & animæ reciperet consolationem* &c. legenda.

4. F. Nicolaus Trivetus in chronico regum Angliæ Spicil. Dacher. T. VIII p. 573. *Circa ea tempora* (nempe dum B. Jordanus ordini præerat) *multi viri scientia & sanctitate illustres abjectis secularium divitiarum copiis Christum pauperem imitari conantes ad Prædicatorum & Minorum ordines confluxerunt, inter quos erant Joannes de Sancto Ægidio & Alexander de Hales doctores in sacra theologia ambo & Anglici natione: quorum Joannes in domo Fratrum Prædicatorum sermonem faciens ad clerum, cùm suasisset paupertatem voluntariam, ut verba sua exemplo confirmaret, descendens de ambone habitum Fratrum recepit, & in eodem regressus ad clerum sermonem explevit. Occasione ejus habuerunt Fratres duas scholas infra* (id est intra) *septa sua, resumente eo lectiones suas post ordinis ingressum ad importunam instantiam auditorum. Suavissimus quippe moralizator erat, ut satis considerare poterit, qui libros ejus inspexerit manu propria emendatos. Fuit nihilominus in arte medicina expertissimus,*

ut pote qui tam Parisius quàm in Montepessulano vixerat in eadem, de cujus curis & pronosticationibus referuntur plurima admiranda.

5. Auctor antiquitatum Oxoniensis academiæ e theatro Sheldoniano 1674 editarum in fol. T. I pp. 64 & 85 sic de Joanne nostro quem *Ægidium* contendit non de S. Ægidio cognominatum, habet ad annum MCCXXXI. *Philosophia scientia eminebat, deinde a Philippo Galliæ rege ad curandam valetudinem accitus est. Philosophiam & medicinam Lutetiæ primò, postmodum in Montepessulano in summo auditorum consflexu præmonstrabat. Suscepto deinceps S. Dominici habitu Lutetiæ duabus in scholis ipsi illum in finem erectis, uti Lelandus T. IV p. 196 & Nic. Trivet MS in bibl. colleg. Merton, fratres suos & alios plures ad artes, præsertim ad theologiam informabat.*

Dubium forsan quis moveat de anno MCCXXVIII ad quem ejus in ordinem ingressum ascribimus, cùm plures ad MCCXXII referant. Verùm ita censemus, quod cùm à Philippo rege ex Anglia accitus sit, ut sibi ordinarius adesset medicus, non videatur ante mortem regis, quæ anno MCCXXIII die XIV julii accidit, ex aula recessisse. Aliunde si Montempessulanum postea se transtulit, ut videntur innuere, & quibusdam annis ibi docuit. Sed & postea ut sacræ facultatis magister Parisiis evaderet, quidam anni illi necessarii fuerunt, quæ sane nos ad annum MCCXXVIII facilè conducunt. Non autem tardius differendus ejus ingressus: nam Rolandi de Cremona Tolosam accessus anno MCCXXXI, eum probat tum primum suum magisterii triennium Parisiis unde veniebat in sacra facultate exegisse, quod certò nostrorum primus sub Joanne de Sancto Ægidio jam tum Dominicano inceperat. Assentitur Boulæus Hist. univ. Paris. T. III pp. 131 & 132: & idem censet de Alexandro de Hales, quem ex Baleo addit Joannis nostri excitatum exemplo ordinem Minorum intrasse. Verùm Alexander de Hales nonnisi post annum MCCXXX Minor factus est, cùm eo anno tantùm huic ordini locus ad habitandum ab abbate S. Germani a Pratis concessus fuerit. Trivetum verò supra laudatum non satis attente legerunt, qui eum putant Joannis de S. Ægidio ad ordinem ingressum ad MCCXXII collocare. Nam ad eum annum B. Jordani electionem in magistrum ordinis secundum refert quidem, & quæ eo ad clavum ordinis sedente evenerunt ibidem addit: sed non propterea vult eodem anno contigisse, sed annis consequentibus, unde dicit, *circa ea tempora &c.* ut supra.

Ex hactenus dictis habetur jam anno MCCXXVIII medio circiter mense maio, nam pascha fuit XXVI martii & festum pentecostes, quo habita Parisiis nostra comitia die XIV maii, nostros sacræ facultati ad gradus aggregatos fuisse & scholam primam publicam nostram vidente & consentiente universitate jam tum erectam, falsumque quod quidam postea fabulati sunt, occasione arrepta gravioris illius disturbationis, qua moti magistri omnium facultatum Parisienses urbem regiam deseruerunt, & in Angliam plures, Andegavos alii, alii Aurelianum vel Remos recesserunt, Sanjacobeos nostros in duas sacræ facultatis scholas involasse sibique asseruisse: cùm illa disturbatio non evenerit nisi anno MCCXXX circa pascha, & jam ab anno MCCXXVIII mense maio Joannes de Sancto Ægidio Prædicator factus lectiones ad instantiam auditorum secularium resumsisset, & cum plausu doceret. Alteram verò scholam paulo post sed reversis jam anno MCCXXXI ab exilio spontaneo academicis nostri erexerunt, ut externarum provinciarum ordinis itidem ut Franciæ sodales doctrina facultatis Parisiensis imbuti, eam apud nationes suas copiose refunderent. Quod cùm sacræ facultati gloriosum esset, & auditoribus theologis undique Parisios confluentibus commodum & utilissimum, probarunt sane cum episcopo & cancellario ecclesiæ Parisiensis ea ætate florentes & præsentes magistri seculares, neque enim ab anno MCCXXVIII ad MCCLIII spatio XXV annorum ulla legitur de duobus magistris regentibus, ac duabus illorum scholis nostris inscripta lis aut controversia. Adde excepta schola ecclesiæ Parisiensis, quam tres ejusdem canonici, vel ab iis instituti magistri regebant, gymnasium nostrum Sanjacobeum omnibus aliis seu secularium seu regularium esse antiquius. Nam gymnasium Minorum non prodiit nisi post MCCXXXI: Cisterciense anno MCCXLVII Sorbonicum anno MCCLIII Carmelitanum anno MCCLIV: Præmonstratense & Augustinianum anno MCCLV: Thesaurariorum & Cluniacense anno MCCLXIX: cætera longe posteriora. Itaque cùm duæ scholæ nostræ primùm erectæ sunt; adhuc ex duodecim Lutetiæ a summo pontifice institutis scholis theologicis, septem magistris secularibus integræ erant, quas & fortè non implebant omnes: nam anno MCCXLVIII in solemni ab Odone cardinali legato de libris Thalmudicis habito judicio, ad quod invitati quotquot Parisiis erant alicujus nominis viri, vix septem affuerunt theologiæ seculares magistri, aliis forsan per regni provincias ad sua beneficia præsentibus; cùm contra quatuordecim adessent decretorum doctores, quam facultatem revera plures quàm theologiam frequentabant. Videsis postea ubi de Alberto Magno. Tantum abest igitur ut nostri scholas suas erigendo incommodum universitati crearent, quin potius maximam ei præstarent utilitatem assiduis suis lectionibus, & docendi laborem pluribus intolerandum diligenter & gratis subeundo, quem seculares plerique ad dignitates ecclesiasticas vocati vel deserere cogebantur vel non poterant sustinere. Quod si postea alii regulares nostros æmulati idem docendi munus attentarunt, quid hæc ad nos? an prævidere Prædicatores, an sibi fingere poterant illos aliquando idem aggressuros? Præsentem tum universitatis statum considerantes, utilitatis publicæ solam rationem habuerunt: unde & laudes episcopi & cancellarii ecclesiæ Parisiensis, imo & totius academiæ gratias tum meruerunt ac reportarunt. Joannis nostri præter citatos meminerunt nostrates Razzius, Pius, Fernandez, Altamura ad 1238, extrates Baleus, & Pitseus. Hæc ejus opera.

1. *Commentaria in quatuor sententiarum libros.*

2. *De laude sapientiæ divinæ, de productione rerum, de cognitione & de mensura angelorum: de prædestinatione & de præscientia: de paradiso & inferno, & de resurrectione mortuorum: & lectura alia scholastica.*

3. *Homiliæ & varia scripturæ sacræ morales interpretationes.* Sic Pitseus, qui ubi hæc serventur, aut a quo visa non addit. Certò tamen ætate Triveti nostri qui circa MCCC florebat, plures ejus eruditi ac pii libri propriaque manu emendati Oxoniæ habebantur. Hæc MS Lelandus testatur se vidisse ibidem, nec inerudita esse, & cuidam Ægidio inscripta, sed an hunc nostrum parentem habuerint, se non temere pronunciare.

4. *In varia Aristotelis opera commentarios* eidem asserit Pitseus, & *tractatus de materia cœli & de ente & essentia.*

5. Medica hæc etiamnum servantur MS. *Experimenta Joannis de Sancto Ægidio.* Laudantur in catalogo codd. MS Angliæ T. I P. I n 2626 inter alia plura. Pitseus addit.

6. *De formatione corporis, pronostica & practicas medicinales.* Penes quem fides.

Vir clarissimus Johannes Albertus Fabritius in sua Bibl. Latina, sive notitia auctorum veterum Latinorum Hamburgi anno 1708 in 8 edita pag. 872 n. 12 recenset quemdam *Joannem Ægidium* Athe-

SEC. XIII. niensem ex medico monachum Corbeiensem vel Corboliensem seculo Christi XII clarum, cujus duo sunt poëmata, alterum de urinis, quod suis commentariis illustravit Gilbertus Anglicus; de pulsibus alterum cum commentario proprio. In Bibl. Lipsien. quam citat Fabritius apud Fellerum p. 278 sic tantùm lego: *Ægidius de urinis. Ægidius de doctrina pulsuum metrice cum commento.* Idem p. 332. Sic etiam in catalogo codd. MS Angliæ ubi plusquam vigesies indicatur, semper Ægidius nusquam Joannes dicitur. In Sorbon. Paris. hic est titulus: *Incipit commentarium super librum magistri Ægidii de differentiis pulsuum metrice compositum.* Ut ut sit, si etiam dictus sit *Joannes*, id monendus erat lector, ne nostrum cum Corbeiensi confundat.

F. ANDREAS.

* 1231. F. ANDREAS inquisitor in Cypro insula delegatus a Gregrio IX anno mundi juxta chronologiam apud Græcos usurpatam VI M. DCCXXXIX, Christi MCCXXXI tredecim monachos Græcos sacramentum corporis Christi a Latinis in azymo confectum blasphemantes brachio seculari tradidit, a quo igni sunt adjudicati. F. Guillelmus ejus laudatur socius: acta verò hujus quæstionis haud dubie in archivis Vaticanis servantur, celebre enim factum fuit, cujus plures meminere. In primis Constantinopolitani nostri de quibus postea in tractatu in suis ædibus edito anno MCCLII, quem videsis apud Stevartium pag. 570, ubi sic habent: *Hunc igitur Michaelem* [Cerularium scilicet] *Græci usque hodie sequentes, Latinos azymitas voce publica asserere non verentur. Unde in tantam excæcationem & contemtum apud eos devenit mysterium sacramenti, ut non solùm in mortis articulo ex eo sumere recusent, verùm etiam incendii supplicium potius eligant sentire, quàm simpliciter confiteri. Probat hoc Cyprus quæ nostris temporibus duodecim monachos Græcos isto errore laborantes novos diaboli martyres per flammas ignis produxit. Dicebant enim prædicti monachi sacramentum Latinorum lutum esse & non sacramentum, & quod sacrificantes vel sumentes ex eo more gentilium dæmoniis immolarent.* De eodem agens Leo Allatius *De perpetua consensione* lib. 2 cap. 13 n. 2 pag. 700. *Qui in insula Cypro*, inquit, *flammis exusti sunt, flammas sua pertinacia audaciaque prius commeruerant. Non est injustus judex qui factorum merita factis ipsis compensat. Hæreticorum ossa cum ossibus animalium commixta projicere, id quoque non indiligentia est. Tollitur delirantibus occasio ne furiosius insaniant.* Hæc inquam Allatius, ut cujusdam Anonymi Græci in Latinos ea de causa ceu crudeles oblatrantis malignitatem retundat, quem sic pag. 695 loquentem inducit: *Dicti mei testes sunt qui in Cypro insula certamen subierunt sancti monachi, quos eo quod noluissent cum illis communicare, per tres annos carceri manciparunt, & tormentorum omni genere divexarunt, tandem cùm nollent suaderi, ut saltem ore faterentur eos* [id est Latinos] *bene sentire, furore perciti alios equorum caudis alligatos, perque confragosa atque avia loca raptatos contrucidarunt, primarios in ardentem pyram projectos exusserunt: abbatem verò Joannem per multum tempus in medio igne stantem orantemque quidam ex Latinis equitibus furore actus, clava in eum projecta mediis in flammis prostravit, & sic beatus ille sancta in Deo animam reddidit. Extincta pyra & reliquiis integris compertis, ossa plurium animalium & immundarum ferarum collecta superposuerunt, & novo rogo incenso flammas protraxerunt donec omnia in cineres versa sunt.*

Quæ clarius utcunque narrat Anonymus Græcus ejus ætatis, cujus libellus servatur in Bibl. Reg. Paris. cod. MS 2503. Titulus est

Διήγησις τῶν ἁγίων τριῶν καὶ δέκα ὁσίων πατέρων τῶν διὰ πυρὸς τελειωθέντων παρὰ τῶν Λατίνων ἐν τῇ νήσῳ Κύπρῳ ἐν τῷ ςψλθ ἔτει anno scilicet mundi 6739. *Narratio de sanctis tredecim patribus, quos Latini igne consumserunt in insula Cypro anno Christi* 1231.

Hæc monachorum nomina Joannes, Conon, Jeremias, Marcus, Cyrillus, Theoctistus & Barnabas hi ambo fratres germani, Maximus, Theognostus, Joseph, Gennadius, Gerasimus, Germanus. Ex eodem discimus inquisitori nostro nomen fuisse Andreæ, & ejus socio Guilielmi: & Andream quidem male omnino excipit, sic enim ille. *ἤγειρε τινὰ ζηλωτὴν κακίας καὶ ὄργανον Ἀνδρέαν ὀνόματι τῷ γένει λατῖνον, ὃν οἱ τοῦ γένους εἰώθασι καλεῖν κήρυκα*, & paulo post, *καὶ ἕνα τῶν αὐτοῦ ὁμοφρόνων καὶ ὁμοτρόπων ὄντα λαβὼν τοὔνομα Γουλιέρμον. Excitavit diabolus quemdam æmulatorem & nequitiæ organum Andream nomine genere Latinum ex iis quos Prædicatores vocare solent: qui secum accipiens unum ejusdem societatis & sententiæ nomine Guiliermum &c.* Postea identidem Andream vocat *θηρίων ὠμότερον κατάρατον, τῆς κακίας υἱὸν ἢ μᾶλλον εἰπεῖν τῆς ἀνομίας* &c. *belluis crudeliorem, execratione dignum, malitiæ seu potius iniquitatis filium &c.* Contendit hoc solum nomine monachos in crimen vocatos, quod corpus Christi in azymo fieri constanter negarint: fatetur tamen non Andream solum, sed Cypri archiepiscopum, quem Στόργον (mendum esse in cod. MS putat noster Lequienus & conjicit legendum Μαΐστρον Οὖγον *Mag. Hugonem*, cujus nominis in Cypro archiepiscopum ea tempestate agnovit) vocat, ipsos ter diversis diebus interrogasse, & in sententia pertinaces judicio inquisitoris reliquisse, qui deinde eosdem Henrico I regi tum adolescenti ejusque ministris tradidit puniendos, a quibus variis tormentis ac demum igne comburendi adjudicati sunt tanquam blasphemi. Cæterùm cùm hi soli ex Græcis capitis pœnam tulerint, manifestum est non quod ritui suo fermentati usus in sacrificio addicti essent, quod in suis gentilibus non legitur reprehensum imo libentissime concessum, sed quod in Latinum azymi ritum blasphemi furiose insanirent plebemque Græcam excitarent, ideo in eos fuisse animadversum. Pluribus supersedeo, cùm hæc acta consodalis & amicus noster Michael Lequien, a quo illa accepi, typis brevi sit editurus.

F. HUGO & F. PETRUS.

F. HUGO & F. PETRUS ordinis Prædicatorum * 1234.
cum ambo *FF. Aymone & Rodulpho* ordinis Minorum nuncii a Gregorio IX summo pontifice ad Joannem Vatacium Orientis imperatorem & Germanum patriarcham C. P. missi, qui de conciliandа utraque Ecclesia Græca & Latina tractarent, viri sua ætate graves & eruditi fuerunt, & in ipsis ordinis incunabulis inter nostros sodales asciti. Hugo cujas fuerit Gallus an Italus haud facile quis dixerit. Etsi enim a nostris recentioribus cum Hugone a sancto Charo confundatur, non alia ratione quàm propter similitudinem nominis, alium plane esse mihi constat. Nam quo anno scilicet MCCXXXIII quatuor illi apocrisarii in Orientem missi sunt, Hugo a sancto Charo Parisiis agebat triennium suæ licentiæ ut aiunt decurrens, sententias e superiori loco publice interpretatus, sacrorum bibliorum correctioni ac interpretationi vel etiam concordantiis edendis sedulo incumbens, ut postea ubi de eo dicetur: neque verò tum in ordine deerant hujus nominis Hugones plures. Petrus ille certo est de quo sic legitur in vitis Fratrum P. IV cap. 23 §. 14: *Vir religiosus & verax F. Petrus de Sezana Gallicus qui fuit prior & lector in ordine conversionem cujusdam Saraceni scripsit & retulit in hac verba. Tempore, inquit, piissimi imperatoris Johannis veneram*

Constantinopolim cum Fratribus aliis a Domino papa missis pro sedanda si fieri posset modernorum contradictione Gracorum &c. Dicitur *de Sezana* a patria oppido Briæ in finibus Campaniæ. Addit se venisse cum aliis a papa missis, quia ut dictum est erant quatuor nuncii. Id evenisse ait tempore imperatoris Johannis, qui alius excogitari non potest, quam Johannes Brennensis : hic enim anno MCCXXIX data juniori Balduino II C. P. imperatori Latino filia Martha in uxorem Cæsar dictus est, & ob adolescentiam Balduini generi imperium administravit ad MCCXXXVII, quo circiter mortuus est. Non alia autem his annis legitur ad concordiam Ecclesiæ Græcæ cum Latina conciliandam destinata a summo pontifice plurium religiosorum ex utroque ordine missio. Unde mira mihi visa est Soëgii nostri in anno Dominic. Gallico ad XXI julii sententia, contendentis hunc Petrum non esse de Sezana dictum, quia inquit, Petrus de Sezana caput fuit suæ legationis, quod gratis dictum, ac præterea quatuor nuncii de quibus hîc agitur, pares in auctoritate & æquales omnino erant, ut constat ex actis. Longe magis idem fallitur cùm ad XXII junii hunc Petrum vult esse de Tarentasia dictum, qui postea summus pontifex Innocentius V fuit : hunc enim longe juniorem & anno MCCXXXIII nondum ordini ascriptum postea ubi de eo evincetur. Horum quatuor Gregorii IX nunciorum extant acta ab ipsis conscripta, in quibus nostros Hugonem & Petrum suam habere partem nemo negaverit. Ea Wadingus in Annal. Min. T. I ad 1234 dedit quidem, sed interpolata & innumeris mendis deturpata. In editione conciliorum generalium Parisiensi anni 1671 ex Wadingho totidem verbis habentur. Unde cùm illa primigenio stylo exarata mihi occurrerint, operæ pretium duxi eadem hîc tradere : in illis enim originalibus & clarius & jucundius elucescunt, hinc Græcorum antistitum artes, fugæ, pertinacia, ut & Vatacii vel ut alii scribunt Batatzis imperatoris Græci versutia, illinc eruditio, solertia, animi præsentia, constantia & firmitas nunciorum. Breviculum tamen actorum præmitto, ut eorum rationem uno conspectu lector videat.

Anno MCCXXXIII Romæ acceptis suis litteris ac mandatis Constantinopolim venerunt nuncii. Mense januario sequenti MCCXXXIII stylo veteri, novo MCCXXXIV Nicæam in Bithynia jam pervenerant, ubi magna illis fuit diebus quatuor cum patriarcha Græco ejusque clero concertatio, præsertim de processione Spiritus Sancti, additioneque ad symbolum (filioque) facta, & de Eucharistia in azymo vel fermentato conficienda. Post multas disceptationes sine fructu, obtendens patriarcha Græcus quæstiones esse arduas, de quibus absque Fratrum suorum Alexandrini, Antiocheni & Hierosolymitani consilio & assensu nihil posset statuere, rem distulit ad medium martii, quo synodum convocaret, in qua quid summo pontifici responderetur, ipsi ejus nuncii audirent. Isti Constantinopolim reversi litteras circa medium martium a patriarcha receperunt, quibus ut Λέσχεραν usque accederent, invitabantur ad synodum ibidem habendam. Detrectarunt principio apocrisarii eo se conferre, sed iteratis a patriarcha litteris quibus & suas Græcus imperator addidit, solicitius rogati, ne iter renuerent, cùm aliunde res Francorum Constantinopoli magnoin discrimine periclitarentur, nisi Johannis Brennensis cum Vatacio induciæ prorogarentur saltem ad annum, consilio cum sanctæ Sophiæ clero Latino habito redire decreverunt. Dominica itaque tertia quadragesimæ quæ fuit ultima dominica martii (sic in actis quod indicat fuisse annum MCCXXXIV stylo novo, quo aur. num. 19, lit. dom. A, pascha XXIII april.) Constantinopoli discesserunt : dominica sequenti quæ dicitur *Lætare* secunda aprilis Lupadium pervenerunt, & die sequenti Λέσχεραν, ubi steterunt. Verùm alteris imperatoris Græci literis rogati ut ulterius procederent, dominica in passione iter arripientes Nympham (sic in actis, alii legunt Nymphæum) tandem quo vocabantur, feria IV seu XIII aprilis ingressi sunt. Verùm ita egerunt Græci, rationem dierum paschalium prætendentes, quibus eos suis oportebat interesse ecclesiis, ut ad feriam secundam post pascha seu XXIV aprilis concilium dilatum fuerit. Quinque fuere sessiones. Prima dicta feria secunda paschæ, in qua præsules Græci recens aggressi de actis antea Nicææ nihil se scire contendentes, quæstionem de processione Spiritus Sancti ab integro agitari voluerunt, & dies fere in altercationem abiit. II. Habita est feria quarta sequenti, in qua Græci litem initio moverunt de quibusdam loquendi modis in epistola Gregorii IX contentis, & cùm iterum utrinque gravius altercarentur, imo & in verba quædam contumeliosa proruptum esset, ut sibi abire permitteretur ab imperatore petierunt apocrisarii, ad hujus tamen instantiam adhuc substiterunt. III. Habita est in palatio imperatoris eoque præsente, & conclusio fuit, ut utraque pars scripto fidem suam de articulis propositis traderet. IV. Sabbato sequenti chartæ Græcorum & Latinorum in concilio lectæ fuerunt & mutuo traditæ, & post quamdam disceptationem utrinque discessum. Feria quarta post Quasimodo seu maii tertia ad palatium vocati apocrisarii, tentante eos imperatore, ut ex utraque parte facta cujusdam articuli cessione pax iniretur, strenue responderunt, cùm de fide agatur, nec iota unum a summo pontifice cedendum. Quinta & ultima sessio feria V sequenti, in qua cum Græcis episcopis innumero populo præsente, post lectam fidei Romanæ formulam, & quasdam inter eos & nostros disputationes, utrisque se mutuo hæreticos proclamantibus, spes omnis concordiæ evanuit. Sabbato sexta maii cum permissu imperatoris Nymphæo recesserunt apocrisarii, impedimentum tamen eorum itineri afferentibus Græcis episcopis, donec scriptum de azymo ipsis a patriarcha datum reddidissent, quod & per vim ab iis abstulerunt, exinde Constantinopolim & postea Romam redierunt. Quæ singula amplius patebunt ex actis ab ipsis hoc titulo scriptis

Acta & disputatio nunciorum Dñi papæ ad Græcos. Hæc acta Wadinghus in Annal. Min. ad ann. 1234 refert, sed interpolata & recisa : ex eo tamen inducta sunt in editionem conciliorum Parisiensem, quam vocant Labbeanam anni 1671. Cùm verò acta illa qualia prodierunt, non solùm non sint integra, sed & pluribus mendis fœdata, glossis etiam quæ ad marginem erant, in textum ipsum insertis ac sensum interrumpentibus, ea genuina ad finem hujus voluminis dabimus, ne hîc seriem nostrorum scriptorum longiori intervallo distrahant.

F. PHILIPPUS.

F. PHILIPPUS ex solo nomine in nostris annalibus notus e primis fuit, qui nascentem ordinem suis virtutibus & præclare pro Ecclesia gestis illustrarunt. Eumdem censeo qui anno MCCXXXIII mense augusto a F. Ventura priore & toto conventu Bononiensi procurator institutus est, ut testes ex ordine coram delegatis a Gregorio IX commissis ad inquirendum de vita & moribus B. Dominici in ordine ad canonizationem produceret, quod & diligenter præstitit. Videsis supra *Dicta testium &c.* Anno sequenti MCCXXXIV in comitiis ordinis generalibus Lutetiæ habitis prior provinciæ Terræ-sanctæ videtur a B. Jordano institutus, & F. Hen- * 1238.

Sæc. XIII. rico Teutonico seniori primo ejusdem provinciali suffectus. Hoc certe munus gerebat anno MCCXXXVII & anno MCCXXXVIII, quo ultimo in comitiis Bononiæ habitis & quibus aderat, ab eo se munere obtinuit liberari: tumque ad S. Raimundum de Pennaforti Barcinone agentem cum aliis ex ordine primoribus viris legatus est, qui ut electionem suam ad magistratum ordinis ratam haberet, suaderent. Sic enim refert Salanhacus a Bernardo Guidonis exceptus in catalogo magistrorum ordinis n. 3 his verbis: *Missi sunt ad eum* (F. Raimundum) *apud Barchinonam pro magisterio præsentando & suscipiendo F. Hugo prior provincialis Franciæ, F. Pontius de Sparra prior provincialis Provinciæ, F. Philippus qui prior fuerat Syriæ, sed in eodem capitulo (Bononiensi) fuerat absolutus, F. Stephanus Hispanus, qui in eodem capitulo fuerat absolutus a provincialatu Lombardiæ, quem diu rexerat, & alii multi electi Fratres.* Ex quibus colligas Philippum hunc nostrum inter graviores ordinis viros habitum. Extat ejus e Terra-sancta dum illic ageret ad Gregorium IX data epistola in qua de pro fide a se gestis rationem reddit, quam visum est integram hîc dare ex chronico Alberici ad MCCXXXVII p. 562, sed additis ad marginem variis lectionibus Matthæi Parys, qui eamdem habet ad eumdem annum pag. 301.

Variæ lectiones Matthæi Paris.

Litteræ mirabiles Fratris Philippi prioris transmarini de fide Jacobianorum & multis aliis, & de septuaginta provinciis patriarchæ Jacobianorum subjectis.

1. Vocatione.

» SS. Patri ac Dño Gregorio divina (1) miseratione summo pontifici, Frater Philippus Fratrum Prædicatorum in Terra-sancta prior inutilis in omnibus obedientiam devotam & debitam. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui vestris temporibus, Pater Sancte, oves a tantis temporibus erroneas sua clementia reduxit ad pastorem. Diebus enim nostris (2) donum suæ benignitatis demonstravit nobis, & campos suos implere fecit ubertate: & quia nationes quæ ab unitate Ecclesiæ recesserant, ad vestram obedientiam & sanctæ matris Ecclesiæ mirabiliter reduxit unitatem. Nam patriarcha Jacobitarum Orientalium vir venerabilis, scientia, moribus & ætate, cum maximo comitatu archiepiscoporum, episcoporum, monachorum suæ gentis in hoc anno venit adorare in Hierusalem: cui verbum catholicæ fidei exponentes ad tantum divina gratia cooperante pervenimus, ut in Ramispalmarum processione solemni, quæ die illa a descensu montis Oliveti fieri consuevit, obedientiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ promitteret & juraret, omnem hæresim pariter abjurando, & confessionem & confœderationem suam nobis tradidit litteris Chaldaicis & Arabicis in testimonium sempiternum: adhuc & habitum nostrum recepit in recessu. Ipse præest Chaldæis, Persis, Medis & Armenis, quas terras Tartari pro magna parte vastaverunt. Etiam in aliis regnis in tantum dilatatur ejus prælatio, quod septuaginta provinciæ ei obediunt, in quibus habitant innumerabiles Christiani, servi tamen & tributarii Saracenis, exceptis monachis quos liberos dimittunt a tributo. (3) Quem ad modum eamdem formam fecerunt duo archiepiscopi, unus Jacobita de Ægypto, & alter Nestorianus in Oriente. suas tamen prælationes habent in Syria subditas & Phænice. Et nos festinavimus quatuor Fratres in Armeniam transmittere ad linguam addiscendam, eo quod preces regis & baronum nos urgebant. De alio (4) quodam qui appellatur Jaxelinus, qui præest omnibus quos Nestoriana hæresis ab Ecclesia separavit, cujus prælatio per Indiam majorem manentes, & per regnum sacerdotis Joannis (& regna) magis proxima (5) dilatatur, jam plures litteras recepimus, quod Fratri Guillelmo de Monteferrato qui cum aliis duobus Fratribus linguam illam scientibus apud eum aliquandiu commoratus est, promiserit quod velit obedire & redire ad gremium (6) Ecclesiæ & veritatis. Misimus etiam Fratres in Ægyptum ad (7 Pharaonem Jacobitarum Ægyptiorum, qui multùm amplius errare solent quàm Orientales, aliis erroribus circumcisionem ad modum Saracenorum addentes, a quo recepimus similiter, quod velit redire ad Ecclesiæ unitatem: & jam elisis multis erroribus suos subditos prohibuit circumcidi. Huic subdita est India (8) major, Æthiopia, Lybia cum Ægypto: & Æthiopes & Lybii non sunt subditi Saracenis. Maronitæ qui habitant in Libano, jamdiu est quod ad Ecclesiam redierunt & in obedientia perseverant. Et cùm omnes nationes prædictæ doctrinæ (9) veritatis & prædicationibus nostris acquiescant, soli Græci in malitia perseverant: qui ubique latenter & aperte Romanæ Ecclesiæ contradicunt: omnia sacramenta nostra blasphemant, & omnem aliam sectam a sua (10) pravorum hæreticorum appellant. Unde videntes tantum ostium apertum, ut veritas evangelii dilatetur, dedimus nosmetipsos ad linguas gentilium addiscendas, & (11) ad studium in singulis conventibus statuimus, laborem novum veteri apponentes: & jam per Dei gratiam similiter Fratres nostri linguis loquuntur novis & prædicant, & maxime in Arabica, quæ communior est inter gentes «.

2. Annum.

3. Secundùm eamdem formam.

4. Quoque qui præest.

5. Orientis.

6. Ecclesiasticæ unitatis.

7. Patriarcham.

8. Minor.

9. Trinitatis.

10. Pravam appellant & hæreticam.

11. Et studium linguarum in singulis.

Hactenus dictum Alberici chronicon, in quo litterarum finis deest, quem ex Matthæo Parys addere placet. Sic ergo prosequitur Philippus. » Sed heu huic tanto gaudio & lætitiæ spirituali de renovatione infidelium nobis ortæ, de abysso judiciorum suorum Dominus nobis amaritudinem commiscuit de morte magistri nostri ordinis (Jordani) nisi quod mors ejus in vitam infidelium conversa. Nam sic a multis accepimus qui præsentes fuerunt & viderunt, tanta miracula ibi dicuntur demonstrari, quod multo efficacius prædicat mortuus in miraculis, quam vivus prædicaret in verbis. Per omnia sit Deus benedictus. Unde ad illos Saracenos tres Prædicatores transmisimus ne gratiæ Dei deesse videremur. Vestrum est ergo Pater sancte adunationi & paci revertentium ad Ecclesiam providere, ne fortè si de brachiis nutricis ceciderint, utroque pede deterius inveniantur claudicantes. Quidam enim ex eis jam magis suis jurisdictionibus adversantur. Non audeo pluribus verbis aures vestras detinere, cætera quæ desunt, Fratres latores præsentium poterunt enarrare. Mortui sunt cum magistro socii ejus F. Gerardus clericus, & F. Juanus conversus. Tibi Jesu Christe laus & gloria & gratiarum actiones, honor & virtus & fortitudo in secula seculorum. Amen. Valete «.

In his porro litteris plura veniunt annotanda, alia ad historiam ecclesiasticam, alia ad ordinis speciatim historiam spectantia. Quantum ad historiam ecclesiasticam ille patriarcha Jacobitarum Orientalium haud dubie successor erat illius patriarchæ, quem sibi seculo Christi VI præfecerunt Syri errori Eutichetis & Dioscori pertinaciter adhærentes, & Antiochenum contra patriarcham Græcum (quem Melchitam seu imperatorium vocabant) dixerunt. Hic patriarcha Jacobitarum in plures antiqui patriarchatus Antiocheni provincias jurisdictionem suam revera extendit, præsertim in Syria & Mesopotamia sitas. Qui in quasdam patriarchatus Hierosolymitani, seu etiam Alexandrini provincias ditionem suam dilatasse narrant, deluduntur. In iis enim nullam unquam Ecclesiam obtinuerunt, præter sacellum in basilica resurrectionis, quod in urbe

be Hierusalem eis concesserunt Mahumetani. Quæ autem sint septuaginta provinciæ, quibus patriarcha, de quo in istis litteris, præerat, haud facile dictu, nisi forte fuerit patriarchæ illius sociorum exaggeratio, qui ejus ditionem ex industria sic amplificare studuerint, vel nisi LXX parvas regiones intellexerint, quibus singulis caput esset aut urbecula quædam, aut oppidum aliquod populosum. Cæterum huic patriarchæ Grægorius IX epistolam de ejurato schismate congratulatoriam, & ut in catholica fide amplexa inconcusse staret exhortatoriam scripsit datam Viterbii V kal. augusti pontific. XI, quam habet Rainaldus ad 1237 n. 88. Verum seu patriarcha ille brevi postea mortuus sit, seu ficte solum & metu Saracenorum fidem Romanam amplexus sit, quo solutus ad pristinum schisma redierit, ut vult Matthæus Paris, labor a nostris assumtus aut parum fructus, aut nullum habuit.

Jakelinus ille, sic corrupte dictus, rectius *Jakelikus* (id est *Catholicus*, quo nomine patriarchæ legatum intelligas) Nestorianorum omnium Orientalium successor erat Catholici, qui Seleuciæ primùm, tum ea eversa in civitate *Bagdad* dicta sedit, & exinde fidem christianam sed cum errore Nestoriano in ultima Orientis regna propagavit. Quàm late pateret ejus jurisdictio, docet summa canonum synodalium Syriaco seu Chaldæo sermone scripta, in qua parte 2 sermone 6 cap. 19 de canonibus constitutis super episcopos & metropolitanos habetur canon Theodosii patriarchæ in hæc verba : *Hæ sex sedes capita provinciarum & metropolitæ, videlicet Hilam, Nzivin, Prath, Assur, Bethgarmi & Halab, qui digni habiti sunt, ut ordinationi patriarchæ interveniant, nec absint, ut alii quarto quoque anno apud patriarcham conveniant : sic etiam episcopi magnæ provinciæ, nimirum reliqui metropolitæ Chinæ, Indiæ, Pales, Mausæorum, Xan, Raziguæorum, Herionæ* (hæc est Cambaja) *& Smarcandiæ* (hæc est Usbec & Mogor) *qui longissime absunt*. Sic refert Nicolaus Trigautius S. I. Exped. Sinicæ lib. 1 cap. 11, & Kirkerus Chinæ illustr. p. 57 b, ceu a Joanne M. Campori ejusdem societatis e Chaldæo Latine versum : ex quibus discimus hunc antistitem non solùm vicinis sibi provinciis Elamitarum, Nisibis, Persiæ, Assyriorum, Mesopotamiæ nunc *Diarbeker*, & Chaldææ, sic enim priora nomina quidam interpretantur, præfuisse, sed & in ultima Orientis regna, Mogorum, Indiam utramque citra & ultra Gangem, Siamum, Chinam ipsam primatiam suam extendisse. Brocardus noster de quo postea ad annum 1283 de hoc primate seu Catholico, ut loquuntur, agens sic habet in sua descript. Terræ-sanctæ : *Archiepiscopos, episcopos, abbates, aliosque prælatos habent sicut & nos, eisdemque nominibus & titulis denominantur, excepto quod apud Nestorianos prælatus primus qui est loco papæ Jakelich nuncupatur, cujus jurisdictio in Oriente latius extendi a nonnullis dicitur, quàm tota Occidentalis Ecclesia*. Ex his etiam litteris habetur regnum presbyteri Joannis in Asia fuisse, & quidem vastissimum, & consentit chronicon Alberici ad annum MCCXXI legendum, confirmatque Kirkerus citatus Chinæ illustr. p. 47 & seqq. Habetur præterea Ægyptios Christianos circumcisionis ritum seculo XIII adhuc observasse, quod quidam recentiores facilius negarunt. Notandum etiam quod dicit de Maronitis, *jam diu esse quod ad Ecclesiam redierunt*, quibus verbis indicat aliquando ab ea divisos fuisse.

Quantùm ad historiam nostram hinc colligo quot in illis ordinis incunabulis nostri sodales in eas Orientis partes missi fuerant, qui tot regnis sufficiebant, Palæstinæ, Syriæ, Armeniæ, Ægypto, Chaldææ & Mesopotamiæ & ultra, quot ordinis domos ubique erexerant : quam variis illis linguis addiscendis curam impendebant : quam illis gentibus seu schismaticis seu Saracenis ad fidem christianam & catholicam adducendis adhibebant diligentiam. F. Guillelmus de Monteferrato hîc laudatus ille est B. Dominici socius, ab eo Parisiis veste donatus, qui & in canonizationis ejusdem processu testis fuit secundus, de quo videsis supra, & quem Raynaldus ad 1235 n. 28 ad Saracenos convertendos a Gregorio IX missum testatur, & qui tandem in illis partibus videtur diem suum obiisse. Ex his denique litteris duorum B. Jordani sociorum qui cum eo naufragio perierunt nomina discimus in annalibus nostris omissa, & sacerdotem quidem Gerardum, conversum verò Juanum seu Joannem dictum.

F. GODEFRIDUS & F. REGINALDUS.

F. GODEFRIDUS & F. REGINALDUS ambo unà pœnitentiariorum munus Romæ apud Gregorium IX obibant anno MCCXXXVII. Cujas fuerit Godefridus non produnt vetera monumenta : Reginaldus verò ille est, qui supra laudatur in supplemento ad vitam S. Dominici ex Vitis Fratrum P. II n. 20, exinde archiepiscopus Armachanus ab Innocentio IV electus & constitutus anno MCCXLVII, & quem propterea Hybernum conjiciebamus, qui tandem fatis cessit anno MCCLVI. Dum autem ambo in aula Romana degerent pœnitentiariorum munere fungentes, Gregorius IX litteras a F. Philippo nostro in Terra-sancta priore provinciali accepit, quibus inter alia plura iste naufragium B. Jordani magistri ordinis nunciabat, quod illi per provincias ordinis significare curarunt. Sic autem ad priorem Parisiensem scripserunt. * 1238.

Venerabilibus & dilectis priori & conventui Fratrum Prædicatorum Parisiensium, Fratres Godefridus & Reginaldus domini papæ pœnitentiarii salutem & Spiritus Sancti consolationem. Noveritis quod inundante maris sævitia, ac suo impetu propellente ad littus galeam, in qua dulcis pater noster magister Jordanis cum duobus Fratribus erat, ipse & nonaginta novem personæ aliæ mortis vinculis liberati sunt ab hoc seculo nequam. Super hoc tamen carissimi non paveat cor vestrum, quia nobis orphanis pius pater & Deus totius consolationis remedium post tempestatem providit tranquillum. Nam dum jacerent corpora inhumata, ut testantur qui de illo naufragio evaserunt, & qui eos tradiderunt propriis manibus sepulturæ, luminaria de cœlo super eos singulis noctibus effulserunt : sed & cruces super eos multæ visæ sunt & a multis. Ad quod miraculum loci incolæ confluentes tanti odoris fragrantiam hauserunt, quod juxta testimonium eorum, qui post visa miracula eos tres sepelierunt, usque post decem dies odor nimius ab eorum manibus non recessit. Sed & per circuitum sepulturæ ejusdem odoris suavitas latius emanavit, quo usque Fratres de Acon venerunt cum barcha, & eos in suam Ecclesiam transtulerunt, ubi dictus pater coruscat miraculis, & multa multis beneficia præstat. Per omnia benedictus Deus. Amen.

Sic legitur in utroque nostro codice MS seculi XIII de vitis Fratrum P. III n. 37, excepto quod ubi in priori dicuntur *nonaginta novem personæ aliæ mortis vinculis &c.* in altero dicuntur tantùm *viginti novem personæ aliæ mortis vinculis &c.* In actis SS. a Bollando collectis ad XIII febr. p. 730 n. 43 legitur *propellente ad littus Galileæ* : sed erratum esse sui cod. MS & legendum ut in nostris *ad littus galeam*, (quod genus navigii velocissimi, de quo legendus Ducangius in Glossario) hinc constat, quod non ad littus Galileæ, sed ad littus Sathaliæ, quæ a Galilea longius distat, naufragium fecit B. Jordanus idibus februarii MCCXXXVI stylo veteri, novo MCCXXXVII, quo hæ litteræ scriptæ.

Alteras litteras idem F. Godefridus tum ad om-

Sæc. XIII. nes ordinis provincias scripsit, in iisdem mittens exemplum epistolæ ad Gregorium IX a F. Philippo de quo mox e Terra-sancta scriptæ: de quo sic habet Matthæus Parys Anglus ad 1237 p. 301 : *Anno quoque eodem venit jocundus rumor de Terra-sancta, quod scilicet quidam magnus Orientalium hæreticorum princeps, relicta superstitione & errore suo, tactus Spiritu Sancto ad christianam conversus est religionem, ad instantem & diligentem F. Philippi de ordine Prædicatorum in Terra-sancta prioris prædicationem & exhortationem. Qui sine dilatione hoc D. papæ, Fratrique Godefrido D. papæ pœnitentiario, ut eosdem tam jucundo rumore exhilararet, significavit. Ipse autem F. Godefridus prioribus ordinis Prædicatorum in Anglia & Francia constitutis hæc omnia significans, scripsit in hæc verba.*

Venerabilibus in Christo patribus Fratrum ordinis Prædicatorum Franciæ atque Angliæ, ad quos litteræ istæ pervenerint, F. Godefridus Dñi papæ pœnitentiarius salutem & gaudium in Spiritu Sancto. Noveritis dñm papam litteras F. Philippi ministri provincialis Terræ-sanctæ in hunc modum recepisse &c. Epistolam *supra* videsis integram, ubi de F. Philippo.

Ex his emendandus Fontana in Theatro p. 471 scribens FF. Godefridum & Reginaldum non Romæ sed in Terra-sancta pœnitentiariorum munus gessisse: ex his enim utriusque litteris constat eos Romæ in aula pontificia egisse, & a Gregorio IX quæ ei ex Syria scripta fuerant didicisse, ac toti ordini nunciasse. Ad quem annum postea vixerit Godefridus non notarunt annales nostri.

F. SIGERUS DE INSULIS.

* 1238. F. Sigerus de Insulis aliâs *Zegherus Flander* a patria sic & professione nuncupatus clarebat anno MCCXXXVII. Quædam ejus acta refert noster Hyacinthus Choquetius opusculo cui titulus, *sancti Belgii ord. Prædic.* a p. 40 ad 48: ex quibus virum fuisse mira vitæ sanctimonia, eruditione, animarum zelo conspicuum patet. Ab illo primo scripta est

Vita B. Margaritæ de Ipris. Hanc ipse a vanis mundi illecebris suis consiliis conversam virginem castam Christo desponderat, ac æmulatus Dei æmulatione ad ejus mortem quæ anno MCCXXXVII accidit, vitæ sanctioris ei magister fuerat. Sic enim refert Cantimpratanus noster, cujus videsis epistolam ad eumdem Sigerum scriptam quem his verbis alloquitur: *Rogante ergo me uno mane ... e duabus membranis parvulis memorabilia vitæ illius te narrante suscepi.* Hanc igitur jam Sigerus in membranis scripserat. Vide Choquetium citatum p. 144. Ad quem annum ille postea vixerit, nemo refert, sed ultra MCCXXXVIII adhuc floruisse constat.

S. RAIMUNDUS DE PENNAFORTI.

† 1238. S. Raimundus de Pennaforti vernacule *Pennafort* sic ab originis suæ loco in diœcesi Barcinonensi in Catalania, vel etiam a familia loci domina (ut vult Diagus) nuncupatus, tot & tantos nactus est vitæ ac gestorum scriptores, ut de his rursus scribere actum esset agere, ac omnino supervacaneum, maxime cùm sanctos hîc non sectemur sed auctores. Visa sunt igitur quædam solùm hactenus inedita prodenda antiqua documenta, quibus addentur emendationes seu notæ ad annotata Bollandi in actis SS. ad diem VII januarii, seu potius ad auctores ab erudito illo critico adductos, qui verum ubique non sunt assecuti.

Primus laudandus est B. M. Humbertus de Romans V ordinis magister synchronus, qui de eo sic habet in quinque primorum ordinis magistrorum chronico. « Anno Dñi MCCXXXVIII electus est « Bononiæ in magistrum F. Raimundus de provincia « Hispaniæ Catalanus natione oriundus de diœcesi « villa quæ dicitur Hic fuit ex- « hæc in MS lacunæ.
cellens doctor in jure canonico, in quo rexit Bononiæ. Hic ordinem ingressus, assumtus est in socium a Dño Joanne de Abbatisvilla cardinali legato in Hispania, & inde transiens cum eo ad curiam factus est familiarissimus & consiliarius secretus D. papæ Gregorio IX, & capellanus & pœnitentiarius ejus, & expeditor petitionum pauperum & de ejus mandato compilavit decretales in volumen unum quod hodie est in usu, cùm essent per quatuor volumina distractæ. Habuit autem se ita sancte & prudenter in curia, per omnia servans humilitatem ordinis, & omnimodam honestatem; quod vix fuit unquam de curialibus, vel de euntibus & redeuntibus ab illa curia, qui de ipso bona non prædicaret, & ipsum virum sanctissimum [non] reputaret. Cùm autem papa vellet eum cogere ad recipiendum archiepiscopatum quemdam in terra sua, tam constanter sancta quadam rebellione restitit, quod revocavit papa coactionem quam cœperat, videns ejus tam contrariam voluntatem. Hic obtenta licentia licèt cum difficultate ad propria recedendi a curia propter suas debilitates & infirmitates, quas incurrisse putatur in parte propter labores & vigilias quas ibidem sustinebat, & vitam asperam quam ducebat: tempore suæ electionis ubi tunc erat in conventu Barchilonensi missi sunt ad eum multi priores provinciales, inter quos fuit unus Dñus Hugo qui tunc erat prior in Francia, postea factus fuit presbyter cardinalis, & alii magni Fratres, ut eum inducerent ad officium recipiendum. Quibus licèt cum difficultate, timens de periculo ordinis, si se subtraheret, acquievit. Fuit autem vir maximæ perfectionis, paupertatis & humilitatis & totius honestatis zelator maximus, & apponens curam maximam, ut in minimis rigor ordinis servaretur. Hic etiam compilavit summam de casibus toti Ecclesiæ pernecessariam circa consilia salutis animarum. Per ejus etiam indulgentiam (*sic in MS fortè leg.* diligentiam) constitutiones redactæ sunt ad formam debitam sub certis distinctionibus & titulis, in qua sunt hodie, quæ sub multa confusione ante habebantur. Cùm autem quasi per duos annos rexisset ordinem, sentiens sibi vires ad hujusmodi officium omnino deesse, tantum institit apud Bononiam in capitulo generali apud diffinitores, quod ejus cessionem receperunt. Super quo tanta turbatio orta est in capitulo & per ordinem diffusa, quod dedit occasionem statuendi postea, quod a diffinitoribus amodo non reciperetur magistri cessio, nisi ex causis ex quibus posset absolvi. Hic igitur pater in conventu Fratrum de Barchinolia eligens commorari, licèt infirmus & multum impotens adhuc vivit in omni sanctitate, religionis speculum, exemplar virtutum, consolatio provinciæ, zelator fidei propagandæ inter Saracenos, magnæ auctoritatis apud magnates, consiliarius religionis «.

Nunc audiendus est F. Stephanus Salanhacus etiam synchronus in suo magistrorum ordinis chronico, qui eadem sed explicatius narrat. « Tertius magister ordinis successor Fratris ac patris Jordanis F. Raimundus de Pennaforti Catalanus natione Barchinonensis. Hic fuit electus in magistrum in capitulo generali Bononiæ celebrato anno Domini MCCXXXVIII, cùmque diligenter inclusis electoribus ut moris est, orantibus Fratribus cæteris ante sacrum corpus B. Dominici, vidit in visione imaginaria quidam devotus Frater illic orans omnes electores de camera exeuntes, & in medio Ecclesiæ maximam unam columnam erigentes, quæ erat

„ guttis sanguineis purpurata attingens a summo „ usque deorsum. Quod cùm intuens lætaretur, ecce „ facto signo ad capitulum omnes electores veniunt, „ & electum concorditer ab omnibus in primo scru- „ tinio eum nominarunt. Ipse verò præsens in capi- „ tulo non erat, sed in conventu Barchinonensi exis- „ tebat. Missi sunt ad eum apud Barchinonam pro ma- „ gisterio præsentando & suscipiendo F. Hugo prior „ provincialis Franciæ, F. Pontius de Sparra prior „ provincialis Provinciæ, F. Philippus qui prior „ fuerat Syriæ sed in eodem capitulo fuerat absolu- „ tus, F. Stephanus Hispanus qui in eodem capitulo „ fuerat absolutus a prioratu Lombardiæ quem diu re- „ xerat, & alii multi electi Fratres. Præfatus F. Raimun- „ dus fuit doctor in decretis Bononiæ & dñi papæ ca- „ pellanus, qui mandante D. P. Gregorio IX compila- „ verat decretales, fecit etiam summam perutilem de „ casibus sive de pœnitentia, item constitutiones nos- „ tras ordinavit per distinctiones & capitula. Hic cùm „ biennium rexisset ordinem propter nimiam debili- „ tatem sui corporis ad suam magnam instantiam „ fuit a magisterio absolutus in capitulo generali „ Bononiæ celebrato anno Dñi MCCXL: ex cujus „ absolutione secuta est tanta turbatio, quod statu- „ tum fuit, quod magistri cessio non admitteretur „ nisi ob impedimenta perpetua. Supervixit autem „ vir humilitatis eximiæ & sanctitatis magnæ annis „ XXXV in conventu Barchinonensi, ubi quievit in „ Domino in die epiphaniæ VIII idus januarii anno „ MCCLXXV, ubi multam & magnam ipsius sanctita- „ tem crebra miracula protestantur.

In actis verò capitulorum generalium ad acta cap. gen. Bononiæ MCCXXXVIII sic legitur: *A. D. MCCXXXVIII celebratum fuit XVI capitulum generale Bononiæ, in quo fuit electus in magistrum ordinis in die translationis B. Dominici* (scilicet XXIV maii feria secunda pentecostes ut tum mos erat, nam pascha fuit IV aprilis & pentecostes XXIII maii) *ab omnibus fere electoribus F. Raimundus de Pennaforti Catalanus natione, qui fuerat doctor in decretis Bononiæ, eratque capellanus & pœnitentiarius D. papæ &c.* In actis cap. gen. item Bononiæ MCCLXXV tit. de suffragiis: *pro F. Raimundo de Pennaforti defuncto quilibet sacerdos tres missas.* Hæc verò omnia magnam nobis lucem afferunt ad annotata Bollandi ad vitam S. Raimundi ex Leandro Alberto & bulla canonizationis productam dilucidanda vel etiam emendanda.

1. Ad commentarium prævium n. 5, ubi recensentur plures qui S. Raimundi acta scripserunt Bollandus dubitat, an idem sit Jacobus de S. Joanne, qui anno MCCCCLVI Barcinone inquisitorem agebat, cum Jacobo Dominico qui ad caput IV majoris vitæ citatur. Breviter respondeo duos esse, de quibus suo ordine agetur postea. Præter recensitos autem a Bollando, adhuc de S. Raimundo plures scripserunt: noster Nicolaus Trivet chronico regum Anglorum ad MCCXL Spicileg. Dacher. T. VIII p. 586: F. Andreas Perez Castellanus Legionensis qui vitam S. Raimundi edidit Salmanticæ 1601: F. Sebastianus Castellettus Romanus qui etiam vitam Italice edidit anno 1601: F. Antonius de Lorea Hispanus prælo paratam habebat: Franciscus Peña edidit hoc titulo, *Relazione della vita miracoli e canonizazione di S. Raimundo di Pegnaforte.* Brixiæ 1602. 8. Extat Paris. in Regia. H. 2810. Bernardus Modonius concinnavit ex voto & edidit Tolosæ. 1656. 8. Extat in eadem Regia H. 2377. Philippus Jacobus Maussacus comes consistorianus & cameræ rationum regiarum in Occitania primarius præses vir eruditissimus de Raimundo pluribus agit in præfixis a se Pugioni fidei F. Raimundi Martini prolegomenis: Caveus, Dupinius, Nicolaus Antonius Bibl. Vet. Hisp. Tamaius Martyr. Hisp. Bernardinus & Gomezius in historia Jacobi I regis Aragoniæ lib. 19.

2. In Annotatis ad vitam ex Leandro Alberto p. 407 a ad e dicitur Albertus Magnus vicarius generalis ordinis vacante magistratu & Teutoniæ prior provincialis, hisque titulis cap. gen. Bononiæ MCCXXXVIII affuisse, quod nobis non probatur: ex quo enim mors Jordani innotuit, ex constitutionibus jus vicariatus ordinis ad provincialem Lombardiæ F. Stephanum Hispanum certo devolutum fuit, religiosiores autem erant patres, quàm ut terminos sibi præfixos transgrederentur. Præterea tum Albertum Magnum Coloniæ Theologiam cum ingenti fama legisse constat, sed Teutoniæ provincialem præfectum non fuisse nisi post lauream magisterii adeptam Parisiis anno MCCXLVIII certius est ex antiquis monumentis: itaque si comitiis Bononiensibus anno MCCXXXVIII affuerit, quod nullo veteri monumento astruitur, ut elector tantùm vel ut socius sui provincialis, nam erat capitulum provincialium, a suâ provincia nominatus iverit & non aliter. Quod verò ibidem additur Yvonem Terræ-sanctæ provincialem in iisdem comitiis sedisse, explicatione indiget. Certum F. Philippum de quo supra virum egregium tum fuisse provincialem Terræ-sanctæ seu Syriæ, & hoc titulo in electione S. Raimundi votum tulisse, & cum cæteris provincialibus durante capitulo diffinivisse, in fine autem actorum ad suam instantiam ab officio remotum: Yvo Armoricus potuit etiam adesse ut elector pro Francia vel pro Terra-sancta, sed an in iisdem comitiis Philippo suffectus fuerit, ut vult Malvenda ad 1238 cap 3 nolim asserere. Certum enim jam tum in usu fuisse, ut provincialibus in capitulo generali amotis & ut aiunt absolutis, ipsæ provinciæ successores sufficerent & eligerent: cùm autem provincia Terræ-sanctæ domibus conventualibus abundaret, cur jus sui provincialis eligendi sublatum ei fuerit, non apparet: res igitur rectius sub dubio relinquenda.

3. Eadem col. Annot. g. *Diagus, Castillo & Marietta scribunt post tertium scrutinium statuisse patres cibo sumto in provincias suas discedere re infecta.* Istud recte admodum rejicit Bollandus, sed rectius adhuc narrationem Leandri Alberti de divisis inter Albertum Magnum & Hugonem de sancto Theuderio (non de S. Theodorico ut mendose Leander) electoribus, ceu puram putam fabulam rejecisset, quæ & facile confutatur. Videtur enim affirmare Leander, & reipsa asserit Diagus electores non concordes e conclavi exivisse, & sumto cibo iterum ad conclave rediisse indictis precibus, tumque Raimundum communi voto elegisse: quod totum falsissimum. Nam ex vi constitutionum tum etiam si unquam aliâs ad amussim observatarum, *ita electores in uno conclavi firmiter includebantur, ut inde nullatenus egredi valerent, nec eis ullo modo aliqua alimenta ministrari, quousque magister ordinis secundùm formam canonicam esset electus: idque tam ab electoribus quàm a recedentibus præcipiebatur firmiter observari.* Ipsissima sunt constitutionum verba & edicta, in quibus a principio ordinis nulla facta immutatio, nulla additio. Quod autem ita servatum fuerit in electione S. Raimundi, testis est omni exceptione major Salanhacus supra citatus, & in electione præsens. *Cumque diligenter inclusis electoribus ut moris est,* inquit, *orantibus Fratribus cæteris &c.* Imo nullam fuisse altercationem aut vocum divisionem satis innuit cùm addit: *Ecce facto signo ad capitulum omnes electores veniunt, & electum concorditer ab omnibus in primo scrutinio eum nominarunt.* Quæ docent qua prima vice electores in conclavi inclusi fuerunt, certi se exinde non egressuros, nec cibum habituros, quousque magistrum elegissent, non fuisse inter se divisos, sed statim primo scrutinio non tertio non quarto Raimundum concorditer elegisse, tumque e con-

Sæc. XIII. clavi clamando *habemus magiſtrum* egredi permiſſos, conventum Bononienſem totum & ſodales advenas jure vocis non gaudentes ad capitulum convocaſſe, electionemque Raimundi unanimem publicaſſe. Idem habet Franciſcus Peña in ſcholiis ad vitam S. Raimundi lib. 3 c. 31 ex alio cod. MS Salanhaci, ubi ſic loquitur : *In craſtino ergo pentecoſtes, ſicut tunc moris erat in ordine ac ſtatutum, invocato devote ſpiritu ſancto, Fratres tam de provincia Lombardiæ, quàm de provinciis aliis cum reverentia & timore duxerunt electores ad cameram, in qua erat electio celebranda : quibus concluſis* (nota) *omnes ad eccleſiam redierunt, & orantes deprecabantur Dominum, ut eis de paſtore idoneo provideret. Vix unum nocturnum dixiſſes, ecce exeunt de camera electores, & vocantes ad capitulum Fratres, pronunciant F. Raimundum de Peniafort concorditer ab univerſis electum in magiſtrum ordinis &c. Verba fidelia ſunt & vera, qui præſens adfuit hæc ſcripſit & dixit F. Stephanus de Salanhac Lemovicenſis.* Eadem refert ex Peña Malvenda p. 605 b. Illa itaque adeo decantata Hugonem inter & Albertum Magnum vocalium diviſio ceu fabuloſa explodenda. Nec quis canonizationis Raimundi bullam nobis objiciat, in qua ſententiarum quoddam initio diſſidium fuiſſe memoratur : quod forſan fuerit priuſquam conclave ingrederentur vocales de electione futura mutuo colloquentes, at ex quo primùm in conclavi fuerunt incluſi, ſententias fuiſſe diviſas, ter electores ad ſcrutinium acceſſiſſe, re infecta e conclavi egreſſos ad orandum in eccleſia confugiſſe, poſt prandium regreſſos tum tantùm elegiſſe, nec habetur in bulla, nec verum eſt. Multo minus audiendus Sebaſtianus de Olmedo, qui in pleriſque a vero aberrat, volens electores vigilia pentecoſtes conclave ingreſſos, quod certo non intrarunt niſi feria 2 ſequenti : tum cùm horis matutinis non conveniſſent, e conclavi exiiſſe quod iis non licebat : denique ſub veſperam ad conclave regreſſos tandem in Raimundum omnes conſenſiſſe : quæ ceu conſtitutionibus & Salanhaci præſentis narrationi omnino adverſa, merito a nobis ut falſa rejiciuntur. Leandrum tamen & Olmedum ut auctores graves in rebus ſuæ ætatis plurimi facimus, ſed in antiquis ſeculi XIII & ſequentis vetera monumenta pluris habenda cenſemus.

4. Pag. 411 Annot. m. *Id Diagus conatur refutare &c.* Diago facile conſenſerim, ſcilicet decretum *ut magiſtro abdicare liceret*, non latum in cap. gen. Paris. MCCXXXIX, neque enim in actis tale decretum legitur : ac prætcrea in cap. gen. Bononiæ MCCXLII immerito provinciales propter conſenſum abdicationi Raimundi datum puniti fuiſſent, & a ſuis muneribus amoti, quibus ſi tale decretum latum fuiſſet, repugnare non licuiſſet.

5. Pag. 413 Annot. b. *Diagus cap. 20 vult ſolùm fuiſſe* LXXXIX *annorum* cùm mortuus eſt Raimundus. Hæc etiam magis arridet ſententia, quàm quæ prope centenarium facit. Itaque anno MCLXXXVI natum cum Diago cenſemus, ætatis XXV circiter juri Bononiæ operam dediſſe, cùm alii qui natum volunt anno MCLXXV nonniſi ætatis XXXV & amplius huic ſtudio ſe dediſſe narrent, quæ ætas tardior videtur, in qua jam homines ſunt quicquid erunt. Prædicatorum inſtitutum amplexus eſt ætatis circiter XXXV, Chriſti MCCXXII die paraſceves 1 aprilis, nam paſcha fuit tertia hujus menſis. Hinc erratum forte typorum excidit apud Bollandum pag. 409 b. ubi Annot. a. diem anniverſarium quem putat profeſſionis, accidiſſe vult anno MCCXXIII dñica *Lætare* : cùm enim paſcha fuerit XXIII april. dñica *Lætare* fuit ſecunda menſis, ac dies profeſſionis ſi anniverſariam expectavit, ſabbato præcedenti.

OPERA.

1. *Compilatio decretalium quinque diviſa libris juſſu Gregorii IX.* qui in procemio ſcholaribus Bononiæ & Pariſiis regentibus teſtatur F. Raimundum capellanum & pœnitentiarium ſuum illas in unum volumen reſecatis ſuperfluis redegiſſe : atque ejuſdem Gregorii alias, quibus priora quædam dubia declarantur adjeciſſe. Rem ſic explicat noſter Vincentius Bellovacenſis Spec. doctr. lib. VII c. 49. *Poſt compilationem decretorum factam per Gratianum, multæ decretales epiſtolæ a Romana curia emanaverunt, quarum tempore Alexandri III primus fuit B. Papienſis præpoſitus & etiam ſubtiliſſimus ordinator, quæ prima compilatio appellari ſolebat. 2 Tempore Cœleſtini III & Urbani Joannes Galenſis quamdam edidit compilationem, quæ ſolebat ſecunda compilatio ſive ſecundæ nuncupari. Sed quia quædam decretales reperiebantur in illis, quas Romana curia non approbat, ideo Innocentius III per B. Beneventanum aliam fecit compilationem de his quæ a principio ſuæ promotionis uſque ad* XII *annum in ſuo continebantur regiſtro, & quæſtiones quas in generali concilio promulgavit, quæ tertia & quarta compilationes appellabantur. Deinde creſcente hominum multitudine, & ſe infinitis quæſtionibus, cavillationibuſque immiſcente, tempore Honorii III papæ facta fuit quædam compilatio, quæ quinta ſeu Honoriana dicebatur. Gregorius IX adveniens decretales a prædeceſſoribus ſuis compilatas, removendo ſuperflua membranas fruſtra occupantia decurtavit, injungens ſuper hoc F. Raimundo pœnitentiario ſuo, ut de compilationibus veteribus conſtitutiones eliceret meliores in conſonantiam luculentam : & vere in omnibus tam libris quam titulis & etiam capitulis iſta facta eſt deciſio. Nam cùm prius eſſent quinque volumina in quibus* XXV *diſtinctiones habebantur, hodie per Gregorianam providentiam ad volumen unicum ſunt redacta, in quo ſolummodo quinque diſtinctiones reperiuntur. Decurtavit in titulis, nam cùm in veteribus quinquies centum & viginti titulis comprehenderentur, ad nonies viginti ſunt redacti. Item in capitulis ſed non multum, nam cùm in antiquis bis mille & ſexaginta duo eſſent, ad mille & nongenta reducuntur. Quia verò tot compilationes errorem, tædium, confuſionem, & juvenibus deſperationem frequentiſſime inducebant, propter hoc facta fuit hæc compilatio, quæ ſufficit ad canonicarum quæſtionum deciſionem.*

Meminit Tholomæus de Lucha Hiſt. Eccl. nov. lib. XXI c. 29. *Hic pontifex* (Gregorius IX) *per F. Raimundum ordinis FF. Prædicatorum pœnitentiarium & capellanum ſuum ex pluribus voluminibus decretalium compilavit unum volumen mandans ubique illo uti, ſicut patet in principio decretalium. Quis autem fuerit iſte F. Raimundus ex aliis hiſtoriis habetur, quia vir maximæ ſanctitatis, & in utroque jure perfectiſſimus, per quem Deus multa miracula oſtendit, natione Catalanus de diœceſi Barchinonenſi &c. Hic F. Raimundus ad notitiam ſummi pontificis venit per D. Joannem de villa Abbatis cardinalem, qui tunc erat legatus in Hiſpania pro prædicanda cruce contra Saracenos : qui F. Raimundum in ſuam aſſumens ſocietatem, ac probitatem conſiderans ſecum ad curiam adduxerat, & de ipſo ſummo pontifici in ſuo reditu multa virtuoſa retulerat.* Meminerunt etiam noſtri Laurentius Pignon catalogi n. 3, & Ludovicus a Valleoti Tabulæ n. 4. Extrates Henricus Gandavenſis, Joannes Andreæ & Nic. Antonius Bibl. Hiſp. veter. lib. 8 cap. 4 p. 48 n. 135 & ſeqq. Codices MS hujus operis innumeri ſunt in bibliotecis antiquis. Editiones antiquæ hæ feruntur Baſileæ 1479 fol. & 1482 fol. quas aliæ ſequutæ ſunt.

2. *Summa de pœnitentia & matrimonio. Opus plane novum*, inquit Antonius citatus, *nulli antea tentatum. Hanc cum aliis libris ſecum ſemper vehebat Benedictus papa XIII*, ſic in ſua obedientia dictus, *ut patet ex antiqua ſcheda in Bibl. Barber. ſervata.* Quandonam a Raimundo edita fuerit, non conveniunt auctores. Diagus contendit ab eo Barcinone ſcriptam, priuſquam a cardinali Joanne de Abbatiſvilla in familiam aſciſceretur. Caſtillus & Marieta volunt Ro-

mæ cùm apud Gregorium IX ageret, ab eo editam. Ut ut sit prælo pluries prodiit. Lovanii. Joan. a Westphalia. 1480 fol. Parisiis circa 1500 in 4 quæ editio apud nostros Insulenses. Elegans est hoc titulo: *Summa S. Raimundi de Peniafort &c. de pœnitentia & matrimonio cum glossis Joannis de Friburgo*. Romæ Joan. Tallini. 1603 fol. Quæ eadem editio sub novo solùm programmate vænit, scilicet: *Joannis de Friburgo ord. Prædic. de sacramentis pœnitentiæ, ordinis & matrimonii ad summam S. Raimundi commentariorum libri* IV. Romæ. Andreæ Phæi. 1619 fol. In utroque hoc titulo turpe erratum: glossæ enim illæ seu commentarii non Joannis de Friburgo fœtus sunt, sed nostri Guillelmi Redonensis Joanne longe antiquioris ut ex antiquis codd. MS postea evincetur ubi de utroque. Id monendum curavi R. P. nostrum Laget, qui novam hujus operis editionem nunc parat, & spero ab eo emendandum. Alva Sol. verit. Rad. 161 col. 1344 quærit, quis ab omnibus istis editionibus sustulit clausulam de conceptione B. V. quæ in codd. MS legitur. Facilis responsio. Sublata est ab iis qui typis præerant ob decretum concilii Basileensis, quod & in pluribus antiquis scriptoribus sibi permiserunt: id porro summi pontifices non de antiquis qui ante bullam Sixti IV scripserant, sed de posterioribus tantùm jusserunt. Ita autem negligenter se gesserunt illi editores, ut clausulam tollendo a textu, glossam in margine reliquerint, cujus reclamatio aliquid in opere Raimundi rescissum manifeste indicat. Innumeri sunt in bibliothecis hujus summæ codices MS. Hi a me visi Parisiis: in Regia n. 3891 codex elegans fol. med. membr. Item. n. 4493. In Colbert nn. 2013 3342 5170 5228 6383. In Sorbon. quinque alii summam Raimundi solam, alii ad marginem apparatum ut loquuntur, id est glossas Willelmi Redonensis exhibent. In Navarr. sunt quatuor codd. MS memb. duo in fol. cum apparatu Willelmi: duo alii fol. par. sine apparatu, omnes a curioso legendi. In Augustin. ad pontem novum codex fol. mag. mem. & elegans n. 276 vel 226 ex dono Gaufredi ex decano Parisiensi cardinalis. In Sangermanea a pratis codices duo fol. memb. nn. 325 & 557. In Victorina duo memb. fol. med. absque apparatu nn. 522 & 1127 hos vidit Alva citatus sed non recte legit.

Joannes Launoius in Tractatu quem edidit hoc titulo *Traditio Ecclesiæ circa explicationem canonis, utriusque sexus*, pag. 22 refert responsum seu consultum magistrorum Parisiensium, quod ex cod. Sorbon. qui summa casuum conscientiæ nuncupatur, se dicit excepisse. Codex ille unus est ex laudatis Sorbonicis summæ S. Raimundi fol. par. memb. n. 1 p. 1061 & quia mendose a Launoio refertur, placet illud quale a me lectum hîc edere. Sic ergo in prima pagina legitur.

Omnibus præsentes litteras inspecturis Magister H. cancellarius Parisiensis, cæterique sacræ scripturæ Parisien. doctores, quorum sigilla præsentibus litteris sunt appensa, salutem in Domino. Universitati vestræ volumus esse notum, quod consulti fuimus a quibusdam, utrum sacerdote parochiali contradicente vel invito, parochianus ejus dño papæ seu pœnitentiariis suis, vel suo episcopo aut pœnitentiariis ipsius cùm voluerit, peccata sua universaliter valeat confiteri, atque ab eisdem pœnitentiam pro commissis recipere salutarem. Cui consultationi respondentes diximus & dicimus in hoc unanimiter convenientes prædicta licite posse fieri & debere. Si qui autem dicunt aut dixerunt contrarium, quantùm in nobis est, reprobamus, erroneum reputantes. Actum anno Dñi MCC. *quinquagesimo secundo mense januario.* Quod intelligas stylo ejus ætatis, nostræ verò *quinquagesimo tertio*. Hujus responsi meminit noster Hannibaldus de Hannibaldis postea cardinalis in IV sentent. ubi sic loquitur: *semel requisiti magistri Parisienses tam in theologia quam in decretis in hoc consenserunt, & scripto editum fuit, cui omnes prædicti magistri apposuerunt sigilla sua uno excepto, qui tamen tenori litteræ non contradixit, sed sigillum suum apponere noluit.* Saltem sic refert noster Joannes Brehal Tract. de lib. auctorit. aud. confess. relig. mendic. concessa. cap. 4. Cancellarii hujus Parisiensis nomen erat *Haimerici*.

Ista S. Raimundi de pœnitentia summa vel ab ipso vel si ab alio certo eo etiamnum vivo in compendium redacta fuit, & etiam typis prodiit Caveo teste Coloniæ. 1502. Antiqui & seculi XIII codices MS plures mihi occurrerunt in bibliothecis: in Colbert. nn. 6164 & 6220: in Victor. n. 775 memb. in 4 cum apparatu Willelmi etiam in compendium redacto: in Sorbon. codex est memb. fol. par. eleganti charactere ex legato Roberti de Sorbona, unde ante MCCLXXIV scriptum conjicias. Adest & Willelmi apparatus itidem in compendium redactus. Titulus est: *summa de casibus abbreviata*. Est & alter codex similis formæ ejusdemque tituli, sed absque apparatu. Hunc legavit Reginaldus de Suessione socius sorbonicus, qui florebat ante MCCLXXXVIII.

3. *Dubitabilia cum responsionibus ad quædam capita missa ad pontificem. Consultationes intelligo*, inquit Nic. Antonius Bibl. vet. Hisp. p. 48. b. *Gregorio IX roganti directas*: addens se novisse eas fuisse inter libros membranaceos Antonii Augustini archiepiscopi Tarraconensis, & hunc ducentorum annorum præ se ferre antiquitatem in ejus catalogo cum confectus est doceri. In uno e codd. MS Sorbonicis laudatis n. 1 p. 1079 in 8 pellibus vitulinis charactere minutissimo sed eleganti post summam Raimundi de pœnitentia, adduntur ad calcem *Quæstiones de casibus*, cum responsionibus. Princ. *De temporibus & qualitate ordinandorum.*

Quæstio 1. *Quæritur de iis qui scienter peccaverint peccatis enormibus &c.*

Q. 2. *Nunc quid furiosus, dæmoniacus, aut caduco morbo perculsus.*

Q. 3. *An Fratres possint injungere publicas pœnitentias? Quæritur an Fratres Prædicatores possint injungere publicas pœnitentias de generali commissione episcopi? Respondetur. Aliud est de pœnitentia publica, aliud de solemni &c.*

Q. 4. *De episcopis qui committunt Fratribus vices suas. Aliqui episcopi committunt Fratribus vices suas &c.*

Sequuntur aliæ plures, has verò indicare placuit, ut illi quibus occurrent *Dubitabilia* ab Antonio laudata, collatione facta videant, an sint cum his quæstionibus eadem. Nam has esse Raimundi etsi asserere non audeam, non levis tamen est conjectura, non solùm quia sequuntur ad ejus summam, sed & quia ad earum calcem additur *Index quinque librorum decretalium* juxta Raimundi novam compilationem.

4. *Summa quando pœnitens remitti debeat ad superiorem.* Extabat codice 412 Bibl. Thuanæ, & laudatur a Labbeo specim. antiq. lection. p. 52. Habetur etiam in Bibl. Cæsar. laudata a Lambecio lib. 2 pagg. 812 & 813.

5. *Tractatus de bello & duello.* Sic Lusitanus in Bibl.

6. *Tractatus de ratione visitandæ diœcesis, & curandæ subditorum salutis.*

7. *Modus juste negotiandi in gratiam mercatorum.*

Hos duos ultimos tractatus laudat Diagus lib. 2 cap. 13 fol. 120 a. quem excipiunt Bollandus & Altamura.

8. *Constitutiones ordinis Prædicatorum ad meliorem formam redactæ*, & sub duabus distinctionibus concinnatæ, quæ prius confusæ habebantur. Sub ea ratione ab ordine acceptatæ in capitulis generalibus per modum inchoationis Parisiis 1239: approbationis Bononiæ 1240: & tandem confirmationis Parisiis 1241. Ex ipsis actis,

Sæc. XIII. 9. *Epistola plures præsertim encyclicæ ad totum ordinem*, prima cùm magistratum capessivit anno 1238: altera e cap. gen. Paris. 1239. Sed hæ jam deperditæ. Unam ad Petrum Nolascum scriptam Bononiæ anno 1234 edidit Stephanus Corbera in vita Mariæ Cervellon, qua Petrum monet Raimundus, ne suo exemplo magisterium sui ordinis deponat. Sed hæc mihi valde suspecta est: nam anno 1234 Raimundus nondum ad clavum ordinis stabat, imo pœnitentiarium apud Gregorium IX Romæ agebat. Adde Corberam fateri, illam se dare ex codice anno tantùm MCCCCXXX scripto, quod ejus fidem non parum elevat.

Etsi B. Raimundus aula Romana relicta Barcinone moraretur, summi tamen pontifices eo plurimum utebantur, & plura ei negotia committebant expedienda. De quo sic lego apud nostrum Petrum Marsilium: *Curris post eum cordis affectione Romana curia, & quem multipliciter præsentem probaverat, de ejus sancta sinceraque circumspectione pleniorem gerens fiduciam, committebat sibi exortis negotiis, nunc provisionem fiendam de archiepiscopo, nunc episcoporum & abbatum confirmationem, nunc examinatorum depositionem, ut cujusdam pravi episcopi Urgellensis, nunc absolutiones excommunicatorum, & dispensationem cum irregularibus. Sæpe mittebat sibi Romanus antistes, quid certum fiendum determinans, sæpius sibi si ei videretur fiendum committens.* Unde in registris pontificiis suæ ætatis plures invenientur epistolæ ad eum datæ, ut & in actis Vaticanis plures Raimundi de commissis responsiones. Rescriptum Innocentii IV quod originale servabat clar. dnus d'Erouval, & anno 1664 nostro Jacobo Quetif commodavit, placet hîc transcribere.

„ Innocentius Episcopus S. S. Dei. Dilecto filio „ nobili viro Chaberto de Barbaran Elnensis diœcesis salutem & A. B. Exhibita nobis tua petitio „ continebat, quod cùm dudum venerabili fratri „ nostro episcopo Elnensi, & dilecto filio F. Raymundo de Pennaforti pœnitentiario nostro dedemus nostris litteris in mandatis: ut cùm nonnulli conversantes in Elnensi diœcesi, convicti „ olim de macula hæreticæ pravitatis, nunc advertentes errorem suum, & creatoris sui agnoscentes offensam, ad sinum redire matris Ecclesiæ affectarent: ipsi cum tribus ex eis de quibus per „ debita signa conjecturas probabiles, & illorum testimonia qui vitam noscerent, & conversationem eorum eis constaret, quod redire velint ad „ Ecclesiæ unitatem, prius ab ipsis hæresi publice „ abnegata, & sufficienti cautione recepta ne ulterius in hæreticorum contagia relabantur, agerent misericorditer, prout eorum discretio nosceret expedire, ac diligenter consideratis quæ „ ad munimentum fidei faciunt, & integritatem ecclesiasticæ unitatis, injungentes sibi pœnitentiam „ salutarem: ita quod murorum non clauderentur „ ambitu, nec longa peregrinatione, aut nota infamiæ manifestæ vel exilio damnarentur: prædicti episcopus & pœnitentiarius provide attendentes nos ad instantiam carissimi in Christo filii „ nostri Aragonum regis illustris pro te nobis super hoc supplicantis litteras hujusmodi concessisse: circa te qui de hujusmodi execrabili errore fueras diffamatus agentes misericorditer, secundùm traditam eis formam absolutionis tibi beneficium impenderunt, ac te reconciliatum reddiderunt Ecclesiæ matri tuæ, injungentes tibi pœnitentiam salutarem, prout in eorum litteris plenius continetur. Nos igitur tuis devotis precibus inclinati, quod a prædictis episcopo & pœnitentiario juste ac provide factum est in hac parte, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnium hominum &c. *Datum Lugduni* III *idus Januarii pontif. anno* IV. " Scilicet Christi MCCXLVII. Sigillatum in plumbo.

Diligentiæ nostrorum Romanorum esset hujusmodi acta ex registris Gregorii IX, Innocentii IV, Alexandri IV, & sequentium pontificum ad MCCLXXV eruere, præsertim si quæ sint quæ ordinem de Mercede attineant eruere: certum enim huic erigendo non parvam operam Raimundum contulisse.

Danielem Keiser J. C. Germanum merito ridet Nic. Antonius citatus, quod sibi finxerit Raimundum nostrum eum esse doctorem Parisiensem, qui e feretro caput extollens anno MLXXXVI S. Brunonis conversioni ansam dedit: quod inquit Antonius, ille scripsit opusculo cui titulus: *Historia juris civilis feudalis, & canonici*, Colburgi edito 1603 in 4.

F. BARTHOLOMÆUS TRIDENTINUS.

F. BARTHOLOMÆUS Tridentinus a patria sic nuncupatus vir doctrina & pietate conspicuus circa ordinis primordia claruit, & vel ab ipso B. Dominico, vel ab ejus primorum sodalium aliquo vestem induit. Certe S. Antonium de Padua, qui anno MCCXXXI mortuus est, vidisse se ac cognovisse, & translationi primæ corporis S. Dominici interfuisse anno MCCXXXIII ipse asserit in opere mox laudando. Ejus meminerunt Simlerus, Possevinus, & nostri Taegius, Lusitanus, Castillus, Pius, Fernandez ad 1256, Altamura ad 1225, Rovetta ad 1237, omnes pro libito, nec ubi ejus serventur opera indicantes. Præcipuum est: † 1240.

Epilogus vitæ Sanctorum. Extat codex MS Romæ in Barberina, aut saltem ejus fragmentum. Ex eo exscripsit Lucas Holstenius vitam SS. Perpetuæ & Felicitatis, quæ inter alias plures prodiit curante Possinio S. I Parisiis. Caroli Savreux. 1664 in 8 p. 67. Ejusdem fit mentio p. 263. Exemplum hujus operis integrum habuit Petrus de Natalibus, quo & se usum passim fatetur in vitis SS. & in fine vitæ S. Ingenuini febr. V. Sic addit, *Hæc F. Bartholomæus*, indicans totam ab eo exceptam. Eo etiam usus est Bollandus & Succenturiantes in actis SS. Videsis T. I febr. a pag. 669 ad 675. & T. XI junii pag. 703 ubi breviculum vitæ S. Antonii Patavini ex eo transcribunt: & T. maii p. ubi quid habeat de translatione B. Dominici augusti I V se daturos promittunt. Cùm autem Bartholomæus in vita S. Antonii Patavini dicat tum cùm scriberet, magnificum sub ejus sancti invocatione templum Patavii inchoari, hinc eruditi editores conjiciunt circa 1240 scribendis vitis SS. incubuisse, quibus assentior. Hujus auctoris meminit Ludovicus Jacob in sua Bibl. pontif. p. 277 scripsisse dicens *quorumdam SS. Romanorum pontificum vitas, quæ libro suo de SS. vitis leguntur*: sed quando vixerit, se reperire non potuisse fassus. Utinam Romani nostri ex Bibl. Barber. vel etiam Vaticana istud opus ederent.

Rovetta suum Rivalium testem citans, aliud ei opus tribuit hoc titulo,

Summa theologica adversus sui temporis hæreses. Penes quos fides, cùm ubi servetur, non doceant.

F. GREGORIUS FLORENTINUS.

F. GREGORIUS Florentinus a patria sic de more nuncupatus inter episcopos ex ordine assumtos laudatur a Bernardo Guidonis his verbis: *F. Gregorius Florentinus episcopus Funensis in Marcha Anconitana.* Ad eam autem sedem volunt a Gregorio IX evectum, & eam rexisse anno MCCXL, sed ut videtur eam jam antea obtinebat. Hinc emendan- * 1240.

di S. Antoninus P. III tit. XXIII cap. XI §. I eumque excipientes Leander Albertus fol. 126 a. Lusitanus in chronico ad 1400, Razzius p. 90. Fernandez p. 464, qui Florentinum quidem ortu, ac proinde conventus S. Mariæ Novellæ alumnum agnoscunt, sed non recte asserunt episcopum Faventinum. In alterum errorem impegerunt Ughellus, & ex eo Fontana in Theatro & Rovetta ad 1248, qui Fanensem quidem antistitem fatentur, sed ortu volunt Faventinum: quos omnes refellit testimonium Bernardi citati, cui assentitur Taegius P. I Mon. ord. relatus a Pio P. II lib. I col. 19, Ante MCCXLV obiisse videtur, cùm alter hoc anno in ea Ecclesia constitutus episcopus legatur apud Ughellum. Rovetta primus hæc Gregorio tribuit opera,

1. *Grande volumen adversus hæreses sui temporis.*
2. *Opuscula varia.*

Cùm verò non addat ubi serventur aut a quo visa, penes illum fides.

F. SIMON TAILLERUS.

† 1240. F. SIMON Taillerus apud Thomam Dempsterum Hist. Scotiæ lib 18 n. 1135 Scotis adsciscitur e Prædicatorum ordine scriptoribus ex Georgio Neutono, quem & ipsis ordinis exordiis floruisse volunt, & a B. Dominico regi Scotiæ Parisiis tum forte agenti cum F. Clemente Scoto Dumblanensi postea præsule commendatum, & in Scotiam ad erigendam ibidem ordinis coloniam institutumque propagandum missum. Quibus tamen seu Dempstero seu Neutono ne assentiamur, prohibet chronicon Maylrossense MS in Bibl. Cotton. servatum, & a dño Ines Scoto Parisiis anno MDCCXVII agente aliàs visum, quodque est seculi XIII, in quo sic legitur: *Anno Dñi MCCXXX primo ingrediuntur Scotiam Fratres Jacobini, quos allexit Alexander rex & in magna teneritudine tanquam patronus & procurator singularis eis astitit, assignavit loca, ornavit ac fundavit.* De F. Clemente Dumblanensi episcopo vide postea ad ann. 1256, ubi de eo: de isto Simone Tailleri cognomen dubium quoddam suggerit: floruit enim jam aliàs & etiamnum claret & late patet in Hybernia Tailleri gens amplissima, quæ vernacule *Taylor*, audit & scribitur, cujus gentis antiquitatem, & pro catholicæ fidei defensione constantiam exponit libellus Latine Parisiis. Chevalier. 1629 in 8 editus hoc titulo, *Idea togatæ constantiæ* auctore Joan. Molano Hyberno. Ut ut sit, Simon Taillerus iste laudatur ad MCCXL clarus, & adeo numerorum & musicæ peritus, ut Guidoni Aretino illum componere sua non dubitaverit ætas, facileque potuisset, inquit apud Dempsterum Neutonus, Scotia de vocis modulis & numeris cum Roma certare. Rudiorem enim ejus seculi cantus ecclesiastici modulationem emendavit, ac etiam edidit.

1. *Libros duos Pentachordorum*, quibus illud seculum utilius nihil vidit aut elaboratius.
2. *Libros alios duos alterum de tenore musicali, alterum de cantu ecclesiastico corrigendo.*

Quæ opera fortè alicubi latent in Scotiæ bibliothecis, vel temporum vicissitudine perierunt.

F. JOANNES A WILDESHUSEN.

† 1241. F. JOANNES a Wildeshusen vulgo *Teutonicus* nuncupatus magister ordinis quartus, vir doctrina, prudentia ac sanctitate clarissimus, ab omnibus nomenclatoribus inter scriptores laudatur, sed a plerisque domesticis & extraneis non accurate: propterea quæ de eo habent antiquiores nostri ipsis eorum verbis referenda visa sunt, ex quibus quæ alii perperam immiscent aut obtrudunt facile fuerit refellere. Sic ergo chronicon Humberti vulgo dictum.

Anno Dñi MCCXLI (feria II pentecostes ut tum « moris erat XX maii, nam pascha fuit Kal. april.) electus est Parisius in magistrum F. Joannes Teu- « tonicus natione de Saxonia, diœcesis Osnabrugen- « sis metropolis Coloniensis, de oppido quod dici- « tur Wildeshusen oriundus. Hic antiquus in ordi- « ne valde fuit receptus. Hic prædicator egregius « in multis linguis, Teutonica, Italica, Gallica & « Latina, multum fructum fecit in prædicando: prop- « terea fuit ante multorum cardinalium socius & « pœnitentiarius in legationibus papæ. Et cùm esset « prior provincialis in Hungaria factus est episcopus « Bossinensis: sed postmodum post multam instan- « tiam obtinuit a papa Gregorio cessionem, & nulla « provisione retenta ad Fratrum humilitatem & con- « sortium est reversus, manens inter illos tanquam « unus ex illis. Fuit autem postmodum prior pro- « vinciæ in Lombardia, & de illo officio assumtus « est in magistrum. Cùm autem ipse præsens exis- « tens ad refugiendum officium, pontificalem vel- « let ordinem allegare, porrecta est e contrario lit- « tera papalis, in qua mandabat, quod cùm esset « absolutus a cura pontificalis regiminis, & per « consequens restitutus sub obedientia ordinis, de- « bebat ordini in recipiendo officio obedire, per « quam litteram compulsus fuit ad recipiendum offi- « cium prioratus prædicti (scilicet in Lombardia.) « Hic fuit multum notus in curia papæ, & etiam do- « mini Friderici, & in diebus ejus ordo multum su- « blimatus est, & roboratus est in diversis & ma- « gnis privilegiis a curia concessis. Sub eo etiam « cœperunt celebrari capitula generalia per diversas « provincias: & ipse plures provincias quàm alii « magistri consueverunt visitavit. Sub eo etiam B. « Petrus factus est martyr. Cùm autem esset inclu- « sus cum aliis tempore electionis suæ Parisius, qui- « dam Frater obdormiens in orando, vidit quod ipse « ferebatur per claustrum in curru igneo, & evigi- « lans dixit Fratri cuidam, Talis erit magister, quod « postmodum rei probavit eventus. Sub regimine « istius multum laboratum est in curia, quod ordo « exoneraretur a cura Sororum, & licèt super hoc « bonæ licentiæ impetratæ fuissent, tamen tandem « obtinuit, quod illæ quæ sub cura ordinis jam erant, « remanerent in suo statu, sed de recipiendo de « novo alias, cessaretur. Ejus quoque temporibus « cùm curia esset apud Lugdunum sepulti sunt duo « cardinales apud Fratres, scilicet D. Otto Portuensis « ejus specialis amicus, & dominus Guillelmus Sa- « binensis, qui fuit amicissimus ordinis, & B. Do- « minici ab initio familiaritate cum eo in curia papæ « contracta. Horum primus cùm esset sepultus jam « apud Fratres, & curia se pararet ut dicebatur ad « eundum Januam, secundus qui fuerat amicissimus « illius defuncti, in somnis erat solicitus ut sibi vi- « debatur de habendo hospitium apud Januam: & « ecce primus apparens ei dicebat, Dñe ne sitis so- « licitus de hospitio apud Januam, quia hîc habebitis « hospitium mecum, quod & ipse narravit papæ & « cardinalibus: & post paucos dies infirmatus est & « mortuus, & juxta eum (Ottonem) in ecclesia Fra- « trum sepultus. Acciderat autem paucis ante die- « bus, quod cùm super sepulchri sui locum in con- « secratione ecclesiæ Fratrum, ipse deberet conse- « crare crucem, quæ erat ibi, & ungendo diceret « secundùm ordinarium, consecretur hoc templum, « dicebat, consecretur hoc sepulchrum: & sub illa « cruce est sepulchrum suum. D. quoque Rainerius « ibidem moriens elegit sepulturam apud Fratres, « sed monachi quidam nigri apud quos manens mor- « tuus est, præstiterunt impedimentum, & delatus «

Sæc. XIII. » est apud Cistercium. Post multos igitur labores & » longos diu perpessos in ordine vir iste beatus vi- » tæ mundissimæ & valde innocentis, boni zelator » & malitiæ persecutor in omni sanctitate migra- » vit ad Dominum apud Argentinam, ubi multo- » tiens demoratus fuerat, & multa bona fecerat, » anno Dñi MCCLII, & sepultus est honorifice in » ecclesia Fratrum. «

Eadem fere habet Salanhacus „ *Hic*, inquit, » *fuit vir in omni bonitate* conspicuus, in aspectu » & affectu generosus, qui vivens & moriens fer- » tur, & creditur miraculis claruisse. Hic prius fuit » provincialis Hungariæ, ibique factus episcopus ces- » sionem impetravit, & postea factus est provincia- » lis Lombardiæ, & inde in magistrum ordinis est » assumtus &c “. In fine autem erratum irrepsit in quædam Salanhaci exempla, quale fuit illud quo usus est Leander Albertus, & quale Lingonense a me visum. Sic enim habent : „ Hic bene rexit or- » dinem annis XII & dimidio fere. Migravit ad Do- » minum pridie nonas novembris A. D. MCCLIII in » conventu Argentinensi provinciæ Teutoniæ, ubi » obiit & in Domino requiescit : nec fuit celebra- » tum generale capitulum in festo pentecostes sub- » sequente “. Quæ ultima verba demonstrant supe- rius legendum *annis undecim* & non *duodecim*, & obiisse *anno* MCCLII non LIII ; nam anno MCCLIV certò habitum est capitulum generale Budæ in Hun- garia, ubi electus est B. Humbertus V ordinis ma- gister, ut habent eadem exempla MS & constat ex actis. Anno verò MCCLIII non fuit capitulum gene- rale ob mortem Joannis, qui proinde IV novemb. MCCLII obierat.

Sed longe major est difficultas, quandonam epis- copatum Bosniensem inierit, quove anno reliquerit. Certò a vero longius aberravit Fontana in Thea- tro, ubi dixit ad eam sedem Joannem anno tantùm MCCXLI evectum, eaque anno MCCXLIII cessisse, tes- tem appellans Bzovium in Annal. ad 1253 n. 7 apud quem tamen id non legitur : nec rectius noster Si- gismundus Ferrarius Hist. Hungar. p. 405. asserit se- dem in Bosnia episcopalem anno demum MCCXXXVIII a Gregorio IX erectam, & Joannem primum ejus- dem præsulem electum, nam anno MCCIII provin- cia illa sub ditionem regis Hungariæ redacta, & Græco episcopo tum mortuo, ab Innocentio III pe- titus est jam tum episcopus Latinus, nec verisimi- le id ab eo pontifice neglectum. Quoad Joannem verò nostrum licèt quo anno datus fuerit antistes monumenta mihi visa non prodant, saltem ante MCCXXXVIII jam abdicasse docent. Nàm anno illo eidem suffectus est F. Ponza ordinis Prædicatorum ita jubente Gregorio IX litteris episcopo Cuma- norum datis Laterani VI Kal. maii anno XII, quas videsis apud Rainaldum ad eum annum n. 54. Quod & amplius constat ex alteris ejusdem Gregorii litte- ris ad ipsum Ponzam postea scriptis, quas cùm non referat Rainaldus, visum est hîc transcribere ex Bzovio in Annal. ordinis MS.

» Ponsæ episcopo Bosnensi. Sedi apostolicæ præ- » sidentis ad hoc potissime dirigi debet intentio, » ut ubique terrarum deletis hæreticæ pravitatis ma- » culis fulgeat gloria catholicæ puritatis, cujus ef- » fectu producitur, quod post decursum in timore » Dñi præsentis vitæ spatium, redemtoris operan- » te clementia perveniatur ad gaudia supernorum. » Cùm igitur carissimi in Christo filii nostri Colo- » mani regis illustris ducis Sclavoniæ ac aliorum fi- » delium circumpositæ regionis diligentia faciente » provenerit, quod ibidem triumphante conditoris » dextera consurgit religio Christiana : nos qui sus- » cepti ratione officii gerimus in voto præcipuum, » quod semper salus proficiat animarum, providere » volentes, ut gloria quæ in hac parte prædictæ ter- ræ provenisse dignoscitur, de bono in melius ju- « giter amplietur, ad hoc debemus adhibere reme- « dia, quæ devotio dicti regis & aliorum Deum ti- « mentium nobis fore suggerit opportuna. Cùm « itaque spes nostra sit & pro constanti teneatur ab « ipsis, quod jam dicta terra per te, quem lætanter « accepimus & in Dei timore vigilem, & in promo- « tione fidei diligentem, a perfidiæ maculis divina « propitiante gratia omnino reddatur immunis : ple- « næ tibi legationis officium in Bosnensi diœcesi « committentes, fraternitatem tuam rogamus & « hortamur in Dño Jesu Christo, in remissionem « tibi peccaminum injungentes, quatenus sollicitu- « dinem reverentia suscipiens filiali, fideles in re- « gno Hungariæ constitutos super datam tibi a Dño « prudentiam exhorteris : ut tanquam zelum Dei « habentes se viriliter & potenter accingant ad hæ- « reticæ pravitatis residuum de præfata diœcesi pe- « nitus abolendum. Nos enim ut quod tam digne « pro nomine regis æterni deposcitur, effectu faci- « li compleatur, omnes ejusdem regni contra hæ- « reticos dictæ diœcesis suscepto propter hoc crucis « signaculo processuros, nec non eorum familias & « bona ipsorum, donec de ipsorum reditu vel obi- « tu certissime cognoscatur, sub protectione ac de- « fensione sedis apostolicæ admittentes, illis ac aliis « qui juxta facultatem & qualitatem suam illuc bel- « latores idoneos in expensis propriis duxerint des- « tinandos, vel qui de bonis propriis congrue mi- « nistraverint, aut in alienis expensis illuc accesserint « ibidem ad tempus congruum servituri, juxta qua- « litatem subsidii & devotionis affectum, de mise- « ricordia divina confisi, suorum concedimus ve- « niam peccatorum. Præterea ut idem negotium, « quo pluribus contingit juvari remediis, prosperi- « tatis optatæ suscipiat incrementum, tibi super ip- « sa, illam quam dilectus filius *Frater Joannes præ- « decessor tuus* ab apostolica sede habuisse dignos- « citur, concedimus potestatem, præsentibus post « triennium minime valituris. *Datum Laterani* X Kal. « januar. anno XII [scilicet XXIII dec. MCCXXXVIII] « Ex his ultimis verbis clarum fit Fratrem Joannem nostrum, neque enim alter ab eo excogitari potest, F. Ponsæ fuisse prædecessorem. Sic ergo seriem ges- torum hujus servi Dei recte ordines.

Cùm dicatur ætatis jam maturioris ordinem am- plexatus, demus ipsi XL circiter annos, cum anno MCCXX ut vult Leander Albertus, vel sequenti Bo- noniæ ab ipso Dominico vestem accepit.

Quibusdam annis postea pœnitentiarius a summo pontifice allectus fuerit, tum & a cardinalibus in Germaniam & Hungariam legatis socius in fami- liam ascitus.

Anno MCCXXVII aut XXVIII provinciæ Hungariæ præfectus electus F. Pauli primi hujus provinciæ prioris successor.

Anno MCCXXXII circiter Ecclesiæ Bosnensi datus fuerit episcopus.

Anno MCCXXXVII abdicandi facultatem obtinue- rit, & ad ordinem redierit.

Anno MCCXXXVIII comitiis ordinis generalibus Bononiæ præsens in provincialibus ibidem continen- ter habitis de more, Lombardiæ provincialis elec- tus fuerit, & F. Stephano Hispano ibidem amoto suffectus.

Anno denique MCCXLI Parisiis feria 2 pentecostes XX maii ad clavum ordinis regendum magister elec- tus est, tum LX circiter annos natus. Sic enim om- nia conveniunt. Annis denique XI paulo plus regi- minis exactis,

Anno demum MCCLII die IV novembris Argentinæ diem obiit suum.

In comitiis generalibus Argentinæ anno MCCLX habitis solemnis facta est ejus corporis in decentio- rem

rem locum translatio, cærimoniæ actore episcopo Metensi, Argentinensi unâ electo: ad patres etiam capituli litteras dederunt Bela IV rex Hungariæ ejusque conjux regina Maria, quibus gratias meritis beati viri sibi divinitus concessas significabant. Has ad calcem libri de vitis Fratrum Bellerus Duaci edidit, ubi videsis, sed & alii ut Malvenda & Federicus Steill referunt. Nunc qui de eo perperam domestici & extranei emendandi.

Tritemius, Lusitanus in Bibl. p. 134, Gesnerus, Simlerus, Eysengrenius ad 1250 fol. 113 b, Possevinus, Caveus, Dupinius, & alii hunc Joannem cum Joanne de Friburgo Lectore vulgo dicto anno MCCCXIV mortuo confundunt, & quæ hujus opera illi tribuunt, ac vice versa quæ illius huic liberaliter dant. Altamura superiorum erratis nova superstruit, nam in tres homines ab illo dividitur: primus *Sernigatii* agnomine gaudens magister ordinis IV ad 1253: alter *Wildeshemensis* etiam magister ordinis ad 1241: tertius *Semeca* ad 1599 inter eos quorum ætas ignoratur, cæterùm tres episcopi Bosnenses: quæ errata sic facile diluuntur. Joannes *Semeca* celebris jurisconsultus nec fuit ordinis, nec episcopus Bosnensis. Videsis inter falso nostris ascriptos, ubi de eo. Joannes *Sernigatii* vel *Sterlingatii* quidam laudatur a Joanne de Turrecremata & a Bandello ac sequacibus in suis de conceptione B. V. tractatibus: sed palam est erratum esse notariorum, & hujus sic scriptum nomen pro *de Sternegasten* vel *de Spernegasse* de quo postea ad 1390. Cæterùm hunc nec episcopum Bosnensem nec magistrum ordinis fuisse certius est. *Wildeshemensis* denique corrupte dicitur pro *a Wildeshusen*. Cætera eruditus lector ex antiquis supra allatis documentis facile emendabit.

De hujus magistri nostri IV operibus nil certi habeo, præter ejus litteras encyclicas e capitulis generalibus quibus præfuit datas, quarum tamen pleræque perierunt, nec supersunt nisi.

Quarta e cap. Bonon. MCCXLIV Pr. *Exigit commissi nobis cura officii &c.*

Decima e cap. Londini MCCL. Pr. *Quotidiana de omnium vestrum profectu & salute instantia solliciti, & annua vos exhortatione admonere consueti &c.* Quæ verba innuunt e singulis præcedentibus capitulis similes ad universum ordinem scripsisse. Cæterùm decima hîc relata illa ipsa est, quam a B. Dominico scriptam putarunt plures, & ceu ejus suis annalibus ordinis MS inseruit Bzovius ad 1221, Pius *Della progenie lib.* 2 c. 61 edidit, & constitutionibus nostris anno 1620 excusis in 8 præfixerunt Romani editores: cùm ex actis capitulorum generalium MS adhuc ubique servatis certissimum sit non B. Dominici, sed nostri Joannis a Wildeshusen fœtum esse.

Scriptum in IV libros sententiarum eidem ascribunt Turrecremata & Bandellus citati. Revera extat hujusmodi opus sub nomine *F. Joannis Teutonici ord. FF. Prædic.* in Bibl. Florentina Servitarum: Veneta SS. Joannis & Pauli: & Vaticana n. 1092, sed an sit hujus IV ordinis magistri, an Joannis de Friburgo vulgo Lectoris dicti quorum uterque simpliciter F. Joannes Teutonicus sua ætate audiit, curiosis incolis quibus patent codices, discutiendum relinquo. Vide postea ad 1314 *F. Joannes Lector*.

Lambecius Bibl. Cæsar. lib. 2 cap. 8 p. 872 n. 255 codicem membraneum recenset, cui titulus *Chronicon a creatione mundi ad annum Christi* MCCLXI. Sic enim monet auctor in ipso proœmio. Princ. *Ab orbe condito usque ad diluvium fuerunt duo millia annorum &c.* Recentiori manu addita est codici hæc inscriptio: *Nihil dubito hujus opusculi auctorem fuisse Joannem Teutonicum ex Friburgo oriundum episcopum Bossinensem, & generalem sui ordinis quartum.* Quæ annotatio cujusvis sit, certo hominis est rerum nostrarum prorsus ignari. Joannes Teutonicus quartus ordinis magister episcopus quidem Bossinensis antea fuerat, at non e Friburgo verùm e diœcesi Osnabrugensi ortus, & cùm mortuus sit anno MCCLII, non potuit chronicon suscipere ab ipso principio ad annum MCCLXI deducendum. Joannes Lector de quo postea ad 1314 e Friburgo revera fuit, sed nec episcopus unquam nec magister ordinis. An chronicon scripserit, mihi hactenus incompertum.

Præter hunc usque citatos de hoc nostro Joanne legendus Thomas Cantimpratanus *de Apibus* lib. 2 cap. 57 §. 55 & seqq. ubi eum & ante episcopatum & episcopum, & magistrum ordinis a se familiariter cognitum testatur.

F. GUERRICUS DE S. QUINTINO.

F. Guerricus de Sancto Quintino Gallus ab Augusta Veromanduorum loco natali cognomen de more sortitus, qui & aliquando *Guernerus* dicitur, e primis domus Sanjacobeæ Parisiensis alumnis in ipsis ordinis initiis unus fuit: de cujus vocatione sic scribit F. Stephanus de Borbone æqualis in suo de septem donis opere. *P.* 1 *de dono timoris tit.* VII *De timore mortis. cap.* 7 *de memoria mortis cod. Sorbon. fol.* 180 *col.* 4. ,, Dicitur quod Frater Guerricus audiens legi in Biblia de antiquis, iste vixit tot annis & ille tot & mortuus est, mundum contemnens intravit ordinem Prædicatorum, ubi factus est maximus magister in theologia & contemptor mundi & sui. Quid explicatius habet *P.* IV *de dono fortitudinis tit.* VII *cap.* 2 *de superbia cod. Sorb. fol.* 342 *col.* 4. ,, Audivi a F. Humberto magistro ordinis Prædicatorum, quod cùm F. Guernerus esset Parisius magnus magister (*in philosophia & medicina*) cùm in quadam die audivisset legere de Adam & successoribus ejus, *vixit ille tot annis & mortuus est, & ille tot &c.* cogitans quod nec medicina corporea posset facere, quin mors concluderet omnibus, & finem imponeret: ad mortis meditationem relicta tumida & inani philosophia intravit ordinem Prædicatorum, ubi vacans summæ philosophiæ multis annis postea rexit Parisius in theologia. Quæ eadem in vitis Fratrum P. IV cap. X referuntur his verbis. " F. Guerricus qui diu & in diversis locis sectatus studia in logicalibus & quadrivialibus & naturalibus, & in medicina excellenter, in ordine post rexit in theologia Parisius, retulit sui introitus ad ordinem hanc causam fuisse. Semel enim dum audiret legi in ecclesia: *Vixit Adam nongentis triginta annis & mortuus est &c.* quæ sequuntur de mortibus illorum qui tantum vixerunt, stupefactus & perterritus & compunctus ait: Deus meus! omnes moriuntur, etiam illi qui tantum vixerunt: quid faciemus? & nos etiam moriemur. Hac ergo utili & sancta cogitatione compunctus ordinem intravit. Cujus vita quàm sancta, doctrina quàm utilis & clara fuerit, notum est toti ordini & Ecclesiæ Dei.

* 1244.

Eumdem censeo de quo eadem parte quarta cap. 12 sic legitur « Frater quidam vir religiosus & Parisius in theologia magister, cùm studeret Bononiæ, & F. Guerricus qui tunc legebat ibi, per se & Fratres multos ad ordinem illum induceret, de die in diem magis indurabatur. Adveniente die parasceves cùm ivisset audire officium ad aliam ecclesiam, quia timebat ne si veniret ad Fratres, eum moverent ad ordinem, & in tam compunctiva die timebat, quod se continere non posset, quin ad ingressum ordinis moveretur, invenit psalterium, aperuit, & ipsi statim ille versus occurrit, *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit* (sic legebant ea ætate etiam in Bibliis) *arcum suum te*

SÆC. XIII. *tendit & paravit illum* « : ad quod verbum quasi » ad se missum divinitus, (subito antequam dici » posset commotus & totus in lacryma resolutus) » clausit librum : & surgens statim ivit ad F. Guer- » ricum, & nullis aliis verbis præmissis, in quadam » ebrietate spiritus ait : Frater Guerrice non tar- » detis. Quod verbum cùm non intelligeret Frater » & miraretur, adjecit ille, Pulsate ad capitulum. » Tunc Frater intelligens motum animi ejus, & » gaudens festinanter ad capitulum fecit pulsari. Et » receptus est cunctis admirantibus & laudantibus » Deum de tam mirabili & festina ejus conversio- » ne, qui non per mensem non per diem distulit, » nec etiam ad suum hospitium est reversus. Hæc » omnia ipse Frater Fratribus enarravit. Utinam illius proselyti, qui postea magister fuit Parisiensis nomen non tacuissent.

Ejusdem Guerrici meminit Cantimpratanus *de apibus lib. 1 cap. 19 §. 5.* & inter magistros sacræ facultatis Parisiensis recenset, qui congregationi a Guillelmo Parisiensi episcopo in domo nostra capitulari Sanjacobea adunatæ affuerunt anno MCCXXXVIII, & duo beneficia ab uno & eodem clerico simul teneri non posse definierunt. Ejus verò mors sic refertur in citatis vitis Fratrum P. V cap. 4 §. 12 : » Vir religiosus & verax F. Willelmus de » Miletona ordinis FF. Minorum magister in theo- » logia Parisius narravit Fratribus nostris, quod qua- » dam nocte vidit in somnis dolium christallinum » plenum optimo vino ante se positum. Cùmque » admiraretur, subito fractum est dolium & vinum » effusum. Cùm autem visionem retulisset FF. & » magistris Alexandro & Joanni de Rupella, inter- » pretati sunt aliquem magnum (*alius codex* magis- » trum) in theologia moriturum in brevi. Post pau- » cos autem dies F. Guerricus de sancto Quintino » ordinis Prædicatorum magister theologiæ defunc- » tus est. Qui ut ipse F. Willelmus dixit, vere do- » lium fuit christallinum propter sapientiæ bonita- » tem, profunditatem humilitatis, & doctrinæ ni- » torem &c. merito legenda. Eumdem laudat Salanhacus in indice magistrorum ex ordine Parisiis laureatorum, in quo sic legitur n. 18 : *F. Guerricus de sancto Quintino Flandrensis, de quo habetur in vitis Fratrum lib. 4 cap.* 10 & de revelatione ipsius facta lib. 5 cap. 4.

Omnia autem hactenus relata sic colligo. F. Guerricus jam ætate maturus, ac emeritus in universitate Parisiensi philosophiæ professor, facultatis etiam medicinæ doctor, ordinem Parisiis in domo Sanjacobea circa MCCXXV amplexatus est : tum theologiæ se totum applicuit, adeo ut in sacra facultate ad gradus promotus fuerit, & pluribus annis gymnasii nostri regens fuerit, & ante MCCXXXVIII laurea donatus : aliquandiu etiam Bononiæ apud nostros sacras litteras publice interpretatus est : & tandem Parisiis diem ultimum clausit ante XXI augusti MCCXLV, siquidem eo die mortuus est Alexander de Hales qui ei superstes fuit. Cur autem *Flandrensis* dicatur, facilis est ratio. Scilicet cùm Elisabetha Veromanduorum comitissa & hæres comiti Flandriæ nupsisset anno MCLVI, ætate Guerrici Flander ex pacto cum Philippo Augusto Francorum rege inito Veromanduorum Augustam adhuc tenebat cum Perona : hincque Sanquintinenses Flandri dicebantur : frustraque & inanibus conjecturis noster Guillelmus Seguier vir alioquin eruditus & criticæ peritus ex quodam pago S. Quintini juxta Ariam in Artesia, & ex stirpe dominorum loci comminiscitur ortum ac progenitum Laureæ Belgicæ P. II p. 143. Hujus insignis viri meminit Leander Albertus fol. 153 a, & 253 a, & alii nostrates. Ego autem primus ejus indico opera, ex Bibl. Sorbon. in qua codex est fol. mag. memb. n. 1 p. 558 ex legato Berneri de Nivella socii canonici S. Martini Leodiensis anno MCCLXXVII jam laurea Parisiensi ornati. In eo verò codice hæc habentur.

1. *Commentarius in Proverbia.* Pr. *Chromatio & Heliodoro. In prologo isto dicuntur tria. 1 Optat Hieronymus caritatem mutuam augeri. 2 Excusat se quod non transtulit &c.* Finis. *Facite vobis amicos. Rex qui judicat &c.*

2. Sequitur. *In Cantica ejusdem auctoris.* Sic in codice prima manu. Pr. *Concentum cœli quis inveniet ? Job.* 38. (Sic tum legebant, ubi nunc legitur, *dormire quis faciet ?* Sunt verba Dñi ad Job. *Possunt hic notari quatuor &c.* Finis. *Vel descende super montes id est sanctos & per ipsos ad nos. Expliciunt Cantica canticorum secundùm Fratrem Guerricum.* Eadem manu omnia.

3. Sequitur immediate *Commentarius in librum sapientiæ.* Pr. *Incipit liber sapientiæ, Cantic.* 5. *Comedite amici & bibite & inebriamini carissimi. In iis verbis quatuor ostendenda sunt &c.* Finis. *Ponuntur duo effectus sicut prius super malos.*

4. Sequitur in Ecclesiasticum, sed initia desunt. Incipit ab initio cap. 6. *Qui de luce vigilaverit. Ideo dicitur quod magna est sapientia &c.* Finis *Et dabit gloriam ultra tempora, a suo metemus &c.* Duos hos postremos in Sapientiam & Ecclesiasticum commentarios, cùm F. Guerrici nomen non ascribatur, ejus esse etsi verisimillimum, asserere non ausim, ut de duobus prioribus in Proverbia & Cantica, quibus ejus nomen affigitur. Lucubrationes hactenus relatæ extant circa medium codicis : initio autem & prima fronte extant.

5. *Postilla Fratris Guerrici super epistolas Pauli.* Quarum initia singillatim referre visum est.

Ad Romanos. Obviavit nos ab ardore vehementi Eccl. 43. Duo notantur. Primò conversio Pauli. 2. Instructio aliorum &c.

Ad Corinthios I. Enoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam. Eccl. 44. In primo notatur prærogativa apostoli quoad laborem prædicationis : In secundo quoad excellentiam contemplationis : In tertio quoad gratiam reconciliationis gentium & maxime Corinthiorum &c.

Ad Corint. II. Fortis in bello Jesus Nave successor Moysi in prophetis, qui fuit magnus secundùm nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hæreditatem Israel. Eccl 46. In his verbis notatur causa efficiens in secunda ad Corinthios, materia, tota ordinatio materiæ sive forma, & causa finalis &c.

Ad Galatas. Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non est inventus similis illi in gloria, qui conservavit legem excelsi : Eccl. 44. Tria notantur hic : primò auctor seu causa efficiens hujus epistolæ : secundò causa materialis : tertiò causa finalis &c.

Ad Ephesios. Numquid elevabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te ? Verba sunt Domini ad Job 38. Quia enim multas obtinuerat victorias per patientiam, ne opinione illarum extolleretur &c.

Ad Philippenses. Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum locum suum. Apocal. 12. Per hoc, mulieri, intelligitur causa materialis hujus epistolæ &c

Ad Colossenses. Ezechias munivit civitatem suam, & induxit in medium ipsius aquam, & fodit ferro rupem, & ædificavit ad aquam puteum. Eccles. 48. Per Ezechiam intelligitur auctor hujus epistolæ. Per hoc, civitatem suam, intelligitur materia, scilicet Colossenses &c.

Ad Thessalonicenses I. Assumsi mihi duas virgas. Zachar. XI. Hæc verba possunt coaptari duabus epistolis, quas scribit apostolus ad Thessalonicenses &c. Hujus postillæ sunt tantùm tres columnæ, & relictum folium purum cæteris quæ fortè tum notario deerant, postea ubi reperisset scribendis.

Ad Thessaloniceñ. II. Aperti sunt thesauri, & evolaverunt nebulæ sicut aves. Eccl. 18. Per thesauros apertos intelligitur materia hujus epistolæ &c.

Ad Timotheum. I. Cùm elevasset Moyses manus suas, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ. Num. 20. In his verbis notatur causa efficiens ejus epistolæ &c.

Timoth. II. Sol in aspectum annuncians in exitu, vas admirabile opus excelsi. Eccles. 43. Hæc exponuntur de sole ad litteram &c.

Ad Titum. Altitudinem cœli & latitudinem terræ & profundum abyssi quis dimensus est? Eccli. I. Hic notatur continentia hujus epistolæ &c.

Ad Philemonem. Vidi angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube, & iris in conspectu ejus Apoc. x. Per angelum fortem intelligitur auctor hujus epistolæ &c.

Ad Hebræos. Hæc epistola dividitur in tres partes. In prima parte commendantur verba Christi &c.

Finis. *Optat autem eis gratiam contra legis zelum, ut scilicet sint zelatores evangelii non legis: vel gratiam optat eis, quâ possint complere omnia prædicta.*

Post has Guerrici postillas sequuntur *commentarii F. Hugonis* nempe de sancto Charo in epistolam ad Romanos & in primam ad Corinthios: tum *Distinctiones & notabilia F. Gaufridi* (scilicet *de Blevello*, de quo nos postea ad 1250) *super epistolas Pauli*. Postea *commentarii in Proverbia, Canticum canticorum &c.* nostri hujus Guerrici superius laudati. Denique aliæ in varios scripturæ sacræ libros postillæ absque nomine auctoris.

Guerrico autem nostro has lucubrationes ut asseram, his moveor rationibus: 1 quod sint commentarii Scholastici, nec antiquiori possint ascribi: 2 quod F. Guerricus vulgo absque addito vocaretur: 3 quod sint ejus ætatis a socio Sorbonico ejusdem seculi & suppari legati: 4 quod iis jungantur distinctiones F. Gaufridi de Blevello ejus symmystæ & collegæ: quibus addas a nullo alio asseri aut vindicari.

Præter hunc codicem eximium extat in eadem Sorbon. codex alius n. 1 p. 505, cujus sexterniones variæ latitudinis & longitudinis videntur varia olim volumina constituisse, suntque opera omnia imperfecta. Et primò apparet hic titulus: *Incipit summa magistri Joannis de Rupella super epistolas Pauli:* sed opus imperfectum, nam incipit ab eo capite secundæ ad Corinthios, ubi de resurrectione mortuorum agit apostolus. Posteà sequuntur *Postilla in primam ad Corinthios, & in epistolam ad Romanos, & rursus in primam ad Corinthios* absque nomine auctoris, sed illæ eædem, quæ in codice superius relato F. Guerrico asseruntur. Quod monendum fuit, ne quis ex eo codice imperfecto illi magistro Joanni de Rupella tribuat has postillas, quæ tam expressè in codice 558 F. Guerrico inscribuntur.

Hujus nostri auctoris ejusque postillarum in epistolas Pauli meminit a me monitus D. Carolus du Plessis d'Argentré S. T. M. & socius Sorbonicus regi Christianissimo a consiliis & eleemosynis in suo *commentario historico de prædestinatione & reprobatione p. 90.* Nullus etiam dubito, quin hic sit ille magister Garricus doctor Parisiensis, quem Joannes de Turrecremata citat in suo tractatu *de conceptione B. V.* eum vocans profundum theologum, & ejus laudans locum ex commentario in cap. 7 epistolæ ad Romanos. Revera Turrecremata monet se nescire, cujus status fuerit an secularis an regularis, quia scilicet in cod. MS quo usus est id non exprimebatur; nec viro maximis Ecclesiæ negotiis distento satis erat nota historia ordinis, ut ad F. Guerricum nostrum animum adverteret. Eumdem citat *super Ecclesiasten cap. 7*: unde sequitur & in hunc librum postillam scripsisse: quod & proclive, cùm super alios sapientiales libros scripserit. Bandellus in suo tractatu *de conceptione* cap. 11 eumdem Garricum magistrum Parisiensem laudat super Ecclesiasten, sed nostrum fuisse ipse etiam ignoravit, qui jam ex cod. Sorbon. plane detectus est: regularem enim fuisse constat, cùm dicatur Frater, alius verò a nostro de Sancto Quintino frustra quæreretur; in quem præterea omnia conveniunt.

Ex his difflantur omnia quæ Alva in Sole verit. Rad. 211 col. 1518 & seqq. de hoc auctore inaniter effundit. Garricus scholæ Parisiensis doctor, scriptor scholasticæ postillæ in Ecclesiasten recensetur a Possevino Bandellum testem citante, quem proinde non alium a nostro Guerrico censeas. In elencho codd. MS Belgii a Sandero edito T. 1 p. 109 inter codices S. Martini Tornacensis indicantur n. 16 *Postilla Fratris Guerrici super psalterium*, quem eundem cum hoc nostro facile existimes.

Caveat autem lector ne hunc Guerricum cum alio ejusdem nominis itidem apud nos celebri confundat, qui Metensem domum nostram erexit, cujus etiam meminit F. Stephanus de Borbone citatus P. IV tit. X cap 9 de motivis contra acidiam cod. Sorb. fol. 446 a. ubi sic habet: « Audivi quod cùm quidam dives clericus vigilaret Parisius ad fenestram « studens, & quidam cantaret in vico quamdam can- « tilenam, quæ dicebat Gallice, tempus vadit & « ego nihil feci, Tempus venit & ego nihil ope- « ror: incepit primo cogitare circa dulcedinem can- « tus, post circa verbi sententiam, cogitans quod « sibi verbum competeret: quasi sermonem a Deo « sibi missum illud accipiens, in mane omnia re- « linquens, ordinem Fratrum Prædicatorum intra- « vit tunc cùm primò Parisius domum habuerunt. « Et audivi quod ille fuit Frater Guerricus primus « prior FF. Prædicatorum Metensium, & primus « fundator domus illorum ». In chronico domus Metensis idem narratur, & additur hunc Guerricum Metensem fuisse patria, anno MCCXVIII circa augustum Parisiis ordini nomen dedisse, anno sequenti MCCXIX a B. Dominico qui mense junio Parisiis aderat, Metas missum cum sociis cœnobium in domo paterna ad viam novam sita primùm erexisse; quod postea in locum eminentiorem & commodiorem translatum ex augustioribus ordinis fuit: sed heu jam *hæreditas nostra versa est ad alienos.*

F. PETRUS REMENSIS.

F. PETRUS Remensis Gallus a patria Campaniæ metropoli de more sui seculi agnomen sortitus, e primis fuit qui Parisiis mox ut illuc accesserunt F. Matthæus abbas & ejus socii a B. Dominico anno MCCXVII missi, ordini nomen dederunt. † 1245. Ætate jam erat maturus, vir gravis & eruditus, atque inter regiæ urbis concionatores nominatus, quem & ex operibus conjicere est sacræ facultati aggregatum, non quidem theologiæ magistrum, sed sacræ scripturæ interpretem. Hinc quamprimum ordini in duobus primis Bononiæ coactis capitulis forma data est, in primo anno MCCXX F. Matthæo ex abbate dato & constituto primo domus Sanjacobeæ Parisiensis priore, in altero anno MCCXXI in quo divisæ provinciæ Petrus noster primus Fran-

SÆC. XIII. ciæ prior provincialis positus est & declaratus. Hoc munere fungebatur anno MCCXXIV, quo sodales e Parisiis Insulas ad domum ordinis ibidem erigendam misit, quod literis instantibus ab eo flagitarant ejus urbis primores. Id testantur litteræ sequentes etiamnum apud nostros Insulenses servatæ. Sic autem habent.

» Viris veneralibus & dilectis in Christo magistro P. ordinis Prædicatorum priori in Francia, & ejusdem ordinis Fratribus Parisius constitutis, Wilhelmus divina miseratione præpositus Insulensis salutem & indesinenter J. C. vestigiis inhærere. Gratiarum actiones vobis referimus copiosas, quod ad habendum conventualem domum apud Insulam benignum adhibuistis assensum. Nos igitur de consensu capituli nostri ac parochialis presbyteri, si domum vestram in personatu nostro infra parochiam S. Stephani decreveritis construendam, eam a jure parochiali decrevimus liberam, ac cœmeterium vobis concedimus sub eadem qua & alibi libertate gaudetis : concedimus etiam, ut in eadem domo de gratuitis oblationibus consuetudines teneatis, quæ in vestris aliis domibus observantur : pro quibus oblationibus arbitrio trium canonicorum nostrorum tam præpositurae nostræ quam parochiali presbytero recompensatio plena fiet, per personam aliquam, quam sibi Dominus jam providit. Ut hæc igitur firma permaneant præsens scriptum sigilli nostri fecimus appensione signari. Capitulum quoque nostrum in signum assensus sui eisdem litteris suum fecit apponi sigillum. Actum anno Dñi MCCXXIV mense decembri.

Hac autem littera P. non alius a Petro Remensi intelligendus venit, qui solus hujus nominis ea ætate prior provincialis Franciæ cognoscitur : allucinantur enim Stephanus Sanpajo & Nicolaus le Febvre, qui fingunt eum esse Petrum Cellani, illum scilicet, qui Tolosæ suam domum B. Dominico dedit. Hic enim ex quo e Parisiis Lemovicas anno MCCXIX a sancto missus est, ibidem XII annis solidis priorem egit, nec inde egressus est, nisi anno MCCXXXIII circiter, quo Tolosam rediit inquisitorem acturus : ut habet Salanhacus in indice priorum Lemovicensium.

Anno MCCXXVII circiter mortuo tum F. Matthæo supra laudato & S. Jacobi Parisiis priore, F. Petrus Remensis ei suffectus est deposito provincialatu : certum enim hoc munere functum ex vitis Fratrum P. IV cap. 23 §. 2 ubi sic legitur : *Frater quidam conventus Parisiensis in oratione & lacrymis quasi continuis studium & scholas & sermones dimiserat, totus devotioni intentus : cui diabolus in forma B Virginis apparens revelabat multa, & ejus statum multum laudabat. Cùm autem hæc F. Petro Remensi tunc priori domus narrasset, injunxit ei &c.* Non potuit autem ad hoc prioratus officium citius eligi, quàm post mortem Matthæi, qui quàndiu vixit eo functus est, & ad annum indicatum usque circiter vixit.

Anno MCCXXX circiter rursus prior provincialis Franciæ resumtus est : certo eo munere fungebatur anno MCCXXXIII, ut constat ex litteris quas eo anno dedit Valencenis confirmans pacta inita de domo ibidem nostris erigenda. Hæ litteræ etiamnum in tabulis conventus Valencenensis servantur integræ, quæ sic habent : » Universis præsentes litteras inspecturis Frater P. Fratrum Prædicatorum in Francia prior qualiscunque, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod dilecti nostri in Christo, D. prior & conventus S. Salvii & presbyter parochialis B. Mariæ in Valencenis nobis liberaliter concesserunt, ut in manso Jacobi de Valencenis possimus ecclesiam ædificare, cœmeterium liberum habere, oblationes recipere, & alia omnia facere, quæ nostri ordinis instituta requirunt. Nos autem eisdem promisimus, quod procurationem vel exactionem aliquam, vel aliud temporale ratione hujus concessionis, nisi aliqua nobis tanquam pauperibus in eleemosynam conferre voluerint, nec possumus exigere nec debemus. In cujus rei testimonium præsentes litteras nostri sigilli munimine fecimus roborari. Interfuerunt autem huic promissioni Fratres nostri Jacobus de Halla, Hellinus de Templemare, Petrus de Querceto, & Nicolaus Anglicus, dña comitissa Hannoniæ & Flandriæ, dñs Gerardus capellanus ipsius, & Hellinus miles de Alneto, & dñs Walterus canonicus sancti Joannis de Valencenis. Actum anno Dñi MCCXXXIII mense octobri. »

Aliquo ex his annis acciderit, quod de eo refertur in vitis Fratrum P. IV cap. 1 ubi sic legitur : In quodam capitulo generali Parisius, cùm incumberet aliquos Fratres mittere ad provinciam Terræ-sanctæ, dixit magister Jordanis Fratribus in ipso capitulo, quod si qui parati essent bono animo ire illuc, quod hoc signare haberent ei. Vix verbum impleverat, & ecce vix fuit aliquis in tanta multitudine, quin statim faceret veniam, cum fletu & lacrymis petens mitti ad illam terram Salvatoris sanguine consecratam. F. autem Petrus Remensis tunc prior provincialis in Francia hoc videns surrexit, & facta venia cum aliis locutus est magistro in hunc modum : Bone magister aut carissimos Fratres istos nostros mihi dimittatis, aut mittatis me cum eis, quia & ego paratus sum cum eis ire ad mortem. Malvenda p. 411 b id factum putat in tertio cap. gen. Parisiis anno MCCXXII celebrato : quod si verum, nemo dubitaverit, quin Petrus hic fuerit primus prior provincialis Franciæ a B. Dominico anno MCCXXI Bononiæ institutus. At cùm de mittendis sodalibus non simpliciter ad Terram-sanctam, sed ad provinciam Terræ-sanctæ ibi ageretur, provincia verò illa erecta tantùm fuerit anno MCCXXVIII : id potius evenisse censuerim anno MCCXXX, vel XXXII, vel XXXIV, quibus Lutetiæ habita capitula generalia.

Ex provinciali Franciæ assumtum episcopum Agennensem sub metropoli Burdigalensi docent vetera nostra monumenta. Id testatur Stephanus de Borbone æqualis lib. de VII donis P. I tit. V de purgatorio cap. 7 cod. Sorbon. fol. 162 col. 3 ubi sic habet : *Narrabat Frater Petrus dictus Remensis episcopus postea Agennensis, quod quidam &c.* Idem testatur Bernardus Guidonis multis locis; primò ubi de episcopis ex ordine assumtis : *F. Petrus Remensis Gallus episcopus Agennensis anno* MCCXLII *tempore F. Joannis Teutonici* IV *magistri ordinis.* Idem repetit ubi de provincialibus Franciæ : F. Petrus Remensis. *Hic de provincialatu Franciæ assumtus est ad episcopatum Agennensem anno* MCCXLII. Idem tertiò ubi de scriptoribus, ut mox dicetur, ubi de ejus operibus. Non mirum a Sammarthanis in Gallia Christiana omissum fuisse, apud eos enim in episcopis Aginnensibus multa perturbatio ab anno 1235 ad 1245. Nam ubi de Radulpho de Pinis ex abbate Clarevallensi electo Aginnnensi præsule, eum volunt esse qui in chronico Cluniacensi anno MCCXLV dicitur *electus episcopus Aginnensis* omisso nomine in comitatu Innocentii IV S. P. die S. Andreæ apud Cluniacum hospitantis, qui & dicitur postea consecratus a Tusculano episcopo sedis apostolicæ legato nempe Odone de Castroradulphi. Iidem tamen ubi de archiepiscopis Lugdunensibus eumdem Radulphum de Pinis dicunt ex episcopo Aginnensi archiepiscopum Lugdunensem electum hanc sedem ascendisse anno MCCXXXV, & anno sequenti tertio nonas martii mortuum : ex quibus evincitur

illum non esse qui in citato chronico Clunianensi dicitur electus Aginnensis episcopus : idque cadere non potest nisi in Guillemum de Pontoise ex abbate Cluniacensi ad sedem Aginnensem circa annum MCCXLV electo. Totos igitur & solidos decem annos a MCCXXXV ad MCCXLV sedem Agennensem episcopo vacuam relinquunt Sammarthani : his autem annis vel illorum decem aliquibus eam obtinuisse Petrum nostrum contendimus.

Jam ejus recensenda opera. Bernardus Guidonis ubi de scriptoribus sic habet : *F. Petrus Remensis episcopus postmodum Agennensis, qui de glossis maxime super Bibliam totam compendiosum opus & bonum & alia bene utilia scripsit. Hic fuit prior provincialis Franciæ, & inde factus est episcopus Agennensis tempore magistri Joannis Theutonici.*

F. Laurentius Pignon in catalogo provincialium Franciæ : *F. Petrus Remensis. Hic de provincialatu fuit assumtus in episcopum Agennensem.*

F. Ludovicus a Valleoleti in Tabula scriptorum n. 68 : *F. Petrus Remensis ex glossis SS. Doctorum ad plenum totam Bibliam commentavit.*

Cùm de his glossis in universa sacra Biblia meminerint & Bernardus Guidonis & Valleoletanus, horum ætate hoc est seculo XIV & XV adhuc substitisse & ab iis visas verisimiliter conjici potest : ubi autem serventur, nemo refert : jacent forsan nunc alicubi in angulis bibliothecæ alicujus neglectæ & pulvere obsitæ. In Bibl. gymnasii Parisiensis *Magistri Gervasii* dicti visus est a me codex fol. max. memb. & qui apparebat sec. XIII in quo inter alia quæ plura edita sunt sub nomine Hugonis a sancto Charo, extabat opus hoc titulo. Super XII prophetas. Princ. *Stabat super XII boves &c. cap. I Temporibus &c. Finis. Omnis qui non amat Dominum Jesum sit anathema Maranatha. Amen. Expliciunt postilla Fratris Petri de Prædicatoribus super XII prophetis.* An sint nostri Petri Remensis, an alterius nolim asserere, hoc solùm scio editas sub nomine nostri Hugonis a sancto Charo, ut & plerasque alias hujus codicis.

2. Henricus Gandavensis de scriptor. ecclesi. cap. 41 p. 170 sic habet : *Petrus ejusdem ordinis* [Prædicatorum] *provincialis Franciæ scripsit sermones de dominicis & festivitatibus fere per totum annum quibus multi utuntur usque hodie.* Horum laudantur in variis bibliothecis exempla. Tornaci apud S. Martinum n. 95 fol. memb. Tum in monasterio Aquicinctino ad Duacum : quæ exempla a Petro de Alva visa & memorata Sol. verit. Rad. 189 col. 1462. Recensentur etiam in catalogo codd. MS Angliæ T. II P. I n. 8175. Apud nostros Parisienses ad S. Honorati extat horum sermonum codex MS. memb. fol. par. seculi ut videtur XIII. Donum est D. Antonii Waicthe abbatis Camberonensis. Princ. *Dom. I adven. Hora est jam nos de somno surgere.* Rom. 13. *Est triplex somnus, ignorantiæ.* Ps. *Dormierunt somnum &c.* Isa. 29. *Sicut somniat &c. 2. Pigritiæ.* Proverb. 6 & 27 *usquequo piger dormies? 3. Et culpæ. Apostolus. Qui dormiunt nocte dormiunt &c.*

Lusitanum rectè corrigit Malvenda p. 650 b. quod huic Petro Remensi asseruerit *Biblia carmine reddita.* Quod opus est Petri Riga cantoris & canonici Remensis Petro nostro longe antiquioris, & qui ad MCLXX florebat. Sed & emendandus idem Lusitanus dum Petrum nostrum in duos dividit, alterum Remensem ad 1242, alterum Gallum ad 1262, utrumque Franciæ provincialem : neque enim toto seculo XIII præter Remensem & Tarentasiensem ullus fuit hujus nominis Petri Franciæ prior provincialis. Errantem tamen Lusitanum exceperunt plures nostrates, & ultimo Altamura ad 1263.

Ex hactenus dictis plane factum satis puto vitiligationibus Petri de Alva in suo *Pleytos de los libros* p. 157 & seqq. erratum verò typorum, quod tantopere & inaniter exagitat Alva, Lusitano facile lector cordatus condonabit, cùm Petrum Agnensem *dicti* Agennensem episcopum vocat. Addo Leandrum Albertum uti aliàs sæpius Petri nostri duplici in loco meminisse, primò inter episcopos fol. 115 a. 2 inter concionibus illustres fol. 144 b. sed non ideo duos homines censuisse. Sec. XIII.

In cod. MS memb. forma 4 n. 249 bibliothecæ Eremitarum Augustinianorum ad Pontem-novum, & cui titulus, *Sermones collecti a bonis Prædicatoribus*, & qui a me expensi videntur ex ore dicentium reportati ut aiunt, & quorum auctores cum Petro nostro omnes floruerunt, quatuor sunt illi ascripti : nonus dictus *Dom.* IV post epiphaniam, XXXIII *in cœna Dñi* : LIX Dom. 6 post pentec. *Dñs fortitudo plebis suæ &c.* & LXXXVI *Collatio in eodem die quam fecit Fr. Petrus Remensis.* Sic in singulis quatuor dicitur.

F. PETRUS DE ALBENATIO.

F. PETRUS DE ALBENATIO Gallus ex ea scilicet eleganti Narbonensis regionis civitate, quæ vernacule *Aubenas* dicitur, ortus & de more nuncupatus, Januam priusquam ordinem amplexaretur, se transtulerat, & in ea urbe *in physica practicabat*, id est medicum agebat, tum enim ut etiamnum medicos physicos appellabant : Januæ itaque Petrus commorans, ibidem in cœnobio S. Dominici vestem nostram induit & professus est : postea verò in provinciam Provinciæ translatus, in ea & prioris & lectoris muneribus functus est, & circa medium seculi XIII sanctissimo fine quievit. Hæc omnia patent ex duabus visionibus quas habuit, & quæ referuntur in vitis Fratrum P. IV. * 1245.

1. cap. XI §. 5 sic incipit : » F. Petrus de Albenatio qui in Provincia (sic seculo XIII vocabatur provincia quæ initio seculi XIV in duas Tolosanam & Provinciæ divisa est) fuit prior & lector, & sancte & feliciter cursum suum consummavit in ordine, narravit se ad ordinem venisse in hunc modum. Cùm ipse inquit in civitate Januensi in physica practicaret, essetque jam ordini obligatus, pauperes Lugdunenses, qui & Waldenses dicuntur, in tantum ejus animum perverterunt, ut in magno esset dubio, quos potius sequeretur. Inclinabatur tamen magis ad Waldenses, quos ibidem invenerat, eo quod plura humilitatis exterius, & virtutum pietatis signa in illis videret : Fratres verò jocundos & nimis pomposos extra considerabat «. Sequitur visio loc. cit. legenda, & qua dubium ejus solutum est, » & post dies aliquot expeditis quibusdam ad quæ tenebatur, ordinem prædictum intravit. Hæc ego (F. Gerardus de Fracheto) ab ipsius ore audivi, & plura alia, erat enim valde contemplativus &c. «

Altera est cap. XIV §. 6. » F. Petrus de Albenatio vir sanctus & devotus, cùm esset in conventu Januæ, & orationi ferventer instaret &c. «

Harum ratione visionum scriptoribus nostris non annumerassem, nisi Oldoinus inter scriptores suos Ligures recensuisset, qui præterea emendandus fuit, cùm *de Albingauno* Liguriæ civitate pro *de Albenatio* Vivariensis tractus in Occitania municipio nuncupat : licèt fatear quosdam ex nostris ei præivisse, & errandi causam dedisse. Corrigendus etiam venit Annus Dominicanus Gallicus ad XXIV septemb. ubi dicitur Albenaci mortuus anno 1250, quod si verum, extra ordinem sepultus fuisset, nam in ea urbe nonnisi anno MCCLXVI conventus fuit positus ex actis cap. provinc. Lemovicen. tum habiti : in cæteris non major diligentia, ut cùm quod in vitis Fratrum dicitur hic Petrus *Janua qua in Liguria*

SEC. XIII. *in physica practicasse*, interpretatur quod Genevæ in Allobrogibus philosophiæ operam dabat.

F. ROBERTUS BACUN & F. RICARDUS DE FITSACRE.

† 1248. F. ROBERTUS BACUN & F. RICARDUS DE FITSACRE Angli ambo ut in vita & morte fuerunt indivisi, sic a nobis non sunt separandi. Oxoniam jam a festo assumtionis B. V. F. Gisilbertus vel Gilbertus & duodecim ei adjuncti in cap. gen. Bononiæ MCCXXI socii a B. Dominico missi venerant, & domum ordinis erexerant, ut supra ad vitæ sancti per Jordanum n. 39 annotatum est. Inter eos verò qui eis ex academia Oxoniensi se adjunxerunt, illustriores fuerunt duo hîc nominati: de quibus sic habet Trivetus in chronico T. VIII Spic. Dacher. p. 587 ad annum MCCXL, ubi agit de morte B. Eadmundi Cantuariensis archiepiscopi, qui inquit, *in comitiva sua Fratres Prædicatores habebat continue, quorum unus valde senex & religiosus, hoc de eo nobis audientibus referre solebat &c.* ibidem legenda: *Fuerat huic* (Eadmundo) *socius in schola magister Robertus Bacun, qui Oxoniis regens in theologia Prædicatorum ordinem est ingressus. Post ingressum verò lectiones suas in scholis sancti Edwardi per plures continuavit annos, sub quo primus de Fratribus incepit F. Ricardus de Fissakre Oxoniensis diocesis, legens unà cum Fratre Roberto prædicto in scholis, quas Fratres infra locum quem nunc habitant, habuerant.* Annum quidem non indicat, quo uterque ordinem amplexus est, sed paucis post erectam Oxonii domum nostram annis id accidisse conjectu pronum, adeo ut anno MCCXXVIII ambo simul Prædicatores facti jam publice legerent, cùm Parisiis F. Joannes de sancto Ægidio cum F. Rolando de Cremona sacram facultatem sua eruditione illustraret. Eorumdem meminit Matthæus Parys ad MCCXLVIII. *Eo anno*, inquit, *duo Fratres de eodem ordine* [Prædicatorum] *quibus non erant majores, imo nec pares ut creditur viventes in theologia & in aliis scientiis, videlicet F. Robertus Bacun & F. Ricardus de Fishacre, qui egregie pluribus annis in eadem facultate legerant, & populis gloriose prædicaverunt verbum Domini, ab hoc seculo migraverunt.* Jam utriusque opera recensenda.

Primo F. Roberto Bacun Pitseus hæc ascribit.

1. *Glossas in plures sacræ scripturæ libros.*
2. *Super Psalterium,*
3. *Sermonum variorum summam.*
4. *Vitam S. Eadmundi Cantuariensis archiepiscopi.*
5. *Lectiones ordinarias.*

Hæc verò ubi serventur cùm non addat, neque etiam in catalogo codd. MSS Angliæ recenseantur, vicissitudine temporum vel domorum ordinis in Anglia eversione fortè perierint. Ætate provectum Baconum forte 50 annorum ordini nomen dedisse indicat Trivetus, sed non jam senem ut vult Pitseus, ceu qui viginti annis in ordine vixerit, nam apud nostros anno MCCXXVIII legere incepisse docet historia academiæ Oxoniensis ibidem edita 1674 fol. T. I p. 64.

De alterius operibus quid certius habemus. *Hic Ricardus*, sic prosequitur Trivetus.

1. *Super sententias scriptum temporibus suis pernutile composuit.* Ejusdem operis meminit F. Laurentius Pignon in suo catalogo n. 4: *F. Ricardus Fissacher natione Anglicus magister in theologia scripsit bonam lecturam super libros sententiarum.* Idem F. Ludovicus a Valleoleti in sua tabula n. 20: *F. Ricardus Fisagra natione Anglicus scripsit notabiliter super quatuor libros sententiarum, & processit secundùm Thomam.* Quod ita intelligas, sententias ejus cum S. Thomæ sententiis convenire collatione facta postea inventas fuisse: alioquin Ricardus mortuus erat, cùm vix S. Thomas auditor adhuc tantùm e schola Alberti magni excesserat. Ad calcem indicis scriptorum ordinis a Bernardo Guidonis accurati sic legitur secunda manu sed antiqua in codice Tolosano: *F. Ricardus Fissakre natione Anglus tempore* (id est seculo) *S. Thomæ, & eo antiquior, qui super sententias profundissime scripsit, cujus scripta S. Thomas desiderabat habere.* Quæ additio cujuscumque sit, certo hominis est post canonizationem Aquinatis scribentis.

Hujus commentarii duo sunt exempla Parisiis in Sorbona a me visa: ambo sec. XIII & memb. Primum fol. par. Pr. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.* Roman. XI. *Constat quod non parum est admirabilis illa sapientia, quam admirans sic exclamat doctor gentium, qui raptus usque ad tertium cœlum audivit arcana verba &c.* Ad calcem primi sententiarum sic legitur: *Rogo te quisquis es ut roges Deum pro F. Ricardo de Fixacre qui hoc opus edidit, ut eum Dominus nunc & semper in anima custodiat, & in corpore vires prebeat, ut residuum operis ad finem prospere perducat. Amen.*

Pr. in 2 sent. *Terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis.* In primo libro *Deus terribiliter magnus quoquo modo innotuit, ubi actum est de magnitudine terribili sua essentiæ &c.* In hoc codice imperfectum est hoc scriptum in secundum. Sed in altero fol mag. memb. est & primum & secundum integrum & tertium.

Pr. *Prov. 30 Tria sunt mihi difficilia & quartum penitus ignoro &c.* ubi notat tum vulgò lectum ut & nunc in littera, *viam viri in adolescentia.* Sed juxta Hebraicam veritatem legendum, *in adolescentula:* quia vox Hebræa sonat *Alma.* Desinit hic codex in Dist. 40 quæ incipit *Sextum preceptum:* ubi pauca *de distinctione decem præceptorum:* & postea, *de casibus in quibus licet jurare.* Finis: *& ita absolvit eos, imo potius denuntiat absolutos.* Hic alter codex est ex legato Geroudi de Abbatisvilla socii Sorbonici ad MCCLX clari.

Opus verò integrum præstant haberi in variis Angliæ bibliothecis: certò recensetur in catalogo codd. MS ejus regni. T. I P. II nn. 280, 883, 895 P. III n. 790. & T. II P. I n. 8222.

2. Scripsit, inquit Trivetus *super psalterium usque ad psalmum LXX postillas pulcherrimas moralitatibus intermistas.* Extant Oxonii in collegio novo n. 248. *Fishacre in psalmos, codex imperfectus in principio.* Sic Thomas James Eclog. p. 9.

3. *De indulgentiis.* Recensetur in cit. catal. Anglic. T. I P. III n. 1517.

Plura alia addit Pitseus, ubi tamen serventur non monet, licèt plurium principia indicet

Commentaria in sacra biblia.

In parabolas Salomonis. Pr. *Multiplici ratione audiendum.*

De pœnitentia. Pr. *Quia ut habet S. Augustinus.*

Postillæ morales.

Quæstionum variarum volumen.

Et aliud Quodlibetorum.

De quibus penes Pitseum fides. Sepultus est in priori nostro templo Oxonii circa annum MCCXXI erecto, verùm cùm inde nostri anno MCCLXVIII alio transmigrarunt, & ipsius ossa ut & suorum sodalium simul asportarunt. De quo legenda historia universitatis Oxoniensis supra laudata p. 64. Ejus scripta tanquam veritatis catholicæ illustris defensoris citat sæpius Thomas Waldensis in *Doctrinali fidei*, inquit Pitseus. Iisdem usi sunt Guillelmus Vodfordius contra Wicleffum & Guillelmus Bintreus in *Disputationibus ordinariis.*

Jam plurium nomenclatorum de eo scribentium errata emendanda. Primus venit Lelandus qui Ri-

cardum Parisiis aliquando studuisse vult, quod & libens concesserim. At sic prosequitur: *Insignis philosophus & theologus fuit, quibus nominibus tam charus erat Rogero Bacono viro undecumque doctissimo, ut comes illi individuus adhæreret.* Et post plura de ea inter utrumque necessitudine addit: *Quid quod ut in vita socii conjunctissimi fuere, ita ne morte quidem dividi potuerunt: nam ut turtur ereptam sociam lugens commoritur, ita extincto Bacono nec potuit nec voluit superesse Fizacrius.* Agnomine *Baconi* delusum fuisse Lelandum censuerim, duo enim fuerunt: Rogerus Baconus, sed hic junior & ordinis Minorum, quem doctissimum fuisse præsertim in mathematicis ferunt, qui & ætatis LXXVIII Christi MCCLXXXXIV ut vult Pitseus vel XCIV ut habet Caveus mortuus est: cum hoc amicitiam aliquam iniisse Ricardum non negaverim, præsertim cùm istum Pitseus illum aliquando inter auditores habuisse asserat, de quo fides penes auctorem: at Baconus cui tanta necessitudine Ricardus devinctus fuit, non Rogerus sed Robertus nuncupabatur, Ricardo senior ejusque magister, amici ambo individui, ambo eodem anno MCCXLVIII mortui.

Alter corrigendus est Lusitanus qui hujus Ricardi agnomen corrupte scripsit *Phisaya*, & ad annum MCCLXX prorogat, quem errantem magno agmine excipiunt Pius, Fernandez, Altamura ad 1265 & ad 1270 & alii: a quibus delusus Pitseus eumdem Ricardum in duos dividit, primum Fishacre dictum ad 1248, alterum Phisaia nuncupatum ad 1270 referens. Hunc Possevinus jam deprehenderat errorem, a quo sapiens sibi cavebit.

Tertius emendandus est Pitseus, a quo alter nobis tribuitur *F. Ricardus Fishacre*, quem eumdem censet cum Ricardo Exoniensi sive Excestriensi a Sixto Senensi ad MCCCXXX laudato, & *postillæ in Psalmos* auctore. De quo sic censemus nobis unicum esse Ricardum Fishacre ad MCCXLVIII mortuum, & cujus sunt certo opera a Pitseo huic secundo ascripta, nempe *Postilla super Psalmos* servata Oxonii in Bibl. colleg. Novi n. 248: & *scriptum super sententias* ibidem in collegiis Balliol. & Lincoln. & Cantabrigiæ in colleg. Caii: & *Tractatus de indulgentiis* Cantabr. in colleg. S. Bened. omnia supra recensita. Quis sit Ricardus Excestriensis a Sixto Senensi ad 1330 laudatus, nobis incompertum, sed si idem est cum Ricardo Fishacre nostro, duplex erratum Senensi irrepserit, & quod Excestriensem seu Exoniensem faciat, quem Trivetus præstat Oxoniensem, & quod ad MCCCXXX proroget, qui ad MCCXLVIII fuit revocandus.

F. JOANNES PUNGENSASINUM.

* 1248. F. JOANNES PUNGENSASINUM vel etiam *Parisiensis I* nuncupatus, primo agnomine non dicterio ut quibusdam visum est, sed a familia vernacule *Poinlane* Parisiis seculo XIII clara sic dictus, eodem seculo medium circiter decurrente claruit. Quo anno nomen ordini dederit non produnt vetera monimenta, sed circa MCCXXX in domo Sanjacobea Parisiensi vestem induisse conjectu pronum. Ut ut sit sacræ facultatis baccalaureus jam erat, & magistrum sententiarum publice interpretabatur saltem anno MCCXLIV ante Albertum Magnum, qui incepit anno sequenti MCCXLV. Nam in sententia quam Odo cardinalis de Castroradulphi legatus in Francia contra libros Thalmudicos tulit anno MCCXLIV idibus maii, inter facultatis theologiæ magistros, quorum in ea ferenda consilio usus est, hi tres nostri numerantur hoc ordine, *F. Joannes Pungensasinum, F. Albertus Teutonicus, & F. Stephanus Antissiodorensis ordinis Fratrum Prædicatorum.* Cùm igitur Albertus Magnus eo anno triennium magisterii sui compleret, ut evincetur postea, ubi de eo, sequitur Joannem Alberto antiquiorem saltem anno MCCXLVII triennium suum complevisse, ac proinde saltem anno MCCXLIV incepisse. Favet Salanhacus, a quo in suo magistrorum Parisiensium catalogo n. 6. recensetur *F. Joannes Pungensasinum Parisiensis*, & ante Albertum Magnum, quem laudat tantùm n. 8. Virum sua ætate in sacra facultate nominatum hæc docent, ad quem annum pervenerit postea non produnt annales: Tritemius laudat ad 1280: Lusitanus ad 1295, quem excipiunt Pius P. II lib. I col. 102: Fernandez omisso familiæ nomine Gallicum nuncupans: Altamura in duos dividit, alterum quem Parisiensem II dicit ad 1290, alterum Pungilasinum ad 1295 collocans: ad hos annos pervenisse difficile crediderim: imo cum anno MCCLXIX in comitiis ordinis Parisiis celebratis habita fuerit de variis casibus solemnis collatio, cui affuerunt quotquot erant in domo Sanjacobea nostri sacræ theologiæ magistri præsertim ex provincia Franciæ, & ipse S. Thomas qui huc ex Italia venerat, nec inter eos nominetur Joannes noster, jam suum diem obiisse verisimilius. Ejusdem meminerunt veteres nostri nomenclatores Laurentius Pignon n. 40, & Ludovicus a Valleoleti n. 30. *F. Joannes Pungensasinum magister in theologia*, inquit primus: *F. Joannes Pungensasinum*, inquit alter *scripsit.* SEC. XIII.

1. *In quatuor libros sententiarum.*

Quod scriptum a nostris Guillelmo Carnificis & Joanne Bunderio ceu ab iis in Belgii & provinciarum adjacentium bibliothecis visum, in eorum catalogo codd. MS recensetur fol. 340 teste Alva Sol. verit. Rad. 218 col. 1547

2. *Item librum de unitate formæ.* Sic Valleoletanus.

3. *Item librum de principio individuationis.* Sic Valleoletanus. Laudatur etiam in catalogo Carnificis & Bunderii citato.

Claritatem familiæ hujus scriptoris probat anniversarium perpetuum in ecclesia cathedrali Parisiensi a 500 circiter annis fundatum, de quo sic legitur in antiquo necrologio ejus ecclesiæ & ejus ætatis fol. membr. nunc in Bibl. Reg. n. 3883. 3 servato, idque prima manu. *2 idus febru. obierunt Guillermus & Eremburgis pater & mater Guillelmi Pungentisasinum, qui dedit nobis 40 libras Parisienses ad emendos redditus, de quibus canonici & majori altari servientes, qui vigiliæ anniversarii ipsorum, quod nos tenemur facere annuatim* (aderunt,) *sex denarios percipient &c. Post obitum autem ipsius Guillelmi & Emelinæ uxoris suæ simul prædictis eorum & benefactorum suorum fiet anniversarium in perpetuum.* Alteruter fortè istorum Guillelmorum is est *Poinlane*, quem Clar. Baluzius reperit in vetustissimo codice MS testem productum in inquisitione facta anno MCCXX vel XXI, utrum rex habeat multrum*, raptum & homicidium in burgo episcopi Parisiensis. Videsis ejus Papas Avenionen. col. 576 & seq. & 1411, ubi retractat, quæ prius minus consulte de hoc nostro Joanne dixerat. Mihi verò non dubium, quin Guillelmus ille a Baluzio laudatus sit ille idem testis nominatus in veteri instrumento domus nostræ Sanjacobeæ Parisien. circa MCCXXVI acto. Apocha est quæ sic habet.

* Sic pro multrum.

Notum sit omnibus præsentes litteras intuentibus, quod ego Baldovuices de Campis recepi LX & X libras Parisienses a Fratribus Prædicatoribus S. Jacobi Parisius ante S. Stephanum d'egrés pro quadam domo mea, quæ sita est ante S. Stephanum d'egrés in curia illorum: quam ego & uxor mea Aleis eis vendidimus in præsentia Joannis de Vineis præpositi Parisiensis, & Philippi Hamelin, & Willelmi Poinlane & plurimorum aliorum. Dies & annus deest, sed cùm immediate sequatur ad instrumentum actum mense januario MCCXXV hoc est stylo novo MCCXXVI,

Sæc. XIII. eodem anno vel sequenti confectam hanc apocham verisimillimum, ut & hunc Willelmum Poinlane nostri Joannis Pungensasinum vel patrem vel fratrem.

F. STEPHANUS DE VARNESIA.

* 1248. F. Stephanus de Varnesia vel etiam *Autissiodorensis* aliquando dictus a loco suæ originis in diœcesi Autissiodorensi clarebat Parisiis circa medium seculi XIII. In causa librorum Thalmudicorum ex sacræ theologiæ magistris ab Odone cardinali de Castroradulphi in consilium vocatis, e nostris tertius fuit cum Joanne Pungensasinum de quo mox qui primus, & Alberto Magno qui secundus, in sententia tum lata dicitur tantùm *F. Stephanus Antissiodorensis*: hincque tum sententias publice legisse in gymnasio Sanjacobeo, & in secundo sui magisterii anno fuisse, attentis legibus tum servatis merito conjicimus. Antiqua est conventus Autissiodorensis traditio ex ejus veteribus monumentis ex eis fuisse quos S. Thomas tum Parisiis studens theologus in scholis audivit, quæ Stephani non parva laus talem habuisse discipulum. In catalogo magistrorum Parisiensium a Salanhaco accurato recensetur decimus *F. Stephanus de Varnesia Altissiodorensis*. Quantum vixerit deinceps, quove anno, mense ac die obierit, non produnt vetera monumenta. Quin plura scripserit, nullum mihi dubium, quamvis sileant nomenclatores nostri.

In Bibl. nostra Sanjacob. Parif. codex est fol. mag. memb. sec. XIII. Liber est Proverbiorum glossatus: sed cùm latissimi sint margines, præter glossam ordinariam, adjectæ sunt postillæ charactere minutiori manu ipsius earum auctoris. Princ. *Parabole Salomonis. Jungat epistola. In hoc prologo Hieronymus non actor hujus operis, sed tantummodo translator, sex determinat &c.* In margine verò inferiori hujus primæ paginæ legitur manu antiqua *F. Stephani Altissiodorensis*. Quem hunc nostrum esse conjectu pronum.

In Augustin. ad pontem-novum codex est n. 249 fol. par. memb. & seculi XIII. Titulus: *Sermones collecti a bonis prædicatoribus*. Omnes verò in eo laudati simul floruerunt inter MCCXXX & MCCL & plures sunt e nostris, Hugo de Sanctocharo, Petrus Remensis, Guerricus de Sancto Quintino, Gaufridus de Blevello & alii: in hoc verò codice quatuor sunt hujus nostri Stephani sermones

24. *Sermo Dom. III. quadragesimæ. F. Stephanus Antissiodorensis. Erat Jesus ejiciens dæmonium &c.*

47. *Sermo Dom. IV post pascha F. Stephanus Jacobita Antissiodorensis. Cùm autem venerit ille, arguet &c.*

82. *Sermo Dom. XXI post pentecosten. F. Stephani Antissiodorensis. Erat quidam regulus &c.*

101. *Sermo F. Stephani Antissiodoren. in die S. Barnabæ apostoli. Hoc est præceptum meum &c.*

In Sorbona codex est n. 1 p. 955 fol. par. memb. Collectio est sermonum ab insignibus concionatoribus eadem ætate qua in mox laudato Parisiis habitorum. Unus est hoc titulo

F. Stephanus de ordine Prædicatorum. Audite quæso sermones meos, & agite pœnitentiam. Job. XXI a. *Ne retineas verbum salutis in tempore salutis.* Eccli. 4. *Tempus salutis est verbum quadragesimæ &c.* Sermo fusior, & quem nostri Stephani facile crediderim, cùm ætas aliorum conveniat. Hæc in gustum sint & indicium longe plures ab eo relictos, sed quos temporum vicissitudo nobis eripuit.

F. GUALTERUS MAUCLERK.

† 1248. F. Gualterus Mauclerk vel, *Malclerk*, Latine *Malus Clericus* agnominatus, Anglus natione, fuit seculo XIII clarus, seu priusquam ordini se addiceret, seu postquam eum amplexus est. Quem cùm scriptores nostri a 300 annis neglexerint nec meminerint, placet hîc quæ de eo habet Matthæus Parisiensis in Hist. Angl. variis locis colligere ac ipsis ejus verbis referre. Sic autem pag. 119. *Anno 1223 circa festum dominicæ Ascensionis Walterus Malus Clericus consecratus est Carleolensis episcopus per manum Gualteri Eboracensis archiepiscopi.* Cùm autem ob eximias animi dotes Henrico III regi Anglo esset acceptissimus, eodem anno ab illo magnus Angliæ thesaurarius & quæstor est constitutus. Anno 1225 cum Waltero archiepiscopo Eboracensi & Philippo de Albenaio milite in Gallias ablegatus fuit, tum ut Britanniæ comitis filiam regi suo postularent sponsam, tum ut quarumdam Galliæ provinciarum, quas suas asserebat Anglus, sibi subjecerat Gallus, magnates conciliarent & ad jugum Britannicum reducerent, unde post duos annos re infecta rediit. De quo sic Parisiensis ad 1227 pag. 232: „ Instante solemnitate paschali « archiepiscopus Eboracensis & episcopus Karleolensis cum Philippo de Albeneio milite nuncii re- « gis reversi sunt in Angliam de partibus transmari- « nis. Missi quidem erant ad magnates illarum re- « gionum, quæ de jure antiquo ad regem Angliæ « spectare tenebantur, quibus propositum fuerat ex « parte regis, ut blandis exhortationibus cum pro- « missionibus magnis eos inducerent, quatenus dic- « tum regem ad illos venire cupientem reciperent « & recognoscerent ut Dominum naturalem. Sed ne « diu & inaniter verba protrahamus, antequam « nuntii regis ad partes illas pervenissent, Franco- « corum rex Ludovicus, Blancha matre ejus partes « suas interponente, cum baronibus illis pacem fe- « cerat, & eorum homagia susceperat, distribuens « affluenter ipsis terras & castella ad jus regis per- « tinentia. Comes verò Britanniæ, cujus filiam nun- « tii petebant per matrimonium regi copulandam, « nuntiis regis dedit in responsis, quod ipse cum « rege Francorum pacis fœdus composuerat, quod « nullo modo potuit violare. Nuntii autem ad re- « gem reversi, quæ facta fuerant per ordinem indi- « cabant «. Et pag. 263. » Anno D. 1233 rex An- « glorum Henricus de consilio Petri Wintoniensis « episcopi omnes naturales curiæ suæ ministros a « suis removit officiis, & Pictavenses extraneos in « eorum ministeriis subrogavit. Walterum quoque « Karleolensem episcopum idem rex per consilium « prædictum ab officio thesaurarii prius expellens « centum libras argenti ab eo cepit, & custodias « quasdam, quas ei per chartam suam confirmave- « rat dum viveret contumeliose subtraxit «. Et pag. « 266: » Eodem anno 1233 Walterus Karleonensis « episcopus quibusdam injuriis sibi a rege illatis ut « dicebat apud Doveram navem erat ingressus ut « transfretaret. Supervenerunt autem quidam mi- « nistri regis ejicientes eum cum omnibus suis de « navi, & firmiter ex parte ipsius regis prohibebant « ne absque illius licentia de regno exiret. Appli- « cuit autem tempore quo hæc facta fuerant ibidem « Rogerius Londinensis episcopus a curia Romana « reversus, qui videns injuriam quæ præfato infe- « rebatur episcopo, excommunicavit omnes, qui « in eum manus injecerant violentas: & inde pro- « fectus ad regem, invenit eum apud urbem Here- « fordiensem in Wallia cum exercitu copioso, ubi « in præsentia regis & quorumdam episcoporum de « violentia Karleolensi episcopo illata supradictam « excommunicationis sententiam innovavit non me- « diocriter rege murmurante, & ne talem ferret « sententiam prohibente. Cum quo omnes qui af- « fuerunt episcopi, etiam illos excommunicaverunt « universos, qui hujus perturbationis occasionem « præstabant «. Postea tamen non solùm ira regis « deferbuit,

deferbuit, sed & in pristinam gratiam Gualterum recepit. Nam » anno 1235 (pag. 285) procurante Karleolensi episcopo rex Henricus III » sibi filiam comitis Vigorniæ cum juramento sibi » subarravit, a quo tamen resilivit «. Sed rege cum Eleonora filia comitis Provinciæ matrimonio juncto, natoque ei filio anno 1239 (pag. 330) » Carleolensis episcopus infantem catechizavit, postea » Ottone (cardinali) legato ipsum baptizante, a » Dominis Rogero Londinensi, Waltero Carleolensi » episcopis & ab Willielmo Norwicensi electo, D. » Ricardo fratre regis &c. a sacro fonte est levatus « Plura præterea, ut ad annum 1245 veniam, quo cùm ad concilium Lugdunense I episcopos Anglos invitasset Innocentius IV, ad petitionem regis, ne Walterus venire teneretur absolvit diplomate pontificio Lugduni 10 Kal. junii dato: cujus hæc præcipua pag. 444: » Allegante sane per dilectum » magistrum Laurentium nuncium tuum apud sedem » apostolicam constitutum, & per litteras regias a » nobis humiliter postulasti, ut cum instanti æstate » proponens ad perfidiam quorumdam tuorum rebellium conterendam exercitu congregato dirige» re gressus tuos, vener. fratrem nostrum Carleo» lensem episcopum & dilectum filium abbatem » Westmonasteriensem custodiæ regni tui, quandiu » in expeditione permanseris, provide deputaris; » ipsos & ne ad concilium veniant, quod in instan» ti festo nativitatis S. Joannis Baptistæ Deo dante » celebrabimus, haberemus benigne ac misericor» diter excusatos: Nos &c. concedimus postulata «. Itaque mense julio profecto in Walliam rege, regni habenas Londini restitans Walterus in palatio suo Carleolensi dicto cum abbate Westmonasteriensi moderatus est ad regis reditum, scilicet ad festum omnium Sanctorum. Quod sane & huic episcopo perhonorificum fuit, & summam in eo regis fidem demonstrat. At tum cùm omnia ei ex parte aulæ arriderent, sublimiora salutique viciniora cogitans, non solùm seculo se subducere, sed & infulam abdicare constituit. Pag. 477: » Anno » 1246 die apostolorum Petri & Pauli episcopus » Walterus apud Oxoniam seculum quod diu & » multum incoluerat, cum suis salutans secularibus, » Prædicatorum Fratrum habitum & ordinem, eo » quod timebat quod ingressum in ipsum episcopa» tum non habuerat legitimum suscepit, pallium » suum Ægyptiæ relinquens fugitivus «. Pag. 500: » Anno quoque sub eodem 1248 circa festum apos» tolorum Simonis & Judæ Walterus cognomento » Mauclerc episcopus quondam Karleolensis, cùm » laudabiliter finales vitæ suæ dies deposito gibbo » mundanarum solicitudinum & divitiarum termi» nasset viam universæ carnis est ingressus «. Ejusdem meminit noster Nicolaus Triveth in Chronico ad annum 1223. *Walterus Mauclerk fit episcopus Karleolensis*, inquit, *qui post aliquot annos impetrata a D. papa cedendi licentia ordinem Fratrum Prædicatorum ingressus est, nulla sibi de episcopatu provisione penitus reservata, qui inter Fratres in conventu Oxoniæ religiosa conversatione consenescens multa in ædificiis & aliis memoranda reliquit.* Meminit & Godwinus de Præsulibus Angliæ in Carleolen. sed in pluribus ex Matthæo Parys & Triveto relatis emendandus. Pitseus recenset inter scriptores Anglos Append. p. 848 sacræ theologiæ magistrum fuisse asserens. *Jam verò*, inquit, *quid egregius iste doctor scripserit, prorsus hactenus non invenio: nam vel ipsi operum tituli periisse videntur, saltem mihi nequaquam inveniuntur.* Joannes Henricus Heister in opusc. suo de suffraganeis Coloniensibus, putat fuisse Engelberti archiepiscopi Coloniensis suffraganeum, quod ex mox relatis falsum evincitur. Verum est in ea legatione qua pro Henrico III anno MCCXXIII functus est, Coloniam accessisse, ibidemque de licentia archiepiscopi in ecclesia SS Apostolorum capsam quamdam benedixisse, in ea plures sacras reliquias condidisse, eaque ratione indulgentias certis diebus concessisse, sed hæc in transcursu. Heisterus litteras super his confectas refert. Pr.

Walterus Dei gratia Karliolensis episcopus &c. Finis. *Acta sunt hæc anno Dñi* MCCXXV *idus julii.*

Videsis etiam antiquas constitutiones regni Angliæ Londini editas in fol. 1672 fol. 100. b.

F. GUILLELMUS ANTARADENSIS.

* 1248.

F. GUILLELMUS ANTARADENSIS episcopus ab Ecclesia cui præfuit sic nuncupatus, origine enim Gallus fuit, sub Innocentio IV claruit, & ab eo summo pontifice cum F. Hugone de Sancto Charo cardinali delegatus est ad regulam Fratrum Carmelitarum recognoscendam & molliendam: de quo sic Bernardus Guidonis in chronico summorum pontificum: *Anno Dñi* MCCXLVII *in Kal. octobris Innocentius papa pontificatus sui anno* V *confirmavit regulam Fratrum ordinis de Carmelo modificatam ex commissione ejusdem per D. Hugonem presbyterum cardinalem tituli S. Sabinæ, & per F. Guillelmum episcopum Anteradensem ex prima regula ipsorum, quam dederat eis Albertus patriarcha Hierosolymitanus.* Partim igitur opus illius est.

Regula Fratrum Carmelitarum mitior facta.

Antaradus Græce Ἀντάραδος civitas est Phœnices maritimæ contra insulam Aradon sita ad Eleutherum fluvium, cujus episcopus Græcus Tyri archiepiscopo suffraganeus erat: at tempore cruciatarum cùm Latini has Asiæ regiones invaserunt, & Antiochiæ patriarcham Latinum instituerunt, inter suffraganeos episcopos quos ei dederunt, Latinum episcopum Antaradi eidem subjecerunt, resque adhuc in eo statu erant medio seculo XIII. Corrupte hanc diœcesim scribunt Leander Albertus vocans Antacanensem, Lusitanus in chron. ad 1240 p. 67 Aniacatensem: Pius P. II p. 56 Antacanensem: paulo rectius Fontana in Theatro, & Altamura ad 1248 Anteradensem. Hic ultimus Guillelmum hunc vult ad annum usque MCCLXIII vixisse.

F. RAINERIUS LOMBARDUS.

* 1248.

F. RAINERIUS LOMBARDUS natione a quibusdam dictus, certò Italus, vir natalibus, doctrina, pietate, ac agendorum peritia commendatus, medio circiter seculo XIII claruit: qui ob eximias animi dotes Gregorio IX in primis acceptus S. R. E. vicecancellarius institutus est anno pontificatus sui XI, Christi MCCXXXVII. Exinde mortuo Lugduni anno MCCXLVII cùm aula ibidem Romana moraretur, Joanne de Montelaureo vernacule *de Montlor* Magalonensi episcopo, ei pro jure de morientibus in curia, ab Innocentio IV suffectus est Rainerius, qui eam jam Ecclesiam inviverat mense decembri MCCXLVII. At dum sponsæ suæ ornandæ optimisque fovendæ institutis totus incumbit, ab æmulis & invidis horrendo æternique silentii tenebris involvendo sacrilegio e vivis eripitur idibus januarii MCCXLVIII. Chronologiam sequor Petri Cariel canonici ecclesiæ Montispessulani in sua episcoporum Magalonensium serie, in qua Joannem de Montelaureo adhuc anno MCCXLVII viventem exhibet. Octodecim mensibus Magalonæ præfuisse vult quidem Fontana, sed & id facile conciliatur, si ratio habeatur styli ejus seculi quo annus incipiebat in illa regione a XXV martii. Sic enim idus januar. quo die mortuus est & stylo ejus ætatis dicebatur adhuc MCCXLVIII, stylo nunc vulgato est MCCXLIX. Si ergo ponatur constitutus

SEC. XIII. episcopus mense julio MCCXLVII, constant & XVIII menses episcopatus Rainerii, & eodem anno mense junio vel maio in vivis adhuc esse potuit Joannes. Bernardus Guidonis sic habet inter episcopos ex ordine; *F. Rainerius ecclesiam Magalonensem gubernavit. Hic fuerat vicecancellarius in curia Romana. Ejus feruntur acta plura*

1. *Statuta synodalia pro cleri populique sui recto regimine.*

2. *Compositio cum abbate Francarum vallium 3 id. dec. 1247.*

3. *Erectio officii vestiarii in beneficium 21 decemb. 1247. Erant Ecclesiæ suæ canonici regulares.*

4. *Permutatio quarumdam Ecclesiarum cum præposito & canonicorum suorum collegio 16 Kal. april. 1247 id est stylo novo 1248.*

Quæ omnia videsis apud citatum Petrum Cariel.

5. *Dictionarium varia eruditione refertum.*

FF. ANSELINUS, ALBERICUS, ALEXANDER & SIMON.

1249. F. ANSELINUS LOMBARDUS, ALBERICUS, ALEXANDER & SIMON de Sancto Quintino Gallus quatuor a nobis unà junguntur, quia omnes quatuor nuncii in Orientem ab Innocentio IV missi sunt. De qua legatione sic habet Tholomæus de Lucha Hist. Eccl. Nov. ad annum MCCXLV post relata acta concilii Lugdunensis: *His temporibus summus pontifex Innocentius Fratres Prædicatores mittit ad Tartaros pro ipsorum conversione ad fidem. Inter quos Fratres Prædicatores & Minores duo erant principales: quia de Prædicatoribus F. Anselinus Lombardus, de Minoribus F. Joannes de Plano &c.* Tres priores Bzovius Polonos fuisse vult, sed post testimonium Tholomæi negari nequit Anselinum Lombardum fuisse non Polonum, cujates fuerint Albericus & Alexander vetera documenta non produnt: Simonem de Sancto Quintino a patria scilicet Augusta Veromanduorum sic nuncupatum mos ejus ætatis evincit. Emendandi autem veniunt recentiores quidam, qui Minores duos iis junctos putant, unàque omnes eamdem viam arripuisse asserunt, quod longe distat a vero & ex itinerum relatione falsum evincitur. Nam F. Joannes de Plano Carpin suæ legationis caput, & F. Benedictus Polonus ejus socius ambo Franciscani per Bohemiam, Silesiam, Poloniam, Russiam, Kioviam iverunt, exinde Tartarorum regionem emensi ad ipsum magnum *Chan Cuine*, sive *Gogcham* recens electum pervenerunt. Anselinus verò cum sociis mare conscendit, & primò Aconem seu Ptolemaida appulit, tum per Armeniam, Georgiam, Tiflis, in Persidem profectus est, neque enim ad magnum *Chan*, sed ad propinquiorem apud Persas Tartarorum exercitum, ejusque ducem *Baiothnoi* ibi agentem se nuncium missum protestatus est semper, & revera accessit: ut eum juxta mandata in Christianas provincias sævientem demulceret, & ad fidem adducere conaretur. Quo in itinere eundo & redeundo tres annos & septem menses insumsit, illud aggressus circa julium anni MCCXLV, & ad finem anni MCCXLVIII aut initium sequentis tantùm Lugdunum reversus. FF. Albericus & Alexander tribus annis cum eo steterunt tantùm, alicubi forsan in reditu detenti: F. Simon de Sancto Quintino duobus annis & sex septimanis. Quidam alii ex nostris huic legationi se junxerunt, F. Andreas de Longiumello celebris jam antea in Oriente missionarius, de quo postea ad annum 1253, & F. Guiscardus de Cremona, quem Tiflis transeundo secum assumserunt, ut harum regionum peritum: hic mensibus quinque tantùm cum illis fuit, quia in reditu Tiflense cœnobium nostrum, ubi jam annos septem transegerat repetiit. An Anselinus posteà in Tartariam redierit, etsi verisimile, cùm videam & nostros & Minores ex quo semel ad infideles perrexerant, salutis eorum siti succensos eas missiones ardentius appetivisse: ut & an martyrium ibidem passus sit, uti Bzovio placet & Fontanæ in Monum. ad 1255, cùm nullo ejus ætatis documento probetur, malim cum Malvenda in Ann. ad 1245 cap. 16 sub dubio relinquere. Reversus F. Simon de Sancto Quintino scripsit

Hoc iter Persicum F. Anselini & sociorum suorum, quod ab eo acceptum Vincentius Bellovacensis inseruit Speculi historialis lib. 30.

Et quidem ita Simonis quoad stylum hanc relationem esse intelligo, ut & alii nuntii præsertim Anselinus quoad acta suam partem habeant. In Elencho codd. MS Belgii a Sandero edito P. 1 pag. 130 n. 6 inter Vedastinos sic legitur

Gesta Tartarorum a F. Joanne de Plano Carpini & F. Benedicto Polono de ordine FF. Minorum: F. quoque Acelino de ordine Fratrum Prædicatorum & tribus aliis ejusdem societatis a summo pontifice ad exercitum illorum missis descripta. Itaque utrumque iter hoc codice comprehenditur. Prodiit utrumque Gallice versum cum itinere etiam F. Guillelmi de Rubruquis & aliis rerum Tartaricarum tractatibus interprete Petro Bergeron. Parisiis. Ludov. Heuqueville 1634. 8.

F. HUGOLINUS DE ARIMINO.

F. HUGOLINUS DE ARIMINO Italus *Æmilius* a patria cognomen sortitus, inter viros seculi XIII illustres meritò censetur, cùm Gregorio 1249.
IX ita placuerit, ut ab eo ad Ariminensis Ecclesiæ infulas evectus fuerit anno circiter MCCXXXII, quam cùm pluribus annis sanctissime rexisset, ad meliora transivit anno MCCXLIX. Concilio Lugunensi I adfuisse volunt. Ejus meminerunt Ughellus Ital. Sac. T. II, Pius P. II, Fontana in Theatro Olmedam citans in actis magistri ordinis IV F. Joannis Teutonici & alii. At quem inter episcopos hactenus numerarant, Rovetta etiam scriptoribus accenset ad 1246, ut a quo hæc prodierint opera

Summa theologica brevis.

Compendium sacrorum canonum.

Sermones de tempore per annum.

Qui si ubi serventur addidisset, aut a quo visa, rem nostram litterariam non parum juvasset.

F. GAURITIUS.

F. GAURITIUS de quo nulla apud nostros hactenus notitia, hîc laudatur ex fide Thomæ 1249.
James, qui in Ecloga Oxonien. p. 2 inter codd. MS collegii novi n. 18 sic legit

Gauricius forsan Mauritius in Isaiam & Jeremiam & Baruch. Erat hic de ordine Prædicatorum. Scripsit autem anno Dñi 1249. Hoc notandum ex hoc libro. In amplo autem codd. MS Angliæ catalogo T. I P. II n. 1004 sic tantùm habetur, *Guaritius* vel Gauritius *in Isaiam & Jeremiam scripsit anno Dñi 1249.*

Diligentius codicem explorari cuperem, quod si quis curiosus Anglus suscipiat, gratiam non mediocrem habebimus.

F. MONETA CREMONENSIS.

F. MONETA CREMONENSIS inter primos ordinis sodales illustre sibi fecit nomen: de quo † 1250.
sic legitur in vitis Fratrum P. IV cap. 9. » Cùm sanctæ memoriæ F. Reginaldus quondam Aurelianensis « decanus Bononiæ ferventer prædicationi insisteret, «

» & plures magnos clericos & magistros attraheret, magister Moneta qui tunc in artibus legens in tota Lombardia famosus erat, visa conversione tantorum, cœpit timere valde, ne caperetur in sermone illius: unde eum quantum poterat declinabat, & omnes scholares suos & verbo & exemplo avertebat a prædicatione ejus. In festo autem B. Stephani cùm scholares magistrum prædictum ad sermonem attraherent, nec ipse vel propter scholas, vel propter aliud excusare se posset, dixit eis: Eamus prius ad sanctum Proculum, ut audiamus missam. Iverunt igitur, & non tantùm unam, sed & tres audierunt. Tunc instantibus illis ait, eamus nunc ad sermonem. Veniens ergo invenit eum adhuc prædicantem, & majorem ecclesiam ita plenam, quod intrare non potuit. Unde stans ad fores ecclesiæ, & ascultans, in primo verbo est captus, quod tale erat: Ecce inquit, in præsenti in evidenti aperti sunt cœli ad introeundum; quilibet si vult potest per januas apertas intrare. Videant & timeant miseri negligentes, ne eis qui Deo claudunt cor suum & os & manus, regnum cœlorum claudatur, & introire non possint. Quid igitur carissimi tardatis? ecce aperti sunt cœli. Finita ergo prædicatione venit ad eum magister prædictus compunctus verbo Dei, & ei statum suum & occupationes exponens, in manibus ejus professus est. Et quia erat multipliciter impeditus, de licentia ipsius F. Reginaldi per annum & amplius remansit in habitu seculari, non inutiliter tamen. Sicut enim multos prius ab ejus prædicatione averterat, sic postea quamplures non solùm ad prædicationem sed etiam ad ordinem adduxit. Trahebat eos ad sermones, & modo hunc modo illum ad ordinem inducebat, & cum singulis quasi de novo profitebatur. Ingressus autem ordinem qualis in omni sanctitate fuerit, quantum in verbo & doctrina, & hæresum confutatione profecerit, non de facili scribi posset.

Festum S. Stephani MCCXVIII unicum est quod Bononiæ Reginaldus egit, ac proinde dies quo in ejus manibus votum ordinis amplectendi Moneta labiis suis distinxit: cùm verò nonnisi post annum & amplius vestem induerit, recte id revoces ad quadragesimam circiter anni MCCXX. Eum verò pluribus commendat Leander Albertus fol. 184 a. dicens » sanctitate conspicuum, doctrina sacra politissimum, magni consilii, fidei pugilem egregium, maximis etiam fulsisse miraculis, qui theologiam in pluribus Lombardiæ cœnobiis diu utiliterque & cum omnium laude docuit: ad quem etiam & videndum & audiendum Bononiæ commorantem Romani proceres, litteratique alii viri solerent accedere: qui tandem assiduitate studii lacrymarumque frequentia, quas devotionis affectus elicere solebat, velut alter Didymus oculis corporeis captus, lumine tamen intellectus optime vigens, multo tempore sic cæcus, in consiliis strenuus, & in omni sanctitate & patientia vitam ducens; optimumque aliis exemplum præbens bono & sancto fine quievit.

Annum mortis nemo certo refert, sed ex relatis Leandri verbis seculi XIII medium circiter attigisse facile conjicias. De eo sic lego apud Salanhacum P. III tit. Viri illustres in scriptis: *F. Moneta natione Lombardus, qui contra machinationes hæreticorum maximam & validissimam Summam scripsit: & in hujus lecto decubuit B. Dominicus, quando ad Christum migravit, quia lectum proprium non habebat: & in ejus tunica, quia cum qua mutaret eam quam diu portaverat, aliam non habebat, ut ab ipso F. Moneta narrante audivi.* Operis ejus hîc laudati insigne exemplum est Parisiis in Regia cod. MS. memb. fol. par. n. 4522. Pr.

Incipit Summa contra Katharos & Valdenses compilata a Fratre Moneta ordinis Prædicatorum ad fidei catholicæ corroborationem & eradicationem hæreticæ pravitatis, ad honorem & gloriam Jesu Christi & B. Dominici institutoris præfati ordinis.

Incipit præfatio. Tempus faciendi Domine dissipaverunt legem tuam &c. & post plura. *Quia dissipaverunt hæretici legem ejus, tempus quoque est propter eamdem causam faciendi hoc opusculum ex testimoniis divinis mihi gratia sua inspiratis, suffragante...... instantia, de copia meritorum B. Dominici patris mei, cujus totum fuit desiderium & conatus per se suosque filios spirituales spretis seculi nugis demoliri opere & sermone hæreticorum dogma perversum, & beatam credulitatem fidelium adaugere: ad quod felicius consummandum, Sancti Spiritus consilio fretus, primus primum Prædicatorum excogitavit ordinem & erexit. Cujus ordinis devictus precibus, adjutus meritis, & documentis edoctus, imbecillis athleta ecce vibrare audeo gladium verbi Dei in confutationem hæresum, ad robur fidei catholicæ, Ecclesiæ firmamentum. Unum interea peto a lectoribus hujus operis, ut si qua argumenta, vel responsiones contra hæreticos sibi visa fuerint debilia, non me mordeant, sed potius inexperientiæ suæ contra hæreticos, quod sibi talia videntur, ascribant: ubi contra me viderint ponere argumenta aliqua contra Ecclesiam aut responsiones pro hæreticis, non me lacerent dicentes ea non ab hæreticis duxisse originem, sed me proprio ingenio adinvenisse hujusmodi, quæ possent nutrire & augere hæreticam pravitatem, quia vel ex ore eorum vel ex scriptis suis illa habui.* Opus sane non satis commendandum, quodque typos mereretur. Codex iste regius ætatis videtur auctoris, initio a vetustate & situ paululum detritus, adeo ut primam paginam difficile legas.

Archetypus auctoris ætate Leandri citati Bononiæ apud nostros adhuc integrum erat. Exemplum etiam extabat Neapoli in S. Dominici a Lusitano visum. Extabat & simile Viconii apud Præmonstratenses ad Valencenas ab Alva visum & laudatum Sol. verit. Rad. 154 col. 1323. Recensetur etiam a Tomasino in SS. Joan. & Pauli Venetiis P. alt. plut. 2. Meminerunt Laurentius Pignon n. 76: *F. Moneta Lombardus scripsit librum de sectis hæreticorum.* Ludovicus a Valleoleti n. 63: *F. Moneta fecit summam pulcherrimam in quinque libros discretam ad corroborationem fidei catholicæ & eradicationem hæreticæ pravitatis, & specialiter contra hæreticos Catharos & Waldenses. Incipit. Tempus faciendi Dñe &c.* Raphael de Pornasio Tractatu de hæresibus post Christum. Hæresi 87. Simlerus ex Dresseri catalogo codd. MS Germaniæ: Possevinus: Fernandez: Altamura ad 1221: Rovetta ad 1235: & alii.

Apud Bandellum de concept. B. V. cap. 23 edit. 1481 gravissimum erratum, quod censuerim typorum, subrepsit, ubi hæc verba veluti Monetæ lib. 3 cap. 3 referuntur: *Solus Christus in quantum homo semper fuit ab omni peccato immunis, & ideo per gratiam unionis fuit semper filius etiam adoptivus Dei.* Quæ ultima verba plane hæretica, nec sic scripta a Bandello, certo non a Moneta, qui sic habet loc. cit. *Alii autem homines ideo dicuntur filii Dei gratia adoptionis, quia cùm essent non filii Dei, imo filii iræ, ut dicit apostolus, per gratiam Dei facti sunt de non filiis Dei filii ejus. Christus verò in quantum homo semper fuit ab omni peccato immunis, unde nunquam ille fuit nisi filius Dei. Nec est ergo factus de non filio Dei filius Dei, & ideo non potest dici filius adoptionis, sed potius gratia unionis.*

Compendium logicæ propter minus eruditos a Moneta editum laudat Lusitanus, quod forsan alicubi ab illo visum.

F. NICOLAUS DE BYART.

F. NICOLAUS DE BYART vir quantum sua tempestate clarus, tantum nunc ex oscitatione scriptorum obscurus. Mirum enim quam varie agnomen ejus lacerent, alii *de Briacho* cum Lusitano, *Baiardum* alii cum Pitseo efferentes: patriam au- * 1250

Sæc. XIII. dacter asserant, *Anglum* cum eodem Pitseo absque teste censentes: ætatem perperam indicent, ad seculum XV revocantes: in lucubrationibus solis recensendis utcunque accuratiores. Quod non aliunde evenit, quàm quod compendio studentes & celeritati, vetera monumenta, quod longius & tædiosius, evolvere neglexerunt. Gallus itaque fuit Byartus, teste Bernardo Guidonis vel eo saltem qui proxime ei succenturiavit, medioque circiter seculo XIII claruit, inter celeberrimos ejus ætatis concionatores habitus: idque ex eo evincitur, quod in collectionibus sermonum ejus seculi hactenus in Sorbona servatis, fere innumeri ejus sint cum sermonibus Guillelmi de Arvernia episcopi Parisiensis, Odonis de Castro Radulphi cardinalis legati, Guiardi ex cancellario Ecclesiæ Parisiensis Cameracensis episcopi, Guillelmi nostri Lugdunensis seu de Peraldo, & aliorum similium pulpiti ecclesiastici luminum regnante Ludovico IX Francorum rege sanctorum in album postea relato, Parisiis fulgentium permisti. Religionis vinculis astrictum fuisse invicte probat nomenclatio *Fratris* ejus nomini semper & ubique præfixa: difficultas esse potest an noster fuerit an Minorum? Nam ut ingenue fatear, in nullo antiquo codice legi quod fuerit ordinis Prædicatorum, imo excepto unico codice de quo mox, in omnibus quos viderim codicibus, & sane quamplurimos vidi, non aliter effertur quàm *F. Nicolaus de Byart*, absque addito. Nostrum tamen dicere cogit auctoritas Bernardi Guidonis citati, qui sic de eo habet inter scriptores ordinis: *F. Nicolaus de Viardo* (sic in cod. Tolos.) *de Biardo* (sic in Carcasson. & Rutep, sed idem est *b* in *u*) *Gallicus* (scripsit) *sermones & distinctiones utiles & morales*, *& summam de abstinentia*. Excipiunt Leander Albertus *fol.* 144. *b.* sed delusus cùm refert ad 1439 ducentis circiter annis antiquiorem; Lusitanus ex *prima parte Monum. ord.* ætatem sapientius non addens, in quo sequacem habet Possevinum, qui tamen fallitur cùm de *Briatho* nuncupat; Altamuram omitto qui cum Pitseo & *Anglum* & ad 1410 refert. Favet aliunde Wadinghus suis non accensens Minoribus. Cùm enim vir clarissimus fuerit, vix concipi potest Byartum ab eo non vindicatum & assertum, si veste Franciscana ornatus fuisset. Hæc sunt autem ejus opera.

1. *Distinctiones.* (seu conceptus prædicabiles) Princ. *Absconditur malum a diabolo sub delectatione sicut pedica sub folio &c.* Prostabat venalis Parisiis ante 1303 & anno ipso 1303, ut constat ex duplici catalogo codd. mss. tum venalium in *libro* quem vocant *Rectoris universitatis Parisiensis* hactenus servato. Laudantur duo harum distinctionum exempla in Bibl. S. Antonii Patavina apud Tomasinum pagg. 58 & 59. in catal. Anglic. T. I P. I. 2347. P. II 534, 719, 2286. P. III 2033. Parisiis in Victor. cod. 103. fol. par. memb. Ad calcem: *Expliciunt distinctiones F. Nicolai de Byard*, nec quid amplius. In Sorbona sunt duo exempla. I. fol. par. memb. n. I pag. 153. alterum in 4. n. I pag. 1035 memb. In Navarra, duplex. Primum fol. par. memb. In isto ut & in omnibus præcedentibus titulus: *Incipiunt Distinctiones Fratris Nicolai Byard.* In fine: *Expliciunt distinctiones Fratris Nicolai de Byard.* Absque addito. Initio: *Istum librum emi ego Guillelmus abbas Dolensis Parisius A. D.* MCCCLXXXVI, sed codex est sane antiquior. Alterum verò Navarrici gymnasii exemplum elegans sane & elegantissimo charactere Gothico in membr. scriptum fol. par. titulum sic habet: *Incipiunt distinctiones Fratris Nicolai de Biardo ordinis Fratrum Minorum.* Finis. *Expliciunt Distinctiones Fratris Nicolai de Biardo. Deo gratias.* Eodem volumine habetur aliud opus eadem eleganti manu scriptum, & est commentarium super Decretalem de summa Trinitate & fide catholica a Fratre Jacobo B. Proculi Bononiensis monacho compilatum anno primo Pontific. Urbani papæ IV & Ottobono diacono cardinali S. Adriani nuncupatum.

Codicem ætatis auctoris nolim omnino præstare, sed sane non admodum posterior est. An autem propter hanc in unico codice hactenus viso ordini Fratrum Minorum attributionem, quæ potest esse notarii visio, a nostris excludendus sit Biardus, quibus accenset Bernardus Guidonis, & Fratribus Minoribus restituendus, qui huc usque suum esse ignorarunt, nec inter suos numerarunt, peritiorum esto judicium. Illud solum perpendant, quî fieri potuit, ut virum sua ætate nominatissimum ita nescire potuerint, ut nulla sit in eorum annalibus memoria. Si tamen revolutis veteribus suis monumentis suum probaverint, quin recipiant, nulla erit in me mora, qui uni veritati litare didici.

Addo solùm in Sorbon. esse exemplum non harum distinctionum, sed aliarum quæ incipiunt *Abjicere. Abjicit.* Ad cujus calcem sic legitur: *Expliciunt distinctiones F. Nicolai de Byart*, sed manifestum est erratum amanuensis: sunt enim certo hæ distinctiones F. Mauritii ejusdem ætatis concionatoris celebris. Id monendus fuit lector, ne hac inscriptione fallatur.

2. *Sermones de tempore seu de Dominicis.* Princ. *Preparate corda vestra Domino &c.* & de SS. Prostabant venales Parisiis ante 1303 & eodem anno 1303 ex Libro Rectoris supra citato. Recensentur in catal. Anglic. saltem priores T. II P. I. 848. Extant Parisiis in Sorbon. cod. MS. fol. mag. memb. n. I. pag. 939. Titulus: *Hi sunt sermones Dominicales Fratris Ni. de Biart, & primo quatuor historiales. Preparate &c.* ut supra. Postea *De sanctis.* A medio voluminis liber de conscientia Roberti de Sorbona, ut & alii tractatus & sermones doctorum ejus ætatis. Codex est elegans.

3. *Sermones varii* ejusdem extant in eadem Sorbon. variis concionatorum primi nominis seculo XIII medio clarorum sermonibus permisti. Hi a me visi codices n. I pag. 153 sex minimum. 253 ex legato Petri de Lemovicis plures de Byart. 945 plures. 953 item plures. 954 novem minimum. 978 quidam. 996 quamplures, inter alios fusior de B. Virgine, in quo tenet & probat sententiam de conceptione quam tenet S. Thomas, & ideo quis manu seculi, ut videtur, XV scripsit ad marginem: *Falsum.* Qui & ad marginem sermonis cujusdam ex ordine Prædicatorum anonymi eadem sentientis scripsit: *Mentitur.* quæ relative tantùm a me dicta sint, 1500 quidam. Codices illi omnes seculi XIII. memb. Concionatores autem in his laudati, & quorum habentur sermones, sunt Guillelmus episcopus Parisiensis, Philippus cancellarius, Guiardus ex cancellario Cameracensis episcopus, Guillelmus de Peraldo, Hugo de S. Charo, Petrus de Tarentasia, Guilbertus de Tornaco ord. Minor. Odo cardinalis de Castro Radulphi, Robertus de Sorbona, & alii medio seculo XIII clari, ut de ætate Byardi quin ea fuerit nullum sit dubium.

4. *Summa de abstinentia.* Princ. *Duplex est abstinentia detestabilis & laudabilis.* Sunt 133 vocabula. Ultimum: *Vita æterna.* Extat in Sorbon. fol. par. memb. n. I pag. 1019, sed absque nomine auctoris. In altera parte voluminis variorum sermones inter quos unus *in Parasceve F. N. Byart.* Codex est ex *legato Joannis de Essoniis socii Sorbon. qui vixit circa* 1278 *sub Odone de S. Dionysio provisore, & electo Parisiensi episcopo:* in Navarr. bis codd. MSS memb. uno in 4 par. altero fol. med. auctior 152 titulis constans. Cæterùm hæc Summa de abstinentia pluries a me visa sed semper absque nomine auctoris. Sic in Victor. cod. 1093 fol. par. memb. eleganti: item cod. 1112: item cod. 1114 ejusdem rationis: in quibus cùm auctor multa identidem misceat Galli-

ca, Gallum se prodit. Sic etiam prostabat Parisiis anno 1303 ex libro Rectoris Univ. Parif. Extat etiam Venet. apud SS. Jo. & Paul. Pl. 6 in 4 memb. Imo & pluries typis prodiit sub titulo *Dictionarius Pauperum*. Argentinæ Joan. Knoblouch 1518. 8. Et Parisius 1530. 8. Quæ editiones apud nostros Parisienses ad S. Honorat. Fortè sunt & aliæ. Etsi autem desit nomen *Byardi* seu in mss. seu in impressis, auctoritas Bernardi Guidonis ei ascribentis sufficiens videtur.

F. ROLANDUS CREMONENSIS.

† 1250. F. Rolandus Cremonensis a patria Insubrium seu Cenomanorum ampla & insigni civitate sic nuncupatus primos juventutis annos Bononiæ qua studendo, qua docendo transegit. Clarissimus autem philosophiæ professor per omnium ora volitabat, cùm Bononiam anno 1218 Decemb. 21 B. F. Reginaldus S. Aniani Aurelianensis antea decanus a B. Dominico Hispanias petente missus pervenit, & eam civitatem ardentibus suis concionibus totam commovit. Quibus allectus Rolandus ad ordinem ab eo recipi humillime petiit & obtinuit, quod anno MCCXIX evenisse circa quadragesimam verisimilius est. Exinde tum docendis Fratribus vel etiam externis, tum concionibus habendis occupatum ex instituto nostro facile conjicias. Comitiis generalissimis anno MCCXXVIII Lutetiæ a B. Jordano coactis, ad ea missum a sua provincia, cùm unus esset ex primoribus ex eo conjicio, quod cùm in iisdem Joannes de S. Ægidio, vel Ægidius Anglus sacræ theologiæ magister Parisiensis de quo supra in publicæ concionis quam in ecclesia nostra S. Jacobi habebat medio vestem nostram induisset, & postea lectiones publicas theologiæ habere perrexisset, sub eodem illo ipso anno Rolandus baccalaureus institutus sententias interpretari cœpit, & suo tempore licenciatus ac laurea donatus triennium prosecutus est, ultimo suo anno F. Hugonem de S. Charo sub se baccalaureum nactus. Anno MCCXXXI rude donatus Tolosam missus est, ubi duobus aut tribus plus minusve annis theologiam publice docuit apud nostros, sæpius unâ conciones habens, & adversus Albigenses Waldensesque, quorum hæresi primarii etiam urbis infecti erant, intrepide declamitans egregieque revincens. Anno MCCXXXIII mense octobri in Italiam jam redierat, ac sacræ fidei censor Placentiæ aliisque circumjacentibus urbibus a Gregorio IX institutus, hæreticos pro concione acerrime percellebat, quo in munere S. Petro Martyri præivit non secutus est, ut quibusdam incautis excidit, ita tamen ut in aliis civitatibus S. Martyr, in aliis Rolandus censuram hanc egerint. Quandiu autem in illo perseveraverit officio non plane liquet: verùm invictum se semper præstitisse adversus sectarios, & per ea tempora locaque sævientem Ezelinum pro fide & sede apostolica assertorem & vindicem ut Bzovius habet, indubium facile fuerit. Anno MCCXXXVIII quo Fridericus imperator Brixiam a mense Julio ad finem septembris obsedit, nec expugnavit, Cremonæ agebat Rolandus, & licèt podagra laborans, vividum se & promptum in omni scientia disputatorem præstitit, glorioso Cæsaris philosopho ad incitas redacto. Quo demum ille obierit anno & die variant auctores, quod certi nihil antiqua ferant ordinis monumenta. Leander Albertus, qui cætera de eo satis accurate agit, fol. 182 b. anno MCCLIX mortuum vult, excipitque Lusitanus, Pius & alii: sed pluribus annis antea puta circa annum MCCL jam obiisse censuerim, eo quod in vitis Fratrum, qui liber inchoatus est anno MCCLVI & finitus anno MCCLX mors Rolandi & F. Radulphi Faventini de quo supra testis in canonizationis S. Dominici processu, & F. Lamberti prioris conventus eodem anno Bononiæ ut jam aliquantulum antiqua narretur. Cùm autem μακαρίτης ille vir inter primos instituti ac præsertim scholæ nostræ fundatores numeretur, antiqua de eo ordinis monumenta ipso primigenio stylo, ut fidem faciant, hîc legere haud pigebit.

In vitis Fratrum P. 1 c. 5 §. 1: « Eo tempore quo Prædicatorum ordo tanquam pusillus grex erat & ut novella plantatio, in conventu Bononiensi suborta quædam tentationis commotio inter Fratres in tantum eos dejecit a pusillanimitate scilicet & tempestate, ut multi eorum conferrent ad invicem, ad quos ordines se transferrent, timentes ne tanquam res nova & modicum roborata in nihilum deveniret. Unde duo de majoribus impetraverunt literas a quodam legato, qui tunc erat in partibus illis, ut ad aliquod Cisterciensis ordinis monasterium transferre se possent. Quas literas cum F. Reginaldo quondam S. Aniani Aurelianensis decano, qui vicarius B. Dominici erat, repræsentassent, & ille in capitulo causam cum dolore multo exposuisset, fit fletus ingens, & commotio prædicta magis succrescere cœpit. Et F. Reginaldo in cœlum erectis oculis, & corde loquente ad eum in quo tota ejus fiducia erat; F. Clarus vir bonus & magnæ auctoritatis, & peritus in jure civili, qui etiam in artibus & jure canonico rexerat, & postmodum fuit prior provincialis in Romana provincia, & D. Papæ pœnitentiarius & capellanus, exorsus est loqui ad Fratres, & eos multis rationibus confortare. Vix sermonem compleverat, & ecce magister Rolandus Cremonensis, qui tunc regebat Bononiæ, cujus fama celebris & excellens in philosophicis habebatur, qui etiam postea primus inter Fratres in theologia legit Parisius, succensus spiritu Dei de mundo fugiens, solus venit ad Fratres, & quasi ebrius spiritu nulla prolocutione præmissa se recipi postulavit. F. autem Reginaldus præ nimio gaudio vestes alias non expectans, exuto suo caputio statim induit eum: & sacrista pulsante campanam, quæ viginti solidos imperialium solummodo constiterat, & Fratribus cantantibus, *Veni Creator*, licèt præ abundantia lacrymarum & gaudii ubertate cantare vix possent, fit concursus ingens virorum ac mulierum ac scholarium, & totius commotio civitatis: renovaturque devotio nova in Fratribus & omnis illa prior tentatio evanescit. Illi autem duo Fratres prosilientes in medium malefecisse fatentur, & renunciantes literis perseverantiam ordini profitentur ».

De quo rursus sic lib. 4 c. 7 §. 1: » Cùm magister Rolandus Cremonensis de quo in 1 libro supra facta est mentio, in festo quodam haberet de scarleto novas & pretiosas vestes, & in solemnibus epulis interfuisset cum sociis, & totam illam diem in ludis & vanitatibus, & hujusmodi vana gloria transegisset; in sero ad se reversus & tactus a Deo intrinsecus ait: ubi est festum quod fecimus, & lætitia illa tota quo abiit? Videns ergo quod omnis mundi lætitia cito transit & in dolorem convertitur, sequenti die ordinem est ingressus: in quo multis annis deservivit Domino sanctitate & fama & scientia & doctrina præclarus «. Qui Rolandi ad ordinem ingressus certo fuit anno MCCXIX, nam Radulphus Faventinus, qui eo anno suam parochialem ecclesiam S. Nicolai nostris cessit, simul seipsum ordini dedens, jam institutum erat amplexatus, & e præsentibus ad omnia narrata unus fuit. Hæc autem circa quadragesimam quæ accidit 20 febr. nam pascha fuit 7 April. evenisse vero propius: festum enim illud geniales & lætos ante sacrum illud pœnitentiæ tempus in

Sec. XIII. seculo solitôs dies satis indicat. Adde quod cùm S. Dominicus mense circiter augusto sequenti Bononiam accessit, magnum ibidem conventum Fratrum & numerosum invenit : vix igitur ad quadragesimam usque grex ille pusillus remansit.

In catalogo sacræ theologiæ magistrorum Parisiensium Salanhaci & Guidonis : 1 *F. Rolandus Lombardus Cremonensis, qui fuit primus licentiatus Parisius de ordine Prædicatorum.* 2 *F. Joannes de sancto Ægidio Anglicus, qui intravit ordinem Prædicatorum magister existens. Sub eo incepit præfatus F. Rolandus.* Hæc autem evenisse anno MCCXXVIII supra probatum est ubi de Joanne Ægidio. Additur postea *F. Hugonem de S. Charo incepisse sub F. Rolando prædicto.* F. Guillelmus Pelhisso de Tolosa vir egregius e primitivis ordinis & Rolando æqualis sic de eo in suo libello de initiis ordinis in Francia ac præsertim Tolosæ. *Anno* MCCXXI *absoluto priore F. Joanne* [de Johannina] *factus fuit post eum prior* [Tolosanus] *F. Petrus de Alesto. Legebat ibi tunc temporis theologiam magister Rolandus, qui venerat de Parisius, ubi fuerat factus magister in theologia.* Quæ probant quod diximus Rolandum incepisse Parisiis anno MCCXXVIII & anno MCCXXIX sub finem vel MCCXXX licentiatum sub se F. Hugonem de S. Charo Bacalaureum sententias legentem habuisse, cui locum relinquens anno MCCXXXI Tolosam venit studium recturus. Prosequitur Pelhissus : » Quadam autem » die cùm prædicaret quidam Frater noster dixit in » sermone suo, quod hæretici manebant in villa, » & faciebant ibi sua consilia & hæreses seminabant. Quod audientes homines de villa multum » fuerunt inde perturbati & commoti. Unde consules villæ vocaverunt priorem in domum communem, præcipientes ei quod diceret Fratribus, » quod de cætero non attentarent talia prædicare : » & valde pro malo haberent, si dicerent, quod » hæretici essent ibi, cùm nullus ut ipsi asserebant » inter eos esset talis : hæc & similia comminantes » intulerunt. Tunc Magister Rolandus hoc audito a » priore despexit & dixit, certe nunc oportet quod » nos magis ac magis contra hæreticos & eorum » credentes prædicemus. Quod fecit ipse & alii simul viriliter & potenter.

» In illis diebus mortuus est in Burgo Joannes » Petrus Donatus S. Saturnini canonicus & sepultus cum superpelliceo in claustro, qui prius hæreticus fuerat nescientibus canonicis ; quod ut audivit magister Rolandus cum Fratribus & clericis » illuc advenit, & eum extumulatum trahi fecerunt » ad ignem & combustus est.

» Eodem tempore est mortuus in dicto burgo » quidam hæreticus Galvannus nomine archimandrita magnus Valdensium, quod magistrum Rolandum non latuit, & publice hoc retulit in sermone. Et convocatis Fratribus & clero & aliquibus de populo, iverunt confidenter ad domum ubi » dictus hæreticus obierat, & eam funditus destruxerunt, & fecerunt eam locum sterquilinii : & » dictum Galvannum extumulaverunt, & de cemeterio Villænovæ, ubi sepultus fuerat, extraxerunt : » corpus verò illius per villam cum ingenti processione traxerunt, & in loco communi extra villam » combusserunt. Hoc ad laudem D. N. J. C. & » B. Dominici actum est, & ad honorem Romanæ & » catholicæ Ecclesiæ, matris nostræ. A. D. M CC XXXI.

» Eodem tempore defuncto D. Fulcone episcopo Tolosano in die Natalis Domini sub eodem » A. D. M CC XXXI electus in episcopum Tolosanum » D. F. Raimundus de Miromonte prior provincialis, & intronizatus in sede, dominica quarta quadragesimæ, qua cantatur *Lætare Hierusalem,* » MCCXXXII & Frater Romæus [*Catalanus de quo postea*] factus est prior provincialis in provincia « Provinciæ «.

In illis diebus (*nempe* MCCXXXIII *ut habet Salanhacus*) absolutus est a prioratu F. Petrus de Alesto, & M. Rolandus recessit Tolosa, & ivit ad « terram suam, & in loco ejus legit theologiam in « Tolosa M. Joannes de S. Ægidio &c. qui magister fuerat in theologia Parisius cathedralis : & « F. Pontius de sancto Ægidio factus fuit prior Tolosæ « : qui juxta catalogum Priorum ejus conventus apud Salanhacum æqualem, fuit electus *prima vice anno* M CC XXXIII.

Sic autem Petrus Maria Campi Histor. di Piacenza lib. XVII p. 149 ad annum 1233 refert ex Ghronic. Placent. antiquo MS & ejus ætatis : » Eodem anno 1233 de mense Octob. cùm F. Rolandus de Cremona ordinis Prædicatorum prædicaret in platea majoris ecclesiæ Placentiæ magnæ « multitudini clericorum, monachorum & laicorum : ecce multitudo hæreticorum cum aliquibus « fautoribus eorum advenientes, cum lapidibus & « gladiis percusserunt ipsum F. Rolandum, [*inquisitorem scilicet*] & etiam quemdam monachum S. Savini vulneraverunt ad mortem. Et « tunc Jacobus Maynerius de Mediolano erat potestas Placentiæ, qui præsens fuit ad prædicta. « Sequenti verò die dictus potestas cum judicibus « & militibus suis, & cum multis hæreticis & culpatis in hoc, de mandato & exhortatione R. D. « Vicedomini tunc episcopi Placentini, capti fuere « & incarcerati : deinde ex jussu præfati D. episcopi, & exhortatione præfati F. Rolandi missi fuerunt ad D. Papam. «

Ex eodem Campio p. 154 seq. hoc munere fungebatur Inquisitoris ibidem etiamnum anno 1235.

Salanhacus & Bernardus Guidonis in catalogo scriptorum : » Cùm F. Rolandus semel existens Cremonæ audisset a Fratribus quibusdam venientibus de exercitu Frederici tunc obsidentis Brixiam, quod philosophus ejus multum eos confuderat de sua philosophia, de qua nescciverant respondere : succensus zelo ordinis, dixit, sternite « mihi asinum, podagricus enim erat, & pedes « ire non poterat. Quod cùm factum fuisset intrans « exercitum super asinum cum quibusdam Fratribus « incepit quærere ubi esset ille philosophus : & congregatis multis qui eum noverant & honorabant, « magnis & honoratis verbis convocato philosopho « dixit ei : Ut scias tu magister Theodore, quod « ordo Prædicatorum habet philosophos, ecce do « tibi coram istis optionem, ut objicias vel respondeas de quacunque philosphia volueris. Qui cùm « elegisset respondenti objicere, ita gloriose unica « disputatione de eo triumphavit, quod ad magnam gloriam cessit ordinis & honorem «. Quæ probant eum anno MCCXXXVIII Cremonæ arthritide laborantem egisse, eo enim anno Brixiam obsedit Fredericus imperator a mense julio ad finem septembris, sed incassum castra movere re infecta coactus. Videsis Odor. Raynaldum ad eum annum n. 71.

Tandem de ejus obitu sic habetur in vitis Fratrum lib. 5 c. 4 §. 14 : » Cùm F. Rolandus doctor quondam Parisius theologiæ infirmaretur Bononiæ, lector Fratrum vidit in visu noctis, quod « B. Dominicus scribebat tribus scilicet, R. & R. « & L. Idem alia vice videbat quod dictus F. Rolandus in camera pulcherrima & tota depicta manebat. Hæc autem duo pluribus Fratribus revelavit, antequam Fratrum aliquis moreretur. Post « paucos autem dies sancto fine defuncti sunt F. Rolandus primus, & F. Radulphus, qui fuerat ecclesiæ B. Nicolai capellanus secundus : & tertio « F. Lambertus, qui erat prior Fratrum discretus « vir & devotus. &c. hæc ipsi qui viderant retulerunt. «

Qui narrandi modus rem non recentem sed a quibusdam saltem annis præteritam antequam liber ille scriberetur scilicet ante MCCLVI indicat ac circiter MCCL.

Denique de ejus operibus Salanhacus citatus: *F. Rolandus natione Cremonensis, in seculo magnus philosophus, & primus de Fratribus ordinis Prædicatorum licentiatus & doctor Parisius. Hic*

Summam quam fecit philosophiæ sale condivit.

Erat enim in theologicis ac philosophicis ad plenum eruditus. Ludovicus a Valleoleti in sua tabula n. 66. sic habet: *F. Rolandus Cremonensis fecit*

Summam notabilem de theologia ac philosophia.

Quæ nisi alicubi lateat in scriniis, injuria temporum & lapsu perierit. Ejus meminerunt Altamura ad 1218, quo nondum ordini nomen dederat, Rovetta ad 1224. At præter antiquos hîc citatos legendi potissimum F. Ubertus Locatus in sua *Histor. Placent.* F. Cyprianus Uberti Vercellensis inquisitor in *Indice Inquisitorum ordinis*: Malvenda in *Annal. ord. ad 1234 c. 6 p. 533* qui circa annum 1234 Rolandum generalem in Lombardia Placentiæque inquisitorem institutum aiunt, ex quibus alios emendes.

F. PETRUS FERRANDI.

† 1250. F. PETRUS FERRANDI a quibusdam *Ferdinandus* sed corrupte agnominatus Hispanus laudatur in *vitis Fratrum lib. 5 c. 8 §. 12* in antiquo meo MS ubi sic de eo F. Ægidius Lusitanus ad magistrum ordinis quintum V. M. F. Humbertum de Romans scribens: *Cùm F. Petrus Ferrandi qui a puero in ordine sanctissime nutritus fuerat, qui & vitam B. Dominici P. N. descripsit, & doctor in multis locis Hispaniæ multis annis extiterat, tandem cùm apud Zamoram infirmaretur, quidam devotus Frater vidit ipsum supra montem altissimum stantem, & faciem ejus resplendentem ut sol, & a dextris & a sinistris ejus duos juvenes stantes splendidos nimis. Cùm autem die sequenti Frater mihi tunc ibi existenti* (inquit Ægidius) *visionem hanc dixisset, quam viderat, intellexi F. Petrum in proximo moriturum &c.* & post plura: *Tunc rogavit me, ut Fratres omnes ad eum vocarem, quibus astantibus ait: Fratres, non est ordo quem Deus tantum diligat, tenete eum, & iterum ait: Quidam magnus odit Sion, sed nihil Fratres timeatis, quia vobis nocere non poterit. Finitis his verbis coram omnibus in Domino obdormivit.* Cùm autem hæc se provincialem præfectum in Hispania agente accidisse narret dictus B. Frater Ægidius, munusque hoc a MCCXLIX ad MCCLXI gesserit, ut postea ubi de eo ex actis capp. genn. probabitur: aliunde quæ in vitis Fratrum ad ven. Humbertum scripta referuntur, ad eum inter MCCLVI & MCCLX, quo liber ille in cap. gen. Argentinæ approbatus missa fuerint, facile colligitur Petrum Ferrandi ante MCCLX & post MCCXLIX ad superos abiisse. Zamorensium nostrorum apud quos sepultus, diligentiæ erit diem & annum mortis accuratius investigare nosque docere. Petri nostri meminerunt Leander Albertus *fol. 152 b & fol. 196 a.* Lusitanus, Joannes Marieta *fol. 209*, Pius *P. II lib. 1 col. 83*, Fernandez, Castillus *P. 1 lib. 1 c. 59.* Altamura ad 1259 & alii inter quos Malvenda præsertim legendus p. 530. De eo etiam agit Vossius *De Histor. Lat.* inter Historicos incertæ ætatis *p. 716 Edit. 1651* quos ex a nobis allatis emendes. Prodiit itaque ab eo scripta

Vita B. Dominici ordinis FF. Prædicatorum institutoris. Princ. *B. Dominicus adhuc puerulus sub nutricis custodia constitutus &c.* Hanc vitam Malvenda citatus ex Bernardo Guidonis in commentario de rebus ordinis dicit fuisse in capitulo generali approbatam, sed quodnam illud capitulum non indicat: commentarium autem illum Guidonis mihi videre non licuit. Cæterùm vita illa videretur curiosius investiganda, & ab iis penes quos est in lucem edenda: etsi enim ea usus fuerit venerabilis Humbertus, & quæ in ea præcipua vitæ a se scriptæ inseruerit, non parum confert ad factorum veritatem dilucidandam, hujusmodi æqualium vel suppariorum scriptorum prima & simplicia exemplaria genuinaque intueri. Secundus autem iste F. Petrus Ferrandi de B. Dominico fertur scripsisse. SÆC. XIII.

Chronicon ordinis a B. Dominico ad Humberti tempora dicitur etiam scripsisse. Sic Lusitanus & sequaces, sed forte duplici titulo unicum Ferrandi numeratur opus & celebratur.

F. JOANNES DE MALLIACO.

F. JOANNES DE MALLIACO Gallus Burgundus sic a patria, quod castrum est vulgo *Mailli le Château* milliaribus quatuor Gallicis circiter Autissiodoro dissitum, nuncupatus, & conventus Autissiodorensis alumnus circa medium seculum XIII claruit. Ejus meminit Stephanus de Borbone in prologo operis de septem donis, inter auctores ex quibus plura mutuatus est. Sic enim ille: *De chronicis F. Joannis de Malliaco de ordine Prædicatorum, qui ea protendit usque ad sua tempora*: quæ jam tum id est ante MCCLX Joannem hunc mortuum indicant, cùm circa hunc annum Stephanus ipse decubuerit. Laudat & F Ludovicus a Valleoleti n. 46: *F. Joannes de Malliaco scripsit chronica ut patet in prologo libri de septem donis.* Lusitanus refert ad 1290: Altamura in duos distinguit, alterum ad 1277, alterum ad 1290 exhibens: quos & sequaces ex certis & indubitatis allatis hîc monumentis emendes. Scripsit ergo Joannes hic * 1250.

Chronica ad sua usque tempora protensa. Quod opus alicubi fortè jam neglectum jacet.

F. GAUFRIDUS DE BLEVELLO.

F. GAUFRIDUS DE BLEVELLO vel *Blavello* vel *Blavemo* vernacule *Blevex*, aut *Blevez*, aut etiam *Blavians*, sic enim varie scriptum legitur in veteribus monimentis, Burgundus & ut videtur Senonensis, ipsis non longe a primordiis ordinis academiam Parisiensem eximia pietate & eruditione plurimum illustravit. Inter præcipuos scilicet & primos ordinis in sacra facultate magistros ac sacrarum litterarum professores apud Salanhacum numeratur, scholasque nostras Sanjacobeas publicas rexisse dicitur annum circiter MCCXXXVI & sequentibus. Solemni Parisiensis episcopi Guillelmi disputationi determinationique circa pluralitatem beneficiorum anno MCCXXXVIII interfuit cum nostris Hugone de Sancto Charo & Guerrico de Sancto Quintino & aliis sacræ theologiæ magistris, in domo capitulari cœnobii nostri Sanjacobei habitæ, in qua duo beneficia si unum ad congruam hominis sustentationem satis esset, simul teneri non posse sancitum est: quod idem ante tres annos in solemniori magistrorum Parisiensium convocatione communi omnium calculo duobus exceptis Philippo Cancellario, & Arnoldo Ambianensi postea episcopo conclusum fuerat, uti refert Cantimpratanus de Apibus lib. 1 c. 19 §. 5 ipse tum Parisiis agens. Cùm verò Gregorius IX per apostolicas litteras Laterani XII Kal. julii pontif. anno XIII Christi MCCXXXIX libros omnes Thalmudicos comprehendi jussisset, & inter manus Prædicatorum & Minorum Parisiensium deponi, ut post examen diligens, si ut ferebatur, invenirentur blasphemiis referti, publice comburerentur, Gaufridus ex censoribus unus fuit. * 1250.

Sæc. XIII. Rem ut acta est Innocentio IV Lugduni tum agenti decennio post Odo Tusculanus episcopus & legatus in Francia litteris suis significavit, quæ cum rariores sint, & a nullo hactenus editæ, nisi in dissertatione nostra cui titulus, *S. Thomæ summa suo auctori vindicata*, quæ jam rarior, eas placet hîc integras recudere, præsertim cùm historiam ecclesiasticam circa hoc factum non parum illustrent. Sic ergo habent in codice Sorbonico, qui totus est de isto librorum Thalmudicorum regnante Ludovico IX Francorum rege negotio.

Hæc sunt transcripta litterarum super condemnatione Thalmud editarum.

» Sanctissimo patri ac domino I. Dei gratia summo pontifici O. divina miseratione Tusculanensis episcopus, apostolicæ sedis legatus, devota pedum oscula beatorum.

» Sanctitati vestræ placuit mihi dare nuper in mandatis, ut mihi facerem exhiberi Thalmud & alios libros Judæorum, & ipsos inspici: & inspiciens diligenter eosdem tolerarem in his, in quibus secundùm Deum sine fidei christianæ injuria viderem tolerandos, & magistris restituerem Judæorum. Ut autem sanctitatem vestram non lateat processus quondam habitus circa libros prædictos, & ne contingat aliquem circumveniri in isto negotio astutia & mendaciis Judæorum, noverit sanctitas vestra, quod tempore felicis recordationis D. Gregorii papæ quidam conversus Nicolaus nomine dicto summo pontifici intimavit, quod Judæi legi veteri quam Dominus per Moysen in scriptis edidit non contenti, imo prorsus eamdem prætermittentes, affirmant legem aliam quæ Thalmud id est doctrina dicitur Dominum edidisse, ac verbo Moysi traditam & insertam eorum mentibus dicunt tandiu sine scriptis servatam, donec quidam venerunt quos sapientes & scribas appellant, qui eam ne per oblivionem a mentibus hominum laberetur, in scripturam cujus volumen in immensum excedit textum Bibliæ redegerunt: in qua tot abusiones & tot nefaria continentur, quod pudori referentibus & audientibus sunt horrori: & hanc esse causam præcipuam quæ Judæos in sua perfidia retinet obstinatos.

» His auditis placuit summo pontifici scribere universis archiepiscopis per regnum Franciæ constitutis in hunc modum. *Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus Fratribus archiepiscopis per regnum Franciæ constitutis, ad quos istæ litteræ pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem. Si vera sunt quæ de Judæis in regno Franciæ & aliis provinciis commorantibus asseruntur, nulla de ipsis esset pœna sufficiens sive digna; ipsi enim sicut accepimus, lege veteri quam Dominus per Moysen in scriptis edidit non contenti, imo penitus prætermittentes eamdem, affirmant legem aliam quæ Talmut id est doctrina dicitur, Dominum edidisse: ac verbo Moysi traditam & insertam eorum mentibus mentiuntur tandiu sine scriptis servatam, donec quidam venerunt quos sapientes & scribas appellant, qui eam ne per oblivionem a mentibus hominum laberetur, in scripturam cujus volumen in immensum excedit textum Bibliæ redegerunt: in qua tot abusiones & nefaria continentur, quod pudori referentibus & audientibus sunt horrori. Cùm igitur hæc dicatur esse causa præcipua, quæ Judæos in sua tenet perfidia obstinatos: Fraternitatem vestram monendam duximus & hortandam, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus primo sabbato quadragesimæ proximo ventura mane, quando Judæi in synagogis conveniunt, universos libros Judæorum vestræ provinciæ auctoritate nostra capi, & apud Fratres Prædicatores vel Minores faciatis fideliter conservari, invocato ad hoc si necesse fuerit auxilio brachii sæcularis: nihilominus in omnes tam clericos quàm laicos vestræ jurisdictioni subjectos, qui libros Hebraicos si quos habent, per vos generaliter in ecclesiis, vel specialiter moniti noluerint assignare, excommunicationis sententiam promulgando. Datum Laterani* v *idus junii pontif. nostri anno* XIII.

In consimili forma scribit universis archiepiscopis in regnis Angliæ, Castellæ & Legionum. Direxit etiam scripta sua regi Portugalliæ in hæc verba: *Gregorius episcopus servus servorum Dei. Carissimo in Christo filio illustri regi Portugalliæ salutem & apost. bened. Si vera sunt &c.* ut supra. *Cùm igitur hæc dicatur esse causa præcipua, quæ Judæos in sua perfidia retinet obstinatos, serenitatem regiam monemus attentius & hortamur, quatenus primo sabbato quadragesimæ proximo ventura mane, quando Judæi in synagogis conveniunt, universos libros Judæorum regni tui tam tibi quàm nobilibus regni ejusdem tuis fidelibus subjectorum, auctoritate nostra capi, & apud dilectos filios Fratres Prædicatores seu Minores faciatis conservari. Dat. Laterani* XII *Kal. jul. pontif. nost. anno* XIII. » In eadem forma scripsit regibus Franciæ, Angliæ, Aragoniæ, Castellæ, Legionum & Navarræ. «

Direxit etiam prædictus summus pontifex mandatum Parisiensi episcopo sub hac forma: *Gregorius E. S. S. D. venerabili fratri Parisiensi episcopo sal. & apost. ben. Fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus litteras nostras ad negotium super libris Judæorum tibi ac collegis tuis a nobis commissum spectantes, tibi ex parte nostra per dilectum filium Nicolaum quondam Judæum latorem præsentium præsentandas devote recipiens, ipsas venerabilibus fratribus archiepiscopis & carissimis filiis nostris Franciæ, Angliæ, Aragoniæ, Navarræ, Castellæ ac Legionum & Portugalliæ regibus illustribus destinatas a nobis, transmittas cùm videris expedire. Dat Later.* V *id. junii pont. anno* XIII.

Item dedit in mandatis episcopo & priori Prædicatorum & ministro Minorum Fratrum Parisius, prout inferius continetur: *Gregorius E. S. S. D. venerabili fratri episcopo & dilectis filiis priori Prædicatorum & ministro Minorum fratrum Parisius sal. & ap. ben. si vera sunt &c.* ut supra. *Discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus universos Judæos in regno Franciæ, Angliæ, Aragoniæ, Navarræ, Castellæ & Legionum, ac Portugalliæ commorantes, ad exhibendos omnes libros suos facientes compelli brachio sæculari, illos quos inveneritis errores hujusmodi continere, faciatis incendio concremari, contradictores per censuras ecclesiasticas apostolicâ potestate compescendo, nobis quidquid inde feceritis fideliter rescripturi. Quod si non omnes &c. Dat. Later.* XII *Kal. jul. pont. nost. an.* XIII.

Omnia verò quæ interclusa missa fuerunt sub bulla & singula, & multo plura inventa fuerunt in prædictis libris in præsentia bonæ memoriæ Galteri archiepiscopi Senonensis & venerabilium patrum Parisiensis, Silvanectensis episcoporum, & Fratris Gaufridi de Blevello capellani vestri tunc Parisius regentis, & aliorum magistrorum theologiæ, & etiam magistrorum Judæorum, qui prædicta in libris suis contineri confessi sunt in præsentia prædictorum. Facta etiam postea diligenti examinatione inventum est quod dicti libri erroribus erant pleni, & est velamen positum super corda ipsorum in tantum, ut non solùm ab intellectu spirituali Judæos avertant, imo etiam a litterali, & ad fabulas & quædam fictitia convertant. Unde manifestum est magistros Judæorum regni Franciæ nuper falsitatem sanctitati vestræ, & venerabilibus patribus dñis cardinalibus suggessisse, dicentes quod sine illis libris, qui Hebraice Talmud dicuntur, bibliam & alia instituta suæ legis secundùm fidem ipsorum intelligere nequeunt. » Facta verò prædicta examinatione, omnium magistrorum theologiæ & juris canonici, & aliorum multorum habito consilio, juxta mandatum apostolicùm omnes prædicti libri, qui tunc haberi potuerunt incendio fuerunt tunc cremati ». Hactenus

tenus Odo cardinalis ad Innocentium IV.

Auctor codicis Sorbonici quem hîc excipio, qui & præsens erat, ista magis explicat, sic enim addit: *Collectis igitur auctoritate regia de toto regno Franciæ cunctis libris Talmut & Parisius deductis, una die combusti sunt ad quatuordecim quadrigatas, & sex in alia vice.* Et postea quorum judicio hæc acta sint refert: *Denique nolo vos in futurorum cautelam & majorem certitudinem præcedentium hoc latere: quod cùm super combustione librorum Talmud præscripta mirabilia & iis similia* (scilicet blasphemias in litteris Gregorii IX expressas) *continentium coram christianissimo rege nostro Ludovico causa fuisset aliquandiu ventilata, tandem dedit nobis alios auditores, videlicet archiepiscopum Senonensem, episcopum Silvanectensem, cancellarium Parisiensem nunc autem Tusculanensem episcopum, & apostolicæ sedis legatum in Terra-sancta. Statuta itaque die nobis* (haud dubie sacræ facultatis magistris & aliis) *vocatisque peritioribus Judæorum magistris coram se citatis, cœperunt inquirere super præmissis veritatem.* Addit inquisitionem & responsiones Judæorum, a quibus abstineo brevitatis ergo. Cùm itaque & scriptor codicis Sorbonici & Odo episcopus Tusculanus ambo in judicio præsentes iste tum ecclesiæ Parisiensis cancellarius in gestorum relatione conveniant, quid sibi velit Cantimpratanus de apibus lib. 1 cap. 3 §. 6 rem aliter narrans, prorsus non intelligo; certe illis major mihi fides.

Jam ad Gaufridum nostrum redeo, quem ex his discimus & illi convocationi de libris Thalmudicis comburendis adfuisse anno MCCXL, tum ab Innocentio IV cum anno MCCXLV Lugdunum se recepit, capellanum & in familiam ascitum & allectum, proinde & concilio Lugdunensi I affuisse, & apud eumdem pontificem adhuc anno MCCXLVIII egisse, nam hujus anni sunt litteræ Odonis relatæ. Obiit autem paulo post ibidem scilicet Lugduni, & apud nostros in domo capitulari in ipso ingressu sepultus sub tymbo lapideo cum hac epigraphe ad oram incisa & Gothico caractere inscripta a me anno MDCLXXXI lecta:

Anno Domini MCCL XVII *Kal. augusti obiit F. Gaufridus de Blavemo* (vel *Blavello* difficile enim ob vetustatem legebatur) *qui rexit Parisius in theologia.*

In ejusdem lapidis medio cujusdam etiam ordinis Prædicatorum habitu cœlata erat effigies, cujus circum caput sic legebam:

Item Fr. Durandus de Emer obiit II *idus octobris.*

Quod probat virum alium ea ætate insignem sub eodem lapide positum posterius.

Hujus Gaufridi cum laude meminit pluries F. Stephanus de Borbone eidem æqualis in suo de septem donis opere. P. I de dono timoris. tit. VI cap. X. cod. Sorb. fol. 172. a: *Audivi a F. Gaufrido de Blevex rectore theologiæ &c.* Et P. II de dono pietatis tit. VI cap. VIII fol. 240. b. *Audivi a F. Gaufrido de Blevex &c.* Et P. III de dono scientiæ tit. VII cap. XVII fol. 296. d. *Audivi quod F. Gaufridus de Blevet referebat, quod in diœcesi Senonensi &c.* Et P. IV de dono fortitudinis tit. III cap. II fol. 317. a. *Audivi a F. Gaufrido de Bleves &c.* Et tit. X cap. XVII fol. 457. a. *F. Gaufridus de Blevex dicebat quod in diœcesi Senonensi &c.* Et tit. XII cap. XXII fol. 522. a. *Referebat F. Galfridus de Blevex qui per multos annos rexerat in theologia Parisius &c.* Ex quibus colligas ambos familiares fuisse, & fortè Gaufridum Senonensi diœcesi ortum, de qua sæpe loquebatur. Auctor *Speculi moralis* sub ementito Vincentii Bellovacensis nomine hæc eadem ex Stephano de Borbone plagio cum aliis multis accepta etiam refert, sed circumcisa appellatione Fratris, ne quis de sodali ordinis Prædicatorum eum loqui suspicaretur, & furtum deprehenderet. Meminit etiam F. Petrus de Prussia in vita B. Alberti Magni cap. 6 qui tamen fallitur, cùm censet Alberto Magno posteriorem, cùm antiquior revera fuerit, & decem annis & amplius ante Albertum laurea Parisiensi donatus. Meminit & F. Antonius Mallet in libro cui titulus *Hommes illustres du couvent de S. Jacques* & alii plures. Hæc ejus opera a me visa. SEC. XIII.

In epistolas Pauli apostoli Postilla.

Extant apud PP. Fulienses Parisienses ad S. Honorati vicum cod. MS memb. fol. par. sed molis spissioris & ætatis auctoris charactere minutissimo. Et quando quidem liber est rarus, principia omnia lubet hîc afferre, ut habeant unde cognoscant, apud quos forsan fuerit, sed auctoris nomine suppresso. Is est titulus totidem litteris minio scriptus.

Hee sunt postille F. Gaufridi de Blaviaus super epistolas sancti Pauli: & primò ponitur prologus, postea sequitur epistola ad Romanos.

Vas electionis &c. Actuum IX. *Commendatur divina electio ibi, electionis. Plenitudo gratiæ in Paulo ibi, vas electionis. Officium ejusdem designatur ibi, ut portet nomen meum. Hæc est electio de qua dicitur Ephes.* I. *elegit nos in ipso &c. & Rom.* 8 *quos autem prædestinavit hos & vocavit: & ibidem, quis accusabit adversus electos Dei &c.*

I. *Ad Romanos. Principia rerum &c. Hunc prologum fecit magister non de verbis suis, sed Sanctorum, & habet octo partes: in prima ostendit quare post evangelium scripta sunt epistolæ.* 2. *Ostendit excellentiam epistolarum Pauli præ cæteris ibi, inter omnes verò.* 3. *De numero epistolarum & quare sunt* XIV *&c.*

Paulus. Quoniam epistolarum materia una est destructio peccati, & ædificatio fidei, & etiam in epistola ad Romanos. Modus tractandi talis est. In hac epistola ponit XIV materias.

Ad Corinthios I. Paulus vocatus apostolus. In præcedenti epistola destruxit superbiam de meritis operum, & construxit fidem: in hac specialiter agit contra schismata & errores contrarios fidei, quibus unitas fidei dissipatur & veritas, & de his tractat scribens Corinthiis.

Ad Corinth. II. Paulus apostolus. Hanc secundam epistolam scribit apostolus Corinthiis, quia quidam erant correcti propter primam, & multa passi propter Deum: alii verò erant obstinati in malo, & pseudo apostolo præferebant: Corinthius autem fornicator correctus erat sufficienter: unde apostolus scribit eis propter quinque

Ad consolationem bonorum qui multa passi erant propter Deum, infra I.

Ad reconciliationem fornicatoris, infra II.

Ad eruditionem fidei & morum ampliorem, infra VI *&* VII.

Ad reprehensionem pseudo, infra III *&* IV, X, XI *&* XII.

Ad correctionem incorrectorum, infra ultimo.

Ad Galatas. Paulus apostolus. Supra scripsit Corinthiis, qui pseudo receperant, hìc scribit Galatis qui plene eis crediderant: unde materia est hìc legalium abolitio, & fidei vel morum instructio.

Ad Ephesios. Paulus apostolus. Supra Galatas dehortatur a malo, hìc Ephesios promovet ad bonum.

Ad Philippenses. Paulus & Timotheus. Supra Galatas dissuasit a malo, scilicet ne a pseudo seducerentur: postea Ephesios qui boni erant monuit ad profectum in bono: hìc Philippenses monet ad patientiam contra tribulationes, & ad constantiam contra pseudo.

Ad Colossenses. Paulus apostolus. Supra Philippenses monuit ad tolerantiam contra tribulationes, & constantiam contra pseudo: hìc verò Colossenses specialiter monet & munit contra pseudo, qui prædicabant legem, & moraliter instruit.

Ad Thessalonicenses I. Paulus & Sylvanus. Supra monuit Colossenses ne seducerentur, hìc commendat Thessalonicenses qui in fide perstiterant, & pro ea sustinuerant persecutionem etiam a suis, & instruit quosdam inter eos minus bene sentientes de resurrectione infra IV, *& alios male viventes corripit.*

Sec. XIII. *Ad Thessal. II. Paulus & Sylvanus. Apud Thessalonicam post primam epistolam contigerunt tria: scilicet gravior tribulatio contra fideles quàm prius: item quod putaverunt judicium statim futurum propter illud verbum supra* IV Nos qui vivimus: *item quidam inquieti inter eos non fuerunt correcti per primam epistolam.*

Ad Timotheum I. Praecesserunt epistolæ missæ ad Ecclesias, nunc sequuntur quæ specialiter missæ sunt ad quasdam personas, ut Timotheum, Titum, Philemonem: & I ad Timotheum qui majoris erat auctoritatis, quem ordinaverat pontificem, & propter scandalum Judaeorum circumcidrrat, cùm natus esset de patre gentili & de matre fideli. Actuum XVI.

Ad Timot. II. Paulus apostolus. Apostolus vicinus martyrio scribit a Roma de carcere Timotheo infirmitatibus & adversitatibus jam fatigato.

Ad Titum. Paulus servus Dei apostolus autem Jesu Christi &c. Pontificem duo decent, pietas vel mansuetudo qua attrahat, & severitas qua corrigat & puniat.

Ad Philemonem. Paulus vinctus Dñi nostri. Primò plene instruxit Ecclesias, postea episcopos de toto officio, nunc speciales litteras mittit viro in plebe laudabili a Roma de carcere, scilicet Philemoni Colossensi pro Onesimo servo suo, qui fugerat ab eo cum damno ejus.

Ad Hebræos. Multiphariam &c. Hanc ultimam epistolam scribit apostolus ad Hebraeos, & videnda sunt quinque: 1. quare ultimo ponitur hac epistola: 2. ratio scribendi: 3. materia: 4. intentio: 5. modus agendi: de auctore enim diffiniunt Sancti, quod apostolus eam edidit scribens a Roma de carcere per Timotheum &c.

Implent hæ postillæ 130 folia: & ad finem est index distinctionum omnium quolibet capite contentarum. Codice Sorbonico supra laudato, ubi de posstillis F. Guerrici de Sancto Quintino in easdem Pauli epistolas, ad finem istarum legitur hic titulus

Incipiunt distinctiones & notabilia Fratris Gaufridi super epistolas Pauli: & sequuntur illæ distinctiones. Facta autem a me utriusque codicis & Sorbonæ & PP. Fuliensium collatione, omnino convenire inventi sunt. Primam & ultimam tantùm indico. Cap. I ad Romanos

VII. *notabilia de Christo.*

Secundùm carnem. *In hoc verbo notaverunt Sancti* VII *differentias.*

1. *Quod habet aliam naturam, secundùm quam non est factus, id est divinam &c.*

Ultima ultimi capitis epistolæ ad Hebræos.

1. *Quatuor quæ exiguntur ad castum concubitum inter conjugatos.*
2. *Tria quæ debemus imitari in Sanctis.*
3. *Sex bona quæ facit sanguis Christi.*
4. *Quatuor quæ exire debemus.*
5. *Sex quæ movent subditos ut obediant prælatis suis.*
6. *Quatuor pro quibus vigilant prælati.*

Ad finem harum distinctionum in cod. Sorbon. sic habetur.

Expliciunt distinctiones extractæ ex opere Fratris Gaufridi super epistolis Pauli. Quod non exiguum argumentum opus esse nostri Gaufridi, quem F. Guerrici nostri de Sancto Quintino collegam æqualem novimus.

Eodem codice Fuliensi post supra relata sequitur titulus ex minio:

Postille Fratris Gaufridi de Blaviaus super psalterium, & primò ponitur prologus.

Dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius Psalmista Israel, Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam. II Reg. XXIII. *In verbis istis ostenditur actor psalmorum secundùm David & commendatur in quatuor &c.*

Sequuntur postillæ in singulos psalmos ex ordine ad CIII *Benedic anima mea Dño: Dñe Deus meus magnificatus &c.* nempe ad illum hujus psalmi versiculum *Qui fundasti terram.* Nam cætera præ vetustate perierunt. Hæ postillæ implent 149 folia.

Haud dubitaverim quin vir hic celebris plura alia scripserit, in alios puta scripturæ sacræ libros & in sententias commentaria, quæ alicubi jam occulta, ut hactenus fuerunt hîc relata, quis curiosus forsan aliquando reteget & revelabit.

F. JOANNES DE BRIXIA.

F. JOANNES DE BRIXIA patriâ scilicet & professione laudatur ad annum MCCL florens a Rovetta ex fide, inquit, Michaelis Pio, apud quem tamen mihi non occurrit, & Vincentii M. Rivalii in suo scriptorum provinciæ Lombardiæ catalogo, quem & præstat facundum & ardentem sua ætate fuisse concionatorem, Ezzelino ipsi tyranno reverendum, ac reliquisse * 1250.

Sermones quadragesimales, de Dominicis annuales ac de Sanctis & funebres.

Ubi autem serventur, aut a quo visi de more non meminit, penes illum itaque fides.

F. GUILLELMUS REDONENSIS.

F. GUILLELMUS REDONENSIS a patria quæ Armoricæ civitas nunc est primaria, tum autem seculo XIII non ejus dignitatis nec adeo nobilis de more nuncupatus, & quem ex usu tum recepto, etsi forsan Parisiis ad ordinem allectum, Dinanensis conventus alumnum & professum censeo, vir fuit doctrina insignis, utriusque juris admodum peritus, & medio circiter seculo XIII claruit, & clareret etiamnum, nisi oscitatione scriptorum factum esset, ut & nomen ejus fere oblivioni datum sit, & opus ejus in primis laudandum alteri etiam invito suppositum. Qua propter me meo deesse putarem officio, nisi viri de Ecclesia optime meriti gloriam veluti excitarem, ac quas incauti oscitantesque seu typothetæ seu editores offuderunt tenebras, luce veritatis dispellerem. Jam a Lusitano suppresso legitimo agnomine dicitur *Celdonensis*, & licèt in erratis moneat legendum *Cerdonensis*, quod vocabulum si rationem pronunciandi quarumdam nationum attendas, non procul distat a vero, id enim enunciabant quasi scriptum esset *Credonensis*, quomodo etiam inflexione vocis dicebant *Rhedonensis*: id verò negligentes Lusitani sequaces, Possevinus, Pius, Fernandez, Altamura ad 1295 scribunt omnes *Celdonensis* absque sensu. Hinc noster Ghilbertus de la Haye in Bibl. Belgo Dom. MS auctores suos Belgas augendi cupidus, putavit legendum *Geldonensis*, quasi ex Geldenaco vernacule *Judoigne* Brabantiæ oppido originem duxerit. Non minus grave Bandello excidit erratum, in tract. de concept. B. V. ubi dicitur *Metensis episcopus*: quod Alva Sol. verit. Rad. 162 col. 1355 sapienter sibi corrigere videtur monens legendum *Mimatensis*, hincque hunc auctorem non alium esse colligit a Guillelmo Duranti Speculatore vulgò dicto. His omnibus expunctis certum habeas Guillelmum hunc nostrum Armoricum fuisse Redonis ortum, non Redonensis conventus, qui seculo plus solido postea erectus fuit, sed ut a nobis jam insinuatum Dinanensis sodalem, S. Raimundi de Pennaforti magistri ordinis III æqualem, ipsique addictissimum, ejusque vestigia legentem, jam anno MCCL scriptis clarum theologum, ac sacrorum canonum clarum professorem, cujus opus præcipuum est * 1250.

Apparatus in summam S. Raimundi, qui cum eadem summa vulgò editus prostat.

Verùm hîc ambages novæ nobis discutiendæ: cùm enim Apparatum hunc editores Romani apud Tallinum 1603 fol. F. Joanni Lectori seu de Friburgo nostro, ipso quantumvis invito ac reclamante, suppofuerint, ac sub ejus nomine excuderint, eorum seu oscitatione seu ignorantia id factum jam luce clarius demonstrandum, ac ne deinceps in eo lector fallatur, Guillelmo Redonensi opus indubitatum suum restituendum.

Ac primò quidem antiqui omnes scriptores Apparatum hunc citant sub nomine Guillelmi seu Wilelmi Rhedonensis, nullus sub nomine Joannis. Lyranus in suo tractatu de præceptis decalogi citat glossam Guillelmi super Raimundum: quæ verò verba laudat, leguntur in apparatu edito cum summa Raimundi. Tostatus T. XII p. 122 citat Guillelmum super summam Raimundi & locus ab eo relatus in terminis habetur in apparatu cum summa Raimundi edito. Henricus de Gandavo quodlib. I q. 39 fol. 26 laudat glossatorem Raimundi: ille igitur glossator senior erat Gandavensi qui obiit anno MCCXCIII, quo Joannes Lector junior erat nec dum scripserat. Omitto F. Angelum de Clavasio ord. Min. anno MCCCCXCV, mortuum qui in summa sua casuum conscientiæ apparatum citat sæpius, semper sub nomine F. Guillelmi Rhedonensis ordinis Prædic. item Franciscum cardinalem Ximenes archiepiscopum Toletanum in suo Pastorali P. II cap. 68.

Verùm en testimonia luce meridiana clariora, ac quibus pervicacissimus nihil habeat opponendum. Joannes Lector ipse quem volunt apparatus auctorem, ubique in sua summa apparatum laudat sub nomine Wilhelmi, tantum abest ut se velit dici auctorem: ipse testatur se tantùm indicem & summæ Raimundi & ejus apparatus concinnasse, non verò apparatum confecisse. Præterea Vincentius Bellovacensis anno MCCLXIV mortuus, quo anno vix adolescentiam attigerat Joannes Lector, in suo speculo doctrinali lib. IX & lib. X, in quibus totam fere Raimundi summam convasavit, & apparatum fere integrum inseruit, modo *F. Willelmum*, modo *Rhedonensem*, modo utroque nomine juncto *F. Wilhelmum Rhedonensem* auctorem laudans: ubi in Edit. Duac. mendum irrepsit, in qua legitur *Rhodonensis*, sed in antiquis editionibus & in omnibus codd. MS diserte iis locis legitur *Rhedonensis*. Denique summæ S. Raimundi codices omnes MS quibus in margine additus apparatus, quorum plures a me visi Parisiis supra ubi de S. Raimundo citati, & ante MCCLX quidam scripti, hoc opus Wilhelmo Rhedonensi constanter asserunt, cui proinde ceu fœtus suus legitimus restituendus, ac deinceps non Joanni Lectori invito nec alienam gloriam appetenti supponendus, cùm denuo typis committere contigerit. Ex codd. MS Sorbon. unum tantùm refero. Codex est fol. par. memb. & eleganter scriptus, & ex legato Roberti de Sorbonio, unde ætatem colligas. Est autem *Raimundi de casibus abbreviata summa*, inserto *apparatu* etiam abbreviato, sed a textu Raimundi hac littera W distincto: quo certe elemento Willelmus noster indicatur.

Hujus scriptoris nostri meminit Ludovicus a Valleoleti Tabulæ n. 55. *Frater Guillelmus Rhedonensis*, inquit, *fecit apparatum super summam Raimundi, & scripsit multa in utroque jure.* Meminit etiam Laurentius Pignon n. 7, sed mendum irrepsit in codicem Victorinum, in quo sic legitur: *F. Guillelmus Aurelianensis* (quod notarii videtur erratum) *scripsit apparatum super summam Raimundi.* Altamura qui Guillelmum sub agnomine Celdonensis ad 1295 ascripserat, non sapientius iterum sub nomine Rhedonensis recenset ad 1367 delusus a F. Godefrido Languedoc & F. Antonio Malet scriptoribus haud accuratis, qui domum suam Redonensem circa hunc annum tantùm erectam decorare volentes, virum hunc egregium in ipsis tantùm hujus domus initiis ordinem ingressum & ibidem professum sibi finxerunt, cùm seculo & amplius integro antiquiorem monumenta superius allata invictè demonstrent.

Quæ sint alia illa *multa in utroque jure*, quæ Valleoletanus Guillelmum scripsisse asserit, nullibi reperio; temporum vicissitudine forsan perierint. Inter codd. MS Belgii laudatur a Sandero T. I p. 107 *summa de casibus S. Raimundi ord. Prædic.* Eodem codice. *Item summa F. Willelmi Redensis de articulis.* Manifestum *Redensis sic compendio scriptum àtri Redonensis.* An sit apparatus in Raimundi summam, an alterum opus, doceant Atrebatenses nostri, vel potius Vedastini monachi, quorum est codex.

F. YVO BRITO.

* 1250.

F. Yvo Brito sive Armoricus e primitivis ordinis sodalibus, vir ut de eo legitur in libro *vitas Fratrum* inscripto P. V. cap. IV §. XI humilis, gratiosus & devotus, & P. II cap. XXXI vir totius sanctitatis & religionis, & in linguis pluribus optimus prædicator, priorem provincialem in Terra-sancta agebat, cùm illuc sanctus rex Franciæ Ludovicus IX pervenit, eumque rex sed & regina singulari benevolentia ob virtutem complexi sunt. Scripsit

Relationem de morte cujusdam ex ordine sibi dum viveret arcta necessitudine conjuncti. Quæ habetur loco cit. P. V.

Narrationem præterea miraculi meritis B. Dominici apud Tripolim Syriæ circa sanctimonialem patrati. Habetur etiam loco cit. P. II videsis supra ubi dictam partem edidimus p. 42 n. 35.

F. GUILLELMUS PERALDUS.

† 1250.

F. Guillelmus Peraldus nulli prope scriptorum ignotus, sed nec satis notus, adeo in ejus ætate, patria, nomine, scriptisque sibi parum & veritati consentiunt, aliis *de Petraalta* aliis *a Peira* vel *Peyra* aliis *de Peyrauta*, tum & Gallica inflexione *Perault* nuncupantibus, quæ omnia vere synonyma sunt, vel prave inflexa detortaque nomina, quæque incautos in errorem inducant facile vel imperitos, ut unum in duos & plures dividant, quod Lusitano, Gozzeo, Pio, Fernandez nostris & aliis citandis contigit. Gallus fuit Guillelmus hic noster diœcesis Viennensis Allobrogum oppido vernacule *Perault* nunc, olim forsan *Peyrauta*, Latine *Petraalta* dicto, quod in monte altiori ad Rhodanum infra Viennam ex altera fluminis parte situm sit, ortus. In ipsis ordinis initiis ei se aggregari voluit ætate jam maturus, sive Lugduni sive quod verius censeo Parisiis vestem Dominicanam induerit: eam tamen a B. M. Reginaldo Aurelianensi, ut quibusdam placet, accepisse verum non est, B. Jordano magistro ordinis II in libello suo de initiis ordinis Prædicatorum disertis verbis asserente non alios a Reginaldo ex quo Bononia Parisios accessit sub finem anni MCCXIX, mortuus mense Februario sequenti, ad ordinem ascitos præter ipsum Jordanum & Henricum Teutonicum juniorem, qui etiam ambo cum Leone tertio, Reginaldo jam e vivis erepto, feria IV cinerum habitum induerunt. Etsi autem Parisiis ordini nomen dederit Guillelmus, pro more tum usu recepto conventus Lugdunensis alumnus & professus habitus est, sic enim & ipse B. M. Humbertus magister ordinis V, & Hugo de Sancto Charo cardinalis ambo Viennenses, licèt Parisiis ad ordinem allecti, Lugdunenses tamen professione censiti sunt. Quandonam diem suum obierit nemo certo refert, ante MCCLX tamen mortuum

SAEC. XIII. conjicio, quod noster Stephanus de Borbone seu de Bellavilla & ipse Lugdunensis sic eum laudet in suo tractatu de septem donis, ut jam tum non fuisse in vivis indicare videatur: Stephanus autem vita functus est anno MCCLXI vel circa. Archiepiscopum Lugdunensem fuisse antiquus est error, quem non solùm excepit Altamura ad MCCLVI, sed & in Append. acriter tuetur, quem tamen ex iis quibus eum collocat annis facile est revincere. Vult enim Petro nostro de Tarentasia anno MCCLXXII e Lugdunensi ad Tarentasiensem Ecclesiam translato, ei suffectum Guillelmum nostrum, & sedisse ad MCCLXXV, quo & obierit: ubi quot fere verba tot errores. Mitto quod gratis fingitur Guillelmum ad MCCLXXV vitam produxisse, at certum est Petrum de Tarentasia nonnisi anno MCCLXXII circa festum Pentecostes ex provinciali Franciæ Lugdunensem archiepiscopum evectum, e qua sede non ad Tarentasiensem, quam nunquam habuit, sed ad Ostiensem anno MCCLXXIII translatus fuit, sed ita ut cùm Ostiensi Lugdunensis etiam administrationem retinuerit, & gereret adhuc XV novemb. quam tamen paulo post reliquit, successoremque habuit Aymarum de Rosillon, qui ea ratione concilii Lugdunensis II custos fuit constitutus, ut constat ex actis, adeo ut nullus Guillelmo locus relinquatur. Quæ etiam constant ex Martino Polono, Bernardo Guidonis, & omnibus ejus ævi scriptoribus. Dixi autem antiquum esse errorem, nam non solùm Leander Albertus & ejus sequaces, sed & centum annis & amplius antea scribens noster Laurentius Pignon in eumdem impegit. Novi quosdam ut difficultatem elevent, ita definire, Guillelmum archiepiscopum Lugdunensem revera non fuisse, sed episcopum in partibus & Lugdunensis suffraganeum, at cùm id nullo veteri documento astruant, gratis fictum videtur. Enormis porro excidit Jacobo nostro Percin ἀντιχρονισμος Hist. conv. Tolos. ad ann. MDXX pag. 108 a. ubi Peraldum a Paulo III die IX sept. MDXXXIX creatum ait episcopum Tarsensem, & Lugdunensem suffraganeum trecentis circiter prius annis mortuum. Testem quidem appellat Fontanam Theat. tit. 56 p 83 col. 1. Sed is eo loci non de Peraldo agit, sed de F. Guillelmo Piati seu Du Prat eo certo anno episcopo Tarsensi creato, & a Joanne cardinali a Lotharingia archiepiscopo Lugdunensi in Vicarium assumpto, de quo nos postea. Neque verò idcirco minus habendus Peraldus, quamvis infulis caruerit, qui propriis meritis doctrina, eruditione, religione, zelo, operibus, non solùm quoad vixit, sed & seculis sequentibus abunde fulsit, & etiamnum claret. Hæc autem ejus opera.

Summa de vitiis & virtutibus. Prior sic incipit: *Tractatus iste continet novem partes*, & post indicem generalem, Pr. *Dicturi de singulis vitiis* Posterior verò sic incipit: *Præsens opus habet quinque partes principales*, & postea ipsa summa virtutum: *Cum circa utilia studere debeamus &c.*

Genuinum hoc ejus esse opus omnes scriptorum nomenclatores concedunt. Sic de eo Salanhacus noster inter viros ordinis scriptis illustres: *F. Guillelmus de Peyrauta vir devotus & verax diœcesis Viennensis, qui quanta & quam utilia scripserit, libri ipsi testantur, scilicet summa de vitiis & virtutibus perutilis ad prædicationem.* F. Stephanus de Borbone seu de Bellavilla jam citatus ejus æqualis & contubernalis in prologo sui magni operis de septem donis spiritus sancti, inter auctores ex quorum scriptis profecit, sic habet, *& maxime de summis de vitiis & virtutibus F. Willelmi de Peraldo de ordine Prædicatorum.* Et prima parte *De dono timoris. tit.* 5. *De purgatorio. cap.* 11, sic iterum habet: *Audivi a F. Guillelmo de Peraut, qui composuit summas de vitiis & virtutibus &c.* Quæ probant unà vixisse. Has autem summas easdem esse, quæ sub Peraldi nomine typis prodierunt, hinc evincitur, quod pleraque quæ de vitiis & virtutibus habet Stephanus cum summis Guillelmi omnino conveniant stylo solùm innovato. Ejusdem operis meminerunt nostri Laurentius Pignon, & Ludovicus a Valleoleti. *F. Guillermus Lugdunensis & archiepiscopus ibidem* (erratum esse jam monui) *scripsit summam valde & bonam & utilem ad virtutes acquirendas.* Sic primus n. 48. Alter verò n. 13: *F. Guillelmus de Paraldo scripsit summam valde notabilem de virtutibus ac vitiis.* De ea verò summa sic Joannes Gerson referente celebri Dupinio pronunciabat, hanc auctorem non ex proprio sensu, sed ex sacræ scripturæ purissimis fontibus hausisse, cui si nova ab aliis excogitata conferantur, in fumos habeant, nihil certi præstantia, nihil veri. Quæ sane Dupinius de summa vitiorum ac virtutum sub nomine Peraldi edita intellexit, cujus & varias editiones licèt non omnes in suo seculo XIII refert. Quæ velim meminerit lector.

Hæ verò laudantur editiones, in Inc. Typ. absque loco anno & nomine typographi, sine numeris reclamat. & majusculis. *Incipit summa vitiorum edita a F. Willelmo episcopo Lugdunensi ord. FF. Prædic.* Extat in Navar. Coloniæ 1479 quæ in Bibl. August. a Reisero recensita pag. 94. Rursus curis F. Rodolphi Clutii ord. Præd. typis Petri Cholini. 1618 4. Ibid. Ant. Boëtseri. 1629 4.

Venetiis. 1492 & 1497 hæc Romæ in Barber. Rursus. 1557 8 tom. duob.

Parisiis. Jo. Parvi. 1519. voll. duob. in 8. Ibid. Jac. Quesnel & Martini Durand. 1629 4. Iterum Ludov. Boulenger. 1648 4. Ibid. 1663 4.

Antuerpiæ. 1571 8 tom. duob.

Lugduni. 1554 hæc in Barber. Iterum 1585 8 tom. duob. hæc in Bodley.

Summarium ejusdem summæ, quod a nostro Jacobo de Voragine ferunt adornatum prodiit Basileæ 1497. 8.

Summæ integræ innumera prostant in Bibliothecis MS exempla. Hæc a me Parisiis visa. In Sorbon. codices XII memb. & sec. XIII. scilicet tres *de vitiis & virtutibus*, primus fol. par. n. 1 p. 573 minutiori charactere sed eleganti ex legato M. Matthæi Castelet anno MCCCVI. Alter fol. med. pellibus vitulinis n. 1 p. 1063. Tertius fol. mag. n. 1 p. 1047. Sex *de vitiis* solùm fol. med. & par. & quidam in 4 nn. 1 p. 489, 949, 1041, 1050, 1074, 1075. Tres *de virtutibus* solùm fol. med. & par. nn. 1 p. 155, 813: hic ex legato Petri de Farbu, qui sec. XIII floruit. Est præterea cod. fol. mag. memb. n. 1 p. 37, qui est collectio plurium, *summa de vitiis & virtutibus compendiose tractata & bene abbreviata*, quod compendium vulgo tribuunt nostro Jacobo de Voragine. Licèt autem ab his omnibus codicibus absit nomen auctoris excepto 813, in quo titulus *summa de virtutibus Peraldi*, quin sit verus auctor dubium nullum esse potest, & evincitur ex alio cod. fol. par. memb. n. 1 p. 954 qui collectio est sermonum auctorum omnium medii circiter sec. XIII, inter quos Guillelmus episcopus Parisiensis, & Guiardus episcopus Cameracensis, F. Nicolaus de Byard & alii omnes permistim. Singulis in inferiori margine subscribitur eadem manu nomen concionatoris: inter hos autem sunt duodecim aliis permisti, quibus subscribitur sigillatim, *F. Willelmus qui fecit summam de vitiis & virtutibus.* Quæ sane de alia summa, quam quæ codd. MSS hîc relatis repræsentatur, nemo prudens intelligat.

In Victor. tres sunt codd. MSS memb. sec. XIII aut XIV. Scilicet n. 43 fol. med. *summa de vitiis.* Altera manu & recentiori ascriptum nomen nostri Guillelmi. n. 516 in 4. *summa de virtutibus* & secunda manu sed longe recentiori additum auctore

Guillelmo Peraldo episcopo Lugdunensi. n. 917 fol. par. eadem *summa de virtutibus* absque nomine auctoris. n. 790 in 4 memb. *summa virtutum F. Guillelmi de Peraldo.* v folia *summa de vitiis.* Quæ iterum n. 1028 fol. parv. memb. cod. eleganti & sec. XIII

In Colbert. n. 1214 *summa de vitiis* fol. med. memb. sec. XIII. n. 1913 *summa de vitiis & virtutibus* fol. mag. memb. charact. eleganti ; ac sec. XIII. n. 2518 *summa de vitiis* fol. mag. memb. charactere accurato. Ad calcem sic legitur : *ven. vir D. Hugo Barroti legum professor præcentor istius ecclesiæ Narbonensis, qui obiit A. D.* MCCLXII *26 die martii legavit mehic in præsenti choro incantenandum & perpetuo mansurum.* In margine inferiori manu recenti legitur : *Hoc opus est Guillelmi Peraldi episcopi Lugdunensis teste Severtio in archiepp. Lugdun. & Bergomensi in suppl. chronicor.*

Quæ sic placuit referre, ut quàm apud omnes certum sit opus esse nostri Peraldi lector videat ; quantùm verò ad auctoritatem Severtii de episcopatu ejus Lugdunensi, quem ascribit ad annum MCCXXVI, minimi apud nos ést ponderis, nec convenit cum actis. Tres sunt præterea in eadem Bibl. codd. memb. duo fol. par. ultimus in 4. nn. 3973 4131 & 6208. Sola *summa vitiorum* absque nomine auctoris.

In Bib. Eccles. Paris. C. 31. 4. *summa de vitiis* optimæ notæ. memb. sec XIII. eadem sed abest nomen auctoris. In Navarr. cod. MS in 4 memb. ad cujus calcem legitur : *Explicit summa de vitiis anno D.* MCCLII quæ ætas codicis. Ibid. codd. duobus in 8 memb. ac melioris notæ : in primo *Summa de vitiis F. Guillelmi de Peraldo* : in altero, *summa de virtutibus Peraldi.*

In Elencho codd. MS Bel. T. I. p. 356 *Guillelmi Peraldi summa de septem vitiis capitalibus.*

In catal. Bibl. Angl. T. I P. I 2662. *Guil. Peraldi tractatus de vitiis septem.* P. II 700 *Guill. Peraldi episc. Lugdun. & ord. Prædic. tractatus moralis de septem vitiis capitalibus.* 731. *Tractatus de virtutibus cujusdam ven. doctoris ord. Prædic.* Nota. *Sunt qui affirmant prædicti codicis auctorem fuisse Guillelmum Peraldum episcopum Lugdunensem, & ord. Prædic. antesignanum.* Quæ annotatio procul dubio secunda manu adjecta.

Prudens omitto cæteros sive in Anglicanis, sive in Belgicis apud Sanderum, sive in Venetis & Patavinis apud Tomasinum codd. MSS recensitos, seu quod prima manu nomen auctoris omissum, seu quod secunda manu falsò dicatur auctor episcopus Lugdunensis. Illud ratum habeatur ad dignoscenda Guillelmi nostri genuina exempla, & ab aliis quæ innumera sunt hujus tituli de vitiis & virtutibus secernenda, quæcunque sic incipiunt *de vitiis. Tractatus iste continet novem partes* : & post indicem generalem, *Dicturi de singulis vitiis* : Similiter de altero, quæ sic incipiunt, *Præsens opus habet quinque partes principales*, & post indicem, *cum circa utilia studere debeamus* : hæc certo esse Guillelmi de Peraldo.

His hactenus positis, ex quibus summam hanc de vitiis & virtutibus tot codd. MSS repræsentatam, ac toties typis editam Peraldi nostri opus esse quibuscunque constare debet, quam & ei asserunt seu auctores æquales, seu nomenclatores omnes seculis sequentibus ad hæc nostra tempora, obviandum jam dubio quod oriri posset ex insigni hujus summæ exemplo, quod. voll. quatuor fol. mag. memb. eleganti & majori charactere servatur in Colbert. nn. 1146 47 48 & 49 duobus prioribus *summa virtutum*, posterioribus *summa vitiorum*, quæ totidem verbis a cap. ad calcem cum hactenus sub nomine Peraldi prolatis conveniunt. Ad finem autem cujuslibet quatuor voluminum alia manu alio charactere, alioque atramento liber dicitur *D. Guillelmi de Brucia archiepiscopi Senonensis* : qui nempe sedit a MCCLVIII quo electus ad MCCLXIX quo mortuus, & reipsa in catalogo ejus Bibl. recensetur iste Senonensis quasi hujus operis auctor. Hinc ansam arripuit Casimirus Oudin in suo supplem. pag. 533 quem sequitur clarissimus Dupinius, hujus Senonensis inter scriptores seculi XIII numerandi : cui & concinit clariss. abbas Argentræus in Ind. comment. MSS nondum typis editorum : qui ambo viri sane eruditi, quosque plurimum veneror, si quatuor illa volumina evolvissent, summam virtutum & vitiorum iis contentam non aliam ab ea quæ sub nomine Peraldi Lugdunensis sive in codd. MSS sive in typo editis deprehendissent, agnovissentque erratum esse in catalogo ejus bibliothecæ, nec alia ratione fuisse Senonensis, quàm quod eam suis usibus scribendam curarit : ut pote qui ipsi egregie commendant summam vitiorum & virtutum nostri Peraldi, quæ tamen non alia. Enim verò si Senonensis verus fuisset hujus summæ auctor, nomen archiepiscopi adeo illustris per omnium ora volitasset, nec quis eam suo auctori abreptam nostro Peraldo viro quidem erudito sed tandem simplici Fratri ausus esset asserere, cujus tamen esse ex quo scripta est continua seculorum serie prædicatur, dum nomen Senonensis hactenus inter auctores silentio pressum fuit. Quod erratum in indice Colbert. idem in Bibl. Augustinen. ad Pontem-novum. Guillelmus de Brocia hanc nostri Peraldi summam tanti faciebat, ut eam ceu pretiosum munus suis amicis daret. Illam itaque F. Joanni de Parisius Augustinensi *propter sua servitia*, ut initio legitur contulit, quæ etiamnum extat in illa Bibl. cod. 178 fol. par. memb. optimæ notæ. Bibliothecarius autem quidam quod munus tantùm erat Senonensis, ceu ejus opus inscripsit. In ead. Augustin. cod. 300 vel 279 est eadem summa sed absque nomine auctoris.

2. *Sermones de diversis & de festis.* Sic Salanhacus & Bernardus Guidonis. Laurentius Pignon n. 48 cit. *Sermones de tempore super evangelia & epistolas Pauli dominicales.* Ludovicus a Valleoleti n. 13 cit. *Item fecit sermones de tempore & sanctis per totum annum.* Id est tam de dominicis, quàm de quadragesima & festis sanctorum.

Pluries typis prodierunt. Primò Parisiis. Udalr. Gering & Bertholdi Rembolt. 1494 quæ editio apud nostros Rotomagen. tum & 1498 8. Iidem Tubingæ, Federici Meymbergen & Joan. Osmar 1494 fol. & 1498 4 mag. Postea curis nostri Bernardi de Croso qui ad exemplum ipsius auctoris manu correctum recognovisse se testatur. Avenione. Joan. de Channey, 1519 8. Lugduni. Caroli Pesnot. 1576 & 1586 8. Coloniæ. Hæred. Ant. Boetzeri 1629 4. Iterum ibid. 1632 4.

Hi sermones aliquando & olim & recens editi fuerunt sub nomine Guillelmi Arverni episcopi Parisiensis, ut Tubingæ. 1499 4. *Monachii. Nicol. Henrici* 1643. 4. *Quam editionem quidam S. I. summariis ad caput sermonum & notis marginalibus illustravit.* Parisiis 1638. fol. & in novissima editione omnium ejus operum curante Bartholomæo le Feron canonico Carnotensi & socio Sorbonico Aureliæ. 1674. fol. tomo altero. At certo non sunt episcopi Parisiensis ejusque stylum non redolent, ut agnoscunt omnes eruditi. Præterea in Sorbon. plures sunt codices MS seculi XIII, quibus habentur dicti episcopi sermones aliorum sermonibus ejusdem ætatis permisti, & illi quidem luce digni, sed longe ab istis editis diversi. Sunt igitur hi editi nostri Peraldi cujus etiam nomine repræsentant codices omnes MSS. Venales prostabant Parisiis ante MCCC ex libro Rectoris univers. *Sermones F. Guillelmi Lugdun. de dominicis super epistolas & sermones ejus de sanctis.*

In Sorbon. codex est n. I p. 979. memb. fol. par. ac sec. XIII Titulus : *Incipiunt sermones F. Willelmi Lugdunensis de epistolis. Hora est jam nos de somno surgere. &c. Hoc tempus dicitur tempus adventum &c.* ut in editis. Item in cod. articulo

SÆC. XIII. superiori cit. n. 1 p. 954 sunt undecim sermones *de Dedicatione Ecclesiæ*, & duo *in consecratione virginum*, sub quibus in inferiori margine auctor dicitur, *F. Willelmus qui fecit summam de vitiis & virtutibus.* Illi autem omnes iidem sunt cum editis.

In Navarr. duo sunt codices MS memb. Primus in 4 hunc habet titulum *sermones Guillelmi Lugdunensis. Hora est &c.* ut in Sorbon. mox citat. Sunt tantùm de epistolis. Alter in 8 *sermones in dominicas. Dom. 1 adv. Dicite filiæ Sion &c.* ut in editis. Sunt tantùm in evangelia. Ad calcem *Explicit summa magistri Guilelmi de Luduno.*

Florentiæ ad S. Marc. Arm. 3 cod. 102. *Sermones ven. viri F. Guilielmi archiepiscopi Lugdunensis* (adeo hîc inolevit error) *ord. Prædic.* memb. & cod. 103. item memb. *Sermones dominicales Wilielmi Peraldi ord. Præd.* Venetiis apud SS. Jo. & Paul. Pl. 4. *Peraldi sermones de SS.* memb. in 4 ibid. *F. Guillelmi de ord. Prædic. sermones in adventu.* memb. in 4. In Elenc. codd. MS Belgii apud Sanderum pag. 181. *Guillelmi de Lugduno sermones doctissimi ad populum.* Pr. *Hora est jam nos &c.* Ibid. Ejusd. *summa de vitiis.* Et pag. 356. *F. Guiliemi Lugduneñ. sermones super epistolas & evangelia totius anni.* bis. Ibid. ejusdem *summa de vitiis.* Item pag. 129. *sermones F. Willelmi de Lauduno* (sed leg. *de Lugduno*) *de dominicalibus evangeliis.* Pr. *Dicite filiæ Sion.*

In Belgio apud nostros Antverpienses, *sermones in epistolas & evangelia F. Guillelmi de Peraldo Lugdunensis.*

In elencho codd. MS Belg. p. 356 bis, primò sub nomine Guillelmi Peraldi, deinde sub nomine Guillelmi Lugdunensis.

Alva Sol. verit. Rad. 133 col. 1232 ex eo quod in editis Peraldum agnominari legerit, at in codd. MSS sæpius de Lugduno vel Lugdunensem tantùm, opera esse diversa contendit & diversos auctores: verùm ex collatione utrorumque editorum cum MSS constat in omnibus convenire, unumque & eumdem esse scriptorem.

3. *Expositio professionis, quæ est in regula B. Benedicti.* Sic Salanhacus.

Extat in Victor. cod. 335. memb. in 4 par. hoc titulo: *Tractatus super regulam B. Benedicti editus a F. Guillelmo de Peraut ord. FF. Prædicat.* Pr. *Cùm displiceat Deo infidelis & stulta promissio.* Item in Sorbon. cod. fol. med. memb. qui est collectio similium opusculorum, quorum primum est nostri F. Gerardi Leodien. *De præparatione cordis*, opus autem nostri Peraldi est ordine 23 absque nomine auctoris. Item in Navar. cod. MS in 8. memb. inter plura. Item in Colbert. cod. 80 fol. mag. memb. in med. volum. Titulus eadem manu opusculi: *Incipiunt capitula in tractatu de professione monachorum super regulam B. Benedicti, quem fecit F. Guillermus de Perault ord. Prædic.* Item Lipsiæ in Paulina pag. 87 n. 49. *Fratris Wilhelmi prioris* (fortè *Prædicatoris*) *Lugdunensis tractatus de professione monachorum.* Item in catal. codd. MSS Angliæ T. II P. II 371. *Tractatus F. Guillelmi de professione monachorum.* In Elenc. codd. MS Belg. apud Sanderum plura recensentur hujus operis exempla absque nomine auctoris, sed eodem principio. Videsis pag. 132 n. 16 & pag. 135 n. 18 & 24.

Parisiis in Sangerman. extat absque nomine auctoris prima manu cod. 400 fol. med. memb. Recens manus ex fide cod. Gemeticen. inscripsit: *F. Guillelmi Pictavien.* at erratum esse monui, ex fide tum Salanhaci qui hoc opus Peraldo asserit, tum codd. Sanvictor. & Colbert. Fortè in illo cod. Gemetic. scriptum *Peiuta* cum nota abbreviationis super literam i, quod significat *Peirauta*, quod quidam haud facile legens interpretatus sit *Pictaviensis.* Sed & prodiit in incunabulis typographiæ hoc titulo: *Incipit tractatus de professione monachorum editus a R. P. F. Guillelmo de Peraldo conva Lugdun. ord. FF. Prædic.* 8 par. absque anno & loco, licèt suspicer circa 1500 apud Joan. Parvi. char. Goth. Quæ editio Paris. in Regia D. 1831.

4. *Liber de institutione religiosorum.* Sic Salanhacus, seu Bernardus Guidonis. Hoc opus illud est, quod *de eruditione religiosorum* vulgo inscribitur, quodque sub nomine ven. F. Humberti magistri ordinis V primi ediderunt Patres ordinis Minorum conventus sui Parisiensis reformatores initio seculi XVI Parisiis. Henrici Stephani. 1512. 8 char. Goth. quæ editio extat in Reg. D. 2909. Lusitanus iterum sub ejusdem Humberti nomine edidit Lovanii. 1575. 8 contendens se in Germania quædam exempla MS invenisse sub nomine Humberti: at simul fassus ab Ambrosio Taegio P. IV Mon. ord. Peraldo asseri, & Bononiæ exemplum MS antiquissimum apud nostros servari nomen Peraldi præferens. Lusitanum imitatus est F. Franciscus Goraceus de quo postea in editione quam curavit Lugduni 1585. 8. ut & ille qui postea edidit Parisiis, 1622. 8. Item editores Bibliothecæ Magnæ SS. PP. Lugduni, Anisson & soc. 1677 fol. T. XXV pag. 665. At Humberto abjudicandum opus ex eo evincitur, quod illi non ascribant veteres nomenclatores, contrà verò Peraldo asserant, cui favent antiqua omnia exempla MS cum citato Bononiensi. Primò antiquissimum fol. memb. Romæ servatum in archivo magistri ordinis: Tum codices duo Victorini 513 & 515 melioris notæ memb. in 4. sec. XIII quibus is est titulus prima manu: *Incipit prologus in libro de eruditione religiosorum, quem composuit Frater Guillelmus de Perault de ordine Prædicatorum. Erudire Jerusalem &c.* In monasterio Regio Pissiacensi nostro codex est fol. memb. eleganti charactere 400 annorum. tit. *De eruditione religiosorum liber, quem composuit Frater Guillermus de Peraut de ordine Prædicatorum.* literis ex minio manu eadem totius codicis. In Sangerman. Paris. cod. 414 prima manu legitur etiamnum *Peraldi* nomen ut auctoris, quamvis manus recentior inscripserit nomen *Humberti.* In catalog. codd. MSS Ang. T. I P I. 1360: *Willelmi de Perando liber de eruditione religiosorum.* Alia exempla hujus catalogi omitto, quibus non additur nomen auctoris, ut T. I P. I-I. 2307 *Liber eruditionis religiosorum.* Pr. *Erudire Jerusalem.* & 2376 idem. & T. II P. I. 9292 idem. Lipsiæ in Paul. catal. p. 185 absque nomine auctoris, & p. 195 n. 13 falsò S. Thomæ inscriptum. Inter codd. MSS Belgii apud Sander. p. 191. *Guillelmus Peralt O. Prædic. de eruditione religiosorum.* Nullus dubito, quin codices omnes antiquiores si quod nomen habent prima manu inscriptum, Peraldi habeant non Humberti. Adde stylum eumdem esse plane, ut & tractandi modum, quem Peraldus servat in summa de vitiis & virtutibus, nullatenus autem Humberto convenire, cujus legi potest *Epistola de tribus votis substantialibus religiosorum* omnino dissimilis. Ex hactenus dictis Leandrum Albertum fol. 38 a. & Possevinum hoc opus Humberto vindicantes emendes, major enim fides tum antiquis codd. MSS tum Salanhaco Guilielmi æquali & Bernardo Guidonis. Visus est non omittendus licèt non antiquus & seculi ut videtur tantùm XV vel XVI ineuntis codex fol. med. pergamenus apud nostros Sanjacobeos Parisienses & non parvæ molis absque nomine auctoris prima manu, sed cui altera imperiti cujusdam manus Humberti de Romanis ut auctoris inscripsit, quod emendandum.

5. *Et de regimine principum.* Sic Salanhacus citatus seu Bernardus. Hujuscemodi opus Guilielmo

nostro omnes ascribunt, ubi verò servetur editum aut MS nemo aperit. De quo ut sensum meum prodam, illud ipsum est, quod inter opuscula S. Thomæ de Aquino in edit. Rom. anni 1570 primùm prodiit, quod certò certius non est sancti doctoris: neque enim antea ullus illi asserere ausus erat, etsi passim in bibliothecis plura ejus prostarent exempla MS omnium manibus obvia, licèt absque nomine auctoris: est tamen cujusdam ordinis Prædicatorum seculo XIII florentis, cùm id aperte profiteatur in prologo, addens se illud principis rogatu, & majorum imperio compulsum scripsisse. Quod ut clarius fiat, duo distinguenda sunt apud Aquinatem hujus generis opuscula: primum ordine XX cui titulus *De regimine principum*, & Pr. *Cogitanti mihi*, in quatuor libros divisum. Hujus duos priores libros Aquinati postea ubi de eo asserimus, posteriores duos Bartholomæo sive ut jam vulgo dicunt Ptholomæo de Luca vindicabimus. At aliud opusculum est aliis non annumeratum, sed inter XL & XLI editum hoc titulo *De eruditione principum* in septem libros distinctum, quod sic incipit, *Cum pars illustris Ecclesiæ sit cœtus principum &c.* quod ex cod. MS Tolosæ reperto & anno MCCCIII scripto, eoque anonymo Romani editores inter opuscula sancti doctoris ut genuinum ejus partum referendum censuerunt, cujus tamen stylus adeò S. Thomæ extraneus est, ut mirum sit viros eruditos id non animadvertisse, ipsumque Bellarminum observat. 3 in opera Aquinatis in eo delusum. Excusandi tamen facile veniunt, quod rem levius attigerint omnes, nec attentius discusserint. Contra verò stylus ita convenit cum eo quo utitur ubique Peraldus, præsertim in summa de vitiis & virtutibus, ut ovum ovo non sit similius. Eadem tractandi ratio per divisiones, per auctoritates ex scriptura & ex patribus, dictio eadem humilis, non ut S. Thomæ, quæ cultior est & castigatior, quæ si lector perpenderit per otium, quin meam in sententiam transeat, nullum mihi dubium. Scrupulum facere potest, quod *de regimine principum* opus Peraldi inscribat Salanhacus, non *de eruditione principum*, qualis est hujus operis titulus: sed facilis solutio, nempe Salanhacum non semper attendisse, ut librorum titulos accurate referret & ad amussim, modo rem ipsam exprimeret: Sic *De institutione religiosorum*, appellat opusculum superius nostri Peraldi, quod *De eruditione religiosorum* inscriptum exempla omnia MS exhibent. Duo sunt in Navarr. hujus opusculi exempla MS unum antiquius circa MCCC scriptum fol. par. memb. quodque novæ editioni accurandæ haud parum prodesset: alterum charta in 4 ad cujus calcem legitur, *Explicit liber eruditionis principum completus A. D.* MCCCCLX *die* XIX *julii*, utrumque absque nomine auctoris. Apud Fellerum de Bibl. Paul. Lipſ. pag. 303 n. 36 sic lego: *F. Ægidii ord. Prædic. de eruditione principum libri* VII. p. 321. *Ægidii liber de regimine principum.* Videtur idem opus, sed quis iste Ægidius? Forsan quem de Lessinis vocant: verùm cum huic simile opus veteres nostri nomenclatores non ascribant, erratum facile crediderim, & Ægidium scriptum pro Guillelmo hoc nostro, cui omnes antiqui asserunt.

6. *Et multa alia.* Sic tandem Salanhacus. Laurentius Pignon addit *item de scientia*, at non magis explicat.

Lipsiæ in Paul. Felleri p. 232 n. 45 inter plura: *Fratris Wilhelmi prioris (*an *Prædicatoris) Lugdunensis compendium contra vitium proprietatis monachorum.*

Leander Albertus fol. 86. a. sic habet, *Guillelmus Gallus archiepiscopus Lugdunensis, vir ingenio & doctrina clarus summam magnam tribus voluminibus distinctam de septem donis Spiritus Sancti scripsit, rationes suas exemplis præclaris confirmans.* Verùm ut allucinatur in titulo *archiepiscopi* quem Guillelmo nostro tribuit, sic & in opere, quod non ejus, sed nostri *Stephani de Borbone* seu *de Bellavilla* de quo postea.

Nomenclatores qui post Tritemium in eo delusum hunc auctorem in duos dividunt, alterum Peraldum ad MCCLV, Lugdunensem alterum ad MCCLXXVI, & utrumque sine ullo documento veteri Lugdunensi infula ornatum, quales Lusitanus, Possevinus, Fernandez & alii plura alia ei ascribunt:

1. *De proprietatibus rerum.* Quod opus est cujusdam sodalis ord. Min.

2. *Super libros* IV *sententiarum.*

3. *De fide & legibus ac fide Sacramentorum*, qui liber dicitur a Simlero olim editus Augustæ in fol. sed allucinari censeo, & quod opus est Guillelmi episcopi Parisiensis, Lugdunensi nostro perperam asserere.

Altamura ad 1256 tum in Bibl. tum in Append. ubi errorem dividentium in duos videtur agnoscere, multo plura ex F. Godefrido Languedoc Armorico, de quo nos postea sec. XVII, scriptore certe haud accurato, refert opera

1. *Postillas plures.* 2. *Opusculum de SS. Sacramento.* 3. *De principio scientiarum.* 4. *De natura relationis.* 5. *De unitate formæ.* 6. *De conscientia.* 7. *De prædicabilibus & prædicamentis.* 8. *Physica.* 9. *In tres libros de anima.* 10. *De cœlo & mundo.* 11. *De generatione & corruptione.* 12. *Super metaphysicam.* 13. *De logica.* 14. *De grammatica.* Quæ unde acceperit, aut ubi serventur saltem MS, cùm non aperiat Languedocius, arbitrio lectoris permitto. Tamen in Elencho codd. MS Bel. T. I p. 356 ei tribuitur *Postilla in Lucam.*

In Bibl. Augustana inter antiquas editiones apud Reiserum pag. 107 recensetur, *Guillelmi Lugdunensis episcopi opus de fide & legibus.* Sed censeo erratum in titulo & opus esse Guillelmi Arverni Parisiensis episcopi.

Ibid. pag. 110 Reiseri: *Fratris Guillelmi Lugdunensis episcopi expositio sacrorum evangeliorum & epistolarum de tempore diebus Dominicis, de Sanctis, & pro defunctis. Ulmæ* 1486. Aut fallor, aut hîc etiam erratum, videtur enim opus nostri F. Guillelmi de Parisius II de quo nos postea sec. XV, qui scribebat anno 1485 hoc eodem fere titulo, quod discutiant indigenæ curiosi. Idem opus & ejusdem Parisiensis non verò Lugdunensis crediderim quæ ibidem refertur pag. 112. *Guillelmi postilla super epistolas & evangelia de tempore & de Sanctis, & pro defunctis. Item de passione Christi & de planctu Virginis Mariæ &c.* Quod etiam discutiant indigenæ.

Virtutum vitiorumque exempla ex utriusque legis promtuario excerpta nunc ex duobus antiquissimis exemplaribus reformata, opusculum sub nomine F. Guillelmi editum Lugduni 1580 in 16, tum a Possevino tum ab Altamura laudatum: & iterum ibidem apud hæredes Guill. Rouillii 1616. 16: rursus nostra ætate ibid. typis Joan. Radisson, qui Bediano Morange socio Sorbonico & S. Nicetii canonico nuncupavit, 1677 in 12. Quisquis has editiones curaverit, a vero quàm longissime aberravit, nam ipsissimum est opus nostri Nicolai de Hanapis patriarchæ Jerosolimitani, cui ex fide omnium veterum codd. MS asseremus mox ubi de eo ad 1291.

Etsi verò Altamuræ concedam in pluribus codd. MS Guillelmum de Peraldo episcopum Lugdunensem dici, tamen in antiquioribus seculi XIII exemplis, qualia plura sunt hîc Parisiis, id haberi pernego: quod si verum esset, nec Salanhacus, nec

Sec. XIII. Stephanus de Borbone qui ubique laudat, nec Bernardus Guidonis tacuissent.

Ex hactenus dictis duo mirabitur lector, quæ in alio non facile occurrent : primum Guillelmo genuina illius fere omnia opera ipsi ablata, & aliis non petentibus liberaliter data : nam summam virtutum & vitiorum Guillelmo de Brucia, sermones ejus omnes Guillelmo Arverno Parisiensi episcopo, expositionem professionis S. Benedicti nescio cui Guillelmo Pictaviensi, tractatum de eruditione religiosorum Humberto nostro de Romans, alterum tractatum de regimine principum S. Thomæ de Aquino incauti ascripserunt : contra verò & est secundum, illum titulis onerant & dignitatibus quibus ornatus non fuit, plura etiam illi asserunt opera quibus non laboravit. Utinam tandem ex allatis supra luce ipsa clarioribus documentis error finiatur, ac relictis illustri nostro scriptori indubitatis ipsius operibus, nec honores quibus caruit, nec alieni fœtus deinceps ascribantur.

F. GUILLELMUS COLONIENSIS.

* 1250. F. GUILLELMUS COLONIENSIS Teuto a nomenclatoribus cæteris omissus, laudatur a Laurentio Pignon catalogi n. 61 his verbis *F. Guillelmus Coloniensis dictavit*

Sequentiam de Ascensione, Omnes gentes plaudite.

Hinc colligas ætate Laurentii id est ante MCCCC, nam hic scribebat jam anno MCCCLXXXIX, hanc prosam Alberto Magno non ascriptam, ut postea quidam existimarunt, quibus assentitur Joannes Adelphus physicus Argentinensis in suæ sequentiarum interpretationis prologo : sed & hunc Guillelmum ante annum MCCLIV vixisse, quo hæc apud nos sequentia canebatur, ceu quæ extat in antiquissimo ordinis officio ecclesiastico a magistro ordinis V Humberto de Romans concinnato, & ad eum annum jam scripto. In vitis Fratrum P. IV cap. 24 §. 10 laudatur quidam *F. Wilhelmus Teutonicus valde religiosus & magnus animarum zelator*. Eumdem esse sequentiæ scriptorem nolim affirmare, sed tempora conveniunt.

FF. CONSTANTINOPOLITANI.

* 1252. FF. CONSTANTINOPOLITANI illi scilicet sodales nostri, qui domum nostram in ea imperiali urbe jam pluribus annis antea erectam anno MCCLII incolebant, Græcisque schismaticis ad pacem & concordiam cum Ecclesia Latina reducendis impigre desudabant, communi labore & opera scripserunt

Tractatum adversus errores Græcorum.

Edidit primus Petrus Stevartius *Tomo singulari insignium auctorum tam Græcorum quàm Latinorum ex variis Bibliothecis collectorum*. Ingolstadii typis Ederianis 1616 in 4 a p. 535 ad 630 ex cod. MS Bibl. Bavaricæ. Ex quo in magnam Patrum bibliothecam intulerunt Colonienses anno 1616 T. XV p. 1043 ad 1070 : & Lugdunenses Anissonii anno 1677 in supplemento p. 589 Titulus a Stevartio appositus is est : *Tractatus contra errores Græcorum editus Constantinopoli in ædibus Fratrum Prædicatorum anno Dñi 1252. De processione Spiritus Sancti. De animabus defunctorum. De azymis & fermentato. De obedientia Romanæ ecclesiæ.*

Cùm autem meas in manus venerit codex MS longe correctior & emendatior, quàm is quo usus est Stevartius, qui Bavaricum fatetur ipse per quam vitiosum, eruditis gratum me facturum putavi, si loca saltem quæ ille in Bavarico notat mendosa & corrupta, ex eo qui mihi occurrit restituerem, & quomodo legenda indicarem. Codex autem iste quem laudo chartaceus est in fol. fuitque aliâs Ægidii Carlerii, idemque supra memoratus ad annum 1234 ubi de FF. Hugone & Petro de Sezana apocrisariis Gregorii IX ad imperatorem Vatacium & patriarcham C. P. Græcum missis. Tractatus autem de quo hîc agitur, incipit codicis fol. 165. Prologum integrum do, ut cum editis conferat lector, & quis correctior judicet. Sic incipit

Prologus. *Stevar. variet.*

« Licet Græcorum Ecclesiam virtutum floribus & philosophiæ studiis (1) dudum decoratam noverimus, necnon & sanctorum (2) præcedentium patrum prophetarum videlicet & apostolorum veloci cursu calcans vestigia, quamplures ex se vivos lapides & ignitos in ædificium supernæ Hierusalem olim eadem transmiserit (3) construendum : nunc tamen hoc est in fine temporum quod sine gravi mœrore proferre non possumus, (4) in miseriis & diversis erroris obfuscata turbinibus in eadem caligine suarum opinionum (5) divisa a sacrosancta Romana Ecclesia cæca perseverat. Et quamvis infinita hæresum germina a (6) CCCXCIX annis & citra, hoc est a tempore Photii vel Photini hujus schismatis inventoris in diversis suis partibus tum propter defectum scientiæ, tum propter odii & invidiæ amaritudinem manifeste (7) pullulaverit, præcipue tamen in quatuor articulis generaliter seu communiter a nobis deviare cognoscitur. Quorum »

« Primus ab ipsa majestate divina temerarie inchoans ore polluto (8) nititur construere contra opinionem imo fidem catholicam tertiam in Trinitate personam, id est Spiritum Sanctum a Filio minime procedere, vel spirari vel existentiam habere. »

« Secundus autem (9) secundam theologicarum virtutem, id est spem virulento conamine interimere studens, asserit defunctorum animas nec paradisi perfrui gaudiis, nec infernorum suppliciis vel igne purgatorio citra diem judicii, aut ante latam extremam sententiam (10) judicis posse subjacere. »

« Tertius verò ipsam omnipotentis Dei potentiam creaturæ hoc est fermenti termino volens coarctare, voce blasphema prædicat nonnisi in fermentati panis materia posse perfici mysterium sacramenti. His itaque fide & spe & caritate virtutibus a cordibus fidelium dicto studio & ordine deletis, (11) revolvitur in totius consummationem nequitiæ. »

« (12) Quartus sequitur viam præcludens reductionis, dum eam ad quam horum & similium errorum spectat correctio, id est sanctam Romanam Ecclesiam (13) canino dente lacerat, eamque non esse caput Ecclesiarum, nec ei obediendum esse communiter asserendo prædicat, moribus affirmat, & factis (14) ostendit. »

« Contra quos errores pestiferos quamvis multorum jam fidelium (15) desudaverit labor, & plurima ad nostræ fidei defensionem scripta dimiserint perlegenda : quia tamen moderni Græci novi pariter & antiqui (16) schismatis fautores, nec argumentis vel rationibus, nec sacræ scripturæ testimoniis, sicut nec suorum scriptis Sanctorum, quibus plurimum innituntur tam apocryphis quam veris volunt superari, fraternis (17) itaque precibus inclinatus, qualiter ex suis libris eorum convincatur pertinacia, virtute qua potero ostendere (18) curabo. Si quid ergo vobis Fr. D. *(an Frater dilecte, an Fratres dilecti)* in his gratum fuerit, ad fontem bonorum omnium Deum scilicet referentes, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, »

1. olim. 2. *deest.* 3. cõstruendi. 4. innumeris. 5. diversa. 6. 380. hîc rectius. 7. pullulaverint. 8. affirmat. 9. secundùm theologos. 10. judicii. 11. ultimo. *deest* revolvitur. 12. Quartum *& deest linea integra.* 13. aggreditur *& sequentia desunt ad* nec ei obedi. 14. dicit. 15. desudavit. 16. Schismatici. 17. quoque. 18. laborabo.

» loquitur, oratione frequenti me sedule commen-
» date. Si qua verò præter meam utique intentio-
» nem minus veritati consona forsitan apparebunt,
19. depure-ti. » vestræ correctionis lima (19) depurata, & ad lu-
20. carita-tive. » men veritatis (20) caritative (21) adducta, &
21. reducen-tes. » meæ imperitiæ, & brevitatis inopiæ veniam con-
» cedatis.

Incipit primus liber seu tractatus ab uno Fratre de ordine Prædicatorum compositus cum assensu plurium ejusdem ordinis.

» Primum igitur articulum Græcorum Græci suis » rationibus & auctoritatum testimoniis defendere » volentes ita procedunt &c.

Nunc loca quæ in codice Bavarico Stevartius fatetur corrupta referenda, & quî in codice Carlerii jam Gymnasii Navarrici legantur addendum. Primò lectionem Stevartii damus, cui nostram opponimus hac nota signatam. *Nav.*

Pag. 539 lin. 14 *Stev.* nec intercidium. *Nav.* intervallum.

P. 544 l. 19. Quia verò est bonæ expositionis. *Nav.* Quod verò bene exponamus, quod de veritate increata locutus fuit Christus, patebit in sequentibus.

P. 554 l. 33. Qui non lecta expletis sequuntur. *Nav.* Quæ non lecta ex lectis sequuntur.

P. 556 l. 12. In quinto namque concilio. *Nav.* In hoc namque concilio &c. *nempe Ephesino paulo ante citato.*

P. 557 l. 23. Majus & subsistens per medium. *Nav.* Pater quidem sine principio & ingenitus, & semper pater intelligitur: ex ipso autem secundum propinquum sine interstitio unigenitus cointelligitur: per ipsum autem unigenitum & cum ipso antequam aliqua inanis & insufficiens per medium intercidat intellectio, statim & Spiritus Sanctus copulative comprehenditur. *Iste S. Basilii locus totus fere corruptus apud Stevartium.*

P. 559 l. 24. Definit enim secundum concilium. *Nav.* Definit etiam quintum sanctum concilium sic: Condemnamus &c. *& ad finem hujus articuli* & Nestorii eidem scripsit.

P. 575 l. 12. Ergo Christus comedit azima pascha. *Nav.* Ergo Christus comedit pascha luna decima-tertia. *Objectum scilicet est Græcorum.*

P. 580 l. 11 Item Græci in officio suo de apostolis &c. *Nav.* Item Græci in officio suo de Petro & Paulo talia testantur. Dicunt enim: Quibus laudum cantibus psallemus Petro & Paulo, qui divisi sunt corpore & uniti spiritu &c.

P. 585 l. 20. Quantam putas circa ducentos viginti sacerdotes &c. *Nav.* Quantam putas circa quingentos viginti sacerdotes inhabitationem ostendere & familiaritatem, qui etiam patriæ & labori cognitionem, quæ in confessione ipsius est præposuere, quibus tu utique ut caput membris præsidebas.

P. 588 l. 5. Nunc igitur & recursum &c. *Nav.* Nunc igitur & recursum qui ad sanitatem fit & restitutionem perfectam, nobis concedite justissime: & maxime cùm infirmitas non occasione sive causa corruptionis suæ stabilimentum acceperit, sed ab extrinsecus coacto & improviso impulsu sive casu suum acceperit robur.

P. 690 l. 34. Istud testimonium invenitur passione sua confirmare. *Nav.* Istud testimonium invenitur in passione sua. (*Id est in legenda ut aiunt, seu in historia ejus martyrii.*) Confirmare etiam aliquid aut infirmare ante legatos papæ non poterat concilium &c.

P. 591 l. 3. Et ideo non obedimus ei. Item quæritur ab eis &c. *Nav.* Et ideo non obedimus ei. Sed tunc quæritur ab eis &c. (*& hæc est responsio ad objectum, quam Stevartius putat abesse.*

P. 593. Hæc autem scripta sunt &c. *Nav.* Hæc scripta sunt anno Dñi MCCLII in civitate Constantinopoli a Fratribus ordinis Prædicatorum ad ædificationem Ecclesiæ & profectum animarum, ad laudem & gloriam Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Altera pars tractatus sic incipit in Navar. Stevar. vicit.

Sicut in priori opusculo visum est, Græcorum « 1. Ecclesiæ doctorque.
(1) Ecclesiæ decor, qui olim sua venustate quam- «
plurimos ad æmulationem fidei provocabat (2) « 2. ut morum.
& morum, (3) ita est nunc errorum caligine ob- « 3. ita & nunc erroris.
fuscatus, quod sua fæditate horrorem aspicienti- «
bus incutiat: ut jam non fidelium Ecclesia, sed «
congregatio potius non immerito possit appellari «
hæresiarcharum. Quod licèt in jam dictis quatuor «
articulis legentibus monstratum sit, adhuc tamen «
plenius in his quæ sequuntur apparebit, quæ ex «
dictis magistri Hugonis Ætheriani nuper extracta «
huic operi necessario duximus inserenda. «

P. 593 l. 27. Sed Calabri & cæteri orthodoxi sicut antiquitus &c. *Navar.* Sed Calabri cum orthodoxis sunt antiqui & apostolicæ Ecclesiæ nostræ alumni, ejus moribus sunt informati &c.

P. 596 l. 7. Nam cùm anni quatuor tempora sunt &c. *Nav.* Nam cùm quatuor sunt anni tempora aut temporum distinctiones, horum initia primorum mensium, martii videlicet, junii &c.

L. 37. Verùm hæc de grecogice laicorum lapsum excerpsi &c. *monstrum verbi, inquit Stevartius. Nav.* verùm hæc de gurgite Latinorum lapsuum excerpsi &c. *correctioni vacent.*

P. 598 l. 12. Sacerdotes eorum in plerisque locis viri sanguinum existunt, & inferunt sacratis manibus &c. *Nav.* Sacerdotes eorum in plerisque regionibus viri sanguinum existunt. Nam proficiscentes in Persas mortem arcubus intentant & inferunt sacratis manibus: quod propriis oculis imperatorem sequendo per Cappadociæ &c.

L. 36. Sed errore vatis jucunditate traducuntur, quomodo apostolis sancitum esse &c. *Nav.* Sed errore satis manifeste traducuntur, cùm hoc ab apostolis sancitum esse &c.

P. 599 l. 28. Cùm igitur die Sabbatorum jejuniis valefaciant, & omnia illa de festivitate, etiam si major septimana reliquis numeretur &c. *Nav.* Cùm ergo per dies Sabbatorum jejunia omnino detestantur, etiamsi major septimana &c.

P. 600 l. 9. Mulieres fusco & puniceo facies suas pingunt &c. *Nav.* Mulieres etiam facies suas pingunt, fucorum variis coloribus insigniuntur.

L. 11. Sacramentum conjugii pro fatali reputant. *Nav.* pro vili reputant.

P. 602 l. 2. Similiter autem sancti Mantellis sanctique Koramidii locos &c. *Nav.* sancti Matilii & sancti Oramidii &c. *Porro legendum* sancti Mandelii vel Mantelii, Grece τοῦ ἁγίου μανδηλίου, id est imaginis Christi, & sancti Oramidii.

P. 604 l 28. & dominatorem. Quod ipsi sancti patres &c. *Nav.* & dominatorem, prout in symbolo continetur, quod sancti patres tunc divino spiritu inspirati condiderunt.

P. 607 l. 13. & alii sancti patres numero DCCL. *Nav.* & alii patres DCL *in margine codicis sic monetur.* Alibi dicitur DCXXX, *& revera postea sic legitur.*

P. 608 l. 24. & doctrinis gentilium contemnentes. *Nav.* contaminatos.

P. 614 l. 23. ut fieret patriarcha Ecclesiæ Antiochenæ sine irrita electione Flaviani, quem canones advocabant martyrem &c. *Nav.* Antiochenæ, cassata sive irrita electione Flaviani, quem canonici advocabant, infinitis scandalis &c.

P. 615 l. 8. Post istam fuit sexta &c. *in Navar. deest iste articulus.*

P. 618 l. 26. Tantum exercuit perversum dogma

Sæc. XIII. &c. *Nav.* in tantum serpuit. *Vocabulum infima Latinitatis ejus seculi pro* serpsit.

P. 619 l. 6. In chartis bombacinis scriberentur, eo scilicet quod rasuram non sustineat hujus pergameni. *Nav.* in chartis bombycinis scriberentur, eo scilicet quod rasuram non sustineret hujusmodi pergamenum. *Nota. Haud displicet tamen*, bombacinis, *ratione habita ejus seculi : quod enim periti dicunt*, gossipii vel xyli lanuginem, *ea ætate dicebant* bombacem, bombax, *ex quo etiam conficiebatur charta. Vide Jacobum de Vitriaco Hist. Eccl. Orient. c. 86 & Ducangium vocabul. med. & inf. Latin.*

L. 30. Dicimus cum expositore canonum re & nomine maxime inter Græcos &c. *Sic etiam in Nav. Sed censuerim legendum* re & nomine Maximo, *quisquis sit ille canonum expositor.*

L. 33. & in multis locis libens veritatem condemnavit. *Nav.* etiam in multis libris veritatem depravando.

P. 624 l. 12. Quotiens illo sanguine confecto, quod ut credimus cipuncti vocant in suis epulis &c. *Nav.* quotiens cibo illo dicto sanguine confecto quod ut credimus cyprimen vocant &c. *An quod ex Cypro rationem conficiendi didicerint, an vocabulum infimæ Græcitatis & a Latinis corrupte scriptum?*

Loca hîc solùm referuntur, quæ mendosa & corrupta notat Stevartius, innumera verò sunt, quorum lectio castigatior in codice Navarrico, quamvis & hunc sua etiam habere σφάλματα fatendum sit.

Cùm tractatus mutilus sit in editione Stevartii, quæ in ea desunt, hîc addere visum est ex eodem cod. *Nav.* in quo hæc adduntur post illa verba quæ Stevartius p. 630 l. 5. *non secundùm pravum intellectum Græcorum.*

» B. Joannes Chrysostomus contra illos qui Latinorum consuetudines aspernabantur & vituperabant in supradicta epistola sua (*cujus fragmentum P. I. retulit & habet Stevartius p. 576*) quam Græcis de sacramento & aliis consuetudinibus Latinorum dubitantibus de Constantinopoli transmisit, in principio ejusdem epistolæ sic scripsit : Innotuit nobis edocti, digni sacerdotes, a quodam milite, quoniam contentiones inter vos sunt, & de quibusdam quæstionibus ecclesiasticis. Dico autem de jejunio sabbati, de sacra communione, de conjugio matrimoniali sacerdotum, de rasura barbarum, eorum scilicet qui in sacris ordinibus sunt constituti. Narrabat insuper idem miles nobis multas contentiones alias inter vos & Latinos factas, rogabatque obnixe nos aliquid vobis scribere super iis. Nos autem propter caritatem Christi & vestram utilitatem consensimus amicabili postulationi. Viri Deo devoti ecce scribimus, & primùm rogamus vos, ut contentiones non recipiatis : nos enim secundùm Paulum tales consuetudines non habemus, nec Ecclesia Dei: sed pacem cum omnibus sectamini, habentes pacem Christum, qui fecit utraque unum, & diligite Latinos sicut fratres, orthodoxi enim sunt & filii Ecclesiæ catholicæ & apostolicæ sicut & vos. Nam hujusmodi quæstiones & quædam consuetudines non connumerantur in articulis fidei. Omnia enim bona sunt, si in gloriam Dei facimus omnia. Nihil enim neque Latinorum consuetudo ecclesiastica neque vestra extra bonum aliquid vel indecens recepit aut tenet, sed divinitus habet intentionem & intellectum. Sane igitur intelligentibus omnia sunt (1) vita, cæteris autem sunt scandalum & offendiculum. Ex præmissis igitur colligitur manifeste, quod sancti patres antiqui tam de sacramento quàm de aliis Latinorum consuetudinibus catholice & sancte senserunt: moderni verò Græci quia jugum obedientiæ Romanæ Ecclesiæ a collo suo excutere voluerunt, multis eam erroribus involutam esse sine timore & verecundia prædicare non cessant. Alia verò discussioni virorum peritorum & arbitrio relinquamus «.

1. leg. recta, Græce ὀρθά.

Et hîc est finis tractatus in cod. Nav. Ubi notandum tum fragmentum hîc allatum epistolæ sub S. Joannis Chrysostomi nomine citatæ, tum aliud ejusdem epistolæ apud Stevartium p. 576 revera Chrysostomi non esse, sed Theoriani philosophi seculo XII imperante Manuele Comneno clari, cujus Leo Allatius passim meminit, speciatim verò ultimum fragmentum hac pagina scriptum Græce fere integrum habet libro suo de utriusque Ecclesiæ Occidentalis atque Orientalis perpetua in dogmate de purgatorio consensione pag. 822 & ibidem elegantius Latine reddit.

Notandum rursus in editione Stevartii ad finem hujus tractatus, additam laciniam seu appendicem quæ sic incipit : *Tempore quo victoriosissimus imperator Constantinus cognomento Monomachus imperii perspicaciter moderabatur dignitatibus, erat quidam Michael C.P sedis patriarcha &c.* Finis. *Hæc verò gesta sunt anno ab incar. Dñi milles. quinquagesimo quinto. indict. octava. Quod ego Pantaleon cùm essem ibi Constantinopoli ubi hoc actum est, hoc idcirco memorabile feci &c.* Mirum quam hæc ultima verba scriptorum nomenclatores hactenus torserunt, quibusdam Pantaleonem hunc tractatus superioris contra Græcos auctorem existimantibus : quorum alii * sodalem nostrum fuisse volunt & vocant Fratrem Pantaleonem ordinis Prædicatorum : alii non symmystam nostrum, sed Græcum quemdam, qui tractatum prædictum in ædibus nostris C. P. scripsit ac edidit, eumdemque volunt cum Pantaleone diacono & Chartophilace magnæ ecclesiæ C. P, cujus extant duo sermones editi Græce *in sancta lumina & in dominicam Transfigurationem*, & cum Pantaleone presbytero monasterii Bysantinorum, cujus est *sermo in Exaltatione sanctæ crucis* editus Græce & Latine apud Gretzerum T. II de Cruce. Sic censet Oudinus in *Supplem. de script. Eccl. ad Bellarminum.* De quibus hæc nostra est certa sententia.

* Quetif. Alexandre.

Primò tractatus hujus contra errores Græcorum auctorem anonymum quidem, sed absque dubio ordinis Prædicatorum sodalem fuisse. Id evincit titulus in cod. Navar. post prologum ascriptus, quem iterum repeto : *Incipit primus liber seu tractatus ab uno Fratre de ordine Prædicatorum compositus cum assensu plurium ejusdem ordinis* : ut & finis eidem libro primo adjectus: *Hæc scripta sunt anno Dñi* MCCLII *in civitate C. P. a Fratribus ordinis Prædicatorum &c* : qui & idem legitur apud Stevartium. Stevartius ipse sic monet initio: *Reperimus tractatum istum in Bibl. Bavar. absque speciali auctoris nomine : itaque neque nos de auctore divinabimus.* Libenter assentior, Anonymus est auctor, sed ex ordine Prædicatorum.

Secundò dico laciniam illam seu appendicem ad calcem tractatus apud Stevartium adjectam, quæ incipit, *Tempore quo victoriosissimus &c.* portionem non esse tractatus, tum quod non sit in cod. Navar. ac proinde aberat etiam a codice ex quo Carlerius sibi describendum curavit: tum maxime quod ea sublata tractatus manifeste sit integer & finitus, nullam cum eo habeat illa connexionem, sitque quid omnino πάρεργον: solemne enim aliâs fuit & frequens notariis codices scribentibus auctorum tractatibus vel aliena opera vel lacinias inventas adjungere, quod periti quotidie experiuntur. Nicolaus Antonius Bibl. Hisp. vet. lib. X n. 512 refert quidem in Bibl. Vatic. cod. 4066 MS qui plurium est collectio, primò occurrere opus hoc titulo *Pantaleon contra hæreses Græcorum* : sed si is tractatus sit idem ac noster, & antiqua seculi saltem XV medii manu scriptus,

contendo titulum secunda manu adjectum, ea solùm ratione quod nomen Pantaleonis ad calcem laciniæ bibliothecarius legerit, ut in codice Bavarico.

Quis autem iste Pantaleon, quave ætate vixit? Certe ætatem suam ipse indicat sic scribens: *Hac verò gesta sunt anno* MLV *indict.* VIII, *quod ego Pantaleon cùm essem ibi C. P. ubi hoc actum est, hoc idcirco memorabile feci.* Etsi enim involutus sit ille loquendi modus, vix aliter intelligas, quam eum testari se præsentem fuisse C. P. cùm stupenda quæ narrat evenerunt. Cur enim dicit *cùm essem ibi*, nisi ut sibi ceu oculato testi fidem astruat: aliàs si non fuisset præsens, a quo audierit, aut ubi legerit addidisset. Imo laudes quibus Constantinum Monomachum, & legatos ad eum a Leone IX missos Stephanum cancellarium & Petrum archiepiscopum Melphitanum ornat, circumstantiæ singulares ab istis gestorum quas refert, hominem præsentem & visa narrantem indicant: qui proinde ducentis circiter annis ante institutum ordinem Prædicatorum, & ante tractatum anno demum MCCLII C. P. compositum & scriptum vixerit.

Pantaleonem diaconum Chartophylacem & agnominem presbyterum monasterii Bysantini non solùm eumdem hominem Oudinus, sed & hanc Combefisii esse sententiam tradit: at tantum abest ut ita senserit Combefisius, quin id sibi non facile persuadendum palam pronuntiet: *Proclive nimis*, inquit, *duos ejus nominis C. P. vixisse sic officiis & rationibus distinctos.* Margarino hi Pantaleones sunt seculi VII, Coccio seculi IX medii, Combefisio incertæ ætatis, mihi ante XIII seculum floruisse certò videntur, orationes enim sub eorum nomine editæ coram clero Græco C. P. tum agente & dominante se produnt pronunciatas, ab initio verò seculi XIII & Latinus imperator & clerus Latinus C. P. rerum potiebantur. Pantaleon verò scriptor laciniæ supra relatæ non solùm ex ipso seculo XI medio vixisse ostenditur ut dictum est, sed & homo Latinus non Græcus ex eadem comprobatur, scriptam enim Latine quisquis attente legerit, perspiciet, non primò Græce, quis enim unquam vidit, aut ex Græco versam. Quibus addo Pantaleonis nomen illis seculis & apud Græcos & apud Latinos ita fuisse commune, ut ex varietate operum seu Græcorum seu Latinorum, aut etiam ex diversitate officiorum & dignitatum discernere, quàm ex eodem nomine in unum confundere certius & æquius videatur. Præter jam nominatos nunc mihi occurrit Pantaleon Justinianus patriarcha C. P. Latinus, qui ab anno MCCLIII electus cum Balduino II Latino Orientis imperatore ex illa urbe fugit anno MCCLXI, eam Græcis seu invadentibus seu recuperantibus, quem quartum hujus nominis cum illis tribus superius relatis non recte confundas.

Tractatum Anonymi ordinis Prædicatorum adversus Græcos, de quo nunc agimus, Oudinus citartus primò Græce scriptum, tum Latine versum ariolatur sed nulla ratione: imo contrarium evincitur ex ipso tractatu, in quo sic legitur apud Stevartium p. 615. l. 36: *Quorum* [canonum] *tenorem diligenti investigatione considerantes, de Græco in Latinum pro legentium exercitatione tractabimus, huic operi super immiscentes.* Quæ auctorem quidem Græce scivisse probant, sed opus Latine scripsisse, qui canones Græcos Latine vertit, ut suo insereret operi. Non negaverim e Latino postea Græcum factum, si quis ex veteribus monumentis probaverit.

F. HENRICUS SCACABAROZZI.

† 1252. F. HENRICUS SCACABAROZZI Mediolanensis a nostris nomenclatoribus omissus, inter scriptores ordinis tamen recensetur a Philippo Picinelli Athen. Mediolan. p. 170 ex fide Tristani Calchi in præfatione historiæ suæ Mediolanensis, ubi sic habet: *Pariter vitam & cædem novissimi martyris Petri Veronensis didicimus ex actis publicis, & confessione conspiratorum in vinculis causam dicentium, & privatis annotationibus Henrici Scacabarosii illius æqualis temporibus.* Litem forsan quis moveat, an sodalis ille noster fuerit, cùm id non exprimat Calchus, sed nec iste Calvaneum Flamma, neque Stephanardum, quos immediate subjungit, Prædicatores fuisse meminit, cùm id tamen certo certius sit. Adde Piccinellum verisimillimum esse nostris non adjunxisse, nisi fidis documentis astrictum, quod Eustorgianorum nostrorum diligentiæ permitto amplius discutiendum. Scripsit itaque Henricus

Privatas de vita & cæde S. Petri martyris cujus æqualis erat, annotationes.

FF. BONUSHOMO, ELIAS BRUNETI & FLORENTIUS.

† 1253. FF. BONUSHOMO BRITO sive *Armoricus*, ELIAS BRUNETI PETRAGORICENSIS & FLORENTIUS GALLICUS simul a nobis exhibentur, quia & eadem circiter ætate vixerunt, & quædam inter se habuere communia. Duo priores sententias Parisiis in gymnasio Sanjacobeo publice legebant anno stylo veteri MCCLII novo MCCLIII mense martio, jam magisterii laurea donati & duarum scholarum nostrarum rectores, cùm gravis illa tempestas ex parte academiæ in utrumque Minorum & Prædicatorum ordinem desæviit. Sic enim lego apud Salanhacum in catalogo magistrorum Parisiensium n. 4: *F. Bonushomo Brito* & n. 5. *F. Helias Bruneti de Brageriaco Petragoricensis diœcesis. Isti duo immediate præfati regebant scholas nostras Parisius, tempore quo universitas studii Parisiensis insurrexit contra Fratres, incentore malorum Guillelmo de Sanctoamore, sicut patet in privilegio Alexandri* IV, *quod incipit, Quasi lignum vitæ.* Ex quo diplomate XVIII Kal. maii anno Christi MCCLV dato apparet præfatos Bonumhominem & Eliam licèt magistros in sacra facultate jam a biennio agnitos & receptos, agente Guillelmo de Sanctoamore e gradu suo rejectos & a societate cæterorum magistrorum recisos: sed & eodem jubebat summus pontifex sub gravissimis pœnis illos in integrum restitui. Dissidium istud acerrimum fuit, nec ante octobrem anni MCCLVII pacari potuit, ut fusius dicetur postea ubi de S. Thoma de Aquino: tum autem a regno Franciæ Sanctamorano excluso, ac cæteris sacræ theologiæ magistris Alexandro pontifici morem gerentibus, omnia in pristinum statum fuerunt restituta, suoque gradu Bonushomo & Elias deinceps pacifice potiti sunt. Quandiu postea vixerit Elias non produnt annales nostri, sed in provinciam Provinciæ cujus erat alumnus de more reversum esse, & in variis locis Tolosæ præsertim & in Montepessulano scholas rexisse conjicere est. Si quædam scripta reliquit, de quo vix dubitem, ea vicissitudine temporum perierunt. Bonushomo diutius in sacra facultate claruit, & anno MCCLXIX adhuc erat in vivis: sed ejus acta priusquam proferam, de tertio hîc indicato dicendum. Is est

F. Florentius Gallicus sic a Salanhaco dictus & in numero magistrorum Parisiensium XIV recensitus. A Ludovico de Valleoleti tabulam tum scilicet initio seculi XV in choro ecclesiæ nostræ S. Jacobi Parisiensis prostantem excipiente dicitur *F. Florentius de Hidinio:* an ab illa arce in confinibus Artesiæ quæ vernacule *Hedin*, vel *Hesdin*, ex qua etiam fuit sacræ theologiæ magister anno MCCCLVIII clarus F. Joannes de Hisdinio ordinis Hospitalariorum S.

Sæc. XIII. Joannis in Hierusalem, cujus plura in sacræ scripturæ libros aliquot commentaria MS servantur adhuc in bibliothecis, & quædam a me visa in Navar. & in Sanjacob. nostra. Ut ut sit, Bonushomo & Florentius laudati comitiis ordinis anno MCCLIX Valencenis in Hannonia coactis aderant, & ex delegatis fuerunt ad statuta quæ in studiis generalibus servarentur sancienda. Sic enim legitur in actis ejus capituli:

De mandato magistri & diffinitorum ad promotionem studii ordinatum est per Fratres Bonumhominem, Florentium, Albertum Teutonicum, Thomam de Aquino, Petrum de Tarentasia, magistros theologiæ Parisius, qui interfuerunt dicto capitulo, quod lectores &c. Sequuntur ea statuta pro illa ætate optima.

Ubi notandum quosdam oscitantes sic legere relata, *Bonumhominem Florentinum*, quasi unus & idem sit homo Bonushomo Florentiæ natus, cùm in veteribus ordinis monumentis nulla sit Bonihominis de Florentia magistri Parisiensis memoria, sed tantùm Bonihominis Britonis seu Armorici. Distinguendi igitur homines, Bonushomo Brito, & Florentius Gallice *Florent*, quem forsan aliqui Latine reddiderint & scripserint *Florentinum*, quod proclive & allucinationi ansam dederit.

F. Bonushomo Brito florebat etiamnum an. MCCLXIX aderatque comitiis ordinis Parisiis eodem anno celebratis, & cum S. Thoma de Aquino, F. Petro de Tarentasia, aliisque ex ordine magistris Parisiensibus de pluribus circa secretum confessionis quæstionibus propositis judicium doctrinale tulit. Has quæstiones ex cod. MS Victorino n. 635 F. Petrus Pelican de quo postea sec. XVII edidit inter opuscula S. Thomæ fol. 255 ubi videsis. Etsi autem Bonihominis nulla alia jam extent opera cognita, quin tamen plura scripserit nullus dubito, præsertim juxta ætatis morem.

In aliquot Bibliorum sacrorum libros, & in IV libros sententiarum. Sed quæ vel vicissitudine temporum perierint, vel alicubi neglecta jaceant. Ejus & Eliæ cum laude meminerunt Leander Albertus fol 137. b. & Antonius Mallet *Hommes illustres du convent de S. Jacques* T. I p. 228. Sed hic quoad chronologiam minus accurate.

F. ANDREAS DE LONGIUMELLO.

* 1253. F. ANDREAS DE LONGIUMELLO (ab aliis *Lonciumel* corrupte, & a Fontana in Monum. ad 1248 *Losimer* corruptius nuncupatus) Gallus fuit diœcesis Parisiensis, a loco originis oppido scilicet *Longiumeau* vernacule dicto & Lutetia duodecim circiter millibus seu leucis sex Gallicis dissito agnomen de more sortitus, ac proinde juxta leges ordinis domus Sanjacobeæ Parisiensis alumnus. Claruit ille seculo XIII medio vir strenuus, rerum agendarum peritus, studio fidei propagandæ incensus, eaque ratione variis qua pontificiis qua regiis legationibus egregie perfunctus. Et primò quidem Constantinopolim cum F. Jacobo nostri ibidem conventus antea præfecto a sancto Francorum rege Ludovico IX & Balduino II Orientis imperatore tum in Galliis agente missus est anno MCCXXXVIII, qui coronam Jesu Christi spineam a magnatibus imperii reciperent: quod ut ab iis industrie factum est, ambo C. P. Venetias cum sacro thesauro venerunt, eique custodiendo Andreas ibidem relictus, dum Jacobus Lutetiam venit de actis regi rationem redditurus: quo exinde iterum Venetias reverso, omnibusque cum senatu Veneto compositis, ambo pretiosissimum thesaurum Senonas usque attulere ad regem, qui eo obviam ierat, indeque Parisios cum summa veneratione detulit, & in *Sancta capella* recens magnifice extructa collocavit XI augusti ejus anni: hincque ortum habuit, quod eo die quotannis Sanjacobei sodales solemni supplicatione ad dictam Sanctam capellam accedant, ac divinum officium de susceptione sanctæ coronæ ibidem vice canonicorum peragant, concionemque habeant inter sacra mysteria. Anno MCCXLV post concilium Lugdunense I ab Innocentio IV F. Anselino & aliis de quibus supra ad annum 1249 adjunctus fuit, qui in Persidem se conferrent ad Baiothnoy Tartarorum ducem, ut eum ab ampliori Christianarum regionum populatione averterent, ejusque si potis esset furorem mitigarent, sed surdo cecinere. Exinde rediens sub finem anni MCCXLVIII Ludovicum Francorum regem in insula Cypro ad expeditionem Terræ-sanctæ properantem invenit, commodumque Nicosiæ aderat, cùm David legatum se præstans Tartarorum ducis Ercalthay (Elhe-tay Yven legendum indicat in notis socius Sorbonicus Ludovicus Picques vir sua ætate linguarum Orientalium in primis peritus) litteras ab eodem sancto regi attulit. Hunc Davidem continuò agnovit Andreas noster, ceu quem in exercitu Tartarorum antea viderat, litterasque ab eo allatas & omnia ejus dicta interpretis vice functus Latine regi reddebat. Cùm autem ille Tartarus plura & magnifica de magno Chamo prædicaret, imo & tam ipsum quàm Ercalthay jam baptismo initiatos assereret, Andreas cum duobus ex ordine sociis & aliis quatuor selectis viris additis splendidis & sacris muneribus ad magnum Chamum legatus a S. Ludovico missus est, ac XXV januarii MCCXLIX iter aggressus longissimo itinere emenso ad aulam Tartaram tandem pervenit. Verùm imperator seu Chamus nomine *Ken-Can* vel *Kuine* jam obierat, ejusque vidua regina Charmis dicta vices agebat, quam Andreas allocutus, in rem Christianam nihil aut parum retulit emolumenti, sicque re infecta rediit Aconem seu Ptolemaida, ubi S. Ludovicum jam a captivitate Saracenica liberum & res Palestinæ regie curantem invenit. Ibidem cum rege stabat adhuc anno MCCLIII, nam cùm eo anno novam legationem ad recens electum Chamum instituisset, cujus caput fuit F. Guillelmus de Rubruquis ordinis Minorum, hic mores ejus aulæ ab Andrea nostro diligenter inquisivit, & in suæ legationis relatione omnia se reperisse narrat prout ab eodem Andrea audierat, cujus & pluries meminit, addens Andream iter per maris Caspii oras Meridionalem & Orientalem confecisse, se autem eundo per ejusdem maris Septentrionalem, redeundo per Occidentalem. Neque verò Guillelmus apud novum Chamum Mangu dictum plus obtinuit, litteras quidem ab eo ad S. Ludovicum retulit sed superbas admodum & ferociores, in quibus etiam Davidem de quo supra impostorem declaravit & nebulonem, quem potius ex ingenio Tartarorum exploratorem fuisse conjicias. Quæ sic minutatim referre visum est, quod ista confuse ac perturbate narrent Bzovius & Fontana. Hujus Andreæ meminerunt Galterus archiepiscopus Senonensis in Relatione susceptæ coronæ spineæ apud Andream du Chesne Rerum Gallicarum T. V p. 407. Guillelmus de Nangis in vita S. Ludovici eodem T. V p. 347. Vincentius Bellovacensis lib. XXXI cap. XC & seqq. Bernardus Guidonis in chronico ad 1248 his verbis: *Inde verò (Cypro) misit rex Ludovicus F. Andream & F. Joannem cognominatum de Carcassona (erat tamen Gallicus natione) ordinis FF. Prædicatorum ad regem Tartarorum cum magno apparatu & ornamentis ecclesiasticis pretiosis, ut invitaret ad fidem Christi: quia credebatur quod dictus rex ad fidem nostram suum animum inclinabat. Sed cùm pervenissent dicti Fratres cum multis laboribus ad caput exercitus Tartarorum, invenerunt regem esse defunctum. Verùm tamen regina & filius ejus visis & acceptis exeniis ecclesiasticis honoraverunt nuncios, &*

munera & exenia tribuerunt, sicque remissi sunt cum honore, nullo tamen effectu alio subsecuto qui principaliter quærebatur. Etsi autem itinera sua & legationum acta quin scripserit Andreas, non dubitem, ex quibus alii ea ætate profecerint, horum nulla jam est memoria. Supersunt tantùm

1. *Littera Ercalthay seu vera seu supposita e Tartarico Latina ab eo facta*, quas videsis apud auctores citatos. Gallice redditas edidit Petrus Bergeron Parisiis. Heuqueville 1634 8 p. 297 ad calcem itineris Guillelmi de Rubruquis certe lectu digni, & cum iis quæ jam de China sciuntur merito conferendi. Non omittendum hunc Franciscanum claris verbis dicere sibi ac proinde suis sodalibus in usu fuisse nudis omnino pedibus absque ullis vel calceis vel sandaliis ambulare.

2. *Littera ipsius F. Andreæ ex ultimo itinere nempe Tartarico ad S. Ludovicum scripta.* Quas hic rex ad Blancam reginam matrem Parisios misit, quæque aliàs in Museo regio servatæ.

Hunc Andream Bzovius in Annal. ord. MS ad 1247 eumdem esse conjicit, quem Innocentius IV ad catholicos seu primates Orientales Jacobitarum & Nestorianorum misit, ut ad concordiam cum Ecclesia Romana reduceret, & a quibus epistolas quinque ad summum pontificem eorum fidei professionem exprimentes retulit, quas legere est apud Bzovium citatum, Wadinghum T. 1 ad 1247. n. x, Odoricum Raynaldum ad eumdem annum n. 32. Iste nuncius revera F. Andreas vocabatur, nec eum suis Franciscanis Wadinghus accenset: hinc verisimillimum quod ait Bzovius nostrum fuisse sodalem, cùm ea ætate in hujusmodi legationibus nonnisi Prædicatoribus aut Minoribus summi pontifices uterentur. Sed si idem est *de Longiumello* dictus, necesse est ut ex exercitu Tartarorum sub Bajotnoy quem adiverat cum Asselino de quo supra rediens, ad catholicos Jacobitas & Nestorianos jussa Innocentii IV expleturus se contulerit, & in Cyprum appulsus has litteras ad pontificem miserit, priusquam ad Magnum Chamum nuntius a rege mitteretur: res clarior & minus intricata evadet, si alter F. Andreas dicatur, quod diligentiorum & otiosiorum examini lubens permitto.

F. GUIDOTUS DE SEXTO.

† 1253. F. GUIDOTUS DE SEXTO Italus Mediolani ortus priusquam ordini nomen daret, insignis erat decretorum doctor, munusque auditoris contradictoriarum in curia summi pontificis egerat: S. Dominico autem anno MCCXIX Galliis relictis Italiam petente & ex itinere Mediolanum mense julio vel augusto aggresso, ejus concionibus quas plures in ea civitate habuit, excitatus Guidotus, totum se ei commisit, ac vestem ordinis ex ipsius manibus induit unà cum Amizio de Solario & Rogerio de Merate viris omni exceptione majoribus & in utroque jure doctoribus etiam famosissimis. Videsis supra ubi de Amizio egimus, nam de his tribus iidem auctores simul loquuntur. Guidotus itaque cum duobus sociis sanctum patriarcham Bononiam progressum secutus est, & cum eo reliquæ ejus vitæ bonam partem conversatus, duplicem ejus spiritum charitatis erga peccatores & zeli adversus hæreticos imbibit plenius, hinc teste Taegio ubi supra citato *unus fuit ex primis inquisitoribus hæretica pravitatis in Lombardia*, a Gregorio IX circa MCCXXXIV institutus. Eodem munere functum adhuc anno MCCLII scribit Ballarinus in chron. Comensi citatus a Fontana in Mon. ad 1253, ac jussu Innocentii IV in auctores cædis S. Petri martyris inquisivisse. Quandiu autem postea vixerit, nemo refert, Eustorgianorumque nostrorum, nam ex legibus tum in ordine servatis eorum conventus licèt anno sequenti tantùm erecti XV martii MCCXX sodalis fuit ascriptus, illorum inquam diligentiæ est diem & annum mortis tanti viri ex veteribus suis chartulariis depromere nosque docere. Ejus meminit Oldoinus in *Athen. Ligust.* Ligurem fortè ariolatus a cognomine *de Sexto*, quasi fuerit a pago illo celebri in ora Ligustica *Sestri di Ponente* vernacule dicto oriundus, sed cùm Mediolanensem asserant Chalcus & Taegius supra laudati ubi de F. Amizio, e Sexto potius Insubriæ ad lacum Verbanum, de quo Ferrarius in Lexico, nomen & si velis originem traxisse censendus est. A Rovetta ad annum 1226 dicitur *Guido de Bononia*, fortè quod Bononiæ aliquandiu versatus fuerit, sed certum Mediolani ad ordinem ascitum fuisse S. Dominico tum apud S. Nazarium hospitante sub spe domus in ea urbe ordini brevi erigendæ. Idem Rovetta hæc ei ascribit opera

Volumen eruditum & grande adversus hæreses sui temporis, & opuscula alia.

Supererat indicandam a quo & ubi visa, licèt de re vix dubitem: saltem alicubi extent adhuc aut aliquando extiterint ejus

Acta adversus hæreticos Insubriam sua ætate vexantes.

F. HUMBERTUS DE ROMANIS.

F. HUMBERTUS DE ROMANIS a quibusdam *Imbertus* vel etiam *Umbertus* aspirativa extincta nominatus, inter eximios ordinis adhuc assurgentis viros merito numerandus, ex oppido natali cognomen id habuit *de Romanis*, quod ad Isaram amnem in Allobrogibus situm est prope Valentiam etiamnum in Delphinatibus haud ignobile municipium vulgò *Romans* ab indigenis appellatum. Burgundus verò etiam dicitur, quod sua provincia ea ætate regni Burgundici portio haberetur. Cujus verò stirpis & familiæ fuerit oriundus, clarisne vel obscuris ille parentibus, certi nihil apud auctores, quamvis conjectu pronum eos etiam inter opulentos atque præcipuos ævi sui locique fuisse habitos, qui apud se Cartusienses etiam frequenti soliti essent excipere hospitio, ac Humbertum puerum studiorum causa Parisios mittere & alere curarunt: uti de eo suppresso tamen nomine narratur in vitis Fratrum P. IV cap. 9 *de intrantibus ordinem virtute verbi Dei* §. 2. *Frater quidam qui magnum locum diu tenuit in ordine, cùm missus fuisset satis juvenculus Parisius ad scholas, & vidisset tunc ordinem Fratrum Prædicatorum exurgere, & memor esset ordinis Cartusiensis, cujus ordinis Fratres solebant recipi in domo patris sui, frequenter in orationibus suis petebat a Domino, ut concederet sibi mori in ordine Cartusiensi, vel Fratrum Prædicatorum &c.* Studuit ergo Parisiis adolescens & artium magister laureatus easdem professus est, tum & in jure canonico fuit auditor Hugonis de Sancto-Charo de quo postea, quandoque etiam sed occulte theologicas lectiones frequentabat. Magna tum erat B. Jordani per orbem & academiam hanc apud populos sanctitatis & evangelicæ prædicationis fama, quem Humbertus libenter audiebat, nec tamen ad hoc institutum amplexandum ejus verbis aut aliorum etiam exemplo commovebatur, etsi christianis viveret admodum moribus: donec a plebano cujus intra parœciæ limites habitaret, sancti Petri de Bobus nuncupatæ, die quodam festo post auditas in ea ecclesia vespertinas horas interrogatus, utrum ipse de stando promissis in sacro baptismate quondam a se Deo datis cogitaret inter studiorum hos quibus desudabat æstus: moxque ad hæc verba pro defunctis ibidem clerici decantantis, *Heu mihi Domine, quia peccavi nimis in vita mea &c.* interius a Deo vocatus ad nostros Sanjacobeos

SEC. XIII. † 1254.

Sæc. XIII. accessit, & de ingressu suo post solutionem debitorum quorumdam ordinavit. Quæ fusius narrata videsis loc. cit. de vitis Fratrum. Quo anno vestem induerit non conveniunt auctores, aliis annum MCCXXV aliis annum XXVI signantibus: neutris assentimur, cùm enim ubique asseratur Hugonem de Sancto Charo in quadragesima festo cathedræ S. Petri XXII februarii ordini nomen dedisse, quod certo non accidit anno MCCXXVI nec sequenti, sed anno MCCXXV quo pascha fuit XXX martii, patet Humbertum qui festo S. Andreæ præcedenti jam ingressus erat, revera anno MCCXXIV habitum induisse. Unde in codice melioris notæ quem præ manibus habeo in chronico Humberti dicto legitur circa annum MCCXXV ordinem ingressus, quod recte intelligas de festo S. Andreæ MCCXXIV, sic enim omnia concinunt optime. Sacras litteras variis in locis interpretatum esse ferunt, præsertim Lugduni, ubi & priorem egisse aiunt. Provinciæ Tusciæ sive Romanæ assumtus est postea prior provincialis, quod anno MCCXLII contigisse conjector: tum verò sacro cardinalium collegio eruditione, prudentia, pietate, jurium Ecclesiæ studio, rerumque agendarum peritia ita se probasse asserit Cantimpratanus de Apibus lib. 2 cap. 57 §. 60: ut cùm mortuo Gregorio IX de sufficiendo successore ageretur, sua plures illi vota contulerint, de quo penes narrantem certe æqualem fides. F. Hugone a Sancto Charo ex provinciali Franciæ ad purpuram evecto Romæ in quatuor temporum pentecostes feriis anni MCCXLIV, mox ei in eodem Franciæ regimine subrogatus fuit Humbertus in proximis provinciæ comitiis eodem anno mense augusto vel septembri coactis: idque munus tam sapienter administravit annis circiter decem, ut anno MCCLIV in comitiis ordinis Budæ celebratis ad supremum navis nostræ clavum regendum communi omnium voto fuerit assumtus. Verùm hæc ex Salanhaco audire satius erit. Sic ergo ille in catalogo magistrorum ordinis.

» Quintus magister ordinis successor F. Joannis » Teutonici, F. Humbertus oriundus de villa quæ » dicitur de Romanis diœcesis Viennensis prope Va» lentiam. Hic fuit Parisius in artibus magister, & » cùm audisset jus canonicum, intravit in festo S. An» dreæ ordinem, & in sequenti quadragesima traxit » ad ordinem magistrum suum, scilicet magistrum » Hugonem. Hic fuit in ordine lector & prior, ac » prior provincialis Tusciæ & postmodum Franciæ: » & diversis infirmitatibus & laboribus pluribus ex» coctus, & præ cunctis generationis hujus gratia » Dei plenus, quæ vere in eo lucebat. Hic compi» lavit officium ordinis ecclesiasticum, & librum de » omnibus officiis ordinis, & de prædicatione crucis. » Hujus patris electionem quædam soror ordinis » apud Argentinam in Teutonia, ubi præfatus ma» gister Joannes obiit & quiescit, in visu noctis hoc » modo prævidit. Videbatur enim quod magister » Joannes stans in scapulari ad portam Sororum di» cebat: Ego autem iturus sum in regionem lon» ginquam, & huc amplius non revertar. Nolite » autem constritari Sorores de meo recessu, quia » prior provincialis Franciæ post me fiet magister, » qui multa faciet bona. Eodem die magister Joan» nes bono fine quievit, & in sequenti capitulo ge» nerali apud Budam Hungariæ celebrato A. D. » MCCLIV dictus prior Franciæ F. Humbertus in ma» gistrum ordinis unanimiter est electus. Dicti au» tem magistri Humberti instantia D. Alexandro » papa IV favente, & christianissimo Francorum » rege Ludovico juvante, dissensio grandis & gra» vis, quæ inter magistros Parisienses & Fratres or» ta fuerat, machinante magistro Guillelmo de » Sanctoamore, finaliter & feliciter ad honorem » Dei & ordinis est sopita. Littera etiam quædam quæ a D. Innocentio papa IV data fuerat contra « ordinem ipso infra paucos dies defuncto a D. Ale- « xandro papa in principio sui regiminis revocatur. « Cùm enim dictus magister ad B. V. Mariam or- « dinis nostri patronam devotissime confugisset, ipsa « expedivit feliciter, quod hominibus impossibile « videbatur. Hic cùm ordinem rexisset & direxisset « annis novem cessit magisterio, & ejus cessio fuit « admissa a diffinitoribus capituli generalis Londo- « niis in Anglia celebrati A. D. MCCLXIII. Supervi- « xit autem in honore & religione annis multis, « plenusque dierum & operibus bonis ingressus est « in abundantia sepulchrum in conventu Valentino « in provincia Provinciæ A. D. MCCLXXVII pridie « idus julii. «

Ex quibus plura ab aliis non attente scripta emendes. Primò cùm & hîc constanter dicatur Hugo de Sancto Charo in quadragesima ordinem ingressus, ut & in vitis Fratrum supra citatis: aliunde certum sit in festo cathedræ S. Petri XXII februarii habitu indutum, quod anno MCCXXV accidit, non autem in sequentibus, superest ut Humbertus qui in festo S. Andreæ præcedenti ordinem intraverat, anno MCCXXIV id egerit: Falli præterea Diagum in vita Humberti libro de Eruditione Prædicatorum præfixa, cùm dicit Hugoni cardinali creato anno MCCXLIV Petrum Remensem in provincialatu Franciæ suffectum, tum enim hic si adhuc erat in vivis, episcopus Agennensis vel Aginensis (quod idem) a quibusdam annis erat: proximus igitur & immediatus anno MCCXLIV Hugonis successor Humbertus fuit.

Salanhacus titulo de Fratribus qui oblatas dignitates recusarunt, sic habet: *F. Humbertus de Romanis magister ordinis V renuit patriarchatum sancta civitatis Hierusalem, & episcopatum postea.* Quando verò id factum fuerit, non addit. Conjectu autem pronum patriarchatum ei oblatum fuisse, non ut habet Leander Albertus, a Nicolao III qui sedem Romanam non ascendit nisi XXVII nov. MCCLXXVII, quo jam mortuus erat Humbertus: sed ab Urbano IV patriarcha ipso antea Hierosolymitano, qui mox ut pontifex electus est Romanus sub finem augusti MCCLXI, hominem quæsivit sedi Hierosolymitanæ congruum, nec aptiorem invenit quàm Humbertum, tum ob eximias ejus dotes, tum quia res ejus Ecclesiæ optime perspectas habebat, ceu qui in Terram-sanctam aliquando transfretaverat, & totam visitaverat. Licet enim de hoc ejus itinere sileant scriptores nostri, ipse meminit in libro quem de agendis in concilio Lugdunensi II edidit, in quo sic habet P. I. *De negotio Terræ-sanctæ.* cap. 7. *Quàm sit dolendum super dejectione christianitatis facta a Saracenis.* Nam postquàm sepulchrum Domini & cætera loca sancta ab illis impiis polluta retulit, sic addit: *Vidi ego oculis propriis qui tractatum istum conscripsi, capellam in qua se receperant Saraceni, qui ibant cum Frederico imperatore, & dicebatur pro certo, quod ibi dormiebant noctu cum mulieribus ante faciem crucifixi &c.* Hinc factum ut recusante Humberto, sedes illa biennium integrum vacaverit, ut habet Rainaldus ad MCCLXIII n. 14.

Denique ex verbis Salanhaci supra relatis habemus Humberti obitum non recte notatum ad MCCLXXIV in parvo chronico ad calcem constitutionum addito, nec rectius a Leandro Alberto ad idus junii MCCLXXVI revocatum. Salanhaco consentiunt acta cap. gen. Mediolani MCCLXXVIII, in quibus sic legitur: *Item volumus & mandamus quod nomina venerabilium Patrum videlicet F. Raimundi de Pennaforti, F. Humberti de Romanis, & aliorum magistrorum ordinis, in diebus obitus eorum in martyrologio reponantur, & in eodem die in Kalendario recitentur: venerabilis autem pater F.*

Humbertus de Romanis obiit pridie idus julii A. D. MCCLXXVII. Idem habet ejus epitaphium ad oram lapidis ejus corpori superpositi incisum, prout oculis propriis ipse legi, dum Valentia anno MDCLXXXI transirem, & hic addendum.

Hic jacet hortorum fons fertilis, area florum,
Regula doctorum, lux semita formaque morum.
Hic fuit Umbertus Romanis nomine dictus,
Constans repertus, nullo discrimine victus.
VII *cum binis annis fuit ipse magister*
Ordinis, & Fratrum rector lux gloria patrum.
M. CC *ni Septeni* LXX *ni* (id est
Mille ducenteni septeni Septuageni)
Anni post Christum tumula ... eligit istum
Quem fulgens sidus .. cætera sunt fracta.

Soëgius in Anno Dominicano ad XIV julii p. 590 sic ultimum versum complet, *sursum julii trahit idus*. Sed cùm idus sint XV julii, ipseque Soëgius XIV julii obiisse consentiat, existimarim potius sic legendum *julii pridie trahit idus*. Est autem iste lapis ad gradus altaris majoris templi Prædicatorum, in quo & ipse Humbertus exhibetur insculptus lilium manu dextra gestans. Diagus citatus ait annum MCCLXXVII intelligendum de anno ab incarn. Dñi ante nativitatem inchoato, qui vere erat MCCLXXVI: sed se ostendit in stylo Gallico parum versatum: ea enim ætate in Galliis non a die incarnationis nativitatem præcedente, uti Senis aliàs solemne, sed in quibusdam provinciis ut in Provincia & Occitania a die incarnationis seu XXV martii post nativitatem, in plerisque a festo paschæ annus numerabatur, quem stylum sequuntur acta capitulorum generalium, adeo ut hic certissime annus intelligendus veniat, qui ab omnibus historicis dicitur MCCLXXVII. Eruditi Actorum SS. editores T. II junii ad diem XIV p. 783 Humbertum recensent inter BB. prætermissos, a Leandro Alberto forsan delusi, alioquin ad XIV julii tantùm meminisse debuerant. Apparet autem illos Humbertum putasse Valentiæ Aragonum fuisse sepultum, cùm apud Ferdinandum de Castillo & Tamayum de Salazar auctores Hispanos incorrupti ejus corporis adinventi nullam haberi rationem annotant, nec mirum cùm Valentiæ Delphinatus sepultus sit. An autem corpus ejus incorruptum manserit ut videtur Pius indicare, nulla me docent vetera monumenta: sed etsi ita fuisset, in cineres redegissent Calviniani, cùm seculo XVI & domum nostram Valentinensem, & alia ejus urbis monasteria quondam florentissima solo æquarunt.

De Humberto in vitis Fratrum præter jam superius citata, agitur etiam P. IV cap. 2 §. 4, & cap. 16 §. 2, & P. V cap. 3 §. 6. Ejusdem meminerunt nostrates omnes, externi Tritemius, Bellarminus, Possevinus inter Humbertos & iterum inter Umbertos: Theophilus Raynaudus Indiculo SS. Lugdun. Labbeus, Miræus, Caveus, Dupinius. Hæc ejus opera

I. *Officium Ecclesiasticum universum tam nocturnum quàm diurnum ad usum ordinis Prædicatorum.*

Sciendum enim majoribus nostris curæ maximæ fuisse, ut ritus ubique per ordinem ecclesiasticus uniformis haberetur, pluraque in hunc finem fuisse in prioribus ordinis comitiis ordinata. Bononiæ anno MCCXLIV sic præceptum fuerat, *Item volumus & monemus, ut diffinitores proximi capituli generalis sequentis pro concordando officio portent secum ad dictum capitulum omnes rubricas & notulas breviarii nocturni & diurni & gradualis & missalis.* In sequenti verò Coloniæ MCCXLV concordantia illa quatuor sodalibus diversarum provinciarum demandata fuit: *Item committimus quatuor Fratribus Franciæ, Angliæ, Lombardiæ, Teutoniæ, quod stantes in domo officium diurnum & nocturnum tam in littera quàm in cantu & rubricis corrigant & concordent, ac defectus suppleant, cum quanto possint dispendio minori: & quilibet eorum prædictorum quatuor afferant tam diurnum quàm nocturnum officium secum de provincia sua, & hoc provinciales procurent, & sint in festo Remigii: & si qui non venerint, alii procedant.* In sequenti verò Parisiis MCCXLVI sic legitur: *Item inchoamus hanc. Tota ordinatio ecclesiastici officii facta a quatuor Fratribus quatuor provinciarum, vel facienda usque ad annum, communiter per totum ordinem observetur: & si in aliquo discordaverint, sententia magistri teneatur. Item hanc ut liber lectionum tam de tempore quàm de festis, quem committimus provinciali Franciæ* (is erat Humbertus) *ordinandum universaliter per totum ordinem recipiatur.* Quæ inchoatio approbata est in Montepessulano MCCXLVII, & confirmata Parisiis MCCXLVIII. Quæ cùm rursus statuta fuissent Metis MCCLI & Bononiæ MCCLII sic demum Budæ MCCLIV ubi electus Humbertus magister ordinis decretum fuit: » Committimus magistro ordinis totam ordinationem ecclesiastici officii tam diurni « quàm nocturni & eorum quæ ad hoc pertinent, & « correctionem librorum ecclesiasticorum, & quod « corrigat litteram regulæ «. Simulque hæc constitutio inchoata: » Totum officium tam diurnum quàm noc- « turnum secundùm ordinationem & exemplar vene- « rabilis F. Humberti magistri ordinis confirmamus «. Quæ renovata in sequentibus Mediolani MCCLV, & Parisiis MCCLVI vim deinceps legis obtinuit ad hunc diem. Exemplum originale ad quod alia exscripta, extat Parisiis in domo Sanjacobea: codex est insignis fol. max. memb. & crassioris molis anno MCCLIV finitus, minuto quidem sed eleganti & nitido charactere scriptus. Titulus litteris majoribus.

Ecclesiasticum officium secundùm ordinem Fratrum Prædicatorum, in hoc volumine per quatuordecim libros distinctum hoc ordine continetur.

ORDINARIUM. Scilicet ordo & ratio generalis & specialis omnium dicendorum in officio divino tam de tempore quàm de Sanctis. Prima omnium dicendorum verba indicantur.

MARTYROLOGIUM. Nempe Usuardi, quod apud nos in usu fuit ad seculum usque XVII. Ibidem Kalendarium speciale pro annotando magistrorum ordinis obitu: & revera ad XVIII annotati sunt. Ibidem constitutiones ut a B. Raimundo concinnatæ & distinctæ.

COLLECTARIUM. Ea omnia continentur quæ ab hebdomadario dicenda, intonatio horarum, capitula omnia, antiphonarum ad Benedictus & Magnificat intonatio, collectæ seu orationes omnes.

PROCESSIONARIUM. Scilicet omnia in processionibus cantanda.

PSALTERIUM. Psalmi CL juxta ordinem bibliorum, quibus adduntur cantica juxta ordinem feriarum dicenda: cum antiphonis feriarum in cantu notatis.

BREVIARIUM. Scilicet antiphonæ omnes, historiæ dominicales & festivæ seu responsoria dicenda in fine lectionum de tempore & de sanctis, seu de proprio seu de communi.

LECTIONARIUM. Scilicet primò lectiones de tempore ex sacris bibliis, homiliæ dominicarum, nam aliis feriis nullæ tum dicebantur: neque in feriis quatuor temporum neque feriis quadragesimæ: sed librum Genesis prosequebantur a septuagesima ad dominicam IV quadragesimæ, qua Exodum incipiebant & legebant per hebdomadam: a Dominica passionis ad cœnam Dñi Hieremiam. 2. Lectiones in festis sanctorum, quæ tum omnes seu tres seu novem essent dicendæ erant de festo.

Sec. XIII. 3. Lectiones pro breviariis portatilibus, quæ brevissimæ, nam quæ in choro legebantur, ad libitum superioris finiebantur.

Antiphonarium. Scilicet Antiphonæ, Responsoria & generatim omnia breviarii cantanda in cantu notata.

Graduale. Omnia missas majores attinentia a choro cantanda in cantu notata. Apparet autem hujusmodi gradualia & antiphonaria superius laudata in odeo plura fuisse ad stalla ut loquuntur, per intervalla in pulpitis ita commode disposita, ut Fratres in suis sedibus stantes divinum officium cantare ac præscripta in rubricis servare possent.

Pulpitarium. Omnia continet ab uno, duobus, quatuor in medio odei ad pulpitum canenda, Gloria responsoriorum octo tonorum, venite octo tonorum, intonationes antiphonarum, versus responsoriorum, litanias, versus gradualium post epistolas, tractus, alleluia, hæc etiam universa in nota.

Missale Conventuale. Rubricæ omnes missarum majorum, & omnia a celebrante dicenda & cantanda. In his rubricis illud hîc obiter venit notandum, quod de sacerdotis celebrantis communione ordinatur. Sic enim habet rubrica: *Cùm autem sacerdos dixerit*; omni perturbatione securi, *detegat calicem, & accepta hostia dicendo* per eumdem, *dividat hostiam primò in duas partes, deinde partem quam tenet in dextra, supponat in transversum parti relictæ in sinistra, & dividat eam in duas alias, ita si fieri potest quod digiti fracturam non tangant, & in sinistra retinens duas partes usque ad perceptionem &c.* Ex ea rubrica patet in ordine Prædicatorum jam a prima ejus institutione & ante annum MCCLIV, quo scriptus fuit hic codex, solemne fuisse, ut sacerdotes manu sinistra corpus Domini perciperent. Neque verò id nobis peculiare, nam episcopis etiam cardinalibus is erat mos. In cod. regio 4130 fol. par. memb. sec. XIII cui titulus, *cæremoniale Romanum multiplex.* fol. 75. *De his quæ observanda sunt, quando episcopus cardinalis missarum solemnia celebrat:* post alia plura, tandem fol. 92 a. ubi de communione, sic legitur: *Pontifex autem data pace ut prædictum est capellano, convertens se ad altare inclinet ante hostiam & calicem, & junctis manibus dicat reverenter illas orationes, Domine Jesu Christe &c. & alias orationes quæ dicendæ sunt ante sumtionem corporis, prout habentur in libro: subsequenter accipiens cum digitis sinistræ manus illas duas partes hostiæ quæ sunt supra patenam, sumat easdem cum omni reverentia, & dum habet in ore sacrum corpus Domini, teneat manus ante pectus junctas &c.* Ex quibus patet consuetudinem nostram ex more & ritu antiquo pontificum proinde & aliorum sacerdotum seculo XIII adhuc vigente descendisse. Eo codice regio post cærimoniale sequitur narratio gestorum in concilio Lugdunensi II a viro præsente scripta, & codex est ejus ætatis. Id autem ea ratione institutum putaverim, tum ut dextra libera calicem & totum sacrificium adversus accidentia quæ interturbare possent, protegat, tum quia sola sinistra cavere potest, ne uti vetatur, digiti fracturam hostiæ tangant, cùm ex parte dextra ex ritu antiquo apud nos etiamnum servato fracta sit.

Epistolarium. Epistolæ omnes de tempore & de sanctis a subdiacono canendæ cum lectionibus quæ ab acolytho vel aliis cani solent cùm occurrunt.

Evangelistarium. Evangelia similiter & alia a diacono canenda.

Missale Minorum Altarium. Id est omnia in missis privatis a sacerdote dicenda.

In quadrato in quo tituli omnes allati scripti eleganti manu picto, ad quatuor angulos sunt quatuor figuræ: ad duos superiores hinc B. Virgo, inde angelus Gabriel: ad inferiores hinc & inde duo ordinis sodales in habitu ea ætate consueto caputio nempe acuminato ad instar fere Cartusianorum, scapulare habente assutum, manicis tunicæ ad pugnum strictioribus, capa nigri naturalis seu tannei ad caputium ejusdem coloris assuta, ut exemplum certum esset omnibus sequendum. Typum hîc exhibemus.



Ad hoc primarium exemplum Sanjacobeum plura alia fuere exscripta, unum est Tolosæ, unum etiam Salmanticæ, fortè & Bononiæ & alia alibi. Porro quatuordecim libri hoc volumine conclusi totidem codicibus distinctis majori charactere exscribebantur, & in singulis ordinis domibus habebantur. Inter alia apud nostros Sanjacobeos extat codex fol. med. memb. sec. XIII charactere majori & lectu facili quatuor minimum uncias spissus, cui titulus

Iste est liber lectionarius ordinis Fratrum Prædicatorum diligenter compilatus & correctus & punctatus & versiculatus. Nullus addat vel mutet vel minuat vel subtrahat aliquid transcribendo. Prima pars libri continet lectiones de tempore, prout legendæ sunt in conventibus: secunda lectiones de sanctis: tertia lectiones de breviariis portatilibus.

De his sic habet Ludovicus a Valleoleti Tabulæ n. 5: » Sanctus pater magister Humbertus de Romanis Viennensis diœcesis nationis Burgundiæ « primò provincialis Franciæ, deinde magister or- « dinis Prædicatorum tantæ fuit sanctitatis atque « famæ, ut a multis cardinalibus in papam eligere- « tur,

» tur, ut ponitur in lib. 2 de Apibus cap. ult. Hic » ordinavit totum officium Fratrum Prædicatorum, » & a D. papa Clemente IV obtinuit confirmari. Bullam non omnibus obviam placuit hîc addere ex cod. MS conventus Rotomagensis ante annum MCCC scripto in memb. & optimæ notæ.

» Clemens episcopus &c. Dilectis filiis magistro » & Fratribus ordinis Prædicatorum salutem &c. » Consurgit in nobis spiritualis multitudo lætitiæ, » quando personas deditas divino cultui concordi » qualitate virtutum cernimus fœderari, & hoc in » votis habere potissimum, ut ad divini honorem » nominis in eis ita vigeat sanctæ studium unitatis, » quod status earum sit firma pace ac devotione » tranquilla præditus, & super his quæ regularis re» quirit honestas, semper appareat salubriter ordi» natus, occurrente hinc inde gratulandi materia, » dum in personis hujusmodi sic una splendet fides » mentium & pietas actionum, ut hoc de ipsarum » religione formosa possit assumi præconium, quod » in se decus habeat perfectæ pulcritudinis, & pror» sus ab omni macula decentissime sit immunis. Jo» cundo siquidem spiritu petitionis seriem audivi» mus continentem, quod cùm præclarus ordo ves» ter a mari usque ad mare jam per Christi gra» tiam suos palmites extendisset, propter varias di» versarum provinciarum consuetudines continge» bat divinum officium in ordine ipso uniformiter » non servari: qua propter vos tanquam ministri Dei » mites & humiles ac saluberrimæ unitatis sinceris» simi amatores laudabiliter meditando, quod hujus » prætextu differentiæ aliquid affectibus sanctis op» positum, vel fortè scandali gravis occasio in or» dine ipso poterat evenire, dilecto filio *Fratri* » *Humberto* quondam magistro ejusdem ordinis con» corditer commisistis, ut ipse prædictum officium » ad illam uniformitatem reduceret, quam univer» sitas Fratrum ipsius ordinis per orbis terræ lati» tudinem reverenter & humiliter observaret. Ve» rùm cùm tandem prædictus Frater officium ipsum » juxta commissionem hujusmodi prudenter ordina» verit & decenter, vos in tribus capitulis genera» libus prædicti ordinis ex tunc immediate sequen» tibus diligenti deliberatione præhabita statuistis, » ut ordinatio hujusmodi per universas partes ipsius » ordinis debeat observari. Quare humiliter pete» batis a nobis, ut pro hoc apostolici muniminis fir» mitatem adjicere dignaremur. Nos itaque vestris » supplicationibus inclinati, ordinationem eamdem » sicut provide facta est ratam & firmam habentes, » eam quam in domibus vestris propriis duntaxat ob» servari auctoritate apostolica statuimus, confir» mamus & præsentis scripti patrocinio communi» mus: districtius inhibentes, ne aliquis sine spe» ciali licentia sedis apostolicæ circa prædictum of» ficium contra confirmationis & constitutionis » nostræ ac ordinationis prædictæ tenorem aliquid » immutare præsumat. Datum Viterbii nonis julii » pont. an. tertio: hoc est julii VII MCCLXVII.

2. *Expositio regulæ S. Augustini* Meminerunt Ludovicus a Valleoleti, Laurentius Pignon, Leander, & abinde omnes. Prodiit typis Hagenoæ, Jo. Rynman de Oringaw, 1505. 4. addita ad calcem Expositione ejusdem regulæ per Hugonem a S. Victore. Ejusdem rationis est editio Parisiensis apud Jo. Parvi 1513. 8. Elegantior prodiit Dilingæ apud Jo. Mayer, 1581. 4 hoc titulo: *Regula D. Augustini, Ugonis de Sanctovictore & Humberti v ordinis Prædicatorum generalis magistri commentariis doctissimis illustrata. Opus ut antiquum ita diu desideratum, omnibusque religiosæ vitæ institutis valde accommodatum, nunc verò singulari methodo ac diligentia editum.* Quæ methodus in eo posita est, quod non divisim uterque commentarius ut in aliis editionibus, sed permistim ad singulos regulæ articulos primò Victorinus, tum Humbertinus adjicitur. Prodiit tandem in Bibl. Mag. Patrum Lugduni apud Anissonios 1677 fol. T. XXV a p. 567 ad 653. Extat MS Venetiis apud SS. Jo. & Paul. P. Sinist. Pl. 3 fol. memb. Item Paris. apud nostros Sanjacob. cod. chart. sed non antiquo, ceu quem F. Rollandus Roussellì vicarius Patrum & Sororum regalis monasterii Pissiacensis scripsisse se testatur & complevisse in crastino S. Ludovici anno MDII.

3. *Magistri Umberti generalis ordinis FF. Prædic. expositio super constitutiones ejusdem ordinis.* Sic habet titulus cod. MS Florentiæ apud S. Marcum Arm. IV n. 78. *Prologus*

» Ea quæ subscripta sunt sive ad declarandum « quasdam constitutiones, sive ad supplendum quæ- « dam minus plene posita, sive ad solvendum quæ- « dam dubia, sive ad exprimendum quasdam con- « suetudines non scriptas, sive ad instruendum quo- « rumdam simplicitatem, sive aliis de causis, non « sunt auctoritatis tantæ, quod aliquem obligent in « aliquo ex vi scripturæ istius: Sed ad hoc scripta « sunt, ut Fratres qui soliciti sunt de eis secundum « quæ vivere voverunt, & circa hoc quærunt vel « dubitant de aliquibus, vel student interdum re- « lictis altioribus & magis utilibus studiis, materiam « aliquam habeant exercitandi se circa hoc ad ali- « quem salutarem profectum. Proinde qui legere « noluerit, vel lecta non approbaverit, ex hoc non « judicetur in aliquo reprehensibilis: qui verò lege- « re voluerit, agat gratias redemtori. Sciendum au- « tem quod compilator hujus opusculi diligenter « respexit statuta religionum diversarum antiqua- « rum, scilicet Cisterciensis, Cartusiensis, Clunia- « censis, Præmonstratensis, Sanctivictoris, FF. Mi- « norum, Templariorum, & aliarum multarum, ut « experientia quam habuit in multis negotiis ordi- « nis & exterarum religionum, securius definiret « de eis quæ ad religionis naturam pertinere nos- « cuntur: propter quod non sunt spernenda quæ hîc « dicuntur. Sciendum etiam quod hîc omittuntur « per quæ confirmari possent quæ dicuntur, tum « causa brevitatis, tum quia alterius operis sunt « ejusmodi confirmationes «.

» *Quoniam ex præcepto regulæ.* Expositio. Notandum quod constitutiones Præmonstratensium « eodem modo omnino incipiunt, & ex hoc dici- « tur, & verum est quod constitutiones nostræ ex- « tractæ sunt ab illorum constitutionibus, cùm ipsi « nos præcesserint, & hoc justum fuerit. Præmons- « tratenses enim reformaverunt & auxerunt reli- « gionem B. Augustini, sicut Cistercienses B. Bene- « dicti religionem: & excedunt omnes illius reli- « gionis in vitæ austeritate, in observantiarum pul- « critudine, in discreto maximæ multitudinis regi- « mine per capitula generalia, visitationes & hu- « jusmodi. Proinde B. Dominicus cùm non potuis- « set obtinere a dño papa novam & arctam regu- « lam, & elegisset B. Augustini, non immerito [ejus « sodales patres nostri] cum illa regula de consti- « tutionibus illorum, qui alios illius ordinis exce- « debant, assumserunt quod arduum, quod decorum « invenerunt in illis, & sibi competens reputave- « runt. Non contenti autem illis multa alia superad- « diderunt, & addere non cessant in capitulis gene- « ralibus, prærogativam ordinis B. Augustini sibi non « solùm doctrinæ & prædicationis officio, sed etiam « vitæ merito vindicantes «.

Ex præcepto regulæ. Hîc inducitur auctoritas regulæ &c.

Hæc expositio in cod. Flor. non progreditur ultra initium cap. 11 de inclinationibus ad illa verba *muniant se signo crucis.* Nec quid amplius extare

SEC. XIII. dicunt in cod. MS chart. apud Lovanienses nostros servato, adeo ut quod dolendum, opus ab auctore relictum fuerit imperfectum. Codex ille Lovaniensis scriptus fuit anno MDIV a F. Martino de Aerschot ejusdem domus sodali. Hujus expositionis meminit Valleoletanus & Leander Albertus. *Scripsit*, inquit, *super institutiones FF. Prædicatorum, sed morte præventus non perfecit. Tria duntaxat capita scholiis & glossematibus ornavit.*

4. *Liber de instructione officialium ordinis FF. Prædicatorum.* Nempe a magistro ordinis ad singulos quosque vel minimam in domo curam gerentes. Meminerunt Salanhacus, Laurentius Pignon, Valleoletanus & sequentes. Parisiis apud Sanjacobeos extat hoc opus cod. MS fol. par. memb. ac seculi XIII, charactere sat accurato: nec dubium quin plura exempla alibi reperiantur. A prima constitutionum editione Mediolani 1505 & deinceps una ad calcem prodiit hic liber. Notandum autem in editione anni 1625 & deinceps in cap. de officio magistri noviciorum, ubi de libris ab illis legendis, commendata fuisse opera B. M. Ludovici Granatensis, quæ pura additio editoris, nec legitur in antiquis editionibus Mediolanensi citata nec Veneta 1507 aut Lugdunensi 1515. Unde insulse omnino scriptor recens hujus ultimi seculi exinde ansam arripuit hujus operis Humberto abjudicandi, cui asserunt & antiqui seculi XIII codices MS & scriptores ejusdem seculi & sequentium XIV, XV &c.

5. *De eruditione Prædicatorum.* Meminit Laurentius Pignon, & vocat *librum de arte prædicandi.* In partes duas secatur opus: prima *de prædicatorum munere seu officio, & ad illud spectantibus formaque ac arte concionandi* agit: altera *de modo promte cudendi sermones circa omne hominum & negotiorum genus.* Hæc altera pars eo gratior, quod statum omnium societatum & ordinum ejus ætatis doceat, & qui inducti essent defectus, ac in iis vulgo arguerentur, plane ac simpliciter exhibeat. Hæc posterior sola prodiit Haganoæ. Henrici Gran. 1508. 4. Rursus eadem in duos tractatus divisa curante F. Hieronymo Joanninio de Capugnano nostro sub hoc titulo *sermones B. Humberti Burgundi Prædicatorum ordinis magistri* V, cujus & vita præmittitur. Venetiis, Marci Antonii Zalterii, 1603. 4. pagg. 99 & 143. Extat in Regia D. 1410. Cùm autem magister ordinis F. Hieronymus Xavierre in quadam ordinis domo Lusitana primam partem hactenus non excusam reperisset scilicet *de prædicatorum munere*, F. Franciscus Diago qui ab eo acceperat, novam totius operis editionem molitus est, præmissa etiam accuratiori quam Capugnanus, auctoris vita. Titulum indidit, *De eruditione Prædicatorum.* Barcinone. Seb. a Cormellas. 1607. 4 pp. 494. Idem Diagus Capugnanum arguit, quod titulum parti a se editæ non recte nec ad mentem auctoris præfixerit, qui non *sermones*, sed materiam cudendis sermonibus accommodam præstare in animo habuerit. Denique idem opus in Bibl. Mag. Patrum intulerunt Lugduni T. XXV a p. 420 ad 567. Pars secunda seu *summa ad omnes status* extat MS in Bibl. Ecclesiæ Remensis cod. 152 fol. memb. Pr. *Omnis homo exhortandus est &c.* Ad calcem. *Explicit summa ad omnes status composita Lugduni a F. Humberto de Romanis de ordine FF. Prædicat.* Sic legebat F. Jacobus Quetif illac transiens anno MDCLXXI.

6. *Liber de prædicatione crucis.* Meminerunt Salanhacus, Valleoletanus, Lusitanus & sequentes. Extat apud nostros Antverpienses exemplum ad antiquum codicem exscriptum XVIII sept. MDCX manu F. Joannis Lusbord ejudem conventus sodalis. Sunt capita 49 in tractatu & foliola 64 in 4. Vidit Quetivius citatus XXI maii MDCLXXI. Hujus operis meminit ipse Humbertus in opere sequenti P. I cap. 9 ubi sic habet: *De quibus omnibus plenius habetur in opusculo de cruce prædicanda contra Saracenos Tit.* XI *& seqq.*

7. *Venerabilis viri & religiosi Fratris Humberti de Romanis ordinis Prædicatorum magistri quondam generalis quinti liber de his quæ tractanda videbantur in concilio generali Lugduni celebrando sub Gregorio papa X* sub annum Dñi MCCLXXIV. Extat codex MS memb. Romæ n. 354 bibliothecæ Christinæ reginæ Svediæ, nunc in Vaticanæ parte, quæ Alexandrina dicitur. Vidit clarissimus Mabillonius, ejusque exemplum non quidem integrum, sed præcipua continens obtinuit, quod mihi amicissime communicavit D. Renatus Massuet asceta Sammaureus. Opus dividitur in tres partes: I est de negotio Ecclesiæ contra Saracenos, & constat capp. XXVII, in quibus hæc potissimum tractat: quanti sit momenti ad Ecclesiam tuendam belli contra Saracenos susceptio, quàm inanes se huic expeditioni opponentium rationes, quibus auxiliis sustinenda: inter quæ hoc maxime eligit, ut in regione transmarina tot continuo teneantur pugnatores, quot ad resistendum Saracenis sunt necessarii, illi verò inquit, non homicidæ, non pessimi quique ut hactenus factum est, sed homines a peccatis abstinentes, & zelum fidei habentes, quibus sustentandis hoc dat consilium, ut de superfluo thesauro ecclesiarum in lapidibus, vasis & vestimentis emantur redditus perpetui, de collegiis singulis una vel plures præbendæ, prioratus in quibus pauci aliquando cum scandalo morantur, abbatiæ destructæ quarum reformatio desperatur, illis applicentur.

Altera pars est de schismate Græcorum & capp. XIX constat. In ea verò primùm quam grave malum sit schisma explicat, tum Latinorum esse ac præsertim summi pontificis, schismati Græcorum tollendo incumbere monet. Postea quæ fuerint, & quæ sint adhuc causæ schismatis quærendo, has tres potissimas invenit, varietatem rituum in barba nutrienda, in materia Sacramenti eucharistiæ, in ministrorum Ecclesiæ continentia, gravamina Romanæ Ecclesiæ in exactionibus, excommunicationibus & statutis, oppressionem tyrannicam principum Latinorum in verbo & facto: hinc natos eorum errores de processione spiritus sancti, & alios, quos alibi se collegisse dicit. Remedia verò hæc proponit, in omnibus ritibus suis qui fidem non tangunt, tolerentur: cessent Latini ab exactionibus & oppressionibus ipsorum: si qui mittuntur nuntii, propriis sumtibus eant, non extorsiones faciant, plenitudo obedientiæ ab eis non requiratur, dummodo patriarcha eorum a papa confirmetur: inter magnates utriusque Ecclesiæ ineantur matrimonia. Commendat autem maxime studium linguæ Græcæ, nam fatetur vix in Romana curia inveniri, qui litteras ab eis missas sciat legere, & dolet curam in libris philosophiæ & juris transferendis adhibitam, nullam in theologicis quæ arma sunt militiæ nostræ.

Tertia pars est de corrigendis in Ecclesia Latinorum XII capp. constans, in iis verò hæc proponit, circa cultum divinum, non sint tot festa, vel exceptis majoribus in iis liceat operari: circa Ecclesiam Romanam, ne diu vacet sedes provideatur; circa religiosos, minuantur ordines mendicantium, nulla religio mulierum sustineatur cum mendicitate & discursu; circa prælatos, examinentur diligenter eligendi, pompæ eorum restringantur: circa eorum curias, extorsiones pro sigillo & aliis tollantur: circa parochias, quædam sunt ita pauperes, ut nullus velit eas recipere, divites iis dantur qui nolunt residere: circa clerum, in multis vigent, gula, luxuria, pompa, prodigalitas, otium, & alia multa mala: circa usum clavium, committuntur ignorantibus, excommunicationes in multorum la-

queum multiplicantur : circa statuta patrum, concilia in metropolitanis Ecclesiis omnibus habeantur : circa imperium, rex Teutoniæ deinceps non per electionem sed per successionem esto, & illo regno contentus sit : duo reges constituantur in Italia, qui similiter per successionem regnent, & imperatorem Teutoniæ agnoscant ut vassalli. Multa alia proponit, quæ apud auctorem legenda.

8. *Vita B. Dominici.*

De ea sic Theodoricus de Appoldia in prologo ejus quam scripsit : *Succedens S. P. Humbertus magister ordinis quintus ex prædictis* (Jordani & Constantini) *tertiam conflans legendam multis superadditis non modicum ampliavit.* Meminit etiam Bernardus Guidonis a Malvenda citatus p. 530. b. *Scripsit nihilominus venerabilis P. F. Humbertus magister ordinis V recolligens & compingens omnia bene dicta & posita a præcedentibus, conflans unam compilationem ex compilatione B. Jordani, F. Petri Hispani & F. Constantini, superflua resecans, bene posita alterius repetens, fideli stylo pulchro & ornato, & ordine valde rationabili & congruo, qui præeminet cæteris in multis, sicut patet diligenter examinanti, idem assumens principium quod & F. Constantinus in suo prologo, addens & mutans multum convenienter & apte. Prologus incipit :* Multifarie &c. *Legenda verò incipit consequenter :* B. Dominicus Fratrum Prædicatorum dux & pater inclitus *&c.* Hanc Humbertum scripsisse conjicio ante MCCLIV, nam extat in ecclesiastico officio supra n. 1 laudato, quod apud Sanjacobeos Parisienses servatur & eo anno finitum fuit, & ad usum erat pro lectionibus officii, cùm de B. Dominico agebatur : extat etiam in Lectionario antiquo & ejusdem ætatis apud eosdem Sanjacobeos servato & supra memorato. Extat etiam apud nostros Tolosanos, & in Ecclesiastico officio ad normam Sanjacobei eadem ætate scripto, & in codice altero speciali fol. med. memb : nec dubium quin sit in omnibus ordinis domibus, ubi similia Ecclesiastica officia, ut Romæ, Bononiæ, Salmanticæ &c. Extat etiam apud nostros Parisienses ad S. Honorati codice sec. XIII memb. in 8 ex quo in notis ad vitam a B. Jordano & ad alteram a Constantino scriptam, quæ addidit, vel resecuit, vel similia habet lectorem monuimus.

9. In libro cui titulum indiderunt *Vitas Fratrum*, non modicam partem habet : nam & ejus jussu a F. Gerardo Lemovicensi compilatus est, & plura a se cognita & scripta eidem misit suis locis inserenda. Is est liber ut censeo, quem Valleoletanus vocat *De fundatione ordinis Fratrum Prædicatorum.*

10. *Chronicon ordinis ab anno* MCCIII *ad* MCCLIV, quod vulgo *chronicon Humberti* dicitur. Scio a quibusdam dicto F. Gerardo asseri, tum quia ubi de magistro Jordano remittit ad tertiam partem libri *vitas Fratrum*, tum quia in quibusdam codicibus, ut in Pissiacensi 400 circiter annorum dicitur caput x partis quintæ dicti libri. Ut ut sit neque enim contendendi est animus, Humberto potius ascribam, præsertim ex modestia qua de eo chronicon loquitur, cùm plura Gerardus si auctor fuisset, haud dubie dixisset. Finis enim ubi de eo sermo est, hæc tantùm habet : *A. D.* MCCLIV *electus est in magistrum in Hungaria apud Bugdam, ubi vivente adhuc magistro Johanne fuerat assignatum capitulum ob devotionem regis & reginæ, F. Humbertus natione Burgundus de diœcesi Viennensi villa quæ dicitur Romanis oriundus. Hic cùm adhuc juvenis missus fuisset Parisius, cùm rexisset in artibus ibidem, & postea jus canonicum aliquanto tempore audivisset, ingressus est ordinem antequam redisset ad patriam circa annum Dñi* MCCXXV, *prius D. Hugone cardinali, qui magister suus fuerat, cum eodem in eodem proposito concurrente. Orate pro me, si vobis est possibile.* Nec plura in codice meo MS memb. sec. XIII & melioris notæ. Sic etiam finit codex Pissiacensis citatus. Extat etiam Florentiæ ad S. Marci Arm. III n. 81.

11. *Epistolæ encyclicæ ad universum ordinem scriptæ*, quarum septem adhuc super sunt. Duæ sunt e cap. gen. Mediol. MCCLV, una exhortatoria de more, altera circa querelas ab episcopis adversus nostros summo pontifici delatas, quibus singulis remedium adhibet. Tertia est nomine suo & F. Joannis de Parma ministri Minorum ad conciliandam inter utrumque ordinem pacem & concordiam : quæ quidem potentissimis affectibus referta est, & ex stylo Humberti dignoscitur. Data IV nonas febr. MCCLV stylo veteri novo MCCLVI. Quarta e cap. gen. Tolosano XIX maii MCCLVIII, & quinta XI junii ejusdem anni e monasterio Prulliano. Sexta Argentinæ e cap. gen. MCCLX, & septima Bononiæ item e cap. gen. MCCLXII. Quæ omnes MS habentur cum actis. Si quas ex aliis comitiis sub eo habitis scripsit, illæ perierunt. Sed non omittenda quam Alberto Magno dedit, eaque gravissima, ut a suscipienda Ratisponensi infula dissuaderet : hanc edidit noster Joannes a S. Maria T. III vitarum BB. ordinis ad finem vitæ dicti B. Alberti : aliarum relatarum sex edidit Soëgius in anno Dominicano Gallico ad julii diem XIV. Has epistolas licèt verborum careant ornatu & lepore, tamen ut sententiarum gravitate refertas & succulentas laudat Leander Albertus.

12. *Epistola de tribus votis religionis substantialibus.* Irit. *Incipit epistola F. Hymberti V magistri ordinis FF. Prædicatorum, quam scripsit de tribus votis substantialibus religiosorum, & quibusdam virtutibus. Filiis gratiæ & cohæredibus gloriæ Fratribus carissimis universis, vitam Deo gratam, sibi fructuosam, angelis jocundam, dæmonibus terribilem, hominibus exemplarem. Nulla sunt omnino reputanda &c.* Hujus opellæ meminerunt Leander & Lusitanus. Prodiit in Germania in incunabulis typographiæ absque anno & loco & nomine typothetæ, quæ editio extat in Bibl. August. & recensetur indicis Reiseri p. 112. Iterum Haganoæ 1508 cum sermonibus supra laudatis. Item cum iisdem sermonibus editionis Capugnani supra laudatæ Venetiis 1603. Rursus ibidem 1609. Item cum supra relata expositione in regulam S. Augustini Dilingæ, Mayer 1581. Eam etiam in Bibliothecam Patrum intulerunt Lugdunenses anno 1677 T. XXV a p. 653 ad 664. Habetur MS Parisiis in Sangermanea a pratis cod. chart. 415 & laudatur etiam in catalogo codd. MS Angliæ T. II P. I n. 3198.

Gallice reddidit M. W. Gaoult & edidit Duaci 1604 in 16, quæ editio extat apud nostros Insulenses.

13. *Libellus de septem gradibus contemplationis.* Meminit Laurentius Pignon. Ad finem codicis MS in quo liber cui titulum *vitas Fratrum* fecerunt, quique mihi est in manibus, est quidam tractatulus hujus rationis. Pr. *Contemplativorum aquilinos obtutus acui, & ipsorum spirituale palatum perfundi dapibus æternæ dulcedinis affectans, septem contemplationis gradus in medium censui deducendos.* Hi autem septem gradus sunt, ignis, unctio, extasis, speculatio, gustus, quies, gloria, qui breviter & dilucide explicantur. Quis auctor non additur, an is Humbertus? certe codex est seculi XIII.

14. Humberti etiam facile crediderim Compendium quoddam libri magni de septem donis Spiritus sancti a nostro Stephano de Borbone compositi, quod compendium titulum habet : *De abundantia exemplorum*, & incipit : *Quoniam plus exempla movent &c.* & plerumque absque nomine auctoris occurrit. Ut autem Humberto ascribam, hæc me movent : scilicet quod auctor nostras sit, ut ex prologo apparet : præterea in Bibl. Sangerman. a pratis codex est MS n. 400 membr. opus nempe illud cui titulus *Alphabetum narrationum*, quod nostro Stephano Bisuntino magistro ordinis VIII vulgo tri-

Sec. XIII. buitur : codex autem ille Sangermaneus id habet singulare, quod omnibus exemplis nomen auctoris ex quo quodlibet excerptum est additur : verbo autem *Abbas*, sic legitur ad caput cujusdam exempli, *ex Hymberto de dono timoris* : revera illud exemplum totidem verbis legitur seu in libro magno de septem donis, seu in compendio ubi de dono timoris: cùm igitur liber magnus sit Stephani de Borbone, Hymberto de Romanis, sic enim aliquando se scripsisse constat ex superioribus, compendium merito quis tribuat.

15. *De eruditione religiosorum* opus in sex libros divisum, cujus principium *Erudire Hierusalem*, Humberto a plerisque recentioribus tribuitur, & sub ejus nomine typis etiam pluries prodiit, imo & in bibliothecam Patrum illatum est : at perperam & contra codicum omnium veterum seculi XIII fidem, qui illud nostro Guillelmo Peraldo de quo supra vindicant, & cui restituendum ibidem monuimus. Non dissimularim tamen jam ab anno MCCCC hunc errorem apud aliquos invaluisse, nam Valleoletanus citatus Humberto asserit. Vide supra *Guillelmus de Peraldo*.

16. *Liber sermonum de fraternitate rosarii B. V.* ei tribuitur ab Altamura ad 1274 unico vade Jo. Andr. Coppenstein libro *de clavibus prædicandi rosarium lib. 2. cap. 11.* Sed cujus in istis antiquis seculi XIII sublesta fides. Cùm ergo nulla sit fraternitatis rosarii ante Alani de Rupe tempora institutæ apud veteres memoria, ejusmodi opus Humberto certo abjudicaveris.

17. *De veris & falsis virtutibus librum* ei tribuit Lusitanus, sed allucinari censeo, hocque opus nihil aliud esse quàm epistolam supra n. 12 indicatam, in qua non tantùm de tribus votis, sed & de aliis virtutibus agit. Sic enim explicat Leander.

Apud Budæum in Annotationibus in Pandectas edit. Parisien. fol. 1526 fol. 62. b. Sic legitur: *Anno* MCCLVIII *judicium peractum fuisse in monumentis nostris extat in parlamento ad natalem divæ Dei genitricis habito de comitatu Clarmontensi. Contendebant autem de eo cum rege comites Pictavensis & Andegavensis : in eoque judicio affuisse regem cum consilio regio, affuisse etiam episcopos Remensem, Rothomagensem, Trecensem, aliosque non paucos episcopos abbatesque, & Maximum Fratrum Prædicatorum, ad hæc magistrum militum id est constabularium, comites ac primores nobilitatis, consiliariosque permultos tum sacerdotes tum profanos. Duo autem tum quotannis parlamenta cogebantur ad natalem purificationemque divæ Dei genitricis.* Nomine *Maximi Fratrum Prædicatorum* non alius venit intelligendus, quàm Magister ordinis, ac proinde Humbertus noster, qui in eo parlamento sederit, ac cum aliis sententiam dixerit: quod quanti apud sanctum regem Ludovicum IX haberetur, ostendit. Imo eum volunt anno MCCLVI ejusdem regis filium e sacro fonte levasse, illum scilicet qui Robertus comes Claromontanus dictus, stirpis Borboniæ nunc regnantis caput extitit.

F. HENRICUS TEUTO SENIOR.

* 1254. F. HENRICUS TEUTO *Senior* sic dictus ad alterius discrimen de quo supra ubi de B. Jordano, & quod ætate provectior, & quod prior ordinem amplexatus est : dicitur etiam aliquando *de Colonia*, a professione scilicet, nam etsi Parisiis vestem acceperit, domus Coloniensis paulo post erectæ alumnus juxta leges tum apud nos servatas habitus est. Sub fines seculi XII lucem primam vidit in civitate quam Martismontem vernacule tum *Marsberk* dicebant, nunc *Marpurg* vel *Marsbourg* aiunt in Saxonia : certe patruum ibidem habuit militem, quo vocabulo nobiles eo seculo designabant, a quo nutritus est puer & liberaliter educatus. Adolescens verò acris ingenii & in grammaticis optime institutus, Parisios ab eodem missus est, ut in academia dialecticam artesque cæteras assequeretur. Mortuo interim patruo cujus sumptibus alebatur, in patriam rediit, & quas Parisiis hauserat disciplinas, Martismonte publice docuit. Triennium id exegerat, cùm crucem quæ tum prædicabatur assumsit, & in Palæstinam transfretavit : ea verò expeditione functus, Parisiosque anno MCCXVII reversus, paucos illos sodales quos Tolosa B. Dominicus eo miserat eodem anno, qui & a mense septembri ad augustum anni sequentis episcopium inter & domum Dei habitabant, invisit. Quorum vitæ sanctitate disciplinæque austeritate excitatus, iis adjungi confestim postulavit & obtinuit, egregiusque evasit theologus & ecclesiastes. Anno MCCXXIV erecta est domus nostra Coloniensis, ibidemque primus prior datus F. Henricus Teuto junior, ut dictum est supra ubi de eo, sed & additus ei iste senior in primum theologiæ lectorem, ut in libro de septem donis Stephani de Borbone legisse me memini, licèt nunc locus exciderit. Anno MCCXXVIII quo in comitiis generalissimis Lutetiæ habitis octo antiquis provinciis novæ quatuor adjectæ sunt, Polonia, Dacia, Græcia, Terra-sancta, in hanc ultimam a B. Jordano, prioribus provincialibus, & diffinitoribus unanimi consensu delegatus est, & ut alicubi legi primus prior provincialis præfectus, in eamque implendi officii gratia iterum trajecit. Exinde rediisse videtur anno MCCXXXIII, & successore ei dato F. Philippo de quo supra ad 1238 Parisios reversus est, ubi verbi Dei insignem se præconem exhibuit, sancto regi Ludovico IX in primis acceptus : apud quem sic efflagitatu suo egit, ut libros Thalmudicos mandante Gregorio IX apud nostros Sanjacobeos & FF. Minores collectos & depositos flammis exuri jusserit, quod actum anno MCCXL, & una quidem die ad quatuordecim quadrigatas, id est vehes seu plaustra, altera verò ad sex combusti fuere. Anno etiam MCCXLVIII quo sub Innocentio IV eadem causa agitata est, ab Odone cardinali de Castroradulphi & in Francia S. P. legato in consilium ascitus fuit, & in sententia quam de iis libris legatus ille pronunciavit, post magistros in theologia & decretorum doctores, inter alios viros insignes qui judicio affuerunt, decimus numeratur. Eodem anno sanctum regem dictum sic volentem in sacra expeditione transmarina comitatus est, eique semper astitit quandiu in illis hæsit regionibus. Cùm autem inde Gallias repeteret, in ipso itinere Henricus noster ad supernam Hierusalem a Deo est vocatus anno MCCLIV. Sic summatim refero, quæ fusius leges in vitis Fratrum P. IV cap. XI §. 4 & cap. 24 §. 12, & apud Cantimpratanum de Apibus lib. I cap. 3 §. 6, cap. 19 §. 3 & lib. II cap. 10 §. 36 & cap. 43 §. 4. In vitis Frat. dicitur *vir sanctus & prædicatione clero & populo admodum gratiosus*. Cantimpratanus sic habet: *Quantum vir iste prædicatione profecerit in clero Parisius, quantumve consilio, aut etiam aliàs ubi diversis clericis & populis prædicavit, ad plenum posse neminem arbitror æstimare.* Hinc *sermones* ab eo relictos non immerito conjicio, sed qui vicissitudine temporum perierint. In codice majoris conventus Eremitarum Augustiniensium ad pontem novum fol. par. memb. n. 249 cui titulus *Sermones collecti a bonis prædicatoribus*, & ex serie videntur dicti anno MCCXXXVII, quo etiam florebant omnes in eo laudati, sequentes asseruntur cuidam *Fratri Henrico Jacobitæ*, quem hunc nostrum facile credas.

18. *Dom. in quinquagesima.* Ascendens Jesus Hierosolymam &c. *Ex profundo enim consilio institutum est, ut hoc evangelium hodie in Ecclesia Dei legeretur &c.*

22. *Dom. 2. quadrag.* Ecce mulier Chananæa a finibus Tyri &c. Tum Parisiis & ex ritu ordinis etiam ea dominica hoc evangelium legebatur.

* Odonis m. 1144 cardinalis. 26. *Sermo in annunciatione Dominica.* * *O cancellarii Parisiensis. Collatio eodem die, quam fecit F. Henricus Jacobita.* Prov. ult. Facta est quasi navis institoris &c.

37. *Sermo in die pascha.* Mane surgens Jacob &c. Gen. 28 dicitur ibidem *sermo bonus.*

45. *Sermo in die B. Joan. ante portam Latinam.* Qui continens est justitiæ &c.

46. *Sermo Dom. 3. post pascha.* Mulier cùm parit &c.

89. *Sermo in die B. Nicolai.* Estote parati, quia qua hora non putatis &c.

Indicatur ibidem fuisse diem Dominicum.

90. *Dom. 3. adventus.* Pauperes evangelizantur. Tum eo die hoc evangelium legebatur.

95. *Sermo in natali Dñi in collatione.* Parvulus natus est nobis &c.

96. *Sermo in die B. Stephani.* Stephanus plenus Spiritu Sancto &c.

Sunt & alii plures in collectionibus sermonum de tempore & de Sanctis misti cum sermonibus celebriorum concionatorum ejus ætatis. Videsis in Sorbona codd. MS n. 1 p. 153 & 955 & alios. Hos fatendum est ut & supra laudatos tantùm esse ab ore dicentis imperfecte ut aiebant reportatos, sed saltem indicium sunt accuratos auctorem apud se habuisse.

F. BENEDICTUS.

† 1254. F. Benedictus quidam absque agnomine laudatur a nostris Ferdinando de Castillo Hist. Gen. P. 1 lib. 2 cap. 50: Bzovio Annal. ad 1254 n. 1, Fontana in Monum. ad eumdem annum & aliis, ceu qui missionariorum nostrorum apud Cumanos agentium præfectus scripserit

Epistolam magistro ordinis directam, qua eum de egregiis pro fide in ea regione per sodales actis, & de millium Cumanorum conversione monet. Quam epistolam legit Ferdinandus citatus.

F. CLEMENS SCOTUS.

† 1256. F. Clemens Scotus a patria sic nuncupatus Parisiis, ubi plures ejus gentis tum maxime litteris operam dabant, ordini videtur nomen dedisse, ex iisque fuisse quos Alexander II Scotiæ rex e Gallia in suum regnum allexit anno MCCXXX propagandi ibidem ordinis causa. De eo sic legitur in chronico Maylrossensi in Bibl. Cotton. servato: *Anno Dñi MCCXXXIII Clemens canonicus de ordine Prædicatorum electus est ad episcopatum de Dunblayn & consecratus a Willelmo episcopo S. Andreæ apud Wedale in die translationis S. Andreæ.* Quod canonicus de ordine Prædicatorum dicitur, novum argumentum est confirmans ea quæ supra ad calcem vitæ B. Dominici per Jordanum, ubi caput Histor. Occid. Jacobi de Vitriaco relatum est, tot testimoniis evicimus, nostros *canonicos* vulgo ea ætate dictos. Ejusdem celebris est memoria in actis cap. gen. Londini anno MCCL celebrati, in quibus sic legitur: *Item concedimus F. Clementi ordinis nostri episcopo Scotiæ post mortem unam missam per ordinem a quolibet Fratre sacerdote; & in provincia Angliæ fiat pro eo quod pro alio Fratre.* Quæ docent & quo affectu ille episcopus factus ordinem semper complecteretur, & quanta eum in gratia totus ordo haberet. Annum mortis ejus docet chronicon auctoris æqualis in Bibl. gymnasii Edimburgensis etiamnum servatum, quod sic habet: *Anno Dñi MCCLVI obiit egregius prædicator de ordine Prædicatorum Clemens episcopus Dunblanensis variarum linguarum interpres eloquentissimus, vir potens opere & sermone coram Deo & hominibus, qui ecclesiam episcopatus sui cathedralem prædecessorum suorum incuria invenit aporiatam in tantum, ut in ea tanquam in rurali capella vix in hebdomada ter divina celebrarentur: quam ille in insigne sanctuarium construxit, terris & possessionibus ditavit, præbendis & canonicis exaltavit.* Utriusque chronici Scoti hîc laudati excerpta mihi J. E. amice communicavit anno MDCCIX clarus vir D. Ines Scotus sacerdos, & hoc anno MDCCXVII etiamnum vivus & in gymnasio Scotorum degens, historiæ Scoticæ ecclesiasticæ illustrandæ deditus. Ex hactenus relatis certis & indubitatis plura præcipitanter ab aliis dicta facile refelluntur, ut quod constare vult Dempsterus lib. 3 Hist. Scot. n. 308 Clementem Dublinensem gessisse episcopatum, licèt postea ex Alexandri Mylli historia Dumblanensem administrasse Ecclesiam seipsum emendans fateatur: & quod de eodem Leander fol. 116. a. ait vita functum anno MCCL. Egregie porro eum extollit a litteris & pietate Philippns Wolpius lib. 3 de peritorum virorum vitis apud Dempsterum citatus. Ejus meminerunt nostrates Bernardus Guidonis, Lusitanus in chronico ad 1240, Sampaius, Pius, Fontana in Theatro, quorum tamen nullus, quæ fuerit ejus sedes, aperit. Hæc ei opera dantur a Dempstero SÆC. XIII.

1. *Vita B. Dominici.*
2. *De ingressu ordinis in Scotiam.*
3. *De peregrinatione ad loca sancta.*
4. *Summa concionum.*

Quæ vel periere, vel in bibliothecis Scotiæ jam latent.

F. ANSELMUS DE JANUA.

F. Anselmus de Janua Ligur a patria professioneque sic nuncupatus, in eadem civitate sanctæ fidei quæsitorem generalem agebat anno Dñi MCCLVI, quo promulgavit † 1256.

Constitutiones & ordinationes adversus hæreticos.

Has cùm magistratus & reipublicæ principis auctoritate firmari vellet, atque in acta publica referri, illique recusarent, eos anathemate perculit. Lite ad pontificem delata, hic nempe Alexander IV eos coëgit mandata inquisitoris sine mora implere, & de eorum cunctatione graviter increpavit. Sic refert Augustinus Justiniani Annal. Genuen. ad 1256, quem excipiunt Cyprianus Huberti, Pius *della progenie* p. 413, Fernandez, Altamura ad 1279, Rovetta ad 1278. Extrates verò abbas Michael Justiniani *scrittori Liguri:* Oldoinus Athen. Ligust. & alii. Philippus a Limborch in Hist. Inquisit. rem paulo aliter narrat, nempe Philippum Turrianum tum Januæ rectorem & præfectum, antequam dies a summo pontifice præstituta adveniret, decreto Anselmi obsequutum, ejus statuta *tabulis legum urbanarum inscripsisse, & juxta earumdem præscriptum in contraventores animadvertisse.* Legendus etiam Bzovius ad 1256 n. 7.

F. HUGO METENSIS.

F. Hugo Metensis a patria & professione agnomen de more sortitus, laudatur in chronico cœnobii Metensis, ubi sic de eo sub F. Waltrino de Furno, ejus domus priore quarto ad annum † 1256. 1240: *Magister F. Hugo Metensis regens Parisiis cum S. Thoma tertius in ordine qui ibidem legit sententias, homo devotus scientiaque insignis.*

Credimus inque Dei positum nil lege probari,
Quod te contingat divo latere pater.

Ubi tamen emendandum quod dicit tertium ex nostris Parisiis rexisse: certe in catalogo Salanhaci septimus tantùm numeratur: cùmque aliunde

Sæc. XIII. constet primos illos sacræ theologiæ magistros non eo quo legerunt ordine, sed perturbate in hoc catalogo referri, vigesimum quartum aut quintum tantùm censuerim. At cùm S. Thoma unâ sententias legisse testatur etiam Boulæus Hist. univ. Par. T. III. p. 216, adeo ut Hugo sub Bonohomine Britone baccalaureus inceperit, & S. Thomas sub Elia Bruneti: sed & easdem ambo molestias & difficultates a Guillelmo de Sanctoamore & fautoribus passi fuerint, nec ante finem anni MCCLVIII laurea donari potuerint. Pergit auctor chronici Metensis:

Hic commentatus est quatuor sententiarum libros & quadam alia. Tandem exuit hominem Parisiis, & sepelitur honorifice in domo capituli, cujus in tumulo graphice hoc epitaphium insculptum est

Hugo fui, claustrum tenui Metis
Utilibus vestris precibus me quaeso juvetis
Qui docui mores, mundi vitare favores
Inter doctores sacros sortitus honores.
Vermibus hic donor, & sic ostendere conor,
Quod sic ut ponor, ponitur omnis honor.

Quo verò anno mortem oppetiit addere omisit auctor chronici. Ejus opera haud dubie Metis servabantur, sed nostra domo ab alienis invasa, omnes etiam fere codices MS nobis perierunt. In Belgii tamen bibliothecis ejus scriptum in sententias adhuc aderat seculo XVI, cùm ejus meminerint nostri Guillelmus Carnificis & Joannes Bunderius in celebri suo catalogo codd. MS fol. 323 teste Alva Sol. Verit. Rad. 220 col. 1557 & scriptum in tertium sentent, hoc habebat principium: *Auditu auris audivi te &c.* Job. 42 v. 5.

F. JOANNES DE VINCENTIA.

* 1256. F. Joannes de Vincentia Italus a patria sic nuncupatus vir fuit seculo XIII gestorum gloria nominatissimus. E manibus SS parentis Dominici anno MCCXX vel sequenti Patavii vestem induisse volunt, ac exinde verbi Dei prædicatione Italia tota Bononiæ potissimum fulsisse. De quo sic in vitis Fratrum lib. 3 cap. 42 §. 5. » Tempore quo » F. Joannes Vincentinus Bononiæ prædicans fructum » mirabilem fecit, & totam fere Lombardiam mi» raculorum & prædicationis gratia commovit, & » ad se videndum & audiendum trahebat, vene» runt nuncii Bononienses, quos vocant ambasato» res magni & literati ad magistrum existentem tunc » in capitulo cum diffinitoribus & aliis Fratribus, » qui convenerant ad capitulum generale. Petie» runt igitur ex parte totius communitatis, quod » F. Joannem prædictum non removerent de civi» tate illa: inter multas rationes hanc prætenden» tes efficacem & multum ponderantes, quod se» minaverat verbum Dei gratiose, & fructum qui » sperabatur secuturus de ejus prædicatione, totus » posset in ejus absentia perdi. Magister autem » [*nempe Jordanus*] commendata eorum devotione » & benevolentia quam habebant ad ordinem res» pondit in hunc modum: Boni domini illa ratio » quam vos allegatis, ut F. Joannes debeat hic mo» rari, quia seminavit vobis verbum Dei, & posset » fructus perire si recederet, non multum movet » nos: quia non est consuetudo apud seminatores » camporum, quod cùm seminaverint agrum unum, » apportent ibi lectum suum, & jaceant ibi quous» que videant quomodo semina fructificent: imo » potius commendant semen & campum Deo, & » vadunt ad seminandum in alio campo. Ita for» tassis expediret, quod F. Joannes iret ad semi» nandum verbum Dei alibi, sicut de Salvatore » scriptum est, quia & aliis civitatibus oportet me » prædicare verbum Dei. Verumtamen propter amo» rem quem habemus ad civitatem, habebimus con» silium super petitione vestra a sociis nostris diffi» nitoribus, & faciemus tantum pro vobis dante » Deo, quod debebit sufficere vobis «. Quæ petitio facta fuerit aliquo istorum annorum 1223, 25, 27, 29 aut 31 quibus capitula generalia Bononiæ habita.

Id autem eis tum concessum fuisse exinde conjicio, quod Bononiæ potissimam vitæ partem egerit. Placet autem hîc quæ de eo varii auctores æquales narrant. In primis sic auctor chronici Paduani lib. 3 cap. 7: » Anno Dñi MCCXXXIII electus est in po« testatem Paduæ D. Ardizonus de Vercellis. In hoc « etiam tempore F. Joannes de ordine FF. Prædi« catorum venit in Marchiam Tarvisinam de parti« bus Bononiæ, homo bonæ conversationis & ho« nestatis. Ivit totum commune Paduæ cum carro« cio & summa devotione obviam ei de partibus « Montissilicis venienti, & positus in carrocio in« travit cum magno gaudio & honore in civitatem. « Hic habens dona facundiæ, apud Deum & ho« mines gratiosus, multas prædicationes fecit per « Paduam, imo etiam per civitates Marchiæ, « per villas etiam & per castra: erat enim cum « illo Deus, & in cunctis suis negotiis adhærebat « Virgini, laudabat crucem, benedicebat magnifi« centiam Jesu Christi. Habuit autem hic justus ho« mo præ oculis illam auctoritatem, quæ dicit, « beati pedes portantes pacem, & voluit cum au« xilio Dei firmare pacem inter eos omnes & sin« gulas civitates, viros potentes & nobiles Lom« bardiæ, Marchiæ & Romagnæ. Et convocatis « primò principibus totius Marchiæ in pratum val« lis in Padua, facta ibi prædicatione solemni cons« tituit & ordinavit, quod in proximo futuro men« se augusti convenirent in campanea Veronæ juxta « flumen Atacis prædicti barones omnes, rectores, « ambaxatores & communia civitatum. Quod cùm « factum fuit ut ordinavit, congregata multitudi« ne, quantam simul nunquam aliquis vidisse dice« bat in partibus Lombardiæ, & mihi vere sic vi« sum fuit, (*qua auctorem testem oculatum indicant*) ste« tit prædictus Frater in eminentiori quadam spe« cula lignaminibus artificiose constructa, & fuit « hoc artificium altitudine quasi per cubitus LX. « Locus autem ubi hoc factum erat, distat a civita« te Veronæ circa milliaria quatuor super Atacem, « & locus ille Paquara nominatur. Ibi auctoritatem « illam proposuit. Pacem meam do vobis pacem « relinquo vobis, & auctoritatem eloquenter adap« tans ad sui animi præconceptum, pacem Lombardis « omnibus imo cunctis de Italia auctoritate Domini « apostolici, qua fungebatur specialiter in hoc nego« tio ut dicebat, auctorizabiliter prædicavit, & jussit « addens ad sua dicta, quod pacem illam nunquam « aliquis audeat temerare: & posuit multas pœnas « si quis pacem præsumeret in aliquo violare, quod « absit, & rebellium maledixit fruges, vineas, ar« bores & bestias & omnia quæ haberent. Ultimo « post omnia sua dicta quasi obliviosus fuisset, ad« didit quod D. Ecelinus de Romano esset civis « Paduanus & reciperetur in citadantiam Paduanam. « His itaque terminatis regressæ sunt cunctæ gen« tes & communia civitatum cum suis carrociis, quæ « illuc conduxerant, & magnates omnes ad terras « suas. Et erat quasi rumor in populo dum redi« rent, & diversi diversimode loquebantur: alii « namque dicebant talem congregationem fuisse fac« tam, ut una partium fuisset exhæredata, cùm « multi occulta arma tulissent: alii firmiter assere« bant, hoc factum esse propter metum adventus im« peratoris in Lombardiam &c. Vix memorandum quod habet aliud chronicon cujusdam monachi Paduani: *Anno Domini* MCCXXXIII, *F. Joannes de ordine Prædicatorum in tanta reverentia est habitus ab omnibus*

Marchia & etiam Lombardia, quod ejus jussione Paduani Veronenses Brixienses & Mantuani cum carrociis & aliarum civitatum maxima multitudo in campanea Veronensi insimul pacifice convenerunt. Et ibidem in die S. Augustini sententias coram omnibus populis super quasdam quæstiones auctorizabiliter promulgavit. Sed cito ejus potentia expiravit, nam quasi post unum mensem quicquid ordinaverat ad nihilum est redactum.

Sed rem fusius & accuratius narrat Gerardus Maurisius Historia DD. de Romano (scilicet Ecelini & Alberici fratrum) & Marchiæ Tarvisinæ, ubi sic habet: » Interim apparuit quidam F. Joannes de ordine Prædicatorum civis Vicentinus & Manelini causidici filius vir valde religiosus, de quo mira sed in scena testificata loquar. Inauditum est enim quod a tempore D. N. Jesu Christi in nomine ipsius per alicujus prædicationem tot fuissent in simul homines congregati, quot & quantos sub occasione pacis fiendæ ipse congregavit in unum, unanimiter Jesum Christum laudibus & hymnis magnificantes. Venit enim primùm Paduæ, & ibi prædicando pacem de omni discordia quam habebant, compromiserunt in eumdem suo arbitrio determinandis. Venit Tervisio, fecerunt Tervisini illud idem, sic fecerunt Feltrini & Bellunenses, sic quoque Domini de Camino, sic & illi de Conegiano, & idem fecerunt DD. de Romano, idem quoque Vicentini, Veronenses, Mantuani, Brixienses, & comes S. Bonifacii & ejus pars universa. Tantam habuit potestatem super omnes, quod in omni civitate, statutis ipsarum acceptis suo emendavit arbitrio addendo & detrahendo. Captivos autem ubicumque fuerant dimitti fecit, & statuit certum terminum pro pace facienda & firmanda apud civitatem Veronæ præcipiendo prædictis civitatibus & personis, quod essent tunc ibi coram eo pro prædicatione audienda & laudum pacis intra omnes. Fuit ibi Brixia, Mantua, Verona, Vincentia Tarvisium, Feltrini & Bellunenses & DD. de Romano, & illi de Camino, Paduani, & de aliis civitatibus castris & villis homines & fœminæ innumerati. Fuit & ibi Aquilegiensis patriarcha cum omnibus episcopis prædictarum civitatum. Fuit ibi marchio Estensis, & Frater Jordanus. (*nota. Hic erat monachus S. Justinæ, tumque ad ejus nutum regebatur Padua.*) Presbyteri quoque & clerici, milites & populares, omnes fere istarum civitatum inermes, & cum vexillis cruciatis fuerunt ibidem. Tanta fuit ibidem innumerosa multitudo, quod sicut dictum est, a tempore Jesu Christi in huc, per alicujus prædicationem tot non fuerunt congregati in unum, & in reverentiam ipsius pro majori parte fuerant discalciati. Erant quoque civitates cum carocciis suis quamplures.

» Prædicavit intra illos, & quod est mirabile vox illius ab omnibus audiebatur mirabiliter & clarissime. Facta prædicatione pacem pronunciavit & laudavit intra omnes, & ordinavit tunc matrimonium intra dominam Adelenitam filiam D. Alberici de Romano & Rainaldum filium marchionis Estensis. Cujus dictum ab omnibus cum magnis laudibus fuit gratissime confirmatum. Ipse autem trangressoribus anathematis pœnam, & Jesu Christi indignationem & omnem maledictionem indixit: conservantibus autem Dei omnipotentis gratiam & suam benedictionem concessit, & sic revertuntur ad patriam, quisque ad locum suum magnificantes Deum, & eidem gratias referendo. Multi enim mortales inimici proprio motu pacem faciendo osculabantur ad invicem, prædicatione ipsius ad hoc inspirati, habebatur enim quasi propheta per omnes. Hujus etiam tanta fama erat, quod etiam Dominus Apostolicus reverebatur eidem: nec mirum quia Fratres Minores publice prædicabant, sicut & egomet ipsos audivi prædicantes apud ecclesiam majorem civitatis Vincentiæ, quod ejus precibus & orationibus decem fuerant mortui suscitati: & a languoribus suis infirmi per orationes illius mirabiliter curabantur.

Hoc facto venit idem Frater Joannes Vincentiam, & dixit in pleno consilio, quod volebat esse dux & comes illius civitatis, & omnia suo arbitrio disponere, quod totum ei laudatum fuit atque concessum. Et Vicentini sperantes quod removeret & poneret ibi aliam comunionem, per quam utraque pars communiter regeretur, ipse hoc prætermisso factis statutis & ordinamentis ivit Veronam, ibique similiter petiit ducatum & potestariam illius terræ, quod factum est & concessum eidem. Fecit venire comitem & partem ipsius in civitate, accepit obsides ab utraque parte, accepit in se castrum S. Bonifacii & castrum Illaxii & Hostiliam & omnes munitiones sicut voluit. Hic persecutor fuit ibi hæreticorum, sic quod plures comburi fecit. Pluribus diebus rexit civitatem habendo se ducem atque rectorem, & tanquam dux & rector multa præcepta fecit & statuta. Tandem elegit Nicolaum Toniscum in potestatem Veronæ de Venetiis civem. Cùm autem multum redargueretur quod sic reliquerat civitatem Vincentiæ potestate non mutata, & vellet habere ducatum ibi sibi concessum, Ugutio Pilii & illi de Camino & Paduani consilio Fratris Jordani, cujus consilio Paduani regebantur in totum, induxerunt potestatem Vincentiæ, & partem contrariam illis de Romano ad contradicendum eidem Fratri Joanni. Et sic fecit venire potestas custodes cives Paduæ, & munivit civitatem fortius solito. Hoc audito F. Joannes minus caute & cum parva militum quantitate venit ad civitatem Vincentiæ, cui obviavit maxima populi multitudo. Ipse autem credens habere favorem atque constantiam populi in propria persona, cœpit ire per civitatem petendo domos turres & munitiones sibi dari. Cùm autem venisset ad domos filiorum quondam D. de Zachame, illi sibi rebelles extiterunt. Venit ad domum communis turba quæ sequebatur ipsum & capta potestate suis judicibus & familia & expoliatis & destructis libris statutorum & forbanitorum communis Vincentiæ, descenderunt de domo potestate & sua familia relictis expoliatis. Interim venerunt Paduani cum Ugutione Pilii & adversa parte illorum de Romano, & in ipsum F. Joannem ad palatium episcopatus ubi erat fecerunt insultum, & bello commisso captus est F. Joannes, & sui omnes versi sunt in fugam. Veronenses autem audito quod captus erat F. Joannes, extimantes quod consilio comitis de S. Bonifacio & suæ partis illud factum fuisset, ceperunt omnes qui venerant ad civitatem de parte comitis, qui fuerunt alicujus valentiæ: sed reverso [*Veronam*] F. Joanne, & invento quod culpabiles non fuerant, omnes dimissi fuerunt incontinenti. Ipsi autem timore perterriti fugiunt omnes de civitate. Ipse autem F. Joannes regit civitatem sicut potest sua potestate ibi posita pro nihilo reputata. Obsides autem Monticulorum & suæ partis hoc audito clam & occulte reversi sunt ad civitatem. [*Vincentiam.*]

Instat nunc comes quod sibi reddat obsides suos & castra similiter: Frater autem Joannes munierat castrum Hostiliæ per Bononienses, & castra comitis & Illaxii per amicos suos Vicentinos: castrum Calderii & castrum S. Bonifacii restituit comiti, quamvis fuisset fictitie factum, quasi in-

 » vitis custodibus fuisset ablatum : item obsides » eidem restituit : castrum Illaxii restituit Veronensibus, sed castrum Hostiliæ non restituit Veronensibus : sicque dimissis Veronensibus & Vicentinis ivit Bononiam, & sic Ugutio Pilii, Paduani consilio Fratris Jordani, & illi de Camino fregerunt pacem Fratris Joannis, sicque pro nihilo reputatum est factum F. Joannis. Hoc totum propterea creditur accessisse, quod ambitiose petiit ducatum ab hominibus contra dictum Salomonis, qui dixit : *Non petas ducatum ab hominibus*.

Verùm ipsemet Maurisius auctor hujus historiæ & testis oculatus in sequentibus certiorem refert pacis a F. Joanne actæ eversionis rationem. Cùm enim post F. Joannis seu excessum seu ejectionem, bello intestino exarsisset Vincentia, unde ultimum illi impendebat excidium : » tunc temporis, *prosequitur auctor*, Otho de Mandello potestas Paduæ pro communi Paduæ & F. Jordanus de pace facienda inter Paduanos & illos de Romano & Vicentinos & Tervisinos & illos de Camino facti sunt mediatores. In qua pace Rainaldus filius marchionis Bonifacii desponsavit Adeleram filiam D. Alberici de Romano, quamvis Rainaldus non esset adhuc annorum duodecim : & omnia fere facta sunt inter Paduanos & dominos de Romano, & Tervisinos & illos de Camino sicut F. Joannes statuerat. Verumtamen hic Frater Jordanus invidus quod tantum bonum per alium posset explicari, impediendo primum quod statutum fuerat, fecit ipse postea volens sibi laudes quæri atque honorem : sed certe malus fuit hypocrita sic perturbando, quoniam ante hanc pacem quæ primo facta fuerat usque ad hoc tempus per guerram quæ perseveravit, innumerabiles homines ex utraque parte gladio perierunt. Duxit autem Rainaldus ipsam Dominam in uxorem, solverunt Paduani dominis de Romano quindecim millia libras denariorum Veronensium, & Tervisini illis de Camino sicut præceperat F. Joannes, & tunc dominus Eccelinus fecit se civem Paduæ «. Ex quibus colligo gesta F. Joannis per invidiam & æmulationem solam eversa fuisse, non autem quod non æqua essent, siquidem postea in integrum restituta. Infelicior autem quàm nostri Joannis fuit istius F. Jordani ejus æmuli sors, nam ut habet idem auctor sub finem historiæ, » Eccelinus providus & discretus invento quod F. Jordanus hypocrita cum pluribus contra imperatorem conspiraverat, volens civitatem Paduæ de manibus & potentia imperatoris eripere, ipsum F. Jordanum captum misit in partibus suis custodiendum donec D. imperator venerit «. Contra verò F. Joannes Bononiam reversus eadem fama eademque auctoritate conciones suas habere perrexit.

Omitto quæ de his rebus habet Antonius Godi in sua chronica DD. de Romano & Marchiæ Tarvisinæ, cùm Maurisium fere excipiat, nisi quod nostrum Joannem *de Scledo* agnominat. At auctor vitæ Ricciardi a Sancto Bonifacio Guelforum ducis adversus Eccelinum Gibellinorum caput & antesignanum paulo aliter tum gesta narrat. » Pontifex, inquit [*Gregorius IX*] clades & detrimenta in dies magis ex factionum altercationibus & certaminibus in civitatibus gliscentia contemplatus omni sibi possibili ratione providendum duxit, ne hydræ capita ulterius multiplicarent. Propterea F. Joannem Vicentinum ex ordine Prædicatorum theologum virum ea tempestate doctrina & sanctitatis opinione præstantem legatum in Marchiam & Lombardiam destinavit, quod summam ejus eloquentiam ac miram apud populos auctoritatem acceperat. Hinc ille Bononia quam tunc incolebat, Patavium progressus pacem inter dissidentes cives composuit. Perspectis itidem Ricciardi & ejus partis animis haud quaquam a compositione aversis, ibique summo honore exceptus, pacem quanta maxima contendere eloquentia potuit, in foro persuadere perrexit, ac sic omnes concione sua permovit, ut Eccelinus etiam qui omnes homines morum immanitate eo seculo superavit, manantibus lacrymis promiserit se de omnibus controversiis, quæ inter se & Ricciardum intercederent, ipsius arbitrio staturum, quod idem quoque Ricciardus in urbem fide publica acceptus se facturum & servaturum esse juravit. Mox Ferrariensibus cum Salinguerra eorum regulo, Mutinensibus, Patavinis, Tarvisinis, Vicentinis, Mantuanis, Brixianis, Veronensibus, comite Ricciardo cum sua factione, Eccelino, Monticulis, comitibus de Camino, quorum omnium populorum animos facundissimis piisque concionibus jam antea ad pacem declinaverat, in suburbio Veronensi Tomba secundum Athesim advocatis congregatisque, ex suggesto inibi erecto inter civitatum carrocia elegantissima oratione habita, qua pacis bona discordiæque mala & detrimenta cùm disertissime subjecisset, pacem inter partes transactam & fœdus pronunciavit, legibusque fœderis & concordiæ recitatis, ipsam jurejurando atque osculis invicem utrinque oblatis approbari & confirmari jussit. Et quo concordiæ vinculum inter comites Sanbonifacios & Azonem aliosque factionis proceres & Eccelinum & factionem ejus arctius constringeretur, matrimonium inter filiam Alberici de Romano Eccelini fratris & Rinaldum Azonis Estensis filium statuit. Vix annus pacis transierat, tantis laboribus initæ, cùm Eccelinus & Monticulis comitantibus Verona egressus castra Sanbonifaciorum invasit, cùmque trajecto Athesi recepto prius Albareti castro quod antea ab se desciverat, Coloniam proficisceretur, Azonis Estensis occursu qui cum multa ac valida armatorum manu in eum ferebatur deterritus, Veronam retrocessit. Inde Ricciardus fœdere jam ab inimicis violato Monticulorum oppida regionis Zilionis, Pontepósserum in primis & S. Michaelem occupavit, crebrisque incursionibus pagos & eorum alia loca diripuit ac devastavit. Verùm cùm aliæ pariter Marchiæ & Lombardiæ civitates cruentis invicem certaminibus pacem quam priore anno juraverant violassent, Gregorius cladium tantarum anxius Fratri Joanni episcopos Tarvisinum & Parmensem ad pacem denuo conciliandam coadjutores adjecit. Ii postquam Veronam adierunt, eloquentia & auctoritate obtinuere, ut ambæ factiones Ricciardi octuagintaque optimatum Veronensium cum Eccelino sacramento novæ pacis fœdera inirent : eoque pacto Ricciardus in patriam denuo receptus est. Cæterùm istiusmodi concordiæ auctoritate & reverentia potius suadentium inter jam maleficiis & injuriis invicem indefessos ingerendis viribusque destitutos initæ, induciæ ac ab armis secessiones, donec robur amissum repararetur spiritusque reciperent quam paces erant. « Cui si fides auctori F. Joannes non solùm pacis primum initæ auctor fuit, sed etiam eidem post violationem resarciendæ cum episcopis Tarvisino & Parmensi allaboravit : quæ probant in eadem semper apud omnes sanctitatis opinione fuisse, ejusque ambitioni violatæ pacis rationem Matthæum Parisiensem Anglum monachum auctorem externum perperam ascribere, quam internecino partium Guelfarum & Gibellinarum ea ætate Italiam infestantium odio mutuo rectius tribuisset.

Anno MCCLVI cùm Philippus archiepiscopus Ravennas & Alexandri IV S. P. legatus in Marchia constitutus Paduam Eccelino eripuisset, & sub jugum Ecclesiæ

Ecclesiæ Romanæ traduxisset, exinde de Vincentia etiam subigenda cogitavit, propterea que cùm copias undique accerseret, in ejus auxilium » Venerunt Paduam electi quidam milites & pedites » de Bononia cum venerabili viro F. Joanne de ordine Prædicatorum « ; Sic refert auctor chronici Paduani primus scilicet supra citatus lib. 9 cap. 9. Qui addit tamen cap. XI quod cùm legatus cum exercitu suo movisset versus Vincentiam, » Ecce » primò Bononienses, nec inquiri potuit auctor com» motæ rixæ, aperte lamentari cœperunt, quod » soldum sive salarium a suo sibi communi promis» sum penitus habere non poterant, unde amplius » illic manere nolebant, nec potuit F. Joannes eo» rum magister & rector ipsos ad manendum ulte» rius confortare «. Revera idem lib. 10 cap. 4 sic habet: » Milites verò Bononienses & pedites qui » cum F. Joanne venerant ob sanctæ crucis reve» rentiam ut dixerunt, ecce nunc cum ipso F. Joan» ne recesserant. D. legatum & alios qui pro cru» ce pugnabant in majori imo maximo necessitatis » articulo relinquentes. Sed hoc ipsis improperare » non audeo, quoniam apud ipsos Bononienses in » scientia literali nutritus, in anno Dñi MCCXXI illic » a Bonocompagno meo domino & magistro na» tione & eloquentia Florentino licèt indignus ac» cepi officium magistratus «. Quod auctoris æqualis & a se visa narrantis testimonium quanta apud Bononienses in veneratione esset noster Joannes adhuc anno MCCLVI id est plus annis viginti post negotium Vincentinum clarissime evincit, cui nempe copiarum suarum spiritualem administrationem commiserant in bello illo papali.

Quamdiu postea vixerit Joannes, quo anno & loco mortuus sit, non produnt monumenta, Bononiæ tamen obiisse conjectu proclive. Thomas Cantimpratanus lib. de Apibus 2 cap. 1 pluribus de eo agit, miracula ab eo vivo patrata referens, & ex modo loquendi videtur innuere jam tum mortuum, cum scriberet ante MCCLXIII. Bzovius tamen in Annal. ad MCCLXXXI n. 1 Gualvaneum Flamma in chronico ordinis testem citans contendit adhuc anno illo mense Junio fuisse in vivis, & electionem F. Joannis de Vercellis in magistrum ordinis Parisiis 7 ejus mensis factam, per revelationem Bononiæ agnovisse & miraculo probasse. Idem antea ex eodem dixerat Leander fol. 38 b. Quod discutiant Mediolanenses nostri, penes quos est illud Gualvanei chronicon. Idem Bzovius in Annal. ordinis MSS ad annum 1233 plures Gregorii IX literas anno 7 datas refert, alias ad cives Bononienses ne F. Joannem quo ire voluerit impediant, alias ad episcopos ut impedientes excommunicent, alias ad ipsum F. Joannem ut in Tusciam se conferat, pacem inter Florentinos & Pisanos conciliaturus: est & una X Kal. octob. data, qua eum cùm Vincentiæ captus est & in carcerem conjectus, exemplo Christi Domini consolatur. Ejusdem Joannis nostri meminerunt quotquot abinde Ecclesiasticæ historiæ scriptores, quorum qui vituperant falsis Eccelini Marchiæ tyranni fautorum rumoribus delusi sunt, & ex hactenus dictis abunde refelluntur, ex iis enim constat apud summos suæ ætatis pontifices sive ante sive post negotium Vincentinum bene semper audiisse, & ab eorum partibus temporibus illis difficillimis constanter ad mortem usque stetisse. Ac ne quis miretur regimen civitatum Veronæ & Vincentiæ sibi assumsisse, ea erat tum Italiæ civitatum conditio, ut pleræque factionibus Guelforum & Gibelinorum intus divisæ fere a viris religiosis ceu ab omni parte alienis regerentur. Sic F. Jordanus S. Justinæ monachus citatus Paduam, sic F. Gerardus Rangonus ordinis Minorum vir sanctus titulo prætoris Parmam, sic idem noster Joannes quamdiu vixit fere Bononiam regebant: quod non eorum ambitioni, sed populorum de eorum probitate existimationi & voluntati tribuendum. Legendus & de eo Leander Albertus fol. 184 b. Rovetta ad 1233 hæc ei ascribit opera

Sermones de tempore & de Sanctis.

Commentaria in Pauli Apostoli epistolas.

Summa Confessariorum.

Quæ ubi serventur addere debuisset, præsertim cùm ipse primus hæc meminerit. Certius quis varia ejus acta in variis Italiæ civitatibus, & statuta ab eodem præscripta numeret, quæ in archivis Bononiæ, Vincentiæ, Veronæ, Florentiæ &c. verisimillimum haberi, vel etiam in Vaticanis cum literis ab eo ad summos pontifices quibus gestorum rationem diligenter reddebat datis.

F. CONSTANTINUS MEDICES *Urbevetanus.*

F. CONSTANTINUS MEDICES *Urbevetanus* vulgo ab episcopatu dictus ex Mediceorum Florentinorum illustri gente lineaque Taffusia originem duxit teste Francisco Zazzera *Della nobilità d'Italia* P. I. pag. 197. Paulo post mortem B. Dominici ordini nomen dedisse ex eo constat, quod cum sodalibus qui cum sancto & Romæ & Bononiæ convixerant, conversatus fuerit, pluraque de ejus gestis & miraculis ex ipsorum ore acceperit. Anno MCCLIV vel LV ad Ecclesiæ Urbevetanæ sedem evectus est ab Alexandro IV, & ut erat vir strenuus & rerum agendarum peritus ab eodem anno sequenti MCCLVI in Græciam ad imperatorem Theodorum missus fuit nuntius, qui cum eo & patriarcha C. P. Græco de concilianda utraque Ecclesia Orientali & Occidentali tractaret. Quæ a summo pontifice mandata acceperit, refert Odoricus Rainaldus ad eum annum n. 48, re tamen infecta rediisse aiunt. Videtur obiisse anno MCCLVIII. Eum omisit Fontana in Theatro, sed meminit in Monum. ad 1255. Bernardus Guidonis recenset inter episcopos Tusciæ. Leander Albertus fol. 121 a. Lusitanus in chronico ad 1250 & in Bibl. & sequaces. Ughellus Ital. Sac. T. I inter Urbevetanos n. 28, sed tacet nostrum fuisse, quod & aliàs ipsi excidit. Hæc ejus scripta † 1258.

1. *Legenda B. Dominici primi fundatoris ordinis Fratrum Prædicatorum.* Habetur MS passim in ordine. Hanc verò nos supra integram edidimus ex accurato codice nostro MS seculi XIII membr. charactere minutissimo sed eleganti. Vitam hanc Vincentius Bellovacensis speculi historialis libro 32 inseruit, sed non integram & in editis præterea mendis scatentem: hanc appellat *legendam novam* ad discrimen alterius a B. Jordano antea scriptæ. Constantinum volunt ex jussu quarti ordinis magistri Joannis ab Wildeshusen anno 1242 in comitiis Bononiensibus dato scripsisse, quod verisimile licèt in actis ejus capituli quæ nunc habentur, nihil de hoc legatur. Opus finiisse ante MCCXLVII fere mihi certum.

F. JUSTINUS quidam laudatur a Leandro Alberto fol. 152 b. cui eamdem provinciam ab eodem magistro ordinis in iisdem comitiis anni MCCXLII datam vult, sed manifeste erratum est typorum, & Justinus pro Constantino positum, cujus non meminit inter historicos, licèt ubi de episcopis fol. cit. 121 disertis verbis Constantinum asserat *B. Dominici vitam egregie edidisse stylo tamen mediocri.* Nihilominus hoc erratum avidi seu incauti exceperunt Lusitanus & sequaces, & ipse Malvenda pag. 530. Certum itaque habeat lector *Justinum* hoc nomine antiquis æqualibus & supparibus ignotum, cujus nulla unquam ab ullo visa B. Do-

Sæc. XIII. minici vita, non alium esse a nostro Constantino.

2. *Officium ecclesiasticum dicendum die festo B. Dominici.* Licèt enim quidam illud B. Jordano de quo supra asseruerint, Bernardus Guidonis Constantino vindicat: sic enim iste in catalogo episcoporum: *F. Constantinus qui compilavit legendam & officium B. Dominici fuit episcopus Urbevetanus.*

Addi possent *Acta ejus legationis in Græciam*, quæ inter acta pontificia in Vaticano aliàs saltem servata haud dubitaverim.

FF. SANJACOBEI PARISIENSES.

* 1258. FF. Sanjacobei Parisienses id est domus nostræ Parisiensis S. Jacobi dictæ sodales religiosi seculo XIII medio circiter florentes, ut saluti populorum toti incumbebant, communi studio ex sanctorum Patrum doctrina, & ex Ecclesiæ legibus summam quamdam ediderunt de virtutibus & vitiis per modum institutionis catechisticæ, cui & addiderunt brevem rationem confessionis sacramentalis salubriter agendæ. Titulus est

Flos summarum. Pr. *Diffinitio sive descriptio caritatis. Caritas est mentis affectus ad Deum & proximum ferventer & ordinate porrectus &c.* Finis. *Quid per visum, quid per auditum & sic de singulis.*

Hujus operis duplex exemplum MS memb. fol. par. unciam spissum a me visum est anno 1700 & 1710 in Sorbon. Et in altero ad calcem sic legitur: *Explicit summa super virtutes & vitia cum confessione noviter composita a quibusdam Fratribus S. Jacobi, quæ dicitur, Flos summarum.* In altero verò additur præterea manu & charactere ejus ætatis: *Ex dono magistri Roberti de Sorbona.* Hunc notum est ante MCCLXXIV mortuum, adeoque hoc opus quibusdam antea annis editum, nec a vero aberrasse me puto, cùm ad MCCLVIII refero, vel circiter.

Ejusdem operis extat exemplum elegans in Colbert. cod. 4131 memb. fol. par. a media parte codicis. Idem est principium & finis, sed quantum observavi codices Sorbonici sunt emendatiores. Opus prælo dignum mihi videretur; præsertim vernacule redditum.

F. RAINERIUS SACCONUS.

† 1258. F. Rainerius Sacconus Placentiæ in Gallia Togata natus. Primò » hæreticorum antistes antequam ad sanam rediret mentem fuerat, » & multa damna reipublicæ Christianæ in Æmilia » intulerat, tandem in se reversus orthodoxam sanc» tamque Christi fidem totis viribus, totoque ani» mo complectens Prædicatoriam togam accepit: » qua accepta mox hæreticis quorum falsum dogma » antea tam vehementer tutatus fuerat, bellum in» dixit, & quantum prius cæcutiens illi faverat, tan» tum & multo plus ex eis (censor fidei constitu» tus) supplicium sumsit. Suo enim jussu oppidum » Gathæ, cujus ruinam D. Petrus Veronensis postea » martyr aliquando prædixerat, solo eversum est. » Non timuit pro defensione catholicæ fidei subire » exilium. Quippe ut egregius dux fidelium ani» madvertens Hubertum Palavicinum fortè seductum » errore, hæreticis favere, & illi se non posse ob» sistere, ut pote viro potentia & armis freto, ac » cum Turrianis Mediolanum moderantibus arctis» sima conjuncto amicitia & necessitudine, eum de» tulit pontifici maximo. Quod ut intellexit pontifex » iniquo ferens animo gravem animadversionem in » Hubertum intulit, videlicet ipsum gravi notans » anathemate, & se rei indignitatem ægre ferre » Turrianis per literas intimavit. Ast Turriani quod a pluribus principibus communiter fieri solet, pon- « tificis præmonitionem haud æquo animo suffe- « rentes, Rainerium in cœnobio D. Eustorgii exis- « tentem verbis durissimis aggressi sunt. Quem cùm « ad singula intrepide respondere, atque minime « de animo decidi viderunt, exilio mulctarunt. « Qui minime animo motus, alacriterque pro Christo « proque ejus sancta fide subiit exilium. Floruit vir insignis circa annum D. 1258 «. Hæc totidem verbis Leander fol. 148, quem excipiunt Lusitanus, Castillus, Pius, p. II lib. I col. 69 & lib. *De progenie* p. 81. Fernandez, & alii nostrates ad Altamuram ad 1258. Sigonius ann. 1259 & 1269. Petrus Maria Campi Hist. Eccl. Placentinæ lib. 18 & alii. Scripsit opus hoc titulo

Summa F. Renerii de ordine Fratrum Prædicatorum de Catharis & Leonistis sive Pauperibus de Lugduno. Hujus genuinum exemplum Jacobus Gretserus in Germania se invenisse existimavit, & ex cod. MS typis edidit Ingolstadii 1614 in 4, ex quo in suam retulit Binius SS. PP. Bibliothecam T. IV edit. Parif. P. II pag. 715, & editio Coloniensis 1618 T. XIII p. 295, & tandem Lugdunensis apud Anissonios 1677 T. XXV p. 262 repræsentant. Qua quidem in editione Gretseriana opus sic incipit: *Audistis quia Antichristus venit &c.* & in IX capitula distinguitur. 1 *De commendatione fidei Christianæ* 2. *Quis sit hæreticus.* 3. *De causis hæresum.* 4. *De sectis antiquorum hæreticorum.* 5. *De sectis modernorum hæreticorum, & articulis hæresum.* 6. *De nominibus sectarum.* 7. *Quomodo hæretici cognoscantur.* 8. *Quomodo hæretici familiaritati magnorum se ingerant.* 9 *De modo examinandi hæreticos.* 10 *Quomodo hæretici puniantur.*

Quin opusculum hoc in eum modum, quo editum a Gretsero, a Rainerio nostro compositum etiam fuerit nullus dubito, si voces Germanicas identidem insertas excipias, quas ab homine Germano, ut inquisitoribus suæ regionis & nationis usui esset, subinductas facile crediderim. Verùm idem opus alio ordine confectum itidem ab auctore cogor ut dicam, cùm duplex mihi occurrerit exemplum alia ratione compositum. I. extat in cod. MS memb. fol. circa 1300 exarato tempore Bonifacii papæ VIII & fuit conventus nostri Rothomagensis, nunc nostrorum Parisien. ad S. Honorati. II extat in Hybernia in Bibl. colleg. SS. Trinit. Dublini recensitum T. II P. II 273,133. memb. in 8 cujus ἔκγραφον consecutus sum ope viri eruditi Joan. Ernesti Grabe, per omnia simile Rotomagensi.

Titulus est idem supra relatus. Princ. *In nomine D. N. J. C. Cùm secta hæreticorum olim fuerint multa, quæ omnino fere destructæ sunt per gratiam J. C. tamen duæ principales modo inveniuntur, quarum altera vocatur Cathari sive Paterini, & altera Leonistæ sive Pauperes de Lugduno, quorum opiniones præsenti pagina annotantur.* Hæc verò capita.

1. *De diversis sectis Catharorum.* 2. *De communibus opinionibus Catharorum.* In hoc cap. ubi in edit. Gretser. legitur cap. 6. *Item quod parvuli etiam non baptizati non levius æternaliter puniuntur &c.* in utroque cod. Rotom. & Dubl. legitur, *parvuli etiam baptizati*, & est vera lectio.

3. *De sacramentis Catharorum. De manus impositione.*

4. *De fractione panis.* 5. *De falsa pœnitentia Catharorum.* In hoc cap. sic de se habet: *Ego autem F. Rainerius olim hæresiarcha, nunc Dei gratia sacerdos in ordine Prædicatorum licèt indignus dico indubitanter & testificor coram Deo qui scit quod non mentior &c.* & postea. *Præterea dico indubitanter quod in annis XVII, quibus conversatus sum cum eis &c.* ut in Edit. Gretser.

6. *De ordinibus Catharorum & officiis eorum.*

7. *Quot sunt Ecclesiæ Catharorum.* Notandum quod ait in fine hujus cap. *quod in toto mundo non sunt Cathari utriusque sexus numero quatuor millia. Et dicta computatio pluries olim facta est inter eos.*

8. *De propriis opinionibus Albanensium.*

9. *De propriis opinionibus Joannis de Lugio.* Sic in utroque Rot. & Dubl. apud Grets. *de Lugduno.* Notandum quod ait sub finem. *Errores prædictos & multos alios, quos longum esset, & etiam mihi tædium enarrare finxit sæpe dictus Joannes de Lugio hæresiarcha, & ex eis compilavit quoddam volumen magnum x quaternorum cujus exemplar habeo, & perlegi, & ex illo errores supradictos extraxi.*

10. *De propriis opinionibus Ecclesiæ Catharorum de Concorrenzo.* Notandum quod ait circa medium cap. *Nazarius verò quondam eorum episcopus & antiquissimus coram me & multis aliis dixit, quod B. V. fuit angelus &c.* Quæ verisimillime audivit, dum hæreticus apud eos versabatur Rainerius.

11. *De hæresi Leonistarum seu pauperum de Lugduno.* Ad finem hujus cap. *A. D.* MCCL *compilatum est fideliter per dictum F. Rainerium opus superius annotatum.*

In cod. Rotom. per modum Append. sequitur, *Forma qualiter heretici hæreticant hæreticos suos.* Implet columnam paulo plus.

In cod. Dubl. abest illa appendix, sed sequitur alia: *Quatuordecim errores communes pauperibus Lombardis & pauperibus de Lugduno sive citramontanis.* Qui titulus indicat auctorem in Galliis hærentem saltem non in Italia, alioquin dixisset *ultramontanis.* Sequitur & altera: *Isti sunt errores Valdensium sive Insabbatorum.* Sequitur 3 opusculum hoc titulo: *Incipit disputatio catholici contra hæreticos supra articulis fidei, & aliis capitulis quæ inferius subscribuntur.* Prologus. *Vergente mundo ad occiduum &c.* Princ. *Ut Patarinis per hoc opusculum via luceat resistendi, opponentium & respondentium more hinc hæreticum inde catholicum introducimus disputantes &c.* Quæ disputatio continet pagg. 104. Tandem post *Extractum ex summa nostri Monetæ,* sequitur *Doctrina pro Inquisitoribus.* Quod opus etiam extat in cod. Rotom. & censeo nostri Bernardi Guidonis.

Ut verò ad summam nostri Rainerii redeam, cum fere tota qualis est in codd. MSS Rotomag. & Dubl. exhibeatur in edit. Gretser. exceptis Teutonismis, in ista verò amplior fit & copiosior, vel Rainerius bina vice eam recognitam ediderit, vel quidam post eum rescissis pluribus sibi descripserint. Cæterum opus est ad cognoscendas illas hæreses apprime necessarium.

In actis concilii Constantiensis ultimæ edit. Germanæ T. III pag. 663. in opusculo cui titulus, *Anonymi theologi tractatus anno 1415 sub Constantiensi concilio editus contra Jacobum de Misa Bohemum, & speciatim de communione sub utraque specie ex cod.* MS *Vindobon.* Longior est descriptio hæreticorum indolis *ex Reinheri ord. Prædic. celebris theologi libro de erroribus hæreticorum* sic: *De quibus erroribus & signis cognoscantur homines qui declinant aut declinabiles sunt in errorem copiose ponit F. Reinherus ord. Prædic. in suo libro quem composuit de erroribus hæreticorum: in quo confitetur fuisse* XVII *annis hæresiarcha, ponens primo communia & generalia, & describit I quomodo hæreticus cognoscatur per signa, & quomodo cognoscantur illi qui declinant ad errores &c.* Quæ ostendunt opus Rainerii tum fuisse cognitum ea ratione qua profertur a Gretsero, nam ista non leguntur in codd. Rotom. & Dublin. Istud opus tenet a col. 663 ad 762 & videtur Anonymus ord. Præd. saltem S. Thomæ quem sæpius citat doctrinæ addictissimus.

Ex hactenus dictis colliges quam præpostere quidam recentiores, in quibus Bailletus & Girius, qui vitas Sanctorum Gallice ediderunt, scripserint hunc Rainerium a B. Dominico tum juvene & Palentiæ studiis operam dante ab hæresi conversum, & ab Innocentio III ad plura postea præsertim adversus hæreticos adhibitum. Nulla enim antiqua monumenta docent Rainerium unquam in Hispania egisse, aliunde ejus conversio pluribus annis morte B. Dominici posterior videtur, & S. Petri martyris persuasionibus afflante numine potius ascribenda, sicque non Innocentius III sed Gregorius IX & Innocentius IV ejus opera adversus hæreticos usi fuerint. Vicinitas vocum Palentiæ & Placentiæ forsan errandi occasio fuerit, ut quæ Placentiæ acta, ad Palentiam illi detorserint.

F. BERNARDUS TEUTO.

F. Bernardus Teuto vir egregius in ipsis ordinis exordiis claruit Honorii III papæ vel Gregorii IX S. P. ascitus pœnitentiarius. Reversus in Germaniam intimam contraxit cum sancta virgine Leutgarde ordinis Cisterciensis familiaritatem, a qua & gratiarum ipsi divinitus concessarum, tum & arcanorum cœlestium omnium factus est particeps & conscius, ut testatur noster Thomas de Cantimprato *lib. 2 cap. 7 vitæ ejusdem Beatæ.* Sed & hanc vitam postquam scripsit idem Thomas Bernardo nostro tradidit recognoscendam, qui eidem inseruit * 1250.

Additiones plures rerum sancta vel a se solo vel saltem clarius cognitarum. Quas videsis editas in *Actis SS. Junii* ad diem 16 a PP. S. J. Antverpiensibus adornatis T. III ejus mensis pagg. 231 & seqq.

Magni habitus est etiam Bernardus hic a * Sigerio III archiepiscopo Moguntino anno 1229 electo, qui ejus opera usus est in causa hæreticorum Stadingorum Valdensium & Manichæorum Germaniam tum infestantium, adversus quos magister Conradus de Marburch auctoritate apostolica inquirebat, voluitque sibi adesse in duobus episcoporum & principum Germaniæ conventibus ea de causa celebratis anno 1233, & ambo scilicet Moguntinus archiepiscopus & Bernardus noster acta in his conventibus simul Gregorio IX scripserunt. Sic enim refert æqualis auctor chronici sub nomine Alberici monachi editi: *Per Alemanniam verò facta est,* inquit, *tanta hæreticorum combustio, quod non possit numerus comprehendi: & multi nobiles accusati sunt, & multi ut dicebatur injuste dehonestati. Et hac de causa congregatum est concilium Maguntinum in præsentia regis & archiepiscoporum regni & episcoporum & principum. Tertio verò die post concilium interfectus est magister Conradus de Marborg in die Abdon & Sennes, & cum eo duo Minores. Deinde diligenti facta inquisitione super ista pestifera secta Luciferianorum & super prædictis archiepiscopus Maguntinus & Frater Bernardus de ordine Prædicatorum quondam pœnitentiarius D. papæ rescripserunt in hæc verba.*

* Conradum vocat Labbeus in conciliis citatis, sed nullo teste, neque enim id habet auctor appendicis ad chronicon Schafnaburgense ab ipso laudatum.

» Quod magister Conradus contra pauperum « Lugdunensium astutias zelo fidei armatus nefan- « dam hæresim Manichæorum filiam olim abscon- « ditam ita putavit ex toto deprehendere, si testes « qui se confitebantur aliquantulum criminis eorum « conscios & participes in illorum absentia recipe- « rentur, & dictis eorum simpliciter crederetur, « ita ut semel accusato talis daretur optio, aut « sponte confiteri & vivere, aut innocentiam ju- « rare & statim comburi. Et ecce falsos testes ab « hæreticis, ut credimus subornatos adduxit inimi- « cus. Quædam fœmina vaga Alaidis annorum vi- « ginti casu veniens (1) Pigniam, finxit se hæreticam « sectæ illius fuisse, suum virum apud *Cruneborch* « concrematum, & se velle cremari, innuens a la- « tere, quod si Ecclesia verbis suis credendum de- « cerneret, hæreticos absconditos, & fautores eo- « rum manifestaret. Hæc missa est a magistro Con- «

1. Pragam.

Sæc. XIII.

» rado, qui nimis ei credidit. Et ipsa primo apud *Clavels* villam de qua oriunda fuit, cognatos & notos & affines, qui eam exhæredare videbantur, fecit comburi, subornato etiam quodam Amfrido, *quem modo fecimus in vinculis detineri*, qui confessus est, quod multos innocentes alios ad ignem, alios ad tonsuram per testimonium suum coëgerit, magistro Conrado judicium fulminante. Et horum accusatio paulatim cœpit ascendere a rusticis ad burgenses honorabiles & eorum uxores, inde ad castellanos & nobiles, & in fine ad comites prope & longe positos, & magister nulli quantumvis altæ personæ locum dedit legitimæ defensionis, nec etiam confiteri proprio sacerdoti, sed accusatum oportuit confiteri se hæreticum esse, Bufsonem tactum, pallidum virum & hujusmodi monstra diffidentiæ, pacis in osculo salutasse. Taliter quidam catholici abjudicari maluerunt innocentes cremari, & salvari, quàm mentiri de crimine turpissimo, cujus non erant conscii & supplicium promereri, quibus ipse magister martyrium promittebat. Alii infirmi potius elegerunt mentiri quàm comburi, quibus tamen oportuit scholas nominare, & respondebant, *nescio quem accusem : dicite mihi nomina de quibus suspicionem habetis*. Cùmque proponeretur de comite (2) Seinensi, de comite *Aneberg*, de comitissa *de Loz*, respondebat evadere volens : *Ita illi rei sunt ut ego, & illi in scholis fuerunt ut ibi fui*, & sic frater fratrem, uxor virum, dominus servum & servus dominum accusavit. Alii dabant pretia tonsoratis, ut docerent modum evadendi, & facta est confusio a seculis inaudita. Ego archiepiscopus magistrum Conradum primò solus, postea cum duobus archiepiscopis Coloniensi & Treverensi monui, ut moderatius & discretius in tanto negotio se gereret, qui non acquievit, sed tandem contra nostram monitionem crucem publice prædicavit Maguntiæ. Quo viso quidam interfecerunt eum prope Marburg. Tandem congregati apud Frankenvoert cum archiepiscopis & episcopis usque ad viginti quinque, & multis imperii principibus in die Dominica *Latare Hierusalem* apud Maguntiam (3) examinavimus comitem Seinensem, & alios de quibus habita est quæstio, & restituimus eos famæ & possessionibus. Mendacibus pro perjurio injuncta est pœnitentia septennalis. Eos qui innocentes accusaverunt ad pedes D. Papæ transmisimus. Qui magistrum Conradum occiderunt, excommunicati sunt. De pueris scholaribus, qui cum aliis ad ignem concurrerunt, inquisitio si sint irregulares. De innocenter mortuis quæritur consilium papæ.

2 Sverinensem alii dicunt.

3 Hinc patet habitam hâc synodum 2 anno quidem 1233 stylo veteri, sed novo 1234 April. 9 nam eo anno num. Aur. 19. Lit. Dom. A. Pascha 23 April.

Quid ad hæc dominus papa rescripserit, nondum scimus, nisi quod pœnitet eum satis, quod tantam dicto magistro Conrado potestatem permiserit, unde talis confusio emerserit. Insuper visio quædam visa est in Alemannia, per quam convincitur, quod idem Conradus est damnatus. Hactenus Albericus ex cod. MS Colbert. 1452 fol. charta.

Quæ eo magis referre visum est necesse, quod in conciliis generalibus etiam ultimo editis Parisiis anno 1671 desint acta conventuum horum duorum Moguntinorum, qui tantùm indicantur habiti, & quos hîc reperiet lector curiosus, ut & in iis gesta, ex quibus jam facile intelliget duplicem quam de duabus illis synodis Germanis scripsit Gregorius IX epistolam in laudata conciliorum editione relatam T. XI P. II in Append. col. 2346 & seq. Quod autem ait Albericus summum pontificem pœnituisse, quod M. Conrado tantam contulerit potestatem, tantum abest, quin imo in sicarios qui eum occiderunt tam leviter a synodo animadversum graviter tulerit, sed ita forsan ex plebeio rumore acceperat Albericus, ut & de visione Conradi damnati fab ulam. Conradum de Marborg ordinis Prædicatorum fuisse nunquam dixit nec Gerardus de Fracheto in *vitis Fratrum* neo Thomas de Cantimprato in libro *de Apibus*, quamvis ejus uterque æqualis sæpius meminerit. Si qui dixerunt extranei antiqui, his nulla nobis fides, cùm contrarium plane evincat Theodoricus a Turingia noster & ipse ejusdem ætatis in vita S. Elizabethæ Landgraviæ. Videsis inter falso nostris ascriptos, ubi eum ex catalogo scriptorum nostrorum expungimus. Cæterùm quantumcunque Gregorio IX displicuerint acta præsertim synodi 2 Moguntinæ, relata, S. P. tamen gratiam non amisisse Bernardum nostrum ex eo constat, quod eum in vita S. Lutgardis continuo laudet Thomas de Cantimprato, & pœnitentiarium D. papæ semper dicat; quod indicio est etiam sub pontificibus sequentibus Cœlestino IV & Innocentio IV id munus gessisse, nam vita illa non nisi post annum 1246 scripta & post 1258 in lucem edita fuit. Hujus Bernardi meminit Fontana in Theatro inter Pœnitentiarios.

F. BONACURSIUS.

F. BONACURSIUS Græce *ὁ φρέτωρ μπωνακούρσιος* dictus, Italus tamen ille, patriaque & professione Bononiensis, ubi adolescens ordinem amplexus est, seculo XIII maxime claruit. In provinciam Græciæ missus ætate florens, divinisque litteris egregie instructus, Græca lingua optime & accurate comparata, Græcis schismaticis ad idem Christi ovile, Romanæque Ecclesiæ concordiam adducendis strenue ac impigre totus incubuit. Cùm autem annis quadraginta quinque circiter huic sancto operi desudasse dicatur, ut patebit ex sequentibus, eos sic numeramus, ut in Græciam appulsus circa annum Christi MCCXXX plus minusve, ibidem egerit seu in Creta insula, seu in Eubœa, seu etiam aliquando C. P. ad MCCLXXV plus minusve, non autem ultra MCCLXXX : sic enim conjiciendum innuit, quod de ejus opere mox laudando testatur F. Andreas Doto ejusdem provinciæ Græciæ sodalis, ac sub Joanne XXII clarus, illud tum jam oblivioni datum, seque casu codices domus nostræ Eubœensis revolvendo neglectum reperisse : ut autem hujusmodi opera e memoria hominum excidant, certe XXXV aut etiam XL anni desiderantur. Bonacursium verò ad annum MCCLX reducimus, quod tum maxime floruisse videatur. Edidit itaque tum alia plura Græce, eaque missionariis nostris ea ætate utilissima, tum maxime opus Græce Latina versione ex adverso addita, cujus titulus * 1260.

ὁ θησαυρὸς τῆς ἀληθείας τῆς πίστεως

Thesaurus veritatis fidei.

Hunc tractatum ut jam indicatum F. Andreas Doto in bibliotheca domus Prædicatorum Eubœensis inventum Joanni XXII nuncùpavit & publicum fecit. Ejus verò duo extant exempla MS memb. fol. med. optimæ notæ olim gymnasii Fuxensis Tolosani, nunc verò Bibl. Colbert. nn. 2567 & 3285. Primum scilicet 2567 imperfectum, cui desunt epistolæ nuncupatoriæ, & quindecim priora operis folia : alterum 3285 integrum & sanum. Cùm autem opus rarum sit, lectori haud displicebit tum epistolas nuncupatorias, tum tractatus capita hîc habere in promptu. Latina tantùm exhibeo, licèt & eadem Græca sint.

» Sanctissimo ac beatissimo patri & Dño Dño Joanni XXII divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo pontifici, modicus Frater Andreas Doto de ordine Prædicatorum provinciæ Græciæ, devota sanctorum pedum oscula beatorum. «

» Librum quem statui vestræ beatitudini præsentandum, in Græco editum & Latino pro ipsorum «

» Græcorum salute, ac volentium proficere in eo-
» dem, distinxi in generali per materias in hac ta-
» bula: primò ut scire possit in promptu vestra bea-
» titudo, de quibus principaliter agitur in hoc li-
» bro: deinde per articulos in speciali prout dictæ
» materiæ per articulos distinguuntur, quem librum
» Thesaurum veritatis fidei nominavi. Dignetur
» ergo V. B. diligenter inspicere, quàm salutifera,
» quàm pia, quàm recta sunt, quæ in hoc volumine
» continentur. Et cùm inspexerit V. B. reperiet,
» quomodo faciliter moderni Græci possunt convinci,
» & de suis erroribus clare redargui per eorum....
(*hic duæ lineæ fere deletæ nec a me legi potuere*) &
» sancta Romana Ecclesia tenet docet & prædicat
» alta voce.

Primò igitur tractatur in generali de processione Spiritus Sancti a Filio, quemadmodum & a Patre.

Secundò de purgatorio, scilicet quod animæ decedentium in caritate non perfectè purgatæ, purgantur post mortem in igne purgatorio.

Tertiò de paradiso videlicet quod animæ fidelium decedentium in caritate perfectè purgatæ statim volant ad paradisum.

Quartò quod animæ decedentium in mortali peccato statim descendunt in infernum.

Quintò quod Dominus noster Jesus Christus fecit pascha legale die & hora statutis, & quod corpus suum tradidit discipulis in pane azymo.

Sextò de primatu & auctoritate Ecclesiæ Romanæ & summorum pontificum.

Septimò quod licet fidelibus transire ad tertias nuptias, quartas sive ultra sine peccato, sicut & ad secundas.

» Hæc autem omnia..... & proterve contra-
» dicunt.

Circa primum ergo I ostenditur, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio, quemadmodum & a Patre, non quasi ex duobus principiis, neque ex duabus processionibus, sed tanquam ex uno principio & ex una processione, & hoc continet XIII *sententias diversorum Sanctorum, scilicet Chrysostomi, Epiphanii, Symeonis Metaphrastes, Didymi maximi doctoris Græcorum, Anastasii, Athanasii, Leonis papæ IX in epistola ad Petrum patriarcham Antiochenum, & Leonis papæ I.* fol. 8.

2. *Item quod Spiritus Sanctus est ex Filio, & continet* XII *sententias, id est Chrysostomi, Epiphanii, Didymi, Anastasii, Athanasii, Cyrilli & Basilii.* fol. 11.

3. *Item quod a Christo est Spiritus Sanctus, & continet* VI *sententias, videlicet Chrysostomi, Epiphanii & Didymi.* fol. 14.

4. *Item quod Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium, & continet* VI *sententias, scilicet Maximi, Origenis, Tharasii patriarchæ, Damasceni, & Gregorii theologi.* fol. 16.

5. *Item quod Spiritus Sanctus est imago Filii, & continet* VI *sententias, hoc est Athanasii, Basilii, Gregorii Cæsariensis, & Chrysostomi.* fol. 18.

6. *Item quod Filius est fons Spiritus Sancti, & continet tres sententias, scilicet Athanasii, Damasceni, & Andreæ episcopi Cretensis.* fol. 19.

7. *Item quod Spiritus Sanctus est proprius Filii, & contra hoc est objectio Theodoriti hæretici ad nonum capitulum Cyrilli, & defensio ejusdem Cyrilli.* fol. 21.

8. *Item quod hoc confirmatur per sextam synodum, quæ anathematizat omnes dicentes contra* XII *capitula B. Cyrilli.* fol. 21.

9. *Item hoc idem probatur ex synodo Ephesina CC. Patrum, & est sententia una.* fol. 21.

10. *Item hoc idem probatur per quatuor sententias B. Cyrilli.* fol 22.

11. *Item ostenditur per B. Basilium quod præpositio (per) aliquando recipitur pro præpositione (ex) & e converso.* fol. 25.

12. *Item ostenditur quod resplendere, provenire, mittere & lucere Spiritum Sanctum ex Filio, idem est quod Spiritum Sanctum a Filio procedere, & est sententia una.* fol. 26.

13. *Item quod licet addere in Symbolo edito in Nicena synodo a* CCCXVIII *Patribus, quod tamen Græci negant, & continet sententias quinque, Basilii Magni, Cyrilli, & Justiniani imperatoris.* fol. 28.

14. *Item* XI *paralogismi Eustathii in opere contra Latinos, quod Spiritus Sanctus non procedit a Filio, & responsiones Latinorum contra eosdem paralogismos, & continet tres responsiones:* primas absque nomine fol. 30: alteras Fratris Jacobi, cujus ordo non indicatur fol. 34: tertias absque nomine auctoris. fol. 36. b.

15. *Item responsio F. Bonacursii ord. Prædic. contra calumniam, quam Græci imponunt Latinis dicentes eos errare, quia addiderunt in Symbolo* (ex Filio) fol. 40. b.

16. *Item assertiones per dicta Sanctorum & aliæ rationes, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio, & sunt* XXIX. fol. 43. b.

17. *Item una responsio communis F. Bonacursii per communes rationes, & auctoritates sacræ scripturæ, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio.* fol. 53. b.

18. *Item exempla naturalia, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio, & sunt* X. fol. 61.

Secundò principaliter tractatur de purgatorio «.

Et 1. *quod purgatorium sit, ostenditur per rationes seu sententias* XII *collectas ex diversis auctoritatibus diversorum sanctorum Græcorum.* fol. 65.

2. *Item hoc idem ostenditur & probatur per multos & diversos cantus, quos Ecclesia Græcorum cantat & orat pro animabus defunctorum, & sunt* LXXVI. fol. 69. b.

Tertiò tractatur de Paradiso «.

Videlicet quod animæ fidelium decedentium «
in caritate perfecte purgatæ statim ascendunt in «
cœlum, & hoc «

1. *Ostenditur per rationes & auctoritates diversorum Sanctorum & Doctorum, & sunt* XXVIII. *quarum prima est ratio auctoris formata ex diversis auctoritatibus.*

2. *Alia verò sunt Athanasii, Epiphanii, Gregorii dialogi, Hieronymi, Chrysostomi, Hesychii presbyteri Hierosolymitani, Cyrilli, Gregorii Nysseni, & Cypriani Carthaginensis.* fol. 80 & seqq.

3. *Hoc idem probatur per cantus, quos Ecclesia Græcorum cantat communiter pro Sanctis, & sunt* XIV. fol. 91.

4. *Item hoc idem probatur per cantus, quos Ecclesia dicta Græcorum cantat, in quibus asserit sanctos & martyres esse in gloria. & sunt* LVIII. fol. 94.

Quartò agitur de inferno «.

Videlicet quod animæ decedentium in mortali «
peccato statim descendunt in infernum, & patet «

1. *Per auctoritates diversas collectas in duabus sententiis.* fol. 102.

2. *Item ex præmissis concluditur, quod animæ statim post mortem recipiunt pro meritis pœnam vel præmium, & hoc per tres pulcras sententias auctoris.* fol. 103.

Quintò quod Christus fecit pascha legale in die «
& hora debitis «.

1. *Et quod corpus suum tradidit discipulis ex pane azymo, & sunt sententiæ octo, scilicet Chrysostomi, Theophylacti Bulgariæ, Epiphanii, & B. Victoris presbyteri Antiocheni.* fol 108.

2. *Item ostenditur per auctoritates novi & veteris testamenti, quod panis simpliciter sumtus intelligitur azymus panis, & sunt sententiæ decem auctoris, tres collectæ ex dictis veteris testamenti, duæ verò ex cantu Ecclesiæ Græcorum.* fol. 112.

3. *Item ratio & causa quare Græci conficiunt in*

Sec. XIII. *fermentato, & Latini in azymo, & est sententia una.* fol. 118.

In hoc capite refert historiam quam dicit *in arcinis imperatoris Græci inventam de Judæis cum christianis convenientibus in templis in paschate, & azymum accipientibus, & postea canibus illud projicientibus; quod ut vitaretur, statutum fuisse ut deinceps in Ecclesia Græca in fermentato consecraretur.* Quam narrationem ceu fabulam habeas, per me licet, & recitative tantùm etiam refert auctor, ut a se Constantinopoli scriptam repertam.

4. *Item responsio auctoris contra Græcos, qui dicunt Latinos judaizare, quia conficiunt in azymo, & sunt sententiæ tres ex dictis Gregorii Dialogi, B Georgii de Montesancto, & Chrysostomi, ex quibus ostenditur, quod tam in azymo, quàm in fermentato conficitur corpus Christi a veris sacerdotibus.* fol. 119.

Georgius de Montesancto hîc laudatus, monachus erat ut videtur montis Atho, qui a Græcis dicitur mons sanctus. Ejus testimonium hîc allatum est ex ejus vita scripta ut sancti.

Epistola sub nomine S. Chrysostomi hîc relata ejus non est, sed Theoriani philosophi seculo XII clari, ut jam supra annotatum ad ann. 1252, ubi de Fratrum Constantinopolitanorum tractatu adversus Græcos p. 139. Eadem enim Græce & Latine refertur, quæ Latine tantùm in illo tractatu apud Stevartium a p. 576 ad initium p. 578 habetur.

5. *Item tractatus S. Thomæ de Aquino contra Græcos de azymo & fermentato.* fol. 117. b. Sic in indice, sed in ipso opere fol. cit. sic legitur: *De libro Fratris Thomæ contra Græcos.*

Hinc conjectu pronum hunc tractatum Joanni XXII ab Andrea Doto dicatum post S. Thomæ canonizationem, a Bonacursio verò scriptum sub Urbano IV, ad quem S. Thomas hoc opusculum miserat, & quod continuò pontifex Græce transferri curaverat. Locus autem hîc ex illo opusculo adductus, ille est qui sub finem dicti S. Thomæ opusculi incipit, *sicut autem prædicti errantes*, & finit, *efficitur corpus Domini nostri Jesu Christi verum*, non *vivi*, ut in quibusdam editis, Græce ἀληθινόν.

» Sextò quod B. Petrus habuit prærogativam di-
» gnitatis super omnes apostolos, & plenitudinem
» potestatis & successores ejus.

1. *Et de hoc una est sententia actoris.* fol. 130.

2. *Item hoc idem ostenditur per octo sententias Chrysostomi.* fol. 131.

3. *Item hoc idem ostenditur per Euthalium episcopum Fulcis* (sic mendose Latine scriptum, legendum enim *Sulcis* vel potius *Sulces*, patet ex Græco, in quo scribitur Σούλκης) *per vitam S. Stephani novi martyris, Cyrillum patriarcham Alexandrinum, Cyrillum Hierosolymitanum, Augustinum, Maximum, Cyprianum Carthaginensem, & per cantum Ecclesiæ Græcorum, & sunt sententiæ* XIV. fol. 132. Euthalii testimonium hîc allatum dicitur desumtum ex confessione fidei orthodoxæ ab eo scripta, sed an sit veri Euthalii, quem Arcadio quartum & Honorio tertium consulibus floruisse dicunt, merito dubitatur.

4. *Item hoc idem ostenditur ex privilegio Magni Constantini imperatoris.* fol. 139.

5. *Item hoc idem probatur per concilia, & sunt sententiæ duæ.* fol. 141.

» Sep·uno de matrimonio.

Quod ita licet tertio, quarto & ultra nubere sicut primo, & sunt sententiæ Hieronymi duæ, & ratio una auctoris. fol. 142.

» Post indicem sequitur

Πρόλογος βιβλίου τοῦ θησαυροῦ τῆς ἀληθείας τῆς πίστεως τοῦ φρέριε μπωνακούρσιου τοῦ ἐκ τῆς τάξεως τῶν κηρύκων.

Prologus libri thesauri veritatis fidei F. Bonacursii ordinis Prædicatorum. Nobilibus & sapientibus ac Deo devotis DD. Petro Dono & Francisco Alexandrino magnificæ Cretæ Candidæ civibus, & Joanni Mantoceno de famosa magna civitate & prosperabili Venetiarum, F. Andreas Doto ordinis Prædicatorum minimus (in col. Græca ὁ ἀδελφὸς ἀνδρέας ντότος ὁ ἐλάχιστος τῆς τῶν κηρύκων τάξεως) *salutem in Christo omnium Salvatore.*

» Postquam summus opifex Deus cœlum terram-
» que creavit, distinxit, ac ornavit &c. « plura quibus creationem hominis, ejus casum, reparationem per Christum, prophetarum, apostolorum, successorumque missionem fuse decem paginis prosequitur, addit. » Sed misericors Deus qui nemi- «
nem vult perire, produxit de finibus mundi hes- «
perum ab occasu, scilicet B. Dominicum Prædi- «
catorum ordinis institutorem, qui quasi alter Joan- «
nes Baptista secundum judicis prænunciaret ad- «
ventum & sedentes in tenebris peccatorum suæ «
doctrinæ illuminaret fulgore &c «. Et post plura ordinis ab eo instituti encomia, sic prosequitur:
» Et ut sileam de magnis cedris Libani hujus, id «
est doctoribus summis ordinis prælibati, atque ad «
propositum veniam intentum, unius qui in litte- «
ra Græca extitit eruditus in speciali faciam men- «
tionem materia exigente ad præsens. Fuit namque «
vir quidam religiosus sanctitate & pietate plenus «
de ordine Prædicatorum F. Bonacursius nomine «
de civitate Bononiensi. Hic a primævo juventu- «
tis suæ flore dictum ordinem intrans ad partes se «
transtulit Græciæ suam & Græcorum devote cu- «
piens adipisci salutem. In qua fere per quadra- «
ginta quinque annorum spatia in Græca littera de- «
sudavit, ad cujus notitiam dum perfecte pervenit «
pro Græcorum salute ac volentium proficere uti- «
litate diversa composuit opera in Græco non me- «
diocriter bona. Inter quæ etiam composuit opus «
mirabile quoddam, quod cum magno & diligenti «
studio acquisivit, in quo quidem opere cuncto- «
rum sanctorum & doctorum Græcorum congre- «
gavit in ordine sententias, & eas in Latinam trans- «
ferens linguam juxta Græcam in eodem volumi- «
ne collocavit: per quas Græcorum modernorum «
errores validius confutantur, & fides vera sanctæ «
Romanæ Ecclesiæ salubrius roboratur. Et specia- «
liter circa processionem Sancti Spiritus, paradi- «
sum, purgatorium, & infernum, sacramentum «
corporis & sanguinis Jesu Christi, primatum & «
auctoritatem sanctæ Ecclesiæ Romanæ. Quod qui- «
dem opus ego inveniens quodammodo perditum «
& amissum, quia ignotum jacebat in arcinis li- «
brorum conventus Nigroponti ordinis memorati «
(Græce ἐν τῇ βιβλιοθήκῃ τοῦ τῶν τῆς εὐρίπου «
ἀθροίσματος) curavi juxta meæ parvitatis modulum «
reformare, & altius sublevare in publicum redu- «
cendo ad dictorum confusionem errorum & aug- «
mentum veræ fidei, sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac «
fidelium devotionis. Cùm verò dictum opus cum «
fideli & devota reverentia instanter a me petie- «
ritis pluries, judicavi dignum fore vestras admit- «
tere preces, & dictum librum vobis transmittere «
transcribendum. Qui quidem liber Thesaurus ve- «
ritatis fidei F. Bonacursii ordinis Prædicatorum «
poterit merito ab omnibus appellari. «

Sequitur opus de quo id generatim dicam, a viris eruditis discussum & examinatum, bonum & lectu dignum judicari, præsertim quoad primam partem in qua conglobatis Patrum Græcorum testimoniis processio Spiritus Sancti ex Patre & Filio evincitur: quatuor sequentes partes etiam laudant, sed sextam de primatu Romani pontificis leviorem censent, quod testimoniis SS. Patrum innitatur plerisque spuriis & falsis. Duo potissi-

mum carpunt, primum Euthalii episcopi Sulcensis Arcadio quartum & Honorio tertium consulibus, hoc est circa annum Christi CCCXCVI florentis, quod ex confessione fidei orthodoxæ ab eo scripta excerptum dicitur, nam ejus non esse hoc opus contendunt: alterum est longius ceu ex S. Cyrilli Alexandrini libro secundo thesaurorum adductum testimonium, quod nec apud Sanctum legitur, & iis plane confictum videtur. Revera quædam in eo sunt vocabula a SS. Patribus non vulgo usurpata, & quæ stylum regularium Latinorum redolent. Sic in ipso titulo S. Cyrillus dicitur *μέγιςος τῆς συνόδου διοριστὴς maximus synodi definitor*: & in medio loci adducti *διαβεβαιοῦντες ἐν πάσῃ διδαχῇ τὸν Πέτρον ἀντὶ τοῦ κυρίου καὶ τῆς ἐκκλησίας, καὶ τῷ αὐτῷ διδόντες τόπον ἐν ἅπαντι κεφαλαίῳ καὶ συναγωγῇ, ἐν πάσῃ τε ἐκλογῇ καὶ διαβεβαιώσει: affirmantes in omni doctrina Petrum loco Domini & Ecclesia, & eidem dantes locum in omni capitulo & synagoga, in omni electione & confirmatione &c.* Quis non videt inquiunt, hæc vocabula, *maximum definitorem, capitulum, electionem, confirmationem*, eorum regularium Latinorum stylum arguere, apud quos electiones, confirmationes, capitula sunt assueta, & *definitores* summa & ordinaria pollent auctoritate? Ut ut sit de quo penes eruditos sit arbitrium, Bonacursium excusat, quod sua ætate illud testimonium sub nomine Cyrilli Alexandrini nemine reclamante circumferretur, & ceu genuinum haberetur. Illud idem jam Urbano IV propositum fuerat in libello, quem is pontifex S. Thomæ de Aquino examinandum dedit, illudque idem est, quod per particulas habetur apud sanctum doctorem opusculi contra Græcos parte altera, articulis nempe illis fere postremis, in quibus de primatu summi pontificis agitur, sed cujus falsitatem videtur postea deprehendisse, siquidem in aliis suis operibus, quæ pleraque præsertim summam theologicam postea scripsit, hoc testimonio nusquam usus est: sed neque in illo opusculo contra Græcos usus est, quam quia primo cum aliis pluribus spuriis SS. Patrum nomine licèt falso ornatis in libello laudato ex parte summi pontificis sibi exhibitum fuerat: ac præterea jam sub nomine S. Cyrilli apud doctores vulgatum esset, unde & in scripto quarto sententiarum dist. 24, & in opusculo 19 contra impugnantes Dei cultum & religionem cap. 3 illud laudaverat. Neque verò exinde primatui Petri ac successorum quid decedit, qui non incertis his testimoniis innititur, ac quem nullus est catholicus qui non agnoscat ac revereatur.

Notandum eadem circiter ætate, hoc est inter MCCL & MCCLXXX alterum ejusdem nominis, sed provinciæ Terræ-sanctæ sodalem claruisse. Hic *F. Bonacursius Ultramarinus* nuncupabatur, quem idcirco vel Ptolemaide seu Acone vel Tripoli, vel etiam Tyri natum autumo, civitates enim illæ ea ætate inquilinis ritus Latini, Francis, Anglis, Italis, Teutonibus plenæ erant, & qui ibidem nascebantur, dicebantur Ultramarini. Ob præclaras autem dotes & egregia in Ecclesiam Romanam merita, dum apud nostros in aliqua dictarum urbium, & sodalis noster moraretur, a summo pontifice constitutus est Tyri archiepiscopus. Sic enim lego, apud Bernardum Guidonis, ubi de prælatis in provincia Terræ-sanctæ: *F. Nicolaus fuit archiepiscopus de Tyro. F. Bonacursius Ultramarinus fuit archiepiscopus ibidem.* Qui modus loquendi Bonacursium indicat pluribus antequam hæc scriberet Bernardus annis jam fato functum ac proinde jam seculo XIII & priusquam Tyrus Latinis eriperetur & a Saracenis invaderetur, quod circa MCCLXXX accidit. Tyrus ut omnes norunt civitas est Phœnicis ad mare sita, cujus antistes Græcus *πρωτόθρονος* sub patriarcha Anthiocheno censebatur, at in qua cruciatarum temporibus summi pontifices Latinum archiepiscopum cum quatuor suffraganeis Acone, Sydone, Beryti, Cæsareæ Paneæ vulgo *Belinas* posuerunt, & patriarchæ Hierosolymitano Latino addixerunt. Fontanam non moror hunc Bonacursium in Theatro ad 1330 prorogantem, quia non legit nisi S. Antoninum, qui de ætate non loquitur, & Lusitanum qui quidem ad decadem 1330 refert, fassus simul se tempus ignorare, & instar vagantis illic collocare, donec quis certius edoctus, verum locum assignet, quod me nunc præstare puto. Porro hæc monenda fuerunt, ne quis hunc *Ultramarinum* a quibusdam *Oltramanum* corrupte dictum cum *Bononiensi* laudato confundat. SEC. XIII

F. HIERONYMUS DE MORAVIA.

F. HIERONYMUS DE MORAVIA e regno scilicet seu principatu hujus nominis Boemiam inter & Hungariam sito ortus, a nullis quos sciam seu nostratibus seu extraneis nomenclatoribus recensitus, præterquam a Simlero, idque leviter & non accurate, e tenebris nunc eruitur & in apertam lucem producitur. Medio seculo XIII circa S. Thomæ de Aquino tempora claruisse videtur & saltem annis quibusdam in domo Sanjacobea Parisiensi egisse. Sic conjicio ex cod. MS memb. fol. par. n. 1 p. 896 in Sorbona etiamnum servato, ex legato Petri de Lemovicis ejus gymnasii socii & ipsius Roberti de Sorbona æqualis & ab anno MCCLX sodalis individui. Hujus codicis notionem habuit Simlerus, sed imperfectam, nam auctorem corrupte nuncupat *Moranum*, cùm scribere debuisset *Moravum*: tacet prærerea fuisse ordinis Prædicatorum, quod tamen ex ipso codice manifestum est. Principium, divisionem capitum & finem operis in gratiam musicæ antiquæ curiosorum referre operæ pretium visum est. Sic autem habet codex ille unciam spissus, & a me secunda decemb. MDCC visus & expensus. * 1260.

Incipit tractatus de musica compilatus a Fratre Hieronymo Moravo ordinis Fratrum Prædicatorum.

» Quoniam ut dicit Boëtius in prœmio super « musicam, sicut in visu non sufficit eruditis co- « lores formasque conspicere, nisi etiam quæ sit « eorum proprietas investigaverint; sic non sufficit « cantilenis musicis delectari, nisi etiam quali inter « se conjunctæ sint vocum proportione discatur &c. «

Et circa medium prologi post laudatam artem musicam & datam distinctionem musici a cantore sic prosequitur

» Ad honorem Domini nostri Jhesu Christi & « gloriosissimæ Virginis Mariæ matris ejus & Beati « Dominici præsentem summulam ex diversis ma- « jorum nostrorum dictis diligenti studio compila- « vimus: ut si quando Fratres ordinis nostri vel alii « circa qualitatem cantus, an sit urbanus, an vul- « garis, verus, falsus, judicare voluerint, & falsum « corrigere & novum componere, per ipsius exer- « citium valeant, quod cupiunt, regulariter exer- « cere. Non est ergo parva laus, non modica utili- « tas, non vilipendendus labor musicæ scientiæ, quæ « præter infra dicendos effectus sui cognitorem com- « positi cantus efficit judicem, falsi emendatorem, « novi inventorem. Quare dum consideravimus hu- « jus scientiæ novitios in his quæ a diversis con- « scripta sunt plurimum impediri partim propter « Græcorum vocabulorum inutilium & figurarum « multiplicationem, partim etiam quia ea quæ sunt « necessaria talibus ad sciendum, non traduntur « evidenter, sed potius obscurè & difficulter: par- « tim quidem quia eorum frequens repetitio & fas- « tidium & confusionem generat in animis audito- « rum. Hæc igitur & alia hujusmodi evitare stu- « dentes tentabimus cum confidentia divini auxilii « ea musicæ artis, quæ præcipuè ad officium can- «

SEC. XIII. „tantium pertinent, breviter ac lucidè prosequi, „cuncta brevi volumine complicantes, ut non sit „necesse quærenti numerositatem librorum evolve-„re, cui brevitas offert quod quæritur sine labore. „Ut autem intentio nostra sub aliquibus certis li-„mitibus comprehendatur

Dicto 1. *quid sit musica.*

2. *Unde dicatur.*

3. *A quibus sit inventa.*

4. *Quot sint partes ipsius secundùm sanctum Isidorum Etimologiarum* (*sic* , deest *libro.*)

5. *De divisione musicæ secundùm Alpharabium.*

6. *De divisione ejusdem secundùm Boetium.*

7. *De subdivisionibus musicæ secundùm Richardum.*

8. *De effectibus sive de excellentia musicæ.*

9. *De subjecto ejusdem.*

10. *Dicendum erit de harmonicis clavibus simul & vocibus.*

11. *De locis dictarum clavium & vocum , & de earumdem geminationibus.*

12. *De ipsarum vocum mutationibus.*

13. *De tribus vocum divisionibus.*

14. *De sonorum qualitatibus & de eorumdem proportionibus.*

15. *De ipsis modorum consonantiis sive consonis modulationibus.*

16. *De quibusdam arithmeticis musicis necessariis subtilitatibus.*

17. *De ipsorum sonorum ad arithmeticam reductionibus.*

18. *De campanarum in horologiis musicum sonum debitè exprimentium formationibus.*

19. *De monocordi dimensionibus , & de ejusdem utilitatibus.*

20. *De sedibus tonorum duplicibus.*

21. *De eorumdem tonorum tam parium quàm imparium regularibus intensionibus & remissionibus.*

22. *De tonis ecclesiasticis in speciali & de eorumdem differentiis , antiphonarum inchoationibus & psalmorum intonationibus.*

23. *De diversorum cantuum B durali & B molli mutuis commutationibus.*

24. *De modo cantandi & formandi notas & pausas ecclesiastici cantus.*

25. *De modo faciendi novos ecclesiasticos & omnes alios firmos sive planos cantus.*

26. *De modo diverso secundùm diversos faciendi novos regulariter , simul & cantandi omnes species ipsius discantus.*

27. *De quibusdam græcorum vocabulorum , literarumque ad musicam pertinentium interpretationibus , & per tria genera , & quinque tetrachorda secundùm Boetium de regularibus monochordi dimensionibus.*

28. *Et ultimo in tetrachordis & pentachordis musicis instrumentis puta in viellis & similibus per consonantias chordis distantibus mediis vocum inventionibus.*

Quid sit musica capitulum 1.

Musica est motus vocum congrua proportione inter se consonantium &c. In capitulo 24 dicit *Alleluia Pie pater Dominice* (nempe quod cantatur in missa S. patriarchæ) *& antiphonam O lumen ecclesiæ* (quæ est ad magnificat in 2. vesperis) *propter notas plagatas a cantatoribus intitulari erroneas.*

Sic autem finitur opella. *Notum autem sit omnibus præsens scriptum intuentibus , quoniam hæc omnia ad honorem dñi nostri Jesu Christi & gloriosissimæ virginis Mariæ matris ejus, & D. Dominici diximus, nec non & ad utilitatem studiosorum , & non ut aliis contradiceremus , vel eorum scripta vel dicta eliminaremus , sed potius ut majores nostros , si minus bene diximus , ad dicendum melius provocaremus. Unde lector nobis peccatoribus esto benivolus , & affectum nostrum considerans toxicata lingua non mordeas , utilia soli Deo attribuas : & si quæ tibi minus utilia vel prorsus inutilia videbuntur , dicas vel librum mendosum, vel te non intelligere , vel a nobis præter propositum inserta cogitans, caritate fraterna corrigas & emendes.*

Explicit tractatus de musica Fratris Hieronymi de Moravia ordinis Fratrum Prædicatorum.

Ex legato D. Petri de Lemovicis quondam socii hujus domus , in quo continetur musica Fratris Hieronymi pretii 20 *s.* incatenabitur in capella.

F. JOANNES BALISTARII.

F. JOANNES BALISTARII Gallus Aquitanus patriaque Lemovicensis inter eximios ordinis primos sodales domusque nostræ Lemovicensis institutores a Salanhaco & Bernardo Guidonis merito commendatur. Alter e duobus fuit , qui Gerardo de Cardalhaco priori tum ac postea Obasinæ Cisterciensis ordinis abbati , olim diœcesis Lemovicensis , nunc verò Tutelensis Brivas inter & Tutelas sitæ , post prandium apparuit in meridie dormienti , cùm recens institutum Prædicatorum ordinem audivisset , nec dum quemquam illorum vidisset, solis instar claustrum & officinas & monasterium ipsum integrum Obasinense suo splendore collustrans, unâ cum F. Bernardo Alverno supprioris conventus Lemovicensis recens erecti , uti narrat citatus Salanhacus Joanni huic synchronus & contubernalis ubi *De conventus Lemovicensis exordiis* scribit , qui & eumdem Joannem ait prædicatorem ad clerum & populum extitisse omnino facundum atque fœcundum , obdormivisseque feliciter Lemovicibus VIII julii MCCLX aut circiter , ibidemque quiescere : scripsisse verò 1260.

Sermones in conventus ejusdem armario servatos ,

Sed qui longa temporum vetustate ac vicissitudine rerum jam perierunt. Visionis hîc allatæ meminit ex eodem Salanhaco Malvenda in Annal. ad 1217 n. 9 , sed emendandus seu cùm priorem Obasinæ *Gregorium* nominat pro Geraldo, seu cùm suppriorem nostrum Lemovicensem *Gregorium Alumnum* pro Bernardo Alverno.

F. JACOBUS BONCAMPIUS.

F. JACOBUS BONCAMPIUS Italus Bononiæ nobili loco natus , ætate jam maturus ordinem amplexatus est in patria F. Joannis Vicentini in ea tum urbe maxime florentis concionibus allectus. Anno MCCXXXIII vestem Dominicanam induisse ferunt , sicque brevi eruditione & pietate claruisse , ut ab Innocentio IV tum primùm summo pontifice electo S. R. E. Vicecancellarius ascitus fuerit anno MCCXLIII , & anno sequenti Bononiensis antistes promotus. Sexdecim annis gregem suum verbo & exemplo diligentissimus & integerrimus pastor rexit , & meritis gravis III nonas Dec. MCCLX a Deo vocatus terras reliquit. Hunc hactenus inter scriptores non laudatum , iis accenset noster Josephus de Sarabia in sua *Historia Escolastica* , in qua ejus opera enumerasse se dicit in Annal. T. II p. 8. At cùm Annales tantùm , non verò historiam illam scholasticam videre hactenus licuerit , ad hanc lector a nobis necessario remittendus est. * 1260.

F. RAIMUNDUS GRASSENSIS.

F. RAIMUNDUS GRASSENSIS ab episcopatu ejus civitatis sic nuncupatus , ad eam sedem a Gregorio IX anno MCCXL evectus dicitur , certe Bernardus circa ea tempora promotum asserit : sic enim * 1260.

enim apud eum lego : *F. Raimundus Ecclesiam Grassensem gubernavit anno* MCCXLII , *huc translata sede de Antipoli ubi erat, & primus sedit in Grassensi.* Hanc translationem ab Innocentio IV factam & confirmatam pontificatus anno 2 id est Christi MCCXLV volunt quidam, alii tardius prolatant. Idem Raimundus confirmationem omnium privilegiorum, libertatum ac immunitatum a regibus, comitibus, seu aliis quibuscunque suæ Ecclesiæ concessarum obtinuit diplomate anno MCCXLIX dato præsentibus F. Hugone tit. S. Sabinæ presbytero cardinali summi pontificis legato & F. Joanne a Wildeshuzen IV ord. Prædic. magistro. Viginti & amplius annos Raimundus suam sedem sedulus administravit , & inter MCCLX & LXV ad meliora transiit, hoc enim ultimo anno successorem habuisse legitur in Gall. Christ. Hinc Altamuram corrigas, qui eum concilio Lugdunensi II præsentem præstat, sed Lugdunensi I quin affuerit nullus dubito. Gallum eum fuisse fatetur Fontana, Provincialem etiam seu Salyum facile crediderim, quamvis de ejus natalibus, ut & de domo ordinis in qua professus est , nihil hactenus certi mihi occurerit. Plura ejus acta in archivo sedis Grassensis servari fere conjicio : quis enim in episcopatu XX & amplius annorum Synodum aliquam ab eo habitam, ordinationesque ab eo statutas non sibi persuadeat ?

F. ROMÆUS DE LEVIA.

† 1261. F. ROMÆUS DE LEVIA Catalanus origine in castro vel villa *Levia* altero a Podio Cerdano lapide ortus, provinciæque Provinciæ alumnus institutum nostrum ipsis in ordinis primordiis amplexatus est vel Narbonæ vel Monspelii vel forsan etiam Tolosæ. Ut ut sit virum jam gravem fuisse oportuit , qui anno MCCXXIII conventus Lugdunensis priorem agebat teste Stephano de Borbone seu de Bellavilla æquali & ejusdem Lugdunensis conventus professo jam eo anno sacerdote in suo magno *de septem donis Spiritus sancti opere P.* IV *De fortitudine Tit.* I *c.* 6 *cod. Sorbon. fol.* 307 *col.* 4, videturque secundus illi conventui præfuisse, scilicet post F. Arnaldum qui ex eodem Stephano primus fuit ejus prior anno 1218. Quot annis munus hoc egerit Romæus non inveni , sed anno 1232 a magistro ordinis B. Jordano institutus fuit circa festum paschæ suæ provinciæ Provinciæ prior provincialis quintus , ac F. Raimundo de Falgario de Miromonte electo episcopo Tolosano suffectus, quo in officio annis quatuor dicitur perseverasse. In catalogo priorum conventus Burdigalensis septimus recensetur apud Salanhacum & Bernardum Guidonis, id est circa 1255. Obiit tandem Carcassonæ 21 novemb. 1261. Sed hac chronologia certa præmissa forsan ipsum Bernardum de eo loquentem non pigebit audire. Sic ergo ille ubi *de fundatione & progressu conventus Carcassonensis.*

» Istum etiam locum decorat & ornat non me-
» diocriter venerabilis & devota sepultura F. Romæi
» quiescentis in Domino ante altare B. Mariæ sem-
» per Virginis, quam millesies in die devota mente
» & ore sancto cum angelo salutabat. Qui natione
» Catalanus oriundus de villa , quæ dicitur Levia
» prope Podium Cerdanum ad duas leucas , in or-
» dine Prædicatorum Prior Lugdunensis & Bur-
» degalensis , ac prior provincialis hujus pro-
» vinciæ extitit conversatione cœlestis. Cujus
» fuit simplex habitus, supplex vultus , gratiosus
» aspectus, sermo mellifluus, pius ad Deum & ad
» homines affectus, specialiter ad B. V. Mariam de-
» votus, cujus salutatione dulcissima non poterat
» satiari. Hic cùm Lugduni & Burdigalis prior con-

ventualis , & in Provincia prior provincialis fuis- « SEC. XIII.
set, & multo tempore Domino deservisset in mi- «
ra cordis munditia , tandem apud Carcassonam «
decumbens in mirabili patientia infirmitatem sus- «
stinens , & cum gratia devotissime sacramenta «
suscipiens puerum Jesum , & Dominam Mariam «
matrem ejus ruminans & Fratribus inculcans ob- «
dormivit in Domino , chordulam cum nodulis «
quibus mille *Ave Maria* numerare solebat in die, «
firmiter manutenens. Eadem hora quidam Frater «
in cellis vocem audivit dicentem illum versicu- «
lum psalmi, ad quem in vita sua multum affectus «
fuerat , & cum diligentia observabat , quando «
cum alio dicebat psalmum , ut ille versiculus ad «
partem suam veniret, & de ore alterius aliquan- «
do rapiebat, videlicet, *Cum dederit dilectis suis* «
somnum, ecce hereditas domini, filii merces, fruc- «
tus ventris. (Hic fuit F. Guillelmus de Grazaniis, «
qui vocem prædictam audire meruit, vir religio- «
nis eximiæ & magnæ devotionis ad Dominum, «
& ædificationis ad proximum & utilis valde, qui «
in senectute bona in conventu Carcassonensi ple- «
nus operibus bonis feliciter & dulciter in Domino «
requiescit. Persona fuit spectabilis & veneranda & «
simplicitatis columbinæ. Fuit etiam supprior in «
conventu Carcassonensi.) Et statim præfatus F. hoc «
audito dixit in corde suo , quod dilectus Deo & «
hominibus F. Romæus somnum mortis capiens ad «
hæreditatem Domini possidendam intrabat , & «
fructum ventris B. V. quam toties dulcissime sa- «
lutaverat, revelata facie jam visurus, & de labo- «
ribus tam utilibus mercedem tam felicem per- «
cepturus abibat. Statimque dictus Frater ad in- «
firmitorium currens , sicut audierat sic invenit. «
Pleraque de B. patre Romæo devotione & ædi- «
ficatione plena a fide dignis, qui eum viderunt & «
audiverunt referri audivi. Opuscula quoque sua «
vel prosa vel metro in laudem Jesu & matris ejus «
compilata ab eo in armario Carcassonensi repo- «
sita devotionem cordis ejus uberem uberius le- «
gentibus protestantur. *Videlicet* «

1. *Regula honestatis vitæ monachi ab eodem formata & edita omni honestate sub compendio plena. Cujus tenorem ad utilitatem legentium & imitantium duxi inferius referendum.* Sequitur in cod. MS Guidonis Carcasson. cujus ecgraphum mihi servatur in schedis.

2. *Item extat liber prosa & metro editus ab eodem. De timendo & amando D. Jesu Christo per themata & capitula distinctus verbis mellifluis exemplisque consolatoriis plenus qui incipit :* Advocatum habemus *&c.*

Est autem nunc sepultus in Ecclesia Fratrum «
ante altare B. Virginis, sicut meruerat, prius enim «
alibi fuit tumulatus ; ad cujus tumulum ægroti «
sanati sunt pluries. Sed quamvis refriguerit de- «
votio multorum, non tamen decrevit virtus ejus «
meritorum. Ejus autem tumba lapidea tres habet «
super se versus inscriptos , non tantùm arte me- «
trorum decoros, sed insuper veritate Dei & vir- «
tute viri plenos videlicet «
Hac sunt in fossa Fratris venerabilis ossa «
Dicti Romæi qui fuit archa Dei «
Hic Jesumque piam dilexit valde Mariam. «

Eadem fere repetit in catalogo Priorum provinciæ Provinciæ, quæ omitto, sed hæc addit, quæ ad majorem explicationem sunt necessaria: « V prior provin- «
cialis fuit F. Romæus Catalanus. Successit F. Rai- «
mundo de Fulgario memorato anno 1232 per provi- «
sionem magistri ordinis ut audivi referri a quodam «
de senioribus. Præfuit in provincialatu annis quasi «
quatuor. Carcassonæ sancte mortuus est XI Kal. «
dec. MCCLXI sepultus ante altare B. Mariæ V. «
Post annos 20 sepulcro aperto corpus repertum «
fuit integrum & incorruptum. «

SEC. XIII. Elegantiori stylo quæ hîc nos verbis Guidonis, leguntur apud Leandrum Albertum *fol.* 185 b. exceptis opusculis, quæ non laudat. Franciscus Diagus *Histor. prov. Arag. fol.* 271 c. de eo accurate agit, sed scripta non recenset.

Notandus ille B. Virginem per mille *Ave Maria* quot diebus salutandi ritus, & per chordulæ nodulos in modum coronæ fixus, quod signum est eo seculo ad cultum quidem B. V. ardenter invitatos a nostris concionatoribus populos, sed numerum salutationum angelicarum non ad psalmorum numerum speciatim præscriptum, quamvis hic tandem ut facilior invaluerit.

Ejus pluribus locis meminit Stephanus de Borbone citatus, & quædam ab ejus ore audita refert. P. I de dono timoris cap. 6 cod. Sorbon. fol. 160 col. 2. *Audivi a F. Romeio viro perito & religioso, qui aliquando fuit prior provincialis FF. Prædicatorum in provincia Provinciæ* &c. Scilicet illud miraculum de novem matronis apud Fanumjovis a S. Dominico conversis. Item P. II de dono pietatis. Tit. 6 cap. 17 fol. 229 col. 2. *Referebat F. Romaus quondam prior provincialis Provinciæ vir religiosus, quod cùm quidam confiteretur F. Joanni de Montemirabili de ordine Prædicatorum &c.* Item P. IV supracit. fol. 307 col. 2 post exemplum insigne relatum : *Hoc apud Lugdunum factum est, & hoc ipsa retulit mihi coram F. Remeo quondam ibi priore FF. Prædicatorum circa annum Dñi* MCCXXIII.

B. ALBERTUS MAGNUS.

* 1262. B. ALBERTUS MAGNUS sic vulgo dictus clarissimum fuit seculo XIII Ecclesiæ totius & ordinis lumen, cujus tamen vitam tot fabulis dehonestarunt, & contaminarunt nostrates & extranei, ut gestorum ejus chronologiam visum fuerit prius simpliciter exponere, quibus postea ut in simili annotationes nostras subjiciemus, fabulas explodendo, & rei veritatem ex auctoribus æqualibus saltem certioribus statuendo & confirmando.

Urbs est Thuringiæ clara Lavinga Latinis *Laugingen* incolis vernacule dicta, ad Danubii ripam sita vix una leuca supra Dilingam, Ulmam verò inter in occasum Vertamque sive Donavertam media in ditione ducis Neoburgensis; ibi (1) natus est Albertus anno MCXCIII fortè sub finem ex illustri & antiqua regulorum Bolostratensium sive Bolstatensium stirpe. (2) Aptissimum disciplinis omnibus a natura sortitus ingenium, mirum illud excoluit tum sub cura parentum in patria, (3) tum in Gallia Parisiis, (4) tum in Italia Patavii avunculo ubique comite. In hac postrema urbe degebat omnigenis scientiis philosophicis, mathematicis, etiam medicinæ apprimè institutus, (5) cum eo advenit Beatissimus vir Jordanus magister ordinis ab institutore Dominico secundus, cujus verbis excitatus, & adversus non perseverandi formidinem confortatus, ab eodem receptus est & ordini cooptatus ac veste donatus anno MCCXXII vel ut verius crediderim MCCXXIII ætatis annorum XXIX certe nondum XXX expleto. Ex more tum apud nos servato ibidem scilicet (6) Patavii, vel Bononiæ quibusdam annis theologiæ operam dedisse conjicio. Exinde jubentibus superioribus in patriam redux ad scholarum regimen applicitus est, ac Hildeshemii, Friburgi Brisgoiæ, Ratisponæ, Argentinæ, Coloniæ philosophiam ac theologiam tandem e superiore loco docuit, quo tempore (7) F. Thomam Cantimpratanum inter discipulos habuit. (8) Inter hos etiam annos Parisios ad gymnasium Sanjacobeum in theologia perficiendum missum fuisse autumo, nam cùm ex singulis provinciis tres quorum major spes erat quot annis eo mitterentur, an Albertum tantis ingenii dotibus eminentem Teutonia neglexisset? Jam inde Coloniam redierat, & a pluribus annis studium Coloniense regebat, cùm anno MCCXLIV juvenis F. Thomas de Aquino eo advenit a magistro ordinis IV F. Joanne Teutonico ductus, ac sub tanti viri disciplina erudiendus. (9) Anno MCCXLV ex ordinatione seu magistri ordinis seu capituli generalis Coloniæ celebrati Albertus Parisios missus est ad gradus promovendus, & scholam nostram Sanjacobeam pro rata extraneorum recturus, ac triennium solitum magisterii egit ibidem eumdem Aquinatem inter auditores habens. Anno MCCXLVIII solemni illi sententiæ, quam de comburendis libris Thalmudicis Odo cardinalis Tusculanus de Castro Radulphi in Francia tum legatus pronunciavit maii XV adfuit inter magistros theologiæ vocatos & ipse consultor allectus. (10) Sub finem ejusdem anni cum suo Aquinate Coloniam rediit, primarium lectorem ac studii generalis eo anno in comitiis ordinis Lutetiæ coactis erecti regentem acturus. Eodem anno stylo veteri Gallico, novo MCCXLIX Wilielmum Hollandum recens Aquisgrani coronatum Cæsarem Colonia transeuntem, ut festum Epiphaniæ seu trium Regum ibidem solemnissimum ageret, invisit, & qua erat apud eum seu ob natales, seu ob ingentem eruditionis famam existimatione (11) ab eodem visitatus est. Eumdem (12) Cæsarem Ultrajectum petentem comitatus est, & ab eo cœnobium ordinis in illa civitate erigendum obtinuit. (13) Anno MCCLIV in comitiis Teutoniæ provincialibus Wormatii habitis priorem provincialem electum ferunt. (14) Anno sequenti Romam a summo pontifice vocatus qui Wilielmo de Sancto-amore magistrisque Parisiensibus ejus asseclis, nostros a consortio universitatis ut & Minoritas excludere satagentibus responderet, se contulit, eorum objecta singula solidissime resolvit, (15) tumque publice S. Joannis evangelium exposuit petente pontifice cum universo cardinalium cœtu, qua ratione (16) magistrum sacri palatii saltem per annum egisse quidam & ut mihi quidem videtur verisimillime asserunt. Contendentibus tamen obstinatius toto fere anno MCCLVI magistris Parisiensibus Albertus relicto pro causa defendenda nostro Aquinate, qui Romam eo anno advenerat, videtur in Teutoniam muneris sui exercendi causa rediisse. (17) Anno MCCLIX comitiis ordinis quæ Valencenis habita sunt adfuit, & cum quatuor nostris sacræ facultatis Parisiensis magistris ad id a capitulo delegatis FF. Bonohomine Britone, Florentio Gallico, Thoma de Aquino & Petro de Tarentasia leges in studiis generalibus servandas tulit ac edixit. In eodem capitulo missionem ab onere provincialatus obtinuit, suamque Coloniam repetens, antiquum regentis ac primi lectoris munus resumsit. Eo tranquillus, nec majora affectans fungebatur, cum (18) anno MCCLX oblata est ei ab Alexandro IV infula Ratisponensis. (19) Hanc non solùm suasu magistri ordinis F. Humberti, sed & ex innata humilitate quantum in ipso fuit detrectabat, at quantumvis renitens jubente pontifice induere coactus est: quam tamen Ecclesiam ubi duobus circiter annis integerrime sanctissimeque rexisset, tumultuum bellicorum quibus episcopi Germani involvuntur pertæsus, suavissimique sui quondam musei memor, pedum pastorale inter manus Urbani IV resignavit, suamque Coloniensem in cellam secessit, scholæ nostræ regendæ, scribendisque libris totus deinceps deditus. Cùm hoc voluit archiepiscopus Coloniensis apud quem summo in honore habebatur, ut in sua diœcesi ubicunque rogatus esset, (20) in pontificalibus celebraret, & spiritualia pontificis munia

exerceret, quod & idem quandoque ab eo petierunt Argentinensis & Basileensis episcopi: hinc tot templa & altaria in his diœcesibus memorantur ab eo consecrata, tot ordines celebrati, tot reliquiæ Sanctorum recognitæ & venerationi fidelium solemni ritu expositæ. (21) Concilio Lugdunensi II affuisse quidam narrant anno MCCLXXIV, quod nec incredibile, licèt octogesimum ætatis jam superasset, cùm & ferant (22) anno circiter MCCLXXVII iter Gallicum & Parisios usque suscepisse, quo SS. sui discipuli Thomæ de Aquino doctrinam a quibusdam impugnatam in consessu sacræ facultatis sartam tectam tueretur. (23) Tribus circiter ante mortem annis memoriæ lapsum incurrisse dicitur quoad scientias, ita tamen ut quoad divina ac regularia sui semper compos, & sodalium exemplum ad ultimum usque spiritum extiterit. Obiit XV nov. MCCLXXX ætatis LXXXVII fuitque in Odeo sepultus ad majus altare. Hæc nunc ad incudem revocanda, & fabulis explosis quæ certa sunt ex antiquis documentis statuenda & illustranda.

(1.) *Natus est Albertus anno* MCXCIII. Id constat ex anno ætatis, quo mortuus est Christi MCCLXXX, quo tum annorum LXXXVII fuisse omnes asserunt Tritemius, Malvenda ad annum 1222 cap. 15 p. 413: Joannes Henricus Heister in suffraganeorum Coloniensium syntagmate edito Coloniæ 1641 in 8, ubi Alberti nostri ætatem & acta varios in annos digesta melioribus conjecturis ad legitimam satis chronologiam revocat: Petrus noster de Prussia, qui circa annum 1487 vitam Alberti scripsit anno etsi 1621 tantùm editam in 8 legendus cap. 45 p. 330: & ante hos omnes Ludovicus a Valleoleti in sua auctorum nostrorum Tabula, quam anno 1413 Parisiis scribebat. Hinc tum ipse Valleoletanus tum Petrus de Prussia & alii emendandi, cùm visionem B. Virginis Alberto sextum decimum tantùm annum agenti factam referunt, qua sic eum monebat: *Alberte mundum fuge, Prædicatorum ordinem ingredere &c.* Nam 23 ætatis jam attigerat, priusquam ordo stabiliretur & confirmaretur: ad posteriores igitur annos prolatanda hæc si fuit visio.

(2) *Aptissimum disciplinis a natura sortitus ingenium.* Id mox evincetur: hinc fabula est a nescio quo inventa, quam Joannes Antonius Flaminius, & ex eo Leander Albertus, aliique referunt Albertum non acri admodum ingenio in adolescentia sua fuisse: quapropter primis illis mensibus post amplexum ordinem, cùm hebes ingenio esset, & sodalibus inferior haberetur, de deserendo cœnobio, abjiciendaque veste cogitasse, sed cœlesti somnio a proposito deterritum, spondente ei Deipara egregium deinceps futurum philosophum: cujus visionis vel somnii nulla apud antiquos memoria.

(3.) *Tum in Gallia Parisiis.* Sic Heisterus citatus verisimili satis conjectura, cùm ad eam urbem regiam undique confluerent non solùm Galli, sed & extranei præsertim Teutones, qui litteras avidius sectabantur, & in illis excellere cupiebant. Sic Henrici duo Colonienses, sic Albertus comitis Falxenbergensis filius, sic ipse Jordanus & alii qui ordini postea nomen dederunt.

(4.) *Tum in Italia Patavii.* De Patavio sic ipse Albertus de natura locorum Tract. 3 cap. 2. » Patavium quæ nunc Padua vocatur, in qua multo tempore viguit studium literarum «. In ea urbe fuisse & experimenta quædam fecisse probat quod refert Meteor. lib. 3 Tract. 2. c. 12. » Ego autem vidi in Paduana civitate Lombardiæ, quod puteus ab antiquo tempore clausus inventus fuit, qui cùm aperiretur, & quidam intraret ad purgandum puteum, mortuus fuit ex vapore cavernæ illius, & similiter mortuus est secundus: & tertius qui voluit scire quare duo moras agerent, inclinatus ad puteum adeo debilitatus est, quod spatio duorum dierum vix rediit ad se ipsum: cùm autem expirasset vapor putrefactus in puteo, factus est bonus & potabilis «. Quæ juvenem non solùm Patavii commorantem, sed & experimenta annotantem, ac proinde jam alicujus ætatis supra adolescentiam ostendunt. Clarius adhuc est quod habet de mineralibus lib. 2 Tr. 3 c. 1. » Volo autem narrare primò quæ vidi, & expertus sum ego ipse, & postea ostendere causam & modum per quem a natura efficitur imago &c. Dico igitur quod me essente Venetiis, cùm essem juvenis, incidebantur marmora per serras ad parietes templi ornandos: contigit autem in uno marmore jam inciso tabulis incisis sibi invicem applicatis apparere depictum caput pulcherrimum regis cum corona & longa barba: neque in aliquo peccare videbatur pictura, nisi in hoc solo, quod frontem videbatur in medio habere nimis altam ascendentem versus verticem capitis. Scivimus autem omnes qui aderamus, hoc a natura fuisse pictum in lapide. Et cùm a me quæreretur causa inordinationis frontis, dixi lapidem illum ex vapore fuisse coagulatum, & in medio per calorem fortiorem vaporem inordinate ascendisse ultra modum. Fuit autem pictura ejusdem coloris cum lapide «. Quod antequam ordini nomen daret evenisse verisimilius, cùm ut mox dicetur tum jam esset 29 annorum, ex quo evincitur juvenem & adhuc in seculo detentum in rebus physicis fuisse eruditum, iisque scrutandis maxime deditum: quibus evertitur illa fabula de ingenio hebeti Alberti cùm ordini nomen dedit, & de consilio vestis propterea abjiciendæ ab eo suscepto. Nota etiam hîc insignis basilicæ Venetæ anno MCLXX a duce Zeno inchoatæ parietibus marmore ornandis juvene Alberto fuisse laboratum.

(5.) *Cum eo advenit Jordanus magister ordinis.* Certum e manibus Jordani vestem accepisse. Jordanus autem anno tantùm MCCXX die cinerum ordini cooptatus affuit quidem primo capitulo S. Dominici Bononiæ, sed tum non prædicavit. Anno sequenti MCCXXI capitulo secundo ibidem a S. Dominico coacto non aderat, in eo tamen absens & agens Parisiis provinciæ Lombardiæ institutus est prior provincialis, & cum muneris adimplendi causa Italiam ingressus est, jam mortuus erat Dominicus VIII idus aug. Fateor Jordanum inter augustum MCCXXI & pentecosten sequentem Albertum ad ordinem adducere potuisse: verùm cùm vulgò id Jordano jam ordinis magistro ascribatur, & ad eam præfecturam tantùm assumtus fuerit in comitiis ordinis Parisiis ad pentecosten MCCXXII celebratis, vel anno illo solùm, modo ante finem anni Italiam repetierit, nec diutius ordinandis Galliæ rebus in ea hæserit, vel anno MCCXXIII, quo Bononiam ad capitulum generale accedere tenebatur, id præstiterit. Ex quibus constat Albertum anno MCXCIII natum nonnisi ætatis XXIX, vel ad summum XXVIII completo ordini nomen dedisse, qua certe ætate homines sunt quidquid erunt.

In vitis Fratrum locus est, quem vulgo de Alberto interpretantur, qui sic habet P. IV cap. 10: » Frater quidam famæ eximiæ & excellentis status & scientiæ magnus in philosophia, cùm adhuc juvenculus Paduæ studeret, ex admonitionibus Fratrum & maxime ex prædicationibus magistri Jordanis habebat voluntatem intrandi ordinem Prædicatorum, sed non plenam: avunculus enim ejus contradicebat illi, unde & jurare ipsum compulit, ne infra tantum tempus iret ad domum FF. Prædicatorum. Post quod transactum veniebat frequenter ad Fratres eosdem, firmabatque propositum, sed timor ne exiret faciebat eum vacillare multoties. Quadam autem nocte vidit in som-

» nis quod intrasset ordinem, postmodumque exi» visset: evigilans ergo mirabiliter gavisus est, eo » quod non intraverat, in animo suo dicens: nunc » video quia id quod timebam inde eveniret si un» quam intrarem. Contigit autem eodem die eum » interesse sermoni magistri Jordanis, qui inter cæ» tera loquens de tentationibus diaboli, dixit quàm » subtiliter decipiat aliquos. Sunt enim ait aliqui » qui relinquere mundum proponunt & ordinem » intrare, sed diabolus eis impressiones facit in som» nis quod intrant & postea exeunt equitantes in » rubeis vestibus, vel se solos relictos inveniant, » ut sic scilicet eis incutiat timorem intrandi, quasi » perseverare non possent. Tunc juvenis miratus » vehementer post sermonem magistrum accessit & » ait: magister quis revelavit cor meum vobis, ex» posuitque ei omnes suas cogitationes & somnium. » Magister autem firma de Deo percepta fiducia, » multis modis confortavit eum contra hujusmodi » tentationes. Ille autem ad verba ejus ex toto con» versus, & omnem moram rescindens ordinem in» travit. Hæc autem omnia ipse Frater enarravit «. Ex ea narratione infert Petrus de Prussia Albertum juvenculum ordini cooptatum, quod & confirmat ex ejusdem oratione in evangelium septuagesimæ, in qua sic loquitur: *Dñe Jesu Christe summe paterfamilias, qui me primo mane in vineam tuam vocasti, dum me a juventute mea ad laborandum in religione pro denario vita æterna conduxisti &c.* Verùm ut ut sit, ipse Petrus de Prussia qui ponit Albertum mortuum ætatis LXXXVII, & a Jordano ad ordinem ascitum, cogitur ut & nos agnoscere ætatis XXIX veste indutum. Nec verò mirum præsertim in gymnasiis in quibus sunt venerandi senes, sodales qui nondum trigesimum compleverunt, juvenes imo & juvenculos appellari.

(6.) *Patavii vel Bononiæ quibusdam annis theologiæ operam dedit.* Conjectura nostra est ex more ordinis sumta. Cùm enim jam esset in philosophia excellens Albertus, ut theologiæ incumberet ipsi supererat. Quod si quis velit Coloniæ potius eam audiisse, facilis non contendam.

(7.) *Thomam Cantimpratanum inter discipulos.* Ipse Thomas de Apibus lib. 2 c. 57 §. 50 se multo tempore Alberti auditorem fuisse gloriatur. Cùm autem Thomas ordinem intraverit circa MCCXXXII annis sequentibus id accidisse verius, certe priusquam juvenis Thomas de Aquino Coloniam deduceretur.

(8.) *Inter hos etiam annos Parisios.* Præter rationem allatam id mihi persuadet, quod idem Cantimpratanus refert eod. cap. §. 34 his verbis: » simili prope modo magister Albertus theologus Frater ordinis Prædicatorum narravit mihi, quod Parisiis illi dæmon in specie cujusdam Fratris apparuit, ut eum a studio revocaret, sed mox crucis » virtute discessit «. Cùm enim hæc difficillime intelligas de annis quibus magisterium capessebat, jam enim tum erat emeritus, annos LII natus, nec tam studebat, quàm studiorum uberrimos fructus depromebat, facilius referes ad priores annos MCCXXX puta vel MCCXXXII, quibus totus studiis incumbebat. Mirabitur forsan quis quod non meminerim vicariatus ordinis, quem dicunt gessisse anno MCCXXXVI in Terram-sanctam transeunte Jordano, & ab hujus morte ad comitia ordinis anno MCCXXXVIII Bononiæ habita, in quibus etiam volunt vocales inter ipsum & Hugonem de Sancto-Charo divisos fuisse. An Albertus a Jordano vicarius institutus fuerit, ut affirmare sic negare non ausim, cùm in monumentis antiquis nihil de eo repererim. A morte Jordani vicarium egisse certus nego, cùm hoc jus esset provincialis Lombardiæ juxta constitutiones: divisionem denique illam vocalium Albertum inter & Hugonem veluti meram fabulam expunximus supra ubi de S. Raimundo. Si Albertus capitulo huic Bononiensi affuit, quod mihi non certum, ut diffinitor vel elector pro Teutonia affuerit non alio titulo.

(9.) *Anno MCCXLV Parisios missus est ad gradus promovendus.* Quin Albertus inter magistros Parisienses cooptatus fuerit, dubitari nequit, cùm de se ipse sic testetur *Mineral. lib. 2 Tract. 3. c. 1.* post locum supra citatum: » Post hoc autem longo tempore cùm essem Parisiis de numero doctorum & « grege, contigit advenire ad studium filium regis « Castellæ, cujus coqui cùm pisces emerent, præno- « minati nobilis famuli piscem emerunt, qui Latine « *Peccet*, vulgariter *Pleis* vocabatur, & erat maximæ « quantitatis in illo genere piscis: cùm autem exen- « teraretur piscis, in ventre ejus apparuit concha « ostrei maximi, quam ad me memoratus nobilis « fecit causa dilectionis adaptari: concha ergo illa « in concavo sui, quod est planum & politum, ha- « bebat figuram trium serpentum ore elevato opti- « me factorum, ita quod nec figura defuit oculo- « rum, cùm tamen essent valde parvi: exterius au- « tem in convexo quod erat asperum, habebat mul- « torum, decem videlicet & amplius serpentum « simili modo per omnia opere factorum, nisi quod « omnes exteriores nodo quodam in collo vide- « bantur colligati capitibus tamen & corporibus se- « paratis: neque fuit ulla istarum imaginum, quæ « non esset perforata foramine ab ore serpentis in- « cipiente, & inferius ad caudam serpentis exeunte: « & erat foramen ita parvum, quod videbatur filo « factum fuisse. Hanc autem concham ego multo « tempore habui, & multis ostendi, & postea eam « misi pro munere in Theotoniam cuidam «. Is princeps haud dubie ex filiis fuit Ferdinandi III regis Castellæ & Legionis, qui ab anno MCCXVII ad MCCLII regnavit. Si annus quo princeps ille Parisios advenit sciretur, & tempus certo sciretur quo Albertus magisterium sacræ facultatis Parisiensis capessivit. Jacobus seu Diegus de Castejon y Fonseca in sua Primatia Toletana T. II pag. 757 narrat Joannem IV aliis II archiepiscopum Toletanum anno MCCXLV Lugdunum ad synodum I generalem ab Innocentio IV celebratam venisse, ac ea finita Parisios usque excurrisse, ut regis Ferdinandi infantes duos Philippum & Sancium Ecclesiæ dictæ Toletanæ ambos canonicos in universitate Parisiensi studentes inviseret. Hæc autem omnino conveniunt tum cum narratione Alberti, tum cum iis quæ tuemur de annis quibus magisterii tempus Parisiis Albertus perficiebat. Verùm illud etiam aliunde expiscari licet, nempe ex sententia jam indicata Odonis cardinalis de Castroradulphi adversus libros Talmudicos XV maii MCCXLVIII lata: sed duo prius statuenda paucis cognita, & tamen scitu necessaria.

Primum est ex quo universitati Parisiensi ordo aggregatus est, hanc legem inviolate in gymnasio Sanjacobeo fuisse observatam, ut baccalaurei & licentiati alternatim ex aliis provinciis & ex provincia Franciæ assumerentur: cùm ex aliis provinciis extraneum, cùm ex provincia Franciæ intraneum vocabant. Equidem F. Joannes Ægidius Anglus, qui jam sacræ theologiæ magister laureatus ordinem amplexus est anno MCCXXVIII primus docuit salvo jure & ex necessitate, nam scholæ theologicæ magistrum præesse necesse erat: sub eo autem F. Rolandus Cremonensis e provincia Lombardiæ primus baccalaureus & licentiatus fuit. Sub Rolando magisterii laurea donato F. Hugo de Sancto-Charo vel de Sancto Theudario e provincia Franciæ promotus est & sententias legit, ac sic deinceps alternatim e provinciis externis, & e Francia. Sic cùm ingentes illæ adversus nostros a Guillelmo de Sanctoamore excitatæ sunt commotiones, F. Bonushomo Brito e Francia primam, F. Elias Bruneti Petragoricensis e provincia Provinciæ secundam

scholam nostram unâ regebant. Quæ alternatio ità constanter servata fuit, ut cùm aliquando nempe anno MCCCXVI capitulum generale Monspeliense eam interrumpere tentasset, sub gravioribus pœnis jubens, ut non habita ratione alternativæ sed solius antiquitatis baccalaurei promoverentur, tantùm exinde tumultus excitatum est, ut in comitiis ordinis sequentibus Pampilonæ MCCCXVII omnia in integrum restituere necesse fuerit. Sic enim in actis ejus capituli legitur: *Item ordinamus quòd in bachalariis Parisiensibus ordinariè præsentandis alternatio de intraneo* (id est de provincia Franciæ,) *& extraneo* (id est de aliis provinciis) *inviolabiliter observetur secundùm consuetudinem communiter in ordine approbatam, & hactenus observatam, & super hoc nulla alia licentia expectetur.* Ubi quod ait *hactenus observatam*, indicat ab initio viguisse ac usu inolevisse. Eæque sunt quæ tum in capp. genn. tum in magistrorum ordinis diplomatibus duæ scholæ magnæ dicuntur, quibus ineunte seculo XV duæ scholæ parvæ additæ sunt Franciæ speciatim addictæ, ac deinde etiam quinta, sed de duabus primis tantùm hîc agimus.

Alterum maxime notandum est qua ratione nostri seculo XIII & sequenti Parisiis ad magisterium promoverentur. Multi enim historici, cùm videant posteriori hoc seculo, ut quis sacræ theologiæ magister evadat, nihil amplius desiderari, quàm ut agones quosdam scholasticos, seu actus ut vocant, certo quodam annorum spatio sustineat, quibus expletis rude donatur & laurea, etiamsi nullam e cathedra lectionem vel dederit unquam vel daturus sit: ex his verò quosdam selectos ubi cathedram in gymnasio aliquo theologicam semel consecuti fuerint, ea ut beneficio quodam ad vitam potiri, ac in eadem perpetuo si voluerint docere, res eodem modo se habuisse olim arbitrantur, cùm maximum intersit discrimen. Seculo itaque XIII statutum hoc erat in universitate Parisiensi, *ne quis bachelarius in theologica facultate promoveretur ad cathedram*, (id est ne magister fieret) *nisi prius seipsum examinasset, saltem aliquos libros glossatos & sententias in scholis alicujus magistri actu regentis diligenter legendo.* Videsis Boulæum Hist. Univ. T. III p. 245 qui id refert renovatum anno MCCLI mense feb. *cùm aliâs inter doctores theologicos tractatum fuisset & concorditer inhibitum.* Et inter statuta facultatis theologicæ ab antiquo observata, & seculo XIV collecta, quæque videre licet cod. MS 645 Bibl. S. Germani a Pratis & Spicil. Dacher. T. VI p. 382 hoc legitur: *Item nota quod bachalarii in theologia qui debent legere sententias, debent facere principia sua* (id est præludia ad quatuor sententiarum libros) *infra festum exaltationis S. Crucis & festum B. Dionysii &c.* Et postea: *Nota quod illi qui volunt legere cursus suos in theologia, debent facere in quolibet libro unum principium solemniter in aliquibus scholis.* Quæ collecta dico sec. XIV, quia in calendario universitatis iisdem statutis adjuncto præscribitur festum S. Thomæ de Aquino solemniter celebrandum. Ex his autem habetur & omni scholæ semper aliquem theologiæ magistrum præfuisse, & nullum baccalaureum iis seculis ad magisterium promotum, qui sententias antea in schola alicujus magistri publice non legisset.

Hoc autem magisterii stadium apud nostros triennio concludebatur. Primo anno baccalaureus vel a capitulo generali vel a magistro ordinis nominatus sententias in schola alicujus magistri legebat. In fine anni prior Parisiensis cum magistris actu legentibus baccalaureum illum cancellario offerebat, affirmantibus illis etiam sub sacramento se credere dignum illum esse, qui licentiam id est facultatem docendi ut magister acciperet. Servatis servandis examinibus publicis & aliis licentiatus ille principium solemne habebat in aula episcopali, cui magistri omnes aderant, unde id dicebant aulam suam habere, vel conventum in theologia recipere, laureaque donatus secundo illo anno ut magister in schola tunc sua sententias legere pergebat; tertio anno regebat adhuc scholam, quæstiones quasdam pro libito tractando, disputationes generales habendo, vel de quodlibetis respondendo, unaque baccalaureum in schola sua habebat sub suo ductu sententias legentem, cui in fine anni testimonium reddebat, ut ipsi aliâs redditum fuerat, eumque licentiandum præsentabat, ut & ipse aliâs a magistro suo præsentatus fuerat. Hoc autem triennio totum magisterii stadium absolutum fuisse, præsertim in extraneis id est in iis qui ex aliis provinciis Parisiis assignabantur, evinco ex iis quæ referunt historici tum de F. Rolando Cremonensi, qui cùm anno MCCXXVIII incepisset sub F. Joanne Ægidio, anno MCCXXXI cursum expleverat, & Tolosam ad regendum studium missus est: tum de S. Thoma de Aquino, cujus triennium magisterii pluries memorat Tholomæus de Luca, tum ex actis capp. genn. in quibus nil amplius desideratur. Cùm verò plura ad istud triennium magisterii præparatoria requirerent in intraneis statuta facultatis, ut quod aliquos scripturæ sacræ libros exposuissent, & tot agones publicos sustinuissent, hinc conjicio illis extraneis facultatem in rem numerasse acta quæ in studiis solemnibus suarum provinciarum perfecerant; adde quod hi extranei aliâs in gymnasio Sanjacobeo plerique assignati fuerant ad proficiendum, ut jam monuimus de Alberto, & his prioribus annis agones academicos plures haud dubie exantlarant. Vix necesse est ut moneam lectionem illam sententiarum ad quam illis seculis tenebantur, non ita accipiendam, quasi ex quaternione scripta sua auditoribus legerent, ut nunc fit, ac dictarent, quod nonnisi a reformatione Tuttavillæana anni MCCCCLII indultum est ac permissum: alius plane veterum illorum mos fuit, qui lectiones suas summo studio prius compositas memoriter proferebant, ac ea ratione qua sermones dicuntur, quasi nullus scripto exciperet, quas tamen quidam auditorum celeri ad scribendum manu pollentes excipiebant, quæ dicebantur reportata vel reportationes, quales plures a me visæ sunt inter codd. MSS Sorbonæ. Hinc quam instructum eum esse omni ex parte oporteret, qui sententias Parisiis legendas suscipiebat, rectus rerum æstimator perpendat, propterea que ad id munus implendum non nominabantur nisi jam longo tempore exercitati, quique alibi pluribus jam annis cum laude eaque non mediocri docuissent.

His ita præstitutis ad Albertum Magnum redeo, quem anno MCCXLV Parisios missum ad legendum pro forma & gradu, ut aiunt, propugno ex invictis his testimoniis. Primum est nostri Cantimpratani, qui ex primis ejus in Germania discipulis fuit. Ille enim lib. I Apum. cap. 20 §. 10 sic habet de juvene F. Thoma de Aquino: » Coloniam Agrippinam « venit, studuitque in loco illo, quousque præclarus « lector Fratrum ibidem Frater Albertus Parisios « translatus est, & pro incomparabili scientia theo- « logiæ cathedram sortitus est «. Ex quibus certissime constat Albertum cathedram Parisiensem non prius ascendisse, quàm Coloniam venerit ac aliquandiu ibidem studuerit juvenis Aquinas: cùm igitur iste eò tantùm sub finem anni MCCXLIV pervenerit, ut postea dicemus ubi de eo, ante MCCXLV Albertum Parisiis non docuisse pro comperto habendum est. Quod autem anno MCCXLV, vel à capitulo generali Coloniæ tum ad pentecosten junii IV celebrato, vel a magistro ordinis F. Joanne Teutonico Parisios missus fuerit ad legendum, colligo ex sententia anno MCCXLVIII maii XV

SEC. XIII. ab Odone cardinali legato adversus libros Thalmudicos lata, quam hîc mox integram dabimus.

In ea enim eorum omnium nomina referuntur, quorum consilio in ea ferenda legatus usus est: inter magistros autem theologiæ hi tres ex ordine Prædicatorum recensentur hac serie, Frater Joannes Pungensasinum, Frater Albertus Teutonicus, Frater Stephanus Autissiodorensis. Quod indicat hos tres solos tum fuisse magistros præsentes in gymnasio Sanjacobeo, scholasque nostras rexisse: nam si alii magistri adfuissent, illi proculdubio ad consilium advocati fuissent, cùm alii non magistri, sed boni viri dicti acciti fuerint, ut Frater Joannes de Montemirabili olim archidiaconus magnus Parisiensis tum autem nostris ascriptus, Frater Henricus Teutonicus concionator ea ætate celebris, & sancto regi Ludovico in primis acceptus, ac de quo supra ad 1254, & alii. Igitur ex legibus tum ut præmonuimus servatis, dicendum F. Stephanum Autissiodorensem (de Varnesia scilicet de quo supra) intraneum ex Francia in secundo suo anno lectionis sententiarum fuisse ut pote magistrum: Albertum Magnum Teutonicum extraneum fuisse in tertio suo anno, scilicet F. Stephano antiquiorem, nam tum quolibet anno unus tantùm licentiabatur, ut ita loquar, ac proinde jam ab anno MCCXLV sententias ut baccalaureum legere incepisse, ut anno MCCXLVI magister fieret, & anno MCCXLVII in instauratione scholarum pro tertio anno docere pergeret, & sententias legentem sub suo ductu baccalaureum haberet. Non procul abest a dictis Egassius Boulæus Hist. univ. Parif. T. III p. 162: ibi enim postquam opinionem quorumdam retulit Albertum anno MCCXXXVI Parisiis docuisse ac per tres annos, (nota triennium magisterii) munus illud exercuisse volentium, id continuo emendat ex Cantimpratani loco a nobis laudato, & anno tantùm MCCXLVII laurea donatum astruit: ad hos igitur annos triennium magisterii Alberti revocandum est, quod nec aliter ac fecimus numerari potest. Consentit Petrus de Prussia ex eodem Cantimpratani loco Albertum non prius Parisiensem cathedram ascendisse contestatus, quàm Coloniam juvenis Thomas de Aquino adductus fuit. Hunc secum Albertum duxisse Lutetiam, ubi de eo postea probabitur. Non existimo necessarium monendum fabulam esse a quibusdam decantatam & a nescio quo inventam, tanto auditorum concursu libros sententiarum exposuisse Albertum, ut cùm discipulos schola non caperet, in platea publica docere compulsus sit, quæ ob id magistri Alberti platea (vernacule *la place Maubert*) etiamnum hodie nuncupatur: civibus enim Parisiensibus omnibus notum plateam illam sic dictam ab antiquo feodo *Maubert*, in quo sita est, quod & jam noster Natalis Alexandre in sua Histor. Eccl. notavit: amplissimas autem apud nostros Sanjacobeos fuisse scholas, quæque illis apud universitatem invidiam crearunt, ex archivis conventus habetur, quas anno MCCLVIII pro urbe claudenda destructas fuisse narrat continuator Nangii: » Eodem anno, *inquit*, fuerunt destructa hos- » pitia & domus quas FF. Prædicatores habebant » extra muros Parisienses. Nam Prædicatores ha- » bebant infirmarias & capellas, notatas aulas, & » alias domos honorificas regias & solemnes, & illi » ad domos istas per domos civitatis officiosissime » subintrabant, similiter & ad hortos quos foris » habebant speciosissimos & amœnos, & non so- » lùm domos quas ædificaverant perdiderunt exte- » rius, sed etiam domus intra mænia, & illas quæ » muris ab infra jungebantur, ut inter ipsorum ha- » bitaculum & dictos muros aditus fieret atque via » &c«. Inter illas autem aulas notatas honorificas regias & solemnes scholæ nostræ intelligendæ, quas ut & cœnaculum seu refectorium haud dubie sanctus rex Ludovicus IX erexerat, quæ ingenti auditorum Alberti concursui sufficiebant, ut ei necesse non fuerit in platea docere, quod nec apud ullum antiquorum refertur, nec apud ipsum Valleoletanum, qui anno MCCCCXIII scribebat, ut fabula posterius sit inventa, quam habet Petrus de Prussia anno MCCCCLXXXVII scribens. Sed de his jam diutius, en sententia Odonis cardinalis legati adversus Thalmud promissa, quam ex cod. MS Sorbon. cui titulus, *Extractiones de Talmut*, ejus ætatis exhibeo.

» Odo miseratione divina Tusculanensis episcopus, apostolicæ sedis legatus, universis præsentes literas inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod nos Parisius anno Domini MCCXLVIII idus maii super quibusdam libris Judæorum qui Thalmut appellantur, præsentibus magistris Judæorum & ad hoc vocatis, diffinitivam sententiam protulimus in hunc modum. «

» In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. «

» Exhibitis nobis auctoritate apostolica a magistris Judæorum regni Franciæ quibusdam libris, qui Talmut appellantur, quos inspeximus, & per viros discretos & expertos in talibus Deum timentes, & zelum habentes fidei christianæ fecimus inspici diligenter. Quia eos invenimus errores innumerabiles, abusiones, blasphemias & nefaria continere, quæ pudori referentibus & audientibus sunt horrori, in tantum quod prædicti libri secundùm Deum sine fidei christianæ injuria tolerari non possunt, de consilio bonorum quos ad hoc specialiter duximus evocandos, pronunciamus prædictos libros tolerandos non esse, nec magistris Judæorum restitui debere, & ipsos sententialiter condemnamus. De aliis verò libris nobis non exhibitis a magistris Judæorum, licèt a nobis super hoc pluries fuerint requisiti, vel etiam non inspectis plenius cognoscemus loco & tempore, & faciemus quod fuerit faciendum. «

Nomina autem illorum de quorum consilio prædicta sententia lata fuit, sunt hæc «

Venerabilis pater Willelmus D. G. Parisiensis episcopus. «

Acelinus abbas Sancti Victoris Parisiensis. «
Radulphus quondam abbas ejusdem loci. «
Lucas decanus Parisiensis. «

Et Magistri theologiæ, videlicet «

Magister Galterus cancellarius Parisiensis. «
Magister Aimericus de Veire canonicus Parisiensis. «
Magister Villelmus de Cramant. «
Magister Petrus dictus Archiepiscopus. «
Magister Radulphus de Montedesiderii. «
Magister Stephanus archidiaconus Meldensis. «
Magister Robertus de Coton vel Cocon. «
Frater Guillelmus de Meliton de ordine Fratrum Minorum. «
F. Joannes Pungensasinum, F. Albertus Theutonicus, F. Stephanus Autissiodorensis de ordine Fratrum Prædicatorum. «

Et Magistri decretorum videlicet «

M. Petrus Ligerii, M. Gaufridus cantor Dauratensis. «
M. Joannes archidiaconus Trecenensis *leg.* Trecensis. «
M. Philippus archidiaconus Bituricensis. «
M. Matthæus Guidonis de Atrabato. «
M. Guillelmus de Braio. M. Richardus de Tabulis. «
M. Girardus de Corion. M. Theobaldus de Divione. «
M. Henricus canonicus Rhemensis. «
M. Stephanus de Lorriz. M. Petrus de Vireto. «

» M. Joannes de Sulhiaco. M. Nicolaus de Pon- » dearche.
» Item alii boni viri.
» Magister Nicolaus archidiaconus Ecclesiæ Ro- » thomagensis.
» M. Garinus archidiaconus Ecclesiæ Belvacensis.
» M. Thomas archidiaconus Bajocensis.
» M. Hugo archidiaconus Bajocensis.
» Magister scholarium Andegaveñ.
» F. Joannes de Montemirabili. *Hic ut legitur in lib. de septem donis ex archidiacono magno Ecclesiæ Parisiensis ordinis Prædicatorum sodalis.*
» F. Joannes Gardianus Fratrum Minorum.
» F. Odo de Romaco. F. Reginaldus Carnotensis.
» F. Henricus Theutonicus. *Hunc censeo de quo supra seniorem, ac primum ex nostris Coloniæ lectorem.*
» F. Theobaldus de Saxonia.
» F. Simon minister S. Marturini Parisius.
» Quorum sigilla apposita sunt præsentibus unâ » cum nostro in testimonium hujus rei. Datum an- » no Domini MCCXLVIII mense maio.

Ex quibus juxta præmissa concludas hos tres in sacra facultate hoc ordine incepisse, F. Joannem Pungensasinum Parisinum anno MCCXLIV. F. Albertum Teutonicum MCCXLV, & F. Stephanum Autissiodorensem MCCXLVI, sic enim omnia constant & conveniunt.

(10) *Sub finem ejusdem anni Coloniam rediit.* Ut enim anno MCCXLVIII maii XV Parisiis præsentem Albertum ex mox laudata sententia tenemus, sic versus finem ejusdem anni reducem eum Coloniæ, ac studii theologici regentem non minus certo scimus ex omnium auctorum testimonio, qui de Willelmo Hollandiæ comite imperatore electo loquentes, hunc asserunt die Regum sequenti, qui veteri stylo adhuc annus MCCXLVIII numerabatur, novo MCCXLIX ad Alberti Magni Coloniæ regentis cellam venisse. Ubi graviter impegit ac castigandus venit aliàs sat accuratus Brietius in Annalibus, illud imperatoris cum Alberto colloquium ad annum præcedentem referens ob non attentum eo loco styli veteris ac novi discrimen. Quod ut ob oculos ponam, en rerum seriem. Henricus Thuringus imperator mense martio MCCXLVI veteri stylo, novo MCCXLVII moritur. Octob. 3 sequenti ei sufficitur Willelmus Hollandus, qui annum sequentem MCCXLVIII fere totum in Aquisgrani obsidione insumit. Eo potitus novemb. 1 ibidem coronatur. Hinc in Hollandiam pergens Colonia iter facit, festumque trium Regum ejus civitatis patronorum in ea celebrat, ac Albertum invisit, qui dies adhuc ut norunt omnes stylo veteri MCCXLVIII numerabatur, novo MCCXLIX dicendus est. Videsis Vincentium Bellovacensem æqualem & Odoricum Raynaldum ad ann. 1248. n. 14.

(11) *Ab eodem visitatus est.* Narrat Joannes de Beka auctor sec. XIV in suo chronico, quod ad annum MCCCXLVI scribebat, Willelmum imperatorem ab Alberto Magno tum convivio magnifico exceptum fuisse, in quo Albertus hiemem eo anno asperrimam in ver floridum, & æstatem frugiferam commutarit, & expletis mira jucunditate epulis omnia veluti phantasmata evanuisse, ac hiemem gelu truculentam mox rediisse : hincque Albertum *magnum in necromantia* non veretur appellare. Sed hoc convivium meram esse fabulam evincitur, non solùm quod ejus non meminerint Tholomæus de Lucca nec Bernardus Guidonis, quorum de Alberto testimonia his omnino adversa in fine harum annotationum dabimus, sed & quod ut recte monet Petrus de Prussia nullus fuerit necromantiis infestior, aut dæmonum hostis capitalior, ut recte Brietius citatus. Sic enim Albertus in speculo Astronomiæ cap. 10. *Isti sunt duo modi imaginum necromanticarum, quæ nobile nomen astronomiæ sibi usurpare præsumunt, & ex eis jamdiu est quod multos libros inspexi, sed quoniam eos abhorrui, non extat mihi perfecta memoria super eorum numero, titulis, initiis, atque continentiis sive auctoribus eorumdem : spiritus enim meus nunquam requiescebat in eis. Unde tantùm volebam transeundo vidisse, ut saltem non ignorarem, qualiter esset miseris eorum sectatoribus irridendum, & haberem de suo unde repellerem excusationem eorum : & quod potissimum est, ut super similibus de cætero non tentarem*, (an legendum, *non tentarer*) *cùm persuasiones suas invalidas & non admittendas censerem.* Ex quibus colligas libros necromantiæ legisse quidem, sed in transcursu, ut vix auctorum, titulorum, & operum meminisset : qui præterea in toto tractatu artem illam non solùm confutat, sed & intolerabilem & maledictam pronunciat, quamque nullus sanæ mentis præsumat excusare. Legendus idem *De mirabili scientia Dei P.* II. *Q.* XXX, & in Daniel. cap. 1. Similia habet in Postilla super Ezechiel. cap. 21 & super Isaiam c. 47 a Petro de Prussia visa & citata. Joannem de Beka, qui primus fabulam laudatam literis consignavit, emendat & refellit Arnoldus Buchellius J. C. Batavus heterodoxus licèt, ut rudioris ætatis credulitate delusum, pro more inquit illorum temporum, quibus occultioris philosophiæ & matheseos peritos necromantiæ labe infectos & magos putabant. *Hanc narratiunculam* (sic enim addit) *licèt fabulosam credam, referunt etiam chronicon magnum Belgicum* scriptum anno MCCCCLXXIV, *Joannes Cuspinianus chronico de Cæsaribus vernaculo, qui sub Maximiliano imperatore floruit, Tritemius Abbas, sed omnes ex Beka exceperunt, nec de veritate judicant. Opmerius ut verisimilem faciat, ex ingenio explicat in suo chronico generali.* Ac ut id addam, Beka scriptor est minimi ponderis, parum solers & sagax, quem Gerardus Noviomagus ad rerum Germanicarum illustrationes præfatus, Gerardi Volpardi secutus judicium plane contemnit : nec de eo felicius judicat Dessellius Bibl. Belg. *vanum & falsum* scriptorem dicens. His assentiri videtur Wilhelmus Heda in Ottone III episcopo Ultrajectensi 36, ubi sic habet : *Claruit hoc tempore Albertus Magnus episcopus Ratisponensis vir magna doctrina, de quo multa fabulantur in convivio, quod paraverat regi.* Sed de his jam nimium.

(12.) *Cæsarem Ultrajectum petentem comitatus est.* Sic refert non solus Beka citatus, qui sic habet ubi supra : » Adelbertus episcopus instanter » exoravit regem, quatenus Fratribus suis Prædi- » catoribus claustralem aream in civitate Trajec- » tensi vellet expetere, & eisdem pro stabilitate » regni sui munificas eleemosynas attribuere. Rex » autem supplicatorias preces ejusdem reverendi pa- » tris clementer exaudiens, Trajectum descendit, » quem Otto pontifex ejus patruus cum prælatis & » civibus gloriose suscepit, qui de fidelium suorum » consilio burgensis effectus est, & ex tunc spatio- » sam campi planitiem infra civitatem nemine con- » traveniente mercatus est, quam ad structuram » claustri donavit eisdem Fratribus in eleemosynam, » insuper & auri fulvi satis magnam copiam &c. » Sed & confirmat Wilhelmus Heda citatus. » Instituit, inquit, apud Trajectum ordinem Prædica- » torum, ubi adhuc in vitris visuntur arma ipsius » Wilhelmi regis, quibus ipse fundum coemit, & ad » constructionem auri bonam quantitatem contulit. » Scio quamdam editam a Patribus nostris provinciæ Inferioris Germaniæ conventuum seriem, in qua conventus Ultrajectini seu Trajecti inferioris erectio refertur ad annum MCCXXXII circiter, sed erratum esse agnovit accuratus noster Ghilbertus de la

SEC. XIII. Haye Insulensis in sua Histor. Belgo-Dominic. MS falsus ex æquivocatione id ortum: & quidem cœnobium Trajecti superioris seu ad Mosam circa MCCXXXIII erectum, at cœnobium Trajecti ad Rhenum seu inferioris nonnisi circa MCCXLVIII positum fuisse, quod non solùm auctoritate scriptorum laudatorum probat, sed & confirmat authentico senatus Ultrajectini instrumento ad concilium Mechliniense dato anno MCCCCLXXVII in quadam causa Patrum Ultrajectinorum nostrorum, quo disertis verbis sui conventus originem solummodo ad annum MCCXLVIII referunt, stylo nempe veteri, & ad auctores Albertum Magnum, & Willelmum Hollandum imperatorem, cujus arma gentilitia non solùm in ecclesia, sed & passim per officinas domus olim cernebantur.

(13.) *Anno MCCLIV priorem provincialem electum ferunt.* Sic Petrus de Prussia, qui ex actis comitiorum provinciæ eo anno Wormatii & sequenti Augustæ Vindelicorum habitorum quædam refert, imo & literas encyclicas ejusdem Alberti Magni provincialis ad omnes priores & conventus Teutoniæ.

(14.) *Anno sequenti Romam a summo pontifice vocatus.* Hic erat Alexander IV creatus XXIII decemb. MCCLIV. Sic refert Cantimpratanus lib. 2 cap. 10 §. 26: » Accidit ergo ut facta dissensione » inter universitatem cleri Parisiis & Fratres ordi- » nis Prædicatorum atque Minorum citatisque par- » tibus coram papa, ipse apostolicus magistrum man- » daret Albertum, antequam ipse iter vellet arripere. Dissidium hoc Parisiense jam exortum fuerat ab anno MCCLIII ut dicetur, ubi de S. Thoma; sed cùm de eo actum non fuerit Romæ nisi sub Alexandro IV, ideo hoc iter Alberti in annum MCCLV visum est rejiciendum post habita Augustæ Teutoniæ comitia provincialia fortè circa septembrem de more.

(15.) *Tumque publice S. Joannis evangelium exposuit.* Sic Cantimpratanus citatus §. 24. » Sed » post præfatas disputationes, cùm ad petitionem » D. Papæ & omnium cardinalium ipse magister » Albertus evangelium Joannis, & epistolas ca- » nonicas miro & inaudito modo super omnem ho- » minem exponendo legisset, &c «. In antiqua editione in Inc. Typ. absque anno loco & nomine typothetæ, absque numeris & reclamationibus quæ extat in Navarræa commentarii Alberti in Joannem dicitur initio *Postilla ad instantiam summi pontificis pro extirpandis hæresibus tunc vigentibus Romæ lecta.* Commentarius in epistolas canonicas vel collectus non fuerit, vel perierit, siquidem a se visum nemo prodit. Alia verò Romæ tum se edidisse prodit idem Albertus summæ P. II inter alia *Tractatum de unitate intellectus contra Averroem* sic loquens: *Hæc omnia aliquando in curia collegi existens ad preceptum D. Alexandri papæ, & factus fuit ibidem libellus, quem multi habent & intitulatur contra Averrois.* Pr. *Quoniam apud nonnullos, qui philosophiam* &c. vide T. V.

(16.) *Magistrum sacri palatii saltem per annum egisse.* Cùm officium hoc eo seculo fere lectione præsertim sacræ scripturæ in scholis sacri palatii concluderetur, hoc addito quod lector esset summi pontificis theologus, hoc munere functum Albertum recte quidam videntur asserere, saltem quandiu Romæ restitit. Imo putat Petrus de Prussia cap. 32 primum fuisse lectorem sacri palatii, & ejus occasione evenisse, quod hoc munus in ordine habeatur. Sed ista laus S. P. Dominico non auferenda.

(17.) *Anno MCCLIX comitiis ordinis Valencenis affuit.* Erat capitulum provincialium, cætera vide supra ubi de FF. Bonohomine Britone, Florentio Gallico &c. ad 1253, ut idem pluries non repetamus. In actis ejusdem capituli sic legitur: *Absolvimus priores provinciales Teutoniæ & Terræ-sanctæ & Provinciæ.*

(18.) *Anno MCCLX oblata est ei infula Ratisponensis.* En literæ apostolicæ, quas ex archivo Vaticano refert Bzovius in Annal. ordinis MS. » Alexander episcopus servus servorum Dei F. Alberto « de ordine Prædicatorum lectori Colonien. Sus- « ceptæ servitutis officium nos inducit, ut inter so- « licitudines alias, quibus assidue premimur, spe- « cialiter circa Ecclesias solertiam adhibentes, ip- « sarum utilitatibus intendamus: in eo maxime ut « viduatis ne longæ vacationis dispendia patiantur, « de talium nostræ diligentiæ studio provideatur « substitutione pastorum, per quos & spiritualibus « proficiant institutis, & incrementis temporalibus « augeantur. Sane cùm Ratisponensis Ecclesia per « cessionem ven. fratris nostri episcopi quondam « ipsius Ecclesiæ pastoris, solatio sit destituta, nos « ad revelandum statutum ejusdem Ecclesiæ pater- « nis, prout ad nostrum spectat officium, affec- « tibus intendentes, de persona tua nobis & fra- « tribus nostris merito tuæ probitatis accepta ei- « dem Ecclesiæ de ipsorum Fratrum nostrorum « consilio duximus utiliter providendum. Cùm enim « de divinæ legis fonte adeo salutiferæ fluenta « doctrinæ potaris, quod ejusdem in tuo pecto- « re vigeat plenitudo, tibique præsto sit in iis quæ « Dei sunt judicium rationis, indubitatam spem ge- « rimus, quod Ecclesiæ prædictæ, quæ in spiritua- « libus & temporalibus asseritur multipliciter de- « formata, cicatrix obduci, & ruina per tuæ dili- « gentiæ studium poterit restaurari. Quocirca tibi « mandamus, quatenus nostris, quin potius divinis « beneplacitis te coaptans, & provisionem accep- « tans hujusmodi ad Ecclesiam præfatam accedas, « acturus juxta datam tibi a Deo prudentiam uti- « liter curam ejus. Nos enim in votis gerimus « te in reformatione ipsius Ecclesiæ semper prose- « qui favoribus opportunis. Datum Anagniæ nonis « januarii anno VI «. Eodem fere tenore & iisdem die & anno scripsit pontifex decano & capitulo Ratisponensis Ecclesiæ. Annus autem ille sextus Alexandri incidebat in annum Dñi MCCLX.

(19.) *Hanc non solùm suasu magistri ordinis.* Epistolam ven. F. Humberti V magistri ordinis ea de causa ad Albertum datam, in qua pluribus ab ea dignitate recipienda dehortatur, refert Petrus de Prussia, sed & apud alios communis est. Ipsum Albertum invitum & coactum humeros supposuisse testantur Tholomæus de Lucca & Bernardus Guidonis postea citandi: Tholomæus de Lucca indicat anno MCCLXII vel LXIII abdicasse, cùm ait postea XVIII annorum spatio lectorem Coloniæ egisse ad mortem usque quæ accidit anno MCCLXXX. Literas citat noster Ghilbertus de la Haye supra laudatus ab Alberto anno MCCLXIII datas, quibus se quondam episcopum signat.

(20.) *In pontificalibus celebraret.* Sic refert Petrus de Prussia legendus. Ecclesiam novam primariam Noviomagensem sub invocatione S. Stephani consecravit, destructa antiqua, quæ aliâs extra civitatem: ne tamen hujus memoria lapsu temporum periret, statutum edixit, ut quotannis octavo post pentecosten die solemnis ad locum ubi sita erat haberetur supplicatio cum SS. Sacramento, ac sanctorum reliquiis quæ in urbe erant omnibus. Ad ecclesiæ novæ parietem olim legebatur hic versus: *Albertus Magnus templum hoc sacravit ut agnus.* Sic noster Ghilbertus citatus. Templum nostrum Antverpiense dedicasse anno MCCLXXI scribit in originibus Antverp. Scribanius. Altaria duo in nostra Lovaniensi æde etiam dicasse anno MCCLXXVI ferunt documenta domus. Sed de his plus satis.

(21.) *Concilio Lugdunensi II. affuisse quidam narrant.* Id probat Petrus de Prussia ex eo quod in summa

summa sua P. II Q. 122, art. 2, Albertus referat in eo concilio Græcos errorem quo dicebant simplicem fornicationem non esse mortale peccatum, revocare coactos fuisse. Sed cùm id aliunde discere potuerit, forsan quis magis authenticum hujus facti desiderabit testimonium.

(22.) *Anno circiter* MCCLXXVII *iter Gallicum suscepisse.* Sic refertur in actis canonizationis S. Thomæ de Aquino apud Bollandum T. I Martii p. 714 n. 82: » Insonuit rumor (*Coloniæ*) quod scripta » F. Thomæ Parisiis impugnabantur, unde F. Alber» tus dixit se illuc velle accedere pro defensione » illorum scriptorum: Fratres verò decrepitum ætatis ipsius timentes, & longum viagium, dissua» serunt illi prædictum iter per aliquod tempus &c. » Finaliter tamen dixit idem Albertus se velle Pa» risius omnino accedere pro defensione tam no» bilium scripturarum, & ivit Parisius, in cujus » societate F. Ugo de Luca accessit &c. Cùm ve» rò fuit Parisius dictus F. Albertus facta convoca» tione studii generalis Parisiensis dixit, quod ipse » paratus erat in examine peritorum defendere » scripta dicti F. Thomæ tanquam veritate fulgentia » & sanctitate. Et post multa dicta idem Albertus » rediit Coloniam, & dictus F. Ugo cum eo &c. *ibi legenda.*

(23.) *Tribus circiter ante mortem annis.* Hîc afferenda quæ promisimus Tholomæi de Luca & Bernardi Guidonis de Alberto testimonia. Primus ei æqualis licèt junior Histor. Eccl. Nov. lib. 22 cap. 17 sic habet: » Suo autem tempore (*Ale» xandri IV*) floruerunt duo magni doctores in or» dine Prædicatorum, licèt multi alii clari fuerint » in eodem & eodem tempore tam in vita quàm » in doctrina: sed isti transcendunt, & ideo me» rito sunt omnibus præponendi. Unus fuit F. Al» bertus Teutonicus vir præclarissimæ vitæ, qui » cum multa innocentia in eodem ordine Deo ser» vivit, & qui etiam quantum ad generalitatem » scientiarum & modum docendi inter doctores » maximam excellentiam habuit. Hic factus est epis» copus Ratisponensis in ducatu Bavariæ, qui mul» tum honorabilis est. Cœpit onera episcopatus su» bire, quæ in Teutonia nimis sunt militaria, quia » conservari non possunt nisi cum ense, quæ sibi » incubuerunt pro tempore illo. Considerans igitur » statum tranquillum quem dimisit, & barathrum » in quod incidit, non quievit, quousque accepta » fuit sua renunciatio per summum pontificem: quod » facilius impetravit ex sua gratiositate sermonis, » & ex maxima fama suæ doctrinæ, quæ totaliter » peribat cum ense & lancea curæ pontificalis Ger» maniæ. Cessione ergo facta elegit scholam Co» loniensem, ibidemque lectionem usque ad tem» pora mortis suæ resumsit, quod fuit spatium XVIII » annorum vel circa: ubi multos bonos scholares » fecit, & de prædictis operibus aliqua. Tandem » anno Domini MCCLXXX & ipse plusquam octoge» narius beato fine quievit. Et quamvis in scientifi» cis pro exemplo aliorum in eis multum desipue» rit circa tres annos a sua morte (*id est ante mor» tem*) quoad memorativa, cùm ante alios trans» cenderit gratia singulari, vigor tamen devotionis » ad Deum non defuit ad faciendum, quæ require» bat status suæ religionis.

Bernardus autem Guidonis inter ordinis viros illustres sic loquitur: » Dominus Frater Albertus » Teutonicus episcopus Ratisponensis maximus in » philosophicis & divinis. Hic multa & diversa vo» lumina reliquit toti orbi, quæ ad expositionem » sacræ scripturæ & aliarum scientiarum scripsit, » intellectu profunda, sensibus & sententiis alta, » quorum numerum & nomina hîc ponere esset lon» gum. Circa finem verò dierum suorum librum de sacramento altaris edidit, in quo evidenter osten« dit & simplicitatem fidei suæ in Deum, & fer« vorem devotionis ad dominicæ incarnationis sa« cratissimum mysterium, & qua excellebat scien« tiam divinarum scripturarum. Hic episcopatum « Ratisponensem coactus recepit, sed paulo post « tanquam carbonem ardentem manum adurentem « obtenta cessione rejecit, & ad paupertatem re« diit. Obiit autem anno Dñi MCCLXXX «. In odeo ecclesiæ nostræ Coloniensis ad altare majus sepultus est hoc addito epitaphio: *Anno Dñi* MCCLXXX XVII *Kal. dec. obiit venerabilis Dominus F. Albertus quondam Ecclesiæ Ratisponensis episcopus ordinis Prædicatorum magister in theologia. Requiescat in pace. Amen.*

In dictis hactenus chronologiam ut quæ ad nos spectet, persecuti sumus, acta virtutum heroica, visiones & miracula hagiographis quorum juris sunt enarranda relinquentes: verùm cùm Petrus de Prussia pluries citatus, quique plura ex nostro Ludovico a Valleoleti excepit, interpolasse videatur quæ iste de memoriæ lapsu Alberti triennio ante mortem, visum est ipsa Valleoletani verbi hîc ponere. Sic ergo ille vitæ Alberti *cap. 7. De termino Alberti Magni.* » Cùm igitur quadam die magister Alber« tus contritus senio in conventu Coloniensi in « scholis legeret præsente auditorum copiosa mul« titudine, in colligendis ac dicendis quibusdam « rationibus ipsius memoria vacillavit. Cùmque om« nes præsentes essent ex hoc non modicum stupe« facti, ipse magister modicum tacens, sed tandem « cito spiritu confortatus in præsentia omnium di« xit: Audite quæso fratres carissimi, referam vo« bis nova pariter & antiqua. Cùm essem in annis « juvenilibus constitutus, admonente gloriosa vir« gine matre Dei Prædicatorum ordinem sum in« gressus, & ab ipsa ut devotioni & studio fideli« ter intenderem sum hortatus, & quod ex libris « non valebam capere, sæpissime intelligendum ora« tionibus impetravi. Frequenter autem matrem mi« sericordiæ Dei genitricem gemitibus & orationi« bus rogavi, ut me lumine divinæ sapientiæ illus« traret, & cor meum solidamento fidei confirma« ret, ne philosophorum rationibus illaqueatus de « fidei certitudine dubitarem. Tandem dignissima « mater misericordiæ dignata est mihi visibiliter ap« parere, & consolando dicere: Esto fideliter in « virtutibus & studio perseverans, nam Deus tanta « suæ sapientiæ copia te dotabit, ut per libros doc« trinæ tuæ tota illuminetur Ecclesia: & ne in fide « valeas vacillare, ante mortem tuam a te omnis « syllogistica astutia auferetur, & in innocentia « pueríli ac sinceritate & veritate fidei Deus ab hoc « seculo te assumet. Notitiam verò hujus temporis « ex hoc scies, quod defectum memoriæ sustine« bis in publica lectione. Et ideo Fratres amantis« simi quod hoc mihi eveniat jam cognosco. Idcir« co nunc coram vobis omnibus publice confiteor « corde & oré omnes & singulos articulos fidei « christianæ me firmiter credere, & supplico hu« militer & devote mihi exhiberi ecclesiastica sacra« menta tempore opportuno: & si quid dixi vel « scripsi vel dixero in futurum, quod veritati fidei « non concordet, volo ut nullius ponderis existat. « Quibus dictis omnibus præsentibus profusis in la« crymas de cathedra descendit, & ex tunc nun« quam aliquid scripsit aut legit, sed quasi puer « quinque annorum innocens & columbinus inter « Fratres quamdiu supervixit conversatus est, se « orationibus continuis mancipando, & postquam « multa miracula perpetravit, multos libros famo« sissimos compilavit, anno Dñi MCCLXXX consum« matis vitæ suæ annis circiter LXXXVII inter Fra« trum & filiorum suorum manus in conventu «

SEC. XIII. » Coloniensi obdormivit in Dño, & in choro ante majus altare fuit solemniter sepultus «. Concordat cum aliis in anno mortis & ætatis, sed quantum ad orationem Alberti ad auditores cùm memoria lapsus est, undecumque eam acceperit Valleoletanus, cujus certe apud antiquiores nulla memoria, non convenit cum Petro de Prussia cap. 44. Equidem hujus narrationem legenti manifeste patet Petrum Valleoletano usum esse, sed eum interpolasse inserendo visionem illam seu somnium, quo Albertus puer ordini ascitus sibi videbatur scalam muris conventus apponere ut fugeret, & a B. Virgine ter repulsum, ab eadem hebetis ingenii illustrationem & philosophiæ sibi antea occlusæ apertionem obtinere. Quæ fabula nondum anno MCCCCXIII, quo scribebat Valleoletanus, inventa erat, quæque abunde revincitur ex annotatis, scilicet Albertum non puerum, sed jam XXIX annos natum, & in rerum naturalium scientia eruditum & expertum ordini nomen sub Jordano secundo ordinis magistro dedisse, quod & fateri cogitur Petrus de Prussia qui anno Dñi MCCLXXX ætatis LXXXVII mortuum agnoscit. Quæ tamen cum summo ejus honore dicta velim, nam & multas alias de Alberto in vulgus sparsas fabulas egregie refellit & plura de eodem Alberto vel ex ejus operibus, vel ex aliis auctoribus certa accurate collegit, quibus & nos utimur. Cæterùm ut ad Albertum redeam, non mirum nec insolitum, hominem LXXXIV annos natum vigiliis jejuniis studiis continuis fractum ac debilitatum memoriæ lapsum tandem incurrere, ac si velis repuarescere, cùm ista sint humanæ infirmitatis, ut propterea non sit ad visiones & miracula recurrendum, ut nec recurrit Tholomæus de Luca eorum antiquior qui de eo scripserunt, & ejus ætate jam clarus, cujus proinde temporibus nondum vulgatæ illæ visiones, nec producta miracula, ne dicam adinventa.

Laudem Alberti ex ejus nominis etymologia desumtam, quam habet Petrus de Prussia cap. 57, accepit ex eodem Valleoletano vitæ Alberti cap. XII & quadantenus mollivit, sed quam etsi rudiorem & absonam cordatus lector facile condonet genio seculi XIII & XIV, quibus etiam doctiores usi similibus, ne extra argumentum saltare viderentur, plura revera bona & laude digna hujusmodi minutiis annectere solebant, quod jam tempora nostra delicatiora non patiuntur. Ne ergo lector ad etimologiam Alberti attendat, quam uterque derivat ab *Al* quod est altum, & *ber*, quod est fons sive puteus, & *thus* quod est species gummi odoriferi, quæ quis fortè rideat, & forsan ipsi auctores primi riserunt ut puerilia, sed his annexa seria & solida aspiciat, nec contemnenda judicabit. Duplicem translationem corporis Beati invenio, priorem, cujus meminit Valleoletanus cap. XI, *longo tempore* inquit *factam post sepulturam*, ac proinde sec. XIV, tumque inventum est corpus ejus supinum, quod ille miratur, sed fortè hoc vocabulo aliud intelligebat, quàm quod vulgo, alioquin non video quid in eo sit miri, cæterum incorruptum & in omnibus membris & indumentis integrum ac suavissimo odore fragans, idque sane mirabile, tum verò eodem loco repositum: alteram anno MCCCCLXXXIII astante & jubente magistro ordinis F. Salvo Cassetta iij Idus januar. quam describit Petrus de Prussia ipse etiam præsens & legendus cap. 58 ubi statum corporis late & accurate refert.

Alberti Magni acta plura laudantur, quæ quanta apud omnes valeret fama & auctoritate manifeste probant. Anno MCCXLIX eo plurimum satagente præclara fori privilegia civibus Coloniensibus ab eorum antistite Conrado asserta fuere. Vix biennium effluxerat, litigantibus iisdem Coloniensibus cum eodem archiepiscopo Conrado, ac super telonii monetarumque ratione contendentibus, delectus est arbiter cum F. Hugone de Sancto Charo tum cardinali, suaque sententia litem absolvit. Anno MCCLVIII vigilia SS. Petri & Pauli cum quatuor aliis Goswino decano majore, Henrico S. Severini, Henrico SS. Apostolorum, & Philippo Susatiensi præpositis iterum sedit arbiter eumdem archiepiscopum inter & cives Colonienses. Cùm iidem postea inimicitias non parvas gererent cum comite Montensi, qui nunc dux est Montensis & Juliacensis, ipse pacem utrique parti sua prudentia contulit ac composuit; ita ut etiam num senatus Coloniensis Alberti sapientiam miretur, cùm acta eo sequestro compacta in suis archivis servata intuentur & legunt. Videsis Heisterum citatum & Petrum de Prussia cap. 41.

Præter jam citatos scriptores alii plures Alberti cum laude meminerunt, in primis F. Ulricus Engelberti de Friburgo vir eruditus sacræ theologiæ lector & baccalaureus Parisiensis Alberti discipulus, vivo magistro scribens & mortuus de quo postea suo loco, qui in summa sua *de summo bono lib* IV *tract.* 5 *de substantiis spiritualibus sive de Angelis, cap.* 9 *de modo apparitionis tam bonorum quàm malorum angelorum, scilicet an fiat in corpore vel in specie corporali* sic habet: » Aliter autem ab omnibus præmissis sentit doctor meus Dominus Albertus episcopus quondam Ratisponensis, vir in omni scientia adeo divinus, ut nostri temporis stupor & miraculum congrue vocari possit, & in magicis expertus, ex quibus multum dependet hujus materiæ scientia &c «. Ubi cùm dicit in magicis expertum, ne intelligas has artes unquam exercuisse, alioquin non fuisset vir divinus sui seculi stupor & miraculum, sed tam vastæ fuisse scientiæ, ut nihil esset in quavis arte reconditius, quod non penetrasset ac mente teneret omnia probando, quæ bona tenendo, ut expertum confessarium dicimus qui conscientiæ casus omnes ita perfecte callet, ut de rarioribus & difficilioribus extempore respondere possit.

Non minus eum ornat Tritemius. » Non surrexit, *inquit*, post eum vir similis ei, qui in omnibus literis scientiis & rebus tam doctus eruditus & expertus fuerit. Quod autem de necromantia accusatur injuriam patitur vir Deo dilectus «.

Sixto Senensi. » Vir est eruditionis admirandæ, quem divinarum rerum pauca, humanarum fortasse nulla latuerunt, sublimibus ingenii ac memoriæ viribus usque ad miraculum præstans, in divinis studiis longe eruditissimus, & philosophorum omnium quos vel ante vel post eum universa Germania protulit princeps: ob scientiarum multitudinem magnitudinemque Magni cognomen, quod nulli unquam eruditorum contigit ante mortem adeptus «.

Joannes Aventinus *lib. 7 Annal.* impensissime laudat, Germanum eum Varronem appellans, longeque Varrone doctiorem asserens, quem nihil penitus fugerit, omnia perfecte noverit, naturæ secundùm Aristotelem verissimus interpres extiterit, adeoque singula, quæ de omnibus scientiis & facultatibus scripsit in suo genere absoluta esse, ac si uni duntaxat operam navasset, cætera ne attigisset quidem. Mitto alios recentiores Gabrielem Naudæum Biblioth. Polit. Vossium de scientiis Mathem. p. 362. Sebastianum Schefferum Introductione in Art. Med. p. 164 & alios.

Sed nec obtrectatoribus suis caruit quibusdam eum magum dicere ausis, quam calumniam vir sanctissimus patitur cum viris sua tempestate peritissi-

mis : sic enim Guibertum qui ad summum pontificatum ascendens Silvester II dictus est magum celebrem & malis artibus infamem dixere plures, quos egregie revincunt Onuphrius Panvinius in *notis suis ad Platinam*, & Bzovius noster Annal. T. xx. Sic Joannem Petrum Lusitanum summum pontificem Joannem xxi dictum magum appellat auctor Annalium Colmariensium ad annum MCCLXXVII ob insignem medicinæ peritiam. Sed quid Alberto opponant videamus. Convivium magicum imperatori Coloniæ exhibitum jam expunximus, quod & nemo paululum sapiens credet, quod & seipsum destruit, sicut enim cætera omnia fuerunt phantasmata, sic & cibi fuissent imaginarii, quibus non gratiam sed iram imperatoris & totius aulæ demeruisset ac in se provocasset. Deinde excutiantur archiva civitatis Coloniensis, nam hujusmodi principum adventus in urbium regestis solent annotari, ut & solemnia iis exhibita convivia, an in iis vel umbra magicarum harum epularum reperietur ? nemo certe hactenus prodidit. Libros objiciunt : sed notandum non opera Alberti Magni indubitata quibus quicquid in eo fuit acuminis, quicquid sapientiæ, quicquid habuit experimentorum conclusit, ab his enim maxime cavent, sed libellos quosdam spurios ut sub magni nominis umbra facilius reciperentur, ab impostoribus & planis editos, vel anonymos, & ab imprudentibus perperam Alberto ascriptos objicere, quos in sequentibus ubi de singulis agetur, sapientissimo doctori abjudicabimus, nec ab ejus vena fluxisse demonstrabimus. Denique Androiden objiciunt, seu fuerit figura hominis integra carnea vel ænea, neque enim sibi constant, vel solùm caput hominis æneum tanta arte fabricatum, ut vocem humanam ederet, & cùm de occultis ab Alberto interrogabatur, responsa certa daret : quod aliquando audiens juvenis Thomas de Aquino stupens & conterritus baculo confregerit, unde solemnis illa a rudioribus accepta Alberti præceptoris ad Aquinatem increpatio, *Fili mi opus triginta annorum fregisti*. Sed quis hujus fabulæ toto seculo XIII & sequenti testis affertur ? certe nullus. Nam quod aliqui volunt ad hujusmodi fabricam alludere S. Thomam de Aquino contra gentiles lib. 3 capp. 104, 105 & 106 egregie allucinantur. Equidem illic Sanctus doctor statuas arte magica fabrefactas impugnat, sed quas apud Augustinum lib. 8 de civ.Dei cap. 23 legerat ab Hermete ejusque similibus laudatas, quas non solùm impossibiles secundùm naturam invicte demonstrat, sed & si fiant, opera esse intellectus non bene secundùm virtutem dispositi, imo sceleratorum, impudicorum, homicidarum fautoris : quod argumentum invictum similem apud suum præceptorem Albertum nunquam vidisse, nam si aliquando vidisset, ut cujus innocentiam & pietatem noverat, ac quîcùm illi semper fuit summa studiorum ac animorum conjunctio, & innocenter quandoque fieri addidisset. Quem primum hanc calumniam in vulgus propalasse ferunt ? Henricum de Hassia, quem videre non licuit, ac mihi dubium ut cujus locum non indicant, sed is mortuus est anno MCCCCXVIII : Alphonsum Tostatum anno MCCCCXIV natum, & juvenem ætatis XL defunctum in Genes. cap. 31 & Exod. cap. 14. Sed etsi virum aliàs peritum, nimis tamen credulum censent, & plurium similium narratorem seu collectorem fabularum : F. Bartholomæum Sibylla nostrum *Peregr. Quæst. Dec. 3 cap. 4 q. 3.* Sed hic relative tantùm loquitur ex Henrico de Hassia in Genes. imo revocat in dubium, sic enim habet : *Quomodo enim homo per artem faceret corpus heterogeneum & tam tenerum quale requirit anima rationalis, qui facere non potest per artem grossum & respectu hominis ignobile corpus puta aurum vel argentum. Quod si dicatur Albertum Magnum caput formasse hominis loquentis arte & sola naturalium virium operatione, illud negatur, & dicitur quod fuerit, si tamen fuit, latenti operatione dæmonum.* Unde cùm certo certius sit Alberto Magno cum dæmonibus nihil unquam fuisse negotii, & historiolam illam ab impiis, ut malitiæ suæ sanctissimum virum faventem haberent, adinventam pro comperto teneas. Adde ut jam indicavimus, testes adductos non convenire. Nam Henricus de Hassia referente Sibylla volebat caput fuisse ossibus nervis veris carne compactum, quale hominis vivi, Tostatus citatus in Exod. dicit fuisse caput ferreum, recentiores nullo auctore imaginantur & fingunt fuisse æneum, & ubi illi antiquiores caput solùm memorant, isti statuam integram sub certis constellationibus compositam ariolantur : quæ linguarum diversitas prudentem omnem cogit, ut ista omnia cum Theophilo Raynaudo *Hoplot. sect. 2 ser. 1 cap. 14* ad Deum Fabulinum ableget. Legendus & Naudæus libro cui titulus *Apologie des grands hommes soupçonnez de Magie. p. 516 & seqq.*

Plures alias fabulas de Alberto Magno a viris otiosis confictas refert Petrus de Prussia vitæ capp. 49, 50, 51 & 52 quas & egregie refellit : hanc unam placet annotare, qua dicunt staturæ tam exiguæ Beatum fuisse, ut stantem coram se putaret summus pontifex genuflexum, & ut surgeret jusserit, qui respondit inquiunt, se jam stare in pedibus, addunt verò ab ea corporis exiguitate cum tanta divinarum & humanarum rerum cognitione conjuncta Magni nomen sortitum esse. Quod falsum esse contendit Petrus citatus & falsum esse scire potuit, qui translationi corporis Beati anno MCCCCLXXXIII factæ ac supra laudatæ præsens affuit, ossaque omnia numeravit ac dimensus est. Sed de his plus jam satis, nunc opera recensenda.

Hæc triplici indice distinguimus. Primus opera exhibet, quæ in editione Lugdunensi anni 1651 prodierunt. Alter opera in ea collectione non edita, sed a nostris Ludovico de Valleoleti & Laurentio Pignon laudata. Tertius opera ab iis omissa, sed a typographis Lugdunensibus in Indice a se edito indicata, singulis articulis codices MSS vel a nobis visos vel ab aliis accuratis recensitos ut & antiquas editiones addendo, sed & annotationes nostras & criterium cuilibet subjiciendo.

B. ALBERTI MAGNI RATISPONENSIS episcopi ordinis Prædicatorum opera quæ hactenus haberi potuerunt sub RR. PP. Thoma Turco, Nicolao Rodulphio, Joanne Bapt. de Marinis ejusdem ordinis magistris generalibus, in lucem edita studio & labore R. A. P. F. Petri Jammy sacræ theologiæ doctoris conventus Gratianopolitani ejusdem ordinis. Lugduni. Sumtibus Claudii Prost, Petri & Claudii Rigaud fratrum, Hieronymi de la Garde, Joannis Antonii Huguetan filii 1651 fol.

T. I. hæc insunt. *Vita Alberti Magni ex gravissimis auctoribus excerpta epitome.*

Logica ac 1. *De prædicabilibus tractatus* IX.

2. *De prædicamentis tractatus* VII.

3. *De sex principiis Gilberti Porretani tractatus* VIII.

4. *Super duos libros Aristotelis Perihermenias tractatus* VII.

5. *Super librum priorum analyticorum primum tractatus* IX. *Super secundum tractatus* VII.

6. *Super librum posteriorum analyticorum primum tractatus* V.

Super secundum tractatus V.

7. *Super libros octo topicorum.*

8. *Super duos libros elenchorum.*

Hæc omnia viderant nostri Laurentius Pignon & Ludovicus a Valleoleti.

Sec. XIII.

EDITIONES ANTIQUÆ.

Logicalia seu interpretatio universi organi Aristotelis. Venetiis, 1494 fol. Extat Paris. in Sangenov. & Sorbon. & Romæ in Barber.

Rursus Venetiis, Octaviani Scoti, 1500 fol.

CODICES MS.

Superiora omnia Coloniæ apud nostros haberi testatur Petrus de Prussia, qui & addit super Logicam ipsius Alberti manu scripta servari apud nostros Susatenses & Ratisponenses.

Venum prostabant Paris. anno MCCCIII ex libro rectoris universit. hoc titulo, *Commenta F. Alberti in veteri logica* XLII peciis. *In libros priorum* XVIII pec. *posteriorum* XXI pec. *Elenchorum* XVI pec. *Topicorum* XXI pec.

Venetiis inter codd. cardinalis Bessarionis Plut. 8. *Ars vetus logica.*

In catal Anglic. T. I P. II n. 720: *Alb. M. super libros Porphyrii: Prædicamentorum, & περὶ ἑρμηνείας.* Et n. 752: *In universam Aristotelis philosophiam.* Et n. 329: *Super libros Elenchorum.*

Parisiis in Sorbon. cod. fol. mag. memb. inter plura alia: *Incipit logica F. Alberti ord. Prædic. quondam episcopi Ratispon. Liber I de universalibus.* Codex est sec. XIV.

Super libros priorum in Victor. cod. fol. mag. n. 616. Item in Sorbon. cod. fol. med. Item in Navarr. fol. par. membr. hi omnes & sec. XIII vel XIV.

Super libros posteriorum in Victor. fol. med. memb. n. 932 ad calcem sic legitur: *Explicit liber posteriorum analyticorum secundum D. Albertum Magnum. Scriptum per me Jasparem Engelsunsz de Argentina secunda die post festum S. Thomæ confessoris A. D.* MCCCCVIII *die* VIII *martii.* Nota novo stylo 1409.

Super libros topicorum in Victor. cod. cit. n. 616. In Sorbon. cod. fol. med. memb.

Super libros elenchorum in Victor. cod. cit. 932 a fol. 65 ad 120 ubi legitur: *Explicit liber elenchorum ven. doctoris profundi D. Alberti Magni quondam episc. Ratisp.* In Sorbon. cod. eodem mox cit. in Navarr. cod. etiam eodem supra cit.

Catal. Anglic. T. II P. I inter libros impressos Joh. Mori nn. 41 & 42. *Epitomata sive Reparationes logicæ veteris & novæ Aristotelis, juxta viam & expositionem ven. D. Alberti doctoris magni acerrimique philosophi. Coloniæ* 1494 4. Non indicatur auctor, sed ejusdem adjiciuntur *QQ. quodlibet* Venetiis editæ. 1481 4.

T. II. 1. *Super octo libros Physicorum.* Pr. *Intentio nostra est in scientia naturali etiam satisfacere pro nostra possibilitate Fratribus ordinis nostri nos rogantibus ex pluribus jam antecedentibus annis, ut talem librum de physicis eis componeremus, in quo & scientiam naturalem perfectam habeant, ex quo libros Aristotelis competenter intelligere possint.*

2. *Super quatuor libros de cœlo & mundo.*

3. *Super duos libros de generatione & corruptione.*

4. *Super quatuor libros Meteororum.*

5. *Super quinque libros Mineralium.*

Laudant Pignon & Valleoletanus citati.

EDITIONES ANTIQUÆ.

In octo physicorum. Venetiis Joan. de Forlivio. 1488 fol. Extat in Sangenov. & Sorbon.

Ibidem ex fide Beughem. 1496 fol. Rursus *in physicam generalem & specialem Aristotelis* ibid. 1494 fol. Sic enim lego in catalogo librorum editorum ante 1500 impresso anno 1643 in 16 in Regia Q. 649.

In libros de cœlo & mundo. Venetiis. 1480 fol. Extat in Sangenov.

Super libros mineralium. Vetus editio absque anno loco & nomine typothetæ laudatur Romæ in Barber. Augustæ 1519 & Argentinæ Baltaz. Becx. 1541 fol.

Delle cose minerali e metalliche libri cinque tradotte da Pietro Lauro. Venetiis. 1557 8. Quæ editio Romæ in Barber.

CODICES MS.

Ex libro rectoris cit. Venum prostabant Paris. anno MCCCIII *in libros physic.* LII pec. *De cœlo &c.* XLIV pec. *De generatione* XI pec. *Meteororum* XXVII pec. *Mineralium* XII pec.

Venetiis cardinalis Bessarion. Plut. 8. Excipe super libros mineralium.

Ibid. apud SS. Joan. & Pauli *physicorum* fol. memb. & *mineralium* in 4 memb. Plut. 7.

Ibid. apud S. Antonium *De generat.* & *Meteor.* Plut. 7.

Florentiæ in S. Marci *physicorum* Arm. IV n. XI. memb. & in Medicea *mineralium* Plut. LXXXIII cod. I papyr. & Plut. LXXXIV cod. 19 memb. in 8.

Catal. Anglic. *Physicorum* T. I P. II. 270, 328 & 2226. T. II P. I. 717. *De cœlo* T. I P. II. 270, 873. P. III. 1996. T. II P. I. 698. *De gener.* T. I. P. I. 1320. P. II 873. *Meteor.* T. I P. II. 1193, 1319. P. III 985. *Mineral.* T. I. P. I. 1784, 7530, 7638. P. II. 880.

In abbatia Claravallensi. *Physica.*

Paris. *Physic.* in Victor. cod. 25 fol. max. memb. Item in Sorbon. fol med. chart. scripto anno 1407. Regia cod. 5121 fol. med. memb. Colbert. cod. 2069.

De cœlo. in Victor. cod. 38 papyr. Regia cod. 4841 fol. mag. chart. Colbert. cod. cit. 2069.

De generat. in Victor. cod. 32 papyr. ad cujus calcem plura adduntur de Alberto Magno ejusque diversis ab Aristotele sensis notanda. Regia cod. 4750 fol. mag. membr. eleganti. Item 4859 fol. mag. chart.

Meteoror. in Regia codd. mox cit. & cod. 5786 fol. med. chart. scripto anno 1471.

Mineral. in Sorbon. cod. fol. med. membr. Item Regia cod. 4751 fol. mag. membr. & cod. 4859 mox cit. & cod. 4966 fol. max. membr. eleganti. Item Colbert. cod. 3362.

In mineralium libris artem alchymicam fere funditus evertit. Vide lib. 3 tract. 1 cap. 9 ubi sic habet: *Propter quod ego experiri feci, quod aurum alchymicum, quod ad me devenit, & similiter argentum, postquam sex vel septem ignes sustinuerit, statim amplius ignitum consumitur & perditur, & ad fæcem quasi revertitur.* Non impossibilem quidem metallorum transmutationem statuit, si quis per artem naturam imitetur, sed artem hanc ab ullo ad sua usque tempora inventam aut opere completam negat.

T. III. 1. *In tres libros de anima.*

2. *Libri* XIII *metaphysicorum.*

Laudant utrosque Pignon & Valleoletanus.

EDITIONES ANTIQUÆ.

Metaphysicorum. Venetiis. Octav. Scoti. 1494 fol. char. Goth. Paris. in Sangenov. Rursus Venetiis 1498.

Ad finem hujus operis sic habet auctor: *Hic finis disputationis istius, in qua non dixi aliquid secundum opinionem meam, sed omnia quæ dicta sunt, secundum positionem Peripateticorum: & qui hoc voluerit probare, diligenter legat libros eorum, & non me sed illos laudet vel reprehendat.*

CODICES MS.

De anima. Prostabat Paris. anno MCCCIII. XXXIII pec. ex lib. Rect. cit. Venetiis. Bessarion. Plut. 8.

Catal. Anglic. T. I P. I. 1320. P. II. 328, 358, 1193.

Apud Sanderum. P. II in valle S. Martini p. 209.

Metaphys. Apud nostros Coloniæ teste Petro de Prussia.

Venetiis SS. Joan. & Pauli. Pl. 7 fol. memb. Item Bessarion, Plut. 8.

Catal. Anglic. T. I P. II. 329 358.

Apud Sanderum loco mox cit.

Paris. in Victor. cod. 623 fol. med. memb. & cod. 32 fol. papyr.

Sorbon. cod. fol. mag. memb. & altero item memb. sed fol. med. emendatius quàm in editis.

Regia cod. 4841 fol. mag. chart.

T. IV. 1. *In decem libros Ethicorum.*

2. *In octo libros Politicorum.*

Laudant Pignon & Valleoletanus.

EDITIONES ANTIQUÆ.

Venetiis. Octav. Scoti. 1520 fol. Parif. in Sangenov. & Sorbon. & Romæ in Barber.

CODICES MS.

Coloniæ apud nostros teste Petro de Prussia.

Florentiæ in Medic. Pl. LXXIX cod. 29 fol. memb.

Catal. Anglic. T. 1. P. III. 1000.

Apud Sanderum P. II in valle S. Martini. p. 209.

Parif. *Ethicorum.* in Victor. cod. 24 fol. max. memb. Ibid. cod. 958 fol. med. chart. cujus initio sic legitur: *Liber Ethicorum Ven. Alberti Magni ord. Præd. quem cum textu Aristotelis in margine scripsit Gerardus Marcelli magister in artibus Parisius ante ingressum religionis* (S. Victoris, ut in fine dicitur) *tunc socius pauperum magistrorum de Sorbona &c.* Ad calcem additur opus *scriptum anno* MCCCCIX *die S. Laurentii.*

In Sorbon. cod. fol. med. chart.

In Regia cod. 4753 fol. mag. memb.

Politicorum. in Victor. cod. 24 cit.

Regia cod. 4752 fol. mag. memb. Item cod. 4753 cit.

Verior est, quam ad calcem politicorum habet, sententia. *In studio* inquit, *semper sunt quidam amarissimi & fellei magistri, qui omnes alios convertunt in amaritudinem, nec sinunt eos in dulcedine societatis quærere veritatem.*

T. V. *Parva naturalia.* 1. *De sensu & sensato.*

2. *De memoria & reminiscentia.*

3. *De somno & vigilia*, ubi lib. 3 agit *de divinatione & prophetia.*

4. *De motibus animalium.*

5. *De juventute & senectute.*

6. *De spiritu & respiratione.*

7. *De morte & vita*, ubi tractatu 2 agit *de causis longioris & brevioris vitæ.* Quod fortè opusculum illud est a quibusdam numeratum ut distinctum *De longitudine & brevitate vitæ.*

8. *De nutrimento & nutribili.*

9. *De natura & origine animæ.*

10. *De unitate intellectus contra Averroem.* Albertus ipse summæ P. II Q. 77 memb. 3 hoc opusculum Romæ se scripsisse testatur.

11. *De intellectu & intelligibili.* Lib. 2 agit *De naturali perfectione intellectus.*

12. *De natura locorum.*

13. *De causis & proprietatibus elementorum.*

14. *De passionibus aeris.*

15. *De vegetabilibus & plantis.*

16. *De principiis motus progressivi.*

17. *De causis & processu universitatis a causa prima.*

18. *Speculum astronomicum, in quo de libris licitis & illicitis.*

Laudant Pignon & Valleoletanus exceptis 14 & 16 seu ipsos fugerint, seu sub cujusdam alterius titulo comprehenderint, ut verius videtur, ut & horum quædam in duo dividunt.

EDITIONES ANTIQUÆ.

Hæc opuscula omnia hoc eodem ordine prodierunt Venetiis. Hæred. Scoti. 1517 fol. char. Goth. Quæ editio extat Parif. in Sangenov. & Regia, R. 149.

12. *De natura locorum* prodiit seorsim Viennæ 1514 ex fide Simleri. & Neapoli. 1592 4 quæ editio Romæ in Barber.

18. *Speculum astronomiæ* cum quibusdam alienis, de quibus postea Lugduni 1615 in 16. Quæ editio in Barber.

CODICES MS.

Opuscula hæc omnia Coloniæ haberi apud nostros testatur Petrus de Prussia.

Ex lib. Rectoris cit. prostabant Parif. anno MCCCIII 1 & 3, XIV pec. 4, V pec. 6, XIII pec. 5, 8 & 11, simul X pec. 9, VIII pec. 12, VIII pec. 13, IX pec. 15, XXXIX pec. 16, V pec.

Florentiæ in Medic. Pl. LXXXIII cod. 1 fol. mag. papyr. fere omnia.

Ibid. Pl. LXXXIV cod. 20 papyr. *Alberti Magni contradictio adversus eos qui dicunt post separationem animæ a corpore non remanere ex omnibus animabus nisi intellectum unum & animam unam.* Est decimus ex editis de unitate intellectus contra Averroem.

Ibidem in S. Marci. Arm. IV cod. 12 fol. mag. memb. *Albertus in parva naturalia.* Ibid. *De unitate intellectus* seorsim cod. 25.

Venetiis ad S. Antonii pleraque & Bessarion. Pl. 8, 13 & 15 etiam pleraque.

Catal. Angl. Omnia simul, quædam seorsim. Videsis T. 1. P. 1 nn. 1320, 1702, 1821, 1911. P. II nn. 213, 880, 1193, 1284. P. III 709, 951, 985, 1877. T. II. P. 1 nn. 68, 698, 1466. Excerptum autem ex opusculo 15 *de vegetabilibus* existimarim, quod recensetur T. 1 P. 1, 8345 hoc titulo: *Alberti Magni tractatus de plantationibus arborum, & de conservatione vini*, nisi sit erratum in nomine auctoris, nam hoc eodem titulo laudatur opella Arnaldi de Villanova. Vide Lambecium Bib. Cæsar. lib. 2. p. 841: & alterum P. II 1592: *Alberti de Colonia tractatus de insitionibus & plantationibus arborum:* quod tamen certius docebunt codd. possessores.

Apud Sanderum Bibl. Belg. P. II in valle S. Martini p. 209 laudantur fere hæc omnia opuscula licèt non eodem ordine.

Claravall. *De causis. De somno & vigilia. De spiritu & respiratione.*

Parif. extant in Victor. codd. 29 & 38 fol. papyr. exceptis paucis. *De unitate intellectus* seorsim cod. 930 fol. med. memb.

Sorbon. 9 *de nat. & orig. animæ.* cod. fol. memb. ubi & quædam simul opuscula F. Thomæ de Aquino ex legato Godefridi de Fontibus S. T. M. æqualis, ac proinde sec. XIII. Iterum altero cod. fol. mag. memb. n. 1 p. 752 inter alia Petri de Alvernia & F. Thomæ de A. Item 17. *De caus. & prot. univer.* cod. fol. mag. memb. n. 1 p. 877.

Regia codd. 4750 & 4859 supracit. sunt exceptis 14, 15, 17 & 18: cœtera sed alio ordine quàm in edit. Lugdun. At. 14 *de passionibus aeris* est cod. 6380.

Circa 18 nempe *speculum astronomicum*, quædam est difficultas, sunt enim qui Alberto abjudicant. Catal. Anglic. T. 1 P. 1 n. 1682 sic legitur: *Philippus cancellarius Parisiensis de libris licitis & illicitis opus falso Alberto attributum.* Contrà Naudæus hunc tractatum F. Rogero Bacon ord. Minor. viro in hisce erudito asserere nititur. Verùm Pignon & Valleoletanus citati sub nomine Alberti Magni viderunt & laudarunt. Gersonus cancellarius Parisiensis Trilogii sui epilogo sic habet: *Composuit super hac re* (de libris astrologicis qui sunt & non sunt tolerandi) *Magnus Albertus opusculum, quod appellatur speculum Alberti &c.* Noster Nicolaus de Dacia de quo postea suo ordine, qui anno MCCCCLVI de hoc argumento scripsit, hoc opusculum etiam eidem Alberto asserit. Catal. Anglic. cit. T. II P. 1 cod. 6141 est *Alberti Magni speculum*, & astronomicum colligas ex seqq. Parif. in Regia cod. 5464 fol. par. est *Alberti speculum astrologiæ cum aliis auctoribus astrologicis.* Si stylum & methodum attendas, Alberto Magno vindicabis. Auctorem quidam arguunt, quod libros necromantiæ servandos non abolendos censuerit: sed consentientem in hoc judicio habet laudatum Gersonum ad finem *Trilogii* cit. sic loquentem: *Ex-*

Sæc. XIII. *pediens videtur, si sine periculo abusus servarentur libri Necromantici.* Nempe medicis necessaria est venenorum scientia, ut casu dato adhibere possint remedia: præsertim cùm hos libros ita aboleri contingere non possit, ut inter manus impiorum aliqui non supersint: unde ut eos revincere possint viri eruditi, quid in eis habeatur vel stultitiæ vel malitiæ ignorare non debent.

Prodiit typis cum libro de secretis mulierum & aliis de quibus postea Lugduni. 1615 in 16 quæ editio in Barb.

T. VI. *Libri* XXVI *animalium.* Notandus finis. *Jam expletus est liber animalium, & in ipso expletum est totum opus naturarum, in quo sic moderamen tenui, quod dicta Peripateticorum prout melius potui exposui, nec aliquis in eo potest deprehendere, quid ego ipse sentiam in philosophia naturali &c.*

Laudant citati Pignon & Valleoletanus.

EDITIONES ANTIQUÆ.

I. Eaque elegantissima charta & charact. absque majusculis tamen quæ manu additæ, item absque numeris, signaturis, reclamationibus, quorum loco in fine adjectum est registrum primi vocabuli a quo incipit quodque folium prodiit curante Hermando Cordubensi qui Sixto IV nuncupat. Ad finem sic legitur: *Hoc præsens Alberti Magni de rerum proprietatibus opus impressum per egregium virum D. Simonem Nicolai de Luca hujus laboratorii dominum Romæ* 1478 *pontif. Sixti anno* VII *die* 11 *mensis april.* fol. Extat Paris. in Regia. R. 147.

II. Mantuæ per Paulum Joannis de Butschbach Maguntinen. fol 1479 die 12 jan. quod intelligas stylo veteri, novo 1480. Extat in Regia. R. 146.

III. Venetiis. 1495 fol. ex fide Beughemii.

IV. Recognita & emendata per M. Ant. Zimaram philosophiæ publicum Paduæ professorem. Venetiis. Octav. Scoti 1519 fol. in Regia. R. 148 & in Sorbon.

Seorsim prodiit *Tractatus de Falconibus, Asturibus & Accipitribus.* Augustæ Vindel. Joan. Prætorii 1596 8. Excerptus scilicet ex lib. XXIII de animalibus. Quæ editio Paris. in Reg. S 856 & Romæ in Barber.

CODICES MS.

Coloniæ integrum haberi manu ipsius auctoris dicit Petrus de Prussia.

Paris. ex libro rectoris cit. prostabat anno MCCCIII constans CXXI pec.

Florentiæ in Medic. Pl. LXXXIV cod. 18 fol. memb. in quo ad finem libri XIX sic legitur: *Et hic terminatur totus liber Aristotelis de animalibus, libros verò septem sequentes addidit Albertus.* Revera Aristotelis sunt tantùm decem libri de historia animalium, quatuor de eorum partibus, quinque de eorumdem generatione: & ultimum caput libri XIX Alberti commentum est ultimi capitis de generatione animalium ejus philosophi.

In catalog. Anglic. T. I P. II. 264, 753, 1702. P. III. 1867.

Apud Sanderum P. II in valle S. Martini pag. 209 sed tantùm XII.

Paris. in Victor. codd. duobus 30 & 31 memb. fol. med. sec. XV ineuntis, certo ante MCCCCXX. Ad finem adjicitur *Capitulum de his de quibus adhuc restat inquirere in scientia animalium.*

Sorbon. cod. n. I p. 874 qui libet elegantissimus imaginibus auro minio cyaneoque distinctis ubique illustratus, emptus anno MCCCLXXXIV.

Regia codd. 4965 & 4966 memb. fol. mag. qui libri elegantes. Opus in unoquoque integrum. Item cod. 4843 fol. mag. chart.

Colbert. codd. 283 & 800 fol. mag. membr. melioris notæ, & ex antiquioribus.

Catal. Anglic. T. I P. II cod. 1193 *De scientia Falconum secundùm antiquos.*

Et P. III cod. 951 *De anatomia humani corporis.* 2 *de anima.* 3 *de monstrosis hominibus Orientis.* 4 *de animalibus quadrupedibus.* 5 *de avibus.* 6 *de monstris marinis.* 7 *de piscibus fluvialibus.* 8 *de serpentibus.* 9 *de vermibus.* 10 *de arboribus communibus.* 11 *de arboribus aromaticis & medicinalibus.* 12 *de herbis & earum virtutibus.* Quæ omnia tum ex his animalium XXVI libris, tum ex opusculo 15 de vegetabilibus & plantis tomo superiori recensito, tum ex aliis Alberti operibus excerpta, & in unum a quodam curioso sic collecta facile colligas.

His addendum est Tholomæi de Luca testimonium Hist. Eccl. Nov. lib. 22 cap. 18 ubi sic habet: *Hic* (Albertus) *commentatus est totam logicam Aristotelis, totam philosophiam naturalem, & quantum ad particularem experientiam naturarum clarissime & excellentissime tradidit.*

T. VII. *Commentarii in Psalmos.* Pr. *O altitudo divitiarum &c.* ad Rom. XI.

Laudant Pignon & Valleoletanus.

Editionem antiquiorem hactenus non vidi.

CODICES MS.

Hi solum occurrerunt Paris. in Victor. codd. MSS 412 & 413 fol. mag. memb. ex dono Adenulphi de Anagnia præpositi S. Audomari & canonici Ecclesiæ Paris. ejusdemque aliquando electi episcopi, qui obiit anno MCCLXXXIX, sicque sec. XIII. Ex his codd. facta est editio.

Extat etiam in Sorbon. cod. fol. med. memb. n. I p. 517 ejusdem circiter ætatis.

T. VIII. *In Threnos Jeremiæ.* Pr. *Isaia* 33. *Ecce videntes clamabunt, Angeli pacis amare flebunt &c.*

2. *In librum Baruch.* Pr. *Benedictus qui venit in nomine Dñi.*

3. *In librum Danielis prophetæ.* Pr. *Doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus &c.* Eccl. 24.

4. *In* XII *Prophetas minores.* Pr. *Duodecim prophetarum ossa pullulant de loco suo, nam corroboraverunt Jacob, & redemerunt se in fide virtutis suæ* Eccl. 49.

Laudant Pignon & Valleoletanus.

Editio antiquior nulla mihi occurrit præterquam commentarii in XII prophetas minores. Coloniæ, Typis Quesnell. 1536 fol. quæ Paris. extat in Sangenov. & Sorbon.

CODICES MS.

Vidisse se testatur omnium F. Petrus de Prussia, nulli verò mihi occurrerunt hactenus, notandum solùm venit de commentario in XII prophetas quoddam eodem principio Stephano de Langueton Anglo ac seculo XIII florenti tribui, cujus exemplum MS Paris. in Navarr. fol. parv. memb. ac melioris notæ servatur, sed collatione facta præter versiculum illum Eccles. quo uterque incipit, nihil habent commune, adeo ut unicuique suum opus constet.

T. IX. *Commentarius in Matthæum.* Pr. *Liber generationis.*

2. *In Marcum.* Pr. *Initium Evangelii Jesu Christi.*

T. X. *In Lucam.* Pr. *Quoniam quidem multi conati sunt.*

T. XI. *In Joannem.* Pr. *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri.* Ezech. 7.

2. *In Apocalypsin.* Pr. *Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ &c.* Matt. XI.

Pignon laudat in Evangelia solùm, Valleoletanus etiam in Apocalypsin.

EDITIONES ANTERIORES.

Prodierunt in Evangelia quatuor curis doctorum Coloniensium, præsertim Gerardi de Hardenwick S. Columbæ pastoris. Haganoæ, typis Henrici Gran, sumtibus Johannis Rimnam. 1504, 1505 & 1506 fol. voll. tribus. char. Goth. Quæ editio

extat Parif. in Navarr. In Joannem verò in Sorbon.

In Johannem feorfim antea prodierat in Inc. typog. abfque loco anno & nomine Typographi, abfque numeris reclamationibufve. Quæ editio in fol. extat in eadem Navarr. In his editionibus ut & in Lugdunenfi initio monetur hanc expofitionem in Joannem ab Alberto Romæ lectam, cùm eo ivit fub pontif. Alexandri IV occafione libri quem adverfus noftros & Minores fcripferat Guillelmus de Sancto-amore.

In Apocalypfin prodiit Bafileæ. Jacobi de Phortzein. 1506 4 cum præfatione edentis noftri Bernardi de Lutzemburgo, qui & duas tabulas addidit, & tertiam qua loca aliàs corrupta & a fe reftituta indicat afterifcis: ac præter commentarium Alberti in prologum Gilberti Porretani aliud fuum in eumdem præmittit. Quæ editio apud noftros Rotomagen. & Romæ in Barber.

CODICES MS.

Vidit omnium Petrus de Pruffia, feorfim in *Matthaeu* Coloniæ apud noftros manu ipfius Alberti, & eadem manu *in Lucam* Ratifponæ, *in Joannem* verò Noribergæ, utrobique apud noftros fervari afferit.

Catal. Anglic. T. I P. II n. 253 *in Matthaeum.* n. 254 *in Marcum & Lucam.* T. II P. I n. 1801 *in Lucam.*

Claravall. *Super quatuor evangelia voll. duob.* fol.

Apud Sanderum P. II in valle S. Martini p. 209 jam citata laudatur *in Apocalypfim.*

In Sorbon. mox cit. extat codex fol. mag. membr. ex legato Joannis de Daventria, qui vivebat circa 1335 focius Sorbonicus, fed codex antiquior videtur: in eo autem 1 eft *commentarius in feptem epiftolas canonicas* ille fcilicet qui editus fub nomine S. Thomæ de Aquino & etiam fub nomine F. Nicolai de Gorran: 2. *Commentarius hic in Apocalypfin* fub nomine B. Alberti Magni editus totidem verbis a cap. ad calcem: fed in codice utriufque commentarii auctor filetur.

T. XII 1 *Sermones de tempore.* Pr. *Ecce rex tuus venit tibi manfuetus* &c. Matt. 21.

2. *Orationes fuper evangelia Dominicalia totius anni.* Pr. omnium. *Domine Jefu Chrifte.*

3. *Sermones de fanctis.* Pr. *Venite poft me, faciam vos fieri pifcatores hominum.* Matt. 4.

4. *Sermones* XXXII *de Sacramento eucharistia.* Pr. *Venite comedite panem meum, & bibite vinum quod mifcui vobis.* Proverb. 9.

5. *De muliere forti.* Pr. *Laudes Ecclefiæ defcribit Salomon in figura mulieris fortis.*

EDITIONES ANTIQUÆ.

Vetus editio laudatur Catal. Anglic. T. II in Bibl. Johannis Mori hoc titulo: *Sermones notabiles & formales M. Alberti Magni O. Prad. de tempore & de fanctis per anni circulum impreffi per Michaelem Gryffin in oppido Rutlingen.*

Iidem Coloniæ. Arnoldi Terhucuen. 1474. fol.

Iidem curis Jo. Andreæ Coppenftein noftri Moguntiæ. Joan. Aleimen. 1616. 8.

Poftea *de tempore* interpolati & ampliati per F. Simonen Okolfki O. Præd. Cracoviæ. Lucæ Kupifz. 1649. 4.

Alva Sol. verit. col. 53 dicit a noftris Guilielmo Carnificis & Jo. Bunderio in fuo indice codd. MS Belgii citari fermones Alberti de tempore alio principio, nempe: *Quoniam veritatis* & reperiri apud noftros Gandavi, item Nivellæ. Revera Bibliopolæ Lugdunenfes in fuo catalogo operum Alberti quadripartito ejufdem laudant fermones hoc principio *Quoniam veritatis*, quos & olim typis editos præftant. Ut ut fit de quo penes illos fides, aliud erit fermonum opus, & ex mox referendis præter editos, allios Alberti fermones in variis bibliothecis fervari conftabit. SÆC. XIII.

Sermones XXXII *de Eucharistia* prodierunt in 8 typis Gothicis in Inc. Typ. abfque anno loco & nomine typothetæ. Quæ editio extat Parif. in Navarra. Item Moguntiæ per Joan. de Guldenfchuff. 1477 fol. Hæc in Sorbon. vide T. XXI fequenti art. 3.

Poftea Moguntiæ. 1615 in 8.

De *muliere forti.* Prodiit etiam opus in Inc. Typ. in 4 char. Rom. abfque loco anno & nomine typographi, quæ editio in eadem Navarr. Laudant Pignon & Valleoletanus.

CODICES MS.

Orationes fuper evangelia extare apud noftros Coloniæ afferit Petrus de Pruffia. Ex Bib. Rhedonenfi fe dare teftantur Editores Lugdunenfes.

De Eucharistia etiam Coloniæ haberi docet idem Pruffus partim manu notarii feu fodalis qui ad Alberti obfequium erat, partim manu ipfius Alberti caftigantis immutantis vel addentis ut fibi videbatur.

Habentur etiam cod. in 4 in Bibl. Trajectina ad Rhenum recenfiti a Sandero P. II p. 74.

De muliere forti Goloniæ apud noftros vidit Pruffus cit.

In catal. Anglic. T. I P. II cod. 654 *Albertus de muliere forti.*

Claravall. *Super caput Mulierem fortem.*

Parif. in Sorbon. extat cod. n. 1 p. 505 fol. mag. memb. cum pluribus aliis ligatus.

Alva in fuo comico *Pleytos de los libros* noftros ridet Pleyto IX p. 50 quod hunc *de muliere forti* commentarium Alberto afcribant, quem inquit, duo codices Corbeianus & Anglicus apud Thomam James p. 81 ubi recenfentur libri MS gymnafii S. Benedicti n. 134 inter plura S. Auguftini exhibent. Sed fane rifit folus, nam ut ut fit de tractatu illo codicum Corbeienfis & Anglicani quos videre non licuit, primo nulla editio operum Auguftini, nequidem ultima ampliffima & ex codd. Corbeiens. partim facta, nullum fub hoc titulo *De mulieri forti* tractatum repræfentat nec inter genuina nec inter fuppofititia. Præterea ifte commentarius in cap. 31 Proverb. ut nec micam habet ftyli S. D. Auguftini, ita proprium redolet Alberti, ut nihil magis, genuinumque ejus fœtum fe prodat.

T. XIII *Commentarii in Dyonifium Areopagitam.*

1. *De cœlefti hierarchia.* Pr. *Ad locum unde oriuntur flumina &c.* Eccl. 1.

2. *De ecclefiaftica hierarchia.* Pr. *Quia per angelica hierachia &c.*

3. *De myftica theologia.* Pr. *Vere tu es Deus abfconditus &c.* Ifa. 45.

4. *In undecim epiftolas Dionyfii.* Pr. *In hoc glorietur qui gloriatur, fcire & noffe me* Jerem. 9.

Laudant omnia Pignon & Valleoletanus.

Editionem antiquiorem nullus quod fciam meminit.

CODICES MS.

Super omnia opera Dionyfii dicti Areopagitæ vidit Petrus de Pruffia.

Parif. in Victor. cod. 958 chart. fol. fcripto anno MCCCCIX extat *de cœl. hierarc.* & principia fequentis. Item cod. 58 fol. mag. chart. extat *de myft. theol. & in epiftolas.*

In Navarr. cod. fol. par. memb. *Expofitiones D. Alberti de ordine FF. Præd. quondam epifc. Ratifp. fuper omnes libros Dionyfii, & fuper epiftolas ejufdem.* Codex videtur fec. XIV.

In Auguftiniana ad Pontem novum cod. 191 fol. par. memb. ex antiquioribus, extant *De cœl. hierarc. De myft. theol. & fuper epiftolas.*

SAEC. XIII. Adjecerunt Editores huic tomo opusculum celebre, cui titulus

Compendium theologicæ veritatis. Cujus Pr. *Veritatis theologicæ sublimitas &c.* Quia scilicet plures antiquiores editiones etiam in Inc. Typ. Alberto Magno asserunt: quia tamen S. Antoninus istud opusculum disertis verbis Alberto abjudicat, nec ejus meminerunt antiquiores Pignon & Valleoletanus ex genuinorum Alberti operum indice resecandum & expungendum certius videtur. Vide postea *Hugo Argentinensis* & *Thomas de Suttonia*.

T. XIV. *In librum I magistri sententiarum*. Pr. *Ego ex ore altissimi* &c. Eccl. 24.

T. XV. *In secundum*. Pr. *Vidi Dominum sedentem super solium*. Isa. 6.

In tertium. Pr. *Hic enim rationis ordo postulat*.

T. XVI. *In quartum* Pr. *Sapientia ædificavit &c.* Proverb. 9.

Libros quatuor laudat Pignon.

EDITIONES ANTIQUÆ.

Basileæ Jacobi de Phorzein 1506. fol. Quæ editio extat Parif. in Sangenov. Sorbon. & Navarr. & laudatur in Catal. Ang. in bibl. Joh. Mori: in Barber. verò absque loco anno & nomine typographi, an eadem an diversa?

CODICES MS.

Apud Sanderum P. II in valle S. Martini p. 209 *Albertus Magnus super primum sententiarum*.

Et in Corsendunck. p. 46. *Albertus magnus in primum & secundum sententiarum*. Tomis duobus in fol. & pergameno.

Parif. in Victor. cod. 925 fol. memb. *in secundum sentent.*

Quod in quarto sententiarum Dist. 31 de usu conjugii turpes quasdam quæstiones tractarit, egregie purgat ipsemet, *ita* inquit, *cogentibus monstris quæ in confessione audiuntur. Ne ergo*, ait Theophilus Raimundus Honlot. Sect. 2 Ser. 3 cap. 10 *confessarii rudes sint medicinæ quam facere debent adeo frequentibus morbis, justum censuit Albertus in illud oletum stylum demittere*. Neque est quod putes hujusmodi libros inter historias peccare docentes computandos, alioquin ipsa peccatorum confessio esset prohibenda, quod nemo catholicus sine horrore audiat. Non hujusmodi opera quærunt voluptatis amatores, ceu in quibus una severius redarguuntur. Si qui verò exinde sibi perniciem aliquando crearint, cogitet unusquisque nihil esse tam bonum, quo vel ipsa scriptura sacra mali non abutantur.

T. XVII. *Prima pars summæ theologiæ*. Pr. *Mirabilis facta est scientia tua ex me &c.* Psal. 138.

T. XVIII. *Secunda pars*. Pr. *Exod. 34 dicitur quod descendens Moyses de monte &c.*

Laudant Pignon & Valleoletanus.

EDITIO ANTERIOR.

Basileæ. typis Gothicis Jac. de Pforzein 1507. fol. Extat Parif. in Navarr. & Sorbon. Et Romæ in Barber.

CODICES MS.

Coloniæ apud nostros utramque haberi asserit Petrus de Prussia.

Venetiis ad S. Antonium. Plut. x apud Tomasinum.

Parif. in Victor. codd. 59 & 60 fol. mag. papyr. quorum primus scriptus anno MCCCCXIV vigil. Purific. alter MCCCCXXII sabbato ante festum Nativ. B. Joan. Bap. per manum Gerardi Martelli de quo jam supra T. IV.

Sorbon. Utraque pars codd. duobus fol. mag. memb. 1. Scripta anno MCCCCX 2. Scripta anno MCCCCIX, & completa XI januar. Ad calcem primi codicis sic legitur: *Explicit primus liber in nomine Jesu Christi de mysterio Trinitatis secundùm F. Albertum professum ord. Prædic. episcopum quondam Ratispoñ sacræ theologiæ magistrum in Colonia quiescentem in conventu FF. Præd. in choro ante majus altare*. Ad calcem alterius *Explicit summa super secundum sententiarum a venerabili F. Alberto quondam episcopo Ratisp. O. P. scripta* ut supra *per manus Gerardi de Profontibus diœcesis Cameraceñ.*

T. XIX. *Summa de creaturis divisa in duas partes, quarum prima est de quatuor coævis scilicet materia prima, tempore, cœlo & angelo.*

Secunda de homine.

Laudant utramque Pignon & Valleoletanus.

EDITIONES ANTIQUÆ.

Prodiit utraque pars typis Gothicis. Venetiis. Octav. Scoti. 1498. fol. Quæ editio extat Parif. in Sangenov.

Rursus ibid. 1519 fol. Romæ in Barber.

CODICES MS.

Coloniæ apud nostros haberi utramque docet Petrus de Prussia.

Florentiæ in S. Marci Arm. IV cod. 10. fol. mag. papyr. *Clarissimi philosophi Alberti Magni commentatoris Latini sacri ord. Prædic. De homine.* Dordrecht anno D. MCCCCXLV. Nomen notarii. Sic tantùm secunda pars.

Venetiis. Bessarion. utraque codd. duobus in fol. memb.

Ibidem ad S. Antonium secunda pars de homine.

Catal. Anglic. T. I P. II cod. 750 utraque & plura alia ejusdem.

Apud Sanderum P. II p. 138 in Viridi valle. *Albertus Magnus de quatuor coævis.*

At p. 209 in valle S. Martini utraque.

Parif. in Navarr. Secunda pars cod. fol. med. papyr. sed mutila.

Augustin. ad Pontem novum eadem secunda de homine integra cod. 132 fol. med. memb. videtur ante MCCC scriptus.

Regia eadem secunda integra cod. 4842. fol. mag. chart.

Tholomæus de Luca æqualis Hist. Eccles. Nov. lib. XXII c. 18. Sic habet de supracitatis theologicis operibus: *Hic theologiam declaravit. Fecit enim scriptum super quatuor libros sententiarum. Hic summam theologiæ inchoavit sed non complevit, fecit tamen duo volumina quæ ad divinam naturam pertinent & emanationes creaturarum. Hic fecit librum de coæquævis, ubi disputantur materiæ naturales, & ponuntur sub quæstionibus philosophicis quantùm dici potest in philosophiæ terminis & etiam ipsam ad theologiam adaptando.* Ubi sub titulo de coæquævis utramque partem complectitur.

T. XX. 1. *Super evangelium Missus est quæstiones* CCXXX. Pr. *Clara est, & quæ nunquam marcescit sapientia.* Sap. 6.

2 *De laudibus B. Virginis libri duodecim.* Pr. *Universis Christi fidelibus &c.*

3. *Biblia Mariana.* Pr. *In principio creavit Deus cœlum & terram.*

Primum opus laudant Pignon & Valleoletanus sub titulo *De laudibus B. Virginis*, cum hoc princ. *Nunquam marcescit &c.*

EDITIONES VETERES.

1. Mediolani. 1489 ex fide Beughemii.

2. Hoc titulo, *Summula de laudibus Christiferæ virginis magistri Alberti.* Coloniæ. Henrici Quentell. 1502 VI Kal. sept. in 4 char. Gothic. Quæ editio Parif. in Navarr. Romæ verò in Barber. extat alia Venetiis. 1504 in 8.

CODICES MS.

Catalog. Anglic. T. I P I cod. 1288. Albertus Magnus de laudibus B. V.

Apud Sanderum P. II Amstelodami p. 71. Albertus

tus de laudibus B. M. Pr. *Nunquam marcescit*. Traject. ad Rhenum p. 1. *De Maria Virginis laudibus Albertus Magnus*. in fol. Idem codex est p. 83 recensitus. Et in Tongren. p. 188. *Albertus Magnus super Missus est*. Et in valle S. Martini p. 209. *De laude B. M. V.*

Claravall. *Super Missus est*. Lipsien. S. Pauli apud Fellerum p. 97 idem & pag. 140. *Alberti Magni tractatus tripartitus super Missus est*.

Parisiis in Victor. cod. 573 fol. mag. memb. sec. ut videtur XIV hoc principio: *Nunquam marcescit sapientia*. Ad finem sic legitur: *Explicit liber de laude B. Virginis Alberti Magni*.

Alterum opus libris duodecim constans certo non est Alberti Magni, neque inter ejus opera ullus veterum meminit nec Pignon nec Valleoletanus: ex catalogo itaque operum Alberti expungendum. Methodum tamen nostram in recensendis editionibus & codd. MS sequemur, & quid de vero auctore sentiant quidam addemus, ille enim ex industria nomen suum celavit, ne ut habet in fine secundi prologi cognito tractatore tractatus fortè vilesceret.

EDITIONES ANTIQUÆ.

1. Sub hoc titulo. *Opus insigne de laudibus B. Mariæ Virginis, aliâs Mariale appellatum*. Argentinæ, Martini Simi. 1493 fol. Quæ editio extat in Bib. Cæsar. Vindob. teste Lambecio lib. 2 pag. 777.

Altera Coloniæ absque anno fol. mag. laudatur ab Alva Sol. Verit. Rad. 151 penes quem fides.

Alia item Coloniæ. 1509 fol. refertur a Lipenio Bibl. Theol. P. II p. 237. b.

Tandem seculo ultimum elapso idem opus typis prodiit hoc titulo: *Richardi a sancto Laurentio qui ante* CCCC *annos floruit de laudibus B. Mariæ Virginis libri* XII. Duaci, Joan. Bogardi. 1625. 4 mag. Lipenius loco mox citato laudat editionem ejusdem anni Antverpiæ, sed fortè eadem est, quæ ut solemne in his duabus civitatibus prostabat.

Editor ut Richardo de S. Laurentio assereret, hoc momento persuasus est: quod auctor quibusdam locis remittat ad alios tractatus a se antea editos. Sic lib. 2 col. 152 citat tractatum suum de confessione & fructu ejus: lib. 4 col. 233 citat tractatum suum de munditia cordis: lib. 7 col. 442 tractatum suum de contritione, tit. de exprobratione peccati; lib 10 col. 632 tractatum de scala Jacob seu de scala religionis, quos quatuor & plures alios ad numerum XXI dicti Richardi nomine insignitos ejusdem rationis ac styli editor præ manibus se habere affirmabat, & in fronte codicis sui MS quo continentur, titulo illum pœnitentiarii Rotomagensis Ecclesiæ insigniri.

Revera D. Franciscus de la Pommeraye asceta Sammaureus *Histoire de l'Eglise Cathedrale de Rouen*, Rotomagi 1686 in 4. edita, ubi de visitatione ab Odone *Clement* archiepiscopo facta pro reformatione capituli Andeliacensis anno MCCXLV, in actis refert dici præsentes plures canonicos Ecclesiæ Rotomagensis, & in his Richardum a S. Laurentio, qui fortè sic dictus fuerit ab originis suæ loco castro nempe ejusdem diœcesis in Caletibus, vel etiam ab ejusdem castri dominorum familia etiamnum illustri vulgo *de saint Laurens*. Ut ut sit ex fide Editoris Richardum a S. Laurentio operis hujus auctorem ultro annuunt Theophilus Raynaudus Diptyc. Mar. & Philippus Labbeus Dissert. de script. Eccl. T. I p. 31.

Emendandus autem hîc venit Casimirus Oudin in suo supplem. de script. Eccles. p. 506, ubi dubitans de fide Labbei citantis editionem Duacensem anni 1625, opinatur legendum esse 1525 & ejus esse antiquitatis, quæ inquit inventa fuit in cœnobio Franciscanorum de Bernaio in Normania: in quo insigniter allucinatur, cùm titulus exempli Bernaiani sit idem editionis Duacenæ 1625 a Labbeo laudatæ, quæque non apud Bernaianos quærenda fuit, ceu quæ ubique prostat, & cujus etiam exemplum apud nostros Parisienses ad S. Honorati habetur. Imo secum ipse pugnat, nam cùm asserat in titulo exempli Bernaiani auctorem dici ante 400 annos floruisse, si editio esset anni 1525, Richardum remitteret ad seculum XII, & ad annum circiter 1125, quem tamen ipse collocat ad annum circiter 1230 vel 1245 quo revera auctorem circiter floruisse constabit ex sequentibus.

CODICES MS.

Parisf. in Victor. cod. 811 fol. mag. memb. Titulus literis alternatim rubris & cæruleis: *Incipit novum Mariale. Liber de laudibus B. Mariæ*. Bibliothecæ quidam ante 100 annos præfectus sua manu adjecit opus esse nostri Jacobi de Voragine, cujus erroris præfectum hujus ætatis monui. Ibidem cod. 823 fol. pellibus vitulinis elegantibus rursus extat idem opus a fol. 1 ad 81: fol. autem 82 sequuntur sermones de evangeliis & epistolis dominicarum totius anni absque nomine auctoris, sed qui ex cod. insigni Sorbon. sunt nostri Hugonis a S. Charo: quod non sine causa annotatum constabit ex mox dicendis.

In Sorbon. & Navarr. sunt codices insignes & ejusdem rationis ac Victorini, & hi omnes mihi videntur sec. XIII.

In Regia cod. 3683 fol. mag. pellibus vitulinis char. eleganti, in tabulis ligneis panno bombycino villoso coloris violacei coopertis ligato extat idem opus *De laudibus B. Virginis*. Pag. 2 sic legitur: *Hoc volumen est conventus Fratrum Prædicatorum Lugdunensium, quod fuit D. Hugonis tit. S. Sabinæ presbyteri cardinalis, cui missum fuerat de Picardia ab auctore ejus mediantibus aliquibus*. Quod scriptum manu codici fere æquali & ejusdem seculi. Manu verò longe recentiori additum: *Mariale Hugonis Minoritæ*. Ex quibus hæc habentur codicem hunc aliâs fuisse nostrorum Lugdunensium, quibus obvenerat ex hæreditate F. Hugonis de S. Charo ord. Præd. cardinalis anno MCCXLIV exeunte creati & anno MCCLXII mortui: præterea ab ipso auctore tum in Picardia agente inter annos notatos, quibus proinde florebat, præfato cardinali missum fuisse: quod sane convenit cum ætate indicata Richardi a S. Laurentio canonici Rotomagensis. Nullius verò ponderis est inscriptio addita *Mariale Hugonis Minoritæ*, ut pote quæ recentior, præsertim cùm apud nomenclatores ordinis Minorum iste Hugo sit omnino incognitus.

In Bibl. Cæsar. Vindob. extat etiam hujus operis exemplum chartaceum fol. sed recentius anno MCCCCXXXVIII scriptum teste Lambecio cit. pag. 776. Notandum quod habet auctor ad finem prologi: *Et quia rogatus sum ab amicis meis tam monachis quàm monialibus de ordine Cisterciensium, qui speciali affectu famulari solent virgini gloriosæ, non prout debui, sed prout potui, prosecutus sum laudes ejus &c.* Opus itaque in gratiam Cisterciensium concinnatum fuit.

Tertium hujus tomi opus *Biblia Mariana* non recensetur inter Alberti opera nec a Laurentio Pignon nec a Valleoletano, nec quantùm mihi sapit, stylum redolet Alberti, eique abjiciendum etiam videretur: peritiorum tamen esto judicium.

Prodiisse ferunt aliâs Coloniæ, Boetzeri. 1625. 8. Quæ editio Romæ in Barber.

Apud Fellerum de Bibl. Paul. Lipsien. pag. 148 n. 20 recensetur *Biblia B. Virginis*, sed absque nomine auctoris.

T. XXI. *Miscellanea*. De opusculis hoc tomo collectis visum est sigillatim agendum

SÆC. XIII. 1. *Philosophia pauperum, sive Isagoge in libros Aristotelis de physico auditu, de cœlo & mundo, de generatione & corruptione, de meteoris & de anima.* Pr. *Philosophia dividitur in tres partes &c.* Recenset Valleoletanus: *Item scripsit parvam summam philosophiæ, quæ incipit. Philosophia dividitur &c.* ut in editis. Eamdem censeo quæ a Laurentio Pignon dicitur, *Introductio in libros naturales.*

EDITIONES ANTIQUÆ.

Brixiæ. 1493. Venetiis 1496. Quæ posterior ex fide Beughemii.

CODICES MS.

Parif. in Sorbon. cod. fol. mag. membr. cum aliis doctorum ejus ætatis Sigeri de Corttaco, Michaelis de Brabantia, F. Roberti Kylwardby, F. Thomæ de Aquino, ligatum hoc titulo: *Commentum Alberti parvum. Incipit compendium de negotio naturali Alberti. Philosophia dividitur &c.* eadem. Notandum autem in codice isto seculi haud dubie XIII post finem qui idem ac in editis, sic addi: *Jam finem compendio nostro imposuisse cogitabamus, & negotii studio valedixisse: & ecce quidam sociorum meorum prædilectus affuit, conspectisque negotii titulis in processum colla surripuit in membranam, nec finem imponere permisit, quousque sibi satisfaceremus de quæstionibus* &c. quæ scilicet ibidem sequuntur. Codex itaque novæ editioni si aliquando suscipiatur, & emendandæ & augendæ erit utilissimus. Finis. *Explicit compendium de negotio naturali Fratris Auberti.*

In Colbert. cod. 2101 fol. memb. Idem titulus qui in Sorbon.

2. *De apprehensione & apprehensionis modis.* Qui tractatus per modum dialogi. Hujus non meminerunt Pignon & Valleoletanus: stylum Alberti non refert, mihique ejus non videtur, de quo tamen esto peritiorum judicium.

Sub nomine Alberti Magni prodiisse dicunt seorsim Londini 1515. 8. Sic Caveus Hist. Litt.

3. *De sacrificio Missæ.* Pr. *Isa. 66. Dicit Dominus, Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis.* Et 4. *De sacramento Eucharistiæ.* Pr. *Quia de sacramento altaris.*

Ipse auctor horum alterum promiserat in priori Tract. 3 cap. 12. De secundo sic Bernardus Guidonis: *Circa finem vero dierum suorum librum de sacramento altaris edidit* (Albertus) *in quo evidenter ostendit & simplicitatem fidei suæ in Deum, & fervorem devotionis ad dominicæ Incarnationis sacratissimum mysterium, & qua excellebat scientiam divinarum scripturarum.* Utrumque laudant etiam Pignon & Valleoletanus.

CODICES MS.

Coloniæ apud nostros utrumque servari testatur Petrus de Prussia.

Apud Sanderum P. II p. 209 in valle S. Martini uterque recensetur: ac secundus rursus indicatur p. 72 in Traject. ad Rhenum.

Parif. in Victor. cod. 42 fol. med. papyr. uterque habetur: & ad finem secundi adjicitur *Oratio ejusdem doctoris & episcopi de corpore Dñi. Omnipotens &c.* Ibidem iterum secundus cod. 68 fol. papyr. scriptus anno MCCCCXXXVII.

EDITIONES VETERES.

Liber de officio Missæ. Summa de corpore Christi. Sermones de Sacro-sancto Eucharistiæ sacramento. Moguntiæ. Joan. Guldenschaff. 1477 fol. Hæc uno volumine. Quæ editio Parif. in Sorb.

5. *Paradisus animæ sive de virtutibus libellus.* Pr. *Sunt quædam vitia, quæ frequenter virtutum speciem prætendunt &c.*

6. *De adhærendo Deo libellus.* Pr. *Cogitavi mihi aliquid ultimate &c.*

Pignon & Valleoletanus laudant Alberti tractatum *de perfectione vitæ spiritualis.* Forte idem sit cum illis duobus libellis hic editis, vel illorum alterutro: si autem non sit idem, certe non meminerunt, unde & a quibusdam eruditis an sint Alberti dubitatur.

EDITIONES ANTERIORES, ET SPECIALES.

Primus prodiit hoc titulo: *Tractatus Alberti Magni de virtutibus animæ.* Antverpiæ. 1489 in 4. Quæ editio extat in Bibl. Joh. Mori Catal. Anglic. T. II recensita.

Tum Coloniæ, Henrici Quentel. & Daventriæ. 1498 4.

Antverpiæ 1602. 12. Romæ in Barb.

Secundus Argentorati 1507. 4. Quæ editio Parif. in Sangenov. Anterior indicatur a Beughemio absque loco anni 1500.

Antverpiæ, Moreti. 1621 in 8. cum vita Alberti per Petrum de Prussia.

Una ambo prodierunt Antverpiæ. Plantini 1581 in 16.

Elegans est alia quæ initio dicitur, *nunc primum ad varia* MS *exemplaria emendata, in qua etiam Patrum sententiæ ex ipsis auctoribus in longum producuntur.* Ad calcem adjectus est *D. Anselmi Cantuar. archiepiscopi tractatus perelegans de* XIV *animæ ac corporis dotibus sive beatitudinibus editus opera ac studio R. P. Henrici Sommalii S. I.* Antverpiæ, Plantini. 1602. 12. pp. 345.

CODICES MS.

De virtutibus. Haberi in Bibl. D. Coemans indicant Bibliopolæ Lugdunenses in suo operum Alberti catalogo. An idem cum edito?

Apud Sanderum P. I p. 327 apud Lovanienses S. I. *Alberti Magni Paradisus animæ.*

Catal. Angl. T. I P. I cod. 1625. *Alberti Magni de adhærendo Deo capita* XVI.

7. *De alchymia libellus.* Pr. *Omnis sapientia a Dño Deo est.*

Laudant citati Pignon & Valleoletanus. At Petrus de Prussia in vita Alberti cap. 16 contendit & pluribus probat ejus fœtum non esse, imo hanc alchimiæ artem in libro de mineralibus damnari & omnino elidi.

CODICES MS.

Catal. Angl. T. I P. I cod 1765. *Excerpta ex Alberto de lapide philosophico.* Et cod. 3902. *Alchemia magistri Alberti episcopi.*

T. II P. I cod. 3659. *Alberti Practica in alchymiam.*

Et 7677. *Semita recta alchymiæ Alberti.*

Apud Tomasinum Bibll. Patav. p. 136. in Bibl. Jo. Rhodii, *Alberti Theutonici semita recta.* 4. ch. verum an idem opusculum his locis indicatum cum edito? Certe aliud est, quod hoc eodem titulo Parisiis in Colbertina servatur. Scilicet

Cod. 1639 fol. med. chart. *Alberti Magni liber alkimiæ qui semita recta vocatur.* Pr. *Talentum mihi creditum negotiationis.* Finis, fol. 12. *nec veris ignis pertimescit. Explicit liber de semita recta Alberti Magni in secretis naturæ operibus & alkimicis introducens.*

Ibid. cod. 4447 inter alia. *Traité d'Albert le grand de la concordance des philosophes en la pierre.*

EDITIONES ANTERIORES.

De alchymia libellus prodiit Basileæ 1561, & Ursellis 1602. 8. Sic Caveus Hist. litt.

Sed an idem opus quod prodiit in edit. Lugdun. an quod ex Colbert. *Semita recta* dicitur, mihi incompertum. Cæterum neutrum eruditi Alberto Magno asserent, etsi alterutrũ jam ante MCCCCL ascriptum. Nimirum ea ætate quidam vigebant hujus artis curiosi, ne planos ac præstigiatores dicam, qui ut suis commentis ac sycophantiis auctoritatem adderent,

fub graviorum scriptorum nomine sua venditabant, adeo ut nedum Alberto Magno qui amplissima rerum physicarum experientia forsan occasionem dederit, sed & ipsi Thomæ de Aquino ab his quam longissime abhorrenti similia supponere non dubitarint.

8. Opusculum in his miscellaneis T. XXI editum est, *Scriptum super arborem Aristotelis*. Pr. *Hæc est figura cæli*.

Nullus antiquus meminit, nullus operum Alberti index exhibet: itaque cùm editores unde eruerint non doceant, mihi valde dubium est ne dicam supposititium, sed penes peritiores arbitrium esto.

Præter hactenus relata in editione Lugdunensi contenta prodiit nuper

B. Alberti Magni episc. Ratisbonen. tractatus incomparabilis de conditione creaturæ rationalis, & quæ illi sunt ad Deum seipsam & alias creaturas cognoscendas necessaria. Sive Dialogi eruditissimi quibus accuratissime ostenditur, quo pacto homo a semetipso alienatus ad sui cognitionem mediante trium graduum scala ad seipsum introire queat. Nempe 1 consideratione ordinis rerum creatarum inter se. 2 Comparatione sui ipsius ad cæteras res penes convenientiam & differentiam earumdem &c. 3 & ascensione ad seipsum & a seipso ad omnium conditorem Deum. Opus utilissimum lectuque dignissimum. Editio altera auctior. Ambergæ. Franc. Cramti. 1705. 12. Sex sunt dialogi. 1. *De natura hominis*. 2. *De beneficiis Dei*. 3. *De amore ejus, viribus, conditionibus & fructibus*. 4. *De timore Dei*. 5. *De lapsu hominis*. 6. *De reparatione hominis lapsi, & quod per unum omnes consurgimus*. Locutores *Ramondus doctor, Dominicus discipulus*. Extat Paris. in Regia D. 2908. 2. Facilè vident omnes opus non esse Alberti Magni, sed Anonymi qui ex ejus scriptis profecerit.

Gallice verò *Graces privilegiées de la Vierge traduites en François* par J. Martin. Lugduni 1627. 12. Extat Romæ in Barber. Neque hic Alberti Magni.

SEQUUNTUR OPERA QUÆ IN SUPERIORI laudata Lugdunensi editione non prodierunt, & a citatis Laurentio Pignon & Ludovico a Valleoleti recensentur, ita tamen ut posterioris ordinem sequamur, singulis nomen prioris addendo, ubi idem habet, adjectis codd. MS *vel etiam editis, qui mihi occurrerunt.* Sic ergo Valleoletanus:

1. *Scripsit Albertus super totam Bibliam per modum postillæ.*

Hîc inutile esset sacræ scripturæ libros omnes sigillatim enumerare, ut quidam fecerunt, nam nec recenset Valleoletanus.

2. *Item super multos libros ejusdem modo quo scripsit naturalem philosophiam per tractatus & capitula ordine commentario.*

Catal. Angl. T. 1 P. 1. cod. 947: *Albertus Magnus super aliquot textus veteris & novi testamenti.*

Apud Sanderum P. II in valle S. Martini p. 209: *Expositiones vocabulorum Bibliæ.*

Laurentius Pignon quid habet distinctius. Scripsit, inquit,

3. *Postillas super Job.*

In catalogo Bibl. Mediceæ Plut. XIII cod. 10 fol. memb. *Scriptum super Job F. Alberti Theutonici de ordine FF. Prædic. opus ineditum, codex rarus cui adjicitur hæc nota: Hanc Jobi explanationem anno* MDCLXXX *annuente serenissimo Cosmo III Magno duce Pater Maximilianus Deza Lucensis congregationis SS. Matris Dei tunc temporis disertissimus verbi Dei præco in ecclesia S. Laurentii sibi transcribendam curavit typis eam daturus quamprimum.* Sic ibi, quod an opere præstiterit clarus ecclesiastes, mihi hactenus incompertum. Simile exemplum vidit Petrus de Prussia.

4. *Super Cantica.* Dicunt extare MS in fol. in Bibl. Cistercien.

5. *Super Isaiam.* Dicunt haberi apud nostros Colonien. Sæc. XIII.

6. *Super Jeremiam & Ezechielem.* Vidit Petrus de Prussia & ex iis quædam fragmenta identidem refert in vita B. Alberti.

7. *Super omnes epistolas B. Pauli apostoli.* Noverat Petrus de Prussia virum doctum, penes quem erat hujus commentarii exemplum.

Audiendus hîc Tholomæus de Luca Hist. Eccl. Nov. lib. 22 cap. 18 ubi sic habet de Alberto: *Hic exposuit magnam partem Bibliæ, quia postillavit Evangelia, epistolas Pauli, Prophetas majores & minores, libros Salomonis & Job.* Quæ non parum confirmant hactenus dicta.

Prosequitur Valleoletanus addendo summæ theologicæ, cujus tantùm habentur duæ priores partes, alias duas

8. *Tertiam scilicet de Christo & virtutibus.*

Quartam de Sacramentis & gloria resurrectionis.

Et quidem Albertum has prioribus adjicere in animo habuisse dubitari nequit, cùm divisionem illam quatrimembrem proponat P. 1 Q. 5. a. ult. ac variis etiam primæ partis locis indicet se de virtutibus & donis acturum, eoque remittat, at quacumque de causa promissis non stetisse certum: primò enim Laurentius Pignon jam ante MCCCC scribens nonnisi duas priores partes quæ typis prodierunt agnovit: at quod rem extra dubium ponit, Tholomæus de Luca loco mox citato sic habet: *Hic summam theologiæ inchoavit sed non complevit, fecit tamen duo volumina, quæ ad divinam naturam pertinent & emanationes creaturarum.* Nihil clarius.

9. *De perfectione vitæ spiritualis.* Sic etiam Pignon. Dicunt extare in Victorina. Vide supra T. XXI art. 6 ubi conjectu solùm dictum fortè illud esse opusculum cui titulus *De adhærendo Deo.*

10. *Contra Guillemistas impugnantes religiosos.* Pignon *contra Guillelmum de Sanctoamore.* Alii vocant *Defensorium mendicantium*, & dicunt extare in Victorina; vidit saltem Petrus de Prussia in nostra Coloniensi.

11. *De partu hominis, & de formatione hominis in utero.* Sic etiam Pignon. Dicunt extare in Victor. Utrumque facile crediderim excerptum esse ex magno opere *De animalibus lib.* IX *&* X. Ut ut sit seorsim prodiit *Alberti libellus de formatione hominis in utero.* Antverpiæ. 1538. 8. Quæ editio Romæ in Barber. & e re esset a peritis examinari.

12. *Liber multarum quæstionum determinativus ad Parisienses*, Pignon sic habet: *Determinationes quarumdam quæstionum ad clerum Parisiensem.* Vidit Petrus de Prussia, & dicit esse circa undecim quæstiones, quas F. Ægidius ord. Prædic. ad Albertum misit ejus judicio terminandas, tractatum verò esse notum, & hoc habere principium: *Intellectus hominis &c.* Vide postea *Ægidius de Lessinia* ad finem.

13. *Multa prosæ seu sequentiæ & alia devota.* Pignon: *Sequentias plures.* Dicunt extare in Victorina. Inter has numerant *Prosam de Trinitate*, quæ ad nostra usque tempora in ordine fuit in usu, & in nostris missalibus excepta ultima editione Romana anni 1694 habetur. Pr. *Profitentes unitatem.*

14. *Unum officium de corpore Christi, quod non est in usu communi Ecclesiæ cùm diversis prosis de eodem sacramento.*

15. *Super librum Dionysii de divinis nominibus.* Pignon etiam meminit. Extare dicunt in Victor. fortè in aliis codicibus quàm a me visis & supra T. XIII laudatis: at quantum memini extat in Navarr. & vidit Petrus de Prussia.

16. *Liber de arte prædicandi.*

17. *Liber de reparatione hominis lapsi.*

PHILOSOPHICA.

18. *De longitudine & brevitate vitæ.* Sic distinguit Pignon, sed non Valleoletanus, fortè quod idem

SAEC. XIII. sit cum tractatu 2 opusculi *de morte & vita.* Vide supra T. v n. 7.

19. *De differentia spiritus & animæ.* Sic Valleoletanus, sed non habet Pignon.

20. *Liber* xv *quæstionum contra Averroistas.* Sic Valleoletanus, Pignon verò, *Problemata contra Averroistarum quæstiones.*

21. *De unitate formæ.* Sic etiam Pignon. Eamdem quæstionem pluribus agitat summa de homine. Vide T. xi.

22. *De lapidibus & herbis.* Sic Pignon, non habet Valleoletanus. An quod prodiit cum libello de secretis mulierum, & ejusdem est furfuris. Vide catalogo sequenti n. 32.

Catal. Angl. T. II P. I cod. 9435. *Liber de lapidibus quem composuit F. Albertus de Colonia.* An idem, an excerptus ex libro de mineralibus. Vide T. II n. 5.

MORALIA.

23. *De monastica libri quinque, & de œconomica libri quatuor.* Extare apud nostros Coloniæ testis est Petrus de Prussia.

Item exposuit ad literam omnes libros philosophiæ Aristotelis. Sic prosequitur Valleoletanus.

24. *Super libros decem Ethicorum.* An repetitio operis de quo jam supra T. IV, an alterum quod Pignon inscribit, *Quæstiones super libros Ethicorum.* Petrus de Prussia dicit super hos libros scripsisse duplici modo per modum scripti & per modum commenti, & utrumque haberi apud nostros Coloniæ.

Apud Sanderum P. II in valle S. Martini p. 209 *Quæstiones Ethicorum.*

In Claravalle etiam extant *Quæstiones super Ethica.*

25. *Libros octo Politicorum.* Idem de hoc ac de superiori judicium.

26. *Libros duos œconomicorum.*

27. *Libros duos magnorum moralium.*

28. *Item problemata Aristotelis.* Dicunt haberi in Victorina.

29. *Exposuit etiam tres libros Rhetoricorum.*

MATHEMATICA.

Omnes scientias mathematicas copiosissime pertractavit, nam ipse fecit

30. *Summam de scientia arithmetica.*

31. *Item aliam de scientia musicali.*

32. *Item aliam de scientia geometria.*

33. *Item aliam de scientia perspectiva.*

34. *Item aliam copiosissimam de astronomia.*

Et quamlibet istarum in multos libros distinxit. Qui modus loquendi Valleoletani omnia ista ab eo visa indicat.

Catal. Angl. T. I P. I cod. 3467 laudantur *Excerpta ex libris maxime astrologicis, inter alios ex Alberto.* Beughemius citat opus Alberti Magni editum absque loco anno & nomine Typothetæ in Inc. Typ. hoc titulo *De duabus sapientiis & de recapitulatione omnium librorum Astronomiæ.*

35. *Item commentatus est arithmeticam Boetii.*

36. *Musicam ejusdem.*

37. *Geometriam Euclidis.*

38. *Almagestum Ptolemai.*

39. *Perspectivam Alacenis.* Alii legunt *Alcionis*, alii *Alcenis.*

De his omnibus Pignon sic solùm generatim: *Item exposuit Euclidem, Almagestum & plures alios libros mathematicos.*

40. *Item fecit librum de sphæra mundi.* Pignon *super sphæram.*

Nota. Ipse Albertus principio libri physicorum sic loquitur: *Cùm sint tres partes essentiales philosophiæ, Physica, Metaphysica & Mathematica, intentio nostra est omnes prædictas partes facere Latinis intelligibiles. Primò complebimus Deo dante scientiam naturalem, deinde loquemur de mathematicis omnibus, & intentionem nostram in scientia divina finiemus.*

41. *Librum de imaginibus astrologorum.* An excerptum ex speculo Astronomico, ubi cap. 10. agit de imaginibus astronomicis, & quidem ita ut non videatur de iis quid amplius scribendum sibi proposuisse.

42. *Fecit summam ubi improbavit scientias magicas, necromantiam, geomantiam, hydromantiam, aeromantiam, pyromantiam, aruspiciam, horoscopicam, augurium, maleficia, sortilegia, præstigia.* An aliud opus a *speculo astronomico*, in quo cap. 16 has omnes artes reprobat, Valleoletanus tamen distinguit.

43. *Librum qui dicitur de secretis secretorum Alberti, in quo mira & inaudita posuit.* Pignon *librum qui dicitur secretum secretorum Alberti.*

Extat hujus opusculi editio antiqua in incun. typog. absque loco & anno recensita Catal. Angl. T. I P. I cod. 1174. Et ibid. inter MS cod. 2063: *Expositio libri Alberti de secretis mulierum.* Est etiam Paris. in Regia cod. 5464 fol. par.

Prodiit typis cum commento Venetiis 1508. Iterum absque loco editionis, 1540 in 16 cum aliis opusculis. Rursus scholiis auctum Lugduni 1615 in 16, quæ editio Romæ in Barber. Amstelodami 1643, & ibidem typis elegantibus Janssonii. 1662 in 12.

De hoc tractatu in Ind. Rom. sic decernitur: *Alberto Magno doctori egregio falsò ascriptus libellus de secretis mulierum omnino prohibetur.* Et sane falsò ipsi suppositum evincitur ex eo quod ipse Albertus capp. 6 & 10 ut testis pluries adducitur cum Avicenna & quædam ab eo experta & relata in libris de animalibus afferuntur sic: *Sed in omnibus istis mirabilior est ille casus & effectus, quem Albertus recitat &c.* & postea: *Recitat enim Albertus &c.* Ibidem: *Recitant Avicenna & Albertus &c.* Quæ auctorem libelli alium probant. Non ignoro heterodoxum quemdam hujus nostræ ætatis maligne objicere, proclive esse ut se ipsos citent qui nomen suum in quodam opere premunt ex industria: etsi enim id fortè de quibusdam callidioribus præsumi possit, de Alberto nemo cordatus cogitarit, quem ubique mira ingenuitate scripsisse, ut & semper egisse cuilibet non æmulo nec maligno obvium est. Adde verum hujus opellæ auctorem a Simlero asseri Henricum de Saxonia seculo XIII clarum, sub cujus nomine typis prodiisse idem Simlerus testatur. Augustæ Antonii Sorg. 1498. Ferunt autem istum Henricum Alberti fuisse discipulum, & quia magistri operibus in quibusdam usus est, hinc discipuli lucubrationem magistro ascribendi ansam arripuerunt.

44. *Librum de natura Deorum in plures partes sive libellos distinctum.*

45. *Librum de homine immortali.* Fortè idem cum eo cui titulus *de origine & immortalitate animæ.* Vide indicem sequentem n. 8.

46. *Librum de duodecim alphabetis.* An opus distinctum, an collectio alphabetorum quæ variis in operibus Albertus proponit, ab aliquo curioso concinnata. Sic T. II lib. 2 tract. 2 de mineralibus est alphabetum lapidum pretiosorum. T. V opusculo de vegetabilibus libro 6 sunt duo alphabeta, unum de arboribus, alterum de herbis. T. VI lib. 22 sunt quinque alphabeta, 1. de quadrupedibus, 2 de avibus, 3. de natatilibus, 4 de serpentibus, 5 de parvis animalibus sanguinem non habentibus. Quatuor alia ad complendum numerum duodecimum necessaria alphabeta fortè ex aliis ejusdem operibus a curioso eruta, & in unum digesta fuerint.

47. *Librum de ingeniis purgandis & erigendis.* Scio hæc alios aliter interpretari, ego verò censeo his significari vel instrumenta bellica, vel machinas ad aquas aut alia onera gravia sursum attollenda. Sic enim ea ætate quæ Gallice vocamus (*engins*) Lati-

ne dicebant *ingenia*, quo sensu universitas Parisiensis scribens capitulo nostro generali Lugduni anno MCCLXXIV coacto, petebat sibi mitti opus ei a S. Thoma de Aquino promissum, *De aquarum conductibus & ingeniis erigendis.* Titulum a Valleoletano positum corruperunt, qui sic referunt *De magistris purgandis & eligendis.* Legesis etiam Ducangium, vocabulo *Ingenia.*

LOGICALIA.

48. *De logica sive dialectica. Scripsit logicam per longum.* An opus diversum, an quod censere proclive, repetitio operum T. I editorum.

49. *Super Boëtii librum de divisionibus.* Extat in Victor. cod. cit. 616 post commentum ejusdem in Topica Aristotelis, & ad calcem legitur : *Explicit liber divisionum expositus a F. Alberto.* Mirum typographos Lugdunenses Topicis non addidisse.

Cat. Anglic. T. I P. II cod. 720 : *Albertus Magnus super libros divisionum.*

50. *Super libros posteriorum per modum expositionis literalis.*

GRAMMATICALIA.

51. *Fecit summam grammaticalem.*

Cat. Angl. T. I P. I cod. 2256 : *Alberti tractatus de modo significandi*, & P. II cod. 727 : *Alberti Magni de modo significandi & de passionibus sermonum.* An idem?

52. *Fecit librum de arte Rhetorica.*

53. *Item exposuit antiquos doctores grammaticales, scilicet Priscianum in majori & minori voluminibus, & alios auctores.*

54. *De intelligentiis ac substantiis separatis.*

Catal. Angl. T. I P. II cod. 450 : *Alberti intelligentiarum metaphysica.* Dubium tamen an opus distinctum, an ex aliis operibus excerptum, nam pluries Albertus de intelligentiis agit. Vide T. V Op. 17. De causis & processu universitatis lib. 2 tract. 2 & 3 ubi ex professo tractat de intelligentiis. Vide etiam metaphysicorum lib. XI, item summæ theologicæ par. altera ut & summæ de quatuor coævis tract. 4.

ARTES PRACTICÆ.

55. *Liber de medicina.*

Cat. Angl. T. I P. III n. 952 inter auctores Latinos medicos *Alberti Magni opera in 19 libris*, quos tamen non de medicina omnes agere putarim, sed plures esse ex supra relatis præsertim physicis.

T. II P. I cod. 3141 *Alberti Magni experimenta medica.*

Et cod. 3654, *Alberti experimenta.*

Et cod. 3681 *Alberti experimenta* rursus & inter medicos.

An opus distinctum an ex ejus variis operibus excerpta?

56. *Libri de lanificio, de armatura* (sic enim in cod. Victor. Valleoletani, quamvis alii inter quos Petrus de Prussia legant *de aratura*) *item de agricultura: de venatione: de navigatione: de theatrica.*

Hos omnes credere est vidisse Valleoletanum, sed ubi jam extent nemo refert. De agricultura quædam habet T. V Op. 15 de vegetabilibus & plantis lib. 7 tract. I. Tormenta bellica ænea ignivoma majora & minora adinvenisse quidam putarunt, sed horum inventionem longe recentiorem esse certo asserunt eruditi, cujus evidens argumentum est quod Vincentius Bellovacensis æqualis, qui & plura ab eo mutuatus est, horum in suo speculo doctrinali non meminerit, sed tantùm armorum antiquorum. Hactenus index operum Alberti Magni a Valleoletano concinnatus.

SEQUITUR ALIORUM EJUSDEM OPERUM index ex catalogo a bibliographis Lugdunensibus anno MDCXLVI *edito excerptus, adjectis etiam passim notis nostris illustratus.*

1. *De scriptura sacra.* Haberi dicunt Romæ in Barber.

2. *Notula super evangelium Matthei de epiphania Dñi.* Haberi dicunt cum sequenti apud nostros Coloniæ. Prodiit in fol. in Incun. Typ. absque loco anno nomine typothetæ. SÆC. XIII.

3. *Passio magistralis D. N. Jesu Christi.*

4. *Annotationes in S. Augustini libros. Confessionum. De Trinitate. De quantitate & immortalitate animarum. Super Genesim. De disciplina ecclesiastica.* LXXXI *quæstionum. De hæresibus. Retractationes. De vera religione. De ecclesiasticis dogmatibus. De beata vita. De libero arbitrio. Epistolas. De bono. De sancta virginitate. De perseverantia. De correptione & gratia. De natura boni. De videndo Deo. In libellum S. Joannis Chrysostomi, quod nemo læditur nisi a seipso. In sententias S. Prosperi.* Has dicunt servari in Barber. Utinam quis eruditus evolvat & diligentius recognoscat.

5. *Tabula super quatuor libros sententiarum.* In catalogo Bibl. Barber. edito sic lego : *Index* MS *omnium operum* sc. Alberti.

6. *De bono & natura bonorum.* Laudat Pignon citatus. Addunt verò haberi in Victorina. Petrus de Prussia testatur hoc opus apud nostros servari Coloniæ, & in eo de virtutibus singulis, de legibus & aliis multis auctorem agere. Apud Sanderum P. II in valle S. Martini p. 209 : *Alberti Magni summa de bono.*

7. *De gratia Dei.*

8. *De origine & immortalitate animæ.* Dicunt MS servari in Victor. Beughemius asserit typis prodiisse Noribergæ 1493. 4. Quæ editio teste Reisero pag. 814 servatur in Bibl. Augustana. Paris. in Regia cod. 4750 de quo postea fusius n. 52 inter alia Alberti Magni habetur opusculum *de immortalitate animæ.* Hunc librum auctor ipse citat in libello *de unitate intellectus* contra Averroem cap. I. Vide T. V n. 10.

9. *De sacra theologia.* Addunt servari in Barber.

10. *Theologia positiva, moralis, scholastica, mystica, symbolica & concionatoria.* Quid hoc titulo intelligant nescio, nisi fortè operum Alberti de theologia corpus universum.

11. *De timore multiplici.*

12. *Enchiridion de veris & perfectis virtutibus.* Catal. Angl. T. I P. I cod. 2149 : *Albertus Magnus de virtutibus animæ veris & perfectis, quas gratuitas vocat &c. est liber impressus.* An diversum ab eo quod typis prodiit T. XXI cui titulus *Paradisus animæ?*

13. *Orationes super sententias.* Extant Coloniæ a Petro de Prussia visæ.

14. *An expediat homini vovere ingressum in religionem.* Dicunt extare in Victor.

15. *De quatuor virtutibus cardinalibus.* Recensetur cum aliis Alberti Catal. Angl. T. I P. II cod. 750.

16. *De arte bene moriendi.* Laudant in Thuana, nunc Regia. In Colbert. cod. MS 6104 *Alberti Magni ars bene moriendi.*

17. *Parvi tractatus scilicet De libro vitæ. De evacuatione charitatis. De ordine charitatis in patria. De virtutibus cardinalibus. De donis. De combinatione donorum. De timore. De scientia. De sapientia. De vitiis in communi & specialiter de usura. De mendacio. Quomodo differant mansuetudo & misericordia.* Dicunt haberi sic collecta in Claromontana Parisiensi S. J. Catal. Angl. T. I P. I cod. 1672 : *Alberti dona.*

18. *Volumen unum de sacramentis.* In laudata Clarom.

19. *Conciones diversæ.* In ead. Clarom. Catal. Angl. T. I P. I cod. 820 recensetur *F. Alberti sermo de preparatione cordis.* An Magni, an alterius?

Sec. XIII. 20. *De doctrina dicendi & tacendi.* Verus titulus: *Tractatulus venerabilis Dñi Alberti Magni de arte vivendi, loquendi & tacendi.* Princ. *Si fore vis sapiens &c.* Ad calcem: *Finit tractatulus impressus Parisius. Ædib. Sorbonicis aurei solis* 1491 April. 7 in 8 pagg. 7, typis Romanis nitidis & elegantibus Udalr. Gering & Berthol. Rembolt. Ejusdem ferè tituli, sed longe alterius rationis prodiit opus hoc titulo: *Incipit liber moralissimi Albertani causidici Brixiensis de ora S. Agathæ super modo loquendi & tacendi. Quoniam in dicendo multi errant &c.* Prodiit pluries ex Beughemio Lovanii & Antverpiæ 1485. Daventriæ 1490. Lipsiæ 1491: ubique in 4. Aliam editionem vidi absque anno & loco sed cum privilegio ducis Sabaudiæ & cum aliis ejusdem Albertani qui florebat anno MCCXXXVI operibus in fol. ubi opus illud de modo loquendi pagg. 50 implet: hæcque editio ut & alterius Alberti Magni extant in Sorbon. Quæ monenda fuere, ne quis hos tractatus confundat. Catal. Angl. T. II P. I. *Doctrina dicendi & tacendi per Albertum.* Vide n. 9312.

21. *De officio Missæ.* Vix tamen aliud crediderim ab edito T. XXI sub titulo *De sacrificio missæ*, nam in edit. Mogunt. 1477 fol. supra laudata hoc eodem titulo prodiit *de officio missæ*.

22. *De oratione Dominica.* Petrus de Prussia a quodam viro docto se didicisse testatur hunc tractatum specialem in Italia reperiri.

23. *Litaniæ de tempore & de Sanctis.* Extant in Victor. cod. MS 1129 fol. chart. a fol. 99 ad 105. Titulus: *Letania F. Alberti episcopi de ord. Prædic.* Pr. *Candor lucis & speculum sine macula.* Ad finem: *Explicit Letania F. Alberti episcopi de ord. Præd. Teutonici.* Coloniæ apud nostros haberi a se visas testatur Petrus de Prussia, addens singulis quos invocat Sanctis singularem ab eo dirigi orationem. Sic etiam in cod. Victor. Apud Sanderum P. II in valle S. Martini p. 209 etiam recensentur.

24. *Oratiuncula de passione Domini.*

25. *De mysteriis missæ.* Idem censuerim cum edito T. XXI *De sacrificio missæ.*

26. *De capillitiis B. V. & in illa verba Regina Angelorum. Quindecim gaudia Virginis. Quæstio de speculo Mariæ. Conciones de B. V.*

In Claravalle dicuntur extare *Alberti Magni sermones Mariales.*

27. *Commentarius in canticum Magnificat.* An aliud, an excerptum ex commentario in Lucam.

28. *Summa B. V. & tractatus de martyriis Sanctorum.* Laudant in Bibl. D. Coëmans.

Catal. Angl. T. II P. I cod. 961. *Albertus Magnus de B. V. Maria & ejus miraculis.* An aliquod tribus his numeris ultimis laudatorum?

29. *De antepredicamentis. De contingenti & possibili. De postpredicamentis. De definitionibus.* Laudant Coloniæ. An sint lucubrationes ab editis T. I logicalibus, docebunt forsan sodales.

30. *Isagoge in Physicam.* Repetitionem censeo & idem cum edita T. XXI philosophia pauperum, quæ & Isagoge dicitur. Idem existimes de his quæ ceu distincta opera numerant his titulis: *compendium philosophiæ naturalis: & parva summa philosophica: & summa philosophiæ.*

31. *De corpore mobili secundùm locum.* Dicunt haberi in Bibl. Cornelierensi.

32. *De gemmis. De lapidum quorumdam virtutibus. De quorumdam animalium virtutibus. De virtutibus quarumdam herbarum.* Prodiit sub hoc titulo: *Liber aggregationum sive secretorum de virtutibus herbarum, lapidum & animalium,* Neapoli. 1493. 4. Sic Beughemius. Tum cum opusculo *de mirabilibus mundi* eidem Alberto supposito, Francofurti 1614 in 12. Rursus his subjecto libello *de secretis mulierum*, Lugduni 1615 in 16. Quæ duæ editiones extant in Barber. Postea illis præmisso eodem libello de secr. mul. Amstelodami. 1643 & ibidem Janssonii. 1662 in 12 pagg. 218. Catal. Angl. T. I P. I cod. 1638 sic legitur: *Alberti secreta de naturis quarumdam herbarum, lapidum & animalium.* Et cod. 1748 sequenti: *Fratris Alberti de Saxonia secreta de herbis, lapidibus & animalibus.* Hæc probant incerto in editionibus relatis hæc omnia opuscula Alberto Magno fuisse tributa, cùm codd. MS varient, & alii Alberto cuidam, alii Alberto de Saxonia vindicent, noster enim non Saxo sed Svevus fuit. Præterea qui Alberti Magni stylo paululum assuetus fuerit, & ingenium norit ab istis vanis & futilibus alienissimum, ei non sine injuria tribui judicabit. Quænam verò indicentur ibidem cod. 1754: *Experimenta sive secreta Alberti,* docebunt periti indigenæ, ut & quæ cod. 1791 *Alberti Magni de lapidibus pretiosis*: quamvis hoc ultimum excerptum esse ex libro de mineralibus conjectu sit pronum.

33. *De scientia metheorum. De somniis. De natura animalium. De naturali perfectione intellectus.* Et hæc vix crediderim aliud esse quàm bis repetita aut excerpta ex aliis supra jam relatis. Primum ex commentario *in Metheora* T. II edito: alterum ex libro *de somno & vigilia* T. V op. 3 lib. 2 ubi plura de somniis, vel etiam ex *summa de homine* quæst. 44 & seqq. Tertium ex ingenti opere *de animalibus* lib. I. Quartum tandem ex opusc. XV T. V *De intellectu & intelligibili*, ubi lib. 2. agit de naturali perfectione intellectus, ut ibidem notatum.

34. *De secretis super Henricum de Saxonia de formato fœtu.* At tantùm abest ut Albertus scripserit super Henricum, quin ipse Henricus a Simlero proditur fuisse Alberti Magni discipulus, & verus auctor libri insulsi de secretis mulierum. Vide sup. indice n. 42 annotata.

35. *De sensu communi & aliis potentiis animæ.* Dicunt extare in Victor. Catal. Angl. T. I P. II cod. 880: *Albertus Magnus de sensu communi.* De eodem agit qq. 33 & 34 *summa de homine* T. XIX.

Et P. I cod. 1911 *Alberti Magni de potentiis* inter alia plura ejusdem. P. III cod. 1705: *De potentiis animæ. Codex mutilus.*

Colbert. cod. 2411 fol. par. memb. *Liber de viribus animæ editus a F. Alberto Teutonico.* Pr. *Sicut dicit Damascenus impossibile est substantiam esse expertem aliqua naturali operatione &c.* foliolis quatuor tantùm. Finis: *facultas voluntatis & rationis.*

36. *De avium natura & de quadrupedibus.* Laudant utrumque in Regia. Revera extant cod. 5785 fol. med. chart. at non novum opus, sed duo libri sunt ex magno Alberti opere de animalibus seorsim scripti.

37. *De homine & diversis ejus definitionibus.* Laudant etiam in Regia. Revera extat cod. 4842 fol. mag. chart. Sed est idem opus cum edito T. XIX, & est Pars secunda *summæ de creaturis.*

38. *Parvorum naturalium textus cum commentario ex Alberti doctrina collecto per Joannem de Mechlinia* anno MCCCCLX clarum, Coloniæ. Quentell. 1498. Iste Joannes acerrimus fuit doctrinæ Alberti sectator.

39. *De perfectione animæ.* Laudant in Regia. Revera ultimum est opusculum cod. 4750 de quo postea fusius n. 52. Hujus libri meminit ipse Albertus, & citat ut distinctum in libello de unitate intellectus contra Averroem sub finem cap. I.

40. *Philosophia moralis.*

41. *De directione astronomiæ & de astris.* Laudant in Regia.

42. *An licitum sit uti judiciis astrorum?* Laudant in Regia.

43. *In speculum astrolabicum.*

44. *Ephemerides.*

45. *De causis.* An aliud ab opusc. 17 T. v edito de causis & processu universitatis a causa prima?

46. *De ente & essentia.*

47. *De diversis quæstionibus.*

48. *De secretis naturæ.* Certo non est Alberti. Philippo Ulstadio medico & patritio Noribergensi anno MDXXV claro quidam ascripserunt, & sub ejus nomine prodiit Argentinæ 1528 teste Simlero: at longius a vero aberrarunt illi, verus enim auctor est Michael Scotus mathematicus & astronomus Friderico II imperante clarus, quem valde senem ad MCCXC pervenisse ait Baleus de eo legendus. Prodiit autem ille libellus *de secretis naturæ* seu *de Physionomia* nam idem est, sub hujus nomine Venetiis. Jo. Bapt. Sessa. 1503: & postea Amstelodami, Janssonii 1662 in 12 cum supra relatis de secretis mulierum, de virtutibus quarumdam herbarum, & de mirabilibus mundi a p. 219 ad 358. Præfixa est ad Fridericum imperatorem ejusdem Scoti epistola nuncupatoria, in qua illum ad physionomiæ studium amplectendum pluribus hortatur, & hujus artis laudes longius prosequitur. Sic verò opella incipit: *Prima pars secretorum naturalium. Utilitas physionomiæ. cap. 1.* Hic auctor plura alia opera scripsit, quorum catalogum videsis apud Simlerum. In Sorbona duo sunt codices MS fol. memb. cujusque titulus: *Libri de cælo & mundo Aristotelis ex translatione Michaelis Scoti.* Pr. *Tibi Stephane de Pruvinis hoc opus quod ego Michael Scotus dedi Latinitati ex dictis Aristotelis &c.* In gratiam lectorum id placuit annotare, nam hujus translationis non meminit Simlerus.

Catal. Angl. T. II P. 1 cod. 3060 sic legitur: *Albertus Magnus de occultis naturæ:* Sed si idem opus, ne dubites, suppositititium est.

Paris. in Regia cod. 4965 fol. mag. memb. a fol. 79 ad 85: *Incipit Physionomia F. Alberti Teutonici.* Pr. *De capite & capillis. Videmus masculum animum in pluribus &c.* Quisquis sit ille Albertus, Magnum esse nemo mihi suadebit. Cæterùm opus aliud est a mox relato *de secretis naturæ.*

49. *De natura seu naturis rerum.* Aiunt esse in Victor. Sed falso ascribunt Alberto nostro; cùm sit ejus olim discipuli F. Thomæ Cantimpratani. Vide postea ubi de eo.

50. *Variæ quæstiones theologiæ, & de universalibus principiis.* Servari aiunt in Barber.

51. *De fato.* Haberi dicunt in Victor. In ea verò Bibl. cod. 56 quod sub nomine Alberti Magni servatur opusculum de fato, illud idem est quod inter S. Thomæ de Aquino opuscula est ordine XXVIII. Alberto Magno etiam asserit codex Sangenovefianus circa MCCC scriptus. Vide postea *S. Thomas de Aquino*, ne idem bis repetamus.

52. *Tractatus varii.* Scilicet sic legerunt bibliopolæ Lugdunenses, vel potius qui eis subministrabant, sic inquam legerunt in cujusdam bibliothecæ catalogo, novaque Alberti opera prodere putarunt, cùm revera nihil dicant; tractatus enim illi varii tam bene possunt esse jam recensiti, quàm alii: nisi ergo quis codices ipsos lustret & evolvat, nihil tenetur.

Catal. Ang. T. 1 P. II cod. 2491. Tractatus quidam Alberti cum aliis.

Apud Sanderum P. II in abbatia de Tongerloo p. 153. *Alberti magni varia opuscula.* Sed nisi bibliothecarum illarum præfecti qui sint illi tractatus, & quæ sint illa opuscula prodant, certe nihil nos docent.

Paris. in Regia in catalogo codd. MS sic legitur cod. 4750: *Alberti Magni tractatus varii.* Qui indicem Lugdunensem confecerunt, istud solùm legisse videntur, nec ultra quæsivisse. Porrò in codice illo fol. mag. memb. hæc habentur, omnia jam supra recensita: *Commentaria in Meteora, De generatione & corruptione, & pleraque parva naturalia; De morte & vita. De somno & vigilia. De immortalitate animæ. De spiritu & respiratione, de causis & proprietatibus elementorum, de nutrimento & nutrito, de natura & origine animæ, de sensu & sensato, de memoria & reminiscentia, de motu & processu animalium, de perfectione animæ.* Itaque numerus hic non nova opera, sed codices tantùm alios indicat, quibus opera jam laudata continentur.

53. *De mirabilibus mundi.* Laudant in Regia. Vide supra n. 32 ubi supposititium esse dictum est, cujus prætereà nullus antiquus inter Alberti opera meminit.

54. *Eulogium ecclesiasticum.* Laudant in Bibl. Carnoten. sed qua non addunt. Certo non est in Bibl. Ecclesiæ Carnoten. cujus indicem accuratum præstante clar. D. Gueau canonico consecutus sum. Si nostræ ibidem domus intelligant, novi non exiguum in ea codd. MSS. numerum servari, sed quorum indicem hactenus obtinere non potui. Sed quid sibi vult Eulogium? an Euchologium? Apud Sanderum P. II in valle S. Martini p. 209 inter opera Alberti Magni recensentur *Canones pœnitentiales.* Utinam quis indigena curiosus evolvat & recognoscat, ac quid de iis sentiendum hîc addat.

55. *De proprietatibus rerum.* Laudant Coloniæ. Verùm istud opus non aliud censeo a magno opere de animalibus libris XXVI distincto: hoc enim *de proprietatibus rerum* etiam inscriptum aliâs fuisse patet ex edit. Rom. anni 1478 supra T. VI relata: ejusdemque rationis existimo codd. MSS. qui in catal. Ang. indicantur.

T. I P. 1 cod. 3522: *Alberti tractatus de proprietatibus rerum unà cum animalium monstrorumque singulorum iconismis more prisco depictis.*

T. II P. 1 cod. 3040: *Albertus Magnus de naturis & proprietatibus rerum.*

Aliud autem opus est omnibus hoc titulo notum *De proprietatibus rerum*, cujus auctor est quidam F. Bartholomæus Anglus ordinis Minorum sub finem seculi XIII clarus, de quo postea inter falso nostris ascriptos.

56. *De consideratione creaturarum liber.* Laudatur a Sandero P. II in valle S. Martini p. 208.

An ad aliquod supra relatorum operum sit referendus, puta ad summam de creaturis, an lucubratio sit omnino diversa, indigenæ codicem consulendo forsan aliquando docebunt.

Indicem geminum operum Alberti Magni, alterum juxta ordinem rerum seu scientiarum, alphabeticum alterum edidit noster Petrus Louvet Diviohensis Parisiis. Joan. Remy. 1642 in 4, sed utrumque non accuratum: in quibus scilicet eadem opera bis aut ter reperiuntur, & ob aliquam in titulo vel a variis nomenclatoribus allato, vel ex variis codicibus desumto diversitatem, ceu reipsa diversa exhibentur, nullo etiam fere adhibito criterio. Sed neque hunc nostrum omnino accuratum contendimus; nam vix nobis persuademus, quin seu Valleoletanus, seu bibliopolæ Lugdunenses eadem pluries reperierint, & ut distincta protulerint, quæ castigare non licuit, ea præsertim ratione quod codices MS indicatos plures videre ac explorare aut commodum aut otium non fuit. Lectorum itaque diligentiæ erit, si ipsis liceat, bibliothecas laudatas scrutari, codicum antiquitatem & sinceritatem probare, cum genuinis conferre, inventa ac probata hîc addere, nostraque errata si quæ agnoverint emendare.

Sec. XIII.

F. STEPHANUS DE BORBONE.

* 1261.

F. Stephanus de Borbone, qui & *de Bellavilla*, e primis nostris patribus vir sua ætate & concionibus per totam Galliam habitis, & scriptis clarissimus, cujus tamen posteri proprium ac verum nomen aut ignorarunt aut omiserunt, aliud ei substituentes aut supponentes, dum opus insigne ab eo scriptum laudant omnes, jam nobis est ex ipsius opere accuratius repræsentandus, & e tenebris pro merito vindicandus. Oppidum est in Burgundia septem circiter passuum millibus a Matiscone distans versus Lugdunum supra rivum *Ardiere* vernacule dictum qua parte influit in Ararim situm, quod Bellavilla dicitur, estque ditionis dominorum Bellijoci vulgo *Beaujeu*. In eo sub finem seculi XII honestis ortus est parentibus Stephanus noster a familia *de Borbone* a patria *de Bellavilla* ut frequentius nuncupatus. Puer Matiscone inter clericos ecclesiæ cathedralis S. Vincentii educatus fuit, ac pietate literisque humanis imbutus: adolescens Parisiis in universitate sub præstantissimis ejus ætatis artium & theologiæ magistris studuit, inter quos laudat Radulphum de Bully, *qui suo tempore summus erat in artibus*, inquit, & tum etiam mortuus est, theologiæ verò magistros Guillelmum Dorchuel, Guillelmum Dereymes, Joannem decanum S. Quintini, illum scilicet qui ecclesiam S. Jacobi anno MCCXVIII nostris concessit, cujus lectiones se excepisse gloriatur. Paulo post ibidem videtur ordini nomen dedisse, & institutum nostrum amplexatus pro conventu tamen Lugdunensi, cujus primum priorem vidit F. Arnaldum virum eximium, ac cujus præclare dicta refert, & ejusdem successorem F. Romæum de Levia de quo supra, quîcum Lugduni erat anno MCCXXIII, jam tum saluti animarum desudans, & de gravioribus conscientiæ casibus consultus, ac proinde tum XXX circiter annorum. Exinde verbi Dei prædicationi per varias regni provincias totum se dedit, ac XL circiter annos id est reliquum vitæ in hoc apostolico officio insumsit. Quam verò eo titulo claruerit, quot exantlarit labores, quantosque fructus reportarit, opus ab eo relictum & mox laudandum demonstrat. Ex eo enim discimus Campaniam, Lotharingiam, Burgundiam utramque ducatum & comitatum, Arverniam, Lugdunensem ac Segusianam provincias, Ruscinonem, verbum Dei ubique disseminando peragrasse. Alpes ipsas ascendit. *Vidi ego*, inquit, *aliquos de illis qui æstate & hieme habitabant in montibus Alpium, non sub tecto asperitatem æstatis aut hyemis sustinentes, sed sub divo super humum nudam jacentes, non in lecto, per totam noctem multis excubiis circumeundo gregem gyrantes, ne latro vel lupus se ingereret, ne aliqua ovium a grege discederet.* Ex quo eximiam pro Ecclesiæ pastoribus doctrinam deducit. Inquisitoris etiam munus potissimum Claromontii in Arvernia, & in Lugdunensi provincia gessit, & quædam a se per XXV annos acta commemorat, quæ ejus prudentiam, solicitudinem, ac solertiam testantur. Clarissimos suæ ætatis seu in ordine seu in seculo viros cognovit, ac cum eis familiariter conversatus est, multaque de iis narrat, quæ historiam ejus seculi illustrare possunt. In ordine quidem eos vidit, qui S. Dominici in terris Albigensium prædicantis adjutores fuerunt: nostros Matthæum primum priorem Parisiensem, Reginaldum Aurelianensem, Jordanum magistrum ordinis II, socium hujus intimum Henricum primum priorem Coloniensem, Guillelmum de Peraldo, Gaufridum de Blevello, Guerricum sive ut scribit Guernerum de S. Quintino hos duos Parisienses S. T. magistros, Joannem de Montemirabili vulgo *Montmirel* antea Ecclesiæ Parisiensis archidiaconum magnum, *virum*, inquit, *magnæ literaturæ & consilii*, Dominicum Hispanum S. Dominici socium virum eximiæ sanctitatis, Petrum Ferrandi Hispaniæ aliquando provincialem, Humbertum magistrum ordinis V, Joannem de Columna Messanensem postea præsulem, alium Othonis Candidi Portuensis episcopi & cardinalis nepotem, Philippum primum priorem Remensem, Milonem & Radulphum de Conarey priores hunc Claromontanum, illum Virdunensem, & plures alios quos laudat, vidit, audivit, & ex eorum ore accepta scripsit. In seculo verò horum meminit, Philippi de Montemirabili, qui multa monasteria albarum monialium (id est Cistercienfium) in Francia construxit; Sibyllæ filiæ comitis Hannoniæ, uxoris Domini Bellijoci vulgo *Beaujeu* sororis Isabellæ Philippi II Augusti Francorum regis uxoris primæ, Nicolai de Flaviniaco theologiæ magistri archiepiscopi Bisuntini, Hugonis de Turre Alvernorum episcopi, Calonis de Fontanis loci domini S. Bernardi pronepotis, Jacobi de Vitriaco episcopi Aconensis & cardinalis, Alixiæ de Vergiaco Eudonis III ducis Burgundiæ conjugis, & Hugonis IV matris, Guidonis (sic enim vocat, quem alii Eudonem vocant) comitis Nivernensis & Foresii dicti Hugonis IV primogeniti, ejusque socii Guillelmi de Contres *militis*, inquit *magnæ abstinentiæ & devotionis*, Reginaldi archiepiscopi Lugdunensis qui ad annum 1227 mortuus est, Joannis abbatis Bellævillæ, Guiardi universitatis Parisiensis cancellarii (quem nescio cur Tornacensem ubique dicat episcopum, cùm omnes dicant Cameracensem, nisi fuerit memoriæ lapsus) Joannis de Vineis, *qui tunc temporis*, inquit, *erat maximus prædicator & clericus in Francia*. Hos inquam & alios plures vidit, cum iis familiariter conversatus est, multaque de iis narrat ad historiam sacram & profanam non negligenda. Cujusdam regis Franciæ aut Ludovici VIII, aut Ludovici IX unctioni Remis aderat, concilio etiam Lugdunensi I sub Innocentio IV adfuit. Hujus præclari viri, ut & operis ab eo scripti in altero codicum MS Carcassonensium nostri Bernardi Guidonis est memoria ad calcem catalogi de scriptoribus ordinis per modum additamenti, ubi sic legitur, ut ex schedis nostri Stephani Thomæ Soëges accepi.

F. Stephanus de Borbone oriundus de Bellavilla diœcesis Lugdunensis, qui compilavit librum seu tractatum de donis, de diversis materiis prædicabilibus, quem distinxit in septem partes secundùm septem dona Spiritus sancti, & eorum effectus, per distinctiones materiarum, per causas & effectus, refertum authoritatibus rationibus & exemplis ad ædificationem pertinentibus animarum, cujus prologus incipit, Quoniam multi multipliciter subtiliter & utiliter elaboraverunt &c. *Tractatus verò de septem donis Spiritus Sancti incipit consequenter:* Quoniam initium sapientiæ timor Domini &c. *Est autem volumen magnum valde quamvis de quinque donis tantùm fuerit prosecutus, cujus originale exemplar est in armario Fratrum Lugduni. Ex quo plures tanquam ex fonte exuberante hauserunt, componentes de septem donis Spiritus Sancti tractatus alios breviores. Hic F. Stephanus obiit in conventu Lugdunensi anno* MCCLXI *vel circa.*

Hujus operis plura in manus meas venerunt in Bibliothecis Parisiensibus servata exempla. Primum illudque elegantissimum fol. med. memb. n. 1 pag. 944 ex legato Petri de Lemovicis S. T. M. & socii Sorbonici e primis Roberti de Sorbona asseclis, qui & auctorem videre potuit, saltem jam eo vivente florebat: unde codex censendus est ex antiquioribus. Numeri initio cujuslibet folioli ascripti eadem

eadem manu qua codex incipiunt fol. 1 a 137 & procedunt ad 686, ita ut in eo sint 550 foliola per columnas scripta. Fortè cùm primùm compactus fuit, alteri tractatui conjunctus erat, cujus erant priora 136 foliola, & a quo cùm iterum compactus est, ob nimiam voluminis molem sejunctus fuit. Ut ut sit, ubi numerum 137 citatum hîc videbis, memineris primum esse codicis foliolum. Magna cura scriptus quidem est varia tamen manu: a 137 ad 380 caracter minutior at elegans & lectu facilis: a 381 ad 557 minutus etiam sed minus accuratus: a 558 ad 686 grandior & accuratior, sed pluribus erratis scatens. In hoc codice ad fol. 244 col. 2 in margine legitur hæc annotatio eadem manu prima: *De illo cui adhæsit bufo in facie, vidit F. Ste. operis hujus auctor plures, qui illum viderunt.* Ex quo Stephanum nuncupatum fuisse evidens est.

Apud nostros Sanjacobeos Parisienses haud dubie extabat aliàs integrum pluribus voluminibus fol. mag. membr. e quibus unicum jam superest habens a quartæ partis titulo VII ad finem dictæ partis 4. Tum sequitur *Quinta pars de iis quæ pertinent ad donum consilii*: Sed est tantùm usque ad tituli secundi caput XXIIII *de XI specie prudentiæ, quæ est deliberatio in acceptione curæ ecclesiasticæ.* Codex est melioris notæ, & sec. XIII, cujus initio præmittitur index generalis titulorum omnium & capitum singulorum cujusque partis totius operis, adeo ut aliorum codicum jactura nunquam satis æstimanda aut dolenda sit.

Alius codex fol. mag. memb. seculi XIII aut XIV ineuntis accurate scriptus a me visus est in Bibl. gymnasii Choleti, Titulus ex minio eadem manu operis indicat auctorem fuisse *F. Stephanum de Bellavilla ordinis FF. Prædicatorum.*

In Bibl. gymnasii Navarræi est idem opus sed imperfectum voll. duobus chartaceis fol. med. I continet solùm *Donum pietatis, & de dono fortitudinis mediam partem.* II. *Doni fortitudinis alteram partem & donum consilii* cum indice alphabetico copiosissimo, cætera desunt: Hæc scripta fuere februario mense 1430 stylo veteri novo 1431. *Ex dono magistri Alexandri quondam janitoris collegii.* Sic ad calcem.

Extabat adhuc anno 1681 in Bibl. nostra Massiliensi voll. duobus MSS charta. in 4 sed neglectus & primis foliis avulsis a me visus.

In Bibl. Eccles. Toletanæ in Hispania extat voll. duobus MSS memb. majoris molis teste F. Petro de Alva Sol. Verit. Rad. 228 col. 1577 ubi in iis codd. *Stephanum ordinis Prædicatorum* auctorem vocari agnoscit. Extat etiam Patavii apud S. Antonium Pl. 19 a Tomasino recensitum p. 58 absque nomine auctoris *De VII donis Spiritus sancti scriptum* 1408 fol. memb. Pr. *Quoniam multi.*

In catalogo codd. MSS Angliæ T. I P. II n. 918 & in Eclog. T. James colleg. Orial. n. 59 sic legitur: *Anonymus de ordine FF. Prædicatorum de diversis materiis prædicabilibus ordinatis & distinctis in septem partes secundùm septem dona spiritus sancti & eorum effectus currens per distinctiones materiarum &c.* Pr. *Quum multa.* Sed hîc erratum lectoris, qui vocem abbreviatam *Qm.* non recte legit, esse nullus dubito, cùm legere debuerit: *Quoniam multi. Opus magnum.* Itaque & hoc volumen Stephani nostri opus esse non dubius auguror: ut & qui recensetur T. II P. I. 7634. *Tractatus de septem donis Spiritus Sancti.*

Apud nostros Parisienses ad S. Honorati insignis est codex MS memb. fol. mag. cujus præcipua pars collectio est bullarum apostolicarum in favorem inquisitorum, opusculorum adversus Waldenses, Albigenses &c. & de modo inquirendi adversus eosdem: & in quo omnia quæ de illis hæreticis habet auctor noster, referuntur totidem verbis. Hicque est titulus: *Nota de libro Fratris Stephani de Bellavilla accipiuntur ista.* Ille codex certo ante annum MCCC scriptus est, & fuit alias conventus Rotomagen. SEC. XIII.

Post tot testimonia quin *Stephanus* sit verum ejus nomen nemo dubitaverit. Fateor tamen aliter vocari a nostro Ludovico de Valleoleti, apud quem sic lego n. 18: *F. Robertus composuit summam notabilem de septem donis Spiritus Sancti, quam in septem partes divisit.* Hujus allucinationis non aliam esse causam censeo, quam quod cùm in titulo codicis MS a Ludovico visi nomen auctoris non esset inscriptum, ut nec est in fronte codicis Sorbonici, solum prologum legit, in quo de se ita auctor loquitur: *Ego Fr. R. in ordine Fratrum Prædicatorum minimus &c.* ea litera *R. Robertus* designari ab eo putatus est. In similem errorem eadem de causa incidisse videtur qui codici Anglicano in catalogo MSS Angliæ T. I P. II n. 561 & apud Thomam James in sua Ecloga Colleg. Merton. n. 170 recensito, titulum sic inscripsit: *Raymundus de septem donis Spiritus Sancti & eorum effectibus.* Nimirum ob literam R. qua sola se indicat auctor in prologo. Cùm verò tot argumentis constet Stephani nomen ei fuisse, per literam R non aliud significari putem, quam *Religiosus* ut sit sensus: *Ego Fr. Religiosus in ordine Fratrum Prædicatorum minimus &c.* Qua enim ratione in eodem codice Sorbonico si *R* in prologo *Robertum* significaret, postea fol. 244 citato scriberetur eadem manu *Fr. Stephanus operis auctor?*

Ex quibus emendandi tum Altamura non solùm quod ab eo Robertus vocetur, & idem putetur cum eo Roberto de quo Lusitanus p. 217 qui scripsit *in sententias, sermones de tempore & de sanctis, & in plures Aristotelis libros*, quæ Stephano nostro tribui ejus vitæ ratio non patitur, sed maxime quod ad 1321 producat jam anno 1223 certo animarum ministerio desudantem, & circa 1261 mortuum: tum Joannes Major S. J. qui *speculum exemplorum* jam aliàs pluries editum sub nova forma ordine scilicet alphabetico & auctius, ac exinde sub novo titulo *Speculi Magni* prælo daturus Duaci 1608, exempla singula suis auctoribus in fine cujusque restituere satagens, librum illum de septem donis Spiritus sancti cuidam Nicolao Dunckelspiel in concilio Constantiensi claro ascribit. Nam ut ut sit de isto Nicolao quem *de septem donis Spiritus Sancti* etiam scripsisse aiunt, non illius tamen sed nostri Stephani opus est *liber magnus de donis Spiritus Sancti* tum in Speculo exemplorum Argentinæ 1487 & antea Daventriæ 1481 & pluries alibi edito, quod auxit Joannes Major, tum apud F. Joannem Juniorem O. Prædic. in sua *Scala cœli*, tum in libro *de quatuor novissimis*, cui titulus *Cordiale* cujusdam anonymi ejusdem ordinis, tum apud alios plures laudatum, ut pote apud quos totidem verbis exempla illa & apud nostrum Stephanum leguntur.

Cùm moneat sive Bernardus Guidonis, sive qui ei succenturiavit ex eo grandiori opere tanquam ex fonte exuberante plures hausisse, & tractatus alios breviores de septem donis composuisse, revera plures a me visi, quos referre necesse est, ne quis in iis fallatur & compendium operis pro ipso opere accipiat.

Duplex est codex in Bibl. Gymnasii Navarræi, primus chartaceus in 4 post expositionem S. Vincentii Ferrerii: alter in 8 membr. seculi XIII vel sequentis ineuntis; in hoc est tantùm *de dono timoris*, in priori est & *de dono pietatis.* In Sorbona sunt plures, unus præsertim in 4 memb. n. 1 pag. 966 ex legato Joannis de Essona socii anno 1278 florentis, in eoque codice est & *de dono timoris* &

Sæc. XIII. *de dono scientiæ.* Extat etiam in Colbert. n. 1288 fol. med. memb. seculi XIV codex eleganti charactere, sed est tantùm *de dono timoris.* & in Victor. cod. 1108 in 4 memb. *quem F. Nicolaus de Esconie scribi fecit dum esset prior anno* MCCCXXVIII sic initio codicis. In his omnibus titulus: *De abundantia exemplorum.* Prologus. *Quoniam plus exempla movent secundùm Gregorium, & facilius intellectu capiuntur, & altius memoriæ infiguntur, nec non a mulcedine sui que delectatione quadam plures attrahunt ad sermones, expedit viros prædicationis officio deditos in hujusmodi abundare exemplis &c.* & infra: *sicut & primus institutor ordinis Fratrum Prædicatorum B. Dominicus, de quo legitur, quod in exemplis hujusmodi abundabat in via cum sociis, & in familiaribus collocutionibus ad omnes. Magister* [Jacobus] *de Vitryo vir sanctus & literatus, primò canonicus regularis, deinde episcopus Aconensis, postmodum cardinalis & episcopus Tusculanus, prædicando per regnum Franciæ, & utens exemplis in sermonibus suis, adeo totam commovit Franciam, quod non putat memoria aliquem ante vel post sic movisse, &c.* tandem ad finem prologi: *Ad hoc quia omnis materia sermonis ædificatorii reduci potest ad septem dona Spiritus Sancti vel annexa illis, hic tractatus dividitur in septem partes secundùm illa dona spiritus scilicet septiformis &c.*

An compendium illud sit quod in catal. codd. MS Angliæ recensetur T. I P I n. 1306 *de septem donis Spiritus Sancti*: & P. II n. 647. *Anonymi tractatus de donis Spiritus Sancti*: an ipse liber magnus Stephani, ex prologo citato discutient indigenæ. Certo compendium est quod ibidem P. III n. 748 laudatur *Tractatus de abundantia exemplorum ad omnem materiam. Agit præsertim de timore. Incipit Quoniam plus exempla*, cùm sint idem titulus & idem principium. Apud Tomasinum de Bibliot. Patavin. p. 46 b. laudatur *Liber de septem donis Spiritus Sancti* in S. Justinæ Ord. XXVIII: videant possessores qualis sit.

In Victorina n. 790 forma 4 memb. post alia plura fol. 222. *Incipiunt capitula lib.* I *de* VII *donis Spiritus Sancti. Post indicem. Incipit liber* I *&* I *de dono timoris. Quia sunt* VII *dona Spiritus Sancti, quæ hominem perficiunt &c.* Aliud est compendium a superiori ipsissimis Stephani verbis.

In cod. MS Sangerman. Paris. n. 400 cujus titulus *Alphabetum exemplorum* sive *Narrationum*, quod nostro Stephano Bisuntino postea vindicamus, & in quo ad quodque exemplum auctor ex quo excerptum est indicatur, vocabulo *Abbas*, ad quoddam exemplum legitur *Hymbertus de dono timoris*, quod cùm totidem verbis legatur in istis compendiis, quis forsan inde conjiciat alterutrum esse nostri Humberti de Romanis V magistri ordinis. Est & aliud compendium in aliquibus codd. MSS hoc titulo *summa de acedia* quæ venalis prostabat anno 1303 ex libro rectoris universitatis Parisiensis. In aliis *De abundantia adaptionum ad omnem materiam in sermonibus secundùm alphabetum ordinata* Pr. *Acedia.* Sic in Navarr. & in Victor. cod. 332 memb. sec. XIII.

Ut ut sit de horum compendiorum auctoribus nec enim placet ariolari, qui de ipso magno opere e tenebris eruendo solùm solicitus sim, hujus prologum integrum e codice Sorbonico hìc legere curiosos non pigebit.

Incipit tractatus de diversis materiis prædicabilibus ordinatis & distinctis in septem partes secundùm septem dona Spiritus Sancti & eorum effectus; currens per distinctiones materiarum, per causas & effectus, referens auctoritatibus & rationibus & exemplis diversis ad ædificationem pertinentibus animarum.

» Quoniam multi multipliciter subtiliter & utiliter elaboraverunt auctoritates diversas veteris ac novi testamenti, & expositorum eorumdem & sanctorum diversorum sub diversis titulis & de diversis materiis compilare, nec non & rationes diversas auctoritatibus connectere, ut homines instruerent, monerent, moverent, & promoverent, ut mala futura metuerent & caverent, & per hoc a peccatis recederent, & bonum appeterent, & de malis commissis veraciter pœniterent, tentationes viriliter repellerent, honeste viverent, discrete agerent ut discrete bonum a malo eligerent, ut meliora bona & saluti viciniora aliis præeligerent & præponerent, ut recte intelligerent crederent & sentirent, ut Dei beneficia frequenter recolerent & recognoscerent, ut bona prout sunt bona gustando saperent appeterent & amarent, ut mala pœnæ præsentis patienter propter Deum ferrent, transitoria & vana bona contemnerent, æterna bona ardenter appeterent, instanter & prudenter quærerent, & perseverantes ea obtinerent circa quæ consistit hominum salus, tota conversatio & prædicatio salutaris, de quibus est etiam opus præsens.

Quia autem ad hæc suggerenda & ingerenda & imprimenda in humanis cordibus maxime valent exempla, quæ maxime erudiunt simplicium hominum ruditatem & facilitatem, & longiorem ingerunt & imprimunt in memoria tenacitatem, (magis ut probat B. Gregorius in dialogorum libro docent facta quam prædicamenta) ideo summa Dei sapientia Christus Jesus primò docuit factis quàm verbis, & subtilitatem prædicationis & doctrinæ grossam quasi corpoream & visibilem reddidit, muniens & vestiens eam diversis similitudinibus, parabolis, miraculis, & exemplis, ut ejus doctrina citius caperetur, facilius cognosceretur, fortius in memoria retineretur, & efficacius opere adimpleretur. Imo cùm ipse esset æterna sapientia, incorporea, invisibilis, etiam ab hominibus incomprehensibilis, voluit temporaliter incorporari & carne vestiri, ut ab hominibus facilius posset cognosci & comprehendi humanis sensibus. Ideo *Verbum caro factum est & habitavit in nobis &c.* Ad hæc dicit B. Dionysius: Sapientes philosophi incorporant sermones suos vestiendo eos similitudinibus & exemplis. Sermo enim corporeus facilius transit de sensu ad imaginativam, & de imaginatione ad memoriam. Ideo ego Frater R. in ordine Fratrum Prædicatorum minimus secundùm parvitatem meam cupiens in aliquo esse utilis hominum saluti, relinquens altioribus altiora, & subtilioribus & profundioribus subtiliora & profundiora, ad Dei honorem & matris & sanctorum ejus, & animarum salutem & proximorum ædificationem, de eorum adjutorio confisus, non sine multo tempore & labore, ad omnia utilia collegi exempla diversa de diversis libris, & de diversis materiis, & sub diversis titulis, & a diversis probis & doctis viris, a quibus plura eorum audivi. Collegi autem hæc non attendens diffusionem verborum, quàm brevius potui sub brevi verborum compendio, quæ erant in diversis libris sine titulorum distinctione & ordine diffusa, & per multa verba prolixius effusa.

Collegi autem de diversis libris historicis, ut de Biblia, de historia scholastica magistri Petri Manducatoris: de historia librorum Josephi XX Judaicarum antiquitatum, & belli Judaici: de libris Egesippi de cladibus Judæorum: de libris Orosii ad Augustinum tendentis & prosequentis historias diversas usque ad sua tempora: de diversitate & situ & mirabilibus diversorum locorum: de historiis gentium diversarum, & maxime Romanorum, & de cladibus seculorum usque ad Christi tempora & sua.

De historia ecclesiastica Eusebii Cæsariensis translata a B. Hieronymo de Græco in Latinum: item de historia tripartita trium Græcorum sapien-

» tissimorum translata in Latinum a Cassiodoro viro sapienti : item de historia Francorum B. Gregorii Turonensis archiepiscopi : item de historia Britonum cujus auctorem ignoravi : de historia Anglorum cujus auctor & scriptor fuit Beda presbyter venerabilis & monachus : de historia transmarina, cujus scriptor fuit magister Jacobus de Vitriaco episcopus Aconensis tandem Tusculanus episcopus E. R. cardinalis : de historia Antiochena cujus auctor mihi incognitus fuit : item de libro qui Pantheon dicitur Godefridi Parmensis imperialis aulæ capellani, quem scripsit Gregorio VIII de omnibus historiis gentium & regum & regnorum ab initio mundi usque ad imperium Frederici I ; de gestis maxime Romanorum imperatorum atque pontificum, & de situ & conditionibus & descriptionibus urbis Romanæ : & de historiis & gestis Hebræorum, Græcorum, & Latinorum, Christianorum aliorum usque ad annum Domini MCXLVI.

» Item collegimus hæc exempla de chronicis diversis Eusebii & Hieronymi, qui chronicam protendunt usque ad sua tempora : similiter de chronicis Bedæ, & de chronicis Rheginonis abbatis qui fuit tempore Caroli Magni : item de chronicis Adonis Viennensis archiepiscopi & Hugonis de Sancto Victore : de chronicis D. Romani cardinalis collectis de diversis libris historicis : de chronicis F. Joannis de Malliaco de ordine Prædicatorum, qui omnes protendunt chronicam usque ad sua tempora, de quibus omnibus aliqua pauca collegimus exempla ad mores facientia.

» Item de historia Turpini Remensis archiepiscopi, quæ dicitur historia de Runcevallis, quæ est de pugna Caroli Magni, & victoriis contra Saracenos, & proditione baronum ejus : item de libro magistri Gervasii ad Othonem IV imperatorem de solatiis imperialibus & mirabilibus terrarum diversarum.

» Collegimus etiam hæc omnia exempla de vitis Sanctorum diversorum, de passionibus & miraculis eorum prout ea legimus in diversis libris & Ecclesiis. Item de vitis patrum in collationibus eorum : de vita Joannis Eleemosynarii, & Barlaam & Josaphat quam scripsit Joannes Damascenus, & de aliis vitis Sanctorum, de dialogis B. Gregorii papæ : item de dictis & proverbiis philosophorum & libris eorum, & de libris naturalibus aliqua exempla naturalia, de libris Petri Cluniacensis & Petri Alphonsi : & de libro quodam exemplorum vulgarium & aliorum magistri Jacobi de Vitriaco Tusculani episcopi cardinalis : & de libris miraculorum B. Virginis, quorum plurimorum dicitur scriptor fuisse S. Petrus Tarentasiensis archiepiscopus, & S. Hugo Cluniacensis abbas & alii.

» De libris B. Augustini : de homiliis B. Gregorii, & Joannis Chrysostomi ; de summis & libris magistrorum, & maxime de summis de vitiis & virtutibus F. Willelmi de Peraldo de ordine Prædicatorum : similiter & de calendariis Bedæ & Usuardi monachi ad Carolum imperatorem : item de iis quæ audivimus a diversis doctoribus & prædicatoribus & viris fide dignis, quæ judicavimus esse utilia animarum ædificationi & saluti.

» Et quia septem sunt dona Spiritus Sancti, donum scilicet timoris, pietatis, scientiæ, fortitudinis & consilii, intellectus & sapientiæ, quæ perficiunt hominem viatorem in præsenti, & bene regunt quantum ad ea quæ prædicta sunt : quantum ad declinationem mali, & appetitum & adeptionem & operationem boni : quantum ad activam & contemplativam, quantum ad Deum & proximum, quantum ad regimen sui & aliorum, quantum ad amorem Dei & proximi : donum siquidem timoris a malo pœnæ futuræ & a malo culpæ per quædam metuenda, quæ mentibus hominum suggerit & ingerit, revocat & retrahit : donum pietatis per quosdam spei funiculos ad bonum appetendum & agendum attrahit : donum scientiæ dat lugere & cognoscere, & bene conversari per pœnitentiam, & a malo culpæ extrahit : donum fortitudinis contra insultus tentationum & vitiorum pœnitentem roborat & munit : donum consilii quomodo eligat bonum, & præeligat meliora & utiliora saluti cautum facit : donum intellectus in bonis cognoscendis & maxime in credendis per fidem illuminat & instruit : donum autem sapientiæ affectum mentis in cognitione pascit, & dulcedine bonorum illum afficit & reficit, dum vera bona prout sunt bona amare & gustare facit, & suavitatis eorum dulcedinem sentire : secundùm hæc septem dona a quibus in rebus spiritualibus ordinantur & disponuntur bene & recte omnia, ordinamus opus præsens in septem partes sive libros, dividendo libros secundùm materias per titulos, materias per causas & effectus dividendo, describendo, distinguendo, & ea quæ diximus auctoritatibus Bibliæ & Sanctorum, rationibus & exemplis muniendo : & ponendo ubi ista exempla legerimus, & a quibus audierimus ut frequentius, supponentes ita esse ut alii boni viri scripserunt & dixerunt, maxime in eis quæ non incompetentia fidei sunt aut bonis moribus, imo quæ sunt eis consona & conjuncta. Similiter autem de Bibliæ auctoritatibus assignabimus capitula & partes plurium capitulorum. De auctoritatibus autem Sanctorum non assignabimus frequenter loca vel originalia a quibus assumptæ sunt, quia eas frequenter accipimus de aliorum scriptis, non ab originalibus. Distinguimus autem materias per titulos, titulos per capitula, capitula per septem partes secundùm septem priores literas alphabeti, *a*, *b*, *c*, *d*, *e*, *f*, *g*, ut citius possit inveniri quod quæritur : ita quod *a* primam partem significat capituli, *b* secundam, *c* tertiam, *d* quartam, *e* quintam, *f* sextam, *g* septimam. In principio autem materiarum & titulorum de quibus agimus, ponemus aliquos versus continentes summam totam sub brevi compendio eorum de quibus ibi agitur, qui colorati sunt ut melius & citius memoriæ imprimantur. Quia autem primò tractavimus in primo libro & secundo de eis de quibus ibi agitur, quam ibi versus componere proponeremus, cogitantes postmodum quod versus forent ibi valde utiles ad summam membrorum breviter comprehendendam & retinendam, versus composuimus in quibus non potuimus membrorum ordinem omnino retinere. «

Hîc notatur brevis distinctio septem partium & materiarum totius hujus operis. «

Possunt autem septem partes hujus operis distingui breviter & materialiter hoc modo. «

I. P. de dono timoris est præcipue de rebus timendis, quæ hominem a malo culpæ retrahunt, ut est Deus timendus, infernus, pœna purgatorii, judicium Dei, mors &c. «

II. P. de dono pietatis est de rebus sperandis & confidendis, in quibus maxime debemus sperare & confidere, quæ operante dono pietatis hominem ad bonum attrahunt, ut sunt verba Dei, misericordia Dei, & incarnatio & passio, & virtus crucis, & mater Christi &c. «

III. P. de dono scientiæ est de rebus agendis, ut est pœnitentia & partes ejus, quæ hominem a malo culpæ extrahunt, & ad bonum promovent & provehunt, & in medio pravæ & perversæ na- «

Sæc. XIII. » tionis operante dono scientiæ bene conversari faciunt.

» IV. P. de dono fortitudinis est scilicet de rebus fortiter repellendis & vincendis & cavendis » ut sunt tentationes & gradus & progressus vitiorum & occasionum eorum, & diversæ species peccatorum diversorum, quæ dante dono fortitudinis repelluntur & vincuntur.

» V. P. de dono consilii est de rebus eligendis, » ut sunt prælati & virtutes & status boni & meliores, & quæ dante dono consilii bene & caute eliguntur & præeliguntur.

» VI. P. de dono intellectus est de rebus credendis, ut de fide catholica articulis & sacramentis, quæ illuminante dono intellectus recte creduntur & custodiuntur.

» VII. P. de dono sapientiæ est de rebus diligendis & super omnia appetendis & quærendis, quæ » sunt dilectio Dei & proximi, pax mentis & quies » contemplationis & finis bonus & transitus bonorum & beatitudo æterna, quæ est finis finium, » quæ erit finis operis nostri, ad quam utinam finis » noster terminetur. Et sic competenter opus hoc » quod est de donis septiformis gratiæ quærendis, » & terminatur ad æternæ beatitudinis gloriam, terminabitur in ipsa, si Deus dederit cœptis finem. » Et hæc his versibus notantur.

Sequuntur versus tredecim, a quibus abstineo.

» Si quid autem in dicto opere minus bene scripserimus, vel minus caute legerimus, & nos & » ipsum opus supponimus emendationi & correctioni maximè peritorum & majorum nostrorum, quæ » imputent legentes non malitiæ sed imperitiæ meæ » & insufficientiæ. Si quid autem idoneum & utile ædificationi animarum invenerint, non mihi » imputent vel ascribant, sed ei a quo est omne » bonum, attendant ad intentionis meæ charitatem » & ad operis utilitatem. Experimento multo & » longo didicimus, quod illi qui exemplis abundaverunt, in dicto proposito majorem gratiam habuerunt, & majorem fructum facere visi fuerunt. » Ipsa siquidem exempla valent ad omnes homines » & ad omnem statum, & ad omnem materiam, » & ad omne malum dissuadendum, & ad omne » bonum suadendum & adipiscendum & promovendum in omni loco & tempore prædicatione » & monitione. Valent etiam exempla ad futurorum malorum evitationem, ad vitiorum detestationem, ad desperatorum revocationem ad spem, » & ad præsumptuosorum humiliationem, ad perversorum conversionem & provocationem ad pœnitentiam, ad pœnitentium eruditionem, ad conversorum promotionem, ad tentatorum communitionem, ad tribulatorum & mœstorum consolationem, ad debilium corroborationem, ad bonorum » temporalium debitam dispensationem, ad bonorum » spiritualium acquisitionem, augmentationem, conservationem, & debitam dispensationem, & ad » amoris Dei & proximi inflammationem, ad bonorum » æternorum prægustationem, impetrationem & » adeptionem, quod per totum opus poterit apparere.

» De exemplis quatuor per quæ probatur, quàm » utilia sint exempla conversioni & ædificationi animarum.

» Propter hanc tantam utilitatem exemplorum » ille tantus zelotypus animarum salutis B. P. N. » Dominicus apud omnes & de omni materia abundabat in loquendo verbis ædificatoriis & exemplis, ut dicitur in vita ipsius in epilogo virtutum » ipsius, ubi legitur sic : *Ubicunque conversabatur B. Dominicus sive in via cum sociis, aut in domo cum hospite reliquaque familia, aut inter magnates & principes vel prælatos, semper affluebat ædificatoriis sermonibus, abundabat exemplis, quibus ad amorem Christi seculive contemptum audientium animos invitabat, & vix ipsa communis ejus locutio a virtutis pondere vacua erat.*

Sequuntur exempla conversionis Josaphat ministerio Barlaam, Anglorum opera regis Odwaldi narrante Beda, & S. Augustini ex lectione vitæ S. Antonii, quæ ut & auctoris orationem ad Deum 23 versibus constantem, quo certe in genere minus valebat, omittere visum est.

Incipit liber vel tractatus, cujus I. P. est de timore.

Quoniam autem initium sapientiæ est timor « Domini, ut dicitur Proverb. 1. b. Eccl. 1. c. imo « radix & fundamentum, fons & initium omnium « bonorum. Proverb. 14. f. *Timor Domini fons vitæ* « *ut declinet quis a ruina mortis*, & ejusdem 15. f. & 16. b. *Per timorem Domini declinat omnis a malo* Eccl. 15. a. *Qui timet Deum faciet bona.* Eccl. 1. d. *Radix sapientiæ timor Domini est, & fundamentum quo deficiente quod ædificatum est corruit.* Ecclesf. 27. a. *Si non in timore Domini te tenueris cito subvertet Dominus te.* Quia, « inquam, est initium & radix & fons & fundamentum omnium bonorum, & primum donum « Spiritus Sancti donorum in via recedendi a malo, & « procedendi & proficiendi in bonum, a timore incipiemus tanquam ab initio & fonte & radice & fundamento omnium bonorum spiritualium, & de eo « erit primus liber, cujus sunt isti decem tituli &c «.

Notandum auctorem in citatione sacræ scripturæ uti concordantiis primis S. Jacobi dictis, & a nostro Hugone de Sanctocharo primùm susceptis, in quibus quodlibet caput seu longum seu parvum per septem priores literas alphabeti dividebatur.

Notandum præterea etsi de septem donis tractaturum se promiserit, de quinque tantùm egisse, & de quinto etiam non complete, quia ut videtur morte præventus fuerit. Nunc autem quædam ab eo relata, vel præclare ab eo gesta in gustum operis visa sunt hîc lectori exhibenda, prout in opere occurrunt citatis foliis cod. Sorbon.

Fol. 148. *d.* » Dicitur in summa de virtutibus [*nempe nostri Peraldi*] conversus fuisse Fulco episcopus Tolosanus [*ille scilicet S. Dominici amicissimus*] qui cùm « esset primò joculator, incepit cogitare, quod si « daretur ei in pœnitentia, quod semper jaceret « in pulcerrimo & mollissimo lecto, non posset hoc « sustinere : quanto minus ergo in pœna inæstimabili, & factus est monachus Cisterciensis, & post « episcopus Tolosanus «.

Fol. 153. *a.* Meminit magistri Stephani de Cudo viri nobilis, » qui fuit magnæ vitæ vir & scientiæ, « quondam canonicus Parisiensis & archidiaconus « Autissiodorensis, tandem reliquit hæc omnia accipiens habitum regularem « Hic fuit auctori familiarissimus.

Fol. 152. *c.* Auctor erat Claromonte Arvernorum cùm » quidam hæreticus supra modum horribilis & « obstinatissimus dictus Alverniensis longe extra « urbem combureretur «.

Fol. 155. *a.* » Audivi quod cùm B. Bernardus « Clarevallensis convertisset omnes fratres suos, & « fecisset eos monachos solo patre magis indurato « in seculo manente, venit ad villam suam, & prædicans ibi juxta truncum antiquissimum in præsentia patris sui, cùm videret ejus duritiam præcepit « hominibus, qui in circuitu trunci sicca ligna apportaverant, ut ipse eis mandaverat, ignem succenderent, quo facto ligna sicca cito succensa sunt « & truncus tarde circa medium, ab extremis emittens humorem fœdum & fumum teterrimum, diu « ignem servavit : tunc incepit Sanctus loqui de pœnis inferni. Patri dixit quod ipse esset similis illi « trunco, qui non poterat igne divino succendi, « nec flere peccata sua, nec suspirare ad Deum, sed « ipse in inferno nisi pœnitentiam ageret, in æternum «

arderet, fleret, & fœtentem fumum emitteret. Ad quæ verba pater dictus compunctus eum secutus est, & monachus factus est. Hæc audivi in loco ipso, ubi prædicatio facta est, a D. Calone domino de Fontanis pronepote B. Bernardi in loco nativitatis suæ Fontanis dicto «. Hæc P. 1 T. 4. c. 9.

Fol. 163. *a.* Egregium refert exemplum cujusdam hominis clari, » qui singulis diebus quinquagies flexis genibus B. Virginem salutabat, quod audivit ab ejus filio monacho Cluniacensi dicto Stephano de Marusiaco, qui non est defunctus «, *inquit auctor.* Quod argumentum est vigentis jam initio seculi XIII B. Virginis per quinquagenam salutationum cultus. tit. 5 cap. 7.

Eodem fol. d. » Audivi quod quidam puer de magno genere mortuus est circa ætatem novem annorum, qui a familia patris ac matris acceperat mutuum, ut ludos suos faceret, qui in morte non recoluit licèt confessus esset, & sic nihil solvit, qui post apparuit alicui suorum dicens se graviter affligi, eo quod non solverat quæ debebat: illa autem persona cui apparuit, inquirens omnia solvit &c. Iste autem puer fuit filius ducis Burgundiæ Hugo dictus. Persona cui apparuit fuit mater ducis, qua revelante hoc novi «. Hæc Alixia de Vergiaco vocabatur uxor Eudonis III Burgundiæ ducis, cui etsi dubitent Sammarthani in genealogia domus regiæ Franciæ, asserit *Du Tillet* filium puerum obiisse; discrimen est quod hic dicat puerum illum nomen habuisse *Joannis*, Stephanus verò *Hugonem* dictum insinuare videatur.

Lib. II de dono pietatis, tit. 5 ubi agit de diversis effectibus & exemplis crucis & passionis Christi, cap. 4. *Quod curat infirmitates corporales & spirituales*, §. 9 cod. Sorb. fol. 211 col. 2 laudantur historiographi duo jam fere incogniti Gerlandus & Lanfredus. Quis sit Lanfredus, mihi incompertum, sed Gerlandi opus extat etiamnum apud nostros Sanjacobeos Parisienses. Codex est fol. med. memb. tres uncias minimum spissus 500 & amplius annorum. Titulus est: *Jarlandus. Candela studii salutaris.* Hoc idem opus erat anno 1621 in monasterio S. Benigni Divionensis, & recensetur in catalogo codd. MS bibliothecæ Janninianæ, quæ sic dicta est, quia anno illo 1621 Nicolaus Jannin frater Petri Jannin senatus Divionensis præsidis abbas erat S. Benigni. Titulum hujus alterius codicis hunc fuisse ferunt: *Gerlandi canonici Chrysopolitani candela.* Vesontionem Sequanorum caput seculis XI & XII dictam fuisse Chrysopolim docet Joannes Jacobus Chiffletius in sua Vesontione parte prima p. 51 ex vita S. Bernardi & ex vita S. Petri Tarentasiensis archiepiscopi: unde hunc *Gerlandum* seu *Garlandum* vel etiam *Jarlandum*, his enim variis modis scriptum legitur, eum esse conjiciunt, qui cùm prius esset ecclesiæ S. Pauli collegialis Vesontione scholarum caput, hac ecclesia in regularem S. Augustini anno MCXXXI erecta, ejus primus prior positus est. Opus verò ejus idem putant cum eo quod Joannes Justus Cartusianus edidit Coloniæ Agrip. typis Eucharii Cervicorni. 1527 in 8 sub hoc titulo: *Candela evangelica a viro quodam venerabili atque apprime erudito conscripta, qui apud homines optans magis nesciri quàm prædicari, nomen suum subticuit.* Sic enim post Verderium refert Possevinus verbo *Joannes Justus.* Hæc visa sunt monenda, ut lector auctoris jam fere incogniti nomen habeat, & ubi genuinum ejus opus lustrare possit, agnoscat.

Tit. 6 agit de festis B. Virginis, & cap. 1 de institutione festi conceptionis sapientissime. Hoc caput refert Alva Sol. Verit. Rad. 228 col. 1577 sed non integrum. Cap. 2 de nativitate B. V. loquens sic habet fol. 218. d. *Papa Innocentius IV in concilio nuper Lugdunensi octavas ejus instituit faciendas ubique &c.* Quod si legisset Ludovicus Tomassin Stephani nostri oculati & præsentis in concilio testimonium, non ita incertus in suo Gallico de festis tractatu de his Octavis locutus fuisset.

Fol. 223. *a.* De assumptione B. V. cap. 8 S. Elisabeth Coloniensis ait » auctoritatem valde in chronicis commendari, *cui nempe* revelatum fuit corpus B. V. jacuisse in sepulchro per 40 dies & IX Kal. octob. tantùm surrexisse «, & modum eidem revelatum refert.

Fol. 225. *c.* Hoc miraculum refert cap. 12. » Cùm quidam clericus habuisset linguam amputatam ab hæreticis Albigensibus veniens apud Cluniacum in ecclesia B. V. licèt lingua non posset, corde ut poterat eam laudabat, & laudes ejus libenter audiebat. Unde cùm in quodam festo alios audiret laudantes, & affectaret cum eis laudare, B. Virgo novam linguam in palato ei subito formavit, & loquelam ei reddidit, & cum aliis subito laudare cœpit. Cujus linguæ recentia in ejus ostensione apparebat, quem ego vidi factum monachum, & plures eorum qui viderant linguam novam & locum priorem, & interfuisse miraculo se asserebant «.

Ibidem & in seqq. multa refert de cultu B. Virginis sua ætate usitato. Alios enim laudat salutationem angelicam millies, alios centies, alios quinquagesies in die, alios sine numero frequenter & quasi perpetuo eam dicentes: alios quotidie septies *Pater noster* & toties *Ave Maria* genuflexos: alios officium parvum B. V. quotidie recitantes viros & fœminas, sacerdotes ter quot septimanis de ea celebrantes: clericos responsoria in ejus laudem componentes & cantantes: magistros, & inter eos decanum ecclesiæ Nivernensis Terricum nomine, conciones versus & ut loquitur dictamina de eadem scribentes: meminit etiam ut devotionis antiquæ, cujusdam qui *septem gaudia* quotidie ei offerebat.

Fol. 227. *b.* De jejuniis in honorem B. V. hæc habet notanda. cap. 13. » Licèt autem secundùm institutionem non fieret de ea nisi vigilia Assumtionis ejus, tamen multi ex devotione quam habent ad eam, omnium festivitatum ab Ecclesia institutarum jejunant vigilias, etiam multi in pane & aqua, hac etiam intentione multi, ut ipsa eis obtineat ne moriantur inconfessi. Et licèt mala sit in hoc superstitio, & abusio, & reprobanda quam quidam habent circa ejus misericordiam confidentia, hac faciendo mala securius, quasi faciendo hæc jejunia non possint hinc migrare impœnitentes & inconfessi: devotio tamen pia circa hæc jejunia est approbanda, ut in his jejuniis intendant, ut per suam misericordiam impetret eis gratiam ad Deum convertendi, & pœnitentiam hîc agendi. «

Sic tandem addit: » Sunt etiam quædam vigiliæ & jejunia B. Mariæ non institutionis sed devotionis ut dies sabbati, quam quidam jejunant in honore ejus in pane & aqua, aliqui ex astrictione voti, aliqui ex devotione mera & voluntate. Aliqui etiam jejunant diem illum per totum annum absque carnibus, aliqui in quadragesimali cibo, alii in pane & aqua, in quo evenit dies Dominicæ Annunciationis, confidentes quod B. Virgo si hoc usque ad septennium compleverint, per hoc trahat eos ad bonum finem. Et quoddam miraculum & dignum memoria audivi in Romana curia factum, cujus memoriam non teneo, per quod permoti multi magni clerici curiales & alii, diem illam per totum annum jejunabant, & ad alios per multas terras hujus jejunii devotio devenit «. Hujusce jejunii meminit etiam Lucas Tudensis Stephano nostro æqualis lib. 3 cap. 20.

Sec. XIII. Inter peregrinationes laudat præsertim ecclesiam B. Mariæ Suessionensem ut miraculis celebrem. At fol. 231. b. de ecclesia Carnotensi hæc habet notanda ejusdem tit. cap 19 *De tunica B. Virginis sublata.*

» Item anno Domini DCCC IIC. Rollo dux exercitus Normanorum multas terras vastans stragesque Francorum faciens obsedit Carnotum : cujus episcopus Galcellinus nomine confisus in B. Virgine convocato Ricardo duce Burgundiæ & Ebalo comite Pictaviæ cum suis aggressus est hostium infinitam multitudinem, habens tunicam B. V. pro vexillo quæ ibi servabatur, qua visa hostes sunt adeo excæcati, ut nescirent quo irent, quove se verterent. Carnotenses autem videntes eos insensibiles & quasi amentes, in eos nimis immisericorditer sæviunt, & eos cædunt & occidunt, dum se non possent juvare. Et quia B. Mariæ non placuit, sublata est de medio ejus tunica & disparuit, & hostes visu recuperato & viribus in fuga labuntur, & civitas liberatur viduata tam pretioso thesauro.

Primam hujus narrationis partem fere totidem verbis habet Rogerius ab Hoveden : at secundam de sublata divinitus illa tunica undenam auctor noster acceperit & an vera sit, discutiant & quærant quorum interest. Cæterùm ejus ætate ita vulgo creditum fuisse dubitari non potest, quandoquidem hæc in concionibus palam nemine contradicente prædicabantur.

Cùm autem in toto isto tractatu de B. V. plura ejus miracula referat, sic lectori fidem suam probat auctores suos laudans.

» Notandum quod ista miracula eorum plurima collegimus de libris diversis de miraculis ejus scriptis, quorum conscriptores non sunt mihi omnes cogniti, nec tituli librorum hoc declarabant, nec mihi constat de omni veritate : sed hoc scio quod mater Dei omnipotentis ista omnia benefacta misericordiæ potest facere, & longe majora & ampliora & potest facere & fecit. Hoc tamen sciendum quod eorum plurima dicitur S. Petrus Tarentasiensis archiepiscopus compilasse, quædam alia S. Hugo Cluniacensis abbas, & Petrus Cluniacensis, alia Urbanus papa, alia Petrus Damiani Ostiensis episcopus legitur scripsisse.

Ad quod attendant critici illi morosiores, qui Vincentium Bellovacensem & Jacobum de Voragine ob hujusmodi miracula relata severius arguunt, illi enim non secus ac noster Stephanus, non sua depromunt, sed a sanctis illis viris relata penes quos fides tantùm exscribunt.

Notandum maxime & ad Historiam Ecclesiasticam Galliæ spectans eventum refert P. III de dono scientiæ tit. I de pœnit. cap. 5. *Qualis debet esse pænitentia.* cod. Sorb. fol. 250. b. quod eo magis hîc exscribendum visum est, quo pauciores accurati tamen ejusdem ætatis aut suppares auctores meminerint : de quo sic habet Stephanus noster loc. cit.

» Item audivi quod in diœcesi Cathalaunensi versus Montemhismerum fuit quædam vetula Alberea nomine Manichæa re, quæ propter errorem suum non comedebat carnes, non ova, non caseum, & a multis secundùm sectæ suæ doctrinam abstinebat, non propter Deum, tamen tantæ famæ erat, ut incolæ ex hoc eam sanctissimam judicarent : quæ etiam ad contegendum errorem suum singulis diebus dominicis communicabat, nec tamen in corpus Dominicum fidem aut devotionem habebat, quæ comprehensa & combusta confessa est in jure omnia opera ista esse diaboli, & infecta & inficientia animas, & ideo dicta pœnitentia non solùm ei non proficiebat, sed nocebat juxta illud apostoli Rom. 14. g. *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Hoc audivi ab eis qui ante eam de hoc convicerant, & hæreticam judicaverant, & a filio sui Theobaldo nomine qui fuit hæreticus Manichæus & combustus apud Montemhismerum in sententia quæ data est ibi plusquam supra LXXX hæreticos Manichæos, cui sententiæ ego interfui, & fere omnes episcopi Franciæ «.

Hoc idem factum repetit & magis explicat P. IV de dono fortitud. tit. 13 de gula, cap. 8 contra frequentationem tabernarum fol. 541. d. » Similes sunt gulosi canibus, de quibus audivi a multis illius patriæ, quod circa pedem castri dicti Mons Hismeri comitis Campaniæ convenerunt canes de diversis partibus illius terræ circa annum Domini MCCXXX, qui se ibi mutuis dentibus impetentes lacerantes & compugnantes occiderunt, & parum post ibi capti sunt multi Manichæi hæretici circa CLXXX, quorum examinationi factæ ibidem a prælatis Franciæ ego interfui, qui ibidem fuerunt judicati condemnandi & combusti. «

Mirari autem subit quî factum est, ut congregatio illa episcoporum Franciæ adeo solemnis apud historiæ Gallicæ scriptores prætermissa fuerit. Ejus tamen meminit F. Joannes canonicus Victorinus in Memoriali Historiarum ad annum 1230, ubi sic habet : » Hoc anno bellum canum occidentium sese fuit circa pedem Montis Wimerii in Campania, & cito post CLXXX hæretici inventi sunt & convicti & combusti «. Sed luculentius rem totam narrat Albericus monachus in chronico a Leibnitio typis subjecto Lipsiæ, Forsteri, 1698 in 4 qui sic habet p. 568 & seq.

» In anno isto [1239] hebdomada ante pentecosten sexta feria factum est maximum holocaustum & placabile Domino in combustione Bulgrorum siquidem CLXXXIII Bulgri sive Bulgari combusti sunt in præsentia regis Navarræ & baronum Campaniæ apud Montrimert (*Montwimer*) qui ab antiquo Mons Wodemari dicitur, ubi affuerunt Remensis archiepiscopus Henricus, Suessionensis episcopus Jacobus, episcopus Tornacensis Galterus, episcopus Cameracensis magister * Guinardus theologus, episcopus Atrebatensis magister Also, episcopus Morinensis Petrus, episcopus Noviomensis Nicolaus, episcopus Laudunensis magister Garnerus, episcopus Silvanectensis magister Adam, electus Bellvacensis Robertus, electus Catalaunensis Gaufridus patruus comitis de Grandiprato, episcopus Aurelianensis magister Guillelmus, episcopus Trecensis magister Nicolaus, episcopus Meldensis Petrus, episcopus Virdunensis Rodulphus de Torata, & frater ejus Lingonensis episcopus Robertus, & multi alii Ecclesiarum prælati, abbates videlicet priores & decani non tamen omnes isti interfuerunt combustioni, sed in ipsa hebdomada cùm fieret examinatio advenientibus aliis recedebant alii. Affuit etiam tanta multitudo populi utriusque sexus & conditionis, quod numerus eorum ad septies centum millia æstimabatur : & sicut antiquitus ut dicitur, canes in eodem loco undique convenientes bellum ad invicem habuerunt quodam præsagio futurorum, & se invicem laceraverunt, ita isti Bulgri pejores canibus uno die ibi ad triumphum sanctæ Ecclesiæ exterminati sunt, &c «. apud ipsum merito legenda. Qui conventus episcoporum Franciæ inter synodos provinciales aut etiam nationales jure censeretur, si omnes ad finem usque perstitisse constaret.

* *Lege Guiardus.*

Sed & valde annotanda quæ habet P. IV de dono fortitudinis tit. VII de superbia c. 30 de errore vel hæresi Waldensium & Albigensium. Hæc tantùm refero.

Fol. 391 *col.* I. » Item audivi quod quidam fuit nuper magnus princeps in Alvernia dictus Marchisius de Monteferrando acutissimi ingenii naturalis & antiquissimæ ætatis, qui cùm crederetur «

bene sex viginti annorum, quia multa fecisset dictamina de regibus & principibus & statibus diversorum hominum sui temporis, bene per XL annos posuerat curam & diligentiam congregare libros omnium sectarum, quascunque audiebat esse per universum orbem cum multo sumtu, quos diligenter legebat, & legi sibi faciebat: cùm autem esset infirmus infirmitate qua mortuus est, Fratres quidam nostri visitaverunt eum, qui hæc mihi dixerunt. Cùm autem inter alia quæ dixerunt ei, hoc auribus ejus ingessissent, quod timor habitus esset de eo ne esset hæreticus, propter libros eorum quos audiverant eum & legisse & audivisse, & affinitatem quam habebat terra sua cum terra Albigensium: respondit, verum est, curiosus fui bene per XL annos cum multis sumtibus libros sectarum omnium colligere, & legere & studere in eis, quia videbam quod cùm plus ibi aspicerem, plus in fide catholica roborabar, & plus hæreses abominabar, videns fallaciam traditionis earum. Et in signum hujus vilipensionis quam habebam ad alias sectas a fide, feci fieri scrinium ligneum, quod feci poni sub pedibus meis, quando sedebam in sede cameræ meæ privatæ: quasi non possem ipsas sectas magis vilipendere, nisi pedibus meis subessent quando sedeo vile naturæ officium expleturus: evangelia autem Domini mei in multo honore servavi. Ideo autem legi libros sectarum diversarum, quia terræ meæ affines sunt hæretici Albigenses, ut mihi ab eorum versutiis scirem cavere; & eos si mecum de suis loquerentur erroribus, scirem de suis jaculis repercutere & eos confutare per suas positiones & assertiones. Fecit autem dictos hæreticorum libros extrahi de loco dicto, & in oculis suis comburi. Qui multis annis ante mortem suam in memoriam passionis ejus & fidei, stigmata Domini Jesu in corpore suo portaverat, cum aliis pœnis quas faciebat, in memoriam passionis Domini cum quibusdam clavis carnem suam singulis sextis feriis usque ad sanguinis effusionem configebat.

Quis fuerit dynastes ille Montisferrandi, disquirant rerum Arvernarum curiosi & periti, verùm attendenda illa ejus ætatis religio stigmata in carne sua imprimendi ac singulis sextis feriis ope clavorum & ad sanguinis usque effusionem renovandi. An plures qui eo seculo stigmata feruntur in corpore suo portasse, ea clavis sibi impresserint, dubitare quis posset, quod tamen dictum velim salvis SS. Francisci, Catharinæ Senensis, aliorumque similium stigmatibus, quæ a Christo ipso confixa pie creduntur. Sic verò de Waldensibus & Albigensibus prosequitur fol. 395 a.

Audivi a quodam qui dicebat mihi se interfuisse & vidisse & audivisse quæ referam. In Lombardia antequam Fratres nostri ibi prædicassent, cùm in quadam civitate convenissent diversarum hæresum hæresiarchæ divisi & adversi, convenerunt in quadam ecclesia maxima septem qui dicebantur eorum episcopi diversarum sectarum cum credentibus suis, ut quilibet rationibus suis astrueret sectam suam meliorem, & alias reprobaret & improbaret, ubi factum est communi consensu, quod quilibet septem episcoporum per ordinem rationes pro secta sua proponeret, & quod contra alias haberet. Tunc surgens primus rationibus quibus potuit sectam suam probavit, similiter ex scripturis dicens illam esse veram & catholicam fidem sine qua nullus salvari poterat, & excommunicavit omnes quicumque aliquid contra illam suam credentiam proponeret vel acceptaret. Quo sedente surrexit secundus repetens quæ primus dixerat & improbavit & reprobavit quantum valuit, asserens quod primus proposuerat non esse veram fidem sed sectam perversam & hæreticam: suam autem proposuit & quantum valuit astruxit, asserens eam veram fidem quam qui non teneret damnaretur, & excommunicavit & hæreticum judicavit priorem & credentes suos & suam sectam. Quo sedente surrexit tertius, & idem fecit de sua secta, alias & aliorum credentes damnans & anathematizans, & similiter fecerunt alii de suis sectis successive. Dictus autem homo qui mihi retulit cùm esset homo intelligens, videns eorum dissensiones & dissectiones ad invicem recessit, multum ut asserebat ex eorum divisione in fide confirmatus [*&*] coadunatus.

Item cùm in diœcesi Bisuntinensi in villam quæ dicitur *Joinville* super Sogonam veniret quidam hæreticus transfiguratus ad modum alicujus balistarii, qui mittebatur ad credentes eorum consolandos & confirmandos & simplices patriæ pervertendos, cùm major villæ esset in pratis suis cum operariis suis, cùm videret dictum hæreticum venientem per viam, dimissis operariis nesciens quomodò intravisset ista suspicio in cor ejus, nisi quod credit Deum ibi eam posuisse, subito clamavit, video unum Valdensem hæreticum, accurrite, capiamus eum: quem cùm cepissent, post multa ejus verba sophistica, cognoverunt quod bene erant XVIII anni, quod ab illa terra recesserat causa hæresis addiscendæ. Qui ut ipse recognovit nobis per totum dictum spatium apud Mediolanum studuerat in secta hæreticorum Waldensium, firmans novum testamentum corde, & multa veteris per quæ posset sectam suam defendere, & nostram fidem impugnare, & simplices subvertere, similiter rationes quascunque poterat. Qui examinatus postquam per biduum disputatum esset contra eum, & probati fuissent scripti articuli errorum suorum, requisitus recognovit quod bene noverat apud Mediolanum XVII sectas a se invicem divisas & adversas, quas ipsi etiam de secta sua omnes damnabant, & eas mihi nominavit, & differentias earum.

Prima de qua ipse erat dicebantur pauperes de Lugduno, qui se etiam vocant pauperes spiritu, qui dicuntur Valdenses a suo hæresiarcha, qui cum aliis erroribus suis damnant omnes terrena possidentes.

II. Item pauperes de Lombardia, qui possessiones recipiebant, de quorum erroribus infra dicemus.

III. Item alii dicti Tortolani, qui semel in anno & in cœna solùm posse confici dicunt a magistro eorum solo perfecto: qui tortellum faciunt, de quo ab eo communicantur.

IV. Item alii qui dicuntur Gebû Rûq. (*Sic an Gens bona, an Gebennenses & Runquarii.*)

V. Alii Bnert Pn. a suis capitaneis dicti (*an Bernet vel Brunert.*)

VI. Alii dicunt omnes bonos viros sacerdotes non mulieres. VII. Alii non distinguunt in sexu. VIII. Alii qui communiati dicebantur, quia communia omnia dicunt esse debere. IX. Alii rebaptizati qui rebaptizandos ab Ecclesia esse dicunt X. Item Arnaldistæ. XI. Speronistæ. XII. Leonistæ. XIII. Cathari. XIV. Patereni. XV. Manichæi sive Burgari a suis inventoribus sic dicti.

Cap. 31. quibus qualitatibus malis sive conditionibus sint hæretici involuti. Hæc refert de origine Waldensium ut testis oculatus. fol. 404 b.

Quartò dicendum est de hæreticis nostri temporis scilicet Waldensibus & Albigensibus unde ortum habuerunt, & unde & quare & quomodo appellentur, & quibus erroribus involvantur & veræ fidei adversentur.

Sæc. XIII.

Sæc. XIII.

» Waldenses autem dicti sunt a primo hujus hæresis auctore, qui nominatus fuit Waldensis. Dicuntur etiam pauperes de Lugduno, quia ibi inceperunt in professione paupertatis. Vocant autem se pauperes spiritu, propter quod Dominus dicit Matth. 5 a *Beati pauperes spiritu*, & vere pauperes in spiritu a spiritualibus bonis, & a spiritu sancto.

» Incepit autem illa secta per hunc modum, secundùm quod ego a pluribus qui priores eorum viderunt, & a sacerdote illo qui satis honoratus erat & dives in civitate Lugdunensi & amicus Fratrum nostrorum, qui dictus fuit Bernardus Ydros, qui cùm esset juvenis & scriptor, scripsit dicto Waldensi priores libros pro pecunia in Romano (*id est Gallico*) quos ipsi habuerunt, transferente & dictante ei Stephano de Ansa (*cod. Rotomag. de Emsa*) qui postea beneficiatus in Ecclesia majore Lugdunensi [*cod. Rotom.* promotus est in sacerdotem &] de solario domus quam ædificabat corruens morte subita vitam finivit, quem ego vidi sæpe.

» Quidam dives rebus in dicta urbe dictus Waldensis audiens evangelia, cùm non esset multum literatus, curiosus intelligere quid dicerent, fecit pactum cum dictis sacerdotibus, alteri ut transferret ei in vulgari, alteri ut scriberet quæ ille dictaret, quod fecerunt: similiter multos libros Bibliæ, & auctoritates sanctorum multas per titulos congregatas, quas sententias appellabant. Quæ cùm dictus civis sæpe legeret & corde tenus firmaret, proposuit servare perfectionem evangelicam ut apostoli servaverant. Qui rebus suis omnibus venditis in contemtum mundi per lutum pauperibus pecuniam suam projiciebat, & officium apostolorum usurpavit & præsumsit, evangelia & ea quæ corde retinuerat per vicos & plateas prædicando, multos homines & mulieres ad idem faciendum ad se convocando firmans eis evangelia. Quos etiam per villas circumjacentes mittebat ad prædicandum vilissimorum quorumcunque officiorum. Qui etiam tam homines quam mulieres idiotæ & illiterati per villas discurrentes & domos penetrantes, & in plateis prædicantes & etiam in ecclesiis, ad idem alios provocabant. Cùm autem ex temeritate sua & ignorantia multos errores & scandala circumquaque diffunderent, vocati ab archiepiscopo Lugdunensi qui Joannes vocabatur, prohibuit eis ne intromitterent se de scripturis exponendis vel prædicandis. Ipsi autem recurrentes ad reponsionem apostolorum Actuum 5. e. magister eorum usurpans Petri officium, sicut ipse respondit principibus sacerdotum, ait, *Obedire oportet magis Deo quam hominibus*, qui præceperat apostolis, *Prædicate evangelium omni creaturæ* in fine Marci: quasi hoc dixisset Dominus eis quod dixerat apostolis; qui tamen prædicare non præsumserunt, usquequo induti virtute ex alto fuerunt, usqueque perfectissime & plenissime scientia perlustrati fuerunt, & donum linguarum omnium susceperunt.

» Ii ergo Waldensis scilicet & sui primo ex præsumtione & officii apostolici usurpatione ceciderunt in inobedientiam, demum in contumaciam, demum in excommunicationis sententiam. Post expulsi ab illa terra ad concilium quod fuit Romæ ante Lateranense [IV *ut videtur*] vocati & pertinaces fuerunt schismatici postea judicati. Postea in Provinciæ terra & Lombardiæ cum aliis hæreticis se admiscentes, & errorem eorum bibentes & serentes, hæretici sunt judicati Ecclesiæ infestissimi, hæretici infectissimi & periculosissimi, ubique discurrentes, speciem sanctitatis & fidei prætendentes, veritatem autem ejus non habentes, tanto periculosiores quanto occultiores, se sub diversis hominum habitibus & artificiis transfigurantes. Aliquando quidam maximus inter eos fuit captus, qui secum ferebat multorum artificiorum indicia in quæ quasi Proteus se transfigurabat. Si quæreretur in una similitudine & ei innotesceret, in aliam se transmutabat. Aliquando ferebat habitum & signacula peregrini, aliquando baculum pœnitentiarii & ferramenta, aliquando se fingebat sutorem, aliquando barbitonsorem, aliquando messorem &c. Alii similiter idem faciunt. Incepit autem hæc secta circa annum ab incarnatione Domini MCLXX sub Joanne dicto Belesmanis archiepiscopo Lugdunensi. [*in cod. Rotom.* M. C. LXXX sub Joanne dicto Belesmanis] &c. « quæ lectio cod. Rotom. videtur certior, cùm Jo. Belesmanis non sederit ante 1180.

Errores eorum postea sigillatim explicat, quos si quis curiosus scire aveat, dissertationem nostram cui titulus *sancti Thomæ summa suo auctori vindicata* consulat, seu potius ipsummet auctoris opus, hanc enim hæresim jam fere incognitam nemo certius ac clarius agnovit ac exponit, ut qui ipso teste per XXV annos inquisitionis officium in eos jam exercuerat cùm hæc scriberet. Postquam egit de Waldensibus, tractat de Manichæis Patarenis & Burgaris sua ætate Galliam infestantibus.

Dicti sunt, *inquit*, Albigenses propter hoc, » quia illam partem Provinciæ, quæ est versus Tolosam & Agennensem urbem circa fluvium Albam primò in Provincia infecerunt. Dicuntur etiam a Lombardis Gazari vel Patari, a Theotonicis Kathari vel Kathaaristæ: dicuntur etiam Burgari, quia latibulum eorum speciale est in Burgaria. Gallice etiam dicuntur ab aliquibus *Popelicant*. « Tarnis fluvius Albiam vulgo *Albi* alias Albam Helviorum alluens, & supra Agennum in Garumnam influens fortè tum dicebatur Albæ fluvius. Qui plura volet tum de Albigensibus, tum de aliis hæreticis ejus temporis, ac de signis quibus eos detegebant, adeat Dissertationem nostram citatam vel ipsum nostri Stephani opus, in quo accurata horum hæreticorum exhibetur notitia. Addo solùm ejusdem ut inquisitoris præclare gesta quædam.

Fol. 412 *d.* nempe eodem Tit. VII de superbia cap. 34 ubi agit de octo generibus superstitionis, specie V de ludificatione dæmonum sic narrat:

» Item cùm ego inquirerem in comitatu Foresiensi de hæreticis, quidam sacerdos adduxit mihi parochianam suam, quæ deponebat contra multos, dicens quod in domo in qua morabatur, mensa ponebatur vacua & maxima, ad quam multi conveniebant quos ipsa nominabat de villa sua & aliis remotis locis, & cùm sederent ad mensas vacuas, canis niger & parvus veniebat, & super mensam ascendens pede suo elevato circulum quasi rotam faciebat super mensas, & confestim mensæ replebantur diversis generibus ferculorum & comedere videbantur, & post recedere ad quemdam locum saxosum, post hinc inde diffugiebant. Sed cùm ego locutus fuissem cum aliquo eorum qui bonæ famæ erat, & quem credebam bonæ vitæ, nec aliquid circa eum invenirem per quod hoc de eo præsumerem, credo quod fuit diabolica ludificatio & eorum transfigurationes ad infamandum bonas personas.

» Item quasi simile accidit in Alvernia, ubi multi fuerunt capti apud Sanctum Portianum, & deducti apud Claromontem: ubi cùm vocasset me episcopus ejusdem loci D. Hugo de Turre, quædam mulier capta in quibusdam maleficiis accusavit plures, & illos qui captivi detinebantur, dicens cum lacrymis quod magistram quamdam

[*habuerat*]

» [*habuerat*] quæ eam frequenter duxerat ad quemdam locum subterraneum, ubi conveniebat multitudo hominum & mulierum cum luminibus torticiorum & candelarum circumdantes quamdam cufam plenam aqua quæ erat in medio, in cujus medio erat hasta affixa, & magister eorum adjurabat luciferum per barbam suam & per potentiam quod veniret ad eos, & permulta alia. Ad quam adjurationem descendebat catus deterrimus per lanceam, & aqua cum cauda sua vadens in circuitu omnes aspergebat, & luminaria omnia extinguebat. Quo facto quilibet eorum accipiebat illum vel illam qui ei primo occurrebat, & cum eo turpiter admiscebatur. Propter hoc dicti homines erant capti, qui hæc omnia negabant, licèt dicta mulier diceret eos ibi sæpe vidisse convenisse.

Hæc nostri inquisitoris lumen probant ac judicium, muliercularum somniis plerumque ex malitia aut ex superstitione alios accusantium fidem denegantis, ac reorum innocentiam protegentis. At luculentius est quod sexta specie superstitionis refert & memoria dignum fol. 413 c. & seqq.

» Sextò dicendum est de superstitionibus contumeliosis, quarum quædam sunt contumeliosæ Deo, quædam proximo. Deo contumeliosæ sunt superstitiones, quæ divinos honores dæmonibus attribuunt, vel alicui alteri creaturæ, ut facit idolatria, & ut faciunt miseræ mulieres sacrilegæ, quæ salutem petunt adorando sambucas, vel offerendo eis, (contemnendo ecclesias vel sanctorum reliquias) portando ibi pueros suos vel ad formicarios, vel ad res alias ad sanitatem consequendam.

» Sic faciebant nuper in diœcesi Lugdunensi, ubi cùm ego prædicarem contra sortilegia & confessiones audirem, multæ mulieres confitebantur portasse se pueros suos apud S. Guinefortem: & cùm crederem esse sanctum aliquem, inquisivi & audivi ad ultimum, quod esset canis quidam leporarius occisus per hunc modum.

» In diœcesi Lugdunensi prope villam monialium quæ dicitur *Novile* (*an quæ nunc* villa nova *in Dombarum principatu*) in terra domini de Villario (*Villarium supra Calaronam quæ in mappis geographicis* Chalarine *seu* Cialarine) fuit quoddam castrum cujus dominus puerum parvulum habebat de uxore sua. Cùm autem exivissent dominus & domina a domo, & nutrix similiter dimisso puero solo in cunabulis, serpens maximus intravit domum tendens ad cunabula pueri, quod videns leporarius qui ibi remanserat, eum velociter insequens & persequens sub cunabulo evertit cunabula, morsibus serpentem invadens defendentem se & canem similiter mordentem, quem ad ultimum canis occidit & a cunabulis pueri longe projecit, relinquens cunabula dicta cruentata & terram, & os suum & caput serpentis sanguine, stans prope cunabula male a serpente tractatus. Cùm autem intrasset nutrix & hæc videret, puerum credens occisum & devoratum a cane clamavit cum maximo ejulatu, quod audiens mater pueri similiter accurrit, idem vidit & credidit & clamavit similiter. Similiter & miles adveniens ibi idem credidit, & extrahens spatam canem occidit. Tunc accedentes ad puerum invenerunt eum illæsum suaviter dormientem, inquirentes inveniunt serpentem canis morsibus laceratum & occisum. Veritatem autem facti agnoscentes & dolentes de hoc quod sic injuste canem occiderant sibi tam utilem, projecerunt eum in puteum, qui erat ante portam castri, & acervum maximum lapidum super eum projecerunt, & arbores juxta plantaverunt in memoriam facti. Castro autem divina voluntate destructo, & terra in desertum redacta est ab habitatore relicta. Homines autem rusticani audientes nobile factum canis, & quomodo innocenter mortuus est pro eo de quo debuit reportare bonum, locum visitaverunt, & canem tanquam martyrem honoraverunt, & pro suis infirmitatibus & necessitatibus rogaverunt, seducti a diabolo & ludificati ibi pluries, ut per hoc homines in errorem adduceret: maxime autem mulieres quæ pueros habebant infirmos & morbidos ad locum eos deportabant, & in quodam castro per leucam ab eo loco propinquo vetulam accipiebant, quæ ritum agendi & dæmonibus offerendi & invocandi eos doceret eas, & ad locum duceret. Ad quem cùm venirent sal & quædam alia offerebant, & panniculos pueri per dumos circumstantes pendebant, & acum in lignis quæ super locum creverant figebant, & puerum nudum per foramen quod erat inter duos truncos duorum lignorum matre existente ex una parte & puerum tenente & projiciente novies vetulæ quæ erat ex alia parte, cum invocatione dæmonum adjurantes Faunos qui erant in silva *Rimite*, ut puerum quem eorum dicebant acciperent morbidum & languidum, & suum quem secum detulerant reportarent eis pinguem & grossum vivum & sanum. Et hoc facto accipiebant matricidæ puerum, & ad pedem arboris super stramina cunabuli nudum puerum ponebant, & duas candelas ad mensuram pollicis in utroque capite ab igne quem ibi detulerant succendebant, & in trunco superposito infigebant, tandiu inde recedentes quod essent consumtæ, & quod nec vagientem puerum possent audire nec videre, & sic candelæ candentes plurimos pueros concremabant & occidebant, sicut ibidem de aliquibus reperimus. Quædam etiam retulit mihi quod dum Faunos invocasset & recederet, vidit lupum de silva exeuntem & ad puerum euntem, ad quem nisi affectu materno miserata prævenisset, lupus vel diabolus in forma ejus eum ut dicebat vorasset.

Si autem redeuntes ad puerum eum invenissent viventem, deportabant ad fluvium cujusdam aquæ rapidæ propinquæ dictæ *Chalarone*, in quo puerum novies immergebant, qui valde dura viscera habebat si evadebat, nec tunc vel cito post moreretur. Ad locum autem accessimus & populum terræ convocavimus, & contra dictum prædicavimus. Canem mortuum fecimus exhumari & lucum succidi, & cum eo ossa dicti canis pariter concremari, & edictum poni a dominis terræ de spoliatione & redemtione eorum, qui ad dictum locum pro tali causa de cætero convenirent. »

Certamen canis cum serpente an verum sit, nihil ad nostrum auctorem, qui quod vulgo dicebant tantùm refert: at superstitionem horrendam in usu fuisse nemini dubium esse potest, quam inquisitoris munere fungens deprehendisse se ipse testatur, ac tum exustione ossium canis publica, tum edicto adeo solemni abolevisse. Quod sane factum non minus memoria dignum, quàm quod in vita S. Martini refertur de cultu superstitioso latronis ab eo retecto & exterminato. Notandum historiam canis cum serpente pugnantis a F. Joanne Juniore nostro quibusdam circumstantiis exornatam referri, & allegorice ad mores traduci in suo libro cui titulus *scala cœli* verbo FŒMINA, quam proculdubio ex *libro magno de septem donis*, sic enim vocat, ut & alia plura excepit.

Cùm ætate auctoris electiones vigerent in Ecclesia Gallicana, de iisdem fusissime agit P. v de dono consilii. Tit. De prudentia a fol. 549 ad 618 ex ordine differens *De cautela in electione bonorum & reprobatione malorum prælatorum. Quibus modis*

SEC. XIII. *perpenditur voluntas Dei in electionibus. Quod electio debet esse pura. Quod attendenda est electi idonitas. Qua sunt consideranda in eligendis. Quod electores debent spectare Ecclesiarum utilitatem. De prudentia pralatorum, diligentia in proficiendo, solicita acquisitione ornamentorum spiritualium, de eorum obedientia, mansuetudine, spe, fide, patientia, pœnitentia, abstinentia, misericordia, mediatione apud Deum, liberalitate, humilitate, zelo compassionis correctionis & reprehensionis, resistentia malo & malis, propugnatione boni, solicitudine Deo serviendi, vigilantia super gregem, solicitudine in custodia bonorum Ecclesia temporalium, industria in pascendo grege, in exemplum eis proponens Christum, tum* XII *insignes pastores antiqua legis, Abel, Jabel, Isaac, Ana, Jacob, Joseph, Moysen, David, Cyrum, Amos, Rechab, Jazir, ac denique ipsos pastores ovium*, quorum XII conditiones eleganter transfert ad Ecclesiæ pastores: quibus colophonem addit tractando *de pœnis malorum & premio bonorum*. Quæ concionatoribus ejus seculi & duorum sequentium luculentam sermonum sive in Synodis sive electionum tempore materiem præbuerunt, ut quibus in eo genere nihil dici possit accuratius.

Quæ fol. 574 a. habet de fabula papissæ Joannæ in chronicis suæ ætatis jam vulgata commodius referentur postea, ubi de nostro Martino Polono, quibus hic figmenti adeo insulsi & putidi adinventi plane absolvitur: necesse autem non arbitror nostrum hunc Stephanum excusare, quod fabulam adeo male fabricatam operi suo inseruerit: historicum enim aut chronologum non agebat ille, sed concionatorem, neque eorum quæ refert vadem se præstat, sed rem ut ætate sua circumferebatur, ac ut apud auctores a se visos legebatur, simpliciter narrat, adeo ut non tam auctoris quam seculi sui errorem fuisse nemo cordatus non fateatur.

Quantum verò ad res seculi XIII innumera habet seu mores ac consuetudines seu historiam Ecclesiasticam aut etiam utriusque ordinis Prædicatorum & Minorum spectantia, adeo ut opus & historicis & concionatoribus utilissimum typis nondum prodiisse mirum sit. Verum est auctorem speculi moralis Vincentio Bellovacensi hactenus falso asserti, ut suo loco evincimus, totum hoc Stephani opus deflorasse, sic ut ex 1500 quibus in editione Duacena speculum morale constat columnis, septingentæ circiter ex opere de septem donis ac verbo ad verbum transcriptæ sint, sed inverso ac præpostero ordine, pluribus rescissis, factis historicis decurtatis, auctorum qui laudantur nominibus aut omissis aut mutatis, plurimis quæ sibi ipsi in variis provinciis ac civitatibus acciderunt verbo Dei instanti, inquisitionis munus exercenti, confessiones excipienti, archiepiscopos & episcopos aut etiam principes seculares alloquenti Stephanus noster in propria persona narrat, quod eum sua ipsius depromere ostendit, illis iisdem, inquam, a plagiario illo totidem verbis sed in tertia persona recitatis, modo id cuidam ordinis Prædicatorum inquisitori nomine tacito contigisse, modo quemdam confessarium ita se gessisse, modo id legi libro non indicato narrante, sicque lectori sua furta majore cum industria occultare satagente, quo factum est ut a duobus tribusve seculis compilator ille speculi moralis sub nomine ementito Vincentii Bellovacensis quasi verus auctor laude sua non caruerit, & adhuc lateret, nisi latronem insignem favente numine deprehendissemus, & redditis suis auctori cuilibet quæ ab iis non laudatis inverecunde accepit, ita nudum statuissemus, ut jam nullius sit momenti, saltem lites ejus occasione exortæ, maxime an S. Thomas ex speculo morali potissimam suæ summæ partem acceperit, omnino conticuerint. De quo legenda nostra citata Dissertatio *S. Thomæ summa suo auctori vindicata*. ac de eo etiam postea ubi *de S. Thoma*, & de *Vincentio Bellovacensi* agemus. Verùm ista clarius adhuc apparerent, si tandem hoc opus *De septem donis Spiritus Sancti* typis prodiret, quod utinam aliquando magistris ordinis agentibus fiat.

Unum adhuc addo de quo tacere non possum, cùm ad rem literariam spectet, de Alano magno cujus variis locis meminit auctor noster, quem & se multo antiquiorem, & non solùm Parisiis ut habet Henricus Gandavensis, sed & in Montepessulano scholam theologicam pluribus annis rexisse testatur, & plures erexisse dicunt. Mirum in ejus ætate assignanda quam se torqueant scriptorum nomenclatores. Tritemius clarum refert ad annum MCCC. Carolus Wischius qui plura ejus opera edidit, ex ejus sepulcro insculpta epigraphe ejus obitum statuit ad annum 1294. Caveus eo epitaphio non parum se angi indicat, licèt in concilio Lateranensi IV anno 1215 celebrem agnoscat. Qui sane omnes & alii idem censentes gravissime allucinantur. Sic enim Albericus editionis Leibnitii pag. 429: *Apud Cistercium mortuus est hoc anno* [1202] *magister Alanus de Insulis doctor famosus & scriptor ille Anticlaudiani, qui in theologia fecit quamdam artem predicandi, & contra Albigenses, Valdenses, Judæos & Saracenos libellum edidit succinctum ad Guillelmum Montispessulani dominum, & alia quædam illius habentur opuscula.* Quod jam ex ejus chronico nondum tunc excuso annotarat Sanderus Elenchi codd. MSS Belgii P. II p. 121 sed ex ipsis Alani operibus evincitur. Nam *librum de pœnitentia* cujus Princ. *A a a Domine Deus &c.* Henrico Bituricensi patriarchæ Aquitanorum primati nuncupavit, qui ab anno 1186 ad 1199 sedit, quam dedicatoriam epistolam in schedis habeo servatam & ex cod. Sorbon. memb. n. 1 pag. 974 a me exscriptam 16 novemb. 1700. Præterea opusculum contra hæreses Wilhelmo Montispessulani principi dicavit: e quatuor autem hujus nominis ultimum anno 1204 obiisse produnt annales omnes. Quæ Wischium non excusandum demonstrant: etsi enim prioris operis epistolam Henrico nuncupatoriam fortè non viderit, certe posteriorem Willelmo principi datam & inscriptam ipse typis subjecit. Quid ergo epitaphio respondeas? recens esse nulliusque momenti, nempe a Joanne de Cirreyo abbate anno 1503 defuncto teste Claudio Chalemot in sua Serie SS. Cisterciensium erectum. An autem Alanus, quod illi monachi volunt habitum conversorum apud eos induerit, & institutum revera professus fuerit, discutiant me peritiores & otiosiores, certe id Albericus non dicit.

F. ANONYMUS.

F. ANONYMUS seculo XIII clarus, & Stephano de Borbone æqualis scripsit * 1262.

Tractatum de amore audiendi verbi Dei.

Quem idem Stephanus testatur se legisse, & ex eo exemplum refert in superius laudato *de septem donis* opere P. I Tit. X cap. 2 cod. Sorb. fol. 191 col. 2.

F. HUGO DE SANCTO CHARO.

F. HUGO DE SANCTO CHARO vel *de Sancto Theuderio* vel etiam ut legitur apud Vincentium Bellovacen. Spec. Histor. lib. 30 cap. 152 *de Sancto Theoderio* a loco natali Viennæ Allobrogum suburbio, ubi olim Ecclesia monachorum in collegium canonicorum nunc conversa, *Saint Chers* vernacule dicto nuncupatus, Gallus fuit origine Viennensis, & Burgundus, quia illa provincia seu Delphinatus sua ætate in regno Burgundiæ compu- † 1262.

tabatur. Hinc explodendi seu qui Barcinonetæ ad Ebredunum vallis cujusdam Delphinatus oppidulo natum, in quo propterea domum ordini erigendam curarit, ceu qui amplius delusi Hispani maxime Barcinone Aragonum emporio lucem primam vidisse & exinde Catalanum asserere ausi sunt : utrique inepte prorsus, & contra veterum omnium Hugonique æqualium fidem, qui uno ore Viennensem & Delphinatem testantur. Tantum verò abest ut de domo ordinis Barcinonetæ construenda cogitarit, quin ea nonnisi post annum MCCCX a provinciæ Provinciæ sodalibus erecta fuerit. Qua verò familia quibusve parentibus ortus Hugo, etsi adhuc obscurum, honestis tamen & nobilibus natus videtur, ut ex documentis postea referendis conjicere licet. Ut ingenio erat ad litteras propenso ac facili, Parisios juvenis venit, emensisque philosophiæ ac theologiæ stadiis, in sacra facultate baccalaureus admissus est, tum & juri utrique operam dedit, quod & publice docuit, gerendis interea Willelmi principis Sabaudi Thomæ I comitis filiorum quinti negotiis distentus. Verùm Humbertum de Romans de quo supra gentilem suum inter auditores feliciter nactus, cùm conceptum ab eo instituti Prædicatorum amplexandi consilium didicisset, non solùm ad illud quamprimum exequendum incitavit, sed & eamdem sibi inesse mentem aperuit, & se brevi secuturum spopondit, quod & fecit. Cùm enim Humbertus in domo Sanjacobea vestem induisset in festo S. Andreæ XXX novemb. MCCXXIV, Hugo a principe Sabaudo expeditus, cujus solæ rationes ipsum retardaverant, festo Cathedræ S. Petri sequenti XXII feb. quod erat sabbatum post dom. I quadragesimæ, idem B. Dominici jugum ibidem cum ingenti mentis fervore subiit. Ut autem vir erat jam maturus, præclarisque animi dotibus præditus, brevi compendio tyrocinium exegisse videtur : neque enim tum ab ejusmodi hominibus annus ante professionem integer exigebatur, ut vidimus supra de F. Gerardo de Fracheto ipsi æquali, qui indutus XI novemb. MCCXXV in festo annunciationis sequenti XXV martii professus est. Anno MCCXXVII F. Matthæo primo S. Jacobi priore mortuo & F. Petro Remensi ex provinciali in Matthæi locum priore constituto, Hugo noster ad regimen aptissimus Franciæ Provincialis dictus est & præfectus. Anno MCCXXX eo munere solutus libros sententiarum sub F. Rolando Cremonensi sacræ facultatis magistro de quo supra publice legit, & suo tempore a cancellario ecclesiæ Parisiensis licentiatus, tum & laureatus & rude donatus fuit. Exinde domus Sanjacobeæ priorem præfectum antiqua quædam documenta ferunt, tum & anno MCCXXXVI F. Petro Remensi jam laudato qui ei in provincialatu Franciæ anno MCCXXX successerat ad infulam Agennensem promoto, Hugo provinciæ administrationem rursus assumere compulsus est, quo munere certe fungebatur in comitiis generalissimis Parisiis anno MCCXXXVI celebratis. Cùm autem in comitiis ordinis Bononiæ MCCXXXVIII in locum B. Jordani anno superiori aquis submersi successor sufficiendus esset, Hugonem ex propositis unum fuisse volunt : ut ut sit, aspirante numine B. Raimundo absente & Barcinone agente in primo scrutinio concorditer electo, Hugo cum aliis primoribus ordinis patribus ad eum delegatus fuit, qui ad capescendum magistratum inducerent, quod & ab eo licèt reluctante tandem obtinuerunt. Circa annum MCCXL Leodienses nostros visitans, (tum in ea urbe de novo corporis Christi festo ad instantiam B. Julianæ instituendo agebatur) & ipse cum Guiardo episcopo Cameracensi olim ecclesiæ Parisiensis cancellario in consilium accitus est, vocatis etiam Ægidio, Joanne & Gerardo viris egregiis & nostris ibidem theologiæ lectoribus, queis cum non solùm festum probavit, sed & qua erat apud omnes eruditionis & sanctitatis fama auctoritate sua plurimum promovit. Quamplures ab eo domos ordinis erectas Divionensem, Bituricensem, Autissiodorensem, Constantiensem in inferiori Neustria, Ambianensem, Turonensem, Bergensem S. Winoci, Tullensem & alias : ut & quæ vicarius generalis ordinis per annum solidum post B. Raimundi abdicationem pro disciplina regulari tuenda strenue gessit omitto, ut ad ea veniam, quæ in rem Ecclesiæ grandia egit & fortia, consiliarius ab episcopis & a summis pontificibus in difficillimis quæ sua ætate acciderunt negotiis ut vir solers & integer adhibitus. Anno MCCXXXVIII in congregatione sacræ facultatis magistrorum Parisiis apud Sanjacobeos in domo capitulari a Guillelmo Atverno Parisiensi episcopo coacta, de illa quæstione, *utrum plura simul eidem clerico liceat tenere sacerdotia*, e primis fuit & partem negativam ita defendit, ut ejus sententiæ omnes adhæserint. Anno MCCXLIV sabbato quatuor temporum pentecostes XXVIII maii Innocentius IV inter XII cardinales quos in æde S. Petri Romæ creavit, episcopos tres, presbyteros tres & diaconos sex, Hugonem tituli S. Sabinæ presbyterum cardinalem nominavit, hicque de sua promotione monitus in occursum dicti pontificis Lugdunum venientis cum Odone ex cancellario ecclesiæ Parisiensis episcopo Tusculano Segusium usque perrexit, jamque ibi erant ambo cùm eam urbem Innocentius pridie idus novembris intravit, & ab eo tum sui cardinalatus annulos receperunt, eumque Lugdunum usque comitati sunt, quo IV nonas decembris tandem pervenit. Hugone deinceps ad graviora Ecclesiæ negotia ut viro industrio & intrepido summus pontifex usus est. Quantum ei fuerit utilis in concilio Lugdunensi I anno MCCXLV celebrato narrant qui acta scripsere. Eodem tempore cùm patres Carmelitæ primam sibi ab Alberto Hierosymitano patriarcha datam regulam recognosci, ac in meliorem formam suoque in Europa statui convenientiorem redigi a summo pontifice postulassent, hæc ab eo cura Hugoni adjuncto eidem F. Guillelmo nostro Antaradensi episcopo, ut jam dictum supra, demandata fuit, idque ambo ita diligenter executi sunt, & ad sancti hujus instituti commodum ac profectum, ut quæ ab illis sancita fuerant, pontifex anno MCCXLVIII omnia confirmarit. Mortuo postea anno MCCL die S. Luciæ Friderico II imperatore Hugo anno sequenti feria IV post festum resurrectionis XIX april. cum Guillelmo Hollando Cæsare qui Lugdunum ad pontificem venerat legatus in Germaniam missus est, qui Ecclesiæ jura in illis regionibus tueretur, quod & inter adversantium insidias magno animo & intrepido ubique implevit. Inde verò rediens per Leodium itinere facto, quam ibidem aliàs probaverat corporis Christi solemnitatem auctoritate sibi commissa confirmavit, imo in omnibus legationis suæ terminis servandam edixit, ac privilegiis auxit datis in id litteris IV Kal. januar. MCCLII : sed & prima januarii sequentis in iisdem provinciis B. Dominici festum celebrandum sancivit. Alexandro IV Innocentii successori non minus carus fuit & acceptus : hinc cùm huic pontifici ab episcopo Parisiensi denunciatum fuisset opus perniciosum sed & æque ridiculum, cui titulus, *Evangelium æternum*, hi fuere a pontifice dati cognitores, Odo Tusculanus & Stephanus Prænestinus episcopi, ac Hugo noster presbyter cardinalis, qui adjunctis sibi Fratre Bonevaleto episcopo Pavendensi, & F. Petro lectore Prædicatorum Anagniæ librum diligenter examinaverunt per plures dies mense julio MCCLV promotore Florentio episcopo Aconensi, totoque processu coram summo

 pontifice relato, flammis ille opus addixit. Quantum verò in causa tum etiam magnis æstibus agitata Guillelmum a Sanctoamore ejusque asseclas inter & Minores nostrosque pro horum defensione apud pontificem laborarit, narrant ejus ætatis scriptores & felix controversiæ exitus abunde docet. Universim judicem incorruptum, recti tenacem, ac ne latum quidem unguem a justitia deflectentem ubique & semper quoad vixit experti sunt omnes, & uno ore prædicant qui de eo scripsere. Ut miro erga sacras litteras perpetuo arsit amore, quicquid ei ab Ecclesiæ negotiis superfuit otii, totum legendo scribendoque impendit. Sed agendi tandem scribendique finem imposuit mors, quæ eum ad meliora transtulit Urbeveteri XIV Kal. april. MCCLXII stylo veteri novo MCCLXIII. Corpus ejus ibidem apud nostros sepultum fuit funus cohonestante ipso S. P. Urbano IV cum universo cardinalium collegio, numerosoque omnium in aula Romana prælatorum præsentium cœtu: ex priori tamen hoc sepulcro idem corpus integrum omnino repertum Lugdunum translatum est, & in ecclesia nostra ad latus sinistrum altaris majoris Guidone episcopo Sabinensi de latere legato astante solemni pompa reconditum XVIII decemb. MCCLXIV. Nunc dictorum hactenus documenta afferenda.

1. Quantùm ad agnomen quod *de Sancto Theuderio*, vel *de Sancto Theoderio* dicimus, sic legendum esse antiqua omnia monimenta probant. Sic legit Vincentius Bellovacensis æqualis jam citatus, sic legebat etiam sua ætate Ludovicus a Valleoleti. Si ad epitaphia ejus sepulcro insculpta recurratur, antiquum & primum Lugduni inscriptum jam non apparet, imo mutata quæ sua ætate fuerat altaris majoris structura, ubinam primò corpus ejus reconditum fuerit, certo deprehendi nequit: at antiquo epitaphio aliud brevius substitutum est, quod sic habet: *Hic jacet D. Hugo de Sancto Theudorio ord. FF. Præd. hujus conventus, sacræ theologiæ doctor &c.* Sic enim legebam illac transiens mense novemb. MDCLXXXI. Denique legendum *Theuderio* vel *Theudario* vel *Theoderio* invictum argumentum est quod sit nomen loci ejus natalis, qui sic dicitur a patrono ecclesiæ sancto Theuderio vel Theudario Gallicè *saint Cherf* vel *saint Theuder*. Hujus sancti memoria est in martyrologio Romano ad XXIX octob. Baronius quidem *Theodorum* scripsit, sed eruditi omnes conveniunt erratum esse & legendum *Theuderium*. Hinc emendandus Leander Albertus cum sequacibus, qui Hugonem *de sancto Theodorico* nuncupavit.

2. Quantùm ad diem & annum, quo ordini nomen dedit, præter supra dicta ubi de B. Humberto, quæ sententiam nostram invictè demonstrant, addendus hîc locus ex vitis Fratrum P. IV cap. IX §. 2 ubi sic habet: » Locutus est (*Humbertus*) domino Hugoni, qui factus est postea cardinalis, » qui fuerat magister suus, & revelavit ei propositum suum, confidens quod eum non impediret, » quia bonus homo erat & bachellarius jam in theologia. Quo audito ipse gratias agens Deo confortavit eum dicens: sciatis magister, quod etiam » ego hoc idem proposui, sed non possum statim » intrare, quia habeo expedire quædam negotia » (*in altero cod.* MS *additur* Dñi mei Guillelmi de Sabaudia cum quo nunc sum, sicut ipsi scitis) sed » intrate secure, & sitis certus quod ego vos sequar. In festo igitur B. Andreæ ipse, & dñs Hugo in sequenti quadragesima in cathedra B. Petri ordinem sunt ingressi «. Solus annus inter MCCXXIII & MCCXXVIII, quo cathedra Petri incidit in quadragesimam est annus MCCXXV.

3. Quæ de alterna Petri Remensis & Hugonis in provincialatu Franciæ successione narro ex his colliguntur, quod hi duo soli primi provinciales in actis ejus ætatis constanter asserantur. F. Matthæus primus & unicus ordinis abbas ab anno MCCXX abbatis relicto nomine dictus est prior domus S. Jacobi eoque munere functus est ad mortem usque quæ non accidit ante MCCXXVI. Certum præterea Petrum Remensem provincialem fuisse anno MCCXXIV & aliquando tamen domus S. Jacobi fuisse præfectum priorem, quod intelligi nequit nisi a morte Matthæi fortè anno MCCXXVII proindeque Hugonem tum illi suffectum provincialem. Certum rursus Petrum Remensem anno MCCXXXIII iterum provincialis munere functum, ad quod proinde assumtus fuerat anno MCCXXX dum Hugo licentiam suam ut aiunt decurreret in sacra facultate. Certum denique Hugonem provincialem extitisse in capitulo generalissimo anni MCCXXXVI, ut mox constabit.

4. Stephanus Salanhacus in catalogo magistrorum in theologia Parisiensium sic habet n. 3. » F. Hugo de Sanctocharo Viennensis diœcesis Burgundus, qui incepit sub F. Rolando prædicto, fuitque postmodum primus, quem de nostro ordine habuimus cardinalem «. Vide etiam Cantimpratanum de apibus lib. I c. 19 §. 5 de congregatione magistrorum Parisiensium anno MCCXXXVIII. Idem Salanhacus ubi de scriptoribus ordinis: » Hic Hugo fuit secundus magister theologiæ de ordine Prædicatorum Parisius, postmodum prior provincialis Franciæ, unde promotus est in presbyterum cardinalem sanctæ Sabinæ &c «. Quoad divisionem vocalium inter ipsum & Albertum magnum in comitiis Bononiæ anno MCCXXVIII in quibus magister ordinis erat eligendus, vide supra ubi de S. Raimundo de Pennaforti, ubi hanc fabulam licèt a pluribus cantatam egregie explosimus. De approbatione festi SS. corporis Christi vide Chapeauvilleum Hist. Eccl. Leod. T. II p. 644 & 648.

5. Diem quo creatus est cardinalis certius quàm hactenus retulerint chronologi omnes, excepi ex vita Innocentii IV scripta a F. Nicolao de Curbio ordinis Minorum capellano & confessario ejusdem pontificis cujus gesta prout vidit enarrat. Sic autem habet n. XII: » Post hæc cernens D. papa se plurimum fratrum indigere consilio, cùm non essent tunc, nisi septem in Ecclesia cardinales: primo anno pontificatus sui in ecclesia B. Petri apostoli de Urbe sabbato infra octavam pentecostes XII cardinalium, videlicet trium episcoporum, & trium presbyterorum, ac sex diaconorum ordinatione decentissima Ecclesiam adornavit. Et VII die junii subsequentis egrediens urbem ad civitatem Castellanam illico est profectus «. In sequentibus minutatim & dietim iter pontificis per mare usque Genuam, exinde per varias terras ut imperatoris effugeret insidias refert Segusiam usque. N. XV circa medium sic prosequitur: » Apud Segusiam pervenit pridie idus novembris, ubi sex cardinales præfati superius, videlicet Otto Portuensis episcopus, Petrus de Barro tit. S. Marcelli & Wilelmus XII Apostolorum presbyteri cardinales, Ægidius S. Cosmæ, Octavianus S. Mariæ in via lata, & Goffredus S. Adriani diaconi cardinales, qui venerunt per terram de Sutrio, & D. Otto episcopus Tusculanus ac D. Hugo tit. S. Sabinæ presbyter cardinalis, qui venerunt de Francia, & qui in eo castro Segusiæ sui cardinalatus annulos receperunt, dicto summo pontifici occurrerunt «. Addit postea quî pontifex cum illis omnibus & aliis qui cum eo per mare venerant, Lugdunum tandem intravit 2 die decembris. Hanc vitam nuper edidit Clar. Baluzius Miscellan. T. VII anno 1715 a p. 353 ad 405. Porro ex his quotquot de prima creatione cardinalium ab Innocentio IV facta

scripsere ipso Oldoino non excepto saltem quoad tempus, quod plerique referunt ad quatuor tempora adventus, cùm jam Lugduni adesset pontifex, emendabis.

6. Omitto a scriptoribus Cisterciensibus gravissime delusum dictum Oldoinum, cùm Odonem de Castroradulphi vult dimissa cancellaria Parisiensi factum monachum Cisterciensem & ex abbate Grandissilvæ creatum episcopum Tusculanum, cùm ex omnibus monumentis ejus ætatis constet cancellarium etiamnum egisse anno MCCXLIV, & ex cancellario assumtum cardinalem. Sed non sine correctione dimittendi nostri Leander Albertus, Lusitanus & alii sequaces, qui Hugonem a Sancto Charo volunt primò ad sedem Lugdunensem evectum, exinde in collegium cardinalium ascitum. Apud antiquos nostros Gerardum de Fracheto, Salanhacum & Bernardum Guidonis concors est sententia ex provinciali Franciæ factum cardinalem, nullaque unquam episcopali infula dotatum. Salanhacum vide sup. n. 4. Gerardus sic habet in chronico : » Anno Dñi MCCXLIII (*legendum* XLIV) Innocentius IV fugit de Italia & venit Lugdunum. Cancellarium quoque Parisiensem & Hugonem priorem FF. Parisiensium cardinales facit «. Bernardus in chronico : » Hic (*Innocentius*) sedes cardinalium a multo tempore vacuas de personis ex diversis mundi partibus electis, inter quos fuerunt magister Odo de Castroradulphi cancellarius Parisiensis, & F. Hugo de Sancto Caro prior provincialis FF. Prædic. in Francia & magister in theologia, qui totam Bibliam utiliter postillavit «. Nulla archiepiscopatus Lugdunensis memoria, ut nec ullus ei inter archiepiscopos Lugdunenses locus.

7. De ejus obitu & sepultura sic Salanhacus inter cardinales : » Habuit sancta Romana Ecclesia cardinales ex Prædicatorum ordine qui sequuntur : primum omnium D. F. Hugonem magistrum in theologia, quem propter vitæ & scientiæ famam Innocentius papa IV assumsit de provincialatu Franciæ in presbyterum cardinalem tit. S. Sabinæ tempore magistri ordinis F. Joannis Teutonici A. D. MCCXLIII. (*leg.* XLIV.) Hic obiit apud Urbem veterem XIV Kal. april. anno Dñi MCCLXII (*nota veteri stylo, qui stylo novo* MCCLXIII) sepultusque fuit ibidem præsente Urbano papa in obsequio funeris cum cardinalibus, & aliis Ecclesiarum prælatis. Postmodum fuit translatus apud Lugdunum, quasi integer & sine corruptione repertus, & sepultus ibidem per manum D. Guidonis tunc episcopi Sabinensis, & apostolicæ sedis legati, qui fuit postmodum papa Clemens IV decimo quinto Kal. januar. A. D. MCCLXIV.

8. In Necrologio seu Obituario ecclesiæ Parisiensis antiquo, quod nunc est in Bibl. Regia n. 3883 3 fol. memb. sic legitur charactere ejus ætatis : » IX Kal. april. Hic debet fieri anniversarium D. Hugonis de Seint Chier tit. S. Sabinæ presbyteri cardinalis, pro cujus anima D. Joannes de Vienna ejus nepos concanonicus noster dedit nobis masuras, quæ fuerunt Thomæ dicti Barat apud Itevillam, & masuras quæ fuerunt Andreæ Monetæ, Adæ noti Lesenæ, & Andreæ filii ejus, & Guilloti dicti Guenard. Item dedit nobis duo arpenta prati vel circiter, & partem jardini, quæ fuerunt Guerini Danton, secundùm quod muri præbendariorum de Itevilla se comportant in latitudine. Item dedit nobis XX libras Parisienses ad clausuram murorum faciendam circa prædicta. Quæ omnia conjuncta sunt ex utraque parte domibus & pratis præbendarum de Itevilla. Et ista omnia tenent & possident dicti præbendarii, & tenentur solvere annis singulis pro prædictis centum solidos Parisienses super censum qui solvitur in die purificationis B. M. apud Itevillam. De quibus centum solidis quinquaginta solidi debent distribui in anniversario dicti Hugonis canonicis & majori altari servientibus : & alii quinquaginta solidi in una missa de B. V. quandiu dictus D. Joannes de Vienna vixerit : post decessum verò ejus distribuentur in anniversario suo, & fiet anniversarium suum unà cum prædicto anniversario : matricularii laici duodecim denarios habebunt «. Ex quibus habetur tum anniversarium fundatum pro Hugone in ecclesia Parisiensi : tum nomen ejus familiæ fuisse *de Vienna* : unde non mirum quod in codd. MS pluribus *Hugo de Vienna* nuncupetur. Quantùm ad agnomen *de Celidonio* vel *de Chelidonio* a quibusdam recentioribus Hugoni tributum, nullam in antiquis monimentis memoriam inveni, & lapsum esse antiqua oscitanter legentis pro *de Theodorio* facile crediderim. Nunc ejus opera discutienda.

1. *Sacra Biblia recognita & emendata, id est a scriptorum vitiis expurgata additis ad marginem variis lectionibus codicum* MS *Hebræorum, Græcorum & veterum Latinorum codicum ætate Caroli Magni scriptorum.*

Huic operi desudabat circa annum MCCXXXVI, sic enim in actis capituli generalissimi eo anno Parisiis celebrati præcipitur : *Volumus & mandamus, ut secundùm correctionem, quam faciunt Fratres, quibus id injungitur in provincia Franciæ, Biblia alia ordinis corrigantur & punctentur.* Horum Bibliorum insigne & elegans exemplar quatuor grandioribus voluminibus constans servatur etiamnum in domo Sanjacobea Parisiensi, sed quod dolendum volumen quo Psalterium continebatur, jam non apparet. Pissiaci in Bibl. patrum confessariorum regii hujus ex ordine monasterii extat codex fol. memb. sec. XIII in quo habentur duo libri Machabæorum & novum testamentum integrum hujus correctionis, at codex manu impia pessime tractatus, recisis grandioribus ad caput cujusque libri litteris & pluribus marginibus revera puris. Utinam quæ supersunt reliquiæ majori cura serventur. Hujus ejusdem correctionis exemplum in Belgio servatum laudatur a Luca Brugensi in suis notationibus ad librum Job cap. 3 v. 4 : *Tertius codex*, inquit, *litterarum magnitudine conspicuus, qui ante annos trecentos ex Caroli Magni Bibliis undequaque collectis, jussu ut præfatio habet, F. Jordani magistri ordinis Prædicatorum, & F. Hugonis prioris provincialis in Francia correctus fuit.* Ricardus Simon horum codicum Parisiensium scilicet S. Jacobi & Belgici Lucæ Brugensis meminit in libro suo cui titulus *Nouvelles observations sur le texte & les versions du nouveau testament* P. II cap. I p. 128 & seqq. ubi Sanjacobeum plurimum laudat, & ex eo multa loca utriusque testamenti cum notis marginalibus in exemplum profert. Sed duo videtur asserere quæ animadversione indigent. Primum codices Sanjacobeos illi videri extypos codicis Belgici : sic enim interpretatur Clar. Jacobus Lelong Oratorianus Bibliothecæ sacræ suæ. T I p. 455. Sed contrarium sentiet quisquis æquus censor. Jordanus enim magister ordinis & Hugo provincialis Franciæ hos codices Sanjacobeos tanta cura scribi fecerunt ut ceu exemplum esset publice Parisiis expositum ad quod sodales ordinis ex omnibus Europæ regionibus eo confluentes biblia sua emendare jubebantur, id enim sonat præceptum capituli generalissimi supra allatum. Exinde verò & codex Belgicus & Pissiacensis prodierunt. Alterum animadvertendum apud Simonium est illum putasse hos codices munus esse sancti Francorum regis Ludovici IX, & ita se a quodam domus Sanjacobeæ inter eruditiores laudando audivisse. Antonium *Goudin* indicare voluit Simonius, theologum sane

eximium sacræ facultatis mihique amicissimum, sed in hisce antiquariis haud ita peritum. Sumtus ad codices hos formandos sanctum regem suppeditasse libens annuerim, Biblia antiqua Caroli Magni ætate scripta ex variis bibliothecis Regia, Sandyonisiana, Sangermanea &c. codices Hebræos & Græcos accuratiores, ut nostris commodarentur, ad suas notas eruendas sollicitum fuisse concesserim: sed ex charactere constat codices Sanjacobeos non esse anno MCCXXXVI circiter antiquiores, manu perita sed ejus ætatis tantùm scriptos fuisse: cujus & alterum argumentum invictum est, quod notæ marginales, quas sodalium nostrorum esse negari non potest attento relato capituli generalissimi mandato & fatetur ipse Simonius, notæ illæ inquam eadem manu scriptæ sint qua textus integer, ut omni legenti obvium est. Agnoscendum itaque curante ac universo operi præsidente nostro Hugone textum Bibliorum ab uno sodalium nostrorum perito notario, quales multi in domo Sanjacobea nunquam defuerunt seculis XIII & XIV ad Biblia anno MCCXXX vulgata scriptum fuisse: cui postea datæ fuerunt varietates codicum Hebræorum, Græcorum, Latinorum antiquorum vel etiam SS. Patrum Hieronymi, Ambrosii, Rabani & aliorum a pluribus sodalibus nostris collectæ opus totum dirigente Hugone ad margines suo quæque loco exscribendæ. Hoc opus ita accuratum, ita numeris omnibus absolutum, tanta sapientia concinnatum agnoscit Simonius, ut quale est typis edi ac sub prælo sudare e re Ecclesiæ esse fateatur: imo & dolendum addat, quod correctores Romani qui Biblia jam vulgata ediderunt, illud non viderint, alioquin utilissimum illis futurum.

Ita hæc Sanjacobeorum correctio viris sec. XIII eruditis arrisit, ut variantes saltem lectiones marginales multi sibi describendas curarint, hincque depromtum est celebre illud *correctorium Sorbonicum* dictum, quod cùm a multis levius describatur, visum est accuratius explicandum. Codex est membraneus fol. par. Duo verò sunt in eo correctoria. Primi titulus: *Incipit correctorium Bibliæ secundùm Hebræos, Græcos & Latinos.* Porro istud primum collatione a me facta, ita convenit cum codicibus Sanjacobeis, ut ex iis exscriptum esse palam fit. In eo Psalmorum variantes lectiones etiam extant, quod argumento est & volumen Psalmorum apud Sanjacobeos olim fuisse. A medio codicis est correctorium alterum, in quo mentio fit correctionum tum Parisiensium scilicet primi correctorii, tum Senonensium, quibus uti nostris prohibitum fuit in actis cap. gen. Parisiis habiti MCCLVI: *Item correctiones Bibliæ Senonensis non approbamus, nec volumus quod Fratres innitantur illi correctioni:* tum denique cujusdam qui dicitur *Brito*, qui Biblia videtur etiam emendasse. Hoc alterum correctorium sane etiam laudandum nostris non tribuo. Ad finem codicis adjicitur *Tractatus quidam de ratione erratorum in Bibliis & modo evitandi.* Pr. *Multipliciter apud Latinos erratur in sacra scriptura ex vitio translatoris, vel scriptoris & imperitia lectoris, dum propter dictionum similitudinem ponunt unam pro alia, vel nesciunt quæ sit verior &c.* Libellus ea ætate utilis paginas septem implet. Ad calcem: *Expliciunt correctiones Bibliæ. Iste liber est magistrorum de Sorbona ex legato M. Petri de Lemovicis quondam socii domus hujus, in quo continetur correctorium Bibliæ secundùm Hebræos, Græcos & Latinos.* Iste Petrus de Lemovicis jam florebat anno MCCLX. Acta eruditorum Lipsiensium anni 1690 p. 94 indicant in Bibl. Paulina Lipsf. olim nostra codicem membr. fol. haberi hoc titulo: *Correctio Bibliæ compilata cum summa diligentia a Fratribus ordinis Prædicatorum ex glossis Hieronymi aliorumque doctorum, ex libris Hebræorum, antiquissimis exemplaribus, quæ etiam ante tempora Caroli Magni scripta fuerunt.* Idem codex recensetur in catalogo ejus Bibl. a Fellero edito p. 66 n. 6. Manifestum & hoc correctorium a nostris olim Lipsiensibus, quorum hæc erat bibliotheca ut & gymnasium ex codicibus Sanjacobeis exceptum esse & transsumtum. In Bibl. nostra SS. Joan. & Pauli Veneta recensente Tomasino extat codex MS in 4 cui titulus: *Correctiones Bibliæ variantes juxta diversos textus litteræ.* An eædem cum Sanjacobeis ut conjectu pronum, docebunt forsan aliquando Veneti sodales.

Alterum Hugonis opus nunquam satis laudandum *sacrorum Bibliorum concordantiæ*, id est vocabulorum omnium sacræ scripturæ index alphabeticus. Sed quia plures postea Hugoni succenturiarunt & opus auxerunt alii, alii resecarunt, vide ad finem hujus scriptoris titulum *Sacrorum Bibliorum concordantiæ.*

3. *Postilla in universa Biblia juxta quadruplicem sensum literalem, allegoricum, moralem, anagogicum.*

Sat forsan fuisset sic generatim indicare, nisi essent qui ei quædam auferrent aliisque supponerent: unde visa sunt sigillatim ex principio & fine recensenda additis codd. MS antiquis ex quorum fide qui sint ipsius genuini fœtus lector convincatur.

Et primò generatim in catalogo codd. MS Angliæ T. I P. II n. 817: *Hugonis de Vienna* (sic a patria aliquando dicebatur, ut annotatum est supra, quo & ejus nepos nuncupabatur agnomine) *expositio super omnes libros veteris & novi testamenti.* voll. XVII. Thomas James Eclogæ p. 50 de iisdem codd. loquens sic habet: *Opera Hugonis de Vienna in omnes libros utriusque instrumenti voluminibus* 18. *Libri omnes sunt pari magnitudine, eadem manu, iisdemque fere characteribus exarati.* In eodem catalogo codd. MS Angl. T. I P. III a n. 699 ad 711 *Hugonis de Vienna in libros omnes utriusque testamenti.* Singuli jam sunt recensendi.

1. *In Genesim.* Pr. *Principium verborum tuorum veritas,* Ps. 118. Finis, *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Paris. in Victor cod. 185 fol. mag. memb. Tit. *Incipit expositio M. Hugonis prioris de S. Jacobo Parisiacensi super Genesim, &c.* eadem. Legatum est Bertoldi Herbipolensis in gratiam pauperum studentium Parisius. Exinde munere prioris S. Jacobi functum colligo.

2. *In Exodum.* Pr. *Erunt quinque civitates &c.* Esa. 29. Finis, *Per cunctas mansiones suas.*

3. *In Leviticum.* Pr. *Sicut in principio &c.* Finis, *Sinai enim rubus interpretatur.*

4. *In Numeros.* Pr. *Pentateuchus liber unus est &c.* Finis, *Ut filiabus Salphaat* supra 22.

5. *In Deuteronomium.* Pr. *Est puer unus hic qui habet quinque panes &c.* Joan. 5. Finis, *Misit scilicet ut faceret.*

In catal. Angl. cit. T. I P. III n. 699: *Hugonis de Vienna cardinalis Postilla in Pentateuchum.* In elencho codd. MS Belgii. in abbatia Villar. Cisterc. p. 270 *summa abbreviata super Pentateuchum F. Hugonis de S. Jacobo.* fol. & hoc ex ejus agnominibus unum. Apud Sanjacobeos Parisienses cod. fol. par. memb. sec. XIII sunt illæ eædem in Pentateuchum postillæ, sed absque nomine auctoris. In prima pagina ad marginem manu secunda legitur: *Wilhelmus ab Alten*: quo nomine Guillelmum de Altono Anglum indicari facile conjicitur, quia forsan ejus fuerit codex: nam non esse auctorem hinc evincitur, quod alia sit ejus in Pentateuchum postilla in Colbert. nunc servata, de qua postea. Est & ibidem eadem *postilla in pentateuchum.* cod. fol. med. memb. sed absque nomine auctoris.

6. *In Josue.* Pr. *Sexto loco inter libros &c.* Finis, *Centum agnis.*

7. *In Judices.* Pr. *In sex tribulationibus &c.* Job. 5. Finis, *Secundùm alios post Samsonem.*

8. *In Ruth.* Pr. *Brevis in volatilibus apis.* Eccli. xi. Finis, *Pertinere Dñi nostri Jesu Christi.*

In catal. Angl. T. 1 P. ii. 617. *Hugo de Vienna. Expositio in Genesim & seqq. ad Ruth.* Ibid. 302 *Hugo de Vienna super pentateuchum Josue, Judices & Ruth.*

9. *In* 1. *Reg.* Pr. *Judex sapiens judicabit &c.* Eccli. 10. Finis, *Omnes dies vitæ illorum.*

In 2. *Reg.* Pr. *Factum est autem &c.* Finis, *Ab habitatoribus terræ.*

In 3. *Reg.* Pr. *Et rex David. Finitis duobus primis libris &c.* Finis, *Attenditur.*

In 4. *Reg.* Pr. *Prævaricatus est. Hic incipit liber quartus.* Finis, *Consilium Hieremiæ.*

10. *In I Paralip.* Pr. *Liber iste Græce censetur.* Finis. *Scripta sunt.*

In II Paralip. Pr. *Confortatus est ergo. Hæc conjunctio.* Finis, *Quod sequitur est oratio Manasse.*

In orationem Manasse. Pr. *Domine. Glossa. Invocat Deum.* Finis, *Angelica famulantur. Amen.*

11. *In Esdram.* Pr. *Revertere revertere Sunamitis.* Cantic. 6. Finis, *Quibus minus videretur.*

In Neemiam. Pr. *Verba Neemiæ. Qui interpretatur &c.* Finis, *Omnium bonorum commendat.*

12. *In Tobiam.* Pr. *Sagittæ potentis acutæ.* Ps. 119. Finis. *Ipsi possidebunt terram.*

13. *In Judith.* Pr. *Mortuo Cyro.* Finis, *Dum recordaremur tui Sion.*

14. *In Ester.* Pr. *Legitur Proverb.* 18. *c. Frater qui adjuvatur a fratre.* Finis, *Inter cæteros dies festos scilicet.*

15. *In Job.* Pr. *Legitur Osee* xi *b. In funiculis Adam.* Finis, *Quibus omnes electi adjuvantur.*

In catal. Angl. T. 1 P. ii 620: *Hugo de Vienna in libros Regum, Esdræ Tobiæ, Esther, Job.* P. iii 700: *Hugo de Vienna super* iv *libros Regum, Paralipomenon, Esdram, Tobiam, Judith, Esther, & Job.* Paris. apud Augustinenses ad pontem novum est codex fol. mag. memb. Titulus: *Incipit prologus super Job de opere magistri Hugonis. Sequuntur postillæ Regum de opere magistri Hugonis de Prædicatione. Ejusdem in Paralipomena, Esdram, Nehemiam, Tobiam, Judith, Esther.* Nota. Eo seculo xiii cujuslibet domus nostræ titulus erat *Prædicatio talis.*

16. *In Psalmos.* Pr. *Egredimini filiæ Sion.* Finis, *Ad cujus laudis & benedictionis exercitium ille nos perducat Dominus Jesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in S. S. A.*

In catal. Angl. præter codices supra generatim laudatos, quibus postillæ Hugonis nostri super libros omnes scripturæ continentur, ac proinde & in psalmos: isti speciales recensentur T. 1 P. ii... 618 *Hugo de Vienna super psalterium imperfecte.* n. 619. sequenti ejusdem postillæ a 51 ad finem. P. iii 701 & 702: *Idem in psalmos.* Codices alios MS infra laudabimus. Nam hîc occurrit Possevinus in Apparatu. Verbo *Alexander Halensis*, ubi de his postillis sic habet: *In Psalmos item commentaria luculenta* (scripsit Halensis) *falso Hugoni a sancto Theodorico* (sic ille pro *Theuderio*) *ascripta, quæ Venetiis excusa sunt a Gregorio de Gregoriis.* Possevinum neque enim alium habent alicujus nominis auctorem, ambabus ulnis excipiunt Wadinghus & Alva. Sed utinam ipsum se emendantem secuti fuissent: idem enim Possevinus postea ubi de Hugone nostro sic loquitur: *Sciendum est autem aliquando Alexandro Alensi fuisse ascriptos commentarios in psalmos, qui vere sunt Hugonis.* Possevinus itaque doctior factus quæ prius incaute scripserat, retractavit. Revera jam Hugonis ætate sub ejus nomine omnium manibus versabantur. Testis locuples est Henricus de Gandavo, qui suum de scriptoribus ecclesiasticis catalogum scripsit certissime ante MCCLXXXVI. Sic autem habet cap. 40: *Hugo ordinis Fratrum Prædicatorum, qui primus ex illo ordine cathedram theologiæ meruit ascendere magistralem totum corpus veteris ac novi testamenti dicitur postillasse: diffusius tamen scripsit in Psalmos & in Lucam, & in Danielem prophetam.* Ubi verò de Halensi nullas ejus laudat postillas. Hoc Gandavensis testimonium clarum obscurare nisus est Miræus ex fide Molani sic scribens scholio ad cap. cit. Gandavensis: *an commentaria in psalmos sint hujus Hugonis non constat.* Nihilque amplius, imo postea ubi de Halensi sic habet: *Commentarium in psalmos multi Hugoni cardinali supra cap. 40 laudato attribuunt*, sic incertum se testem præbens.

Unicum porro hujus incertitudinis momentum est audacia librarii cujusdam Veneti, qui hoc commentarium sub nomine Alexandri Halensis edidit anno 1496. Sed non prius prodiit ista editio, cùm in eam & impudentem typographum insurrexerunt viri ejus ætatis eruditi. Joannes Cono sui seculi clarissimum lumen tam enorme plagium tacere non potuit: sic enim epistola ad Thomam Truchses Nemetensis ecclesiæ canonicum orationis Gregorii Nazianzeni in laudem Basilii magni a se Latine versæ nuncupatoria scribebat e Basilea anno 1512. Error enim nominis usque adeo nocere solet, ut « hujus mutatione conditio & qualitas personarum « deprimatur. Quamobrem non parum profecto ad- « mirandum venit, quonam œstro perciti quidam « scioli nostræ tempestatis tam leviter & inhuma- « ne in priscos illos innocentissimos auctores desæ- « viant, quorum nomina invertunt, transponunt, « titulos inscriptionum corrumpunt, atque eosdem « non tam misere aliorum famæ incumbere cogunt, « quàm etiam vel alienum ut ita dicam, partum « ejus supponant, genuino ipsos partu & filiis or- « bantes, aut ut honestiore vocabulo utar, alienis « adoptantes. Cæterùm ut de multis tam ægre af- « fectis vel quosdam recenseam, cernimus Hugo- « nis cardinalis egregiam in psalmos expositionem « Alexandro de Ales Venetiis nuper suppositam, « universis scriptis libris per Germaniam & Galliam « renitentibus: quod ideo potissimum falsarius iste « egit, ne vir ille nomine & fama celebris, vel ta- « li unico filio orbatus totius Bibliæ postillator pri- « mus deinceps haberetur. Haud dissimile facinus « &c «. Sixtus Senensis Bibliothecæ sanctæ præfatione non minus acriter hoc crimen insectatur & in typographorum bibliopolarumque avaritiam, refundit, „ qui nihil præter quæstum arte sua quæ- « rentes novos quotidie librorum fœtus emittunt, « adulterinos, suppositios, pseudepigraphos & « nothos, præpositis absque ullo judicio & pudo- « re in frontispiciis operum, quo ipsa & carius & « citius vendant, falsis illustrium auctorum inscrip- « tionibus «. Et post hujus audaciæ plura allata exempla, addit *easdem psalmorum explanationes, in priori editione Hugonis Charensis inscriptionem habentes, in posteriori verò Alexandri Halensis.*

Tria tamen opponit Alva *Pleytos de los libros* p. 26 & 27, & Sol. verit. Rad. 78 col. 772. Primò nostros Joannem Bunderium & Guillelmum Carnificis in suo codd. MS Belgii catalogo fol. 354 n. 74 sic legere: *Alexander de Ales doctor irrefragabilis ord. Min. &c. super psalterium.* Pr. *Egredimini &c.* 2. Exempla quatuor MS, unum a se visum in majori conventu Franciscanorum Parisiensium: alterum quod in eorumdem domo Lugduni Batavorum servabatur, priusquam ab heterodoxis expellerentur: atque alia duo sub nomine Alexandri Nexam in Bodleiana & in Trajectensi ad Rhenum: 3. nostros Robertum Holkot, Thomam Anglicum, Nicolaum Eymerici, Vincentium Bandellum & hunc excipientes easdem postillas citare sub

S. XIII. nomine Alensis. Quibus omnibus facilis responsio: quoad Bunderium & Carnificem Alva debuisset addere, in qua Belgii bibliotheca illi sub nomine Alensis repererint, nam id nunquam omittunt: quod cùm non addiderit Alva, si tam cito ei non credatur, patienter ferat, certe mirum esset, si aliquando fuisset, jam nullibi reperiri: neque enim in Elencho codd. MS Belgii a Sandero accurato earum postillarum sub nomine Alensis ulla est memoria, at frequens sub nomine nostri Hugonis. P. I in S. Martino Tornaci n. 26: *Prima pars psalterii F. Hugonis.* In Dunensi ord. Cisterc. p. 154. *Hugo cardinalis ord. Præd. postillæ super totum psalterium. Item super primam quinquagenam psalterii. Item super secundam quinquagenam psalterii.* voll. tria. In monasterio Bonæspei p. 310: *Hugo cardinalis in psalmos 50 primos.* In abbatia Camberon. cujus index a Philippo Bosquier Franciscano accuratus p. 357: *Hugo provincialis. Expositio super psalmos 51 primos. Ejusdem expositio super 80 ultimos.* In Alnensi diœcesis Leodiensis T. II p. 238: *Hugo ordinis Dominicani in psalterium tria voll.* Jam ad 2 nempe quatuor codices quos laudat, primus Franciscanorum Parisien. ipsomet teste Alva folio primo caret, quod jam antiquitus avulsum, & manu secunda nomen Alensis inscriptum, ut oculis ipse propriis exploravi & probavi. Alterum Minorum Leydensium jam non comparet, de quo forsan idem esset judicium. Duo verò alia Alexandri Nexam quem ad annum 1227 florentem exhibet Pitseus, alterius sunt rationis, alterumque habent principium scilicet: *De horto deliciarum paradisi.* Hujus Nexam recensetur codices in catal. Angl. T. I P. I 2339 & P. II 2064. Tertiò quoad nostros quos Alva postillas illas sub nomine Alensis citare ait, apud Holkotum seu Thomam de Walleys Anglicum lect. 40 in proverbia quam citat Alva, quamque non solam sed & plures alias legi attentius, nusquam Alensem laudari vidi. Quæ ex Eymerico citat Alva, si vere citat, in postillis Hugonis non leguntur: unde de aliis postillis Eymericus locutus fuerit, quas existimavit Alensis. Bandellus Alensem quidem laudat in psalmum, *Deus noster refugium & virtus &c.* Sed cùm ipsa ejus verba non referat, de quibus postillis loquatur, certo judicari nequit: quod idem de Bandellum excipientibus dicendum, & fatetur Alva. Si qui tamen ex nostris sint, quod hactenus mihi ignotum, qui easdem Hugonis postillas in psalmos sub nomine Alensis laudaverint, ita egisse censeas non quod vere Alensis existimarent, neque enim illis otium erat, ut de hoc ad regulas criticæ inquirerent, sed ex præconcepto apud Franciscanos sec. XV queiscum illis negotium erat, sensu postillas illas esse Alensis, easdem illis veluti argumentum ad hominem objiciebant. Quod idem putes de nostro Raphaele de Pornasio, ubi postillas Hugonis in Ecclesiasticum citat sub nomine Alensis, quia Franciscani quos impugnabat, eas sui doctoris irrefragabilis fœtum esse contendebant, quos proinde certiori ratione revincere non poterat. Cæterùm ab exculta magis typographia, addito jam virorum peritorum criterio, nullus est qui postillas utrasque & in psalmos, quarum principium, *Egredimini filiæ Sion*, & in Ecclesiasticum quarum principium *summi regis palatium*, Hugoni nostro auferat, tribuatve Alensi. Stylus methodusque in utrisque postiilis adeo cum cæteris ejusdem præsertim in Pentateuchum, Prophetas majores, Evangelia conveniunt, ut eumdem prorsus auctorem probent, omnesque unà vel Hugoni abjudicandæ quod nemo sanus senserit, vel eidem unà omnes asserendæ.

17. *In Proverbia.* Pr. *Dicitur Eccli 19 a. Occulta proverbiorum &c.* Finis. *Cuilibet inspicere volenti.*

In Ecclesiasten. Pr. *Beatus vir cujus est auxilium abs te.* Ps. 83. Finis, *Sive bonum sive malum sit, quod factum est supple.*

In Cantica. Pr. *Deus in gradibus ejus cognoscetur.* Ps. 47. Finis, *Qui vivit & regnat in æternum.*

In Sapientiam. Pr. *Fili concupiscens &c.* Eccli I d. Finis, *Liberans & salvans.*

In Ecclesiasticum. Pr. *Summi regis palatium.* Finis, *Alia ancilla est Esaias, quem post illum librum juvante Dño proponimus nos lecturos.*

Codd. MS. In cat. Angl. T. I P. III. 703: *Hugo de Vienna in libros sapientiales.* 1974 Idem. T. II P. I. 367: *Idem super proverbia, Ecclesiasten, Ecclesiasticum. fol.* Ibid. 1879: *Hugo cardinalis in libros Salomonis. fol.* In Villarien. Belgii apud Sanderum p. 268: *Hugo super proverbia Salomonis, Ecclesiasticum & Hieremiam.* Ibid. T. I P. II 621: *Hugo de Vienna super Ecclesiasticum.* Tornaci ad S. Martin. *Super Ecclesiasten expositio mag. Hugonis.* Ibid. *Expositiones F. Hugonis super cantica canticorum.* Ibid. *F. Hugonis super Ecclesiasticum postilla.* In abbat. Camberonen. Sanderi p. 357: *Hugo provincialis in librum sapientiæ* bis. *Super proverbia & Ecclesiasticum.* Paris. in Colbert. cod. 1367 fol. mag. memb. Titulus: *Incipit prologus M. Hugonis Jacobitæ super quinque libros Salomonis.* Sequuntur iidem cum editis.

18. *In Esaiam.* Pr. *Habemus firmiorem &c.* 2. Pet. I. d. Finis, *Cùm fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.*

In Hieremiam. Pr. *Apocal.* 8. *d. Et vidi & audivi vocem unius aquilæ.* Finis, *Perpetua &c. id est semper.*

In Threnos. Pr. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum &c.* Amos 5. e. Finis, *Ne irascaris Domine satis.*

In Baruch. Pr. *Hierem.* 28. *b. Benedictus vir qui confidit in Domino &c.* Finis, *Quas reprobi sustinebunt.*

In Ezechielem. Pr. *Apoc.* 8. *d. Vidi & audivi vocem unius aquilæ &c.* Finis, *Quam in circuitu tabernaculi fuerunt ordinata a Moyse in Numeris, & hoc satis patet ex glossa.*

In Danielem. Pr. *Homini bono in conspectu suo &c.* Eccli. 2. d. Finis, *Hieronymus non habet ab hoc loco usque ad finem.*

Codd. MS. In catal. Angl. T. I P. II. 303. *Hugo de Vienna super Hieremiam.* 304: *Idem super Ezechielem.* P. III. 704: *Idem in Isaiam.* 705: *Idem in Hieremiam & Ezechielem.* In Elencho codd. Belgii T. II p. 239: *In Isaiam, Hieremiam, Ezechielem & Danielem. Voll.* VII.

19. *In* XII *Prophetas.* Pr. *Stabat super* XII *boves.* 3 Reg. 7 d. Finis, *Sit anathema Maranatha. Amen.*

In Machabæos. Pr. *Residuum erucæ comedit locusta &c.* Joel. 2 a. Finis, *Usque ad captivitatem factam per Romanos.*

In cat. Angl. T. I P. III 706: *Hugo de Vienna in libros Machabæorum* XII *prophetas & Danielem.*

20 *In Matthæum.* Pr. *Quatuor sunt minima terræ &c.* Finis, *Quam exercuerunt in te.*

In Marcum. Pr. *Consummatio abbreviata &c.* Isa. 10 f. Finis, *Tertium consummatio justorum.*

In Lucam. Pr. *Vidi & ecce quatuor quadrigæ &c.* Zach. 6 a. Finis, *Sortitus est formam vituli.*

In Joannem. Pr. *Ego ex ore altissimi prodii &c.* Eclici. 24. Finis, *Perambulantium in delictis suis.*

Catal. Angl. T. I P. II. 622: *Hugo de Vienna super Marcum, Matthæum, Isaiam.* P. III. 707: *Idem super evangelium Matthæi & Lucæ.* Ibid. 708: *super Marcum & Joannem.* P. II. 1434: *Idem in evangelia Lucæ & Joannis.* Ibidem 903: *Idem super evangelium Joannis & psalmos* XXIV *priores.* T. II P. I. 365: *Ejusdem super* IV *evangelia.* fol. In Elencho codd. MS Belgii T. II p. 239: *Hugo ord. Prædic. in Matthæum, Lucam, Joannem, Apocalypsim.* Parisiis in Navarr. *Media seu altera pars postillarum in Lucam.* Codex est fol.

fol. mag. pellibus elegantibus. Ad calcem sic legitur : *Expliciunt postilla super Lucam secundum F. Hugonem de sancto Jacobo &c.* Sic etiam legitur ad finem codicis 115 fol. mag. membr. elegant. apud Augustinenses ad pontem novum : apud quos est & codex 111 fol. mag. memb. *Hugo cardinalis in Matthæum, Marcum & Joannem.* Apud Sanjacobeos Parisien. est codex fol. med. memb. *In Matthæum & Marcum* sed absque nomine auctoris. In Colbert. cod 1564 fol. mag. memb. *in Lucam.* Idem finis ac in Navarr. & in Augustin. Idem cod. 1780 fol. med. memb. eodem fine.

21. *In Actus.* Pr. *Scribe visum & explana eum &c.* Habacuch. 2. a. Finis, *In quo tentus est & martyrio coronatus.*

In Pauli epistolas. Pr. *Benjamin lupus rapax.* Gen. 49. d. Finis, *Virtute verò omni privata.*

In Canonicas. Pr. *Facies & velum de hyacintho &c.* Exodi 26. f. Finis, *In requie opulenta.*

In Apocalypsin. Pr. *Aser pinguis panis ejus.* Gen. 49 c. Finis, *Et corrigat quicquid viderit corrigendum.*

Cat. Angl. T. I P. III. 709 : *Hugo de Vienna in acta apostolorum, epistolas canonicas, & apocalypsin.* Ibid. 710 : *In omnes epistolas D.* Pauli. Idem 1971. T. II P. I. Idem 364 & 1880. Rursus T. I P. II. 383. *Hugo de Vienna super Apocalypsin.* Idem 646. P. III. 2079 : *Postilla D. Parisiensis sive Hugonis de Vienna super Apocalypsin cum tabula.* Idem 2188. T. II P. I. 1625 & 4026 : *Hugo cardinalis in Apocal.* Parisiis apud Augustinenses laudatos cod. 110 fol. mag. memb. charact. eleganti & majori : *Hugo cardinalis in apocalysin.*

In elencho codd. MS Belgii P. I. p. 153 : *Hugo cardinalis ord. Prædic. super Pentateuchum, Job & Matthæum. Super Proverbia, Ecclesiastem & Cantica. Super librum Sapientiæ & Ecclesiasticum. In omnes prophetas uno volumine. Postilla super totum psalterium. Item super primam quinquagenam psalterii. In Isaiam & aliquot epistolas Pauli. Item super secundam quinquagenam psalterii. In Lucam.* voll. IX. Plura horum omnium exempla Parisiis a me visa prætereo, quia in iis nomen auctoris siletur.

EDITIONES.

1. *Postilla in quatuor evangelia* prodierunt Basileæ, Bernardi Richel. fol. max. absque anno editionis. In exemplis Sorbonicis manu antiqua monetur esse anni MCCCCLXXXII.

2. Universæ voll. sex Venetiis & Basileæ 1487. fol.

3. Basileæ. Ant. Koberger. 1498. fol. voll. sex. Extat apud nostros Carnuti.

4. Ibid. Ejusdem & Jo. Amerbachii, Jo. Petri, & Jo. Frobenii, 1504. fol. voll. 6. Extat apud nostros Cadomenses. Huic editioni præfigitur epistola F. Conradi Leontorii Mulbrunnensis ad ipsum Koberger, tum & index a F. Georgio Eppio Wimpinensi ord. Prædic. concinnatus.

5. Parisiis. Udalrici. Gering & Bertholdi Rembolt, 1508. fol. voll. sex. Extat apud nostros Cadomenses, & Paris. in Sorbon.

6. Parisiis, Petri Vidovæi, Jo. Parvi, Ponceti le Preux, Ambrosii Girault, ac Joan. Mace, 1538. fol. voll. sex. Extat apud nostros Cadomenses.

7. Ibid. 1548. Laudant Caveus & Dupinius.

8. Venetiis Sessæ 1600. in fol. voll. 5. Extat in Teller. nunc Genovef.

9. Coloniæ Agrippinæ, Jo. Gymnici, 1621. fol. voll. VIII. Huic editioni præfigitur vita auctoris, sed non accurata.

10. *Postilla super epistolas & evangelia tam de tempore quam de sanctis per totum anni circulum.* Paris. Jo. Parvi, 1506. 4. T. I pp. 320. T. II pp. 606. T. III pp. 708. Extat apud nostros Parisien. ad S. Honorati. Opus est ex Hugonis postillis a quodam in commodum concionatorum excerptum. An sint iidem sermones de tempore & de sanctis, quos Caveus dicit prodiisse Zwollis, 1479. 4 videant penes quos hæc altera editio.

ALIA HUGONIS OPERA.

1. *Sermones super epistolas & evangelia de tempore.* Extant Paris. in Sorbon. codex est memb. fol. par. ætatis auctoris. Sic legitur initio eadem manu totius operis : *In hoc volumine continentur tres tractatus sermonum Dominicalium totius anni compositi a D. Hugone cardinali tit. S. Sabinæ.*

Primus continet sermones de evangeliis totius anni & incipit : Dicite filiæ Sion.

Secundus continet sermones de epistolis totius anni & incipit : Hora est jam nos de somno surgere.

Tertius continet sermones tam de evangeliis quàm epistolis & incipit : Abjiciamus.

Incipiunt Omeliæ sermones Fratris H. de ordine ... cardinalis : Dicite filiæ &c. Ad calcem : *Explicit summa super epistolas & super evangelia totius anni in Dominicis diebus per distinctiones.*

Iidem sermones ibidem habentur altero codice similis formæ ex legato Roberti de Sorbona, sed in isto abest nomen auctoris.

Extant etiam bis in Victor. cod. 813. membr. & eleganti a fol. 82 ad 140 & cod. 1038 memb. a fol. 150 ad 237 absque auctoris nomine.

In eadem Sorbona in collectionibus sermonum celebriorum concionatorum ejus ætatis, ut Philippi Cancellarii, Odonis de Castroradulphi cardinalis, Guiardi Cameracensis episcopi, Guillelmi Arverni episcopi Parisien. &c. sunt plures nostri Hugonis illis permisti.

In Elencho codd. Belgii P. II p. 239. Ejusdem Hugonis (nempe *cardinalis*) *sermones* vol. speciali.

2. *Commentarius in quatuor sententiarum libros.* Meminerunt Laurentius Pignon & Ludovicus a Valleoleti.

Recensetur in catal. Angl. T. II P. I. 7196 : *Hugo de sancta Clara in sententias.* Ubi erratum esse typorum & legendum *de sancto Charo* constat ex ipso codice, cujus hanc agente Clar. D. Grabe a viro erudito Joanne Battely bibliotecæ Cantuariensis præfecto accepi notitiam. Codex est memb. fol. mag. literis perexiguis scriptus, cujus ætatem hæc docet præfixa inscriptio : *Liber iste est Magistri Martini de Clyve monachi ecclesiæ Christi Cantuariensis, quem perquisivit, & eidem ecclesiæ dedit, & est scriptum satis bonum super IV libros sententiarum, quod composuit Frater Hugo de sancto Caro de ordine Prædicatorum, dum Parisius legeret in theologia, qui postea S. R. E. factus est cardinalis.* Addit D. Battely : *Martinus de Clyve obiit V non. maii MCCC. Professus erat ante septembrem MCCLXIII ex illius ecclesiæ obituario.* Sic codex est sec. XIII.

Liber I. Pr. *Juxta sanctorum traditionem quædam quæ unum sunt tria esse dicuntur, essentia persona & notio : & quicquid in Deo est, aut de Deo dicitur, aut persona aut essentia aut notio est : essentia una & indivisibilis, persona tres sunt Pater & Filius & Spiritus Sanctus, & hæ tres una essentia sunt &c.*

Lib. 2. Pr. *Creationem rerum. Postquam magister egit de creatore, agit de creatis hoc ordine.* I. *Auctoritate scriptura probat unum esse principium omnium contra philosophos quosdam, qui ponunt plura principia &c.*

Lib. 3. Pr. *In principio libri egit magister de creatore scilicet in primo libro, in secundo de creatura, & de lapsu sive perditione ejus : in hoc tertio libro agit de reparatione ejus in Christo & de bonis ejus &c.*

Lib. 4. Pr. *Dicit Ecclesiasticus* 38. *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, & unctiones conficiet sanitatis. Unguentarius iste Christus est qui dicitur unguentarius, tum quia unctus, tum quia ungens, tum quia unguenta conficiens &c.*

Eodem cat. Angl. laudatur iterum in Append.

Sec. XIII. T. II inter omissos p. 380 n. 1: *Hugo cardinalis super IV libros sententiarum.*

In Lipsien. Paulina apud Fellerum p. 183: *Hugo in libros IV sententiarum.* fol. memb. Nostrum autumo.

In Elencho codd. Belgii P. I p. 168: *F. Hugo in IV libros sententiarum.* Codex est abbatiæ Dunensis.

Florentiæ ad S. Marcum. Arm. IV n. 25. codex fol. memb. *De trinitate personarum D. Hugonis cardinalis ordinis Prædicatorum.* Idem conjicio ac scriptum in primum sententiarum.

Parisf. apud Sanjacobeos nostros codex est fol. par. pergam. & scriptum est in secundum sententiarum totidem ut in Cantuarien. laudato verbis. Abest nomen auctoris.

Præter hos commentarios addit Ludovicus a Valleoleti *Hugonem exposuisse libros sententiarum ad litteram, & quamdam abbreviationem libri sententiarum fecisse.* Quas proinde lucubrationes ille sua ætate viderit in Bibl. Sanjacob.

Laurentius Pignon asserit edidisse *Aliquas breves expositiones super historiam scholasticam.*

Elenchi codd. Belgii P. II p. 239 inter opera Hugonis volumen V laudatur in quo commentarius ejus *in Hierarchiam Dionysii.*

3. *Speculum Ecclesiæ.* Pr. *Dicit apostolus ad Ephesios VI. Induite vos armaturam Dei &c.*

Parisf. in Sorbon. cod. n. I p. 1052 fol. mag. memb. circa medium volum. *Incipit tractatus super missam, qui dicitur speculum Ecclesiæ, quem F. Hugo de ordine Prædicatorum dicitur composuisse.* Folia septem circiter implet.

In Colbert. cod. 1641 fol. med. memb. a fol. 72 extat idem.

In Victor. cod. 1012 extat etiam, sed hic absque nomine auctoris.

Catal. Angl. T. I P. II. 1506 & 1622 & P. III 1529 & T. II P. I. 2138 & 9584: *De officio Missæ.* Extabat MS apud M. Dresserum, ut testatur Simlerus ubi de Jacobo a S. Jacobo, quem non alium a nostro Hugone contendo.

Elenchi Belgii P. II p. 39 *Speculum Ecclesiæ sive tractatus super missam. Dicit apostolus ad Ephes. 6.* ubi falso Hugoni de sancto Victore tribuitur. Hic quidem speculum ecclesiæ scripsit, sed non ita incipit. Ibid. p. 191: *Hugonis Dominicani speculum Ecclesiæ.* & p. 251 *Speculum Ecclesiæ Hugonis cardinalis.*

Prodiit etiam Lugduni typis Guillelmi Rouillii, 1554. Opellæ titulum non recte referunt, qui *Speculum religiosorum* nuncupant.

Meminit Ludovicus a Valleoleti: *Item fecit librum qui vocatur speculum Ecclesiæ.* Sed & Laurentius Pignon: *Item scripsit librum qui vocatur speculum Ecclesiæ, & compositionem brevem de missæ officio.*

In Flandria apud nostros Insulenses extat opusculum MS chart. sic inscriptum: *F. Hugonis ord. Prædic. Speculum Ecclesiæ.* Pr. *Tractatus de Symbolo apostolorum. Ad eruditionem simplicium est notandum, quod in apostolorum symbolo doctrina fidei &c.* Hoc opusculum fortè illud idem est quod apud Simlerum, ubi de *Jacobo a S. Jacobo*, quem postea ubi de concordantiis eumdem cum Hugone nostro ostendemus, titulum habet: *Speculum de institutionibus clericorum.* MS apud M. Dresserum.

4. *Regula Fratrum B. Mariæ de Carmelo recognita & in usum ipsis commodiorem redacta, sicque ab Innocentio IV confirmata.*

5. *Processus in librum evangelii æterni.*

Ejus superest non exigua pars in Sorbon. cod. n. I p. 594 circa medium. Is est titulus: *Exceptiones librorum viri eruditissimi venerabilis Joachim primi Florentium abbatis de pressuris seculi & mundi fine, de signis & terroribus & .... seu etiam de pseudochristis & pseudoprophetis, quorum plura scripta sunt in divinis sermonibus: sed idcirco non omnibus clara, quia multis sunt nodis perplexa, & occultis mysteriis. Quæ omnia spiritualiter intellecta ostendunt nobis multa, quæ futura sunt novissimis diebus, laboriosos scilicet rerum fines, & post multos & magnos agones, & certamina pacem victoribus impertiri &c.* Exceptiones illæ implent a fol. 1 ad 78. Tum sequentia foliola desunt ad 90. Fol. autem 91 sic legitur: » Hæc notavimus « & extraximus de introductorio in evangelium « æternum misso ad dominum papam ab episcopo « Parisiensi, ut tradito nobis tribus cardinalibus ad inspiciendum ab eodem dño papa, videlicet O. Tusculanensi, Stephano Prænestino episcopis, & Hugoni S. Sabinæ presbytero cardinali. Quod circa « MCC annum incarnationis Dominicæ exivit spiritus vitæ de duobus testamentis, ut fieret evangelium æternum. Hoc probatur 15 cap. d. & 23 « b. Quod liber concordiarum vel concordiæ veritatis appellaretur primus liber evangelii æterni « probatur 17 cap. g. Et quod liber iste qui dicitur « Apocalypsis nova appellaretur secundus liber ejusdem evangelii probatur 20 cap. & maxime g. Similiter quod liber qui dicitur psalterium decem « chordarum sit tertius liber ejusdem evangelii probatur 21 cap. a & g & per totum. &c. plura inter quæ hæc notanda: « Quod evangelium æternum « traditum, transmissum sit illi ordini specialiter, « qui integratur & procedit æqualiter ex ordine « laïcorum & ordine clericorum probatur cap. 13 « circa medium, quem ordinem appellat nudipedum 26 cap. in fine &c. Item in cap. XII versus « finem ponit hæc verba. Usque ad illum angelum « qui habuit signum Dei vivi qui apparuit circa MCC « incarnationis Dñicæ, quem angelum Frater Gerardus vocat & confitetur sanctum Franciscum &c. « Quæ excerpta sic tandem, finiunt, » Istos errores & fatuitates invenimus in isto libro, & quia « totus liber istis & consimilibus respersus est, ideo « noluimus plura scribere, quia credimus ista sufficere ad cognoscendum de libro «. Sic autem prosequuntur in processu: »Anno Dñi MCCLV, VIII idus « julii Anagniæ coram nobis Odone episcopo Tusculano, & Fratre Hugone presbytero cardinali « auditoribus & inspectoribus datis a papa, unâ cum « R. P. Stephano Prænestino episcopo, (*qui*) se « excusavit per proprium capellanum suum, & nobis quantum ad hoc vices suas committente, comparuit magister Florentius episcopus Aconensis, « proponens quædam verba de libris Joachim extracta, suspecta sibi ut dicebat, ne publice dogmatizanda aut prædicanda, sive in scriptis redigenda, ut fieret, nisi doctrina sive liber aut sui « libri (*damnarentur,*) prout sibi videbatur. Et ad « hæc audienda & respicienda unâ nobiscum duos « alios (*adjunximus,*) Scilicet Fratrem Bonevaletum episcopum Pavendensem, & F. Petrum « lectorem Fratrum Prædicatorum Anagniæ, quorum unus tenebat originalia Joachim de Florensi « monasterio, & inspiciebant coram nobis, utrum « hæc essent in prædictis libris, quæ prædictus episcopus Aconensis legebat, & legi faciebat per tabellionem nostrum, & incipiebat sic: Sequuntur « exceptiones ex libris abbatis Joachim, & notis « Fratris G. «. In sequentibus expanse legitur *F. Gerardus* ubique nullibi *Joannes de Parma.* In sequentibus notatur judices illos quantumvis severos audiendo simplicitates & fatuitates illius evangelii æterni vix risum potuisse compescere. Etsi autem ad folium 105 pertingat iste processus, non tamen est integer in hoc codice, sed ad finem sic legitur: *Residuum require in papyro post librum D. R. de gradibus electorum.* Etsi autem diligen-

tius inquisierim, reperire non potui: felicior forsan quis inveniet & posteros docebit. Ad calcem dicitur hoc volumen esse *ex legato Petri de Lemovicis socii hujus domus* & æqualis. Ex allatis saltem cognoscitur verus auctor *evangelii æterni* scilicet *F. Gerardus ord. Min.*

6. *Diplomata tum de festo corporis Christi, tum de solemnitate B. Dominici celebrandis.*

Habentur apud Chapeauvillium T. II p. 648 & in actis cap. gen. Bononiæ 1252. Hic est ultimi titulus: *RR. PP. archiepiscopis ac venerabilibus PP. abbatibus, dilectis quoque in Christo prioribus, decanis, archidiaconibus, ecclesiarum rectoribus, & eorum vicariis universis, infra Alamaniam, Daciam, Bohemiam,, Poloniam, Moraviam, ac alios legationis nostræ terminos constitutis, F. Hugo miseratione divina tit. S. Sabinæ presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus S. in D. &c.* Plures etiam SS. pontificum litteras sua subscriptione firmasse dicunt: Innocentii IV anno 1244, Joanni Cerviensi episcopo, & 1245 Verziliacensi, & 1248 Othoni præsuli Parentino datas: Alexandri IV 1258 monasterio de Mireto, & 1259 magistro hospitalis S. Spiritus Pisarum.

7. *Compendium theologiæ* Lusitanus ei ascribit quem Oldoinus & Altamura excipiunt: at cùm illud præferent quod dicitur *veritatis theologicæ*, ei omnino abjudicandum censeo. Vide postea: *Hugo Argentinensis & Thomas de Suttonia.*

8. *Summa de casibus* eidem datur a Tritemio, quem plures sequuntur, at cujus nulla nobis est in antiquis monumentis memoria, nisi fuerit *Tractatus de pœnitentia*, cujus meminit Simlerus, ubi de *Jacobo a sancto Jacobo.* Hunc jam monuimus non alium a nostro Hugone quem Jacobum corrupte nominat.

9. *Hugonis de Vienna seminarium prædicationis.* Pr. *Ad suggillandum vitia.* Sic Catal. Angl. T. I P. II. 818. Idem puto quod Thomas Jame Eclogæ p. 50 Coll. Exon. n. 2 vocat *Librum circa studium theologicum.*

10. *De pugna virtutum & vitiorum.* MS erat apud M. Dresserum teste Simlero, ubi de *Jacobo a S. Jacobo*, quem non alium a nostro Hugone pluries jam dictum & mox ostendetur, ubi de *concordantiis Bibliorum.*

Hujus scriptoris meminerunt omnes seu qui de scriptoribus Ecclesiasticis seu qui de cardinalibus scripsere, licèt plura illis tum de vero ejus agnomine, tum de patria, tum de certa ejus vitæ chronologia, tum de operibus exciderint errata, quæ ex certis a nobis allatis documentis emendes. Allucinatur in primis Lusitanus cùm duplicem Hugonem distinguit, unum Burgundum, alterum Barchinonensem utrumque cardinalem: verùm id a nobis supra expunctum.

SACRORUM BIBLIORUM Concordantiæ.

* QUis harum primus auctor a multis seculo proxime elapso disceptatum est, & ut quæstionis primitus tollatur æquivocatio, quia vocabulum hoc *Concordantia* varie a variis accipitur, de laborioso illo ac per quam utili opere hìc agitur, quo vocabula omnia & singula sacræ bibliothecæ ordine alphabetico digesta exhibentur, horumque omnium index est accuratus: cujusnam verò menti hæc primum insederit cogitatio, ut hunc laborem assumeret ac conficeret quæritur. Et quidem ad seculum usque XVII nulla de hoc fuerat controversia, Hugonique nostro a Sancto Charo hæc palma passim tradebatur, verùm recentioribus quibus omnia etiam certiora placet in dubium revocare, visum est & id ad examen reducere, & Hugonis gloriam quasi eorum præstringeret oculos, infirmis tamen momentis ad alios transferre: infirmis inquam, quia nulla veterum historicorum aut codicum antiquorum auctoritate suffultis. Ea verò cùm mihi visa sint & diligentius inspecta, rem jam placet ab ovo lectori curioso enarrare.

Seculo XIII jam adulto concordantiarum opus primum adinventum pro certo statuendum est, neque enim earum antea ulla mentio, nulli earum antiquiores visi sunt aut produntur codices MS: Parisiis verò in domo nostra Sanjacobea primùm editas fuisse invicte probatur ex præfatiuncula, quæ in concordantiis seculo eodem vergente MS & vulgatioribus deinceps factis, tum in primis ad seculum usque XVI adultum id est ad MDXXVI fortè & ultra impressis exhibetur; quæ sic habet.

Cuilibet volenti requirere concordantias in hoc libro, unum est primitus attendendum, videlicet quod cùm in primis concordantiis, quæ dicuntur concordantiæ sancti Jacobi, quodlibet capitulum in septem particulas distinguatur; secundùm septem primas literas alphabeti videlicet a, b, c, d, e, f, g. In isto opere per eumdem modum & in totidem particulas distinguuntur capitula longiora in septem partes æquales, capitula verò breviora tantùm in partes quatuor distinguuntur, videlicet in a, b, c, d, ut breviori capitulo in quatuor partes æquales diviso, a. primam contineat partem: b. verò secundam quæ a principio recedat, & usque ad medium protendatur: c. verò recedat a medio, & partem tertiam contineat capituli brevioris: d. verò post tertiam partem usque in finem capituli protendatur.

Ex hac inquam præfatiuncula constat primas concordantias dictas fuisse sancti Jacobi, cur verò nisi quia a nostris Sanjacobeis Parisiensibus primum concinnatæ? illas autem esse in quibus universa sacræ bibliothecæ capitula longiora & breviora per septem primas alphabeti literas distribuuntur. Has ceu rariores pauci viderunt, aut si viderint parum ad earum rationem animum attenderunt, & hinc ambages quibus se involvere.

Illarum autem duplicis generis fuit seculo XIII editio. Prima in qua totus operis labor, continebatur codd. MS minoris molis, ejusque plura supersunt etiamnum in bibliothecis exempla certo ejus seculi. Duo sunt in Victorina nn. 749 & 750 fol. par. memb. eleganti licèt minuto charactere: unum in Navarr. etiam a me visum: extabat olim unum in Sorbona, cujus meminit Andreas Chevillier ejus domus socius in erudita sua dissertatione Gallica *Origine de l'Imprimerie*: laudantur alia apud nostros Rutenenses, & apud Cistercium: ejus generis etiam crediderim recensitum a Sandero Elenchi codd. MSS Belgii p. 228 ut & aliud a Simlero & ex eo a Possevino de quibus postea. Extabant etiam aliàs apud nostros Sanjacobeos Parisienses cod. fol. par. memb. eleganti, sed arcæ librorum custos imprudens bibliopegis tradidit quo ad concinnandos libros uterentur: ejusque adhuc quædam folia in eadem bibliotheca videri possunt ad initium & finem codicis MS quo sermones S. Bernardi de B. Virgine continentur a 150 annis circiter compacti. Harum concordantiarum ratio hæc est: vocabulum quæsitum semel tantùm ponitur, tum ei subjiciuntur loci omnes in quibus reperitur, liber caput libri & pars capitis distincta per a, b, c, d, e, f, g. Sed præstat hujus specimen ob lectoris oculos ponere, quædam referendo vocabula. Quælibet pagina per quatuor aut quinque columnas est distincta. Sic ergo incipit codex Navarræus.

AAA	Jos. II. b. XXIV. b.
Jerem. I c. XIV. d.	II Reg. XXII. b. d.
Ezech. IV. f.	IV Reg. VII. b.
XXI. b. Joel. I. f.	II Esd. IV. c. hic qui nunc III Esd.
TENEBRA	Thob. IV. d. V. d.
Gen. I. a.	Judith. IX. c.
Deut. IV. b. V. f. XXVIII. d.	Esther XI. e &c.

Sæc. XIII.

Unigenitus.	1 Joan. iv. c.
Gen. xii. a, d, f.	Unigenita Filia
Prov. iv. a.	Jud. xi. f.
Jer. vi. g.	Zorobabel
Amos viii. f.	1 Paral. iii. b.
Zach. xii. f.	1 Esd. iii. a. d.
Joan. i. b. iii. d.	*Et sic consequenter usque ad*
Heb. xi. d.	Luc iii f. *& hîc finis.*

Hoc etiam notavi plura loca esse in his concordantiis indicata, quàm in Nuribergen. anni 1485: si quæ verò omissa in exemplis a me visis, id crediderim notariorum oscitationi ascribendum. Quod verò dixi vocabulum semel poni tantùm in capite ut supra, ita intelligas ut cùm vocabuli adjunctum quid specialius significat, etiam vocabulum pluries iteretur. Sic vocabulum *Terra* infinities repetitur, *Terra Juda*, *Terra Moab*, *Terra Australis*, *Terra Aquilonis*, *Terra peregrinationis*, *Terra aliena*, *Terra alienigenarum*, *Terra inimicorum*, *Terra horribilis &c.* innumera: sic etiam tempus primò simpliciter & sine addito, postea *Tempus partus*, *Tempus pariendi*, *Tempus nativitatis*, *Tempus senectutis*, *Tempus meridianum*, *Tempus abundantiæ*, *Tempus pluviæ &c.* longe plura; sic etiam particula *velut*, *velut arena*, *velut inquinamentum*, *velut fœnum*, *velut somnium*, *velut nubes*, *velut fistula &c.* plura. Cujus ultimi vocabuli (*velut*) occasione annotavi quod sibi persuaserunt quidam in iis concordantiis primis voces indeclinabiles omissas fuisse, non esse usquequaque verum, omnes enim alicujus momenti adsunt V. G. *Olim*, *quasi*, *sicut*, *propter*, *absque* & similes.

Has autem concordantias esse S. Jacobi dictas ex eo constat, quod in iis capita omnia sacræ scripturæ breviora non secus ac longiora per septem priores alphabeti literas discernuntur, idque loca hîc citata expendenti luce clarius patebit. Sic Aaa. Jer. i c. & xiv. d. indicatur, quod in corcordantiis MS posterioribus & deinceps in impressis, quibus præfigitur supra relata præfatiuncula, ejusdem utriusque capituli ad literam b. refertur: nempe quia in his ea capitula brevia quatuor primis literis tantùm a, b, c, d, designantur, in illis verò per septem dividuntur: idemque in aliis locis indicatis pluribus experiaris. Imo in harum concordantiarum citatis exemplis quibusdam præstantur esse S. Jacobi: in Rutenensi titulus est *Concordantiæ S. Jacobi*: apud Sanderum cit. pag. 228 *Concordantiæ sancti Jacobi.* In Sorbon. teste Chevillerio laudato sic legebatur ad calcem *Expliciunt concordantiæ de sancto Jacobo.* Hincque colligit dictus Chevillerius verum auctorem esse nostrum Hugonem cardinalem, qui dum Parisiis regeret vulgo dicebatur *Hugo de sancto Jacobo*, ut constat ex fine plurium ejus commentariorum MS supra relatorum in quibus sic nominatur.

Nimirum ille totus illustrandæ sacræ bibliothecæ intentus, ut quam emendatissima apud nostros haberetur primum incubuit, ut supra ostensum est: exinde cùm suis commentariis seu postillis dilucidare aggrederetur, loca omnia in quibus eadem vox iteratur, in promptu habere, quam esset necessarium utique vidit, ut iis unâ collatis quis quoque loco legitimus esset idem vel alius sensus perpendi posset: id verò perspiciens nunquam assequendum nisi ope indicis vocabulorum omnium accurati, ad eum conficiendum se accinxit, pluresque sodales qui operi ipsismet adeo utili futuro secum allaborarent, facillime invenit. Rem autem ita gestam evincitur, primò quia ante annum MCCXXX nullus proditur auctor, qui librorum sacrorum capita per priores alphabeti literas distincta citet, nullus certe in tot codicum MS evolutione mihi occurrit: post illum verò annum plures inveni, inter alios nostrum Stephanum de Borbone seu de Bellavilla, qui scripsit inter MCCXL & CCLXI quo circiter mortuus est. Hic enim in suo magno opere de septem donis Spiritus Sancti, ubi quem scripturæ locum citat & citat quidem innumeros, citat inquam semper juxta concordantias S. Jacobi quoque capite per septem alphabeti literas distincto. Sic P. iv de dono fortitudinis cap. i cod. Sorb. fol. 304 inter plura alia citat hæc loca scripturæ Exodi xv. g. *Tentavit eum (populum)*: Isaiæ LVII. g. *impii quasi mare fervens*: Eccl. XXXVII. g. *Fili in vita tua tenta animam tuam*: quæ loca in posterioribus concordantiis quibus præfixa præfatiuncula relata iisdem capitibus sed ad d. referuntur.

Revera Hugonem primarum concordantiarum auctorem esse affirmant quotquot veteres qui ejus operum meminerunt. Tholomæus de Lucha ord. Prædic. Hist. Eccl. Nov. lib. XXII cap. 2 sic habet: *Eodem anno* MCCXLIV *Innocentius multos fecit cardinales Lugduni, inter quos fuit D. Odo Gallicus de Castroradulphi cancellarius Parisiensis, & F. Hugo de Sancto Theudorio prior provincialis ordinis FF. Prædic. magister in theologia in vita & doctrina preclarus... Hic totam bibliam postillavit, & primas concordantias super bibliam cum suis Fratribus adinvenit.* Laurentius Pignon qui jam anno MCCCLXXXIX suum chronicon inchoarat in suo scriptorum nostrorum catalogo n. 6 sic loquitur: *F. Hugo de Sancto Theodoro magister in theologia & provincialis Franciæ, cardinalis ordinavit primas concordantias, quæ vocantur concordantiæ S. Jacobi propter conventum nostrum Parisiensem, ubi eas compilavit.* Ludovicus a Valleoleti anno MCCCCXIII Parisiis scribens in sua Tabula n. 6 sic habet: *Dominus F. Hugo de Sancto Charo vel de Sancto Theodorio Viennensis natione Burgundiæ legit Parisius sententias & precessit D. Thomam. Hic fuit primò provincialis Franciæ, deinde primus de ordine Prædicatorum vocatus ad cardinalatum, qui ut habetur in chronica de summis pontificibus & imperatoribus fuit primus qui in Ecclesia Dei totam bibliam ex integro postillavit. Primus etiam auctor concordantiarum fuit, quæ quia erant breves postea per totum ordinem Prædicatorum in conventu Parisiensi fuerunt dilatatæ & ampliatæ, & illis universaliter Ecclesia utitur.* Quibus verbis Valleoletanus nostram exprimit sententiam, scilicet Hugonem breviores illas concordantias, in quibus vocabulum semel tantùm ponebatur, tum loca in quibus reperiendum erat sola subjiciebantur, concinnasse. S. Antoninus P. III Hist. tit. 19 c. 5 §. 2 ubi de Hugone cardinali & ipse sic habet: *Primus concordantias Bibliæ invenit.* Leander Albertus fol. 66: *Hugo de Sancto Theodorico* (corrupte pro *Theudario* vel *Theuderio*) *indices per nomina & materias super dicta instrumenta* (nempe vetus & novum testamentum) *fecit, quas concordantias vocant.* Omitto Lusitanum & alios recentiores, ceu qui S. Antoninum & Leandrum excipiunt, nec novam lucem afferunt. Addendus solùm auctor seculi ut videtur XVI, qui farraginem rerum antiquarum scripsit recensitam in catal. codd. MS Angliæ T. I P. I. 2067 & n. 73 sic habet: *Innocentius papa IV F. Hugonem de ord. Prædic. instituit cardinalem, qui totam bibliam postillavit, & magnas bibliæ concordantias compilavit anno* MCCXLII. Cujus dicti forsan ibidem afferuntur momenta. Quod ait magnas concordantias compilasse, ea ratione verum est, quod in suis brevibus totam magnarum texturam exhibuit, & ipse Anglos nostros ad has augendas excitavit. Quæ certior verò traditio, quàm quæ a seculo XIII ad XVI & deinceps constanter prolata, & a tot cujusque ævi scriptoribus unanimi consensu testata? Novi a Simlero quem excipit Possevinus, laudari quemdam *Jacobum de S. Jacobo, qui scripsit concordantias minores Bibliorum, quæ* MS *habebantur apud M. Dresserum*, sed nullus dubito quin erratum sit, & scriptum *Jacobum* pro *Hugone*, cujus evidens argumentum est, quod alii tractatus eidem Jacobo ibidem ascripti, & apud Dres-

serum MS servati, *Speculum institutionis clericorum*, *de pœnitentia*, *de officio missæ*, quod idem ac *Speculum Ecclesiæ*, *de pugna vitiorum ac virtutum*, sint revera nostri Hugonis, qui ut jam monitum *de Sancto Jacobo* vulgo audiebat, aut saltem eo agente a nostris Sanjacobeis exarati.

In eo statu concordantiæ perstiterunt ad annum MCCL circiter, tum verò cùm ejusmodi operis utilitatem nostri in dies experirentur, illud tamen videretur incommodi, quod semper evolvenda esset sacra bibliotheca, ut quid tali vel tali loco scriptum esset agnoscerent, quibusdam visum est longe utilius fore, si ad quemque locum indicatum vocabuli quæsiti adjuncta seu voces quædam aut antecedentes aut subsequentes jungerentur: sic enim ob oculos primo intuitu posita loci sententia, quid cuique opus esset in promptu haberent: idque haud difficile erat: nam cùm in concordantiis illis primis loci jam indicati essent, restabat solus ad quemque locum addendarum & scribendarum sententiarum labor. Hunc autem libenter sibi assumserunt sodales in gymnasio Sanjacobeo theologiæ operam dantes, potissimum Angli nostri. Id jam innuebat Valleoletanus supra relatus, sed expressius narrat in domus Sanjacobeæ dictæ chronico, quod suæ auctorum Tabulæ præfixit, ubi sic habet Tit. *Quod in isto conventu compilata sunt concordantiæ. In isto conventu concordantiæ super totam Bibliam compilatæ sunt, quas totus ordo Prædicatorum, quia breves erant, dilatavit postea, & hic in uno volumine redegit, Fratribus in simul congregatis in quodam capitulo generali, & ideo vocantur concordantiæ Sancti Jacobi, ut ponitur in prologo concordantiarum.* Postea verò in ipsa Tabula n. 38: *F. Ricardus de Stavenesby fecit concordantias super totam Bibliam valde prolixas, quæ habentur in libraria hujus conventus, & vocantur concordantiæ Anglicanæ.* Idem fere antea dixerat noster Laurentius Pignon n. 98: *Fratres & studentes de Anglia concordantias Anglicanas compilaverunt.* Neque verò hi primi hæc testati sunt, sed longe antea jam scripserat noster Nicolaus Trevet ante MCCC florens, qui in chronico regum Angliæ ex stirpe Andegavensi ad MCCLXXVI sic habet: *Hoc anno Joannes de Derlingtonia ordinis Prædicatorum confessor quondam regis Henrici* (nempe anno MCCLXXII mortui) *auctoritate papali in regno Angliæ collector efficitur decimarum: cujus studio & industria edita sunt concordantiæ magnæ, quæ Anglicanæ vocantur.* Ex hactenus dictis hæc tria colliguntur, primò concordantias Hugonis breviores a nostris Sanjacobeis in ampliorem formam innovatas fuisse, ad quemque locum pure indicatum sententia scripturæ adjecta: secundò huic labori Anglos gymnasii S. Jacobi collegas, & in primis Joannem de Derlingtona, Ricardum de Stavenesby & Hugonem de Croyndonio potissimos desudasse: & demum ætate Valleoletani circa initia seculi XV concordantias has majores adhuc in libraria Sanjacobea perstitisse. Revera in eadem earum etiamnum servatur pars insignis, an aliàs uno volumine ut innuere videtur Valleoletanus, certe si sic, fuerit molis immanis, nunc verò quatuor voluminibus fol. mag. memb. distincta. In illis hæc observatu digna, primo non adesse præfatiunculam supra relatam quæ in tertia tantùm hanc subsequente & de qua mox concordantiarum editione præfixa: præterea sententiam scripturæ ad quem libet locum adjectam passim productiorem esse quàm in concordantiis tertiæ editionis mox referendæ seu MS seu impressis: tandem in his capita omnia sacræ bibliothecæ breviora non secus ac longiora, itidem ut in primis Hugonis per septem priores alphabeti literas distingui. Specimen ob oculos lectoris ponendum, addita e regione litera ad quam in concordantiis Nuribergen. anni 1485 locus refertur, ut exinde penset discrimen.

Primo volumine habentur tantùm litteræ A & B. Abest præfatiuncula *Cuilibet volenti*, quæ in aliis seu MS seu impressis, quod signum has concordantias esse anteriores. Pr. SÆC. XIII.

AAA.

Jerem. I. b. Aaa Domine Deus ecce nescio loqui quia puer ego sum. *Nur.* a.

XIV. d. Aaa Domine Deus prophetæ dicunt eis non videbitis gladium, & fames in vobis non erit. N. b.

Ezec. IV. f. Aaa Dñe Deus anima mea non est. N. d.

Johel. I f. Aaa diei quia prope est dies Dñi. N. c.

AARON.

Exo. IV. c. Aaron frater tuus Levites, scio quod eloquens sit. N. c.

g. Dixit Dñus ad A. vade in occursum Moysi in desertum. N. *deest.*

VII. a. A. frater tuus erit propheta tuus. N. a.

XVII. f. A. & Hur sustentabant manus. N. d.

Longe plura hujus vocabuli indicantur loca in his S. Jacobi concordantiis, quàm in Nuremb. & etiam generatim plura hujus litt. A. Verbi gratia Azuba & Azur desunt in Nur. adsunt verò in his Sanjac.

Ad finem hujus litteræ sic legitur eodem charactere: *Explicit littera A, quam perficit Frater R. de Stavenesby.*

Sequitur eodem codice littera B.

BAAL.

Jos. XIII. *d. & oppidum Baal.* N. *desunt.*

Jud. II. *d. & ad iracundiam concitaverunt Dominum dimittentes eum, & servientes Baal.*

Cætera hujus vocabuli omitto, & sequentia, hoc unum vocis *Beati* referre placet.

I. *Pet.* IV *f. Si exprobramini in nomine Christi beati eritis.* N. e.

Iterum generatim moneo in his Sanjac. plura esse hujus literæ B. vocabula quàm in Nur. in quibus etiam ultimum est *Buxus*, in Sanjacob. verò adsunt præterea *Buz*, *Buzi*, *Buzites*. Ad finem hujus litteræ legitur simpliciter. *Explicit litera B*, nec additur a quo facta.

Volumina quibus litteræ C, D, E, F, G, H, I, K, L habebantur jam ex illa bibliotheca fugerunt. Altero volumine sunt litteræ M, N, O ad vocem *Ostendens*.

M. verbo MACERIA.

Cant. II. f. Columba mea in foraminibus petræ in caverna maceriæ. N. d.

Ad finem legitur tantùm, *Explicit M. littera*, nec additur a quo fact. Sequitur N.

Incipit autem ab his vocabulis *Naaliel Num.* XXI. *d. d. Naad Paral.* I. e, quæ omnino desunt in Nurib. Unicum locum referre placet vocabulo

NARES.

Amos IV. *f. Ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras.* N. d.

Ad finem hujus litteræ legitur: *Explicit littera N a Fratre Ricardo de Stadenesby completa. Amen.*

Sequitur littera O quæ sic incipit.

Deut. XXXIII. *c. judicia tua o Jacob & legem tuam o Israel.* N. *deest.*

Unum tantum locum indico ex his qui in vocabulo

OPERARI.

Coloss. III. g. Quodcumque facitis ex animo operamini sicut Dño. N. d.

Reliqua hujus litteræ a voce *Ostendens* sunt in volumine sequenti, unde conjicio primum fuisse simul ligata. Ut ut sit

Volumen sequens incipit *Ostendens*: tum *Ostensus*, cujus plura indicantur loca quàm in Nuremb. V. G.

II. Mach. XV. g. *Ostenso capite Nicanoris.* N. *deest.*

Marc. XVI. *e. Post hoc autem duobus ex eis ostensus est in alia effigie euntibus in villam.* N. c.

Heb. VIII. *c. Vide inquit omnia facito secundùm exemplar, quod tibi ostensum est in monte.* N. *deest.*

Sec. XIII. *Actu. xvi. b. & visio per noctem Paulo ostensa est.*

N. deest. Ultimum vocabulum in Nur. est *Ozias*, at in Sanjac. sunt præterea *Ozan*, *Ozi*, *Oziel*, *Ozielita*, *Ozni*, *Oznite*.

Ad finem legitur : *Explicit O a Fratre Ricardo de Stavenesby perfecta.* Sequitur P. Pr. *Pabulum*, cujus vocabuli adsunt omnia loca indicata in Nur. sunt & in his omissa, quale illud

Dan. iv. e. & cum feris sit ejus pabulum, donec vii tempora commutentur super eum.

Quædam alia hujus litteræ vacabulorum loca placet adjungere ut harum concordantiarum a posterioribus discrimen adhuc certius deprehendatur.

PURGARE. inter alia

N. d. Prover. xv. f. Per misericordiam & fidem purgantur peccata.

PUTATIO.

N. c. *Cant. ii. e. Tempus putationis advenit.*

PUTREDO inter alia.

N. d. *Job. xiii. g. Qui quasi putredo consumendus sum.*

Ad finem legitur : *Explicit littera P. quam perfecit Frater Ricardus de Stavenesby.*

Volumen quo Q, R, S habebantur, jam in Bibliotheca non apparet. Est tamen ultimum quo exhibentur T, V, X, Y, Z. Singularum en specimen.

TABERNACULUM.

N. deest. *Gen. ix. g. Habitet in tabernaculis Sem.*

N. d. xvi. *f. E regione fratrum suorum figet tabernacula.*

TURGENS.

N. d. *Num. xvii. f. Turgentibus gemmis eruperant flores.*

THUS.

N. d. *Exod. xxx. f. Et thus lucidissimum.*

Ad finem legitur tantùm : *Explicit littera T. Sequitur V.*

VACH.

N. c. *Job. xxxix. f. Ubi audierit buccinam dicit Vach.*

N. deest. *Isa. xliv. e. Vah calefactus sum.*

VACCA.

N. b. *Gen. xv. d. Sume inquit mihi Vaccam triennem.*

N. d. *Ozee. iv. f. Quoniam sicut Vacca lasciviens declinavit.*

Neque hanc litteram quis fecerit indicatur. Omitto X qua non habetur nisi *Christus*, quem scribebant Xps : *Christiani* refertur ad litteram C.

Litera *Z* omnia sunt loca quæ in concordantiis recentioribus, unicum articulum refero hîc necessarium.

N. d. *Isa. iii. g. Et pro zona funiculus.*

Laceratum est ultimum folium, cujus tamen particula superstes reliqua scripta fuisse indicat. Addo solùm universim plura fuisse in his Sanjacobeis concordantiis loca indicata quàm in posterioribus & speciatim Nur. Has porro majores concordantias Anglicanas eas etiam esse, quæ in supra relata præfatiuncula *Cuilibet volenti*, dicuntur S. Jacobi, ex eo mihi constat, quod in his omnia sacrorum bibliorum capita breviora ut & longiora septem primis alphabeti litteris distinguantur, ut loca ea ratione hîc relata expendenti luce clarius patebit.

Nemini puto in mentem venturum Stavenesbium in illis laudatum Amanuensem tantùm fuisse qui has concordantias sua manu exararit, alioquin vel in fine singularum litterarum suum nomen addidisset, vel semel tantùm ad finem operis cùm eadem manu scriptum sit. Quod igitur ad finem tantùm aliquarum speciatim dicatur talem litteram perfecisse vel complevisse, signum indubium est, illum privavatim & in museo ad quasdam tantùm litteras operam suam contulisse, & ad loca in primis Hugonis concordantiis indicata sententias scripturæ adjecisse, tum adversaria sua notario qui totum opus eadem manu exaravit tradidisse suo ordine collocanda : idem a suis in ea opera collegis factum. Extabant aliàs hæ concordantiæ majores apud monasterium S. Eligii juxta Atrebatum & recensebantur in catalogo codd. MS concinnato & scripto anno 1584, & apud Sanderum in Elencho codd. MS Belgii edito, ubi p. 340 sic leges : *Extat ibidem antiquiss.* MS *concordantiarum Majorum S. Bibliæ, in quarum tergo sic legitur : Concordantiæ S. Jacobi, scriptum autem illud fuit jussu F. Hugonis de Hersin anno* 1314. Quæsivi an adhuc superessent, & officiosissimus abbas mense decembri anni MDCCXVI respondit incursionibus bellorum seculi ultimo elapsi hoc exemplum cum multis aliis maximo eorum dolore deperditum.

Q id exinde factum jam facile percipitur. Toto nimirum labore exantlato, omnibus sacrorum librorum locis, quod difficilius erat, in concordantiis Hugonis indicatis, sententiis scripturæ ad locos indicatos a sodalibus Anglis adjectis, cùm hæc secunda editio videretur prolixior & volumina majoris molis exquireret, non augmento aliquo, non locupletatione ulla, sed resectione potius visa est indigere : ac præterea inter capita breviora & longiora discrimen habendum, hæc quidem ut antea septem prioribus alphabeti literis, illa verò quatuor tantùm discernenda, quod levioris laboris, & notarium solummodo fidum & accuratum desiderabat. Id qui suscepit, monitum etiam voluit & testatum præfatiuncula relata *Cuilibet volenti &c.* quæ cùm in omnibus exinde concordantiis qua MS qua impressis constanter legatur, argumentum est unicum hominem hujus tertiæ editionis concinnatorem fuisse. Hunc nostrum esse Conradum Alberstatensem seniorem plures asserunt, qui revera sub finem seculi XIII florebat, & anno MCCCXXI vir jam gravis in capitulo generali Florentiæ suæ provinciæ Saxoniæ diffinitor sedit, ut dicetur postea ubi de eo : itaque juvenis, nam talium sunt ejusmodi lucubrationes, huic operi incumbere potuit circa MCCC vel potius MCCCX, & sic resectum quoad sententias in Stavenesbianis longiores, & levius redditum ita placuit, ut deinceps ab omnibus exceptum sit & ubique multiplicatum. De hoc Conrado sic Trithemius : *Hic etiam fertur concordantias totius Bibliæ novi & veteris testamenti primus ordinasse.* Quod dicit *primum* ita intelligas non absolute, nam nonnisi tertiæ editionis concinnator haberi potest ipsius præfatiunculæ testimonio, sed primum qui concordantiarum in quibus capita breviora a longioribus secreta sunt, quæque communiores exinde & magis multiplicatæ evaserunt, auctor fuerit. Extat vetus harum concordantiarum in ipsis typographiæ incunabulis editio licèt a Beughemio omissa, absque loco anno vel nomine typographi, quarum exemplum fol. max. charta regia Parisiis in insigni Eremitarum Augustinianorum ad pontem novum bibliotheca servatur a me visum : ad cujus calcem sic legitur, *Fr. Conradi de Halberstat*, cujus fortè nomen in codice MS quem excipiebant editores, sic inscriptum invenerint.

In eodem statu concordantiæ ab anno MCCC ad concilium Basileense remanserant, tum autem noster Joannes de Ragusio vir eximius Constantinopoli agens, quo a synodo legatus missus fuerat, cùm plures & acres cum Græcis de earum particularum *ex* & *per* vera notione haberet concertationes : aliunde non minor illi antea fuisset Basileæ in ipsa synodo cum Bohemis occasione hujus quæstionis, an communio sub utraque specie sit omnibus christianis de præcepto, de alia illa particula *nisi* pugna : in mentem ipsi venit particulas omnes indeclinabiles sacræ bibliothecæ, quæ in concordantiis supra relatis omissæ fuerant, colligendas esse, ut facta locorum collatione quid ubique significent certius depromeret. Rem sic narrat Joannes de Secubia Hispanus & ipse in synodo præsens : *Ipsis igitur dictionibus indeclinabilibus, quarum significatio pro-*

pria tunc inquirebatur, aliisque omnibus non tam in novo quàm in veteri testamento, cùm hoc majoris sit continentia multiplicatis occasio præstita est, ut perscrutatio fieret de omnibus, præterquam de adverbiis descendentibus ordinarie a nominibus & participiis. Quod quidem Joannes ipse (Ragusinus) *præter dictionem* (non) *& ex minus numerosis quasdam paucas, per semetipsum non fecit, sed in statu constitutus per capellanum suum Galterum Jonau Scotum magistrum in artibus theologiaque instructum. Qui primò unum composuit volumen absque ordine alphabetico, sed prout ordine scriptura in libris Biblia reperiebantur, abinde partes plures excerpens juxta initia & numerum dictionum non utique omnium. Nam quibusdam earum in quovis capitulo multiplicatissime repertis, una vel dua pro singulo capitulo annotata sunt. Majori autem parte in tribus fere annis per illum completa, post ejus recessum per alios duos consequenter finis operi est accommodatus, ad eam casu suo opere isto servienti utilitatem, ad quam dictus liber servit concordantiarum.* Joannes itaque Ragusinus novi istius vocum indeclinabilium indicis non quidem per seipsum ceu qui majoris momenti negotiis implicatior esset, sed per amanuenses suos primus & certus est auctor: quod opus summo illorum labore confectum cùm accepisset Joannes de Secubia ad summum quod facile, ordine alphabetico distribuit, & prologo cujus partem damus præfixo in lucem dedit. Primus typis commisit Sebastianus Brant-Germanus anno MCCCCXCVI Frobenio typographo usus, tum ipse Frobenius Basileæ 1525 ad calcem magnarum concordantiarum cum Joannis de Secubia prologo, in quo iste hæc omnia fusius narrat. Idem præstitit Jacobus Mareschal in sua editione Lugdunensi anni 1526. Legendus & Chevillerius laudatus in sua dissertatione Gallica de origine typographiæ Parisiensis pagg. 132 & 134: quem tamen observabis primas Hugonis a Sancto Charo breviores concordantias tantùm novisse, non autem magnas Anglicanas ad eamdem formam scriptas & concinnatas, & illas putasse solùm quæ dictæ sunt S. Jacobi, cùm Anglicanæ magnæ etiam hoc nomine intelligantur.

Unum adhuc superest monendus lector, cùm audit capita bibliorum per septem priores alphabeti litteras distincta, ne litteras illas existimet in bibliis MS ad quodque caput unquam appositas: innumeros dicere possum vidisse me bibliorum codices MS, at nullum in quo ad marginem additæ essent capitibus longioribus septem, brevioribus quatuor priores alphabeti litteræ; imo nec in primis typo expressis id factum, sed solùm in posterioribus, quod ad hanc nostram ætatem servatum fuerat, a quibus tamen jam abstinere cœperunt solos numeros Arabicos seclusis alphabeti literis versiculis præfigentes. Itaque quamvis in concordantiis sic distinguerentur, cùm exinde in suis bibliis loca quærerent, sola mentis acie & oculorum intuitu illa distinctio in capite quæsito fiebat: quod & indicat Joannes de Secubia citatus in prologo, *per quatuor*, inquit, *aut septem primas alphabeti litteras distincto intellectualiter quovis capitulo canonis sacri.*

Hæc est igitur tota & certa Concordantiarum sacræ bibliothecæ historia. Hugo de sancto Charo primus aggressus est & ope suorum sodalium perfecit locis tantùm indicatis: Joannes de Derlingtonia & Ricardus de Stavenesby & alii Angli sodales auxerunt ad loca indicata adjectis sacræ scripturæ sententiis sed plerumque longioribus: hæ duæ priores editiones dictæ sunt *Concordantia S. Jacobi.* Conradus de Halberstat tertiam suscepit brevioribus capitibus per quatuor tantùm litteras distinctis & sententiis scripturæ ex parte recisis, sicque commodiorem & leviorem reddidit. Hæc seculo XIII vel sequenti ineunte confecta: seculo verò XV circiter medio Joannes de Ragusio particularum indeclinabilium in prioribus omissarum alteras concordantias tentavit & ope amanuensium perfecit: adeo ut si quæ utilitas ex hoc opere, quæ quidem fuit maxima, tota ordini Prædicatorum debeatur. Quædam tamen objiciuntur, quibus faciendum est satis. SÆC. XIII.

Quod de S. Antonio de Padua ord. Min. quidam dicunt ipsum concordantias collegisse non moror, sola enim ejus operis inspectione refelluntur. Titulus est, *Concordantia morales. Tit.* I. *Contra peccatum, simpliciter.* Est igitur sacræ scripturæ locorum collectio juxta vitia & virtutes digestorum, non vocabulorum index alphabeticus, ac proinde non opus de quo agitur.

Quidam Arlottus de Prato Tuscus ejusdem ordinis Minorum, quem volunt anno MCCLXXXVI Parisiis mortuum, *fertur*, inquit Trithemius *comportasse novi & veteris testamenti in unum concordantias*, quæ addit Wadingus dubius tamen, amanuensis sui opera prodierunt anno MCCXC. Verùm & id facilè diluitur. Omitto testem Trithemio antiquiorem ab Wadingo non proferri, quas Arlotto tribuet concordantias? An primæ & secundæ editionis supra relatas, in quibus capita omnia per septem primas alphabeti litteras divisa? Sed cur S. Jacobi dicerentur, si non apud nostros Sanjacobeos, sed apud Franciscanos elucubratæ ambæ? Adde ipsas majores Anglicanas ante MCCLX jam perfectas prostasse. Si de tertia editione id contendat non aucta aut locupletata, sed potius resecta, lis ipsi erit cum nostro Conrado Halberstatensi, cui tamen & veteres nomenclatores, & editio laudata in incunabilis typographiæ asserunt.

Quoddam dubium speciosius facit codex MS in monasterio Cisterciensis ordinis capite servatus, ad cujus calcem sic legitur: *Expliciunt concordantia Domini Hugonis de Cyst. quarum scriptoris anima requiescat in pace. Amen.* Quo fine attento monachus quidam schedulam pergamenam in interiori tegmine agglutinavit sic a se inscriptam: *Frater Hugo monachus Cistercii auctor hujus operis florebat, ut ex Helinando quasi ejus coævo scribit Hugo Kykerstallensis celebris historicus Anglus anno* MCLXVI *sub Gilberto Magno* VIII *abbate Cistercii, cui ex jussu dicti abbatis huic operi propemodum immenso conficiendo suppetias dabant vicarias & coadjutrices manus plusquam quinquagnita confratrum suorum seu monachorum hujus domus: quod scriptum & notatum esse velim ad majorem rei & historia illustrationem anno Dñi* MDCLXXXVII. *Porro volumen istud est omnium primum hujusmodi concordantiarum, & verum auctoris autographum, cujus adhuc extant duo exemplaria in bibliotheca Cistercii, unum in fol. & alterum in 8 valde crassum & spissum.*

Recentiorem hanc monachi notam insulsam & crassam agnoscit ejusdem asceterii sodalis vir acer & nasutus sacræ facultatis Parisiensis magister, & ipsemet refellit litteris ad amicum datis mihique communicatis. Helinandus inquit Frigidi-montis monachus celebris revera suæ ætatis historicus fuit, sed in suis operibus a Texerio Triumfontium abbate in Bibliotheca Cistercienci editis Dñi Hugonis de Cistercio aut concordantiarum nullus meminit. Hugo Kirkestallensis a Lelando & Pitseo laudatur quidem, ceu qui de rebus per monachos Cistercienses ad annum MCCXX gestis scripserit, sed nec minus certum ejus opera ab auctore notæ relatæ nunquam visa, cùm Cistercii nunquam fuerint, & apud Ripodunum in Northumbria Angliæ veluti sepulta jaceant: qua er-

SÆC. XIII. go fronte monachus ille mendacium adeo impudens finxit & scripto prodidit, Kirkestallensem testem appellans quem nunquam legit, nec ab alio lectum sibique nunciatum refert. Nulla igitur notæ hujus recentioris & anno demum MDCLXXXVII scriptæ auctoritas. Ipse concordantiarum finis tantùm expendendus, quem eadem manu scriptum dicunt qua totus codex. Sed & in eo bonam fidem notarii desidero.

Quis enim ille Dominus Hugo? Cùm sic legis, quemdam continuo Cistercii abbatem tibi proponis: at nullum hujus nominis abbatem ante seculum XV sed nec post Cistercii sedisse certissimum est. Fuit quidem aliàs ibidem monachus Hugo nomine, cujus erat codex MS etiamnum in illa bibliotheca servatus, ad cujus calcem sic legitur: *Usu hujus libri est Fratris Hugonis monachi Cisterciensis dicti de Corberon, perpetuus verò B. M. Cistercii, a qua domo qui dictum librum alienaverit &c.* ut tum vulgare in codd. MS. *Continentur autem in isto volumine lectura quadam in Ecclesiasten & epistolas canonicas, & quidam libri B. Bernardi:* & additur: *Hunc librum Frater Hugo multum diligebat, quia multa ibi continentur.* Quæ ultima verba innuunt hæc a morte hujus Fratris Hugonis scripta, sicque ad mortem usque Fratrem simpliciter dictum, ac proinde eum non esse qui in concordantiis dicitur Dominus Hugo, hæc enim denominatio virum in dignitate constitutum indicat, quæ est etiam theologi Cisterciensis laudati animadversio.

Verùm ut ut sit de isto Domino Hugone de Cyst. cujus nulla apud Cistercienses memoria, concordantias quæ ejus dicuntur non esse primas invicto & ineluctabili argumento demonstratur: scilicet ille codex ut & alii ejus generis incipit a præfatiuncula supra relata, *Cuilibet volenti*, quæ ut supra evincebam arguit præcessisse concordantias S. Jacobi dictas, seu breviores Hugonis de Sancto Charo, seu majores Anglorum nostrorum, quibus proinde codex Cisterciensis posterior est. Unde quædam mihi suboritur suspicio verba illa ad finem codicis scripta *Expliciunt concordantia Domini Hugonis de Cyst.* Si non sint notarii aberratio vel suppositio, sic intelligenda, *Expliciunt concordantia Dñi Hugonis* nempe cardinalis de Sancto Charo ceu primi earum inventoris, *& sunt domus de Cystercio &c.* Quod de codice Cisterciensi hactenus, idem dicendum de simili olim Matthæi Molé senatus Parisiensis infulati præsidis in auctione ejus bibliothecæ anno MDCLXXVI venum exposito, ad cujus calcem sic legebatur: *Expliciunt concordantia Dñi Hugonis de Cistere. Deo gratias. Sciendum quod A. D.* MCCCLXXXIV *circa festum pentecostes inchoatus est liber iste sub Dño Alberto de S... B. M. sed ipso abbatia regimen agritudinis & totalis invaletudinis causa libere resignante, successit eidem D. Henricus de Beningen, sub quo præsens volumen ab anno prædicto usque ad A. D.* MCCCLXXXVII *ordinatum &* VII *Kal. septemb. ejusdem anni completum fuit per me Fratrem Georgium de Texkendorf monachum sacerdotem professum in monasterio Aldesparch diœcesis Pataviensis Cisterciensis ordinis.* Ubi notandum quod supra monebam solos abbates Dominos dictos fuisse, cæteros nonnisi Fratrum denominationem sibi assumsisse. Porro codex ille ceu recentior ex Cisterciensi laudato vel alio simili fuerit descriptus, neque majorem fidem facit: imo cùm in eo sit etiam præfatiuncula licèt in quibusdam mendosa, sic enim incipit: *Cum Biblia volenti requirere* &c. ἀντὶ *Cuilibet volenti &c.* argumentum est invictum has non esse primas concordantias, sed Sanjacobeis utriusque primæ editionis posteriores esse.

Expediti a Cisterciensibus & Franciscanis, liberi jam abire putabamus, verùm occurrit nosque moratur Gaspar de Zamora Hispalensis S. I. vir laboriosissimus, qui Concordantiarum sacræ bibliothecæ numeris omnibus absolutam editionem, id est in qua nullum ne minimum quidem qualia sunt particulæ ab, de, ex, in, nisi, non, per, ut & similes infinities ut ita loquar repetitæ, vocabulum bibliorum omissum, Romæ suscepit, & elegantibus Zannetti typis anno 1627 edidit in fol. Hic in præfatione immensi illius operis quæstionem versat quam tractamus *De auctoribus primis concordantiarum cap.* I. & plura nobis adversa profert: sed profecto auctores codicesve veteres se non vidisse prodit: nam si viro erudito ut & nobis fuissent in promtu ac legisset, tot compugnantia ipsi non excidissent. Se non latere ait opus concordantiarum a multis recentioribus Hugoni de Sancto Charo cardinali tribui. Jam ostensum est non a recentioribus tantùm sed ab antiquis & Hugoni fere æqualibus ei asseri, & ab ejus seculo per ætates sequentes semper fuisse, qui ei vindicarunt ipsis codd. MS suffragantibus. » At *inquit Zamora*, S. Antoninus Hist. P. III cùm Tit. XIX c. V §. II Hugonem asseruisset concordantias bibliorum invenisse, postea Tit. XXIII c. XI §. II loquens de libro concordantiarum in dubium vertit a quo fuerit editus, neque ullam Hugonis mentionem facit «. Sed hæc levia. En S. Antonini verba loco ultimo citato: *Librum concordantiarum valde necessarium ad inveniendum subito quotationes capitulorum circa auctoritates scriptura sancta, non autem ad generandum scientiam, a Fratribus ordinis compilatum fuisse non dubitatur, sed a quo non clare invenitur. Dicitur a quibusdam fuisse commissum opus pluribus Fratribus in diversis provinciis, ut unus faceret unam litteram, alius aliam, quia per alphabetum est liber ille ordinatus ad citius inveniendum.* Certum itaque & indubitatum affirmat Antoninus a nostris uno præside & committente tam laboriosum opus exantlatum: neque id pugnat cum iis quæ dixerat Tit. XIX Hugonem concordantias bibliorum invenisse. Hic enim sensus est & ambo loca sic conciliantur, Hugo primus fuit, cujus menti hæc insedit cogitatio indicis alphabetici vocabulorum omnium sacræ bibliothecæ concinnandi: cùm id solus non posset, ceu pluribus aliis implicitus majoris momenti negotiis, & Franciæ provincialatum præterea gerens, sodales Sanjacobeos ex omnibus ordinis provinciis adunatos ad id audendum excitavit, & inter illos literas & vocabula (crediderim potius libros sacros, aut cuique partem libri) distribuit, ut promptius & celerius opus prodiret. Neque verò hoc illi difficile, cùm ea ætate teste Humberto in actis capp. genn. ad sexaginta & amplius eodem anno ex omnibus Franciæ & aliorum regnorum partibus & Parisienses scholas frequentantibus vestem ordinis induerent. Hos novitios huic operi ab Hugone applicitos quid vetat, cùm iis labor esset dignissimus & jucundus, quia futurus utilissimus. Si qui verò ut noster Petrus Louvet, in præfatione concordantiarum Parisiis apud Dionysium de la Noüe anno 1635 editarum, quingentos sodales allaborasse dixerint, exaggerationem fateor, seu potius numerum certum positum pro incerto, adeo ut plurium Hugonis jussu & consilio ad id incumbentium fuerit opera.

Urget tamen adhuc Zamora. » Valde distinguendum est, *inquit*, inter opus concordantiarum, & marginales bibliorum concordantias, hoc est citationes diversorum locorum scripturæ in eamdem sententiam, quæ in marginibus bibliorum conferuntur: & hujus distinctionis ignorantia scriptoribus aliquibus errandi occasionem præbuit «.

Concordantias

Concordantias marginales bibliorum edidit Hugo non opus concordantiarum, *ait ille*, & evincere se putat auctoritate Platinæ, qui in vita Innocentii IV circa finem sic habet : *Hugo fecit concordantias in Biblia, unde initium sumpsit vetus Bibliorum titulus, Biblia cum concordantiis, qui tamen jam in desuetudinem abiit.* Qui hæc apud Zamoram legerit, ipsissima esse Platinæ verba si putaverit, egregie falletur, sunt enim pura puta Zamoræ glossa. Sic tantùm habet Platina edit. Lovan. 1572 fol. *Scripsit idem Hugo & glossas in Biblia & concordantias, ut istorum vocabulo utar;* nec quid amplius, ubi tantum abest ut nobis obluctetur, quin eximie favet diserte asserens concordantias opus esse nostri Hugonis : nam de indice vocabulorum omnium sacræ bibliothecæ se loqui satis innuit, cùm addit, *ut istorum vocabulo utar*, sic monens vocem esse barbaram nec Latinam ad indicem exprimendum : alioquin si de marginalibus loqueretur, hoc monito opus non fuisset, cùm locorum variorum sacræ scripturæ concors sententia vix aliter uno vocabulo exprimi queat. Sed est quid amplius : nam neque S. Antoninum neque Platinam ad concordantias Bibliorum marginales animum & stylum intendisse invictum argumentum est, quod eorum ætate nondum prodierant. Antoninus nulla Biblia nisi MS vidit : at certe nullus codex Bibliorum MS proferri potest, qui has concordantias marginales habeat : ex innumeris quos vidi, nullus ejus rationis mihi occurrit, nec credam a Zamora visum. Imo neque in primis impressis apparent : primæ editæ eæque solùm in novum testamentum, non autem in vetus excusæ sunt hoc titulo : *Biblia Latina cum canonibus evangelistarumque* (nota) *concordantiis Menardi Monachi.* Nuribergæ. Coburger. 1478 fol. Menardus itaque Monachus primus est auctor concordantiarum marginalium ad libros evangeliorum, non Hugo : concordantiæ verò marginales in universa Biblia non comparuerunt ante annum 1491 tumque rariores, ut videre est in editione Basileensi apud Frobenium hoc titulo. *Biblia integra, summata, distincta, superemendata, utriusque testamenti concordantiis illustrata.* Hæ postea auctæ sunt in sequentibus editionibus, sed quis earum auctor hactenus non deprehendi. Quî ergo ad illas marginales concordantias attendere potuisset Platina anno 1481 mortuus, & qui suam pontificum historiam saltem Innocentii IV longe ante 1478 finierat. Adde & concordantias illas marginales nonnisi ope concordantiarum magnarum colligi potuisse, unde necessario istæ præcedere debuerunt.

Conradum Halberstatensem agnoscit Zamora ceu concordantiarum quoad voces declinabiles collectorem & concinnatorem. Bene est, sed distinguere debuit. Conradus tertiæ editionis auctor fuit, id est ejus cui præfixa est præfatiuncula *cuilibet volenti*, ut supra monebam, sed jam duæ præiverant nostrorum Sanjacobeorum. Vide supra annotata, ne idem ad lectoris fastidium repetere necesse sit. Quod verò addit de concordantiarum vocum indeclinabilium auctore, quem putat Joannem de Segobia, egregie refellit Chevillerius ipsius Joannis testimonio, sed & hæc supra satis & abunde declarata sunt, ubi videsis. Cæterùm his exceptis Zamoram ab immenso suo & accuratissimo labore nunquam satis commendandum cum eruditis censemus.

Concordantiarum codices MS præter laudatos hi sunt Parisiis omnes editionis tertiæ nempe præfixa præfatiuncula *Cuilibet volenti*, in Navarr. tres fol. mag. memb. In Sorbon. quinque minimum aut sex : Augustin. ad pontem novum unus. Regia tres 3615 3707 & 3708. Colbert. duo 295 & 393. Victor. n. 394: universim nulla fere est antiqua bibliotheca, in qua non sit aliquod hujus rationis exemplum : editiones verò a nata typographia tot sunt, ut vix numerari possint. Hæ sunt præter citatas præcipuæ. Lugduni, Gryphii 1540, 4. Basileæ. 1543 fol. Tum ex recognitione Francisci Arola Lugduni, Gryphii 1551. 4. & recensente Joanne Gastio Basileæ 1551 fol.

Cùm tres hîc sodales ordinis Anglos Concordantiarum Magnarum S. Jacobi vel Anglicarum dictarum auctores indicemus, de primo F. Joanne de Derlington viro sui seculi laudatissimo ad annum 1284, ad quem pervenit fusius agemus, de duobus aliis pauca hîc habemus addenda.

F. RICARDUS DE STAVENESBY & F. Hugo de Croyndonio.

F. Ricardus de Stavenesby ille est qui a Lusitano corrupte nuncupatur *Stravanellius*, & ad 1295 claruisse dicitur, quem errantem excipit Pitseus : ab Altamura corruptius *Estravaneli* nominatur, & pro libito ad 1321 amandatur : ex dictis enim supra constat non solùm de vero cognomine sed & de ætate, quandoquidem theologicis studiis jam apud suos perfunctus, pro rata provinciæ suæ studens honoris ut aiunt ad proficiendum Parisios missus, in gymnasio Sanjacobeo jam agebat circa MCCL cum *F. Hugone de Croyndonio* gentili suo & collega : tumque uterque concordantiis magnis exinde Anglicanis dictis edendis incubuerunt. Id præter jam supra relatos nos docet F. Simon Bertherius noster S. T. professor epistola Lugduni pridie nonas Julii 1500 data, quam operi trivio nostri Joannis Bromiardi Angli præfixit, ubi sic loquitur : *Inter quos* (scilicet sodales Anglos pietate doctrinaque claros) *a principio floruit Frater Ricardus de Stavenesby nobilis genere, nobilissimus autem religionis fervore, qui plantatus circa fluenta aquarum scriptura sacra impendio composuit Maximas concordantias, quæ Anglicanæ dicuntur circa annum* 1252 : *quem aliquantulum juvit F. Hugo de Croyndonio etiam Anglicus natione.* Hujus ultimi nomen forsan legerit ad finem quarumdam litterarum in aliquo voluminum quæ jam temporum vicissitudine perierunt, anno vero 1500 adhuc in gymnasio S. Jacobi Parisiensi integra erant & salva. Quousque ambo vixerint non invenio, sed si utrique XXVIII aut XXX annos dederis anno MCCL quo Parisiis agebant, ad MCCXC pervenire potuerunt. * 1262.

In Bibliotheca Sanjacobea Parisiensi extat codex MS fol. mag. pellibus vitulinis elegantibus, charactere accuratiori sec. XIII.

In eo verò sunt sacra biblia a Genesi ad Ecclesiasticum & Postillæ in utroque margine interiori & exteriori. Quisquis sit harum postillarum auctor, commentariis quidem Hugonis a Sancto Charo usus est, sed & aliis aliorum ejusdem ætatis celebriorum si non sui ipsius.

In Genesin. Pr. *Principium verborum tuorum veritas &c.* Hæc postilla tota ex Hugone a Sancto Charo.

In Exodum. *Erunt quinque civitates &c.* ut apud Hugonem, sed cap. ultimo plura sunt & alia ab editis. Idem de Levitico, Numeris, Deuteronomio, cujus plura jam desunt, nam a cap. 9 fit transitus ad 33.

Josue pleraque eadem sed & multa innovata aut addita. Liber Judicum imperfectus est & jam deest Ruth & initia libri primi Regum.

Postilla in Job alia omnino est a postilla Hugonis.

Idem de postilla in Psalmos. Pr. *David prophetarum eximius digniori modo quàm alii, quasi tuba Spiritus Sancti prophetavit &c.*

Sec. XIII. Idem de postillâ in Proverbia. Pr. *Est hominis status triplex inchoationis, profectus, & perfectionis.*

Idem de Ecclesiaste. Pr. *Iste liber in quinque partes dividitur &c.*

Idem de Canticis canticorum. Pr. *Liber iste Sirhasirim Hebraice dicitur*, Latine *Canticum amoris.*

Videtur compendium celebriorum hujus ætatis postillarum ab aliquo nostrorum concinnatum in gratiam & usum lectorum biblicorum ut aiebant; nam hunc codicem ut sibi succedebant, sibi invicem tradebant. Revera ad calcem codicis lectores omnes qui ab anno MCCCCLIV ad annum MDXXI librum aliquem sacræ scripturæ publice interpretati sunt, sua ipsi nomina inscripserunt, & solemniores eventus sive hujus gymnasii, sive rerum regni Galliæ plures addiderunt. Sic primus *Anno Dñi* MCCCCLIV *in hoc volumine legit bibliam ordinarie F. Joannes de Villariis conventus Lugdunensis pro primo anno in parvis scholis, & librum Genesis tunc legit, & anno* LV *legit supradictus in magnis scholis evangelium B. Matthai.* Id verò conjicias non primò tum inchoatum sed ex antiquo usu: ac præter hunc codicem alios fuisse ejusdem rationis, in quibus reliqui sacri libri similibus postillis illustrati habebantur, hujusmodi lectoribus biblicis assignati. Initio cursus principium quisque suum facere tenebatur: sic F. Abel de sancto Brioco Redonensis conventus alumnus, qui anno MCCCCLXXIV librum Geneseos interpretatus est, dicitur Thema principii sui accepisse: *Respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus.* Hic postea fuit sacræ facultatis magister, & ex actis dicitur licentiatus die martis XXVII Jan. MCCCCLXXVII nempe stylo veteri novo LXXVIII, quo lit. Dom. D.

Sic etiam F. Stephanus de Villaribus conventus Trecensis qui anno MCCCCLXXVIII librum Job ex hoc libro interpretatus est, accepit thema sui principii: *Elegerunt Stephanum virum plenum fide*: & hic fuit sacræ theologiæ magister, & ex actis facultatis dicitur licentiatus XX decemb. MCCCCLXXXV.

Hunc porro codicem insignem & melioris notæ ex nimio usu & tam varia per tot manus volutatione & assidua per duo secula integra & amplius contrectatione passim mutilatum ut jam apparet facile crediderim: imo & sequentes ejusdem rationis eadem fortè ratione deperditos.

F. ANTONIUS DE NAZARIO.

* 1262. F. Antonius de Nazario Italus Insuber Vercellensis patria & professione ad annum MCCLXII claruisse dicitur a Lusitano ex Susato, a quibus hæc ei ascribuntur opera

1. *Summa juris canonici per alphabetum, quæ dicitur Lucerna judicialis.*
2. *Sermones de dominicis & de sanctis per annum.*

His addunt Altamura & Rovetta

Commentaria in universam Aristotelis philosophiam.

Penes quos fides, cùm hæc ubi serventur, aut cui visa nullus aperiat: adde hunc scriptorem non recenseri a Leandro Alberti, qui tamen antiquos sodales Vercellenses seu in viris illustribus seu in Descript. I aliæ studiosius refert. Hunc eumdem esse cum Antonio de Azario sive de Parma de quo postea ad 1314 non levis mihi conjectura.

F. BENEDICTUS TAMACEDUS.

* 1262. F. Benedictus Tamacedus vel *Tomacredus* vel *Tomacellus*, sic enim varie a variis agnominatur, Etruscus Perusinus patria & professione, theologus, pontificii juris peritus & facundus Ecclesiastes scriptoribus nostris accensetur a Lusitano & refertur ad MCCLXII. Excipiunt Possevinus, Pius, Fernandez, Altamura, & novissime Oldoinus in Athenæo Augusto post Ludovicum Jacobillium de Scriptoribus Umbriæ, qui omnes scripsisse dicunt

1. *De paupertate Christi contra Fratricellorum errores.*
2. *Commentaria super IV libros sententiarum.*
3. *Sermones de tempore & de sanctis cum collationibus pro seculi more adjunctis.*

Neque hæc ubi serventur aut a quo visa addunt: & hic auctor Leandri Alberti & Razzii diligentiam fugit.

F. EMMANUEL MEDIOLANENSIS.

F. Emmanuel Mediolanensis a patria nuncupatus ad MCCLXII clarùs dicitur a Lusitano Albertum Venetum testem proferente, quos excipiunt Pius, Fernandez, Altamura, Philippus Picinelli Athen. Mediolan. p. 168, & Paulus Morigia Nobilit. Mediol. lib. 3. c. 29. quibus testibus scripsit † 1262.

Volumen sermonum.

F. GEORGIUS DE CASCANO.

F. Georgius de Cascano Mediolanensis S. Eustorgii sodalis professus insignis philosophus ac theologus laudatur ad MCCLXII a Lusitano Taegium prima parte monumentorum ordinis citante. Astipulantur Gozzeus, Pius P. II lib. I col. 58, & *della progenie* p. 241. b. Fernandez Altamura, Rovetta ad 1264, exteri Possevinus, Paulus Morigia Nobil. Mediol. lib. 3 cap. 29, Petrus Crescentius Amphitheatri I p. Philippus Piccinelli Athen. Mediol. Hæc verò ejus opera ab iis relata † 1262.

1. *Commentaria in universam Aristotelis philosophiam.*
2. *Scripta in quatuor sententiarum libros.*

F. MATTHÆUS DE GRITIS.

F. Matthæus de Gritis Mediolanensis ejusdem S. Eustorgii cujus duo superiores sodalis & alumnus, Ecclesiastes eodem anno MCCLXII clarus ab iisdem laudatur, ceu qui posteris scripserit ac reliquerit † 1262.

Sermones de tempore & de sanctis per annum.

F. JOANNES DE VERCELLIS.

F. Joannes de Vercellis sic a patria civitate in Insubribus, arceque munitissima nuncupatus, domusque ibidem nostræ ex legibus ordinis ea ætate servatis alumnus, seu illic, seu quòd conjectu pronum Parisiis in S. Jacobi vestem induerit: priusquam ordini nomen daret, in academia Parisiensi celebre jam sibi nomen fecerat: in facultate enim decretorum doctor renunciatus, jus canonicum publice cum laude profitebatur & docebat. Sed de eo audiendi Salanhacus & Bernardus Guidonis in serie magistrorum ordinis: » Sextus magister ordinis « successor F. Humberti F. Joannes de Vercellis « provinciæ Lombardiæ, qui rexerat Parisius in jure « canonico, vir fuit magnæ prudentiæ & experientiæ, fama & opinione præclarus, ubique in optimis notus omnibus, omnium vultus & nomina « quos semel noverat, quasi memoriter recolebat: « instinctu quoque prudentiæ naturalis qua præditus « erat personarum conditiones & merita ex propriis moribus singulorum mirabiliter & subtiliter « discernebat, sua unicuique tribuens & impendens. « Hic fuit electus ad magisterium in cap. gen. Parisius anno Dñi MCCLXIV (*vigilia pentecostes* VII « * 1264.

junii) erat autem provincialis Lombardiæ. Hic fe- » cit transferri secundò corpus B. Dominici in arcam » marmoream, quam ipse fieri procuraverat : quæ » translatio facta fuit per archiepiscopum Ravenna- » tensem & alios episcopos (*Octavianum Bononiensem, Tomasium Imolensem, Fratres Arnulphum Humanensem, Ægidium Torcellanum, & Bartholomæum de Bregantiis Vicentinum tres hos ultimos ex ordine*) in capi- » tulo generali Bononiæ MCCLXVII. Hic postmo- » dum patriarchatum Hierosolymitanum a D. Ni- » colao papa III sibi transmissum accipere recusa- » vit A. D. MCCLXXVIII. Præfuit autem in magiste- » rio annis fere XX : & post multos labores decum- » bens in conventu Montispessulani diem clausit » extremum pridie Kal. decemb. A. D. MCCLXXXIII : » sepultus in ecclesia Fratrum ad lævam altaris ma- » joris juxta parietem in tumulo honorabili : ideo- » que juxta constitutionem non fuit anno sequenti » generale capitulum celebratum «. His addo sancto Francorum regi Ludovico IX in primis acceptum fuisse, cujus ut votis obsequeretur reliquias aliquas B. Dominici desiderantis, digitum sancti qui Asculanis nostris obtigerat, his ultro cedentibus ad regem ipse detulit, qui munus gratissimum habens, vice versa magistro ordinis unam e spinis coronæ Domini dono dedit, quam hic in sacrario domus Asculanæ nostræ servandam & colendam quodam gratiæ jure reposuit, ubi etiamnum servatur & colitur. Instrumenta antiqua & recentia hujus donationis refert Barbaranus Hist. Vicent. in vita B. Bartholomæi de Bregantiis de quo postea ad 1270. A summo pontifice vel Gregorio X vel Innocentio V nuncius cum F. Hieronymo Asculano ordinis Minorum ministro missus est in Galliam pro pace reges inter Franciæ & Hispaniæ componenda : quod negotium cùm jam ambo multùm promovissent, ad eosdem Joannes XXI scripsit congaudens inceptis, & ut omni diligentia insisterent ad finem usque hortatus : quod breve inter alia ejusdem pontificis habetur in Colbert. cod. 1545 fol. 64. d. At cùm eo pontifice mortuo res nondum esset perfecta, utrumque Nicolaus III ut cœpto vacarent tractatui complendo imposuit brevi dato IV non. dec. pont. an. I Christi MCCLXXVII, quod habet Wadinghus in Annal. ad eum annum. Quantum ad patriarchatum Hierosolymitanum ægre quidem tulit Nicolaus III, quod humeros oneri supponere recusarit, iteratisque litteris Viterbii Kal. octob. MCCLXXVIII datis, quas Rainaldus habet n. 80, jussit ne amplius reluctaretur, verùm emeritum senem in proposito constantem videns, non propterea minus acceptum habuit, imo regimen ordinis quod jam deposuerat resumere coegit, quo & ad mortem usque functus est. De nova quam curavit corporis B. Dominici translatione anno MCCLXVII vide postea ad ann. 1270 ubi de B. Bartholomæo de Bregantiis, vel etiam Pium P. I col. 118. Erga doctrinam S. Thomæ mirum affectus fuit : hinc in cap. gen. Mediolani MCCLXXVIII habito Raimundum de Medullione & Joannem Vigorosi primarios provinciæ Tolosanæ viros in Angliam legavit, qui de quibusdam adversus Sancti doctrinam minus sapienter prolatis inquirerent, & reos punirent vel etiam extra regnum ejicerent. In cap. verò gen. Parisiis MCCLXXIX sic ordinavit : *Item cùm venerabilis vir memoria recolenda F. Thomas de Aquino sua conversatione laudabili & scriptis suis multum honoraverit ordinem, nec sit aliqualiter tolerandum, quod de ipso vel scriptis suis aliqui irreverenter loquantur, etiam aliter sentientes : injungimus prioribus provincialibus & conventualibus, & eorum vicariis ac visitatoribus universis, quod si quos invenerint excedere in prædictis, punire acriter non postponant.* Non omittenda visa est quam ad eum scripsit Clemens IV epistola regesti ejus pontificis ordine 332, cùm ad historiam Ecclesiasticam spectet, ejusque non nisi particulas quasdam referat Rainaldus ad 1667 n. 72 & 81. Eam do ex cod. Colbert. 652.

Dilecto filio magistro ordinis Fratrum Prædi- " catorum. Quantum & quotiens, quot etiam mi- " nisterio sapientum Romana Ecclesia laboraverit " ad Græcorum indomita colla domanda, scissam- " que ab eisdem Domini tunicam inconsutilem re- " parandam, nec te ipsum nec Fratres ordinis tui " latuit, quorum aliqui non sine laboribus persona- " libus, non sine vitæ propriæ discrimine, injunc- " tum sibi per apostolicam sedem opus tam lauda- " bili solicitudine executi, licèt propositum juxta vo- " tum assecuti non fuerint, nihil tamen de contin- " gentibus prout creditur, omiserunt. Licèt autem " multo labore sudatum fuerit circa episcopos, nec " quod dolentes referimus, sit eorum rubigo con- " sumpta : quia tamen ex quibusdam indiciis, quæ " per litteras & legatos insinuant, ad salubrem vi- " dentur reditum anhelare, nos probare si ex Deo " sint spiritus cupientes, suæ professione fidei quam " miserunt accepta, quam in multis erroneam, & " in multis invenimus diminutam, nuper eis in scrip- " tis misimus, quæ cum tota Latina Ecclesia firmi- " ter credimus & simpliciter confitemur, promit- " tentes eisdem quod temporis opportunitate cap- " tata, apocrisarios nostros mitteremus eisdem, de " ea quæ in nobis est fide & spe juxta verbum " apostolorum principis paratos reddere rationem. " Verùm cùm sit cordi nobis ad hoc mittere ho- " mines, qui testamenti scientia polleant utriusque, " & ingenio nihilominus prædití naturali, nec sint " in gestibus incompositi, nec in responsione præ- " cipites, sed exacta potius gravitate laudandi, " sciant in tempore proferre sermonem, &, eorum " jactantiam quorum scientia multùm est tenuis " æquanimiter tolerare : discretioni tuæ per aposto- " lica scripta mandamus, quod tres ex Fratribus tui " ordinis, quos ad hoc magis idoneos juxta dictas " circumstantias esse noveris, ad nos mittere sine " moræ dispendio non omittas, quibus hujusmodi " persecutionem negotii tute committere valeamus : " ut si Deo placuerit, per eorum industriam Græci " dudum per invium oberrantes, viam modo veri- " ritatis agnoscant, & profitentes agnitam ad sedis " apostolicæ redeant unitatem : vel eorum detectis " fraudibus & mendaciis manus nostras servemus " innoxias : ne a nobis nunc vel in posterum eo- " rumdem sanguis a Domino requiratur. Demum " ne credas ex his quæ tibi scribimus, quamdam " tibi necessitatem indici discutiendi per totum or- " dinem Fratrum merita, & ex universis tres eli- " gendi ad hujusmodi ministerium potiores : sed " scire te volumus nobis sufficere, si de illis quos " tecum habes, vel intra fines Italiæ ad hoc credis " idoneos, illos elegeris. Non enim Græci ad dis- " putationem se offerunt, sed paratos se dicunt " ostensam sibi recipere veritatem : suntque apud " nos rationes eorum, quibus suum errorem ful- " ciunt baculis arundineis innitentes. *Datum Viterbii* V *idus junii anno* III, *Christi* scilicet MCCLXVII. "

Non dubitandum quin ad pontificis gustum viros huic gerendo negotio expeditos selegerit magister ordinis : qui autem illi fuerint Romanorum sodalium diligentiæ est ex actis vaticanis investigare. Hujus scriptoris meminere præter citatos Leander Albertus fol. 30, Lusitanus & sequaces, Altamura ad 1281, Rovetta ad 1283. Hæc ejus opera mihi cognita

1. *Sermonum volumen.* Quod teste Alva Sol. Verit. Rad. 312 col. 2065 extat Romæ in Barberina MS fol. memb. Pr. *Ecce jam venit plenitudo temporis.* Sermo 2 est de assumtione B. V. *Quæ est ista quæ progreditur.* Est & suo ordine sermo de nativitate

SEC. XIII. ejusdem. *Quasi stella matutina*, quorum particulas quasdam refert Alva citatus, ex quibus colligit ejusdem cum S. Thoma doctrinæ fuisse.

2. *Epistolæ encyclicæ plures gravissimæ & luce dignæ ad universum ordinem:* quarum hæ cum actis capp. genn. quibus præfuit etiamnum habentur.

1. Parisiis 1264. Pr. *Contra spem a spe cadens.*
2. Treviris 1266. *Non pigrum nobis.*
3. Bononiæ 1267. *Quia promtitudinem spiritus.*
4. Viterbii 1268. *Æquum videtur & pium.*
5. Mediolani 1270. *Credo vobis utile.*
6. Montepessulani 1271. *Vobis scientibus legem loquor.*
7. Florentiæ 1272. Sed deest in codd. MS a me visis.
8. Pesti ad Budam 1273. *Si juxta sapientis sententiam.*
9. Lugduni 1274. *Quia sæpius cum utilitate repetitur.* Habebatur tum ibidem concilium generale, cui magister ordinis affuit cum innumeris suis sodalibus viris eximiis. Tres alias ibidem litteras ad ordinem dedit. Prima est de reverentia nomini Jesu cùm pronunciatur exhibenda 4 non. novemb. Altera super querelis episcoporum & curatorum adversus regulares III non. novemb. Tertia de antiqua cum FF. Minoribus concordia diligentius servanda. Nonis novemb.
10. Bononiæ 1275. *Ad illa cum gratiarum actionibus.*
11. Pisis 1276. *In seculorum fine.*
12. Parisiis 1279. *Solet affectus fervidus.*
13. Massiliæ 1280 vigil. epiph. stylo novo 1281 extra cap. gen. De bulla Nicolai III circa S. Francisci regulam, ne scilicet bullam illam nostri contra pontificis præceptum interpretari aggrederentur.
14. Viennæ in Austria 1282. *In feri maris fluctibus constitutis.*
15. Montepessulani 1283. *Excessiva divina bonitatis.*

Anno MCCLXVI inter sodales nostros Massilienses & Minores grave ortum est dissidium, quod compescuit Clemens IV inter alia statuendo ne inquisitores Minores in nostros, nec inquisitores nostri in Minores agere præsumerent dato diplomate II idus junii pont. II quod ex parte refert Wadingus sed integrum habeo in schedis.

F. VINCENTIUS BELLOVACENSIS.

* 1264. F. VINCENTIUS BELLOVACENSIS vir fuit seculo XIII clarissimus, at mirum iis quæ de ejus vita & gestis habentur quantas tenebras offuderint a ducentis annis seu scriptorum ecclesiasticorum nomenclatores seu historici, quotque falsa veris paucis immiscuerint. Hæc ut ab illis secernam, tenebrasque omnes discutiam, quæ de ejus ortu, professione, officiis, dignitatibus, obitu, fama sanctitatis & eruditionis certiora in nostra dissertatione, cui titulus *Sancti Thomæ summa suo auctori vindicata*, ex ipsis fontibus hoc est ex ejusdem operibus pleraque, indubitatisque monimentis hausta jam edidimus, præsertim cùm illius exempla fere jam distracta sint omnia, visum est hîc tanquam in proprio loco repetere.

Quantum ad ortum sic de eo lego apud S. Antoninum P. III tit. de claris ordinis Prædicatorum viris, *Frater Vincentius Belvacensis, Burgundus atque Gallicus:* quæ cùm inter se revera pugnent, nec enim potis est eumdem in Picardia simul & in Burgundia natum, auctores hactenus maxime torserunt, Dico igitur certò fuisse Bellovacensem, Bellovacis ipsis ut verisimilius natum. Ecquis enim unde fuerit melius novit quàm ipse? At ille ubicumque de se loquitur, nullibi Burgundum, Belvacensem semper se nominat. Sic in *epistola consolatoria ad S. Ludovicum regem Francorum super morte primogeniti*, sic in *opusculo de regalium puerorum institutione ad Margaritam reginam S. Ludovici conjugem*, sic in alio *de morali principis institutione*, ubique *F. Vincentius Belvacensis* scribit, nihilque amplius. Sic eum antiqui omnes chronologi & historici, Martinus Polonus ipsi æqualis, Tholomæus de Luca, & Bernardus Guidonis ipsi suppares, Laurentius Pignon, qui suum scriptorum catalogum scribebat circa 1400, Ludovicus a Valleoleti qui suam tabulam anno 1413, appellant, nullus Burgundum. Morem autem hunc aliàs invaluisse nemo nescit, ut loci natalis nomen sortirentur non solùm religionis votis astricti, sed & seculares, clerici maxime: sic theologiæ magistri Parisienses plerique a patria seculo XIII nominabantur, ut Petrus de Lemovicis, Henricus de Gandavo &c. Hinc liquido constat, quod si e Burgundia ortus fuisset Vincentius, Burgundi aut certe alicujus Burgundiæ loci agnomen illi vivo omni alio prius adhæsisset: cùm igitur nunquam Burgundus, Belvacensis semper vocetur, & vivus & per 150 & amplius a morte annos, invictum proculdubio argumentum est, e Bellovacis originem duxisse.

Unde autem S. Antonino primo venerit in mentem ut Burgundum diceret, quis suspicari posset Sanctum archiepiscopum in Italia degentem vel non satis accuratam provinciarum Galliæ notitiam habuisse, fortèque Burgundiam existimasse quam pateat latiorem, & Bellovacensem diœcesim in ea comprehensam, quod & innuit verborum ejus ordo (*Vincentius*, inquit, *Belvacensis, Burgundus, Gallicus*) ab oppido natali ad provinciam & a provincia ad regnum quasi gradu facto: vel quod verisimilius ad eam illum quæ suo tempore attendisse nomenclationem, non ad illam quæ ætate Vincentii erat in usu: cùm igitur Antonini seculo Burgundiæ dux non solùm utrique sic verè dictæ, sed & plerisque Belgii provinciis imperaret, insuper & pro Francorum rege Picardiam administraret, hinc omnes qui huic principi obediebant, Belgæ ipsi & Picardi, Burgundi a principe denominabantur, qui mos etiamnum usurpatur: quod Antonino ansam præbuerit Bellovacenses tum cùm scribebat, Burgundi partibus addictos, nempe ab anno 1410 ad 1440 circiter ei pro nutu obedientes, Burgundos appellare.

Quæ si non placent, erratum Antonino fatendum irrepsisse, quod deinceps pluribus allucinandi occasionem præbuit. Alii enim cum Tritemio verborum Antonini ordinem invertentes Vincentium Gallum natione Burgundum dictum Belvacensem scripserunt: alii ut repugnantiam mox obviam conciliarent, patria Burgundum, Belvacensem episcopali dignitate dixere: sic Leander Albertus & uterque Senensis Sixtus & Antonius, Altamura nostri, exteri Bergomas, Volaterranus, Miræus, Possevinus, Vossius: alii episcopali infula non insignitum certiores, natione Burgundum, Bellovacensem ex diuturna in ea civitate commoratione dictum finxere, sic Labbeus, Boulæus, Caveus, Dupinius: alii denique Burgundum non a patria, sed a familia cui nomen gentilitium Burgundio, quæ jam ea ætate floreret apud Bellovacos, & e qua ille esset oriundus, sic nuncupatum ariolantur. Quæ omnia cùm non alio quàm relato S. Antonini testimonio innitantur, id ne amplius fallat, Burgundi appellationem novam, antiquis plane incognitam a Vincentii titulis omnino expungas.

Jam autem ubi & qua ætate quove anno vestem Dominicanam induerit, certo haberi non potest, nec placet quod quibusdam visum est, eum ordini in ipso conventu aggregatum fuisse Bellovacensi, qui anno demum 1228 tantùm positus fuit, cùm

Vincentium in ordine multo antiquiorem plura postea referenda suadeant. Boulæum itaque in historia universitatis Parisiensis felicius rem attigisse arbitror, qui Vincentium regnante Philippo Augusto Lutetiam ad studia venisse, & sub initia ordinis eumdem amplexatum fuisse conjicit. Enim verò indefessum quo erga literas per totam vitam exarsit amorem, etsi a natura accensum, alibi tamen quàm Parisiis excultum ac provectum credere non est: cùmque tum apud nostros quam maxime florerent studia cum strictissima regularum observatione, ac confertim felicibus illis annis viri celeberrimi, theologiæ magistri, baccalaurei, canonici, archidiaconi etiam magni in domo Sanjacobea nomen darent, horum exempla secuti philosophiæ ac theologiæ auditores & ipsi ad eumdem convolabant, inter quos Vincentium jam adultum ac florentis ætatis facile numeres. Quod tamen non obstat, quin de prædicatione Bellovacensi (sic aliàs conventus nostri dicebantur) censeri debeat. Mos enim ille iis temporibus apud nos vigebat, ut etsi in Parisiensi Sanjacobea domo plerique recepti, ad eos tamen conventus attinerent, qui in sua patria aut jam erecti erant, aut postea erigebantur, cujus tot exempla in toto hoc opere allata sunt, ut supervacaneum sit hìc amplius lectorem morari. Vincentium itaque Parisiis nostris jam ascitum, domui Bellovacensi deinde anno 1228 erigendæ ac promovendæ missum facilè concesserim: fortè etiam ille est F. Vincentius supprior anno 1246 ab Odone de Castroradulphi cardinali in Galliis legato cognitor lectus ac præfectus, qui simul cum Guarino archidiacono Fratrum ac Sororum Xenodochii Bellovacensis regulam conderet aut reformaret. De quo legendi Louvet Hist. Bellovac. Gallicæ P. 1 pag. 528 & Dacherius Spicileg. T. XII p. 68.

Cæterùm præfecturas in ordine plures obtinuisse non crediderim, quem eo fatente literæ librique quoad vixit in totum sibi devinxerunt. Lauream in facultate Parisiensi non adeptum constat, cùm in magistrorum catalogo nec a Salanhaco nec a Bernardo Guidonis recenseatur: quin tamen aliquando theologiam suis legerit non dubitandum, illaque fortè sunt studia alia, quibus se ex imperio præsidis implicatum ac distentum cap. 3 prologi seu apologiæ refert, ac propterea manu notariorum, cùm propria non vacaret, in scribendis libris suis uti coactum fuisse. Præcipuum tamen ad quod natura incitabatur studium, polymathia erat ac scientia universalis. Quantus librorum helluo fuerit, testatur triplex ejus speculum indubitatum ejus opus, quod etsi vastissimum, ac ex infinitorum fere auctorum, omnisque generis excerptionibus compactum, tertia tantùm pars est eorum quæ paraverat, fuitque in eam ut loquitur compendiariam formam ad Fratrum preces consiliumque prælati sui redactum. Aliunde tamen ita libris legendis aut scribendis deditus, ut ab habendis concionibus non cessaret, imo exinde illi muneri aptior fieret atque paratior. Eo revera genere sic inclaruit, ut fama ejus longe lateque diffusa in aulam penetrarit. Unde sanctissimus rex Ludovicus, qui Regalismontis monasterium magnificentia plane regia construxerat, in illudque frequentius se recipiebat, eo ad se Vincentium advocarit, ut lectoris munere fungeretur. Scio plures quos rem non satis perpendisse arbitror, munus illud lectoris, de quo ille toties, sic interpretari quasi monachis illius abbatiæ Cistercienfibus, qui plus centum in ea degebant, theologiam lecturus accersitus fuerit, quod ut negare nolim ita nec ausim affirmare.

Forte enim quis contendat tum apud illos monachos theologicis studiis januam adhuc apertam non fuisse, vel si aperta jam fuerat, iis quantum a labore manuum vacabat, quoadque ipsis necessarium erat instruendis, sat præceptorum apud eos fuisse. Collationes autem iis habuisse aliquando non ibo inficias, has enim mutua caritate & a se & sibi invicem religiosi & exigebant & concedebant. Munus verò illud lectoris ad regem ipsum sanctum, familiam regiam aulamque universam spectasse potius crediderim, quod ministerium inter cætera regiæ domus etiamnum recensetur, & a viris varia perfectaque eruditione præstantibus tenetur semper ac impletur, & cujus plura quam modo sint, tum fuisse munia facile credas: adeo ut illius fuerit ad libitum regis coram eo concionari, & ad dicendum ex improviso semper paratum esse: de scientiis vel de utraque historia si quæ quærebantur prompte ac expedite respondere, in familia regia veluti mystagogum agere, libros eidem necessarios aut componere aut ab aliis compositos, qui conducerent, secernere ac præstare, aliaque hujusmodi.

Ad hoc, inquam, munus lectoris regii evocatum Vincentium plura suadent: 1 quod tum in epistola consolatoria ad sanctissimum regem super morte primogeniti, tum in opusculo de morali principis institutione eidem sancto regi ejusque genero Theobaldo Campaniæ comiti regique Navarræ nuncupato, & in tractatu de educatione puerorum nobilium ad reginam Margaretam, illud lectoris munus sibi vindicet ubique, ac de eo non parum gloriari videatur. Si autem ad regem ejusque aulam illud non attineret, si monachorum solùm lector fuisset, quorsum illud officium regi, imo regibus ac reginæ semper ostentare, de quo in aliis suis operibus, quæ promiscue omnibus scribit, omnino silet? 2. Munus illud lectoris juxta regis beneplacitum executum se profitetur, at verisimile non est regem monachorum illorum regimini se immiscuisse, & sane qui nec abbatem illis nominabat, sed hujus electionem liberam ipsis permittebat, putas de lectore, cui audiendo vix illis spatium erat, ipsis providendo solicitum fuisse? 3. Postquam dixit *se ad exercendum lectoris officium juxta sublimitatis regiæ beneplacitum in eo monasterio commoratum fuisse*, veluti exponens modum quo illud implebat, continuo addit, *& regem & familiam regiam se concionantem diligentius ac reverentius audivisse, eumdem libros suos lectitare solitum, ad comparandos scribendosque necessarios sibi codices sumtus regia liberalitate suppeditasse: Margaritam reginam, Philippum primogenitum, Theobaldum Navarræ regem ejus generum ad scribendum solicitius excitasse, ac opuscula quædam a se exegisse: ad id etiam potissimum laborasse se, ut de multis libris, quos aliquando legerat, colligeret ad mores principum & curialium pertinentia: quatenus speciale quid in promtu haberet, ad quod opportune posset recurrere, quando illi incumberet hujuscemodi generibus hominum, principibus, militibus, consiliariis, ministris, ac cæteris sive in curia residentibus, sive foris rempublicam administrantibus, ea quæ ad vitæ honestatem & animæ salutem spectant, unicuique prout statui suo competit, privatim vel publice suadere.* Itaque regi, familiæ regiæ, ac aulæ universæ operam solùm dabat. 4. Si monachorum tantùm lector fuisset, intra eorum claustrum haud dubie mansisset, iisque convixisset contubernalis: at verò etsi intra fines abbatiæ, non tamen intra septa monachorum videtur habitasse, sed domum suam peculiarem palatio regio vicinam in qua resideret habuisse. Sic enim loquitur in epistola consolatoria citata: *Itaque mox ut de loco sepulturæ* (scilicet primogeniti regii in ecclesia monasterii illius humo mandati) *ad domum nostram reversus sum &c.* quod indicat habitationem privatam non communem cum monachis. Denique dubitationem omnem tollit testimonium Bernardi Guidonis, qui Vincentium domesticum regiæ domus fuisse disertis verbis asserit, sic enim de eo inter scripto-

Sæc. XIII. res ordinis : » F. Vincentius Belvacensis scripsit » epistolam consolatoriam de morte amici ad S. Ludovicum regem Franciæ super morte primogeniti » sui, ut patet in ea, cujus regis fuit familiaris & » domesticus quam plurimum «. Qua autem ratione familiaris ac domesticus existimandus est, nisi quia in familiam regiam ascriptus erat, in eaque ministerium aliquod obtinebat? Quodnam autem illud nisi munus lectoris, cujus toties meminit, & quo se ad regis arbitrium functum fuisse ipsimet regi non semel scribit?

Præceptorem puerorum regiorum etiam fuisse scribit Boulæus T. III hist. univ. Paris. in catal. illust. Academiæ, sed absque vade: imo in opusculo citato de eruditione puerorum nobilium refert auctor alios a se fuisse Philippi tum primogeniti regii ejusque fratrum didascalos ut loquitur ac præceptores: quorum fortè primum ac præcipuum laudat, Simonem scilicet clericum, quem dicti primogeniti principis eruditorem vocat, cujus etiam opera usus est, qui Margaritæ reginæ tractatum illum ad ejus petitionem a se compositum deferret. Ubi & addit quod *licèt pueri regii propter ætatem adhuc teneram, ea omnia quæ in dicto opusculo tractantur, legere aut intelligere nondum queant, inde tamen eorum magistri argumentum accipere poterunt tradendæ ipsis compositionis literariæ seu solutæ seu strictæ*. Hæc autem probant Vincentium non fuisse quidem puerorum regiorum præceptorem, at ipsis præceptoribus quæ docerent aliquando saltem præstitisse ac subministrasse, tum ratione muneris quod gerebat lectoris regii, tum ex summa qua apud omnes florebat existimatione.

Ex hactenus dictis jam facilis est duplicis illius quæstionis inter auctores tantopere vexatæ solutio, Vincentius scilicet an episcopus fuerit, & quo tandem anno obierit.

Quantum ad obitum, non ante annum 1263 accidisse ex supra laudatis tribus ejus opusculis constat, quorum primum epistolam scilicet de morte Ludovici primogeniti regii die 13 januarii 1259 stylo veteri novo 1260 sepulti consolatoriam ad sanctum regem Ludovicum scripsit: secundum de puerorum nobilium eruditione ad Margaritæ reginæ principisque Philippi a fratris morte regni hæredis instantiam e majori opere secrevit, ac in lucem misit, quod proinde circa finem anni 1260, vel potius anno 1261 factum fuerit: tertium de morali principis institutione itidem a magno suo ea de re opere nondum consummato separatum sibi tandem e manibus elabi quamvis ægre passus est, Theobaldi Navarræ regis nimirum precibus, ac Ven. Humberti ordinis Prædicatorum magistri monitis ac imperio victus, quod ob eam consentiendi difficultatem edendique remoram ad annum 1262 rejicias licet, at non tardius eo quod Humbertus anno 1263 in comitiis ordinis ad pentecosten abdicaverit, ac magistratu cesserit. Ex quibus videas quantum allucinati sint a veroque aberrarint, tum noster Franciscus Garcia, qui Vincentii obitum ad annum 1240 ascripsit, tum Antonius Senensis qui ad annum 1256 solùm produxit citans Massæum, quos excepere Bellarminus, Boulæus & alii, cùm auctorem nostrum anno 1262 viventem ac scribentem teneamus.

Aliunde verò ultra annum 1264 vitam produxisse nullo satis firmo fundamento asseri videtur. Quod enim aiunt Vedastini monachi in prologo a se speculo magno Vincentii præfixo in edit. Duac. eum ad annum 1274 pervenire potuisse, imo & Aquinati nostro esse superstitem, cùm non ob aliud ab iis astruatur, quàm ut sancto doctori plagii maculam abstergant, nullius est momenti, cùm illud ipsum sit quod quæritur: verisimilius quid afferri posset ex nostro Tholomæo de Luca, qui in historia sua nova ecclesiastica Vincentium sub pontificatu Gregorii X adhuc in vivis videtur indicare. Sic enim ille ad Clementem IV: » Sedit annis tribus « mensibus novem diebus 24, & vacavit Ecclesia « annis duobus & mensibus novem. Vincentius di- « cit annis tribus, quod fortè dicit, quia eo tem- « pore quo Gregorius X fuit ultra mare, Ecclesia « se habuit ut vacans «. At Gregorius X anno tantùm 1271 septemb. 1 electus fuit. Neque verò hîc tantùm Vincentium laudat Tholomæus, sed & pluries adhuc circa hæc tempora. Quod sane Tholomæi auctoris supparis & historici, ac Bellovacensem præ oculis habentis, eumque excipientis testimonium gravissimum est. Verùm cùm Vincentium historiam suam ultra quàm modo in speculo historiali legitur, non produxisse codices manuscripti omnes fidem faciant, quæ in Innocentio IV desinit, neque ulla ejusdem ad Gregorium X usque continuatio sub nomine Vincentii hactenus visa sit, quam proculdubio si quæ ab eo prodiisset, ejus speculo historiali annexissent, nec interire posteri passi fuissent, certius videtur Tholomæum deceptum fuisse, & Vincentium hîc pro Martino Polono scripsisse: hic enim posterior eadem illa habet, quæ quasi ex Vincentio narrantur in historia nova: vel fortè quis jam Vincentii historiam produxerat ad Gregorium X & sequentes pontifices, quam continuationem Tholomæus laudaverit quasi Vincentii, cùm tamen recentioris opus esset.

Anno itaque 1264 mortem oppetiisse Vincentium probabilius est, sicque refert Ludovicus a Valleoleti in suo scriptorum ordinis catalogo pluries in hoc opere citato & anno 1413 Parisiis in conventu S. Jacobi collecto, in quo sic habet. » Sanctus Pater Frater Vincentius Belvacensis na- « tionis Franciæ in vita & doctrina in toto orbe « famosissimus &c. obiit autem anno Domini 1264 « per decem annos ante B. Thomam, & sexde- « cim & amplius ante B. Albertum «. Quod indicat Valleoletanum id in conventu Sanjacobeo quasi traditum & a majoribus acceptum audivisse, vel etiam in tabulis seu monumentis ejusdem conventus, ut ex iis alia plura se accepisse testatur, legisse; neque enim sic de aliorum morte meminit. Ab eo autem qui in Hispaniam reversus opusculum suum secum asportarat, haud dubie excepere Ferdinandus de Castillo, & Alphonsus Fernandez, quos secuti sunt Michael Pio, Nazarius, Joannes a S. Thoma, Labbeus, Altamura, & rectius dici agnoscit Guillelmus Cave in sua Hist. Litterar.

Eumdem annum MCCLXIV indicat quamvis obscure & ænigmatice epitaphium olim ejus tumulo insculptum, quod in antiquo codice MS Valencenis apud nostros servato legit & exscripsit Guillelmus Seguier vir curiosus & accuratus & Prædicatorum Audomarensium sodalis, non sine mendis, scriptura ob vetustatem in quibusdam vocabulis fere exesa. Hæc tamen adhuc leguntur.

Noscat qui nescit, Vincentius hîc requiescit,
Qui libros egit & in unum multa redegit,
Frater famosus, humilis, pius, ac studiosus,
Corpore formosus, sapiens, ac religiosus &c.
Pertulit iste necem post annos mille ducentos
Sexaginta decem, sex habe, sex mihi retentos.

Versus iste ultimus ænigmaticus est, sed facilè sic explicatur: *E decem annis sex excipe, nam & ego sex excipio*. Sicque indicatur mortuus anno MCCLXIV.

Porro hæc eadem quid de episcopali dignitate sentiendum ostendunt, ad eam scilicet illum nunquam evectum fuisse. Ubi enim & quando episcopum dicent? Scio eum inter Bellovacenses annumerari ab Antonio Senensi, quem Miræus, Vossius aliique transcribunt, & novissime Altamura ad

ejus Ecclesiæ administrationem ab Innocentio IV promotum ariolatus. At præterquam quod nec in ecclesiæ Bellovacensis monumentis ulla hujus extat memoria, nec apud Bernardum Guidonis inter episcopos ex ordine assumtos locum habet Vincentius, testis ipse est gravissimus episcopali se charactere nunquam insignitum fuisse: siquidem in tribus opusculis laudatis, quæ ad annum 1263 ad finem scilicet usque vitæ scripsit, non alios sibi arrogat titulos quàm *Fratris ordinis Prædicatorum & qualiscunque in monasterio Regalismontis lectoris regii*. Quod illud quoque elevat, quod aliquibus placet, non Bellovacensem sed Bellovacensis suffraganeum ac episcopum in partibus fuisse: neque enim præsulem solùm sese non appellat, quod proculdubio non tacuisset ob honorem gradus ecclesiastici superioris, si eo condecoratus fuisset, sed & sub magistri ordinis imperio constitutum agnoscit.

Quod autem ex Valleoletano mox referebamus, ipsum sanctum patrem vita & doctrina toto orbe famosissimum dicente, non leviter prætereundum. Quoad vitam licèt id nostri non sit instituti, breviter dico omnia ejus opera pietatem spirare, ejus testari humilitatem, disciplinæ observationem, morum integritatem inter aulicos incorruptam, religionis zelum, Fratrum amorem, studium salutis animarum ardentissimum: hinc sanctissimo regi Ludovico in primis carus & familiaris, & quod in aula mirum ac rarum, reginæ, pueris regiis, regio genero Navarræ regi, universæ denique familiæ regiæ superis & imis æque gratus & acceptus. Hinc & cùm sanctitatis fama decessit Bellovaci, adeo ut cùm primùm in claustro fuisset sepultus, inde in ecclesiam juxta majus altare ad cornu evangelii pluribus episcopis aliisque regni magnatibus præsentibus solemni pompa translatus fuerit, cujus fidem faciunt duæ quæ adhuc ibidem ad parietem visuntur picturæ.

Quoad doctrinam & eruditionem ubi de ejus operibus dictum fuerit, varia auctorum judicia commodius referentur.

Opus ejus præcipuum illud est, cui ipse *speculi majoris* titulum indidit, quod hactenus quadripartitum prodiit, & in quatuor grandiora volumina divisum ac editum, quorum primum *speculum naturale*, secundum *speculum doctrinale*, tertium *speculum morale*, quartum *speculum historiale* vulgo dicuntur. Cùm autem in speculo morali potissima pars summæ theologiæ S. Thomæ, scilicet prima secundæ, & secunda secundæ utraque fere integra, varie tamen mutilata sed iisdem plane verbis legatur, inde gravis illa nata est controversia, uter ab altero acceperit, an Vincentius a S. Thoma, an Thomas a Vincentio? Quæstio hæc a multis hactenus incassum vexata, a nobis plane soluta est in dissertatione cui titulus, *sancti Thomæ summa suo auctori vindicata*, cujus partem dabimus postea ubi de nostro Aquinate, in antecessum verò pars aliqua hîc necessario præmittenda, ut lectoris curiosi animus visa veritate plene conquiescat. Tria igitur hîc luce clarius ostendenda mihi propono, primò Vincentium tria tantùm specula, naturale scilicet, doctrinale & historiale edidisse, nec de quarto speculo morali illis addendo unquam cogitasse. 2. Speculum morale farraginem esse ex variis auctoribus qualitercunque concinnatam, quorum tres postea detegentur ubi de S. Thoma, quid verò ex duobus aliis excerptum sit, juxta seriem distinctionum lib. primi & secundi aperietur: 3. Speculum morale opus esse seculi XIV, nec nisi inter 1310 & 1325 a falsario editum & Bellovacensi nostro suppositum.

1. Quis fuerit Vincentii Bellovacensis scopus, certius evinci non potest, quàm ex vero & genuino & qualis ab ipso primùm prodiit prologo. Hujus autem quadruplex exemplum ad caput speculi doctrinalis præfixum in manus meas feliciter venit, primum in Sorbona duobus codd. MS ex legato Petri de Lemovicis pluries in hoc opere laudati, qui fuit e primis Roberti de Sorbona sociis & convictoribus sacræ theologiæ magister, & ab anno 1260 saltem ad 1300 circiter floruit, sicque Bellovacensem videre & audire potuit, adeo ut illi codices e primis speculi doctrinalis exemplis, auctorisque manui proximioribus censendi sint. Alterum est duobus itidem codd. MSS in fol. in Bibl. Augustiniana ad pontem novum ejusdem fere antiquitatis. Alia duo sunt unum in Colbertina n. 292, alterum in gymnasio vulgo dicto Magistri Gervasii, hoc utrumque uno volumine sed grandioris molis in membranis ut & duo priora sed quæ crediderim tantùm seculi XIV saltem ineuntis. Porrò ex omnibus his codd MSS evidenter constat prologum Vincentii, qualis legitur in aliis codicibus seu MSS seu impressis fuisse corruptum, caput integrum & amplius resectum, præterea interpolatum ut quadrifaria operis divisio loco trifariæ ab auctore solùm propositæ, eidem supponeretur: quæ ut suis oculis accipiat lector, capita tum resectum, tum illud in quo auctor sui operis divisionem instituit, hîc referenda sunt.

Hæc itaque resecta ex fine cap. X & postea caput XI integrum. » Si quibus autem, ut aliâs dixi, « prout invidorum ac superborum mos est nova « quæque despicere, ac ferali dente detractionis « aliena decerpere, hæc ipsa mox audita vel levi- « ter inspecta displiceant, legant obsecro prius, & « cum originalibus suis conferant, ac postmodum « si videtur eis despiciant, ne forsitan ante summi « judicis occulta cordium intuentis oculos convin- « cantur nequaquam judicio rationis examinata de- « cernere, sed malignitate livoris ignota damnare, « vel ea quæ fortassis ipsimet assequi non valent, « arrogantiæ tumore depravare. «

Cap. XI. *Apologia de unitate vel distincta vel divisa.*

Denique quia diversis diversa placent, & e con- « trario displicent, dum unusquisque abundat in « sensu suo, sicut a quibusdam in hoc opere proli- « xitatis nimiæ redarguor, sic etiam a nonnullis e « contra velut de brevitate nimia reprehendor. Nam « verbi gratia si quis eorum, [*qui*] rerum proprie- « tates per diversorum auctorum libros curiose « scrutati sunt, alicujus rei naturam in hoc opere « nostro sub titulo suo requirat, ibique fortassis « aliquid minus de his quæ alibi legit inveniat, mox « animus ejus fastidio quodam stomachans reverbe- « ratur ac resilit, ipsumque totum opus velut in- « sufficiens ac inutile despicit & aspernatur. Verùm « operi longo fas est ignoscere somno. Noverit « quoque qui hujusmodi est, in tanta rerum inda- « gandarum multitudine necessitati abbreviandi ope- « ris indulgere. Quis enim omnia, quæ de singulis re- « bus in tam infinita voluminum numerositate per « orbem usquequaque dispersa reperiuntur, in bre- « vi possit colligere, cunctaque perstringendo simul « in unum volumen manuale redigere. «

Sciant præterea quod ego licèt, ut dixi, in « prima hujus operis parte, quæ est de natura re- « rum, & in secunda quæ de universitate scientia- « rum, sub certis titulis cuncta redegerim, non ta- « men omnia quæ de una qualibet re prius excerp- « seram, sub uno & eodem capitulo, vel etiam eo- « dem in libro pariter collocaverim: quin potius in « diversis libris, prout eorum materia exigit, de « eadem re diversa quidem frequenter inseruerim. « Nam verbi gratia de naturis rerum, id est de qua- «

Sæc. XIII. » tuor elementis, de passionibus vel impressionibus » aëris, de terræ glebis & lapidibus, ac vineis & » plantis, de cœli quoque luminaribus, & volucribus & piscibus, & terreis animantibus, non solùm circa principium operis juxta seriem sex dierum, quibus hæc facta sunt, diversorum auctorum sententiæ conferuntur : verùm etiam in secunda parte libro de philosophia naturali, quantum ejus materiæ competit plurima adjiciuntur. » Præterea de corporibus mineralibus non solùm » in his duobus locis, ut dictum est agitur, sed » etiam postmodum in libro de mechanicis artibus » tractatu de alchimia, de unoquoque prout eidem » arti convenit tangitur.

» Item in libro de œconomica quæ secunda practicæ species est, ubi de rerum familiarium sive » domesticarum avium & animalium, sicut gallinarum, columbarum, phasianorum, anserum, & » pavonum, equorum quoque & boum & mulorum & asinorum hircorumque & agnorum, nec » non & apum educatione vel nutrimento inseruntur : de homine quoque toto, id est de anima humana & viribus ejus, ac de corpore humano & anatomia membrorum ejus, licèt in opere » sextæ diei plenissime disseratur, postea tamen in » tractatu medicinæ, prout ejus theoriæ competit » speculatio membrorum & virtutum atque spirituum, causarum quoque sanitatis & ægritudinum, » plurima de eodem adjiciuntur.

» Sed & de vitiis atque virtutibus in libro de » Ethica id est morali scientia quæ a philosophis » inventa fuisse probatur, dicta philosophorum & » poëtarum sub certis titulis colliguntur. Nihilominus tamen de utrisque etiam in eadem parte tractatu de scientia theologica flores sacrorum doctorum inserui. Post tractatum quoque de politica, » libellos duos de criminibus in Deum vel in proximum commissis, quæ ad judicium seculare vel » ad ecclesiasticum pertinent, ex legibus & canonibus & dictis sapientum breviter compegi : præter hæc etiam in fine primæ partis videlicet post » lapsum hominis de cunctis vitiis, quæ ex illius » originalis virulenta radice pullulaverunt, & universaliter & particulariter disserui.

Jam verò cur hoc caput a falsario resectum fuerit, ratio non longius arcessenda, scilicet quia testimonium invictum est Bellovacensem de speculo morali, quale nunc circumfertur, a doctrinali distincto edendo nunquam cogitasse. In eo enim ut videre est auctor ad amussim colligit omnia loca, in quibus de virtutibus & vitiis agit, & non contentus indicasse ubi ea tractarit in secunda parte speculo scilicet doctrinali, de iis monet se adhuc luculenter egisse prima parte in speculo scilicet naturali : hoc autem totum ut se apud eos purget, a quibus accusari verebatur insufficientis circa hæc doctrinæ, putas ab illo omittendum speculum morale, in quo virtutes & vitia adeo diffuse explicantur, si illius auctor fuisset? An non promtum ac proclive erat responsum, se in illo morali speculo quidquid ad virtutes ac vitia pertinet, tam ample pertractasse, ut nihil desiderari possit cumulatius? Cùm de hoc itaque altum servet silentium, sane invictum argumentum est, ipsum de speculo morali edendo nunquam cogitasse, illiusque auctorem non esse. Id vidit haud dubie adulter ille, qui speculum morale supposuit, ideoque caput hoc integrum resecare satius duxit, ut sibi nimium importunum. Quod clarius adhuc patebit ex cap. XVII in quatuor codd. mss. supra relatis, quod in codd. MS. corruptis ut & in impressis ob resecatum cap. XI est XVI, sic habet titulus.

CAP. XVII. *De trifaria divisione totius operis.*

» Quoniam autem hoc ipsum opus causa jam dicta superius ad tantæ magnitudinis immensitatem excreverat, ut in triplo quemadmodum opinor, « bibliothecæ sacræ mensuram excederet, ac per « hoc sine labore vel sumtu nimio transcribi non « posset, multorum rogatu Fratrum interveniente, « insuper & priore meo favente, mihique in remissionem peccatorum meorum pariter injungente, ut totum opus abbreviando ad librum manualem ad modum unius bibliæ redigerem, hoc « ipsum facere tentavi ut potui : sed vel nisi per « nimiam longitudinem temporis, vel absque nimio « dispendio ac depravatione ipsius operis implere « non valui. «

Quapropter ipsum opus universum quod speculum majus vocabatur, in três partes principales tanquam in tria volumina vel opuscula perfecta, & a se invicem separata distinxi, quorum etiam unumquodque speculi nomine divisim intitulavi. Prima itaque pars continet totam historiam naturalem, & hæc vocatur speculum creatoris. Secunda totam seriem doctrinalem, & hæc vocatur speculum scientiarum. Tertia verò totam historiam temporalem, & hæc vocatur speculum historiarum. Prima siquidem prosequitur naturam & proprietatem omnium rerum, secunda materiam & ordinem omnium artium, tertia verò seriem omnium temporum. In prima quidem agitur de humani generis constitutione, in secunda de ipsius instructione, in tertia verò de ejusdem propagatione. Itaque prima non immerito vocatur speculum naturale, secunda verò speculum doctrinale, tertia quoque speculum historiale.

Igitur primæ partis est historia fundamentum sacra ab ipso principio usque ad ejectionem hominis lapsi de paradiso, cui videlicet historiæ interseruntur ea quæ pertinent ad naturam cœli & mundi, & in fine adjiciuntur cuncta quæ pertinent ad ruinam vel sequelam peccati. Porro fundamentum secundæ partis est reparatio lapsi. Fundamentum verò tertiæ partis est, primò quidem historia sacra a generatione primi hominis usque ad imperium Neronis : inde verò chronica Eusebii &c. ut in impressis, ad finem usque capitis, ubi rursus sic habet.

Hos in tertia parte [impressa legunt *quarta*] *locis suis composui ac per capitula distinxi. Cæteros autem flosculos, quos vel ex eisdem vel ex aliis libris minutatim & incompacte per diversa loca excerpsi, in prima & secunda parte sub diversis titulis congruenter inserui. Porro in fine tertiæ partis* [interpolata legunt *quartæ*] *additur epilogus brevis de fine mundi.*

Divisionem hanc trifariam solam prosequitur cap. seq. XVIII. sic enim : *In prima quidem parte de Deo & de angelis cæterisque, quæ ad theologiæ materiam pertinent, ex diversis auctoribus pauca capitula colligens, de singulis quæstionum articulis breviter ac succinte percurrendo transivi* &c. plura. *In secunda quoque parte quasdam scientias vel artes prosequendo vereor etiam aliquatenus meum modulum excessisse. Porro in tertia parte* [interpolata legunt *quarta*] *quamvis abbreviata sint omnia, propter magnitudinem voluminis adhuc amplius minuendam, vellem si fieri posset, de sanctorum miraculis recidisse nonnulla. Denique si quis legentium ut dixi, vel in prima vel in secunda, vel in tertia parte de his quæ forsitan ibidem requisierit, minus aliquid inveniat, necessitati abbreviandi operis, ut justum est, veniam concedat.*

Vides divisionem trifariam solùm propositam, tria tantùm specula, naturale, doctrinale, historiale promissa, de tribus tantùm partibus ubique fieri mentionem. Speculum ergo morale cujus nusquam auctor meminit, a falsario illi suppositum.

Non omittendum quod habet auctor in fine cap. XVIII. *Hunc autem libellum nostrum apologeticum propter prædictas causas a principio operis huc usque protractum,*

protractum, quia pari ratione respondet cuilibet parti, totum in uniuscujusque capite inserendum judicavi. Et hîc finis capitis, adeo ut cætera quæ leguntur in impressis sint interpolatoris additamentum. Porro hæc indicant auctoris mentem fuisse, ut libellus ille apologeticus cuique speculo veluti uniuscujusque liber primus præfigeretur : & revera in codd. MSS omnibus ut & in omnibus antiquis editionibus, speculis naturali doctrinali historiali præfixus legitur, primumque cujuslibet speculi librum constituit. At speculo morali quod jam prostat nec unquam præfixus fuit, nec ut liber primus adaptari potest : quod signum evidens istud non ex mente Vincentii processisse. Adde aliam omnino rationem in speculo morali quam in cæteris observatam : nam alia tria dividuntur in libros, libri in capita, id etiam observatum, quod cap. 4 prologi promiserat his verbis : *denique quoniam ut superius dictum est, ex diversis auctoribus hoc opus contextum est, ut sciatur quid cujus sit, singulorum dictis eorum nomina annotavi, ac ne facile transponerentur de locis propriis, nequaquam in margine sicut fit in psalterio, & in epistolis Pauli* (fortè glossatis a Petro Lombardo) *& in sententiis, sed intra lineas ipsas sicut in decretis ea inserui : interdum etiam ea quæ ipse vel a majoribus meis scilicet modernis doctoribus didici, vel in quorumdam scriptis notabilia reperi, nomine meo* (id est auctoris) *intitulavi.* Hæc Bellovacensis sinceritatem & bonam fidem probant nihil sibi eorum quæ ab aliis accepit arrogantis : hinc est quod cùm in speculo naturali lib. 26 quædam ex quæstionibus de veritate nostri Aquinatis inseruerit, singulis præfixit ejus nomen sic, *F. Thomas de Aquino.* Videsis cap. 74 quod est ex q. 11 *de magistro a* 3 & cap. 82 ad 95 quæ sunt ex q. 12 *de prophetia* aa. 1, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 12, 13, & cap. 101 ad 110 quæ ex q. 13 *de raptu* aa. 5. Nihil horum in speculo morali : grande illud opus aliis æquale in tres tantùm libros, libri in partes, partes in distinctiones, distinctiones in articulos dividuntur : nomina auctorum ex quibus coagmentatus est totus ex industria omnino suppressa, adeo ut in concinnatione istius speculi moralis nihil ingenii Bellovacensis agnoscas.

Nec leviter prætereundum quod initio cap. XVII supra relati habet auctor, scilicet opus suum qua primum ratione & antequam abbreviaretur, confectum fuerat in triplo bibliothecæ sacræ mensuram excessisse. Cur autem in triplo nisi quia cùm triplex tantùm esset speculum, unumquodque sacra biblia integra superabat ? Sin autem speculum quadruplex fuisset, cùm unumquodque sit circiter æquale, in quadruplo biblia sacra & non in triplo tantùm excedere dixisset.

Notandum etiam quod habet in epilogo (sic enim dicitur in quatuor codicibus MSS laudatis quod in impressis est caput XX) *In hac 2 parte simili modo de ejusdem naturæ destitutæ plenaria restitutione scribere breviter ut possumus affectamus, quatenus in hunc modum totius rei summam sub quodam compendio memoriter teneamus. Et quoniam hæc ipsa restitutio sive restauratio per doctrinam efficitur atque perficitur, ista quoque pars speculum doctrinale non immerito vocabitur, doctrinæ namque cuncta proculdubio subjacent, quæ vel ad tuendam vel ad recuperandam spiritualem vel temporalem salutem hominis pertinent, sicut plenius infra docebitur.* Scilicet libro qui 2 dicitur in codd. MSS & in antiquis editionibus, primus verò in Ed. Duac. cap. 1. Ex quibus luce clarius patet Bellovacensem tum reparationem integram hominis sub doctrina conclusisse, tum speciatim reparationem hominis quantum ad affectum per virtutum praxim & vitiorum exclusionem in speculo doctrinali tractandam sibi proposuisse. Et revera lib. 4 & seqq. de his quæ ad virtutes & vitia pertinent, diffuse & minutatim disserit. Hinc sequitur distinctionem illam reparationis lapsi quantum ad intellectum, & quantum ad affectum, cui in aliis exemplaribus innititur distinctio speculorum doctrinalis & moralis, esse contra mentem auctoris, & puram putam interpolationem falsarii, qui speculum morale commentus est, & Bellovacensi supposuit.

Denique alia interpolatio facta est in fine prologi, qui talis est in quatuor codd. MSS laudatis : *Habet igitur iste liber numerum octodecim capitulorum juxta numerum totius operis librorum. Secundus liber epilogo præmisso de lapsu hominis agit universaliter de ipsius reparatione per doctrinam & studium philosophiæ &c. habet autem capp. 89 &c.* Sensus auctoris planus est, scilicet tot esse libros in speculo doctrinali, quot capita in isto prologo, & cùm sint octodecim libri speculi doctrinalis prologum computando pro primo libro, sic octodecim esse capita prologi. At interpolator, quia novam sectionem capp. adorsus est, ita ut sint viginti, nec cùm numero librorum speculi doctrinalis quadrent, hæc sic immutavit : *Habet igitur liber primus numerum capitulorum juxta numerum totius operis librorum*, & deinde XXI capp. prologi exhibet, quibus continentiam cujusque libri sequentis addit, quasi tot essent nova capitula libri primi, cujus sic recensentur capp. XXXVIII quod manifeste pugnat contra mentem auctoris, & omnino insulsum. Videsis antiquas editiones Argentinam 1473. Nurimbergensem 1486. Venetam 1494. omnes interpolatas. Unde nullus dubito quin ob eam rationem Vedastini qui Duacenam editionem curarunt, illud totum ut ineptum resecarint.

Hactenus evidenter demonstratum est prologum Bellovacensis corruptum fuisse a falsario, ut speculum morale insereretur, & auctori qui nec de eo cogitarat supponeretur, non desunt adhuc nova argumenta quæ ante 1300 speculum morale incognitum fuisse probent : In catalogo antiquo Bibl. Sorbon. scripto in membr. in quo recensentur codd. MSS juxta ordinem scamnorum in quibus catenati exhibebantur, sic legitur sub titulo : *Summæ doctorum modernorum.*

Bancha † • WI. H. Prologus totius speculi magni Vincentii. Quoniam multitudo librorum.

Bancha ∘ WI. Speculum naturale dicitur prima pars ejus.

Bancha L. WI. H. Secunda pars dicitur speculum doctrinale : continet IX *libros. Item secunda pars speculi doctrinalis continet alios* IX *libros.*

Bancha W. V. Tertia pars dicitur speculum historiale in IIII *voll. & tenet* XXXII *libros.*

Horum codicum jam non sunt in ea bibliotheca nisi duo speculi doctrinalis a Petro de Lemovicis socio legati, & supra a nobis laudati. Nullum est exemplum speculi naturalis, extat quidem exemplum historialis sed imperfectum, ut cui deest volumen 3 ex quatuor, ac præterea non videtur illud quod in catalogo recensitum, siquidem recentius est, prologus in eo corruptus, & speculum historiale in eo dicitur *quarta pars*, contra quam in catalogo *Tertia pars* dicitur. Igitur quo anno confectus est index ille codd. MSS Sorbonæ (haud dubie post mortem Bellovacensis) speculi ejus magni non agnoscebantur nisi tres partes & historialis erat tertia, non moralis cujus nulla mentio. Idem legitur ad calcem codicis prioris speculi doctrinalis manu antiqua & seculi XIII : *In hoc volumine continetur prima pars speculi majoris videlicet novem libri primi ipsius. Quod quidem speculum habet tria nomina secundùm tres ejus partes : quarum prima vocatur speculum naturale, Secunda verò speculum doc-*

SÆC. XIII. *trinale*, *Tertia verò pars ejus vocatur speculum historiale.*

Præterea Henricus Gandavensis, qui indicem scriptorum ecclesiasticorum haud dubie scribebat ante 1274; nam tum Albertum Magnum libris edendis maxime incubuisse testatur, quod post eum annum fecisse non videtur aut admodum leviter, non agnoscit nisi tria specula. Sic enim ille: *Vincentius ejusdem ordinis* (Prædicatorum) *dicitur scripsisse quoddam opus magni ingenii & laboris, quod prætitulavit triplex speculum, historiale allegoricum & morale, ipsum historiale non solùm per sanctarum scripturarum seriem, sed etiam per secularium historiarum ordinem usque ad sua deducens tempora, multaque hinc inde inserens studiosis lectoribus profutura.* Ergo ætate Gandavensis trifaria tantùm adhuc erat operis Bellovacensis divisio, nec proinde speculum morale quale nunc circumfertur adinventum, ex quo enim in lucem editum est, quadrifaria divisio ubique celebris fuit, & trifaria oblivioni tradita.

Scio Labbeum Dissert. Histor. de script. Eccl. T. II pag. 481 post relatum Gandavensis mox laudatum testimonium sic addere: *Hinc discimus per allegoricum specula duo, quæ ab invicem distingui solent, naturale & doctrinale a Gandavensi fuisse intellecta.* Verùm hæc a Labbeo non dicuntur nisi ex præconcepta & vulgata de quatuor speculis sententia. Nam si codicem Sorbonicum vel alium ex quatuor quos adeo feliciter reperi, ipsi ut mihi videre contigisset, ut gustus erat in veteribus lectionibus accerrimi, proculdubio ab illa vulgi opinione recessisset, quod satis innuit cùm Gandavensis verba relaturus sic præfatur: *Notandum quoque arbitror aliam fuisse collectionis illius Vincentianæ divisionem ex verbis Henrici Gandavensis.* Certissime alia fuit, nam ubi nunc est quadrifaria, tum trifaria tantùm erat, quia triplex tantùm speculum vulgatum, nec quartum adhuc fabricatum. Trium quidem nomina non accurate refert Gandavensis, quia non ex a se visis sed ex aliorum relatu scribebat. Sic enim ille, *Vincentius dicitur scripsisse.* Historiale bene laudavit. Naturale *allegoricum* nuncupavit, quia ut apud ipsum Bellovacensem legitur prologi cap. XVIII quantumcunque naturale sit, *totum per quasdam rerum similitudines & integumenta figurarum ad ædificationem morum referebant concionatores.* Per allegoricum autem intellexisse non tantùm naturale, sed & doctrinale nemo sentiet nullo præjudicio præventus, imo quocunque præventus præjudicio. Ἀλληγορεῦν enim esto doctrinæ sit quædam particula, sed non series scientiarum, qualem suscipit Bellovacensis in speculo doctrinali. Itaque per morale Gandavensis ipsum intelligit doctrinale, quod revera juxta Bellovacensis mentem ad instituendam christiani hominis vitam totum refertur, cùm scientia in eo præcipue tractata sit ethica universalis monasticam, politicam, jus utrumque, ac generatim omnia quæ ad hominis reformationem pertinent complectens.

Neque vitilitiget quis contendens ex eo quod Gandavensis speculum morale laudet, id reipsa intelligendum de morali, vel quod nunc circumfertur, vel alio quod jam perierit, ut volunt quidam, & cui istud quod nunc est substitutum sit, certo tamen ab aliis tribus distinctum. Respondetur enim nomenclationem illam speculi moralis a Gandavensi usurpatam non magis probare agnitum ab illo fuisse morale a doctrinali distinctum, quàm nomenclatio allegorici probet sua ætate fuisse allegoricum distinctum a naturali. Scilicet ille ut jam notatum, non nomina ipsa suis operibus a Bellovacensi imposita diligenter referre studuit, ut pote a se nondum visa. Ad usum igitur speculorum sibi renunciatum attendit ille solùm; unde sicut per allegoricum non aliud a naturali, ita non aliud a doctrinali per morale intelligendum. Nimirum in his ad ipsum principium recurrendum est, quam divisionem agnoverit Gandavensis? Cùm ergo trimembrem tantùm meminerit, de divisione trifaria in naturale, doctrinale, historiale, quæ in codd. MSS suæ ætatis qualis est Sorbonicus exhibetur, solùm intelligendus, & quicquid addideris omnia evertis. Quæ amplius patebunt ex dicendis, ubi speculum morale post annum 1300 conditum certo evincetur.

Ad alterum caput promissum nunc accedo, scilicet farraginis illius, cui *speculi moralis* titulum indere placuit, auctores ex quorum operibus a falsario compacta est, & quorum tres S. Thomas, F. Petrus de Tarentasia hi duo ordinis Prædicatorum, & F. Ricardus de Mediavilla ordinis Minorum postea retegentur, duo hîc tantùm commonstrandi, alter est F. Stephanus de Borbone seu de Bellavilla de quo supra auctor illius magni operis *de septem donis Spiritus Sancti*, ex quo fere media pars speculi moralis accepta est, alter anonymus auctor *tractatus de consideratione novissimorum*, qui florebat circa 1300, certo scripsit post 1291, ut in sequentibus evincetur, & cujus opella fere tota in speculum morale convasata est. Hujus autem posterioris duo sunt codd. MSS. Parisiis in Victorina, primus melioris notæ pellibus pergamenis vel vitulinis forma 8 seu 4 parva n. 326 ætatis auctoris 400 circiter annorum; secundus est chartaceus in 4 n. 1113 sub finem seculi XV scriptus: typis etiam prodiit in incunabulis typographiæ hoc titulo *sermones de quatuor novissimis* absque nota loci anni & typothetæ, quæ editio extat in Bibl. aliàs Telleriana nunc Sangenovefiana n. D. 815 in 4 parvo, recensesturque in catalogo Telleriano pag. 61 col. 1 unà cum *Cordiali* compactus. Fortè ille idem est, qui in Elencho codd. MSS. Belgii apud Sanderum P. II inter codices canonicorum regularium Tungrensium indicatur pag. 198 lit. c. hoc titulo. *Considerationes quatuor novissimorum*, quod discutiant indigenæ curiosi. Jam utrique quod suum est in speculo morali ab hujus auctore illis non laudatis inverecunde raptum restituendum, unaque ubi occasio se dabit, ad oculum ostendetur hos a speculatore seu falso Vincentio spoliatos, non ab illis speculatorem spoliatum.

Sic incipit speculum morale: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Ab illo themate ad finem tertiæ distinctionis totum totidem verbis ex dicto *tractatu de consideratione novissimorum* exscriptum est, ejusque primam partem conficit.

Dist. 26. *De timore & audacia.* Ab illis verbis col. 78. Ed. Duac. quam semper citamus, *Item assignantur a magistris & sanctis septem species timoris &c.* excursio est moralis ex lib. de 7 donis verbo tenus accepta 1 p. de dono timoris tit 1 fol. 139 col. 1 cod. Sorbon. Nota a. 3 de timore humano sic in lib. de 7 donis cod. Sorb. fol. 140 col. 2: *Ad hoc facit exemplum quod audivi a F. Matthæo primo Fratrum Prædicatorum Parisius priore, qui dicebat vel parabolice vel in veritate de tribus militibus, quod quærebant fortunam & cùm ingrederentur &c.* Speculator seu Vincentiaster, sic enim placet appellare, ut a Bellovacensi distinguamus, resecans priores lineas sic incipit: *Unde dicitur quod tres milites* &c. Rursus a. 4 de timore servili. Sic auctor de 7 donis cod. Sorb. fol. 140 col. 3: *Unde audivi cantorem magnum* (celebrem scilicet Petrum) *Parisius prædicasse, & a pluribus in sermonibus, quod cùm quidam scholaris videretur mori Parisius valde pœnitens &c.* Vincentiaster sic immutat *Dicitur quod*

cùm quidam scholaris &c. Auctor de 7 donis a quibus audivit laudans sinceritatem suam probat, Vincentiaster occultans se insignem plagiarium ostendit, quod cùm pluries deinceps occurrat, sat sit semel hîc annotasse.

D. 27 *de objecto timoris a.* 7 *de Deo timendo*, excursio est moralis ex lib. de 7 donis 1 p. tit. 3 de Deo timendo cod. Sorb. fol. 143 item a 8 *de periculis hujus mundi* ex eodem lib. de 7 donis ibid. tit. 9 de præsenti periculo timendo cod. Sorb. fol. 186 col. 4. Rursus 7 particula hujus a 8. *Timenda est dæmonum impietas* ex eodem de 7 donis ibid. tit. 10 de qualite inimicorum humani generis fol. 189 col. 4 & tit. 4 de inferno c. 4 de dæmonum deformitate fol. 150 col. 4 ubi non solùm illa eadem quæ Vincentiaster, sed multo plura & luculentiora.

D. 29 *de effectu timoris*, ex lib de 7 donis ibid. tit. 2 de 25 effectibus timoris Domini in genere fol. 142. col. 1. Vincentiaster ordinem invertit, pauca addit, quædam resecat.

P. III D. 14 col. 203 ab illis verbis, *Ratio bene disposita fidem nostram esse veram ostendit*, excursio est longior, in qua afferuntur argumenta credibilitatis fidei eodem tenore transcripta ex lib. de 7 donis 4 parte de dono fortitudinis. tit. 7 de superbia c. 30 de errore vel hæresi. cod. Sorb. fol. 390 col. 3. Nota. Sic auctor de 7 donis in 1 exemplo de Saracenis : *Cum in secreto a nostris confertur cum eis* &c. *sicut audivi ab illis Fratribus, qui fuerunt inter illos &c.* & in 3. exemplo fol. 391 col. 1 : *Item audivi quod quidam fuit nuper magnus princeps in Alvernia &c.* & postea : *Fratres quidam nostri visitaverunt eum, qui hoc mihi dixerunt &c.* & fol. 392 col. 2. *Item audivi & legisse me memini in quibusdam credo gestis Romanorum, quod temporibus Theodosii imperatoris &c.* Vides sinceritatem Stephani de Borbone suos auctores laudantis. Hæc sic immutat Vincentiaster se plagiarium probans : *Cùm in secreto auris confertur cum eis &c. sicut auditum est ab illis Fratribus qui fuerunt inter illos.* Et postea col. 204 : *Item quidam fuit permagnus princeps in Alvernia* &c. *Fratres quidam visitaverunt qui hoc dixerunt &c.* & col. 207. C. *Item legitur in gestis Romanorum &c.*

D. 19 *de effectu fidei* excursio est moralis longior integra excepta ex lib. de 7 donis tit. 7 mox citato de superbia cap. 31 de bonis effectibus fidei & contrariis erroris fol. 397 col. 4. cod. Sorb. totidem verbis solo articulorum ordine mutato, sed multo plura habet Stephanus quæ Vincentiaster resecat.

D. 35 *de prudentia a.* 1. *quid sit prudentia* est acceptus ex lib. de 7 donis p. v de dono consilii tit. 2 de prudentia cap. 1 de multiplici acceptione hujus nominis prudentia, cod. Sorbon. fol. 547 col. 3 ordine articulorum mutato, sed totidem verbis.

D. 37. *a.* 1. *de studiositate*, est acceptus ex lib. de 7 donis tit. mox cit. cap. 2 de studio eorum qui volunt fieri prælati fol. 550 col. 1.

§. 3 *de consideratione* ex eodem de 7 donis loco mox cit. cap. 3 de 2 specie prudentiæ, scilicet de consideratione fol. 552 col. 1.

D. 38 *de memoria* ex eodem lib. de 7 specie prudentiæ, quæ est memoria præteritorum fol. 567 col. 1 solo articulorum ordine mutato.

D. 39 *de providentia.* Ab illis verbis paulo post initium : *est autem providentia multùm utilis*, excursio est eodem tenore excepta ex lib. & loc. cit. fol. 568 col. 4 de 9 specie prudentiæ quæ est provisio futurorum.

D. 40 *de circumspectione.* Post initium additur excursio moralis, cujus pleraque ex lib. & loc. cit. fol. 565 col. 1 de 5 specie prudentiæ, quæ est circumspectio, cujus usus sunt decem. Quædam aliena miscet Vincentiaster, quædam resecat.

D. 42 *de disciplina.* Tertius modus eodem tenore habetur lib. & loc. cit. fol. 566 col. 1 de 6 specie prudentiæ quæ est disciplina.

D. 44 §. 2 *de discretione*, excursio est moralis ex eodem lib. & loc. cit. fol. 584 col. 1 solo articulorum ordine mutato. Sic incipit Stephanus : *Quintus gradus prudentiæ & ornamentum cordis sive pectoris sacerdotalis est rectitudinis discretio. Discretio autem est virtus &c.* eadem.

D. 80 *de fortitudine secundùm se.* Tota accepta ex lib. de 7 donis 5 par. tit. de fortitudine cod. Sorb. fol. 653 col. 2. Notandum præsertim discrimen quo uterque factum quoddam sancti regis Ludovici referunt : ex eo enim manifeste convincitur plagii Vincentiaster. Sic itaque Stephanus de Borbone cod. Sorb. fol. 659 col. 1.

» Unde iste rex Lodowicus Franciæ dixit optimum verbum, ut audivi a Fratre qui interfuit cùm dixit & audivit ab eo. Cùm esset juvenis valde, & pauperes essent congregati in curia sua, expectantes eleemosynam, & crederetur quod ipse dormiret in camera sua, aliis dormientibus, ipse exivit de camera sua solus cum uno famulo portante maximam quantitatem denariorum, quam in habitu scutiferi distribuebat manu sua egenis, & largiens eis quos credebat magis egere. Quo completo cùm ipse recluderet se in cameram suam, occurrit ei frater quidam, qui hoc de fenestra inspexerat matri suæ (nempe Blanchæ reginæ) in ea loquens dicens ei : Domine rex, ego bene vidi facta vestra (in MS fcúra.) Cui rex satis verecunde ait : Frater carissime, isti sunt stipendiarii nostri, qui pro nobis pugnant contra adversarios nostros, & servant nobis regnum Franciæ in pace, quibus non solvimus stipendia ut meruerunt «.

Videt lector Stephanum de Borbone in hac narratione originalem ut ita dicam esse, ut qui hanc a religioso omnium teste oculato didicerat. Præterea modo illo loquendi, *iste rex Lodowicus*, indicat se vivo rege S. Ludovico hæc scribere, idem enim est ac si diceret, *Ludovicus qui nunc regnat in Francia, cùm esset juvenis valde.*

Vincentiaster col. 425 B. ut celet a quo acceperit, sic immutavit : *Unde Ludovicus rex Franciæ dixit optimum verbum, cùm pauperes essent congregati in curia sua &c.* & postea *occurrit ei Frater quidam qui hoc de fenestra inspexerat dicens ei, Domine rex &c.* nec addit a quo hæc didicerit, & cùm plures facti circunstantias taceat, de quo Ludovico Franciæ rege loquatur, quis divinet ? Itaque sibi fidem omnem detrahit, nisi ut libri de 7 donis depeculator habeatur.

D. 87 *de divisione patientiæ. a.* 6 *quomodo impugnatur, & a.* 7 *quod patientia multipliciter impugnatur*, ex eodem lib. de 7 donis tit. mox cit. cod. Sorb. fol. 660 & seqq.

D. 88. *A quibus juvatur patientia ?* ex eod. lib. tit. cit. fol. 664 col. 2. Qui sic incipit : *Quartò notandum quod patientia ab his* XXV *rebus roboratur & juvatur.* Ordinem articulorum invertit Vincentiaster, & pauca addit.

D. 89 *de utilitate adversitatum.* Excursio est longior tota accepta ex eodem lib. tit. cit. §§. 9 & 10. Quod infirmitates corporis sint patienter tolerandæ, & de multiplici tribulationis utilitate a fol. 676 col. 4 ad 686 ad finem scilicet codicis, inverso solùm articulorum ordine.

D. 95 quoad 2 partem ab illis verbis col. 493 C. *Sciendum autem quod castitas dividitur in virginalem, vidualem & conjugalem &c.* Excursio moralis longior ex lib. de 7 donis 5 par. tit. 3 de temperantia cod. Sorb. fol. 632 col. 3 de castitate post corruptionem carnis eodem tenore, nisi quod identidem Vincentiaster quædam resecat.

D. 96 *de virginitate. a.* 5 *de his quæ movere debent*

Sec. XIII. *ad amorem & custodiam virginitatis.* Excursio moralis longissima eodem tenore accepta ex lib. cit. loco eod. de 2 specie temperantiæ scilicet castitate, §. 1 de virginitate fol 621 col. 1. Nota. In speculo morali col. 521 Vincentiaster proponit *sextum incitamentum. Multiplex utilitas &c.* moxque abrumpendo sermonem remittit ad lib. 3 in fine, ubi tamen nihil. Cur verò proponit, nisi quia vidit sequi in lib. de 7 donis fol. 629 ubi caput illud sex columnis integris Stephanus luculenter tractat.

D. 97 *de continentia. a.* 5 *de ejus commendatione.* Excursio moralis ex eod. lib. & loc. tit. 2 de temperantia cap. 1 specie 1 temperantiæ cod. Sorb. fol. 619 col. 4 eodem tenore. Nota. Stephanus de Borbone hoc exemplum sic refert : » De quodam » clerico audivi quod cùm frequentissime in carnis » vitium laberetur, & cùm confiteretur cuidam » sancto viro & multum litterato, quem bene no- » vi ego, cujus relatione hoc compertum est, fre- » quens lubricum suum, consuluit ei. &c «. Hæc probant Stephanum sibi cognita narrare. Vincentiaster exemplum sic immutat col. 523 : *Item de quodam clerico legitur, quod cùm frequentissime in carnis vitium laberetur, frequenter confitebatur, & cùm confiteretur cuidam secundo viro & multum literato, consuluit ei &c.* Si Vincentiaster bonæ fidei fuisset, non alibi se legisse dixisset quàm in lib. de 7 donis.

D. 98 a. 5. *Quæ ad clementiam movere debent.* & a. 6 *de mansuetudine.* Excursiones exceptæ eodem tenore ex lib. de 7 donis, loc. cit. specie 12 & 13 temperantiæ. cod. Sorb. fol. 636 col. 3 & seqq.

D. 101 a. 1 *de taciturnitate*, ex lib. de 7 donis ibid. specie 6 temperantiæ fol. 635 col. 4.

D. 103 *de æquanimitate* ex eod. lib. ibid. specie 17 temperantiæ fol. 639 col. 3. Item §. 2 *de parsimonia.* Ibid. specie 10 fol. 636 col. 2. Item §, 3 *de mundi contemtu* ex eod. lib. par. 5 tit. 2 de prudentia cap. 4 de consideratione hujus mundi, ordine articulorum inverso. cod. Sorb. fol. 553 col. 2.

D. 104 *de paupertate.* Excursio moralis longissima eodem tenore ex lib. de 7 donis accepta loc. supra cit. specie 20 temperantiæ fol. 640 col. 1. Nota. Fere omnia exempla F. Stephanus de Borbone audivisse se testatur, unicum memoro cod. Sorb. fol. 648 col. 1 ubi sic legit. » Audivi a Fratre Jorda- » no magistro ordinis Prædicatorum in prædicatio- » ne ejus, quod cùm quidam monitus fuisset ad » ordinis introitum, & deliberaret apud se &c «. & » in fine exempli. » Et hæc confusio eum ut æstimo » ad securiorem & perfectiorem statum adduxit «. Hæc Stephanum probant horum primarium auctorem & propria narrantem. Vincentiaster hæc eadem totidem verbis, sed nec se audivisse, nec legisse testatus, unde ultimum exemplum sic narrat col. 575. E. *Item cùm quidam monitus fuisset ad ordinis introitum &c.* Sic putans plagium suum celare, cujus tamen reus convincitur, cùm cæterum hæc & alia verbo tenus ut auctor libri de 7 donis referat.

Speculi moralis Lib. 1 P. IV D. 4 de fortitudine. §. 2 de dono consilii a. 4 *de excellentia hujus doni & de effectibus ejus.* Excursio moralis ex lib. de 7 donis P. V de dono consilii, cod. Sorb. fol. 544 col. 2. Quædam aliena miscet Vincentiaster.

D. 9 §. 1 *de paupertate Spiritus*, ex lib. de 7 donis P. V tit. 4 de temperantia. specie 23 quæ est voluntaria paupertas cod. Sorb. fol. 640 col. 1.

D. 10 *de effectibus misericordiæ Dei.* Excursio moralis elegans & longior eodem tenore ex lib. de 7 donis P. II de dono pietatis tit. 2 de consideratione misericordiæ Dei, cod. Sorb. fol. 196 col. 2. Quædam identidem resecat Vincentiaster.

D. 11 *de incarnatione filii Dei* & sequentes ad D. 19 *de utilitate passionis Domini*, excursiones sunt morales ex lib. de 7 donis P. II de dono pietatis tit. 3 de incarnationis Christi consideratione & seqq. cod. Sorb. fol. 199 ad 213 quædam eodem tenore, quædam articulorum ordine mutato, sed iisdem plane verbis pluribus tamen hinc inde omissis. Nota inter plura alia. Stephanus de Borbone loc. cit. tit. 5 de diversis effectibus comparationibus & exemplis crucis & passionis Christi cod. Sorb. fol 208 col. 2 hoc exemplum sic refert. » Cùm quidam cle- « ricus scholaris Parisius multum esset vitio carnis « subditus, & procrastinaret pœnitentiam facere, « quadam nocte apparuit ei Dominus in ea forma « in qua crucifixus est, ostendens vulnera sua cruen- « tata, dicens quod hæc pro peccato suo pertule- « rat, & eorum cicatrices retinuerat, ad corvos « maxime, id est procrastinatores maxime facien- « dæ pœnitentiæ ad faciendam pœnitentiam advo- « candos & a peccato revocandos. Qui ad hanc vi- « sionem motus Prædicatorum religionem intravit, « & hoc ab ipsius ore audivi «. Hæc narratio Stephanum originalem auctorem probat. Hanc verò Vincentiaster iisdem verbis referens *Dist.* 19 *de utilitate passionis Domini col.* 654. C. sic immutat in fine : *qui ad hanc visionem motus religionem intravit, qui vitam bono fine consummavit.* Cætera resecans, sic se non solùm plagiarium callidum declarans, sed & ab ordine Prædicatorum alienum, cujus omnia ex industria celat. Nam & Stephanus cod. Sorb. fol. 215 seq. col. 3 sic habet : » Pone exemplum de quo- « dam religioso, qui cùm tentaretur de duritia or- « dinis maxime cibi & potus, cùm vellet exire or- « dinem, cogitavit &c. *usque*, qui ex tunc tantam « recepit consolationem quod omnia dura cibaria « visa sunt ei dulcia. Hoc audivi a F. Henrico pri- « mo priore Prædicatorum apud Coloniam «. Vincentiaster hoc idem & totidem verbis exemplum referens col. 661 A. rescindit ultimam lineam. *Hoc audivi a F. &c.* Quod ab ordine Prædicatorum alienum indicat.

Liber II speculi moralis. Hoc 2 libro novam methodum init Vincentiaster. In superiori primo, ut & in sequenti tertio doctrinæ scholasticæ jungit excursiones morales, hic totus est moralis, nihilque habet scholasticum. Quidquid autem habet, totum paucis exceptis ex his duobus acceptum est, scilicet ex anonymi supra laudati tractatu de consideratione novissimorum, & ex parte prima libri de 7 donis, ubi de dono timoris. Et quidem in dissertatione nostra laudata, cui titulus *Sancti Thomæ summa suo auctori vindicata*, articulos minutatim ex quoque acceptos lectori designavimus, quam proinde adeat curiosus lector, hîc autem ne plures paginas implere cogamur, distinctionum serie solùm relata, quæ ex quoque vel ex ambobus alternatim excerpta generatim solùm indicabitur. Ubi videris *ex tract.* intellige *de consideratione novissimorum*: ubi *de don.* intellige *librum de septem donis.*

P. I D. 1 *de novissimis generatim.* Ex tractatu p. 2 serm. 1 *de distinctione novissimorum*, totidem verbis.

D. 2 *de morte naturæ.* Alternatim ex tract. finis serm. 1 & serm. 2 & de dono timoris tit. 7 de timore mortis cod. Sorb. fol. 176 col. 3.

D. 3 *de mortis angustia.* Alternatim ex tract. ser. 2 de mortis angustia §. 1 & de donis loc. cit. cod. Sorb. fol. 178 & 179. Nota. Stephanus de Borbone hoc exemplum sic refert: » Vidi ego nobi- « lissimum hominem, cujus cùm mihi sepulchrum « pretiosum evolutum ostenderetur &c «. oculatum testem se sic præstans. Vincentiaster sic immutat col. 695. E. *Fuit quidam nobilissimus homo, cujus cùm sepulcrum pretiosum evolutum ostenderetur.* An non manifeste plagiarius ?

D. 4 *de præsentia mortis.* Alternatim ex tractatu serm. 3 de mortis præsentia : & de 7 donis tit. 7 de timore mortis c. 3 fol. 179 col. 3 & c.

7 de memoria mortis fol. 180 col. 3. Nota. Stephanus de Borbone hæc exempla sic refert: » Item audivi a magistro Nicolao de Flavigni ar» chiepiscopo Bisuntino, quod cùm quidam piratæ » prædas agerent &c. *Et postea:* Item audivi a Fra» tre Galtero de Letis, quod cùm quædam eccle» sia consecraretur de Crespi, in qua erat comes » sepultus &c. *Rursus:* Item homo peccator similis » est illi qui somniabat, ut mihi postea dixit &c «. Hæc probant auctorem originalem. Sic autem immutat Vincentiaster col. 702 E. *Item cùm quidam piratæ prædas agerent &c.* & col. 703 D. *Item cùm ecclesia consecraretur, in qua erat comes sepultus &c.* & col. 707 C. *Item homo peccator similis est illi qui somniabat ut postea dixit.* Hæc plagiarium evincunt.

D. 5 *de differentia morientium.* Tota eodem tenore ex tractatu serm. 5 & 6 simul junctis.

D. 6 *de morte subita.* Alternatim ex tract. serm. 7 de morte subita: & ex lib. de 7 donis loc. cit. cap. 6. Quare mors est timenda fol. 180 col. 1 cod. Sorb.

D. 7 ad 10 ex Tract. eodem tenore a sermone 8. ad 11 iisdem titulis.

D. 11 *de purgatorio.* Alternatim ex tract. serm. 12: & de 7 donis tit. 5 de timendo purgatorio futuro cod Sorb. fol 156 col. 3.

D. 12. *de pœnis purgatorii, quare timenda?* Alternatim ex lib. de 7 donis loc. cit. cap. 4 de consideratione quare pœna purgatorii sit timenda? cod. Sorb. fol. 157 col. 2 & ex tract. serm. 12 & serm. 13. Nota. F. Stephanus hæc exempla sic refert. » Audivi a quodam Fratre sacerdote religioso & » sene Joanne nomine, quod cùm quidam malus » præpositus esset &c. *Postea:* Item audivi a F. Ste» phano de Firmitate, & legi in quodam libello, » quod cùm quidam abbas moriens &c. *Rursus:* Item » audivi a quodam Fratre Apulo Joanne dicto, qui » hoc dicebat in partibus suis accidisse, quod cùm » quidam in quodam monte juxta Vulcanum &c. » Item audivi a F. Guillelmo quondam priore Bi» suntinensi, quod cùm quidam capellanus apud » Novum Castrum &c «. Hæc sinceritatem ejus probant suos auctores citantis. Hæc eadem exempla totidem verbis recitat Vincentiaster, sed rescissis principiis mox allatis, cur verò nisi ut plagium celet?

Sed est & aliud insigne plagii erga auctorem tractatus de consideratione novissimorum argumentum col. 745 D. *Tarde & male solvuntur &c.* hæc totidem verbis ex tractatu accepta sunt: addit Vincentiaster: *Hîc notari potest exemplum, quod in gestis Caroli scriptum est.* Miles quidam &c. *Require infra dist. 13 sub finem.* Cur enim has primas voces exempli affert *Miles quidam &c.* nisi quia tum ante oculos *tractatum de consideratione novissimorum* habebat, ex quo lineas illas octo excerpebat, & post quas exemplum illud sequitur integrum? Verùm abstinet, & sic dure sermonem abrumpit, quia idem exemplum dist. seq. non stylo tractatoris sed ex libro de 7 donis referre proposuerat. An aliter veteramentarii?

D. 13 *de motivis ad compatiendum animabus in purgatorio.* Alternatim ex tract. serm. 13 & ex lib. de 7 donis loc. cit. cap. 8 cod. Sorb. fol. 162 col. 2. Nota. Stephanus de Borbone hoc exemplum sic refert. » Narrabat Frater Petrus dictus Remensis episco» pus postea Agennensis, quod quidam Frater val» de religiosus dictus F. Matthæus Hispanus nocte » apparuit &c «. Vincentiaster priora resecat, & sic incipit exemplum: *Religiosus quidam Matthæus Hispanus nocte apparuit &c.* totidem verbis: Postea affert exemplum de illo milite tempore Caroli Magni, ut est in lib. de 7 donis stylo longe diverso a stylo tractatoris. Exhibui utrumque in Differt. cit. *S. Thomæ summa vindicata.* Hæc probant & Stephanum & Tractatorem auctores veros, Vincentiastrum purum putum plagiarium.

D. 14. *Qualiter juvandæ animæ defunctorum?* Integra eodem tenore ex lib. de 7. donis cap. 7 de his XII quæ prosunt animabus, quæ sunt in purgatorio cod. Sorb. fol. 160 col. 3. Nota. Stephanus hæc exempla sic refert: » Unde quidam pro- « bus homo, cujus nomen & locum & gentem be- « ne novi, dixit mihi quod hoc quod ego referam « accidit patri suo, quod pertinet ad præsentem « articulum & præcedentem. Ait enim quod cùm « aliquando pater suus &c. Vocavit filium suum, qui « hoc mihi dixit, & sacerdotem &c. Hic in mor- « tis articulo filio suo, qui hoc mihi retulit coram « sacerdote suo &c. Hic Cluniacensis fuit, qui hæc « mihi retulit dictus Stephanus de Marusiaco, qui « non est defunctus. *Alterum exemplum:* Item audi- « vi a magistro Nicolao de Flaviniaco archiepisco- « po Bisuntino in sermone quod cùm quidam in- « junctam sibi pœnitentiam inchoasset &c. *Alterum:* « Audivi quod quidam puer de magno genere mor- « tuus est circa ætatem novem annorum &c. qui « post apparuit alicui suorum &c. Persona cui ap- « paruit fuit mater ducis (*Burgundiæ*) qua revelante « hæc novi. *Aliud:* Item cuidam militi valde devo- « to & bonæ vitæ, qui super hoc etiam me con- « suluit &c. Miles cui alius apparuit, dictus fuit D. « Guillelmus Decontres socius comitis Nivernensis « & Foresiæ, qui miles magnæ abstinentiæ & de- « votionis mihi fuit familiarissimus &c. *Aliud:* Item « audivi a F. Huberto magistro Prædicatorum, quod « duo scholares de eadem natione socii & juvenes « religionem intraverunt &c. *Aliud:* Audivi a F. « Guillelmo de Peraut, qui composuit summas de « vitiis & virtutibus, quod cùm quidam flagitiosus « homo confiteretur episcopo suo &c. *Adhuc aliud:* « Item audivi a quodam magistro, qui totum hoc « luculenter metrice composuit, quod quidam mi- « les fuit raptor &c «. Manifestum est Vincentiastrum, qui omnia hæc exempla totidem verbis refert, aliunde quam ex lib. de 7 donis habere non potuisse, tamen ut plagium celet, singula callide rescindit, quæ furem probare possent, ut ex collatione mox lector deprehendet si voluerit. V. G. Exemplum primum sic incipit: *unde quidam probus homo dicebat, quod cùm aliquando pater suus intrasset lectum suum &c.* atque exempla sic circumcidit, ubicumque Stephanus se ipsum testem oculatum & auritum præstat.

Lib. 2 P. 11 D. 1 *de persecutione Antichristi.* Ex tract. par. 3 sermo 1 de tribulatione quæ erit tempore Antichristi. Eodem tenore.

D. 2 *de mundi consummatione.* Ex tract. serm. 2 eod. tenore.

D. 3 *de mundi purgatione.* Alternatim ex tract. serm. 2, 3 & 4: & lib. de 7 donis tit. 6 de judicio c. 5 cod. Sorb. fol. 166.

D. 4 *de futuro judicio.* Alternatim ex tract serm. 4 & ex lib. de 7 donis loc. cit. cap. 1 cod. Sorb. fol. 164 col. 4 & seq.

D. 5 *de terrore judicii.* Alternatim ex tract. serm. 2, 3 & 1 mistim. & ex lib. de 7. donis tit. cit. cap. 4, 7, 9, 12 permistim. Quædam aliena inserit Vincentiaster.

D. 6 *de meritorum discussione.* Alternatim ex tract. serm. 3: & de dono timoris tit. cit. c. 11 de considerationе rationis exigendæ, fol 172 col. 4 & seq.

D. 7 *de discussorum publicatione.* Prima pars ex tract. serm. 3 & de dono timoris tit. cit. cap. 9 fol. 169 col. 4. Altera alicunde corrasa.

D. 8 *de promulgatorum attestatione.* Alternatim ex tract. ser. 3 & de dono timoris cap. 10 de accusatoribus & testibus fol. 170 col. 3 & seqq. Nota.

Sæc. XIII. Stephanus hæc exempla sic refert fol. 171 col. 1 » Audivi a quodam Fratre religioso, cujus nomen » & episcopi & loci tacendum esse arbitror prop- » ter scandalum, audivi de quodam episcopo, quem » aliquando vidi, quod cùm ægrotaret apparuit ei » diabolus dicens quod citabat eum &c. *Alterum:* » Audivi quod cùm quidam Frater noster prædicas- » set in quadam civitate Tusciæ, & cùm qui affue- » rant recitarent verba ejus, & commendarent ejus » prædicationem &c. *Aliud:* Audivi a F. Gaufrido » de Blevex rectore theologiæ, quod accidit in » Theotonia quod quidam archidiaconus ambiens » episcopatum &c. *Aliud:* Item quod sancti accu- » sant audivi ab episcopo quodam, quod quidam » homo in civitate Turonensi consueverat &c «. Vincentiaster hæc exempla totidem verbis refert exceptis principiis, quæ evidenter demonstrant non ab alio quam a lib. de 7 donis excerpta fuisse.

D. 9 *de attestatorum disceptatione.* Alternatim ex tract. serm. 3 & ex lib. de 7 donis tit. cit. c. 8 & cap. 10 & cap. 13 in quo refertur exemplum insigne cod. Sorb. fol. 175 col. 4. » Item ut audivi in quadam » maxima abbatia Cisterciensis ordinis quidam fuit » conversus multum contemplativus, qui cùm esset » in oratione visum fuit ei astare ante oculos suos » divinum judicium, & angelos assistentes multum ac- » cusare peccata & facta enormia duorum magno- » rum hominum, quorum alter magnus comes fuit, » alter magnus prælatus &c. *& versus finem:* Laicus » vitam emendavit, timuit & pœnitentiam egit, ci- » licium ego ei tradidi, quo ipse cùm fuisset deli- » catissimus, ad carnem utebatur &c. *Ad calcem exem- » pli addit Stephanus:* Hanc visionem & admonitionem » factam esse audivi ab uxore dicti principis qui co- » mes erat & uxor religiosa, devota & sancta, » quæ hoc mihi retulit & loca & personas, nomi- » na quorum reticeo propter scandalum aliquo- » rum «. Hoc exemplum Vincentiaster referens totidem verbis col. 802. D. sic immutat: *Item in quadam maxima abbatia Cisterciensis ordinis &c.* & infra. *Confessor suus ei cilicium tradidit &c.* tandem resecat finem, historiæ sic omnem fidem detrahens, quam asseruerat Stephanus se testem oculatum & auritum exhibens. Sed quid facias insigni plagiario?

D. 10 *de sententiæ prolatione* & D. 11 *de sententiæ executione, & de judicium subsequentibus.* Ex tractatu serm. 7, 8 & 9 iisdem titulis & eodem tenore.

Lib. 2. P. III D. 1. *Quod infernus sit & de situ ejus.* Alternatim ex tract. par. 4 serm. 1 de inferno, & ex lib. de 7 donis p. 1 de dono timoris tit. 4 de inferno cap. 1, 3, 2, 6, 5 permiste omnia.

D. 2 *de acerbitate pœnarum.* Alternatim ex tract. serm. 2 eod. tit. & ex dono timoris tit. 4 cap. 3. NOTA. Stephanus hoc exemplum sic refert: » Vi- » di ego quemdam religiosum sanctum virum, qui » cùm esset novitius traditus fuit diabolo &c. *finit » verò sic*, qui referebat quasi de alio, quæ credidi » completa in ipso «. Vincentiaster idem narrans sic circumcidit: *Legitur quod quidam vir sanctus & religiosus &c.* & in fine, *quæ credidit completa in ipso.* Quod absurdum, sed plagiarium demonstrat.

D. 3 *de æternitate pœnarum inferni.* Alternatim ex tract. serm. 3 ejusdem tituli, & de dono timoris cit. cap. 3. Quædam sunt aliunde corrasa.

D. 4. *de pœnarum recordantium utilitate.* Excepto quodam loco S. Prosperi de vita contemplativa, qui desumtus ex tract. serm. 3 cit. §. 6 reliqua sunt de dono timoris tit. 4 cap. 9 de consideratione & meditatione pœnæ inferni, sed articulorum ordine inverso. NOTA. Sic Vincentiaster col. 829. D. nempe post exemplum magistri Jordani: *Item ibidem parum ante. Cum B Bernardus omnes fratres ad sua religionis &c.* Fallor si quis unquam legendo speculum morale, attenderit ad illa verba (*item ibidem parum ante*) & quid ille sibi velit, intellexerit. En mysterium. Scilicet Vincentiaster indicat exemplum illud B. Bernardi in libro de 7 donis scriptum esse paulo ante exemplum M. Jordani, ut revera, paulo ante scriptum est: nam hoc Jordani est effectu 10 cod. Sorb. fol. 155 col. 4. At illud Bernardi est effectus 3 folii ejusdem col. 1. Hanc itaque notam sibi privatim scripserat, dum distinctionis ordinem concinnabat Vincentiaster, nempe Bernardi exemplum licèt prius in libro de 7 donis scriptum, a se posterius referendum ne sibi excideret: notam verò postea delere oblitus est, eamque scriptores deinceps retinuerunt, insigne jam plagii indicium.

Non omittendum quod post allatum exemplum S. Bernardi addit auctor libri de 7 donis: » Hæc « audivi, inquit, in loco ipso ubi prædicatio facta « est, a Domino Calone domino de Fontanis pro- « nepote B. Bernardi in loco nativitatis suæ Fonta- « nis dicto «.

NOTA iterum. Sic Stephanus hoc exemplum refert cod. Sorb. fol. 155 col. 1. » Item audivi quod cùm quidam scholaris magnus clericus visitaret « quemdam socium suum qui intraverat ordinem Præ- « dicatorum &c. *& ad finem exempli:* Quod nec in ca- « mera nec in lecto valens dormire aut quiescere « compulsus est ordinem dictum intrare. Hæc au- « divi a F. Huberto magistro ordinis Prædicato- « rum «. Idem iisdem verbis refert Vincentiaster col. 829. F. sed rescindens quæcumque ordinem Prædicatorum spectant, sic se ostendens ab eo alienum & non tantùm plagiarium.

D. 5 *de acerbitate & æternitate pœnarum, & 6 de revelationibus*, integræ & eodem tenore ex tract. serm. 4 & 5.

Libri hujus 2. Pars IV *de præmiis beatorum* ipsissima est pars V tractatus de consideratione novissimorum a capite ad calcem nullo addito nullo rescisso.

Liber tertius P. I D. 2 *de cogitatione.* Ex lib. de 7 donis parte 4 de dono fortitudinis tit. 2 cap. 1 de cogitatione mala cod. Sorb. fol. 315 col. 1.

D. 3 *de custodia linguæ.* Pars 2 de cavendis peccatis linguæ ex lib. de 7 donis loc. cit. tit. 3 cap. 1 de peccato linguæ fol. 316 col. 2. NOTA. Sic Stephanus fol. 317 col. 2. » Audivi a Fratre « Gaufrido de Bleves, quod cùm quidam in mari « haberet uxorem suam secum linguatam &c «. Sic immutat Vincentiaster. *Narratur de quodam quod cùm ipse in mari &c.* eadem.

D. 4. *de silentio.* Ex lib. de 7 donis tit. mox cit. cap. 6 & 7 de silentio fol. 320 col. 2 inverso articulorum ordine.

D. 5 *de custodia sensuum.* Ex lib. de 7 donis loc. cit. tit. 4 de corruptela & custodia 5 sensuum mutato ordine.

D. 6 *de tentatione.* Excursio moralis longior ex lib. de 7 donis loc. cit. tit. 1 de tentatione cod. Sorb. fol. 304. col. 1. NOTA. Hæc exempla sic refert Stephanus fol. 306 col. 3. » Item audivi a « F. Jordano ordinis Prædicatorum, quod cùm di- « vino judicio quidam Frater arreptus esset a dæ- « mone &c. *Alterum:* Item audivi in quadam civi- « tate quamdam mulierem sic seductam, quæ etiam « mihi demonstrata hoc verum esse quod dicam re- « cognovit, cui satis fides super hoc adhiberi po- « terat. Incepit ipsa aliquando apud se cogitare &c. « *& in fine exempli:* Hoc apud Lugdunum factum « est, & hæc ipsa retulit mihi coram Fratre Remeo « quondam ibi priore Fratrum Prædicatorum circa « annum Domini MCCXXIII. *Aliud:* Item vidi ego « hominem in religione novitium, qui multum esset « solicitus de nocte evigilans & rogans, cùm alii « dormirent, Deum & B. Virginem &c. *Aliud:* Vi- « di aliquem pium & religiosum & probum cleri- « ricum in novitiatu suo tentatum, utrum mundus «

» aliud esset nisi somnium aliquod &c. *Aliud* : Item » cùm ego in quadam civitate essem contra hære- » ticos, & inquirerem de mandato apostolico, quæ- » dam nobilis mulier sancta & innocens accessit ad » me dicens, quod offerebat se ad comburendum » tanquam hæretica deterior omnibus, qui pro in- » fidelitate comburebantur &c. *& postea* : Cùm au- » tem ego quærerem, si illis cogitationibus acquies- » ceret &c «. In his occulatum testem & actorem se præstat Stephanus. Vincentiaster qui certo aliunde habere non potuit, principia rescindens, & exempla in tertiam personam immutans, callidum tantùm se probat plagiarium : nam in hac distinctione nihil habet suum præter quatuor exempla ex vita B. Francisci & B. claræ.

D. 7 *de occasione tentandi*. Integra ex lib. de 7 donis tit. cit. cap. 12 de 10 quæ dant diabolo occasionem tentandi fol. 311 col. 1 eodem tenore.

D. 8 *de remediis contra tentationes*. Integra ibidem, cap. 13 de 25 per quæ repugnat fortitudo contra tentationes. Solo mutato ordine.

D. 9 *de utilitate tentationum*. Pro maxima parte ibid. cap. 16 de multiplici tentationum utilitate fol. 314 col. 2. Plura aliunde corrasa & intermista.

D. 10 *de verbo Dei*. Integra ordine solùm inverso ex lib. de 7 donis parte 2 de dono pietatis tit. 1 de verbo Dei cod. Sorb. fol. 190 col. 1. NOTA. Sic Stephanus de Borbone : » De B. Dominico pa- » tre nostro dicitur in legenda ejus, quod videba- » tur matri ejus prægnanti &c «. Vincentiaster rescecat has voces (patre nostro) sic se ex ordine Prædicatorum non fuisse declarans.

Lib. 3 P. II D. 19 *de peccati diversis effectibus*. Excursio moralis longior integra eodem tenore ex lib. de 7 donis par. 1 de dono timoris. tit. 8 de timore peccati. cod. Sorb. fol. 181 col. 3. NOTA. Exemplum de contracto qui suadebat cæco, ut ad arbores eum portaret, Stephanus in fine, » hoc audivi, » *inquit*, a Fratre Guillelmo priore Bisuntino quon- » dam «. Et in fine sequentis de duobus fratribus uno sapiente altero fatuo, » hoc audivi a F. Ste- » phano de Firmitate, & a pluribus aliis in sermo- » ne «. Utrumque finem resecat Vincentiaster.

Lib. 3 P. III D. 1 *de superbia secundum se*. Integra mutato solùm ordine ex lib. de 7 donis par. 4 de dono fortitudinis tit. 7 de peccatis 7 mortalibus, & 1 de superbia fol. 342 col. 1.

D. 4 *de inepta lætitia*. ex par. 4 cit. tit. 4 cap. 9 de risu fol. 328 col. 2. Sic Stephanus : » Item audivi ego » a mag. Joanne S. Quintini decano in scholis theo- » logiæ dicentem se vidisse in Anglia unum virum » religiosum qui &c «. Hoc principium resecat Vincentiaster, & incipit sic : *Item in Anglia vir quidam religiosus &c.* eadem.

D. 7 *de consuetudine peccandi*. Ex par. 4 cit. tit. 6 cap. 1 de mala consuetudine & cap. 2 de septem quæ retrahunt a mala consuetudine eodem tenore. cod. Sorb. fol. 339 & seqq.

D. 8 *de peccato inanis gloriæ*. a. 5. *circa quæ habeat esse inanis gloria*. a. 6. *quare sit contemnenda gloria mundialis*, & a. 7 *quæ mala vana gloria facit in anima*, ex par. 4 cit. tit. 8 capp. 4, 5 & 6 inverso ordine. cod. Sorb. fol. 345 col. 2. NOTA. Stephanus sic refert hoc exemplum : » Audivi a F. Matthæo priore » Fratrum Prædicatorum Parisius, quod quidam cle- » ricus &c «. Vincentiaster hoc principium resecat, sic incipiens ex abrupto : *Quidam clericus cujusdam ecclesiæ præbendatus &c.* Sed præterea cum Stephano sic promittit col. 1026 D. *Ad hoc faciunt duo exempla quæ sequuntur* : primum tamen solùm refert, alterum resecat, quod tamen habet Stephanus.

D. 9 a. 2. *Quæ ad ambitionis vitium detestandum movere nos debent?* Ex par. 4 cit. tit. 8 cap. 18 de ambitione. cod. Sorb. fol. 359 col. 1.

D. 10 a. 2. *Quæ movere debent ad detestandum vitium hypocrisis*, & a. 3 *de differentiis & modis hypocrisis*. Ex loc. mox cit. cap. 19 & 20 fol. 366 col. 1 solo ordine mutato.

D. 11 §. 2 *de adulatione*. a. 3. *Quæ possunt & debent movere ad hoc vitium detestandum?* Excursio maximam partem transcripta ex par. 4 cit. tit. 9 de invidia, cap. 7 de adulatione cod. Sorb. fol. 420 col. 2. Quædam aliena intermiscentur. NOTA. Mirum a Stephano Guiardum ex cancellario Parisiensi dici episcopum Tornacensem, quem omnes ejus ætatis Cameracensem perhibent. Cùm idem erratum habeat Vincentiaster, & hìc indicat se illum exscripsisse.

D. 17 a. 9. *Quæ movere debent ad scandalum fugiendum?* & §. 2 *de scandalo passivo vitando*. Excursiones morales ex par. 4 cit. tit. 5 cap. 1 & seqq. de malo exemplo & bono & scandalo : & cap. 7 de fatuitate accipientium malum exemplum, fol. 330 & seqq. ordine tantùm mutato.

D. 19 a. 5 *de sacrilegio personali*. Excursio ex par. 4 cit. tit. 7 de superbia, cap. 24 de irreverentia, quæ est mater inobedientiæ & filia superbiæ, scilicet de sacrilegio fol. 376 col. 3. NOTA. Sic Stephanus : » Beda presbyter dicitur de Roma veniens « mortuus in quadam villa diœcesis Lugdunensis, « quæ vocatur *Puane* ibique sepultus &c. *& addit in* « *fine* : Ego in dicta ecclesia vidi sepulcrum, & de « hoc est in loco illo fama publica, & credo quod « in loco illo vidi plures, qui viderant eum pluries « & diu ubi prius fuerat, & ab illo loco translatum. « Quidam tamen dicunt illum fuisse Haymonem « expositorem «. Vincentiaster hunc finem totum resecat, sed cùm exemplum ipsum referat, invicte ostendit se non esse Bellovacensem : iste enim spec. histor. lib. 23 cap. 150 disertis verbis asserit Bedam mortuum esse in Anglia in suo monasterio, & suo tempore cum B. Cutberto Dunelmi situm esse, cujus & refert epitaphium : quod sane oblitus non esset, si speculi moralis fuisset auctor. Quantum ad Haymonem Tritemius testatur in suo monasterio Hirsaugiensi sepultum, nec de eo agit Bellovacensis in spec. histor.

D. 20 *de sacrilegio locali*. Excursio longior ex par. 4 cit. tit. 7 cap. 25 de XII propter quæ loca sancta debent venerari fol. 381 col. 1 ordine mutato. NOTA. Stephanus hæc exempla sic refert. Primum fol. 384 col. 2. » Item archiepiscopus Reginaldus « Lugdunensis (*hic sedit a* 1195 *ad* 1227) aliquando « quæsivit a me, unde erat quod loca sacra fulmi- « nibus plerumque ferirentur, & citius quàm loca « profana? Cùm ego respondissem ei, quod mihi « occurrebat, respondit ipse quod expertus erat &c. « *& sub finem exempli* : Et dixit mihi dictus archie- « piscopus quod episcopus Podiensis ei postea dixe- « rat &c «. In quibus testem oculatum & auritum se præstat Stephanus. Exemplum sic immutat Vincentiaster col. 1086. E. *Item archiepiscopus Lugdunensis aliquando quæsivit a quodam Fratre Prædicatore &c.* & postea : *Et dixit dictus archiepiscopus &c.* Quis Vincentiastrum plagiarium non videt? Et hoc probat alterum exemplum, quod sic Stephanus : » Item « audivi ab abbate Joanne Bellævillæ viro sancto, « quod in quadam abbatia, quam ipse mihi nomi- « navit, quam exprimere nolo, ne eos videar an- « notare male, accidit quod cùm monachi essent « similiter congregati in choro, tonitruum maxi- « mum insonuit &c. *& ad finem* : Hoc tamen non « recolo, si aliqui eorum mortui ex hoc fuerint «. Vincentiaster idem exemplum referens iisdem verbis, initium & finem resecat, sicque incipit ex abrupto col. 1087. c. *Item in quadam abbatia, ut dicebat illius loci abbas, accidit quod cùm monachi &c.*

D. 21 *de sacrilegio reali*. Ex tit. 7 cit. cap. 26 fol. 385 col. 1 ordine tantùm mutato.

Sec. XIII. D. 22 a. 3. *Quæ movere nos debent ad peccatum inobedientiæ detestandum?* Excursio moralis ex tit. 7 cit. cap. 21 de inobedientia, fol. 368 col. 4 ordine solùm mutato.

D. 23 *de caussis inobedientiæ.* ex tit. 7 cit. cap. 22 *de eis quæ inobedientiam generant* fol. 371 col. 3 solo ordine mutato.

D. 24 *de contumacia.* Tota ex tit. 7 cit. cap. 23 *de superbia contumaciæ* fol. 373. col. 3 ordine solùm mutato. Nota. Sic exempla hæc refert Stephanus. » Primum: » Item audivi quod in ecclesia S. Vincentii Maticensi (*Matisconensi*) in qua ego puer pluribus annis fui conversatus multæ passeres solebant intrare, & ecclesiam fœdare, & officium impedire. Cùm autem non possent excludi, episcopus illius loci Landericus nomine (*is sedit a* 1074 *ad* 1097) eas excommunicavit &c. *Et postea:* nullam autem earum vidi in dicta ecclesia &c. *Alterum* fol. 374 col. 1. Item audivi a pluribus Fratribus nostris quod cùm quidam episcopus Lausanensis haberet piscatores in lacu &c. *Aliud:* Audivi ab aliquibus Fratribus nostris, quod cùm Alaisia ducissa mater ducis Burgundiæ emisset viridarium pulcrum a quodam sacerdote &c. *& in fine exempli:* Hoc Fratres qui hoc retulerunt, a dicta ducissa (*Vivebat vidua a* 1218 *ad* 1251 *filia D. de Vergiaco*) audierunt. *Aliud fol.* 376 *col.* 1. Item cùm prædicarem in Bellecensi (*Bellai*) diœcesi, & viderem in quodam loco silvam aridam juxta stagnum, cùm quærerem caussam illius ariditatis, dicebant incolæ, quod quidam miles vi abstulerat dictam silvam personis quibusdam religiosis &c. *& in fine:* Dicta silva per plures annos aruerat, & stagnum pisces non habuerat, ut dicebatur mihi. *Aliud:* Item in diœcesi Edicensi (*fortè* Æduensi) apud Marciniacum accidit, ut mihi retulit archipresbyter loci probus & peritus in jure, quod quidam miles in excommunicatione mortuus &c «. Vincentiaster hæc eadem exempla referens totidem verbis, resecat principia, ut plagium celet, cùm tamen aliunde habere non potuisse pateat.

D. 25 a. 2 *Ex quibus oriatur in nobis præsumtio.* Ex tit. 7 cit. cap. 29 *de præsumtione* fol. 388 col. 1 ordine solùm mutato.

Lib. 3 P. IV D. 3 a. 5. *Quæ nos movere debeant ad detractionis vitium detestandum.* Ex lib. de 7 donis par. 4 tit. 8 cap. 4 species 3 invidiæ fol. 416 col. 3 mutato solùm ordine.

D. 4 §. 2 a. 3. *Quæ movere debent ad derisionis vitium detestandum.* Ex eodem tit. cap. 5 de 4 specie invidiæ derisione fol. 419 col. 1 mutato solùm ordine.

D. 5 *de temerario judicio.* Ex eod. tit. 8 cap. 8 de temerario judicio ex suspicionibus malis fol. 421 col. 3 ordine solùm mutato.

D. 6 *de falso testimonio.* Ex eod. tit. 8 cap. 10 fol. 423 col. 4 mutato ordine.

Lib. 3 P. V D. 1 *de ira.* Integra solo ordine mutato ex cit. par. 4 de dono fortitudinis, tit. 5 de tertio principalium vitiorum scilicet de ira fol. 426 col. 3.

D. 2. *Remedia ad iram mitigandam.* Integra eodem tenore, tit. mox cit. cap. 4 de xx remediis contra iram fol. 429 col. 3.

D. 7 *de blasphemia illorum qui passim Deum negant.* Integra solo ordine mutato tit. cit. cap. 7 contra negantes Deum fol. 431 col. 3. Nota. Hoc exemplum sic refert Stephanus fol. 433 col. 1. » Ponimus hîc exemplum cujusdam Saraceni in fide Neophyti, de quo audivi a quodam milite in societate & curia regis Franciæ magni, quod accidit cùm rex Franciæ & Franci cepissent nuper Damiatam &c «. Sic verò immutat Vincentiaster: *Ponitur hîc exemplum cujusdam Saraceni in fide Neophyti, de quo dicitur quod quando rex Franciæ & Franci ceperunt Damiatam &c.* Attendat lector Stephanum loqui de expugnatione Damiatæ ut nupera, anno scilicet 1249, quod ei convenit ea ætate florenti. At illud (*nuper*) Vincentiaster erasit, ut sibi longè juniori & post 1300 scribenti non conveniens: quod novum argumentum est Bellovacensem non esse auctorem speculi moralis, nam sane illud (*nuper*) non expunxisset.

D. 8 *de blasphemia eorum qui se diabolo reddunt.* Integra solo ordine mutato ex tit. cit. cap. 8 contra reddentes se diabolo fol. 433 col. 4. Nota. Stephanus hæc exempla sic incipit: » Audivi quod accidit in Bisuntinensi diœcesi a personis nobilibus, quæ hoc asserebant & locum ubi acciderat vicinum sibi nominabant mihi, ubi homines sunt assueti Deum negare, & se per guttur diabolo reddere, quod cùm quidam luderet ad decios, & omnia amisisset uno denario excepto &c. *Alterum* fol. 434 col. 2. Audivi a F. Milone priore Virdunensi quod cùm quidam calciaret se, & difficulter intraret in sotulari &c «. Sic ille auctores suos semper laudat: Vincentiaster eadem exempla totidem verbis exscribens, principia resecat sicque incipit: *Item cùm quidam luderet ad taxillos* &c. *cùm quidam calciaret se &c.*

D. 9 *de blasphemia propriè dicta.* Integra mutato tantùm ordine ex tit. cit. cap. 9 de blasphemia locutionis fol. 434 col. 3.

D. 10 *de blasphemia annexis criminibus & pœnis.* Et quidem *de criminibus.* Ex tit. mox cit. cap. XI quot & quantis criminibus involvatur blasphemia fol. 436 col. 1 eodem tenore, licèt pluribus rescissis. *De pœnis* verò ibid. cap. 12 quomodo diversimode puniuntur blasphemi fol. 436 col. 4 mutato ordine. Hæc exempla sic refert Stephanus fol 437 col. 1. » Audivi ibidem a Fratribus, quod cùm quidam miles in diœcesi Remensi die cœnæ luderet cum taxillis &c. Item de alio audivi a multis fide dignis, cujus etiam genus agnovi, quod cùm luderet similiter, & horribiliter blasphemaret &c. *Aliud:* Audivi a multis tunc quando accidit Parisius, quod cùm quidam quadrigarius duceret in quadriga multas personas de Parisius ad S. Dionysium &c. *Aliud:* Item quidam nauta in diœcesi Cabilonensi cùm navem duceret & blasphemaret &c. quem frater suus, qui hoc mihi retulit, quærens &c. *Aliud*: Item de quodam audivi, quod in diœcesi Matisconensi accidit, quod cùm blasphemaret, subito percussus &c «. Vincenciaster hæc eadem referens expungit omnia quæ Stephanus ut oculatus & auritus testis addit exemplis.

Lib. 3. P. VI. D. 1 a. 3. *Quæ movere possunt ad vitium acediæ fugiendum.* Ex cit. dono fortitudinis tit. 6 cap. 1 de acidia fol. 437 col. 3 mutato ordine.

D. 2 *de filiabus acediæ & 1 de dilatione.* Integra eodem tenore loc. cit. cap. 4 de dilatione, 3 specie acidiæ fol. 439 col. 4.

D. 3 *de ignavia vel pigritia.* Integra ex tit. 6 cit. ubi 8 species acidiæ est ignavia sive inertia fol. 442 col. 4. Species 4 est desidia sive segnities fol. eod. col. 1. Species 7 est inopia fol. eod. col. 4. Species 5 est insensibilitas ibid. col. 2. Has quatuor in unam conflat Vincentiaster.

D. 4. *de tepiditate* est 2 species tit. 4 cit. fol. 439 col. 4. §. 2 *de pusillanimitate* est 13 species fol. 444 col. 4. §. 3. *de inconstantia* est 11 *species* fol. 444 col. 3. §. 4 *de mollitie* est 14 species fol. 444 col. 4. §. 5 *de inquietudine corporis* est 12 species fol. 444 col. 3. Quædam aliena interserit Vincentiaster.

D. 5 *de ignorantia ad salutem pertinentium.* Integra eodem tenore ex tit. cit. specie 29 acidiæ fol. 452 col. 2.

D. 6

D. 6. *de otiositate.* Integra mutato solùm ordine ex tit. cit. specie 16 acidiæ fol. 445 col. 1. NOTA. a. 5 sic Vincentiaster: *Otiosus perdit tempus suum, bona sua spiritualia, temporalia & æterna.* Licèt autem hæc quatuor proponat, non agit nisi de primo, scilicet *de temporis amissione.* At Stephanus quem ille transcribebat, singula quatuor egregie prosequitur.

D. 7 §. 3 *de murmure.* Integer ex tit. cit. specie 20 acidiæ, fol. 447 col. 1. NOTA. Stephanus hæc exempla sic refert. Primum fol. 447 col. 3: » Audivi a quodam Fratre sacerdote & Prædicatore dicto Fratre Simone, quod cùm quidam eremita miraretur in corde suo murmurans &c. *Alterum:* Audivi a quodam Fratre P. Hispano, quod quidam ordinem intravit, qui noverat carnalem medicinam &c «. Vincentiaster hæc eadem referens principia de more resecat.

D. 8 *de indiscretione.* Integra eodem tenore ex tit. cit. specie 10. acidiæ fol. 443 col. 2. NOTA. Hoc exemplum sic habet Stephanus col. 4: » Item audivi ab eis ut credo quibus accidit, cùm hostes armati insidiarentur quibusdam transeuntibus per viam &c «. Vincentiaster principium de more resecat.

D. 9 *de gravedine.* Ex tit. cit. specie 18 acidiæ, ultimæ 10 lineæ fol. 446 col. 4 §. 2 de somnolentia. Pleraque ex tit. cit. cap. 12 de somnolentia 24 specie fol. 450 col. 1.

D. 10 a. 3. *Quanta mala facit peccatum negligentiæ.* Integra ex tit. cit. cap. 16 de multiplici negligentia 28 specie fol. 455 col. 1 mutato ordine. NOTA. Hoc exemplum sic refert Stephanus: » Cùm Joannes quondam archiepiscopus Lugdunensis navigans per mare &c. *In fine addit:* Hæc audivi a dicto cantore, qui cum eo erat «. Et fol. 608 col. 2 ubi idem repetit, hunc archiepiscopum vocat *Joannem Belesmanis*, qui sedit a 1182 ad 1194, & addit hunc cantorem postea fuisse episcopum Matisconensem. (Hic fuit Pontius de Thoire electus 1199) Vincentiaster utrumque finem resecat.

D. 13 *de indevotione.* Integra eodem tenore ex tit. cit. specie 6 acidiæ fol. 442 col. 3. §. 2 *de languore.* ex tit. cit. specie 22 acidiæ fol. 449 col. 2.

D. 14 *de impeditione bonorum.* Integra eodem tenore ex tit. cit. specie 25 cap. 13 de impeditione boni, fol. 451 col. 3. Vincentiaster ab artic. 10 pleraque resecat. §. 2 *de tædio vitæ.* Ex eod. tit. specie 17 fol. 446 col. 4. §. 3 *de impœnitentia.* Ex eod. tit. cap. 12 eodem tenore, specie 32 fol. 462 col. 3. NOTA. Vincentiaster ad finem sic legit: *Ad hanc materiam pertinet, quod habetur supra de imperseverantia &c.* Tamen certo supra nihil habet *de imperseverantia.* Cur ergo sic loquitur, nisi quia librum de 7 donis exscribit, ubi sic legitur, & merito: nam in eo imperseverantia est 23 species acidiæ, fol. 449 col. 3 quam resecavit Vincentiaster.

D. 15 a. 4 *motiva contra desperationem.* Excursio integra & eodem tenore ex tit. cit. specie 27 cap. 15 de XII quæ dissuadent desperationem, fol. 453 col. 3.

Lib. 3 P. VII D. 2 *de detestatione avaritiæ.* Excursio longior ex par. 4 cit. de dono fortitudinis tit. 7 de avaritia cap. 1 fol. 463 col. 2 ordine mutato.

D. 8 a. 2 *motivo ad detestandum perjurium.* Excursio integra ex par. 4 cit. tit. 8 de invidia cap. 11 fol. 425 col. 3. NOTA. Hoc exemplum sic refert Stephanus: » Item ad idem & de retentoribus legatorum similis (*casus*) accidit similiter imprecantibus, secundùm quod ego audivi in diœcesi Claromontensi in villa Revino. Audivi a Fratre Radulpho de Conarei, qui tunc erat prior Claromontensis cùm accidit, quod cùm quidam usurarius moreretur pœnitens &c «. Vincentiaster idem exemplum referens, resecat ista; *secundùm quod ego audivi &c.* usque *cùm quidam usurarius.*

D. 10 a. 4. *Quæ dissuadent furtum & rapinam.* Excursio longior integra ex tit. cit. 7 de avaritiá cap. 16 fol. 481 col. 2 solò ordine mutato. Hæc exempla sic refert Stephanus. Primum: » Vidi ego quemdam latronem, qui confitebatur mihi in quadam silva, quod per septennium habitaverat in silvis sine tecto spolians transeuntes &c. *& postea:* Cùm autem ego multum laborassem circa eum convertendum & ad terram transmittendum solus cum eo, quia nec patiebatur socium nostrum accedere &c «. Sic autem immutat Vincentiaster col. 1287 E. *Quidam latro confitebatur cuidam Fratri &c.* & postea, *cùm autem Frater multum laborasset &c. quia nec patiebatur socium Fratris accedere &c.* Alterum: » Accidit in diœcesi Matisconensi circa annum Domini MCXC quod quidam Vicecomes habens ibi castra plura & fortia &c. *& postea:* Hic autem, ut audivi ab antiquis fidelibus, vel compulsus timore regis Francorum, vel voluntarius, nescio quo istorum, crucesignatus, cùm iter arriperet trasmarinum, dimisit terram suam & castra, scilicet castrum novum, & castellum Ducii & alia sua comiti Giraudo &c. cujus hæredes ut vidi satis laboraverunt pro dicta terra habenda apud regem, & non sunt auditi &c «. Sic Stephanus. Vincentiaster verò resecat, *ut audivi ab antiquis fidelibus, ut vidi*, & nomina castrorum: sic non tantùm se plagiarium præstans, sed & exemplis omnem authoritatem detrahens. Omitto cætera.

D. 11 a. 5. *Quæ movent ad detestationem usuræ.* Excursio moralis longior ex tit. cit. de avaritia cap. 10 de usura fol. 474 col. 3. Hæc exempla sic narrat Stephanus: » Refero quod vidi oculis meis, cùm essem juvenis studens Parisius, & venissem ad ecclesiam B. Virginis die sabbati ad vesperas audiendas, vidi ibi hominem portatum in lecto, qui in aliquo membrorum suorum patiebatur &c. *Alterum:* Vidi ego in civitate Bisuntina quemdam usurarium magnum, qui cùm jocundus sedisset ad mensam suam & comederet, subita morte &c «. Sic ille ocularem se testem præstat. At Vincentiaster eadem exempla totidem verbis referens, ista principia resecat, adeo ut an vera an ficta narret merito dubites.

D. 12 par. 2 *de acceptione munerum.* Fere tota ex tit. mox cit. cap. 31 de acceptione munerum illicita fol. 487 col. 1.

D. 13 *de avaritia advocatorum.* Exceptis 15 primis lineis integra ex tit. mox cit. cap. 13 fol. 488 col. 4 mutato solùm ordine.

D. 15 a. 2 *de aliis pœnis simoniacorum.* Excursio integra ex tit. mox cit. cap. 37 de pœnis quibus simoniaci puniuntur fol. 492 col. 4 ordine solùm mutato.

D. 16. *Quam detestandum sit crimen simoniæ.* Integra ex tit. cit. cap. 35 de XIIII quæ dissuadent simoniam fol. 490 col 4.

D. 17 *de speciebus simoniæ.* Integra eodem tenore loc. cit. cap. 38 per quæ male spiritualia acquiruntur fol. 493 col. 2.

D. 18 *de avaritia claustralium.* Integra ordine solùm mutato loc. cit. cap. 40 de peccato proprietatis claustralium fol. 495 col. 3.

Lib. 3 P. VIII D. 1 a. 4. *Motiva ad detestationem gulæ.* Excursio moralis longior ex tit. 8 de gula cap. 1 fol. 530 col. 4 ordine mutato.

D. 2 P. 2 *ebrietas detestanda.* Integra ex tit. mox cit. cap. 5 de ebrietate quæ est prima species gulæ fol. 558 col. 1 mutato ordine.

D. 3 *de frequentatione tabernarum.* Integra loc.

Sec. XIII. cit. cap. 8 contra frequentationem tabernarum fol. 541 col. 2 ordine mutato.

D. 4 a. 8. *Ludus confusionis*. Integra loc. cit. cap. 9 de ludo detestabili fol. 342 col. 1 ordine inverso.

Lib. 3 P. IX D. 3 *de detestatione luxuriæ*. Excursio longior tota ex par. 4 cit. de dono fortitudinis tit. 12 de luxuria cap. 1 de XX quæ ostendunt luxuriam valde detestabilem fol. 498 col. 3 ordine mutato. Nota. Hæc exempla sic refert Stephanus. » Narravit F. Henricus Coloniensis, qui fuit in » Colonia primus prior FF. Prædicatorum, Remis » in quodam sermone, quod quidam qui multum » luxuriose vixerat, in fine niger factus ut carbo » &c. *Alterum*. De quodam magno comite audivi » a fide digno viro religioso, quod cùm dictus co- » mes inter alia flagitia sua fuisset enormiter lu- » xuriosus &c. *Aliud*. De alio autem magno prin- » cipe, qui prædicto fuit contemporaneus & fami- » liaris, retulit vir religiosissimus idem qui supra » quod habuerat a fide dignis, quod cùm dictus » princeps in vita sua se effudisset &c. *& sub finem:* » Nomina autem personarum licèt sciam, non ex- » primo, quia posset esse vel in periculum vel in » scandalum aliquorum «. Sic ille res sua ætate gestas narrat ac fidem dictis astruit. Vincentiaster hæc totidem verbis referens principia resecat, & immutat in *dicitur, dicitur*, adeo ut an vera narret, locus sit dubitandi, sed non, an plagiarius.

D. 4 *de generantibus luxuriam*. Tota eodem tenore ex tit. cit. cap. XI de XX fomentis luxuriæ fol. 509 col. 2.

D. 5 *de fugienda societate mulierum*. Tota eodem tenore ex tit. cit. cap. XII. Quantum sit vitanda cohabitatio mulierum fol. 510 col. 3. Nota. Hoc exemplum sic refert Stephanus: » Novi per- » sonas olim a quibus audivi quæ referam sibi acci- » disse, quæ pensata poterunt esse ad cautelam mul- » tis, & sunt ut æstimo plusquam XX anni quod ab » hoc seculo migraverunt. Fuit enim alter sacerdos » secularis habitu, qui religiosam vitam a pueritia » sua duxerat &c «. Vincentiaster idem totidem verbis narrans principium resecat de more, & incipit ex abrupto: *Fuit quidam sacerdos &c.* Sed & in aliud incommodum incidit col. 1594 A ubi longiorem enumerationem habet exemplorum quasi superius a se relatorum, quorum pleraque non retulit. Sic enim ibi legitur: *Item in isto tractatu de luxuria supra.*

De nobili muliere & advocato. Item de monacho ludificato.

Item de muliere versa in serpentem, sub cujus specie ludificavit diabolus militem.

Item de monacho decepto per mulierem sui generis & grilone subvertente se.

Item ibi ponuntur exempla multa de gaudio dæmonum pro ruina monachorum.

» Et de dæmonibus tentantibus in specie mulie- » rum.

» Item de eremita tentato per gallum.

» Item de casu S. Marthæ neptis S. Abrahami.

Item de monacho sene & infirmo, & filio inobedientiæ quem habuit de virgine, quæ sibi ministrabat.

Item de deceptione Aristotelis per reginam.

Item supra de Fredegundi regina, quæ fecit occidi virum suum.

Horum exemplorum quæ charactere Italico exhibemus, nullibi meminit Vincentiaster: cur ergo laudat, nisi quia sic scriptum invenit in libro de 7 donis, ubi exempla illa revera locis indicatis narrantur?

D. 6 *de choreis*. Tota ex tit. cit. cap. 14 de fugiendis choreis fol. 513 col. 1 ordine inverso. Hæc exempla sic refert Stephanus: » Audivi a F. Phi- » lippo primo priore in domo nostra Remensi, quod « in diœcesi Suessionensi, cùm in ecclesia quadam, « in qua factæ fuerant choreæ &c. *& sub finem:* « quem viri loci illius ostenderunt dicto Philippo in « testimonium. Dictus autem homo a dæmonibus « verberatus retulit coram magistro Joanne de vi- « neis, qui tunc temporis erat maximus prædicator « & clericus in Francia. *Alterum*. Accidit in diœ- « cesi Lugdunensi cùm comes Forensis & Nivernen- « sis Guido deberet transfretare, & vocasset ma- « gnam curiam in natali Domini, & multum post « officium Dei vacassent in ducendis choreis &c. « *ad finem:* Ego autem sequenti die ibi veniens, sic « inveni «. Primi principium & finem & secundi finem pro more resecat Vincentiaster. Cætera omitto. Partis decimæ seriem vide postea ubi de S. Thoma de Aquino.

Diducta jam & veluti ob oculos expansa tota Speculi moralis serie, indicatis auctoribus saltem præcipuis ex quibus farrago illa coalescit, ac unicuique quæ sua sunt redditis, ad punctum tertium a nobis propositum accedendum est, & Speculum morale opus esse seculi XIV ostendendum.

Primò enim, ut ex serie totius operis constat, tractatus de consideratione novissimorum totus in eo convasatus fuit, tres priores distinctiones Speculi moralis, illius tractatus sunt tres primi sermones totidem verbis: Libri 2 Speculi tres priores partes de morte, judicio & inferno ex dicti tractatus 2, 3 & 4 parte & ex prima parte libri de 7 donis, scilicet de dono timoris permistis, totæ compactæ sunt & coagmentatæ: Libri 2 Speculi pars quarta eadem est totidem vocibus cum quinta parte dicti tractatus de consideratione. Superest igitur, ut quandonam scripserit tractator ille anonymus retegatur; quod ille clare indicat parte 3 *de judicio extremo sermone 2*, in quo sic habet: *Denique nuper diebus istis etiam christiani nostri propter eorum peccata nefaria, quæ magis tacenda censui quàm pandenda, justo Dei judicio per manus infidelium nefandorum trucidati, captivati, vel in fugam conversi, de Terra-sancta promissionis, quam Dominus Jesus sua benedicta nativitate, conversatione & morte sacratissima consecravit, turpissime sunt ejecti, quia flagitiosam eorum vitam non poterat amplius sustinere &.* Quo igitur anno scribebat tractator, jam & nuper e terra sancta Christiani fuerant ejecti, quæ ejectio alia non potest intelligi, quam cùm Aconem, aliàs Ptolemaida, Saraceni invaserunt. Quamdiu enim stetit illa civitas, Terram-sanctam obtinere sese jactabant Christiani: ubi verò sub infidelium armis ruit, tum revera accidit quod ait auctor, fideles qui aderant trucidatos plerosque, alios in captivitatem abductos, paucos aut expulsos, aut fuga potius hostis gladio subtractos, quorum etiam magna pars cum patriarcha Hierosolymitano F. Nicolao de Hanapis ordinis Prædicatorum ob nimiam ejus in excipiendis in suo navigio fugientibus caritatem præ graviori pondere fluctibus submersa est. Ad hanc cladem ingemuit Ecclesia Occidentalis, seque tum agnovit, lacrymisque sanguineis luxit e Terra-sancta ejectam. De quo casu sic Tholomæus de Luca noster Hist. Eccl. nov. lib. XXIV cap. 23 *Acon deleta, delentur omnes in circuitu regiones, & sic de regno Hierosolymitano nec de tota terra promissionis remansit aliquid, quod non sit occupatum a Saracenis.* Quæ Tholomæi relatio mire concinit cum verbis tractatoris. Ex quibus plura infero: Primò cùm anno 1291 contigerit excidium illud Aconis, ut vocant, post eum annum tractatorem librum suum de consideratione novissimorum scripsisse: 2 Speculum morale aliquo saltem tempore postea scriptum ab auc-

tore suo fuisse, ut pote in quo totus ille tractatoris sermo secundus de judicio, verbo tenus eodem tenore transcriptus legitur *lib 2 par. 2 de judicio dist. 2 de mundi consummatione*, & speciatim locus laudatus de nupera ejectione Latinorum e Terra-sancta col. 765 C. Ed. Duac. Tertiò Vincentium Bellovacensem anno 1264 mortuum Speculi moralis auctorem non solùm non fuisse, sed nec esse potuisse: neque enim quandiu ille vixit, Latinos christianos e Terra-sancta nuper ejectos dicere potuit. Imo in Speculo historiali ubi S. Ludovicum dimissum e carcere liberum narravit, addit continuo eumdem in Terra-sancta contra plurium consilium remanere statuisse, ut civitates a Christianis adhuc occupatas muniret: quod & præstitit adeo egregie, ut post ipsius obitum annis pluribus steterint adhuc, nec nisi anno 1291 clades illa luctuosa contigerit.

Amplius. Ex ipso Speculo morali constat illud nonnisi post ejusdem S. Ludovici regis in album Sanctorum relationem, (quæ anno tantùm 1297 facta est 3 idus augusti,) a suo auctore scriptum ac editum: si quidem in eo *lib. 3 par. 3 dist. 1 de superbia secundùm se*, edit. Duac. col. 992 C Beatissimus dicitur. Locum en exhibeo: *Ad idem etiam facit consideratio infirmitatis alienæ, sicut de Josaphat & Barlaam dicitur, quod cùm Josaphat videret secum leprosum & decrepitum senem, & audivit quod humana miseria poterat ad hoc devenire, ingemuit intra se humiliatus. Item dicitur quod Odo episcopus Parisiensis cùm comederet, despicabiliores pauperes faciebat ante se poni alios hinc & alios inde. Hoc idem faciebat beatissimus Ludovicus. Ad idem etiam valent exempla &c.* Ubi notanda potissimum illa linea: *Hoc idem faciebat beatissimus Ludovicus.* Licèt enim supra monuerim, hanc distinctionem totam esse corrasam ex libro de 7 donis, hanc solam lineam ex suo adjecit Vincentiaster loco exempli S. Martini quod affert Stephanus de Borbone, ille verò resecavit, ut hoc S. Ludovici insereret. Porro ex his verbis plura infero, primò auctorem Speculi moralis scripsisse post mortem S. Ludovici regis: si enim eo vivo scripsisset, dixisset, *hoc idem facit*, quandoquidem id misericordiæ genus ad ultimum vitæ exercuit: dicendo autem, *faciebat*, indicat cùm hæc scriberet jam amplius non facere, ac proinde mortuum: 2 non solùm mortuum, sed jam etiam Sanctorum albo inscriptum. Modus enim ille loquendi demonstrat usum vulgo receptum, adeoque sanctitatem jam decreto pontificio declaratam, cultumque eidem tum ut Beato exhibitum, ita ut auditis his verbis, *hoc faciebat beatissimus Ludovicus*, omnes intelligerent de eo hujus nominis nono, qui Gallis vivens imperaverat, sermonem esse. 3. Et hîc experiris quod pluries monui, falsarios nunquam ita sibi cavere, quin sibi ipsis mentiantur. Sic Speculi moralis auctor opus illud Vincentio Bellovacensi supponendo, fraudem suam occultam semper fore putavit: at quinque illis vocibus, *hoc idem faciebat beatissimus Ludovicus*, quas veluti aliquid grande de suo depromens acceptis ex libro de 7 donis inseruit, etiamsi alia deessent, mendacium revelavit, cùm illæ in Bellovacensem cadere non possent, sex minimum annis defunctum ante sanctum regem, ac de quo non dixisset, *sic faciebat*, sed *sic facit*, & quem quantumcumque revereretur, *Beatissimum* nunquam appellavit nec appellasset. His adde quæ postea ubi de S. Thoma dicemus, ubi nonnisi post annum MCCC editum demonstrabitur.

Imo etsi forsan hoc opus circa 1310 inchoatum fuerit, neque enim cujus est artis labor est unius anni, sed minimum decem annorum, nondum anno 1320 fuisse confectum, saltem nondum in lucem editum & commune conjicio, ex eo quod illo anno divisio tantùm trimembris in prologo, non quadrimembris ut postea legeretur. Idprobo ex Tabula celebri, quam quidam presbyter Joannes Hautfuney dictus in Speculum historiale concinnavit, cujus tabulæ exempla MSS passim occurrunt in bibliothecis antiquis. Laudatur a Tomasino in suis bibliothecis Venetis inter codd. MSS S. Antonii. Item in Indice codd. MSS Angliæ T. 1 P. 11 n. 1314 & T. 11 P. 1 n. 7327, nec dubium quin sit aliâs communissima. Hîc solùm Parisiis sub manus inciderunt exempla quinque, duo in Colbertina 1130 & 2378, duo in Victorina 988 & 595, unum in Augustiniana 272 & in monasterio regio Pissiacensi adhuc unum. In procemio autem quod huic tabulæ cura summa ordinatæ auctor præmittit, agens de Speculo magno Vincentii Bellovacensis, dicit illud in tres summas egregias & perutiles partitum esse: quod argumento est, cùm ea tabula confecta est, trimembrem adhuc tantùm seu trifariam ut loquitur Vincentius in prologo, Speculi magni divisionem lectam fuisse. Nam si quadrifaria seu quadrimembris quæ nunc in eo legitur, jam tum fuisset, proculdubio Joannes Hautfuney non tres summas tantùm, sed quatuor ut pote omnes fere sibi æquales laudasset. En ejus verba: » Quia verò breves « dies hominis sunt, ac faciendi libros nullus est « finis, & perscrutandæ infinitati librorum nemo « sufficeret, licèt ad hoc cunctis occupationibus « aliis prætermissis penitus se præberet, F. Vincen- « tius de Belvaco cum collegis suis ordinis Prædi- « catorum, ut & penuriæ seu defectui librorum plu- « rium qui communiter non habentur consulerent, « & humanum fastidium revolvendi plures magnos « libros pro videndo uno facto vel auctoritate no- « tabili in brevitate vitæ hominum relevarent, de « floribus pene librorum omnium cujuslibet appro- « batæ facultatis vel artis, qui suis temporibus po- « terant reperiri, *tres summas egregias ac perutiles compilarunt*, in quibus communiter & appro- « priate tractantur ea, per quæ animæ suadetur, ut « ad infusionem gratiæ gratum facientis operando « quod in se est se disponat, & per quæ partes ima- « ginis per peccatum primi hominis deturpatæ pos- « sent aliqualiter reparari «. *Prima enim dicitur Speculum naturale, in qua appropriate tranctantur speculabilia, per quæ exercitatur intellectus in cognitione veri: secunda Speculum morale in qua tractantur moralia, per quæ excitatur affectus in operatione boni: tertia Speculum historiale, in qua tractantur gesta & dicta virorum illustrium, per quæ confortatur memoria, ut ipsa quasi prudens thesauraria specierum verum speculandum & bonum operandum intellectui & affectui repræsentet.* Ubi Speculum doctrinale vocatur ab eo morale, quia sic vulgo dicebatur, quamdiu trifaria tantùm divisio in prologo Vincentii lecta est, ut constat ex dictis supra de Henrico Gandavensi, qui & illud etiam morale appellat. Divisionem autem trifariam tantùm a Joanne Hautfuney in prologo Speculi Historialis quem habebat præ oculis dum ejus indicem concinnaret, lectam ex eo constat, quod triplicis Speculi & triplicis summæ solùm meminerit.

Quandonam verò Tabula illa edita fuerit, haud difficile est indicare: nempe eam S. tituli S. Priscæ presbytero cardinali (sic legitur in codd. MSS Parisiensibus laudatis) nuncupavit: qui alius non est quàm Simon de Archiaco Gallus Sanctonensis archiepiscopus Viennensis: primus enim ille est ab obitu Bellovacensis, cujus nomen ab S. inchoetur, & tit. S. Priscæ cardinalis fuerit anno 1320 dec. 20 a Joanne XXII ad purpuram evectus, teste nostro Bernardo Guidonis præsente & oculato: & revera in cod. MS ejusdem tabulæ monasterii nostri

SEC. XIII. Pissiacensis legitur (Simoni) ergo 20 dec. 1320 nondum interpolatus fuerat nec corruptus Vincentii prologus, nondum divisio quadrifaria trifariæ substituta: nondum speculum morale quale nunc circumfertur consarcinatum, saltem non publicatum nec vulgo cognitum.

Objiciet forsan quis, in tractatu F. Stephani de Salanhaco, *de quatuor in quibus Deus Prædicatorum ordinem insignivit*, non solùm laudari Vincentium Bellovacensem, sed & quadrifariæ divisionis magni ejus Speculi mentionem fieri. Salanhacus autem mortuus est anno 1290 & scribere cessaverat anno 1278. Quæ a nobis hactenus astructa videntur evertere. Sic enim legitur in dicto tractatu tit. *Fratres viri illustres in scriptis & doctrina. Frater Vincentius Belvacensis compinxit opus insigne & famosum toti orbi agnitione in agnitionem, quod quatuor Speculis distinxit, vocans unum Speculum naturale, aliud morale, aliud historiale, quartum verò doctrinale, in quibus totum orbem, imo totum universum possunt legentes lucide fideliter speculari. Item scripsit &c.* Sic enim legitur in codd. MSS Burdigalen. Carcassonen. imo & in uno ex Tolosanis. Hanc fateor notitiam nondum habueram, cùm dissertationem laudatam cui titulus, *S. Thomæ summa suo auctori vindicata*, in lucem edidi, alioquin jam tum nodum solvissem, ut jam facillime solvetur.

Sciendum itaque tractatum laudatum Salanhaci modo purum non haberi, sed tantùm a Bernardo Guidonis interpolatum pluribus ubique insertis & capitibus vel articulis integris & longioribus identidem adjectis. Quod & ipse Bernardus monet in titulo qui talis est: *Incipit tractatus brevis F. Stephani de Salanhaco Lemovicensis diœcesis, de quatuor in quibus Deus Prædicatorum ordinem insignivit: sunt autem plurima superaddita quæ inventa fuerunt, in eodemque omissa fuerant, vel quæ postmodum evenerunt, & addi etiam poterunt in futurum secundùm exigentiam suis locis.* Quod & idem Bernardus repetit in præfatione quam præfixit eidem tractatui, ubi sic habet: *in quo* (tractatu) *secundùm exigentiam materiæ nonnulla, quæ omissa fuerant & plura quæ postmodum evenerunt superaddidi, prout ipse vir in principio operis faciendum esse innuit, & similiter fieri poterit in futurum. Addita verò in margine sæpius sunt signata.* Quod utinam semper & ubique factum fuisset. Attamen sæpius id factum in cod. MS Tolosano majori & antiquiori in folio magno, in quo sæpius ad marginem legitur *Additum*, imo aliquando in capite. Sic sub titulo, *Fratres passi pro fide*, post pauca legitur, *Addita pro majori parte quæ sequuntur*, & sequitur longior narratio de laboribus nostrorum pro Ecclesia: & sub titulo, *sequitur de quarto & ultimo, scilicet de securo modo professionis & vitæ*, ad marginem sic legitur: *F. Stephanus, sed multa addita sunt locis suis*: & postea identidem ad marginem: *Additum ex chronicis*, *Additum ex chronicis.* Ad titulum de prælatis Ecclesiarum ex ordine assumtis sic habetur in margine: *Addita sunt quæ sequuntur de prælatis assumtis ex ordine Prædicatorum.* Revera in ipso prologo innuit Bernardus Salanhacum de illis nihil scripsisse, sed verbo tenus ab eo sibi dictum in concilio Lugdunensi II sub Gregorio X plusquam XXX episcopos ex ordine assumtos affuisse. Porro sub titulo, *Fratres viri illustres in scriptis & doctrina*, in margine indicatur qui laudati a Salanhaco, qui postea adjecti. Ad articulum ubi de F. Thoma de Aquino, legitur in margine, *Additum*: & postea ad articulum ubi de F. Vincentio Belvacensi supra totidem verbis relatum, legitur ad caput in margine, *Addita quæ sequuntur.* Et sane qui Salanhacus, qui juxta Bernardum scribere desiit anno 1278 & vivere 1290 opus quale est Speculum morale laudasset, in quo fit mentio bullæ Martini IV anno 1282 datæ & ejectionis christianorum Occidentalium e Terra-sancta, quæ non accidit nisi 1291, & sunt plus 56 articuli ex commentario Ricardi de Mediavilla in sententias, quod non prodiit nisi post 1300.

Certum igitur esto articulum illum de Vincentio Bellovacensi, ut & sequentes & plurimos antecedentes pura puta esse additamenta Bernardi Guidonis, qui cùm catalogum episcoporum ex ordine assumtorum dicat se tantùm anno 1311 inchoasse, ac deinde annis sequentibus auxisse, catalogum scriptorum qui posterior est in codice, verisimillime auxit etiam post 1320 eique tum hunc articulum de Vincentio Bellovacensi addidit. Nam vixit ille ad 1331 & suis chronicis semper addidit, ut ex variorum codd. MSS collatione facile evincitur. Non omittendum præter insignem hunc codicem Tolosanum, in quo ad Tractatum Salanhaci annotatæ sunt ad marginem additiones, alium esse minoris voluminis, in quo idem tractatus, sed notarius has annotationes marginales addere non curavit, quæ etiam neglectæ fuerunt in codd. MSS Burdegalensi & Carcassonensi, & fortè in aliis ejusdem tractatus, quod monendum fuit ne nostri Tolosani & alii in hujusmodi codices non accuratos incidentes allucinentur, & Salanhaco imprudenter asserant, quod est additio & interpolatio Bernardi.

Qui si consulant majorem codicem Tolosanum, cujus apographum accuratum diligentia eximii sacræ theologiæ primarii ibidem anno 1710 lectoris F. Josephi Roux sui conventus Lemovicensis exinde prioris assumti recepi, mecum assentientur nonnisi a protervo & in quæstione facti adversus monumenta ipsa reclamante articulum de Vincentio Bellovacensi in laudato tractatu scriptum Salanhaco tribui posse.

Cæterùm huic nostræ conjecturæ Speculi moralis fabricam circa 1310 susceptam, & circa 1320 perfectam, ita ut tum in lucem prodierit, favet exemplum Speculi historialis antiquissimum quod viderim, & in monasterio Pissiacensi laudato servatum, quatuor voluminibus aliâs, nunc verò duobus tantùm voluminibus compactum: in quo sic legitur in fine 24 libri eadem manu: *Explicit tertium volumen Speculi historialis per manum R. Gheroudi*: Est nomen notarii. In fine verò 32 libri eadem etiam manu: *Explicit quartum volumen Speculi historialis anno Domini* MCCC *vicesimo ...... sabbati post festum beati Bar ...... stoli. Deo gratias.* Præcisa nempe ea folioli particula, in qua numerus anni inter 20 & 30 quo codex scriptus fuit, additus erat. Hinc autem certum saltem est aliquo ex illis intermediis annis exemplum illud in quo prologus Vincentii exhibetur corruptus & cum divisione quadrifaria scriptum fuisse. Adde Fratrem Jacobum du Vingnay ordinis S. Jacobi de Altopassu hospitalarium jubente Joanna Burgunda Francorum regina Philippi VI Valesii priori conjuge Speculi historialis Gallicam translationem abornasse eidemque reginæ nuncupasse. Cùm autem Joanna anno 1348 obierit, & in ea hospitalarii versione prologus non secus ac in editis interpolatus legatur, id est & cap. XI præciso ac rejecto, & divisione quadrifaria inserta, jam ante Speculum morale fabrefactum consequens est. Verùm affirmare non vereor nullum codicem reperiendum, quem ante 1320 aut saltem ante 1310 scriptum certum sit, in quo quadrifaria divisio legatur.

Pro coronide hujus dissertationis literariæ duo addenda: I auctorem Speculi moralis videri hominem fuisse votis religiosis astrictum, quod ex his colligitur, quæ identidem interserit ex Stephano

de Borbone acceptis sic lib. 1 par. 3 dist. 104 de paupertate, col. 573 E. hæc habet : *Ideo Christus posuit eam primarium fundamentum christianæ religionis, dicens Matt.* 5 Beati pauperes spiritu. *Collocavit enim eam quasi primarium lapidem in fundamento. Similiter & SS. Patres nostri Franciscus & Dominicus religiones suas sanctas fundaverunt super fundamentum solidum paupertatis exemplo Christi qui dicit*, Qui audit verba mea & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, *id est supra Christum pauperem*, quam non potuerunt evertere nec pluvia irruens &c. Jam monuimus suprà hanc distinctionem longiorem & columnas 18 implentem, totam ex libro de 7 donis defloratam esse, nisi quod identidem Vincentiaster aliqua resecat : at tres illas lineas ille tantùm de suo addidit, *similiter & sancti Patres nostri Franciscus & Dominicus religiones suas sanctas fundaverunt super solidum fundamentum paupertatis.* Has enim solas non habet liber de 7 donis, ubi antecedentia & consequentia totidem verbis leguntur. Quî autem Vincentiastro in mentem venisset lineas illas ex suo inserere, nisi ordini Mendicantium regularium alicui professione alligatus fuisset?

At & est 2 addendum : Ordinis Prædicatorum non fuisse audacter pronuncio, hisque ducor conjecturis ex ea potissimum ratione sumtis, qua librum de 7 donis deflorat, quo ex libro media fere pars Speculi moralis convasata est

Primò enim distinctiones integras 4, 6, 10, 20 aliquando coll. ex eo exscribendo, quæcumque ordinem Prædicatorum spectant supprimit. Ubi enim liber de 7 donis Dominicanum laudat, ut a quo exemplum aliquod auctor accepit, vel id omittit Vincentiaster exemplum referens, vel eum iis spoliat titulis qui Dominicanum indicant. Amplius : Si quod exemplum occurrit ex ordinis Prædicatorum historia, vel illud omnino resecat, dum antecedentia & sequentia exscribit, vel ita circumcidit, ut de quo ordine loquatur, lector non agnoscat. Quod utrumque opus conferenti ita videbitur ubique actum ex industria, ut Vincentiastrum ab ordine Prædicatorum prorsus alienum intelligat. En quædam specimina.

Sic legitur in Speculo lib. 1 p. 1 D. 26 *de timore* col. 80. A. Eccl. 4. *Timor Dei sicut paradisus Dei in benedictionibus, & super omnem gloriam operuerunt illum benedictiones : unde possumus dicere quod dicitur in Psal.* 33. *Inquirentes &c.* Vincentiaster exemplum resecat quod in libro de 7 donis refertur post illam vocem *benedictiones*, sic : *Ideo dixit Arnaldus primus Lugdunensium Prædicatorum prior quibusdam dicentibus sibi, si istud feceritis, quod scilicet pertinebat ad veritatem doctrinæ, scandalizabuntur homines & necessaria non habebitis. Nos, ait, non sumus sicut cæteri hominum, quia habemus horreum quod non timet sterilitatem, & cellarium quod non timet siccitatem. Si his enim privaverimus nos non timemus, hic est Deus provisor noster, unde possumus dicere quod dicitur in Psalmo : Inquirentes &c.* ut in Speculo.

Ibidem *de timore humano* col. 82 B. Vincentiaster exemplum trium militum quærentium fortunam referens, resecat illud exemplum a F. Matthæo primo priore Prædicatorum Parisiensium prædicatum fuisse, ex cujus ore se habuisse testatur auctor lib. de 7 donis loco cit.

Lib. eod. 1 P. 3 d. 14 a 3 ubi afferuntur probabilitatis fidei argumenta eodem tenore excepta ex lib. de 7 donis, ubi Stephanus de Borbone sic legit : » Fuit quidam nuper magnus princeps in Al- » vernia, *& post pauca.* Fratres nostri visitaverunt » eum, qui hoc mihi dixerunt &c «. Rem sic suo tempore gestam, & a sui ordinis Fratribus acceptam narrans. Vincentiaster qui longe postea vixit, non ausus dicere *nuper*, sic immutavit : *Fuit quidam permagnus princeps* : & postea, *Fratres quidam visitaverunt eum qui hoc dixerunt* : conscientia reclamante ne se ex ordine Prædicatorum diceret.

Dist. 19 *de effectu fidei*, quæ tota ex lib. de 7 donis, Vincentiaster resecat exempla tria ex historia ord. Præd. desumta *de victoria adversus hostes spirituales.* Sic enim legitur cod. Sorb. fol. 399 col. 4 : *Item vincit etiam fides hostes infernales quibus resistit & fugat. Pet. 4 cui resistite fortes in fide.* Hæc etiam habet Speculum sed sequentia resecat : » Unde consuetudo Fratrum nostrorum, ut cùm aliquis Frater laborat in extremis moriens, alii audito signo statim accurrant dicentes symbolum ad dæmones fugandos, qui maxime accurrunt & insidiantur in morte «. Alia duo exempla brevitatis causa omitto.

Et dist 104 *de paupertate*, quæ tota ex lib. de 7 donis, sic legit Vincentiaster col. 575. E. *Item cùm quidam monitus fuisset ad ordinis introitum &c.* circumcidens narrationem Stephani de Borbone, qui sic legit : » Audivi a F. Jordano magistro ordinis Prædicatorum in prædicatione ejus, quod cùm quidam monitus fuisset ad ordinis introitum &c «, utique nostri.

Et eodem lib. 1 par. 4 dist. 10 *de effectibus misericordiæ Dei*, quæ tota eodem tenore exscripta est ex lib. de 7 donis, ab effectu 1 resecat exemplum, quod Stephanus testatur se a quodam F. Prædicatore Guillelmo Nivernensi audivisse.

Et dist. 19 *de utilitate passionis Domini* col. 654. C. exemplum referens de quodam clerico ad meliorem frugem converso sic habet Vincentiaster, *qui ad hanc visionem motus religionem intravit*, ubi in lib. de 7 don. legitur, » Prædicatorum religionem intravit &c. «

Et ead. dist. 19. a. 11 col. 661. A. in exemplo de quodam religioso propter duritiam & asperitatem ordinis exire volente, Vincentiaster resecat quod Stephanus ibidem subdit se illud audivisse a F. Henrico primo priore Prædicatorum apud Coloniam.

Et ibid. col. 663. *Quod Christus per passionem suam hostes spirituales effugat*, post exemplum de Barlaam plura Vincentiaster resecat exempla : primum quod Stephanus dicit se audivisse a F Guillelmo Gebennensi, qui id narrabat de quodam sacerdote socio suo aliàs in seculo fol. 213 col. 1. Item aliud quod Stephanus dicit se audivisse ab alio Fratre, qui dicebat id accidisse nuper in diœcesi Carnotensi eo tempore, quo signatus est rex Ludovicus Pius Francorum, & crucem prædicaret Odo cardinalis legatus : tertium quidem refert Vincenciaster de juvene qui SS. Trinitatem coram dæmone abnegare recusavit, sed tacet quod ait Stephanus se id tenere a F. Guillelmo de Constantiis lectore theologo de quodam necromantico famoso dicto magistro Melchita.

Et lib. 2 P. 1 dist. 4 *de præsentia mortis.* Et dist. 12 *de pœnis purgatorii.* Et dist. 13 *de motivis ad compatiendum.* Et dist. 14 *qualiter juvandæ animæ defunctorum* : ne jam dicta repetamus vide, supra ad illas annotata, qui in exemplis ex libro de 7 donis acceptis nomina auctorum ordinis Prædicatorum a Stephano de Borbone laudata rescidit. Hoc solùm hîc annotare placet. Quis legendo Speculum morale dist. 13 col. 748 B. ubi Matthæus Hispanus religiosus quidam tantùm dicitur, quis inquam putet eum ex ordine Prædicatorum fuisse? Attamen inter primores ille fuit & scientia & pietate clarissimus, idque ex libro de 7 donis apparet, ubi & hujus exempli auctor nominatur F. Petrus Remensis primus provinciæ Franciæ prior provincialis, «

SAEC. XIII. » quam secundo regens episcopus Agennensis circa annum 1237 est assumtus, quæ tacet Vincentiaster. Sic enim avet ille ordinis Prædicatorum decora silentio premere.

Sic eodem lib. 2 P. 2 dist. 6 *de meritorum discussione*, ubi legitur in lib. de 7 donis, » Quidam » Frater noster optime respondit cuidam militi &c «. Vincentiaster idem transcribens col. 787 B. ausus non est dicere *Frater noster*, sed sic immutavit, *quidam Frater Prædicatorum*, sic se de eorum gremio non esse indicans. Unde & dist. 8 seq. *de promulgatorum attestatione*, ubi sic legitur in lib de 7 donis : » Audivi quod cùm quidam Frater noster » prædicasset in quadam civitate Tusciæ &c «. Vincentiaster sic immutat col. 707 B. *Item cùm quidam religiosus in quadam civitate prædicasset &c.* eadem. Cur cætera verbo tenus exscribens ea refugit, quæ ipsum Fratrem nostrum demonstrarent, nisi quia revera noster non erat? Vide etiam supra ubi de dist. 9 sequenti : & P. 3 dist. 1 *Quod infernus sit*, in quibus resecat nomina illustrium ordinis virorum ex quibus Stephanus exempla relata se accepisse testatur, inter alios F. Gaufridum de Blevex S. T. magistrum Parisiensem, F. Guillelmum Peraldum auctorem summæ de virtutibus & vitiis, V. Humbertum de Romans quintum ordinis magistrum & alios. Videsis etiam supra annotata ad dist. 4 seq. *de pœnarum recordantium utilitate.*

Plura liber 3 speculi moralis suppeditabit. Vide P. 1 dist. 3 *de custodia linguæ*. dist. 6 *de tentatione*. dist. 10 *de verbo Dei*, ab exemplis erasa virorum ordinis illustrium nomina, & ubi Stephanus sic scripserat » De B. Dominico patre nostro dicitur » &c «. Vincentiaster resecat *patre nostro*, haud dubie quia sub ejus signis non merebat. In eadem illa dist. *de verbo Dei* multa resecat exempla ex histor. ord. Præd. desumta, inter alia illud de Didaco Oxomensi episcopo equos & fastum dimittente, ut pedes deinceps cum B. Dominico prædicaret.

Vide etiam P. 2 D. 19 *de peccati diversis effectibus*, & P. 3 D. 8 *de peccato inanis gloriæ*, & dist. 17 *de scandalo*, a. 9. In hoc ultimo Vincentiaster col. 1064. C. refert missionem legatorum & XIII abbatum Cisterciensium ad terram Albigensium, nullam neque B. Dominici nec sociorum ejus mentionem faciens : at Stephanus de Borbone ex quo totus ille articulus acceptus, quod ibi narratur dicit se audivisse a Fratribus illius temporis, illis scilicet qui cum SS. Patre apud Albigenses prædicarant. Ibid. col. 1066. C. sic Vincentiaster : *Cuidam viro religioso apparuit quædam domina pulchra valde &c. cujus dolor erat maximus, scilicet Ecclesia:* nec laudat suum auctorem, cùm in lib. de 7 donis Stephanus dicat se a quodam sancto viro F. Petro Hispano id audivisse, qui F. Petrus idem videtur cum F. Petro Ferrandi a puero in ordine sanctissime nutrito, de quo in vitis Fratrum l. 5 c. 3.

Vide eadem par. 3 dist. 24 *de contumacia*, & par. 5 dist. 8 *de blasphemia eorum qui se diabolo reddunt*, & dist. 10 *de blasphemiæ annexis pœnis:* & par. 6 dist. 7 §. 3 *de murmure* & dist. 10. a. 3 *quanta mala facit peccatum negligentiæ*. Ubique Vincentiaster nomina eorum tacet, quos ut suos auctores laudat ex ordine Prædic. liber de 7 donis: unicum nominat Vincentiaster, sed ut ita dicam exauthoratum : sic enim ille col. 1234. D. *Gaufridus de Blevex dicebat, quod in diœcesi Senonensi &c.* Quis Speculum morale legens putet hîc ordinis Prædicatorum aliquem laudari? fuit tamen ex illustrioribus de quo supra suo ordine egimus, & quem Stephanus hîc F. Gaufridum de Blevex appellat, aliàs sæpius diu Parisiis rexisse addens.

Vide etiam par. 7 dist. 8 *de perjurio*, & dist. 10 *de rapina*, & par. 9 dist. 3 *de detestatione luxuriæ*, & dist. 6 *de choreis*, & par. 10 dist. 5 *de qualitate pœnitentiæ*, & dist. 14 *de confessionis effectu*. Notandum in hac ultima hoc exemplum. Sic auctor lib. de 7 donis : » Cùm duo Fratres Prædicatores « oberrarent in montibus Hyberniæ &c. *Ad calcem* : « Hoc mihi retulit quidam Frater illius terræ, qui « venerat ad curiam Domini papæ apud Lugdu- « num «, scilicet Innocentii IV qui in ea civitate anno 1245 habuit concilium generale. Hæc plana sunt. Sic immutat Vincentiaster : *Cùm duo Prædicatores oberrarent &c.* & finem resecat. Jam quinam illi & cujus ordinis, ex hujus verbis nemo divinet. Omitto alia.

Et dist. 34 *de orationis effectibus* sic legitur in lib. de 7 donis: » Legi in quodam libro, quod cùm « quidam monachus Cartusiensis ordinis in cella in « extremis laboraret &c. *Subjungitur immediate:* « Item fere audivi hoc accidisse in quodam conven- « tu nostro a quodam Fratre religioso, quod cùm « quidam bonus Frater & religiosus, quem ego be- « ne novi, laboraret in extremis &c «. Vincentiaster illa duo exempla totidem verbis exscribens col. 1534. A. sic immutat principia : *Cùm monachus quidam Cartusiensis ordinis &c.* & postea : *Item fere hoc idem dicitur accidisse in quodam conventu Fratrum Prædicatorum, quod cùm quidam bonus Frater &c.* Si Dominicanus est, cur veretur dicere *in conventu nostro?* Cur voces has vertit in illas, *in quodam conventu Fratrum Prædicatorum*, de his in tertia persona, ut de Cartusianis indifferenter loquens? Sane qui ubique quæ ipsum nostrum fuisse probarent tam diligenter fugit, ordini palam se declarat nunquam insertum fuisse.

Addo in ultimis his distinctionibus a 32 ad 39 quæ maximam partem sunt ex lib. de 7 donis plura rescindi exempla ordinis Prædicatorum, dum antecedentia & subsequentia referuntur. Sic dist. 32 col. 1521 in exemplis orantium, quæ omnia ex 7 donis, omittitur exemplum B. Dominici noctes solidas in oratione peragentis, ac vix paululum super quasdam caulas vimineas quiescentis. Et dist. 33 col. 1530. C. post exemplum B. Macarii rescinditur istud, quod suavissimi tamen est odoris, & sic refertur in lib. de 7 donis fol. 287 col. 4 : » Nota « de fervore orationis. De sacrista quodam nostro « audivi a Fratre quodam, quod cùm hauriret aquam, « fregit sibi brachium. Cùm autem ibi sacro igne « exorto cisum ligaretur, consilio chirurgicorum, « & audiret cùm ligaretur pulsari ad horas, ait li- « gantibus & flentibus pro eo, faciatis cito ut » eamus ad horas «. Quod sane mirum, nec a Fratre Prædicatore inter tot alia minoris momenti deflorata, siquidem fuisset, negligendum. Plura omitto brevitatis causa.

Verùm etiamsi hæc auctorem Speculi moralis ordinis Prædicatorum non fuisse evincant, en alia adhuc evidentiora quæ id demonstrant argumenta. Nimirum ubi S. Dominici nomen illi occurrit in libro de 7 donis, si nomen S. Francisci subsequatur, hoc illi ordinem invertendo semper præponit; si Francisci taceatur, illud ex se addit & præmittit. Aliquando ubi nomen Dominici scriptum fuit in lib. de 7 donis, illud delet, & Francisci substituit, vel re ipsa reclamante. Si quid ex vita Dominici narratur, illud rescindit, & in vicem vitæ Francisci factum aliquod supponit. Brevi quam quæcumque ordinis Prædicatorum sunt silentio quasi dedita opera prementem mox exhibebamus, hunc ubique videre est ex historia ordinis Minorum exempla disseminantem : eaque solùm sunt quæ in distinctionibus cætera ex lib. de 7 donis convasatis integris de suo ille admiscet. Loca solùm indico.

Lib. 1 par. 3 dist. 104 *de paupertate* col. 582. A.

post relatum exemplum Pauli I eremitæ, ut habetur in lib. de 7 donis, sic prosequitur: *Ad hoc faciunt exempla multa videlicet Ambrosii, Francisci, Dominici & hujusmodi.* Quæ non habet liber de 7 donis.

Lib. 2 par. 1 dist. 15 *qualiter juvandæ animæ defunctorum*, quæ integra ex lib. de 7 donis, hoc solùm Vincentiaster ex suo profert col. 755. A. *In ordine Minorum dicitur fuisse vir quidam religiosus & pius gardianus existens, qui quandocunque Frater aliquis in suo conventu expirabat &c.* Lib. 3 par. 1 dist. 4 *de silentio*, quæ tota ex lib. de 7 donis, sic legit Vincentiaster col. 872. C. *secundum* scilicet motivum silentii servandi, *est regularis institutio videlicet Benedicti, Augustini, Francisci & hujusmodi, qui quasi custodem religionis silentium posuerunt in claustro, oratorio, dormitorio & aliis officinis &c.* At sic liber de septem donis P. IV de don. fortitud. tit. 3 cap. 6 de silentio fol. 320 col. 2: » Primum ergo quod ad hoc nos » debet movere est regularis observantiæ institutio, » primum scilicet Benedicti, Augustini & Dominici » & aliorum, qui quasi custodem religionis silen» tium posuerunt in claustro, oratorio, dormitorio » & aliis officinis &c«. ut in Speculo morali, quibus nihil dici potest excellentius de silentio regulari. Sed viden Vincentiastrum nomen Dominici delevisse, ejusque loco Francisci substituisse? An ordinis Prædicatorum quis id ausus esset? Eo minus id fit verisimile, quod in horum constitutionibus caput speciale sit de silentio in locis laudatis strictissime servando, quod nostrum nullus ignorat: in regula autem Minorum nulla fit de silentio specialis institutio: unde an in iis locis tam strictè apud eos tacendum, ut custos religionis eorumdem silentium censeatur, quî Dominicanus resciret. Itaque immutationi repugnat locus.

Lib. 3 par. 1 dist. 6 *de tentatione*. Vincentiaster plura refert exempla ex historiis Minorum, eaque sola sunt quæ ex se profert, cùm antecedentia & sequentia ex lib. de 7 donis excepta sint. Vide col. 887. E. *Sicut etiam infra de B. Francisco & de B. Clara patebit. Item de B. Francisco legitur, quod sæpe dæmonum pugnas horribiles sustinebat &c.* & col. 888. C. *Item exemplum de B. Francisco &c. Item exemplum de B. Clara &c.* & col. 890. A. *Sicut L. fecit B. Francisco ostendens ei bursam magnam &c.* & col. 892. E. aliud adhuc exemplum ex vita S. Francisci: quæ omnia absunt a lib. de 7 donis. Itaque ille qui excepto unico exemplo B. Dominici, cætera ita immutat, ut de ordine Prædicatorum ullibi agi nemo suspicetur, omnia Dominicanorum nomina eradit, plura illius ordinis facta non contemnenda resecat, contra tot ex ordine Minorum nihilque aliud ex se adducit, an Dominicanus censendus?

D. 8 *de remediis contra tentationes* col. 900 E. Vincentiaster refert exemplum vitæ D. Francisci, hoc ex suo, reliquam distinctionem ex lib. de 7 donis excipit.

D. 9 *de utilitate tentationum*. In hac quæ maximam partem est ex lib. de 7 donis, plura tamen ex se aut ex alio accepta Vincentiaster refert, at in his non omittit exemplum ex vita D. Francisci col. 903 C.

P. 3 D. 2 *de gradibus superbiæ*. Inter ea quæ aliunde adjicit, duo sunt exempla ex vita S. Francisci & ex historia Minorum col. 1001. C.

D. 22 a. 3. *Quæ movere nos debent ad peccatum inobedientiæ vitandum*, qui totus ex lib. de 7 donis, inserit Vincentiaster exemplum ex vita S. Francisci col. 1004 E. loco exempli ex vita S. Dominici quod resecat; & sic habet liber de 7 donis cod. Sorb. fol. 371 col. 2: » De B. Dominico le» gitur, quod cùm ædificaret quemdam Fratrum conventum in Hispania, vidit in visione quod qui- « dam draco magnus absorbebat quosdam de Fra- « tribus quos secum habebat, & quos viderat ab- « sorptos per visum, vidit absorberi per effectum, « quia ipsi ab ordine egressi per inobedientiam a « diabolo sunt absorpti. Hos tamen per orationes « sedulas B. Dominicus cito postea a faucibus dæ- « monis ad ordinem revocavit. Item in vita B. Be- « nedicti & 2 Dialog. xxv dicitur quod cùm qui- « dam juvenis &c«. ut in Speculo morali«. SEC. XIII.

P. 9 D. 3 *de detestatione luxuriæ*, quæ tota ex lib. de 7 donis, Vincentiaster inserit col. 1382 E. exemplum ex vita B. Francisci, quod non habet liber de 7 donis, in quo totidem verbis leguntur antecedentia & subsequentia.

P. 10 D. 14 *de confessionis effectu*, quæ paucis exceptis tota ex lib. de 7 donis Vincentiaster inserit exemplum de muliere B. Francisco devota. Hoc non habet liber de 7 donis, qui habet cætera.

D. 21 *de effectu eleemosynæ*. Integra ex lib. de 7 donis Vincentiaster inserit col. 1471 D. exemplum ex vita B. Francisci, & col. 1476 repetit quod supra exemplum de muliere B. Francisco devota, quæ duo liber de 7 donis non habet, cùm tamen habeat cœtera.

D. 24 *de visitatione infirmorum*. Tota ex lib. de 7 dón. Vincentiaster col. 1486 D. duo miracula de Stigmatibus B. Francisci & col. 1487 A. exemplum ex vita ejusdem refert, quæ non habet liber de 7 donis, ubi habentur cætera.

D. 32 *de motivis ad orandum*. Integra ex lib. de 7 donis. Vincentiaster resecat exemplum illustre B. Dominici noctes solidas in oratione vigilantis, & hunc locum sic immutat col 1521 C. *Item exempla SS confessorum Martini, Nicolai, Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Benedicti, Francisci, Dominici aliorumque monachorum &c.* solum Dominici nomen indicans, eique nomen D. Francisci præponens, de quo non meminit liber de 7 donis, licèt habeat cætera.

D. 34 a. 4 *oratio est præsidium defensivum*. Integra paucis exceptis ex lib de 7 don. Vincentiaster col. 1537 A. exemplum inserit ex vita D. Francisci, quod liber de 7 donis non habet.

§. 2 *de utilitate orationis*, qui fere integer ex lib. de 7 don. Vincentiaster quatuor exempla ex vita B. Francisci inserit, quæ quatuor non leguntur in lib. de 7 donis, etiamsi cætera iisdem verbis legantur.

Nullus dubito quin si viveret adhuc F. Petrus de Alva hæcque legeret, videns Vincentiastrum, quæ sunt ordinis Prædicatorum tanta industria occultantem ac resecantem, tot verò ex historia Minorum intrudentem facta, articulos præterea plus 50 Ricardi de Mediavilla S. Thomæ articulis commiscuisse; nullum inquam mihi dubium quin ille qui tot ordinis Prædicatorum certissimos fœtus nobis abstulit, & suis vindicare licèt frustra conatus est, majori jure Speculum morale Franciscani alicujus opus esse tueretur: nec reclamaret ordo Prædicatorum, hancque farraginem libens ipsi desereret. Absit tamen ut id ausim affirmare, mihi sat est, quisquis Speculi moralis concinnator fuerit, eum si quid certi in his haberi potest, certò ex ordine Prædicatorum non fuisse.

Ne quis tamen a me Speculum morale putet contemni, imo Speculis tribus Bellovacensis gravius cum omnibus literatis censeo, & verbi Dei præconibus longe utilissimum, idque ratione operum ex quibus compactum est: malam fidem auctoris solùm redarguo, qui non solùm gravissimorum auctorum quos expilabat nomina tanta industria celavit, sed & sub Vincentii Bellovacensis larva in lucem edidit, non secus ac aliàs anonymus ille v

SEC. XIII. seculi commentarios suos sub nomine Dionysii Areopagitæ S. Pauli discipuli vulgavit: eundemque uterque exitum sortitus est. Hic à seculo VI deinceps adhæc posteriora tempora etiam apud eruditiores Ecclesiæ Patres nomine deceptos se verum Dionysium venditavit, & primi seculi doctoris authoritatem obtinuit: at post innumera literatorum inter se dissidia planius tandem hoc ultimo seculo retectus, famam quam sibi a persona pepererat omnino exuit, ita tamen ut quæ apud eum Pseudo-Dionysium agnitum bona sunt non repudientur sed suo sint usui: sic & iste alter XIV seculi planus Speculi moralis auctor, sub Bellovacensis a se corrupti persona latens, & Bernardum Guidonis & sequentes scriptorum nomenclatores ita decepit, ut exinde bellum exortum sit acerrimum ac fere internecinum. Quantum enim a 150 annis circiter ea de causa digladiatum utrinque fuit! Quæ apud literatos quæstio vexata magis quam ista? uter alterum defloravit an Bellovacensem Aquinas, an Aquinatem Bellovacensis? Quot in errorem inducti? Quot aliter sibi conscii ex secretiori quadam invidia partem Aquinati adversam amplexi sunt, aut amplecti se finxerunt? Nunc verò retecto mendacio, Bellovacensi absoluto, Speculi moralis auctore ad initia seculi XIV rejecto, sua laude ac fama tranquilli fruentur deinceps quinque illi scriptores in illa farragine adeo pessundati, Stephanus de Borbone seu de Bellavilla, S. Thomas de Aquino, Petrus de Tarentasia seu Innocentius V, Ricardus de Mediavilla, & Anonymus scriptor tractatus de consideratione novissimorum, nec alia Speculi moralis habebitur memoria, quam ut farraginis ex illorum illustrium operibus seculo XIV ab impostore compactæ.

Jam ad Vincentii opera recensenda accedo. Neque enim accuratum hactenus eorum indicem apud scriptorum ecclesiasticorum nomenclatores legere est, qui alter alterum excipientes, nequidem editiones ipsas diligenter referunt.

Primum itaque est *Speculum majus*[1], quod rejecto Speculo morali ut spurio & supposititio in tria deinceps ex mente auctoris sic divides: *Naturale*, *Doctrinale*, *Historiale*. Annotandum autem quod habet auctor cap. 3 prologi sub finem. *Quod*, inquit, *Speculum majus appellare decrevi, Speculum quidem eo quod quicquid fere speculatione id est admiratione vel imitatione dignum ex iis quæ in mundo visibili vel invisibili ab initio usque ad finem facta vel dicta sunt, sive etiam adhuc futura sunt ex innumerabilibus fere libris colligere potui, in hoc uno breviter continetur. Majus autem ad differentiam parvi libelli jamdudum editi, cujus titulus est* Speculum vel imago mundi *in quo scilicet hujus mundi sensibilis dispositio & ornatus paucis verbis describitur.* Quodnam sit istud opusculum quæret forsan aliquis: mihi autem indubium est illud esse quod *De imagine mundi* inscriptum editiones Anselmi Cantuariensis repræsentant, Coloniensis anni 1612 T. III: Lugdunensis curante Theophilo Rainaud S. I. 1630 P. IV inter spuria. Idque evincitur ex eo quod caput primum Speculi naturalis, quod ibidem dicitur ex libro de imagine mundi acceptum, ipsum est etiam caput primum libelli apud Anselmum editi, cujus etiam postea passim, ut se dat occasio plura excerpta exhibentur tum in Speculo naturali tum in historiali. Et quia de auctore hujus libelli apud eruditos est controversia, gratiam iis me facturum putavi, si quod a me bibliothecam Sorbonicam scrutante inventum est, patefaciam. In ea namque codex est seculi XIII & fortè antiquior membr. hoc opusculum exhibens cum duplici epistola præfixa, quæ utraque deest in editis, sed ex qua auctorem deprehendas. Ambas hîc forsan non pigebit legisse. Prima sic habet.

» Honorio septiformi spiritu intima fide illustrato ac septenis rivis trifariæ philosophiæ innundato, H. post septimanam hujus vitæ septem beatitudinibus laureari, & in octava trinitatem in unitate contemplari. Quia ignorans cum ignorantibus ignorantiæ tenebris involvor, idcirco mœstam lugubremque vitam ut cœcus ducere videor. Quare quia te immensa sapientiæ luce circumfultum cognosco, cum multis aliis deposco, quatenus aliquam scintillulam tuæ flammivomæ scientiæ, cùm tibi non minuatur, nobis impertias, qua positionem orbis quasi in tabella describas. Inconveniens enim videtur propter nos facta quotidie spectare, & in mentibus insipientibus quid sunt penitus ignorare «.

Altera responsiva sic habet.

Sapientia alumno audita diligenter scrutari in scientiæ profundo, » Honorius utriusque hominis salute nunc vigere, & in Sion Deum in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi oculo ad oculum videre. Tum igitur lectioni studiosus incumbas, ac totius scripturæ medullam sitibundus exugas. Poscis amicissime a me quemadmodum vulgo dicitur, quod ovis a capra petierit lanam, totius orbis depingi tibi formulam, in qua sic oculum corporis reficere, sicut visum corporis soles in machina universitatis depascere. Quod negotium sudore plenum ipse melius nosti quàm sit laboriosum quamque periculosum: laboriosum quidem mihi in aliis occupato, & multis ut scis animi molestiis prægravato, periculosum autem propter invidos, qui cuncta quæ nequeunt imitari, non cessant calumniari, & quæ assequi non poterunt, venenoso dente ut setiger hircus lacerare non omittunt, & ea quæ publice arguunt in mente tegunt, atque de labore nostro sibi scientiam *(acquirunt,)* quam ut sues margaritas proculcant. Enimvero cùm non solùm laborem meum sed etiam me ipsum tibi debeam, præsertim cùm me non mihi soli sed toti mundo genitum intelligam, omittens invidos tabescentes, non me sed seipsos invido corde corrodentes, ardua aggrediar molimina, quia improbus labor vincit omnia. Ad instructionem multorum quibus deest copia librorum, hic libellus edatur, nomenque *Imago Mundi* ei datur, eo quod dispositio totius orbis in eo quasi *in speculo* conspiciatur: in quo etiam nostræ amicitiæ pignus posteris relinquatur: nihil autem in eo nisi quod majorum commendat traditio «.

Mundus dicitur quasi undique motus &c. ut in editis. Cæterum in eo codice opusculum non est integrum, ejusque non exigua pars temporum vicissitudine periit. At ex eo saltem nomen auctoris certo habetur, nempe *Honorii*: sive sit *Inclusus monachus Anglus*, ut placet Theophilo Rainaud, sive *Augustodunensis*, ut contendit Labbeus. Sed id πάρεργον, redeo ad Vincentium, priusquam verò Speculi majoris editiones afferam, solvendus est nodus, qui plures hactenus torsit, ob finem maxime Speculi historialis, in quo auctor opus suum se consummare dicit anno Christi MCCXLIV Innocentii IV pontificis anno secundo, cùm tamen ad annum Christi MCCLIII Innocentii decimum vel etiam undecimum, quo S. Petrum martyrem SS. albo inscripsit, historiam persequatur. Sed facilis solutio. Nimirum Vincentius priusquam vastum illud opus perfecisset, jam hunc finem præparaverat & scripserat anno MCCXLIV, tum nescius quousque opus deducere vita semper incerta permitteret. Cùm autem postea diutius vivens quàm primùm putarat, Speculum majus tribus partibus naturalis doctrinali & historiali constans perfecisset, & ad annum MCCLIII produxisset, ex grandiori ac importuna

tūna mole qua illud prius exaraverat, jubentibus superioribus, in eam formam qua nunc habetur reducere coactus est: quod cùm ipse interea aliis studiis per obedientiam occupatus sua manu perficere non posset, aliorum opera ad id exequendum usus est, quibus adversaria sua omnia commisit, ut ipse testatur prologi cap. 3. Isti autem notarii ad opus contrahendum selecti, non attendentes Speculum historiale ad annum MCCLIII productum, finem operis qualis erat jam ab anno MCCXLIV paratus, nihil in annis mutando addiderunt. Ut ita sentiam me movet codex MS fol. par. memb. sec. XIII bibl. olim Seguier, nunc Coislin, apud S. Germanum a pratis nunc servatæ. Opusculum autem illud foliolis 176 tantùm constans delineatio quædam est seu prodromus vel compendium trium Speculorum laudatorum, quod Vincentius in gustum sui operis majoris quod nondum publicum facere poterat, præcedere anno MCCXLIV voluit. Hoc est opusculi principium

Materia totius operis est mundus secundùm quinque sui acceptiones. Dicitur enim primo modo archetypus mundus, id est principalis, qui omnium exemplaris &c. quæ totidem verbis leges Speculi naturalis lib. I cap. I ad illa verba: *Mundus autem archetypus ipse est Dei Filius cum Patre & Spiritu sancto unus Deus.* Sic autem immediate prosequitur:

Totum igitur opus summatim continet primo quidem de Deo Trino & uno creatore omnium brevem tractatum de generatione Filii & processione Spiritus Sancti, de nominibus divinis personalibus & essentialibus, deinde de cœlo empyreo & natura angelorum &c. totidem verbis ut in prologo Speculi majoris cap. 15 editorum sed 16 codd. MS genuinorum Sorbonici, Colbertini, Augustin. & Gervas. supra laudatorum. Postea sic prosequitur:

Deus itaque æternus simplex & incorporeus ineffabilis & incomprehensibilis, multifarie tamen utcunque nominabilis, cùm sit unus in substantia, trinus est in personis &c. quæ totidem verbis leges Spec. Hist. lib. I a cap. I ad cap. 54 inclusive. Postea quædam sunt de scientiis quæ & totidem verbis habentur tum Spec. histor. lib. I tum Spec. doctrin. passim ubi de qualibet scientia aut arte agitur. Potissima verò opusculi pars est chronicon ab initio mundi ad annum MCCXLIV, quod & totidem verbis legitur in Spec. histor. passim suis locis & Spec. natur. lib. 32 speciatim verò ab imperatore Caio Caligula verbo tenus leges lib. 32 Spec. nat. a cap. 53 & deinceps. Attendendus autem potissimum finis qui sic habet:

Denique D. Innocentius IV in sede Romana statuitur, qui nunc secundum annum sui pontificatus agens graviter infirmatur. Hic jam sedes cardinalium plurimas ex longo tempore vacuas personis quibusdam nominatis ex diversis mundi partibus evocatis in brevi temporis spatio replevit, & Ecclesiam Romanam a tempore papæ Gregorii multis ut fertur debitis obligatam per industriam suam exoneravit. Hæc de temporibus regni Ludovici junioris, prout ego vel apud meipsum recolere, vel ab aliis audire potui breviter hic adjeci: quia per negligentiam vel injuriam clericorum atque monachorum nostri temporis parum aut nihil usquequaque per diversas ecclesias & monasteria reperire valui. Ultimum quod de dicto Ludovico IX antea narravit, est solemnis susceptio coronæ spineæ, & paulo post partis crucis Dominicæ e C. P. Parisios a peregrinis transmarinis delatæ: quæ anno MCCXXXVIII vel XXXIX acta. Immediate verò post hîc a me exscripta subjungit.

Ecce tempora sextæ ætatis usque ad præsentem annum summatim perstringendo descripsi, qui est annus Christianissimi regis nostri Ludovici XVIII, *imperii verò Frederici* XXXIII, *pontificatus autem Innocentii* IV *secundus: porro ab incarnatione Domini* MCCXLIIII, *a creatione mundi* V MCCVI, *& hoc duntaxat juxta minorem numerum, quem in hac tota serie secuti sumus: porro secundùm majorem numerum ex antiqua translatione sumtum quem supra posuimus, annus præsens existit ab initio seculi* VI M CCCCXLIII. *Porro* VII *ætas quæ animarum quiescentium est &c.* verbo tenus ut in fine Spec. natur. lib. 32 cap. 102 integro. Cui subjungit auctor: *Legitur autem Antichristus in Babylone de tribu Dan nasciturus &c.* totidem verbis ut in fine Spec. histor. lib. 31 a cap. 109 ad 125 inclusive, & finit his verbis: *Et secundùm hoc Ecclesia de angelis & hominibus collecta dicitur una sponsa non solùm Christi sed totius Trinitatis.* Cùm igitur hic finis jam scriptus esset, notarii quos adhibuit Vincentius, non attendentes, opusculo quidem convenire, non verò majori operi quod ultra progreditur, qualem erat ab auctore anno MCCXLIV exaratum ad Speculum historiale addiderunt. Hinc ortæ illæ difficultates quæ Bellarminum, Vossium & alios ita torserunt, ut Bellovacensem putarint historiam suam ultra annum MCCXLIV non produxisse, imo & aliqui non ulterius vixisse; Labbeus verò finem illum inquinatissimum dixerit: qui si opusculum a me hîc laudatum vidissent, & unà erroris originem deprehendissent.

Supervacaneum censeo monere *tractatulum de electione imperatoris* opellam prorsus insulsam & absurdam, quam in capite Speculi historialis præferunt editiones antiquæ, ad finem verò rejecit editio Duacensis, non esse Vincentii nostri fœtum, sed cujusdam Germani circa finem seculi XV viventis, qui ignorantiam suam a capite ad calcem prodit, certe indignam quæ prælum pateretur. Hæ verò Speculi majoris editiones mihi cognitæ.

Prima ab aliis omissa est Argentinensis Johannis Mentelli vel Mentelin; habetur Paris. in Navarr. voll. IV chart. imper. quorum duo priora Speculum naturale, tertium Speculum doctrinale, quartum Speculum morale complectuntur. In tribus primis desunt locus, annus & nomen typographi, at cùm charta & charactere sint omnino eadem cum quarto ex eadem officina prodiisse verisimillimum est. Sic autem ad calcem quarti legitur: *Vincentii Belvacensis S. T. P. ordinis FF. Prad. Speculum morale &c. finit feliciter, impressumque in inclita urbe Argentinensium, ac nitide terse emendateque refertum per H. D. Joannem Mentellin artis impressoriæ magistrum famosissimum anno 1476 die mensis novemb. 9.* Speculum Historiale quod ex ea editione deest in Navarræa citata, haberi testatur Reiserus in Augustana cum hac epigraphe: *F. Vincentii vulgo Belvacensis O. P. Speculum historiale &c. impressum per Joannem Mentellium* 1473.

Altera a Gesnero & Simlero refertur editio Basileensis apud Joannem Amerbachium totidem magnis voluminibus. Labbeus, Caveus, Dupinius, ac Cornelius a Beughem in *Incunab.* hanc eamdem laudantes, anno 1481 prodiisse dicunt. Fortè ea sit quæ in Bib. Sangerman. Paris. Benedict. anno loco typographoque omissis. Obest tamen quod Gesnerus Amerbachianam voll. tot quot Speculis contineri asserat: in ea autem Sangerman. Speculum naturale voll. duo & Speculum morale duo item voll. spissiora constituant: præterea illa Sangermanea & charta & charactere cum Pantheologia Raineriana Noribergæ apud Koburger 1474 in eadem bibliotheca servata convenit ut ovum ovo non sit similius. Ut ut sit

Tertia editio est Noribergensis in qua Specula hoc ordine prodiisse refert Beughemius, *Historiale*

Sæc. XIII. 1473. *Naturale* 1483. *Morale* 1485. *Doctrinale* 1486: penes quem quantum ad annos fides. Mihi Historiale visum in Navarræa cit. charta imper. unico volumine compactum typis nitidioribus quam Argentinensia supra laudata volumina, in cujus fine sic legitur: *Speculum Historiale F. Vincentii O. P. per Antonium Koburger Nuremberga incolam finit feliciter, consummatum anno* MCCCCLXXXIII *vigilia S. Jacobi.* Sic etiam in indice Bib. Bentesianæ anni 1702 refertur. Editionis ejusdem Speculum doctrinale mihi visum apud nostros Ebroicenses charta imper. Nurembercx impensis Ant. Kobergen anno 1486. apr. 17. Apud eosdem Ebroicenses est Speculum morale ejusdem formæ & ut videtur ejusdem editionis, at cùm ultima folia sint avulsa, nil ausim affirmare.

Quarta editio eaque prima Veneta anni 1484 laudatur a Caveo, Dupinio, & Beughemio & in indice Bibl. Heinsiam. anni 1682 recensetur.

Quinta editio eaque 2 Veneta prodiit anno 1494 voll. quatuor cura Hermanni Leechtenstein Coloniensis, Speculo Historiali subjicitur ex chronica nova, *Appendix gestorum ab Innocentio IV ad Alexandrum VI & Maximilianum regem Romanorum.* Extat in Sorbon.

Sexta editio quæ Veneta tertia apud Dominicum Nicolenum 1591 fol. prodiit. Laudatur in Bibl. Bodley.

Septima & ultima est Duacena typis Balt. Belleri 1624 voll. 4 in fol. eleganti charactere monachorum Vedastinorum laboribus accurata, sub hoc titulo, *Bibliotheca mundi.*

Præter illas operis totius integras editiones, Speculum historiale ut quod magis in usu separatim pluries prodiisse ferunt. Reiserus Bibl. August. pag. 115 laudat editionem 1474, quæ ibidem servatur in membranis, quam Moguntinam facile crediderim a Joanne Fust insigni typographiæ parente adornatam, ut inter alios memorat Joannes la Caille in Hist. sua Typographiæ Gallica pag. 13. Caveus & Beughemius laudant ejusdem Speculi Histor. editionem Noribergæ anno 1473, quæ si fuit & privata fuit. Apud nostros Ebroicenses extat Speculum Historiale charta maxima sine ulla loci anni aut typothetæ mentione: sic solùm legitur manuscriptum: *Pertinet liber iste conventui S. Ludovici Ebroicen. O. FF. Pradic. de dono ven. pat. Fr. Michaelis Desperrois ejusdem conventus & regalis monasterii de Pissiaco confessoris ac vicarii A. D.* 1479. Ex quibus constat editionem antiquiorem.

Idem Speculum historiale Gallice versum prodiit Parisiis sumtibus Antonii Verard 1495 voll. quinque fol. mag. Carolo VIII Francorum regi nuncupatum. Hujus editionis volumen primum pellibus vitulinis impressum extat in Bibl. olim Seguier, nunc Coislin. Quæ versio licèt novam præstet typographus ipsissima est quam Joannes Duvingnay hospitalarius S. Jacobi de Altopassu ad instantiam Joannæ Burgundæ Philippi VI Valesii Francorum regis uxoris prioris adornavit, innovata solùm, & in quibusdam emendata. Fallitur Beughemius cùm putat his quinque voll. non solùm historiale sed & alia tria Specula Gallice versa haberi. Est & alia hujus versionis Historialis editio voll. duobus fol. medioc.

Finis in Speculo Naturali paulo emendatior est tum in impressis, tum in codd. MSS quàm in Historiali: sunt tamen & quædam errata, sic enim legit lib. 32 cap. 102: *Ecce tempora ætatis sextæ usque ad annum præsentem summatim perstringendo auxiliante Deo descripsimus, qui est annus ab incarnatione Domini* 1250: *a creatione mundi* 5222. (in cod. Victor. 987 legitur 5212 & sic legendum.) *Hic est annus pontificatus Innocentii IV*..... (deest ut notat Labbeus in editione Duacena numerus Ogdoadis, » hinc, inquit, tenebræ illæ quibus involvitur Joannes Paulus Nazarius «: at in codd. Colbert. 77 & 78, & in editione Argentinensi Mentellii diserte legitur *Octavus*: sicque in suo exemplo etiam legit Nazarius, ut si quæ sint illius tenebræ, inde non prodierint.) Sequitur: *Vacationis imperii Romani, scilicet a depositione Frederici quintus, regni verò Christianissimi nostri regis Francorum videlicet Ludovici*, XIV. Mendum esse recte monet Labeus, & legendum XXIV ut supra cap. 101, & mirum hoc erratum in omnia exempla qua impressa qua MSS a me visa irrepsisse, tamen in Victor. 987 laudato legitur XXIIII.

Codd. MSS tum a me visos tum ab aliis laudatos recensere quædam mihi necessitas incumbit, ne in quibus interpolatus est prologus & corruptus, lector fallatur. Itaque Parisiis hæc a me visa exempla MS.

In Regia Speculum Historiale T. I. seu IX primi libri fol. med. memb. sec. XV n. 5227. Prologus est corruptus. T. IV. seu octo posteriores libri duplex nn. 4912 & 4913 fol. mag. memb. sec. XIV.

Idem Gallice ex versione Joannis Duvingnay laudati. T. I octo priores libros exhibens n. 6938 fol. mag. memb. Ad calcem sic legitur: *Cest volume fu achevé l'an de grace* 1383 *la veille de S. Catherine.* Sunt tres alii codices 6934, 6935 & 6937 T. I, II, & IV ejusdem versionis. Ad calcem prioris sic legitur: *Cy fine le I volume du livre dit Mireoir historial escript par Raoulet d'Orliens l'an* 1396 *parfait, a Dieu graces rendy, de Juing le premier Vendredy*, id est 2 Junii cùm esset lit. Dom. B. A. Codex 6936 est eadem IV pars fol. mag. memb. sed non ejusdem elegantiæ & ævi sequioris. Codides 6930, 31, 32 & 33 fol. mag. memb. sunt IV partes ejusdem Historialis ejusdemque versionis: ad calcem ultimi sic legitur: *Cy fine le Mireoir historial, & fu accompli l'an* 1455 *le* 6 *jour de Septembre.* Tres priores tamen majorem antiquitatem præ se ferunt. Codices 6731 & 6732 memb. fol. max. ejusdem versionis quorum primus XI priores libros, secundus XI sequentes, at deest tertius qui X ultimos, videntur seculi XIV inclinati. Hi codices omnes ut pellibus vitulinis sic imaginibus elegantibus duobus exceptis ubique resplendent. Codices a 6939 ad 6949 fol. mag. chartacei ac seculi XV leviores solos 28 priores libros ejusdem versionis exhibent. In omnibus hactenus laudatis corruptus est prologus.

Codex 5228 liber est primus Speculi moralis fol. mag. memb. & ut videtur sec. XV.

In Colbert. codices 77 & 78 fol. maj. memb. optimæ notæ sec. XIV continent Speculum naturale cum prologo corrupto. 2108 est iterum altera pars Spec. natur. a lib. 15 ad 27 fol. mag. memb. ejusd. ætatis. Codices 293 Spec. Hist. a lib. XIII ad XXII & 3082 a lib. XXIII ad finem fol. mag. memb. sec. XIV. Codex 292 est Speculum doctrinale citatum, in quo prologus purus & genuinus. Sed & cod. 1036 fol. mag. memb. spec. doctr. sunt libri 12, 13, 14, 15. Codices Sorbonicos jam laudavimus. In Navar. non est nisi Speculum Historiale voll. IV fol. mag. memb. sec. XIV. cum prologo corrupto.

In Augustin. ad pontem novum præter Speculum doctrinale supra laudatum voll. duob. fol. mag. memb. in quo prologus purus nn. 225 aut 275. Est & Speculum Histor. voll. duob. fol. par. memb. nn. 270 & 271, sed in his prologus corruptus. Sunt omnes sec. XIV.

In Gymnasio mag. Gervasii dicto sex sunt codd. fol. max. memb. sec. XIV. Primus Spec. Natur. libri XVI priores: sequentes quatuor Speculum Histor integrum: in his prologus corruptus. Sextus Speculum Doctrinale integrum, in quo prologus purus.

In Victor. Naturale fol. mag. memb. voll. duob. 986 & 987 sec. xiv. Tum & Historiale voll. duob. fol. mag. item memb. 594 & 595 sec. xv. In his corruptus prologus.

In indice codd. MSS Angliæ hæc exempla recensentur

Speculum Historiale T. I P. I. 2435. P. II. 590, 1312, 2311. P. III. 1617, 1620, 2226. T. II P. I. 597, 2370, 2667 hoc Gallice, 8157. P. II. 782.

Naturale T. I P. II. 850 in quo Vincentius falso dicitur ord. Minor.

Doctrinale T. I P. III. 2235.

In Elencho codd. MSS Belgii a Sandero edito juxta paginas Elenchi.

Historiale T. I pag. 103, 188, 312, 328, 339, 366. T. II pag. 6 Gallice 256.

Naturale. T. I pag. 103 duplex 271. T. II pag. 248.

Doctrinale. T. I pag. 174 voll. duob. T. II pag. 40.

Venetiis in Bibl. SS. Joan. & Pauli: & Patavii apud Erem. Augustin. extat Historiale. Indigenarum erit nos docere horum codd. quis prologum referat corruptum seu cum quadrifaria divisione, quis purum seu cum trifaria tantùm.

Possevinus hîc venit emendandus in Apparatu verbo, *Guillelmus de Conchis*, ubi ait » eum triginta tres libros super opere sex dierum composuisse, typis etiam excusos, & tomum quo XIX liber ad XXXIII continebatur a se visum mutilum in fine, ut quis typographus fuerit, rescire non potuerit, at opus ipsum e philosophis atque theologis conflatum uberem suppellectilem habere dignam, quæ legatur: nam & post creaturarum quæ in mundo sunt hominisque tractationem, tertius decimus (*legend.* trigesimus tertius) tandem liber agit de locis hominis (*lege* orbis) habitabilibus, deque temporibus sex ætatum mundi usque ad Antichristum, & de innovatione mundi «. Hactenus Possevinus graviter allucinatus. Opus enim illud super sex diebus creationis ab eo laudatum, ipsum est Speculum naturale nostri Vincentii, quod in XXXIII libros prologo in iis computato dividitur, & in quo a XIX ad XXXIII eadem illa tractantur, quæ a se lecta Possevinus monet in tomo sibi a patriarcha Aquileiensi misso, ad cujus calcem nisi ultima folia avulsa fuissent, non solùm typothetæ sed & Vincentii Bellovacensis nomen legisset. Possevino causa allucinandi fuit, quod liber ille Speculi naturalis XIX in codd. MSS & in omnibus editionibus antiquis, sed XVIII in edit. Duac. sic incipit: *Guillelmus de Conchis. Piscibus itaque & avibus &c.* Hinc enim existimavit esse totius operis auctorem: cùm excerptum tantùm sit quod eo loci Bellovacensis affert ex libris dicti Guillelmi de Conchis, ut passim quam plurima ex eodem excipit. Nam aliunde Guillelmus ille de Conchis vir fuit sua ætate celebris, non ordinis Minorum ut conjicit Possevinus, & dubius tamen excipit Wadinghus, sed secularis juvenibus docendis Parisiis ut videtur applicitus, ac teste Alberico ad annum 1154 philosophus magni nominis habitus qui, multa opera scripsit non centonaria, qualia sunt Bellovacensis, sed ex eadem ipsius vena fluentia, quorum hoc a me visum in Victorina n. 769 cum hoc titulo: *Tractatus philosophiæ in particulas IV divisus, 1 de causa rerum sive de Deo, 2 de cœlo ac de sphæra, 3 de aëre & zonis & metheoris, 4 de terra & homine præsertim seu secundùm corpus, seu secundùm mentem scientiis informandam*: qui & particulam 3 sic incipit: *Etsi studiis docendi occupati parum spatii habeamus adscribendum &c.* Cujus & in Bodleyana recensetur: *Dialogus inter ipsum & Normannorum ducem.* Quos tractatus Bellovacensis excerpit hinc & inde in Speci Natur. At certo jam non erat dux Normanorum, cùm scribere cœperunt Minores. *De Conchis* dictum volunt ex oppido hujus nominis diœcesis Ebroicensis in Neustria. Hæc monere necesse fuit, ne quis novus Alva ex narratione Possevini ansam arripiens, Speculum naturale Minoris alicujus opus esse contendat, cujus nomine eraso suum Vincentius supposuerit, eaque sola ratione fœtum alienum adoptarit. SÆC. XIII.

Is non sum qui Vincentii opus velim plus æquo commendare. Vir laboriosissimus fuit, laborisque sui fructum non modicum reportavit, siquidem ex quo collectio seu compilatio ab eo suscepta publici juris facta est ad initia usque seculi XVII, nullum opus magis usu tritum fuit, nullum etiam a principibus magis exquisitum, ut quod tum instar vocabularii universalis habebatur, vel etiam instar integræ bibliothecæ, in qua quidquid quæreretur, in promptu & ad manum erat. Exinde laudes ille ipsi a Tritemio & aliis plena manu datæ, quas in editione Duacensi legesis.

Quamquam autem a centum circiter annis & in scrutanda rerum natura, & in scientiarum encyclopædia dilucidanda, & in emendanda historia longius progressum fuerit, & major in dies accessio fiat: maximo tamen usui Vincentii Specula sunt adhuc & erunt semper: primo quod in eis plures habeantur auctores simul collecti, quos divisos haud facile reperias. Imo plurium auctorum scripta posteris servavit, quæ vel in paucis bibliothecis delitescunt etiamnum, vel sunt omnino deperdita, in quibus non solùm theologi, jurisperiti, historici, at & philosophi, medici, astrologi, chimici & alii sua ætate insignes.

Alius nec contemnendus accedit ex Vincentianis Speculis fructus, variæ nempe lectiones eorum auctorum quorum opera vulgo habentur, & quorum loca plura emendatius in Speculis leguntur, quàm in pluribus editis. Hinc Vedastini in edit. Duac. non ad criticæ leges egisse se ostendunt, cùm eam editionem ad eorum auctorum exempla impressa se correxisse testantur: non enim apud Bellovacensem quæritur, quînam illi auctores jam legantur in recens editis, sed quî eos sua ætate in suis codicibus ipse Bellovacensis legerit. Itaque ad codices MS Speculorum antiquiores recurrendum fuerat, & ex iis solùm editio emendanda.

His duo adhuc breviter addo, quæ opus Vincentianum non parum commendant, primum quod quæ fuerit seculi sui facies, quod in toto orbe regimen ecclesiasticum, quod politicum, quæ in utroque foro leges, quæ in scholis sententiæ in philosophia & theologia vigerent, quousque in artibus singulis perficiendis progressum, qui genuini SS. Patrum libri agnoscerentur, uno videas intuitu, quæ rescire non modo volupe, sed & omnino necessarium. Alterum est quod historiam sui seculi catholicam ecclesiasticam & profanam accuratius nemo, nemo certius, & ab omni adulatione remotius scripserit. Hinc origines suas non solùm Prædicatorum ac Minorum ordines, sed & canonici regulares, Cluniacenses, Cistercienses, Cartusiani remotis fabulis petere & agnoscere possunt.

Non ignoro Vincentium a quibusdam inter alios a Melchiore Cano, an quia ejusdem familiæ liberius de eo sibi permittente judicium argui, ut qui non tam veris certisque scribendis dederit operam, quàm ne nihil omnino præteriret, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur. Sed Cani censuram quisquis Specula percurrerit, utique pronunciabit severiorem. Modo Possevinum audiebamus Speculum naturale sub nomine Guillelmi de Conchis laudantem, ut quod uberem suppellectilem habeat dignam quæ legatur; an verò idem opus

SEC. XIII. falso alteri ascriptum existimatione dignum putes, mox auctori suo redditum susque deque habendum? Speculum doctrinale sua ætate in tanta librorum penuria summa fuit maxime necessaria, nunc etiam non omnino inutilis. Quæ objicit Canus, si Speculum historiale spectare contendas, propter apocrypha plura in eo relata, ac inter alia de miraculis B. Virginis, quorum multa absurda nec pietatem spirantia, delectum inter tot & tanta theologo habendum monent quidem, ut & ipse auctor præcipit in prologo, at non ideo culpandum Bellovacensem, imo laudandum ut de re literaria optime meritum, qui tot auctorum fragmenta vel opuscula aliàs peritura posteris servaverit. Nam etiamnum quantæ iis referuntur gratiæ, qui veterum opera in bibliothecis delitescentia, etiam Sanctorum acta apocrypha produnt in lucem, adeo cujusque ætatis genius fuit, & etiam est nostræ, præcedentium seculorum non solùm certa & vera sed & fabulosa cognoscere. Porro quoad illa B. V. miracula de eorum auctoribus sic habet noster Stephanus de Borbone, de donis Spiritus Sancti P. II, de dono pietatis cap. 20: *Eorum plurima dicitur S. Petrus Tarentasiensis archiepiscopus compilasse, quedam alia S. Hugo Cluniacensis abbas & Petrus Cluniacensis, alia Urbanus papa, alia Petrus Damiani Ostiensis episcopus legitur scripsisse.* Ex his ætate & Vincentii & Stephani conflatum prostabat *Mariale magnum*, quod uterque suis operibus inseruerunt fidem nec detrahentes nec adhibentes, sed ut ait Vincentius Prologi cap. 13 utrum credi vel non credi debeant ipsius legentis vel audientis judicio vel voluntati relinquentes.

Non solùm tria Specula præfata Vincentius, sed & quo erat laboris vigore indefesso plures tractatus eadem methodo, id est totos ex SS. Patrum auctoritatibus sibi invicem connexis constantes composuit, quorum aliqui typis prodierunt, alii delitescunt adhuc in bibliothecis MS. Primi quinque sunt a Tritemio laudati, quorum

1 *Liber gratiæ* sic inscriptus, in quo auctor agit de mysterio redemptionis humanæ hoc ordine, 1 *de utraque redemtoris ipsius generatione, præsertim de nativitate ipsius temporali: 2 de modo ipsius Filii Dei incarnationis, nativitatis, educationis, conversationis: 3 de ejus passione: 4 de ejus resurrectione, ascensione, Sancti Spiritus missione, & de Judæorum cæcitate.* Hujus meminit auctor Speculi naturalis lib. I cap. I ut paulo ante a se editi. Recensetur a Sandero in Elencho codd. MSS Belgii pag. 118 n. 47.

2 *Liber laudum Virginis gloriosæ*, de quo mox agendum.

3 *Liber de S. Joanne Evangelista.* Pr. *Completo diligenter ex dictis SS. Patrum pro modulo virium nostrarum auxiliante Domino, tractatu diffusiori de beatissima Virgine Dei genitrice, placuit & de B. Evangelista Joanne tractatum brevem sub eadem forma adjicere &c.*

4. *De eruditione filiorum regalium.* Pr. *Serenissimæ ac reverentissimæ Dominæ suæ Francorum Dei gratia reginæ Margaritæ, F. Vincentius Belvacensis de ordine Prædicatorum qualiscumque lector in monasterio suo de Regalimonte perpetuam in Domino salutem &c.* Extat MS memb. cod. in fol. mag. in Colbert. cum duobus præcedentibus n. 1036 supra cit. Item in Sorb. cum sequenti cod. in 4 memb. n. 1 pag. 296 melioris notæ. Recensetur apud Sanderum in Elencho codd. MSS Belgii T. I pag. 119 & 193 unà cum sequenti & 362, & T. II pag. 225.

5 & ultimus hoc titulo editus: *Incipit prologus in tractatum valde consolatorium pro morte amici Ven. patris Vincentii Belvacensis.* In codd. MSS hic est titulus: *Epistola consolatoria F. Vincentii Belvacensis ad regem Francorum Ludovicum super morte Ludovici primogeniti sui.* Prologus. *Dilecto Deo & hominibus illustrissimo Domino in Christo sibi carissimo, divina favente clementia Francorum principi Ludovico, F. Vincentius de ordine Prædicatorum salutem &c.* Præter codd. articulo superiori recensitos laudatur iterum a Sandero Elencho cit. T. I p. 366. Item in Indice codd. MSS Angliæ T. I P. II n. 577. P. III n. 1373. T. II. P. I n. 25. Item n. 1863 ubique cum superiori. Florentiæ in Medic. P. I. 26 cod. 17 memb.

Prodierunt inquam hi quinque tractatus Basileæ typis Joannis Amerbachii 1481 idib. dec. fol. quæ editio extat Paris. in Navarr. Colbert & Mazarin.

Duo ultimi Gallice versi servantur etiam Paris. ac *de eruditione puerorum nobilium* cod. chartac. fol. sec. XV apud nostros Parisienses ad S. Honorati: *Epistola* verò *consolatoria* in Colbert. n. 3091 fol. par. memb. eleganti charactere. Deest initium epistolæ nuncupatoriæ interpretis ad regem Francorum Carolum V, cui in his quæ supersunt, sic loquitur... *Et pour ce afin qu'aucune passion de tristesse ne se puisse embattre en votre prudence tres excellent, votre haulte Majesté a commandé & enjoint a moi votre humble & petit servant, que je translatasse de latin en François un œuvre consolatoire sur la mort de son ami &c.* Postea hic titulus: *Cy commence l'epistre consolatoire faite par F. Vincent de Beauvais de l'ordre des Freres Prêcheurs, & envoiee a tres glorieux saint monseigneur S. Louis jadi roy de France, a lui envoiee par ledit F. Vincent, principalement pour le consoler de la tristesse qu'il avoit pour la mort de son ainé fils, qui etoit trepassé en sa jeunesse. Laquelle epistre fut translatee de latin en François selon la fourme qui s'ensuit l'an de grace de l'incarnation notre Seigneur* MCCC *soixante & quatorze.*

Opusculorum horum quinque auctor indubitatus Vincentius hactenus agnitus fuerat, unde non solùm Amerbachius sub ejus nomine simul edidit, sed & in Appendice ad Speculum historiale addita in edit. Veneta 1494 sic legitur de Vincentii opusculis: *Atque alia multa composuit videlicet librum gratiæ, librum de S. Joanne evangelista, librum de eruditione puerorum regalium, & consolatorium de morte amici, & quam maxime de laudibus divæ ac gloriosæ virginis Mariæ tractatum celeberrimum edidit.* Idem centum circiter annis antea dixerat F. Laurentius Pignon in suo catalogo n. 32 ubi post laudata Specula addit scripsisse: *Item de laudibus B. Mariæ virginis: item librum gratiæ, item librum consolationis de morte amici, item tractatus qualiter filii nobilium specialiter qui literis* [ac] *scientiis invigilant sunt instruendi, & plures alios tractatus & epistolas, qui in diversis locis reperiuntur.* His adde stylum Vincentii, qui in quinque illis tractatibus auctorem suum prodit. Nam omnes ex dictis SS. Patrum contexti sunt, quibus singulis ejus præfigitur nomen, ex quo quid acceptum.

Verùm celebri illi toties in hac bibliotheca laudato Minoritæ F. Petro de Alva placuit de libro laudum B. Virginis dicam nobis scribere, in suo sub ementito Roderici Rodriguez nomine *Pleytos de los libros* opusculo *Pleyto* 43 pag. 190, ubi duos hos tractatus *de vita scilicet & gestis B. Virginis & de laudibus S. Joannis Evangelistæ* a Vincentio nostro abjudicare nititur: quos subinde primum nescio cui Petro Damasceno, deinde certius ut sibi videtur Petro Comestori Scholasticæ historiæ auctori his fretus momentis asserit: Ac primò quidem, quod tractatus de B. Virgine typis aliquando prodierit in fol. absque nomine auctoris typothetæ & loci, sed cum hac nota in fine *Explicit Petrus Damascenus de laudibus B. V.* addit in Bibl. Trajecten. ad Rhenum litera M hujus operis exemplum

MS fol. servari sub hoc titulo, *Marionale Petri Damasceni*, cujus meminit Sanderus in Elencho codd. MSS Belgii P. II pag. 83. Verùm ista ut parum firma mox deserens, totus in eo est ut Petrum Comestorem harum opellarum auctorem esse evincat: 1 quod tractatus de B. Virgine canonico regulari vindicatus anno 1540 typis editus fuerit in 8 cum hoc titulo, *Thesaurus praconiorum Deiparæ Virginis Mariæ ex dictis authenticis contextus*, editionem curante Nicolao Greniero canonico & ipso Victorino: quæ, inquit Alva, Petro Comestori conveniunt, quem e cancellario Parisiensi canonicum Victorinum evasisse tradunt, & ibidem sepultum. Præterea Guillelmus Carnificis & Joannes Bunderius Dominicani in suo catalogo codd. MSS Belgii 15 aut 16 bibliothecas laudant, in quibus uterque tractatus ab ipsis inventus est sub nomine Petri Comestoris. Denique ad calcem *tractatus de gestis B. V.* referuntur versus decem in ejus laudem a Comestore compositi, quorum principium: *Si fieri posset quod arena pulvis & unda &c.* Cùm igitur extrema operis Comestoris esse negari non possit, & cætera ab eodem emanasse consequens est. Quæ eadem ille repetit *Sol. Verit. Rad.* 173 *col* 1399. At hæc omnia difflare haud est difficile.

Et ut ab hoc ultimo incipiam, en allucinationis originem. Nempe cùm ambo illi tractatus, ut Vincentio solemne fuit, toti sint ex dictis SS. Patrum contexti, nullus affertur locus, qua fide ille est, quin eidem nomen auctoris ex quo desumtus est, simul præfigatur. Id videas in ipso cap. 1 quod sic incipit: *Hieronymus in serm. de Assumt. Si Deum ore prophetico jubemur &c.* Eadem ratione finitur opus. Quia versus a Comestore in laudem virginis decantati eidem subjiciuntur, ideo & ejus nomen eis præfigitur. Verùm ut non sequitur Hieronymi esse tractatum, licèt ab ejus nomine inchoëtur, quia non laudatur nisi ut quarumdam linearum auctor, ita nec sequitur Comestoris fœtum esse ex eo quod hujus nomen in fine ponatur, quia nec additur nisi ut decem versuum parentis. Sic enim in edit. Amerbachii: *Explicit liber de laudibus B. V. Mariæ. Petrus Comestor. Si fieri posset quod arena &c.* adeo ut tractatus revera sit completus & finitus ante versus, hique nomine auctoris sui præfixo non referantur nisi per modum appendicis. Id amplius patebit ex cod. MS Victor. 89 ætatis Bellovacensis aut suppari, certe ante 400 annos ut videtur exarato, in quo hic est tractatus finis fol. 71: *Explicit liber B. Mariæ de laudibus ejus. Si fieri posset quod arena &c.* & ad finem epigrammatis: *Petrus Comestor XXX lib. Speculi historiali. Explicit de laudibus per versus.* Quæ notanda maxime. Hæc enim probant 1 tractatum illum fuisse completum, priusquam illud epigramma eidem adderetur: 2 idem epigramma e Speculi historialis libro XXX nunc XXIX transsumtum fuisse ut dicto tractatui per modum appendicis adjiceretur, unde & additum illud alterum, *Explicit de laudibus per versus*: 3 versus illos tractatui additos non fuisse nisi post Speculum historiale editum, quandoquidem ex hujus libro XXX accipiendi fuerunt, ut ad tractatus finem apponerentur, tantùm abest ut Comestoris hic fœtus fuerit.

Exinde quid ad ea respondendum sit, quæ ex nostrorum Carnificis & Bunderii catalogo depromit larvatus Rodrigo Rodriguez, perspicuum est: horum enim verba ipsa proferre debuerat, ut toties mendax repertus, mox que adhuc convincendus fidem aliquam mereretur. Nam verisimillimum est eos, ut bibliothecariorum mos est, initium tantùm tractatus ut & finem, in quo Petri Comestoris nomen ob ejus epigramma ibi adjectum referri non negamus, indicasse, non verò tractatum ei ut auctori ascripsisse. Mirum enim esset horum 15 aut 16 exemplorum jam nullum superesse, aut Sanderi diligentiam omnia effugisse. Sed ad aliud Alvæ argumentum accedamus.

Quis legens quod ille tam audacter asserit librum Vincentii de laudibus Virginis a Nicolao Greniero canonico Victorino sub nomine concanonici sui editum fuisse, rem ita se habere continuo non credat, quod tamen falsissimum est putidissimumque mendacium. Equidem Nicolaus Grenierus opusculum typis edendum curavit hoc titulo: *Thesaurus præconiorum Deiparæ virginis Mariæ ex dictis authenticis contextus. Parisiis ex officina Michaelis Fezandat in domo Albretica e regione D. Hilarii* 1539 *in* 8 cujus exemplum in Victor. servatur, mihi aprili 1704 visum & expensum. In epistola nuncupatoria ad abbatem Victorinum Joannem Borderium pag. 3 sic Grenierus: *Inveni tandem in nostra bibliotheca quod desiderabam, libellum ex antiquis laudatoribus excellentissime Mariæ concinnatum, sed cujusnam opera hactenus incertum, nisi quod credimus & vero est longe simillimum, alicujus esse superioribus in seculis cœnobitæ Victorini, qui non tam cupidus fuerit operam suam venditare ac plausibilem facere, quàm alieno in opere sua cum tenui gloria insuper & nomine incerto quam plurimis prodesse &c.* Verùm opus illud Grenieranum anno 1539 primo tum inventum & editum longe diversum est a Vincentiano jam ab anno 1481 in officina Amerbachii Basileæ prostrante. Utriusque specimen placet referre, ut lector quam sublesta sit Alvæ fides videat. En initium thesauri præconiorum:

Jam satis in hoc littore restitimus, jam satis admiratio immensi maris nos contemplantes tenuit, nunc quando aspirat aura gratior faventque sydera, libet e portu solvere, jamque funem ecce præscindimus, ut hoc mare magnum & spatiosum manibus, ut latissime patentes virtutum Mariæ & præconiorum campos ingrediamur &c. Ad marginem legitur, *Auctor operis*, ut quæ styli ejus sunt ab excerptis SS. Patrum secernantur, idque in sequentibus ubique servatur. Opus capp. 54 solùm constat, ultimi titulus: *Pia fidelis populi ad Deiparam virginem Mariam oratio*: cujus hic est finis:

Fac o Benedicta per gratiam quam invenisti, per prærogativam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te quoque intercedente participes faciat nos gloriæ & beatitudinis suæ Jesus Christus filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen. Thesauri præconiorum Deiparæ virginis Mariæ finis.

Nostra per immensum zephyris spirantibus æquor
Hactenus emensa est integra navis iter.
Nunc sumus in portu cum salvis mercibus, hic jam
Vela trahenda, maris prospera stella vale.

En verò prologus operis Bellovacensis.

Quoniam de gestis beatissimæ virginis Dei genitricis admodum pauca in evangelica reperiuntur historia, quædam verò antiqua scripta, quæ originem ejus & vitam & assumtionem cum quibusdam miraculis historico modo describere videntur, olim a SS. Patribus repudiata leguntur tanquam apocrypha, parvitati meæ satis utile visum est ob ejusdem virginis sacra venerationem, & ad legentium ædificationem ex dictis SS. Patrum authenticis, qui de prædicta materia per diversos libros, tractatus atque sermones multa scripserunt, pro ingenii mei modulo paucos flores excerpendo colligere &c. In hoc tractatu capp. 142 numerantur, ultimi titulus, *Oratio ad Filium pariter & ad matrem.* Finis.

O amator & miserator hominum, tu potuisti reos tuos & usque ad mortem amare, & poteris te re-

 ganti amorem tui & matris tuæ denegare : veneretur ergo vos sicut digni estis mens mea, serviat vobis sicut debet caro mea, & in hoc consummetur vita mea, ut in æternum psallat tota substantia mea. Amen. Explicit liber de laudibus virginis. Sequitur epigramma Petri Comestoris laudatum, cujus nomen in quibusdam codd. MSS præfigitur, in aliis postponitur.

Hæc sat sunt ut quantum opellæ duæ inter se differant videat lector, Bellovacensis stylo simplici & humili, Grenierana ornato & rhetorices floribus omnibus resperso scripta. Non dubitaverim tamen quin hujus auctor, quem post restitutas in universitate Parisiensi a Nicolao Clemangio humaniores literas circa initia seculi XV ac Basileensis concilii tempora vixisse tum stylus tum doctrina indicant, opus Vincentianum sub oculis habuerit dum suum texeret, ex eoque plura Patrum loca transscripserit, ac etiam plures capitum titulos mutuatus sit, hæcque omnia stylo suo innovata ac mollita usui suo accommodarit : tantum abest ut canonicus hic Victorinus, cujus nomen Greniero incertum, Petrus Comestor fuerit, quem Bellovacensis Spec. Hist. lib. 29 cap. 21 Parisiensium magistrorum in theologia primum fuisse asserit, & ab anno 1154 circiter ad 1178 potissimum floruisse refert, cujus & versus supra relatos in laudem B. Virginis ea ætate plurimum decantatos ibidem cap. 1 inserens ab interitu vindicavit, a quo si alia de eadem Deipara prodiissent, proculdubio non tacuisset. De Petro Comestore Joannes Parisiensis canonicus Victorinus sic in *Memoriali Historiarum* ad annum 1175. *Hic Petrus Manducator primò fuit in ecclesia Trecensi præbendatus, demum fuit canonicus & cancellarius Parisiensis, post sepultus est in ecclesia S. Victoris Parisiensis.* Nec plura. Mirum si habitum regularem ibidem induit, ut quidam volunt, id Joannem siluisse, qui agens de Mauritio episcopo Parisiensi ad annum 1196 in morte canonicum ibidem effectum non tacuit, & idem de Adenulpho electo Parisiensi & de quodam episcopo Meldensi narrat. Albericus quoad ætatem Vincentio consentit, & anno 1169 Petrum Manducatorem Petro Pictavino cathedra theologica cessisse testatur, quod virum indicat jam non solùm emeritum sed & senem, ut ad 1198 vitam porrexisse vix credibile sit, contra fidem Vincentii auctoris supparis qui ad 1178 concludit.

Tractatus hujus *de laudibus B. V.* ut & sequentis *S. Joannis Evangelistæ* innumeri sunt in Bibliothecis codd. MSS. In Colbert. n. 1036 fol. mag. cum libris quibusdam Spec. Doctrin. & *tractatu de eruditione filiorum regalium ejusdem auctoris.* In Sorbon. triplex : Primus fol. mag. memb. n. 1 pag. 1052 inter alia plura. Item alter fol. memb. n. 1 pag. 1063 post Summam Peraldi de vitiis. Tertius fol. par. memb. n. 1 p. 1019 inter plura : in Navarr. cod. MS memb. in 4. Recensetur a Sandero in Elencho codd. MSS Belgii P. 1 p 131 n. 13 & pag. 141 n. 27. P. 11 p. 65. Fateor in catalogo codd. MSS Victorin. n. 72 hoc opus Petro Comestori ascribi, sed erratum est contra fidem ipsius codicis in quo Comestor ad finem quidem ascribitur ut auctor epigrammatis ibidem adjecti, at nequaquam tractatus, idque constat ex seq. cod. 89 certo antiquiori, in quo epigramma indicatur exscriptum ex Spec. Histor. lib. XXX ut supra notavimus : neque verò solum illud erratum in hunc catalogum irrepsit. Sic n. 1165 liber *de natura rerum* Alberto Magno tribuitur, quem certum est opus esse nostri Thomæ de Cantimprato : Sic n. 607 F. Guillelmus de Melitona dicitur ord. Præd. quem Minoritam fuisse omnes norunt : sic n. 946 opusculum quoddam *de laudibus B. V. & S. Joan. Evangel.* nostro Bellovacensi ascribitur toto cœlo a superiori diversum, & cujus auctor in fine se dicit *peregrinum, quondam modici regni Orientalis cancellarium* (fortè *Cypri*) *& nunc in fine dierum Parisius in horto Cœlestinorum humilem solitarium.* De quibus & aliis similibus canonicum bibliothecæ præfectum identidem monui.

Ex hactenus dictis patet, quid ad illud alterum respondendum, quod objicit ementitus Rodrigo Rodriguez, de Petro Damasceno sub cujus nomine asserit tractatum de vita & gestis B. V. typis aliquando prodiisse, (de quo penes illum fides, nam in nullo librorum impressorum indice hactenus vidi recensitum) & in Trajectensi bibliotheca Rhenana MS servari teste Sandero P. 11 pag. 83. Nam illud *Mariale* seu *Marionale* ut legit Sanderus vel aliud est a Vincentiano ab Amerbachio edito, ut pene innumera sunt ejus generis inter codd. MSS secul. XI ad XIV : & tunc quid probat Alva ? vel est idem : & tunc cur in eo auctore ipse non stat ? cur ad Petrum Comestorem postea & ad Grenerianum confugit ? Adeo verum est illi Damasceno nec ipsum fidem habere.

Neque verò immorandum arbitror in eo refellendo, quod ultimo objicit adversarius, nempe neque Henricum Gandavensem, neque Sixtum Senensem ubi de Vincentio Bellovacensi hujus tractatus de vita & gestis B. V. inter ejus opera meminisse : nam illi etiam neque aliorum tractatuum *de gratia Christi, de eruditione puerorum regalium, &c.* meminerunt, quos tamen nostri Vincentii fœtus esse certissimum est. Itaque Gandavensem ipso teste in auctorum suæ ætatis operibus recensendis parum accuratum fuisse palam est, unde Miræus ejus scholiastes plura in eo emendanda & addenda habuit, inter quæ & hunc de B. V. tractatum non omisit, & Vincentio vindicavit. Quantum ad Sixtum Senensem cùm nonnisi de sacræ scripturæ interpretibus ageret, Speculum naturale solum, in quo Hexahemeron creationis explicatur laudavit.

Vincentii tractatus nondum typis excusi quinque mihi veniunt recensendi.

1. *Liber de Sancta Trinitate*, cujus ut antea a se editi ipse meminit lib. 1 Spec. Nat. cap. 1 sic enim ibi : *De mundo quippe archetypo sufficienter ut æstimo aliàs disseruimus, in libro videlicet quem de Sancta Trinitate communiter ex dictis Sanctorum & catholicorum doctorum nuper compegimus.* Servatur adhuc MS in S. Martin. Tornac. E. 46 teste Sandero P. 1 pag. 118. Pr. *Cùm attestante propheta justus ex fide vivat &c.*

2. Tractatus duo in Bib. Victor. servari n. 920. Titulus : *Incipit expositio orationis Dominicæ & salutationis Beatæ Mariæ per Vincentium qui fecit Speculum historiale. Incipit Prologus : Quia frequenter in evangelio monemur a Domino instanter ac sine intermissione orare, nec ulla ut arbitror inveniri potest utilior atque suavior, & ad impetrandum efficacior orationis formula, quam illa quæ dictata nobisque administrata est ex ore ipsius Dei sapientiæ & veritatis, mihi omnium Fratrum ordinis Prædicatorum minimo utile atque salubre visum est &c.* Pr. *Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se. Hoc dicitur nobis a Domino Matth. 7 &c.* Postea sequitur alter tractatus

Incipit prologus in salutatione B. V. Mariæ ab angelo facta. Post dilucidatam a nobis utcumque juxta humilitatis & possibilitatis nostræ modulum orationem dominicam, placuit etiam stylum vertere circa salutationem Beatæ Virginis angelicam &c. Pr. *Salutate Mariam quæ multum laboravit in vobis. Roman. 16.* Iidem tractatus in eadem Bib. sunt iterum n. 428 qui duo codd. fol. par. memb. sunt & in Sorbon. Primus quidem in collectione plurium opusculorum ejus ætatis, quorum primum est

de præparatione cordis nostri Gerardi Leodiensis, & xi istud *de commendatione orationis Dominicæ.* Abest prologus & incipit : *Pater vester qui in cœlis est dabit bona &c.* eadem ut in Victor. codex est fol. med. memb. Alter *tractatus de salutatione B. V.* est cod. n. 1 pag. 965 fol. par. memb. post plura alia, qui codex est sec. xiii & ex legato Petri de Lemovicis. Abest & in hoc prologus & incipit : *Salutate Mariam &c.* Stylus est idem ac in aliis Bellovacensis operibus totus ex dictis SS. PP. contextus.

4. *Tractatus de morali principis institutione.* Recensetur in Indice codd. mss Angliæ T. i P. ii n. 577 & P. iii n. 1373. T. ii P. i n. 25. Hic est prologus : » Vincentii Bellvacensis de morali principis institutione. Carissimis & religiosissimis in » Christo viris & illustrissimis Dominis omni hono» re ac reverentia dignis principibus Ludovico Dei » gratia regi Franciæ, ac Theobaldo ejusdem fa» vente clementia regi Navarræ & comiti Campaniæ, » F. Vincentius Bellvacensis de ordine Prædicatorum » salutem in omnium Salvatore. Olim dum in mo» nasterio Regalismontis ad exercendum lectoris » officium juxta sublimitatis vestræ beneplacitum » Domine mi Rex Francorum moram facerem, ibi» que vos & familiam vestram divinis eloquiis au» rem pariter ac mentem præbere diligenter inter» dum adverterem, mihi quidem utile visum est » aliqua de multis libris, quos aliquando legeram » ad mores principum & curialium pertinentia sum» matim in unum volumen per diversa capitula dis» tinguendo colligere : quatenus & ego & Fratres » de ista materia, de qua nimirum pauca inveniun» tur scripta, speciale quid in promtu haberemus, » ad quod opportune possemus recurrere, si quan» do nobis incumberet hujuscemodi generibus homi» num, utique principibus, militibus, consolariis, » ministris, vallivis, præpositis ac cæteris sive in » curia residentibus, sive foris rempublicam admi» nistrantibus, ea quæ ad vitæ honestatem & ani» mæ salutem spectant, unicuique prout statui suo » competit, privatim vel publice suadere. Quod » ergo tunc temporis occasione * nostra Domine mi » rex Francorum incepi, sed aliis præpeditus nego» tiis emergentibus intermisi, nunc tandem acce» dente vestra petitione Domine mi rex Navarræ » non immerito vicem jussionis apud nos obtinen» te, quia videlicet postulatio vestra per venerabi» lem patrem nostrum Fratrem Umbertum totius » ordinis nostri rectorem atque magistrum mihi in» notuit, opitulante Domino placuit consummare. » Verùm quia pluribus aliis occupatus negotiis opus » illud inceptum prout vellem, accelerare commo» de non possum, primum ejus libellum jam editum » interim sublimitati vestræ transmitto per subjecta » capitula distinctum «. Sequuntur capp. xxviii tituli. Princ. *Sicut dicit Apostolus ad Rom. cap. 12. Multi unum corpus sumus in Christo &c.* Hæc agente carissimo sodali nostro Michaele Lequien accepi ex Anglia.

* Leg. vestra.

5. *Tractatus de pœnitentia.* Extat in Colbert. n. 2057 fol. med. memb. ante 400 annos scriptus. Tit. *Liber Fratris Vincentii de pœnitentia totus ex dictis SS. doctorum collectus. Prologus.* » Quia peccanti» bus mortaliter post baptismum sola pœnitentia » remedium est ad vitam, & ut ait Ambrosius, fa» cilius invenias qui servaverunt innocentiam, quam » qui congruam egerint pœnitentiam : ut a multis » qui potius irridentes quam pœnitentes, plenius » agnoscatur, quæ sit vera pœnitentiæ forma, mihi » quidem peccatori satis utile visum est ex SS. pa» trum sententiis, qui de hac materia scripserunt » ante nos plurima, flores paucolos colligendo, pœ» nitentiæ modum ordinemque describere, & hoc ipsum opusculum per cxcv capitula subjecta dis» tinguere «.

Sec. XIII.

Extat idem tractatus ms memb. in 4 in monasterio nostro Pissiacensi hoc solo discrimine quod cxcv capita postea in xv partes seu continentias distribuuntur. In hoc posteriori codice subjicitur Bellovacensis epistola consolatoria ad S. regem Ludovicum de morte filii eadem manu scripta. Codex est 400 circiter annorum. Licèt autem auctor F. Vincentius tantùm nominetur, nec addatur cujus ordinis, stylus tamen tum prologi tum operis totius ex SS. Patrum dictis compacti non alius quàm Bellovacensis lucubrationem esse evincit. Titulos xv partium placet hîc adjicere.

In prima parte agitur de pœnitentia in communi.
In II de cognitione peccati.
In III de confessione & pertinentibus ad eam.
In IIII de satisfactione in communi & partibus ejus, Idem in V.
In VI de eleemosyna & conditionibus ejus.
In VII de oratione vocali depressa & ejus speciebus.
In VIII de oratione vocali sonora & ejus partibus.
In IX de oratione mentali & jubilatione.
In X de meditatione eorum quæ pertinent ad Deum.
In XI de meditatione eorum, quæ in hac vita pertinent ad miseriam humanam & ad statum proximi.
In XII de modo eorum quæ post mortem pertinent ad pœnam.
In XIII de modo eorum quæ post mortem pertinent ad gloriam.
In XIIII de arrha animæ in præsenti, & quomodo in creaturis & moribus & scripturis debet aliquis meditari.
In XV de vigiliis & opere manuali.

Monendus autem hîc lector, quemdam Anonymum Italum & provinciæ nostræ Lombardiæ sodalem hoc eodem seculo sed post Vincentium Bellovacensem claruisse, qui hoc idem opus innovavit. Eamdem divisionem capitum cxcv in xv partes distributorum, iisdemque ubique titulis sequitur. Discrimen est quod licèt eadem fere sint SS. Patrum sententiæ; tamen iste Lombardus eadem loca sanctorum modo breviora refert partem præscindens, modo productiora, quæ sequuntur & Vincentius omiserat adjiciens, aliquando non eodem ordine, aliquando nova & quæ non habet Vincentius inserens : adeo ut licèt Vincentius agnoscendus sit primarius & verus auctor, Lombardus ex innovato opere non parvam laudem mereatur. Extat in Colbert. cod. 4524 memb. fol. par. charactere eleganti. Ad calcem sic legitur : *Explicit liber de fructibus pœnitentiæ editus & compilatus per quemdam Fratrem de ordine Prædicatorum in provincia Lombardiæ.* Et hinc etiam colligo seculo xiii vixisse, nempe ante divisionem provinciæ Lombardiæ in duas inferiorem & superiorem, quæ anno mccciii constituta est. Ut stylum hujus anonymi agnoscat lector, ejus prologum libet hîc addere, quem cum prologo Vincentii conferat.

Titulus est. *Liber de fructibus pœnitentiæ.* » *Quoniam peccantibus post baptismum mortaliter, sola pœnitentia remedium est ad vitam, ut a* « *multis qui potius irridentes quam prudentes sunt,* « *agnoscatur plenius, quæ sit pœnitentia forma,* « *mihi satis utile visum est ex sanctorum sententiis* « *patrum, qui de hac materia in multis opusculis* « *ante nos diffuse tractaverunt, flores aliquos colligendo, modum pœnitentiæ ordinemque describere,* « *& hoc ipsum opusculum in* xv *portionibus divide*« *re* &c «. ut supra id est iidem tituli.

Sæc. XIII. Tractatum hunc ut viri doctrinæ sanioris fœtum commendat initio codicis sua manu Clar. Baluzius Bibl. Colbert. aliàs præfectus. Idem recenseri videtur a Sandero Elench. codd. MS Belg. T. II p. 198 lit. D. *Dominicani anonymi de fructibus pœnitentia* : & iterum p. 228 *Tractatus de fructibus pœnitentiæ.*

Epistolarum ad diversos librum unum Bellovacensis ante Tritemium laudaverat F. Laurentius Pignon : quod verisimile satis pro ea qua tum eruditionis & religionis fama clarebat, sed an aliæ jam extent quàm nuncupatoriæ quorundam opusculorum relatæ hactenus me latet.

Cùm nostri auctoris opera ex quo edita fuere, undique quærerentur ; hinc ea plures in varias formas verterunt, placetque hîc indicare, ne quis in iis fallatur.

1. Opusculum pro varietate codicum vario gaudens titulo. In aliis enim dicitur *Flores Historiarum*, hicque genuinus est : in aliis *Speculum vel imago mundi*, & in istis Vincentio ascribitur, cùm ejus revera non sit, sed Speculi historialis compendium ab Adamo episcopi Claromontensis clerico concinnatum Gregorioque X dicatum. En principium.

Incipiunt flores historiarum ex historiali Speculo venerabilis viri Fratris Vincentii de ordine Fratrum Prædicatorum excepti a magistro Adam clerico D. episcopi Claromontensis. Sanctissimo P. ac D. Gregorio apostolicæ sedis summo pontifici, Adam Clericus Claromontensis episcopi pedum oscula beatorum, & in ejus oculis gratiam invenire. Quoniam inter causas rationabiles nihil censetur utilius beneficio literarum, quibus memoria reformatur, & in novitatem redit, quod oblivio obscuravit : vobis in solatium & recreationem spiritus quædam ex libris doctorum Ecclesiæ, quædam ex chronicis Eusebii, Bedæ, Sigiberti, Hieronymi, quædam præcipue ex historiali Speculo Fratris Vincentii de sacro ordine Fratrum Prædicatorum Parisiensium &c. Princ. *Gesta primæ ætatis. Deus ante omnem diem &c.* Ubi refert catalogum regum Franciæ sic legit : XLIIII *Ludovicus filius ejus qui adhuc regnat, & jam regnaverat annis* XLIII *dum ista scriberentur, & liber præsens compleretur, qui completus est A. D.* MCCLXX. Definit opus in vacatione sedis Romanæ post mortem Clementis IV. Cui subjicitur idem finis qui in Speculo Natur. & Histor. sic : *Vincentius. Septima ætas quæ animarum quiescentium est &c.* ad finem usque ut in Histor. *Expliciunt flores Vincentii ord. FF. Præd. excepti a magistro Adam Clerico D. episcopi Claromontensis.*

Sub hoc titulo codd. MS duo sunt in Colbert. 5416 qui correctior est, & 2105, uterque membranis fol. par. At ab Othone III imperatore discrepant ambo & 2105 brevior est. Est & in Navarr. fol. med. memb. per omnia similis Colbertino 5416. Est & in Bib. Eccl. Paris. inter codd. in 4. memb. H. 7.

Idem opus sub alio titulo rescissa nempe epistola ad Gregorium X nuncupatoria prostat in multis Bibliothecis : Colbert. n. 2407 fol. par. memb. *Iste liber intitulatur Speculum vel imago mundi, editus a F. Vincentio ord. FF. Præd. Speculum gestorum mundi.* Idem tamen principium : *Deus ante omnem diem duo creavit &c.* omnino eadem ut in 5416. Sub hoc eodem titulo : *Speculum vel imago mundi*, extat duplex in Sangerman. a Pratis nn. 512 & 794. Sed uterque imperfectus, in utroque tamen est idem catalogus regum Franciæ, & dicitur liber completus anno MCCLXX. Plura Sanderus recenset exempla in Elencho codd. MSS Belgii P. I pag. 50 nn. 217 & 218 ubi erratò fortè typorum dicitur *Adamus clericus episcopus Claromontensis*, cùm debeat legi *clericus episcopi.* Item pag. 188 sub altero titulo : *Imago.*

Non omittendum hunc auctorem laudari a Launoio in opusculo *De vera causa secessus S. Brunonis in eremum* : at vir aliàs accuratus deceptus est sive cùm Gregorio IX dicatum opus asserit, quod Gregorio X nuncupatum est certissime, sive cùm ad annum MCCXXX auctorem refert, qui anno tantùm MCCLXX librum suum complevisse diserte asserit. Cùm autem hujus libelli titulum legis *Speculum vel imago mundi*, cavesis ne eumdem existimes quem supra recensui ex Bib. Coisliniana : toto enim cœlo differunt. Codex Coislinianus ipsius Vincentii est & prima delineatio Speculi ejus majoris anno 1244 edita : at illi alii codices Colbertinus 2407 & Sangermanei 512 & 794 sunt oppella Adami anno 1270 producta, sola rescissa ejus ad Gregorium X epistola.

Aliud opus extat in Regia n. 3909 codd. MS fol. mag. memb. uncias 4 spisso, estque compendium ex utroque Speculo naturali & historiali permistis sarcinatum. Quidam libri integri insunt, resecantur quidam integri, plures circumciduntur. Prologus Vincentii redactus in compendium uti cætera, quadrifariam tamen divisionem exhibet, unde opus ex Speculis interpolatis coagmentatum colligas. Ubi catalogum pontificum refert desinit anno 2 Innocentii IV, ut in aliis tum impressis tum MS : at in catalogo regum Franciæ sic legit : XLVI *filius ejus Ludovicus* (nempe IX) *regnavit annis* ... XLVII *Philippus qui adhuc vivit & regnat.* Quod indicat in hujusmodi catalogis quemque pro libito addidisse. Itaque operis hujus compilator prologum ex codice post annum 1320 post additum scilicet Speculum morale, & catalogum regum Franciæ, ex aliquo dum regnaret Philippus III Audax scripto sumserit. Finis fol. 380 hic est : *Et nota quod hoc capitulum novissimum & quatuor quæ sequuntur, in originali, possunt superius plenarie reperiri.* Istud autem caput est 91 libri 30 Speculi naturalis *de peccati divisionibus.* Duplex titulus operi : recentior tamen quam codex : primus quem genuinum crediderim, *De creatore & ejus creaturis* ; alter qui & in catalago Bibl. exhibetur, *Flores omnium scripturarum.*

F. RADULPHUS BOCKING.

F. Radulphus Bocking Anglus Cicestriæ natus & ibidem ad ordinem allectus seculo XIII pietate claruit & eruditione : quibus nominibus excitatus S. Ricardus ejusdem civitatis episcopus arbitrum illum conscientiæ selegit, ac in omnibus & quæ sunt salutis & perfectionis mystagogum moderatorem. Hinc annis jam ante MCCLII pluribus (nam eo anno aprilis tertia mortuus est sanctus ille antistes) virum gravem apud suos habitum conjicio : sed & diutius postea vixisse, cùm eumdem Sanctorum fastis ab Urbano IV inscriptum viderit, & postea requirente Isabella comitissa de Arundelia, atavis regibus illustri fœmina, sed pietatis operibus illustriori vidua juniori, jubente quoque suo Angliæ priore provinciali F. Roberto Kilwardby de quo in sequentibus scripserit hoc titulo † 1264.

Vita S. Ricardi confessoris & episcopi Cicestriensis.

Hanc Isabellæ laudatæ nuncupat, ac in prologo jussu dicti Kilwardbii opus confecisse testatur, quod proinde ediderit inter MCCLXIV quo mortuus Urbanus & MCCLXXII quo Robertus ex Angliæ provinciæ præfecto promotus est archiepiscopus Cantuariensis. Ejus meminit Trivetus in chronico regum Anglorum ad MCCLII. *Cujus*, inquit (Ricardi) *vitam sanctitate insignem ac virtutibus gloriosam rudi quidem*

quidem sed veraci stylo scripsit Frater quidam de ordine Prædicatorum Radulphus nomine, quem dum adhuc viveret (Ricardus) *suum elegerat confessorem.* Vitam hanc ex cod. MS S. Martini Lovaniensis ad 111 aprilis referunt eruditi actorum SS editores a p. 282 ad 318, qui & in commentario prævio legendi p. 277. Laudat etiam Lelandus cap. 260 sub simplici nomine Radulphi Dominicani, aiens sua ætate *non modo eruditi, verùm etiam elegantis nomine insignitum, quod illis temporibus rariusculum fuit, degenerantibus jam a sua puritate artibus fere omnibus unà cum Latinæ linguæ elegantia:* & addit. *Liber quem de vita Ricardi Ceicastrensis episcopi non invenustum scripsit, extat & a Cissensis ecclesiæ canonicis religiose observatur.* Meminerunt Baleus, Molanus & Pitseus, hic ad 1270, ubi præterea ei tribuit

Sermones: sed ubi serventur aut a quo visi non docet. Mirum esset a nostris nomenclatoribus omnibus omissum, nisi & alii innumeri illis excidissent.

F. ÆGIDIUS LUSITANUS.

* 1265. F. ÆGIDIUS LUSITANUS e primis nascentis ordinis patribus unus, eumdem, patriam, familiam in seculo clarissimam, vitæ innocentia, præclare gestis, miraculorum gloria longe nobilitavit. Etsi autem ἁγιόλογεῖν agere nostri non sit instituti, tamen de vitis SS. censere cùm rei literariæ non parum intersit, a nobis non est alienum. Chronologiam itaque vitæ Ægidii breviter præmittere visum est, tum postea quid in ejus actis a Resendio scriptis jure displiceat, lectoris criterio subjicere. Vaoselæ Castro agri Scalabitani diœcesis Visensis sub finem seculi XII vel initia sequentis natus est Ægidius, patre Ruderico Pelagio Valladaris equite arcis & urbis Conimbricensis præfecto, matre Terasia Gilia paris nobilitatis fœmina. Domi sub cura parentum delicate educatus, & literis humanioribus egregie imbutus, variis etiam auctus est seu potius onustus sacerdotiis, inter alia canonicus & Thesaurarius Ecclesiæ Conimbricensis allectus. Tum verò honorum cupiditate incensus, ἰατρικὴν ad eos consequendos plurimum conducere expertus, huic arti operam totam dedit, & quo perfectior evaderet, Parisios se contulit; ubi & in ea facultate lauream adeptus est. Florebat iis diebus a quibusdam annis erecta domus nostra S. Jacobi, multique omnium facultatum universitatis ad eam confluebant viri graves. Nam & quidam Laurentius de Filgeriis, vernacule *Fougeres*, Armoricus magister in artibus & medicina tum nomen ordini dedit, qui postea sub annum 1231 in sacra facultate laurea insignitus est, & expleto Parisiis docendi munere, Tolosam anno 1235 missus theologiam ibidem post F. Joannem Ægidium Anglicum de quo supra, publice profitebatur. Ægidius itaque noster Deo inspirante, fortè & sodalium exemplo motus, seculo valedicere constituit, & sacerdotiis seu abdicatis seu transcriptis, ipse jam presbyterii gratia inunctus in præfata domo Sanjacobea institutum nostrum amplexatus est circa MCCXXV. Sic enim de eo in Vitis-Fratrum P. 5 c. 3 § 6. » F. Ægidius Hispanus » supradictus vir auctoritatis & veritatis indubitatæ F. Humberto magistro ordinis, cujus fuit circa » novitiatum Parisius socius carissimus, scripta misit quæ sequuntur «. Quæ evincunt ambos fuisse in novitiatu sodales: Humbertum autem ex ipso constat circa MCCXXV ad ordinem ascitum. Qui sumtuose in domo paterna nutritus fuerat, sibique deinceps vitam molliorem indulserat, non parum molestiarum ex-victus mutatione regulæque austeritate passus est, dum tyrocinii stadium excurreret: de quo sic rursus in iisdem vitis lib. 4 c. 16 § 1 quæ maxime pensanda. » Cùm F. quidam Hispanus « magnæ auctoritatis & religionis (*sic in meo MS cod. antiquiore, in altero autem paulo recentiori, & in impresso*) cùm F. Ægidius de Portugalia in « suo novitiatu de vestium & lecti duritia gravaretur, ut pote qui multum in seculo fuerat delicatus, confessori suo hujusmodi tentationem humiliter revelavit, cui ille respondit: Frater carissime, recordare quod in seculo lascive vixisti, « (*id est carnem molliter tractasti*) & ideo in redemtionem delicationis illius & peccatorum tuorum, « modo duritiam istam non solùm patienter sed « etiam libenter suscipe, quia Dominus erit tecum. « Quæ verba ita sunt cordi ejus infixa, quod ex « tunc prædicta tentatio cessavit, & quæ prius ei « gravia videbantur, facilia facta sunt consideranti, « quod propter hoc consequeretur remissionem om- « nium peccatorum «.

Idem Frater (*Ægidius in MS b. & in impresso*) in seculo multum fuerat facetus & jocundus & « hominibus affabilis valde. Cùm autem in ordine « se vellet ad silentium coarctare, & vagos refrænare discursus, æstuabat & spiritum non poterat « continere: imo videbatur sibi quod flamma quædam combureret pectus & guttur ejus si diutius « taceret. Quadam igitur die illustratus spiritu, attendens quod hujusmodi ardor diaboli tentatio esse posset, firmiter statuit apud se quod se in loco « & in silentio contineret, etiamsi totus comburi, « & si crepare deberet. Videns igitur Deus propositum & firmitatem animi ejus, spiritum vertiginis « ab eo removit, ut jam in tantum ei dulce esset « tacere, & in uno loco & libenter secum morari: « & datum est ei in hoc super omnes habere gratiam specialem. Hoc autem scivit per eum magister ordinis, (*Humbertus*,) qui diu cum eo pariter in infirmaria stetit in una camera, nec recordatur quod unquam audierit eum otiosa dicentem, sed vel consolantem desolatos, vel de divinis loquentem, vel humiliter tacentem: nunquam aliquid cùm ægrotaret quasi continue & bonus medicus esset, nisi quod ei offerebatur quæsiisse, sed omnia cum gratiarum actione sumsisse, « etiam quæ complexioni vel consuetudini vel infirmitati &c. contraria videbantur. Quia igitur omnem solicitudinem suam projecit in Deum, ipsi « fuit cura de eo; & post multas tentationes & infirmitates adeo fortificavit eum, quod postea gratiosus prædicator, & utilis lector, & laboriosus « prior provincialis in Hispania multis annis permansit, in tot occupationibus parum aut nihil de « priori sanctitate & religiositate omittens «.

Quæ autem hîc narrantur tum de ejus tempore tyrocinii difficultatibus, tum de infirma diutius valetudine cùm theologiæ post professionem operam daret, ex modo loquendi satis innuitur hæc omnia Parisiis in primis religionis annis accidisse, quæ Humbertus iisdem incumbens studiis, & valetudine haud meliori usus, & experientia & familiari cum intimo sodale consuetudine agnovit & scripsit. De quibus etiam videsis in iisdem Vitis-Fratrum lib. 4 c. 2 § 4. Sed & c. 5 § 5 sic legitur: *Duo Fratres Hispani qui Parisius in theologia studuerant, dum ad suam redirent provinciam, ad terram Pictaviæ devenerunt* &c. In fine verò illius narrationis sic additur: *Hæc F. Ægidius de Portugalia scripsit, vir totius sanctitatis, qui fuit etiam prior provincialis in Hispania, fama, literatura & auctoritate præcipuus, qui fuit unus ex illis duobus.* Quæ probant Ægidium Parisiis theologiam audivisse, tum eam in provincia Hispaniæ e superiori loco professum, denique hanc provinciam totam diu rexisse. Cùm

 autem, quod & verisimilius, asserant mortuo F. Sugerio primo Hispaniæ provinciali anno MCCXXXIII ei suffectum nostrum Ægidium, hinc merito colligas eum anno MCCXXIX aut sequenti Parisiis in patriam reversum mox ad docendum applicitum, & post triennium muneris lectoris, in quo præclaras suas dotes eruditionem præsertim eximia religione suffultam explicavit, ex eo ad munus provinciæ præfecti communibus votis assumtum. Quandonam autem hoc onus deposuerit nemo certo refert. In catalogo priorum provincialium Provinciæ apud Salanhacum id solum lego in cap. gener. Bonon. MCCXLII ab officio remotos provinciales omnes, qui in abdicationem S. Raimundi de Pennaforti consenserant, e quorum numero si fuit Ægidius, cum aliis & ipse depositus fuerit: sed & immediate rursus eligi potuit, sicut in Provincia F. Pontius de Sparra qui ex destitutis unus erat, eodem anno in cap. provinc. ad suum munus resumtus fuit: quo posito Ægidius ad MCCXLIX Hispaniam rexerit: eo enim anno in cap. gener. Treviris coacto legitur provincialis Hispaniæ ab officio remotus. Qui verò eo anno electus fuit, videtur ad MCCLXI perseverasse, cùm non antè sed eo solùm anno Barcinone in comitiis generalibus legatur provincialis Hispaniæ a munere exemtus. Ut ut sit certum est Ægidium in eo officio actu non fuisse constitutum inter MCCLVI & LX, quibus annis scriptus fuit liber cui titulus *Vitæ-Fratrum*. In eo enim ubique provincialis fuisse dicitur, quod tempus præteritum notat. Si autem magistratum hunc actu gessisset, diceretur, *qui etiam modo est provincialis sic scripsit magistro ordinis Humberto*. Quæ annotasse non pigebit: nam apud nostros historicos tempus ejus regiminis & incerte & valde confuse refertur.

Diem & annum mortis ex antiquis monumentis certo eruit Daniel Pappebrochius in Actis SS. T. III Maii in commentario prævio ad vitam Sancti p. 402 b. *Extat*, inquit, *antiquum regum Lusitanorum diarium in Tumbensi turri asservatum, in quo sic legitur: S. Ægidius ordinis Prædicatorum migravit ad Christum die* XIV *Maii A. S.* MCCLXV. *Denique in Kalendario cathedralis Conimbricensis ista habentur: Anno a Nat. Dom.* MCCLXV, XIV *die mensis Maii, in qua die tunc temporis occurrit festum ascensionis Domini, obiit magister Ægidius presbyter quondam canonicus thesaurarius istius ecclesiæ, qui decessit Frater Prædicatorum, & reliquit capitulo* LX *libras, & pro suo anniversario hæreditatem de Cernella, cum omnibus juribus & pertinentiis suis &c. qui jacet in monasterio Fratrum ordinis Prædicatorum apud Sanctarenum.* Quæ videntur indicare priusquam ordini nomen daret, jam presbyterum ordinatum. De eo agunt nostrates omnes Castillus *P.* I. *Hist. gen.* Ludovicus de Cacegas *Hist. prov. Portug. P.* I. Malvenda in *Annal. p.* 510 *& seqq.* & alii. Sed cùm omnes nostrum Andream Resendium excipiant, huic præsertim est attendendum. Sciendum itaque hunc vitam sancti hujus scripsisse quidem at non edidisse, quam fortè si ipse recognovisset in pluribus emendasset. Eam verò F. Stephanus Sampayo & ipse Lusitanus de quo postea, casu inquit inter manus militum inventam MS redemit & prælo subjecit Parisiis apud Thomam Perier anno 1586 in 8 cui titulum indidit: *Conversionis mirandæ D. Ægidii Lusitani doctoris Parisiensis ordinis Prædicatorum Libri* IV. Eamdem Actis SS. inseruit Pappebrochius citatus additis suis annotationibus, ad quas & nostras hîc visum est addere.

Lib. I *n.* 2 *& seqq.* Supponitur Ægidius vir jam in medicina clarus, dum Parisios peteret in ea arte peritior evasurus, a dæmone sub specie equitis circumventus, & Toletum adductus, ubi in antro quodam ab hominum consuetudine remoto, Christo prius ejurato, quod dictu horrendum, sese dæmoni devoverit, chirographo sua manu suoque sanguine scripto, ac in testimonium illi dato: quo facto septennium solidum in ea specu manserit, ac sub dæmonibus magistris artem magicam seu necromantiam didicerit, quam post septem annos ex iis antris tandem exiens, & Lutetiam progressus ibidem summa fama exercuerit, doctor etiam in facultate medica laureatus; sed miserescente Deo miraculose conversus combustis magicis omnibus libris, iter versus patriam arripiens, Palentiam ex via aggressus anno MCCXX vel XXI habitum ordinis ibidem petierit & obtinuerit, anno tyrocinii exacto in Lusitaniam redierit, ubi septennium integrum in conventu Scalabitano assignatus, summis precibus ac austeritatibus supra communes ordinis additis, renibus etiam catena ferrea cinctis, tandem ope B. Virginis chirographum quo Christum ejurarat sibi a dæmone reddi consecutus fuerit: exinde autem ac proinde circa MCCXXVII vel XXVIII Parisios a superioribus missus annis quibusdam theologiæ operam dederit. Quæ omnia ut sensum meum prodam pura puta sunt fabula, nullo æquali documento suffulta, nulla verisimilitudine ornata, iis quæ de Ægidio in vitis-Fratrum narrantur plane repugnantia. Resendius a viro probo & religioso qui Ægidium adhuc in humanis agentem non modo familiariter novisset, verùm etiam testis oculatus admirabilis ejus vitæ fuerit, eam scriptam asserit, cujus & codice MS usus est, sed vitæ seriem, patriam, parentes studia & conversionem ab altero recentiore descripta esse ingenue fatetur, quod non parum fidem historiæ elevat. Unde enim hic recentior fortè XV seculi ineuntis accepit, quæ antiquior & Ægidio familiaris ignoravit? Deinde in vitis-Fratrum, in quibus de tam stupenda conversione palam ut supponunt cognita loquendi locus erat, præsertim ubi *de causis inducentibus ad ordinis ingressum & de tentationibus novitiorum, & de pluribus a dæmone circumventis aut etiam arreptis*, cur de ista conversione nulla memoria? Præterea Hispanæ historiæ scriptorum erit disquirere, an civitas Toletana tot virorum illustrium sanctitate fulgens eo dedecore conspurcanda sit, ut in ea vel ad eam loci subterranei fuerint, in quibus passim homines tanquam in academiis inferni sub dæmonibus magistris magiam docerentur, nec ulla fuerit ea ætate seu prætorum regiorum, seu episcoporum de his inquisitio: sed an verisimile septennio solido Ægidium in his antris delituisse, nec parentes de eo solicitos fuisse, canonicos Ecclesiarum in quibus præbendas tenebat, ubinam tot annis ageret non quæsivisse, eas siquidem ut mortuum habere debebant, aliis non contulisse? nisi velis identidem dæmonem aliquem in specie servi aut nuntii vel tabellarii ab eo missum, qui parentes de salute moneret, & fructus e præbendis obvenientes a rei ærariæ capituli præfecto exigeret, quod vir sensatus an tam facile deglutiat, videant qui hæc tanquam pro aris & focis tuentur. Certe ipse Ludovicus de Cacegas hanc septem annorum in specu Toletana commorationem sibi incredibilem fatetur: a qua tamen si vel modicum detraxeris, totam illam fabulam evertis. Ast quod maxime attendendum, quæ illi narrant, iis quæ in Vitis-Fratrum de quibus ut certissimis nemo dubitet, omnino adversantur. Volunt illi Palentiæ ordini nomem dedisse: at in Vitis dicitur fuisse B. Humberti circa novitiatum socius, quod indicat in tyrocinio religionis utrumque fuisse sodalem unum altero prius ordini ascitum, sed ambos Parisiis indutos. Volunt illi primo septennio integro in Lusita-

nia austeritatibus supra communes se onerasse, corpus ferrea zona cinxisse ut chirographum execrandum a cœlo sibi reddi obtineret, quæ hominem firmæ valetudinis ostentant: in Vitis dicitur in suo novitiatu de sola vestium & lecti duritia gravatus: cur confessarius cui tentationem suam aperuit, solam vitam nimis delicate in seculo ductam opposuit? cur non antrum illud Toletanum objecit; in quo sane sub tyranno dæmone durius decubuerat? Si in Lusitania septennio integro sub austeritatibus voluntariis occaluerat, qui factum ut Parisiis ob solas communes ordinis diutius in valetudinario egerit? Nam præter jam relata ex Vitis Fratrum hæc non omittenda lib. 4 c. 2 § 4. » De quodam Fratre Hispano viro eximiæ sanctitatis & auctoritatis præclaræ, qui in seculo fuit in » statu magno (*in impresso* De F. Ægidio) narravit venerabilis pater magister Humbertus, qui ejus » socius & valde familiaris fuit, diu in Parisius conventu, & cum eo in eadem camera infirmus, » quod fuit tantarum virtutum, quod cùm Fratres » essent in scholis, ibat ipse ad cameras, & quas » inveniebat deturpatas mundabat, sordes infirmariæ efferebat: quæ apponebantur quamvis contraria & cùm esset medicus, cum gratiarum actione » sumebat &c «. legenda. Quæ iis juncta supra ex eodem libro relatis probant infirmitatem hanc diuturniorem in primis annis religionis Parisiis ob mutationem victus accidisse: non ergo post septem annos in quibus jam sub pœnitentia obduruisset, ut & re ipsa assuevit Parisiis, adeo ut inde validus & fortis in patriam abierit. Non negaverim catena ferrea corpus cinxisse, sed in posterioribus annis id fecerit, cùm plane sui juris, non in prioribus religionis quibus sola vita communis viribus corporis etsi non animi promptitudini gravior erat, & qua zona confessarius cui infirmitates secreto detexerat ei proculdubio interdixisset. Itaque totam hanc de Ægidio olim mago deque ejus stupenda conversione narrationem eodem loco reponat lector per me licet, quo historiam doctoris Parisiensis damnati, quæ S. Brunoni Cartusiæ erectori conversionis occasio seculo circiter XV adinventa est, reposuerunt editores breviarii Romani a quo merito exclusa fuit, nec vereor me in hoc a sapientibus ordinis arguendum, quin potius probandum spero. Redeo ad vitam Ægidii juxta numeros editionis Pappebrochianæ.

N. 8 citantur ista verba ut ex Vitis Fratrum lib. 4 tit. de virtute orationis. *Hac F. Ægidius de Portugallia scripsit vir simplex & rectus & timens Deum in seculo magnus in artibus & physica & in theologia in ordine doctor.* Ex quibus colligit Resendius à cancellario Parisiensi laurea magisterii in theologia fuisse donatum. Quibus ut nolim adversari, sic nolim etiam tam facilis assentiri. Primò quia ex quo MS cod. vel ex qua editione ista verba sumserit Resendius non aperit: in codd. verò duobus nostris & in Pissiac. ut & in edit. Duac. anni 1619 legitur aliter ut supra relatum est: *Hac F. Ægidius de Portugalia scripsit, vir totius sanctitatis, qui fuit etiam prior provincialis in Hispania, fama, literatura & auctoritate pracipuus.* Nullibi legitur *in theologia doctor*, sed tantùm *lector.* Adde nomen doctoris in theologia eo seculo usurpatum non fuisse, sed magistri. Præterea nonnisi anno MCCXXVIII F. Joannes Ægidius Anglus jam ante nomen ordini datum sacræ facultatis magister scholam publicam in sancti Jacobi aperuit sub quo incepit F. Rolandus Cremonensis, & sub isto F. Hugo de S. Caro circa MCCXXX, adeo ut Ægidius Lusitanus revocandus esset ad MCCXXXI quo jam in patriam redierat & theologiam profitebatur inde anno MCCXXXIII assumtus provincialis. Nec video cur cùm ejus toties iterata sit in Vitis Fratrum mentio, & clarissimum esset ejus in ordine nomen; eum in serie magistrorum Parisiensium omisissent Salanhacus & Bernardus Guidonis. Fuit tamen doctor Parisiensis, sed in medicina seu physica. SEC. XIII.

Pag. 408 *Annot. d.* non ita difficile creditu *Ægidium* fuisse *physicum regis* & eum esse qui in instrumento a Cardoso laudato sic se subscribit. Nam F. Joannes Ægidius Anglus mox citatus & ipse doctor medicus Parisiensis post habitum religionis susceptum eo etiam officio functus est. Videsis supra ubi de eo.

Nn. 24 *&* 25. Quæ ibi narrat Resendius de juvene filio dominæ Castri S. Maxentii in agro Pictaviensi ad ordinem ascito clarius & accuratius referuntur in Vitis Fratrum lib 4 c. 5 § 5, nec casus videtur prorogandus cum Pappebrochio ad MCCXLI: Ille enim adolescens quem apud matrem ex studio Parisiensi primum rediens circa MCCXXX viderat F. Ægidius, adhuc juvenis erat & recens ordini ascitus, cùm eum altera vice ad capitulum generale Parisiis coactum veniens vidit in conventu Pictaviensi. Itaque id potius ascripserim ad annum 1236, quo habitum Parisiis capitulum generalissimum, vel etiam antea nempe 1232 si constaret quod probabile, F. Ægidium fuisse sui provincialis socium: nam fuit capitulum provincialium.

Monendus superest lector a Leandro Alberto fol. 191 Ægidium nostrum Alarium dici, sed erratum esse typorum patet, omnesque conveniunt. Porro ille inter scriptores recensetur a Nicolao Antonio *Bibl. Hisp. Vet. lib.* 8 *c.* 3 *n.* 117 & a Joanne Suarez de Brito in *Theat. Lusit. littera* MS propter *Epistolas ad Fratrem Humbertum magistrum ordinis V. datas*; & in Vitis Fratrum locis indicatis relatas.

Hæc jam scripseram, cùm in manus meas incidit opus a nostro F. Josepho *de Sarabia y Lezana S. T. M.* susceptum hoc titulo *Annales de la religion de S. Domingo &c.* Is autem T. II Matriti 1709 fol. p. 145 & seqq. acta Ægidii refert in omnibus Resendii narrationem simpliciter nullaque antiquiori adjuncta notitia secutus: hoc solùm addit revera Toleti antrum extare *Herculis* dictum, seu potius viam subterraneam, cujus os seu ingressus in ipsa est basilica majori S. Genesii, & ad tria milliaria Hispanica protendi fertur; quales certe ad plures magnas urbes extant. Hanc autem Toletanam cùm scrutari vellet & metiri cardinalis Siliceus & circa MDXLVI Toletanus archiepiscopus, homines ad tentandum ejus jussu demissi, aquarum sibi occurrentium copia ulterius progredi prohibiti sunt, ac retrocedere coacti: eam autem foveam magicæ artis scholam fuisse antiquis temporibus, cùm in Hispaniis vigerent superstitiones præstat Saravius citatus testem adducens comitem de Mora *Historia de Toledo cap.* 14. Verùm hæc nimis generalia sunt & incertiora, quàm ut in antro illo aquis redundante ac inhospito juvenem Ægidium voluptuose apud suos eatenus nutritum septennium sub magistris dæmonibus habitasse credamus. Deinde probandum esset ejus ætate superstitiones adhuc Toleti frequentatas, quod ægre sibi persuadebit qui archiepiscoporum Toletanorum ex quo illa civitas circa MLXXXV Mauris erepta jugum Hispanum subiit, diligentiam & zelum norit, præsertim verò Roderici Ximenes, qui sedem illam ab anno MCCVIII ad MCCXLIV fidei catholicæ asserendæ ac promovendæ strenue ac continue desudans tenuit. Præterea exempla quædam magorum sedente Roderico in ea urbe detectorum, & judiciorum in illos latorum proferenda essent, non vagi rumores, narrationesque commentitiæ.

Ejusmodi censeo quam habet noster Stephanus de Borbone seu de Bellavilla seculi XIII auctor, qui circa MCCLX obiit, magno illo suo opere de

Sec. XIII. *septem donis Spiritus Sancti P.* 11 *De dono pietatis, tit.* 5 *cap.* 6. *Crux fugat dæmones: cod. Sorb. fol.* 213 *col.* 2 & quam lectori haud injucundum erit hîc integram legere. Licèt enim auctor Speculi moralis falso Vincentius Bellovacensis creditus totum hunc titulum ut & pleraque alia defloraverit lib. 1 P. 4 Dist. 19 hanc tamen historiam ita in compendium redegit, ut vix quid sibi velit intelligas. Sic ergo Stephanus: » Item audivi a quodam Fratre » qui asserebat se audivisse a F. Guillelmo de Constantiis lectore theologiæ, quod legerat, quod cùm » apud Toletum Hispaniæ esset quidam magnus ni» gromanticus dictus magister Melchita, nobilis » quidam scutifer genere, pulcher corpore, sed » pauper rebus, erubescens paupertatem suam in» ter suos, accessit ad eum (*Melchitam*) dicens ei, » quod si vellet ei benefacere libenter serviret ei. » Quem cùm ille retineret secum multa promit» tens ei si bene serviret ei, & acquiesceret ejus » consilio, & ille (*nobilis*) diceret quod hoc face» ret ipse per omnia, cùm haberet eum familiarem » sibi: dixit ei magister Melchita, quod acciperet » avem venaticam in manu, & irent soli ad aucu» pium in silva. Ubi cùm diu stetissent facto vespe» re, visum fuit illi scutifero, quod coram eis ma» ximus fluvius transiret, & quod castrum quoddam » mirabilis structuræ esset ultra longe, cujus similis » pulchritudinis non viderat: & cùm stupens quæ» reret a magistro suo quid hoc esset, quia nec » antè viderat quæ videbat, nec audiverat de illis: » ait magister iste quod castrum erat domini sui, » qui multa bona fecerat ei, & faciebat omnibus » volentibus ei servire: & dixit illi quod ad illud » castrum declinarent & ibi pernoctarent, & con» suluit ei quod paratus esset facere homagium re» gi qui morabatur in illo castro, qui amore ipsius » multa faceret ei bona. Ille respondit quod ad » consilium ejus faceret. Et cùm ille non auderet » transire fluvium, quia profundissimus & rapidissi» mus videbatur, magistro transeunte & illo se» quente, tunc speculator castri clamavit quis esset » qui transiret. Clamavit magister Melchita, sum » amicus domini regis. Tunc statim portæ aperiuntur, » pons tornatilis inclinatur, bene XL juvenes pul» cerrimi & ornatissimi cum torticiis occurrunt, & » eos in castrum introducunt. Occurrunt milites » infiniti & domestici & principes dicentes: bene » venerit amicus domini nostri regis. Introducunt » eos usque ad palatium regis, qui descendit de » throno aureo, facit magistrum sedere juxta se, » quærit causam viæ suæ: qui cùm diceret quod » propter socium suum qui pauper erat sed nobilis, » ut eum reciperet ad homagium & magnum eum » faceret: dixit quod hoc libenter amore ejus fa» ceret. Cùmque pro homagio suo, ut rex ille pe» tebat, juvenis accessisset, & flexis genibus manus » inter manus ejus poneret vel posuisset, ait rex » quod hoc debebat dicere homagium faciendo: » Ego autem nego Patrem & Filium & Spiritum » Sanctum. Ille obstupuit, & dexteram retraxit si» gnans se & dicens, Et ego reddo me Patri & » Filio & Spiritui Sancto. Quo facto cum maximo » sonitu tota illa curia cum rege & magistro, & » omnia mœnia illa præcipitata in abyssum descen» derunt, ibi solo juvene perterrito remanente.

Sane lætior est hujus historiæ catastrophe, quam quæ nostri Ægidii narratur, nec tamen veriorem quis censeat. Neque verò ejus se vadem dat Stephanus noster, sed audita tantùm refert a quodam Fratre, qui iterum non a se visa, sed a F. Guillelmo de Constantiis sive sint Constantia Normana, sive Rhenana accepta, & ab isto non Toleti oculis vel auribus usurpata, sed in quodam libro lecta depromebat. Quis verò ille libellus? nempe quales illo seculo circumferebantur hujusmodi historiolis referti, bona quidem intentione adinventis, quibus scilicet ut parabolis concionatores utebantur, quo homines a vitiis arcerent, & urgerent ad meliora, nec sine fructu, cùm ejusmodi exempla plebs facilius capiat & mente retineat, sed quæ ad veram historiam immerito, ne quid dicam amplius, traducas. Hæc Constantiis per CCC minimum leucas a Toleto dissitis legebantur, sed an Toleti ut acta dicebantur? an Melchita ille necromantiæ magister juvene prodente in judicium actus? & idem de B. nostro Ægidio, an eo detegente de schola illa dæmonum ad Toletum magica inquisitio facta? Revolvantur ejus ætatis acta Toletana, an quid simile in iis reconditum habeatur. Interea de tanto tam insigni tam sancto viro jamque priusquam nomen ordini daret presbytero ordinato, quod de eo in Vitis Fratrum memoriæ proditum est, scire nobis satis sit.

F. GUILLELMUS DE ALTONO.

F. Guillelmus de Altono vel *Antona*, a patria oppido *Alton* meridionali Angliæ emporio haud obscuro vulgo nunc *Southampton* in diœcesi Wintoniensi agnominatus, conventusque Wintoniensis alumnus seculo XIII claruit. In catalogo Salanhaci inter magistros Parisienses recensetur XIII his verbis: *F. Guillelmus de Antona Anglicus.* Ejus meminerunt nostrates omnes Joannes de Turrecremata & Vincentius Bandellus uterque in tractatu de conceptione B. V. Leander Albertus fol. 136. a: Lusitanus ad 1262 referens: Razzius pag. 233: Fernandez, sed allucinatus cum Gallis accenset: Altamura ad 1278: Sixtus Senensis Bandellum excipiens: extrates verò Possevinus ad annum 1320 prorogans & Pitseus ad 1330: sed antiquiorem & inter MCCLX & MCCLXX Parisiis floruisse certum tum ex Salanhaco citato, tum ex codicibus jam referendis. Laudat etiam Laurentius Pignon n. 16 sic loquens: *F. Guillelmus de Halton natione Anglicus magister in theologia scripsit* * 1265.

Postillas super Matthæum.

De decem virginibus.

Item super Ecclesiastem.

Quæ eadem cæteri supra laudati eidem asserunt, sed multo plura ejus opera inveni. Jam in codice MS memb. qui vulgo dicitur *Liber rectoris*, scilicet universitatis Parisiensis, vetus est instrumentum ante MCCC scriptum, in quo recensentur codices tum apud Stationarium quemdam prostantes venales: inter hos autem hi leguntur

Item postilla Fratris de Altoñ. super Matthæum. pecia XXVII, id est XXVII quaternionibus constantes.

Item postilla ejusdem super Ysalaam. pecia XXVI. Manifestum, erratum esse & legendum *Isaiam*, ut mox constabit.

In Bibl. Colbert. extant duo codices fol. par. memb. nn. 3637 & 3638 ejusdem ambo characteris minutioris & seculi certo XIII. Primus sic incipit eadem prima manu totius codicis:

Commentaria F. Guillelmi de Altona in sacram scripturam.

1. *Super Genesim.* Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & a generationibus meis adimplemini *Eccl.* XXIV. *In his verbis primò notatur ad sacram scripturam invitatio &c.* Principium alterum speciale *super Genesim.* Multifarie multisque modis olim loquens Deus Pater in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio. Hebr. 1. *Hic notantur quatuor causæ sacræ scripturæ &c.*

2. *In Exodum.* Hæc sunt nomina filiorum Israel. *Hic agitur de lege data populo Israel liberato de servitute Ægiptiaca &c.*

3. *In Leviticum.* Vocavit autem Moyses &c. *Quoniam legis est ordinare &c.*

4. *In Numeros.* Locutus est Dominus ad Moysen. *Cùm lex dicitur quinque libris Moysi contineri, specialiter dicitur contineri in Deuteronomio &c.*

5. *In Josue.* Fortis in bello Jhesus Nave successor Moysi in prophetis, qui fuit magnus secundùm nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hæreditatem Israel. *Hæc verba scripta sunt Eccli* XLV, *in quibus primò notatur causa efficiens hujus libri &c.* Cap. 1. Et factum est. *In hoc libro principaliter agitur de acquisitione & distributione terræ promissionis &c.*

6. *In Judices.* Judicabit Dominus populum suum, & in servis suis miserebitur. *Hæc verba scripta sunt Deuteronomii* XXXII *in quibus & auctor & materia & modus agendi & finis libri Judicum insinuantur &c.* Cap. 1. Post mortem Josue. *In hoc libro primo ad continuationem historiæ agitur de duce &c.*

7. *In librum Ruth.* Brevis in volatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus illius. *Hæc verba scripta sunt Eccli.* XI, *in quibus insinuatur quadruplex causa hujus operis &c.* Cap. 1. In diebus unius judicis. *Iste liber primò & principaliter dividitur in quinque partes &c.* Finis. *Pater filius nepos dicti sunt Booz, & ideo Matthæus tantum unum posuit.*

Sequitur *Sermo de Magdalena.* Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Hìc forsan ejusdem auctoris.

Codice 3638 habentur sequentia

1. *In Isaiam.* Venio cum propheta. *Hieronymus in isto prologo &c.* Pr. Isaias propheta spiritu magno vidit ultima & consolatus est lugentes in Sion Eccli. 48. *Hic notantur quatuor causæ &c.* Cap. 1 visio Isaiæ. *Iste liber primò dividitur in titulum & tractatum &c.* Finis. *Quod est signum satietatis post prandium, cùm aguntur gratiæ omni carni, id est Sanctis, qui sunt finis omnis carnis, quia omnia propter electos, II ad Timoth. 2. Explicit super Isaiam secundùm Fratrem Guillelmum de Altona de ordine Fratrum Prædicatorum. Deo gratias & B. Virgini.*

2. *In Hieremiam.* Direxit opera eorum in manibus prophetæ sancti. *Hæc verba scripta sunt Sap.* XI. *in quibus hujus operis causa quadruplex insinuatur &c.* Cap. 1. Verba Hieremiæ. *Iste liber dividitur primò in duas partes, scilicet in proœmium & tractatum &c.* Finis. *Quando sponte se illi obtulit in transmigrationem, vel quia iste Evilmerodach socius ejus fuerat aliquando in carcere, quod magis patet in historiis. Explicit super Hieremiam secundùm Fratrem Guillelmum de Altona. Deo gratias.*

3. *In Threnos.* Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem die ac nocte interfectos filiæ populi mei. *Hæc verba scripta sunt Hierem.* IX *in quibus Threnorum causa quadruplex evidenter insinuatur &c.* Quomodo. *Affectuosè vel admirative sedet humilis & abjecta, & onere doloris oppressa &c.* Finis. *Ecclesia sacerdotes, qui si peccaverint totus populus convertitur ad peccandum. Explicit super Threnos secundùm Fratrem Guillelmum de Altona. Incipit super Ezechielem.*

4. Vidi & audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cœli, dicentis væ væ væ habitantibus in terra. Apoc. VIII. *In his verbis tangitur quadruplex causa hujus operis &c.* Cap. 1. Et factum est XXX anno. *Secundùm Augustinum.* Et *superfluit.* Et *Est mos Hebræorum secundùm Hieronymum, non quia copulat dicta cogitatis &c.* Finis in medio circiter capitis XXXII. Cætera perierunt.

Ejusdem auctoris alia extant in Victorina cod. MS 976 fol. mag. memb. dato ab Adenulpho anno MCCLXXXIX, cùm in illud monasterium se recepit, canonicumque regularem induit, vitans episcopatum Parisiensem, ad quem electus fuerat. Fol. 93 sic legitur : *Hic liber scriptus est anno ab origine mundi 6465 anno Dñi* MCCLXVII. Idque prima & eadem manu totius codicis. Fol. verò 119 habetur

Postilla super Ecclesiasten Salomonis. Pr. Memini me. *Iste prologus primò dividitur in duas partes &c.* Finis fol. 154 col. 1. *Videbo illum forsitan propitiabitur mihi, quam propitiationem nobis concedat, qui vivit & regnat Deus benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit supra Ecclesiasten secundùm Fratrem Guillelmum de Altona. Deo gratias.* Quæ omnia prima manu. Notandum autem bibliothecæ præfectum ante centum circiter annos inconsiderate initio hujus postillæ scripsisse manu longe recentiori quàm sit codex *esse F. Guillelmi de Melitona* : at alius sapientior suppar vel æqualis superscripsit *de Altona.* Qui autem novum indicem codd. MS confecerunt, errorem secuti sunt non emendationem : qui si ad finem postillæ attendissent, eadem manu qua tota postilla, eadem vidissent scriptum esse *F. Guillelmi de Altona.* Nec illud solùm in eo indice est erratum : nam & ibidem ex fide Balei qui parcam meretur, *Guillelmus de Melitona* dicitur ordinis Prædicatorum, cùm certo fuerit ordinis Minorum.

Eodem codice 976 fol. 155 immediate post superiorem sequitur

Postilla super sapientiam Salomonis : in margine verò superiori litteris ex minio sic legitur : *super Sapientiam secundùm Fratrem Guillelmum de Altona ordinis Fratrum Prædicatorum.* Nescio quis postea sub hoc vocabulo *de Altona*, scripsit *de Melitona*, sed alius punctis sub qualibet littera adjectis id delevit, nam is erat antiquitus mos delendi non legenda, in codd. MS vocabulis puncta subjicere.

Pr. *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. Eccli.* 1. *Sapientiam ait Ecclesiasticus* XXXVIII *scribe in tempore nativitatis, insinuans nobis in quo præcipue sit studendum, & qualiter & quando &c.* Finis fol. 206. Notandum autem excepto hoc prologo seu principio, ut tum loquebantur, postillam integram eamdem esse cum alia postilla quæ eodem codice habetur a fol. 50 ad fol. 93 cujus principium: *Diligite lumen sapientiæ, omnes qui præestis populis Sap.* 6 & in cujus fine sic legitur, ut jam monui : *Hic liber scriptus est A. D.* MCCLXVII. Postea secunda manu recentiori : *Explicit lectura super librum Sapientiæ per Fratrem Nicolaum de Gorran de ordine Fratrum Prædicatorum.* Est quid amplius attendendum. Nimirum illa postilla cum principio *Diligite lumen sapientiæ*, illa ipsa est quam sub nomine S. Bonaventuræ T. 1 ejus operum ediderunt Romani. Ex his quæstio oritur, cujus trium sit illa postilla an S. Bonaventuræ, an Nicolai de Gorran, an Guillelmi de Altona? In instrumento supra citato ex libro Rectoris prostabat venalis *Postilla F. Bonaventuræ super Sapientiam*, unde quin aliquam scripserit non dubito, sed an genuinam & ab eo scriptam habuerint Romani editores, id in controversiam revocari potest, præsertim cùm illos certum sit plura ei supposuisse opera adulterina, & quorum postea cogniti sunt veri auctores. Adde & vivo adhuc Bonaventura scilicet anno MCCLXVII sub alterius nomine inter codices Adenulphi viri gravissimi & S. T. magistri Parisien. extitisse. Nicolaum de Gorran etiam super Sapientiam scripsisse dicetur postea, sed aliud indicatur principium. An non solùm principium *Fons sapientiæ &c.* sed & Postilla integra sit Guillelmi de Altono ex hoc

Sæc. XIII. solo codice argui non potest : videndi essent alii, quod mihi non obvium, sed sperandum a peritioribus & curiosis bibliothecarum scrutatoribus dilucidandum aliquandò, & cuique quod suum est reddendum.

Ex hactenus dictis egregie refelluntur omnia quæ Alva Sol. Verit. Rad. 364 col. 1124 & seqq. inaniter effutit, contendens istum Guillelmum de Antona a Terrecremata primò productum fuisse, & antiquioribus incognitam ejus in Ecclesiasten postillam, & a nemine unquam visam : cùm a quadringentis & amplius annis Parisiis in Victorina servetur, ab innumeris & a me ipso visa, auctorque à Laurentio Pignon quadraginta circiter annis ante Turrecrematam scribente laudetur. Immorandum non puto in nostro Nicolao le Febvre refellendo, qui in suo *Prædicatore Carnuteo* suis augendis illustribus attentus, hunc scriptorem vult ex quodam pago *Aulton* vulgo dicto in diœcesi Carnutensi ortum, & Carnutensis conventus alumnum ; quæ omnia ruunt ex catalogo Salanhaci, a quo Anglicus diserte asseritur.

F. PAULUS CHRISTIANI.

* 1265. F. Paulus Christiani Catalanus natione & ibidem ordini ascitus vergente seculo XIII claruit, vir Hebraice Rabbiniceque ut ita loquar in primis peritus, qui Judæorum salutis sitientissimus his ad fidem christianam adducendis omnem operam impendit. Per totum igitur Aragoniæ regnum synagogas iniebat, & Rabbinos repugnantes ex eorum scripturis publice revincebat. Laudatur præsertim solemnis, quam præsente rege, astantibusque viris omnium ordinum sapientissimis habuit cum Moyse Gerundensi Barcinone disputatio XX julii MCCLXIII : in qua hi articuli propositi fuerunt

1. *Messias venit.*
2. *Deus verus & verus homo ille est.*
3. *Pro salute hominum passus est & mortuus.*
4. *Legis carimoniæ cum adventu Messiæ cessarunt.*

Hos Paulus ita clare demonstravit, ut Rabbinus qui ceu oraculum apud suos habebatur, ad incitas redactus ac mutus redditus, clam se subduxerit & aufugerit. Cujus collationis acta in scriptis redigi jussit rex Jacobus, quæ & etiamnum in archivo regio Barcinonensi servantur Registro T. fol. 109 ubi vidit Diagus legendus Hist. prov. Arag. lib. I cap. 15 fol. 31. b. & seqq. qui & ibidem plura refert regis ejusdem diplomata in gratiam Pauli nostri emanata. Rovetta in sua Lombardiæ Bibl. ad 1265 hunc Paulum Lombardum contendit, & domus nostræ Fabrianensis alumnum, ex relationibus inquit Fabrianensis conventus. Cui ne fidem habeam prohibet quod anno MCCCVIII nondum erecta esset illa domus, sed eo anno tantùm in actis cap. gen. Paduani acceptata, suo tempore in conventum erigenda. Sic enim refert Bernardus Guidonis, ubi de provincia Lombardiæ inferioris. Catalanum verò ut censeam Paulum, moveor quod Jacobus I Aragoniæ rex inquisitionis tribunal in suis ditionibus institui petens a summo pontifice, illud præsertim caverat, ne ei præficerentur nisi indigenæ. Tot verò favores ab eo Paulo præstiti, hunc monstrant ex ejus regno oriundum, licèt cujus conventus alumnus fuerit, apud Diagum non reperiam.

F. PINAMONS PEREGRINUS BREMBATI.

* 1266. F. Pinamons Peregrinus Brembati Italus Bergomas nobili genere natus jam ætate maturus, doctrina insigniter excultus, juris præsertim utriusque peritia, magnæque apud cives suos auctoritatis & famæ, cui præterea opes aderant non mediocres a parentibus acceptæ his nuncium remisit, ut summam in ordine paupertatem profiteretur. E manibus ipsius S. Dominici habitum suscepisse aiunt, quod si verum est, vel anno MCCXIX cùm SS. parens ex Hispania & Gallia mense septembri in Italiam rediit, vel aliquo ex duobus annis sequentibus quibus supervixit factum fuerit. F. Galæ Brixiensi in prioratu Bergomensi successisse anno MCCXXVI, primumque priorem in S. Stephano, cùm illuc e capella S. Mariæ Magdalenæ migrarunt nostri, institutum fuisse ferunt, quo munere XL annis solidis functus est ad annum MCCLXVI jan. ultimam, scilicet ad mortem usque : adeo ut conventus illius aliàs magnificentissimi, nunc verò ab anno MDLXI destructi fabrica ejus curis & laboribus potissimum debeatur. Obiit cum fama sanctitatis, cùmque primò fuisset in ecclesia S. Stephani sepultus, e ruderibus ejus corpus erutum iu S. Bartholomæi nostris concessam translatum est, & sub altari majori conditum. Scripsit plura, quorum hæc extant

1. *Gesta & vitæ SS. Alexandri, Grata viduæ, Firmi & Rustici martyrum patronorum Bergomensium non inelegante stylo.*
2. *Ordinationes & regulæ Ven. Consortii Misericordiæ Pergami.* Princ. *Hæc sunt acta seu ordinamenta congregationis & fraternitatis S. Mariæ ad honorem D. N. J. C. & B. gloriosæque virginis matris Dei Mariæ & omnium Sanctorum, ad confirmationem & exaltationem sanctæ fidei catholicæ, & ad confusionem & depressionem hæreticorum & omnis hæreticæ pravitatis &c.*

Huic consortio in gratiam egenorum civium, juvenumque pauperum educandorum instituendo, hospitioque seu collegio magnifico ipsis construendo, auctor ipse primus fuerat, maximamque bonorum suorum partem huic operi donarat, cùm ordini se addixit, unde & leges in eo servandas ab ipso fieri & scribi voluit F. Herboldus Hungarus episcopus Bergomensis ex ordine assumtus. Hujus auctoris cum laude meminere Bartholomæus Peregrinus ejus gentilis *in vinea sua Bergom.* Pius *degli Huom. Illust. P.* I *lib.* I *num.* 19 & *Della progen. &c.* pag. 89. Altamura ad 1266. Rovetta ad 1282 sine teste : Donatus Calvus *in scena letter. de scritt. Bergam.* qui omnes etiam inquisitoris munere aliquandiu functum asserunt. Bibl. Reg.

F. GUILLELMUS PELHISSO.

† 1268. F. Guillelmus Pelhisso natione Gallus patria professioneque Tolosanus ex iis unus est, qui ordinem adhuc in incunabulis & recens institutum amplexi sunt, quique ab hæreticis Albigensibus gravissimas pro fide sustinuere persecutiones, ab anno MCCXXIX præsertim ad MCCXXXVII, sed & strenuè pro religione intrepideque decertarunt. Celebriorum nostrorum inquisitorum in partibus Tolosanis in eo munere obeundo socius fuit, in iis præsertim circa MCCXXXIII F. Arnaldi Catalani, quicum inquisitionem gessit Albiæ. Cùm vixerit ad MCCLXVIII, quo in actis cap. prov. Petragoricis domin. ante festum S. Augustini, scilicet 26 Augusti celebrati mors ejus nunciata fuit, nullum mihi dubium quin multo plura pro Ecclesia præclare gesserit, & variis etiam in ordine functus sit muniis, quæ temporum injuria in oblivionem abierunt : at ipse quæ vidit & gesta sunt Tolosæ partibusque vicinis annis citatis MCCXXIX & sequentibus in negotio inquisitionis memoriæ commendare studuit, opusculo quod monimentis suis Bernardus Guido-

nis noster inseruit Tolosæ apud nostros servatis, cujus trasumtum agente sodali nostro Claudio D'Usson mihi perfamiliari & rerum ordinis curiosiore obtinui, cujus hoc principium.

Erat F. Guillelmus Pelhisso de Tolosa vir egregius de Fratribus primitivis, & scripsit manu propria quæ sequuntur in papyro, quæ de verbo ad verbum transcripta sunt in hoc loco ad memoriam futurorum. Sic Bernardus citatus. Sic autem Guillelmus noster.

Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, & B. Virginis Mariæ matris Christi, nec non B. Dominici patris nostri, & totius curiæ cœlestis volo quædam per scripturam memoriæ commendare, quæ Dominus operatus est in Tolosa, atque in partibus Tolosanis per Fratres ordinis Prædicatorum, & per fideles alios in iisdem partibus, meritis & precibus B. Dominici, qui dictum ordinem instituit contra hæreticos, & eorum credentes, Spiritu Sancto ordinante suis temporibus, D. Papa Honorio III concedente & D. Fulcone episcopo Tolosano felicis recordationis adjuvante ex animo. Hoc autem scripsimus nostram gloriam non quærentes, sed ut successores nostri ordinis, aliique fideles hæc inspicientes, sciant qualia passi sunt prædecessores eorum pro fide Christi, laudent Dominum, & inde fideliter sumant audaciam contra hæreticos, & omnes alios infideles, & ut ad talia vel majora si opus fuerit vel necessitas se obtulerit; se præparent facienda, vel potius sustinenda. Post multos siquidem & innumerabiles labores, quos B. Dominicus & Fratres qui cum eo fuerunt in prædicta terra manentes, devote & viriliter perpessi sunt, non desinunt veri filii tanti patris, imo surrexerunt filii pro patribus. Anno Dñi MCCXXIX &c. Pagellas circiter 35 continet opusculum in 4, ubi multa scitu digna & quibus identidem utemur pro occasione nata. Sic autem scripsit ad finem Bernardus citatus: *Explicit quod scripsit manu sua F. Guillelmus Pelhisso Tolosanus, qui vidit & interfuit, & tandem obiit Tolosæ in festo Epiphaniæ* MCCLXVIII, nota veteri stylo, novo MCCLXIX.

Hæc autem quæ sequuntur, inquit idem Bernardus, *quæ in diebus illis contigerunt, scripsit ille qui vidit & interfuit in hunc modum.*

Quod vidimus & audivimus fideli scribimus narratione. Accidit namque anno MCCXXXIV *feria* V *post festum Pentecostes, quod F. Arnaldus Catalani de ordine Prædicatorum de conventu Tolosano tunc temporis secundùm mandatum D. Papæ a priore provinciali ordinis sui in episcopatu Albiensi missus pro inquisitionibus hæreticorum faciendis &c.* Additio est Fratris Anonymi ad ea quæ scripsit noster Guillelmus de Pelisho quinque paginas circiter implens.

Scripsisse præterea Guillelmum volunt *Tractatum de rebus ordinis ab anno* MCCXIV *ad annum* MCCXLVI *præcipua de conventus Tolosani exordiis.* Sic habet in schedis suis noster Stephanus Thomas Souèges, & laudat F. Jacobus Percin in Histor. ejusdem conventus, & ex eo plura refert, uti pag. 47 ad annum 1233 & seqq. pag. 48 n. 14 & seqq. Hunc verò Tractatum idem Guillelmus se scripsisse dicit anno MCCLXIII mense octobri Tolosæ, *in qua domo fuit annis* XXX *inquit, in quibus fuit operarius annis* XV *solicitus, laboriosus, & non mediocriter fructuosus.*

MS. in 4 Sæc. b. 4 Yeci.

F. JACOBUS THEATINUS.

* 1269.

F. JACOBUS THEATINUS Siculus Aprutinus sacræ theologiæ professor, & hæreticæ pravitatis inquisitor in utraque Apulia, Daunia & Peucetia, clarebat anno MCCLXIX sub Carolo I utriusque Siciliæ rege. Ejus est mentio in Actis ejus regis 8 fol. 129. t. in archivo R. Z. quem & laudant nostri Dominicus Gravina Cathol. Præscr. T. III P. 2 contr. 4 fol. 304: & Vallius in compend. pag. 30 ut & Toppius Bibl Napol. Quid tamen scripserit, non referunt. Sæc. XIII.

F. BALDUINUS DE MAFLIX.

* 1269.

F. BALDUINUS DE MAFLIX Flamingus sic a Salanhaco nuncupatus, in hujus magistrorum Parisiensium catalogo recensetur decimus nonus. In histor. univers. Paris. T. III p. 388 dicitur *F. Balduinus de Tornaco ordinis Fratrum Prædicatorum facultatis theologicæ doctor*, & subscripsit cuidam instrumento universitatis procuratorio ad prosequendam si opus fuerit litem coram summo pontifice adversus officialem Parisiensem jam a Simone cardinali S. Cæciliæ legato damnatum & appellantem. Quod actum coram notario VII julii MCCLXVII, quo proinde jam erat laurea insignitus. Affuit comitiis ordinis Parisiis anno MCCLXIX habitis, & cum aliis quinque sacræ theologiæ magistris Parisiensibus, quorum unus erat S. Thomas.

Censuram suam seu judicium doctrinale tulit de quibusdam difficultatibus de secreto præsertim confessionis propositis.

Opusculum illud extat in Victor. cod. 635 fol. mag. memb. fol. 225 sed & typis editum fuit a sodali Petro Pelican S. T. M. inter opuscula S. Thomæ, Parisiis. Jo. Jost. 1656 fol. nec dubitem quin plura seu de theologia seu in scripturam sacram de more scripserit, sed nunc deperdita vel alicubi neglecta. Ejus sed leviter meminit Guillelmus Seguier Laur. Belg. P. II p. 148. Si Tornaco ortus fuit, ut innuit hist. univ. Paris. proculdubio conventus Insulensis fuit alumnus.

F. ARNALDUS SEGARRA.

† 1269.

F. ARNALDUS SEGARRA Catalanus patria Barcinonensis & professione anno circiter MCCXXX ordini nomen dedit, evasitque clarus sacræ theologiæ professor, quam Coloniæ sub Alberto Magno didicisse ferunt. Exinde provinciæ Hispaniæ assumtus prior provincialis præfuit ab anno MCCXLIX, quo in cap. gen. Treviris coacto decessor ejus legitur absolutus ut aiunt ad MCCLXI, quo & ipse pro more ordinis in cap. gen. Barcinone ab onere dimissus. Domum ordinis Gerundensem erexit anno MCCLIII juxta concessionem anno præcedenti in cap. gen. Bononiæ factam. A Jacobo I Aragonum rege Maurorumque domitore nuncupato selectus est post F. Michaelis Fabra obitum conscientiæ arbiter, istudque munus ea obiit animi fortitudine ac integritate, ut regem contra Mauros Murciam anno MCCLXV proficiscentem ac confiteri volentem audire recusarit, nisi prius a se longius ablegata quam dudum adhærentem habebat ac deperibat pellice Berengaria: vixque tandem adduci potuit, ut imminente prælio regem in his angustiis sua benedictione solaretur. Ab eodem rege antea unus e quatuor judicibus fuerat constitutus, qui anno MCCLXIII de libris Thalmudicis sententiam ferret. Clarebat etiamnum anno MCCLXIX, quo sententiæ a F. Petro de Cadireta inquisitore Aragoniæ adversus hæreticos latæ interfuit, & ad hunc annum etiam regi a confessionibus perstitisse verisimillimum. De eo legendus Diagus Hist. prov. Arag. lib. I cap. 5 & lib. II cap. 6. F. Petrum Marsilium nostrum æqualis Arnaldo temporis auctorem excipiens: quo tamen anno diem obierit suum Diagus aut non invenit aut omisit. Nulla ejus scripta

Sæc. XIII. referunt, unde nec videbatur recensendus, nisi Altamura in sua Bibl. ejus ad 1283 in Append. meminisset.

F. BARTHOLOMÆUS TURONENSIS.

* 1270. F. BARTHOLOMÆUS TURONENSIS sic a patria urbe Galliæ Celticæ ad Ligerim dictus, vel Parisiis, vel Turonibus, ubi domus ordinis circa MCCXLII erecta, institutum nostrum amplexus est, cœterum hujus posterioris ex legibus tum servaris alumnus. Insignem theologum evasisse argumentum est, quod magisterii lauream in sacra facultate Parisiensi adeptus sit circa MCCLX, & XVI recensetur in catalogo Salanhaci. Sancti regis Ludovici IX confessarium egisse quidam volunt, quod non placet, cùm eo munere se functum testetur F. Godefridus vel Goffridus de Belloloco annis XX ultimis ejus regis ac proinde ab anno MCCL ad MCCLXX, antea autem junior erat Bartholomæus, nisi velis Godefridi vices aliquando suppleviffe, sed id e veteribus monumentis docendum esset. Diffinitorem pro Francia in cap. gen. Londini MCCLXIII sedisse fertur, idque verisimillimum. Adfuit etiam comitiis ordinis Lutetiæ MCCLXIX habitis, & cum quinque aliis S. T. magistris, quorum unus erat S. Thomas judicium suum doctrinale tulit de quæstionibus tum circa secretum propositis. Vicarius etiam magistri ordinis sexti Joannis de Vercellis datus erat super eos sodales, qui cum cruce signatis ad Terram-sanctam transfretabant: verùm ut viri etiam sapientiores non semper sibi cavent, quid ei aliquando excidit præsertim *in facto alicujus testamenti*, quod dicto ordinis magistro vehementer displicuit: cùmque ea ætate minores etiam culpæ gravissime punirentur, audita F. Thomæ (quem de Aquino censeo, is enim anno MCCLXIX Parisiis aderat,) F. Rachba, & F. Latini (quem de Ursinis postea cardinalem conjectu pronum) & postea F. Michaëlis prioris Insulensis, & F. Lamberti Leodiensis inquisitorum super eo negotio delegatorum relatione per litteras, severissime in eum actum est in actis cap. gen. Mediolani MCCLXX habitis. Præter graves enim injunctas ei pœnitentias, & sigillo prædicatoris generalis, & vicaria supra laudata privatus, & ad omnia ordinis munia inhabilis declaratus fuit, donec a simili auctoritate restitueretur. Quod quidem ut quantus esset tum rigor ac vigor disciplinæ appareat, referre visum est. Brevi autem errorem correxisse Bartholomæum, ac in gratiam ordinis rediisse hinc conjicio quod cum laude deinceps ejus meminerint nostri. Ejus alia mihi non occurrerunt opera, quam

Sermones varii MS in variis Sorbonæ codd. ejus ætatis & cum aliis aliorum æqualium permisti.

Cod. n. 1013. fol. parvo. memb. tres sunt. 1. de ascensione *Exaltare super cœlos Deus.* Sermo fusior. Alter de exaltatione Christi super eodem themate. Tertius etiam fusior, Dom. in sexagesima: *Scio hominem.*

Cod. ejusdem formæ, in quo sermones a Petro de Lemovicis collecti sunt quatuor. Primus *Dominica palmarum. Bartholomæus Prædicatorum.* Domine ne longe facias auxilium &c. Alter *sermo de S. Joanne Baptista. Bartholomæus: sed in Latino. Quis putas puer iste erit.* Tertius *Dom. de Trinitate. Bartholomæus. Benedicat nos Deus, Deus noster &c.* Quartus *Dom. infra octavam epiphaniæ. Bartholomæus Prædicatorum. Jesus proficiebat ætate &c.*

Cod. n. 960 sunt tres. Primus: *In annunciatione B. V. Rorate cœli.* Alter *de ascensione. Ego Dominus exaltavi lignum humile. Collatio eodem die.* Tertius *de S. Martino. Inveni David servum meum.* Hic fusior cum collatione eodem die. In hoc codice sunt sermones permisti F. Thomæ de Aquino, F. Petri de Tarentasia, F. Bonaventuræ & aliorum ejus ætatis.

Cod. n. 265 sunt novem. Primus. *Dom. 1 quadragesimæ. Cùm jejunasset.* Alter *Dom. palmarum. Egredimini in montem.* Tertius *in synodo. Si dixerit vobis Pharao.* Quartus. *Dom.* XIV *post pentecosten. Cùm iret Jesus in Hierusalem*, cum collatione. Quintus *Dom.* XIX *de omnibus sanctis. Tertio anno imperii sui fecit rex Assuerus &c.* cum collatione. Sextus *Dom* VII *Misereor super turbam.* Septimus *Dom.* XXIII *Magister scimus quia verax es.* Octavus *De B. Catharina, Olivam uberem pulcram* &c. Nonus *Dom. in passione. Qui ex Deo est.* His omnibus nomen concionatoris præfigitur: aliis *Frater Bartholomæus:* aliis solùm *Bartholomæus:* sed ex stylo collectoris in cæteris, eumdem hominem esse mihi videor certo conjicere.

F. GERARDUS LEODIENSIS.

F. GERARDUS LEODIENSIS a patria sic & professione nuncupatus, quem natione Germanum nostri plerique vocant, fortè quod Leodium ad imperium Germanicum spectet: cæterum provinciæ Franciæ cujus erat domus Leodiensis ab initio & fuit ad hæc ultima tempora, allumnus multam sibi a pietate & doctrina famam seculo XIII comparavit. Celebris ejus est in vita B. Julianæ Leodiensis memoria, ubi de hujus instituendi corporis Christi festi desiderio agitur. Sic enim apud Chapeauvillum Hist. Leodien. T. II p. 644 vetus auctor ejus ætatis loquitur: » Exposita sunt igitur « cuncta præmissa (*nempe de illo festo instituendo*) « F. Hugoni tunc priori provinciali ordinis Fratrum « Prædicatorum, qui postmodum suis exigentibus « meritis in R. E. cardinalem meruit promoveri: « nec non & R. P. D. Guiardo Cameracensi episcopo, qui in diebus illis veluti duo cœli luminaria magna vita & scientia in Ecclesia refulgebant. « Exposita sunt insuper omnia viro erudissimo cancellario Parisiensi, nec non & Fratribus Ægidio, « Joanni & Gerardo lectoribus FF. Prædicarorum « Leodien. insuper & multis aliis personis vita & « scientia ad instar siderum micantibus &c «. Quin autem hic Gerardus sit idem de quo agimus, dubium nullum est, cùm & ætas & munus lectoris Leodiensis, quo titulo passim ornatur, conveniant. Cùm autem Guiardus anno tantùm MCCXXXVIII ad Cameracensen Ecclesiam promotus fuerit, ista post eum annum accidisse necesse est. Aliunde cùm ipse Hugo de sancto Caro ad annum MCCLXIII vixerit, cur Gerardus lectorum tertius, recensitus, ac proinde aliis & ipso Hugone junior ad MCCLXX non pervenerit, ut quibusdam placet, nullus video. Hinc delusum censeas Bartholomæum Fitzen in suo libello *de Prima origine festi corporis Christi*, Leodii 1629 in 8 edito: ubi dicit Gerardum teste Bzovio ad annum MCCXXXIX mortuum. Neque enim id eo loci habet Bzovius, nec alibi apud eum legitur, nec etiam si dixisset, ejus auctoritas nos multum urgeret. Hujus scriptoris plures cum laude meminerunt, Auctor supplem. chronic. & Guillelmus Eyseingrein *in catal. test. verit.* uterque ad 1313, quos falli censeo: Lusitanus certius ad 1270, Henricus Gandavensis, Possevinus, Valerius Andreas Bibl. Belg. Dupinius, Altamura ad 1270 & alii. Monendus lector in Actis SS. T. I. april die 5 in vita B. Julianæ, ubi eadem quæ nos supra ex Chapeauvillo, mendum typorum irrepsisse, pro *Gerardo* enim legitur Renardo, sed certo legendum est Gerardo, † 1270.

Gerardo, & ita habet Chapeauvillus. Hæc verò ejus opera.

1. *Liber de doctrina cordis.*

In tractatus VII dividitur scilicet: 1 *de præparatione cordis.* 2 *de custodia cordis.* 3 *de apertione cordis.* 4 *de stabilitate cordis.* 5 *de datione cordis.* 6 *de elevatione cordis.* 7 *de scissione cordis.* Proemium sic incipit: *Preparate corda vestra Domino. Verba sunt Samuelis in lib. 1 Regum cap. 7 Loquitur Dominus prædicatoribus per Isaiam dicens, Loquimini ad cor Hierusalem.* Finis: *illa autem quæ expectantibus preparavit sunt cognitio aperta summæ veritatis, dilectio perfecta divinæ bonitatis, securitas æternæ possessionis, quæ in eo & per eum habebuntur. Faxit Deus, ut id nobis miseris eveniat. Amen.* Innumera sunt hujus piissimi tractatus in bibliothecis antiquis exempla.

In catal. codd. MS Angl. T. I P. III. 1676 & T. II P. I. 3207.

In Bibl. Belg. apud Sanderum. Tornaci ad S. Mart. pag. 117 n. 44 & pag. 135 n. 19 & p. 104 n. 13 hæc memb. pag. 141 n. 33 charta. In Villar. p. 269 lin. 11 *Gerardus de doctrina cordis* in 4. In Camberon. p. 359: *Joannes Divinus de doctrina cordis* ubi erratum *Joannes* pro *Gerardus* qui ut dicemus postea suo seculo *Divini* titulum vulgo habuit. P. II in Publ. Lovan. p. 40 *de doctrina cordis tractatus: auctor est Gerardus O. P. lector conv. Leod.* In Balern. p. 135. In valle S. Martini p. 215. In Lipsf. Paul. apud Fellerum pp. 81 & 84. Florentiæ in Medic. Plut. XIX cod. 17 papyr in 4. *De instructione vel doctrina cordis tractatus septem Gerardi.* Parisiis in Victor. codd. memb. 89 & 799 & 766. In Sorbon. tres sunt codices a me visi memb. Apud nostros ad S. Honorati extat papyr. exscriptus ex cod. vet. membr. Cœlestinorum ad Meduntam.

Typis prodiit Paris. Jo. Petit & Gaspardi Phelipe 1506 in 16, quæ editio apud nostros ad S. Honor. Est altera editio recentior curante F. Ludovico de Aquino Neapolitano O. P. viro vitæ sanctimonia conspicuo Neapoli. Jo. Bap. Subtilis 1605 in 8 teste Nicodemo in *Addizioni* ad Bib. Napol. p. 159. Liber est stylo scriptus simplici, sed animæ ad cordis munditiam, veramque pietatem anhelanti omnino gratus & utilis, meritoque commendandus Sed & Gallice versus prodiit hoc titulo.

La doctrine du cœur pieuse excellente & utile a toute personne, composée passé trois cens ans par le P. F. Gerard Liegeois de l'ordre des FF. Prêcheurs, traduite par François de Lattre chanoine de S. Amé de Douay, de nouveau augmenté & conferé avec exemplaires Latins par Walrand Caoult prestre, Duaci, 1601: & Lugduni, Petri Rigaud, & Jacobi du Creux Molliard, 1608, in 16 pp. 469, quæ ultima apud nostros ad S. Honorati.

2. *Tractatus de Testamento Christi.*

Sequitur ad librum de doctrina cordis in codd. MS S. Martini Tornac. & Viridis-vallis, & ejusdem auctoris dicitur a Valerio Andrea Bib. Belg. penes quem fides.

3. In catal. cit. Bibl. Mediceæ cum libro de doctrina cordis compactus est alius hoc titulo *Religionis elucidarium*, & additur *fortè ejusdem.* Pr. *Religio est intelligentium principium.* Finis, *cœlestium angelorum cui est perfecta gloria.* Id verò discutiant nostri Florentini. Idem extat Paris. in Victor. cod. cit. 799 & sequitur immediate ad librum de doctrina cordis hoc titulo: *Moralia pro religiosis* a fol. 180 ad 183.

4. *Sermones de tempore & de sanctis.*

Laudant omnes, ubi serventur nullus docet: mihi autem visi sunt saltem plures in Sorbon. Codex est fol. par. memb. n. 1 p. 961 charact. eleganti ætatis auctoris. Titulus: *Sermones sunt hic Fratris Gerardi de Liege le Devin*, vulgari nempe illius ætatis pro *le Divin*, Latine *Leodiensis Divini.* Sequitur index sic: *Sunt 4 sermones in primo quaterno: Septem in secundo: Tres in tertio: Quatuor in quarto: Quinque in quinto: Sex in sexto: Sex in septimo: Sex in octavo: Sex in nono: Septem in decimo: Sex in undecimo: Sex in duodecimo. Quatuor in decimotercio.* Universim LXX. Pr. *Dom.* 1 *in adventu. Sermo. Deus autem patientiæ & solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundùm Jesum Chistum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum. Rom.* XV. *Hoc nomen Deus in hac epistola construitur cum triplici genitivo. Dicitur enim Deus patientiæ & solatii & spei ad denotandum tres adventus. Deus patientiæ fuit in primo adventu, venit enim ad patiendum &c.* Et sunt quidem primò sermones in quatuor Dominicas Adventus, sed postea libere vagatur modo de Dominicis, modo de B. Virgine, modo de festis Domini: ubique themata pro libito. Sæpius Gallica intermiscet: sic fol. 3. Et obviabit illi *ira a l'encontre* quasi mater honorificata. Quaterno 12. Sic legitur in inferiori margine: *Sermo in cœna Domini F. Gerardi de Liege.* Inter hos quaterno 13: Est *sermo magistri Joannis de Abbevilla in cœna Dñi in capitulo S. Quintini.* Hic haud dubie Algrinus est episcopus Sabinensis anno MCCXXXVI mortuus. Ex hoc codice *Divinum* sua ætate dictum habemus ob eximiam nempe sanctitatem, & profluentem de divinis orationem.

Hujus scriptoris meminit Laurentius Pignon n. 81: *F. Guillelmus Gallicus scripsit librum de præparatione cordis.* Ubi erratum notarii cod. Victor. qui fortè in suo exemplari legens F. G. Gallicus, scripsit *Guillelmus* pro *Gerardus.* Hujusmodi errata haud rara.

SEC. XIII.

F. NICOLAUS FORTIGUERRA.

F. NICOLAUS FORTIGUERRA, qui & *Cecati* etiam agnomine a quibusdam donatur, anno MCLXXX Senis natus, institutum nostrum amplexus est anno MCCXX ab ipso B. Dominico veste indutus, cùm Roma rediens per Senas iter haberet, Bononiam properans primum suum capitulum generale in solemniis pentecostes habiturus. Sacras litteras diutius apud suos professus, provincias etiam Græciæ & Terræ-sanctæ superiorum jussu adivit, ubi pluribus pro fide laboribus perfunctus ab Urbano IV circa MCCLXIV Aleriensis in Corsica episcopus inauguratus fuit, ubi nonagenarium obiisse ferunt ipso S. Nicolai festo VI decemb. MCCLXX. Sic habet *Pius Della progenie* pag. 203, in quibusdam Lombardellum & Nannium emendans, in pluribus fortè emendandos præsertim quoad ætatem. Bernardus Guidonis inter episcopos ex provincia Tusciæ assumtos sic habet: *F. Nicolaus N. episcopus in Sardinia*, quem facile hunc crediderim. Sic enim ab eodem F. Guarrinus Gallus Cenomanus dicitur *episcopus Sagonensis in Corsica Sardiniæ*: fortè quod cùm utriusque insulæ dominium eo seculo penes Januenses esset, sub Sardinia ut insigniori utraque etiam intelligebatur. Ughellus Ital. Sac. T. III ubi de Aleriensibus vult Nicolaum anno tantùm MCCLXX promotum episcopum, cui si fides, non anno MCLXXX sed longe postea puta circa MCC vel MCCX natus fuerit. Quis enim putet XC annorum senem ad Ecclesiam multis difficultatibus obnoxiam, & quæ virium integrarum homine indigebat, promotum fuisse? Ut ut sit, hæc ejus a Pio & Altamura ad 1270 laudantur opera. † 1270.

1. *Postillæ in quatuor prophetas majores, Evangelia quatuor, epistolas Pauli & apocalipsin.*

2. *In Dionysium de divinis nominibus commentarius.*

Sæc. XIII. 3. *Tractatus de duabus in Christo naturis.*

4. *Tractatus de officio pastoris, & alter de cœlibatu.*

5. *Conciones quadragesimales, Dominicales totius anni, in orationem Dominicam, de sanctis,* quæ omnia temporum lapsu perierunt.

F. RICARDUS CASTRICONENSIS.

* 1270. F. Ricardus Castriconensis Anglus sacræ theologiæ magister assertus a Lusitano Albertum Venetum excipiente, ac proinde vel Oxonii vel Cantabrigiæ promotus: nam nulla ejus inter Parisienses memoria, ab eodem Lusitano anno MCCLXX claruisse dicitur. Unde mirum ab Altamura qui eum excipit ad MCCLXV revocari. Meminit ejusdem Pitseus ex Lusitano ad 1270, hæcque ab illis ei ascribuntur opera.

1. *Commentarius in apocalypsin litteralis & moralis.*

2. *Commentarius in quatuor libros sententiarum.*

Quæ fortè perierint, cùm nulla ubi jam extent in catalogis bibliothecarum memoria.

F. THOMAS DE CANTIMPRATO.

† 1270. F. Thomas de Cantimprato, qui & *Beati* titulo a quibusdam insignitur, vir certe ob eximiam pietatem, ardentem animarum zelum, & diligens facta memorabilia suæ ætatis rem ecclesiasticam spectantia colligendi studium apud omnes nomenclatores laudatissimus, non tam nostro hîc indiget encomio, quàm accuratiori quo vera discernantur a falsis examine. En igitur sinceriorem vitæ ejus chronotaxin ex ejusdem operibus erutam. Celebre est juxta Bruxellam in Brabantia municipium Leuwis S. Petri dictum: in eo anno 1201 natus est Thomas nobili genere, cujus pater militarem vitam professus cum Ricardo I. Anglorum rege in Palæstinam contra Saracenos pugnaturus transfretavit. Ab eo hinc in patriam reduce, quinquennis Thomas anno 1206 circiter Leodium missus est pietate & literis informandus, ubi & annis undecim stetit votis paternis sedulo incumbens, quo tempore Jacobum de Vitriaco canonicum tum regularem Oigniacensem & insignem verbi Dei præconem, episcopum postea Aconensem, & tandem cardinalem episcopum Tusculanum, concionantem audivit, eique intimo animi affectu sic adhæsit, ut anima adolescentis Thomæ Jacobi animæ agglutinata videretur. Tum verò anno 1216 certo ante 1217 in asceterium canonicorum regularium Cantimpratense dictum ad Cameracum situm nunc bellorum furore ab anno 1580 dirutum, sed illo seculo florentissimum & religiosissimum secessit, vitamque canonicam sub regula S. Augustini, & constitutionibus S. Victoris Parisiensis professus est. Procedente deinde ætate ad sacerdotium promotus, mox juvenis licèt jussus est confessionibus audiendis incumbere, quod ejus stylo & sensu episcopi erat vices gerere. Hinc interno animi correptus horrore, onus supra vires æstimans, Lutgardem monialem in Aquiria sanctissimam, quam loco matris colebat, consuluit, a qua post preces ad Deum fusas in eodem obeundo munere firmatus, deinceps singulari Dei providentia & protectione perseveravit.

Quindecim annis solidis & amplius in ea prima professione transactis, divino inspirante numine perfectiora æmulatus, ad ordinem Prædicatorum prout ea ferebat ætas, se transtulit. Habitum anno 1232 induit in conventu Lovaniensi, mox verò a professione ut muniis ordinis promtior evaderet atque paratior Coloniam missus est, ubi Albertum Magnum theologiam summo omnium plausu docentem pluribus annis minimum quatuor audivit. Anno verò 1237 de more pro rata suæ provinciæ Teutoniæ Parisios ad gymnasium Sanjacobeum majoris profectus causa delegatus est. Certo ibidem agebat anno 1238 cùm habita est ab episcopo Parisiensi Guilielmo celebris illa magistrorum congregatio de pluralitate beneficiorum, & adhuc anno 1239 & 1240 quo ultimo mortuus est ille archiepiscopus, qui superiori, ne libros Thalmudicos rex sanctus Ludovicus smeret comburi persuaserat, quorum omnium se testem oculatum præstat. Tum verò ad suos Lovanienses redux lector apud eos de more institutus est, unde egregie falluntur qui volunt in scholis sodalem habuisse juvenem Thomam Aquinatem, qui anno demum 1243 ordinem amplexus est, & sequenti tantùm Coloniam accessit: sed fortè solùm intelligunt sub eodem magistro Alberto utrumque licèt diversis annis studuisse, quod utique verissimum. Magisterii lauream non assecutum ex eo mihi videor certo conjicere, quod Salanhacus & Bernardus Guidonis qui eum optime noverant, inter Parisienses non omisissent, inter quos tamen locum non habet, sed prædicatoris generalis, ut aiunt, in sua Teutoniæ provincia insignitum haud dubitem, ut qui ex quo nomen ordini dedit, animarum saluti promovendæ se totum addixit, variasque Teutoniæ, Belgii, Galliæ provincias, qua verbo, qua & opere & exemplo peccatores ad pœnitentiam, melioremque frugem adducendo, miseros & afflictos consolando, pastoralisque solicitudinis vices implendo peragravit. Id enim nilque aliud intelligit, cùm anno 1261 scribens sic loquitur, *sicut ipse expertus sum, qui a triginta annis in diversis regionibus vices episcoporum, confessiones audiens exequebar.* Quod non recte quidam interpretantur, quasi fuerit aliquando consecratus episcopus, vel alicui Ecclesiæ obstrictus, vel titularis solùm & suffraganeus seu Cameracensis seu aliorum. Nam præterquam quod nullum extat hujusce rei aut Cameraci aut aliâs vestigium, nulla ejus apud Bernardum Guidonis inter episcopos ex ordine memoria, ipsa tota ejus vitæ ratio gradum illum sublimen nunquam attigisse demonstrat. Cùm enim hæc scribens anno 1261 dicat se a 30 annis vices episcoporum executum, illos utique annos includit, quibus Coloniæ sub Alberto magno theologiæ dabat operam. Quis autem unquam vidit episcopum scholas frequentantem, & inter condiscipulos magistri auditorem? Adde quod post illum annum 1246 scribens se supprioris officio fungi in conventu Lovaniensi testetur. Licèt autem quidam ex ordine ad infulas assumti, abdicatis Ecclesiis ad ordinem reversi, ad religiosa munia appliciti fuerint, non tamen ad aliquod provincialatu inferius: certè virum charactere episcopali decoratum suppriorem, quo nullum est apud nos minoris momenti officium, majores nostri non instituissent. Unde etiam ille non aliter episcoporum vices egisse se testatur quàm confessiones audiendo, non autem actus hierarchicos sacramenti confirmationis, collationis ordinum, dedicationis ecclesiarum, consecrationis episcoporum, benedictionis monialium exercendo: adeoque merito eum Guillelmus Seguier noster ex Belgii sui & ordinis episcoporum numero delevit in suis Belgicis infulis, observatione ad calcem subjecta pag. 90 & seqq. quem adeat lector curiosus, rem enim videbit accuratius examinatam.

Quousque vitam produxerit, quove anno diem obierit, nil certi apud auctores invenio, aliis ad 1263 tantùm cum Lipsio, aliis cum Colvenerio ad 1280 pervenisse asserentibus: ad annum 1270 aut 1272 vixisse saltem mihi videor certus conjicere,

quod ultimo scribens se arthritide & podagra detentum & afflictum mortemque quotidie expectantem exhibeat, quæ senem probant 70 circiter annorum. Nam nil simile de se dicit in operibus circa 1260 editis. Ejus porro obitus die 15 Maii in antiquo Lovaniensi necrologio annotatur. Opera nunc enarranda.

1. *Opus de natura rerum in 20 libros distributum.* Cujus ipse meminit in prologo operis sequentis, asserens ipsum multo labore se per annos quindecim de diversis auctoribus utilissime compilasse. Extant in variis bibliothecis codd. MSS. Parisiis in Regia n. 6590 codex elegans memb. in 4. Initio legitur: *Ce livre est de S. Eloi de Fontaine.* Abbatia est *hujus* nominis in diœc. Noviom. congr. Aroasien. cujus canonici regulares ibidem recensentur. Ad calcem verò eodem charactere minuto quo totus codex: *Hunc librum scripsit Frater Enjorrannus anno Domini* MCCLXX *sexto*, adeo ut fere sit ætatis auctoris. Alter est ibid. n. 5787 fol. par. memb. ejusdem ætatis, qui aliâs Caroli ducis Aurelianensis.

In Colbert. n. 6545 ejusdem rationis & ætatis.

In Victor. cod. 1165. fol. med. memb. secunda manu falso Alberto magno ascriptum opus.

In Augustin. ad pontem novum fol. par. memb. circa 1300 scriptus codex n. 287.

In Sangenovef. v. 3 fol. par. sed chartaceus. Colvenerius codd. MSS duos memb. antiquos Cartusiæ vallis S. Spiritus juxta Gosnaium in diœc. Atrebat. se vidisse testatur. Equidem in illis exemplis nomen auctoris tacetur, ut in plerisque aliis suis ex industria ille siluit; sed cùm caput *de apibus* idem sit, quod in sequenti opere laudatur, clarum est ejus esse opus. Præterea illud sic incipit: *Naturas rerum in diversis auctorum scripturis late per orbem sparsas inveniens, cum labore nimio & solicitudine non parva annis ferme quindecim operam dedi, ut inspectis diversorum philosophorum & auctorum scriptis, ea quæ de naturis rerum creatarum, & earum proprietatibus memorabilia & congrua moribus invenirem &c.* Quæ omnino conveniunt cum iis quæ habet in prologo libri *de Apibus*. Licèt autem hactenus typis non prodierit quamvis luce dignissimum, maximam tamen ejus partem in Speculum naturale convasavit Vincentius Bellovacensis, apud quem passim tibi occurret sub titulo *de natura rerum*. Ex quibus colligas quantum allucinentur, qui cum libro *de proprietatibus rerum* Bartholomæo cuidam ord. Minorum asserto confundunt: opera tamen omnino diversa, utrumque venale erat Parisiis ante MCCC. *liber de natura rerum* XLI peciis constans & *liber de proprietatibus rerum* CII peciis sive quaternionibus, hicque ultimus etiam anno MCCCIII venum expositus tum centum peciis constans, quæ ingens inter utrumque discrimen arguunt. Ac *librum de natura rerum* prius editum existimo: librum autem *de proprietatibus rerum* posterius, & alterius omnino rationis.

2. *Bonum universale de apibus.* Pr. *R. in C. P. F. Humberto magistro ord. Præd. Frater humilis quem ad præsens non urget necessitas nominari.* Quod opus se inchoasse ait anno 1256, quo in comitiis ordinis Parisiis habitis jussum fuerat, ut quæ Fratres notatu digna scirent, ea memoriæ commendare haud differrent. Illud autem, ut verisimilius, perfecit anno 1261, adeo ut præfato Humberto obtulerit anno 1262. Duo tamen loca sunt quæ viderentur indicare serius editum. Primum est lib. 2 cap. 29 §. 21 ubi sic legitur *Annus secundus* M *scilicet* CCLXV *eo tempore volvebatur, quo ipsa Agnes a Judæo occisa est &c.* ideoque juxta hanc lectionem sensus esset duobus ante 1265 annis sive 1263. Alterum est §. 22 seq. ubi sic habet: *Miraculum referam quod anno præsenti ab incarnatione Domini* MCCLXXI *factum est in villa Teutoniæ Pfortzein nomine.* At verò licèt sic in plerisque codd. MSS & impressis legatur, utrobique mendum esse constat. In primo quidem, quia ibidem præmittit auctor ea quæ ibi narrat de cæde Agnetis *manifesta facta fuisse archiepiscopo Coloniensi D. Conrado.* Conradus autem ille ab Hoisteden anno 1232 electus archiepiscopus Coloniensis, apud D. Gereonem anno 1261 infirmatus obiit, cui suffectus eodem anno Engelbertus de Walkenburth uti scribit Merseus Cratepolius in catalogo Electorum Ecclesiasticorum. Itaque pro 1265 loco cit. necessario legendum aliter ut res Conrado nota esse potuerit, & ut verius censeo vel 1260 vel 1261. In altero verò loco fatetur Colvenerius in notis exempla duo MS emendatiora Cameracense antiquissimum, & Duacense Prædicatorum recentius anni 1489 & duas priores editiones habere MCCLXI & genuinam hanc sibi videri lectionem, quam & probat operis nuncupatio Humberto magistro ordinis facta, qui anno 1263 in feriis pentecostes abdicavit, nec deinceps magistri titulo usus est.

Duo sunt adhuc alia loca annotanda. I. lib. 2. c. 25 §. 10 ubi sic de se refert: *Mense augusto familia circa messem instantius occupata, facto mane prandio, ego & diaconus qui mecum religiose degebat, rete sumsimus, & ut tempus deduceremus, ad piscinam late diffusam accessimus ad piscandum. Remisso ergo diacono ad custodiam domus intravi solus naviculam piscaturus. Multo ergo nisu capere aliquid longa die frustra conatus sum, & circa occasum solis cùm exire tentarem, ecce prædictus diaconus cum tribus Fratribus Minoribus hospitio susceptis veniebat &c. Et accepta chorda qua unus cinctus erat retis funiculo alligavi. Prima ergo vice jactato reti in terram traxi octoginta pisces talis qualitatis saporis & esus &c. Læti ergo domum perreximus cœnavimus: reversa de agro familia, quotquot erant in domo satiati sunt, missisque partibus his qui sibi non præparaverant &c.* Qui sibi fingunt fuisse episcopum, in id locum illum trahunt: nam inquiunt, unde aliter illi prædium rusticum, unde illi messis, unde illi familia, unde diaconus socius? Non attendentes quæ illic referuntur juvenilem adhuc animum sapere. Quis episcopum putet totam diem solum inutiliter piscando exegisse? Itaque verisimilius id illi accidisse, dum in claustro Cantimpratensi adhuc agebat, adeo ut quadam æstate ad villam monasterii qualem optimam habebant in *Bellenghen* ut diceтur postea, cum diacono missus fuerit ille jam tum sacerdos, qui messi colligendæ invigilarent: canonici enim illi regulares ad modum Cistertiensium prædia vel villas suas per seipsos administrabant.

Alterum annotandum est de cultu B. Virginis per 50 vel 150 salutationes angelicas ætate auctoris publico & passim usurpato de quo lib. 2 c. 29 §§. 6 & 8. Non meminit tamen an cuilibet decadi oratio Dominica intersereretur. Hunc cultum autem non dubitarim inde ortum habuisse, scilicet sicut Deum per 150 Psalmos colendi ritus erat potissimum usitatus, ita & B. Virginem per 150 salutationes veluti suum psalterium honorare ejus devoti cogitarunt, & in usum induxerunt. Cæterùm materiem fuisse sermonum seu a nostris seu ab aliis nullibi dicit.

Prodiit hoc opus ter in incunab. Typograp. 1 Daventriæ ante 1478 ut conjicit Colvenerius ex collatione typorum cum Speculo exemplorum ibidem edito & aliis antiquis libris. 2. Absque anno loco & nomine typothetæ fortè in Germania. 3. Parisiis circa ea tempora. Harum aliqua extat in Navarra fol. desunt numeri, reclamationes, literæ

Sæc. XIII. initiales, quæ manu additæ. Postea curante Colvenerio S. T. D. & academiæ Duacensis cancellario, ac S. Petri præposito ad MSS codd. emendante Duaci, Belleri, 1597 in 8. Rursus ibid. 1605 & 1627 in 8. Quas editiones præclaris annotationibus idem Colvenerius illustravit, sed & vitam auctoris præfixit, in qua illud solùm non probatur, quod Thomam episcopum velit, cùm tamen non alio modo illud munus exercuisse fateatur, quàm confessiones audiendo, quod characterem episcopalem non exigit.

Præter codd. MSS a Colvenerio laudatos plures sunt Parisiis antiquissimi & melioris notæ. In Colbert. n. 3086. In Victor. cod. 910 fol. med. memb. anno MCCCLXX scripto.

In Navarra codex in 4 memb. melioris notæ. In Augustin. ad pont. nov. fol. med. memb. sed hic ultimus nullo exemplorum ordine servato.

In catalogo codd. MSS bibliothecæ Caroli VI regis Francorum anno 1423 jussu ducis Betfordiæ tum regni regentis concinnato n. 139 recensetur codex elegans hoc titulo *Le livre des mouches à miel* sive *la consideration des mouches a miel*, imaginibus illustratus, qui videtur liber *de apibus* Gallice tum translatus. Gallice etiam reddidit noster Vincentius Willart de quo postea. Belgicis Rhythmis reddidit olim quidam anonymus cujus codicem MS servant Lovanienses S. J.

3. *Vita Cristinæ virginis Mirabilis dictæ*, quæ obiit 23 junii 1224. Hanc Thomas scripsit octavo ab ejusdem morte anno, scilicet 1232, cùm recens ordini Prædicatorum nomen dederat, & stupendorum quæ in ea narrantur & se & alios viventes tum testes oculatos profert. Edita est sed interpolato auctoris stylo apud Surium ad 23 junii. Hanc verò primigenio stylo edendam promittunt in actis SS ad 24 julii. Extant varii codd. MSS in Belgio apud Trudonenses in Brabantia.

4. *Vita B. Margaritæ Iprensis*, quam ὁ μακαρίτης F. Zegherus Insulensis noster ad meliorem frugem adduxerat. Edidit Choquetius noster inter Sanctos Belgii ordinis Prædicatorum a pag. 144 ad 200. Pr. *Amico & Fratri in Christo carissimo F. Sigero & actione & ordine Prædicatori in Insula Frater ejusdem ordinis, cujus nomen ad præsens non utile nominari.* Pluribus codd. MSS usus est Choquetius, uno Antverpiensi, altero Georgii Colvenerii ad Trudonensem, alium S. Martini Lovaniensem, & alium Auberti Miræi, collato, sed & aliis.

5. *Vita Piæ Lutgardis virginis Sanctimonialis ordinis Cisterciensis in monasterio Aquiriensi*, ubi obiit anno 1246 junii 16. Pr. *Dominæ reverendæ, & in Christo plurimum diligendæ Hawidi concessione divina in Aquiria abbatissæ, totique cum ea sanctissimo conventui, Frater officio supprior, sed Fratrum Prædicatorum minimus, salutem & bene hoc quod sibi. Officium personæ & ordinis etsi non nomen proprium in salutatione posui, ut scilicet auctoritas in officio & ordine commendetur, nec tamen opus sequens nominis insinuatione vilescat &c.* Hanc primigenio auctoris stylo acta SS. repræsentant ad diem XVI junii Danielis Papebrochii annotationibus illustratam, cùm stilo interpolato prius ad eumdem diem edidisset Surius. Usus est autem Papebrochius tribus codd. MSS. 1 gymnasii Soc. J. Brugen. 2 Rubeæ vallis prope Bruxellas, 3 Auberti Miræi. Extant & passim in Belgio alii codd. MSS ut apud S. Trudonem in Brabantia & aliàs.

Prodiit eadem vita Hispanice hoc titulo: *Sponsa Christi instituta ex vita S. Ludgardis cum disgressionibus exhortatoriis ad Moniales.* Madriti 1625. Postea Italice Venetiis 1661 teste Papebrochio.

Vitam hanc mox a morte virginis Thomam scripsisse certum est, cùm ejusdem lib. 2 n. 59 Guiardi episcopi Cameracensis, ut etiamnum in vivis agentis meminerit, quem tamen ferunt anno 1247 defunctum. Difficultatem movere quis posset, quod vir nobilis Jacobus Baro le Roy in serie abbatissarum Aquiriæ, quam exhibent Acta SS. citata in commentario prævio, & asserunt ex schedis ipsius monasterii exceptam, Hadwidem cui illa vita nuncupata est collocet a 1258 ad 1271: sed seriem illam non esse accuratam constat ex relatis vitæ lib. 3 n. 18 ubi Thomas narrat se pluribus annis ante mortem Sanctæ petivisse, ut si contingeret eam se absente mori, manus ejus abscissa sibi reservaretur, & in hoc licentiam venerabilis Hawidis ejusdem loci abbatissæ obtinuisse. Quæ probant jam annis ante Ludgardis obitum pluribus Hawidem ibidem antistitam. Adde quod in eodem commentario n. 2 Bartholomæus Fisen S. J. Hawidem mortuam ait anno 1248. At ut ut sit de hujus mortis anno, recte supra colligebamus ex officio supprioris quod tum agebat Thomas nequaquam episcopum fuisse. Si enim ex illo apud nos inferiori munere auctoritatem operi suo quæsivit, quanto magis ex gradu episcopali, si ad eum evectus fuisset? Nam quod ait Henschenius in Annotatis p. 253. e. sub Guiardi successore Nicolao Cantimpratanum coadjutorem fuisse seu suffraganeum, & a quibusdam e nostris non accuratis accepit, gratis omnino fingitur. Cùm enim Thomas non distinguat in 30 annis quibus se ante 1261 vices episcoporum implevisse dicit, aut 30 annis continuis anno 1261 fuerat episcopus suffraganeus, quod falsum, aut nunquam fuit, quod verum, & amplius patebit ex dicendis.

Additiones ad hanc vitam passim inseruit F. Bernardus Teuto noster, pœnitentiarius SS. PP. Gregorii IX & Innocentii IV de quo supra, cui ut non solùm amico suo sed & B. Ludgardis familiarissimo Thomas opus suum recognoscendum dederat, quas additiones etiam repræsentant Acta SS. citata suis locis uncinis a textu distinctas.

6. *Vita Joannis abbatis primi monasterii Cantimpratensis, & ejus Ecclesiæ fundatoris.* Cujus nomenclatorum nostrorum nullus meminit hactenus, quæ verò Parisiis servatur in Sangenovefana n. DD. 14. 4 cod. chartaceo MS sub finem, paginas 62 circiter implens a me visa anno 1704 octob. mense. En prologus hìc visus integer proferendus.

Reverendo in Christo patri Anselmo Dei gratia Cantipratensi abbati, totique sancto conventui Frater Thomas de ordine Prædicatorum minimus in Lovanio debitæ reverentiæ famulatum. Venit ad me ex parte vestra venerabilis Geraldus procurator providus domus vestræ in Bellenghen librum vitæ expostulans, quem olim apud vos annorum vix 23 ætatem habens imperito satis sermone descripseram: sed quoniam nondum vobiscum dictum librum compleveram, residuum quod de morte beati Joannis abbatis & fundatoris dignum relatione restabat, vix sub unius diei spatio accersito scriptore complevi. Suscipiatis Domini & Fratres charissimi munusculum quod transmitto: nec enim spernendum credimus iis, qui primordia vestræ fundationis desiderant. «

Notandum autem est librum præsentem vitam B. Joannis abbatis sub triplici status editione distinguere. Est enim status inchoativus, progressivus & consummativus. Primæ ergo editionis liber inchoativus dicitur, quia in eo natus, nutritus & adultus asseritur. Secundus verò progressivus dicitur, in quo altiorem viam caritatis assecutus, veræ Rachelis amplexibus per viam contemplationis inhæsit. Tertius consummativus dicitur, quando ad decrepitam ætatis vitam per membra defatigata devenit, ut sic in labore diutino excussis carnis exuviis ad auras libens evolaret. «

» Nunc igitur in fine peto Cariſſimi, quatens in- » audita die mortis meæ hoc beneficium impendatis, » ut ſicut Fratri defuncto ſolet fieri apud vos, » idem fieri mihi concedatis. Licèt enim alterius » profeſſionis Frater nunc ſim, tamem apud vos » ſine ullo ut confido ſcandalo vel odio Frater ve- » ſter annis quindecim & eo amplius vixi. Nunc au- » tem languore diutino artheticæ & podragræ de- » tentus diu vivere non confido. Valete & mei me- » mores incolumes vos tueatur Deus omnipotens. » Amen «.

Ex his habemus hanc opellam & primum ejus laborem & ultimum etiam extitiſſe : primum quidem quem juvenis 23 annorum ſcripſit in Cantimprato, ultimum verò quia non finitum complevit tantùm ſenex Lovanii decumbens infirmitatibus preſſus. Ex his etiam conſtant quæ diximus 15 annos & amplius veſtem canonicam tuliſſe in Cantimprato, unde & agnomen ei deinceps adhæſit: huic etiam monaſterio fuiſſe villam *Bellenghen* dictam, cujus reditus percipiebant, ubi erat ſacellum ut in ſequentibus pluries meminit, & in quam identidem quidam ſecedebant recreationis aut ſanitatis recuperandæ cauſa, in qua proinde vel in alia ejuſdem monaſterii villa *Fontanas* dicta, ei accidiſſe veriſimilius quod narrat de felici in adventu trium Minoritarum piſcatione. Tum etiam cùm canonicus adhuc ageret, contigit quod narrat *lib. 2 boni univerſalis cap.* 10 §. 34 ſe Pariſiis fuiſſe familiarem & una domo hoſpitatum cum quodam præpoſito ſolemnis eccleſiæ, qui ex ſua civitate noſtros ejici curaverat, qui poſtea factus eſt archiepiſcopus, & tandem cardinalis epiſcopus, quem haud male conjicit Wadingus fuiſſe Petrum de Collemedio cui revera hæc conveniunt omnia. Fuit enim præpoſitus Audomarenſis, cujus ratione ob viciniam potuit eſſe Thomæ cognitus & familiaris, poſtea Rotomagenſis antiſtes & epiſcopus tandem card. Albanenſis : unde diſceremus noſtros Audomariſani ante 1230 domum habuiſſe, a qua tamen ejecti eam urbem incolere deinceps non potuerint ante 1324. Tandem hinc rurſus facile colligitur nunquam epiſcopum conſecratum fuiſſe, qui in ultima ſenectute ſolùm ſibi vindicat titulum Fratris in ordine Prædicatorum & Lovanii minimi, cùm ſi fides iis qui epiſcopum volunt, mori debuerit majoris alicujus prælati ſuffraganeus, & commodius procuratus.

Hujus vitæ B. Joannis lib. 1 cap. 6 ubi de initiis monaſterii Cantimpratenſis hanc affert loci etimologiam moralem potius quam grammaticam. Sic enim habet : *Ibidem concurrente undique populo prædicabat* [Joannes] *Vocatum eſt autem nomen loci Cantipratum, quaſi cantus in prato, eo quod inibi quondam juventus civitatis ob amœnitatem loci umbroſorum amorum cantibus ſpatiari ſolebat : ſed mutatione dexteræ excelſi confunditur in loco mundi ſuperbia in abolitione peccaminum, ubi prius male læta gaudebat &c.*

Cap. 14 Cantimpratum ſub regula S. Auguſtini, & inſtitutionibus S. Victoris Pariſienſis docet ſub Rogero epiſcopo Cameracenſi fundatum, ac proinde inter annum 1180 & 1191, quibus Rogerus ſedit.

Cap. 15 de ſex primis qui cum dicto F. Joanne ordinem ſuſceperunt agit, quorum *primus & generis dignitate & morum prærogativa venerabilis Matthæus &c. Hic poſt præcipuum noſtri fundaminis patrem paſtor ſecundus cœnobium gubernavit. Hunc ipſe in primordio converſionis meæ licèt ſenio confectum vidi &c.* plura de ejus converſatione, quorum ſe teſtem præſentem præſtat, & tandem: *Obiit autem anno circiter ætatis ſuæ* LXXI *octavo idus februarii A. ab incarn. D.* MCCXVII. Hinc ſupra colligebamus Thomam Cantimprati nomen dediſſe ſaltem anno 1216. Sec. XIII.

II. *Verò poſt hunc Walterus fuit vir mirabili ſapientia præditus &c. Hunc in ultima ætate poſitum vidi, nec ceſſare tamen nec indulgere labori.* III. *Robertus &c.* IV. *Poſt hunc cariſſimus meus & compatriota Julianus fuit. Hic ex partibus Brabantiæ clara de ſtirpe originem ducens, vir mira devotionis & piæ converſationis effloruit. Ab hujus itaque ore rem miraculo & relatione digniſſimam tertio circiter anno antequam ex hac vita migraret audivi, ſed me utique de ea quandiu maneret in corpore ſilere coegit.* Hujus Juliani meminit *de Apibus lib. 2 c.* 52 §. 5.

V. *Martinus quem Tburgis convertit. Hæc Soror noſtra fuit, quæ in loco noſtro qui Bellengyn nuncupatur recluſa lapide angelicam in terris vitam ducebat &c.* plura de ejus meritis.

VI. *Yliardus qui malum habuit finem : loco cujus ſucceſſit Gaudefridus quidam*, de cujus caritate & zelo mira dicit auctor. *Hic in extremo poſitus apud domum noſtram de Bellengym &c. ibi mortuus eſt.* Ibidem ſacellum fuiſſe narrat.

Cæteros omitto. Liber 1 habet capp. XVIII.

Sequitur liber II cap. 3. Joannes I abbas, inquit, *abhorrens murmur, ſi infra unius monaſterii ambitum licèt extrinſecus Sorores cum Fratribus morarentur, in loco qui Premiacus dicitur, congruam habitationem fieri imperavit, eoque tranſtulit Sorores &c.*

Cap. 5. *Cognovit & audivit primam prioriſſam Premiaci, Yvetam dictam, nobilem fœminam & magnarum virtutum* mira narrantem de Joanne I abbate.

Cap. 10. Aliam villam laudat ejuſdem monaſterii Cantimpratenſis duobus milliaribus diſtantem dictam *Fontanas.*

Cap. 24 & ult. *Opportune ergo ægritudinis ſuæ obtentum nactus* [Joannes I abbas] *adit venerabilem Joannem de quo in hac 2 editione* [id eſt 2 libro] *præmiſimus Cameracæ ſedis epiſcopum, allegans languorem continuum &c.* unde a præfectura obtinuit exonerari ; & addit : *Rexit autem* [Joannes I] *annis decem Cantipratenſem eccleſiam.* Joannes Cameracenſis epiſcopus eſt hujus nominis II qui conſecratus Domin. id. ſept. 1192 ſedit ad 1197. Hîc erratum eſt in *Gall. Chriſt.* ubi ex Vincentio Bellovacenſi *Sp. Hiſt. lib. 29 cap. 22* Joannes hic dicitur mortuus anno 1180 : id enim Bellovacenſis citatus non dicit de Cameracenſi, ſed de Carnotenſi epiſcopo Joanne S. Thomæ Cantuarienſis ſocio, qui & vitam Sancti ſcripſit.

Liber III cap. 1 refert inſigne miraculum quo Joannes I abbas jamjam moriturus repente ſanatus eſt, quod dicit ſe audiviſſe a Matthæo II abbate & a Thoma III abbate & a prima prioriſſa Premiaci qui omnes præſentes aderant. Cap. 4 agens de comitiſſa Flandriæ quæ enixa eſt puellam nomine ſuo Joannam : *Hæc eſt Joanna illa*, inquit, *quæ poſt modum Fredericum regis Portugalliæ filium virum accipiens, nunc uſque Flandriæ & Hannoniæ gubernat felici moderamine comitatum. Quam & nuper ut optime credi poteſt, meritis ſancti patris* [Joannis I abbatis] *ad caſtigatiorem vitam cum omni familia ſua & viro per Sanctos ac vere Chriſti ſervos Fratres ordinis Prædicatorum in Inſula villa morantium converſam audivimus : quæ & nuper juxta eamdem villam monaſterium muneribus magnis dotatum in honorem glorioſæ virginis Mariæ fundavit &c.* Hoc ſacrum Gynæceum de quo loquitur auctor eſt abbatia *Marchetta* dicta ord. Ciſterc. cujus fundationem Gallia Chriſtiana refert ad 1230, ſed citius factam probat hæc auctoris narratio, qui hæc ſcribebat anno 1224 aut 1225 annos

Sec. XIII. 23 natus, nisi fortè ea ætate tantùm inceperit & postea auxerit. Nostri Insulis conventum habuerunt anno 1224.

Cap. 7 refert mortem Joannis I abbatis, quæ accidit post 1200, nam cap. 24 lib. 2 dixerat quod *memorabilis magister Petrus scilicet de Corbuel tunc Cameracensis postea verò Senonensium archiepiscopus venienti sibi venerabili viro cum successore suo D. Matthæo dixisse fertur: Bene, inquit, veniant Domini mei duæ substantiæ una persona &c.* Petrus autem dicitur in *Gall. Christ.* ad eam sedem promotus anno 1200. Hoc caput 7 illud esse videtur, quod addidit auctor, cùm ab eo jam sene hanc vitam petierunt Cantimpratenses.

Finis opellæ. *Tumulatus est igitur* [Joannes] *ante altare in Premiacensi ecclesia, quia in suo monasterio, eo quod civitas excommunicata erat, non poterat sepeliri. Notandum autem quod in morte & post mortem pluribus amicis apparuit, & gloriam suæ glorificationis ostendit, quæ quidem scribere & languore detentus omisi, & præ nimia* (fortè *infirmitate*) *plura.* Cætera desunt in cod. Sangenov. sed ut videtur, admodum pauca.

Porro hæc vita digna est quæ locum habeat in *Actis SS.* quam si studiorum meorum ratio permisisset, integram exscripsissem, & eruditis editoribus misissem suis Menæis addendam, sed existimans fortè illis non incognitam, specimen illius hîc dare satis habui.

7. *Supplementum ad vitam B. Mariæ d'Oignies* a B. M. Jacobo de Vitriaco canonico regulari ecclesiæ Oigniacensis, postea episcopo Aconensi, & cardinali episcopo Tusculano anno 1240 April. 30. defuncto scriptam. Pr. *Patri in Domino per omnia reverendissimo Ægidio priore de Oignies, Frater N. humilis canonicus Cantipratensis cœnobii, salutem in auctore salutis nostræ Christo Jesu.* Ex MSS potissimum uno Rubeæ vallis repræsentant Acta SS. ad 23 Junii a p. *666.* b. ad p. *676.* b.

Hoc supplementum quod *librum* III *vitæ* alii vocant, quin opus esset nostri Thomæ cùm adhuc Cantimprati ageret circa annum 1230 scriptum, Jacobo de Vitriaco recens ad cardinalatum assumto, nemo hactenus dubitarat: verùm ei abjudicare Papebrochio visum est in commentario prævio ad vitam Beatæ n. 19 ea solùm ratione quod auctor in principio se *Fratrem N.* dicat. Contendit enim Papebrochius ex more seculi XIII hanc literam esse primam nominis genuini, & indicare Nicolaum vel quid simile. Cui viro in primis ἀκριϐεῖ libens assentirer, nisi me plura ab ejus sententia revocarent. Illud in primis notandum visum quod habuit Maria d'Oignies de suæ matris damnatione *Supplementi n.* 12 totidem verbis legi *lib.* 2 *Apum cap.* 54 §. 18 ubi tamen Cantimpratanus non dicit se alium exscribere, sed quod refert se ex ore Joannis de Nivella olim Leodiensis decani & postea canonici Oigniacensis audivisse. In mentem autem non cadit, ut illud visum iisdem omnino verbis referat quibus supplementum, quin hoc exscribat, & fatetur Papebrochius exscripsisse. Verùm si exscripsit & alius a se auctor fuit, proculdubio & laudasset, non solùm Joannem de Nivella, nullum enim excipit Thomas quin continuo laudet, sic lib. 2 *Apum* cap. 29 §. 24 quoddam factum quod a Ricardo Normanno audierat, quia & legerat in scriptis cujusdam ordinis Prædicatorum in Belvaco, utriusque meminit: auctorem autem supplementi si alius a se fuisset eo libentius nominasset, quod sui ejusdem aliâs cœnobii ascetam gratus & propensus in omnes Cantimpratenses animus, quos ubi se dat occasio ex nomine & meritis extollit, tacere non permisisset. Cùm igitur illius Nicolai nec hîc nec aliâs ullibi, ne quidem in vita B. Joannis I abbatis superius relata, in qua Cantimpratenses alicujus nominis recenset, meminerit, signum videtur invictum Nicolaum illum auctorem esse fictitium, & Thomam in *Apibus* eo supplemento ut pote suo usum idem verbo tenus exscripsisse. Adde eumdem utriusque stylum. Epistolam nuncupatoriam sic finit auctor supplementi: *Valeat V. P. & mei in his memorem C. D. incolumem tueatur.* Nuncupatoriam vitæ Joannis abbatis sic supra finiebat Thomas: *Valete & mei memores incolumes vos tueatur Deus.* Attendat lector & ad has locutiones supplementi: *Mira res n.* 7. *Nec mora n.* 10. *Obstupesce lector, intuere miraculum n.* 23. Quibus similes in *Apibus* passim occurrent. *Mira res* lib. 1 c. 22 §. 2, c. 23 §. 3, c. 24 §. 2 & lib. 2 c. 29 §. 19 & alibi. *Nec mora* lib. 1 c. 23 §. 3, Lib. 2 c. 1 §. 2 & postea centies: *Vide lector mirare miraculum. Lib.* 1 *c.* 19 *§.* 10 *mirare lector, obstupesce miraculum lib.* 2 *c.* 10 *§.* 26. Nec urget ratio Papebrochii elementum N. quo se signat auctor supplementi, ex more seculi primam nominis literam indicare: etsi enim fortè id aliâs verùm, nihil probat erga nostrum Thomam, qui nomen suum in omnibus operibus suis ex industria celavit, præterquam in vita Joannis abbatis quam morti proximus in lucem tandem edidit, & in hoc supplemento fortè sub illa litera N. occultare voluit, ut auctor libri de septem donis Spiritus Sancti suum occultavit se signans Frater R. quamvis vocaretur Stephanus de Borbone de Bellavilla, de quo nos supra. Ambo eodem tempore florebant & scribebant. Vide etiam postea *Venturinus de Bergamo*, qui florebat anno MCCCXXXVI, & qui scribens cuidam sanctimoniali Margaretæ dictæ sic titulum præfigit: *Carissima filia N. &c. Frater N. peccator &c.* Codex tamen est seculi XIV: nec dici potest hunc morem sub litera N. occultandi nominis tum primum incepisse, nec jam a seculo XIII in usum receptum. Quæ tamen omnia eruditiorum & diligentiorum criterio libens subjicio: cæterùm nobis suffragantur, ut nostros taceam, Molanus & Colvenerius supra citatus, quem excipiunt Bellarminus, & Labbeus & Oldoinus S. I. & alii plures.

Non immoror in iis confutandis qui Thomam hunc ad preces S. D. Thomæ de Aquino libros Aristotelis plures præcipue morales e Græco Latine reddidisse autumant: eæ enim versiones non Thomæ de Cantimprato, sed nostri Guillelmi de Moerbeka lucubrationes sunt: illi autem delusi videntur nuncupatione Brabantini, qua uterque aliquando & rectè insignitur, cùm uterque e Brabantia licèt non ex eadem patria ortus sit, hic e Moerbeka & archiepiscopus Corinthiensis de quo nos postea fuse, ille ex Leeuwis ortus & per totam vitam ab anno MCCXXXI simplex Frater ordinis Prædicatorum.

B. BARTHOLOMÆUS DE BREGANTIIS.

B. BARTHOLOMÆUS DE BREGANTIIS sive *Bragantiis* sic a gentili feudo Breganzensique castro & municipio (si Jacobo Marzario fides *lib.* 2 *Hist. Vicent. p.* 127) nuncupatus, antiqua nobilique apud Insubres & Vicentinos ortus familia, non minus vitæ sanctitate quàm genere claruit & eruditione. Patavium adolescens studiorum causa missus a parentibus, ibidem aut certe Bononiæ institutum nostrum amplexatus est: quo anno certatur. Id ex actorum fide constare videtur ante annum Christi 1230 professum, & inter primos ordinis Fratres sanctique Dominici sectatores atque discipulos accensendum, qui primitias ab eo spiritus acceperunt. Etsi verò non adeo constet quod aliqui volunt, tamen verisimillimum est e manibus dicti sancti pa- † 1270.

tris habitum suscepisse, quod si detur, factum fuerit vel 1220 vel 1221. Erat Bartolomæus ut religione sic & eruditione virtutumque omnium laude conspicuus, nec dubium quin apud suos plurimi habitus, varios obtinuerit obiveritque regiminis aut studiorum honores. Sacri palatii apostolici magisterio functum ferunt communiter, quod & libens annuerim: verùm S. Dominico proxime successisse, non tanta mihi Fontanæ nostro in *Theatro Dom.* fides, cùm præsertim ejus tum non videatur fuisse ætatis, ut munus illud posset pro dignitate implere. Sic enim ipse in testamento suo de se loquitur: *In quo ordine* (Prædicatorum) *ab infantia nutriti & disciplina & moribus sub observantia nostri institutoris ordinis B. Dominici eruditi & informati fuimus &c.* Id itaque ad annos posteriores videtur prorogandum, quod non ex inanibus conjecturis vulgique rumoribus, sed ex certis actorum monimentis archivi potissimum Vaticani Romanis nostris disquirendum accuratius relinquo. Certe Ughellus hoc munere functum sub pontificatu Gregorii IX refert, quod verisimilius de hujus posterioribus annis intelligas inter MCCXXXV & MCCXLI & forsan ultra ad Innocentium IV. Circa MCCL ab Innocentio IV creatus est episcopus Nimosiensis in Cypro insula, Ecclesiamque suam accessit cùm S. Ludovicus IX Galliæ rex jam adversus Idumæos & Saracenos in Terræ-sanctæ subsidium moverat & transfretaverat. Hinc eumdem e carcere jam liberum & Palæstinæ urbibus muniendis incumbentem convenit, & comitatus est: ab illo etiam dum navem ascenderet in Galliam remeaturus 1254 invitatus, ut & ipse Parisios se conferret aliquando, pretiosissima tum ab eo dona percepturus. Sic enim Bartholomæus ipse testatur instrumento anno 1260 confecto, quod citatus supra Marzarius & ab eo Ughellus *T.* v *Ital. sac.* referunt. » Post hæc, *inquit*, rex » christianissimus cum regina & fere tota domo re- » gia christianæ religionis amore mare transiit, tem- » pore quo nobis licèt indignis Nimonicensis ci- » vitatis quæ in regno Cypri est, pontificatum apos- » tolica sedes contulit. Navigantes ergo in Syriam » regem atque reginam visitavimus, & in Joppe at- » que in Sydone & ultimo in Acone benignissime » ab eis recepti fuimus, & tanto amore dilecti, ut » in Franciam profecturi nos instanter rogarent, » quod eos Parisiis visitare curaremus, spem no- » bis tribuentes, quod ibidem sacra Dei nobis com- » municarent «. Non erat quod Ecclesiæ huic Nimonicensi investigandæ lectorem adeo seque torqueret Papebrochius *T.* VII *Maii p.* 704 quam Ferrarius ipse lexicographus Baudranusque succenturiator ejus exhibent verbo *Neapolis. Est* inquiunt, *& Neapolis apud Græcos cognomento Nemesi urbs episcopalis Cypri ritus Græci in ora meridionali inter Curaum sive Curiadem & Citaum inde 12 hinc 27 M. P.* Quibus prævivit omninoque consentit Stephanus noster e Lusignano Cyprius ipse rerumque patriæ suæ peritissimus, qui *cap.* 7 *fol.* 19 *Hist. Cyp.* quam Gallicè scripsit eadem omnino habet. *Neapolis*, inquit, *ad maris oram e regione sita m.* 9. *Curia*, 6. *verò Cury distans*, *Græcis hodie Limissa nova*, *Latinis verò Limoncia sive Nemosia dicta &c.* & cap. 5. *Qui Cypro navigant in Terram-sanctam Nemosia quæ Limissa dicitur hodie mare conscendunt.* Ac ne quid in iis scrupuli lectori hæreat, habet & *T.* XI *Concil. genn. p.* 2352 constitutionem Cypriam Alexandri IV anni 1260, v non. jul. Ananiæ datam, qua Nimociensi episcopo tres assignat procurationes. Et *pag.* 2409. Concilium Nimociense sub Gerardo archiepiscopo Nicosiensi ejusque suffraganeis episcopis Nicolao Paphensi, Berardo Nimociensi, Famagustano remotius agente apud Nimocium celebrato die 22 sept. 1298. Legatum de latere in partibus Syriæ Bartholomæum fuisse asserit Fontana, penes quem fides, sed ei non assentior, ubi ait hoc munere functum apud S. regem Francorum Ludovicum IX, apud quem & in exercitu Christiano ea dignitate tum insignitus erat Odo cardinalis de Castroradulphi, cui socium non legitur dedisse Innocentius. Nuncium ad mandata quædam pontificis ferenda non negaverim, si instrumento aliquo publico id niteretur. Quod idem Fontana cum aliis posterioris ævi addit, & ab eodem rege conscientiæ arbitrum assumtum æque caducum videtur, cùm aliunde F. Gaufridus de Belloloco de quo postea, testetur se ultimis 20 SS. regis annis hoc munere functum, nec ab eo in expeditione illa transmarina unquam discessisse. At certum redeunte in Galliam suam rege, & Bartholomæum non cum ipso rege in Gallias, ut falso habet Altamura, sed ad sponsam suam rediisse, eamque ornare studuisse ad annum 1256, quo XV Kal. febr. ab Alexandro IV ad Ecclesiam Vicentinam translatus fuit teste Ughello ex *Act. Vatic. ep.* 741 *fol* 10. Quot in hac labores sustinuerit, narrant auctores relati legendi. Verbo dixisse sat esto, bonos vindicavit, malos & in primis quemdam nomine Gallum refrænavit, imo & ad frugem reduxit, sed in his Ezzelini crudelissimi harum partium tyranni offensionem incurrrens exulare coactus fuit. Qua occasione ab Alexandro IV pro fidei negotiis in Angliam nuncius missus cum ipso rege Anglo reginaque consorte in Franciam trajecit, Parisiosque aggressus, ut condictum aliâs in Terra-sancta, S. regem Ludovicum convenit, a quo tum coronæ Domini spinam unam dono accepit. Sed præstat illum hæc referentem audire. » Cùm, « *inquit*, de regno Angliæ quo pro fidei negotiis « profecti eramus cum ipso rege Angliæ pariter & « regina Parisius venissemus, spes nostra deside- « ratum suscepit effectum. Nam piissimus rex Fran- « corum de spinea Domini corona spinam unam « excludi fecit, & nobis regio flexo poplite, nos- « tris ex opposito flexis genibus devotus obtulit, & « de suis sacris regiis manibus manus pontificales « ditavit Quid ultra? dilectionis osculo dato pari- « ter & accepto mutua recommendatione facta, « hinc & inde nos abire permisit «. Quæ anno 1259 acciderunt, quo eodem anno Ezzelino mortuo, sequenti 1260 Vicentiam rediit sanctus antistes pretiosissimum acceptum thesaurum secum deferens, cujus in honorem ecclesiam & conventum ordinis ea in urbe erexit, ubi venerationi fidelium deinceps exponeretur. Tanta verò gratulatione exceptus est a suis, ut ab iisdem civitatis princeps poneretur. Eum Smeregus in spiritualibus & temporalibus Vicentiæ Dominum appellat, fallitur autem Ughellus cùm vicarium Imperii per Italiam constitutum asserit a Rudolpho Cæsare, qui nonnisi 1273 electus fuit imperator. Anno 1264 Vicentiæ agebat ex chronico Nicolai Smeregi ea ætate viventis, & Gabrielem civitatis *Podestà* de regimine exeuntem prandio excepit. Annno 1267 solemni corporis S. P. Dominici translationi e priori arca in qua anno 1233 a B. Jordano reconditum fuerat, in aliam magnificentiorem magistri ordinis VI F. Joannis de Vercellis curis erectam, in ipsis ordinis generalibus comitiis die pentecostes junii 5 maxima cum pompa Bononiæ celebratæ interfuit cum Philippo archiepiscopo Ravennatensi, Octaviano Bononiæ, Tomasio Imolensi, FF. Arnulpo Humanensi, & Ægidio Torcellanensi episcopis: & ex parte quidem Ravennatis archiepiscopi duorum annorum, ex parte verò episcoporum & sua, a quolibet unius anni indulgentiam perpetuo duraturam promulgavit, de quo & instrumentum publicum confici curavit die 9 intrante junio, cujus archetypum in archivo con-

SEC. XIII. ventus Bononiensis servatur, & excusum legi potest apud Michaelem Pio *Lib.* 1 *n.* 54 *col.* 118. In quo illud notandum se tantùm dicere miseratione divina episcopum Vicentinum, ultimumque episcoporum recensere. Arnulphus Humanensis, & Ægidius Torcellanensis erant etiam ex ordine Prædicatorum, licèt ultimus omissus a Fontana in *Theatro.* Quot postea vixerit annis Bartholomæus, quove obierit, variant chronologi, Fontana 1268, aliis 1269 aut etiam 1270 indicantibus: at Barbaranus ejus testamentum referens 23 sept. 1270 datum, non nisi 1 jul. anni sequenti 1271 diem obiisse contendit, quod postea discutietur. Hanc verò annorum seriem sic deducere placuit, ut certo certius constare demonstrarem Bartholomæum patriarcham Hierosolymitanum nunquam fuisse, etsi Papebrochius bona quidem fide sed non solito suo criterio id se evicisse putarit in *Append. ad seriem Epp. Hierosol. T.* VII *Maii pag.* 703 *& seqq.* Vult enim ille anno 1264 ab Urbano IV a Vicentina Bartholomæum ad Hierosolymitanam evectum sedem ad eam continuo profectum, sed 1266 in Italiam reversum inter manus Clementis IV abdicasse, & ab eodem in pristinam Vicentinam tum vacantem restitutum, quæ cùm nullis diplomatibus pontificiis nitantur, ea se fatetur tantùm conjectura assequi. Ista verò unico instrumento Bononiensi evertere haud esset difficile. Notum enim est, ubi quis episcopus ad superiorem dignitatem, archiepiscopalem puta, ac multo magis patriarchalem semel evectus est, etiam si postea Ecclesia illa cedat, nunquam e gradu & ordine dejici aut cadere. Si igitur anno 1264 ad Hierosolymitanam sedem provectus fuisset Bartholomæus, sane anno MCCLXVII in celeberrima illa corporis S. Dominici translatione non inter episcopos, sed & supra ipsum Ravennatensem sedisset, & non secus ac ille qui duorum annorum indulgentiam concessisset, non unius anni tantùm ut episcopi, gradus præterea sublimioris mentionem injecisset aliquam. Verùm validius premendus est nobis eruditus editor.

Potissima ratio qua ductus ille est ut ita sentiret, ea fuit quod seriem episcoporum Hierosolymitanorum Latinorum exhibere conatus accuratam, hiatumque qui ipsi occurrebat Jacobum Pantaleonem anno MCCLXI die XXIX augusti summum pontificem Urbanum IV dictum electum inter, & Thomam Agni de Lentino nostrum quî repleret dubius hærens, primo in Hist. chron. Tomo III maii præfixa Thomam in duos diviserat, alterum Agni, alterum de Lentino agnominatos, distinctionem hanc etsi frivolam tum necessariam arbitratus. At postea accepta Bartholomæi nostri vita a Barbarano in lucem edita, & in eadem inscriptione tumuli eidem in prima translatione erecti, quæ sic habet versu quodam inter plures alios injuria temporum deletos etiamnum servato & legibili, *Hierusalem patriarcha fuit*, &c. commodum hoc illi visum est tum ut priorem de duplici Thoma sententiam, quam nec sine scrupulo protulerat revocaret, tum ut certum iis annis saltem a MCCLXIV ad MCCLXVI Hierosolymitanum patriarcham Latinum collocaret: idque ita certum ac fixum habet, ut an Bartholomæus in translatione corporis B. Dominici anno MCCLXVII junii V præsens fuerit, & an instrumentum exinde confectum & primigenium adhuc in archivo Bononiensi nostro servatum, imo & testamentum ejusdem a Barbarano allatum non sint supposititia dubitare malit. Verùm ut eruditus Actorum SS. Editor se veritatis unice amantem ubique profitetur, a præjudiciis resilire non renuet, ut equidem spero, ubi rerum gestarum seriem simpliciter narravero.

Itaque Urbanus IV anno MCCLXI augusti XXIX ut dictum est papa electus, quem in sede Hierosolymitana sibi successorem institueret, non subito invenit. Hanc dignitatem Humberto de Romanis ord. Prædic. magistro V primum obtulit, ceu qui Terræ-sanctæ statum optime noverat, quam & adierat & lustrarat, ut supra ex ipsomet ostensum est, ubi de eo. Verùm ceu vir ab omnibus dignitatibus abhorrens constanter recusavit, quod docet Bernardus Guidonis, ubi de nostris qui episcopatus sibi oblatos accipere renuerunt: *F. Humbertus de Romanis*, inquit, *magister ordinis* V *patriarchatum sanctæ civitatis Hierusalem renuit, & episcopatus postea.* Tandem summus pontifex virum egregium strenuum ac rerum agendarum peritissimum invenit nomine Guillelmum, quem ad præfatam sedem evexit. Hunc ex Ecclesia Agennensi translatum fuisse ait Rainaldus ad 1263 n. 14; sed si ita est, non fuit ille Guillelmus olim prior charitatis & postea abbas Cluniacensis XXIV, quem Sammathani in Gallia Christiana exibent circa MCCLVIII electum, ac demum XV Kal. jan. MCCLXIII Parisiis mortuum & apud S. Martinum a campis sepultum, sed alius qui fortè eo priusquam Parisios accederet abdicante successor datus fuerit & mox a consecratione ab Urbano IV ad sedem Hierosolymitanam evectus fuerit, qui quod Agenni non sederit, in serie episcoporum hujus civitatis non numeretur. Ut ut sit, nam apud Sammarthanos omnia hîc perturbata. Quem enim ubi de episcopis Agennensibus dicunt anno MCCLXIII mortuum, ubi de abbatibus Cluniacensibus anno tantùm MCCLXVII defunctum narrant: quæ a Domno Dionysio Sammarthano asceta Sammaureo S. Dionysii ad Parisios hoc anno MDCCXVII priore viro diligenti & accurato spes est emendanda & illustranda: ut ut sit inquam, Guillelmus Hierosolymitanus patriarcha ab Urbano IV constitutus in Terram-sanctam mox se contulit, addita sibi Ecclesiæ Aconensis seu Ptolemaidis administratione cum potestate legati in Syria, Armenia, Antiocheno principatu & insulis adjacentibus, muneribusque sibi collatis diligentissime functus est ad annum MCCLXX, quo diem obiit suum.

Extat epistola ad eum a Benedicto episcopo Massiliensi scripta, qua commentarium suum de Sancta Trinitate & fide catholica illi mittit ceu in illis regionibus utilissimum, quam Clarissimus Baluzius ex cod. suo MS 77 edidit Miscellan. T. VI p. 351. Hanc integram placet hîc referre quod fortè Tomum illum VI non omnes ubique habeant ad manum.

» Sanctissimo in christo patri & reverentissimo «
Dño Guillelmo Dei providentia patriarchæ Hie- «
rosolymitano apostolicæ sedis legato B. Dei per- «
missione dictus episcopus Massiliæ cum summa de- «
votione ac reverentia promtum ad beneplacita «
famulatum. Quia præcellenti splendore scientiæ ac «
salubri experientia jugis exercitii ad impugnandum «
errores infidelium & ad tuendam fidem catholi- «
cam & unitatem Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ «
vos novimus præminere, firmiter credimus quod «
merito sanctitatis vestræ divina providentia vos «
vocavit ad purgandam Terram-sanctam ab er- «
roribus infidelium & à spurcitiis vitiorum, qui- «
bus extitit, peccatis exigentibus, longis temporibus «
multipliciter prophanata. Et quia optamus fieri «
participes tanti meriti ac laboris, etsi majora non «
possumus ut vellemus, saltem vobis offerimus «
munus exiguum, sed utile ad impugnandum infi- «
deles & ad muniendum fideles auctoritatibus, «
rationibus & exemplis contra errores quos inve- «
nimus citra & ultra mare a puritate fidei aber- «
rantes. Hos opus incepimus olim quando primò «
transfretavimus pro subsidio Terræ-Sanctæ. Quod «
opus misimus D. papæ Alexandro (IV) sicut pa- «
tet in litera præcedenti, & postea derivavimus ad «
diversas «

» diversas provincias & diœceses & religiones, & » ad dirivandum dedimus V. patri T. *(Thomæ Agni » de Lentino)* D. G. episcopo Bethlemitano sedis » apostolicæ legato, quando ultimo reversi fuimus » a partibus transmarinis, vos autem corrigite cor» rigenda, supplentes defectum, & quod minus be» ne fuerit indulgentes, nosque ac gregem nobis » commissum habere dignemini in sanctis vestris » orationibus ac meritis commendatos. Bene va» leat vestra sancta paternitas, & sanctum vestrum » propositum Deus dirigat, perficiat & confirmet, » & per vos Terram-sanctam restituat cultui chris» tiano, & adaugeat in vobis gratiam nunc & sem» per. Amen. Datum Massiliæ anno Dñi MCCLXIII » in vigilia S. Laurentii «. Ex quibus constat si Guillelmus iste antea fuerat electus Agennensis, Guillelmum alium olim abbatem Cluniacensem de quo supra hanc Ecclesiam abdicasse, priusquam eodem anno XV Kal. jan. MCCLXIII Parisius moreretur.

Ad istum Guillelmum patriarcham in Terra-sancta morantem datas Urbani IV epistolas prodit Rainaldus lib. 2 registratas scilicet 52 & 98, & præterea 104, 105, 106. Idem ad MCCLXVII n. 69 epistolam refert patriarchæ Hierosolymitano a Clemente IV Viterbii datam XVI Kal. julii anno III quæ est in Reg. 326, qua ei jubet ut Haitono regi Armeniæ adversus Babylonicum furorem impendentem omne quod poterit consilium & auxilium conferat salva tamen Terræ-sanctæ arcium custodia. Qui loquendi modus patriarcham indicat non recens sed ab aliquot annis in eas regiones appulsum & res ejus regni administrantem, nec in alium cadere potest quàm in Guillelmum anno MCCLXIII ab Urbano IV institutum, cùm Clemens IV ullum patriarcham toto suo pontificatu Hierosolymis posuisse non legatur. Verùm ut de hactenus dictis nemo dubitet addo certum esse Guillelmum illum ab Urbano IV ad eam sedem evectum mortuum non esse nisi circa annum MCCLXX. Id evincitur ex epistola Gregorii X ad archiepiscopum Nazarenum & Bethlemitanum Panadensemque episcopos data Urbeveteri IX Kal. novemb. anno I, ac proinde MCCLXXII, in qua conqueri videtur de F. Thoma Agni de Lentino a se patriarcha Hierosolymitano eodem anno posito, quod Hugonem regem Cypri regem etiam Hierosolymorum inaugurari permisisset, nulla habita ratione appellationis ad sanctam sedem Mariæ filiæ principis Antiochiæ, quæ regnum illud de jure suum esse contendebat, & *se reginam coronari petierat a bona memoria G.* (quæ litera haud dubie Guillelmum præfatum indicat) *patriarcha Hierosolymitano.* Epistolam refert Rainaldus ad 1272 n. 19. Ultima autem verba Thomæ de Lentino G seu Guillelmum decessorem immediatum demonstrant. Revera Maria illa principis Antiochiæ filia nonnisi a morte Conradini sub finem anni MCCLXVIII jubente Carolo Andegavensi utriusque Siciliæ rege ex Gallis primo capite plexi Hierosolymorum regnum ambivit, ut refert Stephanus Lusignanus noster Genealogiæ regum Hierusalem Tit. XVI, & regum Cypri Tit. VI, nec ante potuit, cùm Conradinus quandiu vixit Hierosolymorum rex ab omnibus agnosceretur. Ex his constat Guillelmum patriarcham adhuc vixisse anno MCCLXIX, quo de illo regno contendentibus Hugone Cyprio, & Maria Antiochena litem ille dirimere noluit, & utrumque ad summum pontificem remisit. At circa MCCLXX seu illo eodem anno mortuum Guillelmum docet Martinus Polonus ad finem chronici imperatorum, ubi loquens de expeditione Aphricana sancti Francorum regis Ludovici IX anno MCCLXX suscepta, cur ab hujus morte in Palæstinam itum non fuerit, inter alias rationes hanc incommodam accidisse narrat, quod *Terra-sancta ad quam ire debebant, gubernatore peregrinorum carebat, quoniam patriarcha qui legatus erat in Terra-sancta defunctus erat.* Quæ Pappebrochius in Bartholomæum nostrum detorquere non potest, ceu quem vult jam anno MCCLXVIII Vicentinæ suæ Ecclesiæ restitutum: recte autem intelligas de Guillelmo anno MCCLXIX Acone adhuc vivente, ac legationis munere in tota illa regione fungente, & ab anno MCCLXIII patriarcha instituto.

Hæc omnia confirmantur epistola 50 Nicolai IV ab ipso erudito Editore relata, in qua triplicis tantùm patriarcharum institutionis meminit, primæ qua Urbanus IV Aconensem Ecclesiam Hierosolymitanæ conjunxit, & Guillelmum utramque administrare voluit: secundæ qua Gregorius X Thomam Agni de Lentino: tertiæ qua Nicolaus III Eliam ad utramque evexerunt: non est autem verisimile, si qua a Clemente IV facta fuisset eam omissam fuisse. Cùm tamen aliunde toto Clementis pontificatu & ultra ad MCCLXIX scilicet, Clemente tertio Kal. decemb. MCCLXVIII defuncto, patriarcham in Syria viventem & res ejus regni administrantem habeamus, ille certo est Guillelmus, quem anno MCCLXIII constituit Urbanus, quem Gregorius X qui ad MCCLXXI in Terra-sancta perstitit, litera nominis prima G indicat, & anno MCCLXIX viventem præstat, quem denique Martinus Polonus anno MCCLXX mortuum asserit, nullus proinde Bartholomæo nostro locus relinquitur. Revera Bernardus Guidonis etsi ubi de Terræ-sanctæ provincia, patriarchas Hierosolmitanos ex ordine assumtos diligentius numeret, in iis Bartholomæum non recenset: imo ubi de episcopis ex provincia Lombardiæ inferioris assumtis, in Marchia Tarvisina Bartholomæum innuit, ex quo ad Vicentinam Ecclesiam translatus est, hanc sedem ad mortem usque constanter tenuisse. Sic enim de eo habet: *F. Bartholomæus episcopus Vicentinus, ubi jacet in Ecclesia retro chorum Fratrum, quam ædificavit in honorem coronæ spineæ Jesu Christi, & ibidem veneratur.*

Quid ergo inquies de sepulcrali epigraphe a Barbarano relata dicendum? *Hierusalem patriarcha fuit.* Urgeret quidem illa, si ea esset quæ primo ejus tumulo insculpta, cùm ad superos evolavit; at cùm longe recentior sit, & nonnisi anno MCCCLIII qui ab ejus morte octogesimus tertius erat, novo in quod sacra ejus lipsana translata sunt sepulcro inscripta, nullam fidem facit repugnantibus antiquis & æqualibus monumentis. Potuerit tamen ea laude insigniri hac ratione, quod dum Nemosiensem Ecclesiam administraret, partesque Syriæ peragraret, vices forsan aliquando egerit patriarchæ. Sic ipso teste Pappebrochio T. VII Maii pag. 703 a. Jacobum de Vitriaco episcopum Aconensem, & in Terra-sancta legatum Brocardus noster in Descript. Terræ-sanctæ P. I cap. 7 §. 44 Hierosolymorum patriarcham vocat, quamvis eo honore non fulserit: vel etiam quod Urbanus IV hanc ei forsan obtulerit sedem, sed quam constanter recusarit. Non puto hîc mihi negotium ab ullo facessendum de quodam Rodulpho, quem anno MCCLXIV Vicentinum episcopum nominatum Ughellus reperisse se ait in veteri cod MS cœnobii S. Salvatoris de Septimo Florentinæ diœcesis: nam id solùm memoria se tenere fatetur Ughellus, hanc autem sæpe sæpius fallere & in nominibus & in annis experiuntur, qui ut Ughellus de innumeris viris illustribus agunt. Adde Rodulphum hunc in tota historia Vicentina plane incognitum esse, nullamque ejus in chronico Nicolai Smeregi notarii Vicentini, qui res suæ civitatis ab anno MCC ad MCCLXXIX scripsit, haberi mentionem. Unde cassum omnino

SEC. XIII. est & prorsus inane, quod exinde Pappebrochius ut probet Bartholomæum anno illo MCCLXIV sedem Vicentinam reliquisse & ad Ecclesiam Hierosolymitanam perrexisse regendam, ducit argumentum. Annus mortis episcopi nostri postea ubi de ejus testamento commodius discutietur.

Vitam ejus scripsit & edidit Barbaranus in Hist. Vicent. & antea scripserat sed hactenus non excusam M. Antonius Thienæus in suo SS. ac BB. Vicentinorum catalogo, quam utramque prima junii a se dandam promiserant eruditi Actorum SS. Editores, sed in Actis junii iterum remiserunt ad primum julii. Ejus præter citatos cum laude meminerunt Leander Albertus Vir. Ill. fol. 115, sed plus rethorice quàm historice & accurate, Lusitanus, Altamura ad 1268. Rovetta ad 1267, & omnes fere bibliothecarii. Fontana quem plerique mox citati in Theatro excipiunt, in pluribus emendandus, præsertim cùm Bartholomæum vult ab Innocentio IV episcopum Nimosiensem designatum literis Perusii v Idus februarii anno quarto datis, qui fuit inquit Christi MCCXLVI, ubi non unum erratum. Certum enim a fine anni MCCXLIV Innocentium Lugduni egisse ad MCCLI, quo post Frederici mortem in Italiam reversus est: Si ergo anno IV datæ sunt literæ id fuit Lugduni anno MCCXLVII: si Perusii debet esse annus VIII & Christi MCCLI, in quem magis propendeo. Errata cætera ex supra dictis corriges. Hæc verò ei a citatis ascribuntur opera

1. *Scholia seu glossemata in libros Dionysii vulgo crediti Areopagitæ.*

2. *Sanctorum vita in epitomen redactæ.*

Barbaranus verò *Hist. Eccles. di Vicenza* illis omissis sequentia testatur in Bibliotheca nostra Vicentina servari.

Hi glossati & postillati ejus manu

1. *Genesis, Leviticus, Isaias, Ezechiel, Hieremias, Daniel, libri Machabæorum, liber sapientiæ, Matthæus, Marcus, Joannes, Actus apostolorum, epistolæ canonicæ.*

2. *Authenticum, tres libri Codicis, unum Digestum, & quidam alii libri juris canonici.*

3. *Quaterni quamplures sermonum quos dictus episcopus fecit, & notavit propria manu.*

4. *Liber de regressu animæ in seipsam.*

5. *Liber de naturali appetitu dominii.*

6. *Liber de informatione regiæ prolis ad Margaritam illustrem Francorum reginam.*

7. *Tres quaterni chronicas ætatum continentes.*

8. *Quædam notæ super cantica sive commentum.*

9. *Item commentum super cantica breviatum.*

10. *Contemplationes cum rhythmis & versibus diversarum festivitatum.*

11. *Liber de suspectione mentis in radium divinum.*

12. *Liber de naturali appetitu divinæ speciei.*

13. *Liber de Venatione divini amoris.*

14. *Libri naturales.*

15. *Ars nova & vetus.*

16. *Liber de animalibus ex multis collectus & compositus.*

17. *Expositio in cantica canticorum F. Bartholomæi Bregantii episcopi Nimonicensis ad illustrissimum regem Galliarum Ludovicum.* NOTA. Tomassinus in suis Bibl. Venetis sic habet ubi de Bibl. S. Francisci a vinea: *Expositio Bartholomæi episcopi ord. Prædic. in cantica.* An sit hujus nostri Vicentini, quod verisimile, an alterius disquirant indigenæ.

Extant præterea quædam ejus instrumenta publica.

1. *De spina coronæ Domini a se Vicentiam allata, & in ecclesia coronæ a se ideo constructa reposita.* Habes editum apud Pium lib. I P. I & apud Barbaranum.

2. *Contractus seu Pactum conventum coram notariis publicis ipsum inter & F. Joannem de Vercellis tum priorem provincialem FF. Prædic. in Lombardia* (postea totius ordinis magistrum) *quo spinam illam sacratissimam & insignes alias reliquias, & plura ecclesiastica ornamenta templo nostro Vicentino dono irrevocabili inter vivos dat & tradit sub data anni* MCCLXI *indict.* VI *die* XIV *intrante martio.* Sed hîc erratum fortè typorum, nam anno MCCLXI non erat indict. VI. Itaque si non sit error in anno legi debet indict. IV. Excusum est apud Barberanum. Monendùm autem Leandrum Albertum de viris ill. fol. 115 narrare spinam in duas particulas a Bartholomæo divisam, & alteram ab eo cuidam ex nostris Asculano concessam in templo nostro Asculi reponendam & colendam, sed hanc narrationem a Barbarano falsi redargui, spinamque integram ut a S. rege acceperat ab episcopo cœnobio Vicentino datam, licèt fortè vicissitudine temporum quid acuminis exciderit: de spina verò Asculana rem ita se habere. Cùm Asculi digitum S. Dominici servari & coli S. rex Ludovicus rescisset, & ejus habendi desiderium suum indicasset, mox magister ordinis F. Joannes de Vercellis jam laudatus de eo monitus, Asculum accedens digitum accepit, & ad sanctum regem detulit, qui gratissimum habens munus viceversa spinam ipsi coronæ Domini dedit, quæ ea est quam apud se venerantur Asculani nostri. Sic Barbaranus ex epistola Guardiani Capucinorum Asculanorum refert. Fortè non pigebit donationis a S. rege Bartholomæo nostro factæ legere instrumentum, quod sic habet:

Ludovicus D. G. Francorum rex dilecto sibi in Christo Bartholomæo eadem gratia episcopo Vicentino salutem & sinceræ dilectionis affectum. Ad instantem petitionem vestram de pretioso ligno Dominicæ crucis & Sacro-sanctæ coronæ ipsius spinam unam vobis in signum dilectionis conferimus, dilectionem vestram rogantes attente, quatenus cum debito conservetis & conservare faciatis honore, & pro nobis orare velitis, & orationes faciatis fieri speciales. Datum Parisius A. D. MCCLIX *die jovis post festum S. Nicolai hiemalis*, XI nempe decemb. cùm esset lit. Dom. E. *In cujus rei perpetuum testimonium præsentes literas nostro sigillo præcepimus communiri.* Sic refert Barbaranus ex archivo nostro Vicentino.

3. *Instrumentum est de actis in translatione corporis B. Dominici anno* MCCLXVII *facta*, quod primigenium etiamnum in archivo Bononiensi servatur & apud Pium citatum excusum legi potest, adeoque certum est, ut qui de eo subdubitare velit, ad impugnandum cùm sol lucet an dies sit paratum se probet.

4. *Ejusdem testamentum* XXIII sept. MCCLXX actum, & apud nostros Vicentiæ servatum, quod edidit ex parte Barbaranus, in quo verò diserte asserit se ex ordine Prædicatorum ad Nimonicensem & postea ad Vicentinum episcopatus Dei misericordia promotum, patriarchatus verò Hierosolymitani nullus meminit, quem etsi abdicatum non omisisset, si ad eum aliquando evectus fuisset, ut Nemosiensem Ecclesiam non omisit, etsi a se post aliquot annos relictam.

Jam insinuatum est supra veritatem hujus testamenti ab erudito Actorum SS. Editore in dubium revocari, ea scilicet ratione quod in chronico Vicentino Nicolai Smeregi supra laudati referatur anno MCCLXIX Federicum Caodelista electum fuisse Potestatem ejus urbis, & tempore ejus regiminis maximam fuisse inter duos episcopatum Vicentinum

affectantes contentionem, quod argumento est tum Ecclesiam illam vacasse. Sed facilis responsio Smeregum quidem dicere anno MCCLXIX electum Federicum, sed non addere quo mense munus inchoarit aut finierit: Verisimilius autem Podestariam ut aiebant non iniisse nisi mense novembri in festo S. Martini, ut in ea republica consuetum, & de pluribus ejusdem Federici decessoribus refert idem Smeregus, ac proinde in regimine ad idem festum anno sequenti MCCLXX substitisse. Jam si addatur paucis a testamento condito diebus post XXIII sept. Bartholomæum obiisse, neque enim quid certi profert Barbaranus, cur ad primum julii sequentis MCCLXXI mortem ejus prolatet, tum nulla supererit difficultas. Quæ tamen majori curiosorum indigenarum disquisitioni permitto, eo magis hîc necessariæ, quod Historia Ecclesiastica Vicentina & ante nostrum Bartholomæum & post, ipso teste Ughello sit valde perturbata.

F. GUILLELMUS BODERISHINENSIS.

* 1170. F. GUILLELMUS BODERISHINENSIS vel *Bonderinensis* ut habet Fontana in Theatro, vel *Boderisshamensis* ut scribit Pitseus, a Lusitano nostris accensetur scriptoribus, diciturque natione Anglus, ac sacri palatii magisterium gessisse sub Urbano IV, agente cardinali nostro Hannibaldo de Hannibaldis, cujus Parisiis volunt fuisse in studiis collegam & sodalem, mortuum verò circa MCCLXX. Sic nostri Pius, Fernandez, Fontana in Theatro ex Lucarino, Altamura ad 1269, quos optandum esset solùm, ut vetera ejus ætatis documenta produxissent. Hæc ejus opera

Commentaria in Cantica Salomonis, in Threnos & in epistolam ad Romanos.

F. ANDREAS DE MODOETIA.

* 1170. F. ANDREAS DE MODOETIA in Insubribus non longe a Mediolano vulgo *Monza* agnomen & ortum sortitus laudatur a Lusitano ad MCCLXX, & a Pio *della progenie* p. 242. 2. inter illustres S. Eustorgii Mediolanensis alumnos anno MCCLXX clarus, quem antea P. II Lib. I col. 15 errans ut fatetur ad MCCXXVII revocarat. Errantem sequi maluerunt, seu se corrigentem legere omiserunt Altamura ad 1227, Rovetta ad 1230 Andream collocantes. Hæc ab eo dicuntur relicta opera

1. *Lectura super Joannem 160 collationibus constans & distincta.*
2. *Sermones varii ad clerum & populum.*
3. *Commentarii in logicam & physicam.*

F. SIFFRIDUS DE ARENA.

* 1170. F. SIFFRIDUS DE ARENA ad annum MCCLXX claruisse dicitur a Lusitano, ac scripsisse

Super tres nocturnos Psalterii & super canticum Magnificat.

Qamvis autem Lusitanus nec gentem nec patriam indicet, Altamura ad eumdem annum *Sigifredum* aut *Siffredum* vocans, Italum asserit.

F. GERARDUS DE FRACHETO.

† 1171. F. GERARDUS DE FRACHETO Gallus Aquitanus ex castro Luceti ad Lemovicas ortus, ordinem amplexus est Parisiis in S. Jacobi, & e manibus Matthæi primi prioris accepit anno MCCXXV die XI mensis novembris die ipso S. Martini, sic enim propria ipsius manu scriptum in quodam ejus codice Carcassonæ servato legit Soegius noster, & die annunciationis B. Virginis immediate sequenti XXV martii inter manus B. Jordani professus est, ut notavit ibidem, neque enim tum annus probationis integer exigebatur. Ille autem ex primis nostris Patribus unus est, cui ob initia nostra litteris consignata plurimùm tenemur. Sed Bernardum Guidonis de eo loquentem audire satius est. Sic ergo ille ubi de Lemovicensis domus prioribus. *Secundus prior successit F. Petro Cellani F. Girardus de Fracheto Lemovicensis diœcesis oriundus de Castro Luceti* (quod etiamnum ab incolis *Chaluz* vernacule dicitur) *prope Lemovicas, gratiosus & dilectus Deo & hominibus persona cunctis spectabilis, prædicator facundus & fœcundus anno Dñi* MCCXXXIII. *Præfuit & profuit annis* XII. *Hic locum primum consulte dimisit, incommoda plura & ineptitudines prudenter advertens: & locum secundum in quo nunc habitamus, discrete & solicite emit, & B. V. Maria cum filio per suum Vicarium D. Aimericum Palmutz canonicum Dauratensem miraculo persolvit. De hoc require in Vitis Fratrum lib.* I *cap.* VI §. XIV. *Cùm Fratres &c. Locum hunc multipliciter honoravit & promovit.* Ubi verò de provincialibus provinciæ Provinciæ, sic habet: *Octavus prior provincialis fuit F. Geraldus de Fracheto, qui successit F. Stephano Alvernhacz, electus in capitulo provinciali in Podio B. Mariæ* (Anicii) *celebrato anno Dñi* MCCLI: *erat autem tunc prior Massiliensis. Hic in pace & æquitate rexit provinciam annis octo. Fuit autem absolutus in capitulo generali Valentinensi anno Dñi* MCCLIX. *Hic fuit dilectus Deo & hominibus prædicator ad clerum & populum gratiosus, & in omnibus quæ religionis sunt ad plenum instructus, & a primævis annis jugiter enutritus, gratia facundiæ, genere & opinione præclarus, verbo etiam ædificationis semper & ubique affluens: gesta quoque Sanctorum & virorum illustrium, & antiquitates memorabiles gerens in pectore, & promens in tempore opportuno, vir ubique in optimis notus. Plenus dierum & operibus bonis in senectute bona migravit ad Dominum in conventu Lemovicensi anno Dñi* MCCLXXI, IV *nonas octobris, ab ingressu ordinis* XLVI, *sepultus in claustro prope ostium Ecclesiæ.* Ex quibus Altamuram emendes, qui vult anno 1219 e manibus B. Reginaldi Aurelianensis vestem induisse, tum enim ab ingressu ordinis anno 52 mortuus esset, non 46 ut habet Bernardus, qui mire convenit cum iis quæ de seipso Gerardus scripsit supra relata, scilicet ordini anno MCCXXV se nomen dedisse.

Idem Bernardus in indice priorum domus Montispessulanæ narrat Gerardum mox ut a provincialatu dimissus est anno MCCLIX eodem mense junio electum priorem dictæ domus, eamque rexisse ad MCCLXVI. Clarissimus Baluzius Miscellan. T. VI p. 352 refert epistolam Benedicti episcopi Massiliensis scriptam venerabili & in Christo carissimo Fratri G. priori FF. Prædicatorum Montispessulani, & datam ut videtur anno MCCLXIII, certo sequitur ad alteram ejusdem hoc anno datam. Hunc autem esse Gerardum hunc nostrum hinc evincitur, quod ante MCCLXXXIV nullus alius huic cœnobio prior præfuerit, cujus nomen incipiat a littera G. Ea verò epistola episcopus commentarium suum de summa Trinitate & fide catholica Gerardo mittebat, utilem nostris ibidem studentibus, qui plures erant, futurum sperans. Sequitur ibidem epistola ejusdem Fratris G. Lemovicensis ad eumdem episcopum, qua illi gratias agit de beneficiis aliâs ab eo acceptis, dum Massiliæ & in Montepessulano priorem ageret: orat verò ut commentarium laudatum sibi jam Lemovicis agenti mittat per Aquitaniam & Galliam a se vulgandum. Quæ epistola data fuerit vel anno MCCLXVI vel aliquo ex sequentibus. Jam opera sunt recensenda.

Sec. XIII. *Hic librum qui Vitas Fratrum inscribitur de mandato ven. P. F. Humberti magistri ordinis compilavit, in quo suæ religionis viventem imaginem legentibus posteris dereliquit.* Sic Bernardus locis citatis.

Typis prodiit hoc titulo : *Vitæ Fratrum ordinis Prædicatorum*, Duaci, Balt. Belleri, 1619 in 4. Laudatur & editio altera curante Nicolao Figueres Aragono ejusdem ordinis Valentiæ Aragonum 1657.

Extant verò innumeri codices MS. Hi a me Parisiis visi : apud nostros ad S. Honorati duo memb. in 4 ambo seculi XIII. In Colbert. duo item memb. nn. 1556 & 2433. In Victor. n. 237 fol. mag. charta. anno 1455 scriptus. In monasterio regio Pissiacensi insignis & elegans fol. memb. circa 1300 script us. Laudantur & alii alibi, Tolosæ, Bononiæ, Neapoli, Venetiis, Bruxellis in Rubeavalle apud Sanderum recensitus T. I p. 23. Clarissimi editores Actorum SS. Antverpiani MS apud se se habere testantur, & partem tertiam, quæ est de gestis B. Jordani dederunt T. II feb. ad diem XIII.

Tempus quo editum fuit hoc opus, ex actis comitiorum generalium eruitur. Anno itaque MCCLVI Parisiis ordinatum fuit, ut quod memoria dignum rescirent sodales, illud magistro ordinis quamprimum scriberent. Cùm autem exinde multa memorialia ex provinciis omnibus missa fuissent, ea Humbertus Gerardo commisit, qui laudabiliora seligens opus jam anno MCCLX confecerat, & eodem anno in comitiis Argentinensibus approbatum, per ordinem publicum redditum est : quæ ex ipso prologo constant. Postea autem quædam variis locis addita fuerunt, ut ad finem partis secundæ & ad initium capitis sexti partis quartæ, & aliâs, sed hæc addita & inserta ante annum MCCC.

In quibusdam codicibus post caput IX partis quintæ sequitur *Chronica ordinis*, seu chronica quinque primorum ordinis magistrorum. Hanc quidam Gerardi opus esse contendunt, & ex eo probant, quod in fine vitæ B. Jordani sic loquatur auctor : *Plura verò alia de eò scripta sunt in libri hujus tertia parte, nec tamen sufficienter, quia laus ejus & gratia a quocumque scriptore non posset facile comprehendi.* Quæ inquiunt, eumdem esse librum arguunt, ac proinde eumdem auctorem. Quorum sententiæ favet, quod in quibusdam codicibus ut in Pissiacensi titulus est *caput* X partis quintæ. Sed hæc parum urgent, quid enim obstat Humbertum hanc chronicam addidisse & sic loqui? Præterea si Gerardus hanc chronicam scripsisset, plura de Humberto narrasset, de quo tamen præter ejus in ordinem ingressum, & electionem ad magistratum ordinis nihil habetur : quæ cùm modestiæ Humberti de se parce loquentis conveniant, ejus opus esse demonstrant, unde apud scriptores nostros vulgo dicitur *chronicon Humberti.* Si in quibusdam codicibus laudatis titulus est *caput* X, arbitrium fuit notarii, in antiquioribus qualis unus ex nostris, ad finem capitis IX legitur : *Explicit Vitas Fratrum Prædicatorum.* Sequitur alter titulus, *Chronica ordinis.*

Scripsit & *chronicon ab initio mundi ad sua usque tempora.* Pr. *In primordio temporis ante omnem diem &c.* Cujus hi a me Parisiis visi codices.

In Colbert 6107 memb. in 4 melioris notæ, & fuit aliâs J. A. Thuani. Finis in coronatione Caroli I regis Siciliæ his verbis : *Ab Ecclesia Romana in regem coronatur, & Tusciam & Campaniam & Apuliam & Calabriam & Siciliam & magnam partem Italiæ Ecclesiæ subdit & sibi.* Quæ anno MCCLXV mense julio acta. Abest nomen auctoris, sed in fine sic legitur : *De mandato magistri Johannis de Nigella Physiciani sanctissimi & invictissimi Dni regis Caroli & capellani Dni papæ, ego Angelus Alberti notarius hunc librum scripsi & exemplavi.*

Colbert. 5419 memb. fol. par. Abest nomen auctoris, idem est finis ac superioris anno MCCLXV. Subjicitur : *Anno Dni* MCCXCV *tres septimanæ tres menses me tenuere.* Quæ ætas codicis.

Regius 5950 fol. par. memb. Abest etiam nomen auctoris, sed secunda manu initio additum *chronicam Lemovicensem* ab aliquibus dici. Finit ut superiores.

Colbert. 4933 in 4 memb. & 6635 in 8 memb. Non habent etiam nomen auctoris, sed ad mortem Clementis IV progrediuntur, de quo sic : *Hic sedit annis tribus, mensibus* IX, *diebus* XXI. *Mortuus Viterbii sepultus est in Ecclesia ..... & cessavit sedes.* Locus sepulturæ relictus est albus, quia cùm auctor scribebat, inter canonicos & nostros lis erat, ubinam sepeliretur, quam demum juxta votum Clementis Innocentius V in nostrorum gratiam diremit. His concinit codex clar. abbatis Decamps fol. par. memb.

Colbert. 6318 memb. in 8 titulum habet initio scriptum secunda quidem, sed antiqua manu : *Chronica Fratris Gerardi de Fracheto ordinis Prædicatorum.* Hic alio succenturiante progreditur ad mortem usque Philippi Audacis. In tegmine interiori codicis legitur : *Fr. Gulielmus Cotin a S. Victore.* Cujus forsan aliâs fuerit.

Codex Ecclesiæ Remensis 281 teste Oudino titulum habet : *Chronicon F. Gerardi de Fracheto ordinis Fratrum Prædicatorum.* Et definit in coronatione Caroli regis Siciliæ, ut Colbertini laudati 6107 & 5419.

Codex Venetus ad SS. Jo. & Paulum a Tomasino laudatur, sed hic absque nomine auctoris, & ab alio continuatus ad ann. MCCC.

Non abs re singulorum horum codicum datur hîc notitia, nempe ut dubia circa eam chronicam mota facilius solvantur. Nam primò quod quidam putant esse opus Johannis de Frasqueto monachi Autissiodorensis, ex ipsa refellitur. Toties enim agit de Lemovicis, ut Lemovicensem auctorem arguat. Inter alia hæc habet ad ann. MCCXXXIV : *Sequitur tanta mortalitas, quod tam igne sacro quam pestilentia multa millia hominum moriuntur. Ego una die semel & simul in cimiterio S. Geraldi Lemovicensis vidi centum pauperes sepeliri, frequentius autem* XXX *&* L. Tum Gerardus priorem Lemovicis agebat.

Nomen auctoris *Gerardi* fuisse præter codices Colbertinum 6318 & Remensem laudatos, in quibus etiam *de Fracheto ord. Prædic.* additur, indicat Bernardus Guidonis in sua chronica pontificum Romanorum, ubi agens de rebellione Anglorum contra suum regem anno MCCLXIV addit : *Ita scribitur in hoc loco in chronica Guillelmi de Podio Laurentii, & etiam in chronica Gerardi.* Et postea : *Anno Dni* MCCLXXI *pirdie Kal. sept. secundùm chronicam Martini, Guillelmi de Podio Laurentii, in chronica verò* Girardi *scribitur, quod in crastino assumptionis, Philippus S. Ludovici regis filius reversus in Franciam de castris Tunicii Remis inungitur & coronatur.* Quæ probant Gerardum suam chronicam quolibet anno auxisse, & ad MCCLXXI quo mortuus est mense octobri produxisse : quem ampliorem codicem Bernardus & ipse Lemovicensis præ manibus habuerit, nam ultra eum amplius non laudat.

Ubi Gerardus de summis pontificibus agit, eadem fere totidem verbis habet, quæ Martinus Polonus, unde ambos ex eodem fonte hausisse clarum, non alterum ex altero, cùm eadem ætate viverent licèt Martinus junior, & eodem tempore scriberent. Gerardi meminerunt Ludovicus a Valleoleti n. 67 Leander fol. 152. a, Lusitanus & sequaces, Altamura ad 1267, extrates Possevinus, Dupinius & alii.

F. HANNIBALDUS DE HANNIBALDIS.

1272. F. HANNIBALDUS DE HANNIBALDIS Romanus ex illustri & antiqua Hannibaldensium gente Romæ natus, ordinem adolescens in Urbe apud S. Sabinam sedente Innocentio IV amplexus est. Cùmque quotannis ut pluries jam dictum ex qualibet provincia tres ex quibus major spes habebatur, Parisios sodales mitterentur, hunc etiam juvenem pro ratione provinciæ Romanæ eo aliquando destinatum conjectu pronum, eo magis quod ingenio præstaret excellenti, & ejusdem stirpis suæ patruus illi esset in purpuratorum collegio Ricardus de Hannibaldis diaconus cardinalis tit. S. Angeli a Gregorio IX jam ab MCCXXXVII aut saltem anno MCCXL creatus. In eadem academia ad gradus promotus est, ac sententias publice legit, tandemque magisterii lauream promeruit: cujus regendi triennium a MCCLVII ad MCCLX recte colloces, cùm nonnisi post S. Thomam de Aquino eo munere functus sit, & fortè sub eo baccalaureus inceperit. In catalogo magistrorum Parisiensium a Salanhaco recensetur vigesimus tertius. In patriam reversus ita doctrina & pietate inclaruit, ut ab Urbano IV cardinalis presbyter tit. XII apostolorum allectus fuerit: qua autem creatione? Nam duas hujus pontificis numerant Martinus Polonus, Tholomæus Lucensis, & Bernardus Guidonis. De eo sic habet Salanhacus: *F. Hanibaldum Romanum magistrum in theologia assumpsit in presbyterum cardinalem Basilicæ XII apostolorum D. Urbanus papa IV anno Dñi* MCCLXI. Quæ innuunt primæ creationis fuisse mense decembri ejusdem anni factæ: hocque testimonium scriptoris æqualis, & quæ se vivo fiebant annotantis haud spernendum. Onufrio & Oldoino tamen placet ad secundam creationem quam statuit decembri MCCLXII differre, Ciaconio & Frizonio etiam tardius ad decembrem MCCLXIII. Ut ut sit ad graviora deinceps Ecclesiæ negotia a summis pontificibus admotus est. Præses fuit legationis cardinalium, quos Romam ad Carolum I utriusque Siciliæ regem jam ab Urbano IV electum & declaratum misit Clemens IV ad tradendam ipsi ejus regni pactis quibusdam possessionem sacramentumque ab eo tanquam Ecclesiæ beneficiario exigendum & recipiendum: quorum actorum instrumentum extat Paris. in Colbert. cod. 754 memb. sicque incipit. *Excellenti & magnifico principi D. Carolo illustri regi Siciliæ claræ memoriæ Lodoici regis Francorum filio, Frater Anibaldus miseratione divina Basilicæ* XII *apostolorum presbyter cardinalis, Joannes S. Nicolai in carcere Tulliano,* (Cajetanus scilicet Ursinus) *Jacobus S. Mariæ in Cosmedin diaconi cardinales salutem in Dño &c.* Declarant se constitutos a summo pontifice ad consummandum cum ipso *investituræ* regni Siciliæ negotium, cujus commissionis bulla seu diploma pontificium refertur integrum, conditiones eidem regi statuunt ac sacramentum ab eo exigunt. Finis: *Actum Romæ apud Lateranum in basilica Salvatoris, quæ appellatur Constantina ante sacratissimum altare ipsius Basilicæ* IV *kal. julii anno Dñi* MCCLXV *pontif. D. Clementis papæ IV primo.* In qua legatione notandum tres tantùm cardinales recenseri, unde qua auctoritate his quartus scilicet Ricardus de Hanibaldis diaconus cardinalis S. Angeli addatur a Rainaldo in Annal. hactenus non video.

In Hanibaldi nostri laudibus non omittendum intimum fuisse Thomæ de Aquino, quem ut magistrum venerabatur, & a quo ei post Urbani IV mortem pars altera catenæ aureæ nuncupata fuit. Præclara quæ gessit alia, ut & vitæ integritatem ac sanctimoniam agiographis & historicis narranda relinquuntur, sat sit pro nostro instituto testimonium Tholomæi de Lucha his addere: sic enim Histor. Eccl. lib. 22 cap. 23 ubi de Urbano: *Hic fecit duas ordinationes, in quibus fuerunt creati duo cardinales, quorum unus fuit nepos suus vocatus D. Amcherius, alter fuit nepos D. Ricardi de Hannibaldis, qui vocatus est F. Hannibaldus de ordine FF. Prædicatorum, qui fuit magister in theologia, & fuit vir magnæ humilitatis & veritatis, & sanctus homo, quem F. Thomas valde dilexit, fecitque scripta super sententias, quæ intitulantur Dño Hannibaldo, quæ nihil aliud sunt, quam abbreviatio dictorum Fratris Thomæ.* Cùm Tholomæus non omnes cardinales ab Urbano IV creatos numerandos sibi proposuerit, ut Amcherium in prima ordinatione, sic Hannibaldum in altera assumtum innuit. Denique Salanhacus citatus sic de eodem: *Cardinalis vixit annis circiter decem. Hic obiit anno Dñi* MCCLXXII: nempe Urbe veteri ubi apud nostros sepultus. SæC. XIII.

Fontanæ conatus in recensendis sacri palatii magistris a B. Dominico sane laudandus, & in ultimis seculis sat rectus, at in prioribus non ad chronologiæ leges limatus & in multis emendandus, ut passim in hoc opere ostenditur, & certo fallitur in hoc nostro Hannibaldo, quem tertium vult a B. Dominico illo munere functum, ac B. Bartholomæo de Bregantiis ab Innocentio IV anno MCCXLVI suffectum. Quibus subscribere non possum, cùm junior tum esset Hannibaldus, vixque fortè theologiæ operam dare cœpisset. Certè omnia eum demonstrant Thoma de Aquino posteriorem, hic autem tum Parisiis Alberti Magni erat auditor, ubi & fortè tum studebat ipse Hannibaldus. Præterea hunc ipse Fontana Parisiensi laurea ornatum statuit, priusquam ad illud munus eveheretur, certum autem est nonnisi post Thomam de Aquino, ac proinde circa MCCLVIII licentiatum: unde rectè inferas cum Dupinio, sub finem pontificatus Alexandri IV anno fortè MCCLX Parisiis rude donatum & Romæ reducem sacras litteras in palatio apostolico interpretari cœpisse, usquequo ab Urbano IV ad purpuram allectus est. Eum conveniunt omnes cum Tholomæo de Lucha scripsisse ac edidisse

Commentarium in quatuor libros sententiarum & Quodlibeta. At quodnam sit illud commentarium, vel ubinam servetur, videntur jam ignorare recentiores, certè nullus indicat nostratium, sed a nobis nunc est manifestandum. Certum igitur habeas illud ipsum esse quod sub nomine S. Thomæ extat ejus operibus insertum & dicitur *scriptum secundum in sententias ad Hannibaldum.* Quod quidem primo editum Basileæ typis Nicolai Keser vel Kesler 1492 fol. Hanc verò primam editionem videtur ignorasse Thomas Nerius noster cùm hortatu Pauli IV tum adhuc in minoribus constituti suam adornavit Parisiis apud Michaelem Sonnium circa 1560 hoc titulo *D. Thomæ Aquinatis ordinis Prædicatorum doctoris angelici secundum scriptum appellatum super* IV *libros sententiarum ad Hannibaldum Hannibaldensem S. R. E. cardinalem nunc primum in lucem editum cum duobus indicibus &c.* quo loquendi modo se ex cod. MS dare satis indicat. Prodiit postea in collectione omnium S. Thomæ operum T. XVII Romæ 1570: Coloniæ seu Antverpiæ 1612 & aliàs: novissime verò recognitum & a mendis expurgatum curis F. Joannis Nicolai S. T. M. Parisiensis. Paris. sumt. societ. 1660. fol.

Allucinandi verò hæc ansam præbuere. 1. Conformitas doctrinæ hujus scripti cum genuino S. Thomæ in easdem sententias scripto, cujus majo-

Sec. XIII. ris ac fusioris hoc brevius videtur tantùm compendium. 2. Amicitia & familiaritas Thomæ cum Hannibaldo ad quem inscriptum & nuncupatum putarunt editores, ut eidem alteram partem Catenæ aureæ dicavit. 3. Testimonium Tholemæi de Lucha ab ipsis perperam intellectum, & contra ipsius mentem expositum. Cùm e contrario illæ eædem rationes D. Thomæ abjudicent & asserant Hannibaldo, quod evincitur ipsa Tholomæi verba expendendo. Sic habet: *F. Hannibaldus fecit scripta super sententias, quæ intitulantur D. Hannibaldo, quæ nihil aliud sunt quam abbreviatio dictorum F. Thomæ.* Cùm igitur nihil *aliud sint quam abbreviatio dictorum F. Thomæ*, en ratio conformitatis hujus scripti cum genuino & indubitato sancti doctoris scripto fusiori. *Intitulantur D. Hannibaldo*: ex eo conjici posset scripta illa patruo suo Ricardo cardinali Hannibaldo Hannibaldum nostrum nuncupasse, quæ cogitatio aliàs menti meæ insederat, & sic D. Argentræo S.T.M. socio Sorbonico eleemosynario postea regio me insinuasse memini, quod & ille typis edidit: at cùm epistola nuncupatoria in nullo codice hactenus visa sit, censuerim potius modum esse loquendi, cujus sensus sit, *quæ vulgo sub nomine D. Hannibaldi circumferuntur.* Qui modus loquendi bibliothecariis etiamnum familiaris est, cùm alicujus operis auctorem indicant. *Hæc* inquiunt *tali* vel *tali inscribuntur* vel *inscripta sunt opera*, id est sunt hujus vel illius auctoris.

Quod autem certo non sint S. Thomæ opus, evidenter demonstratur, quia nostrorum accuratiorum nullus ante Thomam Nerium & Lusitanum ejus inter opera sancti doctoris meminit: nec Tholomæus de Lucha, nec Bernardus Guidonis, nec Guillelmus de Tocco, nec Laurentius Pignon, Ludovicus a Valleoleti, S. Antoninus, nam Nerii & Lusitani sequaces nihil moror. Adde codicem MS nullum hactenus visum aut prolatum S. Thomæ ut auctoris nomine prima manu insignitum. Contra verò commentarium illud passim sub nomine F. Hannibaldi cardinalis a pluribus antiquis citatur: a nostro Rainerio de Pisis in sua Pantheologia (scribebat hic anno MCCCXXXIII) apud quem videsis verbo *Claves Ecclesiæ cap.* 1 & alibi passim: a Bandello Tract. de concept. B. V. cap. 23: a Dionysio Cartusiano quem videsis in 2 sent. dist. 1 q. 1 p. 9, & q. 2 p. 14: & Dist. 2 q. 1 p. 49: & Dist. 3 q. 2 p. 91: & Dist. 4 q. 1 p. 134: & Dist. 6 q. 3 p. 172, & q. 4 p. 174: & Dist. 8 q. 1 p. 220 & 222. Quæ illi ceu ex Hannibaldo referunt, totidem vocibus in scripto de quo agitur legas.

Addendi codices MS ejus ætatis Hannibaldi ut auctoris nomine inscripti. Extabat olim in Sorbona: sic enim legitur in veteri catalogo MS ejus bibl. fol. mag. memb. 400 circiter annorum, Scamno XIX n. 101: *Item opus Hannibaldi super sententias ex legato M. Stephani Burgundi. Incipit* in 2 folio: *Subjecti cujus.* Et n. CXVIII. *Item tres sexterni quæstionum magistri Hannibaldi supra* IV *sententiarum* in 2 folio, *fine medio: in penultimo* XIV. Collatione autem facta hujus notitiæ cum commentario de quo agitur, illæ voces seu reclamationes, *subjecti cujus* & *fine medio* eo loco leguntur, ut potuerint esse primæ secundi folii codd. MS laudatorum, ut & numerus XIV primum vocabulum penultimi folii sextenorum in quibus solum scriptum in quartum. Cùm igitur qui legavit codicem Stephanus Burgundus ex actis Sorbonicis claruerit potissimum a MCCLXXVII ad CCLXXXVIII recte colligitur ea ætate opus cujus initium *Transite ad me omnes qui concupiscitis me &c. Inter cæteras doctrinas Christianæ religionis &c.* genuinum Hannibaldi fœtum habitum esse, non verò Thomæ de Aquino. Dolendum antiquum illum codicem jam in illa Bibl. non superesse. Extat aliud ejusdem scripti exemplum n. 88 sed absque nomine auctoris. Præterea Guillelmus Carnificis & Joannes Bunderius in celebri suo catalogo codd. MS Belgii fol. 289 n. 6 teste Alva Sol. Verit. Rad. 86 col. 1018 plura recensent exempla MS a se visa ejus operis sub nomine F. Hannibaldi cardinalis ordinis Prædicatorum. 1 apud Augustinianos Lovanii & Prædicatores Gandavi scriptum integrum super IV libros Sententiarum: 2 apud Minores Aldenardæ & Ipris, & apud Prædicatores Groningæ & Moguntiæ super primum & secundum: 3 apud Minores Aldernardæ & Ipris super tertium: 4 apud Augustinianos Augienses & Minores Ipris, & in oppido Deens super quartum.

Non scite prorsus rationem hujus commentarii expressit Nomenclator cardinalium, vel sub hoc nomine latens Rupiposæus, cùm dixit in eo *Hannibaldum D. Thomæ summam videri emedullasse,* quæ verbo tenus excepit Oldoinus in hist. cardinal. quæ ne quis oblique interpretetur ut Alvæ citato excidit, explicanda sunt. Hannibaldus itaque in scripto suo non summam theologicam S. Thomæ quæ nondum erat incepta cùm cardinalis promotus est, nec ultra secundam partem provecta cùm mortuus est, emedullavit, ut illorum verbo utar, sed scriptum sancti doctoris in sententias fusius in suo breviori in compendium redegit: sicque intelligendus Tholomæus cùm scribit opus Hannibaldi *nihil aliud esse quam abbreviationem* dictorum Fratris Thomæ scilicet in sententiis, quod & qui voluerit, sola lectione mox probabit.

Unum adhuc superest dubium solvendum: scilicet apud Carmelitas Parisienses extat hujus scripti in sententias exemplum MS fol. memb. ad cujus calcem sic legitur, *Explicit scriptum Hannibaldi super sententias.* Secunda manu quis addidit, *de ordine Carmelitarum.* Quæ additio seipsam falsi prodit: si enim prima scriptoris manu posita fuisset, sequeretur immediate post *Hannibaldi*, non post sententias. Tamen nescio quis imperitus hanc notam in codice superaddidit: *Auctor hujus voluminis est Annibaldus Romanus natione, professione & doctoratu Parisiensis Carmelita, qui ob maxima religionis & sapientiæ præliamina ex Carmelita abbas ordinis Cisterciensis deinde cardinalis Ecclesiæ creatus est. Floruit anno* 1270 *sub Clemente IV & Alphonso imperatore.* Hanc notam edidisse, refutasse est. Nullum enim in Hist. Eccl. vel minus versatum latet, toto seculo XIII neminem hujus nominis Hannibaldi vel Cisterciensem vel Carmelitam in collegium cardinalium ascitum: solum nostrum Hannibaldum hoc honore decoratum. Sed en vera hujus codicis origo. Michael de Becco cardinalis tit. S. Stephani in Cælio monte, qui mortuus est Avenione vel Nemausi XXIX augusti MCCCXVIII testamento suo caverat se velle in nova Carmelitarum Parisiensium ecclesia sepeliri, quod & executioni datum XX augusti MCCCXX. Eodem testamento inter alia plura quæ illis contulit & suos libros legavit inter quos numerantur *scripta Annibaldi super quatuor libros sententiarum in uno volumine.* Et hoc est volumen quod apud eos vidit Alva, ad cujus calcem cùm legeretur tantùm *Explicit scriptum Hannibaldi super sententias*, imperito placuit addere *de ordine Carmelitarum*, & eidem vel alteri imperitiori notam subjicere supra allatam. Videsis Francisci *du Chesne Histoire des cardinaux François* T. II p. 277 & 278 ubi accuratus index codd. MS ab eo cardinali legatorum. Tantum abest igitur, ut id quicquam probet contra nos, quin novum argumentum est hoc scriptum nostri esse Hannibaldi.

F. HERBORDUS HUNGARUS.

1272. F. Herbordus Hungarus origine, sed qui priusquam ordini nomen daret, sedem in Italia fixerat seu sponte seu parentibus eo transmigrantibus, Bergomi vestem induit, tantumque pietate & doctrina emicuit, ut ad ejusdem civitatis infulas promotus fuerit anno MCCLXI. Hanc Ecclesiam annis circiter undecim administravit, & tandem reliquit ad superos vocatus anno MCCLXXII, corpore ejus in sua cathedrali sepulto. Sic Ughellus Ital. Sac. T. IV & ex eo Fontana in Theatro: cui non levis irrepsit memoriæ lapsus, cùm postea in eodem Theatro sed & in Monumentis Herbordum inter eos recenset qui concilio Lugdunensi II anno MCCLXXIV affuerunt. Hæc ei opera tribuuntur a Rovetta ad 1275

1. *Tractatus adversus hæreses.*
2. *Commentarium in septem psalmos pœnitentiales.*
3. *Sermones de tempore.*

Ubi verò hæc serventur aut a quo visa nullus meminit: itaque penes illum fides. Ejusdem Herbordi mentio est apud Sigismundum Ferrarium Hist. prov. Hung. pag. 408.

F. MATTHÆUS DE CASTELLOMARIS.

1272. F. Matthæus de Castellomaris vulgo *Castellamar di Stabia* sub Monte Gauro in Picentinis seculo XIII claruit inquisitor sanctæ fidei generalis in Calabria, magna Græcia & regionibus adjacentibus constitutus, cujus muneris ratione tam ipsi quam tribus ejus sociis honorarium a rege Carolo I decretum fuit, ut legitur in registro cancellariæ ad annum MCCLXXII lit. c. fol. 40, & integrum diploma refertur a Vallio in Compend. p. 33. Vir itaque fuit ea ætate nominatus, & magnæ apud omnes auctoritatis, qui proculdubio plura scripserit, quamvis jam fortè lateant seu in bibliothecis regni Neapolitani seu in archivis regiis præsertim inter sanctæ inquisitionis monumenta. Ideo fortè a Toppio inter scriptores relatus, ut nostrorum diligentiam ad ea inquirenda excitaret.

F. ROMANUS DE ROMA.

1273. F. Romanus de Roma a quibusdam, ab aliis *Romanus* simpliciter dictus, quod & re & nomine talis esset Romæ natus, & in sacris undis *Romanus* nuncupatus, cæterum ex illustrissima Ursinorum gente satus, Matthæi Rubei Ursini diaconi cardinalis S. Mariæ in Porticu ab Urbano IV anno MCCLXII creati frater natu minor, & Joannis Caietani Ursini cardinalis tituli S. Nicolai postea sub nomine Nicolai III summi pontificis fratruelis seu fratris filius, a teneris adolescentiæ annis jugo ordinis collum subdidit, sicque innocentia morum, regularis disciplinæ laude, ingenii acritate & elegantia emicuit, ut post lectas de more in sua provincia Romana e superiore loco sacras literas, Parisios missus fuerit in sacra facultate promovendus. Revera inter magistros Parisienses recensetur in catalogo Salanhaci & Guidonis, ubi n. 24 cod. Lingon. sic legitur: *F. Romanus nomine & natione.* Quandonam licentiatus fuerit, non omnino certum, nam ut plures jam observarunt, in illo catalogo licentiatum ordo ad MCCC in plerisque est perturbatus. Hoc certo scimus quando secunda vice sanctus Thomas Parisiensem scholam nostram rexit a MCCLXIX ad MCCLXXI, ei in hoc munere successisse Romanum, an jam antea an tum primum licentiatum, non produnt auctores. De eo sic Tholomæus de Luca *Hist. Eccl. Nov. lib.* 23 *cap.* 16: *Hujus etiam tempore pontificis* (Gregorii X) *floruit F. Romanus ordinis Prædicatorum germanus D. Matthæi Rubei ac nepos Nicolai* III. *Hic fuit vir magnæ excellentiæ in vita & doctrina, magister in theologia, cui F. Thomas* (de Aquino) *Parisius in cathedra cessit.* Nimirum qua altera vice, ut dictum est supra, Parisiis rexit. *Et sequenti anno dictus F. Romanus migravit ad Christum.* Scilicet anno MCCLXXIII. *De quo dictus doctor F. Thomas talem habuit visionem. Apparuit ei F. Romanus in somno, & tunc quærebat ab eo qualiter esset eidem? Ille verò respondit quod bene. Et tunc F. Thomas quærebat ab eo de visione Dei per essentiam, si sic se haberet ut scribitur. Ille verò quasi subridendo respondit quod nobiliori modo:* (sic codex Navarr. codex verò Colbertinus 2818. *meliori modo:*) *& quod ipse in brevi sciturus erat hoc idem, & sic disparuit. Quod & rei postea probavit eventus, quia in sequenti anno gloriosus doctor migravit ad Dominum. Hanc autem visionem ego Neapoli audivi ab ipso referri, & cum quadam lætitia.* Paulo aliter hanc visionem refert F. Guillelmus de Tocho in vita S. Thomæ in Actis SS. T. I Martii p. 674. » Apparuit ei [*S. Thomæ*] F. Romanus magister in theologia existenti « in conventu Neapolitano in ecclesia ad orandum, « quem Parisiis legentem dimiserat: cui cùm adesset F. Thomas & diceret: Bene veneritis, quando venistis? Ille respondit: Ego ex hac vita transivi, & concessum est mihi pro tuo merito apparere. Tunc prædictus doctor colligens spiritum, qui fuerat ex subita illa apparitione commotus, respondit: Ex quo Deo placet, ex parte ipsius te adjuro, ut ad quæsita respondeas. Quæro de me quid est? & si Deo placent opera mea? Et respondit: Tu es in bono statu, & placent opera tua Deo. Tum doctor intulit: Quid est de te? Respondit: Ego sum in vita æterna, & fui in purgatorio sedecim diebus propter negligentiam, quam commisi in quodam testamento, quod expediendum cito episcopus Parisiensis commisit, & ego expedire ex mea culpa tardavi. Tunc addidit: Quæro quid est de illa quæstione quam frequenter disputavimus, utrum habitus in hac vita acquisiti maneant in patria? At ille respondit: Frater Thoma ego video Deum, & nihil aliud de hac quæstione petatis. Et iterum petivit ab eo: Ex quo vides Deum, dic mihi, si videas Deum sine media specie, vel mediante aliqua similitudine? Tunc respondit: sicut audivimus sic vidimus in civitate Domini virtutum. Et statim disparuit. Qui doctor remansit ex tam mirabili & insolita apparitione attonitus, & de placita responsione jocundus «.

Ex qua utraque narratione, cùm ambo conveniant S. Thomam cathedram Parisiensem cessisse F. Romano, & F. Romanum dum actu regeret Parisiis anno MCCLXXIII mortuum, manifeste colligitur S. doctorem altera vice Parisiis regentem egisse a MCCLXIX ad MCCLXXI circiter, ut etiam postea ubi de eo aliis invictis documentis probabitur. Infertur præterea F. Romanum sive tum prima vice legeret Parisiis, sive altera, ut & S. Thomas, indecursu lectionum mortuum anno MCCLXXIII, unde mirabatur S. doctor qui nesciebat mortuum, eum quem legentem Parisiis reliquerat, tam cito rediisse, & a se Neapoli videri. Quoad reliqua colloquii amborum, narrationem Tholomæi relationi Guillelmi prætulerim, ut tantis viris magis dignam. Adde quod in Vitis-Fratrum lib. 5 cap. 4 § 4 quid simile legitur his verbis: » De duobus Fratribus « juvenibus & valde ferventibus, qui se speciali affectione diligebant, narravit magister Jordanis, «

Sec. XIII. » quod unus post obitum suum apparuit alteri sole » splendidior & ait, Frater, sicut audivimus & fre» quenter contulimus, sic vidi in civitate Dei nostri, » & hoc dicto disparuit «. Cùm autem Jordanus magister ordinis II mense febr. MCCXXXVII obierit, hæc de S. Thoma & Romano intelligi non possunt, quæ tamen Guillelmus de Tocco ad eos videtur adaptasse. Meminit Romani F. Laurentius Pignon in suo catalogo n. 23 ubi sic habet : *F. Romanus magister in theologia scripsit*

Super quatuor sententiarum libros.

Tomasinus in Bibl. Patav. p. 68 testatur in Bib. S. Francisci conventualium ejus servari *scriptum super librum primum sententiarum. fol. memb.* sed fallitur cùm addit floruisse anno 1295, qui certo mortuus est ante S. Thomam anno 1273. Joannes Bunderus noster in suo codd. MSS. Belgii catalogo fol. 578 recenset nostri *Romani de Roma scriptum super sententias.* F. Rainerius de Pisis in sua Pantheologia passim plura excipit ex illis commentariis. Videsis verbo *Eleemosyna cap. 3*, cujus titulus: *Eleemosynam valere ad satisfactionem pro peccato.* Sic habet : *Hæc magister Romanus ordinis FF. Præd. magister in theologia 4 sent. dist.* 15. Et cap. 4 sequenti idem Rainerius : *Hæc B. Thomas & F. Romanus ord. Præd. magister in theologia 4 sent. dist.* 15, & cap. 9 seq. rursus eadem habet. Quæ non solùm in editis, sed & in codd. MSS Navarr. & Augustin. postea ubi de Rainerio citandis, unde mirum est Joannem Nicolai nostrum S. T. M. sane eruditissimum hanc notam locis illis Pantheologiæ a se editæ apposuisse :*Hujus Romani mentionem non invenio nec apud Possevinum in Apparatu, nec apud Bellarminum de Script. Eccles.* (qui sane de nostris auctoribus non erant consulendi) *nec etiam apud Leandrum de viris illustribus ord. Præd. ubi tantum Annibaldus Romanus in sententias commentaria edidisse refertur.* Sed Leandrum leviter sane percurrit Nicolaius, nam fol. 139 a. sic loquitur : *Nec longe abest, ut videre potes ille insignis vir Romanus theologus optimus Nicolai III P. M. nepos vir ingentis doctrinæ & sanctitatis, cui aliquando D. Thomas Aquinas Parisius cathedræ cessit, & post obitum prælibato sancto oranti Neapoli in æde Prædicatorum sese ante oculos videndum præbuit dicens, sicut audivimus sic vidimus &c. Scripsit hic super quatuor libris sententiarum.* Scripsit præterea Romanus

Sermones de tempore & de sanctis. Pr. *Quasi diluculum &c.* Vidit Bunderus laudatus & meminit Indicis sui fol. 578 teste Alva *Sol. Verit. Rad.* 198 *col.* 1487. Equidem Alva ibidem nullum non movet lapidem, ut Romanum hunc non alium esse ab Hannibaldo nostro cardinali persuadeat, sed nugas agit, cùm ambo & nomine & stirpe & dignitatibus adeo sint diversi, & ex monimentis ejus ætatis clarissime discernantur. Videsis Ciaconum & Oldoinum ubi de cardinalibus Urbani IV ad Matthæum Rubeum Romani nostri fratrem natu majorem.

F. JACOBUS DE VITERBIO.

* 1273. F. Jacobus de Viterbio a patria sic & professione nuncupatus ex procuratore ordinis apud summum pontificem generali ad sedem evectus est Tarentinam anno MCCLXX, qua sapientissime per triennium administrata mortalitatem exuit anno MCCLXXIII. Sic referunt Ughellus Ital. sac. T. IX, & ex eo Fontana in Theatro, qui tamen hunc in serie procuratorum generalium postea omisit. Meminit Altamura ad 1273 & cum Fontana scripsisse asserit

Opusculum de venditione S.tum F. Thomæ de Aquino nuncupatum.

Utinam ubi servetur indicassent. Rovetta ad 1265 contendit non Viterbii sed Urbeveteri natum, at exinde nihil promovet ut provinciæ Lombardiæ asserat, cùm Urbevetana domus æque ac Viterbiensis Romanæ provinciæ semper addicta fuerit. Fateor autem alterum fuisse F. Jacobum de Urbeveteri virum clarum, sed Jacobo hic laudato recentiorem, qui anno MCCCXX F. Joannis de Polo archiepiscopi Nicosiensis de quo postea socius fuit & administer.

F. GUILLELMUS TRIPOLITANUS.

F. Guillelmus Tripolitanus a Tripoli Syriæ urbe cruciatarum temporibus clarissima, civibusque Latinis variarum nationum Italis, Gallis, Teutonibus referta sic nuncupatus, & in eadem ut verisimilius ex parentibus Christianis natus, ordinem in domo Aconensi amplexus est, egregiusque evasit in omnibus illis Palæstinæ seu Terræ-sanctæ regionibus evangelii operarius & præco, multamque infidelium Saracenorum & Turcorum turbam ad Christi fidem adduxit. Divino huic & præcelso ministerio jam sedulus ac strenuus incumbebat, priusquam ad eas partes sanctus Galliæ rex Ludovicus IX anno MCCL accederet, ut ex ejus scriptis certo mihi videor conjicere : id & postea fortiter persecutus est, adeo ut cùm anno MCCLXXI Nicolaus Pauli cum Marco filio, & Mapheus Nicolai germanus celebres illi Orientis & Septemtrionis viatores ad Thealdum Placentinum Acone seu Ptolemaide tum hærentem & prima septembris ejus anni electum Romanum pontificem accessissent, ab eo litteras ad Tartarorum imperatorem seu magnum Chamum accepturi, iis volens Thealdus jam Gregorius X nuncupatus ex Ecclesia ministros seu nuncios jungere, Guillelmum nostrum cum F. Nicolao de Vincentia selegit ad id muneris. Sed hæc satius est ex ipso Marci Pauli itinerario juxta triplicem versionem Latinam referre. Sic ergo in editione Basileensi cap. 6. » Quibus (*nempe Paulis tribus*) & duos adjunxit Fratres Prædicatores viros probitate & litteratura conspicuos, quorum unus Nicolaus, alius verò Guillelmus Tripolitanus vocabatur, qui tunc Anconæ (*leg.* Acone) moram trahebant. Abeuntes itaque unà venerunt ad Glaciam portum maris in Armenia &c «. In cod. regio 5235 lib. 1 cap. 6 versionis nostri Pipini sic legitur : » Duosque Fratres ordinis Fratrum Prædicatorum litteratos & probos qui in Accon erant misit cum eis, quorum unus dicebatur F. Nicolaus Vicentinus, alter verò F. Guillelmus Tripolitanus, cùmque pervenissent ad Glazam, soldanus Babyloniæ cum exercitu suo maximo Armenos invasit, Fratres verò illi propter guerrarum pericula & viarum discrimina metuentes ad Tartarorum regem pervenire non posse, cum magistro Templi in Armenia remanserunt : nam pluries fuerant in mortis periculo constituti &c. « Sed & idem si non elegantius, certe clarius exponitur in altero codice regio 4264 versionis anonymi : » Et eis dedit duos Fratres de ordine Prædicatorum valde eruditos, sapientiores qui in illis partibus sint reperti, qui ad magnum Kaam cum eis accederent, quorum unus F. Nicolaus de Vincentia, & alius F. Guillelmus de Tripoli vocabantur, quibus chartas & privilegia exhibuit, & ambaxiatas suas quas magno Kaam fieri volebat, imposuit : & dato benedictione dictis dominis Nicolao & Maseo ac Marco nec non duobus Fratribus, recesserunt de Achon, & pervenerunt insimul ad Layassum : ubi cùm applicuerunt, quidam «

† 1273.

» dam nomine Bonduchdaire soldanus Babylonis » cum maximo exercitu supervenit, intrinsecis ci- » vitatis guerram durissimam faciendo: dicti verò » Fratres Prædicatores qui fuerant eis dati, timore » guerræ conterriti propter viarum discrimina, qui- » bus pluries fuerunt in mortis periculo, timentes » ad magnum Kaam pervenire non posse, dictis » dominis Nicolao & Maffeo privilegia & litteras » tribuentes non processerunt ulterius &c«. Laiassum ab aliis juxta pronunciationem Italicam suæ ætatis *Glaza* vel *Glacia* dictum, civitas est Issus vel Issum dicta ad mare mediterraneum in finibus Syriæ & Caramaniæ, *Laiasso* nunc vel *Aiazza* Italis, ab Antiochia magna ad 60 M. P. in occidentem distans. Antequam verò expeditionem hanc ecclesiasticam Guillelmus susciperet, scripserat hoc titulo

De statu Saracenorum & de Mahometo pseudopropheta eorum, & eorum lege & fide. Incipit: Venerabili patri ac domino Thealdo Leodiensis ecclesiæ archidiacono digno sanctæ terræ peregrino F. Guillelmus Tripolitanus Aconensis conventus ordinis Prædicatorum, ipsum in Christo piæ peregrinationis adipisci votiva.

» Quoniam intellexi illuminatam fidem vestram » cupere scire quid gens Saracenorum & liber eo- » rum de fide sentiat Christiana, votis piæ devo- » tionis studui in Domino deservire, & offerre cu- » pita, tria in medium adducendo & demonstran- » do, I videlicet quis fuit Mahometes memoratæ » gentis dux & rector & pseudopropheta, unde » surrexit, & quando cœpit habere honorem: II » quomodo memorata gens ita potenter ac vehe- » menter excreverit, sitque dilatata: III de lege » eorum sive de libro qui dicitur Alcoranum, & » quid in ipso de fide Christianorum contineatur » &c«. Quæ tria in hoc tractatu auctor prosequitur. *Finis.* » Et sic simplici sermone Dei sine phi- » losophicis argumentis, sine militantibus armis, » sicut oves simplices petunt baptismum Christi, » & transeunt in ovile Dei. Hoc dixit & scripsit, » qui auctore Deo plusquam mille jam baptizavit. » Laus sit Deo in secula seculorum.

Extat hic tractatus Parisiis in Victor. cod. 654 fol. med. memb. a fol. 79 verso ad 87. Item in Colbert. cod. 5129 fol. par. memb. idem ac Victorini principium & finis. Laudatur etiam in catal. Angl. T. I P. II *De statu Saracenorum & de Mahomete pseudopropheta eorum & de ipsa gente & eorum lege & fide, Guillelmus Tripolitanus.* P. III 1110: *Willelmus Tripolitanus de statu Saracenorum & de Machomete.* T. II P. I 8325 *De statu Saracenorum.*

Ex titulo constare videtur scriptum prius quam Thedaldus summus pontifex electus saltem in illis regionibus sciretur, alioquin eum archidiaconum tantùm & peregrinum Terræ-sanctæ non nominaret in epistola nuncupatoria. Tractatum tamen postea recognovisse auxisse ac innovasse non negaverim, cùm in codice Montmoriano cujus excerpta seu fragmenta quædam edidit Franciscus du Chesne Andreæ filius T. V Hist. Franc. a p. 432 ad 435 multa referantur, quæ nonnisi a pontificatu Gregorii X acciderunt: ut quod refer p. 433 de nostro F. Thoma Agni de Lentino ad sedem Hierosolymitanam evecto anno MCCLXXII, & p. 435 ubi sic habet, *unde ventum erat circa festum B. Mariæ Magdalenæ anno Domini, quo hæc scripta sunt* MCCLXXIII.

Hujus auctoris cum laude meminerunt Simlerus, Possevinus, Vossius de Hist. Lat. p. 488, Oudinus suppl. pag. 542. Spondanus ad 1260, & ex isto Fontana in Monum. ad 1261 & Altamura ad 1297 ad quem annum tamen non censeam pervenisse. Ab his ultimis omisso tractatu superiori, qui tamen genuinus est ejus fœtus, aliud ei ascribitur opusculum hoc titulo

Clades Damiatæ.

F. PETRUS FULCONIS.

* 1273.

F. PETRUS FULCONIS, aliis *Falconis* a Regio Lepido in via Æmilia ortus juris utriusque doctor tota Italia famosissimus ordini nomen dedit, primique nominis theologus evasit: cujus cùm Gregorio X e Terra-sancta in Italiam appellenti præclaræ dotes innotuissent, mox pœnitentiarius major ab eo pontifice allectus est: sic Lusitanus, Fontana & Altamura Taegium testem appellantes, addentes non diu hoc munere functum ceu qui diem obierit anno MCCLXXIII. Scripsisse dicitur

1. *Summam qua jus canonicum cum divino concordavit.*

2. *Jus civile ad certas conclusiones redactum.*

F. ÆGIDIUS DE AURELIANIS.

* 1273.

F. ÆGIDIUS DE AURELIANIS Gallus a loco suæ originis celebri scilicet illa Franciæ civitate, quam *Orleans* vernacule dicunt, nuncupatus, & nostræ ibidem domus alumnus, insignis verbi Dei præco, regiusque concionator, seculo XIII claruit, quem Petrus de Lemovicis theologus Parisiensis & socius Sorbonicus, egregiusque ipse Ecclesiastes cum voluptate audiebat, peneque mirabatur, tum ob sententiarum delectum, tum ob modum dicendi. Hinc plures ab ejus ore exceptas conciones Parisiis variis in ecclesiis habitas sibi scribi curavit, quæ etiamnum in Sorbona servantur, simplici quidem latinitate pro more seculi fortè ab ipso Petro de Lemovicis donatæ, sed quæ & oratoris sacri excellens ingenium satis declarant, & desiderium ingerunt deperditi auctoris autographi.

Nimirum codex est MS memb. fol. par. n. I p. 1018 qui collectio est sermonum a theologis Parisiensibus a festo SS. Simonis & Judæ MCCLXXII & toto anno sequenti ad octavas S. Martini habitorum, ut ex serie constat. Nam anno MCCLXXII erat Aur. Num. 19. Lit. Dom. C. B. Pascha 24 april: anno verò sequenti MCCLXXIII Aur. Num. I. Lit. Dom. A. Pascha 9 apr. His autem omnino convenit ordo sermonum, quibus singulis auctoris nomen, locus & tempus præfixa sunt. Hi autem ad viginti tres sub nomine nostri Ægidii annotantur.

2. *Sermo F. Ægidii de Aurelianis Prædicatorum in festo Simonis & Judæ ad S. Paulum mane.* Gloria hæc est omnibus sanctis ejus. Nimirum illa ætate eo festo de omnibus SS. incipiebant concionari, ut constat ex aliis sermonariis.

10. *Ejusdem ad S. Leffredum vel S. Paulum.* Multi sunt vocati, pauci verò electi.

11. *Ejusdem ad Beguinas in festo S. Martini mane.* Magnificavit eum.

19. *Ejusdem ad S. Leffredum Dom. post octavas B. Martini post prandium.* Redde quod debes.

22. *Ejusdem ad S. Antonium in festo S. Catharinæ mane.* Filia prudens hæreditas patris.

34. *Ejusdem ad Beguinas Dom. 3 adventus in mane, & fuit sermo peroptimus, in quo fuit magister Petrus Lemovicensis, & notavit ibi, quod modum bonum habet Frater: & quod plus sæpe facit modus quam res: & quomodo de auctoritate transcurrebat, capiens quod faciebat ad suum propositum, quando tota auctoritas non faciebat.* Tu es qui venturus es.

54. *Ejusdem in die Regum in capella regis præsente rege Philippo* (nempe Audaci) Ubi est qui na-

Sæc. XIII. tus est rex Judæorum? Ad finem sermonis sic legitur: *Prædicatores tenentur ramentevoir statum Ecclesiæ, & orari facere pro ipsa & pro regibus, & ante omnes alios reges pro rege & pace regni Franciæ, quia hoc est quasi regnum regnorum, & pro pueris* (sc. regiis) *quia sunt thronus regni: & pro glorioso brachio & campione sanctæ Ecclesiæ Carolo* (rege utriusque Siciliæ) *pro Terra-sancta, in qua Deus pro nobis effudit sanguinem suum, & pro illis qui illic eam defendunt, & fidem Christi gladio, sicut nos hic verbo & doctrina: pro laborantibus: pro defunctis specialiter pro Ludovico* (IX rege Franciæ) *licèt enim credam quod eum tantùm fecerit nichare nichier ad portam paradisi, usque modo tamen securum & bonum est, quod pro ipso oremus: & pro regina Alba* (Ludovici IX matre) *qua non est obliviscenda, qua multas eleemosynas fecit. Pro omnibus istis dicatis bis Pater noster.*

67. *Ejusdem ad S. Antonium in conversione S. Pauli.* Sufficit tibi gratia mea.

73. *Ejusd. ad S. Gervasium Dom. ante purific. post prandium.* Plenitudo legis est dilectio.

77. *Ejusd. ad S. Germanum Autissiodoren. & fuit ibi M. Petrus Lemovicen. & Christianus* (fortè Bellovacen.) *Dom. 2. septuagesimæ*, (id est sexagesimæ) *in mane.* Sufficit tibi gratia mea. Nota ea ætate sic distinxisse, primam septuag. secundam septuag. id est sexagesimam: tertiam septuag. id est quinquagesimam, quod constat ex aliis sermonariis.

82. *Ejusd. Dom. in quinquag. ad S. Gervasium mane.* Cæcus clamabat.

94. *Ejusd. ad S. Gervasium Dom. 3 quadrag. post prandium.* Cùm fortis armatus.

101. *Ejusd. ad S. Antonium in Annunciatione.* A Luna signum diei festi.

103. *Ejusd. ad Beguinas Dom. in Passione mane.* Repromissionem accipiant.

112. *Ejusd. ad S. Gervasium die Cœnæ post prandium.* Probet seipsum homo.

113. *Ejusd. ibid. die veneris sancti.* Egressus est Jesus.

114. *Ejusd. ad S. Antonium vigilia pascha mane, & istum eumdem sermonem fecit in die pascha ad S. Gervasium post prandium. Melius est pertinens ad diem.* Resurrexi & adhuc tecum sum.

122. *Ejusd. ad S. Antonium Dom. 2. post pascha.* Christus passus est.

146. *Ejusd. ibid. in ascensione Domini mane.* Ascendit pandens iter.

147. *Ejusd. Dom. 6.* (scilicet post pascha) *ad S. Gervas.* Estote prudentes.

148. *Ejusd. ibid. eodem die post prandium.* Ascendet pandens. Licèt idem thema quod supra, alius tamen est sermo de Ascensione.

162. *Ejusd. ad S. Paulum Dom. 3 quod fuit ante festum B. Joan. Bapt. Fuit iste sermo de B. Joanne.* Deus omnis gratiæ vocavit vos.

163. *Ejusdem ad S. Antonium in festo B. Joannis Baptistæ.* Erit magnus coram Domino.

Cod. Distinctiones Petri de Lemovicis, tres sunt hujus conceptus ad hæc verba. *Pœnitentia perfecta. Sapientia perfecta.*

Curioso lectori fortè non displicebit eorum concionatorum, qui toto hoc anno Parisiis sermones habuerunt, indicem hîc legere: sic enim & sacræ facultatis modus in suis alumnis ad habendos sermones designandis cognoscetur, & celebrium virorum ætas aut etiam memoria suscitabitur. Hi fuerunt ex nostris, quos ordine alphabetico recenseo.

I. F. Ægidius de Legio, fortè de Leodio *de Liege* Gallice. Hujus sunt septem sermones.

4. *Ad S. Gervasium in festo apostolorum Simonis & Judæ post prandium.* Leva in circuitu oculos tuos & vide &c. Est sermo de omnibus sanctis pro more ejus seculi.

26. *Dom. 1 adventus ad Magdalenam post prandium.* Ecce rex tuus venit justus & Salvator.

53. *In epiphania ad Beguinas in mane.* Ite & interrogate diligenter de puero.

61. *Dom. 2 post epih. ad S. Nicolaum de Campis.* Odientes malum, adhærentes bono.

65. *In festo S. Vincentii ad Beguinas in mane.* Certamen forte dedit illi.

100. *Dom. in passione post prandium.* Christus assistens pontifex.

139. *Dom. v post pascha ad S. Gervasium.* Petite & accipietis.

Quæ in argumentum sint aliorum plurium ab eo relictorum.

II. F. Ægidius de Orpio a loco originis sic dictus haud dubie. Hujus unicus est sermo.

197. *Dominica infra octavas B. Dionysii ad Beguinas.*

Est & alius ejusdem inter *Distinctiones Petri de Lemovicis* voce *Mons.*

III. F. Amandus *Prædicatorum.* Hujus tacetur agnomen & unicus ejus est sermo.

96. *Dom. 4 in quadragesima ad Magdalenam post prandium.* Est puer unus hîc qui habet quinque panes.

Sed inter *Distinctiones Petri de Lemovicis* duo sunt, 82 verbo *Peccatum* & 85 verbo *Peccator.* In utroque dicitur simpliciter in 1. *F. Amandus Prædicator ad S. Gervasium post prandium.* In altero *Sermo F. Amandi Prædicatorum Dom. 7 ad S. Gervasium post prandium.*

IV. F. Andreas de Caroloco sic a loco originis dictus: ex quo autem, an ex eo hujus nominis qui in insula Franciæ ad Silvanectum, an ex alio qui in finibus Burgundiæ ad Ligerim diœcesis Matisconensis? Ut ut sit, hujus sunt sermones quinque.

50. *Die circumcisionis ad S. Germanum post prandium.* Apparuit benignitas &c.

62. *Dom. 2. post epiph. ad S. Leffredum post prandium*, & fuit M. *Petrus de Lemovicis.* Nuptiæ factæ sunt.

104. *Dom. in passione ad Magdalenam post prandium.* Per proprium sanguinem introivit &c. Implet ad 20 coll.

119. *Dom. Quasimodo ad S. Leffredum post prandium.* Erant discipuli congregati &c.

155. *In die pentec. ad Magdalenam.* Paracletus autem Spiritus Sanctus.

Sed sunt ejusdem octo cod. Distinctiones Petri de Lemovicis. Vocabulis

Passio Christi. Hoc sentite in vobis.

Idem in parasceve. Mementote diem.

Idem in Ramis. Adduxerunt asinam, & eodem die tres alii ejusdem. Plurima autem turba &c. Aspicientes in auctorem &c. vidi afflictionem populi mei usque & descendi ut liberem eum.

Panis. Est panis naturæ &c.

Spiritus Sanctus vel Consolator. Sermo F. Andreæ de Caroloco Prædicatorum ad Magdalenam in die pentec. post prandium. Idem videtur qui supra repetitus.

V. F. Arneus de Gif a villa hujus nominis quinque leucas Gallicas Parisiis dissita haud dubie sic dictus, & domus S. Jacobi Parisien. alumnus. Hujus sunt tres sermones.

64. *In festo S. Vincentii Martyris ad S. Leffredum post prandium.* Justus de angustia liberatus est, & tradetur impius pro eo.

80. *Dom. Sexag. ad S. Gervasium post prandium.* Sufficit tibi gratia mea.

141. *Dom. 5 post pascha sermo F. Harnei de Gif Prædicatorum ad S. Joannem in Gravia.* Petite & accipietis.

VI. F. Daniel de Parisius *Prædicatorum*, sicque domus Sanjacobeæ alumnus. Hujus sex sunt sermones.

16. *Dom. infra octavas B. Martini ad S. Leffredum post prandium.* Scidi pallium meum &c. 1. Esdræ 9.

20. *Dom. 2 post octavam B. Martini ad S. Gervasium post prandium.* Vidi Dominum sedentem &c. Is. 6.

42. *In die natalis Dñi ad S. Gervasium post prandium.* Evangelizo vobis &c.

52. *In die circumcisionis ad Magdalenam post prandium.* Postquam consummati sunt &c.

85. *In die cathedræ S. Petri ad S. Antonium.* In via peccatorum non stetit, & in cathedra &c. Ex ipso sermone constat diem fuisse cinerum, ut revera extitit anno MCCLXXIII: sic enim loquitur: *Et hoc bene pertinet ad istud tempus, scilicet quadragesimæ, quia modo quicumque stetit in peccato, a modo debet relinquere: & hoc est quod sæpe a modo incipit ab hodie* (die cinerum) *& infra mater Ecclesia nobis recordari dicens: Derelinquat impius viam suam &c.*

157. *In festo Trinitatis ad S. Gervasium post prandium.* Gratia Dñi N. J. C. &c. Fuit XIX Junii MCCLXXIII.

VII. F. Eberardus de Sancto Quintino, sic a patria & a professione nuncupatus. Hujus sex sunt sermones

128. *Dom. III post pascha ad S. Gervasium.* Plorabitis & flebitis, mundus autem gaudebit &c. In hoc dicitur *quondam prior S. Quintini Prædicatorum.*

140. *Dom. 5 post pascha ad Beguinas.* Usque modo non petistis quicquam &c.

152. *In die pentecostes ad S. Gervasium.* Emitte Spiritum tuum &c.

159. *In die B. Barnabæ ad S. Antonium in mane.* Erat Barnabas vir bonus &c.

180. *Dom. XV post pent. ad S. Gervasium post prandium.* Si Spiritu vivimus, Spiritu & ambulemus.

181. *Eodem die* (forsan mane) *ad S. Germanum Altissiodoren.* Adolescens tibi dico surge.

At in codice *Distinctiones Petri de Lemovicis* sunt quatuor ad hæc vocabula

Honor. Sermo F. Ebrardi S. Quintini in domo Dei Dom. octav. apostolorum Petri & Pauli. Nimis honorati sunt &c. Spiritus Dñi. *Sermo ad Templum.*

Plenitudo Spiritualium. Accedamus ad eum cum vero corde in plenitudine fidei.

Temporalium plenitudo. Hæc est verenda &c. *ad S. Antonium.*

In altera parte hujus posterioris codicis, ubi sunt sermones variorum a Petro de Lemovicis anno, ut expendenti visum est, MCCLXIII reportati & ejus manu scripti,

Unus est hujus F. Ebrardi Dom. x post Trinit. de B. Dominico cujus festum eo die accidit illo anno v augusti; nam erat litt. Dom. G. & Pascha 1 april. Pr. *Rogemus Dñum ut ita det mihi proponere verbum suum, ut cedat ad honorem nominis sui, & ad B. Dominici commendationem, & ad nostram aliqualem ædificationem &c.* Qui servat ficum comedit fructus ejus, & qui custos est Dñi sui, glorificabitur. *Prov. 27.* Thema est sermonis.

VIII. Frater Episcopus Parisiensis *Prædicatorum*, supple *ordinis*. Nomen miraris, & primus miratus sum, sed lustrale fuisse codd. MS evincunt. In hoc duo sunt sic inscripti

81 *Sermo Fratris Episcopi Parisiensis Prædicatorum ad Beguinas in mane Dom. in quinquag.* Major autem horum est charitas. Cæcus magis ac magis clamabat &c.

194. *Sermo Fratris Episcopi Parisiensis ad S. Gervasium Dom. infra octavam B. Dionysii.* In paucis vexati, in multis bene disponentur &c.

In alio codice n. 1 p. 955 qui collectio est sermonum a variis & illustrioribus ejus ætatis habitorum, quales Guiardus Cameracensis episcopus, Odo de Castroradulphi cancellarius & postea cardinalis, Galterus de Castrotheodorici, est & unus hujus sic scripti

Sermo Fratris Episcopi Fratrum Prædicatorum Dom. 1 post epiph. Omnis homo primum bonum unum ponit &c.

Tam ea ætate *Episcopi* nomen potuit dari in baptismo, quam nunc pro cognomine multis consuetum est. Si hæc non placent, meliora peritiores afferant, libens accipiam.

IX. F. Gaufridus de Pulcroloco (Gallice *de Beaulieu.*) Unus est hujus.

25. *Dom. 1 adv. ad Beguinas in mane.* Dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus &c.

Hunc eumdem conjicio cum F. Gaufrido de Belloloco Ludovico IX a confessionibus, de quo postea.

X. F. Guillelmus Altissiodorensis *Prædicatorum.* Hujus tres sunt sermones.

49. *Die circumcisionis ad S. Antonium in mane.* Postquam consummati sunt dies octo &c.

58. *Dom. 1 post epiph. ad S. Gervasium post prandium.* Videntes autem stellam Magi &c. Erat altera dies post epiph.

59. *Dom. 2 post epiph. ad Beguinas in mane.* Omnis terra adoret te. Sermo est de adoratione Christi.

XI. F. Guillemmus de Carnoto *Prædicatorum.* Tres sunt hujus

84. *Dom. ante purific. ad S. Leffredum post prandium.* Accipe puerum istum.

78. *Dom. sexag. ad Magdalenam post prandium.* Sufficit tibi gratia mea.

4. *Dom. in quinquag. ad Magdalenam post prandium.* Major horum est caritas.

Hunc Guillelmum eumdem censeo qui aliàs capellanus Ludovici IX Franciæ regis ordinem amplexus est, & exinde socius fuit individuus F. Gaufridi de Belloloco eidem regi a confessionibus. Vide postea ad annum 1280, ubi de eo fusius.

XII. F. Guillelmus de Lexi *Prædicatorum*, a loco originis haud dubie sic nuncupatur, sed quem divinare non datur. Hujus est unus.

161. *In crastino pentecostes apud Minores in mane.* Sol refulsit qui prius erat in nubilo &c. Sermo non contemnendus.

XIII. F. Guillelmus de Tornaco. Et hujus unicus est

118. *In octava pascha ad S. Antonium.* Venit Jesus januis clausis &c.

Hujus hominis sacræ theologiæ magister apud nos ea ætate florebat, de quo postea ad 1275, ubi videsis, nam eumdem censeo.

XIV. F. Henricus de Provins *Prædicatorum.* Sic a loco originis & professionis nuncupatus civitate Briæ capite. Hujus quinque sunt sermones.

31. *Dom. 2 adv. ad S. Gervasium post prandium.* Erunt signa in sole &c.

36. *Dom. 3 adv. ad S. Gervasium post prandium.* Tu es qui venturus es &c.

60. *Dom. 2 post epiph. ad S. Germanum post prandium.* Nuptiæ factæ sunt &c.

66. *In die S. Vincentii M. ad Magdalenam post prandium.* Confidite quia ego vici mundum.

Sec. XIII. 76. *Dom. in septuag. ad S. Gervasium post prandium.* Voca operarios &c.

XV. F. Joannes Agnelli *Prædicatorum.* Unus est hujus

41. *In die natalis Domini post prandium.* Filius datus est nobis. Sermo notandus. Vide postea Joannes Agni ad 1296, nam eumdem conjicio.

XVI. Joannes Aurelianensis *cancellarius* postea ordinis Prædicatorum. Vide postea ad 1306. Hujus sunt octo.

69. *Dominica ante purificationem ad S. Germanum Altissiodoren. in mane.* Postquam impleti sunt &c.

88. *Dom.* 1. *quadrag. ibidem in mane.* Hortamur vos ne in vacuum &c.

97. *Dom.* 4 *quadr. ad S. Eustacium in mane.* Cùm sublevasset oculos &c.

108. *In Ramis palmarum in viridario regio in mane.* Exulta satis filia Sion &c.

142. *Die martis rogationum ad Dñam nostram de campis.* Obsecro primum omnium fieri obsecrationes &c.

168. *In vigilia assumtionis B. M. in Domo Dei.* Quæ est ista quæ ascendit de deserto &c.

170. *In festo nativitatis B. M. ad Beguinas, sed principium deficit.* Orta est stella ex Jacob &c.

203. *Dom. ante festum omnium Sanctorum ad S. Paulum.* Sapientiam Sanctorum narrent populi &c.

XVII. F. Joannes de Legio *Prædicatorum.*, an Gallice *de Liege*, id est de Leodio? Hujus sunt duo.

105. *In Ramis palmarum ad S. Antonium in mane.* Hoc sentite in vobis.

169. *Dom. infra octavas assumpt. B. Mar. ad Beguinas.* Quæ est ista quæ progreditur &c.

XVIII. F. Joannes de Monteletherico *Prædicatorum*, sic a loco natali quinque aut sex circiter milliaribus Gallicis a Parisiis dissito (vernacule *Montlheri* dicunt) nuncupatus, eaque ratione domus Sanjacobeæ Parisiensis alumnus. Hujus sunt duo

3. *In festo apostolorum Simonis & Judæ ad Magdalenam post prandium.* Laudate Dominum in Sanctis ejus. Est sermo de omnibus Sanctis pro more.

35. *Dom.* 3 *adventus ibidem post prandium.* Tunc laus erit unicuique &c.

In codice *Distinctiones Petri de Lemovicis.* Verbo: *Misericordia Dei: F. Joannes de Monteletherico Prædicatorum in domo ipsorum in collatione.* Ecce quanta est misericordia &c.

XIX. F. Joannes de Varziaco *Prædicatorum in domo ipsorum quadam Dominica, & erat festum B. Barnabæ.* Sic evenit anno MCCLXXIII.

158. *In collatione.* Erat Barnabas vir bonus plenus Spiritu Sancto & fide. *Dictum fuit in mane qualiter fuit vir bonus, nunc restat dicere qualiter fuit plenus Spiritu Sancto &c.*

166. *in festo Magdalenæ in capella regis.* Ubi abundavit delictum &c.

In sequenti 167 qui notatur dictus sequenti die, additur fuisse dominicam, quod evenit anno mox citato.

Videsis postea ad annum 1278 *Joannes de Varziaco*, nam eumdem censeo.

XX. F. Lambertus de Legio *Prædicatorum*, an *de Liege* de Leodio ut supra de aliis annotatum? Hujus sunt tres.

87. *Dom.* 1 *quadr. ad S. Germanum Altissiod. post prandium.* Hortamur vos ne in vacuum &c.

136. *Dom.* 4 *post pascha ad S. Gervasium.* Ille arguet mundum &c.

178. *Dom.* 14 *post pent. Ibid. post prandium.* Abrahæ dictæ sunt promissiones &c.

XXI. F. Nicolaus Cenomanensis *Prædicatorum*, sic ab origine & professione nuncupatus. Hujus sunt quinque.

131. *In festo apostolorum Philippi & Jacobi ad Beguinas.* Mihi autem nimis honorati &c.

134. *In festo S. Joannis ante portam Lat. in mane ad S. Antonium.* Protegetur sub tegmine illius a fervore. Eccli. 14. Est 2 hujus festi in editis Gorrani.

150. *In vigilia pentec. ad S. Antonium.* Ascendens Christus in altum &c.

179. *Dom.* 15 *post pentec. ad Beguinas.* Bonum facientes non deficiamus &c. Est 3 hujus diei in editis Gorrani.

F. Nicolaus de Gorrant *Prædicatorum*, quem eumdem censeo cum dicto Cenomanensi. Sub hoc nomine sunt quinque

185. *Ad S. Antonium.* Angeli eorum semper vident faciem &c. Est XI in editis Gorrani die angelorum.

188. *Dom.* 17 *post pentec. ad Magdalenam.* Amice ascende superius. Est quartus hujus diei in editis Gorrani.

189. *Dom.* 18 *post pent. ad S. Nicolaum de Campis in mane.* Animam meam in manibus meis pono &c.

200. *Dom.* XX *post pent. ad Magdalenam post prandium.* Intravit rex, ut videret discumbentes.

211. & ultimus. *Dom. infra octavas S. Martini ad Beguinas.* Sol cognovit occasum suum. Est 2 S. Martini in editis Gorrani.

Vide postea ad 1295 *Nicolaus de Gorran.*

XXII. F. Petrus de Lembt *Prædicatorum.*

43. *In festo B. Stephani 26 dec. ad Beguinas in mane.* Ecce video cœlos apertos &c.

XXIII. F. Petrus de Tornare vel de Tornerre *Prædicatorum* a loco originis sic dictus. Hujus duo sunt

129. *Dom.* 3 *post pascha ad S. Leffredum post prandium.* Amen Amen dico vobis quod plorabitis &c.

171. *Dom. infra octav. nativ. B. V. ad Beguinas.* Domum tuam Dñe decet sanctitudo &c.

XXIV. F. Petrus de Valleaurato. *Prædicatorum* a loco originis.

9. *In die defunctorum ad Magdalenam post prandium.* Multi enim sunt vocati &c.

XXV. Petrus de Verduno *Prædicatorum* a loco originis, quem Virdunum Gallice *Verdun* civitatem episcopalem in Lotaringia conjector, sic dictus. Tres sunt hujus.

38. *In festo S. Thomæ apost. ad Beguinas in mane.* Venit Jesus januis clausis &c.

173. *Dom.* XIII *post pent. ad Beguinas mane.* Solutum est vinculum linguæ ejus & loquebatur recte.

210. *In festo S. Martini ad S. Antonium.* Oculi mei semper ad Dñm &c.

XXVI. F. Pñces de Remis *Prædicatorum.* Est unus hujus.

174. *Dom.* 13 *post. pent. ad S. Gervasium post prandium.* Solutum est vinculum linguæ ejus &c. Nota collectorem hîc addere: *& placuit mihi multum & aliis.*

XXVII. F. Stephanus de Bisuntio *Prædicator.* Hunc tum juvenem eum censeo qui anno 1292 electus fuit magister ordinis VIII de quo vide ad illum annum. Unus est hîc ejus sermo

55. *In epiphania ad S. Antonium in mane.* Stella quam viderant &c. Sermo notatu dignus.

XXVIII. F. Thomas de Carnoto *Prædicatorum*, a loco originis & professionis sic nuncupatus. Ejus est unus.

125. *Dom.* 2 *post pascha ad S. Germanum Altissiod. post prandium.* Christus passus est pro nobis &c.

XXIX. F. Thomas de Senonis *Prædicatorum* a loco originis & professionis sic dictus. Hujus est sermo

75. *Dom. 1 in septuag. ad S. Leffredum post prandium.* Voca operarios &c.

XXX. F. Thomas Prædicator. Sic simpliciter dictus. Hujus est sermo

123. *Dom. 2 post pascha ad S. Germanum Altiss. post prandium.* Christus passus est pro nobis &c.

Quatuor sunt quibus nomen concionatoris non præfigitur, sed dicuntur tantùm esse cujusdam Fratris Prædicatoris, sive idem sit, sive varii

33. *Sermo cujusdam Fratris Prædicatoris Dom. 2 adv. ad S. Leffredum post prandium.* Tunc videbunt filium hominis &c.

90. *Sermo cujusdam Fratris Prædicatorum Dom. 1 Quadr. post prandium ad S. Leffredum.* Ecce nunc tempus acceptabile &c.

121. *Sermo cujusdam Fratris Prædic. in octava Pascha ad Magdalenam.* Quia vidisti me Thoma &c.

209. *Sermo &c.* (idem) *ad Magdalenam in die defunctorum.* Iratus Dñus ejus tradidit eum tortoribus &c.

Ordinis Minorum hi nominantur, quos recenseo juxta alphab.

I. *F. Bonaventura* illorum tum minister generalis, cujus est 127 ad S. Antonium in festo S. Marci evangelistæ in mane. Ad calcem sermonis id habet notandum: » Oremus pro pace Ecclesiæ præ- » cipue pro studio Parisiensi, quod modo cessat, & » puto quod diabolus fecit modo maximam partem » suæ voluntatis, quando procuravit in cordibus » quod cessarent: quia hoc est unum de majoribus » damnis, quod ipse possit facere sanctæ Ecclesiæ: » quia studium Parisius est fons, a quo rivuli exeunt » per totum mundum, & episcopi & archiepiscopi » & alii Ecclesiarum rectores; & pro me & pro » omnibus istis dicatis ter *Pater noster* & *Ave Ma-* » *ria.* Duo me moverunt ad huc veniendum: pri- » mò quia habebam multam affectionem ad vos, » quia audiveram multa bona dici de vobis: aliud » est quia volebam quod mediante divina gratia » possem aliquid vobis dicere, unde melius esset » vobis de persona mea & meo adventu, & oretis » pro nobis. Et nos recipimus omnes quotquot hîc » estis in omnibus bonis factis in nostra religione, » postquam nos inde fuimus ministri, & volumus » habere partem in vestris orationibus «. Ex isto sermone discimus quamdam fuisse anno MCCLXXIII in universitate Parisiensi turbationem, quæ lectionum cessationem induxerit, cujus tamen non meminit Boulæus in Histor. præterea S. Bonaventuram mense aprili Parisiis egisse. Alii hujus ordinis verbi divini præcones sunt

II. F. Droco de Provins Gardianus, cujus est 1.

III. F. G. de Bosco Jandonis, cujus est 183.

IV. F. Gosoïnus, cujus sunt 30 & 56.

V. F. Guido de Templo, cujus est 46.

VI. F. Jacobus de Provinis, cujus est 184.

VII. F. Joannes de Castellione, cujus sunt 13 & 99.

VIII. F. Joannes de Cenomanis, cujus sunt 8, 18 & 193.

IX. F. Joannes de Duaco, cujus est 196.

X. F. Joannes de Meth, cujus est 68.

XI. F. Joannes de Montibus, cujus sunt 14, 124, 135 & 191.

XII. F. Odo de Roini, cujus sunt 6 & 47.

XIII. F. Simon de Sens, *id est de Senonis.* Ejus est 86.

XIV. F. Simon Normannus, cujus est 151.

Ejusdem ordinis anonymorum sunt 32, 39, 40, 70, 72, 117, 149, 160, 164, 167, 172, 175, 187, 190, 192, 198, 206 & 207.

In sermone 99 F. Joannis de Castellione Dom. in passione in mane ad S. Antonium, notandum quod dixit in prologo: *Unde hodie incipit bellum passionis Dñi, & sero* (scilicet præcedentis sabbati) *cantabatur* (id est cantatum fuisset) *in vesperis* Vexilla regis prodeunt, *nisi festum B. V. impedivisset.* Ita evenit anno MCCLXXIII, quo pascha IX april.

Cæteri seu seculares seu regulares, qui eodem anno conciones habuerunt, sunt hi

Episcopus Parisiensis Stephanus Tempier, non tamen hîc nominatus, cujus sunt tres 57 Dom. 1 post epiph. ad S. Joannem in Gravia in mane. De festo epiph.

89 In ecclesia Parisiensi statim post alium sermonem dictum apud S. Germanum Altiss. Dom. 1 quadr. *Cùm jejunasset &c.* Sermo notandus.

126. Ad synodum in choro B. Mariæ die jovis Dom. 2 post pascha, qua cantatur *Misericordia Dñi.* Pr. *Deduxit de morte pastorem magnum ovium &c.* Hæc notanda in fine sermonis. » Sitis « omnes præparati respondere de præceptis syno- « dalibus, quoties cumque petetur a vobis. Nam si « non timeremus vobis confusionem facere, hîc « etiam peteremus: non enim ibi sunt tot & tan- « ta, quin scire possitis & debeatis. Intelleximus « quod aliqui vestrum, dum putant facere sponsa- « lia, perficiunt matrimonium. Ideo hæc verba « præscribimus vobis in sponsalibus contrahendis, « & si quis aliter de cætero fecerit, tanquam ino- « bediens judicabitur, nam de hoc multæ alterca- « tiones sunt in curia nostra. Ideo hæc verba dicatis « præsentibus personis coram vobis: *Tu Martine* « *promittis tu per juramentum, quod duces Bertham* « *in uxorem si sancta Ecclesia consentiat,* & vice « versa dicas mulieri. Si aliud amodo egeritis, pœ- « nam canonicam infligemus. Plus. Intelleximus « aliquos vestrum extorquere a subditis, & cleri- « cos eorum: & de litteris modo lectis super hoc « faciemus copiam, quicumque petierit, vel pro « seipsis, vel sub specie mandatorum nostrorum « exequendorum. Ideo prohibemus ne aliquas ex- « torsiones faciatis, nec pro nobis, nec pro man- « datis nostris adimplendis. Tonsuram clericalem « non portant aliqui ut intelleximus: tales moneatis « ut eam portent & habeant: quod si non fece- « rint, significetis nobis. Nos faciemus precem pro « Ecclesia, primò pro capite & patre nostro sum- « mo pontifice: deinde pro patribus nostris & duc- « toribus cardinalibus: pro principibus, rege Phi- « lippo & regina, & amicis eorum, & universa- « liter pro omnibus tam clericis quam laicis, reli- « giosis & secularibus: specialiter pro tota congre- « gatione istius Ecclesiæ, & maxime pro congrega- « tione sacerdotum & curatorum, quibus incumbit « onus quasi intolerabile. Pro defunctis, speciali- « ter rege Ludovico, regina Alba, pro statu studii « Parisiensis: pro me episcopo vestro indigno, ut « Deus mihi onus impositum vel permissum juvet « me portare ad honorem suum & B. V. cujus ser- « vus sum indignus, ad salutem animæ meæ & to- « tius populi. [Orabimus specialiter pro quodam « speciali nostro dño Odone episcopo Tusculanen- « si cardinali & defuncto viro reverendissimo, viro « veritatis, & qui semper extitit defensor istius Ec- « clesiæ qui decessit. Et scripsit mihi quidam ami- « cus meus de curia tantum verbum: *Nescio si sim-* « *milis ei in mundo remanserit.* Hæc est veritas « quod mirabilis fuit vita ejus, & multa fecit ultra « mare & citra mare. Ideo etsi non indigeat precibus « nostris ut credo, tamen faciamus quod in nobis est, « & orabimus pro ipso & pro omnibus prædictis, sicut « consuetum est in synodo «. *Ad te levavi.*

Odo episcopus Tusculanus olim cancellarius Parisiensis mortuus est v Kal. april. MCCLXXIII, quod

Sec. XIII. novum argumentum eo anno omnes hos sermones habitos fuisse. Cæteri concionatores fuerunt

M. Adam Parisiensis, cujus 182.

F. Ægidius de Vallescholarium, cujus 106 & 115.

M. Anselmus de Buchiaco, cujus 95.

M. Angeroudus vel Anjorannus, cujus 130 & 186.

M. Arnulphus de Albanetio, cujus 107.

M. Arnulphus de Albumeria, cujus 12, 17, 44, 71, 92, 93, 98, 110, 120, 143. Scribitur aliquando de Albuneria, nec levis mihi conjectura illum esse, qui ab aliis dicitur Ranulphus de Hambluneria, electus episcopus Parisiensis anno MCCLXXXI.

M. Arnulphus de Crispeio, cujus 133.

F. Galterus de Vallescholarium, cujus 156.

M. Gerardus de Remis, cujus 15, 23, 29, 37, 132, 145, 205. Hic insignis fuit ejus ætatis evangelii præco, & ejus plurimi in aliis ejusdem Sorbonæ collectionibus habentur sermones.

F. Guillelmus de S. Bernardo, cujus 28.

M. Guillelmus de Monasteriolo, cujus 5, 7 & 24. An *Montreuil* ad Parisios.

M. G. de Monciaco, cujus 51. Cod. Victor. 762 sunt aliqui sermones M. Guillelmi de Monci canonici B. Mariæ Parisien & regentis in theologia. Fortè idem.

M. Hubertus de Sorboniensibus, cujus 48 & 201.

M. Petrus de Lemovicis, cujus 83 & 111, hic ultimus dictus *in capella regis in die cœna post prandium.*

M. Reginaldus de Remis socius M. Odonis de Dionysio. Ejus est 79.

F. Stephanus de Castro, cujus ordo non indicatur. Ejus est 202.

Quatuor sunt Anonymi regulares 138, 91, 27 & 102.

Ex hactenus dictis conficitur anno illo unico ex sola domo Sanjacobea XXX minimum Prædicatores prodiisse, & undecim supra centum ab iis in urbe Parisiensi habitos sermones: ex domo Minorum XIV tantùm nominatos a quibus ad 39 sermones: ex aliis collegiis simul septemdecim concionatores a quibus ad 43 habiti: & ex his de aliis annis judicium facias.

Ex his intelliges quid sibi velit Joannes Gersonus cancellarius Parisiensis Epist. ad studentes gymnasii Navarr. cùm lugens nostrorum ab universitate Parisiensi abscissionem, ob theses Joannis de Montesono, sic loquitur: *O utinam, omnes & benigna recordatione secum tractarent, quanta qualisve jactura spiritualis est & fuit, tot hactenus sermones, tot lectiones, tot salubres instructiones, in universitate, & alibi exinde cessasse.* Nimirum cùm e solo collegio Sanjacobeo plures concionatores asciscerentur quam ex omnibus aliis simul collegiis, illis exclusis multas etiam conciones deseri necesse fuit.

F. GAUFRIDUS DE BELLO-LOCO

† 1273. F. Gaufridus de Bello-loco vernacule *de Beaulieu* Gallus, suis a nostro Nicolao le Febvre vindicatur Carnutensibus in suo Prædicatore Carnutensi, idque probat ex fide martyrologii ejus ætatis in dicta domo servati, in quo dies ejus anniversaria januarii IX notatur, quod sodales ejus domus annotare non curassent, nisi ejus conventus fuisset alumnus: nam ibidem sepultum non produnt. Ut ut sit, de loco natalium aut professionis, virum certe magnarum partium probat sancti regis Ludovici IX judicium, qui suæ eum voluit arbitrum moderatoremque conscientiæ. Fuit enim illi pio regi annis viginti solidis & amplius ab intimis arcanisque consiliis & confessionibus, ejusque semper hæsit lateri, in utraque expeditione transmarina cum comitatus. In prima quidem anno MCCXLVIII suscepta, ei fuit individuus sive in Ægypto & in vinculis, sive in itinere ac commoratione Palæstina. Cùmque Ptolemaide seu ut tum dicebant Acone rex moraretur, Gaufridum tertium solùm assumsit Odo cardinalis de Castroradulphi legatus sancto regi mortem Blanchæ matris ejus nunciaturus: recedentibusque legato & archiepiscopo Tyrensi quem secundum ille tum duxerat, Gaufridum solum secum rex ad suum in tanto mœrore solamen retinuit. In altera verò Tunetana postremam etiam ejus confessionem audivit, christianæ fidei sacramenta ministravit, ac piissime morientis ultima ejus excepit verba & suspiria anno MCCLXX. In Gallias autem cum Philippo III audaci primogenito & regni hærede remeans, ad sancti regis defuncti libitinam semper vigilavit & oravit, quousque in sepulcro majorum apud fanum S. Dionysii sacræ reliquiæ reconditæ fuerunt. Quibusdam annis superstitem fuisse monumenta mox referenda produnt, ante Gregorium X tamen fatis cessisse anno forsan MCCLXXIV vel LXXV ex iisdem conjicio.

Eumdem arbitror cum F. Gaufrido de Pulcroloco, qui IX supra recensetur inter concionatores Parisienses anni MCCLXXIII, ubi de *F. Ægidio de Aurelianis*, & cujas refertur *sermo habitus Domin. I. adventus* MCCLXXII *mane ad Beguinas.* Collegium erat celebre fœminarum plus 400, a dicto sancto rege erectum.

Præterea jussu Gregorii X scripsit *vitam & sanctam conversationem piæ memoriæ Ludovici IX quondam regis Francorum.*

Hanc Claudius Menard Andegavensis ex cod. MS domus nostræ Ebroicensis typis edidit Parisiis, ex officina Nivelliana apud Sebast. Cramoisy 1617 4 pag. 81. Quam postea in suam sciptorum Historiæ Francorum collectionem T. V Paris. 1649 fol. p. 444 intulit Franciscus Andreæ Quercetani seu du Chesne filius. Sed & ejus codex MS elegans 400 & amplius annorum a me visus est & expensus Parisiis in Navarr. anno MDCCII.

Ejus cum laude meminerunt plures, in primis F. Guillelmus Carnotensis de quo ad 1280, qui sic de eo loquitur: *Sanctæ memoriæ pater noster totius religionis speculum F. Gaufridus de Belloloco ordinis Prædicatorum ejus* (Ludovici IX) *confessor & conscius secretorum circa finem vitæ suæ ad mandatum D. papæ Gregorii, sicut patuit, vitam ejus & acta propria manu subscripsit, & scripta reliquit ipsi dño pontifici destinanda.* Quæ indicant eum ante Gregorium diem obiisse.

Guillelmus du Peyrat lib. I antiquitatum regii Franciæ Sacelli Gallice scripto & edito Paris. 1645 fol. p. 325. Vossius Histor. Latin. lib. 2 cap. 57. Petrus Maria Campi Hist. Eccl. Placent. T. II p. 320. b.

Jacobus Malbrancq de Morinis Morinorumque rebus T. III p. 614 ubi Gaufridum suis asserere tentat Morinis, volens e Belloloco ad Bolonesum Fielnis pago pene contiguo & nomen & originem duxisse. Sed levis conjectura, cùm plures hujus nominis non desint in aliis Franciæ provinciis pagi. Laudat autem quod non spernendum, insignem a se visum codicem MS membr. in quo vita S. regis Ludovici a Gaufrido edita, sed amplior ea quæ apud Surium legitur, elegantibus insuper imaginibus ornata, inter quas una visenda sanctum regem omnino nudum, linteo solum circa tegenda circumcinctum genubus in tegete straminea acclinatis, ac junctis manibus exhibens, confessarium verò flagello armatum in cutem regiam durè sævientem. Similes codices plures ego etiam vidi in Regia.

S. THOMAS DE AQUINO.

* 1274. S. Thomas de Aquino, quem scholæ suæ magistrum solemque splendidissimum habet ordo Prædicatorum, doctorem communem agnoscunt academiæ orbis christiani universæ, inter Patres suos veneratur Ecclesia catholica, suæque fidei ac doctrinæ tutissimum ac fidelissimum ubique adhibet interpretem, omnes in hac bibliotheca recensitos auctores merito præcedere debuisset, solem quippe suum sydera norunt, ratione tamen ordinis a nobis statuti hactenus prolatandus fuit. De quo sic agemus, ut sanctitatem ἁγιογράφοις describendam relinquentes, cùm nostri non sit instituti, chronologiam ejus vitæ a paucis accurate relatam ob oculos lectoris uno intuitu ponamus, tum deinde singula pro more nostro in similibus ad examen revocantes, quibus momentis in eam sententiam ducti fuerimus, addamus. Nam id licèt in opusculo nostro cui titulus *sancti Thomæ summa suo auctori vindicata*, exegerimus, quædam tamen tum nobis exciderant, quæ postea majori disquisitione ac diligentia adhibita invenimus, quæque lectores necessarium est non ignorare.

Ex illustri ac præpotenti in regno Siciliæ comitum Aquini gente originem duxit Thomas; Landulphum Aquini comitem castrorumque Montis sancti Joannis & Rupisiccæ dynastam, & hujus paris nobilitatis conjugem Theodoram ex comitibus Theanensibus oriundam parentes habuit: germanos duos natu majores Reginaldum, & Landulphum in exercitu Frederici imperatoris duces clarissimos: sorores quatuor Mariam dominam Marani in Aprutio, Theodoram Rogerio Sanseverinati Marsicensi comiti nuptam, tertiam comitis Fundensis conjugem, & quartam sanctimonialem, monasterii S. Mariæ Capuæ abbatissam. Natus est Thomas vel sub initium anni MCCXXV ut quibusdam placet, vel secundùm alios, quibus magis assentior, sub initium anni MCCXXVII. Quinquennis juxta morem magnatum ejus regni monachis Cassinensibus, quibus tum præerat abbas Landulphus ejus patruus, traditus est ad pietatem & primas literas informandus. Decennis circiter plus vel minus e Cassinensi monasterio eductus, Neapolim amandatur, ubi Petro Hyberno ac Martino ludimagistris operam dedit, sub isto literas humaniores, sub illo philosophiam addiscens. Anno MCCXLIII ordinem Prædicatorum ibidem in S. Dominici cœnobio amplectitur, ac vestem, ut verisimilius, circa mensem augustum e manibus non F. Joannis a sancto Juliano, sed F. Thomæ Agni de Lentino tum prioris induit. Hinc quantocius matris amantissimæ seu blanditias seu minas verentibus sodalibus, Romam primùm, Romaque rursus quo eum mater insequebatur, in Gallias cum quatuor adjunctis sibi ex ordine sociis ablegatur. Verùm Aquapendente ex itinere transiens, dum juxta fontem quemdam nihil sinistri suspicatus paululum quiescit, a germanis suis ibidem in aula & exercitu Frederici imperatoris militantibus, quos scilicet irata mater literis monuerat, e manibus sociorum vi eripitur, & ad castrum paternum satellitibus stipatus remittitur: quæ circa septembrem videntur evenisse. Anno MCCXLIV postquam per annum circiter detentus, frustra de abjicienda veste Dominicana tentatus fuisset, per fenestram dissimulante ac connivente utroque parente dimissus, ac sodalibus restitutus, Neapolim indeque absque dilatione Romam ad magistrum ordinis adducitur. Is erat venerabilis F. Joannes Teutonicus, qui eo ipso tempore in Franciam ac inde in Germaniam, ubi capitulum generale anno sequenti congregandum erat, cogitans, juvenem Thomam tenerrime amplexus, Parisios, ac vix ibi commoratus, rectâ Coloniam sub Alberto Magno tum maxime florente erudiendum secum ducit. Anno MCCXLV Albertus Magnus, ut supra ubi de eo relatum, Parisiis ad legendas sententias assignatur, & cum eo juvenis Thomas ad studium illud tum unicum generale, ut vocant, mittitur. Ambo eo venisse videntur circa octobrem, quo fieri solebat scholarum instauratio. Cùm autem ex constitutionibus nostris ea ætate per quatuor annos theologiam audivisse eum oporteret, qui eamdem publice professurus erat Thomas, qui jam annum Coloniæ egerat, tres sequentes in gymnasio Sanjacobeo perfecit: primum quidem sub Alberto baccalaureo in una e scholis nostris legente, & sub F. Joanne Pungensasinum dicto Parisiensi recens laurea donato docente in altera: secundum sub eodem Alberto tum licentiato ac magistro, & sub F. Stephano de Varnesia Autissiodorensi baccalaureo in altera schola sub dicto F. Joanne Pungensasinum, qui annum tertium magisterii agebat, sententias legente: tertium sub eodem F. Stephano at jam magistro, ac sub Alberto pro tertio anno magisterii primario scholarum regente, habente subse in schola sua baccalaureum legentem sententias, quisquis ille fuerit. Anno MCCXLVIII finito cursu ambo magister & discipulus Coloniam reversi sunt; cùmque ibi eo anno in comitiis ordinis Parisiis ad Pentecosten VII junii coactis studium generale positum fuisset, in eo deinceps Albertus regentis functus est officio, Thomas verò sub eo juxta leges ordinis de iis qui e studiis generalibus revertebantur, quatuor aut quinque annorum spatio philosophiam, scripturam sacram, sententias interpretatus est ac legit. Iis etiam annis quosdam tractatus edidit scilicet *de ente & essentia* ad sodales, *de principiis naturæ* ad F. Silvestrum, fortè etiam alia opuscula. Anno MCCLII vel Coloniæ iisdem desudans lectionibus perstitit: vel si quis Parisios ivisse contendat, sacras literas interpretaturus ut lector biblicus, sic enim vocabant, qui primus erat ad magisterium gradus, versus septembrem missus fuerit. Certum enim est anno tantùm MCCLIII in instauratione scholarum versus octobrem lectionem sententiarum Parisiis ut baccalaureum aggressum esse, quam integro anno prosecutus est in schola F. Heliæ Bruneti Petragoricensis tertium magisterii annum agentis, habens collegam in altera schola F. Hugonem Metensem F. Bonihominis Britonis S. T. M. successorem. Qui quidem Hugo laurea donari eo anno debuerat, sed ob acre ortum a quadragesima præcedenti academicos inter & nostros dissidium præsentari non potuerat, ejectis ipsis a gradu suo Bonohomine & Elia Bruneti quantumvis magistris jam agnitis & officio functis. Anno MCCLIV licentiandus erat, ac sententias pro secundo anno ut magister legendas habebat, nec dubium quin lectiones persecutus fuerit, verùm ad magisterium ob turbas illas admissus non fuit. Anno MCCLV more veteri at novo MCCLVI mense februario jam a cancellario licentiatus erat, verùm cùm ea ratione principium in aula episcopali habere vellet, quod necesse erat ut magister agnosceretur, obstiterunt academici. Hinc in Italiam ad Alexandrum IV summum pontificem se contulit, vocante, ac ut credere proclive, itineris etiam comite venerabili F. Humberto *de Romans* quinto ordinis magistro, qui ad pentecosten IV junii Parisiis capitulum generale celebrarat. Certum est cum eodem & S. Bonaventura ordinis Minorum postea ministro generali, & Alberto Magno qui jam ab anno in curia ut aiunt Romana ea de causa commorabatur, Anagniæ ubi annum illum summus pontifex resedit,

 menſe ſeptembri adfuiſſe, jura utriuſque ordinis egregie propugnaſſe, omnia Guilielmi de Sanctoamore objecta ſolviſſe, unde & adverſus iſtum v. octobris ſententia dicta eſt. Ex eo ſolemni judicio litium finis expectabatur, reſiſtentibus tamen adhuc toto anno ſequenti academicis, non ante octobrem anni MCCLVII Thomas ut magiſter in ſacra facultate agnitus fuit. Interea quam Anagniæ pro utroque ordine pronunciaverat apologiam, recognovit, *contra impugnantes religionem* inſcripſit, publicique juris fecit. Pacatis tandem rebus laurea donatus quæſtiones de veritate diſputavit, ut qui duobus illis quibus antea docuerat annis ſuum in quatuor ſententiarum libros commentarium prælegerat. Eo etiam anno vel ſequenti diſputationes generales de more habuit, in quibus ſex quodlibeta ut aiebant determinavit. Anno MCCLVIII ab inſtauratione ſcholarum ad vacationes ſequentes ſcholam rexit ut primarius regens, habens ſub ſe baccalaureum fortè F. Hannibaldum de Hannibaldis poſtea cardinalem ſententias legentem, dum ipſe majores quaſdam quæſtiones tractaret, vel etiam quemdam librum ſacræ ſcripturæ ſeu Iſaiam ſeu Matthæum aut alium publice exponeret. Nihilominus quadrageſima illius anni, qui ſtylo novo MCCLIX, conciones habuit Pariſiis, & ad pentecoſten ſequentem capitulo generali Valencenis junii I celebrato affuit, vel ut ſocius Romanæ ſuæ provinciæ; nam erat capitulum provincialium, vel ob graviores cauſas a magiſtro ordinis accerſitus. Sane ibidem cum Alberto Magno, Bonohomine Britone, Florentio Gallico, Petro de Tarentaſia ſacræ theologiæ magiſtris Pariſienſibus omnibus cognitor delegatus fuit ad rectam ſtudiorum inſtitutionem, qui ſimul eas poſuerunt leges, quas univerſus ordo tum amplexatus eſt. Anno MCCLX vivente adhuc Alexandro IV, vel MCCLXI Urbano IV ei ſuffecto in Italiam reverſus primùm Romæ docuit, novumque ſcriptum ſuper primum ſententiarum legit a ſe compoſitum, at quod deperditum: deinceps autem in illis in quibus ſummi pontifices pro libito agebant civitatibus, Urbeveteri, Anagniæ, Viterbii, Peruſii, & ipſe eos ſecutus commoratus eſt, ſcholam theologicam ubique regens apud noſtros, ubique nova in rem Eccleſiæ condens ac edens opera. Tempore Urbani IV die XXIX auguſti MCCLXI electi, hæc ab eo prodiere; *commentarii in Ariſtotelis phyſica, ethica, metaphyſica: Summa contra gentiles: Quæſtiones de anima: Expoſitio libri Job: Officium feſti corporis Chriſti: Contra errores Græcorum tractatus*, aliaque opuſcula. *Catenam auream in quatuor evangelia* eodem jubente ſuſceperat, Matthæumque ipſi nuncuparat, verùm illo XXX ſeptemb. MCCLXIV e vivis ſublato, Marcum Lucam & Joannem, qui citius compleri non potuerant, F. Hannibaldo ſuperius laudato, at tum cardinali, quicum ſumma illi animorum conjunctio, dedicavit. Certum etiam in Italia quæſtiones de potentia Dei & ultra diſputaſſe, ſed & partem alteram quodlibetorum ſeu quinque ſeu ſex in concertationibus publicis determinaſſe, ſive ad hunc pontificatum ſive ad ſequentem hæc videantur referenda. Clemente IV die V febr MCCLXV electo, tum primum edendæ *Summæ theologicæ* conſilium cepit, ejus ideam efformavit, duoque ipſius priora volumina, primam partem ſcilicet, & primam ſecundæ quatuor ſolidis annis a MCCLXV ad MCCLXIX perfecit: ita autem iſti operi ut omnium apici futuro incumbens, ut ab aliis edendis non ceſſaret, ſed quæ ſatius eſt remittere laudanda, ubi de ſingulis opuſculis agetur. Anno MCCLXIX capitulo generali Pariſiis ad pentecoſten XII maii celebrato affuit Aquinas, vel ut provinciæ Romanæ diffinitor, quod veriſimile, nam erat diffinitorum primum; vel alia ratione eo vocatus a magiſtro ordinis; tumque altera vice ſcholæ noſtræ Pariſienſis regens eſt inſtitutus, quo munere tum biennium functus eſt, ac *quæſtiones de virtutibus & ultra* diſputavit: videtur etiam tum Evangelium S. Joannis, & epiſtolas S. Pauli publice expoſuiſſe, utrumque enim opus auctorem præſtat doctrinæ conſummatæ. Iis etiam annis ſecundam ſecundæ quam in Italia inchoarat, perfecit, nec mihi dubium quin juris publici fecerit. Anno MCCLXXI cathedram Pariſienſem F. Romano de Roma Joannis Caietani cardinalis, qui poſtea Nicolaus III S. P. fuit, nepoti cedens Italiam repetiit & Romæ iterum docuit. Tantum verò cùm hac altera vice Pariſiis profeſſus eſt, ſui deſiderium univerſitati reliquit, ut ejus nomine Rector ad Patres ordinis anno ſequenti in capitulo generali Florentiæ congregatos literas amantiſſimas urgentiſſimaſque ſcripſerit, quibus Aquinatem ſibi reddi Pariſioſque remitti inſtabat enixius: verùm Caroli utriuſque Siciliæ regis ſanctique Francorum regis Ludovici IX fratris vota prævaluere, obtinuitque ille ut Thomas Neapolim mitteretur, in eaque urbe patriæ ſuæ primaria, cujus archiepiſcopatum olim ſibi oblatum conſtanter detrectarat, ſaltem cathedram theologicam aſcenderet, ac ſapientiæ ſuæ aquas tandem aliquando divideret. Anno igitur MCCLXXII Neapolim adivit, & ſtipendiis regiis publice profeſſus eſt ad finem vitæ: iis verò annis ab exitu e Francia & in Italiam reditu, partim Romæ, partim Neapoli tertiam ſummæ partem ſcripſit, & ad quæſtionem XC de partibus pœnitentiæ deduxit, imperfectam relinquens: neque enim a feſto S. Nicolai VI decembri MCCLXXIII ut ultra ſcriberet perſuaderi potuit. Anno MCCLXXIV ad concilium Lugdunenſe II generale a Gregorio X vocatus iter arripuit menſe januario, caſtrumque Magentiæ Terracinenſis diœceſis, cujus dominus erat Annibaldus de Ceccano hujuſque uxor Franciſca de Aquino ſua neptis germani ſui fratris filia, hos inviſurus ingreſſus eſt; tamque infirmatus, cùm morbum ſentiret in dies ingraveſcere, ad monaſterium Foſſænovæ Ciſtercienſis ordinis non procul diſtans deferri ſe poſtulavit, ubi fere per menſem ægrotans, ac mortem proximam prævidens, ſacramenta ſibi miniſtrari inſtante petiit, & tertio poſt die in oſculo Domini placidiſſime obdormivit, quadraginta & octo annos tantùm natus juxta quoſdam, aut juxta alios quinquageſimum ætatis a quibuſdam menſibus ingreſſus. Cum toto ordine indoluit univerſitas Pariſienſis, quod literis ſuis ad capitulum generale Lugduni eodem anno ad pentecoſten XX maii coactum ſumma erga defunctum exiſtimatione plenis teſtata eſt. Atque hæc eſt ſancti doctoris vitæ ſeu annorum ſeries, nunc autem ſingula ad examen revocanda.

Ex illuſtri ac præpotenti in regno Siciliæ &c. Sic de eo Tholomæus de Luca noſter Hiſtor. Eccl. Nov. lib. 22 cap. 20. *Secundus doctor fuit F. Thomas de Aquino, qui auditor fuit F. Alberti, origine nobilis, quia de magnis comitibus regni Apuliæ natus, & infra ipſos dilatatus, cujus progeniem in parte Federicus deſtruxit, quia fideles Eccleſiæ, ſed prævaluit tempore Caroli.* Cætera de hac familia vide apud Ferrantem della Marra *Diſcorſi delle famiglie di Neapoli.* Neapoli apud octavium Beltrano 1641 fol.

Natus eſt Thomas &c. Annum certo non indico, quia pendet ab anno ætatis die obitus; is autem apud auctores admodum incertus eſt. Tholomæus de Luca jam citatus ipſius tum Romæ tum Neapoli diſcipulus, eidemque familiariſſimus Hiſt. cit. lib. 23 cap. 10 ſic habet: *Obiit autem 50 vitæ ſuæ anno, alii verò dicunt* 48. Primum numerum ſequitur F. Guilielmus

Guilielmus de Tocco in vita sancti doctoris, & amplectuntur Actorum SS. Editores T. I martii: secundo amplius favere videtur laudatus Tholomæus. Hinc lib. 22 cit. c. 20 sic habet: *Cùm autem jam esset* XVI *annorum habitum Fratrum Prædicatorum assumsit*, quem certo anno tantùm MCCXLIII induit, *& in eo in pura innocentia vixit* XXXII *annis vel circa.* Favent & plures in processu canonizationis testes, qui vivum viderant. Sic enim in Actis SS. proc. canoniz. n. 42 F. Jacobus de Caiatia, ord. Præd. testatur *se vidisse F. Thomam Neapoli & Capuæ, & tunc F. Thomas erat* XLVI *annorum & circa, quando primo eum vidit.* At anno tantùm MCCLXXII Neapolim rediit ex Tholomæo. Bartholomæus de Capua logotheta regni Siciliæ n. 76 dicit quod *F. Thomas ut ad annos discretionis pervenit, multum anticipando nondum pubes adhuc intravit ordinem Prædicatorum:* quod annum sane citra XVII indicat, neque enim hæc ad unguem accipienda. F. Jacobus de Viterbio Eremita Augustinianus & archiepiscopus Neapolitanus n. 83 miratur, *quod F. Thomas, qui in* XLVIII *anno finivisse dicitur communiter dies suos, tot & tanta scripserit.*

Quinquennis juxta morem monachis Cassinensibus traditus est. Sic narrat Tholomæus cap. 20 cit. *Hic nutritus in sua pueritia in abbatia Montis Cassini, qui sunt monachi nigri, & secundùm morem nobilium illius patriæ, ut patet de B. Mauro & Placido, ibidem in sua pueritia in logicalibus & naturalibus optime profecit, habens semper secum specialem magistrum more nobilium regionis.* Id magis explicat Guillelmus de Tocco vitæ n. 5. *Quem sic enutritum libenter Deo offerunt, & quinquennem ad monasterium Montis Cassini per nutricem cum bona societate transmittunt, in quo instrueretur sanctis moribus &c. Parvulus adhuc a nobilium puerorum consortio, qui ibidem nutriebantur in moribus, ut moris erat patriæ, se frequentius absentabat &c.* Et n. 6. *Abbas autem prædicti monasterii providus, cùm adverteret in puero tam certa & matura futuræ perfectionis indicia, advocato domino Landulpho patre prædicti pueri, provide ei consuluit, ut puer mitteretur Neapolim ad studendum: unde puer de utriusque parentis consilio Neapolim mittitur, & sub magistri Martini in grammaticalibus & logicalibus, & magistri Petri de Hybernia studiis in naturalibus edocetur.*

Ex quibus plane ruit visus quibusdam ex fide Calendarii Cassinensis secunda manu interpolati, referente D. Mabillonio *Itin. Ital. T. p.* Benedictinus Thomæ monachatus. Equidem eo fine a patre ambitioso Cassinensibus traditum, ut aliquando ibidem factus monachus & abbas tandem evaderet, non dissimulaverim: quo sensu intelligendus logotheta Bartholomæus citatus *proces. canoniz. n.* 76 sic loquens: *Pater nobilis monachavit dictum F. Thomam puerum:* id est, in monasterio nutriendum curavit, *disponens* scilicet, ut addit ibidem, *eum abbatiæ præficere Cassinensi:* at non quod monasticam vestem, quamdiu ibi fuit, induerit unquam. Nam præter quam quod puerorum a parentibus donatio seu oblatio in monasteriis speciatim in Cassinensi jam ante seculum XII desueverat, ex S. Petro Damiani a Mabillonio laudato Analect. T. III, Thomam Cassini nec frocum gestasse, nec ut monachum habitum, sed ut familiæ illustrioris puerum cum sui similibus in veste seculari educatum clarissime insinuant auctores citati. Ibi enim non sub magistro juvenum monachorum, & in horum societate, quam sane nunquam fugisset, sed in consortio puerorum nobilium regionis, a quibus non raro se segregabat, innutritur: habens specialem magistrum ceu cameræ præfectum non more monachorum, sed more nobilium puerorum, qui ibi educabantur. Nec de eo abbas aut de studiis ejusdem pleno jure ut de monacho suo statuere audet, at Landulphum patrem advocat, monetque ut si filio suo consultum velit, mittat Neapolim, aptiores in ea urbe quam in monasterio essent, præceptores nacturum. Neapolim vadit ille non cum literis aut ex præscripto abbatis, sed ex imperio parentis utriusque, & ex quo semel Cassinum egressus est, ipsum ut pote nihil ad se attinentem haud curant deinceps abbas vel monachi. Quod enim Constantinus Caetanus, eumque excipiens in Martyrologio suo Benedictino Bucelinus aiunt, præceptores Thomæ Neapoli Martinum & Petrum Hybernum ordinis sui fuisse, quam gratis ab iis fingitur, tam facile ac jure rejicitur: imo contrarium innuunt auctores cùm magistros vocant, quo titulo non monachos, sed pædagogos seculares ornare solent. Si Cassinensis erat monachus Thomas cùm Prædicatorum vestem induit, cur patre, matre, sororibus, fratribus infrendentibus, quod mendicanti ordini se addixisset, abbas & conventus se parentibus non jungunt? cur suum sibi sublatum non conqueruntur? sane Cistercienses Fossanovani externum apud se sepultum sibi ereptum gravissime doluere, summumque pontificem appellavere: putas hos mortuum non suum tantis clamoribus repetiisse, vivum illos summæ spei adolescentem, cujus ingenium abbati ipsi horrori fuerat, ut nec parem ei apud se præceptorem agnosceret, ad maxima denique omnia natum, cucullo suo exutum, ac ab ordine vix nascente quasi subreptum neglexisse ac siluisse? Quod in domo paterna ceu in carcere detento meretricem obtrudere veriti non sint, hoc est quia nondum religioni addictum ac professum, at recens tantùm & præcipitanter veste sancta indutum censebant, nec peccatum illud tanti faciebant in laico: at si Benedictinæ regulæ professione, vel saltem diuturniori ex voto parentum ejusdem habitus gestatione consecratum scivissent, ad tanti sacrilegii propositionem exhorruissent ipsi, nec instillare tentassent. Si jam monachus erat Cassinensis, cur pater ut refertur *proc. canoniz. nn.* 76 *&* 77 monachales hinc, inde militares vestes offerens optionem dat, tantùm ut nostras exuat, cui jam monacho a se devoto militem agere non liceret? Si jam monachus erat Cassinensis, cur nobis reddito Innocentius IV abbatiam Cassinensem, ut familiæ faveret, conferre volens priorem professionem non objicit? cur referente Cantimpratano *de Apibus lib.* I *cap.* 20 § 10 ut suavius ad eam dignitatem ineundam alliceret, etiam in veste Dominicana Benedictino ordini præesse concessit? Aliunde hæc omnia animi firmitatem ac constantiam angelicam in Thoma etiam juniore testantia, argumento sunt cucullum Cassinensem si semel induisset, nunquam ab eo dimittendum fuisse, ut semel assumtum propositum ordinis Prædicatorum nullis aut vexationibus aut blanditiis, dignitatum etiam amplissimarum collatione ut dereret persuaderi potuit. Perpendat lector, quæ fides adjectitiæ illi marginali in Calendario Cassinensi recentioris manus annotationi habenda sit, quæ nullo æqualis scriptoris testimonio fulcitur, cùm tamen Thomæ in ordinem Prædicatorum ingressu nihil sit apud eos solemnius, cujus etiam circumstantias minutatim referre student, quique hanc ordinis mutationem si vera esset non tacuissent, ut aliorum plurium apud eos legere est: & an non potius ut pia monachi fabella difflanda ac ridenda, quam serio refellenda videatur.

Anno MCCXLIII *ordinem Prædicatorum &c.* Sic Tholomæus lib. 22 c. 22. *Hæc de ipso pro tempore Innocentii, quo ordinem intravit, nunc sint dicta.*

Sæc. XIII. At Innocentius IV die XXIV jun. MCCXLIII Anagniæ electus fuit. Inscite verò quis dixerit, erratum esse amanuensis, & pro *Innocentio*, legendum esse, *(Gregorio:)* nam codices omnes MS quorum plures sunt Parisiis & antiquissimi constanter legunt *(pro tempore Innocentii.)* Neque ex hoc ulla sequitur apud Tholomæum dictorum pugna. Vult quidem anno ætatis XVI ordinem intrasse, sed addit XXXII annis tantùm in ordine vixisse, & anno MCCLXXIV ætatis XLVIII obiisse quæ conveniunt. Qui ætatis L obiisse volunt ut Guillelmus de Tocho, natu etiam majorem XVIII aut XIX annorum ordini nomen dedisse addunt, nam sub Innocentio non sub Gregorio id factum astipulantur, lexque historiæ ita exigit. Vide sequentia.

Neapoli ingreditur. Sic idem Tholomæus cap. 20. *Cùm F. Joannes Theutonicus &c. de Neapoli F. Thomam adduceret, ubi ordinem intraverat &c.* Bartholomæus logotheta citatus *proc. canon. n.* 76 sic loquitur: *F. Joannes de S. Juliano antiquus Frater valde, homo magnæ vitæ & humilitatis, dicebatur notorie dictum F. Thomam de Aquino recepisse in ordine Prædicatorum.* Quod sic interpretor adolescentem Thomam consiliis suis ad ordinem adduxisse: nam cùm F. Thomas Agni de Lentino tum priorem conventus ageret, eum veste induisse certum, & sic habet Bernardus Guidonis. Cæterum hinc emendandus Cantimpratanus, qui Bononiæ ordini nomen dedisse scribit.

Circa augustum mensem. Id probant Editores Actorum SS. ex quodam Reginaldo apud Odoricum Raynaldum citato & ex Ciaconio. Scilicet quandiu Fredericus fuit in Regno Siciliæ, cùm fratres Thomæ e primoribus aulæ simul adessent, Thomas eos veritus ordini nomen dare ausus non est. Imperator autem anno MCCXL Viterbio potitus in Regnum secessit, nec in Tusciam rediit ante augustum MCCXLIII, quo Viterbium armis pontificiis sibi ereptum recuperaturus accurrit, ac repulsam passus mense septembri Aquapendentem cum copiis divertit: nihil ergo vero propius quàm Thomam captata occasione exitus Frederici & cum eo fratrum suorum e Regno, tum habitum ordinis induisse. Hinc evertuntur omnia quæ habet Malvenda de Thomæ in ordinem ingressu, quæ nec cohærent.

Aquapendente ex itinere transiens. An laudatus magister ordinis Joannes Teutonicus in eo itinere Thomam duceret, dubium est. Affirmat Gerardus de Fracheto, sic enim in Vitis-Fratrum lib. 4 cap. 16 § 3. *Fuit Frater quidam valde nobilis de partibus Romanis, quem cùm secum duceret magister ordinis F. Joannes Parisius ad proficiendum, consanguinei ejus ipsum rapuerunt in via, confidentes de domino Frederico, cum quo tunc erant &c.* Consentit Tholomæus lib. 22 cap. 20. *In suo autem introitu passus est a consanguineis. Cùm enim F. Joannes Teutonicus magister generalis præfati ordinis vir maximæ famæ pro tempore illo in orbe de Neapoli F. Thomam adduceret, ubi ordinem intraverat versus Parisius, veniens in Tusciam ad quoddam imperatoris castrum, quod Aquapendente vocatur, ibidem Fredericum invenit: & unus germanus F. Thomæ cum ipso dictus dominus Reginaldus vir probitatis non modicæ, & inter majores in curia Frederici, quamvis postea ab ipso fuerit interfectus: qui statim ut sensit fratrem suum advenisse, Frederico dissimulante, dominus Reginaldus cum Petro de Vineis & suis familiis germanum suum subtraxit prædicto magistro &c.* Aliunde tamen non solùm Guilielmus de Tocco in illa priori juvenis Thomæ deductione non meminit magistri ordinis, sed & in eo non levis est difficultas. Nam eo anno MCCXLIII magister ordinis capitulum generale Parisiis ad pentecosten XXXI maii celebrarat: hinc Galliis relictis Romam & Anagniam se contulerat Innocentium IV junii XXIV electum veneraturus: anno autem sequenti MCCXLIV ad pentecosten capitulum generale Bononiæ habiturus erat, & revera eidem præfuit, ut ex litera ejus encyclica hinc scripta constat: quis putet magistrum ordinis tanta itinera difficillima anni tempestate pedestrem, ut illi solemne susceperat, scilicet e Galliis Romæ reducem versus augustum MCCXLIII, iterum septembri vel octobri sequenti Parisios remeare aggressum, ut Parisiis Bononiam rediret, ibique adesset ante festum ascensionis sequens, quod XII maii eo anno accidebat? Hæc tamen conciliari possent dicendo magistrum ordinis Roma exeuntem juvenem Thomam secum assumsisse, non quidem Parisios usque a se deducendum, sed postquam Tusciam simul trajecissent, dimittendum cum quibusdam sociis versus Gallias, dum ipse in Longobardiam progrederetur, eam provinciam visitaturus ante capitulum generale: quæ lectoris arbitrio permitto. Id rursus invicte demonstrat Thomam non nisi anno MCCXLIII ordini allectum, si quidem illo anno tantùm Federicus Aquapendente castra posuit.

Anno MCCXLIV postquam per annum circiter detentus. Sic loc. cit. vit. Frat. *Ducentes autem eum ad castrum remotum, ubi tenentes eum quasi per annum &c.* Tholomæus citatus hæc solùm habet: *Impositum equo violenta manu cum bona comitativa ipsum in Campaniam misit* Reginaldus ejus germanus, *ad quoddam castrum ipsorum vocatum S. Joannis. Ibi longo tempore vexatus est ad habitum ordinis relinquendum. Nec a sancto proposito averti potuit sive minis sive blanditiis seu quibuscunque modis: prohibentes accessum cujuscunque Fratris.* Bartholomæus logotheta proc. canoniz. n. 76. *Potentia patris captus fuit in castro paterno detentus, in quo plusquam per annum extitit arcte detrusus.* Idipsum evincit rerum series, quæ aliter stare non potest, ut mox patebit. Unde Guilielmus de Tocco, qui fere per duos annos custoditum ait in carcere, sic intelligendus, quod partem anni MCCXLIII & majorem partem anni sequentis reclusus fuerit: quod verò narrat Cantimpratanus *lib. 1 de apibus cap. 20 § 10 annis duobus vel tribus in carcere perdurasse*, cum exaggeratione ab eo dictum fatendum est, nec cum gestis convenit. Toccus citatus addit de novitii Thomæ raptu ac detentione apud Innocentium IV tum in Tuscia commorantem ordinem conquestum esse, monitumque a pontifice imperatorem, ut se ad pacem pronum ostenderet, fratres Thomæ apprehendi jussisse. Hæc inter pascha scilicet tertiam aprilis MCCXLIV & festum S. Petri XXIX junii accidisse necesse est. Nam Innocentius eo anno pacis cum Frederico ineundæ causa VII junii Roma discessit, ut habet F. Nicolaus de Curbio ord. Minorum ejus confessarius in vita ejusdem, & in Etruriam venit, substititque partim in civitate Castellana partim Sutrii, tumque revera quædam fuerunt nunciorum utrinque missorum colloquia, multaque verba de pace ultro citroque habita: ipsa autem nocte S. Petri pontifex fugienti similis Civitatem-Veterem præcipiti cursu abiit, triremesque Januenses ascendit, a quibus Januam deportatus deinceps terrestri itinere circumeundo, ut Frederici insidias vitaret, Lugdunum appulit mense decembri. Itaque paulo post eas querelas a pontifice imperatori delatas Thomam liberum dimissum & ordini restitutum verisimilius est.

Neapolim indeque absque intervallo Romam ad magistrum ordinis adducitur. Hîc plura apud editores Actorum SS. emendanda. Censent enim illi Thomam Neapoli perstitisse ad capitulum generale sequens, quod Romæ anno MCCXLV celebra-

tum censent, tumque ad magistrum ordinis adductum fuisse, ut in eo capitulo ei provideretur de studio generali, & post illud capitulum Romanum Coloniam cum magistro ordinis ivisse. Sic enim capitula generalia sub Joanne Teutonico celebrata numerant *annis* MCCXLIII *Parisiis*, MCCXLIV *Bononiæ*, MCCXLV *Romæ*, *quod inquiunt* XXIII *in ordine fuit*, *&* III *sub Joanne Teutonico*, *licèt a Malvenda omissum*, MCCXLVI *Parisiis*. Illa igitur expungenda omnia, hæcque certissima reponenda. Joannes Teutonicus electus fuit Parisiis ad pentecosten MCCXLI, habuitque tum primum suum capitulum generale: MCCXLII Bononiæ secundum: MCCXLIII Parisiis tertium: MCCXLIV Bononiæ quartum: MCCXLV in ordine XXIII revera, sed Joannis Teutonici quintum, illudque non Romæ sed Coloniæ, ubi prima vice cœperunt capitula generalia extra Bononiam & Parisios celebrari: propterea Malvenda de capitulo illo Romano MCCXLV meminisse non potuit, quod nullum ibi coactum. At dices, Guillelmus de Tocco sic habet de Thoma e carcere egresso: *Fratres eo recepto ipsum Romam ad capitulum generale miserunt, in quo provideretur ei propter spem futuri profectus in proximo de studio generali.* Hæc sunt sane quæ eruditos Editores in errorem duxerunt, sed ordinis historiam tenenti facilem habent interpretationem. Sic enim construenda verba: *Fratres mox eo recepto ipsum Romam ad magistrum ordinis miserunt, qui ad capitulum generale anno sequenti* MCCXLV *non Romæ sed Coloniæ celebrandum se jam accingebat, proptereaque Galliam meditabatur, ut hinc in Germaniam transiret, quod omnino commodum erat, ut eo juvenis Thomas duceretur, ubi & eidem propter spem futuri profectus non expectato alio capitulo generali, sed in illo proximo provideretur de studio generali, scilicet Parisiensi, quod tum erat unicum generale.* Cùm ista sint luce ipsa clariora, sic explicandum Guillelmum de Tocco nemo prudens negabit. Nam capitulum generale anno MCCXLV Coloniæ habitum, nullumque ab instituto ordine Romæ ante MCCXCII celebratum acta capitulorum generalium, ipsiusque Coloniensis anni MCCXLV, quæ ubique in ordine servantur, clamant. Narrationi nostræ assentitur Tholomæus citatus cap. 21: *Sed per præfatas* (sic Navar. sed Colbert. *privatas*) *personas ordinavit* (mater vel Thomas ipse dissimulante matre) *quod Fratres sui ordinis de nocte venirent ad murum castri, quod se cum fune dimitterent:* (codex Colbert. 2818 *quia se cum fune dimitteret*) *sicque factum est, ac statim animalia sunt parata ad ipsum reducendum domum.* Sic in MS Navar. at Colbert. 527 *ad ipsum ducendum Romam.*

Parisios, ac vix ibi commoratus rectà Coloniam ducit. Guillelmus de Tocco sic habet: *Duxit ipsum Parisius, & deinde Coloniam.* Idem S. Antoninus. Tholomæus nec Parisiorum quidem meminit. *Inde*, inquit, id est Roma, *vadit Coloniam ad F. Albertum.* Tholomæum sequitur Pizamanus. Auctor vitæ præfixæ editioni Romanæ: *Ducitur Parisios, ibique parum moratus Coloniam tendit:* & post pauca: *nullam ibi moram* (scilicet Neapoli) *traxit, sed magnis itineribus ad eam urbem* (sc. Coloniam) *protendit.* Unde pauci menses quos Leander Albertus, seu potius Joannes Garço dicit illum tum remoratum Parisiis, ex mera ejus liberalitate sunt, aliis omnibus ibidem vix aliquot dies stetisse, ac quantum necesse erat, ut paululum a grandiori itinere reficeretur, referentibus aut indicantibus. Et sane certum est Thomam sub Alberto Coloniæ primum studuisse, idque saltem per annum: tempus igitur urgebat, ut mense augusto vel septembri Roma egressus, Coloniam ante hiemem accederet, nec illi otium erat Parisiis vel mensem integrum remorandi.

Anno MCCXLV *Albertus Magnus Parisiis ad legendas sententias assignatur.* Vide supra ubi de Alberto.

Et cum eo juvenis Thomas. Duo hîc probanda sunt, primum Parisiense studium tum fuisse unicum generale, quod facile. Nam anno MCCXLVIII tantùm confirmata fuit Parisiis hæc constitutio: *Item ubi dicitur in constitutionibus, tres Fratres tantùm mittantur Parisius de provincia, addatur: Quatuor autem provinciæ, Lombardia, Theutonia, Anglia, Provincia provideant ut semper in aliquo conventu idoneo sit generale studium & solemne, & ad illum locum quilibet prior provincialis potestatem habeat mittendi duos Fratres idoneos ad studium. Et hæc habet tria capitula*, scilicet Parisiense MCCXLVI ubi inchoata, & Monspeliense MCCXLVII ubi approbata, & hoc alterum Parisiense MCCXLVIII ubi confirmata. Cùm autem constitutiones executioni mandari prohiberentur, usquequo confirmatæ forent, hinc constat anno demum MCCXLVIII & non prius hæc quatuor alia generalia studia præter Parisiense fuisse instituta, Bononiense in Lombardia, Coloniense in Teutonia, Oxoniense in Anglia, & Monspeliense in Provincia. Alterum probandum est juvenem Thomam Parisios cum Alberto missum fuisse, de quo etsi quidam dubitent, est mihi certissimum. Jam consentit Boulæus *Hist. univ. Paris.* T. III pag. 162. Revera vult anno tantùm MCCXLVII Parisios studiorum causa venisse, verùm ita sentit, quia eo tantùm anno Albertum existimat illuc accessisse. At ex triennio magisterii duobus annis prius ibidem legere incepisse evicimus supra ubi de eo. Petrus de Prussia in vita Alberti Magni videtur indicare, dum iste Parisios ivit laurea donandus, Thomam in Italiam rediisse, unde a magistro ordinis Joanne Teutonico secundùm reductus Coloniam fuerit, sub Alberto tum Parisiis reverso studia resumturus. Sed cùm id exinde colligat tantùm, quod Cantimpratanus meminerit circa hæc tempora Thomam ad summi pontificis curiam vocatum fuisse, iis non probabitur, qui norunt ab anno MCCXLIV ad MCCLI Innocentium IV curiamque proinde Romanam Lugduni semper stetisse. Coloniæ Aquinatem continuo studuisse censent alii, nec Parisios nisi ad legendas sententias primùm accessisse: at sic sentiunt, quod Albertum Magnum quem pluribus annis antea Parisiensi laurea donatum ariolantur, istis annis Colonia pedem non movisse velint, ibique etiam continuo docuisse. Verùm contrariam supra ubi de Alberto evicimus, ex Cantimpratano, cui sub oculis suis gesta & in sua regione narranti fides videtur adhibenda. Sic enim ille *De Apibus lib.* I *cap.* 20 §. 10: *Coloniam Agrippinam venit juvenis Aquinas, studuitque in loco illo, quousque præclarus lector Fratrum ibidem F. Albertus Parisius translatus est, & pro incomparabili scientia theologiæ cathedram sortitus est.* Ut enim ex his verbis cum Boulæo *Hist. univ. Paris. cit.* evidenter concluditur, Albertum Parisios ad legendas sententias non ante missum fuisse, quàm Coloniam Thomas adductus fuerit, sic ex iisdem colligere promtum est, & Thomam cum Alberto Parisiis assignatum fuisse. Si enim abeunte Alberto Thomas remansisset, dixisset Cantimpratanus, *studuitque in loco illo etiam postquam præclarus &c.* Illud *quousque*, si modum loquendi attendas, idem est ac si diceret, studuit in loco illo quandiu ibidem stetit Albertus, at cùm hic Parisios translatus est, & ille cum eo etiam translatus fuit, nec amplius ea vice saltem studuit in loco illo. Favet quod si per annum tantùm Albertum Coloniæ audivisset, & per tres annos sequentes alium Coloniæ regentem, hujus potius discipulus dicendus esset quam Alberti, cujus tamen κατ' ἐξοχὴν discipulus jactatur, non alia

Sec. XIII. ratione quam quod eum diutius præ cæteris audierit, quandiu fuit auditor tantùm. Favet quod ex Guillelmo de Tocco supra referebamus, ad magistrum ordinis ideo potissimum missum, ut ab eodem in proximo capitulo generali, quod fuit Coloniense anni MCCXLV ei de studio generali provideretur: at unicum studium generale, ut mox probatum, Parisiense tum erat. Et sane cùm quælibet provincia tres studentes in quolibet capitulo provinciali Parisios mittendi jus haberet, & mitteret revera, quem Romana misisset, si Thomam tantæ spei juvenem neglexisset? Denique nullum scio prioribus illis ordinis seculis ad gradus in gymnasio Sanjacobeo Parisiensi promotum, qui antea in eodem duobus saltem aut tribus annis ut studens assignatus non fuerit.

Per quatuor annos theologiam audivisse &c. Sic enim in *constit. dist.* 2 *cap.* 14 *de studentibus* aliàs legebatur: *Nullus fiat publicus doctor, nisi ad minus quatuor annis theologiam audiverit &c.* Et anno tantùm MCCLX in cap. Argentinensi hæc conditio sublata est. Præterea assignatio extraneorum, id est ex aliis a Francia provinciis in studio generali Parisiensi triennium durabat ut plurimum.

Primum quidem sub Alberto Magno &c. Hos tres Joannem Pungensasinum, Albertum Magnum, & Stephanum de Varnesia, ab Aquinate Parisiis auditos statuimus, quia ex sententia Odonis cardinalis legati adversus libros Thalmudicos supra ubi de Alberto Magno relata, hos tres scholam nostram Parisiensem rexisse annis illis a MCCXLV ad MCCXLVIII obvium est. Vide dicta ubi de singulis. Præterea traditio est conventus nostri Autissiodorensis in antiquis ejus monumentis a me visis servata, juvenem Thomam F. Stephani de Varnesia auditorem fuisse.

Ex hactenus dictis funditus ruit visa illa quibusdam & adeo vane decantata Aquinatis nostri sub Alexandro de Hales ordinis Minorum educatio & disciplina, quandoquidem hoc vivo illum Parisiis diebus non plus octo aut quindecim ad summum stetisse ex auctoribus æqualibus certissimum sit. Fabellam illam ita expunxit noster Natalis Alexander in eleganti sua cum Minore collatione, ut iterato opus non sit, ac deinceps superbam illam S. Thomæ præceptoris nomenclaturam inter Halensis titulos nemo sit annumeraturus, nisi qui tenebras soli offundere, sibique ipsi illudere velit. Quamvis autem Wadinghi argumenta in laudata collatione solo tenus erasa sint omnia, non possum abstinere, quin addam Wadinghum ipsum secum pugnare. En ipsius verba non semel at bis & tertio variis locis repetita: *Alexander Halensis scholam Minoritanam rexit, usque dum ea cederet F. Joanni de Rupella, & F. Joannes de Rupella in eadem docuit continue usqueequo eamdem S. Bonaventuræ resignaret*: Gonzagamque eadem narrantem testem adducit. Quàm vera hæc sint, mox discutietur, at quod dant illi tam liberaliter, libenter accipio. Ex Gonzaga igitur & ex Wadingo Halensis tandiu solùm in cathedra Minorum legit, quousque ea in gratiam Rupellensis cessit, & ex quo iste eam ascendit, verum est Halensem in ea non amplius docuisse. Atqui anno MCCXXXVIII jam Joannes de Rupella Minoritana cathedra potiebatur: nam in convocatione de pluralitate beneficiorum eo anno a Guillelmo Parisiensi episcopo habita, cui theologiæ magistri Parisienses omnes adfuere, Joannes de Rupella jam magister aderat: imo solus ex Minorum familia laudatur a Cantimpratano *Apum lib.* 1 *cap.* 19 §. 5, quod indicium est tum apud eos celebriorem fuisse, ac fortè tum Parisiis absentem Halensem. Ut ut sit, jam anno MCCXXXVIII in scholà Minorum regentem Joannem de Rupella tenemus, siquidem nonnisi publica & solemni sententiarum lectione ad magisterii gradum eo seculo ascendebatur: ergo ea tum cesserat Halensis, nec ab eo anno amplius in ea docuit. Quî igitur vel unicam ex ejus ore lectionem Aquinas audire potuit, qui anno tantùm MCCXLIII ordini Prædicatorum ascitus, anno sequenti MCCXLIV nonnisi paucis diebus Parisiis stetit, celeri cursu Coloniam pergens, neque ad gymnasium Sanjacobeum anno MCCXLV reversus est nisi mortuo sepultoque Alexandro. Verùm audiendus ipsemet Gonzaga a Boulæo *Hist. univ. Paris. T.* III *p.* 202 exscriptus. *Itaque*, inquit, *F. Alexandri Halensis primi inter FF. Minores doctoris pietate ac celebritate permoti sacræ facultatis Parisiensis proceres, virum monent rogantque, ut quem ex suis discipulis fratribusque aptiorem nosset, eidem facultati quotannis præsentaret ad libros sententiarum perlegendos, & insignia doctoris theologi tandem pro laboribus accipienda. Is secum perpendens quantum hoc ad Ecclesiæ obsequium & ordinis decus pertineret, orationibus ad Deum præmissis revelatione didicit F. Joannem de Rupella huic rei valde idoneum. Is igitur multis laboribus, studiis, virtutibus & scriptis publice editis clarus secundus in ordine doctor Parisiensis evasit, tertius S. Bonaventura &c.* Eadem habet Wadingus. Viden utrumque palam fateri ex præsentatione Halensis Joannem de Rupella ad legendas publice sententias a sacra facultate acceptum, & ex scriptis editis doctoris lauream promeritum ac consecutum. Atqui anno MCCXXXVIII jam illum doctoris gradum ascenderat ex Cantimpratano loco citato. Ergo anno MCCXXXVIII jam schola Minorum quæ unica illis erat, potiebatur: ergo anno MCCXXXVIII Halensis jam ea cesserat: ergo annis MCCXLIV & MCCXLV Rupellensis juxta Wadingum, aut verius alter ejus successor in ea docebat non Halensis: ergo annis MCCXLIV & MCCXLV extranei qui nonnisi ad scholas publicas admittebantur, alium audiebant, non Halensem ante MCCXXXVIII rude donatum, ac deinceps publice ac ordinarie non legentem. Quî Aquinas discipulus ejus esse potuit, cujus vox sua ætate in schola publica Minorum non amplius audiebatur? Esto in privata Minorum schola, modo id documento antiquo probetur, lectiones habuerit, sed ad quas nullis nisi consodalibus Franciscanis accedere fas erat. His adde Thomam septemdecim tum annorum, aut si velis novemdecim ad summum natum professionis suæ ac sodalium societatis eo amantiorem, quod e carcere paterno nuper egressus, ea vix frui eo usque concessum esset, adolescentem inquam totum verecundum & e superiorum nutu ex animo pendentem, nec Minores Parisienses aut an esset & quis esset Halensis in hoc primo suo ad urbem regiam adventu agnoscentem, e gymnasio Sanjacobeo egrediendi, ut ad Minorum scholam vel publicam vel privatam se conferret, desiderio pungi potuisse, nisi sodalibus Sanjacobeis studio deditis libera tum fuisset a superioribus data facultas magistros proprios & contubernales deserendi, & ad Minorum scholam accedendi, vel nisi astruatur Halensem a nostris advocatum in schola Sanjacobea etiam docuisse. Quis verò unquam talia imaginatus est? Quis sodalium Sanjacobeorum Halensem fuisse magistrum vel cogitavit? Quis nisi demens & vecors rem tam præposteram sibi fingat?

Mire sane Wadingus ratiocinatur. *Quæ:* inquit, *S. Thomæ injuria, si Halensis discipulus dicatur?* Et quæ repono ego S. Francisco injuria, si quod Augustiniani contendunt, eremita fuerit? Non quod Francisci injuria sit, inquis, sed quod verum non sit, id nego, ac ex chronologia evidenter demonstro. Responsionem ipse mihi cudis. Halensis disci-

pulum Aquinatem fuisse, non quia contumeliosum sit, esto: sed quia falsissimum est, ideo verò pernego, & ex chronologia duplici ex capite peremtorie evinco, & quod vivo Halensi Parisiis non steterit Aquinas, & quod cùm Aquinas ordinem Prædicatorum amplexus est, jam amplius Halensis in schola vestra non doceret. Tantum abest ut Aquinatis magister ille fuerit, ut an ipsius fuerit Bonaventuræ anno tantùm MCCXLIII Minoritanam togam induti difficultas sit non mediocris. Quod & ex chronologia, & ex antiquis ac æqualibus de Seraphico doctore testimoniis, quo scilicet an primo an septimo professionis anno Parisios accesserit, cui etiam scientiæ primum post emissa vota applicitus, philosophiæne ut innuit Wadingus T. I p. 622, an statim theologiæ, & ex seculi illius moribus de provinciarum extranearum studentibus Parisios mittendis ἀκρίβως illi Actorum SS. Editores solito criterio discutient.

In bulla canonizationis S. Bonaventuræ a Sixto IV data dicuntur ambo & Thomas & Bonaventura coætanei condiscipuli & commagistri, sed quod notandum ibi nihil de Halensi nequidem ejus nomen adducitur: eo loci præterea Sixtus IV more aliorum pontificum loquitur supposita rei veritate: & verum denique habent sensum verba pontificis: coætanei fuerunt ambo, id est, ejusdem fermè ætatis licèt Thomas quibusdam annis junior: condiscipuli, id est, iisdem annis theologiæ operam dantes, Thomas sub magistris Sanjacobeis, Bonaventura sub magistris Minoritis, vel etiam iisdem annis baccalaurei & in facultate Parisiensi licentiam decurrentes: denique commagistri, eodem anno, forsan & mense laurea donati, nec quid amplius sonat pontificis oratio, qui eo fine hæc profert, ut simili honore utriusque festum colendum statuat, non ut in iis sanctitatem Bonaventuræ fundet, quam antea probaverat, & ob quam accurate perspectam eum jam sacro canoni inscripserat.

Etsi autem meum non sit annales Minorum reformare, dicam tamen audacter honori familiæ suæ Wadingum parum consuluisse, ac incredibilia narrare, imo aperte falsa (quod præfiscine velim accipi, nam Annalium Franciscanorum parentem eximie colo) cùm xxv annorum circiter spatio, ab anno scilicet MCCXXII juxta ipsum, aut juxta alios & certius ab anno circiter MCCXXX, quo tantùm domum Parisiis habere cœperunt, tres nec plures Minoritas in schola sua publica magistros docentes agnoscit, Halensem, Joannem de Rupella, sanctumque Bonaventuram. Illud, inquam, ordini Minoritano parum honorificum & incredibile, ut in numerosissima Ecclesiæ familia, ac doctorum virorum feracissima tot annis duos tantùm habuerint, quos ad legendas publice sententias facultati præsentarent: nam Halensis priusquam ordini nomen daret, jam magisterii gradu insignitus erat. Quod si ita est, quam male ipsis, ut mox ex Gonzaga referebamus, a sacræ facultatis proceribus concessa libertate usi sunt, de novo quot annis ex eorum gremio baccalaureo præsentando. Imo verò illud aperte falsum est. An F. Odonem Rigaudi sacræ facultatis Parisiensis magistrum anno MCCXLVIII electum Rotomagensem archiepiscopum, an F. Guilielmum de Melitona, qui jubente Alexandro IV summam Halensis magna ex parte complevit, & in sententia citata Odonis cardinalis prius nostro Joanne Pungentasinum nominatum magistrum. Nullus enim nec ipse Boulæus in Hist. univ. T. III p. 685 dicit prius laurea donatum quam ad Minores se conferret: an F. Joannem de Parma anno MCCXLVII ad supremum ordinis clavum promotum, dum actu teste Wadingo ad eum annum n. 4 scholæ Parisiensi præesset: an hos inquam negabit Wadingus publice sententias legisse? En tres saltem post F. Joannem de Rupella, & ante S. Bonaventuram cathedræ Minorum regentes. Itaque sic existimes, quæ apud nostros, eamdem proportione servata πολιτείαν literariam apud Minores viguisse. Exaggerationem quidem esse certum est, cùm Gonzaga & sequaces testantur in Halensis gratiam ab universitate Parisiensi concessum fuisse, ut ex ordine Minorum novus quotannis præsentaretur, ut aiunt, licentiandus. Neque enim eo jure potiti sunt illi nec eo seculo nec sequenti saltem ad MCCCLXXV. Illud fuit privilegium Prædicatorum solùm, qui cùm duas scholas haberent, novum revera quotannis licentiandum præsentabant alternatim extraneum & intraneum. At Minores qui unica schola gaudebant, quolibet biennio novum ad legendas publice sententias baccalaureum produxisse nullus dubito. Hinc Halensis non alio modo apud eos se gessisse putandus est, quam Joannes Ægidius apud nostros. Hic quamprimum Rolandum Cremonensem magisterio insigniri procuravit, e scholis nostris se subduxit, & quotannis deinceps suo quisque ordine novi semper prodibant baccalaurei, quibus antiquiores exacto triennio cedebant, non aliter apud Minores. Primus eorum agonotheta Halensis fuit, qui tantùm apud eos legit, quousque baccalaureum ex suis licentiandum obtineret, sive ille Joannes de Rupella fuerit, sive alius antiquior: at quolibet biennio deinceps novi ex numerosa illa familia arenam intrabant athletæ, qui sententias publice quisque suo ordine legebant, antiquioribus post triennium magisterii schola cedentibus. Neque verò difficile foret plures etiam præter laudatos post Halensem & ante Bonaventuram theologiam in eorum schola publice professos in medium proferre: verùm alicui ipsorum id potius reservandum, qui heroas illos suos ab Wadingo & Gonzaga omissos aliquando fortè luci restituet, ac laude merita non frustrabit. Meminerit autem ille, quod ad inveniendum adjumento erit, non ex privata aut inani quemquam sive Prædicatorum sive Minorum, sed ex certa & publica sententiarum lectione magisterii gradum eo seculo obtinuisse, ac sic quemcumque ex suis sacræ facultatis Parisiensis magistrum certo fuisse deprehenderit, hunc in schola Minoritana vice sua publice rexisse securus affirmet. Porro hæc omnia magis ac magis evincunt non Halensem modo, sed & Rupellensem ante annum MCCXLIII in schola Minorum legere cessasse, ac utrumque ut emeritos & rude donatos privatim tum & annis sequentibus libris scribendis & in lucem edendis forsam operam navasse.

Gratum autem lectori me facturum arbitratus sum, si epitaphium Halensis primo ejus lapidi sepulcrali inscriptum, ac nonnisi mutilum quod sciam hactenus editum, integrum exhiberem. En ut a me lectum est anno MDCC mense novembri in cod. MS sec. XIII Bibl. Sorbon. fol. mag. memb. n. I p. 232 charactere minutiori at emendato, qui est altera pars Summæ Halensis, quæ incipit, *Completis tractatibus*. Pag. I pura sic legitur:

In tumba quæ de directo distat per unam tumbam ab introitu chori ecclesiæ FF. Minorum Parisius hæc scribuntur. In tabernaculo capitis imaginis sculpta in dicta tumba scribitur:

HIC JACET FRATER ALEXANDER DE HALES, QUI OBIIT ANNO DOMINI MCCXLV. XII KALENDAS SEPTEMBRIS.

In circuitu dicta tumba scribuntur ij versus.

Gloria doctorum decus & flos philosophorum &c.

Versus quidem ab Wadingo relati; at superiora omissa, ex quibus certo diem obitus noveris, in quo tamen quidam variarunt. Tenes præterea lo- SEC. XIII.

SEC. XIII. cum, quo primum sepultus fuit, modo chori ac templi totius, quæ olim fuit ἰχνογραφίαν prespectam habeas. Hinc etiam evincitur elegiam illam aliâs ad murum appensam, & a Boulæo *Hist. univ. Par. T.* III *pag.* 201 laudatam, novitiam esse, antiquis plane incognitam, nulliusque momenti.

Ut tandem hunc articulum finiam, Halensem magistrum a S. Thoma agnitum non omnino negaverim, ea scilicet ratione, qua qui nunc vivunt sacræ facultatis Parisiensis baccalaurei & magistri prædecessores suos jam vita functos, etsi nec viderint unquam nec audierint, sapientissimos magistros nostros, eo ipso quo majores, agnoscere & appellitare summa etiam cum reverentia quotidie consueverunt: qua etiam ratione S. Bonaventura de Halensi, etiamsi docentem non audivisset unquam, vere dicere potuit, ut habet in 2 sentent. dist. 23. *Hic unus est de decem articulis ab universitate magistrorum reprobatis tempore . . . & F. Alexandri de Hales patris & magistri nostri.* Sic enim legitur in omnibus codd. MSS & impressis, non verò *magistri mei*, ut Joanni de la Haye in prolegomenis ad Apocalipsin scribere placuit. *Magistrum*, inquam, *nostrum* appellare potuit, quod esset scholæ Minorum primus fundator & ut ita dicam primus aliptes. Unum hoc habeo addendum, nulla nobis de Bonaventuræ & Thomæ studiis quibuscumque cujusvis ordinis scriptoribus seculi XV & posteriorum fides solos, sec. XIII aut XIV audimus. Id ratum fixumque esto.

Anno MCCXLVIII *post vacationes ambo magister & discipulus Coloniam reversi sunt.* Vide supra dicta ubi de Alberto.

Thomas verò sub eo juxta leges ordinis &c. Coloniæ Thomam multo tempore fuisse testatur Tholomæus citatus cap. 21. *Ibi*, inquit, *multo tempore fuit ac ibidem multa hausit, quamvis ex suo ingenio multa invenerit, quia in inventiva & judicativa omnem hominem transcendit.* Cùm ergo per annum tantùm ibi fuerit, antequam Albertus Parisios veniret promovendus, post ejus promotionem cum eodem rediisse consequens est. *Communi fama*, inquit Petrus de Prussia in vita Alberti Magni cap. 7 *in Coloniensi conventu dici solet B. Thomam Coloniæ sub Alberto novem annis studuisse.* Duo hîc expedenda: primum illud *novem annis*, nisi enim triennium magisterii Parisiensis numeret, quod juxta ipsum Prussum a primo Thomæ Coloniam adventu exegit Albertus, novem illos annos non reperiet. Siquidem anno MCCXLIV sub finem in Germaniam primum advenit S. Thomas, & ad annum MCCLIII cum tardissime ibi egit. Itaque novem annis sub Alberto fuit, tribus Parisiis, sex circiter Coloniæ, tum ante tum post studium Parisiense. Alterum expendendum est illud *studuit*: quod non strictè accipiendum, quasi post reditum e studio generali Parisiensi, ut discipulus & novitius studens Alberti lectiones exciperet, sed largo modo, scilicet quod Albertus primarius esset gymnasii Coloniensis regens, Thomas verò juxta consuetudinem eorum qui e Parisiensi studio revertebantur, philosophiam, scripturam sacram, sententias legeret ac interpretaretur, magistrique studentium, lectoris biblici, sic enim vocabant, cursoris, ac theologiæ secundarii munus obiret. Tum autem scilicet vel ipso anno MCCXLVIII cùm Parisiis egressus Coloniam cogitaret, vel aliquo sequentium cùm jam Coloniam pervenisset, accidisse vero propius est, quod de eo narrat Cantimpratanus *Apum lib.* I *cap.* 20 §. 10, scilicet ambitu fratrum carnalium & amicorum, quos in aula pontificia habebat, ad Innocentii IV præsentiam accitum fuisse, eique ab eodem præceptum, ut Montiscassini regimen susciperet, etiam servata si vellet Prædicatorum veste: quod ille constanter detrectavit; unde ex aula pontificia clam elapsus Coloniam ad Albertum suum redierit. Neque enim id ante concilium Lugdunense I anno MCCXLV mense julio celebratum fieri potuit, cùm fratres ejus tum Frederici partes sequerentur. At post concilium tota cognatio comitum Aquinorum, ut & plures ejusdem regni Neapolitani, Fredericum depositum deserens, summo pontifici adhæsit. Hinc ira excandescens imperator eam familiam gravius insectatus est, Reginaldumque ipsum Thomæ fratrem virum ut nostri Tholomæi verbis utar, *probitatis non modicæ*, fortitudinis scilicet militaris gloria illustrem, & inter aulæ proceres e principibus unum morti addixit. Unde illi tum e regno fugisse, & Lugdunum ad summum pontificem accessisse videntur: quibus favere volens Innocentius abbatiam Montiscassini Thomæ ad se accersito conditionibus a Cantimpratano relatis obtulerit. Quod si placeat, apud Cantimpratanum eo loci ὕστερον πρότερον agnoscendum erit, quod huic auctori non insolens: quique hîc speciatim videtur omnia, quæ ad juvenem Thomam ab ordine extrahendum variis licèt temporibus tentata sunt, simul ac semel congerere voluisse, proptereaque hoc ultimum tentamentum Parisiensi studio prius narrat, licèt posterius factum. Favet Tholomæus Lucensis, qui idem referens, non quidem ad aulam Romanam accitum Thomam, sed ei Coloniæ studiis insistenti rem propositam scribit, sed eum præstat audire lib. 22 c. 21. *Et ibidem* (Coloniæ) *existens, oblata fuit eidem abbatia Montiscassini per Alexandrum gratia parentum, qui jam erant expulsi de regno, sed recusavit.* Ubi vides cùm ea propositio facta est, parentes Thomæ a regno Neapolitano extorres factos fuisse, sicque hæc nonnisi annis concilium Lugdunense I sequentibus evenisse: fortè etiam post mortem Frederici, qui sub finem anni MCCL, ac Stephani II abbatis Cassinensis qui anno MCCLI obiit: nam antea Cassinum in miserrimo statu erat, omnibus fere a Frederico ejectis monachis, bonisque illius monasterii militum direptioni ac dilapidationi derelictis. Cæterùm hîc emendandus vel Tholomæus, vel potius ejus notarius qui Alexandrum IV scripsit pro Innocentio IV. Nam priusquam Alexander ad Ecclesiæ gubernaculum sederet, jam Colonia excesserat Thomas eô deinceps non reversurus.

Iis etiam annis quosdam tractatus edidit. Sic Tholomæus loc. cit. *Infra magisterium quosdam libellos composuit, unus fuit contra magistrum Guillelmum de Sanctoamore, qui incipit: Domine ecce inimici tui sonuerunt. 2 fuit de quidditate & esse. 3 fuit de principiis naturæ.* Primum opusculum certum est Anagniæ compositum fuisse anno MCCLVI, cùm pro negotio Parisiensi, de quo mox, ibi adesset. At secundum & tertium nulli tempori aptius ascribere possumus, quam annis illis lectionum Coloniensium. Hinc Tholomæus lib. 23 c. 12 dicit Thomam tractatum de ente & essentia scripsisse *ad Fratres & socios*, qui loquendi modus indicat adhuc juniorem. Fortè & quædam alia opuscula edidit, ac in librum aliquem scripturæ sacræ commentatus est, at in primis scriptum suum in sententias inchoavit, quod postea Parisiis perfecit.

Anno MCCLII *vel Coloniæ iisdem detentus lectionibus perstitit.* Perstitisse verius existimo, quia ibi longo tempore fuisse consentiunt omnes, nec Parisios docturum venisse nisi ut legeret sententias testantur: quas lectiones certo Parisiis non incepit nisi anno MCCLIII. Attamen sic habet Guillelmus de Tocco: *Post hæc autem cùm F. Thomas sic mirabiliter in scientia & vita proficeret, & magistro Alberto ex commissione R. P. F. Joannis magistri ordinis incumberet, ut Parisiensi*

studio de baccalario provideret, magister prædicti sui discipuli prævidens velocem in doctrina profectum, suasit per literas magistro ordinis, ut dictum F. Thomam Parisius mitteret. Quem cùm non duceret acceptandum, ignorans ejus sufficientiam, suasu Hugonis cardinalis cui erat de ipso per literas intimatum, prædictus magister ipsum in bacellarium Parisiensem acceptavit, scribens ei ut statim Parisios se conferret, & ad legendum sententias se pararet. Hæ literæ certò scriptæ fuerunt ante IV novemb. MCCLII, qua die obiit dictus Joannes Teutonicus: unde si quis ex illis contendat Thomæ præceptum fuisse ut statim Parisios adiret, non repugnabo, tumque eo anno librum aliquem scripturæ sacræ interpretatus fuerit: quamvis responderi possit iis literis non præceptum sed monitum tantùm fuisse, ut ad legendas anno sequenti Parisiis sententias se pararet, qui revera annus erat, extraneis debitus.

Anno MCCLIII *&c.* Audiendus hîc Tholomæus lib. 22 c. 21. *Post hæc vadit Parisius. Viginti quinque autem annorum erat, cùm primo Parisius venit.* Cùm eam sententiam præferat Tholomæus, quæ anno ætatis XLVIII mortuum Thomam asserit, non mirum quod 25 ætatis paulo plus, scilicet anno MCCLIII Parisios docturum venisse scribat. Illud *cùm primo Parisius venit*, sic intelligendum, cùm primo venit sententias lecturus: nam primos ejus studiorum annos non ita scrupulose discussit, ut nec Alberti Magni.

In schola F. Heliæ Bruneti Petragoricensis. Ex historia universitatis Parisiensis, ex bullis summorum pontificum, & ex catalogo magistrorum Parisiensium apud Bernardum Guidonis, F. Bonushomo Brito e provincia Franciæ, & F. Helias Bruneti e provincia Provinciæ ambo magistri scholas nostras regebant quadragesima anni MCCLII stylo veteri, novo MCCLIII, cùm Guillelmus de Sanctoamore tantas in nos turbas excitavit. Igitur juxta legem alternationis Bonushomo tertium annum magisterii, Helias secundum decurrebant: hinc ulterius sequitur illo eodem anno in instauratione scholarum circa octobrem Heliam tertium annum incepisse, jusque habuisse baccalaurei qui in sua schola sub suo regimine sententias legeret, isque fuit Aquinas noster.

Habens collegam in altera schola F. Hugonem Metensem. Bonushomo Brito anno MCCLII mense octobri tertium magisterii annum agens baccalaureum sententias in sua schola legentem habere debuit intraneum, id est ex eadem sua provincia: hunc autem Hugonem Metensem ea ætate celebrem fuisse contendimus, tum quod S. Thoma antiquior apud auctores, & apud ipsum Bernardum Guidonis indicetur, tum quod cum Aquinate Parisiis docuisse traditio sit conventus nostri Metensis, quam testatur ejus historia a ducentis & amplius annis ex antiquioribus monumentis scripta mihique in schedis servata. Assentitur Boulæus Hist. univ. Paris. T. III p. 216. *Hugo Metensis, qui cum D. Thoma aliquandiu rexit.* Alia autem quæ ibidem narrat Boulæus, puta de privata S. Thomæ suis Symmystis sententiarum lectione, & de F. Joanne Pungensasinum, quem Hæliæ postponit, cùm Alberto Magno sit antiquior, nullo innituntur fundameto, nobisque non probantur.

Anno MCCLIV *&c. nec dubium quin lectiones continuaverit.* Lectiones publicas nonobstantibus Guillelmi de Sanctoamore ejusque fautorum clamoribus, in scholis nostris fuisse continuatas certum est ex omnibus ejus anni & sequentis instrumentis. Vide Hist. univ. Parif. T. III p. 257 ubi bedellus seu apparitor scholas nostras ingressus silentium professori voluit indicere, sed ab auditoribus repulsus est. Videsis etiam p. 281. Thomas igitur docere perrexit, nam ad id muneris destinatus erat, tumque cùm secundum annum ageret, licentiam de jure petebat. SEC. XIII.

Anno MCCLV *stylo veteri, novo* MCCLVI *mense februario jam licentiatus erat.* Id constat ex brevi Alexandri IV ad cancellarium Parisiensem dato Laterani V Nonas martii anno secundo. *Delectabile nobis est auditu percipere, quod te in his promtum reddis & vigilem, quæ pietatem continent vel sapiunt honestatem, prout patenter agnoscitur, quod dilecto filio F. Thomæ de Aquino ordinis Prædicatorum viro utique nobilitate generis, & morum honestate conspicuo, ac thesaurum literalis scientiæ per Dei gratiam assecuto dedisti licentiam in theologica facultate docendi, priusquam illuc nostræ literæ pervenirent, quas tibi super hoc specialiter mittebamus. Quia verò condecens est ut hujusmodi negotium a te laudabiliter inchoatum festinum habeat exitum & felicem, devotionem tuam attente rogandam duximus & monendam per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eumdem Fratrem in prædicta facultate cito facias regiminis habere principium &c.* Quo in diplomate tria veniunt annotanda: primo quanta cum gloria Aquinas sententias duobus annis præcedentibus legerat, qui thesaurum literalis scientiæ assecutus dicitur: secundo nequicquam reclamante Guillelmo de Sanctoamore cum suis sequacibus, nec expectato mandato apostolico ipsi licentiam jam nimium, per annum scilicet solidum retardatam cancellarium ecclesiæ Parisiensis Haimericum dictum concessisse: tertio tamen ut magister agnosceretur & esset, ipsi necessario habendum principium. Hoc verò principium solemne habebatur in aula episcopali astante sacræ theologiæ magistrorum omnium conventu, quod etiamnum observatur. Breve relatum videsis Hist. univ. T. III p. 281, & apud Baluzium T. II. Pap. Aven. p. 5.

Non permiserunt academici. Sic refertur in bulla Alexandri IV data XVII junii sequentis MCCLVI his verbis: *Nec non & illis, qui dilecti filii F. Thomæ de Aquino voluerunt interresse principio, se nequiter opponendo.*

Quinta octobris sententia dicta est. Plures Aquinatem censent hoc eodem mense die XXIII, anni MCCLVI Parisiensem magistrum agnitum. At ut ab eorum sententia recedam, & ut in annum sequentem id prorogem, hæc me convincunt. Primò conveniunt omnes Thomam Anagniæ V octob. præsentem fuisse, cùm sententia adversus librum Guillelmi de Sanctoamore data est. Præterea die XVIII ejusdem mensis tantùm Odo de Duaco & Christianus Bellovacensis universitatis ad aulam pontificiam legati Anagniæ coram notario publico manu propria se astrinxerunt, cùm Parisios rediissent, Thomam magistrum recepturos, & ut ab universitate reciperetur bona fide curaturos. Hanc legatorum submissionem ac palinodiam, priusquam Anagnia abiret, Aquinatem expectasse verisimilius est, ne Parisios frustra reverteretur, ad magistrorum societatem non aliter recipiendus: sed etsi non expectasset, a die datæ sententiæ tam diligenter reversum esse difficile est, ut toto illo mense octobri Parisiis adesse potuerit. Tandem quandocumque Aquinas reversus feratur, verum est integro adhuc anno magistros Parisienses Guillelmi de Sanctoamore sequaces in pertinacia stetisse, noluisseque nec eum nec alios magistros agnoscere. Unde a XV novemb. MCCLVI ad II octobris MCCLVII undecim minimum bullæ a sede apostolica emanarunt, quolibet fere mense Alexandro IV iteratis semper vicibus jubente, ut sententiæ Anagniæ latæ tandem acquiescerent: quod argumento est eos huc usque non obedivisse. Imo die illo II octobris MCCLVII

Sæc. XIII. summus pontifex episcopo Parisiensi mittit exemplum submissionis Anagniæ per Odonem de Duaco & Christianum Bellovacensem anno præterito factæ & supra laudatæ, & promissionis eorumdem, & jubet nisi infra mensem promissis steterint, eos episcopus publice denunciet esse perjuros. Igitur II octob. MCCLVII promissis adhuc non steterant, neque Thomam in magistrorum societatem acceperant. At verò hæc ultima bulla lites omnes finivit, neque enim exinde ulla in actis hujus temporis apparet intercessio: hinc Thomam tum principium habere regiminis in aula episcopi permissum esse, & conventum ut loquebantur in theologia recepisse autumo. Unde in cap. gener. Tolosæ ad pentecosten XII mai MCCLVIII celebrato Humbertus magister ordinis V sic ad provincias scribebat: *Verùm ne sub onere tali deficiat ipsorum humana fragilitas, eos in omni tribulatione sua consolatur dulciter* (Deus) *juvat potenter, & abbreviat dies malos. Quod quidem experientia vos docuit, his diebus. Ecce enim dilectissimi Fratres in multis & gravibus & longe lateque diffusis, quas in servitio Christi pro nostro modulo laborantes, passi sumus his temporibus, præter consolationem que intrinsecus in multorum cordibus est infusa, quantum consolatus est benignus mærentium consolator in favore, quem beatissimus papa noster, cardinalium cœtus, christianissimi regis Francorum Ludovici* (gratia) *aliaque innumera multitudo Deo devotorum fidelium ipso inspirante nobis in nostris vexationibus præstiterunt.* Et post plura: *Considerate quam cito pius Dominus, qui nos dereliquisse videbatur ad punctum post tempestatem tranquillum fecit, ventis & mari potenter imperans, in succursum fere periclitantis naviculæ sua dominatione mitigans fluctus ejus &c.* Ita autem in præcedenti capitulo generali Florentiæ XXVII Maii MCCLVII non scripserat. Quod signum tempestatem illam Parisiensem, quæ totum ordinem involvebat ac fere opprimebat, non ante octobrem MCCLVII pacatam fuisse. Consentit Tholomæus citatus cap 21: *viginti quinque autem annorum erat cùm primo Parisius venit* (scilicet sententias lecturus, ut supra notavimus) *ubi infra trigesimum annum & sententias legit, & conventum in theologia sive licentiam recepit.* Jam monuimus Tholomæum in eam sententiam propendere, quæ Thomam XLVIII ætatis anno mortuum statuit. Quo posito mense octobri MCCLVII annum trigesimum parum excesserat: anno verò præcedenti mense februario MCCLVI jam licentiatus erat, & XXIX ætatis vix erat ingressus.

Quæstiones de veritate disputavit. Sic Tholomæus citatus: *Infra magisterium*, id est antequam fieret magister, *quatuor libros fecit super sententias videlicet primum, secundum, tertium & quartum.* Et cap. 22 seq. *Post hæc ipso magistrato fecit quæstiones de veritate.*

Sex quodlibeta determinavit. Sic Trivetus. Vide postea ubi de his quodlibetis inter opera. De quodlibetis respondere inter agones theologicos magistrorum numerabatur, vocabantque disputationes suas generales. Videsis quodlibeta nostri Hervæi Britonis, Henrici de Gandavo, Godefridi de Fontibus &c.

Habens sub se baccalaureum. Quis ille fuerit incertum, præsertim cùm discordia supra relata licentias non parum turbasse videatur. Hi in schola extraneorum Thomæ & sibi invicem successere, F. Guillelmus de Antona Anglicus ad MCCLIX licentiatus: F. Hannibaldus de Hannibaldis Romanus postea cardinalis, F. Guillelmus de Quinciaco Petragoricensis post MCCLIX licenciati ex catalogo Bernardi Guidonis.

Conciones habuit Parisiis. Sic Alexander IV in bulla VI Kal. julii anno quinto, scilicet XXVI junii MCCCLIX data, quæ incipit *Ex alto. Prædicante dilecto filio F. Thoma de Aquino ejusdem ordinis Prædicatorum in Dominica de Ramis palmarum proxime præterita.* Vide Hist. univ. T. III p. 352.

Isaiam & Matthæum publice exponeret. Hos libros Parisiis exposuisse referunt ejus vitæ scriptores. Vide postea ubi de his commentariis inter opera.

Capitulo generali Valencenis celebrato affuit. Ita refertur in actis capituli provincialis provinciæ Provinciæ anno MCCLXI Biteris coacti: *Apud Valencenas anno Domini* MCCLIX *de mandato magistri & diffinitorum ad promotionem studii ordinatum est per FF. Bonumhominem, Florentium, Albertum Teutonicum, Thomam de Aquino, Petrum de Tarentasia magistros theologiæ Parisius, qui interfuerunt dicto capitulo, quod lectores &c.*

Anno MCCLX *in Italiam reversus.* Quo anno certo Thomas Italiam repetierit, non definimus, cùm Tholomæus clare non loquatur lib. 22 c. 22. *Post tres annos*, ita codex Navarricus, at Colbertinus, *post tertium annum sui magisterii rediit in Italiam tempore videlicet Urbani IV.* Illud *post tres annos sui magisterii* indicare videtur annum MCCLX, at quod addit *tempore Urbani IV.* indicat annum MCCLXI, nisi dicas intelligendum eo pontifice jam rediisse. Idem tamen cap. 24 postquam electionem Urbani IV narravit, addit: *Tunc F. Thomas rediit de Parisius ex certis causis, & ad petitionem Urbani multa fecit & scripsit.* In Actis SS. vitæ S. Thomæ n. 28 F. Raimundus Severus vel Salernus dicit se Parisius in studio cum F. Thoma septem annis fuisse, alius codex legit octo annis, mutuo sibi per confessionem conscientiam detexisse: a MCCLIII ad MCCLX sunt septem aut octo anni. In proc. canoniz. n. 47 F. Conradus de Suessa Sacerdos ord. Prædic. senex LXXVII annorum anno MCCCXIX testatur se Romæ & Urbeveteri tempore Urbani IV vidisse F. Thomam & LXII annos jam transiisse ex quo primùm viderat. Hæc annum circiter MCCLIX indicant.

Primo Romæ docuit. Sic Tholomæus lib. 23 cap. 15. *Scripsit etiam eo tempore quo fuit Romæ, de quo dictum est supra, jam magister existens primum super sententias, quem ego vidi Lucæ, sed inde subtractum nusquam ulterius vidi.* Jactura sane dolenda sed irreparabilis. Quæ autem hîc addimus de annis & locis, quibus opera sua edidit sanctus doctor, vide postea, ubi de singulis agimus.

Anno MCCLXIX *altera vice scholæ Parisiensis regens est institutus.* Id nos fugerat aliàs, cùm lucubrationem cui titulus *Sancti Thomæ summa suo auctori vindicata*, edidimus: sed monumentis veteribus diligentius inspectis & expensis jam est certissimum. Primo affuisse Aquinatem comitiis ordinis anno MCCLXIX Parisiis ad pentecosten celebratis constat ex cod. MS bibl. Victor. n. 635 fol. mag. memb. qui collectio est opusculorum Aquinatis, in quo sic legitur fol. 255. *Quæstiones quæ sequuntur fuerunt propositæ in capitulo generali Parisius celebrato anno Domini* MCCLXIX *maii* XII *coram magistro ordinis & diffinitoribus, inter quos erant septem lectores & unus magister; item coram magistris simul congregatis, scilicet F. Thoma de Aquino, F. Bonohomine, F. Petro de Tarentasia, F. Bartholomæo, F. Balduino, & F. Giliberto, qui omnes responderunt una voce; ut infra sequitur.* Et postea tamen, in quo F. Thomas ab aliis dissenserit, refertur. Quas quæstiones F. Petrus Pelican noster, de quo postea, facultatis Parisiensis magister edidit P. II opusculorum S. Thomæ juxta novum ordinem a se institutum inter opuscula moralia, cum pluribus tamen erratis altera editione ad cod. MS recognita emendandis. Tum autem Aquinatem

natem iterato regentem in gymnasio Sanjacobeo datum his momentis evincitur. Sic Nicolaus Trivetus noster habet, ubi de operibus S. Thomæ: *Scripsit & primam partem de QQ. disputatis de veritate & ultra, quas Parisius disputavit*; nempe annis MCCLVII & seqq. *Item secundam partem de QQ. disputatis, de potentia Dei & ultra, quas in Italia disputavit. Item & tertiam partem de QQ. disputatis, quarum initium est de virtutibus, quas disputavit, cùm secundo Parisius legeret.* Igitur altera vice Parisiis regens positus est. Idem innuit Bartholomæus logotheta regni Siciliæ a Baluzio T. II Pap. Aven. p. 7 relatus: *De QQ. disputatis partes tres, unam disputavit Parisius, scilicet de veritate, aliam in Italia, scilicet de potentia Dei & ultra, aliam item Parisius, scilicet de virtutibus & ultra.* Nisi altera vice rexisset Parisiis, istam tertiam partem distinguere non nececesse erat. Præterea idem logotheta proc. canoniz. n. 77 in Actis SS. *Item dixit dictus testis se audivisse a pluribus FF. Prædicatoribus fide dignis, quod quando idem F. Thomas una vice disputabat Parisiis, ubi erat F. Joannes de Peckamo ordinis FF. Minorum, qui fuit postea archiepiscopus Cantuariensis, quantumcunque dictus F. Joannes exasperaret eumdem F. Thomam verbis ampullosis & tumidis, nunquam tamen ipse F. Thomas restrinxit verbum humilitatis, sed semper cum dulcedine & humilitate respondit &c.* Revera extant Oxonii in collegio Mertonensi *Disputationes* MS *Thomæ & Peckami* ex Thoma James Ecloga Oxoniocantabrig. p. 10 n. 12. Has autem disputationes habere non potuit Peckamus cum S. Thoma, qua primum vice legit Parisius ab anno MCCLIII ad MCCLX, quia tum Peckamus junior erat & discipulus auditor S. Bonaventuræ, ut testatur Wadingus: itaque hæ concertationes referendæ sunt ad annum MCCLXIX & sequentes, quibus Peckamus post studium Parisiense Oxonii laurea donatus, Parisios reversus est ad legendas sententias & ad gradus promovendus, ut habet idem Wadingus. Tum enim cùm esset magister, contra Aquinatem obluctari potuit. Denique ab anno MCCLXIX ad MCCLXXI Thomam Parisiis rexisse evincit visio, quam eum habuisse Neapoli anno MCCLXXIII referunt Tholomæus & Guillelmus de Tocco. Sic enim primus lib. 23 cap. 16. *Hujus etiam tempore pontificis* (scilicet Gregorii X) *floruit F. Romanus ordinis Prædicatorum germanus D. Matthæi Rubei, ac nepos Nicolai III. Hic fuit vir magnæ excellentiæ in vita & doctrina, magister in theologia, cui F. Thomas Parisius in cathedra cessit, & sequenti anno dictus F. Romanus migravit ad Dominum. De quo dictus doctor F. Thomas talem habuit visionem. Apparuit ei F. Romanus in somno, & tunc quærebat ab eo qualiter esset eidem. Ille verò respondit quod bene. Et tunc F. Thomas quærebat ab eo de visione Dei per essentiam, si sic se haberet ut scribitur: ille verò quasi subridendo respondit, quod nobiliori* (sic cod. Navar. at Colbert. 2818 *meliori*) *modo, & quod ipse in breve sciturus erat hoc idem, & sic disparuit. Quod & rei postea probavit eventus, quia in sequenti anno gloriosus doctor migravit ad Dominum. Hanc autem visionem ego Neapoli audivi ab ipso referri, & cum quadam lætitia.*

Quasdam addit circumstantias Guillelmus de Tocco, quæ rem clariorem faciunt; vit. S. Thomæ n. 46. *Alia fuit mirabilior dicto doctori visio revelata, non imaginaria, sed corporalis & aperta, cui existenti in conventu Neapolitano in ecclesia ad orandum, apparuit ei F. Romanus magister in theologia, quem Parisiis legentem dimiserat: cui cùm adesset F. Thomas & diceret: Bene veneritis, quando venistis? Ille respondit, ego ex hac vita transivi, & concessum est mihi pro tuo merito apparere. Tunc prædictus doctor colligens spiritum qui fuerat ex subita illa apparitione commotus, respondit &c. Quid est de te? Respondit: Ego sum in vita æterna, & fui in purgatorio sedecim diebus propter negligentiam, quam commisi in quodam testamento, quod expediendum cito episcopus Parisiensis commisit, & ego expedire ex mea culpa tardavi.*

SÆC. XIII.

Ex hac duplici relatione habetur tempore Gregorii X Kal. sept. MCCLXXI electi F. Romanum Parisiis floruisse, huic Aquinatem cathedra Parisiensi cessisse, Romanum anno sequenti initio forsan anni MCCLXXIII Parisiis mortuum & sepultum Thomæ Neapoli apparuisse; hunc qui vivum putabat, miratum quod quem Parisiis legentem dimiserat, tam cito rediisset non completo utique magisterii triennio, petiisse quando venisset: denique anno hanc visionem sequenti ipsum Aquinatem obiisse. Quæ certe aliter intelligi non possunt quam dicendo Aquinatem qui anno MCCLXIX Parisios ad comitia ordinis venerat, constitutum altera vice regentem gymnasii Sanjacobei, hocque munere functum ad electionem Gregorii X.

Ex his ulterius sequitur, cùm Tholomæus scribat sub pontificatu Clementis IV, & *tempore vacationis sequentis quæ fuit spatio duorum annorum & novem mensium*, Aquinatem tres priores partes Summæ theologiæ edidisse, scilicet primam partem, primam secundæ, & secundam secundæ, nos haud perperam colligere, quod secundam secundæ Parisis ubi erat tempore dictæ vacationis, confecerit. Favere videtur Guillelmus de Tocco vitæ sancti n. 44 ubi sic habet: *Dicitur quod cùm semel S. Lodovicus rex Franciæ ipsum ad mensam suam invitasset, & ipse se humiliter excusasset propter opus Summæ in theologia, quod dictaret tunc temporis &c.* & postea, *accessit ad regem &c.* Si ut conjicere proclive, id evenerit anno MCCLXIX, & habemus Summæ theologiæ scribendæ & accurandæ Parisiis incubuisse. Scio editores Actorum SS. annotare in alio suo MS non legi *propter opus Summæ in theologia*, sed *propter Summæ compendium*: at præterquam quod hujusmodi opera levior non legitimam præbuisset excusationem, non est quod huic alteri MS majorem fidem habeamus quam edito: etsi facile credam isti compendio, quod socio suo F. Reginaldo de Piperno inscripsit, & incipit, *Æterni patris filius*, etiam tum unâ horis subcisivis allaborasse. Ludovicus a Valleoleti hæc eadem transcribens ex Guillelmo de Tocho *de Summa contra gentiles* interpretatur, & aliâs assentiebar, sed si ita quis velit, id evenisse dicendum circa MCCLX, cùm prima vice Parisiis legeret Aquinas, nam *Summam contra gentiles* Parisiis in schedulis delineatam sub pontificatu Urbani IV in Italia consummavit ex Tholomæo.

Non omittendum quod habet Guillemus de Tocco vitæ n. 18. *Unum videtur Deus in dicto doctore ostendisse miraculum, ut tam modico tempore fortè in viginti annis qui inter magisterium ejus & obitum in vita fluxerunt bis eundo Parisius & in Italiam redeundo, tot libros per suos scriptores in scriptis redegerit.* Cùm viginti illi anni numerandi sint a MCCLIV sub finem quo licentiam jure petebat, ad MCCLXXIV quo mortuus est, primum iter illud censemus, quo anno MCCLVI Anagnia Parisios reversus est, & Italiam anno MCCLX, vel sequenti repetiit: alterum iter cùm anno MCCLXIX Parisios venit, & in Italiam anno MCCLXXI remeavit. Unde quod quibusdam recentioribus placet Aquinatem XX maii MCCLXIII Londini affuisse comitiis ordinis ad pentecosten coactis, & ut diffinitorem provinciæ Romanæ abdicationi venerabilis Humberti magistri ordinis V consensisse, mihi valde

Sec. XIII. dubium, nec hujus longioris itineris apud scriptores æquales vel suppares ulla memoria.

Denique annotandum ad visionem illam F. Romani, hujus Aquinati responsionem a Guillelmo de Tocco aliter referri quam a Tholomæo: sed Tochus videtur Romano adaptasse quod in vitis FF. lib. 5 c. 4 § 4 legitur his verbis: *De duobus Fratribus juvenibus & valde ferventibus, qui se speciali affectione diligebant, narravit magister Jordanis, quod unus post obitum suum apparuit alteri sole splendidior, & ait: Frater sicut audivimus & frequenter contulimus, sic vidi in civitate Dei nostri; & hoc dicto disparuit.* Quæ sane de aliis at non de Aquinate & F. Romano narrare potuit Jordanus ordinis magister anno MCCXXXVII mortuus. Hinc Tholomæi narrationem narrationi Guillelmi de Tocco jure præferas. Idem Toccus n. 47 vitæ quamdam juvenis novitii tentationem de pastillo sibi dato, & dæmone coram eo in choro tripudiante refert, ceu quæ Neapoli acciderit, & ab Aquinate tum ibi morante ac præsente agnita fuerit & sapienter correcta. Quod factum integrum habetur in Vitis FF. lib. 4 c. 17 § 3 ubi detectio illius tentationis cuidam Fratri spirituali tribuitur, qui non potuit ut videtur esse Aquinas, cùm hic ante annum MCCLXXII Neapolim non redierit, & vitæ illæ FF. jam scriptæ essent & per ordinem vulgatæ anno MCCLX, nisi quis dicat id non Neapoli, sed alibi puta Coloniæ vel Parisiis accidisse.

Universitas Parisiensis literas &c. Has ad Patres ordinis Florentiæ anno MCCLXXII coactos scriptas jam perditas dolemus, at revera datas testantur aliæ literæ ejusdem universitatis ad capitulum generale Lugdunense anno MCCLXXIV coactum, quas ex Ludovici de Valleoleti opusculo seu Tabula scriptorum ordinis Boulæus edidit Hist. univ. T. III p. 408 in quibus sic legitur: *Cùm a nostro collegio generali capitulo vestro Florentiæ celebrato requisissemus instanter, proh dolor non potuimus obtinere &c.*

Caroli utriusque Siciliæ regis vota prævaluere. Cæsar Engenius in sua Neapoli sacra anno 1624 edita p. 268 refert ex Regist. Caroli I anno MCCLXXII Ind. I fol. I haberi Thomæ de Aquino dum in studio Neapolitano legeret, honorarium unius unciæ auri quolibet mense ab eo rege constitutum fuisse. In cujus memoriam ad januam gymnasii nostri Neapolitani ad S. Dominicum marmor appensum est cum hac epigraphe: *Viator huc ingrediens siste gradum, atque venerare hanc imaginem & cathedram, in qua sedens mag. ille Thomas de Aquino de Neap. cum frequente ut par erat auditorum concursu, & illius seculi felicitate admirabili doctrina theologiam docebat. Accersito jam a rege Carolo I constituta illi mercede unius unciæ auri per singulos menses. R. F. V. C. in anno* MCCLXXII. *D. SS. FF.*

Anno MCCLXXII *Neapolim adivit.* Sic Tholomæus lib. 23 c. 10. *Etiam quod vidi de ipso ad indicium sanctitatis ejus tacere non debeo. Cùm enim ego cùm ipso venirem de Roma declinavit Molariam ad castrum domini Richardi cardinalis, ibique præfactus doctor infirmatus est de tertiaria, socius verò suus F. Rainaldus de continua gravi, & cùm non apparerent in eo signa cretica, medici D. Richardi male judicabant de ipso. Tunc venerabilis doctor accepit reliquias Agnetis, quas ex devotione secum ferebat de urbe, & jussit dicto Fratri, quod super se poneret, & haberet fidem plenam in eis, quod & fecit & curatus est ultra spem omnium medicorum. Propter quam causam disposuerat singulis annis facere festum solemne de ipsa* (B. Agnete) *cum bona refectione Fratrum. Quod & illo anno fecit Neapoli, sequenti verò transivit ad Deum.* Hinc habetur ex quo Neapolim accessit, duos tantùm S. Agnetis festos dies accidisse, primum quem in ea urbe celebravit, alterum quo in itinere versus Lugdunum positus mortuus est. Cùm igitur iste secundus anno MCCLXXIV acciderit, priorem anno præcedenti MCCLXXIII accidisse necesse est. Cùm autem Neapolim studii regendi causa mitteretur versus augustum vel septembrem MCCLXXII Roma exivisse, & ad villam cardinalis Ricardi ex itinere divertisse probabilius.

Obdormivit. Pro coronide harum notarum placet hîc Tholomæum transcribere lib. 23 cap. 8 & 9. *Hujus etiam tempore* (Gregorii X) *præclarus doctor F. Thomas de Aquino migravit ad Dominum. Vocatus enim ad concilium per D. Gregorium ac recedens de Neapoli ubi regebat, & veniens in Campaniam ibidem graviter infirmatur. Et quia prope locum nullum ordo Prædicatorum conventum habebat, declinavit ad unam solemnem abbatiam, quæ dicitur Fossanova, & quæ ordinis erat Cisterciensis, in qua sui consanguinei domini de Siccano* (Sic colbert 527. Vide *Famiglie di Napoli di Ferrante della Marra* p. 52 ubi de affinitate DD. de Ceccano cum DD. de Aquino, codex tamen Navarr. *ubi de Siccano* legit *de Aquino*) *erant patroni, ibique sua aggravata est ægritudo. Unde cum multa devotione, & mentis puritate & corporis, qua semper floruit, & in ordine viguit, quam ego probavi inter homines quos unquam novi; qui sæpius confessionem ejus audivi, & cùm ipso multo tempore conversatus sum familiari ministerio, ac ipsius auditor fui, ex hac luce transiit ad Christum. Tradunt autem quod ibidem multis miraculis claruit, & multis indiciis Deus suam sanctitatem ostendit. Propter quam causam sui consanguinei, cùm sint potentiores de Campania, non permiserunt corpus inde transferri. Imo cùm vidissent, quod Fratres sui ordinis hoc attentabant, corpus ejus occultaverunt, cùm tamen prius sepultum fuerit valde honorifice in presbyterio altaris majoris monasterii prædicti. Tradunt autem monachi dicti loci, & Fratres qui cum ipso erant, quod cùm morti appropinquaret, primo symbolum fidei confitetur cum multa devotione: deinde suam doctrinam asseruit per ipsum traditam, & conscriptam ad fidei robur & instructionem fidelium: (in quo modernos doctores transcendit sive in philosophia sive in theologia, sive in quacunque materia secundùm communem omnium hominum intelligentiam & opinionem: & inde in schola hodie Parisiensi communis doctor appellatur propter suam claritatem doctrinæ:) ad majorem tamen sui securitatem, & Ecclesiæ Romanæ reverentiam & honorem, quia erat homo, qui etiam errare potuit, sicut B. Augustinus asserit de seipso, suos libros in manu exposuit Ecclesiæ sæpe dictæ, prout recta fides catholica & apostolica hoc exposcit, & post hæc verba in Domino obdormivit.*

Cum toto ordine indoluit universitas Parisiensis. Literas has ut jam monuimus habuit & servavit Ludovicus a Valleoleti, & ex ejus codice MS in Bibl. Victor. servato n. 616 & 278 typis edidit Boulæus Hist. Univ. Parif. T. III p. 408.

Vitam Aquinatis & laudes præter hactenus citatos multi scripsere. Florent. in Medic. Pl. 29 cod. 8 MS memb. in 4. Inter alia plura extat carmen de ejus gestis. Pr. *A teneris annis.*

Chronologia gestorum S. Thomæ quantum licuit exposita & notis illustrata, ad opera ejus jam accedendum, quæ juxta editionem Romanam anni 1570 ut accuratiorem visa sunt referenda: de quibus ad plenam lectoris informationem sic agetur, primò dabitur titulus, tum adducentur auctores veteres qui meminerunt, hi potissimum, Bartholo-

mæus, per syncopen dictus Tholomæus S. Doctoris discipulus, Guillelmus de Tocco ejus item auditor, Bartholomæus de Capua logotheta regni Siciliæ, qui & vidit, & in proc. canoniz. testis fuit, Nicolaus Trivetus, & Bernardus Guidonis eidem suppares, Petrus Rogerius Casæ Dei monachus, sacræ facultatis Parisiensis magister, archiepiscopus postea Rothomagensis, cardinalis & tandem summus pontifex anno MCCCXLII Clemens VI, tum Laurentius Pignon qui catalogum scriptorum nostrorum inceperat ante MCCCC, Ludovicus a Valleoleti qui Parisiis scribebat anno MCCCCXIII, denique S. Antoninus, qui mortuus est anno MCCCCLIX: adduntur postea codices MSS ætatis fere auctoris plerique Parisiis servati: denique ubi se dat occasio, criterium nostrum adjicitur, & genuina a spuriis separantur, sed & editiones privatæ cujuslibet potissimum antiquæ indicantur.

D. THOMÆ AQUINATIS DOCTORIS Angelici ordinis Fratrum Prædicatorum opera omnia gratiis privilegiisque Pii V pont. max. typis excusa. Romæ. Hæred. Antonii Bladi, & Joannis Osmarini. 1570 fol.

T. I. hæc insunt.

1. *F. Vincentii Justiniani ord. Præd. S. R. E. presbyteri cardinalis, & F. Thomæ Marriques ejusdem ordinis sacri palatii magistri ad Pium V epistola nuncupatoria.*

2. Prologus ejusdem Thomæ Marriques. Monet ex commentariis (quod intelligas de Cajetani in summam theologicam) *expuncta fuisse omnia loca, quæ post decreta Tridentinæ synodi lectorem poterant tenere dubium vel suspensum, vel ipsemet commentator vivens emendaverat & si viveret emendasset &c.*

3. *Tabula aurea eximii doctoris F. Petri de Bergomo ord. Præd. in omnia opera D. Thomæ Aquinatis, cum additionibus conclusionum, concordantiis dictorum ejus, ac divinæ scripturæ authoritatibus, nuper a vitiis omnibus expurgata, atque quamplurimis propositionibus & allegationibus aucta.*

4. *Vita S. Thomæ Aquinatis ex plurimis auctoribus recenter collecta.*

5. *In libros perihermenias Aristotelis expositio.* Pr. *Sicut dicit philosophus in 3 de anima, duplex est operatio intellectus &c.* Et in primum librum quidem commentum perfectum est, in alterum verò duæ tantùm sunt lectiones in principia libri.

Hujus operis meminerunt Tholomæus de Lucha *Histor. Eccl. lib. 23 cap. 15. Item tradidit quibusdam nobilibus artistis &c. Fecit commentum super librum* (in alio MS *libros*) *perihermenias.* Idem Logotheta: *Super primum perihermenias.* Trivetus: *Primum perihermenias, principiumque secundi edidit.* Petrus Rogerius: *Super librum perihermenias.* Idem Bernardus Guidonis. Idem Laurentius Pignon & Ludovicus a Valleoleti. Idem S. Antoninus. Ejus verò extant in Biblioth. innumera MS exempla. In Victor. Parisf. cod. memb. fol. num. 1012 fol. 10, sic incipit

Dilecto sibi præposito Lovaniensi F. Thomas de Aquino salutem & veræ sapientiæ incrementa. Diligentiæ tuæ, qua in juvenili ætate non vanitati, sed sapientiæ intendis, studio provocatus, & desiderio satisfacere cupiens, libro Aristotelis qui perihermenias dicitur multis obscuritatibus involuto, inter multiplices occupationum mearum solicitudines expositionem adhibere curavi, hoc gerens in animo sic altiora pro posse perfectioribus, ut tamen junioribus proficiendi auxilia tradere non recusem. Suscipiat studiositas tua præsentis expositionis munus exiguum, ex quo si profeceris, provocare me poteris ad majora.

Quam epistolam nuncupatoriam, quia deest in omnibus impressis, visum est hîc referre, ut ex ea cognoscat lector, qua occasione hanc lucubrationem susceperit S. D. tum sane docendæ theologiæ incumbens, & quantum conjici potest Parisiis. Hæc autem epistola extat in omnibus codd. MSS hujus commentarii a me visis, in altero Victor. n. 623, in Navarr. in Sorbonic. n. 804 cod. sec XIII & n. 867. Quod autem opus non complevit, mors non fuit in causa, sed vel nimiæ occupationes ut ait obstiterunt, vel potius juvenis ille & sapiens præpositus forsan præsens plura non postulavit, religionique habuit majoribus intentum in his tyronum propriis diutius distinere. Venum prostabat Parisf. anno MCCCIII ex lib. Rectoris vniversf. VII pecias implens. Recensetur in Florent. Laurent. Plut. 71 cod. 27 in 4 memb. Ibid. ad S. Marc. Arm. 4 cod. 13 memb. sed cùm eodem codice extent S. Thomæ super Isagogen Porphyrii & Prædicamenta, qualia opera nullus veterum ei ascribit, hinc codicem recentiorem conjicio, qui tamen in memb. ibid. Arm. 4 cod. 100 memb.

6. *In primum & secundum libros posteriorum analyticorum Aristotelis expositio.* Recensent omnes supra laudati. Tholomæus: *Fecit commentum in libros posteriorum.* Logotheta: *Super librum posteriorum.* Bernardus: *Super librum primum & secundum posteriorum.* Idem Trivetus, Petrus Rogerius, Pignon, Valleoletanus & S. Antoninus.

Extant in variis biblioth. innumeri codd. MSS. In Navarr. a me visus fol. memb. Tit. *Thomas super posteriora.* Pr. *Sicut dicit Aristoteles in principio Metaphysicæ hominum genus arte & rationibus vivit &c.* ut in editis. In Sorbon. fol. memb. n. 867. In Regia, cod. 4968 fol. mag. memb. sec. XIII. In Victor. cod. 625 fol. med. memb. Venum prostabat Parisf. anno MCCCIII ex lib. mox cit. XVII pecias implens. Florent. ad S. Marci Arm. 4 cod. 18 memb. Ibid. cod. 21 memb.

Prodierunt typis Venetiis Guillelmi de Tridino de Monteferrato, 1489.

T. II. 1. *In octo libros physicorum Aristotelis expositio.* Pr. *Quia liber physicorum cujus expositioni intendimus &c.* Meminerunt Tholomæus, cap. 11: *Scripsit etiam super philosophiam.* Logotheta: *Super librum physicorum.* Trivetus: *Exposuit libros phylosophiæ plurimos, puta physicorum libros octo complete.* Petrus Rogerius: *Super libros physicorum.* Idem Bernardus & S. Antoninus. Pignon: *Scriptum super libros physicorum.* Valleoletanus: *Item super octo libros physicorum.* Extant codd. MSS in Navar. fol. med. memb. Idem ut in editis, ad cujus calcem: *Explicit sententia super librum physicorum secundùm F. Thomam de Aquino ord. Prædic.* Ibidem alius cod. memb. fol. mag. In Sorb. eodem cod. art. super laudato, & in altero n. 825 seculi XIII. In alio etiam ejusdem ætatis n. 760 ex legato Stephani de Gebennis qui florebat circa 1280. Venetiis apud S. Antonium Plut. 22 fol. mem. Item card. Bessario Pl. 13. Item apud S. Franc. a Vinea. Florent. ad S. Marc. Arm. 4 cod. 17 *in Physica Aristotelis & parva naturalia.* Ibidem cod. 20 *super librum Physicorum.* memb. & cod. 23 memb. Venalis prostabat Parisf. anno MCCCIII ex libro Rectoris universf. XL peciis constans.

Prodierunt seorsim Venetiis Scoti 1480 & 1504.

2. *In libros quatuor de cœlo & mundo Aristotelis expositio.* Pr. *Sicut philosophus dicit in 1 Phys. Tunc opinamur cognoscere unumquodque.* Non complevit tamen S. D. nisi usque ad lect. 8 libri 3. Finis: *Manifestum esse quod sint elementa, & propter quid sint &c.* De quo sic Tholomæus: *Et super de cœlo & super de generatione, sed non complevit; & similiter politicam, sed hos libros complevit ma-*

Sæc. XIII. gister Petrus de Alvernia fidelissimus discipulus ejus magister in theologia & magnus philosophus, & demum episcopus Claromontensis. De isto Petro de Alvernia, vide inter falso nostris ascriptos. Logotheta: *Super libros de cælo tres*. Trivetus: *Cœli & mundi primum, secundum & tertium*. Petrus Rogerius: *Super 4 lib. de cælo*. Bernardus: *Super tres libros de cælo & mundo*. Idem S. Antoninus. Pignon: *De cælo & mundo*. Valleoletanus: *Item super tres libros de cælo & mundo, quia morte præventus non scripsit super quartum*.

Quantum ad ea quæ sunt S. D. cum Ed. Rom. conveniunt codd. MSS. Est insignis in Sorbon. fol. med. memb. n. 867 jam laudatus, in quo idem finis qui in Ed. Rom. & in margine infer. sic legitur: *Non habetur plus de Thoma de isto*. Et in margine superioris sequentis paginæ, hic est titulus: *Incipit super tertiam partem tertii & super quartum cæli & mundi editum a magistro Petro de Alvernia*. Et in altero cod. fol. memb. seculi XIII ex legato Godefridi de Fontibus, Eadem. In alio autem n. 760 ejusdem ætatis non sunt nisi Thomistica & abest supplementum. In Regia cod. 4967 fol. mag. memb. eleganti Ferdinandi regis sumtibus scripto Neapoli anno MCCCCXCIII, in quo textus Aristotelis integer in medio pagg. & circumcirca expositio B. Thomæ in 1, 2 & partem 3 & additur compertum esse nihil amplius ab eo de hoc fuisse scriptum.

Equidem in cod. Victor. 626 fol. mag. memb. & in duobus codd. MSS memb. in fol. gymnasii Navarr. omittitur illa pars commentarii in tertium S. D. & Petrus de Alvernia auctor dicitur expositionis in tertium & quartum, sed legenti patet hunc commentum illud S. D. incompletum in tertium solùm interpolasse, & ita stylo suo concinnasse, ut tamen mentem S. D. pro posse assequi conatus sit. Itaque aliis codd. MSS Sorbonico similibus standum est. Vide annotata nostra ubi de Petro de Alvernia. Venalis erat Parif. anno MCCCIII ex libro Rectoris XVIII peciis constans.

An revera morte præventus libros istos non compleverit S. D. an ut opinor, majoribus distentus complere neglexerit, judicent peritiores. Rector & universitas Parisiensis in epistola, quam Patribus ordinis in cap. gen. Lugduni anno MCCLXXIV congregatis mox referenda scripsit, testatur Aquinatem cùm Parisios ultimo reliquit, ipsis promisisse hos in Italia complecturum se ac illis missurum.

Prodierunt cum additionibus Petri ad Alvernia. Venetiis, Junta, 1516 & antea Scoti. 1495.

3. *In libros de generatione & corruptione*. Pr. *Sicut tradit philosophus in 3 de anima, scientiæ secantur quemadmodum & res &c.*

In 2 Pr. *Postquam philosophus in 1 lib. determinavit de generatione &c.* De quibus Tholomæus artic. præcedenti. Logotheta: *Super primum librum de generatione*. Trivetus: *De generatione & corruptione libros duos*. Petrus Rogerius: *Super librum de generatione*. Bernardus: *Super librum de generatione & corruptione*. Idem S. Antoninus. Pignon: *De generatione & corruptione*. Valleoletanus: *Item super libros de generatione & corruptione*. Guillelmus de Tocco in processu canonizationis testis citatus & juratus dixit, *quod vidit eum scribentem super librum de generatione & corruptione, quod credit fuisse ultimum opus suum in philosophia &c.*

Extat hæc expositio in Regia cod. MS cit. 4967 cum textu integro philosophi in medio pagg. charactere grandiori.

Prodierunt Venetiis, Petri Liechtenstein, 1498. Item 1565 fol. quæ ultima extat in Barber.

T. III. 1. *In 4 libros Meteororum expositio*. I Pr. *Sicut in rebus naturalibus nihil est perfectum &c.*

II Pr. *Postquam philosophus determinavit de his quæ gerantur in alto*.

III Pr. *Postquam philosophus determinavit de tonitruo &c.*

IV Pr. *Postquam philosophus in superioribus determinavit de particularibus transmutationibus &c.*

De hoc opere sic Logotheta: *Super duos libros Meteororum*. Trivetus: *Meteororum primum & secundum*. Petrus Rogerius: *Super duos Meteororum*. Idem Bernardus & S. Antoninus. Pignon: *Meteorologicorum*. Valleoletanus: *Item super duos libros Meteororum solùm, quia morte præventus non scripsit tertium & quartum*. Quibus si fides ut vix neganda videtur, sequitur commentum in tertium & quartum hujus ed. Rom. non esse S. Doctoris. Cujus autem sit non ita facile astrui potest. In cod. Navarr. supra laudato *de cælo & mundo* sunt commentarii Petri de Alvernia in quatuor Meteororum libros, & in primum ac secundum quidem sunt omnino diversi: in tertium autem est idem qui in Ed. Rom. in quartum verò est alius.

Prodiit Venetiis. 1561 fol. Extat Romæ in Barber.

2. *Commentaria in tres libros Aristotelis de anima*. I Pr. *Sicut docet philosophus in XI de animal. in quolibet genere rerum necesse est prius considerare communia &c.*

II Pr. *Postquam Aristoteles posuit opinionem aliorum de anima in 1 libro &c.*

III Pr. *Hic incipit liber 3 apud Græcos, & satis rationabiliter, ex hinc enim Aristoteles ad inquirendum de intellectu accedit &c.*

De his sic Logotheta: *Super secundum & tertium de anima*, & in fine indicis: *Lecturam super primum de anima F. Raynaldus de Piperno post eum legentem collegit*. Trivetus: *De anima secundum & tertium*. Et postea: *Expositio super primum de anima, quam F. Reginaldus ejusdem socius recollegit*. Petrus Rogerius: *Super secundum & tertium de anima*. Idem Bernardus, sed addit: *Item reportavit super primum librum de anima F. Raynaldus ejus socius*. Idem S. Antoninus. Pignon: *De anima*. Valleoletanus: *Item super tres libros de anima*.

Quales in edit. Rom. exhibent codd. MSS. Sorbonicus n. 858 fol. med. memb. sec. XIII ad quorùm calcem sic legitur: *Explicit sententia super librum de anima secundùm F. Thomam de Aquino ord. Præd.* Victorinus 274 fol. par. memb. a fol. 1 ad 66: ad calcem idem quod in Sorbon. In Sanjacob. cod. fol. mag. pellibus vitulinis charactere Italico eleganti scriptus. Titulus: *Commentum D. Thomæ de Aquino in* [tres] *libros Aristotelis de anima feliciter incipit. Bonorum & honorabilium &c.* Codex videtur sec. XV. Sequuntur eodem codice: *De sensu & sensato. De memoria & reminiscentia*. Altero cod. fol. mag. memb. sec. XIII extat in tres libros de anima post Sigeri de Brabantia commentum in libros de generatione. Ad calcem sic legitur: *Explicit sententia super librum de anima secundùm Fratrem Thomam de Aquino ord. Predic.* Venetiis apud S. Anton. plut. 4. Inter codd. MSS Bessarionis pl. 13. *Super 2 & 3 de anima & duos seqq.* Florent. ad S. Marc. Arm. 4 cod. 26 memb.

Venum prostabant Parisiis anno MCCCIII ex libro Rectoris jam cit. & XIX pecias implebant.

Prodierunt Venetiis, Liechtestein, 1503, & Bononiæ 1575.

3. *In eos qui parva naturalia Aristotelis dicuntur libros expositio, & 1 in librum de sensu & sensato*. Pr. *Sicut philosophus dicit in 3 de anima sicut separabiles sunt res a materia, sic & quæ circa intellectum sunt &c.* Laudant, Logotheta: *Super*

librum de sensu & sensato. Idem Bernardus, Trivetus, & S. Antoninus, Pignon & Valleoletanus.

Extat in Sorbon. cod. MS mox cit. n. 858. Tit. *Incipit scriptum F. Thomæ de Aquino super librum de sensu & sensato.* Pr. & c. eadem. Est etiam in Navar. codd. supra cit. totidem verbis. Venetiis apud S. Ant. *S. Thomas in parva naturalia.* plut. 6. Florent ad S. Marc. Arm. 4 cod. 25 hoc & sequens.

Venum prostabat Parif. anno MCCCIII ex lib. Rectoris cit. X peciis constans.

4. *De memoria & reminiscentia.* Pr. *Sicut philosophus dicit in 7 de histor. animal. natura ex inanimatis ad animata procedit &c.* Laudant iidem Logotheta: *Super librum de memoria & reminiscentia.* Idem Bernardus, Trivetus & S. Antoninus. Pignon & Valleoletanus.

Extat in cod. Sorbon. mox cit. ad cujus calcem sic legitur: *Expliciunt scripta F. Thomæ de Aquino ord. Præd. super librum de memoria & reminiscentia.* Et idem in Navarr. mox cit. In Victor. cod. 626 fol. mag. memb. a fol. 212 ad 231: *De sensu & sensato, De memoria & reminiscentia secundum egregium expositorem F. Thomam de Aquino &c.* Hæc pars codicis fuerat aliàs *F.....ab Extra de terminis Gandavensibus ord. FF. Prædic.* Est sec. XIII. Eadem opera cod. 1004 fol. med. memb. Hoc eodem cod. sequitur *de juventute & senectute*, & dicitur ejusdem. Pr. *Sicut dicit philosophus I Phys. Innata est nobis via ex nobis notioribus &c.* Sic etiam in Navarr. *Explicit sententia super libro de senectute & juventute edita a F. Thoma de Aquino &c.*

Mirum veteres non meminisse.

5. *In librum de somno & vigilia expositio.* Pr. *In priori libro determinavit auctor de quibusdam proprietatibus &c.*

Non meminerunt Logotheta nec Bernardus, nec S. Antoninus qui Bernardum excipit, sed annis 50 ante S. Antoninum meminerant Pignon, *De somno*, inquit, *& vigilia*, Et Valleoletanus: *Item super librum de somno & vigilia.* Certo hic editus sub nomine S. Thomæ non est Petri de Alvernia, cui alius tribuitur in codd. Navarr. & Sorbon. laudatis, scilicet hoc princ. *secundum philosophum 2 Phys. quæcumque movent mota &c.*

6. *In librum de somniis expositio.* Pr. *Determinato de somno, in hac parte determinare intendit de passione ejus quæ est somnium.*

7. *In librum de divinatione per somnum expositio.* Pr. *Determinato prius de somnio & quibusd. proprietatibus ejus, his determinat de quodam consequente &c.*

Horum antiqui non meminerunt. Valleoletanus sic habet: *Item super librum de morte & vita, & super alia parva naturalia.* Pignon solùm laudat *De morte & vita.* Quod indicat jam ante 1400 quædam S. D. asserta, quæ jam non habentur.

Prodierunt in *Parva naturalia commentarii, de sensu & sensili, de memoria & reminiscentia, de somno & vigilia cum additionibus Petri de Alvernia, & libro Proculi de causis ab Aquinate illustrato* Venetiis, a 1505. Item 1566 fol. adjecto libello quodam *De motu caloris & lumine.*

T. IV. 1. *In XII libros Metaphysicorum Aristotelis expositio.* Pr. *Sicut dicit philosophus in politicis suis, quando aliqua plura ordinantur ad unum &c.*

Meminit Tholomæus Hist. Eccl. lib. 22 c. 24. *Isto autem tempore* [Urbani IV] *F. Thomas tenens studium Romæ, quasi totam philosophiam Aristotelis sive naturalem sive moralem exposuit, & in scriptum sive commentum redegit, sed præcipue Ethicam & Metaphysicam quodam singulari & novo modo tradendi.* Quibus verbis libros naturalium supra recensitos laudat generatim quidem, sed speciatim hos metaphysicorum. Meminerunt & alii, Logotheta: *Super Metaphysicam.* Idem Bernardus, Trivetus, Pignon & S. Antoninus. Petrus Rogerius: *Super libros metaphisicæ.* Valleoletanus: *Super XII libros metaphysicæ.* Extant variis in bibliothecis codd. MSS. In Sorbon. fol. med. memb. n. 818 optimæ notæ & sec. XIII Ed. Rom. omnino conformis nempe in 12 libros. Alter similis formæ memb. ejusdem ætatis n. 858, item in libros XII; & ad calcem legitur: *Explicit ..... Metaphysicæ secundùm F. Thomam de Aquino ordinis Prædic.* Est & in Navarrica bis codd. fol. mag. memb. ejusdem circiter ætatis. Tit. *Sententia super libros Metaphysicæ Fratris Thomæ.* Hoc eodem volumine parte altera sunt commentarii Petri de Alvernia in eosdem XII libros, qui nihil habent cum opere S. D. commune, quod notandum fuit ne quis existimet hunc Petrum aliquid suum in hoc S. T. opus contulisse. In Victor. cod. 624 fol. med. memb. sec. XIII in XII libros. In Sanjacob. duplex: primus fol. mag. memb. ad cujus calcem legitur: *Explicit expositio libri metaphysicæ edita a Fratre Thoma de Aquino scripta a Johanne de Hans anno Dñi MCCXCVII feria tertia post festum B. Bartholomæi.*

Alter est fol. med. pergam. Nescio quis ita scripsit initio: *Hic liber fuit compositus a F. Alberto episcopo nostri ordinis conventus Senonensis:* & cuique fol. in superiore margine adjecit: *Conventus Senonensis.* Conventus Senonensis codicem aliàs fuisse libenter concesserim: sed ut ut sit de isto Alberto episcopo nobis penitus ignoto, certum est opus esse S. Thomæ in XII metaphys. libros. Tertius ibidem est codex fol. mag. memb. sec. XIII ad cujus calcem legitur, sed alia manu: *Explicit expositio S. Thomæ super XII libros metaphysicæ.* Venetiis apud S. Anton. Plut. 13 fol. memb. Florent. ad S. Marc. Arm. 4. cod. 22 memb. *super metaphysicam & physicam.* Item cod. 24 memb.

Hi commentarii venales erant Parisiis anno MCCCIII ex lib. Rect. univers. 53 peciis constantes.

2. *Liber de ente & essentia.* Pr. *Quia parvus error in principio.* In hac edit. Rom. adduntur commentarii Thomæ de Vio nostri cardinalis S. Xysti.

Hujus operis S. D. meminerunt & luculenter quidem Tholomæus Hist. Eccl. lib. 23 cap. 12. *Tractatus de ente & essentia, quem scripsit ad Fratres & ad socios nondum existens magister, qui sic incipit: Quia parvus &c.* Quibus verbis indicat a S. D. tum juvene editum ante 1253, quo Parisios venit sententias publice lecturus. Logotheta: *De ente & existentia ad Fratres socios.* Sed censeo erratum esse fortè typorum apud Baluzium & legendum *essentia*, ne bis idem repetatur. Bernardus: *Tractatus de quidditate entium, seu de ente & essentia ad Fratres & socios, qui incipit ut supra.* Idem S. Antoninus. Pignon: *De ente & essentia.* Valleoletanus ut Bernardus. Extant passim in bibliothecis innumeri cod. MSS. Florent. in Medic. Plut. 84 cod. 20 in 8 papyr. Item ad S. Marc. Arm. 4 cod. 15 memb. & cod. 16 papyr. Ibid cod. 100 memb. sec. XIV.

3. *In librum de causis expositio.* Pr. *Sicut philosophus dicit in* [illegible] *Ethic. Ultima felicitas hominis consistit in optima hominis operatione.* Meminerunt Tholomæus lib. 23 cap. 14. *Item super librum de causis.* Idem Logotheta, & Petrus Rogerius. Bernardus: *super librum de causis & propositiones Proculi.* Idem S. Antoninus, sed legit *Procli.* Pignon: *De causis.* Valleoletanus: *Super librum causarum.*

Extant passim in biblioth. codd. MSS. In Sorbon. cod. jam cit. n. 858. Ad cujus calcem: *Expliciunt scripta F. Thomæ. Nota hunc librum de causis esse Procli, qui propositiones sibi invicem concatenatas, singulas incipientes ab omnis, omne, omnia, omnes, ex ordine profert & deducit.* Item alio cod. jam

Sec. XIII. cit. n. 1 p. 818 ex legato Petri curati de Farbu. Notatur ad calcem hunc librum *ex Arabico esse translatum, & in Graco penitus non haberi, unde videtur ab aliquo philosophorum Arabum ex libro Procli qui intitulatur Elementatio theologica exceptus.* Est & tertius codex absque numero ejusdem circiter ætatis ex legato Godefridi de Fontibus jam anno 1280 clari. Item in Navarr. duplex fol. med. memb. cum aliis ejusdem. Venum prostabat Paris. anno MCCCIII ex libro Rectoris cit. VI peciis constans.

Venetiis inter codd. card. Bessario. Plut. 13 fol. memb.

T. V. 1. *In decem libros Ethicorum Aristotelis expositio.* Pr. *Sicut dicit philosophus in principio Metaphys. sapientis est ordinare.*

Recensent Tholomæus jam supra laudatus. Logotheta: *Super librum Ethicorum.* Trivetus: *Ethicorum libros decem.* Idem Bernardus & S. Antoninus. Pignon: *Super Ethicam.* Valleoletanus: *Item super libros decem Ethicorum.*

Extant codd. MSS innumeri. In Sorbon. duplex fol. med. memb. sec. XIII & melioris notæ, unus n. 805, alter n. 761 ad quorum calcem legitur: *Explicit sententia libri Ethicorum a F. Thoma de Akino edita.* Unus est ex legato Stephani de Gebennis circa 1280 florentis. Est & tertius ejusdem circiter ætatis absque numero fol. med. memb. Tit. *Scripta sive glossa super novam translationem Ethicorum Thoma de Aquino.* Sunt in Navarr. duo, primus fol. med. memb. Tit. *F. Thomas de Aquino super* X *Ethicorum libros.* Alter, sed recentior chartaceus scriptus 7 maii 1446 ut ibidem notatur. In Victor. cod. 1170 fol. par. memb. sec. XIV, sed abest nomen auctoris. In Reg. cod. 4752 fol. mag. memb. sec. XIV a fol. 1 ad 76. In Sanjacob. duplex fol. med. memb. uterque seculi XIV, sed post canoniz. scriptus. Item in decem libros. In Bib. Eccl. Turon. n. 188 cod. MS in papyr. fol. *super Ethica* sec. XV ineuntis. Venum prostabat Paris. anno MCCCIII ex lib. Rectoris cit. XXXVIII pecias implens & alias VIII pro tabula. Venetiis apud S. Antonium fol. memb. plut. 2, 3 & 4, & apud nostros SS. Jo. & Pauli, in decem libros Ethicorum Plut. 4.

Prodierunt Venetiis 1519. Item 1595 fol.

Seculo XV quidam hos libros contraxerat, & extat codex chartaceus in Sorbon. fol. med. Tit. *Artificiosum compendium librorum Ethica Aristotelis & Thoma Aquinatis ejus expositoris.* Pr. *Quia omnis ars qua est recta ratio scibilium.* Ad calcem sic legitur: *Explicit compilatio Ethica summe utilis omnibus hominibus inniti volentibus virtutibus, & bene regere proprias personas in vita ista sine crimine coram Deo & hominibus, alios dirigere & instruere salutaribus moribus, & vivere vita propria scilicet intellectus.* Qui liber prodiit sub nomine sancti doctoris in incunabulis typographiæ absque anno & loco apud Laurentium Philippi char. Goth. Extat hæc editio apud nostros Rotomagenses.

2. *In octo libros Politicorum Aristotelis expositio.* Pr. *Sicut philosophus docet in 2 Phys. Ars imitatur naturam.* Editores Romani expositionem in octo libros ut S. D. proferre videntur, quamvis omnes antiqui solùm in quatuor priores ei tribuant. Logotheta: *Super politicam libros quatuor*, Petrus Rogerius: *Super quatuor Politica.* Sic in MS. Bernardus: *Super quatuor libros Politicorum.* Idem S. Antoninus. Pignon non distinguit, *super politicam.* Valleoletanus: *Item super libros Politicorum quatuor, quia preventus est morte, & alios non complevit.* Crediderim potius mortem non obstitisse, sed vel in quatuor priores expositionem sufficere existimasse, vel majoribus quæ moliebatur operibus Summa præsertim theologica distentum hæc minora reliquisse. Fatendum tamen jam circa medium seculi XV Expositionem super quatuor posteriores libros sub nomine S. Thomæ prostasse, extat enim codex MS chartaceus in Sorbon. in quo exhibetur, & ad calcem sic legitur: *Explicit commentum politica eximii sacra theologia doctoris B. Thoma de Aquino ordinis sacri FF. Pradicatorum scriptum pro M. N. Guillelmo Ficheto A. D. 1455 die 28 octob.* In Regia codex est insignis n. 4752 fol. mag. memb. sec. XIII vel XIV in X *Ethicorum*, & in libro *Politic. Aristotelis.* De quo codice mox agemus. In Sorbon. item codex antiquus fol. par. memb. n. 1 p. * *ex legato Henrici de Ecclesia S. Maria Cortracensis decani*, estque commentum *F. Thoma de Aquino in* 10 *Ethicor. libros & quatuor tantùm Politicorum:* eodem cod. ejusdem Aquinatis in *tres libros de anima, & de memoria & reminiscentia.* Venum prostabat Paris. anno MCCCIII ex lib. Rectoris cit. cùmque XII pecias tantùm impleret, in IV priores tantùm fuisse conjici potest. Apud nostros Sanjacobeos Parisienses extant cod. MS fol. mag. memb.

Prodierunt Venetiis 1563 fol. quæ extat in Barber. Item 1595 fol.

Si fides Alvæ Sol. Verit. Rad. 81 col. 838 noster Theophilus Cremonensis de quo supra, in Prologo super libros Physicorum S. D. quos edidit Venetiis anno 1471 fol. (neque enim hactenus hæc mihi occurrit editio) sic præfatur: » Erunt hæc D. Doctoris in Aristotelis libros commentaria, quæ a me diligentius pluribus simul exemplaribus collatis emendata &c. Primò videlicet Commentaria in octo libros physicorum, duos tantummodo de cœlo cum tertio dimidiato, in duos de generatione, in duos Meteororum, reliquos enim duos arbitror ipsum non commentasse, morte vetante, sicut nec in ultimos cœli ob eamdem causam commentationem perfecit. In tres de anima. In libellos de sensu & sensato, ac de memoria & reminiscentia. In decem libros metaphysicæ, quibus commentaria in librum de causis copulabimus, licèt non Aristotelis sed Proculi fuisse constet. In decem libros Ethicorum: In duos solummodo Politicorum cum majore parte tertii: hos namque solos reperi D. Doctorem accuratissime commentasse, licèt nonnulli asserant ipsum in omnes Politicorum libros commentaria edidisse: sed si sic volunt, referant obsecro; unde tanta obrepsit commentariis diversitas post dimidiati tertii libri commentationem. Commentatio itaque illa non D. Doctori, sed doctissimo viro Petro Alvernati ordinis Prædic. qui in suis commentariis pro posse divinum Doctorem secutus est, ascribenda est, reliquis enim Petri commentationibus hæc in Politicorum libros commentationum suppletio plurimum alludit. In primum etiam librum perihermenias cum secundi particula, & in duos posteriorum Analyticorum. Quæ verò commentaria S. D. naturæ concedens imperfecta reliquit, ea vel ex commentariis ejusdem Petri, vel gratiæ Dei Esculani perficere curabimus &c «.

In ea verò censura Theophili quædam displicent, sed & quædam arrident. I Quod in decem libros Metaphysicæ tantùm scripsisse sanctum doctorem videatur affirmare non placet, nisi sit erratum Alvæ, nam in duodecim commentarios perfecisse testantur veteres catalogi, & codd. MS ejus ætatis fidem faciunt. II Quod in IV priores Politicorum libros integre S. Thomam non scripsisse asserit, fere consentio: nam in codice Regio supra citato 4752 bonæ notæ commentarius solus in primum & secundum & in tertium ad finem lectionis sextæ tantùm sancto doctori ascribitur: unde ibi sic legitur: *Explicit sententia libri politicorum.* Cætera

verò ad finem libri octavi, quamvis eadem sint quæ sub nomine S. Thomæ exhibentur in editis, non illi, sed Petro de Alvernia ascribuntur. Sic enim habetur ad calcem: *Expliciunt scripta super libros politicorum edita a magistro Petro de Alvernia.* Tamen propter auctoritatem tot testium, qui constanter asserunt S. Thomam in quatuor priores libros scripsisse, peritiorum ordinis virorum diligentiori disquisitioni & arbitrio id totum visum est relinquendum. Taceo quod Theophilus Petrum de Alvernia dicit ordinis Prædicatorum, licèt non fuerit: antiquus enim est error a nostro Baltazare Werlino Add. II ad Tritemium primùm prolatus, & a Leandro Alberto exceptus in cæteris facile illi astipulamur. Altera hujusmodi editio fertur ibidem. 1493.

In librum Perihermenias & in libros Posteriorum, Venetiis 1496 cum QQ. nostri Dominici de Flandria.

In libros VIII Physicorum Coloniæ, 1480. In libros de cœlo & mundo, 1486. In eosdem Venetiis, 1495. In libros de generatione & corruptione, Venetiis, 1498, apud Lichtenstein.

In tres libros de anima, & de cœlo & mundo commentarii prodierunt Parisiis, 1539 fol.

In Parva naturalia Paduæ, Hieron. de Durantis, 1493.

In XII metaphysicorum Venetiis 1560 fol.

In VIII libros Politicorum cum præfatione Nimiræi, 1500.

Non ommittendum hic quod universitas Parisiensis post obitum S. Thomæ scribebat capitulo nostro generali Lugduni ad pentecosten anni MCCLXXIV coacto. Sic enim petebat in epistola: *Humiliter supplicamus, ut cùm quædam scripta ad philosophiam spectantia Parisius inchoata ab eo, in suo recessu reliquerit imperfecta, & ipsum credamus ubi translatus fuerat complevisse, nobis benevolentia vestra cito communicari procuret: & specialiter super librum simplicii, super libros de cœlo & mundo, & expositionem Timæi Platonis, ac de aquarum conductibus & ingeniis erigendis, de quibus nobis mittendis speciali promissione fecerat mentionem. Si quæ similiter ad logicam pertinentia composuit, sicut quando recessit a nobis, humiliter petiimus ab eodem, vestra benignitas nostro communicare collegio dignetur.* Ex quibus colligas quanti Parisiis habitus sit ejus in libros de cœlo commentarius, quem ab eo perfici tam instanter petierant academici. Cætera opuscula si inceperat, cùm altera vice Gallias reliquit, jam deperdita sunt. *De ingeniis erigendis* interpretor machinas ad aquas vel alia gravia sursum attollenda, ut supra ubi de Alberto Magno, cui simile opus tribuunt, annotabam: librum verò Simplicii illum scilicet quem hic super prædicamenta Aristotelis scripsit, ac tum recens e Græco Latine versus erat anno MCCLXVI.

T. VI. & T. VII. *Scriptum in IV libros sententiarum Petri Lombardi.* Principia.

I. *Ego sapientia effudi flumina.*

II. *Spiritus ejus ornavit cœlos.*

III. *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur.*

IV. *Misit verbum suum & sanavit eos.*

Recensent omnes, Tholomæus lib. 22 c. 21. *Infra* (id est intra annos quibus legebat sententias Parisiis juxta modum loquendi tum usu receptum) *magisterium quatuor libros fecit super sententias, videlicet primum secundum tertium & quartum.* Et addit lib. 23 c. 15. *Scripsit etiam eodem tempore quo fuit Romæ, de quo dictum est supra* (scilicet circa 1262.) *jam magister existens Primum super sententias, quem ego vidi Lucæ, sed inde substractum nunquam ulterius vidi.* Logotheta: *Quatuor libros super sententiis.* Trivetus: *In primis namque super libros sententiarum quatuor scriptum fecit.* Petrus Rogerius: *Quatuor scripta super sententias.* Guillelmus de Tocco: *scripsit in Bacellaria, & in principio sui magisterii super quatuor libros sententiarum opus stylo disertum, intellectu profundum, apertum intelligentia, & novis articulis dilatatum &c.* merito legenda. Idem Bernardus, qui & addit de altero in primum sententiarum scripto eadem quæ Tholomæus, seu ut scribit *Bartholomæus*, quod fuit revera ejus nomen per syncopen Italis familiarem mutatum in *Tholomæi.* Idem Pignon, Valleoletanus, & S. Antoninus.

Innumeri prostant in Bibliothecis codd. MS. Venales erant Parisiis ex libro Rectoris univers. ante 1300. Sic enim in eo legitur: *Hæc sunt scripta F. Thomæ de Aquino super textum sententiarum super I librum* XXVIII *pecias. Super secundum* XLVII *pecias. Super tertium* L *pecias. Super quartum* LXXXI *pec.* Sic in I instrumento: in altero anni 1303. *Item in I sententiarum Thomæ* XXXVIII *pec. Item pro secundo sentent* XLVII *pec. Item pro tertio sentent.* L *pec. Item super quartum sentent.* XXIIII & XIII *pec.* In Bibl. S. Catharinæ vallis scholarium juxta recensionem codd. MSS qui aderant anno 1288 die jovis ante nativit. B. V. sic legitur in indice eo die confecto memb. *Item habebamus scriptum Fratris Thomæ super I senten. in uno vol. Item scriptum ejusdem Fratris super 2 & 3 sent. in uno vol. Item scriptum ejusdem Fratris super 4. sent. cum aliquibus quæstionibus in uno vol.* In Vict. cod. 627 memb. fol. med. *In prim. sent.* scriptum anno 1304 ut ibib. prima manu legitur. cod. 628 simili & ejusdem antiquitatis; *secundum.* cod. 629 memb. qui videtur antiquior; *in quartum.* Antea hic fuerat nostrorum Sanjacobeorum sed Victorinis venditus a priore F. Martino Billorini S. T. M. de consilio patrum pro pretio sex scutorum in auro pro reparanda sua bibliotheca, ut in fine legitur, anno 1420. In Sorbon. quamplures ætatis auctoris, ut & in Navarr. in ista inter alios codex fol. membr. scriptus anno MCCLXXXII eleganti charactere, estque scriptum *in quartum sentent.*

In Sanjacob. jam supersunt tantum codices MS memb. duo *super secundum sent.* unus fol. mag. alter fol. med. Item duo *in tertium* fol. med. Item duo *super quartum*, alter fol. mag. alter fol. med. omnes seculi XIII.

Florent in Medic. Pl. 26 *in secundum.* fol. In eadem Pl. 83 extat *in quartum* sed characteribus Græcis. Pr. Σαχραμεντυμ &c. Finis αδ ιπιυτιυμ αρκυδι. In S. Marc. Arm. 3 codd. 40, & 42. *Super quartum.* Venet. apud S. Anton. Plut. 13. *Super quartum.* Apud SS. Joan. & Paul. Pl. 7. *Super tertium.* fol. memb. & inter codd. card. Bessario. Pl. 13 *in quatuor.* fol. memb. Apud S. Georg. in Alga. *in 2. sent.*

In bib. Eccl. Turon. tres codices memb. fol. sec. XIV *in primum secundum & tertium.*

In bib. Eccl. Carn. codex unus in fol. memb. sec. XIV. *in quartum.*

Typis prodierunt *in quatuor sententiarum libros* scripta, Moguntiæ, Petri Scoeffer, 1469 fol.

Venetiis, Joann. de Colonia & Nicolai Genson, 1481 fol. Iterum 1486 fol.

Rursus ex recognitione Timothei Veronensis, editionem curante Boneto Locatello presbytero typis Octav. Scoti, 1497 fol.

Ibidem 1500 & 1501 fol.

Ib. Octav. Scoti & Georgii Arrivabeni 1514 fol.

Basileæ 1492.

Parisiis 1574 in 8.

Ibid. ex recognitione nostri Joan. Nicolai cum notis ejusdem, apud Societ. 1659. fol.

EDITIONES SINGULARES ANTIQUÆ.

Super secundum sentent. Bononiæ, Benedicti Hectoris, 1494.

Sæc. XIII. *Super tertium.* Coloniæ Joannis Coël. 1476. Basileæ 1489.
Venetiis, Hermanni Liechtenstein, 1490.
Ibid. Simonis de Luere 1503 fol.
T. VIII. *Quæstiones quæ disputatæ dicuntur.*
1. *De potentia Dei QQ.* 5.
2. *De malo QQ.* 16.
3. *De spiritualibus creaturis. Q.* 1.
4. *De anima. Q.* 1.
5. *De unione verbi. Q.* 1.
6. *De virtutibus in communi. Q.* 1.
7. *De veritate QQ.* 29.

De his sic Tholomæus lib. 22 c. 22. *Post hæc ipso magistrato* [anno 1257] *fecit quæstiones de veritate*, scilicet Parisiis. Addit enim: *Post tertium annum sui magisterii rediit in Italiam &c.* Et c. 39 seq. *Tempore Clementis IV fecit etiam tunc temporis Quæstiones de spiritualibus creaturis, de malo & de virtutibus.* Et lib. 23 c. 11. *Hoc etiam tempore* [circa Gregorii X tempora] *disputavit quæstiones de potentia Dei & creaturæ.* Rem distinctius narrat Logotheta: *De quæstionibus disputatis partes tres. Unam disputavit Parisius scilicet de veritate, aliam in Italia scilicet de potentia Dei & ultra, aliam item Parisius scilicet de virtutibus & ultra.* Trivetus fere idem sed clarius: *scripsit & primam partem de QQ. disputatis, de veritate & ultra, quas Parisius disputavit. Item secundam partem de QQ. disputatis de potentia Dei & ultra, quas in Italia disputavit. Item & tertiam partem de QQ. disputatis, quarum initium est de virtutibus, quas disputavit cùm secundo Parisius legeret.* Ex his supra evincebamus bis S. D. Parisiis studium Sanjacobeum rexisse, prima vice cùm magisterii agones sustineret a 1257 ad 1259 aut 1260, tumque cathedram videtur cessisse F. Hannibaldo Romano postea cardinali amico suo intimo: altera vice a 1269 ad 1271, tumque cathedram cessit F. Romano de Roma de quo supra sibi etiam familiarissimo. Alii tempora non distinguunt.

Bernardus: *Scripsit etiam idem doctor non parva volumina quæstionum de diversis materiis per diversos articulos distinguens & prosequens & elucidans veritatem, quæ intitulantur QQ. de veritate, QQ. de potentia Dei, item QQ. de anima, item QQ. de virtutibus, item QQ. de malo, item QQ. de spiritualibus creaturis.* Easdem numerat Pignon. Valleoletanus addit *QQ. de unione verbi incarnati*, quam ut pote unicam sub quodam aliarum titulo comprehendunt, qui speciatim non Recensent. S. Antoninus eadem quæ Bernardus. Ex libro Rectoris universit. Parisiens. venales erant ante 1300 fere totidem codd. MSS & singulis pretium mutui a studentibus solvendum præscribitur sic.

Item quæstiones F. Thomæ de veritate continent LXV *pecias.* Mutuum iij solidi.

Item QQ. de potentia Dei XXVIII *pec.* mutuum XIIII denar.

Item QQ. de spiritualibus creaturis V *pec.* III den.

Item QQ. de anima & de virtutibus XXIV *pec.* XII den.

Item QQ. de malo XXVIII *pec.* XIIII den.

Idem fere habetur in altero instrumento ejusdem libri rectoris anni 1303. Ad illam codd. MS distinctionem pro diverso quæstionum titulo alludere videtur Petrus Rogerius in suo S. D. panegyrico, cùm in totidem volumina discernit sic, *Quæstiones de veritate, item quæstiones de potentia Dei, item quæstiones de anima, item quæstiones de virtutibus, item quæstiones de malo, item quæstiones de spiritualibus creaturis.* Quas fortè totidem voluminibus distinctas in suo museo habebat. Nec scrupulum quis moveat quod non meminerit *quæstionis de unione verbi*: ea enim ut dictum est cum aliquibus aliarum fortè cum qq. de potentia Dei juncta erat, sic in codd. MS *quæstio de demonibus*, modo cum *QQ. de spiritualibus creaturis*, modo cum *quæstionibus de malo* juncta reperitur.

Codd. MSS innumeri extant in Bibl. Hi a me Parisiis visi. In Sorbon. I cod. fol. mag. memb. n. 131 ex legato Godefridi de Fontibus circa 1280 scriptus estque, prima secundæ S. D. ad cujus calcem *Quæstiones de potentia Dei F. Thomæ de Aquino ord. FF. Præd.*

Alter fol. mag. memb. n. 26. ex legato Sigeri de Cortraco decani Cortracensis & socii Sorbon. qui ex actis ejus gymnasii ætate S. Thomæ florebat. Insunt solùm *QQ. de potentia Dei F. Thomæ de Aquino &c. ut sup.*

III. Ejusdem formæ n. 137 sec. XIII. *QQ. de potentia Dei & de malo & de demonibus.* Ad singulas dicuntur Fratris Thomæ.

VI. Similis formæ ex legato Stephani de Bisuntio anno 1280 florentis. *Quæstiones de veritate F. Thomæ.*

V. Similis ex legato Joannis Roerii 1480 florentis, sed codex longe antiquior & ut videtur sec. XIV. *Quæstiones de malo.*

VI. Similis n. 751 videtur sec. XIII. *QQ. de anima, de virtutibus, de unione verbi incarnati, de substantiis spiritualibus, de dæmonibus, de malo.*

In Navarr. tres sunt codd. MSS fol. mag. seculi XIII aut IV ineuntis, at tantùm *QQ. de veritate & de malo.*

In Sanjacob. tres codd. MS. Primus fol. mag. memb. emptus anno MCCCL sed antiquior. *QQ. de veritate. De spiritualibus creaturis. De potentia Dei. De anima. De malo. De virtutibus.* Alter fol. med. memb. *De veritate.* Tertius fol. mag. memb. *De spiritualibus creaturis. De virtutibus.*

Apud Augustinianos ad pontem novum cod. MS fol. memb. n. 219 vel 270 post quædam opuscula S. D. *Item QQ. disputata ab eodem doctore B. Thoma de Aquino, de virtutibus & de unione verbi.*

In Victor. cod. 630 fol. mag. memb. olim in duo voll. distinctus. Sunt primo *quæstiones disputatæ de potentia: 2. quæstiones de veritate, F. Thomæ.* Codex est sec. XIII aut XIV ineuntis.

Alter ibidem codex 633 fol. med. memb. *QQ. de malo, de anima, de virtutibus, de spiritualibus creaturis.* Scriptus est post canonizationem: nam S. Thomas eodem charactere dicitur.

In ind. codd. MSS Angliæ T. I P. I. 2048. *F. Thomæ de Aquino QQ. de anima, de virtutibus, de amore* [leg. de unione] *verbi incarnati, de spiritualibus creaturis.*

P. II. 444. *De potentia Dei. De malo. De spiritualibus creaturis. De virtutibus. De anima.*

N. 563. *QQ. disputatæ Thomæ Aquinatis de veritate. De scientia Dei* [vid. leg. *potentia.*]

N. 544. *QQ.* 29. *Aquinatis disputata de veritate, scientia Dei &c.* idem erratum quod in art. super.

N. 1335 *QQ. de veritate secundùm Thomam de Aquino. fol.*

N. 1339. *Aquinas de veritate. fol.*

P. III n. 178. *Thomas Aquin. de veritate.*

N. 1782. *Aquinas de potentia Dei. De virtutibus. De unione verbi. De spiritualibus creaturis. De malo.*

N. 2022. *QQ. Fratris Thomæ disputatæ.*

T. II P. I n. 1915. *Thomas Aquin. de spiritualibus creaturis fol.*

Append. in addendis ad n. 9237 *de spiritual. creatur. QQ. de anima & de virtutibus.*

Florentiæ in Medicea. Plut. XXVI n. 8 codex memb. fol. *Quæstiones de malo* Apud S. Marcum Arm. IV

Arm. IV n. 33 *Quæstiones de spiritualibus creaturis S. T.* charta sec. XV.

Venetiis apud S. Antonium, Plut. XIII, *QQ. disputatæ F. Thomæ* fol. mem. Apud SS. Jo. & Paulum *QQ. disputatæ* fol. mem. Plut. VII. Inter codd. Mss card. Bessarionis Plut. XIII *QQ. de veritate & de potentia Dei*, fol. memb. Ibid. *omnes* voll. II memb.

In Bibl. Patavin. apud Tomasinum p. 7 a. *QQ. disputatæ de malo & de potentia Dei* voll. II fol. mem. p. 57 b. *de veritate* fol. mem. P. 7 *QQ. disputatæ* voll. II fol. mem.

Typis prodierunt omnes. Romæ, Arnoldi Pannartz, 1476 fol. voll. II: quæ editio extat Parisiis in Regia nn. D. 47 & 48.

Est antiqua alia editio hoc titulo: *Incipit liber de malo disputatus a ven. & illustri doctore S. Thoma de Aquino, quem per diversas divisit quæstiones, sive materias.* Ad calcem: *Impressum est totum opus ac completum per me Arnoldum thet Hoernen*, fol. par. char. Goth. absque anno & loco: extat in Navarr. Ibid. sequens

QQ. disputata angel. D. S. Thomæ Aquin. ord. Præd. per sacrarum literarum professorem mag. Theodoricum de Susteren conventus Colonien. ejusdem ordinis regentem in luculentam exerta consonantiam, de potentia Dei, De malo, De unione verbi incarnati, de spiritualibus creaturis, de anima, de virtutibus, fol. par. char. Got. absque anno loco & nomine typothetæ, qui videtur idem.

Easdem prodiisse certum eodem Theodorico curante cum altero volumine *De veritate*, Coloniæ, Henrici Quentel, 1499, 1500 & 1508 fol.

Rursus *revisæ & emendatæ per magistrum ordinis F. Vincentium Bandellum de Castro novo*, Venetiis, Hær. Octav. Scoti, 1503, fol. voll. II. Quam editionem vidi apud nostros Cabellionenses anno 1681.

Rursus recognoscente F. Joanne Evincxel in conventu Argentinensi theologiæ professore ac regente, Argentinæ, Martini Flach, 1507, fol. quæ editio apud nostros Rotomagenses.

Parisiis, Francisci de Honoratis, 1557 fol. Editio elegans, quæ apud nostros Parisienses ad S. Honorati.

Lugduni, 1569 fol. quæ apud nostros Rotomagenses.

T. IX. *Summa catholicæ fidei contra gentiles cum commentariis F. Francisci Ferrariensis ordinis Prædicatorum generalis magistri.* Pr. *Veritatem meditabitur guttur meum.*

Laudant omnes, Tholomæus Histor. Eccl. lib. 22 c. 24. *Scripsit etiam tempore ejusdem pontificis* [Urbani IV] *librum contra gentiles.* Logotheta: *Opus contra gentiles, quod continet quatuor libros.* Guillelmus de Tocho: *Scripsit etiam librum qui intitulatur contra gentiles stylo disertum & rationum novitate & subtilitate profundum, in quo miro modo ostendit, quod ex proprio ingenio habuit, & quod raptu mentis in Deum orationibus impetravit* &c. plura. Bernardus: *Scripsit & librum qui intitulatur Summa contra gentiles, quem in quatuor libros distinxit in uno tamen volumine. Est autem opus hoc stylo disertum & rationum novitate & subtilitate profundum* &c. ut de Tocho: *Nec videatur alicui absurdum, quod S. D. tam in scriptis quam in Summa sæpius, ubi ad propositum venit, utatur scientiis secularibus & verbis ethnicorum philosophorum: cùm ab eodem intellectu divino substantia omnium scientiarum prodeat, a quo divinæ scientiæ veritates emanant, cui omnes scientiæ jure subserviunt, ut ancillæ dominæ.* S. Antoninus excipit totidem verbis. Trivetus: *Item contra gentiles IV libros scripsit.* Petrus Rogerius: *contra gentiles.* Sic precise Pignon: *contra gentes.* Valleoletanus: *Scripsit & Summam quæ intitulatur contra gentiles, in qua sic hæreticorum errores scripturæ suæ falce acutissima extirpavit, sic contra paganorum & gentilium stultitiam & arcu & gladio doctrinæ suæ prævaluit; quod in tali conflictu sibi hactenus nullus similis fuit.* Quibus addit quæ Guillelmus & Bernardus, & tandem vult tum huic Summæ incubuisse, cùm ad S. regis Ludovici mensam accumbens, erupit in hanc vocem, *modo conclusum est contra hæresim Manichæi*, quæ fusius refert alibi legenda. In proc. canoniz. n. 67. *Item dixit F. Antonius de Brixia ord. Prædic. quod audivit a F. Nicolao de Marsiliaco consiliario & capellano regis Cypri ord. Prædic. qui fuit Parisiis discipulus dicti F. Thomæ, magnæ sanctitatis & scientiæ; qui dicto deponenti dixit cum lacrymis: F. Antoni ego fui cum F. Thoma Parisiis, & coram Deo dico; quod nunquam vidi hominem tantæ puritatis & paupertatis amatorem: quia cùm scriberet & componeret librum contra gentiles, non habebat chartas, sed in schedulis scribebat ipsum, cùm tamen certum erat quod potuisset habere, sed de temporalibus non curabat.* Iste testis idem dixerat superius n. 66. Sed si tum hoc opus meditabatur aut delineabat, certè ex fide Tholomæi non accuravit, nec ultimam manum admovit, nisi e Galliis in Italiam redux, quam jam repetierat anno 1261. SÆC. XIII.

Innumeri sunt in Bibl. codd. Mss ejus ætatis, ubi suscipiatur nova editio merito consulendi. In Sorbona sunt minimum sex ab iis ejus collegii sociis legati, qui S. D. viventem viderant, omnes fol. memb. & optimæ notæ. Tit. in omnibus: *Incipit liber de veritate catholicæ fidei contra errores infidelium editus a F. Thoma de Aquino ord. Frat. Prædic.* 1 ex legato Godefridi de Fontibus. 2 n. 1 Nicolai de Barroducis. 3 n. 89 Giraudi de Brolio in Alvernia. 4 n. 3000 Reigneri de Colonia. 5 n. 3001 ejusdem ætatis ac superiores. 6 n. 3002 ejusdem antiquitatis, sed in his duobus non indicatur quis legaverit. Notandum verò maxime quatuor operis libros quolibet codice eoque non mole magnò contineri, licèt in pluribus alia opuscula S. D. vel aliorum addita sint, quod & in sequentibus observabis. In Augustin. ad pont. nov. n. 216 ejusdem rationis.

In Navar. sunt duo ejusdem rationis ac Sorbonici; in Victor. duplex, alter n. 631 sec. XIV post canonizationem S. D. scriptus, aliàs nostrorum Sanjacobeorum Paris. a priore F. Martino Billory venditus de consensu magistrorum & baccalaureorum *pretio quatuor scutorum in auro de cuno D. N. regis* anno 1420: alter seculi XIII n. 632 ac melioris notæ. Apud nostros Sanjacobeos Parisien. duo codices fol. mag. memb. alter videtur sec. XIII, alter verò sec. XIV & post canonizationem scriptus. In Colbert. n. 1090 etiam sec. XIII fol. med. memb. Ibid. alius codex n. 3171 & 2304 tertius, & quartus n. 1382 fol. mag. memb. Venetiis apud S. Anton. Plut. 13 fol. memb. & Pl. 14. Item card. Bessario Pl. 13. Item S. Georgii in Alga, semel. Item S. Francisci a Vinea. Florent. in Medic. Plut. 26 cod. 9 fol. & 10 in 4 utroque memb. bis eodem titulo. Remis in Bibl. cathedr. Eccles. n. 140.

Venale hoc opus prostabat Parisiis ante MCCC & iterum MCCCIII ex libro Rectoris univers.

Prodiit hoc opus de veritate religionis Christianæ contra gentiles. In inc. typog. absque anno loco & nomine Typographi, in fol. chart. imper. absque num. & reclam. quæ editio in Navarr. tum Romæ, 1476 fol.

Venetiis, Joan. de Colonia, 1480 fol.

Coloniæ, Henr. Quentell, 1497. Iterum 1499.

Lugduni, Juntæ & socior. 1521 8. Rursus 1566 fol.

Sæc. XIII. Parisiis cum commentariis Silvestri Ferrarien. apud Joan. Foucher, 1552 fol.

Ibidem: *Quæstiones quodlibetales duodecim.* Pr. *Quæsitum est de Deo Angelo & homine.*

Meminerunt: Tholomæus lib. 23 c. 15 *Hic etiam notavit suas quæstiones de Quolibet, in quibus multa dubia declaravit, magnaque in eisdem scientia continetur.* Logotheta: *Undecim Quolibet disputati.* Guillelmus de Tocco: *Quæstiones de quolibet.* Bernardus: *Item scripsit undecim quolibet disputata.* Trivetus: *Item disputationes* XI *de quolibet, quarum sex Parisius, & quinque determinavit in Italia.* Petrus Rogerius: *Item* XI *quodlibeta disputata.* Pignon: *Item duodecim quodlibeta.* Valleoletanus: *Item scripsit undecim quodlibeta.* S. Antoninus: *Item scripsit duodecim quodlibeta disputata.*

Nec existimet lector inter hos ἀντιλογίαν esse quod alii XI tantùm, alii XII numerent, non enim propterea plures ab his aut pauciores ab illis agnoscuntur. Qui enim XI tantùm laudant, duo ex illis simul jungunt, ut in suis MSS codd. copulata videbant: qui verò XII, illa eademmet duo distinguunt, ut in suis codd. distincta erant. Quod ex pluribus codd. MSS etiamnum servatis facilè evincitur.

In Sorbon. est codex fol. mag. membr. n. 3003 ex legato Sigeri de Cortraco supra laudati anno 1277 clari, in quo est *prima pars Summæ S. D.* & ad calcem *Quolibet S. D.* quæ XI tantùm numerantur: sed sextum quinto adjungitur, ut non faciens numerum, unde in eo ponuntur 47 articuli, cùm in impressis quintum habeat 28 tantùm, sextum 19, qui simul 47 conficiunt. Aliud etiam est discrimen, scilicet quod octavum in impressis est undecimum in illo codice. Cætera eadem & universim numerus articulorum omnium quodlibetorum simul idem est & in MSS & in impressis. Ibidem est alius cod. fol. mag. membr. n. 116 ex legato Nicolai de Barroducis socii Sorbon. sec. XIII circa 1280: sunt *Quodlibet F. Thomæ* ejusdem rationis ac in superiori. Codex certe optimæ notæ & novæ editioni utilissimus. In alio cod. ejusdem formæ n. 251 ex legato Godefridi de Fontibus jam anno 1284 S. T. M. inter alia aliorum *Quolibet* sunt *Fratris Thomæ* a 7 ad undecimum. In alio cod. fol. par. membr. n. 490 ex ejusdem Godefridi legato inter alia plura, sunt quinque priora quolibet S. D.

In Navar. codex est fol. med. membr. in quo *Quodlibeta* XII *Fratris Thomæ de Aquino* distinguuntur.

In Victor. cod. MSS 634 fol. mag. membr. Tit. *Incipiunt quodlibeta S. Thomæ de Aquino ord. Frat. Prædic.* Sed iste titulus alia manu & recentiori quam codex. Ad calcem: *Explicit Quodlibet Fratris Thomæ.* Undecim tantùm numerantur.

In Sanjacob. cod. fol. mag. membr. Post QQ. disputatas sequuntur *Quolibet undecim.* Cod. altero fol. par. membr. post opus nostri Joannis Parisien. II contra Guillelmum de Mara *Quare detraxistis sermonibus veritatis, Quolibet S. Th.* Sed quinque priora tantùm sec. XIV. Venalia prostabant Parisiis MS ante 1300: *Item quæstiones de quolibet F. Thomæ de Aquino* XIV *pecia.* Iterum 1303: *Item in toto quolibet F. Thomæ* XXIIII *peciæ.* Sic in libro rectoris univ. Paris. quod indicat aliquando non omnia simul sed separata venisse.

Venetiis apud S. Anton. Plut. 13 f. membr. Item card. Bessario Pl. 13 bis fol. membr.

In Victor. cod. 678 fol. par. membr. qui ante MCCLXXX videtur scriptus. Inter alias aliorum quæstiones circa MCCLXXV disputatas fol. 238 a. sic legitur: *Quæstio F. Thomæ Prædicatoris. Supposito quod charitas sit habitus in anima virtuosus, quæritur utrum charitas sit habitus distinctus ab aliis habitibus aliarum virtutum. Ad hoc est dicendum quod sic. Quia dicit Damascenus quod res eo modo quo numerantur distinguuntur. Sed charitas alia est numero ab fide & spe. Ideo &c.* Quam quæstionem ulterius prosequitur. Finis: *Inter cæteras virtutes charitas causalitate est prior, diuturnitate major, mater in formatione, forma in apparitione, finis in remuneratione.* Ex quibus infero Aquinatem quæstiones plures publice tractasse, quas postea solitarius majori accuratione scribebat. Nam hanc eamdem quæstionem tractat 2. 2 q. 23 a. 4 sed accuratius. Post istam quæstionem cod. cit. sequitur index ejus scripti in sententias, & ad finem: *Expliciunt problemata magistri Thomæ de Aquino Fratris Jacobitæ.*

Typis prodierunt *Quodlibeta duodecim* seu *QQ quodlibetales.* Coloniæ, Arnoldi thet Hoernen, 1471 fol.

Ibidem, 1485 fol.

Rursus, 1491 fol.

Noribergæ, Andreæ Frisnes, 1474.

Ulmæ, 1475. Venetiis, Joan. de Colonia, 1476.

Venetiis, Joannis & Gregorii de Gregoriis, 1485 fol. & 1495. Iterum, Marini Saraceni, 1486 in 4: Extat. in Bib. Sangenov. & Oct. Scoti, 1501. Lovanii 1487.

Lugduni 1513 8.

Parisiis unà cum scripto altero *in* IV *sententiarum libros*, quod vulgo dicitur ad Hannibaldum, omnia ex recognitione Joannis Nicolai nostri, apud Societatem, 1660 fol.

TT. X. XI. XII. *Prima pars, Prima Secundæ, Secunda Secundæ, & tertia pars Summæ theologiæ cum commentariis R. D. D. Thomæ de Vio Cajetani cardinalis S. Sixti.*

Laudant omnes, Tholomæus Hist. Eccles. lib. 22 c. 39. *Hujus autem tempore* [scilicet Clementis IV. S. P.] *præcipue clarebat F. Thomas de Aquino, de quo supra facta est mentio &c.* Et paulo post: *Hujus tempore dictus doctor scripsit Summam quam in tres partes divisit, videlicet naturalem, quia ibi diffinitur de natura rerum, & primo de divina, 2 de rebus creatis. Secundam partem vocavit moralem, quam divisit in duo volumina: unum volumen accepit in universalibus materiis, quæ & prima Secundæ vocatur respectu scientiæ moralis: alia verò pars speciales materias continet virtutum omnium & vitiorum, tota fundata & ornata philosophorum dictis & rationibus, & doctorum sacrorum authoritatibus, quam Secundam Secundæ respectu ejusdem materiæ appellamus. Tertia autem pars Summæ, quæ est quartum volumen, sacramentalis vocatur, quia in ea de sacramentis agitur & incarnatione Verbi, & ultima pars dicitur, quia ultimo facta, sive quasi finis est aliarum. Istius ergo Summæ tres quasi partes scripsit tempore hujus pontificis* [qui sedit a 5 febr. 1265 ad 29 octob. 1268.] *& vacationis sequentis, quæ fuit spatio duorum annorum & novem mensium.* Et lib. 23 c. 11. *Hic doctor tempore hujus pontificis* [Gregorii X], *scripsit ultimam partem Summæ quæ sacramentalis dicitur, quia de sacramentis ibidem agitur & de incarnatione Verbi, in qua articuli fidei continentur secundùm ipsius humanitatem, sed non complevit morte præveniente.* Logotheta: *Tres partes Summæ.* Et superius quod aliquando sibi acciderat sic refert: *Item dixit dictus testis* [in processu canonizationis] *quod cùm ipse legisset aliquibus annis in scriptis dicti Fratris Thomæ, occurrit sibi quadam vice memoriæ se legisse in eis, quod consuetudo populi Christiani pro lege servanda est. Et dum hac verba idem testis studiose perquireret per plures dies, cùm essent sibi opportuna, nullo modo potuit illa invenire. Finaliter tamen idem testis genuflexit & rogavit dictum F. Thomam, quod revelaret sibi. Qui statim aperto libro Secundæ partis Secundæ sine*

revolutione chartarum invenit ipsa verba in tractatu de jejunio. [q. 147 a. 8.] Idem testis in proc. canoniz. n. 79. *Ipse F. Thomas suspendit organa scriptionis in tertia parte Summæ in tractatu de pœnitentia &c.* Quæ verba Alvam confodiunt perperam contendentem nesciri qua in quæstione tertiæ partis finierit Aquinas : ex his enim clare habetur eam eo usque deduxisse qualis in omnibus editionibus & codd. MSS prostat. Guillelmus de Tocho : *Summam fecit quam distinxit libris materias quatuor librorum ordinans, quam compluribus articulis ampliavit, subtilioribus rationibus, ipsas determinans Sanctorum auctoritatibus.*

Bernardus Guidonis : *Scripsit etiam Summam totius theologiæ, quam pluribus articulis ampliavit, & aliter quam in scriptis suis prioribus* [&] *secundùm exigentiam materiæ necessario & convenienti ordine per quæstiones & articulos distinxit subtilioribus rationibus ipsos determinans & declarans, quos sanctorum doctorum authoritatibus roboravit : in quo opere cunctis theologiam scire desiderantibus sic utiliter laboravit, quod viam sciendi, intelligendi & comprehendendi facilem, modumque compendiosum prius ignotum adinvenit & tradidit, non absque infusione doni gratiæ specialis. Summam autem prædictam in tres partes distinxit videlicet in naturalem, moralem & sacramentalem. In prima agit & definit de naturis rerum, primo de divinis, secundo autem de rebus creatis, & intitulatur prima pars Summæ. Secundam autem partem moralem divisit in duo volumina, in quorum primo agit & diffinit de virtutibus & vitiis, & aliis ad moralem materiam pertinentibus in communi, & intitulatur prima Secundæ. In secundo verò volumine descendit ad materias virtutum & vitiorum, & diversorum hominum statum, & intitulatur Secunda Secundæ respectu ejusdem materiæ. Tertia autem pars Summæ est quartum volumen ejusdem, quæ ideo sacramentalis vocatur, quia in ea agitur de Sacramentis Christi & Ecclesiæ, & de toto mysterio incarnationis Filii Dei, & intitulatur ultima pars Summæ, quia finis est aliarum, & ultimo facta fuit, in qua scribendi & vitæ suæ finem fecit, & morte præventus incompletam reliquit.*

F. Nicolaus Trivet in chron. reg. Angl. *Item Summam theologiæ, quam in tres partes divisit, & Secundam in duas partes : morte autem præventus tertiam totius & ultimam non complevit.* Pignon : *Summam theologiæ in quatuor volumina.* Valleoletanus Bernardum totidem verbis transcribit. S. Antoninus de omnibus & singulis in quaque parte contentis fusius agit, quem adeat lector curiosus.

Ad calcem I P. S. Doctoris T. X ab Edit. Rom. exhibetur *in librum B. Dionysii de Divinis nominibus expositio.* Pr. *Ad intellectum librorum B. Dionysii considerandum est &c.*

Laudant Tholomæus lib. 23 c. 14 *Item scripsit super Dionysium de Divinis nominibus.* Logotheta : *Super Dionysium de Divinis nominibus.* Idem Guillelmus de Tocho. Bernardus : *Tractatus continens expositionem librorum Dionysii de Divinis nominibus.* Trivetus : *Libros Dionysii de Divinis nominibus exposuit.* Pignon : *Super libros Dionysii de Divinis nominibus.* Valleoletanus, idem S. Antoninus ut Bernardus. Non omittendum Valleoletanum citatum ibidem addere a S. D. etiam expositos *libros de cœlesti hierarchia, item de ecclesiastica hierarchia, de mystica theologia, & omnes epistolas ejusdem Dionysii.* Sed cùm horum commentariorum nullus meminerit alius, delusum Valleoletanum haud pudet fateri, & quæ Alberti Magni erant in S. D. duplicasse. Idem dicas de Laurentio Pignon, qui S. D. ascribit expositionem *in librum de cœlesti hierarchia.*

Extat hæc expositio MS in cod. Sangenovef. H. 8 pluries laudando melioris notæ & sec. XIII inter opuscula S. D. ordine XVI. Tit. *Expositio F. Thomæ super librum de Divinis nominibus.* Pr. *Ad intellectum &c.* ut in impressis. Est & in cod. Victor. 635 inter opuscula S. D. ordine primum. Pr. *Incipit opus F. Thomæ de Aquino ordinis Prædicatorum super librum B. Dionysii de Divinis nominibus. Ad intellectum &c.* ut supra. Prostabat venale Parisiis anno MCCCIII ex libro Rectoris univers.

Prodiit seorsim hæc *expositio* Argentinæ 1502 fol.

Ad calcem ejusdem I P. in edit. Lugdun. anni MDXLI apud Joan. Crispinum in fol. extat quoddam opusculum hoc titulo

Angelici doctoris D. Thomæ Aquinatis de præscientia & prædestinatione divina tractatus, multorum exemplarium fidelissima collatione cunctis quibus undique scatebat erroribus & mendis (deerant siquidem & permulta in integrum sententiæ) summo studio incredibilique diligentia explosis, integritati pristinæ, nativoque suo candori plenissime restitutus. Prologus. Instantissime rogastis me carissime Frater &c. Sex paginas seu 12 columnas implet, & ad finem legitur : *hic tractatus per Joan. Danielis sacræ paginæ baccalarium Lovaniensem studiosissime revisus & correctus.* Quisquis sit hujus tractatus auctor certum est non esse sancti Thomæ, cujus inter opera a nullo veterum laudatur ; in nullis antiquis codd. MSS sancti Doctoris nomen inscriptum præfert, unde quænam sint illa exempla ad quæ Joannes Danielis testatur hunc tractatum se contulisse & recognovisse, ubi serventur MS vel typis edita proferre debuit, quod cùm sileat, nulla aut parca ipsi fides. Ut ut sit, si ejusmodi proferantur exempla, quibus præfixum Aquinatis nomen legatur, falso inscriptum nemo dubitet, unde nec in editione Romana anni 1570 ulla ejus memoria. Cæterùm hæc lucubratio licèt multùm distet a stylo S. Thomæ, non tamen ita discrepat ab ejus doctrina : nam & in ea astruitur præscientiam Dei adjuncta voluntate causam esse scitorum, & prædestinationem esse gratuitam & ante prævisa merita. Hinc mirum Thomam Campanellam famosum illum scholæ nostræ desertorem hanc opellam ceu genuinum S. Thomæ fœtum adoptasse, quo suam de prædestinatione post prævisa merita sententiam fulciret, a qua certe parum aut potius nihil illi præsidii. Eadem opella prodiit item ad finem ejusdem I P. in edit. Lugdun. apud Barthol. Honoratum typis Theobaldi Ancelin 1581 fol. & Venetiis apud Juntas 1588 fol. par. ad calcem primæ partis, & iterum ad calcem primæ Secundæ.

Supplementum ut vocant ad tertiam partem sapientissimi Editores Romani prudenter omiserunt, ut pote ex quarto sancti Doctoris in sententias scripto totum exceptum, quod proinde in editione generali omnium ejus operum fuisset supervacaneum, & duplicata operarum impensa. Unde mirum in editione Antverpiana 1612 apud Joannem Keerbergium fuisse additum, nisi fortè ita voluerit librarius, solam Summam theologicam separatim a cæteris operibus pluribus sic petentibus sperans a se vendendam, cujus proinde plura quàm aliorum tomorum exempla prælo excuderit, tum enim hoc Supplementum haud parum commodum fateor.

Cujusnam menti primùm hæc insederit cogitatio hujusmodi Supplementi condendi & addendi, etsi levis sit quæstio, cùm in eo non alius sit labor, quam partem scripti S. D. in quartum sentent. ab amanuensi transcriptam ad calcem partis tertiæ Summæ adjicere, tamen inquirere non erit inutile. Est qui eam operam F. Alberto de Brixia de quo postea tribuat, quod non aliunde ortum puto, quàm ex

SÆC. XIII. eo quod in suo *De officio sacerdotis* opere tractet non solùm de incarnatione verbi in compendium redigens quæ de ea habet S. D. parte tertia, sed & de ecclesiasticis sacramentis, ubi finiit S Thomas cætera ex ejus scripto in quartum sententiarum totidem verbis, sed pluribus rescissis excerpens, qua ratione forsan Anonymus seu potius Vincentius Bandellus in prima sui libri de conceptione Virginis editione dixit Albertum tertiam partem Summæ S. D. complevisse: sed illud non est supplementum quod quærimus, ex ipso scripto quarto in sententias ad calcem partis tertiæ translatum nullo rescisso nullo addito. Unde ipse Bandellus in altera sui operis editione id totum expunxit. Sunt alii qui laborem hunc ascribant Petro de Alvernia, ea ratione forsan ducti, quod libros quosdam philosophiæ S. D. compleverit, sed vir insignis hos proprio marte perfecit, in quo quædam erat ejus gloria: Supplementum autem addere, cùm nonnisi notarii vel libellionis esset opera, hanc eum assumsisse non verisimile. Adde nullum codicem MS seculi XIII aut XIV integri indicari posse, qui hoc Supplementum exhibeat. Scio ab Alva in Sol. Verit. Rad. 169 col. 1393 laudari codicem monasterii S. Martini Lovanii lit. E. n. 4 sub hac inscriptione: *Incipit complementum quod Petrus de Alvernia Doctoris sancti sequens vestigia ex quarto scripto ejusdem super sententias consummavit.* Et ad finem dicitur: *Explicit tertia pars Summæ S. Thomæ de Aquino, quam ipse morte præventus incompletam reliquit, Deo aliqua melius de eo disponente, quam Petrus de Alvernia Doctoris sancti sequens vestigia ex quarto scripto ejusdem super sententias consummavit. Deo laus.* Sed cùm iste codex sit tantùm seculi XV, nil aliud probat, quàm ita existimasse vel notarium, vel eum qui codicem scribendum curabat, sed nullo monumento antiquo fultum. Quid certius profert idem Alva in suis Funiculis Nodi indissolubilis pag. 54 ubi Henricum Gorrichen seu Gorcomium hujus Supplementi primum fuisse concinnatorem contendit ex duplici cod. MS a se viso Coloniæ apud regulares Cruciferos, quorum primus hunc ferebat titulum:

Sequuntur quæstiones ex quarto scripto S. Thomæ de Aquino ord. Prædic. S. T. D. eximii per Ven. Mag. Henricum de Gorrichen doctorem theologiæ pro completione materiæ in tertia parte supradicti S. D. declarandæ, ut in principio patuit compilatæ. Sequitur Supplementum idem quod nunc prostat. Ad calcem codicis sic legitur: *Explicit complementum III P. Summæ S. Thomæ de Aquino ord. Præd. Doctoris eximii per M. Henricum de Gorrichen S. T. P. bonæ memoriæ compilatum, scriptum anno* 1447. In altero codice ad calcem sic legebat Alva: *Explicit III P. Summæ S. Thomæ de Aquino ordinis Prædicatorum quam ut intendebat non complevit immatura morte præventus, cujus suppletionem ex scripto ejusdem Doctoris M. Henricus de Gorrichen bonæ memoriæ compilavit.* Henricus ille Gorcomius Batavus fuit a loco natali Gorcomio vernacule *Worcum* vel *Worrichen*, nuncupatus, doctor theologus Coloniensis anno MCCCCXX renunciatus, & ejusdem universitatis vice-cancellarius *Gymnasii*, inquit Alva, *Bursamontis collega*, cujus sodales doctrinæ S. Thomæ fuisse mirum addictos & cultores mihi aliunde constat. Hanc itaque sibi assumsisse operam Henricum, quo socios onere quærendi in scripto IV super sententias sancti Doctoris quæ deerant in tertia parte Summæ levaret, libens concesserim, nam & longe ante Alvam id jam dixerat & typis ediderat Valerius Andreas homo illi non incognitus in sua Bibl. Belg. anno 1643 edita, adeò ut qua fide Alva asserat hoc semper a nostris silentio pressum non videam, nam Valerius ipse non alio documento istius operis concinnationem Henrico tribuit, quàm ex fide Bunderii nostri in indice codd. MS Belgii, quem sexcenties laudat Alva ut a se visum & transcriptum: sicque evanescunt illæ omnes imaginariæ Alvæ visiones eo loci de suppressa a nostris ex industria Gorcomii gloria, quæ certe non tanti esset ex hac opera, nisi ex aliis lucubrationibus fulgeret.

Sed instat Alva cur in tot Supplementi editionibus Gorcomii non legitur nomen præfixum? Ingrati animi est talis ac tanti benefactoris non meminisse. Quis putet hæc ab Alva serio opponi? Si ipsi fides Gorcomium crederes Supplementi & eorum quæ insunt auctorem, in quo ne verbulum quidem vel minimum ex suo protulit. Partem scripti quarti super sententias sancti Doctoris ad finem tertiæ partis Summæ ejusdem a suo amanuensi curasse transcribendam hic tantus est ejus labor. Apud Franciscanos cùm æditimus ornamenta ex sacrario ad altaria defert in die festo, an locupletiorem facit Ecclesiam? vel ut aptiori utar exemplo, an qui Augustini epistolam ad Vitalem cum ejusdem libris de prædestinatione Sanctorum & de correptione & gratia extra ordinem aliarum epistolarum seorsim imprimendam curarunt, an beneficium Augustino contulerunt, an potius beneficio a sancto auctore accepto usi sunt? Adde Supplementum in nostris scholis nulli unquam usui fuisse nec esse, professoribus S. Thomæ opera in propria sede, & eo ordine quo ab eo emanarunt semper legentibus, adeo ut a doctis nunquam videas citari in Supplemento sed in quarto, & rectè. Hæc necessaria non erant, nisi (absit verbo injuria sed res palam est) Alvæ iniquitas huc nos coegisset.

Parisiis in Navarr. codex est elegans fol. mag. pellibus vitulinis elegantissimis charactere minutiori sed nitido. Hæc omnia simul insunt Summa S. Thomæ integra, Supplementum nec dicitur cujus opera adjectum, ut nec necessarium, cùm cuilibet sibi struere sit obvium; adest & Summa contra gentiles. Hoc unicum exemplum mihi occurrit Supplementi MS. Codex est sec. XV. nam donum est, ut initio legitur *nobilis D. ac R. P. D. Joannis de Beauveau quondam episcopi Andegavensis, & Joannis de Lenoncourt canonici & thesaurarii Turonensis ejusdem nepotis.* Amborum tesseræ gentilitiæ ad elegantem arborem prima pagina depictam pendent. Joannes de Beauveau vir sua ætate doctissimus, sed multum ille & terris jactatus & alto vi superum, anno 1447 ad sedem Andegavensem evectus fuit, de quo Galliam Christianam adeat lector curiosus. Cùm autem Gorcomio laudato æqualis fuerit, vix putem hunc Coloniæ morantem ab eo Parisiis agente & agones theologicos sustinente consultum, ut Supplementum Summæ S. Thomæ adjiceret, quod ipse sibi vel quivis theologus minimus concinnare poterat.

Typis prodiit ex Beughemio absque loco & nomine Typographi 1478. Deinde Venetiis Joan. de Colonia 1487 fol.

Ibidem Philippi Pincii 1493 fol. Extat Paris. in Regia. Postea Octav. Scoti, 1505, fol. Vidi apud nostros Cabellione. & 1518 fol. apud nostros Rotomagenses.

Deinceps fere cum tertia parte Summæ theologicæ in hujus singularibus editionibus.

Hæc Summa theologica, S. D. præstantissimum opus, ex quo tantam apud omnes orbis christiani universitates authoritatem sibi conciliavit, quo doctoris communis laudem sibi promeruit, an tamen genuinus ejus fœtus sit, a centum circiter annis quibusdam placuit in dubium revocare. Licèt autem in Dissertatione speciali anno 1708 edita, cui titulus, *Sancti Thomæ Summa suo auctori vindicata,*

sive de V. F. Vincentii Bellovacensis scriptis dissertatio, quæcumque dubia hactenus proposita ita solverim, ut res jam non solùm in propatulo posita, sed & certo & invicte demonstrata ab eruditis censeatur; quia tamen hujus dissertationis nonnisi quingenta exempla excudit typographus maxima jam ex parte distracta, ut & eadem in illa lucubratione allata documenta cum novis exinde repertis hîc tanquam in proprio loco referam, ipsa operis hujus ratio postulat, ne quid in hac parte supersit lectori desiderandum. Sic autem procedam. Primo iis fiet satis, qui an sanctus Doctor unquam de Summa theologica edenda cogitarit subdubitant viri clari & eruditi nec contemnendi: Secundo difficultas quam tantopere quidam urgent de *Speculo morali*, quod a quadringentis circiter annis sub nomine nostri Vincentii Bellovacensis prostat, & in quo *Prima Secunda* & *Secunda Secunda* pro magna parte leguntur, ut inanis & vana plane solvetur: tertio denique quorumdam puerilis & indigna, scilicet ab Alexandro de Hales Summam suam S. doctorem excepisse contendentium imaginatio diffiabitur.

Ac primo quidem clarissimus vir seculo proxime elapso XVII sacræ facultatis Parisiensis magister sociusque Navarricus Joannes Launoius, quem nescias a criterio an commendandum se magis an omnibus formidandum vivus præstiterit, Summam theologicam non a S. D. editam, sed eo jam mortuo, imo & in album Sanctorum jam relato, ab uno vel pluribus ordinis Prædicatorum theologis ex variis ejusdem commentariis collectam & concinnatam sibi suisque asseclis pene persuasit. Ratio ei dubitandi fuit sermo panegyricus a Petro Rogerio tum tantùm monacho & sacræ theologiæ magistro Parisiensi, postea per varios gradus, summo pontifice Clemente VI dicto in solemniis canonizationis S. Thomæ coram Joanne XXII Avenione mense julio 1323 pronunciatus, in quo ille opera omnia sancti doctoris seriatim referens Summæ theologicæ, ut putat Launoius, non meminit. Ac ne viro eximio imponere aut vim ejus argumentorum dissimulare videar, en ipsissima ejus verba tractatu cui titulus, *Veneranda Romana Ecclesiæ circa simoniam traditio, Parisiis apud viduam Edmundi Martini 1675 in 8 p. 290 & seqq.*

» Porro autem dixi B. Thomas, vel alius quis » sub illius nomine, quia ut id dicerem effecit Cle» mens papa VI in sermone, quem de B. Thoma » recens numero cœlitum ascripto habuit. E multis » laudationis piæ capitibus, unum est multitudo li» brorum, quos sanctus doctor composuit. Clemen» tis verba sunt:

Dico 4 quod est valde fertilis &c. Non enim scripsit unum librum solum, imo mirabile fuit, quomodo in tam parvo tempore quo vixit, tot opera componere potuerit. Scripsit enim tam super sententias, quàm alias quæstiones XVI *volumina, scilicet quatuor scripta super sententias, quatuor libros in summa contra gentiles. Quæstiones de veritate. Item quæstiones de potentia Dei. Item quæstiones de anima. Item quæstiones de virtutibus. Item quæstiones de malo. Item quæstiones de spiritualibus creaturis. Item undecim quodlibeta disputata. Scripsit etiam super Bibliam. Super quatuor evangelia ex puris Sanctorum auctoritatibus mirabile opus connexum, ac si per unum hominem omnia essent dicta. Item postillas super evangelium Joannis. Item super epistolas ad Romanos, ad Corinthios & ad Hebræos. Item super Isaiam. Item super Job. Item super Hieremiam. Item super Threnos. Item super Cantica. Et super philosophiam super libros physicorum, metaphysica, super* IV *lib. de cœlo, super librum de generatione, & super duos meteororum, super secundum & tertium de anima: super quatuor politica: super librum de causis, super logicam, super librum posteriorum, super librum perihermenias. Item sunt parva opuscula circiter* xl.

» Hæc ex Clementis sermonum cod. MS quem « habet bibliotheca Caroli Mauritii Tellerii Re- « mensis archiepiscopi. Et primum quidem nescio « an videri possit librorum catalogus diligentia & « studio majori conscriptus, in quo tamen Summa « tripartita desideratur. Quomodo opus tam gran- « de, si B. Thomæ fœtus est, fugere potuit Cle- « mentis diligentiam, qui sibi sumsit doctorem sanc- « tum a librorum quos edidit multitudine laudare? « Quomodo tam insigne opus prætermisisset, qui « tot minuta opuscula recensuit? Quis quæso sibi « sumeret Augustinum a librorum quos scripsit mul- « titudine commendare, & libros de civitate Dei « omitteret in illorum catalogo quem conficeret? « Quis sibi constitueret B. Bernardum ab excellen- « tia librorum quos exaravit prædicare, & iis re- « censitis libros de consideratione ad Eugenium si- « lentio convolveret? «

Deinde Clemens Parisiensis erat theologus B. « Thomæ ætate suppar, & forsan natus antequam « Thomas de vita decederet, & eam ob causam « facilè nosse potuit, quæ opera Thomas conscrip- « serat, & cum primis Summam tripartitam, quæ « ab eo sub extremo vitæ tempore edita fuisset «. Jam in isto articulo fallitur Launoius, nam ipse Clemens VI asserit se quinquaginta annos tantùm natum, cùm anno 1342 mense maio electus est summus pontifex. Anno igitur 1292 circiter primam lucem vidit octodecim annis a morte S. D. Videsis *Acta SS. T.* IV *Maii p.* 578, & Baluzium *T.* 1 *Pap. Aven. col.* 835, sed hæc nihil ad rem.

» Tum credibile non est Clementem usque adeo « accuratum librorum Thomæ texuisse catalogum « inconsultis Dominicanis, a quibus quin adjutus « fuerit, vix dubitari potest. Omisissentne Summam, « si hæc inter opera illius tunc extitisset? Postremo « non memini legere me, fuisse qui tunc Clemen- « tem de imperfecto librorum Thomæ catalogo ac- « cusaverit. Accusatus esset sine dubio, quia into- « leranda fuisset Clementis negligentia. «

Non me latet in præfatione librorum Durandi « super sententias Summæ mentionem fieri, eamque « citari, sed non me quoque latet Durandi in sen- « tentias esse scripta duo, quæ extant in bibliothe- « ca cœnobii S. Victoris ad Lutetiam. In priori nul- « la est præfatio. In posteriori est præfatio, quæ al- « terius esse potest quàm Durandi, cùm ex aliis, « tum ex eo quoque quod in illis scriptis Summæ « nominatim meminerit nusquam, etiamsi Thomæ « placita passim refellat. Deinde si Durandi esset, « diceretur verisimiliter, unum vel plures fuisse, « qui statim atque Thomas in Sanctorum numerum « relatus est, Summam ex variis Thomæ commen- « tariis jam confecerant, cùm Durandus præfatio- « nem posteriori scripto adtexuit. Durandus verò « relationi Thomæ in sanctorum numerum annis « decem supervixit. Cæterùm si vetustior Clemen- « te scriptor operum Thomæ catalogum composuit, « eique Summam indidit, illi potius quàm Clemen- « ti assentiar. Sed recentioribus Clemente scripto- « ribus oppono Tertullianum, qui in libri de ve- « landis virginibus cap. 1 dicit: *Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegia regionum.* Oppo- « no Baronium, qui Tertullianum secutus est ad an- « num 109 n. 51. *Jura*, inquit, *veritatis nulla plurimorum seculorum valent præscriptione lædi, nec innumera testium multitudine obrui atque labefactari.* Sic apud Tertullianum & Baronium » fidissimos patronos habito «. Hactenus Lau-

Sec. XIII. noius, sed hæc quam firma sint & solida videamus.

In eo toto Launoii discursu duo veniunt annotanda, unum quod astruit, alterum quod offert. Primum est visum ei Clementis VI silentium, qui scilicet sanctum Doctorem ab operum multitudine laudans, eaque accuratius recensens, summæ theologicæ, ut putat, non meminerit, quod indicio est, inquit, tum anno 1323 mense julio nondum in lucem prodiisse. Offert tamen, & est alterum in ejus verbis notandum, si vetustior Clemente VI scriptor operum Thomæ catalogum texens, ei Summam indiderit, huic se potius quàm Clementi assensurum. Huic posteriori faciendum satis laudatus supra noster Natalis Alexandre sibi assumsit, & quidem vivo tum adhuc Launoio, tantaque testimoniorum Clemente antiquiorum congerie adversarium obruit, ut ad sententiam ex promisso mutandam redegisse censeatur, saltem ipsum quicquam reposuisse nulla est memoria. Itaque ne actum agam, testes ab Alexandro adductos nemo hîc expectet, quos apud ipsum quærat lector curiosus. Verùm cùm Summa S. D. theologica sit ut ita dicam ordinis Prædicatorum Palladium, quo salvo constet schola nostra, sublato ruat funditus, testimoniis ab Alexandro depromptis alia non contemnenda imo plane decretoria si adderem, lectori haud ingratum me facturum existimavi.

Et quidem quantum ad scriptores quos exigit Launoius, ut ei producantur Petro Rogerio antiquiores, jam supra id actum est, nam ex octo testibus a nobis allatis quatuor certo ante canonizationem scripserunt, Tholomæus de Luca mortuus anno 1321, Guillelmus de Tocco hi ambo S. D. discipuli & auditores, Nicolaus Trivet mortuus quidem 1328, sed natus 1258, quique chronicon suum regum Angliæ scripsit ante relationem Aquinatis in album SS. cùm ab eo tantùm Frater Thomas vocetur, denique Logotheta Neapolitanus quondam S. D. familiaris, & in processu canonizationis testis juratus, qui & alium ipse producit testem F. Rainaldum sancti Doctoris socium, qui videns eum anno 1273 a festo S. Nicolai decemb. 6. *Suspendisse organa scriptionis in tertia parte Summe in tractatu de pœnitentia, dixit ei: Pater quomodo dimisistis opus tam grande, quod ad laudem Dei & illuminationem mundi cœpistis, cui respondit dictus F. Thomas: Raynalde non possum &c.* Iste Raynaldus mortuus est circa 1300, & hoc ejus testimonium didicit Logotheta Anagniæ paulo antequam Bonifacius VIII papa caperetur, id est anno 1303, & eodem anno id revelavit & pluribus & potissimum Benedicto XI ex ordine Prædicatorum assumto. Porro ex hoc clarissimo testimonio non solùm adversus Launoium evincitur sanctum Doctorem Summam scripsisse, sed & tertiam partem ad quæstionem 90 ut nunc habetur deduxisse, quo Alvæ figmenta, ne dicam deliramenta, contendentis tertiæ partis quæstiones plures, fortè inquit a 27 cæteras a F. Alberto de Brixia suppletas & adjectas fuisse, quem legesis *Sol. Verit. col.* 919 *& Funiculi p.* 55 *&* 56, plane dissipantur. His addendus ab aliis hactenus neglectus, quia non visus, & a me primum porductus F. Joannes de Columna Romanus vir insignis de quo postea ad 1294 veste Dominicana a B. Jordano magistro ordinis secundo ante 1237 indutus, & S. Thomæ superstes, qui & seculi XIII fines attigit. Hic magni illius operis quod *Mare historiarum* dicitur auctor scripsit, & aliud *de viris illustribus Ethnicis & Christianis* in bibl. SS. Jo. & Pauli nostra Venetiis servatum, in quo inter alia Thomæ de Aquino scripta meminit Summæ theologicæ in quatuor volumina divisæ. Videsis postea ubi de eo, ne testimonium ejus bis repetam.

Testibus his quinque oculatis & æqualibus addenda sunt virorum illustrium quædam testamenta. Primum est F. Nicolai de Freauville conventus nostri Rotomagensis alumni sacræ theologiæ professoris, Philippi pulcri Francorum regis a sacris confessionibus asciti circa 1296, & anno 1305 ad regis petitionem ad purpuram evecti, qui & anno 1324 febr. 14 mortuus est. Hic in tabulis ultimæ voluntatis Avenione 16 octob. 1321 datis inter alia sic cavet: *Item declaramus quod libri videlicet Biblia, Summa decretalium in duobus voluminibus, Summa contra gentiles, & secunda secundæ, quos habebamus antequam essemus factus cardinalis, fuerunt dicti conventus ordinis Prædicatorum Rotomagensis, & ideo volumus & mandamus, quod dicti libri sine difficultate eidem conventui reddantur.* En jam secundam secundæ in conventu Rotomagensi ante 1305, & quam haud dubie sibi commodari obtinuerat, dum in variis conventibus quos recenset, lectoris officio fungeretur. Videsis Baluzium T. II Pap. Aven. p. 411. Alterum S. Ludovici ordinis Minorum episcopi Tolosani, Caroli Claudi utriusque Siciliæ regis filii, anno 1298 mortui, de quo Antonius Pagi T. IV criticæ in Annal. Baronii p. 695 col. 1. Sic lectorem monet, se in calce sermonum S. Antonii de Padua illud publicasse, ex eoque demonstrasse Summam theologicam cujus in eo mentio, genuinum esse fœtum doctoris angelici. Tertium est Michaelis de Becco cardinalis tit. S. Stephani in Cœlio monte 29 Aug. 1318 mortui, qui apud Carmelitas Parisienses tum recens prope crucem Haymonis, sive ad plateam *Maubert*, nunc dictam translatos sepeliri voluit, & præter alia plures libros illis legavit, inter quos recensetur *secunda secundæ F. Thomæ*, quam dictis Carmelitis cardinales testamenti curatores Avenione miserunt 12 julii 1319. Videsis Franciscum *du Chesne Histoire des Cardinaux François T.* II *Preuves p.* 278. Quisquis autem secundam secundæ laudat, cæteras laudat in eadem citatas, priores ut jam editas, tertiam saltem promissam.

Jam ipsi codices MS ipsius seculi XIII recensendi, ac primo gymnasii Navarræi, cujus historiam Launoius diligenter adeo & eleganter scripsit. In eo autem codex est insignis fol. mag. memb. anno 1700 mense octobri a me visus & exploratus. Est Secunda Secundæ Summæ S. Thomæ, sic autem legitur in fine: *Explicit Summa secundi Libri F. Thome de Aquino edita ab illo. Deo gratias.* Sequitur index, & ad calcem indicis: *Explicit ordo & signatio quæstionum secundi libri secundæ partis F. Thome de Aquino. Benedictus Deus. Amen. Anno Dñi* MCC *nonagesimo in tempore quadragesime.* Quæ ætas codicis: nam hæc omnia eadem manu qua totus codex, codicem hunc quin Launoius viderit nemo addubitet, qui bibliothecæ illius angulos omnes perscrutatus est: cur non meminerit, cùm sermonem Petri Rogerii adeo severe expendebat, judicent veri æquique amantes. Tomasinus quem & ille legere potuit, in Bibl. Venet. apud S. Antonium Plut. 20 recenset *Secundam Secundæ Fratris Thomæ scriptam* 1290, Ratisbonæ. Et in Patavin. p. 72 inter codd. Augustin. Eremit. *Secundi libri secundæ partis F. Thomæ* 1290 *scripti exemplar geminum.*

Plures alii sunt in eadem Navarra codices æque, fortè etiam antiquiores, at cùm eorum ætas certo indicari nequeat, ab his scrupulosius numerandis supersedeo. Moneo solùm in omnibus Summam S. D. theologicam dici semper *Summam* simpliciter & absque addito, & ubique etiam vel primum vel secundum vel tertium librum Summæ. Sic in fine codicis anno revera tantùm 1437 a M. Nicolao Dauchy huic bibliothecæ donati, at qui antiquissi-

mus mihi probatur ex colore cappæ Dominicani in prima litera depicti, nigro naturali ut aiebant seu castaneo, qui ætate Aquinatis adhuc erat in usu, & sub finem seculi XIII desiit: Sic, inquam, legitur: *Explicit liber primus Summæ Fratris Thomæ de Aquino ordinis Fratrum Prædicatorum magistri in theologia.* Sunt quatuor alii codd. ejusdem formæ & ætatis circiter, in quibus sic legas: *Incipit prima pars Summæ F. Thomæ de Aquino.* Tres primæ secundæ: *Incipit secunda pars Summæ &c.* Tres secundæ secundæ: *Explicit ordo & signatio quæstionum secundi libri secundæ partis F. Thomæ de Aquino.* Duo tertiæ partis: *Incipit*, vel *Explicit Tertia pars Summæ F. T. de A.* In his non numero septem aut octo alios codd. omnium partium, in quibus dicitur *Sanctus Thomas*, qui post canonizationem scripti.

2. In Sorbona plura sunt antiquissima Summæ S. D. exempla, e quibus ea quorum ætas manifestior est seligo. Primæ partis sunt quatuor codices fol. mag. memb. primus n. 96. ex legato Petri de Farbur, alter n. 118 ex legato Clarini de Sedeloco Æduensis diœcesis: hi seculo XIII florebant. Tertius n. 103. Quartus n. 138, hi absque nomine legatoris, sed ex charactere proculdubio ejusdem seculi. Ad horum calcem ut plurimum: *Expliciunt tituli primæ partis Fratris Thomæ de Aquino ordinis FF. Præd.*

Primæ secundæ sunt octo codices quorum tres potissimum notandi, primus n. 121 ex legato Sigeri de Cortraco decani ecclesiæ B. Mariæ Curtracensis, qui e primis Roberti de Sorbona sociis fuit ex actis gymnasii, sanctumque doctorem vidit. Alter n. 130 ex legato Berneri de Nivellis canonici S. Martini Leodiensis, qui cum Sigero de Brabantia concanonico suo Leodium jam se receperat mense novembri 1277, ut constat ex actis F. Simonis de Valle Or. Prædic. in regno Franciæ tum inquisitoris generalis. Sic enim habetur in cod. MS memb. aliâs conventus nostri Rotomagensis ejus ætatis, ubi acta plura ejus inquisitoris. Tertius ex legato jam laudati Clarini de Sedeloco n. 249. Alii videntur æque antiqui nn. 3, 110, 128, 283 sed absque nomine legatoris. Est & unus sine numero ex legato Adalberti Rankonis de Ericinio in Bohemia socii, quem dicunt vixisse circa 1335, sed codex est antiquior. In horum plerisque sic legitur: *Incipiunt capitula primæ partis secundi libri Summæ edita a F. Thoma de Aquino ordinis FF. Prædic.* Quod ideo annoto ut videat lector sæpius Summam sine addito fuisse dictam.

Secundæ Secundæ quinque præsertim hîc laudo exempla seculi XIII primum ex legato Stephani canonici Ambianensis n. 1 p. 136, cujus ætas facile colligitur ex alio codice ab eodem legato, nimirum sacrorum bibliorum n. 304 cujus initio sic legitur: *Ex legato domini Stephani de Abbatisvilla canonici Ambianensis, & fuit asportata ad domum anno Domini* MCCLXXXVIII, *circa festum B. Martini hiemalis cum aliis libris nomine ipsius intitulis.* Codex igitur ille 2 2. S. D. ante 1288 scriptus, cùm eadem sit manus quæ utrumque canoni bibliothecæ inscripsit. Est alius similis formæ n. 1194 ex legato Berneri de Nivellis jam laudati. Tres alii nn. 91, 250 & alius sine numero videntur ex charactere ejusdem seculi. In his ut in superioribus sic legitur: *Incipiunt capitula libri secundi partis secundæ Summæ edita a Fratre Thoma de Aquino.*

Tertiæ partis quatuor sunt præcipui codices nn. 85, 108, 119 & 262, quorum ultimus ex legato Guidonis Britonis socii, qui ex actis gymnasii apud D. d'Estoiiilly socium servatis & a D. Hemeræo collectis floruit a 1274 ad 1287 cæteri sunt ejusdem circiter ætatis.

Verùm inter relatos Sorbonæ socios nominandus præsertim venit Godefridus de Fontibus canonicus Leodiensis unà & Parisiensis, sua ætate insigne sacræ facultatis lumen, jam anno 1284 laurea donatus, a quo Aquinas noster quin visus fuerit, vel etiam familiariter agnitus vix dubites. Ejus prætereà testimonium nulli suspectum erit, quem in eo gravi negotio, quod a quibusdam Gallicanis antistibus adversus regulares mendicantes, Prædicatores præsertim & Minores excitatum est occasione bullæ Martini IV *Ad fructus uberes*, certum est ex magistris qui cum prælatis nos impugnarunt, ardentiorem fuisse: de quo legendus Boulæus *Hist. Univ. Paris.* T. III p. 465 ubi & de congregatione prælatorum anno illo 1284 habita longa narratio. In Bibl. Colbert. cod. 3266, qui totus est de eo dissidio, refertur litera encyclica episcopi Ambianensis ad antistites Gallicanos ea narrans, quæ post præfatam congregationem Parisiensem evenerant, in qua inter alia hæc leguntur: *Verumtamen omnes doctores, qui hoc anno disputaverunt de quolibet, quibus facta fuit hæc quæstio, videlicet M. Henricus de Gandavo, M. Godefridus de Leodio, M. Savarus canonicus Montis S. Eligii, & M. Nicolaus de Pressorio pro nobis determinaverunt.* Annum illum 1285 fuisse necesse est: nam postea quæ sibi Aureliano Baugenciacum adeunti contigerunt refert: tum autem erat januarius 1285 stylo veteri, novo 1286. Ex quibus Godefridi ætatem rimari licet. Tum enim Henricus de Gandavo mortuus anno 1293 ætatis 76, sexagesimum octavum circiter decurrebat, quam ætatem S. Thomas non attigisset etiamsi ad annum illum 1285 usque superfuisset. Perpendat autem lector an Godefridus jam doctor ut & Gandavensis eumdem quodlibetorum actum sustinens, multo junior censendus sit. Hujus autem Godefridi plures sunt in Sorbona codd. MSS ab eo legati.

Primus est fol. mag. memb. n. 90 in quo sic legitur: *Summa Fratris Thomæ contra gentiles, cum prima parte Summæ ejus abbreviata.* Hujus autem compendii hoc est artificium. Primo affertur titulus quæstionis, deinde singulorum articulorum corpora sibi invicem connexa exhibentur, addita quandoque ad corpus articuli una vel altera responsione ad argumenta. In margine verò ad latus cujuslibet articuli ejus ab aliis distinctio annotatur, cujus specimen ut & cæterorum codicis in dissertatione nostra laudata dedimus. Verùm quisquis sit hujus compendii auctor, satis est jam nos illud e manibus sacræ theologiæ magistri Parisiensis S. Thomæ æqualis ejus in scholis vel socii vel auditoris, certe qui eo vivente ac florente vixit unà ac floruit, habere: hinc enim primam illam partem integram antea, ac verisimillime ipso etiamnum vivo S. D. vidisse ac tenuisse Godefridum invicte demonstratur.

Alter codex est fol. mag. memb. n. 75 cujus initio sic legitur: *Hæc est Secunda Secundæ Fratris Thomæ de Aquino collegii pauperum magistrorum de Sorbona in theologica facultate studentium ex legato magistri Godefridi de Fontibus prètii* XII *librar.* In fine verò: *Explicit Summa de virtutibus & vitiis edita a F. Thoma de Aquino scripta sumtibus mag. Godefridi canonici Leodiensis labore Henrici de Bavenchien.* Sequitur index quæstionum & articulorum, & ad calcem: *Explicit ordo & signatura quæstionum secundi libri secundæ partis Fratris Thomæ de Aquino. Benedictus Deus. Amen.*

Tertius codex geminus superioris eodem charactere eademque manu, quantum conjicere licet, n. 131 est Prima secundæ. Ad finem: *Expliciunt tituli quæstionum primæ partis secundi libri Sum-*

Sæc. XIII. *ma Fratris Thomæ de Aquino ordinis Fratrum Prædicatorum.* Ad calcem omnium : *In hoc volumine continentur prima pars secundæ partis F. Thomæ de Aquino. Item quæstiones ejusdem de potentia Dei. Iste liber est collegii pauperum magistrorum de Sorbona studentium Parisius in theologica facultate ex legato mag. Godefridi de Fontibus pretii* XII *libr.*

Ex quibus sic arguere licet. Godefridus has duas Summæ partes scribendas curavit sub F. Thomæ de Aquino nomine : ergo Aquinatis quem vivum noverat fœtum esse scivit : ergo hæc exempla tum potissimum sibi comparavit, cùm studiis theologicis navabat operam, ac in iis totus erat, quod ante 1284 fuit, quo florebat inter primos, ac apud prælatos summo in pretio erat : ergo alios codices antiquiores & ipso vivente Thoma scriptos antea viderat, unde ipsi similes habendi natum est desiderium. Hisce quæso an est aliquid quod opponi possit ?

Verùm quia ex iis ille numeratur qui sancti doctoris sensa impugnarunt, quanta nihilominus reverentia eum prosequeretur, quantique doctrinam ejus faceret, nosse lectori non erit ingratum. Id evidentius probari non potest, quam referendo quæstionem 5 Quodlibeti ejus 12, cujus titulus ut intelligatur revocandum est in memoriam, quod sciunt omnes Stephanum Templier episcopum Parisiensem anno 1276 & iterum 1278 in quasdam propositiones censuram tulisse. At cùm harum quædam nostri Aquinatis censerentur, ac proinde nota quædam ejus doctrinæ inusta videretur, id plures Parisienses theologi impatienter ferebant, nec tacere potuit Godefridus. Post Stephanum Templier Joannes de Aurelianis cancellarius Parisiensis anno 1280 veteri stylo novo 1281 in quadragesima electus fuerat, verùm eo ut onus commodius vitaret, ad Fratres Prædicatores fugiente eorumque veste induto, Ranulphus S. T. magister episcopus Parisiensis evasit, & articulos a prædecessore damnatos eodem in statu reliquit. Huic anno 1289 suffectus Simon de Bucy canonicus Parisiensis aliâs in Scaccario Rotomagensi cognitor regius, juris quidem peritus ille at in theologia hospes. De eo in dicto quodlibeto 12 q. 5 Godefridus hanc movet quæstionem:

Utrum episcopus Parisiensis peccet in hoc quod omittit corrigere quosdam articulos a prædecessore suo condemnatos ?

Deinde ad quartum arguebatur, quod episcopus Parisiensis non peccet omittendo talem correctionem, ostendendo quod tales articuli non sunt corrigendi. Quia quod factum est de consensu sapientum non videtur corrigendum. Sed id quod circa dictos articulos est actum, factum est de consensu sapientum, ut dicit D. Stephanus quondam Parisiensis episcopus. Ergo &c.

Contrarium arguitur ostendendo quod sunt corrigendi, quia articuli qui sunt non intelligibiles, & qui manifeste videntur falsi & impossibiles, sunt merito corrigendi : sed inter prædictos articulos sunt plures tales, ut patet inspicienti. Ergo &c.

» Respondeo dicendum, quod illud quod est impeditivum profectus studentium, & quod est occasio scandali inter studentes, & quod est in detrimentum utilis doctrinæ, est merito corrigendum. Sed ita est in proposito. Ergo &c. Primum patet. Quia cùm aliqua materia est sic indeterminata incertitudine veritatis, quod absque periculo fidei & morum licet circa hoc diversimode opinari absque temeraria cujuscumque partis assertione, ponere vinculum vel ligamen, quo homines circa talia ad unam opinionem immobiliter detinentur, est impedire notitiam veritatis : quia propter diversas opiniones quæ circa talem materiam a viris literatis & scientibus tenerentur, per diversas disputationes ad utramque partem tendentes ad veritatem inveniendam, ipsa melius inveniretur. Ad hoc enim tendere debet intentio ratione disputantium circa talia, quæ non omnino evidenter ad veritatem sunt determinata, ut per disputationem deveniatur ad istam partem, non quæ magis placeat, sed quæ rectæ rationi magis consona apparebit. Impedire ergo talem modum investigandi & declarandi veritatem videtur profectum studentium & veritatis notitiam inquirentium impedire. «

Quantum ad articulos autem de quibus est quæstio, videtur dicendum quod plures sunt, de quibus diversimode opinari liceret. Sunt etiam aliqui qui videntur contradictoria implicare, nec potest inveniri modus docendi in talibus, quo ab intellectu possint capi, & sic impeditur intellectus a notitia veritatis circa illos. Item sunt aliqui qui secundum quod superficies literæ sonat, videntur omnino impossibiles & irrationabiles, propter quod oportet illos exponere expositione quasi violenta & extorta «. Hos articulos sigillatim discutit & carpit Godefridus, quos brevitatis causa hîc omitto.

» Sunt etiam occasio scandali inter studentes tam doctores quam auditores, quia cùm frequenter oporteat exponere aliquos de prædictis articulis, non quidem contra veritatem, nec contra intentionem, quam habere debuerunt illi qui prædictos articulos ediderunt, sed tamen contra id quod videtur prætendere superficies literæ, aliqui minus periti & simplices reputant sic exponentes excommunicatos, & formant sibi conscientias, quod tales male sentiunt, & tales simplices bonos & graves tanquam notatos de excommunicatione & errore cancellario vel episcopo deferunt, & plura inconvenientia & schismata ex hoc inter studentes oriuntur. «

» Sunt etiam in detrimentum non modicum doctrinæ studentibus perutilis reverendissimi & excellentissimi doctoris scilicet Fratris Thomæ, quæ ex prædictis articulis minus juste aliqualiter diffamatur. Quia articuli supra positi, & quamplures alii videntur sumti esse ex iis, quæ tantus doctor scripsit in doctrina tam utili & solemni. Et ideo in hoc quod tales articuli tanquam erronei reprobantur dicta doctrina etiam suspecta a simplicioribus habetur, quia tanquam erronea & reprobabilis innuitur. Propter quod plures possent habere occasionem retrahendi se a studio in tali doctrina, in quo non solùm ipsa doctrina læderetur, sed ipsi studentes vere damnum maximum sustinerent, quia salva reverentia aliquorum doctorum, excepta doctrina sanctorum, & eorum quorum dicta pro authoritatibus allegantur, prædicta doctrina inter cæteras videtur utilior & laudabilior reputanda : ut vere doctori qui hanc doctinam scripsit, possit dici in singulari & illud quod Dominus dixit in plurali apostolis Matth. 5. *Vos estis sal terræ &c.* sub hac forma : *Tu es sal terræ, quod si sal evanuerit, in quo salietur.* QUIA PER EA QUÆ IN HAC DOCTRINA CONTINENTUR, QUASI OMNIUM DOCTORUM ALIORUM DOCTRINÆ CORRIGUNTUR, SAPIDÆ REDDUNTUR ET CONDIUNTUR : ET IDEO SI ISTA DOCTRINA DE MEDIO AUFERRETUR, STUDENTES IN DOCTRINIS ALIORUM SAPPOREM MODICUM INVENIRENT. Propter hoc & plura alia non videtur multum laudabile in magno doctore, quod determinando aliquam materiam difficilem, si non habeat

» habeat alias rationes efficaces, suam determinationem talibus articulis confirmare conatur: cùm » ut prædictum est in prædictis articulis sint plures, » de quibus non est multum manifestum, quod sint » erronei, ut patet per supradicta, & etiam quod » de illis licitum est contrarie opinari &c. Nec » debent reputari leges communes efficaces ad determinandum quæstiones, quæ vigorem debent » habere per universum mundum, cùm istæ leges » non habeant vim ligandi nisi in uno solo loco. » Quia etiam majores qui sunt & fuerunt in dicto » loco & ut puto erunt, non reputant nec per gratiam Dei reputabunt dictos articulos esse leges » ligantes ad tenendum positiones, quas alii nituntur per dictos articulos confirmare, & ideo per » tales articulos præbent suis opinionibus modicum » fulcimentum «.

» Cùm ergo quæritur, utrum episcopus peccet » &c. Dicendum quod licèt D. episcopus Parisiensis sit homo eminentis literaturæ in jure canonico & civili, & etiam sufficientis in theologica » facultate, quia tamen in ista non tantum studuit, » quin ad correctionem dictorum articulorum indigeret consilio magistrorum, qui in dictis articulis non sunt bene concordes, a correctione illorum potest aliqualiter excusari. Sed cùm sententiam sui prædecessoris ad dictos articulos appositam posset sine periculo ad pacem & utilitatem plurimorum faciliter amovere, licèt non » videam quomodo * nihil valeat sufficienter excusari, ipsum tamen in nullo audeo condemnare «. Cætera omitto, quæ si quis voluerit, legat dissertationem nostram citatam, in qua quæstionem integram dedimus.

* *Nihil videtur superfluum.*

At verò an quid unquam dictum est ad S. D. commendationem illustrius? an potuit ejus doctrina magis extolli? salva reverentia aliquorum doctorum (quosdam indicare videtur sua ætate Thomæ æmulos) excepta doctrina SS. Patrum inter cæteras Aquinatis & utiliorem videri, & laudabiliorem reputari: quod apostolis in plurali a Christo dictum est, id in singulari huic doctori vere dici posse, *Tu es sal terræ*: per ea quæ in ejus doctrina continentur quasi omnium aliorum doctorum doctrinam corrigi, sapidam reddi & condiri: ea sublata jam in cæteris theologorum libris saporis nihil reliquum esse, ea a scholis exclusa studium omne theologicum periisse.

Aliunde verò famosa illa Stephani Parisiensis episcopi censura eo quod doctrinam Aquinatis aliquo modo lædere videretur, potuitne exagitari vehementius, aut etiam magis funditus percelli? doctrinam in ea catholicam & a catholicis doctoribus propugnatam reprobari: viam ad inveniendam veritatem claudi, dum sublata sentiendi libertate in re omnino libera ad unam opinionem intellectus immobiliter detinetur: contradictoria, impossibilia, irrationabilia, inintelligibilia, in ea statui: majores id est peritiores ac sapientiores, qui tum erant aut antea fuerant, theologos non reputare nec reputavisse sententiam illam ligantem esse aut fuisse, non solùm in cæteris mundi partibus, sed nec in ipso in quo lata est loco, diœcesi nempe Parisiensi: & ex gratia Dei sperandum idem a posteris futuris scilicet ejusdem facultatis magistris sentiendum: si qui autem ad doctrinam Aquinati adversam statuendam ex ea censura arguerent, modicum exinde suis opinionibus fulcimentum præstare: denique scandalum maximum ex ea in universitate ortum esse, invidiam aut etiam calumnias viris sapientissimis quotidie creari, ac universim ingens studio allatum fuisse detrimentum, propterea que episcopum Parisiensem etsi ob reverentiam in nullo condemnetur, ægre tamen excusari a peccato, quod saltem pœnas in ea sententia latas, ut erat ei facile, revocare tardaret. Quibus addas hanc quæstionem anno 1290 circiter a Godefrido publice propositam & defensam fuisse: certo ejus Quodlibeta anno 1303 octoginta duabus peciis constantia venalia prostabant ex libro rectoris universitatis Parisiensis.

Ex quibus duo infero, primum Godefridum etsi non in omnibus cum S. D. sentiat, imo pluries eum impugnet, id solùm ea libertate agere, qua in his quæ fidei non sunt aut morum, unicuique licet in suo sensu abundare, cæterum ubique servato Aquinati honore, quem reverendissimum & excellentissimum doctorem appellat. 2. Etsi in questione allata nominatim Summam non laudet, de ea tamen cùm doctrinam tam utilem & solemnem prædicat, præcipue intelligendum esse. Si quam enim S. Thomæ doctrinam commendat, certe eam maxime quam legebat ipse in libris quos comparavit, quos grandi pretio sibi transcribi curavit, quos glossis ornavit. At inter S. D. libros ab eo Sorbonæ legatos isti præcipui sunt, codex in quo prima pars in compendium redacta, eademque glossis explicata, prima secundæ & secunda secundæ quælibet duodecim libris emta grandi ea ætate ut omnes norunt summa: quod igitur de doctrina S. Thomæ omnibus anteponenda sapienter adeo præscribit, ad eam quæ in Summa theologica continetur, præcipue referendum est.

3. In Victorina Summæ S. D. quinque tantùm codices a me visi, primus *primæ partis* n. 636 fol. mag. memb. certo ante 1280 scripti, nam in litera majori initiali S. D. exhibetur ex cathedra docens cappa amictus coloris castanei tum nostris usitati, cùm aliunde atramentum codicis sit etiamnum nigerrimum. Ad calcem legitur ut in superius laudatis: *Explicit liber primus Summæ Fratris Thomæ de Aquino ord. FF. Præd. mag. in theologia.* Secundus est *prima secundæ* n. 637 ejusdem formæ & ætatis. Tertius est *secunda secundæ* n. 638 fol. majori quam mox laudati etiam memb. Sed recentior, & innuitur anno 1396 scriptus atramento debili. Quartus & Quintus nn. 639 & 640 sunt *tertia pars* hic ineunte seculo XIV ante canonizationem scriptus, in quo sic legitur: *Incipiunt capitula tertiæ partis Summæ Fratris Thomæ de Aquino Or. FF. P.* Ille scilicet 639 imperfectus, & circa medium seculi XV scriptus. Verùm in ea bibliotheca insigne est Summæ S. D. monumentum. Codex est n. 121 fol. par. memb. Titulus: *Incipit abbreviatio Fratris Galieni de Orto super secundam secundæ Fratris Thomæ de Aquino.* Pr. *Quia sermones morales in universali sunt minus utiles &c.* Hujus compendii artificium postea exhibebimus ubi de isto F. Galieno ad 1288, sed non omittendus finis: *Explicit anno Domini* M. CC *octuagesimo* VIII *mense Aprili.* Sequitur index quæstionum, & ad calcem sic legitur: *Articulos quæstionum particularium non scripsi, tum quia habita quæstione, in promtu articuli propter brevitatem eorum: tum quia qui voluerit, poterit ad originale recurrere, & inde absque difficultate poterit articulos abstrahere sigillatim. Explicit totum hoc opus.* Hæc inquam omnia eadem manu codicis. En igitur jam anno 1288 mense Aprili, scilicet quarto decimo ad summum a S. D. obitu anno secunda secundæ sub ejus nomine in compendium redacta. Ergo pluribus annis antea ipsa integra Parisiis & ubique habebatur, unde & qui hanc abbreviationem concinnavit, qui plura voluerint, ad originale, quod nempe omnium manibus versabatur, remittit.

In Colbertina plura sunt omnium partium Summæ exempla nn. 2360, 2361, 2362, 2368, 2369, 2370, 3014, 3015, 4399, quorum quædam ante

Sæc. XIII. canonizationem videntur scripta ; verùm quia annus certo non indicatur, nec alicunde deprehendi potest, ab his expendendis abstineo. At codex est insignis scilicet 2316 fol. med. memb. nimirum compendium secundæ secundæ alterius artificii auctorisque alterius a Victorino laudato, ad cujus calcem sic legitur : *Explicit Summa utcumque abbreviata, & per quasdam decisiones dearticulata, excepta de secunda secundæ S. Thomæ de Aquino ordinis Fratrum Prædicatorum per F. Joannem Dominici ejusdem ordinis de expresso mandato SS. P. & D. N. D. Joannis divina providentia Sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ papæ* XXII : *completa in Avinione anno Domini* MCCCXXIII *pontificatus sui anno ... sabbato post festum venerabilis doctoris S. Thomæ prædicti immediate subsequente.* Ex quibus liquet compendium hoc sive ante canonizationem die 18 Julii 1323 factam sive postea inceptum fuerit, intra octavum a præfata canonizatione mensem, scilicet decima mensis martii sequentis (quæ fuit sabbatum, nam litera dominicalis erat A. G. & adhuc 1323 stylo veteri dicebatur, qui nunc 1324) finitum fuisse.

Jam id velim perpendat lector. Si quod contendit Launoius anno 1323 XV Kal. aug. quo in album SS. Thomas relatus est, nondum Summa extabat, si post eum diem tantùm ab uno vel pluribus Dominicanis consarcinata est, quî Joanni XXII in mentem venit, ut eam in compendium redigi juberet ? an de opere quod non extat abbreviando, dissecando, resolvendo cogitatur ? verum antiquiora nobis non desunt adhuc monumenta.

Primo catalogus codd. MS prioratus S. Catharinæ vallis scholarium Parisiensis anno 1288 factus, & in archivo ejus collegii canonicorum regularium etiamnum servatus. Sic autem incipit : *Anno Domini* MCCLXXXVIII *in die jovis ante nativitatem B. Mariæ virginis habebamus in nostro armariolo Parisiensi libros inferius nominatos & compilatos, præsentibus Fratribus Laurentio de Pollengio, Jacobo de Brugis, Joanne de Castellione, Girardo de Trecis, Jacobo de Vertuto, Joanne de Braio. Habebamus &c.* Sequuntur codd. MSS circiter trecenti, & inter theologos scholasticos sic legitur : *Item habebamus scriptum F. Thomæ super primum sententiarum in uno volumine. Item scriptum ejusdem Fratris super 2 & 3 sententiarum in uno volumine. Item scriptum ejusdem Fratris super quartum sententiarum cum aliquibus quæstionibus in uno volumine. Item Summam ejusdem Fratris divisam in tribus voluminibus. Item Summam ejusdem Fratris contra gentiles in uno volumine. Item librum Guillelmi episcopi Parisiensis de universo. Item habebamus die prædicta scriptum F. Petri de Tarentasia super quartum sententiarum in uno volumine. Item scriptum F. Ægidii de Augustinis super primum sententiarum in uno vol. &c.* Summam illam Fratris Thomæ in tria volumina divisam ipsam esse Summam theologicam, quæ sic Summa simpliciter dicebatur, nemo negaverit, ut pote cùm a Summa contra gentiles distinguatur, quæ posterior hîc ut & aliâs semper in codd. MS uno volumine eoque leviori continetur. Duo autem circa illud instrumentum annotanda, primum aut esse ipsum archetypum tum confectum, aut ejusdem apographum eodem tempore scriptum in eodem codice membraneo, in quo exempla habentur instrumentorum omnium adeptionum ejus collegii, quorum primum est charta de concessione porprisii a Giboino & ejus sociis anno 1228 mense martio, eaque ante 1300 scripta omnia. Alterum notandum est Fratrum illorum, in quorum præsentia dicitur confectus index, Laurentium de Pollengio fuisse Facultatis Parisiensis magistrum, annis 1281, 82, & 83, inter concionatores Parisienses clarum ex cod. Victor MS 761, & tandem priorem Vallis, id est totius ordinis generalem præfectum anno 1297, ac Roberto Burgundiæ duci a confessionibus : Joannem de Castellione, Girardum de Trecis & Joannem de Braio etiam theologiæ magistros Parisienses, & hunc ultimum dictæ domus S. Catharinæ priorem anno 1304 die sabbati ante festum S. Luciæ mortuum : e reliquis duobus alterum circa 1292 priorem, ac proinde & viros omnes spectatissimos fuisse, & plures saltem illorum sanctum Thomam vidisse aut pares vixisse. Istud instrumentum 4 novemb. 1704 amice mihi communicarunt ejus ecclesiæ canonici cum ejusdem historia a Nicolao Quesnel suo sodali eleganter æque ac pie scripta, & ex antiquis ibidem servatis monimentis ubique laudatis eruta.

Catalogo huic San-Catharinæo duos alios adjungo ex libro Rectoris universitatis Parisiensis jam pluries laudato. Primi & antiquioris titulus est : *Tabula originalium & pretium quod debent habere librarii pro exemplari ipsorum concesso scholaribus.* Post plura autem recensita :

Summa Fratris Thomæ de Aquino super theologiam continet in primo libro LVI *pecias* III *sol.* pretium est mutui.

Item in prima parte secundi libri prædictæ Summæ sunt XL *pec.* III *sol.*

Item in secunda parte secundi libri sunt LXXXII *pec.* IIII *sol.*

Instrumentum alterum recentius est & secundo loco refertur. Sic autem habet : *Anno Domini* MCCC *tertio, die martis in festo B. Matthiæ apostoli* (stylo veteri qui nunc 1304 quo litera Dom. E. D. ac proinde Matthias in diem martis incidebat) *taxata fuerunt exemplaria quæ sequuntur Andreæ dicti de Zenonis per magistros universitatis ad hoc deputatos videlicet M. Henricum Amandi & M. Andream de Monte S. Eligii magistros in theologia, M. Guillelmum de Cornubia regentem in medicina, M. Guillelmum Britonem cum procuratoribus.* Post 25 codices taxatos isti adduntur :

Item pro prima parte Summæ Fratris Thomæ LXX *pec.* XLVI *denar.*

Item in secunda parte secundi libri ejusdem Summæ LXXXII *pec.* V *sol. &* VI *den.*

Item in ultima parte Fratris Thomæ LV *pec.* 44 *den.*

Cætera S. D. opera ibidem laudata suo quæque loco indicamus, quid autem ex hactenus dictis conficiatur, jam videt lector, nimirum systema Launoianum eversum plane ac confutatum. Non enim solùm quod exigebat Launoius scriptores plures ante Clementem VI sive ante canonizationem S. D. proferimus, qui omnium partium ejus Summæ theologicæ meminerunt, sed & codices innumeros illarum omnium partium ante 1300 venales, imo ante 1288 scriptos quosdam etiamnum in Bibliothecis Parisiensibus servatos recensemus : quid quæso adversus tot sacra antiquitatis monumenta potest Petri Rogerii in sua S. D. pia laudatione silentium, etsi verum supponatur. Verùm & hoc telum Launoio eripiendum, nego enim ac pernego Petrum Rogerii de Summa S. D. theologica tacuisse.

Sciendum itaque codicem sermonum Rogerii a Launoio laudatum aliâs bibliothecæ Tellerianæ, a pluribus annis esse nunc Regiæ n. 4137. 2 fol. med. memb. & sermonem de quo quæstio est, cujus thema, *Vir Dei es tu, &c.* quem in solemniis canonizationis coram summo pontifice pronunciavit Rogerius anno 1323 mense julio, bis in eo codice integrum scriptum esse scilicet fol. 79 & fol. 212. In eo sermone Rogerius Aquinatem a multitudine operum laudans, ea in tres classes partitur, primam theologicorum quæ quæstionaria vocant, secundam glossarum sive commentariorum in scrip-

turam sacram, tertiam philosophicorum, quibus jungit opuscula. De theologicis agens sic loquitur utrobique : *scripsit enim tam super sententias quam alias quæstiones sexdecim volumina.* Nota sexdecim, nota volumina. Igitur ut Rogerii de Summa theologica silentium constet, in enumeratione sequenti distinguenda sunt sexdecim quæstionum volumina seclusa Summa theologica. At verò juxta quod legit Launoius, non essent nisi duodecim. Sic enim legit ille : *scripsit tam super sententias quam alias quæstiones sexdecim volumina. Scilicet quatuor scripta super sententias :* en quatuor volumina. *Quatuor libros in Summa contra gentiles.* Hæc Summa in codd. MSS uno semper volumine eoque leviori coarctata fuit, itaque quintum volumen. *Quæstiones de veritate* 6. *Item quæstiones de potentia Dei* 7. *Item quæstiones de anima* 8. *Item quæstiones de virtutibus* 9. *Item quæstiones de malo* 10. *Item quæstiones de spiritualibus creaturis* 11. *Item undecim quodlibeta disputata* 12, nec plura. Nec est quod quis opponat quatuor libros Summæ contra gentiles a Rogerio pro quatuor voluminibus computari. Nam primo ut monui Summa illa in omnibus codicibus unico volumine eoque parvæ molis continetur, unde etiamsi in quatuor libros distinguatur, dicitur semper in titulo in singulari *Liber de veritate catholica fidei contra errores infidelium.* Secundo indigna esset exaggeratio opus levioris molis in quatuor dispescere, eaque quasi totidem volumina ostentare, ex quo sane non multum laudis Aquinati accessisset. At tertio peremtorium argumentum non sic legendum illud est, quod etiam quatuor illis Summæ contra gentiles libris pro totidem voluminibus computatis, adhuc non constet numerus sexdecim voluminum a Rogerio propositus, sed ad summum essent quindecim.

Itaque dicendum vel erratum esse notarii qui quatuor volumina Summæ theologicæ omisit, vel quod certissimum censeo, indicem male lectum a Launoio. Sic enim legendum : *Scripsit tam super sententias quàm alias quæstiones sexdecim volumina.* Nota ut jam monui *sexdecim*, nota etiam *volumina :* non dicit libros, indicans in eo numero non reponendos libros, nisi simul volumina constituant diversa : *sexdecim volumina*, inquam, *quæstionum*, ne cum commentariis in scripturam sacram confundas. *Scilicet*, inquit Rogerius, ut innuat se de quæstionum voluminibus solùm loqui, *scilicet quatuor scripta super sententias.* Jam quatuor volumina. *Quatuor libros in Summa.* Hic punctum omisit Launoius & hinc error : *in Summa*, inquam, *theologica*, quam Rogerius simpliciter & sine addito vocat *Summam*, quia tum sic appellabant, ut etiamnum sic appellant, *Summa S. Thomæ :* propterea enim supra monebam in codd. MSS Navarræ, Sorbonæ, Victorinæ, Colbertinæ & aliis *Summam* simpliciter dici, quia sic vulgo efferebatur. *Quatuor libros in Summa* dicit Rogerius, quia sua ætate & diutius postea sic partes Summæ inscribebantur : *Liber primus Summæ : prima pars secundi libri &c. liber secundus secundæ partis.* Relege titulos superius relatos. *Quatuor libros in Summa* theologica, cujus libri quatuor tot ea ætate constituebant volumina. En jam octo. 9. *Contra gentiles*, quod opus uno volumine eoque non mole magno semper comprehensum fuit. Cætera clara sunt. 10. *Quæstiones de veritate.* 11. *Item quæstiones de potentia Dei.* 12. *Item quæstiones de anima.* 13. *Item quæstiones de virtutibus.* 14. *Item quæstiones de malo.* 15. *Quæstiones de spiritualibus creaturis* 16. *Item XI quodlibeta disputata.* En jam sexdecim volumina sed recensita Summa theologica, qua seclusa non constat numerus, quod invictum argumentum lectionem Launoianam falsam esse, nostram legitimam.

Favet ipse codex MS in quo ut dixi bis sermo ille integer repetitur : in utroque sic legitur : *Scripsit enim tam super sententias, quàm alias quæstiones sexdecim volumina.* Quæ voces clavis sunt catalogi sequentis, ad quam exigendus. In primo sic leguntur sequentia : *scilicet quatuor scripta super sententias, quatuor libros contra gentiles.* Qua lectione posita cùm non sint nisi XII volumina, patet Summam a notario prætermissam quæ numerum XVI compleat. In secundo sic habetur : *scilicet quatuor scripta super sententias, quatuor in Sma*, id est *in Summa*, & hîc prima manu punctum. Postea : *Contra gentiles.* Ex quibus colligas Launoium ex utraque lectione tertiam conflasse sic, *quatuor libros in Summa contra gentiles.* Quod indicium est ipsum agnovisse in utroque loco erratum, & ex uno supplevisse, quod deest in altero. In primo deest *Summa*, in 2 *libros.* Jam ex hoc inferre debuerat codicem esse corruptum, nec ex eo quid certi expromi posse, nisi attendatur ad clavem *sexdecim volumina :* juxta quam si exigantur sequentia, ut res ipsa postulat, *per quatuor libros in Summa* necessario intelligendæ quatuor partes Summæ theologicæ, distinguendæ ab opere *contra gentiles.*

At Launoium seu potius Launoii asseclam, nam quin vir ille ἀκριβὴς si viveret & hæc legeret a præconcepto errore rediret nullus dubito, Launoii inquam asseclam confutat, & ad incitas redigit alius sermo ejusdem Petri Rogerii eodem anno stylo veteri novo 1324 dictus in ecclesia S. Jacobi nostra Parisiensi in primo ejusdem Sancti a canonizatione festo die septima martii, coram universitate doctoris ac filii sui nova natalitia solemniter celebrante, concurrente nimirum eo anno feria quarta quatuor temporum quadragesimæ cum martii 7 (lit. Dom. A. G. pascha 15 april.) qua occasione hæc verba pro themate assumsit : *Ecce plusquam Salomon hic Matt. 12 & in evangelio hodierna diei.* Extat hic sermo in eodem codice a Launoio laudato fol. 97 & seqq. ex quo hæc pauca in laudem S. D. excipio.

Pr. *Ratio docet quando aliquis alteri laudabiliter adæquatur &c.* Et post plura : *Et ideo dicitur Eccli 47 quod eruditus a juventute impletus est quasi flumen sapientia : & vere de isto sancto possumus dicere ista. Nam & ejus sapientia præcessit sapientiam aliorum doctorum, qui fuerunt in isto studio & quorumcunque plurimorum. Unde si per Hierusalem, quæ interpretatur visio pacis, intelligatur mater nostra universitas, audacter dico, quod iste præcessit sapientia omnes, qui fuerunt ante eum, imo post eum in universitate ista &c.* Verùm ad rem nostram, novum ille in hoc sermone operum S. D. catalogum instituit, sicque loquitur : *Ut de eo dictum intelligamus, quod fuit dictum de Salomone Eccl. ult. Cùm esset sapientissimus docuit populum, & investigans composuit parabolas multas, quæ sunt verba utilia, & circumspexit sermones doctissimos, ejus enim latitudo continentiæ & utilitatis est copiosa ambitu sua generalitatis. Ipse enim non spernit modica, imo & libros logicales & morales excellenter exposuit. In theologia quatuor scripta super sententias. Post tres Summas, quarum scientiam tractantem de virtutibus in duas divisit, fere loquentes de omni materia subtilissime composuit. Postea de veritate & potentia Dei. De malo. Contra gentiles. Qualibet etiam determinavit. Job & Joannem pulcerrime postillavit. Super quatuor evangelia opus mirabilissimum ex dictis omnium SS. recollegit, ubi eorum dicta sic contexuit, ac si per unum solum ordinatissime essent facta, & multos alios libros composuit &c.*

Quo in breviori catalogo duo maxime attenden-

 da: primo per *tres summas, quarum scientiam* (existimarim erratum esse notarii & legendum *secundam*) *tractantem de virtutibus in duas divisit*, nihil aliud intelligi posse, quam tres partes Summæ theologicæ, quarum secunda in duas subdividitur. Nota secundo eumdem Rogerii modum loquendi, ubi de opere contra gentiles, quod non vocat *Summam*, sed simpliciter & absque addito *contra gentiles*. Quo evincitur & in primo sermone, ubi opus illud recensebat, *contra gentiles* simpliciter & sine addito nominasse, & vocem *summa* præcedentem ad illud non pertinere, sed de Summa theologica revera intelligendam.

An Launoium quo erat criterio, sermo hic *Ecce plusquam Salomon hic*, præterierit, dum primum ante & post eodem codice scriptum tam diligenter tamque severe examinaret, nolim inquirere, ne viri nominatissimi manes solicitare videar: at quisquis in ejus errore pertinax Summam S. D. theologicam a Petro Rogerio non agnitam contenderit deinceps, sic a me accipiat: si primum sermonem opposuerit, continuo ut sexdecim volumina quæstionum a Rogerio laudata depromat, ab eo exigendum, quod cùm non poterit seclusa Summa, mox se deridendum omnibus & sibilandum dabit: sed & præterea ex altero sermone, *Ecce plusquam Salomon*, ubi eam Rogerius tam clare tamque luculenter profert, os ei obstruendum.

Addo solùm, Alvam longe ante Launoium præfatum codicem eumdem tum Bibl. Fouquetianæ vidisse ac expendisse, embosque ex utroque sermone S. D. operum indices transcripsisse *Sol. Verit. prologo p.* 5. b. & siquidem ille quo arsit S. Doctori Summam suam adimendi studio, quid lucis ad id conducens animadvertisset, jam Launoio palmam præripuerat, sed eam tam expresse in sermone secundo videns laudatam, nil sinistri suspicatus est de primo. Verùm in id totus incumbit, ut laudes S. Doctori a Rogerio impensius datas imminuat, nec ad verbum accipiendas inculcet, de quo aliorum esto judicium.

Præter Tellerianum sermonum Rogerii exemplum olim Fouquetianum, & nunc Regium, aliud est in gymnasio Choleteo Parisiensi: sed in primo sermone, de quo quæstio, catalogus operum S. D. culpa notarii perturbate scriptus. Aliud rursus est Cantabrigiæ in Anglia in Bibl. S. Petri vol. 109 sub hoc titulo *Sermones archiepiscopi Rotomagensis*, & recensetur T. I codd. MSS Angliæ P. III n. 1171 & eodem T. I P. II Oxoniæ in collegio Jesu n. 2023.

Circumscripta jam & expuncta priori difficultate a Launoio mota, an S. Thomas Summam scripserit, occurrit altera de *Speculo morali*, quod a CCCC circiter annis sub nomine Vincentii Bellovacensis prostat, & in quo prima secundæ, & secunda secundæ pro majori parte leguntur, an scilicet sanctus doctor Speculum morale spoliaverit, an Speculum morale ex Summa S. D. medium fartum sit. Quæstionem hanc a centum circiter annis tot moliminibus a variis utrinque vexatam in dissertatione laudata cui titulus, *S. Thomæ Summa suo auctori vindicata* ita resolvi, ut eruditorum omnium consensu jam nullus relictus sit dubitandi locus. Momenta itaque in ea allata hîc ut in propria sede lectori objicienda.

Primo enim Vincentium Bellovacensem nonnisi tria Specula, *Naturale* scilicet, *Doctrinale & Historiale*, edenda sibi proposuisse ex genuino ejus prologo tandem favente numine e tenebris eruto demonstratum est: Speculum autem morale ipsi fuisse suppositum a falsario, qui prologum ejus corrupit, ac loco trifariæ tantùm ab auctore propositæ divisionis, quadrifariam intrusit, propterea impostorem illum Vincentiastrum appellare placuit. Hanc partem videsis supra ubi de Vincentio Bellovacensi.

Secundo quod omnes hactenus latuerat, feliciter retectum, Speculum morale farraginem esse ex pluribus auctoribus ab illo falsario compaginatam, & singulas Speculi moralis a prima libri primi ad ultimam libri tertii distinctiones percurrendo quid ex quoque a Vincentiastro raptum indicatum: qui auctores quinque sunt præcipui: 1 Anonymus auctor *tractatus de consideratione novissimorum*, qui certo post 1290 scripsit. 2 F. Stephanus de Borbone seu de Bellavilla noster qui circa 1262 mortuus est, & magnum illud opus *de septem donis Spiritus Sancti* edidit, fere totum in Speculum morale convasatum. De his duobus supra, ubi de Bellovacensi ad 1264 abunde actum est. 3 S. Thomas mortuus anno 1274. 4 F. Petrus de Tarentasia, seu Innocentius V mortuus anno 1276. 5 F. Ricardus de Mediavilla ordinis Minorum qui obiit circa 1300 aut 1302. De tribus his ultimis hîc agendum, ac præsertim de S. D. luceque clarius patebit ex sola ratione qua quæstiones & articuli primæ secundæ, & secundæ secundæ in illis partibus habentur, & qua in Speculo morali leguntur, prius certissime fuisse in Summa, quam in Speculo, hujusque sarcinatorem Vincentiastrum putidissimi reum plagii apud literatos deinceps habendum.

Sciendum igitur primo ex quæstionibus 114, quibus prima secundæ constat, 77 in Speculo morali haberi, deesse 37, videlicet:

21 priores *de ultimo fine, de actibus humanis, de bonitate & malitia actuum humanorum*, in quibus numerantur articuli 134.

44. *De effectibus timoris*, in qua sunt articuli 4.

49, 50, 51, 52, 53, 54. *De habitibus in generali, de subjecto, causa, augmento, corruptione & diminutione, distinctione habituum.* Sunt articuli 24.

90. *De lege in communi quantùm ad ejus essentiam.* Articuli 4.

92. *De lege quantùm ad suos effectus.* Artic. 2.

96. *de lege humana quantùm ad ejus potestatem.* Art. 6.

97. *De lege humana quantùm ad ejus mutationem.* Art. 4.

101, 102, 103, 104 & 105. *De præceptis ceremonialibus & judicialibus veteris legis.* Art. 22.

Similiter ex quæstionibus 189 quas secunda secundæ complectitur, 155 in Speculo morali legi, abesse 34, scilicet:

6. *De habitu fidei quantùm ad ipsius causam.* Insunt articuli 2.

7. *De ipsa fide quantùm ad suos effectus.* Artic. 2.

15. *De vitiis oppositis dono intellectus, scilicet de cæcitate mentis & hebetudine sensus.* Artic. 3.

16. *De præceptis pertinentibus ad fidem &c.* Artic. 2.

22. *De præceptis pertinentibus ad spem &c.* Artic. 2.

42. *De seditione.* Artic. 2.

56. *De præceptis pertinentibus ad prudentiam.* Artic. 2.

130. *De præsumtione.* Artic. 2.

133. *De pusillanimitate.* Artic. 2.

140. *De præceptis fortitudinis.* Artic. 2.

150. *De ebrietate.* Artic. 4.

158. *De ira*, articulo 7 excepto, quem habet Vincentiaster lib. 3 P. 5 dist. 3. Sunt autem articuli 8. Itaque septem neglecti.

162. *De superbia*, lineis quibusdam articuli 4 exceptis, quas Vincentiaster exhibet lib. 3 P. 3 D. 2. Sunt item in ea q. artic. 8.

166. *De studiositate.* Artic. 2.

Et a 170 ad finem. *De præceptis temperantiæ, de*

prophetia, raptu, gratiis gratis datis, divisione vitæ per activam & contemplativam, officiis & statibus hominum quæstiones 20. Articuli 108, ita ut universim desint quæstiones 71 integræ, articuli 350.

Sciendum 2 earum quæstionum quæ in Speculo morali habentur, articulos plus 40 omitti suo quemque loco indicandos: eorum articulorum qui insunt majoris partis corpus tantùm articuli referri: aliquando tamen corpori articuli assui modo *sed contra*, modo *responsionem ad primum*, modo *ad secundum*, modo *ad tertium*, modo *ad duo*, modo *responsiones ad omnia*: assui, inquam, at crasse, ac dure, nec exspectatas, quod solâ collatione agnoscet lector. Fateor aliquando at raro interseri argumenta, & ad singula responsiones addi.

Sciendum 3 in tanta articulorum multitudine mutilorum omnium, sex tamen reperiri, qui integri & a capite ad calcem ut aiunt, in Speculo morali ut in Summa leguntur, suntque isti ex secunda secundæ.

Primus ex q. 80. *Articulus unicus de justitia annexis virtutibus*, refertur que in Speculo lib. 1 p. 3 dist. 60.

Secundus ex q. 138. *De mollitie articulus primus*, & habetur in Speculo lib. 1 p. 3 dist. 90 a 1.

Tertius ex q. 95 articulus 8. *De divinatione qua fit per sortes*, & habetur in Speculo lib. 3 p. 3 dist. 27 a. 7.

Alii tres ex q. 96 articuli 2, 3, & 4 *De superstitionibus observantiarum*, & habentur in Speculo lib. 3 p. 3 dist. 18 articulis 2, 3, 4.

Jam solùm ex his non unum sed tot exurgunt argumenta Vincentiastrum a S. Doctore, non S. Doctorem a Vincentiastro accepisse manifesto probantia.

Nam 1 si quæstiones utrique communes cum iis quas S. D. proprias habet, ejusque esse negari nequit, ut nec primam nec tertiam Summæ partem, quæ aliàs nullibi inveniuntur: si inquam quæstiones illæ in Speculo contentæ cum aliis extra conferantur, se germanas agnoscunt, sibi invicem aptæ & convenientes sese mutuo naturaliter ingrediuntur, unumque corpus ejusdem rationis conficiunt: at si cum aliis ex quibus compactum est Speculum comparentur, jam eo se per vim detrusas clamant, neque album nigro magis est adversum. Verbi gratia, præter quæstiones de passionibus, de virtutibus, de vitiis, quas habet Vincentiaster cum S. D. communes, alias ille passionum, virtutum, vitiorum etiam species adinvenit Thomæ incognitas. Si igitur primarum quæstionum auctor esset, eas quas addit eadem methodo eodemque stylo tractaret. At enim verò quæ ex pectore suo promit Vincentiaster puræ putæ divisiones sunt & subdivisiones ad nauseam usque similiter desinentes, quas ideo rhythmicas appellare placuit, gustumque dabimus identidem, ut quid valeat ille agnoscatur: nam cætera mera sunt latrocinia postea fusius detegenda. Furem insignem tenemus, & an fur sit adhuc quæritur.

Secundo articuli in Speculo, exceptis sex, mutili omnes se testantur non ita primum factos fuisse: responsiones illæ ad corpus articuli tantùm appositæ, (neque enim connexas dixeris, quas ad summum per *nota, item, item, sciendum autem*, & similia ἐμπήγματα insulse & sæpe absque sensu conjunctas legis) responsiones, inquam, illæ argumenta ad quæ sunt postulant, relata sunt simul natura, partes sese invicem indicant & advocant. Cùm igitur articuli illi apud Thomam integri sint, partibus suis omnibus constantes, sese moventes ut ita dicam, ac revera spirantes, apud Vincentiastrum contra truncati omnes, frustatim concisi, parte membrorum ad corpus inanime apposita, avulsa & non comparente altera, hunc tortorem, parentem illum fateatis necesse est. Sic qui fratres illos septem in scriptura adeo illustres integros, sanos, elegantes vidit, matrem agnovit cito e cujus sinu tales prodierant: at cùm lingua, manibus, pedibusque amputatis, & ad corporum latera in sartagine appositis tam impie fœdatos aspexit, nonnisi a tyranno in eum miserandum modum laniatos sensit. Aptius exemplum dari non potest.

Non urgeo non capi, quî responsiones ut revera responsiones sunt, quis comminisci potuerit adeo scitas, adeo eruditas, ac auctorem suum ingenii summi æque ac summi judicii virum præstantes, & tamen vagas, & absque ullo ad argumenta respectu, id incredibile, id in cogitationem non cadit: aliunde verò dato quod priores factæ fuerint, posito etiam quantumcumque supereminenti in S. Thoma ingenio, excogitare adhuc difficilius est, quî argumenta adinvenire potuerit tam apte convenientia, ut pro illis responsiones factæ revera sint, & non solùm videantur. Nam ad argumentum propositum ex doctrina auctoris responsionem supplere fortè non difficile: sed ad responsionem vagam quærere argumentum cui facta est, & de quo ipse auctor responsionis censetur non cogitasse, quærere, inquam ex tali scripturæ sacræ libro, ex tali auctore ecclesiastico, ex tali ratione, & id in articulis plusquam mille, id incredibile est, id plus est quàm divinare, quàm ænigma solvere, quàm quod rex ille a sapientibus suis exigebat, somnium quod e memoria ejus exciderat, enarrare.

Verùm sex illi laudati inter plus mille alios capite, brachiis, cruribusque truncatos integri relicti rem aperiunt. Cur enim hic Vincentiaster stylum immutavit? Cur hos sex speciatim modo scholastico & theologico tractavit (per *videtur quod non, sed contra, Respondeo dicendum, Ad primum*) nisi quia plagiarium difficile est ita sibi cavere, ut nihil ipsi excidat, unde plagium deprehendatur. Itaque sex illi qui felici sorte gladium exterminatoris effugerunt, signum sunt alios omnes, priusquam tortor ille tam impie concerperet, similes illis fuisse, & tales adhuc in parentis Thomæ sinu spirare.

Sciendum præterea 4 in quæstionibus illis primæ secundæ & secundæ secundæ quæ in Speculo habentur, & primam partem sæpissime, & tertiam aliquoties citari, adeo ut articuli sint, in quibus ter prima pars laudatur, suntque ut ita dicam πορίσματα seu corollaria ex dictis in prima parte sequentia iisdem vocibus constantia. Id non solùm connexionem & catenationem omnium Summæ partium demonstat, verùm & S. D. methodum arguit rectam & veluti geometricam, qui nihil asserat antea non probatum. Unde ad doctrinæ perfectionem citationes illæ omnino necessariæ sunt, animo lectoris tum plane quieto, dum ejus assensus nulli propositioni exigitur, quæ antea dilucidata & demonstrata non fuerit. Vincentiaster ne videretur Summam expilasse, citationes illas tum primæ partis tum tertiæ diligenter resecavit, at nec sic vitavit incommodum: nam dum doctrinam eximiam profert, obscuram reddit, quærente lectore cur talis propositio in medium adducatur, quæ nec probatur ibidem, nec antea probata indicatur. Deinde si S. Thomas harum quæstionum verus ac unicus auctor non sit, an non supra omne miraculum esset, ita suæ doctrinæ convenientes articulos apud Vincentiastrum reperisse, ut iis nil immutatis non aliud addendum habuerit ter etiam in eodem articulo præterquam, *ut supra in libro 1 habitum est, ut in primo dictum est, ut supra dictum est in primo*. At est aliquid amplius.

Sciendum 5 in quæstionibus illis primæ secundæ

 & secundæ secundæ in Speculo relatis quæstiones alias laudari earumdem partium, quas a Vincentiastro monuimus omissas. Ista frequentius apud Thomam occurrunt, *ut supra dictum est dum de fine ultimo, dum de voluntario, dum de actibus humanis, dum de habitibus, dum de præceptis veteris legis ageretur.* Tot erant sane scopuli Vincentiastro vitandi, ne plagiarius agnosceretur, hos sibi non cavit ille: ubique legit ut S. D. *ut supra dictum est dum de voluntario, dum de fine ultimo &c. ageretur*, nec tamen supra quæstiones illas habet, nec de his ex professo egit. Est amplius.

Sciendum 6 non eodem ordine quo apud S. Thomam, apud Vincentiastrum quæstiones referri: S. Thomas prima secundæ de virtutibus & de peccatis generatim agit, secunda secundæ de iisdem speciatim, & cuilibet virtuti vitia eidem opposita subjungit. Idem prima secundæ prius de virtutibus & de donis generaliter, postea de gratia tractat. Vincentiaster e contrario libro 1 quæstiones omnes de virtutibus sive generatim sive speciatim refert, ad librum 3 de peccatis & vitiis in genere & in specie omnes rejicit: libro 1 de gratia prius, posterius de virtutibus & de donis. Itaque S. D. sibi constans in quæstionibus sequentibus citat præcedentes, in quæstionibus de gratia, & in quæstionibus secundæ secundæ citat quæstiones de peccatis & de donis, sapientia verbi gratia, quia revera præcesserunt, recta sunt omnia & cohærent. Vincentiaster nec hîc sibi cavit, legit ubique *ut supra dictum est, ut supra habitum est dum de peccatis, dum de sapientia ageretur:* & tamen has quæstiones supra non habet, habet autem postea, an evidentius plagii signum afferri potest, an auctor verus sibi sic illudit, adeo sui immemor est? Unde hoc illi excidit nisi quia præceps Summam in Speculo transcribebat? Addo quæstiones esse in quibus S. D. plures articulos, tres puta aut quatuor aut amplius promittit statque promissis. Vincentiaster eamdem quæstionem referens, eumdem initio articulorum numerum promittit, at postea aliquem vel aliquos omittit. Nempe difficillimum est plagiarium ad omnia attendere: proponit tres V. G. quia S. D. transcribebat tres proponentem, postea tertium sibi non convenire animadvertens resecat.

Sciendum 7 eas S. D. quæstiones quæ in Speculo leguntur puras non esse, sed alienis quamplurimis admistas, & ut in F. Stephano de Borbone solum hîc exemplum ponam, apud Vincentiastrum distinctiones aliquando alternatim sunt ex S. Thoma una, altera ex libro de septem donis, vel ex uno plures, deinde plures ex altero: aliquando in eadem distinctione præit F. Stephanus, S. Thomas subsequitur, aliquando e converso. Sæpissime Vincentiaster articulis 4 aut sex aut 8 S. Thomæ, quintum, septimum, nonum addit ex F. Stephano, at nullam neque quoad rem neque quoad commensum proportionem habentem cum prioribus, ita ut cùm qui S. Thomæ vix simul columnas duas impleant, ille superadditus 4, 6, 8 columnas & ultra amplectatur, Stephaniana illa, inquam, non styli scholastici: enim verò, sed excursiones morales omnis generis mercium. Aliquando in medio hujusmodi excursionis moralis, articuli alicujus S. T. corpus includitur: aliquando corpus articuli ejusdem ad caput excursionis, & ad hujus finem alicui argumento responsio, aliquando ad finem excursionis ex libro de septem donis integræ subjicitur articuli cujusdam Summæ corpus. Sunt & articuli ita variegati, ut sex lineæ sint unius, sex aut paulo plus alterius, & sic alternatim ad finem usque, ut Carmelitarum XIII seculo cappa non fuerit magis ut aiebant *barrata*. Hæc solùm videas, permitto postea judicium, quem amborum plagiarium æstimes: an ita censeas Thomam aurum suum hac & illac sparsum minutatim intra hos arenæ cumulos collegisse, quæque deerant solùm supplevisse? Hæc duo sunt certissima, hinc eum quisquis sit ille, qui articulos Summæ & Speculo communes excogitavit primus & scripto commendavit, hominem fuisse ingenii excelsioris, judicii acerrimi, angelum potius quàm hominem, contra qui articulos illos tam sapienter excogitatos alienis tot & tantis commiscuit revera nihili censendum. Hæc duo vide an in eumdem cadere possint. Hæc quæ in Speculi moralis fabrica annotavi, nemo quem legerim hactenus indicavit.

Sunt & alia plura plagii signa evidentia, sed quæ clariùs suo quæque loco referentur. Ad illud verbi gratia attendat lector, S. Thomas quia cuilibet virtuti continuò sua subjicit vitia opposita, post quæstionem de virtute exactam sic subdit: *Deinde considerandum est de vitiis oppositis, de apostasia, de hæresi, de blasphemia* & similibus: ut proponit ita ibidem implet, bene est, nihil superfluum. Vincentiaster easdem quas S. D. quæstiones de virtutibus libro suo primo referens, iisdem subjicit etiam ut ille, *Deinde considerandum est de tali & tali vitio:* & post tres lineas, *Require lib.* 3. Cedo, cur Vincentiaster ea ibi scribit principia, quæ illi non est animus prosequi? Nam in partitione operis de vitiis libro tertio agendum rejecerat, igitur post quamlibet virtutem ut de vitio opposito tractet, nemo expectat. Non nescio aliquando auctorem sic loqui (hîc de tali materia agendum esset, sed alio remitto, ubi commodius.) Sed quod quis serio absolute in præsenti sic proponat: *Deinde considerandum est de vitiis oppositis fidei, caritati, justitia &c.* & facta quæstionum divisione, abrumpens orationem subdat frigide, *Require libro* 3; id inquam apud nullum auctorem occurrit præter Vincentiastrum. Ad quid hæ projecturæ? quî enim aliter appelles? Hujusmodi enim principia videas aliquando tria, quatuor & amplius se consequentia, tot verbo quot apud S. D. & ad quodlibet, *Require lib.* 3. Cur lapides, inquam, illi projectitii? An ut S. Thomas aliquando veniens iis inædificaret, & quas Vincentiaster quæstiones separaverat, paratum haberet ille unde adunaret? Hæc enim quantumvis ridicula, quantumvis puerilia cogites necesse est, tu qui S. Doctorem a Speculo accepisse fingis. Verùm serio an quisquam est homo cordatus, qui neget quæstiones illas libro tertio Speculi relatas illis principiis libro ejusdem primo relictis pendentibus prius fuisse alibi junctas, quàm eo in opere sic dispescerentur, ac longius ab invicem sic collocarentur? Ubinam verò istud nisi in Summa Thomæ theologica, in qua quæstiones omnes suo quæque loco positæ, & ad principia sua præfata naturaliter alligatæ? Vidistin enim tu aliâs? Summa ergo Speculo antiquior, & S. Thomas auctor indubitatus, apud quem nihil hiulcum, nihil interruptum, pendens nihil, sed plena & perfecta omnia, Vincentiaster verò non auctor, sed summi ac divini destructor operis, apud quem nil nisi ruinæ undique aspectantur.

At hæc omnia nunc ex ordine per comparationem Speculi ad Summam lectori repræsentanda, a mutilatione tamen articulorum Summæ in Speculo exhibenda brevitatis causa abstinebo, ut pote quam locis indicatis quisque facile experiri potest, vel in Dissertatione nostra laudata, *S. Thomæ Summa suo auctori vindicata* legere.

Liber 1 Speculi moralis P. 1.

Distinctio 4. *De operum principio principali.* In hac distinctione quid Vincentiastri, quid S. D. facile est secernere. In 1 p. distinc. de motivo voluntatis ex parte Dei: *Deus est operum nostrorum prin-*

cipium *principaliter operando*, *specialiter inspirando*, *efficaciter adjuvando*, *imperialiter astringendo*, *exemplariter excitando*. En quos dicebam Vincentiastri rhythmos : hos ei nullus invidet. At in membro 1 scilicet *principaliter operando*, S. Thomas statim se prodit. Revera quod hîc habet Speculator legitur 1, 2 q. 109 a. 1 in corpore, prima scilicet particula.

In altera p. Dist. *de motivo voluntatis ex parte objecti*. Id desumtum ex 1, 2. q. 80 a 1 in corpore scilicet particula 2. Quam pauper S. Thomas si in his angulis duas has particulas quærendas habuit, ut q. 109 & q. 80 ditaret.

D. 5. *De operum seu actuum humanorum principiis intrinsecis, id est de passionibus animæ*. Ex 1, 2 q. 22.

a. 1 Speculatoris c. a. 1 S. T.

a. 2 primo sed contra, deinde c. a. 2 denique responsio ad 1 & 3.

a. 3 c. a. 3 cui annectitur sed c.

Hæc solùm in gustum exhibeo, deinceps omissurus, ubique enim articuli sic mutili. Duo autem hîc veniunt notanda, primum immutatio styli in Speculo a præcedentibus, idque ex abrupto, nam antea nihil simile. Hîc purus fluit S. D. sic etiam in sequentibus identidem. Si Vincentiaster auctor est, cur non semper sic purus fluit ? cur aurum suum tantæ arenæ alias immiscet, & quandoque cœno immergit ? si S. D. hinc accepit, qui fit ut quæ supplevit hinc non accepta, siquidem hîc desunt, æque pura semper habeat, ut aurum auro, gutta guttæ similior non sit ?

Notandum 2. S. Thomam a. 2 ad 3 seipsum citare 1 p. q. 78 a. 3 c. ubi revera ea doctrina statuitur, quæ hîc in resp. ad 3 depromitur. Vide quæ supra de hoc monuimus.

D. 6. *De passionum differentia*. ex q. 23.

S. Thomas a. 1 ter citat 1 p. sic loquitur : *Cùm enim diversæ potentiæ habeant diversa objecta, ut in primo dictum est* (scilicet 1 p. q. 77 a. 3) & infra. *Dictum est autem in primo* (scilicet 1 p. q. 81 a. 2) *quod objectum potentiæ concupiscibilis &c.* Et in resp. ad 1. *Dicendum quod sicut in primo dictum est, ad hoc vis irascibilis data est animalibus &c.* (scilicet 1 p. q. 81 a. 2) adeo ut hîc articulus totus constet ex dictis in 1 p. & corollarium sit tantùm ad ea sequens. Speculator eas citationes resecat, quid inde inferendum supra indicavimus.

Sed est aliud hîc non negligendum. Scilicet S. T. a. 4 tres tantùm conjugationes passionum numerat in concupiscibili (*amor & odium, desiderium & fuga, gaudium & tristitia.*) At Speculator quartam addit idque serio *delectationis & doloris*, quasi sint aliud a gaudio & tristitia in genere passionis: hinc ubi S. T. undecim passiones tantùm, ille S. Thoma & Aristotele sapientior tredecim numerat. Id velim lector attendat, nam quî hinc postea ille se expediat, erit memorabile.

D. 7. *De passionum animæ bonitate & malitia* ex q. 24.

Nota a. 3 sic S. T. *unde cùm appetitus sensitivus possit obedire rationi, ut supra dictum est* (q. 17 a. 7) Speculator legit etiam, *ut dictum est* & in cod. Reg. MS 5228 *ut supra dictum est* : nec tamen habet 21 priores quæstiones ut monuimus, nec etiam supra quicquam de hoc dixit.

D. 8. *De passionum animæ ordine*. ex q. 25.

Nota a. 2 in c. sub finem sic S T. *Delectatio enim est fruitio, quæ quodammodo est finis, sicut & ipsum bonum ut supra dictum est* (q. 11 a. 3 ad 3 in qua agit de fruitione.) Speculator legit etiam ; *ut dictum est* & in cod. Reg. cit. *ut supradictum est*, & tamen supra non egit de fruitione. Unde hoc autem, nisi quia Summam incautus exscribebat ?

D. 9. *de amore*. a. 1 *quod multiplex est genus amoris*. Hic articulus proprius est Speculatoris, nisi quod suspicor, alicunde corraserit.

aa. 4 cæteri c. aa. 4. S. T. q. 26.

Tuam hîc fidem lector appello. Si quatuor posteriores articuli Vincentiastrum auctorem haberent, sane cum illis primus conveniret, & ejus quod in illis est salis, aliquid saltem in eo primo perciperetur. At vappa pura puta est. En principium : *sciendum quod multiplex est amor : est amor naturalis convenientiæ, amor carnalis attinentiæ, amor spiritualis colligantiæ, amor legalis, amor conjugalis adhærentiæ, amor specialis amicitiæ, amor socialis*. O elegantissima ! O eo digna quem volunt a S. Thoma spoliatum ! sed quid hæc ad amorem de quo tantùm ut passio est, hîc erat agendum ?

Non omittendum S. Thomam a. 1 citare 1 p. q. 103 a. 1. *Res enim*, inquit, *naturales appetunt quod eis convenit secundùm suam naturam non per apprehensionem propriam, sed per apprehensionem instituentis naturam, ut in libro 1 dictum est* (loco cit. ubi sublimen hanc doctrinam explanat ac stabilit.) Speculator citationem resecat, at ex eo se non auctorem prodit, ea enim est illa propositio, quæ amplius explicari indigeat.

D. 10 *de causa amoris* ex q. 27.

D. 11 *de effectibus amoris* ex q. 28.

Speculator resecat articulos 5 & 6. S. D. qui tamen eodem stylo scripti, eademque manu tornati ac reliqui.

D. 12 *de odio* ex q. 29. Speculator assumentum grande morale subjicit *De odio prosequendis*, quod alicunde corrasit, licèt nondum occurrerit auctor, certo nec micam salis habet reliquorum ipsi cum S. T. communium.

D. 13. *de desiderio*. Hujus distinctionis duæ sunt partes, ambæ stylo toto cœlo diversæ. En specimen 1 p. *Est desiderium reprimendum quia culpabile, est desiderium persequendum quia laudabile. De 1 alii desiderant excellentias dignitatum, alii opulentias facultatum, alii affluentias voluptatum, & truculentias voluntatum. Et de 2. desiderare debemus sanitatem sanctimoniæ, fortitudinem potestatis, claritatem sapientiæ, pulcritudinem honestatis, plenitudinem meritorum & dulcedinem gaudiorum.* Hi sunt articuli primæ partis.

2. Pars ejus dist. ex S. T. q. 30. Utramque conferat lector, si gustum habeat, an putet ex eodem corde eructatam.

D. 14 *de abominatione vel fuga*, de qua passione nihil S. Thomas. Hinc ingenium Speculatoris & quid possit deprehendas. Si ipse earum quæstionum auctor esset, in quibus aliæ passiones tam docte tamque dilucide discutiuntur, hanc etiam eodem stylo tractaret. En ipsius articuli : *sciendum autem quod solum peccatum abominari debemus, specialiter tamen hypocrisis falsitatem in regularibus, simoniacam pravitatem in clericis & præsulibus, injustitiam in principibus, detractionis malitiam in curialibus, ornatus vanitatem & luxuriæ fœditatem in mulieribus.* Illa inquam de abominatione, hæc autem de fuga : *sciendum quod est quædam fuga miserabilis, quædam detestabilis, quædam commendabilis.* Sed præclarum quod habet col. 38 lin. 4. *Item coluber solo aspectu horrorem incutit. Nota bene & applica.* Illud sane est bene scripsisse. An non mirum S. Thomam in Summa sive in his quæ cum Speculo illi communia, sive in cæteris quæ ipsi propria, ubique sibi æqualem esse ; contra Speculatorem ubi S. Thomam deserit, in excursiones morales se diffundere styli diversissimi, quæ opus ejus farraginem demonstrant ex variis auctoribus collectam, & tamen quis illorum utrique & Vincentias-

 tro & Thomæ communium auctor verus a quibusdam maligne dubitari.

D. 15 *de delectatione* ex q. 31.

D. 16 *de causa delectationum* ex q. 32.

D. 17 *de effectibus delectationis* ex q. 33. Nota a. 3 sic S. T. *Sed delectationes corporales impediunt usum rationis triplici ratione. Primo quidem ratione distractionis, quia sicut jam dictum est* (q. 4 a 1 ad 3) *ad ea in quibus delectamur, multum attendimus.* Speculator legit etiam *sicut jam dictum est*, nec tamen habet illam q. 4, nec id supra dixit: plagiarius incautus Summam exscribebat.

D. 18 *de bonitate vel malitia delectationum* ex q. 34. Nota a. 1 sic S. T. *Bonum enim & malum in moralibus dicitur secundùm quod convenit rationi, vel discordat ab ea, ut supra dictum est.* (q. 19 a. 3 & 9.) Et a. 3. Idem. *Optimum autem in unaquaque re est ultimus finis. Finis autem ut supra dictum est* (q. 1 a. 8.) *dupliciter dicitur, scilicet ipsa res & usus rei.* Speculator etiam legit ubique, *ut supra dictum est*, nec tamen habet quæstiones citatas. At quæso quî in mentem illi venire potuit scribere *ut supra dictum est*, quod revera antea non dixit, nisi quia Summam exscribebat?

Articulis mutilis S. T. Speculator additamentum subjicit alterius styli, *quod multiplex est delectatio, naturalis moderanda, bestialis fugienda, spiritualis degustanda, gloriosa appetenda.* O elegantissima!

D. 19 *de dolore & tristitia* ex q. 35. Nota a. 1 sic S. D. *Inclinatio appetitus naturalis non consequitur apprehensionem ipsius appetentis, sed alterius, ut in primo dictum est* (q. 103 a. 1.) Speculator resecat *ut in primo dictum est*, Ad primam & tertiam partem tantùm attendit, ut earum citationes omitteret, cætera incautus.

D. 20 *de causis doloris* ex q. 36. Nota a. 1 sic S. D. *Malum enim ut in primo libro habitum est* (1 p. q. 48 a. 1.) *est privatio boni.* Viden ubique partium Summæ catenationem? Speculator citationem rescindit doctrinam sic diminutam tradens.

D. 21 *de effectibus doloris vel tristitiæ* ex q. 37.

D. 22 *de remediis doloris vel tristitiæ* ex q. 38.

D. 23 *de bonitate vel malitia doloris vel tristitiæ.* ex q. 39. Nota a. 1 sic S. D. *Quod est ex suppositione voluntarium, judicatur voluntarium, ut dicitur in 5. Ethic. & supra habitum est* (q. 6 a. 6.) Speculator legit etiam, *& supra habitum est*, nec tamen habet illam q. 6, nec supra de voluntario egit. Plagiarius. Articulis Summæ mutilatis Speculator duos jungit grandiores suo stylo effictos, vel alicunde corrasos.

Qualiter omnes homines debeant se habere circa passionem doloris?

Qualiter omnes homines se debeant habere circa passionem tristitiæ?

En prioris divisionem. *Est dolor appetendus, dolor recolendus, dolor sustinendus, dolor providendus, dolor præcavendus.* Posterioris divisiones & subdivisiones ejusmodi rhythmicas audire tæderet. Qui ista potuit articulis Summæ adjicere, tortor est non Summæ auctor.

D. 24 *de gaudio.* Meminerit hîc lector, quod antea monui dist. 6 a. 4 ubi S. D. triplicem tantùm cum Aristotele passionum conjugationem assignat in concupiscibili, Speculatorem quartam adjungere gaudii & doloris, non quidem ex scientia, nam id fatendum, sed ut farraginis suæ augendæ, & collectionum collocandarum ansam arriperet. Sane si quæstionum de aliis passionibus tam docte propositarum, articulorumque tam scite distinctorum auctor esset, similia de gaudio afferre debebat, ut non sine ratione hanc novam passionem adinvenisse videretur. Ecce autem. Præter 12 priores lineas, quæ nihil aliud sunt, quam repetitio a. 3 q. 31 S. D. quem jam dist. 15 retulerat, *utrum gaudium sit idem quod delectatio*, continuo ad suas divisiones rhythmicas currit: *Est gaudium respuendum gaudium mundanorum, gaudium conservandum gaudium justorum, gaudium appetendum gaudium beatorum, gaudium ex dolore contritionis, ex fervore dilectionis, ex mœrore compassionis &c.* plura ejus rationis, quæ velim concioni utilia, sed an suo loco ubi agitur de gaudio ut passione? φαῦλον insignem hæc Speculatorem evincunt

D. 25 *de spe & desperatione* ex q. 40 subjicit pro more Speculator excursionem moralem de spe virtute & de falsa spe mundanorum rhythmis abundantem alicunde subreptam.

D. 26 *de timore* ex q. 41 subjicitur excursio moralis ex libro de 7 donis.

D. 27 *de objecto timoris* ex q. 42 Nota a. 6 sic S. T. *Malum autem augetur non solùm secundùm species ipsius mali, sed etiam circumstantias, ut ex supra dictis apparet.* (q. 18 a. 3.) Speculator legit etiam *ut ex supra dictis apparet*, nec tamen habet q. 18, nec supra de hoc quicquam dixit. Plagiarius.

Articulis S. D. mutilatis duos Speculator addit *De Deo timendo, & de timendis periculis hujus mundi*, qui excursiones sunt morales ex libro *de septem donis* totidem vocibus exscriptæ.

D. 28 *de causa timoris.* ex q. 43.

D. 29 *de effectu timoris.* Hîc Speculator S. Doctorem deserit, & loco ejus q. 44 excursionem moralem *de effectibus timoris Dei* ex libro de 7 donis transcribit.

D. 30 *de audacia* ex q. 45. Articulis 4 S. D. quintum addit Speculator. Princ. *Quædam assumenda, quædam, detestanda.* Ubi a Thoma recedit, continuo ῥυθμίζει.

D. 31 *de ira* ex q. 46. Articulos 8 cum S. T. proposuerat Speculator, sed postea de octavo remittit ad lib. 3 ubi ejus non amplius meminit.

D. 32 *de causa effectiva iræ* ex q. 47.

D. 33 *de effectibus iræ* ex q. 48.

D. 34 *de zelo.* Excursio brevis moralis alicunde deflorata, sed nihil habens salis præcedentium ex Aquinate exceptorum.

Lib. 1. P. 11 *de legibus.* D. 1 *de lege æterna* ex q. 91 & 93. Hujus posterioris a. 1. S. D. ter citat primam partem, & bis primæ secundæ q. 90 adeo ut articulus ille integer nil sit aliud quam corollarium ex locis citatis consequens. Qui ergo illum ex Speculo accepisset, in quo ea doctrina nullibi antea nec post habetur. Quo casu inaudito Speculator articulum ita doctrinæ S. T. congruum inscius finxit, ut nihil aliud S. D. addendum habuerit nisi, *ut in primo habitum est, ut etiam in primo habitum est, ut in primo dictum est, & servatis aliis quæ supra esse diximus de legis ratione:* & rursus, *lex dicitur directiva actuum in ordine ad bonum commune ut supra dictum est:* scilicet q. 90 præcedenti per totam, quam tamen totam non habet Speculator.

Articulos 4 & 5 hujus q. 93 resecat Speculator, quos si perpenderis, eadem agnosces fictos & tornatos manu.

D. 2 *de lege naturali* ex q. 91 a. 2 & 94 cujus a. 5 sic S. D. *sed etiam in rebus naturalibus quicquid à Deo fit est naturale quodammodo, ut in primo dictum est* (1 p. q. 105 a. 6. ad 1.) citationem resecat Speculator suo plagio incommodam.

D. 3 *de lege humana* ex q. 91 a. 3 & q. 95. Art. illo 3 q. 91 ter Aquinas citat q. 90 quam integram non habet Speculator.

D. 4 de *lege divina veteri* ex q. 91 a. 4 & 5 & q. 98 & tandem articulum 6 q. 91 resecat Speculator.

D. 5 *de præceptis legis veteris* ex q. 99. cujus 6 articulum Speculator resecat.

D. 6.

D. 6 *de moralibus præceptis legis veteris* ex q. 100. Nota a. 10 sic Aquinas: *Dictum est enim supra* [q. 12 a. 4] *quod intentio finis est quidam modus formalis actus ordinati in finem.* Speculator legit etiam, *Dictum est enim supra &c.* Nec tamen habet illam q. 12, nec supra de intentione finis egit. Omitto in illis articulis in Summa citari qq. 90, 96 & 97 quas tamen integras non habet Speculum. Omnia plagii indicia.

D. 7 *de nova lege secundùm se* ex q. 106.

D. 8 *de comparatione novæ legis ad veterem* ex q. 107. Nota a. 2 ad 2 sic S. T. *nulli cibi secundùm suam naturam erant immundi, sed secundùm figuram solùm, ut supra dictum est* [q. 102 a. 6 ad 1] Speculator legit etiam, *ut dictum est*, nec tamen habet q. 102 & hìc incautus plagiarius.

D. 9 *de novæ legis continentia* ex q. 108.

D. 10 *de necessitate gratiæ* ex q. 109 cujus tamen articuli 1 in editis hìc non apparet nisi particula 2; ita ut qui volunt Aquinatem excepisse Speculum, illum cogantur dicere primam sui articuli particulam quæsivisse in Speculi dist. 4 partis 1. Quis nisi vecors id ferre potest? Nota præterea S. D. sic incipere articulum 3. *Dicendum quod sicut supra dictum est in primo* [1 p. q. 60 a. 5] *in quo etiam circa naturalem dilectionem angelorum diversæ opiniones sunt positæ &c.* Legas articulum videbis hanc esse illic & naturalem & necessariam. Speculator ista òmnia resecat obscuram sic reddens hujus a. doctrinam, quod eum arguit plagii.

Nota rursus a. 5 sic Aquinas: *vita autem æterna est finis excedens proportionem naturæ humanæ, ut ex supra dictis patet* [1, 2, q. 5 a. 5 ubi & citat 1 p. q. 12 a 4] Speculator legit etiam, *ut ex supra dictis patet*, quod tamen supra non dixit; neque enim habet primas 21 qq. Amplius a. 8 sic Aquinas: *In quo quidem statu potest homo abstinere ab omni peccato mortali, quod in ratione consistit, ut supra habitum est* [q. 74 a. 4] Speculator legit etiam, *ut supra habitum est*, immemor se eas quæstiones de peccatis ad librum 3 rejecisse: itaque *ut postea dicetur*, scribendum erat non *ut supra.* An vis manifestius plagii indicium?

D. 11 *de essentia gratiæ* ex q. 110. Nota sic Aquinas a. 3. *Manifestum est autem, quod virtutes acquisitæ per actus humanos, de quibus supra dictum est* [q. 55] Et a. 4 *potentia animæ est proprium subjectum virtutis ut supra dictum est* [q. 55 & 56 a. 1] Speculator legit etiam, *de quibus dictum est, ut supra dictum est*, rursus immemor se quæstiones illas de virtutibus non supra sed infra post quæstiones de gratia referre. Unde hoc ei accidit, nisi quia Summam exscribebat?

D. 12 *de divisione gratiæ* ex q. 111.

D. 13 *de causa gratiæ* ex q. 112.

D. 14 *de effectu gratiæ* ex q. 113. Nota Speculatorem hujus quæstionis aa. 7 & 8 resecare, quos qui leget, ejusdem fatebitur auctoris, cujus sunt alii.

D. 15 *de merito effectu gratiæ* ex q. 114. Hujus quæstionis articulum 2 rescindit Speculator: ille tamen se partum ejusdem manus prodit, cujus sunt alii.

Lib. 1. P. III *de virtutibus in generali.* D. 1 *de essentia virtutis* ex q. 55 eaque non solùm perturbata, sed quibusdam extraneis immistis polluta.

D. 2 *de subjecto virtutis* ex q. 56. Nota a. 3 sic Aquinas: *voluntas movet omnes alias potentias, quæ aliqualiter sunt rationales ad suos actus, ut supra habitum est* [q. 9 a. 1] Speculator legit etiam, *ut supra habitum est*, nec tamen q. 9 habet: cur hoc nisi quia Summam transcribebat?

D. 3 *de distinctione virtutum intellectualium* ex q. 57 cujus a. 6 rescindit Speculator, qui tamen ejusdem cum aliis rationis.

D. 4 *de distinctione virtutum* ex q. 58 ad cujus articulum 2 subjicit Speculator additamentum alterius styli. SEC. XIII.

D. 5 *de distinctione virtutum moralium per ordinem ad passiones* ex q. 59.

D. 6 *de distinctione virtutum moralium ab invicem* ex q. 60. Nota sic Aquinas a. 1. *Habitus autem specie differunt secundùm speciales differentias objectorum, ut supra dictum est:* [q. 54 a. 2] Speculator legit etiam, *ut supra dictum est*, nec tamen habet q. 54 nec hæc supra dixit. Summam exscribebat.

D. 7 *de distinctione virtutum cardinalium* ex q. 61.

D. 8 *de virtutibus theologicis* ex q. 62. Nota Aquinas sic a. 1. *Est autem duplex hominis beatitudo sive felicitas, ut supra dictum est* [q. 3 a. 2 ad 4 & a. 5 & q. 5 a. 5] Speculator legit etiam, *ut supra dictum est*, nec habet illas priores quæstiones, nec supra de duplici felicitate egit. Summam igitur transcribebat.

D. 9 *de causa virtutum* ex q. 63.

D. 10 *de connexione virtutum* ex q. 65.

D. 11 *de æqualitate virtutum* ex q. 66. Nota sic Aquinas a. 1 *& sic secundùm ea quæ dicta sunt supra* [q 52 a. 1] *cùm de intensionibus habituum ageretur* &c. Speculator legit eodem modo nec habet illam q. 52 nec supra de intensionibus habituum egit. Summam transcribebat.

D. 12 *de medio virtutum* ex q. 64.

D. 13. *de virtutum duratione* ex q. 67. Nota sic Aquinas a. 2. *Dicendum quod sicut in primo dictum est* [1 p. q. 79 a. 6] Et infra: *Phantasmata ad quæ respiciendo homo intelligit in hac vita, applicando ad ipsa species intelligibiles, ut in primo dictum est* [1 p. q. 85 a. 1] vides connexionem hujus partis cum prima. Speculator resecat has citationes. Nota rursus S. D. a. 3 sic: *Beatitudo autem de sui ratione habet perfectionem ex parte subjecti, scilicet beatus ut videat id, quo beatificatur, ut supra dictum est.* [q. 3 a. 8] Speculator legit etiam *ut supra dictum est*, nec habet tamen illam q. 3 nec hæc supra ullibi dixit. Summam transcribebat.

Jam a Prima secundæ Speculator saltat ad secundam secundæ.

Dist. 15 *de actu fidei* ex 2, 2 q. 2.

D. 16 *de actu exteriori fidei* ex q. 3. Nota sic Aquinas a. 2. *Præcepta autem affirmativa ut supra dictum est* [1, 2, q. 71 a. 5 ad 3 & q. 88 a. 1 ad 2] *non obligant ad semper.* Speculator legit etiam *ut supra dictum est*, quod eo magis eum arguit plagii, quod illas quæstiones habet lib. 3. Unde scribere debuit, *ut infra dicetur*, non *ut supra dictum est*, falsum enim est supra dixisse.

D. 17 *de habitu fidei* ex q. 4 & q. 6 sed perturbate. Nota sic Aquinas q. 4 a. 1. *In hoc enim speramus beatificari, quod videbimus aperta visione veritatem, cui per fidem adhæremus, ut patet per ea quæ supra de felicitate dicta sunt* [1, 2, q. 3 a. 8] Speculator conscius se supra de felicitate non tractasse sic immutat, *per ea quæ supra de fide dicta sunt.* Uter alterum interpolavit, quis naturalius loquitur?

Rursus Aquinas q. 6 a. 2: *deformitas actus est de ratione speciei ipsius actus, secundùm quod est actus moralis ut supra dictum est.* [1, 2, q. 71 a. 6] Speculator legit etiam *ut supra dictum est.* Ergo Summam exscribebat, alioquin scribendum erat, *ut postea dicetur lib.* 3 ubi habet illam q. 71.

Amplius Aquinas q. 4 a. 3. *Dicendum quod sicut ex superioribus patet* [1, 2, q. 1 a. 3, & q. 18 a. 6] *actus voluntarii speciem recipiunt a fine.* Speculator etiam legit, *ut ex superioribus patet*, nullibi tamen illas qq. habet, nec antea egit de fine ultimo, nec de actibus humanis, nec de voluntario. Summam transcribebat.

Sec. XIII. Hujus q. 4 articulum 2 resecat Speculator, qui tamen ex eodem fonte prodiit, ac alii.

D. 20 *de vitiis oppositis fidei* ex 2, 2, q. 10. Nota sic Aquinas a. 2. *Dicendum quod sicut supra dictum est* [1, 2, q. 74 a. 1, 2 & 5] *peccatum dicitur esse in illa potentia &c.* Et a. 3. *Dicendum quod omne peccatum formaliter consistit in aversione a Deo, ut supra dictum est* [1, 2, q. 71 a. 6 & q. 73 a. 3.] Et a. 4. *Dicendum quod sicut supra dictum est* [1, 2, q. 85 a. 1 & 2] *peccatum mortale &c.* Speculator ubique legit etiam, *sicut supra dictum est.* Falsissimum autem est id supra dixisse, at verum est quod dicet postea, scilicet lib. 3 ad quem illas qq. de peccatis rejecit. Cur autem dicit *sicut supra*, nisi quia plagiarius Summam exscribebat?

In fine hujus D. Speculator monet sequi *de hæresi, apostasia & blasphemia*, sed rejicit ad lib. 3. Cur autem id monet, nisi quia qq. illas vidit in Summa hîc sequi?

D. 22 *de objecto spei* ex 2, 2 q. 17.

D. 24 *de caritate secundùm se* ex 2, 2, q. 23. Nota sic Aquinas a. 2. *Hoc enim est contra rationem voluntarii, cujus oportet principium in ipso esse, sicut supra dictum est* [1, 2, q. 6 a. 1] Speculator etiam legit, *sicut supra dictum est*, nec tamen habet illam q. 6 nec de voluntario egit antea. Vides ubique plagiarium.

D. 25 *de caritate per comparationem ad subjectum* ex 2, 2 q. 24 sed perturbate. Nota sic Aquinas a. 1. *Cùm duplex sit appetitus sensitivus scilicet & intellectivus qui dicitur voluntas, ut in primo habitum est*, [1 p. q. 80 a. 2] Speculator resecat *ut in primo habitum est*, ne plagium detegatur. At a. 10 Aquinas *Per cessationem quidem ab actu diminuuntur virtutes ex actibus acquisita, & quandoque etiam corrumpuntur, ut supra dictum est* [1, 2, q. 53 a. 3] Speculator legit etiam *ut supra dictum est*, nec tamen habet q. illam 53 nec id ullibi antea dixit, & hîc plagium detexit.

D. 26 ad 31 ex 2, 2, q. 25 ad 30. Speculator indicat hîc sequi *de eleemosyna*. Cur autem id monet, nisi quia revera sequitur in Summa: aliter enim quî id in mentem ei venisset, qui de ea lib. 3 tantùm agere decreverat.

D. 33 *de correctione fraterna* ex 2, 2, q. 33.

D. 34 *de præceptis caritatis* ex 2, 2, q. 44 sed perturbate. Monet hîc Speculator considerandum *de vitiis oppositis caritati, de odio, &c.* etiam *de offensione & scandalo*, totidem verbis ut in Summa, mox addit: *De his omnibus require infra in lib. 3, ubi de singulis agitur suis locis.* Id esse plagii manifestum argumentum supra monuimus: quod eo magis urget hîc, quod postquam illa vitia, scandalum etiam rejecit ad lib. 3 ubi p. 3 d. 17 quæstionem de scandalo exhibet integram, hanc eamdem hîc etiam repræsentat.

D. 35 *de prudentia.* Art. 1 ex libro de septem donis. Cæteri ex 2, 2 q. 47 cujus tamen a. 3 resecatur, & a. 9 alio rejicitur. Sed qui hæc una concinnavit an auctor, an tortor potius habendus? Nota sic Aquinas a. 5: *cùm plures habitus inveniantur in una potentia ut supra dictum est* [1, 2, q. 54 a. 1] Rursus a. 8. *Nam consiliari est quærere ut supra habitum est* [1, 2, q. 14 a. 1] Speculator legit etiam *ut supra dictum est, supra habitum est*, nec tamen habet illas quæstiones, nec ullibi hæc dixit. Summam exscribebat.

D. 36 *de partibus prudentia in generali* ex 2, 2, q. 48.

D. 37. *de partibus integralibus prudentia.* Art. 1 *de studiositate* ex libro de septem donis. Art. 2 *de docilitate.* Hic alternatim ex lib. de septem donis & ex 2, 2 q. 49 a. 3. Placet hîc specimen dare, quæ prioris Italico, quæ posterioris Romano charactere exhibendo, ut videat lector & judicet.

Secunda pars prudentia est docilitas active scilicet & passive. Active quidem ut sit homo habilis ad competenter & prompte docendum. Passive verò ut sit homo habilis & voluntarius ad discendum. Ad prudentiam enim pertinet docilitas passive. [Hactenus ex lib. de 7 donis 5 par. tit. 2 *de prud.* c. 3 *de 3 specie prudentia, scilicet de docilitate.* cod. Sorbon. fol. 558 col. 3.]

» Quia cùm prudentia sit circa particularia operabilia, in quibus sunt quasi infinitæ diversitates *&c. usque*: Et ideo convenienter ponitur docilitas pars prudentiæ [*ex a. 3 cit. in c.*] Hæc autem docilitas secundùm aptitudinem quidem est a natura *&c. usque*: nec contemnens ea per superbiam «. [*Ibid. resp. ad 2.*] *Item ad prudentiam pertinet docilitas active dicta, quia ad prudentes* [in lib. de 7 donis legitur *ad prælatos*] *pertinet esse aptos & habiles ad docendum subditos &c.* ad finem usque. An auctor jam an tortor habendus?

Art. 3 *de consideratione* ex lib. de 7 donis.

D. 38. Art. 1 *de memoria* ex lib. de 7 donis. Speculator rejicit q. 49 a. 1 *de memoria* S. D. ejusdem tamen rationis cum aliis.

Art. 2 *de intelligentia* ex 2, 2, q. 49 a. 2.

Art. 3 *de solertia.* Ibid. a. 4.

Art. 4 *de ratione.* Ibid. a. 5.

D. 39 *de providentia.* Initium ex 2, 2, q. 49 a. 6 cui assuitur excursio longior ex libro de septem donis.

D. 40 *de circumspectione.* Initium ex eadem q. 49 a. 7 cui assuitur excursio ex lib. de 7 donis.

Art. 2 *de cautione*, ex variis auctoribus alternatim sarcinatus. » Decima pars prudentiæ est cautio de qua dicitur ad Eph. 5 *&c. usque*: sic accipiantur bona quod vitentur mala, *ex 2, 2, q. 49 a. 8* «.

Qua tamen quandoque speciem habent boni &c. usque: *& remissio videtur esse clementia & sic de aliis.* Ex auctore qui non occurrit.

Cautio igitur facit ut homo via regia virtutum incedat &c. usque: *nisi cautio ponat medium scilicet spem, & sic de aliis.* [Ex lib. de 7 donis. cod. Sorb. fol. 565 col. 3 *de circumspectione* quod a Speculatore mutatur in *de cautione.*] » Unde licèt ad eamdem virtutem pertineat providere vel prosequi bona *&c. usque* merito distinguitur a prudentia, cujus est providere bona. *Ex S. T. resp. ad 2 loc. cit* «.

Debet autem homo cavere omne impedimentum salutis &c. Ad finem excursio est moralis columnam fere implens alicunde corrasa.

D. 41 *de solicitudine.* Initium ex 2, 2, q. 47 a. 9 quem supra Speculator omiserat dist. 35. Subjicitur excursio moralis tres fere columnas implens, cujus auctor non occurrit, at in qua rhythmi soliti Speculatoris potissimum elucent; *solicitudo quam inducit necessitas, alia quam producit cupiditas, alia quam generat carnalitas, alia quam imperat caritas* &c. similia.

D. 42 sequens ex libro de 7 donis integra.

D. 43 *de speciebus prudentia* ex 2, 2 q. 50.

D. 44 *de eubulia, synesi, & gnome* ex q. 51 sed secunda pars ex lib. de 7 donis.

D. 45 *de imprudentia* ex 2, 2, q. 53. Speculator in fine monet sequi *de negligentia*, quia sic revera sequitur in Summa, sed remittit ad lib. 3.

D. 46 *de vitiis oppositis prudentia* ex 2, 2, q. 55. Nota sic Aquinas in fine a. 1: *dicitur sapientia esse terrena animalis diabolica, ut supra expositum est, cùm de sapientia ageretur* (scilicet q. 45) Speculator legit etiam *ut supra expositum est cùm de sapientia ageretur*: nec tamen habet q. 45 nec supra egit de sapientia, aget tamen postea, quod ab illo indicandum erat, si verus auctor fuisset, nec Summam exscripsisset.

Rursus a. 2 Aquinas: *cùm impossibile sit esse plures fines ultimos, ut supra habitum est.* [1, 2, q. 1 a. 5.] Speculator legit etiam, *ut supra habitum est*, nec tamen quæstionem illam primam habet, nec id antea ullibi dixit. An plagii desideras evidentius argumentum?

D. 47 ad 53 ex 2, 2, q. 57 ad 63 articulis pro more mutilatis.

D. 54. Initium est ipsum principium q. 64 in quo S. D. vitiorum commutativæ justitiæ oppositorum distributionem facit, & ibidem ex ordine prosequitur, quod connaturale. Speculator isto principio relato & pendenti ut ita loquar, & interrupto relicto, quæstiones ibi propositas remittit ad librum 3 & continuo transilit ad q. 67. Hinc manifesto arguitur plagii ut supra monebam. Nec his contentus sic quæstionis hujus 67 a 1 interpolat. Quæ charactere Italico ea aliena, quæ Romano S. D.

» Dicendum quod sententia judicis est quædam » particularis lex in aliquo particulari facto: & ideo » sicut lex generalis &c. *usque*, nisi sit aliquo mo- » do subditus ejus, vel per commissionem, vel per » potestatem ordinariam. [*ex S. D. a. 1 c.*]

Per potestatem quidem ordinariam potest judex omnes subditos suos licite judicare, nisi tale factum commiserint, propter quod oporteat ad superiorem recurrere: sicut patet quod propter majora crimina oportet recurrere ad episcopum vel ad papam, vel ubi per appellationem causa subditi ad superioris judicium defertur. [Hæc ex auctore qui non occurrit.]

» Item per ordinariam potestatem potest aliquis » judicare eum qui non erat subditus, ratione de- » licti &c. *usque*: potest per ordinarium juste con- » demnari «. [*ex S. D. ibidem ad 3.*]

Item per commissionem potest aliquis judicare non subditum suum tripliciter, scilicet per commissionem divinam, sicut Moyses judicavit Ægyptium injuriantem Hebræum, & occidit eum, Exodi 2. [Hæc aliena ex auctore qui non occurrit.]

» Et Daniel accepit potestatem ad judicandum » duos senes judices impudicos quasi commissam » ex instinctu divino. Quod significatur per hoc » quod ibi dicitur, suscitavit Dominus spiritum » pueri junioris «. [*Hæc S. D. ibid. ad 1.*]

Vel per commissionem humanam, & hoc potest fieri dupliciter. Uno modo quia judex ordinarius potestatem suam committit alicui, sicut quotidie episcopi vel alii judices committunt, vel in temporalibus, vel in spirtualibus vices suas. [Hæc aliena.]

» Alio modo quia aliqui sponte sua possunt se » subjicere aliorum judicio, quamvis non sint eis » superiores &c. *usque*: sicut etiam Leo papa ju- » dicio se imperatoris subdidit. « [*Ex S. D. ibid. ad 1.*]

Quam otiosum & puerilis ingenii Aquinatem faciunt, qui putant eum inter tot aliena articulum suum collegisse.

Articulo 3 hujus quæstionis assuit Speculator additamentum linearum 5 ex auctore qui non occurrit.

D. 55 ad D. 58 ex q. 68 ad 71. Ad finem monet Speculator considerandum hîc sequi *de injuriis verborum, & de peccatis quæ fiunt per voluntarias commutationes*, & continuo remittit ad lib. 3. Sunt lapides illi quos dicebam relictos ab eo veluti projectitios, & signum plagii manifestum: cur enim sic monet, nisi quia vidit sequi in Summa?

D. 59 *de integralibus justitiæ partibus* ex 2, 2 q. 79.

D. 60 *de justitiæ annexis virtutibus*, ex q. 80. Hic articulus primus est ex sex quos Speculator integros a capite ad calcem refert eodem prorsus modo quo in Summa leguntur, & signum sunt omnes alios sic integros fuisse, priusquam a Speculatore mutilarentur, ac proinde Summam antiquiorem Speculo. SÆC. XIII.

D. 61 & 62 ex q. 81 & 82. Monet hîc Speculator sequi *de oratione*, quia sic sequitur in Summa, sed ad 3 librum rejicit.

D. 63 *de adoratione* ex q. 84.

D. 64 *de sacrificio* ex q. 85. Nota sic Aquinas a. 2. *Solus Deus est creator animarum nostrarum ut in primo habitum est* [1 p. q. 118 a. 2.] *In solo etiam eo anima nostra beatitudo consistit, ut supra dictum est* [1. 2 q. 2 & 3 a. 8.] Præterea a 3. *Dicendum quod sicut supra dictum est* [1. 2 q. 18 a. 6] *quando actus unius virtutis ordinatur ad finem alterius virtutis participat quodammodo speciem ejus.* Speculator primæ partis citationem resecat, sed cæteras legit ut in Summa *sicut supra dictum est*, nec tamen habet qq. citatas 1. 2 nec supra hæc tractavit. Plagiarius.

D. 65 ex q. 86. D. 66 *de decimis* ex q. 87. Nota hujus a. 1 sic Aquinas: *Est autem hæc differentia inter ceremonialia & judicialia legis præcepta, ut supra diximus* [1. 2 q. 104 a. 3.] *quod ceremonialia illicitum est observare tempore legis novæ.* Speculator legit etiam, *ut supra diximus*, nec tamen habet illam q. 104 nec id supra ullibi dixit. Plagiarius.

D. 67 ad 69 ex q. 88 ad 91 ad cujus calcem monet Speculator considerandum hîc esse *de vitiis religioni oppositis*, & refert principia q. 92 & seqq. ad 100 ut in Summa leguntur: at omnia rejicit ad lib. 3. Projecturæ illæ sunt quas dicebam pendentes ab eo relictas, & signum evidens Summam Speculo antiquiorem.

D. 70 *de pietate* ex q. 101. In responsione ad 1 art. 4 Speculator lineas 5 a Summa extraneas inserit.

D. 71 & 72 ex q. 102 & 103.

D. 73 *de obedientia* ex q. 104. Nota sic Aquinas a 2. *Non omnes actus virtutum sunt in præcepto ut supra habitum est.* [1. 2. q. 96 a 3.] Speculator legit etiam *ut supra habitum est*, nec tamen habet illam q. 96. Subjicit etiam hîc principium q. seq. *de inobedientia*, sed ad lib. 3 rejicit. Utrumque indicat plagiarium.

D. 74 *de gratitudine* ex q. 106 cui addit principium q. seq. *de ingratitudine*, at rejicit ad lib. 3 & id plagiarium indicat.

D. 75 *de vindicatione* ex q. 108. Nota a. 4 sic S. D. *Unde cùm omne peccatum sit voluntarium, etiam originale, ut supra habitum est.* [1. 2 q. 81 a. 1.] Speculator legit etiam *ut supra habitum est*: nec tamen id habet supra, nam qq. de peccatis rejecit ad lib. 3. Ergo *postea* dicendum erat non *supra*. Et plagii novum argumentum.

D. 76 *de veritate & vitiis oppositis* ex q. 109. Sic proposuerat cum S. Thoma, & in fine dist. refert principium q. 110 quæ est de vitiis illis, & subito rejicit ad lib. 3. Cur hoc nisi quod Summam exscribebat? Et quod mireris, & scriptorem inordinatum demonstrat, dum *de mendacio* ad 3 lib. remittit, hîc tractat *de jactantia & ironia* quæ species sunt mendacii: nempe D. 77 ex qq. 112 & 113. Additur

Appendix *de amicitia quæ affabilitas dicitur, & de vitiis oppositis adulatione & litigio* ex q. 114. Sed ad finem post adjecta principia qq. seq. *de adulatione & litigio*, ut leguntur in Summa, mox remittit ad lib. 3. Plagiarius.

D. 78 *de liberalitate & vitiis oppositis avaritia & prodigalitate* ex q. 117, sed quæ de *vitiis oppositis* cum S. D. initio promiserat, rejicit ad lib. 3.

Appendix *de epieikeia* ex q. 120.

D. 79 *de præceptis justitiæ* ex q. 122.

D. 80 *de fortitudine secundùm se.* Hujus distinctionis duæ sunt partes. Prior octo grandiores columnas implens excursio est moralis ex libro de septem donis totidem verbis accepta. Pars posterior ex 2, 2 q. 123 cujus tamen articulum 7 omittit Speculator. Qui priorem partem furatus est, dubitas an posteriorem rapuerit, & unde nisi ex Summa?

D. 81 ad 84 ex 2, 2 a q. 124 ad 129 quibus adjicit principium q. 130 & seqq. *de vitiis oppositis magnanimitati*, at mox rejicit ad lib. 3. Cur verò adjicit, nisi quia sequebatur in Summa?

D. 85 & 86 ex q. 134 & 135.

D. 87 *de patientia.* Prior pars columnas tres non implens ex q. 136 ita tamen ut a. 1 Speculator 16 lineas inserat ex libro de 7 donis p. 5 *de dono consilii* tit. 4 *de fortitudine* c. 7 *de patientia* §. 2 *quomodo virtus patientiæ describatur* cod. Sorbon. fol. 661 col. 1. Princ. *Tullius etiam inter partes fortitudinis &c.* Pars posterior distinctionis columnas 24 implens totidem verbis ex libro de 7 donis. In hac manifesto fur deprehenditur, in illa quis credat innocentem?

D. 90 *de perseverantia.* Pars prior ex q. 137. Posterior excursio moralis alicunde corrasa. Rhythmos solùm Speculatori solitos agnosco: *Debemus perseverare in operando, in tolerando, in pugnando & in orando.* Hæc sane non sunt ejusdem fideliæ: qui ista conjunxit, neutrius auctor est.

Appendix *de vitiis oppositis perseverantiæ* ex q. 138. Nota. Articulus 1 *de mollitie* secundus est ex sex quos Speculator integros refert, & alterum signum cæteros omnes prius ejusdem formæ fuisse, quam in Speculo mutilarentur, & ubi nisi in Summa?

D. 91 ad 94 ex q. 141 ad 149. Si excipias qq. *de jejunio, de gula & de ebrietate*, quas suis locis sequi monet Speculator, quia videbat sequi in Summa, sed mox rejicit ad lib. 3 quæ plagiarium arguunt.

D. 95 *de castitate.* Pars prior ex q. 151. Pars posterior excursio moralis longior ex lib. de 7 donis corrasa.

D. 96 *de virginitate.* Pars prior ex q. 152. Posterior columnas 19 implens & hæc totidem verbis ex lib. de 7 donis exscripta.

Adjicit Speculator principium q. 153 *de luxuria*, & mox rejicit ad lib. 3. Cur addit, nisi quia videbat sequi in Summa?

D. 97 *de continentia.* Pars prior ex q. 155. Nota a. 2 sic Aquinas: *Oportet quod continentia sit sicut in subjecto in illa vi animæ cujus actus est electio, & hæc est voluntas, ut supra habitum est.* [1. 2 q. 13 a. 1.] Speculator legit etiam *ut supra habitum est*, nec tamen habet illam q. 13 nec supra hoc dixit. Pars posterior *de commendatione continentiæ* excursio moralis ex lib. de septem donis corrasa. Adjicitur appendix *de incontinentia* ex q. 156.

D. 98 *de clementia.* Pars prior ex q. 157. Posterior excursio est moralis longior ex lib. de 7 donis excerpta totidem verbis. Speculator subjungit principium q. 158 *de ira*, moxque de more remittit ad lib. 3.

D. 99 *de modestia* ex q. 160.

D. 100 *de humilitate.* Pars prior ex q. 161. Nota articulum 2 Speculator fœdat linearum 8 extranearum insertione. Pars posterior excursio est moralis alicunde subrepta: rhythmos tantùm Speculatori solitos agnosco: *Motiva ad humilitatem, vilitas humanæ conditionis, vitæ præsentis calamitas ærumnosa, claritas exemplaris instructionis, fructus sequentis utilitas copiosa.* Subjicit principium q. 162 *de superbia* & pro more remittit ad lib. 3.

D. 101 *de modestia in verbis.* Pars prior *de taciturnitate* ex lib. de 7 donis. Posterior *de modestia circa exteriores motus corporis* ex q. 168. Nota. Articulo 1 subjicitur additamentum linearum 22 ex lib. de 7 donis cod. Sorbon. fol. 639 col. 4 *de specie temperantiæ* 18 *quæ est maturitas.* Princ. *Unde potest dici quod pertinet dicta moderatio &c.* Id certe nullo modo sequitur, sed sarcinatori quid non licet?

D. 102 ex q. 169. Speculator subjicit alias species modestiæ S. T. incognitas, *æquanimitatem, parsimoniam, mundi contemtum, voluntariam paupertatem*, omnia ex lib. de 7 donis deflorata, & 28 grandioribus columnis transcripta, quæ compilatorem probant non auctorem.

Lib. 1 P. 4 in qua subsultat Speculator a 1. 2 ad 2. 2 & vicissim transiliens.

D. 1 *de donis in generali* ex 1. 2 q. 68.

D. 2 *de timore* ex 2. 2 q. 19.

D. 3 *de dono pietatis* ex 2. 2 q. 121.

Appendix *de dono scientiæ* ex 2. 2 q. 9. Tres articulos initio cum S. D. proponit Speculator, tertium postea resecat, nullius ex hoc se auctorem prodens. Nota sic Aquinas a 1 ad 1. *Sed in Deo est certum judicium veritatis absque omni discursu per simplicem intuitum, ut in primo dictum est.* [1 p. q. 14 a 7.] Speculator citationem resecans necessariam, se declarat plagiarium.

D. 4 *de fortitudine* ex 2. 2 q. 139.

Appendix *de dono consilii* ex 2. 2 q. 52. Additur articulus 4 seu potius excursio moralis ex lib. de 7 donis corrasa.

D. 5 *de dono intellectus* ex 2. 2 q. 8.

D. 6 *de dono sapientiæ.* Pars prior ex 2. 2 q. 45. Posterior excursio moralis longior alicunde corrasa.

D. 7 *de fructibus.* Pars prior ex 1. 2 q. 70. Posterior excursio moralis longior alicunde excerpta cum rhythmis consuetis.

D. 8 *de beatitudinibus* ex 1. 2 q. 69.

D. 23 *de beatitudinum correspondentia donis.* Ad 2. 2 revertitur Speculator, articulos 7 hinc inde a se omissos recolligens, & pro more mutilans.

Lib. 3 P. 2 D. 1 *de peccatis & vitiis secundùm se* ex 1. 2 q 71 & 72. Ad hujus posterioris articulum 7 assuit Speculator additamentum 35 circiter linearum. Princ. *Progressus autem peccati quomodo serpit &c.* quod alicunde corrasum styli est omnino diversi a genuinis S. D.

D. 2 ex q. 73. D. 3 *de subjecto peccatorum* ex q. 74. Nota sic Aquinas a. 1. *Cùm autem proprium sit actuum moralium quod sint voluntarii, ut supra habitum est.* [1. 2 q. 1 a. 1 & q. 18 a. 6.] Iterum a. 2. *Actus autem voluntarii dicuntur non solùm illi, qui eliciuntur a voluntate, sed etiam illi qui a voluntate imperantur, ut supra dictum est, cùm de voluntario ageretur* [q. 5 a. 4.] Speculator eadem habet, & tamen non habet illas qq. nec supra de voluntario egit. Plagiarius.

D. 4 ad 9 ex 1. 2 a q. 75 ad 80. Nota sic Aquinas in ultima a. 2. *Potest etiam* [*diabolus*] *facere quod appetitus sensitivus concitetur ad aliquam passionem. Dictum est enim in primo libro* [1 p. q. 110 a. 3.] *quod natura corporalis spirituali naturaliter obedit ad motum localem.* Speculator rescindit citationem plagium tegere ratus, quod prodit sola collatio cum Summa, quæ citationem ostendit & naturalem & necessariam.

D. 10 *de causa peccati ex parte hominis.* Principium solùm q. 81 primæ secundæ, & subito Speculator transilit ad 2. 2 q. 165 *de tentatione primorum parentum.*

Appendix *de peccato primi hominis* ex 2. 2 q. 163.

D. 11 *de pœna peccati* ex 2. 2 q. 164. Articulum 2. quam misere discerpserit, & alienis contaminarit, memoratu dignum est & exhibendum lecto-

ri. Quæ charactere Italico ea aliena, quæ Romano S. D.

Primo quidem corpus a. integrum refertur, at en quî responsiones ad argumenta.

» Quantùm ad pœnas specialiter impositas mulie» ri ponuntur tres Gen. 3: prima videlicet Multipli» cabo ærumnas tuas & conceptus tuos *&c. usque* » non fuit secundùm legem naturæ a primis paren» tibus derivatus «. [*Ex res. ad 2 & 1 p. responsionis ad 3.*]

Licèt iniqui vehementer desiderent prolem concipere &c usque *quæ sibi proficua sunt refugit, nociva appetit.* [Hæc aliena nec scholæ nec concioni apta.]

» Quantùm ad 2. In dolore paries filios. Nam in statu » innocentiæ fuisset partus absque dolore *&c. usque:* » sed voluntarius usus naturam utramque conjun» geret «. [*S. T. 1 pars resp. ad 1.*]

Post peccatum verò quantas anxietates &c. usque: *custodit cum instantia & mœrore.* [Hæc aliena.]

» Quantùm ad 3. Dicitur sub viri potestate eris. » Hujusmodi autem subjectio mulieris ad virum » *&c. usque:* etiam quandoque contra propriam » voluntatem «. [*Ex S. T. 2 p. respons. ad 1.*]

Ante peccatum enim mulier obediret &c usque: *quodammodo scilicet velit nolit.* [Aliena, an cohæreant judicet lector]

» Si autem aliqua non concipit neque parit, pa» titur defectum sterilitatis, quæ præponderat pœ» nis omnibus ante dictis «. [*S. T. in med. resp. ad 3.*]

Similiter viro imponuntur tres pœnæ &c. usque: *nec ad nutriendum æqualiter efficaces.* [aliena.]

» Quantum ad secundum quod ante peccatum » terra spinas & tribulos germinasset *&c. usque:* » sicut dicit Augustinus 11 super Gen. ad lit. « [*S. T. 3 pars resp. ad 1.*]

Quantum ad tertium dicitur in sudore vultus tui &c. usque: *ut operaretur & custodiret illum.* [aliena.]

» Post peccatum autem oportet, ut quicunque » terram operatur *&c. usque* non sine sudore vul» tus panem manducat «. [*S. T. pars 3 res. ad 3.*]

Similiter etiam imponuntur tres pœnæ &c. usque: *fœtoris & penuriæ plenum dejiceretur.* [aliena.]

» Tamen locus ille post emissionem hominis in » rerum ordine debuit remanere, quia quamvis non » serviat homini ad usum habitationis &c «. [*Scilicet S. T. res. ad 4, 6, 7 & 8.*] Adhuc tamen Speculator rescindit resp. ad 5. & 9.

Itane verò erudite lector, an S. D. articulos sic in Speculo laniatos, sic inter aliena quorum plura inepta permistos putaras? Sed quid ais, an inter hæc Thomam censes sua quæ Ecclesiam doceret, pueriliter collegisse?

D. 12 *de peccato originali* ex 1. 2 q. 81. Nota sic Aquinas a. 2. *Et hoc modo justitia originalis sicut in primo dictum* [q. 100 a. 1.] *erat quoddam donum gratiæ &c.* Speculator resecat citationem ut plagium tegat.

D. 13 ex 1. 2 q. 82. D. 14 *de subjecto originalis peccati* ex q. 83. Nota sic Aquinas a. 2. *Attingit autem origo animam ut terminum generationis secundùm quod est forma corporis, quod quidem convenit ei secundùm essentiam propriam, ut in primo habitum est.* [1 p. q. 76 a. 1.] Speculator resecat citationem, ut plagium tegat, quod propterea non minus evidens est.

D. 15 ex q. 84. D. 16 *de effectibus peccati* ex q. 85. Nota sic Aquinas a. 1. *Per actus enim humanos fit quædam inclinatio ad similes actus ut supra habitum est.* [1. 2 q. 51 a. 2 & 3] Iterum a. 4. *Dicendum quod sicut in primo dictum est* [1 p. q. 5 a. 5] *modus species & ordo consequuntur &c.* Rursus a. 5 *totum corpus* [*per originalem justitiam*] *continebatur sub anima absque omni defectu, ut in primo habitum est* [1 p. q. 97.] Speculator resecat citationes 1 p. ut plagium tegat, sed cùm retineat citationem 1. 2 q. 51 illud satis retegit, quia 51 illam q. non habet, nec citat, nisi quia Summam exscribit.

D. 17 ad 21 ex 1. 2 q. 86 ad 89. Art. 3 q. 88 assumentum subjicit Speculator alienum *de timendis peccatis venialibus.*

Lib. 3 P. III D. 1 *de superbia secundùm se.* Excursio est moralis ex lib. de 7 donis deflorata totidem verbis 6 coll. implens, ad cujus finem ex 2. 2 q. 162 c. aa. 2 & 8.

D. 2 ad 8 sunt ex variis auctoribus consarcinatæ, plura ex lib. de 7 donis, quidam articuli ex 2. 2 q. 162, 167, 112, 132 hac illac dispersi, sed ita alienis obruti, ut nisi summopere attenderis, vix agnoscas.

D. 9 *de speciebus inanis gloriæ, & de ambitione* ex 2. 2 q. 132 & 131. Hujus posterioris a. 2 resecat Speculator, & ejus loco excursionem moralem subjicit longiorem ex lib. de 7 donis.

D. 10 *de hypocrisi* ex 2. 2 q. 111 tum postea grandis excursio moralis ex libro de 7 donis. Resecat verò Speculator aa. 1 & 3. S. D.

D. 11 *de ironia & de adulatione* ex 2. 2 q. 113 & 115. Primam jam supra fere totidem verbis retulerat lib. 1 p. 3 dist. 77, hîc repetit. Secundæ subjicit Speculator excursionem moralem ex libro de 7 donis.

D. 12 ad 16 partim ex 2. 2 q. 37, 38, 78, partim in omnibus excursiones morales longiores rhythmicæ de more, quibus obruuntur quæ ex Aquinate.

D. 17 *de scandalo* ex 2. 2 q. 43 quam hîc repetit, cùm jam retulisset L. 1 p. 3 dist. 34. Additur excursio moralis longior ex lib. de 7 donis.

D. 18 *de erubescentia bonitatis.* Quædam ex lib. de 7 donis cod. Sorbon. fol. 358 col. 1.

Appendix *de tentatione Dei* ex 2. 2 q. 97 cui adjicitur *de contemtu Dei* excursio moralis alicunde corrasa.

D. 19 *de sacrilegio* ex 2. 2 q. 99. Adjicitur excursio moralis grandior ex lib. de 7 donis.

D. 25 *de præsumtione* ex 2. 2 q. 21 & q. 14, sed perturbatissime & alienis immistis: inter alia excursio est moralis longior ex lib. de 7 donis.

D. 26 *de superstitione* ex 2. 2 q. 81, 92, 93 variis hinc inde collectis articulis.

Appendix *de idololatria* ex 2. 2 q. 94. Nota sic Aquinas a. 2 res. ad 1. *Secus est de imagine Christi, cui ratione divinitatis latria debetur, ut dicetur in tertio.* [3 p. q. 25 a. 3.] Speculator rescindit citationem ut plagium operiat, quod ex collatione cum Summa mox retegitur.

D. 27 *de divinitate* ex 2. 2 q. 95. Articulo 7 adjicitur appendix ex libro de 7 donis *de ludificatione mulierum quæ dicunt se ire de nocte* cod. Sorbon fol. 413 col. 2, postea q. 95 a. 8 integer ut legitur in Summa, & hic est tertius, quem Speculator intactum reliquit, dum cæteros tam impie mutilaret.

D. 28 *de superstitionibus observantiarum* ex 2. 2 q. 96. Nota & hîc articulos 2, 3 & 4 S. T. integros exhiberi, hique cum aliis tribus supra indicatis sunt sex, qui in tanta articulorum omnium mutilorum multitudine gladium evaserunt, monumentumque sunt perpetuum cæteros sic integros fuisse priusquam in Speculo mactarentur: ubi verò nisi in Summa, quæ proinde Speculo antiquior? Nota rursus. Sic Aquinas a. 3 res. ad 1. *Et simile etiam esse posset, si quis timeret nocumentum alicui puero ex oculo fascinante, de quo dictum est in primo libro* [1 p. q. 117 a. 3 ad 2.] quæ citatio naturalis &

necessaria : hanc suo more resecat Speculator.

D. 29 *de infidelitate* ex 2. 2 q. 10. Hanc lib. 1 P. 5 dist. 2 jam exhibuerat Speculator, cur hîc repetit, nisi quia plagiariorum opera haud accurata?

D. 30 *de hæresi* ex 2. 2 q. 11 & 12 & 39.

D. 31 *de impugnatione veritatis agnitæ* excursio est moralis alicunde corrasa. Alicubi tamen inserit corpus a. 3 q. 79, 1. 2.

Lib. 3. Pars 4 *de invidia* ex 2. 2 q. 36 cujus tamen omittuntur aa. 3 & 4. q. 73, q. 74 cujus resecatur a. 2. q. 75. q. 34 cujus rejiciuntur aa. 2, 3, 4, & 5. Singulis distinctionibus adjiciuntur excursiones morales pleræque ex libro de 7 donis excerptæ, ut vix inter tot extranea Aquinatem agnoscas.

Pars 5 *de ira*. Hac illac seminantur 2. 2 q. 158, q. 116, q. 72 cujus rejicitur a. 4, q. 76 cujus etiam a. 4 resecatur, q. 13, q. 14 cujus adhuc a. 4 omittitur, q. 41 cujus a 2 resecatur, q. 40, q. 156, q. 65 cujus a. 4 resecatur, q. 64. Cæterum hæc omnia longioribus excursionibus moralibus plerisque ex libro de 7 donis exceptis obruta, ut vix Aquinatem distinguas.

Placet hîc dist. 6 *de blasphemia* articulum 1 exhibere, quî alternatim ex Summa 2. 2 q. 13 a 1 & ex libro de 7 donis compactus est : quæ hujus charactere Italico, quæ Aquinatis Romano.

Circa primum sciendum est quod blasphemia est quando contumeliosa verba contra Dei bonitatem vel Sanctorum reverentiam proferuntur. Est autem blasphemia quadruplex scilicet cordis, oris, scripturæ & operis. Prima ergo blasphemia est quæ in sola cordis cogitatione consistit, de qua dicitur Matt. 15 de corde exeunt cogitationes malæ, blasphemiæ &c. ex lib. de 7 donis cod. Sorb. fol. 431 col. 4 & seq.

» Quicumque enim negat de Deo quod ei con-
» venit *&c. usque* : est cordis blasphemia. « *Ex Summa loc. cit. a. 1 c.*

2. *Est blasphemia oris, quæ ex corde perverso progreditur in verba* &c. usque : *Similiter filius qui natus est tibi morte morietur.* Ex lib. de 7 donis loc. cit.

» Item ponuntur a quibusdam tres species blas-
» phemiæ &c. *a. 1 cit. arg. 3 integrum.*

» Sed secundùm ista tria non possunt proprie
» loquendo distingui diversæ species blasphemiæ
» *&c. usque* : est ipsum Deum dicere idem esse crea-
» turæ. *S. T. res. ad arg. 3.*

Item sunt quatuor modi vulgares blasphemiæ nimis apud homines assueti &c. usque : *quia fere totus mundus istis quatuor blasphemiis est repletus.* Ex lib. de 7 donis loc. cit. fol. 432 col. 2.

Qui hæc simul composuit, certo nullorum auctor est.

P. 6 *de acedia*. Hac illac etiam inseruntur ex 2. 2 q. 35 rejecto a 4. q. 137 & 138 quidam articuli. q. 54 q. 79 cujus tamen resecatur a. 1. q. 107 q. 20. Hæc omnia perturbatissime. Singulis item distinctionibus adjiciuntur excursiones morales ex lib. de 7 donis pleræque.

P. 7 *de avaritia*. Idem quod supra. Hac illac insertæ ex 2. 2 q. 118 a. 7 resecato. q. 55 aa. 1, 2, 7 & 8 rejectis, q. 77, q. 110, q. 98 cujus a. 4 rejicitur, q. 66, q. 78, q. 100, q. 119. Hæc omnia etiam perturbatius, sed & ubique excursiones morales grandiores ex libro de 7 donis pleræque.

P. 8 *de gula*. D. 1 pars prior ex 2. 2 q. 148 cujus tamen rejiciuntur aa. 3 & 5. Pars posterior ex lib. de 7 donis, ex quo pleraque cætera.

P. 9 D. 1 *de luxuria* ex 2. 2 q. 153 rejicitur a. 4. D. 2 *de speciebus luxuriæ* ex q. 154 cujus omittitur a. 3. Nota sic Aquinas a. 2. *Consequens est quod ista conjunctio maris ad fœminam quæ matrimonium dicitur, lege aliqua determinetur. Qualiter autem sit apud nos determinatum, in tertia parte hujus operis dicetur, cùm de matrimonii sacramento tractabitur.* Præterea a. 5. *Nullus enim est dormiens, qui non intendat aliquibus similitudinibus phantasmatum velut rebus ipsis, ut patet ex his quæ in primo dicta sunt.* [1 p. q. 84 a 8 ad 2.] Hæc probant secundæ secundæ cum prima parte & tertia Summæ connexionem. Speculator latere putans utramque citationem resecat.

Cæteræ distinctiones hujus partis 9 sunt excursiones morales grandiores ex libro de septem donis exscriptæ.

Ex collatione hactenus facta Summæ cum Speculo jam evidens est Speculatorem a S. Thoma, non e converso S. Thomam a Speculatore accepisse, cùm præsertim Speculator insignis fur deprehendatur in tot excursionibus moralibus ex libro de septem donis nostri Stephani de Borbone de Bellavilla audacissime convasatis. Verùm id luce clarius adhuc patebit, ubi duos alios scriptores celebres in eodem Speculo direptos ostensum fuerit. Primus est noster Petrus de Tarentasia postea summus pontifex Innocentius V de quo supra. Id solùm meminerit lector hunc anno 1267 tantùm ad prosequendas Parisiis sententiarum lectiones pro forma magisterii assignatum fuisse, sicque scriptum suum saltem in 3 & 4 sententiarum ad summum anno 1269 in lucem produxisse, si tamen tum ediderit, nec de more apud se perficiendum ac ultima manu poliendum retinuerit. Quid exinde conficiatur, mox aperiam, ubi de F. Ricardo de Mediavilla ordinis Minorum dixero.

Inter sacræ theologiæ magistros Seraphici ordinis celebris ille est, scholasque primum Oxonienses tum & Parisienses scientiæ suæ lumine collustravit. Unde cùm veteres illos suo quemque titulo insignire mos fuerit, solidi copiosi fundatissimi Wadingo teste, aliis etiam perspicacissimi doctoris laudem commeruit. Quod velim lector teneat, modo enim non erit inutile. At quod maxime ad rem attinet, ille anno 1283 baccalaureum tantùm Parisiis agebat, ac sententias ea ratione apud suos legebat. Id Wadingus invicte probat in annalibus ad eum annum n. 1. Hinc ex legibus illius seculi sub finem ejus anni, aut sub initium anni sequentis licentiatum probabile est, ac sententias ut magistrum legere continuasse, scholamque Minorum suo ordine rexisse. Sed & aliud addit Wadingus non leviter prætereundum, nempe commentarii sui in sententias librum quartum eum nondum perfecisse, cùm mortuus est anno 1300 ut vult Pitseus, & videtur probare Wadingus dum de eo inter familiæ suæ scriptores, etsi in annalibus in eam sententiam magis inclinasset, quæ ad 1302 ejus obitum rejicit : Unde addit ad commentarium illum complendum operas suas Franciscum Georgium, & Dionysium Bononiensem Minoritas contulisse. Ex his enim evidenter colligitur commentarios illos Ricardi in sententias saltem in quartum ante 1300 sub incude apud auctorem etiamnum servatos fuisse, nec nisi post ejus obitum seculo sequenti lucem publicam aspexisse. Quod tibi amplius constabit, si memineris seculo XIII nondum eam consuetudinem in scholis viguisse quæ nunc est, lectiones suas auditoribus ex scripto dictandi, contra eas ita pronunciasse tum, ac si nemo scriberet, moreque concionatorum : unde si quæ reportata ut dicebant, ab aliquibus ad scribendum habilibus ex ore dicentis excipiebantur, ea valde imperfecta erant, nec eis fides habebatur, donec ab auctore recognita ac serio emendata fuissent.

At quorsum hæc, inquis ? nempe quod volebam jam confectum est. Nam cùm in Speculo morali articuli ex quarto sententiarum Petri de Tarentasia plus viginti, & ex commentariis in tertium &

quartum F. Ricardi de Mediavilla plus quinquaginta totidem vocibus legantur, an quicquam certius, quam Speculum morale post annum 1269 quo Petrus de Tarentasia regebat adhuc, id est quinque saltem post Vincentii Bellovacensis mortem annis, quid aio? post annum 1284 quo suum etiamnum commentarium legebat Ricardus de Mediavilla, si tamen eo anno & non posterius legerit, imo post annum 1300 quo completus nondum erat ille commentarius ab auctore relictus imperfectus ac proinde plus 30 annis post S. Thomæ anno 1274 mortui obitum, ex horum trium & aliorum auctorum spoliatorum exuviis quoquo modo coagmentatum fuisse, quod illud ipsum est quod erat probandum. Stupes forsan ad hæc nova omnino & antehac inaudita: hoc nimirum fatendum ab omnibus a quibus hæc quam præ manibus habemus, quæstio vexanda suscepta est, Speculum morale nonnisi oscitanter lectum fuisse. Et quidem S. Thomas latere non potuit, quem nocturna versare manu versare diurna solent docti quique, sed aliorum auctorum qui jam vix aut omnino non leguntur, & in pulvere dormiunt, articulos articulis S. Thomæ intermistos latere vel suspicati non sunt, vel si viderunt, quinam illi essent, quis divinaret? labore improbo, nec labore tantùm, sed & singulari attentione ad id disquirendum opus erat: alios id verò non tangebat, non erat otium aliis, omnes difficultas visa insuperabilis absterrebat. Hinc sancti Doctoris æmuli triumphare, hinc in eum turpissima plagii accusatio tota derivata est, a qua abstinuissent proculdubio, si tot in causa celebres auctores esse scivissent.

At inquies, quid si illi alii quos laudas & ipsi plagiarii fuerint, & Speculum morale prout illis opus fuit corraserint? verùm quisquis id objicit, si cor habet, ita penset velim. Quinque illi laudati scriptores in Speculo convasati, auctor tractatus de consideratione novissimorum, auctor libri de septem donis seu Stephanus de Borbone, S. Thomas, F. Petrus de Tarentasia, F. Ricardus de Mediavilla suo quisque gaudent stylo. Si quæ quis eorum in Speculo morali habet, cum aliis ejusdem operum partibus extra conferas, eumdem hominem censebis, lingua eadem loquentem, ipsis reddita in loco suo naturali posita videntur, id nemo eat inficias. Auctor Speculi moralis contra variegatum habet stylum, pro eorum varietate quos deprædatur. Quæ apud ipsum sunt non fluunt, non cohærent, vi sibi invicem impacta apparent, nulla proportio, distorta, extra se posita omnia.

Jam vidit lector distinctiones alternatim illas ex Summa Aquinatis, has ex libro de septem donis, quasdam etiam ex uno partim partim ex altero compactas, in libri 3 parte 10 quatuor posteriores alternatim loquentes experietur. Plus est. In una & eadem distinctione seu verius quæstione articuli modo sunt alternatim ex S. Thoma & ex F. Ricardo de Mediavilla, modo ex hoc ultimo & F. Petro de Tarentasia, modo ex illis tribus. Sunt articuli ex media parte S. Thomæ, ex altera dicti F. Ricardi. Sunt articuli ex pluribus utriusque articulorum laciniis, vel si malis tæniis alternis distincti. Amplius. In una eademque distinctione sunt articuli sibi succedentes & proximi invicem contradictorii, ad eo ut quod Thomas stabilit in priori, id conetur evertere Ricardus in posteriori. In priori veritas Christiana enunciatur & declaratur, in proximo sequenti error aut etiam hæresis audacter proponitur & defenditur. In uno & eodem articulo Thomas sententiam suam profert ac probat, in illo eodem articulo Thomæ sententia a Ricardo impugnatur. Oculis tantùm opus est, ut ista sentiantur. An auctores illos adhuc plagiarios ac Speculi moralis deprædatores censebis?

Si plagiarii sunt sane ejus generis sunt, quales nulla unquam vidit ætas. Audacissimos enim illos fuisse oportet simul & modestissimos, audacissimos inquam, qui Speculum morale plenis manibus populare non erubuerint: modestissimos tamen tanta erga se invicem verecundia usos, ut quisque sibi parata accipere contentus, ne verbulum quidem attigerit in eodem etiam articulo, eorum quæ alteri destinata erant. Sic S. Thomas argumenta adversus eam quam accipiebat sententiam proposita etsi viderit, ausus non est contingere nec sibi proponere enodanda, quia argumenta illa non ab ipso, sed contra ipsum a F. Ricardo de Mediavilla aliquando venturo proponenda erant. Aliunde verò dum auctorem Speculi moralis vis ex propriis locutum, non hominem nobis sed monstrum objicis, non triplici jam dentium ordine in eodem ore, sed ore revera quadruplici aut sextuplici præditum, pretiosa ex uno ex altero vilia, ex eo fidem, errorem ex illo simul ac semel fundens, quod portentosius quiddam est, quam ex eodem ore calidum simul ac frigidum sufflare. Bellarminus cùm eam quam nos tractaret quæstionem, se pro S. D. tuendo in angustiis positum fatebatur, vides nunc non jam nos in angustiis pro eodem coarctatos, imo ad quas sanctissimi præceptoris, si quos habet adversarios, angustias redigamus. Verùm ad majores adhuc & ad ultimas cogendi sunt, & ad metam ut aiunt silentii.

Scilicet est articulus unus & Speculo morali & Ricardo de Mediavilla communis. Apud hunc habetur in 4 sent. dist. 17, a. 3 q. 2. In Speculo autem lib. 3 p. 10 dist. 10 a. 3. *Utrum illi qui confessi sunt alicui potestatem superioris habenti, teneantur eodem anno confiteri suo parochiali sacerdoti?* In eo articulo mentio fit cujusdam bullæ summi pontificis. Summus ille pontifex est Martinus IV creatus 8 Kal. martii seu 22 febr. anno 1280 stylo veteri novo 1281. Bulla illa data est anno sequenti 4 idus januar. sive 10 illius mensis anno 1281 stylo veteri novo 1282, & incipit, *Ad fructus uberes &c.* Jam non curo quem amborum plagiarium dicas & ab alio accepisse, aut Ricardum a Speculatore, aut Speculatorem a Ricardo: mihi satis est certissimum jam esse auctorem Speculi moralis post mensem januarium 1282 vixisse, ac opus illud nonnisi postea editum fuisse. Responde nunc sodes. Qui sancto Doctori plagium affingis, & Speculum morale deflorasse accusas, cùm eo vivo Speculum morale non extiterit, & testimonio adeo ineluctabili demonstretur nonnisi pluribus post S. D. obitum annis de eo opere edendo consilium captum fuisse? Addo solùm vix eam bullam datam fuisse, cùm ejus occasione gravissimum inter episcopos Gallicanos & ordines mendicantium exarsit dissidium, quod sub eodem Martino & SS. pontificibus sequentibus duravit, vixque tandem sopitum est: de quo totus est codex 3266 Bibl. Colbert. memb. fol. mag. pluraque legi possunt Hist. Univ. Paris. sec. XIII. Jam superest solùm, ut hactenus dicta ob oculos ponantur.

SEC. XIII.

En speculi moralis seriem lib. 1 P. 3 D. 14 *de objecto fidei.*

a. 1. *Utrum objectum fidei sit veritas prima?* ex F. Ricardo de Mediavilla in 3. sentent. dist. 24 a. 1 q. 1 c. In eo a. sentit quadantenus aliter quam S. T.

a. 2. *Utrum objectum fidei sit verum complexum vel incomplexum?* ex S. T. 2, 2, q. 1 a. 2 c.

a. 3. *Utrum objecto fidei possit subesse falsum?* ex Ricardo cit. q. 3 c. Huic a. annectitur excursio longior octo fere columnas implens *de motivis credibilitatis* ex libro de septem donis parte 4 de dono fortitudinis tit. 7 de superbia. cap. 30 de errore vel hæresi & habetur cod. Sorbon. fol. 390 col. 3 & seqq.

a. 4. *Utrum objectum fidei aliquid visum possit esse?* ex Ricardo cit. q. 4.

a. 5. *Utrum objectum fidei possit esse aliquid scitum?* ex Ricardo cit. q. 5 & in hoc a. aliter sentit quam S. T.

a. 6. *Utrum objectum fidei possit esse aliquid opinatum?* ex Ricardo q. 6.

a. 7. *Utrum credibilia debeant distingui per certos articulos?* ex S. T. cit. a. 6.

a. 8. *De numero & distinctione articulorum* ex S. T. cit. a. 8.

a. 9. *Utrum in symbolo apostolorum sufficienter contineantur omnia, quæ necessarium est credere ad salutem?* ex Ricardo cit. a. 2 q. 1.

a. 10 *de comparatione symboli apostolorum ad alia duo symbola.* Hic articulus unus est inter alios alternis tæniis ab Aquinate & a Ricardo acceptis variatos, quem placet integrum exhibere ut lector Speculatoris industriam miretur. Quæ Ricardi Italico quæ S. T. Romano charactere.

» Dicendum quod illorum trium unum dicitur symbolum apostolorum, aliud symbolum Nicæni concilii, & aliud symbolum Athanasii «. *Hoc principium est Speculatoris.*

Symbolum apostolorum in conclavi ab apostolis ante dispersionem eorum fuit compositum ad veritatis brevem & necessariam expressionem. [ex Ricardo a. 2 q. 1 memb. 1 resp. ad 1.]

» Sic enim dicitur Heb. 11 Accedentem ad Deum oportet credere. Non potest autem aliquis credere nisi veritas quam credit proponatur eidem. Et ideo necesse fuit veritatem fidei in unum colligi, ut facilius posset omnibus proponi, ne aliquis per ignorantiam a veritate fidei deficeret, & ab hujusmodi collectione sententiarum nomen symboli est acceptum. [*ex S. T. 2, 2 q 1 a. 9 c.*]

» In sacra namque scriptura veritas fidei diffuse valde, & in aliquibus locis obscure & modis variis continetur, ita quod ad eliciendum certam fidei veritatem, longum studium & exercitium requiritur, ad quod vix possunt pervenire omnes illi, quibus necessarium est cognoscere fidei veritatem, quorum plerique aliis negotiis occupati studio vacare non possunt; & ideo fuit expediens, ut ex scripturæ sacræ sententiis summarie colligeretur aliquid manifestum quod proponeretur ad credendum. [*S. T. res. ad 1.*]

Symbolum verò Nicænum quod dicitur in missa fuit factum in concilio ad istius symboli explanationem, & ad quarumdam hæresum confutationem. Symbolum autem Athanasii compositum fuit maxime ad confutandam hæresim Arianam. Unde multum fuit Athanasius solicitus ibi diligenter exprimere unitatem essentiæ cum distinctione & æqualitate personarum. [ex Ricardo membro altero resp. ad 1.]

» In omnibus ergo symbolis eadem fidei veritas edocetur, sed ibi oportet populum diligentius instrui de fidei veritate, ubi insurgunt errores, ne fides simplicium per hæreticos corumpatur. Et hæc fuit causa, quare necesse fuit plura condere symbola, quæ in nullo alio differunt, nisi quod in uno plenius explicantur, quæ in alio implicite continentur, secundùm quod hæreticorum instantia requirebat. [*ex S. Thoma ibid. res. ad 2.*]

Inter omnia autem symbolum apostolorum est principalius, & dicitur esse majus, non quia plus contineat in quantitate scripturæ, sed quia articulos fidei continet plenius; omnes enim articuli continentur in eo: & quia de sententia plus continet in virtute, & quia conditum fuit ab apostolis qui majores fuerunt in authoritate, quam patres illi qui Nicænum symbolum condiderunt &c. plura ad finem a. [ex Ricardo loc. cit. q. 2 c.]

Jam quisquis hæc legis, cedo, quem ex his plagiarium censes? an Speculatorem stylo sic varium, an Aquinatem & Ricardum? Hic ultimus perspicacissimus doctor audit in edit. Venet. anni 1517. Sane perspicacem esse oportuit, si in hoc Speculi angulo articulum suum invenit, ac inter ea quæ S. Thomas ut sibi fingunt, jam acceperat, tam industrie collegit, ut ne quid illius tangeret. Indigna hæc, imo indignissima, sic risu potius quam serio refellenda.

a. 11. *Cujus sit symbolum fidei condere?* ex S. T. 2, 2 q. 1 a. 10.

a. 12. *Utrum omnibus qui Christi præcesserunt adventum, fuit necessarium ad salutem credere mediatorem?* ex Ricardo cit. dist. 25 a. 3 q. 1.

a. 13. *Utrum omnibus qui Christi præcesserunt adventum, necessarium fuit ad salutem explicite credere mediatorem?* ex Ricardo ibid. q. 2.

a. 14. *Utrum omnibus qui secuti sunt adventum Christi, necessarium fuerit ad salutem credere explicite omnes articulos fidei.* ex Ricardo ib. a. 4. q 1.

a. 15. *Utrum eadem sit fides modernorum, & eorum qui fuerunt ante Christi adventum?* ex Ricardo. ib. q. 2.

a. 16. *Utrum fides creverit quantum ad numerum credendorum?* ex Ricardo. ib. a. 5 q. 1. Nota in hoc a. sic legitur: *Dicendum quod ex dictis in quæstione præcedenti satis haberi potest &c.* Ille loquendi modus convenit Ricardo, qui articulos dividit in quæstiones, at nullatenus Speculatori, qui distinctiones suas dividit in articulos ubique, non in quæstiones. Itaque est hoc etiam signum plagii.

a. 17 *Utrum certior sit fides modernorum quam fuerit antiquorum?* ex Ricardo ibid. a. 5 q. 2.

Nota quæstionis 1 S. Thomæ omitti articulos 1 3, 4, 5, 7. Unde autem hos habuit, si cæteros mutilos a Speculo morali accipere ei necesse fuit? Certe omnes se geminos ostentant, & ejusdem parentis fœtum.

Nota præterea distinctionem 15 sequentem *de actu fidei* totam acceptam esse ex S. T. 2, 2, q. 2 ut supra indicatum. Non omittendum tamen Aquinatem quærere a. 5. *Utrum homo teneatur ad credendum aliquid explicite?*

a. 6. *Utrum omnes æqualiter teneantur ad habendum fidem explicitam?* & a. 7. *Utrum explicite credere mysterium incarnationis Christi sit de necessitate salutis apud omnes?* Quos Speculator refert aa. 4, 5 & 6 & tamen hæc tria quæsita illa eadem sunt, quæ superiori distinctione discusserat ex F. Ricardo aa. 12, 13, 14. Sic solent plagiarii βαττολογεῖν, modo aggerant etiam jam dicta, etiam non cohærentia, sibi plaudunt.

D. 18 *de subjecto fidei.* a. 1. *Utrum fides sit in intellectu sicut in subjecto?* ex Ricardo lib. 3 sent. dist. 23 a. 6 q. 1.

a. 2. *Utrum sit in intellectu speculativo vel practico?* ex Ricardo ib. q. 2.

a. 3. *Utrum angelus ante confirmationem, & homo ante lapsum fidem habuerunt?* ex Aquinate 2, 2 q. 5. a. 1. Nota. In hoc a. sic Thomas: *sed quia in primo* [1 p. q. 62 a. 3.] *jam diximus, quod homo & angelus creati sunt cum dono gratiæ, ideo necesse est dicere, quod per gratiam acceptam & nondum consummatam fuerit in eis inchoatio quædam futuræ beatitudinis, quæ quidem inchoatur in voluntate per spem & caritatem, sed in intellectu per fidem.* Jam non insto quod Speculator resecavit citationem primæ partis, licèt nemo non videat hîc esse & necessariam & naturalem: mihi modo sat est & id lector meminerit, Speculatorem eamdem habere doctrinam cum S. Thoma.

a. 4. *Utrum dæmones habeant fidem?* ex Ricardo dist. 23 a. 6 q. 3. Te lector hîc attentum volo, audi

audi quam bellam doctrinam Speculator hauserit ex hoc magistro : *Secundo modo & tertio loquendo de fide, dico quod in intellectu diaboli non est fides. Sic enim loquendo de fide, non habuerunt fidem ante lapsum, quia non infunditur sine gratia, quam illi nunquam habuerunt, nec post lapsum eis infusa est, quia digni non sunt.* Audi'n ? *dæmones ante lapsum fidem non habuerunt.* Audi'n rationem quam affert ? *quia fides non infunditur sine gratia quam dæmones nunquam habuerunt.* Primo hæc doctrina est erronea, ne quid amplius dicam : nonne Christus de diabolo ait Joan. 8, v. 44 *in veritate non stetit : illud sic accipiamus*, inquit Augustinus 11 de civ. Dei c. 14 *quod in veritate fuerit, sed non steterit.* Si in veritate fuit, ergo & in gratia. Præterea, potest-ne esse propositio magis e directo repugnans doctrinæ articuli immediate præcedentis ? In illo dicitur : *Homo & angelus creati sunt cum dono gratiæ, habuerunt beatitudinem inchoatam in intellectu per fidem* : in isto contra : *dæmones ante lapsum, id est cùm essent adhuc angeli innocentes, a Deo primum creati, non habuerunt fidem, nunquam gratiam habuerunt.* Contendo neminem esse, etiamsi maxime velit, qui sibi persuadere queat, articulos hos duos sibi invicem succedentes ac proximos ex eodem auctore primum prodiisse. Vir sapiens, qualem suum parentem fuisse demonstrat prior, eo dementiæ tam subito venire non potuit, ut secum ipsemet tam turpiter in articulo sequenti pugnaret. Qui istos conjunxit, neutrum fecit, plagiarius isque imperitissimus fuit. Itaque hi duo articuli suo quilibet auctori restituendi, Aquinati primus, alter Ricardo, quibus conveniunt, quorum doctrinæ cohærent disjuncti. Si hi duo, ergo cæteri.

a. 5. *Utrum sit fides in hæreticis errantibus in uno articulo fidei ?* ex S. T. q. 5 a. 3.

a. 6. *Utrum fides possit esse major in uno quam in alio ?* ex S. T. q. 5 a. 4.

Nota quæstionis 4 S. Thomæ omitti articulum 2 *Utrum fides sit in intellectu sicut in subjecto ?* & quæstionis 5 articulum etiam 2 *Utrum in dæmonibus sit fides ?* quorum loco leguntur articuli, qui apud Ricardum locis citatis eadem habent quæsita. Te jam convenio quisquis es, qui Aquinati & huic Ricardo fundatissimo ac perspicacissimo doctori plagii dicam scribis : si Speculum morale ipsis antiquius est, si inde ambo hauserunt, igitur Thomas ætate prior illa eadem quæsita in Speculo morali vidit & vidit sibi necessaria, quandoquidem illa eadem habebat tractanda : cur articulos alios tam audacter accipiendo, ut criminari tibi placet, cur, inquam, duos istos reliquit ? an contemsit ob non sibi nec cæteris articulis convenientem stylum, imo ob non satis solidam nec sanam doctrinam ? en jam discipulum magistro sapientiorem. An fortè non sibi, sed cuidam ordinis Minorum aliquando venturo paratos divinavit, nec ausus est contingere ? An post Aquinatem Ricardus de Mediavilla copiosus ac perspicax doctor Speculum morale legens, ut hinc inde racemos colligeret, alios articulos videns jam præreptos, hos duos quasi ex industria sibi servatos & apprime congruos avidus deglutivit ? o dictum bene ! o dignam Thomæ æmulorum sententiam ! sane qui hæc devorare, & ferrum digerere hic potis est. Quod autem de duobus his articulis hic dicimus, de articulis 1, 3, 4, 5 quæstionis primæ S. Thomæ omissis, quorum loco totidem Ricardi sub iisdem titulis leguntur in Speculo, dictum puta. Sed & pluries idem recurret, & mox in sequentibus.

D. 21 *De spei habitu.* a. 1. *Utrum spes sit virtus?* ex Ricardo in 3 sent. dist. 26 a. 3, q. 1.

a. 2. *Utrum spes sit virtus theologica?* Pars prior ex Ricardo loc. cit. q. 2. Posterior ex Aquinate 2, 2, q. 17, scilicet argumentum secundum a. 5 & ad idem responsio, cæteris omissis. Vide'n elegantem figulum ?

a. 3 *De distinctione spei ab aliis virtutibus theologicis*, ex S. T. ibid. a. 6.

a. 4 *De ordine spei ad fidem & caritatem* ex S. T. ibid. aa. 7 & 8.

Nota quæstionis 17 Aquinatis articulos 1 & 5 omitti a Speculatore, & eorum loco substitui duos Ricardi sub eisdem titulis, vide quæ in simili mox dicebam.

D. 23 *De subjecto spei.* a. 1. *Utrum spes sit in voluntate sicut in subjecto?* ex S. T. (2, 2, q. 18, a. 1.)

a. 2. *Utrum spes sit in beatis?* ex S. T. ibid. a. 2.

a. 3. *Utrum in damnatis in inferno possit esse spes?* ex Ricardo in 3 sent. dist. 26 a. 5, q. 1.

a. 4. *Utrum in viatoribus spes habeat certitudinem?* ex S. T. loc. cit. a. 4.

Et hic vides articulum 3 S. T. omitti, licèt idem habeat quæsitum. Jam observata non repeto.

Nunc ad Speculi moralis libri tertii partem 10 transeundum est.

D. 1 *De pœnitentia secundùm se.*

a. 1 *Quid sit pœnitentia secundùm diffinitionem?* ex F. Petro de Tarentasia, in 4 dist. 14, q. unica a. 1 quæstiunc. 2, n. 1, 3 & 2 quibus assuitur responsio ad 2 quæsitum, & ad arg. 2 & 4.

a. 2. *Utrum pœnitentia secundùm rem sit sacramentum vel virtus?* Pars prior ex Ricardo in 4 dist. 14 a. 1, q. 1. Pars altera ex Petro de Tarentasia loc. cit. quæstiunc. 1. Tertia pars ex eodem Tarent. a. 2 quæstiunc. 1.

a. 3. *Utrum pœnitentia sit virtus theologica vel moralis?* Authoritas Augustini quæ initio ex Ricardo dist. 14, a. 4, q. 1 arg. 3. Cætera ex Tarent. a. 3 quæstiunc. 1.

a. 4. *Utrum pœnitentia contineatur sub justitia?* ex Tarent. eodem a. 3 quæstiunc. 2.

a. 5 *De origine pœnitentiæ* ex Tarent. a. 5 quæstiunc. 1.

a. 6 *De ordine pœnitentiæ ad alias virtutes* ex Tarent. eod. a. 5 quæstiunc. 2.

a. 7. *Utrum pœnitentiam oporteat esse perpetuam de quolibet peccato?* ex Tarent. a. 2 quæstiunc. 2.

a. 8. *Utrum possit homo resurgere per pœnitentiam plusquam semel?* Alternatim ex Ricardo & Tarentasia. Placet integrum referre, ut gustum lector habeat.

Dicendum quod sic, sicut ostenditur de pœnitentia dist. 3 multis auctoritatibus & exemplis. Quod etiam patet ratione : quia pœnitentia est in subjecto vertibili, scilicet in voluntate, nec continuatio in futurum est de ejus essentia. Hactenus Ricardus dist. 14 cit. a. 9, q. 2.

» Quia cùm esse virtutis sit simplex, & totum « sit simul in instanti, de essentia nihil potest es- « se, quod non possit totum esse in præsenti. Un- « de de esse veræ pœnitentiæ non est continuatio fu- « turi temporis, sed propositum præsens continuan- « di in futurum, & sic patet quod a vera pœni- « tentia potest quis excidere. *Hactenus Tarentasia loc. cit. a. 7 qcula 1.* «

Item a vera pœnitentia excidens potest veram pœnitentiam recuperare, & quandiu homo est in via, potest facere quod in se est, ut detur sibi a Deo vera pœnitentia &c. lineæ septem sequentes ad finem articuli ex Ricardo loc. cit.

Quis paululum eruditus non videt hæc ex eadem vena non fluere & dure simul coagmentata ?

D. 2 *De pœnitentia mortalium peccatorum.* a. 1. *Utrum necessaria sit pœnitentia de peccatis mortalibus ante baptismum?* ex Ricardo. dist. 16, a. 4, q. 1.

Sæc. XIII. a. 2. *Utrum pœnitentia sit necessaria de omnibus peccatis mortalibus post baptismum sequentibus?* ib. q. 2.

a. 3. *De pœnitentia venialium peccatorum.* ib. a. 5, q. 1.

a. 4. *Utrum veniale remitti possit sine remissione mortalis?* ib. q. 2.

a. 5. *Utrum unum veniale possit remitti sine alio?* ib. sed dist. 15 a. 1, q. 6.

Dist. 3 *De effectu pœnitentiæ.* a. 1. *Quantum ad amotionem mali.* Alternatim ex utroque. Visum est saltem initia referre, ut facilius lector inveniat, si velit.

Sciendum quod pœnitentia potest accipi pro pœnitentia formata per gratiam, vel pro pœnitentia informi, & utroque modo potest accipi pro habitu vel actu, interiori vel exteriori. Ex Ricardo d. 14, a. 7. q. 1.

» Dico per pœnitentiam formatam gratia, dele- » ri potest omne peccatum existens in anima, vel » spiritu carni unito. Est enim differentia spiritus » uniti carni, & separati a carne, quia spiritus car- » ni conjunctus susceptibilis est pœnitentiæ, non » autem separatus *&c. sequentes 33 lineæ ex Tarent. dist. 14, q. unic. a. 6 qcula 1.*

Per pœnitentiam verò informem sive accipiatur pro habitu, sive pro actu interiori vel exteriori, sive pro omnibus simul, non potest remitti peccatum nisi dispositive &c. 37 lineæ ad finem articuli ex Ricardo loc. cit. q. 1 & 2.

a. 2. *Quantum ad collationem boni* ex Ricardo, ibid. a. 8. q. 1 & 2.

a. 3. *Utrum pœnitentia solemnis sit iterabilis?* ex Ric. ibid. a. 11, q. 1.

a. 4. *Quæ ad ritum illius pœnitentiæ requiruntur?* idem ibid. q. 2.

D. 4 *De motivis ad pœnitentiam.* Pro maxima parte ex libro de 7 donis parte 3 de dono scientiæ Tit. 1 de pœnitentia quid sit, & quare sit facienda cod. Sorbon. fol. 244 col. 4.

D. 5 *De qualitate pœnitentiæ.* Integra a. 6 excepto ex lib. de 7 donis loc. cit. c. 5 Qualis debet esse pœnitentia? cod. Sorb. fol. 250.

D. 6 a. 1. *Utrum contritio cordis, confessio oris, & satisfactio operis sint partes pœnitentiæ?* Ricardus dist. 16 a. 1, q. 1. Deinde *de contritione.* Idem dist. 17 a. 1 q. 1.

a. 2. *Utrum attritio possit fieri contritio?* Ricardus ibid. q. 2.

a. 3 *De quibus debet esse contritio.* Tarentasia dist. 17, q. 1 a. 2.

a. 4. *Quantus dolor debet esse contritionis?* idem Tarent. ib. a. 3.

a. 5. *Quantum debet durare dolor contritionis?* idem. ib. a. 4.

D. 7. *De motivis ad contritionem.* Integra ex lib. de 7 donis loc. mox cit. cod. Sorbon. fol. 251 col. 4. & seqq.

D. 8 *De effectu contritionis.* Maximam partem ex lib. de 7 donis loc. cit. c. 3 de 19 effectibus contritionis cod. Sorb. fol. 253 col. 2: ordinem tamen articulorum invertit Speculator, & horum principia alicunde defloravit.

D. 9. a. 1 *Quid sit confessio* Tarentasia dist. 17, q. 2 a. 1 qcula. 1.

a. 2. *Utrum omnes teneantur confiteri, & quo jure?* Prior pars ex Tarent. ibid. a. 2. Altera pars ex Ricardo dist. 17 a. 2, q. 1.

a. 3. *Utrum illi qui confessi sunt alicui potestatem superioris habenti, teneantur eodem anno confiteri suo parochiali sacerdoti?*

Hic est celebris ille articulus Ricardi de Mediavilla dist. 17 cit. a. 3, q. 2 quem Joannes Launoius theologus Parisiensis referendum existimavit in suo opusculo, cui titulus, *Explicata Ecclesiæ traditio circa canonem* Omnis utriusque sexus, *cap. 3. Quid ab anno* M. CCLXXX *ad annum* MCCLXXXXV *circa Lateranensem canonem ejusque materiam refertur.* pag. 58. Et quia dictus articulus in quæstione quam versamus, decretorius est, & non omnibus præsto est nec opusculum Launoii, nec Speculum morale, nec commentarius in sententias Ricardi, illum visum est hîc integrum dare, sic itaque Ricardus.

» Dicendum quod episcopus habet ordinariam « jurisdictionem super subditos sacerdotum paro- « chialium. Illud autem quod convenit alicui ex or- « dinaria jurisdictione, ipse potest committere alii « habenti ordinem convenientem ad illud officium « exequendum. *Extra de consensu Ecclesiæ. A qua.* « Illi ergo qui confitentur legitime habenti potes- « tatem episcopi & absolvuntur ab eodem, vere « sunt absoluti, nec eadem peccata in numero te- « nentur suis presbyteris parochialibus confiteri. Sed « utrum eodem anno teneantur confiteri presbyte- « ris parochialibus peccata, quæ post absolutionem « incurrunt, opiniones sunt. Et aliqui dicunt quod « non: quia per presbyterum parochialem non « (tantùm) intelligitur curatus inferior, sed etiam « episcopus, unde episcopatus quandoque dicitur « parochia, & episcopus presbyter parochialis. Quod « probari posse videtur per illud, quod dicitur, « *Extra de parochiis & alienis parochianis. c. Nullus.* « *Et 9, q. Nullus &c. Nullus primas &c. ult.* Alii « dicunt per presbyterum parochialem non intelli- « gi nisi curatum inferiorem, quia verba debent ac- « cipi secundùm quod sonant in usu communi. Præ- « terea papa in privilegio concesso Minoribus & « Prædicatoribus super confessionibus audiendis « [hæc resecantur in Speculo morali, *& Eremitanis ex privilegio speciali noviter emanato*] decla- « rando videtur dicere, quod in illo statuto, *Omnis utriusque sexus*, intelligitur presbyter paro- « chialis ille, qui in communi usu sic vocatur, in « hoc quod dicit, *quod confessi Fratribus, teneantur semel in anno suis presbyteris parochialibus* « *confiteri, prout statuit concilium generale.* Cùm « enim dicendo *presbyteris*, excludat non presby- « teros, & per hoc quod dicit *suis*, excludat non « habentes jurisdictionem super eos, videtur quod « per hoc quod dicit, *parochialibus*, excludit epis- « copos: aliàs illud verbum (*parochialibus*) ibi po- « neretur pro nihilo. Ubicumque autem papa ali- « quid dicit per modum declarationis juris, si bul- « latum est, ad omnes se extendit, etiamsi non sit « insertum inter alias decretales. Ergo cùm episco- « pus non sit super statutum, confessi sibi, vel ali- « cui auctoritate ejus, tenentur eodem anno suo « curato inferiori semel confiteri. Non sic autem « dicendum est de confitentibus papæ, vel habenti- « bus ejus auctoritatem absolute, quia papa est su- « pra concilium generale. Prima tamen opinio ra- « tionabilior videtur «.

Lectorem hîc attentum volo. Certum est primo privilegium Fratribus Minoribus & Prædicatoribus concessum, de quo in articulo agitur, bullam esse Martini IV quæ incipit, *Ad fructus uberes:* ipsissima enim bullæ verba referuntur. En ut Martinus IV loquitur: *Volumus autem quod ii qui Fratribus confitebuntur eisdem, suis presbyteris parochialibus confiteri saltem semel in anno, prout concilium generale statuit, teneantur.* Hæc eadem apud pontifices antiquiores frustra quæras.

Certum est 2 hanc bullam emanasse tantùm 4 Idus januar. anno primo scilicet 1282 stylo novo. Quod enim Launoius habet 1281, intelligendum, licèt non notet, stylo veteri, ut supra monui.

Jam ergo ex unico hoc articulo luce meridiana clarius est, primò Speculum morale, Vincentii Bellovacensis ab anno 1264 fatis functi fœtum esse non posse. Secundò opus illud post idus januarias 1282 consarcinatum, quocumque tandem anno prodierit, quod postea discutietur, a S. Thoma integris octo annis antea, septima scilicet martii 1274 in cœlum assumto visum non fuisse. Vide'n modo quantum turbarum vitatum esset, si illi quibus hanc controversiam movere ac tractare placuit, paulo attentius Speculum morale legissent. In eo tamen absit, ut extraneos carpere velim, nostrorum quos hæc cura tangebat, oscitatio fuit, nimiaque ex veri ac juris præsumtione negligentia, quam tandem resarcire Deo favente datum est: posthac enim angelico nostro præceptori negotium ex hac parte facessendum non puto. Cætera nihilominus Speculi moralis percurrenda, ut quam male in eo S. Doctor habitus sit, ad finem usque videatur.

a. 4. *Utrum in casu necessitatis possit vel debeat quis laico confiteri?* Hujus auctor hactenus non occurrit.

a. 5. *Utrum confessi confessori non sacerdoti, quem parochialis sacerdos posuit loco sui, credens eum esse sacerdotem, teneantur illa eadem peccata iterum confiteri, postquam constiterit eis, illum cui confessi fuerunt, non esse sacerdotem?* Ricardus dist. 17 a. 3 q. 3.

D. 11 a. 1. *Utrum quis teneatur confiteri omnia mortalia tam publica quàm secreta?* Ricardus ibid. q. 4.

a. 2. *Utrum de venialibus teneatur quis confiteri?* Tarentasia dist. 17 q. 2, a. 4 qcula. 1.

a. 3. *Utrum teneatur homo circunstantias omnes peccatorum confiteri?* Ricardus loc. cit. q. 5.

a 4. *Utrum statim habita opportunitate sacerdotis teneatur confiteri?* Ricardus ibid. q. 6.

D. 12. *De commendantibus confessionem.* Excursio moralis integra solo articulorum ordine mutato ex libro de septem donis loc. cit. Tit. 4 de confessione, c. 11. *Qualis debet esse confessio?* Cod. Sorb. fol. 262 col. 4.

D. 13. *De motivis ad confessionem.* Integra ex lib. de 7 donis loc. cit. cap. 1. XII motiva ad confessionem. cod. Sorb. fol. 257 col. 2 mutato articulorum ordine.

D. 14. *De confessionis effectu.* Paucis exceptis ex lib. de 7 donis loc. cit. c. 5 de multiplici confessionis effectu. Sunt & quædam ex cap. 3 fol. 258 col. 2 mutato articulorum ordine.

D. 15. *De confessione inutili.* Integra eodem articulorum ordine ex lib. de 7 donis loc. cit. cap. 15 cod. Sorb. fol. 265 col. 1.

D. 16. *De impedientibus confessionem.* Et hæc integra totidem verbis ex libro eodem cap. 24 de impedimentis veræ confessionis, fol 269 col. 3.

D. 17 circa primum a. 1. *Utrum satisfactio sit opus virtutis?* Tarent. dist. 15 q. 1 a. 1 qcula 1 & 2.

a. 2 *De definitione satisfactionis ab Augustino.* Tarent. ibid. qcula 4.

a. 3 *De definitione Anselmi.* Idem ibid.

Circa secundum a. 1. *Utrum homo possit satisfacere?* Idem ibid. a. 2 qcula. 1.

a. 2. *Utrum de uno peccato mortali possit satisfacere sine alio?* Ricardus dist. 15 a. 1 q. 6.

Circa tertium a. 1. *Utrum per opera pœnalia debeat fieri satisfactio?* Tarent. loc. cit. a. 3 qcula. 1.

a. 2. *Utrum flagella quæ Deus immittit vel evenire permittit sint satisfactoria?* Ricardus citatus q. 4.

a. 3. *Utrum possit homo satisfacere pro opera extra caritatem facta?* Ricardus ibid. q. 5.

Circa quartum. *Utrum opera in peccato mortali facta per sequentem pœnitentiam sint satisfactoria?* Lineæ sex priores ex Tarent. cit. q. 1 a. 3 qcula 4. Lineæ 12 posteriores ex Ricardo cit. q. 5.

Circa quintum *de numero & distinctione partium satisfactionis.* Tarent. ibid. q. 2 a. 1.

Ab initio hujus partis 10 S. Thomam Speculator reliquerat, hîc jam ad ipsum redit, ad secundam secundæ scilicet.

D. 18. *De eleemosyna.* Ex Aquinate. q. 32 articuli quatuor primi.

D. 19 a. 5. *Utrum dare eleemosynam sit in præcepto?* Ricardus dist. 15 a. 2 q. 2 quem tamen medium farcit Speculator octo lineis ex responsione ad 4 articuli 5 S. Thomæ acceptis. Vides hîc lector gustum illius plagiarii Ricardum Aquinati præferentis. Nam etsi alia deessent, putasne hinc S. D. responsionem suam ad 4 accepisse, cætera Ricardo reliquisse? Si ita est, quàm modestus hic, qui octo lineas medias, ut fingunt, a S. Thoma præreptas tam solerter distinxit, ac intactas dimisit.

a. 6 *De quibus debet eleemosyna dari; utrum de quolibet bono?* Ricardus ibid. q. 5.

a. 7. *Utrum licitum sit cuilibet facere eleemosynam?* Ricardus ibid. q. 6.

a. 8. *Cui sit eleemosyna facienda?* Aquinas citatus a. 9.

a. 9. *De modo dandi eleemosynam.* Aquinas a 10.

a. 10. *Utrum possit homo eleemosynam facere sibi ipsi?* Ricardus cit. q. 7.

Nota Aquinatis articulos quintum excepta responsione ad 4 laudata, sextum, septimum & octavum a Speculatore omitti, quos si cùm sex in Speculo convasatis conferas, ejusdem parentis fœtum agnosces, non ita quatuor ex Ricardo illis substitutos.

D. 20. *De motivis ad eleemosynam faciendam.* Ex libro de 7 donis P. 2 de dono pietatis. Tit. 6 de operibus misericordiæ. cap. 1 de septem propter quæ opera misericordiæ sunt facienda, cod. Sorb. fol. 234 col. 1. Ex illis 7 Speculator eligit quatuor.

D. 21. *De effectu eleemosynæ.* Ex eodem libro & titulo cap. 2 cod. Sorb. fol. 234 col. 3, solo articulorum ordine mutato.

D. 22. *De qualitate eleemosynarum.* Libro eodem cap. 6. Qualis esse & qualiter fieri debeat, cod. Sorb. fol. 238 col. 1, solo articulorum inverso ordine.

D. 23. *De hospitalitate.* Ex lib. eodem cap. 8 cod. Sorb. fol. 239 col. 1 & 240 col. 3.

D. 24. *De visitatione infirmorum.* Ex lib. eod. cap. 10 cod. Sorb. fol. 241 col. 2, solo articulorum ordine inverso §. 2 *de visitatione incarceratorum*, ex lib. eodem cap. 11 fol. 242 col. 1, eodem articulorum tenore. §. 3 *de sepultura mortuorum*, ex lib. eod. cap. 11 fol. 242 col. 3, eodem etiam articulorum ordine.

D. 25. *De pietate erga parentes.* Integra totidem etiam verbis ex eodem libro cap. 12 *De pietate parentum*, fol. 243 cod. Sorb. col. 1.

D. 26. a. 1. *Utrum jejunium sit actus virtutis?* Aquinas 2, 2 q. 147 a. 1 & 2 quibus subjicitur assumentum ex Ricardo dist. 15 cit. a. 3 q. 2.

a. 2. *Utrum jejunium sit in præcepto?* Aquinas cit. a. 3.

a. 3. *Utrum omnes teneantur ad observantiam jejunii?* Lectorem & hîc attentum velim: nam articulus ille sic alternatim ex Ricardo & ex Aquinate compositus est, ut videre curiosum sit. Ecce autem:

Dicendum quod jejunium non secundùm quod est actus virtutis tantum, sed secundùm quod est statutum ab Ecclesia, non est de jure naturæ, nec de jure divino, sed de jure positivo. Tali autem jure prohibentur, vel præcipiuntur illa, quæ aliàs bene

SEC. XIII. *vel male possunt fieri: & ideo legislatoris intentio non est, vel esse non debet in condendo aliquod positivum, obligare homines ad illius juris observantiam, habentes causam legitimam & rationabilem non observandi.* Hactenus Ricardus dist. 15 cit. a 3 q. 4 corporis particula 1.

» Præcepta enim, quæ per modum statuti communis proponuntur, non eodem modo comprehendunt omnes, sed secundùm quod requiritur ad finem quem legislator intendit. Cujus authoritatem si quis transgrediendo statutum contemnat, vel hoc modo transgrediatur, quod impediatur finis, quem legislator intendit, talis transgressor peccat mortaliter. Si autem ex aliqua rationabili causa quis statutum non servat, præcipue in casu in quo si legislator adesset, non decerneret esse servandum, talis transgressio non constituit mortale peccatum «. *Hac Aquinas q.* 147 *a* 3 *ad* 2.

» In quo tamen est distinctio adhibenda. Nam si causa sit evidens, per seipsum licite potest homo hujus statuti observantiam præterire, præsertim consuetudine interveniente, vel si non posset de facili recursus ad superiorem haberi. Si verò causa sit dubia, debet homo ad superiorem recurrere, qui potestatem habet in talibus dispensandi «. *Sic idem Aquinas a.* 4 *c. a medio.*

Evidens autem causa non jejunandi est in pueris, mulieribus prægnantibus, ægrotantibus, in multum senibus, in operariis victum suum cum gravi labore lucrantibus, in peregrinantibus ad loca sancta, & in pauperibus victum suum mendicantibus ostiatim. Hæc Ricardus loc. cit. partic. 2.

» In pueris, inquam, est evidens causa, quare non debeant jejunare, tum propter debilitatem naturæ, ex qua provenit quod indigent frequenti cibo, & non simul multo assumto: tum etiam quia indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti, & ideo quandiu sunt in statu augmenti, quod est in pluribus usque in finem tertii septennii, non tenentur ad Ecclesiæ jejunia observanda. Conveniens tamen est, ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exerceant plus vel minus secundùm modum suæ ætatis. Quandoque tamen magna tribulatione imminente in signum pœnitentiæ arctioris, etiam pueris jejunia indicuntur. Sicut etiam de jumentis legitur Jonæ 3 homines & jumenta non gustent quicquam, nec aquam bibant «. *Hac Aquinas eodem a.* 4 *ad* 2.

Mulieres prægnantes non tenentur jejunare propter duas rationes. Una est quia debent accipere cibum non pro se, sed etiam pro nutrimento fœtus. Alia est quia prægnantes consueverunt habere varia & inordinata desideria ciborum diversorum, & quandoque ita intensa, quod nisi possent aliquo modo satisfacere appetitui, posset esse periculum periclitationis fœtus, &c. ad finem articuli ex Ricardo, genera conditionum eximendarum indicata percurrente.

Tuam iterum lector fidem appello, ponamus argumenta alia deesse, putasne Aquinatem & Ricardum hunc articulum inter se divisisse, adeo ut hic avidus arripuerit, quod priori visum est ipsi relinquere. Verùm si hæc attente legantur, non fluere non cohærere manifesto deprehenduntur. Duæ v. g. priores particulæ, illa Ricardi, hæc S. Thomæ, divisæ sensum habent legitimum, junctæ puram putam battologiam sonant, seque clamant non factas, ut simul jungantur, nisi fortè signo apposito indicante diversos auctores loqui, & articulum merum centonem esse.

a. 4. *De temporibus quibus jejunandum est.* Ricardus loc. cit. a. 3 q. 8, ubi præcipue notanda venit hora solvendi jejunii ætate Ricardi: dicit enim jam invaluisse consuetudinem in multis locis comedere statim post horam sextam vel ipsa sexta. Id meminerit lector, nam mox necessarium erit.

a. 5. *Utrum ad jejunium requiratur quod homo semel tantùm comedat?* Aquinas citatus a. 6.

a. 6. *De hora comestionis.* Aquinas a 7. Nota in hoc articulo statui contrarium ejus quod a. 4 mox citato dictum fuit. In hoc enim hora 9 præscribitur ad comedendum ad rationem jejunii, unde in resp. ad 3 addit S. D. *Si id alicui in magnum gravamen cederet, cum eo dispensandum esse vel ut non jejunaret, vel ut horam præveniret.* Unde sequitur quo tempore conditus est hic articulus consuetudinem fuisse hora nona tantùm jejunii solvendi, nec tempus absque dispensatione præventum.

Contra a. 4 præcedenti dicuntur illi qui comedunt statim post horam sextam derogare quidem perfectioni jejunii, non esse tamen transgressionem hujus, quod est necessitatis in jejunio, *maxime quia jam invaluit consuetudo in multis locis comedere quasi statim post horam sextam vel ipsa hora sexta.* Certissime hi duo articuli non ex eodem auctore primum prodierunt. Certissime etiam non eadem ætate conditi sunt, & prior seu quartus longe post alterum scilicet sextum in lucem editus est, convenitque extremis annis vitæ Ricardi. Nam intra spatium triginta annorum, qui fluxerunt inter editionem secundæ secundæ quæ circa 1270 completa fuit, & editionem quarti sententiarum, quem Ricardus moriens anno 1300 nondum perfecerat, illa relaxatio rigoris jejunii circa horam in multis locis invalescere potuit.

a. 7. *A quibus cibis jejunantes debeant abstinere?* Et hic articulus partim ex S. T. partim ex Ricardo, sed ad rei memoriam referendus.

» Dicendum quod sicut dictum est, jejunium ab Ecclesia statutum est ad carnis concupiscentias reprimendas, quæ quidem sunt delectabilium secundum tactum, quæ consistunt in cibis & venereis *&c. usque*: & ideo ab his cibis præcipue jejunantibus Ecclesia statuit esse abstinendum «. *Aquinas q.* 147 *cit. a.* 8 *c. integrum.*

Sicut dicitur Decr. dist. 4 *par est, ut qui in diebus his jejuniorum a carne animalium abstinemus, ab omnibus quæ sementinam trahunt carnis originem jejunemus, a lacte videlicet caseis & ovis.* Ricardus dist. 15 cit. a. 3 q. 5 sed c.

» Adverte tamen quod lacticinia & ova interdicuntur jejunantibus *&c. usque*: Unde Hieronymus dicit de jejuniis loquendo, unaquæque provincia abundet in suo sensu, & præcepta majorum leges apostolicas arbitretur «. *Aquinas citatus resp. ad* 3 *integra.*

Item jejunantibus magis interdicitur esus carnium quàm potus vini, quia sicut dicunt quidam, esus carnium magis commovet concupiscentiam, quàm potus vini. Quia cùm ad incitationem concupiscentiæ concurrant tria, scilicet abundantia caloris & spirituum & seminis, ex esu carnium multiplicatur semen, quia in ea multum est de nutrimento, & ideo ex ejus esu maxime multiplicatur superfluitas tertiæ digestionis, quæ seminis est materia: ex esu ventosorum multiplicatur abundantia grossorum spirituum, ex potu vini caloris abundantia. Et secundùm illos abundantia seminis magis est incitativa concupiscentiæ, quàm abundantia caloris maxime causati ex potu vini, quia illa cito evanescit, & calor in semine manet.

Sed contra potest argui sic. In excitatione concupiscentiæ causa efficiens est calor, & materialis est semen: magis est autem causa rei efficiens quàm materia. Ergo potus vini magis est causa excitationis concupiscentiæ, quàm esus carnium. Et si dicis quod

cito evanescit, non obstat, quia non ita cito evanescit, sicut potus iteratur. Item ad hoc arguunt per experientiam. Quamvis enim in mulieribus magis abundet superfluitas tertiæ digestionis quàm in viris, non tamen ita fervet per se in eis carnalis concupiscentia propter debilitatem caloris respectu caloris hominum, quamvis propter minorem usum rationis non frænantis concupiscentiam, interdum magis in eis ferveat quàm in viris. Phlegmatici etiam quamvis plus habeant de superfluitate tertiæ digestionis quàm cholerici, tamen quia in cholericis est fortior calor, magis fervet in eis appetitus carnalis concupiscentiæ quàm in phlegmaticis, quamvis phlegmatici propter abundantiam seminis plus possent illum actum exercere quam cholerici.

Secundùm ergo istos dicendum est quod Ecclesia magis interdicit jejunantibus esum carnium quàm vini potum duplici ratione. Una est quia difficilius est abstinere a potu vini quàm ab esu carnium, & ideo si Ecclesia interdixisset vini potum, plures fuissent expositi periculo transgressionis, quàm per interdictum esus carnium. Alia est quia jejunium frequenter tristitiam excitat, & vinum lætificat juxta illud psalmi 103 : Et vinum lætificet cor hominis. *Et ideo congruentissime jejunantibus usus vini permissus est.* Hactenus Ricardus citatus resp. ad 1.

S. Thomæ doctrinam ex professo in hoc articulo impugnari Monachi Vedastini in editione Speculi moralis Duacena ab ipsis curata jam animadverterant, unde ad marginem notam hanc ascripserunt : *Probabile est vinum magis provocare ad libidinem quàm carnes, contra D. Thomam* 2, 2, *q.* 147 *a.* 8. An autem ille Aquinatis adversarius alius esset ab auctore Speculi moralis, quem Bellovacensem putabant, non norunt. Nunc autem detecto larvato illo sententiæ S. Thomæ oppugnatore, etiamsi alia non suppeterent argumenta, ex hoc uno articulo Speculum morale post Secundam Secundæ in lucem editam compositum fuisse invicte demonstratur. Vide enim quibus tricis, quot & quantis contradictionibus se implicent, qui Speculum a sancto doctore defloratum adhuc tueri velint. Ab ipsis enim dicendum est Aquinatem articulum modo relatum legisse integrum in Speculo morali: primam partem ut suæ doctrinæ styloque suo congruam in corpus articuli a se fabricandi accepisse: auctoritatem ex decreto his quæ accipiebat assutam non ausum esse contingere. Prævidebat enim ille scilicet necessariam fore F. Ricardo aliquando venturo, & ab eo in *sed contra* assumendam : sequentia tamen ut pote adhuc ejusdem sui gustus sibi in responsionem ad 3 secrevisse, ac in corbonam misisse : alteram autem articuli partem cùm videret sibi non esse paratam, sed celebri illi Minoritæ aliquando futuro, a se igitur non contingendam, sed integram illi servandam: sibi tamen ita componendam responsionem ad primum, ut omnino congrueret ejusdem impugnationi, quam in Speculo legebat jam effictam, & ut validiora essent argumenta ibidem adversus sententiam quam amplecti decreverat allata, ea absque responsione relinquenda: venientem autem postea F. Ricardum solidum & copiosum doctorem, mortuis tum Aquinate & Innocentio V seu Petro de Tarentasia, grande hoc articuli frustum illis intactum, sibique quasi ex industria servatum corrasisse continuo ac suis assuisse. O excogitata sane bellissime! Nam velis nolis, ista quantumcumque ridicula sentias necesse est, quisquis es qui S. Thomam a Speculo morali mutuatum esse contendis. Eo scilicet nos adversariorum pervicacia coegit, ut sic cum illis ineptiremus : at nunc serio, nemo est vel minimum eruditus, qui non videat articulum hunc secundam secundæ jam ante Speculum morale editam arguere. Illud enim quod altera parte articuli legitur initio, & Ricardi esse monebam nempe, *dicunt quidam quod esus carnium magis commovet concupiscentiam, quam potus vini*, & postea *secundùm illos*, certissime S. Thomam indicat q. 147 a. 8 citato ad 1, sic respondentem, ibi enim illa distinctio caloris, spirituum & humoris seu seminis, & ratio hîc allata habentur vocibus totidem, ut & responsio, quæ hîc impugnatur: articulus ergo ille 8 jam erat apud Aquinatem conditus integer, & proinde secunda secundæ jam edita prius quàm hæc ejus impugnatio in Speculo suspiceretur. Non igitur Aquinas a Speculo morali, sed hujus compilator ab Aquinate & hujus articuli corpus, & cætera omnia defloravit.

a. 8. *Utrum gula frangat jejunium?* Ricardus citatus q. 6.

a. 9. *Utrum ebrietas frangat jejunium?* Idem q. 7.

Nota in hac dist. Aquinatis rejici articulum 5 *utrum convenienter determinentur tempora jejunii Ecclesiæ?* cujus loco Speculator alium substituit ex Ricardo transumtum, *de temporibus quibus jejunandum est.* Tale est hominis judicium. Cæterum si articulus ille relictus cum cæteris q. 147 conferatur, qui ex eodem fonte fluere, quis ejusdem parentis fœtum non agnoscat?

D. 27. *De multiplici jejunio.* Integra eodem tenore ex libro de 7 donis p. 3 de dono scientiæ. Tit. 5 cap. 1 de jejunio. cod. Sorb. fol. 270 col. 1.

D. 28. *De qualitate jejunii.* Integra etiam eodem tenore ex eodem lib. cap. 3 *Quale debet esse jejunium?* ejusdem cod. fol. 271 col. 2.

D. 29. *De effectibus jejunii.* Integra, sed articulorum ordine inverso, ex eod. lib. c. 4 *de effectu multiplici jejunii.* Ibid. fol. 272 col. 2.

D. 30. *De multiplici jejunio malorum.* Integra eodem tenore ex eodem lib. cap. 6 *De adversa conditione jejunii bonorum & malorum.* Ibid. fol. 273 col. 4.

D. 31 a. 1 *Utrum oratio sit actus voluntatis vel rationis?* Aquinas 2, 2 q. 83 a. 1.

a. 2. *Utrum oratio sit actus latriæ vel religionis?* Aquinas a. 3 cui assuuntur lineæ sex ex Ricardo cit. dist. 15 a. 4 q. 2. ad 1 Eccillæ : *Et nota quod oratio est actus pœnitentiæ, cùm sit pars satisfactionis, & est actus religionis, sicut dictum est, sed alia & alia ratione. Quia in quantum homo Deum orat, ut ei satisfaciat de peccato, actus est pœnitentiæ. In quantum verò orat Deum, ut ei reverentiam exhibeat in recognitionem summi dominii, actus est religionis.*

a. 3. *Utrum conveniens sit orare Deum?* Aquinas a. 2.

a. 4. *Utrum solus Deus debeat orari?* Aquinas a. 4.

a. 5. *Utrum in oratione sit aliquid determinate petendum?* Pars prior ex S. T. a. 5. Posterior ab illis verbis : *Illa autem oratio Dominica est omnibus aliis orationibus efficacior &c.* ubi adjicitur explicatio omnium petitionum ejusdem orationis, id totum ex Ricardo citato q. 8.

Ex lectione hujus articuli duo manifeste constant : 1. Partes ex quibus componitur non fuisse ab origine factas, ut sic simul jungerentur. Quæsitum erat *utrum sit aliquid a Deo determinate petendum?* Id parte priori conclusum ac finitum. An autem *oratio Dominica sit efficacior*, aliud est quæsitum ad primum non spectans, nec nisi vi adactum ei jungitur. Hinc illa duo in Speculo adunata in statu coacto ut ita dicam videntur, contra separata, illud apud Aquinatem a. 5, hoc apud Ricardum q. 8 in centro suo sunt ac statu naturali. Ab his igitur sua quæque pars facta ac edita, a Speculatore verò utraque plagio accepta, ac insulse in unum corpus conflata.

Sæc. XIII. 2. Quod jam pluries dictum, sed ad nauseam usque repetendum, ut Alvæ similes, si qui deinceps exorituri sint, S. Thomæ obloqui erubescant, si hic ex priori parte hujus articuli Speculi articulum suum quintum accepit, sane & posteriorem vidit: cur ergo explicatione orationis Dominicæ indigens, hanc jam, ut volunt, factam inveniens non itidem arripuit? An Ricardo aliquando ea opus habituro relinquendam censuit? Modestum furem laudas, qui innumera deprædatus, in hac distinctione lineas sex articulo 2, & hanc orationis Dominicæ explicationem articulo 5 racemos universim duos intactos dimisit, quos Ricardus Minorita post vindemiam veniens collecturus, perspicacissimus ille continuò distinxit, ac avidus deglutivit. Quis hæc audiat absque stomacho, aut quis potius non rideat? Quis vel paululum sapiens elegantiorem illam & emunctiorem orationis Dominicæ explicationem, quam habet Aquinas propriam articulo suo 9, & quam contemsit Speculator, legens, non ejusdem fœtum agnoscat, qui cæterorum quæstionis 83 articulorum in Speculo defloratorum unicus ac verus est parens? a. 6 ad 13 ex Aquinate q. 83 cit. ab a. 7 ad 16 cujus tamen quæstionis a Speculatore resecantur articuli 6 & 10, at & 9 ac 12 quædam aliena intermiscentur.

D. 32 *De motivis ad orandum.* Integra solo articulorum ordine mutato ex lib. de 7 donis P. 3 cit. de dono scientiæ tit 7 c. 1. Quid ad orandum hominem movere debeat? cod. Sorb. fol. 281. col. 4.

D. 33 *De facientibus orationem Deo gratam.* Exceptis paucis initio cætera ex lib. de 7 donis loc. cit. c. 4, 6 & 7. Qualis debet esse oratio ad hoc quod Deum moveat? cod. Sorb. fol. 285 col. 2 & 287 col. 3.

D. 34 a. 4. *Oratio est præsidium defensivum.* Integer ex eodem lib. loc. cit. cod. Sorb. fol. 284 col. 3 §. 2 de utilitate orationis. Fere integer ex eodem lib. transcriptus solo articulorum ordine mutato, cod. Sorb. fol. 289 col. 2.

D. 35 *De tribus orationis speciebus.* Prima pars ex eod. lib. loc. cit. c. 14 de diversis divisionibus orationis, cod. Sorb. fol. 293 col. 4.

D. 36 *De decem orationis speciebus.* Integra eodem tenore ex eod. lib. c. 15 de oratione vocali, quomodo potest dividi in 10 species, cod. Sorb. fol. 294 col. 3.

D. 37. *Quare Deus sit laudandus.* Integra eodem tenore ex eod. lib. loc. cit. c. 18 decem species orationis, Laus Dei. Ibid. fol. 296 col. 1. Speculator suo more identidem multa resecat.

D. 38 *De gratiarum actione.* Integra ex eod. lib. ordine tamen mutato cap. 19 de gratiarum actione. fol. 298 col. 1.

D. 39 *De jubilatione.* Integra eodem tenore ex eod. lib. de septem donis loc. cit. c. 21 de jubilatione cod. Sorb. fol. 299 col. 3, multa Speculator ab exemplo B. Mariæ d'Oignies resecat.

Diducta jam & ob oculos expansa quantum ad Aquinatem spectat, tota Speculi moralis serie, quod nemo ante nos suscipere ausus est, & in quæstione tamen quam versamus omnino necessarium erat, cùm ex ejus ignoratione factum sit, ut tam præpostere quidam, tam maligne alii, tam leviter etiam plures etiam S. D. fautores sed conjecturis tantùm innixi de hac difficultate censuram suam tulerint, jam cuilibet facillimum erit judicium ferre. Hæc enim tria luce meridiana clariora jam patent: Primò Summam ex sola ratione qua Prima Secundæ & Secunda Secundæ in Speculo dilaceratæ continentur, seipsam probare non ex Speculo excerptam, sed longe antea editam, in Speculo pluribus postea annis condito a falsario fuisse mactatam ut ita loquar, eversam, depravatam, fœdatam. 2. Speculum morale farraginem esse ex variis auctoribus hactenus incognitis, ut pote quorum nomina ab illo impostore callidissime celata fuerant, sed jam revelatis consarcinatam, quo nullum est evidentius plagii argumentum. 3. Constare jam Speculum morale nonnisi post annum 1269 quo Petrus de Tarentasia cujus in eo plus 20 articuli totidem verbis leguntur, sententias Parisiis legere finivit, imo post annum 1300 quo circiter mortuus Ricardus de Mediavilla nondum completo suo in sententias commentario, cujus tamen articuli plus 50 in Speculo articulis sancti doctoris immisti habentur etiam verbis totidem, & inter alios celebris ille articulus in quo Martini IV S. P. bulla anno 1281 mense januario emanata tantarum origo discordiarum refertur lib. 3 P. 10 dist. 9 a. 3. Ex quibus sole ipso clarius est Vincentium Bellovacensem anno 1264 mortuum Speculi moralis fabricatorem non esse nec esse potuisse, opusque ipsi a falsario suppositum fuisse, quod & supra ubi de eo amplius demonstratur.

Superest jam tertia difficultas ab Wadingo annalium ordinis Minorum parente, & a Joanne de la Haye ejusdem familiæ theologo Parisiensi nobis objecta, nempe S. Thomam ab Alexandro de Hales Summam suam excerpsisse. Sic enim prior Annal. T. 1 ad 1245 n. 22 pag. 653. *Quod si quis opinionem præferre vellet rationi, dicat Speculum morale alicujus esse posterioris, & Vincentio & Thoma auctoribus, nihil salvat, nec huic accrescit, quod alteri surripitur, quia Summa virtutum Alensis esse constat utroque antiquioris.* Me sane Wadingi viri aliàs clari haud parum pudet, qui in tam præposteram sanctoque Doctori adeo injuriam sententiam abripi se nescio quo zelo siverit. Nam quæ adeo confidenter ille astruit, evertere haud difficile. Primo enim Speculum morale auctoris & Bellovacensi & Aquinate posterioris fœtum esse, jam ut ex hactenus dictis constat, non est rationi prælata opinio, sed dispulsis tenebris veritas manifesta, quæ rationis est regula. *Ast*, inquit Wadingus, *nihil salvas, nec Thomæ accrescit, quod Vincentio surripitur, quia Summa virtutum Alensis esse constat utroque antiquioris.* Nimirum sic apud se constituerat Wadingus S. Thomam quantumcumque scribam in regno cœlorum doctum eum non fuisse, qui ex thesauro suo haberet quæ proferret, & quod de suo Ricardo de Mediavilla dici non pateretur, id ipso judice Aquinati velit nolit quacumque ratione subeundum turpissimum plagii crimen. Quapropter dubium de solo eatenus Speculo morali objectum videns ab omnibus eruditis cum Bellarmino longius rejici ac propulsari, licèt quæstio tum nondum esset adeo sicut est jam a nobis superius dilucidata, ne Thomas immunis evaderet, ad nescio quam Halensis Summam virtutum Summæ ejusdem theologicæ supplementum recurrit, quam S.D. neque enim scilicet aliter poterat, expilarit. Hinc duplex nascitur quæstio, prima an Halensis præter Summam theologicam Summam virtutum scripserit, altera hoc dato & non concesso, an illa ab Aquinate spoliata, & in Summam suam corrasa.

Summa virtutum Halensis, inquit Wadingus, *esse constat.* Ubi quis sic loquitur, documenta sunt ab eo luce clariora proferenda. Quænam affert Wadingus? Ubinam gentium extat illa Summa? *Extat*, inquit, *Tolosæ MS in bibliotheca Fuxensi.* Quis non expectarat dicturum passim in bibliothecis ordinis Minorum servari? Hos enim decebat tam pretiosi operis esse fidelissimos custodes: aut saltem celebrem aliquam Europæarum bibliothecarum, Vaticanam, Venetas, Patavinas, Florentinas, Regiam aut alias Parisienses, Anglicanas, Belgicas, Germanicas laudaturum? Sed heu infeliciter nec in

illis nec in ipsa Fuxensi quæ tota in Colbertinam transiit, invenitur: nam nec in ea a se visam quis, aut ex ea ab aliquo subreptam meminit aut conquestus est. *At*, inquit Wadingus, *esto, desint codd. MSS, ea typis prodiit Parisiis 1509 & alibi*. Sed si ita est, quo casu accidit, ut nullum nec editionis Parisiensis, nec aliarum quarumcumque exemplum in ulla orbis christiani bibliotheca supersit? Nam nemo nec ipse Wadingus, nec Joannes de la Haye ejus assecla, imo nec Petrus de Alva, qui se bibliothecas Europæ omnes lustrasse jactat, ullibi in manus suas venisse, eamque se evolvisse memorat, unde quotquot rei literariæ periti jam conveniunt opus esse pure fictitium. Revera opus est antiquis omnibus librorum nomenclatoribus Henrico Gandavensi, Tritemio, Gesnero, Simlero, Eyseingrenio, & aliis incognitum. Possevinus quidem meminit, & cujusdam editionis anno 1509, sed urbem tacuit, & Wadinghus primus Parisiense prælum ariolatus est. Præterea norunt omnes Possevinum etsi virum aliâs laudatissimum, tamen in recensendis scriptorum seculi XIII & XIV præsertim Minorum & nostrorum operibus non adeo accuratum, ut qui catalogos utriusque ordinis jam editos vel sibi missos exscripsit tantùm nullo fere adhibito criterio. Cujus in ipso Halensi dari potest exemplum. Ei enim opus illud celebre, cui titulus *Destructorium vitiorum* ascribit, quia vidit Alexandro Anglo inscriptum, quem vetustissimum theologum putavit, quod opus si vel leviter evolvisset, auctorem mox deprehendisset vel abeuntis seculi XIV, vel etiam sequentis, ut apud quem passim citantur non solùm S. Thomas in Summa, Jacobus de Voragine in Legenda, Joannes de Genua in Catholicon, sed & Robertus Holcot in sapientiam, Ricardus Radulphi Armacanus in sermonibus, quorum aliqui seculo XIV vixerunt & quorum ultimus florebat adhuc anno 1360. Omitto quod Halensi tribuerit *commentarium in psalmos* nostri Hugonis de Sancto Charo, quia doctior postea factus id retractavit. Bellarminus, Pitsæus & Miræus *Summam virtutum* Halensis laudant, sed Possevinum excipientes, ita tamen ut ab indicandis codd. MS & ullis editionibus abstineant. Labbeus & Caveus Wadingum excipiunt. Momenti alicujus esset Joannis de la Caille in sua Gallica de origine typographiæ historia pag. 71 testimonium Summam hanc virtutum Parisiis apud Joannem Parvi anno 1509 prodiisse dicentis, si non alios quam a se visos ille libros laudasset, sed cùm varios catalogos se exscribere fateatur, non major illi bibliopolæ, quam indicibus nundinarum Francofordiensium habenda fides. Hinc celebris Dupinius etsi aliâs Caveo satis faveat, ubi de Halensi scriptorum ejus solam certam pronunciat haberi Summam theologicam, quæ eadem est cum ejus in sententias commentario ex fide codd. MSS Victorinorum, (addo ego & Sorbonicorum, & aliorum omnium) si qua verò Parisiis anno 1509 Summa virtutum ejus nomine prodiit, hanc ei falsò tribui. Quam Dupinii sententiam confirmat auctoritas Nicolai Trivet auctoris supparis, qui non alius ejus operis meminit. Sic enim in suo regum Angliæ chronico ad 1222. *Alexander verò de Hales qui Fratrum Minorum ordinem ingressus est Summam theologiæ illis temporibus perutilem conscripserat cum diligentia maxima & labore*. Nec quid de eo amplius. Natalis Alexander noster in eleganti sua cum Minore collatione Parisiis apud Antonium Dezallier 1680 edita de hac controversia merito legendus, Halensem invicte probat non solùm Summam illam virtutum ut Summæ theologicæ supplementum non scripsisse, sed nec scribere potuisse, hoc ineluctabili argumento, quod ipsam Summam theologicam Halensis non compleverit; unde necesse fuit, ut jubente Alexandro IV a Guillelmo de Melitona cum aliis sodalibus absolveretur. Quî Summæ suæ supplementum addere cogitasset Halensis, qui eam Summam nondum finierat, cùm humanis exemtus est? Sæc. XIII.

Sed argumentum Wadingi audiamus: *Summa virtutum Alensis esse constat, utroque & Thoma & Bellovacensi antiquioris. Ergo eam S. Thomas verbo tenus plene sua secunda secundæ insertam excepit*. Quæ consequentia? Ea enim ut valeret, utramque Wadingus a se collatam asserere debuisset. At opus illud Alensis nec vidit ille unquam seu MS seu prælo editum, nec ullum refert qui viderit, & cum secunda secundæ contulerit. Quid est si hoc non est ventis pasci ac delectari, aliosque ut similibus pascantur cogere? si uspiam gentium illa est Summa virtutum Alensis, ex quacumque orbis bibliotheca proferatur, Secunda Secundæ totidem in ea verbis expressa ostendatur; quod cùm hactenus factum non sit, nec spes sit aliquando faciendum, fateatur Wadingus necesse est, ex quo Speculi moralis auctor sancto Doctore longe posterior demonstratus est, omnia jam apud nos salva esse, non equidem Aquinati accrescere quod Speculatori surripitur, sed Thomæ quod suum indubitanter est asseri ac vindicari.

At non quiescit propterea Wadingus. *Gerson cancellarius Parisiensis*, inquit, *in quadam epistola suâ sic scribit de Alensi: Cujus doctrina quanta sit ubertatis dici satis nequit, de qua fertur respondisse S. Thomas, dum inquireretur ab eo, quis esset optimus modus studendi theologiam, respondit exercere se in uno doctore præcipue. Dum ultra peteretur, quis esset talis doctor. Alexander de Hales. Testor inquit Gerson, me ita legisse pridem in tractatu quodam de visione beata contra Joannem* XXII. *Testantur scripta ejusdem S. Thomæ maxime Secunda Secundæ, quam intimum sibi fecerat & familiarem quem laudabat doctorem Alexandrum*. Hæc mox discutientur. Sed quid inde Wadingus? *Intelligit*, inquit, *Summam virtutum scriptam ab Alensi familiarem potissimum fuisse S. Thomæ, ut quam verbo tenus plene Secunda Secundæ hujus insertam excepit*. Hæc sunt Wadingi unius commentum, de quibus apud Gersonum nihil. *Intelligit Summam virtutum scriptam ab Halensi*. Id quis Wadingo revelavit, cùm hujus Summæ virtutum Gersonus nec eo loci, nec aliâs uspiam meminerit? Imo sic arguo. Eam ibi Summam intelligit Gersonus, quam Minoritæ cui illa epistola est scripta, commendatam volebat: atqui Summam theologicam Halensis quæ omnibus obvia erat, illi commendabat, ut a lectione Scoti, cujus subtilitates ibidem severe castigat, revocaret & averteret: ergo Summam theologicam Halensis solùm intelligit, non Summam virtutum nemini unquam visam.

Sed instat Wadingus. *Cur ergo Gersonus Secundam Secundæ ait testari quam familiarem Thomas sibi fecerat Halensem? Nisi enim Summam virtutum scripserit Halensis quam defloraverit Aquinas, familiarem huic fuisse Halensem non plus probat Secunda Secundæ, quam cæteræ ejus partes*. Sed facilis responsio. Scilicet Gersoni scopus attendendus est. Impatienter ferebat apud eximios viros quales Fratres Minores Scoti subtilitates majori in veneratione esse: has theologos sectari indignissimum censebat. *Mirum*, inquit ibidem, *& miserabile videtur, ne dicamus damnabile, quo pacto prælatæ sunt doctrinæ quædam aliæ sub specie subtilitatis, plus inquietantes quasi cyniphes Ægyptiæ, quam sabbatum mentis incendio terræ Gessen afferentes*. Et paulo post: *Extolluntur alii quidam, quorum sint utinam nomina in libro vitæ, non enim*

Sæc. XIII. *studiosis invidemus: sed multa aliquos ipsorum literæ fecerunt sub nomine subtilitatis insanire cum sequacibus ipsorum. Numquid non insania est &c.* ubi plures Scoti propositiones suo judicio non ferendas refert, de quibus penes ipsum fides, nullam enim mihi velim cum sacro ordine Minorum, quem ex animo veneror, de Scoto suo litem. Dolens itaque Gersonus Halensem & Bonaventuram apud Minores *videri quasi sepultos cum illis quorum non est memor amplius*, sunt ipsissima ejus verba, doctores istos duos Bonaventuram & Halensem Lugdunensi Minoritæ commendat, & ut ad secundi lectionem suavius inducat, exemplum S. Thomæ a quo putabat, vere an falso, nihil ad rem, avide lectum proponit. Secundam autem secundæ præ cæteris partibus commemorat, quia hanc aliis præferebat & quantum conjicere est solam legebat. Hinc Epistola ad studentes gymnasii Navarræ inter doctores ab illis legendos commendat potissimum Autissiodorensem, Bonaventuram, & Durandum nostrum. Postea addit: *Excellit quidem in suis quotlibet Henricus de Gandavo: excellit S. Thomas præsertim Secunda Secundæ:* Quod signum est hanc Secundam Secundæ Gersono fuisse familiariorem, cùmque ea passim apud omnes magno haberetur in pretio, eam præ aliis Minoritæ nominat; non verò quod in ea quid ex Halensi acceptum sciret, alioquin non illam, sed ipsam Summam virtutum Halensis si qua fuisset, huic Minoritæ laudasset. Qua ratione igitur Secundam Secundæ testari ait quam Thomæ intimus fuerit Alexander? non alia quam quod uterque subtilitates theologo indignas non exquisierit, sed doctrinam solidam ubique fuerit consectatus.

Quantum ad historiolam illam, quam in tractatu quodam adversus Joannem XXII scripto se legisse testatur Gersonus, in fide auctoris tantum refert, non præstat veram, nosque fabellam censemus, cujus nulla apud nostros Tholomæum de Lucha, Guillelmum de Thoco, Nicolaum Trivet, Bernardum Guidonis & alios memoria. Imo tantum abest ut sanctus Thomas unicum doctorem legendum existimarit, quin contra sic habet in epistola exhortatoria, ad quemdam, in qua proponit idonæum modum salubriter acquirendi scientiam, quæ inter ejus opuscula est 68 & a nostro B. Venturino anno 1336 laudatur: *Tale a me tibi super hoc traditur consilium, ut per rivulos non statim in mare eligas introire.* Postea: *Non respicias a quo audias. Sed quicquid boni dicitur, memoriæ recommenda, & quicquid poteris in armariolo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere.* Non ergo volebat studentem in uno doctore exerceri, non solum volebat audiri vel legi Halensem.

Porro Thomam ab Halensi nihil accepisse invictum argumentum est, quod ubi primum ejus Summa palam prodiit, eam mox Minoritæ totis viribus impugnarunt, Guillelmus de la Mara Anglus sub finem seculi XIII in primis librum scripsit cui titulum indidit, *correctorium Thomæ*, nostri autem vulgo nominarunt, *corruptorium.* In eo autem Guillelmus positiones 49 primæ partis, 12 primæ secundæ, 16 secundæ secundæ impugnat. Si Secundam Secundæ verbo tenus ut loquitur Wadingus, S. Thomas ex Summa virtutum Halensis, ut sibi visum est exscripsit, cur (Lamarius) se Halensem impetere non dixit, neque enim ejus Summam virtutum ignorare poterat si extabat, cur in Thomam insurgit? Idem putes de Scoto, de Francisco Maironis & de aliis pluribus æmulis. Cur nostri angelicum doctorem tuentes Joannes Parisiensis II vel si velis Ægidius Romanus Augustinianus Eremita, Joannes de Tortocollo, Durandus de Aureliaco Halensis auctoritate non defenderunt, quod adversus Minoritas decretorium fuisset argumentum? Nempe nemo illorum seu Minorum seu nostrorum unquam de Summa virtutum Halensis quid audiverat, quam opus merito fictitium diximus.

Joannes de la Haye Minor & theologus Parisiensis, etsi antiquiora ordinis sui monumenta discusserit in gratiam Halensis, non majorem quam Wadingus ut jam monui, tantùm jactatæ illius Summæ virtutum notitiam eruderare potuit: tamen ut Thomam nostrum e manibus suis illæsum abire permitteret, animo suo non indulsit. Verùm hujusmodi obrussas non veretur aurum nostrum, imo avet experiri, quo se purum magis ac magis, purgatumque septuplum probet. Quid itaque Lahaius? Nempe in vita Alexandri Halensis hujus commentario in Apocalipsin præfixa, nulla Summæ virtutum Halensis mentione facta, quam solam tamen prodere debuisset, quinque paginas in folio furtorum ut putat, ex Summa seu commentario in sententias dicti Halensis a S. Doctore in Summam suam intrusorum implet, identidem tamen ita monens, *ni fallit memoria, si recte memini, continet quoad sensum, fundamenta doctrinæ S. Thomæ habentur in sensu, resolutio est quasi eadem, aliqualiter colligitur, etsi contraria S. Thomæ sentiat Halensis, ab hoc tamen ille accepit, eadem quoad substantiam, & aliqualiter quoad verba, responsio non valde dissimilis*, & hujusmodi insulsa & inepta, quæ retulisse, refutasse est. Plusquam decem typorum folia articulis Halensis & S. Thomæ a Lahaio citatis e regione utriusque lectori objiciendis necessaria forent, sed pro his tantum sumtum subire, totque bonas horas perdere probaret nemo. Si gustum lector habere voluerit, utrumque & Thomam & Halensem conferat, experieturque non solùm in aliis, sed & in his quæ plane eadem Lahaius asserere audet, ne lineolam quidem S. Thomæ verbis totidem apud alterum legi, Lahaiumque dicet revera non recte meminisse, suam eum memoriam certo fefellisse, imo sui omnino oblitum, cùm de sancto Doctore tam indigna scriberet, quæ nec digna sunt, ut iis refellendis amplius immoremur. Qui plura de his volet, laudatam Dominicani & Minoris collationem a Natali Alexandro nostro editam consulat, in qua hæc & summo criterio, & pari elegantia, & servato inculpatæ tutelæ decore tractantur.

Pro ea quam Aquinati & Wadingus & Lahaius exhibere se testantur reverentia, non putavi nec iis, nec suis nec lectoribus ingratum fore, si quoddam grati animi xeniolum offerrem. Non placet quidem quod ii dicunt Halensem Innocentii IV jussu Summæ suæ opus suscepisse, non solùm quod Innocentii diploma non afferat Wadingus, sed quod grandior sit opera, quam ut intra duos annos quibus sub hoc pontifice vixit, nempe a festo S. Joan. Bapt. 1243 ad 12 Kal. septem. 1245 quo mortuus est Halensis primam partem solam explere potuerit: eam itaque longe ante cum diligentia maxima & labore ut ait Nicolaus Trivet inchoarat. Non placet etiam quod dicunt hanc Summam ex mandato Alexandri IV a sacra facultate Parisiensi examinatam, & appensis 72 magistrorum sigillis signatis subscriptionibus approbatam, non quod eam approbationem non mereretur, sed quod horum nihil in actis Facultatis habeatur, & maxime quod ea ætate nempe circa annum 1257 nec verisimile est tot in sacra facultate magistros viguisse, quandoquidem anno 1248 in causa librorum Thalmudicorum Odo cardinalis de Castro-radulphi legatus vix undecim theologiæ & quatuordecim decretorum doctores ex omnibus Galliæ partibus congregare potuerit. Incertum etiam valde est, quod tamen illi asserunt, accessisse tandem ad plenum ejus confirmationis

firmationis robur ipsius Alexandri IV promulgatum diploma, cùm nec istud proferat Wadingus. En igitur rei veritatem. Cùm Halensis moriens Summam suam theologicam reliquisset imperfectam, jussit hic summus pontifex ut a Guillelmo de Melitona cum sodalibus sibi adjunctis absolveretur. Id quidem passim refert Wadingus, sed diploma pontificium non producit. En quale reperi in Sorbona ad caput cujusdam codicis Summæ Halensis a socio Sorbonico cujus erat transcriptum, & est xeniolum quod a me auferet Wadingus.

Alexander episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio ministro Fratrum ordinis Minorum in Francia sal. & apostol. benedict.

» De fontibus paradisi flumen egrediens, exuberans videlicet sacrarum intelligentia scripturarum per os recolendæ memoriæ Fratris Alexandri ordinis tui temporibus nostris largo profluxit lotitio impetu super terram, in lucem manifestius editis thesauris scientiæ ac sapientiæ salutaris. Idem siquidem frater, ut ex his quæ scripsit & tradidit comperimus Deo plenus, (nemo enim nisi in spiritu Dei loquens æternæ veritatis mysteria ea inquisitionis indagine attigisset) studia sua publicis utilitatibus commodavit, & laboriosi operis sanctum aggrediendo propositum super quæstionibus theologicis, utiliorem utique quam proxilam molitus est Summam profectibus in lege Domini studere volentium compendiosius profuturam. In qua sententiarum irrefragabilium ordinatæ sunt acies ad obterendam veritatis pondere contentiosæ pervicaciam falcitatis. Prolixitatem quippe si quam in eadem Summa lector delicatus abhorret, studiosis vobis in ea sic reddit continua partium suarum utilitas brevem, ut in tanto verborum agmine, quod immensa videtur divinæ profunditatis eloquia continere, non aliud nos rationabiliter possit offendere, quam quod Deo ejusdem Fratris laboribus finem, antequam suscepti operis dietam perficeret, imponente, & ad statutum repositæ mercedis evocante denarium, perfectæ pietatis imperfectus est labor, quo & pauca videntur, & ad satietatem animæ insufficientia universa quæ scripta sunt, nisi destinatum & ad quem animos legentium pars suspendit exhibita, principii sui finem moles tanti operis sortiatur. Quo circa discretioni tuæ in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus considerans prudenter, quod indecenter relinquitur, si negligenter omittitur mutilum opus Dei, quod nonnisi cœlestis sapientia per ministerium servi sui tam clara jam digestæ partis iniit venustate, de consilio discretorum fratrum studentium ad perfectionem ejusdem Summæ necessarios pro numero & idoneos pro merito convoces Parisius ex quibuslibet administrationis tuæ locis ordinis tui Fratres: quibus ex parte nostra in remissionem injungas peccaminum & ad suorum cumulum meritorum, ut dilecto filio Fratri Guillelmo de Milletona huic solicitudini deputato sedule assistentes, ipsumque ac se mutuo adjuvantes sine dilationis dispendio prædictæ Summæ opus finaliter exequantur, ad hoc uno & eodem Domini spiritu, qui gratis mira scientiarum dona distribuit adjuvandi. Datum Anagniæ v Kal. augusti, Pontificatus nostri annno ij «. Id est 28 julii 1256, cùm Alexander electus fuerit 21 Decemb. 1254.

Explicit copia de verbo ad verbum, quam ego habui, & tenui, & palpavi bullas papæ, & transcripsi, & fuit papa Alexander IV. Sic in cod. Sorbon. socius cujus erat codex.

Porro si jussu Innocentii IV vel alterius pontificis hoc opus suscepisset Halensis, id Alexander IV non siluisset. Si etiam facultas Parisiensis 72 magistrorum calculo approbasset, aut Alexander IV aliud diploma ad confirmationem Summæ a Guillelmo de Melitona cum sociis expletæ dedisset, socius ille Sorbonicus erga Halensem mire affectus haud dubie transcripsisset. Sed post tantam qualis est in diplomate relato hujus Summæ commendationem, nulla alia desiderabatur. Et hîc esto finis eorum quæ in defensionem nostri Aquinatis æmulorum zelus, sed profecto non secundùm scientiam, prolixe fateor sed necessario nos afferre coëgit, in quibus hæc tria evidenter demonstrata jam puto: 1 adversus Launoium vere S. Thomam Summam suam scripsisse: 2 adversus Alvam & sui similes Summam antiquiorem Speculo morali, hocque ab illa excerptum, non contra: 3 adversus Wadingum & sequaces nihil ne lineolam quidem Thomam ab Halensi accepisse. Nunc ad alia S. D. opera properandum.

Præter superius recensita Summæ theologiæ exempla, hæc adhuc laudanda. Florentiæ apud S. Marcum, Arm. 2 cod. 33 fol. memb. 1 *P.* & Arm. 3 codd. memb. 43, 44, 45. Venetiis apud S. Anton. Plut. 10, 1 *P.* fol. memb. Plut. 13. 1, 11, *&* 111 *P. Summa* fol. memb. Plut. 14. 1 *P.* exempla tria. *secunda secundæ* bina. & 111 *P.* semel Apud SS. Jo. & Paul. Plut. 7. 1 *&* 11 *P.* fol. memb. Ibidem *altera parte.* Pl. 13. 1 *P.* bina exempla. *Prima secundæ, Secunda Secundæ.* 111 *P.* fol. memb. Item S. Georg. in Alga *Secunda Secundæ* & *Prima Secundæ* missæ ab Eugenio IV, anno 1443. Ibid. inter datos a cardin. Hostien. 1 *&* 111 *PP.* Parisiis Apud Augustin. ad pont. nov. quinque sunt exempla. *Prima Secundæ & secundæ secundæ* a n. 208 ad 212, fol. memb. & n. 213 *Tertia pars.* In Sanjacob. quæ non omittenda, quatuor sunt codices *primæ partis.* Primus fol. mag. memb. melioris notæ. Pr. *Incipit Summa de theologia edita a F. Thoma de Aquino ord. Frat. Prædic.* Ad calcem: *Explicit liber primus Summæ Fratris Thomæ de Aquino O. FF. P. magistri in theologia.* Nescio quis imperitus erasit vocabulum *Fratris* etiamnum tamen visibile & super scripsit *sancti.* Est sec. XIII. Alter est fol. mag. memb. sec. XIII eleganti charactere. In prima majori litera Thomas exhibetur docens ex cathedra plures prostantes habens sodales ex ordine omnes in prima & antiqua ordinis veste capa coloris tannei, qualis exhibetur in antiquo Humberti officio ecclesiastico, adeo ut si non vivo adhuc Thoma paucis ab ejus morte annis videatur codex scriptus. Tertius ejusdem rationis fere certe sec. XIII finientis. In prima litera Thomas exhibetur etiam sodales docens, inter quos est & Franciscanus. Quartus item fol. mag. memb. & videtur etiam sec. XIII ex charactere. Dicitur in fine *emptus a conventu vendente S. T. M. Joanne Fourre conventus Bellovacensis allumno & Dñi de Dunois confessario anno* MDV *octob.* V.

Omitto exemplum quintum ceu chartaceum & sec. XV quod fuit F. Radulphi des Marqués in sacra pagina magistri conventus Rotomagensis ord. Præd.

Codex fol. mag. memb. sec. XIII *Liber secundus de Summa Fratris Thomæ de Aquino.* Quia sicut Damascenus &c.

Codex fol. mag. memb. sub finem sec. XIII scriptus *Liber secundus secundæ partis.* In prima majori litera Thomas exhibetur docens prostantes habens auditores alios ordinis, alios seculares in veste rubra, omnes cum caputiis acuminatis juxta illius ætatis usum.

Codex denique similis rationis sed seculi tantum XIV. Pr. *Quia salvator &c.* ad calcem: *Incipiunt capitula tertiæ partis Summæ Fratris Thomæ de*

Sæc. XIII. *Aquino O. FF. Præd. magistri in theologia.* Nec jam plures in ea bibl. codices.

In Bibl. Eccles. Turon. tres codd. MS memb. fol. *Prima pars, Prima Secundæ, Secunda Secundæ* sec. XIV.

In Bib. Eccl. Carnot. codex unus MS memb. fol. *Tertia Pars Summæ theologiæ.*

Notandum præter compendia Summæ theologiæ superius relata ex Bibl. Victor. & Colbert. & Sorbon. alia etiam ab aliis concinnata fuisse. Duo sunt unum I P. alterum *Secundæ Secundæ* Florentiæ in Medicea Pl. 26 cod. XI MS memb. Ad calcem prioris sic legitur: *Explicit abbreviatio I P. B. Thomæ scripta a IV Mai ad XXVI julii anno Dñi* MCCCCXXXVI *Basileæ sacro concilio ibidem sedente.* Titulus posterioris: *Compendium D. Thomæ ex eo libro in quo agit de virtutibus tam theologicis quam moralibus, & de statibus.* Ex annotatione ad finem adjecta apparet opus susceptum pro Juliano cardinali S. P. legato, & concilii præside. Parisiis in Navarr. est aliud, cujus titulus: *Incipit Summarium QQ. & AA. secundi libri II P. Summæ S. Thomæ de Aquino eximii doctoris.* Ad calcem: *Finiuntur hic abbreviata super secundam secundæ S. Thomæ per virum literatissimum M. Henricum Zomeren Parisius pro tunc clericum, una cum M. Nicolao de Trajecto SS. papæ Nicolai V. ipsis cujus obitus non parum obfuit.*

EDITIONES ANTIQUÆ SUMMÆ theologiæ & primo per partes.

Prima pars prodiit Venetiis, 1477 in fol. Tum apud Antonium de Strata de Cremona, 1482 fol. quæ editio Bisuntii apud nostros. Postea ibidem 1484 fol. Tum typis Theodorici de Asula, 1490 fol. Deinde ductu Boneti Locatelli apud Octavianum Scotum 1495 fol. quæ Parisiis in Regia. Postea ibidem curis F. Matthæi Siculi nostri qui concordantias addidit in margine, 1508 fol. Extabat anno 1681 Cabellione apud nostros a me visa. Tum recognoscente F. Augustino Natali Ragusæo nostro, qui Marco Gradonico patritio Veneto nuncupavit ibidem typis Philippi Pincii Mantuani expensis Giunti de Giunta 1509 fol. Quæ editio Bisuntii apud nostros.

Prima Secundæ Venetiis apud Franciscum de Hailbrun & Petrum de Gartua 1478 fol. Extat Parisiis apud Sangenovefianos. Tum apud Andream de Torcellanis 1483 fol. quæ apud Bisuntinos nostros. Postea typis præsidente Boneto Locatello apud dictum Scotum 1496 fol. Deinde typis Jacobi Rubei Vercellensis 1497 fol. quæ extat Parisiis in Regia. Tum apud eumdem Scotum, 1500 fol. quæ apud nostros Rotomagenses. Deinde adjectis ad marginem dicti Matthæi Siculi annotationibus & quotationibus, 1508 fol. quam vidi anno 1681 Cabellione apud nostros. Postea apud Giuntas 1509 fol. Rursus 1522 fol. quæ Bisuntii apud nostros.

Parisiis editionem accurante Antonio Coronel socio Sorbonico, qui F. Petro de Bruxellis aliâs Crockart ord. Prædic. sacræ theologiæ magistro nuncupavit 1513 in 4.

Secunda Secundæ. in incunabulis typographiæ absque anno & loco, quæ extat apud nostros Rotomagenses. Maguntiæ typis Petri Schoeffer 1467 charta imperiali. Extat Parisiis apud Augustinianos ad pontem novum, & Turonibus in metropol.

Venetiis Francisci de Hailbrun & Nicolai de Francofordia 1475 fol. Extat Parisiis in Sangenovef. Tum 1479 quæ Parif. apud Clarissas *Ave Maria* dictas, & 1480 fol. Rursus typis Theodori de Rogazonibus de Asula 1481 & 1490 fol. Postea apud Johannem Rubeum, 1496 fol. quæ Parisiis apud nostros Sanjacobeos & Bisuntii apud nostros. Tum 1516 fol. quæ in Regia & 1522 fol. quæ Rotomagi apud nostros.

Romæ typis Simonis Nicolai Lucensis, & Udalrici Galli Alamani 1474 fol. quæ in Regia.

Coloniæ apud Henricum Quentel, 1480 fol. Tum typis Johan. de Colonia & Joan. Manthen de Gheretzen 1493 fol. quam vidi anno 1681 Cabellione apud nostros.

Parisiis editionem accurante supra laudato Petro de Bruxellis apud Claudium Chevallon 1512 in 8, & dicitur nusquam antea citra montes edita, id est in Galliis. Postea ibidem curis F. Jacobi de Bruxellis aliâs de Angia ord. Prædic. qui suo Teutoniæ provinciali F. Laurentio Hofflircher S. T. M. nuncupavit 1515 in 4. Rursus iisdem typis 1520 in fol. & in 4.

Pars Tertia. Tarvisii typis Michaelis de Manzolo de Parma 1476 fol. quæ extat Divioni apud nostros.

Venetiis apud Johan. de Colonia, & Johan. Manthen de Gheretzen 1478 fol. Postea cum Supplemento apud Bernardinum de Tridino, & Octavianum Scotum 1486 & 1493 fol. quæ extat Parisiis in Regia. Tum 1522 fol. quæ item in Regia.

Coloniæ item cum supplemento apud Johan. de Colonia & socium laudatos 1487 fol.

Summa tota simul prodiit.

Basileæ, 1485 fol. voll. IV, quæ extant Parisiis apud Augustinianos ad pontem novum.

Venetiis apud Scotum laudatum 1505 fol. Tum curante Augustino Natali Ragusæo laudato apud Juntam 1509 fol. Ibidem apud Juntas 1588 fol. par. voll. sex. Elegans editio cum commentariis Cajetani, sed cui plura alia addita præsertim, *supplementum cum elucidationibus formalibus nunc primum exeuntibus in lucem, in quibus ultra egregiam textus enodationem, innumeras pene hæreses errorесque recensendo, ac e vestigio vel divinarum scripturarum summorumque pontificum, aut conciliorum sacrorum auctoritate ipsas interimendo, quam plena manu Ecclesiæ catholicæ angelicus doctor inserviat, sigillatim ostenditur per F. Seraphinum Capponi a Porrecta S. T. M.* Cuilibet quæstioni præfiguntur loca in quibus de eadem quæstione agunt Albertus Magnus, Bonaventura, Capreolus, Scotus, Petrus de Palude &c. Subjiciuntur Quæstiones quodlibetales XII S. Thomæ: Opuscula omnia Thomæ de Vio cardinalis Cajetani in tres distincta tomos: Catechismus catholicus Augustini Hunnæi, & ejusdem de Sacramentis axiomata. Toti operi præfigitur S. Thomæ vita auctore Guillelmo de Tocho. Sunt & quædam alia falso sancto doctori ascripta, quæ rectius alibi referentur.

Ibidem cum commentariis Cajetani, 1594 fol.

Hagonoæ, Knoblouchi, 1510 fol.

Lugduni, 1520 fol. Item apud Johan. Crispini, 1541 fol. cum commentariis Cajetani. Item apud Hugonem ac Haimonem a Porta 1547 fol. cum iisdem commentariis. Item apud Hæredes Giuntæ, 1548 fol. Item 1554 fol. Item apud Theobaldum Ancelin, 1581 fol. Item apud Guillelmum Rouillium, 1588 fol. Item apud Antonium Pillehotte, 1624 in 8. voll. quinque ad exemplar Hunnæi. Item apud Joh. Bapt. de Venetiis 1655 fol. voll. tribus.

Romæ, 1587 in 8. voll. sex ad exemplar Hunnæi.

Antwerpiæ cum commentariis Cajetani apud Stelsium 1568 fol. Item apud Christophorum Plantinum 1575 fol. Editio elegans ab Augustino Hunnæo curata, cui & sua in Secundam Secundæ adjecit schemata. Item apud eumdem antea 1569 in 8. Item 1624 fol.

Rotomagi typis Petri Olivier sumtibus Fran-

cisci Regnault bibliopolæ Parisiensis 1520 & 1521 editionem curante F. Joanne de Villerio Valencenensi ord. Prædic.

Parisiis ex officina Triadelphorum 1608 fol. editionem curante Petro de Besse S. T. M.

Duaci, Wyon, 1614 & 1623 fol.

Coloniæ 1614. Item Hierat 1622 fol.

Amstelodami sub ementitis Coloniæ Agrippinæ typis Cornelii ab Egmond, 1640 in 4, cum emendationibus F. Gregorii Donati ord. Prædic. editio elegans. Ibidem 1639 in 12, voll. decem: editio item elegans.

Editiones alias recentiores hîc omitto recensendas, ubi de iis qui eas curarunt, sermo habebitur.

T. XIII. 1. *Expositio in Job*. Pr. *Sicut in rebus quæ naturaliter generantur &c.* Laudant, Tholomæus inter opera quæ sub pontificatu Urbani IV edidit, sic: *Exposuit Job*. Bernardus Guidonis: *Scripsit quoque super Job ad literam, quem nullus doctor literaliter sic sicut ipse exponere attentavit.* Guillelmus de Tocco: *Scripsit super Job ad literam, quem nullus doctor literaliter tentavit exponere propter profunditatem sensus literæ, ad quem nullus potuit pervenire* &c. plura. Trivetus: *Literalis etiam expositionis in Job edidit librum unum.* Petrus Rogerius citatus: *Item super Job*. Pignon: *Scripsit & postillas super Job ad literam.* Valleoletanus ut Bernardus totidem verbis. S. Antoninus: *Scripsit super Job ad literam, quod nullus attentaverat. Nam Gregorius Magnus in moralibus expositionem fecerat moralem potius quam literalem pulcerrimam. Nicolaus de Lyra post eum exposuit, ab ipso multa furatus, & aliter contra eum impingens, sed sine ratione.* De hoc opere sic censet Sixtus Senensis: *Composuit quoque lucidissimos ac doctissimos in totum librum Job juxta literam commentarios, qui cæteris commentationibus ab eo in vetus testamentum editis eruditione, ac germana sinceraque historia explanatione præferuntur. Horum initium est*: Sicut in rebus.

CODD. MS.

Venalis prostabat Parisiis anno MCCCIV ex libro Rectoris: *Item in postillis super Job.* XX pec.

Extat in Sanjacob. fol. med. memb. *Postilla Fratris Thomæ de Aquino super Job*, ante canonizationem scriptus, licèt ad calcem dicatur tantùm a F. Martino Billori priore circa MCCCCXX datus.

In Regia duplex, alter fol. par. memb. n. 4121, sec. XIII. Titulus alternis minio cyaneoque distinctis literis majusculis scriptus: *Postilla Thomæ super Job*. Alter n. 4600.

Venetiis apud S. Antonium Plut. XIII in 4 memb. & Plut. XVII fol. memb. sed & apud S. Franciscum a Vinea.

Florentiæ ad S. Marc Arm. III, cod. 126, memb.

2. *In Psalmos Davidis expositio*. Pr. *In omni opere suo dedit confessionem sancto &c.* Ultra psal 51 non progreditur.

Meminerunt, Guillelmus de Tocco: *Scripsit super magnam partem Psalterii*. Logotheta: *Item lecturam super quatuor nocturnos Psalterii post eum legentem recollegit idem F. Raynaldus.* Trivetus: *Iterum lectura super tertium nocturnum* (sed erratum in edit. Dacher. & leg. *super tres nocturnos*) *psalterii quam F. Reginaldus ejusdem socius recollegit.* Et posteà: *Super tertium nocturnum psalterii* inter reportata a F. Reginaldo ejus socio reponit. Bernardus: *F. verò Raynaldus socius ejus dicitur reportasse postillam super tres nocturnos psalterii ipso legente, quæ incipit: In omni opere suo dedit confessionem sancto.* Pignon: *Item super primum, secundum & tertium nocturnum psalterii.* Valleoletanus: *Item incepit scribere super psalterium, & scripsit super tres primos nocturnos, & præventus morte opus remansit incompletum. Incipit: In omni opere suo &c.* S. Antoninus: *Circa finem vitæ scripsit super tres nocturnos psalterii: F. Reginaldus dicitur reportasse ipso legente postillam quæ incipit: In omni opere dedit confessionem.* Ex quibus colligas, vel cùm secundo regeret Parisiis, vel post ultimum in Italiam reditum hos psalmos exposuisse.

Seorsim prodierunt Lugduni 1520 in 8.

3. *In Cantica Canticorum expositio*. Pr. *Salomon inspiratus Divino Spiritu, composuit hunc libellum &c.*

S. D. scripsisse in Cantica Canticorum referunt antiqui, Logotheta: *Super cantica*. Bernardus: *Scripsit & super Cantica canticorum.* Petrus Rogerius in sermone: *Item super Cantica*. Pignon: *Scripsit postillam super Cantica.* Valleoletanus: *Item super Cantica Canticorum*. S. Antoninus: *Scripsit & super Cantica Canticorum multum tamen breviter & ad literam.*

Haud exiguo labore nos levassent illi veteres, si postillæ in Cantica sub nomine S. D. ab illis laudatæ principium ut fere in aliis ejus operibus indicassent: nam aliam omnino Sixtus Senensis S. D. inscribit, quæ incipit: *Sonet vox tua in oribus meis &c.* quam & Amadeus Scotus typis edidit Lugduni apud hæredes Jacobi Juntæ anno 1562 in 8, ex antiquissimo inquit conventus nostri Fabrianensis in Italia codice, quam etiam noster Petrus Pellican S. T. M. Parisiensis in sua opusculorum S. D. sub novo ordine editione Parisiis apud Joannem Jost 1656 fol. repræsentat pag. 897 *sonet vox tua* &c. *In principio cujuslibet libri &c.* At quandoquidem sapientissimis illis editoribus Romanis visa est præferenda, & sub nomine S. D. præstanda, quæ incipit *Salomon inspiratus*, eorum censuræ eo libentius subscribo, quod ista magis convenit cum idea, quam S. Antoninus dat postillæ S. D. ac præterea quod postillam eamdem, *Sonet vox tua. In principio cujuslibet &c.* idem Sixtus Senensis F. Ægidio Columnæ Romano simul & semel tribuat, quæ tamen duorum non potest esse opera. Reverà anno 1303 ex libro rectoris univers. Parif. prostabat postilla F. Ægidii super canticum X peciis seu quaternionibus. Aliunde S. D. duplicem super cantica postillam edidisse nemo veterum astruit.

S. D. ultima ægritudine laborans in monasterio Fossæ novæ, *rogatus ab aliquibus monachis qui capere poterant, ut aliquod memoriale suæ scientiæ eis in fine relinqueret, breviter eis exposuit cantica canticorum*, Sic totidem verbis refert Guillelmus de Tocho in ejus vita. Sed illam expositionem eam esse, quæ in hac Ed. Rom. profertur, licèt asserat Amadeus Scotus qui & edidit Lugduni, Juntæ, 1562, in 8, difficile mihi persuaserim, cùm sit opus completum, quod ægrotanti & ad mortem paroxismis vehementibus anhelanti non convenit. Illam itaque sanus ediderit, versiculos verò quosdam libri canticorum monachis petentibus, quoad permittebat aliquando morbus, quibusdam collationibus exposuerit, quas ex ejus ore exceptas monachi illi sibi privatim scripserint, sed non ediderint. Quæ tamen omnia sapientiorum censuræ libens permitto. Addo solùm eumdem Amadeum Scotum procemio ad lectorem alterius expositionis, cui principium *sonet vox tua &c.* etiam præstare, eam esse quam infirmus in cœnobio Fossæ novæ confecit, quæ duo non possunt simul stare: sed & præterea ut notat noster Pellican, hujus expositionis auctor explicans illud cap. 1 vers. 2. *Oleum effusum nomen tuum*, sic loquitur: *Beatitudo verò spiritualis completive & consummative consistat in voluntate, ut suo loco poterit declarari.* Quæ promissio alterius operis, nam in isto de eo nihil habet amplius, viro non convenit se jamjam moriturum præscienti.

Sæc. XIII. Postilla cujus principium, *Salomon inspiratus &c.* extat MS in Victor. cod. 1091 fol. par. memb. ad fol. 143, absque nomine auctoris.

In antiquo catalogo bibl. Sorbon. memb. Tabula tertia, quam se concinnasse ait quidam Joannes ejus gymnasii socius, ac post canonizationem Aquinatis scribens, sic legitur: *Bancha F. W. P. Item super cantica a Thoma de Aquino.* Osculetur me. *Post:* Hæc est vox Synagogæ. Quod ipsum est principium expositionis, quam exhibet editio Romana. Verùm si commentarius in illa tabula notatus idem est, qui adhuc in eadem bibliotheca servatur cod. 533 memb. in 4, alius prorsus est ab edito; sic enim incipit: *Osculetur me osculo oris sui. Hæc est vox Synagogæ, quæ Christum venturum in mundum dicerat ab Angelis &c.* ab editis omnino diversa. Nomen auctoris siletur, est tamen codex sec. XIII, nam est ex legato M. Geroudi de Abbatisvilla, qui cum S. Thoma floruit. Ancipitem me & dubium fateor, ista codicum varietas reddit, standum tamen editioni Romanæ donec lux major affulgeat.

Expositio in Cantica, cujus principium, *sonet vox tua*, prodiit absque loco edit. apud Petrum Galterum, 1545, 8. Rursus Parisiis, Guill. Pelé, 1634, in 8, pp. 170.

Laudatur apud Tomasinum in Bibl. Venet. apud nostros SS. Jo. & Pauli, Plut. 7. *S. Thomas in Cantica Cantic. fol. memb.* sed quo principio non additur.

4. *In Esaiam prophetam expositio.* Pr. *Scribe visum & explana eum &c.* Laudant, Tholomæus lib. 23 c. 15: *Scripsit etiam super Isaiam, sed raro invenitur.* Logotheta: *Super Isaiam.* Trivetus: *Item super Isaiam, Jeremiam & Threnos postillas conscripsit.* Bernardus: *Scripsit super Isaiam postillam quæ raro invenitur, in cujus passu quodam textus difficili post orationes & lacrymas ejus sanctorum apostolorum Petri & Pauli qui ipsum instruxerunt habuit visionem.* Idem fere totidem verbis Guillelmus de Tocho. Petrus Rogerius citatus in sermone: *Item super Isaiam.* Pignon: *Super Isaiam.* Valleoletanus: *Item scripsit super Isaiam prophetam, & cùm scriberet prophetiæ ejus mysteria exponendo, pervenit ad quemdam libri textum sibi difficilem, quem cùm non posset intelligere: nec profunditatem sensus scripturæ propheticæ penetrare, orationi se contulit, & SS. apostolis Petro & Paulo recommendavit, qui eidem visibiliter apparentes de textu dubio plenissime instruxerunt. O vere felix doctor, cui divinæ scripturæ cæli clavicularius aperuit ostium, & ascensor cæli Paulus doctor ille mirabilis docuit in veritate secretum! O felix doctor hospes mundi & civis cæli, qui cum cælestibus civibus loquitur, dum adhuc in corpore peregrinatur!* S. Antoninus ut Bernardus.

Ex libro Rectoris univers. Parif. prostabat venalis apud Andream dictum de Zenon anno 1303 die martis in festo S. Matthiæ apostoli, id est novo stylo 1304 quo lit. Dom. E. D. inter plura alia opera F. Thomæ de Aquino *Postilla super Isaiam* XXIII *peciis* & pretium mutui a magistris universitatis per scholares solvendi constitutum est XVI denar.

Extat Florent. in Laurent. Plut. 26 cod. 5 memb. & papyr. eadem quæ in editis. Ad calcem legitur hæc annotatio: *Et sic terminatur sententia & expositio ad literam super Isaiam secundùm F. Thomam de Aquino, quam transtulit ad literam legibilem cum complemento auctoritatum F. Jacobinus Astensis de provincia Lombardiæ tunc temporis studens in studio generali Neapolitano. Ordinavit etiam collectiones certis locis super quaslibet lectiones: & hoc fecit ad utilitatem Fratrum ordinis nostri, & ut de sanctis scriptis copia haberetur. Laus ergo sit ei qui incipere dedit & consummare fecit. Amen.* Hic codex certo scriptus est ante canonizationem: nam symmysta aliàs Fratrem Thomam non vocasset. Verisimilius etiam scriptum ante annum MCCCIII alioquin non se dixisset Jacobinus de provincia Lombardiæ simpliciter, sed vel superioris vel inferioris, nam eo anno facta hæc divisio.

5. *In Hieremiam prophetam expositio.* Pr. *Hic est fratrum amator & populi Israel &c.*

6. *In Threnos Hieremiæ expositio.* Pr. *Ecce manus missa est ad me &c.* Laudant, Logotheta: *Super Hieremiam. Super Threnos.* Trivetus art. super. Petrus Rogerius in sermone citato: *Item super Hieremiam. Item super Threnos.* Bernardus: *Scripsit etiam super Hieremiam & super Threnos.* Pignon: *Super Hieremiam.* Valleoletanus: *Item scripsit super Hieremiam prophetam. Item super librum Threnorum.* S. Antoninus idem quod Bernardus.

De his postillis censuram suam sic profert Sixtus Senensis: In Isaiam quidem, *plerique*, inquit, *ob eruditionis inopiam ipsius non esse arbitrantur. Lyranus ex ejus dictis a studioso quopiam asserit concinnatam.* In Hieremiam: *Propter doctrinæ sterilitatem ejus esse non creditur.* Quibus ut respondeam ipsa sunt Lyrani verba adducenda in Isaiæ cap. 8: *Dixerunt aliqui, quod iste fuit filius Isaiæ de sua uxore, quæ vocatur hic prophetissa, & hoc dictum videtur sequi Thomas de Aquino in quadam postilla, quæ sibi attribuitur, tanquam ex ejus dictis reportata, ubi solvuntur argumenta, quæ solent fieri ad contrarium.* Et addit postea.: *Hoc dictum Thomæ videtur favere nimis errori Hebræorum.* Paulus Burgensis, qui jam in prologo Lyranum redarguerat, quod sensa S. D. excipiens sæpius ejus dicta declinaret, ne quid ab eo sumere videretur, & hic eum egregie refellit. *Ea*, inquit, *quæ continentur in postillis S. Thomæ, vel quæ ei attribuuntur, non videntur favere errori Hebræorum in aliquo*, &c. legenda, quæ sic concludit: *Ideo verba S. T. prædicta, vel eidem attributa, sunt manifeste rationabilia &c.* Nec omittendum Lyranum in sequentibus hanc postillam semper sub nomine Thomæ de Aquino citare. Ex quibus hoc saltem conficitur postillam quæ nunc exhibetur sub nomine S. D. eamdem esse, quam circa 1300 Lyranus Thomæ de Aquino nomine circumlatam fatetur, nam ab anno 1293 ille suam postillam universalem inchoasse fertur, eamdem etiam esse quæ ex libro Rectoris citato anno 1303 venalis prostabat, ac proinde illam eamdem esse quam laudant Tholomæus, Logotheta, Bernardus & cæteri veteres, cùmque eam singulariter distinguant a reportatis S. D. ipsius genuinum esse fœtum. Cornelium a Lapide hic non moror, qui ex quadam convenientia hujus postillæ cum Lyrana, vult esse auctoris qui Lyranum legerit, & recentior sit, cùm contrarium evincatur ex dictis, nempe Lyrano antiquiorem, qui eam aliquando ex professo impugnet, & si qua est inter eos convenientia inde oriri, quod eam legerit Lyranus, eaque illis locis non laudata usus fuerit. Quæ si perpendisset Labbeus, nec Sixti Senensis censuram fecisset tanti, nec Antonii Senensis has postillas, eadem enim omnium est ratio, S. D. vindicantis judicium ita susque deque habuisset. Denique sic habeat lector annotata tantùm esse circa sensum literalem, in quibus non eruditionis copia, sed eruditio cum brevitate juncta quæritur, hanc autem in iis non desiderari tuetur Paulus Burgensis testis in hac causa omni exceptione major. Quod fabulantur de facta mutatione Anglici in Angelici, ut huic ascriberentur quædam Thomæ Anglici nostri vel Jorsii, vel Walleys opera, discutietur postea ubi de his agetur.

Eodem cod. mox cit. Bib. Laurent. sed alia manu extat hic commentarius in Jeremiam. Ad finem sic legitur : *Hic codex scriptus est anno . . . xxxv manu Conradi Ruttenmanl.*

Hi super Isaiam & Jeremiam commentarii seorsim prodierunt Lugduni, Jo. Crispin, 1531 in 8.

T. XIV. I. *Expositio in evangelium Matthæi.* Pr. *Matthæus ex Judæa &c.* Aliud Pr. *Inter evangelistas Matthæus præcipue versatur circa humanitatem Christi &c.*

De hoc opere sic censent veteres, Logotheta : *Lecturam super Matthæum* [*recollegit post eum legentem*] *idem F. Petrus de Andria*, [*&*] *quidam scholaris Parisiensis, quæ defectiva est.* Trivetus : *Item lectura super Matthæum completa, quam partim idem F. Petrus de Adria, partim secularis quidam recollegit ejus studio delectatus.* Bernardus : *Lecturam verò super Matthæum quæ defectiva est, Frater Petrus de Andria dicitur reportasse.* Pignon : *In capitula Matthæi.* Valleoletanus : *Item scripsit postillam super Matthæum modo eodem*, id est, *per modum lecturæ* ut superius de alio dixerat. S. Antoninus idem quod Bernardus. Quis fuerit iste Petrus de Andria vernacule *Andri* in provincia Barense, dicemus postea ubi de eo.

At noster Hieronymus Vielmius Venetus vir sane eruditus sic suam censuram profert de scriptis S. D. agens lib. 2 p. 420 : *Circumferuntur in Matthæum quoque, & in epistolas septem, quas canonicas vocant, atque postremo in Apocalypsim commentarii sive expositiones ejus nomini inscriptæ ; quarum aliquot quaterniones earum scilicet quæ in Matthæum, ego adolescens, cùm Verona in cœnobio S. Anastasiæ religioni & literis operam darem, deprehendi esse F. Petri Scaligeri ordinis nostri & Veronensis episcopi, cujus scripta in communi bibliotheca servabantur : & paulo post veluti repetundarum reum admonui magistrum nostrum & præceptorem meum clarissimum F. Bartholomæum Spinam, qui id opus omnium primus typis in vulgus dederat, quod lectori factum non indicasset.*

Ego verò quatuor minimum exempla commentariorum Scaligeri super Matthæum vidi, tria in Sorbona, quorum duo nomen F. Petri de Scala ord. Præd. ipsa prima codicis totius manu exhibent, tertium non repræsentat : aliud in Victor. n. 418 ab Adenulpho de Anagnia electo Parisiensi episcopo, & anno 1289 mortuo legatum, in quo deest nomen auctoris, sed monetur esse ordinis Prædicatorum, cæterùm omnia ejusdem omnino rationis, quæque nec stylo nec annotationibus conveniunt cum commentario sub nomine S. D. edito, adeo ut quamvis Vielmium virum accuratum æque ac elegantem suspiciam, in eo tamen allucinatum fateri cogar, & cùm se adolescentem tum fuisse, cùm errorem magistri sui Bartholomæi Spinæ deprehendere sibi visus est, agnoscat, proindeque nondum satis in auctorum nostrorum lectione versatum, *F. Petrum de Scala* accepisse pro *F. Petro de Andria*, cui posteriori fortè codex ille Veronensis opus ascribebat, ut in pluribus commentarius S. D. in Joannem F. Reginaldo ejus socio tribuitur. Adde Vielmium quaterniones tantùm aliquot commentarii Scaligeriani deprehendisse cum commentario S. D. a Bartholomæo Spina edito communes. Cùm autem lecturam super Matthæum a Petro de Andria & Scholari illo Parisiensi seculari collectam defectivam fuisse veteres asserant, utrum illos defectus ex commentario Scaligeri quis suppleverit, ut lectores certiores fierent, ambo a capite ad calcem conferendi essent, quod nostri non fuit otii : hoc tantum asseverare possum nec principia nec plura media nec omnino ultima convenire : cætera forsan aliquando me otiosiores & eruditiores recognoscent, conferent, probabunt. Sæc. XIII.

Ex his conficitur expositionem in Matthæum inter opera S. D. editam a Labbeo & sequacibus non debuisse plane dici supposititiam, sed defectivam, imperfectam, lacunis forsan nam id tantùm vult Vielmius, & dico forsan nam id mihi non exploratum, lacunis inquam fortè ex F. Petri de Scala opere suppletis. Cum stylo spirituve aut diligentia, quæ in suis scriptionibus B. Thomas adhibuit conferendam non esse hanc operam monet Possevinus, & excipit Labbeus, nec mirum, quantum enim discrimen inter reportata ex ore dicentis, & proprio auctoris pugno scripta norunt omnes, præsertim ubi auctor non recognovit, quod de hac postilla fecisse non dicitur S. doctor, qui ex dictis hactenus expositionem hanc quocumque tandem anno videtur Parisiis publice legisse.

Extat ms Venet. apud S. Anton. Plut. 17 fol. memb.

Prodiit verò hæc *in Matthæum expositio* cum ejusdem S. D. expositione *in Esaiam, Hieremiam & Threnos* curis præfati F. Bartholomæi Spina, Venetiis, Octav. Scoti, 1527 fol. Quæ editio extat apud Bisuntinos nostros.

2. *In evangelium B. Joannis Evangelistæ expositio.* Pr. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum. &c.*

De quo opere sic Tholomæus lib. 23 cap. 15 inter reportata : *Item postillam super Joannem de qua ipse super quinque capitula proprio stylo notavit, totum aliud reportatum fuit, sed correctum fuit per ipsum.* Logotheta : *Si autem sibi alia ascribantur, non ipse scripsit & notavit, sed alii recollegerunt post eum legentem vel prædicantem puta &c. Item lecturam super Joannem, qua non invenitur melior, quam recollegit idem F. Raynaldus, sed correxit eam frater Thomas.* Trivetus : *Alia quidem inveniuntur sibi attributa, quæ tamen ipse non scripsit, sed post eum legentem vel prædicantem ab aliis sunt collecta, ut puta &c. Item lectura super Joannem.* Guillelmus de Tocco : *Præter quod opus* [scilicet quod vulgo *Catena aurea*] *fecit postillam super evangelium B. Joannis, in qua ostendit quam alte de suo ingenio adjutus per gratiam ad profunda mysterii libri pervenerit, quæ Sanctorum auctoritatibus declaravit.* Bernardus : *Scripsit quoque postillam super evangelium Joannis, maxime super quinque capitula stylo proprio, residuum verò dicitur reportasse ipso legente F. Raynaldus socius ejus, quod postmodum idem doctor correxit & approbavit.* Valleoletanus : *Item scripsit postillam super Joannem. Incipit. Vidi Dominum sedentem. Et hoc per modum lecturæ.* S. Antoninus totidem verbis quot Bernardus.

Codices mss elegantes Parisiis a me visos postea ubi de F. Reginaldo seu Raynaldo de Priverno annotabo. Non omittendum autem quod in illis Raynaldus testatur hos se ex ore dicentis excepisse ad mandatum præpositi S. Adomari, nempe Adenulphi de Anagnia canonici unâ ecclesiæ Parisiensis & episcopi anno MCCLXXXIX electi, sed qui ne infulam hanc accipere cogeretur Victorinam vestem induit, viri hujusmodi commentariorum cupidissimi : unde conjicio hanc expositionem ab Aquinate lectam cùm Parisiis secundò regeret ab anno MCCLXIX ad MCCLXXI.

Extat Venet. apud S. Anton. Plut. 13 & 17 fol. memb.

Venale hoc opus prostabat Parisiis ante MCCC hoc titulo : *Item postilla ejusdem* (F. Thomæ de Aquino) *super Joannem continent* XLI *pecias.* Sic in libro Rectoris univers.

Typis prodiit seorsim Parisiis, Joannis de Porta, 1520, fol.

Sæc. XIII. T. XV. *In Matthæum, Marcum, Lucam & Joannem Catenam auream complectens, ex sententiis SS. Patrum miro artificio connexam.*

I. *Super evangelio Matthæi epistola dedicatoria. SS. ac reverendissimo patri domino Urbano divina providentia papæ IV Frater Thomas de Aquino ordinis Fratrum Prædicatorum cum devota reverentia pedum oscula beatorum. Fons sapientiæ unigenitum Dei verbum &c.* Præfatio : *Super montem excelsum ascende tu &c.*

II. *In catenam super Marci evangelio epistola dedicatoria. Reverendo in Christo patri domino Hanibaldo Basilicæ* XII *apostolorum venerabili presbytero cardinali F. Thomas de Aquino ordinis FF. Præd. se totum. Rerum opifex Deus solo suæ bonitatis intuitu cuncta in esse producens &c.* Pr. *Deus meus factus est fortitudo mea &c.*

III. *In catenam super Lucæ evangelium præfatio. Induam cœlos tenebris.*

IV. *In Catenam super Joannis evangelium præfatio. Vidi Dominum sedentem &c.* Glossa : *Divinæ visionis sublimitate &c.*

De hoc opere sic Tholomæus lib. 22 c. 24 : *Tunc* [Urbano IV sedente] *Frater Thomas rediit de Parisius ex certis causis, & ad petitionem Urbani multa fecit & scripsit, sed præcipue duo : unum fuit quod exposuit evangelia sub miro contextu diversorum doctorum, & unus auctor videtur, quod non fuit sine magna subtilitate tradentis. Tunc florebat in ordine Fratrum Minorum Frater Bonaventura patria Tuscus & magister in theologia, de quo infra dicetur. Huic Urbanus duo evangelia glossanda dimiserat, sed excusans se propter officium quod habebat, quia minister generalis erat, idem doctor supplevit.* Logotheta : *Glossas super quatuor evangelia.* Guillelmus de Tocco : *Scripsit prædictus doctor opus super quatuor evangelia Sanctorum authoritatibus miro modo contextum, ex quibus sic evangeliorum continuavit historiam, quod quasi unius doctoris videatur esse postilla, in quo opere mirandum creditur Deus ostendisse miraculum, quia discurrens per diversa monasteria & diversorum Sanctorum legens volumina, pro majori parte ipsorum authoritates mente retinuit, quas in exponendo notavit : nam eodem agebatur spiritu cùm legendo doctor colligeret, quo scribendo servaret.* Trivetus : *Quatuor evangelia continuata expositione de dictis Sanctorum glossavit.* Bernardus : *Scripsit etiam ad mandatum D. papæ* [Urbani IV] *super quatuor evangelia opus insigne miro contextum ordine ex dictis & authoritatibus sanctorum doctorum, ex quibus sic uniuscujusque evangelistarum quatuor continuavit historiam, ut quasi unius doctoris videatur esse lectura.* Pignon : *Super Matthæum, Marcum, Lucam & Joannem.* Valleoletanus & S. Antoninus totidem quot Bernardus verbis.

Innumera sunt in bibliothecis exempla MS. In Sorbon. duplex fol. mag. memb. & ætatis auctoris, utrumque voll. duobus. Primum majori & accuratiori charactere scriptum n. 452 vol. 1. & 500 vol. 2 ex legato Jacobi de Marli cantoris ecclesiæ Cameracensis. In priori hujus exempli litera est imago tenuiori penicillo picta, in qua S. D. exhibetur opus suum summo pontifici offerens cappa castanei coloris seu nigri non tincti, qualem nostri initio ordinis ferebant, quod antiquitatem codicis ostendit, nam brevi postea mos ille mutatus saltem in Galliis. Alterum exemplum ejusdem Sorb. est etiam ætatis S. D. nn. 501 & 502. Erasum fuit nomen legatoris. In Sanjacob. cod. fol. mag. memb. sec. XIII melioris notæ *in Matt. & Marc.* tantùm. Apud Augustin. ad pont. nov. codd. 217 & 218 fol. mag. memb. *In quatuor Evangelistas.* Est etiam in Navarr. fol. mag. memb. voll. duobus sed non antiquum, scriptum scilicet 23 aug. 1452. In Victor. cod. 641 fol. memb. *in Matthæum.* Est anni 1438. cod. 642 fol. memb. scripto anno 1395 *in Lucam & Joannem.* cod. 643 ante canonizationem *in Joann.* cum prol. *in Mat.* & cod. 654 *in Marcum.* In Colbert. cod. 154 fol. mag. memb. sec. XIII ac melioris notæ. Tit. *Incipit expositio continua edita a ven. Fratre Thoma ordinis Prædicatorum super quatuor evangelia.* Ex lib. Rectoris univ. Paris. prostabat venalis ante 1300 hoc titulo : *Item Matthæus glossatus per Fratrem Thomam de Aquino* LVII *pecias. Item Marcus* XX *pecias. Item Lucas* XL *pecias.* Iterum anno 1303 fere idem, sed additur : *Item in Joanne* XL *pecias.*

Petrus Rogerius citatus in sermone quem habuit coram Joanne XXII in solemniis canonizationis S. D. mense julio, cujus thema *Vir Dei es tu & c.* enumerans S. D. opera sic loquitur : *Scripsit super Bibliam, super quatuor evangelia ex puris SS. authoritatibus mirabile opus connexum, ac si per unum hominem omnia essent dicta.* Idem in sermone quem habuit anno sequenti 1324 martii 7 fer. 4 quatuor temporum, cujus thema : *Ecce plusquam Salomon hic Matt. 12 & in evangelio hodierna diei*, quædam S. D. opera recensens sic loquitur : *Super quatuor evangelia opus mirabilissimum ex dictis omnium Sanctorum recollegit, ubi eorum dicta sic contexuit, ac si per unum solum ordinatissime essent facta &c.*

F. Corradus de Suessa sacerdos ord. Præd. antiquus testis citatus & juratus in processu canonizationis S. D. interrogatus quomodo scit prædicta (nempe quæ de modo agendi & vivendi S. D. asseruerat) *dixit quod cognovit & vidit eum facientem prædictam vitam, & conversatus fuit cum eo pluribus annis Neapoli, Romæ & in Urbeveteri tempore felicis record. D. Urbani papæ* [*IV*] *ubi de mandato suo idem F. Thomas fecit expositiones super quatuor evangeliis.* Sed quid alios testes quærimus lucubrationis hujus operosissimæ ab eo certo confectæ, cùm testis ipse sibi sit locupletissimus, & omni exceptione major. Sic enim ille in epist. nuncupat. ad Urbanum IV Catenæ in Matthæum : *Et hujus si quidem diligentiæ studio vestræ sanctitati complacuit mihi committere Matthæi evangelium exponendum, quod juxta propriam facultatem executus, solicite ex diversis doctorum libris prædicti evangelii expositionem continuam compilavi, pauca quidem certorum auctorum verbis ut plurimum ex glossis adjiciens, quæ ut ab eorum dictis possent discerni, sub glossæ titulo prænotavi. Sed & in SS. doctorum dictis hoc adhibui studium, ut singulorum auctorum nomina, nec non in quibus habeantur libris assumta testimonia describantur*, &c. legenda, quæ diligentiam ejus & accurationem probant. In epistola verò ad Hanibaldum cardinalem expositionis in Marcum, Lucam & Joannem nuncupatoria : *Hujusmodi igitur delectatus muneribus, evangelicæ sapientiæ a seculis in mysterio abscondita, quam in lucem produxit Dei sapientia incarnata, ministerium expositionis adhibui, sacrorum doctorum sententias compilando, ad quod me induxit primitus felic. record. Urbani papæ IV mandatum. Verùm quia eo summo pontifice ex hac vita subtracto, tria evangelia Marci, Lucæ & Joannis exponenda restabant, ne opus quod obedientia inceperat, negligentia imperfectum relinqueret, cum multo labore diligens adhibui studium, ut quatuor evangeliorum expositionem complerem, eadem in omnibus forma servata in ponendis Sanctorum authoritatibus, & eorum nominibus præscribendis. Et ut magis integra & continua prædicta SS. expositio redderetur, quasdam expositiones doctorum Græcorum in Latinum feci transferri, ex quibus plura expositionibus Latinorum doctorum interserui, authorum nominibus prænotatis.*

Hoc opus quin S. D. genuinum esset cccc annorum spatio nemo in dubium revocaverat, laudeque sua pacifice Aquinas gaudebat, cùm F. Petro de Alva & Astorga ord. Min. pluries in hac Bibl. citato & citando, illum placuit e sua possessione dejicere, & fætum illum seu *Glossas*, seu *Expositionem continuam*, seu *continuum*, seu *catenam auream* appellare libuerit, uni sodalium suorum Franciscano vindicare: & id quidem non in loco quopiam solo & transcursim, sed in omnibus suis a 1660 operibus ad nauseam usque repetens *Sole veritatis certum quid. Nodo indissolubili* utraque omnium editione: sed ex professo duplici libello Hispanice edito, priori cui titulum indidit *Juicio de Salomon* sub nomine F. Martini Perez de Guevara ord. Minor. conventus de Sancta Gadea Guardiani iterum prælo subjecto Lovanii, 1663, in 12: altero hoc titulo *Respuesta sin respuesta, y sinque ni paraque al papel intitulado su oro al Cesar, por el Hermano Jo. de Es no Es.* Cæsaraugustæ, 1663, in 12. Argumenta quibus præsertim innititur ut S. D. abjudicet hæc sunt. Primo nullus veterum vel ex pulpito vel ex cathedra aut scripto hujusmodi opus S. D. tribuit. Sic enim in *Respuesta* pag. 347: *Dice el Hermano Jo. Yo confieso toto el argumento, porque me concedan tambien el mio, que es este: Ningun autor antiguo dixo, que esta Cadena era de S. Thomas en pulpito cathedra, ni libro: luego antiguamente no era de S. Thomas.* Secundo sexdecim a me, inquit visa sunt variis in bibliothecis exempla MS: novem equidem S. Thomæ nomen præferebant ut auctoris, sed illa post canonizationem scripta, sicque recentiora quam ut fidem faciant, septem verò alia antiquiora nomine auctoris carebant. *Juicio de Salomon p. 232: D'estos 16 originales MS los siete estaban sin nombre de auctor, y los otros nuebe con nombre de S. Thomas.* Tandem, inquit, aliud opus in quatuor evangelia confecit S. D. ac quæ in Matthæum & Joannem servantur adhuc, & T. XIV operum edita sunt, quæ in Marcum & Lucam periere: inauditum autem putat, ut quis Ecclesiæ doctor bis in aliquem sacræ scripturæ librum commentatus sit. *Juicio de Salomon. p. 285: S. Thomas hizo dos exposiciones sobre los evangelios tam largas y cumplidas como oy se ven entre sus obras, vemos tambien que en ninguna de ellas se refiere a la otra: si quiera en una palabra, luego debese presumir que alguna destas no es de S. Thomas.* Et p. 287: *De ningun santo de los antiguos se lee que aya echo dos tratados grandes sobre una mesma cosa.* Sed hæc argumenta negativa, videamus jam positiva.

Hoc opus inquit certo est F. Pontii Carbonelli ord. Minor. cujus duplex est in historiis seraphicis notitia. Prima est Pontium anno 1200 natum ubi quadragesimum circiter ætatis attigit anno 1239 Ludovico IX Francorum regi sancto 24 ætatis agenti & a quinque annis nupto allectum præceptorem, *Respuesta p. 307.* Interea quod jam ab anno seculi 1224 grande opus inceperat catenæ SS. Patrum in universa biblia a Genesi ad Apocalypsim diligenter prosecutum, anno 1248 catenam in Evangelia inchoasse, ac finiisse circa medium anni 1252, Apocalypsim verò ac universam catenam consummasse anno 1256, *Respuesta p. 321.* Tandem lucubrationem hanc egregiam Joanni patriarchæ Gradensi nuncupasse, ac in epistola ad eum præsulem data testari se in gratiam sacræ scripturæ studiosorum, ut eos a gravi operum SS. PP. legendorum fastidio & onere levaret tantum laborem suscepisse. Sic enim quod huc usque silentio presserat demum aperit in *Respuesta sin Respuesta p. 341. Dicen que en el Juicio de Salomon no se dixo a quien havia dedicado Poncio Carbonello su Cadena, y si importa a la obra el saber esta manudencia. Digo que la dedicò a Juan patriarca Gradense, y que en la dedicatoria afirma el que hizo este trabajo, para que alli se hallasen juntos los dichos de los santos padres y dotores, y alibiar el afan de los que quesieren emplearse en el estudio de la sagrada escritura, que era nuevo, y como tal lo emprendia. Y paro en esto porque no digan que pintamos lo que queremos: quando la vean impressa, diran su parezer &c.* Quibus ultimis verbis promittebat epistolam a se edendam, quod tamen an fecerit mihi incompertum. Denique Pontium jam ætatis decrepitæ mortuum circa 1290. Huic verò narrationi ut certiori se adhærere satis innuit. Addit opus illud laboriosissimum octo grandioribus voluminibus comprehensum in cœnobio Minorum Toleti S. Joannis *de los Reyes* dicto etiamnum servari, & septimum volumen ipsissimam esse catenam auream in quatuor evangelia sub nomine S. Thomæ de Aquino editam: non posse autem dici ab Aquinate illam accepisse Pontium, qui antiquior longe fuerit, & jam eam compleverat priusquam Aquinas Parisios ad legendas Sententias accederet.

Altera notitia est Carbonellum non S. regis Ludovici IX præceptorem fuisse, quam fabulam utique putidam rejicit Wadingus & in Annal. & in Bibl. sed S. Ludovici confessoris Caroli II utriusque Siciliæ regis primogeniti, qui natus anno 1275 & a Bonifacio VIII anno 1296 electus episcopus Tolosanus, non se permisit inaugurari nisi assumta prius veste Franciscana, in qua & obiit 19 aug. 1298. Quæ narratio iterum difficultate non caret. Quis enim nescit Petrum Aragoniæ regem Caroli II Claudi dicti, ut & ejus patris Caroli I capitalem fuisse hostem? imo & Carolum illum II a Petro Aragono detentum in vinculis ab anno 1284? quis putet autem Carbonellum Catalanum & regis Aragoni subditum selectum Ludovici principis Caroli II primogeniti præceptorem? Hoc incommodum ut vitet Wadingus ait, cùm Ludovicus duodecim annos natus anno 1287 Aragono datus est obses pro patre tum in libertatem restituto, tum etiam adolescenti principi datum esse Carbonellum carceris consolatorem, eique deinceps factum morum magistrum. Addit eumdem Carbonellum F. Joannis Petri Olivi intimum, hujus libellos damnatos superioribus petentibus tradere recusantem in carcerem detrusum, indeque mœrore concepto mortuum, non anno 1290, ut alii ferunt, sed anno 1297, non sine sanctitatis opinione. Licèt autem his si vera sint totum evertatur Alvæ systema, siquidem Carbonello circa 1287 Ludovici principis selecto ut volunt præceptori vix 50 annos dederis, ac proinde S. Thoma multo juniorem agnoscas necesse est: id tamen susque deque habens Alva, etiam juxta hanc notitiam contendit Carbonellum Aquinate seniorem, anno 1274 cùm mortuus est S. D. jam 66 annos natum, ac 67 cùm natus est princeps Ludovicus anno 1275, & cùm hic carceres Aragoni regis intravit pro patre obses cum eoque Carbonellus jam 79, *Juicio de Salomon* p. 280: *Respondo que quando murio el angelico dotor tenia ya mas de 66 años Poncio Carbonello, y... saco por conclusion que con la segunda opinion de que fue mastro de S. Luis Obispo, no he perdido nada de mi derecho.*

Verùm tandem Alva vehementer pressus epistolarum duarum supra relatarum initio Catenæ in Matthæum, & initio Marci præfixarum testimonio, quibus non doctorem veritatis qualis fuit & habetur, sed insignem exhibet se sycophantam si ejus Catenæ auctor non est, ut qui in priori dicat evangelium Matthæi sibi commissum ab Urbano IV exponendum, de quo non cogitaverit S. P. se ex di-

SEC. XIII. versis doctorum libris prædictam expositionem compilasse solicite, cui nullam operam contulerit: in altera præter eadem repetita multum laborem diligensque adhibuisse studium ut quatuor evangeliorum expositionem compleret, quasdam expositiones doctorum Græcorum in Latinum curasse transferri, easque expositionibus Latinorum doctorum interseruisse, quorum nihil fecerit: in his inquam angustiis Alva fatetur & Catenam a S. D. ex mandato Urbani IV editam, & duplicem epistolam Matthæo & Marco ab eo præfixam, sed hanc eam non esse quæ typis prodiit, quæve vulgo MS servatur in bibliothecis, eam verò a se visam in Belgio in monasterio canonicorum regularium Corsendoncano ad Antverpiam quæ prælum nunquam passa est: typis verò ab incunabulis typographiæ prostantem esse Carbonelli fœtum legitimum, sodales verò S. D. in culpa esse, qui cùm Carbonellam accuratiorem viderent, hanc Aquinati supposuerunt, eidem præfigentes epistolas nuncupatorias, quas pro alia sua ille scripserat, sic sibi & orbi literario universo imponere non veriti. Quæ omnia hactenus abscondita pacifice, amico animo, ad honorem ordinis Prædicatorum, ad majorem Doctoris angelici gloriam tandem revelat, *Respuesta sin Respuesta p. 303. Concedo*, inquit, *lo todo diciendo, que hubo cardenal Anibaldo, que hubo dedicatoria, que hubo padres Griegos, que hubo S. Thomas, que hubo Urbano IV, y que hubo una exposition o cadena sobre los evangelios dedicada a el dicho pontifice: pero que no es esta exposition o catena sobre los evangelios que aora anda impressa con nombre de S. Thomas, si no otra que esta en la libreria del monasterio de los padres canonigos reglares de Corsendonc junto a Turnauto y Amberes, y con esto se ajusto todo.* O egregium concinnatorem! O amicum nulli comparandum! Videamus tamen & ipsi pacifice, amice, & ad Alvæ honorem, an ut ipse putavit nihil supersit reponendum.

Et ut ab ultimis incipiam, fatetur Alva Catenam quamdam a S. D. editam ac Urbano IV & cardinali Hannibaldo nuncupatam, quæ in cœnobio Corsendoncano servatur, sed quæ typis nunquam prodiit. Atqui Catena illa Corsendoncana quatuor voluminibus scripta anno 1431 per F. Walterum *Vande Vliet* sive *Fliet* canonicum ejusdem asceterii regularem ipsissima est Catena quæ sub nomine S. Thomæ ab incunabulis typographiæ prælo prodiit, ipsissima quæ passim in Bibliothecis eidem S. D. ascripta servatur, ipsissima quæ in antiquissimo illo cod. Sorbon. & ætatis Aquinatis a Jacobo de Marli cantore Cameracensi legato exhibetur, & in omnibus aliis laudatis ac laudandis ipsorum Corsendoncanorum canonicorum testimonio. Ergo Catenam quæ T. XV Edit. Rom. repræsentatur genuinum esse S. Thomæ fœtum Alva ejusque sequaces fateantur, necesse est, immeritoque Aquinatis sodales tam inverecundæ sycophantiæ rei arguuntur, ut epistolas S. D. nuncupatorias ab ejus Catena abstraxerint & Carbonellæ præfixerint, quo hujus fœtum illi assererent.

2. Quis sit F. Poncius Carbonellus, quæ ejus acta, quando natus aut mortuus, quamvis mea non intersit inquirere, breviter tamen annotabo duplicem notitiam ab Alva exhibitam nonnisi conjecturis inniti, nullo documento veteri fulciri, quæ de eo ab ipso Wadingo traduntur ad 1297 ejus obitum referente nullo comitiorum vel generalium vel provincialium ord. Min. testimonio, nullo archivorum provinciæ conventusque Barcinonensis, in quo dicitur sepultus instrumento probari, nec noster Antonius Vincente Domenec, vir utique accuratus in suis Catalaniæ sanctis quicquam de eo reperire potuit nisi ex communi fama, quæ non satis est ad faciendam fidem præsertim quoad chronologiam, ubi desunt instrumenta publica. Neque verò hæc leviter a me proferuntur, cùm fere perspectum sit Carbonellum longe recentiorem esse quam laudati auctores ferant, & seculo XIV tantùm aut potissimum floruisse. Nam Nicolaus Antonius in sua Bibl. Hispan. veteri lib. 8 cap. 6 de Pontio Carbonello agens, postquam Alvam Catenam auream S. D. in evangelia Carbonello vindicantem acriter refellit, addit in comitiis generalibus ordinis Minorum Cadurci 1337 celebratis literas Benedicti XII lectas fuisse (quod & fatetur Wadingus) quibus summus pontifex ordini quasdam leges præscripsit deinceps servandas & a se statutas ex consilio cardinalium, & plurium ejusdem ordinis religiosorum inter quos nominatur *F. Pontius Carbonellus provincialis Aragoniæ. Hæc notitia*, inquit Antonius, *legitur in ipsis ordinis constitutionibus.* Quo posito *vix natus erat Carbonellus cùm Catena aurea S. Thomæ jam edita* & Urbano IV cardinalique Hannibaldo nuncupata. His omnia Alvæ dicta funditus evertuntur.

Sed aliquid Alvæ concedamus amiceque tractemus. Carbonellus, inquit in *Respuesta* p. 341, catenam suam in sacra Biblia universa Joanni patriarchæ Gradensi nuncupavit. Optime. Qui fuerint toto seculo XIII Gradenses patriarchæ sic refert Ughellus ex archivis pontificiis.

1. Joannes Signale sedit a 1182 ad 1201 vel 1202. Huic non puto Alvam velle a Carbonello suum opus nuncupatum.

2. Benedictus Falerius post annum 1201 consecratus sub Innocentio III obiit.

3. Angelus Baroccius ab Innocentio III constitutus mortuus est anno 1238.

4. Leonardus Quirinus successit anno 1238, mortuus est sub Innocentio IV.

5. Laurentius quem aliqui, sed perperam ord. Prædic. dicunt, vixit ad extrema Innocentii IV tempora.

6. F. Angelus Maltraversus Venetus ord. Præd. ab anno 1255 ad 1271 hanc Ecclesiam rexit.

7. Joannes Anconitanus a Gregorio X ad hanc sedem evectus est 5 Id. sept. 1272. Mortuus est anno 1279.

8. F. Guido Eremita Augustiniensis 8. Kal. junii 1279 positus mortuus est anno 1288.

9. F. Laurentius de Parma, qui certo ord. Præd. licèt non addiderit Ughellus, decemb. 25 die 1288 a Nicolao IV institutus, mortuus est Venetiis 1295 & apud suos Prædicatores sepultus.

10. F. Ægidius de Ferraria ord. Præd. a Bonifacio VIII 14 Kal. junii 1295 assumtus & inde anno 1310 patriarcha Alexandrinus.

Exinde nullus Joannes ante 1406. Si autem Joanni illi Anconitano velit Alva Carbonellum suum opus nuncupasse, cùm id non potuerit ante finem anni 1272 supposito quod ea ætate vixerit, quid hoc concludit adversus nostrum Aquinatem, qui Catenam suam Urbano IV jam obtulerat ante octobrem 1264? Annon gratis fingit Alva Carbonellum grande suum opus complevisse anno 1256, cùm teneatur fateri patrono non nuncupatum nisi circa 1273 ad summum. Non urgeo quod tamen ponderandum, cur S. Bonaventura cùm ei Urbanus IV duo evangelia commisit catena SS. PP. exponenda, ut duo jam Aquinati commiserat, cur inquam se a ministerio generali sui ordinis quod gerebat nimis occupatum respondit, ut refert Tholomæus citatus, cur probe ille cognoscens Carbonellum si tum vivebat, pontificem non monuit rem jam esse ab illo confectam? Cur Carbonellus ipse hujusmodi lucubrationem ab Urbano desiderari resciens, neque enim eum potuit latere (si tum florebat) post propositionem

propositionem a pontifice Bonaventuræ factam, cur opus integrum jam a pluribus annis, si Alvæ fides, confectum ipsi summo pontifici non dicavit? Bonus homo scilicet expectabat futurum patriarcham Gradensem nomine Joannem cui nuncuparet, nec ad solium apostolicum usque accedere ausus est. Quæ si perpendantur evincunt Carbonellum non hujus ætatis, sed seculi XIV ut indicat Nic. Antonius hominem fuisse.

Adde nullum nomenclatorem antiquum sive Minorum ordinis sive extraneum seculi XIII aut XIV ad 1337 ab Wadingo aut ab Alva citari, qui Pontii Carbonelli meminerit: primumque qui ejus opus in sacram scripturam laudarit, ab Alva adduci Gregorium XI, qui ejus exemplum a Guardiano Barcinonensi sibi concedi postulavit literis Avenione datis 18 Kal. martii anno 4 id est 1374, quod signum est nonnisi eo seculo jam adulto floruisse.

Ad argumenta negativa Alvæ ut respondeam vix adducor quæ seipsis ruunt. Nullus auctor antiquus legitur bis in eumdem bibliothecæ sacræ librum scripsisse. Esto etsi fortè verum non sit, sed quid hoc ad S. D. An aliqua lege ne bis scriberet prohibebatur: sed & bis scripsisse ipse fatetur Alva, qui catenam Corsendonxæ servatam & ab eo scriptam & Urbano IV dicatam ei tribuit. Adde Postillas in Matthæum lectiones puras ejus esse cùm Parisiis illud evangelium ex cathedra interpretaretur ab ejus discipulo F. Petro de Andria & a scholari Parisiensi seculari ex ore dicentis reportatas, nec defectu carentes ut antiqui monent.

Ex sexdecim exemplis MS ab Alva visis, si septem Aquinatis ut auctoris titulum non ferebant, saltem in pluribus si non in omnibus de quo penes illum fides, neque enim bibliothecas recenset ubi viderit ut examinari possint, in pluribus inquam erant duæ epistolæ nuncupatoriæ ad Urbanum & ad Hannibaldum: his verò quem titulum S. D. certius operam asserentem quærat Alva, non capio: certo alius non est in antiquo illo & eleganti Sorbonico laudato. Nullum veterum scripto vel ex pulpito aut cathedra hujus S. D. operis meminisse quam falsum sit patet ex supra relatis auctoribus. F. Corradus de Suessa testis juratus in processu canonizationis in Act. SS. T. I. Martii p. 701 n. 47 asserit se vidisse Urbeveteri tempore Urbani IV huic operi incumbentem. Meminerunt Tholomæus Lucensis Hist. Eccl. nov. hic ante canonizationem mortuus; Logotheta apud Baluzium Pap. Aven. T. II p. 7. Guillelmus de Tocco, Bernardus Guidonis, omnes veteres, Petrus Rogerius qui fuit postea Clemens VI in duplici sermone citato.

Quæret forsan quis an titulus quo vulgo nunc ornatur S. D. opus, *Catena aurea*, sit antiquus, & a veteribus usurpatus? Fateor ab auctore non inditum, qui in ambabus epistolis relatis *expositionem continuam in evangelia* tantùm nominat, quo etiam titulo in pluribus codd. MSS insignitur, a quibusdam dicebatur *Glossa F. Thomæ super evangelia*, ab aliis *continuum in evangelia*: tamen *Catenam auream* ab ipsis initiis saltem paulo post mortem S. D. apud nostros & extraneos audiisse certum. Quod invicte probatur ex testamento F. Nicolai de Freauville ord. Præd. cardinalis S. Eusebii, de quo postea, qui postquam jussit quosdam libros ex conventu suo Rotomagensi a se priusquam esset cardinalis extractos eidem restitui sic loquitur apud Baluzium T. II pap. Avenion. col. 411: *Item legamus eidem conventui FF. Præd. Rotomag. Summam quæ dicitur Catena aurea pro communi studio, ita quod nulla ratione aliis usibus applicetur.* Etsi enim non addat S. D. nomen, non aliud opus ab ejus expositione in evangelia ex SS. PP. auctoritatibus contexta intelligi potest, ut superius loquens de libris restituendis, *Summam contra gentiles*, *& secundam secundæ* simpliciter appellat non addito S. D. nomine, quia ejus opera quin essent, nemini dubium esse poterat. Quod testamentum Avenione 16 octob. 1321 actum, ac cujus archetypum apud nostros Rotomagenses servatum, ostendit jam tum vulgo *Catenæ aureæ* titulum in usu fuisse, nec rectè Alvam ubique hujus tituli inventionem ad finem seculi XV rejecisse.

Præter codd. MSS supra laudatos hi a variis recensentur.

1. In Bibl. Vatic. in qua ipsummet exemplum a S. D. Urbano IV oblatum etiamnum servari testatur Antonius Bibl. Vet. Hispan. lib. 8 c. 6, saltem ita credi, cùm sit antiquissimum & ejus ætatis.

2. In elencho codd. MSS Belgii hæc exempla a Sandero numerantur T. I pag. 156. In monast. Dunensi: *S. Thomas de Aquino in Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem.* voll. duob.

T. II. Præter Corsendonc. codd. jam citatos. p. 87. Bib. Traject. ad Rhenum: *B. Thomas super Marcum, Lucam & Joannem.*

P. 155: *S. T. commentaria in Matthæum, Marcum Lucam, & Joannem.* Scilicet in abbatia Tongerloeñ. ord. Præmonstr.

3. In indice codd. MSS Angliæ T. I P. I n. 2733: *Thomæ Aquinatis Glossa super Lucam & Joannem.* n. 2745: *Th. Aquin. Glossa in Matthæum & Marcum.*

P. II n. 447: *Idem Thomas de Aquino in opere solemni super quatuor evangelia, voll. duo.*

N. 865: *Thomas Aquinas super Lucam & Joannem.*

N. 1411: *Commentaria in evangelia S. Lucæ & Joannis e Chrysostomo, Hieronymo, Augustino &c. collecta, sive Aquinatis Harmonia evangelica.*

N. 2276: *Glossa Thomæ de Aquino in evangelia S. Matthæi & Marci.*

N. 2277: *Glossa ejusdem in evang. SS. Lucæ & Joannis.*

P. III, n. 294 & 295: *Aquinatis catena in evangelia.*

T. II, P. I, n. 109: *Thomas Aquinas super Matthæum, super Marcum, fol.*

In Bibl. magni ducis Florent. Plut. XXVI, cod. 3 memb. fol. *Glossa continua Thomæ de Aquino super Matth. Marc. Luc. & Joan.* Pr. *Fons sapientiæ* &c.

In principio & fine hujus libri habentur infrascripti versus:

Anno milleno quatercenteno terquoque deno: Hartwich vocatus Panholtz de Cambia natus, hujus conventus pro tunc lector bene tentus, hunc librum struxit, manu sua propria scripsit, & huic donavit conventui rite legavit, Anniversario pro perpetuo facituro, ac pro Florenis Rhenensium bis quoque denis &c.

Florentiæ ad S. Marcum, Arm. III, cod. 124 memb. *Super evangelium Matthæi & Marci F. Thomæ de Aquino* &c. I vol.

Venetiis apud SS. Joan. & Paul.

In Bibl. Eccl. Turon. n. 179. Codex memb. fol. sec. XIV: *Catena Thomæ de Aquino in Matth. & Marcum*, n. 38 memb. fol. *in Lucam & Joannem*, sed hic codex anno tantùm MCCCCXLIII scriptus.

Hæ antiquæ recensentur editiones privatæ.

1. Ex recognitione Joannis Andreæ episcopi Aleriensis, Romæ in domo Petri & Francisci de Maximis, præsidentibus Conrado Sweinheim & Arnoldo Pannartz, 1470 fol. chart. mag. char. Rom. T T. duo. Extat Parisiis apud Sangenovef. & nostros Prædicat. ad S. Honoratum. Titulus: *Continuum S. Thomæ.* Iterum ibidem, 1476 fol. mag. Vidit Alva in cœnobio Montis-Lucis ad Trajectum

Sæc. XIII. Mosanum, cum alia editione antiqua absque anno. Noribergæ 1474 fol. voll. duo.

Venetiis eodem Tit. *Continuum*, 1474, 4. Iterum, Antonii de Strata, Hermanni Lichtenstein & Joan. Hammamen Spirensis 1482, fol. Rursus Gregorii de Gregoriis, 1484 & 1485 fol. Andr. de Asula & Thomæ de Alexandria, 1486, fol. Ibid. Benedicti a Fonte, 1494, 4, 1584, 4. quæ editio apud nostros Rotomag. Lugduni, Junta 1520 & 1530 in 8, voll. IV.

Coloniæ, Gymnici, 1535.

Parisiis, 1537, fol. Ib. Petri Regnault, 1540, 1552: *Catena aurea recognita per Antonium Senensem nostrum.* Ibid. Sonnii, 1577, fol. est Rotomagi. 1598, 1637. fol.

Antverpiæ, Hæredum Steelsii, 1569. Iterum 1678 fol.

Catena vere aurea, opus videlicet insigne sanctissimi & excellentissimi doctoris D. Thomæ Aquinatis in quatuor evangelia subtilissimo vinculo connexa. Sic initio, ad calcem: *B. Thomæ Aquinatis continuum in quatuor evangelistas multis mendis tersum felici auspicio finem sumsit in Academia Parisiensi, expensis Joan. Petit &c. anno* M. CCCCC XVII 2. *Kal. sept. fol.* Extat hæc editio Parisiis apud Clarissas *Ave Maria* dictas & in Navarr.

Postremo curante & a mendis expurgante nostro Joanne Nicolai, Parisiis, apud societatem, 1667, fol. Altera editio iterum recognita & emaculata per eumdem Joannem Nicolai, eo mortuo agente S. T. M. nostro Francisco Chaussemer ejusdem ordinis prodiit Lugduni, Anton. Briasson, 1686, fol. Sed prior editio magis placet.

Notandum autem non levem controversiam olim inter dictum Nicolaium & nostrum Combefisium fuisse, qui legendus esset locus Hilarii super ista Christi verba *vos estis sal terræ.* An apud Hilarium legendum esset *Salitores*, ut in antiquis editionibus Catenæ aureæ, an *Satores*, ut in omnibus S. Hilarii exemplis seu MS seu editis. Combefisius contendebat servandum *Salitores* in Cat. Aur. imo emendanda sic Hilarii exempla, & hujus suæ censuræ non levem rationem in sua Bibl. Concion. dabat: Contra Nicolaius mendum censebat in antiquis Catenæ aureæ editionibus, & restituendum *Satores*, ut in MS & editis Hilarii: & quamvis *Salitores* retinuisset in prima editione, *Satores* in posteriori restituendum promiserat, quod tamen non præstitit: in ea enim non secus ac in prima reliquit, *Salitores.* Ut ut sit de ista virorum certe eruditorum contentione aclite, miror ego unde τὸ *Salitores* in priores Catenæ aureæ editiones irrepserit: nam non solùm in omnibus Hilarii editionibus etiam in ultima ad codd. MSS a Clar. D. Coutant asceta Sammaureo recognita constanter legitur *Satores*, adeo ut nullæ circa hoc vocabulum sint variæ lectiones, sed & in omnibus *Catenæ aureæ* exemplis MS quæ Parisiis adsunt supra laudata & quæ omnia vidi constanter etiam legitur, *Satores*, nec unicum a me visum est, in quo legatur *Salitores*.

Epitome Catenæ aureæ D. Thomæ in evangelia a Francisco Harao concinnata & scholiis illustrata prodiit Antverpiæ, Hieron. Verdussii, 1625, 8. pp. 836.

T. XVI. 1. *Expositio in omnes D. Pauli apostoli epistolas.* Pr. *Vas electionis Act. 9. Homines in sacra scriptura &c.*

De quo opere sic Tholomæus lib. 23 c. 15: *Multa etiam alia scripta sunt ab eo utilia, quæ magis habentur per modum reportationis, quæ ipse videns postea correxit, & inde postea ulterius approbavit, ut sunt postillæ super omnes epistolas Pauli, præter Epistolam ad Romanos quam ipse notavit, quam ego vidi & legi.* Quid amplius dicit Logotheta: *Super epistolam ad Romanos. Super epistolam primam ad Corinthios*, & addit: *Si autem sibi alia ascribantur, non ipse scripsit & notavit, sed alii recollegerunt post eum legentem vel prædicantem, puta lecturam super Paulum ab* XI *cap. primæ epistolæ ad Corinthios usque ad finem, quam recollegit F. Raynaldus de Piperno socius ejus.* Excepisse Logothetam videtur Trivetus. Prius dicit scripsisse *super epistolam ad Romanos & super* X *capitula epistolæ ad Corinthios.* Postea addit: *Alia quidem inveniuntur sibi attributa, quæ tamen ipse non scripsit, sed post eum legentem vel prædicantem ab aliis sunt collecta, ut puta lectura super epistolam ad Corinthios ab* XI *cap. usque ad finem.* Guillelmus de Tocco non distinguit: *Scripsit super epistolas Pauli omnes, quarum scripturam præter evangelium super omnes commendabat, in quarum expositione Parisiis visionem præfati apostoli dicitur habuisse.* Bernardus Guidonis aliter rem narrat: *Scripsit etiam postillas super epistolam Pauli ad Romanos. Item super epistolam ad Corinthios* [utique primam.] *Item super epistolam ad Hebræos usque ad* XI *capitulum. Abinde verò sunt postillæ ejus super sequentes epistolas Pauli reportatæ per prædictum socium suum* [Raynaldum] *post ipsum legentem, quas idem doctor fertur postmodum correxisse.* Quæ si accuratius annotata, Logothetæ & Triveti calamo exciderit epistola ad Hebræos, quæ illa est, quam exposuit ad XI cap. non autem ut scribunt epistola I ad Corinthios. Petrus Rogerius qui postea Clemens VI in serm. cit. Bernardo assentitur: *Item scripsit super epistolas ad Romanos, ad Corinthios, & ad Hebræos.* Pignon: *Item super omnes epistolas Pauli.* Ludovicus a Valleoleti dicit scripsisse in omnes Pauli epistolas, quas sigillatim numerat, & addit: *Super quas epistolas cùm Parisius scriberet, & quippiam sibi obscurius occurrebat, emissis scriptoribus in oratione se prosternebat, & tunc clarum illi erat quod obscurum antea erat.* S. Antoninus idem habet quod Bernardus.

Ex quibus colligo has epistolas Parisiis a S. Doctore cùm altera vice ibi regeret publice fuisse lectas & expositas, saltem earum partem, cùm prima vice Rainaldum non videatur habuisse socium, ut postea ubi de eo dicetur, aliam verò partem post alterum in Italiam reditum seu Romæ seu Neapoli, ut videtur innuere Guillemus de Tocco, vitæ sancti n. 61, referens visionem F. Pauli de Aquila ord. Præd. viri magnæ probitatis & famæ.

Haud lectori displicebit hîc legere quæ in laudem Doctoris sancti habet Erasmus *Annotat. in cap.* I *epist. ad Rom.* Sic autem apud eum lego: *Dictu mirum est, quam se torqueat hoc loco Thomas Aquinas, vir alioqui non suo tantùm seculo magnus. Nam meo quidem animo nullus est recentium theologorum, cui par sit diligentia, cui sanius ingenium, cui solidior eruditio: planeque dignus erat, cui linguarum quoque peritia, reliquaque bonarum literarum supellex contingeret, qui iis quæ per hanc tempestatem dabantur tam dextre sit usus &c.* Egregium sane testimonium ab eo, qui parce laudabat: Verius tamen locutus fuisset, si hoc loco nempe verba hæc apostoli, *qui prædestinatus est filius Dei*, exponendo, non se torquere S. Thomam, sed modos omnes quibus hæ voces intelligi poterant, & a variis exponebantur afferre, ut certiorem, saltem S. Augustini sententiæ conformiorem tandem eligeret: quod in re obscurissima eruditi & accurati est interpretis.

In indice codd. MSS Angliæ hi recensentur.

T. I P. II, n. 1027: *Thomæ de Aquino commentarii in epistolas Pauli.* P. III, n. 2090: *Postillæ super epistolas Pauli.* Princ. *Vas electionis.* Venetiis

apud S. Anton. Plut. 13 fol. memb. & apud S. Franc. a Vinea, sed hic *ad Hebræos* tantùm. In Florent. Laurent. Plut. 26, cod. 4. *Super omnes.*

Lipsiæ in Paulina juxta indicem Felleri, p. 75, n. 38: *Thomas in epist. ad Romanos, Corinthios, Ephesios, Galatas & Hebræos.*

Hæ feruntur editiones.

Basileæ 1475, fol. Ibid. Wolfangi Lachner, 1495, quæ editio in Bib. Augustana.

Bononiæ, 1481, fol. hoc titulo: *Feliciter incipiunt commentaria clarissimi doctoris Angelici ac communis S. Th. de Aquino O. P. super epistolas Pauli &c. correcta emendataque per me F. Petrum de Bergomo O. Præd. &c.* est in Navarr.

Parisiis, *S. Thomæ de Aquino ord. Præd. super epistolas Pauli commentaria præclarissima castigatissime impressa, & ab omnibus mendis studiosissime purgata, cura & solicitudine Nicolai Savetier, impensis Joannis Petit*, 1526, fol. Item 1529.

Ibid. Nicolai Prevost, 1532. Item 1541.

Ibidem Joannis de Roigny, 1563, fol. quam editionem elegantem curavit F. Jacobus Albertus Castrensis ord. Prædic.. Item 1592 & 1654, fol.

Lugduni, 1541.

Ibid. Barthol. Honorati 1556, in 8, voll. duo. Editio elegans.

Venetiis *ex vetustissimorum codicum collatione repurgata a F. Jac. Alberto*, 1548, fol.

Ibidem 1555. Item 1586, 1593 & 1598.

Antverpiæ, 1591, fol.

Recens & nostra ætate accurante & ad antiquos codices recognoscente ac emendante nostro Joanne Nicolai S. F. P. M. attamen diutius ab hujus morte Lugduni edente Antonio Briasson 1689, fol.

2. *Sermones pro Dominicis diebus, & pro SS. solemnitatibus, qui ex Bibl. Vatic. nunc primum in lucem prodeunt.* Pr. *Dies autem appropinquavit. Potest intelligi hoc verbum de quadruplici die &c.*

Revera sermones S. D. inter ejus opera recensentur ab antiquis, sed ex ore dicentis reportati. Sic Logotheta: *Dominicales aliquas & festivas & quadragesimales post eum prædicantem recollegit F. Petrus de Andria.* Idem Trivetus: *Item collationes Dominicales & festivæ, quas collegit F. Petrus de Adria.* Bernardus: *Fertur quoque scripsisse expositionem super evangelia Dominicalia totius anni, quæ vix aut rarissime reperitur.* Pignon: *Sermones de Angelis, Item sermones quadragesimæ.* Valleoletanus: *Item scripsit expositionem super evangelia Dominicalia totius anni.* S. Antoninus idem quod Bernardus, & addit: *Ego credo me vidisse, sed talem quod ut mihi videtur, est excerpta ex prædicto opere super evangelia quatuor.* Hinc patet illud opus quod vidit Antoninus, aliud esse ab isto Romæ edito, ut & ab aliis laudato.

Antonius Senensis de ista Ed. Rom. loquens sic habet. » Extant & sermones illius complures » tam de tempore quam de Sanctis, qui inventi » fuere in Bibl. Vatic. & multis eisque efficacibus » argumentis, illius esse ostensum fuisse a viris doctis asseritur. In Flandria quoque in abbatia quadam, quæ est non procul ab Aldenardo, volumen unum habetur MS & characteribus satis antiquis sub titulo F. Thomæ, & creduntur a viris » gravibus ad D. Thomam Aquinatem pertinere: » mihi autem cùm in illos incidi jamjam fere profectionem paranti Italiam versus, non licuit illos » perlegere & evolvere. « An quis hoc Lusitani monito excitatus, sermones illos perpenderit ac discusserit mihi incompertum.

Johannes Bunderus noster in suo indice codd. MSS Belgii & vicinarum partium n. 67, refert Moguntiæ extitisse sermones quadragesimales S. Thomæ hoc principio: *In multis eorum &c.* & apud Minores Bruxellis alios hoc princ. *Tria sunt homini necessaria ad salutem*, Sic refert Alva *Sol. Ver. Rad.* 81 *col.* 853, ubi addit in monasterio Floreffiensi ord. Præmonstrat. extare aliquos sermones sub nomine S. Thomæ Aquin. qui nullo modo conveniunt cum impressis. De quo penes illum fides, sed & propterea non sequitur editos non esse S. D. quem sæpius prædicasse scriptores ejus vitæ asserunt, alios proinde ab aliis reportatos. SÆC. XIII.

In indice codd. MSS Angliæ T. 1 P. 11 n. 2021 *Thomæ Aquin. sermones* inter plura alia, & n. 1500: *Thomæ Aquinatis sermones de Sanctis, quibus hæc nota præfigitur: Quorum alii integri sunt, alii abbreviati sunt.* An isti cum Rom. Edit. conveniant, docebunt aliquando curiosi indigenæ.

Parisiis in Sorbon. cod. n. 960 memb. fol. par. & molis spissioris, collectio est sermonum ex ore dicentium reportatorum, quibus singulis præfigitur auctoris nomen, omnesque sunt theologorum S. D. æqualium, ipseque codex est ejus ætatis. Inter eos autem est sermo *Thomæ de Aquino in nativitate B. Mariæ.* Pr. *Lux orta est justo, & rectis corde lætitia. Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum.* Verba ultima sunt in canonica Jac. 1 b., *Datum bonum sunt bona temporalia, datum melius, bona naturalia ut corpus & anima: datum optimum per quod intelligitur gratia, & omne donum perfectum per quod intelligitur gloria, sunt a patre luminum &c.* Hinc descendit ad orationem consuetam: *Lux orta est justo. Verbum istud est breve & est in eo multiplex sententia & est in psalmo. Legimus quod nativitas B. V. multis figuris in veteri testamento est præmonstrata, & inter alias figuras tribus est specialiter designata, scilicet in ascensu auroræ, in ortu stellæ, & in egressione virgæ de radice.* Quæ fusius & docte explicat. Divisio sermonis:

Notantur autem hic duo specialiter. 1. *Ortus gloriosæ virginis, cùm dicitur, lux orta est.* 2. *Nativitatis fructus ibi justo & rectis corde lætitia.* Quæ postquam docte & eleganter explicavit: *De hac parte*, inquit, *lux orta est justo erit sermo: de residuo erit collatio.* Nimirum quæ pro more eodem die circa vesperas habebatur. Sermo implet coll. 7. Collatio coll. 4. In ed. Rom. deest specialis sermo pro hoc festo, & iste typis excudi mereretur, si quando nova suscipiatur S. D. sermonum editio.

Florentiæ ad S. Marc. Arm. 3 cod. 108: *Quædam pulchræ & utiles quæstiones prædicabiles extractæ de diversis locis librorum S. Thomæ Doct. Ang.*

Apud Sanderum in elencho codd. MS Belgii p. 288 laudatur *Solemnissimum opus prædicabile pro quadragesima extractum ex dictis gloriosissimi doctoris B. Thomæ de Aquino ordinis Prædic. vet. charact. in 4.*

Post hanc priorem editionem Romanam prodierunt rursus sermones S. D. Romæ, Accolti, 1571, 8. Quibus additum opusculum 58 *De venerabili sacramento altaris.* Pr. *Venite, comedite &c.* sed jam supra a nobis B. Alberto Magno vindicatum.

Parisiis, Seb. Nivellii, 1578, 8.

Moguntiæ, 1616, 8.

Enarrationes evangeliorum Dominicalium & quadragesimalium ex catena aurea excerptæ, quæ illæ videntur a S. Antonino laudatæ: prodierunt Parisiis, Claud. Chevallon, 1538, 8, pp. 389.

Venetiis apud S. Anton. in Pluteolis ad parietes: *Expositiones evangeliorum S. Thomæ* in 8 memb. fortè eædem MS.

T. XVII. Opuscula.

1. *Contra errores Græcorum.* Pr. *Libellum ab ex-*

Sæc. XIII. *cellentia vestra mihi exhibitum, sanctissime pater Urbane papa, diligenter perlegi &c.*

Recensent omnes. Tholomæus lib. 23 cap. 12 Tit. *Item tractatus contra errores Græcorum ad petitionem Urbani IV papæ, qui sic incipit: Libellum,* &c. ut in editis. Logotheta totidem fere verbis. Bernardus Guidonis: *Tractatus ad Urbanum papam contra errores*, &c. ut in editis. Trivetus. *Item ad Urbanum papam contra errores Græcorum.* Pignon: *Item contra errores Græcorum.* Valleoletanus & S. Antoninus ut Bernardus.

CODD. MS.

Unus tantùm mihi occurrit Parif. in Navarr. chart. in conc. Basileen. scriptus, ex quo tamen plura editi errata corrigerentur. In Catal. codd. MS Angliæ T. 1, P. III recensetur n. 1500 inter opuscula S. D. n. 23.

Recentiores quidam inter quos Alva Sol. Verit. Rad. 81 col. 859 in hoc opere reprehendunt, quod pleræque Patrum Græcorum auctoritates in eo citatæ, in illorum libris jam non legantur; sed facilis responsio, nempe S. Thomam harum se vadem non dare. Continebantur in libello sibi a summo pontifice exhibito, in quo dicebantur e Latino Græce versæ, fidem penes collectorem relinquens Thomas, in id solum incumbit, ut ad rectum sensum, & ad fidei catholicæ defensionem convertat. Id constat ex prologo, ubi sic loquitur: *Consideravi autem quod ejus* [libelli a papa sibi dati] *fructus posset apud plurimos impediri propter quædam in auctoritatibus SS. Patrum contenta, quæ dubia esse videntur, & unde possent materiam ministrare errorum, & contentionis dare occasionem & calumniæ. Et ideo ut remota omni ambiguitate ex auctoritatibus in prædicto libello contentis veræ fidei fructus purissimus capiatur, proposui primo ea quæ dubia esse videntur in auctoritatibus prædictis exponere, & postmodum exponere quomodo ex eis veritas catholicæ fidei & doceatur & defendatur.* Idem repetit cap. 32: *His igitur expositis ostendendum est, quomodo ex auctoritatibus in prædicto libello contentis vera fides docetur &c.* Et in fine opusculi: *Hæc sunt pater sanctissime, quæ ex auctoritatibus doctorum Græcorum secundùm vestram jussionem excepi & exponenda, & ad confirmationem veræ fidei inducenda &c.* Auctoritates itaque ab alio collectæ fuerant & jussu pontificis Thomæ datæ, an recte an falso excerptæ, nil hujus ad sanctum, qui solùm exposuit, & quî ad fidem tuendam deservire possent, ostendit. Hæc sola ejus opera, quam nemo culpat. Addo Thomam non semel arguere interpretem quod Græca non accurate semper Latine reddiderit. Vide cap. ult.

2. *Compendium theologiæ ad Fratrem Reginaldum socium suum.* Pr. *Æterni Patris.* Liber I *de fide*: habet capp. 248. Liber II *de spe* capp. 10.

Opusculum hoc omnes S. Thomæ asserunt. Tholomæus de Lucha lib. 23 cap. 12: *Item tractatus de fide & spe, qui sic incipit, Æterni Patris.* Guillelmus de Tocho; *Scripsit librum, quem nominavit, Compendium theologiæ.* Trivetus: *Edidit & tractatus diversos puta de fide, spe, & caritate ad F. Reginaldum socium suum.* Logotheta: *Brevis compilatio theologiæ ad F. Reginaldum de Piperno.* Bernardus Guidonis: *Tractatus qui intitulatur compendium theologiæ ad F. Reginaldum, qui incipit, Æterni Patris.* Pignon: *De fide, spe & caritate, quod vocatur compendium S. Thomæ.* Valleoletanus: *Item scripsit librum qui intitulatur, Compendium theologiæ ad F. Reginaldum, qui incipit, Æterni Patris.* Idem S. Antoninus, *Compendium theologiæ quod incipit*, Æterni Patris *est S. Thomæ: aliud verò quod incipit*, Theologicæ veritatis *D. Thomæ non est &c.* Istud alterum septem libris distinctum illud est, quod Henricus Kalteisen in Replica ad Ulricum Hussitam in Basileen. concilio §. *Restat nunc*, negavit esse S. Thomæ, & recte, cùm citaretur locus lib. 6, compendium verò B. Thomæ duobus tantùm libris cogatur. Id si attendisset Labbeus in Diss. Hist. ad hanc difficultatem componendam Palæmone non opus esse clare vidisset. Revera locus ab Ulrico citatus totidem verbis legitur, *Veritatis Theologicæ* lib. 6 cap.

CODD. MS.

Cod. Sangenovef. H. 8, memb. fol. mag. qui est collectio opusculorum S. doctoris 400 & amplius annorum deinceps laudanda, istud est primum. Titulus: *Brevis compilatio theologiæ edita a F. Thoma de Aquino ordinis Prædicatorum.* Post illa verba lib. 2 cap. 9 initio: *Dupliciter autem restat aliquid desiderandum, uno modo quando id quod desideratur, propter aliquid quæritur: unde oportet quod.* Sic legitur in hoc cod. *Dubitatur istud quod sequitur usque ad principium alterius libri, utrum sit Fratris Thomæ de Aquino ord. Præd.* Et postea sequitur ut in editis: *Eo obtento desiderium non quiescat, sed feratur in aliud,* &c. ad finem ut in editis.

Cod. Victor. 635 est 33. Titulus fol. 225: *Incipit theologiæ compendium editum a F. Thoma de Aquino ord. Præd.* Pr. *Æterni Patris.* Finis lib. 1 fol. 255: *Et hæc de fide dicta sufficiant.* Sic autem additur: *Hic deberet poni tractatus de spe, qui ante positus est, qui non fuit completus a F. Thoma, quia præventus morte, & deinde deberet sequi tractatus de caritate, de quo nihil fecit F. Thomas morte præventus, & hæc tria proponuntur in principio hujus libri.*

Ille verò tractatus de spe qui hîc addendus erat, extat eodem cod. fol. 177. Titulus: *Incipit tractatus F. Thomæ de Aquino de spe.* Pr. *Quia secundùm principis apostolorum &c.* Finis fol. 182 col. 1. *Difficilius fuit.* Quibus subjicitur hæc nota: *Hic finitur tractatus de spe, quantum fecit F. Thomas, & non complevit præventus morte, & deberet statim poni, postquam tractavit de fide in quodam tractatu qui sequitur & intitulatur*, Compendium theologiæ, *ab aliis intitulatur*, De virtutibus theologicis, *& sic non fecit nisi de fide & partim de spe, & deficit ex toto de caritate. Nihil fecit de hoc morte præventus.*

Cod. Sorbon. n. 3001 fol. med. memb. extat tantùm *primus liber de fide.*

Venetiis inter codd. MS cardinalis Bessarionis numerantur *Opuscula S. Thomæ*, fol. memb.

Alva Sol. Verit. prologo litem movet de hoc opusculo, quod Innocentio III vindicare satagit ex duorum codicum fide, Regio Paris. n. 4516, & Lovaniensi S. Martini, in quibus sequitur ad libellum hujus pontificis *de vilitate conditionis humanæ.* Sed infirmum argumentum: omnibus enim notum est aliâs notariis solemne fuisse libellos ejusmodi eodem codice scribere ac compingere: cæterùm stylus S. Thomam auctorem arguit, nec Innocentio III ullatenus convenit. In cod. regio cùm vidit Alva, ne quis in eo erraret, jam S. Thomæ ut veri auctoris nomen erat inscriptum.

3. *Declaratio quorumdam articulorum contra Græcos, Armenos & Saracenos.* Pr. *Beatus Petrus Apostolus.*

Recensent omnes, Tholomæus: *Tractatus de rationibus fidei ad cantorem Antiochenum, qui sic incipit: B. Petrus.* Logotheta: *De rationibus fidei ad cantorem Antiochenum.* Bernardus: *Tractatus in quo continetur brevis declaratio quorumdam articulorum fidei, quos impugnant Græci & Armeni & Saraceni ad cantorem Antiochenum, qui sic incipit:*

contra Averroistas de unitate intellectus. S. Antoninus ut Bernardus.

CODD. MS.

In Genovef. est 6. Tit. *Tractatus de intellectu contra errorem Averrois.*

Victor. 635 est 7 fol. 100. Tit. *Incipit liber de intellectu a F. Thoma de Aquino ord. Pred. editus.*

In Sorbon. bis cod. 3001 cit. ad calcem. Finis: *Explicit liber de intellectuum pluralitate secundùm F. Thomam de Aquino O. FF. Pred.* Et cod. n. 751 fol. mag. memb. Tit. *Incipit tractatus F. Thome de Aquino resecans errores circa intellectum.* Finis: *Explicit de intellectu F. Thome de Aquino contra dicta Averrois & sequentium ipsum.*

17. *Contra pestiferam doctrinam retrahentium homines a religionis ingressu.* Pr. *Christiane religionis.*

Recensent, Tholomæus: *Item contra retrahentes a religione, qui sic incipit, Christiane religionis.* Guillelmus de Tocho, qui etiam pluribus agit de hoc & duobus sequentibus. Bernardus: *Tractatus de perfectione Christiana religionis, qui incipit, Christiane religionis propositum.* Logotheta: *Contra doctrinam retrahentium a religione contra Geraldos.* Trivetus: *Item contra doctrinam Geroldinorum & retrahentium a religione.* Pignon: *Contra impugnantes religionem.* Valleoletanus & S. Antoninus ut Bernardus.

CODD. MS.

In Genovef. est 4. Tit. *Incipit liber contra doctrinam retrahentium a religione.* Pr. &c. eadem quæ in editis.

Victor. 635 est 8. Idem titulus. Item in Sorbon. cod. n. 483 fol. mag. memb. sec. XIII.

18. *De perfectione vite spiritualis.* Pr. *Quoniam quidam perfectionis ignari* &c.

Recensent, Tholomæus: *Item tractatus de perfectione vite spiritualis, qui sic incipit, Quoniam quidam.* Bernardus totidem verbis. Guillelmus de Tocho idem. Logotheta & Trivetus addunt *contra Magistrum Geraldum.* Pignon, Valleoletanus & S. Antoninus ut Tholomæus.

CODD. MS.

In Genov. est 3. Tit. *Incipit liber de perfectione spiritualis vite.*

In Victor. cod. 74 eleganti memb. sec. XIII vel seq. ineuntis.

In Sorbon. jam cit. 3002. Florentiæ ad S. Marc. Arm. III cod. 41 memb. Venale prostabat Parisf. ante MCCC & iterum anno MCCCIII ex libro rectoris. Extat etiam in gymnasio dicto mag. Gervasii cod. fol. mag. memb. ubi & *Quæstiones disputata de anima, de virtutibus, de Spirit. creat. de malo, F. Thome.*

19. *Contra impugnantes Dei cultum & religionem. Quod quidem religiosorum omnium, sed permaxime mendicantium propugnaculum est, turrisque validissima.* Pr. *Ecce inimici tui sonuerunt &c.*

Recensent, Tholomæus: *Item tractatus contra impugnantes religionem, qui sic incipit, Ecce inimici.* Bernardus addit, *videlicet conta Guillelmum de Sanctoamore & sequaces ejus.* Logotheta: *Primo contra impugnantes Dei cultum & religionem contra magistros Parisienses tempore Alexandri papæ IV.* Guillelmus de Tocho supra art. 17 citatus. Trivetus: *Item contra magistrum Willelmum de Sanctoamore & impugnantes religionem tempore Alexandri papæ.* Pignon: *Item Contra Guillelmum de Sanctoamore.* Valleoletanus: *Item librum contra impugnantes religiosos. Incipit* ut supra. S. Antoninus ut Bernardus.

CODD. MS.

In Genovef. est 2. Tit. *Incipit liber contra impugnantes Dei cultum & religionem.*

Victor. 634 est fol. 157 charactere accuratiori sec. XIV. Tit. *Incipit tractatus S. Thome de Aquino contra Guillelmum de Sanctoamore & ejus sequaces statum religionis impugnantes.*

Colbert. 4396 fol. par. memb. Tit. *Incipit tractatus S. Thome de Aquino ord. FF. Pred. doctoris eximii factus Parisius anno Dni* MCCLVII *contra quemdam libellum diffamatorium contra religiosos compositum per M. Guillermum de Sanctoamore magistrum in theologia, & quosdam alios suos sequaces.*

De tribus his ultimis opusculis haud inutile est lectorem monere quo ordine quave occasione a S. doctore prodierint. Primus Guillelmus de Sanctoamore nostros & Minores impugnavit anno MCCLIII, & e consortio sacræ facultatis ejicere tentavit, in id que opus suum *De periculis novissimorum temporum* composuit & in vulgus edidit. Librum rex Ludovicus IX ad Alexandrum IV misit, ut de eo censuram ferret. Diutina fuit coram pontifice disceptatio. S. Thomas tandem anno MCCLVI Romam & Anagniam profectus singulis a Sanctamorano objectis coram pontifice respondit, & eidem librum suum *contra impugnantes religionem* obtulit, qui proinde prior editus. Censura in librum Sanctamorani lata pontifex mense octobri ejusdem anni Minores & nostros in omnibus sacræ facultatis juribus tuitus est, & Sanctamorano Sequano ad patriam remisso, Franciam ne ingrederetur prohibuit.

Conticuit Sanctamoranus toto pontificatu Alexandri IV & Urbani IV: sed interea librum *de periculis* laudatum innovavit, & sub novo titulo scilicet *collectio catholica & canonica scriptura ad defensionem ecclesiastica hierarchia contra pseudo-Pradicatores &c.* Clementi IV misit anno MCCLXVI; pontifex autem eidem respondit epistola XV Kal. novemb. anno II, Christi MCCLVI eo libro *sub nova facie ipsum veterem vultum retinere, & dum alias oras decurrere vult videri, antiquum adversus religiosos mendicantes odium ubique sapere.* At simul pontifex eumdem novum librum Joanni de Vercellis magistro ordinis sexto dedit in manus, & hic Thomæ de Aquino, ut si quid novarum difficultatum inesset, eidem responderet. Thomas cùm nil quod antea non solvisset, videret, contemsit, nec responsione nova dignum judicavit: nisi fortè dicatur opusculum suum 19 *contra impugnantes &c.* iterum vulgasse. Revera in quodam codice gymnasii dicti *magistri Gervasii* fol. mag. memb. sec. XIV extat I opus illud alterum Sanctamorani, *collectio &c.* & immediate sequitur, *Tractatus S. Thoma contra impugnantes &c. Ecce inimici*, ceu illi priori abunde respondens.

Apparet etiam pontificem eumdem librum ministro Minorum S. Bonaventuræ misisse, certe quidam Minor adversus Sanctamoranum & sequaces librum ea tempestate edidit qui incipit: *Manus qua contra omnipotentem tenditur, facile dejicitur &c.* Continuo anonymus, quem vulgo censent Geraldum de Abbatisvilla Parisiensem magistrum, duplici libello reposuit. Primi titulus est: *Incipiunt errores qui continentur in libello a quodam Fratre Minore composito, & ab ipsis Fratribus ut dicitur approbato, qui incipit sic, Manus qua contra omnipotentem &c.* Errores illi visi ad CIX numerantur, & ad latus confutantur. Tum subjicitur alter hoc titulo: *Incipit liber prasens contra adversarium perfectionis Christiana maxime prælatorum, facultatumque ecclesiasticarum inimicum.* In hoc verò opere seu nostri seu Franciscani errrores ad CXXXIII notarunt, qui ibidem sigillatim referuntur. Ad singulos respondit Geraldus & dicta defendit,

Sæc. XIII. & aliud præterea opusculum edidit hoc titulo : *Incipit liber apologeticus auctoris & libri editi contra adversarium perfectionis Christianæ*, &c. ut supra. Pr. *Testor conscientiam meam & Deum puris animis inhabitantem, in libello quem scripsi contra adversarium perfectionis Christianæ, nolle me sicut frequenter professus sum in eodem, aliquibus personis detrahere, alicui ordini sive statui, sicut falso mihi imponitur derogare &c.* Omnia hîc relata eodem ordine habentur Paris. in gymnasio dicto *Magistri Gervasii* cod. MS fol. mag. memb. & ejus ætatis.

Tum autem Thomas de Aquino videtur in arenam descendisse, & tractatum suum *de perfectione vitæ spiritualis* scripsisse ac Geraldi opusculis opposuisse, quem propterea non ante sed post tractatum *contra impugnantes Dei cultum & religionem* cudere debuissent editores Romani, sicuti etiam habetur in codd. MS. Incipit, *Quoniam* ut supra.

Reposuit illico Geraldus tractatu quodam cui titulum indidit : *Incipit prologus de perfectione status clericorum.* Pr. *Cùm in manus nostras quidam libellus qui intitulatur de perfectione vitæ spiritualis devenisset, a quodam Fratre Prædicatore editus, & publico traditus exemplari, in quo Sacrosancta subvertitur ecclesiastica hierarchia, status periculose dejicitur sacerdotum minorum, ut de facili in contemtum veniant subditorum, visum est nobis contra hunc libellum scribere oportere &c.* Ad calcem tractatus indicem prodit errorum, quos animadvertisse se putat in opusculo sancti doctoris, quorum primus est quod cap. 5 dixerit, *ad perfectionem dilectionis qua omnia in Deum tanquam in finem actu vel habitu referuntur, omnes ex præcepto obligari.* Huic sententiæ tam certæ tam veræ tam solidæ opponit Geraldus, *nec peccata nec quæ moventur a concupiscentia aut fiunt ex ignorantia, sine quibus præsens vita non ducitur, directe in Deum referri &c.* Quo ex specimine judicet lector, an immerito opellam contemserit Thomas. Hic Geraldi tractatus extat codice citato Gervasiano post supra relata.

Non conticuit Geraldus, sed novum opusculum scripsit, quod ultimum est codicis Gervasiani hoc titulo, *Magister G. de T. L. archidiaconus de T. L. Parisius regens in theologia, prædilecto & fideli amico suo magistro C. de T. L. optat salutem.* Tractat verò hanc quæstionem, *an homines exercendi sint diutius in observatione præceptorum, priusquam viam consiliorum in religionibus arripere permittantur* : & affirmativam præsertim de adolescentibus acriter defendit. Tum S. Thomas tractatum n. 17 relatum edidit *contra doctrinam retrahentium a religione contra Geraldos*, qui ultimus etiam horum trium excudi debuerat, ut est in cod. Genovef. trium postremus : & ipse S. doctor indicat hujus cap. 12 initio, ubi sic loquitur : *Et quamvis de hoc plura sint dicta in alio nostro libello, quem de perfectione* (nempe 18 supra) *conscripsimus, hic tamen aliqua iterare non pigeat.* His tribus tractatibus, quibus certe in eo genere nihil uspiam legitur aut limatius aut cumulatius, defferbuerunt omnia dissidia. Notandum a Boulæo Hist. univ. Paris. T. III p. 680 S. ipsum Bonaventuram dici auctorem libri laudati sub nomine Minoris, quem impugnavit Geraldus, sed fallitur cùm ejus libri hoc vult fuisse principium : *Tantum sibi præsumptionis quidam homines assumserunt se ipsos amantes &c.* Hæc enim verba sunt ipsum principium tractatus, quem Geraldus scripsit contra Franciscanum, cujus liber sic incipiebat, *Manus quæ contra omnipotentem*, &c. ut supra relatum.

20. *De regimine principum ad regem Cypri.* Pr. *Cogitanti mihi quid offerrem regiæ celsitudini dignum &c.*

Quatuor libris distinctum opus exhibetur in Ed. Rom. sed duos priores opus constituere absolutum & perfectum constat ex fine secundi, qui talis est, *Hæc igitur de pertinentibus ad regimen cujuscunque dominii, sed præcipue regalis in hoc libro in tantum sint dicta.* Quibus verbis satis indicat auctor de dominio nihil sibi superesse addendum. Itaque duo posteriores libri aliud opus constituunt, in quo auctor alius a S. Thoma rem a principio redauspicatur, & iterum inchoat agendo de origine dominii, quod a Deo esse probat. Ipsum principium a versiculo sacræ scripturæ desumtum in his duobus posterioribus alium agendi modum alterumque auctorem arguit, neque enim sic Thomas in duobus prioribus. Adde plura in tertio & quarto haberi, quæ vivo Thoma nondum evenerant, Vide postea ad 1321 *Bartholomæus seu Tholomæus de Lucha*, cui utrumque vindicamus. Quod ad duos priores spectat, Thomæ genuinum esse fœtum invicte demonstratur & ex auctorum æqualium aut supparium testimonio & ex codd. MS.

Recensent, Tholomæus : *Item tractatus de regimine principum, qui sic incipit, Cogitanti mihi quid offerrem, quem librum scribit ad regem Cypri.* Logotheta, *De regno ad regem Cypri.* Bernardus ut Tholomæus. Trivetus ut Logotheta. Idem Pignon. Valleoletanus & S. Antoninus ut Tholomæus.

CODD. MS.

In Genovef. est 19 fol. 160. Tit. *Incipit tractatus F. Thomæ de rege & de regno ad regem Cypri.* Pr. *Cogitanti*, &c. eadem ut in editis ad medium capitis 4 libri secundi. Finis in his verbis : *Optimum est autem in conversatione humana modicum delectationis quasi pro condimento habere, ut animi hominum recreentur.*

Victorinus 635 paulo ulterius procedit nempe ad illa verba cap. 5 lib. 2 *ac diffusius documentum eidem tradidit hinc.* Cætera desunt.

Paulus Frigerius oratorii Romani sodalis in vita S. Thomæ Italice scripta & edita Romæ 1668 in 4, lib. 1 cap. 10 p. 58 testatur communicatum sibi ab Alexandro VII papa codicem MS antiquum hujus opusculi Italice versi, ubi ad illa verba cap. 4 lib. 2 relata, *ut animi hominum recreentur*, hæc ad marginem nota legitur : *Quì finisce secundo il B. Tomaso.* Tum sequi cætera ad finem libri 4, ut in editis & ad calcem sic legi *Quì comple il quarto libro del rè e del regno cominciato dal venerabile dottore S. Tomaso d'Aquino, poscia compiuto da Frà Tolomeo da Lucca del medesimo ordine, che fù Vescovo di Torcello.*

In Colbert. codex 1301 fol. med. memb. eleganti charactere Gothico quidem sed ita nitido scriptus, ut typis expressi non sint accuratiores, qui & aliàs fuit Jac. Aug. Thuani idem opus exhibet Italice versum. Sic habet titulus : *Quì comincia il prologo di frate Tomaso d'Aquino maestro sovrano dell' ordine de i frati Predicatori sopra el libro dello regimento derreame. Ame che penso come i offera a la real grandezza dengna cosa & a la mia professione convenevole, & a l'oficio, questo venne a la mente specialissimamente a offerrire, che al rè libro del regno scrivesse &c.* Finis verò idem qui in Genovef. laudato & Romano Frigerii : *ma bisogno è nella conversatione humana pocho de diletto, quasi per condimento d'avere, a ciò che li animi de li omeni si ricevano recreatione oio e riposo.* Nec plura. Foliola 17 complectitur. Hic codex primitus erat egregii militis D. Nicolai marchionis Palavicini, ut legitur in fine.

Ex his colligo nec ipsum secundum librum a Thoma finitum, sed ex ejus schedis forsan a Tholomæo de Lucha completum, cui alios duos tertium

tium & quartum addiderit. Favet codex Florentinus Mediceus Plut. LXXVI n. 19 charta in 4 cujus hic titulus, *Liber de rege & regno, inceptus a ven. doctore S. Thoma de Aquino ord. Præd. postea completus a F. Ptolomæo de Lucha ejusdem ordinis, qui tandem fuit episcopus Torcellanus.* Sequuntur libri quatuor. Itaque duos priores libros ad verba relata capitis 4 tantùm confecerit Thomas, cætera addiderit Tholomæus. Codices alii MS quatuor libros sine ulla distinctione exhibent.

Victor. 55. Navarricus fol. mag. Turonensis ecclesiæ cathedralis, Florentinus ad S. Marc. Arm III n. 123 : memb. omnes.

Quis ille rex Cypri cui opusculum hoc nuncupavit Thomas, quæri solet: censetque noster Stephanus de Lusignano Genealogiæ regum Cypri Gallice scriptæ fol. 17 b. esse Hugonem III e stirpe Lusiniana, principem primo Antiochiæ, & circa MCCLXVII Cypri regem, ac tandem post mortem Conradini Neapoli capite plexi, circa MCCLXXII Hierosolymorum regem : Id verò mihi non probatur, tum quod vix regnum Cyprium capessiverat, cùm ambivit Hierosolymitanum, quod tamen ceu sibi debitum contendebat Maria princeps Antiochena, quæ tandem jus suum Carolo Andegavensi Siciliæ utriusque regi cessit : non est autem verisimile S. Thomam Carolo intimum, ejus competitori librum nuncupasse. Adde Hugonem III ætatis jam provectæ fuisse, cùm regnum Cyprium inivit, cujusmodi principibus præcepta ægre dantur. Itaque Hugoni II crediderim potius inscriptum opusculum: hic enim adolescens erat anno MCCLXVI quatuordecim circiter annorum : in gratiam autem ejus ætatis regum solent hujus rationis opera componi. Cùm autem illo eodem anno vel sequenti MCCLXVII mortuus sit regni X, hæc fortè causa fuit cur Thomas opus inceptum non compleverit.

Alva Sol. verit. prologo sic habet: *Magister ordinis Prædicatorum Seraphinus Caballi annò MDLXXI electus, quemdam doctorem eruditum Ambrosium Barbavaria dictum, Mediolanensem, quid de opusculis S. doctori attributis sentiret, consuluit. Hic autem libello respondit, qui MS etiamnum servatur in Bibl. Ambr. Mediolan. vol. 6, & cui titulus:* Censura opusculorum quæ sub D. Thomæ Aquinatis titulo hactenus prodiere &c. Sic autem ille de hoc opusculo censuit : *Ab auctore inferioris classis compositum esse pleraque fidem faciunt.* Quæ reprehendat non addit Alva, finem tantùm censuræ profert : *Talia verò meditatum D. Thomam ego nusquam crediderim, licèt fuerit potestatis pontificiæ assertor gravissimus.* Quæ me movent ut credam in libros tertium & quartum censuram cadere, hi autem certissime non sunt S. doctoris.

Prodierunt speciatim Venetiis 1568 & Lugduni Batavorum, Joann. Maire, 1630 in 32.

21. *De regimine Judæorum ad ducissam Brabantiæ.* Pr. *Excellentiæ vestræ recepi literas.*

Recensent, Tholomæus: *Item determinatio quorumdam casuum ad comitissam Flandriæ, qui sic incipit: Excellentiæ vestræ litteras recepi.* Bernardus : *Tractatus de regimine Judæorum ad ducissam Brabantiæ, qui incipit,* ut in editis. Logotheta ut Bernardus. Pignon : *Item determinationes quarumdam quæstionum ad ducissam Brabantiæ. Incipit* ut supra. Valleoletanus & S. Antoninus ut Bernardus.

CODD. MS.

In Genovef. est 27 Tit. *Solutio quarumdam quæstionum ad comitissam Flandriæ.* Idem ac in editis.

Victor. 635 est 32 fol. 222. Tit. *Incipit epistola F. Thoma de Aquino ad ducissam Brabantiæ de Judæis.* Extat etiam cod. 654.

Prodiit seorsim in incunabulis typographiæ in 8. absque anno loco & nomine typothetæ, cum tractatu de periculis emergentibus circa sacramentum eucharistiæ & de remediis ex S. Thomæ Summa excerpto a Bernardo citato. Extat hæc editio in Sorbon. & laudatur in August. p. 96. Reiseri.

Margareta a morte sororis suæ Joanne anno circiter MCCXLV defunctæ ejus hæres, Flandriæ comitatum rexit ad MCCLXXIX circiter.

22. *De forma absolutionis ad magistrum ordinis.* Pr. *Perlecto libello a vobis exhibito.*

Recensent, Tholomæus: *Item tractatus de absolutione & modo ad magistrum ordinis præfatum* [Joannem de Vercellis,] *qui sic incipit*, ut in editis. Bernardus : *Tractatus de forma absolutionis sacramentalis ad magistrum ordinis*, &c. eadem. Logotheta *de forma pœnitentiæ absolutionis*, &c. ut Bernardus. Trivetus, Valleoletanus & S. Antoninus ut Bernardus. Pignon *de forma absolutionis.*

CODD. MS.

In Genovef. est 15. Tit. *Incipit tractatus de forma absolutionis pœnitentiæ sacramentalis editus a F. Thoma de Aquino.* Cætera idem.

Victor. 635 est bis: primo 3 fol. 67, iterum 14 fol. 134. Tit. *De forma absolutionis.*

In Sorbon. bis, primo cod. n. 483 & altero n. 490 inter plura alia.

23. *Expositio primæ decretalis ad archidiaconum Cudestinum.* Sic errato typorum, legendum enim, *Tridentinum.* Pr. *Salvator noster discipulos ad prædicandum mittens.*

Recensent, Tholomæus : *Item tractatus de expositione primæ decretalis, qui sic incipit, Salvator noster, ad archidiaconum Tridentinum.* Bernardus; *Tractatus continens expositionem primæ decretalis de summa Trinitate, Firmiter credimus : qui incipit, Salvator noster.* Logotheta : *Expositio circa primam decretalem de fide catholica & summa Trinitate ; & secundam, Damnamus ad archidiaconum Tudertinensem.* Hic iterum erratum & legendum *Tridentinensem.* Trivetus : *Exposuit & primam decretalem de fide catholica, & secundam, Damnamus, ad instantiam archidiaconi Tridentini.* Pignon *super primam decretalem.* Valleoletanus: *Item scripsit primam decretalem de summa Trinitate. Incipit: Salvator noster.* S. Antonius ut Bernardus.

CODD. MS.

In Genovef. est 7. Tit. *Incipit expositio F. Thomæ de Aquino super primam decretalem, de fide catholica & sancta Trinitate, & super secundam Damnamus, ad archidiaconum Tridentinum.*

Victor. 635 est 30 fol. 215. Titulus idem.

24. *Expositio super secundam decretalem ad eumdem.* Pr. *Damnamus.*

Recensent, Bernardus : *Tractatus continens expositionem secundæ decretalis, Damnamus & reprobamus, qui incipit: Exposita forma catholica fidei.* Logotheta & Trivetus jam supra. Valleoletanus: *Item scripsit super secundam decretalem, Damnamus.* S. Antoninus ut Bernardus.

CODD. MS.

In Genovef. est 8. Tit. *Expositio secundæ decretalis ad eumdem. Damnamus.*

Victor. 635 est 31. Titulus idem.

Alva citatus censuram Barbavarii sic refert: *Opusculum 23 quo decretalis Innocentii exponitur, in dubium aliqui revocant.* Sed quid ipse censeat, non subjicit. Nos autem post scriptorum æqualium & suppariun testimonia, ac etiam codd. MS ejus ætatis fidem certo S. doctori asserimus.

25. *De sortibus ad Dominum Jacobum de Burgo.* Pr. *Postulavit a me.*

Sæc. XIII. Recensent, Tholomæus: *Tractatus de sortibus, utrum liceat eis uti ad D. Jacobum de Burgo, qui sic incipit, Postulavit &c.* Idem Bernardus. Logotheta: *De sortibus ad D. Jacobum de Tolongo.* Trivetus: *Item de sortibus ad D. Jacobum de Bonoso.* Pignon *de sortibus.* Valleoletanus: *Item librum de sortibus, ubi scilicet illis sit utendum ad D. Jacobum de Burgo.* S. Antoninus ut Bernardus & Tholomæus.

CODD. MS.

In Genovef. est 5. Tit. *Incipit liber de sortibus ad D. Jacobum de Borego.* Cætera idem.

Victor. 13 fol. memb. ad fol. 133. *Tractatus F. Thomæ de Aquino de sortibus.* Pr. *Circa sortes.*

Tolongo, Bonoso, Borego, videntur errata notariorum.

26. *De judiciis astrorum ad F. Reginaldum ord. Præd. socium suum carissimum.* Pr. *Quia petisti ut tibi scriberem.*

Recensent, Tholomæus: *Tractatus utrum liceat uti judicio astrorum ad F. Raynaldum, qui sic incipit* &c. ut in editis. Logotheta: *Item in quibus potest homo licite uti judicio astrorum ad eumdem.* Bernardus: *Tractatus de judiciis astrorum: utrum liceat eis uti ad F. Raynaldum, qui incipit* &c. ut in editis. Trivetus: *Item in quibus licite potest homo uti astrorum judiciis.* Pignon: *De judiciis astrorum.* Valleoletanus: *Item librum de judiciis astrorum ad F. Raynaldum,* &c. ut in editis. S. Antoninus ut Bernardus.

CODD. MS.

In Genovef. est 22. Tit. *Tractatus F. Thomæ de judiciis astrorum.*

Victor. 635 est 17. *Incipit tractatus ab eo de judiciis astrorum.*

Sorbon. cod. n. 747 fol. mag. memb. sec. XIV: est ad calcem.

Augustin. ad pontem novum cod. 219 fol. memb.

Dicunt seorsim typis prodiisse Coloniæ, 1580.

27. *De æternitate mundi contra murmurantes.* Pr. *Supposito secundùm fidem catholicam.*

Recensent, Tholomæus: *Tractatus de æternitate mundi, utrum esse potuerit, qui sic incipit,* &c. ut in editis. Bernardus: *Tractatus de æternitate mundi, utrum possit esse ab æterno, qui incipit,* &c. idem. Logotheta, & Trivetus ut in editis. Pignon *de æternitate mundi.* Valleoletanus: *Item librum de origine & perpetuitate mundi. Incipit* ut supra. S. Antoninus ut Bernardus.

CODD. MS.

In Genovef. est 13. Tit. *Tractatus quid sit possibile de æternitate mundi.* Cætera eadem. Rursus eodem codice ad calcem.

Victor. 635 est 12. Tit. *Tractatus de æternitate mundi. Utrum Deus mundum faceret ab æterno.* Iterum cod. 50 fol. med. chart. circa MCCCC. cripto ad fol. 321.

Sorbon. ter cod. n. 490 fol. par. memb. sec. XIII inter alia. Item cod. n. 948 fol. mag. memb. sec. XIII. Denique cod. 3002 fol. mag. memb. ejusdem ætatis.

28. *De fato*, P. *Quæritur de fato an sit & quid sit.*

Recensent, Tholomæus: *Item tractatus de fato an sit, qui sic incipit*, ut in editis. Bernardus idem. Pignon *de fato.* Valleoletanus: *Item librum de fato. Incipit*, ut in editis. S. Antoninus ut Tholomæus.

CODD. MS.

In Genovef. est 34. Titulus. *Incipit tractatus de fato secundùm Albertum:* cætera eadem. Ad calcem: *Explicit de fato secundùm Albertum.*

Victor. 32 fol. med. chart. sec. XV: ad fol. 325 extat idem, & ad calcem sic legitur: *Explicit de fato secundùm Thomam sanctum de Aquino.* Sed fatendum esse inter alia plura aut eidem falso ascripta aut saltem dubia. In altero cod. Victor. 56 fol. mag. chart. sec. XV. Tit. *F. Alberti de ordine Prædic. Tractatus de fato.* Idem est totidem verbis.

Alva citatus censuram Barbavarii sic refert: *In horum dubiorum classem Fatum reponimus*, &c. *neque stylum neque ordinem Aquinatis retinet.* Esto peritorum arbitrium.

29. *De principio individuationis.* Pr. *Quoniam duæ sunt in homine potentiæ.*

Recensent, Tholomeus: *Item tractatus de principio individuationis, qui sic incipit*, ut in editis. Bernardus, Pignon, Valleoletanus & S. Antoninus omnes ut Tholomæus.

CODD. MS.

In Genovef. est 37. Tit. *Incipit tractatus de principio individuationis:* cætera eadem.

Victor. 634 est 3 ad fol. 110.

Barbavarius teste Alva cit. sic censebat: *Cajetanus testatur esse imperfectum, & in Bibl. Vatic. locupletius a se visum sub titulo de potentiis cognoscitivis: probat postea quod sub uno seu altero titulo minime congruat maiestati D. Thomæ.* Sed cùm momenta censuræ non afferat Alva, esto rursus peritorum arbitrium.

30. *De ente & essentia* ex suo ordine abstractum editum est post commentarios in XII libros metaphysicorum, ubi videsis.

31. *De principiis naturæ ad Fratrem Silvestrum.* Pr. *Quoniam quoddam potest esse licèt non sit.*

Recensent, Tholomæus lib. 23 cap. 12. Titulus idem qui in editis: Idem antea lib. 22 cap. 21 hunc libellum tertium fuisse dixerat ex his quos Thomas ante magisterium edidit. Bernardus, Logotheta, Trivetus, Pignon & Valleoletanus ut in editis.

CODD. MS.

In Genovef. est 12. Titulus idem qui in editis.

Victor. 635 est 9 ad fol. 126. *Incipit liber de principiis rerum.* Cætera eadem.

Sorbon. fol. mag. memb. *Tractatus Thomæ de principiis naturæ:* inter alia plura ejusdem ætatis.

Florentiæ ad S. Marc. Arm. IV n. 14.

Prodiit typis seorsim Lypsiæ 1498.

32. *De natura materiæ & dimensionibus interminatis.* Pr. *Postquam de principiis sermo habitus est.* Minori charactere ut dubium exhibetur.

Recensent tamen, Tholomæus: *Item tractatus de natura materiæ qui sic incipit* &c. ut in editis. Bernardus & Valleoletanus ut Tholomæus. Pignon *de materia prima: de dimensionibus interminatis.*

CODD. MS.

In Genovef. est 40. Tit. *De natura materiæ.*

Victor. 634 est 4 fol. 111 *De materia.* & 5 fol. 115 *de dimensionibus.*

Barbavarius referente Alva citato sic de isto & seqq. ad 40 *de modalibus* censuram tulit: *Aquinatis ingenium prorsus redolent, nam qua ratione de 32 quod inscribitur de natura materiæ & dimensionibus interminatis aliqui dubitent, prorsus ignorare me fateor &c.* Nec ego qua ratione editoribus Romanis alio charactere excudere visum fuerit, quod Labbeo dubitandi solum fuit motivum.

33. *De mistione elementorum ad magistrum Philippum.* Pr. *Dubium apud multos esse solet.*

Recensent, Tholomæus: *Item tractatus de elementis in misto quomodo sint, qui sic incipit*, &c. ut in editis. Logotheta ut in editis, addit *Philippum de Castroceli.* Bernardus: *Tractatus de mistione elementorum, qualiter sunt in misto ad M. Philippum*, &c. eadem. Trivetus *item de mistione elementorum.* Pignon *de elementis in misto.* Valleoletanus & S. Antoninus ut Bernardus.

CODD. MS.

In Genovef. est 23. Tit. *Tractatus de mistione elementorum.*

Victor. 635 est 10. Tit. *Incipit tractatus F. Thoma de Aquino*, &c. eadem.

Augustin. ad pontem novum cod. jam cit. 219.

34. *De occultis operibus natura ad quemdam militem.* Pr. *Quoniam in quibusdam naturalibus.*

Recensent, Tholomæus : *Tractatus quidam de actionibus & operationibus occultis natura, quem scripsit ad quemdam militem Ultramontanum qui sic incipit* ut in editis. Logotheta : *De operationibus occultis ad quemdam militem Ultramontanum.* Bernardus : *Tractatus de motibus naturalibus corporis seu de actionibus*, &c. ut Tholomæus. Pignon : *De operibus occultis natura.* Valleoletanus ut Tholomæus. S. Antoninus ut Bernardus.

CODD. MS.

In Genovef. est 21. Tit. *Tractatus F. Thoma de occultis operationibus natura.* Cætera ut in editis.

Augustin. mox cit. eodem cod.

35. *De motu cordis ad magistrum Philippum.* Pr. *Quia omne quod movetur, necesse est habere motorem.*

Recensent, Tholomæus : *Item tractatus de motu cordis, qui sic incipit*, ut in editis. Logotheta : *De motu ordinis*, sed erratum notarii. Leg. *cordis.* Bernardus ut Tholomæus. Trivetus : *Item de motu cordis ad M. Philippum de Castroceli.* Pignon : *De motu cordis.* Valleoletanus ut Trivetus. S. Antoninus ut Bernardus.

CODD. MS.

In Genov. est 24. Tit. *Tractatus F. Thoma de motu cordis.*

Victor. 635 est 11 ad fol. 130 idem Tit.

Sorbon. cod. fol. mag. memb. sup. n. 31 laudato. Idem.

Florentiæ Medic. Pl. LXXXIV cod. 12 memb. in 4.

36. *De instantibus.* Pr. *Quoniam omnem durationem.*

Recensent, Tholomæus ut in editis. Bernardus : *Tractatus de natura instantis seu de instantibus &c.* ut supra. Pignon & Valleoletanus & S. Antoninus ut Bernardus.

CODD. MS.

In Genovef. est 35. Idem titulus &c.

Victor. 634 est 7 ad fol. 119. *De instanti.*

37 *De quatuor oppositis.* Pr. *Quoniam quatuor sunt.*

Recensent, Bernardus : *Tractatus de quatuor oppositis, qui incipit : Quia quatuor sunt &c.* Valleoletanus & S. Antoninus idem.

CODD. MS.

In Victor. 634 est 11 ad fol. 131. *De oppositionibus sive de quatuor oppositis.*

38. *De demonstratione.* Pr. *Ad habendum cognitionem* &c. Ut dubium minori caractere exhibetur.

Recensent Bernardus & Valleoletanus ut in editis.

Barbavarius referente Alva ceu genuinum habebat.

30. *De fallaciis ad quosdam nobiles artistas.* Pr. *Quia logica est rationalis scientia.*

Recensent, Tholomæus : *Item tradidit quibusdam nobilibus artistis logicalia qua scripsit, Modales & Fallacias, introductoria ad logicam.* Bernardus ut in editis : idem Valleoletanus & S. Antoninus. Pignon : *Fallacias minores.*

CODD. MS.

In Genovef. est 41. Tit. *Fallacia.* Ad calcem : *expliciunt fallacia F. Thoma.*

Venetiis ad SS. Jo. & Pau. P. Alt. Pl. 3 fol. memb.

40. *De propositionibus modalibus.* Pr. *Quia propositio modalis.* SÆC. XIII.

Recensent, Tholomæus art. sup. Bernardus, Valleoletanus & S. Antoninus ut in editis.

In Victor. 634 est 14 ad fol. 154. Tit. *De modalibus.*

Sequitur absque numero in Ed. Rom. *De eruditione principum tractatus, qui in Bibl. Vatic. repertus nunc primum in lucem editus est.* Pr. *Cùm pars illustris &c.* Et infra : *Propterea ego in ordine Fratrum Prædicatorum minimus, à quodam principe rogatus.* Ad calcem cod. MS sic legebant Editores Romani : *Ego Jacobus de Castello de Organiano Urgellensis diœcesis scripsi hunc librum Tolosa ad opus mei currente anno ab incarn. D.* MCCCIII. Opus ut ait Bellarminus utilissimum, sed addo ego quod nullus veterum S. Thomæ ascripsit, quod tamen cùm sit gravissimum & absolutum, non omisissent, si ejus lucubratio fuisset. Vide supra ad 1250. *Guillelmus Peraldus* : hic enim verus auctor.

41. *De natura accidentis.* Pr. *Quoniam omnis cognitio humana.*

42. *De natura generis.* Pr. *Quoniam omnis creatura.*

Utrumque ut dubium minori charactere exhibetur. Recenset utrumque Tholomæus totidem verbis ut in editis. Pignon etiam meminit : *De genere & accidente.* Omittunt Bernardus, Valleoletanus & S. Antoninus.

CODD. MS.

In Victor. 634 extat utrumque *De genere.* fol. 95. *De novem generibus accidentium*, fol. 108.

Barbavarius referente Alva sic censebat *de natura accidentis. Abest longe a puritate doctrina peripatetica, & consequenter ab indole Aquinatis.* De altero nihil habet.

43. *De potentiis anima.* Pr. *Ut adjutorium.*

44. *De tempore.* Pr. *Sicut vult philosophus 2 metaph.*

45. *De pluralitate formarum.* Pr. *Quoniam sanctum est.*

Ut dubia minori charactere cusa : revera non meminerunt Tholomæus, Bernardus, Logotheta, Trivetus, Valleoletanus, nec S. Antoninus. Pignon solus laudat *De unitate forma.*

CODD. MS.

In Victor. 32 ad fol. 320. *Incipit de sensu communi S. Thoma.* Pr. *Quaritur de sensu communi.* Et postea immediate sequitur : *De quinque potentiis anima tractatus.* Finis fol. 325 in hæc verba : *De interioribus viribus sensitivis. Expliciunt dicta S. Thoma de Aquino sensu communi, & de quinque potentiis anima.* Codex est circa 1400 scriptus, sed opus ab edito 43 omnino diversum.

In Sorbon. cod. fol. mag. memb. sec. XIII supra n. 31 jam laudato extat ordine X *Liber Thoma de sensu communi, & de sensibus quinque interioribus compositionis natura.* Idem principium & finis ut in Victor.

Florentiæ ad S. Marc. Arm. III cod. 107 fol. memb. idem extat inter plura alia.

In Victor. 634 est 6. *De forma in homine*, inter alia S. Thomæ opuscula.

Florentiæ ad S. Marc Arm. IV cod. X sec. XV medii : *S. Thoma de Aquino de Formis.*

46. *De dimensionibus interminatis.* Idem est cum 32 supra recensito, quod Petrus de Bergamo, & antea Pignon in duo diviserunt.

47. *De natura Syllogismorum.* Pr. *Quoniam scire est causam rei cognoscere.*

Ut dubium minori charactere cusum, nullus veterum S. Thomæ tribuit. Extat in Victor. cod. 32 cit. fol. 343 b. absque auctoris nomine, sed cum aliis S. Thomæ.

Sæc. XIII. 48. *De totius logicæ Aristotelis Summa.* Pr. *Omnes homines natura scire desiderant.*

Ut dubium etiam minori charactere cusum: nullus veterum inter opera S. Thomæ numerat. Florentiæ ad S. Marc. Arm. IV cod. 14 sæc. XV. *Logica eximia doctoris S. Thomæ de Aquino &c.* videtur idem opus, sed falso ei ascriptum. Prodiit typis seorsim Venetiis, Simon Bevilaqua 1496.

Barbavarius teste Alva sic censebat: *Licèt sit viri undequaque eruditi, habet tamen aliqua, propter quæ Thomistæ in controversiam merito illud revocent.*

49. *De sensu respectu singularium, & intellectu respectu universalium.* Pr. *Circa considerationem sensus.*

50. *De inventione medii.* Pr. *Quoniam principium syllogizandi.*

51. *De natura luminis.* Pr. *Considerandum est.*

52. *De natura loci.* Pr. *Ad sciendum naturam loci.*

53. *De intellectu & intelligibili.* Pr. *Sciendum quod de ratione ejus.*

54. *De quo est & quod est.* Pr. *In quibus est compositio.*

Ut dubia minori charactere cusa. Horum nullus veterum meminit, Pignon solus recenset 54 *De eo quod est, & quo est.*

In Victor. 634 est 53. *De intellectu & intelligibili* ordine 12 ad fol. 134.

Victor. 32 est 52. *De natura loci* ad fol. 329. Ad finem legitur: *Explicit de natura loci B. Thomæ de Aquino.*

55. *De universalibus tractatus I.* Pr. *Circa universalia multiplex.*

56. *De universalibus tractatus II.* Pr. *Quoniam dicit Aristoteles.*

Nullus veterum meminit, ideoque minori charactere edita.

In Victor. cod. 32 cit. ad fol. 332 extat *de natura universalis*: & ad calcem: *Explicit secundùm S. Thomam de Aquino.* Aliud est ab editis.

Barbavarius teste semper Alva sic de his censebat: *Qui 55 D. Thomæ attribuendum voluerit, ipsum oneravit quam honoravit. In posteriori opusculo de universalibus plura adhuc sunt, quæ non obscure indicant auctorem alium quam Aquinatem.*

Præter hæc spuria duo sunt editoribus Romanis incognita, & in Victor. servata, primum cod. 32 ad fol. 338: *Tractatus de Suppositionibus.* Pr. *Circa suppositiones tria sunt videnda.* Ad finem: *Expliciunt suppositiones secundùm S. Thomam de Aquino.*

Alterum cod. 634 ordine 8 ad fol. 125. *De unitate & uno.* Sed ambo supposititia censeas, cùm neutrius meminerint antiqui.

57. *Officium de festo corporis Christi ad mandatum Urbani papæ IV dictum festum instituentis.*

Recensent omnes antiqui. F. Joannes de Columna pluribus annis ante S. Thomam ordini ascriptus, & ipsi diutius superstes, qui & archiepiscopus Messanensis anno MCCLV promotus est, ac de quo postea ad 1290 in opere quod scripsit *de viris illustribus Ethnicis & Christianis*, ubi de Thoma de Aquino hæc habet inter alia: *Composuit autem & hic felix & sanctus doctor officium de corpore Christi, quo devotius in Ecclesia Dei non dicitur nec cantatur.* Sic legit in ipso codice MS Venetiis ad SS. Jo. & Paul. servato eximius S. T. magister Parisiensis Jacobus Hyacinthus Serry gymnasii Patavini primarius theologiæ professor & reipub. Venetæ theologus, Hyacintho Ravechet anno 1717 sacræ facultatis syndico eodemque anno defuncto, tum verò cum legato Gallo Venetiis agenti exscriptum dedit in manus, a quo in amantissimis suis litteris accepi. Hoc verò testimonium sodalis æqualis est sane peremptorium.

Tholomæus lib. 22 cap. 24 sic habet: *Scripsit etiam tempore dicti pontificis* (Urbani IV) &c. *Officium etiam de corpore Christi ex mandato Urbani, quod est secundum quod fecit ad petitionem Urbani. Hoc autem fecit complete & quantum ad lectiones, & quantum ad totum officium tam diurnum quàm nocturnum, quàm etiam ad missam, & quicquid illa die cantatur. In qua historia, si attendimus ad verba scribentis, quasi omnes figuræ veteris testamenti in hoc officio videntur contineri, luculento & proprio stylo adaptatæ ad Eucharistiæ sacramentum.* Notanda in hoc testimonio sequentia.

1. *quantum ad lectiones.* Nimirum tres primi & tres secundi nocturni, quæ tum dicebantur de sermone: *Immensa divinæ largitatis*, nam tres tertii nocturni erant ex homilia S. Augustini super evang. *Caro mea vere.*

2. *In qua historia.* Novem responsoria matutinarum post lectiones videtur indicare, quia communiter in rubricis hæc dicuntur *historia.*

Denique *quantum ad totum officium &c.* ubi nihil excipit a S. Thoma vel non compositum ut hymnos, vel non ordinatum, ut quæ a sacra scriptura excepta.

Guillelmus de Tocho: *Scripsit officium de corpore Christi de mandato papæ Urbani, in quo omnes quæ de hoc sunt sacramento veteres figuras & veritates quæ de nova sunt gratia, compilavit.*

Bernardus: *Item mandante sibi D. Urbano papa dictavit & ordinavit totum officium ecclesiasticum de corpore Christi tam diurnum quàm nocturnum, quàm etiam missæ.*

S. Antoninus P. III Tit. XVIII cap. X §. 2: *Mandante quoque eodem Urbano composuit totum officium tam diurnum quàm nocturnum festi corporis Christi, ac etiam missæ.*

Valleoletanus: *Item ad mandatum D. Urbani papæ dictavit & ordinavit totum officium ecclesiasticum de festo & octavis corporis Christi.*

Quidam fabulantur S. Bonaventuræ idem officium componendum ut & S. Thomæ ab Urbano propositum fuisse, & utrumque suum obtulisse, pontificem verò a Thoma confectum prætulisse, quod in gloriam S. doctoris cederet: sed hanc narrationem ullo documento nixam non invenio, imo si verum esset non tacuisset Tholomæus, qui ubi de catena in quatuor evangelia, duo utrique ex æquo oblata fuisse exponenda narrat, a qua tamen opera ut supra relatum Bonaventura se excusavit.

Waddinghus ex fide F. Joannis Rioche Armorici Franciscani anno MDLXXVI florentis & scribentis, prosam *Lauda Sion* Thomæ eripere & Bonaventuræ asserere conatur, & F. Jeremiam Buchium item Franciscanum in libro *Conformitatum S. Francisci*, ejusdem cum Riocho ætatis alterum testem adducit. Sic in Thomam involare illis lubet, sed procul abeant hujusmodi plagiarii. Quo titulo Bonaventuræ affingunt? non alio certe, quam quo Summam suam Thomæ auferunt, & suo ascribunt Halensi, de quo cordati cujusque & paululum eruditi sit judicium, an ejusmodi scriptores trecentis annis posteriores sint audiendi aut memorandi.

58. *De venerabili sacramento altaris.* Pr. *Venite comedite.*

Vide supra *Albertus Magnus*, cui hoc opus a nobis assertum. Certo nullus veterum sub nomine S. Thomæ meminit.

Barbavarius teste Alva sic censuit: *Copiam quidem atque eruditionem Aquinate non indignam præ se fert, sed versatur in exemplis quibusdam objectionibus &c. non semel comparationibus indiscretis, & omnino vocibus barbaris utitur &c.*

Prodiit speciatim sub nomine S. Thomæ in incun.

Typog. absque anno loco & nomine typographi: & recensetur hæc editio in Bibl. August. apud Reiserum p. 110.

59. *De sacramento Eucharistiæ ad modum decem prædicamentorum ad petitionem quorumdam prælatorum & baronum.* Pr. *Memoriam fecit.*

Ut dubium minori charactere exhibetur. Nullus veterum sub nomine S. Thomæ meminit. Extat tamen ei ascriptum.

Florentiæ ad S. Marc. Arm. III cod. MS 125 sed codex est sec. XV.

Barbavarius teste Alva sic censuit: *In altero ejusdem argumenti opusculo eadem deprehenduntur vitia.* Ex hac censura colligit Alva, *nostros falli, cùm affirmant in operibus S. Thomæ editis sub nomine ipsius a primo usque ad ultimum verbum nullum esse vitium.* Imo verò ex ea contrarium Alvæ concludo, cùm vitium in aliquo opere deprehendisse argumentum sit illud a S. doctore procul rejiciendum.

60. *De humanitate Jesu Christi Domini nostri.* Pr. *Christus Jesus venit.*

Ut dubium minori charactere cusum, sed quisquis legerit subito agnoscet plane suppositium & scriptoris S. Thoma recentioris, qui ejus tertiam Summæ partem de Christo Domino ejusque mysteriis, & ultimas sancti doctoris in quartum sententiarum quæstiones de judicio defloravit totidem verbis, quibusdam SS. Patrum locis hac illac additis: unde opus non contemnendum, imò concionatoribus utile. Ex hoc opusculo argumentum novum eruitur ab editoribus nihil in quæstioné 27 tertiæ partis immutatum, cùm iisdem vocibus utrobique exhibeatur.

61. *De dilectione Christi & proximi.* Pr. *Magister quod est mandatum.*

Ut dubium minori charactere cusum. Barbavarius teste Alva sic censuit: *Nulla ex parte sapit Aquinatem.* Ego verò pii monachi lucubrationem existimo: quis enim ut cætera taceam, Christum abbatis titulo veluti eximio decorare sibi in animum induxisset, nisi monachus sub tremenda abbatis ferula vivens. Sic enim opus finit auctor: *Cùm in ea* (æterna vita) *de serviente miles, de novitio professus, de sponsa subarrhata fit conjux consummata, per Jesum principem summa majestatis, abbatem summa sanctitatis, sponsum divina caritatis &c.*

62. *De divinis moribus.* Pr. *Perfecti estote.*

Ut dubium minori charactere cusum. Barbavarius citatus sic censuit: *Nullis adhibitis tormentis auctorem imperitum prodit.* Et hoc ut præcedens pii monachi opus existimo, qui cap. II *neminem despiciendum* moneat, *si non est in eo sanitas, forma pulchritudo, eloquentia vocis, habilitas ad cantandum & legendum*, quorum debemus *quantum possumus defectus supplere.* Ista & alia S. Thomam non olent.

63. *De Beatitudine.* Pr. *Beati qui habitant.*

Ut dubium minori charactere cusum. Videtur auctoris qui seculo XIII ineunte scribebat. Sic enim *tertio principali dilectionis propter Deum*, circa medium: *O admirabilis fidelitas Jesu D. N. qui mille ducentis annis & amplius ab indigne conficientibus &c.* Certo non est S. Thomæ, cui nemo veterum tribuit, & a cujus stylo longe abhorret.

64. *De modo confitendi & de puritate conscientiæ.* Pr. *Quoniam fundamentum.*

Ut dubium minori charactere cusum. Barbavarius sic censuit: *E diametro repugnat majestati & doctrinæ Aquinatis.* In Victor. cod. 774 memb. in 4 habetur fol. 69, sed nomen S. Thomæ secunda manu additum, & super quibusdam vocibus erasis scriptum. Nullus veterum inter opera S. doctoris meminit, sed nec ejus stylum sapit. Videtur cujusdam pii regularis fœtus. Nam cap. *de simulatione* sic habet: *Sic quidam religiosi de die quando videntur, ut putentur sancti & honesti, sensus suos valde componunt, & maxime in officio & in choro inclinationes profundas & similia faciendo, sed de nocte nulla signa devotionis ostendunt, dum non sentiunt se videri.* Istius modi S. Thomam annotasse nec verisimile.

Prodiit seorsim in incun. Typ. in 4 signat. foll. duor. a, b, c, absque anno loco & nomine typographi, absque majusculis & numeris.

Rursus Parisiis, Chevallon, 1527 & 1536 in 12: Extant apud nostros Parisiis & Rotomagi.

Hoc idem opusculum ediderunt inter opera S. Bonaventuræ T. VII. Wadinghus cujus sit non audet definire, ac per nos licet ut Bonaventuræ, vel cui libuerit ascribant, nam S. Thomæ absolute abjudicamus.

65. *De officio sacerdotis.* Pr. *Quia sacerdotis officium.*

Ut dubium minori charactere exhibetur. Censura Barbavarii apud Alvam: *Proculdubio vulgaris cujuspiam curati fœtus.*

66. *Expositio missæ. Quid significant illa quæ fiunt ibi.* Pr. *In virtute sanctæ crucis.*

Ut dubium minori charactere exhibetur. Censura Barbavarii apud Alvam: *Præterquam quod nomen sacramenti & sacrificii imperite confundit, habet phrasim ab ingenio & majestate S. doctoris alienam*: cui subscribimus.

67. *De emptione & venditione ad tempus, & est absque dubio S. Thomæ.* Sic editores Romani, etsi minori caractere exhibeant. Pr. *Carissimo in Christo Fratri Jacobo Viterbiensi lectori Florentino F. Thomas de Aquino, salutem.*

Nullus veterum meminit. Penes eruditos arbitrium.

68. *Epistola exhortatoria S. Thomæ ad quemdam, in qua proponit idoneum modum salubriter acquirendi scientiam sive humanam sive divinam.* Pr. *Quia quæsisti a me in Christo mihi carissime Joannes.*

Nomenclatores veteres Tholomæus, Bernardus & alii laudati non meminerunt: ut dubium etiam minori charactere cusum est. Barbavarius apud Alvam sic censebat: *Si quis concedet esse D. Thomæ, facile refelletur* Jam tamen anno MCCCXXX ceu S. doctoris laudabatur, extatque inter epistolas B. M. Venturini de Bergamo hoc titulo, *Exhortationes S. Thomæ de Aquino ad juvenes benivolos circa studium*, cum quibusdam vocum varietatibus, sed parvi momenti. Plura ad calcem adduntur, sed quæ ipsius videntur Venturini. Valleoletanus etiam integram habet in gestis sancti doctoris, licèt in indice operum non recenseat.

69. *Expositio in librum Boëtii de Hebdomadibus.* Pr. *Præcurre prior in domum tuam.*

Recensent, Bernardus: *Tractatus continens expositionem*, &c. ut in editis. Trivetus: *Librum Boëtii de hebdomadibus exposuit.* Pignon: *Super librum Boëtii de hebdomadibus.* Valleoletanus & S. Antoninus ut Bernardus.

CODD. MS.

In Genovef. est 17 eodem titulo &c.

Victor. 635 est 15 ad fol. 137. Tit. *Incipit tractatus Fratris Thomæ super librum Boëtii de hebdomadibus*, &c. eadem. Extat etiam cod. 50 ad fol. 317.

Florentiæ in Medic. Pl. LXXXIV cod. 24 fol. membr.

Qui sancto doctori persuasit *de hebdomadibus*, idem esse ac *de editionibus* in suo cod. MS forsan legebat *ecdomadibus* vocabulo barbaro & inaudito, quod ex voce Græca ἐκδίδωμι putavit originem du-

 cere, unde ἔκδοσις editio : cùm contra de hebdomadibus ἑβδομάδι significet de septem dierum spatio seu septimanis : idque indicat quod & libenter fatemur, Thomam Græce non peritum, sed hoc nihil ad ejus doctrinam.

70. *Præclaræ quæstiones super librum Boëtii de Trinitate*. Pr. *Ab initio nativitatis.*

Recensent, Tholomæus : *Item scripsit super librum de Trinitate Boetii*. Guillelmus de Tocho: *De Trinitate : de hebdomadibus Boëtii*. Bernardus : *Tractatus super librum Boëtii de Trinitate, qui incipit*, &c. ut in editis. Trivetus : *Sed super librum ejusdem* [Boëtii] *de Trinitate expositionem inchoatam nequaquam perfecit*. Pignon : *Super Boëtium de Trinitate*. Valleoletanus & S. Antoninus ut Bernardus.

Codd. ms.

In Genovef. est 18. *Expositio super librum de Trinitate*. Idem ut in editis.

Victor. 930 fol. med. memb. extat ad fol. 163.

Apud nostros Sanjacobeos extat cod. fol. mag. memb. sec. XIII cum Quæstionibus disputatis ejusdem.

Florentiæ in Medic. Plut. LXXXIV cod. 24 fol. memb. inter plura alia.

Barbavarii apud Alvam hæc fuit censura de isto & de superiori de hebdomadibus : *Stylum & doctrinam D. Thomæ satis præ se ferunt.*

71. *De vitiis & virtutibus numero quaternario procedens*. Pr. *Quatuor sunt virtutum species.*

Ut dubium vel potius ut spurium minori charactere cusum. Nullus veterum meminit. Sub S. Thomæ nomine habetur Florentiæ ad S. Marc. Arm. II cod. 196, sed sec. tantùm XVI.

Barbavarii apud Alvam censura : *Quaternarius ille virtutum & vitiorum numerus toties repetitus superstitiosam nimis affectationem & plerumque ridiculam ostentat, & proinde indignam mediocri theologo, nedum ipso Aquinate*. Cui lubens subscribo.

72. *De concordantiis, in quo concordat seipsum in passibus apparenter contrariis*. Pr. *Pertransibunt plurimi.*

Ut dubium, verius dicam ut spurium minori charactere cusum. Ejus veteres non meminerunt, nisi Tholomæus qui incerto loquitur : *Item*, inquit, *dicitur fecisse tractatum de concordia dictorum suorum* : Innuens id sibi etsi ejus discipulo non notum, sed aliorum relatu auditum : quia nempe jam quis sancti doctoris scripta assidue legens, hanc lucubratiunculam sub ejus nomine jam vulgarat.

Codd. ms.

In Genovef. est ultimum. Tit. *Incipit tractatus de concordantia dictorum Thomæ*. Qui titulus ejus non asserit, sed opellam tantùm sic vulgatam. Idem est principium quod in editis, sed in seqq. variat : in capp. 34 distinguitur, & alius est finis, nimirum : *Quia aliter non meretur, & in aliquo placet Deo, in quo alius non placet in passione sua*. Tenet a fol. 215 verso ad 218.

In Victor. est bis. 1 cod. 635 quartum a fol. 71 ad 79. Pr. idem, sed alius finis : *mereri vitam æternam*. 2 cod. 50 chart. sec. XV ad fol. 268. Tit. *Retractationes ab eodem Thoma composita*. Pr. idem, sed variat in seqq. Finis : *sed in passione*. Quæ varietates ostendunt opus esse variis vicibus variaque forsan manu mutatum auctum vel recisum.

Certum itaque habeat lector nullam aliam suorum operum retractationem a sancto doctore excogitatam, quam Summam suam theologicam, quæ ultimum ejus est testamentum, cui moriens adhuc desudabat : concordantias verò dictorum ejus omnes, nam præter istam sunt aliæ plures ejus discipulorum ab ejusdem morte esse commenta. Vide postea *Benedictus de Assignano, Durandus de Aureliaco, Hervæus de Cauda.*

73. *De usuris in communi & de usurarum contractibus*. Pr. *Omnis homo a natura non degenerans.*

Nullus veterum sub nomine S. Thomæ meminit. Vide postea ad 1278 *F. Ægidius de Lessinis*, cui hæc opella vindicatur. Barbavarii apud Alvam censura : *Degenerat ab Aquinate sive methodum sive stylum, & doctrinæ qualitatem respiciamus.*

Opuscula superiora non quidem omnia, sed quæ genuina ab omnibus agnoscuntur cum quibusdam dubiis universim tantùm XLIX typis prodierunt curante F. Paulo Barbo Soncinate Mediolani, Bergii & Xantonii fratrum, 1488 fol.

Insigniora XXVIII castigata Duaci, P. Borremans 1609 in 8, voll. duobus. Quæ editio apud nostros Parif. ad S. Honorati.

Omnia LXXIII curante Antonio Pizamano patritio Veneto, qui & vitam sancti præfixit, Venetiis, Octav. Scoti 1490, & iterum 1498 fol. Ultima editio extat apud nostros Parif. mox laudatos. Rursus ibid. 1587 & 1596.

Parif. Guillelmi Pelé, 1634 fol.

Theologica & moralia novo ordine distributa curante F. Petro Pelican Carnotensi S. F. P. magistro, Parif. Joan. Jost, 1656, fol. Inter moralia verò inseruit ex cod. Victor. 635 opusculum nunquam aliàs editum, cui titulus :

Quæstiones quæ sequuntur fuerunt propositæ in capitulo generali Parisius celebrato anno Dñi MCCLXIX coram magistro ordinis & diffinitoribus inter quos erant septem lectores & unus magister : Item coram magistris simul congregatis scilicet F. Thoma de Aquino, F. Bonohomine, F. Petro de Tarentasia, F. Bartholomæo, F. Balduino, & F. Giliberto, qui omnes responderunt voce, ut infra sequitur. Quædam errata in editione dicti Pelican irrepserunt, altera editione emendanda.

T. XVII edit. Rom. post opuscula sequitur, *Scriptum secundum D. Thomæ Aquinatis in quatuor libros sententiarum ad Annibaldum Annibaldensem ord. Prædic. S. R. E. episcopum* [leg. *presbyterum*] *cardinalem*. Pr. *Transite ad me omnes.* Vide supra Hannibaldus de Hannibaldis ad 1272, cui hoc opus gravissimis momentis asseruimus. Nullus veterum sub nomine S. Thomæ meminit.

Post hanc editionem Romanam omnium S. Thomæ operum, prodiit Venetiis 1594 : & rursus curante F. Cosma Morelles ord. Præd. S. T. M. & Coloniensis sacræ facultatis regente ac primario moderatore, Antverpiæ seu potius Coloniæ 1612 fol. In qua editione XVII tomis Romanis additus est

T. XVIII complectens varia commentaria S. Thomæ ascripta, de quibus sigillatim est dicendum.

1. *Postilla seu expositio aurea in librum Geneseos litteralem sensum atque spiritualem complectens &c.* Pr. *Liber iste dicitur Genesis.*

Nullus veterum inter opera sancti doctoris recenset : imo S. Antoninus nominatim rejicit. En ejus verba *Et ex his patet, quod postillæ super Genesim, & Ecclesiastem, quas vidi sibi intitulatas & compendium quoddam theologiæ, quod incipit*, Theologicæ facultatis (*leg.* veritatis theologicæ) *non sunt ejus, cùm non connumerentur inter istos supradictos.*

Lusitanus tamen hoc opus Metelburgi vel Vlissingæ, nam ubinam jam non meminerat, contendit se invenisse MS in memb. apud Franciscanos S. Thomæ ascriptum, & primus typis edidit Antwerpiæ, apud Bellerum 1572 in 8, ducique Medinæ nuncupavit. Lugdunenses ediderunt anno seq. 1573, in 8. Ad allata ex S. Antonino respondet hunc postillam a se visam negare esse S. Thomæ, sed non omnem

ab aliis inventam. Quod nugatorie ab illo dictum nemo non videt: qua enim ratione postillam a se visam rejicit Antoninus, eadem omnem aliam respuit, cùm nulla in antiquis S. Thomæ operum catalogis recenseatur.

Scio Nazarium hoc argumentum susque deque habere, unde & *Postillam super Ecclesiasten* MS apud nostros Senenses servatam, ad cujus calcem sic legitur: *Expliciunt postillæ beatissimi Thomæ de Aquino ord. FF. Præd. super Ecclesiasten*, ceu genuinum ejus fœtum agnoscit, licèt a S. Antonino rejiciatur ut spuria, eadem ratione quia in antiquis catalogis non laudatur. Licèt autem Nazario plurimum concedam ceu viro inter insignes nostros theologos illustri, pace ejus dixerim S. Antonini argumentum eo efficacius esse, quod ab obitu sancti doctoris in id ejus discipuli imo omnes per ordinem sodales potissimum incubuerint, ut ne minimam quidem ejus chartulam oblivione deleri ac perdi sinerent: mirum autem esset majoris molis opera, qualia illa in Genesin & Ecclesiasten commentaria illis fuisse incognita, & in indicibus ejus operum omissa, præsertim cùm scriptores illi veteres tam accurate in postillis ejus secernant, quas propria manu exaravit, & quas ex ejus ore in schola dicentis auditores reportarunt. Itaque S. Antonini de his duabus postillis judicio vir cordatus omnis stabit.

2. *Expositio in Danielem prophetam*. Pr. *Intelligentia opus est in visione*.

Hanc MS apud nostros Lovanienses inventam Cosmas Morelles censuit esse S. Thomæ, ea ratione quod in codice 200 circiter annorum id est circa MCCCC scripto cum expositione sancti doctoris in Job ligata fuerit. Addit tamen se non obfirmate ejus fœtum asserere, sed saltem operam eo non indignam. Nos verò argumento S. Antonini innitentes, cùm nullus veterum inter opera S. Thomæ recensuerit, ei omnino abjudicandam censemus.

3. *Expositio in I & II Machabæorum*. Pr. *Nova bella elegit Dominus*.

Prodiit primum typis Parisiis 1596 in 8 curis nostri Stephani Sampajo Lusitani, qui testatur ab Antonio Senensi cum expositione in Genesin de qua supra eodem codice ligatam MS inventam, & ab eodem Antonio nomen S. Thomæ ut auctoris in principio & ad calcem scriptum asserente sibi datam, quam propterea edendam judicaverit. Addit a Papirio Massono sibi dictum, Ægidium Romanum Augustiniensium lumen & decus & S. Thomæ auditorem super quartum sententiarum dist. 45 ubi agit de oratione pro mortuis hujus commentarii meminisse his verbis: *sicut in expositione Machabæorum reverendus præceptor noster Thomas tradidit*. Ego verò totam illam distinctionem 45 Ægidii legens, id non inveni.

Mirum præterea est Antonium Senensem si ipse primus invenit, ejus in suo operum S. Thomæ catalogo itidem ut expositionis in Genesin non meminisse. Itaque argumento S. Antonini cùm nullus veterum recenseat, & hanc sancto doctori expositionem abjudico.

Prodiit rursus Parisiis 1636, in 8.

4. *Commentarius in septem epistolas canonicas*. Pr. *Missæ sunt epistolæ*.

Sub nomine S. Thomæ editus est Parisiis Jo. Boulle, 1543 & 1550 in 8. curis Claudii Spinei nostri S. F. P. Magistri ex cod. inquit MS. Lovanii apud nostros reperto, & ante annos XC id est circa medium sec. XV exarato, qui ipso in limine S. Thomæ nomen præferebat, quemque exscribendum curavit. Ab eo labore se expedivisset vir doctus, si bibliothecas Parisienses lustrasset, in quibus longe antiquiora nempe ipsius sec. XIII servabantur, & etiamnum extant hujus operis exempla. Nullus veterum inter opera S. Thomæ recenset, cui proinde censeo abjudicandum. Vide postea *Nicolaus Gorranus* ad 1296 cui hanc operam assero, & objectis a Bellarmino, Labbeo & aliis auctorem Lyrano posteriorem contendentibus plane respondeo. Prodiit tamen postea pluries sub nomine sancti doctoris.

Lugduni, Honorati, 1556 in 8.

Parisiis Joann. de Roigny, 1563 fol. cum ejus commentario in Paulinas.

Antverpiæ 1592.

Nec plura Tomo illo XVIII editionis Coloniensis sive Antverpiensis: sed quædam alia S. Thomæ afficta prodierunt, quibus & nostra apponenda censura.

1. *In B. Joannis Apocalypsin expositio nunc primum e tenebris eruta*. Pr. *Vox Dñi præparantis cervos*.

Edita est Florentiæ, Laurentii Torrentini, 1549 in 8 pp. 654. Qui editionem curavit, dicit se ex cod. MS memb. in nostra bibliotheca Perusina servato dare, genuinumque opus contendit, tum quod eodem codice contineantur S. Thomæ in Esaiam commentarii, tum quod S. T. M. Thomas Rembottus Florentinus sodalis noster vir præstanti eruditione præditus, & in sancti doctoris operibus apprime versatus, ex stylo asseruerit ipsius esse certissime, & cùm sibi objiciendum prævideret, in antiquis sancti operum catalogis non recenseri, hanc rationem ceu futilem contemnit. Hæc tamen qua moti editores Romani huic expositioni inter opera Thomæ locum non dederunt, ejus apud nos est ponderis, ut supposititiam absolute censeamus. In congregationibus de auxiliis Disp. 8 die 9 dec. 1601 habita, P. Bastida socius hunc commentarium sub nomine S. Thomæ citavit cap. 3 ubi dicit *Deum pulsare & expectare ut aperiatur ei*: Sed continuo cardinalis Asculanus F. Hieronymus Bernerius noster & F. Thomas de Lemos reposuerunt: *non est S. Thomæ, non est S. Thomæ*, sed cujuscunque sit, Molinæ non favet, quod & ultimus lecto loco demonstravit.

Alva Sol. Verit. Rad. 81 col. 962 & passim alibi Gilberto Porretano hanc ascribit operam, sed egregie fallitur. Auctor enim hujus expositionis in prologo Porretani præfationem in Apocalypsin commentatur: quis autem unquam vidit auctorem sua ipsius opera commentantem?

2. *Commentarius super libros Boetii de consolatione philosophiæ*. Pr. *Philosophiæ servias oportet*.

Sub nomine S. Thomæ pluries prælum subiit. Tolosæ, Joann. Paris. 1481. Gandavi 1485 fol. Venetiis Ant. Koburger 1486 & 1489. Lugduni Joan. Dupré 1490 in 4, & 1495 in 8. Coloniæ 1493 & 1497 fol. par. grandiori charactere Romano. Tum Lugduni rursus apud Joannem Clein absque anno sed circa 1490, quo ille florebat, fol. par. inserta passim Ascensii grammaticali explanatione. Extat in Bibl. Seguier. nunc Coislin. cod. MS fol. med. memb. sub nomine S. Thomæ.

Ast alia plane ejusdem operis sub S. Thomæ nomine expositio a me visa est in eadem Bibl. Coislin. Paris. Codex est fol. memb. circa MCCCC scriptus. Duplex quaque pagina per columnas divisa expositio exhibetur: ad sinistram est nostri Nicolai Trivet, cujus prologus incipit *Explanationem &c*: ad dextram altera est hoc titulo: *Prologus alius in librum Boetii de consolatione philosophiæ secundùm S. Thomam de Aquino ordinis FF. Prædic. Sicut dicit philosophus primo politicorum omnia appetunt bonum &c*. Expositio verò sic incipit: *Carmina qui quondam. Modus autem tractandi in genere est didascalicus, in quo duplex persona confingitur scilicet docti & docentis &c*.

Sæc. XIII. Cæterum ob rationem allatam, quia nullus veterum inter opera S. Thomæ recenset, neutram nec primam typis editam quæ scabrosa, nec alteram MS quæ mollior ei asserere audeo, etsi fatear jam sub finem seculi XIV hujusmodi opus ei ascriptum teste Laurentio Pignon, qui inter opera Thomæ sic habet: *super Boetium de consolatione philosophia.*

In Bibl. Eccl. Turonen. n. 187 cod. MS fol. memb. sec. XIV recensetur *Thomæ de Aquino commentarius in librum Boetii de consolatione philosophiæ.* An idem cum editis, an cum 2 Coislin. conveniat, monebunt codicis possessores.

3. *Expositio in tractatum Boetii de scholarium disciplina.* Pr. *Solum hominem nexum fore Dei & mundi.*

Prodiit Coloniæ 1498 fol. par. Lugduni cum superiori, Joan. de Prato 1490 in 4, tum rursus ibidem Jo. Clein fol. cum superiori. Rursus ibid. 1514 in 4. Opella prorsus indigna quæ inter S. Thomæ opera numeraretur, cujus nulla in antiquis catalogis memoria.

Hæc omnia opera seu vera seu spuria & supposititia typis prodierunt Parisiis apud Dionysium Moreau, voll. XXIII in fol. a 1636 ad 1641.

Præter superius allata adulterina, non defuerunt qui sancto doctori alia veluti certatim supponerent, quorum quædam edita, quædam hactenus MS manserunt. Inter edita hæc mihi occurrerunt

1. *Breviloquium S. Thomæ de Aquino ordinis FF. Prædic. de creatione SS. Trinitatis. Quomodo in unitate substantiæ est trinitas personarum?* Prodiit in incun: typogr. in 4 cum *opusculo de modo confitendi*, absque loco, anno, & nomine typographi, charact. Goth. Utrumque a sancto alienum, nec ab ullo veterum laudatum. Extat hæc editio Paris. in Regia. D. 975.

2. Quæstiones duæ: prima: *Utrum principium individuationis sit materia in corporalibus?* Altera: *De motoribus corporum cœlestium, & videtur quod moveantur immediate a Deo*: sed postea probat ab angelis moveri. Hæ curante nostro Thoma Buonensegni editæ fuerunt ad calcem Summæ S. Thomæ, Venetiis apud Juntas, 1588 fol. pagg. 8 ejusdem Buoninsegni notis illustratæ. At postea errore ut videtur cognito inter opera Thomæ amplius non comparuerunt. Extat hæc editio in Regia D. 666.

3. In quodam libello cui titulus, *Dominicæ precationis pia admodum & erudita explanatio*, Parisiis, Francisci Regnault 1538 in 16. In eo plura pia certe ex variis collecta, Joanne Chrysostomo, Hieronymo nostro Savonarola & aliis: fol. autem 149 & seqq. ad 171 editæ sunt *expositiones seu explanationes Dominicæ orationis, Angelicæ salutationis, in Te Deum laudamus, & Gloria in excelsis*, S. Thomæ Aquinati tributæ, verius dicam affictæ, ab ejus enim stylo abhorrent quam maxime.

4. In missalibus quædam orationes sub nomine S. Thomæ editæ fuerunt quarum præcipua rhythmus est, cujus principium, *Adoro te devote latens Deitas.* Has verò in antiquiori codice non inveni, nisi nostri Ludovici de Valleoleti, qui anno MCCCCXIII licentiam ut aiunt in facultate Parisiensi decurrebat, & eas ceu S. Thomæ refert in sua *Tabula.* Rhythmus non ut in editis sed sic incipit, *Adoro te, digne latens Deitas*: quod non solùm rectius ad leges sequentium versuum, sed & fortè quoad sensum nobilius, nam *digne* refertur ad *latens.* Idem Valleoletanus refert orationem, quæ incipit, *omnipotens & misericors Deus ecce accedo &c. qua* inquit, *quandocunque celebrabat, antequam indueretur, orabat.* Non habet alteram quæ in missalibus notatur pro gratiarum actione post missam: sed alias duas, unam quam *in secreta contemplatione, flexis genibus* sanctus dicebat, quæ incipit: *Concede mihi misericos Deus quæ tibi placita sunt ardenter concupiscere, prudenter investigare &c.* 40 circiter linearum: alteram, qua *antequam prædicaret, studeret, legeret vel dictaret sic orabat: Creator ineffabilis qui de thesauris sapientiæ tuæ &c.* 15 circiter linearum. Eæ quidem quoad stylum non elegantes, sed quoad sensus piissimæ. Ex quibus discimus has orationes traditione acceptas sub nomine S. Thomæ in sacrario S. Jacobi publice omnibus sacerdotibus in exemplum prostasse, unde Valleoletanus exscripserit.

Sequentia MS sed & *supposititia.*

1. Cod. Victor MS 137 fol. par. chart. *De septem petitionibus orationis Dominicæ.* a. fol. 92 ad 94. Non convenit cum editis opusc. 7. aut mox relato n. 3.

2. Venetiis inter codd. MS S. Francisci a vinea apud Tomasinum recensetur *Mundi machina D. Thomæ cum aliis opusculis.*

3. Parif. in Seguier. olim nunc Coislin. cod. fol. med. chart. MS hæc habentur. 1. *Summa de essentiis essentiarum a B. Thoma de Aquino compilata.* Prologus: *Magnifico principi ac illustrissimo Dño suo Roberto primogenito regis Hierusalem & Siciliæ Dei gratia duci Calabriæ ac in regione vicario generali, F. Thomas de ordine Prædicatorum ejus capellanus ejusque factura, reverentiam cum humili devotionis obsequio.*

Hunc solum titulum retulisse, suppositionem detexisse est: Cùm enim S. Thomas VII martii MCCLXXIV mortuus est, Carolus I Siciliæ rex adhuc vivebat, & ad MCCLXXXV vixit: quo solum anno Carolus II Claudus dictus rex nuncupatus est, tumque Robertus anno tantum MCCLXXVII natus pro eo cum fratribus Carolo Martello & Ludovico natu majoribus anno MCCLXXXVIII regi Aragono obses datus est, nec primogenitus evasit nisi anno MCCXCVI cum Carolo Martello natu majore jam Hungariæ rege, Ludovicus natu secundus Franciscanam vestem induens, unaque episcopus Tolosanus consecratus, in eum jus suum in regnum Siciliæ transtulit. Cætera hujus operis non minus falsitatem tituli demonstrant. In duos libros dividitur, quorum *Primus est de realibus essentiis, secundus de intentionalibus. Primus continet novem tractatus.*

1. *De essentia creatoris & esse suo.*
2. *De essentia & esse creaturarum in generali.*
3. *De esse & essentia substantiarum spiritualium.*
4. *De esse corporum supercœlestium.*
5. *De esse & essentia elementorum.*
6. *De esse & essentia mineralium.* Meminit Nicolaus Antonius Bibl. Vet. Hisp. P. II p. 94 n. 31.
7. *De plantis.* 8. *De animalibus.* 9. *De accidentibus.*

In his autem non solùm doctrinam exhibet cum doctrina S. Thomæ e diametro pugnantem, sed & hominem se præstat fabulis addictum & ut verbo dicam insignem præstigiatorem. Sic tract. 4, cap. 2 loquitur: » Vidi librum quemdam antiquissimum « mirabilis materiæ & mirabilis effectus, editum ab « Abel filio Adæ quem Cain interfecit, qui sciens « diluvium venturum posuit dictum librum in quo- « dam lapide optime sigillatum. Hermogenes verò « post diluvium invenit dictum lapidem & fregit, « & in dicto libro imagines septem planetarum in- « venit. Unde in illo libro ipse Abel posuit nomen « intelligentiarum regentium ipsos planetas, & po- « suit septem intelligentias, & nomen intelligen- « tiæ moventis primum cœlum. Hæc igitur nomi- « na tantæ sunt efficaciæ, ut si imagines secundùm « diversitatem planetarum in signis diversis & sub « diversis

» diversis faciebus existentibus, nomenque intelligentiæ sub quo dicta imago facta fuerit, in imagine scripseris, & nomen facti pro quo fit imago, voluntatem in omnibus exequeris. Ibi enim docet facere imaginem cum qua si tetigeris, metallum omne aurum fiet. Ibi etiam docet facere imaginem aliam, ita ut ille pro quo facta fuerit, non potest esse quin sit rex vel magnus prælatus, & quin sit de omnibus fortunis bonis & malis idem. Non tamen has imagines probavi nisi unam. Quia cùm multitudo equorum omni mane transiret ad aquam, non permittens me studere nec dormire, & me infestaret qualibet die, feci imaginem, secundùm quod ibi præcipitur, equi, & illam in carreria sepelivi: & ex tunc equus nullus transire potuit, sed cùm perveniebant ad locum ubi erat imago, non poterant transire, quantumcunque stimularentur, ita quod habuerint viam mutare.

Quis hujusmodi fabulas non irrideat? quis sub nomine S. Thomæ prodi potuisse non indignetur? sed & non minus fabulosum quod sequitur. » Vidi, inquit, quod cùm separassem quatuor elementa a quibusdam corporibus, & quodlibet per se depurassem, in conjunctione ipsorum ponebam æquale pondus aeris aquæ & terræ, de igne verò non ponebam nisi quindecimam partem: & licèt ista confectio esset ex elementis composita, tamen magis habebant naturam igneam quam alterius elementi. Quia ita erat acta, ut potius crederes esse primam formam elementorum omnium, quam habere aliquid materiæ. Nam projecta una parte supra mille argenti vivi, sensimus quod ipsum coagulabat, & rubrum faciebat, & istarum mille una parte supra 50 partes plumbi purgati sive depurati ut decet projecta, in aurum purissimum convertebat » &c. similia, quibus fidem non adhibeant, nisi insani & hactenus delusi lapidis philosophici ut aiunt investigatores.

Cæterùm his omnibus contraria docet S. Thomas 2, 2, q. 77 a 2 ad 1 ubi in dubium revocat an alchimici verum aurum faciant, & q. 96 a 2 ad 2 sic loquitur: *Imagines quas astronomicas vocant ex operatione dæmonum habent effectum: cujus signum est, quod necesse est eis inscribi quosdam characteres, qui naturaliter ad nihil operantur: non enim est figura actionis naturalis principium. Sed in hoc distant astronomicæ imagines a necromanticis, quod in necromanticis fiunt expressæ invocationes & præstigia quædam, unde pertinent ad expressa pacta cum dæmonibus inita: sed in aliis imaginibus sunt quædam tacita pacta per quædam figurarum seu characterum signa.* Quæ scribebat sanctus duobus aut tribus circiter ante mortem annis. Itaque & ex chronologia & ex doctrina constat falso huic operi nomen B. Thomæ & in capite præfixum & ad finem subjectum.

Eodem codice continentur 2. *Liber quatuor aquarum Raimundi Lullii, quem fecit Romæ anno* MCCCXII *fol.* 27. Si recte annus, falso Lullio ascriptus, quem ferunt anno MCCCXV mortuum.

3. *Practica Arnaldi de Villanova fol.* 30.

4. *Disputatio Raimundi Lullii cum quodam monacho* fol. 33. Hos Raimundi libellos non recenset Wadingus, neque Nicolaus Antonius Bibl. Hisp. vet.

5. *Le Lucidaire de la theorique & pratique d'Arnaud de Villeneuve, fol.* 35. Ad calcem codicis sic legitur: *Antonius Leonis presbyter scripsit anno Dñi* MDI *in vigilia S. Dyonisii.*

Operis hîc falso S. Thomæ ascripti tractatus sextus *de esse & essentia mineralium* typis prodiit cum libro Lullii cui titulus *secreta secretorum*, Coloniæ, Goswini Colin 1592 in 8: & iterum Argentinæ 1622 in 8.

Similis sunt furfuris sequentia etiam typis edita, & in quibusdam bibliothecis extantia.

Aurora sive Aurea hora, Francofurti 1625 in 8.

Commentarius in turbam philosophorum breviorem. ibid. pag. 243.

Secreta Alchemiæ magnalia de corporibus supercœlestibus in inferioribus rebus inventis, Ursellis 1602 in 8. Iterum Lugduni, 1602 in 8. Rursus ibid. Edit. Dan. Brouchvisii, 1612 in 8.

De lapide minerali, plantali & animali. Ibid.

Thesaurus Alchemiæ ad Fratrem Reinaldum. Ibid.

Liber lilii benedicti. Argentinæ. 1613. 8.

Sic quibusdam audacibus placuit non solùm præstigiatores sed & sycophantas agere, S. Thomæ hujusmodi propudiosas lucubrationes affingendo, ut suæ arti a tanto nomine auctoritate conciliata, ejus exercendæ pudorem procul amandarent. Sed nihil egerunt. Nimium omnibus persuasum est, quantum ab ea professione semper alienus fuerit vir sanctissimus, quantum eam ceu viro Christiano nedum theologo indignam nobile ejus ingenium exhorruerit: quod si vita ejus a puero ad finem usque castis & puris moribus peracta non satis probat, evincit & demonstrat constans in omnibus ejus certis operibus doctrina majestatem fidei ubique spirans. Præterea cedo: Undenam habent hos libellos a Thoma editos? quis scriptor æqualis aut suppar meminit? codices ejus ætatis producant. Sed pudet cum hisce impudoratis diutius morari.

Sequuntur opera S. Thomæ Græce reddita: sed prius monendum ejus agnomen varie in codicibus Græcis scribi; aliquando enim scribitur τοῦ ἀκίνου, aliâs δὲ ἀκυίνῳ, aliâs τοῦ ἀγχίνου, aliâs δὲ ἀκίνου vel τοῦ ἀκίνου, vel ντὲ ἀκουίνῳ vel etiam ἀπὸ τοῦ κυίνου, quæ diversitas quosdam incautos in errorem induxit, ut varios crediderint esse auctores. Sic Jo. Ja. Frisius in Bibl. sua univers. pag. 791 edit. Tigur. apud Christoph. Froschonerum 1583 hac mendosa lectione delusus, veluti novum auctorem profert *Thomam Anchinum*: qui revera non alius est a nostro Aquinate, cui restituenda sunt absque dubio quæcunque illi Anchino fictitio asseruntur, ut Clar. Lambecius recte annotavit Bibl. Cæsar. Vindob. lib. 1 pag. 146. Alii articulum a cognomine non distinguentes, cùm in Græco legerent δὲ ἀκίνου oscitanter verterunt *Theacinum*, & *Thomam Theacinum* ut distinctum auctorem nobis obstruserunt: sic collector codd. MSS Græcorum in Bibl. C. P. extantium, quem incauti exceperunt Verderius in Append. Bibl. suæ Gallicæ, & Possevinus ad finem sui Apparatus pag. 46, quos emendat Lambecius loco cit. Ex ipsa verò operum ratione constat & Thomam illum Anchinum, & Thomam istum Theacinum ipsum esse nostrum Thomam de Aquino, cujus agnomen corrupte scriptum fuit. Quibus præmissis hæc mihi ejus opera Græce versa hactenus occurrerunt.

1. In Florent. Medic. Plut. 71 cod. 33 chart. in 8. *Sapientissimi Thomæ Dialectica Græce.* Princ. Ἐπειδὴ ἡ λογική. Finis: περὶ τῶν σοφισμάτων ἀρκείτω. Id est: *Quoniam logica.* Fin. *De Sophismatis sufficit.* Opusculum est in impressis ordine XXXIX hoc titulo: *De fallaciis ad quosdam nobiles artistas.* Hic codex, in quo plura alia, olim fuerat Angeli Politiani, ut monetur ibidem. Extat etiam in Palatina, nunc Vaticana cod. 235.

2. *Thomæ in Physicorum libros duos priores commentarius sine mutilus.* Extat in Medic. cit. Græce Pl. LXXXVI cod. 19 MS & Plut. LXXXVII cod. 17. Habetur etiam in Palat. mox cit. cum sequenti eodem interprete, & eodem cod. 235.

Sec. XIII. 3. *Thomæ in Aristotelis libros de anima commentarius.* Pr. ὥσπερ ὁ φιλόσοφος διδάσκει. *Sicut docet philosophus.* Ibid. eodem codice cum superiori, & utriusque dicitur interpres Georgius Scholarius, qui scilicet synodo Florentinæ affuit, & postea archiepiscopus C. P. factus est a Mahometo II Turcorum Imperatore, cùm Gennadii nomen jam ante monachus factus assumsisset.

Quæstiones disputatæ de potentia Dei & de spiritualibus creaturis extant Græce in Bib. olim Seguier. nunc Coislin. cod. MS 312 fol. max. tres uncias & amplius spisso, chart. bomb. Sic incipit:

Ζήτησίς ἐστι περὶ τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως, καὶ δὴ πρῶτον ζητεῖται πότερόν ἐστιν ἐν τῷ Θεῷ δύναμις. *Quæstio est de potentia Dei, & primo quæritur utrum in Deo sit potentia.* Sequitur:

Βιβλίον τοῦ σοφωτάτου καὶ λογιωτάτου τοῦ κυρίου Θωμᾶ καὶ πρεδικατόρος ἤτοι κήρυκος περὶ τῶν ἀΰλων κτισμάτων τοῦ Θεοῦ. *Liber sapientissimi & disertissimi Domini Thomæ ordinis Prædicatorum de creaturis Dei immaterialibus, seu de Angelis.*

In Cæsar. Vindobon. juxta Reimmannum lib. 5 cod. CCL n. 27 extant Græce *ex S. Thomæ Aquinatis QQ. disput. de potentia Dei excerpta de processione spiritus sancti.*

Contra gentiles. Codex MS Bib. Regiæ Parif. fol. med. n. 2421. Pr.

Πίναξ τοῦ ἁγίου Θωμᾶ τοῦ Ἀκίνου κατὰ Γεντιλῶν βιβλία τέσσαρα. Τοῦ ἁγίου Θωμᾶ τοῦ τῆς παρὰ Λατίνοις λεγομένης τάξεως τῶν ἀδελφῶν πρεδικατόρων καὶ κηρύκων, περὶ τῆς ἐν τῇ καθολικῇ πίστει ἀληθείας ἢ καθ' ἑλλήνων βιβλίον πρῶτον μετενεχθὲν ἐκ τῆς Λατίνων γλώττης εἰς τὴν ἑλλάδα παρὰ Δημητρίου τοῦ Κυδώνη.

Index operis S. Thomæ de Aquino, in quo quatuor libri.

S. Thomæ ordinis apud Latinos dicti FF. Prædicatorum sive evangelii præconum de catholicæ fidei veritate sive contra gentiles liber primus e Latino Græce versus a Demetrio Cydonio. Volumen est foliorum 523.

Idem opus Græce habetur in Vaticana, & in ejus catalogo ab Augustino Eugubino concinnato recensetur sub litera Θ, & sub litera N. variis codicibus. Laudatur & Venetiis inter libros cardinalis Bessarionis codd. tribus fol. par. papyr. in quorum uno liber I, in altero I & II, in tertio tres libri. Habetur etiam ibidem apud nostros SS. Joan. & Pauli.

NOTA in Vatic. cum uno ex his codd. ligatam esse celebrem Constantini donationem hoc tit. Δόγμα βασιλικὸν γραφθὲν καὶ φανερωθὲν καὶ δοθὲν τῇ ἱερᾷ καὶ ἁγίᾳ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ τῆς Ῥώμης παρὰ τοῦ μακαρίου Κωνσταντίνου τοῦ ἐν βασιλεῦσι πρώτου χριστιανοῦ.

In ead. Vatic. lit. Θ. τοῦ αὐτοῦ Θωμᾶ κατὰ αἱρέσεων. *Ejusdem Thomæ adversus hæreses.* Opus cum altero ex dictis codd. ligatum. Quale sit, indicabunt Romani & hîc addent.

In Cæsar. Vindobon. apud Reimmannum lib. 5 cod. CCLVII n. 4. Extant. ex S. Thomæ *libris quatuor de veritate catholicæ fidei contra gentiles, & ex ejusdem Summa theologiæ capita miscellanea 45 Græce.* Idem cod. CCLXXVII n. 4.

Summa theologiæ Grece versa.

Prima pars extat in Coislin. cit. Parif. codd. MSS duob. 392 & 289 quorum primo 43 priores quæstiones, altero reliquæ ad 119 ultimam habentur. Codices sunt sec. XV in 4 charta bombyc. Pr. 392.

Προοίμιον. ΟΤ τὸν τῆς καθολικῆς ἀληθείας διδάσκαλον οὐ μόνον τοὺς προκόπτοντας φροντίζειν τῆς καθόλου περισσάμενον ἀληθείας, ἀλλὰ καὶ τῶν εἰσερχομένων &c. *Proœmium. Quia catholicæ veritatis antistitem (seu doctorem) decet non solùm provectos instruere, verùm & incipientes &c.*

Codex 289 sic incipit: Ζήτησις μδ. περὶ τῆς πρώτης αἰτίας τῶν ὄντων. α. εἰ πάντων ἐστὶν ὁ Θεὸς αἰτία ποιητική. *Quæstio 44 De prima omnium causa. Art. I An Deus sit omnium causa efficiens?*

Ad calcem hujus posterioris subjicitur:

Τοῦ σοφωτάτου Ψελλοῦ διάλογος, Τιμόθεος καὶ περὶ δαιμόνων *sapientissimi Pselli dialogus, cui titulus Timotheus & de dæmonibus.*

Prima secundæ extat in Reg. Parif. cod. 2946 in 4 chart. hoc titulo: τῆς θεολογικῆς συντάξεως τοῦ δευτέρου τὸ πρῶτον συντεθὲν παρὰ τοῦ σοφωτάτου κυρίου Θωμᾶ τάξεως τῶν ἀδελφῶν πρεδικατόρων. Sunt pagg. 496, & tantum priores quæstiones 71. Finis in q. 71 α᾽ sic: πάλιν δὲ θεωρητέον ἐν ἐπὶ τῶν παθῶν καὶ τῶν ἁμαρτημάτων, περὶ ἃ ἓξ εἰσὶν δεῖ θεωρεῖν. *Summæ theologicæ sapientissimi Domini Thomæ ordinis FF. Prædicatorum Prima secundæ. Q. 71 Deinde considerandum est de vitiis & peccatis, circa quæ sex sunt consideranda.*

Integra verò recensetur in Vaticana in indice citato Eugubini sub litera Θ hoc titulo:

Θωμᾶ δὲ ἀκουίνῳ ἀνδρὸς σοφωτάτου τῶν ἠθικῶν τοῦ δευτέρου τὸ πρῶτον ἔχον κεφάλαια ρκβ. *Thomæ de Aquino viri sapientissimi Moralium prima secundæ habens capita 122.* Cùm tamen reipsa non sint nisi quæstiones 114, interpres forsan aliquas diviserit, vel alias addiderit, nempe priores quasdam secundæ secundæ, ut postea annotabitur.

Laudatur eadem Venetiis inter codd. MSS cardinalis Bessarionis apud Tomasinum.

Secunda secundæ Græce habetur bis in Regia Parif. Exemplum primum n. 2422 charta bombyc. charactere eleganti fol. med. Titulus post indicem:

Τοῦ σοφωτάτου Θωμᾶ τοῦ ἀγχίνου τοῦ παρὰ Λατίνοις διδασκάλου τῆς ἱερῆς θεολογίας τοῦ δευτέρου τῶν ἠθικῶν τὸ δεύτερον. Μετὰ τὴν καθόλου περὶ ἀρετῶν &c. *Sapientissimi sacræ theologiæ apud Latinos doctoris Thomæ de Aquino moralium secunda secundæ. Post communem de virtutibus &c.*

Alterum exemplum n. 2422, 2 videtur priori antiquius charta jam vermibus corrosa. Idem est titulus, solum ἀντὶ τοῦ ἀγχίνου legit τοῦ ἀκουίνου. In utroque codice desunt duæ ultimæ quæstiones. In hoc altero initio in margine superiori primæ paginæ sic legitur:

εἴθε Θωμᾶ μὴ ἦσθα γεγονὼς ἐν τῇ δύσει, ἀλλ' ἐν τῇ ἀνατολῇ, ἵνα ἦσθα ὀρθόδοξος, καὶ ἵνα ἐφρόνεις καὶ περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος ὀρθῶς, ὡς καὶ περὶ τῶν ἄλλων καλῶς λέγεις. Quæ sic interpretor: *Utinam o Thoma non in Occidente, sed in Oriente natus fuisses, ut esses orthodoxus, ac de spiritus sancti processione sic recte sentires, ut de aliis præclare disseris.* Eadem verò pagina in inferiori margine est hæc altera annotatio:

Οὗτος σοφὸς, πλὴν τοῦ εἶναι Λατῖνος καὶ Βαρλααμίτης: μᾶλλον δὲ ὁ Βαρλαὰμ Θωμαΐτης ἦν καὶ Λατῖνος, τὰ ἄλλα θαυμάσιος. Id est: *Sapiens est iste excepto quod est Latinus & Barlaamita, nisi potius Barlaam Thomista fuerit & Latinus, cætera admirandus*; scilicet Thomas.

Si annotationes duæ mox relatæ sunt interpretis, ut verisimillimum, pro comperto habendum hanc Summæ Aquinatis versionem Demetrio Cydonio non ascribendam, ceu qui Latinorum dogma de Spiritus sancti ex Patre Filioque processione constanter tenuerit, Thomamque semper & in omnibus coluerit. Revera in Bil. Barocyniana, quæ olim Venetiis, seculo verò ultimo præterito XVII in Angliam transiit, codex recensetur hanc theologiæ Summam exhibens Græce versam, hæcque translatio codice eodem Maximo Planudi viro, ait Bessario cardinalis, disertissimo, ac in omni disciplinarum genere, ut & utraque lingua Græca & Latina exercitatissimo, verùm Latini dogmatis de processione spiritus sancti hosti acerrimo tribuitur. Quod &

mihi maxime probatur, cùm aliunde in nullo codice MS nomen Demetrii ut interpretis laudetur.

Florebat Planudes jam anno MCCCXXVII, & S. Augustini libros XV de Trinitate Græce reddidit, ut & Thomæ Summam Græcam fecisse non sit mirum. Demetrius Cydonius ei suppar florebat circa MCCCLVII, qui forsan theologiæ Summam videns jam a Planude Græco donatam, Summam contra gentiles, & alia Aquinatis sibi assumserit vertenda. Vide catalogum codd. MS Angliæ T. I. Bibl. Barocyn. n. 105 ubi 49 priores primæ partis Quæstiones dicuntur a Maximo Planude traductæ. Scio n. 65 præcedenti, ubi similis codex refertur, id verti in dubium ob auctoritatem Possevini Cydonio hanc, ut putat editor catalogi, versionem tribuentis: at revera Possevinus non de Summa theologiæ expresse loquitur, sed in genere de operibus S. Thomæ, quod verum de opere contra gentiles, & aliis hîc citatis. Cæterùm longe aberravit a vero Possevinus, cùm Planudem ad tempora concilii Basileensis revocat, qui certo seculo integro antea &amplius nempe sub Andronico utroque claruerat.

In Vaticana juxta indicem Eugubini citati sub litera Θ extat etiam *Secunda Secundæ* Græce, quam sic recenset: τοῦ αὐτοῦ ἕτερον βιβλίον. τῶν ἠθικῶν βιβλίου τοῦ δευτέρου ὑστέρου τὸ ἐπίλοιπον. κεφάλαια πδʹ. *Ejusdem* scilicet Thomæ de Aquino *aliud opus, scilicet Moralium Secundæ Secundæ reliqua capita* 184. Cùm tamen sint ad 189 hinc conjicio codice superius recensito ejusdem bibliothecæ, in quo prima Secundæ, priores Secundæ Secundæ etiam haberi.

In Cæsarea Vindobon. apud Lambecium lib. I p. 146 cod. 204 MS chartac. extat opus hoc titulo: Θωμᾶ ἀγκίνου λόγοι περὶ τῆς θείας σαρκώσεως. Id est *Thomæ de Aquino quæstiones de divina incarnatione*. Ex notitia autem quam Lambecius dat hujus codicis aliâs Joannis Sambuci, sunt vel priores quæstiones tertiæ partis Summæ S. Thomæ, vel quæstio inter disputatas *de unione Verbi incarnati*. Idem Lambecius Possevinum emendans in catalogo quem ad finem Apparatus adjecit, codd. Græc. Bibl. Cæsar. p. 53 corrupte ab eo hunc codicem recensitum monet, dum sic legit: *Thomæ Anort orationes de incarnatione:* qui *Thomas Anort* scriptor est fictitius, nec legitur sic in codice, sed ut mox a nobis relatum. Præterea vox λόγοι non debuit verti per istam *Orationes*, cùm revera sint quæstiones, in quibus præmittuntur *objecta*, tum *responsio* quæ probatur, & tandem objectorum *solutiones*, ut S. Thomæ solemne.

In eadem Cæsar. Vindob. Indicis T. IX P. V pag. 178 recensetur cod. 128 chart. τοῦ Θωμᾶ περὶ διαφορᾶς οὐσίας καὶ τοῦ εἶναι ἑρμηνευθὲν, καὶ πρὸς τὴν ἑλλάδα μετενεχθὲν γλῶτταν παρὰ Γεωργίου τοῦ Σχολαρίου. Ἐπειδὴ ἡ μικρὰ πλάνη ἐν τῇ ἀρχῇ μεγάλη ἐστὶν τῷ τέλει. *Thomæ de ente & essentia & utriusque discrimine opusculum Græce interprete Georgio Scholario. Quia parvus error in principio, fit magnus in fine.* Idem extat in Palat. nunc Vatic. cod. cit. 235. Extat etiam in Medicea seu Laurent. Florent. Plut. 86 cod. 27 in 8 papyr. ubi & dicitur a Scholario ad Matthæum Camarioten nuncupata versio hoc principio: Αἰεὶ σὺ πλωθεὶς τὰ καλά. *Semper tuam in egregia.*

In Bibl. C. P. cujus index prodiit Argentorati apud Nicol. Wyriot anno 1578 in 4, & quem exscripserunt Verderius & Possevinus, uterque ad calcem hiç sui Apparatus, ille Bibl. suæ Gallicæ N. 2 catalogi librorum hinc inde extantium a grammatico exhibiti n. 40 *Liber Thomæ Theacini quem scripsit contra Græcos*. Et N. VI catalogi librorum Michaelis Cantacuzeni cod. 9 *Thomæ Theacini liber magnus quem scripsit contra Græcos, & habet sectiones duas: charta bibacina.*. An erratum & legendum, *bombycina?*

Recte autem monet Lambecius Bibl. Cæs. Vind. lib. I pag. 146 vitiose scriptum Theacini, & certo certius in cod. Græco scriptum Θωμᾶ τοῦ ἀκουΐνου (vel ut ego ex aliis codd. MSS conjicio δὲ ἀγκίνου vel τοῦ ἀκίνου) & opusculum esse S. Thomæ contra errores Græcorum ad Urbanum IV, quod primum in editione Romana editum T. XVII in libros duos divisum & Græce versum fuerit. Addo tamen & forsan esse duos priores libros Summæ contra gentiles, quæ in codd. Græcis καθ' ἑλλήνων vulgo inscribitur. Sed quid revera sit, soli possunt certo docere Inquilini curiosi.

In catal. Vatic. sub litera N τοῦ μακαρίου Θωμᾶ κεφάλαια ι πρός τινα ψάλτην Ἀντιοχέα, μετενεχθέντα ἀπὸ τῆς τῶν Λατίνων γλώττης εἰς τὴν ἑλλάδα παρὰ κυρίου Δημητρίου τοῦ Κυδώνη. *B. Thomæ opusculum capitibus decem constans ad cantorem Antiochenum. E Latino Græce vertit Demetrius Cydonius.* Est in editis ordine tertium. Extat etiam in Cæsar. Vindob. cod. 14 chart. in 4 hoc titulo Κεφάλαια συντεθέντα περὶ τῶν λόγων τῆς πίστεως παρὰ τοῦ μακαρίου Θωμᾶ τοῦ Ἀκίνου πρός τινα ψάλτην Ἀντιοχέα. *Capita de rationibus fidei a B. Thoma de Aquino composita ad quemdam cantorem Antiochenum.* Laudatur etiam in Medic. Plut. 4 cod. 12, & Venetiis apud nostros SS. Jo. & Pauli, & inter codd. Græcos cardinalis Bessarion. referente Tomasino.

In Vatic. Ind. cit. lit. ἰῶτα. Θωμᾶ τοῦ μακαρίου ἀπὸ τοῦ κυίνου περὶ τῆς τοῦ κόσμου ἀϊδιότητος ἑρμηνευθεῖσα παρὰ τοῦ ἱερομονάχου κυρίου Προχόρου. *B. Thomæ de Aquino de æternitate mundi interprete domino Prochoro presbytero monacho.* Opusculum scilicet inter edita 27.

Ibid. sub lit. N. τοῦ αὐτοῦ ἕτερα κεφάλαια εἰς διαφόρους ὑποθέσεις τοῦ μακαρίου Βοητίου τοῦ φιλοσόφου περὶ τῆς ἁγίας τριάδος. *Ejusdem* scilicet *Thomæ in varias B. M. Boëtii philosophi de Sancta Trinitate propositiones alia capita.* Opusculum in editis 70.

Ibidem sub lit. Θ. Θωμᾶ πρώτη θεολογία. *Thomæ prima theologia.* Quodnam sit hoc opus, docebunt curiosi nostri Romani & hîc addent.

Ibid. Θωμᾶ θεολογικὰ, Αὐγουστίνου καὶ Ἑρβαίου, καὶ ἑτέρων. *Excerpta theologica ex Thoma, Augustino, & Hervæo & aliis.*

Ibid. sub lit. B. Θωμᾶ τοῦ σοφωτάτου δὲ ἀκίνου ἐκλογὴ ἐκ τοῦ περὶ τῶν κακῶν, τοῦ ἀριθμοῦ καὶ τῆς συντάξεως τῶν ζητημάτων πάντων πεφυλαγμένων. *Excerptum ex quæstionibus de malo sapientissimi Thomæ de Aquino numero & ordine articulorum omnium servatis.*

Ibid. sub lit. Δʹ. Δημητρίου τοῦ Κυδώνη πρὸς τοὺς τοῦ Καβάσιλα ἐλέγχους κατὰ τῶν περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος κεφαλαίων τοῦ μακαρίου Θωμᾶ. *Demetrii Cydonii ad Cabasilæ argumenta contra B. Thomæ capita de processione Spiritus Sancti prolata responsio.* Sive adversus Cabasilam Demetrii Cydonii pro S. Thoma de processione Spiritus Sancti apologia. Eadem habetur in Cæsar. Vindobon. apud Reimmannum laudata lib. V cod. CCLXI n. 2. Habetur etiam inter codd. MSS Bessarionis. Hic fuit Nicolaus Cabasilas archiepiscopus Thessalonicensis medio seculo XIV clarus imperante Joanne Cantacuzeno, Latinorum infensissimus hostis, qui adversus S. Thomam speciatim scripserat.

Venetiis inter codd. MSS dicti cardinalis Bessarionis Pl. 17 recensetur *D. Thomæ Aquinatis Speculator de verbis Petri* Græce. Quodnam sit opus, moneant Veneti nostri curiosi, & hîc addant.

Florentiæ in Laurent. Plut. 10 cod. 14 fol. papyr. *S. Thomæ de Aquino ordinis Prædic. confessio e Latino sermone in Græcum traducta per Demetrium Cydonium.* Pr. ἐξομολογοῦμαι τῷ κυρίῳ μου. Fin. τῆς μακαρίας ζωῆς. *Confiteor Domino meo. . . vitæ æternæ.* Ex quibus principio & fine constat opusculum hoc aliud esse ab eo quod inter edita prostat ordine LXIV. Quale autem sit doceant indigenæ.

Sec. XIII.

F. ANONYMUS.

1274. F. Anonymus, quem ex mox afferendis ordinis Prædicatorum sodalem & conventus Metensis alumnum conjicio, scripsit

Chronicon ab Abrahamo ad sua usque tempora, cujus hoc est artificium.

Ante Christum natum quæque pagina in quatuor columnas dividitur cuique præfixis his titulis, primæ *Abraham*, 2. *Regnum Assyriorum*, 3. *Regnum Sicyoniorum*, 4. *Regnum Ægyptiorum*: Denique quælibet pagina per quinquagenam annorum expansam distincta: & sub quaque columna ad latus cujuslibet anni eventus celebriores, ut & nomina regum annotata.

A Filio Dei incarnato quæque pagina septem columnis distinguitur. In prima anni expansi per quinquagenas. In 2. Indictio. In 3. Concurrentes. In 4. SS. Pontifices. In 5. Imperium Constantinopolitanum. In 6. Imperium Romanorum. In 7. Regnum Francorum: & in quaque columna præter nomina imperatorum & regum eventus celebriores adduntur. Ex his hoc solum referre haud erit inutile. Sic legitur ad annum

DCCCXLVI. *Ind.* IX. *Conc.* IIII. *Leo IIII annis* VIII *mens.* IIII *dieb.* VI. *Et cessavit mens.* II *dies* XV. In hac pontificum columna nihil amplius. Sed in pag. seq. sic legitur ad annum

DCCCLV. *Ind.* III. *Conc.* I. *Benedictus III ann.* II *mens.* VII *d.* X *& cessavit dies* XV. Nullus inter hos duos pontifices alius notatur, quod indicat historiam Joannæ papissæ etsi ætate auctoris jam vulgatam, ab eo ceu fabulam habitam.

Post istud chronicon sequitur aliud a Christo nato tantùm incipiens, quod revera non est aliud, sed prioris solùm rudis delineatio, unde initio legitur hoc monitum: *Ista chronica non sunt transcribenda pro exemplari, sed alia magis correcta.* Ejusdem est rationis ac præcedens, nisi quod octava columna additur, in qua *Episcopi Metenses* ab anno Christi XLVI recensentur.

Opus esse cujusdam e nostris hinc colligo, quod plura de ordine Prædicatorum & speciatim de conventu Metensi narret, nihil de aliis. Sic ad ann. MCCII in col. Reg. Franc. *Hoc anno Joachim abbas Florensis in Calabria multa predixit de futuris in statu Ecclesie infra hos annos, & maxime de futuris duobus ordinibus scilicet Fratrum Minorum & Fratrum Predicatorum, & de adventu utriusque antichristi in expositione Hieremie & Apocalypsis.*

Ad MCCXVI *Ordo FF. Predicatorum confirmatur a papa Honorio.*

Ad MCCXXI *Moritur B. Dominicus.* Ad MCCXXVI *Moritur B. Franciscus.* Præter hæc nihil habet de ordine Minorum.

Ad MCCXXVI *Ludovicus filius Ludovici rex Francorum annis* XLV.

Ad MCCXXXII *Metis civitas ab episcopo Joanne & duce Lotaringie & comite Barrense obsidetur, sed non capitur.*

Ad MCCXLI *Cœlestinus IIII diebus* XVII. *Vacat sedes duobus annis.*

Ad MCCLI *Capitulum generale Metis celebratur*; nempe ord. Prædic. Ibid. *S. Petrus de ordine Predicatorum apud Mediolanum martyrio coronatur,* de quo & quosdam versus habet.

Ad MCCLII *Æstas & hiems gravissima, quare sequenti anno secuta est fames & mortalitas maxima in Lotaringia.*

Ad hos annos etiam agit de seditione pastorum in Francia, & de crudeliter per eos perpetratis præcipue Turonis. Hæc solùm annoto: *Dicebant quod qui clericum vel sacerdotem occideret, pro potu boni vini absolveretur. Et cùm Fratres Predicatores contraria predicarent, quatuor FF. Predicatores graviter vulneraverunt, & confractis sedibus chori & spoliata ecclesia decem Fratres per mediam urbem coram cunctis fustigantes extra urbem occidere voluerunt. Sed cives metu regis & regine non permiserunt. Et cùm tot mala facientes usque ad* LX *millia convenissent, principalibus eorum suspensis, quorum unus in morte Mahometem invocavit, & occisis ceteris paucissimi occulte fugerunt.*

Ad MCCLXI *Mortalitas maxima in Lotaringia. Illo anno* XX *Fratres in conventu FF. Predicatorum Metis mortui sunt.*

Ad MCCLXV *Inventio corporis B. M. Magdalene:* Nempe apud Maximinifanum.

Ad MCCLXXIV *Factum est concilium generale sub papa Gregorio in Lugduno.* Nec ultra prosequitur, quamvis anni sequentes parati essent ad MCCCLII, unde conjicias circa ejus concilii tempora vixisse.

Sequitur *arbor genealogie S. Arnulphi episcopi Metensis*, Tot specialia de Metis fere probant Metensem. Accuratum præsertim in antiquis non possum præstare, sed quoad res sui seculi saltem non contemnendum.

Ista autem chronica Parisiis servantur in Victor. cod. MS 824 fol. med. memb. post sermones Petri Pictaviensis Paris. Eccles. cancellarii fol. 228.

F. STEPHANUS DE EXONIA.

F. Stephanus de Exonia Hybernus ex illustri hujus agnominis familia Anglica, sed quæ in Hyberniam sec. XIII jam commigrarat, & apud *Atheltan* sedem fixerat, cujus & dominium comparaverat, originem ducens, natus anno MCCXLVI & XXV martii MCCLXIII ad ordinem ascitus in domo Stradensi ad *Atheltan* laudatur in catal. codd. MSS. Angliæ & Hyberniæ, ubi sic legitur T. II P. II n. 42: * 1274.

Annales domus de Multifernam id est Montisfernandi ab anno XLV *ad* MCCLXXIV. *In iis nulla deprehenduntur vestigia sive auctoris sive loci ad quem olim pertinebant. Sed quia ibi crebra fit mentio de rebus Conaciensibus, & speciatim de antiqua familia d'Exceterorum sive de Exonia Athletana dominorum, & cœnobii Stradensis fundatorum, inde orta est suspicio ad cœnobium Fratrum Predicatorum Strada prope Atheltan in comitatu Maio pertinuisse, & ejus loci Dominicanum aliquem horum annalium fuisse auctorem: fortasse inquit Waræus F. Stephanum de Exonia, quem natum perhibent anno* MCCXLVI *& indutum* MCCLXIII.

Duo alia exempla eorumdem Annalium ibidem recensentur n. 19 & n. 365.

Waræus de Script. Hyb. pag. 61 sic habet: *Annales ordinis Predicatorum ab anonymo Dominicano perducti ad annum Christi* MCCLXXIV *quo floruit. Annalibus adjicitur catalogus subsequens omnium illius ordinis conventuum qui in Hybernia fuerunt ante annum* 1300, *secundùm tempus quo quisque conventus cœpit dispositus.*

Dublinii anno Dñi 1224.	*Sligoa* 1252.
Pontana 1224.	*Athletana aliàs Strada juxta Athletan* 1252.
Kilkennie 1225.	*Athye* 1253.
Waterfordie 1226.	*Roscomania* 1253.
Limerici 1227.	*Trimma* 1263.
Corcagie 1229.	*Arcloa* 1264.
Molingara 1237.	*Rossa aliàs Rossapontis* 1267.
Athenria 1241.	*Toughalle* 1268.
Cassilia 1243.	*Lothorie aliàs Lurchoa* 1269.
Traleia 1243.	*Rathbranna* 1274.
Newtona in agro Dunensi 1244.	
Bannina aliàs Colrane 1244.	

Deria nunc Londonde-ry 1274.	*Killocia aliàs Kilmalocia* 1291.

Auctor annalium illorum (nempe mox laudatorum) *quos vulgo annales Montisfernandi* (*sive Minoritarum Multifernanæ vocamus*) *incipit ab anno Dñi* XLV *&* *desinit anno* MCCLXXIV *quo tempore ipse vixit, ut ex antiquitate characteris liquet. Non possum non suspicari auctorem fuisse Fratrem Stephanum de Exonia, quem natum perhibent annales illi anno* 1246, *& habitu ordinis sui indutum in die annonciationis B. Mariæ* 1263.

In ista Waræi narratione apparet quiddam secum pugnans, scilicet quem prius annalium ordinis Prædicatorum auctorem dixerat, postea annalium Minoritarum concinnatorem dicit : quod animadvertisse videntur catalogi codd. MS Angliæ editores, unde & correxerunt, & Dominicanum pure agnoverunt. Revera quis putet Franciscanum domorum nostrarum Hybernarum chronologiæ scribendæ fuisse sollicitum? Itaque immerito hunc suis Wadingus accenset scriptoribus.

F. PETRUS ANGELELLIUS.

* 1274. F. Petrus Angelellius sic nuncupatus a Fontana post Ughellum Ital. Sac. T. I a Bernardo verò Guidonis Lucanus a patria simul & professione dictus, cui fides potius adhibenda, quam Rovettæ qui ad 1271 contendit & origine & votis fuisse Bononiensem, ab utroque & Fontana & Rovetta magister sacri palatii sub Clemente IV fuisse asseritur, in cujus argumentum utinam antiqua monumenta, Vaticana præsertim, protulissent. Episcopus fuit Lucanus teste Bernardo citato, ad quam Ecclesiam a Gregorio X fuisse promotum XIV maii MCCLXXII ait Ughellus & ex eo Fontana in Theatro. Summum illum pontificem Lugdunum ad concilium generale properantem secutus est, & post ejus celebrationem anno MCCLXXIV ibidem obiit. Hunc Rovetta primus scriptoribus accenset ceu à quo rei litterariæ relicta fuerint

1. *Commentarium in* IV *libros sententiarum.*
2. *Summa casuum conscientiæ.*

An servata in Bibl. nostra Bononien. cujus domus relationes se excipere ait Rovetta.

F. FERRARIUS CATALANUS.

* 1275. F. Ferrarius Catalanus sacræ theologiæ magister Parisiensis in catalogo Salanhaci recensetur XXV, videturque circa MCCLXXII aut paulo post licentiatus ut aiunt. Cujus autem ille fuerit provinciæ alumnus ægre dixeris. Provinciæ Hispaniæ quæ tum partem Catalaniæ majorem complectebatur, vix crediderim, cùm ejus non meminerit Diagus scriptor in recensendis Catalaniæ viris illustribus accuratus. Verisimilius fuisse provinciæ Provinciæ, quæ tum Catalaniæ partem citra montes seu Ruscinonem intra suos fines tenebat, & domus Perpinianensis anno MCCXLIII erectæ alumnum. Revera quidam ejusdem nominis sed antiquior laudatur apud Bernardum Guidonis his verbis : *F. Ferrarius natione Catalanus oriundus de Villalonga prope Perpinianum ad unam leucam, prius inquisitor hæreticæ pravitatis, vir magnanimus & constans, hæreticorum terror, tum primus prior Carcassonensis anno* MCCLII *institutus, & post sex menses ad regendum Biterrensem translatus, post quatuor annos regiminis, tandem in patriam redux obiit Perpiniani.* Ejusdem domus sodalem licèt juniorem & hunc magistrum Parisiensem conjicere est. Ut ut sit in Victor. Parif. cod. MS 678 memb. fol. par. sic legitur :

1. *Istud quodlibet est determinatum a Fratre Ferrario Jacobita de paschate anno Dñi* MCCLXX *quinto. Circa nostram disputationem quæsitum fuit de duobus, primò de pertinentibus ad Creatorem, secundò de pertinentibus ad creaturam &c.* folia 11 implet.
2. Ibid. fol. 237. *Quæstio est F. Ferrarii Jacobitæ. Utrum primi motus vel cogitatio de re illicita sit peccatum &c.*

Per Jacobitam intelligi ordinis Prædicatorum ex eo constat, quod eodem codice F. Thomas de Aquino, cujus refertur index quæstionum in sententias initio dicitur *Frater Prædicator*, ad finem *F. Thomas de Aquino Frater Jacobita.* Ferrarium etiam tum fuisse vel magistrum jam, vel saltem licentiatum evidens est, cùm de quodlibetis Parisiis non responderent, nisi ad alterutrum gradum promoti. Denique eumdem esse cum Catalano argumentum est, quod non alium ejus nominis & ætatis habeamus magistrum Parisiensem. Forte & alia reliquit ingenii sui monumenta vel in scripturam sacram vel in sententias ut moris erat, sed quæ vicissitudine temporum perierint, vel neglecta jaceant in bibliothecis.

F. GUILLELMUS DE TORNACO.

F. Guillelmus de Tornaco a patria Flandriæ nobili civitate quæ seculo XIII imperio Gallico subjacebat nuncupatus, hincque ab aliis *Flander*, ab aliis communi iis regionibus ea ætate nomine *Picardus* dictus, provinciæ Franciæ, & ex lege tum in ordine servata domus Insulensis sodalis fuit. Inter magistros Parisienses qui ab anno MCCLX ad MCCLXXX floruere recensetur in catalogo Salanhaci vel Bernardi Guidonis & inter omnes ordine XXVI. Hujus scriptoris meminerunt Lusitanus & ex eo Possevinus, sed perparce : rectius Swertius & Dessellius indicem a Bunderio concinnatum excipientes, in quo hæc ei opera ascribuntur. * 1275.

1. *Tractatus de modo docendi pueros.*

Hunc in monasterio Thusano prope Brugas lectum fuisse asserunt : eumdem censeo, quem vidi Parif. in Sorbon. cod. n. 1077 forma 4 membr. a Petro de Lemovicis socio Sorbon. ejusdem cum Guillelmo ætatis legatum. Lectori forsan non displicebit prologum & rationem opellæ hic legere. Sic ergo habet :

Fratribus de ordine Prædicatorum, ejusdem ordinis Frater qualiscumque, salutem, & vitiis extirpatis pueros in fide & moribus instruere diligenter.

» Libellum de instructione puerorum ad preces plurium Fratrum ex dictis majorum & sanctorum auctoritatibus compilatum, ut detur occasio sapienti, nolo volentibus denegare. Et si rudia & parva sint & videantur quæ scripta sunt, secundùm sapientem aperta & simplicia decent bonitatem : nota enim superbiæ judicatur subtilia magis quàm utilia proferre, *&c plura.* Sumat ergo qui voluerit, quod pro pueris instruendis est oblatum «.

Hic autem est capitum index.

1. *De instructione puerorum.*
2. *De probationibus quod pueri sunt instruendi.*
3. *De probatione per auctoritates.*
4. *De probatione per rationes.*
5. *De probatione per exempla.*
6. *De illis qui tenentur pueros instruere.*
7. *De instructione per parentes.*
8. *De modis instruendi.*
9. *De instructione per patrinos.*
10. *De castitate puerorum.*
11. *De charitate puerorum.*
12. *De instructione per magistros.*

Sec. XIII. 13. *De moribus magistrorum.*
14. & 15. *De instructione in fide.*
16 *De multiplici acceptione fidei & symbolo, quare sit compositum & quibus auctoribus.*
17. *De instructione morum.*
18. *De honore parentum.*
19 *De moribus virginum.*
20. *De scientia qua pueri sunt instruendi.*
21. *De modo acquirendi scientiam.*
22. *De modo studendi.*
23. *De familia regenda.*
24. *De pauperibus.*
25. *De sermonibus ad pueros.*
Cap. I. *De instructione puerorum. Simon Joannis diligis me? Pasce agnos meos: pasce inquam quia mihi gratum, tibi lucrum, agnis necessarium &c.*

Opellæ subjiciuntur duo sermones ad pueros in exemplum.

Eodem cod. eodemque charactere sequuntur tractatus breves *De confessione, De oratione, De labore, sermones quidam & tractatus de oculo & perspectiva:* qui cum conveniant cum præcedenti, forsan ejusdem sunt auctoris.

Hunc libellum ante MCCLXIV scripserat: nam eo anno in comitiis ordinis Parisiis celebratis, sic habetur admonitione penultima:

Item priores provinciales habeant curam, quod prædicetur pueris in scholis, & confessiones eorum si ipsi confiteri voluerint audiantur. Et prædicantibus dictis pueris fiat copia de libello, qui est compilatus de hujusmodi prædicatione. Quæ de alio quam de superius relato non facile intelligas. Cui licèt in cod. Sorbon. desit nomen Guillelmi, quin eum habeat auctorem, non dubitaverim, & quod sit ejus ætatis, & quod nostrorum alium de hac materie expresse tractasse non invenerim

2. *Postilla in universa Biblia fere.* Carnutis apud nostros anno 1674 adhuc visebantur: in Matthæum verò Trecis apud nostros MS servari dicunt. De his sic Ludovicus a Valleoleti in sua tabula n. 32: *F. Guillelmus de Tornaco scripsit super epistolas Pauli, & super alios libros Bibliæ, & alia multa.*

3. *Commentarium in* IV *libros sententiarum.* Quod S. T. magistris fere in more.

4. *Sermones de tempore & de Sanctis.* Lovanii ad S. Martini dicunt haberi, licèt in elencho Sanderi non recenseantur. Vide supra ad 1273 *F. Ægidius de Aurelianis*, ubi in indice eorum qui hoc anno Parisiis concionabantur & ipse ex illis unus est.

Anno MCCLXXV provinciæ Franciæ comitia Cenomani coacta sunt, in quibus Patres litteram communem sacro cardinalium collegio scripserunt, qua B. M. Ludovicum IX Francorum regem Sanctorum fastis inscribi enixissime postulabant, & post provinciæ præfectum F. Joannem de Castellione, primus subscripsit Guillelmus de Tornaco, quod argumentum est primum in capitulo sedisse diffinitorem. Pluribus annis vixisse postea, imo & ad annum MCCXCIII pervenisse, ad quem eum refert Lusitanus, libens concesserim: sed cùm nec dies nec annus prodantur, quibus vivere desiit, ad annum MCCLXXV quo certo florebat, ejus meminisse visum est commodius.

F. FRANCISCUS DE ARIMINO.

* 1275. F. FRANCISCUS DE ARIMINO laudatur a Rovetta ad 1275 in suo indice ad quem tamen annum nihil de eo habet. Fuit quidem F. Franciscus Portius patria Ariminensis a Calixto III XV martii MCCCCLVI episcopus Cerviensis sub Ravennatensi promotus, qui & eam Ecclesiam rexit ad ad MCCCCLXXIV quo anno obiit. Ita Ughellus & ex eo Fontana in Theatro, memineratque antea Leander Albertus fol. 126 a, sed nec ætas convenit, nec huic episcopo ulla inscribunt opera.

F. PETRUS DE TARENTASIA.

F. PETRUS DE TARENTASIA ab originis suæ loco, quæ civitas est Centronum metropolis, Monasterium in Tarentasia hodie dicta nuncupatus, illustri familia natus est circa 1225, ut vulgo ferunt. A puero etiam in ordine enutritus fuisse dicitur, quod si verum, etiam Lugduni vestem Dominicanam induerit, aut si Parisiis ut aliis placet, certo ex legibus tum in ordine servatis, conventus Lugdunensis nomine acceperit: Burgundus autem in annalibus nostris vulgo nominatur, seu quod ejus provincia natalis, ut & Sabaudia, Delphinatus, Provincia, sub regno Burgundiæ tum concluderetur, seu quod conventus Lugdunensis ad eam provinciæ Franciæ partem attineret, quæ natio Burgundiæ dicebatur. Literis verò applicitus Parisiis in gymnasio Sanjacobeo ita emicuit, ut magnum sibi in universitate fecerit nomen. Anno 1259 jam in ea sacras literas interpretatus fuerat, sed & sententias ex superiore loco docere inceperat, unde & jam licentiatus & laurea donatus, sacræ enim theologiæ magister dicitur in actis cap. gener. eo anno apud Valencenas habiti, & cum FF. Alberto magno, Bonohomine Britone, Thoma de Aquino, Florentio Gallico delegatus fuit, qui statuta pro studiis generalibus præscriberet. Ut magnæ vir erat prudentiæ, mox ad suorum regimen assumtus est, & circa 1265 etiam provinciæ Franciæ præfectus provincialis, at licèt jam magisterii laurea decoratus, quia tamen ad complendum eo titulo muneris docendi triennium, duo adhuc anni lectionis sententiarum supererant exequendi, in comitiis ordinis Bononiæ 1267 diffinitorum secundis ab onere provincialatus solutus est & Parisiis ad legendum scholasque regendas assignatus: quod mox ut implevit, in comitiis provincialibus Parisiis 1269 continenter post generalia diffinitorum prima celebratis, iterum votis communibus prior provincialis electus est: ea porro in specula positus tantum sapientiæ fulgorem emisit, ut anno 1272 circa pentecosten assumtus fuerit antistes Lugdunensis & Galliarum primas, continuoque temporalium ejus Ecclesiæ de more administrationem habuerit licèt nondum consecratus. Quandonam autem inauguratus fuerit, non produnt tabulæ Lugdunenses, certum nondum fuisse 2 decemb. 1272, & an unquam fuerit, priusquam ad purpuram promoveretur, locus est dubitandi. Nimirum anno 1273 in collegium cardinalium ascitus est a Gregorio X, & episcopus Ostiensis ac Velletrensis renunciatus in quatuor temporibus sive Pentecostes quæ eo anno accidit 28 maii, sive septembris circa 20 mensis: certo jam consecratus erat 15 novemb. ut constat ex instrumento codicis MS Avenionensis, in quo sic se signat *Petrus Ostiensis & Velitrensis episcopus, administrator archiepiscopatus Lugdunensis*, uti refert Petrus Maria Campi *Histor. Eccles. di Piacenza lib.* 19 *p.* 263 *b.* quæ probant tum nondum Ecclesiam Lugdunensem abdicasse. Eam tamen reliquerat ante concilium Lugdunense II, siquidem Aymarus ejus successor ea ratione constitutus est concilii custos. Quantum verò in ea synodo œcumenica claruerit Petrus noster, narrant annales ecclesiastici legendi, in quibus refertur primæ sessioni 7 maii 1274 habitæ affuisse, & inter primos patres, sed post F. Bonaventuram ex ordine Minorum episcopum Albanensem sedisse, quod indicat hunc prius †1276.

consecratum. Plures in ea synodo omnium quæ unquam fuerunt numerosissima sermones habuit: laudantur præsertim unus 7 Junii dictus. Princ. *Leva in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Isa.* 49. 18. De concordia Ecclesiæ Græcæ, cujus antistites mox venturi nunciabantur. Alter *die veneris 6 julii in octava apostolorum Petri & Pauli sessione* IV *existentibus in loco ubi D. Papa cum diacono cardinali sedebat, nunciis imperatoris Græcorum a latere dextro post cardinales &c. & F. Petrus Ostiensis prædicavit, qui D. papæ pro presbytero serviebat, thema scilicet, Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis &c. Psal.* 75, 5. Sic cod. Reg. Paris. n. 4130 fol. 204 b. Tertius *in exequiis F. Bonaventuræ Albanensis episcopi, quibus interfuit ipse D. papa cum omnibus cardinalibus, & quasi omnibus prælatis qui erant in concilio & tota curia, & F. Petrus Ostiensis celebravit missam, & prædicavit proposito themate, Doleo super te Frater mi Jonatha &c.* Id verò die dominica julii 15. *Die 16 julii facta est* V *sessio, in qua antequam D. papa intraret ecclesiam, F. Petrus Ostiensis episcopus præsentibus omnibus prælatis baptizavit unum ex nunciis Tartarorum cum duobus sociis &c.* ex eod. cod. reg. fol. 206, a. Quem Labbeus videtur exscripsisse in conc. gen. Terminato concilio lateri summi pontificis deinceps ædhæsit Petrus, eratque cum eo Bellicadri 18 aug. 1275. Hinc eumdem Italiam repetentem comitatus est, eoque Aretii 10 jan. 1276 defuncto, in conclavi 21 mensis ejusdem coacto, post missam de spiritu sancto primo scrutinio mox omnium votis, præterquam suis, nam præsens aderat, eidem suffectus est & pastor Ecclesiæ universalis salutatus. Romam Aretio citius progressus, in basilica S. Petri 22 febr. fuit coronatus: inde in palatium Lateranense secessit, ex quo literas encyclicas exaltationis suæ per orbem misit 6 Kal. martii anno 1 datas. At cùm præclara omnia de tantarum virtutum pontifice sperabantur, bonorum vota elusit mors immatura, qua collectus est 22 junii 1276 relicta non vulgaris sanctitatis opinione. Jam verò quia eruditis placet vetera monumenta legere, quibus in hac relatione usi sumus, visum est hîc addere.

1. F. Stephanus Salanhacus in catalogo magistrorum Parisiensium. n. 16: *F. Petrus de Tarentasia de quo habetur supra, qui fuit postmodum archiepiscopus Lugdunensis, cardinalis & papa Romanus.* Adjecit hanc notam: *A principio usque ad 1259 fuerunt præcedentes.*

2. In actis cap. gen. Valencenis 1259: *De mandato magistri & diffinitorum ad promotionem studii ordinatum est per Fratres Bonumhominem* (nempe *Britonem*) *Florentium* (scilicet *Gallicum de Hidinio*) *Albertum Teutonicum, Thomam de Aquino, Petrum de Tarentasia magistros theologiæ Parisius qui interfuerunt dicto capitulo, quod lectores*, &c. Ex his habetur Petrum nostrum jam anno 1259 fuisse laureatum.

3. Bernardus Guidonis in catalogo priorum provincialium Franciæ: *F. Petrus de Tarentasia diœcesis Viennensis bis fuit provincialis, prima vice absolutus propter magisterii gradum, & ea de causa missus fuit Parisius in cap. gen. Bononiæ* 1267. Cùm autem anno 1261 F. Rodulphus Labbé sive Abbas dictus electus fuerit anno 1261 in comitiis provinciæ Cadomi habitis, eo vel amoto vel ut conjicio verisimilius in officio defuncto, medio tempore circa 1265 citius vel tardius ad id munus evectum Petrum autumo.

Postea idem Bernardus ibidem: *F. Petrus de Tarentasia pro secunda vice successit F. Joanni de Castellione* (in comitiis generalibus Parisius 1269 amoto) *fuitque de provincialatu Franciæ ad archiepiscopatum Lugdunensem evectus anno 1272: vacavit provincialatus Franciæ inter moras electorum anno quasi dimidio.* Et hinc colligo circa festum pentecostes Lugduni constitutum præsulem: nam si quibusdam mensibus antea, etiam facta fuisset electio successoris ante pentecosten, cùm autem ex eodem Bernardo facta non fuerit nisi in cap. provinc. Carnutis habito post generale Florentinum, sequitur circa pentecosten vel paulo ante vel paulo post Petrum ob electionem Lugdunensem provincialatum dimisisse.

4. Extat instrumentum editum in Spicilegio Dacheriano T. VIII pag. 250, & relatum etiam a Claudio Francisco Menestrier S. J. *Histoire de Lyon* quod sic incipit: *Nos F. Petrus divina miseratione primæ Lugdunensis Ecclesiæ electus, notum facimus universis, quod cùm nos excellentissimo D. N. Philippo ejusdem gratia Franciæ regi illustrissimo offerremus fidelitatem debitam, dictum fuit nobis ex parte dicti D. regis, quod nobis non licuit gerere administrationem bonorum temporalium Ecclesiæ Lugdunensis circa Sagonam ante exhibitionem fidelitatis prædictæ. Ad quod respondimus, quod proximus prædecessor noster &c. & alii prædecessores nostri gesserunt & administraverunt prædicta bona temporalia antequam excellentissimis D D. Franciæ regibus fidelitatem debitam exhiberent &c. Actum die veneris post festum B. Andreæ apostoli. A. D.* MCCLXXII. Ex quo colligo 2 decemb. 1272 nam erat lit. Dom. B. nondùm fuisse consecratum, & tamen jam ab electione temporalia gessisse & administrasse.

5. Bartholomæus, vulgo dictus Ptolomæus Lucensis *Hist. Eccl. nov. lib. 23 c. 2* de Gregorio X loquitur sic: *Hic fecit unam ordinationem cardinalium proborum virorum, inter quos fuerunt duo magistri in theologia, quorum unus fuit de ordine FF. Prædicatorum, quem ipse fecerat archiepiscopum Lugdunensem & factus est Ostiensis, vocatusque est F. Petrus de Tarentasia vir magnæ religionis & doctrinæ, qui multo tempore rexit Parisius in theologica facultate &c.* Et c. 17: *Anno autem D. 1276 Innocentius V in summum pontificem assumitur in festo S. Agnetis. Quis autem iste fuit, & unde originem traxit dictum est supra, sed quid egit nunc est dicendum. Hic subito promotus fuit, & subito defunctus, quia in eodem anno per Gregorium præfatum factus fuit archiepiscopus Lugdunensis, & nondum consecratus in dicta dignitate, factus est per eumdem episcopus Ostiensis & infra annum defuncto Gregorio apud Aretium, ibidem a cardinalibus eligitur in papam. Sedit autem mensibus quinque & diebus duobus: & vacavit diebus 17. Recedens igitur cum curia de Aretio vadit Romam & in S. Petro coronatur & consecratur. Inde se transfert ad ecclesiam Lateranensem, & ibidem infirmatur, ac in 22 junii moritur, & in magna gratia collegii, ac præsente rege Carolo in eadem ecclesia honorifice sepelitur.* In quibus nota (*nondum consecratus in dicta dignitate*) ideo dixi, an archiepiscopus Lugdunensis consecratus fuerit, priusquam episcopus Ostiensis, locum esse dubitandi.

6. Quandonam autem ad episcopatum Ostiensem promotus, mirum quam inter se varient auctores. Quidam enim volunt id factum in IV temporibus Pentecostes 1273. Sic innuit Salanhacus noster in Elencho nostrorum cardinalium, n. 3: *F. Petrum de Tarentasia magistrum in theologia, primo priorem provincialem Franciæ, deinde archiepiscopum Lugdunensem, inde assumsit in cardinalem episcopum Ostiensem D. Gregorius papa X A. D. 1273. infra octavas pentecostes.* Consentit

Sec. XIII. anonymus auctor chronici ea ætate vivens a Petro Maria Campi citato laudatus, qui sic habet: *Post hæc ordinatis quinque sedibus episcopalibus, quæ cardinalatus honorificentia decorantur, de ipsa Urbevetana civitate iturus Lugdunum recedens, pervenit Florentiam &c.* Certum autem Gregorium X ex eo itinere Florentiam pervenisse 18 junii 1273, ac proinde illam cardinalium promotionem Urbeveteri antea factam 2 aut 3 junii feria 6, vel sabbato IV temporum Pentecostes. Accedit quod D. Vicecomes alter ex quinque cardinalibus tum promotis episcopus Prænestinus eo titulo ornatur in quodam instrumento Florentiæ dum illac eo anno transiret Gregorius transacto, ut refert idem Petrus Campi. Alii volunt promotionem illam factam in IV temporibus septemb. Id videtur innuere auctor anonymus chronici anno 1295 scripti: *Qui* (D. Papa Gregorius,) inquit, *die jovis proximo* (nempe 12 octobris 1273) *se movit de Mediolano, & ivit ad Morimundum ad hospitandum, & D. comes sequitur eum cum ambaxiatoribus communis Papiæ causa loquendi sibi. Qui D. papa in temporalibus proximis præteritis fecit quinque cardinales scilicet D. Vicedominum Placentinum, item Bonaventuram ordinis Minorum, item archiepiscopum Lugdunensem &c.* Sic refert idem P. M. Campi. IV autem tempora proxime præterita septembria erant. Nec desunt qui velint eam promotionem Lugduni tantùm factam, quo tandem circa initia novemb. 1273 pervenit pontifex. Sic enim Bernardus Guidonis in chronico summorum pontificum codd. Colbert. MS 652 & 1521: *Hic Gregorius papa fecit unam ordinationem apud Lugdunum quinque cardinalium quos assumsit, inter quos fuit unus F. Petrus de Tarentasia de ordine Prædicatorum magister in theologia tunc archiepiscopus Lugdunensis, alter verò fuit F. Bonaventura magister in theologia, minister generalis ordinis FF. Minorum &c.* Verum est in aliis codd. Colbert. 735, 2555, 4086, 5982 abesse *τὸ apud Lugdunum.* Quibus addi potest, quod F. Reginaldus S. Thomæ de Aquino ad concilium Lugdunense eunti circa finem anni 1273 vel potius initia sequentis dicebat ut legitur in Actis SS. T. I. Martii p. 712 b. *vos & F. Bonaventura eritis cardinales.* Quod signum est saltem promotionem S. Bonaventuræ tum nondum Neapoli cognitam. Si autem jam a pentecoste ad eam dignitatem evectus fuerat, qui ad finem ejus anni Neapoli publica non fuerit, difficile quis æstimet. Quæ concordari fortè possent fatendo promotionem quidem factam in feriis pentecostes 1273 sed non propalatam nisi ut quisque promotorum ad summum pontificem accedebat: sic Vicedominus Placentinus qui cum eo erat Urbeveteri, & subito declaratus, S. Bonaventura qui pontifici occurrit mense septembri inter Mediolanum & Florentiam & tum propalatus, Petrus verò noster qui Gregorium expectasse Lugduni videtur, & tum solum publicatus, tamen ante 15 novembris, quo die ut supra dictum est se Ostiensem signat. Quæ tamen peritiorum arbitrio permitto omnia. Non audiendos autem illos qui ad pentecosten 1274 hanc promotionem prolatant, egregie probat dictus P. M. Campi, tum quod & S. Bonaventura & Petrus noster sederint inter cardinales sessione prima concilii Lugdunensis habita 7 maii, cùm Pentecostes 20 ejus mensis acciderit, tum quod in pluribus pontificiis diplomatibus antea datis uterque nominetur cardinalis, ut in bulla ad archiepiscopum Magdeburgensem data 27 febr. 1274 F. Bonaventura episcopus Albanen. in altera pro confirmatione privilegiorum ordinis Cœlestinorum data Lugduni 22 martii 1274 cui cum aliis cardinalibus tum præsentibus suscribit quartus F. Petrus Ostiensis & Veletrensis episcopus. Vide Petrum Campi citatum p. 263 & 447.

7. De pontificatu verò Petri nostri sic Bernardus Guidonis cod. Colbert. 152, 735, 1901, & aliis: *Innocentius V natione Burgundus de Tarentasia Sabaudiæ fuit electus in papam apud Aretium Tusciæ civitatem in festo S. Agnetis A. D. M. CC. LXXV secundùm illos qui annos Dominicæ Incarnationis in Annunciatione Dominica incipiunt computare: secundùm verò morem illorum, qui annos Dom. Inc. in natali Domini incipiunt computare scribitur A. D. M. CC. LXXVI, seditque in papatu mensibus V dieb. II: vacavit sedes dies XVIII. Hic prius nominatus est F. Petrus de Tarentasia, qui a pueritia sua in ordine FF. Prædicatorum optimæ indolis conversatus, doctor & magister Parisius in sacra theologia efficitur, & inde provincialis FF. Prædicatorum Franciæ: deinde in archiepiscopum Lugdunensem assumitur, & de archiepiscopatu eodem anno in cardinalem episcopum Ostiensem, tandemque in summum pontificem est elevatus in Aretio civitate. Veniens autem inde Romam coronam recepit in sancto Petro, & inde secessit in Lateranum. Hic præfecit episcopum Ecclesiæ Albiensi V. virum D. Bernardum de Castaneto de Montepessulano tunc sacri palatii auditorem, nonis martii pontif. sui anno primo. Hic licèt multa facere proposuisset, morte præventus non potuit adimplere, sed proh dolor! in suo ortu exaruit flos decorus: cito namque tulit eum Deus. Obiit autem Romæ sepultus in ecclesia Laterani A. D. M. CC. LXXVI XXII die mensis junii.*

8. His addit Tolomæus de Luca citatus c. 18: *Hic propter brevitatem temporis pauca fecit. Duo tamen referuntur de ipso: unum est quod misit duos legatos in Tusciam cum ambaxiatoribus regis Caroli, & pax est facta inter Lucanos & Pisanos per dictos legatos & ambaxiatores regis. Tunc enim quasi tota Tuscia conjuraverat contra Pisanos, sed per adventum dictorum legatorum & ambaxiatorum omnia sunt pacificata in Tuscia. Secundum quod fecit Innocentius prædictus, fuit, quia præcidit quæstionem quam habebat Ecclesia major Viterbiensis cum Fratribus Prædicatoribus super corpore Clementis IV: quia mandavit dictum corpus dictis Fratribus restitui, cùm invenerit apud ipsos elegisse legitime sepulturam. Dicti autem canonici memoratum corpus arrestatum tenuerunt usque ad tempora pontificis supradicti.*

9. F. Nicolaus Trivet noster in chronico ad an. 1276 p. 638 T. VIII Spicilegii Dacheriani: *Gregorius papa apud Aretium defunctus ibidem traditur sepulturæ. Succedit Innocentius V natione Burgundus de Tarentasia, dictus antea F. Petrus in ordine Prædicatorum, studio scripturarum deditus, ac doctor theologiæ Parisius factus. Sapientia sua memoriam multa scribendo utilia posteris reliquit. Qui cùm esset vir religiosus eximiæ expertæque prudentiæ, primo prior provincialis Fratrum suorum in Francia, deinde episcopus efficitur Lugdunensis, demumque a papa Gregorio ad cardinalatum assumtus, constitutus est episcopus Ostiensis. Factus autem papa sedit mensibus V, diebus duobus: moriturque Romæ & in Lateranensi sepelitur, cui eodem anno succedit Adrianus V. &c.*

10. F. Ludovicus a Valleoleti in sua Tabula n. 8: *Sanctissimus in Christo P. & D. F. Petrus de Tarentasia Sabaudiæ nationis Burgundiæ, ut habetur de libro de SS. Pontificibus & Imperatoribus, ingressus est ordinem Prædicatorum anno ætatis suæ nono.* (A pueritia sua in ordine conversatum supra dicebat Bernardus Guidonis.) *Ubi virtuose conversatus fuit, magister in theologia Parisius, demum provincialis Franciæ, & inde archiepiscopus Lugdunensis, & eodem anno Cardinalis episcopus Ostiensis,*

demum

demum electus est in papam apud Aretium Tusciæ civitatem in festo S. Agnetis A. D. 1275 (stylo Gallico) *vocatus est Innocentius V. Hic famosissimus doctor scripsit*, quæ sequuntur, additis operibus quæ laudat noster Laurentius Pignon, quæ Ludovicus omisit.

1. *Super IV libros sententiarum.* Quod opus illud ipsum est & non aliud, in quo dicitur doctrinam D. Thomæ in compendium redegisse. Revera enim scriptum Petri est veluti compendium scripti S. Thomæ in sententias. Typis autem prodierunt hæc commentaria curantibus Tolosanis nostris ex cod. MS suæ Bibl. Tolosæ, Arnaldi Colomerii 1652 fol. T. I pagg. 398. II. 364. III. 357. IV. 493.

Innumera extant in Bibliothecis exempla MS memb. fol. Parisiis in Colbert. codices 2294, 2295, 2324, 2325, 2326, 3033. In Sorbon. codices quinque ætatis auctoris & melioris notæ. In Navarr. sex codices ejusdem ætatis. In Augustiniana ad pontem novum codices 234, 235, 236. In Sanjacob. nostra duo tresve codices *in* 2, 3 *&* 4. fol. memb. Prostabant venales Parisiis circa 1300 voll. quatuor memb. ex libro rectoris universitatis.

In Bibl. S. Marci Florentiæ Arm. III nn. 27 & 28. Plura exempla recensentur a Tomasino in suis Bibl. Venetis & Patavinis, ut & in catalogo codd. MSS Angliæ.

2. *Quodlibeta.* Sic Ludovicus a Valleoleti, qui proinde viderit. Venetiis apud nostros SS. Jo. & Paul. Alt. Par. Pl. 3 laudantur ejus *Quæstiones* cum scripto *in* I *sent.* compactæ fol. memb.

3. *Super Pentateuchum.* Sic omnes, sed quæ postillæ alicubi jam neglectæ jaceant, cùm ubi habeantur nemo aperiat. Sixtus Senensis addit *commentaria in psalmos & cantica*, quæ *de canticis canticorum* interpretatur Altamura: penes quos fides, cùm apud antiquiores altum de his sit silentium.

4. *Super Lucam.* Sic etiam omnes antiquiores & recentiores. Prostabant venales Parisiis circa 1300 cod. MS memb. peciarum XXXII cum ejusdem postillis in Paulum peciarum LXX ex libro rectoris universitatis.

5. *Super epistolas Pauli.* Has postillas plurimum laudant antiqui scriptores Trivetus citatus, Bernardus Guidonis vocat gratissimas. S. Antoninus Hist. P. III Tit. XXIII, cap. XI, §. II: *Scripsit etiam super epistolas Pauli egregie cum distinctionibus septimembribus, ut plurimum in qualibet lectione, quæ valent ad materiam prædicandi.*

Quænam illæ & ubi serventur quæret quis? Eas autem esse fere mihi certum, quæ sub nomine nostri Nicolai de Gorran typis prodierunt hoc principio *Dedi te in lucem gentium*, Coloniæ, Joan. Koelhoff. de Lubek, 1478. Haganoæ 1502. Parisiis, Antonii de Bonnemere & Joan. Parvi 1521. Antverpiæ, Keerberg 1617: fol. ubique. Cur autem sic censeam hæc me movent, quia illæ postillæ editæ cum sententia de iis a S. Antonino prolata omnino conveniunt. Præterea extat in Bib. Sorb. exemplar harum postillarum fol. memb. ætatis auctoris ex legato magistri Stephani de Bisuntio aliter de Gebennis socii Sorbonici, qui certo floruit a 1274 ad 1286. Ad calcem autem ejus codicis eadem manu prima sic legitur: *Expliciunt epistola apostoli Pauli secundùm Fratrem Petrum de Tarentasia.* In indice antiquo ejusdem Bib. Sorbon. & qui videtur sec. XIV recensetur sic: *Banc. D. vol.* I *super epistolas B. Pauli, Petri de Tarentasia. Dedi te in lucem gentium.* Præterea in catalogo codd. MS Angliæ T. I P. III in Bibl. publica Cantabrigiæ, 2229 laudatur *Petrus de Tarentasia in epistolas Pauli.* Requisitus autem a me præfectus ejus Bibl. respondit Principium esse *Dedi te in lucem gentium*, & cætera omnino eadem ac in editis sub nomine Gorrani: ad calcem autem legi eadem totius codicis manu: *Expliciunt epistola apostoli Pauli secundùm F. Petrum de Tarentasia*, ut in Sorbonico. Quî exinde nulla Gorrano fiat injuria ostendetur postea ad 1295 ubi de eo. Recensetur & apud Tomasinum in Bibl. Venet. apud S. Antonium Plut. 18: *Petrus de Tarentasia in D. Pauli epistolas, cum notis marginalibus fol. memb.* Item in Bibl. Ultrajectina in sacris Bibliothec. arcanis pag. 305 Lusitanus laudat alios duos codd. MSS alterum apud nostros Bononiæ, alterum item apud nostros Toleti. Indigenarum diligentiæ est, quales sint hæ postillæ hîc addere, nosque si verum non attigimus hîc emendare. Etsi enim Altamura Bononiensis & Toletani codicum aliud esse principium asserat, scilicet *Illuxerunt corruscationes tuæ*: non tanta ei fides ut quid non exquiram certius. Eidem Petro nostro aliam postillam super easdem epistolas tribuit Altamura, cujus Princ. *Vas electionis.* At cùm omnes antiqui unicam ei vindicent, vel solum principium est diversum, vel alterius erit auctoris postilla ut S. Thomæ de Aquino, aut F. Gaufridi de Blevello, qui hoc principio utuntur.

Postilla *Dedi te in lucem &c.* extat Paris. apud Augustin. ad pontem novum cod. 177 & 99 fol. mag. memb. secunda manu ascripta Gorrano.

In Elencho codd. MSS Belgii apud Sanderum P. II p. 54 inter codices Corsendoncanos sic legitur: *Glossa in epistolas Pauli sine nomine auctoris. Item solutiones dubiorum super epistolas Pauli, Petri de Tarentasia.* fol. pergam.

6. Opuscula *De unitate formæ. De materia cœli. De æternitate mundi. De intellectu & voluntate.* Sic Laurentius Pignon, quæ fortè sua ætate viderit, sed quæ jam aut deperdita, aut alicubi neglecta.

7. *Decreta abbreviatione perutili & fideli in summam parvulam coarctavit.* Sic refert Trivetus citatus. Extat etiamnum Parif. in Victor. cod. 520 in 4 membr. ætatis auctoris. Titulus: *Decreta abbreviata, ut dicitur, a F. Petro de Tarentasia.* Prologus: *Verbum abbreviatum ait propheta, faciet Dominus super terram.* » Ineffabilis abbreviatio qua immensum fit modicum, æternum transitorium, incircumscriptibile circumscriptum. Si sic pro capacitate humana Dominus breviavit unicum liberum suum, quanto magis multiplicia verba brevianda sunt hominum. Gaudent si quidem non immerito brevitate moderni. Hinc igitur librum decretorum velut breviarium quoddam studiosus suscipiat lector diligenter fideliter & utiliter desudatum: in quo quæ minus necessaria videbantur, sic inveniet resecata, ut servatis quantum lex breviandi patitur, partium, distinctionum, causarum, quæstionum, capitulorum, §§, sententiarum librorum integritate, ordine ac tenore, si quis in aliquo dubitaverit, quasi ad fontem de rivulo recurrat ad ipsum authenticum consulendum. Hujus verò voluminis corpus unum quasi quodam trinitatis vestigio in tres partes, distinctionum scilicet, causarum, considerationum considera distributum, in quo de officiis, de negotiis, de sacramentis ecclesiasticis sufficiens ex dictis majorum capere valeas documentum. Singulæ verò partes sectione trifaria distinguntur. Primo namque partium prædictarum constitutionibus, ordinationibus, executionibus immoratur. In constitutionibus juris peritia, in ordinationibus potestas legitima, in executionibus administratio canonica continetur. Secunda pars accusationum, actionum, obliga- «

SEC. XIII. » tionum ecclesiasticarum continet disciplinam. » In accusationibus, in actionibus regula gerendorum, in obligationibus describitur copula » nuptiarum. Pars III sanctificationem prosequitur rerum, temporum, personarum. In rebus locorum & hostiarum consecratio: in temporibus feriarum jejuniorumque observatio: in personis animarum per sacramentum & meritum purificatio declaratur. Consummati verò operis » Deo gloria, actoris meritum, utilitas sit lectorum «. Finis totius opellæ: *Nisi quod viderit patrem facientem.* Codex habet foliola 239, a me visus 9 junii 1704.

8. Præter actiones laudatas quas habuit in synodo Lugdunensi II, hi ejus sermones ex ore concionantis excepti servantur Parif. in Sorbona aliis aliorum permisti, cod. fol. par. memb. n. 960: 16 *De trinitate. Benedicat nos Deus &c. Collatio eodem die.* 21 *De Magdalena. Anima mea liquefacta est* 22 *Item de Magdalena. Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum.* cod. n. 1500 fol. par. memb. 9 *F. P. prior. Innocentes & recti adhaeserunt.* 10 *F. Petrus prior provincialis de ordine Prædicatorum. In conversione S. Pauli. Saule Saule quid me persequeris?* cod. n. 1013 fol. par. memb. ex legato D. Stephani de Abbatisvilla canonici Ambianensis, cujus libri in Bibliothecam dicuntur allati anno 1288 n. 148: *F. Petrus de Tarentasia in die natalis Domini. Veritas de terra orta est.* n. 149: *Idem in die S. Joannis Evang. Quartum animal simile aquilæ &c.* Sunt & alii in similibus collectionibus sermonum celebriorum suæ ætatis concionatorum, quas quis otiosior in unum compingat, & edat si videbitur: hæc tantum in gustum propono, ut & facundia claruisse videatur.

9. *Compendium theologiæ* quod incipit *veritatis theologicæ* ei ascribitur a Ludovico de Valleoleti, ut & a Lusitano & Altamura: & revera quidam codices a me visi ejus nomen ut auctoris præferunt, sed cùm a S. Antonino disertis verbis asseratur hoc compendium non esse Alberti magni, aut S. Thomæ de Aquino, quibus etiam tribuitur, sed cujusdam doctissimi viri, qui vocabatur *F. Thomas*, commodius de auctore hujus compendii agetur, ubi de *Thoma Sutton* Anglo.

10. *Registrum ejus epistolarum* paucis mensibus sui pontificatus: quarum aliquas refert Odoricus Raynaldus in Annal. Eccles. Omissam ab eo datam literarum creationis nostri Petri queritur Papebrochius in Propylæo Maii, sed hoc incommodum levat Soëgius noster mense Junio anni Dominicani, ubi eas referens præstat datas VI Kal. martii anno I. Gravissima illa est quam ad ordinem Prædicatorum scripsit e Laterano VI Idus maii: quæ ab eodem Soëgio refertur ibidem, & ejus commentariis in sententias præfixa legi etiam potest. In ea se ad ordinem *a tenera ætate vocatum, & sanctæ paupertatis deliciis enutritum* fatetur. Duo diplomata ejusdem in causa canonizationis B. Margaritæ de Hungaria refert Petrus Maria Campi citatus p. 488 & seq. Non omittendum Breve apostolicum Gregorii X datum XV Kal. sept. anno 4 idque Bellicadri, quo ei condendi testamenti licentiam facit, quod & hîc visum est addendum.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Venerabili Fratri Petro Ostiensi & Velletrensi episcopo, S. & A. B.

» Quoniam humana fragilitas mortis imminentis » præcipue cogitatione turbata, nequit plura memoriæ commendare, tuæ circumspectionis prudentia extremum vitæ tempus consilio prudenti » præveniens, circa certam dispositionem bonorum, » humani perplexitatem & incertitudinem exitus » prævenire desiderans, supplicatione humili postulavit disponendi libertatem, quam in bonis ecclesiasticis juris censura non patitur, de gratia speciali apostolica tibi auctoritate concedi. Nos itaque qui « sic personam tuam specialis dilectionis brachiis amplexamur, quod & tuæ salutem animæ ferventius affectantes, circa ea quæ salutem ipsam respiciunt, desideramus tibi promtis affectibus providere, ut de bonis tuis tam ecclesiasticis quam « mundanis licite condere testamentum concedimus « facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat « hanc paginam concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumserit, indignationem, omnipotentis « Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus « se noverit incursurum «. *Datum Bellicadri* XV *Kal. septemb. pontif. nostri anno* IIII.

Nobis autem non probatur quod laudatus supra Soëgius sibi persuasit Petrum nostrum illum esse Burgundum, de quo in Vitis-Fratrum P. IV, cap. 13 § ultimo in codd. MS.

Hic enim jam philosophiæ metas excesserat & de theologia arripienda cogitabat, priusquam de ordine intrando consilium caperet, quæ puero non conveniunt, qualis erat Petrus cùm conventum ingressus est. Etsi enim ille Burgundus de quo in Vitis-Fratrum is dicatur, *cujus conversatio sancta & sana doctrina fuit, & fama præclara*, quot tales præter Petrum nostrum inter *primos qui nostrum ordinem intraverunt*? ut ibi dicitur. An non talis F. Guillelmus de Peraldo? F. Gaufridus de Blevello sacræ theologiæ magister Parisiensis & Innocentii IV pœnitentiarius? & innumeri alii in ipsis initiis ordinis asciti & certo Petro antiquiores, & longe ante ipsum mortui? Multo minus placet quod omni conatu videtur contendere illum esse Petrum qui cum Hugone nostro & duobus Minoritis nuncius seu apocrisarius missus est a Gregorio IX ad Joannem Vatacium imperatorem constantinopolitanum de resarcienda Græcæ Ecclesiæ cum Romana concordia, & concilio Nymphæi affuit anno 1233. Nam ut omittam tum minimum annorum 30 natum esse debuisse ut eo titulo mitteretur, proindeque non videri conveniens, ut vir tantarum dotum, qualem se præbuit ille nuntius ita retardatus fuisset, ut non nisi circa 1257 ad legendas sententias Parisiis assignaretur, & anno demum 1269 magisterium perficeret, cùm alii interea juniores nec ejus meriti promovebantur, longe verisimilius est F. Petrum de Sezana de quo supra, qui de se narrat se cum aliis a Gregorio IX ad illum imperatorem missum, eum esse apocrisarium Hugonis socium: adde alios non defuisse tum in ordine Petros, qui hoc munere fungerentur. Itaque cùm nemo alius id hactenus de Petro de Tarentasia cogitarit, quem circa 1225 tantum natum communiter ferunt, eam narrationem inter pias Soëgii meditationes reponito. Videsis acta ad caput commentariorum Petri nostri de ejus vita edita.

Ejus meminit Franciscus Augustinus della Chiesa inter suos Insubres scriptores, sed opera non accurate refert: cavesis etiam a Maraccio, qui vult scripsisse in Evangelium *Missus est*, & in canticum *Magnificat*, quod non accipias quasi quid diversum sit a *commentario in Lucam*. Hinc nomenclator est ubique cum magna cautela legendus, ac fere negligendus.

F. THEODERICUS CATALANUS.

F. THEODERICUS CATALANUS seculo XIII claruit sub Aragoniæ rege Jaymio I expugnatore dicto, Valentinam sedem in eo regno occupante F. Andrea de Albalate ex ordine Prædicatorum assumto, qui eam tenuit ab anno MCCXLVIII † 1276.

ad MCCLXXVI. Virum fuisse pietatis non vulgaris, ac ejus eruditionis quam πολυμαθείαν vocant, præclararumque omnium dotum, probant quæ obivit capellani Romani pontificis & apostolici pœnitentiarii munia: tum quæ semper illi fuit cum laudato Valentino præsule gentili suo & symmysta inter illustres suæ ætatis nominatissimo consiliorum studiorumque conjunctio, ac denique quæ edidit opera, quorum hæc adhuc supersunt lingua sua Catalana scripta.

Primum sic incipit: *Le comensament del libre le qual compila Frare Thederich de l'orde delz Preicadors explanar per Galien correger de Mayoche: & content al comansement quina cosa es cirugia.* Id est Initium operis, quod compilavit F. Theodericus ordinis Prædicatorum, in quo primo explicatur quid sit chirurgia.

Al honrable pare e amich molt car an Andreu per la gracia de De bisbe de Valencia Frare Thederic, &c. Id est Honorando patri & amico carissimo Andreæ gratia Dei episcopo Valentino.

Opus in tres aut quatuor libros dividitur de chirurgia tractantes ad librum Hugonis de Luca hujus artis peritissimi. Ad hujus calcem addidit auctor tractatum eadem sua vernacula lingua *del sublimament del Arsenich*, seu de præparatione Arsenici sive salis Armoniaci.

Alterum sic incipit: *Asa comença la cirugia delz Cavalz, per so que sien curats, he nudrits, he engendrats secons la sua valor, que li porteyn;* id est de curatione equorum, ut habeantur, nutriantur, & generentur, ut decet, juxta sui generis nobilitatem. Sunt in hoc opere CIX capita.

Tertium sic incipit: *Assi comensa lo libre del nudriment he de la cura dells ocels los quals se portayen ha cassa;* id est de cura accipitrum aviumque aucupum liber unus, in librum Isaaci filii rege jubente Almassore scriptum, ex Arabico translatum a Galieno de Cremona.

Quæ opera extant Parisiis in Bibl. Reg. cod. MS membranis vitulinis in fol. n. 7249 sec. XIII F. Andreæ de Albalate episcopo Valentino ab auctore nuncupata, ut qui ejus hortatu ea scripserat

Recensentur etiam in catalogo codd. MSS Angliæ T. I P. I, 7802: *Cirugia; id est chirurgia F. Theoderici ordinis Prædicatorum*, memb. 4.

Ejusdem videtur qui ibibem scilicet T. II P. I n. 8860 numeratur: *Tractatus de virtutibus aquæ vitæ per F. Theoricum ordinis Prædicatorum.*

Simlerus & ex eo Beughemius in incunabulis typographiæ primum Theoderici opus *De chirurgia* typis prodiisse testantur. Sic enim uterque: *Theodorici episcopi Cerviensis ordinis Prædicatorum chirurgiæ libri tres secundùm medicationem Hugonis de Luca sermone barbaro impressi Venetiis anno 1499 cum aliis diversis chirurgis in fol.* Iterum ibid. 1513 & 1519. Quæ duæ ultimæ editiones extant in Bibl. Bodleiana.

At uterque allucinatur vel typotheta, cùm opus Cerviensi episcopo tribuit, quod est nostri Theoderici Catalani qui sermone vulgari suæ provinciæ illud scripsit. Alius verò est F. Theodoricus Borgognonus (sic enim Leander Albertus fol 120 a.) *Lucensis Etruscus, vir omni religione ornatus, antistes Cerviensis, qui postquam annis duobus & septuaginta ord. Prædic. togam portaverat, & Cerviensi Ecclesiæ 42 præfuerat, & annos tres & nonaginta in humanis egerat, Bononiæ vita excessit, & sepultus in æde majori templi Prædicatorum ad lævam majoris aræ sepulcro lapideo insculpto, quod adhuc cernitur a se constructo &c. Dictam ædem prout præse fert inscriptio graphice in ejus sepulcro posita, egregie ipse a solo erexit, certe opus insigne & dignissimum prout videri potest, quod minime absolutum fuisse arbitror nisi ingenti & grandi pecunia.* Cujus epitaphium cùm Fontana in *Theatro* corrupte referat, sic restituendum ex Ughello Ital. Sac. T. II: *Sepulcrum vener. P. F. Theodorici de Luca episcopi Cerviensis ord. FF. Prædic. Hanc capellam fecit fieri F. Theodoricus de Borgognonibus de Luca ord. Prædic. episcopus Cerviensis qui habens in ætate sua LXXXXIII annos, in episcopatu verò. . . . . . Obiit anno Domini MCCLXXXXVIII in vigilia nativitatis Domini. Orate pro eo.* Quæ fere conveniunt cum Leandro. Sic natus anno 1205 ordini nomen dederit anno 1226. Discrimen solum erit quoad annos episcopatus, juxta Ughellum ad 32 circiter reducendos. Ut ut sit, licèt opus de chirurgia e Catalano Latine reddere potuerit, cùm nemo id referat, non nisi temere asserat quis. Unde ex cognatione nominis Theodorici delusum putem editorem Cerviensi quod erat Catalani qui episcopus non fuit ab aliquo barbare versum opus tribuisse. Longe abest a vero Altamura, cùm hunc Cerviensem episcopum amandat ad 1491. An autem Catalanus annum 1309 ad quem eum producit idem Altamura sine teste, nam Lusitanus nullum indicat, attigerit, & eo usque vixerit, mihi incompertum. Ejus meminit F. Ludovicus a Valleoleti in sua Tabula sic n. 60: *F. Theodericus scripsit Summam pulcram de scientia chirurgiæ:* Omisit verò vel ignoravit Antonius, neque enim eum laudat in Bibl. vet. Hispana. Sæc. XIII.

F. MORANDUS DE SIGNIA.

F. MORANDUS DE SIGNIA Italus a patria sic nuncupatus, (Signiam in Campania Romana seu in Latio reponit Leander Albertus fol. 121 b. edit. Ital.) S. Mariæ Novellæ Florentiæ alumnus fuit, & vir eruditione facundiaque præstantissimus sua ætate celebratur. Ab Alexandro IV ob eximias dotes ad Calliensem in Piceno sedem evectus anno MCCLIX, non paucos habuit pro summo pontifice a Ghibellinis tolerandos agones: quibus invicte superatis, oves suas deinceps tranquille rexit ad MCCLXV, quo IV non. octob. a Clemente IV ad ecclesiam Fanensem in eodem Piceno translatus, & hanc posteriorem sponsam egregiis virtutibus ornavit ad MCCLXXVI, quo vocatus a Deo ad meliora transivit. Concilio Lugdunensi II affuisse conjicit Fontana, & verisimillimum. Hunc Rovetta primus ad 1269 inter scriptores numerat, ceu a quo rei litterariæ relicta fuerint sequentia: * 1276.

Volumen adversus Græcorum errores.

Sermones de tempore & de Sanctis.

Sed ubi serventur & a quo visa sint non monet: sed addit a S. Maria Novella ad cœnobium Fanense filiationem suam mutasse, qua ratione eum Lombardis suis accenset, penes quem fides.

F. H. DE LUCEMBURGO.

F. H. DE LUCEMBURGO eo solo primo nominis elemento designatus in codice MS mox laudando, quem ex urbe ducatus Lucemburgensis primaria ortum, nostrique in ea conventus provinciæ Teutoniæ alumnum conjicimus, claruit ad senium vergente seculo XIII: scripsit hoc titulo: * 1276.

Constitutiones & ritus ordinis Fratrum Prædicatorum rhythmis Germanicis redditi.

Qui codex MS etiamnum servatur in celebri Sororum nostrarum monasterio quod Mariæ-vallis vulgo Mariamval seu Mariandal dicitur prope Lucemburgum: ad cujus codicis calcem sic legitur: *Anno Domini M. CC. LXXVI ætatis meæ XXVI, anno ab ingressu meo in ordinem VI sacerdotii I. Ego Frater H. ordinis Prædicatorum * minimum hunc libellum f.* * Minimus.

Sec. XIII. *de Latino in Theutonicum transtuli Sororis Jolandis priorissæ Vallis S. Mariæ ac aliarum Sororum precibus devictus, & fraternæ instructionis nihilominus zelo ductus. Jesus Christus,* Alexander Wiltemius S. J.. qui vitam Yolandæ dictæ scripsit ac edidit Antverpiæ, Marcelli Pariis, 1674 in 8, hunc auctorem eumdem esse censet, de quo sic legitur in martyrologio dicti monasterii: xv *kalendas septembris obiit Frater Henricus de Luxemburgo presbyter & confessor noster.* Idem sentit noster Ghilbertus de la Haye in Bibl. Belgo Dom. MS. Quibus haud ita facile ego assentiar, præsertim cùm velint Henricum hunc ipsi Yolandæ ab intimis fuisse, eique a sacris confessionibus: quæ certe in Fratrem H. non cadunt, qui anno 1276 vix attigerat 26 ætatis, & anno 1283 quo Yolanda mortua est trigesimum tertium ad summum agebat, quales monasteriis tum non præficiebant, sed ætate graviores, & præcipuis ordinis muniis functos. Censerem potius hunc Fratrem H. non distinguendum a F. Hermanno de Lucemburgo de quo mox, qui vitam & gesta Yolandæ rhythmis Germanicis perpetuis scripsit, cùm idem commentandi modus eumdem auctorem indicare videatur. Verùm hæc lectoris arbitrio permittenda.

F. VLRICVS ENGELBERTI DE ARGENTINA.

* 1277. F. Ulricus Engelberti de Argentina etiam sæpius simpliciter a patria & professione dictus, B. Alberti Magni discipulus fuisse vulgo fertur, exinde Argentinæ diutius lector, provinciæ Teutoniæ postea præfectus provincialis, quo munere videtur functus ab anno 1272 ad 1277: in actis enim cap. gen. Florentiæ 1272 coacti prior provincialis Teutoniæ absolvitur, cui Ulricus suffectus eodem anno fuerit, deinceps autem nulla Teutoniæ provincialis absolutio refertur ad annum 1277, quo in comitiis generalibus Burdegalæ habitis sic lego: *Absolvimus priorem provincialem Teutoniæ, & assignamus eum Parisius ad legendum sententias isto anno.* Hunc enim nostrum esse Ulricum jam jam patebit. Lutetiam autem ille cùm accessisset, seseque ad legendas sententias accingeret, priusquam lectiones inciperet, Deo vocante transiit ad meliora. Quæ confirmantur testimonio F. Joannis Lectoris seu de Friburgo ejus discipuli, qui de eo sic in primo Summæ suæ confessorum prologo: *Sunt autem hæc collecta maxime de libris horum doctorum memorati ordinis &c. Item F. Vlrici quondam lectoris Argentinensis ejusdem ordinis, qui quamvis magister in theologia non fuerit, scientia tamen magistris inferior non extitit, ut in libro suo quem tam de theologia quàm de philosophia conscripsit evidenter innotescit: & famosorum lectorum de scholis ipsius egressorum numerus protestatur. Vnde & postea provincialatus Teutoniæ laudabiliter administrato officio, Parisius ad legendum directus ante lectionis inceptionem ibidem a Domino est assumtus.* Eadem sed stylo mollito excipit Leander Albertus fol. 138 a. vocans *Vlricum Teutonicum cognomento Engelbertum virum doctrinæ præstantissimum &c. Tandem postquam provinciæ Teutonicæ præfuerat omnium cum immensis laudibus, Parisium accitus ut literas profiteretur, priusquam id attingeret, vita excessit A. D.* MCCLXXVII.

De eodem jam egerat pag. præced. ubi sic legitur: *& Hulrico Teutonico similiter baccalario cum Summa magna theologiæ subtili, & commentariis super sententias & libros Metheorum eodem anno fere florente*: id est MCCLXXI. Ejusdem tertio meminit Leander fol. 139 b: *Et illum Argentinatem Vlricum nomine num vides olim Magni Alberti discipulum deferentem Summam theologiæ cum nonnullis aliis opusculis a se conscriptis?* Hæc Ulrici eodem capite triplici & diverso loco repetitio fere innueret tres ejusdem nominis scriptores a Leandro agnitos: certe Lusitanus sic interpretatus est & tres laudat: primum *Engelbertum* agnominatum ad 1277: alterum Argentinensem ad 1280: tertium Teutonem ad 1262. Sed unicum esse hominem unumque scriptorem probant eadem opera. Revera antiquiores duo nostri nomenclatores circa 1400 scribentes unicum agnoscunt, & quæ tribus suis Lusitanus quodammodo dividit opera, uni & eidem asserunt. Sic enim primus scilicet Laurentius Pignon in suo catalogo n. 26: *F. Wlricus Theutonicus magister in theologia* (scilicet ad eum honorem designatus, licèt non pervenerit) scripsit

1. *Super librum Meth.* (Sic in MS Victor.) An Metheororum, ut legit Leander, an Metaphysicorum, ut legit Lusitanus, ubi de Ulrico suo 3.

2. *Item super sententias.* Hoc opus 2 & 3 Ulricis suis ascribit Lusitanus.

Ubinam habeatur illud opus, quærit Labbeus *Dissert. Histor.* cui respondeo Nyderum nostrum habuisse in Germania fortè Coloniæ vel Basileæ: nam in suo *Consolatorio timor. conscien. P.* III *cap.* XI Ulricum nostrum citat super II senten. dist. 22, ubi dicit eum se concordare cum Summa sua.

3. *Item quamdam Summam theologiæ valde bonam & utilem.* Hanc suis 1 & 2 Ulricis tribuit Lusitanus.

Ludovicus autem a Valleoleti in sua Tabula n. 54 sic habet: *F. Volricus qui nimis laudatur in prologo Summæ confessorum scripsit*

1. *Summam de theologia ac philosophia.* Eadem est de qua Laurentius 3 loco, & quam Lusitanus 1 & 2 Ulricis tribuit.

2. *Item librum de foro conscientiæ ac casibus juris.* Quod opus tertio suo Ulrico asserit Lusitanus: sed hinc deludi constat, cùm Valleoletanus auctorem eumdem esse de quo agitur in prologo Summæ confessorum asserat, qui certo est Engelbertus.

Hincque Fernandem, Pium, Altamuram, qui tres cum Lusitano, & Possevinum qui duos distinguunt, emendabis, & *commentarium in librum primum Aristotelis de anima*, quem suis 2 & 3 Ulricis tribuit Lusitanus, ac de quo non meminerunt Laurentius & Ludovicus citati, Engelberto etiam asseres, siquidem aliorum operum verus est auctor.

Non omittendum hujus auctoris nomen a variis varie scribi, a quibusdam enim ut a Lusitano, Bellarmino, Labbeo dicitur *Vldaricus*, vel *Vdalricus*, ab aliis *Huldricus*, sed idem est: quia verò præcipuum hujus nostri Ulrici opus, est *Summa theologica*, de qua plerique ut pote a se non visa haud accurate loquuntur, mihi visum est ejus prologum hîc afferre ex ejus exemplo, quod duobus codd. MSS pergameno & charta in fol. servatur Parisiis in Sorbona, *ex dono M. Joannis Tinctoris doctoris in theologia & socii, qui utrumque volumen legavit anno* 1469, ut legitur in prima pagina secundi codicis. Qui Tinctor ibidem dicitur patria *Coloniensis.* Titulus:

Summa Vlrici. Incipit liber de summo bono, cujus primus liber est de laude sacræ scripturæ. Tractatus primus de modis deveniendi in cognitionem Dei. Cap. I est proœmium, & de causis libri.

» Divinum nobis per organum sapientiæ resultat oraculum, *funiculus*, inquit, *triplex difficile rompitur*, quæ parabola est instantis temporis, « cùm funiculus charitatis affectuum varietate triplicatus, tanquam vinculum perfectionis nos cingens ducit nos quo nolumus & pertrahit reluctantes. Amor quippe Dei nos movet ad superiorum «

» obedientiam, ut in doctrinis glorificemus Deum » & totum quod in nobis est dictandi & scribendi » officio convertatur in linguas laudes Domini mo- » dulantes, & dicere possimus cum psalmista, *Be-* » *nedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me* » *sunt nomini sancto ejus.* Affectus insuper charita- » tis non sinens nos ipsos diligere nisi propter æter- » nam beatitudinem quæ Deus est, tanquam secun- » da plica hujus funiculi, attrahit nos ad prose- » quendum veridicum sapientiæ promissum dicen- » tis, *Qui elucidant me vitam æternam habebunt,* » in speciali magnificentia præ participibus suis. *Qui* » *autem fecerit & docuerit hic magnus vocabitur:* » quam magnitudinem mirabilis splendoris gloriæ

Daniel 12 3. » describit Daniel in fine sanctissimæ visionis, *Qui* » *docti fuerint*, inquit, *fulgebunt quasi firmamen-* » *tum, & qui ad justitiam erudiunt multos quasi* » *stellæ in perpetuas æternitates.* Fraterno quoque » amoris fœdere cogor exclamare cum apostolo 2 » Cor. 6. *Os nostrum patet ad vos, ô Fratres, cor* » *nostrum dilatatum est*, desiderans non utilitati præ- » sentium deservire, sed & distantium & futurorum, » si fortè in nobis impleatur illud proverbium ..... » *Non fuit mortuus qui scientiam vivificavit, nec* » *fuit pauper qui intellectui dominatus est: charitas* » *enim Christi nos urget, ut dicitur* 2. *Cor* 5.

» Materia autem hujus libri est ipse qui dicit » Hier. 9. *In hoc glorietur qui gloriatur scire &* » *nosse me*, & ab hac materia libenter hunc librum, » De summo bono intitulamus: efficiens quoque » causa est *Spiritus Patris qui loquitur in nobis,* » *quia sufficientes non sumus aliquid cogitare ex no-* » *bis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est:* » unde nos nihil esse cognoscimus nisi ineptum hujus » spiritus instrumentum, *& calamum scribæ velo-* » *citer scribentis.* Finis hujus operis est illuminatio » orthodoxæ fidei ad gloriam Dei, *ut ad locum* » *unde exeunt flumina revertantur ut iterum fluant,* » & liceat gloriari cum Ecclesiastico, & dicere, » *Videte quoniam non solum mihi laboravi, sed &* » *omnibus exquirentibus veritatem. Eccl.* 24.

» Forma verò sive modus hujus operis est tene- » re consilium sapientis dicentis, *Ne transgredia-* » *ris terminos, quos posuerunt patres tui. Proverb.* » 22. Hanc tamen differentiam servantes inter auc- » tores & expositores sacræ scripturæ, ut illis sim- » pliciter credamus, quia sic dixerunt, & ideo eo- » rum testimonia ponamus: aliorum autem senten- » tias sequamur, quantum fides vel ratio expostu- » lat, & ideo verbis eorum librum hunc non dif- » fundemus nec discussionibus opinionum, sed ma- » gnum ducem divinum Dionysium imitabimur, qui » dicit in epistola ad Polycarpum: *Sufficere arbitror* » *sanctis viris, si verum ipsum in seipso possint co-* » *gnoscere, & dicere secundùm quod vere habet:* » *hoc enim quodcunque est secundùm legem veritatis* » *ratione demonstrato & puro existente, omne quod* » *aliter habet & veritatem simulat reprehenditur.* » *Superfluum igitur est veritatis manifestatorem ad-* » *versus istos vel illos dimicare.* Dicit enim unus- » quisque se habere numisma regale, & forsan ha- » bet quamdam deceptivam imaginem, & si istum » redargueris, alius & rursus alius de eodem litiga- » bit. Vera autem ipsa posita ratione, & ab aliis omni- » bus irreprehensibili permanente, omne quod non » ita secundùm omnia se habet, ipsum in seipso in- » vincibili statione veræ rei deponitur. Hæc igitur « forma est tractandi. «

Sed forma tractatus quæ consistit in distinctione hujus scientiæ est quod ipsam distinximus in octo libros.

Primus est de iis quæ pertinent ad scientiam summi boni, quæ theologia vocatur. Duos tantùm habet tractatus.

Secundus est de essentia summi boni, & concernentibus ipsum. Sex insunt tractatus.

Tertius est in communi de personis & pertinentibus ad ipsas. Quinque insunt tractatus.

Quartus est de patre & de sibi appropriato effectu creationis rerum, & de creaturis. Sunt tres tractatus sed longiores.

Quintus est de Filio & de incarnatione & ejus mysteriis, quæ distincte conveniunt Filio, & non Patri nec Spiritui Sancto. Sunt duo tractatus item longiores.

Sextus est de Spiritu Sancto & de effectibus sibi appropriatis, sicut sunt gratia & dona & virtutes & similia eis. Sunt quinque tractatus.

Septimus est de Sacramentis, quæ sunt summi boni medicinalia vasa.

Octavus est de beatitudine, quæ est præparatio summi boni, in quantum est summum bonum & finis ultimus.

» Insuper ad magis distinctam dictorum intel- « ligentiam libros distinximus per tractatus & trac- « tatus per capitula & capitula per paragraphos, « quorum quilibet exponit aliquid speciali utilitate « necessarium ad cognitionem illius materiæ a qua « capitulum intitulatur: & unus eorum ex alio con- « cluditur: ita ut quicunque hoc opus studioso com- « pendio compilatum breviare voluerit, seipsum « & alios decipiet: eo quod non solùm sibi tan- « tum deest de notitia illius materiæ, quantum ipse « breviando prætermisit: sed etiam hoc ipsum quod « excepit non intelligat: quia dependet ejus intel- « ligentia ab iis quæ excipiendo omisit. «

Cùm autem scriptum sit Sap. 7: *Optavi & da-* « *tus est mihi sensus, & invocavi & venit in me* « *spiritus sapientiæ, ego quoque qui novissimus vi-* « *gilavi, & quasi qui collegi acinos post vindemia-* « *tores, in benedictione Dei & ipse speravi. Eccl.* 33. « Primò omnium ad invocandum eum in cujus ma- « nu sumus nos & sermones nostri totum me con- « verto dicens: *Trinitas super substantialis &c.* «

Volumine 1 Sorbonico continentur quatuor primi libri pagg. 710: Volum. altero duo sequentes quintus scilicet & sextus, hicque imperfectus, nam finis est in cap. 1 tractatus quinti, qui est de virtutibus intellectualibus: sunt autem pp. 525. An autem auctor imperfectum reliquerit opus, nec ulterius prosecutus fuerit quam exhibeat exemplum Sorbonicum, cùm hoc anno 1718 alia exempla non viderim, quid certi statuere in me non est, donec responsum fuerit an quid amplius contineat exemplum abbatiæ canonicorum regularium Corsendoncanæ, in qua teste Sandero Elenchi codd. MSS Belgii P. II pag. 70 servatur *Ulrici de Argentina Summa de summo bono fol. & pergameno voll. duob.* & speciatim indicatur volumen 2 sic incipere, *Christus Jesus.* Quod idem initium est codicis 2 Sorbon. & Summæ lib. 5: *Christus Jesus, cujus persona hunc librum dedicamus quintum præcipue secundùm mysteria incarnationis &c.*

Notandum autem Summam hanc rectè dici a Valleoletano *Summam de theologia & philosophia*, & a Joanne Lectore ut & a Leandro Alberto citatis *Librum quo enodantur nodi plures tam in theologia quam in philosophia*: Etsi enim in ea potissimum de theologicis agat, tamen passim plures philosophiæ quæstiones attingit, speciatim verò lib. 4 tract. 2 fuse agit *de creaturis, de causis, materia prima, forma, efficiente, fine, de substantia & accidente, & accidentium novem generibus &c.*

Librum autem sextum ubi fuse agit de peccatis & virtutibus frequentissime citat Joannes Lector in sua *Summa confessorum* totidem verbis. Joannes verò Nyder noster in suo *de reformatione religiosorum* tractatu Edit. Antverp. 1611 in 8 pag. 38 ci-

Sæc. XIII. tat *Librum 6 tract.* 1 *cap. ult. De peccato originali, & de pœna sibi debita.* pag. 44 citat *lib. 6 tractatum 4 cap.* 15 *de obedientia.* & pag. 125 *libri 2 tractatum 3 cap.* 4 ubi agit *De pulcro*: quæ ad amussim leguntur locis citatis in cod. Sorbon.

Ex hactenus dictis ad quædam quæ de hoc auctore moventur dubia facilis responsio. Nam primò quod *Compendium theologiæ* scripsisse a quibusdam dicitur: sic enim legitur in chronico monasterii Sororum ordinis in Adelenhusen juxta Friburgum in Brisgoia cod. MS in 4 lingua Germanica anno MCCCCLXXXII scripto, ubi fol. 287 nostri Engelberti fit mentio, per istud *Compendium*, inquam, nil aliud intelligendum, quam istam *Summam de summo bono*, de qua ipse auctor supra citatus pronunciat adeo *studioso compendio a se compilatam*, ut seipsum & alios fallat, qui amplius breviare tentaverit.

Quod verò ait Labbeus in Dissert. Histor. T. II pag. 456 *unum hoc se scire Compendium theologiæ, quod extat inter opuscula S. Thomæ a quibusdam huic Ulrico tribui*, profecto nesciens dixit: nam *Compendium theologiæ*, quod inter opuscula S. Thomæ secundum editum est, & incipit *Æterni Patris*, duobusque libris tantùm constat, quin genuinum sit sancti Doctoris opus ad suum socium F. Reginaldum scriptum nemo unquam dubitavit, nullus Ulrico tribuit.

Scio quod idem Labbeus ubi de operibus S. Thomæ p. 427 refert in concilio Basileensi in causa Bohemorum, ab Ulrico presbytero orphanorum citatum esse sub nomine S. D. locum ex *Compendii theologiæ libro* 4 (leg. *lib.* 5 *cap.* 69) desumtum, qui sic habet: *Consilium affert præmium, non servatum verò non adducit supplicium.* Sed hoc ipso quod citetur *liber* 4 verius inferre debuisset vir eruditus non esse illud compendium quod inter opuscula S. Thomæ, quod ut dixi, duobus tantùm libris constat. Istud itaque Compendium ab Ulrico Bohemo laudatum est illud celebre, quod vocant *Compendium theologicæ veritatis* septem libris constans, & incipit, *Veritatis theologicæ*, cujus auctor non ita certus est, ac de quo S. Antoninus ita pronunciat, non esse Alberti Magni, nec S. Thomæ, sed cujusdam doctissimi viri, qui vocabatur F. Thomas, quod propterea quidam nostri F. Thomæ Suttono de quo postea tribuunt: alii Petro de Tarentasia, alii S. Bonaventuræ, alii nostro Hugoni de Argentina, & noster Henricus Kalteisen in Replica ad Ulricum Hussitam §. *Restat nunc*, &c. edit. Labb. col. 1346 putavit esse *Ulrici de Argentina*: sed verissime asseruit non esse S. Thomæ de Aquino, inter cujus opera a nullo nomenclatorum nostrorum unquam recensitum est. Addo nec esse nostri *Ulrici Engelberti*. Videsis supra *Thomas de Aquino, & postea Hugo Argentinensis, Thomas Sutton.*

Dupinius seculo suo XIII de hoc nostro Ulrico agens censet juvenem mortuum, eo quod ante lauream magisterii acceptam obierit; sed qui diutius jam Argentinæ e superiori loco theologiam docuerat, qui & annis quinque provinciam Teutoniæ numerosissimam rexerat minor annis 45 vel 50 non videtur, cùm Lutetiam ad legendum sententias & magisterium capessendum missus est. Idem cum Labbeo *Compendium theologiæ S. Thomæ de Aquino* Ulrico tribuit, & cum eodem etiam emendandus. Quantum ad Alvam *Sol. Ver. Rad.* 85 *col.* 1013 de Ulrico tractantem, ejus objectis ex hactenus dictis abunde factum est satis, ut nil habeat, quod nos moretur.

F. THOMAS AGNI DE LENTINO.

† 1277. F. Thomas Agni de Lentino corrupte, rectius *de Leontio*, vernacule *Lentini* a patria insulæ Siciliæ civitate olim episcopali, nunc verò Catanensi adjuncta nuncupatus, in ipsis ordinis initiis id est paulo post 1220 ei nomen dedit, quem egregiis dotibus ornavit, & promovit plurimum novis erectis domibus, ac inter alias insigni S. Dominici Neapolitana, quam a fundamentis inchoavit anno 1231, & diutius prior præfectus administravit, eoque munere fungens, id habuit felicitatis, quo memoriam sibi peperit immortalem, ut adolescentem Thomam de Aquino veste Dominicana induerit non anno 1238, ut quibusdam excidit incautis, sed anno 1243, Innocentio IV a junii 24 sedente, ac Magistro ordinis IV F. Joanne de Wildeshuzen, ut habet Tholomæus de Lucha. Tusciæ ut tum dicebatur seu Romanæ provinciæ prior provincialis postea electus fuit anno 1247 quantum conjici potest, eo enim anno qui antea præfuerat in comitiis ordinis apud Montempessulanum coactis legitur amotus: exinde autem licèt provinciales destituti in actis accurate notentur, nihil habetur de Romano ad 1255, quo noster Thomas ex officio provincialis ad sedem Betlehemitanam promotus fuit ab Alexandro IV. Tantam verò in ejus Ecclesiæ administratione inter medios barbaros fecit existimationem sui, ut eum Clemens IV ad archiepiscopalem Cusentinam in regno Siciliæ duxerit transferendum literis datis XIV kal. maii anno III, proindeque anno 1267 non 1268 ut habet Ughellus errato fortè typorum, Clemens quippe electus fuit non. febr. 1265. Post mortem Bartholomæi Pignatelli archiepiscopi Messanensis anno 1272 ab ejus Ecclesiæ capitulo Thomam nostrum postulatum defuncti successorem quidam volunt, quod ut negare non ausim ita nec asserere, cùm id pendeat a die & mense obitus Bartholomæi, quos nullus profert, & aliunde certum sit XI kal. maii ejusdem anni 1272 Thomam a Gregorio X ad patriarchalem Hierosolymitanum morte Guillelmi vacantem evectum fuisse. Quibus rationibus excitatus ad eam dignitatem illum promoverit pontifex, scripsit ipse Francorum regi Philippo III Audaci dicto, quia nempe *vir profundi pectoris, alti consilii, virtutum claritate conspicuus, & experientia multa probatus, in cujus manibus aliàs virtus altissimi statum Terræ* [Sanctæ] *prædictæ direxit, dum inibi tunc Bethlehemitanus episcopus auctoritate sedis apostolicæ legationis munere fungeretur &c.* Quas literas videsis apud Ughellum *Ital. Sac. T.* IX *p.* 297. Ptolemaidis sive ut tum loquebantur Aconis Ecclesia jam aliàs ab Urbano IV Hierosolymitanæ juncta fuerat, quod Hierosolymorum urbem a Saracenis tum invasam accedere patriarcha non posset, Aconem igitur eodem anno appulit Thomas: moxque litis contestationem de regno Hierosolymitano, quod Maria principis Antiochiæ filia sibi jure competere aiebat morte Conradini circa novembrem 1268 jubente Carolo rege Siciliæ capite plexi, eoque titulo a patriarcha Guillelmo Thomæ prædecessore coronari ab eo tempore instabat, hactenus non decisam Hugoni Cypri regi adjudicavit, eumque Hierosolymorum regem inaugurari permisit: quod Maria conquerente summus pontifex ægre ferre visus est, literasque Urbeveteri IX kal. nov. an. I datas ad archiepiscopum Nazarenum, Bethlehemitanumque ac Panadensem episcopos scripsit, quibus id factum improbat, laudatque bonæ memoriæ G. ultimum patriarcham, qui litem inter tantos principes decidere ausus non fuerat. De quibus videsis superius dicta ubi de F. Bartholomæo de Bragantiis, quem hinc constat Thomæ nostro in patriarchatu Hierosolymitano non præivisse, sed Guillelmum ab Urbano IV anno 1263 constitutum, quique ad annum 1270 vel 1271 in ea sede vixit. Cæterum postea Gregorius jus Cyprii regis juxta constitutiones (*Assises* vulgo vocant) Hierosolymitanas evidentius esse doctus, Thomæ judicium confirmasse videtur, gestaque ejus

sequentes pontifices ut viri integerrimi, prudentissimi, reique Christianæ studiosissimi eximie probarunt. De eo sic Bernardus Guidonis in catalogo Prælatorum : *F. Thomas Agni de Lentino fuit patriarcha Hyerosolymitanus & episcopus Aconensis. Hic fuit a Domino Deo suo semper & ubique directus, qui cùm esset prior provincialis Romanæ provinciæ episcopatum Bethlehemitanum compulsus est recipere, & legatus in Terra-sancta factus multum bene se habuit, deinde ad archiepiscopatum Cusentinum translatus multo melius. Tandem ad patriarchatum electus bono principio optimum finem adjunxit. Hic obiit anno Domini* MCCLXXVII. Quod duplici loco repetit, proinde non 1276 aut 1278 ut quidam volunt. Acone seu Ptolemaide mortuum dicunt non sine opinione sanctitatis ibidemque apud nostros sepultum. Germanum habuit ejusdem ordinis Fratrem Raynaldum ab aliis, ab aliis Raynerium dictum de Lentino, de quo sic Radulpho Albanensi episcopo in regno Siciliæ apostolicæ sedis legato Clemens IV scribebat : *Fratrem Reginaldum de Leontino ord. Prædicat. Ven. Fratris nostri archiepiscopi Cosentini germanum episcopali dignitate decorare volentes, Fraternitati tuæ mandamus quatenus ipsum alicui episcopali Ecclesiæ tuæ legationis in episcopum consecrationis munus impendas. Datum Viterbii* IV *Non Aug. pont. an.* III, ac proinde 1267. Verùm sive sedes vacans tum non occurrerit, sive tanto viro non conveniens, ad eam dignitatem promotum non lego ante Gregorii X pontificatum, qui eum Ecclesiæ Messanensi post obitum præfati Pignatelli præfecit anno 1272 vel 1273 : eam certo administrabat anno 1275, ut probat Rochus Pirro *Sicil. sac. Notit. II p.* 337, quam ad Nicolai IV electionem tenuisse videtur. Ejus meminit Bernardus Guidonis citatus : *F. Raynerius de Lentino archiepiscopus Messanus tempore D. Honorii papæ IV. Hic fuit frater uterinus F. Thomæ de Lentino.* Hinc fortè allucinationis occasionem sumserunt, qui Thomam ad eam sedem promotum volunt, quam nunquam obtinuit. Hujus nostri Thomæ meminit F. Guillelmus Tripolitanus de quo supra in suo libello *De statu Saracenorum*. Sic enim in Fragmento inter Historiæ Francorum scriptores a Quercetanis edito T. V p. 433 : *Tempore illo* (nempe quo regnabat in Ægypto soldanus Melech Elvahet circa 1257 : nam Melech Elmehec electus anno 1250 & qui sanctum regem Ludovicum e carcere liberum dimisit, quinque annis regnavit, & filius ejus Melec el Mansor anno uno, cui successit Melech Elvahec) *F. Thomas erat Behelevitanus* (corrupte pro *Bethlehemitanus*) *episcopus apostolicæ sedis legatus in Accon, qui factus est postmodum patriarcha Hierusalem &c.* & paulo post loquens de soldano Bondogar, qui illum Melech Elvahet interfecit, sic habet : *Hic* XII *regnaverat annis, quando dictus F. Thomas venit ad terram sanctam.* Quod necessario intelligas de altera vice, quando patriarcha constitutus est anno 1272 : alioquin illorum soldanorum regna, quæ tam accurate refert, non constarent. Hactenus dicta ex certis & antiquis actis prolata necessaria fuerunt ad nostrorum auctorum emendationem, apud quos gesta nostri Thomæ perturbatius habentur, ac præsertim ipsius Pappebrochii in Actis SS. T. III Maii in *Hist. Patriarc. Hierosol. chronolog. p.* LVIII ubi non solùm Thomam in duos dividit alterum *Agni*, alterum *de Lentino* agnominatum, sed & *Lombardiæ* provincialem dicit pro *Romana*. Quæ licèt ex parte corrigat in *Append. ad Tom.* III *maii* scilicet *T.* VII *p.* 703 Thomam Agni de Lentino unicum hominem agnoscens, non rectè tamen nostri Bartholomæi de Bragantiis successorem constituit in eo patriarchatu, quo Bartholomæus nunquam potitus est, ut supra ubi de isto evicisse me arbitror, & ab eo viro cordato, si nostra legisset, facile agnoscenda sperassem. Hæc sunt Thomæ nostri opera.

Vita S. Petri Martyris de ordine Fratrum Prædicatorum composita per Fratrem Thomam patriarcham Hierosolimitanum. Sic Titulus in cod. Colbert. 4079 fol. par. memb. pagg. 44. Princ. *Tres sunt qui testimonium &c.* Ad calcem codicis sic legitur : *Hanc legendam B. Petri martyris compilavit F. Thomas de...... ordinis prædicatorum, & sunt ibi* LXXXIII *miracula pulcra : & dividuntur per capitula sua, ut melius cognoscantur : & si semel in mense legerentur in mensa, esset utile valde Fratribus, & bona & utilis materia ad prædicandum & ad alia.* Quæ docent codicem alicujus conventus ordinis aliàs fuisse. In eo autem sunt duo prologi, quæ docent utrumque a Thoma præmissum. Extat & apud nostros Parisienses ad S. Honorati cod. MS in 8. in memb. sec. XIV. Extat etiam apud nostros Carnutenses cum aliis SS. ord. cod. MS fol. par. memb. a me visa mense decemb. 1668 : & Florentiæ apud S. Marcum Arm. IV n. 95, nec dubium quin alibi plura sint exempla. Eam sed suo more stylo immutato edidit Surius mense Aprili. Hujus compendium Pappebrochius se habere asserit transcriptum ex Passionali Ultrajectino ecclesiæ S. Salvatoris. In actis cap. gen. Pisis coacti anno 1276 sic statuitur : *Item volumus & mandamus, quod legenda B. Petri martyris a ven. P. patriarcha Hierosolymitano ad petitionem magistri ordinis compilata in omnibus conventibus habeatur, & ut habeatur, priores provinciales sint super hoc diligentes.* Quæ videntur indicare a Thoma non editam ante patriarchatum, sicque Gerardum de Fracheto ea non usum in *Vitis-Fratrum*.

Eamdem primigenio stylo sed ab Ambrosio Tægio passim pluribus auctam ex aliis monumentis ex ipsius MS in conventu Gratiarum Mediolani servatis Actorum SS. editores prælo subjecerunt & exhibent T. III aprilis pag. 686, ita tamen ut diligenter quæ sunt Thomæ ab insertis aliorum ubique distinguant. Sic n. 6 SS. virginum cum Petro colloquium, quod isti relegationis in conventum Æsinum & cujusdam speciei incarcerationis causa fuit, a Thoma non scriptum annotant, ut neque habetur in cod. Colbert. cit. neque in nostro S. Honorati. Cujus etiam fides penes auctores, certe hac prima vice SS. colloquia hominibus piis perniciem creavissent. Hæc etiam ad annotationes Pappebrochii visa sunt admonenda : n. 14. Annot. a. Episcopus ex ordine Prædicatorum nomine Franciscus a Pio laudatus an Cæsenæ anno 1263 sederit dubitat Ughellus, & cum eo Pappebrochius. Ego verò apud Pium ad eum annum hujus nominis episcopum non invenio, bene autem ad medium circiter seculi XV P. II lib. 3. col. 30 ex Tægio, de quo cùm non meminerit Ughellus, incertum etiam habuerit. At apud Bernardum Guidonis citatum recensetur F. Everardus Brixiensis episcopus Cæsenæ, cujus & meminit Leander Albertus fol. 126 a. inter primos ex ordine assumtos, qui proinde circa 1270 floruerit, certò ante 1330 quo circiter tempore scribebat Bernardus, & forsan ille est Honerardus de Saxonia sic a familia dictus, quem ad 1270 collocat Ughellus tacens fuisse ex ordine : nec dubito quin ille idem sit, quem loco non suo Ughellus refert ad 1383 cùm centum annis & amplius sit antiquior. Razzium quidem auctorem citat pag. 90 de eo loquentem, sed ibi & in seqq. episcopi ex ordine recensentur confuse nulla servata ratione ætatis qua floruerunt, quam videtur ignorasse. Itaque ex Bernardo Ughellum & eum excipientem Fontanam in Theatro emendes.

Sæc. XIII. N. 56 Annot. c. Certo magister ordinis IV F. Joannes Teutonicus obiit pridie nonas novemb. 1252 & ideo anno 1253 non fuit capitulum generale. Fallitur annotator cùm dicit mortuum mense octobri. 1253.

Præter hanc vitam Thomas noster reliquisse dicitur *volumen sermonum*, qui citantur a nostro Vincentio Bandello *Tract. de concept. B. Virg.* Alva *Sol. verit. Rad.* 202 *col.* 1498 nullum non movet lapidem, ut hoc alterum opus probet fictitium. Cui breviter respondeo de quæstione facti solum agendo, nullam Bandello fingendi causam fuisse, cui tot alii in causa quam tuebatur laudandi obvii erant, quos tamen omisit, ac proinde si hos citavit certo viderat, aliàs non meminisset. Quod verò Alva tam acriter arguit in Lusitano & Pio quod unicum Thomam in duos dividant, erratum fateor, non tantum Lusitano qui incerte loquitur, sed Pio facile donandum. Quotusquisque enim est cui in tam multiplici hominum nomenclatione ex lapsu memoriæ, idem repetere non accidat? Accuratissimos ipsos Actorum SS. editores mox videbamus Thomam Agni de Lentino ob duplex cognomen in duos distinguere, quod tamen postea correxerunt.

Præterea extat Epistola nostri Thomæ tum episcopi Betlehemitani ex Syria ad Henricum III Angliæ regem scripta, qua eum de periculis Terræ-sanctæ imminentibus certiorem facit, eumque ut auxilia promissa conferat, ipseque ut veniat, urget. Princ. *Excellentissimo ac christianissimo principi D. Henrico illustri regi Angliæ, F. Thomas de ordine Prædicatorum miseratione divina Bethleemitanus episcopus, apostolicæ sedis legatus, ejus ad Deum orator assiduus, F. Hugo Revel humilis magister domus hospitalis S. Johannis Jerosolymitani, & pauperum Christi custos, F. Thomas Berardus humilis magister domus militiæ Templi: F. Mortymanus præceptor domus hospitalis S. Mariæ Theotameor*, (fortè *Theotonicor.*) *& magistri ejusdem domus in regno Syriæ vicem gerens &c. Datum Accone quarto die mensis april. sexto indictionis:* ac proinde anno MCCLXIII. Refertur in libro cui titulus, *Antiquæ constitutiones regni Angliæ*, Londini 1672 fol. p. 132.

Extat & *epistola Benedicti episcopi Massiliensis ad Thomam nostrum episcopum Bethlemitanum & apostolicæ sedis legatum* data Accon anno MCCLXI *in festo S. Matthæi*. Huic Benedictus mittebat commentarium suum de S. Trinitate & fide catholica, ut illum in partibus illis transmarinis multiplicaret & distrahi curaret. Vide T. VI Miscellan. clar. Baluzii p. 350 ubi illam epistolam refert.

In libro jam citato cui titulus, *Antiquæ constitutiones Angliæ* p. 160 fit mentio cujusdam potentissimi principis Orientis Abagathaan imperatoris *Magalorum* (sic corrupte, sed leg. *Abaka-Chan* gentis nunc *Mogolorum* dictæ regis) qui Gregorio X S. P. & regibus omnibus Christianis scripserat, eos hortatus, ut ad recuperandam Terram sanctam se accingerent, simulque promittebat vires omnes vastissimi sui imperii eorum exercitui se adjuncturum. Has litteras papæ & regibus, & in his regi Angliæ Edwardo I attulit F. David ordinis Prædicatorum capellanus ut aiunt, & familiaris F. Thomæ patriarchæ Jerosolymitani: & per eumdem F. Davidem illi Mogolorum regi rescripsit Edwardus litteris datis apud Bellum-locum regis die XXVI januar. MCCLXXIV stylo veteri novo LXXV anno regni tertio, quibus plurimum laudabat ejus regis ad christianam fidem affectum. Has videsis loc. cit. videsis etiam Bibliothecam Orientalem Gallice scriptam a Thevenotio verbo *Abaka-Kan*, ubi plura habet de isto Mogolorum rege illustria, addens Christianum fuisse a quibusdam asseri, quem proinde nostri & FF. Minores tum in illis partibus agentes ad fidem adduxerint.

F. ANDREAS DE ALBALATE.

F. Andreas de Albalate Catalanus sive Aragonus Petri de Albalate Tarraconensis archiepiscopi germanus frater, (hos regia de stirpe Aragonum oriundos ex ipsis Ecclesiæ Valentinæ monimentis & archivis auctor est Gaspar Escolano regius historiographus *Decade* 1 *lib.* 3 *cap.* 9 *histor. regni Valentini*) ut ut sit, urbe Valentia a rege Jaymio I expugnatore seu Conquestadore vulgo dicto expugnata, & Mauris erepta 28 septemb. MCCXXXVIII: ejusdemque regis auctoritate literis XI april. MCCXXXIX Valentiæ datis erecto ea in urbe ordinis conventu, mox in ipsis ejus primordiis Andreas eum ingressus est ac institutum nostrum amplexatus, magnisque claruit animi dotibus atque virtutibus. Hinc cùm vacua per Arnaldi de Peralta secundi præsulis Valentini ad Cæsaraugustanam Ecclesiam assumti translationem facta est Ecclesia Valentina anno MCCXLVIII, congregatisque tertio Kal. novemb. ad electionem canonicis tres in compromissarios unanimiter convenerunt, Petrum videlicet de Albalate Tarraconensem archiepiscopum laudatum, Martinum Valentinæ archidiaconum Ecclesiæ, & Dominicum ejusdem *Cabiscol*, seu scholarum rectorem, qui ex propositis sibi novem quem libuisset eligerent, inter quos primus erat e novem a capitulo designatis Andreas noster, quem & illi Valentinum elegerunt unanimes antistitem, quæ fuse refert Diagus noster *Hist. prov. Arag. fol.* 158 *d. & seqq.* Ille autem inauguratus episcopus mox a rege apud quem jam olim magna valebat gratia, (ei a confessionibus fuisse Beutero vade refert Gaspar Escolano,) regni constitutus est cancellarius: qui tamen gregis sui curam nec abjecit nec alteri commendavit, sed optimi vigilantissimique pastoris partes implevit. Pro Ecclesiæ suæ redditibus dotationeque cum rege circa decimarum partem adeo viriliter egit, ut in compensationem Ecclesiæ rex anno MCCLXXI plura contulerit castra loca & oppida cum eorum jurisdictione tam in Aragonia quam ad mare constituta. Sicque lis antea excitata æqua conventione penitus extincta, Valentinæque fuit Ecclesiæ dotationi abunde provisum Andreæ curis & opera. Sed & anno MCCLIX jam instituerat duodecim in dicta Ecclesia præbendas, quas vulgo Pavordias vernacule vocant. Regis nomine summum adiit pontificem Urbanum IV, quem Perusii invenit die 23 maii MCCLXV, a quo & crucem in Aragonia prædicari contra rebelles & Mauros obtinuit, quod archiepiscopo Tarraconensi Petro de Albalate ejus fratri demandatum a pontifice 13 aug. MCCLXV. Nec minor fuit Andreæ erga conventum Prædicatorum Valentinum affectus, quem extra mænia civitatis positum ab initio, muro propriis sumtibus, qua parte fluvio vicinior erat, constructo fortissimo intra civitatis limites adjecit & collocavit. Cartusianorum ordinem ad hæc usque tempora in Aragoniæ Valentiæque regnis ignotum primus in suam induxit anno MCCLXXII diœcesim, magnisque sumtibus domum illis erexit atque dotavit, cui *Porta cœli* nomen inditum est, cujus erectionis & dotationis instrumentum eodem anno datum extat in codice constitutionum Ecclesiæ Valentinæ MS qui & typis prodiit Valentiæ 1546. Anno verò MCCLXXIV cùm a Gregorio X Lugduni convocatum esset generale concilium, invitatus ad illud etiam ab eo fuit Aragoniæ rex Jaymius, qui eo iturus Valentia discessit circa quadragesimæ medium. Regem suum Andreas 1277.

dreas noster ejus cancellarius comitatus est, Lugdunensique interfuit synodo, & inter Patres sedit, cui etiam procuratoris onus sui princeps Petrus Infans Tarraconæ agens suo nomine comparendi petendive & respondendi commiserat. Synodo eodem anno finita & soluta Gregorium X Italiam repetentem secutus est, ejusque pontificatus reliquum ac ejus successorum Innocentii V, & Adriani V, in aula Romana moratus est, viditque initia Joannis XXI, quo sedente Viterbii morbo correptus testamentum condidit coram Notario apostolico 22 martii 1276 veteri stylo, novo 1277 & post biduum ibidem mortalitati valedixit. Corpus ejus Valentiam postea translatum est, & in sua sede ad latus majoris altaris conditum jacet. De quo legendi Diagus & Escolanus citati. Ejus opera præcipua sunt:

Constitutiones synodales ab eo latæ & editæ in synodis suæ diœceseos annis 1255, 1256, 1262 ad D. Lucæ ferias, rursus 1263, 1267, 1269, demum & anno 1273 habitis: quas admodum utiles & pastoralis sui zeli testes in Ecclesiæ Valentinæ codice MS vidisse se testatur Escolanus, suamque per analysim & summarie in historiam intulit.

F. PETRUS DE VALETICA.

† 1277. F. Petrus de Valetica (non *Valerica*, ut corrupte scribit Altamura) natione Vasco conventus Baionensis, ut conjicit Soëgius noster, alumnus seculo XIII claruit, *vir* inquit Stephanus de Salanhaco consodalis & synchronus, *humilis & modestus, in consilio promptus & providus, statura brevis virtute magnus, lucerna montium Vasconiæ in confinibus Prædicationis Morlanensis & sancti Severi, ardens devotione ad Deum.* Bis provinciæ suæ Provinciæ præfuit prior provincialis: ac primo quidem anno 1263 Tolosæ electus in comitiis provincialibus, annisque tribus ad 1266 administravit, quo eo munere solutus fuit in actis cap. gen. Treviris habiti: iterum verò anno 1269 in comitiis provincialibus Biterris ante festum S. Magdalenæ electus, *eaque vice septem annis præfuit ad 1276, quo per literas magistri ordinis, quas ipse impetravit & legi fecit die sabbati sancto pentecostes in conventu Petragoricensi coram Fratribus in capitulo convocatis humiliter se prosternens, fuit absolutus a provincialatu.* Durante interstitio bis etiam a provincia delegatus fuerat diffinitor generalis ad comitia ordinis Bononiensia illa celebria anni 1267, in quibus facta est altera corporis S. Dominici solemnissima translatio, & Parisiensia 1269 tum prior etiam Massiliensis. De anno & die mortis non ita constat. In actis cap. provinc. Burdegalæ 1277 ad marginem inferiorem cod. Burdigal. sic legitur manu ejus ætatis: *Ille pauper & modicus pater sanctus felicis ac celebris memoriæ, videlicet F. Petrus de Valetica, qui erat lucerna ardens & lucens super montes Vasconiæ, nunc autem paupertatis altissimæ pretio regna possidens gloriæ, suum felicem spiritum post generale capitulum Burdegalense, existens in conventu Burdegalensi tradidit Deo patri A. D.* M. CC LXXVII. Quæ innuunt mortuum sub finem maii, nam 16 ejus mensis erat festum pentecostes. In cod. Carcasson. ubi de provincialibus: *Moritur hic senex & plenus dierum in conventu Burdigalensi anno* 1278 *in æstate*: alius iterum codex scilicet Lingonensis *in festo S. Luciæ*: quæ indigenis discutienda relinquimus. Hunc idem Salanhacus testatur Lescuriensem apud Benearnum sub Auscensi episcopatum sibi delatum constanter recusasse. De ejus operibus sic habetur in cod. Lingon. *Sua dictamina & carmina devota, in quibus non tam præmeditata cecinit, quam sapporata primitus & gustata, lucensque præclaro ingenio inter cætera edidit* Sec. XIII.

Promtuarium & tractatum valde devotum & brevem, De gradibus contemplationis, qui incipit, Notam fac mihi viam in qua ambulem &c. Ubi autem tum hoc tum alia ejus opera, nunc serventur, nullibi reperio. Ejus meminit Leander Albertus fol. 147 a. quæ nos primigenio Salanhaci stylo retulimus, eadem proferens sed stylo elegantiore innovata, mortuumque dicens anno 1277. Laudant etiam Lusitanus & Altamura ad 1276.

F. PAGANUS DE BERGOMO.

F. Paganus de Bergomo a professione sic nuncupatus, nam Leuci, quod castrum erat ditionis tum Bergomatum primam lucem viderat, sic pietate & doctrina seculo XIII inclaruit apud suos, ut annis XL lectoris munere variis in conventibus & civitatibus functum asserant, dum unà ex instituti fine verbi Dei prædicationi ardentius instaret. Adversus hæreticos inquisitor in Longobardia institutus, uti antea idem officium S. Petrus Veronensis obierat, eamdem etiam martyrii lauream promeruit. Sic rem narrat Salanhacus: *Anno* MCCLXXVII *in natali S. Stephani protomartyris occisus est F. Paganus inquisitor in Lombardia de conventu Cumano, instigante quodam nobili Conrado de Venusta, qui multis vulneribus confossus, tandem exemplo Salvatoris in latere lancea perforatus est, tenens semper manus super pectus admodum crucis. Passi sunt cum eo duo*, hi laici notarii, ut explicant alii: *F. Christophorus socius ejus fuit graviter vulneratus.* Ubi cùm de conventu Cumano fuisse audis, in civitate Cumana ratione officii sedem fixisse intelligas. In actis cap. gener. anno sequenti Mediolani celebrati sic fuit statutum: *Item volumus & mandamus, quod Fratres in suis prædicationibus F. Pagani martyrium populis studeant nunciare, & tam ipsius quam aliorum miracula conscribantur.* Cùm tot annis scholas rexerit, non dubium quin & plura scripserit, sed quænam illa sint, nemo certo refert. Quidam illum cum altero *Pagano* confundunt, de quo nos ad 1323, & quæ hujus sunt Martyri affingunt, inter quos Bandellus, & ex eo Calvus *scena literaria de' Scrittori Bergamaschi.* Sed saltem scripta ejus in scholis eo explicante dictata, ut & acta inquisitionis quandiu munus exercuit, nemo inficiabitur. * 1277.

Apud Augustinianos Parisienses ad pontem novum codex est 249 fol. par. memb. sec. XIII in quo sermones plerique nostrorum inter 1230 & 1250 florentium. At n. 53 refertur, *sermo Dom. IV post octabas pentecostes* habitus, ad marginem legitur, *F. Paganus* ceu auctor sermonis. Nostri de quo nunc agitur non assero, sed hinc conjicere liceret, quod plerique hujus codicis sermones sint nostrorum sodalium ea ætate florentium, & inter quinquaginta & amplius annos, quibus in ordine vixit Paganus hic, Parisiis aliquando fuisse, imo & pro rata suæ provinciæ ad studia assignatum fuisse, ac etiam prædicasse haud sit improbabile. Jam si ejus sermo iste fuerit, in specimen sit & alios plures reliquisse, sed quos longa absumserit ætas.

F. MARTINUS POLONUS.

F. Martinus Polonus auctor ætate sua & sequentibus celebris, posterioribus his seculis ex vario præcipiti & imperito plurium nomenclatorum criterio quoad patriam, ætatem, professionem, officia, dignitates, obitum, scripta tot tenebris aspersus est, ut jam vix agnoscitur. Hæc * 1278.

SEC. XIII. igitur singula diligentius perscrutanda, & ob oculos lectoris clarius exponenda. Illud in primis rejiciendum, quod apud alios passim ceu indubium legas, & tenebrarum omnium fontem censeo, Martinum Polonum & archiepiscopum Cusentinum unum & eumdem scriptorem fuisse. Quem errorem non aliunde ortum crediderim, quam quod historiam ecclesiasticam novam Tholomæi de Lucca non recte legendo, gravissime allucinati sunt. Sic enim Tholomæus in suo prologo: *Sunt etiam & alii auctores historiarum hic introducti, ut est Orosius in libro contra paganos, Paulus diaconus &c. F. Vincentius Belvacensis, F. Martinus Polonus ordinis Prædicatorum, archiepiscopus Cusentinus, Sicardus episcopus Cremonensis &c.* Ubi quod Martinum & archiepiscopum Cusentinum Tholomæus continenter scripserit, illi non attendentes ad virgulam qua distinguuntur, eumdem hominem & auctorem putaverunt, cùm tamen duo sint & homines & auctores diversissimi, ut ex ejusdem Tholomæi historia facile est evincere. Sic enim fere ubique habet: *Ut Martinus & Cusentinus in suis chronicis referunt. Hoc scribunt in chronicis summorum pontificum Martinus Polonus & Cusentinus. Ut multa historiæ dicunt sed præcipue Martinus, Vincentius & Cusentinus.* Legesis lib. 1 cap. 16. lib. 2 cap. 1 & 19 & 27. lib. 3 cap. 7 & 13 & 30. lib. 4 cap. 1, 6, 15, & 35. lib. 6 cap. 2 & 25. lib. 7 cap. 3 & 21. lib. 10 cap. 1 & 19. lib. 19 cap. 9 & alibi passim. Sed dubium omne elevat idem Tholomæus lib. 6 cap. 1 sic habens: *Ubi attende quia usque ad Damasum chronica summorum pontificum vigorem recipiunt Damaso scribente: abinde aliorum scriptorum, qui fuerunt multi, ut Sicardus episcopus Cremonensis, archiepiscopus Cusentinus cujus nomen ignotum, Bonzo episcopus Sutrinus, F. Martinus Polonus, F. Vincentius Belvacensis, Cassinensis, & Gottifredus Viterbiensis, & multi alii post Eusebium & Hieronymum &c.* Ubi vides non solum a Martino Polono archiepiscopum Cusentinum distingui, sed & hujus nomen Tholomæo ignotum. Et lib. 7 cap. 1: *Aliter Martinus*, inquit, *aliter Cusentinus.* Et lib. XI cap. 13 de Bonifaciis papis: *Circa quos duos* inquit, *historiæ Francorum non concordant cum Martino, sed Cusentinus cum eis convenit.* Et lib. 12 cap. 1 de Honorio I agens sic legit: *Hic constituit, ut in omni die sabbati ad S. Petrum procederent litaniæ, ut Martinus scripsit: Cusentinus autem dicit quod litaniæ a S. Apollinari incipiebant &c.* Et lib. 18 cap. 44: *Hæc refert dictus Cusentinus in suis magnis historiis, quas contexuit composita serie multum ab Adam usque ad Frederici II tempora.* Tandem ut hæc finiam lib. 20 cap. 43: *sed & alia diversitas hic in domina Constantia, quia aliqui dicunt ipsam fuisse filiam regis Guillelmi, ut Martinus: alii sororem ut Cusentinus, cui plus credendum, quia de provincia & de regno natus, & ibidem conversatus &c.* Ex quibus evidens est Cusentinum Italum fuisse, e regno Siciliæ ortum, in eodem diutius commoratum, chronicon edidisse a chronico Martini diversum, cum hoc non semper eadem narrare, eique majorem fidem in rebus regni Siciliæ habendam: neque tantum chronicon, sed & magnas historias ab Adam ad Fredericum II summa cura composuisse: quæ homines hos duos & diversissimos auctores probant invicte, contra quam senserunt Suffridus Petri, Joannes Fabritius, Ughellus, Caveus, & quotquot fere hactenus nomenclatores. Etsi enim quidam ex illis Martinum fateantur ad Ecclesiam Cusentinam nunquam promotum, ut Vossius & Caveus, illi iidem Cusentinum archiepiscopum alterum a Martino scriptorem, aut negant aut saltem non agnoscunt. Quis autem sit archiepiscopus ille Cusentinus, postquam ejus nomen ignoravit Tholomæus suppar, & ejus scriptis usus, illi jam inquirendo instare, operam esset & oleum perdere. Hunc verò si Cistercienses suum esse sodalem contendant, per me licet, sed Martinum dictum fuisse ne astruant nisi veterum & æqualium monumentorum fide.

Exclusa jam & levata quæ historicos hactenus adeo torsit difficultate, Martinus ipse nunc est expendendus. Quoad patriam non Scotus fuit, ut quidam volunt, Mariani Scoti forsan nomine delusi, non Corsolanus, seu Cursulanus in Sabinis, ut fere alii nullius veteris documenti fide, sed Polonus ut habet Tholomæus citatus & æqualis ac Romæ convictor, seu vere Sarmata, ut indicat Starovolscius Hecatonta Venetiis edita in 4, 1627 pag. 29 elogio 13, licèt nec provinciam nec locum designet, sed solum e nobili Streporum familia prognatum: seu saltem ex Poloniæ Bohemiæque confiniis ortus sit, Oppavia nempe vulgo *Troppaw* ad flumen Oppam in Silesia superiori comitatus ejusdem nominis capite, quod Lambecio placet ex fide duorum codd. MS Bibl. Cæsar. de quibus postea: certo ordinis Prædicatorum Oppaviensis domus alumnus, ea siquidem ætate domus Bohemiæ intra Poloniæ provinciam omnes continebantur, qua saltem ratione Polonus præsertim Romæ agens vulgo nominatus sit, etiamsi a Sarmatia proprie dicta originem non haberet: certo inquam ordinis Prædicatorum, tum ipsomet teste seu in *Margarita* id est in indice Decreti, seu in chronico, in quorum prologo ita se vocat, in codd. MS ejus ætatis postea referendis, tum testibus Tholomæo qui unà vixit & Salanhaco qui vidit, & Bernardo Guidonis suppari: ex quibus Ughellum, Arnoldum Wion, Gasparem Jongellinum & Carolum de Wisch recentiores & sec. XVII scriptores, qui Cisterciensem, & alios qui Benedictinum nullo veteri documento fulti contendunt, merito refellas.

Clementis IV pœnitentiarium ac capellanum fuisse docet chronicon, quod eo vivo primum edidit, & in quo ea sibi munera vindicat, ut mox ostendetur ubi de ejus operibus: & iisdem muniis sub sequentibus pontificibus Gregorio X, Innocentio V Joanne XXI & Nicolao III continenter functus est. Ab isto ultimo tum Viterbii agente ad Gnesnensem Poloniæ primam a sex annis vacantem anno MCCLXXVIII x Kal. julii promotus est & inauguratus. At dum Ecclesiam suam aditurus iter aggreditur, Bononiæ morbo correptus eodem anno diem obit suum, & in templo nostro ad latus sacrarii quod tum erat sepelitur sub lapide cum hoc brevi epitaphio a Pio & Ughello qui legerunt relato: *S. Fratris Martini archiepiscopi provinciæ Poloniæ.* Hæc ejus opera.

1. *Sermones de tempore & de sanctis F. Martini Poloni ordinis Prædicatorum:* omnes laudant nomenclatores. In Italia typis prodiisse asserit Simlerus: certo editi sunt Argentinæ 1484. Sic in catalogo librorum editorum ante 1500, qui catalogus editus 1643 in 16.

Hanc editionem vidit Petrus de Alva & laudat Sol. verit. Rad. 122 col. 1192 & seq. verba ejus simpliciter exscribo. » Veritas est quod Martinus « Polonus scripsit sermones, qui typis mandati fue- « runt sub hoc titulo: *Sermones Martini ordinis Prædicatorum pœnitentiarii D. papæ de tempore & de sanctis super epistolas & evangelia cum promtuario exemplorum. 1. Sermo de tempore & de 1. dominica adventus incipit:* scientes quia hora est jam nos de somno surgere. *Hic hortatur nos apostolus surgere a somno culpæ &c.*

Sermones de SS. incipiunt a S. Andrea. Ore

confessio fit ad salutem. Rom. 10. *Secundum triplicem hominis statum triplex invenitur oris confessio &c.*

Addit autem Alva Editorem has notas apposuisse, in fine quidem sermonis 4 de nativ. B. Virg. qui incipit, *virgam virtutis &c.* » Auctor hujus » libri superius dicit, *Maria spina fuit propter ori-» ginale in conceptione*, » Sed hujus oppositum nunc » tenetur. Ad finem quinti de nativ. ejusdem qui est 278, & cujus principium *Aufer rubiginem*, addit editor : *In sermone immediate praecedente dicit auctor hujus libri Mariam conceptam in originali peccato, & conceptionem ejus non celebrari, sed nunc in Ecclesia oppositum praedicatur, & celebratur.* » Ad finem sermonis de annunc. cujus prin-» cipium, *Egredietur virga*, addit editor : *Superius in praesenti sermone in duobus locis dicit Martinus auctor horum sermonum, quod B. Virgo sit concepta in originali peccato, cujus oppositum non praedicatur in Ecclesia.* » Sed hic, inquit, Alva, est er-» ror typographiae, quia dicendum erat, *cujus op-» positum modo praedicatur in Eccclesia*, sicut dixe-» rat in antecedentibus. Ad calcem sic legitur : *Expliciunt sermones de tempore & de Sanctis super epistolas & evangelia F. Martini ord. Praedic. poenitentiarii D. papae cum promtuario exemplorum, impressi Argentinae 1486 in 4* : erratum fortè typorum quoad annum pro 1484.

Huc usque Alva, qui postea in Vincentium Bandellum invehitur acriter, quod quemdam magistrum Marinum Cisterciensem citet in sermone nativitatis B. Virginis, qui revera non alius est a F. Martino Polono ord. Praedic. cui Alvae censurae libens subscribo. Editionem laudatam vidit Alva in monasterio Laetiensi Cameracensis dioecesis in Hannonia.

2. *Index decreti*, seu quo prodiit titulo *Margarita Decreti*, Argentinae 1486 : iterum ibidem 1489 & 1493 fol. par. Parisiis, 1500 in 4, quae editio apud nostros Insulen. Cusa etiam fuit initio Decreti Venetiis 1584 in 8, quae editio Parisiis in Regia. Lugduni 1543 & ibid. per Hugonem Portam 1560 fol. Parisiis apud Guill. Merlin, Guill. Desbois & Sebastianum Nivelle 1561 fol. ad caput decretalium Gregorii IX : ibid. 1612 ad calcem Decreti.

Meminit Laurentius Pignon n. 110 : *F. Martinus fecit tabulam super decretum & decretales & vocatur Martiniana.* Sed & Ludovicus a Valleoleti n. 49 : *F. Martinus scripsit super decretum per Abecedarium, & vocatur Summa Martiniana.*

Codd. MS innumeri sunt in bibliothecis Angliae, Belgii, Germaniae, Italiae &c. unde ne lectori sim importunus, Parisienses solùm a me visos recenseo.

Reg. cod. 4255 & 4265 memb. Titulus : *Vocabularium juris canonici a F. Martino O. Praedic.*

Colbert. cod. 2690 fol. mag. memb. Tit. *Incipit prologus in Martinianam decreti & decretalium.* Item cod. 4568 fol. par memb. pellibus vitulinis elegantibus ut & charactere sec. circiter XIII. Idem Titulus.

Victor. cod. 262 fol. par. memb. melioris notae. Tit. *Incipit Margarita decreti a F. Martino D. papae poenitentiario & capellano compilata secundùm ordinem litterarum alphabeti.*

Navarr. fol. par. memb. Omnes codices seu MS seu editi sic incipiunt : *Inter alia quaecunque ad fidelium Christi doctrinam scripta sunt &c.* Et infra : *Ego F. Martinus de ordine Praedicatorum D. papae poenitentiarius & capellanus, pro faciliori inventione & comprehensione ad meam potissime utilitatem, voces quaslibet hujus libri cum suis significationibus per alphabetum secundùm ordinem cum multa diligentia & labore studui compilare &c.*

3. Praecipuum Martini opus, cujus ratione celebre sibi fecit nomen, est ejus *Chronicon*, de quo haec per ordinem discutienda. SAEC. XIII.

1. Titulus, prooemium & finis, seu quod idem est, quot ejus a Martino prodierint editiones.

2. Quale ejus chronici artificium, & an adeo jactata de Joanna papissa fabula ab auctore suo chronico inserta fuerit.

3. Qui genuini qui spurii codd. MS habendi; quaeve impressae editiones laudandae.

4. Eruditorum de Martino judicia.

1. Titulum ab auctore inditum non fuisse verisimilius est, tum quod in multis codd. MS nullus appareat, ut in VII Bibl. Caesar. in Regiis Parisien. 5224 & 5225. 2 : in uno ex Navarr. qui omnes sic incipiunt a prologo, *Quoniam scire &c.* Tum quod fere in singulis varius, quae diversitas in notarios pro libito fingentes videtur refundenda. Isti a Lambecio annotantur in Caesareis.

1. *Incipit chronica Martiniana.*

2. *Incipit chronica F. Martini D. papae poenitentiarii & capellani.*

3. *Haec est chronica de constitutione Romae tam summorum pontificum quàm imperatorum Romanorum ex multis chronicis compilata.*

5. *Chronica de summis pontificibus & imperatoribus ex diversis gestis ipsorum per F. Martinum compilata.*

6. *Incipit chronica F. Martini ord. Praedic.*

8. *Chronica de summis pontificibus ex diversis gestis ipsorum per F. Martinum D. papae poenitentiarium & capellanum compilata.*

Paris. in Regiis 5225 fol. memb. *Incipit chronica F. Martini papae poenitentiarii & capellani.*

5225. 3 fol. memb. *Incipiunt chronica F. Martini papae poenitentiarii & capellani.* 5225. 5. Idem.

4503 in 4 charta. *Chronica Martiniana.* Idem in San-German. Prat. 520 fol. memb.

Colbert. 129 fol. mag. memb. *Incipit chronicon F. Martini poenitentiarii D. papae.*

3341 *Incipit chronica F. Martini Romani papae capellani.*

Navarraeis fol. par. memb. 2. *Incipit prologus in chronica summorum pontificum & imperatorum.*

3. *Incipit chronica F. Martini D. papae poenitentiarii & capellani de ordine FF. Praedic.*

Florentino S. Mariae Novellae a me viso & expenso : *Chronica F. Martini poenitentiarii & capellani D. papae ord. FF. Praedic. de gestis summorum pontificum & imperatorum.* Codex accuratus & sec. XIII.

Veneto SS. Joan. & Pauli : *Incipit chronica F. Martini papae capellani & poenitentiarii de conditione & regimine Romanae urbis & gestis summorum pontificum & imperatorum.*

Nec quis revocet in dubium an verus auctor sit Martinus Polonus, eo quod in nullo codice Poloni agnomen addatur : neque enim ea aetate mos fuit ut quis de se loquens gentis aut nationis suae nomen ad proprium adjungeret, caeterum ex quo ordinis Praedicatorum in multis dicitur, Polonum fuisse saltem a provincia sodalitatis nostrae ejus nominis satis demonstratur : nam alium non agnoscunt antiqui nostri.

Duas a Martino chronici sui editiones prodiisse censet Lambecius Bibl. Caesar. T. II p. 873, alteram quae ad Clementem IV, alteram quae ad obitum Joannis XXI seu Nicolai III electionem progreditur : cui assentior, in hoc tamen ab eo dissidens, quod priorem ille defuncto jam Clemente IV, ego verò eo vivo publici juris factam velim : idque hinc evinco quod in codicibus, qui etiamnum supersunt prioris illius editionis, de eo pontifice sic solum legatur : *Clemens IV natione provincialis de villa S. Aegidii*

SEC. XIII. *sedit annis...* Nihil amplius: quod indicium est Clementem adhuc in vivis fuisse, alioquin si jam obierat, sessionis annos procul dubio Martinus addidisset. Favet codex citatus Sangermaneus 520, in quo sic legitur ad Clementem IV: *Item nota quod hic sit finis de chronica Martiniana, quia dictus Clemens fecit eam compilare per F. Martinum confessorem suum magistrum in theologia, & hac de causa dicitur chronica Martiniana.* Fateor in columna imperatorum supplicium Conradini referri, quod quidam ad annum circiter post Clementis obitum collocant. Verùm ut ut sentiant illi recentiores, & Martinus & Tholomæus de Lucha æquales illud ponunt sub Clementis pontificatu: unde & Caroli post victoriam gesta Clementi non probata ultimus asserit. Sic enim habet Hist. Eccl. Nov. lib. 22 cap. 37: *Omnes autem nobiles qui capti fuerant de comitibus Conradini mandavit rex Carolus decapitari præter Henricum, quia nepos ipsius erat: voluit tamen, quod maneret in Apulia in quodam castro inclusus. Sed & Cunradinum, & quemdam qui dicebatur dux Austriæ, & comitem Gerardum de Pisis, qui capti fuerant apud Asturiam castrum in plagis Romanis transmitti jussit Neapolim, ibidemque de consilio sapientum quamvis alii contrarium dicant* (sic cod. Navar. at Colbert. 2818 *dicerent*) *ipsos in plagis Neapolitanis fecit decapitari.* Et cap. seq. 38: *Abinde ad recuperationem terrarum intendit, quæ rebellaverant, sed non eas recuperavit sine magna hominum strage & mutilatione membrorum, & præcipue in Sicilia & Apprutio, quod papæ Clementi non placuit, vir enim fuit virtuosus ac plenus omni benignitate &c.* Quæ probant post Conradini supplicium & non ante, Carolum ad recuperandas regni provincias animum convertisse. Hujus prioris editionis en prologus ex cod. MS Florent. S. Mar. Novel laudato:

» Quoniam scire tempora summorum pontificum & imperatorum necnon & aliorum patrum ipsorum contemporaneorum quamplurimum theologis ac jurisperitis expedit, Ego F. Martinus ordinis Prædicatorum domini papæ pœnitentiarius & capellanus ex diversis chronicis ac gestis summorum pontificum ac imperatorum præsens opusculum per annos incarnationis Dñi a primo pontifice Jesu Christo, & ab Octaviano Augusto per pontifices & imperatores descendendo usque ad Clementem IV papam deduxi, in una pagina eo anno Dñi quo creati fuerunt ponendo pontifices, in alia pagina imperatores. Factum est autem eo compendiosius hoc opusculum, ut scholasticis historiis a theologis, & a jurisperitis decreto vel decretalibus convenienter possit ligari. Et quia primo summo pontifici id est Christo in triumphanti Ecclesia tres hierarchiæ angelorum obsequuntur, & ad exemplar illius, id est in militanti Ecclesia catholica ex vicariis ipsius tria genera cardinalium obsequentium ipsis sunt instituta, de ipsis quot sint & qui sint & ad quid sint in principio breviter est præmittendum. Numerus ergo ipsorum primordialis est quinquaginta unus, &c «. ut in impressis cum modico discrimine. Postea sic prosequitur.

» Ostenso ergo quod sunt cardinales LI, & qui sunt, qui episcopi, presbyteri & diaconi suis titulis vel ecclesiis declarati: & ad quid sint, quia ad dñi papæ & quinque patriarchalium ecclesiarum ministerium, consequenter procedendum est, ad pontifices quibus deserviunt, incipiendo a primo summo pontifice videlicet Jhesu Christo. « Compilavi autem præsens opusculum

Ex chronicis Damasi papæ de gestis pontificum.

Item ex chronicis Orosii de gestis imperatorum.

Item ex chronicis Pauli Romani diaconi cardinalis de gestis utrorumque.

Item ex chronicis Bobini (A) *Sutrini episcopi de gestis utrorumque.*

Item ex chronicis Gilberti (B) *de gestis utrorumque.*

Item ex chronicis Ricardi monachi Cluniacensis.

Item ex chronicis Gervasii (C). *Item ex chronicis Extodii.* (D)

Item ex chronicis Gottifredi Viterbiensis.

Item ex chronicis F. Vincentii Belvacensis.

Item ex decreto & ex passionibus Sanctorum.

Anno XLII *Octaviani Augusti natus est Jhesus Christus filius Dei*, &c ut in impressis.

Finis pontificum: *Clemens IV natione provincialis de villa S. Ægidii sedit annis...* Finis imperatorum in supplicio Conradini: *Per regem Carolum decollantur.*

Talis est prologus in codd. MS Vaticano, quem Allatius merito tantum laudat: in quatuor Cæsareis melioris notæ teste Lambecio: in eo quem Joannes Fabritius Cæsar prælo dedit Coloniæ Agrip. 1616 fol. cum varietate modica. Ab his omnibus exulat præambulum illud de quatuor regnis & de conditione urbis Romæ, quod legitur in aliis, & sane auctoris fini non congruebat, qui chronicon suum studebat brevius facere, ut vel historiæ scholasticæ, vel decreto facile posset adjungi & unâ ligari.

Opus suum Martinus auxit postea, ut novus pontifex succedebat: hinc codices occurrunt alii ad Gregorium X, ut tertius e genuinis Cæsareis, alii ad Joannem XXI, alii ad Nicolaii III electionem usque progressi. Hîc stetisse nec ultra scripsisse Martinum certum est, ut mox evincetur, propterea eam editionem ceu ex auctis potissimam alteram appellare placet cum Lambecio. An grande additamentum de quatuor regnis &c. ab aliis laudatum, ab aliis despectum auctor ipse adjecerit, an alii ab ejus morte inseruerint, dubium est. Suppositum ab interpolatore censent Jo. Fabritius & Lambecius laudati: & revera non solùm abest ab editione priori, quæ ad Clementem IV, & Gregorium X, sed & in quibusdam editionis posterioris codd. qui ad Nicolaum IV pertingunt non habetur. Unum ex Cæsareis profert Lambecius, talis est etiam Parisiensis Sangermaneus, in cujus prologo legitur illa clausula, *factum esse compendiosius hoc opusculum, ut & scholasticis historiis, vel decreto aut decretalibus convenienter possit ligari*, quæ deest in codd. in quibus est additamentum. Ut ut sit, nam post tantum temporis elapsum istud definire haud facile, prologum qualis est in plerisque codd. posterioris hujus editionis exhibere visum est, ut cum superiori conferant curiosi. En qualem exscripsi ex cod. Navarr. fol. par. memb. & melioris notæ.

» Quoniam scire tempora summorum pontificum Romanorum ac imperatorum, nec non & aliorum patrum suorum contemporaneorum, quamplurimum inter alios theologis ac jurisperitis expedit, Ego F. Martinus D. papæ pœnitentiarius & capellanus ex diversis chronicis ac gestis summorum pontificum & imperatorum præsens opus «

(A) *Bobini.* Alii codd. legunt *Boniti*: a Tholomæo dicitur *Bonzo*: ab aliis *Bonizzo* aut etiam *Bonizzus.* Iste Sutrii in Tuscia episcopus florebat ad annum 1078, de quo legendus Ughellus Ital. Sac. T. I.

(B) *Gilberti.* Quis hic fuerit Vossius ignoravit. Sandius conjectatur fuisse Gilbertum sive Gislebertum magnum dictum ex Ursicampi abbate abbatem Cistercii, & assentitur Hallevordius.

(C) *Gervasii.* Iste proculdubio est Tilberiensis Anglus, qui Othoni IV imperatori chronicon nuncupavit inscriptum *De otiis imperialibus.* Florebat initio sec. XIII.

(D) *Extodii.* Legunt alii *Methodii.* Horum nominum scriptor chronicorum mihi & aliis plane ignotus.

» culum per annos incarnationis Domini ab ipso » primo pontifice Jhesu Christo, & ab Octaviano » primo Augusto sive imperatore descendendo us- » que ad Nicolaum III deduxi inclusive, in una pa- » gina eo anno Dñi quo creati fuerunt ponendo » pontifices, in alia pagina e contra sub iisdem an- » nis eo anno Dñi quo creatus quisque fuit ponen- » do imperatores. Et quia tam pontifices quàm im- » peratores Romanæ urbis esse dicuntur, idcirco » conveniens arbitratus sum de conditione & statu » urbis aliqua præmittere, ut sic de ipsis pontifici- » bus & imperatoribus ordinatius possim procede- » re. Compilavi etiam presens opusculum

Ex scriptis Crasini. (E)

Item ex chronicis Orosii de gestis imperatorum.

Item ex chronicis Damasii papæ de gestis pontificum & imperatorum.

Item ex chronicis Pauli Romani diaconi cardinalis de gestis utrorumque.

Item ex chronicis Gilberti.

Item ex gestis Ricardi monachi Cluniacensis.

Item ex chronicis Gervasii.

Item ex chronicis Estodii.

Item ex chronicis Godefridi Viterbiensis.

Item ex chronicis F. Vincentii Belvacensis.

Et aliqua excepi ex decreto, & quædam ex passionibus Sanctorum. (F)

Non omittenda hæc quæ in omnibus hujus secundæ editionis exemplis MS & impressis ad Clementem IV legitur annotatio:

A Clemente predicto præsens chronica stylum operis commutavit, nam cùm a principio per annos decucurrerit, & quilibet pontifex anno introitus sui positus fuerit: quia plures pontifices uno & eodem anno defuncti fuerunt, & in eadem linea poni non potuerunt, prædictus modus servari non potuit, sed per annos Dñi non continuando sicut prius, sed distinctim ponendo statum cujuslibet pontificis declaravi, sicut patet in Clemente & consequenter.

Sane cùm hæc scriberet auctor, attendebat ad Innocentium V, Adrianum V, & Joannem XXI, qui eodem anno pontificatum inierunt, nec in eadem linea reponi potuerunt.

Finis pontificum in cod. Navarr. laudato, & in pluribus aliis: *Nicolaus III natione Romanus cœpit anno Dñi* MCCLXXVII. *Sedit annis* . . . Finis imperatorum: *Rex etiam Navarræ, qui infirmus de Aphrica recesserat, in Siciliam veniens est defunctus.*

Martinum nihil amplius in suo chronico addidisse, & ex ejus morte quæ anno sequenti accidit, ut jam notatum est, & ex Bernardo Guidonis qui ei succenturiavit, constat. Sic enim iste in suo chronico inter Joannem XXI & Nicolaum III legit: *Huc usque chronica F. Martini Poloni ordinis Prædicatorum pœnitentiarii D. papæ de Romanis pontificibus protenditur & finitur.*

In Colbert. codex 129 collectio est chronicorum plurium, quorum primum initio caret: secundum Damasi dicitur, sic enim tum censebatur. Sequuntur tabulæ pontificum & imperatorum per columnas distinctæ ac ita dispositæ, ut inter pontifices & imperatores tres sint annorum columnæ, ad quarum caput sic legitur: *Chronica Martini, chronica Tholomei*, (sic) *chronica Guidonis*: & ad nomen cujusque pontificis ac imperatoris is annus in quaque columna ascribitur, quo quisque horum scriptorum initium pontificatus & regni affixit, quorum ea ratione varietates uno intuitu aspiciuntur. Hic autem cujusque finis annotatur, Martini in Nicolao III MCCLXXVII, Tholomæi in Bonifacio VIII MCCXCIV: Guidonis in Joanne XXII MCCCXVI. Subjicitur deinde Martini chronicon, cujus finis ut supra in Nicolai III electione.

Ante appendicem verò quæ sequitur, est hæc annotatio: *In præcedenti historia Nicolai III finitur premissa chronica F. Martini Poloni: ea verò quæ sequuntur tam de prædicto Nicolao, quàm de cæteris suis successoribus, de quibus infra sequitur, videntur a diversis diverso stylo & serie addita & compilata, in quibus libri communiter non concordant.* Codex est sec. XIV fol. memb.

Quæ ideo referenda visa sunt, non solùm ut falli Suffridum Petri ostenderem, cùm appendicem illam a Nicolao III ad Joannem XXII quæ in quibusdam codd. habetur, Martini fœtum esse legitimum putat, sed & contra quam aliqui censent, & videtur innuere Jo. Fabritius, quæ a Clemente IV ad Nicolai III electionem non aliena esse sed Martini genuina constet. Ex hac duplicis editionis ab ipso auctore sui chronici distinctione, evanescunt illæ ambages, quibus se intricari aliqui fatentur ob alium & alium pontificem in prologo operis nominatum, ad quem usque chronicon deducendum promittitur, adeo ut inquiunt, quale primitus ab auctore exaratum fuerit, vix in codicibus possit deprehendi. Ita enim habeas, quotquot in Clementis IV electione desinunt prioris sunt editionis: qui verò ultra ad Nicolai III electionem progrediuntur, posterioris sunt editionis: in quibus est quid amplius, illud omne supposititium.

Jam artificium chronici Martiniani explicatius revelandum est, licèt enim aliqui jam indicaverint, in primis Leo Allatius, nemo tamen hactenus ita expressit, ut lector clare apprehendat. Martinus itaque sic operis sui methodum excogitavit, sicque semper scribendum voluit ac speravit, nempe in una pagina ad lævam exhibet pontifices, in altera ad dextram imperatores. Quamque paginam in 50 lineas dividit, & in margine ad caput cujusque lineæ annum ascribit, adeo ut in quaque pagina anni sint 50 distincte notati, sicque chronicon per quinquagenas currat a Christo nato ad electionem Clementis IV: nomen cujusque pontificis ad initium lineæ positum est, cui junctus est annus, quo iniit pontificatum, totque sibi vindicat lineas quot sedit annis, licèt non omnes plenas sed quandoque vacuas. Idem de imperatoribus. Ea ratione scriptum esse codicem Vaticanum Urbani VIII innuit Allatius, eadem suum Fabritius, eadem quosdam e Cæsareis Lambecius, eadem Florentinum S. Mariæ Novellæ vidi ipse anno MDCLXXXI cùm illac transirem: idque illud est quod auctor in prologo se observaturum promittit, chronicon scilicet *per annos incarnationis deducturum, eo anno Dñi quo creati fuerunt ponendo pontifices &c.* & in nota superius relata ad Clementem IV monet se eo usque observasse, deinceps autem a se non servandum, quia plures pontifices eodem anno creati & mortui in eadem linea poni non potuerunt.

Quantum autem id valeat ad Martinum a fabula Joannæ papissæ purgandum mox constabit: at illud in primis statuendum est, eam ab omnibus codicibus quos dicimus primæ editionis ad artificium auctoris scriptis a catalogo pontificum exulare, sed nec in eis locum habere posse. Sic enim sese res habet. Leo V (ita apud illum dicitur qui revera est IV, sed rem propius intuenti nulla est

(E) *Crasini.* Hujus nominis scriptor a nullo recensetur. Alii codices vulgo habent *Titi Livii.*

(F) Hic omittitur *ex chronicis Boniti &c.* Deest etiam in quibusdam aliis codd. incuria forsan notarii.

Cùm autem in Navarr. Bibl. tria sint hujus Martini chronici exempla, quod hic laudatur, illud est in quo in prima grandiori littera A, scilicet *Anno* XLII *Octaviani &c.* B. Virgo in lecto cubans, & pusionem Jesum præ manibus gestans picta exhibetur.

SÆC. XIII. difficultas, monet enim auctor Leonem a se dictum III inter pontifices non recenseri) Leo inquam a Martino dictus V in ea linea scriptus est, ad quam e latere signatus est annus DCCCXLVII, & cùm sedisse dicatur annis VIII menses III d. VI, debentur ei quatuor anni ultimi, vel quatuor ultimæ lineæ quinquagenæ ejus paginæ, & quatuor anni primi seu quatuor primæ lineæ quinquagenæ paginæ sequentis, quas etiam implet in codicibus mox laudatis. Benedictus III in linea sequenti immediate collocatur ad annum DCCCLV, nulla Joannis Margantini mentio, nullus ei locus. Addo non solùm in codicibus primæ editionis istum Joannem non memorari, sed nec in pluribus editionis secundæ quæ ad Nicolaum III protenditur. Talis est Navarræus supra laudatus in membr. 400 circiter annorum, & posterioris editionis, si quidem in eo & præambulum illud de urbis Romæ conditione, & finis in Nicolai III electione: nulla tamen in eo Joannis Margantini mentio nec in ordine pontificum nec in margine nec ullibi, nec unquam fuit, nam nihil erasum, nihil lacerum. Codex eo magis spectandus, quod cùm ille non ad normam Martinianam scriptus sit, fabulam illam inserere facilius fuisset, quia pontifices non annorum aut linearum numero ligantur, sed in prima parte codicis pontifices continenter omnes, in altera imperatores exhibentur. Conjectu autem pronum hunc ex codice secundæ editionis exscriptum, in quo proinde deerat etiam fabula, nam si semel inserta fuisset, eam notarius non omisisset, Ex quibus merito infero, vivo Martino qui paulo post Nicolai III electionem mortuus est, fabulam in ejus chronico non comparuisse.

Addo amplius ex ipsis codicibus MS in quibus adest fabula constare, contra auctoris mentem eam intrusam fuisse, & turbatum totum ipsius artificium ut insereretur. Id luce clarius demonstratur ex cod. Victor. 597 & secundæ editionis & ad amussim Martinianam scripto, hoc est divisis in 50 lineas paginis, & ad quamque lineam annis 50 singulatim notatis. In eo siquidem ut locum inter pontifices Joannæ papissæ reperiret notarius, duas integras paginas perturbavit, pontifices Leonem præcedentes annis superioribus collocando quam electi fuerint, paucioresque eis lineas & annos concedendo quam sederint, & eadem ratione Leonem subsequentes ad annos inferiores rejiciendo, & eorum pontificatum intra pauciores annos coarctando. Sic Gregorium IV qui anno DCCCXXVIII tantùm collocandus erat ad DCCCXXVI ascendere cogit, & cùm lineæ sexdecim ei deberentur, ceu qui totidem annis sederit, intra XII lineas continet. Ex quo fit ut lineis sex in ea pagina obtentis totum Leonis pontificatum in eadem concludat, qui quatuor saltem lineas & annos in sequenti habere debuisset. Præterea cùm Joanna non dicatur sedisse nisi duobus annis mensibus quinque, duabus aut tribus lineis coercenda erat, at septem & amplius implet, a DCCCL scilicet in priori pagina ad DCCCLVII in altera. Hinc Benedictus III qui ad DCCCLV renunciandus erat, ad DCCCLVIII relegatur: eumque consequentes pontifices similiter intra pauciores lineas constringuntur, quam pro numero annorum pontificatus requirerent. Sic Nicolaus I qui annos IX sedit ac lineas IX exigebat, intra septem limitatur, & cùm ad annum DCCCLVIII juxta Martinum ascribendus esset, ad DCCCLXI rejicitur, & sic de consequentibus, adeo ut in duabus his paginis omnia sint perturbata. Præterea dictæ papissæ pontificatum in illo ipso codice ut fabulamentum referri illud arguit, quod non ad caput lineæ nomen ejus ascriptum sit, ut aliorum pontificum, sed in media linea 50 ut appendix ad Leonem. Neque etiam numerum pontificum ejus nominis auget, nam Joannes eam sequens ad DCCCLXXII dicitur VIII, qui aliàs IX dicendus erat. Præfectus Bibl. Victor. ante annos LX circiter in margine superiori hujus paginæ quæ ab anno DCCCLI ad DCCCC annos expansos exhibet, hanc annotationem ascripsit: *Ibera sunt neniæ quas hic Martinus vendit imperitis & sobriis historiarum lectoribus de Joanne Anglico, quem & natione Maguntinum commemorat, quasi verò duobus locis potuerit nasci. Vide annotatiunculam nostram ad Belleforestii impressos annales minoris nostræ bibliothecæ pag.* 83, (nempe Victorinæ) *præter multa quæ tibi Onufrius suppeditabit.* Qui vir peritus si tantum attendisset ad ordinem pontificum in duabus illis paginis contra præscripta Martini adeo confusum, non in auctorem innocuum, cui potius indoluisset, sed in corruptorem qui ejus opus tam turpiter laceravit, stomachum erupisset. Nec mihi dubium quin in omnibus codicibus ad artificium Martini diligenter scriptis, id est pro numero annorum 50 in quaque pagina tot numero lineis, eadem deprehendatur perturbatio, nec enim fieri aliter potest, si fabula inter pontifices inserta sit.

In cod. 159 Colbert. jam laudato eleganti, qui fuit aliàs Benedicti in sua obedientia Avenionensi XIII dicti, cujus tesseræ gentilitiæ initio pictæ conspiciuntur, anni omnes in margine expansi dantur a I ad MCCLXV, verum non ad linearum numerum alligati, sed soluti & liberi, totque in quaque pagina, quot gesta relata exigunt: quod ob diversum artificium alia est in pontificibus Leonem præcedentibus annorum confusio. Gregorius IV ad DCCCXXVIII collocatur quidem, & cùm annis XVI sederit, XVI annos habet in margine ascriptos ad DCCCXLIII, hæc juxta sinceros Martini codices.

Sergius II qui tres annos sedit, & tres annos exigebat, unico contentus esse cogitur in margine DCCCXLIV.

Leo IV (sic, non V ut in aliis) ad DCCCXLV alligatur & sex tantùm annos sortitur ad DCCCL & non ultra, cùm octo desideraret, ceu qui octo annis sederit.

Joannes Margantinus (sic) quem duobus annis tantum sedisse ipsa fabula dicit, quatuor tamen habet sibi in margine respondentes DCCCLI, LII, LIII, LIV.

Benedictus III ad DCCCLV & deinceps recta omnia.

Ubi & notandum in hoc cod. Colbert. ut jam monui de Victor. Joannem Margantinum adduci non ut pontificem qui post Leonem sederit, nam nomen ejus nec a capite lineæ, nec littera grandiori scriptum, ut pontifices omnes: sed continenter ad Leonem, ceu fabula ejus pontificatui adjecta; ad quem proinde anni illi quatuor pertinent non ad papissam, & a quo duo priores anni DCCCXLV & XLVI rescindendi, & Sergio cui debentur restituendi. Quæ confirmantur ex tabulis chronologicis ejusdem codicis 159 Colbert. supra laudatis & eadem manu scriptis, in quibus tria chronica Martini, Tholomæi & Guidonis ad invicem conferuntur. Nam in columna pontificum Martiniana papissa non recensetur, sed Leoni Benedictus immediate subjicitur, & Leo juxta Martinum collocatur ad DCCCXLVII usque ad LV, & Benedictus ad DCCCLVI.

Cod. regio 5224 memb. fol. non quidem ad artificium Martini scripto, sed in quo ad quemque pontificem annus quo juxta Martinum incepit, ascribitur, Leoni apponitur annus DCCCXLVII, Benedicto III annus DCCCLVI, Joanni Margantino qui inter utrumque scribitur, nullus datur annus: quod signum manifestum non referri nisi ut fabulamentum.

Regio altero 5225 ad canones Martinianos scripto, recta omnia ad Leonem III seu juxta Martinum IV: sed quia hic qui XX annis sedit, lineas plures vacuas reliquerat in codd. sinceris, in isto confusio incipit anno DCCCI, ad quem ascribitur Stephanus IV, qui tamen juxta Martini codices accuratos ad DCCCXVI differendus erat, & sic consequenter pontifices omnes extra locum positi ad Leonem IV seu V juxta Martinum, qui ad DCCCXXXIII ponitur cùm nonnisi ad DCCCXLVII ascribendus fuisset, idque ut locus inveniretur Joanni Margantino, & deinceps extra ordinem posita omnia.

Itaque contendo ex vero criterio apud omnes harum rerum peritos, tantam tamque variam in hisce codicibus, contra quam est in sinceris, in Martini chronologia in hoc centenario perturbationem, demonstrationem esse fabulæ illius putidæ in ejus chronicon post ejus obitum eoque reluctante & invito intrusæ.

Sic autem rem evenisse obvium est. Cùm chronicon Martini ea qua confectum est ratione commodum in primis videretur, & omnes quærerent: aliunde verò fabula illa jam a pluribus annis in vulgus esset sparsa, ut mox ostendetur, eam primo ad marginem sub Leone scripserunt, ut ut se res haberet. Sic in codice Florentino S. M. Novel. cir. etiamsi prioris editionis in margine inferiori paginæ quæ annos exhibet a DCCCI ad DCCCL legitur: cæterum ita refertur, ut nullus ei sit locus in catalogo, Leone quatuor annos ultimos & quatuor ultimas lineas ejus paginæ, ut & quatuor primos annos, & quatuor lineas primas paginæ sequentis implente: & Benedicto III lineam quintam immediate obtinente: adeo ut narratio illa de Joanne Margantino ad marginem non videatur ascripta, nisi ut fabula tum vulgo decantata. Ejusdem rationis est codex MS Parisiensis abbatis Decamps: fabula in margine inferiori extra ordinem scripta. Postea verò illam ex margine in catalogum invexerunt, & ut locum ei facerent, pontifices Leonem antecedentes & subsequentes loco eis ab auctore dato moverunt, omniaque in duabus illis paginis perturbarunt. Nec ibi cessatum. Nam cùm chronicon illud ad normam auctoris semper scribere esset molestum, quia id nonnisi in codd. in fol. servari poterat, & forma minori scriptum commodius videretur, alii chronologiam omiserunt omnino, sic Colbertini 3741 membr. & 2460 & 3786 charta. Regius 5225, 2 & tertius ex Navarræis: alii aliquem ex annis cujusque pontificis annotarunt, non attendentes scrupulosius an primus an alter vel tertius, sic duo Navarræi primus supra laudatus, & secundus ille scilicet in quo Martini chronico præmittitur compendium chronologiæ veteris testamenti. Hinc in ejusmodi codicibus tanta chronologiæ varietas ex incuria notariorum. Exinde etiam factum est, sive sit chronologiæ pars aliqua servata, sive omnino sit omissa, ut adulteratio per intrusionem fabulæ difficile deprehendatur: sed ex quo nihil adversus Martinum concludas, qui non solum ex sinceris editionis utriusque codicibus fabula carentibus, sed & ex ipsis interpolatis at chronologiam integram exhibentibus abunde absolvitur.

At quæres, quisnam igitur primus auctor fabulæ, & quonam anno cœpit vulgari? Huic quæsito fateor me non posse facere satis: scio solum jam pluribus annis antequam Martinus scriberet celebrem fuisse, in antiquioribus chronicis scriptam, imo & a concionatoribus coram episcopis in eorum synodis, vel etiam coram canonicorum collegiis urgente episcopi electione prædicatam. Id constat ex nostro Stephano de Borbone de Bellavilla supra laudato, qui ad annum MCCLXI circiter mortuus est, & quibusdam saltem annis antea sic scripserat in magno suo opere de septem donis Spiritus sancti P. V *de dono consilii*. Tit. *de prudentia*, ubi agit de cautela in electione prælatorum, cap. *Quod electio debet esse pura*, § 10 ubi electionem ab usurpatione immunem esse debere ostendit cod. Sorbon. fol. 574 col. 1. Post plura relata exempla de electionibus summorum pontificum subjungit: SEC. XIII.

Accidit autem mirabilis audacia imo insania circa annum Dñi MC *ut dicitur in chronicis. Quædam mulier litterata & in arte nondi* (sic quod divinet lector) *edocta, assumto virili habitu, & virum se fingens, venit Romam, & tam industria quam litteratura accepta, facta est notarius curiæ, post diabolo procurante cardinalis, post papa. Hæc imprægnata cùm ascenderet peperit. Quod cùm novisset Romana justitia, ligatis pedibus ejus ad pedes equi distracta est extra urbem, & ad dimidiam leucam à populo lapidata, & ubi fuit mortua ibi fuit sepulta, & super lapidem super ea positum scriptus est versiculus:*

Parce pater patrum papissæ prodere partum.

Ecce ad quam detestabilem finem ducit tam temeraria præsumtio.

Jam videt lector chronica a Stephano laudata non esse Martini Poloni, tum quia iste nondum chronicon suum scripserat, ceu qui illud non edidit nisi sub pontificatu & ut quidam aiunt jussu Clementis IV: tum quia narratio Stephani seu quoad tempus, seu quoad alias circumstantias nullatenus convenit cum iis quæ in codicibus Martini adulteratis leguntur. Quæ igitur chronica laudat Stephanus, in quibus hanc historiam legit, antiquiora erant: unde luce clarius est Martini chronicon non esse primum, in quo figmentum adeo insulsum ac putidum referatur. Necesse verò non est, ut Stephanum de Borbone purgem, quod fabulam adeo inconditam suo operi insuerit: historicum enim ille aut chronologum non agebat, at concionatorem, neque eorum quæ refert vadem se præstat, sed rem ut ætate sua circumferebatur, ac ut apud auctores tum legebatur, simpliciter narrat: adeo ut non tam ejus quam seculi sui errorem fuisse nemo cordatus non fateatur.

Hinc facilis responsio ad ea quæ quidam objiciunt, scilicet Tholomæum de Lucha Hist. Eccl. Nov. lib. 16 c. 8. testari, omnes quos legit chronicorum scriptores tradere Leoni immediate Benedictum successisse: at unum Martinum inter utrumque ponere Joannem Anglicum. Ex mox relatis enim constat Tholomæum chronica omnia Martiniano antiquiora non vidisse. Præterea inter annum MCCLXXVIII quo mortuus est Martinus, & MCCC post quem Historiam suam scripsit Tholomæus, nam Guillelmo de Baiona cardinali anno tantum MCCCXII purpurato nuncupavit, satis fluxit temporis, ut quis audax fabulam in chronicon Martini inferret, primo quidem ad marginem inferiorem ascribens tantum, quam alii notarii postea in ipsum pontificum catalogum invexerunt, totam ut ita dicam Martini machinam evertentes, ut supra demonstratum. Tholomæus autem in ejusmodi codicem adulteratum inciderit.

Domnum Mabillonium virum nostræ ætatis eruditissimum semper ex animo veneratus sum, & mortuum cum omnibus litterarum studiosis lugeo: mirari tamen subit, quod ille Marianum Scotum & Sigebertum Gemblacensem ex unius aut alterius codicis fide a turpi illa Joannæ papissæ fabula eximat, Martinum verò Polonum etsi fateatur antiquiora ejus exemplaria ea macula carere, quacunque tandem ratione illa velit oneratum. Omitto quæ habet Itin. Ital. p. 27, ubi post allatum Tholomæi testimonium mox expensum & explicatum

sic prosequitur: *Hinc patet quod ab aliis jam probatum Martinum Polonum primum esse hujus fabulæ si non auctorem saltem narratorem &c.* Et postea ubi de sella stercoraria p. 59: *eam ait fuisse in usu uno seculo ante natam fabulam de papissa, id est ante Martinum Polonum, qui primus hanc fabulam vulgavit, ut superius vidimus.* Fortè enim ista nondum discusserat, cùm celebre illud iter prælo commisit: at sane dura sunt quæ habet in Annal. sui ordin. ad annum 855 n. LXXXVI: *Major est difficultas de Martino Polono, cujus hac in re variant exemplaria, in quibus antiquiora hanc fabellam non habent: At sive is primus ejus auctor est, seu quod potius crediderim, ejus continuator, fatendum est hanc fabulam ejus tempore, id est ab annis fere quadringentis natam fuisse.* Antiquiora Martini exemplaria, hoc est eo vivo scripta fabellam non habent: ergo fabellæ si non primus auctor est, saltem est continuator. Hanc arguendi rationem sane non capio. Ergo corrupti codices Martini, in quibus fabella legitur, sic alius argueret, & sic concludit doctissimus Pagius in Critica historico-chronologica ad annum 853 n. 14, ubi & Mabillonii dicta in Itinere Italico refellit, purumque omnino ac candidum præstat nostrum Martinum. Addo tamen non stare quod ait Pagius, figmentum de Joanna papissa inter annum MCCLXXVIII quo Martinus Polonus obiit, & annum MCCCXLII (sic sed leg. XXI) quo Tholomæus de Lucha vivebat adhuc, procusum: jam enim ante MCCLXI & vulgatam fabulam, & in quibusdam chronicis scriptam mox nos docebat Stephanus de Borbone: sed stat & semper stabit figmentum de Joanna papissa in Martini chronicon non infartum, nisi inter annum MCCLXXVIII quo ille obiit, & annum MCCCXII quo Tholomæus de Lucha historiam suam Guillelmo de Baiona eo anno in feriis adventus cardinali creato dicavit.

In qua autem editione Vincentii Bellovacensis Pagius legerit, ut ibidem narrat, fabulam Joannæ papissæ me latet. Non enim in codd. MS ullis extat, ut ipse fatetur, sed nec in ulla ex typo expressis a me visis editione occurit lib. XXV Spec. Histor, qui in Duacensi est XXIV cap. XXXVI: ubi fit mentio tantum cujusdam pseudoprophetissæ Moguntiacæ circa annum 850 eam Ecclesiam turbantis, quam fortè fabulæ occasionem dedisse Allatius subodoratur. Si tamen verum sit aliquam Bellovacensis editionem ex inserta fabula fuisse fœdatam, quam viderit Pagius, novum argumentum esset & inductæ invito & inscio Martino in ejus chronicon corruptelæ.

Quamvis autem ex hactenus dictis satis pateat, qui codd. MS spurii, qui genuini habendi, hîc tamen sub uno conspectu colligendi, ut & quæ ex typographia prodierunt editiones referendæ. Codices MS in quatuor genera partior.

Primi puri omnino ac sinceri sunt a quibus exulat fabula, quales Vaticanus Urbani VIII ab Allatio laudatus, Fabritianus, quatuor Cæsarei a Lambecio recensiti: Naudæanus a Labbeo Bibl. Nov. pag. 222 indicatus, quem ait desinere in Clemente IV Romano pontifice, & Frederico II Romanorum imperatore, ipsique visum ut in fine sic in multis aliis diversum ab excusis, ac in eo præsertim quod Joannæ papissæ ut vocant nulla in eo occurrat mentio, quamvis codex ipse sua potissimum vetustate insignis censeri debeat: extrema ejus verba hæc esse addit: *duo quoque cardinales Jacobus Prænestinus & Otto pro subsidio Ecclesiæ contra Fredericum legati ultra montes missi, quum redirent ad curiam cum pluribus prælatis per naves Pisanorum capiuntur.*

Navarricus primus supra laudatus hic secundæ, illi primæ editionis. Quin plures alii sint ejusdem rationis, nullus dubito.

Secundo loco ponendi, quibus fabula in margine addita, pontificum catalogo cætera intacto, qualis Florentinus S. M. Novel: talis etiam Parisiensis abbatis Decamps etiamnum hoc anno MDCCXVIII florentis viri Musarum amantissimi; talis etiam indicatur a Suffrido Tongerloensis, in quo ait Joannem Anglicum nec nomen nec numerum habere in catalogo pontificum, sed ejus historiam Leoni subjici (adeoque in margine) tanquam appendicem & fabulamentum.

Tertio interpolati & a fabula e margine in textum inducta inquinati, sed ad artificium Martinianum scripti annis ad 50 lineas in quaque pagina singulatim annotatis, quales Victorinus 597, Colbertinus 129 & regii 5224 & 5225, de quibus verum est quod ait Suffridus, qui in eos inciderint, facilè comperturos nempe ex chronologiæ perturbatione, fabulæ illi putidæ ne apud hunc quidem auctorem esse locum.

Quarto omnes fere minoris formæ, a quibus vel abest omnino chronologia annorum Christi, vel annus quis unus tantùm seu in margine seu in textu appositus, in quibus plerisque fabula inserta, sicque corrupti censendi.

Hæc autem esto regula generalis. In quibus in prologo nomen pontificis Nicolao III posterioris legitur, quicquid in fine ultra lineam primam Nicolai III superadditum, extraneum est non Martini. Ad hæc quatuor vel quinque genera quotquot in bibliothecis codices, & sunt sane innumeri expendendi omnes. Hi præter relatos Parisiis a me visi.

Victorini 834 pergam. ad Joannem XXI fabula corruptus: 828 charta in 4. In isto multæ ad marginem annotationes & in iis quædam emendandæ. Ad Martinum IV hæc apponitur: *Multa hic truncata a quibusdam forsan hæreticis, quæ restituit Suffridus.* Ad Cœlestinum V fol. 224 hæc alia in principio falsa: *Huc usque Martinus Polonus, continuatio ab alio auctore & alio ordine, rebus scilicet imperii cum ecclesiasticis eodem contextu descriptis.* Ad Bonifacium VIII & Bonifacium IX sic legitur in margine inferiori: *Bonifacius hic VIII & Bonifacius IX nullibi typis dati, prout in hoc volumine scripti sunt, quamvis ab eodem ut arbitror auctore scripti sint, qui ea quæ sequuntur a Clemente usque ad finem scripsit. Bosquetius enim in sua editione anni 1632 pontificum Romanorum incepit a Clemente omissis duobus Bonifaciis præcedentibus.* Titulus: *Continuatio chronicæ Martinianæ a papa Bonifacio VIII usque ad mortem papæ Clementis VII scilicet usque ad annum* MCCCXCIV. Tenet a fol. 224 ad fol. 295.

Sorbonicus n. 742 fol. mag. memb. ad calcem annalium nostri Nicolai Trivet. In prologo promittit tantùm ad Nicolaum III: postea tamen additamentum est ad Honorium IV inclusive. Et hic a fabula inquinatus.

Navarrici præter supra laudatum purum, duo sunt alii fol. par. memb. fabulam habentes: unus sistit in Nicolao III: alter ad Honorium IV producitur.

Regii plures 4503.

5224 fol. med. memb. Post Joannem XXI sic habet: *Explicit chronica F. Martini ordinis Fratrum Prædicatorum de summis pontificibus & præclaris imperatoribus.* Sequitur appendix a Nicolao III ad Clementem V inclusive. Refertur mors Henrici VII, quæ ventris profluvio tribuitur. In isto codice est fabula sed absque ullo anno: contra Leo ad DCCCXLVII ascribitur ad usque DCCCLV & Benedictus ad DCCCLVI.

5225

5225. 1 fol. memb. ad Joannem XXI: tum sequitur appendix ad Joannem XXII inclusive. Hic ad artificium Martinianum scriptus, sed corruptus ut supra notatum.

5225. 2 fol. memb. olim clar. Bigotii. In prologo Martinus dicitur ordinis Prædicatorum. Promittit ad Joannem XXI tantùm: sequitur tamen appendix ad Joannem XXII inclusive, id est ad Nicolaii antipapæ renunciationem coram Joanne XXII. Nulla est chronologia, sed a papissa corruptus.

5225. 3 fol. memb. aliàs ejusdem clar. Bigot. Promittit ad Joannem XXI tantùm. Est tamen prima linea Nicolai III. Anni ad artificium Martinianum dantur expansi ad DCCXXXX, postea omittuntur. Adest fabula.

5225. 4 fol. memb. olim Antonii Faure theologi Parisien. Promittit ad Nicolaum III in prologo: pergit tamen ad Honorium IV. Adest fabula, sed chronologia ubique perturbatissima.

Colbertini præter 129 citatum hi sunt 2460 fol. par. charta 1 ad Nicolaum III. Postea Appendix 1 ad Benedictum XII inclusive, cum iis quæ hoc tempore in Gallia & Imperio gesta sunt. Appendix altera a Clemente VII papa Avenionensi ad Innocentium VIII. Nulla chronologia, sed adest fabula.

3341. fol. par. memb. ad Nicolaum III. Nulla item chronologia, sed adest fabula.

3786 charta in 4. Nec in hoc chronologia. Adest fabula. Finis in Nicolao III.

Florentini, ad S. Marc. Arm. II codex XI memb. Mediceus Plut. LXV cod. 29 charta in 4 & 30 membr. Ad S. Mar. Annunc. Servorum codex 126.

Patavini apud S. Joannem in viridario Plut. XIV fol. adesse fabulam monet Tomasinus. Ibid. Plut. XXVI sed hic pars tantùm.

Non omittendi Cæsarei præter quatuor sinceros & a fabula puros, quatuor alii licèt inquinati a Lambecio recensiti, quibus adjungendus codex Cartusiæ Gamingensis in Austria, qui & ipse ex sinceris & puris, & primæ editionis ad Clementem IV, non ultra. In isto, ut & in quarto ex sinceris, & in primo ex corruptis Cæsareis sic legitur eodem Lambecio teste: *Ego F. Martinus ordinis Prædicatorum D. papæ pœnitentiarius & capellanus de regno Boemiæ oriundus, patria Oppaviensis &c.*

Lipsiæ in Paulina olim nostra sunt plures a Fellero laudati p. 300 n. 32 fol. p. 314 n. 46. p. 376 n. 554. *Imperatorum usque ad interregnum*, id est usque ad depositionem Frederici I *pontificum usque ad Gregorium X*: qui si sic videtur edit. prioris: rursus p. 385 n. 844.

Erphordii in Saxonia quatuor codd. MS copiosiores quam prælo excusos habebat Matthæus Dresserus teste Simlero: sed proinde juxta prædicta ab aliis aucti.

Hi in Belgio leguntur apud Sanderum p. 50 ad ann. 1321. p. 251 alius p. 328 alius. Part. alt. p. 194 alius p. 220 alius.

In catal. codd. MS Angliæ T. I P. I 1271, 1411, 1495 hic ad Nicolaum III: 1496, 2402 hic definit in Joanne XXII: 2444, 2619. P. II 588, 589. P. III 164, 267 amplior quam vulgo habetur, 1170, 1343, 1588. T. II P. I 451, 1325, 1673, 1834, 2483, 2940, 3015, 3035, 3094, 3112, 3473, 3610, 6383, 6401, 8344, 8711, 9170, 9475, 9795, 9904, 9916, 10002.

Hæ mihi cognitæ editiones a nata typographia.

Prima Basileensis, curante Joanne Herold Germano, typis Jacobi Parci, expensis Joan. Oporini 1559 fol. pagg. 251 post chronicon Mariani Scoti. Finis in Nicolai III electione juxta suum cod. MS. Additur ex antiquo codice Fuldensi appendix ad Joannis XXII annum 5 quo Thomas Erfordiensis episcopus sanctorum albo inscriptus. Adest præambulum illud de quatuor regnis: adest & fabula.

Altera curis Suffridi Petri Leowardiensis Frisii prodiit hoc titulo: *Martini Poloni archiepiscopi Consentini, ac summi pontificis pœnitentiarii chronicon expeditissimum ad fidem veterum* MS *codd. emendatum & auctum*, Antverpiæ, Christophori Plantini 1574, in 8. *ad* MS *codd. Lovaniensem S. I. Tongerloensem & Martiniensem revisum.* Editor testatur se dare tertia parte locupletius, lacunas implevisse, errata correxisse. In ea autem editione plura non probantur; quod in quatuor libros opus contra mentem auctoris diviserit: quod fabulam papissæ intra catalogum pontificum reliquerit, perturbata sic chronologia; quod appendicem a Nicolao III ad Benedicti XII electionem tam Martini opus ac ea quæ præcesserunt tueatur, in quo visum eruditum gravissime allucinatum esse jam omnibus constat.

Tertiam editionem accuravit Joannes Fabritius Cæsar ordinis Præmonstratensis canonicus Gladbachensis Coloniæ Agripp. apud Gravenbruck, 1616 fol. usus codice MS prioris editionis, ex iis scilicet a quibus abest & præambulum de quatuor regnis, & fabula papissæ, & qui ultra Clementis IV initia non progrediuntur. Artificium etiam Martinianum quadantenus observatum annis Dñi singillatim in margine annotatis: illud solum deest, quod quæque pagina per quinquagenam annorum ac linearum non distincta. Cæterum hæc editio omnibus aliis præferenda.

Hanc eamdem iteratis typis excuderunt Argentorati 1685 typis Josiæ Stedælii, & Jo. Frederici Spoor inter alia chronica ad calcem historiæ Frederici III imperatoris ab Ænea Silvio Picolhomineo seu Pio II adornatæ: at in qua & prologus & anni expansi desiderantur: unicuique pontifici solum creationis annus, cui a Martino ascriptus est, diligenter appositus.

Monendus lector prodiisse opus hoc titulo: *Martini Poloni chronicon summorum pontificum & imperatorum, ac de septem ætatibus mundi*, Taurini, Jo. Fabri 1477 in 4. At Martini nostri opus non est, sed scriptoris recentioris, alterius omnino styli, & longius productum. Extabat in Bibl. Telleriana, unde transiit ad Sangenovef.

Florentiæ in Medic. Pl. XLI n. 44 recensetur codex fol. chart. cui titulus *Cronaca Martiniana, (alla quale manca in principio una carta) dagli anni di Christo* LXX *fino al* MCCLXXVII. Videtur chronicon Martini Poloni in vulgarem Italicam versum.

Aliud plane opus est quod MS mihi occurrit Paris. in Regia n. 7513 Colbert. nn. 1317, 1886, & 3228, & Sangerman. Praten. n. 712 sub hoc titulo, *croniques Martiniennes*, quod & typis prodiit Paris. Antonii Verard 1503 fol. quæ editio in Regia. Pr. *Ci commencent les croniques Martiniennes extraites de plusieurs anciennes histoires commencées dez le commencement du monde jusques aux noces du roi d'Angletere nommé Edouard, & de la fille du roi de France nommée Isabeau. Au commencement du monde depuis que Dieu ét fait ciel & terre, tenebres & lumiere, & les quatre elemens divisez l'un de l'autre, si fit diverses creatures &c.* Hunc titulum adeptum esse crediderim, quod plura a Christo ex chronico Martini in illud translata: at longe plura ex aliis, unde suum non agnoscit Martinus.

Alia utcunque vera translatio Gallica chronici Martiniani facta est a D. *Verneron* canonico Leodiensi, qui se addidisse testatur a Nicolao III ad Clementem VII papam Avenionensem, & plura congerit de schimate ejus ætatis, de rebus Belgicis & Burgundiæ ducibus. Extat Paris. in Reg. cod.

 7513 fol. papyr. tres uncias ſpiſſo. Hanc eamdem poſtea ad inſtantiam Ludovici *de Laval* dñi *de Chatillon & de Frivondour* Delphinatus gubernatoris auxit & locupletavit Sebaſtianus *de Mamerot* Sueſſionenſis, quam incepit anno 1458, & produxit ad Alexandrum VI incluſive, plura addens ex aliis chronicis Caſtelli, Gaguini & aliorum. Typis edidit Antonius Verard Pariſiis abſque anno ſed circa 1504, nam chronicon pertingit ad 1503. Extat hæc editio in Regia in fol. G. 761. Titulus *La chronique Martinienne*. In ea verſum præambulum de quatuor regnis cui plura adjecta. Poſtea incipit a Chriſto Domino, ſed & hic & in ſequentibus plura ex aliis adduntur. Ad mortem Joannis XXI ſic legitur in utroque codice MS & impreſſo, *ſi faillent les croniques de Frere Martinien de Pouille*: ſic Martini Poloni nomen interpretati ſunt, notantes ultra Joannem XXI non progredi. Næterum non contemnendi ſcriptores ob plura addita quorum teſtes fuerunt.

Idem chronicon in Germanicam linguam converſum MS in membr. habebat Joannes Ludovicus Zolmannus Coburgi conſiliarius Saxonicus teſte Caſpare Sagittario, *Introductione in hiſtor. eccleſ.* cap. 7 §. 19.

Præter jam relata quædam adhuc Martino dantur opera:

De Mirabilibus Romæ. Quod ab alio interpolatum & gravibus mendaciis auctum quidam qui legerunt teſtantur.

De diverſis miraculis. An aliud a Promtuario exemplorum ad calcem ſermonum edito.

De Schiſmate Græcorum & Hiſtoria de Guelphis. Hæc in Vaticana ſervari ait Altamura, penes quem fides.

Deſcriptio Terræ-ſanctæ. Inter codd. MS Bibl. Lugduno-Batavæ recenſetur ad calcem ejus chronici in ſacris Bibliothecarum arcanis p. 141.

Varia ſunt peritorum de hoc ſcriptore judicia. Impenſe laudant alii, alii deſpiciunt nimium. Sic de eo Simon Starovolſcius in Hexaconta: *Virtutibus & doctrina fuit inſignis, ut qui non familiæ modo Streporum, ſed totius Poloniæ fere ſub id temporis lumen clariſſimum fuerit: quod primus tum ex Polonis ſeu Sarmatis, iſque ſolus ſcriptis inter extraneos inclaruerit: unde & Polonus agente cognominatus eſt, ac ſi Scylurus ille Scytha, quod alium a Scythia parem ſibi ingenio non habuerit* &c. apud ipſum legenda.

Suffridus Petri in præfatione quam ejus chronico præmiſit, totus eſt in exaggerando operis hujus fructu multiplici.

Bellarminus contra *ceu virum ſimplicem deſpicit, & qui fabellas pro hiſtoriis obtrudat.* At vir eruditus non alia ratione ita cenſuit, quam quod fabulam papiſſæ apud eum legit, & ex eo in chronicon Mariani Scoti & alterum Sigiberti Gemblacenſis illatum putavit. Quæ gratis omnino & ſine vade a Bellarmino finguntur. Cùm enim ex dictis pateat fabulam pluribus antequam Martinus ſcriberet annis fuiſſe vulgatam, longe veriſimilius prius in chronica Mariani & Sigeberti antiquiorum a quibuſdam audacibus fuiſſe infartam: & poſtea cùm ea careret prima editio chronici Martiniani, iſto celebriori & communiori facto, poſt auctoris mortem, primum ad marginem ſolum a quibuſdam additam, unde poſtea in textum ipſum ut vulgo fit aſcendit. Cùm autem ſimplicitatis Martinum arguit Bellarminus, non attendit ejuſmodi accuſationem in ſummorum pontificum Clementis IV, Gregorii X, Innocentii V, Adriani V, Joannis XXI, & Nicolai III: quales verò viros, certe quibus & ſcientia & ſanctitate & rerum agendarum peritia nulli eminentiores ſedem Petri aſcenderunt, injuriam redundare: nam iis omnibus carus fuit in primis & acceptus Martinus, omnium continuus adminiſter & ita probatus, ut ab ultimo ad Eccleſiam Gneſnenſem totius Poloniæ primam a ſex annis vacantem, propterea que antiſtite & perito & ſolerti & induſtrio æque ac ſingulari virtute præſtanti indigentem promotus fuerit.

Certius eſt de eo Odorici Raynaldi in Annal. ad 1277 n. 19 teſtimonium fatentis ſcriptorem hunc in pangenda temporum ſuorum hiſtoria rerum geſtarum veritati conſentire ſe expertum eſſe, eoque ſe ubique uſum. De Martino ſat recte Tritemius, niſi quod ad annum MCCCXX prorogat, quem in ſcopulum impegere & Volaterranus, & Antonius Senenſis, horumque ſequaces. Simlerus tres Martinos Polonos numerat, quem caſtigat Labbeus. Simlero ex parte concinunt Arnoldus Wion, Carolus Viſchius, & eos excipientes Vincentius Baronius & Altamura noſtri duos aſtruentes, alterum Ciſtercienſem & Conſentinum archiepiſcopum, alterum ordinis Prædicatorum Gneſnenſem primatem, ſed in eo allucinati quod Conſentino Martini Poloni nomen tribuant. Quis enim nomen hoc ei fuiſſe illis revelavit, quod Tholomæus eo uſus ſua ætate ignotum fuiſſe, imo quem e regno Siciliæ ortum teſtatur.

Quæ tum de Joanna papiſſa, tum de Martino Polono ſcribit noſter Natalis Alexander, ea ſapientiſſime omnia. Laudandus & Dupinius & Caveus, niſi quod hic poſterior Carſulanum ex communi recentiorum errore retinuerit. Voſſius non negligendus, qui ſingula perpendit accurate, non probandus tamen ubi rationem mutationis *Gneſnenſis* in *Conſentinus* ex modo ſcribendi ortam putat: veram ſupra retulimus ſcilicet ex perperam lecto Tholomæi noſtri Hiſt. Eccl. Nov. prologo. Martinus Hanxius in Hiſtor. ſua de Sileſiis eruditis ab anno 1165 ad 1550, quam edidit Lipſiæ apud Chriſtianum Bauchium 1707 in 4, omnia collegit, quæ ab aliis eo uſque de Martino Polono dicta fuerunt, & in pluribus emendat, ſed & plura ipſe habet emendanda. Id verò nos docet non negligendum, ducatum Oppavienſem partem eſſe Sileſiæ, licèt ab anno 1246 a Wenceſlao Bohemorum rege ſubactum. Unde cùm Martinus ante hunc annum quo Sileſia tota, etiam ducatus Oppavienſis Polonici erant imperii, veſtem ordinis induerit, merito Polonus nuncupatus fuit.

F. ÆGIDIUS A LESSINIA.

F. ÆGIDIUS A LESSINIA ſive *de Leſſinis* ille ſcilicet quem noſtri plerique corrupte Jacobus de Suſato *de Liſcinis*, Luſitanus *de Laſciniis*, Fernandes *de Laſcinis* & Italum, Leander Albertus & Altamura *de Liſciviis*, ipſe Poſſevinus *Luſcinum* ſcribunt, Hanno fuit Leſſinia (Leſſinæ forte aliàs vel Leſcinæ, aut etiam Laſcinæ dicebatur, ſic enim pro varietate temporum, ac pronunciationis, variant & locorum nomina) oppido in finibus Hannoniæ & Flandriæ ſito ortus, ac ætate S. Thomæ de Aquino ejuſdem forſan auditor in conventu S. Jacobi Pariſiis floruit. Hæc tantùm ei auctores citati aſſerunt opera: *De unitate formarum libros duos*, ac *De immediata Dei viſione librum unum*, nec ubi ſerventur, indicant. Quid rectius ac certius referunt Sewertius in *Ath. Belg.* & Valer. Andreas in *Bibl. Belg.* ex Bunderio noſtro in Indice codd. MS Belgii, in quo hæc recenſentur: * 1278.

In I & II ſententiarum Commentarius.

De uſuris.

Flores caſuum.

QQ. theologica.

De concordiis temporum.

De Geometria. De cometis, & alia.

Quæ quidem aliâs Valencenis & Tornaci apud FF. Minores, ut & Bruxellis apud Cartusianos extitisse, nunc autem non amplius extare narrant. Verùm cùm de viro agatur inter sui seculi doctissimos habito, cujus & fœtus quidam inter D. Thomæ opera computantur, quæ de eo certiora mihi bibliothecas Parisienses scrutanti occurrerunt jam addo. Primo itaque sic de eo noster Laurentius Pignon catalogi n. 10 : *Fr. Ægidius de Lescinis baccalaureus in theologia scripsit duos libros de unitate formarum. Item plura scripsit de theologia, & unum tractatum composuit de usuris.* In bibl. autem Sorbon. cod. 948 fol. max. memb. qui est collectio plurium, 5 loco sic legitur :

Tractatus Fratris Ægidii de Lessines de unitate forma. » Quoniam in quæstione de unitate formæ in uno ente, circa quam doctores tam in » theologia quam in philosophia authentici & famosi diversimodè sentiunt, & diversa tenent ac » tradunt, nonnulli eorum sic suam positionem conantur astruere, ut reliquos damnent & reprobent., ac eam asserant nec ratione nec veritate » subnixam : & non solùm inopinabile esse, sed & » hæreticum & contra fidem catholicam : ideo sequens opus attentavimus & præsumpsimus scribere de unitate formæ, de quo principaliter describimus secundùm intellectum nostrum.

Primo de positione pluralitatis formarum intendo ponere ipsam, & rationes positionis enucleare. Capp. 3.

Secundo de ipsa forma in se, & ratione ipsius in comparatione ad materiam, & ad productionem ipsius in esse, & ad subjectum de quo dicitur. Capp. 7.

Tertio de ratione unitatis forma, & ejus declaratione, & probatione, & responsione ipsius ad probationes adversariorum. Capp. 7.

Implet opusculum folia XII ad cujus calcem sic, *Completum est autem hoc opus anno Domini m. cc. lxxviij mense julio.*

Tum additur Appendix, cujus hoc principium: » Quoniam in Tractatu quem composuimus de » unitate formæ, per plura loca visum est quibusdam legentibus & intelligentibus, quod minus » clarè pateat intentio nostra, & quod quædam videntur redire ad intellectum pluralitatis formarum, ideo in hoc capitulo superaddito tractatui » prædicto declaravimus quantum potuimus, ea quæ » videbantur quibusdam legentibus obscura, & in» tellectum nostrum aperuimus auxilio Dei sub» nixi &c «. Folium unum tantùm.

Appendix illa haud dubium quin sit *Tractatus alter de unitate forma* quem illi tribuunt auctores citati :

II. In eadem bibl. cod. 528 charta. in 4 par. 5 loco:

Incipit tractatus de usuris quem fecit Ægidius de Lerines Prædicator. Omnis homo a natura non degenerans unitatem amat &c.

Ubi quod scribitur *Lerines* manifestum esse erratum notarii pro *Lescines* vel *Lecines*, ut & postea legitur *unitatem* pro *veritatem*, plenusque est codex hujusmodi sphalmatis. Ad calcem : *Scriptum in vigilia Pascha per manum Johannis Hugueti anno Dñi m. cccc. xlvij* VIII *Aprilis.*

Qui tractatus (& id maxime notandum) ille ipse est qui inter opuscula S. Thomæ in edit. Rom. & sequentibus 73 numeratur, cui proinde abjudicandus, & restituendus Ægidio : quod & probat stylus Tractatui de Unitate formarum planè simillimus. Adde nullum veterum nomenclatorum D. Thomæ ascribere Tractatum specialem de Usuris, bene verò Ægidio. Unde & editores Romani operum S. Thomæ opusculum hoc minori charactere imprimendum curarunt, ejus non esse agnoscentes. Quo ruit potissimum fundamentum F. Petri Pelican in nova sua novo ordine opusculorum D. T. editione hunc tractatum ei asserentis, idque se evincere putantis testimonio Vincentii Justiniani magistri olim ordinis & S. R. E. cardinalis, tum & Thomæ Manriques S. P. A. magistri, qui ambo editioni Romanæ præfuerunt. Patet enim id verum non esse, neque etiam id dicit noster Petrus Bergomas in tabula aurea, licèt a Petro Pelican citatus, sed tantùm a peritis & antiquioribus Patribus se accepisse S. doctoris revera esse, quos in eo falsos fuisse non magnopere mirum. Addunt equidem & Bergomas & Pelican auctorem tractatus de usuris P. III cap. 19 remittere ad *Tractatum de preceptis* a se antea editum, scilicet præcep. 7, qui Tractatus, inquiunt, certò est sancti doctoris. Sed id non solùm non urget, imo & contrarium omnino demonstrat. Sic enim cap. illo 19 loquitur auctor tractatus de usuris : *Et de his* (nempe de restitutione usurarum) *aliâs scripsimus in* VII *præcepto decalogi diffusius.* Atqui in opusculo illo *de decem præceptis S. Thomæ* quod quartum est in edit. Rom. ubi de 7 præc. *Non furtum facies* rationem quidem affert S. Thomas, cur usura non sit licita, sed ne verbulum quidem habet *de restitutione usurarum*, tantum abest, ut de ea ibi diffusius agat. Luce igitur clarius est *Tractatum de decem præceptis*, quem citat auctor tractatus de usuris, non eum esse qui apud S. Thomam, sed alium a se antea compositum, in quo super 7 præc. de usurarum restitutione fusissimè egerat : qui proinde & inter Ægidii opera recensendus, quamvis fortè perierit, vel potius alicubi lateat absque auctoris nomine, ut moris fuit aliâs auctorum nomina ex negligentia posteris molestissima, nec unquam satis deplóranda in codd. MSS plerumque omittere. Extat etiam hic tractatus in Victorina cod. MS 835 fol. à p. 67 ad 95, & dicitur *Summa de usuris*; sed abest nomen auctoris. Codex est sec. XV.

III. In eadem bibliotheca Sorbonica cod. num. 313 memb. fol. mag. tertio loco est opus absque titulo, sed in margine inferiori sic legitur altera manu, sed antiqua : *Vidi sic intitulatum. Incipit liber de temporibus a Fratre Ægidio de La...* Cùm autem nostro Ægidio ascribant hujusmodi opusculum *De concordia temporum*, deque illa concordia potissimè in isto tractatu agatur, magna mihi suspicio, imo & quasi certitudo hunc illius esse, & ex negligentia primam tantùm ejus agnominis syllabam scriptam *De La ...* pro *De Lascinis* : eo magis quod stylus & methodus omnino cum duobus superioribus conveniant. Is est prologus.

» Cùm in lectione sacræ scripturæ jampridem « adverterem varias & incertas latere temporum & « annorum collectiones, & in expositoribus ejusdem exinde plures inveniri opiniones super nu- « mero annorum ab initio mundi usque ad incar- « nationem Dñi nostri Jhesu Christi, quæ secundùm « apostolos facta est in plenitudine temporis, & in « undecima hora diei mundialis durationis: cùm in- « venerim etiam post incarnationem tempora & an- « nos annotari multis & variis modis apud historio- « graphos authenticos : ex quibus omnibus, non « tantùm in scriptores & auctores scripturarum, « quin etiam in ipsam veritatis scientiam redundare « poterat vituperium : confidens in gratia Salvato- « ris, qui etiam parvulis sapientiam præstat, ag- « gressus sum studiosius quàm potui aliquid de hu- « jusmodi temporibus investigare, occasionem tri- « buens sapientibus, ut eis addatur sapientia &c. « Rogo ergo suppliciter lectorem ne judicet antequam perlegerit, & ne arguat antequam intellexerit : & ubi me errare cognoverit, me arguat, «

SEC. XIII. » & meum putet esse quod arguit : ubi verò veritatem compererit, Deum laudet, & Dei, & aliorum doctorum sciat esse quod invenerit. In tres autem libros hoc opus distinximus.

» In primo de verificatione temporum & collectione annorum ante Christum.

» In 2 de tempore incarnationis & de termino paschali & verificatione terminorum post Christum.

» In 3 autem facimus compotum naturale & ecclesiasticum secundùm correctiones eorum, quæ errata videntur, & inveniuntur in aliis.

Titulos capitum cujusque libelli referre animus erat, nec fortè ingratum fuisset, quos tamen compendio studentes satius duximus omittere : quædam solùm addimus, quæ auctoris & conditionem & ætatem & diligentiam declarant.

Lib. I P. III c. 4 in quo quærit, *Quæ potuerit esse causa tanta diversitatis inter interpretationem lxx & Hebraicam veritatem*, sic loquitur :

» Quarta causa potest esse in pluribus locis ex vitio scriptorum, quo non tantùm in temporibus, sed in rebus gestis, & aliis frequenter mutata est scriptura, sicut & in nostris temporibus extiterunt viri religiosi & studiosi, qui amore veritatis codices sacræ scripturæ communiter inspicientes invenerunt in modernis & novis codicibus multa interposita, & alia immutata, & alia resecata, quæ ad exemplaria antiquorum librorum & originalium Sanctorum, & ipsius Hebraicæ veritatis quantum ad vetus testamentum, & Græcorum exemplarium quoad novum diligenter correxerunt &c.

Quibus verbis satis indicat se de ea sacrorum bibliorum correctione agere, quæ ex præcepto capituli generalissimi sub B. Jordano anno MCCXXXVI Parisiis celebrati ab Hugone a S. Charo aliisque ei adjunctis Ordinis sodalibus suscepta est, de qua antea. Horum autem operam an sic minutatim laudaret, nisi eorumdem fuisset contubernalis, omniumque conscius ?

» Lib. II cap. 3 sic habet : » Ex quo sequitur, quod si in aliquo tempore nostro sciverimus in aliquo mense, die, & hora loca superiorum corporum, seu aliquam eclipsium luminarium : etiam invenerimus in aliquo anno, mense, & die præterita, sub aliquo imperatore seu propheta, aliqua loca consideratione certissima accepta eorumdem corporum seu eclipses aliquas : possimus necessariò invenire numerum annorum, dierum, & horarum, quæ præterierunt ab illo tempore præsignato usque ad hoc tempus nostrum. Exempli gratia statuamus in proposito pro termino noto in temporibus nostris anno Dñi secundùm communem acceptionem Ecclesiæ Romanæ MCCLXIII quamdam eclipsin solis, quæ fuit ejusdem anni, & mense augusto, quinta die ejus, quæ est nonæ ejusdem, & fuit dies Dominica, in anno cycli decennovalis XII. Ergo & fuerunt luminaria secundùm canones Arabum per medium cursum suum in Leone habentia XI gradus & XXVIII minuta & XXXVIII secunda. Argumentum verò Lunæ medium habens X signa, XXI gradus, XI secunda. Argumentum medium latitudinis V signa, XXIV gradus, & XXXVII minuta. Quæ postquam verificavimus inventa longitudo lunæ a sole habens IV gradus XXX minuta visa & duo decima, hoc erat XXII minuta & XXV secunda. Ex quibus locus luminarium æquatus ad ipsam conjunctionem, inventus est habens in Leone IX gradus, & XXXII minuta, XIII secunda. Et argumentum latitudinis ad horam veræ conjunctionis habens quinque signa, & XXII gradus, & VII minuta, & XII secunda. Et tempus æquatum ad horam conjunctionis fuit duæ horæ & quarta unius horæ post meridiem prædictæ diei, & fuit eclipsatus (sol) in civitate Parisiensi ad quinque sextas de diametro ad partem Australem ejus. «

Ad hoc termino posito volumus usque ad quaslibet eclipses præteritas retro & notas in tempore alicujus principis temporis quantitatem determinate demonstrare. Proponamus ergo considerationes trium eclipsium, sive quas Ptolomæus summus astronomorum consideravit tempore suo « &c «. Sed hæc satis sunt ad ætatem diligentiamque auctoris declarandam.

In tertia parte chronologiam quamdam exhibet per sex columnas in quaque pagina divisam.

In prima sunt *anni a Christo nato* per 50 in qualibet pagina expansi.

In 2 *anni* expansi *cujusque pontificis Romani*.

In 3 *indictio* & quarta indicatur respondens anno Christi XLVI.

In 4 *cyclus decennovalis*, & secundus respondet anno Christi primo.

In 5 *numerus imperatorum a Christo nato*.

In 6 *numerus annorum imperii cujuslibet*.

In spatio inter 1 col. & 2 *nomina pontificum, tempus cessionis & cessationis*.

Inter columnam verò 5 & 6 *nomina imperatorum & eventus celebriores*.

Sic anno 444 : *Hic ut æstimo incepit regnum Franciæ*.

Anno 497 : *Hic mortuus est Clodovæus rex Francorum primus, & sepultus est Parisius in capella S. Petri, quæ nunc est S. Genovefa. Hic regnaverat annis 30. Ante eum verò Hildericus pater ejus annis 24. Et ab his primò Francia dicta est pars Galliæ, quæ est inter Rhenum & Mosam. Deinde verò occupantibus (illis) Galliam usque ad Ligerim, nominata est pars illa Francia Occidentalis respectu prima: & prima Austria, secunda verò Neustria dicitur.*

Anno 849 : *Leo IV annis 8 mens. 3 dieb. 6, & cessavit mens. 2 dieb. 15.*

An. 849 : *Benedictus annis duobus mens. 6 d. 10, & cessavit d. 15.*

Nulla mentio fabulæ Joannæ papissæ.

An. 1276 : *Hoc anno auditum est tonitruum admirabile in hieme in serena die.*

An. 1304 ultimus est in quo factum aliquod memoretur, licèt anni parati sint ad 1325, sed illi vacui : fortè quod ad 1304 auctor pervenerit, at non ultra vixerit. In universum opus dici potest eruditum, curiosum ac luce dignum.

Alias hujus auctoris lucubrationes aliquando quis deteget diligentior.

In vita Alberti Magni per F. Petrum de Prussia scripta cap. 32 laudatur quidam *F. Ægidius ordinis Prædicatorum*, qui occasione errorum Averrois, de quibus inter magistros Parisienses erant frequentes disputationes, Alberto Magno Coloniæ agenti quæstiones XI circa istos errores in epistola misit, ut suam mentem super iis explicaret. Principium epistolæ sic habet : *Venerabili in Christo Patri ac Domino Alberto episcopo quondam Ratisponensi, Frater Ægidius ordinis Prædicatorum licèt indignus cum salute glorificare Deum in doctrinis. Articulos quos in scholis proponunt magistri Parisienses, qui in philosophia majores reputantur, vestræ paternitati tanquam vero intellectu illuminato transmittere dignum duxi, ut eos jam in multis congregationibus impugnatos, vos otio vestri imperii terminetis. Primus est quod intellectus omnium hominum est unus & idem numero &c.* Addit Petrus de Prussia Tractatum Alberti super has quæstiones undecim notum esse, cujus initium est : *Intellectus hominis &c.* & laudatam epistolam F. Ægidii ipsi præfixam esse, quam proinde ipse viderit Coloniæ. Cùm autem hæc epistola scripta fuerit inter MCCLXIII post abdicatam scilicet ab Alberto infulam, & MCCLXXVIII

libens eam nostro Ægidio de Lessinis ascriberem, ceu qui his annis Lutetiæ clarebat insignis philosophus: sed quia revera eadem tempestate ibidem florebant & alii ejusdem nominis Ægidii, nolim quicquam certi statuere, mihique sat est rem lectoris arbitrio relinquere.

F. JOANNES DE VARSIACO.

* 1278. F. JOANNES DE VARSIACO, at *de Verdiaco* a Leandro, Lusitano & sequacibus dictus Gallus, a loco natali sic nuncupatus (Varsiacum oppidum est diœcesis Autissiodorensis vernacule *Varsy* duodecim circiter ab Autissiodoro milliaribus Gallicis dissitum, Clameriacum inter & Caritatem medium.) Hic, inquam, Joannes in domo Autissiodorensi inter sodales ascitus, Parisiis deinde circa MCCLX doctrina & facundia claruit. Neque enim in sacra facultate solum baccalaurei gradum, ut scribit Leander, sed & magisterii lauream promeruit, & in catalogo Salanhaci & Guidonis XXII recensetur sic: *F. Joannes de Versiaco Gallicus Autissiodorensis.* Sed & iisdem annis inter concionatores regiæ urbis celebris habebatur. Obiit tandem in eadem domo Sanjacobea Parisiensi, & in loco capitulari ad partem levam fuit sepultus sub lapide, cui hæc insculpta epigraphe: *Hic jacet F. Johannes de Varsiaco ordinis Fratrum Prædicatorum in theologia magister, qui obiit anno Dñi* MCCLXXVIII. Hæc ejus opera:

1. *Postilla super librum sapientiæ.* Extat cod. MS fol. memb. in Bibl. publica Basileen. olim maximam partem nostra, cui titulus: *Postilla super librum sapientiæ per Fratrem Johannem de Verdiaco ordinis Fratrum Prædicatorum bachilarium in theologia.* Eodem volumine idem opus bis habetur & huic alteri exemplo idem fere titulus, sed alia manu & recentiore: *Postilla super librum sapientiæ ejusdem F. Johannis de Verdiaco.*

2. *Postilla super cantica per F. Johannem de Verdiaco ordinis FF. Prædic. bachilarium in theologia.* Sequitur ad superiorem eodem cod. MS cit. Huic operi præmittit prologum cujus initium: *Cantabo dilecto meo. Canticum triplex in novo testamento habetur, canticum Zachariæ, Mariæ & Simeonis. De duobus his in primo: de tertio hic. Primum pro mali evasione & boni inchoatione; unde ait: Benedictus Dñs &c. quod visitavit & fecit redemptionem plebis suæ: ecce mali evasio. Et erexit &c. ecce boni inchoatio.* Post explicationem istius cantici, sequitur

Osculetur me &c. Libro huic non præmittit procemium vel titulum, quod hic agit de amore mutuo sponsi ad sponsam, qui fervens est: fervens autem amor præceps est, & subito prorumpit ad exprimendum affectum. Item quod titulus & procemium præmittitur ad alliciendum animum auditoris, & ad prælibandam materiam sequentis operis: sponsa autem sperat se libenter a sponso audiri, & quod cogitat, putat quasi a nemine ignorari. Unde scribitur illud evangelii Joh. XX *: Si tu sustulisti eum &c.* Sic librum totum explicat spiritualiter vel allegorice.

Finis: *Fuge dilecte mi. Quasi dicat, ita fuge, ut tamen assimileris capreæ hinnuloque cervorum, scilicet in crebro vel frequenti ascensu & descensu, id est ut sicut capra & hinnulus frequenter ascendunt & descendunt in montibus, sic frequenter a me recedas per substractionem dulcedinis præsentiæ tuæ, ut possim intendere utilitati proximorum; & frequenter accedas, ut præsentia tua dulcedine recreer, ne deficiam pro continuatione laborum, secundùm quod promittis Joh.* XIV *: Vado & venio ad vos. Item* XVI *: Modicum & non videbitis me, & iterum modicum &c. Supra montes aromatum. Id est sicut caprea & hinnulus supra montes in quibus abundantia bonarum herbarum, ita ut super montes fidelium, qui debent esse montes per vitæ eminentiam. Psal. Montes exultabunt a conspectu Domini. Jesaiæ 49: Jubilate montes laudem. Montes aromatum per bona famæ fragrantiam. Gen. 27. Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni. Item 2 ad Corint. Bonus odor sumus Domino.*

Codicis hujus MS notitiam a Clar. D. Inselin Basileensi viro humanissimo ex ipso codice exceptam habui, quam & integram hîc referre visum est, quia parum accurate de hoc auctore agunt nomenclatores etiam nostrates. Hunc codicem proculdubio viderat Johannes de Turrecremata tempore concilii Basileensis cui aderat, unde & ejusdem meminit in suo de conceptione B. V. tractatu. Non mirum autem Verdiacum seu Varziacum ab eo baccalaureum tantùm dici, ceu qui gradum illum tantùm ascenderat, cùm has postillas scripsit, licèt postea ad magisterium promotus fuerit ut constat ex actis.

3. *Super alios sacrorum bibliorum libros postillas* edidisse ferunt monumenta domus nostræ Autissiodorensis mihi a nostro Claudio Chapotin ejusdem conventus theologiæ magistro Parisiensi amice communicata, quæ sic habent: *F. Joannes de Varziaco vitam in conventu isto Autissiodorensi ducens regularem, ad legendum Parisius sacram scripturam assignatus fuit, ipse inter doctores ingenti habitus gloria. Post editionem multorum voluminum super bibliorum libros, cœlo spiritum reddidit.*

4. *Sermones.* Horum plures collegit Petrus de Lemovicis socius Sorbonicus æqualis, nempe ex ore dicentis reportatos ut aiebant. Duo sunt cod. MS Sorbon. 1018 pluries citato:

1. *Collatio F. Joannis de Varziaco Prædicatorum in domo ipsorum quadam Dominica & erat festum S. Barnabæ.* Pr. *Erat Barnabas vir bonus plenus Spiritu Sancto & fide. Dictum fuit in mane, qualiter fuit vir bonus, nunc restat dicere qualiter fuit plenus Spiritu Sancto &c.* Quæ eum indicant eo die jam horis matutinis prædicasse.

2. *In festo Magdalenæ in capella regis.* Pr. *Ubi abundavit delictum superabundavit & gratia.*

Quatuor sunt cod. MS altero ejusdem Bibl. cui titulus: *Distinctiones M. Petri de Lemovicis* ordine alphab.

1. Verbo *Humilitas falsa. F. Johannes de Varziaco ad S. Jacobum in collatione. Matt.* XI. *Discite a me quia mitis sum &c.*

2. Verbo *Mors. Ad S. Gervasium.* Pr. *Domine filia mea modo defuncta est &c. Et erat sermo satis bonus.* Sic:

3. Verbo *Plenitudo. Idem qui supra S. Barnabæ.*

4. Verbo *Venire.* Dom. 3. adventus: *Tu es qui venturus est*, &c.

Extat & alius ejusdem cod. Victor. MS 1012 fol. 9 Dom. 3. adv. *Cùm audisset Johannes &c.* dictus in collatione. Qui signum sunt aliorum plurium ab eo relictorum.

Ex hactenus dictis F. Petrum de Alva facile refellas, qui Sol. Verit. Rad. 255 col. 1616 totis viribus probare nititur hunc nostrum Johannem auctorem esse fictitium, nullaque ejus haberi scripta.

F. JACOBUS SCALZA.

F. JACOBUS SCALZA Etruscus Urbevetanus patria & professione claruit ad MCCLXII vel LXIII ex Lusitano & sequacibus & novissime ex Fontana *Prov. Rom.* & Altamura. Hunc facile dixerim eumdem cum F. Jacobo Urbevetano, qui Sulmo- * 1278.

Sec. XIII. nensis & Valvensis Ecclesiarum vicariatus Romani in Aprutio citeriori simul junctarum episcopus ab Urbano IV die VII martii MCCLXIII promotus, eas sapientissime rexit ad annum MCCLXXVIII quo transiit ad meliora: de quo legendus Ughellus Ital. Sac. T. I. Ut ut sit, sive idem sive alter scripsisse ac reliquisse dicitur

Sermonum volumen.

F. BARTHOLOMÆUS DE AQUILA.

* 1278. F. Bartholomæus de Aquila a patria, quæ civitas est in Aprutio episcopalis, sic nuncupatus, vir fuit sua ætate illustris, qui a Nicolao III S. P. institutus est anno MCCLXXVIII generalis in regno Siciliæ inquisitor. Ejus meminit Theodorus a Valle in Compendio p. 48, & Toppius Bibl. Napol. sed nulla ejus referunt scripta. Extat in archivo regio Neapol. in registro Caroli I anni MCCLXXVIII diploma hujus regis, quo universis suis in toto regno ministris, ut huic inquisitori omne auxilium præbeant, datum XXVIII januar. Refertur a Vallio citato & accuratius a Toppio Bibl. Napol. p. 378.

F. ROBERTUS KILWARDBIUS.

† 1279. F. Robertus Kilwardbius vel *Kilwardbi* vel *Kilwardbey* ac etiam *Kilewardebii*, sic enim a Matthæo Paris appellatur, ab aliis verò Panvinium excipientibus corrupte *Bilibri*, *Canvilvertim*, *Ridverbius* nuncupatur, ac etiam in plures, adeo parum attentis & accuratis dividitur, uti Lusitano, Pio, Fernandez, Altamuræ excidit & aliis, quod monere necessarium fuit. Anglus, inquam, ortu fuit hic noster Robertus, honesto loco natus, ab ineunte ætate literis deditus, quibus ut accuratius incumberet, Parisios se contulit, sicque profecit, ut in ea universitate magister artium promotus, scholas quibusdam annis rexerit. Exinde in ordinem se recipiendi consilium cepit, quem & amplexus est seu Parisiis ut quidam volunt, non tamen in manibus beati viri Reginaldi Aurelianensis anno MCCXIX, cum F. Guillelmo Peraldo Lugdunensi & F. Brocardo Teutonico, quod absque ullo documento antiquo astruit Flaminius in vita B. Dominici, & excipit Malvenda in Annal. ad 1219 n. 39 (ut enim certo allucinatur Flaminius de *Brocardo*, Terræ Sanctæ peregrino, de quo postea ad 1283, sic & quin de *Roberto* fallatur nullus dubito, imo falsum evincitur ex B. Jordano in libello suo de *Init. ord. Præd.* ubi totidem verbis sic dicit de Reginaldo: *Unum scio neminem apud Parisius præter duos ipsum ad professionem ordinis suscepisse: quorum quidem ego primus, alter verò F. Henricus* nimirum *Teutonicus junior*) sed in manibus fortè magistri ordinis II B. Jordani circa 1230, seu quod alii verius existimant, nec displicet, in Angliam reversus Cantuariæ vel Londini. Ut autem ad annum seculi XIII trigesimum ad summum Roberti in ordinem ingressum prolatem, ea ratione cogor, quod FF. Roberto Bacun & Ricardo Fisaxrio certo posterior fuit, qui primi in scholis nostris Oxoniensibus rexerunt, nec nisi circa MCCXXVIII institutum nostrum amplexi sunt, sub quibus Kilwardbius Oxoniæ sacras literas professus est, ac iis anno MCCXLVIII mortuis in cathedra successit. Cùm autem non eruditione modo sed & regulari disciplina vitæque sanctitate clareret, provinciali Angliæ, eo quod extranearum provinciarum studentes Oxoniæ assignatos recipere renueret, ac durius tractaret, in comitiis ordinis Barcinone MCCLXI celebratis ab officio amoto, & in Teutoniam ablegato, ei Robertus noster in comitiis provinciæ suæ eodem anno habitis suffectus est, quam Angliæ provinciam annis XI sapientissime rexit. In actis cap. gen. Monspelii MCCLXXI, quod erat provincialium, & cui affuit, inter viros ordinis præclaros presentes recensetur, diciturque *magnus magister in theologia*: anno verò MCCLXXII in cap. gen. Florentiæ a munere simul & ab onere dimissus fuerat, sed eodem anno in cap. provinc. Angliæ quo erga illum animo affecti erant sui, ad idem officium resumtus fuit. Verùm vacante tum jam a duobus annis Ecclesia Cantuariensi, irritaque ac cassa a Gregorio X declarata capituli electione ob electi Guillelmi Chillinden defectus, ab eodem pontifice auctoritate apostolica ad eam sedem promotus est Robertus noster V idus octob. MCCLXXII, non MCCLXXI, ut mendose Fontana in *Theat.* Neque enim ipse Gregorius ante 27 martii MCCLXXII Romæ consecratus fuit. Sed de his audiendus Trivetus noster in chronico Regum Angliæ ex stirpe Andegavensi ad annum MCCLXXII, ubi sic habet: *Hic autem* (Gregorius pp. X) *cassato electo Cantuariensi, pontificatum ejusdem Ecclesiæ contulit F. Roberto Kilewardeby, qui eodem anno a prioratu provinciali Fratrum suorum, quem undecim annis gesserat, absolutus fuerat,* [scilicet in solemniis pentecostes per acta cap. gener. secunda junii inchoati, & nona ejusdem mensis finiti] *& etiam ad idem officium reelectus, qui non tantummodo religiosæ vitæ sanctitate, sed scientia atque doctrina præclarus habebatur. Nempe ante ordinis ingressum Parisius rexerat in artibus, cujus in iis peritiam, præcipue quoad grammaticam & logicam redacta in scriptis edocent monumenta. Post ingressum ordinis verò studiosus in divinis scripturis originalibusque SS. Patrum, libros Augustini fere omnes aliorumque doctorum plurium per parva capitula distinxit, sententiam singulorum sub brevibus annotando &c. Concessit autem ei D. papa, ut munus consecrationis recipere posset a quocumque episcopo catholico, quem ad hoc duxerit eligendum. Elegit autem Wilhelmum Bathoniensem, qui fama sanctitatis inter cæteros plurimum efflorebat, a quo præsentibus undecim suffraganeis Dominica I quadragesimæ Cantuariæ consecratur.* Quod ex supra relatis de Dom. I quadr. 1273 quæ 26 Februar. accidit, necessariò intelligendum. Si qui verò sint, qui annum 1272 indicent, stylo veteri intelligendi sunt, quo annus a pascha ad pascham numerabatur. Regnabat in Anglia Henricus III Conquestor dictus, cùm ad sedem Cantuariensem promotus est Kilwardbius, eamque nominationem a S. P. factam gratissimam habuit, verùm haud diu ea fruitus est lætitia, qui paucis a nuncio Roma accepto mensibus nempe XVI novemb. MCCLXXII abiit ad superos: cùmque Eduardus III ejus filius & hæres ageret tum in Terra Sancta contra infideles bello detentus, *&* *absens* ut habet Trivetus, *regni non valeret administrationem exequi, die proximo post patris ejus sepulturam, F. Robertus Cantuariensis præsul, & Gilbertus Glovernensis comes cum aliis prælatis ac regni proceribus Londonas apud novum templum convenientes, Eduardum absentem Dominum suum ligium recognoverunt, paternique successorem honoris, ordinaveruntque de assensu reginæ matris custodes regni ministrosque fideles, qui regio fisco præessent, & proventus regni ad opus regis novi ex integro reservarint.* Interim Eduardus patris apud Aconem seu Ptolemaida audita morte, præsidiarios in locis Terræ Sanctæ, quos occupabant christiani, milites constituit, & in Angliam properavit, ubi inquit Trivetus ad MCCLXXIIII *a clero & populo cum gaudio receptus, maximo & honore*

Dominica infra assumtionem Virginis gloriosæ XIV Kal. sept. *Westmonasterii una cum Alienora consorte sua a F. Roberto Cantuariensi archiepiscopo inungitur in regem & solemniter coronatur* : auctoritate summi pontificis accepta, ut volunt quidam, sed cùm id non addat Trivetus, ecclesiæ suæ totius Angliæ primæ jure potius dixerim. Huic principi Kylwardbium in primis acceptum fuisse ferunt, sed nec minus gregi suo, optimi vigilantissimique pastoris & episcopi partes implere qui solicitus fuit, in omnes egenosque maxime beneficus, æqui tenax & amans. Provinciam ille suam omnem diœcesimque peragravit & visitavit, ac academias Cantabrigiensem & Oxoniensem, in quibus etiam nova eruditionis dedit & pietatis argumenta. Tumque evenisse arbitror quod Trivetus ubi de B. Thoma Herefordensi episcopo, refert. *Hic*, inquit, *nobilibus ortus natalibus a puero vixit Deo devotus. Studii autem exercitatione literarum acquirens peritiam, primo in artibus liberalibus, deinde in jure rexit canonico, tandemque ad theologiam totam intentionem transtulit mentis suæ: in qua licentiatus ad magisterium, cùm sub F. Roberto de Kilwardeby ord. Prædic. (quem dum provincialis fuerat, admodum familiarem habuit) decrevisset incipere, incidit negotii dilatio medio tempore, præfato Fratre assumto ad Cantuariensis Ecclesiæ præsulatum: sub quo tamen post consecrationem ejus Oxoniam veniente, in ecclesia Fratrum Prædicatorum incepit juxta desiderii sui complementum. In cujus commendatione, quæ solet ante principium post disputationem quæ vesperiæ appellantur, de Bachellariis fieri magistrandis, asseruit præfatus archiepiscopus quem dictus Thomas ab olim confessorem habuerat, nullius ipsum mortalis criminis unquam sensisse contagium.* Sanctis placuisse, imo eos ad sanctitatem evexisse non parva sane est nota sanctitatis. Annis sex non integris Cantuariensem Ecclesiam rexerat Robertus, cùm a Nicolao III S. P. VII cal. dec. MCCLXXVII electo & VII cal. jan. Romæ coronato vocatus est ad purpuram, & cardinalis episcopus Portuensis renunciatus prima creatione IV Id. martii seu die XII martii MCCLXXVIII. Sic enim Trivetus: *Anno MCCLXXVIII F. Robertus Cantuariensis archiepiscopus ad cardinalatum assumtus, factus est episcopus Portuensis.* Cùm autem de jure hac sola creatione & cardinalitiæ dignitatis acceptatione archiepiscopatu caderet, sedesque vacaret, Robertum Burnell Bathonensem & Vellensem episcopum, tum etiam Angliæ cancellarium Monachi Cantuarienses ei suffecerunt, sed *Nicolaus papa* (subdit ibidem Trivetus) *electione cassata, lectori curiæ F. Joanni de Pecham* (Cicestriensis diœcesis ordinis FF. Minorum) *eamdem contulit dignitatem.* Kilwardbius verò suscepto in Italiam itinere Viterbium ad pontificis curiam eodem anno profectus, ibidem anno sequenti III Idus seu die XI septemb. diem supremum obiit: quod & Trivetus accurate notat. *Anno Christi* MCCLXXIX inquit, *F. Robertus jam episcopus Portuensis post adventum suum ad curiam graviter infirmatus post paucos dies in Domino obdormivit*: apud suos etiam Prædicatores conventus S. Mariæ ad gradus Viterbii sepultum fuisse tradunt omnes, Ughellus *Ital. sac. T.* I. Fontana in *Theat.* & in *Prov. Rom.* Goswinus *de episc. Angl.* Pitseus *De script. Angl.* & alii. Ex quibus Panvinium, Ughellum, & Pitseum qui anno 1280 mortuum ponunt, sed & Oldoinum in suo Ciaccono recensito qui ipso anno MCCLXXVIII devixisse vult, recte emendes. Non omittenda hîc quæ de eo in Elencho cardinalium nostrorum habent Salanhacus & Bernardus Guidonis: *F. Robertum de Kawilverbi* (sic corrupte codex Lingonensis pro *Kilwardbi*) *Anglicum magistrum in theologia, virum scientia perfectum, optimis moribus adornatum, primo archiepiscopum Cantuariensem, & primatem Angliæ per sex annos & amplius* (numerando scilicet & annum quo electus, & annum quo cessit, quamvis illi non fuerint integri alioquin non omnino sex anni) *inde assumsit in cardinalem episcopum Portuensem D. Nicolaus papa III prius dictus Joannes Gaietani anno* D. MCCLXXVII, *pontificatus sui anno* I: ubi annum intelligas stylo Vet. Gallico, qui sic dicebatur ad pascha MCCLXXVIII. Quo verò ætatis anno obierit nemo certò tradit, vixque mihi persuadeam quod aliqui ariolantur octogenario majorem imo fere nonagenarium obiisse, scilicet ejus ætatem metientes ex anno MCCXIX, quo jam artium magistrum Parisiensem & plurium jam operum auctorem putant ordini nomen dedisse: at cùm eam opinionem refellerim & ejus ad ordinem ingressum ad MCCXXX aut etiam serius prolataverim, aliunde verò hominem octogenario majorem patriam deserere & Romam se conferre a summo pontifice compulsum congruum non videatur, seculo suo ad summum æqualem vixisse censuerim, quod tamen peritiorum arbitrio permitto. Non sine suspicione veneni mortuum asserunt Goswinus, Pitseus, & Ughellus, quod si verum, non ita senex capularis fuerit, qualem quidam exhibent: quis enim homini plusquam octogenario venenum propinet? cui ætas ipsa mortem quotidie intentat. Idem Ughellus Ciaconum arguit, quod Kilwardbio, quem Hilwarbium corrupte scribit, parmam gentilitiam dederit fictitiam, cùm gentilitia ejus stemmata essent tres niclæ rectæ regulæ scuti aream ex obliquo secanti affixæ, ut antiquæ Britanniæ auctor affirmat, ex quibus cujus ille fuerit in Anglia gentis colligant curiosi feciales.

Ad majorem superiorum illustrationem quædam hîc addenda ex libro cui titulus: *Antiqua constitutiones regni Angliæ circa jurisdictionem & potestatem ecclesiasticam*, Londini 1672 fol. Pag. 122 & 123, refertur protestatio nomine regis Edwardi absentis & in Terra-Sancta agentis a regiarum causarum administratore W de Merton, quando liberavit temporalia archiepiscopatus Roberto de Kilewardeby eidem facta & lecta Westmonasterii in vigilia S. Luciæ virginis anno MCCLXXII. Quæ eadem protestatio recensetur in catalogo Bibl. Cotton, p. 64 IV n. 56. Ex quibus discimus jam ante consecrationem Kilwardbium temporalibus archiepiscopatus gavisum esse.

Ibidem electus tantùm adhuc dicitur XVIII jan. MCCLXXIII.

P. 157 refertur dialogus inter eum & Gregorium X in concilio Lugdunensi II habitus, in quo omnibus a S. P. sibi propositis assentiebatur, ex quibus constat illi synodo affuisse. Præterea Clar. Baluzius *Histoire de la maison d'Auvergne T.* II *p.* 113 refert concordiam initam inter F. Robertum archiep. Cantuar. & Robertum comitem Boloniæ de vexationibus mutuis, Lugduni anno MCCLXXIV IV idus junii.

» P. 152 sic legitur: Rex Edwardus anno « MCCLXXIV pacificatis quodammodo in Vasconia « resistentibus inimicis post concilium Lugdunense « consummatum ad Angliam properavit. Expectabat « enim regni sui prælatos qui in concilio fuerant, « quia in ipsorum absentia non poterat coronari. « Mare transiens VIII Kal. aug. anno eodem « Angliam est ingressus, ubi a clero & populo cum « gaudio receptus est & maximo cum honore XIV « Kal. sept. Westmonasterii ipse & uxor coronantur «.

Ejusdem Kilwardbii plures literæ referuntur.

Prima p. 129 data XVIII mai MCCLXXII: die jovis

Sec. XIII. in festo ascensionis Dñi, consecrationis anno I qua quosdam sub interminatione excommunicationis monet, ut sibi subditos ab illis in carcerem missos liberos dimittant.

Altera p. 160 data apud Lambethe VIII idus novemb. MCCLXXV anno consecrationis tertio ad regem ipsum scripta qua confirmationem abbatis de Feversham a se factam petit ab eo approbari.

Duæ pp. 197 & 198 ad Edwardum Angliæ regem datæ anno MCCLXXVIII, altera II nonas maii, altera II idus maii, in quibus cùm se adhuc præstet archiepiscopum, docemur 14 maii 1278 suam ad purpuram promotionem nondum rescivisse. Rescivit autem paulo post, nam p. 214 rex Angliæ suis literis approbat electionem ejus, successoris sui cancellarii jam Bathonensis & Wellensis episcopi vacante inquit sede per electionem ejus archiepiscopi in Portuensem & S. Rufinæ cardinalem episcopum assumti. Data quidem hîc deest: sed p. sequenti 215 referuntur duæ literæ ejusdem regis quibus jubet, ut certæ summæ redituum Ecclesiæ Cantuariensis illi cardinali solvantur sub data XXVI julii, quæ docent inter 14 maii MCCLXXVIII & 26 julii sequentis suæ promotioni ad purpuram assensisse: sed & præterea cardinalem eo mense adhuc in Anglia egisse. Quandiu autem postea illic steterit, & quo mense iter Romanum aggressus sit, non invenio.

P. 223. Rex scribit Cantuariensibus ut F. Joannem Peckam ord. Minor. a pontifice plenitudine potestatis institutum archiepiscopum agnoscant literis datis XXX maii proinde anno MCCLXXIX. Cùm autem harum constitutionum editor referat se literas ejusdem Peckami ex Anglia Kilwarbio suo prædecessori in Italia agenti datas vidisse, quibus eum orabat ut a pontifice obtineret se a solvendis ipsi quatuor millibus marcharum exonerari, sequitur Kilwarbium illis anni MCCLXXIX mensibus adhuc in vivis fuisse, nec mortuum nisi XI septem. ejus anni.

Rem extra omne dubium ponit sanctio S. P. Nicolai III leges continens a canonicis basilicæ S. Petri in Urbe observandas, data Romæ apud S. Petrum per manum magistri Petri de Mediolano S. R. E. Vicecancellarii III nonas februarii indict. VII, incarnationis Dominicæ anno MCCLXXVIII, pontific. verò D. Nicolai papæ III anno II. Qui annus Christi ut indictio & annus pont. demonstrant, necessario intelligendus 1278 stylo veteri novo 1279, ut fatetur Raynaldus ad annum 1278 n. 79. Huic autem sanctioni ibidem legendæ cum S. Pontifice & cæteris cardinalibus suo ordine subscripsit *Frater Robertus Portuensis episcopus.* Cùm igitur certum sit & omnes conveniant mortuum esse III idus sept. sequitur id accidisse mense septembri anni MCCLXXIX, ut supra referebamus ex Triveto.

Kilwarbium Parkerus, Goswinus, & ex eo Editor constitutionum Angliæ citatus, tum & Caveus ordinis Minorum fuisse asserunt, sed gravissime allucinati, quos emendat, aut potius docere debuerat Lelandus, si omnibus antiquis monumentis fidem præstare nolebant, ordinis Prædicatorum certo fuisse: unde quæ beneficia Goswinus illum Minoritis contulisse narrat, Lelandus nostris collata refert. *Londini*, inquit, *coemtis aliquot neglectis areis sed amplis, & ruinis castelli Baynardini adjacentibus, eo sodales suos Prædicatores ex antiqua sede traduxit, iisque templum elegantis operis & ædes magnificas posuit.* Sarisburiæ cœnobium nostris erexisse vult Godwinus, sed ut mox de Londinensi, de translatione in commodiorem locum intelligendum puto, nam inter antiquiores provinciæ Angliæ conventus Salisberiensis computatur, & septimus in catalogo Guidonis recensetur longe ante Oxoniensem & Cantabrigiensem, qui tamen primus ante MCCXXX, alter ante MCCXL erecti erant.

Opera ejus quadruplicis generis veniunt distinguenda, Grammatica, philosophica, theologica, canonica. Hæc primi generis recensentur.

1. *De re grammaticali.* Sic enim Laurentius Pignon n. 7: *F. Robertus Kalverbi natione Anglicus magister in theologia & cardinalis scripsit super Priscianum minorem: item sophistriam grammaticalem.* Ludovicus a Valleoleti n. 19: *F. Robertus cardinalis natione Anglicus scripsit valde subtiliter super Priscianum minorem, & opus illud bonum & sophisterium.*

Horum supersunt etiamnum aliqua in Bibliothecis. In Sorbona cod. fol. med. memb. ex legato M. Stephani de Gebennis socii, qui sub finem seculi XIII florebat. Pr. *Sicut dicit Aristoteles in 2 de anima, lingua congruit in duo opera naturæ, scilicet in gustum & sonum &c.* Ad calcem: *Expliciunt scripta M. Roberti Anglici peroptimi philosophi super primum Prisciani de constructionibus.*

In catal. codd. MSS Angliæ T. I P. II n. 768: *Roberti Kylwardeby super libros Prisciani de constructione.* Ibid. n. 1586: *Roberti Kylwardby de re grammaticali. Ejusdem notulæ in Priscianum de constructione.* Item P. III n. 1694: *Kylwarbi in prosodiam Prisciani sive de accentu.* Ibid. *in Donatum de vitiosis sermonibus.*

Pitseus addit: *De modo significandi.* Pr. *Quoniam in ante expositis libris*, indicans ibidem servari.

Hæc philosophica.

1. *De ortu scientiarum*, *curiosus utilisque libellus*, inquit Trivetus citatus. Laudat etiam Laurentius Pignon. *Opus*, inquit Lelandus *tum elegans tum ingeniosum.* Venale prostabat Parisiis ante MCCC ex libro rectoris univers. Paris. XVIII peciis constans. Extat etiamnum in Sorbona cod. fol. mag. memb. n. 877 inter alia opuscula. In catal. Anglic. cit. T. I P. I n. 1805: *Tractatus Kilvarbii de ordine Prædicatorum archiepiscopi & cardinalis de ortu scientiarum.* P. II n. 728: *Kylwarbius de ortu scientiarum.*

2. *De divisione scientiarum.* Laudat Pitseus. Extat in Sorbona cod. in 4. n. 296 inter alia opuscula. Pr. *Divisio scientiæ ut accipitur illa pars quæ est & dicitur philosophia. Scientiarum alia est divina alia humana &c.* Ad calcem sic legitur: *Explicit tractatus M. Roberti de Valleverbi* (corrupte pro Kilwardby) *de ortu scientiarum cum titulis ejusdem.* In catal. Angl. cit. T. I P. II n. 292: *Kylwarby de divisione scientiarum*, & n. 728 cum superiori *Tractatus ejusdem de philosophia divisione.* Hinc conjicio exemplum Sorbonicum aliâs cum superiori fuisse conjunctum, ut indicat *Explicit* a priori opere desumtum.

3. *In Isagogen Porphyrii.* Hunc tractatum censeo quem Trivetus inscribit *De universali.* Laudat etiam Laurentius Pignon sic, *super Porphyrium.* In catal. Angl. T. I P. III n. 1696: *Commentarius Kilwarbi in organum Aristotelis.*

4. *In Prædicamenta.* Sic Pignon *super Prædicamenta sive de rebus prædicamentalibus.*

5. *De relatione.* Laudatur a Triveto. Pignon *de natura relationis.* In catal. Angl. T. I P. II n. 292: *Kylwarby de natura relationis.*

6. *In librum* περὶ ἑρμηνείας *sive de interpretatione.* Sic Pignon. In cat. Angl. T. I P. II n. 1586: *Rob. Kylwardeby annotationes in librum Aristotelis de interpretatione.*

7. *In libros priorum & posteriorum.* Sic Pignon. Extat Parif. in Navarra: *In librum primum priorum.* Pr. *Cùm omnis scientia sit veri inquisitiva &c.*

Ad

Ad calcem: *Expliciunt notulæ super primum priorum M. Roberti Kilvirbi. Sequitur in secundum.* Pr. *In primo libro Aristoteles determinavit de Syllogismo ostensivo, in hoc secundo libro intendit de Syllogismo ex hypothesi &c.* Finis: *Expliciunt notulæ super secundum priorum M. Roberti de Kulverbi.* Codex est sec. XIII fol. par. memb. minutissimo charactere. In cat. Angl. T. I P. II n. 747: *Sententia ipsius Kilwardby super libros priorum. Quæstiones bonæ super eumdem librum.* Item n. 756 *Kilwarby super libros priorum.* Idem opus extat Florentiæ apud nostros S. Marci Arm. IV cod. 103 memb. & apud Servos B. Mariæ. cod. 153 & in Medicea plut. LXXI cod. 29 memb. in 4: *Notulæ libri priorum Aristotelis tradita a M. Roberto Anglico de Kiliurlb*: sic corrupte. Idem Princ. ac Navarr. *Cùm omnis scientia.*

In posteriorum analyticorum librum elegantissima commentaria prodierunt sub nomine *Roberti Lincolniensis archiepiscopi Parisiensis curante Gregorio de Gregoriis edita* Venetiis, Pamphili Manutii 1514 fol. Sic refert Alva Sol. Verit. Rad. 188 col. 1454, ubi mendum suspicor, scriptumque *Parisiensis* pro *Cantuariensis* & delendum *Lincolniensis.* Novi hoc opus a Pitseo Roberto Grosthead Lincolniensi episcopo asseri, sed cùm idem Pitseus tractatum super libros priorum supra citatum eidem Lincolniensi tribuat, quem tamen codices omnes MSS Kilwarbio vindicant, in eumdem errorem circa hunc posteriorem impegisse conjicio, eo magis quod *Grosthead* non fuerit archiepiscopus, ut in edito dicitur. Quia tamen in catal. Angl. T. I P. II n. 759 laudatur *Lincolniensis in libros posteriorum*, examinent indigenæ an codex MS conveniat cum edito, neque enim animus est nostros ex aliorum operibus ditare.

8. *Super libros Topicorum.* Sic Pignon. In cat. Angl. T. I P. III n. 1696: *Commentarius Rob. Kylwarby super libros topicorum.* Extat etiam Florentiæ in Bibl. Servorum cod. 154.

9. *In elenchos & Sophistria logicalis.* Sic Pignon. Pitseus in duos tractatus distinguit, sed idem est opus. Extat Paris. in Navarr. cod. fol. mag. memb. Pr. *In hoc libro qui dicitur liber elenchorum traditur Sophistica, quæ si sit scientia habet principia & causas &c.* Ad finem: *Expliciunt notulæ Magistri Roberti super libros elenchorum primum & secundum.* Licèt autem absit agnomen, ejus esse merito conjicio cùm codex sit seculi XIII, & stylus cæteraque conveniant.

10. *In librum sex principiorum Gilberti.* Sic Pignon, & assentitur Pitseus.

11. *In librum divisionum Boetii.* Sic Pitseus, sed Pignon legit *in librum rhetoricorum Boetii.*

12. *In libros octo physicorum Aristotelis. De cœlo & mundo. De generatione & corruptione. Metheororum. De anima. Parvorum naturalium omnium.* Sic Pignon, Lusitanus, & ex eo Pitseus. Trivetus laudat speciatim *tractatum de tempore*, quem eumdem censeo a Lusitano & Pitseo *de instantibus* inscriptum.

13. *In libros XII metaphysicorum.* Sic Pignon & Lusitanus, ad quos refero *De divisione entis* a Pitseo laudatum.

14. *Super librum de causis.* Sic Lusitanus. Allucinatum autem censeo Pitseum cùm legit *De causis animæ*, cùm non alius liber intelligendus veniat, quam ille Procli, cujus propositiones omnes incipiunt ab his vocabulis, *omnis*, *omne*, *omnia &c.*

15. *De unitate formarum tractatus.* Sic Pignon & Lusitanus. De hac quæstione ea ætate multum in scholis vexata Robertum nostrum aliter sensisse ferunt, quam sanctus Thomas.

16. *In Boetium de consolatione philosophiæ.* Sic Pitseus penes quem fides.

De omnibus supra relatis Ludovicus a Valleoleti generatim tantum meminit. *Scripsit*, inquit, *super totam logicam, philosophiam naturalem & moralem.* In catal. Angl. T. I P. III n. 2280: *Kilwarbi in magno libri XXII pertinentes ad logicam & philosophiam.* Inter quos ceu conjicere proclive, ut plures sunt supra recensiti, sic & alios esse non dubitaverim.

Hactenus recensitorum plura antequam ordini nomen daret, scripserat & ediderat Parisiis artium magister & publicus professor, hinc in pluribus codd. MSS ejus ætatis non Frater sed magister vocatur. Baleus a suis etiam agnitus scriptor effrænus & impudens Kilwardbium pessime excipit *garrulum vocans & Sophistam, qui Parisiis artium profanarum faces imbibitas ibidem docuerit, & in Angliam postea deportarit.* Sed Egatius Boulæus T. III histor. Parif. Acad. p. 709 ista excipiens ex Baleo & laudans, imprudenter omnino vel etiam inique egit: quæ enim in Kilwardbium torquet jacula, ea in suam artium facultatem Parisiensem, in qua ille educatus, resilire necesse est: nec dissimulavit, qui in eam historiam inquisivit, excussit, ac notis etiam confixit anonymus theologus.

Post amplexum ordinem studiosum in divinis scripturis Kilwardbium ac originalibus SS. Patrum evolvendis assiduum nobis exhibet Trivetus citatus, quo in genere multæ ab eo prodierunt lucubrationes, quas libros theologicos appellamus, & est tertium genus operum.

1. *De divisione sacræ scripturæ.* Sic Lusitanus. Hoc opus suspicor esse quod Parisiis servatur in Victorina cod. fol. mag. memb. n. 185 ad fol. 125 hoc titulo: *Capitula Cantuariensis archiepiscopi super bibliothecam.* Ejus inquam censeo, quia hoc ei fuit ingenium, Tabulas in libros sacros concinnare, eosque per capita distinguere, aliunde verò Joanni Peckam de quo dubium esse posset, Wadingus hujusmodi opus non ascribit.

2. Eodem cod. Victor. *Glossæ Cantuariensis archiepiscopi super historiam scholasticam.* Incipit fol. 129. De hoc idem judicium ac de priori.

Eodem codice sunt *Glossæ super Isaiam.* Pr. *Quatuor rotæ per bases singulas.*

In Danielem. Pr. *Sicut in tabernaculo Domini &c.*

Super XII prophetas. Pr. *Facies rationale judicii in quo sculpes XII gemmas.*

Sed glossas has an Roberti nostri sint, nolim affirmare, cùm nomen auctoris non ascribatur.

3. *Commentarii in Ezechielem & Pauli epistolas ad Romanos & duas ad Corinthios.* Sic Lusitanus & Pitseus.

4. *Super quatuor libros sententiarum.* Sic Pignon, Lusitanus & alii. Venales prostabant Parisiis ante MCCCC ex libro rectoris universitatis, ubi dicitur *F. Robertus de Kyleverdecky.* Servatur etiamnum insignis codex in bibl. Ecclesiæ Wigorniensis in Anglia, cujus hanc notitiam habui ope clarissimi viri Jo. Ernesti Grabbii, qui licèt Germanus & Lutheranus natus tandem veritate agnita in sinum Ecclesiæ catholicæ rediisse fertur, & in fide Romana constans obiisse nuper in Anglia, quod illustre testimonium lubens & gratus ei reddo. Sic autem incipiunt quatuor illi commentarii.

In primum. *Sapientia ædificavit sibi domum excidit columnas septem. Proverb. IX. In his verbis attendi possunt quatuor causæ hujus doctrinæ, & omnino totius sacræ scripturæ. Efficiens per nomen sapientiæ. Sicut enim Deus per suam sapientiam orbis est conditor, secundùm illud Proverb. 8 Dñs*

Sec. XIII. *possedit me in initio viarum suarum &c.* Sunt quæstiones 89, folia 31.

In secundum. *Creationem rerum &c. Quia creationem quæ hic in principio tangitur multi negant, cùm tamen sit articulus fidei; ideo primo quæritur an possit esse? 2. An res creatæ sint & an sit creatio? 3. An possibile sit res creatas esse ab æterno? 4. De ordine ipsius esse, quod est in creatione ad non esse precedens.* Finis: *Aliter ergo punit Deus peccata actualia hujus status, quam per mortiferum qualitatis augmentum propter dictas rationes, & loquor de vindicta inflicta in via, post mortem enim non restat peccatoribus nisi communis gehennæ damnatio.* Sunt quæstiones 172, folia 42.

In tertium. *De incarnatione primo quæritur an duo tam distantia possint uniri, scilicet Deus & homo? Quod sic Luc. 1. Non impossibile apud Deum omne verbum. Ergo non istud.* Finis: *Non sunt omnia vitia in illo, nisi sicut in quodam communi quod est ad omnium & singulorum: sed tale unum scilicet commune non facit actualem connexionem specialium suorum: quare non est simile de cupiditate ut superbia quoad vitia connectenda, & de caritate quoad virtutes connectendas.* Quæstiones 194, Folia 55.

In quartum. *De Sacramentis in generali primo quæritur an fuerint necessaria ad salutem? Quod non videtur, quia virtutes & dona sufficerent, quia eorum opera sunt salutis meritoria.* Finis: *Item ista ex amore, illa ex timore servili generatur. Item ista modicum minatur & raro; illa e contrario. Item hæc levis, illa onerosa. Item hæc ad emundationem spiritus, illa carnis. Item hæc proprie ut sunt sacramenta, illa minus proprie. Item hæc in rebus spiritualibus firmioribus, illa e contrario.* Sunt quæstiones 51, Folia 21. Quæ ultima verba videntur dici de discrimine novæ & antiquæ legis, & ponderanda desideriumque ingerunt legendorum præcedentium.

Ad finem totius operis sic legitur: *Lectura Kylwardby super librum sententiarum.*

Præfigitur index operis alphabeticus, ex quo discimus plura in eo scitu digna tractati. Ad calcem indicis sic legitur, *Liber Fratris Johannis Hatfeld monachi istius loci scilicet Ecclesiæ Wygorn.*

Hic verò codex recensetur in catal. Angl. T. II P. I n. 718.

Ibidem sed T. I P. II n. 598 laudatur aliud exemplum extans in gymnasio Mertonensi, cujus eodem curante Clar. Grabbio hæc ad me notitia pervenit. Titulus: *Kylwardeby super sententias.* In primum: *sapientia ædificavit sibi domum &c.* Idem fere totidem verbis ac Wigorn. In secundum etiam idem sed finis diversus, sic enim Mertonen. *Igitur superbia quæ est radix omnium malorum est aversio quæ inest actuali peccato, & hæc aversio non est unum malum speciale; sed est commune omnibus, quoniam in omni peccato*, &c. pauca sed lectu difficiliora.

In tertium est etiam discrimen in principio: *De incarnatione Dei multiplex quæstio proponitur ad ostendendum quod ad hominis salutem fuerit necessaria Dei incarnatio. Primo ostenditur quod Dei propositum non potest frustrari. 2. Quod Dei propositum de homine fuit, ut beatificaretur ad æqualitatem beatorum angelorum. 3. Quod homo non potuit salvari post peccatum, nisi satisfieret pro ejus peccato. 4. Quod homo non potuit post peccatum sublimari ad æqualitatem beatorum angelorum nisi per congruam satisfactionem. 5. Quod non potuit alius satisfacere pro peccato hominis, nisi solus Deus. 6. Quod non potuit congrue satisfacere nisi Deus homo. 7. Quod non potuit congrue satisfacere nisi homo de genere Adæ. 8. Quod non potuit congrue ad hoc negotium humanari nisi persona Filii.* Neque verò miteris hoc discrimen; sic enim professores publici cùm cursum novum iterant, vel cùm vulgandum privatim recognoscunt, novas etiam tractant quæstiones.

In quartum de sacramentis idem ac Wigorn. Finis comparatio sacramentorum veteris ac novæ legis. Ultima verba: *Differunt in hoc quod nova plenam afferant salutem & justitiam, illa semiplenam: & inde est quod ista dicantur dare salutem, illa promittere vel significare*, & post pauca eodem modo finit ac in Wirgorn.

In isto codice Mertonen. ultimo folio quæstio est ejusdem Roberti *De relatione prioritatis Dei ad creaturam.* Finis: *Prior est solitudo existentiæ unius, & posterior coexistentia alterius: & prius & posterius in tempore super tempus continue extentum, & in omnibus his ordo est id quod quodammodo rationaliter extentum dicitur priori & posteriori in terminis suis. Sit Deo Trinitati summa laus.* Taceo in codice Mertonensi commentarium in tertium postponi commentario in quartum, id enim parum refert.

Alva Sol. Verit. Rad. 185 col. 1445 dicit se post incredibilem diligentiam a Joanne Francisco Montacutio hujus scripti Oxoniensis id est Mertonensis, (nam nullum aliud in gymnasiis Oxonien.) notitiam habuisse, & excerptum ex tertio sententiarum dist. 3 accepisse, in quo citatur locus F. Thomæ de Aquino 2, 2. q. 11 a. 1 his verbis, *tanto magis quis alicui tenetur, quanto ab eo plura beneficia recepit.* Hinc autem evincere se putat scriptum hoc Kilwardebio falso inscribi: nam, inquit, hic sententias legerat priusquam ad provincialatum Angliæ promoveretur, id est ante annum MCCLXI, at illo anno S. Thomas nondum Summam theologicam inchoaverat, & secundam secundæ non complevit nisi anno MCCLXXII circiter. Belle omnino & argute, facilis tamen responsio. Omitto illa verba non haberi apud S. Thomam loco citato, sed nec q. 31 ubi agit de beneficentia, nec q. 106 ubi agit de gratitudine, unde excerptum illud ut indiligenter omnino exscriptum & nullius momenti habendum: Kylwardbium contendo Summam S. Thomæ theologicam & vidisse & citare potuisse. Sententias quidem legerat priusquam provinciæ Angliæ præficeretur, sed non ideo scriptum suum in sententias ediderat: at provincialis jam præfectus, imo archiepiscopus jam inauguratus, ut totus erat studio deditus, illud recognovisse & novis quæstionibus auxisse videtur, quod patet ex discrimine a nobis notato scriptum Mertonense inter & Wigorniense saltem quoad tertium sententiarum, de quo est quæstio. Itaque cùm quinque aut sex annis Kylwardbius S. Thomæ supervixerit, quin ejus secunda secundæ uti potuerit an dubium est? Durandus de S. Portiano sententias legerat priusquam ad infulas promoveretur, rationem tamen haberi noluit nisi ejus scripti, quod jam episcopus recognovit, auxit, polivit, vulgavit. Alexander de Hales sententias jam legerat priusquam ad Minores transiret, scriptum suum in sententias nonnisi ultimis vitæ annis vulgandum suscepit nec finivit. Sic & de Kylwardbio pensandum.

Idem Alva loco citato refert in Indice codd. MSS a Banderio nostro concinnato fol. 570 b. scripti in sententias Kylwardbii aliud prodici principium, quam in laudatis codd. Angliis, nempe istud: *Cùm paupercula de qua Matthæi* (falsò leg. *Lucæ* 21): sed nec hoc mirum, eidem enim operi varia pro variis quibus legebant annis præfigebant principia.

5. *Expositio literæ magistri sententiarum.* Sic Pitseus.

6. *Quodlibeta.* Sic Pitseus.

7. *De passione Christi*. Catal. Anglic. T. I P. II n. 1661 *Roberti Kylwarby de Passione Christi*. Sequitur *Quæstio de mendicitate* ejusdem & ei ascribitur a Pitseo.

8. *De sacramento altaris*. Sic Lusitanus & Pitseus.

9. *De differentia spiritus & animæ*. Sic iidem.

10. *Tabulæ in originalia Patrum*. De quibus sic lego apud Trivetum: *Studiosus in divinis scripturis originalibusque SS. Patrum libros Augustini fere omnes, aliorumque doctorum plurium per parva capitula distinxit, sententiam singulorum sub brevibus annotando*. Cujus laboris hæc supersunt etiamnum monumenta.

Paris. in Regia n. 3785 fol. med. memb. *Tabula super libros de civitate Dei D. Augustini*. Pr. *Ut de infrascripta tabula notitiam habere pleniorem valeas &c.* Sunt capitula 74. Duplex autem est tabula; alphabetica rerum, altera librorum & capitum. Idem opus cod. 3786 fol. med. memb. eleganti, cujus fol. I in margine inferiori insignia civitatis Mediolaneñ. picta exhibentur: Tabula autem constat foliis 113. Sequitur Triveti nostri expositio in libros de civitate Dei, ubi sic in prologo: *Itaque F. Robertus de Kilibardby postea Cantuariensis archiepiscopus, ac tandem Portuensis Cardinalis, ut libri hujus lectionem faciliorem redderet, dum in ordine nostro sacra doctrina intendebat, præmissa singulorum librorum intentione etiam omnium capitulorum ab olim brevibus titulis distinctorum sigillatim & compendiose annotavit*. Primus itaque Kilwardbius libris de civitate Dei titulos argumentum cujusque præferentes adjecit, & primus libros in capita distinxit, quibus singulis & titulos rem de qua agitur breviter ob oculos ponentes præfixit. Idem opus in Colbert. cod. 2431 fol. mag. memb. Idem principium. In catal. Angl. T. I P. II n. 485. Idem opus.

Extant & in alios S. Augustini libros. In catal. Anglic. recensentur T. I P. III:

N. 745: *Conclusiones quorumdam librorum B. Augustini secundùm capitula eorum compilatorum per Robertum de Killewardeby arch. Cantuarieñ.*

N. 1834: *Cujuslibet libri Augustini de Trinitate capitulorum intentio secundùm Kylwarby.*

Tabula ejusdem super eosdem libros.

Cujuslibet libri & capitulorum super genesim ad literam intentio per eumdem.

D. Augustini super genesim ad literam libri XII *& Tabula super eosdem secundùm Kilwarby.*

N. 1835: *Tabula in varios libros Augustini & intentiones*. Idem n. 1836.

N. 1838: *Tabula in varios libros Augustini.*

N. 1839: *Tractatus Kilwarby in multos libros Augustini ac aliorum.*

N. 1850: *Tabula in D. Augustinum, Anselmum & Augustinum*. T. II P. I n. 868: *Tabula super Augustinum*. An ejusdem ut conjectu proclive.

Pitseus laudat *Originalia Patrum*. Pr. *Abimelech per somnium admonitus.*

Super confessiones Augustini. Pr. *In primo libro confessionum.*

Distinctiones doctorum.

Quæ an differant a relatis in superiori articulo, an eadem sint, codicum possessores discutiant, hícque addant.

Quartum genus operum canonica.

1. Catal. Anglic. T. I P. I n. 2245: *Roberti Kilwarby quæstiones de conscientia*. Laudat Lusitanus. Pitseus etiam sed distinguit a tractatu *de conscientia & synderesi*, penes quem fides, nam nobis aliud non videtur.

2. Ejusdem catal. T. II P. I n. 8007: *Robertus de Kilwardeby cardinalis de confessione, satisfactione &c.*

3. Ejusd. catal. T. I P. II n. 292: *Kilwarby de gradibus sanguinitatis.*

4. Ejusd. catal. T. I P. I n. 2642: *Constitutiones provinciales archiepiscoporum Cantuarieñ. inter quas 4 loco Kilwarbiana*. P. II n. 467: *Rob. Kilwarby arch. Cantuar. constitutiones.*

5. P. III ejusd. catal. n. 788: *Collectio errorum in Anglia & Parisiis condemnatorum*. Ad quem articulum apud Thomam James in Ecloga pag. 107 n. 181 additur: *Et primo ponuntur errores Angliæ his verbis: Isti errores condemnati a F. Ric.* (erratum leg. *Rob.*) *de Kilwarby Cantuarien. de consensu omnium magistrorum tam non regentium quàm regentium apud Oxoniam die jovis proxima ante festum S. Cuthberti in quadragesima anno Dñi* MCCLXXVI *videlicet* XV *Kal. aprilis*. Cùm autem festum S. Cuthberti incidat XX martii, intelligendus hîc annus MCCLXXVI stylo veteri, novo LXXVII, quo lit. Dom. C. & XV Kal. april. erat dies jovis.

Extat eadem condemnatio in Sorbona cod. 274. Primus error damnatus est hic *Ego currit, & curro æque sunt perfectæ & congruæ orationes*. Et hujusmodi plures grammaticales logicæ & physicæ conclusiones, quæ hac nostra ætate levioris momenti apparent, & contemnendæ fuisse potius quam tanta tamque seria censura dignæ videntur.

Nullus dubito quin plures præsertim nostri censuram illam ægre tulerint, ipsumque Kilwardbium etiam scripto monuerint levius latam, aut saltem explicationem ab eo censuræ latæ postulaverint, & inter alios noster Guillelmus de Morbeka archiepiscopus Corinthiensis, præcipue cùm ex notatis propositionibus quædam essent juxta S. Thomæ de Aquino doctrinam, quæ proinde peti ac percelli videbatur. Hinc Kilwarbius cum dicto de Morbeka explicare se habuit. Laudatur in catal. Anglic. T. I P. II n. 734:

Epistola Roberti Cantuariensis ad archiepiscopum Corinthi de articulis condemnatis in Anglia. Extat etiam Florentiæ apud S. Marcum Arm. IV cod. 25 ad finem: *F. Roberti Cantuariensis ad archiepiscopum Corinthi declaratio falsitatis quorumdam articulorum Oxoniæ condemnatorum.*

Hi penes quos sunt codices illi MS quî suam tueatur censuram, docere possunt, & quod oramus hîc addere. Cæterum fatendum exinde motus magnos in scholis Angliæ etiam inter ordinis sodales excitatos, aliis Kilwardbio morem gerentibus, aliis pro sancti doctoris sententia strenue pugnantibus. Unde in cap. gen. Mediolani 1278 delegati in Angliam fuerunt F. Raimundus de Medullione de quo supra, & F. Joannes Vigorosi viri ambo insignes & primi nominis theologi, qui turbas illas sub F. Joanne Peckam Kilwardbii in archiepiscopatu successore, & S. Doctoris ab olim æmulo auctas compescerent, & eos *qui de venerabilis F. Thomæ de Aquino scriptis detraxerant*, sic in actis, coercerent ac punirent. Addo hanc censuram in quantum S. Thomæ doctrinæ adversatur, nullam deinceps habitam fuisse, & seipsa ruisse.

Pitseus inter opera Kilwardbii numerat *Tractatum de doctrina F. Thomæ de Aquino*, sic enim tum vocabant. Parvipendendus Alva Sol. Verit. Rad. 185 col. 1444, ubi contendit hoc esse impossibile, nimis enim fuit possibile, sed quæstio est an faveret, an adversaretur quod proclivius: & cùm Pitseus non addat ubi servetur, fortè aliud non est, quam Oxoniensis illa constitutio, si hoc nomine censeri meretur, vel epistola citata declaratoria constitutionis nunc fere oblivioni traditæ.

6. Catal. Angl. T. II P. II n. 357 recensentur *Constitutiones de Reding per Robertum de Kilvarbii*. An aliæ sint a laudatis supra n. 4, an etiam in illis contineantur, docebunt curiosi gentiles.

Sec. XIII. 7. Non omittenda *Acta inquisitionis super vita & miraculis τῦ μακαρίτυ Ricardi episcopi Cicestrensis*, quam ab Alexandro IV unâ cum F. Adamo de Marisco ord. Min. & Waltero episcopo Wigorniensi delegatus fecit tum provinciæ Angliæ præfectus. De quo legendus noster F. Radulphus Boxing in epistola ad Isabellam de Albiniaco viduam comitis de Arundell vitæ ejusdem S. Ricardi præfixa, quam habent Acta SS. T. 1 april. ad diem tertiam p. 382.

8. Nicolai III S. P. nomine *literas* ad Tartarorum imperatorem, ut ad fidem christianam amplectendam eum invitaret, scripsisse Kilwarbium testantur Ughellus, Fontana in Theatro, & Oldoinus in suo Ciacono recensito, qui gratum utique fecissent, si Tartarum illum quis fuerit indicassent. Nam apud Rainaldum duas tantum literas lego ad annum MCCLXXVIII, unam Quobley magno Tartarorum Chaano seu imperatori 2 non. april. anno 1, alteram hujus filio Abaghæ Orientalium Tartarorum seu Mogolorum Chaano seu regi kal. april. anno 1 datas, quas cùm nondum Angliam exivisset Kilwarbius scribere non potuit. Aliæ igitur fuerint in actis hujus pontificis a curiosis nostris Romanis sodalibus requirendæ.

Alva in suo *Pleytos de los libros* pag. 218 litem nostris inscribit, quod hunc auctorem in plures multiplicaverint, cui sic breviter facimus satis. Kilwardbius, Kamvilvertim, Ribervius, Bilibri ut jam monuimus sunt unus & idem homo, cujus agnomen corrupte scriptum quibusdam occasio fuit in plures dispescendi, erratum humanum & facilè condonandum: cæteros de quibus ibidem agit & quos confundere tentat, satis distinguunt agnomina certa, ætas, munia, opera diversa, ut in hoc opere suis locis demonstramus.

Idem Alva Sol. Verit. Rad. 185, col. 1445 a vero aberrat quam longissime Robertum de Cortchum & Ricardum Anglicum Cantuariensem antistitem cum Kilwarbio confundere satagens, quos ætas omnino diversos evincit. Robertus de Curson teste Matthæo Parys ad annum MCCXVIII florebat, & ab Honorio III cardinalis creatus in Orientem tum & in Angliam legatus ab eodem missus est, scripsitque summam theologicam, quæ non solùm apud Cistercienses Dunenses in Belgio uti habet Alva, sed & Cantabrigiæ in gymnasio S. Petri servatur teste Pitseo. Catal. Anglic. T. II P. 1 n. 8160 dicitur Robertus de Curcun & laudatur ejus *Summa de quæstionibus moralibus theologiæ*. Hanc nemo Kilwardbio asserit. Quantum ad Ricardum Anglicum episcopum Cantuariensem a Bandello libri de concept. B. V. c. 21 laudatum ut auctorem scripti in sententias, Goswinus Ricardum Wethersetum archiepiscopum Cantuariæ nobis exhibet ad MCCXXIX, virum gravem, eruditum, facundum, morumque elegantia ornatum: tum Pitseus Ricardum Wethersetum alium Cantabrigensis universitatis cancellarium ad MCCCL laudat, plurium operum auctorem, adversus quem Adamus de Wodehamo Minorita scripsit. Quis non facile credat utrumque Wethersetum aut saltem alterutrum in sententias scripsisse, cùm sacræ theologiæ magistris id esset solemne? quamvis illud scriptum jam vicissitudine temporum perierit, ut pluribus secundi Wetherseti operibus id evenisse testatur Pitseus. In Catal. Anglic. sic lego T. II P. 1

N. 6482: *Ricardus Wetherset de disciplina ecclesiastica, de vitiis & virtutibus.*

N. 6664: *Ricardus Wethersett (vel de Montibus) in illud. Qui bene præsunt præsbyteri.*

De Christi incarnatione cujus initium, Licèt secundùm Hilarium comparatio.

Summa historiæ utriusque testamenti.

N. 8000: *Summa magistri Ricardi de Montibus.*

Utrius Ricardi an episcopi an cancellarii sint hæc opera non explicatur, sed hæc nobis satis sunt ad astruendum Ricardum a Bandello laudatum a Kilwardbio scriptorem esse distinctum, cujus commentarium in sententias ille viderit etsi jam deperditum.

De Kilwardbio præter citatos agunt Leander Albertus fol. 67 a. omisso agnomine Anglicum nuncupans tantum, & quoad opera fere Laurentio Pignon congruens: Razzius, Polydorus Virgilius, Harpsfeldius Hist. Angl. sec. XIII cap. 7. Lelandus in scriptor. Anglis cap. 271, ubi sic habet: *Chronicon Fani Albani in A. D. MCCLXXII hujus vitam & eruditionem breviter at interim significanter pingit.* Antea sic dixerat: *Quamvis in garrulorum Sophistarum inciderit seculum, multa tamen scripsit, quæ ne nostro quidem tempore laude sua indigna sunt.*

F. ALDOBRANDINUS de Cavalcantibus.

F. ALDOBRANDINUS sive *Ildebrandinus* (sic enim se signabat teste Fontana *Prov. Rom. p.* 80) sive etiam *Hildebrandus* ut quidam scribunt, *de Cavalcantibus* agnomine dictus, clara nobilique apud Florentinos Cavalcantiorum familia ortus est, † 1279. cujus ex Vincentio Burghino de Famil. Florent. apud Silvestrum de Petrasancta Tesser. Gentilit. cap. 51 parma refertur argentea, cruculis aspersa miniatis, quam & gessit hic noster XIII circiter ineunte Christi seculo natus Florentiæ, ubi adolescens ordinem apud S. Mariam Novellam amplexatus, ætate postea maturior factus, & apud omnes plurimatum virtutum laude conspicuus prior præfuit ordine septimus. Quo in munere quantum in ejusce domus Fratrumque suorum contulerit utilitatem & spiritualem temporalemque ædificationem haud facile dixeris. Ut enim & vitæ sanctimonia & eruditione plurima, dicendique ad populum gratia & animarum zelo commendatissimus erat, plurima in sui conventus obtinuit a magistratibus & republica incrementum ornatumque beneficia. Quumque jam huic erigendo, ædificando augendoque & ornando per quinquennium prior desudasset, tranquillioris vitæ desiderio, hisce liberari curis solvique onere postulavit enixius a patribus: quibus annuentibus suffectoque ei Henrico Massano viro utique egregio, isto post triennium abdicante, Aldobrandinus iterum in priorem eligitur, quo cùm plures adhuc annos munere perfunctus esset, suisque Fratribus nova maximaque contulisset beneficia, dum a laboribus suis quiescere cogitat, provinciæ suæ Tusciæ seu Romanæ, quæ tum late diffusa per regni utriusque Siciliæ cis & trans Farum fines vastissima erat, prior assumitur provincialis, quod certe mira animi fortitudine magnoque religionis incremento sustinuit onus, sicque claruit, ut Gregorius X S. P. ejus fama & opinione delectatus, hominem se invenisse sibi necessarium arbitratus sit, ac Urbevetanæ Ecclesiæ præficiendum existimarit. Nulla quidem ratione se consensurum dixerat Aldobrandinus, sed tandem pontificis astrictus præcepto, jamque recusare non valens, ejus Ecclesiæ pontifex ordinatus, a clero populoque multa frequentia est susceptus. Quæ anno MCCLXXII acta. Tum verò nihil a pristino rigore vitæ tenoreque remisit, verbo suas oves & exemplo pascens, sibi nihil nisi quod suprema vellet exigeretque necessitas tribuens, cætera omnia larga manu pauperibus elargiens. Hinc Gregorius pontifex, cùm ad Lugdunensem synodum ire disponeret, anno MCCLXXIV habendam, quem loco sui Romæ relinqueret vices suas iis in

regionibus acturum, Aldobrandino digniorem ac fide majori præpollentem reperit neminem. Literas ipsas apostolicas Romæ ad sanctam Crucem a Gregorio datas XIII kal. sept. pontific. anno 2, seu Christi MCCLXXIII Ughellus refert integras *Ital. Sac. T.* I. Hac autem Aldobrandinus auctoritate vicarii summi pontificis dum Romæ fungitur, concessa est Romanis nostris ecclesia S. Mariæ super Minervam ab abbatissa & conventu monasterii S. Mariæ in Campo Martio de Urbe ordinis S. Benedicti ad S. Pancratium translati, datis ejusdem vicarii apostolici literis XVI nov. MCCLXXV indict 4, pontific. Gregorii anno 4, quas Fontana in *Theatro & de Prov. Rom. pag.* 52 ex archivo Minervæo refert. Pro Florentinorum intestinis extinguendis dissidiis, & conciliandis Guelphorum Gibellinorumque animis adversa factione divisis apud Gregorium X solicitus egit. Tandem ingravescente ætate cùm ad suos accessisset Florentinos, & ad S. Mariæ Novellæ se recepisset, ad constantem in disciplina regulari perseverantiam adhortatus est Fratres suos, ne quam ille plurimum apud eos promoverat, imminui perireque permitterent, quamque illis omni solicitudine populorumque pietate & eleemosynis erexerat amplissimam, omniumque prope civitatis elegantissimam domum & Ecclesiam vitæ prioris & fervoris obliti degeneresve longe aliis quam quibus exstructa, habitata diceretur olim inquilinis, illudque Ciceronis illis objiceretur, *O domus antiqua quam dispari pares domino!* Concives verò suos & affines ad mutuam animorum concordiam, quam illis optaverat, totisque viribus indefesse procurarat, verbis excitavit ardentissimis. » Hæc ubi dicta » sunt ingravescente languore, Sacramentorum omnium munimine confortatus, multa devotione ac » fide integerrima suum Domino spiritum recommendans, coram orantibus Fratribus collacrymantibusque pariter & cognatis animam suo reddidit » Creatori : homo certe singularis & præstans, & » qui plurimum suæ religioni ac domui profuit, & » virtutis exemplo, & earum rerum quæ religionis » opportuna sunt procuratione. Vita verò excessit » pridie kalendas septemb. anno christianæ salutis » MCCLXXIX. Celebratum est funus ingenti civium » pompa & cognatorum prosequutione, atque ut » arbitror, in veteri ecclesia primum veluti sub deposito tumulatum : procedentibus verò annis & » jam novo ædificato templo quod cernimus, in » meritum laboris assumti, in ejus loco præcipuo » ei sepulcrum insigne juxta illius ætatis morem » collocatum est «. Hactenus noster Joannes Caroli, qui vitam & gesta Aldobrandini fusius scripsit apud Leandrum Alberti relata fol. 116 & seqq. quæ hic excipimus. De scriptis verò ejus ille omnino silet : at Altamura *Append. ad* 1503 ex relationibus conventus dicti *S. Mar. Novel.* in eo servari testatur hujus nostri auctoris

Sermones MSS.

F. Petrus de Alva Sol. Verit. Rad. 128 col. 1211 ait visum a se codicem MS in Bibl. Eremit. Augustin. Patavii, in quo post sermones F. Aldobrandini de Toscanella de quo ad annum 1314, continentur

Sermones quadragesimales completi ab Albobrandino de Cavalcantes episcopo Urbevetano. Princ. *Convertimini peccatores & facite justitiam coram Deo &c. Tobiæ* 13. 8.

Ejusdem vel alterius seculo sequenti laudandorum hujus nominis, fortè sunt sermones, quos MS charactere admodum antiquo Lusitanus pag. 10 vidisse se cursim narrat Neapoli in bibliotheca S. Severini *F. Aldobrandini ordinis Prædicatorum* nomine inscriptos.

Nota Pocciantium inter scriptores suos Florentinos quemdam recensere Aldobrandinum Cavalchantes ordinis Eremitarum S. Augustini anno MCCCLXXXV clarum, cujus in bibliotheca Sancti Spiritus servantur *Sermones quadragesimales* hoc principio : *Convertimini ad me.* Sed ex ipso principio manifestum hoc quadragesimale aliud esse a laudato nostri Aldobrandini episcopi Urbevetani, qua dignitate non fulsit Augustinianus.

F. GUILLELMUS CARNUTENSIS.

F. GUILLELMUS CARNUTENSIS Gallus e Carnutibus civitate episcopali clarissima ortus, priores vitæ annos in aulæ regiæ Gallicæ sequela consumsit, fuitque Ludovico IX sancto illi regi a sacris & ut aiunt capellanus. Unde in priori ejusdem regis expeditione sacra in ipso carcere ei fuit comes individuus, & cum uno ex nostris Arabice perito officia divina coram eo seu etiam cum eo persolvebat. E terra sancta cum rege reversus ab eodem thesaurariam pinguiorem in quadam ecclesia obtinuit, quam ei concedens rex ceu per jocum dixit : *Iste D. Guillelmus ludet modo de ista sua thesauraria per quinque vel sex annos, & post religionem intrabit.* Sed jocus verum fuit vaticinium. Nam eo beneficio quinque annos & dimidium potitus, licèt dictum regis non animo tum obversaretur, seculo nuncium remittens ordinem Prædicatorum amplexus est, nec nisi post plures a votis Deo nuncupatis annos verborum regis est recordatus. Cæterum nec sic sanctum regem reliquit, nam nostri Gaufridi de Belloloco socius ascitus, cum eodem regem semper secutus est. In expeditione Tunetana morienti individuus astitit ac ministravit, & ad ejus ossa sacra a Tuneto toto per Italiam & Galliam itinere ad S. Dionysium usque, donec sepulturæ data fuere, cum F. Gaufrido indefesse orans vigilavit. Pluribus annis vixit postea, & Parisiis etiam floruit, ipsi Gaufrido, quem ut patrem venerabatur etiam superstes. Quo verò anno diem obierit suum, nulla mihi produnt documenta, licèt ad MCCLXXX pervenisse conjiciam. † 1280.

Idem mihi videtur F. Guillelmus de Carnoto, cujus tres sermones supra ubi de F. Ægidio de Aurelianis referuntur habiti Parisiis anno MCCLXXIII Dom. ante purificationem, Dom. in sexagesima & Dom. in quinquagesima, ubi videsis n. x.

Post mortem F. Gaufridi de Belloloco ad vitam quam iste scripserat S. regis Ludovici adjecit veluti supplementum hoc titulo

De vita & actibus inclitæ recordationis regis Francorum Ludovici & de miraculis quæ ad ejus sanctitatis declarationem contigerunt. Extat hæc opella iisdem codd. MS, & iisdem impressis cum vita per Gaufridum edita, quem proinde consulas. Ex hoc libello quæ hîc de Guillelmo dantur, sunt excepta.

An appendix *Miracula exhibens facta in domo FF. Prædicatorum Ebroicensium præsidio S. Ludovici confessoris, quæ fuit prima Ecclesia in regno Franciæ dedicata in nomine sancti regis An. Dñi* MCCXCIX, cum superioribus actis MS & prælo etiam excusa, Guillelmi lucubratio sit, me latet, & vix credam ad eum annum usque pervenisse, unde Ebroicensium nostrorum diligentiæ videtur potius ascribenda.

Hujus scriptoris post Miræum & Fontanam meminit bis Altamura, & ad 1276 quidem sat rectè, antea verò ad 1271 prorsus inepte Cordubensem nuncupans, & ex homine uno duos fingens.

Sæc. XIII.

F. REGINALDUS DE PRIVERNO.

† 1280. F. Reginaldus de Priverno vernacule *da Piperno* a municipio in Campania regni Siciliæ hujus nominis unde ortus est sic nuncupatus, Neapoli in S. Dominici ordini nomen dedit. Cùm autem circa MCCLX Romæ in S. Sabinæ studiis operam daret, S. Thomas de Aquino tum e Gallia redux & in Urbe regens studiorum positus, eum socium delegit & conscientiæ arbitrum, quod ejus integritatis ac morum innocentiæ, ingeniique unâ acrioris non exiguum est argumentum. Comes exinde Thomæ adhæsit individuus, arcanorum omnium conscius. Diu noctuque illi astabat, tum ut illius curam gereret utpote sui quoad corporis necessaria negligentioris, tum ut data occasione vocatus etiam nocte mox lecto surgens amanuensem se promtum exhiberet. Cum eodem Parisios venit anno MCCLXIX ad comitia ordinis, ibidemque cum eo duobus annis quibus altera vice in gymnasio Sanjacobeo sacras litteras interpretatus est stetit: cum eo in Italiam rediit, Romæque cum eo erat anno MCCLXXII, & tandem cum eo Neapolim quo ad Caroli regis instantiam publicus professor mittebatur rediit. Quid ei tum acciderit in via apud Ricardum cardinalem supra relatum est ubi de S. Thoma. Cùm verò Sanctus ad concilium generale Lugduni anno MCCLXXIV celebrandum vocatus est, & ei tum se comitem præbuit, morbo ex itinere arreptum Fossam-novam deduxit, ad ultimum usque spiritum sedulus inservivit, ac in funere ad preces sodalium ejus monasterii oratione funebri parentavit. De quibus legenda S. Thomæ vita a Guillelmo de Tocho scripta, & acta inquisitionis de ejusdem miraculis factæ adjecta T. I martii, nam fere ubique F. Rainaldus testis adducitur. Ex iisdem actis p. 670 n. 31 & p. 713 n. 81 colligitur, cùm Neapolitanum studium regeret S. Thomas & Reginaldum sub eo lectorem theologiæ fuisse, quod munus ab ejusdem obitu implere perrexit. Quandonam obierit, nullus certo refert, sed ex actis citatis T. I martii p. 713 n. 79 inter MCCLXXX & MCCC fatis cessisse facile colligas. Dulcissimo huic & amantissimo sancti doctoris socio plura ejusdem sancti debentur opera. Quædam Thomas ad socii instantiam scripsit. Hæc sunt opuscula in editione Romana, I *Compendium theologiæ.* XV *Tractatus de Angelis.* XXVII *Tractatus de judiciis astrorum.*

Quædam verò Reginaldus ex ore Thomæ publice docentis reportavit ut aiunt, vel in ipsa schola audita scribens, vel memoria tenacissima præditus postea in museo. Hæc sunt

1. *Postilla super Joannem.* Vide supra opera S. Thomæ & ad T. XIV annotata. Hîc solùm addo quæ in fine ejus postillæ scripsit ipse Reginaldus & leguntur in codd. MS omnibus Parisiis extantibus, Sanjacobeo, Ecclesiæ Parisiensis C. 49, Augustiniano ad pontem novum, Regio 5664 fol. memb. singulis & elegantibus: *Hæc ergo sunt, quæ ego F. Raynaldus de Piperno ordinis Prædicatorum ad preces quorumdam sociorum, & specialiter ad mandatum R. P. D. præpositi S. Adomari post F. Thomam de Aquino, quasi qui colligit racemos post vindemiam, utinam non diminute collegi. Ubi de benedictis Deo inspiranti laudes, magistro dicenti grates a legentibus referantur. Sed de minimis* (f. *minus*) *benedictis mihi tantùm attribuendis veniam labor & imperitia impetrent, caritas verò qua labor assumitur, orationum suffragia mereatur. Expliciunt apostillæ super Joannem.*

Præpositus ille S. Adomari erat Adenulphus de Anagnia, unâ canonicus ecclesiæ Parisiensis, cujus & electus fuit episcopus, sed qui ne infulam accipere cogeretur, ad Victorinos secessit, eorumque vestem induit, ac regulam professus est. Vir fuit commentariorum in sacram scripturam cupidissimus, quæ & eleganter codicibus membraneis in fol. a notario sibi addicto scribi curabat. Quantum horum numerum bibliothecæ Victorinæ dederit pluries miratus sum. Florebat Parisiis ætate S. Thomæ & tandem obiit anno MCCLXXXIX.

2. *Postilla super epistolas S. Pauli* exceptis ad Romanos, prima ad Corinthios, & ad Hebræos ad XI usque capitulum, quas S. Thomas proprio pugno exaravit. Vide supra annotata ad T. XVI ejus operum.

3. *Postilla super tres nocturnos psalterii.* Vide T. XIII supra.

4. *Lectura super primum de anima.* Vide dicta supra ad T. III.

Ea tantùm ratione intelligendi Laurentius Pignon & Ludovicus a Valleoleti, licèt non ita clare sese explicent. Sic habet primus n. 57 *F. Reginaldus Romanus* (id est ex provincia Romana) *complevit ultimam partem Summæ S. Thomæ super Joannem a cap.* V *deinceps.* Alter verò n. 64 sic loquitur: *F. Reginaldus socius B. Thomæ scripsit super librum de anima. Item super evangelium Joannis. Item super epistolas Pauli. Item super magnam partem psalterii*, scilicet ex ore sancti docentis reportando, ut accuratius alii. Ejusdem Reginaldi meminerunt S. Antoninus Hist. P. III Tit. XVIII §. X: Lusitanus & sequaces & ultimo Altamura ad 1290. Legendus etiam Vallius in Compendio p. 43.

F. HENRICUS ESCHEBURNUS.

F. Henricus Escheburnus Anglus a patria quæ ditio est in comitatu Derbiensi sic nuncupatus laudatur in historia universitatis Oxoniensis lib. I P. 64 his verbis: *Philosophiæ ac theologiæ monumenta eo in loco sollicitis collustravit oculis, quo Isidis vadum, vel ut nunc vocant Oxonium eruditorum fovet, amat, celebratque numerum. Composuit quosdam divinarum scripturarum commentarios a se olim Oxonii atque alibi lectos, & illos posteritati reliquit circa annum* MCCLXXX. ★ 1280. Quæ ubi de claris gymnasii nostri Oxoniensis viris referunt, & ex Lelando T. IV collectaneorum p. 238 excipere se testantur. In catalogo verò eruditorum Anglorum ab eodem Lelando concinnato & nuper Oxonii edito sic legebam cap. 316 præter mox relata dictum Henricum quem Iscæburnum agnominat *Deva fortè Devonshire in comitatu Albionis urbe celeberrima plurimum claruisse, post lectiones Oxonienses eo se contulisse, ac frequentissimos auditores in collegio cui præerat habuisse.* Addit Pitseus ad Cestriensis domus nostræ regimen assumtum, hæc tandem reliquisse ingenii sui monumenta:

Commentarium in Parabolas Salomonis. Pr. *Sicut dicit Ecclesiasticus.*

Item in Ecclesiasten. Pr. *Salomon nos invitans ad divina.*

Lectura in sacra Biblia.

Processus in theologia.

Sermones.

Laudata in Parabolas & in Ecclesiasten commentaria vidisse se Lelandus citatus testatur. Ejus ex Baleo & Simlero meminit Possevinus quem excipiunt Fernandez & Altamura in Append. ad 1280.

F. GAUFRIDUS EBRONENSIS.

F. Gaufridus Ebronensis episcopus, quem sic a sua sede nuncupare placuit, cùm ★ 1280. cujas fuerit mihi sit incompertum, ut qui a nostris

omittatur, circa finem seculi XIII in Terra-sancta floruit Eliæ Hierosolymitani patriarchæ vicarius, cùmque Eduardus III Angliæ rex statum rerum Christianarum in Palæstina edoceri optaret has ei literas dedit.

Excellentissimo & serenissimo Domino Edwardo illustri D. G. regi Angliæ suo Domino speciali, Frater Gaufridus de ordine Prædicatorum miseratione divina Ebron. episcopus; R. P. D. Heliæ divina providentia patriarchæ Hierosolymitani vicarius, cum Terra-sanctæ recommendatione seipsum & felicis desiderii complementum.

» Apicibus vestræ regiæ majestatis honore condigno & debita devotione receptis cum summa solicitudine in plena congregatione fidelium, prælatis & religiosis viris magistris sacrarum domorum militiæ Templi, & Hospitalis B. Joannis Hierusalem, & aliis terræ hujus proceribus, & communitatum rectoribus publicatis, & vulgariter illis beato vestro desiderio & serenitatis regiæ compassionis affectu, verbis inductivis & compatientibus tam salubri negotio patefactis, corda convocatorum omnium ignita vestræ caritatis igniculo, & eructaverunt communiter laudis solemne canticum Deo cœli, quod tanto principi inspiraverit devotionem negotii Terræ-sanctæ, & ultionem injuriarum Jesu Christi, & ad liberationem Terræ-sanctæ de faucibus hostium Christi Celsitudinem vestram misericorditer excitavit. » De rumoribus Terræ-sanctæ (quos felices desideratis audire, eo quod totiens lætiores effecti, quoties de terra ipsa & statu ejusdem vestris auribus insonat rumor bonus) tenore præsentium innotescat regiæ majestati, quod caristia magna est in terra de blado, & modo valet modius 6 lib. & timetur ne valeat 10 lib. infra pascha, eo quod in Armenia & in Cypro est defectus & pestilentia locustarum, & propter guerram regis Caroli de Apulia & Sicilia subsidium non speramus. » Treuga quæ est inter nos & Saracenos non durat nisi usque ad mensem martii, & interim non tenent fidem quam promiserunt: sed multas injurias & molestias inferunt Christianis. Inter Accon & Tyrum infra paucos dies 30 Christianos in strata publica occiderunt. De Tharthariis rumores audivimus, nuper enim quemdam nuncium miserunt in Accon, & mandavit princeps exercitus Thartharorum, quod ipse est in Thurcia cum 50000 equitum, & totidem ad suum subsidium expectabat, & mandavit nostris magnatibus, quod veniant ad eum cum plenitudine potestatis, & quod ei cibaria & alia necessaria in quantum valuerint subministrent, & placeat ei in cujus nutu cuncta subsistunt, in cujus ditione cuncta sunt posita, ut talia nova possitis audire, quod hostes Christiani nominis confundantur, & sancta fides exaltetur & servi Dei inimicitias non timeant hostium crucifixi, qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam: non enim in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo victoria est. Ego presbyter vester humilis super hujusmodi apud Dominum suppliciter & humiliter intercedam, ut pro vita regis & salute filiorum, me tandem & miserabilis Terræ negotium magnificentiæ vestræ suppliciter recommender; quem Deus conservet incolumem regno suo per tempora longiora. Scriptum Accon quinto die octobris.

Deest quidem annus, sed cùm initio ad marginem hæ literæ dicantur datæ anno VIII Edwardi III sequitur scriptas fuisse anno MCCLXXX, Henricus enim III ejus pater ex nostro Triveto mortuus est anno MCCLXXII mense novembri die S. Eadmundi episcopi & confessoris XVI mensis, sepultus verò die B. Eadmundi regis & martyris, id est XX ejusdem mensis. Gaufridum autem hunc Anglum origine quis conjiciat, quod Edwardum non solum Angliæ regem sed & Dominum suum specialem vocet. Egregias ejus dotes commonstrat munus quod gessit vicarii patriarchæ, & ut videtur in ejus absentia. Multas alias literas præsertim ad summum pontificem quin dederit, non dubitaverim, quæ fortè in Vaticano. Hæc visa non negligenda, quæ refertur in libro cui titulus *Antiqua constitutiones regni Angliæ sub regibus Joanne Henrico III & Edoardo I circa jurisdictionem & potestatem ecclesiasticam*, *Londini*, 1672 *fol.* extatque pag. 1232. Qui hîc vocatur Edoardus I, a Triveto & aliis dicitur tertius, sed idem certo est. Sæc. XIII.

F. GUIDO DE SOLIACO.

F. GUIDO DE SOLIACO illustri sanguine dominorum de Soliaco (Gallice *Seuly*) patre Archambaldo domino de *Seuly* &c. adolescens ingenii acris & ingenuæ indolis ordinem ut verisimilius Parisiis in domo Sanjacobea amplexus est: sicque doctrina morum gravitate, in agendis prudentia conspicuum se præstitit, ut ad dictam domum regendam assumtus fuerit. Hoc munere fungebatur, cùm mortuus est ejus germanus archiepiscopus Bituricensis Johannes de Soliaco anno MCCLXXI vel MCCLXXIII, eaque diutius vacante Ecclesia dissentientibus inter se canonicis, Innocentius V olim ordinis Prædicatorum sub nomine Petri de Tarentasia & provincialis provinciæ Franciæ præclaras Guidonis nostri dotes probe perspectas habens, eum germano suo suffecit & archiepiscopum Bituricensem selegit & dedit, & litteris ad Philippum III audacem dictum scriptis VI Kal. junii anno pont. I huic regi plurimum commendavit. Guido onere suscepto vigilantissimi pastoris curas omnes implevit, clerum ad canones ordinavit, populum verbo pavit & exemplo, pauperes effusa in eos caritate sublevavit, sibi uni parcus vitam qualem in claustro duxerat severiorem ad finem usque persecutus est. Obiit anno MCCLXXX stylo veteri novo LXXXI die V martii. Nona ejusdem mensis in æde Prædicatorum sub lapide ad altare majus sepultus est: de quo legenda Gallia Christiana. De eo sic Bernardus Guidonis inter prælatos: *F. Guido de Soliaco archiepiscopus Bituricensis confirmatus ab Innocentio V in patriarcham & primatem Aquitaniæ, & in illa sede a multis sanctificata sedet anno* MCCLXXVI. *Erat tunc prior Parisius. Iste Guido fuit vir sanctus, humilis corde, mitis, in rebus Dei constans & magnanimus. Obiit Bituris anno* MCCLXXX *episcopatus anno* V. *Sepultus fuit in conventu Fratrum.* Ejusdem meminerunt Leander fol. 83 b, S. Antoninus & deinceps cæteri nostrates, quos excipit Fontana in Theatro. In tam brevi annorum quinque non integrorum pontificatu duo tamen coegit concilia provincialia, quorum acta quædam typis edidit clar. asceta Edmundus Martene tomo IV thesauri novi anecdotorum p. 189. 1280.

Primum habitum est anno MCCLXXVIII die XXIII augusti Aureliaci [Gallice *Orillac*] in diœcesi Claromontana, sicque incipit: *Nos Frater Guido miseratione divina Bituricensis archiepiscopus, Aquitaniæ primas, Frater Guillelmus* (hic erratum; nam legendum *Guido*) *Claromontensis, G. Lemovicensis, S. Mimatensis, R. Ruthenensis, B. Albiensis eadem miseratione episcopi ad æternam rei memoriam &c.*

Alterum habitum est Bituricis anno MCCLXXX adversus clericos exercentes vilia opera.

Sec. XIII.

F. HENRICUS DE HALLIS.

* 1280. F. Henricus de Hallis Saxo a patria ad Salam fluvium inter Torgam & Lipsiam & a professione sic nuncupatus, sacræ theologiæ professor, vir pius & eruditus ætate Alberti Magni florebat, nec diu ei superstes fuit. Scripsit libellum quo continentur visiones & revelationes factæ cuidam sanctæ virgini Machtildi de Helpede dictæ ordinis Cisterciensis. Titulus :

Libellus spiritualis gratiæ. Prologus : *Benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei &c.* Princ. *Fuit virgo quadam ab infantia a Deo in benedictionibus preventa &c.*

Hanc opellam vidit Petrus de Prussia noster, & ex ea quædam BB. Albertum Magnum & Thomam de Aquino attinentia excepit, & refert vitæ Alberti cap. 56. Hanc virginem Mechtildem solo nomine notam Menologium Cisterciense ascribit ad xxv febr. Bollandus & Henschenius in Actis SS. ad eamdem diem sibi penitus ignotam fatentur: nosse autem poterunt, qui eis succenturiant ex codice hujus nostri Henrici, qui vel extat Coloniæ apud nostros, vel in aliqua bibliothecarum Saxoniæ præsertim olim nostrarum.

F. JACOBUS DE AQUINO.

F. Jacobus de Aquino, quem Vallius in compendio p. 162 ex Aquina satum ac doctoris angelici consanguineum conjicit, eodem teste sec.
† 1280. xiii floruit. Assentitur Toppius Bibl. Napol. & quod mirum viro erudito excidisse, Sigebertum Gemblacensem testem adducit, quasi iste anno mcxiii mortuus ullius sodalium Prædicatorum meminisse potuerit. Volunt ambo hunc Jacobum scripsisse

Opusculum adversus Guillelmum de Sanctoamore pro defensione regularium mendicantium. Laudat Altamura ad 1280.

Fontana in Monum. p. 229 hunc scriptorem rejicit ad 1362 ex Pio, apud quem mihi non occurrit, & addit a Gennadio plurimum laudari. Sed quis ille Gennadius ? certe non Massiliensis sec. xv clarus, non Scholarius patriarcha C. P. sec. xv florens qui nec de scriptoribus ecclesiasticis scripsit, nec eas quæstiones de regularibus attigit, sed solùm de articulis inter Græcos & Latinos controversis tractavit. Itaque valde mihi suspectus est novus ille Guillelmi de Sanctoamore adversarius, & e scriptorum nostrorum numero censeo eradendum.

F. SERLUS DE JANUA.

F. Serlus seu *Serolus* vel *Servolus* de Janua Ligur a patria sic nuncupatus domus S. Dominici Januæ alumnus, theologus sec. xiii clarus ob eximias dotes a Clemente IV ad Aprumiatensem Ecclesiam (*Brugneto* vernacule) sub Januensi anno
* 1280. mcclxv promotus est : quam boni pastoris partes implendo rexit ad annum circiter mcclxxx ad superos tum vocatus. Synodo Lugdunensi II affuisse censet Fontana in Theatro. Legendus & de eo Ughellus Ital. Sac. T. iv. Hunc Rovetta primus scriptoribus annumerat, ceu a quo prodierit

Summa casuum conscientiæ in sui cleri usum & alia opuscula.

Cùm vero hæc ubi serventur non addat, penes illum fides. Certe nec Sopranus nec Oldoinus ejus meminerunt.

CONCIONATORES VARII.

Annis mcclxxxi, lxxxii, lxxxiii plures ex nostris insignes concionatores florebant Parisiis & sacræ facultatis sermones in variis urbis basilicis habebant. Horum nomina & sermones cùm ex ordine recenseantur in cod. ms Victor. 762, visum est & hìc ordine alphabetico edere, ut supra ubi de F. Ægidio de Aurelianis anno mcclxxii & lxxiii claro ex cod. Sorbon. egimus, tum ut usus sacræ facultatis illo seculo a paucis cognitus memoriæ servetur, tum quia horum quidam ab Alva qui hunc codicem vidit injuste carpuntur, quos tueri necesse, tum ne virorum illustrium nomina oblivione perpetua deleantur : licèt enim de quibusdam erit postea iterum agendum, plures tamen alibi non occurrunt.

I. F. Amandus de Sancto Quintino de quo postea ad 1301.

Hujus est sermo n. 45 dictus Dom. ante purificationem xxxi januar. mcclxxxiii. Pr. *Domine salva nos perimus. Verbum istud est verbum discipulorum Christi &c.*

II. F. Bernardus *Prædicator dispositor studentium.* Sic.

Hujus sunt Sermones n. 18. Dom. i in adventu xxix nov. mcclxxxii. Pr. *Surge & illuminare Jerusalem &c. Hæc verba possunt competenter convenire diei hodiernæ de adventu Christi &c.*

Item n. 160 die inventionis S. Crucis iii maii mcclxxxii. Pr. *Videbam & ecce arbor in medio terræ &c. Daniel. 4. Sapiens dicit, sapientia abscondita & thesaurus invisus quæ utilitas in utroque &c.*

III. F. Blesus (sic, f. *Blasius*) *Prædicator qui fuit prior S. Jacobi.* Hujus sunt quinque.

N. 23. Dom. iii in adventu Domini xiii dec. mcclxxxii. Pr. *Nolite ante tempus judicare &c. in epist. hodierna.* implet foll. tria.

N. 55. Dom. in quinquag. ante carnis privium xxviii febr. lxxxiii. Pr. *Si linguis hominum loquar &c.* foll. tria.

N. 89. Dom. ii post octavas S. Remigii xi[illegible] octob. mcclxxxi. *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris ? &c.*

N. 104. Dom. iii in adventu xiv dec. lxxxi. Pr. *Veniet Dñus & illuminabit abscondita tenebrarum &c.*

N. 128. Dom. ii in quadragesima xxii febr. mcclxxxiii. Pr. *Accedentes discipuli ejus rogabant eum dicentes &c. Historia est de muliere Chananæa &c.* Hoc evangelium tum & in Ecclesia Parif. & apud nos ea Dominica dicebatur.

IV. F. Guillelmus Scotus *Prædicator magister in theologia.* Hic in catalogo Salanhaci & Bernardi Guidonis inter magistros Parisienses non recensetur, quod eorum diligentiam plures effugisse præsertim extraneos & aliarum a Gallia nationum clarum est argumentum. Hujus sunt duo.

N. 96. Dom. xxiii post Trinitatem xviii nov. mcclxxxi. Pr. *Salvatorem expectamus Dominum &c. in epistola.*

N. 106. In die natalis Dñi. die jovis lxxxi. Pr. *Parvulus datus est nobis &c.*

Hunc Scotum eumdem suspicor cum eo quem Alva Sol. Verit. Rad. 311 col. 1064 carpit his verbis : *In quodam ms S. Victoris extra muros Parisienses n. 942 extant sermones sub nomine Guillelmi Cotti ordinis Prædicatorum. Quis autem fuerit, aut quando vixerit mihi ignotum est, quia solum in quadam margine prædicti libri dicitur*, a Fratre Guillelmo Cotto ordinis Prædicatorum regente in theologia, *ad illa verba* : Non est talis mulier super terram &c. *Et sermo iste in una parte habet*

habet titulum de conceptione, & in alia de sanctificatione, ac in utroque extant hæc verba: Exaltata est sancta Dei genitrix &c. Lineas 16 ejus sermonis refert Alva, tum addit: *Auctoritas ista satis ambigua & æquivoca videtur, quia pro pia sententia loquitur de conceptione, pro altera opinione de sanctificatione*, &c. apud ipsum legenda. Cùm ex quo Victorinos codices vidit Alva, mutati fuerint numeri, quo numero jam ille codex collocatus fuerit, cùm illos scrutari mihi licitum & otium fuit, absente bibliothecæ præfecto deprehendere non potui. Si *Cottus* mendose scriptum fuerit pro *Scotus*, idem erit ac Guillelmus hîc recensitus.

V. F. HUGO *Prædicator regens in theologia.* Eumdem censeo cum F. HUGONE DE BILIOMO S. T. M. Parisien. qui his annis in gymnasio Sanjacobeo docebat publice, & cardinalis postea assumtus est, de quo fusius ad 1297 agendum. Hujus sunt:

N. 41. Dom. III post epiphan. XXIV jan. MCCLXXXIII *etiam de S. Vincentio.* Pr. *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* foll. tria cum pag. seq.

N. 84. Dom. II post resurrectionem Dñi II maii LXXXIII. Pascha fuit XVIII april. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* foll. 4 & amplius.

VI. F. JOANNES AURELIANENSIS *Frater Prædicator quondam canonicus & cancellarius Parisiensis magister in theologia.* Sic ad quemque sermonum sequentium. De isto qui ne episcopatum Parisiensem admitteret, vestem ordinis induit in vigilia paschæ XII april. MCCLXXXI postea fusius ad 1306 agendum.

N. 24. Dom. IV in adventu Domini XX dec. MCCLXXXII. Pr. *Ego vox clamantis in deserto &c.* Tum enim hoc evangelium & Parif. & apud nos dicebatur. foll. tria cum pag. seq.

N. 58. Dom. I in quadrag. Scilicet ad brandones (sic) VII mart. MCCLXXXIII. Pr. *Ductus est Jesus a spiritu &c.* foll. sex.

N. 81. In die dedicationis alicujus ecclesiæ april. LXXXIII. Pr. *Dedicaverunt domum Dei rex &c.*

N. 102. Dom. II in adv. Dñi die Dominica I post festum B. Nicolai. (sic) VII dec. MCCLXXXI. Pr. *Respicite & levate capita vestra &c.* Tum hoc evangelium & Parif. & apud nos hac die dicebatur.

N. 133. Dom. IV media quadrag. VIII martii MCCLXXXII. Pr. *Cùm sublevasset oculos &c.*

N. 159. In inventione S. Crucis III maii LXXXII. Pr. *Qui me invenerit inveniet vitam &c.* Notatur duplicem sermonem habitum eo die, hunc & supra relatum a F. Bernardo.

VII. F. JOANNES DE SANCTO BENEDICTO *Frater Prædicator regens in theologia.* (sic) Vide postea ad 1286 ubi fusius de eo, vir enim fuit sua ætate illustris. Hujus sunt:

N. 6. in festo omnium sanctorum I nov. MCCLXXXII. Pr. *In charitate radicati & fundati &c.*

N. 62. Dom. III quadrag. XXI mart. MCCLXXXIII. Pr. *Eratis aliquando tenebræ nunc autem lux &c.*

N. 150 verso. Dom. III post resurrectionem XIX april. LXXXII. Pr. *Obsecro vos tanquam advenas & peregrinos &c.*

VIII. F. NICOLAUS *qui fuit prior Prædicatorum.* (sic) Hunc suspicor F. NICOLAUM DE GORRAN qui annis superioribus circa MCCLXXVI priorem Sanjacobeum egerat, ac de quo postea ad 1295 fusius. Hujus est:

N. 72. Dom. in ramis palmarum XI april. MCCLXXXIII. Pr. *Lætetur Israel in eo qui fecit eum &c.*

IX. F. SIMON DE VALLE vel DE TRECIS *Frater Prædicator*, (sic) de quo postea fusius ad 1283. Hujus sunt:

N. 105. Dom. IV in adventu & in festo Thomæ apostoli XXI dec. MCCLXXXI. Pr. *Venit Jesus januis clausis &c. Ista verba scribuntur in evangelio Joannis, & leguntur hodie de B. Thoma apostolo, cujus festum hodie celebratur &c.* & postea dicit hoc evangelium *convenire festivitati sancti secundùm historiam, diei autem dominicæ secundùm allegoriam &c.* Unde sequitur ea ætate de B. Thoma celebratum, quando in Dominicam incidebat.

N. 149. In octava paschæ, scilicet Dom. qua cantatur, *Quasimodo* (sic) V april. MCCLXXXII. Pr. *Gavisi sunt ergo discipuli.*

X. F. STEPHANUS DE BESENÇON (id est DE BISUNTIO) *Frater Prædicator*, de quo postea fusius ad 1292, fuit enim & S. T. M. Parif. & totius ordinis magister. Hujus sunt:

N. 3. Dom. III post festum B. Dionysii XXV octob. MCCLXXXII. Pr. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet &c.* foll. tria.

N. 22. In die S. Nicolai episcopi eodem anno. Pr. *Magnificate eum omnes &c.*

N. 30. In festo B. Joannis evangelistæ & apostoli eodem anno die Dominica. Pr. *Verbum caro factum est* &c.

N. 48. Mane concionem habuerat Dom. V post epiphaniam VII febr. MCCLXXXIII Magister Rinulphus episcopus Parisiensis magister in theologia (sic) super illa verba apostoli, *Pax Christi exultet in cordibus vestris.* In eadem die continuatio sermonis in collatione de eodem themate a F. Stephano de Besençon Fratre Prædicatore. Incipit ubi materia recontinuatur. (sic) *Sic ergo apostolus in his verbis nobis exultandi duplicem materiam administrat &c.* foll. duo.

N. 51. Dom. in Sexag. XXI febr. ejusdem anni a F. Stephano de Besençon prædicatore bono. (sic) Pr. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis &c.* foll. quinque cum pag. seq.

N. 68. Die Dom. media quadr. XXVIII martii ejusdem anni, a quodam prædicatore, qui prædicavit *Verbum caro factum est &c.* in die Joannis evangelistæ. (sic) foll. tria.

Præter laudatos plures sunt quorum nomen tacetur.

XI. F. PRÆDICATOR ANGLICUS *dispositor studentium.* F. GUILLELMUS DE HOTHUN vel ut scribunt vulgo DE ODONE Anglus his annis Parisiis agebat, nam de Quolibet respondit anno MCCLXXX, ut postea dicetur ad 1298. An ille?

N. 76. Die sancto paschæ XVIII april. MCCLXXXIII. Pr. *Jesum quæritis Nazarenum &c.* foll. 4.

XII. F. PRÆDICATOR FLAMINGUS. In catalogo magistrorum Parisien. apud Bernardum Guidonis laudatur F. GUILLELMUS FLAMINGUS vel *Flandrensis*, qui cum F. Amando de S. Quintino legebat sententias circa MCCC. An ille? Hujus sunt:

N. 73. Dom. in ramis palmarum XI april. MCCLXXXIII. Pr. *Dicite filiæ Sion &c.* foll. 5.

N. 74. Feria V in Cœna Dñi sequenti. Pr. *Cùm dixerint vobis filii vestri, quæ est ista religio &c.*

XIII. FRATER *quidam Prædicator legens sententias.* (sic.)

N. 144. Die sancto paschæ XXIX martii MCCLXXXII. Pr. *Florebit amigdalus &c.*

XIV. FRATER PRÆDICATOR *prior S. Jacobi regens in theologia.*

N. 13. Dom. II post festum omnium sanctorum XV nov. MCCLXXXII. Pr. *Filia mea modo defuncta est &c.*

N. 42. Die conversionis B. Pauli MCCLXXXIII. Pr. *Dñe quid me vis facere?*

N. 93. Dom. I post festum omnium sanctorum XXI post Trinit. II nov. MCCLXXXI. *State ergo succincti lumbos &c. ex epist. diei.*

SEC. XIII. XV. FRATER PRÆDICATOR *regens in theologia & principalis in ordine.* (sic) Quid sibi velit hic titulus, divinare non possum.

N. 63. Die annunciationis B. M. MCCLXXXIII. Pr. *Quid faciemus sorori nostræ in die qua alloquenda est &c.* Ad finem adjicitur hæc nota: *In hoc sermone penitus tota evangelii hodierni sententia continetur de virginitate, prudentia, & obedientia vel humilitate.*

Idem an alius Frater Prædicator *dispositor totius ordinis regens in theologia.* Nec hunc titulum divino.

N. 70. Dom. in passione IV april. MCCLXXXIII. Pr. *Christus assistens pontifex futurorum bonorum &c.* foll. 4. Sermo eruditus.

XVI. FRATER PRÆDICATOR *supprior,* (sic) haud dubie *Sanjacobeus.*

N. 10. Dom. I post festum omnium sanctorum VIII nov. MCCLXXXII. Pr. *Crescentes in scientia Dei &c. in epist. hodierna.*

N. 38. Dom. I post epiph. X jan. MCCLXXXIII. Pr. *Reformamini in novitate sensus vestri &c. ex epist.*

N. 50. Dom. in septuag. XIV feb. ejus anni. Pr. *Quid hic statis tota die otiosi.*

N. 127. Dom. I quadrag. vel ad brandones (sic) XV febr. MCCLXXXII. Pr. *Hortamur vos ne in vacuum &c.*

N. 150. Dom. II post resurrectionem Dñi, qua cantatur, *Misericordia Dñi.* (sic) Pr. *Christus passus est, vobis relinquens &c.*

Sunt præterea Anonymi plures, & horum quisque sermo indicatur habitus a quodam Fratre Prædicatore. Sic:

N. 14. Dom. III post festum omnium sanctorum scilicet in festo S. Cæciliæ Virg. XXII nov. MCCLXXXII *Mulier gratiosa inveniet gratiam &c.*

N. 35. Dom. post natale scilicet in octava B. Joann. Evang. III jan. MCCLXXXII. *Sic eum volo manere &c.* foll. tria.

N. 60. Dom. II quadrag. XIV martii MCCLXXXIII. Pr. *Egressus Jesus secessit in partes Tyri & Sidonis &c.* foll. tria.

N. 80. Dom. in octavis resurrectionis Dñi XXV april. LXXXIII. Pr. *Pax vobis* &c. fol. 4. Sermo notandus.

N. 82. In festo B. Petri martyris XXIX april. LXXXIII. Pr. *Vidi Angelum fortem prædicantem &c.* foll. 4.

N. 97. Dom. ult. post Trinit. XXIII nov. MCCLXXXI. Pr. *Confide filia, fides tua te salvam fecit, in evang. hod.*

N. 111. Die SS. Innocentium ejusd. anni. Pr. *Vidi supra montem Sion &c.*

N. 115. In octavis Innocentium MCCLXXXII. Erat Dominica. Pr. *Angelus Dñi apparuit in somnis Joseph &c.*

N. 132. Dom. III quadrag. I martii ejusd. anni. Pr. *Ut filii lucis ambulate &c.*

N. 139. Dom. in ramis pal. XXII martii ejus anni. Pr. *Benedictus qui venit in nomine Dñi.*

N. 155. Dom. IV post pascha XXVI april. ejus anni. Pr. *Vado ad eum qui misit me.*

N. 156. In festo S. Petri mart. Pr. *Esto vir fortis &c.*

Isti recensentur ex ordine Minorum.

F. Ægidius Bonusclericus habuit 7 & 61.

F. Droco de Pruvino regens in theologia minister ordinis, 4 & 26.

F. Guibertus qui fecit Summam (sic) 56.

F. Joannes Gallensis regens in theologia 77 & 83, 95.

F. Odo de Bueriis 15 & 71.

F. Ricardus 47, 69 & 98. Hic videtur *de Mediavilla* qui his annis Parisiis sententias legebat.

F. Terricus de Saulis 66.

Præter hos plures anonymi 8, 11, 12, 16, 25, 27, 29, 31, 32, 33, 34, 37, 40, 43, 53, 57, 59, 65, 78, 79, 85, 88, 92, 99, 101, 107, 108, 109, 112, 116, 123, 125, 130, 131, 136, 161, 162, 164, 166.

Ex aliis collegiis seu seculares seu regulares.

Adamus Picardus dictus *de la Vacherie*, 20, 117, 119.

Ademulphus præpositus S. Odomari (sic) canonicus B. M. Parisius, regens in theologia 21, & 46. Hic electus est episcopus Parisiensis, & ne cogeretur electionem admittere, Victorinus canonicus regularis effectus est & mortuus est anno MCCLXXXIX.

F. Albertus monachus Cluniacensis legens & regens in theologia 36, 49.

Archidiaconus Scotiæ regens in theologia 113.

Bertaldus de sancto Dionysio, 120.

Le Bestocier canonicus Ambianensis regens in theologia 39 & 141.

Girardus Remensis cantor Parisiensis regens in theologia 94, 124, 137 & 163 cognomen erat *Bruine.*

Godefridus Leodiensis 118. Hic videtur qui cognomen habebat *De Fontibus*, & his annis in sacra facultate clarebat, de quo supra ubi de S. Thoma sed & aliâs pluries.

Frater Gregorius prior de Valle-scholarium regens in theologia 52. Hic in historia domus S. Catharinæ de Valle-scholarium dicitur fuisse tertius prior, & mortuus additur ante MCCLXXXVIII.

Guillelmus de Moncy canonicus Parisiensis regens in theologia 24.

Henricus de Gandavo magister in theologia regens 17.

Frater Laurentius de ordine Fratrum de Valle-scholarium 64.

Nicolaus Normannus 100.

Renaldus Scotus 121.

Rinulphus episcopus Parisiensis magister in theologia 48.

Servatius de monte S. Eligii regens in theologia 5, 54, 75, 90, 129.

Quidam secularis regens in theologia 19, 44, 87, 91, 110, 135.

Quidam canonicus B. Mariæ Parisius regens in theologia 28, 126, 134.

Quidam monachus 9, 122.

Ut hujus codicis Victorini clarior habeatur notitia, sciendum binam in eo esse collectionem sermonum: prima est a Dominica XX post Trinitatem anni MCCLXXXII quo erat litt. Dom. D. aur. num. 10 pascha 29 mart. & Dom. illa XX fuit XI octob. & progreditur ad festum inventionis S. Crucis MCCLXXXIII quo litt. Dñic. C. aur. num. 11 pascha XVIII april. Posterior collectio quæ ejus oscitatione qui compegit, hunc ordinem sortita est, cùm primus ei deberetur, est a I Dom. post octavam B. Remigii, seu a XVIII post Trinit. XII octob. MCCLXXXI, quo litt. Dom. E. aur. num. 9. pascha fuerat XIII april. ad pentecosten anni sequentis MCCLXXXII scilicet ad XVII maii. Itaque sermones 85 priores sunt primæ collectionis, sequentes a 87 ad 166 sunt posterioris. Hoc verò ordine licèt præpostero referre fuit necesse, quia numeri foliorum non folia sed sermones sequuntur, adeo ut idem numerus in foliis repetatur, quot habet quisquis sermo.

F. LAURENTIUS GALLUS.

F. LAURENTIUS GALLUS omnibus quos viderim nomenclatoribus domesticis & extraneis ignotus, vir tamen fuit seculo XIII primi no- * 1282.

minis, pietate, doctrina & rerum agendarum peritia clarissimus, Philippo III audaci dicto Francorum regi S. Ludovici IX regis filio & hæredi fuit a sacris confessionibus, quod solum non exiguum est præclararum ejus dotum argumentum. Eum Petrus comes Alençonii alter S. Ludovici filius & Philippi III regis germanus inter testamenti sui curatores unum esse voluit: sic enim habent testamenti hujus tabulæ cum vita B. Ludovici IX dicti regis a D. de Joinville concinnata & a D. Ducange prælo data Paris. typis Mabrecramosianis 1668 fol. edita p. 185, ubi sic legitur: *Avecques ce nous nommons nos executeurs M. Pierre Challon doien de S. Martin de Tours, qui porte le Seel notre chier Seigneur le roi de France &c. F. Simon Duval de l'ordre des Freres Preecheurs*, & post quosdam alios, *Frere Lorens confessor notre tres chier Seigneur & Frere le roi de France, ou celui qui seroit son confessor en tans de notre mort &c. Actum anno* MCCLXXXII. Jussu autem dicti regis Philippi III tum jam scripserat Laurentius librum Gallice, in quo doctrina christiana clare admodum & eleganter pro ætate, sed & erudite explicatur: unde & eo seculo & duobus sequentibus nullus fuit præsertim in aula & apud magnates celebrior & communior, identidem pro ratione mutationis in lingua stylo mollitus. Innumeri sunt etiamnum in bibliothecis codd. MS, licet in plerisque suppresso auctoris nomine. Titulus

Livre des vices & des vertus, vulgo *La Somme le Roi*. Sic nempe dictus, quod ad instantiam regis compositus & editus. Extat antiquissimus codex ætatis auctoris apud Franciscanos Parisienses. Pr. *Ce sunt li x commandement nostre Seigneur, que chescuns doit bien garder. Li premiers comandemens que Deus commande est teis: Tu n'aurais mie divers Deus &c.* Ad calcem sic legitur eadem totius codicis manu: *Cest livre compila & perfit Freres Lorens de l'ordre des Prechours confesseres lou roi de France, a la requeste dou roi Philippe: liquel livre est de vices & des vertus, des VII dons dou S. Esperit, & des VII beneurteis, en l'an de l'incarnation nostre Seignour Jhesus Christ MCC soixante & dix & neuf. Deu graces.* Codex est memb. in 4.

In eo autem decem præcepta, Symbolum apostolorum, Oratio Dominica, septem peccatorum genera, varii usurarum modi ea ætate communes, septem dona Spiritus Sancti & septem beatitudines dilucide explicantur, & methodus rectæ confessionis erudita, clara & expedita traditur: adeo ut si ad stylum nostri seculi ab aliquo molliretur, nullus dubitem, quin eamdem quam aliâs apud omnes existimationem consequeretur.

Similis codex memb. in 4 est in Sorbon. n. 1040. Titulus: *Ci commence li livres Francois, qui est appellez li livres roiaux de vices & de vertus. Ce sont les x commandemens nostre Seigneur bailliis a Moise en la veille loi. Le premier commandemens que Dex commande, c'est cestuici.* Ad calcem sic legitur: *Cest livre compila & parfist un Frere de l'ordre des Preechaurs a la requeste le roi de France Phelipe en l'an de l'incarnation de nostre Seigneur Jhuchrist* MCCLXXIX. *Deo gratias. Ex legato M. Petri de Lemoviçis.* Quod indicat codicem ætatis auctoris, nam ut aliâs monitum, hic Petrus floruit a MCCLX ad MCCC circiter socius Sorbonicus.

In Genovef. codex est elegans memb. fol. par. n. M. 2 ætatis auctoris.

In Victor. plures 438 & 454 fol. par. memb. sec. XIII & XIV. Item 495 charta: hic scriptus anno MCCCCLXXIV stylo mollito & adjecta præfatione. Rursus 903 & 265 charta & sec. XV.

In Colbert. plures. 1965 fol. med. memb. scriptus anno MCCCCLXIV pro Isabella filia regis Scotiæ Britanniæ ducissa. Erratum est initio hujus codicis, ubi opus S. Thomæ de Aquino tribuitur. Finis ut in Sorbon. sed stylus mollitus. Sæc. XIII.

Item 2881 fol. mag. memb. sec. XIV vergentis. Finis ut supra in Sorbon. In isto stylus mollitus. A medio voluminis adjecta sunt quædam opuscula ascetica. I. *Cy aprez ensuit un petit livre qui traite & instruit des moralitez des philosophes.* Pr. *Talant & desir m'etoit pris que je racomptasse des enseignemens des philosophes, de celle clergie est appellee moralité.* II. *Le livret des sept degrez de Contemplation.* Pr. *Ascendam ad palmam &c.* Postea alia plura spirituali vitæ utilia.

Item 5358 fol. par. memb. sec. XIII. Ad hoc opus eodem codice sequitur aliud a fol. 159 ad 173. Initio imago est sodalem Prædicatorem exhibens genu dextro flexo librum regi sedenti offerentem & socium ad lævam habentem utrumque cum cappa tannei coloris, quod indicat antiquitatem codicis. Pr. *Nous avons parlé longuement dou vice d'orgeil & des branches qui en issent, & des ravisselles qui issent des branches &c.* Tractatus est de remediis septem vitiorum capitalium. Imago præfixa auctorem esse nostrum, vel ipsum Laurentium, vel saltem alterum Anonymum indicat.

Item 5372 papyr. in 4 sec. XV. A medio vol. sequuntur ascetica scilicet *Le doctrinal aux simples gens.* 2. *Le livre de la tribulation* eodem charactere ista.

Regia plures. 7283 memb. fol. med. vere regius imaginibus ubique collucens.

Item 7283. 2 fol. med. memb. scriptus anno MCCCXXVII. Ad calcem sic legitur: *Cest livre compila & fist & ordonna ung frere de l'ordre des Precheurs par membres de S. Jacques de Paris a la requeste du bon roy Philippe de France en l'an de l'incarnation nostre Seigneur mil deux cent soixante & dix sept.* Sequuntur alii tractatus fol. LXXII: *De la vie active & contemplative.* fol. XCII: *De la confession. Je dis ma coulpe a Dieu &c.* fol. CI: *Sermones.* I. *Des bonnes œuvres.* II. *Nemo accendit lucernam.* III. *Dicite filiæ Sion:* pro Dñicâ palmarum. Non nominatur auctor.

Item 7284, 7289 membr. fol. par. 7293, 7332, 7337, 7873. In his iidem fere tituli, modo *La Somme le Roi appellee des vices & vertus*, modo *le livre des vices & vertus*, modo *le livre des vertus & des vices par un Frere Prêcheur*, modo *le livre des commandemens de Dieu.*

In Bibl. Eccl. Paris. K. 39 codex fol. par. memb. *Le miroir du monde, autrement la Somme le roi parlant des vices & des vertus, dont la reine Isabelle de France a fait mettre un exemplaire a l'eglise des SS. Innocens pour son excellence.* Ex antiquitate codicis conjicio hanc Isabellam fuisse filiam Jacobi regis Aragoniæ & Philippi III audacis conjugem.

Apud Sanderum Elenchi codd. MS Belgii T. II p. 6 n. 205 & p. 9 n. 406 *Le livre de la Somme le Roi.* Idem opus videtur.

Recensetur etiam in catalogo Bibl. Cotton. in Anglia p. 136: *Cleopatra.* V. *Liber de religione virtutibus & vitiis compilatus a quodam Fratre ex ordine Prædicatorum, rogatu Philippi regis Franciæ anno* 1279. *Gallice.*

Variæ etiam nationes in suam linguam verti curarunt. De Itala vide scriptorem sequentem.

Catalana vel Narbonensi extat codex Colbert. 5526 papyr. in 4. Pr. *En nom de nostre Senyor Deus Jhu Christi comensa issi lo libre de vicis e de virtuto. Primierament los x menamens que Deus dona a Moyse. Aquest es lo primer*, &c. eadem. Finis: *Aquest*

Sec. XIII. *libre fou un ffrare del orde dels Preycadors a la requesta del rey Phelipe de Franssa en l'a de la incarnacion de nostre Senyor* MCCLXXVIIII.

In Regia codice 7694 est eadem lingua Catalana. Codicibus 7801 & 7802 lingua Hispana, codice 8176 lingua Belgica.

Prodiit etiam typis hic liber non quidem integer, sed quantum ad illam partem in qua agit de virtutibus & vitiis. Extat hæc editio Parif. in Regia D. 1184 hoc titulo : *La Somme des vices & vertus*. Pr. *Ce present livre intitulé la Somme des vices & des vertus a composé un venerable docteur de l'ordre des Precheurs a la requeste du roi Philippe de France. Notre Seigneur J. C. dit en l'evangile de S. Matthieu ou 7 chap. que tout bon arbre fait bon fruit &c.* Parif. Ant. Verard. Annus non additur in 4 fignat. duorum foll. ab a. ad r. Stylus ad ætatem mollitus. Verard. hic typographus florebat Parif. a 1480 ad 1504. Hanc editionem laudat etiam Beughemius p. 189.

F. ROGERIUS CALCAGNUS.

† 1282. F. Rogerius Calcagnus fic ab Ughello & Fontana dictus, a Pocciantio verò *Roggierus Calcagrinus*, Etrufcus patria Florentinus, & domus S. Mariæ Novellæ alumnus, feculo XIII claruit theologus eximius & facer orator facundus. Primum in Tufcia inquifitorem a Gregorio IX inftitutum aiunt, & exinde ab eodem Caftri in Etruria epifcopum promotum anno MCCXL, gravemque & antiquam ecclefiæ dictæ Caftrenfis cum monafterio S. Salvatoris de Monteamiato litem anno MCCXLIV confulte compofuiffe, cujus funt in archivo dicti monafterii vetera & certa documenta : tum exinde ad concilium generale Lugdunenfe primum fub Innocentio IV anno MCCXLV fe contuliffe. Sic Ughellus citatus, addens mortuum anno MCCLXXIV, cùm eo anno fucceffforem habuerit in fede Caftrenfi Angelum : Ughellum excipiunt Fontana in Prov. Rom. & Theatro, & Altamura ad 1274. Contra verò Pocciantius ait concilio Lugdunenfi fecundo anno MCCLXXIV etiam affuiffe, nec mortuum nifi anno MCCXC Aretii ibidemque fepultum. Ambos conciliare forfan haud difficile effet, dicendo Rogerium anno MCCLXXIV Ecclefiam Caftrenfem abdicaffe, ac Aretium fe recepiffe, ubi anno tantùm MCCXC diem obierit fuum : nam ex opere fequenti anno MCCLXXX adhuc in vivis fuiffe conftat. Scilicet F. Laurentii Galli fuperius laudati Summam Regiam feu librum de virtutibus & vitiis e lingua Gallica in Italicam vertere aggreffus eft, idque non potuit ante MCCLXXX, cùm illum non ediderit Laurentius nifi anno MCCLXXIX. Verfionem enim in patrium fermonem non ipfum opus fufcepiffe fatetur ipfe Pocciantius, qui tamen fallitur, cùm vult id a Roggierio defideraffe Philippum Francorum regem, cùm fimul aftarent in concilio Lugdunenfi II. Allucinationis caufa hæc fuit, quod in codice quem ad fuas manus veniffe ait, etiam Roggierius Italice verterit claufulam fupra relatam, quæ in omnibus codd. MS Gallicis legitur hoc opus ad inftantiam Philippi regis a quodam ordinis Prædicatorum fodali editum, & quod de auctore Laurentio fcilicet regis confeffario dicitur, id ceu de interprete Etrufco dictum accepit. Ejus verfionis Etrufcæ extat exemplum Parif. in Regia cod. MS 7706 fol. par. chart. Sic incipit

Lo primo commandamento que Iddio commandò si è questo, che tu non adori diversi Iddii &c. Finis : *In questo libro sono i diexe commandamenti, e i XII articolli come si debeno oservare particolarmente. E da poi questi seguisse i setti peccati mortali, e questi dechiara in quanti modi si cometteno : e da poi soggiunge i sette doni del Spirito Sancto, e come i se receveno, i quali sono a ripecto de i VII peccati mortali.*

Hujus fcriptoris meminit Rovetta ad 1289, & adverfus Fontanam contendit non Florentinum nec de Calcagnis fed Ferrarienfem ex ftirpe Marchionum de Calcagninis fuiffe : fed documenta vetera id aftruentia nulla affert. Cæterùm res eft exigui momenti. Poffevinus hic emendandus, qui titulum operis fic ex fuo concinnavit, *Eversio vitiorum & consequutio virtutum*, delufus haud dubie quod apud Pocciantium legerit, *Eversio de vitiis & virtutibus*, in quo titulo cùm nullum videret fenfum, immutandum cenfuit. Sed erratum effe typorum manifeftum eft & legendum *Versio de vitiis & virtutibus*, id eft *Versio libri Gallici de vitiis & virtutibus in patrium seu Etruscum sermonem* : quod ex hactenus dictis & de Rogerio interprete & de Laurentio Gallo auctore luce clarius eft.

F. AUGUSTINUS DACUS.

F. Augustinus Dacus, quo agnomine compellantur fere omnes feu Dani feu Sveci feu etiam Norvegi ftylo ordinis antiquo, vir fuit fec. XIII religione, doctrina prudentiaque confpicuus : unde & provinciam Daciæ dictam, quæ tres illas gentes complectebatur, domorum & fodalium numero clariffimam, bis & univerfim XXII annis rexit fumma omnium approbatione. Prima vice ad illud munus electus circa MCCLIV, functus eft ad MCCLXVI quo in comitiis ordinis Treviris habitis remotus & ut aiunt abfolutus fuit. Altera verò vice ad idem munus affumtus anno MCCLXXII, in officio perfeveravit ad obitum ufque anno MCCLXXXII. Sic enim ferunt acta capit. gener. & fpeciatim habent Salanhacus & Bernardus Guidonis. Ejus etiam mentio eft in actis B. Chriftinæ Stumbelenfis a F. Petro Daco fcriptis, in epiftola ad eam virginem data, qua eam dictus Petrus de fui provincialis Auguftini affectu certiorem facit, addens quam benigne annuerit, ut ejus germanus in numerum Fratrum converforum admitteretur : quod & miraculo fere tribuit, quia hi nonnifi ægre, & ubi maxima urgebat neceffitas, recipiebantur. Videfis Acta SS. junii T. IV p. 324 n. 4 & p. 422 n. 40 & 43. Sic verò de eo Laurentius Pignon n. 99 : *F. Augustinus provincialis Daciæ scripsit* * 1282.

Libellum pro informatione prædicatorum, quem pugillarem rotulum nuncupavit.

Quod opus haud dubie viderit Laurentius & fortè nunc jacet in angulo bibliothecarum Sveciæ aut Daniæ neglectum.

F. CONRADUS.

F. Conradus quidam nofter laudatur a Poffevino Appar. pag. 381, & dicitur fub nomine *Peregrini* fcripfiffe ac reliquiffe * 1282.

Sermones ad populum.

Poffevinum excipiunt Fernandez inter Germanos, & Altamura ad 1290 in Append. Leandrum omnes teftem appellantes, apud quem nullibi hic Conradus mihi occurrit, fed folus *Peregrinus Tolosanus* fol. 138. b cui nulla afcribit opera. Itaque penes illos fides, quæ mihi non parum nutat.

F. GUILLELMUS DE MOERBEKA.

F. Guillelmus de Moerbeka five *Morbeka* fic dictus a loco natali, quod oppidulum eft vernacule jam *Meerbeke* Ninive Flandrorum vulgo *Ninove* tribus milliariis circiter diffitum in Brabantiæ & Flandriæ confiniis, ficque ex * 1282.

legibus eo seculo in ordine servatis domus Lovaniensis provinciæque Teutoniæ alumnus fuit, hincque a quibusdam Brabantinus nuncupatus: Corinthiensis etiam apud quosdam audit, quod ad sedem illam fuerit aliquando promotus. Ut autem vir erat pietate, religione doctrinaque insignis, sed & zelo animarum ac domus Dei æstuans, linguas quæ ad id maxime conducunt impense coluit, ac præter Latinam, Græcam & Arabicam familiares sibi fecit. Cùmque in Græciam plures tum fere quotannis ex singulis provinciis a capitulo generali mitterentur sodales graves & voluntarii, ex iis Guillelmum unum fuisse, ea quam sibi comparavit Græce loquendi facilitas persuadet. Quo si se contulerat ante MCCLXVIII ut conjicere est, eo saltem anno in Italiam remearat, nam eum apud Clementem IV Viterbii reperio tum agentem & ejus summi pontificis capellanum ut aiunt, & pœnitentiarium ascitum, quo munere functus est etiam postea sub Gregorio X. Circa id temporis suum ei de perspectiva librum nuncupavit Witelo Polonus, cujus epistolæ quod Guillelmi nostri dotes & studia ingenue narret, particulas aliquot non piget hîc referre. Sic ergo ille: » Veritatis amatori Fratri Wilhelmo de Morbeka, Witelo filius Turingorum & Polonorum æternæ lucis irrefracto mentis radio felicem intuitum, & intellectum perspicuum subscriptorum. Universalium entium studiosus amor te vinctum detinens, me tibi ut idem appetentem sic conjunxit, ut voluntas tua mihi sit imperium, voluntas quoque tua me arceat ab affectibus tibi displicentium passionum. Quia ergo tibi ut totius entis sedulo scrutatori, dum ens intelligibile a primis suis prodiens principiis entibus individuis sensibilibus per modum causæ astu mentis conjungeres, & singulorum causas singulas indagares, occurrit divinarum virtutum influentiam inferioribus rebus corporalibus per virtutes corporales superiores modo mirabili fieri &c. Cùm itaque tui solertis diligentia ingenii secundùm hujusmodi cœlestium influentiarum divinam virtutem respectu rerum capacium mutari prospiceret, & non solùm secundùm virtutes agentes, sed secundùm diversitatem modi actionis vel actas diversificari videret, placuit tibi in illius rei occultæ indagine versari, ejusque diligenti inquisitioni studiosam animam applicare. Libros itaque veterum tibi super hoc negotio perquirenti occurrit tædium verbositatis Arabicæ, implicationis Græcæ, paucitas quoque exarationis Latinæ: præsertim quia commissum tibi officium pœnitentiariæ Romanæ Ecclesiæ, cujus curæ partem geris, credens plus intellectu practico quàm speculativo pœnitentibus succurrere, quam ipsorum hominum ignorantias relevare: meque putans vacare otio, sub amoris nexu quo tibi conjungor, voluisti constringere, ut hoc laboris tibi placiti onus subirem, hisque materiis mihi nondum cognitis applicarem. At ego qui cunctis jussionibus tuis obtemperare desidero, velle tuum suscipiens pro mandato, majoris negotii quod de ordine entium olim conscribendum susceperam, capitulum in tempus semovi, præsentisque operis dispendium pro meæ possibilitatis viribus, quibus hoc impar fateor adii conscribendum &c«. Sic legebam cod. Victor. 813 fol. mag. memb. & ejus ætatis: & similes etiam extant passim in bibliothecis MS Galliæ, Italiæ, Belgii, Angliæ &c. & typis etiam prodiit opus Norimbergæ, Joan. Petreii, 1535. Ex his autem discimus Guillelmum multum in philosophicis rebusque naturalibus ac metaphysicis meditandis desudasse, ea de causa Græcos, Arabes, Latinos evolvisse, quorum proinde linguam nosset, cum eruditis suæ ætatis qualis erat Witelo maximam studiorum contraxisse necessitudinem, ab illisque plurimi habitum: tum verò iis studiis sepositis, pœnitentiariæ Romanæ muniis adimplendis totum incubuisse.

Anno MCCLXXIV Gregorio X Lugdunum concilii celebrandi gratia progresso, Guillelmus summo pontifici individuus astitit, ac suum sedulo præstitit ministerium, nec parum in ea synodo Ecclesiæ servivit, pro ea qua pollebat linguæ Græcæ peritia. Hæc solùm ex actis referre placet: *Eodem anno* MCCLXXIV *mense junii die* XXVIII *in vigilia apostolorum Petri & Pauli D. papa celebravit missam in majori ecclesia S. Joannis Lugdunensis existentibus ibidem omnibus cardinalibus & prelatis, qui ad concilium fuerant evocati: lecta est epistola in Latino & Græco, & cantatum est evangelium per D. Othobonum in Latino, & quemdam diaconum Græcorum in habitu in quo Græci solent cantare, in Græco post eum. Quibus dictis F. Bonaventura fecit sermonem suum usque in finem. Postea verò cantatum est symbolum, scilicet Credo in unum Deum in Latino, incipientibus DD. cardinalibus & episcopis, qui sicut cantores seu primicerii tenuerunt chorum in cantu, & prosequentibus canonicis ejusdem ecclesiæ. Post hoc verò immediate prædictus patriarcha* (Gregorius) *cum omnibus Græcis archiepiscopis de Calabria & Frater W. de Morbecca de ordine Fratrum Prædicatorum & F. Joannes de Constantinopoli de ordine FF. Minorum pœnitentiarii D. papæ, qui linguam Græcam noverant, cantaverunt solemniter & alta voce prædictum symbolum: & quando ventum est ad articulum illum,* Qui ex Patre Filioque procedit, *solemniter & devote ter cantaverunt.* Videsis Acta concil. gen. T. XI col. 958. Ad infulas exinde promotus est Guillelmus, vel ab Innocentio V, vel saltem a Joanne XXI, nam ea in dignitate constitutum reperio jam anno MCCLXXVII, quo XI kal. nov. dicitur archiepiscopus Corinthius, tum adhuc Viterbii agens: anno verò sequenti CCLXXVIII idus apr. V, ut habet Bzovius ad hunc annum n. 33 a Nicolao III per manus Jacobi cardinalis S. Mariæ in Cosmedin pallium ei concessum. De quo sic Bernardus Guidonis inter prælatos: *F. Guillelmus de Morbecha fuit archiepiscopus Corinthi.* Sponsam suam quamprimum invisere non tardavit, & apud eam commorantem lego annis MCCLXXX & LXXXI, ipsique ornandæ, & schismaticis ad concordiam reducendis incumbentem, ac per otium libris e Græco Latine vertendis applicitum. Quamdiu postea vixerit, & ubi quove die & anno obierit, nullus refert, licèt quoad locum Corinthi satis cessisse conjiciam, nec ad MCCC pervenisse credam. Successorem habuit immediatum sodalem F. Matthæum *de Osenio* (sic enim nomen ejus legitur apud Bernardum Guidonis,) non *de Costino* vel *de Constino*, ut corrupte habent S. Antoninus, Leander Albertus fol. 104. b, Fontana in Theatro & alii: qui Matthæus ad finem sec. XIII collocandus fuit non ad 1360 cum Lusitano relegandus: ut nec Guillelmus noster in duos a Fontana dividendus, Gallum unum ad 1278, alterum *de Moreca* corrupte dictum & ad 1340 aut 1310 prorogatum, qui unus & idem est Guillelmus de Morbeka Frabantus hactenus laudatus. De eo præter citatos agunt Pius, Fernandez, Altamura ad 1303: extranei verò Christianus Massæus in chronicis, Joannes Aventinus in Annal. Boiorum, Simlerus, Possevinus, Valerius Andreas Bibl. Belg. Swertius Athen. Belg. Colvenerius in vita Thomæ Cantimpratani, Labbeus in Differt. ad Bellarminum ubi de Thoma Cantimprat. Sanderus de scriptoribus Flandriæ p. 34, Lambecius Bibl. Cæsar. T. 1 p. 147, omnes minus accurate, & plures allucinati, quos ex supradictis certissimis corrigas, nam singula eo-

Sæc. XIII. rum errata hîc referre & emendare longioris esset negotii aut etiam tædiosi. Caveſis præſertim ab eorum pluribus, qui Thomam Cantimpratanum cum hoc Guillelmo confundunt, cùm omnino diverſi ſint homines, licèt fere æquales, & ejuſdem Alberti Magni Coloniæ auditores, Thomas ſenior & citius, Guilielmus junior & ſerius. Hæc iſtius feruntur opera.

I. *Libri omnes Ariſtotelis e Græco Latine verſi* inſtante Sancto, ſed tum F. Thoma de Aquino. Id ex codd. MS ejus ætatis probandum eſſet, quod difficile, quis enim bibliothecas omnes ſcrutari poteſt etiamſi otium eſſet: aliquos tamen prodo, quos hujus novæ tranſlationis facile credas, cùm ea uſus ſit S. Thomas.

Pariſ. in Navarr. codex eſt MS memb. melioris notæ in 4, ſcilicet *Libri Ethicorum decem*. Foliolum primum avulſum. Ad calcem ſic legitur: *Explicit liber Ethicorum nova tranſlationis Ariſtotelis Stagyritæ. Actum anno Dñi mill. cc octuageſimo primo in feſto S. Mauri.* Sic nempe veteri ſtylo, novo MCCLXXXII. Quod tamen de anno quo volumen hoc ſcriptum eſt intelligas, nam cùm ea tranſlatione uſus ſit S. Thomas, jam ante MCCLXII erat edita.

Extat ſimilis codex, ſed fol. mag. memb. apud Auguſtinianos ad Pontem novum, & dicitur *de nova tranſlatione*.

II. In Sorbon. codex eſt fol. par. memb. n. 767. Titulus litteris minio cyaneoque alternatim diſtinctis hic eſt: *Iſtud eſt commentum Simplicii ſuper prædicamenta*. Pr. *Hic incipit commentum Simplicii ſuper librum Prædicamentorum. Multi multas adhibuerunt ſolicitudines in librum Prædicamentorum Ariſtotelis, non ſolum quia proœmium eſt totius logicæ &c.* Eſt etiam ejuſdem commentum ſuper poſtprædicamenta.

Ad calcem: *Explicit commentum editum ſuper librum Prædicamentorum a magiſtro Simplicio, qui fuit diſcipulus Ariſtotelis. In exemplari Græco in præcedenti capitulo de motu, ſtabant quædam pertinentia ad ultimum capitulum de* Habere, *quæ non erant ſignata ubi debebant intrare & non erant continua, & plena erant ſpatiis non ſcriptis & corrupta erant, & propterea non tranſtuli, erant autem quaſi ad quantitatem columnæ hujus. Sciat etiam qui hoc opus inſpexerit, exemplar Græcum valde fuiſſe corruptum, & in multis locis nullum ſubjectum potui ex littera trahere: feci tamen quod potui, melius erat ſic corruptum habere quam nihil. Tranſlatum anno Dñi* MCCLXVI *menſe martii per Fratrem* . . . . Nomen deeſt aut omiſſum aut eraſum, ſed ſaltem hinc conſtat interpretem fuiſſe regularem, cur autem eſſe noſtrum Morbexanum conjiciam patebit ex ſequentibus. Eodem codice ſequitur *Ammonius in Perihermenias*. Pr. *Multum quidem inter ſapientes*. Non indicatur interpres, forſan idem fuerit. Codex eſt ex legato Jacobi de Padua in artium, medicinæ & theologiæ facultatibus profeſſoris.

Codex eſt alius in eadem Sorbon. fol. mag. memb. n. 1 p. 802. Titulus: *In hoc volumine continetur tota logica Ariſtotelis vetus & nova præter libros Boëtii cum prologo Simplicii ſupra prædicamenta*. Hæc Simplicii tranſlatio eadem eſt quæ in ſuperiori codice.

III. *Simplicii commentum in libros Ariſtotelis de cælo & mundo ex tranſlatione F. Guillelmi de Moerbeka*. Extabat in Bodeloenſi monaſterio juxta Gandavum Bunderio teſte. Hanc tranſlationem Simlerus typis prodiiſſe ait Venetiis 1540, ſed agnomen ille corrupte ſcribit (Morbeto) pro Morbexa. Lambecius lib. 3 Bibl. Cæſar. p. 326 ex Jo. Jac. Friſio in Bibl. Univ. pluries editam poſtea aſſerit 1544, 1555 & 1563 fol.

IV. *Procli Diadochi Tyrii Platonici philoſophi elementatio theologica*. Pr. *Omnis multitudo participat aliqualiter uno &c.* Finis: *Explicit capitulum* CCXI. *Completa fuit tranſlatio hujus operis Viterbii a Fratre G. de Morbecca ordinis Fratrum Prædicatorum* XV *kal. junii Anno Dñi mill. cc ſexageſimo octavo. Unitas eſt indiviſionis ratio, principium multitudinis, & ejus in ipſam reductionis.* Sic habet codex Sorbonicus n. 800, in quo hic tractatus ordine quartus, codex verò ex legato dicti Jacobi de Padua. Eadem verſio ſub Moërbecani nomine extat in Victor. cod.

Recenſetur etiam in catal. codd. MS Angliæ T. I P. III in domo S. Petri cod. 1678, & legitur in fine: *Completa fuit tranſlatio hujus operis a F. Guillelmo de Morbeka ord. FF. Prædic.* XV *junii anno* MCCLXVIII: ubi mendum XV *junii* pro XV *kal. junii* ut in Sorbon. Similis codex erat aliâs apud noſtros Gandavenſes viſus & recenſitus a Bunderio. Extat & in Cæſar. cod. memb. fol. 164 inter theol. Latin. & Lambecius lib. 1 p. 147 editurum ſe promittebat unâ cum codicum Græcorum variis lectionibus in ſupplemento quod parabat philoſophiæ Platonicæ.

Cæterùm cùm S. Thomas in ſuo ſuper hunc tractatum commentario illum teſtetur ex Arabico verſum, nec textum Græcum ſua ætate adhuc viſum, hinc Arabice peritum Morbexanum ſupra arguebam, nam hujus verſione uſus eſt ſanctus Doctor.

V. *Tractatus Galeni de alimentis*. Pr. *Incipit liber Galieni de alimentis continens libros tres.* Cap. proœmiale: *Viro provido & diſcreto magiſtro Roſello de Aretio medico præcipuo, Fr. W. de Morbecha ord. Prædic. bene valere & ſemper optime agere. In his quæ per me ex Græco transferuntur operibus, hac intendere conſuevi, ut Latinitati luminis aliquid adjiciat labor meus, quem finem ſi in hoc opere attigi, illi gratias habeo agere, qui dedit & conſummare. Si autem ſuperfluus judicetur labor eſſe, excuſet me veſtra inſtantia, qui cum quanto affectu id exegeris tu ipſe noſti.* Ad calcem: *Explicit liber Galeni de virtutibus alimentorum tranſlatus e Græco in Latinum a D. F. Guillelmo de Morbeka ord. Prædic. archiepiſcopo Corinthienſi, abſolutus Viterbii* MCCLXXVII *menſe octobris* XI *kal. novemb.* Extat in Colbert. cod. 55 fol. mag. memb. a fol. 92 ad 116.

VI. *Liber Hippocratis de prognoſticationibus ægritudinum ſecundùm motum Lunæ traductus a Dño Fr. Guglielmo de Morbacha Corinthino* (ſuppl. *archiepiſcopo*) *ordinis Prædic.* Pr. *Sapientiſſimus & omnium medicorum peritiſſimus Hippocrates ait &c.* Extat in Colbert. cod. 1705 fol. med. charta. a p. 78 ad 84.

VII. *Procli Diadochi de decem dubitationibus circa providentiam. Plato quidem magnus in decimo legum, adamantinis ut dicere eſt ſermonibus nos coegit confiteri de providentia tanquam exiſtente &c.* Finis: *Propter bonum noſtrum enim providentia & Deorum eſt, & eorum quæ poſt Deos omnium, ut & res manifeſtant, & quæ hîc explicuit Plato, ut diximus inchoantes hunc ſermonem. Explicit. Expleta fuit tranſlatio hujus libri Corinthi a Fratre Guillelmo de Morbeka archiepiſcopo Corinthienſi A. D.* MCCLXXX, die IIII *februarii*, quod intelligas veteri ſtylo, novo LXXXI, ſicque in ſeqq.

Ejuſdem Procli de providentia & fato & eo quod in nobis ad Theodorum mechanicum. Conceptus quidem tuæ animæ o amice Theodore, maturos eſſe puto, & congruos viro amanti entia ſpeculari &c. Ad finem: *Expleta fuit tranſlatio hujus Corinthi* XIV *die menſis februar. A. D.* MCCLXXX.

Ejuſdem Procli de malorum ſubſiſtentia. Pr. . . . . *naturam quæ ſit, & utrum habet*

generationem quæsiverunt quidam &c. Finis : *Expleta fuit translatio hujus Corinthi a Fratre Guillelmo de Merboka archiepiscopo Corinthiensi .... die febr. A. D.* MCCLXXX.

Extant tria hæc opuscula apud Augustin. ad pontem novum cod. fol. med. memb. cum libris Augustini de Trinitate ad calcem ligata.

VIII. *Tractatus de arte & scientia Geomantiæ.* Extabat aliàs in Sorbon. Sic enim legebam in antiquo catalogo MS memb. Ind. 3 Bancha B. Vol. A. *Geomantia Fratris G. de Marbeco* (pro *Morbeca*) *pœnitentiarii papæ.* Prologus : *Hoc opus scientia.* Esse etiam in Cæsar. docet Lambecius lib. 3 Addit. 7 ad lib. 1 pag 147 hoc titulo : *Hic incipit liber, qui est editus a F. Guillermo de Morbeta* (C in T pro *Morbeca*) *pœnitentiario D. papæ : & incipit prologus in artem Geomantiæ, quo incontinenti sequitur.*

Gallice versus aut ab auctore aut ejus jussu extat in Colbert. cod. 6446 in 8 chartac. foll. 123. Post quædam præludia ad artem necessaria, sic incipit fol. 9. a. *Cy commence pleine & parfaite traduite par F. Guille de Morbeca, laquelle il a commandée par secret a Maistre son neveu. Prologue de l'auchteur. Je vois* (id est *je vai*) *commencer cette euvre de la sience de Geomantie &c.*

F. GILIBERTUS DE OVIS.

† 1283. F. GILIBERTUS DE OVIS vulgari Belgico *Van Eyen* Flander patria & professione Gandavensis provinciæ Franciæ, studiis Parisiis in gymnasio Sanjacoboeo peractis sic emicuit inter sodales, ut magisterii lauream in sacra facultate ibidem obtinuerit. Inter magistros recensetur decimus nonus in catalogo Salanhaci, & ante MCCLXIX licentiatum fuisse & rude donatum constat, cùm eo anno in comitiis ordinis Lutetiæ celebratis, inter septem theologiæ magistros ex ordine Parisienses, quorum S. Thomas de Aquino fuit primus, F. Gilibertus septimus numeretur, qui de quæstionibus pluribus circa silentium & accusationes censuram suam quilibet tulere, ut legitur in cod. Victor. 635, in quo illæ quæstiones referuntur, quæ & videri possunt typis editæ inter opuscula S. Thomæ in editione a nostro Petro Pelican curata. Paulo post in patriam reversus ibidem tandem obiit anno MCCLXXXIII ex tabulis domus nostræ Gandavensis a Guillelmo Seguier Laur. Belg. T. II p. 151 & Ghilberto de la Haye Bibl. Belgo Domin. citatis, quos tamen supra narrata latuerunt. De eo inter scriptores nostros silent Lusitanus, Pius, Fernandez & Altamura, imo & Valerius Andreas in Bibl. Belg. at meminere Swertius in Athen. Belg. & Sanderus de Gandavensibus eruditione claris T. I virum uti eximia vitæ sanctimonia, sic & excellenti doctrina conspicuum præstantes. His verò omnibus antiquior Laurentius Pignon circa MCCCC scribens laudat in suo scriptorum ordinis catalogo n. 28, ubi sic habet : *F. Guilbertus de Ovis de Conventu Gandavensi in Flandria scripsit*

Super evangelia & super epistolas Pauli quamplures postillas, quæ habentur in libraria communi conventus prædicti.

Swertius & Sanderus numerant solùm *commentaria in Matthæum & Lucam, & in Apocalypsin.* Pignon tamen Burgundus & duci Burgundiæ a confessionibus Gandavum non semel aut bis iverat. Ut ut sit hæc opera cum pluribus aliis MS furore Calvinianorum domum nostram Gandavensem sec. XVI vastantium flammis absumta periere.

F. BROCARDUS.

† 1283. F. BROCARDUS aliis *Borchardus* vel *Burchardus* aut etiam *Burgardus*, sic enim varie a variis nomen ejus scribitur, quæ diversitas in diversam nationum pronunciandi rationem refundenda, seculo XIII claruit, vir itineribus ad Orientales regiones in Palæstinam præsertim illustris. Hanc ultimam quam decennium lustraverat describere aggressus est, cujus operis tum codices MS plures, tum editiones variæ prius afferendæ sunt, ex quibus quid de auctore pensitandum certius eruetur.

CODICES MS.

Primus & cujus singularem agente Clar. D. Grabbe notitiam accepi, extat Oxoniæ in Anglia in gymnasio Mar. Magdalenæ n. 43. Titulus :

Ad honorem Salvatoris mundi incipit liber de Terra Sancta editus a Fratre Brochardo Theotonico ordinis Fratrum Prædicatorum. Prologus : *Cùm in veteribus historiis legamus, sicut dicit beatus Hieronymus, quosdam lustrasse provincias, maria transisse, ut ea quæ ex libris noverant coram posita viderent &c.* Idem post exordium prologi de se sic loquitur : *Ego Frater Brochardus ordinis Prædicatorum videns quamplures fideles &c.* Finis prologi : *In singulis divisionibus posui civitates & loca in scripturis magis nota, ut singulorum locorum situs & dispositio posset de facili reperiri, ad quam partem mundi esset collocata.*

Incipit divisio Terræ Sanctæ per loca & provincias.

» Sciendum tamen est in principio quod terra « ista quam sanctam dicimus, quæ cecidit in sortem « XII tribubus Israel, dicebatur regnum Juda, quæ « erat duarum tribuum Judæ & Benjamin &c. «

Finis opellæ in hoc codice : » Multum devoti « sunt in ecclesia (Armeni,) clerici & laici. Nihil « ibi faciunt nisi quod aut orant aut legunt & cætera quæ decore facere possunt. Nunquam videbis in Ecclesia dissolvi aliquem vel ridere nec « clericum nec laicum, sive Græcus sit, sive alterius cujuscumque nationis. Officium missæ devotissimum est apud eos. Calix ad sinistram altaris « est in muro ad hoc facto : quem ad offertorium « diaconus cum panno serico pretioso valde reverenter levat super caput suum, præcedente eum « subdiacono cum thuribulo & duobus acolythis « cum cereis & incedentibus retrorsum, gyrant altare retro ad dextram altaris : & tunc suscipit eum episcopus reverenter, & offert eum sicut nostri faciunt sacerdotes infra canonem. Nota. Retro sacerdotem stant duo cum cereis accensis, & juxta eos duo cum thuribulis induti albis. « Duo verò diaconi stant in lateribus a dextris & a « sinistris complosis manibus devote adorantes, versis vultibus ad corpus Domini, quasi duo Cherubim respicientes versis vultibus in propitiatorium, « & cantant melodiam quamdam valde devotam « & dulcissimam, sibi altrinsecus respondentes. Istud « absque dubio videre & audire devotissimum est «. Et hæc de his dicta sufficiant.

Explicit libellus editus a Fratre Brochardo ordinis Prædicatorum de discretione & terminatione Terræ Sanctæ, quam ipse totam perambulavit & vidit & diu stetit, quem scripsit in Heremo .... Symon Heremita reclusus ob amorem illius, qui in Terra Sancta mortuus est pro nobis.

Alter codex in fol. chartaceus in sacris Bibliothecarum arcanis indicatus pag. 46 extat in Bibl. Basileen. cujus hanc ab erudito viro D. Isselin ibidem commorante notitiam accepi. Titulus :

Liber de dispositione Terræ Sanctæ, civitatis Jerusalem, & aliorum locorum editus per quemdam

Sæc. XIII. *qui oculis suis vidit.* Pr. *Cùm in veteribus historiis*, &c. eadem ut in cod. Oxon. mox cit. Ad finem post supra relata de sacris Armenorum subjicitur: » Et post dies aliquos inde navigans per littus Palæstinæ sive Philistiim pertransivi, Caypham, » montem Carmeli, totam Cæsaream Palæstinæ, » Antipatridam, Joppen, Jamniam, Accaron, Azotum, Ascalonem, Gazam, desertum totum arenosum, usque ad ostia Nili fluminis: inde veni » Damiatam, quæ antiquitus Memphis dicitur. Hæc » est terra Jesse, in qua olim filii Israel morabantur Pharaoni in luto & latere servientes, in hac » etiam postea lapidatus est Jeremias «. Nec quid amplius. Licèt autem in isto codice desit nomen auctoris, cùm cætera sit opus idem totidem verbis ut in cod. Anglico & Brochardo nostro merito asserendum est.

Tertius codex laudatur Florentiæ in Medicea Plut. LXXVI n. 30 fol. membr. ac sec. XIV. Titulus: *Libellus editus a F. Brochardo theologo ordinis Prædicatorum de discretione & terminatione Terræ Sanctæ, quam ipse totam perambulavit & vidit & diu ibi stetit.* Pr. *Cùm in veteribus historiis &c.* Finis: *Et hæc de his.* Idem ac Anglicus.

Fortè & alibi plures alii habentur neglecti: sed præcipuus ille est in quem feliciter incidit noster Chrysostomus Javellus Casalensis: in eo enim non tantùm omnia totidem verbis quæ in tribus jam laudatis exemplis, sed & tria amplius capita, in quibus *compendiosa descriptio Ægypti*: hoc autem exemplum idem Chrysostomus prius a se stylo aliquantisper innovatum & mollitum & scripturæ sacræ locis passim auctum, nostro Joanni Host de Romberch Kyrspensi Westphalo sive Isthævoni dedit ut prælo edendum curaret, quod & hic diligenter fecit, de qua editione jam nobis agendum.

EDITIONES VARIÆ.

Prima itaque & magis genuina ea est quam curavit dictus Kyrspensis hoc titulo: *Veridica Terræ-sanctæ regionumque finitimarum, ac in eis mirabilium descriptio, nusquam antehac impressa*, Venetiis, Joan. Tacuini de Tridino 1519 april. 4 in 8. par. signat. A. ad M. Ad finem: *Liber descriptionis Terræ-sanctæ eidemque adjacentium regionum editus ab eruditissimo & devotissimo patre ordinis Prædicatorum professore Borchardo Alimano explicit.* Quid uterque Javellus & Kyrspensis in hac editione præstiterit, initio docet. Kyrspensis F. Eberhardo de Clivis in Theutonia nostrorum priori provinciali nuncupat, & sub finem sic ei loquitur: *Opusculum in duas sectum partes per capitum §§ distinxi, adjectis in margine literis longiores minutatim partiendo, quatenus tabulam absque annotatione factam materiis applicarem. Præposui toti libello summarium quo facilius pertractata colligerentur.* Primus est opellæ index. Javellus verò monito ad lectores sic præfatur ad finem: *Ut vobis innotescat hujus descriptionis fides & utilitas præcipue in indagandis divinarum historiarum libris, loca & capita & dicta formaliter inserui: disposui insuper universale inventorium Alphabetico ordine, in quo absque omni errore eadem allegata conspici possunt. Stylum hujus reverendi patris simplici congruitate currentem, servato quidem omnimode suo sensu paululum elevare constitui, ne ex simplicitate sua lectio apud hujus seculi sapientes vilis habeatur.* Ut qua ratione immutarit, videat lector, principium solum affero. Sic ergo incipit: *Olim legimus in veteribus historiis, ut divus scribit Hieronymus ad Paulinum, quosdam lustrasse provincias, maria transfretasse, ut quæ ex libris noverant, coram posita viderent.* Quæ conferas cum principio codd. MS supra allato. Hac eadem ratione iterum prodiit curante Reinero Reineccio, sed rescissis tum epistola Joannis Kyrspensis tum indice alphabetico Javelli, Magdeburgi, Pauli Donati, 1587 in 4 signat. A ad P. unà cum itinerario Hierosolymitano Bartholomæi de Saligniaco. Quæ ambæ editiones apud nostros Parisienses ad S. Honorati extant suntque pluris faciendæ.

Alterius generis editio prodiit hoc titulo; *Locorum Terræ-sanctæ exactissima descriptio auctore F. Brocardo monacho*, Antverpiæ Joannis Steelsii, 1536 in 8. Rursus cum tractatu Gasparis Peuceri de dimensione terræ, Wittembergæ 1554 in 8. Eamdem repræsentavit Simon Grinæus in ea collectione cui titulus *Novus orbis*, Basileæ, Jo. Hervagii 1555, fol. a p. 314 ad 337. In hac editione stylus auctoris omnino innovatus, & in puriorem orationem conversus, resectis præterea plerisque sacræ scripturæ locis & versiculis in superiori integris citatis, ut & factis quibusdam & miraculis ab auctore relatis, sed quæ ad descriptionem Terræ-sanctæ non spectant, servata cæterùm a capite ad calcem fidelissime narratione. Quisquis sit hujus interpolationis auctor, quem ignotum dicunt, virum se præstat sane peritum, sed geographiæ solùm attentum. Hac eadem ratione edi nuperrime curavit Joannes Clericus in collectione cui titulus: *Onomasticon urbium & locorum sacræ scripturæ*, Amsteledami Francisci Halma, 1707, fol. mag. a p. 169 ad 192 eodem titulo, *auctore F. Brocardo monacho.*

At verò initio seculi XVII F. Philippus Bosquierus Flander Minorita vir aliàs peritus illam ipsam prælo commisit sub hoc titulo: *Palæstina seu Descriptio Terræ-sanctæ auctore F. Bonaventura Brocardo monacho Teutonico ordinis Prædicatorum*, Coloniæ Agrippinæ, Joan. Chrithii 1624 in 8 pp. 67. Ubi mirandum subit, quî Bosquiero visum fuerit Brochardo nostro Bonaventuræ prænomen addere, quod nullus codex MS, nullusque antea Editor ei asserit: nam & Simlerus quem sub Gesneri nomine laudat, ubi de hoc Brochardo sic appellat simpliciter nullo prænomine addito. Hanc autem existimo allucinationis caussam.

Nempe ubi de Bonaventuris agit Simlerus, unum laudat Bonaventuram Brocardum nuncupatum, cujus Palæstinam dicit editam Parisiis apud Poncettum le Preux omisso editionis anno, quod indicat ab eo non visam, & addit, *hunc puto esse Brocardum monachum.* Sed Simlerum emendare, non sequi debuisset Bosquierus. Ita enim se res habet. Fuit quidam adulto jam seculo XVI vivens F. Bonaventura Brochart Franciscanus conventus Bernensis in Neustria allumnus, quem in itinere Jerosolymitano anno MDXXXIII socium habuit Griffinus Arfagart vir nobilis & eques Normannus. Ambo exinde reversi suum iter unà scripserunt, etsi Griffinus huic operi potissimum desudasse videatur. Utriusque meminit *La croix du Maine* in sua Bibl. Gallica lit. G. *Gresin Arfagart Sieur de Courteilles en Normandie &c. a écrit le voiage qu'il a fait en Jerusalem & au mont de Sinay l'an de grace 1533 avec Frere Bonadventure Brochard de l'ordre des Freres Mineurs de la province de France du convent de Bernay. Ledit voyage n'est encore imprimé. Il se void ecrit a la main en plusieurs maisons du pays du Maine &c.* Ad literam vero B sic habet: *Bonadventure Brochard de l'ordre &c.* ut supra *a écrit le voiage de Jerusalem & du mont Sinay, lequel voyage il fit & accomplit l'an de salut 1533 avec le Seigneur Greffin Arfagart*, &c. ut supra. *Je ne say s'il est imprimé, je l'ai veu ecrit a la main.* Cùm autem eodem tempore scriberent & Simlerus & *La croix du Maine* circa 1580, potuit & hic nescire editum si revera fuit,

fuit, & ille editum putare quod revera non erat. Hujus itineris Gallice scripti exemplum MS est Parif. in Regia n. 10265 fol. chart. & non parvæ molis. Itaque si quod iter Palæstinæ typis cusum Parisiis sub nomine F. Bonaventuræ Brochard, illud est ei cum Arfagart commune & Gallicum & sec. XVI: nostri autem Brochardi Teutonis præposito Bonaventuræ nomine ante Bosquieranam nulli unquam alteram visam editionem, nullum codicem MS præfiscine affirmo. Tamen quod Simlerus tantùm suspicando dixit, avide hauserunt & asserere non dubitarunt re non diligentius discussa Possevinus, Vossius, Olearius in Abaco, Caveus, Dupinius, quibus nempe incognitus fuit Franciscanus Bonaventura Brochard, qui si allucinationis Simleri causam novissent, eam proculdubio cavissent. Cæterùm utrum restitutoris gloriam mereatur Bosquierus vir aliàs de re literaria optime meritus, & an opusculum e tenebris eruerit aliter periturum, judicent bibliothecarii quibus etiamnum tam præsto est in *Novo orbe*: illi interea ob iteratam editionem gratiam habemus plurimam, modo Bonaventuræ prænomen expungatur.

Tertii generis editio prodiit apud Henricum Canisium T. VI Lectionum antiquarum, Ingolstadii, 1604, in 4, a p. 297 ad 322. Pr. *Incipit descriptio Terræ-sanctæ. Dilectissimo in Christo Jesu patri F. Burchardo lectori ordinis Prædicatorum in Maydemburch F. Burchardus de Monte Sion cum omni devotione orationes in D. J. C.* Ex collatione autem hujus editionis cum præcedentibus patet esse auctoris, qui in vero Brochardo stylum exercere voluit. Integrum interpolavit, plura resecuit, ordine alio refert, ad primæ partis caput septimum § 45 tantùm progreditur, ubi describuntur portæ Hierusalem. Quicquid autem habet in ultimo capite de terra Hierosolymitana a p. 320 ad 322 de nationibus in Hierusalem habitantibus, ordine ecclesiastico Terræ-sanctæ, de ecclesiasticis & monachis illic sacra ministrantibus, vel ex suo penu vel ex auctore altero depromit, nam horum nihil est in præcedentibus. Canisius nos docet se primum in lucem dare ex bibliotheca Canonicorum regularium S. Magni ad pedem pontis Ratisponensis. Simile exemplum esse puto, quod inter codd. MSS Bibl. Lipsiensis apud Fellerum recensetur p. 314 n. 49 hoc titulo: *Descriptio locorum Terræ-sanctæ F. Burchardi de Monte Sion.*

Ut ut sit de tertii hujus generis exemplarium editione, ex duabus prioribus quid de auctore sentiendum jam depromo. Primo sodalem ordinis Prædicatorum fuisse abunde probant codices Anglicus, Florentinus, & ille quo usi sunt Javellus & Kyrspensis. Teutonem fuisse omnes conveniunt, e qua autem Germaniæ provincia aut civitate ortum non ita certum. Argentinensem plerique volunt, sic Possevinus, Vossius, Altamura ad 1238 & alii: Isthævonem seu Westphalum & Saxonem innuit Reinerius Reineccius, eo quod exinde fuerit Kyrspensis primus editor, dicens in epist. nunc. sibi a Javello ideo donatum *ceu ex patria proximo hæredi*: quod tamen non urget, cùm in Italia & Venetiis tum ille moratus & scribens de quolibet Teutone sic loqui potuerit, imo & in eadem epistola non alia ratione sibi propinquum suggerit, quam quod Germanus fuerit. *Hosce tibi*, inquit, *qualescunque sint moderator optime nuncupo labores, quatenus pater communis Alimanorum, filii Alimani per confratrem Alimanum Alimanas excipias fruges.* Maximam vitæ partem peragrandis variis provinciis regionum Orientalium insumsit, ut ipsemet testatur cap. 2 § 13. Terræ-sanctæ lustrandæ annos decem solidos se dedisse asserit in prologo, in fine & alibi, sed & tempus explicat quo illic versabatur, ubi meminit concilii Lugdunensis II sub Gregorio X ut proxime celebrati par. 2 cap. 2 § 5: & clarius par. 1 cap. 7 § 10, dicens se prima novemb. die omnium sanctorum anno MCCLXXXIII vice altera in monte Gelboe noctem sub divo egisse cum aliis multis ac dormiisse, roreque largiter madidos ac supra modum perfusos surrexisse, idemque alio tempore antea die S. Martini ei accidisse, eo monte ascenso ad cutem usque madefieri. Ætatem ipse suam indicat cùm hinc reversus est sic scribens ad finem opusculi: *Peractis per decennium his longis & certe laboriosis peregrinationibus, nam nonnisi navi vel pedibus tot regiones peragravi, quærens & sæpe mendicans extrema victui necessaria, incepi corpore gravescere tum propinquante senectute, tum arduis laboribus perpessis. Quas ob causas statui gradum sistere nec ultra proficisci, erat enim mens etiam ultimos adire Indos. Revertendum igitur mihi persuasi in propriam patriam, ubi in residuo vitæ meæ ac senectute quiescens, quæ oculis vidi fidelibus enunciarem, ac posteris describens æternam rei memoriam relinquere possem. Quod conceperam, Deo clementissimo favente consecutus sum.* Quæ probant cùm reversus est quocunque post MCCLXXXIII anno, nondum senem, sed senectutem ingruentem timuisse, id est annorum circiter LX tum fuisse: præterea ante MCCLXXXIX jam in patriam remeasse reducem, imo & descriptionem hanc jam ab eo scriptam, cùm in ea civitates & castra plura memoret a Christianis Latinis & militibus Templariis dictis etiamnum possessa, quæ anno illo Saraceni jam invaserant, qui & illo ipso anno Tripolim expugnarunt, ut & anno MCCXCI Aconem seu Ptolemaida ceperunt trucidatis aut ejectis tum ab universa Terra-sancta Latinis. Ex quibus plane evincitur Brochardum hunc viatorem eum non esse, quem Antonius Senensis in chronico p. 36 & Joan. Ant. Flaminius in vita S. Dominici narrant falso a B. Reginaldo Parisiis anno MCCXX cum Roberto Kilwardbio Anglo & Guillelmo Peraldo Lugdunensi ad ordinem allectum, & anno MCCXXII a B. Jordano e capitulo generali Parisiensi in Palæstinam missum provinciæ Terræ-sanctæ erectorem fuisse, quibus annis hic noster fortè nondum natus vel puerulus admodum erat, nisi velis hominem nonaginta circiter annorum, (quos ad annum MCCLXXXIII certe habuisset si idem esset) tranquille dicere se propinquantem senectutem formidare. Difficultatem vidit Malvenda nec solvit, & quod mirum, Flaminio tamen & Lusitano assentire videtur ad ann. 1219 p. 282 & ad 1222 p. 411: sed fatendum Malvendam suos annales non recognovisse, nec iis manum ultimam apposuisse. Patet etiam ut mihi videtur nostrum hunc viatorem eumdem non esse cum canonista de quo postea, siquidem ille meliorem vitæ partem in regionibus Asiæ lustrandis exegerit. *Terram-sanctam*, inquit in prologo, *per decennium pedibus his calcavi*: & pri. par. cap. 2 §. 13 de Tripolis amœnitatibus loquens sic habet, *quibus omnibus similia in reliquis mundi partibus me vidisse non memoro, etsi plures annos in variis provinciis peragrandis consumpserim*: sed & tota sua narratione id docet: unde licèt canonum peritum facile concedam, ut de iis scriberet, vix ei tempus commodum fuisse crediderim: revera hujusmodi opus nec Lusitanus nec Fernandez nec Javellus aut Kyrspensis citati ei tribuunt.

Brochardo huic nostro alii alia opera vindicant. Eum Vossius arbitratur qui *Annales de gestis Frederici I imperatoris in Terra-sancta* apud Wolfgangum Lazium medicum & historicum Viennensem extantes, quorum meminit Simlerus, scripsit: sed Simlerus alteri Brocardo asserit.

SEC. XIII. Eumdem vult Caveus ad 1283, cujus *Legatio in Ægytum* recensetur in Sac. Biblioth. arcan. p. 18 ut extans in Bibl. Basil. Sed longe alium esse me docuit vir eruditus Basileensis supra laudatus, qui & hanc hujus MS notitiam mihi misit. Initium hoc est: *Anno incarnationis Dominicæ* MCCXXV *Dñs Fridericus gloriosissimus Romanorum imperator misit me Burcardum Vicedominum Argentinensem in Ægyptum ad Salahadium regem Babyloniæ. Quodcunque igitur in commissa legatione vidi vel veraciter percepi, quæ habitabili terræ nostræ rara vel extranea videbantur per mare vel per terram scripto commendavi.* Addit tamen vir eruditus tantis promissis non respondere sequentia, narrare siquidem quædam levia de insulis Corsica, Sardinia, Sicilia & Melitha, tum de piscibus marinis, quorum unus ut conjicere potuit 340 ulnas habebat: postea de Alexandria Ægypti, de regione Babyloniæ, de deserto, de Damasco cuncta vel fabulosa vel vulgatissima: tum miraculum tabulæ ligneæ olim faciem B. Virginis pictam præferentis, ex qua nunc (id est ætate scriptoris) pictura intra lignum imbibita oleum odoriferum incessanter emanet. Finis verò hic est: *Dictum est mihi veraciter, quod in transmarinis partibus in Terra-sancta quidam nomine Johannes Buddeus, qui interfuit passioni D. N. J. C. adhuc sit vivens, & ultra vivere debeat ad novissimum diem.* Cæterùm de gestis suæ legationis nihil profert, narratio illa verò tota in codice membraneo forma 8 par. non ultra tres paginas habet. Excerptum fortè est majoris operis. Hinc saltem discimus Brocardi vel Burcardi nomen Argentinæ fuisse eo seculo usitatissimum.

F. SIMON DE VALLE.

1283. F. SIMON DE VALLE Gallus in diœcesi Suessionensi anno circiter MCCXXVI natus & in domo nostra Trecensi ad ordinem ascitus, vir gravitate morum, doctrina & facundia conspicuus, inter insignes verbi Dei præcones Parisiis clarebat annis MCCLXXXI & LXXXII, ejusque sermones duo laudati sunt supra ad 1281 ex collectione similium in Victor. servata cod. 762, alter dictus Dom. 4 in adventu MCCLXXXI, alter Dom. Quasimodo anni sequentis. Hoc ultimo anno cùm Pruvinis priorem ageret, instituta est a Martino IV de vita & moribus ac miraculis Ludovici IX Francorum regis in ordine ad canonizationem inquisitio, duplexque ejus confectum est instrumentum, primum in quo de vita & moribus testes a die veneris XII junii ad diem jovis XX augusti (erat lit. Dom. D) auditi referuntur: alterum in quo de miraculis testimonia a maio MCCLXXXII ad martium MCCLXXXIII reddita unâ collecta sunt: præsidentibus a summo pontifice delegatis Guillelmo archiepiscopo Rotomagensi, & Guillelmo Autissiodorensi ac Rodolano Spoletano episcopis in abbatia S. Dionysii ad Parisios ea de causa morantibus. Inter testes autem hi ex ordine Prædicatorum numerantur:

F. Ægidius de la Rue de la Court presbyter e diœcesi Noviodunensi supprior FF. Prædicatorum Compendiensium LVI annos natus.

F. Joannes du Bochet e diœcesi Bellovacensi Conventus Compendiensis Prædicatorum sodalis.

F. Joannes le Clerc e Compendiensi civitate ortus & ibidem commorans ætatis LX annorum.

F. Radulphus du Vernay e diœcesi Remensi Compendii etiam assignatus & manens LX item annorum.

F. Simon de Valle Gallice *du Val* presbyter e diœcesi Suessionensi prior FF. Prædicatorum Pruvinensium annos LVI circiter natus.

Horum omnium testimonia referuntur in vita S. Regis, quam scripsit Gallice Minorita quidam, qui suum nomen reticens, se Margaritæ reginæ dicti Ludovici conjugi octodecim annis, ut & Blanchæ utriusque filiæ confessarium fuisse dicit, & ad calcem acta duplicis hujus inquisitionis adjecit ceu ex quibus historiam suam confecerat. Fol. 224 b. sic habet nostri Simonis testimonium:

Homme religieus F. Simon du Val de l'ordre des FF. Précheurs & prieur du convent de Provins par son serment dit & affirma, que jaçoit ce que eust été plusieurs fois avecques le benoit roi, & en longs parlemens que oncques en sa vie ne ly oy dire parole de lecherie ne oiseuse ne de detraction en male part, & que oncques ne vit homme de si grant reverence en parole & en regart: & jaçoit ce que ledit Frere eust parlé plusieurs fois a autres rois, & a autres princes seculiers & a prelats, & a grands personnes: & jaçoit ce que encore que il fust moult familiere, & moult privé a ce saint roy, non pour quant il ne venoit oncques en sa presence sans grant reverence, & sans une maniere de poour, ansi comme se il alast a un saint. Et encore ledit F. Simon recordant par son serment moult de faits vertueux du saint roi, si comme ils sont ecrits en cette presente œuvre en liex connenables, dit que pour ces choses & pour moult d'autres que il vit en li, & qui ne sont pas escriptes, que li benois roi fu un des plus sains hommes qui il oncques vist, &c. plura ad fol. 226 integrum. Quæ sic ejus ætatis stylo scripta placuit hîc referre, Latine verò sic reddi possunt.

« Vir religiosus F. Simon de Valle ordinis Prædicatorum & conventus Pruvinensis prior juratus dixit, licèt pluries & colloquiis longioribus egerit cum benedicto rege, nunquam tamen in tota vita sua ab ejus ore audivisse verbum aut minus decens aut otiosum aut maledicum ac ex iniquo animo: neque se aliâs hominem vidisse aspectu & lingua magis verecundum ac circumspectum. Addidit idem se cum aliis regibus, principibus, episcopis, & magnatibus sermonem habuisse, & tamen etsi huic sancto regi admodum familiaris esset, quoties eum adibat, nonnisi cum magna reverentia, & intimo quodam timore ceu ad sanctum accessisse. Idem juratus gesta sancti regis plura virtutem ejus eximiam testantia retulit, quæ in hoc opere locis suis scripta sunt, & propter hæc & plura alia quæ in eo vidit nec scripta sunt, agnoscere tenetur benedictum hunc regem inter omnes quos unquam novit homines sanctissimum esse ».

Fol. 76 b. Dicitur sanctus rex domum nostram Compendiensem a fundamentis erexisse, (ea inter MCCLV & MCCLXII constructa est) quæ LX libris Parisiensibus supra XIIII millia librarum ejusdem monetæ ei constitit, quæ summa ea ætate tanta erat, quanta nunc 140000 & amplius librarum: idque non computatis templi quod suis sumptibus dedicandum curavit, officinarumque omnium ornamentis, suppellectili, ac toto opere intestino, quæ magno ei constiterunt, sed animo regio nihil nimium erat.

Fol. 89. Narratur quî sanctus rex pluries scholas nostras Compendienses ingressus coram lectore, super pulvino ad nudam terram posito sedens lectionem audiebat, religiososque in subselliis circum sedentes, & præ reverentia mox assurgentes, ac ad terram sedere volentes prohibebat, jubens ut de more in suis sedibus se continerent. Additur & pluries ibidem cœnationem tempore mensæ intrasse, & ascensis pulpiti in quo religiosus sacra

biblia ut moris legebat gradibus pone sedisse, ac lectionem diutius & cum voluptate audiisse, quæ sodales nostri testes oculati asseruerunt.

Codex est melioris notæ in pellibus vitulinis exaratus, figuris elegantibus ad quodque caput illustratus, gesta sancti regis repræsentantibus, ætatis auctoris, qui cùm vivum etiamnum laudet F. Joannem Samois Franciscanum episcopum Lexoviensem ex Redonensi, videtur circa MCCCI vel CCCII scripsisse. Erat codex D. de Ganieres viri nobilis & curiosissimi, qui nuper emerat cùm mihi ante paucos annos communicavit, sed eo anno MDCCXV mortuo, ex ejus legato cum insigni ejusdem bibliotheca in Regiam transiit. Hujus codicis eo magis placuit notitiam dare, quod auctor Wadingo ignotus omnino fuerit.

Inquisitorem in regno Franciæ generalem adversus hæreticos egit etiam noster Simon de Valle, & in codice sec. XIII fol. memb. olim domus nostræ Rotomagensis, nunc verò ex permutatione pro aliis libris domus Parisiensis ad S. Honorati, sex sunt sententiæ ejus nomine latæ annis MCCLXXVII & LXXVIII Cadomi, Aureliæ, Ebroicis & Quintinisani in Veromanduis. In hac ultima FF. Prædicatoribus & Minoribus committit, *ut Suggerum de Brabantia & Bernerum de Nivella S. Martini Leodiensis canonicos de crimine hæresis probabiliter & vehementer suspectos, & qui in regno Franciæ dicebantur tale crimen incurrisse, juridice citent ad comparendum personaliter coram suo tribunali apud S. Quintinum in Veromanduis.* Sigerus de Brabantia & Bernerus de Nivella erant S. T. magistri & socii Sorbonici ea ætate scriptis etiam clari, qui in suspicionem erroris venerant, quam tamen purgarint, cùm in communione Ecclesiæ obierint, multosque codices Sorbonæ legarint, inter alios Sigerus primam partem Summæ S. Thomæ, primam Secundæ, Quodlibeta, & Quæstiones disputatas de potentia Dei, Bernerus primam Secundæ & secundam Secundæ, codices certe summi pretii.

Tandem magnæ in aula auctoritatis Simonem de Valle fuisse hinc colligo, quod eum inter curatores sui testamenti Petrus comes Alençonii S. Ludovici IX regis filius & Philippi III regis frater nominarit etiam ante Laurentium ultimi confessarium, ut supra visum est ubi de *Laurentio.*

F. HERMANNUS DE LUCEMBURGO.

1313. F. HERMANNUS DE LUCEMBURGO sic distinctionis gratia visus nuncupandus, & a nostro Ghilberto de la Haye Bibl. Belgo Dom. MS sic cognominatur : non quod ex ejus nominis urbe aut ducatu ortum constet, sed quod in domo ordinis Lucemburgensi, aut etiam apud sacrum gynæceum quod Mariævallis vocant altero ab ea arce lapide situm diutius hæserit. Scripsit hoc titulo carmine Teutonico

Gesta illustris sanctimonialis Sororis Yolandæ Henrici comitis Vianensis & Margaritæ ex claro Curtiniacensium principum sanguine ejus conjugis filiæ.

Hæc anno circiter MCCXXX nata ætatis XV vestem ordinis in dicto monasterio induerat, sed mater qua inscia id fecerat non probans vi secum ex consortio sacrarum virginum rapuit, at tandem filiæ constantiâ devicta post tres annos scilicet VIII idus januar. MCCXLVIII ipsa filiam Deo in eadem domo obtulit : ubi post decem annos electa præfecta seu priorissa XXV & amplius annis solidis rexit summa cum omnium laude & approbatione, diemque obiit suum anno MCCLXXXIII die XV kal. jan. seu XVII decemb. cum sanctitatis non communis fama. Extat Hermanni codex etiamnum in præfato monasterio membranis manu ejus ætatis exaratus rhythmis perpetuis Germanicis constans dialecto tum consueta, sed quod dolendum, non exigua sui parte mutilus, adeo ut jam non ultra solemnem Yolandæ apud moniales receptionem progrediatur. Quæ supersunt Alexander Withelmius S. J. oratione soluta reddidit, non verbum pro verbo, sed sententias inquit & verborum intellectum ea fide reddens, quæ summa desiderari potest. Quæ desunt apud Hermannum Withelmius ex probatis veterum monumentis explevit, pluraque addidit non contemnenda ex ephemeridibus mortualibus dicti monasterii, & in fine genealogiam historicam comitum veterum Vianensium, vel ut scribit Viennensium & seriem priorissarum Mariævallis a principio ad annum usque seculi ultimo elapsi MDCLXXIV. Prodiit hæc opella sub hoc titulo *Vita venerabilis Yolandæ priorissæ ad Mariævallem in ducatu Lucilburgensi, cum appendice de Margarita Henrici VII imperatoris sorore ejusdem loci priorissa, & genealogia historica veterum comitum Viennensium in Arduenna*, Antverpiæ, Marcelli Parys, 1674 in 8 pp. 248. Extat apud nostros Parisienses ad S. Honorati exemplum manu cujusdam e nostris Mariævallis ministris aut confessariis correctum. SEC. XIII.

Hermannum hunc eumdem esse cum eo de quo egimus supra ad 1276, & quem F. H. de Lucemburgo sola prima nominis littera repræsentat codex alius ejusdem monasterii, in quo Sororum ordinis constitutiones rhythmis Germanicis itidem redditæ habentur facile mihi persuadeo. Vide quæ eo loci diximus. Wiltemius verò vult alterius hujus opellæ auctorem esse F. Henricum de Lucemburgo illarum monialium olim confessarium. Cujus sit conjectura verisimilior, penes eruditos esto arbitrium.

F. ANONYMUS TOLOSANUS.

F. ANONYMUS TOLOSANUS sic a me dictus, quod opus ab eo relictum apud Tolosanos nostros servetur, & ex quo virum pium, vitæ regularis apprime studiosum, nec ineruditum, propptereaque tironibus informandis præpositum, vivebat hoc anno MCCLXXXIII, & jam scripserat librum hoc titulo * 1283.

De consolatione & instructione novitiorum a quodam Fratre ordinis Prædicatorum. Codex est MS in 4 par. memb. 247 foll. constans.

Pr. *Ego mendicus sum & pauper; Dominus sollicitus est mei. Cùm ego pauperculus in scientia & in vita cogar novitiorum consolationi ex necessitate officii deservire &c.* In quatuor particulas divisum est opus, quarum prima est *de charitate & adoptione filiationis.* Ad calcem sic legitur : *Noverint universi, qui in hoc libello legere dignabuntur, quod anno Dñi MCCLXXXIII venerabilis pater F. Joannes de Vercellis ordinis nostri magister sextus dulcis memoriæ mandavit hunc librum examinari.* Jam hujus scriptoris meminimus supra de B. Dominico agentes, Dissert. 2, ubi quid habeat de duplici Prædicatorum cingulo relatum est. Hunc librum prælo dare deberent Tolosani nostri, ex quo plures antiquas ordinis consuetudines discere liceret.

F. JOANNES DE DERLINGTON.

F. JOANNES DE DERLINGTON Anglus ordinem amplexus in patria, postquam aliquot annos apud suos studiis operam dedisset, Lutetiam pro rata suæ provinciæ ad gymnasium Sanjacobeum missus est, ubi jam agebat ante annum MCCL & quibusdam annis stetit. Exinde in Angliam reversus, non parvam sibi ab eruditione famam con- † 1284.

 paravit. Ab Henrico III suo rege conscientiæ arbiter & a consiliis ascitus fuit anno MCCLVI: a summis verò pontificibus Innocentio V, Joanne XXI & Nicolao III colligendis in Terræ-Sanctæ subsidium concessis in synodo generali Lugdunensi II decimis apostolicus fuit per Angliam quæstor constitutus. Illo nondum liber erat munere, cùm ad ecclesiam Dublinensem Fulconis Saunfordii anno MCCLXXI defuncti præsulis morte jam annos prope septem viduam, frustra jam duobus electis, a Nicolao III evectus est & archiepiscopus constitutus anno MCCLXXIX. Eodem anno in cœnobio Walthamensi a F. Joanne Peckam Franciscano Cantuariensi archiepiscopo, assistentibus Nicolao Wintoniensi, Roberto Bathoniensi & Willelmo Norwicensi episcopis consecratum fuisse omnes conveniunt, at de die variant. Quidam id factum volunt VI idus sept. ex annalibus cœnobii Waverleiensis MS in Bibl. Cotton. servatis, & chronico Joannis de Oxmeden ibidem; alii cum Thoma Wikeo die Dominico proximo post festum S. Bartholomæi XXVII augusti, cùm esset lit. Dom. A: quod ultimum verisimilius, cùm diebus Dominicis consecrationes episcoporum ex canonibus fiant: at VI idus septembris eo anno erat feria sexta. An autem Ecclesiam suam inviserit, non produnt ejus ætatis annales. Non omittendum hîc Derlingtonum ab Eduardo Anglorum rege legatum Romam ad Nicolaum III fuisse, qui a pontifice decimas sacerdotiorum Angliæ obtineret ad expeditionem Hierosolymitanam, quam ille rex meditabatur, quas Nicolaus III concessit litteris datis Viterbii kal. aug. anno I, Christi MCCLXXVIII. Videsis Odoricum Rainaldum ad eum annum n. 82. De eo sic habet Trivetus noster in chron. ad MCCLXXIX: *F. Joannes de Derlingthona confessor quondam Henrici regis Angliæ* (anno MCCLXXII mortui) *ex collatione papali efficitur archiepiscopus Dublinensis, qui nondum a collectione decimarum per summum pontificem sibi imposita totaliter expeditus, per annos aliquot in Anglia moras traxit.* Et ad annum MCCLXXXIV: *F. Joannes Dublinensis archiepiscopus cùm versùs Ecclesiam suam iter arripuisset, correptus infirmitate gravi ultimum diem clausit: cujus corpus in choro FF. Prædicatorum Londoniis est inhumatum. Nec multo post obiit eodem anno in Vindsort Alphonsus regis filius juvenis optimæ indolis, & admodum Deo devotus, cujus corpus apud Westmonasterium, cor verò apud Prædicatores Londoniis regina matre ordinante traditur sepulturæ.* Thomas Wikeus canonicus Osneiensis meminit etiam in chronico: *Decessit Londini Derlingtonius IV kal. april.* MCCLXXXIV *consecrationis anno V morte repentina substractus, & in cœnobio Prædicatorum ibidem sepultus est.* Idem aiunt in Annal. MS prioratus de Dunstaple in Bibl. Cotton. servatis referri. Ejus etiam cum laude meminerunt scriptores alii Angli. Matthæus Paris ad an. 1256 pag. 621 a *D. rex eisdem diebus vocavit F. Joannem de Derlintona ad familiare consilium suum, qui de ordine Prædicatorum existens litteratura pollebat excellenter & consilio. Necesse enim habuit rex sanum consilium & consolationem habere spiritualem.* Lelandus cap. 291 eadem quæ supra de eo referens eum vocat *Joannem Durolendunum, ac virum probatissimæ vitæ, & maximæ in litteris diligentiæ.* Videndi etiam Baleus, Jacobus Vareus tum in scriptoribus tum in episcopis Hyberniæ, Pitseus in scrip. Angl. a quibus hæc ei ascribuntur opera:

Disceptationes scholasticæ.

Sermones ad clerum & populum,

Concordantiæ magnæ Bibliorum sacrorum Anglicanæ dictæ.

De hoc ultimo opere sic habet Trivetus ad MCCLXXVI: *Hoc anno F. Joannes de Derlingtonia ordinis Prædicatorum confessor quondam regis Henrici autoritate papali in regno Angliæ collector efficitur decimarum, cujus studio & industria editæ sunt Concordantiæ magnæ, quæ Anglicanæ vocantur.* Vide supra ad 1262 *Hugo de Sancto Charo & Richardus Stavenesby*, ubi de his abunde actum est.

F. JOANNES RUFUS.

F. JOANNES RUFUS vulgo *Redade* Anglus patriaque Cornubiensis, vir pietate, ingenio doctrinaque clarus, & antiquitatis historicæ studiosus ad MCCLXXXIV vivebat, inquiunt Baleus Cent. IV p. 353, & Pitseus Ætate XIII p. 365. Scripsit: † 1284.

Chronicon pontificum & imperatorum Romanorum.

Opus, inquit Lelandus cap. 400 *magna plane cura nec diligentia inferiori confectum, & annis ab hinc paucis Venta Icenorum* (sic Nordovicum appellat) *in Bibliotheca Carmelitarum servatum.*

Cornubiensis patriæ suæ annales. Ibidem olim fuisse aiunt.

Meminerunt Simlerus, Possevinus, Ludovicus Jacob Bibl. pontif. Altamura Append. ad 1290, & Oldoinus Athen. Roman. p. 676.

F. RAIMUNDUS MARTIN.

F. RAIMUNDUS MARTIN natione Catalanus in oppido *Subirats* sic ab indigenis dicto natus, & ordinem in domo Barcinonensi amplexus, magnam sibi ab eruditione famam in Hispaniis sec. XIII peperit. Cùm enim tum in regnis illis innumeri adessent Judæi, & in quibusdam Saraceni dominarentur, horum conversionis procurandæ in cordibus nostrorum exarsit studium: & idcirco linguarum Hebraicæ & Arabicæ studia variis apud nos locis fuerunt instituta, principum etiam auctoritate fulta, liberalitateque dotata. Referente Diago in actis comitiorum provinciæ Hispaniæ Toleti anno MCCL habitorum inter ordinationes hæc legitur: *Cupientes satisfacere mandato magistri* (is erat F. Joannes de Vildeshuzen magister ordinis IV) *& attendentes utilitatem negotii præsentis, præcipue verò futuri, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti assignamus ad studium Arabicum, hoc injungentes in remissionem peccatorum auctoritate magistri & nostra, idque imperantes virtute obedientiæ, F. Arnoldum Guardia, F. Petrum de Cadireta, F. Raimundum Martin, F. Petrum Ariam, F. Petrum de Puteo, F. Petrum de Sanctofelice, F. Dominicum Estevan, & F. Petrum de Canoles: supra dictum verò F. Arnoldum de Guardia aliorum prælatum designamus. Numerum duodecimum complebimus, cùm primùm facultatem nobis Deus concesserit.* Inter hos octo assignatos qui viri omnes celebres fuerunt, non parum tertius Raimundus Martin emicuit, linguarum Hebraicæ, Chaldaicæ & Arabicæ peritissimus evadens. De eo sic habet Petrus Marsilius de quo postea ejusdem nationis & ætatis scriptor: *Multum sufficiens in Latino fuit, philosophus in Arabico, magnus Rabinus in Hebræo, & in lingua Chaldaica multum doctus.* Quibus linguis fretus, multaque eruditione conspicuus, adversus Judæos & Saracenos indefesse verbo certavit & calamo. Ideo apud regem Aragoniæ Jacobum I conquæstorem dictum magno in honore habitus est, & ab eo anno MCCLXIV die XVII martii judex unâ cum episcopo Barcinonensi & S. Raimundo de Pennaforti ad discussionem faciendam blasphemiarum in Deum, Christum, Mariam Deiparam & religionem Christianam in libris Thalmudicis contentarum constitutus. Tunetum postea cum F. Francisco Cendra viro eximio se contulit, Mau- † 1284.

ris utique ad fidem adducendis operam daturus, quod iter non sine fructu fuit. Inde ambo revertentes ad Aquas mortuas appulerunt mense septembri anni MCCLXIX unde per Montempessulanum pedites Barcinonem redierunt. Franciscus quidem mortuus est anno MCCLXXXI, Raimundus verò superstes adhuc erat quinquagesimum in ordine annum agens, & optima valetudine usus anno MCCLXXXVI, quo kal. julii instrumento in domo Barcinonensi servato subscripsit. De quibus omnibus legendus accuratus noster Diagus Hist. prov. Arag. lib. I cap. 2 & 15 ut & lib. 2 cap. 28. Hæc ejus opera ex Monito codd. MS ultimi a notariis præfixo:

Primo composuit diversas summas Saracenorum. Intellige *contra Alcoranum legem Saracenorum*, ut interpretatur Lusitanus. Has fortè Arabice scripsit, & ideo neglectæ alicubi jacent.

Postea composuit in solo Latino opus quoddam compendiosum quod appellatur Capistrum. Lusitanus addit *Judæorum*. Hoc & alicubi jacet neglectum, nam se vidisse nullus nomenclator asserit.

Tandem *considerans Judæorum astutam malitiam, qui parvipendunt quicquid illis Latine profertur, edidit opus quod* PUGIONEM *vocavit, & hoc Latine & Hebraice totum manu propria scripsit.* Huic verò operi scribendo incumbebat auctor anno MCCLXXVIII, ut constat ex P. II cap. X n. II ubi sic legitur: *Ad hoc est hic sciendum quod Christianis computantibus nunc ab incarnatione Domini annos mille ducentos septuaginta octo, computant Judæi ab initio mundi quinque millia triginta octo.*

Pugionis hujus plures in variis bibliothecis codices MS servantur. Unus Neapoli in domo S. Dominici a Lusitano visus & laudatus. Alter Barcinone apud nostros S. Catharinæ martyris. Alius Majoricis. Alius Tolosæ apud nostros S. Thomæ de Aquino. Alius extabat apud Franciscum Vatablum teste Possevino. Item alius apud Matthæum Beroaldum.

Sed præ aliis laudandum venit insigne exemplum tribus voluminibus litteris majusculis Hebraicis & Latinis in membrana perbelle exaratis constans olim in bibliotheca gymnasii Fuxensis Tolosæ asservatum. Franciscus Bosquet qui postea ad sedem Lodovensem promotus, tum & ad Montepessulanam translatus, sed circa MDCXX juvenis dicti gymnasii convictor sciendi inquit ipse libidine ardens, volumina illa quæ olim Petri de Luna in schismate Benedicti XIII Avenione fuerant retexit & evolvit, hancque inscriptionem solam primum vidit:

Pugio fidei christianæ a Fratre R. editus.

Sed cùm hæc ad cognoscendum auctorem parum lucis afferret, casu postea accidit, ut in suprarelatum sed minutissimis litteris scriptum monitum libro primo præfixum incideret, ex quo Raimundum Martin ord. Prædic. verum esse quem quærebat agnovit auctorem, & Jacobo Spieghel a Rozembach Germano viro sacrarum linguarum admodum perito integrum tradidit exscribendum, quod hic manu erudita pollens paucis mensibus absolvit. Postea verò ab eodem Rosembachio simile sibi codicum Fuxensium ἀντίγραφον exscribi curavit vir non eruditione minus quam curuli majestate clarissimus D. Philippus Jacobus de Maussac comes consistorianus & cameræ rationum regiarum Montispessulanæ primus præses: quod prius ad originale a se diligentissime recognitum, & cum aliis præsertim Tolosano Prædicatorum, Barcinonensi & Majoricensi laudatis & ad jussa magistri ordinis F. Thomæ Turci Lutetiam allatis collatum, in ejus editionem typographicis operibus benevole concessit: illudque jam inter codd. MS Prædicatorum Parisiensium ad S. Honorati servatur, cum prolegomenis originalibus & procemiis D. Josephi de Voisin senatoris Burdigalensis viri eruditissimi & piissimi, qui editionem accuravit eique præfuit, atque prælusit egregie, ad quem proinde curiosum lectorem plura de Raimundo discendi cupidum remittimus. Prodiit autem opus agente dicto Thoma Turco sumtibus ordinis, Parisiis apud Fratres Mathurinum & Joannem Henault, 1651 fol. pagg. 744.

Iterum addito Appendicis vice Hermanni Judæi conversi opusculo, Lipsiæ sumtibus Hæred. Friderici Lanckisi, typis vid. Joan. Wittigaw 1687 fol. cui editioni qui eam accuravit Joan. Bened. Carpzovius introductionem pagg 126 præmisit merito legendam. Extat Paris. in Regia B. 239.

Hujus operis aliàs meminerunt Nicolaus de Lyra ad illud Oseæ cap. 9, *Væ eis cùm recessero ab eis:* & Porchettus de Selvaticis seu Selvago Genuensis Cartusianus Lyrano superior in sua *Victoria contra Hebræos*, quam demum prælo commisit Augustinus Justiniani noster Parisiis apud Ægidium de Gourmont 1520 fol.

Jamdiu est cùm eruditi annotaverunt Petrum Galatinum ord. Minor. anno MDXV clarum magnam partem & potissimam *Pugionis fidei* deflorasse, & in suum de arcanis catholicæ veritatis intulisse: unde & illum plagii reum haud excusandum insimulant, quod auctorem quem inverecunde spoliabat, non nominarit. Sic Maussacus, Voisinus & Bosquetus citati in prolegomenis, & ante omnes Josephus Scaliger epist. 84 ad Casaubonum data Lugd. Batav. III id. sept. MDCIII: sed idem Scaliger emendandus, cùm Raymundum Martin confundit cum Remondo Sebunde doctore medico Tolosano, qui vixit ad MCCCCXXXII sesquiseculo circiter recentiore.

Sed & ex nostris nomenclatoribus quidam emendandi. Primus Ludovicus a Valleoleti, apud quem n. 59 sic lego: *Frater P. Barchinonensis scripsit librum notabilem contra Judæos, & vocatur Pugio & contra Saracenos alium.* Quod erratum hinc forsan evenit. Valleoletanus scilicet inscriptionem alicujus exempli Pugionis vel viderit, vel ab aliquo acceperit, qualem in Fuxensi legit Bosquetus supra relatam, qua sola prima nominis littera auctoris nomen indicabatur, & ipse vel qui ei nunciavit ἀντὶ R scripsit P, qui lapsus in illis antiquis est facilis. Et cùm parvus error in principio progrediendo fiat major, hinc non dubito factum, ut eumdem auctorem Lusitanus in duos diviserit, alterum quem vocat *Petrum Barchinonensem, qui zelo fidei ductus & ab errorum tenebris errantes retrahendi cupidus scripsit librum contra Judæos, qui dicitur Pugio Judæorum*, ex P fingens Petrum: alterum quem vocat *Raimundum Martini natione Catalanum patria Barchinonensem, virum linguarum notitia clarum, qui composuit opus contra Judæos, & dicitur Pugio &c.* Possevinus Lusitanum excipiens, in eumdem scopulum impegit. Licèt enim fieri potuisse non negem, quin duo scriptores eodem titulo diversa sua opera ornarint, Raimundum tamen eumdem esse cum Petro hinc evincitur, quod eadem quæ Raimundo Lusitanus ascribit opera, eadem Valleoletanus P. Barchinonensi asserit, nec alterius sub nomine Raimundi Martini meminit: unde & allucinatum Lusitanum ingenue fatetur Altamura ad 1306 ubi de Petro Barchinonensi.

Linguam Hebraicam docuit Raimundus non solùm Symmystas, sed & extraneos, quos inter sub finem ejusdem seculi claruit quidam Anonymus Græce etiam peritus, qui & lingua Hellenica plura scripsit opuscula cod. MS memb. fol. par. Bibl. olim Seguier. nunc Coislin. n. 379 contenta. Octavum & ultimum, quo gratiam suam erga Raimun-

Sec. XIII. dum ut præceptorem testatur visum est non omittendum. Extat fol. 185 ad 222 ultimum.

Ἄρχεται ὁμιλία ἐπὶ τῇ σημασίᾳ τοῦ ὀνόματος τοῦ τετραγραμμάτου τόσον ἐν τῇ γλώττῃ τῇ ἑβραϊκῇ, ὅσον τῇ λατίνῃ ἐπὶ τῇ δηλώσει τοῦ μυστηρίου τῆς Τριάδος σαφέσι λόγοις καὶ σημείοις πρὸς τὸν ἀδελφὸν Πέτρον τοῦ Πυγέτου.

Incipit homilia de significatione nominis tetragrammati tam lingua Hebraica quam Latina ad declarandum mysterium Trinitatis, idque claris verbis & signis ad Fratrem Petrum Pugeti.

Πλεονάκις ἐπεθύμησα μακαριώτατε πάτερ, ἵνα τὸ σπέρμα ἐκεῖνο τῆς ἑβραϊκῆς γλώσσης, ὃ ὁ ζῆλος τῆς ἀσκήσεως τοῦ ἀδελφοῦ Ραιμόνδου τοῦ Μαρτίνου ἔσπειρεν ἐν τῷ κηπαρίῳ τῆς καρδίας τῆς ἐμῆς ὠφελήσειεν, οὐκ ἐμοὶ μόνον, ἀλλὰ τοῖς ἄλλοις ἔτι πιστοῖς εἰς σωτηρίαν αἰώνιον.

Sæpius desideravi, beatissime Pater, ut semen illud Hebraicæ linguæ, quod in hortulo cordis mei sevit Fratris Raimundi Martini diligens disciplina, non mihi solùm, sed & aliis fidelibus ad æternam prodesset salutem. Quibus verbis se Raimundi auditorem agnoscit. Sed & in sequentibus pluries laudat. Sic paulopost:

Διὰ ὑπουργίας καὶ κόπου τοῦ προειρημένου ἀνδρὸς, ὅτι περιέχει πολλὰ καὶ λαμπρὰ μαρτύρια ὑπὲρ τῶν κεφαλαίων τῆς ἡμετέρας πίστεως, ἃ ἠκρίβωσεν ἄχρι κόρου ἐν τῇ ἑβραϊκῇ ἀληθείᾳ.

Per opus præfati viri summo labore confectum, quod plura & clara de principiis nostræ fidei testimonia complectitur, quæ ille juxta Hebraicam veritatem ad satietatem usque accuravit. Quod de Pugione dictum. Et postea

Ἤρεσεν ἄρα τῷ αἰωνίῳ διδασκάλῳ οὐ τοῖς ἐμοῖς ὡς οἴομαι κατορθώμασιν, ἀλλὰ μάλιστα τῷ κατορθώματι τοῦ ζήλου, ὃν εἶχεν ὁ προονομασθεὶς ἀσκητὴς ἐν τῷ εἰσάγειν με εἰς τὴν γλῶσσαν τὴν ἑβραϊκὴν *&c.*

Placuit igitur magistro æterno, non meis quemadmodum sentio laboribus recte susceptis, sed diligentia maxime & recta ratione qua prænominatus præceptor usus est, ut me lingua Hebraica initiaret &c.

Quæ referre visum est, ut celebrem fuisse eo seculo Raimundi famam, pluresque habuisse auditores pateat. Cæterùm hæc Anonymi opella levior est, ceu in qua totus est auctor ut nomen יהוה Trinitatem personarum in Deo probare suadeat. Finis ex quo ætas dignoscitur, sic habet

Δέδοται ἡ ὁμιλία ἐν τῷ κάστρῳ Μεδουλλιόνης τρίτῃ ἡμέρᾳ πρὸ τῆς ἑορτῆς τῆς μακαρίας ἀγαπητρίας τοῦ κυρίου Μαρίας τῆς Μαγδαληνῆς, ἔτει αὐτοῦ χιλιοστῷ διακοσιοστῷ ἐνενηκοστῷ δευτέρῳ.

Data est vel habita hæc homilia in castro Medulliones die tertia ante festum beatæ Domini amatricis Mariæ Magdalenæ anno ejus MCCXCII

Castrum Medulliones situm est in Provincia, estque diœcesis Sistaricensis, tumque quod notandum F. Raimundus de Medullione ex illustri dominorum hujus castri sanguine ortus sodalis noster actu erat archiepiscopus Ebredunensis, & ejus germani filius Raimundus etiam dictus Dynasta erat ejus castri erga ordinem & ipse mire affectus. Unde facile suspicor istum Fratrem Petrum Pugeti cui nuncupata homilia etiam ex nostris fuisse. Clara est in Provincia gens *des Pougets*.

Plures sunt aliæ eodem codice ejusdem anonymi opellæ Græcæ omnes ejusdem styli & qui Latinum hominem arguit, ut observat clarissimus asceta Bernardus de Montfaucon in sua Bibl. Coislin.

Prima. *Tractatus de Christianorum fide & moribus coram Carolo II utriusque Siciliæ rege dictus* a fol. 1 ad 16.

II. Ejusdem rationis. *Quam præ omnibus necessarium sit saluti animæ intendere* a fol. 17 ad 50.

III. *Synopsis vitæ spiritualis* a fol. 51 ad 71.

IV. *Tractatus similis argumenti ad quandam virginem* a fol. 72 ad 80.

V. *Dialogus de catholica fidei elementis.* Species est catechismi. Quod argumentum hujusmodi libellos jam eo seculo fuisse in usu: a fol. 81 ad 112.

VI. *Philosophia catholica & divina, seu ars detegendi versutias maximi Antichristi & membrorum ejus omnium ad sanctum Romanorum cœtum* a fol. 113 ad 172.

VII. *De dijudicandis veris & falsis prophetis divina sententia* a fol. 173 ad 184. Postea Homilia relata.

Licèt hunc Anonymum nostris non accenseam, hæc tamen rescire forsan haud pigebit.

F. PETRUS DE JANUA.

F. PETRUS DE JANUA Ligur a patria sic & professione nuncupatus, vir pietate & eruditione Hebraica maxime sua ætate clarus, in Aragonia pluribus annis degit, Raimundo Martini de quo supra in Judæis convertendis, revincendisque Rabinis socius & adjutor datus. Cum eodem & S. Raimundo de Pennaforti, F. Arnaldo de Segarra & aliis expurgandis Rabinorum libris jussu Urbani IV & volente Jacobo I Aragoniæ rege sedulus allaboravit. De quo legendi Diagus Hist. prov. Arag. lib. 1 cap. 15, & Fernandez Concert. ad an. 1264 p. 151 b, quos excipiunt Altamura Append. ad 1283, Rovetta ad 1264, qui ultimus Petro huic asserit * 1284.

Opus adversus Judæorum errores accuratum. Penes quem fides, cùm ubi servetur non moneat.

F. MUNIO DE ZAMORA.

F. MUNIO DE ZAMORA Hispanus a patria Sentica olim seu Sarabri nunc *Zamora* vernacule dicta ad Durium fluvium Salmanticam inter & Pinciam sita nuncupatus, nobilique loco natus, juvenis annorum circiter 20 ordini nomen dedit in conventu Zamorensi anno 1257, sicque pietate, scientia, disciplinæ regularis studio, fama intus & extra emicuit, ut ad regimen quamprimum potuit a suis evectus fuerit. Provincia sua tum non solùm Hispaniam proprie dictam, sed & Aragoniam & Portugalliam complectebatur, eamque hactenus viri sanctissimi rexerant: vacante itaque per abdicationem prioris provincialis in cap. gen. Florentiæ 1281 factam magistratu, mox eodem anno patribus ejus provinciæ disciplinæ & gloriæ ordinis studiosissimis Munio dignus visus est, qui ad id munus assumeretur, & decessoribus doctrina & sanctitate illustribus pro meritis succederet. Cujus officii revera ita cum omnium aprobatione implevit munia, ut mortuo 30 novemb. 1283 magistro ordinis F. Joanne de Vercellis viro omni exceptione majore, de quo supra hujus loco in comitiis generalibus 1285 Bononiæ coactis, ad clavum ordinis communi suffragio evectus fuerit regendum. † 1285. Et mare quidem initio habuit satis tranquillum, verùm brevi graviores expertus est tempestates, quæ nonnisi ipsius ut alterius Jonæ demersione sedari potuerunt. Illud autem in ærumnis non ei parum attulit solatii, quod primores ordinis & in iis capita provinciarum omnia innocentiam ejus ac regiminis sanctitatem egregiè tutati sunt. Sic enim lego in actis cap. gen. Burdegal. 1287, quod erat provincialium. *Tit.* Pœnitentiæ. *Quia multi conventus Franciæ nobis suis literis insinuaverunt, quod quidam Fratres ejusdem provinciæ acuerunt linguas suas in derogationem famæ venerabilis patris magistri ordinis, falso effundentes & disseminantes de ipso quædam, de quibus ipse magister est omnino innocens & immunis, ordinamus quod Fratres Hugo de Villasana, R. de Sanctafava, Jo. de Arenes, quos prior provincialis Franciæ propter hujusmodi linguarum suarum lubricitatem & detractionem de suis emisit conventibus, non redeant ad eosdem, & sint omni voce*

privati nisi in sui accusatione, nec ad alios tractatus ordinis admittantur, donec per generale capitulum fuerint restituti, duodecim insuper diebus abstinebunt in pane & aqua, & duodecim disciplinas recipient. Et injungimus priori provinciali Franciæ, quod in provincia sua super quibusdam Fratribus, qui nobis de prædicto excessu fuerunt delati, & etiam de aliis Fratribus inquirat diligenter, & si quos invenerit deliquisse similiter, vel gravius excesserint, ne tantus excessus remaneat impunitus. Postea etiam cùm Munionis æmuli quidam nescio quo spiritu moti apud Nicolaum IV ex ordine Minorum assumtum prævaluissent, & cardinales duo ex ordine Latinus Ostiensis episcopus, & Hugo de Biliomo presbyter tit. S. Sabinæ auctoritate summi pontificis ad patres in comitiis generalibus Ferrariæ 1290 congregatos scripsissent, vel ut Munioni persuaderent magistratu se abdicare, vel renitentem ipsi abrogarent; tantùm abest, ut illi obedierint, quin ad ejusmodi literarum lectionem exhorruerint omnes, summumque pontificem instrumento publico cui singuli & omnes subscripserunt appellarint, coram sancta sede magistri causam defensuros se protestati. Acta omnia referuntur in *Anno Dominic. Gallico T.* II *Julii a pag.* 65 *ad* 80. Verùm quia summi principes a sententia semel concepta recedere sibi putant indecorum, ratumque esset ac fixum in mente pontificis Munionem ab officio omnino amovere, cùm id fieri non posset ordine juris servato, id ex auctoritatis apostolicæ plenitudine tandem sancivit. Decretum pontificium, quod nostrorum auctorum nemo hactenus prodidit, placuit hîc subjungere ex archivo conventus Sanjacobei Parisiensis depromtum.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. » Certis nuper emergentibus causis, propter quas statui ordinis Fratrum Prædicatorum expedire cognovimus, quod dilectus filius Munio magister ipsius ordinis a commisso sibi ejusdem magisterii quiescat officio, cujus curam ex causis ipsis nec commode posse creditur, nec profectibiliter exercere, magistrum ipsum in nostra & fratrum nostrorum præsentia personaliter constitutum monendum duximus vivæ vocis oraculo attentius & hortandum, præcipientes eidem, ut pro quiete & statu prospero dicti ordinis in generali capitulo ejusdem ordinis proxime celebrando, in manibus diffinitorum futurorum in ipso capitulo absolute & libere hujusmodi resignet officium, eique cedat omnino: Diffinitoribus ipsis nihilominus per alias nostras sub certa forma literas injungendo, ut resignationem & cessionem hujusmodi faciendam ab ipso absque dilatione recipiant & admittant. Verbum itaque nostrum effectum in hac parte habere volentes, ex nunc auctoritate apostolica de prædictorum fratrum consilio statuendo decernimus & statuimus decernendo, ut sive dictus magister resignaverit & cesserit ut prædicitur, sive non, & sive præfati diffinitores resignationem & cessionem eamdem duxerint, sive non duxerint admittendam, in omnem eventum, statim cùm prædictum capitulum fuerit celebratum, seu tempus quo secundùm constitutiones sæpe dicti ordinis terminari debet, effluxerit, sit eo ipso præfatus magister ab hujusmodi officio magisterii totaliter absolutus: quodque deinceps non ipse, sed alia persona idonea secundùm constitutiones assumatur easdem, ad memoratum officium exercendum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum «. *Datum apud Urbem veterem* II *idus april. pontif. nostri anno quarto.* Sæc. XIII.

Sigillatum in plumbo sub chordulis sericeis rubei croceique coloris cum figuris facierum SS. Apost. Pet. & Pau. ex una parte, & ex alia. scrip. *Nicolaus Papa IIII.*

Comitia ordinis eo anno 1291 Palentiæ in Hispania celebrabantur, ita enim petierat Sanctius Castellæ rex Magnus dictus, qui & iis affuit & conventum Patrum magnifice excepit: & post lectionem actorum finitaque diffinitione, (erat capitulum Diffinitorum I.) F. Bernardum de Trilla S. T. M. Parisiensem Tolosanæ diffinitorem, ejusdemque provinciæ provincialem electum Munio confirmavit, qui fuit ultimus ejus auctoritatis actus, nam continuo aut paulo post vi decreti pontificii magistratu depulsus & in ordinem redactus mansit. Neque tamen hîc steterunt adversus tantum virum excitatæ tempestates. Archiepiscopatum Compostellanum agente Sanctio Castellæ rege sibi delatum, imo & a Nicolao IV concessum recusasse aiunt quidam, penes quos fides: at sedem Palentinam ad quam electus fuerat circa 1294 cum licentia provincialis Hispaniæ admiserat, & literis Cœlestini V acceptis consecratus fuerat. Verùm non solùm improbavit factum magister ordinis ejus successor Stephanus Bisuntinus vir austerus, qui in cap. gen. Monspelii 1294 sic de eo statuit: *Quia prior provincialis Hispaniæ scilicet F. Nicolaus Salmantinus quibusdam Fratribus nostri ordinis F. Munioni episcopatum Palentinum & F. Guilielmo de Montecathono Urgellensem ut episcopatus reciperent, dedit licentiam inconsulte, ipsum in pœnam absolvimus ab officio prioratus, & eidem injungimus, quod usque ad annum abstineat una die in pane & aqua, & unum psalterium singulis dicat septimanis.* Sed & Bonifacius VIII, qui Guilielmum Urgellensem probavit, eoque in quibusdam legationibus usus est, non ita erga Munionem se gessit; ad se enim Romam anno 1295 evocatum insigniis pontificalibus spoliavit, & privatum in conventu S. Sabinæ deinceps vivere jussit. Animum magistri & episcopi adversis his omnibus infractum, & virtutem vere Hispanam, seu potius ejus generis, quam S. Thomas ait in hac vita perfectissimorum, merito mirantur, qui hæc referunt auctores: nam nec in impatientiæ motum visus est unquam erupisse, nec ut sponte officio cederet, quia sibi bene conscius, vel ab ipso summo pontifice persuaderi potuit, nec apostolica auctoritate a magisterio primum, tum ab episcopatu, quia sic volitum est, dejectus, unquam conquestus est. De quo sic noster Bernardus Guidonis æqualis:

Septimus magister ordinis successor F. Joannis Vercellensis F. Munio Hispanus. » Hic fuit electus in magistrum in capitulo generali Bononiæ « celebrato A. D. 1285, erat autem tunc prior provincialis Hispaniæ. Hic fuit persona venerabilis: « non frangebatur adversitate quacunque, cùm tamen multas perpessus fuerit. Hic præfuit magisterio annis sex, & septimus agebatur. Fuit autem absolutus per literam D. Nicolai papæ IV sibi « & ordini destinatam paulo post generale capitulum Palentiæ A. D. 1291. Supervixit autem annis novem, postquam fuit a magisterio absolutus, fuitque assumtus ad honorem episcopatus « Palentini in Hispania. Tandem ad curiam evocatus absolutus fuit ab honore episcopali a D. Bonifacio papa VIII A. D. 1295. Mansit autem in « curia diu, ibique manens in conventu Fratrum « diem clausit extremum coram positis Fratribus « & orantibus pridie Idus Martii A. D. 1299. (*scilicet stylo veteri, novo* 1300) sepultusque fuit in «

» habitu solo Fratris, & non pontificalibus, sicut » ipse vivens ita fieri petiit & ordinavit «.

Mirum autem tantum esse de die mortis ejus in veteribus monumentis discrimen. Jam ut mox relatum Bernardus Guidonis vult mortuum prid. Idus seu XIV martii. In actis cap. gen. Massiliæ anno MCCC celebrati sic legitur Tit. *Suffragia pro mortuis : Item pro F. Munione quondam magistro ordinis hoc anno Romæ defuncto* XI *Kal. Martii A. D.* MCCXCIX *quilibet sacerdos tres missas.* In antiquo tamen codice Sanjacobeo Parisiensi, cui titulus *Ecclesiasticum officium secundùm ordinem FF. Prædicatorum*, in Kalendario pro obitu Magistrorum ordinis annotando speciatim destinato ad XXVI martii ascribitur manu æquali sic : VII. *Kal. april. obiit F. Munio magister ordinis septimus.* Rursus epigraphe tumulo ejus in S. Sabinæ ubi mortuus est insculpta aliter habet, nempe : *Hic jacet F. Munio Zamorensis natione Hispanus quondam ordinis Fratrum Prædicatorum magister* VII, *qui obiit septima die mensis martii A. D.* MCCC, *Pont. Bonifacii PP. VIII, anno* VI. In tanta monumentorum veterum diversitate nihil certi astrui potest, pro Kalendario tamen Sanjacobeo ut pote a viris accuratis scripto standum mihi videretur.

Unum adhuc superest addendum, quia historici Hispani & extranei, ut Nicolaus Antonius Bibl. vet. Hisp. & nostrates Ferdinandus de Castillo & recens F. Josephus Sarabia in Annal. ord. de Gallis & Italis conqueruntur, quasi ægre tulerint se ab Hispano regi, ideoque abrogationis Munionis auctores fuerint, id inquam elevandum. Præterquam quod enim eo primo ordinis seculo talis non fuit nationum æmulatio, sed ad magisterium ex quaque gente quærebantur & promovebantur pietate ac disciplina eminentiores : sic secundus fuit B. Jordanus Teuto, tertius S. Raimundus Hispanus, cujus abdicationem spontaneam ægerrime tulerunt omnes, quartus Joannes Teuto, quintus Humbertus Delphinas tum non ditionis Gallicæ, qui & ipse ob infirmam valetudinem voluntarie cessit : certo nulli Munionem acrius defenderunt quam Galli, ut constat ex actis. Provincia Provinciæ quæ tum Tolosanam amplectebatur procuratorem Romam misit F. Bernardum de Trilla S. T. magistrum Parisiensem virum primi nominis qui coram pontifice causam magistri tueretur : hunc verò electum suæ provinciæ provincialem, & Palentiæ 1291 confirmatum ut dictum est, Romæ anno 1292 ab officio removerunt, quia Munionis partes, ut iis videbatur, fortius defenderat : vixque minis & pœnis compesci potuerunt sodales provinciarum Provinciæ & Franciæ, quæ duæ solæ tum erant in Galliis, ne de ea magistri abrogatione publice conquererentur, ut videre est in actis capp. genn. sequentium. Hæc itaque Munionis depulsio cardinalium Latini & Hugonis imo potius Nicolai papæ IV opus fuit, quos sancta intentione id egisse credendum est, ut jubetur in actis cap. gen. Rom. 1292, sed ex quo nihil in magistri famam redundat dedecoris, adversus quem nil probatum fuit aut etiam objectum. Simile passi sunt postea viri omni exceptione majores Martialis Auribelli, Sixtus Fabri, Nicolaus Ridolphi, adeo summis principibus semper placere difficillimum. Quæ autem de ejus ætate & genere diximus ex actis ipsis depromta sunt : Nam in instrumento appellationis adversus cardinalium commissionem Ferrariæ 1290 sic de eo legitur : *Nam ut veridica relatione accepimus ab introitu ordinis annis videlicet triginta tribus carnibus non est usus*, igitur anno 1257 institutum amplexus erat. Et in libello supplici Nicolao IV a Patribus Tolosanis in cap. prov. Appamiis eodem anno coactis oblato, *magistrum ordinis nostri certitudinaliter novimus secundùm carnis originem excellenter natum, excellenter dotatum, excellenter sensatum &c.* Hæc ejus supersunt :

1. *Epistolæ sex encyclicæ e capitulis generalibus, quibus totidem annis continenter præfuit datæ.* Has videsis editas in *Anno Domin. Gallico P.* II *julii, in supplem. Martii pag.* 55 *& seqq.* Extant verò MSS cum actis capp. genn. & recens editæ a D. Martene asceta Maureo in suo Thesauro Novo anecdotorum.

2. *Regula Fratrum & Sororum de pœnitentia B. Dominici, quam nunc habent, cùm prius sub quibusdam consuetudinibus a B. Dominico eis traditis viverent, & ordinem illum plurimum auxit & gratiis communivit :* Sic in chronico parvo ordinis etiam in prima editione anni 1504. Ejus cum laude meminerunt S. Antoninus P. III : Leander Albertus fol. 38 b : Taëgius P. V *Mon. ord.* Lusitanus, Razzius, Fernandez, Fontana in *Theat. & Monum* : Altamura ad 1300. Videndus & Davila *Theat. Eccl. de las Españas in Episc. Palent.* Quod autem longe ante magistratum Munionis floruerit iste ordo de pœnitentia B. Dominici, clara habentur testimonia in vita B. Ambrosii Sansedonii a quatuor nostris sodalibus scripta, in qua plures virgines & matronæ laudantur hujus instituti habitum publice deferentes. Videsis Acta SS. T. III martii p. 192 n. 53, ubi dicitur Ambrosius diversas virorum & mulierum virginum ac viduarum confraternitates ad religiosum vivendi modum adjectis discretis constitutionibus congregasse sub regimine FF. Prædicatorum. Idem p. 212 n. 15, & p. 213 n. 18 dicitur de quadam Dña Mante de Lisignano Florentini tractus Ambrosii consanguinea, quam juvenem viduam exemplo Gallæ a Gregorio in dialogis laudatæ ille ita excitavit, ut habitum vestitarum FF. Prædicatorum induerit, inter quas tanta morum & prudentiæ maturitate excelluit, ut eam sibi pluries præfecerint. Hæc autem conversio ante MCCLXX apparet facta.

F. THOMASSELLUS DE PERUSIO.

F. THOMASELLUS DE PERUSIO Etruscus vel *
Umber a patria & professione sic nuncupatus 1285.
ab omnibus ad seculum XIII collocatur, sed in chronologia ea est apud nomenclatores varietas, ut quid certi vix depromi possit. Razzius qui domus Perusinæ nostræ monumenta diligenter scrutatus est, & eum excipiens Pius P. I col. 215 inter beatos numerant, & S. Thomæ de Aquino discipulum quidem volunt, sed juvenem eximiæ sanctitatis anno Christi MCCLXX ætatis 28 obiisse, & Perusii ceu beatæ memoriæ ad altare majus honorifice sepultum. Nulla cæterum ei opera tribuunt. Fontana Lucarinum citans & Altamura ad 1285 ad eum Christi annum pervenisse narrant, & senem ætatis 82 mortuum, cum hoc tamen sancti doctoris auditorem astruentes. Quæ sane non conveniunt. Sanctus enim Thomas anno tantum 1248 docere cœpit Coloniæ, & Parisiis 1253 : quis verò putet Thomassellum annorum ætatis 45 aut 50, quos agebat annis 1248 & 1253 si ætatis 82 anno 1285 diem obiit suum, in scholis adhuc auditorem tantum fuisse ? Unde fere non dubitem quin apud hos auctores in annis ætatis numerorum facta sit inversio, & pro 28 quod habent Razzius & Pius, scripserint 82. Id discutiendum Perusinis nostris permitto. Thomassellum postremi scripsisse volunt

Commentarium in magistrum sententiarum.

Jacobillus sic habet *super lib. 3 sententiarum*, quod interpretabar *super librum tertium sententiarum*, & juveni mortuo competere mihi videbatur. Oldoinus in Athen. Aug. aliter censet & vult

ut & Crispoltus scripsisse in tres primos libros magistri sententiarum, codicesque MS servari Neapoli, ubi & anno 1589 inventi fuerint apud nostros S. Dominici, testesque adducit Alexium in Elogiis & Alexandrum Balestrinum in Memoriis Perusinis & de gymnasio ejus urbis.

B. AMBROSIUS SANSEDONIUS.

* 1286. B. AMBROSIUS SANSEDONIUS Etruscus Senis ex illustri Sansedoniorum stirpe oriundus, nostris hîc non est ornandus laudibus, ex eo jam satis spectandus, quod fastis sanctorum nomen ejus Ecclesia inscripserit. Neque etiam vitæ ejus ac gestorum narrationem lector hîc expectat, quæ in Actis SS. T. III Martii pag. 181 & seqq. ex monumentis æqualibus non solum habet fusissima, sed & notis uberibus ab eruditis Editoribus illustrata. At cùm in illa quædam irrepserint ὕστερον πρότερον relata, seu ex interpolatione Ambrosii Taëgii qui ea exscripsit, ut ipsi monent eruditi Editores, seu ex compilatorum incuria, qui veritati magis Actorum studuerunt, quam chronologiæ accurate servandæ, quam tamen historiæ lumen esse nemo nescit, nostri visum est instituti, qui rei literariæ dilucidandæ incumbimus, quæ ad Ambrosii præsertim studia spectant, ac perturbate narrantur, in ordinem reducere.

Natus est igitur Ambrosius anno MCCXX aprilis XVI: anno verò MCCXXXVII aprilis itidem XVI habitum ordinis Senis in S. Dominici induit, clara hæc, at quæ sequuntur turbidissima. Sic enim legitur vitæ n. 20: *Post multos autem dies Patres rogavit, ut eum Parisius dirigerent, quatenus sub Magno Alberto in theologica scientia proficere posset: annuere suæ petitioni Patres* &c. At num. 24 seq. sic habetur: *Cùm autem a teneris annis in grammaticalibus esset sufficienter instructus, in logicalibus & philosophicis studere nisus est, in quibus cùm aliquo tempore operam dedisset, ad divinæ scripturæ studium se transtulit.* Quæ sane præpostere narrantur, quasi prius Parisios missus sit, quam logicis & physicis disciplinis instructus fuisset. Hæc igitur ex regulis in ordine tum servatis sic restituenda.

Anno tyrocinii XVI april. MCCXXXVIII exacto, philosophiæ vel Senis ut vult Ugurgierius & verisimilius, vel in alio Italiæ studio applicitus est, qui cursus ea ætate quadriennio minimum perficiebatur. En jam annum MCCXLII attigimus, quo in sua etiam Romana provincia theologiæ operam dederit, neque enim nisi quibusdam annis in ea exercitati, & quorum magna spes futuros aliquando lectores Parisios perficiendi mittebantur; ut pluries in hoc opere monemus: eam itaque triennium apud suos audierit. Tum autem, & sic intelligas, quod dicunt quatuor vitæ compilatores, *Post multos autem dies*, postulavit Parisios mitti anno scilicet MCCXLV vel MCCXLVI jam 25 aut 26 annorum sub Alberto magno erudiendus, qui scilicet Albertus Magnus nonnisi anno MCCXLV Parisios venit sententias interpretaturus, & triennium magisterii completurus, ut supra dicebamus ubi de eo, & jam antea demonstravimus in Dissertatione nostra, cui titulus, *S. Thomæ Summa suo auctori vindicata*: ex quibus inferas Parisiis ejusdem S. Thomæ tum fuisse condiscipulum. His astipulatur F. Recuperus in vita quam privatim nostri Ambrosii scripsit, in Actis SS. T. III martii edita, ubi sic habet n. 4 pag. 211 a: *Post sufficientem ergo auditionem artium*, nempe in sua provincia Romana, *ad fontem theologiæ ac physicæ F. Albertum missus, avide ad studendum se contulit.* Omittit quidem Recuperus annos theologiæ in Italia datos, sed non omnia minutatim referunt semper scriptores, & quædam ex more ætatis & ex ratione temporum supplenda sunt. Cùm ergo dicatur Parisios ad Albertum Magnum missus, hicque nonnisi anno 1245 Parisiis docere cœperit, ad hunc annum revocanda est ad eum Ambrosii missio cui & cœtera conveniunt.

Sic enim quatuor vitæ compilatores n. 25: *Postquam per biennium in theologiæ studio supra multos coætaneos suos Parisius profecisset, plurium jussu, etsi pluries humiliter restitisset, prædicationis officium assumere compulsus est*, 27 circiter juxta calculum nostrum annos natus, eaque certe ætate juvenem Parisiis tanto qualem referunt illi compilatores concursu & plausu audiri mirum erat.

Ano MCCXLVIII Alberto magisterii laurea donato Coloniam redeunte, & ipse Ambrosius cum S. Thoma eo missus est, ibique sub eodem Alberto studii regente docere cœpit e superiori loco Thomam collegam habens. Sic habetur in catalogo SS. ordinis edito Romæ post librum de privilegiis ordinis, & T. III martii pag. 248 n. 49 citato: *Studuit Parisiis, mox Coloniæ rogatu imperatoris ac prælatorum jussu docuit.* Et ibidem n. 46 ex Necrologio conventus Senensis: *S. Albertum &c. in conventu coloniensi provinciæ Teutoniæ cum S. Thoma de Aquino habuit condoctorem.* At S. Thomas Coloniæ tantum docere cœpit anno MCCXLVIII.

Ibidem pluribus annis stetisse qua docendo qua concionando ex vitæ ejus serie discimus. Hinc si verum est, quod compilatores vitæ narrant pag. 187 n. 26, *annis tribus in Parisiensi studio sacram theologiam publice & gratiose legisse*, quod ideo dico quia in catalogo mox citato nulla hujus memoria, sed hæc tantum leguntur, *studuit Parisiis, mox Coloniæ docuit, deinde Romæ*: si inquam Parisiis docuit, quod & facile crediderim, eo tantum cum S. Thoma non autem prius missus fuerit circa MCCLIII, scripturamque sacram aut etiam sententias interpretatus fuerit, non pro forma magisterii ut loquuntur, nullo enim gradu unquam se permisit insigniri, sed extraordinarius, quales plures ibi legisse certum est, & identidem in hoc opere indicamus. Quapropter etsi lectionem hanc Parisiensem fortè ob universitatis celebritatem, vitæ compilatores referant ante Coloniensem, posteriorem tamen fuisse tum ex studiorum ejus ætatis ratione, tum ex ipsis compilatoribus evincitur. Sic enim habent illo eodem n. 26: *Tunc temporis* (scilicet cùm Parisiis legebat) *catholicam Ecclesiam illustrabant summi & divini philosophi & theologi Albertus Teutonicus cognomento Magnus, & D. Thomas Aquinas Italus doctrinis sive scriptis & exemplis &c.* Qui tamen Aquinas Parisios anno MCCLIII missus ad legendas sententias sua in eas commentaria, quæ priora fere ejus fuere opera, circa ea tempora evulgavit. Videtur etiam Parisiis Ambrosius post illam publicam trium annorum professionem iterum Coloniam, & ad alias Germaniæ partes rediisse, siquidem eodem n. 26 dicitur exinde in Italiam revocatus a Gregorio Romano pontifice, quem X fuisse eruditi Editores recte annotant.

Quod tamen haud facile concordari potest cum eo quod n. 38 dicitur: *Innocentium IV audita servi Dei Ambrosii fama jussisse beatum virum Romæ commorari ut theologiam legeret, & reipsa per triennium theologiam Romæ legisse.* Nisi dicamus Innocentium IV ibi positum pro alio pontifice, puta Urbano IV aut Clemente IV. Et sane cùm Innocentius IV qui anno MCCXLIV Lugdunum se receperat, nonnisi anno MCCLI Italiam repetierit, nec Romam eo usque a Fredericianis infestatam,

SÆC. XIII. sibique non liberam nisi anno MCCLIII intrarit, paululumque moratus Neapolim se contulerit, ubi anno MCCLIV mortuus est, hæc tempora turbida theologiæ in urbe instaurandæ ac reformandæ commoda non erant, quod tamen pontificis consilium fuisse dicitur, qui Ambrosium in ea docere jussit. Hinc Julius Sansedonius in vita sancti hanc professionem Romanam ad eum pontificem refert, cujus tempore plura jam in Ecclesiæ utilitatem Ambrosius confecerat, quod ad aliquem ex Innocentii IV successoribus videtur spectare. Favent & ipsi eruditi Actorum SS. editores ad illa verba Recuperi citati in vita sancti n. 12 : *Fuerunt autem scholæ ejus post decessum admirandæ memoriæ F. Thomæ de Aquino solemniores, quibus præfuit fere per triginta annos in ordine.* Ubi sic Editores : *Atque adeo ab anno ætatis* 37, *quippe qui* 67 (sic enim legendum non 87 quod typorum erratum) *annum pene decurrerat, cùm moreretur.* Quibus si assentiamur, anno Christi MCCLVII tantum, id est tribus a morte Innocentii IV annis, præesse scholis in ordine cœperit, & cùm Coloniensem & etiam Parisiensem rexerit prius quam Romanam, hanc certe non obtinuerit nisi sub Innocentii successore, quisquis ille fuerit. Juxta verò nostram supputandi rationem ætatis 28 seculi sui XLVIII legere ac scholas regere cœperit, Romam nonnisi post MCCLX accesserit, quoquo tandem anno in ea Urbe cathedram ascenderit theologicam, triginta fere quippe illos annos regiminis scholarum, quos ei tribuit Recuperus non continuos & solidos censemus, sed aliquando interruptos, præsertim cùm quatuor fusioris vitæ compilatores n. 38 dicant beatum quietis cupidum cum licentia pontificis & superiorum *variis in Italiæ conventibus contemplationi & orationi vacantem annis quindecim moras traxisse* : quod rursus non ad amussim accipiendum, sed circiter fortè decem paulo plus vel minus.

Sunt alia plura in his ejus actis ὕστερον πρότερον scripta, quæ recensere ac in ordinem redigere fusius esset, sat nobis hæc ad studia ejus spectantia dilucidasse, ut ad annum mortis veniamus, de quo non minor est difficultas. Nocte ad diem 20 martii currente mortuum constat apud omnes, sed quoto anno diffident. In vita per quatuor compilatores jussu Honorii IV scripta statuitur annus MCCLXXXV. Idem habet ejusdem vitæ Italica versio quam sequitur Flaminius apud Leandrum Albertum fol. 237, & Lusitanus in chronico. Aliunde verò anno MCCLXXXVI obiisse asserit Recuperus pluries laudatus ac beati pluribus annis discipulus, quem excipiunt Necrologium Senense citatum, S. P. Pius II in chronico Senensi, F. Bernardus de Lutzemburgo in chronico, Julius Sansedonius episcopus Grossetanus in vita sancti lingua vulgari eleganter & accurate a se conscripta, Breviarium ordinis Prædicatorum. Difficultatem augent Instrumenta de miraculis a sancto editis mense maio & junio mortem ejus immediate sequentibus confecta, quæ tamen annum præferunt MCCLXXXVII. Hæc in causa fuerunt ut Actorum SS. Editores T. III martii citato pag. 181 commentarii prævii n. 10 revera anno tantum MCCLXXXVII mortuum contenderint. Quæ tamen ambages facilè solvuntur attenta varia apud varias nationes ea ætate incipiendi anni ratione. Romæ tum anni initium sumebatur a 25 martii Nativitatem Domini subsequente, sicque 20 martii erat annus adhuc MCCLXXXV cùm mortuus est Ambrosius, & 25 sequenti ejusdem mensis incepit annus MCCLXXXVI. Hunc computum sequuntur compilatores quatuor citati Romæ scribentes, & qui eis assentiuntur alii. Senis contra incipiebat annus a 25 martii præcedente Nativitatem Christi per menses novem, sic Senis 20 martii quo mortuus est Ambrosius erat finis anni MCCLXXXVI, & 25 martii ejusdem mensis incepit annus MCCLXXXVII. Quæ numerandi anni ratio non Senis solum, sed & Pisis & in aliis Etruriæ civitatibus diutius usurpata est : hunc verò computum Recuperus Senis scribens, & qui ei astipulantur, secuti sunt & probant instrumenta de miraculis confecta laudata. Revera autem secundùm æram vulgarem quæ jam in usu, & juxta quam annus novus numeratur vel a Nativitate Domini ut Romæ vel a Kalend. januar. ut fere alibi, obiit Ambrosius anno MCCLXXXVI. Legesis Acta SS. T. II april. in prolegomenis ad vitam B. Claræ Gambacurtæ Pisanæ ord. Prædic. p. 506 b, ubi Editores eruditiores facti ex variis chronicis Etruscis mutata & correcta optant, quæ in prolegomenis ad vitam B. Ambrosii T. III martii ad 20 mensis pag. 181 minus caute commenti sunt de anno mortis, quem anno MCCLXXXVII statuerant. Quæ ut eorum diligentiæ nos debere gratanter agnoscimus, ita hîc monere lectorem debuimus, alias hæc ad prolegomena actorum B. Claræ Gambarcutæ non quæsiturum : qui & iterum monendus in his prolegomenis erratum typorum non semel sed in tota illa pagina 506 b. irrepsisse, ubi semper legitur MCCLXXVI & LXXVII pro MCCLXXXVI & LXXXVII.

Mirum autem virum tot nominibus celebrem qui tot annis scholas theologiæ rexerat, pulpita Germaniæ & Italiæ illustriora præsertim Senensia tandiu cum summa laude obtinuerat, nullis suis lucubrationibus rem literariam ditasse. Sic enim quatuor vitæ compilatores n. 26.

Edidit tunc temporis (nempe cùm Parisiis legeret) *nonnulla opuscula, prout infra dicemus.* At altum postea de iis silentium.

Eodem num. *Exhortatus aliquando, ut ad Ecclesiæ utilitatem aliqua & ipse dictaret, hoc facere semper renuit, ne arrogantiæ ascriberetur : & ideo non multa ejus reperiuntur opera.*

F. Recuperus ejus discipulus, ut ipsemet testatur vitæ specialis quam scripsit n. 12, sic habet. n. 10 præcedenti : *Conciones ejus nequaquam ab eo proferebantur, quales a quibusdam copiositatem verborum suorum & facundiam capere non valentibus, sed multum defectuose collecta sunt.*

Ibid. n. 11 : *Pauca scripsit propter ineptitudinem manus ac scriptorum inopiam : quæ verò scripsit sic succincte & inculte, ut nequaquam leporem suæ eloquentiæ & profunditatem suæ sapientiæ conservarent.*

Ibid. n. 22 : *Compilavit magnas sed magnificas letanias, quas quotidie dicebat.*

Hinc quos illi ascribit Altamura ad 1285 : *Sermones de B. Virgine, de sanctis, de tempore & quadragesimales* mihi visi non sunt recensendi.

Acta potius ejus legationum seu ex parte pontificum ad Reges, Principes, Respublicas pro eorum dissidiis componendis, hæresibus confutandis, cruce adversus infideles prædicanda, vel etiam ex parte plurium civitatum, Senensis suæ præsertim ad summos pontifices, ipsiusque Conradini ad Clementem IV pro obtinenda ab illo pace & reconciliatione mihi non viderentur omittenda, si ea in archivis qua pontificum, qua rerum publicarum servati constaret. At & quidni serventur ? sed otiosi & curiosi est hæc indagare.

Cæterùm cùm hujusmodi illustrium virorum, qui vix scripserunt, sed multa egerunt præclara, ipsa vita sit opus clarissimum, qui gesta hujus nostri beati literis commendarunt videntur hîc laudandi.

Primi sunt quatuor ordinis sodales beato æquales, qui unâ vixerunt, fueruntque aliqui ejus auditores, & jussu Honorii IV selecti qui ejus gesta

quam possent accuratius scriberent. Hi verò sunt:

F. Gisbertus Alexandrinus ab eà civitate hujus nominis episcopali quæ dicitur Statiellorum unde ortus erat, & in qua ordini nomen dederat sic nuncupatus. Hunc B. Thomæ de Aquino discipulum fuisse præstant antiqua monumenta, scientiaque maxime theologica ea ætate claruisse.

F. Recuperatus de Petramala Aretinus a diœcesi & loco natali in Etruria sic dictus, aliquando etiam *de Senis* an a professione, ut ut sit vir fuit pietate, doctrina, zelo apostolico commendatissimus. Ambrosii auditorem fuisse jam supra notatum.

F. Aldobrandinus Papparonus Etruscus ortu Senensis e stirpe *de Grandi*, inquit Ugurgierius *Pompe Sanesi* T. i p. 336, & domus S. Dominici ibidem alumnus sanctitate vitæ illustris. Hunc a republica Senensi Sansedonio socium datum fuisse quidam volunt, ut ambo Gregorium X convenientes, interdicti quo eam civitatem ligarat, solutionem obtinerent, de quo videsis T. iii Mart. p. 188 F. Idem ecclesiastes vere apostolicus fuit, qui Senis in funere *B. Genovese* piissimæ fœminæ paucis post B. Ambrosium annis defunctæ & cujus confessiones audiebat ita peroravit, ut ad fletus cœtum celeberrimum commoverit: cujus etiamnum servatur memoria in fastis Academiæ Intronatorum die 24 decemb.

F. Odoardus Visdomini Etruscus ortu etiam Senensis e familia patritia oriundus, & ibidem etiam in S. Dominici professus, theologus eximius.

Ab his igitur quatuor unà junctis compilata est & edita.

Vita B. Ambrosii Sansedonii Senensis.

Quam ex cod. ms Senensi in sua ordinis monumenta derivavit, & exscripsit noster Ambrosius Taegius. Italice reddidit Simeon Nicolaus Cartularius & typis tradidit 23 aug. 1509. Rursus ex Italica Latinam fecit Sebastianus Flaminius cultiori stylo, & Leander Albertus suis viris illustribus inseruit fol. 230. Primigenio verò quatuor laudatorum scriptorum stylo ex cod. ms Taegii repræsentant Acta SS. martii T. iii a p. 181 ad 200. Subjiciuntur miracula instrumentis publicis consignata, quorum originalia in cœnobio Senensi servantur.

F. Recuperus Aretinus, quem eumdem censent cum Recuperato de Petramala Aretino supra laudato, præter illud opus commune scripsit

Summarium virtutum & miracula dicti B. Ambrosii.

Sequuntur ad superiora in Actis SS. martii T. iii a p. 210 ad 240. Ex miraculis narratis præsertim n. 87 constat hoc opus non completum nisi post annum mcccxviii, quem proinde excesserit Recuperus. Prima autem pars quæ de virtutibus beati agit, stylo parænetico potius quam historico scripta est, & indicat ut accurate monet Bollandus, panegyrim esse dictam e pulpito in aliquo beati anniversario proximis forsan a morte annis, cujus thema fuerit: *Fons parvus crevit in fluvium maximum &c.* Qui tamen prologus deest in codd. ms Senensi & Veneto SS. Jo. & Pauli, ex quibus in Acta SS. illata sunt.

In his verò actis a Recupero scriptis n. 35 laudatur F. Ildibrandinus de Paparonis, quem eumdem censeas cum Aldobrandino tertio ex compilatoribus vitæ supra relato, & dicitur vir magnæ sinceritatis & magnæ litteraturæ in jure canonico & sacra theologia, & ejus testimonium tanto efficacius, quanto difficilius fidem narratis beati miraculis adhibuit, donec miraculis ipse vinceretur. Ejus verò n. 36 refertur *epistola ad sodales seu lamentum super morte B. Ambrosii.* Ex hac epistola discimus eum tum fuisse senem, & diutius cum beato versatum. Hinc non levis mihi conjectura eumdem esse, qui in vita B. Christinæ Stumbelensis pluries laudatur, & qui anno mcclxviii Coloniæ agebat studens pro provincia Romana, dicitur que F. Albrandinus: nam & tempora conveniunt, & eadem mira narrata credendi difficultas refertur. Vide postea *F. Petrus Dacus*, ubi id expenditur. SÆC. XIII.

F. Dionysius Becci *a Sancto Geminiano* hoc eodem anno florebat, & ideo hìc visus est non omittendus. A patria Etruriæ oppido haud ignobili sæpius nuncupabatur, & in S. Dominici Senis ad ordinem ascitus B. Ambrosii auditor fuit, & ex ejus disciplina prædicator famosissimus evasit. A morte beati plura de eo scripsit, præsertim

Miracula.

Quæ ex eo referuntur tum in vita per quatuor superius laudatos edita n. 67, tum in Summario Recuperi nn. 49, 193, 249, 255.

Quinque mox relati scriptores laudantur ab Altamura ad 1289. Præter hos autem de B. Ambrosii vita commentarios ediderunt Alexander Guilielmi, Romæ 1595 in 4. Julius Sansedonius ex eadem beati stirpe Senensis episcopus Grossetanus, qui acta omnia superius relata, & plura alia monumenta à se collecta Italice reddita prælo subjecit Romæ, Jac. Mascardi 1611 & iterum 1615 in 4, quæ altera editio Paris. in Regia H. 1698. Extat etiam *Sommario della vita del B. Ambrogio de Sansedoni Sanese*, Bracciani 1622 in 4. Est in Reg. H 1699.

F. JACOBUS CASTELBONUS.

F. Jacobus Castelbonus qui & *de Alexiis & Raynutii* nuncupatur, Italus Umber, Perusinus patria & professione, cùm morum gravitate eruditionisque laude clareret, priorem tum in domo Romana S. Sabinæ agens, ab Honorio IV Florentinus episcopus datus est: qui consecratione accepta mox in sponsæ suæ amplexus ruit viii julii mcclxxxvi, lætitiaque non vulgari ab ea est exceptus, ceu quæ a pluribus annis vidua erat, & præclara omnia ab illo sibi promittebat: sed in luctum brevi conversus est chorus, siquidem quadragesimo ab ingressu die ad superos vocatus, mœrentes amantissimas oves reliquit, fuitque apud S. Mariam Novellam sepultus. Ejus meminere Lusitanus & ab eo nostrates omnes, & ultimo Altamura ad 1286: sed & exteri Ughellus Ital. Sac. T. iii, Jacobillus de Scriptor. Umbr. Oldoinus Athen. Aug. & Crispoltus Perug. Aug. p. 357. Ejus habentur † 1286.

Sermones Perusii & Forocornelii apud nostros ms servati.

Nota erratum apud Bandellum & ex eo apud Lusitanum p. 125 irrepsisse, cùm hunc dicunt episcopum Perusinum: neque enim ullus ejus nominis nobis fuit Perusinus præsul. Patria igitur Perusinum dicere debuerunt, dignitate pontificia Florentinum. Sed & manifesta apud Lusitanum unius ejusdemque hominis in duos divisio, cùm p. 122 alterum nobis obtrudit *Jacobum de Perusio sermonum perutilium* itidem auctorem & ad 1262 florentem nullo vade allato, quem errantem excipiunt Pius P. ii p. 59 & in Append. Fernandez & Altamura ad 1262 & 1286. Errorem vitavit Oldoinus unicum eo seculo in Athen. Aug. laudans.

F. GUIDO DE TURRE.

F. Guido de Turre clara Dominorum de Turre Pinu, vernacule *de la Tour du Pin* linea paterna, materna verò Viennensium Delphinatum e stirpe oriundus, Alberti I de Turre Pinu, & † 1286.

SÆC. XIII. Beatricis Hugonis Coligniaei Beatricisque Viennensis Delphinæ filiæ natorum secundo genitus. Adolescens vix annorum quindecim ordinem in conventu Claromontano amplexus est anno MCCXLVI. Triennio post ætatis 18 anno MCCL patruo suo Hugoni de Turre episcopo Claromontano apud Saracenos cum S. Ludovico Francorum rege profecto, ibidemque 28 decembris MCCXLIX defuncto, communibus capituli suffragiis, sanctissimo etiam favente rege suffectus est, ac subinde a Rothomagensi archiepiscopo aliâs tum cardinali Albano Petro de Collemedio consecratus. Hanc ille rexit Ecclesiam ad obitum usque, ad annum scilicet MCCLXXXVI: cùm antea fuisset postulatus ad Lugdunensem archiepiscopatum anno MCCLXVIII, quam postulationem ceu in divisione factam Clemens papa IV confirmare renuit & verbis amicissimis excusavit data ad illum 3 pontificatus sui anno 15 kal. febr. epistola, quæ est in codice 491. Summi pontificis sed & regis auctoritate fultus jam ab anno MCCLXXXV testamentum condiderat, cujus curatores germanus ipsius frater Hugo Lugdunensis Ecclesiæ Senescallus & Ægidius Aicelinus sunt ab eo instituti. Inter alia verò, quod nostra solùm hîc interest, suppellectilem literariam seu bibliothecas ita divisit: quæ in palatio episcopali Claromonti Arvernorum, eam conventus sui Claromontani Fratribus, quæ in castro suo apud Pulcrum Respectum, vernacule *Beauregard*, Ecclesiæ novæ S. Flori capitulo legavit. Etsi autem ferant in cathedrali ecclesia Claromontana sepultum, Fratres nostri hoc ei in ecclesia sua grati animi monumentum posuerunt: *Frater Guido de Turre episcopus Alverniæ* XV *agens annum, puer nobilis genere, ut pote Delphinorum Viennensium, qui contempto mundi fastu ordinem Prædicatorum est ingressus, anno verò* XVIII *ætatis suæ sub Ludovico Pio rege Francorum provehitur ad episcopatum Alverniæ. In episcopatu suo ad honorem Dei & matris suæ, nec non ad Ecclesiæ exaltationem librum de statutis synodalibus Ecclesiæ Claromontensis edidit. Obiit A. D.* MCCLXXXVI. Parma illi gentilitia Turrianæ gentis Alverniæ Turris argentea ad murum sita, Grypho aureo gradiente superimposita in area coccinea, quæ paterna: materna verò tessera coccinea, Aquila expansis alis argentea, rostro, cruribusque, & ungulis cyaneis, quæ est Castillioneæ Colignorum familiæ. De eo legendi Justelhus in *Histor. geneal. stirpis Alvern. lib.* 5. Jacobus Branche *Histoire des SS. d'Auvergne*. Savaro, quique ei succenturiavit Durandus *Origines de Clairmont pag.* 193. Gallia christiana. Baluzius *Histoire de la maison d'Auvergne*. Ejus meminere Leander fol. 115. Fontana in *Theatro* & in *Monum.* Altamura ad 1250 & alii nostrates. Edidit itaque

Librum de statutis synodalibus Ecclesiæ Claromontensis.

Sermones plures. MS bis habentur Claromontii apud nostros ut ex indice codd. MS ejus domus mihi misso constat.

F. JOANNES A SANCTO BENEDICTO.

* 1286. F. JOANNES A SANCTO BENEDICTO Gallus ex celebri ad Ligerim supra Aurelianos oppido Benedictisano vernacule *Saint Benoist-le-fleuri* dicto natus & a patria cognomen sortitus, Aurelianensisque conventus alumnus, vir fuit seculo XIII in sacra facultate Parisiensi nominatissimus. In catalogo laureatorum Parisiensium apud Bernardum Guidonis recensetur 39 his verbis *F. Joannes de Sancto Benedicto Aurelianensis*. Ex referendis autem constabit & circa MCCLXXX magisterio donatum, & pluribus academiæ comitiis affuisse votumque suum gravissimis de causis tulisse, & scholas nostras Aurelianenses cum episcopi & universitatis tum ibidem maxime florentis laude & existimatione rexisse. Quod ut clarius fiat recolendum occasione bullæ Martini IV datæ 4 id. jan. anno 1 scilicet MCCLXXXII, quæ incipit *Ad fructus uberes*, qua regularibus mendicantibus certa quædam circa confessiones audiendas concedebantur privilegia, ingentes adversus Minores & nostros apud episcopos quosdam & in universitate Parisiensi turbas emersisse. Guillelmus episcopus Ambianensis in primis negotium ubique prosequebatur acrius. Is igitur Aurelianis existens anno MCCLXXXVI mense januario sermonem habuit, quo dictorum regularium privilegia infringere nisus est, quod ipse sic refert in epistola encyclica ad episcopos Galliæ: *Dum essemus in domo nostra prope Aurelianis, visum fuit nobis expediens, quod negotium & privilegia exponerentur magistris & scholaribus Aurelianensibus, qui sunt peritiores in jure quam Parisienses, & melius intelligentes. Quod & fecimus præsentibus omnibus tam juris canonici quam civilis, præsente F. Joanne de S. Benedicto magistro in theologia, lectoribus Prædicatorum & Minorum, & omnibus diligenter expositis, & finito sermone nostro, surrexit F. Joannes & dixit: Dominus episcopus dicit multa bona & vera, quædam dubia & quædam alia, & ad omnia ista respondebimus die Dominica sequenti: & prædicavit & multa dixit, & illa scripta fuerunt per multos scholares & tabelliones, quos ad hoc miseramus.*

Sermo F. Joannis a S. Benedicto a notario episcopi Ambianensis collectus & scriptus. Princ. *Pacem & veritatem diligite.*

Post distinctam cum glossa triplicem pacem, pectoris, temporis & æternitatis, sic loquitur: « Nos ordo Prædicatorum & Fratrum Minorum semper cum omnibus pacem habuimus, & præcipue cum prælatis. Isti duo ordines semper ambulaverunt in pace quantum in ipsis fuit, & in futurum semper ambulabunt quantum in ipsis erit. Scio enim quod hanc triplicem pacem habuimus semper ego & Dominus Ambianensis episcopus, & simul fuimus bachalarii in Garlandia, & eruditi in artibus, licèt unus plusquam alius, & simul magistri legentes in artibus, & multoties communicavimus actus nostros & facta nostra, & verba familiaria sæpe ad invicem habuimus, & in futurum habebimus Domino concedente. Et post quam venit hic prope ad locum suum, misit nuncium pro me, & sui gratia honorifice me recepit. Si igitur familiares fuimus & amici ex quo eramus pares, pacem hanc volumus habere, & per Dei gratiam habebimus in futurum &c ».

Ex quibus patet magistrum in artibus fuisse priusquam ordinem amplecteretur. *Garlandia* tum dicebatur studium philosophiæ, quia magistri artium universitatis tum docebant omnes in vico stramineo (vernacule *du Foare*) qui vicus in Feodo *Garlandia* dicto Parisiis situs est.

Postea distincta triplici veritate vitæ, justitiæ & doctrinæ, *hoc genus triplex veritatis*, inquit, *scandala non timet &c. Quid ego curavi, quando intravi ordinem? utrum amici mei scandalizati fuerint necne? nihil &c.* Postea de veritate doctrinæ loquens, sermonis D. Ambianensis distinguit quinque portiones. 1. De religiosis qui student in naturalibus & philosophicis, quos reprehenderat episcopus. « Dico, inquit, cum eo & adhuc plus, quod quicumque sunt illi, qui student in illis ad pompam & ambitionem & ad apparentiam, & ad curiositatem sciendi, ipsi peccant sive sint religiosi studentes sive seculares. Et plus dico, quod plus peccant religiosi quàm seculares. Sed qui student sive Prædicatores sive Minores, Saccati, Barrati (Car- «

melitæ scilicet tum vestibus barratis usi) & quicumque alii religiosi, monachi albi vel nigri, & regulares canonici etiam in talibus studentes ad inquisitionem veritatis, & ad Dei honorem & proximi sui ædificationem, meritoriè student; quia nostra scientia theologica est sapientia, quæ ædificavit sibi domum ex septem columnis & vocavit ancillas ad arcem : unde omnes aliæ scientiæ nobis famulantur &c,

II Portio fuerat de potestate clavium Petro ejusque successoribus a Christo collata. Post plura optime explicata sic ait. » Postmodum videns Spiritus Sanctus, quod Ecclesia patiebatur defectus, suscitavit duos ordines, scilicet ordinem nostrum & Fratrum Minorum, qui deputati sunt ad audiendum confessiones, & prædicandum universo mundo, & super his datum est nobis privilegium per D. Gregorium IX, qui fecit & copulavit decretales, in quo exhortantur prælati, & post per apostolica scripta eis mandatur, ut ipsos Fratres ad prædicandum populo sibi commisso gratanter & benigne recipiant, & confessiones audire sinant, & illud privilegium datum fuit Anagniæ, & fuit lectum.

III Portio de arctatione potestatis ipsorum Fratrum edita per D. Clementem IV. » Scitote, inquit, quod temporibus Ambianensis episcopi error magnus populavit Parisius. Dicebant quidam quod nos non poteramus audire confessiones de sola licentia majorum prælatorum, immo a sacerdote parochiali, ut Parisius a sacerdote S. Severini, hîc a sacerdote S. Martini debemus licentiam confessiones audiendi postulare, quod est absurdum. Nam a primo anno quo intravi ordinem, nunquam a talibus fuit petita talis licentia. Unde super isto casu quidam congregavit magistros in theologia Parisius, inter quos fuit F. Thomas de Aquino, & judicaverunt hanc dogmatizationem erroneam, & miserunt pro hoc ad curiam tempore Alexandri IV. Qui Alexander bullavit, confirmavit, quod irrequisitis inferioribus prælatis, ut est parochialis sacerdos, de licentia majorum prælatorum sine requisitione inferiorum, vel de licentia legati qui pro tempore esset, possemus audire confessionem omnium eisdem prælatis subditorum. Et lectum fuit illud privilegium datum Anagniæ anno 5. (XV kal. febr. ac proinde anno 1259.) Hinc colligas congregationem illam magistrorum in theologia paulo ante habitam, tumque S. Thomam, qui ei adsuit, Parisiis adhuc stetisse, & nostrum Joannem a S. Benedicto videri discipulum ejus fuisse. » Postmodum successit Clemens IV qui vidit quod eramus in dangerio majorum prælatorum, ideo fecit declarationem, quam aliàs audivistis, & determinavit quod de his tantum casibus qui reservantur episcopis nos non intromitteremus nisi de eorum concessione seu voluntate, volens & ponens nos extra dangerium eorum in omnibus aliis. Et hanc licentiam in civitate ista & diœcesi in illis casibus gratia D. Aurelianensis episcopi semper habuimus, & cum ejus benevolentia, qui nos semper protexit & fovit, fovet & protegit atque nutrit sicut gallina pullos suos. Unde non est diu quod ego misi nepotem meum de quodam minimo voto fracto ad D. episcopum Aurelianensem absolvendum, qui illum sui gratia ad nos remisit absolvendum. Si benevolentiam & gratiam episcoporum nostrorum nos hîc & Fratres Parisius prosequamur, benefacimus : & hoc faciant Fratres Rothomagenses & Ambianenses & alii, si volunt (quod) Ecclesia tueatur ipsos &c«.

IV Portio erat de ampliatione potestatis Fratrum edita per Martinum IV. » Qui D. Martinus, inquit, attendens fructus uberes, qui proveniunt ex ordine nostro : cujus tempore dum esset legatus in Francia, fuit factum concilium quoddam in Compendio & in præsentia D. Bonaventuræ, qui post fuit cardinalis; (constituerunt archiepiscopus Remensis & ejus suffraganei quasdam arctationes contra nos & Fratres Minores, ut non permitteretur Fratribus indistinctè confessiones audire, vel etiam indifferenter prædicare, sed illud officium committendum paucis ex nobis, scilicet prioribus, custodibus & guardianis, lectoribus & magistris in theologia) ille cardinalis legatus irritavit quod illi fecerant. Postmodum factus summus pontifex recoluit, & vidit quod prælati nimis erant duri ad commissionem sive potestatem nobis Fratribus (concedendam.) Videns & considerans fructus uberes, qui per ordinem producuntur in Ecclesia Dei, sicut ante sine dangerio sacerdotum poteramus prædicare, confessiones audire, ita sine dangerio majorum prælatorum ut episcoporum possemus illa facere, & in Ecclesia Dei fructus facere: & de hoc aliás audivistis privilegium D. Martini, quod rematere [*sic an* remanet] inter vos ad caput *Omnis*, quod saltem semel in anno confiteantur propriis sacerdotibus, in cujus privilegii impetratione & procuratione fui præsens «. Hinc infero Urbeveteri IV idus januarii anno I id est Christi MCCLXXXII Joannem nostrum fortè a sua Franciæ provincia procuratorem missum extitisse, cum enim data bulla. Sæc. XIII.

» Unde dico absurdum & inconveniens, quod illa peccata quæ sunt nobis confessata, iterato sacerdoti debeant confiteri, quia non esset magnum quid in Ecclesia Dei nobis commissum, nec multum de hoc curaremus. Unde Parisius congregati fuimus coram episcopo Parisiensi [Radulpho de Hombloneria,] qui nunc est & est magister in theologia : & ipse cum quindecim magistris in theologia consenserunt, & consensum dedimus unanimiter, [anno 1282 vel 1283] sigillavimus & scripsimus hanc veritatem quæ sequitur. Quærebatur numquid peccata de quibus aliquis confessus est, & pœnitentia sibi injuncta, & perseverat in pœnitentia debeat iterum confiteri, & omnes prædicti, quorum nomina ignoro ego reportator (*id est ego notarius episcopi Ambianensis, qui sermonem ex ore dicentis colligo & scribo*) dixerunt quod non. Ad hanc veritatem confirmandam vocamus magistrum Arnulphum le Besçochie, qui respondit quod hoc erat sanitas & veritas doctrinæ : dicebat tamen, offenderem in Dominum meum Ambianensem episcopum sigillando, ideo rogo vos quod de hoc parcatis mihi. Quidam alius magister Gervasius dixit quod bonum erat & æquum illud statutum, sed non sigillaret, nisi primò fieret collatio inter magistros. At ego dixi quod non erat necesse, quia jam erat sigillatum & discussum inter XVI magistros. Noluit tamen sigillare. De hoc requisitus fuit similiter magister Henricus de Gandavo, qui respondit quod non apponeret suum sigillum, nisi apponeretur clausula scilicet quod illud erat verum * quod est ex virtute sacramenti. Et tunc ego quæsivi ab eo, quid esset dicere? Et ipse dixit, quod hoc erat propter jus commune &c. plura inter quæ hæc non omittenda. » Unde dictum est mihi, quod magistri in theologia & in decretis requisiti fuerunt ut hanc dogmatizationem sigillarent (*scilicet quod confessus Fratribus, eadem iterum proprio sacerdoti confiteri tenebatur*) quod noluerunt facere & bene. De intellectu alius statuti, *Omnis utriusque sexus &c.* tetigit vir venerandus & discretus officialis Aurelianensis in quadam repetitione dicens, quod statutum illud fuit factum propter differentes confessiones suas nimis, quia (*non*) nisi in extremis positi confitebantur : ideo etiam

* f. quantum.

Sec. XIII. » providit ad evitandum deceptionem animarum, * quia saltem semel in anno confiterentur. Item additum fuit propriis sacerdotibus propter hoc, quia quidam confitebantur eremitis exclusis in nemoribus, nec curabant, dum tamen essent sacerdotes. Ideo propter tales vagos dictum est propriis sacerdotibus &c «.

* i. quod.

Ultima portio fuit super requisitione quæ fuit facta per prælatum Parisiensem a Fratribus, quod unanimiter scriberent summo pontifici super declaratione illius privilegii (Martini IV.) » Qui Fratres ut aliâs audivistis facere recusarunt, ut dicunt. Sed salva reverentia D. Ambianensis episcopi, non ita nude responderunt, ut ipse asserit. Dixerunt, quod privilegia mittebantur magistris ordinis & diffinitoribus capitulorum. Unde Minores dixerunt, quod non intererat eorum: unde cùm nobis Fratribus Minoribus Parisiensibus negotium non sit commissum, sed magistris & diffinitoribus capitulorum, non possumus expedire, præcipue quia modo non habemus magistrum; sed creandus *(est)* in brevi apud Montempessulanum in pentecoste in capitulo generali, & de hoc tunc sufficienter capitulum respondebit. Prædicatores illud idem dixerunt, sed modo non poterant facere quia magister eorum erat absens in Flandria vel Hispania, sed sperabant ipsum esse in capitulo generali apud Burdegalam [*ubi habitum* 1287] & ibi tunc consulerent ipsum super hoc, & libenter uterque ordo adhibebit consilium, & sic fuit dictum. Item licèt prælati hoc peterent, non tamen ideo erat recurrendum ad papam, nam propter calumniam cujuslibet, non est recurrendum ad declarationem papæ.

» Unde vidi Parisius de quodam qui erat reputatus magister in theologia Parisius, qui legebat in domo nostra Matthæum. Deventum est ad *Pater noster*, & ad finem illum, *sed libera nos a malo*. Dixit ille: Hæc petitio implebitur in via in tantum quod veniet tempus in Ecclesia militante, in quo genus humanum liberabitur a malo, quia veniet ad statum, in quo statu homines non peccabunt, nec malum sustinebunt. Dicebatur ei: Habes tu aliquam auctoritatem pro te? nullam adduxit, unde fuit privatus cathedra magistrali. Credis tu quod propter suam calumniosam opinionem esset recurrendum ad papam ad declarandum *Pater noster?* certe non. Satis habemus *Pater noster* declaratum &c «. Ad calcem sic legitur:

Iste sermo fuit factus Aurelia per F. Joannem de Sancto Benedicto magistrum in theologia A. D. 1285 *Dominica post festum B. Vincentii*, veteri nempe stylo, novo 1286 januar. 27, nam erat Lit. Dom. F. Additur:

Hubertus de Sancto Valerico super mare Ambianensis diœcesis reportavit: scilicet notarius ab episcopo Ambianensi missus, qui sermonem ex nostri Joannis ore scripto exciperet, quique Gallice dicta subito Latine reddidisse videtur.

Ad hæc omnia respondit episcopus Ambianensis in sermone quem altero post die habuit, hæcque notanda visa sunt.

In resp. ad 3 portionem, hæc habet. » Benedicatur F. Joannes, quia tanquam doctor veritatis veritatem agnovit, quam nolunt alii agnoscere &c.

Ad 4 portionem. » Quod autem dicit F. Joannes quod D. Martinus cùm fungeretur officio legationis, mutavit concilium Compendiense, ubi statutum fuit ut asserit per Remensem archiepiscopum & ejus suffraganeos, quod potestas episcoporum paucis committeretur: respondemus quod omnia concilia quæ fuerunt facta a 30 annis citra palpavimus & vidimus in registris, & cùm novem annis steterimus in ordine episcoporum illius provinciæ, nunquam tale statutum vidimus. Præterea cùm steterimus cum D. Martino IV dum fungeretur officio legationis in Francia, nec vidimus nec intelleximus, licèt per nos suæ curiæ multa negotia expedirentur, quod in prima aut secunda sua legatione talia retractarit &c «. Et infra de congregatione magistrorum ab episcopo Parisiensi facta, quam observarat noster Joannes: » Verum est, inquit, quod magistri sigillaverunt, prout generaliter fuit eis proposita, nec in quæstione erat mentio de privilegio, nec ad magistrorum notitiam pervenerat ejus concessio: nunc autem illi iidem qui sigillaverunt, dicunt quod fallit in casu proposito &c.

Ad ultimam portionem tale damus responsum. Profecto prælati aliâs competenter & prout fieri debuit duobus annis elapsis magistros utriusque ordinis interpellaverunt, videlicet Fratrem Bienteviegne tunc temporis ministrum Minorum: & F. Stephanus de Bisuntio doctor theologiæ *(postea magister ordinis* VIII*)* requisivit ex parte prælatorum magistrum Prædicatorum in generali capitulo, ut pro declaratione privilegii nuncii concorditer mitterentur: qui responderunt, sicut prælatis relatum extitit, quod non mitterent, quia utebantur rite ut asserebant secundùm modum ordinatum ab eis. Et sic responsio facta Parisius fuit minus sufficiens, præsertim cùm secundùm hoc possent Fratres prælatos semper sub deliberatione tenere &c «. Et postea: *De magistro Christiano* (illo scilicet qui *Pater noster* explicare tentarat) *novimus veritatem &c.*

Hujus Christiani Belvacensis & ejus expositionis super illa verba *sed libera nos a malo*, meminit Albertus Magnus super Matth. ad illa eadem verba: *Dixit tamen* (sunt verba Alberti) *Christianus Belvacensis, quod aliquando in ista petitione Ecclesia exaudietur &c. sed iste error ab ipsomet, & a nobis, & aliis multis condemnatus est.* Christianus autem ille inter magistros Parisienses & Guillelmi de Sanctoamore asseclas fuit e primoribus, de quo legendus Cantimpratanus Apum lib. 2 c. 10 § 27 ubi ejus non solùm resipiscentiam, sed & apud nostros Sanjacobeos sepulturam electam laudat.

Quæ non animo quæstionem illam retractandi refero, sed solùm ut annotem quæ historiam illius temporis attinent & nostrum Joannem de S. Benedicto. Hæc autem legas fusissime relata Parisiis in Bibl. Colbert. cod. MS memb. fol. n. 3266, ubi omnia acta in hac causa continentur.

Extant & quidam ejus *Sermones* in Bibl. Victor. cod. MS memb. 762 supra relati ad annum 1281, 82 & 83 inter alios concionatorum sacræ facultatis Parisiensis n. VII.

Nec dubito quin alios imo plura alia scripserit vir eruditus, sed quæ in luctuosissima conventus Aurelianensis a Calvinianis solo æquati eversione perierint. In cod. MS memb. fol. conventus Rotomagensis laudatur quidam F. Joannes de Sancto Benedicto inquisitor hæreticæ pravitatis in terris nobilis viri comitis Tolosani: an autem idem sit cum hoc nostro in theologia magistro nolim asserere, cùm ille collega dicatur F. Guillelmi Bernardi, qui isto munere fungebatur anno MCCLVIII, sicque videtur antiquior, quam ut circa MCCLXXX ad agones scholasticos se transferret.

F. GALIENUS DE ORTO.

F. GALIENUS DE ORTO (sic, fortè *de Horto* Gallice *du Jardin* pro more ætatis agnomina Latine vertendi) sub finem seculi XIII florebat, * 1288.

quo Secundam Secundæ S. Thomæ de Aquino in compendium contraxit, quod habetur Parisiis in Victorina cod. 121 memb. fol. par. & partem alteram voluminis obtinet, & foliolis 150 constat. Hicque est titulus minio scriptus ad latus prologi intra columnam, & eadem totius operis manu:

Incipit abbreviatio Fratris Galieni de Orto super Secundam Secundæ Fratris Thomæ de Aquino. Quia sermones morales in universali sunt minus utiles &c.

Finis: *Projice te securus & excipiet te & sanabit te. Qui Deus benedictus & pater Domini nostri Jesu Christi nos qui securos in eum projecimus, sua benignitate recipiat ne cadamus: & sanet in præsenti per gratiam, & benedicat in futuro per gloriam. Amen. Explicit anno Dñi* MCC *octuagesimo* VIII *mense aprili.* Sequentia supra relata sunt, ubi de S. Thoma, ubi videsis. Ex hac porro epitome tum eo loci, tum antea in dissertatione nostra, cui titulus *S. Thomæ Summa suo auctori vindicata* anno 1708 edita, contra Launoium evicimus Summam S. Thomæ jam ante MCCLXXXVIII communissimam fuisse, & doctorum omnium manibus versatam.

Artificium illius compendii in eo consistit. Solus titulus quæstionis apponitur minio quilibet scriptus, articuli autem omnes quantum ad corpus ut aiunt quam fieri potuit brevius contracti continua serie sibi invicem catenati exhibentur: ad finem verò cujusque articuli aliquando additur vel *sed contra* ut loquuntur, vel quædam ex responsionibus ad objecta, non integra, sed si quod in ea effatum vel principium ad mores spectans.

Gallenum ordinis Prædicatorum fuisse non legitur explicite in codice Victor. ut neque de S. Thoma: verùm votis religiosis astrictum fuisse constat, tum ex præfixa suo nomini Fratris appellatione, tum ex finis verbis relatis, *nos qui securos in eum projecimus*, quæ ex suo addidit, nam apud S. Thomam non habentur. Præterea ne quis Victorinum forsan censeat, in monumentis ejus Ecclesiæ index est canonicorum regularium omnium ab ipsis initiis in ea professorum, nullus autem hujus nominis toto seculo XIII recensetur. Hinc nemini mirum videbitur, si auctorem epitomes secundæ secundæ S. Thomæ inter sodales nostros numerem: quem tamen si scriptor alterius ordinis suis rectè vindicet, affectu saltem nostrum, & cum summa gratia prædicabo.

Character ejus codicis Gothicus est & minutior, sed elegans, accuratus & lectu facilis. In catalogo codd. MS. Angliæ T. I P. II n. 1612 fol. memb. recensetur *secunda secundæ S. Thomæ abbreviata.* An sit idem opus cum hoc Victorino docebunt indigenæ curiosi.

F. PETRUS DE DACIA.

* 1288. F. PETRUS DE DACIA sic a provincia ordinis decima, quæ Daniam Sueciam & Norvegiam complectebatur, nuncupatus, Suecus natione, Wisbii in Gotlandia insula natus, ab infantia pietati deditus, ut primum per annos licuit de seculo relinquendo cum germanis fratribus deliberavit. Vix adolescens circa annum MCCXLV ordinem amplexus est in patria, stadioque studiorum quod tum longius erat in provincia sua emenso, lecturisque quibusdam de more apud suos artium vel etiam theologiæ perfunctus, Coloniam Agrippinam ubi sub Alberto Magno vigebat studium generale, pro rata provinciæ Daciæ missus est anno MCCLXVI, ibidemque non minus scientiæ sanctorum quam eruditionis sacræ avidus, cum christianis ad perfectiorem vitam anhelantibus, cum mirabili præsertim B. Christina Stumbelensi magnam iniit necessitudinem. Triennio Coloniæ peracto, ex assignatione capituli provincialis Daciæ, quo in doctrina docendique methodo perfectior evaderet, Parisios ad gymnasium Sanjacobeum ire jussus est, quod & intravit anno MCCLXIX feria sexta ante festum pentecostes x maii scilicet. Ibidem in ipsis sacris solemniis habita fuerunt generalia ordinis comitia, quibus interfuerunt summi academiæ & orbis theologi, interquos ut cæteros taceam, S. Thomas de Aquino, qui hoc anno & sequenti ibidem lector & regens studii fuit institutus. Hinc Petrus sub ejus disciplina, quo valebat ingenio, quantum profecerit facile conjicias. Annum integrum & duos menses cum dimidio circiter ibi moratus, inde exiit Dominica proxima post Jacobi apostoli MCCLXX seu XXVII julii (erat lit. Dom. E) & per Stumbelen ac Coloniam transiens, ubi ægrotante socio suo F. Nicolao Daco, sex aut septem septimanis hærere coactus est, XXX septembris iter arripuit, & Skeningiam tandem feria sexta post purificationem id est VI febr. MCCLXXI pervenit. In ea urbe præcipuum erat provinciæ Daciæ studium, in quo juxta morem de revertentibus a Parisiensi studio Petrus primarius lector institutus, quarta feria post Matthiæ, id est crastino ejus festi (erat lit. Dom. D) theologiam e superiori loco profiteri cœpit; eoque munere functus est ad annum MCCLXXV circiter. Tum verò ad aliam domum in profundo terræ sitam missus est, ut ipsemet ait, hoc est in loco ubi rarum ab exteris commercium: sed non diu ibi relictus fuit, nam Skeningiæ lector redditus est circa annum MCCLXXVII, eo enim titulo se ornat in epistola ad Christinam scripta XII octob. ut videtur anno illo MCCLXXVII: & eodem etiam titulo insignitur in epistola ad eum data a F. Laurentio Sweo studente Coloniæ in festo Magdalenæ anni MCCLXXVIII. Cum verò ipsum anno sequenti LXXIX cupido cepisset Coloniam imo Christinam revidendi, Westeras seu Arosiam (Westra-aros duplici nomine conjuncto vocat) urbem episcopalem in Westmania se contulit ad provincialem F. Augustinum ibi in domo nostra hærentem: a quo potestate sibi facta discessit feria altera pentecostes XXII maii, & in Gotlandiam insulam quæ ei natalis trajiciens, & aliquandiu commoratus, exinde Lubekam ac tandem Stumbelen accessit XV sept. fer. VI, concioneque ibidem crastino habita, tertio die Coloniam intravit. Rebus demum qua de causa venerat compositis, sacris reliquiis non paucis; novem præsertim SS. Virginum Coloniensium minimum capitibus collectis, spirituali solatio, qui præcipuus itineris scopus fuerat, Christinæ mirabili non modico collato, vicissimque ab ea accepto, eam XXIII octob. reliquit, Lubekam XXIII circiter novemb. accessit, Kalmarniam fer. V post Luciæ seu XIV decem. appulit, ibidemque in domo ordinis provinciæ Daciæ ac Teutoniæ viciniori hiemavit. Toto vere sequenti & parte æstatis anni MCCLXXX de loco in locum transiit sortis suæ incertus, donec Assoniam ubi comitia provinciæ habebantur, circa festum Laurentii advenit, & in actis in terram nativitatis suæ inquit, scilicet in Gotlandiam remissus, Visburgi vulgo *Wisby* lector institutus est. Anno MCCLXXXI comitiis provinciæ Skeningiæ habitis affuit, ubi per litteras a Christina datas rogatus ut germanum suum Sigwinum recipi curaret in provincia conversum, ei ut morem gereret, a F. Bertholdo Insulensis domus priore obtinuit ibidem recipiendum. Itaque F. Mauritius Petri amicus, & ibidem diffinitoris capituli generalis sequentis socius electus, Vienna Austriæ ubi habitum est anno MCCLXXXII rediens, Sigwinum ut in mandatis habebat, secum adduxit ad capitulum provinciale eo anno celebratum circa S. Laurentii in Gotlandia Wisby scilicet, eumque F. SEC. XIII.

Bertoldus prior Insulensis habitu conversorum in sua domo induit xx augusti die S. Bernardi. Petrus postea & ut verisimilius circa finem anni MCCLXXXIII electus & institutus prior Wisbiensis eo titulo comitiis provinciæ anno sequenti LXXXIV affuit, ex quibus ad Christinam scripsit ad ea se sanum advenisse, & cum provinciali (is tum erat F. Oliverius de quo postea) egisse, ut ejus germanus F. Sigwinus in professione dictus Gerardus Wisbii assignaretur, seque ut ante hiemem eo veniret curaturum: simulque orat, ut per difinitorem cap. gener. sequentis anno MCCLXXXV celebrandi, vel per ejus socium F. Nicolaum quondam Coloniæ studentem sibi ipsa Christina rescribat. Eidem Christinæ scripsit iterum anno MCCLXXXV fortè per F. Nicolaum prædictum Bononiam pergentem, tum ipse quartana vehementi prægravatus, & ei promittens germanum suum Sigwinum eam visurum æstate proxima. Quod tamen an factum fuerit dubium, imo aliò a capitulo provinciali hujus anni apparet assignatum. Nam anno MCCLXXXVI idem Petrus prior Wisbiensis e capitulo provinciali scribens Christinæ se datum prioris provincialis socium ad capitulum generale Burdegalæ anno sequenti habendum, eaque occasione in reditu se eam visurum circa festum Joannis Baptistæ, addit se a dicto F. Sigwino seu Gerardo literas accepisse, quibus sibi in domo in qua tum erat admodum placere significabat: quæ probant jam ab anno non Wisbii sed alibi assignatum & morantem. Petrum autem anno sequenti MCCLXXXVII cum suo provinciali Burdegalam ad capitulum generale quod fuit provincialium ivisse hinc constat, quod in reditu Lovanii existens in octava Joannis Baptistæ, Christinæ scripserit se eam septimana sequenti invisurum. Quod an successerit, non est quod ambigatur tum ob propinquitatem loci, tum quod via esset in Sueciam redeundi: sed brevi ab ea se expedierit, illa secum auferre contentus, quæ de virginis mirabilibus ad octobrem MCCLXXXVI scriptis tradita fuerant: quia provincialem suum in Daciam ad capitulum suum provinciale habendum properantem comitari seu assequi tenebatur, cùm sociorum esset acta comitiorum generalium ad provincialia comitia deferre & legere. Quo anno tandem Petrus obierit certa non habetur memoria, conjicitur tamen ante pascha sequens MCCLXXXVIII abiisse ad superos, tum quod nihil de eo post MCCLXXXVII sciatur, tum quod F. Folquinus ejus quondam socius & Wisbii sub eo priore commorans Christinæ in festo nativitatis B. Virginis anni ut censent MCCLXXXVIII scripserit Petrum mortuum quadragesima præcedenti. Scripsit autem hic prægrande volumen de virtutibus virginis Christinæ Christi sponsæ, cui inditus est ab ejus morte titulus:

Acta Christinæ Mirabilis Coloniensis seu Stumbelensis, quæ scripsit F. Petrus de Dacia ordinis Prædicatorum, qui fuit maximæ scientiæ & auctoritatis, & lector præcipuus inter lectores Prædicatorum, qui dictæ puellæ Christinæ fuit divinitus datus in amicitiam, tutorem & curatorem, nec non consolatorem specialem & spiritualem.

Codicem MS membraneum majoris molis servat collegium canonicorum Juliacensium, ad quorum ecclesiam corpus illius beatæ demum fuit translatum ac nunc requiescit. Acta autem illa non progrediuntur ultra octobrem MCCLXXXVI, quia Petrus vix sesquiannum ultra superstes fuit, nec alius quod fuisset in votis ei succenturiavit, cùm tamen Christina non obierit nisi anno MCCCXII. Etsi verò dies mortis ejus Virginis fuerit sexta novembris, Pappebrochio tamen visum est hæc acta dare ad XXII junii, seu quod dies sit ejus translationis, seu quod ἀπόγραφον Bollandi evanescenti paulatim atramento ad editionem mensis novembris ante quinquaginta annos non prodituri eo usque duraturum non erat. Tenent porro acta illa longiora T. IV junii a p. 275 ad p. 426, hoc est pp. 151.

Ex illis actis seriem vitæ Petri nostri sic placuit minutatim referre, tum quia non parum confert ad historiam ordinis dilucidandam, quæ de provincia Daciæ olim celeberrima tamen multum jejuna est: tum quia vix aliter intelligi possunt acta illa B. Christinæ, quoad epistolarum in iis relatarum seriem quadantenus confusa, tum denique quia in suis annotatis vel Bollandus vel Pappebrochius ob ignoratam ordinis πολιτείαν, quam nec scire illis obvium est, non semel cæspitarunt, quorum & quædam hîc addo exempla.

Omitto quod in commentario prævio aiunt n. 4 post mortem B. Christinæ anno MCCCXII, comitem Clivensem Theodoricum reliquiarum ejus contactu a paralysi sanatum D. papæ supplicavisse, ut canonizaretur *tunc Innocentio vel Honorio tertiis*: manifestum enim per incogitantiam, quæ viris eruditissimis in grandioribus præsertim operibus non raro irrepit, id eis excidisse; sed & Pappebrochius ipse postea emendat p. 426 n. 58, hanc supplicationem Clementi V, vel Joanni XXII oblatam scribens: sed vide sequentia.

P. 297. Annot. b. *Officium B. V. parvum pro ordine Prædicatorum, Rorate cœli desuper &c.* Clarum est hîc non agi de Horis nostris quotidianis B. V. quæ apud nos nunquam hoc initium habuerunt: sed de officio missæ de Beata in Adventu, cujus introitus talis est apud omnes. Nimirum cùm F. Gerardus de Griffone, & F. Petrus sub eventu ibi narrato magis Missa carere elegissent quam Christinam deserere, quia tempus meridiei appropinquarat, saltem officium Missæ in ejus cubiculo recitandum duxerunt, quod aliâs nostris peregrinantibus erat familiare, & *Missam siccam* vocabant. Unde addit Petrus, *cùm ad evangelium* Missus est *venissemus*, indicans jam epistolam & superiora recitata.

P. 321. Annot. b. *Skeningiam hactenus in tabulis non reperio* ait D. P. Jam tamen anno MDCCVI in sua regnorum Daniæ & Sueciæ &c. tabula excuderat Guillelmus de Lisle academiæ regiæ scientiarum collega & geographus: est autem Skeningia vernacule *Skenningen* urbs diœcesis Lincopiensis in Ostrogothia non longe a Vasteno. Domus ordinis in ea erecta secunda regni Sueciæ numeratur a Bernardo Guidonis: sed & a Messenio in *Scandia illustrata*, & a Scheffero in *Histor. Eccl. Suediæ* conventus noster Skeningensis laudatur.

P. 327. Annot. l. *Nusquam Westwaaros potui reperire in tabulis novissimis & accuratissimis*, ait D. P. At n. 4 ad quem est hæc nota legitur *Westraaros*, nec dubium quin civitas illa sit quam Sueci *Westeras* vel Arosiam, estque episcopalis Westmanniæ primaria: adeo ut quæ nomina nunc dividunt, tum unâ conjungerent. Nobilem Suecum audivi eam *Westra-aros* nominantem. Apud Messenium & Schefferum citatos laudatur conventus noster Arosiensis seu Westeras, licèt a Bernardo Guidonis omissus. Aliud autem est Arhusium Arhusen in Jutia, aliud Westmannia, civitas utraque episcopalis, hæc sub Upsalensi, illa sub Lundensi: in utraque erat nobis conventus.

P. 332. Annot. a. *Assonia fortasse est Assens Fioniæ insulæ oppidum occidentale.* Sic D. P. Hîc hæreo fateor, cùm enim n. 22 ad quem hæc nota agatur de capitulo provinciali ibi habito, certo indicatur domus ordinis. Apud Bernardum Guidonis in Dania laudatur tertius conventus *Aosiensis*, fortè *Ahuis* vel *Ahusen* ad mare Balticum in Blekingia & esse potest qui dicitur hîc *Assoniensis*, vel si hic

hic est alter, a Bernardo omissus fuerit, & erit *Asfens* Fioniæ.

P. 344. Annot. K. Ad duplicem titulum F. Petro datum in epistola ad eum e Colonia a F. Laurentio scripta, 1 lectori Skenigiensi, 2 priori Insulensi, sic D. P. *Suspicor quod epistola sub primo titulo jam scripta, supervenerit nuntius de electione Petri facta in capitulo Wisbeyensi, ideoque appendiculam istam sub ampliori titulo collocatam fuisse.* Sed ista non conveniunt. 1. Electiones priorum apud nos nunquam factæ sunt in comitiis provincialibus, sed in quaque domo, mortuo vel amoto priore. 2. F. Bertoldus qui ceu prior Insulensis affuit comitiis provinciæ Wisbii anno MCCLXXXII habitis, non fuit in iis amotus ab officio, imo ad Insulensem domum reversus prior, Sigwinum Christinæ germanum XX augusti habitu conversorum induit. 3. In epistola quam F. Petrus Christinæ scripsit, & quæ refertur in Actis p. 422 n. 43 de dicto Sigwino jam veste donato monet se ex relatione tantum scire, quod prudenter se gerat, neque seipsum aliter quam antea nempe lectorem Gotlandiæ, hoc est Wisbeyensem, nominat: quæ epistola videtur scripta anno MCCLXXXIII, cùm jam saltem per sex menses aut amplius Sigwinus sui specimen dederat. Itaque ad hunc annum nullum est documentum F. Petrum, priorem ullibi egisse. Quid ergo de duplici epistolæ titulo pensandum? Forsan falso rumore deceptus Laurentius Petrum priorem credidit, ac ut ut esset duplici titulo donavit: vel quod verisimilius censeo, erratum est notarii qui exemplum Juliacense exscripsit, qui in altero titulo scripsit Petro pro Bertoldo: ut enim uterque & Petrus lector Gotlandiæ, & Bertoldus prior Insulensis e capitulo provinciali Skeningiæ anno MCCLXXXI scripserat Christinæ, sic pro ea F. Laurentius e Colonia eadem epistola utrique fortè rescripsit.

P. 423 n. 47 sic D. P. *Vidimus F. Petrum factum priorem in Wisby (hoc autem nomine dicitur primarius portus Gotlandiæ, quæ cùm insula sit, merito suspicor priorem Insulensem & Wisbiensem eumdem esse) adeoque F. Petrum & antea sub annum* MCCLXXV *& iterum intra decennium circiter eumdem conventum rexisse post præmemoratum F. Bertoldum.* Primò verum non est eumdem esse conventum Insulensem & Wisbiensem, utrumque clare distinguit Bernardus Guidonis, qui Wisbiensem tertium, Insulensem septimum numerat in Suecia. A nobili Sueco rerum sui regni gnaro accepi Insulensem eum videri, qui in Hist. Eccl. Suediæ *Eekholmensis in insula lacus Meler* dicitur. Secundò tantum abest ut antea in actis habeatur Petrum fuisse priorem Wisbiensem anno 1275, quinimo p. 414 n. 15 se quasi in exilium missum queritur, addens *se habitare in profundo terræ, unde raro peregrini sed mercatores nulli exire consueverunt:* quod nonnisi ad annos 1275 ac 1276 referri potest. Nam jam anno 1277 suo lectoris Skeningiensis muneri redditus erat, ut constat ex epistola F. Laurentii data Coloniæ mense julio 1278 relata p. 323 n. 1. Prioris igitur officio nullibi functum legitur in Actis ante 1283, quo fortè sub finem electus est Wisbiensis, ubi antea lector agebat, nec successit F. Bertoldo qui conventui illi nullibi legitur præfuisse, sed Insulensi. Ex his expungitur D. P. nota F. p. 344.

P. 424 n. 50: *Interim contingit Joannem Vercellensem O. P. magistrum VI excedere e vivis Bononiæ in Italia anno* MCCLXXXIII, *& capitulum generale eamdem in urbem pro successoris electione convocari, ad quod in socium definitoris delectus F. Petrus tum prior &c.* Nec ista cohærent cum Actis, nec cum chronicis nostris. Omitto Joannem Vercellensem mortuum non Bononiæ sed in Montepessulano prid. Kal. dec. MCCLXXXIII, cui revera successor eligendus erat Bononiæ anno MCCLXXXV: at verum non est Petrum delectum fuisse socium diffinitoris illius capituli: imo ex epistola ejus ad Christinam & alios relata p. 423 n. 46, quæ necessario scripta est anno MCCLXXXIV e capitulo provinciali Daciæ, constat F. Nicolaum quondam Coloniæ studentem electum fuisse socium diffinitoris capituli illius generalis Bononiæ anno sequenti celebrandi: unde ut sibi per eum vel per diffinitorem Christina rescribat eam monet. Præterea in epistola illa p. 424 n. 50 relata non dicit se datum diffinitoris socium, sed a diffinitoribus capituli provincialis *datum socium priori provinciali ad capitulum generale.* Non dabatur autem tum sicut nec nunc, priori provinciali socius, nisi cùm anno sequenti futurum erat capitulum generale provincialium. Sic ergo se res habuit.

Anno MCCLXXXV fuit capitulum generale diffinitorum I & in cap. prov. anni præcedentis datus est socius huic diffinitori scilicet F. Nicolaus, non priori provinciali, licèt iverit de jure pro electione magistri ordinis, sed sine socio a diffinitorio dato. Anno MCCLXXXVI fuit capitulum generale diffinitorum II, & in cap. prov. anni præcedentis datus est socius diffinitori hujus anni alius a Petro. Anno MCCLXXXVII fuit capitulum generale Provincialium Burdegalæ habendum & in cap. prov. anni præcedentis LXXXVI datus fuit provinciali socius, & hic fuit noster Petrus.

Hinc colligo certo epistolam illam p. 424 n. 50 relatam, nonnisi e cap. prov. MCCLXXXVI scriptam fuisse, contra quam sentit D. P. qui vult anno MCCLXXXIV datam, quia leges nostræ ab initio ad hæc ultima tempora inviolabiliter servatæ ipsi ignotæ fuerunt. Hinc evanescunt fere omnia quæ idem D. P. commentatur. p. 425 nn. 51 & 52, ubi putat Petrum prima julii Lovanii existentem ad iter Italicum se accinxisse pro capitulo generali adeundo, & idcirco dubitat an *Stumbelen* ad Christinam iverit. Contra enim est omnino. Prima illa julii erat anni MCCLXXXVII: tum non adibat capitulum generale quod semper in feriis pentecostes, sed ex capitulo generali Burdegalensi redibat, & in Sueciam revertebatur: unde nulla difficultas quin Christinam inviserit, ut ei promittit littera n. 51 relata, sed solum in transcursu, ut supra relatum in ejus elogio.

P. 425 n. 53. Epistolam hoc numero relatam recte monet D. P. a Petro Christinæ scriptam priusquam prior Wisbiensis eligeretur, sicque datam anno medio MCCLXXXIII circiter: unde hìc extra ordinem posita est.

P. 440 Annot. a, ad illa scilicet verba n. 34: *Item in festo Magdalenæ cùm plures studentes sederent cum dña abbatissa &c.* Sic habet D. P. *Etiam in cœnobiis virginum studentes dicuntur, quæ probationis tempore discunt linguam Latinam & cantum.* Ut ut sit de hac nota, certum est eo loci per *studentes* non intelligi sanctimoniales, quæ abbatissam suam comitabantur, sed quatuor illos sodales nostros ex diversis provinciis Coloniæ studentes, qui coram abbatissa illa S. Cæciliæ D. Geva collationem theologicam habuerunt, ut narratur p. 288 n. 48: utrobique enim de eodem eventu agitur.

Quando verò in historia nostra pauca habeantur de provincia Daciæ, placet hìc eorum ordinis sodalium, quorum in his actis est mentio, notitiam aliquam subjicere ut quam floreret illa viris pietate, disciplina & doctrina præstantibus videatur, ubi & quidam postea aliarum provinciarum laudabuntur. Hos ordine alphabetico recenseo.

P. 284 n. 31 F. ABSALON prior provincialis

SEC. XIII. Daciæ laudatur, a quo F. Petrus dicit se tum novitium dono accepisse Diurnale, istudque B. Christinæ se dedisse. *Hic Absalon*, inquit Bernardus Guidonis, *vir fuit admodum reverendus & bonus, & provinciam rexit annis* XX *& amplius, & in officio obiit in Rusquillis anno* MCCLV. Cœnobium Roschildense indicari censeo, quod secundum ab eo numeratur in Dania. Roshildia civitas est episcopalis in Zelandia insula non longe ab Haptinia sita. Ex his habetur Petrum ante annum hîc notatum ordini nomen dedisse.

P. 324 n. 4 F. AUGUSTINUS Daciæ post Absalonem prior provincialis laudatur, sed de eo vide supra ad 1282.

P. 313 n. 43 F. ANDRÆAS Aciensis pro rata provinciæ Daciæ e Colonia ubi quibusdam annis theologiæ operam dederat, Lutetiam ad gymnasium S. Jacobi ultimo perficiendus missus est, & sub finem augusti MCCLXX iter arripuit, quæ virum solertem indicant & spei non mediocris.

F. BERTOLDUS provinciæ Daciæ alumnus erat prior Insulensis seu conventus nostri in Insula (nempe lacus *Meler*, quem supra Eexholmensem dictum indicabamus) quo munere fungebatur annis MCCLXXXI, LXXXII & seqq. Hunc specialissimum patrem suum vocat F. Petrus p. 343 n. 64: & ejus amicum specialem dicit Christina ibidem n. 65. Ejus etiam ad virginem refertur *Epistola* scripta e cap. prov. Skeningiæ anno MCCLXXXI circa festum Laurentii. Titulus:

In virginis filio Christo Jesu dilecta virgini Christinæ F. Bertoldus dictus prior FF. Prædic. de Insula provinciæ Daciæ.

F. CAROLUS expleto pro rata ejusdem provinciæ Parisiis stadio, ad suos revocatus, Colonia transiit mense martio MCCLXVIII, Juvenis a pietate & sacrarum litterarum studio commendatus p. 283 n. 29, 30, 31 & postea sæpius. Stumbelen & ipse adiit, & ex miris in Christina visis totus in Deum exarsit, & illi beatæ psalterium elegans & parvitate commodum, quod Parisiis emerat, dedit.

F. FOLQUINUS domus Wisbiensis in Gotlandia alumnus F. Petri socius præsertim in itinere laudato anni MCCLXXIX, de quo videsis acta p. 314 n. 5, & p. 326 n. 12. Ejus duæ ad Christinam referuntur *Epistolæ*.

I. p. 418 n. 30. Titulus: *Carissimæ sibi in Christo Sorori Christinæ de Stumbele F. Folquinus O. FF. Præd. minimus in Gotlandia &c.* Gratiarum actio est pro beneficiis in se collatis in itinere præfato.

II. p. 425, n. 54. Pr. *Religiosæ ac devotæ, sibi in Dei filio carissimæ sorori Christinæ &c.* Ei F. Petri prioris Wisbiensis in quadragesima præcedenti defuncti mortem nunciat. Data est IX sept. ut conjectu pronum MCCLXXXVIII. Germanos tres suos ejusdem ordinis Prædicatorum sodales ei etiam commendat WERNERUM qui obierat in Flandria, JOANNEM *lectorem* mortuum Revaliæ, ALBERTUM *lectorem* Wisbii adhuc in vivis.

F. HELINRICUS pro provincia Daciæ Coloniæ studens agebat mense augusto MCCLXX p. 314 n. 44. Rediit Parisiis Coloniam anno MCCLXXVIII p. 324 n. 3. Vide in seqq. *Laurentius* & *Olaus*.

F. INGELDUS alicubi in Dacia prior augusto MCCLXX Coloniam accessit, & litteras a F. Petro ad Christinam attulit, sed ea non visitata recessit XXV mensis, de quo illa conqueritur p. 343 n. 63.

F. JOANNES DACUS amicus F. Petri specialissimus sic dictus p. 418 n. 28, & in cap. prov. circa festum S. Augustini MCCLXXX electus pro comitiis ordinis anno sequenti LXXXI Florentiæ I junii habendis diffinitor, (erant diffinitorum prima) in reditu circa festum Magdalenæ per Coloniam & Stumbelen transire debebat. Hæc notam D. P. p. 419 b dilucidant. Hic Joannes idem fortè est qui p. 296 n. 71 & p. 319 n. 60 laudatur, & cujus mors anno MCCLXXXII annunciatur p. 422 n. 42.

F. JOANNES ESTBI Colonia in suam Daciam reversus affuit cap. prov. in Assonia anno MCCLXXX celebrato in vigilia Laurentii, & litteras a Christina ad F. Petrum datas attulit, p. 329 n. 22.

F. JOANNES HESPE pro rata Daciæ Coloniæ litteris sacris operam dabat annis MCCLXIX & LXX. Vide p. 297 n. 74, & p. 314 n. 44. An ille qui supra simpliciter *Joannes Dacus* dicitur & diffinitor capituli generalis? Certe videtur fuisse F. Petro admodum familiaris.

F. LAURENTIUS SWEUS item pro rata Daciæ Coloniæ studebat anno MCCLXXVIII. Quatuor ejus *Epistolæ* referuntur in Actis.

I. Nomine Christinæ. Titulus: *R. in Christo P. sibique omnium reverendissimo & amantissimo suarum filiarum minima cum orationibus si quid salute melius & seipsam per fidelem vobis filium Fratrem L.*

Altera in superiori inclusa. Pr. *Carissimo in Christo patri F. Petro lectori Skenigiensi suorum filiorum minimus.* Ambas a F. Laurentio Sweo scriptas initio monet ipse F. Petrus. Datæ autem fuerunt die S. Magdalenæ. D. P. dubitat de anno an 1277 an 1278 & primum verisimilius credit, ego verò pro altero certus sto. In hac enim epistola mentio fit diffinitoris Daciæ, qui rediens e capitulo generali Coloniam venit feria sexta post Margaritæ. At anno 1277 non fuit diffinitor: erat enim capitulum provincialium Burdegalis habitum: anno verò 1278 fuit capitulum diffinitorum I, & Mediolani celebratum 5 junii. Eodem D. P. teste festum Margaritæ Coloniæ fiebat XIII julii, itaque feria illa sexta, qua Coloniam venit diffinitor, erat XV julii cùm esset lit. Dom. B. Ambas epistolas vide p. 323 n. 1, & p. 324 n. 3.

Tertia epistola illa est de qua supra, cui duplex titulus, sic: *Carissimo in Christo patri F. Petro lectori Skenigiensi suorum filiorum minimus.* Et immediate: *Reverendo & in Christo dilecto patri F. Petro priori Insulensi, F. Laurentius ejusdem conventus existens Coloniæ reverentiam & obedientiam filialem.* De hoc duplici titulo vide superius notam nostram ad p. 344. Addo solum D. P. ad marginem notare casum in hac epistola narratum accidisse nocte natalis Dñi 1281: quod tamen non convenit cum iis quæ habentur in actis p. 362 n. 59 ubi dicitur vigiliam natalis Dñi illius anni Christinam cum magno gaudio transegisse, & sequenti die ad ecclesiam lætam venisse & communicasse, nec quid his duobus diebus a dæmonibus perpessam additur. Imo omnibus annis a 1279 ad 1285 infestationes dæmonum semper cessarunt die præcedente vigiliam natalis, quam & diem sanctum sequentem semper cum lætitia duxit. Itaque casus in hac epistola relatus ad annum his omnibus superiorem revocandus erit, & revera ipse D. P. p. 414 n. 18 illum collocat ad 1277.

Quarta refertur p. 422 n. 42. Pr. *Christinæ in Stumbele F. Laurentius Coloniæ constitutus salutem mentis & corporis &c.* Data anno 1282.

F. MAURITIUS DE REVALIA sic a patria urbe Livoniæ & a professione nuncupatus vir solers & expeditus anno MCCLXVIII Coloniæ pro rata Daciæ sacris litteris operam dabat, p. 286 n. 40.

Aderat Stumbele in collatione illa theologica coram abbatissa S. Cæciliæ habita de qua supra in nota nostra ad p. 440, & quæ in Actis refertur

p. 289 n. 49. Vide etiam p. 297 n. 75 & p. 298 n. 78, & p. 299 n. 83 & p. 300 n. 1.

Anno MCCLXX Parisiis assignatus est pro rata Daciæ in theologia ultimo perficiendus, eoque perrexit circa initia septembris, p. 313 n. 43.

Inde reversus in patriam Revaliam scilicet lector ibidem institutus est, postea & prior electus, & in cap. prov. anno MCCLXXXI Skeningiæ coacto socius diffinitori datus ad comitia ordinis Viennæ Austriæ anno MCCLXXXII habenda, quæ fuerunt Diffinitorum II, quibus & affuit, & in reditu Sigwinum Christinæ germanum secum duxit habitu conversorum induendum a Bertoldo de quo supra. De quibus vide p. 313 n. 43, p. 343 n. 64, p. 415 n. 20, & 423 n. 41 & 42. Quinque ejus in actis exhibentur *Epistolæ*.

Prima p. 305 n. 17. Pr. *Carissimo suo F. Petro Gothensi Parisius studenti, F. Mauritius Colonia studens &c.* scripta sub initium anni 1270.

Altera p. 311 n. 36. Eidem *F. Mauritius suus intimus.* Est tantum fragmentum. Recepta fuit Parisiis 23 april. 1270.

Tertia p. 412 n. 10. Pr. *Virgini Christi devotæ & in Dño sibi carissimæ Christinæ de Stumbele, F. Mauritius studens Parisius ord. Præd.* In hac dicit se Lutetiam intrasse 22 sept. MCCLXX, variis infirmitatibus impetitum usque post pascha sequens: tandem ovis non ita recentibus ut aliâs Coloniæ se assuescere. Data 15 junii 1271.

Quarta ibid. n. 12. Hæc ex pluribus aliis quas tum eidem virgini scripsit, sola jam superest. Pr. *Devotæ Christi sponsæ & in Dño semper diligendæ F. Mauritius Parisius degens in studio &c.* Data 14 feb. 1272.

Quinta p. 415 n. 20. Pr. *Devotæ ac dilectæ in Christo Christinæ Dei famulæ, Mauritius lector de Seevalia O. FF. Præd.* Deest data, sed videtur scripta anno 1277. Dubitat D. P. utrum recte scripta sit vox *Seevalia*. Erratum scriptoris facile crediderim & legendum *Revalia*, e qua ortus erat, ut supra appellatur p. 288 n. 48, quod & ipse in epistola indicat dicens se positum in finibus patriæ, Livoniæ scilicet in cujus angulo remotiori sita est Revalia, ubi conventus ordinis a Bernardo Guidonis recensitus, nullus verò Seevaliæ.

F. NICOLAUS HENRICUS in cap. prov. Daciæ MCCLXVIII electus fuit diffinitor cap. gen. anno sequenti MCCLXIX Parisiis habendi, quod fuit diffinitorum I. Illuc pergens Colonia transiit tribus circiter post pascha septimanis, id est circa medium aprilis, nam pascha fuit XXIV martii. Vide p. 299 n. 83.

F. NICOLAUS alter Dacus Coloniæ & Parisiis cum F. Petro studens, cum eodem rediit in Sueciam anno MCCLXX, & unâ Colonia ambo in reditu transierunt, & Stumbele Christinam inviserunt, quam miratus Nicolaus dedit illi suum *Pater noster, quod personaliter quatuor annis portaverat.* Vide p. 313 n. 42, 43 & 44. Cùm per illud *Pater noster* aliud non possit intelligi, quam quod nunc corona vel rosarium dicitur, hinc argumentum est nostris tum in usu fuisse, coronas illas seu globulorum certo numero seriem filo trajectam & firmatam ad zonam continuo ferre. Idem Nicolaus socius datus fuit diffinitori Daciæ ad cap. gen. Bononiæ MCCLXXXV habendum quod fuit diffinitorum I. Vide p. 423 n. 46.

F. NICOLAUS DE WESTRADOS p. 323 n. 1 laudatus e Colonia venit in Sueciam, & F. Petro litteras a Christina & a Laurentio Sweo attulit datas in festo Magdalenæ MCCLXXVII ut habet D. P. sed dubius, at MCCLXXVIII. Vide supra annotata, ubi de Laurentio Sweo.

F. OLAWS SKARENSIS a patria & professione sic nuncupatus, diffinitor vel socius diffinitoris fuit electus in cap. prov. anno MCCLXXVII coacto ad capitulum generale anno sequenti MCCLXXVIII Mediolani celebrandum quod fuit diffinitorum I, quo cùm pergeret, fortè ex patria transfretans, ad aliquem Galliæ portum appulit, certo Parisiis iter habuit, & F. Helinrico Coloniam jamjam ituro litteras a F. Petro ad Christinam & alios scriptas concredidit, ut eas redderet: ipse verò Olaws Mediolano rediens Coloniam intravit feria sexta post Margaritæ eodem anno, indeque in Sueciam reversus est. Vide p. 324 n. 3, & supra Laurentius Sweus altera epistola. Skara civitas est episcopalis Sueciæ in Westrogothia olim florentior nunc pene jacens, in ea erat ordinis domus.

Nunc verò viri illustres aliarum provinciarum, de quibus in his Actis fit mentio visi sunt non omittendi.

FRANCIA.

P. 312 n. 41 in epistola F. Petri tum Parisiis agentis ad Christinam scribentis egregium habetur elogium domus seu gymnasii nostri Sanjacobei. Sic enim loquitur:

Noveritis quod Parisius sunt novitii devotissimi, studentes litteratissimi, conventuales religiosissimi, & prælati benignissimi: inter quos ut lapides ignitos viros splendidos quasi opprobrium hominum, & abjectio plebis conversor &c. Hæc commentari necessarium non est, hac quadruplici distinctione numerosissimum conventum sed & universum complectitur, & quemque sodalium ordinem sua laude propria ac præter quam aliam non desideres, donat. Addo solùm anno MCCLXIX quo data epistola, magistrum ordinis tum in illa domo agentem fuisse *Joannem de Vercellis* virum omni exceptione majorem, priorem provincialem *Petrum de Tarentasia* quem præclaræ dotes ad sedem Lugdunensem, ad purpuram, ad summum pontificatum sub nomine Innocentii V postea evexerunt: priorem domus celebrem *Nicolaum de Gorran.* Conventualium, (intelligo alumnos provinciæ Franciæ & filios domus Sanjacobeæ speciales) nomina utinam temporum vicissitudo non delevisset, plures tamen in hoc opere laudantur: S. Thomas de Aquino regentem his annis egit gymnasii, quantus sub tali magistro litterarum fervor? quales ex omnibus ordinis provinciis adunati discipuli, quibus Petrus non mediocrium certè partium vir, ut ex opere quod versamus constat, inferiorem se agnoscit? Novitiorum verò eo magis commendanda pietas, quod ea ætate eodem anno Parisiis ad septuaginta recipiebantur, ut testatur Humbertus V ordinis magister in suis litteris encyclicis.

ROMANA.

P. 288, n. 46 & seqq. ad 55, & n. 75 & 78 laudatur F. ALBRANDINUS pro rata provinciæ Romanæ Coloniæ ad studium assignatus, & de eo sic legitur: *Erat autem tunc temporis* (ann. MCCLXVIII) *Coloniæ studens pro provincia Tusciæ F. Albrandinus vir litteratus & bonus prædicator, qui rumoris fama prædicti commotus* (nempe mirabilium quæ de Christina narrabantur) *rogavit me*, inquit Petrus Dacus, *ut eum ad Christinam deducerem. Licentia ergo accepta per F. Albrandinum a priore, & me sibi dato in socium in die B. Mariæ Magdalenæ Stumbelen ivimus non curiositatis causa, sed devotionis &c.* Narratur ibidem quî supervenientibus aliis duobus Fratribus de Colonia constudentibus F. Albrandini horis serotinis post cœnam & deambulationem, coram abbatissa S. Cæciliæ quibusdam suis sanctimonialibus stipata, ad hujus instantiam hi quatuor Fratres studentes collationem theologicam habuerunt super illa quæstione, *utrum plus fuit, quod Dominus commisit Petro Ecclesiam, an Joan-*

Sec. XIII. *ni cui commisit B. Virginem. Et cùm F. Albrandinus inter nos senior & in patrimonio B. Petri natus staret pro Petri dignitate, & ego*, inquit Petrus Dacus, *pro Joannis puritate &c.* Sed collationem interrupit nuncius de miro casu Christinæ, ad quam omnes cucurrerunt. Et initio quidem *F. Albrandinus homo multum fervidus cum indignatione* conquestus est sibi data verba: postea tamen plura expertus quam sibi dicta fuerant, exclamavit, *Heu me infidelem!* idque pluries. Hinc magna reverentia deinceps mirabilem illam virginem coluit. Quæ & alia multa locis citatis relata merito legenda. Cùm verò dictus F. Petrus anno MCCLXX eam deserere coactus esset in suam Daciam revocatus, epistolam consolatoriam virgini e Colonia dedit ille, cujus titulus

Carissimæ sibi in Christo Christinæ F. Albrandinus Romanus salutem & consolationem recipere in adversis &c. Extat in actis P. 410 n. 5.

Hunc autem *Albrandinum* eumdem censeo cum *Aldobrandino de Papparonis*, quem supra ad 1286 tertium ex quatuor scriptoribus vitæ B. Ambrosii Sansedonii laudavimus. Conveniunt enim & ætas & mores, præsertim tanta illa mira relata credendi difficultas: adde quod in vita beatæ dictæ ab Anonymo scripta & quæ sequitur ad acta p. 431 *Aldobrandinus* nuncupatur. Videsis n. 34, 35, 36, 41 & aliàs. Nec obstat quod se *Romanum* in epistola dicat: nam etsi ortu & professione Senensis, cùm Coloniæ pro ratione Romanæ provinciæ studens assignatus esset, & Romanum Coloniæ se vocare potuit. Senis apud suos mortuum conjectu proclive, ubi senex vivebat adhuc anno MCCXCII, fortè & ejus seculi finem viderit.

TEUTONIA.

F. ARNOLDUS DE SANCTIS prior domus Argentinensis nomine provinciæ Teutoniæ affuit diffinitor in cap. gen. Parisiis 1269 maii 12 habito, eoque pergens Colonia transiit Dom. in albis 31 martii ut Stumbele Christinam videret, & ibidem tum prædicavit de evangelio, *Stabat juxta crucem Jesu.* Vide p. 299 n. 82.

F. BALDWINUS DE FLANDRIA in studio Coloniensi F. Albrandini collega collationi theologicæ Stumbele coram abbatissa S. Cæciliæ habitæ interérat. Vide p. 288 n. 48.

F. GERARDUS DE GRIFFONE erat Christinæ confessarius, *Vir morum honestate decoratus, laudabiliter litteratus, devotionis gratia præ multis privilegiatus, magister studentium in domo FF. Prædic. Coloniæ.* Sic laudatur p. 282 n. 24. Videsis etiam n. 32 sequenti ad 44 & 67. Sed & p. 314 n. 46 & 47 dicitur homo magni fervoris: p. 320 n. 63 dicitur factus prior in Confluentia circa MCLXXII. Anno verò MCCLXXIX mense septembri erat supprior Coloniæ, ut dicitur p. 325 n. 8. Hujus extat in actis *epistola* hoc titulo

Dilecto sibi in Christo F. Petro Gothensi studenti Parisius, F. Geraldus de Grifone &c. Hanc Petrus accepit IV octob. MCCLXIX cum aliis. Vide p. 301 n. 4.

F. HERMANNUS DE HAVELBRECHT anno MCCLXVIII *erat prior Coloniensis, vir miræ mansuetudinis, & excellentis benignitatis, omnium virtutum decore præfulgens, qui fuerat diu socius magistri ordinis IV Joannis,* [a Wildeshuzen] *& decem provincias cum eo visitaverat, ut dicere interdum solebat, & bis extiterat in Teutonia prior provincialis &c.* Sic laudatur p. 292 n. 58. Et rursus p. 299 n. 82, ubi refertur ejus dictum de B. Christina, cùm prima vice eam vidit 1 april. MCCLXIX, *Hæc facies non est hominis super terram conversantis*; in ea quid cæleste radiare insinuans.

F. HIDDO *vir miræ maturitatis & morum religiosorum culmen attigerat, fama quoque & scientia illustris, novem annis fuit prior provincialis in Teutonia, & tum Dñæ abbatissæ* (nempe S. Cæciliæ supra laudatæ) *erat confessarius & consiliarius specialis.* Sic laudatur p. 313 n. 42, ubi dicitur Stumbele affuisse XIII aug. MCCLXX.

F. JACOBUS DE ANDERNACO cum supra memorato Gerardo de Griffone aderat Stumbele circa finem anni MCCLXIX, & ambo plura stupenda in Christina viderunt: quæ postea testati sunt vide p. 314 n. 46. Andarnachum castrum notum est ad Rhenum inter Coloniam & Bonnam.

F. JOANNES DE CRUCINBURCH & alter F. JOANNES DE MUSSINDORP. Erant ambo simul Stumbele in adventu Dñi MCCLXIX, & graviter vulnerati sunt a dæmone qui Christinam exagitabat. Vide p. 319 n. 60. Iste *de Mussindorp* vir gravis erat, & aliquando Christinæ confessiones audiebat. Vide de eo p. 297 n. 75 & p. 319 n. 59, & p. 325 n. 8.

F. WALTERUS *vir valde religiosus, ætate pariter & gratia provectus, capite canus, vultu decorus, & ab omnibus religiosis & secularibus approbatus*, agebat Coloniæ anno MCCLXVIII, & primus Stumbelen F. Petrum Dacum duxit mense decembri. Vide plura de eo p. 279 n. 16 ad 21. Notanda nostrorum sodalium ea ætate consuetudo media nocte semper surgendi & matutinum officium tum recitandi etiam cùm rure & apud seculares hospitarentur. Vide n. 21. Idem testatur Thomas Cantimpratanus de Apibus P. II, cap. 57 §. 39.

F. WILLELMUS BONENTANT & F. GODEFRIDUS WERDE testes fuerunt plurium Christinæ a dæmone vexationum mense circiter septembri MCCLXIX. Vide p. 302 n. 7.

HUNGARIA.

F. SALOMON a suis Lutetiam ad studendum missus, Colonia iter habuit, & XXX martii quæ erat sabbatum ante Dñicam in albis MCCLXIX Stumbelen adiit pia curiositate ductus, ut Christinæ mirabilia videret. Hunc sibi familiarissimum fuisse asserit Petrus p. 299 n. 81. In actis capp. genn. laudatur F. Salomon qui comitiis Parisiensibus ordinis affuit anno MCCLXXXVI pro Hungaria diffinitor, erant enim diffinitorum altera, & qui anno MCCLXXXIX electus ejusdem prior provincialis, eo titulo anno sequenti MCCXC affuit comitiis Ferrariæ habitis, quæ erant provincialium, qui idem videtur.

ANGLIA.

F. WILLELMUS DE WERIGEHALE p. 418 n. 31 laudatur, & ejus ad Christinam refertur *Epistola.* Titulus

In Dei filio dilectissimæ Christinæ Christi sponsæ, F. Wilelmus de Verigehale peccator, quondam studens in Colonia pro provincia Anglicana &c. Ei commendat F. NICOLAUM ANGLUM epistolæ latorem, qui haud dubie pro eadem Angliæ provincia Coloniæ studens assignatus erat. Videtur data anno MCCLXXXI.

POLONIA.

F. WIPERTUS BOHEMUS *de provincia Polonia*, tum enim Polonia & Bohemia unam provinciam constituebant, recens anno MCCLXVIII e curia Romana reversus, & Colonia transiens, mense decembri Stumbelen cum F. Petro adiit, & plurium mirabilium in Christina testis fuit. Vide p. 292, n. 59 ad 66.

Præter hæc acta fusissima scriptus est a Petro *Liber de virtutibus Christinæ panegyricus potius quam historicus*, cujus exiguam partem sub titulo libri vitæ Sexti edidit D. P. eodem T. IV junii p. 429 & 430, ad cujus finem sic legitur. Hactenus descriptis ascribit manu sua Bollandus sequentia: *Deerant in codice* MS (scilicet Juliacensi) *folia 23, ut ex numero margini superiori apposito liquebat. Se-*

quærebantur super singula verba præcedentis carminis (quod scilicet huic libro præfixit) *tractatus philosophici, theologici, mystici, sed frigidissimi, ideoque a me neglecti, aliqui breves alii longiores.* Sufficit inquit D. P. indicasse, unde illa possit talium curiosus habere.

F. ANONYMUS conventus Coloniensis alumnus (sic enim conjectatur D. P. in commentario prævio ad Acta B. Christinæ superius recensita n. 5) scripsit & ipse hoc titulo

Vita B. Christinæ ex Actis relatis, aliisque familiarum notitiis.

Altius porro hæc vita incipit, nam cùm beatæ acta ab anno ætatis ejus XXV circiter F. Petrus Dacus referat tantùm, hic Anonymus ea repetit ab incunabulis ab anno Christi MCCXLII, quo circiter nata est. Revera quod desiderandum ab anno MCCLXXXVI quo finiit Petrus, pauca addit, id præcipuum habet post prælium inter Siffridum episcopum Coloniensem & Joannem Brabantiæ ducem, quod datum v junii MCCLXXXVIII, omnem omnino in Christinam diaboli persecutionem cessasse, eamque in pace deinceps vixisse ad VI novemb. MCCCXII, quo ad superos abiit. Hanc vitam edidit D. P. immediate post acta superiora a F. Petro scripta T. IV junii a p. 431 ad p. 454, quem nos excipientes & hunc Anonymum continenter laudandum duximus, licèt juxta chronologiam ad seculum XIV prorogandus fuisset, ad annum aliquem scilicet post MCCCXII, cùm scripserit post Beatæ mortem, sed ante MCCCXXV quo obiit comes Clivensis Theodoricus, si quidem ante elevationem corporis Beatæ ab hoc principe curatam scripserit. Ipsa Acta SS. consule, ubi & alia in hanc rem argumenta. Hanc vitam habuerunt editores ex prima parte Novalis SS. seculo XV ex codd. MS collecta a Joanne Gillemanno canonico regulari Rubeævallis ad Bruxellas. Conjicit autem D. P. fusiorem ab Anonymo scriptam, & addita ab eodem miracula per Christinam seu viventem seu mortuam patrata, sed quæ omiserint qui Gillemanno ex cod. MS descriptam miserunt.

F. OTTO TURINGUS.

* 1288. F. OTTO vel *Otho* TURINGUS sic a patria cognominatus, provinciæ Teutoniæ quæ Saxoniam tum complectebatur alumnus seculo XIII florebat, quo anno e vivis abierit, nemo prodit, sed ante MCCLXXXVIII jam mortuum auguror. Quod verò hactenus prorogaverim, in causa est, quod a Theoderico nostro Turingo, qui solus ex veteribus ejus meminit, & de quo mox, separandum non duxerim. Sic ergo de illo Theodericus citatus in procemio vitæ S. Elisabethæ Ludovici Hassiæ & Turingiæ Lantgravii viduæ: *Legi*

Sermonem F. Othonis de ordine Prædicatorum doctissimi & devotissimi viri, qui sic incipit: Mulierem fortem.

Quem ille habuerit in quodam festo ejus sanctæ anno MCCXXXV a Gregorio IX SS. albo inscriptæ anniversario. Exinde nullum mihi dubium, quin idem plures alios ediderit, sed qui jam cum isto vel perierint, vel in bibliothecis Germaniæ aut Saxoniæ lateant neglecti.

F. THEODERICUS TURINGUS.

* 1289. F. THEODERICUS TURINGUS ab ea Saxoniæ parte in qua natus est sic vulgo dictus, circa MCCXXVIII primam lucem vidit, & anno MCCXLVII ordini nomen dedit. Sic enim ipse nos docet dum anno MCCLXXXIX sexagesimum ætatis superasse, & quadragesimum secundum in ordine complevisse testatur in opere quod scripsit hoc titulo:

F. Theoderici Thuringi ordinis Prædicatorum libri VIII de S. Elisabeth Andreæ regis Hungarorum filia, Ludovici Landgravii Thuringiæ, principis Hassiæ, & Saxoniæ comitis Palatini uxore.

Hos sed interpolatos & stylo mollitos suis Meneis intulit Surius ad diem XIX novemb. Sed primigenia auctoris dictione edidit Canisius Antiquarum lectionum T. V Ingolstadii e typographia Ederiana 1604 in 4 p. 143 & seqq. duplici codice MS usus, altero monasterii Rebdorffensis ad Aichstadium, altero membraneo monasterii S. Magni ad pedem pontis Ratisponensis. Prologum verò hîc referre placet, quod & scriptoris diligentiam, & ejus vitæ chronologiam exhibeat. Sic ergo incipit:

» Cùm de vita & moribus & morte miraculisque B. Elisabeth perscrutari cœpissem, oblata sunt mihi quædam scripta de prædictis, videlicet libellus de dictis quatuor ancillarum ejus confectus: secundo littera magistri Conradi de Martburg, quam de vita & morte & miraculis ejus D. Gregorio papæ IX scripsit, in quibus pura quidem & simplex fidei consona veritas continetur, sed nec provinciarum, locorum, temporumque varietates & vocabula ad historiam pertinentium sunt descripta, quæ illi licèt nobis necessaria forent nunc, tunc sibi quasi notissima omiserunt. Quomodo ergo legenti satisfacient incompleta? Sed nec materiæ ad eamdem rem pertinentis conjunctio ibi est sparsim cunctis positis, prout occurrerunt memoriæ referentis, sub juramento enim narrantium conscripta sunt, sicut dicta testium recipi consueverunt. Legi præterea sermonem F. Ottonis de ordine Prædicatorum doctissimi & devotissimi viri qui sic incipit, *Mulierem fortem*, & cujusdam alterius alium sermonem qui incipit, *Ad decus & honorem*, in quibus aliqua de gestis reperi breviter introducta. Respexi etiam chronica scripta diversorum, invenire cupiens quod quærebam.

Igitur cùm non invenirem ubi requiesceret pes affectus mei, visitavi monachorum & monialium monasteria, ivi ad civitates castraque & oppida, interrogavi personas antiquissimas & veraces, direxi litteras, historiæ hujus integritatem & rei gestæ veritatem in his omnibus investigans. Anno autem incarnationis Dominicæ MCCLXXXIX, a transitu B. Elisabeth LIX ad laudem eorumdem scribere incipiens, paucissima de his quæ in scripta habui, deposui, sed incomposita & sparsa composui, inordinata ordinavi, indistincta distinxi, & ornavi prout potui impolita: multa interserui & apposui, & sicut congruere credidi materias adaptavi, personarum dignitates nomina & officia, locorum vocabula & tempora exprimendo. Testificor coram Deo & electis angelis ejus me nihil in hoc libello posuisse, nisi quæ ex scriptis probatorum habere potui, & nisi ea quæ a personis religiosis & multum veracibus intellexi. Dignissimum quoque duxi quod & feci, aliqua de pietate illustrissimi principis Ludovici Landgravii ejusdem B. Elisabeth mariti, qui omnis bonitatis ejus promotor & cooperator fidelissimus extitit annotare, quod hoc historiæ necessitas & prosecutio exposcebat.

Adhortantibus itaque quibusdam honestis & devotis personis, Ego Dietricus sacerdos Frater ordinis Prædicatorum, cùm quadraginta duos in ordine complevissem annos, præsens opusculum scripsi «. Sic in cod. Rebdorff. at in cod. S. Magni sic legitur: *Ego Theodericus minimus & indignus natione Thuringus cùm plusquam sexaginta ætatis*

Sec. XIII. *& quadraginta duos in ordine complevissem annos, præsens opusculum scribere inchoavi.* » Pertractavi autem mente mea solus omnia conscribens, emendandoque rescribens plurima sæpius caligantibus oculis manu mea. Distinxi verò » ipsum in octo libellos propter multam materiam, » ne prolixitas tædium generaret, quæ tamen nondum plene exarata est juxta suæ exigentiam dignitatis. *Hactenus prologus.*

Monet Lambecius Bibl. Cæsar. lib. 2 cap. 8 n. 267 ad p. 878 codices MS quibus usus est Canisius, incompletos fuisse, & in dicta Cæsarea codicem haberi MS membraneum fol. ampliorem, quem & Ambrasianum vocat: & ideo quæ in isto codice habentur & desunt in Canisianis, ibidem edidit a p. 879 ad 886, ut præsto sint, si quis aliquando ejus operis novam editionem suscipiat, & librum octavum compleat. Tituli capitum hi sunt

1. *Incipit sermo Angeli quo instruxit B. Elisabeth de statu perfectionis.*

2. *Epistola Gregorii papæ IX de canonizatione B. Elisabeth.*

3. *Littera D. Innocentii IV papæ de translatione B. Elisabeth.*

4. *De translatione reliquiarum sacrosancti corporis Beatæ & constructa sub ejus nomine Ecclesia.* In hoc capite citat auctor libri 8 capita 10, 11, 12, & 13.

5. *De viro religioso cui in die mortis sua beata apparuit.*

6. *De magistro Conrado Lantgravio*, id est de germano Ludovici Landgravii B. Elisabeth sponsi.

Præter codices citatos hi adhuc laudantur a Fellero in Lipsien. Paul. p. 160 n. 40 codex in fol. a nostro Frederico Steil Ephemerid. Dominican. ad maium mensem p. 5 in Bibl. Prædicatorum Confluentina codex membraneus, cui titulus, *Vita S. Elisabethæ Landgraviæ Hassiæ compilatore F. Theodorico ab Holt*: quod notandum, nam ad sequentis dubii solutionem non erit inutile.

Quæritur scilicet an iste Theodericus Turingus idem sit cum Theodorico de Appoldia vitæ S. Dominici scriptore. Eumdem esse putant Leander Albertus & Lusitanus, quos excipit Altamura ad 1288, nec desunt momenta quibus id astruant, nomen idem, eadem natio, ætas eadem, eadem utriusque vitæ in octo libros divisio, & quædam styli cognatio: ut enim caligantibus oculis & manu propria vitam S. Elisabeth se scripsisse ait Turingus, sic & Appoldiensis vitam S. Dominici propriis manibus oculisque caligantibus se scripsisse testatur. Sunt tamen qui utrumque distinguendum censeant: nam ut plura sint eadem, aliud tamen est utriusque agnomen, quod in viris ejusdem ætatis, regionis & societatis ad discrimen satis est, adeo ut ex industria ne confunderentur, alter a natione Turingus, alter a patria de Appoldia dictus fuerit. Adde utrumque eodem circiter anno scribere incepisse: Turingus enim post multos ad conquirenda certa documenta exantlatos labores tandem ad vitam S. Elisabeth scribendam anno 1289 se manum apposuisse ait: Appoldiensis verò post plura coacervata vel etiam pretio comparata de gestis S. Dominici monumenta, tandem anno 1288 acceptis a F. Gerardo in comitiis Lucanis pro Teutonia diffinitore, novis quæ iste Bononia transiens ex ore Cæciliæ sanctimonialis audierat de beato notitiis, opus jam a se inchoatum retexuisse atque instaurasse profitetur, nec monet se unâ in vita S. Elisabeth conficienda distentum. Hinc Vossio de Hist. Lat. lib. 2 capp. 60 & 62 utrumque distinguenti mihi potior fides, quam eum in suis notis emendanti Sandio, qui si utriusque vitæ prologum attentius perpendisset, ejusdem scriptoris fœtum esse non ita prompte statuisset. Discrimen utriusque confirmatur ex relato vitæ S. Elisabeth titulo in codice Confluentino, in quo Theodericus hic *ab Holt* nuncupatur, quod oppidum Turingiæ certe aliud ab Appoldia est, & fortè quod in tabulis in ditione Vimariensi scribunt *Oltstet*: adeo ut etsi ejusdem uterque fuerit nationis, diversam tamen uterque habuerit pàtriam.

Ex hactenus dictis Simlerum & eum excipientem Possevinum emendabis, qui Theodericum ex libris octo vitæ S. Elisabeth a M. Conrado inquiunt scriptis epitomen contraxisse volunt: cùm contra omnino sit, & Conradus epistolam brevem de Sanctæ gestis ad Gregorium IX scripserit, Theodericus verò ex documentis a se laboriosissime & diligentissime inquisitis vitam in octo libros ampliarit. Illud etiam notandum in tota illa vita quod Elisabetha institutum tertii ordinis Franciscani Pœnitentium dicti assumserit, aut pallium a S. Francisco sibi missum acceperit, nullibi haberi: unde qua alia ratione quam ex eodem summæ paupertatis affectu beatam suis ascribant Franciscani, non video.

F. RICARDUS CLAPOEL.

F. Ricardus Clapoel vel *Clapole*, *Clappwel*, *Clappelwelle*, quæ agnominis diversitas ex varia gentium pronunciatione orta: cæterum unus & idem Anglus, sacræ theologiæ magister Oxoniensis sub finem seculi XIII claruit, & vir Thomæ de Aquino doctrinæ addictissimus, eam adversus Guillelmum de Lamara Franciscanum ejusdem academiæ theologum egregie tutatus est. Hinc & multa passum ferunt a Joanne Peckamo Minorita aliâs Parisiis sancti doctoris æmulo anno MCCLXXVIII Cantuariensi archiepiscopo dato, sed quid pro causa tam justa non libenter ferendum? Videsis postea ad 1294 *F. Raimundus de Medullione.* Ricardi meminerunt Lelandus in suis Angliæ scriptoribus, Baleus, Pitseus a quo durius tractatur: laudant verò nostri Leander Albertus fol. 138 a, Lusitanus ex Gesneri Abbreviatore ad 1310 collocans, Altamura ad 1279, quem cum Pitseo annum 1290 attigisse facile credo. Omnibus verò citatis antiquior F. Laurentius Pignon sic de eo habet catal. n. 20: *F. Ricardus Chapoil* (sic sed corrupte) *natione Anglicus magister in theologia scripsit* * 1290.

1. *Lecturam super quatuor sententiarum libros.* In catalogo codd. MS Angliæ T. 1 P. III n. 2197 recensentur, *Notabiliora super primum sententiarum usque ad distinct.* XIX *per Ricardum de Clappelwel.*

2. *Item contra corruptorem S. Thomæ.* Apud Tomasinum in Bibl. Venet. apud S. Antonium Plut. XVIII recensetur codex membr. hoc titulo: *Correctorium F. Guillelmi de Mera ord. Minor. secundùm dicta D. Thomæ de Aquino contra correctorium F. Joannis de Crapuel ord. Prædic.* Qui titulus an prima manu dubitaverim: cùm enim ille Guillelmus certò non secundùm sed contra dicta S. Thomæ scripserit, fortè legendum *Correctorium F. Joannis* (verius *Ricardi*) *de Crapuel ord. Prædic. secundùm dicta D. Thomæ de Aquino contra corruptorium F. Guillelmi de Mara ord. Minor.* Quod examinent Veneti nostri sodales.

3. *Item de unitate formæ.* Mirum quam hæc quæstio nostros & Franciscanos ea ætate inter se commiserit, adeo ut Peckamus adversus unitatem pene fureret, hanc verò nostri acrius propugnabant.

4. *De immediata visione Dei.* Hactenus Pignon.

5. *Quæstiones* XXXIV *de Quodlibetis F. Ricardi de Clappwel.* Sic in catal. Anglic. cit. T. 1 P. III n. 1724 nempe in domo S. Petri n. 62. Has etiam laudat Pitseus, & addit

Quæstiones theologicas, Lecturas scholasticas & Additiones in S. Bonaventuram, libros tres, penes quem fides.

F. STEPHANUS DE SALANHACO.

† 1290. F. STEPHANUS DE SALANHACO Gallus Aquitanus Lemovicensis diœcesis ab originis suæ loco *Salanhac* vernacule dicto nuncupatus, vir est si quisquam alius qui non solum præclare gestis ætate sua patriam & ordinem illustravit, sed & cui ob incunabula ordinis quæ fere testis oculatus vidit scriptis mandata, antiquaque primi nostri seculi monumenta diligentissime collecta & servata plurimum tenemur. Circa annum Dñi MCCX natus ordinem Lemovicis amplexus est circa MCCXXX, habitumque e F. Petri Cellani manibus accepit, primi inquam ejus domus erectoris & prioris, & primi etiam quem S. Dominicus aliâs Tolosæ anno MCCXV sua veste induerat, in ejusdemque manibus professus est. Anno MCCXLIX sui conventus nativi electus prior, decem annis solidis ei præfuit: exinde anno MCCLIX allectus prior Tolosanus, eo munere fungebatur, cùm anno MCCLXI in Scotiam missus fuit domorum ejus regni visitator. Eo munere tandem anno MCCLXV solutum sui eum Lemovicenses sibi iterum præfecerunt, qua vice sex annis circiter præfuit, ad MCCLXXI scilicet quo in comitiis ordinis apud Montempessulanum habitis exonerari obtinuit. Domum Aniciensem postea quibusdam annis rexit, ac tandem annis jam gravis in Lemovicensem domum se recepit, ubi & diem obiit suum VIII januarii circa MCCXC. Hæc omnia nos docet Bernardus Guidonis, quem præstat audire. Sic ergo ille in catalogo priorum Lemovicen.

» Quartus prior fuit F. Stephanus de Salanhaco » Lemovicensis diœcesis a burgo suæ originis sic co» gnominatus. Hic fuit religionis speculum & ima» go, gratia prædicationis prudentia & sapientia re» giminis præditus, facundia sermonis redimitus, » experientia multa doctus: in his quæ religionis » sunt optime instructus & instruens, narrator ges» torum & exemplorum notabilium gratiosus & co» piosus, morum ac gestuum maturitate composi» tus, famosus toti patriæ. Prima vice successit F. » Hugoni de Malamorte, MCCXLIX, præfuit hac » vice annis X, fuitque inde translatus & factus » prior Tolosanus anno MCCLIX.

Easdem fere laudes repetit in catalogo priorum Tolosanorum, quo officio functus est ad MCCLXV. Pergit Bernardus in Lemovicen.

» Secunda vice F. Eliæ Navarra priori Lemovi» censi, sed in cap. gen. Montispessul. absoluto an» no MCCLXV successit F. Stephanus de Salanhac: » præfuit hac vice annis sex, fuitque absolutus an» no MCCLXXI in cap. gen. Montispessul. Hujus » tempore intravit ordinem, & suscepit habitum » de manu ejus in conventu Lemovicensi mense » martio MCCLXVII venerabilis pater & Dñs Pe» trus de Sanctoasterio quondam Petragoricensis » episcopus, qui annis octo mensibus quatuor & » dimidio vixit laudabiliter & honorabiliter & obiit » feliciter in conventu Lemovicensi pridie idus julii » MCCLXXV. Præfatus F. Stephanus fuit prior Tolo» sanus & Podiensis.

In catalogo verò defunctorum domus Lemovicensis sic habet idem Bernardus:

» F. Stephanus de Salanhaco cognomine & ori» gine, vir totius prudentiæ, religionis speculum, » opinionis præclaræ in tota provincia, magni con» silii, prædicator egregius, gestorum notabilium, » historiarumque ac exemplorum utilium recollec» tor sedulus, & in tempore opportuno enarrator facundus & fœcundus, affluens gratia & facun- « dia linguæ, ex propriis uniuscujusque status, gra- « dus, sexus, & ætatis super omnes generationis « nostræ, prior fuit Lemovicensis quartus, item Po- » diensis & Tolosanus, quasi sexagenarius in ordi- « ne obiit Lemovicis VI idus januar. A. D. MCCLXXXX. «

In actis cap. gen. Barcinone MCCLXI sic legitur: *Pœnitentiam injungimus omnibus Fratribus de Scotia, qui dederunt aliquam operam, quod per regem vel per alios seculares scriberetur ad curiam D. papæ vel ad nostrum capitulum generale pro negotiis suis ad ordinem pertinentibus promovendis.* Et additur: *F. Stephanum de Salanhaco priorem Tolosanum assignamus ad visitandam Scotiam & peragenda alia negotia, quæ magister ordinis duxerit ei imponenda.*

Nomine suæ provinciæ comitiis ordinis generalibus pluries affuit, Mediolani 1255 diffinitor: Parisiis 1264 magistri ordinis elector: Lugduni 1274 & Burdegalæ 1277 provincialis socius: Parisiis 1279 diffinitoris socius. Quæ constant ex actis. Hæc ejus opera ex Bernardo citato:

I. *Tractatus brevis & devotus devotis de quatuor in quibus Deus Prædicatorum ordinem insignivit. Primò de bono ac strenuo duce S. Dominico. Secundò de glorioso nomine Prædicatorum. Tertiò de illustri prole. Quartò de securitate professionis.* Principium:

» Omnipotens & misericors Deus qui ab initio « omnis creaturæ nulla secula, nulla tempora, nulla « momenta, nulla loca sine testimonio bonitatis suæ « reliquit, tempore præordinato a se ordinem FF. « Prædicatorum produxit, quem bono & strenuo « duce, glorioso nomine, illustri prole, securo modo « professionis & vitæ, dono suæ gratiæ insignivit. « De quorum quatuor singulis pauca notavi, in « quo si alicui videor nimius, sciat me conscientia « teste minus a veritate dixisse. Si verò cuiquam « visus fuero diminutus, causetur meam tenuem in- « telligentiam, labilem memoriam, probabilem « ignorantiam. Ego enim malui quatuor hæc scribi « a me quam a nemine. Erit forsan aliquis, qui sum- « ta occasione ex his, aliqua superaddens luculen- « ter & plene ista describat. «

Notandum autem hoc opus jam non haberi purum & quale primo scripsit Stephanus. Bernardus Guidonis enim a Stephani morte illud innovare sibi permisit & plura inseruit, quod & ipse pluries monet. Sic enim initio: *Sunt autem plurima superaddita quæ inventa fuerunt, in eodemque omissa fuerant, vel quæ postmodum evenerunt, & addi etiam poterunt in futurum secundùm exigentiam suis locis.* Idem repetit in fine: *Explicit tractatus seu libellus F. Stephani de Salanhaco Lemovicensis diœcesis, in quo secundùm exigentiam materiæ plura superaddidi quæ inveni tum de his quæ omissa videbantur de præteritis, tum etiam de multis quæ postquam ipse ultimo scripsit evenerunt, sicut patet supra. Ipse verò ultimo scripsit & scribendi finem fecit A. D. MCCLXXVIII.* Nec his contentus idem tertio repetit in præfatione quam operi præfixit: *In quo*, inquit, *secundùm exigentiam materiæ nonnulla quæ omissa fuerant, & plura quæ postmodum evenerunt superaddidi, prout ipse vir in principio operis faciendum esse innuit, & similiter fieri poterit in futurum. Addita verò in margine sæpius sunt signata.* Quibus verbis monemur non omnia addita fuisse in margine annotata: sed utinam saltem addita notata in primo codice a Bernardo Guidonis scripto, similiter in aliis ex illo primo exscriptis signata fuissent, nunc autem unicus mihi cognitus est codex Tolosanus major membr. fol. ab ipso Bernardo datus & recognitus, in cujus marginibus identidem est hæc nota, *Additum*. In altero ve-

 rò Tolosano minori etiam membr. desunt istæ marginales notæ. Desunt etiam in Carcassonensi, in Burdigalensi, nec dubium quin in pluribus aliis qui passim habentur, ut in Mediolanensi a Taegio I. P Monum. ord. inserto, in Veneto SS. Jo. & Pauli idem sit vitium. Hæc verò notariorum negligentia in causa est, cur jam ex illis codicibus quæ sint Salanhaci ab his quæ sunt Bernardi discerni non possint, nisi ad primigenium illum codicem Tolosanum majorem recurratur, cujus hæc notitia lectori danda.

In prima parte quædam notantur addita, sed plura non indicata conjicere est, licèt a Bernardo variis locis inserta.

In secunda nihil notatur additum.

In tertia quæ præcipua multa indicantur addita. Ubi de inquisitione, is est titulus : *Addita pro majori parte quæ sequuntur.*

Ubi recensentur episcopi ex ordine assumti, sic legitur in margine : *Addita sunt quæ sequuntur de prælatis assumtis ex ordine Prædicatorum.* Et ipse Bernardus in prologo testatur se hæc scripsisse anno MCCCXI.

Ubi numerantur illustres scriptis & doctrina, ut F. Thomas de Aquino, & F. Vincentius Belvacensis, ad marginem legitur, *Additum*, vel etiam *Addita quæ sequuntur.* Quæ notæ maximi sunt momenti : ex his enim evici, quæ ibi dicuntur de quatuor Speculis a Bellovacensi scriptis, non a Salanhaco prodiisse, qui anno MCCLXXVIII scribere desierat, quo Speculum morale nondum compilatum : sed a Bernardo Guidonis qui anno MCCCXI hunc tractatum augere cœpit & postea continuo auxit. Ad hunc enim primarium codicem mihi recurrendum fuit, ut quemdam pervicacem præfracte contendentem ista quæ de Bellovacensi in hoc tractatu leguntur, ipsius esse Salanhaci, non verò a Bernardo addita, quia non istum majorem codicem, sed alium minorem in quo desunt illæ notæ, ut & in pluribus aliis supra indicatis tantum viderat, argumento inexpugnabili convincerem, qui tum se victum fassus est.

In quarta parte & ultima scilicet de securo modo professionis & vitæ, hoc monitum datur initio, *F. Stephanus, sed multa addita sunt locis suis :* quod indicat & hanc partem passim interpolatam & auctam. Et postea ad quosdam articulos, ad marginem, *F. Stephanus*, ad alios, *Additum ex chronicis*, idque pluries, ipsaque rerum series probat tractatum fere totum a Bernardo innovatum. Plura enim in eo leguntur, quæ non solùm annum MCCLXXVIII quo Stephanus scribere desiit, sed & quæ annum MCCC superant.

In hac quarta parte originem regularium ordinum in Ecclesia occidentali sua ætate florentium refert, ac primo sub regula S. Augustini militantium, præter ecclesias cathedrales plures & qui vulgo canonici vocantur, Præmonstratensium, Eremitarum S. Augustini, Artigiæ, S. Crucis in Lotaringia, de Valle-Scholarium, de corona Domini, S. Victoris, ac tandem Prædicatorum, quorum exordium computat ab anno MCCIII a primo scilicet S. Dominici Tolosam ingressu, cùm hospitem suum convertit : tum postea monachorum S. Benedicti, Grandimontensium, Cartusianorum, Cisterciensium, Equitum S. Joannis in Hierusalem, Templariorum & similium ut Hospitalis Alemannorum, Galatinensis, S. Lazari : denique Carmelitarum quorum institutum & regulam primam ascribit Aimerico Malafayda patriarchæ Antiocheno Latino e Lemovicis orto, Minorum quorum initium ponit anno MCCVII, quo S. Franciscus paupertatem amplexus est : Hospitalis S. Jacobi Burdegalensis, Humiliatorum quorum tres distinguit ordines. Ea solum hîc annoto quæ habet de Cartusianis.

»Quasi per idem tempus (id est circa finem seculi XI) in monte Cartusiæ magister Bruno se septimo mundum fugiens cœlum petiit. Hi septem acerrimi corporum suorum castigatores, imo inhumani tortores, quasdam constitutiones quamplurimum asperas assumserunt sibi, atque scripserunt a Deo signis & miraculis approbatas, & ab Ecclesia Romana multis indulgentiis, favoribus & gratiis confirmatas : has autem modo profitentur, sub his in vita & in morte miraculis claruerunt.« Ad marginem sequentium legitur : *Additum ex chronicis*, a Bernardo scilicet.

»Legi quoque in chronicis pontificum Romanorum, quod S. Hugo Gratianopolitanus episcopus, qui in Galliis per annos LII virtutum exemplis incomparabiliter floruit, vidit per somnium in solitudine Cartusiæ Deum suæ dignationi habitaculum construentem, septem & stellas ducatum sibi præstantes itineris : & ecce sanctitatis ejus odore attracti ad ipsum veniunt septem viri, qui omnes uno desiderio succensi locum eremiticæ vitæ congruum quærebant nec dum repererant. Horum primus erat magister Bruno, qui fuit Coloniensis, religione scientiaque famosissimus, alii verò quatuor litterati, duoque laici, quos S. Hugo gratanter suscepit & voti compotes fecit. Ipso namque consulente, juvante, comitante, Cartusiæ solitudinem intrarunt atque extruxerunt. Sic cœpit ordo Cartusiensis anno Dñi MLXXXVI.«

»Anno Dñi MCCLXXVII in festo B. Barnabæ fuit factus prior in Glanderio Lemovicensis diœcesis ordinis Cartusiensis F. Joannes de Nobiliaco, ubi præfuit laudabiliter annis XXX. Hic obiit A. D. MCCCVI.«

»Hic ordo inter cæteros ordines pietate morum ac theoriæ studio singularis effulsit. Hi præ cæteris continentes, pesti avaritiæ qua plurimos sub religionis habitu laborare videmus, terminos posuerunt, dum cœtum hominum, animalium possessionem, quos prætergredi nullo modo liceat, statuerunt : & ipsi singuli singulas cellas habentes perfectius mori mundo, & cæteris diligentius vivere Deo elegerunt. *Prædicta ex chronicis recollegi.* Istis obtulit Innocentius papa IV quod liceret eis debilibus & infirmis carnibus vesci, nec acceptaverunt.«

Exemplum hîc habet lector, quî Bernardus totum hunc tractatum pluribus additis innovavit, & unâ historiam doctoris Parisiensis damnati tum id est seculo XIV ineunte ceu occasionem secessus S. Brunonis notam non fuisse addiscit.

Ad finem elogium Stephani habetur fere idem cum jam relatis, sed quodammodo accuratius. *Hic F. Stephanus fuit vita venerabilis, gratia prædicationis diffusa in labiis ejus, benedictus a Dño Deo, prudentia quoque & sapientia regiminis multa præditus, facundia verbi plurimum redimitus, experientia doctus, in his quæ religionis sunt optime instructus, magni consilii, opinionis & famæ præclara in tota provincia, religionis speculum & imago omni aspicienti, morum ac gestuum gravitate matura compositus semper & ubique in omni statu ac motu suo : gesta quoque notabilia, historias laudabiles, memorabilia facta, exempla servorum Dei quamplurima novit, & ubicunque expediens esse vidit, in promptu habuit ad narrandum ; in cujus manibus sum professus anno Dñi* MCCLXXX, VI *Kal. octob. Hic quasi sexagenarius in ordine senex & plenus dierum obiit in conventu Lemovicensi* VI *idus januarii anno* MCCXC.

2. *Tractatus de tribus gradibus prælatorum ordinis Prædicatorum : De ordinis magistris. De prioribus provincialibus præsertim provinciæ Provinciæ.*

De

De prioribus conventualibus dictæ Provinciæ. Hic tractatus a Bernardo etiam innovatus fuit, & ad MCCCXIII usque auctus, cui alii postea succenturiarunt.

3. *Collectio Actorum omnium capitulorum generalium, & capitulorum etiam provincialium Provinciæ a principio ad annum* MCCLXXVIII, quo manum subtraxit e tabula.

F. PETRUS DE SCALA.

† 1290. F. PETRUS DE SCALA seu *Scaliger* ut aliis placet, e nobilissima, quæ seculo XIII Veronæ principatum obtinebat, gente Scaligera ortus, sed Bergomi natus, juvenis ex ipsius S. P. Dominici manibus ordinis vestem induit, ut ferunt, quod ut ut alii aliter opinentur verisimilius post reditum S. Patriarchæ ex itinere Hispanico & Gallico Bononiam circa septembrem MCCXIX aggressi evenit, qui fortè tum ibidem in ea celeberrima totius Italiæ universitate literis operam dabat, certo Bononiæ sub oculis sancti patris tirocinium exegisse negandum non videtur. Evasit exinde vir magnarum partium, eruditione, facundia, auctoritate non minus quam pietate clarissimus. Sacras literas in scholis nostris diutius e superiore loco interpretatus est, sed & tota Italia Ecclesiastes vere apostolicus auditus cum plausu & fructu. Professionis annum 70 jam attigerat ut ferunt ætatisque circiter 90, grandævus senex sed firma valetudine & vegeto spiritu, cùm Veronensis præsul assumtus est anno MCCLXXXX, eamque Ecclesiam adhuc quinque annis circiter administravit, mortuus tandem anno MCCLXXXXV. De quo legendus Ughellus *Ital. Sac. T.* V *col.* 822, ubi Onufrium Panvinium & alios arguit, qui hunc nostrum Petrum eumdem censent cum alio Petro Scaligero Mastini Scaligeri principis filio spurio ex canonico ad hanc sedem anno MCCCL evecto, & postea ad Laudensem Ecclesiam anno MCCCLXXXVIII translato. De Petro de Scala vel de la Scala omnes nomenclatores qua extranei qua nostri meminerunt, Bernardus Guidonis inter episcopos, ubi sic habet: *F. Petrus de Scala de Pergamo episcopus Veronensis*: Leander Albertus fol. 127 a. Lusitanus, Fernandez, Pius P II lib. I col. 54, & *della progenie* p. 90 b. Altamura, Rovetta ad MCCLXII, quos ex dictis vel emendes vel illustres. Hæc ejus opera.

1. *Postilla super Matthæum.* Cujus tres insignes codices MSS membr. fol. servantur Parisiis in Bibl. Sorbon. a me F. J. E. anno MDCCII & postea etiam visi & diligentius versati. Primus elegans & seculi XIII, nam est ex legato socii ejus domus G. de Fercuntiis, qui eo ævo sub Roberto de Sorbona florebat, tres uncias spissus. Initio præmittitur duplex principium.

Primum: *Habet argentum venarum suarum principia & auro locus est in quo conflatur Job 28, sicut dicit B. Augustinus 4 lib. de Doctr. Christ. c. 2. &c.* quod principium in duas partes dividitur. 1. De officio prædicatoris, & de dignitate scripturæ sacræ auctor agit in genere. 2. De singulis sacræ scripturæ libris tractat, & quod cujusque argumentum exponit.

Alterum principium: *Ostendit mihi fluvium aquæ splendidum tanquam christallum procedentem de sede Dei & Agni. Verba proposita scripta sunt 22 Apocal. In quibus verbis super suscepto opere in expositione evangelii secundùm Matthæum causa quadruplex declaratur &c.* Finis commentarii: *Ecce ego vobiscum sum; cùm ipse corporaliter in cœlum ascenderit? R. Intelligendum est quod nobiscum est usque ad consummationem seculi in sacramento altaris, vel secundùm Bernardum: dicit, vobiscum sum quantum ad divinitatem auxiliator in tribulationibus semper vestris: & vos finitis laboribus mecum regnabitis sine fine per infinita secula seculorum. Amen. Expliciunt postillæ super Matthæum secundùm Fratrem Petrum de Scala ordinis Prædicatorum.* Hæc eadem prima manu. SEC. XIII.

In altero codice ejusdem formæ & quantum conjicere est ejusdem circiter ætatis, excepto primo principio quod abest, cætera sunt eadem addito eodem nomine auctoris *F. Petri de Scala* prima totius codicis manu.

Tertius codex similis etiam formæ convenit cum secundo excepto nomine auctoris quod abest.

Extat etiam in Bibl. Victor. fol. mag. memb. n. 418 charact. grand. & eleganti. Initio sic legitur: *Istum librum dedit monasterio S. Victoris Paris. bonæ memoriæ magister Adenulphus de Anagnia quondam præpositus S. Audomari & canonicus atque electus Ecclesiæ Parisiensis sub tali conditione, quod abbas & conventus ejusdem monasterii non possint illum alienare vel vendere.* Quæ nota est in omnibus aliis codd. ab eodem Adenulpho donatis, quosque dum viveret suis sumtibus scribi curarat: adeo ut cùm ille mortuus sit anno MCCLXXXIX, hinc colligas ætatem codicis. Abest quidem nomen auctoris, sed manu antiqua legitur infra verba relata: *Postilla cujusdam ordinis Prædicatorum super Matthæum.* Sed quem ex duplici codice Sorbonico novimus esse Petrum nostrum de Scala. In hoc Victor. abest primum principium, sed incipit a secundo: *Ostendit mihi fluvium &c.* cætera similis omnino Sorbonicis, nisi quod correctior videtur.

Collatione autem facta hujus Postillæ cum commentario sub nomine S. Thomæ de Aquino edito, patet opera esse omnino diversa, nec alterum ab altero accepisse. Præter jam relata. In postilla Petri de Scala sic incipit cap. 23: *Tunc Jesus locutus est &c. Hæc est 2 pars a 22 cap. in qua declaratur justitia divinæ actionis &c.* Apud S. Thomam verò: *Supra ostensum est, quomodo pharizæi & scribæ provocati sunt ex gloria Christi, & etiam ex sapientia &c.* Hinc itaque evincitur allucinatum graviter nostrum Hieronymum Vielmium cùm commentarium S. Thomæ inscriptum, & a præceptore Vielmii Bartholomæo Spina primum typis editum Petro de Scala vindicavit. Occasio autem erroris fuit, quod non distinxerit Petrum de Scala inter & Petrum de Andria Neapolitanum Apulum de quo supra S. Thomæ discipulum, qui ex ejus ore *lecturam super Matthæum, quæ defectiva est, dicitur reportasse.* Errantem tamen Vielmium mirum quanta aviditate, ne dicam quam cæcis oculis excepeїrint critici hujus ætatis, Possevinus, Labbeus, Caveus, Dupinius & alii.

2. *Postilla in Joannem.* Princ. *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila?* Hanc se vidisse testatur Sixtus Senensis apud Minoritas severioris disciplinæ Genuenses. cod. MS. memb.

3. *Postillæ super cæteros sacræ scripturæ libros.* Sic Lusitanus: sed quæ exciderint, vel alicubi delitescunt neglectæ.

4. *Sermones de tempore & de sanctis per annum.* Laudantur a Panvinio in suo de Illustribus Veronensibus libro. Genuæ apud Minoritas eosdem servari ait idem Lusitanus: & citantur a Bandello in Tractatu de concept. B. V. quos proinde viderit.

Fernandez noster videtur duos hujus nominis distinguere, pagg. 410 & 411: sed revera unus & idem est bis repetitus, quod non raro nomenclatoribus excidit. Mirum verò Petrum de Alva in ludicro suo *Pleytos de los libros*, *p.* 165 hanc nobis objicere auctorum multiplicationem, dum ipse gravius impingit, Petrum de Scala & Petrum de An-

Sec. XIII. dria viros utique patria, ætate, officiis, & titulis diversissimos in unum eumdemque hominem conflando. Idem Alva *Sol. Verit. Rad.* 257 *col.* 1619 de Petro de Scala agens testatur in Indice Bunderii & Carnificis nostrorum *fol.* 509 *b.* laudari ejus *Postillam super Matthæum* cum hoc principio : *Dominus dabit verbum evangelizantibus.* Quod quidem diversum a supra allatis, sed ea ætate varia suis postillis principia præfigere non rarum, ut & nunc solent lectores, cùm eumdem tractatum altero anno docent.

F. Bonifacius Scaliger quidam ortu Veronensis a Rovetta laudatur ad MCCLXXXX, ætatis jam decrepitæ patriæ suæ antistes a Nicolao IV promotus, cui & hæc opera ab eodem tribuuntur :

Commentaria in Matthæum & Joannem.

Sermones de tempore, de sanctis & quadragesimales.

Quæ gratis omnia ficta, nam episcopus eo anno Veronæ positus fuit noster *Petrus de Scala* mox recensitus, quem idem Rovetta præpostere ad MCCLXII collocat. Silvester Prierias testis ab eo adductus sermone primo primæ dominicæ adventus, non Bonifacii, sed Petri meminit : Joannes verò Maria de Pelegrinis testis alter ab eo allatus anno tantum 1678 mortuus recentior est, quam ut ei absque veteri documento fidem habeamus. Itaque Bonifacium hunc, & ex syllabo scriptorum, & ex episcoporum Veronensium numero jure expungas, ceu hominem Bernardo Guidonis, Ughello, & aliis omnibus seu antiquis seu recentioribus ignotum.

F. JOANNES COLUMNA.

† 1290. F. Joannes Columna Romanus ex antiqua Columnensium stirpe satus, inter primos nuper nati ordinis viros ac assertores laudandus, adolescens Parisios litteris erudiendus cum præceptore ac gubernatore missus fuerat a patruo. Is erat Joannes cardinalis de Columna tot summorum pontificum Honorii III præsertim & Gregorii IX legationibus decoratus, totque pro Ecclesia & pro sede Romana perbelle fortiterque gestis in historia clarissimus : quæ sane adolescentis nostri oculos percellere, animumque mollire, adque sese allicere poterant. Sed magistri ordinis venerabilis Jordani tum Parisiis prædicantis sermonibus intimius motus, Christi crucem sub Dominici vexillis divitiis & honoribus quibusvis præferens, ordinem in domo Sanjacobea Parisiensi amplexus est. Sensit consilium patruus de eo monitus, tulitque quam ægerrime, nihilque non egit obtentis etiam a Gregorio IX gravioribus fulminibus quo factum everteret, sibique adolescens redderetur incassum tamen. Sed hæc narrantem libri de Vitis-Fratrum auctorem præstat audire P. IV cap. X §. 3.

» Frater quidam valde nobilis (nomen abest in meo cod. MS antiquiore, sed in altero ejusdem seculi & in editis dicitur) *Joannes de Columpna* » & nepos cujusdam cardinalis, cùm juvenculus a » patruo suo cardinali missus fuisset Parisius, & a » sanctæ memoriæ magistro Jordane induceretur » quod ordinem intraret, a quodam magno cleri» co retrahebatur. Cùmque illi promisisset quod » non intraret, priusquam ei super hoc iterum lo» queretur, quadam die ivit ad locum in quo ille » manebat, ut scilicet ei suum denunciaret ingres» sum, & hoc etiam de licentia magistri Jordanis, » qui dixerat quod confidebat in Deo quod non » subverteret eum, & ecce invenit quasi subito de» functum in medio chori cujusdam abbatiæ Pari» siensis jam-delatum. Unde ex subita illius morte » ipse magis accensus, quod conceperat complevit devote. Hic autem tantæ constantiæ fuit & fer- » voris in suo novitiatu, quod cùm data fuisset » audientia magistro suo ut ei loqueretur, coram » Fratribus multis adeo confudit eum in suis res- » ponsis, licèt multum esset juvenis, quod ille stu- » pefactus cum suis abcessit. Misit autem papa Gre- » gorius ad instantiam avunculi sui litteras præcep- » torias ut veniret ad eum, & præceptum super » hoc ad prælatos ubicunque inveniretur. Sed ille » hoc præsciens cum Fratre quodam fugit per di- » versa loca per Franciam, per Teutoniam latitans » ne posset inveniri, nec aliquis ejus occasione in- » curreret excommunicationem. Quantos autem la- » bores, quot paupertates sustinuerit sic usque ad » tempus suæ professionis quis posset enarrare ? » Erat autem mirabile, quod interdum nuntii quæ- » rentes eum cum litteris papalibus & sententiis in » eadem domo erant cum eo, nec eum poterant » invenire «.

Quæ annis MCCXXVI & XXVII evenisse auguror Joanne annos XX ad XXIV circiter nato. At demum ira patrui defervescente, imo propositum adolescentis probante ac laudante, mirum pietate religione ac doctrina crevit, ut inter illustriores ordinis columnas emicuerit. Hinc bis ad provinciæ Tusciæ seu quod idem est Romanæ regimen evectus, prima vice eo munere fungebatur anno MCCXXXVI, eumque puto Joannem cui ceu Tusciæ provinciali domum ordinis Luchæ erigendam cives concesserunt, ut habet Fontana de prov. Rom. p. 112, cui circa MCCXL successerit Humbertus de Romans de quo supra : quod & indicat Constantinus Medices in vita S. Dominici supra relata n. 42 (eam vitam scribebat inter MCCXLII & XLVI) ubi dicit *episcopum Alatrinum F. Joanni de Columna priori Fratrum tunc temporis in Romana provincia solicite perquirenti scripsisse* : hic enim loquendi modus annum monstrat ante MCCXL. Humberto de Romans verò ad regimen provinciæ Franciæ anno MCCXLIV evocato, & altero qui ei in Tuscia suffectus fuerat, in actis cap. gen. in Montepessulano anno MCCXLVII celebrati amoto, eodem anno Joannes noster prior provinciæ Tusciæ iterum assumtus est. Certo eo munere fungebatur, cùm egregiis illius dotibus persuasus Alexander IV anno MCCLV Messanenses infulas ei conferendas duxit, ceu qui animi vir infracti Ecclesiam illam ab hæredibus Friderici II turbatissimam facilius in tranquillum revocare posse videretur, quod & præstitit ad nutum pontificis. Sic de eo lego apud Bernardum Guidonis inter episcopos : *F. Joannes de Columna archiepiscopus Messanus, erat provincialis Tusciæ anno* MCCLV, scilicet cùm allectus est archiepiscopus. Idem fere ante Bernardum scripserat F. Conradus Gratia Dei de quo postea ad 1305 epistola quam anno MCCXC ad episcopum Catanensem dabat de rebus Siculis. *Anno* MCCLIV inquit *Innocentius papa de licentia Manfridi principis intravit Neapolim, & ibi mortuus & sepultus est. Item in eodem anno Messanenses miserunt Romam & elegerunt potestatem D. Jacobum, & mansit in potestate usque ad mensem Madii prædicti anni, & cum eo venit D. Frater Joannes de Columnis ord. Prædic. archiepiscopus Messanensis.* Nota *in eodem anno*, intellige, intra annum a morte Innocentii IV, qui obiit VII idus decemb. Id clarius Fazellus Hist. Sic. lib. 8 cap. 3 ad annum MCCLV : *Li Messinesi nel mese d'ottobre per mezzo d'ambazzatori si diedero al pontefice. Il pontefice fece legato di Messina Gioanni Colonna arcivescovo di essa città, & Jacopo di Ponte fece governatore, sotto il governo de' quali fù retta la città di Messina per spatio di sette mesi.* Apparet mensem illum octobrem fuisse anni MCCLV, quo Joannes & Jacobus Messanam trajecerunt, &

ambo septem mensibus ad maium anni sequentis civitatem illam rexerunt. Veteribus his testibus consentit Taegius I. P. M. O. *F. Joannes ex nobili Columnensium familia Romanorum ortus, archiepiscopus Messanus in Sicilia per D. Alexandrum IV pontificem assumtus ex provincialatu Romana provincia A. D.* MCCLV *vir fuit omni laude dignus, religione conspicuus, doctrina clarus, vita sincerus, & fama celeberrimus, quo autem tempore recessit mihi restat ignotum.* Verisimile autem post rectam in pace septem mensibus Messanam, cùm novas in insula videret exurgere ex parte Manfredorum turbas, ad pontificem rediisse, rebusque toto illo pontificatu & sequenti sedatioribus non factis Romæ perstitisse. Ab Urbano IV constitutum suum in Urbe vicarium nos docet inscriptio antiqua in basilica S. Sabinæ ad sacellum S. Petri martyris etiamnum legenda, quæ sic habet ex Fontana in Theat. p. 342. a : *A. D.* MCCLXIII *pontificatus D. Urbani IV anno ejus secundo istud altare fuit consecratum ad honorem B. Petri martyris ordinis Fratrum Prædicatorum, quando est statio apud S. Priscam in tertia feria hebdomada sancta per venerabilem P. F. Joannem de Columpna archiepiscopum Messanensem vicarium tunc temporis D. papa Urbani &c.* Anno MCCLXIV Ecclesiam Messanensem jam dimiserat, nam Urbanus IV in diplomate dato V kal. julii anno III quodque sanctimoniali Frisæ dictæ scripsit, ut monasterium S. Mariæ de Flomaria sub Cisterciensi disciplina institueretur, Ecclesiam Messanensem tum vacare asserit. Vide Rochum Pirrum in Messan. Notit. p. 335 : unde Joannem nostrum deinceps Romæ quietum perstitisse, ac scribendis historiis suis operam omnem collocasse conjectu pronum. Ex iis constat ad seros annos pervenisse, & ultra MCCLXXX adhuc fuisse in vivis, & licèt quo anno ad superos abierit nemo certo referat, id inter MCCLXXX & CCXC accidisse verisimillimum.

Hic quidam nostrates emendandi, in primis Leander Albertus, qui eumdem hominem in duos videtur dividere, primum Joannem de Columna recte dictum fol. 85 b ex præfectura Etruriæ provinciæ archiepiscopum Messanensem anno MCCLV ab Alexandro IV assumtum, alterum fol. 86 b Jacobum Columna Romanum archiepiscopum itidem Messanensem : sed mendum esse in nomine & Jacobum perperam dictum pro Joanne nec alterum esse hinc constat, quod ex rectore provinciæ Etruriæ factum archiepiscopum, & dum Humbertus ordinem regeret magister V floruisse addat, quæ in Joannem cadunt omnia. Errantem tamen excipiunt Lusitanus, Fernandez, Pius, Altamura & alii, primum Joannem ad 1262 circiter, alterum Jacobum ad 1340 contra Leandri mentem & contra omnia vetera monumenta collocantes : nam toto seculo XIV nullum hujus nominis Jacobi, nullum ex Columnis sed alios plane Messanæ sedisse ex antiquis diplomatibus & instrumentis evincit Pirrus citatus.

Alter emendandus est Stephanus Sampayo in Stemmate ord. Prædic. p. 257, ubi duplicem continenter laudat Joannem de Columna alterum Messanensem, alterum Nicosiensem archiepiscopos, sed isti secundo agnomen de Columna gratis & ex suo finxit Sampayus. Nam notandum illum primos suos archiepiscopos ex Laurentio Pignon cod. Victor. 650 exscripsisse, in quo sic legitur

F. Joannes Romanus fuit archiepiscopus Nicosiensis.

F. Joannes Columna provincialis Tuscia archiepiscopus Messanensis. Itaque illud agnomen *de Columna* Nicosiensi ex suo addidit Sampayus, & revera ille non *de Columna*, sed de Polo dicebatur & Pisanus ortu & professione fuit, de quo nos ad annum 1325 agemus : dictus est autem Romanus a Laurentio Pignon non patria, sed quod esset Romanæ provinciæ alumnus. Ista tamen Sampayi aberratio plures nostrates delusit, alios qui Joannem de Columna ex Messanensi ad Nicosiensem Ecclesiam ab Urbano IV translatum dixerunt, inter quos Altamura ad 1276, alios qui duplicem Joannem de Columna distinguentes primum ad 1263 circiter Messanensem antistitem & recte referunt, alterum ad 1363 ab Innocentio VI Nicosiensem præsulem evectum volunt, quales Fernandez, Pius, Fontana in Theatro p. 91 & in Append. p. 626, quod gratis omnino fictum, & solo Sampayi testimonio superstructum, fundamento ceu casso & evanido everso, seipso ruit.

Tertius corrigendus est Philippus Bergomensis in supplem. chronic. qui ad MCCCXIII viros illustres ea ætate recensens, inter eos nostri Joannis de Columna meminit. Sed notandum Bergomensem non accurate designare annum quo quisque auctor floruerit, sic ibidem Ricardum de Mediavilla laudat, qui vix ad annum MCCC pervenit, ita eo anno Columnensem nostrum refert, quem vix crediderim annum MCCXC attigisse. Hæc ejus opera :

I. *Mare historiarum ab orbe condito ad sancti Gallia regis Ludovici IX tempora inclusive.* Pr. *Sicut dicit magnus pater Areopagita Dionysius, Deus est arcanum bonum rationi &c.* Laudat Ludovicus a Valleoleti n. 44 sic : *F. Joannes de Columpna Romanus fecit stylo eleganti chronicam a creatione mundi usque ad sua tempora.*

Hujus operis extant Parisiis in Regia exempla duo membr. fol. max. & crassioris molis charactere Gothico at eleganti. Primum n. 4684 olim familiæ Ursinæ : nam initio extant figuræ cardinalis Ursini cum bireto nigro cancellarii, & alterius militis Ursini cataphracti cum tunica tessera gentilitia Ursinorum distincta, scilicet balteo argenteo minioque sexies alternatim distincto, cui supereminet apex argenteus laciniolæ aureæ substratus : ipsum verò volumen figuris ubique elegantibus tenuiori peritæ manus penicillo pictis auro fulgentibus ornatum. Titulus : *Mare historiarum compositum a F. Johanne de Columpna Romano ordinis Fratrum Prædicatorum.* Alterum exemplum ex Telleriana in Regiam illatum extat n. 4684, 2 ad cujus finem sic legitur : *Explicit liber intitulatus*, Mare historiarum, *quem scripsi ego F. Guillermus de Verduno monachus monasterii S. Victoris Massiliensis reverendo in Christo patri D. D. G. de Agrifolio tit. S. Stephani in Celiomonte S. R. E. cardinali, tunc pro S. R. E. in partibus Alemania legato sub A. D.* MCCCLXXXI *de mense augusti vigilia S. Bartholomei, pontificatus SS. in C. P. & D. N. D. Clementis divina providentia papa VII anno* III.

Alia alibi extare exempla haud mihi dubium : certe S. Antoninus sec. XV viderat in Italia, & penes se habebat, nam eo usus est, eumque laudat Histor. P. III Tit. XXIII cap. XI.

Opus non contendo usquequaque accuratum, sed saltem quæ sua ætate apud doctos vulgatæ historiæ hinc disces, ac præterea seculi XIII gesta plura ab aliis omissa. Sic autem de se scribit lib. 7 cap. 161 ad annum MCCXXX ubi de ven. M. Jordano II ordinis Prædic. magistro : *Hic sua prudentia ac sanctitate ordinem in provinciis & Fratribus nimium dilatavit, multique viri excellentes & nobiles in scientia valde famosi sub eo ordinem intraverunt : inter quos fuit Frater Joannes de Columpna nepos D. Johannis cardinalis, qui fuerat legatus in Gracia, qui postmodum archiepiscopus Messanensis in Sicilia.* Sic in primo codice regio, in altero verò brevius : *Fuit Frater Johannes de Columpna nepos D. Jo. cardinalis, legatus in Gracia, qui postmodum archiepiscopus Messanensis.* Quæ sane ambigua. Si

SEC. XIII. enim primi codicis lectio attendatur, cardinalis est de quo dicitur fuisse legatum in Græcia, ut revera fuit. Si autem ad alterum codicem oculos vertas, nepos est qui legatus in Græcia fuisse dicitur, priusquam ad sedem Messanensem promoveretur: quod & probabile.

Monendus verò lector, ne idem opus existimet Gallice versum & pluries editum hoc titulo, *La mer des histoires* Paris. Petri le Rouge 1488 fol. voll. duob. quod a creatione mundi historiam prosequitur ad regem Galliæ Ludovicum XI. Hæc prior editio elegans pellibus vitulinis in Regia C. 751 & 752. Iterum auctum Paris. 1516. Tertio recognitum & auctum Paris. Galliot Dupré 1536 fol. Opere Joannis Columna usum auctorem facile crediderim, sed aliud plane est revera opus & alius auctor, nimirum theologus nomine Brochart, qui Latine illud scripsit sub hoc titulo: *Rudimentum novitiorum* editum anno 1475: quod Gallice vertit quidam patria Bellovacensis, & edidit sub novo illo titulo *La mer des histoires*, cui postea succenturiarunt alii. Quod idem opus Gallicum sub alio titulo *La fleur des histoires* typis prodiit eodem anno 1488. Idem præloquium &c.

2. *De viris illustribus Ethnicis & Christianis.* Pr. *De vita & moribus virorum illustrium tam sanctorum quam aliorum &c.* Primum agit de Socrate & de gentilibus philosophis, postea de Christianis. Extat Venetiis apud SS. Jo. & Paulum, & recenset Tomasinus in Bibl. Venet. Vidit ibidem Clar. asceta Montfauconius, & meminit Diarii Italici pag. 50 testatus *opus non spernendum & luce dignum.* Ex hoc codice quæ de S. Thoma de Aquino ejus pluribus annis convictor & symmysta æqualis in religione antiquior post mortem diu superstes Joannes de Columna scripsit, habui a R. A. P. Jacobo Hyacintho Serry reipublicæ Venetæ theologo Patavino, & hîc addere est necesse. Sic ergo de eo habet: *Scripsit super quatuor libros sententiarum cui non invenitur adhuc simile, nam plures alii post eum scripserunt: Summam contra gentiles fecit, Summam theologicam quam divisit in quatuor volumina: composuit autem & hic felix & sanctus doctor officium de corpore Christi, quo devotius in Ecclesia Dei non dicitur nec cantatur.* Quod testimonium scriptoris S. Thomæ æqualis ipsique familiaris ad asserendam sancto suam Summam theologicam quatuor partitibus distinctam luce meridiana clarius est, & adversus Launoii quæsita dubia plane decretorium. Addebatur mihi eumdem nihil habere de SS. Francisco & Bonaventura, sed B. Dominicum & Albertum Magnum laudare, unde a morte hujus ultimi id est post MCCLXXX scripsisse hoc opus conjiciebam. Utinam aliquando SS. Joan. & Pauli sodalibus Deus O. M. inspiret, ut opus hoc juris publici tandem faciant, & rei litterariæ ac scholæ nostræ adeo necessarium in tenebris diutius retinere in animum non inducant.

3. *Epistola ad diversos variæ.* Sic Lusitanus & sequaces post Tritemium.

4. *Tractatus duo, unus de infelicitate curialium, alter de gloria paradisi.* Sic Prosper Mandosius Bibl. Rom. Centur. 7 n. 33, penes quem fides, cùm ubi serventur non addat.

F. JOANNES ROMANUS quidam ceu a superiori *de Columna* diversus apud Lusitanum recensetur p. 132, quem ad annum 1262 claruisse vult & scripsisse

Speculum quoddam historiale ad instar Speculi Vincentii Belvacensis.

Excipiunt Pius P. II lib. I p. 60 & alii nostrates, Fernandez, Fontana & Altamura ad eumdem annum. Iis omnibus antiquior Ludovicus a Valleoleti quemdam *Joannem Romanum* n. 48 distinguit a *Joanne de Columna*, sed non Speculum historiale ei ascribit, at *Speculum sacerdotale* ad instar inquit similis operis Bernardi Guidonis. Tot varia & incerta mihi suadent hunc Joannem non alium esse a Columnensi, qui pro more suæ ætatis a patria *de Roma* vel *Romanus* inter sodales nominabatur, quæ denominatio multiplicationi auctorum ansam dederit. Adde istud opus historiale a mari historiarum distinctum neminem a se visum testari.

F. GUIDO EBROICENSIS.

F. GUIDO EBROICENSIS sic vulgo nunc appellatus, quod in ea Neustriæ diœcesi natus, qui & in cod. MS Sorbon. *de Mesnillio* nuncupatur, a loco originis castro leucis quatuor circiter Ebroicis dissito vernacule *Mesnille*: licèt enim alia plura in eadem diœcesi loca sint quibus Gallice nomen *Mesnil*, ea Latine vertunt *Menilum* non Mesnillium. Concionator fuit sub finem seculi XIII celebris, ejusque sermones avide undique quærebantur. Laudatur a Bandello in suo de conceptione Virginis tractatu, ubi dicitur *doctor Parisiensis.* Quod non ad verbum accipias, quasi gradum illum in sacra facultate Parisiensi consecutus sit, neque enim inter magistros locum habet in catalogo Guidonis, sed late quod in gymnasio Sanjacobeo educatus, & ut censeo ad ordinem ascitus (nam domus Ebroicensis non ante MCCLXXVIII erecta est, ille autem longe ante vestem nostram induerat) magnam sibi a theologia famam comparasset, imo eam variis in locis ut mos tum erat e superiori loco docuisset. Quod responsum nostrum sit adversus Alvam Bandello de hoc doctoris titulo litem moventem Sol. Verit. Rad. 134 col. 1240. Ad annum MCCXC pervenisse fortè & ultra patebit ex sequentibus. Hæc ejus opera: * 1290.

I. *De clavibus divinæ scripturæ, seu Annotationes ad Tichonii Aphricani regulas pro sacra scripturæ intelligentia.* Ita Sixtus Senensis, Lusitanus & Razzius p. 233.

II. *Regula Mercatorum.* Recensetur in catal. codd. MS Angliæ T. I P. II n. 1337 *Regula mercatorum auctore F. Guidone de ord. FF. Prædicat.* & P. III n. 762 *Guidonis Fratris regula mercatorum.*

III. *Sermones de tempore & de Sanctis.* Quorum hic ordo in codicibus accuratioribus:

1. *Ponuntur sermones Dominicales totius anni sumti de epistolis.*

2. *Intitulantur themata de Dominicis totius anni.* Id est proponitur series versiculorum scripturæ sacræ quibus quisque uti potest ad libitum.

3. *Sequuntur themata de Dominicis totius anni divisa & concordata.* Quædam nempe logographia, ut ita dicam seu divisiones sermonum variis scripturæ auctoritatibus suffultæ.

4. *Themata de Sanctis per circulum anni & de omni casu & necessitate veluti in synodis, in visitationibus monasteriorum, in benedictionibus monialium, pro pluvia vel siccitate habenda.*

5. *Themata de omnibus Sanctis totius anni & de omni casu & necessitate, & dividuntur & concordantur per auctoritates.* Scilicet ut mox dictum est de Dominicis.

6. *Sermones integri de quibusdam festis & sanctis, scilicet de purificatione B. V. de S. Petro martyre: de S. Dominico: in assumtione, in nativitate B. V. in festo angelorum: de quolibet confessore: in exaltatione S. Crucis: in dedicatione Ecclesia.*

7. *Denique index alphabeticus dictionum* (hoc est vocabulorum) *de quibus in toto opere fiunt distinctiones & sermones.*

Hujus operis hæc exempla a me Parisiis visa. In Sorbona quatuor.

Primum voll. duob. in fol. par. memb. n. 965. Ad calcem prioris tomi sic legitur : *Explicit Summa sermonum Ebroicensium de epistolis totius anni, edita a Fratre Guidone de Mesnillio ordinis Fratrum Predicatorum anno Dñi millesimo ducentesimo nonagesimo.* Et postea : *Ex legato M. Petri de Lemovicis* : qui floruit a MCCLX ad MCCC. Quæ docent primam partem anno notato confectam.

Alterum exemplum fol. mag. memb. n. 1010. Ad calcem : *Anno* MCCCXIX *die veneris ante vigiliam B. Marie Magdalene completus est iste liber sermonum Dominicalium F. Guidonis ord. FF. Predic.* Quæ ætas est codicis, in quo & alia plura.

Tertium fol. par. memb. n. 956. Titulus : *Incipiunt sermones Dominicales F. Guidonis de ordine FF. Predicatorum quos compilavit in conventu Ebroicensi.* Ad calcem : *Explicit totum opus consummatum A. D. mill. cc nonagesimo tertio.*

Quartum huic tertio omnino simile n. 995 ex legato M. Joannis de Marolio quondam socii.

In Navarr. duo memb. in quorum altero fol. mag. & melioris notæ sic ad calcem : *Scriptum anno* MCC..... Oscitatione nempe librarii qui sequentem seculi annum omisit. Se vidisse hunc cod. narrat Alva.

Victorina codex 706 fol. par. memb.

Augustin. ad pontem novum codex 247 ejusdem rationis.

Apud Prædicatores ad S. Honorati fol. par. memb. munus D. de Vaitte abbatis Camberonen. Ad calcem : *Explicit totum opus consummatum anno* MCC *nonagesimo tertio.* Qui idem annus ascribitur in Lipsiensi teste Fellero p. 168.

Extat similis codex MS in membr. Claromontii in Arvernia apud nostros.

Plures codd. a se visos in Belgio laudat Alva citatus : Leodii in abbatia S. Jacobi, Dunis apud Cistercienses, ad Suessionem apud Longumpontem, monens unâ Bunderium nostrum meminisse indicis codd. MS fol. 285.

In catal. codd. MS Angliæ recensetur T. I P. II n. 1322. P. III n. 2110 : T. II P. I n. 856 : ubique *Sermones Dominicales F. Guidonis de O. FF. Pred. quos compilavit in conventu Ebroicensi.*

Apud Tomasinum in Bibl. Venet. apud SS. Jo. & Paul. Pl. IV.

Lusitanus asserit Neapoli apud S. Dominic. se vidisse.

IV. In Navarr. extat codex MS memb. in 8. In medio voluminis extat tractatus hoc titulo : *Incipit Summa F. Guidonis de Divinis nominibus feliciter.* Pr. *Sicut turris David collum tuum, que edificata est cum propugnaculis*, &c. *Cant.* 4. *Collum Ecclesie sunt theologi &c.* Non habet plusquam foliola octo sed charactere minutissimo. Primum hujus codicis opusculum est Breviloquium F. Joannis Guallensis ord. Minor.. Ultimum *Tractatus de professione Monachorum nostri Guillelmi Peraldi.* Cùm Guido Ebroicensis sua ætate F. Guido simpliciter & sine addito appellaretur, ejus facile crediderim hanc opellam. Si quis tamen contra contendat, repugnare non est animus.

Hujus scriptoris meminerunt nostrates fere omnes. Ludovicus a Valleoleti n. 51 : *F. Guido fecit sermones de tempore & de Sanctis per totum annum.* Leander Albertus sub agnomine *Gallici* fol. 144 b. Idem Razzius p. 279, Lusitanus p. 95 quem excipiunt Possevinus, Fernandez, Altamura ad 1314, ad quem annû Guidonem pervenisse difficile mihi persuadeam.

F. PAPARONUS DE PAPARONIS.

* 1290. F. PAPARONUS DE PAPARONIS stirpe Romana illustri ortus domus S. Sabinæ alumnus theologus insignis & juris canonici peritus, seculo XIII claruit. Procuratorem ordinis generalem agebat in curia Romana, cùm a Clemente IV ad sedem Fulginatensem V kal. julii MCCLXV promotus est, exinde ab Honorio IV ad Spoletanam XII kal. aug. MCCLXXXV translatus, quam utramque Ecclesiam optimi pastoris partes implendo cùm rexisset, ad superos abiit anno MCCXC. Sic Ughellus Ital. Sac. T. I p. 753 & 177, quem excipit Fontana in Theat. Ejusdem meminit Bernardus Guidonis inter episcopos provinciæ Romanæ, apud quem sic lego : *F. Paparonus Romanus episcopus Spoletanus.* Item Leander Albertus fol. 127 a, & qui deinceps de episcopis ex ordine assumtis scripserunt. Prosper Mandozius Bibl. Rom. Cent. VIII n. 56 emendandus cùm mortuum dicit anno MCCLXXXIII, eum inter scriptores Romanos recenset, ceu a quo hæc prodierint

1. *Statuta collegii disciplinæ S. Feliciani a se Fulginii erecti a presbyteris observanda.*

2. *Tractatus de septem peccatis mortalibus in usum confessariorum suæ diœcesis.* Olim inquit Mandozius, apud Joannem Paulum Farnesium soc. J. servabatur MS.

Mirum Fontanam, qui ubi de Spoletanis episcopis agit, Paparonum procuratorem ordinis generalem fuisse asserit, tamen postea ubi de procuratoribus generalibus tractat, nullum ei inter illos locum relinquere. Quod discutiant Romani nostri.

F. CONRADUS TEUTO.

F. CONRADUS TEUTO provinciæ Teutoniæ prior provincialis a Leandro Alberto fol. 152 b laudatur, ceu qui claro & non ineleganti stylo scripserit * 1290.

Vitam S. Dominici ordinis Predicatorum institutoris ab eo editam circa 1290. Quam Lusitanus ex omnibus antea scriptis compilatam cæteris copiosiorem præstat, & faciliores excipiunt Gozzeus, Pius, Fernandez, Altamura nostri, tum exteri Possevinus, Vossius Histor. Latin. p. 497 & sequaces.

Mihi verò difficile probatur : mirum enim esset vitam hanc cæteris præstantem a nullo unquam visam, a nullo veterum aut æqualium aut suppariorum laudatam. Theodoricus de Appoldia qui circa MCCXC vitam S. Dominici scribere aggressus est, & circa XCVI absolvit, auctores citans qui idem eatenus susceperant, Jordanum, Constantinum, Humbertum & Gerardum tum Teutoniæ provincialem tantum memorat, an Conradum ut volunt suæ ejusdem provinciæ anno MCCXC præsidentem omisisset ? An saltem illi idem ac sibi esse consilium ignorasset? Bernardus Guidonis post MCCC scribens, & quotquot vitam sancti scripserant enumerans, præter Theodoricum & ab eo laudatos non addit nisi Petrum Ferdinandi Hispanum & Jacobum de Voragine in Legenda Sanctorum : qui illum ista Conradi copiosior effugit ?

Deinde quis ille Conradus ? An is cujus mirum ad ordinem ingressum refert Constantinus vitæ S. Dominici n. 24 ? Ille quidem primus fuit Teutoniæ præpositus in cap. gen. Bononiæ MCCXXI, sed jam a pluribus annis ante MCCLX obierat, cùm mors ejus Magdeburgi referatur in Vitis Fratrum P. V cap. 2 §. 3. Itaque si quid de gestis B. Dominici scripsisset, non ignorassent Constantinus, Humbertus, Gerardus qui Vitas Fratrum scripsit, nec Theodoricus nec Bernardus Guidonis, qui tamen id siluerunt. Conradus alter laudatur in Vitis Fratrum prior Constantiensis ad Rhenum, sed is non fuit provincialis & Friburgi Brisgoiæ mortuus erat longe ante MCCLX, ut habetur in iisdem Vitis P. V cap. 3. Apud Cantimpratanum tres Conradi laudantur, Lovaniensis de Apibus lib. 2 cap. 1 §. 12 cujus morti ille affuit,

SEC. XIII. Friscacensis alter ibid. §. 22, sed hi non fuere provinciales: tertius cap. 57 §. 23: hic erat provincialis anno MCCXXXI, & fortè ille idem est a B. Dominico primus institutus. Anno MCCXC F. Hermannus Teutoniæ provincialis aderat comitiis ordinis Ferrariæ, & cum aliis a destitutione magistri ordinis Munionis appellavit, & in iisdem munere solutus est cui a quatuor annis inserviebat. Ejus qui ei suffectus est nomen non produnt, scio tantum anno MCCXCIII in cap. gen. Insulis coacto ab officio remotum. Illo autem eodem anno F. Gerardum electum provincialem hinc conjicio, quod Theodoricus de Appoldia de eo ut hoc munere actu fungente anno MCCXCVI in prologo vitæ B. Dominici loquatur. Si istum intermedium Hermannum inter & Gerardum Conradum dictum fuisse quis velit, iterum redibit quæstio, cur Conrado vitam Sancti aggrediente, id opus Munio Theodorico commisit? Cur hujus lucubratio per ordinem viguit & approbata est? Cur Conradi opus siquidem præstantius & copiosius in ipso ortu extinctum, & ita neglectum ut nemo viderit?

Vehemens itaque mihi suspicio est Leandrum primum hujus auctoris assertorem allucinatum esse, & *Conradum* pro *Gerardo* scripsisse, cujusmodi errata nomenclatoribus etiam attentioribus aliquando & facilè excidunt, idque eo magis allubescit, quod etsi Gerardus plura ex ore B. Cæciliæ Bononiæ anno MCCLXXXVIII accepta de gestis B. Dominici scripserit, ex quibus suam vitam Theodoricus dictavit & auxit, ejus tamen Gerardi Leander nullibi meminerit. Exinde delusi Lusitanus & sequaces, sed incautius Altamura, qui huic viso Conrado librum alium ascribit

De Rosario B. Virginis editum inquit Coloniæ 1603 in 12.

Testem affert Coppensteinium Clavis Rosarii lib. 2 c. 7 p. 439: sed Coppensteinius ibidem non Conradum sec. XIII florentem laudat, at Conradum Zittardum initio sec. XVII clarum, de quo nos suo loco.

F. NICOLAUS DE HANAPIS.

† 1291. F. NICOLAUS DE HANAPIS sic a loco suæ originis vernacule *Hanapes* in decanatu Ruminiaci Tierasciæ diœcesis Remensis nuncupatus, conventum suum Remensem, in quo ordini ascitus, imo & Sanjacobeum Parisiensem, in quo sacris initiatus est literis, etsi non ad gradus promotus, egregiis suis meritis & amplissima dignitate plurimum illustravit. Claruit ille seculo XIII, nec dubium quin variis in provincia Franciæ, cujus alumnus erat perfunctus sit muniis scholæ & regiminis. His instabat, cùm Romam accitus est forsan ab Innocentio V ex ordine assumto Franciæque aliâs provinciali, cui viri dotes apprime notæ erant, vel potius a F. Latino cardinali de Malabranca de Ursinis ex ordine assumto, cui socium fuisse discimus ex codice regio 3840 infra citando, & vel a Nicolao III, vel a Martino IV pœnitentiarius Romanus linguæ Gallicæ institutus. Certe eo munere fungebatur cùm ad cathedram Petri evectus est Nicolaus IV. Accidit etiam tum ecclesiam Hierosolymitanam Latino patriarcha destitutam esse, ad quam Nicolaus noster visus est pontifici cum consilio sacri collegii promovendus. Rem sic narrat noster Bernardus Guidonis: *F. Nicolaus de Hanapiis de provincia Francia Remensis diœcesis fuit patriarcha Hierosolymitanus. Hic cùm esset pœnitentiarius in curia Romana, vir probatus Deo & hominibus, vita & moribus acceptus, D. Nicolao papa IV singulis cardinalibus imponente, quod quilibet in crastino nominaret sibi tres viros idoneos, non sine nutu divino Frater Nicolaus fuit patriarcha a singulis nominatus, & sic per summum pontificem ad patriarchatum sanctæ civitatis Hierusalem est promotus.* Ejus etiam meminit Laurentius Pignon in suo catalogo, ubi sic habet: *F. Nicolaus de Hanapis episcopus Aconensis & patriarcha Hierosolymitanus.* Nimirum a tempore Urbani IV hæ duæ Ecclesiæ adunatæ fuerant: & revera extant Nicolai IV ad Hanapium nostrum literæ Romæ 2 kalend. maii anno 1 datæ, id est MCCLXXXVIII, quibus postquam dixit se eidem propriis manibus munus consecrationis impendisse, ac pallium per duos diaconos cardinales exhiberi fecisse, addit se cum Hierosolymitana, quam ei jam tradiderat, Aconensem ecclesiam unâ gubernandam, ut eam ultimus decessor Elias patriarcha possederat, committere. Has refert Raynaldus ad MCCLXXXVIII n. 41. Legationem eidem in Syria, Hierusalem, Cypro ac Armenia contulit summus pontifex per alias literas VI kal. sept. datas, ut refert idem Rainaldus: qui & ad MCCLXXXIX n. 69 habet literas, quas Hanapio idem pontifex scribit, ei 20 galeas quas postulaverat in auxilium Terræ-sanctæ promittens, Reate id. sept. anno 2. Nec omittendum quod narrat Philippus a Limborch in Histor. Inquisitionis. *Anno*, inquit, MCCLXXXX *inquisitionis officium in Syria & Palæstina institutum est grassantibus illic hæreticis ac Judæis, quibus bellorum tumultus impunitatem promittere videbantur. Amplo dato diplomate ad Nicolaum patriarcham Hierosolymitanum apostolicæ sedis legatum, jussit papa, ut in terris suæ legationis inquisitores hereticæ pravitatis de consilio provincialium Prædicatorum earumdem partium, vel eorum vices gerentium deputaret.* Quod mirum omissum a Fontana in *Theatro*. Anno verò MCCLXXXXI obsessa & tandem expugnata a Soldano Babylonis suisque Saracenis Acone, in ea nunquam satis lugenda clade periit noster patriarcha. De quo sic habet Bernardus Guidonis: *Hic obiit quandò capta & desolata fuit civitas Achonensis anno Domini* MCCLXXXVIII: in alio codice MCCLXXXIX, sed in utroque erratum, nam id accidit MCCLXXXXI ut habent omnes ejus ætatis auctores. Laudandus hìc nobis visus est potissimum Anonymus, qui eodem anno vel sequenti cladis illius ingentis historiam scripsit prælo dignam, etsi nondum editam, quæ extat Parisiis in Victorina cod. MS memb. fol. mag. n. 974: capita solùm perstringo. Hic titulus:

Excidii Aconis in anno Domini MCC *nonagesimo primo gestorum collectionis proœmium incipit.* In eo sic monet: *Non tamen me jactito rei facto interfuisse, sed sicut a diversis diversorum in cordis amaritudine resolutus gestorum relationem aure avida suscepi, eorumdem seriem juxta meum arbitrium ficta & mulcebri narratione duplici corda pie pungenti, facti tamen continenti veritatem adordior pandere cuilibet legere cupienti. Prima igitur narratio est de his, quæ ante Aconis obsidionem evenerunt, cujus hæc sunt capita:*

1. *Quomodo Soldanus desidavit Aconem.*
2. *Treugarum fractio qua Aconis excidii occasio.*
3. *Mandatum Soldani, ut Aconenses mitterent eidem eos qui treugas infregerant puniendos.*
4. *Quomodo Aconenses per nuncios solemnes se Soldano excusaverunt super sua petitione.*
5. *Responsio Soldani ad nuncios super data excusatione ab eis.*
6. *Relatione responsionis a nunciis facta, consilium quod habuerunt Aconenses super responsione Soldani.*
7. *Quomodo patriarcha* (F. Nicolaus de Hanapis) *commendavit Aconenses super responsione & consilio dato ab eisdem.*

» Hac igitur illata responsione laudabili stans «

» erectus patriarcha in cœlum fixis luminibus, ma-
» nibus supra pectus compositis se totum super articulos sustinens, gratias egit ad Dominum cum » devotissimis ac flebilibus suspiriis dicens: Benedicta sit sancta Trinitas in sola Deitate, quæ ad » sui honorem concordes fecit Aconenses, & eorum corda receptacula munda, ut eos in tanti » negotii consultatione spiritu consilii uniformiter » collustraret. O viri Aconenses imitatores prudentiæ, constantia vestra verbo Lucæ in actibus apostolorum annotatur: Est enim ut videtur in vobis » cor unum & anima una. Reddidistis enim vos commendabiles apud Deum & totum mundum. Nam » cordium vestrorum affinitas, animorum parilitas, » & voluntatum uniformitas, quas secuta est vestræ » responsionis hilaritas, nos admonent & instruunt, » ut consilium vestrum laudabile, Deo & hominibus acceptabile, cum totius curæ vigilantia prosequamur. Et vos quidem constantes estote, quia » auxilium Domini videbitis super vos advenire. Et » data benedictione quilibet ad propria remeavit «.

8. *Quibus personis fuit notificata obsidio Aconis futura pro subsidia impetrando, & ordinatione custodiarum mænium civitatis & munitione eorumdem.*

Hoc caput curiosum. Inter alia. » Tunc, inquit, » omnium civitatem habitantium, & quorumcumque ibidem adventitiorum in armis instructorum » circiter nuncentum equitum & octodecim millia » peditum repererunt: de quibus quatuor custodias » supra mænia ordinantes &c. Harum autem custodiarum unam rexit tanquam capitaneus universi » (id est civium) sæpe nominatus Joannes de Grilliaco, qui sibi de Grandisono J. prædictum adjunxit. Secundam rexit rex Cypri qui ministrum militiæ Teutonicorum sibi sociavit. Sed tertiam rexit minister hospitalis Hierosolymitani, qui secum » militiæ Spatæ ministrum advocavit. Et quartam » rexit minister Templi, qui secum ministrum militiæ Sancti Spiritus adsumpsit. Hi sunt octo viri » quorum prudentia & consilio ac solerti vigilantia » civitas Aconis tunc regebatur, qui si concordes » fuissent, adhuc Deo teste civitas Aconis subsisteret &c. Sed patriarcha mitissimus dignitatis suæ » officio sedulum divinæ prædicationis officium ad » excitationem affectuum inter cives jugiter exercebat «.

Secunda narratio quæ est de his quæ ad obsidionem Aconis, & in obsidione, & ejus excidio acciderunt continet tredecim gesta.

1. *Egressus Soldani a Babylone adversus Aconem, & missio septem Amiratorum ante Aconem dum infirmaretur, & gesta eorum.*

In hoc capite dicit quemlibet Amiratum habuisse suo sub imperio 4000 *equitum, & peditum* 20000. De pugnis tum factis sic habet: *Duravit autem iste modus congrediendi a medio martii* (MCCLXXXX stylo veteri Gallico, Romano MCCLXXXXI) *usque ad medium aprilis, nihil prorsus facto, quod sit memoria commendandum.* Pascha eo anno fuit 22 aprilis.

2. *Creatio novi Soldani, & mors patris ejus.*

3. *Adventus novi Soldani ante Aconem, modusque congressionis, & evacuatio civitatis, & turpis fuga regis Cypri ab Acone.*

In hoc capite dicit novum exercitum adductum a Soldano cum decem amiratis, quorum quilibet sub se habebat 20000 peditum & equitum 4000. Et postea: *Sed & cives interim a civitate thesauros omnes cum mercibus & sacrosanctis reliquiis, senes quoque & debiles, mulieres speciosas & pueros, & alios ad pugnam inutiles in Cyprum procuraverunt navigio transportari.* Quod si verum, ut vix dubitari potest, narrationem S. Antonini de sanctimonialibus Clarissis sibi nasum præcidentibus & in ea obsidione trucidatis dubiam faceret, ut potè quæ inter alias fuerunt primæ deportandæ, quod alii discutiant.

Pergit auctor: » Multi etiam perpendentes quæ « fiebant discorditer inter cives, cum tota fortitudine sua in nihilo læsi tam equites quam pedites « recesserunt. Non igitur remanserunt in Acone, nisi « viri qui erant in armis instructi, qui de jure civitatem defendere tenebantur cum paucis peregrinis, qui ardentes in fide remanserunt: qui cùm « omnes fuissent numerati 12000 vel circiter sunt « inventi & non plures, quorum forsan 800 erant « equitum, & reliqui peditum strenui bellatores &c. « Quintadecima die maii tam gravem impetum custodiis murorum dederunt Saraceni, quod fere « regis Cypri cedente per eorum discordiam custodia nisi nox obscurissima intervenisset, & aliquantulæ defensionis aliunde venientis affuisset impetus, civitatem Saraceni mox intrassent &c. Idem « rex Cypri caute non solùm cum suis, sed cum « tribus fere millibus aliorum nobiles se gerentium « propter eamdem discordiam discedentium per mare turpiter discessit. «

4. *Fractura muri Aconis & captio ejusdem.* 16 maii.

5. *Dum murus frangeretur & consilia fiebant separata, quomodo Frater Matthæus* (Clarimontis) *marescalcus hospitalis jam captam civitatem suo vigore recuperavit.*

6. *Unitis consiliis quomodo tota nocte omnes æquanimiter laborantes muri fracturam obturaverunt & muniverunt, & custodias ordinaverunt.*

7. *Consilium quid esset agendum, & consolativa persuasio patriarchæ ad paventes.* Maii 17.

» Mane quidem ante diei auroram per horam « unam nil prorsus pigritantes, ad domum hospitalis convenerunt, qui talibus in negotiis magis « esse videbantur experti viri consilii, ut tandem « de paupere populo civitatis consilio & juvamine « usque nunc destituto, quid hac die & alias sit « facturus, concorditer ordinarent. Dicebant quidem eos non videre viam, qua populus civitatis « assultus Saracenorum illa die possit aut valeat sustinere. Quod si possent eum per classim navium « alibi transferre, per mare libentius educerent ad « salutem: sed nonnisi duos habebant parvos dromones, qui ad salutem ducentarum vix sufficere « poterant personarum, propter quod amentes effecti quid agerent obstupebant. «

Tunc amantissimus patriarcha surgens in medio indicto manu silentio ait: Audiat prudentium « serenitas quæ pauper spiritu consilii, minimus vestrum ut sibi videtur sunt agenda, mente concepit, vestræ fidelitati recensurus. Si tamen principiis istius rei radicalibus non omnino potuerimus resistere, ductu tamen rationis eorumdem « nocituris effectibus nos fidelis operatione consilii « opponere tenebamur. Qui habet aures audiendi « audiat, & capiat qui capere potest & audire. « Heu quæ diximus usque non fecimus & luemus. « Licèt igitur nunc istius gentis sævitiæ omnino resistere non possimus, decet tamen juxta rei statum ponere quod incumbit ad effectum. Ecce « enim vestris luce clarius refulget in sensibus, si « a perfidis quoquo modo possimus intercipi, vel « certe belli actione, vel quibuscunque pactis « intervenientibus nos in manus eorum exponendo, nullam nos misericordiam ab eis percepturos: præsertim cùm omnes divitias & merces civitatis, uxores quoque & filias concupiscibiles non invenient, cum quibus se jam jactitaverant turpi concubitu commisceri. Est igitur « eligendum potius nosmetipsos eisdem vendere « justo cum eisdem certamine dimicando, quam nos «

Sæc. XIII.

» suæ supponere voluntati : præsertim cùm locus vel
» via quo vel qua manus eorum possimus effugere,
» non apparet. Nos igitur confidamus in Domino,
» cujus negotium nunc gerimus, cùm non sit alius
» in quo nunc habere confidentiam debeamus. Scrip-
» tum est enim : Bonum est confidere in Domino
» quam confidere in homine, bonum est sperare
» in Domino, quam sperare in principibus : & in
» ipso speremus ad unum de Christianis sex sem-
» per vel plures belli jure interimi Saracenos. Nam
» cùm rex Cypri cum suis & multis aliis, quo instinc-
» tu Deus scit & nos scimus, a civitate recessisset,
» pene remanserunt nobiscum 9000 defensorum,
» de quibus fortassis hodie 7000 perseverant, & per
» vicos heri sero jacebant fere 20000 mortuorum.
» Re igitur se habente in hunc modum, confortemur
» mente animoque roboremur, & quod futurum est
» expectemus in Dei dispensatione, virtutem quam
» poterimus ad defensionem civitatis apponendo,
» sperantes in Domino nos semper civitatem tueri
» nostra fideli defensione in ejus nomine virtuoso,
» qui suis ait apostolis sic & nobis, si fidem habue-
» ritis, quæcumque petieritis in nomine meo fiet
» vobis. Scitis enim quilibet vestrum de semetipso di-
» judicans, ut si vestrum quispiam a suo esset ligio
» electus Domino (ad) proprium honorem defen-
» dendum contra unum vel plures conflicturus,
» haud dubium quin potius in campo se diri mu-
» crone gladii sineret interfici, quam reprobi con-
» fessione vocabuli redderet se convictum : & hæc
» tam propter fidem quam suo domino tenetur ser-
» vare in sua integritate, quam propter opprobrium,
» quod ejus successioni remaneret. Scitis etiam quia
» licèt quæcunque auspicato non veniant pro sui
» honore domini fideliter dimicanti, mori tamen
» pro ipso & ejus honore in meritum vertitur ho-
» noratum. Similiter viri Fratres haud procul dissi-
» mile, qui nos omnes Jesu Christi homines ligii
» simus, pro fide quam ab ipso tenemus, qua su-
» mus omnes salvandi. Igitur pro Jesu Christo qui-
» libet vestrum existimet Dominum seipsum ele-
» gisse tanquam unum ex electis inter Christianos,
» & positum quasi in vallo contra gentem incredu-
» lam hæreditatem suam defensurum jure servitu-
» tis feodi, quem ab ipso diximus nos tenere :
» præsertim cùm non appareant alii defensores, &
» mutetur pro merito temporalis hæreditas in æter-
» nam. Quod si suam fortassis hæreditatem propter
» peccata nostra vel aliena voluerit Dominus a ma-
» nibus nostris eripere quod nescimus, non creda-
» tis propter hoc eam debere dimitti maledictis
» indefensam, quæ nullo jure profecto debetur
» eisdem. Dum igitur nullam videtis viam evasio-
» nis, stetis dum licet in defensione vestra, & ven-
» datis sanguinem vestrum quantum poteritis ante-
» quam fundatur, & jam fusum innitamini vindica-
» re, in fide dico vera per quam omnia sunt possi-
» bilia vere credenti, & in spe firma per quam da-
» tur salus firmiter in fide speranti, & in alterius
» in alterum inextinguibili caritate, per quam cum
» Domino fit unio, Deum videlicet & proximum
» propter justitiam sustinente. Per hanc enim viam
» quam Dominus providit peccatoribus ad salutem,
» poteritis post mortem ad æternam vitam absque
» alia pœnitentia feliciter pervenire. Confitemini
» igitur alter-utrum peccata vestra misericordiam a
» Deo salutari vestro sperantes in transitu obtinere.
» Et expletis breviter Missarum solemniis, plu-
» res eorum quibus placuit in se invicem & non
» omnes pacis oscula tum suspiriorum pia intermix-
» tione singultuosorum, in amoris amplexibus, in
» vinculo caritatis, scientes se morti exponere pro
» Domino illa die cum omni devotione corpus
» Christi, participaverunt, *&c. plura.*

8. *Congressus perfidorum ad struem obturantem muri fracturam & ruinam ejus.*

Ad primum hunc congressum cùm Christiani fortiter restitissent » postea obstupentes agere quid deberent, hæsitarunt, cùm vir amantissimus pa- «
triarcha in vocem prorumpens luctuosam oravit «
dicens : Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos «
Domine, & armis tuæ potentiæ protege nos. «
Tunc fideles confortati &c. «

9. *Conflictus in captione Aconis & ejus recuperatione.*

In hoc cap. valde laudatur F. Matthæus marescalcus hospitalis, & in sequentibus.

10. *Iterum conflictus in captione Aconis & ejus recuperatione.*

11. *Iterum alius conflictus in captione Aconis omnino sine recuperatione.* 18 maii.

12. *Qui nobiles Christiani fuerunt interfecti, & qui evaserunt.*

» Minister hospitalis pluribus in locis lethaliter «
vulneratus equo quem insederat interfecto a suis «
vi subtractus usque ad mare portantibus recipi- «
tur in dromonem. Patriarcha similiter se invito «
suorum conatibus usque ad portum vi trahitur, «
voce reclamitans querulosa : En vobis delirus ego «
sum, qui me invitum trahitis, & gregem mihi «
commissum in tali dimittam periculo peremtu- «
rum. (sic *F.* perimendum.) Similiter Joannes de «
Grilliaco capitaneus Aconis, & Oto de Grandi- «
sono jam dictus suas relinquentes custodias, cum «
quibusdam se gerentibus gloriosos, integris arma- «
turis in rei principio ad mare fugientes actus mi- «
litares turpiter abnegantes, caritatisque terminos «
inhumaniter execundo naviculam conscenderunt. «
Heu hi omnes in Galliis dum vigerent inter Gal- «
los æque pares, factum simulantes, fera cum den- «
tibus audacia corrosuri linguæ procacis jactitatio- «
ne inaniter asserebant se potius mortem pati, «
quam fugere a conflictu quoquo modo. Vere non «
fugerunt a conflictu, quia nunquam in conflictum «
intraverunt, sed intacti recedentes, quos rege- «
bant relinquendo, effugerunt præ timore, despe- «
rantes ex seipsis sicut credo, nec quærentes quo «
in Deo firmarentur. Sed F. Matthæus de Claro- «
monte marescalcus hospitalis videns totam mili- «
tiam tam ordinum interemtam quam seculi fugi- «
tivam, tantumque populum perfidorum ferita- «
te jam consumtum, neque credens tantum armis «
se facere, quo populi residuum quod paucum est «
obtinere spem valeat respirandi, junctis equo cal- «
caribus ruens per medium cuneorum tanquam fu- «
ribundus, & transiens potestate dextrarii per B. «
portam Antonii ultra totum exercitum multos suis «
in terram ictibus ruit e perfidis morituros. Nam «
equidem sicut oves ad ubi nesciunt ante lupum «
confugiunt, sic perfidi ante ipsum se distrahunt «
ad diversum. Et dum modo consimili usque in «
mediam civitatem per eamdem portam jam esset «
reversus, dextrario quamplurimum fatigato, & «
seipso non valenti plus salire, sed potius calca- «
ribus resistenti, stetit in vici medio quasi fixus, «
hincque cum lanceis jaculatur, & in terram pros- «
ternitur corruente dextrario mucronibus lancea- «
rum transfoditur, sicque fidelis pugnator miles «
Christi suam suo animam reddidit creatori. «

De his namque qui a conspectu Saracenorum in domum templi se receperant, plures eorum «
natando per mare, se maris periculis exponentes, «
usque ad illos qui naves ascenderant, pervene- «
runt. De quibus pius patriarcha in sua navi tot «
recepit, quod navis fundum petens periclitata «
est præ pondere personarum, & sic submersi «
sunt universi, *&c. plura in auctore ipso legenda.*

13.

13. *Hortatio ad Ecclesiam ut lugeat super excidium Aconis, invehendo prælatis & principibus Christianitatis.*

Quæ autem hîc ex 12 cap. ideo referre visum est, tum quia non omnino conveniunt cum his quæ narrat Sanutus, qui regem Cypri & Joannem de Grelli videtur laudare, quasi qui rem bene egerint, cùm contra hîc dicantur ante conflictum evasisse, tum ut servetur memoria F. Matthæi de Claromonte marescalchi S. Joannis equitum dignissimi, & fortissimi suæ religionis herois, cujus nullam in illorum historia legi mentionem, quique occasio fuit istius problematis quod tum in sacra facultate Parisiensi disputationi publicæ propositum fuit: *Utrum miles pravolans in exercitum hostium, faciat opus magnanimitatis, morti certæ se exponens, dum alii fugiendo vitam servant.*

Videsis Henricum Gandavensem *Quodlib. ult. quæst. ult.* Quantum verò ad mortem nostri patriarchæ, eam fere totidem verbis refert Sanutus, & astipulantur Guillelmus de Nangis ad MCCLXXXX, quia eo anno more Gallico incepta est obsidio, scilicet ante pascha MCCLXXXXI, ubi relationem Anonymi videtur excepisse sed compendio: & Trivetus noster in chronico ad annum 1291, quem legesis *Spicilegii Dacheriani T. VIII pag. 656.*

Hujus nostri Nicolai meminerunt nostrates omnes, sed plerique ex supra relatis emendandi, primo cùm duplicem distinguunt, alium de Hanapis a Martino IV anno MCCLXXXI Kal. maii patriarcham selectum & post annos circiter quatuor mortuum, & alterum Nicolaum de Hancinis ejus successorem anno MCCLXXXV ab Honorio IV promotum, & anno MCCLXXXVIII fatis functum. Sic Fontana in *Theatro*, ubi citat libros *provis. utriusque pontificis*, non quidem a se visos, sed ex MSS Memorial. Ughelli, sed quæ oscitanter legerit, vel in quibus ex oscitatione quæ viris aliquando accuratioribus subrepit, Martinus IV & Honorius IV scripti fuerint pro Nicolao IV. Nam ab isto Nicolaum de Hanapis in sede Hierosolymitana Eliæ successorem nominatum mense maio MCCLXXXVIII tantum, ex ipsius literis supra relatis certius est, quam ut probari debeat amplius, assentiente præterea Bernardo Guidonis, qui testatur a Nicolao IV ea infula donatum, in expugnatione Aconis obiisse.

Nec abs re *πάρεργον*, erit hîc notare aliud erratum ejusdem Fontanæ ibidem ubi de Radulpho nostro, quem vult ad eamdem sedem a Benedicto XI evectum non. Jul. MCCIV; & pluribus annis postea vixisse: in quibus sane a vero quam nimium aberravit: ut & in *Monum.* ubi non ad Hierosolymitanam, sed ad Constantinopolitanam anno illo 1304 vult promotum. Sic enim se res habet ex Bernado Guidonis: *F. Radulphus Gallicus Burgundus fuit factus patriarcha Hierosolymitanus per Cœlestinum Papam V anno Domini MCCLXXXXIV domino Carolo rege Siciliæ procurante. Hic F. Radulphus fuit prior provincialis Terræ-sanctæ. Hic obiit anno MCCCIV mense novembri patriachatus sui anno X completo.* Ex quibus discimus ab excidio Aconis Nicolaum IV Hanapio nostro successorem in hac sede non suffecisse, quæ proinde tamdiu vacavit ac Romana. Narrationi tamen Guidonis aliquid addendum, quo lux major fiat. Sic ergo Joannes canonicus Victorinus in *Memoriali Histor. cod. Victor. 448: Anno MCCLXXXXIV F. Radulphus de Grandivilla natus Normannus de ordine Fratrum Prædicatorum, qui mandata Cœlestini Papæ infra adventum Domini Parisius in patriarcham Hierusalem fuerat consecratus, Roma proficiscens, auctoritate Bonifacii papæ depositus est.* Idem habet Guillelmus de Nangiaco ad 1294: *Radulphus de Grandivilla Frater ordinis Prædicatorum, qui jussu Cœlestini papæ depositi apud Parisius in patriarcham Hierusalem consecratus fuerat, Romam veniens a papa Bonifacio degradatus.* Quæ tamen conciliare haud ita difficile. Nam cùm certum sit Bonifacium VIII Radulpho neminem suffecisse, hunc quidem primo pontifex deposuerit, vel quod acta Cœlestini rescindere in animo haberet, vel quod post Cœlestini renunciationem sibi Parisiis existenti nondum notam munus consecrationis accepisset, verùm paulo post suo gradui rege eodem Siciliæ Carolo instante restituerit. Sic referente nostro Triveto idem Bonifacius F. Hugonem de Bilhomo episcopum Ostiensem jussu Cœlestini consecratum pallio privavit, quod paulo post eidem reddidit. Radulphum autem a Bonifacio gradui suo restitutum fuisse ex eo evincitur, quod Cœlestinus post abdicationem a facie successoris fugiens, cùm sese in finibus regni Neapolitani occultasset, regis Caroli jussu, qui tum res suas cum Bonifacio composuerat, ad eumdem pontificem deductus est cum magna veneratione comitante inter alios honoris causa patriarcha Hierosolymitano: ut refert Petrus de Alliaco in vita ejusdem S. Cœlestini *lib. 2 c. 16*, & ex eo Raynaldus ad 1295 *n. 11.* Novi Papebrochium in *Actis SS.* ad vitam S. Cœlestini *in Annotationibus pag. 497 g* contendere patriarcham hunc Cœlestini tum comitem fuisse Guilielmum Estendardum magnum regni Siciliæ Cancellarium, vel ut rectius scribit *T. VII maii in Append. ad T. III* magnum comestabularium, quem proinde, (inquit, utrobique) Radulpho degradato Bonifacius suffecerit. Verùm hæc Papebrochio non excidissent, si qualis fuerit Guilielmus Estendardus comestabularius legisset apud Ferrantem della Marra *Famiglie di Napoli pag. 400 della famiglia Stendarda*, vir nempe trium uxorum, quique tertiam ducebat anno MCCCII, hujus filias duas, (nam vidua erat,) cum duobus suis primogenitis matrimonio simul jungens. Itaque Estendardus honoris causa etiam cum aliis Cœlestinum ad Bonifacium deduxerit, sed patriarcha Hierosolymitanus ex comitatu illo unus alter a nostro Radulpho restituto intelligi nequit. Ac proinde Lælium Marinum hominem seculi XVII emendare debuit Papebrochius non sequi in sua vita Italica S. Cœlestini *lib. 4 c. 4.* Quibus omnibus pensatis stat Bernardi Guidonis auctoris æqualis narratio Radulphum decem annis patriarchatum tenuisse saltem titularem, cùm ad regionem Syriæ, quam aliàs diu incoluerat Terræ-sanctæ prior provincialis, transiisse nulla ferant monumenta, neque res Palæstinæ a clade Aconis omnino eversæ id permisisse videantur. Cùm autem non solum Bonifacio VIII, sed & Benedicto XI supervixerit Radulphus mortuus demum mense novemb. MCCCIV, non mirum nullam patriarchæ Hierosolymitani post 1294 electi & consecrati fieri ante Clementem V mentionem. Qua autem ex gente fuerit Radulphus an Burgundus, ut scribit Bernardus Guidonis, an Normannus, ut asserunt Guillelmus de Nangiaco & Joannes canonicus Victorinus, quis litem solvet? His tamen potius assenserim, ut qui patriam Grandem-villam vulgo *Granville* in inferiori Normania sitam a qua & agnomen accepit, indicent, quo posito juxta leges ordinis Constantiensis conventus alumnus fuerit. Sed ut ad Hanapium redeam hæc sunt ejus opera:

1. *Virtutum vitiorumque exempla ex sacris literis excerpta.* Pluries typis prodierunt, & quidem bis ante 1530, tum Tubingæ 1533.

Postea hoc titulo: *Virtutum vitiorumque exempla ex utriusque legis promptuario decerpta per R. D. Nicolaum Hanapum almi ordinis Prædicatorum patriarcham olim Hierosolymitanum, nunc duobus antiquissimis exemplaribus reformata per F. Maxi-*

Sæc. XIII. *mum Trochæum Tarvisinum ord. Præd.* Venetiis, Joannis Patavini, & Venturini Roffinellis 1537 in 16.

Antverpiæ, Joan. Steelsii 1544 in 16. Coloniæ 1544 in 8. Parisiis 1547. Basileæ 1550.

Ibidem, Henrici Petri 1555 fol. Initio collectionis auctorum qui de exemplis scripserunt.

Parisiis, Hieronymi de Marnef 1560 in 16 pagg. 540.

Lugduni, Guillelmi Rouillii 1566 in 8. Ibidem 1599. Ibid. Rouillii 1608 in 16.

Ibid. Joan. Radisson 1677 in 12.

Herbipoli editionem curante Paulo Zichii canonico Javrinensi apud Joan. Hofm. Viduam & Engelbertum Streckium 1703 in 12, ad editionem anni 1533.

Ubi notandum in harum editionum quibusdam errore non ferendo hanc opellam nostro inscribi Guillelmo Peraldo Lugdunensi, qui & falso dicitur episcopus. Sic in cit. Edd. Lugduni 1608 & 1677 apud Joannem Radisson, qui Bediano Morange Doctori Sorbonico & S. Nicetii canonico nuncupavit.

Quia autem varia sunt opuscula eodem fere titulo insignita, monendus lector Hanapianum sic incipere: *Tanta pollet excellentia officium prædicationis, quod Christus Dominus & Salvator noster dum vitam hanc viveret, illud exercere &c.* Caput verò primùm sic: *De miraculis divina potestate factis. Creatio rerum fuit ita mirabilis &c.*

Esse autem nostri Nicolai de Hanapis probatur auctoritate nostri Ludovici a Valleoleti in sua Tabula n. 33: *D. F. Nicolaus de Hancipis* (erratum est notarii qui scripsit codicem Victorinum pro *de Hanapis*) *patriarcha Hierosolymitanus scripsit librum de exemplis sacræ scripturæ.* Tum ex fide omnium codd. MSS ætatis auctoris. Hi a me visi Parisiis. In Regia. n. 3840: liber elegans memb. fol. med. ad cujus calcem eodem charactere: *Explicit liber de exemplis sacræ scripturæ compilatus a venerabili viro F. Nicolao ordinis Fratrum Prædicatorum socio D. Latini Hostiensis* (nempe Ursini de Malabranca ord. etiam Prædic.) *postmodum patriarcha Hierosolymitano.* Ibidem n. 5694. In Colbertina cod. 5118.

In Victorina cod. 1091 memb. fol. charactere majori & accurato. Ad calcem: *Explicit liber de exemp. Sac. Script. compositus a F. Nicolao de Hanaps ordinis Prædicatorum patriarcha.*

In Sorbona cod. memb. fol. max. eleganter scriptus cum pluribus aliis ejus rationis. Idem finis: *a F. Nicolao de Hanapis ord. Præd. patriarc. Hierosol.* Est & alter fol. med. memb. eodem titulo & fine ex legato Jacobi Vulpis socii; circa 1300 ambo scripti.

In Bibl. Ecclesiæ Parisien. memb. fol. par. n. C. 29, 4: *Incipit liber de exemplis sacræ scripturæ compositus a F. Nicolao de Hanapis ordinis Præd. patr. Hierosol. De miraculis &c. Explicit &c.* ut supra.

In Navarra extat etiam, sed absque nomine auctoris.

In Bibl. Eccl. Turon. recensetur duplex n. 220 & 228 sub nomine *Nicolai de Hanaps.*

In catalogo Bibl. Servorum Florent. n. 93: *Nicolai de Benagis* (erratum notarii pro *de Hanapis*) *ord. Prædicat. exempla sacræ scripturæ.*

In catal. Anglic. T. I P. I, 1241: *Nicolai de Hanapis.* 1860 & 1959: *Nicolai de Canapis.* Sciunt omnes quosdam pronunciare H ut C, quod & ibidem monetur. T. II P. I * 7172: *Tabula secundùm ordinem alphabeti in lib. exemplorum sacræ scripturæ.* Deinde: *Liber exemplorum sacræ scripturæ F. Nicolai de Hanapis ordinis Prædicatorum.* Append. T. II p. 200, 2 sub nomine *Nicolai de Hanapis.*

In Gothana inter cod. MS memb. minores n. XIII: *Nicolai de Hanaphis ord. Præd. patr. Jerosol. liber de exemplis sacræ scripturæ.*

In Lipsien. apud Fellerum p. 414 sub nomine *Nicolai de Hanapis.*

In Elencho codd. MSS Belgii apud Sanderum p. 182, 270 & 271: *Nicolai de Hanapis ord. Præd. patr. Hierosol.*

In Augustana apud Reiserum p. 48: *Nicolai de Hanapis patri. Hier. O. Præd.*

In Neapol. S. Dominici vidit Lusitanus cod. memb. & ætatis auctoris.

In Antverp. Prædic. *Nicolai de Hanapis ord. Prædic. Pat. Hier.* fol. memb.

In catal. Bunderii p. 455 teste ipso Alva exempla quatuor laudantur apud Augustinianos Mechlinien. Minores Brugen. & Diesten. Prædicatores Ganden. sub eadem nomenclatura.

Nullum hactenus exemplum MS antiquum productum est, quod S. Bonaventuræ nomen ut auctoris exhibeat. Hinc falso ei tribui, & inter ejus opera T. VII sub titulo *Biblia pauperum* nulla auctoritate impressum fuisse conveniunt omnes antiquarii. Editionem quidem antiquam sub nomine S. Bonaventuræ asserit a se visam ejus operum Editor Angelus Rocca Augustinianus, nec id mirum, quid enim in eo genere non sibi permiserunt vel librarii, vel Editores, sed codices veteres MS proferre debuerat, quos si consuluisset, fortè quidam anonymi occurrissent, sed nulli nomine auctoris insigniti, qui non Hanapo vindicarent: certe post tot lustratas bibliothecas nullum profert Alva.

Editionem antiquam laudat Alva hoc titulo: *Incipit præclarum opus, quod Biblia pauperum appellatur editum a D. Bonaventura ordinis Minorum. Princ. Abstinentia. Uxori Manue conceptura filium populi liberatorem Angelus apparens abstinentiam indixit.* Finis: *Expliciunt exempla sacræ scripturæ ordinata secundùm Alphabetum, ut possint facilius a prædicatoribus inveniri*, Venetiis, Joannis de Colonia & Gherrexem 1477 in 4. Quod opus si non sit aliud, ut asserit Alva & prima ex fronte apparet, quam ipsum opus Hanapi inversum, scilicet ut quod hic ordine quodam doctrinæ traditur, in illo ordine alphabetico exhibeatur, erit hominis otiosi non magnus labor, sed non Bonaventura digna bonarum horarum lucubratio, unde nec inter ejus opera relata. Quibus quidem hactenus simpliciter expositis, quisquis cordatus judicabit, si mea me non fallit opinio, momentis omnibus Alvæ in suo *Pleytos de los libros pag.* 567 plene factum satis: neque enim ineptiis ejus & ludicris contemnendis potius quam serio refellendis operam perdere & lectorem morari vacat.

Hoc eodem ordine alphabetico repræsentat editio supra laudata curis Pauli Zichii Hungari canonici Javrinen. Herbipoli 1703 in 12, cæterum totidem verbis, ut ex collatione aliarum editionum mihi constitit.

Unum tamen superest adhuc monendum, Opusculum laudatum maxime distinguendum ab alio sub eodem fere titulo edito: *Virtutum vitiorumque exempla ex veteri ac novo testamento decerpta per R. D. Ugonem cardinalem, Venetiis, in vico S. Mariæ Formosæ ad signum spei* 1556 in 16. Prologus: *Tanta pollet excellentia prædicationis officium, quod Salvator noster Dominus Jesus non confunditur asserere se fuisse missum &c. De abstinentia cap. I. Est meriti augmentativa, sapientiæ acquisitiva, religiositatis ostensiva, carnalitatis refrænativa &c.* per distinctiones ad finem usque similiter cadentes, ordine alphabetico. Quæ opella Ugoni

cardinali falso ascribitur, cùm sit F. Bydonis de Senis Eremitæ Augustiniani, sub cujus nomine a me visa in Bibl. Augustin. Parisieñ. ad pontem novum n. 55 Ω vel 114 cod. MS memb. fol. med. præter prologum tamen, qui forsan ab Editore additus, nec præter primam lineam quid habet cum Hanapiano commune. Hujus verus titulus: *Distinctiones F. Bydonis de Senis &c.*

2. *Tabula super Legendam auream.* Extat in Bib. Navarr. ad calcem ipsius Legendæ cod. MS memb. par. fol. Princ. *Quoniam sicut dicit Isidorus lib. de summo bono ad conversionem & correctionem mortalium multum prosunt exempla sanctorum, ideo ego qui sum de ordine Prædicatorum, cogitavi ordinare ad utilitatem Prædicatorum & consolationem peccatorum unam tabulam per ordinem Alphabeticum super Legendas sanctorum compilatas a F. Jacobo de Voragine Januensi de ordine Prædicatorum &c.* Servatur etiam in Victorina cod. 236 fol. med. charta & pergam. ad folium codicis 200. Ad calcem sic legitur: *Explicit Legenda dico tabula super Legendas sanctorum edita a Domino patriarcha Jerosolymitano de ordine Prædicatorum. Amen.* Etsi verò nomen Nicolai non addatur, alteri non potest hîc labor tribui, cùm Jacobus de Voragine non ante annum MCCLXX quo XL circiter ætatis attigerat, suam Legendam videatur edidisse, Thomas autem de Lentino de quo quis forsan suspicaretur, tum jam ex Bethleemitana translatus Ecclesiam Cusentinam antistes regeret, & anno MCCLXXII in Palæstinam patriarcha Jerosolymitanus creatus abiisset. Recensetur etiam hæc tabula in catal. Angl. T. 2 P. 1 Sarum * 1037. Novi a Labbeo Dissert. T. II p. 785 censeri operam nostri Petri Paludani, verùm hunc tot aliis majoribus operibus conficiendis addictum, totque postea negotiis seu Ecclesiæ seu regni distractum exhibent ejus ætatis historici, ut tabulæ concinnandæ horas vacuas invenisse haud probabile videatur. Unde si non est Nicolai de Hanapis, erit vel Radulphi de Grandivilla, vel Raimundi Bequin, vel tandem Guilielmi de Militiis.

3. *Prædicationes quæ fiunt sub evangeliis & sub epistolis in quadragesima Fratris Nicolai de Anapis patriarchæ Hierosolymitani ordinis Prædicatorum.* Codex MS membr. in Bibl. S. Marci Florentiæ Arm. III n. 117.

4. *Dieta salutis F. Nicolai de Hanapis ord. Prædicat.* Sic apud Fellerum de Bibl. Paul. Lipsieñ. p. 185 n. 41 cod. MS in fol. sed an revera sit illius fœtus, codex ipse consulendus & evolvendus esset.

* F. NICOLAUS DE HANCINIS a Lusitano, quod sciam, primum a præcedenti distinctus, licèt non absque dubio, & tamen ut aiunt, ambabus ulnis a sequacibus exceptus Pio, Fernandez, Fontana in *Theatro*, & ab Altamura ad 1290 & ab aliis, patriarcha etiam Hierosolymitanus ab iisdem dictus & operis ejusdem tituli *De exemplis sacræ scripturæ* auctor laudatus, quod nobis non aliunde ortum videtur, quam ex corrupte scripto præcedentis agnomine, a Lusitano fortè in aliquo cod. MS viso: sic supra monebamus in cod. Victor. in Tabula Ludovici a Valleoleti scriptum *de Hancipis* & in cod. Florent. Servorum *de Benagis*, & in quibusdam Anglicis *de Canapis* pro *de Hanapis*: ut ut sit hic non nobis est alius a superiori. Quod ut clarius fiat, en seriem patriarcharum Hierosolymitanorum ab Urbano IV ex ipsis diplomatibus desumtam ad 1306.

1. *Guillelmus ab Urbano IV institutus anno 1263, mortuus circa 1270.* Videsis supra *Bartholomæus de Bragantiis.* Vide etiam T. VI Miscell. Clar. Baluzii. p. 351.

2. *F. Thomas Agni de Lentino a Gregorio X anno 1272 positus, mortuus circa 1277.*

3. *F. Joannes de Vercellis electus a Nicolao III 1277 mense decemb. sed ob constantem recusationem non consecratus.* SÆC. XIII.

4. *Elias ab eodem Nicolao III 1278 promotus, mortuus 1287 circiter.*

5. *F. Nicolaus de Hanapis a Nicolao IV 1288 mense maio datus, mortuus demersus in mare anno 1291 maii 18.*

6. *F. Radulphus de Grandivilla a Cœlestino V 1294 nominatus, consecratus Parisiis mense decembri, depositus quidem a Bonifacio VIII, sed ab eodem mox restitutus, & mortuus decemb.* 1304.

7. *Antonius Dunelmensis a Clemente V.* 4 non. maii 1306 pont. anno 1.

Quem indicem verum & genuinum, & ipsis diplomatibus pontificiis Urbani IV, Gregorii X, Nicolai III & Nicolai IV, scriptorumque æqualium auctoritate fultum, quemque adversus omnem opponentem tutari haud difficile, ludicro & irrisorio F. Petri de Alva in suo *Pleytos de los libros* indici visum est necessario objiciendum. Si verò ex scriptoribus nostris ab eo quidam deerrarint, aliosve interposuerint ob nomen vel cognomen prave vel corrupte in monumentis a se visis scriptum ac lectum decepti, viris cæteroquin doctis & veri amantibus in re tam obscura facile condonabunt cordati quique lectores. Hos itaque patriarchas rejicimus Thomam Brabantinum, Nicolaum de Hancinis diversum a de Hanapis, Bernardum de Hancinis, Thomam de Hanapis, Bernardum Nicolaum de Hancinis.

F. JOANNES UPSALENSIS.

F. JOANNES UPSALENSIS archiepiscopus ordine X numeratus, hujus verò nominis II ex ordine Prædicatorum & ex priore cœnobii Sigtoniensis, quod diu rexerat, episcopus primum Finlandensis, cujus caput est civitas Aboa, *Abo* vulgo dicta, est assumtus, incertum quo anno, sed certo post MCCLXVI. Exinde verò postquam a morte Fulchonis viri egregii V non. martii MCCLXXVII defuncti Ecclesia Upsalensis fere annis XIV vidua mansisset, ad hanc primariam regni Sveciæ infulam translatus est, qua certo potiebatur initio anni MCCXCI. Cùm autem eodem anno iter Romanum aggrederetur, pallium a summo pontifice petiturus, viam per Franciam instituit, vixque Pruvinum quod caput est Briæ accesserat, cùm morbo correptus diem obiit suum in festo nativitatis B. Virginis ejusdem anni MCCXCI. Honorifice ibidem apud nostros sepultus fuit, tumulusque adhuc visitur in odeo quibusdam palmis a terra elevatus, quem circumdant figuræ plures lapideæ, inter quas & quædam sodalium ordinis habitum a nostris tum usitatum exhibent. Sui tamen corpus ejus ibi non reliquerunt, sed ex ejus ultima voluntate anno MCCXCIX in Sveciam transtulerunt, & in ecclesia nostra Sigtoniensi condiderunt, quem & ferunt miraculis claruisse. Ejus habentur * 1291.

Literæ seu diploma authenticum, quo unà cum capitulo Upsalensi probat & confirmat donationem a M. Andrea Upsalensis Ecclesiæ præposito factam cujusdam domus Parisiis ab eo emtæ & in vico Serpentum (vernacule *la rue Serpente*) sitæ cum hortis vicinis in usum seu potius in gymnasium scholarium Svecorum Parisiis studentium, quibus & præfigit leges ad pietatem & ad mores spectantes sub pœna expulsionis ab ipsis servandas, & ut nihil eis de necessariis ad victum desit, decimas quasdam episcopales eis assignat & tribuit perpetuo recipiendas. Quod diploma sane sapientissimum datum est Upsaliæ anno Dñi MCCXCI infra octavas Paschæ, quod eo anno accidit 22 aprilis. Refertur a Schef-

Sæc. XIII. fero integrum in suis notis ad *incerti scriptoris Sveci qui circa annum* MCCCXLIV *vixit, breve chronicon de archiepiscopis & sacerdotibus cæteris Ecclesiæ Upsalensis* editum Upsaliæ apud Henricum Curio 1673 in 8, a p. 129 ad 137. Nec mirum hujus gymnasii Svecici Boulæum in Histor. univ. Paris. non meminisse, cùm ultra initia seculi XVI non steterit, & exorta hæresi Luterana penitus a Svecis derelictum fuerit, ædificiis in civiles domos conversis, monumentisque omnibus ratione bellorum internorum dissipatis ac deperditis. Vicus ille Gallice *la rue Serpente* dictus etiamnum sic nominatur in regione universitatis ad viam Cytharæ vulgo *de la Harpe*.

Hujus nostri Joannis plures meminerunt nostrates & extranei, sed plerique mendose. De eo sic lego in catalogo episcoporum provinciæ Daciæ apud Bernardum Guidonis: *F. Joannes fuit episcopus Finlandensis, & inde fuit translatus in archiepiscopatum Upsalensem in regno Svecia per papam. Sepultus est in conventu Fratrum.* Leander Albertus fol. 104 b, inter primos antistites ex ordine assumtos numerat *Joannem primo antistitem Firilandensem* (errato typorum pro *Finlandensem* quem tamen errorem exceperunt oscitantes Fernandez, Pius, Fontana in Theatro) *postmodum archiflaminem Upsalensem in provincia Dacia.* Sic Leander. Omitto alios nostrorum de eo errores, ut Lusitani a quo dicitur *Visiliensis* & ad annum 1310 refertur: Fernandez, a quo dicitur Italus item ad 1310: Pii par. 2 lib. 2 col. 150 a quo dicitur *Basileensis* ex Marieta & ad 1318 prorogatur, quos omnes incertus tamen excipit Fontana.

Vastovius in vite Aquilonia ex quibus nescio monumentis Polonum contendit, & a S. Hyacintho anno MCCXXXIII in Sveciam missum, qui ordinem in eo regno propagaret, quod & ita feliciter prosecutus fuerit, ut a Jarlero archiepiscopo Upsalensi cœnobium ordini Sigtoniæ extrui obtinuerit. Quæ mihi vix credibilia videntur. Cùm enim XXX saltem annorum esse debuerit, si anno illo a S. Hyacintho ad hæc officia missus est, jam fere nonagenarius fuisset cùm archiepiscopus assumtus est Upsalensis: quis verò putet hominem hujus ætatis iter Romanum anno MCCXCI suscepisse? Adde provinciam Daciæ, cujus portio erat Svecia, jam anno MCCXXVIII constitutam, & in comitiis ordinis generalissimis eo anno Lutetiæ coactis confirmatam & acceptatam. Imo ex Historia Ecclesiæ Sveticæ Lincopingiæ, 1707 in 4 edita, habetur Ulfonem archiepiscopum Upsalensem Jarleri prædecessorem FF. Simoni & Nicolao nostris prohibuisse, ne conventum Sigtoniæ erigerent; ea ratione quod in Svecia jam essent decem erecta ordinis cænobia: unde necesse non erat ut Polonus in illud regnum propagandi ordinis causa mitteretur. Jarlerus quidem quod a suo decessore negatum fuerat, libens concessit, ut Sigtoniæ cœnobium nostri erigerent circa MCCXXXV, sed ad hoc opus sufficiebant FF. Simon & Nicolaus laudati, vel aliarum domorum jam ante MCCXXVIII extructarum sodales. Nobis igitur videtur probabilius Joannem Svecum fuisse patria conventus Sigtoniensis alumnum, & postea priorem circa MCCL vel MCCLX, exinde episcopum Finlandensem ut tum loquebantur, (nam ejus successor Magnus Finlandus dicitur cathedralem de Rendamechi Aboam, vel ut alii scribunt Abogam, transtulisse) ac tandem fortè septuagenarium anno MCCXC vel initio sequentis electum Upsalensem dum Romam pergeret, Pruvinis in Bria Franciæ provincia Campaniæ conjuncta mortuum. Sic innuunt Historia Ecclesiæ Sveticæ citata, & Messenius in episcopis Abogensibus & archiepiscopis Upsalensibus.

At quandoquidem scriptores nostri ipseque Fontana in Theatro parce omnino vel etiam perperam de antistitibus Svecis ex ordine assumtis loquuntur, illos placet saltem Upsalenses & Aboenses ex historicis ejus regni accuratioribus citatis referre. Itaque præter Joannem nostrum

XIV archiepiscopus Upsalensis fuit *F. Petrus Philippi* prius prior provincialis ordinis Prædicatorum (Daciæ,) qui fecit sacristiam lapideam in Arnoe, & perpessus multas injurias a Minoribus, obiit anno Dñi MCCCXLI Dominica infra octavas B. Laurentii, & sepultus est Sigtoniæ apud Prædicatores. Sic incerti auctoris chronicon supra citatum a Scheffero editum totidem verbis. Messenius etiam XIV numerat, & circa MCCCXXXI a Joanne XXII confirmatum indicat. In Hist. Eccl. Sveticæ anno 1707 edita p. 104 sic legitur: *Petrus Philippi olim prior provincialis Dominicanorum archiepiscopus XVII Upsalensis mortuus* MCCCXLI *& sepultus apud Dominicanos.* Hic auctor numerat XVII, quia duos inter eos ascribit, quos alii non agnoscunt, *Joannem Adolphi* qui electioni suæ coram Martino IV renunciavit, & *Magnum Boëtii* cujus electionem Honorius IV improbavit, eique pallium conferre detrectavit, quo non obstante ille absens per suffraganeum diœcesim rexit septem annis.

Finlandensium verò tum sic dictorum, quia Rendamechi & nondum Aboæ sedebant, ante Joannem nostrum in Hist. Eccl. Sveciæ cit. pag. 388 legitur, *Thomas Anglus* ordinis S. Dominici IV episcopus Aboensis: & remittitur ad catalogum episcoporum Aboensium ab episcopo Paulo Justen conscriptum. Plus aliquid habet Messenius: *IV Thomas Anglus,* inquit, *ordinis S. Dominici, qui barbararum se subducens gentium excursionibus in Gotlandiam proficiscitur, ubi apud Wisbienses anno* MCCXLVIII *de instabili vita circo migravit.*

Omitto *F. Martinum Skytte* conventus Sigtoniensis alumnum & aliquando priorem, quia licèt anno MDXXVIII episcopus Aboensis XXIV a Petro Magni episcopo Arosiensi catholico ipse catholicus consecratus, paucos post annos a fide Romana defecit, & Luteranismum amplexatus est.

F. BERNARDUS GERALDI.

F. BERNARDUS GERALDI Aquitanus Monte-albano diœcesis tum Caturcensis (anno quippe MCCCXVII tantùm Mons-albanus in civitatem episcopalem erectus & a Cadurco divisus) ortus est ibidemque ordinem professus, in quo sic emicuit, ut provinciam Provinciæ antiquam ter rexerit communibus votis assumtus. Sed Bernardum Guidonis hæc narrantem in catalogo priorum provincialium audire satius est. 1291.

» Prima vice electus in cap. provinc. Lemovicen. in nativ. B. V. celebrato A. D. MCCLXVI, « fuit ibidem antequam Fratres de capitulo discederent, confirmatus per litteram magistri ordinis F. « Joannis Vercellensis tunc in Burdegala existentis. « Præfuit autem hac vice annis tribus, fuitque absolutus in cap. gen. Parisius A. D. MCCLXIX, & « lector Montispessulani ibidem assignatus. «

Secunda vice iterum electus anno MCCLXXVI in « cap. prov. Agenni (in festo assumtionis B. M. V.) « & ibidem confirmatus a tribus antiquioribus electoribus de mandato magistri ordinis. Erat tunc « lector Tolosanus, rexitque hac vice provinciam « annis quinque absolutus in cap. gen. Florentino MCCLXXXI. Quo absoluto vacavit provincialatus uno anno integro, quia bis fuit reelectus in « illo ipso anno, & bis cassatus a magistro ordinis « F. Joanne Vercellensi.

Tertia vice electus fuit in cap. prov. in festo « S. Dionysii IX octob. anno MCCLXXXV Condomii « celebrato: confirmatus a magistro ordinis VII F. «

» Munione Zamorensi, præfuitque hac vice annis » septem. Hic exemplar fuit religionis,, & norma » rectitudinis in judiciis, vir magni consilii, ma- » gnæque experientiæ & expertæ prudentiæ, reli- » gionis probatæ, qui nec libenter monebat subdi- » tos facere, quod ipse non faceret cum eisdem. » Plenus dierum & operibus bonis obiit in conven- » tu Tolosano in officio provincialatus VIII kal. » april. die annunciationis Dñicæ anno MCCXCI in- » choante, qua die ordinem intraverat, sepultusque » est in medio chori, qui & choro dicitur creditur- » que interesse angelorum «.

Ipse & abbas Mosiaci ab Honorio IV delegati fuerunt ordinis Grandimontensis visitatores &

Statuta quædam in dicto ordine anno MCCLXXXII ediderunt, postea a Clemente V auctoritate apostolica confirmata.

Ordo Grandimontensis ad pias preces hujus F. Bernardi Geraldi festum S. Dominici sub duplici ritu celebrandum statuit in dicto ordine. Sic ex archivo Grandimontensi referebat F. Hieronymus Barny abbas Grandimontensis, & generalis ordinis præpositus anno MDCXLVI in ea quam magistro ordinis Prædicatorum F. Thomæ Turco obtulit supplicatione, ut vicissim apud nos festum S. Stephani eorum institutoris celebraretur. Bernardi hujus cum laude meminit Leander Albertus fol. 227, brevique perstringit, quæ hîc verbis ipsis Guidonis visa sunt narranda.

F. FLORIUS VICENTINUS.

* 1291. F. FLORIUS VICENTINUS inter inquisitores Bononienses recensetur a Fontana ad MCCXCI in Theatro p. 632, a Rovetta ad 1287 diciturque regens fuisse gymnasii Bononiensis, ibidemque sacras litteras cum laude interpretatus, & ex relationibus domus Bononiensis & suæ Vicentinæ hæc reliquisse ingenii sui monimenta:

1. *Commentaria super IV libros sententiarum.*
2. *Summa casuum conscientiæ.*
3. *Varia alia opuscula.*

Sed hæc ubi serventur saltem MS Rovetta pro more non aperit.

F. STEPHANUS BISUNTINUS.

* 1292. F. STEPHANUS BISUNTINUS Gallus Sequanus a patria Vesuntione comitatus Burgundiæ vulgo *Besançon* urbe principe agnomen sortitus, pietate, disciplinæ regularis studio, eruditione, facundia seculo XIII claruit. Anno MCCLXXXII verbi Dei præcones inter Parisiis florentes e primis habebatur cum plausu & fructu auditus, & circa ea tempora in sacra facultate magisterii laurea donatus. Anno MCCLXXXXI in comitiis provinciæ Franciæ Dinani circa septembrem coactis eidem regendæ electus est & præfectus. Anno verò sequenti MCCLXXXXII vigilia pentecostes 24 maii in capitulo generali Romano totius ordinis magister est assumtus: quo munere tamen non diu est functus. Dum enim non solum asserendæ ubique regulari disciplinæ satagit, sed & se potissimum paternarum institutionum absolutissimum ad unguem exemplum præbet, Lucæ in Etruria morbo correptus die S. Cæciliæ 22 novemb. MCCLXXXXIV circa tertiam pomeridianam obdormivit in Domino, die sequenti apud suos ad finistrum cornu altaris majoris honorifice sepultus. Sed antiqua de eo ordinis monumenta haud pigebit hîc legere.

Sic de eo Bernardus Guidonis in catalogo magistrorum theologiæ n. 34: *F. Stephanus de Bisuntio postmodum magister ordinis. Hic obiit in conventu Lucano in festo S. Cæciliæ A. D.* MCCXCIIII.

F. Laurentius Pignon in catalogo priorum provincialium Franciæ, n. 14: *F. Stephanus Bisuntinus Burgundus magister in theologia electus in capitulo Dinanensi, & confirmatus ibidem a tribus antiquioribus electoribus A. D.* MCCLXXXXI, *& post assumtus fuit in magistrum ordinis in cap. gen. in Roma anno sequenti.* Ideo autem confirmatus ab illis electoribus, quia ordo tum carebat magistro, Munione per literas Nicolai IV in fine actorum cap. gen. Palentiæ MCCLXXXXI scilicet 17 julii lectas, nam pentecostes erat 10 junii, ab officio destituto.

Idem Bernardus citatus in catal. magistrorum ordinis. » Octavus magister ordinis successor F. Mu- « nionis F. Stephanus de Bisuntio magister in theo- « logia Parisius, vir facundus & gratiosus admodum « prædicator. Hic fuit electus in magistrum in cap. « gen. Romæ celebrato, quod prius fuerat apud « Coloniam assignatum: sed auctoritate & manda- « to papæ fuit translatum de Colonia apud Romam « A. D. MCCLXXXXII. Erat autem tunc prior provin- « cialis Franciæ, præfuitque in magisterio annis duo- « bus & dimidio fere. Cùmque proficisceretur ad « curiam in conventu Lucano Romanæ provinciæ « positus, in festo S. Cæciliæ ante horam nonam « debitum nostræ mortalitatis exsolvens spiritum « reddidit Creatori. In festo verò S. Clementis ad « conventus altaris cornu sinistrum fuit honorifice « sepulturæ mandatus A. D. MCCLXXXXIV: ideoque « juxta constitutionem non fuit illo anno sequens « generale capitulum celebratum «.

In actis verò capp. genn. ad annum 1292 Romæ: *In hoc capitulo F. Stephanus Bisuntinus electus fuit magister ordinis. Erat magister in theologia egregius Parisius, ac doctor præcipuus, & admodum tam clero quam populo prædicator gratiosus, prior provincialis Franciæ, tunc præsens in capitulo.* Quod erat diffinitorum II.

In fine verò actorum cap. gen. Montispessulani 1294 sic apud eumdem legitur: *A. D.* MCCLXXXXV *intermissum fuit capitulum generale propter mortem magistri ordinis F. Stephani de Bisuntio magistri in theologia Parisius, qui obiit post festum B. Michaelis in festo S. Cæciliæ & in conventu Lucano Romana provinciæ sepultus in die S. Clementis scilicet IX kal. decemb. Vir fuit magna facundia & religionis devota admodum præditus, & in eo lucebat gratia divina. Proficiscebatur autem ad curiam Romanam.*

Ex alio codice: *Post præcedens capitulum* [Montispessulani] *F. Stephanus visitavit monasterium Prullianum, hinc Romam petens ut novum salutaret pontificem Cœlestinum V ex eremo ad Petri sedem evocatum, cùm in itinere Lucam pervenisset, infirmatus obiit ibidem, & ibidem sepultus honorifice ad sinistrum cornu majoris altaris.*

In antiquo Kalendario obitibus magistrorum ordinis scribendis peculiariter destinato, quod extat in magno illo volumine Sanjacobeo Parisiensi cui titulus *Ecclesiasticum officium secundùm ordinem FF. Prædic.* ab ipso Humberto V ordinis magistro concinnatum, sic legitur: X *kal. decemb. obiit F. Stephanus magister ordinis VIII*: idque manu ejus ætatis.

Prior S. Jacobi Parisiensis mortem dicti Stephani ad quasdam provincias pro officio nunciaturus, epistolam encyclicam scripsit, in qua insigne ejus elogium habet merito annalibus ordinis aliquando inserendum. Hæc tantum excerpo, quæ chronologiam allatam confirmant. » Ut enim per prioris « Bononiensis ac ejus conventus literas patentes ac- « cepimus, memoratus nostri ordinis pater in con- « ventu Lucano Romanæ provinciæ post fructuosos « labores quibus insudaverat supra vires, in festo «

SAEC. XIII. » S. Caeciliae ante horam nonam, receptis prius humiliter Ecclesiae sacramentis, post salutaria monita quibus filios quos orphanos relinquebat instruxit, ipsis coram positis, & quantum lacrimae patiebantur orantibus, debitum nostrae mortalitatis exolvens impollutum spiritum reddidit Creatori. In festo autem S. Clementis de mane convenientibus praelatis variis, populo confluente mirabili, cum magna cleri frequentia, ad conventualis altaris cornu sinistrum honorifice fuit sepulturae mandatus «. Erratum itaque est in omnibus martyrologiis nostris impressis ab edit. Venet. 1582 ad ultimam Romanam 1695, in quibus ad XI kal. dec. seu ad XXI nov. obitus ejus ascribitur, ac prorsus emendandum.

Ejus praeter citatos meminerunt nostrates omnes, inter quos Leander, Castillus, Pius, Fernandez, & hos excipiens Altamura Stephanum mortuum dicunt die quidem S. Caeciliae sed anno MCCXCV: quod non aliunde accepisse videntur quam ex tabulis Lucensibus, sive ex inscriptione sepulcro insculpta. Unde patet Lucenses eo seculo stylo Senensi usos, & annum incepisse a die annunciationis natalem Dñi antecedente, cùm Romani contra solum a die annunciationis subsequente, Franci verò tardius a sequenti pascha inciperent. Quod & supra jam notatum ubi de S. Ambrosio Sansedonio Senensi. Hoc verò ita posito, juxta stylum Senensem qui fuerit & Lucensis, Stephanus mortuus est anno MCCXCV: at secundùm Romanum, Gallicum & aliarum nationum anno MCCXCIIII. Id verò annotasse non superfluum, sic enim auctores conciliantur & lux affertur chronologiae.

Haec verò ejus opera sic a Laurentio Pignon recensita:

1. *Postilla in Ecclesiasten & Apocalypsin.*

2. *Liber de auctoritatibus sanctorum & philosophorum*, dictus ab aliis *Alphabetum auctoritatum.* Notariorum ejus seculi negligentia nomen auctorum plerumque omittentium in codd. quos scribebant, in causa est cur inter quam plura hujus generis in bibliothecis etiamnum servata, opus Stephani nostri ab aliis secerni jam nequeat.

3. *Alphabetum narrationum.* Sic Leander Albertus, Lusitanus & sequaces. Quod opus in variis bibliothecis mihi occurrit. Insigne est exemplum in Bibl. Sorbonae Parisiis cod. MS memb. fol. majori forma cum aliis nostrorum operibus compactum in medio voluminis, impletque 31 folia minutiori charactere. Titulus: *Alphabetum narrationum.* Prologus:

» Antiquorum patrum exemplo didici nonnullos ad virtutes fuisse inductos narrationibus aedificatoriis & exemplis. Refert enim de seipso B. Augustinus, quod Pontiano vitam B. Antonii coram eo recitante ad imitandum statim exarsit. Narrationes siquidem hujusmodi & exempla facilius intellectu capiuntur, & memoriae firmius imprimuntur, & a multis libentius audiuntur. Utile igitur & expediens nimis est viros praedicationis officio deditos, proximorum salutem per terram discurrendo quaerentes, exemplis talibus abundare, quibus modo in praedicationibus communibus, modo in locutionibus familiaribus ad omne genus hominum salubriter excitandum utantur. Legimus etiam devotum praedicatorem Praedicatorum ordinis fundatorem beatum videlicet Dominicum hoc fecisse. De eo siquidem scribitur, quod ubicumque conversabatur, aedificatoriis affluebat sermonibus, abundabat exemplis, quibus ad amorem Christi seculive contemtum audientium animus flectebatur. Usus insuper est hoc exhortationis modo B. papa Gregorius in pluribus suis libris. Sed quia exempla ad dictum officium necessaria omnia corde tenus est difficile [retinere] multosque & magnos secum per longa terrarum spatia deferre libros nimium grave: volui divina gratia assistente multa in hoc uno volumine compilare: de diverversis tamen libris diversa quaedam prout mihi magis placuit extraxi. Et ut quaerenti facilius occurrant, materias diversas cum exemplis sub ordine literarum alphabeti parare satis ordinate curavi. Sic etiam jamdudum auctoritates Sanctorum sub ordine alphabeti distinxi in libello, quem *Alphabetum auctoritatum* appellavi, eodem modo & hunc *Alphabetum narrationum* appello &c«. Quae referre necesse fuit, ut videatur & opus esse nostri sodalis, neque enim alius ea de causa exemplum B. Dominici attulisset, & esse nostri Stephani de Bisuntio, cui soli opera duo his titulis *Alphabetum auctoritatum*, *Alphabetum narrationum* ascribuntur. Codex dicitur in fine *scriptus anno* MCCCVIII. Primum opus codicis est *Margarita nostri Guidonis episcopi Ferrariensis.* Ultimum *De exemplis sacrae scripturae nostri Nicolai de Hanapis.*

Est in eadem Bibl. Sorbon. alius codex fol. med. memb. n. 924 idem *Alphabetum.*

Duplex est etiam exemplum in gymnasio Navarrae. 1 codex fol. par. memb. Ad finem legitur: *Explicit liber narrationum A. D.* MCCCXXIX. quod de anno quo scriptus est codex intelligas, nam per omnia similis Sorbonico. Alter codex in 4 memb. Titulus: *Alphabetum narrationum & auctoritatum;* sed *Alphabetum auctoritatum* si aliàs fuit, jam deest.

Victor. cod. 523 memb. in 4 *Alphabetum narrationum.*

Sangerman. a pratis cod. 400 memb. fol. med. In hoc ad singula exempla additur auctor ex quo desumta sunt, & vocabulo *Abbas* quoddam exemplum excerptum dicitur *ex Hymberto de dono timoris.* Quod revera totidem verbis legitur in libro magno de septem donis nostri Stephani de Borbone, & in compendio ejusdem libri ab alio concinnato *de dono timoris.* Hinc in eam sententiam fere adducor istud compendium operam esse nostri *Humberti de Romans*, qui & nomen suum saepius ipse scribebat *Hymbertus.*

Florentiae ad S. Marci Arm. IV n. 93. Initio codicis membr. legitur haec nota: *Hunc librum composuit R. magister ordinis VIII magister Stephanus Bisuntinus qui obiit* MCCXCV *& quiescit in conventu Lucano.* Qui annus mortis ex tabulis Lucensibus haud dubie desumtus, & confirmat superius dicta de stylo Senensi Lucae etiam usurpato.

Ibidem ad Annunc. Servitarum n. 90: *Alphabetum narrationum.*

In catal. codd. MS Angl. T. I P. II nn. 374, 551, 1745, & T. II P. I n. 3266: *Liber Alphabetum narrationum dictus.*

In Venet. Tomasini ad S. Anton. Pl. 3: *Alphabetum narrationum.*

In plerisque codd. Parisien. citatis hic est finis: *Et qui hunc librum lecturi sunt, orare devote dignentur, ut horum compilator, cujus nomen in prologo continetur, eorum orationibus adjutus, finem legatum consequi mereatur.* Quod nomen tamen cùm in nullo a me visum sit, a notariis horum codicum scriptoribus resectum fuerit.

Cùm ab omnibus concionator sua aetate celeberrimus laudetur, mirum ejus sermones a nemine referri. Aliqui ex ipsius dicentis ore reportati a me in codd. Sorbon. & Victor. visi sunt & supra relati. Vide supra inter concionatores ad *Aegidium de Aurelianis* additos anno 1273 Parisiis claros. Rursus ad annos 1281, 82 & 83 inter concionatores his annis florentes. Hi saltem indicium sunt longe plures ab eo relictos, sed quos temporum vicissitudo & posterorum negligentia nobis inviderint.

Extant tres ejus *litterae encyclicae* e capp. genn.

quibus præfuit scriptæ, Romano 1291, Insulensi 1293, Montepessulano 1294, & in fine Actorum servatæ pietatem & disciplinæ regularis studium spirantes. Extant cum actis in Novo Anecdotorum Thesauro a Domno Martene edito tomo quarto.

F. BERTHOLDUS TEUTO.

* 1292. F. Bertholdus Teuto seculo XIII floruit, & Noribergæ theologiam e loco superiori professus fuerat cùm anno MCCXCII scripsit sequentia:

1. *Rabani Mauri opus de Cruce premissa intercessione Albini.* Ad calcem legitur: *Hunc librum ordinavit & conscripsit ex libro Rabani de sancta Cruce diffuso in scriptura & difficili in intelligentia ad honorem & laudem ipsius praclara ac salutifera Crucis, Frater Bertholdus de ordine Fratrum Predicatorum, quondam lector Nurnbergensis anno Dñi MCCXCII. Anima ejus per gratiam Jesu Christi requiescat in pace. Amen.* Quæ indicant Bertholdum non manum solam operi exscribendo commodasse, sed & caput eidem illustrando apposuisse.

2. *Liber de mysteriis & laudibus intemerata virginis Maria cum figuris ab eodem Bertoldo lectore Nurembergensi anno MCCXCII editus.* Folio ultimo scriptum est: *O noli delere nomen compositoris, ut nomen tuum permaneat in libro vite.*

Extat utraque opera eodem cod. MS membr. in fol. in Bibl. Gothana n. LVI servata. Sic refert Ernestus Salomon Cyprianus in catal. codd. MS Bibl. Gothanæ edito Lipsiæ apud Jo. Frider. Gleditsch 1714 in 4 p. 17 quem hic excipio, & cui gratiam mecum habeat lector hujus scriptoris nostratibus & exteris hactenus incogniti.

F. ROBERTUS ORPHORDIUS.

* 1292. F. Robertus Orphordius sic a Leandro Alberto nuncupatus, a Laurentio Pignon verò centum annis antea laudatus, sed *Robertus Anglicus* simpliciter dictus, a Lusitano autem *Rodulphus Orphodius* nominatus, sacræ theologiæ magister vel Oxonii vel Cantabrigiæ laureatus, a Leandro citato fol. 149 b. floruisse dicitur ad MCCXLII, sed erratum typorum conjicio, & legendum MCCXCII, præsertim cùm eum verba miscentem exhibeat cum Guillelmo de Massebt, quem ad annum MCCXCII ipse refert, quod ejus stylo est ambos æquales fuisse. Lusitanus ex I. P. M. O. collocat ad 1290, Altamura ad 1295. His certò annis florebat ex gravibus quæ illi cum Henrico Gandavensi & Ægidio Romano hac tempestate claris fuerunt concertationibus. Acerrimus enim fuit Thomæ de Aquino doctrinæ propugnator, & adversus eam impugnantes calamum acuit indefesse. Scripsit ut habent Leander, Lusitanus & alii & ante omnes Laurentius Pignon

1. *Contra dicta Henrici de Gandavo, quibus impugnat Thomam de Aquino.*

2. *Item contra primum Ægidii Romani Eremita Augustiniani qui impugnat S. Thomam.*

Non plura Pignon, sed Pitseus qui Robertum etiam vocat, & Oxfordium, quasi fuerit Oxoniensis, & ad 1270 revocat, cùm XX & amplius annis etiam postea claruerit hæc addit:

3. *Contra Jacobum Viterbiensem.*

4. *Contra quosdam Sorbonicos*, quo nomine haud dubie intelligit quosdam theologos Parisienses, adeo ut non videatur alia a superioribus opera.

5. *Determinationum librum.*

Boulæus Hist. Univers. Paris. T. III p. 409 vult decretum Stephani Templier episcopi Parisiensis anno MCCLXXVIII emanatum, quo propositiones quædam S. Thomæ censura notari videbantur, huic dissidio ansam præbuisse, & eo viso Orphordium theologos Parisienses qui illud consuluerant, acrius impugnasse. Ut ut sit multis laudibus ornatur a Lelando cap. 299 ubi sic habet: *Robertus Ottanfordus vir Predicatorii ordinis tanta cum eruditionis tum ingenii felicitate preditus erat, ut sive de disciplina Aristotelica seu de sacris litteris quæstio esset, copiose graviter docte potuerit disserere. Creditur autem hanc virtutem e fontibus Thomæ Aquinatis cujus synchronus fuit hausisse. Illud constat Robertum tam sancte in ejus verba jurasse, ut in Ægidium Romanum Augustiniana secta professorem Aquinatis dogmata subinde impugnantem scripserit. Preterea Henricum Gandavensem simili de causa mille telis confodere, quemadmodum ex edito libro apparet, non dubitavit:* Quæ opera proinde in aliqua Angliæ bibliotheca viderit Lelandus, qui cùm alia non laudet, convenit cum Laurentio Pignon. Emendandus hîc Possevinus qui eumdem hominem in duos dividit, Robertum Orphordium alterum ad 1270, Rodulphum Orphordium alterum ad 1290: quod erratum Altamura jam notavit.

F. ANIANUS A SCHONAVIA.

F. Anianus a Schonavia vulgo *de Schoonaw* loco natali in Batavia nuncupatus, seculo XIII claruit ab Anglorum rege Eduardo I ob pietatem & doctrinam conscientiæ arbiter allectus. Asaphensis in Wallia episcopus promotus & mense octobri MCCLXVIII consecratus, regem suum in expeditione Hierosolymitana comitatus est. Hinc cum eodem reversus, sponsæ suæ ornandæ totus incubuit, ovibusque ad Christianæ vitæ formam verbo & exemplo institutis, tandem obiit anno MCCXCII. Hunc inter episcopos a Fontana omissum laudat Godwinus in præsulibus Angliæ p. 658, ubi dicit vulgo nominatum *Y brawd o Nanni* hoc est *Frater Nannius*. Jo. Baleus scriptoribus Anglis etiam accenset, dicens scripsisse * 1292.

Commentum in fabulas poetarum, Glascoviæ olim asservatum ex ejus Ecclesiæ tabulario.

Alter etiam e nostris eidem Ecclesiæ præfuit postea, dictus *F. Alexander Bach* VI aprilis MCCCXC electus, quem a Fontana etiam omissum visum est ex eodem Godwino hîc addere.

F. SIMON DE LEONTINO.

F. Simon aliis *Simeon* de Leontino a patria sic, quæ civitas est in Sicilia insula olim episcopalis, nuncupatus, nobili loco natus, Alaymi magni justitiarii ut aiunt regni Siciliæ filius, Cataniæ ad ordinem allectus, eximius fuit sua ætate theologus, & dum Messanæ priorem ageret, episcopus a capitulo Ecclesiæ Syracusanæ electus est anno MCCLXVIII, & a Clemente IV confirmatus: quam sedem XXV circiter annis sanctissime rexit, & anno MCCXCII vel sequenti vocatus a Deo abiit ad superos. Ejus meminit Vallius in compendio p. 58, Fontana in Theatro, & Pirrus in Sicilia Sacra inter episcopos Syracusanos. Hæc ejus opera: * 1292.

Quæstiones quodlibeticæ F. Simeonis de Leontino. Extant Parisiis in Regia cod. MS 5778 fol. memb.

Addenda *Acta legationis ejus ad Petrum Aragonia regem*, qui post luctuosam illam Francorum in Sicilia stragem anno MCCLXXXII ipso die paschæ patratam, vesperas Siculas vulgo dicunt, insulam illam invaserat: tum enim Simon noster regi suo Carolo I fidissimus, vir agendorum peritus & solers, orator præterea facundus, ab eo ad Aragonium legatus missus est, qui eum a tam iniquo consilio averteret, & ad Siciliæ restitutionem spontaneam inclinaret. Quæ acta haud dubie in archivis

Sæc. XIII. regni & Vaticanis. De ea legatione legendus Fazellus Histor. Sicil. & Ciacconus in Martino IV.

F. BERNARDUS DE TRILIA.

† 1292. F. BERNARDUS DE TRILIA vel *Trillia*, vel *Trilha* (sic enim ejus agnomen varie scribitur in veteribus monumentis) Occitanus fuit, Nemausique, vernacule *Nismes*, natus est circa MCCXL. Adolescens ordini nomen dedit, cùmque nondum nobis erecta esset in ejus patria domus, in viciniori forsan Montepessulana vestem induit: verum posito paulo post nimirum anno MCCLXIII Nemausi conventu, ad hunc pro more ordinis ceu alumnus aggregatus fuit. Vir evasit brevi religione & doctrina conspicuus, ejusque frequens in comitiis provinciæ Provinciæ antiquæ mentio: in Lemovicensibus anni MCCLXVI licèt tum juvenis ad secundam theologiæ lectionem gymnasii generalis Monspeliensis promotus est, & in Carcassonensibus anni sequentis MCCLXVII ad eamdem Avenione habendam professor institutus. Exinde verò, nam acta sequentia mihi non adsunt integra, Parisios de more ad proficiendum missum conjicio, ubi duos tresve annos steterit. In comitiis provinciæ anno MCCLXXIX apud Castras habitis sedit secundus diffinitor: sequentibus verò MCCLXXX, LXXXI & LXXXII Parisiis sententias legit, & lauream per omnes scholæ agones consecutus est. In catalogo Bernardi Guidonis XXXIII magister Parisiensis numeratur, immediate ante F. Stephanum Bisuntinum, qui iisdem annis licentiam ut aiunt decurrebat. Comitiis generalibus Lucæ MCCLXXXVIII affuit provinciæ suæ diffinitor, Appamiis MCCXC provincialibus præfuit absente priore provinciali vicarius a capitulo electus: generalibus tandem Palentiæ MCCXCI iterum affuit suæ provinciæ diffinitor, cùmque jam esset ejusdem prior provincialis electus, ibidem a magistro ordinis F. Munione in fine actorum confirmatus fuit. Verùm non diu eo munere functus est quantumvis dignissimus. Nam anno sequenti XCII in comitiis Romæ habitis quibus aderat, abrogatus fuit, cujus aliam rationem non afferunt, quam quod dicti Munionis Hispani a Nicolao IV S. P. magistratu depulsi innocentiam defendisset ardentius. Sed audiendus Bernardus Guidonis, ubi de provinciæ Provinciæ provincialibus: » Tertius decimus provin» cialis fuit F. Bernardus de Trilia Nemausensis » electus in conventu Biterrensi circa quindenam » paschæ anno MCCXCI, confirmatus a magistro or» dinis F. Munione in sequenti capitulo generali » Palentiæ terminata definitione immediate in con» spectu omnium, ubi erat ipse pro provincia diffi» nitor. Præfuit autem anno uno integro absolutus » in capitulo generali Romano anno MCCXCII. Hic » fuit magister in theologia solidus & famosus, vir » sensatus, naturali prudentia præditus, ingenio » præpollens, clarus intellectu ad intelligentiam » sublimium & subtilium veritatum, clausus labiis, » animo circunspectus, dogmatibus ac doctrina » Fratris Thomæ excellenter imbutus, qui in sacris » literis præeminens ac præcellens prædecessores » suos singulos præcessit in eisdem. Hic dogmata » clara studiosisque pretiosa in scriptis successoribus » posteris dereliquit, scientia fama ac persona in» signis & celebris in toto ordine, cujus dulcis me» moria cum laudibus vivit & præconiis gloriosis. » Hic cùm rediret de præfato capitulo Romano, » in conventu Avenionensi decumbens feliciter & » imperceptibiliter in Domino obdormivit in vigi» lia B. Dominici (IV augusti) anno MCCXCII. Se» pultus fuit ibidem, sed postmodum apud Nemau» sum civitatem nativitatis suæ translatum est cor» pus ejus. « Ex quibus Leandrum Albertum emendes, qui non solùm errat in anno dicens mortuum anno MCCXCV, sed & in die obitus, quem assignat IV nonas augusti, nisi dicas erratum esse typorum pro IV augusti, vel pridie nonas augusti: nam a principio ad usque fere seculum XVII festum B. Dominici ipsis nonis seu V augusti celebratum fuit. Idem repetit Bernardus Guidonis in catalogo scriptorum: *F. Bernardus de Trilia*, inquit, *natione provincialis de Nemauso magister in theologia imbutus potissime nectare doctrina Fratris Thomæ, clarissimo judicio pollens, ingenio acuto promptissimus, altus & profundus intellectu ad intelligentiam sublimium veritatum edidit* &c. mox referenda: & addit: *Hic obiit in virtute sua in vigilia B. Dominici in conventu Avenionensi anno Dñi* MCCXCII. *Translatus inde jacet in Nemauso in ecclesia Fratrum.* Quod ait mortuum *in virtute sua*, intelligas ætate virili firma & integra, puta ætatis circiter LII. Ejusdem meminerunt Laurentius Pignon & Ludovicus a Valleoleti, itaque ex his tribus ejus opera tibi proferimus:

1. *Postilla super psalterium pro una parte.* Sic Bernardus.

2. *Postilla super proverbia, ecclesiasten & sapientiam.* Sic Laurentius.

3. *Item super cantica canticorum.* Sic Bernardus & Laurentius.

4. *Postilla excellens super Joannem usque ad XI capitulum.* Sic Bernardus & Laurentius. Meminit etiam Draudius Bibl. Class. p. 342.

5. *Item super Apocalypsim postilla bone.* Sic Bernardus. Extat in Bibl. nostra Avenion. codex MS fol. mag. pergam. crassioris molis. Pr. *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ &c.* Finis: *A justitia cadet, quia peccabit mortaliter. Explicit postilla super Apocalypsin composita a reverendo doctore Bernardo de Trilia ordinis Prædicatorum, doctore inquam sacræ theologiæ.* Ex quibusdam autem ab eodem codice excerptis mihi a R. P. Josepho Patin S. T. in universitate Avenionensi magistro, & cathedræ S. Thomæ moderatore anno MDCCIX missis, sic de præfatis postilis censendum videtur, ut etsi dicti de Trilia opus esse negari non possit, ille tamen ante oculos semper habuerit commentarium sub nomine Alberti Magni editum, cujus ubique seriem sequitur, & conceptus aliis quidem quandoque, iisdem verò verbis sæpius exprimit.

6. *Super sententias.* Sic Valleoletanus n. 77, Bernardum non Bertrandum de Trilia vocans, quod notandum: addens generatim, *& alia multa.* Parisiis in Victor. cod. MS 222 fol. mag. memb. optimæ notæ, & ætatis auctoris. Titulus: *Bernardus de Trilla ordinis FF. Prædicatorum super primum, secundum & quartum sententiarum.* Pr. *Supra proœmium sententiarum primo quæritur utrum theologia sit scientia subalterna?* Finis: *Ad secundum dicendum quod voluntas Dei efficax respectu effectuum immediatorum excludit concursum secundarum causarum: sed quantum ad effectus mediatos non excludit, & ideo aliquando vult aliquos effectus elici mediantibus causis secundis voluntate efficaci, aliquando voluntate inefficaci, & secundùm hoc proveniunt & non proveniunt.*

Fol. 91: *Incipit secundus liber sententiarum creationem rerum insinuans. Dist. I. supra quam quæritur primo, utrum per creationem possit aliquid a Deo æternaliter procedere?* Finis: *Unde semen puris naturalibus derelictum non potest generare nisi hominem infectum illo contagio peccati originalis, & sic patet ad totam quæstionem. Explicit secundus.*

Fol. 134. In 4: *Quæritur utrum sacramentum circumcisionis fuerit institutum in remedium peccati originalis?* Finis fol. 235: *Ad aliud dicendum quod damnati desiderant mentem seu non esse, sicut in Apocalypsi*

Apocalypsi habetur, & habitum est; secundùm rationem erroneam & obnubilatam; non secundùm rectum consensum, & sic finitur tota lectura super quartum sententiarum. Sequitur index omnium quæstionum ad fol. 237.

Difficile mihi persuaserim non scripsisse etiam in tertium, sed mihi non occurrit.

7. *Quæstiones de cognitione animæ conjunctæ corpori, & excellenter declaratæ a F. Bernardo de Trilia magistro in sacra theologia de ordine Prædicatorum.* Extant hoc titulo in Regia cod. MS 4520 fol. par. pergam. foll. 95, olim Mazarinæo. Sunt QQ. XVIII. Pr. *Quæritur primo utrum anima conjuncta corpori intelligat veritatem universaliter cognoscibilium per qualitates innatas vel acquisitas?* Extat similis codex apud nostros Avenionenses. Extant & apud nostros Parisienses ad S. Jacobi, sed alio ordine 1 codice fol. mag. pergam. in quo primum opus est S. Thomæ de Aquino super Boetium de Trinitate, post plura alia: *Quæstiones de anima edita a F. Bernardo de Trilia.* Sic titulus: Q. 1. *Utrum anima conjuncta corpori possit in vigilia intelligendo falli?*

Altero codice ejusdem rationis, qui est collectio plurium, & in quo 1 sunt Quæstiones in septem primos libros metaphysicorum & postea sex quæstiones quarum prima: *Utrum intellectus creatus producat rem intellectam in esse intelligibili?* & tandem singularis quæstio, quæ sic incipit: *Ad evidentiam quæstionis, qua quæritur utrum asserere Christum & apostolos habuisse in rebus temporalibus venientibus in usum humanæ vitæ proprietatem & dominium, sit hæreticum?* Ista omnia absque nomine auctoris, qui si non est hic Bernardus, alius etiam noster ex doctrina est censendus, nam sententiam a Petro Joannis Olivi & quibusdam Minoritis sub finem seculi XIII propugnatam redarguit. Sequuntur Quæstiones diversæ, prima: *Quæritur utrum esse rei creatæ sit in continuo fieri?* Ad harum qq. finem, quæ plurimæ sunt, sic legitur eadem manu: *Expliciunt quæstiones magistri Bernardi de Trilia de cognitione animæ conjunctæ corpori.* Sequuntur postea quæstiones absque nomine auctoris, quarum prima: *Utrum anima in tantum possit elevari per gratiam, ut essentiam Dei videat?* De his quæstionibus de cognitione animæ conjunctæ corpori sic habet Bernardus Guidonis: *Tractatus est peroptimus & completus.* Meminit etiam Laurentius.

8. *Quæstiones de cognitione animæ separatæ. Tractatum istum morte præventus non ita complevit.* Sic Bernardus & Laurentius.

9. *Quædam quolibet, sed quia illa nondum quando obiit ordinaverat ad votum suum ad plenum, & quasdam quæstiones particulares, & sexterni dispersi manebant, illi qui nimis præoccupaverunt, pro magna parte confuderunt, & truncaverunt.* Sic Bernardus citatus. Laurentius laudat *Quodlibeta tria.* In priori codice Sanjacobeo citato ante quæstiones de anima laudatas, extant hoc titulo: *Quæstiones magistri Bernardi de Trilia:* & sunt XXIX. 1. *Utrum theologia sit scientia?* Ultima: *Quæritur utrum per veram pœnitentiam de mortali, pœna æterna mutetur in temporalem?* De quo quatuor aut quinque movet dubia. An illæ quæ dicuntur quæstiones quodlibeticæ?

10. *Quæstiones de spiritualibus creaturis & de potentia Dei.* Sic Laurentius citatus, a quo forsan visæ sunt, sed mihi non occurrerunt.

11. *Item Quæstiones de distinctione esse & essentiæ.* Sic idem Laurentius. In Victor. cod. MS 278 chart. in 4 post tractatum ejusdem tituli F. Ægidii Columnæ de Roma Augustiniani, sequitur fol. 193: *Tractatus super de ente & essentia.* Pr. *Ad habendam aliqualem notitiam pariter & intellectum circa materiam de ente & essentia secundùm sententiam Peripateticorum, quam tribuit eis venerabilis Albertus &c.* Hunc alterum tractatum forsan quis suspicetur esse nostri Bernardi Alberti Magni sectatoris non secus ac S. Thomæ. Quia tamen abest nomen, non ausim asserere, cùm & alii plures nostrates ejus ætatis similes tractatus ediderint.

12. In eadem Victor. cod. MS 762 in 4 pergam. qui collectio est sermonum a theologis Parisiensibus annis MCCLXXXI, LXXXII & LXXXIII habitorum, ut ex serie patet, apposito cuique concionatoris nomine, sunt quidam quos huic Bernardo de Trilia facilis dederim: primus n. 18: *Dom. 1 in adventu a Fratre quodam Prædicatore dispositore studentium F. Bernardo. Surge & illuminare Jerusalem &c.* column. 8 implet. Alter. n. 160 *in die inventionis sanctæ crucis a quodam Fratre Prædicatore dispositore studentium dicto F. Bernardo. Videbam & ecce arbor in medio terræ &c.* coll. sex. Hos inquam ejus facile crediderim, cùm omnia conveniant & nomen, & tempus, & officium magistri studentium: cùm aliunde plures sint F. Stephani de Besançon postea magistri ordinis, tum licentiam decurrentis, & Bernardi nostri in ea collegæ. Sic enim dicitur in epistola quam ad eumdem Stephanum tum ordinis magistrum de Bernardi morte scripserunt Patres Tolosani in comitiis provincialibus Brivæ anno MCCXCII in festo assumptionis B. V. coacti: *Nobis congregatis & lamentantibus de tam inæstimabili provinciæ nostræ jactura, totiusque ordinis irreparabili detrimento, cùm audivimus R. P. N. F. Bernardum de Trilia quondam provincialem, nec non doctorem præcipuum, & ad curam regiminis admodum sufficientem & aptum, ab olim notum vobis & socium specialem* (nempe in licentia, ut aiunt, Parisiensi) *proh dolor ab hac luce subtractum &c.* Sunt & alii in aliis ejus ætatis sermonum collectionibus, quos ejus esse conjectu pronum, sed hæc sat sunt ut & verbo valuisse & sermones plures reliquisse a superstitibus forsan convasatos vel alicubi latentes, si non vetustate temporum deperditos, conjicere liceat.

Non omittendum aliquando *Bertrandum de Trilia* nuncupari, sic in actis cap. provinc. anno MCCLXXXVII Burdigalæ post generale ibidem celebrati & in quo suæ provinciæ electus est pro seqq. comitiis generalibus Lucæ habendis diffinitor, scribitur *Bertrandus:* sed eumdem esse constat, ex ipsis actis & seq. anni XC supra citatis, nullaque ex eo multiplicandi hominis occasio accipi potest: sic ut dicetur postea noster *Bernardus de Parentinis* aliquando etiam *Bertrandus* nuncupatur. In eum tamen errorem impegit Lusitanus unum Bernardum de Trillia p. 52 & ad annum 1292 referens, alterum Bertrandum de Trillia etiam p. 56 & anno 1296 clarum exhibens, quem incauti exceperunt Possevinus & nostrates Gozzeus, Razzius, Pius, Altamura ad 1295 & 1296.

Aliud longe majus erratum Leandro Alberto excidit, qui hunc eumdem hominem in duos dividit, alterum fol. 136 a Bernardum de Trillia e Gallia Narbonensi, & cui omnia fere relata opera asserit, alterum fol. 137 a Bernardum ex Hispania oriundum, cui rursus eadem opera saltem majorem & præcipuam partem ascribit: quod sequaces Lusitanus, Fernandez & alii nostrates ad Altamuram ad 1263 & 1395, & ipse Possevinus præcipitanter nimis arripuerunt. Erroris originem censeo quod Leandri forsan in manus venerit catalogus scriptorum ordinis a Laurentio Pignon concinnatus: hic autem revera sic habet n. 21: *F. Bernardus de Trillia natione Hispanus magister in theologia scripsit*, & subjicit opera supra relata. Sed animadvertere debue-

Sæc. XIII. rat Leander unicum a Laurentio Bernardum & de Trillia nuncupatum proferri : discutiendum itaque solum erat cur Hispanum vocet, quem Nemausensem fuisse constat : id verò ea ratione evenisse putaverim; provincia scilicet Provinciæ, ut & aliis ordinis, qua Laurentius ætate scribebat circa MCCCC, in nationes sub uno quidem præfecto provinciali, sed sub sex aut septem visitatoribus divisa, natione Delphinatus, natione Vindascina, &c: conventus Nemausensis ei nationi adjunctus fuerit, quæ conventus Montispessulani & Ruscinonis, Perpiniani scilicet, Podiicertani, & Caucoliberis complectebatur : cùm verò hæ quatuor ultimæ civitates, ubi primum erecta est provincia & divisa a Tolosana, regi Balearium Jacobo, & postea Aragonum regi parerent, ea fortè natio habita fuerit ut Hispana : quæ ratio si non placet, nihil superest quam ut allucinatus eo loci dicatur Laurentius : nam & ex cognomine *de Trillia*, quod addit Laurentius, tacent vero Leander & ejus sequaces qui Hispanum obtrudunt, & ex operibus iisdem adhuc constantibus eumdem scriptorem esse demonstratur, quem Nemausensem Bernardus Guidonis & natione Hispanum indicat Laurentius. Nicolaus Antonius Bibl. Hisp. Vet. de isto scriptore agens lib. 8 cap. 6 n. 252 licèt rem inquit obscuram in medio relinquat, in eam tamen se potius propendere insinuat sententiam, quæ eumdem scriptorem ex iisdem operibus statuit, & p. 262 ubi de scriptoribus incertæ ætatis, quemdam Bernardum Hispanum ord. Prædic. recenset quidem ex fide Leandri Alberti & sequacium, sed lectorem ad ea remittit quæ de eo dixerat lib. 8 cit. Quod autem addit se non ignorare familiam de Trilla in Catalanis vel nunc esse, cujus est Leo Præmonstratensis, etsi argumentum nihil probet, quid vetat quin aliquis gentis de Trilia Nemausensis in Catalaniam migrârit, & genus ibi suum propagârit. His tandem ut finem imponam, certum habeat lector quatuor hos scriptores ab Altamura laudatos Bernardum Hispanum ad 1263, & alium itidem Bernardum Hispanum ad 1395, duos contra Gallos & Nemausenses Bernardum & Bertrandum ad 1295 & 1296 ambos *de* Trillia nuncupatos unum & eumdem esse hominem anno 1292 mortuum; vel si Bertrandus de Trillia alius est a Bernardo, non esse inter scriptores numerandum : quibus sic statutis Alvæ vitilitigationibus in suo *Pleytos de los libros*, *Pleyto* 53 p. 247 quisquis cordatus plane factum satis judicabit.

F. HERMANNUS DE MINDA.

1293. F. HERMANNUS DE MINDA a patria sic & professione nuncupatus a nostris omnibus laudatur, ceu qui provinciæ Teutoniæ aliquando præfuerit : duo quidem hujus nominis Hermanni feruntur Teutoniæ præfecti ac seculo XIII clari, primus supra indicatus ad annum 1288 ubi de F. Petro de Dacia, qui anno MCCLXVIII bis jam Teutoniam rexerat, tumque prior domum Coloniensem administrabat; sed cùm hic cognomen haberet *de Havelbrech*, de eo hic sermonem haberi non videtur. Alter fuit Hermannus qui anno MCCLXXXVI in capit. gen. Parisiensi Diffinitorum secundo, hoc titulo nomine suæ provinciæ sedit, amotoque ibidem Teutoniæ provinciali eidem in sequentibus Teutoniæ comitiis eodem anno suffectus est : quo titulo capitulis generalibus Burdigalæ MCCLXXXVII, & Ferrariæ MCCXC affuit, & in hoc ultimo cum aliis undecim provinciarum prioribus á Magistri ordinis Munionis de quo supra destitutione appellavit, tandemque in cap. gen. apud Insulas Flandrorum anno MCCXCIII a munere quod septem annis gesserat exoneratus fuit : istum verò Mindensem esse quem quærimus exinde videtur, quod alii hujus nominis toto seculo XIII in actis non exhibeantur ejus provinciæ præfecti. Apud Anonymum chronici monasterii Sororum ordinis in *Lothen* diœcesis Mindensis scriptorem, de quo nos postea, inter viros ex ordine primarios, qui sacri hujus gynecæi erectioni anno MCCLXV operam contulerunt, laudatur *F. Hermannus de Minda*, quem eumdem cum provinciali & scriptore de quo agimus facile dicas : ætatis enim XL cum illi circiter dato, sexagesimum secundum non impleverat anno MCCLXXXVII, quo eum Teutoniæ præfectum putamus. Ut ut sit quod discutiant Germani nostri, Hermannus Mindensis a Leandro fol. 149 b relatus ad 1271, a Lusitano ex Taegio I. P. M. O. ad 1270, ab Altamura ad 1277 quibus annis jam clarebat, si is est quem indicamus, sed postea etiam claruit, scripsit :

1. *De interdicto.*
2. *De criminum inquisitionibus.*
3. *Epistolas complures ad varios.*

Apud Laurentium Pignon n. 75 sic legitur, *F. Bernardus de Mundo Teutonicus scripsit de interdicto.* Nihil amplius. Cùm constet de opere, aliunde codex Victorinus sit male scriptus & scateat erratis, mendum in nomine irrepsisse crediderim, & *Bernardus de Mundo* scriptum pro *Hermannus de Minda*, quem etiam aliqui vocant *Hermandus*, adeo ut lapsus fuerit facilis.

F. JOANNES LAMPUGNANO.

F. JOANNES LAMPUGNANO Italus Mediolanensis domus S. Eustorgii alumnus ecclesiastes sua ætate facundus & fervidus a Lusitano, Gozzeo, Pio, Fernandez & Altamura laudatur ad MCCLXII clarus, a Rovetta verò ad 1296, ubi tamen fatetur anno 1293 obiisse, ac reliquisse † 1293.

Sermones Dominicales per annum, Quadragesimales & de sanctis.

Meminerunt etiam Piccinellus Athenæo Mediolan. Crescentius Præsidii Romani P. III Narraz. I p. 61 & Morigia Nobilit. Mediol. lib. III cap. 29.

F. RAIMUNDUS DE MEDULLIONE.

F. RAIMUNDUS DE MEDULLIONE Gallus ex illustri & antiqua Medullionum loci dominorum in Provincia stirpe satus & hæres, deliciis & divitiis quæ ipsum domi manebant crucem prætulit, paupertatemque ordinis Segesterone seu Sistaricæ vernacule *Sisteron* in finibus Delphinatus & Provinciæ, cujus erat diœcesis, amplexatus est medio circiter seculo XIII, virque evasit eruditione in scholis quas diutius rexit, facundia in templis quæ concionibus ejus sæpius personarunt, pietate, regularis disciplinæ studio, in agendis prudentia ac solertia clarissimus, ut ad graviora ordinis pertractanda negotia, primasque Ecclesiæ dignitates sustinendas admotus sit. In claustro majora quæque illi commissa sunt munia. Anno MCCLXIV in comitiis suæ provinciæ Avenione habitis Prædicator generalis renunciatus est, qui gradus tum apud nos summus, exinde in comitiis totius ordinis pluries emicuit, Bononiæ MCCLXVII provincialis socius delegatus, Mediolani MCCLXX diffinitoris socius, rursus Bononiæ MCCLXXV diffinitor, eodemque iterum titulo Parisiis MCCLXXIX. In superioribus Mediolani MCCLXXVIII sic de eo statutum legitur in Actis : *Item injungimus districte F. Raimundo de Medullione & F. Joanni Vigorosi, quod cum festinatione vadant in Angliam, inquisi-* 1294.

turi diligenter super facto Fratrum, qui in scandalum ordinis de scriptis venerabilis F. Thomæ de Aquino (detraxisse dicuntur.) Quibus ex nunc plenam damus auctoritatem in capite & in membris, qui quos culpabiles invenerint in prædictis, puniendi, extra provinciam emittendi, & officio privandi plenam habeant potestatem. Quod si unus eorum casu aliquo legitimo fuerit impeditus, alter eorum nihilominus exequatur &c. Ricardus Simon scriptor seculi ultimo elapsi criticis suis in sacra Biblia clarus, cùm excerpta quædam ex actis capitulorum nostrorum generalium veterum a bonæ memoriæ nostro Jacobo Quetif sibi facilius communicata, & in iis hanc ordinationem legisset, ex ea recte concludere sibi visus est Bibliothecæ Criticæ Gallicæ sub nomine ascititio Sanjorii *Sainjore* editæ T. II p. 371, doctrinam S. Thomæ nonnisi ægre in scholis nostris prævaluisse, cùm contrarium illi colligendum fuisset. Nimirum S. Thomas adhuc vivus tantam sibi auctoritatem in ordine comparaverat, ut qui post ipsum sententias Parisiis, Oxonii & Cantabrigiæ, Bononiæ, Romæ, Neapoli, Coloniæ Agrippinæ legerunt, ejus commentariis fere uterentur, ea stylo suo suaque scribendi ratione solùm immutantes. Videsis supra Hannibaldus de Hannibaldis, Petrus de Tarentasia, Romanus de Roma, Ambrosius Sansedonius, Ricardus Clapoel Anglus, Albertus Magnus qui licèt Thomæ præceptor Parisios senex octoginta annorum venit, ut discipuli doctrinam publice defenderet. Neque verò in ordinatione citata dicitur scandalum illud in Anglia ortum ex scriptis B. Thomæ processisse, ut male ne dicam maligne interpretatur Simonius, imo hinc scandalum natum, quod contra communem & ordinis & provinciæ Angliæ sententiam quidam sodales nostri de scriptis sancti doctoris detraxissent. Paucos præterea fuisse sed petulantes illos doctrinæ Thomisticæ adversarios ex eo evincitur, quod gravius puniendi & etiam ex Anglia ejiciendi jubentur, quæ pœna si plures fuissent, sine magna illius provinciæ perturbatione, ac regis fortè etiam offensione non potuisset infligi. Paucos autem illos segreges continuo ad adventum sapientis nostri Raimundi ad frugem rediisse exinde conjicio, quod nulli in actis sequentibus legantur ejecti. Ordinatio autem in comitiis ordinis Parisiis sequenti anno MCCLXXIX facta, quæ sic habet: *Item cùm venerabilis vir memoriæ recolendæ F. Thomas de Aquino sua conversatione laudabili & scriptis suis multum honoraverit ordinem, nec sit aliqualiter tolerandum, quod de ipso vel scriptis suis aliqui irreverenter loquantur etiam aliter sentientes: injungimus prioribus provincialibus & conventualibus & eorum vicariis ac visitatoribus universis, quod si quos invenerint excedere in prædictis, punire acriter non postponant.* Hæc, inquam, ordinatio argumento est omnes acquievisse, neminemque cognitum qui obluctaretur, cui alioquin non parcitum fuisset: sed ideo lata est communi patrum omnium sensu, ceu cautio & provisio ne quis deinceps obloqui auderet, & eo magis annotanda, quod in ipsa academiæ Parisiensis luce decreta, ubi paucis ante mensibus a Stephano Templier episcopo Parisiensi quædam sancti doctoris propositiones censura notatæ videbantur: ut ea ratione censuram hanc, licèt in quæstiones pure philosophicas latam, Patres nostri unà congregati sibi non probari, ordinisque sodales ea non teneri palam omnibus significarent. Tempestas autem Angliæ de qua mox a Joanne Peckam ord. Minorum archiepiscopo Cantuariensi ab olim S. Thomæ adhuc in vivis & Lutetiæ agentis æmulo excitata erat de ea quæstione potissimum, an in homine unica sit forma substantialis, de qua cùm affirmativam Aquinas ad mortem usque tenuisset, ut patet ex Summa ejus theologica, & nostri acrius propugnarent, sui antistes ille fere compos non erat, unde eam obliterari volens, auctoritate sua quosdam e nostris ad sensum suum adduxerat, quod aliis in longe majori numero scandalo fuit, Thomæ dogmata in schola nostra deseri impatienter ferentibus: qui idcirco ad capitulum generale Mediolanense querelas detulerunt, a quo missis laudatis delegatis omnia in integrum restituta fuere, & pax subito reddita. Et ut semel objecta Simonii omnia refellam, falsum est quod ait multo labore sudatum, ut doctrina Thomæ in scholis nostris stabiliretur. Adducit ille ordinationem capituli generalis Parisiis anno MCCLXXXVI habiti quæ talis est: *Districtius injungimus & mandamus, ut Fratres omnes & singuli prout sciunt & possunt, dent efficacem operam ad doctrinam venerabilis F. Thomæ de Aquino recolendæ memoriæ promovendam, & saltem ut opinio defensandam: & si qui in contrarium facere attentaverint assertive, sive sint magistri sive baccalaurei, priores & alii Fratres etiam aliter sententes, ipso facto ab officiis propriis & aliis sint suspensi, donec per magistrum ordinis vel generale capitulum sint restituti: & nihilominus per prælatos suos seu visitatores juxta exigentiam culparum condignam reportent pœnitentiam.* Tantum abest ut ex hac ordinatione sequatur quod vult Simonius, quin contrarium omnino evincatur. Exinde enim habetur provinciarum ordinis omnium, quarum delegati diffinitores capitulo aderant, in sustinenda Thomæ doctrina concors animus: at quia superiorum est in futurum præcavere, viri illi sapientes probe conscii, quam facile quidam ingenio plus nimium indulgentes curiosa non solida sectentur, præsertim cùm iis annis non deessent extranei quales Henricus de Gandavo, Godefridus de Fontibus, Ægidius Romanus & Jacobus Viterbiensis & alii qui Thomæ pronunciata impugnarent, ne horum speciosis revera invalidis argumentis sodales ordinis deluderentur & similia attentarent, hac ordinatione providere voluerunt, quam omnes jam illi assueti ita libenter amplexi sunt, ut nulla circa hoc pœnitentia in actis inflicta postea memoretur. Sed ad Raimundum nostrum redeo, qui pro meritis visus est ad superiora promovendus, nam anno MCCLXXXI assumtus est episcopus Vapincensis, sicque de eo statutum lego in actis cap. prov. Carcassonæ MCCLXXXII: *Concedimus licentiam dño episcopo Vapincensi, quod possit de suis parentibus aliquem assignare*, nempe physicæ lectorem in domo nostra Sistaricensi, quod signum plures ex sua familia juvenes in ordine habuisse & ceu dictæ domus patronum & protectorem habitum. Ex ea verò sede ad Ebredunensem archiepiscopalem translatus est anno MCCLXXXIX. Mira ejus in pauperes generatim & in regulares liberalitas commendatur. Comitiis ordinis in Montepessulano anno MCCXCIV adesse voluit, & in Patres congregatos beneficum sed & magnificum se præstitit, at inde cùm rediret, Buxi Delphinatus urbecula morbo correptus inter manus Fratrum sanctissime obiit XXVIII junii: unde corpus ejus Sistaricam delatum apud nostros sepultum est ut jusserat in sacello S. Magdalenæ. Ejus inter episcopos meminit Bernardus Guidonis, qui sic de eo breviter: *F. Raimundus de Medullione episcopus Vapincensis anno* MCCLXXXI, *postea ad archiepiscopatum Ebredunensem translatus. In istis duobus præfuit circa annos* XIII. *Nobilis & sanctus obiit anno* MCCXCIV *apud Buxum. Inde translatus, in conventu Sistariensi in capella S. Mariæ Magdalenæ* conditus est. Hæc ejus recensentur:

1. *Acta synodi Reatinæ in Sabinis*, cui præfuisse dicitur.

2. *Epistola* XVII *kal. decemb.* MCCLXXXVIII *scripta, in qua meminit bullæ Nicolai papæ IV*

Sæc. XIII. priori provinciali ordinis Prædicatorum directæ, ubi mandatur, ne quis dicti ordinis religiosus, qui tempore sui noviciatus vestem abjecerit, ad ullam promoveatur dignitatem, nisi ex concessione summi pontificis. Sic legitur in Gallia Christiana recentis editionis monachorum S. Mauri ex tabulario Prædicatorum Biterensium.

3. *Statuta pro regimine diœcesis Vapincensis* a suo successore postea renovata.

4. *Acta synodi provincialis Ebredunensis anno* MCCXC *habitæ*, quorum initium sic refertur a Sammarthanis in Gall. Christ. antiqua: *Statuta quæ nos F. Raimundus de Medullione Dei patientia sanctæ Ebredunensis Ecclesiæ archiepiscopus per D. Henricum bonæ memoriæ Ebredunensem archiepiscopum & postmodum Ostiensem episcopum comperimus esse facta, unâ cum venerabilibus Fratribus G. Diniensi, B. Glandatensi, Lantelmo Grassensi, B. Senecensi, Hugone Niciensi & Guillelmo Venciensi Dei G. episcopis suffraganeis nostris, Fratre P. abbate Boschaudunensi, ac procuratoribus capitulorum Ecclesiarum ipsarum, constituti in nostro provinciali concilio apud Ebredunum A. D.* MCCXC *die sabbati ante assumtionem B. V. evocato &c.* Extant in tabulario Diniensi, ac mirum a Labbeo omissa in sua conciliorum collectione. Hæc acta impressa videsis tomo 4 Thesauri novi Anecdotorum a Clar. monacho Edmundo Martene edito.

5. Interfuisse dicitur anno MCCXCII donationi factæ ab Anna Delphina & Humberto de Turre marito Joanni II Delphino Albonii comiti apud Viennam XIII junii, præsentibus Willelmo archiepiscopo, Joanne Valentino & Diensi, Guidone Aniciensi, Willelmo Gratianopolitano aliisque toparchis. Sic referunt Sammarthani in sua Gall. Christ.

Monendus hîc lector hujus Raimundi archiepiscopi patrem Raimundum etiam nuncupatum baroniæ Medullionis toparcham mortua Sibylla uxore sua ordini & ipsum nomen dedisse ac vestem induisse circa MCCLXIX idque Sistaricæ, & professum obiisse sub finem anni MCCLXXIII, vel initia sequentis. Sic enim in actis cap. prov. Tolosæ anno MCCLXXIV ad suffragia commendatur: *Pro domino quondam Fratre Raimundo de Medullione seniore defuncto de consensu totius capituli, quilibet sacerdos tres missas, clerici psalterium, conversi centum Pater noster dicant.* In iisdem actis sic legitur: *Diffinitor capituli generalis*, nempe anno sequenti LXXV celebrandi *F. Raimundus de Medullione junior*, cum hac nota Bernardi Guidonis ad marginem: *Ad differentiam senioris patris sui:* quam eamdem jam antea apposuerat in actis cap. prov. Biteris MCCLXIX habiti, ubi electus *F. Raimundus de Medullione junior socius diffinitoris cap. gener.* anno sequenti LXX habendi. Ex quibus emendandi Sammarthani in Gallia Christiana (quos tamen incauti exceperunt Fontana in Theatro & Altamura ad 1294) qui Raimundum de Medullione patrem post mortem uxoris ordinis Prædicatorum professum eum esse volunt, qui ad Vapincensem tum ad Ebredunensem sedes evectus fuit, quod falsum ex dictis evincitur, sed de filio adolescente ordini ascito nec unquam nuptiis irretito certissimum. Raimundus autem ille de Medullione quem Sammarthani aiunt anno MCCLXX de juribus baroniæ Medullionis transegisse, nepos erat Raimundi senioris, & filius germani Raimundi junioris episcopi de quo hîc. Ille verò Raimundus senioris dicti nepos insignis fuit ordinis Prædicatorum benefactor, & Buxi cujus dominus erat, domum nobis erexit: sic enim in actis cap. prov. in Montepessulano 1294 post generale ibidem habiti legitur: *Ad instantiam dñi F. Raimundi de Medullione archiepiscopi Ebredunensis, & Raimundi de Medullione nepotis sui* (id est *fratris filii*) *concedimus quod mittantur Fratres apud Buxum ad recipiendum locum pro ordine:* & nominantur missi qui ab eo anno diu steterunt. Tandem *anno* MCCCX *dominus de Medullione de Buxo patronus emit locum, & domum ædificavit. Primus prior F. Raymundus Michaelis de conventu Aurasiciensi institutus.* Sic Bernardus Guidonis ubi de conventuum erectione.

F. LATINUS MALABRANCA.

F. LATINUS MALABRANCA qui & *de Frangipanis* & *Ursinius* etiam agnomine dicitur, † 1294.
filius sororis Joannis Ursinii tit. S. Nicolai in carcere diaconi cardinalis, qui postea summus pontifex Nicolaus III dictus, & patris ex gente Malabranca æqualis nobilitatis conjugum fuit. Juvenis Parisios a parentibus missus est jure utroque instituendus, aiunt quidam, inde verò in Urbem reversus ordinem in S. Sabinæ amplexatus est & professus. Studiis theologicis egregie perfunctus, Parisios pro ratione Romanæ provinciæ in gymnasio Sanjacobeo ultimo perficiendus delegatus est, certoque ibi aderat circa MCCLXIII, & inter concionatores sacræ facultatis clarebat, ad gradus tamen in eadem promotus non legitur. Romam redux sententias apud suos e superiori loco legisse fertur, sed & variis functus regiminis muneribus. Priorem agebat in S. Sabina, cùm avunculus ejus supra laudatus summus pontifex electus est VII kal. decembris MCCLXXVII & Nicolaus III dictus, exinde ab eodem idibus martii sequentis feria IV post Dom. III. quadragesimæ in prima creatione cardinalium ad purpuram est assumtus & Ostiensis ac Veliternus episcopus declaratus. Inquisitoris generalis etiam officio donatum volunt Paramus, Fontana & Oldoinus. Rectorem urbis unâ cum Jacobo Columna cardinali pontifex Urbe exiens reliquit, & paulo post legatum Bononiæ & in tota Æmilia constituit. In Tusciam postea Florentiamque legatum iterum destinavit componendis Guelforum Gibellinorumque difficultatibus, & ut erat rerum gerendarum peritus & solers, facundiæ præterea laude dicendique facilitate clarus, quod jussum erat brevi perfecit. Ibidem insignis templi S. Mariæ Novellæ fundamenta jecit, ac primum lapidem solemni ritu posuit. Parmenses inquisitores turpiter acceptos pro jure vindicavit, & in sontes ex canonum severitate animadvertit: verbo Romani pontificis dignitatem & auctoritatem ubique constanter asseruit. Hinc a summis pontificibus sequentibus Martino IV, Honorio IV, Nicolao IV eodem in loco habitus est, eaque auctoritate apud eos valuit, ut ipso inconsulto nihil grave decernerent. Quod experti sunt episcoporum quorumdam Galliæ missi ad Honorium IV theologi duo Parisienses Petrus de Ruthenas præpositus Mimatensis & Thomas decanus Pontisarensis, ut explicationem bullæ Martini IV *Ad fructus uberes* obtinerent. Rescripserunt enim prælatis Latinum cardinalem ea esse apud pontificem gratia, ut adversus regulares nihil sperandum esset. Petrus de Ruthenas in sua relatione narrat, dum coram papa rationes regularium vellet exponere, ut eas continuo refelleret, se tum a Latino cardinali interpellatum dicente: *Nihil ad vos de rationibus eorum, vestras dicatis, quia ipsi bene dicent suas.* Addit tamen se instante ab eodem comiter & officiose sibi permissum, ut quæcumque dicenda habebat, libere diceret. Grave postea illi a Nicolao IV impositum est onus magistri ordinis VII Munionis de Zamora ab officio removendi, de quo cùm jam actum sit supra, non est quod hîc repetatur. Cùm autem a morte Nicolai IV annos jam duos solidos mensesque quatuor cardinales XII Perusii adunati

dissiderent, nec de eligendo pontifice convenirent, non sine gravi Ecclesiæ scandalo & jactura, Latinus plenis comitiis peroravit, electores ad unum extra collegium assumendum excitavit ac flexit, & Petrum de Murrone Eserniensem in Samnitibus eremitam & monachum proposuit eligendum, in quem omnes subito consenserunt. De quo audiendus Tholomæus de Luca lib. 24 Hist. Eccl. Nov. cap. 29. Sic ergo ille: » Anno igitur MCCXCIV post festum » B. Joannis Baptistæ, hoc est VII kal. julii, ad per» suasionem D. Latini Ostiensis episcopi, & post » recessum regis (*utriusque Siciliæ Caroli*) vota sua » dirigunt cardinales in quemdam Eremitam de A» prutio, cui nomen F. Petrus de Murrone, ipsum» que in summum pontificem elegerunt, qui voca» tus est Cœlestinus V &c. *Et cap.* 30: His igitur » peractis D. Latinus graviter infirmatur, in quo » totum pondus incumbebat super electione Cœles» tini. Hic enim D. Latinus vir fuit magnæ religio» nis & sanctitatis, & ex devotione specialiter con» junctus fuerat F. Petro de Murrone, eidemque » singulis annis a tempore suæ notitiæ specialem » eleemosynam transmittebat, suosque confratres » qui commorabantur Romæ, ubi claustrum habe» bat prope sanctum Petrum sustentabat &c. Ex hac » ergo familiari devotione & confidentia bonitatis » fuit motus ad suadendum de ipso, ut in summum » pontificem assumeretur. Aggravatus igitur ægri» tudine moritur Perusii, de quo magna & virtuo» sa dicuntur ac exemplo digna «. Bernardus Guidonis sic habet in chronico: *Eodem anno* MCCXCIV *obiit D. Frater Latinus ordinis Prædicatorum cardinalis episcopus Ostiensis paulò ante resignationem Celestini papæ, cujus electionis ipse post Deum fuerat motor primus.* In elencho verò cardinalium nostrorum tempus mortis indicat apertius: *Fratrem Latinum Romanum prudentem & cordatum virum fecit cardinalem episcopum Ostiensem memoratus D. Nicolaus papa III A. D.* MCCLXXVII (stylo veteri, novo 1278.) *Hic obiit anno dñi* MCCXCIV *mense novembri cardinalatus sui anno* XVII. Consentiunt Leander Albertus & Bzovius. Fontana verò in Theatro & antea Ciaconius & Ughellus obiisse volunt IV idus augusti. Quibusnam potior habenda fides, etsi in Bernardum synchronum propendeam, penes lectores sit arbitrium. Romam delatum ejus corpus apud S. Mariam super Minervam, in sacrario conditum fuit, & in eumdem tumulum postea F. Matthæi de Ursinis ejusdem ordinis & itidem cardinalis illatum corpus. Seculo verò XVII circiter medio magister ordinis Nicolaus Ridolphi templi majestatem ornare, novumque sacrarium exstruere cupiens, tumulum aperiri jussit, ac repertas amborum cardinalium exuvias plumbeis reclusas loculis in Ecclesiam ipsam transtulit, ubi ad odei parietem in ipso vestibulo quo ad Romanum collegium iter est, eodem tumulo marmoreo reconditæ servantur, hac simplici insculpta inscriptione: *Venerabili memoriæ FF. Latini & Matthæi Ursinorum ordinis Prædicatorum S. R. E. cardinalium.* Sic de eo habet Ludovicus a Valleoleti n. 24:

D. F. Latinus cardinalis episcopus Ostiensis scripsit super sententias.

Ab aliis illi tribuuntur: *Prosa de B. Maria Virgine.* Quarum duæ admodum piæ Romæ typis Manelphii anno 1651 prodierunt in fine Marialis Isidori Thessalonicensis ex antiquo cod. MS memb. Bibl. Torrigianæ in Urbe, uti asserit Oldoinus, quas & Maraccius suam iterum intulit in Purpuram Marianam. Eidem ascribitur prosa quæ incipit, *Dies iræ dies illa*, quæ in missis defunctorum vulgo canitur. Hæc certo anno MCCLV nondum erat in usu, nam in exemplari primigenio officii ecclesiastici a magistro ordinis V Humberto de Romans concinnati, & hujus curis eo anno scripto & in domo Sanjacobea Parisiensi servato, prosa illa non extat. SEC. XIII.

Præterea *Orationes ad cœtum cardinalium habitæ, & sermones ad populum.* Sed ubi serventur nemo aperit. In cod. Sorbon. n. 285 cui titulus: *Distinctiones M. Petri de Lemovicis*, quæ nihil aliud sunt quam sermones ab eo ex ore concionatorum tum Parisiis florentium reportati, & anno MCCLXIII collecti, ut in iisdem legitur: verbo *Prædicatio* est excerptum *collationis a F. Latino in Ecclesia nostra S. Jacobi habitæ*: hinc supra Latinum circa MCCLXIII Parisiis assignatum fuisse conjiciebam.

Concio solemnis ab eo habita ad S. P. Q. Florentinum laudatur, cùm eo legatus a Nicolao III missus est. De qua Paulus Cortesius opere de cardinalatu in Castro Cortesio per Nicolaum Nardum 1510 in fol. edito sic habet: *Latinus Romanus sic dicendo illa ætate valuit, ut Florentiæ seditiosam discordiam oratione sedarit, plebisque intercessione sublata, XIV virûm dicendo statuerit, cui esset a tota civitate parendum. Itaque eam orationem quæ ab eo est in concione habita scriptam reliquisse fertur, cujus tamen dictio cauta magis esset & prudens, quam verborum concinnitate nitens.* Neque id mirum, alia fuit Italicæ linguæ ut & aliarum viventium, sec. XIII elegantia, alia sec. XV & XVI.

Quæ superius de Latini ad theologos ab episcopis Gallis Romam missos responsione dixi, ex cod. MS Colbert. 3266, qui totus est de isto negotio excerpta sunt.

F. BONIFACIUS E LAVANIA.

F. BONIFACIUS E LAVANIA seu *de' Fieschi* comitibus illustri in Liguria gente ortus, quem Pius P. II lib. I col. 71 Innocentii IV fratris filium fuisse asserit, ordinem Genuæ in S. Dominici amplexus est, & deterrente licèt eodem pontifice, fortiter & animose professus, virque evasit non solùm pietate & doctrina conspicuus, sed & rerum agendarum peritus & solers. Hinc Gregorio X carus in primis & acceptus, ab eodem ad sedem Ravennatensem evectus est anno MCCLXXIV, & legatus in tota Æmilia constitutus, quo eodem munere fungebatur etiamnum sub Innocentio V. Ab Honorio IV nuncius in Galliam missus est ad Philippum III audacem dictum de pace inter eum & regem Aragoniæ componenda: Philippo III pridie nonas octob. MCCLXXXV mortuo, apud Philippum IV ejus filium & successorem eadem officia prosecutus est, aderatque adhuc idibus martii MCCLXXXVIII Burdigalæ, ubi testamentum condidit. Ad suam Ecclesiam hinc reversus vixit ad annum MCCXCIV, quo dec. XXIV spiritum Deo reddidit, die sequenti sepultus in Ursiana basilica cathedrali sub tymbo marmoreo. Sic de eo Bernardus Guidonis inter episcopos ex ordine: *F. Bonifacius de Lavagna postea archiepiscopus Ravennas anno* MCCLXXXIII jam erat scilicet, nisi sit erratum scriptoris, qui oscitans unum X addiderit, nam anno supra relato ad eam dignitatem promotum probat Ughellus Ital. Sac. T. II ex registris Vaticanis. Oldoinus primus suis Liguriæ scriptoribus accenset, ceu a quo relictum sit * 1294.

Volumen sermonum.

Addenda viderentur *Legationum ejus acta* haud dubie in scriniis Vaticanis servata.

F. NICOLAUS DE GORRAN.

F. NICOLAUS DE GORRAN vel de *Gorrain* a loco natali, vel etiam ex stirpe dominorum loci, non in Anglia, ut Lelando & sequaci- * 1295.

Sæc. XIII. bus Baleo, Pitseo, Harpsfeldio placet, nec in Flandria ad Tornacum, ut Swertio in *Athenis Belgicis*, Valerio Andreæ Dessellio *in Bibl. Belg.* Joanni Cousin in *Hist. Tornac. lib.* 4 *c.* 45, Guillelmo Seguier nostro in *Laur. Belg.* & F. Gilberto de la Haie *Bib. Belgo Dom.* MS, sed in Gallia in confiniis Cenomanensium & Armoricorum nuncupatus conventus Cenomanensis alumnus & professus lumenque clarissimum seculo XIII floruit. Parisios ad gymnasium nostrum Sanjacobeum studiorum causa missus, ibidem deinceps potissimam vitæ partem egit, nomenque celebre sibi fecit, non scholasticis agonibus, neque enim in facultate Parisiensi sacræ theologiæ magisterium consecutus est, sed sacræ scripturæ interpretatione, & verbi divini prædicatione, quo duplici titulo ita sua ætate eminuit, ut nulli secundus haberetur. Conventui dicto Parisiensi S. Jacobi pluribus annis præfuit prior, eoque munere certo fungebatur ante MCCLXXX. Sed provinciæ Franciæ provincialem aliquando præfectum immerito quidam dixerunt ac typis ediderunt, cùm in serie provincialium, quam habemus accuratiorem ab initio ordinis ad 1413 nullus sit ei locus. Virum pietate, doctrina sacra in primis, facundia, in agendis solertia, præclarisque omnibus quæ desiderari poterant dotibus ornatum & insignitum Philippus III Audax dictus S. regis Ludovici filius & successor selegit, qui Philippo filio suo Navarræ regi esset a conscientiæ secretis & arcanis, cujus insigne documentum habemus apud Joannem Parisiensem canonicum Victorinum, & ita clarum, ut mirum sit hactenus tot auctores, qui de Nicolao nostro scripserunt, & Philippi cujusdam Franciæ regis confessarium fuisse agnoscunt, quinam sit ille Philippus ita inter se digladiari. Sic enim Joannes Parisiensis in *Chronico*, sive ut habet titulus *Memoriali Historiarum* cod. Victor. 448 fol. par. memb. ubi de morte Philippi Audacis anno 1286 fol. 457: *Sed antequam sepulturæ traderetur ibidem* (scilicet Philippus in S. Dionysii) *magna dissensio inter monachos S. Dionysii in Francia, & Fratres Prædicatores Parisius commorantes propter cor regis est exorta. Nam rex juvenis* (15 scilicet annorum) *Philippus IV ad petitionem confessoris sui Fratris Nicolai de Gorrenc* (vel de Gorrena) *de ordine Fratrum Prædicatorum concesserat inconsulte cor patris sui ipsis Fratribus Prædicatoribus ad ipsum Parisius in Ecclesia sua tumulandum, sed tunc ipsi Philippo regi novo per cardinalem Joannem Choletum & barones Franciæ fuit ostensum non licere. De hacque dissensione determinatum fuit postea Parisius in scholis a pluribus magistris in theologia, quod ipsum cor neque rex nec ipsi monachi dare, nec prædicti Fratres sine dispensatione papæ possent aliquatenus retinere. Regia tamen auctoritate prævalente dictum cor sepultum est Parisius apud Fratres Prædicatores, corpore apud S. Dionysium humatu.* (Sic) Hæc eadem quæ in ipso codice Victor. legi, ex eodem refert Bulæus in *Histor. Univer. Paris. T.* III *p.* 471, ut jam sint omnibus obvia. Ex quibus discimus tum regibus patri & filio distinctos fuisse confessarios, nam Philippo III confessarius erat F. Laurentius Gallus supra laudatus, & Philippo IV etiam vivo patre noster Nicolaus, qui interea suis in sacram scripturam commentariis edendis desudasse, nec tamen a concionibus habendis, quibus excellebat, abstinuisse merito conjicitur. Obitus autem ejus rectius refertur circa MCCLXXXXV, falluntur enim qui ad 1304 prorogant, cùm jam a pluribus annis apud Philippum Pulchrum F. Nicolaus de Freauvilla munere confessarii fungeretur anno 1303, ut constat ex epistola Bonifacii VIII ad cardinalem Choletum data, & postea ubi de isto referenda. Astipulatur Leander Albertus, qui eum refert ad 1295 fol. 136 a. Jam opera ejus tum MS tum prælo excusa vera & genuina, quantum ex codd. MSS assequi datum est, recensenda, ex quibus superius allata adeo ab his quæ hactenus de hoc auctore alii prodiderunt diversa, magis ac magis constabunt: sed prius qui de eo loquantur tres antiquiores nostri nomenclatores audiendum.

1. Qui Salanhaci nostri catalogo addidit, sive Bernardus Guidonis, qui vixit ad 1331, sive alius post ipsum, sed ad eum circiter annum clarus, sic habet articulo ultimo: *F. Nicolaus de Gorran Gallicus confessor D. regis Franciæ Philippi* scripsit &c.

2. F. Laurentius Pignon ad annum 1400 circiter scribens quid habet distinctius. Sic enim n. 37: *F. Nicolaus de Gorran natione Gallicus de conventu Cenomanensi tantùm lector existens scripsit postillas valde bonas tam litera quam spiritu super totum vetus testamentum &c.* quæ ubi de singulis commodius referentur.

3. F. Ludovicus a Valleoleti anno 1413 suam tabulam scribens sic n. 10: *Doctor famosissimus F. Nicolaus de Gorran provinciæ Franciæ nationis Pictaviæ, scripsit super totam bibliam notabiliter: unde vocatur a doctoribus Excellens postillator.* Ubi cùm doctorem dicit, ne laurea Parisiis insignitum æstimes, nam eum ipsemet in catalogo magistrorum Parisiensium, quem specialem habet ex tabula tum in choro S. Jacobi prostante exceptum, non recenset: sed ratione communi, quod sua ætate doctissimus audiret: sed neque Bernardus Guidonis illum laureatis annumerat, & Laurentius Pignon lectorem tantum fuisse asserit. Tum autem provincia Franciæ propter suam amplitudinem in nationes dividebatur, in quibus provincialis suos habebat visitatores & vicarios substitutos, nationem Burgundiæ, nationem Normaniæ, nationem Britanniæ, conventus verò Cenomanensis unicus tum in illa provincia ad nationem Pictaviensem spectabat cum Andegavensi. Hæ sunt ejus Postillæ & Bibliothecæ in quibus dicuntur servari.

1. *In Pentateuchum.* Vidit Sixtus Senensis in Bibl. SS. Joan. & Pauli Venetiis. Pr. *In principio.* Recensentur in catalogo codd. MSS Angliæ T. I P. I, 758 P. II, 633. Si Editores catalogi principia indicassent, forsan quorumdam codd. MSS Parisiis extantium & seculi Gorrani, id est XIII verum auctorem haberemus.

2. *In Josue, Judices, Ruth, Libros* IV *Regum, Paralipomenon, Esdræ, Nehemiæ, Tobiæ, Judith, Ester, Job.* In dicto catalogo Anglicano T. I P. II, 633.

In Job. Speciatim extat cod. MS memb. fol. apud nostros Rutheneñ.

3. *In Psalterium.* Laudantur a Leandro Alberti. Princ. *Laudationem Domini loquetur os meum.* Vidit Sixtus Senensis in Bib. dicta SS. Jo. & Pauli. Vidi ego Parisiis in Bib. Victor. cod. MS memb. fol. mag. n. 417. Item in Bib. Sorbon. voll. duobus in fol. memb. melioris notæ. Ad calcem sic legitur: *Expliciunt postillæ super psalterium a F. Nicolao de Gorham.* Et additur manu bibliothecæ præfecti ejus ætatis: *Ille liber datus fuit a M. Petro de Lemovicis quondam socio domus hujus &c.* Iste autem Petrus certo floruit, ut pluries jam indicavimus a 1260 ad 1300: hincque certo etiam habetur ante 1300 Gorranum vixisse. Recensetur in catal. Anglic. T. I P. I n. 2135, P. II, 634 & iterum 635: P. III 1970: T. II P. I, 315 & dicitur *liber elegans* fol. & 317.

Prostabat venalis Parisiis anno 1303 apud Andream de Zenonis stationarium publicum peciis seu sexternionibus 32 ex codice qui dicitur *liber Rectoris* universitatis Parisiensis.

4. *In Proverbia.* Catal. Anglic. T. I P. II, 636 sed imperfectè.

5. *In Ecclesiasten.* Princ. *Aspexi terram.* Vidit ubi supra Sixtus Senensis. Ego verò valde dubiam hanc habeo postillam saltem quoad principium quod est Hugonis de S. Charo: quamvis utrumque idem thema assumere potuisse non negem: sed commentarius commentario conferendus esset.

6. *In cantica canticorum.* Pr. *Cantate Domino.* Vidit ibidem Sixtus Senensis. Apud Fellerum in Lipsien. p. 79 n. 8: *Nicolaus de Gorram in Cantica Canticorum.*

7. *In sapientiam.* Princ. *Si delectamini in sedibus & sceptris reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis. Reges populi, id est majores principes & prælati seculares. In verbis istis invitat Philo Sap. 6 judices & prælatos &c.* Finis: *Magnificavit eum in conspectu regum, & dedit illi coronam gloriæ, quam nobis concedat Deus &c. Postilla Gorran super librum sapientiæ.* Sic manu secunda sed antiqua. Extat in Bib. Victor. cod. 412 fol. mag. memb. *legato ab Adenulpho de Anagnia quondam præposito S. Audomari & canonico atque electo Ecclesiæ Paris. tali conditione quod abbas & conventus S. Victoris Paris. non possint illum alienare vel vendere anno* 1289. Eadem ibidem cod. 1137, sed hic absque nomine auctoris.

Vidi in eadem bibliotheca *Postillam aliam super sapientiam* cod. 976 fol. mag. memb. item legato ab eodem Adenulpho anno 1289, in cujus fine sic legitur: *Hic liber scriptus est anno ab origine mundi 6465 A. D. 1267*, hæcque eadem manu qua codex. Princ. *Diligite lumen sapientiæ, qui præestis populis Sap. 6. Quoniam eodem habet res formari &c.* Manu verò secunda scilicet bibliothecæ custodis antiqua sic legitur: *Explicit lectura super librum sapientiæ per F. Nicolaum de Gorran de ordine FF. Prædic.* Sed cùm hæc postilla edita sit sub nomine S. Bonaventuræ quem constat in Sapientiam scripsisse, de ista merito quis dubitaverit, an sit Gorrani.

8. *In Ecclesiasticum.* Princ. *Sapientia ædificavit sibi domum &c. sicut æternus artifex &c.* Finis: *alia ancilla est Isaias, quem post illum librum juvante Domino proponimus prælecturos.* Hujus memoria est in catalogo Guidonis, & apud Leandrum Alberti, qui vocat opus egregium & rarissimum. Vidit Sixtus Senensis Venetiis in SS. Jo. & Pau. Vidi ego Parisiis in Sorbon. fol. med. memb. hoc titulo *Ecclesiasticus F. Nicolai de Gorran ex legato M. Petri de Lemovicis.* In Regia n. 3843 fol. mem. qui codex elegans pellibus vitulinis, ac præterea panno bombycino villoso chremesino coopertus, ut munus regium videatur. In nostra Sanjacob. sed alio principio scilicet *Omnis sapientia a Domino Deo est.* Et ex memor. mihi missis extat apud nostros Tolosæ & Ruthenis. charta. fol. In Victorina cod. 192 *ex dono Adenulphi* ut supra *anno* 1289. Apud Spizelium in Basileensi pag. 41. Apud Fellerum in Lipsien. p. 71.

Prostabat venalis Parisiis anno 1303 ut supra.

9. *In Isaiam.* Princ. *Nemo &c. In hoc prologo ostendit Hieronymus modum prophetarum in scribendo & prophetarum generaliter, 2. Isaiæ specialiter &c.* Extat a me visus codex in Victorina n. 1141 fol. med. char. grand. memb. *ex legato Adenulphi anno* 1289 ut supra. Initio sic legitur manu secunda sed antiqua: *Postilla M. Nicolai Gorran super Isaiam ab ejus initio ad caput* 33.

10. *In Hieremiam.* In Victor. n. 419 est Postilla cujus Princ. *Direxit opera eorum in manibus prophetæ sancti.* Quæ cùm sequatur ad Postillam Gorrani in Marcum, fortè est etiam ejusdem opus. Sequitur in *Threnos & Baruch. Ex legato Adenulphi.* 1289 fol. mag. memb. Vidit Sixtus Senensis saltem *in Threnos.* Venetiis in SS. Jo. & Pau.

11. *In Ezechielem & Danielem.* Recensetur in catalogo Anglico citato T. 1 P. 11 n. 636. In Navarræa Paris. post postillam in canonicas Gorrani sequitur in *Danielem Expositio.* Princ. *Anno 3 regni Joachim regis Juda &c. Joachim interpretatur Domino exaltatus.* In Augustin. ad Pontem novum, post easdem canonicas, extat etiam in Danielem. Princ. *Ego visionem multiplicavi in manibus prophetarum assimilatus sum, Osée.* 12. Cùm non adsit nomen Gorrani in utraque, ejus esse non asseruerim, sed peritioribus propono tantum ut discutiant.

12. *In duodecim prophetas.* Princ. *Ossa* XII *Prophetarum.* In catalogo Angl. cit. num. eodem 636. Ex memor. mihi missis extat apud nostros Ruthenis fol. memb. Hoc eodem princ. extat Postilla in Victor. sed absque nomine auctoris, & licèt idem sit thema Postillæ Alberti Magni in eosdem prophetas, ex collatione utriusque deprehendi jam ab initio discrepare: sed conferendus esset codex Victorinus cum Ruthenensi, quod jam mihi non liberum, & otiosiori permitto exequendum.

13. *In Machabæos.* In catal. Anglic. mox citato n. eodem 636.

14. *In Evangelium Matthæi.* Princ. *Liber generationis. Sicut fluvius Paradisi* &c. Laudatur in catalogo Guidonis & Laurentii Pignon, & apud Leandrum Alberti. In bibl. Navarr. est codex insignis fol. mag. eleganter scriptus in memb. & a me visus. In Augustin. ad Pontem novum n. 176 & 198. Extat etiam Ruthenis apud nostros. In catal. Anglic. T. 1 P. 11, 637 & P. 111, 1416: *Expositio in novum testamentum*, in quo proinde sequentes omnes.

Prostabat venalis Parisiis anno 1303 ut supra.

15. *In Evangelium Marci.* Princ. *Filii Sion exultate & lætamini &c.* Finis: *Confirmante sequentibus signis. Expliciunt postilla super Marcum edita a F. Nicolao de Gorran de ordine Fratrum Prædicatorum.* Sic legitur in cod. Victor. 419 eleganti fol. mag. memb. *ex legato Adenulphi, anno* 1289 *tali conditione* &c. ut supra; & cod. 568 fol. mag. memb. *ejusd. Adenulphi legato.* Hæc omnia eadem manu, qua totus codex. Eadem postilla extat in Sorbona, cui cùm abesset nomen auctoris, sequior manus inscripsit, *Postilla super Marcum F. Joannis de Rupella.* Sed major fides adhibenda codici Victorino ipso vivente Gorranno scripto, idque curis Adenulphi viri tam insignis & electi Parisiensis episcopi. In eadem Sorbona est alius codex, cui duplex principium, primum: *Similitudo vultus quatuor animalium &c.* Secundum: *Filii Sion exultate*, absque nomine auctoris, sed cætera omnino similis Victorino. Itaque non dubium, quin sit Gorrani. Ea ætate sic congerebant principia.

16. *In Lucam.* Pr. *Disciplina medici exaltabit caput.* Laudatur in catalogo Bernardi Guidonis, & apud Laurentium Pignon, & apud Leandrum Alberti. In Navarr. cod. cit. sequitur ad postillam in Matthæum eademque manu. In Victor. cod. 420 fol. mag. membr. eleganti ex legato Adenulphi supra laudati anno 1289. Abest nomen auctoris. In Sorbona duplex codex fol. memb. In primo aliud est initio principium scilicet: *Ad Coloss. 4 dicit apostolus, salutat vos Lucas medicus carissimus.* Sed principium, *Disciplina medici*, adest ad finem. In altero ex legato Petri de Lemovicis, principium & cætera eadem ut in impressis, sed ab utroque abest nomen auctoris. Apud nostros Sanjacobeos Parisien. cod. fol. mag. memb. Titulus: *Postilla Gorrani super Lucam.* Cætera eadem. In catal. Angl. T. 1 P. 11 nn. 637 & 1017 & P. 111, 1973, T. 11 P. 1 316 & 1860: ubique *Gorranus in Lucam.*

17. *In Joannem.* Pr. *Ecce intelliget servus meus*

Sæc. XIII. *quem elegi.* In Sorbon. duplex est codex fol. memb. primus n. 521, alter n. 725; uterque absque nomine auctoris: cæterum idem cum impressis.

Has in evangelia postillas sub nomine Gorrani vidit Sixtus Senensis MS Venetiis apud nostros SS. Jo. & Pauli. Typis prodierunt Coloniæ Petri Quentel 1537 fol. Pesselius noster editor primus allucinatus est cùm Gorranum Franciæ priorem provincialem inscripsit, & sequentes in eumdem errorem traxit. Edidit postea Antverpiæ Joan. Keerbergius 1617 fol.

18. *In epistolas Pauli omnes.* Bernardus Guidonis sic habet: *Scripsit Postillas super epistolas Pauli valde aptas.* Laudant etiam Laurentius Pignon & Leander: sed dubium est quænam illæ sint. Vulgo jam ei tribuitur postilla cujus principium, *Dedi te in lucem gentium*, quæ sub ejus nomine prodierunt pluries Coloniæ, Joan. Koelhoff de Lubex 1478 fol. Haganoæ, Joan. Rynman de Oringaw 1502. Parisiis Antonii Bonnemere & Joan. Parvi 1521 & Antverpiæ Joan. Keerberg 1617: ubique fol. Hæ tamen editiones parum me moverent ad postillas illas Gorrano asserendas, responderi enim facilè posset erratum esse primi typographi, quem alii sequaces cæce exceperunt: at quod me vehementius angit & suspensum detinet, illud est, quod hæc postilla sub nomine Gorrani citetur a nostro Petro de Palude viro inter litteratos celebri, & qui ab anno MCCC circiter ad MCCCXLI in Galliis claruit. Hic enim suis in epistolas Pauli commentariis, cuilibet epistolæ præmittit præfationem a Nicolao *de Gorran* ut ait cuilibet præfixam, quæ præfationes illæ eædem sunt, quæ in editionibus laudatis exhibentur. Si enim illa postilla non est Gorrani, Paludanum supparem delusum dicere est necesse. Aliunde tamen haud parva sunt argumenta, quæ Gorrano postillam illam abjudicant, & Petro de Tarentasia seu Innocentio V asserunt. Gravissimum inter alia & ut videtur peremtorium dant codices MS. Insignis est & elegans in Sorbon. impressis omnino similis, ad cujus calcem sic legitur eadem totius codicis manu: *Expliciunt epistolæ apostoli Pauli secundùm Fratrem Petrum de Tarentasia.* Et additur esse ex legato magistri Stephani de Bisuntio alîter de Gebennis, qui certo floruit a 1274 ad 1286. Alios videsis supra citatos ubi de *Petro de Tarentasia* ad 1276. Neque tamen propterea Gorrano suus deerit in Paulinas commentarius. In Navarr. codex est fol. mag. memb. melioris notæ, & qui videtur seculi XIII, in cujus latere hic est grandiori charactere titulus:

Postilla Nicolai de Gorran super epistolas B. Pauli ad Romanos & ad Corinthios. Principium: *Vidi alterum angelum volantem per medium cœli habentem evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram. Apoc.* XIV. *Exodi* XXV. *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex utraque parte oraculi.* » Istud oraculum significat Ecclesiam: nam oraculum ideo dicebatur, » quia orantibus ibi responsa dabantur. Ecclesia » autem domus orationis dicitur Isaiæ VI: *Domus mea domus orationis vocabitur.* Ad custodiam istius oraculi id est Ecclesiæ dicit Deus Pater Filio suo: *Duos Cherubim aureos & productiles facies &c:* quæ verba specialiter conveniunt » Petro & Paulo. Iste autem alter est Paulus de » quo dicitur in verbis propositis, *Vidi alterum angelum &c.*

Post prologum autem *Principia rerum &c.* expositum, sic eleganter & erudite distribuit omnium epistolarum doctrinam.

Paulus servus Jesu Christi. » Cùm secundùm » glossam in prologo materia epistolarum sit doc» trina evangelica ad instructionem Ecclesiæ id est corporis mystici, quod consistit ex membris id » est fidelibus & capite Christo, convenienter dis» tinguitur doctrina epistolarum in duas partes: in » prima parte tangitur instructio pertinens ad membrorum utilitatem: in secunda parte tangitur » instructio pertinens ad capitis dignitatem in epistola ad Hebræos. Unde glossa super principium » ad Hebræos dicit, quod in epistola illa agitur de » eminentia Christi secundùm utramque naturam. »

» Prima pars in duas partes dividitur. Sicut enim in corpore naturali sunt membra recipientia » influentiam superiorum, & membra superiora in» fluentia in inferiora: sic in corpore mystico sunt » membra recipientia id est subditi, & membra in» fluentia id est prælati. Ideo in prima parte ponitur instructio pertinens ad utilitatem subditorum, » in secunda parte ponitur instructio pertinens ad » utilitatem prælatorum, ut in epistolis ad Timotheum, ad Titum, & ad Philemonem. »

» Prima pars in tres partes dividitur. In prima » ponitur instructio pertinens ad mali declinationem. » In secunda ponitur instructio pertinens ad profectum in bono sive boni operationem in epistola ad Ephesios, ad Philippenses, ad Collossenses. In tertia ponitur instructio pertinens ad boni » confirmationem, ut in prima & secunda epistola » ad Thessalonicenses. »

» Prima pars in tres partes dividitur. In prima » parte tangitur instructio pertinens ad declinationem superbiæ & provocationem ad humilitatem, » & hoc quantum ad irascibilem ut ad Romanos. » Vide in prologo. Vel potius ideo prima ponitur, » quia primum gradum erroris destruit scilicet superbiam. »

» In secunda parte tangitur instructio pertinens » ad declinationem schismatis vel divisionis & provocandum ad caritatem, & hoc quantum ad concupiscibilem, ut in duabus epistolis ad Corinthios: » in quarum prima docet declinare malum schismatis, quo divisi erant inter se, quia de baptistis » contendebant, ut patet 1 Corint. 2 & 3. In secunda docet declinare malum, quo divisi erant a » magistro suo scilicet apostolo, quia eum contemnebant, & pseudoapostolos ei præferebant, ut » patet 2 Corinth. 11 & 12. »

» In tertia parte ponitur instructio pertinens ad » declinationem erroris, & provocatio ad fidei veritatem quantum ad rationalem, & hoc in epist. » ad Galatas: unde ibi dicitur, *O insensati Galatæ* » &c. Quæ rursus fusius explicat, sed hæc satis sunt ad aliqualem gustum hujus commentarii.

In hoc codice Navarrico quem Martinus de Lustria dicitur scripsisse, sunt tantum tres priores epistolæ ad Romanos & ad Corinthios, sed in Sorbona idem est opus integrum absque nomine auctoris prima manu voll. duobus in fol. memb. nn. 554 & 555 ex legato M. Giraudi de Abbatisvilla, qui claruit ab anno 1250 ad 1275 circiter, unde antiquitatem codd. metiaris. In iis tamen fateor altera manu & sequioris seculi legi *Petrus de Tarentasia*, quasi sit auctor. D. autem Nicolaus Viriot S. T. M. & socius Sorbonicus a me monitus de inscriptione codicis Navarrici sua manu utrumque volumen Gorrano inscripsit, cùm simul essemus anno MDCCIV, quod ad posterorum memoriam visum est aperiendum. D. autem Carolus du Plessis d'Argentré S. T. M, socius etiam Sorbonicus & paulo post regi ab eleemosynis, cui hæc omnia narrabam, cùm anno 1709 codices Sorbonæ MS unâ evolveremus, in suo de prædestinatione & reprobatione commentario p. 100 ceu indubium asseruit Postillam cui principium *Dedi te in lucem gentium* esse Petri de Tarentasia, Postillam verò cujus principium, *Vidi alterum angelum*, esse Gorrani, quod certe ex his codicibus

codicibus evinci videtur: lectoris tamen peritioris & diligentioris, & cui alios codices qui ubique plurimi sunt expendendi sit otium, criterio id totum permitto. Addo solùm ad illud quod supra allatum est ex Petro de Palude responderi posse, vel visum illi exemplum postillæ *Vidi alterum angelum*, in quo cuilibet epistolæ additæ fuerant præfationes Petri de Tarentasia, quas ideo putavit Gorrani: id enim ex eo conjicere licet, quod ut videbis postea ubi de ipso Paludano, is suos in singulas Paulinas commentarios iisdem verbis incipit, quibus incipiunt in ista postilla *Vidi alterum angelum*, & eamdem epistolarum divisionem mox allatam ad verbum sequitur. Vel jam ejus ætate quibusdam exemplis postillæ *Dedi te in lucem gentium* inscriptum fuerat Gorrani ceu auctoris nomen. Sic in eadem Sorbona codex est fol. med. memb. n. 556 sec. XIII vel sequentis ineuntis, in quo solæ in epistolas ad Timotheum & sequentes omnes postillæ, quæ sunt pars postillæ *Dedi te in lucem gentium*. Ad calcem verò codicis eadem operis manu legitur, *Explicit postilla edita a Fratre Nicholao ordinis Fratrum Prædicatorum super epistolam ad Hebreos*. Adeo ut in tanta codicum MS varietate nihil certius lectori proponendum occurrat, quam hæc alternatio. Si postilla *Dedi te in lucem gentium* est Gorrani, altera *Vidi alterum angelum* est Petri de Tarentasia. Si contra ista *Vidi* est Gorrani, altera *Dedi te* Petro asserenda.

In Victorina cod. 979 fol. mag. est altera pars istius postillæ *Vidi alterum angelum*, scilicet ab epistola ad Galatas ad finem usque, sed abest auctoris nomen.

In catal. Anglic. recensetur *Postilla Gorrani in Paulum* T. I P. II, 638, 1025, & P. III, 6, 714, 1969, & T. II, 1862 ad Timotheum & seqq. solum. Curiosorum ejus gentis erit explorare quodnam principium habeant illæ postillæ, an *Dedi te in lucem*, an *Vidi alterum angelum*, & an Gorrani nomen eadem operis manu ascriptum.

19. *In Actus apostolorum*. Pr. *Scribe visum & explana eum &c.* Hæc postilla sub Gorrani nomine edita fuit Haganoæ 1502. Parisiis 1521. Antverpiæ Keerbergii 1620, ubique fol. Sed Gorrano abjudicanda videtur, ceu quæ ipsissima sit totidem verbis a capite ad calcem ut aiunt Hugonis a Sanctocharo. In Victorina cod. supra cit. 419 ante postillam supra laudatam Gorrani in Marcum, extat postilla in Actus. Pr. *Actus apostolorum &c. Argumentum hoc in Actus apostolorum dividitur in tres partes &c.* Etsi autem desit nomen auctoris, Gorrani facile crediderim, non solum quod ejus in Marcum postillæ juncta sit, sed quod maxime stylum ejus redoleat, quod tamen explorent me otiosiores & peritiores. Hæc verò alia est a postilla Hugonis, licèt ista illum usum non negaverim.

In catal. Anglic. T. I P. II, 639 laudatur *Postilla Gorrani in Actus apostolorum*. Utri harum similis sit, nos moneant indigenæ.

20. *In epistolas canonicas septem*. Pr. *Missæ sunt epistolæ ex regis nomine &c.* Tria sunt in Sorbon. exempla sec. XIII fol. med. memb. Primum n. 553 ex legato M. Stephani de Abbatisvilla, qui mortuus est anno 1288. Alterum n. 434 ex legato M. Joannis de Daventria, qui florebat circa 1330. Tertium elegantius, omnia absque nomine auctoris. Apud Augustinianos ad pontem novum est simile exemplum n. 176 vel 198, fol. mag. memb. & sequitur ad Gorrani postillam in Matthæum. Apud S. Germanum a Pratis extat cod. 45 fol. med. memb. absque nomine auctoris: nec dubito quin sit eadem quæ sub nomine Gorrani laudatur in catal. Anglic. T. I P. II, 639 & 1025. Typis prodiit cum postilla in Paulinas Antverpiæ Keerbergii 1620. Verùm quia etiam pluries typis edita est hæc postilla sub nomine non Thomæ Wallensis ut mendose legitur in appendice ad Caveum, sed S. Thomæ de Aquino, huic certo abjudicandam & Gorrano asserendam nunc probandum. Et Aquinatis quidem non esse hinc certo evincitur, quod nullus veterum qui ejus opera diligentius scrutati sunt, hujusmodi opus ei ascripsit, nec Reginaldus de Priverno ejus intimus & familiarissimus socius nec Bartholomæus Logotheta, nec Tholomæus de Lucha, nec Guillelmus de Tocho, nec Bernardus Guidonis, nec Laurentius Pignon, nec Ludovicus a Valleoleti. Primus Claudius de Spina seculo XVI circiter medio clarus, viso hujus postillæ exemplo MS, a quo aberat auctoris nomen, S. Thomæ lucubrationem esse ariolatus est, & prælo sub ejus nomine commisit, quod alii postea imitati sunt. Contra Gorrano qui de eo scripserunt tale opus illi tribuunt. Venale sub ejus nomine prostabat Parisiis anno MCCCIII ex libro rectoris: in eo enim inter opera Fratris N. de Gorham, quibus impositum est pretium a scholaribus mutuo accipientibus dandum, sic legitur: *Item in postillis super epistolas canonicas* XX *peciis*, id est quaternionibus vel sexternionibus pergameni, XIV *denarii*. Laurentius Pignon expresse dicit Gorranum scripsisse *super epistolas canonicas*. Idem Ludovicus a Valleoleti, & Leander Alberti, Simlerus etiam, etsi fallatur in ætate qua vixit, Lusitanus idem & sequaces.

Difficultatem movent Bellarminus, Theophilus Rainaudus, Labbeus, Ricardus Simon, scilicet ad primæ Petri caput 2 v. 16 citari Lyranum, cùmque hic ad MCCCXX claruerit, exinde rectè sibi concludere videntur postillam hanc hominis non esse qui seculo XIII obierit, qualem Gorranum præstamus. Sed sapientes viros & in re litteraria ut ita dicam ὑπεράκμους delusit Spinæi nostri allucinatio, qui cùm in suo codice MS legisset *ly* vocem, tamen in Garlandia, ut antiquo vocabulo utar, id est apud dialecticos tritam, legendum putavit *Lyra*, cùm eo loci nihil minus agatur quam de Lyrano. En ipsum versiculum: *Quasi liberi scilicet ex amore non ex timore, unde ly quasi est expressivum veritatis*: *ly quasi* id est τὸ *quasi*, tantum abest ut advocetur Lyranus. Itaque *ly* est tantum particula indicativa, ut lector attendat ad vim vocabuli *quasi*. In edit. Antverp. citata pro *ly* posuerunt verbum *quasi*, monentes in margine in suo MS esse L: ego verò in omnibus codicibus MS Parisiensibus supra laudatis a me visis testor scriptum *ly quasi*, quod & clar. viris Petro *Berthe* bibl. Sorbon. tum præfecto & abbati *d'Argentré*, supra laudato, & postea D. *Nourry* ascetæ Sammaureo huic in Sangermanea in ipsis codd. legendum exhibui, qui τὸ *ly* etiamnum in scholis frequentatum in *Lyranum* converti potuisse stupuerunt.

Sed est quid amplius. In Victorina codex est 1192 fol. mag. memb. cujus prima pars quolibeta M. Petri de Alvernia, secunda verò est hæc postilla quæ initio eadem manu dicitur *Postilla Guorrani*, est inquam sed non integra. Est eadem a prologo ad illum primæ Petri vers. 19, *quasi agni id est qui est quasi agnus*. Eo usque scripta est grandiori illo charactere, quo codices omnes ab Adenulpho legati. Deinceps autem ab illo versiculo ad caput 2 primæ Joannis minori charactere & non ita accurato sequitur veluti supplementum postilla alterius auctoris, *propter defectum exemplaris* inquit ibidem notarius, fortè quod deperdita fuerant prioris postillæ plura folia. A capite autem 2 primæ Joannis, nempe ab illis verbis, *Filioli mei hæc scribo vobis*, redit prior postilla eodem grandiori charactere ad finem usque. Quod autem notandum supplementum istud intermedium dicitur ibidem scriptum, & ut

SEC. XIII. verba eadem referam, *perfectum anno dñi* MCCLXXXI *die veneris ante festum B. Laurentii.* Jam si supplementum codicis appositum fuit anno 1281, certe cætera antecedentia & consequentia postillæ Gorrani antiquius scripta erant. Adde margines omnes prioris postillæ seu ante seu post supplementum oneratas esse annotationibus eadem manu ipsius supplementi, ac proinde etiam anno 1281 scriptis. Omittendum non est initio supplementi, ubi explicatur illud Petri, *quasi agni immaculati*, sic esse scriptum: *vel li* quasi *dicit figuram vel similitudinem*: immaculati *id est sine macula originalis.* Non existimo cuicunque venturum in mentem per *li quasi* citari Lyranum. Sed hæc jam nimia sunt, ut evincatur postillæ illius ætas anterior anno 1281, & ætati Gorrani respondens anno 1295 circiter mortui, eamque ex hoc uno codice ejus esse fœtum nemo sapiens negaverit.

21. *In Apocalypsin.* In eam scripsisse Gorranum testantur Laurentius Pignon, Leander Albertus qui vidit & laudat ceu *excellentissima glossemata.* Parisiis anno MCCCIII venalis prostabat ex libro rectoris citato, in quo inter opera Fratris N. de Gorham, quibus pretium mutui imponitur, sic legebam: *Item in postillis super apocalypsin* XXVI *pec.* XVIII *den.*

In catal. Anglic. T. I P. I, 2237, P. II, 639 recensetur *Expositio Gorrani super Apocalypsin.* Curiosorum ejus gentis erit nos docere, an hi codices cum editione Antverpiana 1620 conveniant. Hæc sic incipit: *Cognovit Dominus omnem scientiam &c.* Post prologum verò: *Apocalypsis Jhesu Christi principaliter dividitur in tres partes &c.* Hæc MS Parisiis mihi non occurrit. In Regia cod. 2843 post postillam in Ecclesiasticum Gorrano ibidem inscriptam, sequitur postilla in Apocalypsin absque nomine auctoris. Pr. *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ &c.* Eadem extat in cod. Sorbon. 434 citato art. super. item absque nomine auctoris, sed hæc ea est quæ sub nomine Alberti Magni prodiit.

Valerius Andreas, Dessellus, & Ghilbertus noster *De la Haye* postillas fere omnes citatas in multis Belgii bibliothecis MS haberi asserunt, easque esse quas passim refert Sanderus in suo codd. MS Belgii elencho sub nomine *Nicolai Tornacensis.* Quod fortè agnomen secunda manu ei indiderint recentiores bibliothecarum illarum præfecti ea imbuti opinione Nicolaum nostrum ex villa *Gorrain* ad Tornacum ortum, quod ex dictis supra jam confutatum, & ex dicendis amplius confutabitur.

22. *In libros sententiarum.*

In catal. Anglic. sic lego T. I P. III, 766: *Quæstiones vel expositiones margini ascriptæ incipientes ad distinctionem 46 & continuatæ ad Dist. 6 lib. 3. Distinctiones Gorhami incipientes ad lib. 3 Dist. 6. Hi tractatus fere omnes scribuntur in margine libri sententiarum.*

23. *Distinctiones.* Sic ea ætate vocabant loca communia, sive conceptus pro concionibus expedite formandis ordine alphabetico. Extant Parisiis in Victorina cod. 279 fol. par. melioris notæ membr. & sec. XIII. Titulus: *Hic incipiunt distinctiones F. Nicolai de Gorhan de ordine FF. Prædic. secundùm ordinem alphabeti editæ.* I. *Abeuntium per hunc mundum &c.* sunt foll. 252. In Sorbona bis minimum, quorum unus legatus a Martino de Petra Normanno socio qui florebat circa MCCCXV. In Navarra extat codex elegans. In Colbert. 6451, omnes fol. & memb. & idem titulus. Bis laudantur a Tomasino apud Augustin. Patavii pagg. 74 & 75 & Venetiis apud S. Georgium in Alga. In catal. Anglic. T. I P. I, 1072 & 2514 & 2669 & 4058, P. II 614 & 2176, P. III, 1732 & 2012, T. II P. I, 1720 & 8143. In elencho Sanderi pagg. 182, 270 & 311. Ghilbertus de la Haye citatus, qui codices illos omnes a Sandero laudatos vidit, ait in altero Dunensium sic haberi ad calcem: *Expliciunt distinctiones F. Nicolai de Gorrania ordinis Prædicatorum. Anno Dñi* MCCLXXXV *die martis ante ramos palmarum opus istud fuit perfectum.* Quod de ætate codicis interpretor.

24. *Sermones de tempore & de sanctis seu Themata sermonum.* Laudant Bernardus Guidonis, Laurentius Pignon, Ludovicus a Valleoleti, Leander Alberti & alii. Veniebant Parisiis anno MCCCIII ex libro rectoris citato, in quo sic legebam: *Item in thematibus de dominicis diebus & sanctis* LXIIII *pec.* XXXII *deñ*, mutui scilicet.

Prælo commisit primus noster Robertus de Bonomonte hoc titulo, *Fundamentum aureum omnium totius anni sermonum &c.* Paris. Nicolai de la Barre 1509 in 8. Ibid. Enguilberti de Marnef 1523 in 8 pagg. 388. Antverpiæ, Keerberg 1620 fol. Hi codd. MS a me visi.

In Sorbon. codex est n. 953 membr. fol. med. sex uncias minimum spissus, est enim plurium collectio, ex legato Petri de Lemovicis. Inter alia plura sermones sunt nostri Gorrani, sed qui hîc nuncupatur *de Mans* non de Gorran, & dicitur actu *prior conventus S. Jacobi Parisiensis*, ut hinc pateat Cenomanum fuisse non Anglicum nec Tornacensem.

Et primo quidem post sermones de Mailly, est *sermo de B. Michaele F. Nicolai de Mans.* Pr. *Angeli eorum qui in cœlis sunt, semper vident faciem patris mei qui in cœlis est. Michael unus de principibus primis venit in adjutorium mihi. Utinam ego veraciter dicere possem istud verbum, quod ultimo dicitur cum Daniele. Prædicator enim sapientiæ salutaris indiget triplici adjutorio &c.* Implet paginas 4 integras minuto charactere. Hic sermo non est inter impressos.

Post plura quæ sequuntur aliena, sunt *Themata pro sanctis & festis Dñi. In festo S. Andreæ: In baculo meo transivi Jordanem istum*, suntque ipsa impressa ad sermonem 8 festi S. Michaelis: *Clamabant Seraphim alter ad alterum &c.*

Continenter sequuntur *Themata de tempore. Hora est jam nos de somno surgere &c.* Pr. *Sicut dicit sapiens Eccl. I. Omnia tempus habent*, &c. sicut in impressis. Ad calcem: *Expliciunt sermones Dominicales sive Themata F. Nicolai de Mans prioris in domo FF. Prædicatorum Parisiensium.* Hæc eadem prima manu.

Postea sequitur: *Incipiunt themata ejus ad religiosos, & postea ad religiosas, & ad diversa in synodo.* Eadem quæ impressa.

Postea: *Ejusdem de præcipuis anni festivitatibus.*

In festo assumtionis B. Virginis, Fratris N. de Mans prioris FF. Prædic. Paris. Ostendisti auroræ locum suum & *Collatio super eodem titulo.*

In purificatione B. V. Postquam impleti.

In epiphania Dñi. Gloria Dei celare verbum.

In Ramis palmarum. Egredimini in montem.

Dom. I *in adventu.* Aspiciens a longe.

In crastino pascha. Cognoverunt eum.

In nativitate gloriosæ Virginis. Quæ est ista quæ progreditur?

In nativitate Dñi. Quis mihi te fratrem meum?

Dom. in septuagesima. Voca operarios.

In cœna Dñi. Lavamini mundi estote.

De omnibus sanctis. Beata terra cujus rex est nobilis.

In die pentecostes. Fluminis impetus.

Iterum. Repleti sunt.

Horum sermonum plures sunt fusiores, & non habentur inter impressos.

Ibidem codex est alter memb. in 8 sed molis spissioris. Tit. *Themata de SS. F. Nicolai.* Eadem

quæ supra & quæ typis edita. Est ex legato Godefridi de Fontibus a MCCLXXX ad MCCC clari.

In Victor. cod. 848 fol. mag. memb. eleganti & & foll. 189 constanti *Themata de tempore & de Sanctis & ad religiosos &c.* exceptis sermonibus solemnibus supra speciatim recensitis. Eadem cum impressis. Ad calcem legitur prima manu : *Anno Dni* MCC *octuagesimo secundo die veneris ante festum B. Barnabæ apostoli scripti fuerunt sermones isti.* Quæ conveniunt cum ætate Gorrani a nobis statuta.

Ibid. cod. 528 fol. par. membr. & sec. XIII : inter alios sunt duo F. Nicolai de Gorhan XX *Dom. ante ascensionem.* Exivi a patre. Alter XXXIV. Ambulate in omni opere bono.

Apud Augustin. ad pontem novum cod. 303 in 4 memb. Titulus eadem manu prima : *Themata temporalium F. Nicolai de Gorham ordinis Prædicatorum.*

In catal. Anglic. T. I P. II, 614 & 1378 *Modus prædicandi divisivus. Collationes Nicolai Gorram super Dominicalia in* 8.

P. III, 2012 : *Sermones abbreviati ejusdem de Dominicis & Festivitatibus.* Id scilicet sunt Themata. T. II P. I 1861 *Ejusdem Themata.*

In Elencho codd. MS Belgii Sanderi p. 182 : *F. Nicolai de Gorran sermones & distinctiones, ha bis.* Pag. 270 : *Ejusdem distinctiones.*

Vide supra *Ægidius de Aurelianis* inter additos, ubi plures sermones Nicolai nostri modo *de Mans* modo *de Gorran* nuncupati anno 1273 pronunciati, & ex ore dicentis reportati, quorum plures inter impressos etiam habentur ibi notati.

Cod. Sorb. 285 cui titulus *Distinctiones Petri de Lemovicis* jam laudato & pluries laudando circa MCCLXIII scripto & ordine alphabetico digesto, hi F. Nicolai *de Gorrant* aliquando juxta ejus ætatis pronunciationem de Gorgant dicti habentur sermones vocabulis, *Eucharistia fides recta, Exemplum, Errare, Facilitas, Esuries, Horreum, Humilitas vera, Humilitas, Mons, Dña Eva.* Hoc vocabulo ultimo familiarem se Petrus præstat cum Gorrano : sic enim habet *Mulier propter superbiam suam & stultitiam dejecit totum genus humanum &c.* » Unde multa mala fecit & procuravit mulier homini. Unde dicebat prædictus Frater N, (nempe Nicolaus de Gorran initio inscriptus) quod quidam magnus magister Frater eorum mirabiliter prædicabat de hac materia, ita quod mulieres fugiebant sermonem suum tanquam diabolum : ita quod hoc devenit ad quamdam nobilem dominam, quam dicebat se vidisse, & cum ea locutus fuisse dictus Frater N. Illa autem Dña multum desideravit ab illo audire, qualiter prædicabat de mulieribus : & cogitavit quod omnes viros faceret abesse a capella sua exceptis paucis escuariis (ecuiers *Gallice*) familiaribus, & postea mandavit pro illo rogans illum, ut quicquid posset dicere, diceret de mulieribus. Quo facto dicit, Frater Guillelme volo quod prædicetis de mulieribus in præsentia mea. Nos non erimus nisi fœminæ præsertim, & ideo rogo vos ut dicatis quidquid vobis placuerit, & quidquid poteritis dicere de nobis mulieribus. Tunc ille mirabiliter incepit se excusare dicens : Placeat vobis Dña ab hoc desistere, quia bene cogitabat quod nunquam placeret ei in fine. Illa autem magis ardenter instabat, ita quod ille concessit *&c. quæ omitto.* Conclusio sermonis fuit, concionatore referente post plura ex scriptura, mulierem Pilati instigante diabolo voluisse impedire salutem generis humani, Dña dixit Fratri in pleno sermone, A pro Deo rogo vos ut taceatis & ne amplius de mulieribus loquamini &c «. Qui sane modus loquendi Gorranum ostendit Lemovicensi fuisse per quam familiarem, ac proinde æquales a MCCL ad MCCXCV. Cæteri Gorrani ibidem conceptus sunt : *Mulier, Odium, Sapientia divina, Sanctitas, Semen, & dicitur collatio peroptima, Spiritus Sanctus, Surgere, Timor* bis *collatio F. Nicolai de Gorrant.* SÆC. XIII.

Videsis etiam supra ad annos 1281, 1282 & 1283 sermones ex cod. Victor. 762 Parisiis habitos, ubi n. 72 Dominica in ramis palmarum laudatur sermo a F. Nicolao qui fuit prior Prædicatorum habitus.

Laurentius Pignon rursus sic habet n. 104 : *F. Nicolaus idem qui supra* (n. 37 de Gorran) *scripsit tabulam super decretum & decretales.* Hæc nullibi mihi occurrit, nec ab ullo alio laudatur, unde delusum censeo, & Gorrano tribuisse tabulam quæ est Nicolai de Anesiaco de quo nos seculo sequenti.

In catal. Anglic. laudantur T. I P. I, 2237 *Nicolai Gorhani dialogus super epistolam ad Galatas.*

Ibid. 2502 *Notulæ quædam breviores partim de malo confessore ex Hieronymo, Augustino, Gorrham, Lincolnen. & elogium ejus ex Rogero Bacono.*

P. II, 2256 *Expositio in* Te Deum, Benedicite, *cæterosque hymnos juxta Lyram, & Gorhamum.* Sed hæc ex eo ab aliis excerpta.

Wadinghus in sua Franciscana bibliotheca quemdam *Nicolaum Goram* suis accenset symmystis, cui eadem apud suos munia & opera ascribit, quæ nos Gorrano nostro. Sic enim habet : *Nicolaus Goram minister prov. Franciæ scripsit in libros sententiarum, & in sacram scripturam commentarios breves. Habentur in bibliotheca Vaticana* MS *Themata prædicandi, Postilla in evangelia, & distinctiones ejusdem.* Quæ si quis perpendat, Gorranum Prædicatorem mirabitur in Minoritam transfiguratum. Nam quod dicitur *minister prov. Franciæ* ex eo conflatum est, quod in editione evangeliorum nostri Gorrani eum Pessellius delusus, provinciæ Franciæ nostræ moderatorem appellarit. Quod cùm jam falsum demonstraverim & ex catalogo priorum provincialium Franciæ, inter quos nullus ei locus, & ex veterum scriptorum nostrorum auctoritate Bernardi Guidonis, Laurentii Pignon, Ludovici a Valleoleti & Leandri Alberti fol. 138 a, quorum nullus hoc ei munus affingit, fortè jam Wadinghus & id de suo Goramo negaret. Certe ex hac dignitate si ea potitus est, ejus ætatem ei haud difficile erat ariolari, quam cùm non prodat, indicat se sibi ignota scribere. Jam quoad opera, cùm ipsissimo insignita sint titulo quo nostri Gorrani, codices Vaticani a Wadingo laudati inspiciendi essent, an revera Franciscano ascribantur prima manu.

Monendus hic lector Parisiis in Victor. præter codicem 448 citatum *Memorialis historiarum Joannis Parisiensis* melioris notæ, alterum esse n. 901 ejusdem operis sed erratis scatentem : in quo inter alia, quoties fere de sodalium nostrorum aliquo agitur, notarius insulse ne dicam malitiose addidit vocem *Minorum.* Sic ubi legitur in codice 448 : *Anno* MCCXCIV *F. Radulphus de Grandivilla natus Normannus de ordine Fratrum Prædicatorum, qui mandato Celestini papæ infra adventum Dñi Parisius in patriarcham Hierusalem fuerat consecratus &c.* in codice 901 sic habetur : *F. Radulphus &c. de ordine Fratrum Prædicatorum Minorum &c.* Quem tamen Radulphum certo certius est sodalem nostrum fuisse non Minorum. Sic etiam ubi in codice 448 legitur, ut supra relatum : *Rex juvenis Philippus IIII ad petitionem confessoris sui F. Nicolai de Gorrena de ordine Fratrum Prædicatorum concesserat inconsulte &c.* in codice 901 habetur : *F. Nicolai de Gorrena de ordine Fratrum Prædicatorum Minorum &c.* Quod insulsum, neque enim quis contendet confessarium Philippi Pulchri qui cor regis Philippi Audacis apud nostros Sanjacobeos sepeliendum obtinuit, fuisse Minoritam. Un-

Sæc. XIII. de & antiquus hujus codicis Δοκιμαστὴς seu censor linea ex minio vocem illam *Minorum* jugulavit, ubicumque eam vidit contra fidem codicum sincerorum a notario inepte additam. Quod in codice 901 Victor. insulsus notarius ausus est, forsan in aliis alii vel etiam in codicibus nostri Gorrani sibi permiserunt, unde Wadingo errandi occasio.

Alva in sua historica opella cui titulus, *Pleytos de los libros*, dicam nobis scribit ac virilitigat de postillis sub nomine Gorrani editis, cui faciendum satis. Joannes Bunderius inquit, in suo codd. MS elencho Postillam Gorrani in cantica hoc habere principium ait: *Cantate Dño canticum novum.* Idem Bunderius postillam Vercellensis hoc eodem themate incipere refert. Sed quæ sit in eo repugnantia non video. Imo quisquis veteres postillas discutiet, plures licèt inter se diversissimas, eodem scripturæ versiculo incipere reperiet. Sic Albertus Magnus & Gorranus suas ad XII prophetas lucubrationes eodem scripturæ versiculo incipiunt, nempe *Ossa XII prophetarum*, & mox ab ipso themate variant.

Prosequitur Alva: Bunderius postillarum Gorrani XIV exempla vidit, & testatur hoc habere principium, *Egredimini & videte.* At quæ prostat impressa aliud habet, nempe *Sicut fluvius de loco voluptatis &c.* Facilis responsio. Fortè in illis exemplis a Bunderio visis duplex fuit principium, primum *Egredimini*, alterum *Sicut fluvius*: id enim ea ætate non rarum, imo & in hoc opere monitum. Videsis supra ubi de *Petro de Scala*. Addit Alva: Bunderius docet postillam in Marcum hoc habere principium, *Filii Sion exultate*: in excusis verò aliter incipit, nempe his verbis, *Quoniam secundùm supradictum modum.* At conspicillum Alva forsan apponere omisit, cùm Gorranum typis editum legeret, nam omnibus obvium est eodem versu incipere in excusis, quo vidit Bunderius in codd. MS. Tandem objicit Alva: Bunderius postillam in Paulinas Gorrani sic incipere ait, ad Romanos, *Obviabit vos ab ardore*: ad Corinthios, *Enoch placuit Deo*: Ad Galatas, *Abraham magnus pater.* Respondeo huic in epistolas postillæ a Bunderio visæ, vel secunda manu ab ignaro Gorrani nomen inscriptum, vel si prima manu ab æque inepto inditum: revera hujus postillæ auctor noster est F. Guerricus de sancto Quintino supra laudatus ad 1244 ubi videsis. Moneo solum etsi postilla primæ ad Corinthios eodem versu scripturæ, *Enoch placuit Deo*, incipiat, quo excusa sub nomine Gorrani, id solum probare auctorem impressæ usum postilla Guerrici, cui tamen plura addiderit: sic idem in epistola ad Ephesios usus est commentario S. Thomæ de Aquino, prologum totidem verbis exscripsit, & cætera fere omnia, ita tamen ut identidem plura adjiciat. Hinc ut supra dicebam, mihi valde dubium est, an postilla cujus principium *Dedi te in lucem gentium*, sit Gorrani, licèt sub ejus nomine edita: censuerimque potius esse Petri de Tarentasia, sub cujus nomine in codd. MS Sorbonico & Anglicano invenitur: huic enim scriptis S. Thomæ uti familiare fuit.

Præter citatos Gorrani meminerunt Tritemius, Possevinus, Caveus, Dupinius & cæteri tam exteri quam nostrates, quos præsertim quoad chronologiam ex supradictis certis emendabis. Post superiora jam scripta opus Lelandi de illustribus Angliæ scriptoribus recens editum, mihi communicatum fuit XIX maii MDCCXIII, in quo sic legebam de Nicolao Gorhamio Dominicano: *Gallum scriptores aliquot contendunt, ego tamen conterraneum meum suæ restituam audacter patriæ, atque ejus breviter perstringam vitam, adjutus inscriptione libelli cujusdam ab eodem editi, qui mihi excutienti bibliothecæ pulverem Dominicanæ, ad Isidis vadum* (Oxoniam intelligit) *opportune se obtulit.* Mea non interest Anglus an Gallus dicatur Gorranus, veritati uni lito. Cujus ponderis sit illa inscriptio, non profert Lelandus, an prima manu an secunda? Si prima, fortè fidem faciet, sed si secunda, an præscribet adversus Bernardum Guidonis, Laurentium Pignon, Ludovicum a Valleoleti: sed quid his immoror, adversus codices Sorbonicos vivente Gorrano scriptos, in quibus non solùm Gallus, sed & Cenomanus origine diserte legitur & nuncupatur. Quis sibi persuadeat Philippum III Audacem & ejus filium Philippum IV Pulchrum Franciæ reges Anglum sibi in conscientiæ moderatorem elegisse? eos inquam reges, quibus illa ipsa ætate tanta erant cum regibus Angliæ dissidia, & bella fere internecina. Anglum tamen ab Anglis dici non miror, eo quod licèt Cenomania jam ab anno MCCI a Philippo Augusto occupata fuisset, in eum tamen comitatum reges Angli qui eo usque possederant, jura sua semper defendebant, donec circa annum MCCXXXII quo circiter natus Gorranus, de eis Ludovico IX pactis initis cesserunt.

B. NICOLAUS BOCASINUS.

B. NICOLAUS BOCASINUS vir triplici nobis nomine laudandus, ut alumnus ordinis, cui etiam universo præfuit magister, tum ut sacra purpura decoratus, & in partem curarum pontificiarum non modicam ascitus, demum ut summus pontifex in difficillimis Ecclesiæ temporibus assumtus, *Benedictus XI* dictus: quia tamen & inter Beatos merito recensetur, vitæ ejus, ut & virtutum ac miraculorum seriem fusiorem hagiologis permittentes, antiqua solùm quædam documenta, quantum necesse est ut cognoscatur, proferemus. Sic itaque de eo noster Bernardus Guidonis in chronico magistrorum ordinis: » Nonus magister ordinis successor F. Stephani Bisuntini Frater ac Beatissimus « pater Nicolaus de Tarvisio. Hic fuit electus in « magistrum in capitulo generali in Argentina in « provincia Theutoniæ celebrato A. D. MCCXCVI. « Erat autem tunc prior provincialis Lombardiæ. « Hic in pace & humilitate rexit ordinem annis duo- « bus & dimidio, magnus amator & sectator com- « munitatis. Hic venerabilis pater, Dominus & ma- « gister quandoque retulit de seipso, qui noverat « plenius veritatem, quod 14 ætatis suæ anno Præ- « dicatorum ordinem est ingressus, in quo 14 annis « primis studuit & profecit, & aliis 14 annis sequen- « tibus exercuit officium lectoris, & 14 aliis annis « in prælationis officio in ordine laboravit «. Ex quibus discimus Tarvisii, nunc ditionis Venetæ, tum autem sui quodammodo juris sub imperio & speciali potestate, (sic præfectum vocabant) natum anno circiter MCCXL. Qua autem ex familia, cùm non addatur, Bocassinam vulgo dicunt, alii quidem vilem & plebeiam ex matre lana & tela victum quæritante, quod alii quibus major fides negant, patrem ejus notarium imperiali auctoritate publicum, munus in illis civitatibus imperii liberis majoris momenti, & idcirco Domini titulo insignitum asserentes, & patruum ejus sub quo literis humanioribus informatus est, Ecclesiæ S. Andreæ ex urbis præcipuis rectorem & parochum. Si autem verum est quod quidam narrant, illustris familiæ Venetæ Quirinæ pueris educandis præfectum ascitum, nec stirpis ejus honestati detraheret, & non parva ejus esset morum ac ingenii infra adolescentiam commendatio, cùm anno ætatis 14 ipsomet teste vestem Dominicanam induerit. Cùm 14 annis sequentibus studiis incubuisse se addat, quin ex iis unus fuerit, qui bini quotannis ex sua provincia Parisios mitte- † 1296.

bantur, vix addubitem, quamvis lauream tum paucioribus concessam non reportarit: ut nec quin inter 14 annos quibus in provincia Lombardiæ e superiore loco docuit, aliquot nostrum gymnasium Bononiense rexerit. Inter 14 annos quibus prælationis officium se gessisse ait, bis ferunt provinciam Lombardiæ administrasse, prima quidem vice id fuerit anno MCCLXXXVI, quo primum lego post 1281 in actis capp. genn. priorem provincialem Lombardiæ, ut loquuntur, absolutum, cujus in locum suffectus fuerit, ad annum MCCLXXXIX quo in actis capituli generalis Trevirensis provincialis Lombardiæ legitur absolutus. Successit F. Bertholdus, qui eo titulo affuit sequenti capitulo generali Ferrariæ MCCXC.

Præsens eidem aderat Nicolaus noster fortè ut provincialis socius, testimoniumque reddidit sanctitati morum magistri ordinis ven. F. Munionis, quem Nicolaus IV S. P. volebat e munere dejici: ibidemque dicitur idem Nicolaus capitulo Burdegalensi MCCLXXXVII ut provincialis astitisse. Quando nam Bertholdus officio cesserit, certo non invenio, sed ante MCCXCVI vel morte vel alia ratione amotum constat, quandoquidem comitiis ordinis Argentinæ celebratis affuit ut provincialis iterum Nicolaus, ibidemque ad totius ordinis regimen assumtus. De quo sic Bernardus Guidonis in capite actorum: *In isto generali capitulo fuit electus in magistrum ordinis venerabilis semper & omni laude dignus pater ac vere Israelita F. Nicolaus de Trevisio Lombardus, virtutum jubar, religionis speculum, devotione sanctus, zelo fervidus, sapientia clarus, Deo & hominibus gratiosus. Lucebat insuper in ipsius exteriori homine veneranda humilitas, admiranda sanctitas, multa benignitas, mira in conversatione simplicitas, accepta maturitas in incessu.* Ut vir erat magnarum partium, nec disciplinæ regulari tutandæ solum, sed & majoribus Ecclesiæ negotiis gerendis idoneus, in iis etiam eo usus est Bonifacius VIII de quo sic idem Bernardus:

» Fuit destinatus a papa cum generali Minorum » ad pacem componendam cum regibus Romano- » rum & Angliæ. Nam rex Romanorum cùm de » Alsatia pervenisset ad terram inferiorem congre- » gavit exercitum, ut cum rege Angliæ terram re- » gis Franciæ pro viribus demoliretur. Audiens hæc » papa compassus hominibus, timens eorum occi- » sionem, misit duos legatos, & magistrum ordinis » Fratrum Prædicatorum ac ministrum ordinis Mi- » norum ad reges supra memoratos, ut inter eos » ad tempus facerent pacem, vel simpliciter con- » cordarent. Cardinales cum duobus magistris ordi- » num litem regum quibusdam nobilibus commise- » runt, ut ipsi infra annum amicabilem composi- » tionem invenirent, quam postea papa confirma- » vit «. Quæ anno MCCXCVIII acta.

Eodem anno jam ex ea legatione in Occitaniam redierat, & monasterium Prullianum ex munere visitabat, cùm ad purpuram promotus est, quæ sic narrat Bernardus Guidonis in chronico: » Domi- » nica I adventus in festo B. Andreæ apostoli ince- » pit vehemens terræ motus Reate & in vicinis par- » tibus, & diruit multa ædificia & castra, & unam » civitatem funditus evertit noctu, & multos pere- » mit, & timorem non modicum papæ & cardina- » libus, & cæteris qui Reate erant, incussit, con- » fugitque papa ad claustrum FF. Prædicatorum qui » in altiori & solidiori loco positi erant: ubi in » prato claustri facto tentoriolo festinanter de sub- » tilibus asseribus conquievit: homines verò de » nocte ibant & fugiebant ad campos sub divo ma- » nentes, ædificia ne super se corruerent formidan- » tes, in timore magno expectantes, cadebantque » passim homines & jumenta cùm terra tremeret, & motibus nutaret insolitis. In illis diebus eadem- « que hebdomada prima adventus Domini pridie « nonas mensis decembris Bonifacius papa assumsit « quatuor ad cardinalatum videlicet. . . . & F. Nico- « laum de Trivisio magistrum ordinis Fratrum Præ- « dicatorum &c «. In serie verò capp. genn. sic habet Bernardus: » A. D. 1298 fer. v ante festum « B. Nicolai, scilicet 4 die mensis hoc est pridie « nonas ejusdem mensis ven. P. F. Nicolaus de Tar- « visio tunc magister ordinis FF. Prædic. intravit « monasterium Prulliani & quatuor septimanis & « duobus diebus fuit ibidem, & in die nativitatis « Domini missam conventualem Sororibus celebrans « rumores primos & familiares hos & privatos re- « cepit, quod factus esset presbyter cardinalis, non « tamen publicavit. In octava verò S. Joannis Evan- « gelistæ scilicet 3 die mensis januarii, hoc est 3 no- « nas ejusdem mensis sabbato inde recedens Car- « cassonam ad prandium venit, ubi crebriores & « quasi certiores per literas diversas recepit, & pa- « lam factum verbum istud, quamquam ipse in nul- « lo modum suum & statum mutaret: ubi duode- « cim diebus manens, 12 die in festo S. Felicis « presbyteri, hoc est 19 kal. februarii, inde rece- « dens versus Narbonam usque ad Lesinhanum per- « venit, ubi eodem sero bullam papalem per desti- « natos a papa nuncios accepit, & sequenti mane « Narbonam intravit feria v scilicet in festo Mauri « abbatis: & eadem die in capitulo Fratrum nos- « trorum Narbonensium præsentibus canonicis ma- « joris Ecclesiæ papæ bullam legi fecit: & delibe- « rato consilio cessit magisterium, & sigillum offi- « cii sui in conspectu omnium frangi fecit, & con- « sensum ordinationi de se factæ per summum pon- « tificem præbuit. Et qui vidit & audivit, præbuit « testimonium veritati «. Quibus verbis Bernardus se gestis omnibus præsentem fuisse significat.

Ibidem in serie cardinalium: *F. Nicolaum de Trivisio Lombardum assumsit de magisterio ord. Prædic. in presbyterum cardinalem tit. S. Sabinæ D. Bonifacius P. VIII Reate nonis decemb.* (intellige circa nonas, seu pridie nonas ut supra) *A. D. MCCXCVIII, quem postmodum transtulit & fecit cardinalem episcopum Ostiensem A. D. MCCC. Cardinalis fuit annis quinque:* Nempe circiter non integris.

Quod ad ipsum Bonifacius Breve scripsit datum Reate non. dec. an. IV refert Fontana in Theatro, scilicet ex Bernardo Guidonis in serie magistrorum ordinis, ubi habetur etiam epistola, quam hac occasione scripsit vir insignis ad ista omnia præsens prior provinciæ Provinciæ, quam ut pote a nullo hactenus editam visum est hîc subjicere.

In Jesu Christo sibi charissimis prioribus vel eorum vicariis & conventibus FF. ord. Prædic. Tolosan. Baionen. Agenn. Carcasson. Ortesien. Condomien. Appamien. Rivem. Morlanen. Altivillar. Sanctiseveri. Lectoren. & sancti Gaudentii: F. Raimundus (Hunaudi) *Fratrum ejusdem ordinis in provincia Provinciæ servus indignus salutem & incrementa continua cælestium gratiarum.*

» Auditum jucunditatis simul & tristitiæ audi- « vimus a Domino, & sicut audivimus, sic vidimus, « quod vobis refero per præsentes. Reverendus « namque pater noster & D. F. Nicolaus quondam « magister ordinis, cujus religio laudabilis, conver- « satio dulcis & humilis, & prælatio perutilis erat « nobis, utpote in magna sanctitate & tranquillita- « te, religionis observantia & correctionis efficacia « ordinem regentis, subditosque sibi filios ad altio- « res virtutum profectus elevantis præclaris virtu- « tum insignis & exemplis, nuper nobis quantum « ad præsidentiam sui regiminis est subtractus, non « absque gemitu & tristitia filiorum. Crescentibus «

Sæc. XIII. » namque sanctis ejus meritis famæque præconiis circumquaque diffusis, mater universalis & apostolica, sacrosancta videlicet mater Ecclesia, quæ ut indubitata fide tenemus, Spiritu Sancto in suis actibus & ordinationibus gubernatur, dignum duxit eumdem patrem nostrum ad altiorem gradum honoris & officii pro communiori utilitate Ecclesiæ, & pro immenso honore & exaltatione nostri ordinis sublimare, assumens eum & ordinans in presbyterum cardinalem. Litera enim & bulla papali 19 kal. feb. recepta, & in crastino mihi, & multis prioribus lectoribus & aliis probis viris provinciæ in conventu Narbonensi præsentibus ad partem cum multa lacrimarum effusione negotio communicato ac eorumdem consilio requisito: utrum videlicet deberet ordinationem hujusmodi acceptare, vel posset ab ea absque periculo resilire, & pro revocatione ejusdem ad pedes summi pontificis supplicare? Ipse R. P. & D. de unanimi consilio & supplicatione humili eorumdem rationes allegantium validas & diversas in capitulo nostro præsentibus Fratribus & multis solemnibus viris & dominis civitatis & Ecclesiæ Narbonensis cessit totaliter officio magistratus, ac ibidem in conspectu omnium sigillum officii fecit frangi, & præfatæ ordinationi summi pontificis suum præbens assensum, eam lacrymabiliter & lamentabiliter acceptavit &c«. *Datum Narbonæ in festo BB. MM. Fabiani ac Sebastiani A. D.* MCCLXXXXVIII stylo veteri Gallico.

Exinde continuo ad summum pontificem progressus, apud eum per annum & amplius mansit ex titulo S. Sabinæ interea ad episcopatum Ostiensem promotus. Anno verò MCCCI ab eodem gravissimis de negotiis missus est in Hungariam & adjacentia regna, Poloniam, Dalmatiam, Rasciam, Serviam, Lodomeriam, Galatiam & Cumaniam de latere legatus literis Anagniæ 3 id. maii an. 7 datis. De qua legatione videsis Odoricum Raynaldum ad 1301 n. 4 & seqq.. Ex ea verò reversus anno MCCCII circa finem anni, vel initia sequentis, videtur deinceps apud pontificem hæsisse: certe anno MCCCIII septemb. septima cùm ille a Sciarra de Columna & Guillelmo de Nogareto Anagniæ a suis proditus captus est, & tribus diebus veluti in carcere detentus, cæteris fugientibus solus cum eo intrepidus mansit noster Nicolaus cum Petro Hispano episcopo Sabinensi, qui ambo conviciorum & contumeliarum ab illis impiis Christo Domini illatarum oculati testes fuere, sed & ejusdem in tantis angustiis reque tam incerta certi amici, veri consolatores, solertesque consiliarii. Videsis citatum Raynaldum ad 1303 n. 41 & seqq. ex nostris Guidone & S. Antonino ista narrantem.

» Tandem (sic prosequitur Bernardus) post mortem Bonifacii supradicti assumtus est ad summum pontificatum omnibus cardinalibus in eum consentientibus & ut papatum reciperet humiliter supplicantibus Romæ die martis XI kalend. novemb. & coronatus ex more die Dominica subsequente, quæ fuit in vigilia apostolorum Simonis & Judæ A. D. MCCCIII, Benedictus re & nomine vocatus. Hic Benedictus papa pontificatus sui anno I fecit cardinalem episcopum Ostiensem F. Nicolaum de Prato de ordine Prædicatorum tunc episcopum Spoletanum in jejuniis 4 temporum in adventu Domini, & F. Guillelmum Anglicum magistrum in theologia, quem viventem esse credebat in Anglia, ubi tum obierat in præcedenti æstate: in quo attende rem novam aliàs inauditam accidisse, ut quis mortuus efficeretur cardinalis Romanus. Postea in sequentibus jejuniis & ordinibus IIII temporum post cineres in loco præfati F. Guillelmi fecit cardinalem presbyterum F. Gualterum Anglicum de ordine Prædicatorum Odoardi regis Angliæ confessorem.

Hic D. Benedictus papa & pius pater grave statutum a prædecessore suo Bonifacio P. VIII editum contra Prædicatores & Minores circa prædicationem & audientiam confessionum & sepulturas in melius commutavit, faciens prava in directa & asperas in vias planas suis dilectis filiis, quantum commode cum cardinalium (*supple* consensu) potuit, etsi non quantum in desiderio sibi animæ fuit. Constitutionem edidit super hoc A. D. MCCCIII XIII kal. martii quæ incipit: *Inter cunctas*, in qua totaliter revocavit constitutionem prædecessoris sui Bonifacii, quæ incipiebat: *Super cathedram*. Hic quoque plura bona privilegia ordini nostro dedit, & si diutius vixisset, ampliores gratiæ sperabantur. Hic quoque denunciavit excommunicatos publicè & in scriptis auctores sceleris & captionis prædecessoris sui Bonifacii P. VIII, nominatim & expresse Guillelmum de Nogareto, Sciarram de Columna, & quosdam alios nominatim, & generaliter omnes alios complices captionis & facinoris cum eisdem: quoniam ipse Benedictus papa cardinalis existens fide viderat oculata. Hic papa reconciliavit ad ecclesiasticam unitatem, non tamen ad cardinalatum Jacobum & Petrum de Columna, restituens eis ea quæ ipsorum erant, quæ Ecclesia tenebat.

Anno D. MCCCIIII post pascha Benedictus papa recedit de Roma, & vadit Perusium cum curia sua. Hic quoque Benedictus simultatem & dissidium, quæ suborta fuerant inter regem Franciæ Philippum & Bonifacium papam sedavit, & privilegia ac libertates, quibus regem privaverat Bonifacius prædecessor, eidem restituit & concessit sicut antiquitus, in hebdomada pentecostes præsentibus regis nunciis in consistorio. Hic Benedictus obiit in Perusio nonis julii pontificatus sui anno primo, sepultusque fuit in Ecclesia FF. Prædic. ante altare, ubi divina virtus & bonitas ejusdem (gratia Benedicti & nomine) merita cœperunt evidentibus miraculis declarare &c«. Sic Bernardus citatus in serie magistrorum ordinis, quæ fere totidem habet in chronico pontificum, quod exscribit Raynaldus, in Annal. quem consulas: ubi plura notanda

Primum quod narrant quidam de paupercula ejus matre annorum minimum 80 si superstes fuit anu, filium suum in sede Petri collocatum videndi cupida, quam a matronis Romanis sericis vestibus indutam ad se accedentem agnoscere renuerit, fabulosum omnino videri, cùm hujus nec Bernardus citatus, nec ullus auctor æqualis meminerit, aliunde omni verisimilitudine careat. Præterea non mirum quod F. Guillelmi Macxelsfeldii Angli mortem ignoraverit, proptereaque ad purpuram promoverit: illo enim eodem anno MCCCIII in comitiis ordinis Bisuntii pro Angliæ provincia diffinitor adfuerat, & sanus exierat, sed in reditu morbo correptus obierat: hujusmodi autem diffinitorum in itinere decumbentium mors nonnisi in comitiis sequentibus ad pentecost. ordini nunciabatur. Rursus etsi brevis fuerit ejus pontificatus, mirum quot & quanta negotia terminarit, quas per omnes orbis Ecclesias solicitudines sibi assumserit, de quibus videsis Bzovium, Spondanum & Rainaldum. Major est de die mortis difficultas, circa quam donec plus lucis affulgeat, varias variorum sententias sat nobis erit referre. Bernardus Guidonis ejus ætatis scriptor ubique & in serie magistrorum ordinis, & in catalogo cardinalium, & in utroque pontificum Romanorum chronico fusiori & compendiario in omnibus codd. mss constanter dicit nonis julii mortuum, proindeque septima mensis: quam sententiam tenet Soe-

gius noster in Diario suo Gallico T. I julii ad diem VII p. 336: eamque ex eo confirmat, quod in omnibus codd. MSS Tolosanis & Carcassonensibus dicti Guidonis die martis Benedictum obiisse annotetur, quo certo posito, cùm esset litera Dominicalis D. sequitur septima mensis e vivis ereptum. Contra Henschenius & Pappebrochius in Propylæo Maii in conatu ad historiam pontificum erratum esse notarii contendunt in citatis Guidonis MSS & Benedictum revera mortuum pridie nonas julii, quod evincere se putant ex epitaphio ad ejus sepulcrum apposito, quod sic habet ad finem: *Currebant mille trecenti quatuor appositis dum transit hic homo mitis. Mense die sexta julii sunt talia gesta.* Incredibile autem videtur F. Nicolaum de Prato cardinalem a Benedicto creatum, qui hoc sepulcrum benefactori suo erexit, diem ejus mortis nescivisse. Alium tamen adhuc diem indicat vetus Kalendarium cœnobii S. Jacobi Parisiensis cod. MS quo ritus omnes nostri sub curis magistri ordinis quinti F. Humberti de Romanis scripti continentur, kalendario autem pro tempore suo die additi fuerunt manu æquali obitus magistrorum generalium: in eo verò mense julio sic legitur: *d.* III *nonas. Obiit Benedictus papa prius F. Nicholaus Mag. ordinis:* adeo ut juxta hoc kalendarium dies obitus sit ipse dies Dominicus quem indicat lit. Dom. D. & quinta julii. Quæ fortè concordari possent dicendo spiritum efflasse, ea scilicet noctis parte, quæ juxta Gallos adhuc numerabatur quinta mensis, juxta Italos jam sexta, his a sero præcedenti, illis a media tantum nocte diem inchoantibus. Sed rem aliàs parvi momenti satius est in medio relinquere, & curiosi lectoris arbitrio permittere.

Ejus meminerunt præter laudatos nostrates Laurentius Pignon n. II: Ludovicus a Valleoleti n. 9: Leander Albertus fol. 39 a: S. Antoninus P. III Tit. 20 c. 9: Lusitanus, Fernandez, Fontana in *Theat. & Monum.* Altamura ad 1304: Rovetta ad 1293, cæterique historici & hagiographi nostri. Extrates verò Eisengrein ad 1303: Possevinus, Bartholomæus Burchelatus Physicus *Commentariorum memorabilium multiplicis Histor. Tarvis. lib.* 4 *Elog.* 80 *p.* 595, *& lib.* I *pp.* 223 *& seqq.* qui & in *Indicibus p.* 64 de Nicolao Mauro legum doctore, qui obiit maio 1612 hæc habet: *Si aspettava da lui la vita di papa Benedetto XI &c.* Sed & alii plures quos recenset Ludovicus Jacob in sua *Bibl. Pontif.* Hæc ejus opera:

1. *In caput* V *Evangelii D. Matthei absolutissima commentaria* sive *Enarrationes fusiores.* Has e veteri codice MS primus edidit in lucem F. Georgius Lazari de Tarvisio ejusdem ordinis, & in Patavino cœnobio præses S. T. M. episcopus postea Minorensis 13 julii MDCIV promotus, Venetiis, Damiani Zenarii 1603 fol. pagg. 429. Vitam B. pontificis a se concinnatam idem Georgius commentariis præfixit: & in præfatione duo ejusdem SS. papæ alia volumina ejusdemque argumenti promittebat, qui an promisso steterit, ut & an duo illi alii Tomi sint in alia capita Matthæi, vel in alios sacræ scripturæ libros, hactenus mihi incompertum. Jacob citatus hoc opus MS se vidisse testatur Romæ in Bibl. Barber.

2. *Item in Psalmos commentarii.* Laudantur a Ludovico a Valleoleti, an sint in omnes an in partem tantum ut scribit idem Jacob, discutiant hícque addant Itali nostri, penes quos sunt codd. MS.

3. *In Job. & in Apocalypsin.* Sic idem Jacob.

4. *Sermones de tempore & de Sanctis.* Sic Lusitanus.

5. *Epistolæ tres encyclicæ e capp. genn. quæ habuit scriptæ.* Habentur ad calcem Actorum, easque in ejus vita edidit Georgius Lazari laudatus, & Soegius noster in anno Dominicano Gallico ad 7 julii.

6. *Acta legationum* quas gessit seu adhuc magister ordinis, seu jam episcopus Ostiensis. Quin hæc serventur in archivis Pontificiis vix dubito.

7. *Regestum ejus pontificatus*: e quo duas ejus epistolas Ughellus edidit, unam ad abbatem Cisterciensem, *Ital. Sac. T.* I *p.* 42: alteram ad Carolum regem Siciliæ pro Ecclesia Lucerina, *T.* VIII *p.* 452.

F. BERENGARIUS NOTARII.

F. BERENGARIUS NOTARII Gallus Salyus Arelatensis patria & professione theologus & ecclesiastes celeberrimus seculo XIII claruit. Antiqua de eo monumenta simpliciter refero. In Actis cap. prov. Avenione MCCLXIV sic legitur: *Facimus prædicatores generales Fratrem Berengarium Notarii &c.* In indice magistrorum Parisiensium n. 28 recensetur *F. Berengarius Notarii Provincialis de Arelate*: n. 29 sequenti laudatur *F. Joannes de Turno Normannus*, & mox subjicitur: *Isti duo immediate præfati legebant simul anno* MCCLXX. Sed hoc eodem anno triennium sui magisterii Parisiis finiisse ex hoc infero, quod eodem qui sic numerabatur ad 25 martii sequentis dicitur in serie priorum conventus Montispessulani electus *decimus F. Berengarius Notarii Aretalensis magister in theologia.* Qui titulus ei datus non fuerat in actis cap. prov. Sistarici in festo apostolorum Petri & Pauli ejusdem anni MCCLXX, in quibus datus est priori provinciali socius ad comitia generalia anno MCCLXXI in Montepessulano celebranda, quia scilicet XXIX illa junii nondum cursum suum impleverat. Ad regimen suæ provinciæ evectus est postea, de quo sic lego apud Bernardum Guidonis: *Quartus decimus prior provincialis fuit F. Berengarius Notarii Arelatensis magister in theologia Parisius. Successit F. Bernardo Geraldi in cap. prov. Carcassona A. D.* MCCLXXXII. *Præfuit annis tribus, fuitque absolutus in cap. gen. Bononiæ celebrato A. D.* MCCLXXXV. *Hic fuit lector egregius, magnæ auctoritatis. Legit theologiam annis* XXXV, *habuitque gratiam prædicationis, & obiit in Montepessulano* III *nonas julii* MCCXCVI. * 1296.
In cod. MS Carcassonensi quid amplius additur sic: *Hic vir bonæ & magnæ apparentiæ, bene personatus, prædicator gratiosus, diu servivit in officio lectionis, legit in theologia annis* XXXV, *multumque consenuit.* Ejus cum laude meminit Leander Albertus fol. 138. Mirum post tot ejus in scholis lectiones & tot in templis sermones nulla fere ejus opera posteris relicta laudari. Mihi hæc pauca occurrerunt.

Quæstio Fratris Berengarii. Extat cod. Victor. MS 678 ejus ætatis fol. 237: inter quodlibeta F. Thomæ Jacobitæ, scilicet de Aquino: sed est excerptum tantum indicans aliquando Parisiis fuisse.

Cod. Sorbon. 285 inter Distinctiones Petri de Lemovicis n. 69 est *Sermo F. Berengarii dictus Dominica Quasimodo*; qui indicat Parisiis circa MCCLXIII pro ratione suæ provinciæ inter studentes assignatum, priusquam eo ad legendas sententias pro gradu magisterii consequendo mitteretur.

Habetur ejus *Epistola encyclica ad Fratres provinciæ Provinciæ contra abusus equitationum.* Edita est in Anno Dominicano Gallico T. I julii p. 229, ex actis MS cap. prov. in Montepessulano habiti anno MCCLXXXIII.

Eodem anno ex Germano Lafaille consuetudines Tolosanæ per abbatem Mossiacum & Senescallum Tolosanum post inquisitionem solemnem reductæ sunt juxta potestatem eis a rege concessam: cujus reductionis acta facta sunt in ecclesia S. Petri de Culinis præsentibus & subscribentibus abba-

SÆC. XIII. te de Bella-pertica, priore provinciali Fratrum Prædicatorum scilicet F. Berengario Notarii cum quinque aliis sui ordinis, & tribus Franciscanis: qui articuli continentur ad largum in libro albo cum processu verbali commissariorum. Sic habet noster Percinus in Monum. Conv. Tolos. ad 1283.

F. OLIVERIUS BRITO.

† 1296. F. OLIVERIUS BRITO id est *Armoricus*, Trecorensis etiam a patria aliquando simpliciter dictus, & in Monterelaxo *(Morlaix)* ordinem professus, studiis Lutetiæ in gymnasio Sanjacobeo peractis, per omnes scholæ agones lauream tandem obtinuit magisterii, quantum conjici potest inter annum MCCLXXX & XC. Inter magistros Parisienses quadragesimus sextus recensetur in catalogo Bernardi Guidonis. Paulo post ad regimen provinciæ Franciæ assumtus est, de quo sic idem Bernardus in elencho provincialium: *F. Oliverius Trecorensis Brito magister in theologia successit F. Guillelmo Altissiodorensi* (qui in officio obierat infra octavas S. Martini MCCXCIII) *confirmatus a magistro Stephano Bisuntino post capitulum generale* MCCXCIV, nempe in Montepessulano habito. Idem verbis fere totidem habet Laurentius Pignon. Nondiu tamen hoc onus sustinuit: nam ut addit ibidem Bernardus, *hic provincialis existens moritur Andegavis* MCCXCVI. Ejus meminerunt Leander Albertus fol. 136 a, Lusitanus, Pius, Fernandez, Altamura ad 1296. Extranei Argentræus *Histoire de Bretaigne* emendandus tamen cùm ad 1310 mortem ejus prorogat. Hæc ejus a Laurentio Pignon laudantur opera:

1. *Super omnes libros sententiarum.*

2. *Super omnes libros elenchorum.*

Simlerus ex Bostono Buriensi monacho Anglo addit

Expositionem evangelii Missus est: & *cantici* Magnificat.

Et *sermones de tempore.*

Paris. in Sorbon. codex est n. 48 fol. mag. memb. circa MCCC scriptus, & est Collectio quæstionum theologicarum a variis magistris sacræ facultatis disputatarum, cuilibet auctoris præfixo nomine.

Fol. 18 b. est Quæstio cui præfigitur hoc nomen *Oliverius Prædicator.* Quem hunc facile conjicio, cùm hujus nominis hac ætate nullus alius laudetur licentiatus.

F. OLIVERIUS TEUTO quidam laudatur ex fide Gozzei a Pio P. II lib. 3 col. 100 sed ætatem qua vixerit se nescire profitente. Fernandez absque teste refert ad 1500. Altamura verò revocat ad 1292, & magistrum facultatis Parisiensis præstat. Verum cùm remittat ad Leandrum & Lusitanum, apud quos non alius ab Oliverio Britone mox recensito certe laudatur, Gozzeum plane delusum censeo, & sequaces secum in errorem duxisse. Revera eadem omnino Teutoni tribuit Altamura, quæ nos Britoni opera. Hunc igitur Teutonem e scriptorum nostrorum catalogo recte expungas.

F. JOANNES DE ARDEMBURGO.

† 1296. F. JOANNES DE ARDEMBURGO a patria sic dictus municipio Flandriæ tertio ad Brugas milliari Slusæque vicino, nobili stirpe *Utentune* sive *Utenhoue*, quod Latine reddunt *ex curia*, Gallice *de la Cour* ortus, Brugis ordinem amplexatus, Parisiis in gymnasio Sanjacobeo stadium litterarium emensus est, ibidemque philosophiam tum & publice sacras litteras magistrumque sententiarum legit, unde & in sacra facultate laurea meruit insigniri circa annum MCCLXXXIII. A Bernardo Guidonis quadragesimus secundus in catalogo magistrorum Parisiensium numeratur. Ejus celebris est in antiquis domus nostræ Brugensis monumentis memoria, in quibus dicitur *magister* sua ætate *valde solemnis* habitus. Laudant Leander Albertus fol. 136 b, a quo dicitur *theologus præclarissimus*, Lusitanus & sequaces, & tandem Altamura, sed hic gravissime allucinatus, cùm ad 1547 prorogat. Meminerunt etiam Swertius in *Athenis Belgicis*, Valerius Andreas *Bibl. Belg.* Sanderus *de script. Flandr.* Ante hos omnes Laurentius Pignon n. 24 ubi sic habet: *F. Joannes de Ardenburch qui proprie vocatus est Utentune Flamingus natione de conventu Brugensi magister in theologia Parisius licentiatus scripsit*

Lecturam super sententias.

Item postillam super Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium. Item super omnes alios libros Bibliæ. Item lecturam super totam Bibliam.

Sepultus in dextera parte chori conventus Brugensis. In tabulis ejus domus obiisse dicitur X decemb. MCCXCVI, & sepultus in choro ad latus sinistrum super gradus ante ostium sacelli, quod aliâs S. Petri nunc SS. Trinitatis dicitur: quod a Laurentii relatione discrimen translatione corporis fieri potuit. Quantum ad diem & annum obitus pater Jonkere sodalis Brugensis in historia provinciæ Germaniæ inferioris MS, & Ghilbertus de la Haye Bibl. Belgo-Dom. MS testes oculati ambo sic referunt: unde emendandus Guillelmus Seguier Laur. Belg. P II p. 152, ubi dicit errato fortè typorum mortuum 1290.

Quoad opera Joannes Nyder tractatu suo cui titulus, *Consolatorium timoratæ conscientiæ* parte 3 cap. 12 duplicem ejus in sententias lecturam distinguit, quæ proinde sua ætate communis fuerit in Germania. Sic enim habet loc. cit. *Pro enodatione scrupulosarum conscientiarum clarius adhuc cum prædictis concordanda dicit Joannes de Erdenberch nostri ordinis doctor satis antiquus exemplificando in materia communicandi super* IV *Dist.* IX *tam in prima lectura quam in secunda super sententias. Qui inquit non haberet peccatum mortale, tamen crederet se habere, aut credit hoc firmiter ita quod est quiescens in illa opinione, accedendo ad eucharistiam peccat mortaliter. Si autem probabiliter credit se esse in peccato mortali, sed non firmiter nec acquiescit, ut si alicui dure locutus est & cogitat, tu peccasti mortaliter, sed tunc statim retrahit se & dicit intra se, non esse peccatum mortale, non est verum: & tamen non sufficienter potest se retrahere, quin sibi occurat: dico quod in tali casu bene potest accedere, tamen semper retrahendo opinionem suam. Quia enim Deus non exigit ab homine impossibile, & non potest se retrahere: ergo potest bene accedere, tamen semper retrahendo opinionem suam.* Sic ille in secunda lectura inquit Nyder:

Similiter idem dicit in lectura sua prima in exemplificando de fractione silentii in religioso. Iste inquit qui non acquiescit in credulitate sua, sed quasi in quadam timiditate timet se habere aliquod peccatum, quo efficiatur indignus ad receptionem eucharistiæ: sicut si non credat simpliciter esse mortale loqui in claustro, sed timet quod frequentia aliquo modo potest esse mortalis, & ipse frequenter in claustro locutus est, & tamen non simpliciter credit hoc esse mortale, sed timet, talis non peccat. Imo etiam quilibet cum quodam timore debet accedere ad hoc sacramentum, reputans semper se esse indignum, facta tamen diligenti discussione in conscientia sua. Hæc ibi.

Quæ

Quæ visa sunt referenda, & ut pateat duplicem commentarium in libros sententiarum a nostro Joanne scriptum, adhuc medio seculo XV in bibliothecis Germaniæ integrum, cujus codices forte etiamnum ibidem latitant sub dominio protestantium neglecti: & ut perpendant omnes an in his Joannes probabilismo faverit, ut putavit Stephanus Deschamps S. I. in suo tractatu de quæstione facti, Parisiis edito 1655 in 4. pag. 4. Certe scrupulosus de quo agitur probabiliorem sententiam sequitur, imo sibi certam contra levem timidæ conscientiæ scrupulum.

Quod verò tum a Nydero tum a Leandro agnomen Joannis hujus scribatur *de Erdemburgo* vel *Erdemberch* ex pronunciatione Germanorum antiqua ortum est, apud quos ut etiamnum apud Anglos *a* pronunciatur ut *e* apertum. Erratum est apud Lusitanum, cùm ab eo dicitur *Ecdebergensis*, quod tamen excipiunt Fernandez, Altamura & alii quales Simlerus & Possevinus: corruptius adhuc Valerius Andreas & Swertius *Ecdenbergius*, & Sanderus *Eckendenbergius* scribentes.

F. JOANNES AGNI.

† 1296. F. JOANNES AGNI vel *Agnelli* vulgari Belgico *Lammens* Flander Gandavensis patria & professione, pietate, doctrina, facundia, salutis animarum studio, miraculorum etiam gloria claruit vergente seculo XIII. Parisiis in gymnasio Sanjacobeo studiorum cursum exegit, aderatque etiamnum anno MCCLXXIII inter concionatores sacræ facultatis cooptatus. Gandavum reversus verbi Dei prædicationi strenuus incubuit, cum fructu ubique certatim auditus. Suis aliquando Gandavensibus præfuit prior electus, & ex tabulis ejus domus anno MCCXCVI transiit ad meliora. De eo legendi Choquetius *Viscera materna B.V.* p. 232, & de SS. Belgii ord. Prædic. Fontana in Monum. Altamura ad 1296. Ghilbertus de la Haye Bibl. Belgo. Dom. MS. Jonxerius Brugensis in suis provinciæ Infer. Germ. Monum. MS. Swertius Athen. Belg. & Valerius Andreas Bibl. Belg. Ab eo prodiit liber hoc titulo:

Formula vitæ cujuslibet Christiani.

Vide etiam supra ad 1273 ubi de F. Ægidio de Aurelianis, nam inter concionatores eodem tempore Parisiis claros recensetur *F. Joannes Agnelli* ord. Prædic. & ejus sermo in die natalis Dñi. Quod signum est & alios plures ab eo relictos, sed quos vicissitudo temporum nobis inviderit.

F. ROBERTUS DE USETIA.

† 1296. F. ROBERTUS DE USETIA, aliis *Utica* vernacule *Uzez* sic a patria Galliæ Narbonensis civitate nuncupatus, nobilique loco natus, ab ipsis puerilibus annis spiritu prophetiæ donatus est, eoque per totam vitam deinceps actus. Litteris humanioribus cùm operam daret, visionibus propheticis identidem illustrabatur, & eas ad correctionem morum Dei jussu publice nunciabat: tandem necessariam ætatem assecutus, presbyter consecratus est. Post aliquod tempus nempe sub finem anni MCCXCI bona omnia quæ apud Sadonem (Sic, an Salonem vulgo *Selon* ad Druentiam) hæreditario jure possidebat, reliquit, tumque pauper voluntarius pœnitentiæ in illis partibus præsertim Avenione prædicandæ totum se dedit. Anno MCCXCII divino monitu ordinem amplexatus est Avenione, sed ubi tirocinium exegit, non ita leviter ad professionem admittendum censuerunt patres. An ex Deo esset qui eum agebat prophetiæ Spiritus ut probarent, in plenis provinciæ comitiis quæ Carcassonæ anno MCCXCIII habebantur, & ad quæ ductus fuit examinare & audire voluerunt. Tumque omnibus in capitulum congregatis responsis suis ita fecit satis, ut communi voto ad professionem admissus sit cum laude, imo & toti provinciæ visus fuerit commendandus. De quo sic legebam in actis capituli titulo, *Suffragia pro vivis. Pro F. Roberto de Usecia fratre nostro qui in præsenti capitulo provinciali professionem fecit; scilicet in festo S. Marthæ* (tum apud nos fiebat XXVII julii) *quilibet sacerdos unam missam & quilibet conventus unam de B. Virgine.* Apostolum deinceps unà & prophetam egit, provincias Galliæ, Italiæ, & Germaniæ percurrens, sibi a Deo revelata omnibus intrepide annuntians, religiosis, principibus, regibus, summis pontificibus Cœlestino V & Bonifacio VIII, cui ultimo plura ex parte Dei comminatus est. Sed brevis fuit viri Dei missio, cùm e comitiis ordinis Argentinæ mense maio MCCXCVI habitis reverteretur, Metis ex itinere transiens, in morbum incidit, quo & obiit uti prædixerat: idque in actis ejus capituli annotavit Bernardus Guidonis, addens ita se ex ore ejus socii audivisse. E claustro Metensi ubi primum sepultum fuerat, corpus ejus F. Bernardus de Juzico magister ordinis XI Coloniæ anno MCCCI electus, inde rediens secum Avenionem transtulit, ac in communi nostrorum cœmeterio sed in speciali sepulcro collocavit. Subsequentibus verò annis exinde in sacrarium illatum est, ubi in arca decenti reconditum modo religiose servatur. Extant ejus visionum libri duo.

Unus hoc titulo: *Incipit liber Sermonum Dñi Jhesu Christi, quos locutus est in servo suo.* Sunt capita XXXIV.

Alter hoc titulo: *Liber visionum quas dedit videre Dñus Jhesus servo suo.* Constat capp. XXXVIII. Huic hanc notam præfixit editor: *Sequens liber visionum factus est a dicto Fratre Roberto maxima pro parte ante religionis ingressum, & ideo ordine prior. Nihil tamen referat si posterior legatur, nam etiam continet quæ ædificare possint non pauca, & utiles sunt non parum intelligentibus visiones.* Hoc opus edidit Jacobus Faber ex cod. MS a monachis S. Joannis in Rhingavia sibi collato Parisiis apud Henricum Stephanum 1513 fol. elegantibus typis. Titulus voluminis: *Liber trium virorum & trium spiritualium virginum.* Hæ Hildegardis, Elisabeth Schonaugiensis & Mechtildis: illi verò tres viri Hermas, Ugvetinus, & F. Robertus, cujus ultimi sermones & visiones tenent a fol. 19 a. ad 27 b.

Hæc de ordine Prædicatorum prophetia seu admonitio cap. X sermonum visa est hîc referenda: *Filiis catuli varicosi dic. Elevantes recessistis ab humilitate prima. Gloriamini in sublimitate scientiarum vestrarum, eo quod plures aliis habetis peritos. Humiliamini sub manu mea excelsa, dantes laudem nomini meo, quia docui vos, & enutriens creavi vos in medio caliginis. Patribus vestris dedi spiritum scientiæ, quem non auferam a vobis, si humiliantes cognoveritis, quia ego Dominus scientiarum sum.* Istud adjectivum *Varicosi* non facile intelligitur, ipsum codicem MS videre cuperem, nam in eo suspicor erratum.

Notandum & quod habet cap. III visionum, ubi se dicit anno MCCXCI in spiritu assumtum, & in civitate Romana juxta Tiberim collocatum. *Duxit me*, inquit, *spiritus ad Lateranense palatium, & posuit me in porticu ante sedes porphyrii, ubi dicitur probari papa an sit homo &c.* Quæ indicant quantum ea ætate roboris accepisset fabula de Joanna papissa, quam non a Martino Polono anno MCCLXXVIII mortuo inventam nec scriptam, ut supra demonstratum est, sed pluribus quam ille scriberet annis a maleferiato capite confictam & in vul-

Sæc. XIII. gus sparsam plures leviter nimis & avide exceperunt.

Roberti meminerunt Leander fol. 126 b & Lusitanus in chronico, emendandi uterque cum sequacibus de anno mortis quem MCCCXVII indicant, ut & de loco quem Avenione assignant. Nec rectius auctor chronici ad calcem constitutionum additi ejus obitum refert ad annum MCCXCII, quo in ordine vivere incepit. Accuratius de eo agit Soëgius Anni Dominicani Gallici mense junio ad diem IV. Legendus & Joannes Mahuet Prædicat. Avenion. p. 66 & seqq. ubi quædam de corporis hujus servi Dei translationibus, & ossium recognitione habet curiosa: excipe quæ ex Leandro, Lusitano & Bzovio exscribit, nam eodem laborant quem rejicimus ἀναχρονισμόν. Sed potissime legendi ipsius Roberti libri, ex quibus vitæ ac gestorum seriem disces. Hos legerat noster Venturinus de Bergomo, & in sua ad F. Egnolfum de Ehenhein Argentinæ morantem epistola visionem quam Robertus Parisiis habuit cùm in cœnaculo S. Jacobi actu cum sodalibus pranderet, quæ & extat lib. 2 cap. 34, refert integram.

F. GERARDUS TEUTO.

* 1296. F. GERARDUS TEUTO sic a natione nuncupatus, vir pietate insignis & apud suos nominatus, ac pluribus muniis egregie functus, ejusdem suæ provinciæ legatus diffinitor affuit capitulo generali Luchæ anno MCCLXXXVIII celebrato, erat enim capitulum ut dicimus diffinitorum primum: tum anno MCCXCIII in capitulo generali apud Insulas Flandrorum priore provinciali Teutoniæ, quisquis ille fuerit, amoto, ei Gerardus eodem anno in comitiis Teutoniæ provincialibus suffectus fuit, quo in officio mortuus videtur circa MCCC, cùm nec in ullo capitulo generali legatur amotus, nec anno MCCC comitiis ordinis Massiliensibus Teutoniæ provincialis affuerit, quod indicat tum vel mortuum vel graviter decumbentem, nam erant comitia electionis, anno verò MCCCI quo erant etiam comitia electionis Coloniæ, alius nempe F. Hugo Teutoniæ provincialis nominetur ut præsens. Gerardi inter vitæ B. Dominici scriptores, quibus in eadem scribenda usus est, Theodoricus de Appoldia meminit in epistola ad magistrum ordinis Nicolaum de Tarvisio anno MCCXCVI Argentinæ electum nuncupatoria, & ut videtur eodem anno vel sequenti data his verbis: *Tandem dilectus pater noster Frater Gerardus prior provincialis Teutoniæ* (scilicet hoc anno MCCXCVI vel XCVII quo scribo) *rediens de capitulo generali in Lucha celebrato* (anno scilicet MCCLXXXVIII, cui interfuerat ut diffinitor) *detulit quædam preclara gesta S. Dominici de Bononia, quæ ex ore Sororis Cæciliæ Romanæ, quam B. Dominicus ad ordinem receperat conscripta sunt* (a dicto F. Gerardo scilicet) *quæ* (nempe Cæcilia) *sicut vidit & audivit, plena fide sincerissime enarravit, & usque ad annum* MCCXC *religiosissimam & honestissimam vitam duxit.* Scripsit itaque Gerardus hic ideo inter historicos Latinos a Vossio p. 492 recensitus

Memorialia singularia ex ore sanctæ Sororis Cæciliæ accepta de vita S. Dominici vitæ ejusdem a Theodorico de Appoldia inserta & simul edita.

An B. Cæcilia cujus hîc mentio anno MCCXC ut nostri censent mortua sit, an verò ad annum MCCXCVI pervenerit & ultra, ut contendunt Henschenius & Pappebrochius, ubi de ea inter moniales nostras scriptis claras commodius discutietur.

F. ANGELUS DE TRANO.

F. ANGELUS DE TRANO Apulus anno MCCXCV clarebat tum auctoritate sedis apostolicæ institutus in regno Siciliæ generalis fidei censor: & XXII julii indictione 9 quæ cadit in annum MCCXCVI litteris regiis Caroli II omnibus ut ei operam impenderent & auxilium injunctum fuit. De quo legendus Vallius p. 67. Hunc Toppius Bibl. Napol. inter scriptores recenset, fortè ut gentilium Symmystarum diligentiam excitet, an eximius ille vir ingenii sui monimenta, aut muneris & officii acta reliquerit, ut adderent, qua ratione etiam ejus hîc habetur memoria. * 1296.

F. PETRUS DE BOBIO.

F. PETRUS DE BOBIO recensetur hîc ex fide Possevini in Apparatu verbo *Rosarium*, ubi inter eos laudatur qui de Rosario scripserunt. Excipit Rovetta ad 1533: Altamura verò ad 1525 hunc scriptorem sine teste adduci ingenue fassus, non alium putat a *Petro Placentino* quem ex ordine assumtum Bonifacius VIII ad Ecclesiam Bobiensem evexit anno MCCXCVI, ac cujus meminit Bernardus Guidonis inter episcopos ex ordine: de quo etiam Leander fol. 126 a, Ughellus Ital. Sac. T. IV, Fontana in Theatro & alii agunt. Bobium civitas est episcopalis in Alpibus Cottiis, nunc ducatus Mediolanensis, sed sub metropoli Januensi. Porro si is est Petrus, domus Placentinæ nostræ alumnus fuit, de Bobio a præsulatu tantum dictus, & si scripserit quædam, certum habeas de aliis forsan scripsisse, at non scripsisse de *rosario*. * 1296.

F. PETRUS METENSIS.

F. PETRUS METENSIS a patria celebri in Lotaringia urbe sic dictus, hîc recensetur ex fide historiæ domus nostræ Metensis initio seculi XVI scriptæ, in qua ad annum MCCXCVII sub F. Guillelmo Ludovici octavo priore sic lego: *Magister Petrus Metensis, qui plura ut dicitur scripsit, maxime* 1297.

Super quatuor sententiarum libros.

Doctrina quantus fuerit, quantum arte profunda, Edita quæ fecit plurima scripta docent. Sic ibi.

F. HUGO DE BILHONIO.

F. HUGO DE BILHONIO seu *Billomo* aliâs *Biliomo* vel etiam *Bilomio* sic a natali loco ex ejus ætatis usu nuncupatus, quod vernacule *Billon* antiquum est apud Alvernos nobileque municipium quinto circiter ad Clarummontem provinciæ caput lapide, claro fuit oriundus sanguine, gente scilicet Aicelina inter ejus regionis illustriores jam tum nominata, cujus etiam hodie clari eminent posteri, suntque tesseræ gentilitiæ, *Tria leonum avulsa in atro lumine capita aurea, linguata coccinea.* Quinque illi fratres fuerunt, natu major Guillelmus Aicelini Dominus Montisacuti & de Bressoleria miles Domini regis Francorum, sic enim primæ nobilitatis Gallicæ viri tum vocabantur: alter ejus natu minor Ægidius Aicelini præpositus Ecclesiæ Claromontensis, anno MCCXC archiepiscopus Narbonensis consecratus, & MCCCXI circiter Rothomagum translatus, præcipuus regis Galliæ consiliarius: 3 Joannes abbas secularis Ecclesiæ S. Genisii Claromontanæ, tum & abbas Ecclesiæ ibidem cathedralis per compromissionem capituli in arbitrium nostri Hugonis, sed eo suo jure uti renuente a Nicolao IV ins- † 1297.

titutus, demum Arvernorum sedis anno MCCXCVIII electus antistes: 4 Aubertus ante ipsum defunctus: 5 Stephanus miles. Quinque similiter ei fuere sorores, natu major viro nobili sibique æquali nupta, ex quo Raimundum Gros vel Cros Lemorgum domicellum filium genuit, altera Aicelina in abbatia Bellimontis ad Clarummontem sanctimonialis, tres aliæ Eldyna, Beatrix & Catharina itidem in abbatia *de Escheil* Eschalaria nunc Escalesia ord. Cistercien. professæ. Noster verò Hugo secundus ut videtur natum genitus circa MCCXXX vel MCCXL, puer Biliomi in Ecclesia collegiali S. Syrenei nutritus, ac pietati literisque informatus fuit, sic enim a ducentis antea annis fortè & amplius quotquot ex stirpe Aicelina clericalis vitæ candidati in ea Ecclesia jure suo educari consueverant, quod nempe Biliomi Domini tum essent. Adolescens verò ordinem apud Claromontium amplexatus est: tum philosophiæ theologiæque emensis juxta leges ordinis ac potissimum in gymnasio Parisiensi Sanjacobeo stadiis, ad easdem scientias aliis tradendas superiorum jussu variis in locis & conventibus, Aurelianis, Andegavis, Rothomagi, Autissiodori præsertim incubuit. Hinc circa MCCLXXX in facultate Parisiensi ad gradus promotus, magistrum sententiarum ibidem interpretatus est, & annis MCCLXXXII & LXXXIII regentis munere fungebatur. Inter sacræ theologiæ magistros XXXVII recensetur in catalogo Salanhaci & Guidonis. Anno MCCLXXXII congregatione sacræ facultatis Parisiensis magistrorum de ea quæstione coacta, *utrum aliquis vere pœnitens & confessus, & rite absolutus ab eo qui potest, teneatur eadem peccata numero iterum confiteri*, e sexdecim doctoribus, quorum quatuor ex ordine, interfuit ille & signavit: alii verò tres fuere F. Joannes de Allodio Aurelianensis olim cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, F. Joannes de Turno prior conventus nostri Sanjacobei, & F. Joannes a S. Benedicto Aurelianensis. Anno MCCLXXXIV testamenti Guillelmi Laudunensis episcopi ex executoribus unus, cuidam bonorum defuncti venditionis instrumento sigillum suum de more cum aliis apposuit die mercurii ante festum S. Clementis id est 22 novemb. nam erat litera Domin. A. quod indicium eo annô integro adhuc in Galliis egisse. Anno sequenti MCCLXXXV vel a superioribus, vel ab ipso summo pontifice Honorio IV accersitus Romam adivit, itinerisque hujus Italici non leve momentum suspicor, ut in negotio, quod tum coram eo pontifice de sensu bullæ Martini IV *Ad fructus uberes*, summa partium contentione agebatur Sac. Facult. Parif. magistris episcoporum Gallorum legatis responderet, ordinisque jura tueretur, de quo vide supra ubi de *F. Joanne a S. Benedicto* ad 1286. Tum verò in conventu S. Sabinæ theologiam professum esse ferunt, sed & sacri palatii magistrum egisse verisimillimum, cùm Honorius IV ad sanctam Sabinam continuo commoratus fuerit. Sed & Viterbii apud nostros docuisse ipsemet testatur, quo verò tempore, ac quandiu deprehendere non potui. Cæterum Romæ eximias animi sui dotes ita comprobavit, ut a Nicolao IV ipso pontificatus anno 1, Christi MCCLXXXVIII in vigilia pentecostes 15 maii prima creatione cum aliis quinque purpura decoratus fuerit, & S. Sabinæ titulo donatus: eodemque anno 3 non. septembris cum eodem S. P. privilegio abbatiæ Custodiæ B. V. Reate subscripsit. Anno MCCXC mense aprili unà cum F. Latino de Ursinis cardinali episcopo Ostiensi & Veliterno auctoritate Nicolai IV delegatus ad provinciales ordinis Ferrariæ eô anno congregandos scripsit de F. Munione ordinis magistro volente pontifice ab ipsis ab officio removendo, quæ literæ datæ sunt Romæ VI kal. maii ejusdem anni. De quo vide supra ubi de Munione ad 1285. Electioni Cœlestini V interfuit 10 julii 1294, ut pluribus placet, at ut scribit noster Ptolomæus de Luca VII kal. julii, & ab eodem in locum F. Latini dicti paulopost mortui suffectus est Ostiensis & Veliternus episcopus: conclavi etiam in quo electus Bonifacius VIII 24 decemb. ejusdem anni præsens fuit, plurimisque tandem pro Ecclesia perfunctus laboribus vivere desiit Romæ 30 decemb. MCCXCVII seu III kal. januar.. Lectorem curiosum sequentia fortè legere juvabit de Hugone veterum testimonia, quibus hactenus dicta non parum illustrantur. Sic autem de eo Bernardus Guidonis in Elencho cardinalium: *Fratrem Hugonem de Bilomio de Alvernia Claromontensis diœcesis magistrum in theologia fecit presbyterum cardinalem tit. S. Sabinæ D. Nicolaus papa A. D.* MCCLXXXVIII: *hunc postmodum transtulit & fecit episcopum Ostiensem D. Cœlestinus papa V defuncto præfato D. Latino. Hic obiit anno Domini* MCCXCVII *cardinalatus sui anno* VIII *vel* IX. His suffragatur noster Nicolaus Treveth in chronico ad 1294 pag. 667 T. VIII Spicilegii Dacheriani, qui pag. 668 sequenti sic habet: *In vigilia autem nativitatis Domini apud Neapolim in papam eligitur Benedictus Cajetanus natione Campanus de Anania civitate. Hic Bonifacius VIII vocatus statim post suam creationem episcopum Ostiensem super quibusdam in præsentia cardinalium arguens durissime pallii usu privavit, & nihilominus ab eodem ante restitutionem pallii coronatur.* Sed quædam præceps in animo pontificis commotio fuerit, paulo post sedata; nam ipse Hugo Bonifacium VIII seu in minoribus seu in pontificatu dilectionem ad se semper habuisse summam & vicissim se ad illum in ultimi testamenti tabulis profitetur. Unde cùm eum aliàs ultimæ voluntatis executorem nominasset, id jam non ausus a summo pontifice expetere, saltem id ab eo pro antiqua & vigenti adhuc necessitudine exorat, ut sua auctoritate novos a se nominatos curatores tueri velit. In actis capit. gener. Metis MCCXCVIII ad pentecosten 25 maii celebrati ad suffragia pro mortuis sic legitur: *Pro D. Fratre Hugone de Bilomio quondam Ostiensi ac Veletrensi episcopo cardinali, & primo S. Sabinæ tituli presbytero cardinali quilibet sacerdos tres missas.* Lis est conventum S. Sabinæ Romanum inter & S. Pauli Claromontanum, uter Hugonis nostri exuvias habeat, sed facile componenda: scilicet carnem & viscera pro seculi usu a sceleto separata sub tymbo æneo ante majus altare recondita tenet Ecclesia Sabinensis Romana epitaphio rudiori ejus ætatis more insculpto: at corpus seu caput & ossa Claromontium Roma translata probant invictissime tum conventus ibidem nostri documenta in archivis servata, & a F. Paulo Marchant supprior anno circiter MDCLX visa, in quibus commeatus reliquias ab Urbe deducentium, ordoque ac pompa solemnium ejus exequiarum ab Arvernis nostris celebratarum seriatim referuntur, tum magnificentissimum & in primis videndum, in quod illata ejus ossa sepulcrum ad cornu altaris majoris ad latus epistolæ in Ecclesia nostra Claromontana erectum, cujus descriptionem videsis apud Franciscum Duchesne Andreæ filium in libro cui titulus *Histoire des cardinaux François de naissance pag. 306 & seqq.* Quæ corporis divisio ex legibus ab ipso in testamento præscriptis facta. Scripsisse Hugonem nostri passim asserunt plura, de quibus antiquiorum duorum hîc proferre visum est testimonium. F. Ludovicus a Valleoleti sic de eo in Tabula sua num. 25: *Dominus Frater Hugo de Bilomio cardinalis scripsit super sententias.*

F. Laurentius Pignon in suo catalogo num 15: *F. Hugo natione Gallicus magister in theologia archiepiscopus* (*leg.* episcopus) *& cardinalis Ostiensis scripsit*

Nicolaum IV antea Hieronymū Asculanum ordinis Minorum Dupinius non recte an errante calamo aut typo dicit ordinis Prædicatorum.

SEC. XIII. 1. *Super omnes libros sententiarum.* Quod doctoribus ea ætate usitatum.

2. *Item de unitate formarum.*

3. *Item de immediata visione divinæ essentiæ.*

Quæstiones erant eo seculo maxima contentione agitatæ, præsertim an absque medio id est absque specie impressa ac expressa Deum videant beati?

4. *Item contra corruptorem S. Thomæ*, at tum nondum SS. albo inscripti.

Quæ illa eadem sunt opera ipsi a sequentibus nomenclatoribus nostris asserta, Joanne de Turrecremata, Vincentio Bandello & sequacibus, tum a Leandro Alberto fol. 67 b. Lusitano, Fontana in Theatro. Addunt verò post Guillelmum Eisengrein *catal. test. Verit. fol.* 122 *b* & Possevinum, Fernandez & Altamura

5. *Volumen sermonum ad populum.*

6. *Commentaria in threnos Hieremiæ.*

Ex quibus refellitur Alva tum *Pleytos de los libros lite* 46 *pag.* 205, tum *Sole verit. Rad.* 220 *col.* 1555, ubi opera relata fictitia contendit, quod nullus Turrecremata antiquior eorum meminerit, cùm ex dictis pateat longe antè Turrecrematam nempe ante 1400 eodem numero recensita fuisse. In cod. Victor. MS 762 extant ex ore Hugonis nostri excepti sermones duo: 1. num. 41 dictus Domin. 3 post epiph. MCCLXXXII stylo veteri, novo MCCLXXXIII januar. 24 Parisiis, de evangelio leprosi & de S. Vincentio martyre intra ejus octavam. Pr. *Noli vinci a malo sed vince in bono malum &c.* 2. num. 84 Dom. 2 post pascha ejusdem anni scilicet 2 maii. Pr. *Bonus pastor animam suam &c.* Cui erit aliquando bibliothecas scrutandi otium, occurrent haud dubie plures. In his sermonibus dicitur *regens in theologia.*

Apud Franciscum *Duchesne* citatum T. II pag. 231 & seqq. inter Historiæ suæ documenta exhibentur *duo nostri Hugonis testamenta* eodem die 24 aug. 1297 apud Urbem-veterem ab eo condita coram notariis publicis, alterum dicitur *citra montes*, quod nempe in eo de bonis suis Italicis potissimum statuat, alterum *ultra montes*, quod de bonis Gallicis decernat. Ex utroque merito legendo quæ de ejus familia, vitæ ratione, & chronologia supra retulimus, pleraque deprompta sunt. Nec omittenda tum codicillus tum alia ibidem a Duchesnio allata instrumenta. A Baluzio verò *T.* II *Paparum Avenion. col.* 10 refertur instrumentum determinationis XVI doctorum facultatis Parisiensis supra laudatum. Legendus idem Baluzius *T.* I *col.* 596, *&* 600 de familia *Aicelina*, vel *Ayssellina*, utroque enim modo scribitur indiscriminatim.

Duo adhuc supersunt nobis errores confutandi, primus in quem impegerunt Frisonius, Severtius, Ciaconius, Oldoinus, & nostrates Fontana & Altamura, *Seguin* agnominantes, quasi ex *Seguinorum* familia fuerit Biliomi ultimo seculo velim illustri, sed non ejus antiquæ nobilitatis, qualis est Aicelinorum certissimum non solum non agnomen habuisse *Seguin*, sed & nullam ei suo seculo cum *Seguina* familia cognationem fuisse. In utroque enim testamento ubi omnium sibi conjunctorum meminit, nullum appellat *Seguinum*, sed solum *Aicelinos* fratres, sorores ex iisque prognatos. Frisonius itaque in eo domino Seguin canonico Biliomensi complacere & adulari voluit, quem errantem exceperunt alii, quos egregie revincit Duchesnius citatus.

Error alter Ughelli est cum nomenclatore cardinalium & mox relatis auctoribus, & nostratium Leandri Alberti, Lusitani, auctoris chronici parvi ad calcem constitutionum, Stephani Sampajo, Fontanæ & Altamuræ qui sese invicem excipientes nostrum Hugonem archiepiscopum volunt fuisse Lugdunensem, & per novem saltem menses annis MCCLXXXIX & MCCXC Joannem III inter & Beraldum eam Ecclesiam a Nicolao IV institutum administrasse. At refragantur Robertus & Sammarthani fratres in *Gallia Christiana*, Auberius *Histoire des Cardinaux*, Franciscus *Duchesne* citatus: & contrarium evincit tum auctorum omnium æqualium, Bernardi etiam Guidonis silentium, qui cùm Petri de Tarentasia Lugdunensem pontificatum meminerit, nec de Hugone quîcum vixit tacuisset, si eam dignitatem obtinuisset aliquando: tum quia illis ipsis mensibus scilicet prioribus anni MCCXC quibus volunt Lugduni sedisse, illis iisdem acta capituli generalis eo anno Ferrariæ celebrati eum nobis repræsentant Romæ negotiis non Ecclesiæ Lugdunensis sed ordinis Prædicatorum cum Latino de Ursinis incumbentem, nec in literis ad capitulum generale scriptis sese archiepiscopum Lugdunensem nuncupat: tum quia in archivis Lugdunensis Ecclesiæ nulla hujus extat memoria, unde Severtius qui ejus scrutatus est antiquitates nullum in his fatetur se invenisse instrumentum quo id probetur, sed una Sampajo nostri auctoritate motus est ut id assereret in altera sua præsulum Lugdunensium editione, quod in priori omiserat: tum denique quia in utroque testamento, cùm omnium Ecclesiarum meminerit, quibuscum aliqua ei fuit conjunctio, & quiddam singulis legaverit, adeo ut nullam earum ad quas aliquando ex quo factus est cardinalis ex occasione accessit, prætermissam voluerit Romanam, Viterbiensem, Urbevetanam, Perusinam, Reatinam, Ostiensem ac Veliternam, nihil omnino Lugdunensi reliquit, nec ejus ullam mentionem habuit: & sane mirum esset eum in Narbonensi Ecclesia anniversarium sibi fundasse ea solum ratione quod ejus frater ibidem esset archiepiscopus, imo in pluribus aliis Galliæ locis, nec simile Lugduni constituisse, si eam quandoque rexisset Ecclesiam.

Non omittenda visa est in ejus testamento de conventu Claromontano ipsique legatis clausula. *Tam ista*, inquit, *quam alia quæ legamus conventui supradicto, legamus eidem si permanet de provincia Franciæ: in casu quo dividerentur provinciæ ordinis Fratrum Prædicatorum, vel etiamsi fieret de provincia Burgundiæ, vel in eventu in quo fieret de provincia Provinciæ* (tum Tolosanam complectebatur) *vel aliquomodo transferretur ad eam, absolute & simpliciter omnia legata dicto conventui Claromontano facta per nos adimimus & penitus revocamus, nec in illo casu ibidem aliquo modo volumus sepeliri, sed sepulturam nostram simpliciter revocamus, & quicquid relinquebamus dicto conventui ratione dictæ sepulturæ, & in illo casu legamus Ecclesiæ Billonensi, quicquid legabamus pro sepultura dicto conventui Claromontensi.* Ex tota serie intentio cardinalis videtur ea fuisse, ne domus Claromontensis unquam a conventu Sanjacobeo Parisiensi disjungeretur.

In bibliotheca Sanjacobeorum nostrorum Parisiensium extat codex MS fol. med. memb. sec. ut videtur XIII. Titulus: *Postilla super Lucam a quodam Fratre ordinis Prædicatorum composita.* Pr. *Fuit &c. Luchas tractaturus de nativitate præcursoris Domini digna narratione more historiographorum ponit tempus & gentem &c.*

Finis: *Bene Lucas materiam suam prosequitur, qui a templo Zachariæ incepit, & in templo librum finivit. Isti* (apostoli) *quamvis de gratia Dei certi essent ex promisso Domini, non tamen amplius humiliari cessabant. Mirum est ergo quod nos qui de omni dono Dei incerti sumus, etiam sola hora sequi otium ausi simus.*

Opus continet 40 folia. In interiori tegmine altera manu sed antiqua legitur: *Postilla super Lu-*

tam magistri Hugonis. Certum est non esse Hugonis a Sancto Charo, an sit hujus Hugonis de Biliomo an alterius, jam difficile dictu, eam indicasse sufficiat.

Eodem codice opusculum est non contemnendum. Titulus: *Manuale speculum peccatorum.* Est cujusdam monachi episcopo Lemovicensi scribentis, eumdemque de moribus & officiis episcopi pro familiaritate qua ei conjunctus erat instruentis. Quinque tantum habet folia.

F. THEODORICUS DE APPOLDIA.

† 1298. F. THEODORICUS DE APPOLDIA Saxo sic ab originis suæ loco nuncupatus, vernacule *Apolda Weilani* oppido Vimariam inter & Ienam sito circiter medio, adolescens in cœnobio Erphordiensi seculo XIII jam adulto ordini nomen dedit. Anno MCCLXXXVIII jam senex erat & plusquam sexagenarius, cùm ipsomet teste jam ejus caligarent oculi, in vivis tamen adhuc agebat anno MCCXCVII, quandiu autem postea vixerit, mihi hactenus incompertum, sed ejus seculi finem attigisse quis conjiciat, ut & apud suos Erphordiæ diem obiisse. Virum fuisse gravem, pietate, disciplina regulari, doctrina commendatum, ac erga ordinem miro studio accensum, opus sequens ab eo editum evidens est argumentum. Titulus:

Vita Beatissimi Dominici ordinis FF. Prædicatorum primi institutoris. Hanc octo libris distinxit. Surius ad quintam Augusti edidit, sed stylo suo more ubique interpolatam, qui præterea septimi & octavi libri nonnisi fragmenta pauca exhibet. Eamdem per partes repræsentat S. Antoninus Histor. P. III Tit. XXIII sed ordine immutato. Hi laudantur codices MSS.

1. Apud Tolosanos nostros memb. Septimus liber & octavus adsunt fere integri. Titulos capitum placet referre, ut qui ex aliis codicibus edituri sunt, videant, an per omnia conveniant.

Liber VII De miraculis B. Dominici.

Cap. I *De curationibus membrorum quorumdam debilium ad invocationem B. Dominici.*

C. II *De curationibus diversarum infirmitatum.*

C. III *De curationibus multorum cæcorum & surdorum.*

C. IV *De his qui translationem corporis S. Dominici procuraverunt.*

C. V *De his qui interfuerunt apertioni sepulcri.*

C. VI *De odore suavissimo de sepulcro progresso.*

C. VII De *collocatione sanctorum ossium in novo sepulcro.*

C. VIII *De recapitulatione & contemplatione de prædictis.*

C. IX *De inquisitoribus delegatis & dictis testium.*

C. X *De canonizatione solemni B. Dominici.*

C. XI *De quibusdam miraculis post canonizationem factis.*

Caput VIII integrum jam non est in codice, sed aliqua parte mancum, & tria sequentia jam desunt.

Liber VIII. Deest initium capitis primi. Sequentia integra sunt.

C. II *De curatione multorum surdorum & aliorum.*

C. III *De curatione a dæmonibus, & miraculo facto in candelis.*

C. IV *De muliere blasphema, & puella a passione lapidis curata.*

C. V *De hydropicis a B. Dominico curatis.*

C. VI *De vino B. Dominici meritis augmentato.*

C. VII *De sanctimoniali quam Sanctus unctione salutifera curavit.*

C. VIII *De puero a mortuis suscitato.*

C. IX *De his quæ Fratres Minores ad commendationem S. P. Dominici FF. Prædicatoribus scripserunt & narraverunt.* SEC. XIII.

C. X *De Fratre sanato.*

C. XI *De abbate Digmaro Cisterciensis ordinis.*

Exemplar epistolæ quam D. Gregorius papa IX direxit per totam Ecclesiam de canonizatione B. P. N. B. Dominici. Nota. Datum Spoleti V kal. septemb. pontif. nostri anno VIII.

Revelationes factæ devotis personis de SS. PP. Dominico & Francisco & de ordinibus ab iisdem institutis.

De eximia sanctitate primorum parentum FF. Prædicatorum.

De gloria quam accepturi sunt in patria. Hoc ultimum aliqua parte ad finem mancum.

2. Alterum exemplum ferunt esse Bononiæ ad S. Dominici.

3. Eruditi editores actorum SS. testantur integrum codicem apud se esse, quem edituri sunt ad diem IV augusti.

Principia referre placet, cùm ad notitiam auctoris & ipsius operis non parum conducant. Præmittitur mandatum magistri ordinis auctori factum ut opus susciperat.

Dilecto sibi in Christo F. Theodorico de Appoldia domus Erphordensis provinciæ Teutoniæ, F. Munio magister ordinis licèt indignus, salutem & augmentum cœlestium gratiarum. » In remissionem peccatorum, & in augmentum nihilominus meritorum vobis injungo, quatenus dictandi Legendam S. Dominici patris nostri secundùm datam vobis gratiam, de qua gero fiduciam in Domino pleniorem, meritum subeatis, ut non in vacuum Dei gratiam videamini accepisse &c «. *Datum in Urbeveteri idibus Aprilis.*

Annus quo data litera omissus est; sed cùm Munio in magistratu steterit ab anno MCCLXXXV quo electus ad MCCXCI, quo a Nicolao papa IV depositus, aliquo istorum annorum scripta fuerit, & si quis hic conjecturæ locus, anno MCCLXXXVIII datam existimarim, cùm ad habenda Lucæ comitia generalia Munio se accingeret vel exinde reverteretur. Sequitur epistola operis nuncupatoria.

Patri filiorum amabili Nicolao magistro ordinis FF. Prædicatorum venerabili, F. Theodoricus de Teutonia provincia, per prosperitatem præsentium meritorum pertingere ad æternorum præmia gaudiorum. » Libellum quem de Patre divino Dominico & ordine ab ipso instituto compositum sibi deferri vestra dignatio imperavit, in abjectis quidem schedalis & petiis primum jam senex conscripsi propriis manibus oculisque caligantibus & compegi, de cujus materia procemium vos instruet, & docebit. Reperto igitur ex chronicis tempore, quo sancti hujus parentes extiterunt, ea quæ circa ortum & progressum & exitum vitæ ipsius gesta sunt secundùm decursum temporis disponere curavi, ita tamen quod propter convenientiam materiæ quæ postmodum acta sunt præposui, & quæ ante postposui subjungendo &c «.

Cùm dictus Nicolaus Bocassinus electus fuerit Argentinæ MCCXCVI, & sub finem anni MCCXCVIII cardinalis assumptus, horum annorum aliquo jusserit hoc opus sibi nuncupari: unde septem aut octo annis solidis Theodoricum huic operi concinnando desudasse colligas. Quod autem ait auctor se jam senem cùm scribere incepit, indicat se tum plusquam sexagenarium, nec mirum oculorum caligantium meminisse, cùm ea ætate nondum adinventa essent vitra illa oculis senum adeo accommoda: maxime etiam annotandum quod monet, se in narratione non semper seriem annorum quibus res actæ sunt sequi, sed multa ὕστερον πρότερον pront

Sæc. XIII. gestorum cognitio poscebat se referre, ad quod maxime attendat necesse est, qui ἀναχρονισμοὺς vitare voluerit. Deinde sic prosequitur:

» Cupiens igitur statum ordinis nostri plenaria » certitudine non carere, posterisque nobilitatem » aviti generis intimare, paternæ sanctitatis inge- » nuitatem prout potui verbis simplicibus designavi, » multa de verbo ad verbum sicut in exemplaribus » reperi, posui, quandoque tamen propter consequen- » tiam aliquid immutavi. Cùmque ex iis quæ ad » manum habebam exemplaribus omnia consummas- » sem, allata sunt mihi ad petitionem meam quæ- » dam scripta, quæ & pretio comparavi, propter » quæ opus præteritum ut illa insererem penitus » dissipavi. Erant enim illa magnæ auctoritatis, ut » pote dicta testium juratorum, quæ papa Grego- » rius IX approbavit, magnorumque meritorum & » exemplorum sanctitatis præcipue expressiva. Præ- » venit præterea me litera venerabilis patris nostri » F. Munionis tunc magistri ordinis, mihi istum la- » borem injungens & studium pro peccatis «.

Ex his habetur bis opus confecisse, prima vice ex prioribus legendis, altera receptis novem testium ordinis in canonizationis processu juratorum responsionibus, aliisque certis documentis, quæ in causa fuerunt, cur huc usque scripta conscindens novum opus aggrederetur. Tum postea quibus in illo extruendo usus sit distinctius explicat.

» Sciendum quod venerabilis pater noster Jor- » danus II ordinis magister successor S. Dominici » dignissimus libellum de initiis ordinis composuit, » in quo primorum patrum & fratrum sanctorum » gesta gloriosa & mirabilia opera conscripsit &c. » de quo libello prima S. Dominici Legenda con- » scripta est «. Hanc supra ubi de B. Dominico integram cum annotationibus vidėsis.

» Postea de mandato F. Joannis episcopi, qui IV » a S. Dominico magister extitit, F. Constantinus » secundam Legendam edidit, multa insignia super- » addens «. Hæc etiam supra totidem verbis ibidem exhibita est.

» Succedens sanctus pater Humbertus magister » ordinis V ex prædictis tertiam conflans Legendam » multis superadditis non modicum ampliavit, qui » etiam librum qui *Vitas Fratrum* dicitur, sua devo- » tione & diligentia compilavit «. Quam F. Petrus Ferdinandi Hispanus Gallecus ante Constantinum scripserat, non novisse videtur Theodoricus, cùm ejus nihil meminerit, opus tamen Humberti hic laudatum præstat Bernardus Guidonis ex his tribus Jordano, Petro & Constantino conflatum. Quid e præcedentibus Humbertus resecarit, quid iis addiderit, supra ubi de B. Dominico monuimus in notis. Vide etiam supra *Humbertus de Romans.*

» Tandem dilectus pater noster F. Gerardus prior » provincialis Teutoniæ rediens de generali capitu- » lo in Luca [anno MCCLXXXVIII] celebrato, de- » tulit quædam præclara gesta S. Dominici de Bo- » nonia, quæ ex ore Sororis Cæciliæ Romanæ, quam » B. Dominicus ad ordinem receperat, conscripta » sunt, quæ sicut vidit & audivit plena fide since- » rissime enarravit, quæ usque ad A. D. MCCXC » religiosissimam & honestissimam vitam duxit «. De isto Gerardo vide superius dicta, ubi de eo suo ordine, & annotatum in capitulo illo generali Lucano fuisse vel diffinitorem pro Teutonia quod verisimilius, vel diffinitoris saltem socium; nam erat capitulum diffinitorum I: electum verò provincialem anno MCCXCIII quo munere functus est ad MCCXCIX, quem eo titulo Theodoricus ornare debuit, quia quo anno hoc proœmium scribebat, Gerardus eo fungebatur munere circa MCCXCVII. Cæterum ex his habetur jam ante MCCLXXXVIII totum fuisse in conquirendis ad vitam S. Dominici scribendam documentis, ac proinde alium esse a Theoderico Turingo qui illis iisdem annis Thuringiæ & Hassiæ civitates & castella percurrebat, ut de gestis B. Elizabeth notitias compararet. Prosequitur:

» Præterea dicta illustrium virorum videlicet « novem Fratrum, quorum testimonia credibilia « facta sunt, nimis auctoritate D. Gregorii IX ap- « probata, & jam aliis præferenda, patris nostri « eximiam prædicant sanctitatem «. De istis novem agimus & suo quemque laudamus loco.

Denique notandum quod addit auctor: *Nec volo quod Legenda vocabulo censeatur, sed libellus de vita & obitu & miraculis S. Dominici & de ordine Fratrum quem instituit, nominetur.*

Cùm verò Surius stylum se immutasse fateatur, optandum esset ut quis eam vitam primigenio quo scripta est stylo quantumvis barbaro redderet, & prælo subjiceret ex codd. MSS authenticis & melioris notæ, idque quamprimum: etsi enim hac ratione proditura sit in Actis SS. Antverpianis, vix speranda est ante XXV aut XXX annos. Addo ex codd. antiquis & non corruptis, nam vitio notariorum plura irrepere errata notum est apud peritos, ea verò nonnisi ex plurium codd. MSS collatione deprehendi possunt. Sic codicem quo usus est Surius, corruptum fuisse hinc conjicio; quod quædam apud eum legantur, quæ non eodem modo referuntur a S. Antonino, qui tamen codice Theodorici præcipue usus est in vita S. Dominici. Videsis Dissertationem quartam supra additam ad vitam sancti patris, ubi de anno, mense & die quibus suscitatus est Neapoleon & Sanctimoniales Romanæ in S. Sixtum translatæ.

F. JACOBUS DE VORAGINE.

F. JACOBUS DE VORAGINE Ligur sic a loco natali nuncupatus, quod oppidum seu castrum est in ora Januensi, incolis vulgo dictum *Varaze*, a Leandro Alberto Latine *Virginum* aut *Varagium*. Natus est circa MCCXXX & adolescens Januæ in S. Dominici ordinem anno MCCXLIV amplexatus, vir evasit pietate, disciplina regulari, doctrina, salutis animarum studio, prudentia rerumque agendarum peritia clarissimus. Sacras apud suos litteras variis in locis & scholis interpretatus est; tum qua valebat dicendi gratia, linguæque maternæ puritate & elegantia, celebriora Italiæ pulpita obtinuit per adventum & quadragesimam ubique cum plausu & fructu auditus. Suis etiam præfuit electus prior: anno verò MCCLXVII ad totius Lombardiæ provinciæ, quæ unica tum & vastissima, regimen assumtus est, quam octodecim annis solidis & continuis administrasse docet Bernardus Guidonis, sed & amplius, cùm anno tantum MCCLXXXVI in comitiis ordinis Parisiensibus ab officio legatur amotus. Affuit postea comitiis Luchensibus anno MCCLXXXVIII habitis provinciæ suæ diffinitor, & deinde Ferrariensibus anni MCCXC, ubi unus e quatuor a cardinalibus Latino de Ursinis & Hugone de Biliomo delegatis fuit, qui provincialibus congregatis Nicolai IV mandatum significarent, quo Munionem magistrum ordinis ab officio ab iis jubebat removeri. Jussa verò ita implevit, ut unà cum cæteris egregium innocentiæ Munionis testimonium reddiderit, læsamque hoc præpostero mandato ordinis dignitatem cum aliis ingemuerit. Nec propterea summo pontifici minus acceptus, ab eodem anno MCCXCII ad sedem Januensem evectus est, imo & Romam accitus, quod suis illum manibus ipse consecrare optaret. Verùm eo morte prævento (die sancto parasceves aprilis IV obiit Nicolaus IV) ex deliberatione in cardinalium con- † 1298.

ſiſtorio habita, in gratiam reipublicæ Januenſis, ne ſuo paſtore diutius careret, Dominica in albis aprilis XIII Romæ a Latino ſupra laudato epiſcopo Oſtienſi inauguratus fuit, & in eadem hebdomada pallio inſignitus. Hinc abſque mora in ſponſæ ſuæ amplexus ruit, cui ornandæ moribuſque optimis informandæ exemplo, verbo, inſtitutis omnem operam impendit, nullique pepercit labori. Quædam præclare ab eo geſta referentur ubi de ejus operibus. Hîc generatim dicere ſat eſto, quod teſtantur omnes, ſex annis quibus illam Eccleſiam adminiſtravit, vigilantiſſimum & amantiſſimum paſtorem ad primorum temporum invidiam ovibus ſuis ſe præbuiſſe, cives capitali odio inter ſe diſſidentes conciliaſſe, ſynodum provincialem ſummo apparatu Januæ celebraſſe, reditus effuſiſſima caritate in pauperum ſinum neceſſariis vix ſibi retentis large ſparſiſſe. In his totus erat cùm ad meliora vocatus, vitam hanc mortalem reliquit ætatis circiter LXX. Diem obitus XIV julii ſtatuit Bernardus Guidonis, ſed annum non recte prorogat ad MCCXCIX aut MCCC, ſiquidem ſucceſſorem ei dedit Bonifacius VIII F. Porchettam Spinola ordinis Minorum diplomate dato III nonas februarii anno pontif. V, qui cadit in annum MCCXCIX. Itaque dicendum jam obiiſſe anno ſuperiori XCVIII. Ejus cadaver ut juſſerat in templo S. Dominici Januæ ſepultum eſt ad latus ſiniſtrum majoris altaris. Eum eſſe quidam narrarunt, cui Bonifacius VIII cineres in capite jejunii non capiti imponens ſed in oculos jaciens dixerit, *memento quia Gibelinus es & cum tuis Gibelinis in nihilum reverteris*. At fabulam eſſe jam omnes conſentiunt, cùm nulla vel minima ei fuerit cum ſummo pontifice de hoc vel de aliis contentio, ſed forſan id ejus ſucceſſori evenerit, cui non paucæ fuerunt tempore ſui regiminis difficultates. Jam ejus opera, ſed ipſo in ſua civitatis Januenſis chronica narrante, aperienda. Sic ergo de ſe loquitur: *Hic dum adhuc eſſet in ordine ſuo, & poſtquam fuit in archiepiſcopatu opera plurima fecit: nam*

1. *Legendas ſanctorum in uno volumine compilavit; multa adjiciens in eiſdem de hiſtoria Eccleſiaſtica, de hiſtoria tripartita, de hiſtoria ſcholaſtica, & de chronicis diverſorum auctorum. Iſtud opus poſt prologum ſic incipit:* Adventus Domini.

Mirum qua aviditate illud opus ab omnibus quæſitum fuerit, adeo ut præter innumera exempla MS etiamnum in bibliothecis ſervata, infinitæ fere a nata typographia prodierint e prælo editiones. Præcipuas mihique viſas ſolum annoto.

1. Abſque loco anno & nomine typographi, abſque numeris, ſignaturis, reclamationibus, & majuſculis. Extat apud noſtros Sanjacobeos Pariſienſes.

Altera Venetiis typis Chriſtophori Arnoldi 1478 fol. Gothica ſed elegantiſſima. Extat in Regia H 253. Multæ vitæ ſuperadditæ poſt completum Januenſis opus, quod deſinit in Dedicatione.

Ibidem. Antonii de Stata Cremona, & Marci Catanelli Schalvicolæ 1480 fol. par. Extat Pariſiis apud Clariſſas Ave Maria dictas.

Ibid. Andreæ Jacobi de Cataro 1482 fol. apud noſtros Pariſien. ad S. Honorati.

Ibid. 1488 in 4. Extat in Regia H 1127

Pariſ. Crantzii & Gering 1478 fol. Recenſet typographus Jolly.

Nurimbergæ Anton. Koburger 1482 fol. Apud noſtros Pariſien. ad S. Honorati.

Argentinæ 1486 fol. Apud Auguſtinianos ad pontem novum.

Ibid. 1496 in 4. Extat in Mazarin. Ibidem & ejuſdem anni laudatur in catal. codd. MS Ang. Append. de antiq. edit. n. 46 & dicitur in fol.

Haganoæ Joan. Rinman de Oringaw 1510. Apud Remenſes noſtros. SÆC. XIII.

Lugduni Stephani Balam 1510 in 4.

Ibid. Jacobi Saccon pro Jacobo Huguetan 1511 fol. par. In Victor.

Ibid. 1531 in 4. In Barber.

Ibid. Nicolai Petiti & Hectoris Penet 1535 fol. In Victor.

Ibid Petri Lucetii 1546 fol. In Victor.

Ibid. Euſtatii Barritati 1554 in 4. Apud noſtros ad S. Honorati.

Rotomagi ex recognitione & ad MS codd. emendatione F. Claudii a Rota ord. Prædic. per Nicolaum le Roux pro Petro Regnault 1546 fol. in qua editione plures vitæ additæ. In Regia H 254.

Alias editiones laudant Caveus & Dupinius Nurimbergæ 1478 & 1493 fol. Daventriæ 1479 & 1483. Baſileæ 1486. Argentinæ 1518.

Alva plures inquit a ſe viſas Coloniæ 1476 & 1478, & Conradi Volnters 1481 & 1483. Argentinæ 1483 & 1502. Nurimbergæ Koberger 1478. Venetiis 1503 in 4. Lovanii 1485. Baſileæ Nicolai Keiſer 1586. Haguenoæ 1501. Lugduni 1519 & 1540 & Jacobi Crozer 1554. In catal. Angl. cit. laudatur abſque loco editio anni 1500 fol.

Legenda hæc nationum Europæ fere omnium linguis reddita fuit, & typis etiam edita.

Gallice typis pervetuſtis fol. mag. & charta pulcerrima abſque loco, anno & nomine typothetæ. Eſt in Regia H 334 verſio antiqua Joannis du Vignay, de quo mox ubi de codd. MS.

Item ex recognitione Joannis Bathalier ord. Prædic. & Juliani Erem. Auguſtin. Lugduni, Bartholomæi Buyer 1476 charta magna. Regia H 337 & apud Clariſſas Ave Maria.

Item hoc titulo: *La legende des SS. en François imprimee a Paris ſur velin avec figures & enluminures par Antoine Verard* 1493 fol. Regia H 333. Hujus verſionis auctor nomen ſuum non prodit, ſed illam in gratiam Caroli VIII Francorum regis ſe ſuſcepiſſe aſſerit. Hæc verò editio licèt Gothica, elegantiſſima eſt, & imaginibus tenuiori penicillo ac perita manu pictis ubique fulget.

Italice Titulus: *Legendario de i ſancti compoſto per Giacomo de Voragine, Volgarizato per Nicolo de Manerbi Veneto Camaldolenſe abbate di S. Mathia Murano*, Venetiis, Nicolai Jenſon 1475 fol. max. charactere Romano elegantiſſimo. Licèt autem fidelis ſit interpretatio, quædam Legendæ hinc inde rejectæ, & harum loco aliæ ſuffectæ: novæ etiam additæ quales Nicolai de Tolentino, Catharinæ de Senis, Laurentii Juſtiniani, B. Pariſii, Vultus Luchani.

Item eadem ibid. Octav. Scoti 1481 fol. char. Goth. Extant ambæ in Regia H 255 & 256. Tres alias editiones laudat abbas Juſtiniani *Scrittori Liguri* p. 285 eaſque correctiores Venetiis, Franciſci Bindoni 1551. Iterum emendatiores & auctiores ibidem, Dominici & Jo. Bap. Guerra 1578 cum figuris: ambæ fol. Rurſus ad linguæ Italicæ puritatem, Ib. Petri Miloco 1630 in 4.

Anglice. Londini Temblebar 1503 fol.

CODICES MS *a me viſi Pariſiis.*

Regia 3864, 4188, 4189, 4192 & ſequentes ad 4196: 4422 ad 4429: 4502 in quo ultimo nuncupatur F. Jacobus de Cumis ord. Prædic.

Colbert. 2528, 2560, 3571, 3688, 3897, 4163, 4257, 4315, 4340, 5157.

Sorbon. quinque ſec. XIII aut XIV.

Navarr. tres ejuſdem ætatis.

Victor. 95 ætatis auctoris & 1135 recentior.

Auguſtin. ad pontem novum 301 antiquiſſimus.

Germanea a pratis 271, 282, 283, 287.

Eccleſ. Pariſien. G. 12 & 13.

SEC. XIII. Coislin. aliàs Seguier. codices plures.

Omnes relati membr. & variarum formarum. Plures laudantur in catalogis bibliothecarum externarum, quos recensere esset tædiosum.

Gallice in Regia 7020 ex versione F. Joannis du Vignay Hospitalarii S. Jacobi de Alto-passu ad instantiam Joannæ Burgundæ Francorum reginæ anno MCCCXLVIII. Ad Legendas Jacobi de Voragine sunt XLIII additæ, ultima de sancto Vultu Luchensi.

Colbert. Eadem versio 51 fol. max. 668 & 669, 2811, 3196, 3293, 3324. Ibid. 581 fol. mag. membr. ad calcem hujus sic legitur: *Explicit la legende des SS. que maistre Jehan Belet translata de Latin en François.* Opus quidem est Jacobi de Voragine sed interpolatum. Quis sit iste interpres Johannes Belet alii docebunt, alium certe ab auctore Rationalis divinorum officiorum, & longe recentiorem ac sec. XIV aut XV interpretem.

Apud Sanderum Elench. codd. MS Belg. T. I p. 290: *La legende & vie des Saints composée par F. Jacques de Jannez de l'ordre des FF. Prêcheurs.*

Italice in Regia 7711 sed interpolata a quodam ut videtur Franciscano.

Hispanice seu Catalane in Victor, 1060: *Vidas dos sanctos.* Excerptæ videntur ex Legenda Jacobi nostri sed absque ordine. Extat vita S. Francisci, nulla SS. ordinis Prædic. Index scribitur concinnatus mense decemb. MCCCCLXVIII sed codex membr. videtur antiquior.

Germanice in catalogo codd. MS Angliæ T. I P. I, 886.

Anglice Ibid. T. II P. I, 7004.

Varia fuerunt de hoc opere hominum judicia. Ex quo a Jacobo editum est ad usque fere seculi XVI finem nullum vulgatius, nullum omnium manibus magis tritum. Jacobus Lacopius Aldenardæ natus canonicus Præmonstratensis cùm anno MDLXVI a catholicis ad Protestantes defecisset, adversus Legendam auream tum sic vulgo dictam (nam quod notandum hoc epithetum libro suo non indiderat auctor, neque etiam habent codices MS, aut primæ editiones, sed fructus maximus exinde reportatus tribuerat) libellum procaci stylo scripsit hoc titulo *Deflorationes Legendæ aureæ*: ipse tamen miserescente Deo ad frugem reversus, fidei catholicæ pugil fortissimus factus, IX julii MDLXXII cum aliis martyribus Gorcomensibus dictis gloriosam mortem passus est, ipseque priusquam cruci appenderetur impium suum libellum in ignem conjecit. Claudius Espenseus Catalaunensis theologus Parisiensis & socius Navarricus Parisiis in templo S. Mederici dicto inter concionum æstus Legendam auream Legendam esse ferream & rebus absurdis plenam sibi ex ore elabi permiserat: sed continuo ex præscripto sacræ facultatis male pronunciata revocare jussus est, quod & fecit XXII julii & iterum Dominica sequenti XXVIII julii MDXLIII dicta aut retractando aut emolliendo, & ad sanum sensum interpretando, ut refert Launoius Histor. gymn. Navar. T. I p. 297. & T. II p. 704. Fatendum tamen in hoc opere non pauca esse, quæ viris eruditis merito displicuerunt, neque solum Ludovico Vives aut Melchiori Cano seculi XVI scriptoribus, sed longe antea magistro ordinis XIII Berengario de Landora archiepiscopo postea Compostellano, qui propterea Bernardo Guidonis jussit, ut Legendam alteram ex sincerioribus actis colligeret ac ederet, quod & fecit ut dicetur postea ubi de eo: quod tamen non impedivit ne Legenda Jacobi de Voragine sua brevitate commoda passim ab omnibus conquireretur, & avide legeretur. Justa porro Jacobi defensio est quam ipse innuit, vitas has SS. non a se compositas, sed ut ipse ait compilatas tantum, id est jam diu antea a variis scriptas, sed & apud varios dispersas a se collectas, in ordinem digestas, & ex historicis sacris qui sua ætate in pretio erant locupletatas in lucem prodiisse, additis passim suis annotationibus. Sic in vita S. Hilarii, quam qualem invenerat edidit, ubi agitur de concilio fictitio Romano, cui præerat nescio quis papa Leo, qui dicitur Hilarium tardius venientem duriter excepisse, Hilariumque eidem reposuisse, *Tu es Leo, sed non de tribu Juda*, & alia gravem contemtum indicantia, Jacobus de Voragine sapienter monet id totum fabulosum esse. Vita illa S. Hilarii Pictaviensis eadem legitur apud auctores Jacobo antiquiores, ut apud Stephanum de Borbone circa MCCLX mortuum lib. de septem donis spiritus sancti P. IV cod. Sorb. fol. 3470 sed & aliæ plures, quas certo non composuit Stephanus, sed quales sua ætate circunferebantur suo operi inseruit. Historia XI millium virginum apud Jacobum de Voragine ea ipsa est, quam B. Elisabeth Schonaugiensis se revelatione accepisse testatur. Itaque ut paucis concludam, acta sanctorum qualia sua ætate vulgata erant, collegit, juxta ordinem Kalendarii disposuit ac edidit Jacobus, si quæ sint in iis fabulæ, harum auctor censendus non est, nisi quis in eos qui actis SS. edendis etiamnum operam dant, si quid in iis fabulosum, rejicere velit: quod tamen esset injurium, cùm illorum editores se tantum, non vades profiteantur. Mirus semper mihi visus est Bailletus vir aliàs clarissimus, cùm tanto æstu in Jacobum de Voragine stomachum effundit, & aliunde sanctimonialem Joannam Baptistam Boette ad astra extollit, quæ tamen totum Jacobi opus in suum convasavit. Sapientius Bollandus prologo in acta SS. § IV p. XIX ubi Legendam Jacobi adversus Wicelium eique similes egregie defendit, ibi legendus. Præfationes cuilibet vitæ a Jacobo additæ, quæ fere in nomine sancti lusus sunt, palato hujus seculi saniori non placent, sed is erat seculi XIII & sequentium gustus; & quid patribus nostris non condonandum, ubi de fide non agitur?

Compendium legendæ Jacobi nostri Venetiis editum anno 1498 referunt Caveus & Dupinius.

Varia hujus rationis inter codices MS in meas manus venerunt. In Victor. cod. 244 hoc titulo *Legenda SS. abbreviata & passionale.* Prologus: *Omnium sanctorum dilectissimi laus & exaltatio &c.*

In Navar. cod. memb. in 4 sed alterius rationis. Pr. *Incipit Summa de vitis SS. Cùm plurimi sacerdotes sanctorum passiones & vitas non habeant, & ex officio suo eas scire & prædicare debeant &c.*

Simile in Sorbon. cod. 37. Tit. *Legenda SS. optime abbreviata pro sacerdotibus parochialibus.* Extat & in Augustin. ad pontem novum cod. 207 memb. in 8.

Quis horum compendiorum auctor, & quodnam cum impresso a Caveo laudato mihi non viso conveniat, ut deprehenderem in me non fuit. Jam ad Jacobum nostrum redeo, qui sic de suis operibus prosequitur.

2. *Fecit etiam duo volumina sermonum de omnibus sanctis, quorum festivitates per anni circulum ab Ecclesia celebrantur: unum volumen est multum diffusum, aliud est magis breve & angustum. Utrumque volumen sic incipit:* Vestigia ejus secutus est pes meus.

3. *Fecit etiam sermones de omnibus evangeliis Dominicalibus, quæ per anni circulum in Ecclesia leguntur, de quolibet evangelio faciens tres sermones ad honorem individuæ trinitatis. Istud opus post prologum sic incipit:* Præparare in occursum Dei tui Israel.

4. *Fecit & sermones de omnibus evangeliis, quæ in singulis feriis in quadragesima leguntur, scilicet a quarta*

a quarta feria cinerum usque ad tertiam feriam post pascha, de quolibet evangelio faciens duos sermones. Istud opus sic incipit : Filia populi mei induere cilicio.

5. *Fecit etiam librum qui dicitur Marialis, qui totus est de B. Maria compositus, & secundùm ordinem litterarum alphabeti distinctus. Iste liber post prologum incipit :* Abstinentia multiplex.

Hi omnes pluries typis prodierunt, ac primo simul absque anno loco & nomine Typographi fol. Quæ editio extabat in bibl. clarissimi viri D. Gallois. Item absque loco & nomine typographi 1484 fol. voll. tribus.

Venetiis, Lazari de Soardis 1497 in 4. Iterum ibid. 1579, & 1582 in 8 voll. IV. Moguntiæ curis Rodolphi Clutii ord. Præd. apud Petrum Cholinum 1630 in 4 voll. IV.

PER PARTES.

De tempore & quadragesimales. Paris. 1500.

Venetiis apud Floravantem de Prato 1589 in 8 voll. II. Extant in Regia D. 3755 & 56. Quæ aliàs fuerunt ad usum nostri Chrysostomi Javelli.

De Dominicis per annum. Venetiis Jacobi de Junta 1544 in 4. Ibid. Jo. Bapt. Sommal 1566 fol.

Quadragesimale & de sanctis. Venetiis Nicolai Poli & sociorum 1602 in 4 voll. II.

De sanctis. Ex recensione F. Cola Campani & F. Hieronymi de Cherio ord. Præd. Papiæ, Jacobi de Paucisdrapis de Burgofranco 1500. Venetiis Jo. Bapt. Somaschi 1580 in 8. Regia D. 3757.

Mariale. Venetiis Simonis de Lucretiis 1497 in 4. Moguntiæ, Cholini 1616 in 4.

CODICES MS.

Sorbon. codex fol. mag. membr. in quo 1. Tabula *sermonum Dominicalium.* 2 Tabula altera : *Incipiunt distinctiones super Dominicales sermones Jacobi Januensis secundùm alphabetum.* 3 Tabula tertia : *Incipiunt distinctiones super festivos sermones Jacobi Januensis, secundùm ordinem alphabeti, quas compilavit quidam studens in domo de Sorbona.* Postea : *Incipiunt sermones Dominicales F. Jacobi archiepiscopi Januensis ordinis Fratrum Prædicatorum.* Postea : *Sequitur tabula de SS. sermonibus,* & ad calcem : *Expliciunt theumata sermonum de SS. F. Jacobi archiepiscopi de ordine,* &c. ut supra *& sunt* CCCXIII. Postea *Incipiunt sermones festivales &c.* Ibid. codex alter fol. mag. memb. in quo 1 *De sanctis*, tum *de Dominicis*, & iste melioris notæ.

Navarr. codex chartaceus fol. med. *Sermones Dominicales, Festivales & quadragesimales* scripti pro Nicolao de Mara soc. Navarr. prima augusti MCCCCLIII.

Victor. *De sanctis* codd. memb. Pars 1, 1103. Pars altera 1098 & 99 *de Dominicis* codd. chart. Pars 1, 1097. Pars altera 1096.

Augustin. ad pontem novum cod. 249 fol. med. memb. a medio voluminis *De sanctis.*

Colbert. codd. memb. 1026 *Sermones de tempore.* 2106 *Quadragesimale.* Et hactenus mihi visi Parisiis.

Eccles. Remen. cod. 158 memb. fol. par. *Sermones F. Jacobi de Voragine.*

Romæ in Bib. Christinæ reginæ Suetiæ extabat MS *Mariale*, & *Quadragesimale.* memb.

Florentiæ ad S. Marc. Arm. III cod. 110 *Sermones Dominicales.* Ad Annunciat. cod. 129 *Sermones in visitationibus religiosorum.*

Venetiis ad SS. Jo. & Paul. Plut. IV *Quadragesimale.*

In elencho codd. MS Belgii T. II p. 40 *Sermones a paschate usque ad adventum.* p. 88 *Marionale :* sic.

Distinctiones Jacobi Januensis episcopi, quo titulo themata sermonum intelligas, sæpius laudantur in catal. codd. MS Angliæ : T I P. I, 1419, 1807, 1214 : P. II, 1083 : P. III, 728, 1747 : T. II P. I, 764. Has distinctiones seu themata vel etiam breviores sermones de SS. typis unquam prodiisse nemo refert.

Quidam Jacobi de Voragine *Sermones Gallice redditi* sec. XIII vel sequenti ineunte extant in Colbert. cod. 4154. Vide postea ubi de Goffrido seu Godofrido de Watrefort. Ad Jacobum redeo.

6. *Præsentem insuper chronicam compilavit.* Extat in Regia cod. 10106 fol. med. membr. a fol. 117 ad 197. Pr. *Incipit prologus in chronica de civitate Janua.* Ea verò quæ de se ipso habet, placet hîc subjicere.

» Anno MCCXXXIX fuit tanta eclypsis solis, ut nulla ætas meminerit tam magnam & tam tenebrosam aliquo tempore extitisse. Stellæ enim in cœlo apparebant, quemadmodum consueverunt nocte in sereno aere apparere. Nos etiam licèt tunc annos pueriles ageremus, ipsas tamen stellas in cœlo radiantes conspeximus. « *Exinde conjicio fuisse tum X circiter aut duodecim annorum.*

Postea » Isto anno MCCXLIV quo supradictus papa Innocentius IV Januam venit, ordinem Prædicatorum inspirante gratia Salvatoris intravi, ubi a nostra adolescentia usque ad ætatem senilem fui enutritus, & maternis uberibus educatus &c. «

Postea » D. Clemens papa IV dum apud Viterbium in ecclesia Fratrum Prædicatorum in festo pentecostes solemniter celebraret & prædicaret : & ego cùm essem tunc prior provincialis Fratrum Prædicatorum Lombardiæ ibidem occasione nostri capituli generalis præsens essem anno MCCLXVIII, dixit publice coram nobis : Ne timeatis (Conradinum) quia scimus quod iste juvenis a malis hominibus sicut ovis ducitur ad mortem. « *Ex quibus colligebamus jam ab anno præcedenti electum provincialem & decessori Bononiæ* MCCLXVII *in actis amoto fuisse suffectum.*

Sub finem chronicæ, ubi de archiepiscopis. » Frater Jacobus de Varagine (sic) de ordine Prædicatorum archiepiscopus VIII cœpit A. D. MCCXCII & vivet quantum Deo placebit. Iste per D. Nicolaum papam IV qui fuit de ordine Fratrum Minorum, archiepiscopus est creatus. Qui quidem papa ipsum per suas litteras ad suam præsentiam vocaverat, ut sibi munus consecrationis impenderet, & pallium sibi daret. Sed cùm ille Romam in Dominica de Ramis palmarum intrasset, reperit ipsum summum pontificem gravi & periculosa ægritudine laborantem, ita quod in parasceve animam Deo reddidit, & sicut credimus in cœleste palatium introivit. Collegium autem venerabile cardinalium infra octavas paschæ consistorium faciens ordinavit, ut propter honorem communis Januæ archiepiscopus suus debeat in brevi totaliter expediri. Propter quod in octava paschæ per ven. patrem D. Latinum episcopum Ostiensem fuit consecratus, & in ipsa hebdomada palliatus, & sic ad civitatem suam cum gaudio est reversus, & a populo reverenter exceptus. «

» Hic secundo anno sui pontificatus scilicet A. D. MCCXCIII in ecclesia S. Laurentii provinciale concilium celebravit, ubi interfuerunt episcopi Albinganensis, Bruniacensis, Naulensis, Maranensis, Nebiensis : episcopus autem Bobiensis se excusavit infirmitate & senectute gravatus, suum tamen procuratorem & syndicum destinavit. Episcopatus verò Accienfis tunc vacabat. Interfuerunt etiam abbates mythrati quamplures scilicet S. Syri, S. Stephani, S. Fructuosi, de Tyro : abbates verò de Brosono & de Insula Galinaria se excusaverunt infirmitate & senectute gravati, suos

 tamen procuratores & syndicos destinarunt. Interfuerunt etiam præpositi & archipresbyteri & ecclesiarum ministri in multitudine copiosa. In ipso autem concilio multa utilia fuerunt statuta, & multæ constitutiones editæ quæ usque hodie observantur.

» Cæterum quia inter aliquos dubitatio videbatur oriri, si corpus S. Syri esset in arca marmorea, quæ est super altare S. Laurentii collocata, volumus super hoc scire plenariam veritatem. Quocirca præsente concilio & præsentibus Potestate & capitaneo, abbate populi & multis aliis nobilibus civitatis Januæ, arcam illam fecimus aperiri, ubi invenimus arcam ligneam inclusam & diligenter firmatam. Quam aperientes ibi invenimus laminam plumbeam, & tabulam marmoream, & cedulam in pixide quadam repositam, & utrobique erat litteris exaratum, quod in illa capsa ossa S. Syri erant reposita. Nos etiam illam capsam super altare S. Laurentii deduci fecimus, & ibi nostris manibus inquirentes omnia ossa invenimus, quæ ad compositionem humani corporis requiruntur. Insuper post paucos dies adveniente ejusdem S. Syri festivitate, ipsam capsam cum ossibus super magnum pulpitum ecclesiæ S. Laurentii deportari fecimus, & ibi epitaphia & ossa populo ostendimus evidenter. Quæ ab omnibus fuerunt cum maxima devotione visa & suppliciter adorata. Ordinavimus autem ut caput S. Syri in sacristia servetur, & ibi thecis argenteis includatur.

» Anno Dñi MCCXCV de mense januarii facta est pax generalis & universalis in civitate Januæ inter illos qui dicebantur Rampini sive Guelfi, & inter illos qui dicebantur Mascarati sive Ghibellini, inter quos quidem fuerant multo tempore grandes animositates, multæ divisiones & periculosæ dissensiones. Quæ quidem dissensiones & partialitates per annos quinquaginta quinque duraverunt, sed faciente gratia Salvatoris omnes ad pacem & concordiam sunt reducti, ita quod facta est inter eos una societas, una fraternitas, unum corpus. De quo tanta lætitia est secuta, quod tota civitas fuit plena jubilo, plena tripudio, plena gaudio immenso. Nos quoque in publico parlamento in quo pax fuit jurata pontificalibus induti proposuimus verbum Dei, & ibidem cum clero nostro *Te Deum laudamus* cantavimus alta voce, habentes nobiscum quatuor mythratos inter episcopos & abbates. Supposito verò prandio tota militia nos sequente pontificalibus induti super palafredum syndone coopertum per totam civitatem nostram læti & gaudentes equitavimus, Dei benedictionem ac nostram omnibus largiendo, & Deo gratias referendo. In signum quoque lætitiæ de tam nobili & inclita pace commune Januæ nobilem virum D. Jacobum de Carcano civem Mediolanensem tunc Potestatem Januæ militem accinctum fecit, & ipsum multis honoribus & muneribus cumulavit.

» Sed quoniam in præsenti vita nulla bona sunt pura, ideo proh dolor! cythara nostra cito versa est in luctum. Eodem siquidem anno de mense decembris, quinta scilicet die post natale Domini civibus nostris supradicta pace gaudentibus, pacis æmulus humani generis inimicus in tantam discordiam & turbationem cives nostros commovit, ut per vicos & plateas manu armata confligerent, & diebus multis ad invicem dimicarent: ex quo secutæ sunt neces hominum, vulnerationes multorum, domorum incendia, rerum expoliatio & rapina. Et quoniam furor hostilis frænum non recipit rationis, in tantum processit vesana turbatio, quod quidam ut turrem S. Laurentii habere possent, ausi sunt in ecclesia ipsius S. Laurentii ignem apponere, & ejus tectum totaliter concremare. Duravit autem tam periculosa seditio a quinta die post natale Dñi usque ad diem septimum februarii. Tandem creati sunt duo capitanei, scilicet D. Conradus Spinula & D. Conradus Auriæ, & sic civitas a præliis conquievit, & capitaneus qui deforis eligebatur, fuit deinceps intermissus. «

Ante verò hæc omnia hæc narraverat. » Anno Dñi MCCIII, post captionem civitatis Constantinopolis a Venetis, Sancta Crux quæ dicitur Crux S. Helenæ, quia cùm ipsa S. Helena crucem Domini reperisset, partem ejus laminis argenteis & aureis & margaritis ornavit, & Constantinopolim ad Constantinum filium suum deportavit. Verùm cùm Veneti crucem illam cum multis aliis reliquiis Venetias trasmitterent, contigit quod quidam civis Januensis, qui fuit de Fornariis nomine *Dundecleusbos* galeas duas contra Venetos armaverat, ex eo quod inter Januenses & Venetos tunc discordia erat. Dictus igitur *Dundecleusbos* navem illam cepit, & illam sanctam crucem cum cæteris reliquiis Januam deportavit. Quam quidem crucem communi Januæ & ecclesiæ S. Laurentii pro magno munere dedit: cæteras autem reliquias sibi retinuit, sperans aliquo tempore ab aliquo principe pro ipsis thesaurum non modicum habiturum. Sed quoniam Deus noluit quod de tanto thesauro Januensis civitas spoliaretur, ideo post multum temporis ad Fratres Prædicatores prædictæ reliquiæ nobis procurantibus devenerunt: quæ in ecclesia ipsorum Fratrum cum multa reverentia reservantur. Quas etiam nos fecimus in duabus tabulis cum laminis argenteis venerabiliter collocari «.

Chronicæ finis est anno MCCXCV, ubi de bello Januensium adversus Venetos eo anno suscepto, ex quo inferas ab iis non visam qui aiunt ad MCCXIII finiri. Januæ plures MS haberi monet abbas Justiniani.

Acta Synodi provincialis præside archiepiscopo hoc nostro Januæ anno MCCXCIII habita haud dubie in archivo Ecclesiæ Januensis MS servantur. Mirum Labbei & Cossartii diligentiam effugisse: Cùm Harduinus in recenti sua anni 1715 conciliorum editione etiam omiserit, Januensium maxime nostrorum digna esset cura, illis e tenebris eruendis & juris publici faciendis operam impendere, quod faxit Deus.

Præter opera ab ipsomet Jacobo sua laudata, quædam alia scripsit quæ sic numerantur:

Defensorium contra impugnantes Fratres Prædicatores, quod non vivant secundùm vitam apostolicam. Venetiis, Lazari de Soardis 1504 in 8 pagg. circiter quinque, inter alia plura ad ordinem spectantia.

Summa virtutum & vitiorum Guillelmi Peraldi Lugdunensis in compendium redacta. Hujus compendii plura sunt passim in bibliothecis exempla: hæc mihi occurrerunt Parisiis sed absque nomine auctoris.

In Sorbon. cod. 37 fol. mag. memb. Tit. *Summa de vitiis & virtutibus compendiose tractata & bene abbreviata.* De vitiis, Pr. *Dicturi.* Finis: *Excoriatores subditorum.* De virtutibus verò Pr. *Cupientes.* Finis: *Cuique quod suum est.*

Victor. cod. 768. in 4 memb. Eadem. Ibidem cod. 488 fol. par. memb. a fol. 98 ad finem voluminis.

De operibus & opusculis S. Augustini episcopi Ecclesiæ doctoris summi liber. Augustinum revera adeo familiarem fertur habuisse, ut fere totum memoria teneret.

Historia Lombardica. Hanc plures cum Legenda SS. confundunt, cùm in nullo veteri codice eo titulo insigniatur. Lombardica igitur historia non alia est, quam quæ in Legendis MS & impressis vitæ S. Pelagii papæ subjicitur hoc principio: *Tempore igitur primi Pelagii Longobardi in Italiam venerunt, & quia multi hujusmodi historiam ignorare probantur, ideo eam hic inserendam decrevi, prout in historia Longobardorum, quam Paulus Longobardorum historiographus compilavit, & in diversis chronicis explanata habetur.* Unde titulum habet, *Chronica inserta.*

Summa casuum conscientiæ pro clericorum suæ diœcesis institutione. Sic Rovetta. Revera sic lego apud Nyderum Formic. lib. I cap. 10, ubi quosdam ordinis scriptores recenset: *Joannes Januensis episcopus Summam confessorum scripsit*: adeo ut quis erratum esse in nomine tantum sibi persuadere posset, & *Joannes* scriptum pro *Jacobo*: verùm cùm Jacobum de Voragine laudet immediate ante verba citata, ejus non tam cito oblivisceretur, ut in Joannem mox subito converteret. Itaque mendum in episcopatu potius esse dixerim, & Joannem Bosnensem episcopum postea relicta infula IV magistrum ordinis laudatum, cui simile opus quidam asseruerunt. De quo videsis supra ad 1241 ubi de eo actum est fuse.

Sacra Biblia utriusque testamenti ex editione vulgata Italice versa. Sic habet Sixtus Senensis, qui cùm diutius Januæ commoratus fuerit, fidem aliquam meretur. Sed si ita est, hæc versio jam ita latet, ut nulla sit ejus memoria.

Jacobi Januensis tabula super historias sacræ scripturæ habens dictiones LX *& capitula* CCCIX. Laudatur pluries in catalogo codd. MS Angliæ: T. I P. I, 2243: P. II, 653, 823: P. III, 1739, 1986, 2188, 2396.

Expositio in Symbobum Athanasianum Januensis laudatur ibidem T. I P. II, 2256. An sit nostri Jacobi doceant gentiles.

Hujus scriptoris meminerunt nostrates omnes, Laurentius Pignon n. 65: Ludovicus a Valleoleti n. 12: Leander fol. 85, & *Descript. d'Ital. Regione prima* fol. 11 b: Lusitanus, Razzius, Pius, Fernandez, Altamura ad 1290: Rovetta ad 1298: Augustinus Justiniani Annal. Genuen. lib. 3 fol. 112 & lib. 6 fol. 277: Bzovius Annal. ad 1292: Castillus Cent. I P. II c. 31: Fontana in Theatro: extrates Trithemius, Gesnerus, Simlerus, Possevinus, Vossius, quos omnes ex supradictis emendes.

F. GUILLELMUS DE HOTUN.

† 1298. F. GUILLELMUS DE HOTUN ab aliis *Hodon* vel *de Hozum*, ille idem qui *de Odone* in veteribus ordinis monumentis nuncupatur, (quæ diversitas ex varia idiomatum flexione pronunciandique ratione petenda) natione Anglus vir fuit pietate, doctrina, rerumque agendarum peritia sua ætate clarissimus, propterea que regi suo Edwardo I in paucis carus & acceptus. Parisiis in gymnasio Sanjacobeo pro rata provinciæ suæ studens honoris assignatus, ibidem in sacra facultate ad gradus promotus fuit, & anno MCCLXXX jam erat licentiatus ad magisterium. Anno MCCLXXXII amoto in actis cap. gen. Viennæ Austriæ priore provinciali Angliæ, ei suffectus est Guillelmus noster, qui eo munere fungebatur etiamnum anno MCCLXXXVII: tum verò sic de eo statutum lego in actis cap. gen. Burdegalæ eo anno habiti: *Absolvimus F. Guillelmum de Odone provincialem Angliæ, & assignamus eum conventui Parisiensi ad legendum sententias.* Gravissimis negotiis distentum fuisse oportet, siquidem jussis non paruit, unde in comitiis ordinis anno sequenti MCCLXXXVIII habitis sic habetur Tit. *Pœnitentiæ: Cùm propter absentiam F. Guillelmi de Odone, qui non acquievit ordinationi præcedentis capituli Burdegalis celebrati de se factæ, schola nostra Parisiensis diu vacaverit in maximam ordinis confusionem & studii jacturam, ejus correctionem magistro ordinis committimus faciendam, & volumus & ordinamus, quod magistri in theologia actu legentes Parisius non recedant de conventu, nec mitti valeant tempore lectionum nec vacationum nisi fortè per tres septimanas, vel per mensem ad plus, & hoc in ipsis vacationibus pro causa necessaria, & de licentia magistri ordinis vel prioris provincialis Franciæ, ita tamen quod alter eorum semper remaneat in Conventu.* Quæ ordinatio sapientissima, cùm enim gymnasium Sanjacobeum esset publicum, & a secularibus maxime frequentatum, abesse non poterant magistri actu legentes sine gravi auditorum detrimento, quod pudorem ordini ac dedecus incutiebat. Rationem tamen absentiæ suæ magistro ordinis Munioni Guillelmum probasse, ac demum Parisios accessisse munusque impositum biennio complevisse hinc colligitur, quod in indice magistrorum Parisiensium a Bernardo Guidonis n. 33 recenseatur. Altera vice provinciam Angliæ rexit, alteri Guillelmo qui rediens e capitulo generali anno MCCXC Ferrariæ celebrato in via obierat suffectus, tumque ad MCCXCVII in officio perseveravit teste Triveto postea referendo. Ecclesia Dublinensis a die II octobris MCCXCIV mortuo tum Joanne de *Sauntford* archiepiscopo vidua erat, licèt enim Thomas *de Chatsworth* Ecclesiæ Patritianæ decanus electus fuisset, ratam Edwardus rex habere nolebat electionem, Thomamque rejiciebat: quare Bonifacius VIII Guillelmum nostrum regi gratissimum ad hanc metropolitanam evexit die XVI junii MCCXCVII, data ei facultate munus consecrationis a quocumque mallet episcopo & ubicumque suscipiendi. Gandavi Flandrorum quo cum Anglo rege venerat, ab Antonio Beak episcopo Dunelmensi inauguratum scribit Thomas Walsinghamus rerum Angliæ scriptor accuratus. Tum autem inter Galliæ regem & regem Angliæ dissidentes sequester acceptus, nam & primo ex quo Parisiis studuerat & rexerat, notus erat & familiaris, ità dexteritate sua egit ac prudentia, ultro citroque ad ambos pergens ac rediens, ut inducias inter utrumque ad biennium pepigerit ac firmarit. Legatus exinde selectus qui articulos inter reges compactos Bonifacio VIII Romam deferret, ceu in quem non ut summum pontificem, sed ut Benedictum Caetanum rex Angliæ compromittebat, & arbitrum de pace inter se & regem Galliæ ineunda eligebat & volebat, itineri se commisit, ac Urbem aggressus res ita feliciter egit, ut XX junii MCCXCVIII summus pontifex in publico consistorio sententiam suam arbitralem ut aiunt pronunciarit, pacemque certis conditionibus stabilierit. Verùm Guillelmus in reditu per Burgundiam transiens Divione morbo correptus ibidem animam efflavit VI kal. sept. ejusdem anni. Corpus ejus exinde delatum, Londini in templo nostro honorifice sepultum fuit.

Bernardus Guidonis sic laudat in indice episcoporum: *F. Guillelmus de Odone Anglicus, magnus magister in theologia in toto ordine nominatus; archiepiscopus Dublinensis in Hybernia anno* MCCXCVIII *circum circa. Fuit prior provincialis Angliæ bis. Hic legatus regis Angliæ ad summum pontificem, redeundo in conventu Divionensi moritur in vigilia B. Augustini* MCCXCVIII. Idem habet in indice magistrorum in theologia.

Laudat & Trivetus in chronico ad ann. MCCXCVII. „Eodem anno idem papa F. Willelmo de Hotun „ priori provinciali FF. Prædicatorum Angliæ ar- „

Sæc. XIII. » chiepiscopatum contulit Dublinensem, indulgens » eidem ut a quocumque episcopo catholico, & » ubicumque decreverit, valeat consecrari. Hic F. » Willelmus postquam ordinem ingressus est, cùm » esset vir acutissimi ingenii, doctor in theologia » Parisius factus est. Erat autem jocundus in verbis, » in affatu placidus, religionis honestæ, in omnium » oculis gratiosus, qui cum rege in Flandriam pro- » fectus, ibidem a domino Dunelmensi munus con- » secrationis accepit. Per cujus mediationem ex » parte Anglicorum, & ducis Britanniæ ex parte Gal- » licorum inter reges Angliæ & Franciæ acceptæ sunt » induciæ, & ultra datos terminos sæpius prorogatæ«.

Non omittenda quæ de eo habet Sebastianus de Olmedo : *Hic F. Guillelmus de Odone cùm in patriam rediret a curia legatus cardinalis futurus, apud Divionem Galliæ vigilia S. Augustini quem unice coluit, ex hac luce discessit magna ordinis ac bonorum multorum mœstitia : cujus ossa in propria petente etiam Anglorum rege delata sunt.*

Videndæ & antiquæ consuetudines Angliæ Londini 1672 editæ, in quibus a p. 749 ad 761 instrumenta omnia legationem Romanam attinentia referuntur. Initium tantum litterarum quibus fides & auctoritas Willelmo nostro ejusque sociis in agendis astruebatur hîc addendum visum est : *Summo pontifici Edwardus rex Angliæ &c. Sperantes per vestræ sanctitatis industriam super discordiis inter regem Franciæ & nos dudum exortis salubriter provideri, venerabiles in Christo patres Willielmum archiepiscopum Dublinensem, Antonium Dunelmensem episcopum & nobiles viros Amadeum comitem Sabaudiæ consanguineum nostrum, Ottonem de Grandisono, & Hugonem de Veer milites, pacis & status nostri pacifici zelatores voluntatis nostræ conscios ac diligentius informatos ad vestram præsentiam duximus destinandos &c. Datum apud Gandavum* 18 *die februarii anno Dñi* 1297, nempe stylo veteri, novo 1298. Ex his litteris & cæteris omnibus instrumentis illic relatis constat nostrum archiepiscopum caput fuisse legationis. Hinc etiam emendantur, qui Willielmum Romæ solùm Dublinensem antistitem creatum & ab ipso Bonifacio VIII consecratum volunt, cùm ex his omnibus diplomatibus pateat jam inauguratum priusquam de pace agenda Romam legatus progrederetur.

Ejus cum laude meminerunt Laurentius Pignon *de Honden* nuncupans, S. Antoninus, Leander Albertus fol. 86 a, ubi vocat virum ingentis spiritus, Lusitanus, Pius, Fernandez, Bzovius, Fontana, Altamura ad 1298 & alii nostri : extrates verò Lelandus p. 239, Baleus, Simlerus, Possevinus emendandus cùm in duos dividit alterum *de Odone* dictum, alterum *de Hothun*, Pitseus & ipse corrigendus ex supradictis, Varæus de script. Hybern. p. 121, ac de præsul. Hybern. p. 110 : denique & Lobineau in Hist. Armoricæ Gallice recens edita p. 286, qui fallitur cùm episcopum Dumblaniensem in Scotia nominat, pro archiepiscopo Dubliniensi in Hybernia. Hæc ejus laudantur opera.

1. *Commentarii in* IV *sententiarum libros*, inter ejuscemodi innumeros alicubi forsan jam latentes & neglecti. Hos laudat Laurentius Pignon, ac præterea alterum in primum sententiarum scriptum, quos proinde viderit.

2. *De immediata visione Dei tractatus*, & hunc laudat dictus Laurentius & sequentem.

3. *De unitate formarum tractatus.*

4. *Lectura scholastica.*

5. *Oratio de jure regis Gallice dicta & scripta.* Laudatur a Caio p. 242 antiquitatum Cantabrigiensis academiæ.

Hæc eadem illi tribuit opera Bostonus Buriensis nomenclator accuratus :

6. *In tres libros de anima.* Recensetur in catal. codd. MS Angl. T. I P. II n. 1574, ubi dicitur *Guillelmus Heddonen aliâs Heddon vel Hothun.* T. II P. II n. 5 : *Processio de electione archiepiscopi Dublinensis per priorem & conventum Ecclesiæ S. Trinitatis, & decanum & capitulum Ecclesiæ S. Patritii Dublin. post mortem Guillelmi de Hothum archiepiscopi anno* 1298.

7. *Quæstiones quodlibetales.* Quædam extant in Sorbon. cod. 133 fol. mag. memb. Tit. *Incipiunt quæstiones de quolibet Fratris Willelmi de Hozum Prædicatorum. Quærebantur quædam de Deo, quædam de creaturis.* Sunt XVIII quæstiones. Finis : *Expliciunt quæstiones de quolibet disputatæ a Fratre Willelmo de Hozum die lunæ proxima post festum B. Nicolai, videlicet in crastino conceptionis B. V. anno gratiæ* MCCLXXX. Revera eo anno cùm esset litt. Dom. G. F, nona decemb. erat dies lunæ. Plura sunt alia aliorum eod. cod. qui videtur circa initia sec. XIV scriptus.

F. GUILLELMUS BERNARDI.

F. Guillelmus Bernardi Gaillacensis dictus quod e Gaillaco nobili Occitaniæ ad Tarnem fluvium oppido diœcesis Albiensis ortus sit, ad ordinem ascitus Tolosæ, non eruditione tantùm, sed magno religionis & fidei zelo seculo XIII claruit. Hinc ad conventuum regimen pluries electus prior, præfuit quidem illis & profuit, sed iis muneribus se quantocius exolvit. Anno MCCXC domui Montisalbani electus prior præsidebat, intra annum dimisit. Anno MCCXCIII Albienses præfectum voluerunt, assensit & templum a fundamentis iis erexit, primum lapidem solemniter ponente Bernardo de Castaneto episcopo civitatis Dominica infra octavas Petri & Pauli, scilicet V julii, nam erat lit. Dom. D. at anno revoluto abdicavit : Rutenenses denique anno MCCXCV sibi præfecerunt, ibique diutius moratus est, at biennio absoluto & eos dereliquit, ut totum se prædicationi daret. *Magnæ vir fuit abstinentiæ*, inquit eidem æqualis & convictor Bernardus Guidonis, ex quo variis locis hæc depromimus omnia, *zeloque prædicationis & salutis animarum æstuans in Græciam transfretavit, pervenitque Constantinopolim, ubi & locum ad habitandum accepit anno* MCCXCVIII *ad prædicandum gentibus verbum crucis, & dilatandum nomen & fidem Dñi Jesu Christi* : ibique in eam rem 1298.

Libros F. Thomæ de Aquino e Latino Græcos fecit. Sic Bernardus citatus. Quinam verò illi libri non indicat.

Jam anno MCCXXXII & antea Constantinopoli domum habebat ordo, sed & postea duas habuit, hanc verò alteram Guillelmus erexerit. In codice MS membr. sec. XIII aliâs Rotomagensium nostrorum nunc verò Parisiensium ad S. Honorati, est tractatus *de practica inquisitionis*, in quo legitur quidam F. Guillelmus Bernardi censoris fidei munere fungens cum F. Joanne a Sancto Benedicto in partibus Tolosanis circa MCCXC. An idem sit cum eo de quo agimus, disquirant indigenæ curiosi.

F. STEPHANARDUS DE VICOMERCATO.

F. Stephanardus de Vicomercato Insuber a loco originis agnomen ducens, & Mediolani in S. Eustorgii ad ordinem ascitus seculo XIII claruit, de quo sic Leander Albertus fol. 152 † 1298.
b : *Intuere Stephanardum ex vico Mercato Mediolanensem virum doctrina clarum deferentem chronicam ab se metrice descriptam. Qui primus ex ordine Prædicatorum theologiam in domicilio*

Mediolanensi publico stipendio docere cœpit circa annum salutis MCCXCII. Quæ virum tum celebrem ac pluribus annis apud suos antea doctrinæ sacræ professorem & interpretem probant. Anno verò MCCXCVIII vita hac mortali functum asserit Lusitanus, qui monumenta vetera utriusque conventus Mediolanensis S. Eustorgii, & Gratiarum scrutatus est, quem excipiunt nostrates Pius, Fernandez, Altamura & alii. Hæc ejus opera, in S. Mariæ Gratiarum Bibl. servata, inquit idem Lusitanus.

1. *Postilla super Lucam.*

2. *Dialogus de apprehensione*, seu *de potentiis apprehensivis, & est distinctus in XII partes, & habet CCXX capitula.*

3. *Summa notabilis in jure canonico.* Quæ a quibusdam dicitur *Summa quæstionum in Decretales & earum Apparatum* V *libris distincta.*

4. *Periarchon nominum, & nonnulla alia. De principiis nominum.* Quid hoc sibi velit, utinam quis explicet?

5. *Chronica una metricè.* Nempe rerum civitatis Mediolanensis, cujus hoc est principium:

Urbs antiqua fuit antiquis diruta bellis,
Ipsa reducta solo pauco contenta colono,
Nobilitatis habens prisca vestigia. Servat
Delubra quæ reficit, prope mœnia sparsa per agros &c.

Quæ de Engleria dicuntur, ex cujus ruinis Mediolanum surrexisse censet. Auctorem hunc contra Gregorii X S. P. famam iniquiorem fuisse, & Othoni vicecomiti archiepiscopo Mediolanensi nimium adulando favisse scribit Petrus Maria Campi in Apologia sua pro Gregorii X innocentia edita *T.* II *Hist. Eccles. Placent. p.* 319. Revera hæc apud eum leguntur acriora, ubi post Gregorii X discessum e Mediolano Lugdunum ad concilium generale pergentis, facinus a Turrianis in vitam Othonis archiepiscopi ausum describit:

Metropolis statuunt cives ut præmia dentur
Plurima, lethali si vulnere decidat exul (nempe Otho)
Antipater propriam præsumens visere sedem.
Dedecus hoc aulæ est, grandisque injuria Deni
Gregorii, tantum facinus qui sidere clauso
Dissimulat, legi metuens obsistere sævæ.

Et postea de reditu ejusdem Gregorii a concilio Mediolano iterum transeuntis & Romam petentis loquens:

Acta ubi Divorum Patrum celebrata fuerunt,
In reditu celeri sequitur quem præsul. At ille
Ipsius renuit comitatum. Stare Brigellæ
Elligit & profugus Seprii descendit in arva.

Innuit GregoriumOthonem se sequi cupientem ac simul Mediolanum ingredi volentem a se ablegasse, ne Turrianis rerum potientibus displiceret, adeo ut archiepiscopus Brighellam secedere coactus fuerit. Quæ nolim excusare, qui Gregorii sanctitatis convictus sim, sed quæ fortè non ita Stephanardo aliisque Mediolani vicecomitum partes adversus Turrianos tuentibus perspecta tum fuerit. Hinc Othonis archiepiscopi tandem de Napo a Turre anno 1277 victoris triumphum sic celebrat:

Religiosa cohors series distincta per almas
Obvia concentu modulaminis æthera læti.
Inde concutitur æther clangore tubarum.
Ambrosii funditque preces demersus ad aram,
Grata tulit genibus flexis donaria miles.
Conveniunt, posuere diem celebremque beatæ
Agnetis cives redeuntis lege perenni,
Qua micuit sperata diu victoria bello.

Et hîc finitur Fratris Stephanardi. Amen. Quod hujus chronicon seu carmen F. Gualvaneus Flamma, de quo infra suæ chronicæ ex variis auctoribus compilatæ, ac cui titulum indidit *Manipulus Florum* fere totum inseruit, non continenter, sed per partes ut se dabat occasio. Nata exinde fortè allucinatio Pauli Jovii & eum excipientis Gerardi Joannis Vossii *de Histor. Latin. lib.* 2 *c* 61, qui ex Stephanardo de Vicomercato, & Gualvaneo Flamma viris distinctissimis, nomen unius & alterius cognomen accipientes scriptorem unum conflarunt Stephanardum Flamma ab ipsis dictum: neuter excusandus, non Vossius, qui ambos apud Leandrum Albertum distinctos vidit, nec Jovius cui Gualvanei chronicam legere in promptu fuit, nec tamen videtur legisse, etiamsi acriter redarguat occasione Gregorii X. Nam si vel leviter inspexisset, vidisset Stephanardum inter eos scriptores a Gualvaneo recenseri, quorum usus est opera; Stephanardum carmine, Gualvaneum soluta oratione scripsisse, Stephanardum antiquiorem ac anno 1298 mortuum chronicon suum non ultra 1277 produxisse, Gualvaneum anno 1299 adolescentem a sesqui anno tantum ordini ascitum & a sex mensibus tantum professum ad 1371 chronicam suam extendisse. Et ut tandem Vossii errata concludam, opus cui titulus *Manipulus florum* chronica est Gualvanei ex variis auctoribus excerpta quos laudat & conflata, at non hoc titulo ornatur chronicon metricum Stephanardi, quod apud nostros S. Eustorgii sua ætate servatum testatur idem Gualvaneus. SÆC. XIII.

Stephanardi de Vicomercato Mediolanensis gentiles ejus meminerunt, ac laudant Joannes Petrus Puricelli in vita Laurentii Littæ archiepiscopi Mediolanensis *fol.* 117: Paulus Morigia *Nobilit. Mediolan. lib.* 3 *c.* 29: Philippus Picinelli *Athen. Mediol. p.* 496. Arguit verò duriter Tristanus Calco *præfat. Hist. Mediol.* ubi sic: *quorum alter* [Stephanardus] *accepti honoris gratiam Othoni archiepiscopo relaturus, ejus gesta carmine ornare, quam simpliciter ut ipse inquit, prosa committere maluit: & dum poetice furit, & in plerisque licentius evehitur, neque a præposterationibus temperat, alia verò plus æquo exaggerat, alia silentio prætermittit, rem totam in fabulam vertit.* Quam censuram an Stephanardus mereatur, eruditi æquique amantis lectoris arbitrio permitto, ut & an Calcus ipse ubique ab omni partium studio immunem se præstiterit. Interea curiosos moneo chronici Stephanardi maximam partem visuros si velint in Bibl. Reg. Paris. codd. MSS 10113 & 10114 apud Galvaneum de Flamma. Dupinium hîc non moror, qui in utroque & Stephanardo & Gualvaneo omnino peregrinum se ostendit.

Ut verò graviter offendunt qui utrumque confundunt, sic & Lusitanus & sequaces Pius, Fernandez, Altamura qui tamen se corrigit in *Appendice*, Possevinus & alii non minus peccant, cùm Stephanardum de Vicomercato a Stephano Mediolanensi distinguunt, quos eadem opera unum & eumdem esse hominem satis evincunt. Stephano quidem hæc speciatim tribuunt

1. *De controversia hominis & fortunæ metrice.*

2. *Tractatum de irregularitate.*

3. *De emanationibus opus in novem partes distributum.*

4. *De peste Mediolanensi carmen.*

Sed cùm cætera conveniant cum iis quæ ascribuntur Stephanardo, quin & hujus hîc mox relata sint, non video cur dubitari possit, donec majorem lucem his afferant nostri Mediolanenses utriusque domus ordinis. Nam quæ Rovetta ad 1302 & ad 1307 profert, ut utrumque distinguat, nullius sunt momenti, eumque probant etsi in Lombardia agentem, nihil eorum quæ utrique asserit operum suis oculis lustrasse, quod negotiorum id non permittentium multitudini tribuendum. Chronicæ Stephanardi meminit etiam Bostonus Buriensis in suo

Sæc. XIII. catalogo codd. MSS Angliæ, ut hinc pateat in Bibliothecis ejus insulæ aliàs fuisse.

F. JOANNES DE JANUA.

† 1298. F. Joannes de Janua sic a natali solo communiter dictus, quem *Balbi* vel *de Balbis* quidam a familia nuncupant, gente Ligur, Januæque natus ordinem ibidem in S. Dominici amplexatus est seculo XIII, florebatque adhuc anno MCCLXXXVI, & ad annum MCCXCVIII pervenit teste Augustino Justiniano Annal. Genuen. lib. 4 fol. 109. Auctor chronici orbis universi citatus ab abbate Michaele Justiniani sic de eo habet : *Joannes Balbus natus Janua ordinis Prædicatorum per hæc tempora doctissimus, cùm esset jam ætatis maturæ, temporalibus opibus haud parum abundans, substantiam omnem in pauperes distribuit, & religionem amplexatus est*. Produnt autem non optime modo versatum extitisse in sacræ scripturæ sanctorumque patrum libris, sed & vitæ sanctitate commendatum : quin & inter beatorum ordinem & seriem ejus imaginem asservari in Ecclesia S. Thomæ Ticinensi, sed hæc ad hagiologos, nos de scriptore tantum agimus, ac de operibus ab eo rei litterariæ relictis. Hæc sic recensent Laurentius Pignon n. 66 & Ludovicus a Valleoleti n. 17 : *F. Joannes Januensis scripsit*

1. *Librum theologiæ qui vocatur, Dialogus de quæstionibus animæ ad spiritum* : non *de anima & corpore* ut mendose alii.

2. *Item Summam grammaticalem valde notabilem, quæ catholicon nominatur.*

3. *Item quoddam opus ad inveniendum festa mobilia.*

Cùm autem solum secundum typis prodierit & sit celebrius, de eo speciatim agendum est. Opus continet orthographiam, prosodiam, grammaticam, rhetoricam, etymologiam, proptereaque dicitur *Catholicon*, id est opus universale, cujus potissima pars est vocabularium voces omnes primæ mediæ & infimæ Latinitatis complectens. Titulus in codd. quà MS, quà impressis : *Incipit Summa quæ vocatur Catholicon edita a F. Joanne de Janua ordinis Fratrum Prædicatorum*. Ad calcem : *Immensas omnipotenti Deo Patri & Filio & Spiritui Sancto gratiarum referimus actiones, qui nostrum Catholicon ex multis & diversis doctorum texturis elaboratum atque contextum, licèt per multa annorum curricula in* MCCLXXXVI *anno Dñi nonis martii ad finem usque perduxit &c.* Hæ typis prodierunt editiones.

Prima in ipsis typographiæ incunabulis circa MCCCCL Moguntiæ apud Joannem Fust fol. non quidem typis mobilibus nondum inventis, sed ad modum Sinarum tabulis ligneis sculptis. Sic enim refert Trithemius Chron. Hirsaug. T. II anno 1690 edito, ubi de Joanne Guttenber & Joanne Fust Moguntinis civibus primis artis typographicæ inventoribus sic habet ad 1450 : *Imprimis igitur characteribus litterarum in tabulis ligneis per ordinem scriptis formisque compositis vocabularium Catholicon nuncupatum impresserunt : sed cum iisdem formis nihil aliud potuerunt imprimere, eo quod characteres non fuerunt amovibiles de tabulis, sed insculpti sicut diximus &c.* Quæ Trithemius didicerat a Petro Schoeffer altero Joannis Fust socio. Videsis dissertationem Gallicam Andreæ Chevillier socii Sorbonici de origine typographiæ p. 4.

Altera ex arte typographica tum perfecta, tamen absque numeris signaturis, reclamationibus, anno, loco, nomine typothetæ, absque litteris etiam initialibus, quæ omnes manu additæ & pictæ : quam Moguntiæ prodiisse conjiciunt. Extat ejus exemplum Parisiis in Genovefiana fol. max. charta regia.

Tertia Moguntiæ 1460 fol. ad calcem legitur : » Altissimi præsidio cujus nutu infantium linguæ « fiunt disertæ, quique nimio sæpe parvulis revelat « quod sapientibus celat, hic liber egregius *Catholicon* Dñicæ incarn. annis MCCCCLX alma in urbe « Maguntina &c. non calami, styli aut pennæ suffragio, sed mira patronarum formarumque concordia, proportione & modulo impressus atque « confectus est «. Deest typographi nomen, sed Joannem Fust & Petrum Schoeffer solos tum Maguntiæ typothetas auctores fuisse merito conjiciunt. Hujus editionis exemplum est Parisiis apud Fulienses ad S. Honorati, alterum apud Minimos Nigeonii ad Parisios : recensetur etiam in catal. codd MS Angliæ, Append. inter codd. Vet. Edit. n. 1. Plures exinde fuerunt editiones.

Venetiis 1483 fol. Bibl. August. Vindel. Reiseri p. 117.

Ibidem 1491 fol. Extat apud nostros Parisien: ad S. Jacobi.

Rursus Octaviani Scoti 1495 fol.

Lugduni. Joan. de Prato 1489 fol. apud nostros Parif. ad S. Honorati.

Ibid. per Petrum Ægidium emendata & aucta typis Antonii Dury 1520 fol. In Sapientia Romana.

Parisiis Jodoci Badii 1506 fol. apud nostros Rotomagen.

Codices MS innumeri passim reperiuntur etiamnum in Biblioth.

Parif. Regia 3601, 4688, 5489. Colbert. 534. Germanea a pratis 590. Victor 156. Sorbon. 1154. Navarr. semel. Augustin. ad pontem novum 78. Sanjacob. Prædic. bis.

Romæ Vatic. ex abbate Justiniano ter 1471, 73 & 74.

Catal. codd. MS Angliæ T. I P. II, 129 : P. III, 46, 1032, 1663, 2248 : T. II P. I, 392, 1773, 3008, 4060.

Cæteros mitto brevitatis causa. Gallice etiam a quodam magistro artium versum ad usum scholarum Parisiensium extat in Victor. cod. 705.

Jam de auctore ut aliquid dicam, quidam nimium laudant, deprimunt etiam quidam nimis. Sunt qui non solum Latine sed & Græce peritum asserant, quod gratis astruunt, cùm ipse de se sic ingenue fateatur p. 1 cap. 1 : *Hoc difficile est scire, & maxime mihi non bene scienti linguam Græcam*. Inter censores verò eminet Erasmus, qui tum opusc. de ratione studii, tum in colloquiis ejus Latinitatem acerbe sugillat & ridet : cui & similibus ea ætate jam fecerat satis Leander Albertus Descript. Ital. Vers. Kyriand. p. 27 : *Quod opus etsi tanto viro indignum censeant aliqui* (*alcuni* sic Itala editio) *habenda tamen illi gratia, quippe cum iis quæ fecit fundamentis qualiacumque sint, ædificia videmus erecta nobilia, resque vulgata sermonibus habeatur, inventis facile esse addere*. Quibus similia habet Illust. Vir. fol. 137 a. Addendum ut jam monui vocabularium esse non tantum primæ sed & mediæ & infimæ Latinitatis, quod & suo & nostro seculo apprime necessarium. Sic enim ille in prologo : *De origine & significatione quarumdam dictionum, quæ sæpe inveniuntur in Biblia, & in dictis sanctorum & etiam poetarum secundùm ordinem alphabeti ordinate subjungam*. Ne quis verò criticus de vocum quarumdam Græcarum etymologiis non accuratis dicam scribat, noverit ille quisquis est, has Joannem nostrum non a se suove penu depromsisse, sed quales vel apud Isidorum legerat, vel a doctioribus sui seculi fingebantur retulisse, plerumque tamen falsis & fictis veras & genuinas subjecisse.

Præter laudata hactenus opera Leander citatus ei ascribit

Postillam super Joannem.

Hanc præ manibus habebat noster Philippus de Barberiis Siculus, cùm circa 1480 suum opusculum de his in quibus Augustinus & Hieronymus dissentire videntur scribebat: nam sub finem his eam citat. Primo quidem sic: *Et Johannes Catholicon sua in postilla super Joannem cap. 9. Dicitur enim epistola Pilati &c.* & postea: *Caterum ut Johannes Catholicon in postilla super Johannem meminit adducens Damascenum lib. 4 Videns Abgarus &c.* Joannem nostrum a majori opere designat. Imo Sixtus Senensis scripsisse testatur *Postillas super quatuor evangelia*, quarum hoc initium: *Cur voluit Deus non plures quam quatuor esse evangelistas.* Et addit sua ætate Januæ ad S. Dominici MS extitisse.

Oldoinus Athen. Ligust. addit ex Soprano

Tractatum de omnipotentia Dei. Penes quos fides.

Emendandus hîc Possevinus, qui Joannem hunc in duos dividit, alterum Balbum, alterum Genuensem agnominans, utrique idem opus *Catholicon* tribuens: quem errorem excepit Altamura primum ad 1280, alterum ad 1411 collocans. Turpius allucinatur Oudinus Supplem. ad Bellarminum p. 561, ubi Jacobum de Janua seu de Voragine, & Joannem Balbum de Janua unum & eumdem hominem fuisse contendit: etsi enim ambo pares, distinctissimos tamen viros probant & opera & munia diversissima, ut & nomina expanse in codd. MS eorum ætatis scripta. Fallitur & Thomas James Eclogæ P. II p. 40 cùm *Catholicon* asserit Antonio Rampegoli Jannensi Augustiniano in concilio Constantiensi anno 1418 claro, qui opus quidem *Figura Biblia* inscriptum edidit, sed *Catholicon* seculo integro & amplius se vetustius sibi non vindicat. Est & erratum in catalogo Bibl. Colbert. cod. MS 1827, ubi *Canon eclypsium Joannis de Janua editus anno Christi* MCCCCXXXI, *& investigatio eclypsis solis anni* MCCCCXXVIII, ejusdem nostri Joannis de Janua opus esse asseritur, quod sola ætas falsum evincit, nam nostrum anno MCCLXXXVI jam senem vix XIII seculum excessisse crediderim. Quod monendum fuit & ne quis ab eo indice falleretur, & ut nomenclatoribus scriptorum Ligurum auctorem indicarem quem aut omiserunt aut ignorarunt.

F. GUILLELMUS DE TONNENS.

* 1299. F. GUILLELMUS DE TONNENS, non *Tonnais* ut aliqui corrupte, Gallus Aquitanus, non Neapolitanus ut falso Vallius & Altamura, ex oppido *Tonnens* in diœcesi Agennensi ortus, domusque Agennensis alumnus, vir gravis fuit, inquit Bernardus Guidonis, *multum in sermone facundus & multis dotibus & gratiis a Deo dotatus.* Hinc ad conventuum regimen pluries & variis in locis electus: in indicibus Bernardi citati prior Orthesiensis tertius circa MCCLVII, Agennensis sextus circa MCCLXXIII, Burdegalensis decimus tertius anno MCCLXXV, Agennensis iterum, Massiliensis circa MCCLXXXIV, quo eodem anno in comitiis Provinciæ Perpiniani habitis electus fuit, qui sequenti anno MCCLXXXV in comitiis generalibus Bononiæ habendis magistri ordinis elector & diffinitor adesset & sederet: denique S. Maximini primus anno MCCXCV. De quo sic Bernardus citatus: *Primus prior S. Maximini destinatus fuit ad instantiam regis Siciliæ per summum pontificem Bonifacium VIII F. Guillelmus de Tonnens diœcesis Agennensis, qui tunc erat in Romana curia, qui tamen non pervenit ad locum prior, sed antequam recederet de Romana curia fuit absolutus, & alius substitutus, dimidio anno jam elapso a tempore sua institutionis.* Vallius & Altamura eum censent qui Carolo II Siciliæ regi a sacris arcanis fuit, & eidem capto & in carcere apud regem Aragoniæ anno MCCLXXXIV detento individuus adhæsit; sed falluntur, siquidem illo ipso anno electus est in comitiis Perpiniani quibus aderat pro sequentibus generalibus Bononiæ habendis diffinitor: alius igitur fuit fidus ille Caroli consiliarius & concaptivus, de quo sic Bernardus citatus: *F. Petrus de Alamanone factus Sistaricensis episcopus anno* MCCXCII *Dño Carolo rege Siciliæ procurante, cujus regis in tribulatione particeps comes & confessor extiterat in captione, qua a Siculis captus & a rege Aragoniæ detentus fuit.* Huic tamen regi anno MCCLXXXVII liberato Guillelmus noster ob eximias dotes acceptissimus fuit, ideoque ab eo primus prior S. Maximini quæsitus: Verùm addit Bernardus *Hic senex & debilis & decrepitæ jam ætatis obiit anno* MCCXCIX *in conventu Massiliensi, ubi lector & prior fuerat ante.* Hunc Vallius & Altamura volunt scripsisse SEC. XIII.

In universam sacram scripturam.

De quo penes illos fides, nam alii omnes id silent.

F. ALBERTUS DE JANUA.

* 1300. F. ALBERTUS DE JANUA Ligur a patria sic pro more dictus, Clavarus a familia nuncupatus conventus S. Dominici Januensis alumnus sic a Bernardo Guidonis laudatur: » Decimus magister » ordinis F. Albertus Januensis bacalarius in theo- » logia Parisius, vir magnæ religionis & observan- » tiæ regularis, factor operis & sermonis. Hic elec- » tus fuit in magistrum in capitulo generali Massi- » liæ celebrato A. D. MCCC sabbato sancto pente- » costes, scilicet v Kal. junii in fine mensis maii » die XXVIII, (pascha fuerat april. x) ubi inclusis » ut moris est electoribus in conclavi numero XXIX » in universo, inter quos erant novem priores pro- » vinciales, scilicet F. Bernardus de Juzico Provin- » ciæ, F. Guillelmus de Kaico Franciæ, F. Bertol- » dus Lombardiæ, F. Hugo Romanæ, F. .... » Regni Siciliæ, F. Thomas Angliæ, F. Ægidius vel » Slidaus Poloniæ, F. Oliverius Daciæ, F. N. Græ- » ciæ; (aberant Hispaniæ, Hungariæ, Teutoniæ » & Terræ-sanctæ) in scrutinio XXIV electores in ip- » sum F. Albertum tunc temporis lectorem conven- » tus & studii Montispessulani, qui unus de electo- » ribus præsens erat, vota sua direxerunt, & ipsum » rite & canonice in magistrum ordinis elegerunt, » aliis omnibus consentientibus in eumdem. Qui in- » de capitulo celebrato versus Romanam curiam » arripiens iter suum, cùm esset Anagniæ in con- » ventu Fratrum positus, infirmatus in fine mensis » augusti quinta die (scilicet a fine numerando) quæ » fuit sabbatum scilicet vigilia vel in die B. Augus- » tini traditus est ecclesiasticæ sepulturæ. Tribus » mensibus tantum præfuit ordini, sabbato sancto » electus ad laborem magisterii, sabbato quoque a » laboribus in Domino requievit anno magnæ in- » dulgentiæ Dñi prætaxato MCCC. «

Ex quibus discimus sacræ facultatis Parisiensis baccalaureum tantum fuisse, dum autem vices suas regendi ibidem ut magister expectaret, interea in Montepessulano, ubi vigebat celebre studium generale, primarium lectorem egisse: in capitulo verò electionis præter quatuor provinciales sex variarum provinciarum electores defuisse: tandem mortuum XXVII augusti quæ fuit sabbatum, nam erat litt. Dom. C. B. & sequenti XXVIII sepultum. Concordat antiquum Kalendarium obitui magistrorum ordinis scribendo dicatum in magno rituali Humberti apud nostros Sanjacobeos servato, in

Sec. XIII. quo sic legebam : VI *Kal. sept. obiit F. Albertus magister ordinis X.* Hæc ei a Rovetta opera ascribuntur:

Commentarii in IV *sententiarum libros.*

Postilla in psalmos. Penes quem fides.

Laurentius Pignon sic habet n. 25 : *F. Albertus Januensis baccalarius in theologia scripsit*

Super libros priorum, prædicamenta & sex principiorum.

Epistola ejus ad universum ordinem encyclica, e capitulo generali Massiliensi data habetur in actis, & typis edita a Soëgio in Anno Dominic. Gallico ad diem XXVII augusti, & cum actis capp. genn. in Thesauro Novo anecdotorum D. Martene T. IV.

Ejus meminit Oldoinus Athen. Ligust.

F. JOANNES DE ALBINIACO.

* 1300. F. Joannes de Albiniaco vulgo *d'Aubigné* Gallus Parisiis clarebat anno MCCC tum adversus hæreticam pravitatem inquisitor generalis, & inter insignes verbi Dei præcones computatus. Ejus habetur in cod. Colbert. 3725 fol. med. memb. qui collectio est sermonum integrorum a famosioribus ejus ætatis concionatoribus habitorum fol. 233

Sermo ab eo dictus Dom. I *post trinitatem.* Tit. *Frater Joannes d'Aubigné inquisitor hæreticorum.* Pr. *Recepisti bona in vita tua.* Divisio : *Primo ponitur differentia meritorum præsentium : secundo differentia præmiorum sequentium.* Implet coll. XIIII. Et hoc esto indicium plures alios ab eo prodiisse, quos vicissitudo temporum absumpsit.

Nota *Aubigné* sic enim in cod. MS an a familia antiqua & hac ætate illustri, an ab oppido in provincia Bituricensi ad amnem *Nerre* duobus circiter milliaribus Gallicis a Concordiæ Salsu & quinque a Gienno. Difficultas est quod hoc Gallice dicunt *Aubigny* non *Aubigné*.

F. THOMAS DE SUTTON.

† 1300. F. Thomas de Sutton Anglus vel a patria comitatus Lincolniensis oppido sic nuncupatus, vel etiam a familia dominorum loci, ex qua plures in seculo & in Ecclesia illustres viri prodierunt, & e qua erat Oliverus de Sutton episcopus Lincolniensis anno MCCLXXX electus vir clarissimus, seculo etiam ipse XIII ad occasum vergente floruit. Oxoniæ litteris operam dedit humanis & divinis, ibidemque lauream consecutus est & rude donatus. Laudat Leander fol. 136 a. inter illustres sacræ scripturæ interpretes, vultque anno MCCLXXVII claruisse. Pitseus refert ad 1290, forsan & ad MCCC pervenerit, siquidem Lelandus qui eum cap. 305 Sudodunum nuncupat, & Dominici sectatorem non inglorium, Guillelmo nostro *Machelesfield* anno MCCCIII mortuo jungat. Dempsterus qui de ætate convenit cum Pitseo, non Anglum sed Scotum fuisse contendit Hist. Eccl. Scot. lib. XVII n. 1075, asserens Suttonum ipsum præfatione ad suas quæstiones theologicas Scotum aperte se profiteri, licèt in Anglia educatum : nam addit Dempsterus, Oxoniam Scoti studiorum causa adire solebant regis Scotiæ missi altique stipendiis. Tantam nostrum non est componere litem, quam indigenis curiosius expendendam & dirimendam permittimus. Ut ut sit Dempstero non facile assentimur, cùm Suttonum vult Parisiis laurea magisterii insignitum, cùm inter magistros Parisienses non recenseat Bernardus Guidonis his annis sat accuratus, sed Oxoniæ ubi studia confecerat hoc honore donatum verisimilius. Ejus cum laude meminerunt nomenclatores nostri omnes & ultimo Altamura ad 1278 : antiquior omnibus Laurentius Pignon sic habet n. 17 : *F. Thomas de Sutton natione Anglicus magister in theologia scripsit*

1. *Super prædicamenta, super sex principia, super librum priorum.*

2. *Complevit scriptum S. Thomæ super perihermenias.*

3. *De unitate formarum.*

4. *Item de relatione.*

5. *Item duo quodlibeta.* In catal. codd. MS Angl. T. I P. II n. 605 sic legitur : *Quæstiones ordinariæ 35 quæ intitulantur Quodlibeta Thomæ Sutton.*

6. *Item summam theologiæ.* Addit Leander *cum quæstionibus difficillimis pro declaratione doctrinæ D. Thomæ Aquinatis.*

7. *Item super psalterium.*

Præter hæc a Laurentio recensita in catal. Angl. cit. P. II cit. n. 1337 sic legitur : *Thomæ Sutton tractatus contra æmulos & detractores Fratrum Prædicatorum.*

Dempsterus illi ascribit *Quæstiones theologicas*, & *tractatum de concordia theologorum.* An sint quid a superioribus diversum, docebunt indigenæ curiosi.

Compendium illud celebre quod incipit, *Veritatis theologicæ sublimitas*, quidam nostrates illi ascribunt, ansam sumentes ex eo quod S. Antoninus Hist. P. III Tit. 18 cap. II § 2 ubi de operibus S. Thomæ agit sic habet : *Compendium verò quod incipit, Theologicæ veritatis sublimitas non est Alberti Magni nec S. Thomæ, sed cujusdam doctissimi viri qui vocabatur Frater Thomas :* at nec ordinem cujus erat, nec ejus nationem addit. Bandellus verò in utraque tractatus de conceptione B. V. editione huic nostro Thomæ *de Suetonia*, (sic enim corrupte nomen ejus scribit) asserit. Assentiri videtur Dempsterus, inter ejus opera numerans *Breviarium theologiæ.* Si fides Alvæ Sol. Verit. Rad. 4, ubi quærit quis sit auctor hujus compendii § 10 col. 178, quidam anonymus Hispanus noster anno 1663 scribens de conceptione B. V. sic habet : *Es sin que en esto pueda haber duda, de Fray Thomas de Suetonia Fraile nuestro. Vease a S. Antonino.* Addo quædam auctorem Anglum prodere. Sic enim habet lib. 2 cap. 10 de tempore : *Nam studium sapientiæ cœpit in Ægypto, postea fuit in Græcia, post hoc Romæ, deinde in Francia & in Anglia.* Quis enim studium sapientiæ orbe pervagato in Angliam tandem secessisse diceret nisi Anglus? Sed de auctore hujus compendii iterum redibit sermo in seqq. ubi *de Hugone Argentinensi.*

Hic emendandus Altamura qui hunc auctorem in duos dividit, alterum ad 1278 quem *de Suetonia* corrupte cum Bandello, Lusitano, & aliis nuncupat, alterum *de Vintona* ad 1320 : eumdem enim & unicum esse hominem & scriptorem opera omnino eadem evincunt.

F. ANGELUS NIGRI.

F. Angelus Nigri inter scriptores circa MCCC claruisse fertur a Leandro Alberto fol. 149 † 1300. b, Lusitano ab aliis *Antonium* dictum testante, Razzio p. 273, Castillo P. I lib. 3 cap. 49, Fernandez, Altamura ad 1293, Fontana Hist. prov. Rom. Discrimen tamen inter eos est, quod alii Etruscum velint & patria ut & professione Viterbiensem & S. Mariæ de'Gradi alumnum : Lusitanus verò primam partem Monum. Ord. Taëgii citans, Teutonem & patria Vittembergensem scribat, nec in erratis emendet, licèt mendum ejusdem lineæ corrigat. Ut ut sit, conveniunt omnes jussu Bonifacii VIII librum scripsisse

De potestate papæ & multijuga opuscula. Forsan in Vatic. servata.

F. ABRAHAMUS

F. ABRAHAMUS WALDENSIS.

1300. F. Abrahamus Waldensis Anglus Cantuariensis laudatur hîc ex fide Ambrosii Gozzei, Pii P. II lib. I col. 113 ad MCCC floruisse testantium, & Altamuræ ad 1299 referentis, ceu qui sacræ theologiæ magister fuerit Cantabrigiensis & scripserit

Super IV sententiarum libros.

Item super libros Aristotelis de logica, physicorum & de anima.

Verùm hic auctor mihi valde dubius est, cùm nullius istius nominis meminerint nomenclatores Angli, nec ipse Pitseus.

SEQUUNTUR SCRIPTORES QUORUM *ætatem certo deprehendere non potui, qui tamen vel seculo XIII, vel sub initia sequentis floruerunt: quos ordine alphabetico recensere visum est.*

F. ALBERTUS N.

F. Albertus N. id est absque agnomine recensetur a Ludovico de Valleoleti n. 42 his verbis: *F. Albertus fecit bipartitam, &*

Prima pars vocatur Alphabetum Originalium.

Secunda Alphabetum narrationum.

Quod si verum sit, circa MCCC floruerit hic auctor. At cùm duo hæc opuscula, quorum saltem secundi plura supersunt exempla, vulgo magistro ordinis VIII Stephano Bisuntino asserantur, vide supra ubi de eo & de istis tractatibus fuse actum est.

F. ALBERTUS N.

F. Albertus sive *Aubertus* N rursus absque agnomine a Petro de Alva Nod. indissol. p. 41 dicitur recenseri in Fascic. biblioth. Claudii Doresmieulx de quo art. seq. ceu qui scripserit a se visa inter codd. MS Belg.

Commentaria super veterem artem.

Item super sex principia.

Item super quatuor libros sententiarum.

Hîc sane mirus est Alva, contendit enim ea opera illa eadem esse, quæ sub nomine Alberti Magni ipsi falso attributa typis prodierunt, cùm sint hujus alterius *Alberti* seu *Auberti*. Sed facile revincitur. Unde enim novit hæc opera eadem esse quæ apud Albertum Magnum edita, siquidèm illa non vidit? Sed ponamus eadem esse, unde scit Albertum istum hactenus incognitum ab Alberto Magno distinguendum? Hîc sane licet dicere cum poeta: *Quid non audet invidum & insanabile scribendi cacoethes.* Sed de hoc rursus art. seq.

F. ALBERTUS DE ORLAMIDE.

F. Albertus de Orlamide, cujus ætas & patria ignorantur, sed opus scripsisse dicitur hoc titulo

Philosophia pauperum.

Recensetur in fasciculo bibliothecario Sacroprohano codd. MS Belgii a Claudio Doresmieulx Insulensi collecto, ceu quod ab eo in pluribus Belgii bibliothecis visum. Hujus Claudii meminit Sanderus Elenc. codd. MS Belg. P. I p. 254, ejusque fasciculum vidit noster Ghilbertus de la Haye Insulensis, vidit & Alva ejusque mentionem facit Nodi indissolubilis p. 41, vultque hunc *de Orlamide* de industria a nostris nomenclatoribus silentio pressum, ac ejus opus Alberti Magni operibus insertum, quo in eam molem excrescerent, quæ typis Lugdunensibus prodiit, sicque non *Magnus* tantum sed *solus* nominaretur. Quæ certe mentis abertatio Alvæ soli placere potuit, nostrorum enim nullum eo usque delirasse certo præstare possum. Sed rem expendamus. Non inficio Orlamidem illum plane apud nos incognitum: sed dico. Si illius nomine insignitum aliquem codicem vidit Claudius, cur bibliothecas non indicavit? Cur Sanderus æqualis nullius similis codicis in suo Elencho meminit? Præterea jam seculo XIII codices MS istius operis nomen Alberti præferebant, nullus alium auctorem agnovit quam Magnum Ratisponensem episcopum. Laurentius Pignon scribens anno MCCCLXXXIX & Ludovicus a Valleoleti scribens anno MCCCCXIII istud opus inter alia Alberti Magni numerant. Vide dicta supra ubi de Alberto Magno T. XXI. Aliunde ista *Philosophia pauperum* majoris Alberti Magni compendium est, & quædam habet ipsum indicantia. Sic enim P. IV cap. 26 loquitur auctor: *Et ex hac causa accidit hoc, quod pro miraculo habitum est in partibus nostris in Necaro in loco qui dicitur Lauffen: ibi enim absorptus fuit Necarus fluvius fere per leucam per unum diem, & non sentiebatur manatio aquæ supra & infra illam leucam, eo quod in loco terra motus absorbebatur, & egrediebatur post: & iterum residente fundo manavit ut prius.* Quæ Alberto Magno e municipio *Laugingen* Sueviæ ad Danubium orto mire conveniunt. Adde eodem capite mentionem fieri magni illius terræ motus, qui & diu duravit in Lombardia circa tempus tropici hiemalis, sive sole existente in signo Capricorni, cujus Albertus Magnus se oculatum testem prodit Meteororum lib. 3 tract. 2 cap. 9. Hinc istum Orlamidem nostris antiquis plane incognitum, nisi alterius *Philosophiæ pauperum* sit auctor, non alium ab Alberto Magno facile crediderim.

F. ALBERTUS DE PLACENTIA.

F. Albertus de Placentia Longobardus quidam laudatur a Rovetta ad 1231 Pium P. I. lib. I & Lusitanum testes appellante, apud quos nusquam mihi occurrit. Itaque penes illum fides, a quo ei tribuitur

Summa bipartita contra hereses.

F. ALBERTUS DE PULTA.

F. Albertus de Pulta Pisis ortus, unde & sæpius Pisanus simpliciter dictus, floruit vel hoc seculo XIII, vel sub initia sequentis. Ab eo relicta est

Postilla in Ezechielem.

Hanc legit & identidem citat ejus gentilis & symmysta Rainerius de Pisis variis Pantheologiæ suæ locis. Videsis verbo *Otium* cap. I ubi super illud Ezechielis 16: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ &c.* in fine capitis sic habet: *Hæc... & Albertus Pisanus ordinis Prædicatorum in postilla super Ezechielem.* Et verbo, *Relaxatio* cap. I ad finem: *Hæc Albertus de Pulta Frater Pisanus ord. Prædic. super allegato verbo. Diem pro anno dedi tibi. Ezech. 4.* Hunc quidem ultimum titulum *de ralaxatione* resecavit Joannes Nicolai in sua Rainerii editione, sed videsis codd. MS vel etiam editionem Lugdunensem anni 1519 a Lamberto Campestri curatam. Hinc cùm Rainerius Pantheologiam compleverit anno MCCCXXXIII recte colligo Albertum hunc antea & fortè jam sec. XIII vixisse. Apud Leandrum fol. 143 b, sic lego: Albertus ex Albertea familia Pisana ortus, vir ingentis litteraturæ, optimæ « prudentiæ, magnique animi, fuit unus ex primoribus patribus ordinis tempestate sua. Præfulserat in eo quædam affabilitas cum quadam lenita-

SEC. XIII. » te conjuncta, ut omnibus æque carus esset. Egit » omni cum laude plurimas præfecturas, optimus » concionator habitus est: ob ejus enim ingenii ac » eloquii dexteritatem ad constituendum cœnobium » Pisanum maximo fuit adjumento. Tanto verò in » pretio apud omnes fuit tam cives quam exteros, » tam populares quam nobiles, ut nunquam petitione sua frustratus fuerit. Floruit circa annum Dñi » MCCLX «. Nisi obstaret agnomen, eumdem esse hominem facile crederem: saltem examinent indigenæ curiosi annon familia Pulta, ramus fuerit Albertea: si verò alia est, hîc addant, & an opus Pultæi apud Pisanos nostros servetur adhuc, sicque unicum.

F. ALBERTUS DE ROMA.

F. Albertus de Roma a patria & professione sic nuncupatus, & hîc ab interitu a me primum vindicatur, & hoc vel sequenti ineunte seculo floruit. Scripsit

Commentarium in quatuor libros sententiarum.

Ejus meminit Rainerius supra citatus in sua Pantheologia. Videsis codd. MS vel editionem Lugdunensem anni 1519. Tit. *Phrophetia*, cap. 65 *de restauratione regni Christi*, ubi Rainerius sex affertationes, sic habet ad finem capitis: *Hæc B. Thomas* IV *scripto sentent. dist.* 41 *a.* 1 *q.* 2, *ubi assignat tres rationes prædictas: & Dominus Frater Albertus de Roma ordinis Prædic.* IV *scripto sentent. dist.* 47, *ubi ponit tres alias rationes.* Cùm Dominum vocet, & episcopum fuisse conjicio: in antiquis enim ordinis monumentis soli episcopi & cardinales eo honoris titulo insigniuntur: unde mirum a nomenclatoribus omissum fuisse, sed non illius unius sors est. Joannes Nicolai in sua Rainerii editione antiqua capita ad pauciora contraxit, & quæ in jam laudata habentur cap. 65, Joannes Nicolai refert cap. 28 §. 1 in medio pag. 420 b, & rescindens titulum Domini sic solum habet: *Albertus de Roma ord. Prædic.* IV *senten. dist.* 47, & ad marginem, *ubi tres primas rationes in corpore indicat*, scilicet S. Thomas, *alias verò tres rationes dat Albertus de Roma.*

F. BARTHOLOMÆUS HISPANUS.

F. Bartholomæus Hispanus laudatur ad annum 1265 ab Antonio Senensi Jacobum de Susato testem adducente, quem excipiunt Fernandez, Pius, Altamura, & novissime Antonius Bibl. Hisp. vet. lib. 8 cap. 3 n. 121, quid tamen certius non afferens de ætate aut patria hujus auctoris. Certum tamen illum hoc seculo vel initio sequentis vixisse, siquidem ejus meminit Ludovicus a Valleoleti anno MCCCCXIII scribens, qui sic habet n. 70: *F. Bartholomæus Hispanus fecit Summam grammaticalem valde utilem.*

F. BENEDICTUS URBEVETANUS.

F. Benedictus Urbevetanus Etruscus a patria & professione sic nuncupatus a Lusitano claruisse dicitur ad annum 1262, quem excipiunt Possevinus & nostri Pius, Fernandez & Altamura. Leander Albertus fol. 144 ubi eum concionatorem accuratum vocat, paulo recentiorem facere videtur, cùm Guidoni Ebroicensi anno MCCXCII florenti postponat. Ut ut sit seculo XIII floruisse certum. Scripsit

Sermones de tempore & de Sanctis.

Extant Venetiis in Bibl. SS. Jo. & Pauli cod. MS memb. in 4 scilicet Pl. VI, sic enim refert Tomasinus.

Rovetta hunc Benedictum non solum ad 1253 revocat, sed & adversus omnem veri speciem Lombardiæ scriptoribus accenset, siquidem domus Urbevetana ab initio provinciæ Romanæ addicta fuit, & seculo XIII & sequenti constanter adhæsit, ut & nunc ejus est.

F. BROCHARDUS TEUTO.

F. Brochardus vel *Boucardus* aut etiam *Burchardus* Teuto natione patria Argentinensis & professione vir juris canonici peritus seculo XIII vel XIV floruit. Hunc plures cum superius ad 1283 laudato confundunt, nullo tamen antiquiori teste quam Jo. Ant. Flaminio, qui ut ita sentiret, sola videtur omonymia motus. Distinguendos verò ego censeo tum propter dicta supra de altero quem viatorem & geographum appellare distinctionis gratia placet, tum maxime quod Flaminio antiquiores nostri qui de canonista agunt, descriptionem Terræ-sanctæ ei non tribuant. De isto sic F. Laurentius Pignon catalogi n. 53.: *F. Boucardus Teutonicus scripsit Summam communem*, nec quid amplius. A Leandro Alberto inter illustres in jure canonico fol. 151 a. laudatur *Burchardus Argentinensis cum Summa juris.* Qui quidem Leander videtur ad seculi XIII finem vel XIV initia revocare, cùm Joanni Lectori seu de Friburgo postponat. Hujus verò operis plura etiamnum servantur in variis bibliothecis exempla.

1. Paris. in Regia codex est n. 4259 bombycino panno villoso tectus memb. fol. par. qui aliàs fuit D. Joannis Vicecomitis episcopi Novariensis & comitis ut notatur initio, & cùm is ad eam sedem anno MCCCXXIX evectus fuerit, & steterit ad MCCCXLII, ejus saltem ætatis codex censendus est. Titulus sed alia manu: *Manipulus episcoporum.* Ad calcem verò eadem totius codicis manu: *Explicit Summa de casibus Fratris Brocardi.* Princ. *De Simonia. Rubrica. Simonia dicitur hæresis, non quod ipse actus sit hæreticus, sed credere licenter posse emi spiritualia vel eis annexa. Quid sit simonia? Simonia est studiosa voluntas &c.* Liber II est *de homicidio.* Liber III *De clericis & ordinationibus, & quales debent esse ordinandi.* Liber IV *De pœnitentia.* Liber V *De sponsalibus.* In quo opere condendo licèt videatur auctor ad Summam S. Raimundi attendisse, cujus ut plurimum ordinem sequitur, plura tamen habet sibi propria & singularia.

Alterum exemplum laudatur Patavii in Bibl. S. Antonii Plut. XVII: *Summa F. Burchardi Teutonici ord. Prædicat.* fol. memb.

Tertium Venetiis ad S. Antonii a part. sinist. in pluteolis ad parietem: *Summa de pœnitentia F. Brochardi Theutonici* in 4 memb.

Quartum ibid. apud S. Franciscum a Vinea: *Summa Buchardi de casibus conscientiæ.* Hæc tria ultima recenset Tomasinus in Bibl. suis Venetis & Patavinis.

Quintum exemplum Cremonæ apud Eremitas Augustinianos: *Summa F. Brocardi Teutonici ordinis Prædicatorum.* Sic Possevinus Append. p. 106.

F. CONRADUS.

F. Conradus qui *Conrardus* * a Lusitano p. 62 dicitur & ad annum 1295 refertur, ab Altamura verò ad 1321 ignotus inquit cognomine, natione & patria, a Ludovico de Valleoleti longe antea laudatus fuerat suæ Tabulæ n. 41 his verbis:

F. Conrardus fecit Tripartitam per Abecedarium.

Agnomen quidem nec ille prodit, nisi ejus qui

codicem Victorinum scripsit, oscitationi id tribuas: sed cùm dictam tabulam Ludovicus Parisiis scripserit, non dubitarim quin opus indicare voluerit a se in bibliotheca Sanjacobea visum, & in eadem etiamnum servatum, & a me expensum XXVI sept. MDCCXV. Codex est MS memb. fol. par. seu 4 majori. Porro ex eo habetur & natio & patria hujus scriptoris, is enim est titulus

Incipit Tripartitum Fratris Conradi de Halberstad ordinis Prædicatorum. Prologus : *Sicut dicit Tullius libro de paradoxis, ita vita & factis &c.* Alphabetum primum sic incipit : *Abjicere temporalia.* Alterum brevius : *Artium inventores &c.* Tertium rursus incipit : *Abjicere* & sequuntur ex ordine *Abstinentia, Acidia &c.* Codex est eleganti charactere Gothico scriptus & videtur seculi XIII finientis vel sequentis ineuntis, unciam circiter spissus. Sunt loca communia pro concionatoribus, & in his etiam quædam ex historiis curiosa.

Hæc verò certa conjecturam Rovettæ revincunt, qui hunc auctorem ad annum 1326 suis nititur asserere Lombardis, & *de Lauda* apud Insubres agnominat ex relationibus inquit conventus Bononiensis: cùm ex ipso opere Saxonem fuisse constet, & patria professioneque Halberstadiensem. Quod addit Rovetta Conradum etiam reliquisse

Sermones de tempore & de Sanctis

facile crediderim, cùm id esset ea ætate vulgare, sed qui nisi alicubi lateant, vicissitudine temporum perierint. An verò hic Conradus alius sit a Conrado de Halberstad qui florebat ad 1321, & vivebat adhuc anno 1342, ubi de eo agemus, licèt verisimillimum sit, curiosis Germanis discutiendum permitto.

FF. CABERTUS & P. DE ROSSET.

FF. CABERTUS & P. DE ROSSET viri graves hactenus a nostris nomenclatoribus omissi, e tenebris nunc eruuntur, ceu qui seculo XIII floruerunt inter MCCXXX & XL, unâque agentes in Provincia statuta Ecclesiæ Sistaricensis collegerunt, & suæ collectioni titulum indiderunt

Manuale Ecclesiæ Sistaricensis.

Quod opus inveniens Henricus de Secusia famosus ille juris canonici doctor episcopus Sistaricensis anno MCCXLI electus, qua in Ecclesia sedit ad MCCL, ita probavit, ut quibusdam tantum additis, quibusdam amplius declaratis in lucem emiserit, & in synodo Sistarici habita jusserit ab omnibus ad amussim observari. Illud verò debemus diligentiæ celebrium ascetarum congregationis S. Mauri D. Edmundi Martene & D. Ursini Durand qui locum ei dederunt sui thesauri novi anecdotorum tomo 4 a p. 1079 ad 1096 & amplius. Pr.

In nomine sancta & individuæ Trinitatis. Ad honorem ejusdem nos Henricus ipsius permissione Sistaricensis episcopus synodo nostra apud Sistaricum congregata, Manuale quondam effectum per Fratres Cabertum & P. de Rosset de ordine Prædicatorum aliquibus capitulis additis, aliquibus declaratis approbavimus, & ea quæ inferius continentur, ab omnibus subditis districte præcipimus observari. Sunt ad 104 capitula seu statuta.

Quinam verò isti Cabertus & P. de Rosset, unde orti, & cujus domus ordinis alumni, jam frustra quæreretur, cùm illius temporis memoriæ perierint. In vitis Fratrum P. 5 §. 40 sic legitur : » In conventu Lugdunensi fuit quidam Frater Chabertus nomine zelator magnus animarum. Hic cùm per annos XX & amplius prædicasset contra (*alius codex* circa) montana Sabaudiæ quasi continue (*alius codex* & confiniæ) tandem veniens ad villam quæ dicitur *Aqua bella*, in qua primam suam missam celebraverat, & in qua fructum multum fecerat prædicando, sentiens se gravatum dixit : Parate mihi missam, quia in hac villa primam missam celebravi, & ultimam credo me celebraturum. Qua celebrata devote, fecit se ultima inunctione inungi, & verbis sanctis & devotione fidei suæ multos qui affuerunt quammultum ædificans, post modicum in Domino obdormivit. Factus est igitur concursus populorum non modicus ad ejus sepulcrum, & quamplurimi dicuntur a variis languoribus liberati : & Ecclesia canonicorum regularium apud quos sepultus est ibidem, multum est oblationum proventibus augmentata «. An hic Chabertus Lugdunensis domus alumnus, sit idem cum Caberto collectore statutorum laudatorum non ausim dicere, sed tempora conveniunt, & qui in confiniis Sabaudiæ prædicavit, potuit & in Provincia clarum sibi nomen facere.

F. GOTOFRIDUS DE WATERFORDIA.

F. GOTOFRIDUS DE WATERFORDIA Hybernus a patria sic & professione nuncupatus, quantum conjicere est ex ejus operibus seculo XIII floruit, nec solum Latine sed & Græce, Arabice & Gallice peritus fuit, quem propterea & in regiones Orientales profectum, & in Galliis Parisiis potissimum non modico tempore hæsisse recte existimes. Hæc enim e Latino, Græco & Arabico Gallice lingua vulgari dicto seculo usitata reddidit.

1. *Daretis Phrygii librum de bello Trojano.* Titulus : *Chi comence l'epistle Cornelius, qu'il envoia a Saluste Cresprus de l'estoire des Troiens, laquele estoire fu escrite en Griu par Dares le Frigien.* foll. 12 continet in fol.

2. *Eutropii Romanam historiam.* Prologus : *L'Estoire des Romains qui commencha puis le tens que la cité fu establie, escrite par Etropius le tres noble ber, qui bien savoie les estoires. Ly premiers livres comence a Romulus le premier fondor de la citei, & dure tout l'estoire jusques a Jovinian l'emperrior, & contient veritablement les gestes des senatours & des ducs & des emperors, qui Cesar sunt apellés, & contient les dignitez des conseilhez, & l'ordene des chevaliers.* Chapitre 1. *L'empire Romain tant etet petiz al comencement &c.* foll. 26 in cod. MS. Quæ sic Latine reddas. » Historia Romana ab Urbe condita per illustrem virum Eutropium historicum peritum & accuratum scripta. Primus liber incipit a Romulo primo Urbis conditore & progreditur continuo ad usque Jovianum imperatorem, gestaque senatorum, ducum & imperatorum, qui Cæsares sunt appellati sincere refert, & unâ quæ consulum dignitas quisve ordo equitum fuerit «. Quod scribit Jovinianum prò Joviano, indicat mendum fuisse in suo cod. MS. Idem revera erratum etiam in quasdam editiones irrepsit. Videsis Basileensem Joan. Oporini 1559 in 8 etsi a viris eruditis Antonio Sconbouq, Elia Vineti, & Henrico Glareano dicatur curata & emendata. Videsis inquam p. 135. Initium capitis primi non interpretor, cùm apud Eutropium legi possit.

3. *Aristotelis ad Alexandrum librum, qui dicitur secretum secretorum, seu de regimine regum.* Hujus plura referre necesse est ad viri notitiam pleniorem. Pr. *C'est li preloges de secré de secrés. A noble bers prouz & sages, Freres Joffroi de Watreford de l'ordene az Freres Precheors le mendre, salus en Jhesu Crist & santei d'aulme & de cors &c.* Quæ sic reddo. » Nobili viro strenuo & prudenti, F. Goffridus vel Gotofridus ab Waterfordia ordinis FF. Prædicatorum minimus, salutem in Jhesu Christo, animoque & corpore bene valere «. Cuidam magnati etsi in codice quem excipio non

Sec. XIII. nominato operam nuncupabat, sic enim post plura prosequitur : *Laquele chose aparcheust la sutelitei de vostre engin, & por chon une fois soi porvoit & porpense d'armes, & d'autres choses deuwes abatailhes : autrefois se esbat en desduis de livres &c.* » quod subtilitate ingenii optime intellexisti : & » ideo modo arma aliaque in bello necessaria pa» ras, modo in lectione librorum deliciaris &c «. prosequitur : *Pour laquel chose entre les autres bones livres que vous aveiz, desireiz vous a avoir un livre Aristotle le tres saichant philosophe qui est apellez, segrez des segrez, ou livre du gouvernement des rois ou des princes. Et pour ce moi priastes, que cel livre ki fu translatei de Grieu en Arabic, & derechef de Arabin en Latin, vos translataisse de Latin en Franchois. Ce je a vous priieres al translater ai mise ma cure, & avoiques le plus grand travail, ken autres hautes & parfondes estudes sui en besoigneis. D'autre part savoir devez ke les Arabiiens trop ont de paroles en corte veritei, & les Grigois ont oscure maniere de parler, & il me convient de l'un & de l'autre langage translater, & por chou le trop de l'un escourcirai & l'oscurtei de l'autre esclarcirai, solonc ce ke la matire puet soffrir : car lur entente sievrai, ne mies lur paroles. Saichiez derechief que souvent i metterai autres bones paroles les ques tot ne soient mie en cel livre, al mains sunt en autres livres d'autoritei, & ne sont pas mains profitables ke celles ki en cel livre sunt escrites, & quanque je i mettrai a la matire acordant sera. A la parfin saichies que les livres ki de Arabic en Latin furent translatei, furent fausement translatei, & por ce lairai je pluisors choses ki ne sunt veritez ne profitables, & prenderai la * meule, & la veritei cortement. Por que ligierement trosse chascune matire du livre, ai les titles ou les thes mis al comencement.*

* medullam.

» Quamobrem ad alios bonos libros quos jam » habes, addere cupis Aristotelis sapientissimi phi» losophi librum secretum secretorum dictum seu » de regimine regum ac principum. Ideoque me » rogasti, ut opus illud ex Græco primum Arabice, » & rursus ex Arabico Latine versum, e Latino » tui gratia Gallice interpretarer. Id tuis precibus » motus agere curavi, majoremque laborem adhi» bui, quam in altioribus & profundioribus quibus » detineor studiis, soleam. Aliunde scias velim Ara» bes multo verborum circuitu pauca vera dicere, » Græcos verò in modo loquendi obscuros esse : qua» propter ex utraque lingua vertendo, fusiora unius » rescindere, & alterius obscura illustrare conatus » sum, quantum materies subjecta pati potuit, sen» sum verborum non verba consectatus. Noveris » amplius plura alia me addidisse, quæ licèt eo li» bro non habeantur, ex aliis libris authenticis de» promta sunt, neque minus utilia quam hoc libro » scripta : hæc verò addita rei subjectæ prorsus » convenientia. Scito denique versionem ex Arabi» co Latinam non sinceram esse, ideoque plura nec » vera nec utilia a me ita resecta, ut medullam & » quod veritati consonum quam brevissime accepe» rim. Ut levius currat materies libri, titulos seu » theses cujusque capitis initio posui «.

Sequitur index capitum. *Cap.* 1. *De la louange Aristotle. C'est livre qu'est apellez secré de secrez ou de governement de rois &c.*

Finis : *Le livre de governemens de rois & de princes lequel Aristotles envoia al grant roi Alexandre par l'aide de Deu avons translatei en romans, & pluisours bonnes choses avons entees d'estoires antives, & de philosofie, & nostre garant avons amenei, fors pris poi de lus : & fait a savoir que ce que j'avons mis de la nature & la diversetez de viandes & de boires est translatez des livres Isaac, qui sont appellez Dietes universeles & particulers. Ceus qui cest livre liront, prient por Frere Jofroi de Waterfordde, & por Servais Copale, qui cest travail empristrent, & par l'aide de Deu l'ont a chief menei : & ausi le livre Dares le Prigien de la gerre de Troi, & ausi le livre de* (hîc lacuna in cod.) *du regne des Romains.*

» Librum de regimine regum ac principum, « quem magno regi Alexandro misit Aristoteles au« xiliante Deo in linguam vulgarem transfudimus, « & plura alia bona & utilia ex historia antiqua & « ex philosophia desumta inseruimus, & auctorem « nostrum ut propius fieri potuit ad lucem adduxi« mus : & est sciendum, quæ de ciborum & potuum « diversitate a nobis posita sunt, ea ex libris Isaaci « quibus titulus *Dietæ universales & particulares* « translata esse. Qui hunc librum legerint, orent « pro F. Gotofrido de Waterfordia, & pro Serva« tio Copale, qui hanc operam susceperunt, & « Deo adjuvante ad finem perduxerunt, ut & li« brum Daretis Phrygii de bello Trojano, & librum « Eutropii de imperio Romano «. Foliola 62 continet hoc opusculum.

Quæ opuscula tria servantur Parisiis in Bibl. Colbertina cod. 4154 fol. par. membr. charactere seculi XIII eleganti.

Eodem volumine *Sermones* sunt, qui in catalogo dicuntur nostri Jacobi de Voragine Gallice redditi : nempe

1. *In purificatione B. Mariæ Virginis.*
2. *Super illud thema* : Simile est regnum cœlorum homini qui bonum semen &c.
3. *In die cinerum.* Convertimini & agite pœnitentiam &c.
4. *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt &c.*
5. *Homo quidam habuit duos filios.*
6. *Discamus humilitatem per quam Deo appropinquamus.*
7. *Misit Herodes manus &c.*
8. *Beatus homo qui corripitur a Domino.*
9. *Videns Jesus turbas ascendit in montem.*
10. *In principio creavit Deus cœlum & terram.*
11. *Dixit Deus ad Abraham, Egredere.*
12. *Omnia in omnibus est Deus.*
13. *Dixit Jesus, Nisi abundaverit justitia vestra &c.*
14. *In nativitate Joannis Baptistæ.*

Postea explicatio brevis articulorum fidei & orationis Dominicæ Gallice. Denique sermones, *Dominica* 1 *adventus* : Ecce Dominus veniet & omnes sancti ejus cum eo &c. & deinceps *de tempore* super evangelia dominicarum totius anni : qui tamen nec cum sermonibus nostri de Voragine, saltem cum impressis, nec cum MSS codd. a me visis congruunt. Sunt autem evangeliorum explicationes faciles, morales & breves. Cùm verò non solum eadem manu scripti sint, qua opuscula relata nostri Waterfordii, sed & idem stylus idemque orthographiæ modus libenter ei ascriberem, seu ab eo compositos Gallice seu ex alio Gallice versos : verùm id nolim asserere absque vade, peritiorisque inquisitioni ac arbitrio permitto. Idem esto judicium de duobus opusculis eodem volumine contentis eodem stylo e Latino Gallice redditis eademque manu scriptis, quorum primi Latine titulus est *Libellus moralitatum*, Gallice, *Li petis livres de moralitez.* Alterius verò *Elucidarius*, liber nempe ille de cujus auctore tanta est apud literatos disputatio, Anselmo Cantuariensi aliis, aliis Honorio Augustodunensi ascribentibus ; F. Guillelmi Conventriensis Carmelitæ anno 1360 florentis, quicquid dicat Baleus, certo non esse constat tum ex codd. longe antiquioribus MS, tum ex ea versione Gallica quæ haud dubie XIII seculi, vel saltem sequentis.

Hic ſcriptor non ſolum noſtris hactenus, ſed & ipſi Varæo incognitus fuit : ideoque nobis viſus eſt fuſius expendendus, mirum enim hac noſtra ætate futurum eſt, Hybernum ſeculo XIII ad verſionem Gallicam ſuſcipiendam quæſitum fuiſſe.

F. GUILLELMUS GALLICUS.

F. GUILLELMUS GALLICUS ſeu *Willielmus* laudatur a Laurentio Pignon n. 81, & eo teſte ſcripſit

Librum de præparatione cordis.

Nullus dubito quin ille ſit, quem Poſſevinus ait librum edidiſſe, quem prænotavit, *Præparate*. Poſſevinum excipiens Altamura refert, anceps tamen & dubius ad 1514 : in Appendice verò ſuſpicatur eumdem eſſe cum Antaradenſi, qui anno 1248 florebat. At ex titulo libri a Laurentio laudati, cenſuerim ego non alium a F. Gerardo Leodienſi, de quo actum eſt ſupra ad annum 1270, cujus nomen Laurentius ignorans ab aliquo imperito audierit eſſe *Guillelmi*, Gallicum autem nominarit, quod domus Leodienſis ad hos ultimos annos ex provincia Franciæ fuerit. Revera Laurentius dicti Gerardi non meminit, quem tamen quoad opus ſi non quoad nomen non exiſtimandus eſt omiſiſſe. Quæ tamen omnia lectoris arbitrio libens permitto : nam eodem titulo quo uſus eſt Gerardus, & alium Guillelmum Gallicum etiam uſum nihil obſtat. Ut ut ſit, certum ante 1400 vixiſſe.

F. GUILLELMUS GALLICUS.

F. GUILLELMUS GALLICUS alter laudatur ab eodem Laurentio, & ſcripſiſſe dicitur

Poſtillam ſuper Apocalypſin.

In catalogo ſacræ theologiæ magiſtrorum Pariſienſium apud Bernardum Guidonis n. XI recenſetur F. Guillelmus Gallicus, & in codd MS Rutenenſi & Toloſano additur *de Stampis*, quod inſigne municipium eſt diœceſis Senonenſis leucis 14 Lutetia diſſitum, qui quidem Guillelmus videtur circa MCCL claruiſſe. Huic vero tum ob Gallici cognomen, tum ratione ſtudiorum ejus ætatis opus allatum libens tribuerem. Cùm tamen aliunde nobis non deſint Galli magiſtri etiam Pariſienſes, quales Guillelmus de Coſta Pictavienſis, aliis Ingoliſmenſis, anno MCCCXXIV clarus, Guillelmus de Caſtroreginaldi Bituricenſis, qui & Gallicus dicitur anno MCCCXXVI florens, Guillelmus Caletot Normannus circa MCCCXXX & alii plures, quibus idem opus tribui poteſt, ſatius eſt rem dubiam relinquere.

F. GUILLELMUS KINGSAM.

F. GUILLELMUS KINGSAM vel *Kingeſamenſis* corrupte *Ringeshamenſis* ab aliis dictus, Anglus ſacræ theologiæ magiſter Cantabrigiæ laureatus ſcripſit teſtibus Baleo & Pitſeo Boſtonum Burienſem excipere ſe profitentibus

Commentarium ſuper Eccleſiaſticum. Pr. Magiſter & Dominus Gundiſalvus &c.

Iſtud verò principium mihi dubium facit : nam commentarium hoc principio inter opera Roberti Holkoth de quo poſtea recenſetur, & ſub ejus nomine typis prodiit in incun. typograp. adeo ut cujus ſit jam quæſtio eſſet non facile dirimenda niſi ex codd. MS collatione, idque ſolis Anglis curioſis obvium.

In catal. codd. MS Angliæ T. II P. I n. 6656 ſic legitur : *Guillelmus Kingsham, ſuper Eccleſiaſten.* Omittit Baleus & etiam Pitſeus.

In IV ſententiarum libros. Sic Pitſeus.

Sermones de tempore & de Sanctis. Voll. duo. Sic Baleus & Pitſeus.

Mirum quam de ejus ætate varie ſentiant, quam corrupte agnomen ejus ſcribant qui de eo loquuntur. Pitſeus refert ad 1262. Razzius *Ringinſchin* nuncupat, & ad 1440 revocat. Pius lib. I col. 61 *Ringiſchinenſem* etiam appellat, ſed quoad annum convenit cum Pitſeo. Altamura in duos dividit ſine teſte, alterum *Ringinſchin* ad 1239, & eumdem rurſus ad 1261, alterum *Kingſamenſem* vel *Ringeſhamenſem* ad 1262 cum Pitſeo collocans. Quæ auctorum multiplicatio ad libitum non placet. Cæterum omnes noſtri commentarium, non in *Eccleſiaſticum*, ſed in *Eccleſiaſten* laudant, quod ultimum cùm adhuc extet, vereor ne Baleus & Pitſeus qui ſoli *Eccleſiaſticum* laudant, non *Eccleſiaſten*, deluſi fuerint Boſtonum legendo, unde decepti fuerint Simlerus Baleum excipiens & Poſſevinus utrumque.

F. HENRICUS KOSBEIN.

F. HENRICUS KOSBEIN e Germania ſeu inferiori ſeu ſuperiori, ut ipſum ſonat agnomen, conjectuque pronum, ortus, hîc ex fide ipſius ejus operis recenſetur, ad cujus calcem ſic legitur :

Finit liber Ethicorum Ariſtotelis ad Nicomachum interprete, (ut nonnulli aſtruunt) Fratre Henrico Koſbein ordinis Fratrum Prædicatorum, quem & omnes textus ejuſdem philoſophi traduxiſſe dicunt, adjuncta familiari explanatione literali per totum; ac per primos ſex libros ad ſingulos tractatus interjectis quæſtionibus & dubiis non minus fructuoſe quam ſuccincte diſcuſſis. Ex Pariſiis VI *kal. octob.* MCCCCC. fol. char. Goth. pagg. 242. Extat apud noſtros Pariſienſes ad S. Honoratum.

Certum non eumdem eſſe & verſionis textus Ariſtotelici & explanationis literalis quæſtionumque ſeu dubiorum auctorem : verſio enim eadem eſt qua uſus eſt S. Thomas, & quæ antiqua apud eum legitur : auctor verò explanationis ſeu commentarii ac quæſtionum ad ſummum clarebat ſub finem ſeculi XV : nam fol. 70 c. verſiones laudat Leonardi Aretini, & Joan. Argyropuli, quorum primus anno MCCCCXL vel MCCCCXLIII mortuus eſt, alter verò anno MCCCCLX etiamnum florebat. Apud noſtrum Joannem Nyderum *Formicarii lib.* I *cap.* 10 ſic legitur : *Sileo de omnibus textibus philoſophi, quos Henricus Kroſbein (ordinis Prædicatorum*, ut addit paulo poſt*) de Græco tranſtulit.* Ex quo colligitur jam ætate Nyderi, id eſt circa 1430 Henricum hunc vulgo creditum Ariſtotelis librorum interpretem. Cui aſtipulatur in Annalibus Boiorum Joannes Aventinus lib. 7 ſic ſcribens : *Anno Chriſti* MCCLXXI *Henricus Brabantinus Dominicanus rogatu D. Thomæ e Græco in linguam Latinam de verbo ad verbum transfert omnes libros Ariſtotelis. Albertus uſus eſt vetere tranſlatione, quam Boëthianam vocant.* An Koſbenius hic ſit ille B. Henricus Brabantinus, quem Bzovius & Fontana in monum. ab Altamura in Append. citati ad 1286 ejuſmodi verſionem operum Ariſtotelis edidiſſe narrant, videant quibus otium eſt. Cùm autem apud omnes certum ſit Guillelmum noſtrum Brabantinum ſeu de Moërbeka libros etiam philoſophi inſtante S. Thoma e Græco vertiſſe, ut ſupra oſtenſum eſt, dicendum, ſi non eſt unus & idem interpres ab aliis Guillelmus, ab aliis Henricus dictus, vel ambos ſimul huic verſioni deſudaſſe, quod non incongruum, vel quemque ſuam partem operum interpretandam ex condicto ſumſiſſe, ut uſu venit inter æquales, poſteros verò quæ eſſent unius alteriuſve, non diſtinguentes unicuique verſionem integram aſcripſiſſe, quorum penes peritiores eſto judicium.

F. HUGO ARGENTINENSIS.

F. Hugo Argentinensis non solum a Joanne de Turrecremata & sequacibus, sed & a longe antiquiore Laurentio Pignon jam ante MCCCC scribente laudatur : ex quo refellitur Alva tum ludicro libello *Pleytos de los libros* lite 38 p. 173, tum Sol. Verit. Rad. IV col. 171 contendens auctorem esse fictitium, & ex Ulrico de Argentina multiplicatum, nec ante Turrecrematam ullum nostrûm ejus meminisse. Imo cùm Alva opus dicti Pignon apud Victorinos Parisienses se legisse non semel fateatur, & ex eo plura referat, malæ fidei arguendus videretur, nisi eum exploratum esset auctores qui ipsi occurrebant leviter percurrisse. Omisso itaque Alva, Hugonem alium ab Ulrico cùm præstet Laurentius citatus, non putem jam ab ullo negandum. An verò theologiæ magister Parisiensis fuerit, ut asserit Bandellus, non facile quis dixerit, cùm in catalogo Salanhaci aut Bernardi Guidonis non recenseatur. Ratione saltem latiori magister potuerit dici, qua sic vocabant primo & sequenti ordinis seculo, qui ex provinciis externis Parisios ad proficiendum missi, ad suos exinde reduces in majoribus collegiis, quale tum fuit Argentinense, lectores primarii & studii regentes instituebantur. Suo illi conventui nativò præfuisse asserit Leander fol. 138 a, & ad annum MCCLXVIII claruisse, quem excipiunt Lusitanus & alii; Altamura ad 1279 collocat, fortè & ultra pervenerit. Si quando aspirante numine domus Argentinensis ad ordinem revertatur, aut si saltem permittentibus illis qui nunc ea potiuntur, bibliothecam nostram, quam etiamnum extare ferunt integram, lustrare liceat, tùm de hoc auctore, tum de egregiis aliis ejus domus alumnis dari poterunt certiora. Hæc ei tribuuntur opera :

Commentarium in IV libros sententiarum.

Sermones varii. Hæc Lusitanus & Altamura cum Eysengreinio.

Quodlibeta, Quæstiones, Disputationes & varia in divinos libros explanationes. Hæc addit Simlerus subjiciens circa annum Dñi 1296 Hugonem hunc vixisse. Quæ haud dubie in indice quodam Germaniæ viderit. Quoad annum consentit ei Eysengreinius, sed excipit quoad omnia Possevinus.

Compendium theologiæ. Hoc laudant omnes, solum Laurentius Pignon & Leander Albertus, fortè quod hoc communius, & ubique diffusum, cætera extra Germaniam non prodierint. Porro hoc titulo omnes intelligunt compendium illud celebre quod incipit *Veritatis theologicæ sublimitas*, estque in septem libros divisum, cujus tot etiamnum exempla MS in bibliothecis antiquis, tot editiones typis prodierunt in Germania, Gallia, Italia. Difficultates tamen quædam moventur, quæ jam sunt discutiendæ.

Alvam non morarer Sol. Verit. loco supra citato, nisi vererer ne sua verbositate incautis fucum faceret. Nimirum quidam ordinis Minorum Joannes Rigaldi dictus opus edidit hoc titulo, *Compendium pauperum*, quod incipit, *Veteris ac novæ legis* : istud autem opus idem fere est totidem verbis paucis adjectis, ac Compendium veritatis theologicæ, unde planum est alterum ab altero excepisse. Itaque fatente Alva eo devolvitur quæstio, quam ipse non solvit, uter altero antiquior. Sed clarum est Rigaldum juniorem fuisse : opus enim suum nuncupat Bernardo Narbonensi archiepiscopo, qui alius esse non potest quam *de Fargis*, qui ab anno MCCCXI ad MCCCXL sedit, habentur autem Compendii veritatis theologicæ codices ipsius seculi XIII. Præterea Rigaldus sic opus suum concludit: *In præcedentibus nihil vel parum de meo posui, sed doctorum approbatorum sententiam & opinionem secutus fui : nunc verò secundùm diversa tempora materias & negotia, quibus indigent personæ ecclesiasticæ aliqua themata dividam, quæ ad prædictas doctorum sententias secundùm rubricas supra positas reducentur.* Et sequuntur illa themata pro dominicis & festis totius anni. Certe post tam solemnem Rigaldi confessionem nihil suum in compendio suo posuisse, recte colligitur & ea quæ cum Compendio veritatis theologicæ habet communia, ex isto accepisse, & cætera quæ ultra in suo posuit ex aliis sumsisse, suaque tantum themata propria agnoscere. Rigaldi opus qui consulere voluerit, inveniet in Colbert. cod. MS 1479 fol. mag. memb. ætatis auctoris, aliâs gymnasii Fuxensis Tolosani.

Mirum autem est quot aliis hoc opusculum tribuatur. Wadingus S. Bonaventuræ asserit. Male tamen habet quod neque in indice Mariani Florentini accuratioris operum hujus sancti nomenclatoris, addere poterat, nec apud Trithemium, Eysengreinium, Bucchium ac Pisanum hos duos ultimos suos sodales, quos omnes ipse laudat, nec in duabus primis editionibus Argentinen. quas etiam citat, inter opera Bonaventuræ recenseri. Unde dubius addit si non est hujus sancti, esse Ægidii Romani sub cujus nomine quidam habentur codices MS : sed hæc parum firma.

Alberto Magno quidam etiam codices MS ejus nomine ut auctoris, insigniti laudantur in quibusdam bibliothecis, imo & plures editiones typis prodierunt Venetiis per Christophorum Arnoldum Alemannum 1476, iterum ibid. apud Gregorium Dalmatinum & Jacobum Britannicum Brixianum 1485, rursus ibid. apud Gabrielem Crassi de Papia 1485. Cùm autem fere centum annis postea Joannes de Combis ord. Minor. Lugdunensis eamdem opellam Lugduni apud Rouillium 1573 edidisset in 16, & iterum eadem sub nomine de Combis dicti Venetiis apud Petrum Duchinum 1575 in 16 prodiisset; Seraphinus Caponi noster pro Alberto Magno studio ardens tres antiquas editiones sub hujus nomine laudatas coram Desiderio Guidone Joannis Trivisani patriarchæ Venetiarum generali in spiritualibus vicario protulit, ab eoque litteras de veritate dictarum editionum testimoniales obtinuit XVII maii MDLXXXIV Venetiis datas : idque eo fine ut dictum Duchinum falsi argueret, qui sub nomine de Combis tum viventis librum ederet, centum antea annis sub nomine Alberti Magni pluries editum. Ita profecto se res habet, Joannes de Combis nunquam se libri auctorem ostentavit, sed annotationum tantum, quas ad marginem addidit : ne tamen lectores ejus nomen solum in capite videntes deluderentur, novam editionem Caponius adornavit sub nomine Alberti Magni Venetiis 1588, & similes quædam secutæ sunt : inter alias Lugdunensis apud Joan. Champion 1649 in 12 quam curavit Joannes Chastræus canonicus S. Nicetii, qui in præfatione acriter invehit in anonymum, qui apud hæredes Rouilii Lugduni 1611 in 16 Joanni de Combis inscriptam ediderat. Quid tamen de hac Alberto hujus compendii attributione sentiendum, mox dicetur.

Nec defuerunt qui S. Thomæ vindicarint. Udalricus Hussita Orphanorum presbyter testimonium ex hoc compendio ceu S. Thomæ protulit in synodo Basileensi his verbis : *Omne consilium Christi observatum affert præmium, non observatum affert damnum : & probavit per S. Thomam* 4 (erratum est & legendum 5 lib. cap. 69) *de veritate sacræ theologiæ dicente : Consilium affert præmium, non servatum verò adducit supplicium.* Cui respondit Henricus Kalteisen noster *negans primò librum esse*

S. Thomæ; sed ut creditur Ulrici de Argentina. Secundo notavit, quam perverse iste patronus Orphanorum allegaret doctores. Quia inquit, *omnino non habetur ibi, quod iste dicit: sed consilium observatum præmium affert, præceptum si non servatur adducit supplicium. Hæc ille. Alibi sic.* (id est ut opinor in aliis codd.) *Consilium servatum affert præmium, non servatum non affert supplicium, & sic est pro me.* Videsis concilia generalia edit. Labb. T. XII col. 1346 A. Ibid. B ad id quod objecerat Orphanorum ille presbyter eodem libro cap. 70, *Septimum consilium est compescentia verborum otiosorum &c.* Respondet Kalteisenius non ita haberi, sed hoc modo: *Septimum consilium est de simplicitate verborum ut ibi Matt. 5 Sit sermo vester est est, non non &c.* Quæ revera totidem verbis leguntur lib. 5 cap. 70. Itaque, ut tum quidam hoc compendium S. Thomæ asserebant, apud nostros sodales certum erat non esse sancti doctoris. Quod verò ait Kalteisenius credi esse Ulrici de Argentina, si non est erratum codicis quo usus est Labbeus & scriptum *Ulrici* pro *Hugone*: (nam non accuratum fuisse illum codicem ex pluribus mendis constat) deceptus fuerit Kalteisenius, aliud enim est Compendium Ulrici de Argentina, cui titulum indidit *De summo bono.* Vide supra ad an. 1277.

Tandem ut hoc dubium concludam, certum habeatur hoc *Veritatis theologicæ Compendium* nec esse S. Thomæ de Aquino, inquit S. Antoninus Histor. P. III Tit. XVIII cap. XI §. 2 ad finem, neque enim ab ullo veterum inter ejus opera connumeratur: nec etiam Alberti Magni, non obstantibus tot sub ejus nomine editionibus, ut ibidem S. Antoninus. Quod autem addit ibidem esse cujusdam alterius doctissimi viri, qui dictus est F. Thomas, ansam dedit Bandello & aliis ejus sequacibus Thomæ de Sutton Anglo de quo supra ad 1300 illud tribuendi. Verùm cùm nullus veterum nec etiam recentium quales Lusitanus & Altamura inter opera Suttoni numeret, Laurentio Pignon quinquaginta annis ante S. Antoninum scribenti fides potius habenda, cui suffragantur Joannes de Turrecremata Tract. de conc. B. V. ab Alva citatus, Joan. Ludovicus Vivaldus Tract. de tribus liliis Scuti Gallici quæst. 4, Leander Albertus citatus, Lusitanus & sequaces, denique Altamura ad 1279. Favent codd. MS.

Apud Sanderum Elench. codd. MS Belg. T. II p. 55 sic legitur: *Hugonis de Argentina compendium theologicæ veritatis in fol. & perg. Incipit: Veritatis theologicæ sublimitas.*

Apud Fellerum Bibl. Paul. Lipf. p. 94 n. 13: *Hugonis compendium theologicæ veritatis in* 8 memb. p. 341 n. 16, idem in fol. & memb. ligatum cum Jacobi de Voragine sermonibus de Sanctis.

Scio Simlerum qui ubi de Hugone Argentoratensi ord. Prædic. hoc compendium illi asserit, mox art. seq. ubi de Hugone a Sancto Charo narrare hoc idem compendium sub hujus nomine extare apud M. Dresserum. Sed forsan solum Hugonis nomen erat in cod. & Dresserus putavit esse Charensis, qui illi magis cognitus erat: vel erratum fuit notarii: nam Charensi nullus veterum nec recentiorum istud opus inscripsit.

F. HUGO SUETHUS.

F. HUGO SUETHUS vel *Suextus* Anglus Oxoniensis theologus, magnæ inquit Baleus T. II cent. X n. 39 p. 50 apud suos æstimationis post humanarum artium exercitia sacris profanisque auctoribus legendis incubuit, formandisque ad clerum & populum concionibus strenuus habitus est. Unde & multo labore inter cætera quæ scripsit, Latine prodidit hoc titulo

De arte prædicandi. Pr. *Dilatandi modus est in sermonibus.* SEC. XIII.

Sermones item plures.

Opera vidisse Baleum hinc conjicio, meminitque ex eo Pitseus, sed neuter ætatem docet: nulla verò ejus apud nostros memoria.

F. JACOBUS DE CESSOLIS.

F. JACOBUS DE CESSOLIS vel *Cessulis*, qui etiam *Cezolis* & *Cessolis* quandoque scribitur, Gallus Remensis sacræ theologiæ magister sub finem seculi XIII vel initia sequentis claruit, egregius concionator, & moribus hominum juxta cujusque statum formandis in primis attentus & incumbens. Nomen suum posteris commendavit opere, quo nullum seculo XIV & sequenti fuit celebrius & cui titulum indidit

De moribus hominum & de officiis nobilium super ludo Scaccorum. Incipit prologus. » Multorum « Fratrum ordinis nostri & diversorum precibus per- « suasus dudum munus non negavi requisitum, ut « transcriberem solatium ludi Schaccorum, videli- « cet regiminis morum ac belli humani generis do- « cumentum. Sane cùm illud ad populum declama- « torie prodiisset, multisque nobilibus placuisset « materia, honori eorum ac dignitati curavi ascri- « bere, monens eos ut si formas eorum menti im- « presserint, bellum ipsum ac ludi virtutem corde « poterunt feliciter obtinere. Hunc autem libellum « *de moribus hominum & de officiis nobilium* si pla- « cet intitulare decrevi. « Meminerunt Laurentius Pignon n. 114 *F. Joannes* (mendum est cod. Victor. pro *Jacobus*) *de Teriace de conventu Remensi fecit moralitates super ludum Schaccorum.* Ubi nuncupat *de Teriace*, nempe a patria Gallice *la Tierache* peritioribus Latinis *Teoracia*, aliis *Tirascia*, qui tractus est Galliæ in Picardia provincia Campaniæ fines attingens, & diœcesis Laudunensis. Item Ludovicus a Valleoleti n. 72: *F. Jacobus de Cesulis fecit librum in quatuor partes distinctum de moribus hominum & officiis nobilium exponendo moraliter ludum Schaccorum.*

Emendandi hîc veniunt, primo Trithemius a quo dicitur *de Thessalonia* corrupte, quod hinc ortum non dubito: nimirum quam in codd. MS seculi XIII & sequentium similia sint elementa C & T, ut proclive sit alterum pro altero sumere, norunt periti & experti: Itaque videns ille *Cessolis* legit *Tessalis*, hincque suum *de Thessalonia* finxit: Lusitanus errorem excipiens eumdem hominem in duos divisit, alterum *de Cessolis* ad 1295, alterum *de Thessalonia* nuncupans, & hujus ætatem omittens: Idem imitati sunt sequaces Possevinus & nostrates ad Altamuram qui primum ad 1291, alterum ad 1460 pro libito collocat. Unicum autem cùm hactenus hujus rationis visum sit opus, & unicum esse auctorem certum habeas. Innumeri sunt in bibliothecis codd. MS.

Regia 6022 & 6616 memb.

Colbert. 1189 & 1748 fol. med. memb. 1750, 5270, 6234, 6278.

Victor. 1188 fol. par. memb.

Florentiæ ad S. Marci Arm. III n. 107 membr.

Ibid. ad Annunc. n. 60.

Augustæ Vindel. indicis Reiseri p. 46.

Catal. Angl. T. I P. I, 1632, 2006, 4054: P. II, 1768: P. III, 403, 719, 1081, 1362: T. II P. I, 6566, 8497.

Gallice reddidit Joannes Ferron de quo postea ad 1347, & Joannes Duvignay Hospitalarius S. Jacobi de Alto passu de quo jam pluries circa 1348 qui Joanni tum Normanniæ duci, postea Franciæ regi I ad cujus instantiam hanc versionem suscepe-

Sec. XIII. rat, nuncupavit. Extat in Colbert: 1159, 3204, 4476, 4501, fol. par. memb.

Catal. Angl. T. II P. I, 6633.

Italice. Catal. Angl. T. II P. II, 972.

Germanice. Seguier. Olim, nunc Coislin. Catal. impressi p. 60.

Typis etiam prodiit Latine hoc titulo, *F. Jacobi de Cessolis ord. FF. Prædic. liber de moribus hominum & officiis nobilium super ludos Schaccorum.* Mediolani fol. par. 1479. Quæ editio in Regia, laudata a Labbeo Antiq. lect. p. 352. Est etiam apud nostros Antverpienses.

Hinc scilicet ex editionis loco Beughemius Lombardum opinatus est leviusculo argumento, quem Gallum e Teoracia ortum & domus nostræ Remensis alumnum supra præstitit Laurentius Pignon.

Sermones varii eidem ascribuntur a Trithemio, quos forsan viderit: nam alia ei ascripta se non vidisse monet.

F. JACOBUS TOLOSANUS.

† F. Jacobus Tolosanus a patria sic & professione nuncupatus, cujus apud nostros & alios nulla hactenus extat memoria, quantum ex ejus opere conjicere est, vivebat seculo XIII, quo scripsit

Dictionarium theologicum. Extat apud nostros Tolosæ codd. mss duobus in folio crassioris molis. In prima majori littera exhibetur religiosus in habitu ordinis primævo, & qualem ab initio nostri deferebant, & qui paululum immutari cœpit initio XIV seculi. Character est ejus ætatis, at præ vetustate passim detritus, quod dolendum, cùm ferant opus esse dignum, quod prælum subeat. Sic de se auctor in prologo: *Ego Frater Jacobus Tholosanus Dei & Dñi nostri Jesu Christi, & ordinis Fratrum Prædicatorum servus minimus, inutilis & indignus universis &c.*

Ratio est cujusque vocabuli varias notiones quas habet in sacra scriptura, vel apud sanctos Patres tradere in subsidium concionatorum. Verbi gratia. Vocabulum, *Excutere.*

Dicitur commate I *pulverem carnalitatis. Isa.* LII, 2: *Excutere pulverem & consurge. Et Matt.* X, 14: *Excutite pulverem de pedibus vestris, & Marci* VI, 11. *idem, & Luc.* IX, 5, *idem.*

2. *Manus avaritiæ & cupiditatis. Isa.* XXXIII, 15: *Excutit manus suas ab omni munere.*

3. *Verba detractionis & vanitatis. Dan.* IV, 11: *Excutite folia ejus: & Jud.* VI, 11: *Excuteret & purgaret frumentum. & Jer.* LI, 38: *Excutient comas veluti catuli leonum.*

4. *Opera iniquitatis. Eccl.* XXII, 2: *Omnis qui tetigerit eum. excutiet manus, & Isa.* XVIII, 5 & 6: *Excutientur & relinquentur avibus, & Act.* XXVIII, 5: *Excutiens bestiam in ignem.*

5. *Consortia præcipue societatis.* 6. *De bonis temporalibus debemus excutere opera pietatis.* 7. *Dicit modum bonitatis & æquitatis.* Ad quemque articulum plures addit scripturæ locos.

Sic vocabulo *charitas* omnes hujus virtutis formas & naturales notas tradit tum ex scriptura, tum ex SS. Patribus, præsertim Augustino. Sic me monebat noster Daniel Antoninus Mora professor Tolosanus literis Tolosæ anno 1715 datis. Hunc auctorem laudat quidem Percinus in Monum. Tolos. opusc. de Academ. & recenset inter doctores, quos cõglobatim nulla chronologiæ ratione servata refert.

F. JOANNES DE CASTILLA.

* F. Joannes de Castilla Hispanus laudatur a Lusitano a 1262 florens, Pio in Append. ad P. II & sequacibus & recens ab Altamura, diciturque composuisse.

Officium Ecclesiasticum pro festo S. Dominici & ejus Legendam.

Cùm autem Lusitanus illud idem esse præstet, quo ab initio ordo usus est, plurimum nutat ejus fides, cùm istud opus sit Constantini Medices episcopi Urbevetani de quo nos supra. Hinc Altamura ad 1234 aliud esse contendit, sed ab ordine non admissum, penes quem fides, cùm nullum testem laudet a quo visum fuerit.

Idem censeo de Legenda seu vita S. Dominici accurata, inquit Altamura, nempe cujus nulla est apud veteres memoria. Videsis Malvendam Annal. p. 529 & seq. ubi antiquos omnes recenset qui vitam sancti scripserunt, quos inter locum non habet iste Joannes. Non negaverim quædam antiquis incognita quotidie detegi: sed tum unde eruta sunt unâ monetur, quod cùm illi non aperiant, si parca eis fides non mirentur.

F. JOANNES DE HERDUCH.

F. Joannes de Herduch Teuto laudatur a Lusitano ad annum 1262 clarus, quem excipiunt Possevinus & nostrates Gozzeus, Pius, Fernandez, & Altamura ad 1263 nullo antiquiore teste allato. Itaque penes illos fides qui dicunt scripsisse *

Commentarium in Genesim & plures alios sacrorum bibliorum libros.

FF. JOANNES DE MONTE ET THOMAS de Templo.

FF. Joannes de Monte & Thomas de Templo unâ sunt a nobis laudandi, nec ab invicem disjungendi, cùm eadem de utroque fabulentur. Ambo dicuntur Hispani, ambo B. Dominici dum verbo Dei apud Albigenses instaret socii & comministri, ambo a sancto patre ad ordinem suum allecti, & sua veste donati, ambo gestorum ejus scriptores: primus scilicet Joannes in libro cui titulum faciunt †

Mariale seu de laudibus B. Virginis.

Alter nempe Thomas in altero quem ei inscribunt

De miraculis rosarii B. Mariæ Virginis, & de prædicationie illius facta per B. Dominicum.

Quæ opera laudant nostrates Lusitanus, Gozzeus, Pius parte 2, lib. 1, col. 15, Malvenda ad 1215 p. 134, Fernandez *Historia del Rosario*, Altamura ad 1226, & alii, idque ex fide Alani de Rupe in suo de Rosario tractatu. Qua verò ratione Alani viri sane severioris vitæ opera in lucem venerint, dicetur postea ubi de eo ad annum 1475 quo mortuus est: interim hos duos scriptores homines plane fictitios sincerus veri amator habebit, & quæ ex iis de B. Dominico proferuntur, nulla veri specie fulcita, cum certis ejus actis non convenientia, imo omnino adversa deprehendet. Certe mirum esset, si S. Dominici socii fuissent, nullam amborum in antiquis ordinis monumentis esse memoriam. Nam nec B. Jordanus II ordinis magister, qui sexdecim ejus primos sodales tam diligenter ex nomine numerat, de his duobus quicquam habet: nihil Stephanus de Borbone seu de Bellavilla, nihil Stephanus de Salanhaco, nihil cæteri ejus ætatis Humbertus de Romans V magister ordinis, Gerardus de Frachero, Vincentius Bellovacensis, Thomas de Cantimprato, Theodericus de Appoldia, Jacobus de Voragine, verbo nullus: quorum tamen plerique tractatus ediderunt speciales de cultu B. Virginis, de ejus miraculis, de salutatione angelica, de speciali ordinis ad eam devotione, & de gratiis ab ea acceptis. Gesta B. Dominici curiosius primitivi illi ordinis patres perscrutati

tati sunt, ut posteris traderent: qui factum est ut omnia ex illis duobus prolata, quæ solemnia & vulgatissima esse debuerunt, præsertim stupenda illa Tolosæ perpetrata eos fugerint? Sed est aliud mirum libros illos Joannis de Monte & Thomæ de Templo apud Alanum solum si ipse revera meminit laudari, a nullo alio suæ ætatis visos aut lectos. Certe non meminit Jacobus Sprengerus, qui primam Rosarii sodalitatem anno 1475 Coloniæ erexit, nec Cornelius de Snekis congregationis Hollandiæ circa MD Vicarius generalis, qui antiqua psalterii B. Virginis monumenta diligentius quæsivit, & quædam etiam anni circiter MCCXXX profert. Si libri illi ducentis & amplius annis antiquiores Alani ætate constabant adhuc, cur deinceps non visi, cur non multiplicati, cur non prælo dati, nam hoc e re erat. Hunc Joannem de Monte Altamura eumdem conjicit cum Joanne de Navarra illustri B. Dominici socio: sed vereor ut hæc conjectura ulli placeat. Nam si quæ scripsit Navarræus, antiquos nostros gestorum S. Dominici scriptores non latuissent, sed avidius excepissent. Quam autem hactenus dicta antiquitati cultus B. Virginis per unicam vel triplicem salutationum Angelicarum quinquagenam non officiant, & ex jam itentidem observatis, & ex postea dicendis constabit. Unam inquirimus veritatem, quam mendaciis non egere, non fulciri, imo potius deteri & obrui persuasi sumus. Vide supra Petrum de Dacia qui ab amplexo ordine suum *Pater noster* ad cingulum appensum habuit, idque moris apud nos fuisse indicat.

F. JOANNES OPPREMI.

† F. Joannes Oppremi aliis de Oppreno Insuber patria & professione Mediolanensis laudatur a Taegio I. P. Mon. ord. ceu Ecclesiastes sua ætate clarus. Excipiunt nostrates Lusitanus, Pius, Fernandez, Altamura ad 1262 & Rovetta ad 1270 referentes: extrates Paulus Morigia Nobilit. Mediol. lib. 3 cap. 29, & Piccinellus Athen. Mediol. p. 315, qui omnes scripsisse ac posteris reliquisse dicunt

Sermones de tempore, de B. Virgine, de sanctis, & de mortuis.

F. JOANNES DE TORTOCOLLO.

* F. Joannes de Tortocollo a loco originis sic de more nuncupatus cujusvis nationis fuerit, quamvis Gallum conjiciam, a Lusitano & sequacibus & tandem apud Altamuram ad 1300 clarus & sacræ theologiæ magister laudatur. Ejusdem jam antea meminerat Ludovicus a Valleoleti n. 29 dicens scripsisse, quæ eadem illi alii ascribunt

Commentaria in libros sententiarum.

Contra Henricum de Gandavo.

Quodlibeta.

Idem Valleoletanus alibi monet sua ætate a quibusdam dicto Joanni de Tortocollo attributum fuisse opus hoc titulo celebre *Correctorium corruptorii, & incipit, Quare detraxistis sermonibus veritatis.* Sed de his postea fusius ubi de *Durandello* seu *de Durando de Aureliaco.* Id saltem probat toto seculo XIV Ægidium Romanum hujus operis non existimatum fuisse auctorem, licèt sec. XVI sub ejus nomine prælo datum fuerit.

F. LANFRANCHINUS DE JANUA.

* F. Lanfranchinus de Janua Ligur a Castillo cent. 1, Pio P. 1 col. 111 & Malvenda Ann. p. 592 b, inter Beatæ memoriæ viros laudatur, ceu qui vehementissimo erga Christum cruci affixum amore arserit, ideoque B. Jordano tum ad clavum ordinis sedente ad Terram-sanctam mitti obtinuerit, ubi & post paucos ab adventu dies felici morte functus fuerit, licèt annus & dies non prodatur. Recens autem ab Oldoino Athen. Ligust. morum innocentia, pietatis ardore, ac perfecta omnium virtutum coronide præstans dictus, etiam scriptoribus annumeratur, qui scripserit

Orationes de passione Christi piissimas. Pluries, inquit idem, typis prodiere suppresso auctoris nomine. Has editiones utinam ille indicasset. Nostrorum diligentiæ erit eas scrutari & hîc addere.

B. M. LAURENTIUS MENENDEZ.

* B. M. Laurentius Menendez Lusitanus seculo XIII sanctitate & miraculis in Hispania effulsit, ac præsertim in domo Vimanarensi, ubi sepultus jacet. Laudavit Laurentius Pignon in elencho SS & BB ordinis n. 4 his verbis: *S. Laurentius Hispanus, qui depingitur cum lauro.* Acta ipsius in antiquæ domus Vimanarensis eversione deperdita dolent nostri. Quædam certiora collegit Ludovicus de Cacegas Hist. prov. Portug. P. 1 cap. 15 & seqq. quem consulas, non enim hagiographum hîc ago, sed scriptorum nomenclatorem. His accenset Stephanus Sampajo libro cui titulus, *Triumphus Christianus*, ubi duo asserit, primo ea quæ in Vitis-Fratrum P. IV cap. 24 §§ 15 & 16 de quodam Laurentio referuntur, isti Menendio tribuenda, quæ Malvenda p 176 a, Laurentio Anglico S. Dominici socio ascribit. Alterum est, quæcunque in Vitis iisdem de sancta conversatione B. Ægidii Lusitani habentur, a Menendio scripta fuisse, & ad magistrum ordinis B. Humbertum missa: in quo fallitur Sampajus, nam illa vel ab ipso Humberto vel ab Ægidio scripta & relata ibidem dicuntur. Unde Ludovicus de Cacegas citatus nihil de Menendio ex Vitis-Fratrum profert. Monendus lector in cod. Victor. Laurentii Pignon citati supra vocem *Hispanus*, altera manu & recentiori scriptum, *Lusitanus*, quam additionem interlinearem ab ipso Sampajo factam conjicio: nam ex eo codice plura exscripsit, quæ & edidit licèt non accurate. Vide supra *Ægidius Lusitanus* ad 1265.

F. LEONARDUS DE PISTORIO.

* F. Leonardus de Pistorio Etruscus a patria sic nuncupatus a Lusitano, Pio, Fernandez, Fontana, denique Altamura ad 1280 floruisse dicitur & scripsisse

Summam theologiæ tomis duobus distinctam. Sed ubi servetur non indicant.

In indice Bibl. Florent. ad S. Marc. inter codd. MS memb. Arm. III n. 107 sic legebam:

Mathematica F. Leonardi de Pistorio ord. FF. Præd. videlicet tractatus de Arithmetica, & de practica Geometriæ.

Item de computo Lunæ secundùm doctores Ecclesiæ liber editus a F. Leonardo ord. FF. Prædic.

An hic Leonardus idem sit cum eo quem laudat Lusitanus, discutiant gentiles curiosi, & qua ætate floruerit, quod facile ex ipsis tractatibus agnoscent, & hîc addant.

F. MATTHÆUS.

* F. Matthæus Constantinopolitanus patriar- « cha ordinis Prædicatorum totum divinæ scrip- « turæ corpus redegit in quatuor locorum commu- « nium libros, quorum initium est, *Omnia poma* « *nova*. Servatur Bononiæ in Bibl. nostra Prædi- « catorum «. Sic totidem verbis Sixtus Senensis

Sæc. XIII. Bibl. Sanct. quem abinde omnes excipiunt nostrates & exteri. Cujas fuerit, quove seculo ea dignitate ornatus fuerit, nemo detexit hactenus.

F. ODO GALLUS.

F. Odo Gallus interpretibus sacræ scripturæ accensetur a Sixto Senensi, quem excipiunt Lusitanus, Razzius, Pius, Possevinus, Fernandez, Altamura, hic ad 1296, illi ad 1300: cæterum nihil plus alter quam alius afferens lucis, sed ex fide Sixti Senensis viri utique accurati asserentes scripsisse Venetiis ad SS. Jo. & Paul. servata

Commentaria in omnes Pauli apostoli epistolas hoc principio, *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.*

Mirum hoc opus a Sixto Senensi loco citato visum, a Tomasino in suis bibliothecis Venetis non recenseri, sed forsan ipsi exciderit. Mihi Sorbonicam scrutanti duplex occurrit commentarium hoc eodem principio, utrumque anonymum. Principia in gratiam lectoris referre visum est. Primum n. 551 integrum sic habet:

De comedente exivit cibus & de forti egressa est dulcedo. Jud. XIIII. » Hoc est problema Samsonis, » quod non potuerunt Philistæi solvere per multos » dies, & loquitur ad litteram de leone, in cujus » ore invenit mel. Per hunc leonem significatur » Paulus, tum quia fortis Rom. VIII. *In his omnibus superamus &c. Certus sum enim &c*: tum » quia rugitu prædicationis terribilis. Hieronymus » ad Pammachium. Quoties verba Pauli lego, non » mihi verba videor audire sed tonitrua. Ipse fuit » comedens, quando legem sub Gamaliele sibi in» corporavit: nam evangelium non ab hominibus » sed a Deo didicit Gal. I vel ante conversionem, » quando sanguinem sanctorum sitiens persequeba» tur Ecclesiam Dei, vel post quando fideles Eccle» siæ incorporavit. De hoc comedente exivit ci» bus sanctæ prædicationis. De hoc forti egressa est » dulcedo doctrinæ epistolaris, quam nobis scrip» tam reliquit dulci nomine Salvatoris conditam: » & sequitur ad Romanos.

2. *Corinthii sunt Achaici.* » Legitur in Actibus » XVIII quod Paulus peragrans regiones Græciæ, » ut prædicaret gentibus evangelium, de Athenis » venit Corinthum &c.

» 3. Incipit secunda ad Cor. *Post actam pœnitentiam.* Quia per primam epistolam quidam Corin» thiorum correcti fuerant &c.

» 4. Incipit ad Galatas: *Galatæ sunt Græci.* Ga» latia est quædam provincia in Græcia, in qua Gal» li olim venientes &c.

» 5. Incipit ad Ephesios: *Ephesii sunt Asiani.* » Hæc Asia non est illa quæ dividit orbem cum » Aphrica & Europa, sed est quædam provincia » specialis &c.

» Ad Phil. *Philippenses sunt Macedones.* Philip» pis est quædam civitas in Macedonia, quam ædi» ficavit Philippus &c.

» Ad Colos. *Paulus &c.* Intentio apostoli in hac » epistola est confirmare Colossenses in fide &c.

Deest ultimum caput integrum hujus ad Colossenses, & medium primum caput sequentis primæ ad Thessalonicenses.

» Ad Thessalon. 2. *Paulus hanc epistolam &c.* » Iterum scribit apostolus ad Thessalonicenses: or» ta enim apud eos graviori tribulatione &c.

» Ad Timot. I. *Paulus Thimotheo.* Iste filius fuit » mulieris fidelis patre gentili &c.

» Ad Timot. 2. Paulus jam a mundo transiturus &c.

» Ad Titum: *Paulus.* Hanc epistolam scribit » apostolus Tito, quem creavit episcopum Cretæ. » Nimis patientem monet hîc de officio imperiose » & potestative tractando &c.

» Ad Phil. *Paulus.* Epistolam scribit Philemoni « Colossensi, qui nulla dignitate ecclesiastica prædi- « tus erat, sed vir laudabilis &c. «

» Ad Heb. *Multifariam.* Apostolus ministerium « suum honorificare volens, tentans si quomodo « ad æmulationem provocet carnem suam, ut dicit « ad Rom. XI, Hebræis hanc epistolam scribit &c. «

Commentarium alterum seu potius initium alterius commentarii, nam non est nisi super XIII priora capita epistolæ ad Romanos extat ad finem codicis 505. Princ.

» *De comedente exivit cibus, & de forti dulcedo mellis, nec potuerunt solvere propositionem hanc* « *per tres dies.* Ita legitur in Judic. XIIII. In his « verbis notantur quinque, actor hujus libri, & quæ « materia, quæ causa agendi, & quis modus agen- « di &c. «

Codex uterque est fol. med. memb. sec. XIII. Si quando codex Venetus a Sixto Senensi laudatus in alicujus manus venerit studiosi ac diligentis, cum istis conferat, & an cum iis conveniat, hîc addere curet.

F. PETRUS PAEZ.

F. Petrus Paez Lusitanus ex bibl. Vet. Hisp. Antonii solum nobis notus ipsius verbis totidem laudabitur. Sic ergo ille p. 2 pag. 271: *Scripsit stylo semibarbaro*

B. Ægidii Sanctarenensis viri sanctissimi vitam, quæ MS apud nostros Sanctarenenses servatur, ex qua suam confecit Andreas Resendius. Meminit Georgius Cardoso Hagiologii T. III ad XIV maii p. 352.

Hoc de auctore nomenclatores Dominicani altum silent. Hactenus Antonius. His addo in vita Resendio ascripta, & a Sampajo edita, duplicem antiquum laudari vitæ B. Ægidii scriptorem, alterum qui cum sancto viro familiariter vixerat & æqualem, alterum recentiorem qui de stupenda Ægidii conversione speciatim scripsit. Si Petrus Paez est hic secundus, non magni æstimandus, qui fabulam nobis dederit: Si primus, ejus opus quantumvis barbarum, ut prælo committatur quale est, percupimus.

F. RANERUS TUDERTINUS.

F. Ranerus Tudertinus Umber provinciæ Romanæ alumnus, vir morum integritate conspicuus, nec minus eruditione præstans, philosophus & theologus eximius, qui & mathematicis aliquando deliciabatur, seculo XIII claruit, eique magna fuit cum Campano de Novaria studiorum & litterarum necessitudo & familiaritas. Extat Florentiæ ad S. Marc. Bibl. Arm. IV cod. 167: *Epistola responsiva D. Campani super quodam dubio de motu octavæ Sphæræ.* Incipit: *Magnæ sanctitatis & scientiæ religioso viro Fratri Ranero Tudertino de ordine Prædicatorum, Campanus Novariensis de numero peccatorum, orationum suarum cum instantia reverenti deposcit suffragia &c.* Ex quo Ranerum ad Campanum litteras de hoc dubio scripsisse colligas. Plures sunt eo codice membr. Tractatus mathematici absque nomine auctoris. An omnes an saltem aliquis sit nostri Raneri discutiant & doceant sodales, penes quos est codex.

1. *De Sphera.* Pr. *Corpus Sphæricum est capacitas omni corpore æqualium & similium basium.*

2. *De eadem.* Pr. *Sphæra in quolibet polorum planum contingente.*

3. *Geometricus de triangulis.* Pr. *Continuitas est indiscretio termini cum terminandi potentia &c.*

Ex his saltem habetur Campanum non esse ita

antiquum ac vulgò existimatur. Trithemium omitto, qui refert ad annum MXXX, jam enim omnes conveniunt delusum. Vossius de Mathem. cap. 35 vult ad annum MCC vixisse, sed ex epistola ad Ranerum laudata clarum est ultra MCCXX imo ultra MCCXXX floruisse.

F. RIGAUDUS.

F. RIGAUDUS non aliunde mihi cognitus est quam ex ejus opere quod apud nostros Sanjacobeos Parisienses servatur. Codex est MS fol. mag. memb. seculi XIII, & est

Commentarius in quatuor libros sententiarum.

Scopus auctoris is solum videtur ut breviter & dilucide textum Petri Lombardi exponat, quæ fuit primorum theologorum ejus seculi methodus, nullas verò fere movet quæstiones, ut ab Halensi deinceps in more habuerunt: sed plurimas distinctiones præsertim in marginibus inferioribus easque haud contemnendas proponit, in gratiam ut opinor concionatorum. Principium & finem cujusque libri placet hîc referre, ut qui codicibus ejusmodi MS evolvendis curiosius incumbunt, si in suis bibliothecis habeant, majorem auctoris notitiam tradere haud dedignentur.

Rigaudus ordinis Prædicatorum in libros sententiarum. Hic titulus manu secunda sed antiqua.

1. *Cupientes aliquid de penuria scientiæ. Per pœnam quæ attenditur in rebus exterioribus & acquisitis intelligitur defectus scientiæ &c.* Finis: *Et tamen Deus pati illum volebat, ita in passione Christi factum.*

2. *Quæ ad mysterium.* Procemium in 2 librum Sententiarum: *Creationem. Hoc dicit Aratus super Genesim.* Finis: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.*

3. Dist. 1. *Jam nunc iis intelligendis.* Incipit prologus in librum tertium: *Conditionis rerum &c.* Finis: *Audistis decem chordas:* Istud suscipit sententialiter de lib. Augustini de decem chordis post medium: *Uterque sexus impr.* Illud suscipit de quæstionibus super Exodum q. LVIII post medium sententialiter.

4. *His tractatis quæ ad rerum. Samaritanus enim* Luc. x. Simile principium est hujus libri. Finis: *Referendum est ad corpus Christi secundùm quod est in sacramento tectum. Explicit liber quartus.* Thomas de Hybernia scripsit.

In quodam codice Eremitarum Augustinianorum ad pontem novum, qui certo est sec. XIII fol. par. pergam. cui titulus, *Sermones collecti a bonis prædicatoribus*, & quorum plerique sunt nostrates ejus seculi Petrus Remensis, Hugo de Sancto Charo, Henricus Teutonicus, Gaufridus de Blevaix, Guerricus de Sancto Quintino & alii, extrates verò Odo cancellarius Parisiensis deinde cardinalis Tusculanus, Joannes de Rupella ordinis Minorum & alii, inter hos inquam laudatur quidam Frater Rigaudus: denominatio Fratris ostendit alicui ordini addictum, cujusnam verò fuerit non additur: an ille sit commentarii auctor nolim asserere; Hinc saltem habetur ea ætate hoc fuisse nomen usitatum. Cæterum istum auctorem non ita ex titulo allato nostris vindico, quin si alii suum probaverint, non libenter illis deseram.

F. ROMANUS VICENTINUS.

F. ROMANUS VICENTINUS quidam a Lusitano ad 1295 florens, & concionator egregius laudatur ex fide Alberti Veneti, excipiuntque Altamura & Rovetta, a quibus dicitur posteris reliquisse

Sermones de tempore & de Sanctis.

Penes quos fides quæ mihi non parum nutat, cùm nulla hujus mihi sit apud veteres nostros nomenclatores, nec apud ipsum Leandrum Albertum notitia, nec ubi illi sermones serventur, indicent.

F. SIBITO VIENNENSIS.

F. SIBITO VIENNENSIS in Austria natus & ordinem professus, vir eruditus, & in sacris scripturis exercitatus laudatur a Leandro fol. 137 a, a Lusitano ex I. P. Mon. Ord. Taegii, & deinceps ab aliis nostratibus, ut & a Possevino, diciturque scripsisse

Opus egregium in Orationem Dominicam.

Qua ætate vixerit non conveniunt, Leander inter eos qui seculo XIV floruerunt recenset, Lusitanus ad 1270 circiter refert: Altamura ad 1451 revocat. Utinam Viennenses nostri quid certius aliquando prodant, & hîc addant.

ANONYMI THEOLOGI.

F. ANONYMUS sub finem seculi XIII vel initium sequentis scripsit opus hoc titulo

Incipit tractatus in quo continentur errores Græcorum per modum dialogi inter Latinum & Græcum.

Princ. *Quod Spiritus Sanctus procedat a Patre & Filio probatur per scripturam.* Latinus: *In primis itaque gratia Spiritus Sancti humiliter invocata patenter ostendam tibi carissime Græce Spiritum Sanctum a Patre & Filio æqualiter procedere.*

Græcus: *Nos autem Græci simpliciter confitemur Spiritum Sanctum a Patre & non a Filio procedere. Vestras verò rationes silenter audiam, & in virtute ejusdem Spiritus Sancti ipsas sufficienter dissolvam: meæ quidem rationes ut credo insolubiles permanebunt &c.*

Cap. 2. Idem probat Latinus per dicta Græcorum, per concilia generalia, per rationes. Ubi de conciliis generalibus sic habet:

» Item anno MCCXV Innocentius papa generale « concilium Romæ apud Lateranum celebravit, ubi « præsentialiter affuit vir evangelicus sanctus inclitus Dominicus, in quo sui ordinis confirmationem obtinuit. In hoc siquidem sancto concilio « præter alia multa ibi diffinite determinatum extitit Patrem a nullo, Filium a solo Patre, Spiritum Sanctum a Patre & Filio æqualiter procedere, sicut patet Extra. de Trinitate & fide catholica. Anno item Dñi MCCLXXIV sub papa Gregorio X fuit celebratum concilium generale apud « Lugdunum &c «. In hoc verò sistit concilio.

Inter rationes hanc urget Latinus, quod si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, non distingueretur ab ipso.

Cap. v. Latinus probat Christum pascha celebrasse suo die, & sic in azymo.

Cap. 9. Agunt de statu animarum post mortem. Extat hic tractatus in Victor. cod. MS 283 in 4 chart. a fol. 46 ad 63, sed sub finem quædam desunt fol.

Sodalem nostrum hinc conjicio, quod S. Dominici confirmationisque ejus ordinis in conc. Lateran. meminerit: cùm enim id ad hanc disputationem conferret nihil, non notasset etiam ab ordine Prædicatorum extraneus, præsertim cùm de S. Francisco ejusque ordine altum servet silentium.

FF. ANONYMI vel hoc seculo vel sequenti florentes scripserunt opus quod MS in 4 servatur Lipsiæ in Bibl. Paul. & a Fellero recensetur p. 210 n. 27. Titulus:

SEC. XIII. *Tractatus de Turcis collectus a quibusdam Fratribus ord. Prædic.*

ANONYMUS sub finem hujus seculi vel sequentis initio scribens hoc titulo librum edidit *Incipiunt breves quæstiones & solutiones super quatuor libros sententiarum secundùm Thomam de Aquino & Petrum de Tarentasia.*

Extat in Victor. cod. 93 fol. par. memb. a fol. 1 ad 34. Quæque pagina in duas columnas dividitur: in prima angusta proponitur quæstio, in altera lata e regione exhibetur solutio secundùm ambos doctores. Nostrum plane non assero auctorem, fuisse tamen non levis est conjectura.

FF. ANONYMI duo hoc seculo vel sub initia sequentis viventes laudantur a Laurentio Pignon n. 84 his verbis:

Quidam Frater scripsit de auctoritatibus Sanctorum quod dicitur Speculum.

Et quidam alius librum de Secta Peripateticorum, quorum Fratrum nomina non habeo.

Sic Laurentius scribebat circa MCCCCLXXXIX, indicans hos longe antiquiores, quorum nomina ipsum fugissent.

F. ANONYMUS vel hujus vel sequentis seculi scripsit opus Patavii apud S. Joannem in Viridario servatum & a Tomasino in suis Patavinis Bibliothecis recensitum pag. 31 hoc titulo:

Summa catholica Fr. . . . . ordinis Prædicatorum in 8.

ANONYMUS GALLUS licèt non ordinis sodalis, ratione tamen opellæ ab eo scriptæ in defensionem scilicet doctrinæ S. Thomæ, visus est hîc recensendus. Extat Paris. in Victor. cod. 49 fol. med. memb. ad pag. 130, & sic habet:

» Quia sanctus doctor Thomas de Aquino in » doctrina sua theologiæ æmulos quam plurimos » habet & habuit, in tantum, quod secundùm articulos aliquos credunt suam doctrinam esse erroneam*, ideo ut veritas volentibus elucescat: » quæritur utrùm licite possit doceri Parisius doctrina S. Thomæ, quantum ad omnes ejus conclusiones. Et videtur quod non. Quia per talem » doctrinam incurritur excommunicatio, cùm multæ » conclusiones ejus sint sub pœna excommunicationis ut erroneæ condemnatæ ab episcopo Parisiensi Guillelmo ac Stephano, ut patet de ista, *quod » multi angeli non possunt esse in una specie*, & de » multis aliis. Igitur.

» » Sed contra. Talis doctrina recipitur ubique » tanquam probabilis, vera & nihil contra fidem » catholicam continens aut contra bonos mores. » Igitur etiam potest licite Parisius doceri: *quia » veritas doctrinæ non est dimittenda propter quamcumque pœnam etiam spiritualem, ut videtur.*

» » Respondeo. Videtur salvo meliori judicio, » quod nullus articulus Parisius pro errore damnatus sit contra doctrinam Fratris Thomæ beatissimi, » & per consequens quod licite possit ejus doctrina » doceri Parisius sicut alibi tanquam catholica, nihil contra fidem aut contra bonos mores continens, & probabiliter vera. Quod patet discurrendo per illos articulos condemnatos, qui videntur esse præcise contra ejus doctrinam: & ostendendo quod secundùm veritatem non contrariantur ejus doctrinæ, sed bene concordant «.

Postea discurrendo per novem articulos principales, ostendit S. Thomæ doctrinæ non adversari, & sic tandem concludit:

Et credo quod propter hoc solum facti sunt prædicti articuli: unde patet, quod in nullo sunt contra doctrinam S. Thomæ: & per hoc patet solutio ad quæstionem, & ad argumentum ante oppositum.

Proposita publice & scripta videtur hæc quæstio circa MCCC, certe dum vigeret adhuc Parisiis censura a Stephano Templier episcopo Parisiensi Dominica qua cantatur *Lætare* anno MCCLXXVII nempe stylo veteri, novo XXVII martii MCCLXXVIII (nam pascha fuit XVII aprilis,) lata, & antequam S. Thomas albo Sanctorum inscriberetur anno MCCCXXIII, nam mox a canonizatione anno sequenti hæc censura in quantum ejus doctrinam lædere videbatur, ab alio Stephano item Parisiensi episcopo revocata fuit, unde nulla fuit tum hujus quæstionis occasio. Cæterum hinc perspicies quantam Thomas de Aquino & doctrinæ & morum suorum Parisiis reliquisset existimationem, qui etiam ante publicam summi pontificis declarationem & sanctus, & sanctus doctor, & beatissimus vulgo diceretur.

ANONYMI CONCIONATORES.

F. ANONYMUS TOLOSANUS sic a me dictus, quod ejus opus etiamnum in bibliotheca nostra Tolosana servetur, cujusvis provinciæ vel domus ordinis Prædicatorum fuerit alumnus, seculo XIII vergente vel XIV ineunte floruit & scripsit in gratiam concionatorum opus cui titulum indidit *Amor Dei.*

Codex est pergamenus forma 4 majori seu ut in eo genere indicant fol. par. foliolis 143 constans, cui scriba lineas has initio præfixit:

Distinctiones compilatæ ex diversis sermonum operibus, distincta per alphabetum secundùm materias in eisdem contentas, probatas per exempla & rationes naturales, fundatas in dictis sanctorum diversorum. Et quia in hoc opere multa continentur, quæ devotam animam possunt ad Dei amorem inflammare, ideo hujus operis compilator decrevit, ut præsens opus Amor Dei vocaretur. Istud autem opus continet quinquaginta tractatus juxta annum jubilæum. Quæ sequuntur sunt ipsius auctoris.

» Incipit prologus. Ad honorem Dñi N. Jhesu « Christi & ad laudem gloriosæ virginis matris ejus, « & ad utilitatem omnium, & specialiter illorum, « qui aliis habent proponere verbum Dei, magno « desiderio laboravi istud opusculum ex diversis ser- « monum operibus, nec non diversis Sanctorum « auctoritatibus, prout melius potui compilare. Sed « in hoc proœmio B. Gregorii in fine moralium « verbis utar. Dum radicem meæ intentionis in hoc « opusculo compilando respicio, Deo quidem ex « ea summo opere me voluisse placere cognosco: « sed eidem intentioni furtim se intentio humanæ « laudis interserit, quod cùm postmodum tardiusque discerno, invenio me aliter agere, quam scio « me aliter inchoasse. Et quidem mala me aliquando dixisse etsi non invenio, tamen quia omnino « non dixerim non defendo: bona verò si quæ divinitus accipiens dixi, meo utique vitio minùs bene « confiteor me dixisse. Quapropter lectorem humiliter exoro ac studentem, ut si in hoc opusculo « aliqua invenerit minus recte ordinata sive dicta, « hoc non malitiæ, sed potius ineptiæ imputet, pias « apud Altissimum fundens preces, quatenus me « Fratrem ordinis Prædicatorum humilem professorem in suo sancto servitio habeat conservare, « & post hujus vitæ stadium ad suam gloriam recipere sempiternam. Vocatur autem istud opusculum « AMOR DEI, ex eo quod omnia quæ in eo continentur, possunt & debent devotam animam ad « Dei amorem totaliter inflammare. Ut autem compilata studenti clarius innotescant, hoc opus quinquaginta tractatibus & centum decem capitulis « est distinctum, quæ quidem volo breviter proponere in hunc modum «.

Primus tractatus de amore Dei, & in hoc quinque capitula continentur. Et sic consequenter. Opus verò sic incipit:

» Cùm secundùm doctrinam Augustini lib. I de » doctrina Christiana quatuor sunt ex ordine cari- » tatis diligenda, scilicet Deus, noster animus, pro- » ximus, & nostrum corpus, primò tamen & prin- » cipaliter & super omnia Deus est diligendus: 2, » noster animus: 3, proximus: 4, vero & ultimo » amandum est nostrum corpus &c «.

Ad finem operis duo sunt indices. Primus: *Incipiunt adaptationes hujus operis secundùm quod conveniunt tam Dominicis diebus quam festivis.* Alter est alphabeticus juxta ordinem ipsius operis. Nullius fere excerpta refert præterquam scripturæ sacræ & SS. Patrum: aliquando tamen laudat Joannem de Abbatisvilla cardinalem episcopum Sabinensem & nostrum F. Gaufridum de Blevex seu de Blevello de quo supra anno MCCL Lugduni mortuum. Hinc cùm nullibi S. Thomæ meminerit, qui tamen ea egregie tractat, de quibus agit hic anonymus, eum seculo XIII & antequam opera S. Thomæ ubique essent vulgata scripsisse creditu pronum. Certum autem ante annum MCCCXXXIII floruisse: sic enim legitur in fine codicis: *Scripsit Helias Hebrardus de Valencia Ageñ. diœcesis Tholosæ pro Fratre Petro de Aspello de ordine Prædicatorum anno Dñi* MCCCXXXIII.

Hanc operis notitiam a R. P. Daniele Antonino Mora S. T. in gymnasio nostro Tolosano professore accepi, qui & literis ad me III sept. MDCCXV datis monet opus esse solidæ doctrinæ recte ordinatum, concionatoribus utilissimum.

F. ANONYMUS seculo XIII clarus, & Parisiis in domo Sanjacobea degens suis concionibus celebre sibi nomen fecit. Harum tres doctæ & piæ a me visæ sunt in Sorbon. in collectionibus sermonum ejus ætatis

1 cod. 996 fol. med. memb. sic: *Quidam Frater de ordine Prædicatorum in religione de castitate, in nativitate B. Mariæ.* Tota pulcra es &c. sermo fusior.

2 cod. 954 ejusdem formæ memb. *Quidam Frater de ordine Prædicatorum in religione contra proprietarios. Optimus sermo.* Sic in MS. Nisi quis renunciaverit &c.

3 ibid. *Quidam Frater &c.* ut supra, *in religione de obedientia.* Vir obediens loquetur victorias.

Ex eodem in tribus titulo eumdem sodalem conjicio.

FF. ANONYMI plures eo seculo in domo Sanjacobea clarebant, quorum sermones in collectionibus ejus ætatis servantur.

Augustin. ad pontem novum cod. 249 fol. par. memb. cui titulus *Sermones collecti a multis bonis prædicatoribus*, nempe qui inter MCCXX & MCCL Parisiis floruerunt, isti nostri numerantur.

38. *Sermo in die paschæ quidam Frater Jacobita.* Resurrexi & adhuc &c.

84. *Sermo in die apostolorum Simonis & Judæ, quem fecit quidam Frater Jacobitanus.*

98. *Sermo Fratris Jacobitæ Dominica infra octabam Ascensionis.*

99. *Sermo Fratris Jacobitæ Dom. prima post pentec. & collatio facta eodem die & ab eodem Fratre.* Fili recordare.

100. *Collatio cujusdam Fratris Jacobitæ dicta post octabas pentecostes.* Nolite mirari si odit vos mundus.

Sorbon. cod. 285 fol. par. memb. ex legato Petri de Lemovicis: *Quidam Frater Prædicator Dom. 15 post pentec.* Nemo potest duobus Dñis servire.

Ibid. *Prædicator Dom. 20 post pent.* Videte quomodo caute ambuletis.

Cod. 953 ejusdem formæ memb. ex legato ejusdem: *Quidam Frater de ordine Prædicatorum in synodo Cameraci ad Presbyteros.* Tu verò vigila. Sermo fusior.

Cod. 1500 ejusd. for. ex leg. Roberti de Sorbonio: *In conversione S. Pauli quidam de ordine Prædicatorum.* Vas electionis est mihi iste.

F. ANONYMUS sacræ theologiæ magister sec. XIII clarus scripsit

Summam sermonum de tempore.

Extat in Navar. cod. MS par. memb. Pr. *Abjiciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus. Roman.* XIII. *Venientibus enim obviam Salvatori tria sunt necessaria. 1. Vitiorum egressus per lavacrum pœnitentiæ &c.*

Sermones sunt super epistolas Dominicarum, vel absque discrimine super varia sacræ scripturæ loca. Ad calcem sic legitur: *Hanc Summam fecit quidam magister in theologia de ordine Prædicatorum.* Est prima pars codicis tres uncias minimum spissi. Sequuntur eodem volumine sermones F. Guillelmi de Mailly, de quo mox inter dubios ejus ætatis.

F. ANONYMUS seculo XIII vel sequenti florens scripsit

Sermones de Dominicis & de festis permistim.

Extant simul ad numerum centum sexaginta septem Paris. in Victor. cod. 1086 fol. par. membr. & ex stylo ejusdem auctoris probantur. Ordinis Prædicatorum fuisse constat ex sermone 146 de S. Dominico fol. 272. ubi sic loquitur: *Speculum totius humilitatis in ipsa* (scilicet B. Virgine.) *cujus fratres, & de cujus ordine sumus & debemus dici, cùm ab ipsa habitum teneamus, sicut monachi a B. Benedicto &c.* & postea: *Ut non solùm ipse Dominicus meruerit exaltari, sed & suis sequacibus, id est Fratribus Prædicatoribus viam & exemplum præbuerit pertingendi ad hanc exaltationem, sicut patet de Fratribus qui visi sunt sub chlamyde B. V. ut ob hoc ipse pater noster Dominicus sit ille pauper evangelicus, doctrinam evangelicam spargens per orbis cardinem &c.* sunt folia 318. Initio codicis sic habetur: *Hanc Summam scribi fecit F. Nicolaus de Esconia quondam prior hujus Ecclesiæ, dum esset scholaris.* Ex codice autem 1108 discimus priorem egisse anno MCCCXXVIII.

F. ANONYMUS seculo XIII aut sequenti claruit & edidit

Sermones de tempore & de Sanctis. Pr. Dom. 1 adv. *Ecce rex tuus venit tibi &c. Dicitur justus & salvator, & ascendens super asinam. Ostenduntur autem in istis tribus tria de isto rege, videlicet quanta sit sublimitatis & excellentiæ, quia Rex regum & Dominus dominantium &c.*

Extabat Massiliæ anno MDCLXXXI apud nostros cod. MS memb. in 8 optimæ notæ, quem tum vidi illac transiens. Sunt duo sermones de S. Dominico, unus in die translationis, alter in ejus festo.

ANONYMI HISTORICI.

F. ANONYMUS CATALANUS scripsit vitam venerabilis Fratris Raimundi de Pennaforti magistri ordinis III. Hanc Franciscus Peña Rotæ auditor prælo dedit hoc titulo:

Vita S. Raimundi de Peñafort a vetusto scriptore olim breviter collecta, a Francisco Peña notis illustrata, & duobus libellis aucta Romæ, 1601 in 4 pp. 381. Extat Paris. in Regia H. 1693.

SEC. XIII. Hæc vita antiqua, quæ primum librum voluminis statuit, servatur apud Prædicatores Barcinone, inquit Peña, addens quosdam censere opus esse Nicolai Eymerici, quia tomo primo ejus operum Gerundæ initio inserta habetur, sed idem despicit ceu leve argumentum, & antiquiorem æstimat, nec styli Eymerici. Alterum librum adjecit Peña ex processibus & actis canonizationis fideliter collectum miracula continentem: & tertium in quo acta omnia seculis præcedentibus in ordine ad canonizationem diligenter refert. Opus ob notas a Peña adjectas merito legendum.

Mirum non solùm a Petro Marsilio nostro de quo postea, sed & ab hoc anonymo stupendum illud Sancti a Majorica Barcinonem usque per mare absque navigio sed sola capa vecti miraculum silentio præteriri. Addit tamen Peña coram summo pontifice a se probatum, ceu præcipuus hujus canonizationis promotor.

Hanc eamdem vitam Italice versam edidit idem Peña sed semotis notis hoc titulo, *Relazione della vita de' miracoli e degli atti della canonizatione di S. Raimundo di Pennaforte*, Brixiæ, Polycreti Turlini 1602 in 8 pp. 71.

* F. ANONYMUS HISPANUS seculo XIII vivens scripsit

Vitam B. Petri Consalvi Telmi ord. Prædic. anno MCCXL die resurrectionis Christi Dñi XV april. mortui.

Hanc Ferdinandus de Castillo laudat in prologo Annalium, & codice MS ante CCCXXVI annos se usum profitetur, quod indicat annum MCCLXXXVI. Utinam hanc ipsam qualis est vel prælo committant Hispani sodales, vel eruditis Actorum SS. editoribus suis Menæis inserendam mittant.

* F. ANONYMUS GALLUS sub finem hujus seculi clarus scripsit

De informatione regum & principum. Extat Latine variis in bibliothecis, & exemplum unum anno MCCCCXLVIII scriptum charta & pergameno in fol. servatur apud nostros Parisien. ad S. Honorati. Prologus hîc exscribendus visus est, cùm ex eo pendeat notitia ætatis auctoris, & in cujus gratiam scripserit. Sic ergo incipit

Regnabit rex & sapiens erit & faciet judicium & justitiam in terra. Hier. XXIII. » Si quis in præclarissimo juvene excel entissimi principis ac domini præpotentis Philippi Dei gratia Francorum regis illustrissimi primogenito domino videlicet Ludovico diligenter attendat vivacem sensum, subtile ingenium, tenacem memoriam, voluntatem ad bonum promptissimam, præclaritatem indolis, & morum omnium venustatem, luculenter potest advertere, quam vere de dicto domino Ludovico possit intelligi verbum propositum, *Regnabit rex & sapiens erit &c.* & quam præclare & signanter propheta sanctus quasi demonstrans cum digito de ipso prænunciet, qualis sperandus sit esse futurus, & qualiter in regni regimine sit acturus. Prædicens autem propheta elegantes conditiones ipsius, breviter, sufficienter & clare, docet omnem regem, describens eum quantum ad statum excellentiæ, actum vel usum præsidentiæ, lumen directivum, finem completivum. Primum intelligit, cùm dicit; *Rex*: secundum cùm addit, *regnabit*: tertium cùm subjungit, *sapiens erit*: quartum cùm ait, *faciet judicium & justitiam in terra*. Ista quatuor totidem partibus explicabimus: in prima de regalis status excellentia præcellente: in secunda de regiminis actualis vigilantia diligente: in tertia de sapientia dirigente: in quarta denique de utilitatis efficacia consequente «.

Quidam putant hoc opus pro principe Ludovico Philippi III Francorum regis audacis dicti primogenito magnæ spei adolescente scriptum: quod si verum, editum fuerit anno MCCLXXIIII vel sequenti LXXV, nam egregius ille princeps anno MCCLXXVI mortuus est ætatis annorum circiter duodecim. Id tamen difficile mihi persuaserim, sic enim habet auctor P. I cap. XXVI: *Quod rex debet esse magnificus*, circa medium: *Beatus Ludovicus rex magnifice studuit exaltare honorem divinum, Ecclesiam honorare, monasteria complura, capellas, & hospitalia plura construere, ac venerandas toti mundo reliquias in propria capella Parisius venerabiliter collocare.* Quibus verbis Ludovicum IX Franciæ regem Sanctorum fastis jam inscriptum indicat, cùm hoc opus aggressus est ac proinde post annum MCCXCVII. Itaque censuerim verius pro Ludovico Philippi IV pulcri dicti primogenito anno MCCLXXXVII vel LXXXIX nato, qui post patrem regnum capessivit anno MCCCXIIII, Hutinusque dictus est scriptum circa MCCC.

Etsi autem hic auctor nomen suum ex industria celaverit, ordinis tamen Prædicatorum fuisse constat ex sequentibus codicibus regiis sec. XIV, in quibus idem opus jussu Caroli V Francorum regis Gallice versum exhibetur.

Primus est n. 7416 fol. par. memb. Initio imago est elegans Dominicanum exhibens reginæ in throno sedenti librum offerentem. Pr. *Ci commence le livre de l'information des rois & des princes fait & compilé par un maitre en theologie de l'ordre de S. Dominique.* Regnabit rex & sapiens erit &c ut supra. Ad calcem sic habetur: *Ci finit le quart livre & le dernier de cette presente œuvre intitulée* &c. ut supra, *composée par un excellent docteur de l'ordre S. Dominique.* Et infra: *Ce livre est au duc de Berry.*

Alter codex n. 7899 ejusdem rationis. Pr. *Ci commence le livre de l'information des princes translaté de Latin en Francois du commandement du roi de France Charles le Quint par son clergonnet F. Jean Golein de l'ordre de notre Dame du Carme maitre en theologie indigne.* Regnabit rex &c. Ad calcem sic legitur:

Henri du Frenon a ecrit ce livre de l'information des rois & des princes, & l'acheva a ecrire le juesdi XXII *jour de septembre, l'an mil* CCCLXXIX *pour le roi de France Charles son tres cher & redouté seigneur.*

Ex his docemur auctorem operis esse Fratrem Prædicatorem, qui scripsit Latine, interpretem Gallicum fuisse Carmelitam Joannem Golein.

Extant in eadem regia alii hujus operis codices Gallici, unus n. 7417 ejusdem cum superioribus rationis. Abest nomen auctoris & interpretis, alter n. 7415 chartac. fol. Abest nomen auctoris, sed est interpretis.

Apud Sanderum Elenc. codd. Belg. T. II p. 8 inter codd. palatii Bruxell. duo hujus operis recensentur, unus Latine n. 337 *de informatione principum*: alter Gallice n. 313 *Livre de l'information des rois & des princes.*

ANONYMI HUMANISTÆ.

F. ANONYMUS scripsit hoc titulo

Tractatus Latinus de arte metrica e Donato majore & Beda & Isidoro, & Honorati cognomine Servii libro, quem de metrica arte scripsit episcopo Aquilino compositus a Fratre quodam ordinis Prædicatorum, ut in fine tractatus dicitur. Pr. *Ultimo de arte metrica pauca subduntur.* Finis: *A quo hujus primordium, medium & ultimum, cui est honor &c.*

Extat Florentiæ in Medic. Plut. XXXI cod. 238 post plura.

QUIDAM INTER SCRIPTORES NOSTROS hujus seculi a variis recensentur, quorum alii dubii mihi videntur, alii plane extorres: de utrisque pro nostra sinceritate & veri amore agendum. Hos ordine alphabetico recensemus & primò dubios.

F. ANDREAS GALLUS.

* F. ANDREAS GALLUS quidam ex fide Sixti Senensis a Lusitano & sequacibus inter scriptores nostros recensetur, & ab Altamura pro libito ad 1298 collocatur, diciturque scripsisse

Commentarium in libros IV Regum.

Cujus & expositionem super illa verba lib. I cap. X v. 8 *Septem diebus expectabis*, Lyranus refert & unâ refellit. Verùm quidem est eo loci cujusdam Andreæ glossam a Lyrano impugnari, at Andream illum ordinis Prædicatorum fuisse ibi non additur: unde plurimum mihi nutat illorum fides, licèt auctoritas Sixti Senensis magni sit apud me momenti, eo magis quod apud veteres nostros nomenclatores nulla sit ne quidem apud Leandrum hujus scriptoris memoria. Non levis mihi suspicio est Andream illum eum esse antiquum scriptorem, qui non solùm in libros Regum, sed & in plures alios scripturæ sacræ commentatus est, cujus & codices plures MS in Bibl. Reg. Paris.: qui & citatur in prologo cujusdam postillæ in Exodum & Leviticum, quæ habetur Paris. in Victor. cod. MS 407 fol. mag. memb. ex legato Adenulphi de Anagnia electi circa MCCLXXXIX episcopi Parisiensis. In eo enim prologo sic legebam: *Andreas dicit sic continuando, ut competentius de exitu filiorum Israel agat, breviter introitum eorum in Ægyptum recapitulat.* Fortè Andreas a Lyrano citatus idem est, & forsan Andreas ille Anglus a Sixto Senensi laudatus discipulus Hugonis a S. Victore, qui in plures scripturæ sacræ commentarios edidit anno MCL clarus, quæ tamen sub dubio propono & sapientiorum arbitrio permitto.

F. ANTONIUS DE NAZARIO.

* 1262. F. ANTONIUS DE NAZARIO quidam patria & professione Vercellensis ad annum 1262 claruisse dicitur a Lusitano Susatum inquit excipiente, ac scripsisse sub hoc titulo

Summa juris canonici per alphabetum quæ dicitur Lucerna judicialis.

Sermones de Dominicis & de Sanctis per annum.

Quibus Altamura ad 1262, & Roveta ad 1286 addunt

Commentaria in universam Aristotelis philosophiam.

Penes quos fides, cùm ubi hæc serventur, aut a quo visa nullus aperiat, nec ulla cœnobii Vercellensis monumenta proferant. Imo & scrupulum injicit, & dubium reddit, quod hujus scriptoris non meminerit Leander nec in Viris Illustribus, nec in Descrip. Ital. ubi tamen claros ordinis sodales, qui Vercellis antiquitus floruerunt, studiosius refert. De hoc itaque scriptore penes lectores sit arbitrium, & annon auctor multiplicatus ex *Antonio de Azario*, de quo nos postea ad 1314.

F. BONVESINUS.

* 1288. F. BONVESINUS Mediolanensis ex iis est scriptoribus, quibus usum se profitetur F. Gualvaneus de Flamma noster in chronico suo Mediolanensi concinnando, cujus & ætatem docet sic de SEC. XIII. eo loquens: *Anno Dñi* MCCLXXXVIII *sub dominio Matthæi Vicecomitis sedente Ottone* (archiepiscopo) *favente Rodulpho imperatore, ipse Matthæus Vicecomes fit* CXXV *Potestas Mediolani, & post eum Jacobinus Perusinus. Eodem anno quidam nomine Bonvesinus Frater tertii ordinis*

Chronicam de magnalibus civitatis Mediolani composuit, cujus tenor talis est &c.

Cùm non addat cujus tertii ordinis an nostri tum non solum apud mulieres, sed & inter viros maxime in Italia florentis, an Franciscanorum, inter dubios referendum potius quam omittendum censui, non ingratum me facturum ratus, & iis qui suum esse diligentiori inquisitione probaverint, & gentilibus suis auctorem iis incognitum aut saltem neglectum indicando.

F. GERARDUS DE REMIS.

F. GERARDUS DE REMIS insignis fuit Parisiis circa seculi XIII medium Ecclesiastes, cujus sermones quamplures etiamnum servantur in codd. MS Sorbonæ, sermonibus nominatissimorum ejus ætatis concionatorum permisti. Cujusnam fuerit ordinis regularis hactenus deprehendere non potui, at cùm ea tempestate ex regularibus soli fere laudentur nostri vel Minores, qui verbo Dei instantes essent, nec suis Wadingus asserat Minoritis, saltem hic inter dubios referendum censui, ne viri eximii memoria oblivione deleatur, & ut curiosorum diligentiam acuerem, qui qualis fuerit si tandem retegere possint, rei litterariæ aperiant. Itaque. * 1240.

1. Cod. 153 Sorbon. fol. par. membr. qui collectio est sermonum Guiardi episcopi Cameracensis, Guillelmi Parisiensis episcopi, Odonis de Castroradulphi cardinalis, F. Nicolai de Byart, F. Henrici Teutonici ord. Prædic, Roberti de Sorbona, & aliorum, aliquot sunt F. Gerardi de Remis. Inter alios 128 Dom. 8 post Trin. Pr. *Hic recipit peccatores.*

2. Cod. 945. Sorbon. fol. memb. tres uncias minimum spisso ex legato Stephani de Abbatisvilla canonici Ambianensis socii, cujus libri anno MCCLXXXVIII in Sorbonam illati, qui & collectio sermonum tum supra relatorum tum etiam Galteri de Lauduno cancellarii, Hugonis de Sanctocharo nostri & aliorum, hi F. Gerardi de Remis notantur. *Primus*: Estote misericordes sicut & Pater vester cœlestis &c. *Alter Dom.* 8 *post pent.* Omnes unanimes in oratione estote. *Tertius*: Sicut exhibuistis membra vestra servire &c. *Quartus*: Deus in adjutorium meum intende. *Quintus Dom.* XIV *post pent.* Protector noster aspice Deus. *Sextus*: Omnis qui se humiliat exaltabitur. *Septimus*: Da mercedem Dñe sustinentibus te. *Octavus*: Ascendens Jesus in naviculam transfretavit &c. *Nonus*: Ambuletis digne Deo per omnia. Sunt omnes longiores.

3. Cod. 955 fol. uncias quatuor spisso memb. ex legato Roberti de Sorbona. Collectio est ut superiores. Sunt hi F. Gerardi de Remis. *Primus*: Abjiciamus opera tenebrarum. *Alter in vigilia Nativ. Dñi.* Cras egrediemini &c. *Tertius Dom. infra Octav. epiph.* Ego & pater tuus dolentes &c. *Quartus Dom.* IV *post epiph.* Dñe salva nos perimus. *Quintus Dom.* V *post epiph.* Simile est regnum cœlorum homini qui bonum semen &c. *Sextus Dom. septuag.* Voca operarios. *Septimus Dom. quinquag.* Propter nomen tuum dux mihi eris. *Octavus Dom.* I *quadrag.* Ecce nunc tempus acceptabile. *Nonus Dom.* 2 *quadr.* Sanata est filia ejus in illa hora. Sed & plures sunt alii omnes fusiores charactere minuto sed eleganti scripti.

Sæc. XIII. 4. Cod. 985 ibid. fol. memb. ejusdem rationis ac superiores, sunt plures F. Gerardi de Remis, quorum primus Dom. in ramis palmarum : *Secundùm gloriam ejus, multiplicata est ignominia ejus.*

5. Cod. 985 ibid. ejusdem rationis ex legato Roberti de Sorbonio, sunt & quidam F. Gerardi de Remis : inter alios, *in die S. Joannis evangelistæ;* Ecce intelliget servus meus. *In die Innocentium:* Herodes videns &c. & alii omnes fusiores.

Monendum alterum Gerardum de Remis eodem seculo claruisse, magistrum regentem in theologia, cantorem Ecclesiæ Parisiensis cognomento *Bruine*, qui & celebris fuit concionator, cujus & sermones plures referuntur in collectionibus Sorbonicis & Victorinis, sed hic junior fuit & circa MCCLXXXII florebat, & semper dicitur magister Gerardus de Remis, vel *de Remis Bruine*, alter autem antiquior de quo hoc articulo circa MCCXL & semper *Frater Gerardus de Remis*. Videsis codicem Victorinum 762.

Inter viros graves in claustro S. Jacobi sepultos a Sampajo recensitos p. 264 stemmatis numeratur *F. Gerardus Ren.* errato fortè typorum pro Rem. id est Remensis, quod novum indicium esset hunc nostrum fuisse, sed id otiosiorum disquisitioni accuratiori satius est relinquere.

F. GUILLELMUS DURANT.

† 1296. F. GUILLELMUS DURANT qui vulgo SPECULATOR audit ab eo quod eruditum edidit *Speculumque juris* inscripsit opere, sed & *Mimatensis* etiam nuncupari solet, quod huic ille præfuerit olim episcopus Ecclesiæ, a quibusdam e nostro rejicitur scriptorum catalogo, aliis quibus assentiri cogimur, eum meliori ut videtur titulo Prædicatorum ordini vindicantibus cum Bergomensi *lib. 13 chron. ad 1296*, Lusitano, Fernandez, Pio, Fontana, Altamura, & aliis. De illius ætate, patria, & operibus, uti de illius professione certatum apud auctores, quos hîc paucis excutere lectori non ingratum fortè fuerit nec inutile. Italum eum autumarunt aliqui, quod maximam in ea regione duxerit ætatis ac vitæ partem, præclaraque gesserit, demum & tandem quieverit. Gallum tamen patriaque Provincialem Occitanumve seu Narbonensem plerique consentiunt; Philippus Probus J. C. Bituricus in ejus vita, Joannes Aloisius Tuscanus epistola ad Tarasonensem cardinalem Petrum Rationali divinorum officiorum præfixa & a Probo laudata, Simon Maiolus episcopus Vulturariensis in ejus vita; sed & ipsemet apertè de se patriaque sua palam in Speculo Juris *Tit. De Feudis* § 15. loquitur, seque Provincialem apertè declarat, hoc est e Provinciæ comitatu ditioneve ortum, cui tunc suberat Occitania, Narbonensisque Gallia, ubi sic ait, *Nos autem Provinciales nobiles feudatarios vasallos, plebeios verò nostros homines vulgariter appellamus &c.* Quod etiam ipse repetit in Rationali. Cujus verò sit Provinciæ civitatis ortus ab ipso facile colligitur ex ejusdem Speculi verbis ubi sic habet, *In Ecclesia nostra de Podiomissione &c.* quod oppidum est Rivensis diœcesis a seculo XIV erectæ vernacule dictum *Puymoisson*, at ætate Durandi Biterrensis diœcesis, ut & ipsa Rivorum urbs a Joanne XXII in episcopalem demum erecta. Quod & ipse testatur in *Repertorio* sive *Breviario aureo lib. 1. Rubr. 2. De rescript.* ubi sic habet : *Quid juris si impetrans contra me dicat, me Narbonensem, cùm tamen ego sim de Biterrensi diœcesi oriundus, per alia tamen in rescripto contenta constat de mea persona, ut quia dicitur ibi : Conquestus est nobis talis de magistro Guillelmo Duranti subdiacono & capellano nostro, nostrique palatii causarum generali auditore canonico Belvacensi & Narbonensi & doctore decretorum, Is enim nullus est nisi ego &c.* Clarisne vel obscuris ille genus suum & originem duxerit parentibus dubitat ancepsque est Maiolus, quem Phil. Probus honesto splendidoque inter suos loco natum longe probabilius asserit, cui parmam hanc tesseramque gentilitiam ascribunt in Gallia Christiana Sammarthani fratres ex ejus ad Minervam Romæ sepulcro : nimirum in argentea parma balteos tres cœruleos Scutario superante pariter argenteo apice, cœruleoque inde nascente erumpenteque leone, ac sub apiculo substrato superiori cœruleo stellulis aureis tribus radiante. Ut ut sit quod feciales viderint, vel qui familiarum stemmata scrupulosius inquirunt, puer admodum, inquit Probus, parentum studio & diligentia optimis præceptoribus & eruditis operam dedit, idque variis ac diversis urbibus, Bononiæque Bernardi Compostellani & Henrici Secusiani postea cardinalis Ostiensis clarissimorum utriusque juris interpretum factus discipulus, miros in jure progressus egit, tantumque sese & indefessum præstitit sacrorum canonum ac legum studiis, ut quam citissime cæteris præcelluisse omnes uno ore prædicarent. Arduæ quæstionis explicatione proposita factoque periculo ab universo Bononiensi collegio fuit approbatus, ut ipsemet loquitur, ac lauream ibidem in jure canonico consecutus est, cui subinde suam ille contulit publice interpretando operam Bononiæ primum, uti Diplovataccius observavit ac deinde Mutinæ, factusque celebrior ab hujusmodi interpretandi professione sub Clemente IV Narbonense, cui familiarissimus ille fuit, uti Maiolus annotavit ad *cap. 13. conc. Lugdun. II gener.* capellanus apostolicus & sacri palatii generalis delectus est auditor, annos tunc fortè non amplius 34 natus, ut ipse testatur *Tit. de appell.* § *Nunc breviter. vers. Item justa causa est &c.* Quo magistratu pie & integerrime gesto, magnis ille multisque dignitatibus auctus est ecclesiasticis, canonicatibus, scilicet Belvacensi & Narbonensi, Carnotensique decanatu, ut ipsemet habet in *Speculo lib. 4. Tit. Ne sede vacante quid innovetur n. 7.* Mortuo verò Clemente 29 nov. MCCLXVIII, Gregorius X post annorum duorum & mensium novem ac diei unius interregni vacationem electus concilium Græcis a schismate revocandis, resarciendæ Ecclesiæ disciplinæ, moribusque reformandis Lugduni coegit anno MCCLXXIV, quod ut norunt omnes ex frequentia prælatorum fuit celeberrimum. Illi autem Guillelmum Durant interfuisse constat ex ipsomet in procemio ad constitutionum apostolicarum apparatum, ubi sic ait : *In quo* (concilio) *interfuimus, & aliquas de infra scriptis constitutionibus procuravimus.* Quod & ad *Rubr.* VIII *de prebendis* confirmat ad illa verba *Per seipsos*, fol. 74 repetit, de Constitutione *Licet* Clementis IV in eo concilio revocanda proposita dicens : *sed quia constitutio illa fuit propter diuturnam Romana Ecclesia vacationem post obitum ipsius D. Clementis valde prajudicialis, prælati in concilio Lugdunensi instantissime petierunt illam per D. Gregorium revocari, & ego ipse etiam hoc efficaciter procuravi : Papa verò non revocavit, sed modificavit* &c. Ab eo verò pontifice Laudunensem quamdam obtinuit præbendam, ut refert in *spec. Juris. Tit. de legato* § *nunc tractemus*, quam nepoti suo per Nicolaum papam transferri petiit, & jure regaliæ alteri datam amisit, uti Rufæus habet *Tract. de jure regal. privil. 9 n. 2.* Tum & jussu ejusdem papæ Gregorii intermisso causarum palatii auditoris munere, patrimonio B. Petri atque temporalibus curis spiritualibusque præfectus est. Sic enim ille ad cap. 1 concilii generalis II. *Si canonici.* num. 42 not. 6. *Et hoc de novo in Italia introduxi*

& in

& in civitatibus Forlivii, Mutinæ & Pisanæ, & in castro S. Miniati servari feci & etiam in civitate Tuscanella, dum eram rector patrimonii, & capitaneus generalis &c. Quo etiam munere functus est sub Nicolao III & Martino IV Gregorii successoribus: unde cùm Forolivienses ab Ecclesiæ Romanæ reverentia descivissent & obedientientia, nonnullaque oppugnassent illius oppida, debellatum eos a Martino IV missus est, qui summa fortitudine & industria Flaminiam universam in ditionem Ecclesiæ revocavit anno MCCLXXXIV, fusis & ad Pedemontanos Allobrogesque fugatis & ablegatis perduellionis auctoribus ac fautoribus, eorumque receptis obsidibus & filiis. Eadem etiam accidit tempestate, ut Urbinates arcem & castrum Riparum ad Massæ Trabariæ funditus everterint, cùm Guillelmus D. papæ tunc esset nuncius ac Romandiolæ thesaurarius apostolicus, qui Romani causa tuendi nominis dirutum illud ipsum antea prærupto monti impositum, in apertam gratamque planitiem transtulit, & a fundamentis ipse restituit, suoque nomine *Castrum Durantis* in hunc usque diem appellari voluit, quod amne Metauro cingitur, irrigata atque in peninsulæ formam aquis circumducta planitie fœcundissima & amœnissima. Cujus rei marmorea servantur etiamnum in ipsius oppidi Prætorio monimenta antiqua, indeque *comes & marchio* nuncupatus est. A morte autem Martini IV, qui obiit 25 martii MCCLXXXV sub Honorio IV qui 1 vel 2 aprilis sequentis suffectus est, iisdem pro pontifice legationibus detentum nullibi lego: imo conjicere est Italiam reliquisse tunc & in Gallias remeasse, in iisque rerum humanarum vicissitudinis pertæsum, statum regularem amplexum, nostrum scilicet Prædicatorum, nam hactenus nullus quod sciam, alius sibi vindicat. Regularem autem fuisse cùm ad sedem Mimatensem evectus est, constat ex *Actis visitationis provinciarum Burdigalensis & Bituricensis facta a Simone de Belloloco archiepiscopo Bituricensi ab A. C. 1284 usque ad annum 1291. T. IV miscellaneorum Stephani Baluzii pag. 344.* Ubi sic legitur: *Die veneris sequenti* (scilicet immediate post festum Ascensionis anno MCCLXXXVII quo pascha fuit 6 aprilis, ac proinde dies Ascensionis 15 maii, & dies veneris 16) *in mane audivit Dominus missam in capella episcopi Claromontensis, quæ est in domibus episcopalibus. Qua audita ipse & episcopus Claromontensis, & multi alii tractaverunt de confirmatione Fratris Durandi electi Mimatensis, & fuit ibidem confirmatus.* Baluzius ad marginem addidit: *Guillelmus Durandi episcopus Mimatensis.* Qui ex præfixo *Fratris* titulo evidenter professionis religiosæ vinculo astrictus demonstratur. Et reipsa in toto illo hodœporico nonnisi religionis votis astrictis titulus ille præfigitur. Sic *pag.* 348 memoratur episcopus Claromontensis anno superiori mortuus *Frater Guido*, nempe *de Turre* ordinis Prædicatorum. Sic etiam *pag.* 209 episcopus Pictavensis *Frater Galterus*, qui erat ex ordine Minorum. Et pag. 212 Prænestinensis episcopus apostolicæ sedis legatus *Frater Jacobus*, quia erat Cisterciensis. Ex eo verò quod tunc tantùm scilicet 16 maii 1287 ab Archiepiscopo Bituricensi & episcopo Claromontano confirmatus fuerit Guillelmus Durant, evidens est difficultates non parvas circa illius electionem emersisse, nam ab anno præcedenti nempe 4 februarii 1286 a capitulo per compromissum electum jam fuisse Honorii IV anno primo narrat Ughellus T. II Ital. Sac. ex Act. Vatic. & revera in *Actis visitationis* relatis pag. 330 *de visit. diœc. Mimatens.* sic legitur: *Anno MCCLXXXVI die Jovis sequenti* (post Festum Trinitatis 13 junii, nam pascha fuit 14 april. ubi notandum tunc nondum saltem in Galliis institutam solemnitatem corporis Christi) *intravit Dominus civitatem Mimatensem &c. Ipsa die fuit procuratus ad expensas magistri Pauli procuratoris electi Mimatensis in Romana curia existentis in domibus episcopalibus ipsius electi.* Quæ indicant F. Guillelmum Durant tunc apud Romanum pontificem egisse, fortè ut difficultates illas elevaret, etsi verò electionem hanc probavisset Honorius IV ut refert Ughellus *loco cit. in Episcopis Urbaniæ pag.* 9. ex summi Pontificis epistolis 281, 2 Nonas febr. 1286 anno 1, & 177 Nonis novemb. 1285 ad electum datis, cùm tamen Honorio mortuo 3 april. 1287 lis adhuc penderet, propterea sede Romana vacante ab archiepiscopo Bituricensi & comprovincialibus die 16 maii MCCLXXXVII tandem finita controversia est, & F. Durandus confirmatus. Hic verò sponsam suam deinceps ornare, ac optimis legibus informare tantum solicitus adeo dilexit ac coluit, ut Bonifacio VIII viri meritum attendente, & inde avellere volente, ut ad archiepiscopalem Ravennæ sedem promoveret anno MCCXCV, animo constanti detrectarit, & translationem repudiarit. Eodem tamen anno vel potius sequenti MCCXCVI fortè ab ipso Bonifacio vocatum Italiam petiisse summumque pontificem adiisse ex eo colligitur quod Romæ obierit 1 nov. MCCXCVI, ætatis circiter 67. Quod astruere videtur Bonifacius VIII epistola ordine 56 quam ad Guillelmum Durant juniorem Guillelmi nostri nepotem Romæ dedit die 17 Decemb. seu 16 Kal. Januar. pont. anno 2 MCCXCVI quæ incipit. *In desideriis nostris.* Sic enim ibi: *Nuper siquidem Ecclesia Mimatensis per obitum bonæ memoriæ Guillelmi episcopi Mimatensis, qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum Pastoris solatio destituta, nos de ipsius provisione solicitè cogitantes, ac intendentes ei de tali providere pastore, per quem salubriter regi possit & utiliter gubernari, ad te ipsius Ecclesiæ archidiaconum, quem ejusdem episcopi prædecessoris tui, cujus nepos fuisti, consideratione, benevolentia gratiosa prosequimur, convertimus nostræ considerationis intuitum &c.* Quibus verbis indicat Pontifex ad se provisionem Ecclesiæ Mimatensis de jure attinere, quod Guillelmus in curia Romana obiisset. Novi Maiolum episcopum Vulturariensem virum eruditum & accuratum rem aliter narrare. Nimirum, inquit ille in vita Durandi Senioris nostri, *a Bonifacio VIII nuncius ad sultanum* (Ægypti) *decretus est anno MCCXCVI peregreque proficiscens, hanc nactus occasionem ad SS. D. N. sepulcrum accedendi, suscepto D. Dominici habitu Nicosiæ, quæ Metropolitana Cypri civitas est, clausit extremum diem, & in Dominicanorum æde depositus pridie nonas julii, quo loco in hunc usque diem epitaphium marmore inscriptum visitur, tandem post trimestre cadaver Romam relatum est, & Kal. novembris honorifice tumulatur in æde Minervæ.* Quibus quidem haud ægre assentirer, si monimentis antiquis vel ex Insula Cypro vel ex Actis Bonifacii VIII e Vaticano depromtis fulcisset. Verùm cùm hæc illi desint, & quæ profert, aliunde non conveniant cum ipsius Bonifacii epistola mox relata, huic potius standum videtur, donec aliunde major lux affulserit. Hinc saltem habetur in habitu ordinis obiisse, eaque ratione apud nostros sepulturam elegisse. Quæ omnia hactenus a nobis relata accuratioris criterii viris libens subjicio. Hoc est Guillelmi epitaphium lapidi ejus sepulcrali in templo S. Mariæ super Minervam Romæ insculptum, quod etsi rudiori musa conditum, referre placet, cùm pleraque ejus gesta exhibeat.

Hic jacet egregius doctor præsul Mimatensis
Nomine Duranti Guillelmus, regula morum,
Splendor honestatis, & casti candor amoris,

Legendus Leand. Albertus *Descrittione d'Italia. Reg.* XIII. § *Umbria.* Edit. Ital. fol. 236 a.

Sec. XIII.

Altum consilii, speciosum, mente serenum,
Hunc insignibant. Immotus turbine mentis,
Mente pius, sermone gravis, gestuque modestus,
Extitit infestus super hostes more leonis.
Indomitos domuit populos, ferroque rebelles
Impulit; Ecclesiæ victos servire coëgit.
Comprobat officiis, paruit Romania sceptro
Belligeri comitis Martini tempore quarti.
Edidit (ille) in jure librum, quo jus reperitur,
Et speculum juris, patrum quoque pontificale,
Et rationale Divinorum patefecit
Instruxit clerum scriptis monuitque statutis.
Gregorii dani; Nicolai scita perenni
Glossa diffudit populis, sensusque profundos
Scire dedit mentes corusta luce studentum.
Quem memori laudi genuit Provincia dignum;
Et dedit a Podio missone diœcesis illum,
Inde Biterrensis. Præsignis carica Papæ.
Dum foret Ecclesia Mimatensis sede quietus,
Hunc vocat octavus Bonifacius, altius illum
Promovet, hic renuit Ravenna præsul haberi.
Fit comes invictus simul hinc & marchio tandem.
Et Romam rediit Domini sub mille trecentis
Quatuor amotis annis tumulante Minerva.
Subripit hunc festiva dies & prima novembris:
Gaudia cum sanctis tenet omnibus: inde sacerdos,
Pro quo perpetuo datur hac celebrare capella.

Ibidem extat & aliud brevius lapidi incisum epitaphium: *Hoc est sepulcrum Domini Guillelmi Durandi episcopi Mimatensis. Joannes filius magistri Cosmati fecit hoc opus.* Jam ad ejus scripta accedendum, de quibus varie varii scripserunt, proptereaque certa nobis ab incertis videntur hic distinguenda, editaque ab ineditis expendenda.

Primum igitur ejus opus fuit *Repertorium aureum juris*, non ad modum indicis, ut titulus innuit, sed variis titulis distinctum, unde & in aliquibus editionibus hunc titulum habet: *Breviarium aureum D. Guillermi Duranti speculatoris, utriusque censuræ doctoris libris* V *distinctum.* Matthæo Rubeo Ursino S. Mariæ in Porticu diacono cardinali ab Urbano IV circa 1262 creato auctor tunc D. Papæ (scilicet Clementis IV febr. 5, 1265 electi) subdiaconus & capellanus nuncupavit. Pluries typis prodiit. Venetiis 1496. Lugduni 1516 & 1551. Parisiis Francisci Regnault 1519 in 8 Got. charact. Francofurti 1592 cum opere sequenti.

Secundum opus ejus fuit *Speculum juris* tribus partibus tomisve distinctum, scriptum ab auctore anno 1271, & Othobono de Flisco tit. S. Adriani tunc cardinali, Innocentii papæ IV ex fratre Theodisio nepoti, anno verò 1276 ad Petri sedem XI julii evecto Adrianoque V dicto nuncupatum. Opus omnium juris utriusque peritorum manibus tritum & adeo egregium ut ab iis *Pater Praxis* appellari meruerit & *Speculator* audierit: & si vel tota periisset Bibliotheca juris hoc uno reparari posse videretur, scilicet ex omnium veterum J. C. scriptis excepto & coacervato. Hinc Joannes Andreas J. C. celeberrimus grandia Durando furta objicit, & Flacci corniculæ dicterium objicit, qui longo turpius ipse plagii crimen idem incurrit: *Αὐτὸ μάλα ἐπίεργον.* Prodiit typis sæpissime. Bononiæ, Baldazeri Azzoguidis 1472 fol. voll. IV. Lugduni 1531 in 4 voll. vet. Goth. Basileæ 1574. Venetiis, Valgris 1576 in fol. voll. III. Francofurti 1592. Ibidem adjunctis additionibus & quæstionibus Alexandri de Nevo, Typis Seyleri 1668 in fol. voll. duobus.

Opus tertium *Commentarium in sacrosanctum Lugdunense concilium* II *sub Gregorio X celebratum anno* 1274 *& constitutiones ejus decretales*, quod opus auctor sub Nicolao III triennio post concilium absolutum edidit. Has autem Gregorii decretales Bonifacius VIII in novam intulit sexti Decretalium libri compilationem. Unde Caroli Molinei mordacitas eliditur, irridentis Maiolum non modo *Sexti* compilationem, sed etiam Lugdunensis concilii decretales Bonifacio VIII sequiori tribuentem. Hoc verò Durandi commentarium e tenebris eruit primus dictus Simon Maiolus, tunc J. C. ac Pio V sum. Pont. notis marginalibus & observationibus a se illustratum nuncupavit, ac Durandi genuinum opus ipsius auctoris verbis efficacissime probat. Sic ad cap. I *Ubi periculum* concil. gen. II Lugd. n. 19 fol. 7. *De Romani pontificis electione* tractans ait: *Et vide id speculo nostro in Tit. de syndico vers. Item quod nobilis &c.* Et ibidem ad cap. 8 conc. Lugd. n. 1 & 4 p. 32. *De causis* agens *majoribus* ad cap. *Quoniam* n. 4: *Nam majores causæ absque aliqua appellatione vel causæ expressione ad sedem sunt referendæ, ut in concord. sup. in glo. prox. positis. Ridiculum est ergo dicere, quod appellatio illa referatur ad sedem apostolicam, cùm nullus etiam legatus de latere de illa cognoscere possit, ut de offic. legat. cap. Quoad translationem. De causa autem episcopali nulla constitutione præterquam illa Alexandri cavetur, quod sit de majoribus causis quoad hoc: imo Metropolita, primates, patriarchæ, & legati ex officio legationis de illis audiunt & definiunt, prout plenius diximus in speculo in Tit. de officio legati. § superest. ver. sed quid doces. & §. Nunc ostendendum. vers. sed reliquum.* Sunt & alia quæ idem passim evincunt. Prodiit Fani, Jac. Mascardi 1569 in 4 pp. 212. Extat Parisiis in Regia E 248.

Quartum opus *Rationale divinorum officiorum libris* VIII *distinctum.* Quod anno 1286 absolvit, ut ipse ait *lib.* 8 *cap.* 9. Typis verò pluries prodiit.

Moguntiæ, Joannis Fausti & Petri de Gernsheim vel Schoeffer 1459 fol. pellibus vitulinis. Extabat apud Bernardum de Malincrot decanum Monasteriensem. Quod non quidem primum est ut aliquibus visum est, sed saltem secundum quod a nata typographia excusum fuit ut probat And. Chevillerius in erudita sua Gallica dissertatione *L'Origine de l'imprimerie* pag. 13. Rutlingæ 1473. Venetiis 1485. Argentinæ 1486. Basileæ 1488. Norimbergæ 1493 in fol. Lugduni 1516 cum *Repertorio & speculo.* Venetiis 1519 & 1572 in 4. Lugduni 1551, 1565, 1568, 1584, 1592. Antwerpiæ 1570.

Quintum opus sed MS tantum hactenus servatum nec typis editum *Pontificale.* Extabat in Bibl. Thuana Paris. Recensetur etiam in catalogo Bibl. Tellerianæ p. 156 memb. annorum 250 fol. Hujus mentio in ejus epitaphio & apud Augustinum Piccolomineum, Dipplovataccium, & Maiolum.

6. Præterea scripsisse Durandum adhuc ætate florente *commentaria in Gratiani decretum*, cùm adhuc Mutinæ juvenis publicum ibi juris interpretem ageret & professorem academicum asserit in ejus vita Simon Maiolus penes quem fides, nam nulla in epigraphe sepulcrali relata memoria.

7. *Commentarium in Nicolai III constitutiones* Laudatur in ejus epitaphio, sed curiosioribus & diligentioribus hactenus non occurrit, censeturque vel deperditum vel alicubi latens & cum vermibus pugnans.

8. *Statuta pro cleri sui Mimatensis instructione* laudantur etiam in ejus epitaphio, quæ fortè in ejus Ecclesiæ monimentis reperirentur, si quis curiosus evolveret.

9. *De concilio librum elegantem* scripsisse cùm a Gregorio X ad concilium Lugdunense vocatus est, ait in ejus vita Maiolus citatus, & excipit Fontana addens & typis prodiisse; sed cùm hujus operis nulla extet alia memoria, utrumque allucinatum arbitror, & patruo asseruisse quod est nepotis co-

gnominis, in quem scopulum & alii impegerunt. Itaque

10. *Tractatus de modo generalis concilii celebrandi* prodiit Lugduni, Joan. Crispini 1531 in 4. Parisiis, Ponc. le Preux 1545 in 8 & iterum ibidem, Clousier 1617 in 8. Opus quidem luce dignum Philippus Probus J. C. Bituricus suis curis primus edidit, sed in eo erravit longius a vero, cùm Guillelmi Durandi senioris ac speculatoris dicti fœtum credidit anno 1296 certo defuncti, cùm sit genuinum opus Guillelmi Duranti junioris nepotis & in eadem sede Mimatensi post patruum a Bonifacio VIII collocati. Quod ex ipso auctoris proœmio constat, in quo se opusculum illud ideo suscepisse ait, quo se ad Viennense concilium vocanti Clementi V morem gereret, quod certe concilium data Pictavis prid. idus seu die 12 aug. 1307, pontif. sui 3 duntaxat ad kal. octob. anni 1309 Viennæ celebrandum primum indixerat: & alia postmodum Avenione die 4 seu prid. non. april. 1307, pontif. an. 5 data bulla Templariorum causa processuque pendente præpedienteque proximum inde ad biennium prorogavit, cui Guillelmus Durandus junior speculatorisque nostri nepos interfuit ac subscripsit.

De hoc auctore cum laude meminerunt post Trithemium scriptorum nomenclatores omnes; vitam scripsit Philippus Probus & præfixit tractatui relato *de conc. gen. celeb.* sed in pluribus a veritate aberrat, ut & Forsterus & Simlerus, qui ætatis 30 juvenem obiisse ad 1236 somniavit: Simon Maiolus omnibus accuratius ejus gesta ex ipsius Durandi scriptis probatisque ac veteribus collecta monimentis & historicis commentario ejus ad conc. Lugd. II præfixit, quæ excepit Fontana noster & integra repræsentat in Theatro. Laudant præterea Aloysius Tuscanus epistola ad Petrum cardinalem Tarasonensem *Rational. div. offic.* præfixa. Jo. Bapt. Cantelmajus in *Selectan. Sacr. Rot. Rom.* Romæ 1639 apud Phæum: Joannes Fichardus in *Vitis Jurisconsultorum* & alii plures.

Alva in suo *Pleytos de los libros lite* XI *pag.* 55 nullum non movet lapidem, ut hunc nobis eripiat auctorem, cujus hoc potissimum argumentum est, quod ante Jacobum Bergomensem nullus nequidem ex nostris eum ordini Prædicatorum ascripserit, nec ipse inquit Maiolus in ejus vita. Cui responsio facilis; primo Maiolum certum est disertis verbis asserere nostram induisse vestem saltem Nicosiæ in Cypro: quantum ad alios, illi nec regularem fuisse referunt Durandum, quem tamen ex *actis visitationis Bituric.* relatis in quibus *Frater Durandus electus Mimatensis* dicitur, votis religionis astrictum invicte probatur. Hinc patet plura scriptoribus excidisse, quæ tandem ex inspectione monumentorum æqualium deteguntur, & in lucem produntur. Quod quidam eum cum nostro Durando à S. Porciano confundunt, crassius est, quam ut in eo confutando immoremur. Cæterum nam id repetere non piget, qui veritati uni litare didici, si viris eruditis Guillelmum Duranti ordinis Prædicatorum fuisse non satis probatur, hîc saltem accuratiorem gestorum ejus & operum seriem quam apud alios qui de eo egerunt, habebunt.

F. GUILLELMUS DE MALLIACO.

F. GUILLELMUS DE MALLIACO vernacule *de Mailly* aliàs *Mali* vel *Malig*, quod oppidum est in Burgundia quatuor circiter leucis Autissiodoro dissitum, inter celebriores Parisiis seculo XIII circiter medio florentes concionatores emicuit, cujus sermones avide quærebantur, pluribusque in bibliothecis servantur adhuc inter codices MS. ejus ætatis. Nullibi quod ordinis Prædicatorum fuerit distincte notatum legi, unde & inter dubios refero, cuicumque suum asserenti cedere paratus. Tamen ut nostrum suspicer, moveor his conjecturis. Primo regularem fuisse certum, cùm Frater ubique fere dicatur: ex regularibus autem ea ætate universitatis Parisiensis concionatores non celebrantur nisi Prædicatores vel Minores: at verò nec Wadingus in suis recensendis ita solers, imo nec alii aliorum ordinum nomenclatores hunc sibi vindicant. Adde quod domus Autissiodorensis nostra viros egregios semper ac potissimum ea ætate protulerit, quales Stephanus de Varnesia, Joannes de Verziaco, Guillelmus Autissiodorensis, Joannes de Malliaco, quidam etiam Guillelmi de Malliaco dicti & alii in hoc opere recensiti. Quæ tamen omnia lectoris criterio permitto, qui otiosior veritatem aliquando forsan deteget, hîcque addere curabit. Hi codices a me visi. SEC. XIII.

Sorbon 153 fol. par. memb. plures sunt hujus Guillelmi inter alios Nicolai de Byart, Henrici Teutonici nostri qui cum S. Ludovico rege in expeditione Palæstina profectus est, Gerardi de Remis supra laudati, Roberti de Sorbona permisti.

Ibid. 953 fol. par. memb. in quo plura alia, sed primo *Sermones de Mailly de Sanctis.* Ad calcem sic legitur: *Explicit Suspendium de Mailly.*

Ibid. 981. Pr. *Abjiciamus opera tenebrarum &c. Quoniam in præsenti tempore recitat nobis mater Ecclesia adventum filii Dei in mundum, scilicet quia de cœlo exiliens a regalibus sedibus venit durus debellator &c.* Sunt de Dominicis ab adventu ad Dom. III post octavas paschæ: qui modus numerandi notandus, est enim ritui nostro specialis: sunt autem super epistolas & evangelia. Ad finem: *Expliciunt sermones Fratris Guillelmi de Malig de Dominicis.* Sequuntur sermones de Sanctis a S. Andrea ad festum annunciationis. Pr. *Suspendium elegit anima mea. Job* VII. Vulgariter dicitur, *Qui bien voit & mal prent, a bon droit se repent &c.* Ad finem: *Explicit Summa de Malliaco de diebus Dominicis & festivis.*

Ibid. 1014 mox laudato omnino similis. Ad calcem: *Ex legato Joannis de Essoniis socii*, qui florebat anno 1288.

Ibid. 959 membr. ut omnes superiores: *Abjiciamus & suspendium*, sed abest nomen auctoris. Ex legato Stephani Gebennensis socii, qui circa 1280 florebat.

Navarr. codex est in 8 memb. spissioris molis, cujus prima pars sunt sermones Anonymi magistri in theologia ord. Prædic. supra laudati, ut ibidem legitur: altera parte *Sequuntur sermones de Mailly. Abjiciamus.* Parte tertia de SS. *Suspendium.* Epigraphe: *Sermones Mailly ingeniosi.*

Ex duplici catalogo libri rectoris universitatis venales erant: ex primo ante MCCC: *Sermones abjiciamus de Mali de Dominicis. Item sermones ejusdem de festis, scilicet, a festo sancti Andreæ apostoli usque ad annunciat. Dñi*: ex altero anni MCCCIII: *In sermonibus de Malliaco de Dominicis & festis.*

Venetiis ad SS. Jo. & Paul. ex Tomasino Plut. IV *sermones Fratris Girardi de Malliaco.* Quod fortè erratum notarii *Girardi* pro *Guillelmi.* Quod ex principiis hîc relatis examinent sodales nostri ejus domus.

F. IVONETUS.

F. IVONETUS vel *Iconetus*, utroque enim modo scriptum nomen occurrit, quantum conjicere est vel hoc seculo XIII vel initio sequentis clarebat. Ejus laudatur

Summa de secta Waldensium.

SEC. XIII. Franciscus Peña scribit *Ivonetum*, & in Directorio inquisitorum Nicolai Eymerici P. II, Q. XII in notis ad XX errorem p. 273 edit. Venet. anni 1607 hujus Summæ Ivoneti citat partis quintæ caput 2 ex vetusto codice MS in memb. Bibl. Vatic. quo in codice plene agitur de erroribus Waldensium. Damianus Roscius noster, de quo postea agitur ad 1589 in suo opere *de hæresibus manifestandis & convincendis*, auctores qui de hæresibus scripserunt recensens sic habet, *Yconeti F. Summa hæreticorum MS Romæ in Vaticana visitur*. Altamura ad 1308 hujus auctoris nomen *Iconectus* scribit, & nostris accenset, ea forsan ratione, quod nulli præ nostris Waldenses ardentius verbo & scripto exagitarint, & quidem id satis probabile. Verùm ubi hujusmodi nomen *Ivoneti* nusquam aliàs usurpatum meditor, virum video nusquam aliàs laudatum, scriptorem tamen celebris Summæ contra Waldenses in quinque libros distributæ: sensum meum dissimulare non possum, iste Ivonetus non alius mihi videtur a nostro Moneta vel ut quidam vocant, Simoneta Cremonensi, de quo supra actum p. 122, qui scripsit Summam contra Catharos & Waldenses in quinque libros distributam. Deludi verò facile potuit Franciscus Peña præ vetustate codicis litteris jam ex parte erasis, quod vix dubito, quin agnoscant sodales Romani si codicem iis inspicere liceat, & prologum cum prologo Monetæ cujus fragmentum dedimus velint conferre. Cæterum si is non est, sitque revera alius, non potui nisi inter dubios referre, cùm sub hoc nomine antiquis nostris nomenclatoribus auctor sit plane incognitus.

F. MAURITIUS.

F. MAURITIUS DISTINCTIONUM auctor operis scilicet illius olim celebris, cujus tot in bibliothecis inter codd. MSS exempla etiamnum supersunt, hoc fere solo titulo, *Distinctiones F. Mauritii*, vel *Fratris Mauritii distinctiones*, sic vâsus est indicandus, quod ea ratione potissimum cognitus sit. Sunt autem *Distinctiones*, (ne quis in voce allucinetur) quorumdam sacræ scripturæ vocabulorum communiorum explicationes juxta triplicem vel quadruplicem sensum quo in sacris Bibliis sumuntur, ordine alphabetico digestæ, concionatoribus ea ætate valde utiles, in quibus scilicet illis ex tempore dicturis præsto erat, unde sermones suos conficerent, ejusve partes promte refercirent. Hæ verò *Mauritii Distinctiones*, ut a similibus aliorum secernantur, sic incipiunt.

Abjectio. Circa Abjectionem nota qualiter in scriptura

Auctorem ordini alicui regulari votis astrictum probat denominatio Fratris, sed cuinam, cujasve is est non parva, illis Prædicatorem, illis Minorem, aliis Anglum, Gallum aliis vel etiam Hispanum contendentibus. Lusitanus Bibl. pag. 175 nostris asserit. *F. Mauritius*, inquit, *composuit distinctiones quasdam per alphabetum valde utiles ad prædicandum. Et habetur hic liber MS characteribus antiquis Neapoli in conventu nostro B. Dominici, & continet 89 distinctiones. Claruit anno 1290.* Eademque ex eo referunt Gozzeus, Pius, Fernandez, & alii ad Altamuram ad 1277: sed & ducentis annis antea nostris accensuerant tum Laurentius Pignon n. 79: *Frater Mauritius fecit Distinctiones, quæ suo nomine vocantur, Mauritii distinctiones*: tum Ludovicus a Valleoleti n. 37: *F. Mauritius fecit Distinctiones per abecedarium ad prædicandum valde notabiles, in quibus auctor Dictionarii pedem fixit.* Quibus innuit Petrum Berchorium illius Dictionarii celebris auctorem Mauritii vestigiis institisse, & ex eo profecisse. Ex quibus saltem circa 1400 vulgo Mauritium ordinis Prædicatorum habitum fuisse constat. Cui favet, quod in catalogo cod. MSS Bibl. Venet. apud Tomassinum: in Bibl. SS. Jo. & Pauli, in alt. parte ord. 11, laudantur *Distinctiones F. Mauritii ord. Prædic.* fol. memb. Nam si prima manu id scriptum sit, non parvæ est auctoritatis. Quod discutiant penes quos est codex. Sic etiam appellatur apud Sanderum in Elencho codd. MSS Belgii T. I pag. 360.

Aliunde verò Wadinghus suis vindicat Minoritis, quodque mireris, non alio teste laudato quam nostro Antonio Senensi, quem totidem verbis excipit, quo certe judice causa cecidit. Quid certius profert Alva in *Sole Verit. Rad. 212 col. 1522*, ubi laudat codicem Anglicum in quo *Mauritius* dicitur *ordinis Minorum*.

Jam quantum ad gentem Pitseus qui ordinis Prædicatorum censet, Anglum omnino vult ad 1290. Antonius in *vet. Bibl. Hisp. Inter scriptores incerti temporis pag. 269 col. 2* sic habet: *Mauritius ne Hispanus, an Mauritius de Hybernia Anglus magister Parisiensis uterque auctor fuerit Distinctionum quas vocant Mauritii ambiguum est. Meminit historia Acad. Paris. T. III in catal. Illust. Acad. & Joannes Launoy. De varia Aristotelis fortuna in Univ. Paris. cap. 4. Hactenus nihil certi.* De his post tantos viros censere mihi non arrogo. Equidem si numerum auctorum attendam, nostrum esse Mauritium facile mihi persuaderem: dubium tamen facit, visus a me Parisiis in biblioth. gymnasii Navar. codex memb. fol. med. seculi circiter XIV in quo sic legitur eadem manu totius exempli, initio quidem: *Incipiunt Distinctiones verborum diversorum, per literas alphabeti incipientium edita a Fratre Mauritio.* Ad calcem verò: *Expliciunt Distinctiones Fratris Mauritii Belvacensis ordinis Minorum.* Deinde continenter: *Incipiunt capitula in libro Distinctionum verborum per alphabetum incipientium a Fratre Mauritio Belvacensi ordinis Fratrum Minorum editorum.* Juxta quem codicem sane alicujus notæ lis finita videretur, & inter Anglos & Hispanos Gallus Bellovacensis isque Minorita gauderet, quæ omnia lectoris judicio permitto.

Addo solum Lusitanum, quem alii excipiunt, Possevinus ipse, allucinari cùm Distinctiones 89 tantum numerat in opere. Equidem littera A sunt tantum 89, sed in quaque literarum sequentium sæpius plures sunt. Cùm autem codicem Neapolitanum quasi unicum plerique hactenus laudarint, fortè bibliothecas alias rescire non ingratum erit, in quibus alii servantur.

Parisiis in Navarr. præter jam citatum, sunt & duo alii ejusdem rationis cum hoc solo titulo *Distinctiones F. Mauritii.*

In Sorbon. tres sunt a me visi fol. med. & par. memb. idem titulus.

In Victor. fol. par. n. 1037 memb. hoc titulo *F. Mauritii distinctiones* tantum.

In catalogo bibliothecarius addidit *ordinis Prædicatorum*, sic etiam in codice, sed secunda manu.

In Regia n. 5674 fol. par. memb. *F. Mauritii Distinctiones*, nec quid amplius.

In libro Rectoris universit. Parif. inter libros anno 1303 & annis præcedentibus venum expositos: *Distinctiones Mauritii*: quod invicte probat auctorem seculo XIII vixisse.

In Anglicanis T. I P. I, 2660: P. II, 569 & 6155 P. III, 1738, 1977: In isto solo, *Distinctiones Mauritii de ordine Fratrum Minorum.* T. II P. I, 8032 & 8131. Ubi notandum, certissime allucinatos eos qui Indices nominum auctorum ad calcem cujusque tomi *Catalogi codd. MSS Angl.* concinnarunt & addiderunt, *Mauritium* hunc cognomine *Portu-Fildei* nuncupantes, quasi fuerit magister ille *Mau-*

ritius Hybernicus, qui post Burlifer additiones ad margines Scoti dicitur scripsisse.

Etsi enim iis fere consentiat & etiam præluserit Wadinghus utrumque confundere non renuens, id tamen longissime distat a vero; nam præterquam quod *Mauritius* de quo hîc agitur, in nullo codice *Portu-Fildaus* agnominatur, certum est *Portu-Fildaum* nonnisi circa initia seculi XVI floruisse, *Mauritius* autem seculo XIII florebat, imo & ante Scotum vixit.

In Bibl. Venet. Tomasini, præter laudatum Bibl. SS. Joan. & Pauli, in quo dicitur *ordinis Prædicatorum*, in eadem codex est alius I Parte Plut. 6: *Distinctiones Mauritii* in 4 memb. In Bibl. S. Antonii a parte sinistra in Pluteolis ad parietem Plut. 19: *Distinctiones F. Mauritii.*

PETRUS HISPANUS.

PETRUS HISPANUS operis illius adeo decantati & apud Logicos celebris, quod *Dialectica*, vel *Summula* dicitur, auctor, quem & medio circiter seculo XIII floruisse vulgo aiunt, ordinis Prædicatorum fuisse asseritur a Lusitano ex fide nostri Ambrosii Taëgii I *P. Monumentorum ordinis*: Lusitanum deinceps secuti, Pius P. II lib. I col. 34, Fernandez, Altamura ad 1249 in *Bib. & in App.* & alii nostris accensent velut indubium scriptoribus, nullum tamen antiquius, quam seculi XVI cujus initio scribebat Taëgius, documentum proferentes. Duplicem ego centum annis vetustiorem produco testem: primus est F. Laurentius Pignon in suo scriptorum nostrorum catalogo, qui n. 91 sic habet: *F. Petrus Alphonsi Hispanus scripsit Summulas logicæ, quæ communiter traduntur pueris*: alter est F. Ludovicus a Valleoleti in sua Tabula auctorum ordinis n. 14 sic scribens: *Frater Petrus Hispanus de natione Castellæ scripsit Summam logicalem, quæ ut communiter tractatus nuncupatur, in quo libro viam facilem ad dialecticam acquirendam invenit ac tradidit. Item dictavit & composuit eleganter historiam, & totum officium B. Dominici patris nostri.* Quantum ad hoc posterius manifeste delusus est Valleoletanus, nam & historia & officium B. Dominici certo non sunt Petri Hispani, at F. Constantini Urbevetani episcopi. At saltem ex his testimoniis inferre licet in gymnasio nostro Sanjacobeo Parisiensi circa 1400 Petrum Hispanum auctorem Summularum vulgo nostrum existimatum. Et ut hoc obiter dicam Valleoletanum citatum excepisse videtur, qui ad tabellam in regio Pissiacensium Sororum nostrarum monasterio scilicet in peristylio depictam ante annos circiter centum, in qua Petrus Hispanus in veste ordinis exhibetur, hanc inscriptionem apposuit: *F. Petrus Hispanus, auctor Summularum dicitur composuisse historiam & officium S. Dominici, & librum medicinæ, cui titulus, Thesaurus pauperum.* Quæ inscriptio hominis est sane imperiti duos aut etiam tres auctores diversos in unum conflantis. Sed hoc interim omisso.

Aliunde Petrum Hispanum nostrum non fuisse plura evincere videntur: Primo silentium omnium auctorum æqualium, Stephani de Salanhaco, Bernardi Guidonis, Gerardi de Fracheto & aliorum, qui cùm plures hujus nominis & agnominis laudent, nulli eorum hoc opus ascribunt, quod tamen sat erat celebre, ut ejus non obliviscerentur. Sic duo priores F. Petri a B. Dominico in Hispaniam anno 1217 ad propagandum ordinem missi meminerunt, quem alii Matritensem, alii Madinum nuncupant, certo Hispanum: in Vitis Fratrum habentur plures: F. Petrus Ferrandi Zamoræ circa 1250 mortuus, qui lib. 5 c. 3 §. 12 *doctor* (id est lector) *in multis Hispaniæ locis fuisse, & vitam S. Dominici*, non vero officium scripsisse dicitur: *Lib. eodem* 5 *c.* 9 §. 10 F. Petrus Gonsalvi in Tudensi Ecclesia sepultus & miraculis clarus, quem vulgo Telmum nuncupant: *Lib. eodem* 5 *c.* 3 §. 7 F. Petrus Lusitanus physicus seu medicus peritissimus Scalabi defunctus: *Lib.* 4 §. 19 F. Petrus Sendre Catalanus ferventissimus prædicator miraculis illustris: *in lib. de Apibus* F. Thomæ Cantimpratani *Lib.* 2 *c.* 1 §. 11 F. Petrus in Hispania miraculis clarus: horum nulli opus Summularum tribuitur, & siquidem alius fuit, cur eum, ut & istos non laudant? Hinc nec Leander Albertus, nec Ferdinandus Castillus, nec Malvenda hujus auctoris seculo primo ordinis meminerunt. Scio F. Joannem Lopez *Hist. Gen. P. III p.* 297 narrare in conventu Stellensi regni Navarræ traditione antiqua teneri Petrum Hispanum auctorem Summularum dicti conventus Stellensis alumnum fuisse, idque probari ex ea quæ ibidem in peristylio in arcus concavitate legitur inscriptione: *Hic facit* (fortè legendum *jacet*) *reverendus pater Frater Petrus Hispanus.* Sed ut alia omittam quæ objici possent, inter alia conventum Stellensem nonnisi anno 1260 erectum, neque vero tam cito peristylium habuisse concameratum, non dubitatur quin plures floruerint in illa provincia Fratres Petri Hispani dicti, sed quæritur vetus documentum, quo quis illorum clare dicatur auctor Summularum, quod quidem non fert inscriptio relata.

Alterum argumentum meo quidem judicio magis urgens nobis adversatur: scilicet in nullo codice seu MS seu impresso Petrum Hispanum titulo *Fratris* ornari, aut ordinis Prædicatorum dici, sed ubique magistrum Petrum Hispanum. Id autem semper caverunt nostri (de illis loquor qui seculo XIII ad seculi XIV medium claruerunt) ut saltem titulum Fratris suo nomini præfigerent, nec puto quemquam ea ætate inveniendum, qui omiserit: unde ille loquendi modus *magister Petrus Hispanus*, celebrem potius philosophiæ professorem ac magistrum artium universitatis Parisiensis indicat, quam virum religionis votis astrictum.

Etsi autem ille non sit noster, non inde sequitur quod sit summus pontifex Joannes XXI, dictus antea Petrus Juliani, & quandoque Petrus Hispanus simpliciter. Ita quidem sentiunt Lusitani Joannes Barros & ex eo Acuña *Hist. Eccl. Bracar. P.* 2 *c.* 35: Cardosus *Hagiol. T. III maii p.* 322: Macedo *Lusit. Purpur.* sed & alii Gesnerus, Simlerus, Miræus, Ludovicus Jacob *Bibl. pontif.* Oldoinus in *addit. ad Ciaconium de Vitis Pontif.* quorum auctoritate ut pote 300 aut 400 annis posteriorum moveri non possum, quandiu scriptorem æqualem non adduxerint, aut codicem MS ejus ætatis non protulerint, quo istud opus ei asserant, nec alia ratione nitantur, quam quod *Petrus Hispanus* vocaretur. Quot enim putas seculo XIII & sequenti fuere hujus nominis *Petri Hispani*? Adde Tholomæum nostrum de Luca *Hist. Eccl. Nov. Lib.* 23 *ad* 1276 sic de Joanne XXI loqui: *Hic generaliter clericus fuit & præcipue in medicina. Unde & quædam experimenta scripsit ad curas hominum, ac librum composuit qui Thesaurus pauperum vocatur. Fecit & librum de problematibus juxta modum & formam libri Aristotelis, & quamvis magnus fuit in scientia medicus, tamen in discretione* [defecit]: *præceps enim fuit in verbo, & minus compositus in moribus &c.* Ex quibus colligas peritum illum Physicum fuisse non Logicum aut Dialecticum: neque enim *Thesaurus* quem laudat *pauperum* aliud fuit, quam liber remediorum facilium in gratiam pauperum scriptus. Quod si tot de Dialectica scripsisset tractatus, quot Petro Hispano tribuuntur, hos saltem generatim non omisisset Tho-

SEC. XIII. lomæus. Non ignoro in altera editione Tritemii aucta præter supradicta opera Joannis XXI, addi *tractatus in dialecticam aliquot vulgo jam olim notissimos*: sed simul novi non Tritemii esse, sed additiunculam propterea cruce signatam alterius editoris, qui vel ex suo cerebro, vel ex aliquorum sensu sic censuit subjiciendum, sed nulla auctoritate.

Non omittenda hîc fœda hominis heterodoxi Bartholomæi Keckermanni allucinatio *T. I operum. Præcognit. Logic. pag.* 105 *&* 107 *Edit. Genev.* 1614 ubi contendit Petrum Hispanum purum putum plagiarium esse, qui opus Michaelis Pselli ad annum 1059 florentis Græce editum, hujus suppresso nomine Latine tantum a se versum quasi proprium fœtum vulgarit; ubi suam ignorantiam vel oscitationem prodit Keckermannus: falsissimum enim est aut opus illud Michaelis Pselli philosophi Platonici fuisse, aut a quoquam primum Græce editum: ipsas enim priores lineas legere sat est, ut auctorem Græce nescisse colligas. Quis ferat hominem Græce peritum, ut Petrus Hispanus esse debuit si e Græco verterit, sic loquentem? *Dicitur autem Dialectica a dya quod est duo & logos sermo, vel lexis ratio, quasi duorum sermo vel ratio, scilicet opponentis & respondentis in disputatione.* O bellum Græcum! At inquies, hoc opus Græce invenitur. Fateor, sed non Michaelis Pselli naris emunctioris viri opera. Cujus igitur? Maximi Planudis, qui claruit inter 1320 & 1350, & Summulas Petri Hispani apud Latinos celebres Græcas fecit, ut & suis usui forent. Sic enim lego apud Tomasinum de Biblioth. Venetis, ubi de Barocyniana, nunc in Anglia: *Dialectica Petri Hispani Græca interprete Maximo Planude.* Et in catalogo codd. MSS Angliæ in Bodley. n. 76: *Petri Hispani Summularum pars in Græcum traducta per Maximum Planudem fol.* 123 *ejus codicis.* Pr. Διαλεκτικὴ ἐστι τέχνη &c. Michaelis vero Pselli *Compendium logicæ*, quod ibidem refertur n. 71 aliter incipit: ἐπειδὴ τίσιν ἐκ οἶδ᾽ ὅτι.

Postquam nobis dubium est an Petrus Hispanus noster sit, seriem ejus operum referre supervacaneum esset, quam fusiorem & plerorumque in Logicam refert Nicolaus Antonius in *Bibl. Hisp. Vet. Lib.* 8 *c.* 5 quem lector adeat curiosus: qui & ex tanto dialecticorum operum numero colliget facile Petrum Hispanum hominem fuisse totum in illis tricis versandis ac volvendis occupatum, & ut sic loquar immersum, quæ sane nec Petro Juliani physico aulico cardinali & tandem summo pontifici, nec ordinis Prædicatorum alumno conveniunt. Moneo solum Antonium referre quasi ex nostro Jo. Marieta *lib.* 21 *Hist. Eccl. c.* 57. sic in vol. MS Bibl. Hispal. Eccl. legi ad finem Summularum: *Et in hoc terminatur lectio, & per consequens totus liber Bartholomæi super I P. magistri Petri Hispani de ordine Prædicatorum.* Quæ apud Marietam mihi non occurrunt: sed etsi ita sit, superest examinandum, an codex antiquus, an illud *de ordine Prædicatorum* scriptum prima manu?

FALSO NOSTRIS ASCRIPTI.

F. BARTHOLOMÆUS N sic ab Altamura ad 1486 designatus, ille idem quem Pius P. II lib. 2 col. 172 ad ann. 1343, & Fernandez p. 338 ad 1500 agnomine ignotum referunt, auctoremque omnes volunt operis aliàs celebris, cui titulus, *De proprietatibus rerum*, certo non fuit ordinis Prædicatorum sodalis, ut omnes illi putarunt, sed ordinis Minorum. At quod mirum, Wadingus qui suis recte accenset, sed & Lelandus, Pitseus, Wartonus seu Caveus, Olearius de eo scriptore quo ad ætatem non accuratius loquuntur quam nostri: *Glanvillanum* enim dictum cognomine omnes asserunt, ac nonnisi anno MCCCLX floruisse. Itaque a nostro instituto non alienum, imo & rei litterariæ studiosis pergratum fore censui, si de hoc auctore ejusque opere certiora proderem. An Glanvillani agnomen ei adhæserit, etsi levioris momenti sit quæstio, hoc solum dico in nullo codice MS me invenisse sic prima manu scriptum: & cùm Glanvillanum vergente seculo XIV claruisse velint, certo eum non esse posse operis auctorem, quod seculo XIII jam publicum erat. Nomen igitur & ætas, & ordo ex ipsis codicibus MS eruenda sunt.

Paris. in Regia duplex est codex fol. mag. memb. & melioris notæ. Primo n. 4974 eadem manu prima dicitur opus *F. Bartholomæi Anglici ordinis Minorum.* Alter n. 4974. 2 non habet nomen auctoris, sed dicitur *scriptus anno* MCCC *in mense martii.*

Sorbon. codex est fol. med. memb. Tit. *Liber de proprietatibus rerum.* Abest nomen auctoris, sed dicitur ex legato Petri de Lemovicis, qui ab anno MCCLX ad MCCC floruit. Est & alter ibid. ejusdem rationis, sed absque nomine auctoris n. 1170.

Navar. codex est elegantibus pellibus vitulinis constans & melioris notæ. Tit. *Bartholomæi Anglici de proprietatibus rerum.* Est & alius chartaceus eodem titulo.

Ex duobus instrumentis libri rectoris univers. Paris. primo ante MCCC, altero anni MCCCIII venalis tum apud Stationarios prostabat: in primo sic, *Item liber de proprietatibus rerum continet* C *&* II *pecias*: pro mutuo IIII *solidi.* In altero *de proprietatibus rerum* C *pecia* pro mutuo, VI *solidi.*

Apud Sanctimoniales nostras Pissiaci ad Parisios codex est ejus circiter ætatis. Tit. *Bartholomæi Anglici ordinis FF. Minorum libri* XVIIII *de proprietatibus rerum.* Sic prima manu.

In catal. Angl. T. I P. I, 1613, 7534, 7540, in omnibus Tit. *Bartholomæus Anglicus de proprietatibus rerum*, & ultimus asseritur scriptus anno MCCXCVI. P. II, 200, 2270, 2338. P. III, 212, 942, 2287. T. II P. I, 1475, 1771, 2957, idem mox relatus titulus. 4156 additur *religiosi patris Fratris Bartholomæi Anglici de ordine Fratrum Minorum.* 9663, 9933 idem excepto ordine, sed 9937 addit *ord. FF. Min.* P. II, 770 *Tractatus de proprietatibus rerum novemdecim libris constans.*

Ex hactenus relatis codicibus certum habemus auctorem hujus operis Bartholomæum dictum fuisse & Anglicum natione & ordinis Minorum, ac seculo XIII claruisse. In quibusdam codd. Anglis tantum ut T. I P. I. 2271, & T. II P. I, 3622 additur agnomen *Glanville*, sed dubium est an prima manu, & qua ætate. Dato vero quod Glanville dictus sit, certe alius erit & seculo integro antiquior, quam Glanvillanus, quem ad annum MCCCLX claruisse volunt.

Notandus hîc venit laudatorum Wadinghi, Pitsei, Warthoni seu Cavei, & Olearii gravissimus circa Glanvillanum error, quem præstant contra Laurentium Valla librum edidisse, quod certe contra omnem veri speciem affirmant. Cùm enim Glanvillanum ad 1360 floruisse statuant, quî scribere potuit contra Laurentium Valla anno tantum 1415 natum, anno 1440 vix scribere incipientem & ætatis quinquagesimo anno Christi 1465 mortuum. Recensetur quidem catal. Angl. T. I P. II n. 367 *Bartholomæus contra Laurentium Vallam Grammaticum.* At non dicitur Glanvillanus, itaque hic alius fuerit. Operis de proprietatibus rerum hæ ab illis feruntur e prælo editiones. Prima absque loco 1480. Noribergæ & Coloniæ 1483, Noribergæ rursus 1492, Argentinæ 1488: aliam vidi in monasterio regio Pissiacensi absque loco & absque nomine ty-

pographi anni MCCCLXXXII die x decemb. olim ad usum Sororum Michaelæ, Claudiæ & Mariæ *des Ursins* ejus sacri gynecæi ord. S. Dominici sanctimonialium.

Idem opus jussu Caroli V Francorum regis anno MCCCLXXII Gallicè versum interprete Joanne de Corbichon Augustiniano Eremita extat ms in Regia bis nn. 6869 & 6870 fol. mag. memb. & in Navarr. anno 1422 scriptum. Typis etiam prodiit Lugduni 1491 fol.

Ut tandem hunc articulum finiam, nostrates plures fateri haud pudet circa auctorem hujus operis allucinatos, quem alii Thomam Cantimpratanum, alii Guillelmum Brabantinum, alii Thomam Teutonem alii Helwicum aut etiam Umbricum asserunt, similitudine quadam tituli operum ab istis confectorum delusi. Sed quotusquisque est scriptorum præsertim veterum nomenclator, cui similia σφάλματα non excidant? Ac ne abeam longius, de isto suo Bartholomæo in quantis erravit Wadingus seu quoad nomen, seu quoad ætatem seu quoad opera? quot qui eum exceperunt in eumdem traxit errorem? Humana sunt ejusmodi peccata, in spiritu lenitatis corripienda, nec erat ut ea de causa tantas nobis Alva scriberet lites in suo *Pleytos de los libros p.* 227 & seqq.

* 1233. CONRADUS DE MARPURG vel *Martburg* vel *Martburch* a patria Hassiæ civitate sic nuncupatus, concionator verè apostolicus, & apud suos nominatissimus, S. Elisabethæ Hungaræ Ludovici Hassiæ & Turingiæ Langravii conjugis confessarius, & conscientiæ moderator a Gregorio IX datus, primus in Germania institutus ab eodem pontifice adversus hæreticam pravitatem inquisitor, quo munere dum acerrime fungeretur, ab impiis trucidatus est, & martyrio coronatus obiit anno MCCXXXIII.

Hunc post Trithemium in chronico Hirsaugiensi & Sphanheimensi & Leandrum Albertum fol. 55 ordini Prædicatorum accensent nostrates, sunt ex adverso qui ordini Minorum asserunt: cùm reverà neuter fuerit, sed sacerdos in seculo degens, votis religiosis nunquam astrictus, sui vir planè juris ac omnino liber, beneficiorum ecclesiasticorum capax, licèt omnia constantissime repudiarit sæpius oblata: quod ex auctoribus æqualibus potissimum nostris jam est demonstrandum.

De eo sic leviter habetur in Vitis-Fratrum lib. IV cap. 22 initio: *Anno ab incarnatione Dñi MCCXXX prædicante magistro Conrado in Teutonia contra hæreticos, & ab ipsis feliciter martyrizato, hæreticus quidam seductus a dæmonibus Fratrem quemdam Prædicatorem sic ad hæresim invitabat* &c. Ubi plura annotanda, primo annum MCCXXX ad initium prædicationis Conradi adversus hæreticos referendum esse, non ad ejus mortem, quam nonnisi anno MCCXXXIII altero post S. Elisabethæ obitum anno eum oppetiisse certissimum est. Sed maxime attendendum est non Fratrem, quod prænomen in hoc libro semper præfigitur, quoties quis sodalis noster laudatur, sed magistrum Conradum dici: ac præterea de ejus martyrio non ex professo agi, sed in obliquo tantum, & in transcursu referri, ceu factum celebre & epochen aptam ad indicandum tempus, quo historia sequens de sodale nostro acta est. Idem apud Thomam de Cantimprato animadvertas. Sic enim de apibus lib. 2 cap. 57 § 23 habet: *Anno ab incarn. Dñi MCCXXXI prædicante in Teutonia magistro Conrado contra hæreticos, & ab eisdem felici morte perempto, hæreticus quidam* &c. ut in Vitis-Fratrum. Quo modo loquendi ostendit se eum non sodalem ordinis agnoscere, aliàs de ejus gestis & martyrii circumstantiis ex professo & fusius egisset. Verùm omnem dubitandi locum & rationem tollit & elevat Theodericus de Turingia noster in vita S. Elisabethæ lib. 3 cap. II ubi sic habet.

» Erant eo tempore inter episcopos & sacerdotes quidam viri justi & perfecti, quorum exemplis & documentis Deus omnipotens suam tunc Ecclesiam sustentabat: inter quos magister Conradus de Marburch velut clarum sidus in Alemania præfulsit. Fuit enim eruditus scientia, conversatione purus, & vita evangelica, affluens doctrina, zelator catholicæ fidei, & expugnator validissimus hæreticæ pravitatis. Hic divitias & possessiones temporales, & beneficia ecclesiastica habere noluit, simplici modesto & humili clericali habitu contentus, gravis in moribus & maturus, aspectu austerus, bonis christianis gratus & benignus, pravis autem & perfidis in judicando justus & districtus fuit. Prædicabat autem per totam Teutoniam auctoritate apostolica, & sequebatur eum cleri & populi innumera multitudo: metuebantque eum utpote virum sanctum & justum omnes, alii amore alii timore. Hunc D. Ludewicus Lantgravius tanto honore coluit & extulit, ut eidem omnia beneficia, quorum jus patronatus ad ipsum pertinebat, committeret conferenda. Consensit quoque quod D. Elisabeth uxor sua ad manus dicti viri votum obedientiæ & continentiæ emitteret, lege & jure matrimonii sibi salvo *&c.* & lib. 5 cap. 9 de Gregorio IX loquens circa A. D. MCCXXVIII hæc addit. » Qui etiam magistro Conrado sacerdoti devoto & viro coram Deo & hominibus comprobato eam (Elisabeth) suis litteris diligenter recommendans, eumdem sibi instituit defensorem. « Denique ubique etiam in prologo, ubi de littera quam Conradus ad Gregorium IX de vita morte & miraculis Elisabethæ scripsit, agit, semper magistrum, nunquam Fratrem, nec ordinis Prædicatorum vocat.

Quæ si attentius perpendantur, luce clarius est Conradum nec Prædicatorum nec Minorum vestem gestasse, sed presbyterum in seculo agentem clericali veste indutum, ac sui plane juris. Unde & cùm martyrio coronatus est, ejus corpus non repetierunt nostri aut Minores, quod utique non omisissent alterutri, si suum agnovissent: sed ut vivens jusserat ceu vir omnino liber, sub pedibus B. Elisabeth sepultus est. Sed & abbas Uspergensis de eo agens sic habet: *Anno MCCXVII jam tepescere cœperunt prædicatores itineris Hierosolymitani propter mortem Innocentii papæ. Sane episcopus Halberstatensis, & magister Conradus de Marpurg in inferioribus partibus, & magister Salomon Herbipolensis in superioribus adhuc insistebant huic negotio.* Ex quibus Conradum ferventissimum crucis prædicatorem jam fuisse in Germania constat, priusquam in iis provinciis ordo Prædicatorum receptus fuisset vel etiam cognitus: postea autem regulari ulli ordini nomen dedisse nemo narrat. Quid plura? Conradus ipse in epistola ad Gregorium IX de miraculis B. Elisabethæ probatis scripta anno MCCXXXII post festum S. Michaelis paulo ante mortem suam, se non Fratrem non ordinis FF. Prædicatorum aut Minorum, sed *magistrum Conradum verbi Dei prædicatorem* tantùm nuncupat: quod ab usu eo seculo a nostris & Minoribus frequentato ita alienum est, ut neutris fuisse addictum clarissimum sit argumentum.

Scio auctorem chronici Senoniensis Spicilegii Dacheriani T. III editum lib. 4 cap. 31 sic narrare: *Erat temporibus illis quidam Frater de ordine Fratrum Minorum Conraldus nomine satis honestus & religiosus. Hic illi felici matronæ* (Elisabethæ) *familiaris erat, qui eam ad viam salutis quotidie anima-*

Sæc. XIII. bat &c. Quod verò Conradum de Martburg intelligas, patet ex sequentibus. Sic enim ille: *Et non multo post* (mortem B. Elisabeth) *idem ille Conradus qui eam converti fecerat, ab hac vita decedens, in ipsa capella in alio latere sepultus esse dicitur.* Sed bono huic monacho parca fides, ceu qui plura insulsa & falsa ex vanis rumoribus, ex advenientium fortè hospitum stultiloquiis audita in chronicon suum intulerit. Sic lib. 4 cap. 16 & 17 SS. Dominici & Francisci ordines a Gregorio IX dicit confirmatos: cap. 17 Franciscanorum conversationem & vitam semper melius & sanctius quam Prædicatorum ad tempora sua nempe ad MCCL circiter perdurasse: quo scilicet ordo S. Dominici si unquam clarissimis sanctitatis luminibus ubique effulgebat: cap. 37 librum evangelii æterni flammis a summo pontifice addictum Prædicatores compilasse vult, quem constat a quodam ordinis Minorum editum. Mitto plura quæ narrat fabulosa, adeo ut vix fidem mereatur, nisi fortè ubi res sui monasterii & abbatum suorum gesta scribit. Ipse Wadingus Conradum de Martburg nec in bibliotheca nec in Annal. ad an. 1226 n. 47 suis annumerat, imo ex nostro Theoderico de Turingia presbyterum secularem fuisse fusius probat. De hoc magistro Conrado videsis chronicon Alberici ad 1233, & quæ supra retulimus, ubi de F. Bernardo Gregorii IX pœnitentiario ad 1260. Non alia mihi hujus Conradi scripta cognita, quam

Epistola examinatorum miraculorum B. Elisabethæ ad Domnum papam. Leo Allatius edidit in Συμμίκτοις a p. 269 ad 293, Coloniæ Agrip. Jodoci Kalcovii 1653 in 8.

† 1260. F. GUILLELMUS DE MELITONA nostris accensetur scriptoribus a Sixto Senensi in sua Bibl. Sancta, ab eodem cancellarius Parisiensis præstitus tacita patria & ætate: quem cæcis ut aiunt oculis excipiunt Lusitanus, Razzius, pag. 233, Fernandez & Altamura ad 1296. Quæ quam longissima a vero aberratio eo magis miranda est, quod nihil sit apud veteres nostros scriptores clarius quam hunc scriptorem ordinis Minorum fuisse. In confutando quod aiunt de cancellariatu Parisiensi illi collato non immoror, cùm eorum qui hoc munere toto seculo XIII functi sunt, catalogus habeatur accuratus, inter quos nullus ei locus: de ordine solùm ago. Sic legitur de Vitis Fratrum P. V cap. 4 §. 12 *Vir religiosus & verax F. Guillelmus de Melitona ordinis Fratrum Minorum magister in theologia Parisius narravit Fratribus nostris &c.* Cantimpratanus de Apibus lib. 2 cap. 1 §. 10 sic habet: *Vir eminentis vitæ de ordine Fratrum Minorum & magister theologiæ, qui vitam duxit sanctissimam, cùm Parisius prædicaret, obmutuit per horam, moxque verbum vitæ resumens omnibus valedixit serenissimo vultu, sicque in pace quievit.* In sententia quam Odo cardinalis de Castroradulphi contra libros Thalmudicos pronunciavit anno MCCXLVIII, quam & supra videsis ubi de Alberto Magno, inter magistros theologiæ, ab illo cardinali in consilium ascitos laudatur *F. Guillelmus de Meliton ordinis Fratrum Minorum*, qui ceu antiquior ante Joannem Pungensasinum, & Albertum Teutonicum scilicet Magnum nostros collocatur. Extat & supra ubi de Summa S. Thomæ breve Alexandri IV datum Anagniæ V Kal. aug. pont. an. ij quo Guillelmo de Milletona jubet, ut Summam Halensis hujus præpropera morte mancam relictam absolvat, simulque ministro Fratrum Minorum in Francia injungit, ut eidem quot necessarios habuerit Fratres absque mora undique convocatos assignet operis adjutores. Quæ omnia Guillelmi & ordinem & meritum & gradum & ætatem, nempe ante MCCXLVIII floruisse & circa MCCL devixisse luce clarius demonstrant. Pitseum scio post Baleum & Simlerum, quos excipit Possevinus, quemdam nobis Guillelmum de Melitona vel Melton aut Meltonum ordinis Prædicatorum obtrudere ad annum MDXX clarum, quem Frederico Nausea & Erasmo Roterodamo vult æqualem, iisque ab eximia theologiæ peritia, doctrinaque multiplici commendatum: sed cùm hunc eumdem esse velit, quem Sixtus Senensis commemorat, eademque ei asserat opera licèt & quædam alia: recentior iste Guillelmus mihi valde suspectus est, cujus nulla nobis in monumentis seculi XVI memoria, & ille quem laudat Sixtus Senensis non alius ab antiquo illo Joannis Pungensasinum & Alberti Magni synchrono videatur, errante ut fit sæpius calamo nostris ascriptus. Wadingo itaque seu potius sacro Minorum ordini suum Guillelmum de Melitona pacifice semotisque Alvæ insulsarum litium ambagibus possidendum relinquimus. Hæc ejus mihi occurrerunt scripta.

In Victor. cod. 607 fol. mag. memb. Titulus antiquus in super. marg. manu prima & minio: *Hic sunt scripta super* XII *prophetas secundùm Fratrem G. de Mi.* Hic alius secunda manu & recentiori: *Guillelmi Militonensis secta Dominicana prædicatoris in* XII *prophetas.* Ad finem verò commentarii sic legitur manu antiqua: *Postilla super* XII *prophetas secundùm Fratrem Guillermum de Militona ordinis Fratrum Minorum.* Quorum secum pugnantium rationem cùm a præfecto bibliothecæ postularem, ingenue fassus est epigraphen quæ Dominicanum præstat, recentiorem esse, & in fide Balei adjectam. An quid simile codici domus nostræ Placentinæ a Sixto Senensi laudato acciderit, quod ei ansam dederit errandi, disquirant sodales nostri.

Princ. cod. Victor. *Stabat mare super* XII *boves &c.* III *Reg.* VII. *Secundùm litteram mare hoc dicebatur lavatorium &c.* Habet folia 391. Monendum solum thema idem esse, ac ejus qui sub nomine Hugonis de Sanctocharo editus est, cætera diversa.

Sorbon. cod. 570 fol. mag. memb. idem est opus, sed absque nomine auctoris. Rursus ibid. cod. 559 memb. fol. med. ac melioris notæ. Tit. *Introitus super* XII *parvos prophetas Fratris Guillelmi de Melitona.*

Ibid. cod. 1555 fol. mag. memb. sec. XIII *Commentarius in cantica canticorum.* Pr. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Cant.* 5. Ad calcem: *Expliciunt cantica secundùm Fratrem Guillelmum de Miltona.*

Ibid. cod. 921 fol. mag. memb. sec. XIII. Titulus literis alternatim minio cyaneoque distinctis. *Prologus super Ecclesiasticum Fratris G. de Militona*: Multorum nobis. *Operi principali duo prooemia seu prologi praeordinantur &c.*

Sixtus Senensis cum postilla in XII prophetas, nam aliarum a nobis relatarum non meminit, addit *Expositionem in epistolam ad Romanos*, hoc principio: *Narrabo nomen tuum fratribus meis*, quam apud nostros Bononiæ haberi testatur.

* F. JOANNES DE MOVETA Teutonicus quidam juris canonici peritia seculo XIII clarus laudatur a Lusitano Bibl. pag. 132, quem & scripsisse ait, sed quæ scripserit, aut omisit aut ignoravit. Hunc eumdem Gozzeus, Pius P. II lib. 3 col. 31, Fernandez ad 1450 & Altamura ad 1457 revocant, hæcque ei affingunt opera

Commentaria super Decretum, Decretales Gregorii IX, Sextum, Codicem, atque Extravagantes, & Summam moralem seu casuum conscientiæ.

Quæ cùm nullo teste æquali nec ex codd. MS aut impressis fulciantur, nullam apud me fidem habent.

Vide

Vide postea *Joannes Semeca*, nam in agnomine delusos conjicio.

F. Joannes Peckam. Anglus, patria Cicestriensis ab auctore anonymo Antiquitatum Britannicarum Francofurti 1605 editarum nostris accensetur scriptoribus, cui præiverat Thomas James Eclogæ Oxon. & Cantabr. fol. 38, ubi inter codd. MS Bibl. Lincoln. Oxon. vol. 16 n. 9 refert, *Tractatum de numeris editum a F. Joanne Pecham ordinis Fratrum Prædicatorum.*

Sed Jamesius emendandus ex catal. Angl. T. I P. II n. 1337 ubi titulus tractatus aliter refertur, nempe, *Joannis Pecchamde mystica numerorum interpretatione in sacra scriptura.* Ultro igitur hunc scriptorem ad suos Minoritas remittimus, eisque addicimus cum Pitseo, Godwino & aliis, jureque vindicatum ab Wadingo in sua Bibl. novimus, quos proinde adeat lector de hoc Joanne plura scire cupidus. Trivetum etiam Peckamo supparem & conterraneum consulat in chronico ad MCCLXXVIII.

* 1243. Joannes Semeca aliquando *Teutonicus* simpliciter absque alio agnomine nuncupatus ab Altamura pag. 425 inter eos scriptorum nostrorum, quorum ætatem assequi non potuit, immerito accensetur, nulli enim ordini regulari addictus fuit, sed jurisconsultus in Germania ætate sua clarissimus. De quo sic lego apud Tholomæum de Lucha Histor. Eccl. Nov. lib. XXI cap. XXXVII: *Circa tempora istius pontificis* (Gregorii IX) *floret in jure canonico magister Joannes Teutonicus, qui discipulus fertur fuisse Hugutionis, & Apparatum fecit super decretum post ipsum.* Eumdem enim esse colligo ex Joanne Alberto Fabritio Bibl. Lat. sive Notitia auctorum veterum Latinorum, ubi sic habet de corpore juris canonici loquens pag. 845: *Primus decreti glossator Johannes Semeca Teutonicus præsul* (intellige *præpositum*) *Halberstadiensis, cujus epitaphium vidi in templo cathedrali ejus urbis, quod testatur eum obiisse anno Christi* MCCXLIII. Laudat etiam Melchior Adamus in vitis Germanorum jurisconsultorum & politicorum pag. 1 testes citans abbatem Uspergensem, apud quem tamen nulla de eo mihi occurrit memoria, & Albertum Crantzium Saxoniæ lib. 8 c. 27. Sed si vera refert Fabritius de anno mortis, ut post oculatum testem, nulla apparet dubitandi ratio, & Adamus & Simlerus emendandi, qui ad 1267 vel 1269 usque vixisse volunt. His addo hunc eumdem videri cum supra relato *Joanne de Moveta*, cujus nulla apud veteres memoria, & quem immerito Pius, Fernandez & Altamura ad seculum XV revocant, cùm Lusitanus a quo acceperunt, inter eos numeret qui seculo XIII floruerunt.

* 1301. Petrus de Alvernia Gallus ab ea regni provincia in qua natus est nuncupatus, vir fuit seculo XIII in academia Parisiensi clarissimus, S. Thomæ auditor, certe ejus doctrinæ fautor ac sectator studiosissimus, philosophus sua ætate primi nominis, ac celebris etiam theologus. Exorto inter nationes universitatis anno MCCLXXII de electione rectoris graviori dissidio, liteque ad Simonem tit. S. Cæciliæ presbyterum cardinalem apostolicæ sedis legatum delata, sic tandem ab eo finale judicium datum est die martis ante nonas maii MCCLXXV. Petrus de Alvernia rector ab eo institutus, procuratores & bedelli novi ab eo etiam positi, de quibus videsis Historiam univers. Paris. T. III pag 418. An sacræ theologiæ magister fuerit, nolim asserere, cùm vetera monumenta id testantia mihi non occurrerint, sed licentiatum conjicio, quod de quodlibetis variis annis responderit. Socius fuit Sorbonicus & canonicus Ecclesiæ Parisiensis, vivebat adhuc anno MCCCI, quo verò mortuus sit non inveni: in antiquo gymnasii Sorbonici missali ejus ætatis, in cujus Kalendario obitus sociorum & anniversaria inscripta sunt, hæc solum legebam: *III Kal. april. Obitus magistri Petri de Arvernia socii hujus domus. Legavit valorem C. lib. Turon. Pitancia X S. Paris.* Hæc ut & alia ubi de ejus operibus referenda probant canonicum ecclesiæ Parisiensis obiisse. Nostris autem Taegio P. P. Mon. ord. Leandro Alberto fol. 148 a, Lusitano & sequacibus ad Altamuram usque ad 1272 facile ignoscendum, quod nostris sodalibus annumerarint: id enim iis persuasit mirus Petri erga S. Thomæ doctrinam affectus, neque hunc errorem male habebit collegium canonicorum Parisiensis Ecclesiæ, cui nunc restituimus. Revera nullus veterum nostrorum nomenclatorum nostris accensuit. Sic de eo Tholomæus de Lucha Hist. Eccl. Nov. lib. 23 cap. 11 ubi de scriptis F. Thomæ de Aquino super libros de cœlo & mundo de generatione & politicorum addit, *sed hos non complevit, sed hos complevit magister Petrus de Avernia fidelissimus discipulus ejus magister in theologia, & magnus philosophus, & demum episcopus Claromontensis.* Ubi notandum Petrum de Alvernia dici quidem S. Thomæ discipulum, sed non Fratrem nec ordinis Prædicatorum, quamvis ubicunque agit de sancto doctore, eum semper Fratrem Thomam nuncupet. Quod autem addit demum episcopum Claromontensem fuisse, non concordat cum necrologio Sorbonico: forsan electus fuerit sed non confirmatus. Hæc ejus scripta a me visa.

1. *Supplementum commentarii S. Thomæ in librum tertium de cœlo & mundo, & commentarium in quartum.* Hæc edita habentur cum operibus S. Thomæ. Codd. MS hi mihi visi.

In Sorbon. cod. 867 fol. med. memb. Ad finem commentarii S. Thomæ sic legitur: *Incipit super tertiam partem tertii, & super quartum cœli & mundi editum a magistro Petro de Alvernia.*

Quid distinctius habetur in duobus codd. fol. med. memb. gymnasii Navarræi, nam ad calcem utriusque sic legitur: *In hoc completur expositio magistri Petri de Alvernia in tertium & quartum cœli & mundi Aristotelis, ubi preventus morte venerabilis vir Frater Thomas de Aquino omisit: in qua quamvis non assequatur intentionem ipsius aliqualis erit via aliis assequendi ipsam vel simpliciter vel in parte.* Quæ annotatio si Petri est ut videtur, ejus modestiam & reverentiam erga sanctum doctorem ostendit, ceu cujus sensa & stylum an attigerit dubitat.

2. *Quæstiones super IV libros de cœlo & mundo.* Extant in Navar. cod. fol. mag. memb. Ad calcem legitur: *Expliciunt quæstiones super librum de cœlo & mundo disputatæ a magistro Petro de Alvernia.*

3. *Super quatuor libros metheororum.* Ibid. cod. fol. mag. memb. Ad calcem: *Explicit sententia magistri Petri de Alvernia super librum Metheororum Aristotelis.* Extat etiam in Sorbon. ubi præterea, ejusdem *de Vegetabilibus & plantis.*

4. *De somno & vigilia. De juventute & senectute, De morte & vita.* Ad calcem cujusque *Explicit* ut supra eodem cod. Navarr. Extant etiam in Sorbon. cod. 752 fol. mag. memb. ac præterea *De motibus animalium.* Hæc & plura laudantur apu Tomasinum de Bibl. Patav. p. 37.

5. *In XII libros metaphysicorum Aristotelis.* Extant bis in Navar. codd. fol. mag. memb. Ad calcem utriusque: *Expliciunt quæstiones metaphysicæ reportatæ a magistro Petro de Alvernia.*

6. *Super totam logicam veterem.* Extat in Sor-

Sec. XIII. bon. cod. 752 fol. mag. memb. Ad calcem : *Expliciunt quæstiones super totam logicam veterem a magistro Petro de Alvernia.*

7. *Sex quolibet theologica.* Extant bis in Sorbon. 1 cod. fol. mag. memb. post quædam quolibet Godefridi de Fontibus. Ad finem quinti sic legitur : *Expliciunt quæstiones de quolibet disputatæ a magistro Petro de Alvernia canonico Parisiensi.* 2 cod. fol. mag. 1195 eleganti, & ad calcem singulorum idem *explicit*, quod in super.

Eadem in Victor. cod. 1192 fol. mag. memb. Ad finem tertii : *Expliciunt quæstiones de quolibet disputatæ a Magistro Petro de Alvernia A. D.* MCCXCVIII *ante nativitatem.* Ad finem quinti : *Expliciunt QQ de quolibet disputatæ a Magistro Petro de Alvernia canonico ecclesiæ Parisiensis.* Ad finem sexti : *Explicit ultimum quodlibet a Magistro Petro de Alvernia disputatum A. D.* MCCCI.

Colbert cod. 963 fol. med. memb. Ad finem : *Expliciunt quæstiones de quolibet disputatæ a Magistro Petro de Alvernia canonico Parisiensi anno Dñi* MCCC *primo.* Sic legebam in ipso codice, falluntur qui scribunt 1320.

Extant eadem Venetiis apud SS. Jo. & Paul. P. Alt. Pl. II fol. memb. & Patavii apud S. Anton. Plur. XXIV.

Venales prostabant Parif. anno MCCCIII ex libro rectoris.

Venetiis apud S. Anton. Pl. V *Doctrinale cum glossis Petri de Alvernia.* Non vidi, & an idem sit nescio.

ROBERTUS LINCOLNIENSIS quidam archiepiscopus Parisiensis ordinis Prædicatorum inter decem scriptores antiquos agnomine Lincolnienses laudatur ab Alva Sol. Verit. Rad. 188 col. 1454, sub cujus nomine, inquit, prodierunt

In posteriora analytica Aristotelis elegantissima commentaria typis invigilante Gregorio de Gregoriis. Venetiis, Pamphyli Manutii 1514 fol.

Penes quem fides, neque enim hæc editio usquam mihi occurrit. Ut ut sit, vel editor, vel Alva allucinatus fuerit, hic si perperam auctoris nomen exscripserit, ille si ita titulum ediderit. Nam ante seculum XVII nullus fuit archiepiscopus Parisiensis, nullus inter episcopos hujus regiæ urbis *Lincolniensis* dictus, nullus unquam ordinis Prædicatorum. Quis fortè suspicetur hunc esse Robertum aliâs Rupertum Grouthead, qui licèt ordinis Prædicatorum sodalis non fuerit, ordinis tamen hujus viros sapientes coluit & fovit, sed ille Lincolniensis episcopus mortuus est, nunquam archiepiscopus evasit, ac præterea in posteriorum libros scripsisse non legitur. Fortè Roberti Kilwardby archiepiscopi Cantuariensis opus est, nam similia scripsit. Videsis supra ubi de eo ad 1279.

F. THOMAS N. id est sine agnomine saltem quod mihi hactenus occurrerit, sed ut ex codd. MSS conjicere est circa finem seculi XIII clarus certo ante 1300 scripsit vitam B. Virginis ex variis evangeliorum, & SS. Patrum auctoritatibus concinnatam, unicuique nomen præfigens ex quo desumpta est, in quibus ut plura certa & indubitata, ita & non pauca apocrypha, nec dissimulat auctor, referuntur. Duplex exemplum hujus opellæ a me visum. Primum seculi XIII est Parisiensium nostrorum ad S. Honorati membr. in 8 ad calcem operis cui titulus *De Vitis Fratrum* nempe nostri Gerardi de Lemovicis, unde cuidam videri posset auctorem etiam ex nostris fuisse. Titulus est :

De genealogia gloriosæ Virginis Mariæ per Fratrem Thomam de diversis sanctorum dictis compilata. Pr. Joannes Damascenus c. gg. Sancta & superlaudabilis, & semper virgo Dei genitrix Maria ab æterno prævisa &c. & sic consequenter adeo ut sit mera auctoritatum catena, identidem tamen quædam sua interserit auctor, quibus nomen suum præfigit sic : *Thomas.* Hic autem est finis : *Thomas. Si hæc dixi ut debui, approba benignissime Jesu tu & tui. Si autem non ut debui, ignosce dulcissime Jesu tu & tui. Amen. Ave Maria dulcis Jesu mater. Explicit genealogia* &c. ut supra in titulo.

Alterum exemplum ejusdem opellæ est in Bibl. Victorina. cod. MS 690 fol. par. memb. a fol. 80, sed in hoc est prologus qui deest in superiori, & sic incipit :

Vitam Virginis gloriosæ matris Jesu Christi Mariæ cum ejusdem omnipotentis Jesu Christi opitulatione secundùm seriem sancti evangelii cupiens ad similitudinem vitæ Beati patris nostri Francisci, necnon & vitæ S. Helenæ breviter ordinare, per capitula quæque distinguere &c. Quæ auctorem ordinis Minorum, ut qui S. Franciscum suum patrem nominet, videntur indicare. At id notandum in hoc exemplo cætera superiori per omnia simili, nullibi nomen auctoris proferri.

Porro hic codex eleganter eadem manu grandiori charactere totus scriptus in fine dicitur aliâs fuisse Majoris Monasterii vernacule *Marmoutier*, & revera hæc in eo habentur. 1. Miracula quædam B. Virginis. 2. Historia B. Martini archiepiscopi Turonensis. 3. Catalogus Historicus abbatum Majoris Monasterii a monacho ejusdem. Tum vita laudata B. Virginis ultimo loco. Quinam sit hic F. Thomas & cui ordini ascribendus, quem certe Wadingus suis non accenset, quærat me otiosior, mihi auctorem indicare operæ pretium visum est, sed & sufficit.

Finis seculi XIII.

SCRIPTORES ORDINIS PRÆDICATORUM RECENSITI, NOTISQUE HISTORICIS ET CRITICIS ILLUSTRATI.

F. BERNARDUS DE JUZICO.

† 1302. FRATER BERNARDUS DE JUZICO Aquitanus Landarro oppido diœcesis Vasatensis vulgo *Bazas* ortus, sed domus Burdigalensis professus; vir fuit inquit Bernardus Guidonis æqualis, litteratus & discretus, hinc per omnes gradus ad supremum in ordine tandem evectus est. Primum ad philosophiam Petragoricis docendam lector institutus est in actis cap. prov. Biterrensis anno MCCLXIX, tum in actis cap. prov. Castris MCCLXXXII assignatus Agenni secundarius theologiæ professor, ad primariam etiam lectionem postea promotus, dum interea verbo Dei instaret ardentius, nam brevi nempe in cap. prov. Brageriaci anno MCCLXXXVI prædicator generalis evectus est, qui gradus ea ætate nonnisi eruditione & facundia præstantibus conferebatur. Anno MCCXCIII jam erat Burdigalensis suæ domus prior, quo nomine affuit cap. prov. Carcassonæ ad festum Magdalenæ, exinde anno MCCXCIV ad Tolosanam domum regendam translatus. Sed ipsummet Bernardum Guidonis juvat audire de eo scribentem. Sic ergo ille ubi de prioribus Tolosanis: Sæc. XIV.

» Bernardus de Juzico fuit XIX prior Tolosanus, præfuit annis quatuor, fuit autem absolutus per litteram magistri ordinis, quam ipsemet procuravit, & legit coram omnibus dicta diffinitione in cap. prov. Cadurcensi MCCXCVIII. Tempore sui prioratus fuit consummatum atque perfectum ædificium magnæ illius domus episcopalis de quo facta est mentio cum annexis, pro cujus constructione D. Hugo Mascaro episcopus Tolosanus contulit mille libras Turonenses. Item fuit pinnaculum quantum est supra parietem Ecclesiæ prominens elevatum, & pariter consummatum. Item facta fuit magna illa campana pro universitate studii Tolosani. Item una pars magni dormitorii. Dñus iste episcopus Tolosanus Hugo Mascaro magnus amicus & beneficus tantus Fratrum obiit in curia Romana II die decemb. MCCXCVI, fuitque ibidem apud Fratres nostros commendatus: tandem allatum est ejus corpus integrum, sicut ipse ordinaverat adhuc vivens, & in ecclesia Fratrum Tolosæ juxta altare majus ad dextram tumulatum die lunæ sequenti epiphaniam anni MCCXCIX, stylo nempe veteri, novo MCCC «.

Inter priores provinciales provinciæ Provinciæ sic idem rursus de eo:

» XIX prior provincialis F. Bernardus de Juzico electus in cap. prov. Perpiniani XV kal. aug. sabbato post octavas apostolorum Petri & Pauli A. D. MCCXCIX, fuitque ibidem a tribus antiquioribus electoribus confirmatus, quia ordo magistro carebat, qui fuerunt isti, F. Raimundus Severi habens in ordine LI annum, F. Joannes de Genesteto quinquagenarius in ordine, & F. Joannes Vigorosi prior S. Maximini habens in ordine XLIX annos. Ii tres pertinebant ad prædicationem Montispessulani. Fuit autem provincialis annis fere duobus «.

Denique inter magistros ordinis sic eum laudat:

» Undecimus magister ordinis F. Bernardus de Juzico: hic fuit electus in cap. gen. Coloniensi A. D. MCCCI sabbato sancto pentecostes, scilicet XIII kal. julii per viam scrutinii; cùm essent XXIX numero electores a XVIII electoribus nominatus, cæterisque omnibus consentientibus in eumdem, factus est magister concorditer & in pace. Erat autem tunc prior provincialis Provinciæ. Hic fuerat prius lector & prior Burdegalensis jam semel & iterum, & prior Tolosanus. Hic præfuit magisterio annis duobus, mensibus quatuor. Cùm visitaret provinciam Teutoniæ propter labores &

Sec. XIV. » abstinentias ad tantam debilitatem devenit, ut vix » cibum sumere posset. Tandem præ debilitate deficiens in bona ætate & devotione existens obiit » in conventu Trevirensi provinciæ Teutoniæ xv » kal. octob. in festo S. Lamberti die martis (erat » litt. Dom. F.) fuitque sepultus in crastino anno » MCCCII «.

Hîc Bernardus Guidonis dicit bis fuisse priorem Burdegalensem, tamen ubi de prioribus illius domus, nonnisi semel recenset, neque alius ei locus apparet. Forsan electus fuerit secundo, nec acceptaverit. Ejus meminit Leander Albertus fol. 40, qui acta superius relata stylo suo mollivit. Extant ejus

Epistolæ encyclicæ duæ. Prima e cap. gen. Coloniæ MCCCI data feria secunda post festum S. Trinitatis, scilicet XXIX maji; nam pascha fuit april. II.

Altera e cap. gen. Bononiæ MCCCII sabbato ante festum Trinitatis, nempe XVI junii; nam pascha fuit april. XXII. Illæ verò cum actis prodierunt in Thesauro Novo Anecdotorum D. Martene T. VI.

Si quam ex cap. gen. Bisuntini MCCCIII dedit, ea jam non habetur.

F. AMANDUS DE SANCTO QUINTINO.

* 1301. F. AMANDUS DE SANCTO QUINTINO Gallus Veromanduus, a patria & professione sic nuncupatus, sacræ facultatis Parisiensis magister apud Bernardum Guidonis n. 48 recensitus, ibidem dicitur sententias legisse anno MCCCI, quo nempe dissidia Bonifacium VIII inter & Philippum IV Bellum dictum Franciæ regem cruduerant. Vir fuit sua ætate, eruditione & facundia clarus, ejusque meminit Leander fol. 138 b. Scripta quædam quin reliquerit, nullum mihi dubium, sed vel longinquitate temporum deperdita vel alicubi latentia & neglecta. Hæc tamen ejus mihi visa sunt:

Sermo in die pentecostes valde bonus. Magister Amandus Prædicatorum. Pr. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Ejusdem *Collatio eodem die habita.* Extat in Colbert. cod. 3725 fol. med memb. qui collectio est sermonum selectorum a variis præsertim nostris circa MCCC habitorum, ut annotavit Clar. Baluzius hujus bibliothecæ aliâs præfectus. Sermo cum collatione quinque folia integra implet a fol. 218, estque ordine 66 adeo ut non decurtatus, sed integer, & ab archetypo auctoris exscriptus videatur, ut & alii insignis hujus codicis.

Videsis supra ad annum 1281, ubi laudatus est *F. Amandus de Sancto Quintino*, & ejus sermo relatus ex cod. Victor. 762. Nam eumdem tum juvenem XXX circiter annorum censemus.

F. DOMINICUS DE ALQUESSA.

† 1301. F. DOMINICUS DE ALQUESSA vel *Alquesar* Aragonus natione, patria & professione Cæsaraugustanus sacræ theologiæ laurea in facultate Parisiensi ornatus, ad suos reversus post aliquot regiminis scholarum annos provinciæ Hispaniæ electus est & institutus prior provincialis anno MCCXCVII, eoque titulo cap. gen. Coloniæ MCCCI interfuit, ubi sua in duas divisa provincia, Hispaniæ alteram, alteram Aragoniæ dictas, cessit muneri quod a quadriennio gerebat. Obiit eodem anno Cæsaraugustæ inter octavas B. Martini, fuitque ibidem in communi Fratrum cœmiterio sepultus. Apud Bernardum Guidonis inter magistros Parisienses recensetur n. 35. Laudat Diagus Hist. prov. Arag. P. I cap. 2 & 9. Eum Leander Albertus fol. 138 b, celeberrimæ doctrinæ ingeniique acris fuisse præstat. Nulla ejus scripta produnt.

F. GUALTERUS DE EXCESTRIA.

F. GUALTERUS DE EXCESTRIA Anglus a patria provinciæ Devoniæ urbe primaria sic nuncupatus fortè & ibidem ordinem professus, claruit ineunte seculo XIV. Laudatur a Baleo Script. Angl. cent. X, Vossio de Hist. Lat. pag. 495, Pitseo p. 387, qui eum præstant virum non vulgariter doctum, & antiquitatis curiosum, qui apud S. Carocum in Cornubia diutius commoratus instante Baldwino Exoniensi cive scripsit anno MCCCI † 1301.

Vitam Guidonis comitis Warwicensis.

B. JACOBUS DE BLANCONIBUS de Mevania.

B. JACOBUS DE BLANCONIBUS DE MEVANIA 1301. vulgo dictus ab origine, nempe quod Mevaniæ (vernacule *Bevagna* nunc dicunt) in Umbria natus, Spoletanæ domus germen fuit nobile, in qua primum ille nomen religioni dedit adolescens, claris etiam in seculo ortus natalibus, uti monumenta ferunt, sed vitæ sanctitate longe clarior. Quem post tanta patrata miracula, tot lucratas Deo animas, prostratas ac debellatas hæreses, & eximiam vitæ innocentiam & austeritatem, mirum est etiam ita de sua solicitum anxiumque fuisse salute, ut divinitus securus reddi debuerit. Devixit Mevaniæ XXII aug. MCCCI, cujus corpus adhuc integrum perseverat, tertio jam ut decentiori loco transferretur, amotum a priori sepulcro, a populis ibidem in veneratione semper habitum & cultum: quibus ad ejus lipsana sacra confugientibus olim Bonifacius IX indulgentiarum apostolicarum largitione beneficum esse voluit: cujus denique festum diem ex sacræ congregationis rituum disquisitione solemni decrevit oraculo Clemens X in toto deinceps ordine Prædicatorum ad diem XXIII augusti celebrari. † 1301 Ejus vitam & miracula scripto prosecutus est ejusdem beati gentilis & suppar F. Bonaventura Camasseus Mevanas noster anno MCCCLXXVII, uti refert Jacobillus Bibl. Umbr. p. 74 & 143. Ejus cum laude meminerunt Leander fol. 228, Lusitanus, Pius P. I lib. I §. 250, & P. II lib. I col. 113. Fontana de Prov. Rom. Altamura ad 1301; sed & Possevinus. Quæ verò scripsit opuscula, & MS etiamnum servantur apud nostros Mevanienses, titulos hos habent:

Speculum humanitatis Christi in capita XXV divisum: quo de Christi incarnatione, nativitate, circumcisione, baptismate, passione & ad inferos descensu tractat.

Speculum peccatorum & de ultimo judicio in capita XXIII divisum.

Mevaniensem nostram domum suis curis erexit.

F. BERNARDUS DE ALVERNIA.

F. BERNARDUS DE ALVERNIA aliis *de Claromonte*, aliis etiam cum addito *de Gannato* * 1303. dictus, quæ indicant tum patriam, scilicet Gannatum oppidum in confinibus ejus provinciæ, tum locum professionis Clarummontem, quæ urbs est caput Arvernorum, Arvernum vel Alvernum aliâs simpliciter nuncupata. Sub finem seculi XIII & sequenti ineunte floruit præsertim Parisiis in gymnasio Sanjacobeo, cui prior præerat anno MCCCIII junii XXVI, ut constat ex instrumento eo anno confecto, in quo sodales Sanjacobei omnes ad CXXX se sigillatim subscripserunt; videsis librum cui titulus *Differens de Philippes le Bel & de Boniface VIII* pagg. 121 & 153. Sacræ facultatis Parisiensis

baccalaureus fuit, & Ecclesiastes sua tempestate clarissimus. A quibusdam episcopus Claromontensis dicitur, sed certum non sedisse. Alicubi quantum memoria suggerit, quamvis jam locus me fugerit, legi electum fuisse, sed quod electio in divisione facta fuisset, non confirmatum. Quo anno è vivis abierit, non inveni. Ejus cum laude meminerunt Leander fol. 124, Lusitanus in chronico ad decad. 1290 p. 152, Fernandez, Fontana, Altamura ad 1295, & ante hos omnes Laurentius Pignon n. 39 his verbis: *F. Bernardus Claromontensis episcopus* (intellige ut supra, forsan electum) *& baccalarius in theologia scripsit,*

Lecturam super libros Sententiarum. Laudatur in primum dist. 40 in Pantheologia Rainerii nostri de Pisis, ubi *de reprobatione cap.* 3. Videsis edit. Lugdun. 1519 fol. 209 b.

Item contra dicta Hugonis (sed leg. *Henrici*) *de Gandavo, quibus impugnat S. Thomam.*

Item contra Godefridum eadem de causa. Is est Godefridus de Fontibus magister Parisiensis.

Item contra Jacobum Neapolitanum eadem de causa. Is erat F. Jacobus de Viterbio eremita Augustinianus, demum archiepiscopus Neapolitanus.

Hæc verò scripta illa eadem censeo, quæ vocant *Quodlibeta*, quæ ad XV aliqui numerant. Sic etiam teste Alva Sol. Verit. Rad. 239 col. 1593 nostri Guillelmus Carnificis, & Joannes Bunderius Indicis sui codd. MSS Belgii fol. 79 legunt: *Bernardus de Claromonte de Gannato aliâs ordinis Prædicatorum scripsit Quodlibeta contra Henricum de Gandavo & Godifredum de Fontibus. Extant apud Prædicatores Audomurenses, Trajectenses, Colonienses.*

Eadem citat noster Henricus de Hervordia de quo postea, in sua Catena aurea P. IX codicis Regii 5792 foll. 8 & 9 & ad IV Quodlibeta laudat.

Eadem citat Joannes de Turrecremata Tractat. de concept. B. V. P. VI cap. 29 fol. 119. *Ad idem est*, inquit, *ejusdem ordinis Prædicatorum pater & magister Bernardus de Claromonte magister Parisiensis multum famosus, qui in impugnationibus Henrici de Gandavo in quodlibet* XV *q.* XIII (at in MS cod. Turrecrematæ legitur q. 8, inquit Alva) *dicit sic: Certum est &c.* Idem excipiunt Bandellus, Deza, Petrus de Vincentia &c. Ubi quod Bernardum vocant magistrum Parisiensem, non ad litteram accipiendum, cùm lauream consecutus non fuerit, sed latiori ratione quod Parisiis diutius commoratus, si non doctor, vir doctissimus evaserit.

Sermones etiam edidisse mihi certum. In Colbert. cod. 3275 supra laudato, ubi de Amando de S. Quintino, unus est hujus scriptoris, & est XVII codicis ad fol. 50. Tit. *F. Bernardus de Alvernia. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Hebr.* XIII. Est adversus hæreses & videtur integer, obtinet enim XV coll. Alter est fol. 104 post sermonem XXXIII. Tit. *Collatio F. Bernardi de Alvernia. Dom.* IV *post octavas pasche. Induite vos sicut electi Dei in epist. hodierna. Sicut magister Cluniacensis eleganter dicebat in mane, in illis verbis, Venite ad me tria tanguntur &c.* Integra etiam videtur, nam obtinet XII coll. codicis in fol.

In Victor. cod. 428 fol. memb. extat fol. 4 sermo dictus in festo S. Cæciliæ. Tit. *Bernardus Jacobita. Mundam servavi animam meam.. Tob.* III. Hunc porro eumdem nostrum censeo, quod cætera ejus codicis sint pleraque nostrorum, inter alios Joannis Parisiensis II circa MCCC scripta. Isti verò indicium sint plures alios ab eo relictos quos diuturna absumsit ætas.

Non omittendum hunc Bernardum frequenter citari a Joanne Capreolo in suo scripto in sententias: sed in edit. Veneta anni 1589 T. I pag. 586 a, irrepsit erratum, ubi citatur *Bernardus de Gannato tertia parte Summæ contra Pelagium cap.* 3. Neque enim opus hujus tituli scripsit Bernardus. Itaque ibi legendum est *Bradwardinus* verus illius Summæ auctor, & pluries a Capreolo impugnatus. Sæc. XIV.

F. GUILLELMUS MACKELELFIELD.

F. GUILLELMUS MACKLESFIELD cujus ob variam nationum pronunciationem agnomen varie flectunt, a Laurentio Pignon inter cardinales dicitur *Mallisfvelt*, inter scriptores *Masflet*, a Leandro fol. 137 a & 149 b *Massebt*, a Lusitano *Messelech*, a Fernandez *Massbt*, quod & ansam aliis præbuit eumdem hominem in duos partiendi, vel etiam tres: nam a Pitseo alius censetur *Maclefeldus*, alius *Messelechus*, alius denique *Mansfeldus*: ab Altamura verò duplex, de Messelech unus, & alter Mamisfeldus, qui certo fuit unus & idem & homo & auctor. Anglus fuit natione, patria Conventriensis. Parisios ad gymnasium Sanjacobeum missus, in sacra facultate gradum obtinuit baccalaurei: exinde ad suos redux in Oxoniensi academia magister fuit promotus. Provinciam Angliæ aliquando rexisse volunt, quibus lubens assentior, vellem tamen annos ab illis indicari. Anno MCCCII in cap. prov. Angliæ electus fuit diffinitor cap. gener. anno sequenti Bisuntii celebrandi, quod erat Diffinitorum secundum. Interfuit revera, sed in reditu priusquam ad domum suam in Anglia perveniret, morte in itinere collectus est, ejusque cadaver Londinum translatum ibidem apud sodales conditum fuit. Interea Benedictus XI aliâs Nicolaus de Tarvisio magister olim ordinis IX, cui Guillelmi dotes eximiæ perspectæ erant, ejus mortis ignarus, cardinalem creavit in jejuniis quatuor temporum decemb. ejusdem anni MCCCIII: sed cassa fuit promotio, ceu qui jam ad superos abierat fulgentiori purpura decorandus. Ejus obitus in cap. gen. Tolosæ anno MCCCIV sic per ordinem nuntiatur in actis: *Denunciamus Fratribus universis, quod tenentur ad suffragia pro Fratre Guillelmo de Macleffeld diffinitore Angliæ in capitulo Bisuntino, defuncto post ipsum capitulum, antequam ad conventum proprium pervenisset.* Ejus meminit Trivetus in chronico regum Angliæ ad annum MCCCIII his verbis: *Papa Benedictus F. Wilhelmum de Makelesfelde doctorem sacræ theologiæ ordinis Prædicatorum natione Anglicum diœcesis Conventrensis tit. S. Sabinæ fecit presbyterum cardinalem, qui antequam ad eum rumor perveniret, infirmatus & ad extremam horam perductus in Domino obdormivit.* De eo præter citatos agunt Ciaconius, Contelorius, Oldoinus, Possevinus, Baleus, Lelandus, Bostonus Buriensis, a quo hæc ei tribuuntur scripta: 1303.

1. *Postilla in sacra Biblia.* Lusitanus ad aliquot libros id definit cum Leandro, quos nec speciatim uterque distinguit.

2. *In evangelium de decem virginibus.* Sic etiam Leander & Lusitanus.

3. *Quæstiones de angelis.* Sic Laurentius Pignon, & cum eo omnes.

4. *Quæstiones ordinariæ.*

5 *Contra Henricum de Gandavo, in quibus impugnat S. Thomam de Aquino.* Sic Laurentius citatus, & cum eo alii.

6 *Contra Corruptorem S. Thomæ.* Sic etiam Laurentius, qui indicat hunc esse Guillelmum de la Mara Franciscanum Correctorii, quod Corruptorium nostri vulgo appellarunt, auctorem.

7. *De unitate formarum.* Sic Lusitanus & Pitseus.

8. *De comparatione statuum.* Sic Pitseus ex Bostono.

Sec. XIV. 9. *Orationes ad Clerum.* Sic Pitseus qui & addit 10. *Varia problemata.*

Hæc jam scripseram, cùm in manus meas venit opus Lelandi de scriptoribus Anglis recens editum. Revera cap. 302 de Guillelmo Masset agit ut alio a Guillelmo Machelesfeldo de quo tractat cap. 306; sed huic secundo nulla tribuit opera; de Masseto verò Leandrum nostrum totidem verbis excipit, nullam majorem notitiam afferens, illique omnia supra relata opera asserit, quæ certum est à Macclesfeldio prodiisse. Hinc non distinguendos evincitur, ut nec distinguit Leander.

F. JOANNES BALDUS.

† 1303. F. Joannes Baldus quidam incertæ originis & ætatis ab Altamura laudatur ad 1303 ex fide Timothei Carmelitæ in Chronohistoria ad eumdem annum, ceu qui vir doctus fuerit & scripserit plura. Quid clarius videtur afferre Rovetta ad 1301 ex relationibus inquit conventus Eugubini, cujus hunc Joannem alumnum fuisse asserit, ac scripsisse sequentia, quorum tituli

Totius orbis terrarum descriptio.

Divisiones regnorum atque provinciarum, & horum historia.

Historia sui temporis.

An hæc etiamnum integra subsistant, docebunt Eugubini sodales, & hîc addent.

COLMARIENSIS ANNALISTA.

† 1303. F. Anonymus *Colmariensis annalista* vulgo dictus scripsit hoc titulo

Annales Dominicanorum Colmariensium. Opus est in duas partes divisum.

Parte prima continentur annales variarum rerum, quæ XIII seculo apud Alsatas maxime contigere ab anno MCCXI ad MCCCIII.

Pars secunda continet uberiorem narrationem rerum aliquot memorabilium, quarum in annalibus concisior est mentio.

Edidit Christianus Urstisius Basileensis Francofurti apud hæredes Andreæ Wecheli 1585 fol. inter historicos Germaniæ illustres, qui post Henrici IV imperatoris ætatem trecentis annis scripserunt, parte altera a pag. 5 ad 62. Humilia quædam & frivola resecasse se fatetur Editor, cætera etiam levis prætii retinuisse.

Ex priori parte discimus auctorem anno MCCXXI natum, locum non addit.

A. D. MCCXXXVIII ordinem Prædicatorum intrasse, neque docet qua in domo, certo non in Colmariensi, quæ ex ipsomet nonnisi anno MCCLXXVIII erecta, sed fortè in Basileensi cujus frequens apud ipsum mentio.

A. MCCLXI Parisiis agebat.

A. MCCLXV *mappam mundi descripsit in pelles duodecim pergameni.*

A. MCCLXVIII maii X erat in Urania pago Helvetiorum, quem Galli vulgo dicunt *le canton de Uri*, Germani *die oort von Ury.*

A. MCCLXXIV Basileæ versabatur, ubi Sororum ordinis ad *Clingental* dormitorium sumtuosum & elegans intra XIII septimanas in festo S. Martini vidit consummatum.

A. MCCLXXVI ibidem adhuc aderat, & plura ibidem toto anno gesta a se visa refert.

A. MCCLXXVIII novemb. XXVIII missi sunt qui cœnobium ordinis Colmariæ in domo D. Gliers erigerent, e quorum numero videtur fuisse, saltem ibidem reliquum vitæ aut maximam partem egit.

Dubium est an solus his annalibus manum posuerit. Alterum ei succenturiasse putant Vossius & Urstisius: verisimile tamen eumdem ad finem usque perduxisse, qui anno MCCCIII in quo finiunt, nonnisi LXXXII ætatis agebat.

Etsi levioribus hic auctor quandoque immoretur, ceu qui hæc sibi & suis tantum scribebat, nec putabat unquam in lucem edenda, non contemnenda tamen ejus diligentia, qui plurium sua ætate gestorum epochas certo indicet, quas ex aliis frustra requiras.

Cùm ad comitia ordinis generalia confluerent non solum duo vel tres vocales ex quaque provincia, sed etiam duo saltem ex quaque domo provinciæ in qua habebantur, numerosiorem fuisse conventum nostrorum in cap. gen. Trevirensi anno MCCLXXXIX facile concipio, si quidem tum provincia Teutoniæ nondum divisa ad LXXXXV domos numerabat: an tamen ad DCC sodales ibi præsentes ascenderint, ut & in cap. prov. Basileæ anno MCCII habito; an ad DLXX ut refert hic auctor, difficile mihi persuadeo auxesin non esse. Conversi illi seu Begihardi LXXX, quos illic idem affuisse ait, errones erant, qui has solemnitates captabant quæstus gratia; quos nostris maxime instantibus paulo post concilium Viennense damnavit.

Hujus scriptoris præter Urstisium Editorem meminerunt Joannes Stumpsius in operoso Rerum Helveticarum volumine, Vossius Histor. Latin. lib. 2 c. 6. Spondanus Annal. ad 1300 n. 10. Altamura in Append. ad 1300 & alii.

* F. Joannes Columbariensis Alsatius ab originis loco sic nuncupatus, vivente Alberto Magno (hic anno MCCLXXX obiit, ut supra ubi de eo notatum) ad ordinem ascitus, qui & ipsi aliquos annis familiaris fuit, scripsit

Chronicam rerum suæ ætatis.

Laudatur a Petro de Prussia vitæ Alberti Magni cap. 32, ubi hæc ex eo refert: *Tantæ autem contra vitiosos cùm necessitas requirebat, austeritatis in injungendis pœnitentiis Albertus extitit, sicut de ipso Frater Joannes Columbariensis, qui conversationem ejus noverat, refert in sua chronica, ut septennem pœnitentiam imponeret pœnitenti duram satis, sciens quos aqua contritionis sufficienter mundare non valet, lima aspera increpationis a rubigine exuens ad puritatem perducit.* Ad quem annum suam hic scriptor perduxerit chronicam non docet Petrus de Prussia, hîc tamen mihi visus est collocandus, propter nescio quod dubium menti meæ occursum, annon iste Joannes sit Annalium Colmariensium superius relatorum editor. In iis quidem jam non leguntur quæ laudat Petrus de Prussia, mentio Alberti fit tantum ad annum MCCLXXVII, sed cùm plura ex eis reciderit Urstisius, fortè & hæc rejecerit. Ut ut sit, si non est idem, habes scriptorem ab aliis hactenus omissum, & a Petro de Prussia alicubi in Germania visum ac lectum.

F. AIMERICUS PLACENTINUS.

F. Aimericus Placentinus ex nobili *de' Giliani* gente ortus magister ordinis XII jam nobis est recensendus, nec aliis certius quam ipsius Bernardi Guidonis auctoris æqualis verbis laudandus. Sic ergo ille in actis. * 1304.

» Sabbato sancto in vigilia pentecostes, quæ « fuit XVII kal. junii anno Dñi MCCCIV apud Tolo- « sam congregatis & inclusis cum clavi juxta mo- « rem & consuetudinem electoribus magistri nume- « ro triginta sex in tertio scrutinio electus est ab « eisdem canonice in magistrum ordinis F. Aime- « ricus Placentinus natione Lombardus: erat autem « tunc lector Bononiensis, electus in provincialem «

» Graciæ, non tamen elector magistri, sed præsens » in conventu Tolosano, XXXVII annos in ordine » habens, quem puer adolescentulus est ingressus. » Legerat tam in philosophicis quam in theologicis » XXIV annis, ut ipsemet dixit ibidem. Prior fue- » rat Bononiæ «.

In serie autem magistrorum ordinis hæc addit de eodem : » Fuit sufficientis litteraturæ, magnæ reli- » gionis & discretionis. Quando autem fuit electus, » cùm non haberet vocem in capitulo, & post elec- » tionem fuisset requisitus, inventus est in ecclesia » orans devote Deum pro successu electionis. Et » cùm electio fuisset publicata, archiepiscopus Au- » xitanus (*is erat Amanevus de Armaniaco longævus ille antistes qui sedem illam* LVII *annis rexit ab anno* MCCLXII *ad* MCCCXVIII) & episcopus Con- » venarum (*Boso de Salignac*) & capitularii Tolo- » sani duodecim deduxerunt eum ad Ecclesiam sum- » mo cum honore & gaudio. Præfuit autem in ma- » gisterio annis septem, & cessit officio magistra- » tus, ejusque cessio fuit admissa à diffinitoribus in » capitulo generali in Neapoli celebrato anno Dñi » MCCCXI, VI idus junii «

De ea verò spontanea abdicatione sic legitur in fine actorum ejus capituli : » Admittimus cessionem » magistri ordinis, quam a nobis humiliter postula- » vit, ipsum a magisterio absolventes. Item volu- » mus quod post mortem ejus fiat per totum ordi- » nem, sicut pro magistro ordinis fieri consuevit. » Item volumus & ordinamus, quod post primum » priorem in locis omnibus primum locum teneat, » & ab omnibus oneribus ordinis sit exemtus, quan- » tum duxerit acceptandum, & concedimus sibi ca- » meram, & socium sibi gratum. Item omnes assi- » gnationes & gratias factas per ipsum in præce- » denti capitulo vel antea confirmamus.

Ab abdicato magistratu vixit adhuc XVI annis in domo Bononiensi, ibique jacet in ecclesia ad janu am sacrarii sub lapide cui insculpta ejus effigies cum hac epigraphe :

Hic sepultus est Frater Aymericus Placentinus magister ordinis Fratrum Prædicatorum XII, qui obiit anno Dñi MCCCXXVII *die* XII *augusti.*

Sic enim Petrus Maria Campi scriptor diligens & accuratus testatur se legisse, & refert Hist. Eccl. Placent. P. III pag. 68. Dubitaverim tamen an quando eam Campius legit, quid in numeris diuturnitate temporis ita detritum fuerit, ut legere non potuerit. Nam in antiquo illo volumine Sanjacobeo a B. Humberto V ordinis magistro concinnato, in Kalendario obitibus magistrorum ordinis scribendis speciatim dicato, & in quo cujusque obitus manu æquali fuit adjectus, sic legitur :

II idus augusti obiit F. Hemericus magister ordinis XII.

Secundo idus est pridie idus ac proinde XIV ejus mensis, unde huic antiquo codici & scripturæ æquali standum videretur. Variant martyrologia impressa, nam ab edito Venetiis anno 1582 ad editum Romæ 1649 obitus Aimerici ad XX augusti ascribitur : in recentius edito anno 1694 signatur ad XII aprilis : quod videtur ex Pio P. II lib. I col 125 exceptum : nam idem epitaphium referens, ultima verba sic legit, *qui obiit anno Dñi* 1527 *die* 12 *aprilis.* Verum ut erratum est typorum in anno, existimarim etiam erratum esse in mense, quod tamen excipiunt Fontana in Monum. Rovetta in Bibl. & etiam Soëgius Ann. Domin. Gall. ad 12 april. Chronico parvo ad calcem constitutionum edito parca fides : in editione Veneta anni 1504 obitus Aimerici ponitur sexta julii : in edit. Parif. anni 1625 septima julii : in Romana anni 1694 ponitur 12 april. ex Pio citato scilicet, qui omnes ad officium ecclesiasticum Sanjacobeum citatum vel saltem ad Campium videntur emendandi.

Aimericum concilio Viennensi adfuisse credidit Gravina in sacro deposito cap. 21 : forsan quod a Clemente V magister ordinis eo vocatus fuerit : at cùm jam sex antea mensibus abdicasset, non venisse certius pronunciat Fontana citatus. Ejus habentur

Epistola encyclica septem e septem primis quæ habuit capitulis scripta divino spiritu plena & eleganter. Has Soëgius edidit T. II julii in suppl. april. & D. Martene Thesauri Novi Anecdotorum T. IV cum actis capp. genn.

Lusitanus *Indicem super libros S. Augustini de civitate Dei* ei ascribit, quod haud abnuerim : at primum esse ut addit Altamura, qui libros illos in capita diviserit, non facilè assentiar, cùm hanc operam Roberto Kylwardby asserat Trivetus. Quædam alia ei ascribuntur a Rovetta :

Tractatus adversus hæreses sui temporis.

Tractatus alter de perfectione religiosa sectanda, deque studio in ordine sedulo promovendo.

Tractatus alii plures in materia dogmatica, Scholastica & morali. Quæ ubi extent aut cui visa cùm non addat, penes ipsum fides.

Munus magnificum ab eo domui Bononiensi collatum est, *Pentateuchus* nempe Mosis Ebraice scriptus. Rem ut est ex Diario Italico eruditi ascetæ Bernardi de Montfaucon cap. 27 narrare visum est. » Ingens est volumen seu convolutus liber, est- « que pellis vituli subacta & tractabilis : paucula « sunt recentiori manu marginales notæ. Litteræ vix « quicquam nigredinis amiserunt, quod pelli tri- « buitur atramenti retinentissimæ. Inscriptio hæc « legitur in medio volumine assuta. «

Hic rotulus legis est quem scripsit Esdras scriba manu sua, quando sub Cyro rege redierunt filii captivitatis in Jerusalem, & ædificaverunt secundum templum, quod fuit consummatum in quadraginta duobus annis, & duravit CCCCXX *annis, scilicet usque ad* XLII *annos post passionem Christi. Quod autem sit ille idem numero habitum est per crebram famam Judæorum antiquorum, qui fuerunt confessi in diversis synagogis, ubi etiam conservabatur. Ab antiquo pro tali habebatur inter Judæos de generatione in generationem, & pro tali recepit eum reverendus magister ordinis frater Aymericus cujus est. Talem etiam probaverunt ipsum Judæi litterati habitis certis experimentis litteralibus in præsentia mei fratris P. Marsilii, & lectoris Perpiniani, & fratris Petri Lobii. Quæ quidem signa in aliis rotulis aut non talia, aut non tam perfecta habentur, ut ego probavi in multis rotulis valde antiquis & modernis. Certus itaque debet haberi, & cum reverentia tractari rotulus iste, quia à tanto auctore scriptus, & post combustam legem inspirante sancto spiritu ordinatus, & aliis rotulis pro originali datus, ac tantis temporibus conservatus, & quod non minus est, ut nos & Judæi credamus, in templo monstrabatur in præcipuis festivitatibus, præstante actore legis ipso Deo & Domino Jesu Christo.*

» Hæc ut ex charactere liquet, tempore Ayme- « rici magistri ordinis conscripta sunt, qui eo offi- « cio fungebatur anno MCCCVIII. Hinc palam est « aberrare eos, qui æstimant Hebraica biblia nulla « occurrere ab annis plus quadringentis exarata. « Nam anni quadringenti sunt, quam hic codex do- « no oblatus Aymerico fuit, qui tum perantiquus « habebatur. At licèt fabulam sapiat, quod aiunt, « Esdræ ipsius manu exaratum, negari sane posse « non videtur aliqualis saltem vetustatis tum fuisse « cùm traditus Aymerico fuit. «

» Præter inscriptionem Latinam superius expres- « sam adest Ebraica a perita manu exarata, quæ pe- « ne erasa est, eam hîc pariter proferimus. « Latine sonat

SEC. XIV. *Hic est liber legis Moysi, quem scripsit Esdras scriba, & legit eum in conspectu multitudinis a viro usque ad mulierem, & stabat in turri lignea*, id est in suggestu ligneo.

» Hæc inscriptio eodem edita tempore putatur, » quo Latina superius allata: nimirum Ebræi cùm » munus istud Aymerico afferrent, tale commenti- » tiæ antiquitatis testimonium unà protulerunt. Hactenus Montfauconius.

Quæ quidem omnia exscribere visum est, & quod huic ordinis magistro non parum honorifica sint, cujus testantur erga sacros codices & linguam sanctam studium, quod de eo vulgo prædicatur: & quod nostro in hoc opere conveniat instituto, eruditos a nobis rescire, quam pretiosum Bononiæ in sacrario Prædicatorum cimelium servetur.

Non solum in sacris litteris versatissimus fuit Aimericus, sed & liberalium artium peritus omnium, erga viros doctos optime affectus, & ab illis etiam cultus. Petrus Crescientius Bononiensis operis de re rustica tanti ea ætate habiti scriptor Aimerici hortatu illud se finisse testatur, nec nisi prius ab eo visum emendatum & approbatum Carolo II utriusque Siciliæ regi nuncupavit. Id legere est in epistola ad eum regem data, & in præcedenti ad ipsum Aimericum. Utraque habetur in editione Italica Florentiæ 1478 fol.

F. RAIMUNDUS GHILA.

* 1304. F. RAIMUNDUS GHILA vel *Guilha* Gallus Salyus ortu & professione Tarasconensis inter theologiæ magistros Parisienses recensetur apud Bernardum Guidonis n. 38, hincque videtur circa MCCLXXX licentiatus. Frequentior deinceps ejus in actis capitulorum provinciæ Provinciæ mentio, in Montepessulano anno MCCXCIV prædicator generalis conservatur, dum cassantur alii bene multi: in Castrensi anno MCCXCV sic de eo statuitur: *Ad promotionem studii Tolosani R. P. F. Raimundum Ghila professorem theologicæ facultatis assignamus pro doctore conventui Tolosano.* In Tarasconensi anno MCCXCVII Domin. post festum Magdalenæ sedit primus diffinitor, & aliâs pluries. Bernardus citatus ibidem ait tandem Tarascone obiisse anno MCCCIV paulo post festum Magdalenæ. Hunc etiam laudat Ludovicus a Valleoleti inter Magistros Parisienses qui scriptis claruerunt, sed quæ ea sint non addit. Apud Laurentium Pignon quidam recensetur n. 31 F. Guillelmus Ghila magister in theologia, qui & scripsisse dicitur

Librum de unitate existentiæ in Christo.
Item de theologia quod sit scientia.
Item de subjecto theologiæ.

Cùm vero toto tempore ante ætatem Laurentii nullus in catalogis magistrorum occurrat hujus nominis *Guillelmi Ghila*, fortè erratum fuerit notarii codicis Victor. qui scripserit *Guillelmus* pro *Raimundus*. Quod si alicui non placet, erit alter scriptor hujus seculi XIV, quocunque anno vixerit.

F. GUALTERUS DE WINTERBURN.

† 1305. F. GUALTERUS DE WINTERBURN Anglus, patriaque Sarisberiensis, ordinem quem adolescens induerat in patria, patriamque suam ac Ecclesiam ipsam eruditione, pietate, dignitatibus ac præclare gestis non parum illustravit. Ejus omnes qui scriptores ordinis ac historiam sunt prosecuti, quique de viris illustribus Angliæ vel S. R. E. cardinalibus egerunt, cum laude meminere. Oratorem enim fuisse ferunt & poetam, philosophum atque theologum omnino consummatissimum, morum gravitate & puritate conspicuum, prudentia rerumque peritia commendatum, quem sibi rex ipse Angliæ Eduardus I conscientiæ suæ delegit arbitrum & confessarium, cui gentiles sui omnes ac symmystæ Prædicatores Angliæ curam sui provinciæque suæ Angliæ omnem detulerant ac auctoritatem: ad quod munus videtur assumptus anno MCCXC, suffectus F. Guillelmo, qui eodem anno rediens e cap. gen. Ferrariensi obierat, eoque sex aut septem circiter annis de more functus: certe eo solutus erat ante annum MCCC, quo in cap. gen. Massiliæ F. Thomas de Jorz a duobus aut tribus saltem annis provincialis aderat. Cùm autem in Romanæ sedis apicem evectus esset anno MCCCIII die 22 julii Benedictus XI olim F. Nicolaus Bocassinus de Tarvisio magister ordinis, cui Gualteri dotes eximiæ probatæ fuerant, hunc mense februario MCCCIV creavit S. R. E cardinalem. De quo sic noster Bernardus Guidonis in Elencho cardinalium: *Fratrem Gualterum Anglicum confessorem D. regis Angliæ Edwdoardi assumpsit & fecit presbyterum cardinalem idem D. P. Benedictus XI in jejuniis quatuor temporum post cineres anno D.* MCCCIII (scilicet stylo veteri, qui nunc MCCCIV.) *Hic post novem menses a die qua fuit in cardinalem nominatus, & post fere quinque menses ab obitu memorati D. Benedicti papæ pervenit ab Anglia Perusium civitatem, ubi adhuc curia morabatur sede vacante* IV *Kal. Decemb. Sabbato scilicet ante Dominicam* I *adventus A. D.* MCCCIV: *fuitque exhibitus sibi magnus & debitus honor a populo Perusino: & sine alio diverticulo declinavit ad conclave cardinalium, ubi inclusi propter electionem summi pontificis commanebant, a quibus cum magno favore & honore susceptus est, & in crastino sancti Andreæ scilicet in Kalendis Decemb. ad scrutinium electionis summi pontificis tanquam cardinalis admissus quamvis nondum haberet nec annulum nec capellum. Hic post creationem D. Clementis Papæ V qui creatus fuerat in vigilia pentecostes præcedenti, cùm veniret ad ipsum citra montes nondum habens titulum, sed capellum & annulum per cardinales sibi traditum obiit Januæ* VII *Kal. septem. in sabbato.* (Existimo erratum esse in mense, & legendum octobris seu 25 septembris, quæ erat sabbatum, nam anno 1305 litt. Domin. erat C.) *Sepultus sequenti die Dominica per F. Nicolaum cardinalem episcopum Ostiensem in ecclesia Fratrum Prædicatorum Januensium A. D.* MCCCV. *Elegit autem inde transferri & sepeliri in conventu Fratrum Prædicatorum in Londoniis in Anglia, unde fuerat assumptus.* An autem reipsa Londinum corpus ejus translatum fuerit, non conveniunt auctores, affirmantibus aliis aliis negantibus. Sic de eo Nicolaus Triveth in chronico ad annum 1304: *Hoc anno Papa Benedictus intellecta morte F. Willelmi de Makelesfelde F. Walteram de Winterburn similiter ordinis Prædicatorum regis Angliæ confessorem Sarisberiensis diœcesis ad eumdem titulum cardinalatus promovit.* Et ad annum 1305: *F. Walterus Winterburn nuper ad cardinalatum assumptus tendendo cum aliis cardinalibus in Galliam, moritur apud Januam, & in ecclesia Fratrum Prædicatorum traditur sepultura.* Sed nil mirum si de translatione non loquatur, cùm anno 1307 chronicon hoc absolverit, quæ annis sequentibus fieri potuit ut asserunt Godwinus & Pitseus. Quod verò dicit *ad eumdem titulum cardinalatus promotum*, sic intelligo scilicet in cardinalium collegium ascitum, cùm Bernardus Guidonis præsens saltem longe propinquior absque titulo defunctum asserat. Ex eodem Bernardo Leandrum Albertum *fol. 68*, & eum excipientes emendes, qui Kalendis septembris mortuum asserunt, quæ dies Mercurii erat, cùm ita expresse

[Margin notes: Ex Actis cap. gen. Palent. 1291. — 1305 junii 5, nam pascha fuit april. 18, lit. Dom. C. num. Aur. 14.]

expresse notet Bernardus sabbato mortuum & dominica sepultum, quæ egregie conveniunt in VII Kal. octobr. septemb. 25, cui fere consentit Contelorius aiens 24 septemb. devixisse. A Clemente V delectum & delegatum unà cum cardinali S. Luciæ commissarium in causa F. Petri Joannis Olivi ordinis Minorum, ejusque circa solemnem illam paupertatis evangelicæ quæstionem sententia, ex qua tot in illo ordine emanarunt dissensiones & schismata refert Wadingus T. III Annal. Min. ad ann. 1305 n. 3, cui assentiri non possum, cùm Walterus obierit ante Clementis V coronationem, ac prætetea F. Thomas de Jorz quem ibidem cardinalem S. Luciæ nuncupat, non solum eo titulo nunquam ornatus fuerit, sed nonnisi a morte Winterburnii sacro collegio cooptatus sit. Hæc porro Gualteri nostri recensentur opera:

Commentarii in IV sententiarum libros. Sic Lusitanus. Quod & creditu facile, cùm magistri theologiæ saltem celebriores hujusmodi conficerent, illudque opus facile censeo, quod Bandellus noster *Summam theologicam* appellat, & cujus citat librum III. Sic Summa Alensis adeo decantata nihil aliud est quam ejus in sententias commentarius. Communis erat tunc modus loquendi, nisi alia ratione opera distinguantur. Opusculum *de peccato originali* ei a Pitseo & aliis tributum partem etiam ejusdem scripti haud difficile crediderim.

2. *Quæstiones theologicæ.* Quo titulo *Quodlibeta* conjicio, quæ ea ætate Magistri omnes theologiæ disputabant, & celebriores etiam rei literariæ scripto recognita commendabant.

3. *Sermones ad Clerum & coram Rege habiti, Aliaque.*

Quod autem jam non appareant hæc scripta non mirum, seu temporis edacitate rerumque vicissitudine perierint, seu alicubi neglecta jaceant inter innumera ejusdem generis, quibus & plerisque nomen auctoris deest. De Gualtero hoc nostro agit Alva in Sole Verit. Rad. 193 col. 1469 & seqq. sed quales nugas agat, ex his solum collige. *Quomodo est credibile*, inquit, *quod Gualterus Winteburnus & Thomas Jorsius ambo Angli ambo Dominicani eodem tempore scilicet in jejuniis quatuor temporum adventualium unus anno 1304 fuerit creatus cardinalis S. Sabinæ, & alter anno 1305 creatus etiam cardinalis S. Sabinæ? Si tu credis hoc, ego nolo credere?* Quam sint hæc sensata, ex dictis supra penset lector, cætera sunt ejusdem judicii, & suo certe digna auctore.

In constitutionibus Regni Angliæ p. 1046 istæ referuntur literæ Eduardi I qui apud Triveum dicitur III: *Venerabili in C. P. D. Nicolao* [de Prato ord. Prædic.] *D. G. Ostiensi & Velletrensi episcopo, apostolicæ sedis legato, amico suo carissimo, Edvardus &c. Salutem & sinceram in Domino dilectionem.*

» Literas vestras quas nobis ex vestra grata benevolentia intimastis, quod SS. in C. P. D. Benedictus S. P. dilectum nobis in C. Fratrem Gualterum de Wynterburne confessorem nostrum ad cardinalatus apicem sublimavit, intelleximus diligenter; & licèt plurimum fuisset nobis cordi, quod idem Frater nostro lateri continuo astitisset, vestram tamen paternitatem requirimus cum affectu, quatenus eidem nomine nostro S. pontifici velitis ex parte nostra gratiarum actiones referre, prout honestius vestra noverit discretio faciendum, nosque id idem in brevi annuente Domino facere intendimus per nostros nuncios speciales: habemus enim pro constanti, quod bona affectio, quam erga nos & regnum nostrum gerit, eidem ad hoc faciendum inter alia magnum præstitit inductivum. *Datum apud villam S. Andreæ in Scotia 4 die april. anno regni nostri 32* qui erat Christi 1304. Sunt & istæ aliæ ibidem.

SS. in C. P. Domino ...... divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo pontifici, Edwardus ejusdem gratia rex Angliæ &c. devota pedum oscula beatorum.

» Dudum felicis recordationis D. Benedictus papa XI ad religiosum virum F. Walterum de Winterburne confessorem nostrum, attendens ipsius merita & eminentiam probitatis suæ dirigens considerationis intuitum, ipsum ad cardinalatus apicem duxit Domino disponente vocandum. Cùmque idem cardinalis tanquam obedientiæ filius juxta mandatum apostolicum sibi inde directum se parasset ad iter ad præsentiam sedis apostolicæ veniendi, nos ipsum propter quædam ardua nostra, quæ sine eo tunc non poterant commode expediri, quasi compulimus moram contrahere usque modo. Quocirca sanctitati vestræ humiliter supplicamus, quatinus moram præfati cardinalis dicta de causa contractam habere si placet dignemini propensius excusatam. Conservet vos Altissimus ad regimen Ecclesiæ suæ sanctæ per tempora longiora. « *Dat. apud Jeddeworth in Scotia 23 die Aug. anno &c. 32*, id est Christi 1304. Ex hujus epistolæ dato patet locum scribendo pontificis nomini purum & vacuum regem reliquisse, ut si fortè Gualterus Perusium adveniens papam electum reperiret, ejus nomen adderet, qui tamen electus non fuit nisi anno sequenti 1305 vigilia pentecostes Junii 5. Unde & illarum constitutionum editor Clementis quidem nomen inscripsit, sed intra parenthesin clausit, ut post factum additum indicaret. Porro hæ literæ quantæ apud regem Gualterus esset auctoritatis, eximie ostendunt.

A Lelando cap. 306 laudatur ut theologus magnæ gravitatis, judicii, & doctrinæ, ac de cujus gestis in Tinensi chronico insignis habetur memoria.

F. JOANNES TASCHERIUS.

† 1305.

F. JOANNES TASCHERIUS Italus Longobardus Bononiæ ad ordinem ascitus, vir fuit fidei optimus zelator, inquit Leander fol. 148 b, & censor hæreticorum in patria propria circa annum salutis MCCCV. Scripsit si fides Bumaldo Bibl. suæ Bonon. p. 120

Commentaria in evangelia.

Quæ ubi serventur MS vel impressa silet, cujus operis nec Leander, nec alii nomenclatores, nec ipse Rovetta meminere. Cæterum emendandus Bumaldus cùm Tascherium ad 1580 revocat, quem Leander sub initia seculi XIV vixisse tam certo definit.

F. ALEXANDER SPINA.

† 1305.

F. ALEXANDER SPINA Etruscus professione Pisanæ domus alumnus, a nostris virorum illustrium nomenclatoribus hactenus omissus, ex epistola quadam Francisci Redi Pisani *intorno all' invenzione de gli occhiali* scripta anno MDCLXXVIII, celebratur in actis eruditorum Galliæ litteratorum anni sequentis Diario IV seu die lunæ XIII febr. MDCLXXIX. Nempe Redius tradit & asserit artem ocularium construendorum ab Alexandro Spina primum inventam exeunte seculo XIII, vel ineunte sequenti XIV: idque comprobatum dicit, primo ex pervetusto cod. MS memb. chronicorum Latina lingua Pisis in Bibl. Prædicatorum asservato, ubi fol. 16 narratur hunc Alexandrum ea animi solertia præditum fuisse, ut quicquid inventum ab alio vel eleganter elaboratum oculis intueretur, aut tantum

Sec. XIV. audiret, illud digitorum industria facile repræsentaret ac assequeretur: cùmque tum ei fortè fortuna quis vitrorum ocularium auctor primus & inventor similia ei ostendisset, artisque modum & arcanum ei petenti negasset, hanc ille propria tandem industria solus consequutus est, eumque ibidem dicitur anno MCCCXIII vivere desiisse. Id confirmat idem Redius ex tractatu quodam MS anno MCCCXIX composito, quem penes se inter libros suos esse testatur, ubi de ocularis ceu recens adinventis fit mentio. Demum & istud ipsum asseri palam in libro concionum anno Dñi MCCCV habitarum a F. Jordano de Ripaalta vernacule *de Rivalta* Pisano ord. Prædic. Pisisque anno MCCCXI sepulto, ubi vitrorum ocularium artem non annos plus ante viginti inventam refertur. Videsis acta citata Eruditorum Gallorum, vulgo *Journal des Savans*, ut & vocabularium Historicum *Moreri* vulgo dictum voce *Spina Alexandre*. Hic verò visus est hîc laudandus, non ut a quo quid scripto editum prodierit, sed ut a quo

Ars vitrorum ocularium aut adinventa, aut saltem juris publici facta.

Obiisse anno MCCCXIII asserit Franciscus Redi in epist. cit.

F. HUGO DE MANCESTRIA.

* 1305. F. HUGO DE MANCESTRIA vel *Mavecestria* Anglus sacræ theologiæ magister Oxoniensis prior provinciæ Angliæ quantum conjicere est electus anno MCCLXXII & Roberto Kilwardby eodem anno in comitiis ordinis Ferrariensibus amoto suffectus, eo munere fungebatur adhuc anno MCCLXXXI ex Triveto nostro æquali, sed anno sequenti in comitiis ordinis Viennæ Austriæ habitis eo onere quod decem annis portaverat cum laude solutus fuit. Vir fuit magnarum partium, Edwardo III Angliæ regi in primis acceptus, ejusque in pectus rex curas & ægritudines domesticas familiariter effundebat, eoque etiam ad publica regni negotia libenter utebatur. Unde & legatum aliquando misit in Franciam cum Wilhelmo *de Geinesburn* ordinis Minorum theologiæ itidem magistro ad Philippi III Audacis animum flectendum, obtinendamque ab eo quarumdam in Aquitania terrarum restitutionem. De quibus videsis Trivetum citatum Spicil. Dacher. T. VIII pag. 664 & 666. Vivebat etiamnum anno MCCCV, ut constat ex his Edwardi regis laudati litteris in constitutionibus regni Angliæ relatis p. 1110.

Rex omnibus ballivis & fidelibus suis ad quos &c. Salutem.

» Sciatis quod cùm &c. Fratres de conventu » prædicto (Exoniensi) præfatum F. Stephanum de » Exonia subsequenter pro quodam delicto contra » ordinis sui regulam commisso, in carcerem sive » custodiam detrusissent, juxta illius ordinis exi- » gentiam castigandum: ac Fratres Joannes de Lo- » clevieil, Robertus de Osery, Willielmus de Rei- » gny, qui diversis vicibus fuerant ibidem priores, » & cæteri Fratres de conventu prædicto coram di- » lectis & fidelibus nostris &c. jam sint de recep- » tamento prædicti F. Stephani, & non de aliqua » transgressione alia indictati, prout accepimus ex » testimonio *F. Roberti de Bromyerd* prioris pro- » vincialis in Anglia, & Hugonis de Mancestria de » ordine memorato (FF. Prædic.) Nos ob amorem » & bonam voluntatem, quos ad dictum ordinem » gerimus & habemus, & per testimonium prædic- » torum Fratrum Roberti & Hugonis firmiter cre- » dentes &c. « in quibus prohibet ne Fratres illius conventus ea de causa molestentur. *Datum apud Bures II augusti anno* XXXIII id est Christi MCCCV.

Ex quibus habetur Robertum de Bromyerd tum priorem provinciæ Angliæ fuisse Thomæ de Jorz anno MCCCIII in comitiis ordinis Bisuntii habitis amoto suffectum, ac Hugonem de Mancestria tum adhuc in vivis fuisse. Cæterum hinc emendandi veniunt Willotus, Eysengrenius, Simlerus, Possevinus, qui Hugonem nostrum Minoritis accensent, quos omnes redarguit ipse Wadingus in sua ord. Min. Bibl. fassus non tantum nostris restituendum, sed & pro doctrina S. Thomæ licèt albo SS. nondum inserti strenuum pugilem se præstitisse, & adversus Joannem Pexam e Franciscano archiepiscopum Cantuariensem eam impetentem ex antiqua æmulatione, fortiter propugnasse. Ejus præter citatos meminit Pitseus, apud quem typorum erratum irrepsit, cùm dicit *Francisci institutum* amplexum, legendum enim *Dominici* argumentum est, quod & in principio elogii & in catalogo scriptorum nostris accenset. Ejus hæc tantum laudantur scripta:

Compendium theologiæ.

Contra phanaticorum quorumdam deliria, ad instantiam inquiunt Philippi Franciæ regis.

F. CONRADUS GRATIADEI.

F. CONRADUS GRATIADEI Siculus circa finem seculi XIII claruit, & anno MCCXC erat monasterii S. Catharinæ virginis & martyris, sanctimonialium scilicet ordinis S. Dominici prior: tum enim illæ sub regula S. Augustini & constitutionibus nostris erectæ, ordinis etiam regimini suberant, quæ jam a seculo XVI archiepiscopi Panormitani jurisdictioni subsunt, & reguntur arbitrio. Laudatur ab Antonio Mongitore in Bibl. insulæ Siciliæ, ceu a quo scripta sit * 1305.

Epistola ad B. (nempe Angelum Boccamaza) *episcopum Catanensem de rebus in ea insula gestis ab anno* XL *antequam Nortmanni ad regnum Siciliæ pervenissent, ab anno Christi scilicet* MXXVII, XVI *Kal. august. quo Gaytus Maymonus Saracenus de Hispania destruxit Pactas, & deinceps sub Saracenis, Nortmanis, Germanis, Gallis ad annum* MCCLXXXIII *quo Gallis omnibus mense aprili trucidatis, mense augusto sequenti Petrus Aragonia rex Panormum intravit cum magno triumpho.*

Princ. » Reverendissime Domine humili recom- « mendatione præmissa. Quia facta proborum & ma- « xime illorum qui Siciliam honoraverunt, ac etiam « de Saracenica potestate liberaverunt, cor nobi- « lium Siculorum habeat ad gaudium aperire, hinc « est quod ad præsens, scilicet quod aliàs reve- « rendæ dominationi vestræ promisi, scribo & inci- « pio &c. «

Finis: » Ab isto Carolo usque ad hodiernum « diem fuerunt alia facta in nostra insula, quæ vere « non fuerunt probitates dominorum, sed potius cal- « liditates, ideo non debent homines in eis delec- « tari, sed simpliciter dimittere. Idcirco hîc finem « loquendi facio. Vos autem Dominus altissimus « conservet. Amen. Scripta Panormi die prima « april. indict. tertia. « *Vester orator ac servitor Frater Conradus Gratiadei & vere, prior monasterii S. Catharinæ. Reverendo in Christo patri & dño dño B. Dei gratia & sedis apostolicæ Catanensi suo domino & benefactori continuo.*

Hanc epistolam integram refert Jo. Bapt. de Grossis in sua *Catana sacra* edita Catanæ apud Vincentium Petronium 1654 fol. Eamdem laudat Franciscus Abela in sua *Melita illustrata*, ubi eam MS in cod. antiquo vidisse se ac legisse testatur. Sed fallitur Abela cùm dicit scriptam anno MCCLXXXIII, ex eo quod auctor ulterius non progrediatur. Sed rationem cur hîc steterit, dat ipse Conradus, quod deinceps gesta nimium ei displicerent. Præterea in-

dictio tertia qua epistolam signat, non cadit in annum MCCLXXXIII, sed vel MCCXC, vel MCCCV, qui anni aliunde magis conveniunt cum erectione monasterii S. Catharinæ, quod circa MCCC fundatum narrat Fazellus in *historia Siciliæ* & Pirrus ex eo in *Sicilia sacra*.

Anno 1344 in actis cap. gen. Podii in Velaunis sive Anicii celebrati F. Jacobus de Nicosia prior monasterii S. Catharinæ Panormitani destituitur, eidemque sufficitur F. Perronus de Augusta, qui & unâ sacræ fidei inquisitor per insulam Siciliam instituitur generalis. Hæc probant illud monasterium ab initio sub regimine ordinis fuisse. Addo ne quis minus peritus fallatur, & in Sicilia esse *Nicosiam*, quam quidam antiquam esse Herbitam ad Heræos montes volunt. Est alia *Nicosia* civitas archiepiscopalis in Cypro geographis dicta *Leuctra* vel *Leucothea* vel etiam *Leucosia*.

F. ARNALDUS DE PRATO.

† 1306. F. ARNALDUS DE PRATO Aquitanus natione patria Condomo ortus ordinem circa annum MCCLV amplexatus est: naturalibus exinde divinisque litteris optime instructus, iis docendis vitam pene omnem insumsit. Triginta circiter annis sacras est interpretatus litteras per varia provinciæ suæ loca, præsertim in studiis generalibus Montispessulano & Tolosano. In hoc ultimo XIV annis solidis lectorem primarium egit, scilicet ab anno MCCLXXXIV ad XCIV, & iterum a XCV ad XCIX, quo ipsius conventus Tolosani prior electus est, sed mox anno sequenti scholæ suæ regendæ redditus ad annum MCCCIV, quo temeratæ fidei vindex & censor Tolosæ datus, quæ sacri tribunalis erant onera fidelis & indefessus implevit ad obitum usque scilicet ad MCCCVI, quo Cadilliaci ad Garumnam oppido non longe a Burdigala XVI sept. festo S. Euphemiæ vocatus a Domino requievit a laboribus suis annis LI in ordine exactis. Corpus ex ipsius voto Condomum delatum est, & apud sodales honorifice sepultum, uti refert Bernardus Guidonis in catalogo priorum Tolosanorum, ex quo hæc omnia excipimus. Nec miretur quis quod eum dicat de prædicatione Condomensi, quæ tamen domus non fuit erecta nisi anno MCCLXI, cùm ille septem annis antea ordini nomen dedisset: jam enim pluries monuimus eum morem tum viguisse, ut alibi etiam induti, ex quo in sua patria domus ordinis erigebatur, ad eam mox tanquam alumni pertinerent. Scripsit

Officium ecclesiasticum in festo S. Ludovici regis Franciæ recens albo SS. inscripti cantandum. Pr. *Ludovicus decus regnantium.*

Quod Philippo Pulcro oblatum eximie placuit, ejusque auctoritate per ecclesias Galliæ receptum est, eoque usa est Ecclesia Parisiensis ad initia sec. XVII, extatque etiamnum in antiquis breviariis: eo etiam diu usus est ordo Prædicatorum.

Musis amœnioribus deditum fuisse narrat idem Bernardus, ac subinde quædam metro scripsisse: nec dissimulandum cantilenas ei excidisse in eos, quos depositionis magistri ordinis VII F. Munionis auctores putabat, qua de causa in comitiis ordinis anno MCCXCIV in Montepessulano habitis, in eum jussum est inquiri, proptereaque forsan a cathedra Tolosana ejectus est. Sed attento hæc ex animo erga magistrum Munionem teneriore profecta, mox anno sequenti suo muneri restituerunt.

F. JOANNES DE ALLODIIS.

* 1306. F. JOANNES DE ALLODIIS Gallus Aureliæ natus, sed Parisiis educatus & sacræ facultatis magister, ac tandem Ecclesiæ & universitatis Parisiensis cancellarius anno MCCLXXI promotus jam nobis est laudandus, & qua ratione sodalis noster effectus est, narrandum. Clarebat ille a pluribus annis in Urbe regia tum doctrina, tum facundia, frequentes ubique habens conciones, & inter primos suæ ætatis verbi Dei præcones habitus, sed nec minus a pietate commendatus. Accidit autem ut anno MCCLXXIX sept. 13 episcopus Parisiensis Stephanus Templier moreretur: tum canonici in capitulum adunati Odonem de S. Dionysio sacræ theologiæ magistrum & celebrem etiam Ecclesiastem communibus votis elegerunt, & episcopo defuncto quantum in ipsis erat ut sufficeretur petierunt: sed ob viri senium & manuum tremorem (sic enim scribit Joannes Parisiensis in Memor. Histor.) electionem ad se delatam Nicolaus III non solum non probavit, sed & cassam irritamque declaravit, & cancellario Joanni a præclaris animi dotibus fama sibi cognito has infulas contulit, litterisque urgentissimis ut acceptaret excitavit. Verùm Joannes dignitatis oblatæ onera sentiens, ut importunas amicorum instantias vitaret, & spem flectendi unquam animi omnem præcideret, ad nostros Sanjacobeos confugit, in eorum sodalitatem cooptari postulavit, & ordinis vestem induit sabbato sancto ante pascha anni MCCLXXXI, quod fuit XIII aprilis. Sed Bernardum Guidonis hæc narrantem juvat audire. Sic ergo ille in catalogo magistrorum Parisiensium n. 32: *F. Joannes de Allodiis de Aurelianis magister & cancellarius existens, & electus in episcopum Parisiensem intravit ordinem Prædicatorum anno Dñi* MCCLXXXI *in vigilia paschæ. Hic Frater Joannes senex & plenus dierum, & doctrina & spiritu Dei, sicut unus ex patribus antiquis in seipso recollectus, & in Deum fixus, appositus est ad eos, migrans in festo S. Remigii anno Dñi* MCCCVI, *sepultus in choro Fratrum Parisius juxta Fratrem Matthæum*, illum scilicet primum & unicum ordinis abbatem, primumque S. Jacobi priorem. Ex quibus colligas Leandrum Albertum ex Bernardo citato hausisse, quæ de hoc illustri viro habet legenda fol. 221 a, sed emendandum cùm dicit sancta toga vestitum anno MCCLXXX post festum resurrectionis: nam codices MS Bernardi Tolosanus, Carcassonensis, & Lingonensis constanter habent *anno* MCCLXXXI *in vigilia paschæ*: ac vere MCCLXXXI ad computum Tolosanum, quo utitur Bernardus, & quo annus a die annunciationis incipiebat: vel si velis anno MCCLXXX, tum intelligas ad calculum Parisiensem, quo annus incipiebat a die paschæ, adeo ut sabbatum sanctum ad annum præcedentem pertineret. Emendandus etiam auctor anni Dominicani Gallici, qui ex eo quod festum S. Remigii in breviariis nostris seculo XVII impressis ad diem XII octobris translatum fuit, putavit & fuisse Joannis obitus diem: non enim erat ita antiquitus, sed prima octobris & in kalendariis & in breviariis omnibus nostris MS & impressis ad MDC notabatur juxta omnium Ecclesiarum ritum, qui & in ultimis editionibus breviariorum nostrorum ab anno MDCXCIV recte restitutus fuit. Non omittendum autem quod etsi aliâs Joanni nostro gravis fuisset de cancellarii juribus cum universitate contentio, adeo ut ab eo descivérint academici, aliumque sibi selegerint cancellarium scilicet Sangenovefianum, nihilo tamen minus sive ante sive post ordinis ingressum, etiam qui maxime adversabantur, eximias ejus virtutes & agnovere semper & coluere. Ut concionibus inter primores claruerat cancellarius, sic & multo magis cùm & veste fuit Prædicator. Has utinam ut ab eo scriptæ haberemus, jam verò iniquitate temporum factum est, ut non nisi quales ex ore dicentis mutilæ reportatæ in quibusdam codd. MS aliis permistæ appareant.

Sec. XIV. Vide supra ad ann. 1273 *Ægidius Aurelianensis*: ibi enim plures Joannis tum cancellarii notatæ sunt ex cod. Sorbon. 1018.

Cod. Sorbon. 285 cui titulus, *Distinctiones Petri de Lemovicis*, quædam sunt *Joannis de Aurelianis cancellarii*.

Rursus cod. 960 sunt quidam *magistri Joannis Aurelianensis*.

In Victor. cod. 762 qui collectio est sermonum annis 1281, 82 & 83 habitorum sunt plures ejus jam toga nostra induti: singulis enim hic titulus apponitur: *A Fratre Joanne Aurelianensi Fratre prædicatore quondam cancellario & canonico B. Mariæ Parisiensis magistro in theologia*. Vide supra ad hos annos, ubi singulos notavimus.

Ibid. cod. 515 fol. 6 b, *Sermo cancellarii Fratris Prædicatoris Dom. ante festum S. Martini*.

Rursus cod. 528 fol. par. memb. ut & superiores. Tres sunt. 1. *In die purificationis B. V.* 2. *Dom.* XIV *post pentecosten*. 3. *In adventu*. In his dicitur *Frater Joannes de Aurelianis ord. Prædic. quondam cancellarius*. Plures in aliis collectionibus ejus ætatis reperiendos si cui otium fuerit, non dubium.

Ex sodalibus ordinis CXXX anno MCCCIII in aula capitulari S. Jacobi præsentibus, & Philippo Pulcro contra Bonifacium VIII adhærentibus subscripsit secundus.

In necrologio antiquissimo Ecclesiæ Parisiensis fol. mag. membr. nunc Bibl. Reg. n. 3883, 3, sic legitur: XII *kal. junii. Hîc debet celebrari missa de B. V. pro venerabili viro Johanne de Aurelianis cancellario Parisiensi quandiu vivet, pro qua habemus* LXVIII *solidos Parisienses incrementi census annui redditus quatuor terminis Parisius consuetis super quadam domo sita Parisius supra magnum pontem. Post decessum autem dicti magistri fiet anniversarium & missa pro eo, & non amplius dicetur missa de B. V.*

Præter hactenus citatos ejus cum laude meminerunt Hist. Ord. scriptores omnes, & Fontana in Theat. Antonius Mallet *Hommes illustres de S. Jacques* T. I pag. 390, qui fallitur cùm eum vult fer. 2 pentec. anni 1280 veste ordinis indutum. Legendus & Boulæus Hist. univers. Parif. T. III passim, qui etsi ipsi iniquior ob litem supra relatam, præclaras tamen ejus dotes agnoscit in catalogo illustrium ejus seculi.

F. JOANNES PARISIENSIS II.

* 1306. F. Joannes Parisiensis II sic dictus ad discrimen antiquioris supra ad 1248 laudati familiæ agnomine *Pungensasinum* quidem, sed ex usu ordinis a patria *Parisiensis* vulgo dicti, & qui nobis est primus, iste verò secundus a patria Parisiorum urbe apud sodales *Parisiensis* etiam dictus, & aliquando etiam *de Parisius*, in quibusdam codd. MS legitur modo *Quidort*, modo *Surdus* vel *de Soardis* agnominatus; quæ sic explicanda fuerunt, ne ex vario agnomine, varius homo quibusdam videatur: iste inquam Parisiis in domo S. Jacobi adolescens XX circiter annorum ordini nomen dedit, nec parum in sacra facultate claruit. Licentiatum testatur Bernardus Guidonis in catalogo n. 51 anno MCCCIV. In Victor. cod. 428 fol. memb. ad folium 38 b, servatur adhuc *Commendatio Fratris Joannis de Parisius, quando habuit vesperias suas*. Ex ea verò quædam quæ ejus ætatem, mores, studia, diligentiam docent, placet excerpore & hîc addere.

Pr. *Joannes hic venit in testimonium*. Inter alia hæc de eo dicuntur: » Fuit famosus magister in » artibus in vico (A) stramineo antequam intraret » religionem: fuit etiam & est famosus & excellens bachalarius in theologia, sicut patet & pa- » tebit in legendo, in arguendo, in respondendo, » in prædicando, & in alios actus scholasticos exer- » cendo &c. *Ibidem*: Ab infantia sua (B) mundum » relinquens adiit claustrum religionis, ut sanctius » & mundius posset vivere & Deo servire. *Et postea*: » In veritate dico vobis, quod F. Joannes qui hîc » est, non multum coactus, non multum angariatus » venit ad perhibendum testimonium veritati theo- » logiæ, scilicet ad cathedram magistralem, non se » occultando vel absentando, sed spontanee & » liberrime accedendo. Sic etiam facerent multi si » vocarentur. Unde de ipso possumus exponere il- » lud quod scriptum est Cant. 4: *Ecce iste venit* » *saliens in montibus transiliens colles*: Unde dico » vobis quod immediate ad hoc ut posset ad hunc » statum venire, multos montes ascendit & descen- » dit faciliter & libenter, multos gradus & multos » passus fecit eundo & redeundo de scholis. *Et* » *postea*: Et certe bene habet certitudinem bacha- » larius iste de theologia, cui debet perhibere tes- » timonium in cathedra magistrali: quia longo tem- » pore non cessavit addiscere & inquirere hujusmo- » di veritatem. Rimatus est in profunda difficilium » scripturarum, ut intellectus posset attingere ve- » ritatem quam habet testificari, & de hoc possumus » exponere quod scriptum est, *Joannes venit ut tes-* » *timonium perhiberet veritati*. Ad hoc enim venit » Frater Joannes ad dignitatem cathedræ magistra- » lis, ut veritatem theologiæ & sacræ scripturæ præ- » dicet & doceat, & sincere finaliter contra hære- » ticos defendat &c ». Priusquam autem gradum hunc consequeretur, multis lucubrationibus eruditionem suam testatam fecerat, quæ sic recensentur a nostris Laurentio Pignon & Ludovico a Valleoleti: *F. Joannes Parisius magister in theologia*, inquit primus n. 34 *scripsit*

(a) du Fouarre.

(b) id est adolescens 20 fortè annorum.

1. *Super primum sententiarum.*

2. *Item super omnes libros lecturam.* Sic etiam Valleoletanus n. 28, & recenset Bunderius in suo catalogo fol. 386 e, cum multis ejusdem tractatibus ut videtur saltem quibusdam sequentium. Vidit & Dresserus in Bibl. Germaniæ.

3. *Item Quodlibeta.* Sic Valleoletanus. In Bibl. Victor. cod. MS 1171 fol. memb. extat primum in ordine *Quodlibetum Johannis Parisiensis*, quod nostri censeo, cùm pleraque cætera sint nostrorum Hervæi Natalis & Durandi a S. Portiano ejusdem circiter ætatis. Pr. *Secundùm ordinem rerum in nostro quolibet &c.* sunt QQ. 10: implet foliola 4.

4. *Item contra corruptorem sancti Thomæ.* Hoc opus MS habebat Dresserus teste Simlero, qui utinam saltem principium addidisset, ut ejus discrimen ab aliis similibus, nam plura sunt ejusdem tituli, agnosceretur.

5. *Item librum meteororum* vel *metaphysicorum*. Nam hæc vox compendio scripta vix divinari potest. Alii tamen vulgo primo modo legunt.

6. *Item de Iride.*

7. *Item de unitate formæ.* Sic Valleoletanus. Quæstio erat illis temporibus magno æstu disputata.

8. *Item contra Henricum de Gandavo.* Sic Valleoletanus.

9. *Item de unitate esse & essentiæ in Trinitate.* Habebat MS Dresserus teste Simlero, verbo *Joannes Pysiensis* (corrupte pro *Parisiensis*.)

10. *Item de Christo & antichristo.* Extat Parisiis in Bibliotheca Sangermanea a Pratis cod. MS 602 memb. in 4 hoc titulo: *Opus F. Joannis de Paris dicti* Quidort *de adventu Christi secundùm carnem*. Quem titulum fateor manu antiqua quidem, sed secunda scriptum, sed hic est prima manu: *Fratris J. de Paris dicti.* » Quoniam occasione cu- »

» jusdam sermonis, quem ad clerum feceram de adventu D. N. Jesu Christi ut dicitis, me rogavit vestra dilectio, ut de libris gentilium testimonia colligerem de Christo, & ejus sacrosancta nativitate de virgine & secta ejus, per quæ increduli qui auctoritatem Christi aut evangeliorum, aut etiam sacræ scripturæ generaliter non recipiunt, disponantur facilius ad veritatem fidei suscipiendam & firmiter retinendam & etiam approbandam, vestræ devotioni licèt in aliis occupatus respondere vobis in hunc modum decrevi : primo præmittens testimonia gentilium, seu dicta ex quibus potest argui nostræ legis & veritatis de Christo approbatio : 2 subjungens testimonia gentilium magis expressa &c«. Opella non habet nisi 9 foliola. Finis : *Quidquid autem in prædictis vel imperfecte dictum est vel obscure, volo semper ad fidei regulam sic reduci, ut a veritate catholica non discordet. Explicit.*

Sequitur immediate.

Incipit tractatus de antichristo anno Domini MCCC *editus ab eodem. Transibunt plurimi & multiplex erit scientia. Dan.* 12. » Quamvis Dominus dicat Act. 1. Non èst vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, quia scilicet nobis non est cognoscibile : tamen qui virtute supervenientis Sancti Spiritus acceperunt prophetare, & intelligere potuerunt quæ Filius eis voluit revelare, quæ plene de ultimis temporibus, vel non determinant numerum annorum vel dierum, sed substantiam rei gerendæ : vel si determinant numerum, prophetiæ sunt obscuræ, nec sunt ab omnibus intellectæ, secundùm testimonium angeli Danieli revelationem facientis : Transibunt plurimi, & multiplex erit scientia, id est e Christo. Et quamvis sermones sint clausi & signati usque ad tempus præfinitum, tamen ibidem subjungitur, quod docti intelligent : & ideo licèt non sim propheta nec filius prophetæ, tamen sub brevitate volo testimonia eorum hîc ponere, qui prophetiæ dicuntur spiritum accepisse, & recolligere etiam humanas conjecturas de futuro tempore antichristi & fine mundi sine assertione, & sine singularis diei vel horæ vel anni præcisa determinatione «.

Habet opella 15 foliola. Finis : *Quibus & hoc adjungitur, quod quidam in expositione tabulæ Bedæ asserit Bedam in libris suis dixisse, quod tabula Dionysii abbatis ultra tres vices non perficeretur. Tantum de tertia vice non remanent ab anno præsenti, qui est ab incarnatione* MCCC, *nisi ducenti* 48 *ut patet consideranti. Explicit tractatus de antichristo editus a Fratre Johanne de Paris ordinis Fratrum Prædicatorum anno Domini* MCCC. Extat horum tractatuum primus Oxonii in Anglia in collegio Lincoln. in catal. MS Angliæ recensitus T. I P. II n. 1337 hoc titulo : *Determinatio F. Joannis Parisiensis de secta Christiana per testimonium gentilium.* Eodem codice sequitur

Determinatio ejusdem de confessionibus Fratrum. Quem tractatum prælo edi esset in votis.

Cum operibus Joachimi Abbatis ac Thelesphori de Cusentia editis Venetiis 1516 in 4 simul prodiit *Tractatus de antichristo Joannis Parisiensis*, teste Alva citato.

11. *Tractatus de potestate regia & papali. Interdum contingit, quod vitare volens aliquem errorem delabitur in errorem contrarium &c.* Prodiit unà cum aliis ejusdem argumenti tractatibus F. Joanni Cleree nostro regio tum confessario postea magistro ordinis nuncupatis, Parisiis, Joan. Parvi & Barbier 1506 in 4. Extat verò Parisiis MS variis in Bibliothecis. In Sangerman. laudata cod. 294 memb. fol. Ad cujus calcem sic legitur : *Explicit tractatus de potestate regia & papali a magistro Johanne de Parisius de ordine Prædicatorum in theologia doctore tempore Bonifacii papæ VIII & Philippi regis Franciæ compositus.* In Victor. cod. 44 fol. memb. Ibidem cod. 231 & 331 & 1083 fol. memb. In hoc ultimo titulus : *Incipit tractatus Joannis de Parisius aliter Surdi de jurisdictionibus.* Ad calcem : *Explicit tractatus Joannis de Parisius aliàs le Sourd de potestate papali & regali de ordine Prædicatorum.* Hinc videtur de Soardis a quibusdam nuncupatus, inter alios ab Altamura ad 1277. Extat etiam in Colbert. cod. 3849.

12. *Sermones.* Quorum aliqui elegantes & integri extant in Bibl. Colbert. cod. 3725 fol. memb. inter plures concionatorum ejus ætatis, quorum plerique ordinis Prædicatorum. Sermones autem videntur dicti circa 1300. Hi vero titulum præferunt *F. Joannis de Parisius ord. Prædic.* Fol. 160 : *Dom. 2 in Quadrag. De Chananæa*, juxta ritum Ecclesiæ Paris. & nostrum aliàs. Pr. *Domine adjuva me.* Implet coll. 10. *Dom. 3 in* XL. *Collatio*, fol. 166. Pr. *Ut filii lucis ambulate.* Implet coll. 7. *Dom. in octava paschæ* fol. 194. Pr. *Stetit Jesus in medio.* Cum collatione, quæ de more fiebat eodem die implet. coll. 19. *Domin. 2 post Trinit.* fol. 236. Dicitur *Sermo valde bonus.* Pr. *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Cum collatione implet coll. 22. Item *de annunciatione* fol. 277. Pr. *Ave gratia plena.* Sermo eruditus & elegans cum collatione implet coll. 22. Nec dubium quin plures alios ediderit jam vel deperditos, vel alicubi latentes. Codex hic melioris notæ & accurate scriptus.

13. *Determinatio F. Joannis de Parisius Prædicatoris de modo existendi corpus Christi in sacramento altaris, alio quam sit ille quem tenet Ecclesia.* Extat cod. MS Victor. jam citato 428, ubi ejusdem commendatio in suis vesperiis. Ex quo codice typis editus fuit Londini J. Cailloué, 1686. in 8. Quæ opella turbas ingentes suo auctori excitavit, de quibus sic anonymus, qui Guillelmo Nangio succenturiavit. » Anno MCCCIV Joannes de Parisius ordinis Prædicatorum magister in theologia vir admodum literatus & ingenio clarus circa veram existentiam corporis Christi in sacramento altaris novum ponendi modum introducere conatus est, dicens videlicet non tantum hoc esse possibile commutatione substantiæ panis in corpus Christi &c. verum etiam hoc esse possibile per assumptionem substantiæ panis vel paneitatis in Christo, nec credebat primum modum ponendi, quem communis doctorum opinio tenet, esse ita necessario tenendum seu ab Ecclesia determinatum, quin etiam secundus possit teneri tanquam popularis, & fortassis ut dicebat magis rationabilis & congruus veritati sacramenti, & per quem magis salvatur apparentia circa species sensibiles remanentes. Cæteris doctoribus contrarium astruentibus, primum modum ab Ecclesia determinatum præsertim per decretalem papæ *De Summa Trinitate & Fide catholica : Firmiter credimus*, necessario tenendum, & secundum tanquam veritati fidei & etiam sacramenti dissonum merito reprobandum. Examinata itaque opinione prædicta, dum ea quæ dixerat retractare nollet, sed magis videretur pertinaciter sustinere a Guillelmo Parisius episcopo de consilio Fratris Ægidii Bituricensis archiepiscopi provecti theologi, ac magistri Bertrandi de S. Dionysio præcellentis doctoris & Aurelianensis episcopi, & Guillelmi Ambianensis episcopi, nec non & doctorum in jure canonico pariter & Dominorum ad hoc specialiter vocatorum, perpetuum super hoc silentium dicto Fratri sub pœna excommunicationis impositum, a lecturaque«

» pariter & prædicatione privatur. Verùm cùm ob » hoc ad sedem apostolicam appellasset, auditori» bus sibi datis in curia, sed infecto negotio de me» dio sublatus est «. Sic auctor additionum ad Nangium, sed ipse Joannes quid senserit rectius & certius explicat initio sui tractatus : *Intendo defendere veram existentiam & realem corporis Christi in sacramento altaris, & quod non est ibi solum sicut in signo. Et licèt teneam & approbem illam solemnem opinionem, quod corpus Christi est in sacramento altaris per conversionem substantiæ panis in corpus Christi, & quod ibi maneant accidentia sine subjecto, non tamen audeo dicere, quod hoc cadat sub fide, sed potest aliter salvari vera & realis existentia corporis Christi in sacramento altaris. Protestor tamen quod si ostendatur dictum modum determinatum esse per sacrum canonem aut per Ecclesiam, aut per generale concilium, aut per papam, qui virtute continet totam Ecclesiam, quidquid dicam nolo haberi pro dicto, & statim paratus sum revocare. Quod si non sit determinatum, contingat tamen ipsum determinari, statim paratus sum assentiri. Probabiliter tamen potest aliter salvari vera & realis existentia corporis Christi in sacramento altaris, & si quis alium modum inveniat, paratus sum juvare ipsum ad sustinendum eum, ut sic fides nostra de vera existentia corporis Christi in sacramento altaris possit pluribus modis salvari & defendi.* Ex quibus tria hæc colliget lector 1 Joannem nostrum certam tenuisse communem catholicorum de transubstantiatione sententiam & in ea vixisse. 2. Possibilem sibi tantum visum alium modum salvandæ veræ & realis Christi præsentiæ in sacramento, scilicet per assumtionem substantiæ panis & vini in suppositum verbi. 3. Non sibi eo usque sat clare visam transubstantiationem de fide definitam, ubi vero sibi ostenderetur, vel ubi a summo pontifice, quem virtute totam Ecclesiam continere agnoscit, declararetur & definiretur, paratum esse continuo assentiri. Quæ sane ipsum omnis hæreseos & pertinaciæ suspicionis luculenter absolvunt. Non omittendum quod in codice relato ad calcem hujus tractatus eadem manu additur : *In præsentia collegii magistrorum in theologia dictum est utrumque modum ponendi corpus Christi esse in altari tenet pro opinione probabili, & approbat utrumque per . . . . & per dicta Sanctorum. Dicit tamen quod nullus est determinatus per Ecclesiam, & ideo nullus cadit sub fide, & si aliter dixisset, minus bene dixisset, & qui aliter dicunt, minus bene dicunt : & qui determinate assereret alterum præcise cadere sub fide, incurreret sententiam canonis vel anathematis.*

Hac fortè confisus Joannes sacræ theologiæ magistrorum Parisiensium declaratione, summum pontificem Clementem V appellavit Burdegalæ agentem, at dum ab eo causæ definitionem expectat, ibidem 22 sept. MCCCVI diem obiit. Sic enim refert Bernardus Guidonis citatus, quique ipsum pontificem Lemovicis transeuntem 24 aprilis ejus anni hospitio exceperat in domo nostra cujus tum erat prior. *Hic* Joannes Parisiensis, inquit, *obiit in curia Romana Burdegalis, ubi diffinitivam sententiam expectabat, anno Domini* MCCCVI *in festo S. Mauritii.* Sicque mota lis cum ejus vita finem accepit, de qua post Lateranensis IV, & Tridentini conciliorum determinationem nec erat, nec est jam licitum disputare. Ex quo Bullæus erroris aperte revincitur, qui *T. IV Hist. Univer. Paris.* ad annum 1323 Joanni huic nostro tractatum tribuit *De verbo impanato ad Guidonem Perpinianum Carmelitam inquisitorem, postea episcopum Majoricensem & Elnensem*, ibidemque 21 august. MCCCXXX fato functum, quod Joanni nostro non convenit jam ab anno 1306 mortuo.

Ejus meminerunt præter laudatos Leander Albertus fol. 138 a, ubi opera superius relata fere omnia numerat, Lusitanus sed perperam in duos dividens alterum ad 1294 pag. 134, alterum ad 1300 pag. 136, quod tamen exceperunt sui sequaces, & tandem Altamura corruptius, qui unum ad 1277 cum operibus superius recensitis & *de Soardis* etiam dictum, alterum ad 1325 sine scriptis refert. De isto an de superiore *Pungensasinum* dicto loquantur Tritemius & Eisengrenius ad annum 1280 vix dici potest, cùm ei non tribuant nisi commentarium in sententias, quod uterque scripserunt suum. Possevinus paulo rectius. Bellarminus & Labbeus leviter, iste potissimum cùm *Pungensasinum* confundens ex Spondano allucinato. Caveus ad 1290 paulo rectius, ut & Dupinius suo seculo XIV.

Apud Simlerum recensetur quidam *Joannes Pysiensis* ordinis Prædicatorum, cui hæc tribuuntur opera, *Lectura super omnes libros sententiarum*, 2. *Contra corruptorium B. Thomæ.* 3. *De transubstantiatione panis & vini in sacramento.* 4. *De unitate esse & essentiæ in creaturis* (fortè leg. in *creatore.*] 5. *De adventu antichristi.* Ex indice M. Dresseri, nempe codd. MSS quos hic viderat in bibliothecis Germaniæ vel etiam in suum museum collegerat. Cùm autem hæc eadem sint opera nostri Joannis Parisiensis, patet erratum esse vel Simleri vel Dresseri, quorum alteruter inveniens hanc vocem (*Parisiensis*) de more compendio scriptam *Pisiensis* non attendens ad notam abbreviationis supra *P* positam in MSS legit *Pisiensis* pro *Parisiensis*, quod proclive. Errantem tamen excepit totidem verbis Possevinus, quem nostri incauti secuti sunt Fernandez inter Germanos collocans, & Fontana errorem errori addens, dum revocat ad 1430 in *Monum.* cùm Possevinus ab ipso citatus nullum annum indicet. Similis allucinatio est apud eumdem Fontanam in *Prov. sua Roman.* ubi Lucarinum excipiens quemdam *Joannem Pistoriensem* scriptorem laudat ad 1295, & excipit Altamura ad 1295 *Pistoriensem I* dicens, cui cùm eadem ascribant opera quæ vere sunt nostri Joannis, clarum est erratum esse in agnomine & scriptum *Pistoriensis* pro *Parisiensis*.

AUCTOR operis cui titulus, CORRECTORIUM *corruptorii S. Thomæ de Aquino.*

NULLI non notum est F. Guilielmum de Mara Anglum ordinis Minorum S. T. magistrum Oxoniensem sub finem seculi XIII clarum, æmulum fuisse doctrinæ S. Thomæ acerrimum, ac ubi primum sancti doctoris Summam theologiæ vidit, calamum in eam acuisse, librumque edidisse hoc titulo *Correctorium Fratris Thomæ de Aquino*, sic enim nuncupabant, cùm nondum esset Sanctorum albo inscriptus. Sed non defuerunt ejusdem sancti fidi & præstantes discipuli, qui præceptoris sui doctrinam strenue & acriter propugnarunt. Inter plura verò quæ adversus hunc Franciscanum edita sunt opera, celebre est in primis cui titulus *Correctorium corruptorii F. Thomæ de Aquino*, ac cujus hoc est initium :

Quare detraxistis sermonibus veritatis, cùm ex vobis nullus sit, qui possit me arguere ? Job VI. *Quæstio proposita optime in persona F. Thomæ de Aquino doctoris eximii cujus doctrina fulget Ecclesia, proponi potest quibusdam, qui ejus doctrinam imo veritatem quam docuit Parisius sermonibus veritate plenis & spiritu veritatis instigante conscriptis detrahentes, depravare nituntur : & hoc ex eorumdem sententia de verbo ad verbum per singulos articulos digesta, & consequenter ex dictis ejusdem doctoris venerabilis terminata Deo adjuvante patebit.*

Hoc opus Venetiis Octaviani Scoti typis anno 1516 fol. par. prodiit sub nomine F. Ægidii de Columna Romani Eremitæ Augustiniani archiepiscopi Bituricensis theologi Parisiensis anno MCCCXVI defuncti, sed ejus non esse jam plerisque eruditis fere certum est, nec desunt argumenta quibus id evincitur. Primo enim ejus doctrinæ non convenit, ceu qui in multis a S. Thoma dissentiat; quod in causa fuit, ut plures ex nostris ejusdem ætatis eum impugnarint, inter quos Robertus Orphordius Anglus qui circa MCCXCII floruit. 2. Nullus veterum hoc opus inter genuina Ægidii recenset: certe Joannes canonicus Victorinus in Memoriali historiarum ad annum MCCXCIV de eo agens simul ac semel ejusque mortem referens sic ejus opera numerat: *Scripsit super primum sententiarum. Postillas super epistolam Pauli ad Romanos. Super 1 & 2 ad Corinthios. Tractatus plures de corpore Christi: de prædestinatione: de articulis fidei: de paradiso & inferno: de laudibus divinæ sapientiæ: de peccato originali: de formatione corporis humani: de esse & essentia: contra gradus formarum: de arcu & chorda: de differentia politicæ, ethicæ & rhetoricæ: scripta plura super libros physicorum, de anima, de generatione, de causis, de bona fortuna, elenchorum, posteriorum, rhetoricorum, de intellectu possibili: de regimine principum ad regem Francorum: expositionem decretalis* Firmiter credimus: *quæstiones de sex quolibet: quæstiones de cognitione angelorum, de resurrectione mortuorum, de materia cœli, quæstiones super metaphysicam.* Sic Joannes Victorinus totidem verbis, nec quid amplius, in his verò nulla operis de quo agitur memoria. Ne quis autem dicat non omnia Ægidii opera a Victorino recensita, juxta sapiens Labbei monitum in sua Dissert. de script. Eccles. ubi de Ægidio T. I p. 14, tum auctores æquales tum codd. MSS veteres consulamus: certe editores Veneti nullum scriptorem ejus ætatis nullum codicem MS antiquum proferunt, cujus auctoritate ducti hoc opus Ægidio inscripserint. Nullum vidit Labbeus, nullus mihi occurrit, etsi plures in manus meas inciderint. In Bibl. quidem Victor. cod. 49 fol. med. papyr. sec. XV ineuntis extat hoc titulo: *Correctorium corruptorii Thomæ ab Ægidio de Roma incipiens, Quare detraxistis.* Sed ad oculum patet nomen alterius auctoris aliâs prima manu inscriptum fuisse, quo eraso secunda manus super litura scripsit has voces, *ab Ægidio de Roma*: quod fortè centum annis post codicem scriptum quis ausus fuerit, post visam nempe editionem Venetam anni 1516 laudatam, in qua Ægidio asseritur. Est & alius codex MS in eadem Victor. n. 695 fol. par. pergam. antiquior sec. XIV sed absque nomine auctoris. In Augustin. ad pontem novum operum Ægidii feracissima nullus est hujus operis codex MS.

Longe probabilius itaque uni nostrorum hoc opus ab eruditis vindicatur, sed quis ille non ita facile dictu, cùm plures ejusmodi opera ediderint. Ludovicus a Valleoleti in sua Tabula scriptorum ordinis, ubi de Durandello de quo nos postea ad annum 1382, postquam isti opus pro Aquinatis doctrina cujus principium, *Sedens adversus Fratrem tuum loquebaris* &c. asseruit, sic addit: *Aliud autem opus quod vocatur correctorium corruptorii, & incipit, Quare detraxistis sermonibus veritatis &c. Fecit Hervæus secundùm aliquos, secundùm alios Joannes de Tortocollo, in quo respondetur cuidam impugnanti aliqua dicta B. Thomæ.* Etsi vero nihil certi astruat Valleoletanus, ostendit saltem usque ad annum MCCCCXIII, quo hæc Parisiis scribebat, hoc opus Ægidio de Roma a nemine assertum fuisse, sed alicui nostratium constanter ascriptum.

Alter est F. Ricardus Clapoel vel Clapwelle Anglus de quo nos supra ad annum 1290, qui scripsisse fertur *contra corruptorium F. Thomæ de Aquino*: sic habent Laurentius Pignon, Leander Albertus & sequaces. Ei verò hoc opus sequentia documenta videntur asserere. In Bibl. gymnasii nostri Sanjacob. Paris. est insignis codex hujus operis fol. mag. pergam. Ad finem vero sic legitur: *Explicit correptorium Anglici contra dicta adversariorum Fratris Thomæ de Aquino, & est* (nempe codex) *Fratris Jacobi de Capella, post cujus mortem redeat ad conventum Parisiensem, nam habuit a Fratre Johanne de sancto Laurentio bonæ memoriæ.* Unde colligo istum Joannem de S. Laurentio conventus Parisiensis alumnum fuisse, qua ratione omnia quæ ad usum ejus fuerant, ad domum Parisiensem redire debebant: cujus si annus obitus sciretur, & ætas codicis certo haberetur: etsi autem nulla hujus supersit memoria, codicem seculi XIV ineuntis censeo. Ejusdem fol. post finem verso sic etiamnum legitur charactere tamen ex vetustate fere detrito: *Istum librum habeo a F. Stephano Buleti librario conventus Parisiensis Frater Lupus bachalarius in conventu Parisiensi, at conventus Lucensis nationis Galliciæ.* Et infra: *Emendatorium corruptorii, & est cujusdam Anglici respondentis prout ipse scivit & potuit ad ea quæ contra dicta solida S. Thomæ quidam perversæ mentis impugnare nisi sunt. Iste liber est ordinis Prædicatorum, & pertinet ad parvam librariam, quæ est in magna libraria. Frater Lupus de Fontepario bachalarius Parisiensis.* Neque horum Stephani & Lupi alia mihi in actis memoria. Scio solum duplicem fuisse in dicto gymnasio Sanjacobeo librariam parvam & magnam longe ante MCCCCXX, nam eo anno ratione utriusque reparandæ quosdam codices MS, inter alios scriptum S. Thomæ in quartum Sententiarum, & ejusdem Summam contra gentiles de consensu magistrorum & bachalariorum studii F. Martinus Billorini magister ipse & prior vendidit religioso viro Fratri Johanni Lamasse priori Victorino, ut in iisdem codd. etiamnum in Victor. exstantibus nn. 629 & 631 initio & ad finem legitur, *teste signeto meo manuali* inquit idem Billorini signatus.

Hæc confirmari possunt ex codice a Tomasino laudato in suis Bibl. Venetis ad S. Antonium Pl. XVIII, cujus hic titulus: *Correctorium F. Guillelmi de Mera ord. Minor. secundùm dicta F. Thomæ de Aquino contra correctorium F. Joh. de Crapuel ord. Prædic. fol. memb.* Ex quo habetur revera nostrum Clapuellum seu Johannes seu Richardus dictus fuerit, adversus Guilielmi opus supra relatum in S. Thomam correctorium scripsisse, sed Minoritam non siluisse & altero correctorio in Clapuellum insurrexisse.

Est tamen & tertius noster cui & veteres scriptorum nomenclatores & quidam codices MS vindicant, nimirum F. Joannes Parisiensis II *de Soardis* a quibusdam, ab aliis *Quidort* dictus, de quo nos ad annum 1306. Sic enim de eo Laurentius Pignon n. 34: *F. Joannes de Parisius scripsit &c. Item contra corruptorem sancti Thomæ.* Excipiunt Leander Albertus fol. 138 a. Joannes Picus Mirandulanus quæst. 1 apolog. & sequaces. Extat etiam in gymnasio Sanjacobeo Paris. codex fol. par. memb. sec. XIV. Pr. *Quare detraxistis sermonibus veritatis &c.* ut in edit. Veneta. Finis: *Licèt diversis viis habet ordo uterque.* & continenter: *Incipiunt tituli articulorum primæ & secundæ partis B. Thomæ de ordine Prædicatorum, contra quos objecerunt multipliciter, & objectionum solutiones per Fratrem Johannem Parisiensem magistrum.* Hæc eadem prima manu. Hic autem codex, licèt sec. XIV scriptus est post canonizationem sancti doctoris, & præter-

SÆC. XIV. ea non habet nisi quæ pro defensione articulorum primæ partis, primæ secundæ, & secundæ secundæ scripsit auctor: desunt verò quæ pro quæstionibus disputatis idem scripserat, & extant in codice superius laudato. Præterea teste Alva in Sol. Verit. col. 1548 Bunderius noster in suo codd. MS indice hoc opus a se inventum ait sub nomine *Joh. Parisiensis.* Simlerus ubi de *Joanne Pysiensi* (corrupte sic scripto *pro* Parisiensi) *ord. Prædic.* ejus opus contra corruptorium B. Thomæ MS cum aliis quæ communiter eidem Parisiensi tribuuntur, *super quatuor sententiarum libros: de transubstantiatione panis & vini in sacramento: de unitate esse & essentia in creaturis: de adventu antichristi* itidem MS apud Matthæum Dresserum extitisse refert. Theophilus Rainaudus & ipse Erotemate X n. 184 & Ægidio abrogat, & Parisiensi fere vindicat.

Hactenus dicta, ut tandem concludam, evincunt nullum veterum ante editionem Venetam anni 1516 hoc opus Ægidio Romano tribuisse: nullis codd. MSS ei asseri: traditionem antiquam gymnasii Sanjacobei Parisien. esse lucubrationem hanc ab uno ex nostris prodiisse: cujus verò sit an Clapwelli Angli, an Joannis Parisien. II non ita certo posse astrui, sed majori adhuc inquisitione indigere. Præter codd. MSS citatos extat adhuc codex MS hujus correctorii in Sorbona n. 274 fol. med. chart. sed absque nomine auctoris. Præter editionem Venetam anni 1516 laudatam, quæ extat apud nostros Parisienses ad S. Honorati; aliæ laudantur a Caveo Venetiis 1501 quam non vidi. Altera Coloniæ Agrip. accurante F. Gualtero Henrico Strevesdorff ord. Erem. Augustin. typis Jor. Wulfraht 1624 in 8, & recentior Neapoli. Franc. de Thoma 1644 in 4. Hæ duæ posteriores extant Parif. in Teller. nunc Genovef.

F. MARCUS DE NEAPOLI.

* 1306. F. MARCUS DE NEAPOLI provinciæ Regni Siciliæ & domus regiæ S. Dominici dictæ civitatis alumnus, sacræ theologiæ magister & cathedræ theologicæ in Gymnasio publico moderator & professor, laudatur in *consult.* 2, 1563 *n.* 4 *fol.* 19 *nel grande archivio della regia camera:* ubi fit mentio privilegii regis Caroli II annorum MCCCII, & MCCCVI de concessione cœnobiis tribus S. Dominici, S. Laurentii & S. Augustini facta *delle intrate sopra la Terzeria del ferro.* Sic Toppius Bibl. Napol. pag. 302: ubi diligentiorem hujus insignis viri a suis Symmystis inquisitionem de ejus gestis & scriptis exoptat: cujus si votis respondeant, & nostra implebunt.

F. RAMBERTUS DE BONONIA.

* 1308. F. RAMBERTUS DE BONONIA ex nobili Primaditiorum gente satus, inquit Leander Albertus fol. 120 a, vir, addit idem, ingentis litteraturæ ingentisque spiritus, lauream magisterii consecutus est inter MCCLXXX & XC in sacra facultate Parisiensi, de quo sic habet Bernardus Guidonis inter magistros n. 44: *F. Rambertus Bononiensis postmodum factus episcopus Venetiarum Castellanus per Bonifacium papam VIII anno Dñi* MCCCII. *Hic obiit Venetiis anno Dñi* MCCCVIII *paulo ante festum S. Martini sepultus in conventu Fratrum, nempe SS. Joan. & Pauli in templo*, ut addit Leander citatus. Ejus meminit Ughellus dicens agnomine *Polum*, & episcopum promotum X Kal. martii MCCCIII, quod convenit, nam Bernardus utitur stylo veteri Gallico: sed cùm idem Ughellus addit mortuum tantum anno MCCCXI, emendandus ex Bernardo æquali, qui non semel tantum, sed & iterum inter episcopos repetit obiisse anno MCCCVIII. A Lusitano corrupte dicitur *Kambertus*, nec magis recte refertur ad 1314, at corruptius ab Altamura dicitur Lambertus & ad 1315 collocatur. Lusitanus ei ascribit

Apologeticum contra corruptorium S. Thomæ pro illius doctrina defensione. Ex Taegio I. P. Mon. Ord.

In Bib. Medic. Florentiæ Plut. XXVI n. 17 cod. MS memb. extat

Speculum exemplare magistri Rainaldi (fortè *Ramberti*, ut in fine alia manu notatum est) *Bononiensis ordinis FF. Prædicatorum.* Pr. *Ut facilius occurrant.* Finis: *Orationibus liberatum ad laudem &c.* Sic in catal. ejus Bibl. a D. Monfaucon communicato.

F. OLIVERIUS DACUS.

F. OLIVERIUS DACUS sic a provincia ordinis Daciæ vulgo dicta nuncupatus, vir fuit apud suos, & in ordine universo nominatus, qui dictam Daciæ provinciam diutius rexit, prima vice electus anno MCCLXXXII, quo titulo comitiis generalibus affuit Burdigalæ MCCLXXXVII, & Ferrariæ MCCXC, innocentiæque ac sapientiæ magistri ordinis Munionis in suo regimine testimonium præstitit, & ab ejus depositione tum auctoritate Nicolai IV attentata cum cæteris provincialibus appellavit. Exinde in sequentibus ordinis Palentiæ MCCXCI ab officio amotus fuerat, sed eodem anno in capitulo suæ provinciæ ad idem munus assumtus eo functus est ad annum MCCCII, quo tandem in actis cap. gen. Bononiæ exonerari meruit, vixit postea sex circiter annis, obiitque plenus dierum & bonorum operum in domo nostra Nestwethensi in regno Daniæ, cujus forsan alumnus erat, ibidemque fuit sepultus anno MCCCVIII. Quæ omnia ex Bernardo Guidonis & ex actis capp. genn. Ejus meminit Laurentius Pignon n. 100. *F. Oliverius* inquit *provincia Daciæ provincialis scripsit* * 1308.

Lecturam super Lucam

Item sermones de tempore.

F. RICOLDUS DE MONTECRUCIS.

F. RICOLDUS aliis *Riculdus* vel etiam *Ricardus* DE MONTECRUCIS Etruscus Florentinus domus S. Mariæ Novellæ alumnus, vir doctrina, ac pietate clarus, sed studio fidei propagandæ ardentissimo incensus, sub finem seculi XIII & initia sequentis floruit. Jussu summi pontificis in Asiam cùm se contulisset, infidelium in illis regionibus Orientalibus degentium terras vastissimas peragravit, ubique divini verbi præconem apostolici plane pectoris se exhibens, ac innumeris pro religione exantlatis laboribus, gravissimisque apud Mahumetanos persecutionibus perpessis illustris. Sed præclara ejus gesta ex ejus operibus quorum l iqua supersunt certius cognoscentur. Hæc verò sunt: † 1309.

Itinerarium peregrinationis F. Riculdi ord. FF. Prædicatorum.

Latine mihi non occurrit, sed Gallice a F. Joanne *Lelong* Iprensi S. Bertini Audomarisani monacho anno MCCCLI redditum vidi Parisiis in Regia cod. 8389 aliâs XLII a Labbeo in Spec. antiq. lect. p. 309 recensito, qui codex fol. max. pellibus vitulinis elegantibus constat, & figuris auro minioque distinctis, quæ regiones & urbes quas in Asia Ricoldus percurrit repræsentant, ubique ad quodque caput ornatur ac micat. Opus Ricoldi sextum est

est eo codice contentorum. Titulus interpretis fol. 268 hic est : *Ci commence le itineraire de la peregrination & du voiage, que fit un bon preudhomme des Freres Precheurs, qui ot nom Frere Bi ul* (in superiori margine ubique legitur *Bicult*; sed erratum esse notarii evincitur ex fine operis, ubi scriptum est *Riculd*) *qui par le commant du saint pere ala outre mer pour precher aux mescreans la foi de Dieu : & sont en ce traitié par ordonnance contenu les roiaumes, païs, & provinces, les manieres des gens, les loix, les sectes, les creances, les heresies, & les merveilles, que li dis Freres trouva & vit és parties de Orient. Et fist ce livre en Latin, afin que ceux qui vouldront en ce pais aler pour la foi de Dieu essancier puissent par cest livre savoir quelle chose leur a mestier, & en quel lieu, & en quel manere ils pourroient prouffiter. Et fut cest livre translaté de Latin en François en l'an de grace* MCCCLI *fait & compilé par Frere Jehan Lelong d'Ipres moine de l'evuque de Teroanne.* Quæ stylo crassiori Gallico antiquo & servata interpretis ortographia antiqua exarata Latine sic reddas.

» Incipit religiosi viri ex ordine Prædicatorum Fratris Ricoldi, qui mandato summi pontificis in Asiam transfretavit evangelium infidelibus prædicaturus, itinerarium, in quo ex ordine referuntur regna, nationes, provinciæ, ritus gentium, leges, sectæ, opiniones, hæreses, & mirabilia quæ in Orientis regionibus vidit & expertus est. Quem librum Latine scripsit, ut qui ad fidem propagandam & exaltandam eo se conferre in animo habuerint, quid sibi opus sit norint, quibusve in locis, quave ratione fructum reportabunt.

Prologus a me Latine redditus sic incipit : » Cùm ego minimus ordinis Prædicatorum infinitam divini erga genus humanum amoris benignitatem sæpius olim mecum ipse tacitus animo revolverem &c. *& post plura* : Cùm præsertim quot aliàs itinera, quam longa, quot labores clericus adhuc secularis existens susceperam, ac libens exantlaram reminiscerer, solum ut artes liberales quas vocant, scientiasque philosophicas addiscerem : his sæpius & minutatim in corde versatis ac recogitatis, iter hoc Orientale mihi pro Christo aggrediendum duxi : mandatoque summi pontificis cum ejus benedictione accepto, obedientiaque magistri nostri Prædicatorum ordinis mihi data munitus, mare ascendi, & ad Aconem primum applicui &c. « In hoc verò itinerario describuntur Galilæa, Nazareth, Judæa, Bethlehem, Hierusalem, sanctum sepulcrum, Tripolis, Turcia, Turcomannia, Tartaria, Balcideis, Baldacum seu Babylon, Ninive, Jacobitæ, Maronitæ, Nestoriani, Saraceni &c plura.

Finis fol. 299. » Cætera Mahumeti gesta, vitam, mortem, doctrinam, & universa eum attinentia qui rescire voluerit, aliud opus jam antea a me editum consulat, nempe mox referendum«. Hic verò finis interpretis : *Explicit le itineraire de la peregrination Frere Riculd de l'ordre des Freres Précheurs, & sont en cest livre contenu par sobrieté les roiaumes & les gens, les provinces, les loix, les sectes, les heresies, les monstres & les merveilles, que ledit Freres trouva es parties d'Orient. Et fu cils livres translatez de Latin en François par Frere Jean de Ypre moine de S. Bertin en Saintomer en l'an* MCCCLI *accomplis.* » Explicit itinerarium peregrinationis F. Riculdi ordinis FF. Prædicatorum; in isto verò libro compendio narrantur regna, gentes, provinciæ, leges, sectæ, hæreses, monstra & mirabilia, quæ dictus Frater vidit in partibus Orientis. Quem librum e Latino Gallicum fecit F. Johannes de Ipris monachus S. Bertini Audomarisani, & anno MCCCLI complevit.

Similis codex recensetur in Bibl. Cotton. in Anglia Armario *Otho* inscripto, Tab. D. II cod. & idem est erratum quod supra in Regio *Bicult* pro *Riculd*. In indice ad calcem sic habetur : *Liber iste elegantissimis figuris illuminatus pertinebat ad D. Jaquettam Luxemburgicam ducissam Bedfordiæ, ut illa propria manu in fine libri testatur.*

2. *Confutatio Alcorani.* Extat in Colbert. cod. 2273 fol. memb. qui codex collectio est plurium ejus argumenti tractatuum. Extabat etiam Venetiis apud SS. Jo. & Paul. ex quo F. Marcus Antonius Serafinus Venetus baccalaureus ejusdem domus sodalis primigenio auctoris stylo prælo commisit Venetiis typis Dominici de Imbertis 1609 in 4 pagg. 63. Titulum indidit Editor : *Propugnaculum fidei toti Christianæ religioni adversum mendacia & deliramenta Saracenorum Alcorani præcipue maxime utile.* Pr. *Quot sunt dies servi tui* &c. Adjecta est huic editioni, *Panoplia catholicorum contra hereticos auctore Renato Benedicto Andegavo Doct. Paris.* Scipioni cardinali Burghesio nuncupavit Serafinus.

Hunc tractatum Demetrius Cydonius medio seculo XIV florens e Latino Græce reddidit : quæ versio extat Paris. in Reg. cod. 1836 fol. mag. charta Orient. Titulus

Ἀνατροπὴ κεφαλαιώδης τοῦ νόμου Μωάμετ ὑπὸ μὲν Ῥινάρδου (sic sed leg. *Ῥικάρδου*) *τινὸς ἐκτεθεῖσα λατινικῶς. Πόσαι εἰσὶν αἱ ἡμέραι τοῦ δούλου σου* &c. *Confutatio summaria legis Mahometi a quodam Ricardo Latine edita. Quot sunt dies servi tui &c.* Ad calcem sic legitur :

Χάρις σοι τῆς διανοήσεως ταύτης, ἄνθρωπε τοῦ Θεοῦ, ὅς τίς ποτε εἶ ὁ ταύτην συγγράψας. μεγάλην γὰρ ἔδειξας καὶ ἐν τῷ μυστηρίῳ τοῦ Χριστοῦ σύνεσιν ἔχων, κἂν τῇ διανοητικῇ δυνάμει οὐδενὸς δεύτερος ὤν. Ἄντικρυς γὰρ τὸν Δαβὶδ ἐμιμήσω, ὥσπερ τινα Γολιὰθ τὸν ἀλλόφυλον, καὶ ἐναγῆ Μαχούμετ τῷ ἰδίῳ ξίφει ἀνελών, (Sic in cod. sed videtur legendum *ἀπελαυνῶν* vel *διελαυνῶν*) *καὶ τοὺς αὐτοῦ λήρους τὰς κατὰ τοῦ μονογενοῦς τοῦ Θεοῦ φλυαρίας ἀνασκευάσας. ὃ μεγίστη τῆς ἐν τῷ διανοητικῇ περιουσίας ἀπόδειξις. Τοῦ μεταγλωττίσαντος σοφωτάτου Δημητρίου τοῦ Κυδωνίου ἀπνοῦν* (sic, sed leg. *ἁπλοῦν* ut spiritus gravis in cod. appositus indicat) *τοῦτο ὑπὲρ τοῦ συγγράμματος ἐγκώμιον τὸ πρὸς τὸν συγγραφέντα ἐκεῖνον Ῥικάρδον, φίλτρον διὰ πάντων ἐνδεικνυμένου.* Quæ sic interpretor : *Gratias tibi de hac tua lucubratione, o homo Dei, quisquis es qui eam scripsisti; te enim ostendis & mysterii Christi maxime peritum, & in disserendi facultate nemini secundum. Davidem enim tibi ob oculos proponens imitandum, scelestum Machometum ceu alterum Goliath spurium proprio suo ense confodis, ejusque de unigenito Dei filio ineptias ipsiusmet deliriis refellis : quod maximum summæ in arte cogitandi præstantiæ argumentum. Ricardo hujus operis scriptori plane verum hoc encomium accinebat interpres vir sapientissimus Demetrius Cydonius, philtrum quo captus est perpetua serie demonstrans.*

Cur *Riculdi* nomen in *Ricardi* mutaverit Demetrius, ignorare me fateor, nisi forsan sua ætate a quibusdam Ricardus nominatus fuerit. E Græco Demetrii Latine se reddidisse gloriatur Bartholomæus Picenus de Montearduo, & in nitidiorem cultum elegantioremque stylum, quam ab auctore primum prodierat transtulisse, quam translationem Ferdinando V Aragoniæ & utriusque Siciliæ regi nuncupavit, ac edidit Romæ typis Joan. Besicken, expensis Stephani Guillereti 1506 in 4. Quæ editio Paris. in Reg. D. 1554. Sed & prodiit pluries postea : Parisiis Henrici Stephani 1509 in 4 curante scilicet Jacobo Fabro, qui R. P. Guillelmo Parvi ord. Prædic. confessario regis Ludovici XII nuncupavit, quæ editio super pelles vitulinas impressa extat etiam in Reg. D. 1555 : chartacea verò eadem apud

Sec. XIV. nostros Rotomagi. Huic adjectus est *Libellus de moribus, conditionibus & nequitia Turcorum a quodam Christiano provincia Septemcastrensis diu in manibus Turcorum captivo editus.* Rursus hac eadem ratione Paris. Jodoci Badii & Fratrum de Marnef 1514 in 4. Postea ut ferunt Hispali 1520, & Romæ 1606 in 8, quæ ultima in Barberina. Prodiit etiam in collectione plurium operum similis argumenti curis Theodori Biliandri Basileæ 1543 fol. tum & suppressis loco & typographo 1550 fol. T. II a pag. 121 ad 184. Quæ duæ postremæ editiones ratione lucubrationum ab hæreticis scriptarum, prohibentur in Indice Rom. sed Ricardo nostro prorsus intacto. Editionem in qua versio Græca & Latina e regione utriusque exhibetur curis Joan. Oporini Basileæ 1550 laudant Simlerus & Caveus, sed hæc in manus meas non venit.

Etsi autem pure ex Græco se dare asserat Bartholomæus de Montearduo citatus, quin tamen codicem Latinum vel MS, vel impressum primigenio auctoris stylo ante oculos simul habuerit, vix mihi dubium est, adeo plura totidem verbis, uti ab auctore primum scripta fuerant, servavit. Imo utramque editionem una habendam certus pronuncio, cùm quædam sint stylo primo auctoris clarius explicata, quam in versione Bartholomæi.

In prologo sic de se loquitur auctor. » Ego igitur F. Ricoldus minimus in ordine Prædicatorum » de tanta condemnatione condolens, cogitavi vias » antiquas, & converti pedes meos in testimonia » Dei. Unde cùm transissem maria & deserta & » pervenissem ad famosissimam civitatem Saracenorum Valdacum (*nunc* Bagdet *dicitur*) ubi generale ipsorum & solemne habetur studium, ibi » pariter linguam & litteram Arabicam didici, & » legem eorum diligentissime relegens, & studiose » in scholis, & cum magistris ipsorum frequenter » conferens, magis ac magis per experientiam ap» prehendi perversitatem prædictæ legis, & cùm » incepissem in Latinum transferre, tot inveni fa» bulas, falsitates & blasphemias, & eadem per » omnia in locis creberrimis repetita, quod tunc » attædiatus dimisi. Et in attritione de prædictis » blasphemiis scripsi quasdam epistolas ad Ecclesiam » triumphantem per modum querelæ amaricati ani» mi &c. « Sic suo stylo humili Ricoldus, a quo parum distat interpolatus & elegantior Bartholomæi Piceni. Cæterum hinc habemus Ricoldum

Alcoranum non integrum ut putavit Pocciantius, sed ex parte tantum Latine reddidisse.

Epistolas ad Ecclesiam triumphantem in suspiriis amari animi scripsisse. Præterea ejusdem

Libellus ad nationes Orientales de discrimine inter Judæos, gentiles & Mahumetanos, servatus MS apud S. Mar. Novell. laudatur a Pocciantio. Pr. *Messis quidem multa.*

Christiana fidei confessio facta Saracenis pia & spiritum apostolicum redolens ex stylo aliisque circumstantiis ab editore censetur nostri Ricoldi vel Ricardi. Hæc prodiit in collectione superius laudata ad calcem confutationis legis Saracenorum a p. 184 ad 192.

Obiisse dicunt Florentiæ XXXI octob. MCCCIX. Sic Pocciantius forsan ex necrologio S. Mar. Nov. quem nempe ferunt ex Oriente a summo pontifice seu Benedicto XI seu Clemente V revocatum, qui quædam circa fidem illarum nationum dubia declararet. Insignis itaque fuit congregationis pro Christo peregrinantium sodalis, cujus præter citatos meminerunt Verlinus Addit. II ad Trithemium p. 485, Lusitanus, & nostrates sequaces: extranei Possevinus, Labbeus in Dissert. ad Bellarmin. ubi de Petro Cluniacensi. His omnibus antiquior Ludovicus a Valleoleti n. 58 ubi sic habet: *F. Richoldus fecit librum contra sectam & stultitiam Machometi improbando Alchoranum, & incipit*: Quot sunt dies &c.

F. Demetrius Richardi quidam ab Altamura ad 1515 nostris accensetur scriptoribus, sed auctor est pure fictitius ex duobus conflatus hîc modo laudatis, Ricardo seu Ricoldo Florentino & Demetrio Cydonio Græco viro illustri sed non ordinis Prædicatorum sodali: ex utriusque nomine Altamura suum *Demetrium Richardi* finxit, cui eadem opera tribuit, quæ sunt veri Demetrii Cydonii †

Versionem e Latino in Græcum libri contra Mahumetanos.

Item quorumdam S. Augustini tractatuum.

Item librum contra Palamam, sermones in pentecosten, epistolas, & dialogos. Hæc omnia Græce.

Quæ extant in Italia & Romæ præsertim inquit, sed addo ego & Parisiis & in Anglia, & Viennæ seu Vindobonæ in Cæsar. Sed opera omnia ab eruditis Demetrii Cydonii agnita.

F. REMIGIUS CLARUS.

F. Remigius Clarus ab aliis *Clari Hieronymei* agnominatus, sua ætate pro more *Florentinus* simpliciter a patria nuncupatus, domus S. Mariæ Novellæ alumnus, inter primi nominis theologos seculo XIII & sequenti habitus est. Parisiis in gymnasio Sanjacobeo sententias legebat in ordine ad lauream, cùm gravissimum illud Bonifacium VIII inter & Franciæ regem Philippum IV exarsit dissidium. Qua propter ab eo summo pontifice in sacram facultatem exasperato e studio Parisiensi ad aulam Romanam revocatus est Remigius, absque tamen ullo ejus agonum scholasticorum dispendio: nam quem noluit Parisiis promoveri Bonifacius, eum auctoritate apostolica Romæ magistrum inauguravit. Sic enim Bernardus Guidonis in catal. n. 48 vel 50 pro varietate codd. *F. Remigius Florentinus licentiatus per Bonifacium VIII anno Dñi* MCCCII. Procuratorem generalem ordinis apud Benedictum XI exinde egisse narrat Pocciantius ex Monum. Florent. quod & creditu facile: licèt enim a Fontana non recenseatur, magnus est apud eum hiatus inter Nicolaum de Prato qui hoc munere cessit anno MCCXCIX episcopus Spoletanus tum promotus & postea cardinalis, & Simonem Saltarelli qui in eo officio positus est a magistro ordinis Berengario de Landora anno MCCCXII tantum electo, quo medio tempore locum hunc annis quibusdam implere potuit Remigius. Anno MCCCIX obiisse Florentiæ, & apud suos sepultum narrat Pocciantius ex necrol. ut videtur S. Mar. Nov. Quod verò idem addit S. Thomæ de Aquino auditorem fuisse, mihi difficile probatur: si enim annos XLV ætatis ei tribuas, cùm Parisiis legeret sententias anno MCCC, neque enim plures concedas homini ad agones illos scholasticos exposito, vix XIX ætatis attigerat, cùm sanctus doctor obiit annis antea duobus Neapolim reversus. At doctrinæ ejus sectatorem eaque ratione discipulum facile intelligo. Hæc ejus opera MS apud S. Mar. Novel. servata. † 1309.

Quæstiones theologicæ per alphabetum. Pr. *Utrum angelus sit compositus ex materia & forma.*

De modis rerum, opus metaphysicum. Pr. *Omnis diversitas modorum.*

Quodlibeta septemdecim tractatibus distincta. Tit. primi: *De divisione scientiæ.* Pr. *Cùm cognitio habeatur de re.*

Sermonum duo magna volumina. I de tempore per annum. Pr. *Induamur arma lucis. Rom 13. II de sanctis.* Pr. de S. Andræa: *Domine qui habet sanctam scientiam.*

Hactenus Pocciantius, quem Possevinus & Altamura ad 1309 in Bibl. & Append. excipiunt. Sed ab iis omittitur

Quadragesimale MS charta in 4 charactere antiquo. Extabat anno MDCLXXXI mense augusto a me F. J. E. visum, cùm illac transirem, & quibusdam diebus apud S. M. Novel. morarer.

F. GUILLELMUS DE KAIOCO.

1309. F. GUILLELMUS DE KAIOCO vernacule *Cayeu* vico Picardiæ ad oram maris quinque circiter milliaribus a sancto Valerico dissito, unde ille ortus, sicque a patria nuncupatus, domus Ambianensis alumnus, vir fuit sua ætate non solum doctrina, sed pietate & gravitate morum apud suos clarus, hincque ad regimen sæpius assumtus. Anno MCCLXXXVI domus S. Jacobi Parisiensis prior jam agebat, eoque munere decem annis solidis functus est ad MCCXCVI, quo provinciæ Franciæ prior electus est. Sed Bernardus Guidonis audiendus: *F. Guillelmus de Caioco Picardus de conventu Ambianensi bis fuit prior provincialis: prima vice successit F. Oliverio, eratque tunc prior Parisiensis anno* MCCXCVI, *fuitque provincialis hac vice annis sex, & absolutus fuit a magistro ordinis F. Bernardo de Juzico post capitulum generale Bononiense anno* MCCCII: *pro secunda vice provincialis successit F. Raimundo de Marologio in capitulo provinciali Parisiensi* (post capitulum generale ibidem simul habitum) *ibidem immediate electus & confirmatus anno* MCCCVI, *& præfuit hac vice annis tribus, fuitque absolutus in capitulo generali Cæsaraugustano anno* MCCCIX. Eadem habet Laurentius Pignon in catal. provinc. Franciæ: cæterum inter sacræ theologiæ magistros non numeratur. Ejus meminit Lusitanus *de Raiotho* corrupte nuncupans, sed in Erratis monens legendum *Kaioto*: errorem tamen secutus est Altamura, etsi eum corrigere potuisset Fernandez agnomen ejus recte scribens: at omnes allucinati, cùm ad 1390 rejiciunt. Trithemius & Possevinus etiam recensent. Hæc ejus opera

Concionum variarum opus.

Summa casuum conscientiæ F. Joannis de Friburgo Lectoris vulgo dicti in compendium redacta.

Sic Trithemius penes quem fides, quæ mihi exinde nutare videtur quod licèt ambo Guillelmus & Joannes eadem ætate floruerint, Joannes tamen junior fuerit, & nonnisi postremis annis *Summam confessorum* ediderit.

F. AICARDUS.

1309. F. AICARDUS aliis *Aycardus* vel *Haycardus*, sic enim in antiquis ordinis monumentis varie scriptum legitur, nec minus varie a recentioribus *Eccardus*, *Eckardus*, *Ecchardus*, Saxo Parisiis in gymnasio Sanjacobeo sententias legebat publice pro forma ut aiunt & gradu magisterii, sed exorto tum graviori illo inter Bonifacium VIII & Philippum IV Franciæ regem dissidio, Aicardum ut supra dictum est de Remigio Florentino, Romam evocavit Bonifacius, & doctorem ipse inauguravit: sic enim a Bernardo Guidonis post Remigium laudatum recensetur *F. Haycardus Teutonicus licentiatus per Bonifacium VIII anno* MCCCII. Tanta verò tum in existimatione erat, ut divisa anno sequenti ob nimiam amplitudinem provincia Teutoniæ, & Saxonia ab ea distracta, & in novam provinciam erecta, Aicardus primus hujus novæ provinciæ prior electus fuerit, & in comitiis ordinis Tolosæ anno MCCCIV habitis ab Aimerico Placentino in iisdem magistro ordinis electo confirmatus. Eam verò tanta diligentia, eoque disciplinæ regularis studio rexit, ut in comitiis ordinis Argentinæ MCCCVII sic de eo statutum legatur: *Cùm multa digna examinatione & correctione audiverimus de provincia Bohemiæ, statuimus & ordinamus F. Aicardum provincialem Saxoniæ nostrum vicarium generalem in provincia Bohemiæ, dantes sibi plenariam potestatem tam in capite quam in membris in omnibus & singulis, etiamsi de iis oporteret facere mentionem specialem, ut ipse ordinet & disponat secundùm quod sibi videbitur expedire.* Verum ut præstantiora non sibi semper cavent ingenia, propositiones quædam sive in sermonibus sive in scriptis ad theologiam mysticam spectantes illi exciderunt, quas Joannes XXII constitutione data Avenione VI kal. april. pont. XIII id est anno MCCCXXIX reprobavit, at Aicardi honore sarto tecto, illum testante pontifice ante vitæ finem eas damnasse, nec expectata sententia revocasse, & tam se quam scripta & dicta omnia sedis apostolicæ censuræ submisisse. Hinc non blasphemi, non hæresiarchæ nota inurendus, quam illi quidam impingit recentior, nec præcipiti volubilitate, aut ad inanis gloriæ aucupium dogmata illa effutiisse arguendus: sed in eos errores sanctioris vitæ desiderio immodico ac non sobrio abreptus censendus. Quod & nostra ætate nonnullis primi etiam ordinis ecclesiasticis viris contigit, quorum tamen intacta mansit innocentia & fama, quod ejuratis opinionibus propriis Ecclesiæ judicio steterint indivulsi. Unde & post constitutionem Joannis XXII ubique promulgatam, nihil propterea de existimatione sua deperdidit Aicardus, passimque a viris illustribus suæ ætatis laudibus ornatus fuit, a B. M. Joanne Taulero, *insignis* ille *theologus magister Eckardus* dictus est, a Leandro Alberto fol. 138 b, *moribus & scientia probatissimus*, a Gerardo ab Hamont Cartusiæ Coloniensis priore, *vir omni laude superior*: nimirum quod his exceptis nævis cætera ejus scripta a vitæ sanctioris cupidis summa cum voluptate parique fructu legantur. Hæc ejus opera a Trithemio recensita, quem excipiunt Lusitanus, Possevinus, & Altamura in Append. ad 1309.

Commentaria in IV libros sententiarum.

Postilla in Genesim. Pr. *Exordium hoc scripturæ.*

In Exodum. Pr. *Hæc sunt nomina.*

In Cantica Canticorum.

In Sapientiam. Diligite &c. *Judex semper.*

In evangelium Joannis Pr. *In principio. Aquila.*

Super orationem Dominicam. Pr. *Ante Dominicam.*

In capitulo ordinis Prædicatorum sermo. Pr. *Ego quasi vitis fructificavi.*

Liber positionum suarum. Pr. *Benedictus Deus & pater.*

Sermones de tempore & de Sanctis. Pr. *Deus pacis & dilectionis.*

Hactenus Trithemius, qui relata viderit in bibliothecis Germaniæ, si quidem principia tam accurate refert: addit & alia multa volumina scripsisse.

Quædam ejus ascetica typis prodierunt inter B. M. Joannis Tauleri opera, Coloniæ 1548 fol. & Parisiis 1623 in 4. Qua in posteriori editione sic distinguuntur.

P. 669. *D. Eckardi notabiles aliquot institutiones.*

P. 670. *Alia ejusdem institutio quam in extremis constitutus amicis rogantibus reliquit.*

P. 778 ad 785. *De duodecim magnis atque ineffabilibus bonis atque gratiis, quas divina clementia digne communicantibus largitur.*

Qui libellus Tauleri institutionum caput est 39, & legitur etiam in versione Gallica a PP. Minimis curata & edita Atrebati 1614 in 8, at non in ver-

Sec. XIV. sione Ludovici Chardon nostri Paris. 1650 in 8: sed in egregia illa quæ nomine novitiatus nostri generalis Parisiensis edita Paris. 1665 in 8 fuit restitutum.

P. 831. *Convivium magistri Eckardi de paupertate spiritus.*

Fortè inter sermones Tauleri quidam sunt Aicardi licèt nulla nota discreti, ut innuit Gerardus editor legendus in epist. nuncup. operum Tauleri Coloniæ 1543 fol. ubi relata Germanice quinque annis antea typis prodiisse Coloniæ & aliàs pluries lector monetur.

Propositiones Aicardi censura notatæ XXVIII numerantur in constitutione Joannis XXII, quarum XV priores, & postremæ duæ ex suorum sono verborum labem hæresis continere, aliæ undecim licèt sensum catholicum formare valeant, multum temerariæ de hæresique suspectæ declarantur: quas apud Odoricum Rainaldum videsis ad 1329 n. 70, qui annalista in censura Aicardi moderationem summi pontificis imitari debuisset.

Quo anno e vivis abierit, nemo certo refert, sed ante constitutionem relatam id est ante MCCCXXIX jam obiisse ex ipsamet constat.

Referente Friderico Steil nostro ad 28 januarii p. 179 Georgius Eppius noster de quo postea sec. XV in suo de illustribus ordinis viris opere dist. 1 hoc de eo habet elogium: *R. P. M. Eckardus vita purissimus, expeditus doctor Ecclesiæ, suo tempore incomparabilis, eruditione fidei, conversatione & moribus insignis.*

F. THOMAS DE JORZ.

F. THOMAS DE JORZ aliis *Jorsius*, imo plerumque omisso agnomine Anglus vel Anglicus a patria pro more nuncupatus sub finem seculi XIII & initia sequentis pietate, eruditione, rerumque agendarum peritia emicuit: de quo cùm varii varie nec accurate loquantur, quæ de eo habet Bernardus Guidonis scriptor æqualis verbo tenus placet hîc referre, quibus notas nostras subjiciemus. Sic ergo ille in elencho nostrorum cardinalium. † 1310.

„ (A) F. Thomam de Jorz (B) Anglicum (C) magistrum in theologia Oxoniæ de ordine Prædicatorum (D) fecit presbyterum cardinalem tituli S. Sabinæ idem D. P. Clemens V in Lugduno, ubi præsentes erant feria IV in jejuniis quatuor temporum adventus XVIII kal. januarii anno Dñi MCCCV. Hic F. Thomas fuit prior Oxoniensis, & postea (E) provincialis Angliæ annis septem, "

(A) *Thomam de Jorz.* Sic agnomen legitur in omnibus antiquis monumentis, præsertim in constitutionibus regni Angliæ, inter quas p. 1154 index est omnium cardinalium qui tum vivebant, ideo concinnatus ut eorum nomina & titulos in promptu haberet rex Edvvardus III vel I, ubi quid haberet illi vel illi scribendum: in eo autem indice sic legitur, *D. Tho. Jorz Anglicus tit. S. Sabinæ presbiter cardinalis*, & XI numeratur. Hinc cur Baleus & alii *Joyce* agnominent, nullus video.

(B) *Anglicum.* Sic omisso cognomine plerumque dictus est, & in quinque vitis Clementis V a Baluzio editis, & a plerisque nomenclatoribus, Laurentio Pignon, Ludovico a Valleoleti, Lusitano isto tamen graviter allucinato, cùm in tres homines distinguit, alterum Thomam Anglicum cognomento Jorgium cardinalem S. Sabinæ, alterum Thomam Anglum etiam cardinalem tit. S. Petri ad vincula, cujus nulla est memoria, & tertium Thomam natione Anglum anno 1310 clarum quem abbreviator Gesneri Jorgium cognominat. Sed hi tres unus & idem sunt homo Thomas de Jorz dictus & Anglus.

(C) *Magistrum in theologia Oxoniæ.* De eo sic in historia ejus universitatis anno 1674 edita in fol. p. 64, ubi de iis qui in scholis Prædicatorum Oxoniensibus floruerunt: *Thomas Joyce Gualteri frater germanus in cardinalem S. Sabinæ a Clemente V elatus, vir morum gravitate, religionis integritate, vita innocentia & eruditionis eminentia valde venerandus, imo verò plane admirandus.* Quæ Balei auctoris maledicentissimi calumnias plane revincunt. Aquinatis doctrinæ mirum affectus fuit Jorsius, eumque adversus Joannem Duns Scotum strenue defendit, ipse vicissim propterea a Petro Aureoli ord. Min. impetitus.

(D) *Fecit presbyterum cardinalem Clemens V.* Die XV decemb. MCCCV promotum fuisse conveniunt omnes, de quo sic Trivetus in annal. ad MCCCV: *Papa Clemens V ante natale unam ordinationem faciens, creavit XII cardinales, inter quos de ordine FF. Prædicatorum F. Thomas de Jorz doctor sacræ theologiæ natione Anglicus tit. S. Sabinæ.* Fallitur verò Pitseus cùm dicit ideo a summo pontifice Lugdunum vocatum: imo jam Lugduni aderat a rege Angliæ Edvvardo de gravioribus negotiis cum aliis missus ad curiam Romanam, ut constat ex his litteris quæ in constitutionibus Angliæ referuntur p. 1070:

SS. in C. P. D. Clementi divina providentia S. R. ac universalis Ecclesiæ S. P. Edvvardus eadem gratia rex Angliæ &c. devota pedum oscula beatorum „ De circumspectione „ & fidelitatis intimæ puritate dilectorum & fidelium nostrorum Henr. de Lacy comitis Lincoln. Hugonis le Despenser, Amaneni dñi de Lebreto, Ottonis de Grandisono, „ Fratrum Thomæ de Jorz & Joannis de Wrotham de ordine Prædicatorum, Joannis de Benestede, & magistri „ Philippi Martell exhibitorum præsentium fiduciæ plenitudinem obtinentes: super quibusdam negotiis honorem statumque nostrum & coronæ nostræ tangentibus, quæ „ valde insident cordi nostro, vobis mentem nostram decrevimus aperire, sanctitati vestræ devotissime supplicantes, „ quatenus iis quæ prædicti Henricus, Hugo, Almenenus, „ Otto, Thomas & Joannes, Joannes & Philippus, septem, sex, quinque vel quatuor eorumdem, quos præsentes esse contigerit, ex parte nostra super præfatis negotiis B. V. expresserint viva voce, fidem indubiam dignemini adhibere, ac ea votiva effectui juxta speratam fiduciam mancipare. Conservet vos altissimus Ecclesiæ suæ sanctæ per tempora prospera & longæva ". *Datum apud Westmon* XXVII *die mensis octob. anno gratiæ* MCCCV. De promotione hujus cardinalis agit etiam Matthæus Westmonasterien. ad MCCCV.

Paulo post idem rex Thomæ jam cardinali per suum cancellarium scribi jussit, ut Roberti *Grossetesle* aliàs *Greathead* Lincolniensis episcopi canonizationem apud Clementem V urgeret. Sic enim in iisdem constitutionibus p. 1185 legitur:

Edvvard par la grace de D. roi d'Angleterre &c. al honurable pere en Dieu R. (Rodulphe de Baldock) par la mesme grace evesque de Londres nostre chancellier, saluz. „ Come le honorable pere en D. l'evesque de Nicole &, le chapitre de l'Eglise de meisme le lieu soient en purcheusseant devers nostre pere le pape le canonizement de seint Robert Grosseteste jadis evesque de Nicole, nous eantz la busoigne dudit canonizement molt a cuer &c. & facez ausint faire autres lettres de nostre dit seal en bone forme & especiale de per nous a sire Reymon del Gout neveuz nostredit pere le pape, a sire Pierre Lespaynel, & a sire Thomas de Jorz cardenaux de la seinte Eglise de Rome, en priant que a la busoigne dudit canonizement avancer & exploiter ils mettent tote l'aide & le bon consail qu'ils porront pur l'onour de Dieu, de seinte Eglise, & de dit corps seint, & ausint pur amour de nous &c. Don souz nostre privé seal a Cardoill le VI jour de may, l'an de nostre regne XXXV, id est Christi MCCCVII ".

Aiunt etiam cum Petro de Capella episcopo Prænestino, Berengario Fredoli episcopo Tusculano, & Nicolao de Freauvilla cardinali S. Eusebii delegatum, ut audiret testes, qui adversus Bonifacium VIII S. P. producebantur, & cujus memoriam Philippus IV Franciæ rex abolendam urgentissime instabat, ut refert Baluzius in notis ad Papas Avenion. T. I col. 583: tum etiam commissam ei a pontifice curam discutiendæ Petri Joannis Olivi ord. Min. doctrinæ ut habet Wadingus ad 1310 n. 3.

(E) *Provincialis Angliæ annis septem.* Id revocat in dubium Gosvvinus, putans F. Gualterum Winterburn eo munere functum donec in sacrum collegium cooptatus est a Benedicto XI mense februario MCCCIV, sed manifeste fallitur, cùm ex actis constet Thomam titulo provincialis Angliæ comitiis ordinis Massiliæ habitis anno MCCC affuisse, & in electione magistri ordinis F. Alberti Januensis votum tulisse, ut & in sequentibus Coloniæ MCCCI ubi electus F. Bernardus de Juzico. Cùm autem ab eo munere amotus fuerit in actis cap. gen. Bisuntii MCCCIII, nec de fide Bernardi Guidonis scriptoris æqualis dubitari possit, sequitur anno MCCXCVI Winterburnio officio cedenti Thomam suffectum fuisse, ut ipsi Thomæ anno MCCCIII suffectus est F. Robertus de Bromyerd, de quo supra actum ubi de F. Hugone de Mancestria. Eidem Winterburnio cùm ad purpuram evectus est, successit Thomas in munere confessarii regis Angliæ, ut tradit auctor vitæ secundæ Clementis V apud Baluzium T. I col. 24 quam hîc dedit sub nomine Pto-

» (F) habuitque secum in ordine quinque fratres, quos » eadem propago & professio vere fecit esse germanos. Hic cùm mitteretur legatus a D. Clemente P. V. in Italiam ad D. regem Teutoniæ Henricum imperatorem Romanorum per Italiam dirigendum & promovendum in imperio, cùm pervenisset apud Gratianopolim civitatem, ibidem in infirmitate detentus, diem claudens extremum, legationis suæ viam terminavit in festo S. Luciæ, quod fuit in Dominica tertia in adventu anno ejusdem Dñi MCCCX, cardinalatus sui quasi quinquennio consummato. (G) Corpus autem ejus inde fuit portatum apud Oxoniam in Anglia in conventu Fratrum tumulandum «.

Hæc ejus opera a Ludovico de Valleoleti sic recensita.

1. *Commentaria super IV libros sententiarum.* Extitisse adhuc seculo proxime elapso apud Sanjacobeos Parisienses cod. MS fol. mag. membr. manu æquali vel suppari charactere minutiori quædam apud me servatæ schedæ ferunt, sed codex diligenter a me quæsitus in manus meas non venit: ab aliis me felicioribus aliquando forsan reperietur.

Typis prodiit in primum hoc titulo: *Reverendi & lucidissimi doctoris ordinis Prædicatorum F. Thomæ Anglici liber propugnatorius super primum sententiarum contra Joannem Scotum ordinis Minoritani*, Venetiis, Octav. Scoti 1523 fol. pagg. 250. In hoc opere primo ponit textum sententiarum: tum quæstiones Scoti super quaque distinctione: denique singulas impugnat, ubi Scotus a S. Thoma recedit. Neapoli in domo S. Dominici MS se vidisse asserit Lusitanus.

2. *Quodlibeta.* Hæc se vidisse Lusitanus testatur Toleti apud nostros cod. MS pervetusto cum Summa nostri Alberti Brixiensis ligata. Licèt enim hæc dicat de Thoma Anglo cardinali S. Petri ad vincula, cùm nullus nobis sit Thomas Anglus cardinalis alius a Jorsio, hujus esse illa Quodlibeta facile conjicias.

3. *Liber de visione beata.*

4. *De paupertate Christi.* Hæc quæstio magno æstu agitari cœpit sub Clemente V.

5. *Commentaria super totam logicam Aristotelis, super philosophiam naturalem & moralem.*

6. *Quæstiones cum tractatibus multis.* Hæ illæ videntur quæstiones theologicæ, quas Lusitanus MS se vidisse asserit.

7. *Item incepit scribere super Psalterium, & morte præventus non complevit.* Hactenus Valleoletanus.

Hoc scriptum super Psalmos F. Sixtus Lambertus sodalis noster Lucensis putavit se invenisse, & hortante inquit magistro ordinis Augustino Galaminio postea cardinali reipsa edidit sub hoc titulo: *Commentarius super Psalmos F. Thomæ Jorgii Anglici ord. Prædic. S. R. E. cardinalis & episcopi Sabinensis.* Ubi erratum, legendum enim presbyteri tit. S. Sabinæ, non episcopi Sabinen. Venetiis, Evangelistæ Deuchini 1611 fol. pp. 311 & 148. Pr. *Beatus qui custodit verba prophetiæ libri hujus. Apoc. 22.* Commentarius est in XXXVII priores Psalmos seu duos primos nocturnos, ut tum loquebantur. SÆC. XIV.

Dubium tamen mihi haud modicum est, an ille commentarius sit Thomæ Jorzii, nam Thomæ Wallensi seu Guallensi hoc opus omnes notitiæ datæ videntur asserere. De isto Laurentius Pignon dicit in duos nocturnos psalterii primos scripsisse. Codices Angli & Belgici Wallensis nomen præfixum habent. Principium idem, *Beatus qui custodit &c.* indicatur. Sixtus Senensis codicem MS Venetum SS. Jo. & Pauli laudans dicit præferre nomen Thomæ Anglici patria Galensis, idem esse principium, revera addit esse tantum in XXV primos psalmos, sed fortè codicem non accurate evolverat. Videsis postea ad 1340 ubi de Thoma Wallensi: hîc dubium meum lectoribus proposuisse sufficiat.

Præter superius relata & a Valleoletano recensita, hæc alia ab aliis illi dantur opera

1. *De conceptione B. Virginis.* Sic Lusitanus, sed difficile mihi persuadeo tractatum esse specialem, cùm nondum esset tum hæc quæstio nata: fortè non aliud est, quam quod ut argumentum exigebat, scripsit in tertium sententiarum.

2. *Commentaria in Genesin.* Sic Lusitanus putans illa esse quæ Sixtus Senensis vidit Venetiis apud SS. Jo. & Paul. & quibus principium, *Non recedat.* Sed hæc Sixtus non *Jorsio* sed *Galensi* ascribit.

3. *Super Boëtium de consolatione philosophiæ & de doctrina Scholarium.* An commentarii illi sub nomine S. Thomæ falso editi?

4. *De concordantia librorum S. Thomæ de Aquino.* An quod inter opuscula S. Thomæ numeratur & certo ejus non est.

5. *Adversus Iconoclastas.* Sed hoc Thomæ Walensis.

6. *Postilla in proverbia Salomonis & in cantica Canticorum.* Sed hæ etiam Thomæ Walensis.

7. *In libros S. Augustini de civitate Dei, & de statu animarum post mortem.* Sed & hæc etiam Thomæ Walensis.

Hunc auctorem in quinque homines dividit Altamura.

Primus est Jorsius noster, de quo agit ad 1311, cui eadem opera tribuit, quæ nos supra, non tamen omnia.

Alter est F. Thomas Anglicus quem refert ad 1321 cui cum Sixto Senensi quædam tribuit commentaria, quæ sub nomine S. Thomæ de Aquino edita fuere: & cum eodem fingit ex Thoma doctore Anglico lapsum proclivem fuisse ad commutationem in Thomam doctorem Angelicum, quo factum fuerit ut huic posteriori ascripta fuerint opera quæ erant prioris. Sed leviorem hanc conjecturam exinde facile est revincere, quod istud epithetum doctoris angelici non legatur S. Thomæ tributum ante seculum XVI: opera verò de quibus est quæstio, jam Aquinati ascribebantur seculo XIII & initio XIV, sed ea videnda. Hæc suo Thomæ Anglico II tribuit Altamura:

Postillam in Genesim. Hanc primus Lusitanus edi-

lomæi Lucensis nostri, cujus tamen non est, quisquis sit alius ejus auctor, nam Ptolomæus verius Tholomæus historiam suam ecclesiasticam novam non produxit ultra MCCXCIV.

(F) *Habuitque secum in ordine quinque fratres.* Gosvvinus citatus p. 171 inter cardinales Anglos dicit sex fratres, sed Bernardo Guidonis æquali major fides. Horum autem ejus quinque germanorum unus fuit F. Gualterus, de quo sic idem Bernardus inter præsules: *F. Gualterus germanus uterinus F. Thomæ Anglici cardinalis fuit archiepiscopus Armachanus per Clementem V in Pictavia anno* MCCCVII *promotus.*

(G) *Corpus ejus inde fuit portatum apud Oxoniam.* De eo sic in Hist. univ. Oxon. cit. p. 65: *Porro Thomas Jadocus vulgo Joyce* (sed corrupte) *sub ejusdem Ecclesiæ* (Prædic. Oxon.) *choro inhumatus fertur anno* MCCCXI, *qui in martyrologio quodam secundum ordinem Prædicatorum F. Thomas Theobaldus appellatus occurrit, & in monasterio Oxoniensi in Anglia contumulatus.* Pitseus addit *splendida sepultura.* Martyrologium hîc citatum fuit impressum Venetiis anno 1582 in 4 sed agnomen *Theobaldi*, cujus in antiquis nulla memoria, in seqq. edit. fuit expunctum. In chronico parvo ad calcem constitutionum edito dicitur fuisse S. Thomæ de Aquino sub Alberto Magno scholæ sodalis, quod mihi non probatur, annorum enim LXXX & amplius fuisset, cùm anno MCCCX missus est ad Henricum imperatorem legatus, quod non verisimile. Verùm & Albertum Coloniæ, postquam jam inde exierat S. Thomas, & ipsum S. Thomam Parisiis circa MCCLXIX docentem audivisse facile concedam: ea enim tempestate juvenes quorum maxima spes erat, ad studia extra provinciam suam generalia mitti solebant.

Sec. XIV. dit sub nomine S. Thomæ: sed quisquis sit ejus auctor, sancto doctori abjudicavimus.

In Isaiam & Hieremiam. Hæ certo sunt S. Thomæ ex Tholomæo de Lucha, Bartholomæo Logotheta, Bernardo Guidonis, ipso Lyrano & aliis antiquis.

In septem epistolas canonicas. Si sermo sit de editis sub nomine S. Thomæ, has nostro Gorrano ex antiquis asseruimus.

In Apocalypsin. Hujus verus auctor ignoratur, certo non est S. Thomæ.

Tertius est F. Thomas Anglicus ad 1375 clarus. Huic ascribit

Commentaria in quatuor libros sententiarum.

Sed neque hunc agnoscimus sine teste æquali vel suppari: nullum autem alium profert quam Pium auctorem seculi XVII.

Quartus est F. Thomas de Theobaldis Anglus cardinalis tit. S. Petri ad Vincula ab Urbano VI ad annum 1379 promotus, at cujus nulla in actis Urbani VI aut apud scriptores ejus ætatis aut suppares, nulla apud S. Antoninum, nulla apud Leandrum Albertum memoria. Scio Ughellum in additionibus ad Ciaconium, & Fontanam in Theat. quemdam Thomam Anglum ord. Prædic. Richardi II Angliæ regis confessarium prodere ab Urbano VI in collegium cardinalium cooptatum, sed nullo antiquiori teste quam Lusitano, qui nullum profert, nec annum quo id gestum addit, unde Fontana fatetur a pluribus hunc Thomam Anglum eumdem existimari cum Jorzio, quæ etiam est nostra sententia. Adde Jorzium a S. Antonino & a Volaterrano Theobaldum etiam nominari, & sic etiam dici in antiquo ordinis martyrologio supra citato anni 1582 & unâ dici anno 1305 promotum, quæ unum & eumdem hominem esse evincunt. Huic suo cardinali Lusitanus hæc tribuit opera

Scripta super totam philosophiam Aristotelis, & Quodlibeta varia. Sed hæc Jorzio supra vindicavimus ex Valleoletano.

Altamura verò longe plura ei confert, ac primo ea omnia quæ ipse & Lusitanus Jorzio tribuerant: at præterea

Postillas super universa biblia, quas sigillatim recenset.

Sed ut auctorem fictum, sic & opera omnia fictitia censemus.

Quintus est F. Thomas Jorzius II quem ad annum 1398 collocat, cui illa eadem opera ascribit, quæ partim Jorzio I ad 1311, partim suo Thomæ Anglico II ad 1321 tribuerat. Fatetur tamen ab abbreviatore Gesneri & a Lusitano ad annum 1310 clarum asseri, id est non alium esse a Jorzio I, quibus & nos subscribimus. Sixtus Senensis hîc non rectè ut testis ab Altamura producitur, nam ille loquitur de Galensi id est Walensi, cujus ætatem ignoravit, & de quo nos ad 1340. Itaque quatuor isti posteriores Thomas Anglici e numero scriptorum nostrorum expungendi.

F. THEODORICVS TEVTO.

1310. F. Theodoricus Teuto ille scilicet, quem *de Friburgo* a patria celebri in Brisgoia municipio quidam ut Lusitanus & sequaces agnominant, Simlerus verò ex Matthæo Dressero *Thamninum* nuncupat, sub finem seculi XIII & initia sequentis claruit. Sacræ theologiæ magister fuit in facultate Parisiensi, & in catalogo Salanhaci & Bernardi Guidonis ordine 39 recensetur, inter eos scilicet qui inter MCCLXXX & XC licentiam decurrerunt, diciturque simpliciter *F. Thedericus Teutonicus.* Vivebat adhuc anno MCCCX, quo in actis cap. gen. Placentiæ in Longobardia celebrati sic de eo statutum lego: *Ponimus vicarium in provincia Teutoniæ F. Thedericum magistrum in theologia, donec provincialis ejusdem provinciæ electus fuerit, & confirmatus & præsens extiterit in eadem.* Hunc enim eumdem esse hinc evincitur, quod nullus alius hujus nominis magister in theologia ea ætate apud Bernardum citatum laudetur. Ejus cum laude meminit bis Leander Albertus, primo fol. 137 b, inter illustres theologos, ubi vocat *theologiæ decorem*, errato ut censeo typorum pro *doctorem*, & ad MCCLXXI claruisse vult, juvenem forsan, sic enim interpretor, XXX circiter annorum: secundo fol. 153 b, inter philosophos eruditione multiplici claros: de eodem enim homine utrobique agi argumentum evidens est, quod eadem utroque loco ei ascribantur opera. Id non attendens Lusitanus ex uno scriptore duos facit, alterum de Friburgo p. 232 vocat, & ad 1270 refert, alterum p. 233 Teutonicum simpliciter dicit, nullumque ei annum designat, inter eos verò opera mox subjicienda dividit, sed non ita accurate, ut non eadem saltem aliqua in ambobus repetat, errantem excipiunt Gozzeus, Pius, Fernandez, denique Altamura qui Friburgensem ad 1277, Teutonicum ad 1309 collocat. Ego verò unicum & eumdem hominem tueor, non solum ex citatis supra documentis certissimis, sed & ex Laurentio Pignon, qui unicum laudat, cui opera omnia a Lusitano inter duos divisa tribuit. Quod ut clarius fiat, cuilibet articulo quæ Leander utroque loco repetat, & quæ inter duos dividat Lusitanus addam. Sic ergo Pignon n. 29: *F. Theodoricus Theutonicus magister in Theologia scripsit libros*

1. *De origine rerum prædicabilium.* Leander utroque loco. Lusitanus 1.

2. *De tempore.* Leander utroque. Lusitanus 1.

3. *De Iride.* Leander utroque. Lusitanus 1. Hic tractatus extat Lipsiæ in Paulina olim nostra recensitus a Fellero p. 231: *M. Theodorici de Vriberg tr. de Iride.*

4. *De mensuris rerum.* Leander utroque. Lusitanus 1.

5. *De corpore Christi sub Sacramento.*

6. *De corpore Christi mortuo.*

Hos duos tractatus omittunt Leander, Lusitanus & sequaces.

7. *De entium communitate.* Leander 2 loco tantùm ubi legit *De quantitatibus entium.* Lusitanus 2.

8. *De defensione prælatorum ordinis.* Leander utroque legit *De defensione privilegiorum ordinis Prædicatorum*, & videtur rectius. Lusitanus 1: *De concessione privileg. ord.*

9. *De tribus difficilibus.* Leander loco 1. Idem altero *De tribus diffinitionibus.* Lusitanus 1 & 2 *De tribus definitionibus.* Quis rectius? Simlerus ex Dressero qui habuit vel saltem vidit, legit *De tribus difficilibus.*

10. *De quidditatibus entium.* Leander utroque. Lusitanus 1.

11. *De generatione lucis.* Leander loco 1. Idem altero *De origine lucis.* Sed in idem recidit. Lusitanus idem 1 & 2.

Et quam plura alia. Hæc verò alia recenset Leander.

12. *De coloribus.*

13. *De causis.*

14. *De intellectu & intelligibili.*

15. *De principio materiali.*

16. *De natura elementorum.*

Hæc quinque ultima opera Leander loco 2 tantum, Lusitanus suo 2.

17. *De visione beatifica.* Leander & Lusitanus primo tantùm.

Hic ultimus tractatus extat in Paulina mox laudata, recensitus a Fellero p. 332 n. 41: *magistri*

Theodorici Teutonici ord. Prædic. de B. visione Dei per essentiam. Tractatus cum laudato n. 3 ligatus.

Tractatus ex hactenus recensitis 1, 2, 3, 4, 9, 10, 11 Dresserus teste Simlero vidit in bibliothecis Germaniæ, quod argumentum est & alios in quibusdam aliis latitare.

F. THOMAS SPERMAN.

1310. F. THOMAS SPERMAN Anglus theologus præstantissimus, inquit Leander, sub finem seculi XIII & initia sequentis claruit, iis enim ab eo jungitur, qui circa ea tempora floruerunt, inter alios Thomæ Walensi qui sub Joanne XXII vivebat. Assentitur Pitseus qui ad 1300 collocat, nec placet Altamura qui in Append. revocat ad 1277. Sixtus Senensis, Lusitanus, & Simlerus circa 1290 floruisse volunt. Scripsit ex Leandro, quem alii excipiunt

Commentaria in Genesim, in epistolam ad Hebræos, & super Jacobi canonicam.

Addit Pitseus, *Quæstiones disputatas.*

F. PETRUS CALO.

† 1310. F. PETRUS CALO aliâs *Calotius* Venetus Fossæ Clodiæ, vernacule *Chiozza* vel *Chioggia*, natus ibidem in domo S. Petri martyris ordini ascitus, a Leandro fol. 152 b, laudatur ceu qui ad annum MCCC claruerit: ejus etiam meminit Descr. d'Italia ad finem operis. *Ornò* inquit *questa città Chioggia Pietro Calo dell' ordine de' Predicatori, che scrisse molto minutamente in due grandissimi volumi le vite de i santi, come chiaramente si vede nella libraria di san Domenico di Bologna.* Editæ itaque ab eo fuerunt

Vita sanctorum ex antiquis monumentis collectæ, & duobus voluminibus ingentis molis comprehensæ.

Præter hos codices etiamnum Bononiæ apud S. Dominicum servatos, Alva Sol. Verit. Rad. 179 col. 1422 testatur duo similia volumina Romæ in Barberina se vidisse, ut mirum sit Bollandum in præf. gen. ad Acta SS. scribere unicum volumen nempe secundum tantum in eadem Barb. a se visum. Addit Alva in primo folio hujus exempli Barberini scriptum legi Calotium vixisse ad MCCCX: narrat præterea similes codices aliâs extitisse in Bibl. cardinalis Matthæi de Ursinis de Montejordano, qui obiit anno MCCCXLV. Si autem verum sit quod ait idem Alva, Thomam de Aquino non Fratrem simpliciter, sed sanctum in eo opere appellari, indicium esset Calotium non ad MCCCX tantum sed longe ultra ad MCCCXXIII nempe & amplius pervenisse, vel hanc Thomæ vitam ab alio operi adjectam: quod ex ipsa deprehendi potest: si sit Guillelmi de Tocho, vel Bernardi Guidonis opera.

Hujus scriptoris cum laude meminit S. Antoninus T. III Tit. XXIII cap. XI. Petrus de Natalibus in præfat. Legendæ suæ SS opus Calotii arguit ut fusius, & cui legendo vix hominis vita longior sufficiat. Sed in ejus modi operibus non odiosa est codicum moles, si adsit in actis veritas & delectus. Collectionis Bollandianæ nemo hactenus conquestus est, quamvis sex priores menses ad XXIV aut XXV volumina crassioris molis ascendant.

Hæc præterea Calotio a Rovetta ad 1316 tribuuntur,

1. *Tractatus de divinis mysteriis, quæ in dominica cœna ab Ecclesia catholica repræsentari solent.*
2. *Vita S. Dominici.*
3. *Sermones quadragesimales, de sanctis, & varii.*

Quorum testem profert Vincentium Rivalium, sed utinam ubi hæc extent, etiam monuisset.

F. JOANNINUS DE MANTUA. SEC. XIV.

* 1310. F. JOANNINUS DE MANTUA a patria sic & professione nuncupatus ab omnibus nostris scriptoribus hactenus omissus, ineunte seculo XIV claruit, vir politioribus litteris excultus, & musis amicus. Ejus extat in collectione operum Albertini Mussati Patavini edita Venetiis, Pinelli 1636 fol. inter epistolas ad pag. 70

Epistola F. Joannini de Mantua ordinis Prædicatorum viri sui temporis præstantissimi in theologia & philosophia naturali & morali, quam misit Mussato poetæ Paduano invehens contra poeticam. Incipit: *Ad litem natam cur non mihi tacta poesis.*

F. HELBERTUS TEUTONICUS.

* 1310. F. HELBERTUS TEUTONICUS a Laurentio Pignon laudatur n. 73 unde seculo saltem XIV claruisse colligas. *Scripsit*, inquit,

De eo quod est maximum mandatum.

Item librum exemplorum.

Ex ratione primi operis nullus dubito, quin ille idem sit, quem Lusitanus Bibl. p. 104 tres inter Henricos Teutones tertium recenset absque agnomine, dicens claruisse ad 1355, & librum composuisse, in quo illud evangelii dilucidat: *Quod est mandatum magnum in lege?* Lusitanum excipiunt Possevinus, Fernandez, & alii nostrates & recens Altamura ad 1352: quibus omnibus præiverat Leander fol. 147 b. An autem cum his *Henricus* dicendus sit, an cum Laurentio *Helbertus*, anceps sum licèt in hunc ultimum ut antiquiorem propendeam. In chronico Mindensi, quod edidit Meibomius Rerum Germanicarum T. I p. 554, quod & Anonymi cujusdam sodalis nostri domus Mindensis circa MCCCCLXXIV scribentis opus recte censeas, ejusdem tomi p. 566 sic legitur: *Anno* MCCXCV *D^{us} Harbertus de Mandeslo decanus Ecclesiæ majoris* (Mindensis) *in jure canonico licentiatus ordinem Prædicatorum Minda intravit, in quo officium prioratus annis* XV *laudabiliter & religiosè tenuiße repertum est.* Hunc esse scriptorem de quo agimus, certo pronunciare non ausim, sed non levis conjectura, nam & nomen & ætas conveniunt.

F. PHILIPPUS DE FERRARIA.

* 1310. F. PHILIPPUS sive *Philippinus* DE FERRARIA Italus Aemilius a patria & professione sic nuncupatus philosophus & theologus insignis ineunte seculo XIV claruit. Ejus meminere Lusitanus ex Alberto Veneto ad ann. 1310 referens, quem excipit Rovetta cum Vincentio Rivalio, Altamura vero ad 1301 collocat. Hæc ei dantur opera

Quæstiones super dialecticam Petri Hispani.

Narrationes & fabulæ ad omnem statum & materiam.

Summula theologica omnium catholicarum veritatum. Hæc a Rovetta additur silentibus aliis.

Hæc vero ubi serventur aut cui visa nemo prodit

F. FRANCISCUS LAMPUGNANI.

† F. FRANCISCUS LAMPUGNANI Mediolanensis quidam inter scriptores Lombardos recensetur a Rovetta primo ad 1277, & ab eodem dicitur episcopus Cæsenatensis a Gregorio X datus & institutus, eoque titulo in concilio Lugdunensi II sedisse ac scripsisse

Summam brevem pro clericorum instructione.

Libellum doctrinæ Christianæ pro parvulorum atque simplicium institutione.

Manuale parochorum.

Sæc. XIV. Ac de operibus quidem penes illum fides, cùm ubi serventur saltem MS aut cui visa non addat: at de episcopatu etsi consentientem habeat in aliquo Fontanam in Theatro, (dico in aliquo, nam non convenit in annis, volens promotum anno MCCLXIII & mortuum anno MCCLXX) ego non assentior, cùm hujus episcopi non meminerint Bernardus Guidonis, Leander, Lusitanus, nec Razzius: imo nullus ei locus sit in serie præsulum Cæsenatensium a 1270 ad 1310, ut apud Ughellum cuilibet inspicienti patebit, aliusque ad 1274 annotetur, qui proinde concilio Lugdunensi affuit, si quis affuit. Verum est a Pio P. II lib. 3 pag. 30 laudari quemdam Franciscum Statum episcopum Cæsenatensem, sed is circa annum 1445 sedisse dicitur sub Magistro ordinis Petro Rochim, quod cum chronologia Rovettæ non convenit. Quædam mihi suspicio erratum esse in episcopatu & scriptum *Cæsenatensis* pro *Cenetensis*: fuit enim revera quidam Franciscus episcopus Cenetensis a Leandro & aliis laudatus, de quo cùm non sat accurate Ughellus & eum excipiens Fontana loquantur, placet hîc ejus epitaphium referre, ut legitur apud Bartholomæum Burchelati commentar. Hist. Tarvis. edit. Tarvisii 1616 in 4. Sic enim lib. 4:

1310. *Franciscus de Arpo civis Tarvisinus Frater Dominicanus episcopus Cenetensis religione insignis hoc anno migravit ad Dominum, quo & Frater Falcus Tarvisinus ejusdem ordinis summi pontificis* (nempe Benedicti XI) *nepos dilectissimus lucis usuram amisit anno Dñi* MCCCX.

Ex quibus emendes Ughellum & Fontanam, qui mortem Francisci hujus de Arpo ponunt ad MCCC. Ceneta civitas est ditionis Venetæ, in Marchia Tarvisiana fere nunc destructa, qua de causa episcopus in oppido vicino Serravalle dicto moratur.

F. JORDANUS DE PISIS.

* 1311. F. Jordanus de Pisis Etruscus a patria nomen sortitus & ineunte seculo XIV clarus, cujus meminit Lusitanus in chronico ad 1310 inter beatos, ubi eum ait eximiæ sanctitatis virum, miraculorum virtute illustrem, jam antea a Leandro Alberto fol. 226 laudatus fuerat, ubi dicitur vita & miraculis illustrem obiisse 14 Kal. sept. MCCCXI Placentiæ, dum ad legendas sententias Parisios missus proficisceretur: Placentia verò Pisas translatum, & in loculo marmoreo ad aram S. Petri martyris tumulatum multis post mortem claruisse miraculis variisque cumulatum anathematibus, cereis iconibus ad sepulcrum ejus & tholum appensis populorum votis, quæ seu vetustate temporum seu suorum incuria, seu etiam occasione cujusdam Pisani antistitis ad eamdem aram postea sepulti tholo decussa perierunt. Hos exceperunt Castillus, Pius, & Altamura ad 1311: qui ultimus libros quidem ejus sermonibus refertos etiamnum reperiri affirmat, at ubi serventur non prodit, a cujus tamen diligentia ut pote in Italia degentis, id expectandum erat. Extant autem hæc ejus opera a me visa.

Quaresimali due. Servantur Florentiæ in Bibl. nostra S. Marci, Arm. 3 n. 118, cod. MS Titulus: *In questo libro sono le prediche di Frate Giordano, quelle della quaresima, che comminciano a di* III *di Marzo nel* MCCCIIII, *& prima si porranno quelle della mattina per se perche furono di una materia per se: & poi saranno scritte quelle della sera, perche furono di un' altra materia per se.*

Primus sermonum quadragesimalis prioris habitus in Ecclesia S. Mariæ Novellæ die cinerum sic incipit: *Cùm jejunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Questo tempo si è tempo santo, tempo di penitenza, di macerare la carne, e di vincere i vizii, e di operare opere sante e virtuose: & monstrane in queste parole Cristo ensegnare dell' opere della penitenza, & dell' opere del guadagno &c.*

Post istud Quadragesimale in Evangelia matutinis horis prædicatum, sequitur alterum in Genesim serotinis horis pronuntiatum sub hoc themate: *In principio creavit Deus cœlum & terram*: & ultimus sic incipit: *Diremo sta sera di quello che i demoni possono. Anno i demoni potentia di tentare e ancora per permissione di Dio, e nollo lascia Iddio fare sanza perche, perche ne sono utili &c.* In hoc codice sunt universim 88 sermones.

Hoc posterius quadragesimale extat etiam in Bibl. S. Mariæ Novellæ Florentiæ cod. MS eleganti memb. fol. med. a me viso & explorato anno 1681 mense augusto, cujus hic titulus: *Jhu. Al nome sia del nostro signore e Salvatore Jhesu Christo & della sua dolce matre vergine Maria, e di tutti i suoi santi e sante. Amen. Incomminciano le prediche del venerabile religioso Frate Giordano dell' ordine de' Frati Predicatori sopra il Genesis incomminciando il primo dì di quaresima la sera in Santta Maria Novella nel* MCCCIIII *a dì* VII *di marzo, & il primo. In principio creavit Deus cœlum & terram. Quattro cose furo create al principio, il cielo empirio, li angeli, i cieli di sotto, egli elementi, &c.*

Hoc idem posterius quadragesimale extat Parisiis in Bibl. Reg. cod. MS chartac. fol. par. n. 7707 a medio volumine hoc titulo: *Qui cominciano le prediche de la creatione del mondo, lequale Frate Giordano comminciò una quaresima di* VII *di março* CCCIIII *prosequitandò questa materia ogni sera. In principio*, &c. ut supra.

Post illas de creatione conciones sequuntur in eo codice duæ. I. *Ductus est Jesus in desertum a spiritu ut tentaretur a diabolo. Queste furo due prediche, de le quali ricolsi quelle parole brievemente che più mi parvero da notare. Dico che in questa battaglia Cristo s'armò di quattro armi cioè il deserto &c.* Concio altera: *Cùm jejunatis* &c. eadem quæ supra in codice S. Marci.

Eodem cod. reg. 7707 in priori parte voluminis est aliud quadragesimale ejusdem Jordani super symbolum apostolorum. Princ. *Al nome di Dio e de la vergine Maria e di tutti santi e sante di paradiso. Qui comincia il tratato sopra il Credo, il quale Frate Giordano da Pisa de' Frati Predicatori predicò in Firenze tutta una quaresima, nel quale si contiene la nostra fede, la quale fede è utilissima &c.*

Post concionem de resurrectione carnis est concio super illa verba: *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.*

Quædam ἀντιλογία codicem S. Marci inter & codices S. Mariæ Novellæ & regium quantum ad primam diem quadragesimæ videtur, quam primus ponit 3 martii, alii duo 7 ejusdem mensis anno 1304: sed facilè elevatur. Nam certum stylo veteri Gallico, quem in usu tum apud Florentinos exinde probatur, anno 1304 novo 1305 quo num. aur. 14 lit. Dom. C. diem cinerum 3 martii fuisse & Dominicam primam quadragesimæ 7 ejusdem mensis, Pascha 18 aprilis. Itaque F. Jordanus conciones matutinas die cinerum, serotinas Dominica I tantum, quæ tum primus dies quadragesimæ, ut revera est ex antiquis & ex ipso S. Thoma, statuebatur, inceperit, quod clarum.

Non omittendum autem quod in codice S. Marci citato initio scriptum sic legitur: *F. Thomas Caccinius magister* (de quo postea vir lingua Etrusca elegans) *hunc librum communi exposuit lectioni ob linguæ Florentinæ maximam puritatem, qua hic auctor* (F. Jordanus) *apprimè nitet: unde a Leonardo*

nardo Salviate equite praclaro inter scriptores nostra Florentina loquela, velut unus ex præcipuis recensetur.

Præterea: *Predica la quale predicò Frate Giordano lettore de' Frati Predicatori di S. Maria Novella* MCCCV *dì* XXII *di Luglo giovedì mattina il dì di S. Maria Madalena, a la chiesa sua nella costa a san Giorgio, aggiuntavi la leggenda della medesima santa.* Extat Florentiæ in Bibl. Medic. Plut. LXI cod. MS 28 papyr. fol. & in codice post alia n. 4. Princ. *Maria optimam partem.* Finis: *In questo libricciuolo.*

1305. Lit. Dom. C.

T. I Sermonum F. Raphaelis delle Colombe in prologo p. 10, ubi a puritate linguæ Florentinæ plurimum extollitur F. hic Jordanus, sic lego ad marginem: *Tosto manderà fuora il sig. Giouambatista Strozzi l'Oriuolo della sapienza di Fra Giordano ritrovato fra le antichità.* Quæ promittebantur anno 1619.

F. JORDANUS DE RIVALTO.

† 1311.

F. Jordanus de Rivalto Italus an sic dictus a Ripa-alta ditionis Mediolanensis ad Aduam fluvium oppidulo magna Venetorum a Gallis cæde sub Ludovico XII Francorum rege celebri, an ab alio loco sic etiam nuncupato, cujus apud nostrates nulla certe memoria, laudatur a Francisco Redi in edito 1678 vernacula Italiæ lingua tractatu, seu verius epistola *intorno all'inventione degli occhiali*, in Diario Eruditorum Gallico ad annum 1679 Febr. 13 Relat. IV commendata, ubi Jordanus hic noster vir perorandi facundia clarus dicitur, mortuusque anno 1311, Pisis jacere apud nostros, servarique apud eosdem quod anno 1305 scripserat

Volumen concionum

In quarum una Jordanus perspiciliorum usum & artem asserit non ante quam ille scriberet, annos viginti natam, & a F. Alexandro Spina Pisano de quo supra publicam in utilitatem evulgatam. Num tamen unus idemque Jordanus hic cum præcedenti de Pisis dicto non parvum mihi dubium est, cùm pleraque conveniant, & annus mortis & sepulturæ locus, & conciones 1305 habitæ. Quod si unus idemque sit, cur *de Rivalto* nuncupetur gentilibus suis discutiendum relinquo. In Diario Veneto cui titulus, *La galeria di Minerva*, typis Hieronymi Albrizzi 1696 fol. edito pag. 16 sic legebam: *Lettera intorno all'invenzione delli occhiali scritta dal sig. Francesco Redi al sig. Paolo Falconieri, Florentiæ, Petri Martin in 4. L'autore (delli occhiali) fosse F. Alessandro Spina del convento di S. Caterina da Pisa, che morì nel* MCCCXIII, *il tutto deducendo (detto Reddi) da vari* MS *antichi, e da una predica di F. Gordiano di Rivalto, che visse con il detto Spina nel proprio convento mentovato di Pisa e che morì nel* MCCCXI, *il che pure scrisse F. Bartholomeo da S. Concordio.* In indice vero, quem vocant *Errata*, hujus Tomi primi, nullum ibi mendum corrigitur, unde sequeretur erratum in Diarium Gallicum irrepsisse, istumque de Rivalto ab eruditis Gallis dictum Jordanum, qui dicendus erat Gordianus, sicque alter a superius laudato. Ambiguum in quo versor ab eruditis Etruscis spero tollendum.

F. THEODORICUS SAXO.

* 1311.

F. Theodoricus Saxo cujus patriam & domum ordinis nativam annales nostri non produnt, sed provinciæ Saxoniæ alumnum præstant, eamdem titulo provincialis a duobus tribusve annis regebat Aichardi de quo supra successor, cùm anno MCCCXI in comitiis ordinis Neapoli habitis ab ea præfectura exoneratus est, & Parisios ad legendas sententias pro gradu magisterii consequendo missus. Sic enim in actis: *Absolvimus priorem provincialem Saxoniæ, & mittimus Parisius ad legendum &c.* & postea Tit. *Assignationes: Assignamus ad legendum sententias Parisius F. Theodoricum de provincia Saxoniæ.* Cùm autem ea fuerit ultima gratia a magistro ordinis Aimerico Placentino concessa, nam in iisdem comitiis magistratum abdicavit, eique hæc laus detur erga elegantia ingenia æquum & favorabilem fuisse, hinc conjiciendum hanc Theodorico assignationem ob præclaras animi dotes ab eo datam. Eum facile crediderim de quo Laurentius Pignon sic habet n. 47:

F. Theudericus scripsit

In quatuor libros sententiarum.

Scripserat antea

De radialibus impressionibus ad Aimericum Placentinum ordinis magistrum.

Ejus meminerunt Leander fol. 153 b. Lusitanus p. 233 & sequaces, tandem Altamura ad 1309.

F. GUALTERUS DE JORZ.

† 1311.

F. Gualterus de Jorz Anglus frater germanus Thomæ de Jorz cardinalis de quo supra ad 1310, postquam in ordine miro virtutum odore fulsisset, anno MCCCVII ad Armachanæ sedis totius Hyberniæ primatialis infulas evectus est, quas ille consecutus ac consecratus die XVI novemb. MCCCXI abdicavit, uti Varæus refert, eique germanus alter, ejusdemque cum illo ordinis Prædicatorum sodalis Rolandus de Jorz dictus successit in eadem dignitate a Clemente V promotus, & ab Edwardo II (aliis est IV) temporalibus restitutus die XV sept MCCCXIII inquit Varæus citatus, quam etiam infulam Rolandum abdicasse postea die XX martii MCCCXXX idem ibidem addit Varæus, eique suffectum alium Walterum de la Pole, quæ tamen illi parum certa sunt & mihi. Ut ut sit, Gualterum de Jorz archiepiscopum Armachanum fuisse omnes consentiunt, & asserit speciatim Bernardus Guidonis supra relatus, ubi de Thoma Jorzio. In Hist. Oxon. Acad. p. 64 sic de isto legitur: *Gualterus Joyce sive Jorse pietate & doctrina cum primis depredicandus, qui cùm hic* (id est in scholis publicis Prædicatorum Oxoniensibus) *aliquantisper docuisset, in archiepiscopum Armachanum & totius Hyberniæ primatem anno plus minus* MCCCVIII *emersit.* Ejusdem inter archiepiscopos meminit Leander fol. 86 b. Hæc ejus opera laudantur a Lusitano

Summa theologiæ libris IV *distincta.*

Quæstiones variæ.

De peccato originali.

His Pitseus addit

Promptuarium theologiæ libris tribus.

De peccatis in genere tractatum.

Fernandez addit *Scriptum in* IV *libros sententiarum*, idem fortè cum Summa theologiæ.

Altamura ad 1316 & ipse addit, *scriptum in primos psalmos Davidicos*, de quo silent alii.

Alva Sol. Verit. Rad. 193 col. 1469 contendit a Bostono Buriensi Jorzium hunc inter scriptores Anglos non laudari: sed cùm ipsemet fateatur Bostonum a se non visum nec lectum, non ægre ferat, si ei fides tam facilè non habeatur, quod præterea etiamsi verum esset, nihil probaret, nam non omnes qui scripserunt Anglos recensuit Bostonus. Emendandus Varæus cùm ex Volaterrano lib. I comment. Urban. Gualterum hunc Jorzium Edwardo regi dicit fuisse a confessionibus, & Genuæ obiisse: id enim verum de Gualtero Winterburnio de

Sæc. XIV. quo ſupra, qui cardinalis exiſtens Genuæ obiit anno 1305.

• 1311. HOc eodem anno MCCCXI recenſentur in catal. Angl. T. I P. I n. 1835 *Acta Fratrum Prædicatorum & magiſtrorum univerſitatis Oxoniæ in curia Romana in cauſa ſtatutorum de gradibus religioſorum.* & n. 8563 idem, ſed additur, *Oxonii anno Dñi* MCCCXI.

F. MATTHÆUS DE PONCIACO.

• 1312. F. MATTHÆUS DE PONCIACO Neapolitanus provinciæ Regni Siciliæ alumnus, vir ut illuſtri Gallico ſanguine DD. *di Salice* e Guagnano aliarumque in provincia Hydruntina terrarum ortus, ſic & morum integritate doctrinaque & prudentia ſpectatiſſimus, anno circiter MCCCXI conſtitutus eſt auctoritate apoſtolica per regnum Siciliæ fidei quæſitor generalis: ejuſque mentio habetur in actis Roberti regis & Joannæ I reginæ Neapolitanæ in archivo regio Neapoli ſervatis litt. C. fol. 285, & in Extravag. Joannis XXII. Videſis Vallium compend. p. 104. Hunc Toppius laudat in ſua *Bib. Napol.* fortè quod quædam ab eo opera prodiiſſe conjecerit, ſaltem

Acta ratione officii inquiſitionis.

F. BERENGARIUS DE LANDORA.

† 1312. F. BERENGARIUS DE LANDORA Gallus Occitanus natione fuit, patria Rutenenſis, clara nobilique ac perantiqua ſtirpe Landora Rutenenſium præcipua ſatus. Is anno circiter MCCLXII apud Rutenas natus patrem habuit Arnaldum de Landora dominum de Salomedio vernacule *Solmiech* & de Ricoſtario vicecomitem de Cardacio. Adoleſcens annorum circiter viginti ſpretis avitæ nobilitatis fulgoribus ordinem ingreſſus eſt Toloſæ die SS. Gordiani & Epimachii X maii MCCLXXXII, quæ erat Dominica, nam lit. Dom. D, & anno revoluto profeſſus, continuiſque profectibus ſeipſo ſemper major evaſit. Chronologiam ejus geſtorum placet ex actis proferre.

Anno MCCXC in actis cap. prov. Appamiis lector Phyſicæ ſeu naturarum, ut tum loquebantur inſtitutus eſt.

Anno MCCXCII a cap. prov. Brivis habito Montempeſſulanum ad ſtudium generale miſſus eſt ut ſtudens honoris ad proficiendum: poſtea eodem titulo Pariſios miſſum ad gymnaſium Sanjacobeum conjicio.

Anno MCCC in cap. prov. Maſſiliæ poſt generale ibidem habito Prædicator generalis inſtitutus eſt.

Anno MCCCI in cap. prov. Agenni datus eſt Toloſæ primarius theologiæ lector: quod indicat jam antea ſecundarii vices obiiſſe.

Anno MCCCII in cap. prov. Carcaſſonæ ſedit diffinitor ſemper lector Toloſanus.

Anno MCCCIV in cap. prov. Toloſæ ſocius diffinitoris electus eſt pro comitiis ordinis anno ſequenti MCCCV Januæ habendis.

Anno MCCCV in actis dicti cap. gen. Januenſis Pariſios miſſus fuit ſententias publice lecturus, ubi & in ſacra facultate baccalaureus promotus.

Anno MCCCVI abſens ad provinciæ Toloſanæ regimen aſſumtus eſt, electus vigilia Magdalenæ in cap. prov. Figiaci prior provincialis. Dum eo munere fungeretur anno MCCCVII die XII ſive IV idus Octob. inveteratam Carcaſſonenſium civium adverſus ſodales noſtros ſedavit tempeſtatem jam ante annos ſex excitatam, qua furentes hæretici præpotenteſque in ea civitate facti adverſus inquiſitores & ideo etiam adverſus Symmyſtas mire ſævierunt, quos cum civibus Landora conciliavit, impoſita his 500 librarum Turonenſium in damnorum redemtionem mulcta Prædicatoribus refundenda.

Anno MCCCVIII menſe martio Pariſios rediit ſententias pro biennio quod ei ſupererat ad magiſterium conſequendum lecturus, quamobrem dicti menſis XXVI a cancellario Pariſienſi fuit ut vocant licentiatus. Erat tum adhuc provincialis, ſed ea de cauſa in cap. gen. Paduæ, quod fuit diffinitorum primum eodem anno in feſto pentecoſtes de more ſecunda junii celebrato ab eo munere fuit exemptus. Sic enim in actis: *Abſolvimus priores provinciales &c. Item Toloſana provincia ex eo quod cùm ſit licentiatus de novo ad magiſterium theologiæ, debet in Pariſienſi ſtudio remanere pro officio magiſterii exequendo.* His non obſtantibus

Anno MCCCIX affuit comitiis ordinis Cæſarauguſtæ ſuæ provinciæ diffinitor, & in reditu eodem officio functus in provincialibus Petrocoræ circa feſtum Petri & Pauli habitis, hincque Pariſios ad complendum magiſterii triennium reverſus eſt.

Anno MCCCX in cap. prov. Appamiis julii XXIX iterum electus eſt Toloſanæ prior provincialis, quo munere dum fungitur, concilio Viennenſi menſe octobri MCCCXI habito ad VII maii ſequentis interfuit vicarius tum ordinis generalis ob ſpontaneam Aimerici Placentini magiſtratus abdicationem.

Anno MCCCXII in comitiis ordinis Carcaſſonæ ſabbato vigilia pentecoſtes XIII maii ad univerſi regimen ordinis aſſumtus eſt.

Anno MCCCXVII a comitiis ordinis Pompelone habitis abfuit, legatione tum fungens apoſtolica, a Joanne XXII de gravioris momenti negotiis ad regem Franciæ Philippum V miſſus. Apud quem dum commiſſa ſtrenuus & ſolers exequitur, ab eodem pontifice deſignatur archiepiſcopus Compoſtellanus, eique nominationi Pariſiis exiſtens in domo Sanjacobea conſenſum præbuit anno eodem ſeptemb. XV, unaque magiſtratu ceſſit.

Anno MCCCXVIII Avenionem reverſus, legationiſque ratione reddita conſecratus eſt dominica in albis april. XXX.

Tandem ſummi pontificis cui acceptiſſimus erat, legati titulo decoratus apoſtolici Avenione relicta Hiſpanias petiit, Locroniumque XXIV auguſti ingreſſus, ad regis Alphonſi pupilli reginæque matris Mariæ qui tum Pinciæ ſedebant, aulam properavit: ſuoque apud regem officio perfunctus, inde Compoſtellam profectus eſt Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem initurus: in quo longas & acerbas ſuſtinuit, ſubditorum rebellione nobilium, juris Eccleſiæ caſtra & municipia prædiaque per vim uſurpantium, animi præliorumque moleſtias, quas fuſe Caſtillus Hiſt. Gen. ord. P. II lib. I cap. 34 & ſeqq. ex cujuſdam antiqui codicis apud Salmanticenſes ut ait inventi & aſſervati fide deſcribit, & ab eo Gil Gonzales Theat. Eccl. Hiſp. T. I, quæ hîc referre vel etiam perſtringere noſtri non eſt inſtituti, & fortè lectori odioſum eſſet & tædioſum. Compoſitis itaque tandem cum ſubditis rebus, gregem ſuum optime rexit, ſynodum habuit, erga miſeros & pauperes liberalis & pronus, in Eccleſiam ſuam largiſſimus fuit, in cujus tamen ſinu ultimo quieſcere illi non contigit.

De illius obitu varie ſentiunt auctores. Leander eum zelo fidei ſuccenſum contra Mauros ſtrenue pugnantem lethali accepto vulnere ſauciatum Cordubæ inter preces & lamenta Fratrum religioſiſſime obiiſſe anno Chriſti MCCCXXV ſcribit, quem Fontana Theat. p. 67 & Monum. p. 186 aliique nullo ſequuntur vade legitimo: quod Caſtillus citatus c. 38 rejicit ea ratione, quod per id tempo-

his nulla sit expeditionis adversus Mauros apud historiæ Hispanæ scriptores memoria. Itaque cum Castillo non Cordubæ, nec anno MCCCXXV, sed Hispali anno MCCCXXX die XX seu potius XVIII septemb. ut ex actis postea referendis constabit, in domo Prædicatorum obiisse, ejusque corpus ad tempus depositum fuisse pro certo asserendum. Quod & instrumenta authentica his mox adjungenda invicte probant, & ex eo confirmatur, quod ante annum MCCCXXXI datus ei non est in sede Compostellana successor, ut videre est apud Gonzalem citatum. Hispali verò Rutenas ejus corpus ex ultimæ voluntatis tabulis fuisse translatum per ordinis magistrum in obedientia Benedicti XIII papæ Avenionensis Joannem de Podionucis anno MCCCCIV die XXV aprilis ex mox referendis litteris accipimus, ubi in sacrario domus nostræ magna etiam num veneratione servatur, & miraculis virtutibusque claruisse traditur.

Quem tot annis theologiæ e superiori loco docendæ incubuisse vidimus, de ea tractatus aliquot, & saltem pro seculi sui more scripta in IV sententiarum libros reliquisse facile crediderim, sed quæ posterorum incuria vel perierint, vel alicubi cum tineis & blattis neglecta pugnant. At extant adhuc ejus

Encyclicæ litteræ quinque e capitulis generalibus quibus præfuit datæ, pietate omnes conditæ & regularis vitæ studium spirantes.

Prima data Carcassonæ XXII maii MCCCXII: *In exordio mihi impositi muneris.*

II Metis X junii MCCCXIII: *Cura suscepti officii.*

III Londonis II junii MCCCXIV: *In verbis labiorum meorum.*

IV Bononiæ XVIII maii MCCCXV: *Lapsus* (fortè *Sensus*) *humani facilis labilitas in peccatum.*

V apud Montempessulanum VI junii MCCCXVI: *Celsioris status conditio.* Omnes in fine actorum.

Acta ejus legationum Gallica & Hispana in archivis regiis & Vaticanis servata.

Votum ejus doctrinale de articulis vestes & paupertatem Franciscanorum tangentibus Avenione datum anno MCCCXVII vel XVIII nondum consecratus unâ cum pluribus aliis sacræ theologiæ magistris à Joanne XXII selectis. Videsis Clar. Baluzium Miscell. T. I p. 270.

Pacta conventa cum baronibus & civibus Compostellanis in archivo ejus Ecclesiæ servata.

Sequuntur acta authentica, quædam ab episcopo Montispessulani Francisco Bosquet viro non minori pietate quam eruditione clarissimo de eo ejusque familia collecta, quædam ex antiquis ordinis monumentis deprompta.

De familia.

» Gens de Landora ditionis Rutenensis præcipua » fuit, & antiquioris nobilitatis, cujus nomen nulla licèt arx castrum aut oppidum habeat; ditio » tamen apud Rutenos hoc nomen Landoræ usurpat, cujus & præcipuum oppidum ac feudum est » Solomedium vernacule *Solmiech* vel *Solmiez*: quæ » Landoræ familia jam ante annos ducentos in familiam ejusdem gentis Rutenorum de Stagno, » Gallice *d'Estaing* etiamnum florentem & præcipuam coaluit & transiit: unde & Stagnenses hodie cum Arpajonensibus vicecomitibus Rutenorum familiæ principis de loco & dignitate contendunt & præcellentia in comitiis provinciæ, ut » communiter dicatur inde, ne gens & familia alteram præcedere videatur & antecellere, *Estain-Arpajou, Arpajou-Estaing*, quasi nobilitate & antiquitate pares & æquales.

» Anno MCCLXXXVI Berengarius de Landora » erat canonicus sub Raimundo de Calmonte aliâs de Calomonte episcopo Rutenensi, a quo commissarius delegatus est ad gravia negotia «.

Anno MCCCXVI in actis cap. gen. Montispessulani post summum pontificem, cardinales, archiepiscopos, episcopos, reges & reginas speciatim singulos nominatos commendantur ad suffragia pro vivis dñus A. de Landora & ejus fratres germani Berengarii magistri ordinis, & ejus soror dña Hellis.

An. MCCCXVIII Amalricus de Landora erat canonicus Ecclesiæ Ruteneñ. frater germanus Berengarii nostri.

Ex antiquis ordinis monumentis.

Ex Bernardo Guidonis in indice magistrorum in theologia n. 55: *F. Berengarius de Landorra Rutenensis diœcesis licentiatus in crastino Dominicæ annunciationis inchoato jam anno Dñi* MCCCVIII. *Erat autem tunc prior provincialis provinciæ Tolosanæ Parisios ad hoc missus.* Quod monet inchoatum jam annum Dñi MCCCVIII, indicat in Occitania initium anni ductum a XXV martii, cùm in Francia proprie dicta ut Parisiis inciperet a pascha, quod eo anno accidit XIV aprilis.

Ex eodem in indice provincialium: » Tertius » prior provincialis F. Berengarius de Landorra » diœcesis Rutenensis successit F. Bertrando de Claromonte Bragerlacensi, electus a capitulo provinciali in vigilia B. Mariæ Magdalenæ in Figiaco » congregato, & in sequenti mense augusti a magistro ordinis F. Aimerico confirmatus. Erat autem baccalaureus in theologia in conventu Parisiensi tunc positus & existens, ubi recepit litteras suæ confirmationis sequenti mense septembris » anni MCCCVI. Prior provincialis fuit annis quasi » duobus, fuitque absolutus propter magisterium » theologiæ in capitulo generali Paduano in festo » SS. Primi & Feliciani V nonas junii MCCCVIII «. Percinus in Monum. Tolos. p. 69 legit VI nonas junii, sed utrobique erratum, nam non datur nec V nec VI nonas: legendum itaque V idus junii, quo non solum in ultimis, sed in omnibus ab initio nostris kalendariis notatum fuit festum SS. Primi & Felic. & erat octava pentecostes, quo die legebantur acta.

Idem ibid. » Hic anno MCCCVII IV idus octob. » reconciliavit Fratres Prædicatores cum villa Carcassonæ ab anno MCCCI contra Fratres sæviente, » quibus illa appendit in pœnam libras quingentas » Turonenses pro reconciliationis gratia. «

Idem ibid. » F. Berengarius de Landorra præfatus secunda vice successit F. Guillelmo de Hanchanis Tolosano electus in cap. prov. Appamiensi » ultima die capituli scilicet in octava B. M. Magdalenæ anno Dñi MCCCX. Prior provincialis fuit » annis fere duobus: fuit autem assumtus de provincialatu in magistrum ordinis in vigilia pentecostes tertio idus maii anno MCCCXII. «

Idem in indice magistrorum ordinis. » XIII magister ordinis fuit F. Berengarius de Landorra magister in theologia oriundus ex diœcesi Rutenensi in » provincia Tolosana, qui successit F. Aimerico Placentino, fuitque electus in generali capitulo Carcassonæ in vigilia pentecostes tertio idus maii anno Dñi MCCCXII. Congregatis siquidem ex more » electoribus & inclusis, inter quos erant XVII priores provinciales scilicet FF. Lupus Hispaniæ, Berengarius Tolosanæ, Hervæus Franciæ, Conradus Lombardiæ inferioris, Philippus Romanæ, » Raimoldus regni Siciliæ, Nicolaus magister in » theologia Oxoniensis Angliæ, Henricus Teutoniæ, » Canutus Daciæ, Peregrinus Poloniæ, ... » Terræ-sanctæ, Petrus Barbois Biterensis Græciæ, » Dislaus Boemiæ, Romeus magister in theologia » Aragoniæ, Joannes de Bosco Saxoniæ, Guillelmus de Lauduno Provinciæ, Barnabas Lombar- »

Sec. XIV. » diæ superioris, cùm essent XLV (*alibi dicit* XLVI) » numero electores, in primo scrutinio XXXVI (*alibi dicit* XXXVII) ipsum in magistrum ordinis nominarunt, cæterisque omnibus accedentibus & » consentientibus in eumdem, electus est concorditer & in pace. Erat autem tunc provincialis provinciæ Tolosanæ & vicarius ordinis, compleveratque triginta annos in ordine, ac præcedenti » tertia die electionis prædictæ XXXI annum inchoaverat quem Tolosæ in adolescentia sua est ingressus anno Dñi MCCLXXXII mense maio in festo SS. » Gordiani & Epimachi martyrum. Hic præfuit in » magisterio ordinis annis quinque mensibus quasi » tribus (*alibi dicit & verius* quatuor) fuitque factus archiepiscopus Compostellanus per provisionem D. papæ Joannis XXII, cui provisioni consensum præbuit in conventu Parisiensi XVII kal. « octob. MCCCXVII, & fuit a magisterio absolutus.

De ejus morte, sepultura, & translatione ex instrumentis æqualibus.

» In nomine Dñi. Amen. Noverint universi quod » anno Dñi MCCCXXX & die XX mensis septembris » in Ecclesia monasterii FF. Prædicatorum Hispalensi in præsentia mei notarii & testium infra scriptorum, coram religioso viro F. Dominico Velasci » tenente vices prioris dicti conventus constitutus » religiosus vir F. Bernardus socius quondam R. P. » D. F. Berengarii archiepiscopi Compostellani, dixit, denunciavit, & protestatus fuit, quod cùm » R. P. D. F. Berengarius archiepiscopus Compostellanus ordinaverit in sua ultima voluntate, quod » renes sui cum visceribus sepelirentur in dicto monasterio, & quod ossa sua portarentur ad monasterium FF. Prædicatorum de Rutena, ubi suam » elegit sepulturam: ideo protestabatur dictus F. » Bernardus, quod corpus dicti D. archiepiscopi » tali conditione deponebat in dicto monasterio, » videlicet quod quandocunque ipse F. Bernardus, » vel quivis alius ossa dicti D. archiepiscopi vellet » portare ad dictum monasterium de Rutena, quod » libenter permitterent & dimitterent portare ad » dictum monasterium. Et dictus F. Dominicus dixit quod placebat, & quod nunquam dicta ossa » impedirent per eum, nec per conventum dicti » monasterii, dum modo ille qui dicta ossa voluerit portare, faciat quod non impediant per concilium dicta ossa. De quibus dictus F. Bernardus » petit sibi fieri publicum instrumentum, præsentibus D. Aymerico thesaurario, Bernardo de Rupe, » & Joanne Gui canonicis Compostellanis, Joanne » Marino, F. Petro socio quondam dicti D. archiepiscopi, F. Bartholomæo Hispalensi, F. Stephano & Joanne Sancy familiare dicti dñi Hispalensi. Et ego Raymundus Gondissalvi de Caldes dicti Compostellani publicus apostolica auctoritate notarius præsens fui.

Instrumentum translationis.

» In nomine Dñi. Amen. Noverint universi & » singuli præsentis publici instrumenti seriem inspecturi, quod anno a nativitate ejusdem Dñi » MCCCCIV indict. XII die verò XXV mensis aprilis, » pontificatus SS. in Christo patris & D. N. D. Benedicti divina providentia papæ anno X: in mei » notarii publici & testium infrascriptorum præsentia, existentibus & personaliter constitutis Hispali in Ecclesia monasterii ordinis FF. Prædicatorum » R. in Christo P. & D. D. F. Joanne in sacra » pagina, ac ejusdem ordinis magistro generali ex » una parte: ac reverendis ac religiosis F. Bernardo Henrico priore provinciali provinciæ Castellæ » ejusdem ordinis, ac F. Garcia priore & F. Alphonso in sacra pagina magistris, & F. Lupo, F. Martino, F. Didaco de omnibus Sanctis, F. Petro, F. » Alphonso & F. Joanne Cordubensi doctoribus, & F. Joanne Martino socio præfati dñi provincialis, « & F. Martino de Sancto Luca, F. Joanne Ispalensi, F. Alphonso de Sancto Andrea, F. Petro de « Nebula, F. Alphonso de Sancta Magdalena, F. « Fernando de Sancto Joanne, F. Garcia Gondisalvi, « F. Fernando de Sancto Vincentio, F. Roderico « Fernandi, F. Alphonso Legion. F. Joanne de « calle Catalanorum, F. Alphonso de Nebula, F. « Joanne Roderici, F. Alphonso Hispalensi, F. Martino Hispalensi, F. Alphonso de Lucduena, F. « Joanne de calle armorum, & pluribus aliis ejusdem monasterii Hispalensis Fratribus conventualibus parte ex altera: idem dictus generalis dixit, « quod cùm ipse ex devotione & reverentia « quam habebat ad reverendum in Christo patrem « & dñum D. Berengarium de Landorra quondam « magistrum præfati ordinis XIII, ac post archiepiscopum Compostellanum, vellet ossa ejus transferre ad provinciam Tolosanam & conventum « Rutenensem præfati ordinis ob honorem dictorum provinciæ & conventus, ac etiam propter « reverentiam generis ac domus inclitæ de Landorra de qua prædictus pater fuerat oriundus, in qua domo adhuc ista die nepotes præfati Domini supervivunt: ideo rogabat & mandabat prædictis « dominis priori & fratribus, quatenus sepulcrum « in quo corpus ejusdem domini archiepiscopi, tumulatum extitit sibi demonstrarent ac ejusdem « ossa, ut eadem posset transferre, ut prædicta traderet. Prædicti verò prior & Fratres respondentes dixerunt, quod erat publica vox & fama, & « ita audiverant dici a suis prædecessoribus ejusdem « Hispalensis monasterii ac ordinis Fratribus, quod « corpus prædicti dñi archiepiscopi fuit intumulatum « in capitulo prædicti monasterii, & ibidem viderunt arma & ejus insignia, videlicet vexillum, scutum, & capellum pontificalem, & adhuc hodie ibi « apparent: postmodum fuit translatum in præfatam Ecclesiam dicti monasterii Hispalensis in capella B. Petri martyris sub quodam arcu in quodam tumulo, a quo postmodum nunquam fuit « extractum, nec ante nec post quisquam fuit sepultus, & specialiter prædicti F. Martinus de « Sancto Luca, & F. Joannes Ispalensis, & F. Alphonsus de Sancto Andrea dixerunt, quod viderunt corpus prædictum in eodem tumulo recondi. « Et illico præfatus dñus generalis prædictum tumulum aperiri mandavit, & intus inventa fuerunt « ossa prædicti dñi archiepiscopi involuta in vestibus pontificalibus & syndone, in quibus erant « arma B. Jacobi vulgariter dicta *Venetas*. Nihilominus fuerunt reperta in eodem sepulcro chirothecæ pontificales, & plura alia signa pontificalia. « Et idem dñus generalis reverenter recepit prædicta ossa ad transferendum ad dictam provinciam « Tolosanam & conventum Rutenensem ut prædicitur, petens inde fieri unius & ejusdem tenoris « duo publica instrumenta. Acta fuerunt hæc ubi « & quando supra: præsentibus religiosis viris F. Petro de Cruce, & F. Durando de Boscomagno « sociis, ac Petro Chaberti familiare ejusdem dñi « generalis, & Michaele Roderici Barbitonsore, Lupo Sancii Lapicida, Didaco Sancii & Petro Sancii Lignifabro civibus Hispalensibus testibus ad « præmissa vocatis specialiter & rogatis.

» Et ego Dominicus Luppi de Bizano Ecclesiæ « Occitanæ clericus publicus apostolica auctoritate « notarius præmissis interfui: ideo præsens procurationis instrumentum manu mea propria scriptum in hanc publicam formam redigendo signo « meo solito signavi rogatus & requisitus in testimonium præmissorum ».

Ex pervetusto necrologio in pergameno domus Rutenensis ordinis Prædicatorum.

» Anno Dñi MCCCCVI & die XVIII mensis maii » jussu Joannis de Molendino reverendissimi ma- » gistri ordinis Prædicatorum, F. Joannes de Po- » dionucis conventus Lemovicensis reportavit de » conventu Ispalensi conventui Rutenensi ossa re- » verendissimi in Christo patris D. Berengarii de » Landorra archiepiscopi Compostellani : & in re- » tributionem tanti laboris Fratres conventus Ru- » tenensis concesserunt ei, quod semel in anno » in die prædicta missa B. Dominici pro incolumi- » tate ipsius in conventu solemniter celebretur, & » post mortem ejus in missam mortuorum commu- » tetur. Dies verò obitus prædicti rever. archie- » piscopi fuit die XX septemb. anni MCCCXXX, fuit- » que post mortem miraculis clarus, ut notatur in » eodem libro obituum conventus Rutenensis die » XX mensis septembris «.

In hoc excerpto ex necrologio Rutenensi duo sunt valde notanda : primum est magistrum ordinis XX Joannem de Molendino anno MCCCXLIX electum, & mense decemb. sequentis MCCCL cardinalem creatum, anno demum MCCCLVIII mortuum voluntatem ultimam Berengarii de ossibus suis Rutenas reportandis scivisse, propertereaque pro singulari familiaritate qua ei viventi aliàs conjunctus fuerat, ut desiderium ejus quam primum impleretur jussisse, ac in scriptis ne e memoria laberetur præceptum reliquisse : quod cùm varia incommoda eo usque non permisissent, tandem Joannes de Podionucis summa fide exequutus est.

Alterum notandum est de die mortis Berengarii, quem scriptores necrologii statuunt XX septemb. de quo tamen ut dubitem, facit kalendarium obitibus magistrorum ordinis speciatim scribendis destinatum in antiquo illo officio ecclesiastico a B. M. Humberto V ordinis magistro concinnato, & apud Sanjacobeos Parisienses servato : in eo enim manu æquali scriptum sic legebam : XIIII *kal. octobris obiit D. Berengarius magister ordinis XIII* : quæ obitum ejus ad diem XVIII septemb. astruunt. Quis forsan hæc concordet dicendo Kalendarium Sanjacobeum verum diem obitus indicare : Rutenenses verò diem quo actum instrumentum depositionis corporis inter manus Hispalensium accepisse pro die obitus, quamvis jam duos ante dies e vivis abiisset. Utut sit nam leve est discrimen, mirum est in martyrologiis nostris ab editione Veneta anni 1582 ad ultimam Romanam anni 1695 obitum ejus ad primam septembris collocari, quod ex allatis instrumentis emendandum.

Cujus conventus filius fuerit Berengarius dubitant aliqui : Percinus Monum. Tolos. p. 69 domus Tolosanæ alumnum contendit, ex eo quod in ea indutus fuerit & professus : at ex lege quæ tum in ordine vigebat, qua sodales non ad eam in qua induebantur aut profitebantur, sed ad eam diœcesis cujus erant domum pertinebant, Tolosæ indutum Berengarium & professum fateor, quod anno MCCLXXXII nondum erecta esset domus Rutenensis : sed ex quo anno MCCLXXXIV Rutenis ad civium preces positus fuit conventus, sic enim in actis cap. prov. Perpiniani eo anno habiti legitur : *Recipimus conventum apud Rutenam, & instituimus in primum priorem F. Joannem de Texieriis Cadurcensem*, ex hoc Berengarium novæ hujus domus alumnum habitum censeo. Lex enim illa in provincia Tolosana adeo severe servabatur, ut in actis cap. prov. Brageriaci anno MCCCXVII habiti sic legatur de novitiis recipiendis : *Inhibemus districte, quod nullus recipiatur nisi de terminis sua prædicationis.* Prædicatio tum dicebatur quæque ordinis domus, cujus termini intra diœcesim cujus erat concludebantur, vel si plures erant in eadem diœcesi, a superioribus constituebantur. Adde Berengarii etiam in Hispania archiepiscopi, etiam Hispali decumbentis domus Rutenensis præ Tolosana electionem, ut in illa sepeliretur, signum esse illam ab eo ceu maternum sinum in quem se referri volebat, spectatam fuisse.

Legendus Clar. Baluzius Pap. Aven. T. I col. 694, ubi plura selecta tum de familia tum de gestis Berengarii refert, quæ hac ratione omitto, licèt eadem mihi occurrerint & visa sint acta MS. Moneo solum illum in eumdem errorem incidisse de morte Berengarii, in quem Leander & ab eo alii ordinis scriptores impegerunt, quia ea de re hos solos legerat, nec instrumenta authentica supra allata viderat, ex quibus omnes emendandi.

In Bibl. August. apud Reiserum p. 126 sic legitur :

Berengarius archiepiscopus Compostellanus de eventibus rerum, Augustæ, 1518.

An Berengarii nostri opus sit, an alterius monachi nigri, qui ante nostrum sederat, discutiant penes quos liber, nam præter hos duos nullus hujus nominis alius huic Ecclesiæ præfuit.

Parmam gentilitiam familiæ nostri sic describit Petrus de Stagno in paranympho Berengarii de Landorra nostri nepotis circa MCCCLX laurea in jure donandi : *scilicet, in area coccinea Leo aureus rapidus.* Ex cod. MS 763 Bibl. Colbert.

F. JACOBUS ARMANNIUS.

1312.

F. JOCOBUS ARMANNIUS Italus Umber patria Eugubinus (*Gobio* vulgo) nostris nomenclatoribus hactenus aut ignotus aut omissus, primus est plurium ejusdem nominis & gentis a Jacobillio in Bibl. sua Umbriæ laudatorum, quem ad 1312 claruisse refert, & civitatis Bononiensis fuisse concionatorem & scripsisse opus MS in Bibl. ducis Urbini servatum hoc titulo

De nobilitate hominis.

F. FRANCISCUS GRAVANO.

† 1312.

F. FRANCISCUS GRAVANO Ligur Januensis inter scriptores recensetur a Lusitano, & ad MCCCXII claruisse dicitur, quem excipiunt Possevinus, Gratianum corrupte nuncupans, Castillus P. I lib. 3 cap. 57 & P. II lib. 1 cap. 31, Pius P. II lib. 1. Abbas Justiniani *Scrittori Liguri*, Oldoinus Athen. Ligust. Altamura & Rovetta ad 1312, a quibus hæc ei dantur opera :

Postilla in evangelium Lucæ, tum in idem collationes.

Sermones in Dominicas, quadragesimam & de Sanctis.

Opuscula nonnulla alia.

Penes quos fides, nam Leander hujus auctoris non meminit, nec ullus nomenclatorum nostrorum veterum : ut nec alterius Francisci Gravano Veneti, quem ad eumdem annum 1312 Altamura, Rovetta ad 1317 collocant, virum inquiunt Græce peritissimum & a Clemente V ad sedem Antibarensem in Albania evectum, eoque titulo concilio Viennensi præsentem, in idque citant. Taegium I P. Monum. ord. de quo tamen silent non solum Pius, Fontana, & alii, sed & Leander & omnes antiquiores. Imo Bernardus Guidonis in indice episcoporum asserit F. Andream Hungarum sodalem nostrum anno MCCCVI circa festum omnium Sanctorum archiepiscopum Antibarensem a Clemente V Burdigalæ tum agente promotum fuisse : apud quem scilicet Andreas ille legatus a rege Hungariæ missus fuerat pro canonizatione B. Margaritæ filiæ Belæ IV Hungariæ regis, & sanctimonialis nostræ obtinenda. Hanc verò sedem tenuit Andreas toto Clementis V pontificatu, nec nisi inter manus Joannis XXII deposuit. Ubi notandum erratum typorum

Sec. XIV. gravissimum irrepsisse apud S. Antoninum, quod tamen exceperunt Leander, Lusitanus, aliique deinceps, & ipse Fontana in Theatro, Andream archiepiscopum *Antiliarensem* (quæ nusquam est gentium Ecclesia) pro *Antibarensi* ut habet Bernardus citatus scribentes.

F. GUILLELMUS DE PARISIUS I.

† 1312. F. GUILLELMUS DE PARISIUS I a loco natali primaria nempe regiaque Gallici imperii urbe de more nuncupatus, domus Sanjacobeæ alumnus ineunte seculo XIV claruit. Assumto ad purpuram Nicolao de Freauville, qui Philippo IV Francorum regi a sacris erat conscientiæ arcanis, ad idem munus apud se implendum ab eodem rege selectus est Guillelmus anno MCCCV vel VI. Quæsitor fidei in regno Franciæ generalis constitutus, quo munere jam ab anno MCCCIII fungebatur, in equites Templi dictos jussu Philippi dicti regis comprehensos & XIII octobris MCCCVII in carcerem detrusos volente eodem rege inquisivit, eosque in variis regni provinciis in Francia, Campania, Normania & alias ex juris ordine interrogavit. Quod quidem primo non sine offensione accepit Clemens V, eo quod ordo Templi sanctæ sedi nullo medio subjiciebatur, verùm a rege conventus Pictavis probavit postea, præsertim ubi vidit acta omnia veritati consona & a reis confessa. De quo legendi qui ea de gravissima causa scripserunt historici. Anno MCCCXI die XVII maii Philippus rex dictus Guillelmum confessarium suum unum ex testamenti sui curatoribus scripserat, sed eo ante regem mortuo, in codicillo ipsi suffecit priorem monasterii Pissiacensis Sororum ordinis, die jovis ante festum S. Andreæ MCCCXIV, scilicet novemb. XXVIII, nam erat litt. Dom. F. Videsis librum cui titulus: *Histoire des ministres d'Estat sous les rois de France de la troisieme race par le baron d'Auteuil*, Paris. 1642 fol. pag. 564 & seqq. ubi referuntur fragmenta dictorum testamenti & codicilli. Hujus Guillelmi cum laude meminerunt Lusitanus, Pius, Fernandez, Altamura ad 1312, Possevinus & alii, sed & his antiquior Laurentius Pignon, qui sic habet n. 87 : *F. Guillelmus Parisiensis scripsit*

1. *Tabulam juris* : a Lusitano dicitur, *Repertorium breve ad inveniendum facile in decreto & decretalibus quæcumque notabilia*. Incipit : *Promte volentibus*.

2. *Dialogum de septem sacramentis*.

Hanc opellam quidam Guillelmo Alverno Parisiensi episcopo ascribunt, sed falso, cùm hic mortuus sit XXX martii MCCXLIX, auctor verò dialogi ad calcem testetur se ex scriptis F. Thomæ de Aquino, & F. Petri de Tarentasia libellum hunc confecisse. At Guilielmo huic nostro Parisiensi vindicatur a F. Claudio Spinæo in præloquio ad editionem hujus dialogi circa 1550 a se curatam, ubi docet ante ducentos annos a dicto Guilielmo compositum.

Astipulantur Theophilus Rainaudus *De bonis & malis libris P. I Erot.* 10 §. 2 n. 223, & Philippus Labbe in Bellarmino suo recensito T. I p. 411: Dupinius sec. XIII, ubi de Guillelmo Alverno, & sec. XIV, ubi de hoc nostro Parisiensi agit ex professo. Scio ab aliis alium asseri auctorem, sed prius afferendæ sunt variæ hujus libelli editiones, tum & codices MSS ex quibus de auctore certius judicet lector.

Prima a me visa fol. absque anno, loco & nomine typothetæ hunc habet titulum : *Incipit liber Guillelmi Parisiensis de septem sacramentis.* Ad calcem : *Explicit tabula sacramentalis Guillelmi Parisiensis.* Extat Paris. apud Clarissas *Ave Maria* dictas. Nulla hîc mentio dignitatis episcopalis.

Altera item in incunabulis typographiæ etiam absque anno, loco, nomine typographi, absque majusculis & numeris. Titulus : *Tractatus de septem sacramentis Ecclesie sumtus ex scriptis S. Thome de Aquino, ac Petri de Tarentasia, qui per modum questionum discipuli ac magistri responsionum de cujuslibet sacramenti efficacia ordinate loquitur & distincte : in quo Petrus sub cujusdam discipuli nomine querit, & per Gregorium eidem ut a magistri vicem gerente respondetur.* Ad calcem: *Explicit tractatus de septem sacramentis.* Extat hæc editio Paris. in Regia in 4 D. 396 charact. Goth. sed eleganti & nitido. Non indicatur auctor.

Rursus alia est hoc titulo : *D. Guillermi Parisiensis episcopi sacri eloquii doctoris clarissimi dialogus libri sui de sacramentis medullam funditus & compendiose complectens.* Sub finem : *Igitur Petre hec paucula que dicta sunt de septem sacramentis tibi sufficiant, que ut potui brevius de scriptis Fratris Thome principaliter collegi, ac Petri de Tarantaize & quorumdam aliorum dicta inserendo &c. Explicit Guillermus Parisiensis super septem sacramentis* : impressus Parisius per Joannem Bonhomme anno 1489 in 4 foll. 73. Extat apud nostros Parisien. ad S. Honorati char. Goth. sed eleganti.

Alia vetus editio hoc titulo : *Dialogus doctissimi viri Guillelmi episcopi Parisiensis de septem sacramentis.* Finis : *Explicit Guilelmus Parisiensis super septem sacramentis*, impressus Parisius per Georgium Mittelhuser 1494 in 8.

Prodiit postea pluries Parisiis : Jo. Petit circa 1500 in 16. Rursus ibid. 1587 in 8. Lipsiæ Wolfangi Monacen 1512. Lugduni, Hær. Jac. Junctæ, 1567. Ibidem Alexandri Marcilii Lucensis 1580 in 16. Florentiæ 1579 in 8, & sub nomine Guillelmi Parisiensis.

Hi verò codices MSS a me visi Paris. In Victor. duo chartacei fol. par. primus n. 552 absque nomine auctoris hoc titulo : *Dialogi de sacramentis interlocutoribus Petro & Gilone.* Alter n. 1126 ejusdem rationis. Tres in Colbert. quorum duo scilicet 3600 & 6222 hunc habent titulum : *Guillelmi episcopi Parisiensis dialogus de septem sacramentis.* Tertius n. 3726 absque nomine auctoris sic inscribitur : *Tractatus de septem sacramentis per modum dialogi editus.*

Ex hactenus relatis exemplis seu impressis seu MSS constat nomen auctoris hujus opellæ magis cognitum esse Guillelmi & quidem Parisiensis, qui post mortem Thomæ de Aquino & ante ejus canonizationem cùm Fratrem simpliciter dicat, ejusque doctrinæ addictus scripserit : quæ cùm in nostrum Guillelmum Parisiensem conveniant, nihil verò propius quam eum esse hujus libelli auctorem, accedente potissimum testimonio nostri Claudii de Spina sacræ facultatis Parisiensis magistri, qui domum Sanjacobeam Parisiensem rexit aliquando præfectus, & ex codice MS in bibliotheca ejus gymnasii reperto Guillelmi nostri Parisiensis nomen præferente edidit circa 1550. Non mirum autem in aliquibus seu MSS seu excusis codicibus episcopi titulum additum fuisse, id enim & aliis accidit. Sic cùm Guillelmum nostrum de Peraldo quidam viderent ad calcem ejus operum sic inscribi, V. G. *Expliciunt sermones F. Guillelmi Lugdunensis*, addiderunt *episcopi* vel *archiepiscopi*, quam tamen dignitatem nunquam adeptus est. Sic & in nostro Jacobo de Lausanna, quem ejus civitatis episcopum simili ratione fecerunt, cùm tamen in officio provincialis Franciæ mortuus sit.

Scio quidem a Sandero in Elencho codd. MSS Belgii P. II pag. 115 alium astrui hujus opellæ auctorem, nempe Guidonem de Collemedio Italum epis-

scopum Cameracensem, quem aliquando Gilonem etiam vult nuncupatum, idque ex fide Joannis Garetii centenario 14 testantis codices quatuor MSS vetustos Gilonis nomen ut auctoris præferre. Idem sequuntur Valerius Andreas *Bib. Belg.* & Swertius *Athen. Belg.* quem excipiunt Sammarthani *Gall. Christ. T. I.* Sed allucinationis originem facile est deprehendere: scilicet cùm tractatum hunc per modum dialogi scriberet auctor, duos assumpsit interlocutores petentem seu interrogantem unum, alterum respondentem seu docentem: primum expressit litera P. alterum litera G. Sic enim in quibusdam exemplis ipse legi. Subsecuti verò literam P. Petrum interpretati sunt, literam G. alii Gregorium, plures Gilonem, & cùm iste rationem habeat docentis, & auctorem etiam dialogi censuerunt, infirmo tamen argumento; cùm in ejusmodi dialogis necesse non sit auctorem veluti ex interlocutoribus unum se prodere. Mirum est horum quatuor codicum a Garetio Belga citatorum, si in iis Guidonis Cameracensis episcopi nomen ut auctoris diserte inscriptum erat, nullum jam superfuisse anno 1643 quo scribebat Sanderus, nam nullum ejusmodi in tota serie codd. MSS Belgii recenset. Quæ omnia eruditiorum arbitrio libens permitto.

3. *Acta hujus nostri Guillelmi de Parisius ut inquisitoris in causa Templariorum.* Quædam referuntur in codice cui titulus: *Concordantia inquisitionum factarum adversus ordinem Templi ab inquisitore hæreticæ pravitatis primum* (is erat Guillelmus noster) *tum a tribus cardinalibus, & demum ab ipso pontifice Clemente V.* Sic refert Labbeus *Bibl. Nov.* MSS *pag.* 13, testatus hæc in codice 25 Naudæano haberi: quem codicem MS ex charta & charactere conjiciebat ipsomet inquisitionis in Templarios tempore scriptum fuisse. Plura etiam habentur in codice Sangenovefianæ Bibl. Parisf. MS n. DD. 22. cui titulus: *Histoire de la condannation des Templiers*, merito legenda. Inter alia sic legitur: *Pendant que ces choses se passoient, le roi qui voioit que le mal prenoit pied en son roiaume, & que l'instruction du procez ne se faisoit point, craignant d'ailleurs que la preuve ne s'alterast en quelque chose, decerna commission tant au F. Guillaume de Parisius inquisiteur pour le pape en France pour vacquer a l'interrogatoire des Templiers, que a quelques gentishommes sur les lieux ou etoient prisonniers les accusez, pour assister de sa part avec cet inquisiteur &c.* Postea rex ipse sic loquitur: *C'est pourquoi aiant traité avec le pape, les prelats princes & barons de notre roiaume, nous qui sommes constituez & ordonnez de Dieu pour la defense de la foi & liberté de l'Eglise, aiant été deputé pour ce fait a sa sainteté Guillaume de Parisius de l'ordre des FF. Precheurs inquisiteur de la foi &c.* Quæ docent Guillelmum a rege ad summum pontificem prius legatum, quam adversus Templarios ageret. Subditur postea: *En execution de cet commissions l'inquisiteur & les gentishommes ne perdirent point de temps, mais travaillerent sans intermission a ce qui leur etoit enjoint par le roi, & parce qui nous est resté des actes nous apprenons, que l'inquisiteur assisté de plusieurs témoins ouit a divers jours 140 templiers du temple de Paris, qui convenoient tous &c.* & postea: *L'Inquisiteur Guillaume de Paris étant a Troies ouit trois templiers en presence de deux gentishommes du païs qui dirent de même que les precedens &c. Le meme interrogea cinq témoins a Baieux & a Caen &c.* Quæ diligentiam nostri Guillelmi probant, sed & integritatem & peritiam, nam cardinales postea a Clemente V legati ut acta examinarent, sincera illa ac ex regulis juris rite facta omnia agnoverunt ac probarunt, ut ibidem refertur.

4. Visum est non omittendum *Biblia Hebraica* MS melioris notæ ab eo Bibliothecæ nostræ Bononiensi in Italia donata fuisse, ut testatur epigraphe initio voluminis scripta quæ sic habet: *Istam Bibliam Hebraicam dedit F. Guillelmus Parisiensis ordinis FF. Predicatorum confessor illustrissimi regis Franchorum conventui Bononiensi pro communi libraria Fratrum propter reverentiam B. Dominici anno* MCCCX *pridie idus Febr. Quicunque legerit in ea, oret pro eo. Amen.* Sic refert Clar. D. Bernardus *de Montfaucon* Diar. Ital. p. 401.

Guillelmum de Parisius hunc primum dicimus ad discrimen alterius Guillelmi de Parisius etiam dicti, qui circa finem seculi XV floruit, & de quo nos ad an. 1485: ambos enim quidam inscite confundunt.

F. LUPUS DE BAIONA.

F. LUPUS DE BAIONA sic a patria Vasconiæ civitate & a professione nuncupatus, pietate doctrina ac vitæ regularis studio jam clarebat sub finem seculi XIII, suoque dicto conventui nativo præerat anno MCCC, exinde anno sequenti MCCCI prior Tolosanus assumtus est mense augusto, eamque domum rexit ad an. MCCCVI, quo in cap. prov. Figiaci habito fuit liber dimissus. Anno MCCCVII erat domus Castrensis prior, quo titulo capitulo provinciali Condomiensi aderat & diffinitorum tertius sedit. Anno MCCCX iterum domui suæ Baionensi præfectus fuit, & iterum in cap. prov. Appamiis habito diffinivit. Quæ omnia ex actis, ex quibus etiam habetur anno MCCCII electum fuisse diffinitorem pro comitiis ordinis anno sequenti Bisuntii habendis. Annum & locum mortis monumenta mihi reposita non produnt, sed ad MCCCXII fortè & ultra vixisse verisimillimum. Extat ejus *Epistola* quam ex cod. MS Carcassonensi Soëgius edidit Ann. Dominic. julii T. I p. 414 ad 416. Incipit: * 1311.

R. in C. P. ac D. suoque ac ordinis refugio singulari D. F. Nicolao de Prato D. G. Ostiensi ac Veletrensi episcopo cardinali ejus humiles ac devoti filii, F. Lupus prior & conventus FF. Predicatorum Tolosæ &c. In ea describitur atrocissima persecutio, quam nostris Carcassonensibus inferebant hæretici Albigenses fulti auctoritate Joannis de Pinquonio vicedomini Ambianensis: Gallice *de Pequigni vidame d'Amiens.*

F. NICOLAUS DE MARIANIS.

F. NICOLAUS DE MARIANIS Italus patriaque & professione Mantuanus ab Alberto Veneto laudatur in chronico ad MCCCXII clarus, quem excipiunt Lusitanus, Pius, Fernandez, Altamura ad 1315, & Rovetta ad 1312. Ab illis dicitur scripsisse * 1312.

Opus de quarta funeralium.

F. RAIMUNDUS DE PONTE.

F. RAIMUNDUS DE PONTE Aragonus sive Catalanus Fragæ ad Ilerdam natus, priusquam ordini nomen daret, jam se vitæ ac morum integritate, rebusque præclare gestis, obitisque cum gloria dignitatibus & apud suos & apud exteros commendarat. Juris utriusque doctor cùm evasisset consultissimus, a summo pontifice sacri palatii causarum auditor est allectus, tum Marchiæ Anconitanæ datus legatus & præses. Cujus fama permotus Aragoniæ rex vel Petrus III, vel Alphonsus ejus filius & successor eum accersivit ceu subditum suum, & cancellarium regni sui instituit, ac paulo post Ecclesia Valentina antistitem elegit 1 maii * 1312.

Sec. XIV. MCCLXXXVIII. In ea verò ſpecula poſitus talem ſe præbuit vigilantia in diœceſis viſitationibus, effuſa in pauperes liberalitate, ſapientia in ſynodis, prudentia in graviſſimis Eccleſiæ & regni negotiis, ut nec ſanctos illos veteres ac primos epiſcopos deſiderares, futuroſque omnes illi cuperes ſimillimos. Jam annis quindecim ſedem hanc ſanctiſſime rexerat, cùm perfectioris ac ſeverioris vitæ in proprio palatio gerendæ cupidus, inſtitutum Prædicatorum amplexus eſt, veſtemque induit paulo ante natale Domini anni MCCCIII. Exinde rituum ordinis ac conſtitutionum tenaciſſimus obſervator, officia etiam epiſcopalia majori ſtudio viſus eſt adimplere. Equitum Templi cauſam in regno Aragoniæ a Clemente V & a Jacobo rege ſibi & epiſcopo Cæſarauguſtano commiſſam diligenter cognovit & ſapienter ac fortiter proſecutus eſt: tum clerum inter & populum Aragoniæ diſſidentes arbiter ſelectus, æqua utrumque ſententia compoſuit, quæ ceu lex etiamnum obſervatur. Demum ad concilium generale Viennenſe accedens, qua erat apud omnes exiſtimatione, unus e quinque viris fuit ad id ſelectis, qui graviores & majores in eo tractandas fidei & morum ſeu diſciplinæ cauſas diſcuterent, & quorum judicio cæteri patres acquieverunt. Ad ſuos redux Tarraconam ad ſynodum provincialem tum coactam ſe contulit, vixque advenerat, cùm ætate & laboribus fractus in morbum incidit, ex quo & obiit inter manus & fletus ſuorum Prædicatorum in eorum domo hoſpitatus XIII novemb. MCCCXII: unde corpus ejus Valentiam tranſlatum, in ſua cathedrali ad altare Sacelli omnium ſanctorum XX ejuſdem menſis & anni ſepultum fuit. De eo ſcripſerunt F. Michael de Fraga ipſi carus in paucis ac de quo poſtea, Petrus Antonius Boterus, & qui ab eis accepit Diagus Hiſt. prov. Aragon. lib. I cap. 8, huncque excipiens Antonius Bibl. Vet. Hiſp. lib. 9 cap. 2. Meminit etiam Bernardus Guidonis inter eos, qui jam epiſcopi ordinem amplexi ſunt & profeſſi, ubi ſic habet: *In provincia Aragoniæ D. Raimundus anno MCCCII vel III paulo ante natale de epiſcopatu Valentino ad habitum noſtrum convolavit.* Laudant etiam Fernandez, Vincentius Blaſco de Lanuza Aragoniæ chronic. T. I lib. 5 cap. 31 & 37, Curita ad MCCCIX, Fontana in Monum. ad 1308 & alii. Hæc ejus opera:

Decreta & ſtatuta ſynodi diœceſanæ Valentinæ XIV Kal. octob. MCCXCVI habita in æde cathedrali, quibus adjecit

Tractatum de ſacramentis a ſe compoſitum & a ſynodo approbatum. Diagus a ſe viſa teſtatur. Tum nondum ordinem amplexus erat, & Diagus contendit nonniſi anno MCCCIII poſt menſem maium veſtem ordinis induiſſe, quia non ante *Fratris* nomen ſuo præfixit, quod deinceps uſurpavit.

Sententia de pretio ob jus ratæ emptionis terrarum ſeu prædiorum dominii eccleſiaſtici ſolvendo, quæ abinde rationem legis obtinuit in Aragonia.

Inquiſitio de Templariis, cujus acta ſervantur in archivis regni.

Teſtamentum ejus non omittendum XXXI octob. MCCCXII actum & a Diago viſum, quo inter alia codices MS legat & partitur inter conventus noſtros Ilerdenſem, Valentinum, & Setabenſem, cui ultimo primam partem Summæ theologiæ a F. Thoma de Aquino editæ donat, & jubet apud eos ſervari, ex quo F. Michael de Fraga laudatus, cui eam commodaverat, Pariſiis ubi in gymnaſio Sanjacobeo ſtudiis operam dabat, in patriam redierit: quod novum argumentum eſt contra Launoium, quod & ipſum confodit.

F. JOANNES DE PALMA.

F. Joannes de Palma, quem ex agnomine Burgundum conjicio, ex eo nempe comitatus oppido ortum, quod *Baume* indigenæ vernacule dicunt: Sic enim magiſter ordinis XVIII ex eodem loco prognatus *Petrus de Palma* ab origine nuncupatur: Joannes inquam ille de Palma Pariſiis clarebat inter ſelectos ſacræ facultatis concionatores circa initia ſeculi XIV, unà cum noſtris Joanne de Neapoli & Petro de Palude. Plures ejus extant in collectionibus ſermonum ejus ætatis ab eo dicti. Hi mihi occurrerunt in cod. Victor. 681 fol. par. membr. 1311.

1. Fol. 147 b: *Dom. 2 adventus & fuit feſtum B. Nicolai a F. Joanne de Palma ord. Prædicatorum. Cùm adhuc eſſet puer cœpit quærere Deum. 2 Paralip. Puer parvulus minabit eos. Iſa. In verbo iſto ſecundo propoſito pro præambulo præmiſſo dicere poſſumus &c.*

2. Fol. 177 a: *De S. Vincentio a F. Joanne de Palma. Certamen forte dedit illi ut vinceret. Sap. 10. Dominus Jeſus Chriſtus princeps militiæ Chriſtianæ &c.*

Nullus dubito quin plures in ſimilibus collectionibus quis me diligentior reperiat; fortè & quoddam ſuorum ſermonum volumen ſuis reliquerit Burgundis, vel quod jam perierit, vel alicubi neglectum jacet.

F. PETRUS MARSILII.

F. Petrus Marsilii Aragonus ſeu potius Catalanus, domus Barcinonenſis profeſſus, vir egregius fuit, & ſeculo XIII exeunte ac ſequenti ineunte multis nominibus commendatus, regi ſuo Jacobo II in primis carus, cui & a conſiliis fuit & in gravioribus negotiis non parvam impendit operam. Cùm enim animo rex induxiſſet Almeriam Granatenſis oræ civitatem elegantiſſimam ac munitiſſimam obſidere, Mauriſque præripere, nec vires rei conficiendæ ſufficerent Mauris contra valide propugnantibus: veritus rex ne terga vertere, reque infecta recedere, obſidionemque tandem ſolvere cogeretur, legatos ad Clementem V Petri tum ſedem Avenione tenentem deſtinavit ſuppetias poſtulaturus, nec huic oneri parem alium habuit aut æſtimavit Petro noſtro, quem unà cum Fortunio Martini milite miſit oratorem ad pontificem anno MCCCIX conſiliorum ſuorum arcanorumque omnium optime conſcium atque participem. Ipſas legationis hujus regiæ litteras, quod ad rei fidem & hiſtoriam utiles, præſtat ex archivo regio Barcinonenſi ſubjicere. 1314.

SS. ac reverentiſſimo in C. P. ac D. D. Clementi divina providentia ſacroſanctæ Rom. & univerſalis Eccleſiæ S. P. Jacobus D. G. rex Aragonum, Valentiæ, Sardiniæ & Corſicæ, comeſque Barcinonæ, ac ejuſdem R. E. vexillarius, ammiratus, & capitaneus generalis, ſuus ac humilis filius P. O. B.

» Super negotio quod ad honorem & gloriam omnipotentis Dei & Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, ad ejus exaltationem fidei & totius Chriſtianitatis utilitatem eximiam in nos ſumſimus contra regem Granatæ, gentes & terras ſuas fidei catholicæ inimicas, religioſum F. Petrum Marſilii de ordine Prædicatorum, & dilectum noſtrum Fortunium Martini militem exhibitores præſentium de noſtra intentione informatos plenarie deſtinamus. Dignetur igitur veſtra clementia dictos nuncios noſtros, vel eorum alterum benigne ſuſcipere, & ſuis relatibus fidem indubitatam adhibere, ac «

eos

» eos cum expeditione felici (cùm qualitas negotii » id vehementer exposcat) remittere ad nos celeriter expeditos. Qui cuncta propria dispositione » gubernat, BB personam vestram diu & cum prosperitate conservet«. *Datum in obsidione civitatis Almeriæ regni Granatæ secundo non. sept. A. D.* MCCCIX.

Hæc ad Clementem Jacobus, unde Petrum nostrum ei fidissimum administrum & carum non inepte colligimus. Quod autem non agendis modo, sed scribendis etiam discutiendisque rebus idoneum rex intelligeret, eidem injunxit, ut avi sui Jacobi I regis Aragonum Victoriosi dicti res præclare gestas describeret, quod & ille pro voto regis & jussu perfecit. Scripsit itaque

Commentarium de gestis regis Aragonum Jacobi primi libris quatuor, ac Jacobo II prioris nepoti nuncupavit ac obtulit anno MCCCXIII.

Codex autem ipse regi oblatus MS adhuc extabat sec. XVI apud Joannem de Aguilo nobilem Valentinum, a quo Hieronymus Zurita mutuo acceptum sibi exscripsit, & a Zuritæ apographo Diagus noster exemplum alterum sibi scribi curavit.

Antonius Bibl. Vet. Hisp. lib. 9 cap. 2 n. 66 existimat ex Vernacula Catalanorum lingua in Latinam Petrum convertisse tantum historiam, quam de rebus regni sui Jacobus I scripserat: sed etsi hanc in suum commentarium intulerit Petrus, plura tamen sua diligentia reperta addidisse ex eo constat, quod lib. 2 cap. 24 de Majoricis a Jacobo I anno MCCXXIX receptis & expugnatis agens, asserat se e captivis Saracenis tum factis, aliquos seniores in eadem insula relictos ac neophytos a se de illa expugnatione rogatos plura respondisse, inter alia his totidem verbis, *Maria & F. Michael ceperunt Majoricam*, nempe ille Michael de Fabra olim unus e XVI primis B. Dominici sociis, sanctitate vitæ conspicuus, qui postea Jacobo I regi carissimus & a consiliis tum in ejus exercitu præsens, tam invocatus & requisitus erat, inquit Petrus, ut post nomen Dei & B. Virginis nomen ejus sæpius adderetur: sed & sunt plura alia ejus curis ab oblivione vindicata & addita, ut quin opus ejus sit dubitari non possit.

Mirum a Petro prætermissum insigne illud S. Raimundi miraculum, quod ferunt, durius scilicet increpato Jacobo rege de sua in Berengariam pellicem libidine eoque propterea relicto, Balearicis ab insulis solo pallio ad aquas injecto & expanso vectum, Barcinonem usque ceu institorio navigio trajecisse: cùm tamen Histor. lib. 4 cap. 5 regis ejusdem vesanum in eamdem pellicem amorem referat, addatque quo die collatis cum hoste signis conserere parabat, confiteri volentem a F. Arnaldo Segarra ord. Prædic. conscientiæ arbitro repulsum, negataque absolutione relictum. Qui dubium movet Diagus, ipse solvit, aiens posterius factum non potuisse a Petro fieri, quando quidem Jacobus ipse rex gesta sua scribens illius meminisset, prius verò ideo non relatum, ne avi sordes in nepotis oculos faciemque Petrus projecisse videretur: cæterum stupendi hujus marini itineris extare monumenta antiqua & graviora. Videsis postea *Jacobus de S. Joanne.*

Vita S. Raimundi de Pennaforti ord. Prædic. per P. Petrum Marsilii olim conscripta, & nunc primum per F. Franciscum Diago in lucem edita, Barcinone, Cormellas 1601 in 8 pagg. 17. Extat etiam edita in Martyrol. Hisp. T. I ad VI januar. sed hæc opella excerptum tantum est e commentario supra laudato.

Hujus scriptoris meminere Zurita Ann. Arag. lib. 2 cap. 74: Joannes Dameto Hist. gen. del reyno Balear. lib. 7 Tit. I §. 2 citati ab Antonio in Bibl. Vet. Hisp. ubi addit se suspicari Marsilii opus non visum a Bernardino Gomesio archidiacono Seguntino, & Ecclesiæ Valentinæ canonico, quia de rebus gestis ejusdem Jacobi I regis scribens anno MDLXXII illud non laudavit.

F. PAULUS GUALDUCCI.

F. PAULUS GUALDUCCI, sic enim vocat Pocciantius quem *de Pilastris* solum cæteri agnominant, patria Florentinus, & professione S. Mariæ Novellæ alumnus, vir doctrina illustris, & communi fama mirabili in concionibus ac pene divina facundia præditus sub initia seculi XIV adhuc florebat, Nicolao de Prato cardinali summa animorum necessitudine devinctus: ita ut hoc agente ille fuerit a Clemente V ad sedem Gradensem patriarchalem promotus litteris die V april. MCCCXIII datis. Sed lieu vix ad Ecclesiam suam accesserat, possessionemque inierat, cùm quintodecimo post die ingenti suorum luctu morte præmatura sublatus est. Ejus meminit Ughellus ex regist. Vatic. Clementis V epist. 147 fol. 61 anno IX, ex quo certum haberi ipso anno MCCCXIII obiisse. Laudant etiam Leander fol. 104 b, & Razzius p. 67, hicque addit se a Modesto Biliotti ejusdem S. Mar. Novel. sodali supra relatam summam ejus cum Nicolao de Prato familiaritatem accepisse, hincque eos redarguit, qui eum ad seculum XV prorogant. Novi Pocciantium quem excipit Possevinus, eum adhuc anno MCCCXX florentem exhibere: sed uterque emendandus ex Ughello, qui successorem ejus jam longe antea electum, licèt vacante sede Romana non confirmatum probat, & a Joanne XXII litteras suæ confirmationis XXIV novemb. MCCCXVI datas obtinuisse asserit. Hæc ei tribuuntur opera * 1313.

Annotationes in novum testamentum.

Alia in philosophiam Aristotelis.

Hic Paulus anno MCCCXI priorem S. Mariæ super Minervam Romæ agebat, & eodem anno amoto in comitiis ordinis Neapoli habitis provinciali Romano, vicarius generalis ipse institutus est. Sic enim in actis: *Ponimus vicarios generales &c. Item F. Paulum de Pilastris priorem S. Mariæ super Minervam in provincia Romana, quousque in dictis provinciis provinciales electi & confirmati fuerint & præsentes.*

F. MATTHÆUS MEDICES.

F. MATTHÆUS MEDICES Etruscus ex Mediceorum Florentinorum stirpe ortus, S. Mariæ Novellæ alumnus sub finem seculi XIII religione, doctrina, prudentiaque jam clarebat, quas ob dotes a Bonifacio VIII ad sedem Clusinam (*Chiusi* incolæ dicunt vicariatus Romani, jam sub Senensi) in Etruria evectus, oves suas sanctissime rexit ad annum usque MCCCXIII, quo ad superos abiit. Sic Ughellus T. III Ital. Sac. & ex eo Fontana in Theat. Frustra Rovetta hunc tentat suis accensere Lombardis ad 1311 ea ratione, quod domus S. Marci Florentina ad annum 1493 congregationi utriusque Lombardiæ manserit adjuncta: cùm enim hæc domus nonnisi anno MCCCCXXXVI circiter ordini data fuerit, Matthæus ejus professus esse non potuit, sed juxta leges ejus ætate servatas S. Mar. Novell. sodalis, ut jam dictum. Velim Rovettam certiora proferre, cùm hæc illi ab eo tribuuntur opera * 1313.

Postilla in Cantica servata, inquit, MS apud nostros Pisauri.

Volumen sermonum variorum.

F. JOANNES DE PARMA

F. JOANNES DE PARMA Italus a patria & professione sic nuncupatus provinciæ Lombardiæ inferioris sodalis nascente seculo XIV Parisiis cla- * 1315.

SEC. XIV. fuit, ubi in sacra facultate licentiatus anno MCCCXIII ex indice Bernardi Guidonis, in quo recensetur LXIII ante Petrum de Palude anno MCCCXIV licentiatum. Quæ ad suos redux præclare gesserit, quævе munia obierit, licèt majora præsertim in scholis egisse conjectari sit proclive, ut & ad medium hujus seculi circiter pervenisse, cùm desint vetera monumenta, suis gentilibus relinquo disquirendum. Ejus cum laude meminerunt Taegius I P. Monum. ord. Leander fol. 138 b, vocans eum sacrarum litterarum doctorem celeberrimum, Lusitanus, Altamura ad 1452, quem Rovetta merito redarguit, ex Vincentio Rivalio in catal. MS Script. Lombard. accusans, quod seculo plus integro juniorem quam fuerit, faciat. Nec minus ipse Rovetta emendandus, cùm alterum Joannem de Parma ad 1454 videtur agnoscere magistrum etiam Parisiensem, qui certissime nullus tum fuit hujus nominis, frustraque testem appellat Lusitanum, qui nonnisi unum agnoscit primum scilicet hîc laudatum, cujus revera ætatem non notat, sed quam aliunde perspectam habemus. Adde quod utrique eadem Rovetta ascribat opera, quod argumentum unum & eumdem esse scriptorem. Hæc porro ei tribuuntur

Volumen magnum cujus principium : Quæritur quomodo essentia.

Volumen præterea sermonum.

F. NICOLAUS BOTRONTINENSIS.

† 1314. F. NICOLAUS BOTRONTINENSIS episcopus hoc uno nobis Ecclesiæ suæ notus cognomine, eodem hîc repræsentatur. Est autem Botrontum seu potius Buthrotum Græcis Βουθρωτόν, Italis *Butrinto* civitas episcopalis in secunda provincia Epiri, ab aliquibus sub Naupactensi, sed saltem a seculo XII sub Joannina (quam quidam Cassiopæam dicunt) metropoli in exarchatu Macedoniæ ad littus maris contra Corcyram sita, pauperum piscatorum jam fere domicilium. Hanc obtinuit Nicolaus hic noster Ecclesiam sub Clemente V Romano pontifice, & Henrico VII Lucemburgio imperatore quibus acceptissimus fuit ac utilissimus administer, gravioribusque negotiis ab iisdem applicitus. Gente fuit citramontanus & Teuto, & ut conjicere est patria & professione Lucemburgius, quod tum ex affectu singulari quo nostros Lucemburgenses subditos suos Henricus VII prosequebatur, cùm ex integra fide qua ei semper servivit, ejusque gloriam etiam post fata tutatus est, facile colligitur. Henrici enim Romam petentis in imperatorem coronandi in tota illa expeditione Italica comes fuit individuus, nec semel pro impositis sibi ab eo negotiis gerendis magna subiit vitæ discrimina. Quæ ex opusculo ab eo edito facile comprobantur. Titulus est :

Nicolai episcopi Botrontinensis relatio de itinere Italico Henrici VII imperatoris ad Clementem V papam. Nempe ab anno MCCCX ad XIII.

» Sanctissime Pater infrascripta sunt quæ acta sunt » in Italia, postquam Dominus Imperator felicis » recordationis montes transivit, prout ego F. Ni» colaus Dei & vestri gratia episcopus Botrontinen» sis possum testimonio meæ conscientiæ melius re» cordari ad præsens. In Taurino venit rex Roma» norum mense octobris, tunc pauci cum eo erant » &c «.

Ex cod. MS 9920 Bibl. Reg. Parif. fol. med. chart. typis dedit Clar. Baluzius Pap. Aven. T. II a col. 1146 ad 1230. Ad supradictorum verò probationem hæc annotanda, & ex opusculo excerpenda censui.

Col. 1160 *sic habet :* Nos autem citramontani, inter quos ego fui tunc &c. *& infra :* Ego frequenter de domo Prædicatorum (Mediolanensium) non audebam venire usque ad palatium propter maledictiones & vituperia, quæ dicebant de rege (Henrico) & de nobis citramontanis &c.

Col. 1164 *:* Aliquos ego audivi clamantes, moriantur Theotonici omnes.

Col. 1171 *:* Ab imperatore missus Brixiam a militibus Brixianorum stipendiariis captus fuit, & dum me ducerent sic, inquit, major inter eos magis curialiter me associabat, ne ribaldi tunc aliquo modo me turbarent. Ab illo ergo petivi, quare me ceperant, cùm essem Frater Prædicator & episcopus, & in via eundi ad cardinales &c.

Col. 1185 *:* Cùm essem in Lastre villa ad Florentiam, Florentini milites ad cameram nostram venerunt cultellis evaginatis. De nostris familiaribus tunc aliqui fugerunt dimittentes se per fenestras, inter quos fuit socius meus Frater Prædicator &c.

Ex his constat citramontanum fuisse, & Teutonem, & ordinis Prædicatorum. Opus curiosum est & merito legendum. Quædam adhuc excerpentur in scriptore sequenti.

Emendandus hîc Fontana, a quo in Theatro quidam F. Antonius de Rhegio ex actis cap. gen. Noviomagi anno MCCCCLIX habiti dicitur modo *Bituntinus* episcopus, modo *Botudinensis*, & a Pio corruptius *Bondinensis*. Revera in actis ejus capituli episcopatus ille corruptissime scriptus est : in cod. Rom. MS legitur *Botudinensis*, in codice Insulensi ejus ætatis habetur *Bomdomitinus :* qui episcopatus cùm nusquam terrarum sint, nam quoad *Bituntinum*, illusio est Ughelli, qui Botudinensem non inveniens putavit substituendum esse *Bituntinum*, non dubium est quin sit erratum ex notariorum oscitatione vel ignorantia. Legendum itaque *Botruntinensis* vel potius *Buthrotinus.*

F. JOANNES PICKARDI DE LUCEMBERC.

F. JOANNES PICKARDI DE LUCEMBERC, sic enim ejus ætate scribebant quod modo dicunt de Lucemburgo, a patria ducatus Lucemburgensis capite sic nuncupatus, (a pluribus corrupte, a Leandro *de Liechtemberg*, a Bandello *de Linctiniber*, ab aliis *de Lettemberg* aut *Littimber* dictus) domus Lucemburgensis alumnus, vir fuit religione & doctrina agendique solertia ineunte seculo XIV clarissimus. Anno MCCCVIII jam erat baccalaureus Parisiensis, siquidem in comitiis ordinis Paduæ tum celebratis, sic de eo legitur : *Ponimus vicarios in provinciis infrascriptis, quousque provinciales in eisdem provinciis electi & confirmati fuerint & præsentes, in provincia Teutoniæ F. Joannem de Lucemberc baccalarium Parisiensem.* In comitiis verò provincialibus Teutoniæ eodem anno habitis ad regimen ejusdem ipse fuit assumtus : quo tamen munere non diu functus est : nam anno MCCCX in comitiis ordinis Placentiæ habitis sic de eo statutum fuit in actis : *Absolvimus priorem provincialem Teutoniæ, quia mittimus eum Parisius ad recipiendum magisterium in theologia.* Hoc revera obtinuit eodem anno, ut habet Bernardus Guidonis in indice n. 57 : *F. Joannes Picardi de Lucemberc Teutonicus fuit licentiatus anno Dñi MCCCX tertia die mensis novembris.* Annos duos sequentes in gymnasio Sanjacobeo sententias de more publice interpretatum esse certum : at quæ postea egerit, silent vulgo qui de eo agunt. Quid verò invenerim, libens expono. * 1314.

In opusculo artic. super. laudato, Relatione nempe itineris Italici Henrici VII imperatoris, fit mentio cujusdam sodalis nostri qui dicitur F. Joannes de Lucidomonte magister in theologia. Hunc au-

tem eumdem cum hoc nostro censeo voce *Berc* Teutonica Latine montem significante, & *Lucemberc Lucidomonte* Latine reddito, præsertim cùm non alium hujus nominis & iis annis magistrum in theologia vetera nobis prodant monumenta. Quo posito dicendum expletis lectionibus Parisiensibus mox anno ipso MCCCXII ad imperatorem in Italia agentem se contulisse, ac in ea expeditione non parum a consiliis & agendis ei utilem fuisse. En quædam ex illa relatione excerpta.

Col. 1193 : » Imperator habito maturo consilio » ordinavit quod incontinenti D. Pandulphus, & » magister Joannes de Venestringue utriusque juris » professor, & Frater Joannes magister in theolo- » gia de Pisis recederent cum plena potestate & » auctoritate perficiendi & complendi parentelam » inter dicti regis Roberti filium & filiam regis Ro- » manorum. Tunc fuit quibusdam visum quod duo » sufficerent ad prædicta facienda, & quod D. Pan- » dulphus & ego (F. Nicolaus) iremus ad tollenda » omnia impedimenta, quæ possent esse in recep- » tione jocunda coronationis dicti regis. Visum » etiam fuit quod prædictis duobus Fratri Joanni » & magistro Joanni daretur ambassiata sicut & no- » bis ad Dñum Joannem fratrem regis Roberti & » ad Romanos, & quod ponerentur in littera. Fac- » tum est sic.

» *Col.* 1194. » Dicto die (vigilia ascensionis III » maii MCCCXII) Dñus Joannes prædictos magistrum » Joannem & Fratrem Joannem conduci fecit ver- » sus Neapolim, sibi enim dixerant expresse & de » mandato Domini (Henrici) quare ibant, quia ad » complendam parentelam.

» *Col.* 1200. » Illis diebus reversus fuit Frater » Joannes de Lucidomonte magister in theologia, » & D. Joannes de Venestringue utriusque juris » professor de Neapoli, & quid sibi respondit » rex Robertus super parentela facienda nuncia- » verunt &c «.

A morte verò imperatoris, quæ accidit anno MCCCXIII, ad suos reversum episcopum Ratisponensem electum vulgo dicunt nostrates, Leander, Bandellus, Lusitanus & sequaces, Pius, Fontana in Theat. Altamura ad 1320 : at refragatur Guillelmus Seguier in Insulis Belgicis, ea scilicet ratione quod nullum ei locum reliquerit Viguleus Hund, qui Ratisponenses episcopos omnes accuratius recensuit in sua Metropoli Salisburgensi. Existimat autem dictus Seguier si episcopus fuerit, fuisse tantum ut aiunt in partibus, & Ratisponensis præsulis suffraganeum, quod tum solemne. Verùm id discutiant indigenæ curiosi, ut & ad quem annum vitam produxerit. Hæc ejus opera

Sermones quadragesimales, Dominicales & Sanctorum per annum. Ex quibus Turrecremata & Bandellus laudant sermonem de nativitate B. Virginis hoc themate : *Fons parvus crevit in fluvium.*

Summa theologica, inquit Lusitanus.

F. THOMAS LANGFORD.

† 1314. F. THOMAS LANGFORD Anglus Essexiensis patria non procul a Maldona natus, inquit Pitseus, & ut addit idem, Cantabrigiæ laurea magisterii insignitus, inter illustres in scribendis historiis a Leandro fol. 152 b, recensetur, qui & præter citatos a Taëgio I P. Mon. ord. ad 1314, Lusitano, Castillo, Gozzeo, Pio, Fernandez, Altamura ad 1317 laudatur, ab extraneis etiam Baleo, Possevino, Vossio de Hist. Lat. p. 514, ac de eo nulla mihi amplior notitia. Hæc ejus opera:

Chronica ab orbe condito usque ad suam ætatem. Sic Leander quem omnes excipiunt.

Postilla super Job non inerudita neque lectu indigna. Sic Lusitanus.

Sermones per totum annum & varia disputationes. Hæc addit Pitseus. SÆC. XIV.

F. HENRICUS DE ARIMINO.

F. HENRICUS DE ARIMINO a patria Æmiliæ civitate sic nuncupatus ibidemque ad ordinem ascitus laudatur a Lusitano ceu qui ad ann. 1313 claruerit, quem excipiunt Possevinus & nostrates omnes & novissime Altamura ad 1314, Rovetta ad 1313. His præiverant Taëgius P. I Monum. & Leander fol. 147 b, ad MCCCIV collocantes. Hæc ejus opera, quæ tamen illi ubi serventur non indicant. * 1314.

Tractatus de quatuor virtutibus moralibus. Extat Venetiis in Bibl. S. Petri Mart. Muriani Pl. VI ad sinistram fol. memb. Pr. *Quia secundùm sententiam apostoli ad Hebr. civitatem quam corporaliter possidemus &c.* Deest finis. Habetur etiam Patavii apud Erem. Augustin. sic refert Tomasinus in suis Bibl. Venet. & Patav. p. 75.

Tractatus de politia Venetorum. Quidam tractatus *De nobilitate* & politia Venetorum recensetur a Sandero in Elenc. codd. MS Belg. p. 213. An sit nostri Henrici discutiant curiosi nostri Tornacenses.

Quodlibeta varia theologica. Sic Rovetta.

Tractatus de septem capitibus draconis. Pr. *Ecce draco magnus &c.* Finis : *In finem ultimum.* Extat Florentiæ in Medic. Pl. XX n. 33 cod. chart. in 8. Hæc ultima opera hactenus ab aliis omissa.

F. JOANNES LECTOR.

F. JOANNES LECTOR, hoc enim agnomen ipse affectavit, qui ab aliis *de Friburgo* vulgo vel *Vriburgo* ut plerumque scribunt Germani, nuncupatur, Friburgi Brisgoiæ clara diœcesis Basileensis civitate & arce munitissima natus est, nostrumque ibidem seculo XIII vergente amplexus institutum. Quamvis autem theologiam scholasticam apprime calluerit, morali tamen & juri canonico potissimum incubuit, quoad illam partem scilicet quæ ad tribunal pœnitentiæ, regimenque spectat animarum, casus conscientiæ sibi sumens illustrandos, & ex puris fontibus enodandos. His scribendis ac publice prælegendis vitam videtur insumsisse omnem, quo difficillimum confessarii munus, quantum in ipso erat, gerentibus facilius redderet, nec extra terminos a patribus positos evagarentur judicio proprio confisi. Hinc Lectoris cognomen ei adhæsit, neque enim aliis in ordine functum muniis in veteribus monumentis habemus. De eo sic Leander fol. 151 a. » Adverte illum Germanum gravi passu « ambulantem, is est Joannes Teutonicus, non ille « quondam generalis magister ordinis (scilicet IV « Joannes a Wildeshusen dictus) sed ille Lector « Friburgensis vir devotus & litteratura præstantis- « simus, portans super dorsum ingens volumen ab « se confectum, plura opuscula ea quidem ingenio- « sa docta & valde necessaria continens. Vita ex- « cessit in Friburg in cœnobio Fratrum, & in æde « ante aram majorem sepelitur anno Dñi MCCCXIV « VI idus martias «. Ejusdem antea meminerant Laurentius Pignon n. 67, a quo dicitur F. Joannes Lector de Friburgo Teutonicus : & Ludovicus a Valleoleti n. 53 a quo dicitur simpliciter F. Joannes Teutonicus. Opera etsi omnes eadem referant, ipsummet auctorem eadem describentem placet audire. Sic ergo ille de suis scriptis : † 1314.

» Primo tam de textu quam de apparatu seu « glossa Summæ venerabilis P. F. Raimundi quondam magistri ordinis nostri, qui pœnitentiarios « dirigit, Registrum sive Tabulam secundùm ordinem « alphabeti cum diligentia ordinavi, Secundo ea «

 » quæ ad emendationem vel declarationem tam » textus quam apparatus ejusdem Summæ a posterioribus approbatis tradita doctoribus utilia videbantur, ipsi Summæ in spatio ascripsi. In quibus » etiam qui cum illis concordent vel dissentiant » ibidem, quantum reperi, designavi. Sed de qua » materia nihil ab aliis tactum adhuc legi, ea sicut » scripta sunt, nec comprobando nec improbando » reliqui, quia de mea propria sententia quasi nihil in hoc sicut nec in præsenti opusculo (*nempe 2 loco mox referendo*) posui: sed tantum aliorum » famosorum in Ecclesia doctorum sententias referens, & ut plurimum etiam ipsorum verba ponens, librorum nihilominus eorumdem, sententiarum, & scriptorum de quibus sunt assumta, nomina & loca assignans, relator sum non inventor.

Ex quibus discimus in Summa S. Raimundi de pœnitentia vulgo dicta quatuor esse distinguenda.

1. Textum, & hoc est opus S. Raimundi.

2. Apparatum sive glossam ad marginem ascriptam, & hoc est opus nostri Guillelmi Redonensis, ut supra ubi de eo luce clarius demonstratum est. Itaque erratum est intolerandum in omnibus editionibus, in quibus hic apparatus F. Joanni Lectori tribuitur, qui hic ipsemet protestatur in eo nihil suum esse, quod & constabit amplius ex mox dicendis.

3. Registrum sive Tabulam alphabeticam tam super textum Raimundi, quam super apparatum Guillelmi, & hoc est opus nostri Joannis. Hæc Tabula quod sciam non fuit impressa hactenus, sed ejus quidam codices MS memb. in fol. in meas manus venerunt: unus in Sorbon. 1037 ex legato Thomæ Maziere de Tornaco quondam socii. Alter in Colbert. n. 2103 ad calcem Summæ S. Raimundi. Pr. *Incipit Tabula super Summa Fratris Raimundi, quæ tamen sententiam textus Summa, ut ita sit dicere, quam glossarum omnium, sub quadam brevitate sic comprehendit & aperit, ut etiam non habentibus Summam ipsam multum sit utilis.* Implet folia XXVI. Apud nostros Massilienses anno MDCLXXXI erat codex MS memb. Tit. *Tabula abbreviata super Summa Raimundi.* Pr. *Abbas.* Finis: *Uxores.* Compendium forsan Tabulæ nostri Joannis.

Quartum est quod ait Joannes se tum Summæ tum Apparatui varias doctorum auctoritates illustrationis gratia in spatiis intermediis adjecisse. Hujus generis codices mihi non occurrerunt: sed aliqui forsan invenirentur in Bibliothecis Germaniæ.

Alterum opus Joannis titulum habet, *Quæstiones casuales* de quo sic præfatur:

» In isto libello quæstiones casuales, quæ vel » non continentur, vel minus plene continentur in » ipsa prædicta Summa F. Raimundi & apparatu » ejus, quas in pluribus doctorum libris & scriptis » invenire potui, in unum collegi, easque sub titulis ejusdem Summæ & eorumdem librorum & » titulorum ordine disposui, aliquas insuper rubricellas de specialibus materiis quibusdam titulis » supponendo. Sunt autem hæc collecta maxime » de libris horum doctorum memorati ordinis: videlicet F. Alberti quondam Ratisponensis episcopi, F. Thomæ de Aquino, & F. Petri de Tarentasia postmodum summi pontificis Innocentii V: » item F. Ulrici quondam lectoris Argentinensis. » Item ponuntur hic aliqua de Summa Goffridi, & » plura de Summa D. Ebredunensis quæ dicitur » *Copiosa*, qui post modum fuit cardinalis Ostiensis, unde & a quibusdam nominatur Summa D. » Ostiensis. Adduntur quoque hic aliqua de novis » statutis summorum pontificum, sive in modernis » conciliis sive in curia publicatis. Sed & hic considerandum est, quod cùm secunda pars Secundæ » de Summa F. Thomæ prædicti quasi pro majori parte sit moralis & casualis, plurima de illa summa in hoc opusculo posui, & ideo ubicumque solum dicitur, *Respondeo secundùm Thomam in Summa*, vel simile nullo addito, semper intelligendum est de Secunda Secundæ, nisi alia pars » specialiter exprimatur «. Hoc alterum Joannis opus an typis prodierit ignoro, sed ejus supersunt exempla MS plura. In Bibl. Lipsien. apud Fellerum p. 243 tria recensentur n. 24, 25 & 26 in 4 & 8. Titulus: *Joannis Lectoris ord. Prædic. Quæstiones casuales ex Raimundi Summa & ejus apparatu.* In catal. codd. MS Angl. T. I P. III n. 1401: *Joh. Lector in libellum quæstionum casualium.* Pr. *Quoniam dubiorum &c.* Memineris & hunc scriptorem decem circiter annis ante canonizationem S. Thomæ de Aquino mortuum, ejus Summæ theologicæ partes omnes laudare & excerpere: quod testimonium iterum Launoium confodit.

Tertium opus ejus est *Summa confessorum* simpliciter dicta, cujus initio exhibetur, & idem prologus superioris: *Quoniam dubiorum*; & prologus postea specialis, qui sic habet:

» Saluti animarum & proximorum utilitati secundùm ordinis mei professionem fraterna charitate proficere cupiens, votis quoque & precibus » Fratrum annuens, post priora opuscula hanc compilationem magis completam omnipotentis Dei » confisus auxilio sum aggressus. In qua verò non » tantum casus qui in Summa R. P. F. Raimundi » & ejus glossa scripti sunt posui, in quibus quæ a » posterioribus doctoribus plus vel minus approbantur adjungens quantum reperi: sed etiam sub iisdem titulis cum rubricellis additis quæstiones in » priori libello (*nempe superiori*) positas & plura » ex glossa D. Innocentii IV super decretales & » aliorum doctorum addidi, ut in uno volumine » collecta animarum medici multa de his quæ requirunt inveniant, & ex diversorum concordia » doctorum sciant quid sit probabilius & securius » judicandum «.

Hoc in opere hi præsertim auctores præter Raimundum laudantur.

1. F. Thomas de Aquino potissimum Secunda secundæ partis Summæ.

2. F. Guillelmus seu Willielmus Redonensis in apparatu seu glossa super Summam Raimundi. Sic enim ille in prologo mox citato: *Similiter cùm nominatur hic glossa, semper intelligendum est de glossa Willelmi super Summam Raimundi, nisi alia glossa specificetur, ut glossa Innocentii vel Ostiensis aut Bernardi*, nempe Compostellani. Quod argumentum est clarissimum *Apparatum* super Summam S. Raimundi opus esse F. Guillelmi Redonensis, & falso in editis F. Joanni Lectori seu de Friburgo ascribi: siquidem quæ citat ubique ex Willelmo, illa ipsissima sunt totidem verbis, quæ in *Apparatu* leguntur.

3. F. Petrus de Tarentasia seu Innocentius V super sententias.

4. F. Ulricus de Argentina in Summa de summo bono præsertim ex lib. 6.

Omitto SS. PP Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, Isidorum, & alios, ut & summos pontifices, qui ubique casus dirimunt & illustrant.

Hæc Summa confessorum (seu confessariorum) typis prodiit primum Reutlingæ, Joan. Othmari 1487 fol. Cujus editionis titulum corrupte referunt Beughemius, Caveus, Dupinius, Altamura ad 1314, qui tamen seipsum emendat in Append. Ab iis enim dicitur *Summa Prædicantium*, quo titulo non scripsit Joannes.

Nuribergæ.

Lugduni per Vortoman a mendis repurgata typis Jacobi Sacon, 1518 fol.

Parisiis Joannis Parvi seu Petit 1519 fol.

Hujus verò sunt in bibliothecis exempla innumera MS Parisiis, Colbert. codd. 113 & 285. Sorbon. nn. 1048 & 1051. In hujus fine sic legitur: *Explicit Summa confessorum scripta apud Parisius an. Dñi* MCCCXVIII per Droconem Loquet. Victor. nn. 851 & 852. Navarr. semel. Omnes fol. mag. memb.

Claromontii Arvernorum apud nostros cod. MS in fol. memb. qui fuit aliâs Durandi de S. Portiano ejusdem domus sodalis episcopi Aniciensis & Meldensis.

Patavii ad S. Antonium & apud Eremitanos, Tomasini pp. 57 & 78.

Florentiæ apud Servitas n. 119.

Lipsiæ apud Fellerum p. 227.

Angliæ. T. I P. I 991, 2473: P. II, 824: P. III 912 & 1767: T. II P. I, 422, 737, 788, 7976, 8188.

In Elenc. Sanderi passim.

Ex illo opere excerpta Regula mercatorum Gallice reddita prodiit hoc titulo: *La regle des marchands contenant trente questions par Jean le Liseur de l'ordre des PP. Prêcheurs*, Pruvinis in Bria, Guillelmi Tavernier 1496 in 4. Sic referunt *La Croix du Maine*, & *Verdier*, quilibet in sua Bibl. Gallica: & Thomas *de la Caille Hist. de l'Imprim.* p. 49.

Quartum opus est *Manuale collectum de Summa confessorum*. Compendium est superioris, quod an typis prodierit mihi incompertum, sed extat MS Paris. in Regia cod. 4530 memb. in 4. Apud Augustin. ad pontem novum n. 273. In Anglia T. I P. III n. 11.

Quintum opus est *Confessionale*. Prologus:

» Incipit confessionale F. Joannis de ordine Prædic. Lectoris Friburgensis. Simpliciores & minus expertos confessores de modo audiendi confessiones informare cupiens, aliqua in hoc tractatu ad eorum instructionem sub compendio posui, per quæ illis datur occasio de similibus cogitandi, nec oportet de omnibus de quibus in hoc opusculo fit mentio, a singulis quærere, sed de pluribus aut paucioribus secundùm status & conditiones personarum. Hunc autem tractatum vel ordinationem in duas partes distinxi, ita quod primo quædam documenta generalia posui, & modum inquirendi de septem capitalibus vitiis, & de quibusdam aliis vitiis, quæ generaliter inveniri possunt in hominibus status cujuscumque: secundo autem de interrogationibus faciendis circa quasdam personas diversarum dignitatum, officiorum & statuum instructionem specialem tradam secundùm peccata, quæ a talibus facilius committuntur, adjiciens in fine qualiter sanis sit pœnitentia imponenda, & morientibus ignoscenda. Nec ista putes tibi sufficere, cùm malum sit omnifarie, hominumque malitia multis & variis peccatis, nòvisque adinventionibus & perplexitatibus se involvat. Hujusmodi ergo rara & dubia cùm occurrerint, lege in Summa F. Raimundi, & in libello quæstionum casualium, specialiter autem & plenius in Summa confessorum, & alibi pro varietate casuum, requisito insuper, prout opus fuerit, consilio peritorum. Hoc quoque advertendum, quod licèt in isto tractatu quædam inscripta fuerit remissio ad Summam F. Raimundi, & ad libellum quæstionum casualium, tamen modo in tractatu hoc qui ponendus est in fine compendii quod dicitur *Manuale* (art. super. laudato) tantum fit remissio ad Summam confessorum, & per consequens ad Manuale ipsum, cujus in materiis quæstionum ejusdem Summæ numerus prænotatur.

Quod opusculum curiosum, ritus enim quo ea ætate fiebat confessio refertur ab hujus seculi ratione paulo diversus. Primo sacerdos & pœnitens simul genuflexi orabant, tum excommunicationis dabatur absolutio, postea pœnitens sedens ad latus sacerdotis confitebatur peccata, genuflexo denique sacerdos sedens pœnitentiam imponebat juxta canones qui in fine operis exhibentur, ultimo absolutionem conferebat. Extat Paris. in Victor cod. 774 memb. in 4. In Augustin. ad pontem novum ad calcem Manualis supra laudati.

Venetiis ad SS. Joan. & Paul. Alt. Part. Plut. 2. memb. in 4.

Florentiæ ad S. Marci Arm. III n. 52: *Confessionale, Quæstiones casuales & Summa confessorum.* fol. memb.

Quidam Joannes Teutonicus noster a Leandro fol. 139 a, inter illustres nodos theologales solventes laudatur, & dicitur scripsisse super IV libros sententiarum, nec ejus major ab eo datur notitia. Idem laudatur a Lusitano p. 134 & cùm dicatur ad an. 1250 claruisse, alius ab eo censetur a nostro Joanne Lectore. At cùm Friburgensem cum Taegio P. I Mon. Ord. præstet, nullumque alium Joannem de Friburgo vetera nobis prodant monumenta quam *Lectorem* dictum de quo hic, unum & eumdem censemus hominem, quem bis laudarit Leander ut illi non rarum, primo inter theologos, & iterum inter juris canonici peritos. Itaque huic Joanni Lectori Friburgensi præter supra recensita opera tribuimus

Scriptum in IV libros sententiarum. Extat teste Alva Sol. Verit. Rad. 154 col. 1322 a se visum asserente in Vatic. Rom. n. 1092 fol. memb. sub hoc titulo: *F. Joannis Teutonici ordinis Prædic. scriptum super IV libros sententiarum.* Pr. *Quæritur utrum theologia sit scientia.* Et idem Alva fatetur eadem habere in tertium, quæ ex eo citat Bandellus.

Venetiis apud SS. Jo. & Paul. P. Alt. Pl. V a Tomasino recensetur *F. Joannis Theutonici in quatuor sententiarum libros. fol. memb.*

Florentiæ apud Servitas idem habetur teste Possevino, qui tamen fallitur, cùm hunc Friburgensem episcopum ait fuisse Bossinensem, quem errorem exceperunt Lambecius Bibl. Cæsar lib. 2: Caveus Append. p. 6: Dupinius sec. XIV. His fateor præiverant Tritemius, & Pantaleo in Prosopographia P. II p. 237 ad annum 1254, sed omnes emendandi. Fuit quidem nobis Joannes Teutonicus aliquando simpliciter sic dictus episcopus Bossinensis, & postea relicto episcopatu magister ordinis IV, sed is Saxo erat & ab Wildeshuzen ortus anno MCCLIII mortuus, de quo nos supra ad 1241, sed Joannem Teutonicum e Friburgo episcopum Bossinensem vetera ordinis monumenta non produnt, imo nullum alium hujus nominis e Friburgo ortum & scriptorem præter hunc Lectorem dictum. Consentit Altamura in Append. ad 1314, ubi corrigit quod antea censuerat in Bibl. ubi duos laudarat Joannes de Friburgo unum ad 1277, alterum ad 1314 veluti distinctos, agnoscens se delusum, & ambos in unum anno illo 1314 mortuum confundendos. Emendandus & Lusitanus, qui præter duos unum p. 134 & alterum p. 138, tertium jam numeraverat p. 131 anno 1262 clarum, qui tres unus & idem sunt homo, de quo hactenus hîc egimus, falsò & inscite in plures multiplicatus.

Glossa seu Apparatus in totum decretum suo alteri Joanni de Friburgo ascribitur a Lusitano p. 134: sed novum illius est erratum, quo sodali nostro opus datur in quo non laboravit, & a vero auctore aufertur, qui etiam Joannes Teutonicus simpliciter vulgo dicebatur sua ætate, sed *Semeca* verum agnomen habebat, quem quidam ordini Prædicatorum,

Sæc. XIV. sed falso accensent, cùm præpositus Ecclesiæ Halberstatensis vixerit & obierit anno MCCXLIII. Vide supra ad finem sec. XIII, ubi de eo inter falso nostris ascriptos.

Etsi jam monuerim, iterare non piget delendum esse titulum omnibus Summæ S. Raimundi ex prælo editionibus præfixum, quo dicitur dari *cum glossis Joannis de Friburgo*, & infelicius adhuc in editione Romana apud Andream Phæum 1619 in fol. sub hoc novo programmate : *Joannis de Friburgo ord. Prædic. de sacramentis ordinis & matrimonii ad Summam S. Raimundi commentariorum libri quatuor*. Delendus inquam hic titulus, ne amplius eo fallantur eruditi, nec Joanni de Friburgo deinceps tribuant, quod eo ipso teste ejus non est, sed nostri Guillelmi Redonensis, quem videsis supra.

Ultimum monendum. Fuit & quidam ordinis Minorum dictus simpliciter *F. Joannes Lector*, cujus opus a me visum anno MDCCIV Parisiis apud Augustin. ad pontem novum fol. med. memb. Tit. *In nomine SS. Trinitatis originis omnium rerum incipit Tabula originalium edita & compilata a F. Johanne Lectore Herfordiensi ordinis FF. Minor.* Pr. *Aaron*. Extat etiam in Victor. cod. 798 fol. mag. memb. sed absque nomine auctoris. Continet ad 360 foliola. Compilatio est auctoritatum ordine alphabetico. Hoc opus Wadingus in duo dividit, *Tabulam juris originalium*, & *Summam de casibus*. Pr. idem : *Aaron*, & revera unum opus est. Tertium opus suo censu eidem asserit, *Summam confessorum*, & simile opus etiam ascribit cuidam suo *F. Joanni de Saxonia*, quasi Herfordia non esset in Saxonia. Ut ut sit, exinde Alva in suo *Pleytos de los libros* p. 89 occasionem arripit dicam nobis scribendi de nostro Friburgensi, quasi ei asseramus, quod sui contendit esse vel Saxonis vel Herfordiensis. Nolim verò ego cum Wadingo contendere, sua habeant Minores per me licet : si Summam confessorum scripsit eorum quis Joannes vel de Saxonia vel de Herfordia, eam prælo subjiciant, qualis sit videbitur. At certe quantum ad *Summam confessorum* typis editam & supra relatam & omnia opuscula superius recensita, tot modis eorum noster de Friburgo Joannes Lector se prodit unum & sincerum artificem, id tot evincunt codices MS omnibus obvii, ut nemo sensatus ac nisi excors hæc ei abjudicaverit.

F. ALBERTUS DE BRIXIA.

† 1314. F. ALBERTUS DE BRIXIA sic vulgo dictus a patria, *Mandugasinus* verò a familia cognominatus, Brixiensis conventus alumnus, non sacræ theologiæ magister Parisiensis, ut putavit Bandellus, neque enim locum habet in Bernardi Guidonis catalogo, sed celebris & longe nominatus sacrarum litterarum in ordine professor, S. Thomæ fortè Parisiis, eo enim juvenem ut moris aliquando missum non dubium, vel etiam in Italia auditor, ejus doctrinæ sectator fuit studiosissimus, isque est cui de sancti doctoris morte plurimum anxio & oranti Thomas ipse cum S. Augustino gemmis ornatus apparuit, de quo in ejus vita seu potius in processu canonizationis in Actis SS. T. I martii p. 707 n. 66 & in officio festi juxta ritum Prædic. respons. IX. Claruit vir hic illustris vergente sec. XIII & sequenti ineunte, de quo sic Leander fol. 149 b : *Diem suum sanctissime plenus bonis operibus obiit circa annum Salvatoris* MCCCXIIII. In descriptione verò Italiæ ubi de Brixia & claris indigenis, *Delli quali*, inquit, *è stato Alberto Mandugasino, che fece la Somma de' casi di conscientia dell' ordine de i Predicatori*, nec quid amplius de eo. Unde plura quæ de eo habet ejus descriptionis interpres Latinus Kyriander pura puta hujus est interpolatio ex Tritemio partim excepta, in hoc uterque emendandus, quod hunc Albertum sub Ludovico Bavaro ad annum MCCCXL claruisse velint, qui longe antea obierat. Quod evincitur ex testimonio F. Antonii de Brixia ejus discipuli in processu canonizationis S. Thomæ anno MCCCXIX confecto. Cùm enim coram delegatis inquisitoribus visionem illam SS. Augustini & Thomæ Alberto factam & ab eo sibi narratam retulisset, interrogatus qui essent præsentes, unum F. Janinum de Brixia sodalem jam mortuum nominavit, qui haud dubie ad ipsum Albertum interrogantes remisisset, si fuisset adhuc in vivis. Sed & Guillelmus de Tocco in vita S. Thomæ anno MCCCXX scripta T. I Martii n. 22 de illa visione agens, Albertum de Brixia ait in vita & post mortem miraculis claruisse. Jam igitur quibusdam antea annis obierat Albertus, & consentiunt nostri Lusitanus, Pius, Altamura ad 1314 ejus mortem cum Leandro collocantes. Hæc ejus scripta :

De officio sacerdotis, sive Summa casuum conscientiæ.

MS vidit Lusitanus Mediolani apud S. Mariam Gratiarum, & Toleti apud S. Petrum martyrem charactere auctori æquali.

Est & Florentiæ apud Servitas B. M. cod. MS 87.

Vidit Alva in Belgio apud Floreffium Præmonstraten. MS memb. sicque refert initium Sol. Verit. Rad. 168 col. 1390 :

Incipit liber de officio sacerdotis compilatus a F. Alberto de Brixia ordinis Prædicatorum. Prologus: » Quoniam ut ait Hieronymus, sacerdotis officium est respondere de lege, ut dicit Dominus « per Malachiam prophetam, *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore ejus*, « *quia angelus Domini exercituum est*, oportet sa- « cerdotes esse instructos de his quæ pertinent ad « legem divinam. Hujus legis dignitatem & utilita- « tem spiritualem David propheta nobis insinuat di- « cens, *Lex Domini immaculata convertens animas*. « Debent autem sacerdotes, quia animabus homi- « num divinæ legis observantiam consulunt, esse « instructi de talibus, videlicet qui sunt actus vir- « tutum, & qui sunt actus peccatorum, & de ec- « clesiasticis sacramentis &c. Et quia ut dicit Salo- « mon in proverbiis, *Frater qui adjuvatur a fratre quasi civitas firma*, ideo ego F. Albertus de « Brixia de ordine FF. Prædicatorum ad honorem « & gloriam D. N. J. C. & ad spiritualem profec- « tum sacerdotum cum Dei auxilio hunc librum « compilavi ex verbis & quæstionibus & tractati- « bus F. Thomæ de Aquino de ordine supradicto « FF. Prædicatorum. In hoc autem libro qui de offi- « cio sacerdotis appellatur, cum diligentia collegi « & aliquo ordine pertractavi questiones pertinen- « tes ad consilia animarum &c «.

Opus in tres libros dividitur, in quibus tractatus CXV & capita CCCCVI. Addit Alva idem extare Lovanii apud S. Martin. litt. E. n. 16. *Sed hoc exemplum*, inquit, *ab aliquo imprudenti vitiatum, unde licèt clare loquatur pro pia opinione, me puduit locum transcribere, quod veritatem amem.* Quibus verbis indicat a Bandello recte citatum ex MS non corruptis. Postea idem Alva occasione accepta quod Anonymus auctor tractatus de conceptione, seu ipse Bandellus editione prima dixit Albertum hunc tertiam S. Thomæ Summæ partem complevisse, sic colligit quasi subsannando : *Ergo complementum tertiæ partis non est angelici doctoris, sed Alberti de Brixia : nec illi tertiæ parti debemus absolutam fidem præstare, imo cùm ignoremus ubi fuerit illud complementum, an in principio, fine, aut medio, tota tertia pars manet suspecta.* Quod insulsissimum

omnes vident, si enim Albertus proprium opus totum ex verbis S. Thomæ contexuit, ut fatetur in prologo supra relato, an is fuit qui ad tertiam partem quid adderet? Deinde quis complevisse dicat, quæ etiamnum completa non est?

Itaque cùm primam illam Bandelli editionem non viderim, qui se exprimat, in me non est ut dicam: sed si dixit Albertum tertiam partem complevisse, de additione ex quarto sententiarum, quam *supplementum* vocant, locutus fuerit, quod tum putabat ab Alberto primo adjectum: unde doctior postea factus & monitus *supplementum* longe postea adjectum, id rescidit & emendavit in editione altera. Videsis supra opera S. Thomæ, ubi quando adjectum fuerit istud *supplementum* discussimus.

Præter hoc opus de officio sacerdotis, quidam inter quos Altamura & Rovetta *Summam casuum conscientiæ* huic Alberto ascribunt: at certum non aliud opus sed idem omnino esse a Leandro variis locis vario titulo donatum. Addunt

Sermones de tempore quadragesimales & de sanctis &

Commentarium in sententias

Quæ Vicentiæ apud nostros MS servari ait Rovetta.

F. ALDOBRANDINUS DE TOSCANELLA.

* 1314. F. Aldobrandinus de Toscanella quibusdam corrupte *Toscanota*, a patria scilicet sic nuncupatus, Latine Tuscania ad Martam civitate olim episcopali non longe a Viterbio sita, conventusque Viterbiensis antiqui alumnus seculo XIV ineunte floruit, & laudatur a Leandro fol. 144 a, Lusitano ad 1314, quem excipiunt Pius, Fernandez, Fontana, & Altamura. De eo agit ex professo Alva Sol. Verit. Rad. 128 col. 1211 & dicit citari a Bandello, Vincentia, Deza, Grisaldo & aliis, additque *sermones istius invenimus MS, nunquam enim fuerunt typis mandati, apud Augustinianos Eremitas Padua, habentes foris rubricam sequentem.*

Isti sunt sermones festivi F. Aldobrandini de Tuscanella ordinis FF. Prædicatorum. Et concludunt sic: *Expliciunt sermones festivi F. Aldobrandini de Tuscanella ord. FF. Prædic. Amen.* Fatetur certo citari a Bandello in primo ex septem sermonibus de Nativ. B. V. cujus thema *Orietur stella ex Jacob.* Ibidem ait Alva sunt ejusdem

Sermones de tempore, qui incipiunt a Dom. 1 adventus sub themate Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse veniet & salvabit nos, Isa. 33. Nota duo: Filii dignitas &c.

Assentitur Tomasinus Bibl. Patav. p. 75 dicens primum codicem esse in fol. alterum in 4, utrumque membr. Addit p. 79

Tractatus super decem legis præcepta F. Aldibrandini de Tuschanella ordinis FF. Prædic. volumen unum & alterum 4 memb.

Lusitanus, Fontana & Altamura addunt scripsisse

Vitam S. Dominici in octo partes distributam, MS inquiunt Viterbii in domo Gradensi servatam. Verùm illa jussu magistri ordinis Antonini Cloche diligentissime quæsita anno MDCCX nusquam reperta est, ut mihi responsum fuit eodem anno mense junio.

F. ANDRENTIUS DE CAMERINO.

* 1314. F. Andrentius de Camerino a patria Umbriæ civitate sic dictus a Lusitano laudatur ad 1214 clarus, quo nondum ordo confirmatus fuerat, nec in erratis mendum esse monetur. Sæc. XIV. Id tamen corrigunt Altamura ad 1314, Rovetta ad 1316, & Jacobillus ad 1312 collocantes. Hæc illi tribuuntur opera:

Commentarii in physicam Aristotelis.

Textus Aristotelis universus in formam syllogisticam reductus.

F. BORROMEUS BASACOMATRIUS.

F. Borromeus Basacomatrius a Lusitano ad 1314 clarus recensetur nec natione nec patria indicata. * 1314. Excipiunt Pius P. II lib. 1 p. 138 Gallum & Provincialem præstans, cui succinit Altamura ad 1316, Fernandez Italum volens, & Rovetta Bononiensibus asserens ex Vincentio Rivalio & catalogo illustrium Bononien. Titulus operis ab eo confecti sic fertur

Tractatus de philosophia & de philosophis.

F. DOMINICUS SINARRA.

F. Dominicus Sinarra Italus patria Fabrianensis in Piceno, ibique ordinem amplexus laudatur a Lusitano ceu qui claruerit ad 1314. † 1314. Excipiunt Possevinus, Castillus, Fernandez, & Altamura ad eumdem annum. Rovetta in tres homines dividit, primum quem vocat Didacum Senarium ad 1314, alterum Dominicum Smaria vel Sinarra item ad 1314, tertium Dominicum de Fabriano ad 1324: quibus tamen cùm eadem ascribat opera, unicum & eumdem scriptorem facile colligimus. Ei tribuuntur

Sermones de tempore & de sanctis.

F. GEORGIUS ARRARIUS.

F. Georgius Arrarius Insuber patria & professione Alexandrinus provinciæ Lombardiæ * 1314. superioris alumnus, jure canonico & civili clarus laudatur a Leandro fol. 151 a, qui & indicat ad MCCCXIV floruisse, eum incedentem exhibens cum Joanne Lectore de Friburgo, de quo paulo superius actum, & ferentem a se editum

Scriptum super Decretum.

Ejusdem cum laude meminerunt cæteri nostrates, eumdem Taëgium I. P. Mon. ord. testem appellantes, & tamen in anno non convenientes. Lusitanus & Pius P. II lib. 1 col. 58, quos excipit Possevinus ad 1262 referunt, Altamura ad 1318, addens in Append. Lusitanum quoad ætatem falli. Rovetta collocat ad 1325. Ut ut sit Leandro stabimus, donec major lux affulgeat.

F. HIERONYMUS FOROLIVIENSIS.

F. Hieronymus Foroliviensis a patria & professione sic nuncupatus, vir doctus & * 1314. orator clarissimus, inquit Leander fol. 144 b, cujus præstantissimam doctrinam varia opera in bibliotheca cœnobii Foroliviensis seposita apertissime declarant. Sic ille, a quo & distinctius numerantur

Sermones varii, multiplices & opulentissimi ad diversa facientes tam de tempore & de sanctis quam pro mortuis.

Quædam historiarum fragmenta ab se digesta.

De hujus auctoris ætate non sibi constant nomenclatores. Lusitanus quem excipiunt Possevinus, Fernandez & Altamura, ad 1484 prorogat, Rovetta ad 1479, Pius P. II lib. 4 col. 189 circa 1530 collocant: at ut ut sentiant illi, Leandro major mihi fides in suis istis gentilibus longe accuratiori. Cùm ergo tres hosce simul loquentes & comites seseque manu tenentes inducat Joannem de Sau-

Sec. XIV. togeminiano, Antonium de Azario Parmensem, & Hieronimum de Forolivio, circa idem tempus claruisse statuendum est, scilicet circa 1314, ad quem annum trium primum refert. Quantum ad opera præter relata, nulla alia Foroliviensi a nostris affinguntur. Hinc fabula est quam narrat Alva Sol. Verit. Rad. 302 col. 2041 ab ipso vel alio conficta, ut suggillandi causam haberet, sed risu potius contemnenda, quam serio refellenda.

F. JOANNES DE SANCTO-GEMINIANO.

† 1314. F. JOANNES DE SANCTO-GEMINIANO a patria sic vulgo dictus, quem alii *de Goro* vel *Gorinum* a familia nuncupant, Etruscus fuit natione, Geminianisani primam lucem vidit, & Senis ordini in S. Dominici nomen dedit. Concionatorem circa MCCCXIV tota Italia clarissimum, ac sacrum oratorem sermonibus perpolitis & levigatis præstantissimum laudat Leander fol. 144 a, & iterum *Descrittione d'Italia* fol. 43 a. Lusitanus collocat ad 1310, quem excipit Pius P. II lib. 1 col. 129 ut & Fernandez: Fontana in Prov. Rom. testem citans Lucarinum asserit mortuum anno 1323. Gravissime verò allucinantur Theodorus a Valle Compendii p. 21, & Altamura ad 1244, cùm hunc esse volunt, qui Thomam de Aquino adolescentem ad ordinem adduxit, fovit in carcere, & per fenestram receptum Neapolim reduxit, illi tribuentes quod alterius est viri religiosi seculo fere integro antiquioris, nempe F. Joannis de Sancto Juliano Neapolitani, a quo exhibita hæc adolescenti Thomæ officia. Hæc ejus opera:

1. *Opusculum de quibusdam materiis prædicabilibus, de operibus sex dierum, prædicatum ab eo in adventu Domini in conventu Senarum.* Parisiis, Joann. Barbier & Joan. Petit, 1512 in 4 pagg. 110.

2. *Sermones pro altero adventu.* Laudat mox citandus F. Petrus de Tardito.

3. *Sermones quadragesimales in epistolas & evangelia*, Parisiis, Barbier & Petit 1511 in 4 pp. 198. Quam editionem curavit F. Petrus dè Tardito, eamque F. Guilielmo Parvi ord. Prædic. confessario regio nuncupavit.

Dialogi inter latronem & Christum, Cain & Christum, quos illi tribuunt, sermones sunt sabbati sancti, sed hos addunt sermonibus Goschalchi Eremitæ Augustiniani plagio insertos.

Opus integrum extat MS memb. in 4 in Navarr. Etsi enim ex industria quis eraserit nomen auctoris initio aliâs scriptum ut & in prologo & ad finem, tamen cætera prologus est integer in quo hæc leguntur: *ad reverentiam quoque sanctorum beatissimi patris Dominici & S. Geminiani originis meæ patroni* &c. ut in editis, quæ nostri Joannis opus esse sat arguunt.

Extat etiam Claromontii in Arvernia apud nostros cod. MS fol. memb.

4. *Sermones epistolarum & evangeliorum Dominicalium secundùm F. Joannem de Sanctogeminiano ordinis Prædicatorum a festo S. Trinitatis usque ad adventum Domini. Sermo 1 de epistola. Gratia Dñi nostri Jesu Christi, & caritas Dei, &c. 2 Corint. 4. Licèt sanctissimæ Trinitatis mysterium &c.* Extat cod. MS fol. med. chart. in Navar. Extat etiam in Victor. cod. 1100 chart. qui ambo a me visi.

Sermones de Dominicis per totum annum laudatus F. Petrus de Tardito brevi a se edendos promittebat, sed an promissis steterit, mihi incompertum.

5 *Sermones de sanctis per annum.* Alva Sol. Verit. Rad. 152 col. 1302 testatur se vidisse Cistercii in Bib. & inter illos sermonem de Nativ. B. V. fatetur recte a Bandello citari. Extant etiam Florentiæ apud Servitas cod. MS 33. Tarditus citatus a se etiam edendos promittebat.

6. *Conciones funebres.* Typis prodierunt Lugduni, 1510 & 1536 in 4. Postea curante Joachimo Furgemultio theologo Parisiensi Parisiis, typis Michaelis Nivellii 1611 in 8 pp. 1099. Quæ tamen ultima ab editore interpolata pluribus resciffis, multis additis etiam contra mentem auctoris. Stylus præterea omnino immutatus, ut ex collatione cum edit. Lugdun. anni 1510 quisque experietur. Adeo ut jam ad codd. MS sit recurrendum, si quis mentem auctoris assequi velit. Extant Florentiæ apud Servitas cod. MS 27.

7. *Collationes variæ.* Sic Lusitanus quem alii excipiunt.

8. *Meditationes in Evangelia.* Sic Altamura ex Henrico Willot. An quid diversum a sermonibus?

9. *Ejusdem distinctiones* MS extabant Rhegii apud Eucherium Bonettum ord. Prædic. teste Possevino Appar. Append. p. 108, sed forsan non aliæ a quodam suorum sermonum volumine jam recensito, cùm omnes per modum distinctionum sint exarati.

10. *Summa de exemplis & rerum similitudinibus libris decem constans.* Hoc opus sub ejus nomine jam anno MCCCCXIII publicum erat, sic enim habet Ludovicus a Valleoleti n. 34: *F. Joannes de Tuscia fecit librum, qui intitulatur exemplare sive de similitudinibus rerum naturalium in decem libros distinctum.* Et exinde nomenclatores omnes, Leander & sequentes uno ore ei asserunt.

Difficultatem tamen faciunt hæc verba, quæ in prologo totius operis leguntur: *Prædicantium igitur commodo, curiosorum desiderio, simplicium auditorum profectui desiderans inservire, ego inter Fratres ordinis Prædicatorum minimus nomine Helwicus natione Teutonicus de multarum rerum exemplis, quæ diversis hominum moribus & actibus adaptantur, præsens opusculum edidi, & librum de exemplis & similitudinibus rerum ipsum intitulavi, exemplum sequi desiderans patris nostri B. Dominici &c.* Hinc enim quidam aliâs sibi persuaserunt quiemdam *Helwicum* nomine, natione Teutonem hujus operis esse auctorem, & reipsa sub ejus nomine in prima editione in incunabulis Typographiæ prodiit hoc titulo:

Incipit opus perutile & validum prædicatoribus de quacunque materia dicturis venerabilis atque doctissimi magistri Helwici Teutonici sacræ theologiæ professoris ordinis Prædicatorum liber de exemplis & similitudinibus rerum. Voll. II in fol. absque loco, anno & nomine typographi. Recenset Beughemius in Incun. Typog. p. 177. Indicat Simlerus in sua Bibl. Gesneri aucta vocabulo *Helvicus*, tacens ord. Prædic. fuisse. Vidit Alva Coloniæ Agrippinæ apud Carmelitas & meminit Sol. Verit. Rad. 152. col. 1303.

Hoc tamen nomen *Helwici Teutonici* fictitium esse, & a nostro Joanne de Sanctogeminiano forsan occultare se volente adoptatum patet ex ipsomet opere, nam qui se Helwicum & Teutonem præstat in fronte, in decursu operis seipsum prodidit. Sic enim habet lib. 6 cap. 52 circa medium: *Sicut accidit in terra originis meæ, scilicet in Castello Sanctigeminiani, quod est in partibus Tusciæ quindecim milliariis distans a civitate Senarum.* Haud dubie id sciverunt, qui sequentes post primam laudatam editiones curarunt, in quibus omnibus licèt in prologo idem nomen *Helwici Teutonici* ut auctoris legatur, titulus Joanni a Sanctogeminiano ceu vero ac genuino scriptori asserit. Hæ verò mihi cognitæ.

Venetiis 1497 in 4. Ibid. Damiani Zenarii 1577 & 1582.

Basileæ

Basileæ, Johan. Petri de Langendam 1499 in 4. Extat apud nostros Rotomageñ.

Antverpiæ 1583. Ibid. apud Petrum Bellerum 1599 & 1619 in 8.

Lugduni curis Ægidii Gravatii Rocchensis Eremitani, typis Q. Philippi Tinghi apud Symphorianum Beraud & Stephanum Michaelem 1585 in 4 pp. 522.

Opus sane eximium & utilissimum, cujus placet titulos cujusque libri referre. Exempla igitur & similitudines dantur

Lib. I. *De cœlo & elementis.*
II. *De metallis & lapidibus.*
III. *De vegetalibus & plantis.*
IV. *De natatilibus & volatilibus.*
V. *De animalibus terrestribus.*
VI. *De homine & membris ejus.*
VII. *De visionibus & somniis*, nempe in sacra scriptura contentis.
VIII. *De canonibus & legibus.*
IX. *De artificibus & artificialibus.*
X. *De actibus & moribus humanis.*

Porro ex hoc opere ætas auctoris facile colligitur. Sic enim habet lib. 2 cap. 40: » Frater Ambrosius de Senis de ordine Prædicatorum singulari gratia præditus apud omnes, & ad cujus sanctitatem & merita declaranda multa post mortem ejus Dominus miracula ostendit, inventus fuit portasse lumbare de plumbo, omni enim ingenio usus est ad suam virginitatem Domino conservandam. Nec suo fraudatus est voto, quia prout ejus confessores testati sunt, integram & illibatam cordis virginitatem & carnis suæ custodivit «. Qui modus loquendi eum ostendit præsentem fuisse in domo ordinis Senensi, cùm anno MCCLXXXVI mense martio feliciter mortuus est B. Ambrosius: hæc enim ille præsertim de lumbari plumbeo, non ab alio didicit, nec ex aliqua Ambrosii vita excerpsit, nec enim alibi leguntur, sed ut a se visa narrat. Adde ipsummet in prologo profiteri se nihil in hoc opere de exemplis historialibus etiam de vitis sanctorum per alios scriptis ponere: & revera præter hoc exemplum B. Ambrosii, & aliud supra indicatum quod in castello S. Geminiani dicit accidisse, nullum aliud apud eum mihi occurrit.

Imo facile crediderim hoc jam opus edidisse, priusquam quatuor compilatores vitæ B. Ambrosii, quam jussu Honorii IV scripserunt, eam complevissent, siquidem illud ipsum ex eo referunt, ut videre est T. III martii p. 193 n. 59, ubi sic habent: *De ejus etiam illibata virginitate testimonium reddit auctor libri, qui de similitudinibus rerum dicitur lib. 2 cap. 40 in hunc modum: F. Ambrosius de Senis* &c. ut supra. Novi Bollandum hanc notam huic numero adjecisse: *Apparet hunc locum a Taegio adjectum esse, vel saltem non posse compilatorum censeri.* Id enim dixit Bollandus, quia non tam antiquum putavit nostrum Joannem, saltem existimavit compilatores eo prius vitam Ambrosii Senensis finiisse. At licèt Honorii IV jussu eam vitam scribendam susceperint, eo pontifice anno MCCLXXXVII mortuo, verisimilius illos opus injunctum non tam celeriter inchoasse aut promovisse, nec ante MCCC manum ultimam admovisse, dum interea Joannes suum de similitudinibus opus urgeret, adeo ut ante MCCC ediderit. Tum enim L ætatis decurrebat, etiamsi ponatur ad annum MCCCXXIII qui longior est vitæ ejus terminus, pervenisse, & ætatis LXXIII mortuus, quod commune.

Ut ut sit sive hoc testimonium a compilatoribus ex libro de similitudinibus excerptum fuerit, ut mihi facile probatur, sive post ducentos annos a Taegio vel ab alio adjectum, ut Bollando placet, neque enim is sum qui velim cum viris eruditis contendere, certum mihi est Joannem de Sancto-Geminiano experta & sibi visa prodere, cùm de lumbari plumbeo Ambrosii Senensis testimonium reddit alibi a se non lectum: præterea illud opus ante concilium Viennense quod habitum anno MCCCXI mense octobri jam confectum: idque mihi evincere videor, quod in prologo lib. VIII de canonibus & legibus, ultimus liber ab eo laudatus & quo usus est, sextus est decretalium Bonifacii VIII, quem iste pontifex authenticum pronunciavit V nonas martii anno IV, hoc est Christi MCCXCVIII stylo veteri novo XCIX. Si autem anno MCCCXI opus illud non confecisset, & ipse longe ulterius vixisset ad tempora Joannis XXII, collectionem Clementinarum & Extravagantium sequentium anno MCCCXVIII circiter factam non omisisset. Revera in prologo lib. IX de artificibus & artificialibus inter opera vitrariorum ocularium confectionem recenset, sed supra ubi de Alexandro Spina ad 1305 monuimus hæc sub finem seculi XIII inventa.

Denique ut hunc numerum finiam emendandus venit Lusitanus, qui p. 120 ex Bernardo de Lucemburgo catalogi hæreticorum lib. I cap. 1 quemdam Hulricum seu Helwicum ordinis Prædicatorum sodalem ceu specialem scriptorem ac auctorem operis in libros septem divisi *de proprietatibus rerum* nobis obtrudit: ex dictis enim hactenus constat hunc auctorem non alium esse a nostro Joanne de Sancto-Geminiano, qui sub nomine Helwici Teutonici initio operis sui non *de proprietatibus rerum*, sed *de similitudinibus rerum* latere voluit. Bernardum verò de Lucemburgo decipere potuit prima hujus operis editio sub nomine Helwici facta, ut supra monitum est, quæ & Simlerum in sua Gesneri bibliotheca aucta decepit, ut *Helwicum* tacens nostrum fuisse ceu scriptorem specialem recenseret, & ad annum 1365 vixisse affirmaret. Errantem Lusitanum secuti nostrates nomen auctoris magis corruperunt, *Humbricum* illum seu *Umbricum* vocantes; sic Gozzeus, Pius P. II lib. 4 col. 189, Fernandez inter Gallos, Altamura ad 1533, & titulum operis corrupte ut Lusitanus proferentes, quos omnes ex suprarelatis certissimis prudens lector & excusabit & corriget.

Istud idem opus ultimo prodiit sub hoc novo titulo: *Universum prædicabile sive Summa R. P. F. Joannis de Sancto-Geminiano ordinis Prædicatorum sacræ theologiæ doctoris clarissimi de exemplis & rerum similitudinibus locupletissima, in qua quicquid a Deo patratum fuit in opere creationis mundi universi, concionibus quam clarissime adaptatum invenies, non solum verbi Dei prædicatoribus, verum etiam omnibus studiorum amatoribus perquam necessaria. Editio novissima cum adjunctis sacræ scripturæ, SS Patrum aliorumque tum doctorum tum philosophorum allegationibus & indice triplici, uno concionum & thematum per anni circulum occurrentium hactenus nunquam viso & diu desiderato, altero rerum & personarum, quarum exempla huic operi inserviunt, tertio capitulorum & materierum ordine alphabetico disposito.* Coloniæ Agripp. Jo. Arnoldi Cholini 1665 in 4.

F. Albertus Sponleia sodalis noster editionem curavit, indices tres adjecit & Joanni Melchiori Domitiopolitano episcopo electoris Moguntini ac principis Herbipolensis in pontific. & spiritual. vicario generali nuncupabat e Francofurto XXVI aug. MDCLXIII.

F. ANTONIUS DE AZARO.

F. ANTONIUS DE AZARO vel *Azarius Parmensis* inter sacri verbi oratores illustres laudatur a Leandro fol. 144 b, diciturque optimus con- 1314.

Sæc. XIV. cionator. Annum quidem quo floruerit non addit, sed suo more satis indicat, eum cum Joanne a Sancto-Geminiano de quo mox loquentem, ambosque se manu tenentes exhibens, qua ratione homines æquales solet pingere. Lusitanus refert ad 1515 sed fallitur, nec rectius Altamura ad 1404: Rovetta verò propius ad 1303. Leander autem eum profert

Sermones morales super evangelia portantem.

Duplici editione prodierunt. Prima hoc titulo: *Incipit postilla notabilis F. Antonii de Parma super evangelia Dominicalia, quæ leguntur per circulum anni.* Pr. *Cùm appropinquasset Jesus Hierosolymam &c. Matt. 21. Tempus quod hodie incipit & durat usque ad adventum Domini, vocatur ab Ecclesia, Adventus Domini &c.* Coloniæ, Johan. Quelhoof de Lubeecx 1482 fol.

Altera editio prodiit hoc titulo: *Medulla sermonum recognita & emendata per FF. Joannem Lancelli & Joannem Nocart ejusdem ordinis*, Parisiis, Reginaldi Chaudiere 1515 in 8 pp. 215. Quæ editio apud nostros Parisiis ad S. Honorati, Cadomi, Lillerii in Belgio & aliâs. Inde forsan Lusitanus allucinatus ex hujus editionis anno ætatem auctoris suspicatus est.

Extat horum sermonum codex MS memb. in 4 Venetiis ad SS. Jo. & Paulum Plut. IV teste Tomasino in suis Bibl. Venet. Titulus: *F. Antonii Parmensis ordinis Prædicatorum sermones*

Tria alia exempla MS vidisse se testatur Alva Sol. Verit. Rad. 336 col. 1244. Primum Coloniæ apud Prædicatores.

Alterum Patavii apud Eremitas Augustinianos, sed hoc inquit incipit: *Ecce rex tuus &c. Adventus salvatoris ab antiquis fuit prænunciatus &c.* Recensetur etiam a Tomasino in Bibl. Patav. hoc titulo: *sermones quadragesimales F. Antonii Parmensis ord. Prædic.* in 8 memb.

Tertium Augustæ Vindelicorum ad S. Walderici.

Quoad omnia alia impressa conveniunt cum MS. A Bandello & sequacibus citantur hi sermones, nec falso citatos arguit Alva.

Alia ipsi opera tribuunt Lusitanus, Altamura, & Rovetta, sed falluntur, illi enim dant ex oscitatione, quæ si cautius Leandrum legissent, ab eo vidissent Hieronymo Foroliviensi asseri, de quo continenter agit.

Verùm hîc quibusdam difficultatibus obviam eundum. Primam subministrat Leander, qui duos ejusdem nominis videtur distinguere. Nam præter hîc citatum Azarium ab eo dictum, alterum superius fol. 139 b, inter illustres solvendis theologalibus nodis laudaverat sic: *Nota &c. Antonium Parmensem virum rarum, prudentem, solertem & literatum*, cùmque collocet inter F. Jacobum de Regno generalem sub Eugenio IV ordinis procuratorem, & F. Joannem Capreolum anno MCCCCXV jam clarum, videtur hunc Parmensem ad hæc eadem tempora revocare, & ab Azario quem centum circiter annis antiquiorem exhibet secernere. Ut ut sit, duos enim ejusdem nominis Parmenses variis temporibus imo eadem ætate claruisse nihil prohibet, cùm soli Azario tribuat opera Leander, nulla verò alteri Parmensi, nec iste nobis visus est scriptoribus nostris annumerandus, licèt Lusitanus & eum excipientes Pius, Fernandez, Altamura ad 1314 & 1404 duos distinguant, quibus eadem opera asserunt, & Rovetta aliis liberalior quatuor exhibeat sed operibus indistinctos ad 1303, 1317, 1403, 1516. Id unum ex his concludas non usquequaque certam esse hujus Azarii ætatem, nisi quid accuratius ex suis antiquis monumentis proferant nostri Parmenses, quod in votis est.

Altera major difficultas est, nimirum fuit quidam ut volunt F. Antonius de Parma Camaldulensis ordinis prior generalis, quem & synodo generali Constantiensi affuisse narrant, de quo sic Leander Albertus *Descrizz. d'Italia* fol. 301 b, in Boiis ubi de Parma: *Uscirono quindi altresi &c. Antonio Camadulese ornato di lettere Greche e Latine, si come fece prova nel concilio di Costanza.* Idem habent Tritemius *de script. Eccl.* Jacobus Philippus de Bergomo *supplem. chronic. ad ann.* 1416, sed & F. Augustinus Florentinus monachus Camaldulensis *Histor. Camald. lib.* 2 *c.* 64 *p.* 237 Antonium scribens ab anno MCCCCX circiter ad MCCCCXIX ordini præfuisse, exindeque postea episcopum Ferrariensem assumtum. Qui verò sermones sub nomine Azarii nostri editi prostant, hos eosdem huic Camaldulensi asserunt. Sic enim Tritemius: *Antonius de Parma ordinis Camaldulensium prior generalis scripsit sermones de tempore, de SS. & per quadragesimam.* Pr. *Cùm appropinquasset.* Excipiunt Bergomensis, Gesnerus, & Augustinus Florentinus citatus, Simlerus, Eysengreinius, Possevinus, & tandem Lambecius T. II Bib. Cæsar. Vindob. p. 775 n. 36. Quibus addendum hos omnes ita Azarii nostri oblitos, ceu qui nullus fuerit.

Tantorum virorum auctoritate pressus, hæsi fateor aliquantulum dubius, sed re penitius inspecta, hæc lectorem monenda visa sunt. Primo hujus Antonii Camaldulensis incerta est omnino fama, nam quod narrat Augustinus citatus ad sedem Ferrariensem promotum, falsum evincit Ughellus, Petrum Boiardum præstans ab anno MCCCCI ibi sedisse ad MCCCCXXXI, quo abdicata dignitate successorem nactus est B. Joannem de Tossiniano, qui sedit ad MCCCCXLVI. Hanc immediatam successionem probat Ughellus diplomate pontificio Eugenii IV, VI Kal. nov. MCCCCXXXI dato. Tossiniano verò successit Franciscus de Lignamine anno dicto & stetit ad MCCCCLXII, ut nullus sit Camaldulensi locus. Præterea quod dicunt concilio Constantiensi affuisse, in eoque ceu Græce Latineque peritum multum claruisse, non est extra dubium, cùm in indice tot abbatum ac omnium congregationum religiosarum præfectorum generalium qui illi synodo astiterunt sat accurato nulla sit ejus mentio. Videsis acta ejus concilii recens in Germania edita T. V P. II p. 10 & seqq. Unde suspicor Leandrum Albertum, cujus unius testimonio innixi id alii asserunt, forsan scripsisse Antonium Camaldulensem pro Ambrosio Camaldulensi viro sane Græce Latineque peritissimo, qui ex Græcis bonis æque bona Latina fecit plurima, quem quidem Constantiensi synodo affuisse nemo certo refert, sed qui jam circa illa tempora florebat, & Martino V quam ejus jussu operis nostri Manuelis Calecæ susceperat e Græco versionem nuncupavit. Tertio Leander Albertus qui cæteris accuratior utriusque & Azarii nostri & Antonii Camaldulensis meminit cum laude, cur nullos huic sermones asserit, bene autem illi, nisi quod codices omnes Antonii ordinis Prædicatorum nomine inscriptos, nullum Camaldulensis viderit. Et sane nullum Bergomensis, Gesnerus, Augustinus Camaldulensis, Simlerus, Eysengreinius, Possevinus codicem indicant MS Antonii præpositi Camaldulensis nomine insignitum, unius Tritemii qui in hoc falli potuit, omnes auctoritate utuntur: ipse Lambecius citatus in codice Cæsareo Camaldulensis nomen in titulo non haberi satis innuit, nec ei ascribit nisi ex Tritemio, ad quem remittit. Nos autem codices MSS Antonii Parmensis ordinis Prædicatorum nomine inscriptos plures proferimus, Venetum SS. Jo. & Pauli, Patavinum apud Eremitas Augustin. in 8 memb. utrumque a Tomasino recensitum, Augustanum abbatiæ S. Walderici. Adde celebrem F. Petrum de Alva hos omnes codices vi-

disse, expendisse, nostrique Parmensis fateri, quod invictum argumentum nullum ab eo dubitandi locum animadversum, alioquin non omisisset, & habens Camaldulensi vindicasset.

Alios itaque ut hoc concedam sermones scripserit Camaldulensis, sed non hos supra relatos editos & MSS nequidem in cod. Cæsareo, qui incipiunt, *Cùm appropinquasset &c.* quos Azario nostro asserimus. Porro hi sermones auctorem suum arguunt eruditum, sapientem, clarum, evangelio cuilibet integre juxta utrumque sensum literalem & moralem explicando attentum, nihil extra dicentem, adeo ut ejus ætatis inter meliores & utiliores facile censeas. Stilus humilis, & qualis eorum qui conciones lingua vernacula dicendas Latine sibi unis scribunt; Græce scivisse ægre assentiar, nec enim id probat ejus oratio, quod novum argumentum Camaldulensis illius Antonii opus non esse, Græcis Latinisque literis, ut aiunt ornatissimi.

F. FERRICUS METENSIS.

1314. F. Ferricus Metensis seculo XIII jam plurimum claruerat, & ad initia sequentis pervenit. Inter sacræ facultatis Parisiensis magistros apud Bernardum Guidonis recensetur n. 48, diciturque sententias in gymnasio Sanjacobeo anno MCCCI unâ cum F. Amando de Sancto Quintino, de quo supra initio hujus seculi legisse. Emeritus jam erat cùm hoc munus suscepit, & pluribus annis apud suos Metenses e superiori loco docuerat, ut constat ex hoc elogio, quod ex chronico illius domus placet hîc referre.

» Magister Ferricus de Lunarivilla (vulgo *Luneville*) prope Spinalium (*Espinal* in Lotaringia) regens Parisiensis, vir ingentis doctrinæ claræque scientiæ. Divinæ namque & humanæ legis doctor erat, cunctis amabilis, consilio magnus, animo constans, lenis verbo, vita sanctus, nobilis & clarus, justus, sapiens, gratus. Tantæ humilitatis munere claruit, ut in sigillo solo nomine Jhesu & non progenitorum, ut sibi licuisset, armis pro signo uteretur. Dedit duo volumina pro bibliotheca communi, videlicet *Concordantias magnas Biblia, Thomam super Job & epistolam ad Hebræos cum aliis* in eodem volumine. Ardebat hic vir zelo animarum, ut illas prædicando, informando, confessiones audiendo, de faucibus cruenti hostis eriperet. Unde visitare consueverat decumbentes, ut aliquid consolationis informationisque daret. Quorum plures eum patronum, executorem testamentorum delegerunt. Fuit enim cùm magistro Dithero (*ordinis Prædicatorum domus Metensis alumno & Adolphi imperatoris fratre*) postea archiflamine Trevericæ provinciæ, executor testamentorum D. Jacobi de Jurne, nobilis item Dñæ Pontiæ aliorumque multorum. Erat in adversis casibus patientissimus & miræ constantiæ: nam præsulem Metensem Laurentium (*is electus est anno* MCCLXX, *& mortuus* MCCLXXIX) qui Fratribus prædicationis officium interdixerat, ad Romanam citavit curiam, & ad revocandam sententiam constanter agens coegit anno MCCLXXIX, non formidans tanti antistitis potentiam. Hujusmodi ardua justitiæ zelo pluries aggressus est, pro qua tuenda tandem occubuit. Anno siquidem christianæ salvationis MCCCXIV feria præcedenti ascensionis Dominicæ festum tertia (XIV *maii*) Philippum de Gornaix cùm induxisset, ut bona injusto titulo possessa restitueret, illeque annuisset, super qua re publicum instrumentum per D Jacobum de Boilaive confectum est: ob hoc indignati hæredes, maxime ultimæ voluntatis dicti domini executores, viro sancto insultant. Sed ille nihil timens fortius eos arguit, & ut restituant exhortatur.

Hique dolos dirumque scelus in pectore versant,

de morte viri conspirant. Protelatur interim negotium ad diem apostolorum Simonis & Judæ usque. Tunc virum justum in quodam vico solitario aggrediuntur, & crudeliter occidunt: qui locus ab illo die dictus est, *Forfait*, quod sonat violenter factum, a violentia facta tanto doctori. Pater sanctus dum

Palpitat extinctus circum præcordia sanguis, ait:
Hanc tibi summe parens animam commendo cadentem.

Accurrunt tunc ad lugubre spectaculum undique cives. Fit clamor ingens. Hæc ubi nota fiunt conventui, quis exprimat dolores, clamoresque, quos tunc Fratres ostenderunt? Portatur tandem corpus magno cum honore ad oratorium conventus, concomitantibus illud multitudine diversorum ordinum religiosorum & ecclesiasticorum atque secularium, ubi peractis more solito maxima solemnitate funeralibus officiis, defuncta piis laudibus membra in dextram partem sanctuarii condunt: super cujus sarcophagum graphice hoc epigramma scribunt:

Doctor Ferricus jacet hîc virtutis asylum;
Consilio Nestor, speculum probitatis amœnum;
Qui pro justitia gladio peremtus iniqui est
Immundi mortis damnosa ruinaque anni
Milleni deni quarti, Si. Ju. quoque festo
Atque trecentini migrat, Deus huic pius esto.

Et ut illius Fratres semper memores essent, scripserunt nomen ejus in missalibus prope *Memento defunctorum*, ubi nomina aliorum excellentissimorum benefactorum conventus annotata sunt, ut comitissæ (*Margarita de Flandria matris Adolphi imperatoris*) filiarum Jacob, Alberici, ac Bernardi «. Hactenus chronicon Metense, in quo quædam menda, sed quæ corrigi non potuerunt. Inter prædicatores universitatis Parisiensis clarebat circa MCCC, & in cod. Colbert. 3725 fol. memb. inter sermones illustrium ejus ætatis fol. 209 sic habetur

Sermo LXIIII *in die Ascensionis magister Ferricus de Spineto ordinis Prædicatorum. Thema: Ascendet sicut virgultum coram eo.* Isa. 53.

Est integer, impletque 4 folia, adeo ut videatur ex ipso auctoris αὐτογράφῳ transcriptus, cujus eruditionem arguit. Indicium est plures alios edidisse modo vel deperditos vel alicubi latentes.

F. BENEDICTUS DE SENTINO.

F. Benedictus de Sentino Polonus patria Caminiecensis, sic enim legendum non 1314.
Cameracensis, ut corrupte plerique nostrates, Lusitanus eumque excipientes Gozzeus, Pius, Fernandez, Altamura, qui tres posteriores eum claruisse volunt ad 1420, cùm Lusitanus collocet ad 1314. Hinc eorum plurimum apud me nutat fides, etsi Albertum Venetum testem appellent, quem ad manum non habeo. De hoc scriptore silent Leander & Razzius: a Lusitano verò ei ascribuntur tantum

Commentaria in logicam.

Ab aliis Lusitanum oblique legentibus *Commentaria in* IV *libros Sententiarum*: nempe quod opus *Benedicto Crinigando* Lusitanus asserit, illi dant *Benedicto de Sentino*: contra quod ille dicto *de Sentino*, illi vindicant *Crinigando*: quod monendum fuit.

F. THOMAS NORWOD.

F. Thomas Norwod Anglus ex Lusitani fide ab omnibus nostris nomenclatoribus Castil- 1314.
lo, Gozzeo, Pio, Fernandez, Altamura inter scrip-

SÆC. XIV. tores ordinis recensetur, quem primi nominis theologum sua ætate fuisse asserunt, aliis ad 1314, aliis ad 1317 referentibus. Pitseus hos excipiens ascribit ad 1320. Hæc verò ab eo prodiisse præstant

Commentarium super epistolam ad Romanos.

Scriptum super IV libros Sententiarum.

F. WARNHERUS DE BOTIS.

* 1314. F. Warnherus de Botis vir, inquit Lusitanus, ob vitæ integritatem & multiplicis generis doctrinæ præstantiam ad annum 1314 clarus scripsit

Super evangelia de tempore per totum annum voll.

Excipiunt nostrates omnes & tandem Altamura ad 1309, nullus patriam detegit, sed ex nomine Teutonem facile crediderim.

F. GERARDUS WILICH.

* 1314. F. Gerardus Wilich vel *Vilichius* Teuto patria & professione Trevirensis laudatur a Lusitano ceu clarus ad 1314, & ab eum excipientibus Possevino, Pio, Fernandez, Altamura ad eumdem annum, & scripsisse dicitur

Sermones de tempore & de Sanctis per annum.

Passionale alterum de Sanctis.

Eumdem conjicit Possevinus, qui ab aliis dicitur *Veluyck* vel *Veluyckius*, cujus opus prodiit hoc titulo recensitum a Simlero

Itinera deserti, sive de Judaicis disciplinis & earum vanitate cum nonnullis ex libris Judæorum de fide christiana consentientibus, Venetiis Bombergi 1539 in 4. Sed revera is non est nec idem nomen, nam auctor hujus operis Hebraice scripti dicebatur Gerardus Veluyckius non Veluyckius, ut mendose apud Simlerum legitur: nostrum præterea Wilichium Hebraice peritum difficile mihi persuaderet.

F. GUILLELMUS VERIDA.

* 1314. F. Guillelmus Verida Teuto Coloniensis scriptoribus nostris accensetur ab Altamura ad 1310, ubi testes adducit Castillum Cent. II lib. I cap. 31, Gozzeum, & Pium P. II lib. I col. 138, qui ultimus refert ad 1314. Dicunt scripsisse

Super epistolas & evangelia a Dom. I adventus ad Dom. paschæ.

F. N. BERNENSIS.

* 1314. F. N. Bernensis cujus nomen ignotum, Berna vulgo *Bern* Helvetiorum civitate ortus, ibidemque ordinem professus vir pius laudatur a Lusitano ad 1314. Excipiunt Possevinus, Fernandez, aliique & tandem Altamura, qui *Bernerium* pro libito vocat. Dicitur autem concinnasse

Antiphonam de B. Virgine ex diversis partibus antiphonarum, responsoriorum, hymnorum &c. retinentibus tamen proprium sonum cum propriis melodiis. Princ. *Regina cœli quàm pulcra es &c.* Finis: *Tuum precare filium pro tuo cœtu pauperum.*

F. OTTO DE NIENHUSS.

* 1315. F. Otto de Nienhuss Saxo domus Mindensis alumnus claruit circa MCCCXV, de quo sic scriptor anonymus, quem ejusdem conventus professum conjicere est, in chronico Mindensi sic habet. » Per idem tempus, nempe ad Ottonem comitem de » Waldegge XXXVIII episcopum Mindensem anno » MCCCXV electum, Otto de Nienhuss de conventu » Mindensi recedens, nomenque suum mutans, Wil» helmum *de Boldensleve* se nominavit: ex parte » enim matris, quæ erat de genere illorum *de Bol-* » *densleve* nobilis erat. Accessit ad curiam Roma» nam (*quæ tum Avenione versabatur*) & absolu» tione pro apostasia accepta, ad terram sanctam » perrexit, quam ad instantiam unius cardinalium » gratiose sic* legenti post descripsit. Hic postea in » sui reversione ad ordinem redire disponens, Co» loniæ apud Fratres Prædicatores defunctus est. » Hoc chronicon edidit Meibomius Rer. Germ. T. I. Allata verò videsis pag. 567 edit. fol. Hic itaque Otto edidit * *f.* petenti.

Descriptionem Terræ-Sanctæ.

F. PETRUS DE ANDRIA.

† 1316. F. Petrus de Andria Apulus a patria sic nuncupatus, B. Thomæ de Aquino dum Parisiis vel etiam in Italia sacras litteras interpretaretur, auditor, vir magnarum partium fuit & apud suos nominatus. Hinc cùm primum erecta est provincia regni Siciliæ, & a Cœlestino V a Romana provincia avulsa, primus ejusdem ab eodem pontifice vicarius constitutus est & caput ac præses capituli, in quo eligendus erat prior novæ provinciæ ad festum exaltationis S. Crucis XIV septemb. MCCXCIV, quem pluribus in eadem provincia postea functum muneribus regiminis scholarum & domuum recte conjicias. Anno MCCCVI idibus augusti ad sedem Æquensem sub Surrentina evectus est a Clemente V, quam Ecclesiam boni pastoris partes implendo decennium circiter rexisse fertur. Antiqui operum B. Thomæ de Aquino censores quædam ex ejus ore excepta reportâsse testantur: quorum hæc recenset Bartholomæus Logotheta regni Siciliæ testis auditus in processu canonizationis sancti doctoris legendus apud Baluzium Pap. Aven. T. II col. 9, ubi sic loquitur:

» *Si autem sibi* (S. Thomæ scilicet) *alia ascribantur non ipse scripsit & notavit, sed alii recollegerunt post eum legentem vel prædicantem puta....* » *Collectiones de decem præceptis F. Petrus de Andria.* » *Lecturam super Mathiam* (leg. Matthæum) *idem F. Petrus & quidam scholaris Parisiensis, quæ defectiva est.* Idem habet Bernardus Guidonis: *Lecturam super Matthæum, quæ defectiva est, F. Petrus de Andria dicitur reportasse.* »

Tractatus de vita spirituali ei tribuitur a Pio P. II lib. I p. 83, cui præiverat Lusitanus ex S. Antonino, & excipit Altamura ad 1280.

F. GAUFRIDUS DE ABLUSIIS.

† 1316. F. Gaufridus de Ablusiis vel *Abluviis* Gallus oppido *Abluis* vel *Abluies* aliàs, nunc *Ablis* vernacule dicto, Parisios inter & Carnutes, cujus diœcesis est, medio circiter itinere sito ortus, unde pro more agnomen traxit *de Ablusiis*, (sic enim scriptum legitur in antiquis monumentis) domus Carnotensis alumnus, fuit vir magnarum virtutum gloria conspicuus infractique animi, ut quæ gessit cum laude munia facile comprobant. Inter fidei quæsitores generales Carcassonæ vigesimus primus ordine recensetur, F. Nicolai de Abbatisvilla domus Ambianensis filii & professi circa MCCC successor: quo in officio socium sibi ascivit F. Hervæum de Aneto vulgo *Anét* ejusdem diœcesis & domus Carnotensis alumnum: sed & coinquisitorem Carcassonæ habuit sibi adjunctum F. Fulconem de Sancto Georgio domus Viennensis ejusdem provinciæ Franciæ. Qui tres viri ut multas & graves

ex parte dictæ civitatis in officium inquisitionis iterum a quodam F. Bernardo Deliciosi Minorita anno MCCCI excitatæ ac tumultuantis sustinendas habuerunt persecutiones, sic in iis fortes & invictos probaverunt, nec a munere explendo destiterunt. Mortuo Bonifacio VIII eique die XXII octob. MCCCIII suffecto Nicolao Bocasino Tarvisino ordinis Prædicatorum Benedicto XI dicto, accusatus Bernardus Deliciosi comprehendi, Romamque vinctus duci a generali ordinis sui ministro jussus est, ita volente summo pontifice litteris Viterbii XVII kal. maii MCCCIV datis. At Deliciosus sibi cavens comprehensus non est, nec sic deferbuerunt, sed magis recruduerunt populi Carcassonensis in inquisitores & ordinis sodales omnes iræ & gravamina. Eodem anno paulo post nempe nonis julii Benedicto XI cum suspicione veneni e vivis erepto, & post mortem miraculis inclarescente; Gaufridus noster de iis juridice inquirere jussus est, qui & quindecim a pontifice mortuo patrata comprobataque authentica misit ad curiam XIX julii MCCCV miracula, ut apud Bernardum Guidonis vetera tradunt ordinis monumenta. Anno MCCCVII IV idus octob. eodem Bernardo teste Carcassonenses cives in gratiam cum nostris redierunt agente F. Berengario de Landorra, ut supra dictum est ubi de eo, exindeque inquisitor officiorum suorum implendorum spatium nactus est liberius saltem ad quoddam tempus: nam anno MCCCVIII delegati ab eo F. Gerardus de Plumato prior domus Carcassonensis & F. Joannes de Fulgosio ejusdem ordinis, quæstionem & processum de fide instituerunt adversus Antonium de Castro & alios cives, ut constat ex actis in Bibl. Reg. Paris. extantibus cod. 5104 ms fol. memb. Idem Gaufridus judex secundarius sedit dum F. Bernardo Guidonis inquisitore Tolosano in hujus actis pluribus, anno MCCCX nonis aprilis Dominica in passione in Ecclesia cathedrali S. Stephani: die etiam jovis sequenti april. IX in sententia contra Petrum Auterii Albigensem: item anno MCCCXII, X kal. maii sabbato in sententia contra Vesiadam Ponsenca, & Pontium Arnaldi hæreticos Albigenses, & in aliis ibidem: sed & cum eodem in ejus domo juxta castrum Narbonense aderat secundarius, cùm damnavit Joannem de Salvetate pridie nonas martii sabbato secundo quadragesimæ MCCCXV stylo veteri, novo MCCCXVI, quo pascha fuit april. XI. Nominatur etiam præsens in sermone generali, quem habuit dictus inquisitor Tolosanus. Quæ omnia constant ex actis, & legi possunt in historia inquisitionis a Philippo a Limborch Amstelodami edita anno 1692 fol. Nec omittendum F. Hervæum de Aneto socium Gaufridi supra laudatum in iisdem actis præsentem indicari.

Interea tamen denuo exacerbatos in inquisitores impulsore præfato Bernardo Deliciosi cives Carcassonenses & Albienses ex eo discimus, quod F. Fulco de Sanctogeorgio in eo munere Gaufridi assessor in ea persecutione decessit Carcassonæ, & ipse Gaufridus ejectus & exul obierit Lugduni. Verùm coram Joanne XXII Bernardo Deliciosi malorum incentore accusato, imo & intoxicati Benedicti XI reo delato, eoque a Tolosano archiepiscopo, Appamiensique & S. Papuli episcopis auctoritate apostolica commissis & delegatis perpetuo in pane & aqua carceri addicto, magistratus & communitas Albiensis cum Carcassonensibus in dicta persecutione juncta, priora facta ejurarunt, veniamque humiliter petierunt, quæ eis concessa fuit, absolutionisque beneficium solemniter impensum anno MCCCXIX Indict. II. die XI martii Dom. III quadragesimæ in cœmeterio S. Cæciliæ Albiensi ab episcopo Bernardo & a F. Joanne de Belna ordinis Prædicatorum in munere inquisitoris Gaufridi successore, hoc inter alia satisfactionis onere imposito, ut in sententia in archivis ejus inquisitionis servata legitur: *Item faciant Albienses cives fieri duas tumbas lapideas, unam videlicet supra F. Gaufridum de Ablusiis in conventu Lugdunensi, & aliam supra F. Fulconem de Sanctogeorgio in conventu Carcassonensi prædictos quondam inquisitores, qui in magna paupertate in prædictis persecutionibus decesserunt.* Ex quibus Gaufridum inter MCCCXVI & MCCCXIX vita functum Lugduni colligo.

Ejus meminit Nicolaus *le Febvre* suo in Prædicatore Carnuteo, sive historia conventus Carnutensis p. 157 & 205: & si certis, ut credere est, innitantur fundamentis, quæ de eo refert, magnum ei laudis & gloriæ pondus accreverit apud apostolicam sedem & Gallicanam Ecclesiam, quod utriusque conciliare dissensionem primus ipse curaverit. Si qua enim ei fides, Gaufridus cum Petro de Bellapertica canonico Carnutensi sibi noto & amico de Philippi Pulcri regis cum apostolica sede reconciliatione primum egit, in idque consilii litteras ad Benedictum XI mox ut ad Petri sedem evectus scripsit, regemque ipsum ut gratulatorias filialesque novo pontifici mitteret epistolas & oratores excitavit. Cujus rex acquievit consiliis litterasque & oratores ad Benedictum misit, Bernardum scilicet Mercolii dominum, Petrum de Bellapertica canonicum jam nominatum, & Guillelmum de Plessiaco militem, unde pax inter utrumque coaluit, & Benedictus Franciam interdicto Bonifacii solvit, cæteraque egit quæ apud historicos Francos videas. Quæ quidem splendida omnino in laudem hujus auctoris curiosos nostros Carnutenses excitare deberent, ut quibus antiquis monumentis id asseruerit Nicolaus noster investigent, & in lucem edant. Addit & ejus opera usum Philippum ad Pissiacense insigne S. Dominici virginum asceterium erigendum, quod & veresimillimum: denique scripsisse.

Commentaria in IV libros Sententiarum, brevia quidem, sed optima methodo & dilucida, quæ in Bibl. conventus Carnutensis servari testatur. Sacræ theologiæ magistrum etiam asserit, sed cùm ejus nomen in catalogo Bernardi Guidonis non legatur, parca in hoc ei fides, quod non impedit, quin theologiam in variis provinciæ Franciæ studiis professus fuerit.

Acta ejus ut inquisitoris plurimi facienda, ceu quæ non parum deserviunt ad historiam ecclesiasticam & profanam ejus ætatis in Gallia cognoscendam. Hæc verò servantur partim Carcassonæ in archivo inquisitionis, partim Lutetiæ in Bibl. Regia, partim in Colbert.

F. HERVAEUS NATALIS.

F. HERVAEUS NATALIS Brito vulgo dictus, vir insignis summusque ævi sui habitus theologus natione Armoricus fuit, stirpe nobili quam *de Nedellec* vernacule dicunt, & exprimere voluerunt vocabulo *Natalis*, in diœcesi Trecorensi ortus, ordinemque in domo Montisrelaxi *Morlaix* adolescens amplexus & professus. Post studia Parisiis in gymnasio Sanjacobeo confecta, professasque e superiori loco variis in provinciæ Franciæ studiis utrasque disciplinas divinas & humanas, tandem ad legendas Parisiis sententias baccalaureus promotus fuit: anno verò MCCCVII circa pascha licentiatus annis duobus sequentibus regentis & professoris publici munere functus est. Sic enim lego in catalogo magistrorum Parisiensium apud Bernardum Guidonis n. 56: *F. Hervaus Brito licentiatus tempore paschali Anno* MCCCVII. Anno MCCCIX in comitiis Franciæ Carnuti ad exaltationem S. Crucis habitis † 1323.

prior provincialis electus, ita se omnibus fidelem in ministerio probavit ad annum MCCCXVIII usque, ut in comitiis generalibus Lugduni eodem anno habitis sabbato vigilia pentecostes X junii, nam pascha fuerat XXIII aprilis, magister ordinis communibus votis electus fuerit. De eo sic Bernardus citatus: » XIV magister ordinis successor F. Berengarii F. Hervæus Brito magister in theologia provincialis Franciæ. Fuit electus in magistrum ordinis in capitulo Lugdunensi, & fuit electus ab omnibus concorditer in primo scrutinio. Erat autem tunc vicarius ordinis anno Dñi MCCCXVIII. Hic præfuit magisterio annis quinque & tribus mensibus. Obiit in conventu Narbonensi provinciæ Provinciæ rediens de capitulo generali in Barchinonia provinciæ Aragoniæ celebrato anno Dñi MCCCXXIII Dominica infra octavas B. Dominici «. Cùm autem eo anno esset littera Dominicalis B, Dominica illa *infra octavas*, hoc est juxta ritum breviariorum nostrorum & aliorum omnium *intra octavas* cadebat in diem VII augusti. Tamen in ingenti illo volumine Sanjacobeo Parisiensi, officio scilicet ecclesiastico a B. Humberto concinnato, in kalendario speciali obitibus magistrorum ordinis scribendis destinato, ubi quilibet prout e vivis abibat, manu æquali adjiciebatur, sic legebam: VI *idus augusti obiit F. Hervaus magister ordinis XIIII*: quæ indicant diem lunæ & VIII mensis. Sed leve est discrimen inde forsan ortum quod nocte mortuus sit, quam intermediam alii Dominicæ adhuc imputabant, alii ad feriam secundam sequentem. In prioribus editionibus martyrologii nostri mendose omnino ejus obitus ad XXVI septemb. ponebatur, & secutus est auctor anni Dñicani Gallici: id quadantenus emendatum in ultima martyrologii editione Romana anni MDCXCIV ubi ad mensem augustum revocatus est: sed adhuc erratum est, nam ad IV idus seu X augusti diem ascriptus est, cùm ad VII vel VI idus augusti annotari debuerit.

Acta in ordine sub hoc magistro plura sunt celebria, unum nolim omittere eo magis quod sit omnino anecdotum, nec a quoquam quem sciam hactenus memoriæ proditum. Vulgare est quantas in ordine Minorum excitarint tempestates sedente Joanne XXII Fratres quidam spirituales se præ aliis ac pauperiores præstantes ad scissionem usque ordinis. Nescio qui rumores apud nostros tum sparsi fuerunt, & similes in provincia Romana nostra exsurrexisse. Hervæus novitatum hostis, an rumores illi firmi essent an vani, omni diligentia adhibita inquirendum censuit: tum demum cognita falsitate, in eam communi omnium diffinitorum capituli generalis Florentiæ anno MCCCXXI habiti voto venit sententiam, quam hîc integram subjicio:

» *Noverint universi præsentes litteras inspecturi quod nos Fratres*

Hervæus magister ordinis Fratrum Prædicatorum.

Chorus dexter.

Petrus de Palude magister in theologia diffinitor Franciæ.

Recuperus de Guardavalle Senensis diffinitor provinciæ Romanæ.

Benedictus de Pesculo inquisitor diffinitor regni Siciliæ.

Henricus de Grunicx diffinitor Teutoniæ.

Stephanus diffinitor Poloniæ.

Nicolaus de Creta diffinitor Græciæ.

Bernardus de Pino diffinitor Aragoniæ.

Petrus Lamberti lector Montispessulani diffinitor provinciæ Provinciæ.

Gienisius de Brunna diffinitor Bohemiæ.

Chorus sinister.

Guillelmus Dulcini de Montealbano diffinitor provinciæ Tolosanæ.

Rogerius de Martia diffinitor Lombardiæ inferioris.

Benedictus de Vaccia diffinitor Hungariæ.

Guillelmus de Ebruton magister in theologia diffinitor Angliæ.

Laurentius Tylingensis de conventu Siliturniensi (an Sigtuniensi) diffinitor Daciæ.

Philippus de Cumis diffinitor Lombardiæ superioris.

Conradus de Halberstat diffinitor Saxoniæ.

Sic soli aberant Hispaniæ & Terræ-sanctæ diffinitores.

Auditis & etiam receptis in scriptis delationibus contra Fratres aliquos de Romana provincia, qui spirituales ab aliquibus vocabantur, diligenti prius inquisitione præmissâ, examinando delatos per sententiam excommunicationis & per præceptum & etiam juramentum: non invenimus in prædictis esse probatum contra eos aliquid contra fidem seu etiam bonos mores: nec etiam in eis invenimus singularitatem vitæ fundatam in aliqua hæresi vel errore. Volentes igitur finem ponere in prædictis, & quos non invenimus nocentes per aliquid contra eos probatum seu etiam confessatum salvare & excusare, ut de jure tenemur, ac in posterum præcavere, ne in nostro ordine & maxime in Romana provincia de prædictis & circa prædicta aliqua scandala oriantur, fecimus quæ sequuntur.

Primò determinamus omnes nemine discrepante & ex conscientia & de jure nihil esse probatum contra eos qui spirituales vocantur, seu confessatum per eos contra fidem & bonos mores, & circa singularitatem vitæ in aliquo errore seu secta fundatam.

Secundò publice inhibuimus & districte, ne aliquis Frater singularitatem haberet in modo vivendi, quæ de se induceret in scandalum vel errorem: & nullus Frater singularis in orationibus sive abstinentiis & modo vivendi quantumcumque virtuoso alios pro secta & colligatione facienda trahere audeat quoquo modo, & pœnas imposuimus contrarium facientibus valde graves.

Tertiò prohibuimus districte sub pœnis determinatis & gravibus, ne aliquis ex proposito vel deliberate & ex certa scientia Fratrem aliquem vel aliquos in communi spirituales vel de spiritu seu etiã spigolistas, vel quovis nomine significante sectam vel colligantiam singulare appellare præsumat.

In horum autem omnium firmitatem & robur ego Frater Hervæus magister ordinis præsentes litteras sigilli nostri & sigillorum omnium prædictorum diffinitorum feci munimine roborari. Datum Florentiæ post capitulum generale anno Dñi MCCCXXI die XVIII junii «.

Erat Aur. Num. XI *Lit. Dom. D. pentecostes* VII *junii.*

Hoc instrumentum singulare exceptum est ex codice MS Lingonensi fol. memb. in quo acta antiqua capitulorum generalium scripta sunt, nec debuit in oblivionem tradi, seu ad provinciæ Romanæ commendationem, in qua nullus tum nævus detectus est, seu ad attentum Hervæi in omnibus quæ ad ordinis decus pacem & unitatem spectabant, studium demonstrandum.

OPERA.

1. *Hervei Britonis Prædicatoriæ familiæ antistitis in quatuor Petri Lombardi sententiarum volumina scripta subtilissima nuperrime in lucem castigatissime prodeuntia*, Venetiis, Lazari de Soardis 1505 fol. Quæ editio in Regia D. 99.

Altera editio Parisiis, Dionysii Moreau 1647 fol. pagg. 361.

In primum extat Remis in Ecclesia cathed. cod. MS 149 fol. memb.

In IV libros extat Claromontii in Arvernia apud nostros MS.

2. *Quodlibeta quatuor magna*, Venetiis, Rainaldi de Noviomago 1486 fol. pp. 224. Quæ editio prodiit curis F. Benedicti de Utino ord. ejusd.

Eadem iterum prodierunt cum *septem Quodlibetis aliis* ex his quæ *parva* dicuntur, Venetiis, Octaviani Scoti 1513 fol. pp. 172. Quam editionem accuravit Antonius Zimara Sancti Petrinatensis. Extat Paris. in Mazaria.

Codices MS plures sunt a me visi. In nostra Sanjacob. quatuor exempla membr. In primo fol. med. sunt *quatuor magna*.

Altero fol. mag. sunt tantum *tria priora*.

Tertio fol. mag. *Quartum quodlibet Hervei contra Aureolum*. (sic.)

Quarto *Tria priora magna* tantum, & alia ejusdem postea recensenda. In Victor. cod. 1171 fol. mag. memb. *quatuor magna*, & ex *parvis* impressis *sextum & septimum*.

Navarr. sunt *tria priora magna* cod. MS fol. mag. memb.

Tolosæ apud nostros extare *quatuor* dicuntur fol. memb.

Item Claromontii in Arvernia apud nostros bis fol. memb.

Florentiæ ad S. Marci Arm. II cod. MS 59 *Quatuor magna*.

Venetiis ad SS. Jo. & Paul. Pl. VI etiam.

Lusitanus in laudata edit. Venet. 1513 *Quodlibeta XXIV parva* prodiisse narrat, sed in exemplo Mazarinæo cætera integro plura quam septem non vidi.

3. *Tractatus octo, videlicet 1 De beatitudine. 2 De verbo. 3 De æternitate mundi. 4 De materia cœli. 5 De relationibus. 6 De pluralitate formarum. 7 De virtutibus. 8 De motu angeli.* Prodierunt una cum quodlibetis laudatis, Venetiis 1513 fol. pp. 226. Singuli jam expendendi & codd. MS referendi.

De beatitudine. Laudant Leander & Lusitanus.

De verbo. Laudant Laurentius Pignon & Ludovicus a Valleoleti &c. Extat Florentiæ ad S. Marci Arm. II. cod. 59 cit. & apud S. Mar. Novell. hic a me visus. In Catal. codd. MSS. Angl. T. I P. III n. 803.

De æternitate mundi. Laudant Leander & Lusitanus. Extat apud Sanjacob. cod. MS. tertio supra laudato. Tit. *Quæstio utrum mundus potuerit esse ab æterno.* Ad calcem : *Explicit tractatus de æternitate mundi editus a vener. doctore F. Herveo Natalis.*

De materia cœli. Laudat Lusitanus. Extat apud Sanjacob. citatos cod. quarto supra laudato a fol. 100 ad 118. Tit. *Tractatus ejusdem magistri de materia cœli. Quæritur utrum aliqua virtus activa sit in materia corporali?* In Cat. Angl. T. I P. I n. 1488.

De relationibus. Lusitanus.

De pluralitate formarum. Valleoletanus citatus. In catal. Angl. T. I P. III cod. jam cit. 803. Pr. *Videtur quod in uno & eodem supposito necessario sint plures formæ substantiales &c.*

Notandum autem præter hunc de pluralitate formarum typis editum, alterum ejusdem fere rationis ab Herveo scriptum, quem a Lusitano indicari puto hoc titulo *De unitate formarum* : & quem eum existimem a me visum in Victor. cod. laudato 1171 fol. 116, cujus initium :

Tractatus de formis. Pr. » Ut ordinatius possit inveniri, & per consequens ad ea responderi argumenta, quæ solent fieri contra unitatem formæ substantialis in eodem supposito, primo ponendæ sunt rationes probantes in omni substantia creata esse plures formas : 2 Ponendæ sunt rationes probantes in corporibus generaliter, & præsertim in generabilibus & corruptibilibus : Tertio ponendæ sunt rationes hoc probantes quantum ad mixta. Quarto quantum ad animata generaliter. Quinto & ultimo quantum ad homines, & ponentur etiam ibi rationes quantum ad hominem Christum &c «. SÆC. XIV.

Finis fol. 125 : » Quam de aliis quæ videntur esse eadem numero, de quibus satis supra dictum est «. *Explicit tractatus de formis editus a R. P. Herveo magistro Natali ordinis Prædicatorum magistro ejusdem ordinis optimo.* (Sic in MS.)

7. *De virtutibus.* Leander & Lusitanus. Extat cod. Anglic. cit. 803.

8. *De motu angeli.* Lusitanus.

Hactenus de opusculis quæ in editione Veneta anni 1513 prodierunt

4. *Tractatus de secundis intentionibus.* Typis prodiit in incun. Typog. Parisiis, Georgii Mittelhus 1489 in 4. Quæ editio in Regia R. 860.

Laudant Laurentius Pignon & Valleoletanus, hic ultimus sic : *Liber de secundis intentionibus junctis primis.* Extat MS Florentiæ ad S. Marci Arm. IV. cod. 14. Tres tractatus de hac eadem materie laudant Leander & Lusitanus.

5. *Tractatus de potestate Ecclesiæ & papali.* Prodiit cum aliis pluribus ejusdem generis Parisiis circa 1500 in 4 signaturis duorum foll. AA ad EE. Iterum ibid. 1647 fol. ad calcem scripti in sententias.

Extant codices MS plures. Paris. in Victor. n. 205. Sangerman. a Pratis n. 733 fol. memb. Sorbon. fol. chart. Venetiis Cardin. Bessarion. Plut. ad sinistram XV. Florentiæ ad S. Marci Arm. III n. 12. Apud Sanderum de codd. MS Belg. T. II p. 39. Catal. Angl. T. II, P. I, n. 2507.

Tractatum alterum de eadem materie illi tribuit Lusitanus a me non visum. Et hactenus quidem quæ typis prodierunt, quæ sequntur sunt tantum MS.

1. *De peccato originali.* Laudant Laurentius & Valleoletanus. Extat Paris. apud Sanjacob. cod. quarto cit. ubi tria quodlibeta magna a fol. 66 ad 72. Item catal. Anglic. T. I P. III n. 803.

2. *De paupertate Christi & apostolorum.* Hunc tractatum scripsit consultus a Joanne XXII. Extat Romæ in vatic. cod. 3740 p. 195, & citatur a Rainaldo ad an. 1323 n. 58.

3. *De esse & essentia.* Lusitanus dicens scriptum contra Henricum de Gandavo. Extat cod. Anglic. cit. 803.

4. *De speciebus.* Eodem cod. Anglic.

5. *De intellectu & voluntate.* Idem Lusitanus dicens esse contra eumdem Henricum de Gandavo. Habetur eod. cod. Anglic.

6. *Tractatus de latitudine entium*, & alter *de voto religiosorum.* Utrumque laudat Valleoletanus.

7. *De decem prædicamentis.* Sic idem Valleoletanus, qui addit multos Aristotelis libros exposuisse. Hæc mihi visa in Victor. cod. 1012 fol. memb.

Fol. 16. *Pars commenti super librum prædicamentorum.* Nempe a fine prædicamenti substantiæ, cætera deinceps.

Fol. 21. *Super librum 1 perihermenias.* Pr. *Quid autem debeat dici subjectum in hac scientia.*

Fol. 24. *In 2 perihermenias.* Pr. *In libro præcedenti auctor determinavit.* Finis : *Hæc est sententia hujus libri, in his etiam terminatur scientia veteris logicæ Hervei Britonis. Amen.*

Fol. 28. b. *Super librum divisionum Boetii.* Pr. *Omnis scientia aut est de complexis aut incomplexis.*

Fol. 32. *Incipit tractatus super communitates Porphyrii.* Pr. *In parte præcedenti Porphyrius determinavit de quinque his libris in se, in parte ista*

SÆC. XIV. *agit de iis secundùm quod comparantur hæc ad invicem &c.*

His duobus ultimis non ascribitur nomen auctoris, sed cùm hactenus citata ex hoc codice eodem minutissimo charactere & continenter scripta sint, videntur omnia ejusdem.

8. *Tractatus de cognitione primi principii.* Laudant Leander & Lusitanus. Extat integer apud Sanjacobeos cod. 4 supracit. in quo tria quodlibeta magna a fol. 73 ad 99. Tit. *Item quæstiones ejusdem disputatæ de cognitione primi principii. Prima quæstio est, utrum cognitione naturali possimus habere aliquam notitiam de Deo.*

Habetur rursus ibib. cod. tertio laudato, in quo quartum quodlibet magnum tantum. Tit. *Tractatus de primo principio. Prima quæstio*, &c. ut in altero, sed hic non integer: nam post 20 folia legitur hoc monitum: *Hic deficit magna pars quæstionis præcedentis.*

Sed in hoc cod. 3 sequitur continenter: *Septimo quæritur, utrum ponere ea quæ sunt fidei repugnare seu non posse stare cum apparentibus, sit ponere falsum subesse fidei nostræ.* Implet 30 folia & amplius. τὸ septimo indicat ad easdem quæstiones disputatas pertinere.

Sequitur *Ejusdem de indulgentiis tractatulus.* Duo folia & quid amplius.

Idem. *Tractatus de cognitione primi principii* extat sed non integer cod. Victor. 1171 fol. 22 ad 24. Tit. *Quæstio Hervei. Utrum Deum esse possit demonstrative probari via causalitatis efficientiæ?* Finis: *Explicit quæstio magistri Hervei de causalitate effectiva.* Una tantum est ex quæstionibus tractatus.

9. *Tractatus de Sacramentis.* Sic Leander & Lusitanus. Non vidi.

DUBIA AUT SUPPOSITITIA.

1. Opusculum XLVIII inter alia S. Thomæ de Aquino cui titulus, *Totius logicæ Aristotelis summa.* Simlerus a multis Herveo nostro asseri testatur, & excipit Labbeus in notis ad Bellarminum, penes quos fides: nam nulla hujus aliunde mihi notitia.

2. *Commentarius in epistolas B. Pauli*, qui aliàs sub nomine S. Anselmi typis prodiit, Herveo nostro tribuitur a Bellarmino, Possevino, & Miræo, quorum judicium quasi certum amplectitur Altamura ad 1323: sed Labbeus Herveo Dolensi monacho nigro circa annum 1130 florenti longe verisimilius asserit, & assentiuntur jam eruditi.

3. *Defensorium contra impugnantes Fratres Prædicatores, quod non vivant secundùm apostolicam vitam*, Venetiis, Lazari de Soardis, 1516 in 8. Herveo tribuit Labbeus citatus, sed hoc opusculum non Herveo, sed Jacobo de Voragine vindicant editiones omnes, & inter alias prima apud eumdem Lazarum de Soardis 1504 in 8.

Alva in suo *Pleytos de los libros p.* 102 & Sol. Verit. Rad. 93 col 1047 pluribus contendit Herveum Durandi a Sancto Portiano sobrinum fuisse, & ea ratione Durandellum aliquando nuncupatum, quod merum ejus mentis somnium, nullo teste, nulla veri specie adinventum: cùm Durandus Arvernus fuerit, Herveus ex Armorica inferiori ortus. Addit Alva tractatum cui titulus, *Correctorium corruptorii*, & cujus princ. *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris &c.* quem Durandello nostri vulgo asserunt esse hujus Hervei. Id autem se evincere putat ex celebri Bunderii indice, in quo inquit ubi de hoc tractatu agitur, sic legi refert fol. 122: *Durandellus aliàs Herveus ordinis Prædic.* & fol. 311: *Herveus Natalis Brito magister qui & Durandellus ordinis Prædic.* Sed etsi ita apud Bunderium legi concedatur, exinde nihil aliud inferas, quam ejus operis auctorem non ita certum esse, & ab aliis Herveo, ab aliis Durando cuidam, qui quod junior esset, Durandellus dictus est, ascriptum. Hervei tamen non esse hinc quis arguet, quod cùm primum scriptum est opus, jam Thomam fastis sanctorum inscripserat Joannes XXII: neque enim sanctum nominare contentus in prologo, insuper & quædam in ejus laudem ex bulla canonizationis desumpta refert, & ejusdem *Sancti suffragantibus meritis* contra adversarium se pugnaturum confidit. Videsis postea *Durandus de Aureliaco* ad 1334, cui illud opus ascribimus.

Ludovicus a Valleoleti n. 61 ubi de Durandello, postquam huic asseruit opus dictum cujus princ. *Sedens adversus fratrem &c.* addit: *Aliud autem quod vocatur Correptorium corruptorii & incipit:* Quare detraxistis sermonibus veritatis, *fecit Herveus secundùm aliquos, secundùm alios Joannes de Tortocollo.* Quod argumentum anno MCCCCXIII, quo scribebat Valleoletanus, cuidam e nostris, non verò Ægidio Romano sub cujus nomine e prælo prodiit, tributum fuisse. Vide supra ad finem sec. XIII *Joannes de Tortocollo.*

Hervei meminit Warthonus in Append. ad Caveum ad ann. 1312, sed non accurate, quem ex supradictis emendes.

F. RECUPERUS DE PETRAMALA.

F. RECUPERUS DE PETRAMALA Aretinus a loco natali, de Senis etiam aliquando a professione dictus, hoc anno MCCCXVIII etiamnum florebat, sed cùm de eo jam supra ad 1286 ubi de B. Ambrosio Sansedonio, egerimus, nihil addendum occurrit. † 1318.

F. BENEDICTUS DE MONTEFIASCONE.

F. BENEDICTUS DE MONTEFIASCONE a patria in Etruria sic nuncupatus, provinciæ Romanæ, & domus Viterbiensis ad gradus alumnus, sub pontificatu Joannis XXII claruit, & Romæ sanctimonialium nostrarum S. Sixti negotia gerebat adhuc anno MCCCXVIII. Scripsit volumen MS in membr. apud eas etiamnum servatum, cujus titulus: * 1318.

Chronicon monasterii S. Sixti ab initio erectionis MCCXX *ad sua usque tempora.* In eo instrumenta pleraque integra referuntur tum privilegiorum iis a SS. pontificibus concessorum: tum donationum ab iisdem aut ab aliis factarum: tum adeptionum a monialibus partarum.

Hoc codice plurimum usus est Franciscus Maria Torrigius Romanus in sua *Historia della veneranda immagine di Maria Vergine posta nella chiesa del monastero delle reverende monache de' santi Sisto e Domenico di Roma*, Romæ, Manelfi 1641 in 4 pp. 86. Ibi p. 21 sic habet: *Frà Benedetto da Montefiascone, che visse nell' anno* MCCCXVIII *in un libro in pergameno originale, che si conserva nel monastero di queste venerande religiose ne fà fede.* Citat etiam p. 35 & p. 39 & 40. P. verò 41 grande fragmentum ejus codicis exscribit, quod supra ex ipso relatum est Dissert. IV ad vitam B. Dominici. Sed & plura alia ex eodem codice refert in seqq. quorum omittere non possum, quod habet p. 49, judicium summi pontificis:

» Honorius III. Quia quæstio versabatur de ec- »
clesia de Bamburgo inter D. Stephanum cardina- »
lem, & canonicos ecclesiæ S. Oswaldi de Nos- »
tle Eboracensis diœcesis, renuntiante dicto cardi- »
nali ipsam ecclesiam in manu papæ, concessit eam »
dictis canonicis, ita tamen ut dicti canonici ei- »
dem cardinali in vita sua darent de fructibus ip- »
sius ecclesiæ annuatim libras centum sterlingo- »
rum,

» rum, & monasterio S. Sixti de urbe decem marchas sterlingorum. Post mortem verò dicti cardinalis darent eidem monasterio quinquaginta marchas annuatim. Ad hæc autem omnia præsentes in Romana curia existentes subprior & cellerarius S. Oswaldi procuratores sui conventus libere consenserunt «.

Hic cardinalis erat Stephanus de Fossanova, cujus nepotem B. Dominicus suscitavit, & ideo deinceps ordini affectissimus. Hujus verò præbendæ Anglicanæ fructibus deinceps juxta sententiam Honorii sanctimoniales Sixtinæ potitæ sunt, & a se receptos testatur Benedictus ab anno MCCCXI ad finem usque potestatis suæ procuratoriæ: sed & postea sodales qui in eodem officio successerunt, & ipsi receperunt, ut annotat Torrigius ibidem. Hinc illustratur, quod de ea præbenda multum confuse refert Malvenda Annal. ad 1218 p. 204.

FF. FRANCUS DE PERUSIO, GUILLELMUS ADÆ, ET ANTONIUS.

1318. FF. FRANCUS DE PERUSIO, GUILLELMUS ADÆ Gallus, & ANTONIUS absque agnomine, tres insignes apostolici pectoris viri, simul hîc veniunt laudandi, cùm his annis unâ congregationi peregrinantium pro Christo animas suas devoverint, & in Armenia, Persia, Tartaria ingentem animarum fructum reportarint.

Primus *Francus de Perusio* sic a patria Etruriæ civitate nuncupatus & ibidem professus ineunte seculo XIV in Persiam & Tartariam perrexit, ibique innumeros infideles ad Christum adduxit & baptismi aquis tinxit. Alter *Guillelmus Adæ*, quem Gallum agnoscit Fontana, Franci socius iisdem sacris laboribus perfunctus, ab eo Avenionem ad Joannem XXII missus est, qui pontifici tam læta nova nunciaret. His anno MCCCXVIII intellectis pontifex, unaque edoctus Usbekum Tartarorum & Persidis quam sibi subjecerat, imperatorem non parum Christianis favere, Soltaniam urbem in Perside populosam in civitatem metropolitanam erexit, & Francum nostrum in iis regionibus evangelizantem verbum Dei, de cujus sanctitate vitæ, litterarum scientia, aliisque copiosis virtutum meritis magna fideque digna testimonia reddita ei fuerant, primum Ecclesiæ dictæ Soltaniensi archiepiscopum præfecit, collata & extensa ejus in totum Tartari regnum vastissimum, & super Chaldo ac Aethiopiæ Indiæque regum seu principum dominiis jurisdictione ac auctoritate: & in adjutorium commissæ ipsi solicitudinis, sex sodales nostros in iis partibus cum eo verbo Dei seminando instantes episcopos creavit, quos ei suffraganeos esse voluit, quorum nomina hæc sunt, Gerardus Calvensis, Guillelmus Adæ laudatus, Bartholomæus de Podio, Bernardinus de Placentia, Bernardus Moreti, & Bartholomæus Abaliati, qui & dicuntur viri in lege Domini eruditi, vita & religione præclati, & multarum virtutum titulis commendati. Diploma pontificium quod hîc excipio datum est Kal. maii anno II, id est Christi MCCCXVIII. Adjecit pontifex archiepiscopo facultatem, si pluribus ad proferendos evangelii limites suffraganeis episcopis opus esset, quot sibi forent necessarii, accitis duobus antistitibus inaugurandi. Guillelmus Adæ tum Avenione præsens ibidem videtur consecratus, siquidem illi commisit pontifex, & ut Francum consecraret, & ut sacramentum Romano pontifici ab eo reciperet, & ut unâ cum F. Joanne de Florentia symmysta & socio pallium ei deferret litteris datis Avenione Kal. Aug. ann. II. Quæ fusius relata videsis apud Rainaldum ad 1318 nn. 4, 5 & 6. Hujus archiepiscopi meminit Fontana in Theat. sed sedem corrupte scribit *Soldarensem* & *Soldinensem* vel *Solidiensem* hunc appans, & has ceu duas indicans, quæ una est & eadem Soldaniensis vel Sultaniensis recte dicta. Fatendum errorem correxisse in fine Theatri p. 680 & in prov. Rom. Sed mirum Franciscum ab eo ubique nominari, qui Francus constanter a Rainaldo, imo in ipsis pontificis litteris dicitur, quibus & standum censeo. Quot annis a consecratione vixerit, quæve præclara in illis regionibus deinceps egerit, non referunt annales nostri, quamvis rei Christianæ multum proficua, sed & gloriosa fuisse autumandum sit.

F. Guillelmus Adæ primùm Franci suffraganeus eidem postea in archiepiscopatu successit, nam eo titulo se ornat in litteris quas *Vidimus* vocant bullæ canonizationis S. Thomæ de Aquino in domo nostra Tiburtina ad Romam etiamnum servatis: quarum initium sic refert Fontana: *Nos Fratres Guillelmus Dei gratia Soldaniensis archiepiscopus & Thaddæus Caphensis episcopus notum facimus &c.* Datum sic addit Fontana: *Anno nativ. Dñi* MCCCXXIII *ind.* VI *die* II *mensis octob. pontif. Joannis XXII anno* XIII. Ubi certo erratum in anno pontif. & legendum ann. VIII quo erat indict. VI, nam anno XIII erat indic. XI & fuisset Christi MCCCXXVIII. Ex quibus colligo Franco tum mortuo, Guillelmum in Occidentem rediisse, tumque anno dicto MCCCXXIII Soldaniensem archiepiscopum a Joanne XXII promotum: non ut habet Fontana Franco in ea dignitate præivisse. Et hunc quot annis postea vixerit, non invenio, ut ut sit ei successit tertius

F. Antonius de Sultanea seu de *Solthaniah* ab eo archiepiscopatu quem etiam gessit sic dictus: eo enim titulo insignitur in opere ab eo lingua Armena composito, cujus exemplum MS in una ex domibus nostris provinciæ Armeniæ servabatur adhuc, cùm illic ageret Clemens Galanus Theatinus celebris in Georgia missionarius apostolicus, a quo visum & expensum & laudatum in sua conciliatione Ecclesiæ Armenæ cum Romana sub finem T. I. Titulus operis nostri Antonii:

Tractatus contra Machumetanam perfidiam.

Hunc ad MCCCL vixisse censuerim, neque enim diu postea substitit illa Ecclesia Soltaniensis. Nam Usbexo supra laudato mortuo successit alter Usbexus, quem Tamerlanus qui super Tarteros regnare cœpit anno Hegyræ DCCLXXI, Christi MCCCLV, & Sultanea tandem potitus Hegyræ anno DCCLXXXVI, Christi MCCCLXXIIII, ea spoliavit ac ejecit, ut narrat Herbelotius in Bibl. Orient.

Alicujus istorum trium Sultaneæ episcoporum est opus hoc titulo:

Notitia regiminis magni Caan Cathai Tartarorum imperatoris cum descriptione vastissimi ejus regni jussu Joannis XXII ab archiepiscopo Soltaniensi Latine scripta.

Quis autem trium, difficile dicas, cùm omnes sub illo pontifice floruerint. Si quis conjecturæ locus, etsi Francum ceu seniorem & magis in illis regionibus versatum, materiam subministrasse concesserim, Guillelmum Adæ qui saltem bis ex illis partibus Avenionem ad Joannem XXII rediit, ab eo pontifice mandatum hoc accepisse, & ei obsequentem hoc opus scripsisse censuerim.

Illud verò e Latino Gallice vertit F. Joannes le Long dictus de Ipris monachus S. Bertini Audomarisani anno MCCCLI. Extat hæc versio Parisiis in Regia cod. MS 8389 memb. fol. max. jam supra laudato ubi de F. Ricoldo de Montecrucis Florentino. Titulus:

L'Estat & la gouvernance du grand Caan de Cathai Souverain empereur des Tartares, & de la disposition de son empire, interpreté en Latin par

SEC. XIV. *un archevesque, qu'on dit l'archevesque Saltensis, au command du pape Jean XXII de ce nom. Et fu cils livres translatez de Latin en François par frere Jean de Ypres moine de S. Bertin en S. Omer en l'an* MCCCLI *acomplis.*

Clarum autem corrupte scriptum *Saltensis*, cujus nominis nullus legitur in ea regione archiepiscopatus erectus, sed legendum *Soltaniensis*, vel *Sultaniensis*. Ea verò relatio ex aliis ab eo monacho versis & eo codice contentis est quarta. Laudatur a Labbeo in Bibl. Nov. codd. MS p. 309. Eadem versio extat in simili cod. MS Bibl. Cotton. in Anglia, qui codex supra etiam a nobis descriptus est, ubi de dicto Ricoldo. In hoc cod. est sexta.

Verderius *Du Verdier* hanc versionem typis prodiisse refert hoc titulo: *L'Histoire du grand Can de Cathai & des Tartares. Plus la peregrination de F. Ricult ex parties d'Orient, & le traitté de Guillaume de Bouldeselle de l'estat de la Terre sainte. Lesquelles traductions ont esté faites en l'an 1351 par Jean de Long dit moine de l'abbaye de S. Bertin en S. Omer &c.* Parisiis, Joann. a S. Dionysio 1529 fol. Vide Bibl. Gall. dicti Verderii p. 715. Saltem conjicio in hac editione non solam Haytoni Tartarorum historiam sed & archiepiscopi unâ prodiisse.

F. THADDÆUS CAPHENSIS.

* F. THADDÆUS CAPHENSIS episcopus hîc
1318. visus est adjungendus, siquidem cum Guillelmo Adæ Sultaniensi archiepiscopo iisdem litteris *Vidimus* supra relatis subscripsit 11 octob. MCCCXXIII: hinc discimus pluribus annis antea congregationi Peregrinantium pro Christo in terris infidelium se dicasse, unde perpensis summis ejus pro fide in Armenia, Persia, & aliis septentrionis regionibus dilatanda exantlatis laboribus eum Joannes XXII ad se Avenionem accedentem Caphensem episcopum promovit. Capha aliâs Theodosia urbs est in Taurica Chersoneso ad Pontum Euxinum in Scythia sita, tumque ditionis erat Genuensium, populosa, opulenta, & a mercatoribus frequentata, & antistite docto vigili & strenuo indigebat, qualem Thaddæum hunc a pontifice agnitum conjicere est. Cum B. Bartholomæo Parvo, de quo postea ad 1333 Armenorum ad Ecclesiam catholicam revocationi & conciliationi cum eadem desudavit, & congregationis Fratrum Unitorum a morte Bartholomæi fuit promotor & tutor. Ejus extat in conventu Abarener provinciæ nostræ Nexsciovanensis

Martyrologium e Græco Armenice versum.

Sic enim ad calcem legit notatum Galanus & sic testatur Concil. Eccl. Armen. cum Rom. T. I sub finem. Meminit etiam Fontana in Declar. Constit. P. II ubi de provincia Nexsciovan.

F. CONRADUS RUFFI.

1319. F. CONRADUS RUFFI Scotus patria & professione Sterlingensis, typorum errato a Lusitano dictus *Esterlongensis*, quod emendandum ipse monet in erratis & legendum *Esterlingensis*, vir divinatum studiosus litterarum sedulus, & in scholastica Peripateticorum doctrina satis expertus atque versatus, eodem teste florebat anno MCCCXIX, quem excipiunt Fernandez, Pius & Altamura, ipse etiam Dempsterus lib. 3 n. 325. Possevinus refert ad annum 1519, sed apud hunc videtur typorum erratum. Hæc ei dantur scripta.

Compendium seu abbreviatio expositionis S. Thomæ in evangelia. An opus illud de quo supra ubi de sermonibus sancti doctoris quod S. Antoninus credebat se vidisse, & illi visum est excerptum ex Catena Aurea. Claromontii in Arvenia apud nostros extat in quodam codice MS *Compendium S. Thomæ super evangelia*: An hujus Ruffi opus?

Homilia in evangelium, Stabat juxta crucem.

Altera in evangelium, Extollens vocem quædam mulier.

F. JACOBUS DE LATERINA.

F. JACOBUS DE LATERINA Italus provin- *
ciæ Romanæ verisimiliter alumnus ac sanctimo- 1320.
nialium ordinis monasterii Montispolitiani confessarius circa annum MCCCXX apud eas agebat. Laudat Laurentius Surdinus in vita B. Agnetis ejus ascreterii fundatricis, & excipit Henschenius in Annotatis ad vitam ejusdem beatæ T. II april. p. 812 c, ceu qui scripserit

Miracula quædam B. Agnetis dictæ a se experta. Codex ab eo scriptus etiamnum ibidem servatur, eoque usus est B. Raimundus de Capua magister ordinis XXIII in vita ejusdem B.

F. ANDREAS DOTO.

F. ANDREAS DOTO an Græcus ritus Latini, *
an Italus & provinciæ Lombardiæ alumnus, ad 1320.
eam enim seculo XIII & XIV spectabat domos nostras Eubœensem & Cretenses religiosis instruere, sicut Gallorum erat Clarentino & Thebano de sodalibus providere, licèt & quidam in illis regionibus nati ad ordinem allegerentur, ut ut fit in domo Eubœensi vulgo *Negroponte*, & Candidensi Cretæ diutius egit sub finem seculi XIII & initia sequentis: nec Græce tantum fuit peritus, sed & in controversiis Orientalem inter & Occidentalem Ecclesias exercitatior, Græcisque schismaticis ad concordiam cum Ecclesia Romana revocandis egregiam navavit operam. Hinc cùm F. Bonacursii Bononiensis nostri opus invenisset in domo nostra Eubœensi, vel ut loquitur τῆς ἀφίσσου neglectum, illud resarcire ac in meliorem formam restituere conatus, juris publici fecit, additis Græce & Latine duabus epistolis nuncupatoriis, altera ad Joannem XXII S. P. altera ad Cretæ Candidæ pro Republica Veneta rectores ac præsides. Utramque dedimus supra ad ann. 1260 ubi de F. Bonacursio Bononiensi.

F. ROBERTUS BONONIENSIS.

F. ROBERTUS BONONIENSIS Longobar- *
dus a patria & professione sic nuncupatus, theo- 1320.
logus primi nominis sub pontificatu Joannis XXII claruit. De quo licèt sileant nostrates omnes & exteri, ipsique Bononiensium scriptorum nomenclatores Bumaldus, Alidosius & alii, ejus tamen Parisiis in Colbert. cod. 506 fol. mag. membr. qui est collectio opusculorum de potestate ecclesiastica & civili, & de paupertate Christi & apostolorum tam pro Minoritis sui Michaelis de Cesena asseclis, quam adversus eosdem habetur fol. 121 b.

Determinatio F. Roberti Bononiensis de ordine Prædicatorum. Princ. *Utrum Christus dederit nobis exemplum perfectæ paupertatis? Videtur quod non, quia habuit loculos. Joan.* XIV. *Sed hoc imminuit perfectionem paupertatis, ut dicunt quidam &c.* In conclusione seu resolutione dubii affirmativam statuit. Implet tres grandiores coll. & amplius. Sequitur ad tractatum Petri de Palude de eodem argumento, unde eadem ætate floruisse circa 1320 conjicias.

F. ROBERTUS N.

* 1320. F. Robertus N qui Rupertus a Tritemio, a Lusitano Rubertus absque agnomine nuncupatur ab iis etiam dicitur claruisse ad 1320 & scripsisse

Super IV libros sententiarum.

Sermones de tempore & de Sanctis.

In plures Aristotelis libros commentaria.

Altamura cui placuit ad 1321 prorogare hunc esse conjicit, qui librum magnum *de septem donis Spiritus Sancti* edidit: Rovetta ad 1322 *de Gabbiano* agnominat, & Brixiensis diœcesis ac conventus alumnum contendit, eique supra relata omnia opera etiam illud grandioris molis *de septem donis* asserere conatur. Sed ut ut sit de prioribus scriptis, opus de septem donis esse F. Stephani de Borbone de Bellavilla Lugdunensis domus alumni & anno 1261 vel 1262 mortui ex fide codd. MS supra evicimus ubi de eo.

F. ROBERTUS DE SANCTOVALENTINO.

* 1320. F. Robertus de Sanctovalentino ab originis suæ loco in regno Neapolitano sic nuncupatus, & provinciæ Regni Siciliæ alumnus, in toto eo regno inquisitorem generalem hæreticæ pravitatis agebat anno MCCCVIII, ut ex actis habetur Neapoli in archivo regio, registri Caroli II, signato 1307, litt. B. fol. 217, vicarium etiam in ea provincia generalem institutum refert Vallius in compendio, & in quodam cap. prov. Cajetæ celebrato delegatum a Patribus cum F. Guillelmo de Tocho, ut ambo apud curiam Romanam pro Thomæ de Aquino canonizatione instarent, religiosumque illud negotium ad finem pro virili perducerent: Quod & refertur in Actis SS. T. I martii p. 681 n. 80. Ex quibus circa MCCCXX claruisse adhuc & etiam ulterius colligas. Ejus meminere cumlaude Vallius in Compendio p. 91, Toppius Bibl. Napol. Videsis etiam acta inquisitionis de vita & miraculis B. Thomæ jussu Joannis XXII factæ, & vitam ejusdem beati a Guillelmo de Tocho scriptam T. I martii citato. Laudantur etiam ejus

Acta seu inquisitoris generalis præsertim adversus quemdam Petrum de Buclanico archipresbyterum hæreticum relapsum.

F. FRANCISCUS PIPINUS.

* 1320. F. Franciscus Pipinus Italus patriaque Bononiensis ut & professione ineunte seculo XIV clarebat, quo a sodalibus rogatus & a superioribus jussus, Marci Pauli Veneti iter Orientale e vulgari Italico Latine transtulit: quod in cap. gener. Bononiæ vel MCCCII vel MCCCXV celebrato conjicimus ei injunctum. Cùm enim ad ea comitia ex omni natione confluerent nostri, ac ex omnibus provinciis sodales invitarentur, ut ad longinquas illas gentes pro ratione instituti se conferrent prædicandi evangelii causa, frequentesque missionem hanc propagandæ fidei studio ardentes amplecterentur, qui Italice non audiebant, saltem Latine regionum quas petituri erant, prius quam iter aggrederentur, descriptionem legere ac nosse quoddam censebant viæ compendium & incitamentum. Ipse Franciscus noster ex interpretatione operis eo studio exarsit, nam & in provinciam Terræ-sanctæ mitti obtinuit, & anno MCCCXX in Palæstinam transiit, fideles sub Saracenorum jugo oppressos in fide confirmaturus, & post plures annos in Oriente exactos reversus, itinerarium suum scripto consignavit. Quando autem & ubi obierit, quæve alia præclare egerit, suorum Bononiensium erit diligentius inquirere ac nos docere. Hæc ejus scripta hactenus mihi cognita: SEC. XIV.

Iter Marci Pauli Veneti ex Italico Latine versum. Extat variis in Bibliothecis nusquam quod sciam typis editum, sed MS servatum.

Primò Patavii apud S. Joannem in Viridario Plut. XII cod. in 4 chart. sic refert Tomasinus Bibl. Patav. p. 17.

Secundò in Bibliotheca Marchionis Brandemburgici codice ex quo Pipini præfationem Andreas Mullerus edidit Coloniæ Brandemburgicæ anno 1671 in 4, ac Marci Pauli itineri alterius versionis in Novo orbe Basileæ aliàs editæ, seu etiam Helmestadii 1585 præfixit.

Tertiò Parisiis in Regia cod. 5235 fol. par. chart. extat ejusdem versionis insigne exemplum a fol. 307 ad 380, e quo operæ pretium facturum me putavi, lectorique haud ingratum, si Pipini nostri præfationem hic exhiberem, annotatis ad marginem varietatibus codicis Brandemburgici a Mulleto editi. Sic ergo habet in cod. Reg.

» Librum prudentis honorabilis ac [A] fidelis viri dñi « Marci Pauli de Venetiis de conditionibus & consuetudinibus Orientalium regionum ab eo in vulgari fideliter editum & conscriptum compellor ego [B] Franciscus Pipinus de Bononia ordinis Fratrum Prædicatorum a plerisque [C] patribus & dominis meis veridica & fideli translatione de vulgari [D] ad Latinum reducere, ut qui amplius Latino quam vulgari delectantur eloquio, nec non & ii qui vel propter linguarum varietatem omnimodam, aut propter diversitatem idiomatum proprietatem linguæ alterius intelligere omnino aut faciliter nequeunt, aut delectabilius legant, seu liberius capiant. Porro per se ipsos laborem hunc, quem me assumere [E] compulerunt, perficere plenius poterant: sed altiori contemplationi vacantes, & infimis sublimia præferentes, sicut terrena sapere, [F] ita terrena describere recusarunt. Ego autem eorum obtemperans jussioni, libri ipsius continentiam fideliter, & [G] integraliter ad Latinum planum & apertum transtuli, quem stylum [H] hujusmodi libri materia requirebat. Et ne labor [I] hujusmodi inanis aut inutilis videatur, consideravi ex libri hujus inspectione fideles viros posse multiplicis gratiæ meritum a Domino promereri: sive quia in varietate & decore & magnitudine creaturarum mirabilia Dei [K] opera aspicientes ipsius poterunt virtutem & sapientiam [L] venerabilius admirari: aut videntes gentiles populos tanta cæcitatis tenebrositate, tantisque sordibus involutos gratias Deo [M] agant, qui fideles suos luce veritatis illustrans de tam periculosis tenebris vocare dignatus est in admirabile lumen suum: seu illorum ignorantiæ condolentes, pro illuminatione cordium ipsorum Dominum precabuntur, vel indevotorum christianorum desidia confundetur, [N] quod infideles populi promptiores sunt ad veneranda simulacra, quam ad veri Dei cultum prompti sint plurimi ex his qui Christi sunt charactere insigniti: sive [O] etiam religiosorum aliquorum corda provocari poterunt pro ampliatione fidei christianæ, ut nomen Domini nostri Jesu Christi in tanta multitudine populorum oblivioni traditum deferant Spiritu favente divino ad obcæcatas [P] infidelium nationes, ubi messis quidem multa est, operarii verò pauci. Ne autem multa atque [Q] insolita quæ in libro hoc in locis plurimis referuntur, inexperto lectori incredibilia videantur, cunctis in eo legentibus innotescat præfatum dominum Marcum horum mirabilium relatorem, virum esse prudentem, fidelem & devotum, atque honestis moribus adornatum, a cunctis suis domesticis testimonium bonum habentem, ut multiplicis virtutis ejus [R] merito sit ip-

Ed. Mulleri. [A] fidelissimi *deest* viri. [B] Frater. [C] Fratribus. [D] in. [E] compellunt vel. [F] *deest.* sicut, ita. [G] intelligibiliter. [H] *deest* hujusmodi. [I] hujus. [K] *deest* opera. [L] mirabilius. [M] agent & *hic rectius.* [N] quia. [O] *deest* etiam. [P] fidelium. [Q] nobis. [R] meritis.

» suus relatio fide digna. Pater autem ejus D. Nicolaus totius [s] prudentiæ vir utique maturus devotus & sapiens in mortis articulo constitutus confessori suo in familiari colloquio constanti firmitate asseruit, librum hunc veritatem per omnia continere. Propter quod circa translationem ipsius laborem assumpsi conscientia tutiore ad consolationem [T] legentium, & ad laudem Domini nostri [V] Jesu Christi cunctorum visibilium & invisibilium Creatoris. Liber autem [X] iste in tres libros dividitur, qui per propria capitula distinguntur. Quorum librorum principiis ad faciliorem contentorum in [Y] ipsis inventionem sunt capitulorum tituli prænotati «.

[s] provinciæ vir honestissimus hæc omnia similiter referebat. Patruus verò ejus de quo meminit liber ipse vir utique &c.
[T] *deest* legentium.
[V] *deest* J. C.
[X] ipse in tres partes.
[Y] eis.

Incipit liber primus Domini Marchi Pauli de Venetiis [A] *de mirabilibus Orientalium regionum. I Cap. Qualiter & quare D. Nicolaus Pauli de Venetiis, & D. Marchus transierunt ad partes Orientales.*

» Tempore quo Balduinus princeps sceptrum Constantinopolitani imperii gubernabat anno scilicet [B] ab incarnatione Domini MCCL duo nobiles & honorabiles prudentesque germani inclitæ civitatis Venetiarum incolæ, navem propriam diversis opibus & mercimoniis oneratam communi concordia in portu [C] Veneto conscendentes prospero vento flante duce Deo Constantinopolim perrexerunt. Horum major natu Nicolaus dicebatur. Cùm in Constantinopolitana urbe brevi in tempore fuissent feliciter expediti, navigantes inde [D] profectus (id est *lucri*) amplioris gratia, pervenerunt ad portum civitatis, quæ dicitur Soldadia «.

MS Brand.
[A] De conditionibus & consuetudinibus Orientalium regionum.
[B] MCCLII & *deest* Duo.
[C] Venetiarum condescendentes.
[D] profecti *pro quo Mullerus indicat legendum* profectionis, *sed non ad sensum auctoris qui Italice videtur scripsisse* profitto.

Sunt innumeræ aliæ varietates, quas brevitatis causa omitto, sed quæ si ederentur, non parum lucis afferrent operi, præsertim quoad loca & urbes, quarum nomina videntur rectius exhiberi. Sed ex relatis colligitur Marcum Paulum iter suum Italice primùm scripsisse vel saltem dictasse, & Pipinum nostrum primum esse qui Latine transtulerit. Si enim Marcus Latine primùm scripsisset, ut quidam volunt referente Mullero pag. 9 ? cùm viveret etiamnum & Venetiis floreret, quo tempore Pipinus Bononiæ agebat, istum vertere non opus fuisset, sed illum orare tantum ut αὐτόγραφον suum transcribi & multiplicari pateretur. Sed rei totius series clarior fiet ex præfatione, quam alter a Pipino & fortè eodem tempore versioni a se adornatæ præfixit. Extat altera illa versio Parisiis in Bibl. Reg. cod. 4264 MS membr. fol. par. sicque habet ille interpres anonymus:

Incipit prologus libri descriptionis provinciarum Ermeniæ, Persidis, Turchiæ, utriusque Indiæ & insularum quæ sunt in India editi a D. Marco Paulo nobili cive Venetiarum currentibus annis D. N. J. C. MCCLXXXXV. » Domini imperatores, reges, duces, marchiones, comites & milites omnesque gentes, volentes scire diversitates generationum gentium orbis, diversitates quoque regnorum & provinciarum ac regionum omnium partium Orientis, hujus libelli seriem perlegatis in quo reperietis maxima & mirabilia gentium, præcipue Ermeniæ, Persidis, Turchiæ, Indiæ & Tartariæ. Hoc quidem narrat in præsenti opusculo ordinate D. Marcus Paulus prudens Venetiarum civis & doctus, quæ vidit ut visa, & quæ audivit ut audita ordinatè declarans. Iste enim libellus erit veriloquens. Sciendum est igitur, quod a creatione Adam usque ad præsentem diem nullus paganus vel Saracenus aut Christianus, seu quivis alius cujuscumque progeniei vel generationis fuerit, tot & tanta mirabilia vidit nec perscrutatus est, quot & quanta D. Marcus Paulus superius memoratus. Qui suæ mentis cogitans in arcano, volens ut visa & audita per eum, his qui non possunt propriis luminibus intueri, per præsens opusculum conclarescant, dum anno Domini MCCLXXXXV in carceribus Januensium foret inclusus, per Ser. Rustichelum civem Pisanum, qui secum in eodem carcere apud Januam morabatur, quæ continentur in præsenti opusculo scribi fecit. Hoc opus dividitur in tres partes «.

Qualiter DD. Nicolaus & Mateus Pauli fratres cives Venetiarum transiverunt ad partes Orientales. Cap. I.

Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo Baldoino in Constantinopolitano imperio imperante DD. Nicolaus Pauli pater dicti D. Marci Pauli, & Masæus frater dicti D. Nicolai, dum essent in portu Venetiarum, quamdam eorum navim diversis & caris mercationibus oneratam unanimes intraverunt, & velis elevatis alto se pelago committentes cum dicto eorum navigio & mercantia Constantinopolitanam civitatem applicuerunt incolumes: ubi cum lucro eorum mercationibus expeditis, causa quærendi lucri transire mare majus insimul decreverunt. Et emptis multis & caris jocalibus de Constantinopoli discesserunt, & navim intrantes Soldandiam appulerunt &c «.

Ex hactenus relatis constat Nicolaum Paulum non anno MCCLXIX ut corrupte legitur in editione Basileensi *Novi orbis*, sed anno MCCL iter suum primum aggressum esse uxore relicta prægnante: Ptolemaidem quam tunc dicebant Achon (non *Anconam*, ut rursus corrupte Basileensis) circa finem A. MCCLXVIII reversum, ubi audivit Clementem IV obiisse novemb. 29: Venetias inde reducem circa initia anni MCCLXIX appulisse, ubi & uxorem mortuam, & Marcum filium se absente MCCLI natum jam annorum 15 & paulo amplius sanum repererit. Qui Nicolaus Paulus cum Marco filio anno MCCLXXI Ptolemaidem sive Achon regressus, Hierosolymam adiit iter suum in Tartariam prosecuturus, sed Ptolemaidem revocatur a Thealdo sive Theobaldo ibi agente, quique nuntium electionis suæ 1 septemb. ejusdem anni factæ in summum pontificem acceperat, & Gregorii X nomen adoptarat. A quo literis & mandatis ad Tartarorum imperatorem acceptis, itinera sua deinceps cum Matthæo vel Mafæo fratre & Marco filio confecit. Ex iis regionibus anno MCCXCV Marcus tunc 44 circiter annorum Januam appulit, & subito in carcerem conjectus Itinerarium suum ex memorialibus a se conscriptis composuit, & Rustichelo Pisano secum in carcere detento & scribenti Italo vulgari dictavit: quod juris publici factum Marco jam libero & Venetiis agente Pipinus noster primus Latine reddidit circa 1300. Sed & forsan eodem tempore alius anonymus quisquis ille sit versionem alteram aggressus est a nobis relatam, quæ quidem stylo simpliciori & rudiori scripta, sed in multis præsertim in locorum & urbium nomenclatione, ut videtur, accuratior, imo & amplior, nam cùm Pipiniana desinat cap. 53 de provincia Ruthenorum, (quod 50 est in edit. Basileensi) in altera hæc adduntur

Cap. 54. *De rege Caydu, qui est rex in magna Turchia.*

Cap. 55. *De quodam ejus prælio, & quomodo Tartari incedunt armati ad prælium.*

C. 56. *De alio prælio ejus quod habuit cum magno Kaam.*

C. 57. *De Argiol Chucor filia regis Caydu, & multis per eam gestis.*

C. 58. *De quadam guerra, quam habuit Caydu cum Albaga domino Levantis.*

C. 59. *De morte Abaga regis, & qualiter Archomac accepit dominium terræ suæ.*

C. 60. *Qualiter Archomac se præparavit, ut obviaret Argon filio Abaga regis.*

C. 61. *Qualiter Argon se preparavit contra Archomac, & qualiter allocutus est gentem suam.*

C. 62. *De responsione quum barones Argon sibi fecerunt & de ambaxiatoribus, quos misit ad Archomac.*

C. 63. *Qualiter ambaxiatores Argon exposuerunt eorum ambaxiatam Archomac.*

C. 64. *De responsione facta per Archomac dictis ambaxiatoribus.*

Finis. *Descenderunt ad tentorium suum.*

Certe si non grammaticorum, at eruditorum palato magis arrisisset, si utraque hæc versio vetus & Pipini nostri & alterius anonymi typis edita fuisset, quam Basileensis Novi Orbis interpolata erratis scatens licèt styli purioris. Italica Ramusiana, quam ex stylo patet non esse ipsam Marci Pauli archetypam, ut conjicere est, ex quo Latina facta est, neglectam & deperditam, videtur ex anonyma relata versa, ut pote quæ ad eam propius accedat. Quorum tamen omnium penes peritos lectores esto judicium.

2 *Tractatus de locis Terræ sanctæ visitatis per F. Franciscum Pipinum de Bononia ordinis Prædicatorum anno* 1320 *in* 4. Cui si annos 25 aut 30 anno 1300 dederis, tunc 45, aut 50 ætatis non excesserat. Extat codex MS in Bibliot. Joannis Gisleni Bultelii Nipæi, referente Sandero in *Biblioth. MSS Belgicis pag.* 284. In eadem Bibliotheca Gisleni *librum Marci Pauli de Venetiis De conditionibus & consuetudinibus Orientalium regionum in* 4 *memb.* haberi refert Sanderus, sed quænam sit versio an Pipini nostri, an anonymi relati indigenæ discutiant.

F. MENENTILLUS DE SPALETO.

1320. F. MENENTILLUS DE SPALETO, an *Spoleto*, an potius *Spalato*, in Dalmatia fervens congregationis Peregrinantium missionarius his annis agebat in Indiis Orientalibus. Ejus extat Florentiæ in Medic. Pl. LXXVI cod. MS. 72 chart. in 8 ad calcem

Lettera di Frate Menentillo di Spaleto allo in Christo Frate Bartholomeo da santo Chonchordio, ove lo ragguaglia de' luoghi dell' India superiore l'anno MCCCXX *scritta in Mabar città dell' India superiore.*

Civitatem illam *Mabar*, ut conjectu pronum, eam intelligo, quam nunc scribunt saltem Latini *Malabar*, in Indiæ citerioris parte australi sitam. Annus notatus cum ætate nostri Bartholomæi a Sanctoconcordio convenit, nam jam tum florere cœperat, de quo vide ad 1347. Diligentiæ Florentinorum sodalium est eam epistolam legere, & si quæ sint hujus missionarii gesta in ea relata in lucem dare.

F. BARTHOLOMÆUS DE LUCA.

1321. F. BARTHOLOMÆUS DE LUCA per syncopen Italis familiarem *Tholomaus* primum dictus, & sic habent codices quidam MS, postea corrupte Ptolomæus, quo passim nomine vulgo nuncupatur. Quæ varietas in causa fuit, ut unum & eumdem hominem scriptores minus accurati in duos dividerent: quem in scopulum impegit Lusitanus, qui Bibl. p. 41 Bartholomæum episcopum Torcellanum exhibet ad 1276 clarum, & postea p. 205 Ptolomæum de Luca ejusdem civitatis episcopum seu alterum ad 1268 viventem recenset. Eum excipiens Altamura correcta paulisper chronologia Bartholomæum ad 1276, Ptolomæum ad 1321 utrumque Thomæ de Aquino discipulum, episcopum utrumque Torcellanum, utrumque eorumdem operum auctorem ponit: qui tamen certo unus est auctor, lustrico nomine dictus Bartholomæus, quo ut omnis deinceps tollatur æquivocatio a nobis repræsentatur.

Is Lucæ in Etruria natus, ibique ordinem amplexatus humanis ac divinis litteris egregiam navavit operam, ex illisque felicibus fuit, qui sub B. Thomæ disciplina educati, ex ejus schola fortissimi pro Ecclesiæ defensione athletæ prodierunt. Sub eo studebat Romæ anno MCCLXXII, eodemque anno Neapolim cum eo profectus est, ibidemque ejus audivit lectiones, quousque ille a Gregorio X ad concilium Lugdunense II accitus, ad iter se accinxit. Hæc enim ipse de se testatur Hist. Eccl. lib. 23 cap. 8. *Qui sæpius*, inquit, *confessionem ejus* (Thomæ de Aquino) *audivi, & cum ipso multo tempore conversatus sum familiari ministerio, ac ipsius auditor fui.* Et cap. 10: *Etiam quod vidi de ipso ad indicium sanctitatis ejus tacere non debeo. Cùm enim ego cum ipso venirem de Roma, declinavit Molariam ad castrum D. Ricardi cardinalis*, & post narratam F. Reginaldi S. Thomæ socii valetudinem ope reliquiarum S. Agnetis V. & M. restitutam, addit, *propter quam causam disposuerat singulis annis facere festum solemne de ipsa cum bona refectione Fratrum, quod & illo anno fecit Neapoli, sequenti verò transivit ad Deum.* Cap. autem 9 dixerat se Neapoli fuisse, *cùm nuncius venit de Campania, nuncians nobis transitum dicti patris & doctoris.* Conventui suo Lucano præerat anno MCCCIII, nam eum verisimillime puto, de quo sic in actis cap. gener. Bisuntii tum habiti legitur: *Item super quibusdam falso impositis F. Hugoni priori provinciali Romanæ provinciæ & quibusdam aliis Fratribus nostri ordinis, ponimus vicarios & inquisitores F. Tholomæum priorem Lucanum, & F. Nicolaum Perusinum quondam provincialem regni Siciliæ.*

Bibliothecarium pontificium fuisse quidam tradunt, quibus libens assentiar: certe bibliothecam summi pontificis & monumenta in ea servata apparet apprime novisse & evolvisse, sic enim habet Hist. Eccl. lib. 22 cap. 31: *Et attende hic quod circa istam materiam est unus magnus Sexternus, qui in archivis Romanæ Ecclesiæ contineri debet*; adde & tot auctores historiæ ecclesiasticæ quos citat, alibi legere non ita ei promtum & commodum fuisse: at sub quo pontifice eo munere functus sit, non ita facile dictu. Id Petrus M. Campi T. II Histor. Eccl. Plac. p. 305 sub Gregorio X putat evenisse, potuit etiam sub Innocentio V & sub sequentibus pontificibus. Apud Joannem Ciampinum qui bibliothecariorum sedis apostolicæ catalogum ex veteribus monumentis eruit, ingens est hiatus inter annos MCXCII & MCCCXVI, quo ultimo ponitur Joannes Lemovicensis Gallus: iis igitur locis vacantibus Bartholomæum nostrum proclive est collocare: verùm ut id asseram, instrumenta quæ fidem facerent, desiderarem antiqua. Idem censeo de munere confessarii Joannis XXII, quod eum gessisse quidam volunt: certum saltem huic pontifici acceptissimum fuisse, unde ab eodem ad infulam Torcellanam promotus fuit anno MCCCXVIII; sequenti MCCCXIX mense augusto licèt jam consecratus agebat adhuc apud cardinalem de Baiona ex ordine assumtum, ex processu canonizationis S. Thomæ T. I martii p. 706 n. 60. Post quatuor autem circiter annos regiminis obiisse ex eo conjiciunt, quod in actis Ecclesiæ Torcellanæ F. Ægidius de Galluciis sodalis etiam noster episcopus anno MCCCXXII nominetur.

Ejus meminit Ludovicus a Valleoleti n. 451: *Dominus Frater Bartholomæus*, inquit, *episcopus Torcellanus discipulus B. Thomæ scripsit chronicam eodem modo, ut patet in Legenda B. Thomæ.* At cer-

SEC. XIV. tum eum qui laudatur in Legenda B. Thomæ seu a Guillelmo de Tocho seu a Bernardo Guidonis scripta, esse hunc nostrum auctorem. Meminit etiam Laurentius Pignon n. 58 : *F. Ptolomaus de Luca compilavit notabilem tripartitam historiam in tribus voluminibus. Item librum de regimine ..... Item Chronicas. Item Exahemeron.* Quæ opera jam sunt discutienda, ut & alia ab iis omissa.

Primò igitur sunt *Annales ab anno* MLX *ad* MCCCIII. Prodierunt typis Lugduni, Jacobi Roussim 1619 in 8. Rursus ibidem in Bibl. magna Patrum seculo XIII sub finem apud Anissonios 1677 fol.

2. *Historia Ecclesiastica nova.* Tit. *Incipit chronica summorum pontificum & sacrorum doctorum, ac principum concurrentium cum eis Ecclesiastica historia nova sub brevitate edita.*

Hanc verò Guillelmo Petri de Godino cardinali de Baiona dicto tit. S. Cæciliæ presbytero ex ordine Prædicatorum anno MCCCXII die XXIII decemb. a Clemente V creato nuncupavit, & eam censeo quam Ludovicus & Laurentius mox citati appellant *Chronicam* seu *Chronicas*. Progreditur a Christi ortu ad annum MCCXCIV seu ad Bonifacii VIII electionem libris XXIV, finitque sic : » Hic » (Bonifacius) duos legatos misit in Franciam & » in Angliam videlicet Penestrinum & Albanensem, » quia guerra superius dicta inter dictos principes » inchoata nimis crescebat, in qua se habuerunt ut » excedentes & excessi : quia rex Franciæ prævalet » bello campali ut in Vasconia, sed rex Angliæ in » mari victoriosus efficitur. Explicit «. Et hîc terminatur.

Quicquid ultra in quibusdam codicibus legitur, non Tholomæi nostri opus est, sed alterius anonymi quisquis ille sit. Hinc falluntur Natalis Alexandre qui eam ad 1337 januarii 14 se extendere scribit : Caveus in Append. ad ann. 1303 qui in morte Clementis V ait finiri : Clar. Baluzius T. I Pap. Avenion. ubi Clementis V vitam secundam edidit sub nomine Ptolomæi Lucensis ord. Prædic. cùm hæc vita ejus non sit fœtus, sed anonymi qui hanc appendicem adjecit : denique illi ordinis nostri æmuli ac sycophantæ, qui de morte Henrici VII imperatoris multa fabulantur ceu ex Ptolomæo depromta in vita Clementis V, quam ut nec Bonifacii VIII scribere cogitavit. Id autem ex codicibus MS pluribus facile est demonstrare.

Primus est Navarræus melioris notæ fol. mag. memb. ætatis auctoris optimo charactere. Principium & finis ut supra relata sunt, nam ex eo exscripsimus.

Secundus Colbertinus 527 fol. mag. pellibus vitulinis charactere majori & accuratiori. Hic est titulus : *Historia Ecclesiastica nova Fratris Tholomei de Lucca.* Nota non *Ptolomei.* Finis idem supra annotatus. Cujus verò gratia scriptus sit adjicitur litteris majusculis sic : *Benedicti tertii decimi septimo anno, primoque Christi quadringentesimo nati, dieque vere secunda vicesima jani, Antonius dictus Sancii cognomine fultus, hunc librum scripsit jussu sanctissimi patris.* Quæ probant & codicem pro Petro de Luna in sua obedientia Benedicto XIII nuncupato anno MCCCCI scriptum, & ea adhuc ætate nihil Tholomæi genuinum agnitum nisi ad Bonifacii VIII electionem usque. Idque argumentum eo validius, quod post folium purum relictum, sequitur per modum appendicis, sed alio & minutiori charactere vita Bonifacii VIII, tum & vita Clementis V, illa scilicet quam sub Ptolomæi nomine Baluzius edidit, sed quis sit utriusque auctor, in eo codice non indicatur.

Tertius item Colbertinus 2818 memb. fol. med. optimæ notæ. Idem finis qui Navarræi, nec quid amplius. In ultima pagina sic legitur : *Chronica F. Ptolomei de Lucha ordinis Fratrum Prædicatorum conventus Veronensis ordinis præfati :* Cujus scilicet domus codex fuit aliâs. Postea additur hæc nota : *Auctor iste noluit scribere acta per Bonifacium VIII propter infelicitatem illius pontificatus ; qui tamen vixit saltem usque ad pontificatum Clementis V : nam volumen hoc dedicavit Guillelmo de Baiona cardinali ord. Prædic. qui a Clemente V ex magistro sacri palatii factus fuerat cardinalis, & postea per Joannem XXII factus fuit episcopus Sabinensis.* Cujusvis sit hæc nota certe antiqua licèt secunda manu, ex ea iterum constat Tholomæum non esse auctorem vitæ Bonifacii VIII nec vitæ Clementis V in quibusdam codicibus sequentium.

Quartus Regius 5229. 2, fol. par. chart. charactere Italico seculo XV scriptus, & in quo vita tum Bonifacii VIII tum Clementis V continenter sequuntur : postea verò hoc ordine vitæ Eugenii IV, Joannis XXII eadem quæ apud Bernardum Guidonis ad annum MCCCXX, exinde diversa, Benedicti XII, Innocentii VI, Urbani V, Gregorii XI & deinceps ad Martinum V inclusive, sed hujus collectionis auctor seu compilator recentior est, quam ut fidem faciat contra codices superius laudatos.

Quintus Vaticanus 3766 a Rainaldo pluries laudatus, & a Vossio Hist. Lat. lib. 2 cap. 67.

Sextus Barberinus ab Ughello citatus T. V Ital. Sac. p. 1443.

Septimus Florentinus Mediceus Pl. XIV cod. 19 fol. papyr.

Octavus Patavinus a Tomasino laudatus p. 7 cum hac nota : *Is* (Tholomæus) *perduxit suam historiam usque ad Cœlestinum V, quo tempore se vixisse memorat ad annum* 1274 (errato typorum pro 1294.) Quod nostram confirmat sententiam de fine historiæ a Tholomæo scriptæ. Addit Tomasinus : *Continuatum fuit opus hoc ab aliis usque ad annum* 1470. *Ambrosius Gozzeus tribuit ei Tripartitam historiam nescio qua ratione, cùm eam congesserit Aurelius Cassiodorus.* Sic Tomasinus, sed dubium ejus jamjam solvetur. Plures alios codices alibi haberi non dubito, & simul contendo, si genuini sint & antiqui, non ultra annum MCCXCIV progredi.

Hanc historiam nondum se vidisse ostendunt Actorum SS. editores, cùm tomum primum martii prælo dederunt, & pag. 708 ad testimonium Guillelmi de Tocho sic loquentis, *F. Tholomaus episcopus Torcellanensis multa de Thoma de Aquino sanctitate scripsit*, hanc notam apposuerunt, *Hic est Ptolomaus Lucensis ordinis Prædicatorum cujus annales extant, in quibus nonnulla de Sancti obitu & de miraculis ad* 1274. Revera in annalibus de Sancto doctore habet pauca, at hos non citabat Guillelmus, sed Historiam Ecclesiasticam, in qua multa & præclara, imo & accuratiora refert Tholomæus, quam quivis alius de S. Thoma, quæ si legissent clari editores, acta Sancti dilucidiora dedissent, nec eis excidissent quædam emendanda.

3. Opus ejus *Historia Tripartita*, sic enim vocare ei placuit.

Hanc viderat Laurentius Pignon, siquidem tribus voluminibus constare asserit. Laudant etiam Leander, Lusitanus, Gozzeus, Fernandez & alii. Ubinam verò jam extet, nemo indicat : at quin revera ediderit, dubium esse non potest, cùm ipse pluries eam citet, & aliquando ad eam remittat. Sic Histor. Eccl. lib. 1 cap. 1 : *Item non habuerunt* (Romani) *Æthiopiam, quæ maxima est provincia, nisi partes Lybiæ, quæ sunt principium Æthiopiæ propter difficultatem accessus ejus, ut liquet in secundo libro nostræ Tripartitæ : & tamen ibi prædicavit B. Matthæus.* Et cap. 18 : *Etenim de gestis*

istorum duorum apostolorum in actibus eorumdem satis copiose traditur, quos intendimus in XIII *libro nostra Tripartita copiosius declarare.* Et lib. XIII cap. 24: *Qua autem sint Alpes Cottia &c. require in nostra Tripartita lib.* 2. Et rursus lib. XXI cap. 25: *Anno* MCCXXII *Tartari transierunt montes Russeos, ut habes in nostra Tripartita lib.* 2, & postea: *De provincia Vandalia require in dicto libro Tripartita.* Eamdem Tripartitam citat auctor anonymus qui circa MCCCLXXXII scribebat librum dialogorum Hierarchiæ subcœlestis, de quo nos ad eum annum agimus: quod signum ab eo visam.

4. Opus saltem promissum, *Catalogus imperatorum & eorum gesta.*

Sic enim habet ipse Histor. Eccl. Lib. 5 cap. 1, ubi de Constantino, de quo inquit, *diffusius agetur in imperatorum catalogo comite vita.* Et cap. 2: *Utrum autem potuerit vel debuerit Constantinus Silvestro cedere Romam, gestis imperatorum relinquamus, cùm agetur de Constantino.* Et cap. 14: *De Athanasio sancto suo loco cùm de Constantio agetur imperatore diffusius dicetur, & de operibus ejus multimodis, qua gessit quantum ad scripturam sacram.* Promittit & postea pluries. Videsis cap. 15 & lib. 6 cap. 11 & lib. 7 cap. 8 & lib. 9 cap. 27, & lib. 14 cap. 5 & lib. 15 cap. 21. Ex quibus colligas cùm hæc scriberet, istud aliud opus in adversariis paratum habuisse.

5. Opus saltem promissum *Catalogus regum Francia.* Revera sic habet Hist. Eccl. Nov. lib. 7 cap. 11: *Prius fuit Christianitas in Gallia, quam reges Francorum essent Christiani, ut in catalogo ipsorum dicetur.* Notandum autem Andream *du Chesne* T. V Hist. Francorum a p. 893 ad 898 fragmentum quoddam edidisse hoc titulo: *Excerpta ex chronicis F. Ptolemai de Luca ordinis FF. Pradic. super genealogia & posteritate Caroli regis Sicilia fratris Ludovici IX Francorum regis usque ad annum* MCCCLXX. Qui titulus scriptoribus etiam accuratioribus fucum fecit. Monendum itaque ab anno MCCLXIII ad annum MCCLXXXIII eadem esse innovato tamen stylo cum iis quæ habet Tholomæus Histor. Eccles. mox laudata: at quæ ab anno MCCLXXXIV ad MCCCLXX apud Duchesnium referuntur, certo non esse ex historia ecclesiastica excepta. Itaque si quid est Tholomæi nostri, forsan in manus Duchesnii venerit quidam codex MS hujus catalogi regum Franciæ, ex quo quædam excerpserit, sed sane non usque ad annum MCCCLXX cùm Tholomæus non ultra MCCCXXI vixerit. Idem dicas de Hispania illustrata Francofurti 1606 fol. edita, cujus T. III p. 373 exhibentur *Extracta de chronica Ptolomai de Luca quam scripsit de gestis SS. pontificum & occurrentibus tempore eorumdem super genealogia Roberti Guiscardi & successorum suorum, ac aliorum regum Sicilia usque ad tempora ista per alios scientes generationem ipsorum.* Revera ab anno MLXXII ad MCCLXXXIII extracta sunt fere iisdem verbis ex Hist. Eccles. Tholomæi, sed sequentia certe aliunde desumta.

6. Opus Tholomæi a Laurentio Pignon laudatum *De regimine* ...... Hic lacuna est in cod. Victor. sed supplendum certo *De regimine principum*, sicque habent Leander, Lusitanus, Fernandez & cæteri deinceps.

Hoc autem opus non aliud esse censeo, quam complementum libri secundi *de regimine principum* apud S. Thomam opusculo 20, & tertium ac quartum a Tholomæo illi additos. Scilicet ut supra dictum est ubi de sancto doctore & opusculo ejus 20, hoc imperfectum ille reliquerat, nec ultra medium capitis 4 libri 2 scripserat, mortuo tum juvene rege Cypri Hugone II cui nuncupabat: Tholomæus verò ex schedis Thomæ cætera ad finem libri 2 adjecit: tum & alios duos libros qui jam tertius & quartus dicuntur, sed revera opus sunt distinctum, ex propriis concinnavit. Vide supra *S. Thomas de Aquino* & annotata ad opusculum 20, illa enim clare demonstrant, quæ hic contendimus. Id evincunt codices MS plures illic laudati: solius codicis Medicei Pl. LXXVI n. 19 titulum hic repeto, qui sic habet: *Liber de rege & regno inceptus a venerabili doctore S. Thoma de Aquino ord. Præd. postea completus a F. Ptolomao de Luca ejusdem ordinis qui tandem fuit episcopus Torcellanus, cum tabula in principio & epistola nuncupatoria ad regem Cypri. Libri IV.* Qua autem certiori ratione istud opus dici potest a Thoma inchoatum, & a Tholomæo completum, quam illi primum & secundum ad medium cap. 4 tribuendo, cætera Tholomæo?

Addo tantum esse inter duos priores libros & duos posteriores discrimen, ut diversum auctorem & opus omnino distinctum arguat. Duo priores simpliciter incipiunt, nullo ex sacra scriptura præfixo themate: pleræque auctoritates ex historia sacra proferuntur, ex prophana parce, nullæ ex gestis sui seculi vel proxime præteriti: denique sic auctor librum secundum finit, ut nihil amplius regi commendandum sibi superesse clare ostendat. Hic enim est finis: *Hac igitur de pertinentibus ad regimen cujuscunque dominii, sed pracipue regalis in hoc libro in tantum sint dicta.* Quæ verba nihil amplius ab eo expectandum indicant.

Contra de libris 3 & 3 dictis uterque a versiculo scripturæ incipit ceu dicendorum argumento: Titulus cap. I libri prioris hic est: *Consideratur & probatur omne dominium esse a Deo Considerata natura entis*: Adeo ut rem rursus a principio inchoet, quod opus alterum manifesto arguit. Plura ex historia Romana & Germanica imperatorum referuntur, quæ historico qualis erat Tholomæus maxime conveniunt. Denique isti duo posteriores libri ita sunt concinnati, ut ex se perfectum opus efficiant, quod attente legenti continuo patebit. Adde plura libro 3 dicto referri, quæ post mortem Thomæ de Aquino acciderunt, ac proinde ab eo scribi non potuerunt, bene autem a Tholomæo: qualia sunt cap. 20 electio Rodulphi imperatoris sub finem anni MCCLXXIII, & ejus mors anno MCCXCI: electio Adolphi Nassoviæ comitis anno MCCXCII, hujus occisio ab Alberto Austriæ duce anno MCCXCVIII, quæ sua ætate acta dicit auctor, & invicte probant post illum annum hos libros 3 & 4 dictos editos fuisse. Nec leve etiam ad eos Tholomæo asserendos argumentum est septem electorum institutio, quæ cap. 19 lib. 3 Gregorio V tribuitur: nam Tholomæus primus est auctor cognitus, qui Hist. Eccl. lib. 18 cap. 2 hanc institutionem ad eum pontificem referat. Unde & Platina a Gregorio V septem electores institutos narrans, unicum profert testem Tholomæum. Nec omittendum auctorem istius libri 3 dicere ab ea institutione CCLXX circiter annos effluxisse, quod mire quadrat cum chronologia Tholomæi. Nam juxta illum Gregorius V electus fuit anno MXXI & mortuus est anno MXXIV, licèt alii accuratiores aliter narrent: ab anno autem MXXIV ad annum MCCXCVIII quo electus est Albertus Austriacus sunt CCLXX anni paulo plus. Itaque ex his omnibus nobis constat Tholomæum & secundum librum *de regimine principum* S. Thomæ complevisse, & tertium & quartum adjecisse.

7. Opus Tholomæi censeri potest *dictorum librorum quatuor versio e Latino in vulgare Italicum sua etatis.* Vide supra ad opusculum 20 S. Thomæ, ubi codices MS recensentur.

8. Opus est illud quod Laurentius Pignon vocat *Exahemeron*, quod quale sit vel ubi extet, hactenus assequi non potui.

SEC. XIV. Fortè non injucundum erit rescire, quibus auctoribus in historiis suis condendis usus fuerit Tholomæus: isti vero sunt.

1. Eusebius Pamphili Cæsariensis.

2. Damasus papa sub cujus nomine seculo XIII historia circumferebatur, quæ nunc agnita Anastasii bibliothecarii, saltem ab eo ex variis compilata.

3. Hieronymus.

4. Augustinus de civitate Dei.

5. Josephus.

6. Isidorus Hispalensis in historiis & illustribus viris.

7. Gennadius episcopus Massiliensis de illustribus Ecclesiæ scriptoribus. (*sic ille.*)

8. Gratianus. 9. Orosius.

10. Paulus diaconus cardinalis ac suppletor historiæ Eutropii, sic enim ea ætate putabant: at hujus supplementi seu historiæ miscellæ auctorem non Paulum diaconum cardinalem, quo nomine nullus recensetur, sed vel Joannem diaconum vel Landulphum Sagacem vel alium incognitum plures sentiunt.

11. Paulus alius origine Longobardus in historia Longobardorum, nempe diaconus Aquileiensis Desiderio regi a secretis & monachus tandem Cassinensis. Huic Vossius quinque primos libros supplementi Eutropii ex fide plurium codd. MS asserit, cæteros Landulpho Sagaci.

12. Admonius (sic) revera Aimonius monachus in gestis Francorum.

13. Eginhardus monachus in gestis Caroli Magni & filii sui Ludovici.

14. Vincentius Bellovacensis.

15. Martinus Polonus.

16. Archiepiscopus Cusentinus. Hos duos posteriores plures etiam eruditi in unum hominem confuderant, eumdem scriptorem arbitrati, sed Tholomæus ubique distinguit, & addit Cusentini in regno Siciliæ nati nomen ignorari. Vide supra *Martinus Polonus* ad 1278.

17. Sicardus episcopus Cremonensis.

18. Ricardus monachus Cluniacensis.

19. Gesta Tuscorum, Longobardorum & Germanorum.

20. Gotifredus aliis Godefridus Viterbiensis cancellarius Friderici I.

21. Quædam Chronica quæ multum Damasum imitatur. *Sic ille.*

22. Plura hinc inde chronica, quibus deest nomen auctorum.

23. Bonzo Sutrinus episcopus, aliis Bonitus, vel Bonizzo, ab Ughello Bonizzus dictus, vir doctissimus seculo XI clarus qui scripsit ecclesiastica commentaria, de quo legendus Lambecius Bibl. Cæsar. T. II p. 790 & seqq.

24. Gesta Francorum, & plures aliæ historiæ in decursu operum citatæ quas recensere tædiosum esset. Præter hæc quæcunque potuit ubique lustravit archiva, vetera monumenta scrutatus est, in idque plura itinera suscepit, Galliam peragravit. Sic lib 5 cap. 22. *Ego* inquit, *inveni in archivis B. Hilarii apud Pictaviam, quod concilium Arianorum &c.* lib. 6 cap. 6: *Et attende quod in monasterio Galliæ Aquitanæ inveni symbolum Constantinopolitanum &c.* quæ ejus diligentiam probant.

* F. BARTHOLOMÆUS DE VENETIIS quidam S. Thomæ discipulus & episcopus Torcellanus a Rovetta laudatur ad 1284 clarus, cui ab eodem tribuitur *Chronicon ab initio mundi ad sua usque tempora*, sed ex testibus Lusitano & Altamura ab eo adductis certo certius est hunc non alium esse a *Bartholomæo de Luca.*

F. ISRAEL ERLANDI.

F. ISRAEL ERLANDI Svecus natione, vir natalibus illustris, ceu qui cognatione Sveciæ reges attingebat, sed pietate, eruditione, rerumque præsertim ecclesiasticarum peritia longe illustrior, ordinem juvenis vergente seculo XIII amplexus est Sigtoniæ, vel ut alii scribunt Sigtunæ, ubi ab anno MCCXXXV celebre erat nostris cœnobium a Jarlero archiepiscopo Upsalensi VII erectum, in quo & iste moriens VIII Kal. sept. MCCLV sepeliri voluit. Qui Jarlerus ut id obiter dicam, canonicos Ecclesiæ suæ antea regulares votorum vinculis solvi & in seculares mutari curavit, numeroque auxit. Apud magnates ut & apud populum Israel noster non parva fuit auctoritate & gratia, archiepiscopis Upsalensibus acceptus in primis, quos diœcesim visitantes sæpius comitabatur. Anno MCCCX conventui suo Sigtoniensi præerat prior, quo ex munere ad Ecclesiam Arosiensem (*Arosen* vulgo dicunt, aut etiam sæpius *Westeraos*) fuit evectus, de quo sic apud Bernardum Guidonis synchronum lego in catalogo episcoporum: *In provincia Daciæ Frater Israel fuit episcopus Arosiensis in regno Sveciæ factus per provisionem D. Clementis papæ V anno Domini* MCCCXI. Recensetur & a nostro Laurentio Pignon inter episcopos ex ordine assumtos his verbis: *F. Israel episcopus Arosenensis.* Quod amplius postea declarabitur. Anno MCCCXVIII ut episcopus duobus instrumentis publicis subscripsit, primo quidem ut sponsor seu fidejussor pactis conventis inter Byrgerum seu Bergerum Sveciæ & Ericum Daniæ reges in vigilia S. Matthæi apostoli, unà cum Magno Byrgeri filio ac coronæ postea successore, Olao archiepiscopo Upsalensi, Magno episcopo Vexionensi & magnatibus pluribus: alteri autem Stocholmiæ dato die S. Benedicti abbatis XXI Martii sequentis, quo triennales induciæ inter eosdem Sveciæ & Daniæ reges Roschildiæ antea die festo S. Martini firmatæ vulgabantur. Iiautem subsignarunt Olaus Upsaliensis archiepiscopus, Carolus Lincopiensis, Benedictus Scarensis, Slyrbernus Strenguenensis, & F. Israel Arosiensis episcopi. Sic refert Joannes Isaac Pontanus Hist. Rer. Danic. lib. 7 pag. 422 & 425. Vivebat etiamnum anno MCCCXXI, quo altare quoddam dedicavit, cujus instrumentum refertur in Olai Vereli auctario notarum in Hervarar Saga anno 1674 edito in fol. a me in Regia Parif. M. 1419 viso, quod sic habet: *Omnibus præsentes literas inspecturis Frater Israel Dei gratia episcopus Arosiensis salutem in Domino sempiternam. Cùm divina nobis clementia favente sub anno Dñi* MCCCXXI *feria sexta ante conversionem B. Pauli apostoli majus altare in ecclesia Lima in honorem S. Michaelis & BB. martyrum Laurentii & Erici, ac B. Scholasticæ virginis dedicassemus, Ecclesia ipsa præsens & antiquiores de parochianis asserebant per venerandum patrem D. Karolum olim prædecessorem nostrum dedicata.* Cætera desunt. Quandiu postea vixerit, mihi hactenus incompertum. Scripsit tum prior Sigtuniensis

Acta S. Erici regis Sveciæ & martyris, tum ejusdem miracula.

Hæc exhibent Henschenius & Pappebrochius in Actis SS. maii T. IV anno 1684 edito ad 18 mensis pag. 187 ad 197 ex præclaro codice MS Christinæ reginæ Sveciæ in fol. memb. Latinoque sermone & vulgari Svecico exarata: at viri eruditi delusi sunt cùm opus *Israeli canonico Upsalensi* inscribunt, quod evenit, quia codici reginæ deest finis. Integrum autem opus Joannes Schefferus antea & primus in lucem dederat & ex codice Upsalensi edi curaverat Holmiæ typis Nicolai Wankivii 1675 in 8 pp. 191 cum

eam notis. Quæ autem non habent Acta SS. loc. cit. operæ pretium est hîc addere, quia exinde verus auctor agnoscitur. Sic autem post relata in Actis SS. legitur in editione Schefferi.

» Ecclesiam Christi alii sanctitatis exemplis, » alii scriptis, alii doctrinis illuminant & informant: sed sive scripto sive verbo erudiatur » Ecclesia Dei, cavenda est summe temeraria ambiguorum assertio & relatio mendosa, quia secundùm Sanctos non minoris reatus est dicere » Deum vel Sanctos fecisse quod non fecerunt, quam » negare eos fecisse quod fecerunt. Confidenter » cùm non solum visa sed etiam audita & referri » & scribi possint, quæ mores & fidem ædificant, » nec solum quæ discuntur attestatione plurium » prout soliditas veritatis exigit in examinandis miraculis sanctorum canonizandorum, verum etiam » sincera relatione unius fidelium quæ legentibus » seu audientibus ædificationem & consolationem » afferre possunt. Sic non solum B. Augustinus Beatusque Gregorius & Hieronymus, aliique Ecclesiæ doctores, nec non & ipsi evangelistæ sacræ » paginæ scriptores authenticis inseruerunt literis, » quæ fideli relatione absque plurium adhibitione » testium audierunt, nec solum pure miracula, sed » etiam invocatis sanctis obtenta beneficia, ut venti prosperitas, convalescentia morosior, amissarum rerum inventio, pluviæ, & hujusmodi ad » Dei gloriam & SS. laudem ipsis pie possunt attribui, & ad fidelium ædificationem in prædicationibus recitari.

» *Ego igitur Frater Israel Erlandi filius ordinis » Prædicatorum prior Sictoniensis*, rogatus a quibusdam canonicis Ecclesiæ Upsalensis sede vacante, ut miracula & beneficia, quæ B. Ericum » invocantibus per ipsius martyris merita & suffragia præstiterit potentia Salvatoris, quæ relatu fide » digna ad meam pervenere notitiam in prædicatione fideliter enarravi, & simplici stylo commendavi scripturæ: nihil Deo teste quantum mea dictavit conscientia mendacii seu falsitatis inserens » vel immiscens, nec in scribendo servans ordinem » quo contigerunt, sed vel ut mihi relata sunt, vel » ut animo cùm mihi vacabat scribere subierunt. » Si igitur feci ut debui gloria tibi Domine, qui » mirabilis es in sanctis tuis. Si autem ut homo ignorantiæ tenebris involutus propter defectum plenioris notitiæ erravi, ignosce errori summa veritas, misericordia mea, Deus meus.

Postea Schefferus ex codice suo additamentum sed manu inquit recentiori scriptum subjicit: *Anno Dñi* MCCCCIII *&c.* estque illud idem miraculum quod per modum appendicis exhibent Henschenius & Pappebrochius. Itaque ex fine allato quem non habent *Acta SS.* certo cognoscimus auctorem hujus vitæ non *canonicum Upsalensem* sed *F. Israelem Erlandi ord. Prædic. priorem Sigtuniensem.* Quod & probant quæ in narratione miraculorum de se ipse refert. Sic n. 26 apud Schefferum, at n. 12 apud Henschenium, ubi de miraculo quod anno 1305 accidit: *Hoc mihi F. Israeli retulit D. Rengborg prædicta.* Rursus n. 47 Schefferi, at 27 Henschenii de miraculo quod factum anno 1308: *Hoc mihi Fratri Israeli & pluribus fide dignis aliis pater pueri fideliter enarravit.* Iterum n. 52 & ultimo Schefferi & 30 ut & ultimo Henschenii: *Nobilis puella nomine Christina, cùm mortis discrimen valde metueret, fecit ad se vocari Fratrem Israelem priorem Sigtuniæ, qui tunc cum D. Nicolao archiepiscopo in Fundbohæredhi erat &c.* Qui articulus si legatur integer & cum fine superius relato, sed in *Actis SS.* omisso conferatur, nullum dubium relinquunt, quin noster Israel verus & certus scriptor hujus vitæ habendus sit.

Notandum autem, cùm quædam ex his miraculis essent ab archiepiscopo Upsalensi authentice excepta & examinata, & in acta Ecclesiæ relata, ea ab Israele ex actis ut erant exscripta addita ipsa auctoritatis archiepiscopi nota. Sic n. 45 Schefferi, at 26 Henschenii ad finem miraculi quod accidit anno 1306 legitur: *Præmissa omnia prædicta Ingigredis nobis Nicolao archiepiscopo Upsalensi multis præsentibus fideliter exposuit anno Dñi* 1310 *in die consecrationis Ecclesiæ Wendil, in cujus ecclesiæ parochia hoc miraculum est patratum.* Manifestum enim hæc ab Israele sic referri, quia sic publicis monumentis erant consignata. Idem censeas de miraculo quod habetur n. 32 Schefferi & 16 Henschenii, ubi ad finem sic legitur: *Nos verò unâ cum capitulo nostro & aliis viris religiosis & clericis discretis, omni qua potuimus discretione & sollicitudine prævia diligenter examinavimus hoc miraculum, & rei gestæ veritatis testimonium perhibemus.* Quæ verba haud dubie sunt archiepiscopi miraculum a se examinatum testantis, & quæ ut literis publicis perscripta erant ab Israele referuntur.

Denique accedit auctor Historiæ Ecclesiæ Svetiæ lingua patria scriptæ & Lincopingiæ anno 1707 in 4 editæ, qui pag. 347 sic habet: *Israel episcopus Arosiensis sive Westeraos XIII antea Frater Prædicator & theologiæ magister Sigtunæ. Scripsit vitam & miracula S. Erici regis. Inveniuntur epistolæ ejus in archivo regio antiquitatum. Quidam legunt Jerl.*

Natalibus illustrem Israelem supra dicebamus, hanc vero tum ex hac vita, tum ex alio libello a Scheffero Upsaliæ typis Henrici Curio 1673 in 8 pp. 256 edito, cui titulus: *Incerti scriptoris Sveci qui vixit circa annum Christi* MCCCXLIV *breve chronicon de archiepiscopis & sacerdotibus cæteris Ecclesiæ Upsaliensis nunquam antea publicatum, notisque necessariis adornatum*, familiæ ejus notitiam eruimus.

Israel patrem habuit Erlandum, matrem Joannis Angeli viri nobilissimi filiam, quæ tres fratres germanos & unam sororem habuit. Primus *Magnus* dicebatur, vir magnificus, cui ampla & numerosa familia, sacerdos in privato sacello ministrans, & plusquam XX familiares seu domestici, de quo vitæ Schefferi n. 34 Henschenii n. 18.

Alter Fulco dictus, qui primus fuit Ecclesiæ Upsalensis archidiaconus a D. Jarlero archiepiscopo de quo supra, institutus, postea ipsemet circa concilium Lugdunense II a Gregorio X archiepiscopus Upsalensis IX præfectus, qui sedem ex antiqua Upsalia ad novam transtulit, & obiit anno MCCLXXVI. Sic chronicon vetus laudatum: sive ut habet Messenius V non. martii MCCLXXVII. Videsis etiam vitæ Henschenii nn. 20 & 21, ubi auctor ita de se scribit: *Israel filius Erlandi dum scholas Lincopiæ frequentaret, quartana febribus annis tribus & dimidio laborabat. Cùm autem gratia visitandi parentes de Ostgotia redisset in Sveciam, Fulco avunculus suus bonæ memoriæ tunc archidiaconus, & postmodum archiepiscopus Upsalensis, venerationis & honoris B. Erici zelator præcipuus mandavit ei*, &c. ibidem legenda, ubi se peregrinatione ad B. Erici reliquias narrat sanatum. Ex quibus colligo tum circa ann. MCCLXX adolescentem fuisse litteris humanis incumbentem, & nondum ordini ascriptum.

Tertius Israelis avunculus matris ejus frater uterinus, sed ex alio patre, nempe Birgero Jerl Suecorum duce, fuit Benedictus, qui germano suo Fulconi præfato in archidiaconatu successit. Sic enim se ipse vocat in litteris Arusiii anno MCCLXXVIII datis: *Universis præsentes litteras inspecturis, Benedictus Birgeri quondam ducis Swecorum filius ar-*

Sæc. XIV. *chidiaconus Ecclesiæ Upsalensis &c.* Hic dicitur obiisse anno MCCLXXXI die nativitatis B. V. sic enim habetur in chronico antiquo laudato. Addit tamen Schefferus in notis, quosdam velle anno MCCLXXXVII electum episcopum Lincopiensem, & anno tantum MCCLXXXXI mortuum: quo posito in codice MS chronici a Scheffero editi unum X a notario omissum fuerit.

Soror matris vel patris Israelis nupsit D. Haraldo Aelgh (vel Arilgh) ex quo suscepit Christinam nobilem illam puellam, quam Israel consobrinam suam vocat, & de qua miraculum narrat vitæ Schefferi n. 52, Henschenii n. 30.

Hoc etiam monendum vitam ut a Scheffero edita est, videri accuratiorem, & ampliorem ea quam repræsentant Acta SS.

Difficultas est, quo anno Israel ad infulam Arosiensem promotus fuerit, quia in catalogo Bernardi Guidonis citato factus dicitur anno MCCCXI: ille verò in fine vitæ a Scheffero editæ se priorem Sigtoniensem tantum nominat, addens se vitam illam scribere sede Upsalensi vacante, id est mortuo Nicolao Aelb vel Katelli archiepiscopo XII, qui ex chronico antiquo citato & a Scheffero etiam edito obiit tantum III Kal. junii MCCCXIV per mensem & amplius post Clementem V qui obierat XII Kal. mai sive XX april. ejusdem anni. Sedem Upsalensem diutius vacasse post mortem Katilli notat Schefferus, cùm Olaus Sapiens de Fors ejus successor in litteris Birgeri regis anno MCCCXVIII scriptis dicatur tantum *electus Ecclesiæ Upsalensis*. Itaque intra hoc interstitium vitam S. Erici Israel scripserit. Sed quid tum de catalogo Bernardi? in quo dicitur factus episcopus a Clemente V anno MCCCXI. Erratum forsan est notarii, qui a Clemente V scripserit, cùm a Joanne XXII scribere debuisset. Revera R. P. Josephus Roux primarius lector gymnasii nostri Tolosani me monuit in codice MS Bernardi Tolosæ servato, hunc episcopum & alios provinciæ Daciæ secunda manu & alio atramento eoque nigriori additos fuisse, sicque forsan ab homine rerum istarum septentrionalium non ita accurate perito.

Israelis hujus meminit Messenius in chronico pontificum Suecorum Stockolmiæ typis Gutterwicianis 1611 in 8 edito, sed in multis emendandus. Eum enim dicit nobilissimi viri D. Joannis Angeli filium, cùm ex scriptoribus laudatis & accuratioribus ejus fuerit tantum ex matre nepos. Addit famosissimi viri M. Andreæ Upsalensis Ecclesiæ præpositi ac Ramfredis D. Israelis Birgeri conjugis clarissimæ fratrem fuisse, quibus libens assentiar. An illa Ramfridis uxor Israelis viri illustris anno MCCCXLVIII mortui, cujus cum laude meminit Vastovius in vite Aquilonia edit. Upsal. 1708 in 4 p. 83. At longe aberrat a vero Messenius cùm Israelem episcopum Arosiensem promotum anno MCCLXVIII, & anno MCCXCI mortuum asserit, unde ejus chronologiæ nullam fidem habendam monet Schefferus, at quocunque tandem post MCCCXXI anno Israel mortuus sit, Sigtuniæ apud nostros sepultum eidem Messenio ultro credimus.

Erratum quod censeo typorum, apud Schefferum irrepsit in Swecia litterata alterius editionis a Joanne Mollero Cimbro curatæ Hamburgi sumtibus Gotofredi Litbezeit 1698 in 8, in qua Israel dicitur *ordinis Minorum*: quod mendum ipsi Scheffero ægre tribuam, qui anno 1675 in vita S. Erici ab eo prælo data auctorem se *ex ordine Prædicatorum* diserte profitentem legerat.

Ejusdem Israelis meminerunt nostrates Leander fol. 126 b, Lusitanus in chronico sed perperam ad 1490, Pius P. II lib. 2 col. 176 paulo rectius ex Taegio ad 1343: Fernandez & Fontana aut omiserunt aut ignorarunt, quos omnes ex supradictis certis emendabis. Legendi de eo potissimum libelli duo citati & a Scheffero editi, primus hoc titulo, *Israel Erlandi filius de vita & miraculis S. Erici Sueciæ regis*, alter *Incerti scriptoris chronicon* supra laudatum.

F. NICOLAUS DE ALBERTINIS.

F. Nicolaus de Albertinis, de Prato a patria vulgo nuncupatus, patre Mainardo ex nobili Albertinorum in Etruria stirpe, matre Bartholomæa de Martinis æqualis nobilitatis fœmina circa ann. MCCL Prati in Etruria natus, adolescens annorum circiter XVI ordini nomen dedit Florentiæ in S. Mariæ Novellæ, & ut acri erat ingenio, post studia apud suos peracta ex iis fuisse fertur, qui ut tum moris erat Parisios in sacris litteris perficiendis mittebantur. Florentiam exinde redux, tum ibidem tum in aliis provinciæ Romanæ gymnasiis, ac potissimum Romæ regens institutus magnam fecit existimationem sui. Ut erat vir solers magnæque apud omnes auctoritatis, ad regimen brevi admotus est, suæ etiam Romanæ provinciæ præfectus, & ut quidem conjectu pronum, F. Salvo in comitiis ordinis Ferrariæ MCCXC habitis amoto suffectus. A magistro ordinis Nicolao de Bocassinis anno MCCXCVI Treviris electo, quîcum magna illi erat morum & litterarum necessitudo, procurator generalis apud sedem apostolicam constitutus est, sicque Bonifacio VIII ob agendi dexteritatem placuit, ut ab eodem Kal. junii MCCXCIX Spoletanus episcopus renuntiatus & positus in Urbe vicesgerens, mox ad Philippum IV pulcrum Galliæ & Edwardum Angliæ reges nuntius missus fuerit, qui dissidentes componeret. Quod & qua valebat dicendi facilitate & auctoritate, ita ab utroque obtinuit, ut amborum sibi conciliarit amicitiam, ambobusque ipse deinceps manserit devinctissimus. Bonifacio VIII v idus octob. MCCCIII mortuo, successor sine mora ei datus est VI Kal. novemb. Nicolaus Bocasinus ex magistro ordinis jam cardinalis Ostiensis Benedictus XI dictus, qui statim Nicolaum de Prato sibi intimum purpura ornavit, de quo sic Bernardus Guidonis: *F. Nicolaum de Prato episcopum Spoletanum assumpsit, & fecit cardinalem episcopum Ostiensem D. Benedictus papa XI in jejuniis IV temporum in adventu anno Dñi* MCCCIII: id verò factum die mercurii XV Kal. januar. addit Oldoinus. Tum verò eum summus pontifex legatum de latere misit, qui pugnantes inter se Tusciæ civitates pacis sequester conciliaret, & VI id. martii MCCCIII stylo veteri Florentiam ingressum scribunt Dinus, Compagnus & Joannes Villanus, ex quo colligas quod passim notamus Florentiæ ut & in Galliis annum a pascha inchoasse, ad quod si attendisset Oldoinus, Villanum & Compagnum non arguisset erroris ob non indicatum annum MCCCIV stylo novo. Cæterum exacerbatis nimium Florentinorum & vicinarum civitatum in se invicem animis, Guelfis præsertim & nigris adversus albos & Ghibellinos prævalentibus, etsi principio auctoritate sua & industria quid legatus obtinuerit: quia tamen Ghibellinus erat genere, non tantum nihil effecit, sed & ut vitæ consuleret, pridie non. junii MCCCIV se subducere coactus fuit, & ad pontificem Perusium reverti. Quæ deinceps præclare pro Ecclesia gessit, fusissime narrant Antoninus P. III Tit. XX c. IX & ex eo Rainaldus ad pontificatum Clementis V & Joannis XXII, Oldoinus T. II p. 350 & alii. Breviter dico mortuo nonis julii MCCCIV Benedicto XI, ac in eligendo successore

† 1321.

divisis inter se cardinalibus, illis papam qui Bonifacii VIII partes tueretur, his qui Philippo IV Francorum regi faveret volentibus, cùm sedes jam fere per annum vacasset, eum fuisse qui sagacitate sua & communicatis cum rege Gallo consiliis, omnes eo adduxit, ut nonis junii MCCCV archiepiscopum Burdegalensem Clementem V dictum concordes nominarent: eidem Clementi quem Lugduni tiara pontificia redimivit, a consiliis præcipuum & intimum fuisse, eum multoties ita intricatum, ut qua emergere nesciret, facile expedivisse. Sic ut Bonifacii memoria aboleretur, & cadaver flammis daretur ceu hæretici exigente Philippo, cùm Clemens qui id incautius promiserat, nec reluctari posset nec vellet tamen efficere, ne hoc Romanæ sedi inureret dedecus, suggessit Nicolaus noster, ut responderet rem esse in concilio generali definiendam, quo sapienter elusa est regis petitio. Eodem rege imperium Germanicum morte Alberti anno MCCCVIII vacans vel Carolo fratri vel sibi ipsi affectante, cùm iterum nec obstare palam ceu adeo de se bene merito, nec etiam favere, ne potentior evaderet, vellet Clemens, incerto quid ageret pontifici suasit Nicolaus, ut quam citissimis & quam secretissimis litteris ab eo moniti principes Germani Henricum Lucemburgium prius eligerent, quam eo pervenissent legati regii, quo consilio iterum nulla tamen injuria frustratus Philippus. Omitto cætera, V. G. ex eo cœtu cardinalium unum fuisse, quos in Italiam misit Clemens, qui Henrico VII imperatori iter complanarent, & qui Romæ in Laterano coronarent: in electione Joannis XXII primum fuisse vocum scrutatorem, eidemque in æde nostra Lugdunensi electo tiaram solemniter imposuisse: ab eodem Joanne Neapolim de latere legatum missum fuisse, qui Caroli regis filium Robertum, ejusque uxorem reges Siciliæ coronaret: brevi trium horum pontificatuum, Benedicti XI, Clementis V & Joannis XXII, quandiu vixit ceu animam & primum motorem fuisse. Nec ordinis sui oblitus, plura in eum congessit beneficia: domum Prati in patria jam ab anno MCCLXXXIII inchoatam consummavit & perfecit, Avenionensem jam caducam in ampliorem formam extruxit magnificumque & elegans adjunxit peristylium. Unum addo supra omnia prædicandum effusissimæ fuisse in pauperes caritatis, quibus jam omnia sua erogaverat, priusquam diem suum obiret. Vir fuit gravis, integer vitæ morumque sanctiorum, præstantis formæ, qui alloquentes solo aspectu sibi conciliaret. Ex ultima voluntate in æde ordinis Avenionensi ad majoris altaris sinistrum latus sepultus fuit, honorifico ei tum imposito tumulo lapideo figuris Sanctorum marmoreis ornato, addita ejusdem cardinalis statua marmorea, quæ omnia imprudentes posteri ita diruerunt, ut ne vestigium quidem appareat. Epitaphium tamen eidem insculptum servarunt, & referunt Ughellus, Oldoinus & alii, cujus duos tantùm versus annum & diem mortis docentes hîc addo:

Virginis a partu numeratis mille ducentis
Annis bis denis, uno, quartisque kalendis.

Hi versus, inquam, annum docent quo mortuus est a Christo nato MCCCXXI, sed diem non ita clare. Oldoinus indicari putat diem primum aprilis, quasi quartæ Kalendæ intelligendæ sint de quarto anni mense incipiendo annum a januario, quod iis non placebit, qui sciunt tum Avenione annum non ut nunc a januario sed a XXV martii initium duxisse. Sed dubium elevat Soegius noster in anno Dominicano Gallico ad primum maii, ubi asserit se in altero codd. MS Carcassonensium Bernardi Guidonis legisse mortuum die primo martii: adeo ut erratum sit eorum, qui primi epitaphium ex tumulo exscripserunt, & non quartis kalendis legendum, qui loquendi modus nuspiam in usu, sed *martiisque kalendis* pronunciandum. SÆC. XIV.

Ejus meminit Albertinus Mussatus de gestis Henrici VII lib. 5 p. 26 ubi sic habet. » Quibus & « Hostiensis cardinalis magno adjumento erat, in « quo omnis spes eorum qui Gibolengi erant con- « sistebat. Nam & ipse omnium ejusdem factionis « princeps habebatur Tuscorum præcipue. Ipse qui- « dem Pratensis erat pagi juxta Florentiam urbem « plebeio genere magnæ virtutis ac sapientiæ vir « &c «. Ubi quod plebeio genere ortum dicit fortè intelligendum, non ex prima nobilitate, non autem non genere nobili. Certe ejus fratruelem Facium Albertinum Prati comitem Carolo IV imperatori carum ferunt, in quibus Oldoinus. Hæc ab eo scripta relicta recensentur

Tractatus de paradiso.

De comitiorum pontificalium habendorum ratione.

Quibus addenda viderentur

Acta legationum ejus sub Bonifacio VIII, Benedicto XI, Clemente V & Joanne XXII haud dubie in archivis Romanis servata.

F. JACOBUS DE LAUSANA.

F. JACOBUS DE LAUSANA sic a patria urbe celebri ad lacum Lemanum in finibus Allobrogum sita nuncupatus, conventusque nostri ibidem circa MCCXXX erecti, nunc verò hæreticorum furore diruti alumnus, sub seculi XIV initia claruit. † 1321.
Sacras litteras pluribus annis Parisiis in gymnasio Sanjacobeo interpretatus est: sententias publice legere incepit baccalaureus anno MCCCXVI, sequenti verò MCCCXVII circa festum B. Martini fuit licentiatus, ut legitur in catalogo Bernardi Guidonis n. 67 in cod. Tolos. Vir gravis & ad regimen aptissimus Hervæo Natali ex priore provinciali Franciæ ad supremum ordinis clavum evecto in comitiis ordinis Lugduni anno MCCCXVIII habitis, eidem ibidem continuo suffectus est Jacobus, & ad provinciam Franciæ administrandam assumtus. Munus suum diligentissime exequebatur, cùm anno MCCCXXI post habitum de more Bituricis provinciale capitulum circa festum nativitatis B. V. conventum Pontensem in diœcesi tum Malleacensi nunc Rupellensi ex officio visitans, in eodem circa finem anni mortuus est & sepultus. Sic enim habet Laurentius Pignon primo in catalogo priorum provincialium Franciæ sic: *F. Jacobus de Lausana natione Burgundus electus & confirmatus in capitulo generali Lugdunensi prædicto, & obiit in conventu Pontensi*: & immediate subjungit: *F. Hugo de Vaucemain de conventu Antissiodorensi fuit electus Parisius circa purificationem B. V. anno Dni* MCCCXXI stylo nempe veteri, novo MCCCXXII. Postea verò in serie capitulorum id confirmat: *Anno Dni* CCCXXI *capitulum generale fuit Florentiæ, provinciale Bituricis eodem anno. Anno Dni* CCCXXI *mortuus est provincialis, & electus est in provincialem F. Hugo de Vaucemain.* Ex quibus constat Jacobum in provincialis munere obiisse, eosque falli, qui Lausanensi Ecclesiæ antistitem præfuisse volunt. Quem errorem post Joannem de Turrecremata leviter nimis amplexi sunt deinceps fere omnes nomenclatores domestici & extranei, fatentibus tamen peritioribus nullum ei locum inter Lausanenses episcopos inveniri. In novis litterariis Helveticis a Jo. Jac. Scheuchero collectis annorum 1705 & 1706 pag. 27 refertur excerptum epistolæ Abrahami Ruchat de chronico quod parat episcoporum Lausanensium 13 febr. 1705 scribentis & monentis in antecessum, se ex antiquis & sinceris Ecclesiæ Lausanensis documentis probasse, quemdam Jacobum a Caveo episcopum ejus urbis quibusdam visum, (hic certe

SEC. XIV. non alius a nostro Jacobo) esse mere ἀνώνυμον & ὑποβολιμαῖον. Idem Ruchat in libello Gallice edito cui titulus, *Abregé de l'histoire ecclesiastique du païs de Vaud*, Bernæ 1707 in 8° edito, qui catalogus est episcoporum Lausanensium, Petrum d'Oron anno 1313 electum statuit sedem illam tenuisse ad annum 1323, cùm jam a duobus annis Jacobus noster obiisset. Eamdem historiam, sed fusiorem, & innumeris veteribus instrumentis & diplomatibus ditatam brevi se typis daturum rursus spondet. Revera Fontana noster in Theatro ubi de episcopis Lausanensibus ex ordine assumtis hujus Jacobi Franciæ provincialis non meminit.

Laudatur a Leandro fol. 120 b, diciturque vir ingentis scientiæ, ingentisque litteraturæ & sacris apprime litteris politissimus: a Sixto Senensi, divinarum humanarumque rerum cognitione clarus, & ecclesiasticarum declamationum fama clarissimus, sed ab eo non recte ad 1390 revocatur. Allucinatur Lusitanus cùm in duos dividit, alterum Jacobum de Lausania præsulem Lausanensem ad 1317 clarum, alterum Jacobum de Osana episcopum Osananum ad 1314 viventem: nec rectius Fernandez Lusitanum excipiens primum Gallis dat, Italis posteriorem, quod tamen sequuntur Possevinus & Altamura ad 1314 & ad 1334; imo iste tertium adhuc fingit ad 1282 Didacum de Lausania provinciæ Franciæ moderatorem, delusus scilicet ob non intellectum Ferdinandum de Castillo, qui Hispane scribens Jacobum nostrum *Diago* sua lingua reddidit, sed non alium censuit a Jacobo de Lausana anno MCCCXVIII electo Franciæ provinciali, ut reipsa nullus antea hujus nominis fuit. Ratum igitur esto unicum nobis esse Jacobum de Lausana a Joanne de Cruce in sua chronica *de Osana* corrupte nuncupatum, non episcopum, sed sacræ facultatis Parisiensis magistrum, Ecclesiasten sua ætate illustrem, in officio prioris provincialis Franciæ anno MCCCXXI circa decembrem defunctum. Ejus opera sic recensent Laurentius Pignon n. 51 & Ludovicus a Valleoleti n. 62.

1. *Super sententias lecturam Tomasinam.*

Extat etiamnum *in primum* Parisiis apud nostros Sanjacobeos cod. fol. mag. memb. Pr. *Utrum theologia sit scientia. Arguitur quod non, quia scientia est de universalibus &c.* Ad calcem sic legitur: *Explicit primum Jacobi de Lausana.* Alva Sol. Verit. alicubi se vidisse testatur.

2. *Super quinque libros Moysi, item super Proverbia, & multos alios libros Bibliæ.*

Sixtus Senensis hæc a se visa scribit Venetiis ad SS. Jo. & Paulum: *In Pentateuchum, Job, Proverbia, Cantica canticorum, Sapientiam, Ecclesiasticum, Esaiam.*

Paris. in Victor. cod. MS 681 fol. par. memb. Titulus: *Lectura super quosdam libros sacræ scripturæ Fratris Jacobi de Lausana. Super Genesim a fol. 1 ad 21. Super Job ad 31. Super proverbia ad 69 & sequitur in Ecclesiasticum.* Et continenter commendatio sacræ scripturæ. Pr. *Emitte lucem tuam & veritatem tuam &c.* an ejusdem? Certe inter sermones sequentes plures sunt Jacobi nostri.

Ibidem cod. 109 fol. par. memb. sunt plura ejusdem *in utrumque testamentum*, præsertim a fol. 385 ad 495.

Teste Alva Sol. Verit. Rad. 132 col. 1222 extat Ruremondæ in Gelria apud PP. Cruciferos codex MS in 4, cujus titulus: *Lausanensis moralitates super libros sacræ scripturæ a libro Genesis & deinceps super cæteros excepto Ecclesiaste.* Sic desinit opus: *Finis moralitatum Jacobi de Lausana.*

Eodem teste similis codex extat Burdigalæ apud Augustinianos Eremitas.

Augustæ Vindelic. pag. 54 Reiseri n. 17 laudatur *Jacobi de Lausanna compendium moralitatum.*

Parisiis in Sorbon. codex est 1010 fol. mag. memb. & crassioris molis, estque collectio plurium, quorum index initio codicis.

x in ordine est *Commentarius super Matthæum.* Pr. *Novum testamentum est in meo sanguine* 1 *Cor.* 11. *Acquisitio familiarium facit mutare testamentum &c.* implet folia 18. Finis: *Et eamdem pretio sui sanguinis redemit. Explicit lectura magistri Jacobi de Losanna ordinis Fratrum Prædicatorum super Matthæum.*

XI. *Super Joannem.* Pr. *Hic est Joannes evangelista. Joannes interpretatur, in quo gratia &c.* implet folia 13. Finis: *Explicit lectura super Joannem magistri Jacobi de Losanna ord. FF. Præd.*

XII. *Commendatio theologiæ ab eodem facta pro suo principio in aula episcopi, quæ incipit*, Thronus meus. Sic in indice contentorum in codice, quod signum fuisse aliâs, nunc autem abest manu plagiaria abstracta.

Cæterum ille commentarius super Matthæum extat etiam apud Augustinianos ad pontem novum cod. fol. par. membr.

Moralitates in Genesim, in Exodum, in Proverbia, Ecclesiasten, Sapientiam, Ecclesiasticum, Job, Matthæum, Lucam, Joannem, epistolas canonicas, Apocalypsin, Psalmos, Prophetas minores, extant uno codice MS in fol. Claromontii in Arvernia apud nostros.

Prodiit typis hoc titulo *Opus moralitatum præclarissimum F. Jacobi de Lusanna* (corrupte pro *Lausanna*) *ordinis S. Dominici cunctis verbi Dei concionatoribus pro declamandis sermonibus per quam maxime necessarium, aliâs nusquam visum, nunc autem elimatum, studiosissimeque impressioni demandatum, ac in XII tomos segregatum seu divisum*, Lemovicis, Claudii Garnier 1528 in 8. In fine sic legitur:

Moralitatum super Pentateuchum, librum Job, & super quinque libros sapientiales a postillis F. Jacobi de Lusanna ordinis D. Dominici excerptarum, nec non super Esaiam & Apocalypsin &c. impressioni demandatarum finis.

Ex quibus docemur non esse ipsissimum opus nostri Jacobi, sed esse tantùm moralitates quas suis postillis passim inserebat, ex iis excerptas & in commodum concionatorum sic unâ junctas: sed longe plures ex codd. laudatis Victorino & Sorbonico eruerentur.

3. *Sermones de tempore & de Sanctis.*

Prodierunt typis hoc titulo: *Sermones Dominicales & festivales per totum anni circulum per F. Jacobum de Laosana ord. Prædic. declamati, impressioni mandati per quemdam patrem professorem ordinis Minorum*, Parisiis, Ambrosii Girault 1530 in 8. Iterum ibid. Joannis Marnef.

Extant MS passim in bibliothecis. Parif. apud Prædicatores ad S. Honorati. fol. par. memb. ex dono D. Antonii le Waitte abbatis Camberon.

Ibid. apud Augustin. ad pontem novum.

Atrebati apud S. Vedastum.

Brugis apud Cistercienses Dunenses Classe 2 n. 99.

Leodii apud S. Jacobum.

In abbatia Balernensi comitatus Burgundiæ.

Toleti in Ecclesia cathedrali Arca 1 in fol.

Coloniæ apud Cruciferos litt. E n. 10.

Alva Sol. Verit. loco cit. qui plerosque hos codices vidit, addit & plures alios laudari in indice Bunderii fol. 340.

Recensentur etiam in catal. Anglic. T. II P. I nn. 863 & 9664.

Extabant etiam Regii Lepidi apud Eucherium Bonettum ex Possevino.

Cæterum hi sermones videntur potius auditoris ali-

cujus ex ore dicentis reportati, quales plerique ejus ætatis, aut si velis ex auctoris scrinio sic editos, certe non ultima manu donati, quod indicant phrases Gallicæ identidem insertæ: qui tamen ob egregias moralitates quibus sunt referti eo seculo & sequentibus a concionatoribus avidius fuerunt exquisiti. Comparationem unicam carpendam invenit Petrus a Valle-clausa, sed quotusquisque est ex omni parte absolutus. Si in hujusmodi opera quis velit inquirere, quot risu digna inveniet? Videsis Joannis Rho concionis de resurrectione prologum de missa venatorum. Attendendi sunt in his mores cujusque seculi. Quod bona mente dictum, auctori facile condonandum. Si quid displicet, relinquendum, utilia in usum proprium convertenda.

Quidam *F. Jacobus de Lansy* ord. Prædicatorum recensetur in catalogo bibliothecæ Camberonensis in Hannonia ord. Cisterc. apud Sanderum T. I p. 359, ceu qui scripserit

Sermones de tempore & de SS. ibidem servatos.

Sed erratum est Bosquieri qui catalogum illum concinnavit, & *de Lausana* compendio scriptum in *Lansy* convertit. Hic codex jam est apud nostros Paris. ad S. Honorati supra relatus.

4. *Collationes, determinationes, variique tractatus.* Sic Tritemius addens tamen ad suas manus non venisse.

F. NICOLAUS DE ANESIACO.

* 1312. F. NICOLAUS DE ANESIACO sic a patria nuncupatus, oppido scilicet Arverniæ de quo infra fusius, & Claromontii ad ordinem ascitus, Parisiis in gymnasio Sanjacobeo florebat seculo ineunte XIV, gradumque aliquem infra magisterium tamen consecutus est in sacra facultate. Ejus ut videtur, nam eadem ætas, est mentio in histor. univers. Paris. T. IV p. 188, scilicet cùm esset cujusdam testamenti curator institutus, delatus est ceu cui verba quædam imprudenter prolata in dedecus facultatis artium excidissent, sed quæ ab ore suo nunquam prodiisse scripto declaravit. V id. sept. MCCCXXI hoc instrumento, » Coram vobis viris » venerabilibus rectore & procuratoribus nationum » protestatur F. Nicolaus executor defunctæ Agnetis de Gruetus, quod nunquam fuit intentionis » ejus aliquid dicere aut facere, vel etiam attentare contra libertates venerabilis collegii, ac etiam » reverendæ universitatis Parisiensis. Si enim nunquam fuisset scholaris Parisiensis, reverentiam tamen dictæ universitati omnimodam exhiberet. Et si » per errorem quod non credit, aliquid ab ore ejus » emanasset, quod videretur dictæ universitatis libertatibus in aliquo derogare, paratus est ut justum » videbitur revocare «. In eodem instrumento coram notario publico acto vocatur *F. Nicolaus de Amssiaco* ordinis FF. Prædicatorum, sed ut conjicio corrupte pro *de Anessiaco* ex difficili antiqui hujus pergameni lectione. Sed sive ille idem sit, sive alius, virum gravem, studio deditum & eruditum probat opus ab eo editum & ms in membr. fol. cod. 488 in Victor. servatum, & a me visum, cujus hic prologus:

Incipit tabula Fratris Nicolai de Anesiaco ordinis Fratrum Prædicatorum super decretales.

» Sicut spiritualia & temporalia differunt, *Ex. » tra. De renunciat. c. Inter corporalia*, sic jus ca» nonicum & civile: quia canonicum ad regimen » spiritualium, civile ad temporalium regimen or» dinatur. Et ideo rectores populi in spiritualibus, » sicut prælati præcipiendo, doctores in docendo, » prædicatores exhortando, confessores consulen» do, non debent jus canonicum penitus ignorare: » ne si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadant, Matt. 15. Requiritur ergo de ne- « SEC. XIV. cessitate, ut saltem in quodam grosso de ipso ha- « beant notitiam aliqualem. Ut ergo compendiose de « qualibet materia in decretalibus contenta possit « summatim substantia faciliter inveniri, secundùm « ordinem alphabeti est hæc tabula ordinata &c «. Quem prologum sic tandem finit: *Et tanquam gratus ora pro Fratre N. de Anesiaco de ordine FF. Prædicatorum, qui non solùm pro se, sed pro multis in hoc opere laboravit adjuvante Deo &c.* Princ. tabulæ: *Abbates tenentur respondere pro conventibus suis &c.*

Hæc prima tabula sex solum priores decretalium libros complectitur, sed mox sequitur altera specialis in septimum. Pr. *Incipit tabula super septimum de summa Trinitate & fide catholica. Abbatissa si debeant benedici, & negligant infra annum a confirmationis tempore benedictionem accipere, deponuntur &c.*

Finis: *Explicit tabula super septimum.* Grandiori verò charactere Gothico: *Frater N. de Anesiaco ordinis Fratrum Prædicatorum anno Domini* MCCCXIX. Folia LXIII complectitur opus.

Hujus auctoris meminit Simlerus, sed corrupte nomen ejus scribit, & silet ordinis Prædicatorum fuisse. Sic enim habet: *Nicolai de Avessiaco tabula secundùm ordinem alphabeti in decretales Clementinas.*

Anesiacum oppidum est in Arvernia tribus milliaribus Gallicis a Claromontio dissitum, in quo collegium canonicorum sec. XII fundatum. In historia domus Arverniæ Gallice scripta & a Clar. Baluzio edita T. II p. 124 profertur testamentum Roberti de Montgâcon, qui uxorem habuit Beatricem filiam Imberti *de Beaujeu* actum anno MCCLV die lunæ post octavam pentecostes, hoc est XXIV maii, nam lit. Dom. erat C, & pascha fuit XXVIII martii. Hujus autem testamenti Robertus curatorem instituit germanum suum Aimericum decanum *Aneziaci*. Hoc est visum annotandum, quia quod sec. XIII & XIV dicebant Anesiacum vel Aneziacum dicunt jam Eneziacum, quod unico milliari Gallico distat a castro dicto *Montgâcon*.

F. JORDANUS.

F. JORDANUS absque agnomine sed congregationis ex ordine pro fide propaganda in terris infidelium Peregrinantium dictæ ardentissimus in Oriente missionarius, sedente Avenione Joanne XXII claruit, & epistolam tum de martyrio quatuor Fratrum Minorum, tum de suis in ea regione pro Christo gestis scripsit. Hanc ut legitur in cod. ms Colbert. 5496 memb. ejus ætatis hîc visum est exscribere additis in margine variis lectionibus Wadinghi, qui alteram quoad initium similem refert in Annal. ad 1321 n. 13. Extat autem dicti cod. Colbert. fol. 182 ut sequitur: * 1321.

Epistola Fratris Jordani de martyrio Fratrum.

.. » Reverendis in Christo Patribus & Fratribus « Prædicatoribus & Minoribus .... Taurisio : ... « [A] Tongano & [B] Maroga commorantibus, Frater « Jordanus de ordine Prædicatorum, omnium mi- « nimus seipsum & pro salute cum lacrymis oscula « pedum beatorum. Noverit vestrum omnium pa- « ternitas veneranda me solum sine socio in India « pauperculum peregrinum: ubi post passionem « Sanctorum videlicet quatuor Fratrum Minorum, « Thomæ, Jacobi gloriosi, Petri & Demetrii mar- « tyrum beatorum meis peccatis exigentibus vivere « sum permissus. Sit ipse Dominus qui omnia dis- « ponit optime, prout vult & quando per omnia « benedictus. Ibidem post felix martyrium beatorum, « quod quinta feria ante Ramos-palmarum dicto- «

[A] Diagorgano. [B] Merga.

Sec. XIV.

c Indiæ.

D Parroth.

E & adhuc baptizare non cesso, quia postmodum plusquā xx baptizavi.

F Huc usque illa altera epistola apud Wadingum: sequentia alia.

E Columbus.

» rum Fratrum Minorum fuit in Thana[c] die (sic) » ab eodem loco per decem dietas in contrada quadam, quæ [D] Parocço dicitur, nonaginta fere personas baptizavi, [E] & adhuc baptizabo concedente Domino plusquam viginti : & inter Thanam & » Superam baptizavi triginta quinque. Laus Christo » Domino creatori omnium.

» Si haberem socium, remanerem per aliquod » tempus, nunc autem præparabo Ecclesiam Fratribus venturis, & dimittam meam & martyrum robbam & libros universos. [F] Veniam tum propter » Sanctorum supradictorum Fratrum canonizationem, tum propter fidei negotia & alia satis ardua » & difficilia. Lator poterit omnia quæ scribere nequeo præ temporis brevitate exponere. De fructu » breviter scribo, quod magnus esset & animaret. » Parent se Fratres ad veniendum, quia loca sunt » tria, ubi Fratres multum fructificare poterunt & » communiter vivere, quæ ego scio : & unus est » Supera, ubi duo Fratres poterunt stare, & alter » est in contrada de *Parrocço*, ubi duo vel tres manere poterunt, & alter [E] *Columbus*, exceptis multis aliis quæ ignoro. Verùm a nostris mercatoribus Latinis intellexi, quod via Æthiopiæ est aperta : qui vellet ibi ire ad prædicandum, ubi quondam sanctus Matthæus evangelista prædicavit. » Non tamen me permittat Dominus mori, donec » in illis partibus fidelis esse valeam peregrinus, » quod est totale mihi cordi. Valete ut opto & orate pro me, & omnibus fidelibus commendate «. *Datum in Caga die* XII *octob. anno Dñi* MCCCXXI.

Ante epistolam mox relatam est alia F. Bartholomæi custodis Thaurisii ordinis Minorum ad F. Galeranum ejusdem ordinis ministri vicarium generalem, qui ad calcem sic loquitur :

» Vicarius verò Fratrum Prædicatorum F. Nicolaus Romanus videns litteram sui Fratris (nempe Jordani) testimonium perhibentis, iter arripuit, & versus Indiam properavit. Valete in Domino & orate pro me «. *Data Thaurisii in crastino ascensionis Domini.*

Codex ex quo hanc epistolam damus titulum habet : *Incipit liber de ætatibus & generationibus procedentibus a primo homine, & de principiis regnorum & regum veteris testamenti, & præcipue de regibus Israel & Juda.* Post 4 foliola est alius titulus.

» In isto libro annotatæ sunt sub brevitate historiæ plurimæ veteris testamenti de Hebræis, Judæis, Gentilibus, Paganis Orientalibus, Occidentalibus & Italicis & Romanis, & præcipue de bellis & victoriis Romanorum consulum, regum & » imperatorum & senatorum in tribus principatibus » mundi, quæ gestæ fuerunt in Asia, Aphrica & Europa. Postea de novo testamento historiæ de ortu & » profectu religionis Christianæ & Sanctæ Ecclesiæ, » & conversione Romani imperii ad Dominum Jesum » Christum & pontificum Romanorum & imperatorum perductæ usque ad annos Dñi MCCCXXXI «.

Hoc chronicon Wadingus opus esse B. M. F. Odorici de Forojulio censet, quod mihi non ita probatur : nam post supra relata de quatuor FF. Minorum martyrio subjungit auctor fol. 184 : *Sanctus Frater Odoricus passionem Sanctorum quatuor Fratrum Minorum sic descripsit.* Et hæc relatio Odorici ibidem sequitur, quod indicat cætera ejus non esse. Tamen auctorem Franciscanum facile annuo, multa enim eaque præclara & singularia de hujus ordinis viris habet maxime ad finem.

Epistolam alteram Jordani hujus refert Wadingus Annal. T. III p. 255 cujus initium fere idem est ac jam relatæ, sed post XII lineas omnino diversam & productiorem : nam gravia imo gravissima, quæ a morte SS. Minorum ipse passus est fusius narrat. Hæc autem dicitur : *Data in Thana India in civitate ubi Sancti mei socii* (scilicet IV Minores) *martyrizati sunt, anno Dñi* MCCCXXIII *mense januario in festo SS. martyrum Fabiani & Sebastiani.* Quæ data stylo ejus seculi indicat stylo novo annum MCCCXXIV. Mirum autem quod in hac altera annos duos & tres menses solidos post priorem scripta, adhuc se solum sine socio dicat, præsertim cùm post priorem XII octob. MCCCXXI scriptam, mox ut Taurisii recepta est, statim F. Nicolaus Romanus nostrorum in Asia vicarius & superior ad eum accurrerit, nisi fortè hic in itinere obierit, vel ad eum pervenire ab infidelibus prohibitus fuerit.

Non omittendum quod in cit. cod. Colbert. immediate post epistolam priorem Jordani relatam subjicitur: » Et cùm fama hæc devota SS. Fratrum martyrum ab Oriente in Occidentem transmissa personaret, ubique corda Fratrum & fidelium devotione replevit, & in fervore Sancti Spiritus renovavit, & in sancta Romana Ecclesia nunciata a Fratribus, & D. Joanni papæ, ipse summus pontifex lacrymas devotionis effudit : & cùm rogaretur D. papa, ut istos Fratres martyres sanctos canonizaret, D. papa præventus a Fratribus aliorum ordinum, qui Fratres suos aliquos viros Dei conservos offerebant D. papæ ad canonizandum, supersedit tunc papa in negotio super his maturius deliberandum «. Ubi aliam plane hujus prorogationis causam affert hic scriptor æqualis, quam quæ ab Wadingo affertur loc. cit.

De Jordano agit Antonius Bibl. vet. Hisp. p. 268 ubi sic habet. » Jordanus Dominicanus (Lusitanum atque Eborensem fuisse Lusitani credunt) scripsit certamen gloriosum in Oriente fratrum Thomæ de Tolentino, Jacobi de Padua, Demetrii de Tifolio, ac Petri Senensis martyrum Franciscanorum anno MCCCXXI, martyr & ipse postea, de quo Georgius Cardosius agit T. II Hagiologii Lusitani fol. 307 in commentario «. Hactenus ille. Ut ut sit de patria Jordani sive Lusitanus, sive Italus sit, nota Antonium & Cardosium ad eumdem annum MCCCXXI quatuor Minorum martyrium referre, quo in cod. Colbert. ponitur. Hoc verò dato cùm esset lit. Dom. D. & pascha XIX april. dies martyrii ab Wadingo V idus april. recte collocatur : editores tamen Actorum SS. codd. MS se habere asserunt, quibus KAL. ipsis april. ponitur, unde nonnisi anno MCCCXXII, quo lit. Dom. fuit C, & pascha april. XI evenisse putant. Quæstio igitur erit utris fides potius habenda, an codicibus editorum, an epistolæ Jordani testis præsentis annum MCCCXXI in tot codd. Hispanis, Italis, Gallis ferenti?

F. FRANCISCUS DE PISIS.

F. FRANCISCUS DE PISIS Etruscus a patria sic nuncupatus a superius laudato Jordano visus est non disjungendus, cùm ejus in India Orientali sodalis fuerit conjunctissimus & ipse evangelii præco ardentissimus. Videtur autem acceptis & lectis dicti Jordani epistolis vel anno MCCCXXIII vel sequenti, quibus se solum Tanæ in India versari querebatur, Franciscus jam in Asia & fortè in Persia agens ad eum accurrisse, ac in ministerio verbi strenuum se illi adjutorem præstitisse. Scripsit & ille ad ordinis sodales 1321

Epistolam de martyrio IV *FF. Minorum, & de ministerio illis in vita ac post mortem a F. Jordano præstito.* Pr. *Quoniam ut magnus ille dixit Raphael ad Tobiam, sacramentum regis abscondere bonum est &c.*

Hanc laudat Wadingus Annal. T. III ad 1321 n. 1 & seqq. & ejus prologo incipit narrationem de martyrio dictorum IV. Notanda autem sunt quæ

Franciscus habet de Jordano, nimitum studio fidei propagandæ ardentem cum IV dictis Franciscanis a Taurisio versus Cathag iter direxisse: nave conscensa ut irent Polumbum (*Columbum* potius) mari tempestuoso in Thanam deportatos fuisse. Apud Nestorianos illic hospitio recepti sunt, a quibus persuasus est Jordanus qui linguæ Persicæ cæteris peritior erat, ut relictis sociis in urbem Paroch vel Paroco se conferret, ibi animarum fructum plurimum facturus. Acquievit consilio, navem ascendit, Superam appulit, ubi intra XV dies quibus catechizavit, nonaginta ad fidem adduxit & baptizavit. Dum in urbem Paroco ulterius ire parat, & jam in littore stat navem conscensurus, hæc nullis fluctibus acta in altum recedit. Divinitus id factum interpretatus Superam redit, & IV Franciscanis, nesciens jam martyrio præreptos, epistolam scribit feria sexta ante Ramospalmarum. Nocte sequenti a nuncio monitus IV Franciscanos carceri addictos, Thanam continuo revertitur eo fine ut pro illis lingua quam egregie callebat, Persica judici responderet: sed ubi advenit, jam interemtos & seriem actorum didicit. Quatuor martyrum corpora adjuvante quodam juvene Genuensi secum Superam asportavit, & in Ecclesia eo quo potuit honore recondit. Quæ omnia fusius refert Franciscus in sua epistola, de his haud dubie & a Jordano, & a Christianis ejus regionis edoctus. Narrat etiam qui dictus Jordanus postquam pluribus annis in illis regionibus prædicasset, Soldaniam vel quæ ad lacum Mæotidem quæ ditionis erat Tartarorum, vel ad alteram Soldoniam sic ab Odorico de Forojulio dictam quæ in regno Persarum se contulerit, & in Ecclesia nostra, nam ibi ædem habebamus, partem maxillæ unius dictorum martyrum scilicet F. Demetrii conversi colendam exposuerit.

F. DOMINICUS SCEVOLINUS.

† 1322. F. DOMINICUS SCEVOLINUS Italus Fabriani in Piceno seu Marchia Anconitana ditionis pontificiæ oppido ad Apennini radices sito ortus & ibidem ordinem amplexus & professus seculo XIV jam adulto claruit scripsitque

Commentarios de rebus Fabrianensibus ad sua usque tempora.

Laudatur ab Wadingo Annal. T. II ad annum 1251 n. 31 inter eos qui de B. Francisco Fabrianensi ord. Minor. eo anno nato scripserunt quartus, ex ejusque commentariis Fabrianensibus plura referuntur, quæ editores Actorum SS. T. III april. ad diem XXII ubi de eo Beato, suis annotatis inseruerunt: & cùm in iis mentio fiat eventuum anni MCCCXXII, eo etiamnum anno Scevolinum floruisse constare debet, & ultra. Non omittendum in eo Scevolini chronico piam quamdam fœminam laudari, quæ rosarium suum ad corpus dicti B. Francisci admovit, quod argumento est anno MCCCXXII quo ille mortuus est, rosaria passim fuisse in usu. Commentarios illos præ manibus habuisse Wadingum certum est, ubi autem jam serventur, an in Vaticano, an in æde Aracœli dicta, an in archivis Fabriani gentilium erit inquirere, mihi satis est scriptorem a nostris nomenclatoribus omissum e tenebris eruisse.

F. HUGO DE PRATO.

† 1322. F. HUGO DE PRATO sic ab origine & quamdiu vixit tantum dictus, his verò posterioribus seculis *de Pratoflorido* vulgo nuncupatus, Etruscus fuit, & Florentiæ in S. Maria Novella ordini nomen dedit, de quo sic Leander fol. 144 a: » Ecce video Hugonem ex Vinacensi familia satum, oppidi præclarissimi Prati Etruriæ, qui fuit vir maxima eloquentia præditus. Quare maximus vir est habitus sacri verbi concionator. Porro ab ejus ore omnes auditores veluti a quodam oraculo de cœlo misso pendebant, sicque pendebant, ut ab eo quantumcunque in longum sermo protraheretur, nequaquam tædio audientibus erat. Quod orationis ejus dulcedinem præ se fert & ostendit. Neapoli aliquando tam excellenter & omnium cum favore professus est, ut nola majori templi cathedralis ad convocandum non solum scholasticos, doctores, & sacrarum litterarum interpretes, sed etiam promiscui generis laicos signum daretur. Quippe ad eum audiendum omnes ejus verbis allecti confluebant. Fuit in conversatione hilaris, in rebus agendis providus & solers, & in confessionibus utilis. Multam operam cum Nicolao Pratense cardinale in cœnobio Pratensi extruendo contulit, ubi anno ætatis suæ LX & ex quo Prædicatoriam togam sumserat XLVI prid. non. decemb. anno MCCCXXII cum ingenti devotione & humilitate spiritum efflavit, & sepultus in ingressu capituli cum magno honore, ut pote quod in ejus funere viri religiosi diversorum ordinum cum patriarcha Aquileiensi, qui ejus sepeliendi curam susceperat, & immensa tam primariorum, quam popularium multitudine interfuere. Sermones egregios & perutiles tam de tempore quam de sanctis ab se editos post se dimisit. Hactenus Leander «. Qui quidem sermones quamvis aliquam ejus ævi simplicitatem oleant, etiam hujus politioris delicatiorisque seculi non displicent auribus, avideque leguntur & conquiruntur a celeberrimis verbi Dei præconibus ob eximiam methodum rationumque pondus. Unde & variis locis & formis typis prodierunt hoc titulo:

Sermones Dominicales super evangelia & epistolas per totum annum.

Abest locus editionis, at conjicio Lovanii, Joan. de Westphalia 1484 fol. Extat hæc editio apud nostros Cadomenses.

Sermones de sanctis, Heidelbergæ 1485 fol.

Utrique simul Lugduni 1511 in 4 Tom. duob. Ibid. Antonii du Ry 1528 in 8 Tom. duob. Paris. Oudini Petit 1542 in 8 Tom. trib. quæ editio in Regia D. 3758. Antverpiæ, Belleri 1617 in 8 Tomis IV. Editio elegantior.

Sermones quadragesimales, Venetiis 1578. Rursus apud Joan. Variscum 1584 in 8.

CODICES MS.

Augustæ Vindelic. pag. 89 Eginheri nn. 36 & 37 recensentur codices MS duo in fol. nempe nostri *Hugonis sermones Dominicales de evangeliis & epistolis per annum.* Et p. 107 n. 15 *sermones de Trinitate, & de S. Laurentio.*

Florentiæ ad S. Marci Arm. II n. 156 *sermones communes F. Hugonis de Prato: Ejusdem sermones de sanctis & de gratia. Ejusdem de octo vitiis.* Isti de vitiis & illi de gratia typis nondum prodierunt.

Nota auctorem in prologo sermonum de tempore sic de se loqui: *Ego oriundus de Prato de florido Prædicatorum ordine minimus &c.* Hæc duo vocabula hîc disjuncta posteri adunarunt, & agnomen illi concinnarunt *de Pratoflorido*, quamvis non ad ejus mentem.

F. PEREGRINUS.

F. PEREGRINUS Polonus ex ducatu Silesiæ ortus & domus Wratislaviensis alumnus, vir gravis & eruditus, pluribus apud suos regiminis dignitatibus functus est, nam conventus Wratislaviensem dictum & Ratiboriensem prior rexit, tum anno MCCCV Poloniæ electus est prior provincialis, * 1324.

Sæc. XIV. eoque titulò comitiis ordinis anno MCCCXII Carcassonæ affuit, & in electione magistri ordinis Berengarii de Landorra votum tulit, ut habetur in actis: quandiu autem postea in officio prorogatus fuerit, quid certi non invenio. Nulla in actis capitulorum generalium legitur provincialis Poloniæ amotio ante annum MCCCXXII, sed cùm Severinus Cracoviensis in suo provincialium elencho scribat Peregrinum instantissimis a magistro ordinis obtinuisse precibus ab eo munere liberari, an illo anno MCCCXXII in capitulo generali apud Viennam Austriæ quod fuit provincialium id factum sit, an jam antea, ex solis ejus provinciæ archivis eruendum est. Ejus meminit Starovolscius in Ἑκάτοντα Elogio LXXV quod est Bernardi Paxilli etiam nostri, additque quod & habet citatus Severinus reliquisse

Sermones elegantes & pietatem redolentes de tempore & de sanctis per annum.

F. GUILLELMUS DE TOCCO.

1323. F. GUILLELMUS DE TOCCO vel *Thoco* non ut quidam corrupte scribunt *de Zocco* e regno Siciliæ ortus S. Thomæ de Aquino dum hîc Neapoli doceret fuit auditor, uti de se testatur ipse in actis inquisitionis pro dicti Aquinatis apotheosi obtinenda T. I martii p. 705 inter Acta SS. editis, ut & postea sancti præceptoris sui præcipuus canonizationis promotor. Et quidem a vicario generali magistri ordinis F. Roberto de S. Valentino de quo supra, provinciæque Regni Siciliæ diffinitoribus Caietæ comitia habentibus delegatus fuit ipse tum prior Beneventanus, unâque cum eo F. Robertus ejusdem conventus lector, qui ejusdem provinciæ nomine & ordinis apud summum pontificem Avenione agentem pro sancti doctoris canonizatione instarent: narratque ipse in Actis SS. citatis cap. 13 n. 80, quî in mari cum sociis ad invocationem ejusdem Aquinatis evaserit præsentissimum ad Argentarium montem sive Portum Herculis naufragii periculum, cùm inquisitionis jam factæ processum & acta deferret ad Joannem XXII: apud quem sic efficaciter egit, satagentibus faventibusque maxime tribus ex ordine cardinalibus F. Nicolao de Prato episcopo Ostiensi sacri senatus decano, F. Guillelmo Petri de Godino episcopo Sabinensi, & F. Nicolao de Freauvilla tit. S. Eusebii presbytero, ut summus pontifex in consistorio angelici doctoris apotheosin ineundam & promovendam ultro proposuerit & statuerit, datis in id ad archiepiscopum Neapolitanum Umbertum, episcopumque Viterbiensem Angelum, ac Pandulphum de Sabello notarium suum apostolicis litteris Avenioni idib. sept. anno III, quas & instante Guillelmo nostro sequenti mense julio XXI die MCCCXIX executioni mandarunt. Cùm autem plura fuissent hac inquisitione priori prætermissa S. Thomæ patrata meritis & intercessione miracula, pluriumque subinde patratorum notitia claruisset, Guillelmus noster iterum ad pontificem accessit, litterasque apostolicas Avenioni Kal. junii, pontif. anno V, Christi MCCCXXI ad Petrum Anagniæ & Andream Terracinæ episcopos, Pandulphumque de Sabello suprarelatis ejusdem litteris antea deputatum obtinuit ad ulteriorem miraculorum inquisitionem instituendam, quam urgente eodem Guillelmo die martis X novemb. ejusdem anni in Fossænovæ Cisterciensium asceterio constituti susceperunt, & die jovis XXVI ejusdem mensis & anni compleverunt. Quod tandem canonizationis negotium ad optatum exitum anno MCCCXXIII julii XVIII deductum est curis & sudoribus potissimum præfati Guillelmi: de cujus vita gestisque processus uterque Joannis XXII jussu institutus Neapoli MCCCXIX & Fossænovæ MCCCXXI videndus, plura quippe de eo tum ipse tum alii narrant auditi testes ex occasione. Ex quibus facile conjicias eum virum fuisse non religione modo & eruditione, sed & prudentia & rerum agendarum peritia commendatissimum. Cùm autem adhuc anno MCCCXXIII exeunte superstitem fuisse constet, & in primo processu inquisitionis cap. 7 n. 58 se sanctum doctorem audivisse testetur docentem & concionantem, etsi tum juvenem statuamus XXV aut XXX annorum, ætatis LXX aut LXX attigisse oportet, cùm SS. albo inscriptus est Thomas, ac proinde non diutius ultra vixisse, licèt quo die vel anno locove sileant omnes.

Cujus originis ille fuerit, ex iis quæ gentilis ejus Cæsar d'Engennius Caracciolus nobilis Parthenopæus I. P. Neapolis sacræ p. 23 sincere notavit & accurate, facile colliges. Plura quippe profert Toccorum sive familiæ Tocci monumenta atque decora. Guillelmi quippe meminit a nostro distincti quamvis æqualis *de Tocco* magistri Cambellani principis Tarenti die XXII septemb. MCCCXXXV defuncti, & Nicolai de Tocco abbatis hujus Guillelmi filii, qui die XVII april. MCCCXLVII obiit, tum & Ludovici de Tocco junioris Roberti imperatoris C. P. Achaiæ Tarentique principis Senescalli, qui die XXI decemb. MCCCLX obiit: alteriusque Petri ibidem in gentilitio Toecorum sacello & tumulo sepulti cum hac inscriptione: *Magnifico Petro de Tocco de Neapoli militi comiti Martinæ* MCCCLXX. Cujus familiæ stemma descripsit Ughellus T. I. Ital. Sac. col. 281 Append. ad Bartholomæum de Tocco Neapolitanum episcopum XLIII Valvensem & Sulmonensem anno MCCCCII electum & anno MCCCCXIX Sulmoni sepultum, scilicet *Baltea tria coccinea in aurea parma.* Sed famosas avorum imagines & Toccorum decora gentilitia scrutentur avidiores apud Franciscum de Petris in Hist. genealog. Toccorum Neapoli 1634 edita, & apud Carolum de Lellis de familiis Neapolitanis ibid. 1654, & apud Scipionem Amiratum de iisdem P. I Florentiæ 1580 fol. ubi p. 10 sic habet: *Veggonsi in questo tempo adoperati quelli di Tocco, la cui fortuna fù poi maggior nella Grecia, che nel regno di Napoli*: quibus addimus Philadelphum Mugnos *Teatro genealogico di Sicilia* Panormi 1655 fol. Ex quibus Guillelmi nostri non solum generis claritatem ambire liceat, sed & Theodorum a Valle emendare, qui eum patria Beneventanum ex eo fortè voluit, quod Beneventani conventus prior in actis inquisitionis vitæ & miraculorum S. Thomæ dicatur, cùm Neapolitanum origine & professione longe verisimilius videatur. Ab eo scripta est

Vita S. Thomæ de Aquino ordinis Prædicatorum.

Ex cod. MS prodiit primum Venetiis 1588 in 4. Eamdem ex cod MS Coloniæ apud Crucigeros servata ad diem VII martii intulerunt Editores Actorum SS. Malvenda in Annal. ad 1237 p. 594 testatur exemplum MS membraneum vetustum se præ manibus habuisse.

Italice versa per Joan. Bapt. de Lectis prodierat aliàs Firmi 1577 in 8, quæ editio ut & Latina Veneta laudata anni 1588 extant Romæ in Barber.

Tribui illi possunt ceu eo instante & urgente facti duo processus inquisitionis vitæ & miraculorum B. Thomæ de Aquino: primus anno MCCCXIX editus in Actis SS. T. I martii p. 686, sed in multis corruptus, & etiam mutilus: habetur verò integer & emendatior Parif. in Colbert. cod. MS 1523. Alter anni MCCCXXI extat in ead. Colbert. cod. 1524.

B. AUGUSTINUS

B. AUGUSTINUS GAZOTHUS.

† 1323. B. Augustinus Gazothus e patritia Gazotheorum gente, quæ Cassiotha jam dicitur & etiamnum floret, Tragurii Dalmatiæ civitate nobilissima, patre Nicolao magnæ probitatis viro & senatore, matre Dragoslava Sicensium primaria illustrique Dragœviorum familia sata, circa annum MCCLX natus est sub Bela IV Hungariæ rege, cui & tum Dalmatia parebat. Ordinem a pueritia amplexum testatur officium paucis ab obitu ejus annis concedente Joanne XXII in Ecclesia Lucerina in ejus honorem decantatum. In additamento ad marginem codicis Carcassonensis Bernardi Guidonis de eo sic legi refert Soegius noster: *Oriundus de Traguria civitate quæ est in Dalmatia in lingua Slavonica, intravit ordinem anno* MCCLXXVII *vel* MCCLXXVIII. Qua autem in domo etsi nullus referat, ex more ea ætate in ordine servato, Spalatensis quæ ejus patriæ proximior, alumnum facile crediderim. S. Thomæ auditorem fuisse quidam comminiscuntur, quod ex anno quo nomen dedit ordini omnino evertitur. Parisios missum studiorum causa anno MCCLXXXVI narrat Pius, & verisimillimum: id enim vulgare, præsertim de moratioribus provinciarum externarum, & de quibus major spes affulgebat, qualis erat. Egregium etiam Ecclesiastem evasisse ferunt, & in variis Italiæ & Regni Siciliæ civitatibus cum plausu & fructu auditum: rebus itidem agendis strenuissimum, hinc Nicolaus cardinalis de Tarvisio antea magister ordinis IX a Bonifacio VIII legatus de latere in Hungariam missus Caroli Roberti jura super regni coronam curaturus, ejus opera quam solertem noverat ad conciliandos procerum animos usus est: idemque paulo post summus pontifex electus & Benedictus XI dictus, eumdem ad Zagabriensem in Croatia Ecclesiam promovit anno MCCCIV. In ea autem dignitate constitutum Gentilis ordinis Minorum cardinalis a Clemente V ad Hungaros legatus socium sibi adjunxit, ejusque ad proceres oratione gravissima suavissimaque tum obtinuit, quod in priore de qua mox legatione infectum remanserat, ut communi sententia Carolus Robertus rex agnosceretur. Ad concilium Viennense exinde cum eodem legato accessisse aiunt, Zagabriam autem postea reversum, dum Ecclesiæ suæ jura vindicare studet, magnates quosdam offendisse, adeo ut Hungaro rege postulante ut alibi collocaretur, sic enim narrat Michas Madius, Neapolitano rege Roberto contra ut sibi concederetur instante, ad Lucerinam Paganorum Ecclesiam a Joanne XXII anno MCCCXVII translatus fuerit. Hac verò sex annis piissime administrata, & ex Saracenica fere tota in Christianam plane conversa sanctissimam cœlo reddidit animam. De cujus obitu sic legitur in citato supra Carcasson. codice MS: » Obiit tertia die mensis augusti in festo inventionis S. Stephani, fuitque sepultus [A] in vigilia S. Dominici in conventu FF. Prædicatorum in Luceria anno Dñi MCCCXXIII, ubi miraculis cœpit ejus sanctitas declarari, cùm corpus ejus niveo candore refulgens apparuit, & odorem suavissimum ex seipso dedit: & clerici cathedralis ecclesiæ, qui corpus ejus auferre Fratribus & secum afferre conabantur, aurisia & cæcitate percussi repulsi sunt «. Hactenus codex Carcasson. a Soegio lectus. Quæ manu æquali scripta docent Augustinum non septuagenario majorem, ut scribit Tomcus episcopus Bossinensis in ejus vita apud Sigismundum Ferrarium in historia provinciæ Hungariæ edita, sed sexagenarium circiter aut paulo plus obiisse Carolus dux Calabriæ Roberti Siciliæ regis filius, ejusque in Apulia vices agens a Joanne XXII petiit literis Neapoli XX octob. MCCCXXV ind. IX datis, ut de ejus sanctitate in ordine ad solemnem inaugurationem inquireretur, quas litteras edidit citatus Tomcus ex archivo regio Neapol. Cætera videsis apud Hagiologos nostros. Cod. Colbert. 2104 hæc de eo refert Anonymus ordinis scriptor ejus ætate vivens in collectione exemplorum: » Respondit B. Augustinus nostri ordinis episcopus Gaçabriensis (sic) Fratribus dicentibus, ut rogaret quemdam baronem, ut eis daret tantam pecuniæ quantitatem, quam sibi legaverat talis dominus, putantes quod daret propter reverentiam ampliorem quam ad ipsum habebat, non enim per duos annos eis solverat «: *Pater meus* (scilicet S. Dominicus) *mihi reliquit in testamento, ut possessiones temporales non haberem, & pater illius* (nempe baronis) *a quo petebant, reliquit ut haberem. Prius volo & obligor servare jura testamenti patris mei quam sui.* Et petere noluit. A Tomco citato hæ referuntur Augustini orationes:

A (die crastina.)

I. *Zagabriæ habita ad Clerum suum cùm eam inivit Ecclesiam.*

II. *In comitiis regni Hungariæ in campo Rackos ad Danubii ripas de rege Carolo Roberto agnoscendo.*

An illæ ipsæ sint ab Augustino pronunciatæ, an a Tomco loco verarum deperditarum confictæ, ut historicis solemne, nostrum non est decernere. Optandum erat ut Tomcus omnium quæ in vita Augustini eleganter scripta narrat, suos laudasset auctores.

F. PAGANUS DE BERGOMO.

F. Paganus de Bergomo a quibusdam duplex distinguitur, martyr unus, alter scriptor: ab aliis uterque confunditur, unusque & idem censetur. Huic liti dirimendæ cùm sat lucis hactenus non affulgeat, quid de ambobus ferant, qui distinguunt, simpliciter narro, lectoris judicio omnia permittens. *

Paganus martyr Leuci quod castrum erat ditionis Bergomatum idque munitissimum natus, Bergomi e manibus B. Dominici vestem ordinis induisse dicitur. E quinquaginta septem annis quibus apud suos sodales vixit, quadraginta lectoris munere variis in locis functum asserunt, dum interea verbo Dei instaret ardentius. Hæc probant scriptorem esse potuisse. In Longobardia inquisitor institutus, uti aliàs idem officium S. Petrus martyr obierat, eamdem etiam martyrii lauream promeruit, de quo sic apud Salanhacum legitur: » Anno MCCLXXVII in natali S. Stephani protomartyris occisus est F. Paganus inquisitor in Lombardia de conventu Cumano, instigante quodam nobili Conrado de Venusta, qui multis vulneribus confossus, tandem exemplo Salvatoris in latere lancea perforatus est tenens semper manus super pectus ad modum crucis. Passi sunt cum eo duo laici notarii. F. Christophorus socius ejus fuit graviter vulneratus. « Quod dicitur *de conventu Cumano*, ibi ratione officii censoris fidei sedem fixisse intelligas. Anno sequenti MCCLXXVIII in actis cap. gen. Mediolani habiti sic de eo statutum est: *Item volumus & mandamus quod Fratres in suis prædicationibus F. Pagani martyrium populis studeant nunciare, & tam ipsius quam aliorum miracula conscribantur.* Hunc & scriptorem fuisse putavit Bandellus, eumque citat cap. 23 in sermone de B. Virgine. Excipit Calvus *Scena letteraria de' Scrittori Bergamaschi.* 1277.

Paganus scriptor alter censetur a Leandro fol. 136 b, & dicitur ad annum MCCCXXIII claruisse. Lusitanus idem habet ex Taegio I. P. Mon. ord. & 1323.

SAEC. XIV. Alberto Veneto. Astipulatur Castillus P. II lib. I cap. 49. Altamura verò refert ad 1335, & Rovetta ad 1319. Ut ut sit scriptorem hujus nominis apud nos floruisse constat, cùm istis omnibus centum annis antiquior Laurentius Pignon eum laudaverit n. 50 his verbis: *F. Paganus scripsit*

Postillas super Pentateuchum, super Josue, Judicum librum, super Paralipomenon, Esdram, Nehemiam, Tobiam, Job, Ecclesiasten, Parabolas, Cantica, Sapientiam, Ecclesiasticum, Psalterium, IV prophetas majores, super evangelia, & epistolas Pauli. Sic ille.

Leander addit *super Ruth, libros Regum & Apocalypsin.*

Lusitanus *super XII prophetas minores.*

Summam contra hereticos.

Librum de Adventu.

Sermones de tempore & de sanctis & plura alia.

Sed & testatur Postillam in Cantica canticorum haberi Venetiis apud SS. Jo. & Paul. Hujus Postillæ in cantica solius meminere Sixtus Senensis & Razzius, cujus principium dicunt hoc esse: *Sponsus & sponsa dicunt*, Veni. Hanc nisi jam perierat, omisit Tomasinus in suis Bibliot. Venetis.

De hoc auctore gravem nobis dicam impingit Alva in suo *Pleytos de' los libros* p. 339 contendens Lusitanum tot Pagani in sacram scripturam postillas ex suo cerebro & sine teste finxisse. At in Sole Verit. Rad. 224 col. 1566 scripta in sacra biblia a Gesnero laudari fassus, litem de sermonibus suscitat acriorem, hosque vult a Bandello primo citatos, hincque inquit, *dubito de veritate, id est quod unquam extiterit talis auctor aut quod scripserit sermones.*

Qua fide Alva ista scripserit, qui Laurentii Pignon circa MCCCC scribentis catalogum in Bibl. Victor. se legisse non semel profitetur, ut pag. 207 *Pleytos de los libros*, judicet cordatus quisque. Quantum verò ad sermones, ita frequens erat seu Franciscanis seu nostris hujusmodi MS relinquere, ut nullum dubium esse possit, quin & ediderit Paganus. Nam aliunde nulla Bandello erat fingendi necessitas, cui si Paganus defuisset, innumeri alii suppetebant in Bibliothecis Italis, ut & infiniti mihi occurrerunt in bibliothecis Parisien. inter codd. MS.

Paris. apud Augustin. ad pontem novum cod. 249 pluries a nobis citato, cùm sit collectio sermonum a variis Parisiis habitorum inter MCCXXX & MCCL n. 53 refertur *sermo Dom. IV post octabas pentecostes habitus.* Pr. *Petite & dabitur vobis.* Auctor dicitur Frater Paganus. Cùm non addatur cujus ordinis, nostrum nolim asserere, sed hujus nominis nullum Wadingus suis Minoritis accenset: præterea nostrorum sunt plerique hujus codicis sermones & ætatis nostri martyris, quem inter LVII annos quibus in ordine vixit, Parisiis aliquando studuisse & prædicasse haud difficile credas. Jam si sermo iste ejus fuerit, in specimen erit & alios plures reliquisse. His ita positis opera relata sic dividenda essent ut Pagano martyri tribuerentur sermones, Pagano anno MCCCXXIII florenti Postillæ.

F. BARNABAS DE VERCELLIS.

* 1324. F. BARNABAS DE VERCELLIS Insuber a patria sic & professione nuncupatus, vir inter ordinis primos numerandus, & summo quod apud nos gessit imperio dignissimus, lector erat Januæ, cùm ibidem habita sunt anno MCCCV comitia ordinis generalia, tumque amoto Lombardiæ superioris priore provinciali, mox eidem suffectus est in comitiis provincialibus ibidem continenter celebratis. Eo titulo affuit Carcassonæ anno MCCCXII & in electione magistri ordinis Berengarii de Landorra votum tulit, & anno sequenti MCCCXIII Metis in comitiis ordinis a munere exemtus fuit: sed iterum ad idem resumtus anno MCCCXIX præfuit hac vice ad MCCCXXIV, quo ad summum ordinis magistratum in comitiis Burdegalensibus evectus est, cui electioni inquit Razzius, aderant XVII provinciales, quorum novem erant sacræ theologiæ magistri. Sic de eo Bernardus Guidonis vel qui succenturiavit: » XV Magister ordinis successor F. « Hervæi, F. Barnabas de Vercellis provincialis « Lombardiæ superioris electus in magistrum ordinis « in capitulo Burdigalensi, & fuit electus ab omni- « bus concorditer in primo scrutinio anno Domini « MCCCXXIV. Hic fuit bis provincialis Lombardiæ « superioris, & lector Januensis «. Hactenus. In pace & æquitate ordinem rexit octo circiter annis omnibus probatus, nisi quod Joannis XXII offensionem sub finem incurrisse volunt, & in Italiam redire prohibitum. Sic Razzius. Cujus hanc Fontana rationem affert, quod de Visionis beatificæ dilatione ad finem mundi opinioni, cui favebat seu favere videbatur pontifex, totus ordo strenue adversaretur. Obiit Parisiis apud Sanjacobeos die S. Pauli primi Eremitæ anno MCCCXXXI stylo veteri, novo MCCCXXXII, planxitque universus ordo planctu magno, ceu quem omnes non solum superiorem venerarentur, sed ut amantissimum patrem toto pectore complectebantur. In odeo sepelierunt eum sodales, *ut in prospectu jugi perpetuum sancti patris nostri habeamus monumentum*, inquiunt supprior & conventus S. Jacobi in epistola encyclica, qua mortem ejus per provincias ordinis nunciarunt. Cùm autem dies S. Pauli ea ætate X januarii in omnibus Kalendariis nostris notaretur, quod & servatum saltem ad usque seculum XVI, patet erratum esse in martyrologiis hujus seculi, in quibus ad XV Kal. febr. seu XVIII januar. ejus obitum ascripserunt. In sæpe laudato volumine Sanjacobeo, cui titulus *Officium Eccles. Ord. Prædic.* a B. Humberto concinnato, in Kalendario speciali obitibus magistrorum ordinis scribendis dicato, manu æquali sic legitur: VI *idus Januari obiit F. Barnabas magister ordinis* XV: & postea in Kalend. SS: VI *id. Jan. Pauli eremitæ Memoria.* In gymnasio Bononiensi duas cellas apposito titulo pro duobus provinciæ suæ Lombardiæ superioris sodalibus studentibus designaverat: titulos quidam prior Bononiensis morosior erasit, quibusdam ab ejus morte annis, sed & hunc priorem in pœnam ab officio removerunt, & titulos restitui jusserunt patres in cap. gen. Podii in Velaunis anno MCCCXLIV sub F. Petro de Palma congregati. Ex Actis hactenus omnia. Ejus meminere Altamura ad 1331, Rovetta ad 1333, & ei cum Francisco Augustino in prælatis Pedemontis tribuunt

Volumen concionum, & opuscula quædam theologica imperfecta

Extant ejus epistolæ quinque e capitulis generalibus quibus præfuit ad ordinem scriptæ, quarum hæc initia

I. *Inter pressuras.* Burdigalæ 1324.

II. *Impositum mihi.* Parisiis 1326.

III. *Inter officii mei.* Perpiniani 1327.

IV. *Quoniam dies mali sunt.* Trajecti ad Mosam 1330.

V *Inter procellas.* Victoriæ 1331.

Pietatem, religionem, eruditionemque ejus spirant omnes. Has edidit Soegius T. II julii in suppl. Januar. excepta quarta, quam servo in schedis ex cod. Lingon. exscriptam.

F. NICOLAVS DE FREAVVILLE.

† 1324. F. Nicolaus de Freauville Gallus Neustrius a gentilitio feudo Depam inter & Novum-castellum vernacule *Neuchatel* in Caletibus diœcesis Rotomagensis sito nuncupatus, corrupte verò *de Farinula* ab Italis dictus, stirpe illustri natus est circa annum Christi MCCL. Adolescens ordinem Rotomagi amplexus & professus, studiisque in gymnasio Sanjacobeo Lutetiæ decursis, sacras litteras in variis provinciæ Franciæ domibus gradatim sublector, & lector primarius interpretatus est, præsertim Constantiis in inferiori Normania, Aureliis & Pictavis, eaque pietatis & eruditionis fama, ut mortuo F. Nicolao de Gorran de quo supra ad 1295, quem Philippo IV Franciæ & Navarræ regi agnomine Pulcro a confessionibus fuisse dicebamus, ab eodem rege eidem suffectus fuerit, & ad idem munus allectus, arbiterque conscientiæ, & a sacris consiliis ascitus. Non defuere qui regi suspectum reddere tentarunt, in primis F. Bernardus Deliciosi Franciscanus, cujus instigatione Arnaldus Garsias jurisconsultus Albiensis regi tum Tolosæ agenti dixit aliquando, *Domine non debetis confidere de confessore vestro qui hîc est: nam omnia quæ aguntur in consilio vestro, ipse revelat Flamenguis.* Id enim a se dolo malo dictum fassus est postea idem Arnaldus in quæstione adversus dictum Franciscanum instituta. Quæ tamen apud regem de confessarii sui fide bene conscium præconceptam de eo existimationem nihil minuerunt. Falsissimam verò accusationem sic probavit Nicolaus, ut neminem regi addictiorem se ostenderit, unde & Bonifacii VIII offensionem incurrit gravissimam. Nam hic pontifex litteris idibus aprilis anno IX id est MCCCIII datis Joanni cardinali Monachi tit. SS. Marcellini & Petri sic scribebat & jubebat: *Cæterum F. Nicolao ordinis Prædicatorum olim confessori regis ejusdem ex parte nostra districte præcipias, ut infra trium mensium spatium hujusmodi præceptum sequentium quod sibi pro peremtorio termino studeas assignare, personaliter nostro se conspectui repræsentet, recepturus pro meritis, aut suam si poterit innocentiam ostensurus.* An hoc præceptum denuntiaverit cardinalis dubitatur: at quod certum cùm rex & Ecclesia Gallicana futurum concilium generale adversus Bonifacium appellarunt, Nicolaus confessarius regius cum toto Sanjacobeorum sodalium ad CXXX conventu eidem appellationi adhærere se instrumento publico XXVI junii MCCCIII confecto testatus est. Mortuo verò paulo post illo pontifice, crudelissimum & perniciosissimum, quod regem inter & aulam Romanam excitatum fuerat dissidium, facile extinctum est, novaque ac felix sese explicuit rerum facies. Nam post brevem Benedicti XI pontificatum Clemente V Romanam sedem adepto, mox in prima creatione cardinalium, instante rege sacra purpura donatus est Nicolaus. De quo sic Bernardus Guidonis in catalogo. » F. Nicolaum de » Freauvilla Rotomagensis diœcesis de ordine Prædicatorum confessorem tunc D. regis Franciæ Philippi fecit presbyterum cardinalem tit. S. Eusebii » D. Clemens papa V. in Lugduno, ubi præsentes erant, feria quarta in jejuniis quatuor temporum adventus XVIII kal. januar. A. D. MCCCV «. Idem habet in chronico ubi de eodem Clemente: » Hic eodem anno pontif. sui primo in adventu Domini subsequenti XVIII kal. jan. in Lugduno fecit decem novos cardinales inter quos fuerunt... » F. Thomas Anglicus magister in theologia tit. S. » Sabinæ, F. Nicolaus confessor regis Franciæ tit. S. » Eusebii ambo de ord. Prædic. presbyteri cardinales «. Cùm autem eo anno esset C littera Dominic. certo certius est XVIII kal. jan. seu decemb. 15 in feriam quartam incidisse, non in sabbatum ut vult Oldoinus. Nec omittendum quod illi annotant eum primum fuisse, qui ex aulæ Gallicæ ministris in sacrum collegium cooptatus fuerit. Ea verò dignitate ornatus qui præclaras animi dotes in rebus Gallicis ejus ætatis difficillimis ostenderat, ex eo superiori loco in negotiis Ecclesiæ longe difficilioribus luculentius explicuit. Nam Clementem V inter & Philippum Pulcrum veluti sequester positus, ita regis commodis & juribus inservire habuit, ut inde sedes apostolica ne vel minimum detrimenti aut dedecoris pateretur, ubi sane summa solertia opus erat, quam & præstitit, utrumque satagens in inita concordia continere. Hinc cùm urgente Philippo rege quæstio tandem de Bonifacio VIII instituenda fuit anno 1310, cum Berengario episcopo Tusculano, & Thoma Anglico mox laudato cardinali S. Sabinæ, ipse tertius a Clemente delegatus fuit, qui testes productos audiret. Tum anno MCCCXIII legatus missus est in Gallias de bello sacro ad Terram-sanctam recuperandam suscipiendo, perhonorificis ad eum datis a pontifice literis 3 id. febr. anno 8, in quibus inter alia sic legebatur: *Ad personam itaque tuam, quam dicto regi gratam credimus ac acceptam, nostræ mentis oculos dirigentes, illam cujus nobis sunt notæ virtutes, quamve in magnis & arduis dicta sedes diversis vicibus est experta, & de cujus operibus virtuosis fructus utiles provenisse conspicimus &c.* Qui cùm exinde Parisios advenisset, ex ejus manibus rex universaque familia regia, innumerique omnium ordinum ac utriusque sexus crucem solemniter acceperunt feria quarta in octavis pentecostes. Eodem anno commissa est ei causa Templariorum finienda, ut & pax regem Franciæ inter & Flandros inita, ne perversis quorumdam consiliis infringeretur, qua valebat solertia conservanda & firmanda. Bulla ad eum data 12 kal. jul. an. 8. In conclavi quo post annos duos & amplius Vacationis sedis apostolicæ tandem per viam scrutinii electus est Joannes XXII, Lugduni in conventu Prædicatorum, ut primus scrutator fuit F. Nicolaus de Albertis de Prato de quo supra episcopus Ostiensis & sacri collegii decanus; sic secundus scrutator fuit F. Nicolaus de Freauvilla tum caput ordinis presbyterorum cardinalium, & tertius Neapoleo de Ursinis diaconus cardinalis: fabella enim est compromisso a cardinalibus facto se papam salutaturos, quem ipse Joannes eligeret, tum ipsum Joannem se nominasse. Huic verò pontifici non minus acceptus fuit, quam aliàs Clementi V, ab illo etiam ad graviora Ecclesiæ negotia admotus, apud quem sancti Thomæ canonizationem non parum promovit, quam & lætus tandem vidit universo orbi denunciatam Avenione 18 julii MCCCXXIII. Exinde Lugdunum cùm venisset, ibidem in morbum incidit, quo tandem huic luci subtractus est 14 februarii MCCCXXIII stylo veteri, novo MCCCXXIV. Apud nostros ibidem sepultum quidam volunt, cor ejus tantum ad suum conventum Rotomagum delatum, quibus ut assentiar nullus adduci possum, sed corpus ejus apud suos Rotomagenses reconditum jacuisse constanter assero. Primo quia in conventu Lugdunensi nulla est memoria, quod ibi jaceat, nullus lapis sepulcralis, nullum epitaphium, ut & illic nullum legatum in testamento vel codicillo relictum. Credibile autem non est socios ex ordine quos secum habebat cùm e vivis abiit, viros provinciæ Franciæ gravissimos, ipsique addictissimos, quibus singulis munera pro ætate insignia legavit, ita patroni sui oblitos, ut nullum ei monumentum erexissent. At quod magis urget, cardinalis noster testamento suo caverat se velle in conventu Rotoma-

SEC. XIV. gensi sepeliri, eaque ratione plura illi reliquit legata. Sic enim in eo lego: *Item conventui Rotomagensi dicti ordinis Prædicatorum, in quo eligimus sepeliri, ratione nostræ sepulturæ legamus crucem nostram majorem de argento deauratam, ubi est imago B. Mariæ Virginis cum tabernaculo. Pro funeralibus nostris & exequiis ibidem faciendis, ut decet, expendatur de bonis nostris secundùm ordinationem executorum nostrorum infrascriptorum. Item legamus pro eleemosyna facienda minutim pauperibus die obitus nostri & sequenti pro luminari, pannis, aulais & aliis necessariis trecentos florenos auri, ita quod addenda vel minuenda summa sit, dicta cruce excepta, duorum millium & quingentorum florenorum auri. Volumus tamen, quod in hoc casu executores nostri prædicti possint addere aut minuere prout eis videbitur expedire. Item capellam nostram albam integram cum principalibus paramento meliori altaris argenteo & calice aureo, thuribulo, ampullis, candelabris, bassinis melioribus, & missali meliori proprio de ordine legamus prædicto conventui FF. Prædicatorum Rotomagensi.* Superius sic edixerat: *Item legamus conventui FF. Prædicatorum Parisiensium ducentos florenos auri. Item conventui Rotomagensi dictorum Fratrum totidem scilicet ducentos florenos. Item cæteris conventibus ejusdem ordinis in Normania & aliis in quibus fuimus lector vel sublector, quibus aliquid non legavimus vel aliàs legaverimus, Aurelianensi, Pictaviensi & Constantiensi, legamus cuilibet ipsorum conventuum sexaginta florenos auri.* Nusquam meminit conventus Lugdunensis. Præterea ex bonis suis residuis jubet emi reditus nomine conventus Sororum nostri ordinis de S. Matthæo juxta Rotomagum, ita tamen *quod dictæ Sorores annuatim reddere teneantur & tenebuntur pro salute animæ nostræ conventui FF. Prædicatorum Rotomagensium, videlicet pro singulis mensibus unum modium de sufficienti & bono frumento &c. Item manerium nostrum, quod fuit Guillelmi Courtoisie situm Rotomagi inter domum FF. Prædic. ac fluvium Sequanæ, quod emimus & amortizari fecimus per D. regem Franciæ, legamus & concedimus cum omnibus juribus & pertinentiis suis quomodocumque ad nos pertinentibus conventui dictorum FF. Præd. Rotomagensium. Volumus tamen quod per executores nostros infrascriptos dictum manerium cum cunctis redditibus oneretur, videlicet in decem libris singulis annis die anniversarii nostri dicto conventui pro salute animæ nostræ & in nostri memoria pro pictantia ejusdem conventus facienda.* Hæc Avenione 16 octob. MCCCXXI sic decernebat: executores suos instituens F. Guillelmum Godini ord. Prædic. cardinalem episcopum Sabinensem, Petrum de Arreblayo Gallum olim sigilli regii custodem presbyterum cardinalem tit. S. Susannæ, Neapoleonem Ursinum diaconum cardinalem S. Adriani, F. Vincentium de Douvrendo ord. Prædic. socium suum (*qui,* inquit, *diu & fideliter servivit nobis & vidit & scivit multa, de quibus ad præsens recolere non possumus, & cui propterea vult ut in omnibus credatur & fides adhibeatur:* Michaelem Mauconductum canonicum Parisiensem, ac denique F. Wibertum Bonelli ord. Præd. suum olim socium, cùm apud Philippum Pulcrum munere confessarii fungeretur, & in eodem successorem, ac regum Ludovici Huttini, & Caroli Pulcri confessarium. Quis putet cardinalem Avenione se mortuum Rotomagum transferri volentem, non idem de Lugduno jussisse? executores tam selectos, tam fidos, quorum & aliqui sui conventus Rotomagensis videntur fuisse, quod tam expresse caverat, nec sumptibus parcens, non executioni mandasse? Rotomagenses suos filium, fratrem, patronum tam munificum, conventus sui lumen & decus neglexisse, quique vivens tam diu ab iis avulsus fuerat, mortuum saltem in testimonium amoris singularis cum iis requiescere cupientem desiderio suo depulisse, ac spem frustratos esse? eo magis quod hujus e Lugduno translationis nulla esset difficultas, minimi præterea sumtus, cùm iter fere medium aqua peragi posset. Sed ingratitudinis hujus reos Rotomagenses nostros nemo existimaverit, qui magnificum ei juxta ætatem non cordi tantum, sed corpori integro reponendo mausoleum sciverit ab iis erectum ad cornu altaris majoris sinistrum, in quo sub fornice eleganti columnis pluribus fulcita videbatur ejus statua genibus flexis coram B. Virginis imagine: quæ omnia Hugonotti urbe potiti, ac sacra omnia miscentes, nec defunctorum manibus parcentes everterunt, adeo ut prioris monumenti jam non supersit nisi arca lapidea sepulcralis duobus circiter pedibus regiis a pavimento eminens operis Gothici. Quæ autem nunc eidem arcæ superposita visitur genibus flexis ejusdem cardinalis statua, ut & objecta eidem B. Virginis imago lapidea operis sunt recentis, quod sui amantissimi fratris memores Rotomagenses nostri anno MDCXXX erexerunt, ut ex registris computorum ipsius conventus deprehendi. Qui volunt cor tantum ibi reconditum fuisse, corpus Lugduni relictum, eo unico argumento ducuntur, ut a senibus audivi, quod aperta ibidem curiosius terra nullæ reliquiæ inventæ fuerint: at infirma ratio, nam nec cor, nec pixis plombea, in qua condi debuit, inventa. Itaque quod nec ossa, nec vestium pretiosarum quibus corpus haud dubie involutum erat, reliquiæ repertæ fuerint, in causa fuit Calvinianorum rabies, qui monumenta pleraque, & istud in primis foderunt, quid pretiosius in eo se reperturos arbitrati, plumbumque & alia si quæ fuerunt auferentes in armorum usum, ossa impie in sterquilinium projecerunt. Sic Aureliis Francisci II cor flammis absumtum, sic Clariaci cadavera Ludovici XI, & principum Longavillæorum eruta, combusta, dissipata: sic in cæteris urbibus quas occuparant, more Turcorum desævierunt.

Insignia gentilitia hujus cardinalis hæc sunt. Ex transverso bipertitum. superius aureum, inferius cyaneum liliis aureis Gallicis supersperfum, Leone coccineo insistente toti scuto imposito. Sic enim supra hospitii sui seu palatii Rotomagensis januam sculpta, vel etiam in vitrea lamina fenestræ sacrarii ædis ibidem nostræ picta etiamnum visuntur. Sed & fortè illustris ejus familiæ notitiam quamdam hîc habere non displicebit.

Clara jam erat initio seculi XIII quo anno MCCXXIX Thomas de Freauvilla decanus Ecclesiæ Rotomagensis electus est archiepiscopus Rotomagensis a majori parte capituli: altera tamen parte pertinaciter resistente Romam adiit, & tandem inter manus Gregorii IX jure suo cessit, cujus in locum pontifex Mauritium instituit, qui anno MCCXXXI die Dominico ante festum Magdalenæ XX julii, nam litt. Dom. erat E, possessionem iniit. Nec tamen inglorius abiit Thomas, nam eodem anno episcopus Bajocensis electus est, & ab archiepiscopo Mauritio Rotomagi in Ecclesia majori Dominica passionis XXVIII martii MCCXXXI stylo veteri, novo MCCXXXII, pascha enim fuit XI april. consecratus. *Ex actis computorum.*

» Anno MCCLXXII mense decemb. Dionysia « de Freauvilla relicta venerabilis viri Ricardi Se- « nescalli de Ango quondam militis defuncti dedit « in eleemosynam FF. Prædicatoribus Rotomagen- « sibus quoddam tenementum integrum cum ædifi- « ciis integris & gardino ante monasterium dicto- « rum Fratrum &c «. *Ex instrumento donationis* in

archivis domus nostræ servato. Hæc amita nostri cardinalis erat.

Consanguineus fuit Engueraridi de Marigniaco comitis Longavillæi, ac regnante Philippo Pulcro primi ac præpotentis rerum Gallicarum administri, qui non parum ad ejus promotionem contulisse fertur. Sic enim de eo in chronico Gallico ejus ætatis cui titulus *Chroniques abregees du commencement du monde, jusqu'au temps pape Jean XXII, jusqu'en* MCCCXVII legitur : *Cêt Enguerrand fit un sien cousin cardinal de Rome*, qui non alius a nostro Nicolao. Extat hoc chronicon in Colbert. cod. 3128. Insignem basilicam Scoii vernacule *Escoui* in Neustria octo leucis a Rotomago versus Parisios castro dissito, addito canonicorum collegio, magnis sumtibus erexerat dictus Enguerrandus & opulenter dotarat : ad ejus dedicationem solemnem invitati sunt & adfuerunt archiepiscopi Rotomagensis & Senonensis, episcopi Baiocensis, Constantiensis, Carnotensis, Autissiodorensis, Bellovacensis, Lexoviensis, Parisiensis, Ebroicensis, Meldensis, Cenomanensis, & Vulfrannus Bethleemitanus affuit & noster cardinalis anno MCCCXIII : sic enim refertur in brevi Clementis VI anno IV octavo kal. maii dato, quo indulgentias tum a singulis prælatis concessas confirmat in perpetuum, & in capite omnium laudatur Nicolaus cardinalis, quem exinde putavit auctor historiæ Gallice scriptæ administrorum status dñus *d'Auteuil* ipsam dedicationis cæremoniam fecisse.

Ex ejus testamento hi erant ejus fratris germani filii, Nicolaus de Freauvilla canonicus Ecclesiæ Rotomagensis, Guillelmus & Joannes, quorum Joannes *Caignet* ab eo dicitur nepos suus primogenitus & hæres instituitur, ut & Cotinetus *Caignet* ejus filius, quibus dat terram, prata, nemora, & alias quascumque possessiones a se emtas in territorio *de Freauville*, ea lege ut in sacello quod ædificaverat in æde sacra ejus loci, divina officia per presbyterum perpetuo curent celebrari. Ex quibus discimus agnomen familiæ fuisse *Caignet* dominorum de Freauvilla, sed & utrique Joanni & Guillelmo plures fuisse filios & filias.

Verùm familiæ hujus illustris stirps major in maribus extincta, per fœminas affinitate juncta tum regiæ Gallorum stirpi comitum Drocensium (*de Dreux*) tum generosæ comitum *de Clere* genti Normannæ, ad has omnino devoluta est : quorum ideo posteri erga conventum Rotomagensem beneficos & patronos se semper præstiterunt, & plures circa cardinalem sepulturam elegerunt : inter alios Robertus *de Dreux*, in cujus tymbo ad latus sinistrum sepulcri cardinalis hæc legitur inscriptio :

Cy gist coste monseigneur le cardinal de Freauville, noble & puissant seigneur messire Robert de Dreux en son vivant chevalier son neveu baron & vidame d'Esneval & de Pavilly, seigneur de Beaussard & de Bereville, qui trepassa en cette ville de Rouen l'an MCCCCLXXVIII *le jeudi* XVIII *jour de juin a trois heures du matin. Que Dieu veille avoir s'ame. Priez pour luy. Et emprez luy gist sa compagne noble dame Guillemette de Segrie veuve dudit seigneur qui trepassa l'an* MCCCC . . . .

Annus ultimus non additur, sed ei scribendo relictus fuit locus ut cùm eam mori contingeret, tum adjiceretur, quod tamen hæredes neglexerunt. Hanc inscriptionem refert Andreas *du Chesne*, in histor. genealog. domus *de Dreux*, p. 189 & 326, sed fallitur cùm scribit mortuum Robertum die jovis 20 junii, nam certo ipse qui sepulcrum diligentius exploravi, legi XVIII junii, & revera cùm anno MCCCCLXXVIII esset lit. Dom. D, dies XVIII junii erat dies jovis. In eumdem tamen errorem impegerunt Sammarthani fratres *Histoire genealogique de la maison de France T. II p.* 432. Ad eumdem patris tumulum sub altero lapide jacent Joannes de Dreux ejus primogenitus & ejus conjux Ægidia Picart. Plures verò barones & comites alterius familiæ *de Clere* in eodem sacello in hypogeo seu conditorio speciali sibi addicto sepulti sunt, quorum epitaphia longius esset recensere.

Fuit & nostro cardinali germanus alter ante ipsum mortuus, qui filias quinque reliquit Guillelmam, Nicolaam, Dositiam, Mariam & alteram Nicolaam, quibus singulis ducentos florenos aureos legavit.

Fuit & soror Asselina dicta, eoque prius mortua, cujus filiis quatuor Ricardo, Guillelmo, Roberto & Petro, & eorum natis quædam legavit.

Hæc ejus opera :

1. *Sermones innumeri*, inquit Eysengrenius ad ann. 1306, sed qui jam alicubi latent, vel temporum vicissitudine perierunt.

2. *Libri rituales prisca disciplina rudiùs scripti*, inquit Cortesius, quod nondum mos esset splendidior statarum cæremoniarum. Sic ille, cujus de cardinalatu libri tres in fol. editi in Castro Cortesio 1510.

3. *Acta legationis Gallicæ* forsan in Vaticano servata. Clar. Baluzius T. II pap. Aven. col. 149 refert bullam Clementis V ad eum datam de pace inter regem Franciæ & Flandros firmanda. Sed & idem Baluzius de hoc cardinali legendus T. I pagg. 582, 599, 614, 636 & 717. Sed & Dacherius Spicil. T. X pagg. 363 & 365, ubi cardinalis noster episcopum Andegavensem a solvendis juribus procurationis ratione legationis sibi debitis eximit. Guillelmus etiam de Nangis in chronico T. XI Spicil. Dacher. p. 649 & Bibl. Labb. T. I p. 384.

4. *Littera ab eo scripta* ad Patres ordinis in comitiis generalibus Lugduni anno MCCCXVIII congregatos, data Avenione die veneris in crastino ascensionis Dñi, scilicet 11 junii. Extat cum actis.

5. *Instrumenta duo*, primum quo donatione inter vivos, manerium suum Rotomagense conventui tradit irrevocabiliter possidendum ; actum Avenione XVI octob. MCCCXXII, alterum quo F. Wibertum Bonelli Caroli pulcri Franciæ regis confessarium symmystam procuratorem constituit XXV ejusdem mensis & anni, qui sodales Rotomagenses in ejus manerii possessionem mittat. Extant Rotomagi apud nostros.

6. *Testamentum*, cujus duo extant Rotomagi exempla authentica a me visa, alterum in pelle nigra characteribus albis elegantibus licèt Gothicis exaratum, alterum in pelle alba de more. Edidit Baluzius citatus T. II pap. Aven. col. 409. Quid de libris suis statuat, cùm ad rem litterariam spectet visum est non omittendum. Sic ergo ille :

» Item declaramus quod libri videlicet Biblia, Summa decretalium in duobus voluminibus, Summa contra gentiles, & Secunda Secundæ, quos habebamus antequam essemus factus cardinalis, fuerunt dicti conventus ord. Prædic. Rotomagensium, & ideo volumus & mandamus, quod dicti libri sine difficultate eidem conventui reddantur «. Nota en non solùm Summam contra gentiles, sed & Secundam Secundæ S. Thomæ scriptam ante annum MCCCV, quo ad purpuram evectus est. Quæ rursus Launoium revincunt, ne dicam confodiunt. Prosequitur :

» Item legamus dicto conventui librum nostrum Homeliarum & Dialogorum (*sc.* Gregorii I) in uno volumine pro lectura in refectorio, ita quod non possit ad alios usus applicari. «

Item legamus eidem conventui &c. Summam quæ dicitur Catena aurea pro communi studio, «

SEC. XIV. » ita ut nulla ratione aliis usibus applicetur «.

Ejus cum laude meminerunt Spondanus, Bzovius, Rainaldus, Ciaconius, Frizonius, Oldoinus, Franciscus *du Chesne Histoire des cardinaux François*, nostrates Fontana, Altamura ad 1323, Malletus, hi omnes ex superioribus emendandi, speciatim ultimus *Histoire des hommes illustres de S. Jacques &c.* ubi vult Nicolaum fuisse sacræ theologiæ magistrum Parisiensem & priorem provincialem Franciæ, quibus dignitatibus etsi dignissimus ornatus non fuit, ut nec ulla memoria, quod comitiis ordinis Rotomagi anno MCCCXX habitis interfuerit.

F. JOANNES DOMINICI.

1324. F. Joannes Dominici Gallus provinciæ Provinciæ alumnus florebat adulto jam seculo XIV, & anno MCCCXXIII Avenione aderat mense julio, cùm SS. albo Thomas de Aquino a Joanne XXII inscriptus est. Qua verò apud hunc pontificem erat gratia, & ob eruditionem existimatione, ab eodem mandatum accepit Secundam Secundæ sancti doctoris in compendium redigendi, quo eximium illud opus & minori pretio emeretur, & ad plures perveniret. Jussis ita diligenter obsecutus est, ut intra octavum a canonizatione mensem opus compleverit. Extat insigne hujus compendii exemplum Parif. in Colbert. cod. 3216 fol. med. memb. ad cujus calcem sic legitur eadem prima manu Gothica, sed eleganti:

Explicit Summa utcumque abbreviata, & per quasdam decisiones dearticulata excepta de Secunda Secundæ S. Thomæ de Aquino ordinis Fratrum Prædicatorum per F. Joannem Dominici ejusdem ordinis de expresso mandato SS. Patris & D. nostri D. Joannis divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ papæ XXII, completa in Avinione anno Dñi MCCCXXIII *pontificatus sui anno . . . sabbato post festum venerabilis doctoris S. Thomæ prædicti immediate subsequente.* Hoc est decimo mensis martii quod fuit sabbatum, nam erat lit. Dom. A G anno MCCCXXIII stylo veteri, novo MCCCXXIV, cùm canonizatio facta fuisset præcedente mense julio XVIII die MCCCXXIII.

Forsan lectori haud ingratum erit compendii hujus artificium ex prima quæstione cognoscere. Sic incipit:

» Utrum objectum fidei sit veritas prima? Respondeo quod sic secundùm formalem rationem » objecti, quia innititur veritati divinæ tanquam » medio, cùm non assentiat alicui, nisi quia est a » Deo revelatum. Si verò consideremus materiali- » ter ea quibus fides assentit, non solùm est ipse » Deus. Item quod objectum habitus cognoscitivi » duo continet, scilicet id quod materialiter co- » gnoscitur, & id per quod cognoscitur, quod est » formalis ratio objecti. Item quod formalis ratio » sciendi sunt media demonstrativa per quæ conclu- » siones cognoscuntur.

» An materialiter credita cadant sub assensu fidei » absolute? Responsio quod non, sed secundùm » quod habent ordinem ad Deum, prout per ea » homo adjuvatur ad tendendum in divinam frui- » tionem.

» An possit dici objectum fidei veritas prima, in » quantum nihil cadit sub fide nisi in ordine ad » Deum? Respondeo quod sic quodam modo, sicut » objectum medicinæ est sanitas, quia nihil medi- » cina considerat, nisi in ordine ad sanitatem. Q. » 1 a. 1 in resp. principali.

» Item quod ea quæ pertinent ad humanitatem » Christi & ad sacramenta Ecclesiæ, & ad quascum- » que creaturas, & quæcumque in scriptura conti- nentur sacra, cadunt sub fide, in quantum per « hæc ordinamur ad Deum, & eis assentimus prop- « ter divinam veritatem. Eod. art. in solut. 1 & 2 arg «.

Ex hoc specimine de isthoc compendio judicet lector, & ejus discrimen a compendio Galieni de Orto, de quo supra ad 1288 agnoscat. Istud antiquius non ita intricatum videtur, sed longe dilucidius.

Quidam *F. Joannes Dominici* ord. Prædic. anno MCCCXXIII lector theologiæ domus nostræ Narbonensis laudatur a Rainaldo ad hunc annum n. 18, & dicitur a Joanne XXII missus cum Bertrando archiepiscopo Brundusinensi & Bernardo de Parma canonico Aversano ad Orosium Serviæ regem pro ejus regni ejurato Græcorum schismate reconciliatione cum Ecclesia Romana. Si iste idem est cum auctore Compendii, ut vix dubium esse potest, isti tres apocrisarii etsi anno MCCCXXIII jam delegati, nonnisi anno MCCCXXIV post festum S. Thomæ de Aquino iter illud susceperint in Serviam, ubi Ecclesiæ egregiam navasse operam dicuntur. Videsis Rainaldum loc. cit. Servia ea est provincia, quam antiquitus Mœsiam dicebant, & quæ a confluente Savi & Danubii incipiens secundum Danubium protenditur in ortum.

F. SIMON CONSTANTINOPOLITANUS.

F. Simon Constantinopolitanus vir seculo XIII clarissimus fuit & ad seculum usque XIV jam adultum vixit, etsi a nomenclatoribus nostris qui ad res Occidentis solum attenti, Orientales negligentius tractaverunt, hactenus omissus fuerit. De eo quidem vir in primis eruditus Leo Allatius agere tentavit, & scripta ejus quædam e tenebris eruit, sed nec ætatem attigit nec munia. Illa verò certius statui non possunt, quam ex iis quæ de eo habet F. Philippus de Pera de quo postea ad ann. 1359 in tractatu de processione Spiritus Sancti contra Græcos, ubi sic loquitur: *Frater Simon C. P. ordinis Prædicatorum, qui satis erat imbutus scientia Græca magis etiam quam Latina, quem vidi nonagenarium existentem, qui multa scripta dimisit contra Græcos, ex cujus scriptis & libris initium habui contra Græcos disputandi, qui mortuus est me existente novitio: hic in quadam epistola sua contra Græcos &c.* Quæ Philippus ait se scribere anno MCCCLIX. Et in alio tractatu de obedientia Romanæ Ecclesiæ debita jam antea a se vulgato, se a XXV annis cum Græcis disputare testatur. 1325.

Ex quibus plura de hoc Simone mihi videor evincere: primò circa annum MCCXXXV natum, & circa MCCCXXV nonagenarium mortuum, Philippo tum Peræ existente novitio, cui si octo circiter studiorum a professione annos dederis, neque enim minus concedas, ut esset ad hujusmodi certamina aptus, jam anno MCCCLVIII habebis illos XXV colluctationis cum Græcis annos: secundò Simonem C. P. natum aut ex Græcis, aut e Latinorum genere, qui ab anno MCCIV ad MCCLXI ibi rerum potiti sunt & domini fuerunt, idque colligo tum ex agnomine, neque enim alia ratio fingi potest, cur Constantinopolitanus dictus sit, quam quod C. P. patriam habuerit, tum etiam ex eo quod Græce magis quam Latine scivisse addatur, nimirum linguam Græcam a puero vel a matre saltem aut nutrice Græcis, vel ex usu & familiaritate cum pueris Græcis, queiscum ludum litterarium frequentabat & præceptorem Græcum audiebat, facile adeptus: tertiò Simonem in domo nostra C. P. vestem ordinis induisse & professum, jam enim ante annum MCCXXXII cœnobium nobis ibi erectum erat, ut constat ex dictis supra ad eum annum de FF. Hugone

& Petro de Sezana Gregorii IX apocrisiariis: quarto Simonem vitam in collationibus perpetuis cum Græcis exegisse, sis ad concordiam cum Latinis revocandis continuo instantem, neque ad dignitatem episcopalem aut superiorem unquam promotum, alioquin Philippus de Pera id non tacuisset, quo majorem ei auctoritatem ascriberet: denique Simonem multa scripta, librosque varios ac plures epistolas de controversiis Græcam inter & Romanam Ecclesiam in hujus defensionem reliquisse. Hinc colligo non recte Allatium, etsi alias accuratum, Simonem C. P. cum nostro Simone Cretensi confundere in suo opere *de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione* lib. 2 cap. 15 n. 11: & rursus in sua *de Simeonum scriptis diatriba* p. 202: ut enim postea dicetur F. Simon Cretensis floruit tantùm initio seculi XV, cùm Simon C. P. jam circa MCCCXXV obiisset: neque etiam eumdem esse cum Simone Tacumæo vel Jacumæo Gyracii primum episcopo postea Thebarum archiepiscopo, qui circa MCCCL florebat. Jam verò quæ sint multa illa Simonis C. P. opera a Philippo de Pera laudata, ubi extent & lateant, nisi fortè in Vaticana post tantam in Oriente rei Christianæ eversionem conjicere haud datur. Trium tamen ejus tractatuum meminit Allatius locis citatis, agens enim de Joanne Vecco ejusque discipulis, circa tempus concilii Lugdunensis II, quo Simon hic XL circiter annos natus jam florebat, immediate addit:

» Nec defuit opera Simonis Constantinopolitani » ex Prædicatorum ordine, qui circa hæc eadem » tempora de processione Spiritus sancti etiam ex » Filio tribus tractatibus cum Græcis strenue con- » flixit.

Primum Manueli Olobolo, qui postea monachum induens Maximus dictus est inscripsit. Pr. τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον φιλανθρωπότατον ὂν διὰ τοῦ σοφοῦ Σολομῶντος. *Spiritus Sanctus juxta sapientem Salomonem hominum amantissimus.* Nota. Cujusdam Oloboli rhetoris qui C. P. tempore Vecci florebat, ex Pachymere Histor. lib. 7 meminit idem Allatius *de consensione* lib. 2 cap. 15 n. 12. Si is est ad quem scripsit Simon noster, ejus ætatem certam, ut supra relata est, habemus.

Secundum Sophoniæ. Pr. Μέμνημαι ὡς ὅτι ἡ μεγάλη ἁγιωσύνη σου ἀπέσταλτο παρὰ τοῦ τρισμεγίστου βασιλέως. *Memini quemadmodum veneranda sanctitas tua a ter maximo rege missa est.*

Tertium Joanni Nomophylaci. Pr. Ἡ δήλωσις τῶν λόγων σου φωτίζει. *Declaratio sermonum tuorum illuminat.*

Hos verò tractatus quorum principia tam diligenter refert, Allatium in schedis habuisse conjectu pronum: & tertii quidem fragmenta quædam habet in Hottingero fraudis convicto pag. 322 & seqq. prolixius verò excerptum p. 334 ad 382 Græce & Latine.

Laudat Caveus Hist. Litter. ad ann. 1276 recte judicans Simonem C. P. alterum esse a Simone Jacumæo: sed qui ei succenturiavit Henricus Warton in errorem supra confutatum recidit tres Simones C. P. Jacumæum, & Cretensem in unum hominem conflando. Olearius Bibl. Alphab. T. II p. 166 duplicem quidem cum Caveo distinguit Simonem Cretensem & Jacumæum, seu uti habet Sacumæum sed cum Caveo errans C. P. eumdem cum Cretensi putat, qui tamen seculo circiter integro dissident. De Cretensi agemus ad 1418.

F. JOANNES DE POLO.

† 1325. F. JOANNES DE POLO sic a Leandro fol. 86 a, Razzio pag. 70, Lusitano in chronico ad decad. 1290 nuncupatus, ab Ughello verò Ital. Sac. T. III *de Provincialibus* agnominatus, Etruscus patria & professione Pisanus, nobili loco natus, vir magnarum partium, a Bonifacio VIII ad sedem metropolitanam Pisanam evectus est Idib. febr. MCCXCIX, quam ad annum MCCCXII integerrime administravit. Tum verò ad Nicosiensem in Cypro Ecclesiam a Clemente V translatus VI idus maii, novam hanc sponsam optimis sanctissimisque legibus instruxit, quanta enim solicitudine, quanto studio tam cleri quam plebis gregisque sui mores aptare componereque sategerit, ordinationes synodales ab eo editæ manifeste comprobant. Has ex ejusdem Ecclesiæ Nicosiensis constitutionum codice MS optimæ notæ habes T. XI concil. Gener. P. II col. 2424 ad 2432 hoc ordine.

Ann. MCCCXX die VII april. *Constitutiones novemdecim.*

Ann. MCCCXXI die XVII junii. *Alia contra ingredientes monialium septa.*

An. MCCCXXIII die XXXI augusti. *Contra Nicosiensis Ecclesiæ assisiarios sive prabendarios. Item contra falsos in judicio testes. Item contra perpetuos ecclesiarum monasteriorumve &c. procuratores, stato stipendio perpetuoque conductos sive advocatos.*

An. MCCCXXV die XXX martii. *Ne jura resve Nicosiensis Ecclesiæ sub excommunicationis pœnis ipso facto incurrendis usurpentur, & usurpata sex intra dies a datis suæ constitutionis restituantur.*

In synodicis his actis duo laudantur ejus ex ordine Prædicatorum socii provinciæ Romanæ sodales, quos sibi in regimine asciverat administros F. Benedictus de Burgo S. Sepulcri, & F. Jacobus de Urbeveteri.

F. PETRUS FALACHA.

F. PETRUS FALACHA ab aliis varie & corrupte dictus *Ferracia*, *Foracha*, *Farracha*, Ligur Januensis origine & professione cœnobii S. Dominici alumnus, theologus sua ætate nominatus, ac inter primores Lombardiæ superioris habitus, cujus & diffinitor pro comitiis ordinis Parisiis anno MCCCXXVI habendis electus fuerat, sed eo pergens priusquam perveniret, in itinere mortuus est. Sic enim de eo in actis capituli: *Omnes Fratres teneantur ad suffragia F. Petro Falacha de Janua diffinitori Lombardiæ superioris, qui mortuus est in via.* Scripsit opus hoc titulo * 1326.

Compendium donorum vel bonorum. Summam esse dicunt copiosam ad omnes materias per alphabetum.

Meminere Lusitanus & sequaces, & tandem Altamura ad 1311, ad eumdem annum Rovetta, qui exerrationem Vincentii Rivalii a quo ad 1464 relegatus fuerat, corrigit: extrates laudant Possevinus & Oldoinus Athen. Ligust.

F. JOANNES DE BAYON.

F. JOANNES DE BAYON Lotaringus a patria oppido ad rivi Levronii confluentem in Mosellam sito sic nuncupatus, ac proinde juxta leges tum in ordine servatas domus nostræ Tullensis alumnus, scriptor nostris nomenclatoribus hactenus ignotus, e tenebris jam eruitur ex fide operis ab eo scripti & in Mediano monasterio ad hoc ultimum seculum delitescentis, cujus exemplum D. Hyacinthus Alliot ejusdem abbas regularis clarissimo ascetæ Mabillonio XXX maii MDCC Parisios misit, quo hic in condendis ordinis S. Benedicti annalibus plurimum usus est: quem videsis T. II lib. XIX n. 37, lib. XXIII n. 22, lib. XXV n. 60, lib. XXVI * 1326.

Sæc. XIV. n. 83, lib. XXVIII n. 27 & aliàs. Medianum monasterium abbatia est monachorum nigrorum diœcesis Tullensis in Lotaringiæ provincia, quæ Vosagus dicitur, sita, cui anno MCCCXXVI præerat abbas Bencelinus. Hujus consanguineus vel affinis cùm esset Joannes de Bayon eodem illo anno e domo sua in exilium pulsus, ad eum inter pascha & pentecosten confugit, a quo & liberaliter in hospitio exceptus, etiam rogatus est, ut Mediani monasterii annales & historiam contexeret: quod opus ille continuo aggressus scripsit hoc titulo:

Historia Mediani monasterii a F. Joanne de Bayon ordinis Prædicatorum.

» Prologus. Omnia quæ priscis temporibus gesta sunt, &c. plura generatim de historiis dicta, post quæ sic prosequitur » Ego F. Joannes de Bayon ordinis Fratrum Prædicatorum cum Joseph in exilium relegatus anno verbi incarnati MCCCXXVI inter pascham & pentecosten, dum penes dominum meum ac cognationis fœdere mihi unitum R. in C. P. & D. Domnum Bencelinum Mediani cœnobii patrem gratiosum & rectorem, hospitalitatis gratia commorarer, ejus precibus commonitus, quæcumque habere ad præsens potui, vel ex historiarum & annalium fastis, vel quæ ex veridicorum relatione auris vehiculo percepi &c. uno voluminis textu, licèt inculto stylo & incomto sermone pro ingenio a Deo mihi collato breviter chronice loquendo coarctavi: maxime ea quæ de Mediani claustri fundatione & ejus fundatore & abbatum successione in eodem loco: & de his eventibus prosperis vel adversis quæ circa dictum claustrum contigerunt: & de sanctis inibi degentibus Hydulpho, Spinulo, Joanne, Benigno, Fortunato, Lazaro, & Aza, Bonifacioque martyre, quorum actus, vitam & gesta compegi & conscripsi, ut per ea ad amorem honorem & devotionem Dei & ipsorum sanctorum populus valeat excitari, potui reperire in diversis codicibus sparsim & confuse, huic operi annotavi: & etiam circumadjacentium fundationes ecclesiarum & fundatorum nomina vel dignitates, vel etiam aliqua ipsorum miracula, quibusque regibus vel cæsaribus claruerunt, more balbutientis infantis huic membranæ inserere procuravi.

Et post quædam de grandiori volumine vitam S. Hydulphi primigeniam continente monachorum negligentia deperdito, ita quod, inquit, vix vitæ B. Hydulphi media pars in dicto cœnobio contineatur, addit:

» Sed ego F. Joannes prædictus penes quemdam monachum in cella Bellævallis commanentem Simeonem nomine quemdam libellum partim foricibus corrosum, partim foliorum abscissione seu deperditione divisum reperi. *Et infra:* Multis aliis perditis plura in quibusdam codicibus & diversis pitatiolis ac usitata relatione a præcedentibus relicta posteris de ortu & vita seu virtutibus & obitu Domini & sanctissimi patris & protectoris Mediani cœnobii Hydulphi, ac beatissimorum discipulorum ejus Spinuli, Joannis & Benigni, ac excellentis reginæ Azæ & Lazari patris ejus, qui ob supernæ vitæ bravium relicta mundi pompa ab Orientis partibus ad Medianum se contulerunt claustrum sub Fortunato patriarcha Jerosolymitano, qui inibi vices gerebat pastoris, reclusi, tandem cum palma victoriæ cœlos petiverunt laureati: & etiam prædicti Fortunati viri sanctissimæ vitæ, & gloriosi Bonifacii qui fuit rector illorum de legione Thebæa, qui Treviris sub Rictiovaro præfecto temporibus Maximiani imperatoris coronam martyrii immarcessibilem percipere meruerunt, cujus artus sacri in prædicto cœnobio Mediano venerantur, habemus, quæ in memorato libro vitæ S. Hydulphi non continentur. Unde bonis desideriis dicti Domni Bencelini Spinalensis & abbatis Mediani cœnobii, & domni Theobaldi de Fecocourt thesaurarii ejusdem loci claustri placuit, ut illa mea servitus ad ignorantium & subsequentium notitiam in unum colligerem &c. «

Annales ejus monasterii prosequitur ad ann. MCLXVI, in quibus plura de imperatoribus, principibus Germanis, ducibus Lotaringiæ, episcopis illarum partium habet curiosa nec negligenda. Quæ ex aliis chronicis operi suo assuit, nota speciali monet lectorem. Accuratum esse scriptorem agnoscit abbas laudatus Hyacinthus Galliot ex collatione cum aliis auctoribus æqualibus. Exemplar primigenium membraneum Joannis periit, jamque in dicto monasterio habetur tantum exemplum chartaceum ex illo priori a domno Alberto ejus asceterii monacho & curato anno MDXLIV exscriptum & XXV novembris finitum, quod & conjiciunt ab eodem pluribus in locis interpolatum. Codex hic Mabillonio missus mihique XIV april. MDCCXI amice communicatus pagg. 353 in fol. constat.

F. BERNARDUS LOMBARDI.

F. BERNARDUS LOMBARDI vel *Lombardus* agnomine familiæ non a natione sic dictus, provinciæ Provinciæ & conventus Perpiniani alumnus, hincque in actis aliquando Gallo provincialis, aliquando Catalanus appellatus, vir fuit ineunte seculo XIV apud sodales illustris. Provinciæ laudatæ septimus fuit post divisionem a Tolosana prior, quod munus ab anno MCCCXXIII egit ad MCCCXXVII, exinde ad legendas Parisiis sententias missus, ubi & in sacra facultate lauream tandem est consecutus. Quæ constant ex actis. Sic enim in catalogo priorum provinciæ Provinciæ: 1327.

» Septimus in provincia Provinciæ divisa fuit F. Bernardus Lombardi de conventu Perpiniani: electus autem fuit in cap. prov. celebrato in Carpentorate anno Dñi MCCCXXIII in festo B. Dominici, erat enim tunc prior Avinionensis & vicarius provinciæ « (*Constitutus nempe in actis cap. gen. Barcinone eodem anno habiti, amoto ibidem ejus prædecessore.*) Idem autem F. Bernardus existens provincialis fuit assignatus Parisius in cap. gen. celebrato Perpiniani ad legendum sententias anno Dñi MCCCXXVII, non tamen fuit in ipso capitulo absolutus ab officio provincialatus: sed cùm post ipsum capitulum provincialis existens iret Parisius ad legendum, D. papa Joannes XXII ad requisitionem quorumdam Fratrum fecit eum absolvi ab officio provincialatus, dum actu esset in via eundo Parisius ad legendum «. *Ex cod. Lingon.* & alio *regio* 4506 qui aliàs fuit nostrorum Aquensium.

In actis cap. gen. Parif. anni MCCCXXVI sic habetur: *Assignamus ad legendum sententias Parisius anno sequenti, quantum nostra interest, F. Bernardum Lombardi priorem provincialem provinciæ Provinciæ.*

In actis sequentis apud Perpinianum MCCCXXVII: *Assignamus ad legendum sententias Parisius isto anno F. Bernardum Lombardi de provincia Provinciæ.* In catal. magistror. Parisien. recensetur 84. Ex dictis emendandi Lusitanus, Fernandez & alii, qui familiæ agnomen in nationis convertunt, & præstant origine Longobardum & ad 1292 collocant. Gravius errant Altamura & Rovetta in duos uterque dividentes: ille primum ignotum inquit patria & cognomine ad 1291, alterum ad 1321, referens:

Rovetta

Rovetta verò primum ad 1292 Castro Laudensis diœcesis ortum contendens, quod nullus testium ab ipso laudatorum dicit: alterum ad 1329 cujus patriam ignorat, quem suus Vincentius Rivalius solus corrigere debuisset, nam & hic unicum agnoscit. Possevinus Lusitanum excipit. Meminerat jam olim Ludovicus a Valleoleti n. 31 his verbis: *F. Bernardus Lombardus scripsit*

Super sententias scilicet in IV libros, ut alii omnes consentiunt.

Extat ejus scriptum *in primum* Lipsiæ in Paulina olim nostra, & recensetur apud Fellerum p. 182 n. 20 in fol.

Quodlibeta & disquisitiones theologicæ adduntur a Rovetta, & libens assentior, cùm id esset præsertim magistris Parisiensibus solemne.

F. BARTHOLOMÆUS DE BARIO.

† 1327. F. BARTHOLOMÆUS DE BARIO, a patria Apuliæ Peucetiæ civitate agnomen ducens, episcopus fuit Vigiliensis sub Tranensi metropoli, & capellanus ut aiunt Itali, id est a sacris & consiliis Carolo II Siciliæ regi, ejusque fit mentio in actis regiis ad ann. MCCCXXVII, ut testatur Ughellus Ital. Sac. T. VII. Tacet quidem fuisse ordinis Prædicatorum, sed sodalem nostrum fuisse contendit Fontana in Theat. & testem adducit Taegium apud quem sic legebat: *Eodem tempore F. Bartholomæus de Bario factus est episcopus Vigilianus in regno Siciliæ.* Omittit Toppius in Bibl. Napol. Sed Altamura inter scriptores ad 1327 numerat, ipsi tribuens

Commentaria super Pentateuchum.

F. PETRUS MONTICELLUS.

† 1327. F. PETRUS MONTICELLUS Italus patriaque & professione Ferrariensis, ob præclaras animi dotes a summo pontifice ex ordine assumto Benedicto XI ad sedem Comaclensem promotus, hanc Ecclesiam sapientissime administravit ab anno MCCCIV ad MCCCXXVII quo mortem obiit. Ejus meminit Bernardus Guidonis inter episcopos ex provincia Lombardiæ assumtos, sic enim apud eum lego: *In Marchia Trivisina F. Petrus Ferrariensis episcopus de Comachio.* Idem habent Fernandez & Ughellus Ital. Sac. T. II, & ex eo Fontana in Theatro, ubi de episcopis, qui tamen parum sibi constans, ubi de Patribus in conciliis, eum recenset inter eos qui conciliis Pisano & Constantiensi affuerunt. Errantem secutus Rovetta hunc Petrum ad 1419 revocat seculo circiter solido antea defunctum, qui rectius in concilio Viennensi sedisse uterque dixissent. Aberrat iterum Rovetta dum Cremonensem asserit, quem Bernardus æqualis præstat ortu Ferrariensem. Hæc ei a Rovetta ascribuntur opera apud nostros Finarienses (an & hîc erratum & legendum *Ferrarienses*) aliâs servata

Commentaria in Aristotelis philosophiam.

Postilla super nonnullos psalmos.

F. RAIMUNDUS BEQUIN.

† 1328. F. RAIMUNDUS BEQUIN Gallus Occitanus Tolosæ natus ordinemque amplexus, jam apud suos clarus erat anno MCCCXII, quo in actis cap. prov. Carcassonæ post generale ibidem continenter habiti sacræ scripturæ lector Tolosanus institutus est: exinde cùm ingenio & eruditione emineret in sacra facultate Parisiensi visus est promovendus, de quo sic in actis cap. gen. apud Pampilonam anno MCCCXVII legitur: *Assignamus ad legendum sententias Parisius isto anno F. R. Bequini de provincia Tolosana.* In catal. magistrorum Parisien. apud Bernardum Guidonis recensetur n. 70. Tantam verò sibi famam in scholis peperit, ut Joannes XXII sacri palatii magistrum allegerit anno MCCCXXI, & F. Guillelmo de Lauduno ex eo munere ad Ecclesiam Viennensem XI april. ejus anni evecto suffecerit. In eo verò officio ita dotes suas explicavit, ut ab eodem pontifice anno MCCCXXIV patriarcha Hierosolymitanus renunciatus fuerit, & ab ejusdem ordinis F. Guillelmo Petri de Godino episcopo Sabinensi consecratus, unâque a Bertrando cardinali de Montefaventio pallio ornatus, data ei ut jam a pluribus annis in usu erat, Ecclesiæ Lemissensis seu quæ eadem est Nimociensis in insula Cypro administratione. Eo mox se contulit, & partes vigilantis pastoris sedulus implevit, donec vocante Deo anno MCCCXXVIII & regere & vivere desiit. Ejus inter alios meminere Razzius pagg. 67 & 208, Fontana in Theatro, Percinus in Monum. conv. Tolos. omnes ex dictis emendandi: primus cùm putat Petro de Palude in patriarchatu successisse, cui certo prævivit: secundus & quoad chronologiam, & cùm Nemausensem in Gallia Ecclesiam, *ἀντὶ* Nimociensem seu Lemissensem in Cypro datam ei in commendam scribit: tertius ad 1313 p. 69 ubi eum priorem Tolosanum egisse asserit, quo tamen munere nunquam functus est, nec ab eodem Percino in catalogo priorum ad finem chronici ullus ei locus datur. Legendus Rainaldus ad 1324 n. 44, & ad 1326 n. 28 ubi refert epistolam quam ad eum Joannes XXII scripsit de exercenda in Nestorianos Jacobitas censura, & ad 1329 n. 94 ubi ab ejus morte suffectum ei Petrum de Palude narrat. Ei a Nicolao Bertrando in Hist. Tolos. ascribuntur

Quodlibeta varia & alia quædam opuscula, sed quæ idem addit ad nos usque non pervenisse.

F. NICOLAUS DE TREVETH.

F. NICOLAUS DE TREVETH vel *Trivet* vel etiam *Traveth*, his enim variis modis agnomen ejus seu in codd. MS, seu apud nomenclatores legitur, Anglus gente fuit, origine Nortwicensis, patre Thoma de Treveth equestris ordinis viro, sub Henrico III Anglorum rege justitiario itineris de corona, natus circa annum MCCLVIII. A teneris annis ut aiunt Londini apud nostros educatus ac litteris humanioribus institutus, adolescens ibidem ordinem amplexatus est: cùmque ingenio polleret acri & vivido, Oxoniam missus est philosophicis ac theologicis scientiis imbuendus. Exinde pluribus annis easdem apud suos publice professus est disciplinas: tum ut moris erat eo seculo, Parisios ad gymnasium Sanjacobeum jussu superiorum venit ultimo perficiendus. Insulæ suæ redditus, Oxonii ad gradus promotus, lauream tandem obtinuit magisterii. Londinensibus suis aliquando priorem præfuisse volunt, at potissimam vitæ partem litteris qua docendo qua scribendo insumsisse opera ab eo relicta evincunt. Anno Dñi MCCCXXVIII ætatis LXX circiter obiisse asserit Baleus, quem excipiunt Pitseus & Caveus gentiles. Hinc emendandi Gesnerus, & eum excipiens Lusitanus ac sequaces inter quos Possevinus & ultimo Altamura, qui ad 1360 revocant. Ejus præter citatos meminerunt antiquiores Laurentius Pignon n. 43, Ludovicus a Valleoleti n. 26, Leander fol. 137 a, sed ipsemet de se suoque patre legendus in chronico regum Angliæ Spicileg. Dacher. T. VIII p. 626. Opera ejus triplici ordine visa sunt referenda. † 1328.

Sec. XIV. THEOLOGICA.

1. *Commentarii in Genesin.* Pr. *Corruptio humana natura.*

2. *In Exodum.* Pr. *Deus visitabit vos.* Utrumque laudat Pitseus, sed neutrum ubi servetur aperit.

3. *In Leviticum.* Pr. *Expositionem librorum legis Moysi.* Extat Oxonii in gymnasio Merton, & recensetur catal. Angl. T. I, P. II n. 655. Hoc opus nuncupavit magistro ordinis Aimerico Placentino, qui præfuit a MCCCIV ad MCCCXI.

4. *De computo Hebræorum.* Pr. *Expleta expositione Levitici.* Extat eodem cod. 655 mox laudato.

5. *In libros paralipomenon.* Pr. *Inter celebres veteris testamenti.* Sic Pitseus.

6. *In psalterium.* Pr. *In psalterio decachordo psallam tibi.* Recensetur in catal. Angl. T. II P. I n. 1791 hoc titulo: *Liber psalmorum ex translatione Hieronymi cum commentariis Nicolai Trivet*, in 4. Iterum T. I, P. I n. 2731: *Nicolai Triveth expositio litteralis super psalterium translatum a B. Hieronymo. Codex antiquus.* Extat & apud sodales ordinis Rutenis in Aquitania. Vidit etiam Alva Romæ in Barber. Opus priori provinciali Angliæ F. Joanni de Brissolis nuncupavit.

7. *In sacra Biblia catena ex SS. Patribus.* Laudat Ludovicus a Valleoleti his verbis: *F. Nicolaus Travet Anglicus ex dictis SS. doctorum sequens modum B. Thomæ super quatuor evangelia, scripsit super Bibliam.*

8. *In libros S. Augustini de civitate Dei.* Extat Parif. in Regia cod. MS 3786 fol. memb. eleganti: Ubi 1 *Tabula super libris B. Augustini de civitate Dei* foliis 102, quam Trivetus ait opus esse nostri Roberti Kildewardby de quo supra. Postea: *Incipit expositio historiarum extranearum, dictorumque poeticorum, quæ tanguntur ab Augustino in libris de civitate Dei facta per F. Nicolaum Treveth ordinis Prædicatorum.* Pr. *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. Ps. 86. Cùm Romani aliquando Gothorum irruptione affligerentur &c.* a fol. 113 ad 161. 3. *Expositio quorumdam ambiguorum in libris B. Augustini de civitate Dei positorum ejusdem Trivethi.* Vix coll. 2. Recensetur etiam in catal. Angl. T. I, P. I n. 2446: & P. III n. 1686.

Nota plures inter quos Lusitanus, Baleus, Pitseus & alii censere Trevethum in his commentariis conficiendis adjutore usum fuisse consodali Thoma de Walleis, quasi amborum commune fuerit opus, sed a vero aberrant quam longissime. Uterque enim suam expositionem privatim edidit, Trevethus quidem in omnes XXII libros, cujus principium allatum, *Gloriosa &c*: Thomas verò suam quæ incipit, *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, in decem priores libros tantùm. At post utriusque mortem notarii Thomæ commentarii complendi gratia, quæ illi deerant in sequentes libros ex Trevethi expositione acceperunt, & Thomæis addiderunt. Id dilucide explicatur in cod. MS. Augustin. Parif. ad pontem novum n. 202 fol. med. memb. Pr. *Incipit expositio F. Thomæ Walois &c.* At post caput 29 lib. 10 sic legitur: *Finitur opus secundùm F. Thomam Walois &c. Sequentia sumta sunt de expositione F. Nicolai Triveth magistri in theologia ord. Prædic. Anglici, ne opus præsens imperfectum videretur. In cap. 30 declarat Augustinus &c.* Hæc igitur amborum conjunctio non auctorum ex condicto consilium, sed pura puta notariorum audacia est, vel ut mitius loquar industria, qui lucubrationes auctorum duorum diversas in unam conflarunt. Ejusdem rationis alii extant Parisiis codices MS. In Sorbon. 694. In Navarr. In catal. Angl. T. I P. I n. 1559. Ista etiam ratione Thomæ Walleis expositio typis prodiit Moguntiæ, Petri Scheiffer 1473 fol. mag. quæ editio Parif. in Mazarin. Tolosæ, Henrici Mayer 1488 fol. par. quæ apud nostros ad S. Honor. Venetiis 1489 & Friburgi Brisgoiæ 1494 fol. quæ in Mazarin. In his porro expositio Trevethi in decem priores libros non prodiit, nec aliàs typis editam scio. Addo quæ in ea expositione Theophilus Rainaudus seu Petrus a Valleclausa in ludicro suo de immunitate Cyriac. libello p. 119 & seqq. carpit, Thomam Walleis tantùm non Trevethum attingere, etsi ambos confundere satagat nam & ceu certum astrui potest Trevethum opus Thomæ nunquam vidisse, nimirum eo longe junioris, ac de quo nos postea ad ann. 1340.

9. *Flores super regulam B. Augustini.* Extat apud nostros Lovanii cod. MS fol. papyr. *Incipit prologus*: »Inter multas & varias religiosam profitentium militiam regulas gradum primum illam obtinere credimus, quam suis observandam clericis præsul tradidit Augustinus &c«. Finis f. 66: *Explicit expositio magistri Nicolai Trivet super regulam B. Augustini episcopi. Anno Dñi* MDV *per manus F. Martini ab Aerschot ord. Prædic. conventus Lovanieñ.* Aetas est hujus exempli. Recensentur antiquiora in catal. Angl. T. I P. I n. 3609, & T. II, P. I n. 7831. Alva dicit se vidisse Coloniæ apud canonicos S. Crucis. Habetur etiam Trajecti ad Rhenum in 4. sic Sacra Bibl. Arcana p. 305.

10. *In libros de consolatione philosophiæ Boëtii.* De quo commentario S. Antoninus P. III tit. XXIII §. XI scribit non meliorem reperiri: nam monendus lector apud eum erratum esse typorum, cùm legitur ibi *de Trajecto*, cujus nulla est memoria, pro *de Traveth* vel *de Trivetho*. Insignis est Parif. codex in Bibl. olim Seguier. nunc Coislin. fol. max. membr. n. 186, duplici columna quaque pagina distinctus. In altera exhibetur supposita expositio S. Thomæ de Aquino de qua nos supra: in altera *expositio F. Nicolai Trevet*, & sic quæque e regione alterius. Hæc posterior sic incipit: *Prologus in librum Boetii de consolatione philosophiæ secundùm Nicolaum Treveti Anglicum ordinis FF. Prædicatorum.* »Explanationem librorum Boetii de consolatione philosophiæ aggressurus, votis quorumdam satisfacere cupiens, qui me ex professione ordinis prædicti tam majoribus quam minoribus apostolico debito obligatum ad hoc propter nonnulla, quæ eis videbantur obscura, devota supplicatione compulerunt, historiam Theodorici regis Gothorum ex diversis chronicis collectam censui prælibandam &c«. Prologus alter ejusdem: *Consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Psal. 113.* »Inter lætari & lætificari hoc inter esse videtur, quia lætari dicimus &c«. Met. 1 *Carmina qui quondam.* »Volens igitur Boetius agere de consolatione philosophica, primo inducit personam tam consolatione indigentem quam consolationem inferentem. &c«. Ex quibus liquet, quantum ii fallantur, qui ejus expositionem eam censent, quæ sub nomine S. Thomæ typis prodiit: ista enim typis impressa non solum ab illa quæ in cod Seguer. seu Coisln. sub nomine Trevethi, sed & ab illa quæ in eodem codice sub nomine S. Thomæ longe diversissima est, & indigna quæ prælum sub tanto nomine pateretur.

Extat adhuc hæc eadem Trevethi expositio Parif. in Regia cod. 4981 fol. med. memb. Iterum cod. 5817 fol. charta. Rursus cod. 5818 fol. par. memb. & cod. 6018.

Florentiæ in Medic. Plut. LXXVI cod. 28 memb. eleganti fol. Ad calcem liber dicitur scriptus secunda augusti MCCCXCIII pro Scolaio Nepi de Spinis Aresii capitaneo pro communi Florentiæ. Rursus cod. 29 & 30 fol. memb. Ibid. ad S. Marci Arm.

II n. 103 : & apud Servos B. M. n. 55. In catal. Angl. T. I P. I n. 2150, P. III n. 2416 : T. II P. I nn. 6411 & 6612. Alva dicit se vidisse in Hispan. in Escuriali 7 E 23.

11. *In ejusdem Boetii librum de disciplina scholarium.* Pr. *Boetius in lib. de Trinitate.* Sic Pitseus penes quem fides, nam aliàs mihi non occurrit.

12. *De officio Missæ, seu speculum sacerdotale.* In catal. Angl. T. I, P. II n. 655, P. III n. 1724. Tit. *Tractatus notabilis de Missa & ejus partibus secundùm F. Nicolaum Trivet.* ; T. II P. I n. 7659. Caveus a se visum testatur in Bibl. archiepiscopi Cantuarien. Lamberhana eo artificio concinnatum, ut initiales capitum litteræ titulum hunc conficiant : *Frater Nicolaus Trivet de ordine Fratrum Prædicatorum hunc tractatum compilavit ad honorem Dei.* Pitseus hoc ait esse principium : *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. Rogatus a quibusdam Fratribus.*

13. *De perfectione justitiæ.* Pr. *Insinuavit mihi nuper amicus.* Sic Pitseus. Idem fortè est cum eo tractatu cujus titulum sic refert Lusitanus : *Scutum veritatis contra impugnantes statum perfectionis.*

14. *De peccatis & virtutibus.* Sic Lusitanus & Pitseus.

15. *Quodlibeta theologica.* Citantur primi quæstio XII & quarti quæstio XIV a nostro Henrico de Hervordia suppari in sua Catena aurea P. X cod. Regii Parif. 5792 fol. 8 & 9. Ætate Bunderii extabant Antwerpiæ & Lyræ apud Cartusianos, & ea recenset in suo indice fol. 460 teste Alva. Laudantur etiam a Turrecremata & a Bandello de conceptione B. V. speciatim Quodlibet tertium q. 4. Sed apud hos erratum cùm dicunt doctorem Parisiensem pro Oxoniensem.

16. *De fato cum opusculis theologicis.* Pitseus dicit extare Oxonii in Bibl. publ.

17. *Quæstio determinata per Nicolaum Trivet.* Catal. Angl. T. II, P. I n. 6383. *Quæstiones varias* laudat Pitseus, sed ubi extent non indicat.

18. *Super libros Dionysii.* Sic Laurentius Pignon.

PHILOLOGICA.

1. *Super Valerium Maximum ad Rufinum de uxore non ducenda.* Pr. *Mulier si primatum habeat.* Sic Pitseus. Leander *Super Valerium ad Rufinum.*

2. *In declamationes Senecæ.* Laudant Ludovicus a Valleoleti, Leander, Lusitanus. Recensetur a Tomasino in Bibl. Patav. p. 23 b, & in Venetis apud S. Anton. Pl. V I I fol. memb. In catal. Angl. T. I P. I n. 2446. Vidit Alva in gymnas. Complut. Extat Parif. in Colbert. cod. 1088 fol. memb. & in Sorbon. cod. 1144 fol. mag. memb. Opus sic incipit :

In Christo sibi dilecto F. Joanni de Levinha illustris regis Angliæ confessori F. Nicolaus de Trevet FF. Prædicatorum minimus puram veritatem in æternitatis gloria contemplari.

» Exacto septenarii annorum natalium quadrato, cùm domorum Jovis & Saturni Phæbus bruma mali statione signifero peragrato configeret, acutior solito paroxysmus ægritudinis ex diebus antiquis inolitæ, diris depascens membra doloribus, nervorum nexus, artuum juncturas, ac vitalium relaxato officio virtutum, corporis totius, qua sydereo vigori per auream ut somniat Plato, catenam vincitur demisso, harmoniam dissolvere videbatur, ad mali cumulum &c «. quibus gravem morbum quo afflictus erat describit, cujus ratione opus hoc inceptum pene deseruerat, sic concludit : » Denique tamen cùm magni desiderii esse suggestum mihi fuisset, ut latentes prædictarum declamationum sensus absconditasque sententias in lucem producerem, librum repetii, animum resumsi, & in Dei adjutorio confisus, Fratrumque innixus meritis, quorum incrementis labores meos subservire affectavi, præfatum librum expositione illustrandum aggredi ausus fui : quam pro viribus jam consummatam vestræ dilectioni transmitto, ut primum laboris percipiatis fructum, qui primum extitisti motivum. Mei autem qui inter mortem & vitam ego neutrius, in vestris orationibus habere placeat memoriam apud Dominum, in quo abundat misericordia, & peccatorum redemptio copiosa «. Sæc. XIV.

Quid quadrato annorum natalium septenario intelligat, non facile dictu, non existimarim tamen indicare septenarium septies ductum sive ætatis XLIX, sed septenarium tantum quater repetitum sive annum XXVIII ab ortu jam exactum potius censuerim, cùi ætati ejusmodi opus conveniebat : nec diffiteor auctorem delusum, cùm has declamationes Lucii Annæi Senecæ putavit, quæ sunt Marci, sed error erat eo seculo etiam apud alios eruditos communis, ut accurate monet Antonius Bibl. Vet. Hisp. p. 13 n. 45, in quem incidit & ipse Possevinus, licèt Volaterranus jam distinguendos monuisset.

Omittendum non est codicem Sorbonicum hìc laudatum, aliàs nostrorum Lemovicensium fuisse, ut constat ex hac inscriptione initio codicis manu antiqua apposita : » Iste liber est Fratrum Prædicatorum Lemovicensium ex dono D. Bernardi Bruni episcopi Cozeraniensis ejusdem ordinis, & continet declamationes Senecæ & expositiones earum (*locus hic abrasus*) ejusdem ordinis provinciæ Angliæ magistrum in theologia «. Rursus in eadem prima pagina : *Iste liber est Fratrum Prædicatorum Lemovicensium, & fuit D. . . . . Bruni episcopi Cozeraniensis, & habuit conventus ab illo.* Idem habetur in fine codicis. Id autem annotandum visum est, ut memoriam suscitem hujus episcopi ex ordine assumti, quem non solum Gallia Christiana & antiqua Sammarthanorum Fratrum & recens a clarissimo asceta D. Dionysio ejusdem Sammarthanæ familiæ monasterii S. Germani a pratis priore edita, sed & nostri nomenclatores omittunt. Hic episcopus ad latus majoris altaris Ecclesiæ nostræ Lemovicensis sepultus est contra parietem ejus tymbo erectiori statua ejusdem imposita, nullo quidem addito epitaphio, sed solis insigniis gentilitiis, nimirum cruce aurea in area cyanea. In libro verò obituum ejus domus veteri sic legitur : *Decimo sexto kal. decemb. anniversarium D. Bernardi Bruni, qui fuit frater & filius istius conventus, quondam episcopus Conseranensis, qui dedit conventui Graduale, & plures alios libros. Sepultus in dextera parte magni altaris, & conventus tenetur tali die facere suum anniversarium.* Expilata autem ab Hugonottis seculo XVI hac nostra Lemovicensi domo ex libris ab eo episcopo legatis, solum superest *Graduale*, quo etiamnum in cantando divino officio utuntur sodales, cujus initio insignia gentilitia superius relata picta conspiciuntur, nulla altera notitia adjecta. Illud solum observatum in litaniis SS. patronos Ecclesiæ Conseranensis invocari. Hæc documenta quæ Bernardum Bruni episcopum Conseranensem aliquando sedisse evincunt, ad illustrissimum Ecclesiæ principem D. Isaac-Jacobum de Verthamont nunc ejus sedis episcopum misi, ceu quem eruendis suorum prædecessorum memoriis attentum noveram : & ille litteris humanissimis respondit, non desperare se quin tandem annos reperiat quibus Bernardus dictus præfuit. Addidit & familiam illam *Bruni* adhuc Lemovicis florere, sed adjecta nomini syllaba, scilicet *Brunier* jam dici, quod idem annotavit in antiquis Lemovicensium familiis quæ etiamnum vigent, & aliàs per *i* vel *o* cognomen habebant terminatum, nunc adjecta syllaba suavius & ad pronunciationem Gal-

Sec. XIV. icam facilius redditum. Si quis conjecturæ locus Bernardus hic inter MCCCXC & MCCCCVIII eam sedem occuparit. Hoc πάρεργον in gratiam illustris sodalis nostri, ne æternis tenebris obrueretur, spero facile a cordato lectore condonandum.

3. *In decem tragœdias Senecæ.* Pr. *Tria genera theologiæ distingui a Varrone narrat Augustinus lib.* VI *de civit. Dei.* Laudant Ludovicus a Valleoleti & alii. Extat Parif. in Regia cod. 5632 fol. par. memb. Colbert. pluries nn. 2684 fol. mag. 2714 fol. med. eleganti charactere & 2780 fol. omnes memb. In catal. Angl. T. I P. I n. 2446, P. III n. 1677: T. II P. I n. 1556. Tomasinus in Bibl. Patav. bis recenset p. 31 & p. 76. Alva vidit apud Prædicatores Audomaren.

4. *In epistolas S. Pauli ad Senecam & Senecæ ad S. Paulum.* In catal. Angl. T. I, P. I n. 2446 sub dubio tamen, nec ejus credam, cùm nullus meminerit.

5. *In alia Senecæ opuscula.* Pr. ex Pitseo: *Rudis adolescentiæ petulantiam.* Cod. Colbert. 1088 supra n. 2 cit. post declamationes sequitur: *Collectio similitudinum, comparationum, & aliquorum exemplorum, quæ habentur in epistolis Senecæ*, haud dubie a Triveto excerpta & concinnata.

6. *Super Titum Livium & super Juvenalem.* Sic Lusitanus & Pitseus. Ludovicus a Valleoleti generatim tantum *super multos poetas.*

7. *Super metamorphoses Ovidii.* In catal. Angl. T. I P. II n. 766: *Doctoris Triveti de fabulis iisque potissimum Ovidianis explicationes partim morales, partim theologicæ cum duplici tabula.* Rursus n. 1829: *Nicolai Trivet commentarius in metamorphoses Ovidii.* P. III n. 719: *Expositio F. Nicolai Triveti in quadruplici sensu super* XIV *libros Ovidii metamorphoseon.* Pr. *A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Quod opus etsi in his bibliothecis sub nomine Triveti prostans, an tamen sit ejus vehementer ambigo, tum quia nullus ei hactenus tribuit, tum quia principium operis allatum idem est ac similis nostri Thomæ de Walleis, qui in suo prologo testatur se ab alio ante ipsum has Ovidii fabulas moraliter explicatas nescivisse. Anglorum erit an iis codicibus nomen Triveti prima manu ascriptum sit disquirere, & an opus a Thomæ Wallensis opere diversum sit.

8. *Super problemata Aristotelis.* Sic Leander & Pitseus.

9. *F. Nicolai Trevet liber in canones conjunctionum & oppositionum & eclypsium.* Sic in catal. Angl. T. II P. II 316.

HISTORICA.

1. *Annales ab origine mundi ad Christum natum.* Laudant Valleoletanus, Leander & cæteri. Extant Parif. in Sorbon. cod. fol. mag. memb. ex dono S. T. M. Guillelmi de Sequavilla civis Rotomagensis cantoris Ecclesiæ Parisien. & canonici Rotomagen. scripti ut in fine legitur anno MCCCLXVII mense septemb. Incipit:

» Reverendæ discretionis dño M. Hugoni Cantuariensis Ecclesiæ archidiacono, ac D. papæ nuntio in Anglia, F. Nicolaus Treveth ord. Prædic. cùm sui recommendatione humili reverentiam & honorem &c. *Et infra*: Ego autem præfati doctoris B. Augustini doctrinam diligentius attendens &c. editionem B. Hieronymi, qui veritatem Hebraicam immediate transtulit in Latinum sequendam elegi quoad annorum annotationes in quadam chronica, quam ab origine mundi scribere inchoavi &c. *Et postea*: Verùm cùm trium ætatum tempora percurrissem, per alias occupationes mihi impositas impeditus, opus quod cœperam imperfectum reliqui. Quod cùm occasione quadam vestræ R. dominationi præsentaretur, optastis plurimum ut rei cœptæ adderetur complementum. Voluntati autem vestræ juxta possibilitatem nostram affectans placere, ut teneor multiplici & me & meis a vobis præventis beneficio, cœpta de ratione temporum usque ad nativitatem D. N. Jesu Christi, quæ initium est sextæ ætatis produxi. *Et infra*: Opus autem istud secundùm quinque ætates, Patrum præcedentium inhærendo vestigiis in quinque partes distinxi &c. *Et infra*: Annotationem verò hanc temporum si qui contemnunt, quia ab antiquioribus chronographis in quampluribus discrepat, eis ut ex doctrina Hieronymi & Bedæ didici qui a veteribus in pluribus discrepabant, debet sufficere, ut non legant. Quæ si aliquibus accepta fuerit, vestræ dominationis industriæ & diligentiæ imputent, sine qua inceptum negotium aliis intentus penitus neglexissem &c. «

Finis: In hoc anno finita est ætas mundi quinta, in quo promissum meum, quamvis fortè apud nonnullos modici valoris, sed tamen apud expertos non modici laboris, solutum existimo ad honorem D. N. J. C. regnaturi in SS. A. Expliciunt annales ab origine mundi descripti a F. Nicolao Treveth ord. FF. Præd. secundùm annos in scriptura sacra annotatos secundùm translationem B. Hieronymi ex Hebraica veritate «.

In ead. Sorb. est aliud exemplum chartaceum eorumdem annalium fol. & sec. XV ex legato Jacobi de Padua socii artium medicinæ & theologiæ magistri. In catal. Angl. recensetur T. II P. I n. 6498.

2. *Annales a Christo nato usque ad suum tempus.* Sic Pitseus & Vossius, neuter tamen ubi serventur addit. In catal. Angl. T. II P. I n. 2955 indicatur *Nicolai Triveti historia usque ad tempus regis Henrici II in lingua Gallica conscripta.* An a Christo nato incipiat, docebunt gentiles. Rursus n. 5522: *Chronicon Nicolai Drivet cum nominibus eorum qui intraverunt Angliam cum Guillelmo conquestore.* Iterum Append. inter omissos p. 391 n. 23 *Chronicon Nicholai Trivet. Les chroniques d'Angleterre par Nichole Trevet.* Quibus soli lucem afferre possunt earum bibliothecarum præfecti.

3. *Annales regum Angliæ, qui a comitibus Andegavensibus suam traxerunt originem secundùm lineam masculinam.*

Edidit Dacherius Spicilegii T. VIII Parif. Caroli Savreux 1668 in 4 a p. 411 ad 728. Pr. *Athenensium Romanorumque res gestas &c.* Ex cod. MS Resbacensis monasterii, quem Dacherio vir clar. Emericus Bigot concessit ex paterna bibliotheca. In catal. Angl. T. I P. II n. 723, P. III n. 1336: T. II P. I n. 2945, & n. 9967, item P. II n. 76 *Ex annalibus* MS *Nicolai Trevetz ab anno* MCXLIX *ad annum* MCCCXVIII, sive ipse sive alius succenturiaverit. Inter annales his codd. MS contentos Vossius putavit esse distinguendum, & alios esse qui regum Angliæ a comitibus Andegavensibus ortorum gesta describunt, alios qui historiam sex Angliæ regum exhibent, sed prorsus fallitur, iidem enim sunt ex titulis ad numeros allatos positis, quod & Sandius annotavit.

4. *Catalogus regum Anglo-Saxonum durante Heptarchia.* Sic Pitseus & Vossius, qui in Anglia Oxoniæ in gymnasio Mertonensi aiunt servari.

5. *De gestis imperatorum, regum, apostolorum Gallice.* Sic Pitseus haberi Oxoniæ in gymn. Magdal. testatus. Revera Thomas James recenset ceu ibidem servatum p. 36 n. 138. In catal. Angl. lego solum T. I P. II n. 2186 *Nicolai Trivetti chronica.* T. I P. I n. 5105, 181: *Excerpta ex cronicles de F. Nicole Trivet.* Item T. II P. I n. 5567 *Cronicles*

de F. Nicole Trivet. & T. II P. I *Nicolas Trevets chronicle.* Quæ ea sint, docebunt gentiles.

6. *Appendix ad chronica.* Pitseus asserit haberi MS in Bibl. Lumley.

7. In catal. Angl. T. II P. I n. 10006 laudatur *Nicolai Trivet opus Anglice redditum a dño Stow, ipsiusque manu scriptum*, quod quale sit, retegent gentiles.

8. In Bibl. Cotton. p. 58 x n. 3 *Chronica ab anno* MCCLXXXVII *ad annum* MCCCXXII *inclusive per Nicolaum de Trivet.* Ibidem monetur ita inscribi, sed ab opere annalium ejusdem differre. Sequitur ibidem *continuatio M. Adæ de Murimouth ad ann.* MCCCXLVI *inclusive.* Idem opus laudatur in catal. Angl. T. II P. I n. 711 *Nicolai Trevethi annales cum continuatione Adami Murimut.* Quod horum a præcedentibus discrimen, vel quæ cum iisdem convenientia, docebunt forsan aliquando indigenæ.

Lelandus in suo de illustribus Angliæ scriptoribus opere de Nicolao Treveth agens cap. 331 sic habet. » Fuit illud seculum non usque adeo felix, » si linguarum puritatem, si splendida orationis or- » namenta, si vim eloquentiæ spectes : non defuit » tamen materia omnis gravitatis, ponderis, ma- » jestatis etiam plenissima, quæ virtutes quamvis » aureum illud eloquentiæ flumen pleno alveo se- » cum non deferant, habent tamen quod studiosi » laudent. Hæc ego prælusi, ne si quispiam delica- » tulus offendat in Triveto, quod apud Latinissimos » auctores non legerit, auctorem alioqui doctum » prorsus repudiet «.

F. BARTHOLOMÆUS DE PISCIALIS.

† 1328. F. BARTHOLOMÆUS DE PISCIALIS Longobardus patriaque & professione Bononiensis post Ægidium de Gallutiis itidem nostrum anno MCCCXXVII a Torcellana ad Cretensem Ecclesiam translatum, in dicta Torcellana episcopus constitutus est a Joanne XXII, & referente Ughello ex actis XXVIII februar. MCCCXXVIII sacro collegio subsidium solitum solvit. Favet Leander fol. 124 a, ubi Ægidium primum & secundum Bartholomæum Bononienses ambos, ambos Torcellanos episcopos recenset. Hunc *de Piscialis* antea sacri palatii magistrum egisse putat Ughellus, & eo munere ab anno MCCCXXVI ad MCCCXXVIII functum addit Fontana, exceptus etiam a Rovetta; sed repugnant antiqua documenta, ex quibus constat hos in eo munere sibi invicem successisse, Dominico Grima vel Grenier anno MCCCXXVII episcopo Appamiensi instituto Armandum de Bellovisu, huic anno MCCCXXXIV Arnaldum de sancto Michaele Tolosanum sacræ theologiæ magistrum Parisiensem circa festum omnium Sanctorum, ut legitur in additis ad Bernardum Guidonis eadem ætate scriptis, licèt hic a Fontana omissus fuerit, adeo ut nullus Bartholomæo locus superfit, qui forsan in schola sacri palatii legerit ut baccalaureus, id enim tum solemne, sed non ut magister. Aliud majus est apud Ughellum & Fontanam erratum, cùm hunc de Piscialis cum Bartholomæo Parvo itidem Bononiensi Armenorum Schismaticorum ut ita dicam apostolo confundunt: distinguendos enim & duos esse homines, ut & Leander loco citato discernit, ex certis monumentis evincetur ad ann. 1333 ubi de hoc altero. Huic Bartholomæo de Piscialis, sed *Parvo* agnominato a Sixto Senensi & a Razzio p. 232 tribuitur

Commentarium in evangelium Lucæ. Pr. *Oblatio justi impinguat altare.*

Alia verò omnino ei a Rovetta ad 1326 ascribuntur, nempe

Summa theologica adversus sui temporis hæreses.

Tractatus de pœnitentia, & alter de fide.

Utinam ubi hæc serventur vel qui viderit indicasset, nam quos citat testes id non habent. SEC. XIV.

F. ISNARDUS TACCONUS.

F. ISNARDUS TACCONUS Ticini apud Insubres natus & ordini ibidem ascitus seculo XIV † 1329. ineunte jam pietate, doctrina, & rerum agendarum peritia clarebat : nam Bertrandum de Argutis archiepiscopum Burdegalensem Longobardia iter agentem & penuria pressum omnibus præstitis humanitatis officiis ita sibi devinxit, ut illo anno MCCCV ad sedem apostolicam sub nomine Clementis V evecto, mox ab eodem beneficiorum acceptorum memore pœnitentiarius Urbis institutus fuerit, tum & anno MCCCVIII archiepiscopus Thebanus inauguratus, ac demum nonis novembris MCCCXI patriarcha Antiochenus designatus cum administratione Ecclesiæ Papiensis ad summi pontificis beneplacitum, quam sapientissime rexit ad ann. MCCCXIX. Tum verò Joannis XXII offensionem incurrit, quod Matthæi vicecomitis Mediolani imperantis & summo pontifici invisi partibus adhæreret : ideoque & dignitate patriarchali & Ticinensi administratione exutus in ordinem redactus fuit. Aiunt tamen anno MCCCXXV ad dignitatem patriarchalem restitutum, imò & superiorem congregationis Peregrinantium pro Christo, id est Missionariorum nostrorum in Oriente degentium præfectum, & tandem anno MCCCXXIX diem suum obiisse. De quo sic Bernardus Guidonis æqualis : » F. Hysnardus Papiensis fuit « factus archiepiscopus Thebanus per Clementem « papam V anno Dñi MCCCVIII circa festum pente- « costes, qui fecerat eum prius pœnitentiarium. Ei « Frater notus erat, quia in necessitate magna itine- « ris sibi astiterat, cùm esset Burdigalensis archie- « piscopus, & quasi ignotus & solus per partes tran- « siret Lombardiæ anno Dñi MCCCII «. De eo legendi S. Antoninus Hist. P. III, tit. XXIII cap. XI §. 2, Spondanus ad 1320 n. 1 & ad 1325 n. 7, Ughellus Ital. Sac. T. I, col. 35 *. Fontana in Theat. Conc. gener. T. XI col. 1654. Lusitanus in chronico ad 1320, Altamura ad 1319, Rovetta pro libito ad 1370. Editæ ab eo feruntur

Constitutiones synodales pro Ecclesia Papiensi saluberrima : in ejus Ecclesiæ tabulis haud dubie servatæ.

F. LUCAS DE NEAPOLI.

F. LUCAS DE NEAPOLI sic a patria dictus a Benedicto XI ad Castrensem Ecclesiam in Sa- * 1329. lentinis sub Hydruntina promotus fuit VIII novemb. MCCCIII, e qua post octodecim annos regiminis vigilantissimi ad Hydruntinam ipsam translatus est a Joanne XXII die III febr. MCCCXXI, quam ad mortem usque, annum scilicet MCCCXXIX sapientissime administravit. Hunc Rovetta domus nostræ Anconitanæ alumnum contendit, penes quem fides, quæ mihi attenta eo seculo ordinis politia non parum nutat : addit primus & inter scriptores numerandum, ceu a quo relicti fuerint

Sermones de tempore & de Sanctis & quadragesimales.

Ughellus & Fontana de eo legendi.

F. ARNALDUS FRADETI.

F. ARNALDUS FRADETI vel *Fredeti* Aquitanus patriaque & professione Burdigalensis, * 1329. priorem suæ dictæ domus agebat ab anno MCCCII ad MCCCVI, tumque archiepiscopi Bertrandi de Argutis gratiam pietate ac aliis præclaris dotibus adeo

Sæc. XIV. sibi devinxit, ut illo ad sedem Petri sub nomine Clementis V evecto, ab eodem continuo pœnitentiarius allectus fuerit, tum anno MCCCIX episcopus Conseranensis promotus. Sed hæc narrantem Bernardum Guidonis placet audire. Sic ergo ille in cod. Tolos. » F. Arnaldus Fradeti Burdigalensis fuit » factus episcopatus Coseranensis, cujus sedes S. Lycerii appellatur, per D. Clementem papam V cujus erat pœnitentiarius & capellanus, anno Dni » MCCCIX circa festum S. Johannis Baptistæ. Hic est » Coseranensis episcopatus, quem B. P. Dominicus » oblatum sibi corde & animo recusavit, sicut infra » notatum est loco suo. Hic sancte & devote obiit » in vigilia ascensionis Dni, quæ contigit illo anno » ultima die maii in festo Petronillæ ann. Dni » MCCCXXIX, & sepultus sequenti sabbato in Ecclesia FF. Prædicatorum, quam ipse construxerat » adhuc vivens «. Scilicet Rivis, Gallice *Rieux*, in comitatu Fuxensi, ut patet ex hoc altero documento e veteri necrologio nostrorum Cadurcensium accepto quod sic habet. » XXXI maii obiit R. D. » Frater Arnaldus Conseranensis episcopus, cui om» nes & singuli conventus provinciæ Tolosanæ obli» gaverunt se tempore quo vivebat, ad faciendum » anniversarium singulis annis in die defunctionis » suæ, propter multa quæ dedit singulis conventi» bus in vita pariter & in morte. Qui etiam fecit » eleemosynam singularem cuilibet Fratri de pro» vincia ista. Et est sepultus in Rivis in medio cho» ri Ecclesiæ FF. Prædicatorum, quam ipse fundaverat «. In inscriptione lapidi sepulcrali insculpta dicitur

Abbreviasse postillas in Genesim.

De consensu capituli Coseranensis certas duodecim canonicorum portiones constituit, quam legem Joannes XXII anno II pontif. IV kal. maii confirmavit.

Anno MCCCXIII comitiis Occitaniæ affuisse videtur. Nam de his loquens Guillelmus Bardini in historia Parlamentorum Occitaniæ, sic habet : *In camera Ecclesiastica suspecti erant regi archiepiscopus Auxitanensis, Johannes de Convenis episcopus Magalonensis, Arnaldus Fredetus episcopus Conseranensis, Ludovicus de Pictavia episcopus Vivariensis, Raimundus Galardi abbas Condomiensis, Raimundus de Verdala abbas S. Saturnini.*

Ejus nomine Augerius de Candarasa canonicus & vicarius Ecclesiæ Tarbiensis convenit ad synodum provincialem Nugarolii habitam anno MCCCXV.

Has omnes notitias diligentiæ D. Dionysii Sammarthani jam antea a nobis laudati in sua nova Gallia Christiana nos debere profitemur.

F. NICOLAUS DE ASCULO.

1330. F. NICOLAUS DE ASCULO vel *Esculo* Picenus laudatur a Lusitano ceu qui claruerit ad 1342, & ut alter a F. NICOLUCIO DE ASCULO quem revocat ad 1262. Gravis autem mihi suspicio est, unum & eumdem esse auctorem, primo quia certo fallitur Lusitanus cùm *Nicolucium* ad 1262 vixisse refert. Eum enim Leander Albertus, cui major fides, asserit floruisse ad 1330, & sic etiam consentiunt Altamura & Rovetta, qui tamen utrumque distinguunt. Præterea Leander unius tantum *Nicolucii* meminit fol. 144 a, quem virum ait, *sacris literis haud mediocriter eruditum : qui sua lucidissima doctrina & praclarissima vita præsidens cœnobio Asculano, multos coegit vanis mundi pompis ac illecebris abdicare & sese religioni addicere.* Tertiò & præsertim quia qui utrumque distinguunt non alia ratione moventur, quam quod *Nicolao* opera solum philosophica, *Nicolucio* sermones tantum tribuantur. Contrarium autem evincitur ex codd. MSS etiamnum servatis, quorum plures sermonarii *Nicolai de Asculo vel Esculo* nomen præferunt. Utrumque igitur visum est hìc conjungere, ne si unus sit dividamus : si duo sint, neque enim obstat duos ejusdem nominis eodem tempore floruisse, quod curiosorum gentilium diligentiæ discutiendum ultro permittimus, ne confundamus. Hæc Nicolai Asculani philosophica recensentur a Lusitano & sequacibus

Compendium Logicæ.

Commentarii super totam artem veterem Aristotelis.

Quæstiones super libros Physicorum ejusdem : & nonnulla alia.

Quæ ubinam serventur, nullus profert, sed forsan quis gentilis curiosus reteget aliquando, hîcque addere curabit : quot enim hujusmodi opera neglecta jacent in Bibliothecis ?

Apud Tomasinum verò in suis Bibliothecis Venetis in catalogo codd. MSS SS Joan. & Pauli Plut. IV *Latini*

Nicolai de Esculo quadragesimale 4 memb.

Bandellus etiam noster *de conc. B. V. c. 23 n. 57* citat *F. Nicolaum de Asculo ord. Præd. in sermone Nativitatis Domini.*

Juvat hìc transcribere quæ de hoc auctore habet Alva in *Sole Verit.* Lucem enim afferent, an duo sint auctores distinguendi, an unus sit, & qua ratione dictus Nicolucius. Sic enim ille *Rad.* 129 *col.* 1213 : » Sermones istius Nicolai Esculani de tem» pore inveni MSS prius apud Patres Dominicanos Co» loniæ. (Nota extare etiamnum cod. MS fol. charta, » tres uncias spisso) 2 in Bibl. ducis Bavariæ Mo» nachii eosdem, & sunt sermones 89 sub hoc titu» lo : *Nicolai Lucii Esculani ord. FF. Prædic. ser» mones super epistolas & evangelia de tempore totius anni. Et incipiunt :* » Dilecto sibi in Christo F. Ni» colao ord. FF. Prædic. F. Nicolaus Lucius Escu» lanus prior Faventinus ejusdem ordinis salutem & » animarum profectum, quem in nostro ordine ope» re intendimus, sicut ex vita beatissimi patris Do» minici colligere possumus &c «. Ad finem libri habentur ista : *Expliciunt prædicationes F. Nicolai Esculani prioris Faventini de ord. FF. Præd. de epistolis & evangeliis per totum annum, de tempore : per Joannem Moravium succentorem Leluba*, supple *notarium.* » Tertiò invenimus eosdem sermones » in civitate Augustæ Vindelicorum apud PP. Prædi» catores «. Inter istos sermones fatetur Alva duos esse *de Nativ. Domini.* Ex qua relatione Alvæ, si recte legit, ut vix dubium esse potest, cùm semel & iterum repetat, imo etiam eodem modo legatur in codice Coloniensi citato, habentur

Sermones de tempore F. Nicolai Lucii Esculani principio quidem sic nuncupati, in fine autem *F. Nicolai Esculani* simpliciter dicti. In catalogo Bibl. Servorum Florentiæ n. 35 : *Nicolai de Asculo ord. Præd. sermones Dominicales de epistolis & evangeliis.* Exinde quis conjicere posset *Nicolaum Esculanum*, & *Nicolucium* sic per syncopen Italis familiarem ex *Nicolao Lucio* dictum, unum & eumdem esse : quod peritioribus ex antiquis monumentis probandum tantum propono. A cæteris verò quæ ibidem de hoc auctore commentatur Alva, abstineo, cùm sub summi pontificis judicio lis pendeat, cui ex animo omnes Prædicatores subjacemus, semperque ex intimis obediemus. Addo solum ex horum sermonum fragmentis quæ exscribit Alva, auctorem eruditum facile colligi. Præterea in Bibl. Patav. Tomasini apud Patres Eremitanos Augustinianos pag. 74 b laudantur

Sermones de mortuis per F. Nicolucium de Esculo ordinis Prædicatorum S. Dominici scripti anno 1385.

Hunc solum codicem hactenus reperi sub nomine *Nicolucii*. Cui tamen Lusitanus & sequaces, qui omittunt *Quadragesimale* supra relatum, tribuunt adhuc

Sermones de Sanctis alicubi fortè latentes.

F. JOANNES DE NEAPOLI I.

† 1330. F. JOANNES DE NEAPOLI I sic a patria professioneque nuncupatus, seculo XIV ineunte clarere cœpit, magistrum sententiarum Parisiis in gymnasio Sanjacobeo publice interpretabatur anno MCCCXV, ac sequenti licentiatus, ut aiunt, fuit: sic enim de eo in catal. Bernardi Guidonis n. 63: *F. Joannes de Neapoli de provincia Regni Siciliæ fuit licentiatus anno Dñi* MCCCXVI *ante adventum Domini*. Sic ex cod. Lingon. in cod. Carcasson. licentiatus dicitur infra octavas B. Martini anno MCCCXV, etsi levius sit discrimen primum tamen verisimilius apparet. In patriam reversus, variis apud suos functus est cum laude muneribus, non minori vitæ integritate quam eruditione dicendique gratia conspicuus, annisque pluribus in studio S. Dominici Neapolitano cathedram theologiæ obtinuit & rexit. In processu prioris inquisitionis de vita & virtutibus S. Thomæ de Aquino coram apostolicis delegatis, Humberto de Monteaureo archiepiscopo Neapolitano, & Angelo de Tuneosi episcopo Tuscanensi, die mercurii KAL. augusti MCCCXIX confecto vocatus, testimonium reddidit, in quo cùm non nisi ex auditu loquatur & ex aliorum relatione, sanctum doctorem nunquam a se visum clare ostendit. Et sane ex anno quo Parisiis Joannes hic licentiam meruit, cum vix natum cùm mortuus est B. Thomas, facile conjicitur. Qua verò ætate quove anno ille abierit e vivis, nemo hactenus certo indicavit, licèt annum MCCCXXX excessisse facile credam. Apud suos ubi sanctissime vixerat ad superos vocatum, & in regio S. Dominici cœnobio Neapoli sepultum ferunt. De eo legendus Vallius Compendii p. 97, ubi eum generis etiam claritate conspicuum ait, & ex antiqua nobilique *Sicolæ* gente prognatum asserit, a qua Neapoli erecta jam olim anno MCCLXXV, & ædificata scilicet a Leone *Sicola* Basilica S. Salvatoris, & S. Mariæ *de Sicola* nuncupata, de qua Cæsar d'Engenius *Neapoli sacra* p. 394, quæ gentilibus discutienda permittimus. Hæc ejus opera.

1. *In IV Sententiarum libros commentaria*. Laudat Ludovicus a Valleoleti n. 69. Extabant aliàs Neapoli ad S. Dominici, sed furto sublata jam desiderantur.

2. *Quodlibeta* XIII. Laudat idem, extant etiamnum Neapoli ad S. Dominici ab Alva visa & expensa, qui & Sol. Verit. Rad. 273 Quodlibeti VI quæstionem XI de conceptione B. V. integram repræsentat a col. 1898 ad 1906, & fatetur recte citari a Turrecremata, Bandello & sequacibus.

In catal. codd. MS Bibl. Lipf. apud Feller. p. 182 recensetur *Joannis de Neapoli quodlibetum*.

Florentiæ ad S. Marci Arm. II *Ejusdem quodlibeta duo* fol. memb.

3. *Quæstiones variæ* XLII *Parisius disputatæ*. Has ex cod. MS Neapolitano S. Dominici typis dedit Dominicus Gravina tum provinciæ Regni prior Neapoli e Constantini Vitalis prælo pro Secundino Runcaliolo 1618 fol. pp. 406. Extant etiam Romæ in Vatic. nn. 151, 152 & 772 teste Alva citato. Legenda in primis q. XV, *Utrum Deus operetur in omni operante*, in qua ad mentem S. Thomæ ita motionem Dei in agentibus liberis exponit, ut non aliter Bannez & sequaces præmotionem & prædeterminationem physicam explicent ac defendant.

4. *Tractatus de paupertate Christi, in quo F. Vitalis cardinalis ordinis Minorum argumenta omnia solvit*. Extat in Vatic. cod. 3740 pag. 210: Laudat & plura ex eo excerpit Rainaldus ad 1323 n. 7.

5. *Sermones de tempore & de Sanctis, orationes funebres, & aliæ variæ*. Extant Neapoli ad S. Dominici cod. MS memb. ingentis molis, quem Lusitanus testatur a se visum. Inter has orationes duæ sunt hoc titulo: *Sermones ad postulandam canonizationem F. Thomæ de Aquino*. Et postea: *Sermones in festo canonizationis S. Thomæ de Aquino*.

Hi ejus quos habuit Parisiis cùm licentiam ut aiunt decurreret, servantur in Victor. cod. MS 681 fol. par. memb. Fol. 141 b *In die Paschæ*. Fol. 155 a *Dom.* I *post Trinit.* Fol. 156 b *Dom.* III *post Trin.* Fol. 158 b *Dom.* IV *advent.* Fol. 161 a *In festo B. Ludovici regis*. Fol. 163 b *Dom. infra octav. Epiph.* Fol. 164 c *Dom. in passione*. Fol. 170 b *Petri apostoli*.

Ejus præter citatos meminerunt nostrates omnes, Leander fol. 138 b, Razzius, Pius P. II lib. I col. 139, Gozzeus, Altamura ad 1323 & in Append.

F. GUILLELMUS DE SEQUAVILLA.

F. GUILLELMUS DE SEQUAVILLA vel *Saccovilla*, vel *Sanquevilla*, sic enim ejus agnomen varie scriptum reperio pro varia scribentium pronunciatione, Gallus Neustrius a loco natali diœcesis Rotomagensis oppido non ignobili *Sanqueville* vernacule dicto nuncupatus, cœnobiique Rotomagensis alumnus, sacræ theologiæ magister Parisiensis fuit. In catalogo Bernardi Guidonis in cod. Carcasson. recensetur inter F. Matthæum de Ursinis Romanum postea cardinalem, qui pro MCCCXV in cap. gen. Bonon. & Raimundum Becquini qui pro MCCCXVII in Pampilon. ad legendas Parisiis sententias assignati fuerunt, & dicitur *de Sanquevilla*: unde anno MCCCXVI sententias eum legere incepisse verisimillimum F. Michaeli de Furno Insulensi substitutum, qui pro eo anno destinatus quidem fuerat, sed ad annum MCCCXVIII fuit postea prorogatus. In cod. Lingon. numeratur 74 & dicitur *de Sequavilla Normannus*, subjiciturque F. Hugoni de Marchiaco Albiensi provinciæ Tolosanæ pro anno MCCCXXI assignato in cap. gen. Florent. Cognominem habuit sua ætate D. Guillelmum de Sequavilla cantorem Ecclesiæ Parisiensis supra laudatum, ubi de Nicolao Treveth, an & consanguineum? Extat in Bibl. Sorbon. codex fol. par. membr. n. 992 ex legato M. Gerardi de Trajecto socii ejus domus circa MCCCXXX florentis. Titulus: 1330.

Incipiunt sermones Fratris Guillelmi de Saccovilla. Pr. Dominus rex noster ipse veniet & salvabit nos. Isa. XXXIII. *Universitas Parisiensis gaudet hoc privilegio &c.* a Dom. I adventus ad ultimam anni.

Apud Sanderum Elenchi codd. MS Belgii T. I p. 183 inter Dunenses codd. idem laudatur *Wilhelmus de Saccovilla*, ejusque

Sermones Dominicales sic incipientes: Videns civitatem, flevit &c.

Etsi autem utrobique non addatur ordinis Prædicatorum, cùm cætera conveniant nomen, ætas, professio religiosa, hæc opera Guillelmi nostri facile censuerim. Adde quod hujus nominis sodalem nullus alterius professionis nomenclator suis asserit.

F. ANDREAS DE PERUSIO.

F. ANDREAS DE PERUSIO etsi non certo, verisimillime tamen nostris annumerandus visus est scriptoribus ea ratione, quod adversus Ludovicum Bavarum calamum strinxerit, quod in ordine sub pontificatu Joannis XXII sodalibus jubebatur. Nec me movet quod a nostris nomenclatoribus 1330.

omittatur. Nam nec apud ullum alium ejus mihi occcurrit memoria, nec apud ipsos Jacobillum & Oldoinum, qui de Perusinis ex professo agunt. Ita tamen eum mihi vindico, ut si quis alterius professionis suum esse demonstret, restituere illico paratus sim. Venetiis itaque ad SS. Jo. & Paul. extat Plut. xv teste Tomasino hujus opus cum Hervæi Natalis Britonis nostri de potestate papæ libro & aliorum similis argumenti opusculis ligatum hoc titulo

Fratris Andreæ de Perusio contra edictum Bavari. fol. charta.

Hinc colligas circa MCCCXXX floruisse, sed ejus ut & operis major a sodalibus ejus insignis domus notitia expectanda, quam utinam hîc addant, nosque si a vero aberraverimus emendent.

F. LUDOLPHUS SAXO.

† 1330. F. LUDOLPHUS SAXO sic a patria cognomen adeptus, qua verò ex civitate ortum habuerit, jam dici nequit, eo magis, quod Saxonia sua ætate longe latius pateret, ut quæ diœceses etiam Coloniensem & Moguntinam complecteretur: at quod certum, ordinem sive Coloniæ sive Moguntiæ sive in alia Saxoniæ urbe adolescens circa 1300 amplexus est, in eoque tum pietate disciplinaque regulari, tum literis humanis & divinis sub optimis præceptoribus institutus non parum eminuit, præsertim cùm hos mores prudentia, gravitas, agendorum peritia concomitarentur. Florebant tum in utraque Teutoniæ & Saxoniæ provincia viri cœlestium avidi, ac in ea quam spiritualem vocant vita eminentes, quales uterque Aichardus, Henricus de Calstris, Egnolfus, Joannes de Tambacho, Joannes Taulerus, hi tres Argentinenses, Joannes de Swevia qui jam vulgo Henricus Suso audit & alii: Horum consuetudine captus Ludolphus ad eamdem viam trahi se a Deo putavit, idque ut facilius consequeretur, ac divinorum contemplationi commodius deinceps vacaret totus, ordinem censuit mutandum: itaque postquam 26 aut ut alii volunt etiam 30 annis sub nostris vexillis militaverat, ad D. Brunonis castra transiit, ejus sagum in Cartusia Argentinensi (quæ *mons S. Mariæ* dicebatur,) induendo. Vix novam illam militiam professus erat, cùm pii illi eremitæ hominem videntes egregiis dotibus ornatum, ac ingenii superioris, eumdem sibi priorem præfecerunt, quo munere juxta morem videtur ad mortem usque functus. Quandonam verò vel ubi obierit, nemo certo refert; quod enim in Bibl. Cartusiana ex Bostio narrat Theodorus Petreius Moguntiæ diem obiisse & sepultum, ex ipsis tabulis Moguntinis probandum erat: hinc ut Argentinæ vixisse, ita & vivere desiisse nobis est verisimilius, donec certior lux affulserit, si quando Cartusiæ illius anno 1590 a Luteranis eversæ monumenta revelentur. Ejus cum laude meminerunt nostrates omnes a Sixto Senensi, Lusitanus, Fernandez, Altamura ad 1334 & alii: Extrates verò Trithemius, Gesnerus, Simlerus, Possevinus, Bostius & Petreius citati, Aubertus Miræus in Auctario, Bellarminus, Labbeus, Auctor appendicis ad Caveum ad annum 1330, qui Moguntiæ vult Cartusianum induisse, & Dupinius qui Coloniæ, cùm Trithemius & cæteri Argentinæ id factum referant. Hæc ejus opera studiorum apud nostros suorum dignissimi fructus, quorum sanam, eminentem, utilissimam omnibus doctrinam probant, & innumeri adhuc in bibliothecis servati codd. MSS & editiones iteratis typis repetitæ, & in varias linguas versiones adornatæ: de quibus omnibus pauca hæc accipe.

1. *Vita D. N. Jesu Christi e sacris quatuor evangeliorum sanctorumque Patrum fontibus pie simul ac ample derivata, &c.* Variis formis in fol. & in 4 prodiit, primo absque loco, anno, & typothetæ nomine fol. etsi conjiciam annum 1472: extat Parif. in Bibl. Gymn. Navarr. Noribergæ, Koburger 1478 fol. max. tum 1493, 1495, 1522. Argentinæ 1483. Venetiis 1498, 1504, 1516, 1522, 1536, 1564, 1568: tum Dominici Guerrei 1572, 1578: typis Altobelli 1586, 1604.

Parisiis 1509, 1529: tum a Joan. Dadræo recognita typis Bertholdi Rembolt 1580 fol. 1584, 1589.

Lugduni 1519, 1530, 1641, fol.

Antverpiæ 1618 fol.

In Bibl. Eccl. Turon. Laudantur editiones, 1 absque anno &c. altera anni 1488 fol. Gallice hoc titulo: *Le grand vita Christi composé par F. Ludolphe de l'ordre des Chartreux translaté de Latin en Francois par F. Guillaume le Menand de l'ordre des FF. Mineurs:* Absque anno, loco, & nomine typographi, sed in cunis typog. Quæ editio extat Parif. apud Clarissas *Ave Maria*, & in Navar. Postea Parif. Anton. Verard fol. mag. circa 1490. Hujus extat elegans exemplum in Reg. voll. duob. & in pellibus vitulinis excusum. Tum Lugduni, Matthæi Hus 1493 fol. Secutæ sunt plures editiones recentiores, nam nullum opus ad ultimum usque seculum apud pios magis tritum Extat Italice versum a Francisco Sansovino, Venetiis 1607 fol.

Cavendum autem ne quis hanc Christi vitam a Ludolpho scriptam, cum alia ejusdem tituli confundat a F. Francisco Examinez vel Eximinez ord. Min. (Sic enim nomen ejus legitur in codd MSS licèt Ximenius a Wadingo dicatur) adornata, cujus plura exempla Parif. in Bib. Reg. inter alia 6716 fol. max. memb. magnum enim inter utramque discrimen, Ximeniana apocryphis redundat, Ludolphiana tota ex evangeliis & SS. Patribus collecta & contexta.

Codd. MSS Parif. Regia 3681 & 3682. P. I & II fol. mag. memb. Item Gallice voll. tribus membr. 6841, 6842 & 6843 cum elegantibus ubique imaginibus. Item Gallice 7017 & 7018. fol. memb.

Latine in Sorbon. fol. max. memb. Item Navarr. fol. memb. Tomis II. Augustin. Erem. n. 79. fol. max. memb.

Seguier olim nunc Coislin. fol. mag. memb. Tomis duobus.

2. *In psalmos Davidicos enarratio ex SS. Hieronymo & Augustino, & ex Cassiodoro Petroque Lombardo collecta.* Prodiit in cunis Typ. absque anno, loco &c. extatque Romæ in Barberina. Spiris altera vice, Wimphelinghi 1491 fol. Parisiis, Gering & Rembolt 1500 & 1506 fol. Extat in Navarræa. Item 1528. Venetiis 1521 f. Extat in Barberina.

Lugduni. Joan. Champion 1645 in 4.

3. In Bibl. olim Seguier. nunc Coislin. ad calcem I vol. vitæ Christi subjicitur Tractatus pius hoc titulo: *Documenta bona & utilia circa missæ officium pro sacerdotibus celebrare volentibus.* Princ. *In nomine Domini. Amen. Exigis a me Frater dulcis in Domino, ut circa missæ officium aliqua tibi præparativa depingam &c.* Finis: *Delicias vel divitias velut stercora reputares. Explicit tractatus de officio missæ.* Est proculdubio Cartusiani Cartusianum monentis de defectibus quos in monachis quibusdam expertus fuerat ad sacramentum pœnitentiæ accedentibus. Dignus Ludolpho quidem, sed an ejus sit nolim asserere.

4. *Sermones quidam* utiles ei ascribuntur a Petreio, & libens annuerim, si quis ubi serventur, aperiat.

F. CONRALDUS

F. CONRADUS DE ASCULO.

1330. F. Conradus de Asculo seu *Esculo* a patria ditionis pontificiæ civitate episcopali *Ascoli* indigenis dicta in Piceno sic nuncupatus seculo XIV claruit. Ejus meminit Leander fol. 147, & ad annum MCCCXXX refert, ac diutius provinciæ Lombardiæ inferioris præfuisse asserit. De eo Castillus Cent. II lib. I cap. 31, Pius P. II lib. I col. 138 ad 1314, Gozzeus, Lusitanus & Altamura ad eumdem annum, Rovetta ad 1321 addens tamen a Vincentio Rivalio ad 1354 revocari. Nos Leandro standum censemus, donec gentilis quis diligentior priorum provincialium antiquæ provinciæ Lombardiæ inferioris seriem accuratiorem ex veteribus monumentis ediderit. Hæc ejus opera:

Compendium libri Ethicorum a F. Conrado Esculano ord. Prædic. fol. chart. Extat Venetiis ad SS. Jo. & Paul. Plut. VII in altera parte sic recensitum a Tomasino.

Commentarium in libros Ethicorum F. Conradi Esculani ord. Prædic. fol. chart. Ibid. a parte sinistra Plut. II. An sint diversa opera docebunt sodales.

Horum operum nostri hactenus non meminerunt, sed sequentium tantum, quæ ubi serventur nec indicant:

In physica & meteora Aristotelis per modum tractatus unius.

Commentarium in epistolam Jacobi.

Wadingus hunc scriptorem suis sodalibus absque teste asserit, & commentarium in libros Ethicorum laudatum ascribit, quod nostro Conrado codd. mss Veneti citati diserte vindicant.

F. PETRUS DE PENNIS.

1330. F. Petrus de Pennis Aprutinus a patria vernacule *Penna* sic ut volunt Lusitanus & sequaces nuncupatus, ab omnibus nomenclatoribus nostratibus & extraneis celebratur sed parum accurate, aliis eum ad 1242 claruisse volentibus, inter quos Toppius *Bib. Neap.* aliis ad 1531 amandantibus, inter quos Altamura sui certe oblitus, cùm ibidem Leandrum Albertum citet illum laudantem *Lib. de Vir. Illust.* anno 1516 scripto. Nos ex operibus ab eo scriptis ætatem ejus metientes ad medium circiter seculi XIV referendum censemus. Hæc autem ab eo prodierunt pleraque illis ignota, sed a nobis visa, quæ virum demonstrant pietate, eruditione non vulgari, zelo animarum, Ecclesiæque tuendæ ac propagandæ fidei studio commendatissimum.

1. *Liber contra Judæos nomine Thalamoth, qui dividitur in 15 capita. 1 De trinitate. 2 De æternitate. 3 De humanitate. 4 De majestate. 5 De conceptione. 6 De incarnatione & demonstratione* (i. epiphania.) *7 De adventu Messiæ. 8 De circuncisione & baptismo. 9 De dignitate. 10 De celebratione. 11 De imaginibus. 12 De Thalamoth. 13 De lege. 14 De fide. 15 De Dominica passione.* » Prologus: » Legitur in libro Regum, quod rex Assuerus spreta regina Vasthi, Ester elegerit in reginam, quæ » fuit miræ pulcritudinis, moribus & scientia præ» fulgens, & ideo rex dilexit eam &c. *Ad finem » prologi*: Intitulatur iste liber contra Judæos, quia » agit contra eos. Judæus dicit: Vos Christiani te» mere creditis dicentes Deum esse trinum & unum, » nos autem scimus unum esse Deum &c. *Titulus » tractatus*: Dialogus inter Judæum & Clericum. » *Finis*: Sic ergo fuit Jesus Christus filius Dei pas» sus, cui sit laus & gloria in secula seculorum. » Amen «. *Explicit liber contra Judæos nomine Thalamoth, vel nuncupatur Pharetra Judæorum compilatus a Fratre Petro de Pennis ordinis Fratrum Prædicatorum.*

2. *Tractatus contra Alchoranum & Machometum.* » Prologus. Quia Prædicatorum ordo evan« gelicus per alumnum Christi confessorem virum « apostolicum, venerabilem patrem & doctorem « sanctum Dei Dominicum ad salutem animarum « principaliter est institutus, sicut in constitutio« nibus ejusdem ordinis manifeste continetur: id« circo ego Frater Petrus de Pennis minimus de « numero Fratrum prædicti ordinis, confisus de pri« ma veritate quæ Christus est, intendo in hoc « præsenti tractatu improbare falsitates damnosæ « legis Machometi pseudoprophetæ Saracenorum, « & dare viam Fratribus commorantibus inter Sa« racenos sectatores prædictæ nefandæ legis, per « quam facilius poterunt ipsos ad statum salutis re« vocare. Et ut hoc convenientius fiat totus præ« dictus tractatus per certa capitula distinguetur. «

In 1 enim c. ostendetur, *qualiter Machometus Pseudopropheta ac lator mendacissimæ legis Saracenorum Arabes ad sui sequelam attraxit.*

In 2 c. ostendetur, *quod diabolus principaliter, & Machometus instrumentaliter fuerunt actores libri Alchorani falsissimæ legis Saracenorum.*

In 3 c. ostendetur, *quod Machometus in Alchorano ignoranter loquitur de Trinitate sanctissima, & ponit in divinis dualitatem.*

In 4 c. ostendetur, *quod Machometus in Alchorano libro legis Saracenorum imponit ipsi vero Deo multa mendacia: utique asserit ipsum nullatenus habere filium.*

In 5, *quod Machometus insufficienter & falso loquitur de D. N. Jesu Christo.*

In 6, *quod Machometus falsè scribit in suo Alchorano de nostra Domina virgine Maria, & de Angelis, & dæmonibus, & patriarchis, & .... Salomonis.*

In 7, *quod in eodem libro mendaciter loquitur de Apostolis & Judæis, & Christianis & hæreticis, & de circuncisione & matrimonio.*

In 8, *quod bestialiter loquitur de vera beatitudine sive ultimo fine hominis.*

In 9, *quod Machometus nunquam fecit aliquod verum miraculum.*

In 10, *quod præcipit ut cogantur homines ad credendum suæ legi.*

In 11, *quod ignoranter loquitur de natura & proprietate quarundam rerum.*

In 12, *quod falsissima tanquam vera asserit de se ipso.*

In 13, *quod fingit quamdam incredibilem visionem de seipso.*

In 14, *quod expresse contradicit sibi ipsi.*

In 15 & ultimo, *quod ex dicta Alchorani lege Machometi, Saraceni potius tenentur sequi Christum, & ejus evangelium, quam Machometum & ejus legem.*

Opuscula illa duo relata Petrus Suberti S. Papuli episcopus anno 1428 promotus præclaro illi operi suo *De visitatione episcopali*, seu *de cultu vineæ* in partes octo distributo, tanquam octavam addidit. Sic enim ille in prologo, postquam de quibus in septem prioribus partibus per allegoriam ad cultum vineæ acturus est explicuit. » Octavo, *inquit*, sa« guttæ sunt evellendæ vel plantandæ: sic in hac « parte extra opus præsentis compilationis subji« cientur duo tractatus singulares ad confusionem « errorum infidelium, Judæorum & Saracenorum, « & attractionem eorum, de quibus mediante gra« tia Dei non est penitus desperandum: & ideo « episcopi illos habentes in suis diœcesibus ad at« tractionem obnixe vigilare & laborare totis viri«

 » bus debent. Et quia sunt tractatus boni & utiliter compositi, ideo hîc sunt additi. Sed quia ibi » colliguntur eorum errores, qui foris extra unitatem Ecclesiæ sunt, ideo ad partem extra præsentem compilationem etiam superadditi tractatus » situantur, ne prælatis in promtu desit materia corrigendi in omni statu fidelium & infidelium ignorantias, & merito operis gratia, & facundia detur operanti «. Hæc ille quibus ad commendationem horum F. Petri de Pennis opusculorum nihil dici potest illustrius.

Insigne est apud nostros Tolosanos hujus operis Petri Suberti *De visitatione Episcoporum* exemplum MS fol. memb. in quo ad calcem duo opuscula nostri Petri de Pennis exhibentur, qualia retulimus. Sic Incipit: *Pro octava parte sequitur liber contra Judæos nomine Thalamoth* &c. ut supra. Extat & in Colbert. Paris. similis codex MS fol. med. charta n. 978 olim Bibl. Fuxen. Tolos. Sed in hoc exemplo non adest nisi primum opusculum foliolis sex absolutum ad signaturam G. Monendus verò lector erratum irrepsisse in catalogum dictæ Bibl. Colbert. in quo nomen auctoris dicitur *Petrus de Paternis* contra fidem codicis ipsius MS a me F. J. E. visi & explorati ubi legitur *Petrus de Pennis*, & sic revera scriptum *D. Duchesne* tum Bibliothecæ præfecto demonstravi. Quod confirmatur non solum ex cod. nostro Tolos. relato, sed & ex cod. MS. Insulis in Flandria apud nostros servato fol. par. in quo inter plura opuscula contra Mahumetanos extat & secundum superius relatum, & diserte scriptum est *F. Petri de Pennis ord. Prædicatorum.* Alius autem fuit F. Petrus de Paternis Gallice *Paternas* Eremita Augustinianus sub Clemente VI clarus, qui librum *De sufficientia & necessitate humanæ vitæ* scripsit in eadem Colbert. servatum n. 1517, quæ notario indicis Colbert. forsan allucinandi occasio fuit. Lector iterum monendus opus dictum *de visitatione* Petri Suberti typis prodiisse anno 1503 in 4, qui & extat in dicta Colbert. sed editorem rescidisse octavam partem scilicet duo opuscula nostri *de Pennis* relata, vel quod abessent a suo exemplo MS, vel quod non ita necessaria tum viderentur, ut ætate Petri Suberti, qua Judæi & Mahumetani adhuc vigebant, & in quibusdam Hispaniæ provinciis etiam dominabantur, fortè & ad oras usque Occitanas aliquando excurrebant.

3. *Liber* XXII *capp. absolutus vias docens quibus comprehendi potest Terra-sancta, & videri quare deperdita fuerit, & qualiter recuperari possit.* Sic Leander Albertus *fol. 152 b, ubi de F. Petro de Pennis.* Quod opus ille haud dubie viderit forsan in Bibl. Bonon. nostra. Et ex hoc opere conjicio Petrum de Pennis, quem jam constat ante MCCCCXXVIII (quo electus 28 jan. episcopus S. Papuli Petrus Suberti,) vixisse, etiam ante schisma Avenionense revocandum: toto enim illo tempore de expeditione Terræ-sanctæ non actum: sed cùm circa MCCCXXXIII magnis animis de ea expeditione ubique, potissimum in utraque aula Pontificia & Gallica tractaretur, & quidam ex nostris de modis recuperandæ Terræ-sanctæ tractatus tum ediderint, inter eos nostrum Petrum de Pennis libens accenserem, de quo tamen peritiorum esto judicium.

4. *Fratris Petri de Pennis ordinis Prædicatorum Tractatus de notitia verbi Incarnati capp. 25.* Princ. *Sicut scribitur.* Finis: *Deus & homo perfectus.* Extat Florentiæ in Bibl. Medic. Plut. 53 n. 1. Quod opus diversum esse a superioribus probant initium & finis & numerus capitum.

De hoc nostro celebri auctore præter citatos agit Vallius in compendio p. 161 sed levissime parum sibi cognitum ostendens.

F. ANGELUS DE BONONIA.

F. Angelus de Bononia Longobardus patriaque & professione Bononiensis, gymnasium ibidem nostrum generale magister ac regens moderabatur sedente Joanne XXII. De hoc scriptore varia fabulantur, quæ prius refellenda, quam quid veri statuamus. Eum putat Fontana in Monum. ad 1330, quem socium sibi allegit noster Bartholomæus Parvus in Armeniam proficiscens, sed fallitur, nam is socius in relatione hujus itineris apud Galanum dicitur Joannes Anglus non Angelus. Bandellus in suo tractatu de conceptione B. V. cap. 23 episcopum eum Florentinum facit in altera scilicet editione anni 1481, nam in priori magistrum Angelum de Bononia tantum nominaverat. Id mox avidi exceperunt Lusitanus, Fernandez, Altamura ad 1417, Rovetta ad 1413, Bumaldus in Minervaliis Bononień. ad 1352. Allucinationi ansam dedisse censuerim, quod hujus Angeli ætate, alius etiam noster Angelus dictus claruerit, ad Aquilanam primum anno MCCCXXVIII, tum ad Florentinam Ecclesiam promotus episcopus, sed hic non de Bononia, sed de Florentia ex antiqua Acciaiolorum gente ortus dicebatur. Angelo itaque de Bononia nullus inter episcopos Florentinos locus, nec iis annumerant seu veteres Leander, aut Razzius, nec recentiores Ughellus, Fontana &c. Quæ sic discutienda fuerunt, ut Alvæ rixis responderem, qui in Sole veritatis nostros de dignitate episcopali huic Angelo de Bononia levius innocenter tamen collata suggillat acrius, sed qui ex eo quod hac infula caruerit, non recte colligit nec scripsisse, imo nec unquam extitisse. Quin extiterit & scripserit mihi non dubium, quando quidem id testantur Leander fol. 139 b, Bergomensis in supplem. chronic. Razzius p. 293 & alii sequaces supracitati, scilicet 1330.

Commentaria in IV libros sententiarum.

Sermones addit Grysaldus, Alva reclamat, quod disquirant Bononienses sodales, cæterum de his non laboratur, nam nec citantur.

F. MATTHÆUS D'ATRI.

F. Matthæus d'Atri sive *de Atria* a patria Aprutii civitate sic nuncupatus, & regiæ S. Dominici domus Neapoli alumnus, egregiis animi virtutumque ornatus dotibus ordinem suum illustravit, variisque in eo cum laude officiis & titulis scholæque & regiminis dignitatibus functus est, Regni etiam Siciliæ institutus aliquando generalis fidei inquisitor, demum ad Poligniacensem seu Polymniacensem Apuliæ littoralis civitatem & Ecclesiam a Joanne XXII anno MCCCXXX promotus, solitum prælatorum subsidium solvit die XXIII febr. ejusdem anni. Paucis tamen rexit annis, cùm datus illi successor legatur Bonajunta anno MCCCXXXII. De eo legendi Vallius in compendio in quo citantur archiva S. Dominici, Ughellus Ital. Sac. T. VII p. 1023 & T. IX in Append. p. 1042, Fontana in Theat. Toppius laudat in Bibl. Napol. nulla tamen ejus opera profert, quæ fortè a suis symmystis speravit revelanda. 1330

F. NICOLAUS DE PAGANICO.

F. Nicolaus de Paganico, quem Italum facile conjicio a nostris hactenus omissus, recenseтur in bibliothecis Venetis Tomasini, ceu cujus etiamnum servatur inter codd. MS Petrarchæ 1330

Compendium astrologiæ a F. Nicolao de Paganico ordinis Prædicatorum compilatum anno MCCCXXX *fol. memb.*

F. ANONYMUS.

F 1330. F. ANONYMUS ordinis Prædicatorum Gallus, qui anno MCCCXXX jam per XXIV annos regiones Orientales propagandæ fidei causa a SS. PP. Clemente V & Joanne XXII missus pervaserat fere omnes, scripsit opus cujus exemplum extat in Bibl. Colbert. n. 2104 cod. MS memb. fol.

In nomine P. & F. & S. S. Amen. Incipit Directorium ad faciendum passagium transmarinum editum per quemdam Fratrem ordinis Prædicatorum scribentem experta & visa potius quam audita, quod dirigitur serenissimo principi & Dño D. Philippo regi Francorum, compilatum anno Domini MCCCXXX.

» De celsitudinis vestræ sancto proposito Dñe » mi Rex in Romana curia fama celebri divulga- » to exultat & jubilat orbis totus, quod scilicet » tanquam alter provisus de superis Machabæus, » pro æmulatione legis, pro zelo fidei, pro libera- » tione terræ Christi sanguine consecratæ, sumitis » bellum Dei. Et quia pauper ego non possum ob- » sequi vestræ regiæ majestati in curribus & in equis, » quod Deo teste libentius & uberius facerem si » haberem, cum hoc opusculo ad passagium direc- » torio in nomine Domini, qui in tabernaculum » testimonii pelles arietum & pilos caprarum præ- » cepit & docuit efferenda, & plusquam divites » larga munera exhibentes pauperculam commen- » davit duo tantum æra minuta in gazophilacium » offerentem, vestræ felicitatis pedibus humiliter » me prosterno.

» In quo quidem directorio non tam aliorum re- » latione audita, quam ea quæ per XXIV annos & » amplius, quibus fui in terris infidelium commo- » ratus causa fidei prædicandæ visa refero & ex- » perta. Licèt igitur vestra potentia multos habeat » directores, & sit impossibile quod ad beatitudi- » nem tantæ præeminentiæ informatores non con- » fluant undequaque, tamen hoc postulo, hoc sup- » plico mente tota, ut etiam mei fidelis ac devoti » hoc laboratum opusculum non repellat. Si enim » alii quicunque majora fortè descripserint vel pro- » miserint grandiora, puto tamen & certus sum » quod utiliora non potuerunt exhibere nec osten- » dere veriora. Si quis verò in his quæ inferius » differo & describo, punctum se reputet sive læ- » sum, non veritati nec ipsam dicenti, sed sibimet » irascatur potius quia talis. Non enim quisquam » palpari debuit aut vereri, ubi directio tanti exer- » citus aperitur, & de tutela ac salute agitur tanti » regis. Inter hæc cuperem, si mereor tui Dñe mi » vestigia persequi tam sanctum negotium exequen- » tis, non sicut unus de mercenariis, sed sicut unus » de illis, qui de micis quæ cadunt de mensa tua » cupiunt saturari, ut sicut hæc describo literis, di- » gito demonstrarem.

» Huic autem opusculo (Directorium ad passa- » gium) nomen dedi, quod ad significationem duo- » rum gladiorum, quorum Dominus sufficientiam » attestatur, & ad typum apostolorum, quorum nu- » merus in duodenario consummatur, in duos libel- » los & duodecim partes distinctum exhibeo & » completum : ut sicut gladius vivus & efficax ver- » bi Dei ipsorum apostolorum ministerio durata cor- » da gentium penetravit, earumque colla indomita » suæ subdidit jugo legis, sic secundus gladius ves- » træ invictæ potentiæ ac virtutis exemptus de pha- » retra regni vestri, velut alter gladius Gedeonis » tabernacula hostilium nationum dividat, dejiciat, » conterat & conculcet. Amen «.

Primus itaque libellus continet octo partes.

I P. est de quatuor motivis ad passagium faciendum. » I Exemplum prædecessorum vestrorum regum Franciæ, qui semper inimicos crucis & fidei « attriverunt, ac se in istis exemplum aliis Christianorum regibus præbuerunt. II Est desiderium « dilatationis fidei & nominis christiani. III Est « compassio super perditione maximorum christiani nominis populorum. IV Est desiderium recupe- « randi terram Christi sanguine consecratam «.

II P. est de quinque præambulis ante inceptionem passagii ordinandis. » 1. Orationes fieri pro « prosperitate passagii per omnes mundi Ecclesias « ordinentur. 2. Illi qui hoc tam sanctum negotium « prosequentur, vitam suam corrigant & emendent, « & deinceps in melius ordinent & disponant : ac « præterea se exerceant & assuefaciant in his quæ « ad mores & disciplinam pertinent militares. 3. Inter illos qui dominium obtinent super mare, pax « & concordia reformetur. 4. De navibus & galeis ad « sufficientem numerum disponatur. 5. In primo futuro vere duodecim galeæ pro maris custodia sint « armatæ «.

III P. vias quatuor designat, ut ex eis possint eligere meliorem. » 1 Per Aphricam, quæ monstratur & monetur penitus evitanda. 2 Per mare quæ « non est pro militibus, & pro equis ullatenus facienda. 3 Per Italiam via tuta & bona, cujus progressus tangitur triplex, per Acquileiam & Istriam, « per Brandisium civitatem Apuliæ, per Ydrotum « [Hidruntum] civitatem similiter Apuliæ. 4 Per « Alemaniam & Ungariam via facilis & salubris «.

IV P. est quæ istarum viarum sit pro rege & personam suam sectantibus, & quæ pro aliis diversarum partium exercitibus eligenda. » Pro rege via « per Alemaniam & Ungariam eligitur. Pro exercitatis in mari & pro rerum custodia deputatis « quæ per mare portabuntur, via maris. Pro aliis « per viam Acquileiæ & per progressus Italiæ, sicut magis sunt propinqui «.

V P. Quia monet per regnum Rasciæ & per Græcorum imperium transeundum continet in se tria. » 1 Quod non sit cum eis pactum aliquod faciendum propter has rationes, ex parte fidei quam « ipsi tanquam hæretici abjiciunt & impugnant, ne « videatur pars accipi contra Deum & pactum fieri « cum inferno, ex parte Romanæ Ecclesiæ, quam « ipsi ut meretricem & malignantem despiciunt & « contemnunt : quia denique non est præstandum « auxilium fidei & Ecclesiæ inimicis. 2. Quod non « sit in eis ullatenus confidendum per quatuor rationes, a proprietate omnium Orientalium nullius fidei : quia imperator Græcus nunc regnans « est de domo magis proditoria Orientis : quia domus ejus quanto posterior tanto pejor progressu « successorio, sic & de rege Rasciæ : propter illa « quæ aliàs Græci fuerunt contra nos proditorie machinati. 3. Declarantur causæ justæ, licitæ & honestæ ad eorum dominium invadendum, quia non « sunt de familia & linea imperiali, quod nullum « jus habent in imperio, quod detinetur in damnum « domus Franciæ : vindicta effusi sanguinis Gallicorum fidelium innocentum «.

VI P. continet quatuor facilitates imperium obtinendi. » 1 Quia Græci Deum, sapientiam, vitæ « sanctitatem, & probitatem armorum perdiderunt, « postquam a fide catholica discesserunt. 2 Est imperii lacrymabilis depopulatio & lamentabilis solitudo. 3 Ex eorum inordinato temporali capite demonstratur. 4 Quia si inordinatus est eorum temporalis Dñus imperator, inordinatior est sacerdos «.

VII P. primo dat modum ad Thessalonicam & Constantinopolim capiendas, quibus habitis totum imperium obtinetur. Tum ostendit septem utilitates evidentes, quas ex captione imperii passagium con-

» *sequetur.* » 1 Quia Ecclesia tota Orientalis ad fidem & obedientiam Romanæ Ecclesiæ reducetur. » 2 Quod de ipso imperio victualia copiose pro toto passagio habebuntur. 3 Quod exercitus non dimittet hostem post se, de cujus proditionibus habeat dubitare. 4 Quod totum navile habebit portus plures optimos & securos. 5 Quod qui passagium imposterum subsequentur, habebunt loca ad quæ declinando poterunt recreari. 6 Quod illud quod de terra sancta conquiretur, per istud imperium poterit conservari. 7 Quod si contingeret exercitum sine capite remanere, ibi reduci poterit & tueri «.

VIII P. continet sex ordinationes necessarias ad acquisitum imperium sub Francorum dominio conservandum. » 1 Quod omnes Latini, qui fidem Romanæ Ecclesiæ negaverunt, & Græcorum perfidiæ adhæserunt, aut comburantur, aut de imperio expellantur. 2 Quod omnes eorum monachi, qui fidem veram non receperint, de imperio ad partes Occiduas expellantur, & quod nullus ad illum ordinem in posterum in monachum induatur. 3 Quod quilibet tradat unum de filiis suis Latinis moribus & literis imbuendum. 4 Quod omnes eorum libri diligentius comburentur in quibus errores contra fidem catholicam continentur. » 5 Quod omnes in sancta Sophia congregati facta fidei confessione Francorum dominio spontanee se submittant. 6 Quod Græcorum Ecclesiis quinque observantiæ auferantur, quas in subversionem fidei & dominii esse constat. 1 Quia in tota Græcorum Ecclesia non est religio nisi una Calogerorum scilicet perfidorum: 2 quod nullus nisi sit Calogerorum sit episcopus sive abbas: 3 quod soli Calogeri confessiones audiunt omnium tam clericorum quam laicorum: 4 quod sæpe pro quibusdam suis observantiis ad suas conveniunt ecclesias, & ibi liberius conspirationes inveniunt & pertractant: 5 quod quilibet qui vult & potest, facit ecclesiunculam in suo prædio, sive domo, ubi secretius tractant conciliabula supradicta. » Continet etiam hæc pars quinque remedia contra quinque prædicta Continet insuper & ostendit facilitatem regnum Rasciæ obtinendi «.

Libelli secundi sunt quatuor partes.

I P. continet sex diversitates hominum a quibus quantum ad quatuor debetur pro nostri custodia præcavere, videlicet in revelatione secreti, in convictu contubernii, in familiaritate obsequii, & in commissione periculosi negotii. » Primi sunt Armeni, secundi Gasmuli ex patre Græco & matre Latina nati, tertii Assuriani, quarti Murtati (f. *Mulatri*) de Turco patre & matre Græca geniti, quinti baptizati, sexti assassini, qui tanto afferunt majus periculum & important, quanto minus ab aliis dignoscuntur «. *Horum omnium mores depingit.*

II P. ostendit brevissimi transitus locum maris, qui Hellespontus & Bosphorus & brachium S. Georgii nominatur. Continet autem hæc pars quinque rationes evidentes, quod ibi sit magis congruum & necessarium hostes crucis invadere, quam in aliqua parte mundi. » 1 Quia a Francia usque Hierusalem non est plus de mari, nisi ille brevis transitus, navigandum, qui ita brevis est, quod fere de una ripa ad aliam vox clamantis hominis audiretur. » 2 Quia ibi possunt hostes invadi cum minori nostrorum periculo. 3 Quia in toto illo gyro maris omnes alii portus per hostes crucis possidentur, in quibus posset tute exercitus recreari. 4 Quia caput hostile est primitus conterendum, ubi Turchi plus caput esse Saracenorum quam Soldanus per respectum ad armorum potentiam ostenduntur. 5. Quia facilius & utilius est Turcos prius invadere quam Soldanum: quia Turchi possunt Soldano subsidium exhibere non e converso, quia posito quod Soldanus Turchis subsidium exhiberet, nostris obsistere parum posset, cùm Ægyptii sint effœminati & viles propter otium & delectationes carnis assiduas quibus vacant. Quod probat factum Petri Eremitæ, qui multa regna in brevi acquisivit, quia prius Turcos diminuit & attrivit «.

III P. ostendit loca quorum pro exercitu victualia habebuntur, ab Aquilone, ab Occidente, a Meridie, ab Oriente.

IV & ultima P. est de Turchis facile triumphandis. » 1 Quia ipsorum malitia est completa, & Dominus est vobiscum. 2 Quia Turchi in seipsos multipliciter sunt divisi. 3 Quia electa capita sua, qui bella noverant, perdiderunt. 4 Quia suam malitiam instauraverunt de Græcis Saracenatis captivis emptitiis atque servis. 5 Quia sine armis defensivis sunt, & modum bellandi & industriam nullam habent. 6 Prophetiam habent tam ipsi quam alii Saraceni, quod his temporibus per quemdam Francorum principem debent destrui & deleri «.

Auctor est curiosus & lectu dignus sive ob geographiam sive ob historiam. Sic I P. Mot. 2 ita habet:

» Ego pro mea parte per me visum & expertum adjicio. Cùm enim proficiscerer inter gentes causa fidei prædicandæ, transiens infallibiliter sub & ultra tropicum æstivalem, sub æquinoctio me inveni. Quod probatur ex tribus. 1 Quod in loco illo in quantitate diei ac noctis nullo tempore alicujus horæ seu etiam momenti sensibilis differentia notabatur: 2 Quod existente sole in primo gradu Arietis & Libræ erat ibi in meridie umbra recta: 3 Quod stellas illas (tutuerunt) propinquiores [ad] polos mundi videbam in aliqua parte noctis, istas scilicet ad Aquilonem, illas autem ad meridiem, super circulum orizontis simul & æqualiter elevatas. Processi ultra meridiem, ad locum ubi polum nostrum arcticum non videbam, & videbam polum antarcticum circa 24 gradus elevatum. Ab isto loco ulterius non processi. Mercatores verò & homines fide digni passim ultra versus meridiem procedebant usque ad loca, ubi asserebant polum antarcticum 54 gradibus elevari. Conjuncta autem minori latitudine climatum, quæ est 22 graduum, quibus principium primi climatis, vel circa ab æquinoctio distat, cum illis 54 gradibus quibus polus antarcticus elevabatur in loco, ad quem mercatores supradiximus pervenisse, constat (hîc desunt quædam in cod.) Per quod patent quatuor conclusiones diligentius intuenti. I Quod plus sit extra climata versus orientem atque meridiem habitatum, quam sit totum spatium infra minorem & majorem latitudinem climatum assignatam. II Quod major est pars Asiæ quam communiter assignetur. III Quod non est frivolum neque falsum antipodes assignare. IV Quæ magis venit ad propositum, quod nos qui veri sumus christiani, non dicam, decima, sed & vicesima pars non sumus «. Ex his habetur ætate nostri auctoris & jam antea antipodas agnitos fuisse, illasque regiones Orientales & Meridionales a mercatoribus vulgo frequentatas.

Motivo 3 postquam descripsit gentes quæ ritum Græcorum sequuntur & ab Aquilone versus Orientem protenduntur, quales *Bulgari*, *Slavi*, *Blaqui* (seu Valachi) *Gothi*, *Ziqui*, *Scythæ*, *Avogasi*, *Mandali*, *Soani*, *Uni*, seu Hunni, *Alani*, *Georgiani &c.* addit: *Ultra versus meridiem procedendo est quadam insula in mari Indico satis magna, ubi populus circumcisionem obtinet pariter & baptismum. De qua quidem insula dicere quomodo aut qualiter illuc pervenerim, & de conditione illius gentis, & de moribus ac modo vivendi & de con-*

suetudinibus & legibus & modo extraneo dominandi, si ad nostrum propositum conveniret, esset audientibus curiosum. Quæ sit illa insula geographis permitto inquirendum.

P. II praamb. 3 dicit actu esse *guerram gravem inter Catalanos* (in Græcia) *quibus dominatur rex Aragoniæ Fridericus*, & *Genuenses, quibus favet rex Siciliæ Robertus* : & hortatur regem ut pacem inter eos componat, quia quantum ad vasa sunt in Oriente potentiores.

Praamb. 4 dicit Venetos possidere insulas Cretam, Nigropontum, & fere omnes alias numero plusquam viginti in mari Ægeo : » Januenses habere civitatem muratam & fortem nomine Pera in populo copiosam juxta C. P. sitam ita prope quod eam solus portus dividit, & aliam in imperio Tartariæ Aquilonaris nomine Capha «.

P. V a. 3 *sic habet :* » Postremo cùm omnes nationes Aquilonis & Orientis de Francis magna existiment & commendent, omnes obedientes Romanæ Ecclesiæ Francos vocant, de quacumque gente vel progenie sint exorti, ac propter hanc existimationem quam de nobis habent, omni quæ sub cœlo est nos præferunt nationi. Græci soli nos præposterant & rejactant & tanquam mortuos a corde nos judicant relinquendos, & tanquam vasa perdita nos contumeliant & infamant «. *Hinc colligo Gallum eum fuisse.*

P. VI. Facil. 1. » Hæc quæ narro (*scilicet de infirmitate Græcorum*) cùm in C. P. sive Pera, quod idem est degerem, contigerunt. Turcorum vix duo millia imperatorem Michaelem patrem istius qui modo illic imperat cum decem millibus & amplius militibus existentem in campo quem vallabat peditum maxima multitudo, viliter devicerunt & turpiter fugaverunt &c. Cathalani etiam qui modo vocantur societas, quæ nunc est in ducatu & dominio Athenarum, qui non habebant duo millia quingentos equites, ex quibus non erant ducenti homines de sanguine militari, eumdem Michaelem cum 14000 existentem, & cum peditum multitudine copiosa aggressi fuerunt cum audacia desperata, & ipsius ordinatas acies destruxerunt, fugaverunt &c «. Michael imperator iste filius fuit Andronici senioris & pater Andronici junioris, & quæ hîc de eo narrantur circa MCCCXI contigerunt. Eadem fere habet de societate Catalanorum noster Lauterius de Batineis in suo Capistro Judæorum. Videsis infrà ubi de eo. Hinc discimus eam societatem adhuc anno MCCCXXX perstitisse in Achaia.

Facil. 2. » Ego cùm in partibus Persidis commorarer, vidi sæpius Græcorum multitudinem captivorum utriusque sexus, ætatis & gradus, qui cum gemitibus & suspiriis ducebantur, & quasi jumenta in foro pure vendebantur &c. *& infra :* Nunquam fui ad quantumcumque extraneas nationes, ubi Græcos non viderim captivatos «.

Facil. 3. *De imperatore qui nunc præest*, (quod intelligas de Andronico seniore, vel de juniore ejus nepote) » Ipse factus est Cathalanis de ducatu Athenarum, qui vocantur societas, & Turchis ac Tartaris plusquam servus «.

Facil. 4. » Et licèt apud eos idem patriarcha tantæ auctoritatis & excellentiæ habeatur, tamen ego vidi quatuor simul vivos per imperatorem depositos & abjectos, & quintum qui viventibus & videntibus quatuor supradictis patriarchale nomen & gradum ac præeminentiam obtinebat, non sine timore depositionis & tremore «.

P. VII. Sect. 1. » Hoc ædificium (*quod descripsit antea*) vidi prius, quando bellum contra Turcos, cui ego interfui, gerebatur per D. Martinum Zachariæ civem Januæ industrium utique probatum ac strenuum hominem & fidelem, qui de Turchis me præsente plures victorias obtinuit & triumphos, qui fuit nepos D. Benedicti Zachariæ quondam, cujus in factis maris adhuc celebris fama vivit. Præfatum ergo D. Martinum tenet imperator nunc dictus Græcorum proditionaliter captum & indebite ac injuste in carcere vinculatum, &c «.

P. VIII. De regno Rasciæ. » Nunquam vidi ibi aliquod palatium seu domum de lapide nec de terra, nisi in civitatibus maritimis Latinorum «. *Ibidem regionem totam & incolarum mores late describit.*

Libello altero P. I art. 1 *de Armenis.* » Et quamvis Armeni de minori Armenia, quæ quondam Cilicia dicebatur, quamdam unionem fecerint cum Romana Ecclesia & confessionem fidei verbo expresserint, & in scriptis, quarum quidem unionis & confessionis ego motor, operator atque receptor unus extiti de duobus Fratribus Prædicatoribus quos D. Joannes Papa XXII ad hoc specialiter destinavit «. *Quæ videntur referenda ad annum* MCCCXVIII. Vide Rainaldum infrà citatum.

Et paulo post. » Armeni dum potentia Turcorum oppressi vel Saracenorum tributis & mansionibus fatigati ad Romanam Ecclesiam crebro veniunt & recurrunt, eos certe non tantum vinculum amoris & reverentiæ ad hoc attrahit & inducit, quantum cogit & impellit [necessitas.] Ad hoc autem clarius ostendendum, quiddam exempli causa breviter hîc subnectam. Armeni siquidem isti Minoris Armeniæ de quibus texitur sermo præsens, coronam & nomen regni a Romanis pontificibus & imperatoribus habuerunt, & tunc in signum subjectionis de pacto & de conventione quædam optima castra & fortia Romanæ Ecclesiæ donaverunt, duasque Latinis archiepiscopales Ecclesias erexerunt & eas redditibus & possessionibus dotaverunt, monachorum nostrorum monasteria construxerunt, pueros suos Latinis imbuendos literis tradere promiserunt. Postquam verò adepti sunt regni nomen & gloriam affectatam, manum quam ad aratrum extenderant, retraxerunt. Castra enim per ipsos prius data Ecclesiæ sunt ablata, monasteria ædificiis & habitatoribus desolata, bona Cartensis Ecclesiæ, quæ de præfatis sola & unica tantùm restat, pro parte maxima occupata. Ego autem cùm apud eos essem pro causa superius memorata, in quadam ecclesia cujusdam monasterii, quod fuerat Latinorum, a quo monachi expulsi fuerant & fugati, vidi per eos fieri stabulum jumentorum. Tunc etiam socius meus & ego duo pacta ab eis recepimus & firmata, videlicet quod conventus Prædicatorum & Minorum ordinum construerent, & ibi Fratribus mansuris de necessariis providerent : item quod pueros suos instrui facerent Latinis literis ac moribus edoceri, quæ omnia usque hodie perficere neglexerunt «. Legendus Odoricus Rainaldus ad annum MCCCXVIII n. 15 & seqq. ubi Joannem XXII narrat, ne fides inter Armenos exolesceret, putasse aperienda in Armenia gymnasia, in quibus Armeni linguam Latinam discerent, eamque provinciam FF. Prædicatoribus commendatam : additque literas quas ea de causa pontifex regi Armeniæ scripsit, dicens se ei F. Raimundum Stephani ordinis Prædicatorum & quosdam alios socios suos mittere, qui subjectum sibi populum verbo salutiferæ prædicationis instruant, sanctæ conversationis exemplo ad amorem patriæ cœlestis accendant, & Latini sermonis peritiam functi præceptoris officio gratis atque copiose diffundant : regemque urget, ut certa loca in regno suo, & præcipue in civitate Ajacii prædictis Dei famulis assi-

SEC. XIV. gnet, in quibus devotum & debitum servitium Deo reddant, confluentem plebem instruant, & Latini sermonis copiam valeant ministrare. Ajacium civitas est in extrema Ciliciæ ora maritima sita. Quæ Rainaldi narratio ita cum nostri auctoris relatione convenit, ut eum ipsum esse F. Raimundum Stephani fere conjicerem. In actis cap. gen. apud Trevirim anno 1266 coacti sic legitur : *Item concedimus provinciæ Terræ-sanctæ unam domum ad petitionem regis Armeniæ in Armenia.* Nec dubito quin illa ex cœnobiis sit, quæ auctor dicit se vidisse fieri stabulum jumentorum. In actis verò cap. gen. apud Perpinianum 1327 sic lego : *Item concedimus provinciæ Terræ-sanctæ unam domum ponendam in Rhodo, & aliam in Armenia.* Fortè quia ita promiserant Armeni, sed quod auctor docet cùm scriberet adhuc non impletum.

P. IV rat. 6. » Quandocunque audiunt (*Saraceni*) passagium ordinari, excidiosum præstolantur cum magna formidine finem suum. Quod & » ego veraciter sum expertus cùm essem in Perside, » ubi propter remotionem terrarum a nobis, minus » debet passagium formidari. Cùm enim D. P. Clemens [*scilicet V*] passagium indixisset, & apud » illos de Perside verbum hujusmodi sonuisset, tantus timor & tremor eorum corda percussit, ac si » jam Francorum gladios ad spatulas habuissent «. Ex his discimus auctorem jam anno MCCCVIII in Perside egisse, nam eo anno ut habet Raynaldus n. 32 passagium seu bellum in Saracenos a Clemente indictum.

In Epilogo : *Ego qui vix est natio in toto Oriente, quam ad bellum non viderim processisse* &c. Pellibus 22 constat opus, ex quo præterea nomina illarum regionum, populorum, civitatum eo seculo usitata disces.

Idem opus recensetur in catal. Angl. T. I P. II n. 2184 : *Directorium Terræ sanctæ per quemdam Fratrem ord. Prædic. ad Philippum regem Franciæ anno Dñi* MCCCXXXII *ad passagium faciendum.*

Et T. I P. I in collectaneis Ricardi Jamesii p. 260 : *Excerpta ex directorio passagii ad Terram-sanctam.*

Relationem hujus operis factam fuisse in consilio regis Francorum discimus ex registro cameræ regiæ computorum vol. 2 Bibl. olim Seguier. nunc Coislin. quod incipit ab anno MCCC in quo sic legi :

Dant une deliberation du chemin a tenir pour aller en la Terre-sainte par le roi de France neveu du roi de Naples. Is erat Philippus Valesius dictus seu VI, qui anno MCCCXXVIII morte Caroli Pulcri rex evasit. *Item est bien a voir, que aucuns avis ont été baillez au roi sur cette besogne par maniere de livre, que l'en dit qu'un sage prelat, qui jadis fut de l'ordre des Precheurs, & est a present archevêque en l'empire de Constantinople, & ez marches dela, a composé & la envoié : lequel semble conseiller au roi, qu'il aille le chemin d'Allemagne & de Hongrie par terre, & qu'il passe par le roiaume de Rascie & par l'empire de Constantinople, & par une partie de la terre que les Turcs tiennent, & qu'il aille passer la mer au bras de S. Georges, la ou il y a peu de mer a passer. Mais si comme il appert clairement a ceux qui lisent celui livre, l'entente de celui qui l'a fait, est que le roi passant par les terres des mecreans conquête avant soi toutes icelles terres, cest a savoir toute la terre du roiaume de Rascie, l'empire de Constantinople & celles terres que les Turcs tiennent en une partie de terre nommé Asie, & que cette deliberation fut faite pour l'annee* MCCCXXX *le* VII *des Kal. Aug. auquel jour se devoit commencer le passage &c.* Quarum omnium regionum subigendarum consilium nimis difficile visum est attento rerum Gallicarum statu. Verùm ex hac deliberatione discimus auctorem hunc nostrum archiepiscopum in illis regionibus Orientalibus a Joanne XXII constitutum.

Aliud opus se confecisse innuit auctor P. I Mot. 2, in quo demonstrarat si mundi pars habitata per homines in decem divideretur partes, Christianos non esse decimam partem. Quod fortè servatur in Bibl. Vatic.

F. RICARDUS TEUTONICUS.

F. RICARDUS TEUTONICUS laudatur a Laurentio Pignon n. 95 & a Leandro fol. 147 b, ad annum MCCCXXX collocatus, & tandem a Lusitano p. 210 & 211, sed absque agnomine Teutonici, & omisso ætatis qua vixerit anno : hunc verò illi tres asserunt duos tractatus edidisse * 1330

Unum de virtutibus.

Alterum de interpretationibus vocabulorum Hebraicorum Bibliæ.

Ex quibus emendandi tum Altamura qui Ricardum hunc ad 1453 relegat, cùm Laurentius qui ejus meminit, jam ante MCCCC scriberet : tum Rovetta qui non solum ad 1456 prorogat, sed & Longobardum diœcesis Brixiensis & *de Lonato* agnominatum fingit, cùm Teutonem & Laurentius & Leander diserte pronuncient.

F. GUIDO VICENTINUS.

F. GUIDO VICENTINUS a patria, a familia verò *de Pileo* nuncupatus, illustri comitum Montisbelli stirpe satus, sua plurimum eruditione, facundia, præclareque gestis patriam ordinemque quem ibidem amplexus est nobilitavit. Ut enim ille magno animarum fideique æstuabat zelo, miraque dicendo pollebat efficacia, primus Ferrariæ positus est adversus hæreticos generalis inquisitor : tum & sublato e vivis Ottobono de Carretto Ferrariensis Ecclesiæ præsule v Id. Januar. MCCCIV, a Benedicto XI ex ordine assumto mox suffectus est ejus loco, Ferrariensisque nominatus episcopus eodem anno ante pascha, quam sedem annos 27 solidos sanctissime administravit. Hermanni cujusdam impurissimi, qui pro sancto colebatur, ossa conteri ignique devoranda publico curavit, quasque in ea civitate ditioneque tota late propagaverat impietatis & sectæ reliquias pastorali vigilantia & fortitudine profligavit & extinxit. Meritis denique gravis & annis ad bravium a Domino vocatus, piissime decessit e vita anno MCCCXXXI non uti typorum fortè lapsu legitur apud Ughellum *Ital. Sac. T. II col.* 583 anno MCCCXLIX, nec Bononiæ sed Ferrariæ sepultus in templo Prædicatorum ad sacrarium, hoc illi posito cælatoque lapidi cœnotaphio vetustate fere abraso † 1331

De Montebello
fuit nomine Guido
Ordinis erepto postquam
gradum tribuit Ferraria pontificatum
Doctrina scripsit tenore
tumulatus mille trecentis
annis.....

Sacras olim apud suos annis pluribus literas interpretatus fuerat, eratque theologus insignis, sed & humanioribus aliquando deliciabatur uti literis, strictaque facile venusteque utebatur oratione, quod ea quam inducente Benedicto XI, dum adhuc Ostiensis esset & Veletrensis episcopus inceperat, & Clementi V absolutam nuncupavit, utriusque testamenti metrica ac eleganti expositione testatum fecit. Huic operi titulum Guido indidit

Margarita Bibliæ.

Lucubrationis autem suæ discrimen ab aliis simi-

libus, quas antea ediderant *Petrus Riga in libro qui dicitur Aurora, Tobias, Anterius Clalidianus* (sic in cod. MS mox laudando) *& alii*, sic ipse aperit in prologo, » quod licèt prædicti auctores libros » historiales Bibliæ vel omnes vel aliquos eorum » versibus hexametris & pentametris secundùm » quod unicuique complacuit egregio stylo depinxerint, profundas etiam allegorias & pulcras moralitates addendo, sicut maxime Petrus de Riga, » qui non solum libros omnes historiales, sed aliquos alios describit luculenter, nullum tamen reperi, qui libros omnes bibliæ metrico sermone » descripserit. Psalterium enim & proverbia Salomonis & ecclesiasten & librum sapientiæ & ecclesiasticum, & tres prophetas majores, scilicet Isaiam » & Hieremiam & Ezechielem, & duodecim prophetas minores, & epistolas Pauli, & epistolas canonicas & apocalypsim quilibet intermisisse videtur. » Servaverunt etiam præfati auctores in libris bibliæ » magis ordinem rei gestæ, sicut fecerunt magistri » in historiis scholasticis, quam ordinem librorum » & capitulorum, qui communiter in Biblia observatur : mea verò intentio fuit de omnibus & singulis capitulis librorum bibliæ aliquos flores colligere & ordinem ac modum servare, qui traditur in divina scriptura, & communiter in Biblia » continetur : & ideo non laboravi verbis exquisitis » seu rhetoricis & poeticis uti, sed verbis illis quantum commode potui, quibus utitur divina scriptura, ut melius valeant in memoria retineri : nec » de meo aliquid apposui nisi ponendo interdum » verba æquipollentia propter necessitatem metri » &c.

» Demum advertat quod in qualibet pagina lineæ fiant pares. Ulterius est sciendum quod tempore felicis recordationis D. Benedicti papæ XI » dum adhuc Ostiensis & Velletrensis episcopus esset, & pro solatio suo me familiarem suum licèt » indignum interdum ad versificandum induceret, » hunc libellum incepi : sed quia fuit in brevi de » hac vita subtractus, & mihi postmodum impedimenta gravia & innumera occurrerunt, opusculum intermisi. Tandem ad preces sociorum & » instantiam amicorum resumsi, & auxiliante gratia divina perfeci. Ipsum verò libellum Margaritam nominare decrevi, quia sicut margarita de » conchis maris extrahitur, ita libellus iste de pelago scripturæ sacræ colligitur, & sicut margarita » est gemma parva candida & virtuosa, ita libellus » iste habet puritatem & brevitatem in verbis, » habet candorem splendidæ veritatis, & habet in » sententiis excellentem virtutem : & sicut margarita pretiosa non vilibus & immundis, sed nobilibus & excellentibus personis debet exponi, » ita libellus iste non competit infidelibus nec detractoribus & indignis, sed intelligentibus & pollentibus scientia & virtute &c.

» Igitur SS. Pater præsens opusculum, quod » ad solatium vestri prædecessoris incepi, admittere vestra beatitudo dignetur apostolicæ sapientiæ » discutiendum censura & judicio corrigendum, » ut margaritæ libellum, quem apostolica benedictio » habuit inchoatum, apostolica clementia suscipiat » consummatum «. *Explicit prologus.* Quibus ultimis verbis, ut videt lector, ad nomina Benedicti XI & Clementis V alludit auctor : inferas præterea sensum non allegoricum ut putavit Sixtus Senensis, & excipit Possevinus, sed quod & opus ipsum probat, literalem tantùm nostrum auctorem prosequi in animo habuisse.

Princ. *SS. & BB. Patri & D. D. Clementi divina providentia sacrosanctæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici V, F. Guido in Ecclesia Ferrariensi humilis sacerdos obedientiam fidelissimam & pedum oscula beatorum. Per scripturam sacram hominibus sanctis divinitus inspiratam &c.* cujus epistolæ nuncupatoriæ plura supra relata sunt. Postea : *In nomine D. N. J. C. & gloriosæ Virginis Mariæ matris ejus incipit liber qui dicitur Margarita compilatus a F. Guidone Vincentino ordinis Prædicatorum episcopo Ferrariensi ad retinendum aliqualiter memoriæ omnia capitula & per consequens omnes libros divinæ scripturæ contentos in sacrosanctâ bibliotheca. Incipiunt capitula libri genesis numero 50.*

Nobile principium cœli terræ reseratur,
Ordine quove Deus distinguens cuncta creavit,
Omnia perficiens requievit. Præcipit Adæ.

Opus ad mille quingentos circiter versus ascendit, hicque finis :

Explicit liber qui dicitur Margarita.
Ecce Jhesu Christi claudo pietate libellum
Lætitiæ cupiens cœlestis habere lucellum.
Sit benedictus homo Deus & de virgine natus,
Credentes sacris verbis salvare paratus.

Hæc ex cod. MS memb. fol. max. ac melioris notæ gymnasii Sorbonici, qui videtur scriptus anno 1308 : nam ille annus designatur ad calcem *Alphabeti Narrationum* eodem volumine cum aliis opusculis comprehensi : omnia verò eadem manu videntur scripta. Notandum autem in eo exemplo ad marginem ad caput fere cujusque versus ascribi vocabulum ex eo carmine quod F. Alexandro Villadeo ord. Min. tribuitur, & quo CCXVI versibus omnia bibliorum capita expressit incipitque

Sex, prohibet, peccant, Abel, Enoch, archa fit, intrant.

Præter hoc exemplum Sorbonicum sunt alia plura : Regium 4406 fol. par. memb. Colbertinum 5212 simile : Ruthenis apud nostros. Lipsiæ laudatum a Fellero pag. 343 : nec dubium quin sit in Vaticana & aliàs.

Hujus nostri Guidonis meminit Bernardus Guidonis inter episcopos ex ordine assumtos, ubi sic lego : *F. Guido Vincentinus episcopus Ferrariensis per Benedictum XI anno* MCCCIII. (Scilicet stylo veteri Gallico nunc MCCCIV.) *Erat provincialis Lombardiæ* : nempe inferioris, adeo ut primus fuerit ejus provinciæ, quæ anno superiori in comitiis generalibus Bisuntii habitis a Lombardia superiori divisa fuerat, præfectus electus. In chronico verò SS. Pontificum sic habet idem Bernardus æqualis ad annum MCCCI : *Eodem anno corpus cujusdam nomine Armanni, quod annis* XXXI *tanquam sanctum in Ecclesia Ferrariensi extiterat veneratum, fuit studio & mandato inquisitoris hæreticæ pravitatis in illis partibus exhumatum pariter & combustum, tanquam hæretici & damnati, & ejus ara pretiosa satis, fracta fuit publice & destructa. Inquisitor autem qui erat illo tempore Frater Guido de ordine Prædicatorum factus fuit postmodum episcopus Ferrariensis.* De eo agit etiam Sixtus Senensis patriam tacens & Ferrariensem episcopum solùm designans, quod non satis attendens Lusitanus Ferrariensem etiam ortu putavit, hincque delusi plures, in primis Augustinus Superbi, qui suis eum claris accensere frustra nititur Ferrariensibus. Rovetta ad 1306 alia eidem ascribit opera

Memoriale divinorum eloquiorum, quod non aliud a *Margarita.*

Summam theologicam adversus hæreses, sed ubi servetur non aperit.

At quandoquidem plures hîc noster poeta recenset, qui sacra biblia carmine reddiderunt, inter quos non vulgo cogniti quidam ut *Tobias & Anterius Clalidianus*, alius etiam mihi venit laudandus ob elegantiam dictionis, cujus duplex mihi occurrit exemplum, alterum in gymnasio Navarræo, abs-

 que auctoris nomine, alterum in Regia in quo auctor dicitur *Leonius presbyter Parisiensis* n. 3847, utrumque fol. par. memb. Titulus

Biblia metro reddita a Genesi ad Ruth inclusive. Pr.

Historia sacræ gestas ab origine mundi
Res canere & versu facili describere conor
Quas habuere satis Moses Mosemque secuti
Auctores mandare prosæ verbisque solutis
Lege metri : sed me juvat uti carmine, gratum
Auribus ut sit opus, nec sit minus utile menti,
Quæ brevitate metri, quæ delectata canore
Firmius id teneat, quanto jucundius hausit.

Sequitur invocatio ad Deum, deinde sic ad monitorem operis abbatem S. Victoris :

Tu quoque quem nulla subnixum laude parentum,
Sed morum & vitæ meritis, ea denique laus est.
Obscurum genere & clarum virtutibus, ardens
Non sane ambitio quæsitaque gloria multis,
Sed studium veræ probitatis & inclita fama
Propositique tenor & custos regula sacri
Ordinis ad regimen toto radiantis in orbe
Ecclesiæ tanto dignum provexit honore,
Hortatu meditata tuo tu mente benigna
Prosequere, atque tua virtutis robore firma
Hæc mea præ trepido titubantia carmina gressu
&c. plura

Initium operis :

Principio massâ pariter congesta sub imâ &c.

Finis :

Sed cùm propositi jam pars exhausta laboris
Sit non parva mei, pars major & altera restet,
Sintque satis magno bis sena volumina libro
Bisque quater deni bis septem millia versus
Ne tibi sint operis lector fastidia longi,
Fessaque ne medio solvatur in æquore navis,
Hìc standum est portuque licèt figenda remoto
Anchora, cùm pelagus & adhuc mihi grande supersit.

Post oblationem operis Deo O. M. iterum abbatem S. Victoris compellat :

Tu quoque quem falso generis non lumine splendor
Sed virtus meritique illustrat gloria celsi,
Nobilitasque animi melior, Victoris ut unum
Martyris æqualem sacra sibi relligione
Repererit patrem domus hoc te tempore dignum,
Hæc oculis lege digna tuis, fautorque benigno
Hunc res divinas animo tuearis habentem,
Quem tibi pro magno quæsisti munere, meque
Magnus adegisti monitor componere librum &c.

Quæ auctoris rarioris notitia lectori curioso fortè non displicebit, sed an opus ultra librum Ruth prosecutus fuerit, mihi incertum, præsertim cùm istud primum XII libris distinctum sit, nec plures ejus recenseat Labbeus *Nova Biblioth. pag.* 62, ubi ejus meminit. Sed & qua ætate vixerit, quisve ille S. Victoris abbas mihi incompertum.

F. BERNARDUS GUIDONIS.

† 1331. F. BERNARDUS GUIDONIS vir sua ætate de republica literaria Ecclesiastica bene meritus, eo diligentius a nobis seu quoad gesta, seu quoad opera discutiendus est, quod de utrisque minus accurate a nomenclatoribus seu nostris seu exteris agatur. Eum Leander Albertus fol. 152 de Castris S. Vincentii appellat, quod certe agnomen nunquam illi fuit, nisi quod priorem aliquando in conventu Castrensi egit. Hinc ansam arripuit Lusitanus duplicem Bernardum distinguendi, alterum Guidonis ad 1296, alterum de Castris S. Vincentii ad 1305, quem errorem imprudentes hauserunt deinceps Pius col. 127 & 166, Fernandez, Altamura ad 1305 & 1331 & alii. Sed & gravius allucinatur Toppius in *Bib. Napol.* dum suis accenset Siculis, & Castra S. Vincentii in Occitania vertit in Castellum *di San Vincenzo* in Regno. Ratum ergo esto unicum esse Bernardum agnomine familiæ gentilitio Guidonis dictum vernaculè *de la Guyonne*, (Castellum est prope Roeriam versus Rupem apis *la Roche abeille* 4 aut 5 leucis Lemovicis distans) illumque eumdem esse, quem falso de Castris vel de Castro S. Vincentii, aut etiam *del Castello di Sanvincenzo* quidam appellant. Sed præstat hìc breviculum ejus vitæ ab auctore suppari, uni ex ejus voluminibus insertum hìc quale est referre. Sic autem se habet

Brevis chronica de vita & moribus ac scriptis & operibus D. episcopi Lodovensis actoris & compilatoris hujus libri, qui intitulatur Speculum sanctorale. » Fuit vir venerabilis modernis temporibus de terminis Fratrum Prædicatorum conventus Lemovicensis, Dominus videlicet F. Bernardus Guidonis ordinis FF. Prædic. episcopus Lodovensis, qui in presbyterio Ecclesiæ Fratrum Lemovicensium ad sinistram altaris in decenti ac eminenti tumulo fabrefacto ex letone (*idest ex cupro seu ære, quod Galli* de leton *dicunt, sed fuit in desolatione conventus ablatus*) requiescit. Hic ex vico vocato Roeria prope rupem Apis ejusdem Lemovicen. diœcesis oriundus juxta proprietatem sui nominis, tanquam nardus odorifera, vita pariter & doctrina odorem suavissimum Deo & hominibus emanavit. Fuit siquidem vir magni consilii, magnæ experientiæ, expertæque prudentiæ, ac religionis probatæ : vir modestus atque sensatus, ac humilitate profundus, fama, gratia, scientia, ac eloquentia clarus, gesta quoque sanctorum & illustrium virorum, atque antiquitates notabiles, & memorabiles gerens in pectore, & promens in tempore opportuno, ac commendans per scripturam memoriæ cum diligentia ne perirent. Assimilatus insuper in fidei fervore in zelo ac sinceritate religionis patribus primitivis. Hic ex lectore FF. Prædicatorum Albiensium factus est ibi prior, utrumque officium lectoratus & prioratus tam ibi quam in conventu Carcassonæ, ubi præfuit prior, videlicet tribus annis in Albia (a 1294 *ad* 1297) & duobus in Carcassona (*a* 1297 *octob.* 12, *ad* 1301 *julii* 29) simul gessit, & laudabiliter adimplevit. Fuit etiam prior Castrensis (*sive* Castris *in Occitania*, *ubi conventus Ecclesia Deo sub nomine S. Vincentii sacra*) annis quatuor (*a* 1301 *Aug.* 16 *ad* 1305) & duobus annis in conventu Lemovicensi (*scilicet a* 23 *Aug.* 1305 *ad januarii* 16 *anni* 1306 *stylo veteri, novo* 1307.) » Deinde inquisitor Tolosanus annis fere 18. (*Fui autem*, inquit ipse inter Priores Lemovicenses, *absolutus ab officio prioratus per literam magistri ordinis, & factus Inquisitor Tolosanus per literam prioris Provincialis Franciæ receptis inde literis Lemovicis in festo B. Marcelli papæ & martyris scilicet* 17 *Kal. Februarii A. D.* 1306 : quod intelligendum stylo veteri.) » Qui etiam simul cum officio Inquisitionis officium procuratoris ordinis in curia Romana annis ferè quatuor gubernavit, (quo *in ultimo munere anno* 1317 *F. Simoni Saltarello successit a magistro ordinis F. Berengario de Landorra institutus, quodque gesserit ad* 1321, *quo ei successor datus fuerit F. Guillelmus Dulcini.*)

» Hunc misit & destinavit D. Joannes Papa XXII pontificatus sui anno primo (Christi 1317) dum præfatis officiis Inquisitionis & procurationis fungeretur, pro pace reformanda ad urbes & partes Italiæ, & postmodum in Franciam pro pace inter regem & Flamingos confirmanda. Tandem cùm

35 annis

» 35 annis in supradictis officiis, ac in ambaxiatis » per Romanam Ecclesiam sibi commissis per omnia laudabiliter se gessisset, factus fuit per eumdem D. Joannem papam XXII in regno Castellæ » primo Tudensis episcopus, (*anno* 1324) ac deinde infra annum per eumdem translatus octo fere » annis episcopatui præfuit Lodovensi * in provincia Narbonensi. Hic D. Bernardus mente devotus » & sermone jocundus solitus erat dicere suis familiaribus, quos post pressuram studii ac negociorum circa horam noctis interdum ad se advocabat, ut proponeret aliquis eorum aliquod verbum » honesti & jocundi solatii: asserens non esse probum virum, qui vadit ad dormiendum nisi semel » in die fuerit jocundatus. Sed hic sobriè illo solatio utebatur, ut tandem verbis ædificatoriis, quibus mirabiliter affluebat, in devotione hujusmodi » solatium terminaret. Hic etiam fuit vir in verbo » & scripto multa facundia præditus, in omni bonitate conspicuus, in aspectu & affatu gratiosus, » & in his quæ ad religionem & labis hæreticæ exterminationem pertinere possunt, plenissimè eruditus. *Et post quorumdam ejus operum enumerationem de quibus postea:* » Hic etiam Dominus tam » sinceri affectus erat ad matrem suam religionem, » quæ ipsum educaverat, ut ipse existens Avenioni » cum multa devotione fecerit professionem inter » manus magistri ordinis Prædicatorum F. Barnabæ, » dicens formaliter positis manibus suis inter manus » Magistri ordinis, Ego F. Bernardus Guidonis episcopus Lodovensis facio professionem & promitto » obedientiam Deo & B. Mariæ & B. Dominico, & » tibi F. Barnabæ magistro ordinis FF. Prædicatorum, quod ero tibi obediens, tuisque successoribus usque ad mortem. De isto D. F. Bernardo testatus est socius suus F. Petrus Sicardi, qui plusquam » 15 annis confessionem suam continuè audierat, quod » ipse esset paratus jurare, quod nunquam confessus » est sibi aliquam culpam, in qua ipse cognoverit seu » judicaverit esse mortale peccatum. Hic tandem » pontificatus sui anno octavo post multa virtutum » opera & laudabilia & insignia facta quæ gessit in » episcopatu Lodovensi, tam in eleemosynis, quam » in ædificiis, quam etiam in libris ordinandis pro » conservatione perpetua jurium illius ecclesiæ, sicut hæc latius notata reperiuntur in chronica » episcoporum Lodovensium, quæ in catena in choro ejusdem Ecclesiæ ante sedem episcopalem conservantur: habita prius & obtenta a suo confessore auctoritate D. Joannis papæ XXII plena » indulgentia peccatorum suorum, susceptis devotè Ecclesiæ sacramentis in nocte subsequenti festum S. Thomæ martyris circa diei auroram (*ac proinde 29 Decembris, non 13 ut legitur in Gallia Christiana ex ejus epitaphio sed mendosè transcripto, quem errorem sequuntur Fontana, Altamura, Caveus, Dupinius*) expletis 52 annis ab » ingressu ordinis Prædicatorum in castro de Laurosio Lodovensis diœcesis feliciter in Domino obdormivit anno scilicet Domini MCCCXXXI ætatis » vero suæ anno 70 vel 71, portatus inde per suos » sicut ipse vivens ordinaverat, post solemnem funeris executionem in Ecclesia sua cathedrali Lodovensi, ad conventum prædictum Fratrum Prædicatorum tumulandus. Hic quoque vivens & » moriens fertur miraculis claruisse.

* 12. Kal. Aug. 1324 jam erat episcopus Lodovensis ex subscriptione ipsius epistolæ nuncupatoriæ duarum primarum partium sui Speculi Sanctoralis Joanni XXII. *Videsis Labbeum T. II Bib. nova. pag.* 513.

Quis sit auctor hujus breviculi nemo aperit, at antiquum esse & qui Bernardum nostrum viderit, patet tum ex narratione, tum ex eo quod Speculi ejus sanctoralis exemplarium MSS alteri in pluribus codicibus licèt & in aliis adjunctum legatur: hincque suspicarer fere F. Petri Guidonis ejus fratruelis, qui vitas SS a patruo compositas, ordinandas, & juris publici faciendas per codd. MSS multiplicationem sibi aliquando assumpsit, fœtum esse. Quibus tamen addenda visa sunt quædam, quæ ipse Bernardus Guidonis de se testatur, quæque ad relata hactenus dilucidanda non parum faciunt. Sic ergo ille ubi de conventu Lemovicensi: *A. D.* MCCLXXIX *Ego F. Bernardus Guidonis intravi ordinem Prædicatorum Lemovicensium in festo B. Eufemiæ virginis & martyris in septembri, existente Priore F. Petro de Mulceone &c.* Ubi verò de Prioribus Carcassonensibus: *Quintusdecimus successi ego F. Bernardus Guidonis. Fui autem assumptus de prioratu Albiensi, ubi insufficienter præfueram annis tribus, & quartus annus tunc temporis agebatur ibidem lector antea immediatè fueram duobus annis: & Lemovicis secundam lectionem legeram anno uno. Confirmatus & translatus Carcassonam fui anno D.* MCCXCVII *sabbato post festum B. Dionysii in Pruliano. Ubi scilicet Carcassonæ nunc prior existens, lectorisque officium hoc anno & præcedenti aliqualiter supplens, quartumque agens annum ibidem in officio prioratus videlicet anno D.* MCCCI *mense Aprilis eo latius narro* &c. & ubi de Prioribus Castrensibus: 18 *prior successi Ego F. Bernardus Guidonis Lemovicensis præfato F. Pontio A. D.* MCCCI *in crastino Assumptionis B. semper V. M. confirmatus in priorem per priorem provincialem F. Arnaldum Joannis Caturcensem tunc vicarium provinciæ* &c. Denique ubi de prioribus Lemovicensibus: 19 *F. Bernardus Guidonis successit F. Stephano Laurelli in vigilia B. Bartholomæi Apostoli Burdegalis confirmatus anno D.* MCCCV. *Paschali verò tempore subsequenti A. D.* MCCCVI *in festo B. Georgii martyris, qui fuit in sabbato D. Clemens Papa V venit cum octo cardinalibus Lemovicam, & ad domum FF. Prædicatorum declinavit sine diverticulo ad manendum: ubi concessit priori præsenti gratias agenti, & postulanti, quod confessor, quem sibi eligeret, & ipse prior super Fratres & confessores, quos ipse Fratribus deputaret pro illa vice, eamdem & tantam haberent in omnibus potestatem in foro pœnitentiali absolvendi & dispensandi ab omnibus culpis & pœnis circa purgatorium, quantam ipse papa super eos habebat. Dominica verò sequenti visitato prius corpore S. Martialis, deinde populo benedicto recessit apud Solemniacum versus Burdigalam dirigens gressus suos*, &c. quæ supra retulimus. Ex quibus certissimis tum nostros, tum qui de eo agunt exteros quoad chronologiam emendabis.

Opera eo ordine recensere placet quo IX voll. MS memb. in fol. Tolosæ apud nostros servantur, simul indicando quænam illorum alibi præsertim Parisiis MS habeantur.

Vol. I continentur sequentia.

1. *Catalogus seu chronicon summorum pontificum a Jhesu Christo D. N. ad Joannis XXII annum tertium completum scilicet* MCCCXIX.

Sic enim ipse in epistola ad Joannem XXII nuncupatoria, sed postea auxit ulterius, ut habent alii codices præsertim Colbertini, qui plures.

735 Progreditur ad annum MCCCXXVII. Item 1901. Item 4086, hic cum Appendice alterius Anonymi ad finem concilii Constantiensis.

1521 Initia desunt, sed a MCXLVII progreditur ad IX Kal. junii MCCCXXXI ab ipso Bernardo auctus, ut ibidem legitur.

2555 Finis anno MCCCXXIII mense julio. 2763 ad an. MCCCXX. 2770 ad ann. MCCCXXX cum appendice Anonymi Galli ad Clementem VII, qui Urbanum VI antipapam vocat. Denique 5982 ad conspirationem leprosorum anno MCCCXXI cum appendice Anonymi ad mortem Clementis VI.

Duo sunt codd. in Regia 1027 ad ann. MCCCXIX memb. hic, alter charta 4204 ad ann. MCCCXX.

2. *Catalogus alius brevior*, & ut loquitur *Qua-*

SÆC. XIV. *dam quasi chronica manualis pontificum Romanorum ac imperatorum & regum Francorum.*

Extant plures in Regia. 1026 *Pontif. ad* MCCCXVI, *imperatorum ad* MCCCXIII, *regum Franciæ ad* MCCCXVI. 1028 *pontif.* ad MCCCXX, cætera idem. Item 1029.

Colbert. 652 ad MCCCXXIX. Item 735 supra cit. 1521 ad MCCCXXX.

1857 Finis in sede vacante post Clementem V, hic charta.

748 & 4086 *Imperatorum* solum. 1901 *imperatorum & regum Franciæ* solum ad MCCCXXXI. 2464 *pontificum* ad Clementem V: *imperatorum* ad Henricum VII, *regum Franciæ* ad Ludovicum X anno MCCCXV. 2742 *pontificum* & *imperatorum* solum. 2770 *imperatorum* & *regum Franciæ* tantum. 4383 *pontif. imperat.* & *reg. Franc.* hic chart. 5076 & 6315, hic ultimus olim fuit nostrorum Pictaviensium, utriusque finis ann. MCCCXVI.

3. *Genealogia regum Franciæ & de ejusdem regni origine.*

In Regia 1026 & 9620 cum arbore genealogica eleganter picta.

Colbert. 2464, 2763 & 3276, elegantes omnes & picti ut regii. Pr. *Primus omnium de Francis assumtus in regem, coronam sibi imposuit Pharamundus.* Finis anno MCCCXVI.

4. *Genealogia comitum Tolosanorum.*

Regii citati 1026 & 1029 & Colbert. 2763 & 6315.

His addenda *Brevis descriptio Galliarum*, quæ in Colbert. citatis 735, 2763 & 3276.

5. *Nomina apostolorum & discipulorum D. N. J. C.*

Regius citatus 1028. Colbert. 735, 1857, 1901, 2763, in isto officium missæ LXXII discipulorum, 4383 & 6315.

6. *Tractatus brevis de tempore celebrationis generalium & particularium conciliorum.*

Regii 1026, 1028 & 1029 citati. Colbert. 735, 788 hic charta, 1521, 1857, 1901, 1923 hic etiam charta & imperfectus, 2763, 4383 & 6315, 1359 hic habet adjunctam appendicem conciliorum generalium tempore schismatis Avenionensis habitorum a Pisano MCCCCIX ad Basileense.

7. *Vita quorumdam episcoporum sanctorum Ecclesiæ Tolosanæ.*

Colbert. 2763 nempe S. Saturnini fusior, ac lectiones pro ejusdem officio, S. Exuperii, S. Germerii, S. Papuli martyris, & S. Berengarii.

8. *Nomina episcoporum Lemovicensium.*

Colbert. 735, 3276 & 6315.

9. *Nomina sanctorum, quorum corpora in Lemovicensi diœcesi venerantur.*

Colbert. iidem.

10. *Nomina episcoporum diœcesis Tolosanæ.*

Colbert. iidem. Finis in Johanne de Convenis ann. MCCCXVII. Adjecta est ab anonymo appendix ad MCCCCXXXIX.

11. *Tractatus de fundatione ordinis Grandimontensis in diœcesi Lemovicensi, & nomina priorum Grandimontis.*

Colbert. iidem.

12. *Fundatio ordinis Artigiæ in diœcesi Lemovicensi, & nomina quorumdam priorum.* Colbert. 3276.

13. *Fundatio & progressus monasterii S. Augustini Lemovicensis.*

Colbert. 6315.

14. *Tractatus de ordinatione sacrificii missæ a D. Jhesu Christo & SS. ejus discipulis, & demum per summos Romanos pontifices successive.*

Regius 1028. Colbert. 735, 1901, 2763 & 6315.

15. *Casus qui in celebratione missæ accidere possunt: qualiter ipsis occurrendum fuerit si contingant, ex dictis venerabilis doctoris Fratris Thomæ in ultima parte summæ*, q. 83. Regius & Colbert. iidem.

Typis prodiit in cunis typographiæ in 8 absque anno, loco, & nomine typographi, quæ editio in Sorbon. a me visa. Hoc opusculum Bernardus certo scripsit ante canonizationem S. Thomæ, & est argumentum adversus Launoium demonstrativum.

16. *Libellus brevis & utilis de articulis fidei & sacramentis Ecclesiæ & preceptis decalogi cum quibusdam annexis aliis in fine, nempe de operibus misericordiæ corporalibus & spiritualibus & de dotibus gloriæ beatorum, pro rectoribus & curatis Ecclesiarum nostræ diœcesis ad erudiendum plebes fidei suæ commissas.* Colbert. iidem.

17. *Dicta sanctorum atque doctorum Ecclesiæ loquentium de peccato originali &c.* Regius 1028 & Colbert. 735.

Alva hujus libelli meminit Sol. Verit. Rad. 366 col. 2229, sed auctoris nomen ignoravit, estque primus e septem anonymis nostris illo radio ab eo laudatis.

Vol. II quod Johanni XXII etiam nuncupatum, habentur

1. *Tractatus de Dominicis, feriis, & festis de tempore.*

2. *Tractatus de festis SS.*

Istud opus Persinus noster appellat *Rationale divinorum officiorum*

Vol. III sunt *Sermones de tempore & de sanctis.*

Volumina IV sequentia sunt *Speculum sanctorale* in IV partes divisum, quæ non possunt accuratius quam ipsiusmet verbis explicari. Sic ergo ille.

» In prima parte præsentis Speculi sanctoralis « agitur de his quæ per ordinem consequuntur. 1 « De festivitatibus spectantibus ad D. Jhesum Christum, qui est caput totius Ecclesiæ, & causa omnium festivitatum dierum & temporum, quas « sancta Ecclesia tam rationabiliter quam salubriter « instituit & celebrat per anni circulum ab adventu « Dñi in officio ecclesiastico inchoando. 2 De festivitatibus pertinentibus ad ejus sacratissimam genitricem, ex qua natus est ipse Deus & homo. « 3 De duobus festis pertinentibus ad Dominicam « crucem, in qua passus est Christus pro salute generis humani. 4 De angelis, de festo omnium « SS. & de commemoratione omnium fidelium defunctorum, ultimo de festo Dedicationis Ecclesiæ, & est continentia primæ partis. «

» In secunda verò parte Speculi sanctoralis describuntur ea quæ per ordinem sequuntur. 1 Præcursoris Dñi S. Johannis Baptistæ prænunciatus « conceptus per angelum, & ejus nativitas gaudiosa, & sanctitatis ejus præclara præconia, & prærogativæ honoris ejus. 2 Decollatio ejusdem & « martyrium sub Herode Antipa, impia Herodiade « suggerente. 3 Verò describuntur SS. apostolorum « acta & gesta & inclyta trophæa, sumendo exordium ab apostolorum principe Petro, & coapostolo ejus Paulo, prosequendo de aliis per anni « circulum sub eodem ordine, quo eorum natalitia celebrantur in Ecclesia, ac de evangelistis duobus Luca videlicet & Marco. In fine verò partis ejusdem conscribuntur Legendæ aliquorum de LXXII discipulis D. N. J. C, illorum quorum gesta reperire potui & habere, quia non omnium ad manum habere potui sed paucorum, nec « etiam nomina singulorum. Poterunt autem postmodum aliorum discipulorum Legendæ conscribi « suo ordine in eodem volumine ab illis qui eorum « gesta invenerint & habuerint temporibus opportunis. Et hæc est continentia secundæ partis. «

» In tertia verò parte Speculi sanctoralis con-«

» scribuntur agones & triumphi ac coronæ martyrum purpuratæ utriusque sexus cujuscunque ordinis & ætatis incipiendo a protomartyre Stephano & levita, & SS. Innocentibus, prosequendo de aliis eo ordine quo in kalendariis seu martyrologiis dies singulorum natalitii per anni circulum sunt notati. Et hæc est continentia tertiæ partis, quæ propter sui magnitudinem ac multitudinem martyrum habeatur in uno volumine separato.

» In quarta autem & ultima parte Speculi sanctoralis describuntur vitæ ac Legendæ SS. Confessorum & Virginum utriusque sexus incipiendo a B. Silvestro confessore atque summo pontifice, prosequendo de reliquis eo ordine quo per anni circulum occurrit uniuscujusque ipsorum felix transitus de hoc mundo, seu natalis dies in Kalendariis annotatus. Hæc autem pars ultima ex causa consimili habeatur in uno volumine separato «.

Ista quarta pars extat Paris. in Colbert. cod. 748 fol. med. memb. qui codex ille ipse est quem Bernardus Petro cardinali tit. S. Stephani in Cœlio monte dono dedit, ut legimus ipsa auctoris manu scriptum in fronte voluminis. Prologum sic finit auctor:

» Ea igitur necessitas laboris in præsenti opere fuit, quoniam in modernis compilationibus Legendæ SS. veteres, rerumque gestarum historiæ per ipsos compilatores brevitati studentes sic in plerisque decisæ sunt, ut videatur pars non modica detruncata. Item de pluribus SS. nulla prorsus habetur mentio in iisdem, de quibus agitur in præsenti, quod diligens lector animadvertere poterit & videre clarius, hujusmodi Speculum cum illis ad invicem conferendo. Impulit quoque me ad hoc ipsum obedientiæ meritum & astrinxit auctoritas superioris mei prælati magistri ordinis Prædicatorum R. in C. P. F. Berengarii, qui dum adhuc in ordine magisterio fungeretur, a quo interim in Compostellanum archiepiscopum est assumtus, vivæ vocis oraculo idipsum mihi imposuit & injunxit: absens quoque cohortatus est me sæpius litteris iteratis.

His quatuor Sanctoralis partibus, quintam adjecit Bernardus Tolosæ apud nostros servatam, in qua hæc habentur, miracula B. Virginis, vitæ S. Bernardi abbatis, S. Francisci confessoris, Lucæ evangelistæ, XI millium virginum de Colonia passio. Tractatus B. Hieronimi de assumtione. Vitæ Philiberti abbatis, Licerii episcopi, Augustini episcopi, Ægidii abbatis: tractatus exaltationis S. Crucis, Salvini Albiæ episcopi (leg. Salvii vita) tractatus de revelatione S. Michaelis, S. Hieronymi presbyteri, S. Geraldi confessoris: tractatus de festivitate omnium SS. S. Amantii episcopi Autunensis (id est Eduensis vita,) S. Martini episcopi, S. Britii episcopi; S. Joannis Eleemosinarii; S. Nicolai episcopi. *Hæc est continentia libri V. F. Bernardi Guidonis episcopi*. Quæ ceu pura actorum sua ætate vulgatorum collectio æstimanda est, ita ut eruditorum judicio quam fidem singula mereantur, permittat.

Præter vitam S. Thomæ de Aquino parte IV hujus Sanctoralis editam, aliam fusiorem seorsim edidit hoc titulo *Legenda S. Thomæ de Aquino*, in duos libros divisam: primo agit de ejus ortu, vita, gestis & obitu, altero de ejus miraculis & operibus. Hujus vitæ titulos capitum tantum, quia in plerisque Guillelmum de Tocho excipit, & partem libri secundi editores Actorum SS. inseruerunt ad VII martii ex codd. MS Vaticanis duobus 1218 & 3847, tertio gymnasii Pictaviensis S. J., quarto Pragensi & quinto Victorino 641. Hunc ultimum integrum Jacobus Boetius ejus Ecclesiæ canonicus singularis & aliquando prior prælo daturus erat tomo altero Bibl. Victor. quam parabat, sed consilium mors abrupit. Extat adhuc hujus Legendæ elegans exemplum apud Sanctimoniales ordinis Pissiacenses.

Extant præterea Tolosæ alia duo volumina fol. de rebus ad ordinem spectantibus, quibus hæc insunt.

1. *Tractatus brevis F. Stephani de Salanhaco Lemovicensis, de quatuor in quibus Deus Prædicatorum ordinem insignivit*, supra a nobis laudatus ubi de Salanhaco, sed cui Bernardus plura inseruit, & quidem in illo codice id observavit ut suas additiones distingueret hac nota ad marginem apposita *A* vel *Additum* vel *Addita*, sed in aliis ex hoc primo originali exscriptis id neglectum: hinc fit ut Salanhaco multa tribuantur quæ ipsius non sunt, nec eo vivo adhuc inventa, sed a Bernardo longe juniori adjecta, ad quod nisi attendant lectores, in errorem circa historiam ordinis facile labentur.

Sequuntur catalogi a Salanhaco ad ann. MCCLXXVIII perducti, a Bernardo ad sua tempora aucti, ab aliis postea ulterius protensi, suntque 1. Magistrorum ordinis. 2. SS. pontificum & cardinalium ex ordine assumptorum. 3. Magistrorum in theologia, provinciarum, conventuum, & monasteriorum ordinis, capitulorum generalium & provincialium Tolosanæ, ut & hujus priorum tum qui toti provinciæ, tum qui singulis domibus præfuerunt, quarum etiam exhibentur erectionis documenta. Denique acta capitulorum generalium quotquot habita sunt ab anno MCCXX ad MCCCV, una & acta capitulorum provincialium provinciæ Provinciæ & postea Tolosanæ ad eosdem annos: cui postea alii succenturiarunt ad an. MCCCXLII vel etiam MCCCL, ad quem acta generalium extant in cod. Lingonen. Hi præter citatos codices adhuc mihi cogniti sunt duo Carcassonæ, Rutenis unus, Burdigalæ unus, Avenione unus, Cabellione unus, &c.

Scripsit præterea *Tractatum de paupertate Christi adversus Fraticellos*, Carcassonæ in archivo inquisitionis servatum & a Soëgio visum.

Item *De practica officii inquisitorum* ibidem servatum. Extabat etiam aliâs Tolosæ, quem Percinus p. 68 dolet furto sublatum. Fuit aliâs Rotomagi, quem sodales ejus domus nostris Parisiensibus ad S. Honorati, ceu cujus jam nullus est usus, pro aliis libris concesserunt.

Extat & *Liber sententiarum ab eo ut inquisitore latarum, & sermonum in actis fidei ab eo habitorum* a Dom. I quadragesimæ V non. martii MCCCVII ver. stylo, novo MCCCVIII, quo pascha fuit XIV aprilis, ad Dominicam diem Gervasii & Protasii XIX junii MCCCXXIII inclusive.

Hactenus recensitorum quædam typis prodierunt nunc enarranda.

1. *Liber ille sententiarum inquisitionis Tolosanæ* ab anno Christi MCCCVII ad MCCCXXIII prodiit Amstelodami apud Henricum Westenium 1692 fol. edente Philippo a Lemburch in opere cui titulus *Historia inquisitionis*, ex codice MS a quodam ex nostris cœnobiis Tolosanis sublato. Quod sane opus ad Albigensium, Valdensium & aliarum Sectarum eo seculo vigentium errores dignoscendos & historiam dilucidandam non parum confert.

2. Plura vero Labbeus edidit in Bibliotheca sua Nova Parisiis Sebast. & Gabriel. Cramoisy 1657 fol.

T. I p. 629 *Tractatus de Sanctis quorum corpora Lemovicensem diœcesim ornant.* Ex cod. MS Bibl. Petav. 638.

P. 636 *De SS. Lemovicensibus extra diœcesim sepultis.* Ex eod. cod.

Item *de Stephano Obasine fundatore, Gaufrido, Rogerio, & Auberto tractatus.*

Sæc. XIV. T. II *Nomina ac gesta Lemovicensium episcoporum a protopræsule & primate Aquitaniæ B. Martiale ad annum* MCCLXXIII *ex antiquo exemplari Speculi Sanctoralis compositi circa annum* MCCCXX *per F. Bernardum Guidonis episcopum Lodovensem jussu D. Berengarii magistri ordinis Prædicatorum* (non *Minorum*, ut erraco typorum excidit) *& postea archiepiscopi Compostellani, dedicati D. Joanni S. R. & universalis Ecclesiæ pontifici anno* MCCCXX a p. 265 ad 271.

Item de ordinibus Grandimontensi atque Artigiæ, & monasterio S. Augustini Lemovicensi. a p. 275 ad 279.

Item vita F. Bernardi Guidonis episcopi Lodovensis ex apographo Francisci Bosqueti episcopi Monspeliensis. a p. 511.

Item præfatio Speculi Sanctoralis ex eodem apographo. p. 513.

Vita S. Justini confessoris cujus corpus in partibus Vasconiæ, in vico qui vocatur Pertiniacus, cujus transitus celebratur pridie nonas maii, ex eod. apogr. a p. 579 ad 582. Hanc vitam fabulosissimam dicunt editores actorum SS. T. I Maii p. 48. Sed has fabulas Bernardo non tribuas, qui qualem in illis partibus invenit, & collegit:

Vita & miracula S. Eparchi confessoris. pag. 519. Celebratur kal. julii.

Vita S. Genii sive Hygini confessoris Christi. p. 564.

Passio S. Juliani martyris Brivatensis in Arvernia. p. 567. Ejus festum 28 aug.

Vita S. Licerii Conseranensis episcopi & confessoris. p. 588. Ejus festum 27 aug.

Vita S. Sacerdotis episcopi Lemovicensis. p. 661. Hanc vitam clar. Baluzius ante Labbeum ediderat ad calcem Disquisitionis eruditæ de seculo, quo sanctus ille episcopus vixit.

In actis SS. T. II febr. p. 711 ex ejus Speculi Sanctoralis cod. MS Pragensi collato cum Tolosano edita est

Vita S. Fulcranni episcopi Lodovensis & confessoris. ad XIII febr.

In his actis erratum irrepsit quod editores multum torsit, nimirum in suo cod. MS sic legerunt Fulcrannum consecratum episcopum pridie nonas februarii DCCCCXLIX, qui dies revera fuit Dominicus, cum litt. Dom. esset G; postea verò dicitur obiisse anno Dñi MVI, idus februarii IV feria, VIII hora diei transacta: mansisse verò in episcopatu annis LXII & diebus IX, quæ certo non constant, neque enim a DCCCCXLIX ad MVI invenias LXII annos. Istud mendum pro sua diligentia eruditi editores sanare ac restituere laborant, nec scopum attingunt. Erratum non est in annis Christi ut putant, sed in annis episcopatus signatis. In codice Colbert. citato 748 certe accurato, & ab ipso Bernardo ad cardinalem misso sic legitur non numeris Romanis, sed expansè & distinctè: *Mansit autem in episcopatu annis quinquaginta septem & insuper diebus novem*: quo posito nulla superest difficultas. In eumdem errorem tamen incidit Claudius *Chastellain* canonicus Ecclesiæ Parisiensis in suo martyrologio Romano Gallicè verso, in notis ad diem XIII febr. ubi S. Fulcranno annos LXII episcopatus tribuit, cum non sederit nisi LVII.

Vitam S. Glodesindæ a Surio XXV julii editam Dupinius putavit ex eodem Speculo sanctorali nostri Bernardi exceptam, sed Surius se illam dare testatur ex quodam Bernardo abbate vel Arberto monacho. Hanc postea Labbeus Joanni cuidam abbati asseruit & edidit Bibl. Nov. T. I.

Baluzius citatus T. I Pap. Aven. ex duplici Bernardi SS. pontificum catalogo fusiori primo, altero breviori edidit

Vitam duplicem Clementis V. quæ apud Baluzium sunt tertia p. 23 & quarta p. 56.

Vitam duplicem etiam Joannis XXII. quæ apud eumdem sunt secunda p. 133 & tertia p. 151.

Du Catel Tolosanus ad calcem historiæ suæ Gallicè scriptæ Comitum Tolosæ Tolosæ Bosc 1623 fol. inter alia monimenta vetera edidit Bernardi nostri

Genealogiam seu chronicon Comitum Tolosanorum.

F. HENRICUS DE TRAJECTO.

F. HENRICUS DE TRAJECTO laudatur hic ex fide Fontanæ in Monum. ad ann. 1331 p. 201 a, ubi tamen omisit, cujus fuerit, an superioris ad Mosam, an inferioris ad Rhenum, docet tantum censuras a pontifice in Fredericum (*fortè erratum, & legendum in* Ludovicum Bavarum) latas per totam Germaniam superiorem & inferiorem strenuè promulgasse, & adversus FF. Michaelem de Cæsena, Guillelmum Occam, & sequaces scripsisse 1331.

Tractatum de auctoritate papæ.

Horum omnium testem profert Taëgium in Mon. ord. ad eumdem annum.

F. HUGO DE VAUCEMAN.

F. HUGO DE VAUCEMAN vel *Vaucemain*, Gallus patriaque & professione Autissiodorensis, 1333. vir natalium splendore illustris, sed pietate, doctrina, & paternarum traditionum studio longe illustrior, exactis Lutetiæ in gymnasio Sanjacobeo studiis, in comitiis ordinis Caturci MCCCXIX & in sequentibus Rotomagi MCCCXX habitis pro hoc eodem anno ad sententias in facultate Parisiensi legendas assignatus fuit, & in catalogo post Bernardum Guidonis aucto 74 numeratur inter magistros. Mortuo verò circa finem anni MCCCXXI F. Jacobo de Lausana Franciæ priore provinciali, eidem in convocatione Patrum habita februario sequenti Hugo noster suffectus fuit, eoque munere functus est ad ann. MCCCXXXIII, quo in comitiis ordinis Divioni coactis sabbato vigilia pentecostes XXII maii communi electorum voto ad supremum ordinis regimen ascendit. Hæc narrantem Laurentium Pignon placet audire: » *F. Hugo de Vaucemain* de conventu Autissiodorensi fuit electus Parisiis circa purificationem B. V. anno Dñi MCCCXXI (*scilicet stylo veteri, novo* MCCCXXII.) Hic laudabiliter rexit provinciam annis undecim: postea assumtus in magistrum ordinis in capitulo generali apud Divionem anno MCCCXXXIII «. Hactenus. In catalogo verò magistrorum ordinis n. 16, postquam dixit rexisse ordinem annis octo, addit: » Hic defendit ordinem nostrum viriliter contra papam Benedictum XII, qui novis & mirabilibus & duris ordinationibus & statutis voluit aggravare ordinem, & magistrum ordinis cogere ad regulam & constitutiones novas: sed prædicto magistro cum rationibus efficacibus sibi obsistente, non prævaluit papa de his quæ contra ordinem attentaverat «. Clarius adhuc hæc explicat, qui Bernardo Guidonis succenturiavit in catalogo magistrorum ordinis, ubi sic lego: » XVI magister ordinis successor F. Barnabæ fuit F. Hugo de Vaucemain de provincia Franciæ, natione Campanus (*nota* Autissiodorum quod nunc censetur ducatus Burgundiæ, tum comitatui Campaniæ accensum) magister in theologia, fuitque vir magnæ prudentiæ & experientiæ, fama & opinione ubique omnibus notus, in optimis institutus, quique prudentia naturali con-

» ditiones personarum mirabiliter discernebat. Hic
» fuit electus in magistrum ordinis in capitulo ge-
» nerali apud Divionem anno Dñi MCCCXXXIII :
» erat enim tunc prior provincialis Franciæ. Præ-
» fuit autem in magisterio octo annis vel ultra, quan-
» tum est à festo pentecostes usque ad festum S.
» Dominici. Post multos autem labores quos qua-
» tuor annis continuis in Avenione, ubi tunc erat
» curia, sustinuerat, occasione immutationum mul-
» tarum novitatum, quas papa Benedictus XII mo-
» tu proprio contra voluntatem ordinis volebat in
» ordine introducere, secunda die augusti incepit
» graviter infirmari de febre acuta, & in crastinum
» B. Dominici (tunc celebrabatur quinta mensis)
» scilicet VIII idus augusti, receptis prius devotissi-
» me ecclesiasticis sacramentis, debitum mortalita-
» tis exsolvens impollutum spiritum tradidit Crea-
» tori. Septima autem die augusti scilicet in crasti-
» num obitus sui, convenientibus omnibus cardina-
» libus de mane & aliis prælatis curiæ & populo
» mirabili confluente, cum magna cleri & religio-
» sorum frequentia sepultus fuit in ecclesia ante
» majus altare ». Hactenus.

Porro Avenione Antissiodorum instante duce sodalibus illustri familiæ corpus ejus translatum fuit anno MCCCLXXVIII, & in medio odeo ante majus altare reconditum sub lapide cui insculptæ etiamnum visuntur gentilitiæ ejus tesseræ. Suum ei B. M. Henricus Suso sic vulgo nunc dictus sapientiæ æternæ dialogum nuncupaverat. Extant vero ejusdem

Litteræ encyclicæ ad universum ordinem scriptæ pietatem & regularis disciplinæ ardens studium spirantes e capp. genn. datæ.

I Divioni 1333. Pr. *Humana conditionis infirmitas.*

II Lemoviciis 1334. Pr. *Ille gloriosus agricola.*

III Brugis Flandrorum 1336. Pr. *Inter procellas.*

IV Valentiæ Delphinatus 1337. Pr. *Advesperascente die seculi.*

V Claromontii Arverniæ 1339. Pr. *Sacræ religionis plantarium.*

VI Mediolani 1340. Pr. *Amator bonorum.*

VII Avenione 1341. Pr. *Sanctorum Patrum.*

Extant MS cum actis, easque Soëgius edidit in anno Dominicano Gallico ad VIII augusti, secutus errata martyrologiorum recentium, in quibus ad hunc diem obitus ejus refertur, cum certum sit non solum ex documentis allatis, sed & ex antiquis martyrologiis MS obitum ejus accidisse VIII idus seu sexta augusti. In officio ecclesiastico B. Humberti apud Sanjacobeos servato, in kalendario obitibus magistrorum ordinis scribendis destinato sic legitur manu æquali: *VIII idus obiit F. Hugo doctor in theologia magister ordinis XVI.* Idem habetur in antiquo martyrologio MS cœnobii Cathalaunensis curis F. Joannis Cleré magistri ordinis XXXVIII scripto, quod argumentum eo die ad seculum usque XVI sic semper fuisse annotatum.

B. M. F. BARTHOLOMÆUS PARVUS.

1333. B. M. F. BARTHOLOMÆUS PARVUS Armenorum Schismaticorum doctor in fide & veritate, ut ita loquar, hic potissimum est laudandus, sed & una duo ejus ex Occidente adducti socii *F. Joannes de Florentia* & *F. Joannes Anglus*, quibus addendi duo ex primoribus Armeniis eorum studio & opera conversis *F. Joannes de Cherna* & *F. Jacobus*: de quibus omnibus sic agit Clemens Galanus in opere suo *De conciliatione Ecclesiæ Armenæ cum Romana*, Romæ anno 1650 edito T. I cap. 30, quem excipit Fontana in Constitutionibus P. II Tit. 34 p. 535, & in quibusdam ex certioribus relationibus emendat. Cum utriusque narratio ex monumentis antiquis in domibus nostris Armeniæ etiamnum servatis a Galano visis & Latine versis desumta sit, ac fidem proinde mereatur, ad eam lectorem curiosum plura sciendi cupidum remitto, hæc pauca quæ chronologiam spectant, satis habens hic notasse.

Bartholomæus Parvus, aut a familia, aut a statura sic dictus, Bononiam patriam habuit, ibidemque ordinem amplexus, initio seculi XIV, magnum jam sibi a pietate, doctrina & animarum Christo lucrandarum ardenti studio nomen fecerat. Eximii hujus viri dotum certior factus Joannes XXII, eum Avenionem ad se accersivit, & Christianorum Orientalium reconciliationi quam meditabatur, cum Romana Ecclesia aptissimum judicans, Maragaensem episcopum inauguravit. *Maraga*, vel *Maraha* civitas est in *Azerbeyan*, seu majori Armenia, inter Armenorum Parthorumque confinia sita, milliaribus XXXVI circiter a Tabrezio vulgo *Tauris* distans, in qua sedet episcopus Armenus suffraganeus archiepiscopi *Maru* sub patriarcha *Eczmiasin*. Eo se contulit illico Bartholomæus cum quibusdam ex ordine sociis, inter quos præcipui erant F. Joannes de Florentia domus S. Mariæ Novellæ alumnus & F. Joannes Anglus, sic enim hunc vocant Galanus & Fontana in Constitutionibus, quamvis isti in Theatro & Monumentis Anglum mutato placuerit in Angelum de Bononia, sed sine teste. Iter arripuisse videtur circa ann. MCCCXX, certo jam eo quibusdam ante MCCCXXVIII annis pervenerat, namjam tum Persicam linguam didicerat, plurimos ad fidem catholicam seduxerat, domum sibi suisque sodalibus erexerat, ejusque fama longe lateque per vicinas regiones diffundebatur. Ea excitatus magister Joannes abbas monasterii S. Basilii in Cherna, consanguineus principis Georgiæ, ad eum anno illo MCCCXXVIII venit, & post quatuor dierum iter eum in suis ædibus reperiens & amplexus, sesquiannum cum eo commoratus est, ab eo cum fide catholica linguam edoctus Latinam; eumque vicissim docens Armenam; quo tempore libros plures Latinos Armenice simul verterunt.

Anno MCCCXXX Joannes ille abbas Bartholomæum secum adduxit ad suum monasterium in *Cherna* in provincia *Erinciach* nunc vulgo dicta *Alincia*, quo plures Armenorum magistros convocarat suos olim sub abbate Isaia condiscipulos, tum vero synodum cum illis habens Bartholomæus, omnes vivis suis rationibus ita commovit, ut schisma ejuraverint, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientiam ex animo promiserint: quo factum est ut novellæ huic plantationi fovendæ & ad perfectum adducendæ reliquum vitæ insumendum statuerit. Tribus annis solidis seu verbo seu scripto seu versione plurium librorum in id operam consuluit, defessam tandemque meritis & laboribus gravis in dictis ædibus *de Chernà* anno MCCCXXXIII diem obiit suum & ibidem in templo sepultus miraculis claruit, adeo ut exinde & etiamnum ab omnibus circumquaque populis ceu Sanctus colatur. Ejus documentis & sanctissimis exemplis debetur, licet ab ejus morte tantum instituta celebris illa *Fratrum unitorum* congregatio sub regula S. Augustini nostrisque constitutionibus militans, quæ per vastas illas Orientis & Septentrionis regiones fidem catholicam propagavit, & quæ etiamnum in majori Armenia in medio Mahumetanæ perfidiæ in provincia Nexsciovanensi, a qua & nomen accepit, ordinis provinciis a tribus & amplius seculis aggregata floret ac viget, nullo alio quam ex S. Dominici familia inibi archiepiscopo & presbytero. Quæ fusius ex antiquis codicibus & instrumentis Armeniis, potissimum ex præfatione quam laudatus Joannes abbas *de Chernà* primus ad fidem catholicam conversus, & primus etiam congrega-

Sæc. XIV. his unitorum superior, constitutionibus nostris Armene redditis præfixit, narrat Galanus, quem consulas. Hæc autem ibidem a Bartholomæo & sociis laudatis Armene reddita vel scripta recensentur opera.

1. *Sermones*. Hos Latine scripsit Bartholomæus, & mediante interprete Persa Armene reddidit Joannes de Charnà.

2. *Summa casuum conscientiæ & tractatus de septem sacramentis*. Eadem ratione hæc Armene reddita.

3. *Epistola eruditissima eaque lingua Armena primum a Bartholomæo scripta, sed a dicto Joanne elegantiori stylo concinnata ad magistros Armenorum suos aliquando condiscipulos, ut ad synodum in Charnà convenirent, de sua cum Ecclesia Romana reconciliatione tractaturi.*

4. *Post schisma ejuratum & obedientiam summo pontifici præstitam B. Bartholomæus & F. Joannes Anglus unà cum Armenis magistris Joanne dicto & Jacobo ad translationem sacrorum librorum ex Latino in Armenum idioma sese totos dedere, quibus etiam F. Petrus Laicus scribendi peritus in iisdem libris scribendis maximo adjumento fuit.* Sic Galanus. Sacram scripturam integram eos transtulisse nostri communiter asserunt, quin partem saltem magnam verterint, in dubium nemo revocat. Hujus translationis extat apud nostros Parisienses ad S. Honorati

Liber Psalmorum MS charta. fol.

Qui codex a Fratre Matthia *Maracca* Armeno domus nostræ de *Charna* in Armenia priore non scriptus, neque enim id in eo legitur, imo longe antiquior est, sed ex ea regione secum allatus & grati animi causa dono datus, dum anno MDCXLVI die XVI aprilis ob rationes suæ provinciæ Parisios venit, & apud nos hospitaretur. Extat &

Breviarium ordinis Armene versum MS charta in 8.

Donum ejusdem Matthiæ, in quo sed manu recentiori legitur ante CCCXVI annos sic fuisse translatum a B. Bartholomæo ordinis Prædic. archiepiscopo Nexsciovanensi: (hîc erratum, non enim Nexsciovanensis, sed Maragacensis antistes fuit,) at annus convenit cum anno MCCCXXX. Extat &

Horarium precum diurnarum Armenum ad ritum ordinis, & ad usum Fratrum Armenorum MS chart. in 24.

Donum ejusdem Matthiæ. In utroque hoc & breviario eadem est psalmorum versio, quæ in codice in fol. supra recensito.

Missale & libros omnes ordinis rituales ab eodem Bartholomæo cum prædictis sociis Armene translatos testantur, quibus exinde usi sunt & etiamnum utuntur sodales provinciæ Nexsciovanensis.

» Galanus addit ex iisdem testimoniis tantum in » hoc laboris ac studii contulisse, ut mirabile dictu » sit, quot quantaque traduxerint volumina spatio » trium annorum, quibus post dictam unionem vi» xit Bartholomæus. Ex codicibus ab illis in Arme» num conversis multi adhuc extant apud Patres » Dominicanos Armenos, ut & in præfatione libri » casuum conscientiæ præsens quam narravimus » historia, quæ & in aliis Armenis codicibus, la» tius continetur «. Hactenus Galanus.

Inter hæc Armene versa Altamura numerat *Summam contra gentes, & tertiam partem Summa theologica S. Thomæ*. Idem & eum excipiens Rovetta eidem Bartholomæo tribuunt

Commentarium in evangelium Missus est, *& in canticum* Magnificat, penes quos fides.

Jam emendandi auctores qui de Bartholomæo secus quam veritas poscat scripserunt. Hunc enim Ughellus Ital. Sac. T. V, Fontana in Theat. Altamura ad 1333 auditorem fuisse volunt S. Thomæ de « Aquino, anno MCCCXXVI magistrum sacri palatii a « Joanne XXII ascitum, eum anno MCCCXXVIII episc« copum Torcellanum consecratum, denique anno « MCCCXXXII in Armeniam ab eodem summo ponti« fice missum, ubi & martyrio vitam consummarit. « Quæ omnia nec cum fidis relationibus supra allatis « conveniunt, nec inter se cohærent. Nam si huic « Bartholomæo XV annos ætatis tantùm dederis, cùm « mortuus S. Thomas, jam anno MCCLXXIV quo « eum volunt in Armeniam missum, LXXV ætatis at« tigisset: quis verò putet capularem senem in ex« tremas mundi oras a pontifice missum, dum tot la« boribus exantlandis vix integræ hominis robustioris « vires sufficiant. Præterea jam ante ann. MCCCXXVIII « in regiones illas penetrasse, fidem catholicam ibi« dem prædicasse, ac anno MCCCXXXIII tot librorum « translationibus exactis mortuum in monasterio *de* « *Charnà* monumenta Armena evincunt, quibus fi« dem nemo detrectet cordatus: alius ergo est iste Bar« tholomæus episcopus Torcellanus anno MCCCXXVIII « designatus, quem alii *de Bisbialis*, alii etiam *Parvum* « agnominant, ac de quo nos supra ad 1318. Quan« tum verò ad martyrium illi a Turcis illatum, cùm in sua epistola ad Fratres unitos non meminerit Joannes de Charna, qui sui magistri laudes & acta describens id non tacuisset, Pio & Fontanæ ad annum 1339 in Monum. illud collocanti parca nobis immo nulla fides: ac multo minus eidem Pio qui anno 1254 & Bzovio qui anno 1326 narrant in Armeniam missum, ibidem jam anno 1318 obiisse. Verùm istis ultimis hæc errata facile condonanda, qui monumenta Armena non viderant, postea ruptum a Galano in lucem data.

De hoc scriptore inter alios legendus Leander fol. 124 a, ubi dicitur Bartholomæus Bononiensis Armeniæ minoris (errato fortè typorum, nam legendum *majoris*) sidus & sol fulgentissimus, vir vita & moribus præstantissimus declaratus antistes Armeniæ &c. Clare distinguitur eadem pagina a Bartholomæo in episcopatu Torcellano Ægidii itidem sodalis nostri successore, hac tandem plenus bonis operibus sancto fine quievisse, atque ibidem sepultus etiam miraculis claruisse. Nulla martyrii mentio, nulla magisterii sacri palatii. Quas autem ejus laudes fusius prosequitur, haud dubie a venerando patre Gregorio Armeno sodali nostro, qui archiepiscopus Nexsciovanensis electus in patria, Bononia anno MDXI transivit ad Julium II properans ab eo confirmationem accepturus, didicerat.

Etsi B. Bartholomæi socii jam cum eo laudati sint de singulis tamen adhuc agendum, eo magis quod de iis non sat accurate loquantur nostri nomenclatores.

F. JOANNES DE FLORENTIA.

F. JOANNES DE FLORENTIA occurrit primus, de quo sic Galanus citatus. » Ecclesiæ « 1333. Tephlicensi apud Georgianos præfuit D. P. Fr. « Joannes episcopus, qui unus fuerat ex sociis ejus« dem B. Bartholomæi, ut constat *ex libro quodam* « *ab eodem F. Joanne traducto*, in cujus fine hoc ipsum legitur annotatum: quem proinde in ædibus nostris Galanus viderit, cujus ratione inter scriptores est recensendus. Eumdem laudat Joannes abbas de Charnà in prologo, quem constitutionibus nostris Armene redditis præfixit. Sic enim in eo testatur, » se emisisse religionis professionem in manu « cujusdam D. Joannis genere Latini, qui a Romano « pontifice missus fuerat cum plenitudine potestatis « episcopus urbis *Tephlis*, ex quo juxta facultatem « ab eodem episcopo traditam dictus Joannes a « Charnà cum sociis primus superior provincialis elec- «

» tus est «. Fontana qui non legit nisi Galanum, hunc Joannem Bononiensem sibi finxit & *de Bononia* agnominat: sed ex diplomate Joannis XXII ad hunc ipsum Joannem dato Florentinum fuisse docemur. Sic enim habet: *Dilecto filio Joanni de Florentia electo Tephelicensi*. Primo narrat pontifex locum insignem Tephelicensem in regno Jorgianorum constitutum in civitatem episcopalem a se erectum. Tum postea addit: » In te ordinis FF. » Prædicatorum professorem in sacerdotio constitu» tum, in sacra pagina eruditum, qui conditiones » & qualitates illarum partium præsentialiter & pal» pabiliter expertus, & per tuam sationem verbi » divini multorum jam fidelium lucrifecisse animas » diceris D. Jesu Christo: cuique sacræ religionis » zelus, vitæ munditia, morum gravitas, discretio» nis maturitas, aliaque dona virtutum, prout etiam » testimonia fide digna perhibent, commendabili» ter suffragantur, oculos convertimus nostræ men» tis, & de persona tua Ecclesiæ præfatæ de dicto» rum Fratrum consilio auctoritate apostolica pro» videmus &c «. *Datum Avenione* XIV *kal. novemb. anno* XIV, hoc est Christi MCCCXXIX. Quæ Joannem non solùm Florentinum asserunt, sed & pluribus jam antea annis in illis Orientis partibus cum B. Bartholomæo versantem & verbo Dei instantem demonstrant. Qui voluerit diploma integrum legere, Rainaldum adeat ad 1329 n. 94. Litteræ ad me Florentia datæ sic habent, Joannem hunc ex sutore ad habitum conversorum primò fuisse receptum, sed studio ita diligenter incubuisse, ut ex converso ad clericorum habitum translatus fuerit, & promotus ad presbyteratum, cujus cum laude meminerit necrologium domus S. Mariæ Novellæ n. 394 ejus enim erat alumnus: in chronica verò dictæ domus fol. 40 lit. A sic de eo legi: » Litteris arden» ti desiderio cœpit insistere, nec ulli labori parcens » die noctuque vertebat libros, donec ad eam tan» dem devenit litterarum peritiam, quod omnibus » miraculo erat: propterea datus & illi fuit cleri» corum habitus, & sacris fuit initiatus. Claruit præ» dicatione, humanitate & gratia apud omnes, quous» que volente Deo ad Thephalicensem promotus » fuit episcopatum. Obiit Peræ anno MCCCXLVIII, » cùm multos Orientalium ad verum Dei cultum » sua prædicatione duxisset «. Hactenus chronica citata, in necrologio dicebatur additum tria perfecte calluisse idiomata, quæ Latinum, Græcum & Armenum licet conjicere. Fontana rursus emendandus in Theat. ubi *Tephlis* vel *Tiphlis* ab eo in insula Creta collocatur, cùm civitas insignis sit in Georgia *Tebile Cala* etiam dicta in qua sedent & Georgianorum patriarcha, & episcopus ejusdem ritus, & episcopus alter Armenorum sub patriarcha *Ecsmiasin*, ac tandem seculo XIV episcopus Latinus a Joanne XXII primum institutus, domus verò ordinis erat jam ante MCCXL. Vide supra *Anselinus*.

F. JOANNES ANGLUS.

* 1333. F. JOANNES ANGLUS ab origine in Anglia ut videtur sic dictus, alter fuit ex sociis quos B. Bartholomæus secum in Armeniam duxit, fidelis ejus comminister, & laborum omnium particeps, iisdemque sacris libris e Latino in Armenum vertendis suam cum eo contulit operam, quapropter & inter scriptores recensendus. Mirum Fontanam qui in Constit. declarat. ubi de provincia Naxsciovan. cum Galano *Joannem Anglum* nominaverat, postea in Theat. & in Monum. ad 1333 agnomen mutasse, & *Joannem Angelum* dixisse. Sed cùm non alium testem proferat quam Galanum, ex eodem & ex seipso emendandus est, unàque cum eo Altamura ad 1333 & Rovetta ad 1334 *Joannem Angelum de Bononia* vocantes. An iste Joannes Anglus in Oriente episcopus etiam fuerit, nolim contendere, acta antiqua non dicunt, certo non fuit Tephelicensis primus a Joanne XXII institutus, sed Joannes de Florentia supra laudatus.

FF. JOANNES ET JACOBUS ARMENI.

F. JOANNES ET F. JACOBUS ARMENI ambo *de Cherna* orti & in ejusdem loci monasterio sub regula S. Basilii educati, ex sociis B. Bartholomæi veniunt adhuc laudandi. Sub magistro Isaia, qui apud Armenos schismaticos ceu oraculum audiebatur, sacras litteras didicerant, & schisma una imbiberant, ab eodem suæ ecclesiæ, verius sectæ, magistri per baculum & librum inaugurati, Joannes etiam postea dicti sui monasterii abbas electus & constitutus. Illucescente tum gratia Joannes angoribus non levibus intrinsecus agitatus, ac fidem in qua nutritus erat suspectam habens, quaquaversum oculos levabat, unde vera sibi Ecclesia revelaretur. Dum hæc solicitus cogitaret, anno tandem MCCCXXVIII ad eum fama B. Bartholomæi Maragæ agentis, ac ingenti cum fructu prædicantis pervenit, ad quem mox relicta Charna se contulit, cæteraque cum eo egit quæ supra relata sunt. Præter sacrorum librorum versiones illi cum dicto Bartholomæo communes, prologum fusiorem constitutionibus nostris Armene versis præfixit merito legendum. Nam in eo historiam suæ conversionis late describit, Armenorum schismaticorum errores prodit, decem magistrorum ejus gentis suorum olim sub Isaia condiscipulorum qui in synodo Chernacensi affuerunt & schisma ejurarunt, congregationi unitorum sub regula S. Augustini & constitutionibus nostris se dederunt, quorum & plures ad dignitatem episcopalem in illis regionibus promoti sunt, nomina enumerat, inter quos unus e primis fuit F. Jacobus ex oppido Cherna, qui vertendis libris supra laudatis non parum adjumento fuit. Denique narrat qui post B. Bartholomæi obitum in Occidentem ad summum pontificem & ad aulam Romanam accesserit, ubi de regimine ordinis plenius edoctus, & ad asserendam disciplinam saluberrimum judicans, illud apud suos & in tota unitorum monasteriorum congregatione sancire constituit, quod & in Armeniam redux fecit, primus ille inter manus Joannis de Florentia supra laudati regulam nostram professus, & primus dictæ congregationis rector electus. Quantum postea ille vixerit, ut & dictus *Jacobus*, quasve alias dignitates ecclesiasticas consecuti sint, non docent monumenta. Videsis Galanum citatum & Fontanam Constitut. declarat. Tit. XXXIV cit. * 1333.

F. ARMANDUS DE BELLOVISU.

F. ARMANDUS DE BELLOVISU vel *Pulcrovisu* Gallus a loco suæ originis in Provincia Gallice *Belleveüe* dicto nuncupatus, vir fuit toto Joannis XXII pontificatu clarissimus: ab eo laurea magisterii circa ann. MCCCXX aut XXV Avenione insignitus, sic enim in catalogo theologiæ magistrorum post Bernardum Guidonis aucto legitur, inter alios his annis Parisiis promotos n. 80: *F. Armandus de provincia Provinciæ per D. Joannem papam in curia*. In gymnasio ordinis generali apud Montempessulanum regens agebat anno MCCCXXVI, tum enim ab inquisitore Carcassonensi F. Joanne de Prato ord. Prædic. delegatus fuit in causa fidei ad audiendum reum in Montepessulano detentum. Ex archivo ejus inquisitionis. Anno MCCCXXVII F. Dominico Grima sacri palatii magistro ad sedem Appamiensem evecto, mox ei suffectus fuit Arman- † 1333.

Sæc. XIV. dus & sacri palatii magister a pontifice institutus. Certo hoc munere fungebatur initio anni MCCCXXVIII ut constat ex epistola suarum collationum in psalmos nuncupatoria ad Raimundum cardinalem tit. S. Eusebii, in qua sic eum alloquitur : *In tantum autem vestræ dominationi & paternitati præcelsæ, in novitate vestræ assumptionis tam dignæ, tam utilis, & tam gratæ ad cœli cardines ad tantum collegium &c.* Quæ docent has collationes Armandum Raimundo recens in cardinalium collegium allecto dicasse : ille autem ex episcopo S. Papuli (non S. Pauli Tricastensis ut habet Oldoinus delusus) a Joanne XXII cardinalis creatus fuit XVIII decemb. MCCCXXVII. Præterea ad finem plurium ex his collationibus, ut ad finem LXXXIV sic legitur : *Explicit collatio de mortuis F. Armandi Fratrum Prædicatorum ordinis lectoris sacri palatii.* Sic in codice antiquo & ejus ætatis postea laudando habetur. Ex quibus colligere licet, cùm eam habuit collationem & antequam Raimundus purpura donaretur, jam tum sacri palatii magisterium egisse. Hoc munere fungebatur adhuc annis MCCCXXXI & MCCCXXXII, cùm efferbuit celebris illa quæstio de visionis Dei dilatione ad diem judicii. Nam in responsione ad XIX articulos sibi a pontifice iis annis missos postea laudanda, seipsum signat magistrum sacri palatii. Ad annum MCCCXXXIV in ea dignitate perseverasse, & ante mensem novembrem ejus anni defunctum hinc conjicio, quod F. Arnaldus de Sancto Michaële de provincia Tolosana, qui ad commendationem Joannis XXII in actis cap. gener. Cistarici anno MCCCXXIX ad sententias eo anno Parisiis legendas assignatus fuerat, & in catalogo post Bernardum Guidonis aucto licentiatus dicitur anno MCCCXXXIII, ibidem dicatur ab eodem pontifice *lector sacri palatii factus.* Sic in cod. Lingon, sed clarius in Carcasson. *vocatus ad lectionem curiæ circa festum omnium sanctorum anno Dñi* MCCCXXXIV. Utrum autem iste hoc munere diu functus fuerit, mihi non liquet, cùm Joannes XXII paulo post obierit, scilicet III non. dec. ejusdem anni, & Benedictus XII eodem mense electus nempe XIII Kal. januar. dicatur ad hoc officium F. Petrum de Pireto Caturcensem theologiæ magistrum Parisiensem allegisse, quem exinde idem ad episcopatum Mirapincensem promovit. Ex hactenus dictis emendandus Fontana, seu potius a quo nimium facilis hausit, Sebastianus Olmeda, qui Armandum de Bellovisu a Benedicto XII primum putat sacri palatii magisterio donatum & Petro de Pireto suffectum, cùm contra sit, & Armandus a Joanne XXII sacri palatii magister Dominico Grenier successor datus fuerit, & Armando a Benedicto XII Petrus de Pireto. Hæc ejus opera

I. *Declaratio difficilium terminorum tam theologiæ quam philosophiæ ac logicæ.* Operis notitiam dat ipse auctor in præfatione ad Joannem episcopum Brixiensem.

» Sane in hoc tractatu in propriis viribus velut in arundineo baculo non confidens, vestigiis doctorum inhæreo meliorum, & præcipue doctoris communis reverendissimi & præclarissimi Thomæ... Hunc ergo tractatum in tres partes principales judicavi ad utilitatem studentium dividendum «.

» Prima pars continet *sex brevia præambula, quæ sunt fundamenta introductoria ad sequentia declaranda* «.

» In secunda subsequuntur *declarationes dictionum & vocabulorum commmunium, quæ ex physicis seu theologicis sæpius sunt ad manum* &c «.

» Pars tertia in quodam generali determinat, *quæ & quomodo nomina Deo conveniant* &c «. Quis sit ille episcopus Brixiensis cui dicat opus haud facile dictu, neque enim toto seculo XIV episcopum Joannem nomine profert Ughellus Brixiæ sedentem. Cæterum opus pluries typis prodiit semper paululum immutato titulo.

1. Sic : *Magistri Armandi de Bellovisu ord. Prædic. tractatus de declaratione difficilium dictorum & dictionum in theologia & philosophia.* Vetus editio absque loco anno & nomine typothetæ : fol. par. charact. Goth. sed eleganti, absque numeris, majusculis, reclamationibus, sed cum signaturis duorum foliorum ab a ad h. Extat in Regia D. 96.

2. *Compendium terminorum difficilium theologiæ & philosophiæ*, Basileæ 1491 in 8. Extabat apud Thevenot. recensita ejus Bibl. p. 23.

3. *Elucidatio dictionum ac dictorum quorumdam magis difficilium in philosophia & theologia ut vocant scholastica, quæ simpliciores passim lectores solent a gennino illius intellectu remorari, collecta ex opere F. Armandi Dominicani S. T. P. ac palatii apostolici quondam magistri*, Venetiis 1584 fol. ad calcem scripti in sententias Dionysii Cartusiani : sed hæc editio non integra. Extat altera Venetiis 1586 in 8, quæ habetur in Barb.

4. Argentorati, Antonii Bert 1605 in 8. Extat apud nostros Rotomagi.

5. Witembergæ 1623 in 8. Hæc a Caveo laudatur.

CODD. MS.

In Victor. n. 764 memb. in 4. Tit. *Summa de declaratione nominum difficilium, theologiæ ac philosophiæ edita a F. Armando de Pulcrovisu ordinis &c.* Item in Navarr. cod. chart. in 8.

Item Patavii apud Tomasin. p. 6 qui in eo codice Armandum *Bononiensem* dici monet, sed non crediderim sic prima manu scriptum : ut ut sit, id falsum mox evincetur. Quod autem additur jam anno 1296 claruisse, facile assentior tum XXX circiter annos natum. Extat eodem teste Venetiis apud S. Georgium in Alga.

Hujus operis meminit Ludovicus a Valleoleti n. 40 & ab eo dicitur *de Pulcrovisu.*

II Opus *Collationes* XCVIII *in Psalmos.* Typis prodierunt,

1. Hoc titulo : *F. Armandi de Bellovisu &c. sermones plane divini assumtis ex solo psalterio David thematis per totum fere annum declamabiles &c.* Parisiis, Jodoci Badii 1519 in 4, signat. duor. foll. Alph. integ. & aliæ duæ signat. Editionem curavit F. Joannes de Vero O. Præd. baccalaureus, & F. Petro Martini S. T. M. priori Franciæ provinciali & Dominarum de Borbonio principum confessario ejusd. ord. nuncupavit. Prodiit postea Lugduni, Jo. Moylin de Cambray 1525 in 8, pp. 382. Ad calcem utriusque editionis sic legitur : *Expliciunt sermones compositi per F. Armandum de Bellovisu ord. Prædic. ac S. T. M. actu legentem ordinarie in sacro palatio apostolico in civitate Avenionensi, ubi tempore SS. D. N. D. Joannis D. G. papæ XXII sancta Romana Ecclesia tenebatur, quos in præfata civitate & curia compilavit : qui tamen inventi sunt in honesto & religioso FF. Prædic. conventu Belvacensi &c.*

Extat & alia editio, Brixiæ 1610 in 4, quam habebat Thevenot, Bibl. p. 27 recensita.

Has collationes ubi de conceptione B. V. in favorem piæ sententiæ immutavit editor, omnes verò quæ de B. V. agunt Alva in suam Bibliothecam Marianam intulit T. III a p. 166 ad 242. Cæterum hoc opus etsi eruditionem ac pietatem exhibeat auctoris, stylum tamen qualem ea ferebant tempora sapit simpliciorem, non qualem Editor repræsentat ita politum, tersum, mundum, concinnum, ut nihil insulsum, incongruum, insipidum, & imbelle sit in eo &c.

Extabat aliàs MS Tolosæ in Fuxensi cod. memb. fol.

fol. tum integrum, sed jam mutilatum translatum in Colbert. n. 1288. Supersunt tantum collationes quædam, nempe Præfatio. Tit. *Incipit introitus magistri Armandi in Psalterium* : Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. *In prologo Hugo super angelicam hierarchiam, philosophiam distinguit in tres partes &c.* Exceptis paucis initii lineis totum hunc prologum auctor intulit in suam epistolam nuncupatoriam Raimundo cardinali tit. S. Eusebii, quæ habetur in impressis.

Sequitur *Collatio super scripturam sacram in generali. Rubrica:* In principio creavit Deus cœlum & terram &c. Ad calcem : *Explicit introitus magistri Armandi in Psalterium.* Hæc non habetur in impressis.

Sequitur *Sermo de magna arbore Nabuchodonozor.* Videtur ejusdem auctoris, sed cùm desit finis, ei non ausim asserere. Collationes sequentes ad LXXXIII manus plagiaria abstulit. Post plura substituta codici sequitur :

Incipit collatio LXXXIIII *de mortuis M. Armandi lectoris sacri palatii.* Eadem quæ in impressis, & ad finem ut supra indicatum.

Sequentes item subreptæ, sed adest XCVIII de Angelis eadem quæ impressa, ad cujus finem legitur : *Expliciunt collationes magistri Armandi lectoris sacri palatii &c.* Quod argumentum cæteras eo codice aliàs fuisse.

Porro ex hoc opere natio auctoris facile demonstratur, nam has collationes perspergit promiscue lemmatibus & parœmiis Galloprovincialibus, quæ inde natum ostendunt. Sic collationem LXVI incipit : *Unum vulgare proverbium dicitur in nostro Provincialico ad nostrum propositum &c.* Videsis collationes LXVII, LXXV, LXXXVI, XCI, quæ eodem modo incipiunt. Joannes de Vero editor has parœmias ex idiomate Provinciali Gallicas fecit, sed in codice Colbertino citato, quales ab auctore scriptæ referuntur. Collatio LXXXIIII sic incipit : *In nostro vulgari Provincialico dicitur tale proverbium*, Maix val amics en rocha que deniers en forsa : hoc est dictu, *Melior est amicus in casu gravi, quam thesaurus in conclavi.* Quibus aperte Galloprovincialem & Salyum se profitetur.

III Opus : *Commentarium in librum S. Thomæ de ente & essentia.*

Typis non prodiit, sed habetur MS. Florentiæ ad S. Marci Arm. IV n. 15 *S. Thomæ de Aquino de ente & essentia cum scripto Armandi* memb. Rursus n. 16 *Thomæ Aquinatis de ente & essentia : & Ermandus super libello entis & essentiæ S. Thomæ de Aquino chart.*

IV Opus : *Commentarii in IV sententiarum libros.* Omnes laudant, ubi habeantur, nemo aperit.

V *Orationes sacræ.*

Has Caveus prodiisse ait hoc titulo, *Preces & meditationes* (& addit Bumaldus in Minerval. Bonon.) *devotissimæ de vita & beneficiis Salvatoris nostri Dñi Jesu Christi.* Moguntiæ, Henrici Br. 1503 in 12.

VI *In hymnum* Veni creator.

VII In catal. Angl. T. I, P. III n. 2359 post duos sermones Johannis XXII habitos anno MCCCXXXI ambos super illa verba, *Mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis* I Machab. 2, sequuntur, *Responsiones magistri Armandi magistri sacri palatii de ordine Prædicatorum ad* XIX *articulos ex parte beatitudinis apostolicæ missos Armando rectori sacri palatii.*

Eodem codice n. 13 *Epistola magistri Armandi de Dominica visione.*

VIII *Sermones de tempore & de sanctis.* Sic Ludovicus a Valleoleti.

Revera auctor sub finem epistolæ collationum in psalterium nuncupatoriæ sic promittebat. » Scripsi « inquit nihilominus alibi de sanctis & de tempore « non hinc (nempe non ex psalmis) assumtis the- « matibus, secundùm quod me contigit clero vel « populo proponere verbum Dei, quæ tamen hîc « non inserui. *Et postea* : De festis omissis itaque vi- « ta & opportunitate comitibus perfecte intendo « scribere, ut per totum annum de singulis lector « valeat aliquid invenire «. Hactenus ille, sed an promissis steterit, locus est dubitandi, cùm ubi serventur nemo aperiat : Valleoletanus autem intelligi potest de collationibus quæ reipsa sunt sermones de tempore & de festis. SEC. XIV.

IX *Tractatus de conceptione.* Sic Fernandez, quem excipit Maraccius in Bibl. Mar. Sed is tractatus non aliud est quam quatuor collationes quas eo die habuit, supra laudatis insertæ.

X *De transcendentibus prædicamentis, secundis intentionibus.*

Super *prædicamenta* extat Parisiis apud nostros Sanjacobeos cod. MS memb. fol. par. ætatis auctoris. Pr. *Ut circa omnia ordinatius procedatur &c.* Ad finem adest hoc monitum : *Hic de Armando deficiunt* XIII *folia, ideo quære.* Quod docet opus mutilatum.

XI Bumaldus laudatus monet apud Allatium Romæ extitisse anno MDCXL codicem MS hoc titulo : *Fiorita d'Italia raccolta delle cose d'Italia cominciando da i Troiani d'Armanno da Bologna, intitolato a M. Bosone novello cittadino da Gubbio.* Ut ut sit Armandum hunc Bononiensem ordinis Prædicatorum fuisse ibi non dicitur, nec aliunde apparet, multo minus eumdem esse cum Armando de Bellovisu nostro, qui toties se Provincialem & Salyum profitetur.

Emendandi plures nostrates, Fernandez qui Armandos a Bellovisu duos distinguit, unum Bononiensem ad 1296, Catalanum alterum & Barcinonensem ad 1530 : Altamura qui præter hos duos ad eosdem annos, tertium fingit Hispanum ad 1340 : Rovetta qui duos Bononiensem ad 1305 & Hispanum ad 1537 obtrudit : certo enim certius unus tantum nobis fuit Armandus de Bellovisu Galloprovincialis. Quod & veterum testimonium qui unicum agnoscunt, Leandri fol. 139 b, & Lusitani, & eadem opera istis duplicatis aut triplicatis asserta extra dubium ponunt. Nobis assentitur Clar. Baluzius Pap. Aven. T. I p. 759.

F. JOANNES DE BELNA.

F. JOANNES DE BELNA Gallus a patria vulgo *Beaulne* præclaro ad Araris ripam Cabilonem inter & Divionem oppido nuncupatus, domusque nostræ Divionensis alumnus, vir fuit pietate doctrinaque insignis, proptereaque a priore provinciali Franciæ, cui hæc a SS. pontificibus data erat facultas, fidei quæsitor Carcassonæ institutus ordine XXIV ad annum Christi MCCCXVI, quo munere æquali prudentia & studio functus est ad annum MCCCXXXIII. Quæ ex actis Carcassonen. Extant ejus : † 1333.

1. *Sententiæ plures ab eo ut inquisitore latæ.* Has ex antiquo cod. MS edidit Philippus a Limborch ad calcem libri cui titulum indidit, *Historia inquisitionis*, Amstelodami, Henrici Westenii 1692. fol.

2. *Sententia solemnis die* XI *martii* MCCCXIX *stylo veteri, novo* MCCCXX *Dom.* III *quadragesimæ lata a D. Bernardo episcopo Albiensi & ab inquisitore Joanne unà judicantibus, qua cives omnes & civitatem Albiensem universam ob violatam episcopi aliàs Albiensis Bernardi de Castaneto dignitatem, & inquisitorum Carcassonensium FF. Gaufridi de Ablutis, & Fulconis de Sanctogeorgio ord. Prædic. auctori-

Sec. XIV. *tatem ante annos circiter* XVIII *diris apostolicis interdicto censurisque gravissimis suppositam, ad ejusdem civitatis humilem enixamque supplicationem, imposita idonea satisfactione & multa, liberarunt.* Extat in archivis inquis. Carcasson.

3. *Acta alia plura contra hæreticos Albigenses anno* MCCCXVIII *mense maio & martio sequenti.* Extant in Bibl. Seguier. olim nunc Coislin. anno MDCCX a me visa cod. 543 fol. memb.

4. *Sententia a Bernardo Narbonensi archiepiscopo & hoc inquisitore adversus quosdam hæreticos Albigenses lata Narbona* XIV *octob.* MCCCXIX &

Opusculum seu censura quam a Joanne papa XXII rogatus tulit de doctrina F. Petri Joannis Olivi ord. Minor. Ex antiq. cod. MS edidit Clar. Baluzius Miscell. T. I Paris. Muguet 1678 in 8 p. 211 & a p. 285 ad p. 292. Ubi ad calcem indicat de his quæstionibus alia opuscula scripsisse.

F. ANONYMUS SAXO.

* 1333. F. Anonymus Saxo domus nostræ Mindensis alumnus seculo XIV florebat, & anno MCCCXXXIII vivebat adhuc, quo scriptum a se finivit

Chronicon monasterii Sororum ordinis S. Dominici in Lothen primum erecti, post in oppidum Lemego translati, ab anno Dñi MCCLXV *ad* MCCCXXXIII. Finis : *Acta sunt hæc feliciter anno Dñi* MCCCXXXIII *ad laudem ipsius, qui liberat pauperem a potente & pupillo adjutorium præstat in tempore opportuno. Huic laus sit & gloria. Amen.* Quæ indicant & in his finem esse chronici, & eo anno terminatum. Ex veteri cod. MS edidit Meibomius filius T. II Rerum Germanicarum Helmestadii 1688 in fol. a p. 526 ad 531. Adjecta est Appendix de gestis ab anno MCCCCXLIIII ad MCCCCXLVII a Theodorico de Morsa archiepiscopo Coloniensi, aliisque Germaniæ principibus, sed alterius Anonymi ejusdem domus Mindensis forsan alumni & alterius seculi est opella.

Hoc chronicon ad historiam ordinis in Germania dilucidandam utilissimum est. In eo plures ordinis viri illustres laudantur, inter alios Henricus de Brema martyr circa MCCLXV, Hermannus de Minda eodem anno Teutoniæ provincialis de quo supra ad 1288 ubi de Petro de Dacia, ubi nuncupatur *de Havelbrecht* & prior erat Coloniensis anno MCCLXVIII, Joannes sapiens vir eximiæ pietatis monasterii hujus in *Lothen* primus erector, quo agente quædam Sanctimoniales ordinis ex monasterio *Wedenstede* eductæ & in *Lothen* positæ, quarum hæc nomina, Johanna prima priorissa anno MCCLXV, Margarita, duæ ejusdem nominis Mechtildis, duæ Adelheidis, & una Elisabeth : Henricus & Johannes ambo *de Hamelen* dicti eodem anno Mindæ florentes, Joannes *de Busche* vel Buschius secundus provincialis Saxoniæ anno MCCCVI, sub quo moniales XXXIX non computatis sororibus conversis cum Hermegardi priorissa e *Lothen* in *Lamego* translatæ eodem anno : Joannes de Melberga prior Mindensis anno MCCCXXXIII exinde anno MCCCXXXV Parisios ad legendas sententias missus. Laudatur & Mechtildis filia Adolphi comitis *de Schawemborch*, quæ in *Lemego* ordinem amplexa.

F. DURANDUS DE SANCTOPORCIANO.

† 1334. F. Durandus de Sanctoporciano sic ab originis suæ municipio Gallice *Saintpourcin* diœcesis Claromontanæ in Arvernia nuncupatus, ac in domo nostra Claromontana adolescens ordini ascitus, sic inter sodales gymnasii Sanjacobei Parisiensis emicuit, ut ad legendas publice ibidem sententias promotus fuerit : de quo sic Bernardus Guidonis n. 59 : *F. Durandus de sancto Portiano diœcesis Claromontensis fuit licentiatus anno Dñi* MCCCXII, *fuitque vocatus ad lectionem curiæ sacri palatii infra annum circa quadragesimam subsequentem* : hoc est stylo novo anno MCCCXIII. Sacri palatii magister institutus & F. Guillelmo Petri de Godino ex eo munere cardinali assumto successor a Clemente V datus, cum summo omnium plausu eo pontifice docuit, & postea cum singulari Joannis XXII approbatione in eodem officio perseveravit ad annum MCCCXVII. Tum vero Ecclesiæ Limosiensis Gallice *Limoux*, quam recens hic pontifex erexerat, sed quam mox anno sequenti Alectum transtulit, episcopum primum assumtum quidam volunt, ut verò censent alii anno MCCCXVIII tantùm & non antea ullibi Aniciensem antistitem renuntiatum. Quam Ecclesiam annis octo sapientissime rexit, celebri etiam habita anno MCCCXX synodo : exinde ad Meldensem ad Parisios anno MCCCXXVI translatus, hancque ultimam Aniciensi relicta non servata, ut quibusdam excidit incautis, tenuit ad mortem usque quam obiit XIII sept. MCCCXXXIV, ubi & fuit in odeo basilicæ suæ majoris sepultus. Vir fuit ingenii præstantia clarus, omni scientiarum genere excultus, tenacis memoriæ, facili præditus eloquio, quo mire ac feliciter mentis conceptus exprimebat : Sed qui tantis dotibus fretus, privatis suis sensis nimium adhæsit. Unde relicta quam in scholis imbiberat S. Thomæ doctrina, hoc fræno coerceri non patiens, genio se totum permisit suo. Hæc ejus opera.

1. *Commentaria in* IV *libros sententiarum.*

De quo opere sic ille ad calcem : « Scripta super IV sententiarum libros juvenis inchoavi, sed senex complevi. Siquidem quod in primis dictaveram & scripseram, fuit a quibusdam curiosis mihi subreptum, antequam fuisset per me sufficienter correctum. Propter quod hoc opus solum, quod per omnes libros incipit, *Est Deus in cœlo revelans &c.* tanquam per me editum & correctum approbo &c ».

Extant ambo Parisiis MS. Primum quod sibi præmature subreptum queritur in Victor. cod. in fol. 946 memb. a fol. 31 ad 206, in primum, secundum, & tertium. Habetur verò in quartum cod. fol. memb. 943. Scriptum autem illud esse quod ab eo vocatur, *Prima sua lectura*, ex eo arguitur, quod in fine secundi sententiarum libri id totidem vocibus habeatur, quod in posteriori scripto II sentent. dist. 44 q. 5 se in illa prima lectura dixisse asserit. Collato autem hoc scripto primo cum secundo, easdem utrobique reperi sententias, nec aliud discrimen, nisi quod secundum auctius est & accuratius.

Ejusdem primæ lecturæ scriptum in tertium extat adhuc Paris. apud nostros Sanjacobeos cod. MS fol. mag. memb. inter alia plura. Ad calcem sic legitur : *Explicit tertius liber sententiarum magistri Durandi, quem scripsit F. Petrus Reginaldi ord. FF. Prædicatorum*

Scripti secundi insigne est exemplum quatuor voluminibus membr. fol. med. charact. elegant. in Sorbon. auctoris episcopi tum Meldensis donum, quod & ad finem cujusque manu æquali annotatur. In eadem Sorbon. aliud est exemplum fol. mag. memb. in quo accurate distinguuntur quæstiones adjectæ in scripto secundo, & quæ deerant in primo. Item in Sangerman. a Pratis cod. fol. mag. memb. n. 321.

Extat & in Navar. hoc secundum scriptum MS Voll. duobus in fol. memb. elegant. Compendio studens codd. MS innumeros in Bibliot. Galliæ,

Italiæ, Angliæ, Belgii, Germaniæ extantes omitto, editiones præcipuas & certas tantùm adjicio.

Paris. Joan. Parvi 1508 fol. chàr. Goth. editionem hanc curante F. Guillelmo Parvi ord. Prædic. cujus præficitur epistola nuncupatoria ad F. Antonium de Furno ejusd. ord. Ludovici XII confessarium.

Ibid. apud eumd. 1515 fol. curis Jacobi Merlin S. T. M. & socii Navarr.

Ibid. 1533, 1539 recognoscente Jacobo Alberto Castrensi: 1547 curis Nicolai de Martimbos socii Navarr.

Lugduni 1533, 1536: Rouillii 1569, 1587, 1595.

Antwerpiæ 1566. Venetiis apud Guerræos 1571: ubique in fol.

Tribus vicibus in IV libros sententiarum scripsisse ait Ludovicus à Valleoleti n. 16, quod si intelligat ter idem scriptum ad incudem revocasse, emendasse & auxisse, libens assentior, sed si diversa tria scripta ab eo prodiisse velit, certe non convenit cum auctore.

Non mediocris laus ejus est quod eum Gersonus cancellarius Parisiensis præ cæteris sententiarum commentatoribus theologis Navarræis commendabat.

2. *De jurisdictione ecclesiastica, & de legibus tractatus.*

Typis prodiit Paris. Joan. Barbier & Joan. Petit 1506 in 4 unâ cum aliis ejusdem generis Petri de Palude, Joannis Parisiensis, Hervæi Natalis omnium ord. Prædic.

Extat MS in Sorbon. fol. chart.

3. *Synodus diœcesana Aniciensis anno* MCCCXX *celebrata.*

Extat MS in tabulis ejus Ecclesiæ. Statuta Gallice reddita edidit Odo Gissey S. I. In libro cui titulus *Discours historique de la devotion a N. D. du Puy en Velay*. Lugduni, L. Muguet 1620 in 8, lib. 3 cap. 21.

4. *Quæstiones sexdecim theologicæ varii argumenti.*

Extant cod. Victor. 946 a fol. 107 ad 232.

5. *Quodlibeta quatuor.* Sic Valleoletanus.

Unum extat in Victor. cod. 1171 fol. memb. & incipit fol. 5. Habet qq. 18. Quæst. 9 *Utrum religiosus electus in episcopum possit compelli ab abbate, quod episcopatum accipiat?* Sic habet in resp. *Unde & ego Frater Durandus vidi rescriptum papæ, in quo continebatur, quod monacho non licet consentire electioni factæ de se sine consensu abbatis, cùm non habeat velle aut nolle &c.* Tria alia alibi latent, ut sunt innumera in biblioth. absque nomine auctoris.

6. *Tractatus de statu animarum sanctarum postquam resolutæ sunt a corpore usque ad reunionem earum cum corporibus in resurrectione, compilatus per F. Durandum de Sancto Portiano episcopum Meldensem ordinis FF. Prædic.* Extat hoc tit. in Victor. cod. 64 in 4. chartac. a fol. 247 ad 256. Pr. *Cùm merces quam expectant a Deo in Christum credentes &c.* Finis: *Et tunc glorificabitur anima non solùm quantum ad mentem videndo Deum & fruendo ipso, sed & secundùm vires inferiores quibus corpus admiscetur.*

7. *Postillæ aliquæ super evangelium.* Sic Laurentius Pignon n. 55.

8. *Sermones.* Sic idem Pignon.

Cod. Victor. 681 fol. par. memb. inter alios sodalium nostrorum ex eorum ore reportatos, isti sunt F. Durandi hujus cum in facultate Parisiensi ageret

2. *In annunciatione Dñica*: Pulcherrima fœminarum eligitur ei.

3. *In assumtione B. V.* Posuit diadema regni in capite ejus.

4. *In annunciatione Dñi.* Hodie in domo tua oportet me manere.

5. *In nativit. B. V.* Judæis nova lux oriri visa est. SÆC. XIV.

8. *In nativ. B. V.* Sicut sol oriens mundo &c.

12. *Dom. XXI post Trinit. a Fratre Durando in capitulo nostro* (haud dubiè S. Victoris) *acceptus ad commendationem omnium SS.* Multi sunt vocati, pauci verò electi. Porrò annotatio relata docet à collegio canonicorum S. Victoris invitatum fuisse, ut instante festivitate omnium SS. iis concionem haberet.

18. *Dom. in quinquag.* Ecce ascendimus Hierosolymam.

46. *Dom. post pascha*: Non obliviosus auditor factus, sed factor operis.

Sed hæc pauca sunt, & Laurentius Pignon *Summam sermonum* videtur ei tribuere, sed quæ jam non apparet.

9. *Commentarii super veterem logicam.* Pr. *Secundùm quod vult Algazel in metaphysicis.* Sic Pignon citatus.

Extant in Sorbon. cod. 843 nempe *in quinque universalia, decem prædicamenta, perihermenias, de grammaticis Donati, & de arte sophistica.*

10. *Summa notabilis.* Sic Trithemius, quod autem sit opus nemo docet. In Sorbona, ad calcem IV sententiarum Durandi ex legato Girardi de Trajecto socii ad MCCCXXX clari extat, *Compilatio de libris naturalibus & aliorum quorumdam philosophorum de rerum natura quinque partibus divisa*, ad cujus finem sic legitur: *Explicit compendium philosophiæ anno* MCCCXX. An sit illa Summa notabilis, cùm nomen auctoris non ascribatur, aliis discutiendum permitto.

Hîc plures emendandi. Primò Simlerus, qui in duos dividit, alterum Meldensem episcopum auctorem tractatus *de origine jurisdictionum*, alterum ordinis Prædicatorum cui præter quædam superius laudata ascribit tractatum *de concilio celebrando*, qui ejus certo non est, sed Guillelmi Durandi Mimatensis episcopi.

Secundò Possevinus qui sat recte de eo in prima Apparatus editione anni 1606, sed in altera anni 1608 hunc Durandum episcopum Meldensem in unum conflat cum Durando episcopo Leodiensi trecentis annis antiquiore, qui epistolam scripsisse dicitur *de corpore & sanguine Christi adversus Berengarium*, licèt falso ei tributam asserat Labbeus: ut ut sit, tam insulsum anachronismum torque intra paucas lineas ἀγνοίας virum gravem & eruditum, qualem omnes Possevinum agnoscunt, congessisse vix mihi persuadeo, malimque eorum sententiæ adhærere, qui hanc alteram editionem auctore tum sene ab eo juvenis cujusdam fidei curæque commendatam, qui opus sic fœdavit.

Tertiò Altamura qui in tres dividit Durandum juniorem ad 1331, Durandum Meldensem episcopum ad 1333, & Durandum seniorem ad 1334. Fuit revera Durandus junior, quem Leander fol. 59 a, anno MCCCLXXXII collocavit, ac de quo nos mox agemus, quia istis annis florere jam cœperat, sed Durandus senior alter ab episcopo de quo hîc, homo est antiquis omnibus incognitus, ac ex numero scriptorum nostrorum plane expungendus.

F. DURANDUS DE AURELIACO.

F. DURANDUS DE AURELIACO Gallus loco apud Arvernos insigni & claro, (*Aurillac* vel *Orillac* indigenæ vulgo dicunt) natus, & ab eo agnomen de more sortitus domus Claromontanæ, ut & supra laudatus alumnus fuit, & Parisiis in gymnasio Sanjacobeo litteris divinis & humanis instructus. De eo sic legitur in actis cap. gen. Trajecti ad Rhenum anno MCCCXXX maii XXVII celebra- * 1334.

Sec. XIV. ti : *Assignamus ad legendum sententias Parisius isto anno F. Durandum de Aureliaco de provincia Franciæ.* In catalogo magistrorum theologiæ post Bernardum Guidonis aucto in cod. Carcasson. n. 91 recensetur. In convocatione magistrorum sacræ facultatis Parisiensis apud Vicennas Dom. IV adventus XX dec. MCCCXXXII habita præsente rege Philippo VI Valesio de celebri quæstione tum vehementius agitata, *an animæ SS. Deum clare videant ante diem extremi judicii*, e consultoribus unus fuit, & diplomati ea de re confecto secunda januarii sequentis cum aliis magistris sigillum suum apposuit. Videsis Histor. univers. Paris. T. IV p. 238 & Spondanum ad hunc annum. Hunc eumdem facile autumo, quem Leander fol. 139 a alterum, Lusitanus in Bibl. p. 76 juniorem, sicque deinceps Fernandez, Altamura & alii nuncupant, cùm nullus alius hujus nominis in antiquis ordinis monumentis memoretur, & ætas cæteraque conveniant. Imo & Soëgio nostro in anno Dominicano Gallico in præfatione T. I mensis augusti libens assentior, censenti illum eum esse, qui *Durandellus* a posteris fortè & vivens dictus est ad discrimen a Durando de Sanctoportiano seniore & antiquiore de quo supra actum est. An verò huic alia cognatione quam gentis & nominis conjunctus fuerit, ejusque revera consobrinus, ut vult Lusitanus, plane incertum judico, & frustra jam quærendum. Ad quem annum pervenerit, variant nostrates, aliis annum MCCCLXXX, aliis cum Leandro LXXXII indicantibus, quod non impossibile, etiamsi XL circiter ætatis ei dederis, cùm anno MCCCXXX ad legendas Parisiis sententias assignatus est, sed in re dubia sat nobis est anno quem indicamus claruisse. Hæc ejus opera:

Scripta in IV sententiarum libros & duo quodlibeta. Sic Leander.

Hæc ubi serventur nemo refert, & nisi alicubi lateant, ut sunt ejusmodi innumera in bibliothecis jam neglecta, vicissitudine temporum perierint. At cùm eum censeamus, quem Lusitanus & sequaces, & ante illos omnes Ludovicus a Valleoleti n. 61 Durandellum vocant, præsertim cùm iste non alium nominis Durandi laudet a Durando de Sanctoportiano diversum, huic de Aureliaco hæc adhuc opera addenda. Sic habet Valleoletanus :

F. Durandellus fecit librum contra Durandum, eo quod improbavit in aliquibus dicta B. Thomæ. Incipit liber :

Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum : existimasti me inique, quod ero tui similis, arguam te & statuam contra faciem tuam. In psalmo XLIX.

Prologum integrum do in gratiam lectoris curiosi.

» Quoniam ut ait Augustinus contra Faustum, » nihil est acutum ingenium & lingua expolita, nisi » a Domino gressus hominis dirigantur, quod mul- » tis tardioribus & invalidioribus occulta æquitate » divinæ misericordiæ præstitum est: cùm multi fa- » cundissimi deserti adjutorio Dei velociter & per- » tinaciter currerent, ut a veritatis via longius » oberrarent : ideo gressus illius venerandi docto- » ris sancti Thomæ de Aquino sequendo, qui di- » vinitus directus est, prout sanctæ Romanæ Eccle- » siæ firmavit auctoritas, tarditatem & imbecillitatem » ingenii mei non formido, sperans, quod ille qui » est vera lux & veritas imbecillitati & tarditati » meæ occulta æquitate suæ misericordiæ acutiem » & robur præstabit, ut juxta quod sonant verba » præassumta in persona S. Thomæ doctoris eximii » fratrem suum & filium matris suæ, id est ordi- » nis sui professorem doctrinæ suæ adversantem ar- » guam responsis & rationibus contra faciem suam, » ut sibi ipsi contrarium veritate cogente, gratia » Jhesu Christi opitulante, & prædicti S. Thomæ suffragantibus meritis manifestius statuendo. Quod « ut verius fiat, illa vera lux illuminet, quæ illu- « minat omnem hominem venientem in hunc mun- « dum. In sequentibus igitur articulis, prout a ve- « nerabilibus magistris & bachalariis ordinis nostri « sunt extracti, commode arbitror hunc ordinem « observandum, ut prius ponatur sancti doctoris « sententia, secundo subjungatur impugnantis in- « stantia, tertio investigetur instantiarum fallacia. «

Circa prologum sunt duo articuli, primus con- « tra id quod B. Thomas dicit in quæstionibus dis- « putatis de veritate quæst. XIV art. IX, quod de « eodem non potest esse simul fides & scientia &c «.

Sic discutiuntur articuli XXXVIII super primum sententiarum, articuli LVII super secundum, articuli XXXVII super tertium, & articuli XXXVIII super quartum.

Finis : » Sic igitur patet quod solo Deo qui est « ultimus finis omnium tanquam immediato objecto « fruendum est cui honor & gloria in secula secu- « lorum. Amen. Expliciunt evidentiæ super quartum « sententiarum, & per consequens super omnes qua- « tuor libros sententiarum «.

Extat in Victor. cod. 50 fol. chart. a fol. 1 ad 183. Titulus manu secunda additus hic est : *Durandellus super IV libros sententiarum contra corruptorem Thomæ editus.*

Ex his habetur hoc opus post canonizationem S. Thomæ recens factam, & in gymnasio Sanjacobeo magistris & baccalaureis in ejus doctrinæ defensionem conspirantibus editum fuisse.

Hoc idem opus Neapoli ad S. Dominici Lusitanus se vidisse testatur hoc titulo : *Incipiunt solutiones, responsiones ac reprobationes rationum S. Thomæ F. Nicolai Medensis.* Qui titulus haud dubie corruptus, nam ejus facilis non est intellectus: pro quo suspicarer legendum : *Incipiunt solutiones ac responsiones ad reprobationes rationum S. Thomæ fratris N. Meldensis* : ut N ponatur loco veri nominis, & sensus sit opus esse contra Durandum Meldensem episcopum confectum.

Correctorium corruptorii. Extat in Victor. eodem cod. 50 a fol. 187 ad 266. Item in Sorbon. cod. 274 fol. chart. Princ.

» Sciendum est igitur prima parte summæ quæst. « XII quærit Thomas utrum essentia divina videa- « tur ab intellectu creato per aliquam similitudi- « nem &c. Articulo VIII sic incipit editor : Ad de- « clarationem hujus articuli, an scilicet in rebus in- « corruptibilibus non sit nisi individuum unum in « una specie, id ad præsens ostendatur in corpo- « ralibus, quia in spiritualibus jam ostensum est «. Nempe in opere præcedenti in annotatis ad secundum sententiarum art. 6, ubi de corporalibus ad hoc alterum opus remiserat his verbis : *De hoc in corruptorio.* Quod notandum fuit, & ut utriusque operis eumdem esse auctorem pateat, & ut Lusitani dubium levem ambigentis an hoc correctorium sit idem quod sub nomine Ægidii Romani ediderunt, collatione enim facta licèt eumdem ordinem utrumque sequatur & plura habeant similia, absolute tamen diversa sunt.

F. ARNALDUS BERNARDI.

F. ARNALDUS BERNARDI Gallus Aquitanus patria & professione Caturcensis, hinc *de Caturco* vulgo agnominatus, insignis fuit seculo XIV sacræ theologiæ professor, quam in scholis S. Stephani Tolosæ pluribus annis docuit ex Nicolao Bertrandi in Hist. Com. Tolos. quem excipit Percinus noster in Monum. conv. Tolos. p. 71, ubi tamen emendandus, cùm Arnaldum Tolosæ natum & professum asserit, nam omnia antiqua documenta † 1334.

Caturcensem evincunt. Addunt circa MCCCXXXIV diem obiisse ultimum. Plura forsan quis curiosus ex archivo Ecclesiæ S. Stephani aliquando proferet. Ejus meminit Valleoletanus n. 75 his verbis: *F. Arnaldus Bernardi Tolosanus* (sic vocat a provincia, non ab urbe aut professione) *scripsit*

Solemnem postillam super Apocalypsim.

Extat etiamnum apud Tolosanos nostros hoc titulo: *Expositio libri Apocalypsis compilata & ordinata per lectiones per F. Arnaldum Bernardi magistrum in theologia ord. FF. Prædic. conventus Caturci.* Ex monum. Tolos. a Soëgio collectis mihique communicatis.

Et fecit lecturam & sermones super septem psalmos principales. Sic Valleoletanus in cod. Victor. ubi fortè erratum, & legendum ut volunt alii *pœnitentiales.*

Bertrandus citatus plura ei ascribit scilicet

Commentarium super aliquos alios psalmos, & super officium defunctorum.

Item sermones varios & valde notabiles pro clericis & multa alia.

Percinus putat quosdam sermones Venetiis apud SS. Jo. & Paul. servatos sub nomine cujusdam Arnaldi ord. Prædic. esse hujus Caturcensis, sed ne suscribam, obstat quod in iis annus MCCCXXI ceu epoche signetur, adde innumeros hujus nominis apud nos claruisse.

Hunc quidam volunt aliquando Tolosanæ provincialem præfuisse, sed inter hoc munere functos nullus ei locus.

Emendandi autem Possevinus & Altamura, qui eumdem hominem in duos dividunt, alterum inversis nominibus Bernardum Arnoldi cum Lusitano errante ad 1324 vocantes, alterum æque corrupte Possevinus Alvardum, Altamura ad 1514 Alvarum Cadurcensem nuncupantes, quibus ut hic error facile condonandus, ita certum habeat lector nullos nobis esse scriptores horum nominum, nullum Bernardum Arnoldi vel Arnaldi, nullum Alvarum aut Alvardum Caturcensem.

F. ANGELUS PORTASOLE.

*
1334. F. Angelus Portasole Etruscus patriaque & professione Perusinus annos tredecim tantum natus ordini nomen dedisse & vestem induisse, dicitur. Emenso studiorum stadio celebris evasit theologus & Ecclesiastes, & qualem in scholis docendo comparaverat famam, tantam sibi peperit concionando in celebrioribus Italiæ pulpitis. Pœnitentiarium Romæ a summis pontificibus constitutum quidam narrant, quod vel ignoravit Fontana vel omisit: Anno MCCCXXIV ad Ecclesiam Sulciensem in Sardinia a Joanne XXII evectus, tum anno MCCCXXX ab eodem ad Rosetanam vernacule *Grosseta* in Etruria translatus, utraque sapientissime administrata, Ischiæ non in insula Ænaria sinus Puteolani, ut delusus habet Oldoinus in Athen. Aug, sed castello ad Umbronem fluvium Roseto quatuor circiter milliaria dissito ejusdemque diœcesis, ut narrant Razzius & Ughellus, obiit cum fama sanctitatis anno MCCCXXXIV, adeo ut a Jacobillo inter beatos Umbriæ ad XXII febr. numeretur. In Basilica conventus sui Perusini ex supremæ voluntatis tabulis sepultus quiescit, & sub ejus imagine in peristylio ejusdem picta hæc legitur epigraphe a sodalibus apposita, & ab Oldoino relata, licèt non admodum antiqua videatur:

B. F. Angelus Perusinus ob eximiam virtutem ac vitæ sanctitatem a Joanne XXII Roma pœnitentiarius electus, & ab eodem episcopus Grossetanus creatus. obiit MCCCXXXIV *Hischiæ.*

Ejus meminerunt Razzius in Vitis BB. ordinis, Ughellus Ital. Sac. & alii, ultimo Actorum SS. editores T. III feb. ad diem XXII inter prætermissos. Scripsisse ferunt Sec. XIV.

Regulam tertii ordinis FF. Prædicatorum vulgo de pœnitentia.

Fortè a magistro ordinis VII Munione de Zamora Latine scriptam Italice reddiderit, quod discutiant indigenæ.

Statuta quarumdam societatum seu confraternitatum.

Florentiæ apud Annunc. Servitarum cod. MS 24 habentur

F. Angeli Perusini ordinis Prædicatorum sermones de tempore. Ex catal. ejus Bibl. quem nostrum facile puto Perusinum de more vulgo nuncupatum.

F. LAUTERIUS DE BATINEIS.

F. Lauterius de Batineis ille idem est qui ab Antonio Senensi in Bibl. & a sequacibus dicitur *Laurentius vel Lauterius de Valdinis seu de Ubaldinis*, Etruscus gente, patria Florentinus, & ad annum MCCCCXVIII clarus, & scripsisse librum hoc titulo * 1335.

Capistrum Judæorum.

Ut ut sit autem de gente & patria, certo falluntur in cæteris, extat enim apud nostros Parisienses ad S. Honorati codex MS fol. par. memb. elegans & ætatis auctoris cui titulus literis uncialibus auro cæruleoque alternatim distinctis hic est:

Fratris Lauterii de Batineis ordinis Prædicatorum opus, Capistrum Judæorum appellatum feliciter incipit. Is est autem prologus:

» Quæstio quam intendimus disputare est primò, utrum Messias Jesus venerit. Si quid tamen non bene vel insufficienter determinavi, scientiæ catholicæ & apostolicæ Christi Ecclesiæ correctioni subjicio. Unum tamen vos scire opto e sacris omnem materiam hujusmodi inquisitione, non autem sermone prolixiori cum Judæis propositam tractare. Quia in hac quæstione unum supponitur scilicet quod Messias promissus est, & alterum quæritur, scilicet utrum venerit, ideo in hac quæstione sic procedam. In tres partes dividam opus istud: in quarum prima adducam auctoritates quibus probatur Messiam promissum esse: in secunda verò quod Messias nondum venerit: & in tertia probo quod Messias jam venerit, & etiam respondebo ad argumenta, quibus probatur quod Messias nondum venerit. Solvendo enim argumenta etiam probatur, quod Messias jam venerit «. Prima & secunda pars breviores sunt, tertia fusior. Foliolis 82 constat opusculum.

Ætas auctoris ex sequentibus clare colligitur. Sic enim P. II fol. 9:

» Quod igitur Messias nondum venerit, probat per rationem sumtam a tempore prophetato sui adventus. Prophetatum est ipsum debere venire post desolationem Jerusalem factam per Titum & Vespasianum annis MCCCXXXV. Ait enim Daniel XII, 7: *Complebuntur universa hæc cùm completa fuerit dispersio manus populi sancti:* Sed nunquam fuit completa dispersio manus populi sancti post reditum a captivitate Babylonica, post quam loquitur Daniel, nisi tempore Titi & Vespasiani: ergo post Titum & Vespasianum Messias debet venire. Et de quantitate temporis adventus Messiæ post desolationem Jerusalem, & Judaici populi loquitur Daniel dicens: *A tempore quo sublatum fuit juge sacrificium dies* 1290. *Beatus qui expectat & pervenit ad dies* 1335, accipiens diem pro anno. Sed [a] tempore quo sublatum fuit juge sacrificium tempore Titi & Vespasiani usque in annum Christi 1335 non venit Messias, sed Ottomanus Turca «. Ex quibus videtur sequi hæc auctorem

Sæc. XIV. scripsisse anno Christi MCCCXXXV vel circiter.

Præterea fol. 21 sic loquitur. » Cathelani quo» que qui nostris temporibus sunt in Romania, [per]» jus ensis multas terras Græcorum sibi in servitu» tem vendicarunt, mactantque, vendunt & de» prædantur eos. Quin imo & cùm semel quingen» ti milites forent tantùm, & Græci quindecim mil» lia, Cathelani obtinuerunt ense. Vice verò alia hi » quingenti cum viginti millibus eorum præliati » sunt, & obtinuerunt hi de Cathelanis, nec non » & semper obtinent contra Græcos. Et tamen con» stat hujusmodi Cathelanos pravorum morum esse » & virtutum sævarum. Latrones enim sunt & ho» micidæ, adulteri, fornicatores, perjuri, & Deum » sæpius blasphemantes &c «. Ex quibus constat auctorem tempore famosæ illius conjurationis Catalanæ circiter scripsisse: illa autem ex Rainaldo incepit circa MCCCX vel MCCCXV & pluribus annis duravit.

Præterea fol. 75 Ratione 20 ad probandum quod Messias jam venerit sic habet. » Præterea quod ver» ba Moysi in cantico solum pro captivitatis Baby» lonicæ oppressione sint posita, & non Romanæ » manifestum est. Ait enim Dominus: *Celabo & ab» scondam faciem meam in die illa propter omnia ma» la quæ fecit, quia secutus est deos alienos.* Sed ce» lare & abscondere pro tempore pauco dictum est, » prætereaque dicitur (in die illa) quæ fuit 70 an» norum: Romana enim fuit jam annorum MCCCXX«. Hîc clare annum notat quo scribebat scilicet Christi MCCCXX, nam juxta sensum auctoris completa quidem fuit captivitas per Titum & Vespasianum, sed inchoata fuerat jam a nativitate Christi, vel circiter.

Cæterum hoc nostrum exemplum non videtur integrum, cùm desint ad quædam objecta responsiones, sed alia alibi esse exempla hinc colligo quod in hoc nostro lacunæ quædam secunda & recentiori manu fuerint restitutæ, profecto ad aliud similis rationis.

Fortè scire non displicebit, quod habet auctor fol. 62 b, respondens ei quod sibi ex parte Judæorum objicit, nempe dictum Jeremiæ 2, Machab. 2 relatum: *Ignotus erit locus donec congreget Deus cognationes* (sic sed vulgata *congregationem*) *& propitius fiat &c. Respondeo*, inquit, *quod jam impletum est. Romæ enim est arca Domini & tabernaculum, & altare incensi, & etiam phiala in quibus est manna, & unctionis phiala olei & duæ tabulæ Moysis.* Quæ docent ætate auctoris existimatum fuisse vulgo ista omnia Romæ extare & servari.

F. JOANNES CHRISTOPHORI.

† 1335. F. JOANNES CHRISTOPHORI Teuto, quem Saxonem & domus nostræ Mindensis alumnum præstat Leander fol. 136 a, & excipiunt Lusitanus, Fernandez, & Altamura, hic tamen incertus, me illis quoad patriam assentiente, non tam antiquus videtur, ac illi faciunt. Nam cùm ab omnibus sacræ paginæ doctor eximius, profundus theologus, philosophus subtilis prædicetur, illum potius existimarim, qui in chronico monasterii Sororum ordinis primum in *Lothen* erecti & inde in *Lemego* translati ab anonymo scripto de quo supra ad 1333, dicitur eo anno prior conventus Mindensis *Joannes de Meleberga* appellatus, ac de quo in actis cap. gen. Lemovicis anno MCCCXXIV habiti sic præscribitur: *Item assignamus quantum nostra interest pro anno sequenti ad legendum sententias Parisius F. Joannem de Meleberch de provincia Saxoniæ.* Quæ assignatio in actis cap. gen. seq. Londini MCCCXXXV pro anno præsenti renovatur. Idem in catalogo magistrorum in theologia recensetur n. 93 in cod. Lingon, 95 in Carcasson. & agnominatur tantùm *de Saxonia.* Hanc tamen conjecturam nostram certiora documenta afferentibus subjicimus: nam apud alios nomenclatores nihil nisi incertum quantum ad ætatem vidimus. Sixtus Senensis collocat ad 1240, Eysengrein qui Maguntinum vult ad 1253, Trithemius patriam tacens ad 1260, Leander laudatus ad 1271, Bergomas in suppl. chron. ad 1285, cui potius standum censet Lusitanus, sed in istis seculi XIII & XIV hi omnes non sunt præsertim quoad chronologiam ita accurati, ut eis fides habenda sit, nisi cùm vetera monumenta proferunt. Ut ut sit, de quo penes lectorem arbitrium, hæc hujus scriptoris opera laudantur:

Postilla super IV evangelia, epistolas Pauli omnes & septem canonicas.

Scripta super IV libros sententiarum.

Item in Elenchos Aristotelis & ejusdem libros de anima.

Hunc Swertius in Athen. Belgic. & Valerius Andreas in Bibl. Belg. suis, sed frustra Belgis asserere conantur.

F. HENRICUS DE LUBECH.

F. HENRICUS DE LUBECH a patria in inferiori Saxonia celebri ad mare Balthicum emporio, & a professione sic nuncupatus seculo XIV jam adulto apud suos pietate & doctrina clarebat in primis, unde in actis cap. gener. Brugis Flandrorum anno MCCCXXXVI habiti de eo sic statutum lego: *Item facimus vicarium generalem in provincia Saxoniæ F. Henricum de Lubech, donec prior provincialis illius provinciæ electus fuerit & confirmatus, & præsens extiterit in eadem.* Hujusmodi vicarii non instituebantur, nisi viri in eadem provincia nominati, qui theologiam in majoribus gymnasiis diutius professi erant, qui & sæpius exinde provinciales assumebantur: talem Henricum fuisse haud dubie colligas, ac eum esse cujus apud Matthæum Dresserum erat Simlero referente * 1336.

Quodlibetum theologicum MS inter veteres codices Turingiæ & Misniæ adinventum.

Ejus meminerunt Possevinus & Altamura, hic ad 1514 fassus simul non esse ejus locum, sed incertus ac ignorans qua ætate vixerit.

F. GAD DE OUCIU.

F. GAD DE OUCIU natione Polonus nostris nomenclatoribus hactenus ignotus, hoc eodem anno MCCCXXXVI in Galliis agebat. Parisios fortè de more pro ratione provinciæ suæ missus ad gymnasium Sanjacobeum, linguam Gallicam qualem tum loquebantur, familiarem sibi fecit, & quinque libros Boetii de consolatione philosophiæ rhythmis Gallicis reddidit. Extat hoc opus Par. in Colbert. cod. MS 2260 fol. med. memb. foll. 54 complectens. Titulus: * 1336.

Cy commence Boece de consolation. Hic autem finis:

Si prennent fin & sont delivres
De Boece tous les cinq livres.
Se vous voulez le nom avoir,
Et la religion savoir
Du Frere cui Dieux enclina
Cest petit Roman qui fin a,
A commencier & a parfaire,
Qui n'est pas fait sans paine traire;
Le prologue premier luisiez,
Et les grands lettres arrisiez.
Car se vous les mettez ensemble,
Elle vous diront ce me semble
Le nom & la ville du Frere,

La religion toute clere
Et toute expresse vous dira
Cilz qui prologne luira.
Se vous voulez savoir l'annee
Et la ville & la journée,
Ou li freres parfist sentence
L'an mil CCC *& chix & trente*
Le darrenier jour de may.
Si saurez quant a fin menez
Fut cil romans a Pouloignie
Dont li Freres c'est pourloignie,
Qui le romans en rime a mis.
Dieu guart au Frere ses amis &c.

Ex quibus discimus auctorem in Polonia natum, sed ab ea tum longius abscessisse, opus hoc anno MCCCXXXVI maii ultima finivisse, ac ejus nomen & patriam ex majoribus litteris ad caput cujusque strophæ prologi ascriptis per modum acrostichidis expiscanda. Revera hæ litteræ simul junctæ id reddunt: *Frerre Gad. de Oucin.* Quis autem locus ille *Oucin* dictus, quave in Poloniæ provincia situs, soli possunt docere indigenæ. Excusat postea quod non pure Gallice scripserit, quia in Francia non primum nutritus, nec educatus: sodalem etiam ordinis se profitetur his verbis *Q'i Frere Prescheur fist, quod opus ego Frater Prædicator feci:* denique rationem susceptæ versionis hanc affert, ut cuidam nobili ac piæ fœminæ, sed adversis pressæ solatio esset.

Ejusdem operis extat exemplum in Bibl. olim *Seguier.* nunc *Coislin.* a me visum III decemb. MDCCX, sed in hoc codice integra non est acrostichis, quæ nomen & patriam auctoris exhibet.

F. ANONYMUS HUNGARUS.

† 1336. F. ANONYMUS HUNGARUS scripsit *Vitam B. Mauritii confessoris ord. Prædic. filii Demetrii de genere Chak Pannonia sive Hungaria Bani, id est supremi exercituum ducis.* Qui obiit hoc anno MCCCXXXVI mense martio die mercurii post Dominicam passionis, hoc est XX mensis, nam pascha fuit XXXI

Hanc M. Antonius Flaminius tum adolescens, sed egregiæ indolis & politioribus litteris ab ipso patre Joanne Antonio Flaminio institutus, rogatus a Leandro Alberti cultiori stylo reddidit, & Leander in suum illustrium ordinis virorum opus intulit fol. 217. Sed sapientes Actorum SS. editores ad XX martii primigenio auctoris stylo simplici quidem, sed ad faciendam fidem magis idoneo, ex prima parte MS Monumentorum ordinis ab Ambrosio Taegio collectorum repræsentant. Erratum quod typorum censeo, in commentarium historicum ab editoribus præfixum irrepsit, ubi n. 2 Bernardus Guidonis chronicon ordinis scripsisse dicitur ad annum MCCCLXIII, quo sane longe antea mortuus erat: legendum itaque MCCCXVII.

Etsi autem præstare non possim scriptorem hujus vitæ, eam mox a beati morte edidisse, non diu tamen postea id fecisse censeo, quia si illum non vidit, ab iis qui viderant omnia didicit. Vitam ipsam adeas n. 7 ubi sic habet, *referunt qui viderunt.*

F. GUILLELMUS DE GODINO.

* 1336. F. GUILLELMUS PETRI DE GODINO vel ut alii sed corrupte *de Godivo* vir fuit ad senium vergente seculo XIII sequentique XIV usquequaque clarissimus, ac cùm ejuscemodi hominum res ab ipsis incunabulis cognoscere volupe sit, eas juvat hîc ex veteribus monimentis erutas referre. Patria fuit Baionensis, sive ut scribunt alii, Boiatensis, quod idem est, civitate *Baionne* vulgo dicta in confiniis Galliæ & Hispaniæ ortus, adolescensque ibidem ordinem amplexus est. Ut vivacissimi erat facillimique ingenii, ita emicuit inter æquales, ut absoluto philosophiæ theologiæque studiorum curriculo, mox fuerit ad easdem disciplinas aliis tradendas applicitus. Priores jam ante MCCLXXXII docere cœperat, cùm eo anno in cap. prov. Carcasson. philosophiæ naturalis seu physicæ lector institutus sit in conventu Burdigalensi, quod deinceps egit Condomii & aliis in locis: in capp. verò prov. Burdigal. MCCLXXXVII Appamien. MCCXC. Biterren. MCCXCI ad theologiam profitendam evectus, consequenter in conventibus Baionensi, Condomiensi & in studio tandem ipso generali Montispessulani secundarius professus est. Qua etiam erat apud suos dicendi ex suggestu gratia, & existimatione, prædicatorem generalem promovere tentarant anno MCCLXXXIIII in cap. prov. Perpiniani, at cùm id patribus capituli generalis sequentis Bononiæ MCCLXXXV probatum non fuisset, seu quod junior esset, resque immatura videretur, seu aliis de causis, nam non solum ille, sed & omnes in ea provincia sic a duobus annis promoti exautorati fuerunt & loco moti, ad idem munus revocatus fuit ac restitutus in cap. prov. Narbon. MCCLXXXIX. Pro rata provinciæ suæ studens, ut aiebant, cum duobus aliis Parisios missus fuit anno MCCXCII a cap. prov. Brivensi, hincque colligas, quantum domus Sanjacobea floreret, in qua discipuli esse inciperent, qui alibi pluribus jam annis magistri egerant. Ibidem verò tantam sui existimationem fecit, ut diutius, & ultra quam aliis concessum, retentus fuerit ad divinas literas interpretandas sententiasque legendas adhibitus, unde & tunc baccalaurei gradum reportavit. Anno MCCXCVIII ad suos reversus erat: nam in cap. Provinc. Cadurcen. unus fuit ex diffinitoribus theologiæ lector insignitus, quam fortè ibidem profitebatur, & professus est deinceps sive in eo studio, sive in aliis ad annum MCCCI quo communibus votis ad regimen totius provinciæ assumptus fuit. De quo sic Bernardus Guidonis: » Vigesimus prior provincialis fuit F. Guillelmus Petri de Godino Baionensis, qui successit F. Bernardo de Juzico, electus in capitulo provinciali Agenensi in vigilia B. Mariæ Magdalenæ A. D. MCCCI, fuitque a magistro ordinis F. Bernardo prædecessore suo in provincialatu confirmatus paulo post festum S. Michaelis, fuitque absolutus in capitulo generali Bisuntino A. D. MCCCIII, divisa tunc provincia in duas provincias, & factus ibidem in actis ejusdem capituli vicarius in provincia Tolosana. Erat autem bachalarius (*facultatis Parisiensis, ut dictum est.*) Hic fuit ultimus prior provincialis in provincia Provinciæ nondum divisa. « *Et postea:* Hujus ergo provinciæ Tolosanæ (*recens erecta*) fuerunt priores provinciales sequentes. Primus F. Guillelmus Petri de Godino Baionensis supra memoratus. Hic fuit electus primus prior in hac nova provincia Tolosana in capitulo provinciali in Montealbano eodem anno MCCCIII in vigilia S. Michaelis XXVIII septemb. & fuit confirmatus a F. Arnaldo Joannis Caturcensi priore tunc Prulliano ex parte magistri ordinis F. Bernardi de Juzico per literas expressas, & fuit absolutus anno sequenti MCCCIIII in cap. gen. Tolosano in crastino S. Trinitatis (*cum pascha fuerit 29 Mart.* crastinum S. Trinitatis *erat* XXV *Maii.*) missusque fuit Parisius pro magisterio theologiæ per capitulum generale «.

Ex ea igitur ordinatione Parisios eodem anno accedens licentiatus fuit, ac pro biennio magisterii sententias interpretatus est & studium rexit ad annum MCCCVI, quo rude donatus, a Clemente V cui eximiæ ejus dotes jam erant perspectæ, accer-

SEC. XIV. situs est, & sacri palatii magister declaratus & institutus. Sic enim in catalogo magistrorum theologiæ apud Guidonem num. 52 : » F. Guillelmus Petri de Godino Baionensis de provincia Tolosana » licentiatus A. D. MCCCIII, postea factus est lector curiæ A. D. MCCCVI, (in MS Ruten. Magister » sacri palatii lector Ecclesiæ,) & inde assumptus » est in presbyterum cardinalem «. De quo sic idem in catalogo cardinalium : » Fr. Guillelmum Petri de » Godino Baionensem ordinis Prædicatorum magistrum in theologia Parisiensem assumpsit in presbyterum cardinalem tit. S. Cæciliæ idem D. P. Clemens V sabbato in jejuniis IV temporum in adventu X Kal. januarii A. D. MCCCXII pontificatus » sui anno VIII. Erat autem tunc lector sacri palatii, ubi legerat jam sex annis, fueratque prior » provincialis in Provincia tota simul ord. Prædic. » ac deinde prior in provincia Tolosana «. Anno MCCCXVII septemb. XII a Joanne XXII ad episcopatum Sabinensem evectus, legatus de latere, ut aiunt, ab eodem in Hispaniam missus est anno MCCCXX, ibique quibusdam annis stetit rebus tum regni componendis, tum Ecclesiæ resarciendis invigilans, solemneque concilium provinciale habuit Pintiæ anno MCCCXXII. Avenionem anno MCCCXXIIII jam redierat : nam ibidem F. Raimundum ord. Prædic. Patriarcham Hierosolymitanum consecravit : ac ne in actis ejus omnibus recensendis lectorem diutius moremur, uno verbo dicere satis sit in gravioribus omnibus Ecclesiæ negotiis a summo pontifice, quandiu vixit, occupatum fuisse. Obiit verò Avenione IV junii sive pridie nonas junii MCCCXXXVI ut refertur in vita Benedicti Papæ XII a Bosqueto edita, indeque Tolosam ex ejus testamenti præscripto translatus, & in ecclesia nostra ad latus epistolæ post sedes ministrorum altaris majoris sepultus uti jusserat, sub sepulcro marmoreo, quod posteriori seculo XVII loco moverunt nostri, & ad latus evangelii transtulerunt, ubi etiamnum visitur. Hæc ei a nomenclatore cardinalium tribuuntur opera :

1. *Sermones plures ab eo variis locis habiti.*

2. *De nuptiis Christi Domini & Ecclesiæ.*

3. *Insigne volumen quo jura omnia concessiones & privilegia Romanæ Ecclesiæ amplexus est.* An opus istud sit distinctum a sequenti, videant eruditi, mihi verò idem videtur. Titulus :

Tractatus de principe & prælatorum Ecclesiæ potestate compositus per D. Guillelmum Petri cardinalem episcopum Sabinensem. Princ. *Circa potestatem a Christo collatam prælatis Ecclesiæ sex per ordinem sunt videnda &c.* Finis : *Hæc autem omnia dicta sunt nihil temere asserendo, sed dando aliis peritioribus materiam cogitandi, & ut per sedem apostolicam in illis quæ dubia sunt, veritas declaretur, aut declarata aliâs, conservetur. Explicit per manus Ny de Luccemburch nuncupatus Reffingeyrs Porc. Explicit tractatus de potestate papæ & prælatorum Ecclesiæ per D. Guillelmum Petri cardinalem episcopum Sabinensem compositus.* Qui codex in bibliotheca S. Germani a Pratis ad Parisios num. 294 extat memb. fol. med. optimo charactere, estque collectio opusculorum similium *de potestate Ecclesiastica & Regia*, inter quæ istud nostri cardinalis foliola 40 complectitur, quod & illud idem est quod laudat Petrus Bertrandi cardinalis S. Clementis in prooemium lib. VI Decretal. his verbis : *Prædicta extraxi de quodam tractatu, quem fecit D. G. Petri Sabinensis cardinalis, quem tractatum intitulavit de causa potestatis Ecclesiæ.* Nam quæ ex illo citat in caput *Quoniam. De renunciatione in sexto*, totidem verbis leguntur in codice Sangermaneo *Ad quartum articulum. Ad secundum dicendum.* Sed & ille tractatus idem est totidem verbis, si errata typorum excipias, qui editus est cum aliis ejusdem argumenti, Parisiis Joannis Petit 1506 in 4, sed sub alio nomine scilicet nostri Petri de Palude Patriarchæ Hierosolymitani. Utrius sit, quamvis dubitari possit ob codices quosdam MS Paludano inscriptos, gravissimum certe præjudicium est pro cardinali Baionensi testimonium Petri Bertrandi cardinalis supparis anno 1361 defuncti.

4. Inter ejus acta numerari potest *concilium apud Vallemoleti Palentinæ diœcesis anno 1322 celebratum*, quod sic incipit : *In nomine D. N. J C. A. Istæ sunt constitutiones per nos F. Guillermum Dei permissione episcopum Sabinensem apostolicæ sedis legatum, factæ ac editæ in concilio celebrato per nos apud Vallem Oleti Palentinæ diœcesis, prælatis omnibus nostræ legationis ad celebrandum dictum concilium convocatis anno a nativitate Domini 1322 quarto nonas Augusti, qua die præfatum concilium fuit terminatum.* Extant in Edit. ultimâ conciliorum Labbeana a col. 1682 ad col. 1707, T. XI : & in Edit. conciliorum Hispaniæ a cardinali de Aguirre adornata. Quæ constitutiones a sacrorum canonum peritis magni æstimantur.

5. Causæ cognitor delegatus fuit a Joanne XXII in gravi eo negotio, quod ea ætate in ordine Minorum tot scandala excitavit *de paupertate Christi & apostolorum*, præsertim F. Bonamgratiam inter & F. Ubertinum de Casali utrumque dicti ordinis anno MCCCXXV, de quo legendus Baluzius *T. I. Miscellan. pag.* 293, & Odoricus Raynaldus ad 1325 n. 20. Delegatus similiter fuit cum Petro de Arrablayo cardinali S. Susannæ, & Bertrando de Montefaventio diacono S. Mariæ in Aquiro in causa non minus gravi quorumdam clericorum Gallorum de Carolo IV Franciæ rege magicis artibus ad mortem præcipitato denunciatorum : quibus in causis plura proculdubio ab eo acta prodierunt in archivis summorum pontificum servata. Videsis dictum Raynaldum ad 1327 n. 44.

6. *Testamentum suum condidit* XXII *Decemb.* MCCCXXV, quod apud suos Baionæ servari asserit aut auguratur Franciscus Duchesnius in *Histor. cardinalium Francorum*, quod tamen obtinere se non potuisse queritur. Hujus varia fragmenta Baluzius citatus se reperisse narrat inter schedas Arnaldi Oihenarti, quæ & refert *T. I. Pap. Avenion. col.* 671 *& seqq.* In his notandus articulus, quo erga *conventum Parisiensem Sanjacobeum* testatur affectum & gratitudinem, *quod in eo educatus extitit & promotus, ideoque jam est diu quod eidem assignaverit, & donaverit mille florenos auri de Florentia pro emendis redditibus expendendis infra* (id est intra) *ipsum conventum in emendis torticiis pro altaribus omnibus quæ sunt infra (intra) dictorum Fratrum Ecclesiam vel prope tam aliis quam majori &c.* Executores fuere Petrus Hispanus presbyter S. Praxedis, Neapoleo de Ursinis S. Adriani & Bertrandus de Montefaventio S. Mariæ in Aquiro diaconi cardinales, Bernardus de Liposca sororis ejus filius, aliâs archidiaconus Xantonensis, tum episcopus Aquensis, Bernardus de Novodompno canonicus Bellovacensis suus & sacri palatii apostolici auditor, & Petrus de Godino ejus camerarius, & ut videtur vel frater, vel fratris filius saltem consanguineus.

Quæ ipsi tribuitur ex Frisonio ab Oldoino tessera gentilitia reipsa est ordinis Prædicatorum insigne, non familiæ nostri cardinalis, quæ sic etiamnum visitur in templo nostro Tolosano in fornicibus & in fenestrarum laminis vitreis; scutum nempe *bipertitum, in 1 aureum tribus fasciis coccineis exaratum : in 2 transverse dissectum, superius argenteum cum castello turricellis tribus superimpositis pinnatis coccineis, furvis commissuris : inferius argenteum arbore foliato prasino cum suo monticulo,*

culo, & canterio superimposito ejusdem coloris. Unde certe mirum Francisco Duchesnio nullo teste visum eum ex ignobili gente infimaque plebecula oriundum, quem contra non solum tesseræ gentilitiæ relatæ, sed & ipsæ testamenti tabulæ claro sanguine, parentibusque Baionæ spectatis procreatum arguunt. De quo legendus Baluzius *T. I Papar. Avenionen. col.* 674, & 675, ubi plures ejus consanguinei utriusque sexus illustres referuntur. Ejus præter citatos cum laude meminerunt nostrates omnes Leander Albertus fol. 69 a: Lusitanus in *chronico ad* 1310: Razzius *Viri Illust. pag.* 50. Fernandez, Altamura ad 1336, Ciaconius in *Histor. pontif.* Sed & omnes ex superioribus emendandi. Noster Joannes Jacobus Percin in *Hist. conv. Tolos.* plura habet notatu digna & accurata, sed & quædam corrigenda præsertim de primo sepulturæ loco, & quantum ad chronologiam, in qua sibi non constat, alicubi dicens mortuum anno MCCCLXXXV, alibi MCCCXXXVI, quod ultimum solum verum. Gravissime verò fallitur Fontana in *Theatro*, ubi Guillelmum vult jam ab anno 1288 a Nicolao IV sacri palatii apostolici magistrum ascitum, quo vix ab anno superiori theologiam profiteri cœperat, quem proinde ex nostra chronologia superius relata certissimaque ut pote ex actis emendes. Auctor vitæ Benedicti XII apud Bosquetum, quæ & prima est apud Baluzium *De papis Avenion.* sic de eo: *Anno Domini* MCCCXXXVI *die quarta mensis Junii obiit D. F. Guillelmus Petri de Godino ordinis Prædicatorum episcopus Sabinensis cardinalis, qui diu fuerat legatus in Hispania, ubi multa bona & salubria ordinavit. Hic quanquam esset modicæ imo quodammodo deformis staturæ, fuit multum literatus & cordatus ac virtuosus in omnibus factis suis: deditque etiam sibi Deus multa bona temporalia, de quibus fecit opera mirabilia quæ sequuntur. Construxit enim tres ecclesias mirabilis pulcritudinis, adeo quod ordo suus non creditur habere pulcriores, & solemniores ubicunque, unam videlicet in conventu Avenionensi, aliam in conventu Tolosano, in qua jacet tumulatus, & aliam in conventu Baionensi, in quo fuerat vestitus & educatus. Fecit etiam tam in dictis conventibus, quam in aliis dicti ordinis multa alia bona admodum commendabilia & memoria digna.*

F. AICARDUS SAXO.

* 1337. F. AICARDUS vel *Eckardus* SAXO junior laudatur cum seniore de quo supra ad 1309 a Gerardo ab Hamont Cartusiano in epistola operum Tauleri nuncupatoria, & ambo viri dicuntur supra omnem laudem. Is videtur de quo Leander agit fol. 223 b & sic habet: » Echardus Teutonicus sacræ theologiæ doctor divinis eruditionibus præditus, sanctimonia conspicuus, atque doctrina christiana clarus, post obitum suum Henrico discipulo æternæ sapientiæ apparuit, dicens se esse in conspectu SS. Trinitatis æternaliter victurum. Idem etiam de quo in actis cap. gen. apud Claromontium Arvernorum anno MCCCXXXIX celebrati legitur: *Denunciamus Fratribus universis, quod F. Aicardus diffinitor cap. gen. Valentiæ* (Delphinatus MCCCXXXVII) *celebrati pro provincia Saxoniæ mortuus est redeundo de capitulo generali.* Quod sane mire convenit cum visione Henrici dicti, qui his annis sanctitate plurimum florebat. Huic juniori ascribitur

Epistola inter Taulerianas XXV *De perfecta resignatione & oblivione nostrûm ipsorum, & omnium quæ in schola Dei addiscuntur.*

F. UGO DE CASTELLO.

F. UGO DE CASTELLO vel Umber Tiphernoque *Citta di Castello* vernacule ortus, & ab ea civitate agnomen sortitus, vel Etruscus & S. Mariæ Novellæ alumnus professus, certe in hoc posteriori cœnobio agebat anno MCCCXXXVII, quo & scripsit opus hoc titulo: * 1337.

In spheram Joannis de Sacrobosco. Pr. Perfectum omniquaque sive modis omnibus inter creaturas sensibiles dicitur &c. Finis: *Demonstres per mortem ipsum solem justitiæ eclypsatum. Explicit scriptum super libro de sphera mundi a F. Ugone de Castello ordinis FF. Prædicatorum editum, inchoatum Parisius ad postulationem studentium, sed perfectum Florentiæ anno Dñi* MCCCXXXVII.

Extat hic codex Parisiis apud nostros ad S. Honorati, MS fol. med. pp. 96 partim pergameno partim charta ætatis auctoris, figuris mathematicis necessariis a manu eleganti delineatis ornatus. Auctor est nostris hactenus incognitus, sed hac accepta notitia accuratiorem forsan dabunt curiosi gentiles.

F. JOANNES DE PRATO.

F. JOANNES DE PRATO Gallus Normannus, (patriam hactenus retegere non potui an Rotomagum, an Ebroicas, an alteram hujus provinciæ civitatem,) sacræ theologiæ certo magister fuit in facultate Parisiensi: de eo enim sic in actis capp. genn. Neapoli MCCCXI: *Item providemus quantum nostra interest de F. Joanne de Prato pro sequenti anno legat sententias Parisius*: & Carcassonæ MCCCXII: *Assignamus ad legendum sententias isto anno F. Joannem de Prato de provincia Franciæ.* In indice verò magistrorum theologiæ inter additos post Bernardum Guidonis, recensetur n. 68 *F. Joannes de Prato Normannus.* Ea verò fuit pietatis, eruditionis, & agendorum peritiæ fama, ut Adamo de Insula episcopo Ebroicensi IX Kal. april. MCCCXXVII veteri stylo novo XXVIII, quo pascha III non. april. mortuo, huic fuerit suffectus, ac ordinatus ejusdem Ecclesiæ antistes XII Kal. martii MCCCXXVIII stylo veteri, novo MCCCXXIX. Ejus mentio est in instrumentis monasterii S. Taurini Ebroicensis annorum MCCCXXX & sequentium. Anno MCCCXXXII pacta capitulum Vernonense inter & capellanum ac thesaurarios S. Genovefæ ejusdem civitatis sua auctoritate sancivit, ut legitur in Gall. Christ. Emendandi tamen Sammarthani qui ordinis Minorum præstant, hoc solum argumento moti, quod in iis actis se semper Fratrem nominet, quasi unis hoc Fratris prænomen usitatum sit Franciscanis nec nobis commune. Idem erratum incurrerat antea Joannes *le Jau* pœnitentiarius & canonicus Ebroicensis in sua serie episcoporum Ebroicensium, Ebroicis, Ant. le Marié 1622 in 8 edita. At nec ipse Wadingus suis accenset, noster verò Laurentius Pignon in episcoporum nostrorum catalogo jam anno MCCCXCIII inchoato sic habet: *F. Joannes de Prato magister in theologia episcopus Ebroicensis.* Hic tamen abdicavit anno MCCCXXXIV, quo regaliæ jura in ea ecclesia aperta in actis leguuntur, & ad ordinem reversus est, eodemque anno inquisitor Carcassonæ positus, id munus gessit ad ann. MCCCXXXVIII. Extat in archivo inquisitionis Carcassonensis breve Joannis XXII, quo Joanni *d'Astre* ord. Minor. inquisitori Avenionensi, Aquensi &c. jubet, ut Joanni de Prato inquisitori Carcassonensi exemplum tradat cujusdam sententiæ olim adversus Bernardum Maurini Fratricellum a Joanne de Belna de quo supra latæ, † 1338.

Sec. XIV. quo facilius adversus scelerum socios agere posset. Videsis Soegii Annum Dominic. augusti P. II in præf. p. XL. Ex hactenus dictis Fontanam in Monum. ad 1312 de hoc Joanne præpostere narrantem emendabis. Hæc ei ascribuntur opera:

Scripta in IV sententiarum libros. Quod ea ætato familiare.

Sermones eruditi.

Acta ut inquisitoris in archivo Carcassonensi servata.

F. SIMON DE BURNESTONA.

† 1338. F. Simon de Burnestona sive *de Borastone*, Anglus ab originis loco sic agnominatus, vir doctrina pietate virtutibusque clarus, sacræ theologiæ doctor Cantabrigiensis, verbi Dei præco eximius, circa annum MCCCXXXVIII florebat, ac circa eadem tempora provinciæ Angliæ præfectum Provincialem egisse fertur. Ejus meminerunt Bostonus Buriensis in suo scriptorum Anglorum Catalogo, Pitseus ad annum 1337, Thomas James in *Ecloga*, Possevinus, Oudinus in supplemento script. Eccles. ad Bellarminum, Altamura in Append. ad 1336. Quando verò mortuus sit nemo refert. Hæc ejus opera tum apud Jamesium citatum tum in Indice codd. MS Angliæ recensita & in Bibliothecis illius regni extantia:

1. *Compilatio de ordine judiciario per F. Simonem de Boraston qui vixit anno Domini* MCCCXXXVII. Recensetur in Indice Anglico citato T. I P. II n. 1337. Idem opus P. III n. 2320 hoc titulo: *Tractatus Simonis de Boraston de ordine judiciario circa crimina corrigenda.* Cujus operis meminit Diagus noster in *Hist. prov. Arag. fol.* 52 b, addens a dicto *de Borrascana*, (sic enim scribit, & praeterea non Simonem simpliciter, sed F. Joannem Simonem vocat,) addens, inquam, ab eo compositum in conventu Oxoniensi mense Augusto MCCCXXXVIII, & a nostro F. Jacobo seu Jaymio Dominici de quo postea ad 1367 Ruscinone conventus Coquiliberi alumno, tum in Anglia studiorum ratione agente exscriptum: quod idem Jacobus suæ rerum ordinis collectioni adjunxit, ut pote in quo ratio judiciorum inter Fratres servanda præscribatur.

2. *Tractatus de unitate & ordine Ecclesiasticæ potestatis extractus de doctoribus in theologia constans capp.* XI. Extat eadem P. II n. 1337, & P. III n. 2320.

3. *Tractatus de mutabilitate mundi*: cui adjunguntur *Auctoritates & rationes desumtæ ex sacra scriptura, quæ videntur impugnare contemtum temporalium, & solutiones earum.* Extat iisdem nn. P. II & III.

4. *Distinctiones theologicæ Borastoni secundùm ordinem alphabeti compilatæ.* Extant P. III citata n. 819, sed hîc *suo principio destitutæ.* Ibid. n. 1744 hoc titulo: *Distinctiones pro sermonibus faciendis Simonis Boraston, sive Burneston.* Ibid. n. 2030: *Distinctiones Boraston.* & P. II n. 683: *Alphabetum de vocabulis prædicabilibus cum concordantia auctoritatum doctorum.*

5. *Sermones Simonis Boreston de epistolis & evangeliis Dominicalibus. Ejusdem sermones pro quibusdam suffragiis.* P. II cit. n. 683.

6. *Themata Dominicalia.* P. III cit. n. 819, sed hæc an differant a sermonibus explicabunt amplius indigenæ.

F. ALPHONSUS BONIHOMINIS.

F. Alphonsus Bonihominis vernacule *Buenhombre* Hispanus Conchensis, ut conjicit Higuera Hist. Tolet. MS lib. 16 cap. 5 eo quod etiamnum in ea civitate familia perstet hujus agnominis: aliis Toletanus, ut suspicatur Thomas Tamajo in elogiis Toletanorum scriptorum, ut ut sit, Parisiis agebat anno MCCCXXXIX, seu studens honoris ut aiebant pro ratione provinciæ Hispanæ, ut tum mos erat, seu alia de causa quæ ad res ordinis pertineret, eo missus. Vir fuit linguarum Ebraicæ & Arabicæ peritus, quas ut & alii nostri Hispani ea ætate, ideo addidicerat, quod de Judæis & Mahumetanis, quibus plena tum erat Hispania, ad Christum adducendis esset solicitior, unde & pro fide ab illis plura perpessum esse scribit Joannes de Marieta Hist. Eccl. lib. XIV cap. ult. Ex Arabico Latine reddidit, ac magistro ordinis Hugoni *de Vaucemain* nuncupavit † 1339.

Epistolam Rabbi Samuelis Israelitæ ad Rabbi Isaac.

Qua prophetarum testimoniis Christum Dominum verum Messiam venisse, passum, mortuum esse, resurrexisse, ad cœlos ascendisse, ejusque futurum secundum adventum demonstratur. Mille annis post eversam Hierosolymam hanc se scribere testatur Samuel, unde Alphonsus colligit multis temporibus, nempe CCLXIX annis a MLXX ad MCCCXXXIX a Judæis ex industria occultatam, eo quod graviorибus in ea ex sacris codicibus testimoniis premerentur: sibi autem cùm in manus casu fortuito obvenisset, vertere ac edere operæ pretium visum esse. Addit autem se translatione Bibliorum non vulgata seu S. Hieronymi, sed Arabica ipsius Samuelis uti, ne quid in suo auctore immutasse a Judæis accusaretur. Pluries prælum passa est hæc epistola, hæque a me visæ editiones.

I. Mantuæ 1475 fol. Extat Romæ in Barber. & laudatur a Beughemio in Incun. Typ.

II. Hoc titulo: *Tractatus magistri Samuelis Israelitæ oriundi de Fez civitate regis Marachii ad Rabbi Israel magistrum Synagogæ, quæ est in Sa..... in eodem regno*, Coloniæ apud Liisteryrchen in 4 foll. 12 signat. A. B. C. typis Gothicis. Extabat anno 1671 apud nostros Colonien.

III. Hoc titulo: *Tractatus contra Judæos a quodam Judæo nomine Samuel editus sermone Arabico, translatus autem in Latinum a F. Alphonso Bonihominis Hispano ord. FF. Prædic. & ab eodem F. Hugoni ordinis magistro nuncupatus*, Parisiis, Guill. Eustace in 4 char. Goth. Sequitur: *Dialogus Christiani contra Saracenum*, eodem ut videtur Alphonso vel auctore vel interprete. Extat Paris. in Regia D. 1556.

IV. *Epistola Rabbi Samuelis Judæi ad Rabbi Isaac Judæum de prophetiis veteris testamenti secundùm translationem eorum, quibus lex Judaica destruitur, Christianaque religio approbatur*, Lugduni, Claudii Nourry aliàs Le Prince 1527 in 8 signat. A. B. C. D. Post nuncupatoriam Alphonsi est hic titulus:

Epistola quam scripsit magister Samuel Israelita oriundus de ..... civitate in Arothitan regis ad Rabbi Isaac magistrum Synagogæ, quæ est Subulmeza in regno prædicto. Ad calcem: *Explicit epistola Rabbi Samuelis missa Rabbi Isaac &c. sub anno Dñi millesimo, translata de Arabico in Latinum per F. Alphonsum Bonihominis ord. Prædic. sub anno Dñi* MCCCXXXIX. Postea sequitur epistola editoris: *R. in C. P. ac D. D. Michaeli de Erandia præsuli apud S. Paulum in Delphinatu, Daniel Camerlus*

S. D. P. En adest præsul integerrime bonis uti spero avibus, libellus jam olim tibi votis summis exoptatus &c. Extat in Regia B. 1459. Quam dicit *Subjuljulmeza* in tabulis dicunt *Sugelmesse* vel *Sugulmessa.*

v. *Libellus sane doctus Rabbi Samuelis veri Messiæ parastasim continens*, Coloniæ, Jo. Gymnici 1536 in 8.

Abest Alphonsi ad magistrum ordinis nuncupatoria, sed editoris hoc præmittitur procemium: » Quod Judæi Messiam qui venit ceu venturum temere expectent, libellus sane doctus Rabbi Sa» muelis. Candido lectori S. Accipe &c. Alphon» sio Bonihominis Hispano interprete, qui magis » proprietati linguæ Arabicæ, illa enim scripta est, » studuit, quam ut lenociniis picturatisve excoleret » voculis: credens & nudæ veritati suam deberi » lauream &c «.

Ad calcem: » Nota quod iste libellus videtur » fuisse occultatus per Judæos ultra CC annos & » XXX: quod conjicitur ex hoc, quia cùm iste doc» tor Samuel scriberet Rabbi Isaac, solùm dixit » fluxisse mille annos a tempore, quo per Titum » expugnantem sanctam civitatem Judæi sunt di» spersi &c. per contenta in hoc libello qui transla» tus est sub annis Dñi MCCXXXIX, ubi erratum » pro MCCCXXXIX «: unde occultationis tempus amplius augendum, quam hîc editor designavit. Extat in Regia B. 1504.

Prodiit præterea in plerisque editionibus chronicorum S. Antonini ad calcem P. II.

Recens prodiit Antverpiæ, Joan. Frederici Gleditsch 1711 in 8 p. 92. Quæ editio dicitur facta ad omnium primam Maceratæ a Francisco Griffon presbytero Matelicensi in Piceno curatam.

Hispanico idiomate donata est ab Alvaro de Villaexcusa petente viro nobili Joanne de Villafuerte Salmantino, teste Hieronymo de la Higuera citato in Hist. Tolet. MS.

Codices quosdam MS indico. Parif. in Victor. cod. 283 papyr. in 4. In Navarr. bis: primo cod. fol. par. papyr. cum Dialogo Petri Alphonsi, hic dicitur scriptus XXX maii MCCCCLI. Altero papyr. in 8 inter plura alia, quorum primum est vita S. Athanasii Joanne Aretino interprete & Eugenio IV nuncupante. Florentiæ in Medic. Pl. XX cod. 35 papyr in 8. Ibid. apud Servitas cod. 61.

Antonius de hoc scriptore in primis legendus Bibl. Vet. Hisp. Lib. IX cap. V, ubi sic addit ex mox laudato Higuera: » Samuelem Rabbinum præfa» tum aliquando in Marocchum venisse, & cum Al» facquino ut vocant Albutaleb de re salutis lon» gàm disputationem habuisse, quo de historiam » scripsit Arabice, quæ in Bibl. Reg. Escurial. serva» tur «. In catal autem Angl. T. II P. I n. 8715 sic lego:

Disputatio Abucalis Saraceni & Samuelis Judæi, quæ fides precellit, an Christianorum, an Saracenorum vel Judæorum, translata per F. Alphonsum de Arabico in Latinum. fol.

Quæ proinde translatio altera est nostri Bonihominis opera: neque enim alius laudatur Alphonsus hujusmodi versionum studiosus. Eum Fontana episcopum Marochii a Clemente VI promotum anno MCCCXLIII, & a Gancelino episcopo Albanensi consecratum asserit in Monum p. 214 & testes adducit Bzovium ad ann. cit. n. 62 & Ughellum in adversariis.

F. BENEDICTUS DE ASSIGNANO.

F. BENEDICTUS DE ASSIGNANO Insuber professione Comensis hoc seculo XIV jam adulto claruit. Anno MCCCXVIII in actis cap. gen. Lugduni coacti sic de eo legitur: *Item quantum nostra interest providemus de F. Benedicto Cumano provin-* * 1339. *ciæ Lombardiæ superioris, quod legat sententias Parisius anno futuro, & ipsum pro hoc ex nunc eidem conventui assignamus* Quod confirmatum fuit in actis cap. gener. sequentis Caturci MCCCXIX habiti: *Assignamus ad legendum sententias Parisius isto anno F. Benedictum de Cumis de provicia Lombardiæ superioris.* In indice magistrorum theologiæ apud Bernardum Guidonis recensetur n. 73. Anno MCCCXXVIII kal. januar. a Joanne XXII ad infulas Comenses promotus fuit, ubi victis tandem quæ initio occurrerunt difficultatibus, eam Ecclesiam pacatissime & sanctissime rexit ad ann. MCCCXXXIX, quo vocatus ad superos in templo domus nostræ Comensis, quam non parum auxerat & ornarat, sepultus est. Ejus cum laude meminerunt Taegius P. I Mon. ord. Leander fol. 120, ubi virum appellat multa doctrina multaque peritia litterarum fultum. Sed Lusitanus inscite prorsus in duos dividit alterum magistrum in theologia & episcopum Cumanum ad 1262 clarum, quo certissime nullus sodalis ordinis ibi præfuit, & alterum Novocomensem magistrum in theologia Parisiensem ad 1318 florentem: quem errantem excipiunt Fernandez & Rovetta, sed hic mutatis annis unum ad 1318, alterum ad 1335 collocans. Unicum itaque & eumdem hominem pro certo habeas cum Leandro & Altamura, & quod plus est cum veteribus monumentis. Hæc ejus opera:

Quæstiones theologicæ variæ. Has apud Bononienses nostros MS servari asserit Rovetta.

Concordantia dictorum S. Thomæ, ubi contraria aliquando videntur.

Primum hujusmodi opus aggressum esse dicunt, præsertim Leander, qui tamen non addit ubi habeatur. Forsan illud est quod inter opuscula S. Thomæ LXXII editum prostat, cujus principium: *Pertransibunt plurimi & multiplex erit scientia. Dan. 12.* Quod certo non est S. Thomæ, & hujusmodi operum antiquius est, cujus meminit Tholomæus de Lucha qui ante MCCCXVI scribebat.

Aliud ejusdem rationis opus servatur in Victor. cod. 50 papyr. fol. a p. 284 ad 316, cujus princ. *Veritatis & sobrietatis verba eloquar. Verba sunt doctoris gentium scilicet Pauli apostoli, & habentur Act.* XXVI *&c.* Finis: *Hac igitur sunt prout ad præsens occurrebant de concordantiis centum articulorum ad librum sententiarum pertinentium, quæ dicta sufficiant adjuvante Deo, qui concordiam facit in sublimibus.*

Neutrum Benedicto certo asseri potest, cùm ejus nomen nullum habeat: si quis tamen conjecturæ locus, attenta notitia quam dat Leander, primum *Pertransibunt* illi libens darem: sed peritioribus satius est arbitrium permittere. Alterum cujus principium, *Veritatis & sobrietatis &c.* laudamus inter anonymos ad finem hujus seculi.

F. HUGO DE DUCTONA.

F. HUGO DE DUCTONA Anglus sacræ theologiæ magister Oxoniensis, his etiam annis florebat, sic enim de eo in actis cap. gen. Claromontii Arvernorum anno MCCCXXXIX habiti legitur: * 1339. *Item facimus vicarium generalem in provincia Angliæ F. Hugonem de Ductona magistrum in theologia de provincia Angliæ, donec prior provincialis electus fuerit & confirmatus, & præsens extiterit in eadem.* Hinc in sequentibus Angliæ comitiis, quibus præerat, ipsummet electum priorem provincialẽ, nam id muneris gessisse dicunt, libens crediderim. Ejus cum laude meminerunt nostrates Leander fol. 138 b, virum præstans ingentis litteraturæ, Lusitanus, Pius, Fernandez, Altamura ad 1340, sed & extranei Tritemius, Eysengreinius, Simlerus, Possevinus, Pitseus a quibus hæc ei dantur opera:

Certaminum scholasticorum liber.

Lectura theologiæ varia.

Sec. XIV. *Conciones de tempore & de Sanctis.*

Lelandus in commentariis de scriptoribus Britannicis eum recenset p. 321, & *de Duttoduno* nuncupat, sed nihil habet singulare, & Leandrum unice transcribit. Quod Altamura conjicit hunc eumdem esse cum *Udone* vel *Hugone de Vittonio* a Lusitano laudato, non placet: quis iste sit, dicitur postea ad 1371 ubi de Yvone de Begaignon.

F. MATTHÆUS URSINUS.

* 1340. F. Matthæus Ursinus e Monte Jordano seu de Campo Floræ Romanus Francisci Neapoleonis Ursini cardinalis S. Luciæ in Silice fratruelis, quæ gens inter Romanas sane illustrissima, tum adhuc adolescens canonicatu jam in Ecclesia Galliæ S. Stephani dicta potiebatur (Tolosanam censet Oldoinus, & verisimilius, certe non S. Stephani de Egressu Parisiensem ut putat Soegius) & Parisiis juri canonico operam dabat, cùm divinitus illustratus, spretis mundi suæque familiæ certis honoribus, ordini nomen dedit in domo Sanjacobea, ut aliâs patruus suus tum adhuc in vivis F. Latinus de Ursinis Malabranca episcopus Ostiensis de quo supra, fortiter fecerat. Philosophiæ ac theologiæ peractis pro more ibidem studiis, ad suos Romanos redux, easdem in provinciæ suæ variis locis, Florentiæ & Romæ ut ferunt e superiori loco docuit disciplinas. Exinde ceu qui egregium & non commune sui dederat specimen, Parisios ad gradus promovendus remissus est: de quo sic in actis cap. gen. Bononiæ anno MCCCXV decernitur, ut in superiori anni MCCCXIV Londini jam prænunciatum fuerat: *Assignamus ad legendum sententias Parisius isto anno F. Matthæum de Ursinis.* In indice theologiæ magistrorum apud Bernardum Guidonis recensetur n. 71. Laurea donatus primarius lector & gymnasii regens Bononiæ dicitur institutus, quod & tum solemne. Amoto in comitiis ordinis Viennæ Austriæ anno MCCCXXII habitis provinciali Romano, ad idem munus in sequentibus provinciæ Romanæ eodem anno Urbeveteri coactis assumtus fuit, eoque titulo capitulo generali Burdegalensi anno MCCCXXIV affuit, & in electione magistri ordinis Barnabæ de Vercellis votum tulit. Tantam verò religione, doctrina, prudentia & in agendis solertia sibi intus & extra comparavit famam, ut oratorem & legatum ad Joannem XXII selegerint anno MCCCXXVI Romani proceres, qui pontifici ut Avenione relicta Romam reverteretur, persuaderet. Non acquievit pontifex, quod partes Ludovici Bavari adhuc in Urbe potentiores essent, sed oratorem acceptissimum habuit, & virum eximiarum dotum expertus, ad sedem Agrigentinam promovit, cujus jam consecratus erat episcopus die XXIV octobris ejus anni, cùm eo die solitum subsidium collegio cardinalium solverit: mox intra annum scilicet mense maio anni MCCCXXVII ad Sipontinam archiepiscopalem transtulit, demum cardinalem tit. SS. Joannis & Pauli creavit mense decembri sequenti. De quo sic lego apud Bernardum Guidonis: *F. Matthæum de Ursinis Romanum assumsit in Avinione papa Joannes XXII in presbyterum cardinalem tit. S. Sabinæ in jejuniis quatuor temporum in adventu Dñi anno Dñi MCCCXXVII: postmodum autem papa Benedictus XII fecit eum cardinalem episcopum Sabinensem. Erat autem archiepiscopus Sipontinus, quando assumtus fuit in presbyterum cardinalem.* Ubi quod tit. S. Sabinæ presbyter dicitur erratum est notarii cod. Lingon. nam titulum SS. Joannis & Pauli sub quo certo creatus est deinceps servavit usquequo a Benedicto XII anno MCCCXXXVIII die 18 decemb. promotus est episcopus Sabinensis. Tum verò ex quo in purpuratorum patrum collegium ascitus est, Sipontina Ecclesia relicta summorum pontificum lateri deinceps adhæsit Avenione, eosdem in universalis Ecclesiæ regimine suis consiliis non parum juvans. Ibidem obiit XV kal. septemb. at de anno certant inter se auctores, nam Seraphinus Razzi incertus dicit circa 1339: videsis pag. 51. Fontana indicat annum 1340, Ciaconius verò & Ughellus asserunt fuisse annum 1341. Sed res est parvi momenti: certum vivum adhuc fuisse anno MCCCXXXIX in solemniis pentecostes, nam inter suffragia pro vivis in actis capituli generalis eo anno celebrati commendatur, at in sequentibus cùm notarii qui codicem a me visum scripserunt, pepercerint operæ, nec sigillatim suffragia pro vivis aut mortuis retulerint, at solum in globo, nihil exinde certi haberi potest. Romam corpus ejus delatum fuit, & in eodem cum F. Latino Cardinali Malabranca de Ursinis tumulo reconditum, easdem subiit loci mutationes: de quo videsis supra ubi de Latino. Ejus cum laude meminerunt omnes, qui de S. R. E. cardinalibus scripserunt, virumque præstant integerrimæ vitæ & non sine sanctitatis fama defunctum. Quædam etiam eidem ascribunt opera scriptorum nomenclatores. Fontana in *Theatro & Prov. Rom.* ex Lucarino, Altamura ad 1341, Prosper Mandosius *Bibl. Rom. cent.* 2 *n.* 5, qui asserunt scripsisse:

1. *De auctoritate Ecclesiæ seu summi pontificis.* Vereor tamen ne sit allucinatio, nam celebris Ludovicus Jacob in sua *Bibl. Pontif.* opus hoc titulo refert editum a Matthæo de Rubeis Ursino Urbani IV cardinali: videsis pag. 398. Nostri autem nullus meminit Matthæi. Non diffiteor quin Carmelitæ diligentiam effugere potuerit noster Matthæus, & aliud ejusdem tituli opus cum suo avunculo etiam edere, sed certiora desiderarem monumenta.

2. *Nonnullæ ejusdem epistolæ servari dicuntur Bononiæ in monasterii S. Francisci tabulario.* Sic Mandosius ex Tossignano.

3. *Quædam Theologica.*

4. *Testamentum ejus* non omittendum, quod celebrat Oldoinus. Quod certo aliâs in archivo ordinis servabatur, nam ejus frequens in actis capp. genn. memoria.

In rubricis anni tertii pontificatus Benedicti XII cap. 348 sic legitur *Judicibus.*: *Dantur conservatores Matthæo tituli SS. Joannis & Pauli presbytero cardinali. Gratis pro persona cardinalis.* Item cap. 357: *Patriarchæ Aquilegiensi. Mandatur quod Matthæo tit. SS. Joannis & Pauli presbytero cardinali faciat justitiam contra Joannem de Bellasio militem Tridentinæ diœcesis super eo quod a quodam nuncio dicti cardinalis centum libras, & quemdam equum extorsit, & in monasterio S. Laurentii Tridentinen. sibi damna intulit. Gratis pro D. cardinali.* Quæ brevia scripta anno MCCCXXXVII probant titulum SS. Joannis & Pauli semper servasse, nam anno sequenti XVIII decemb. factus est episcopus Sabinensis.

F. MICHAEL DE FURNO.

F. Michael de Furno, vernacule *du Four*, qui & aliquando *de Insulis* simpliciter a patria & professione pro more dicebatur, natione Flander, & etiam ob vicinitatem *Picardus* dictus, id enim tum erat in usu, vir fuit suo seculo clarissimus. Studiis Lutetiæ in gymnasio Sanjacobeo peractis ad gradus in sacra facultate visus est promovendus. De quo sic in actis cap. gen. Lugduni anno MCCCXVIII legitur: *Assignamus ad legendum sententias Parisius isto anno F. Michaelem de Furno de provincia Franciæ.* In indice verò magistro- * 1340.

rum theologiæ apud Bernardum Guidonis n. 72 laudatur *Frater Michaël de Furno Gallicus*. Quo anno obierit incertum, licèt medium circiter ejus seculi attigisse facile conjiciatur. Dies mortis ejus in veteri necrologio domus suæ Insulensis ad kal. decemb. annotatur sic: *Obiit F. Michael de Furno sacerdos & professus magister in theologia*. Ejus meminit Laurentius Pignon n. 116 his verbis: *F. Michael de Furno de conventu Insulensi in Flandria magister in theologia scripsit plures postillas scilicet*

Super Cantica, quam laudat etiam Sixtus Senensis. *Michael*, inquit, *de Insula Picardia ord. Prædic. scripsit lecturam scholasticam in Canticum canticorum incipientem*, Cantabo dilecto meo &c. & eam apud SS. Jo. & Paulum Venetiis servari indicat.

Super Lucam.

Super Joannem. Hæc habetur Parisiis apud Augustinianos ad pontem novum cod. MS 170 fol. med. memb. Tit. *Postilla super Joannem F. Michaelis de Furno*. Pr. *Factum est verbum Domini super Joannem Baptistam*. Finis: *Quia ex abundantia cordis os loquitur*. foll. 35. Opus videtur imperfectum.

Super Apocalypsin.

Præter has postillas a Laurentio recensitas, laudatur a Sixto Senensi

Postilla in Danielem, quæ incipit, *Abscondita produxit.*

Hæc Parisiis apud eosdem Augustinianos habetur eod. cod. 170 & eodem principio allato. *Abscondita produxit in lucem Job* XXVIII. *Rabi Moyses. Tria sunt quæ ut ait Alexander, impediunt hominem apprehendere virtutem rei &c.* Finis: *De lacu leonum*, Eccl. ultimo, *liberasti me secundùm magnitudinem &c. Explicit postilla super Danielem edita a F. Michaele de Furno ordinis Prædicatorum. Anima ejus requiescat in pace. Amen.* Quod eadem manu qua postilla, & indicium est paulo post mortem auctoris codicem exaratum. Illa verò tenet a fol. 36 ad 73. Ex fine allato, addito Sixti Senensis testimonio, patet esse mendum notarii, qui initio scripsit, *Postillam esse secundùm magistrum Jacobum de Lausana ordinis Prædic.*

In eadem Bibl. cod. fol. med. memb. cui titulus *S. Augustini epistola*, ad calcem: *Frater Michael bachalarius super Matthæum*. Pr. *Erunt fructus ejus in cibum, & folia ejus in medicinam &c.* Cùm auctoris agnomen non addatur, nostro Michaeli non ausim asserere, sed id monendum visum est, ut cujus sit curiosus & otiosior aliquando disquirat.

Collationes de Sanctis F. Michaelis de Furno ord. Prædic. Extabant Rhegii in Italia apud nostrum Eucherium Bonettum teste Possevino in Append. p. 108 codd. MS. Laudantur etiam apud Sanderum Elenchi codd. MS Belg. P. II p. 135 *Michaelis de Furno ordinis Prædic. collationes*, fol.

Bandellus in tract. de concept. B. V. falsus est, cùm hunc Michaelem de Furno inter doctores seculares recensuit: quem tamen errorem exceperunt sequaces, Deça &c. quod & ipse Alva annotavit Sol. Verit. Rad. 223 col. 1564, ubi & addit Bunderium in suo codd. MS catalogo fol. 444 asserere *Michaelem de Furno conventus Insulensis ord. Prædic. scripsisse plura super sacram scripturam, præsertim sermones de Sanctis.*

Ex hactenus dictis patet Lusitanum duos hujus nominis *Michaelis* de Insulis, rectè distinxisse: verum est utriusque ætatem ignorasse, sed sequaces qui non magis compertam habebant, ejus sobrietatem imitari debuissent, nec eam temere assignandam sibi usurpare. Inter hos qui amplius erravit, est Altamura, qui in Append. ad 1476 duos diversissimos homines & sesqui seculo integrò a se invicem divisos in unum conflat, hunc scilicet Michaelem de Furno magistrum Parisiensem de Insulis dictum, & Michaelem Francisci magistrum Coloniensem episcopum Salubriensem Insulis etiam anno MCCCCXXXV natum & postea professum, anno vero MDII mortuum ad quem de illo agimus.

F. ÆGIDIUS DE GALLUTIIS.

* 1340.

F. ÆGIDIUS DE GALLUTIIS Italus Bononiæ natus & ordinem amplexatus, quem quidam eum esse volunt, de quo Leander fol. 124 a, agit, & episcopum ait fuisse Torcellanum anno MCCCCXXII promotum, quod tamen Ughello dubium, ut ut sit certo Cretensis fuit archiepiscopus, ut constat ex epigraphe tumulo ejus insculpta in æde sacra nostra Bononiensi visenda, ex qua eum VI decembris hujus anni obiisse habetur. Laudat idem Leander fol. 104 b: « Citabimus inquit post « hos Egidium ex nobilissima Gallutiorum familia « Bononiensi ortum, virum scientia & religione « clarissimum, Cretensem archiepiscopum, qui vi- « ta excessit anno Dñi MCCCXL Bononiæ, inque se « pulchro tanto viro digno sepultus, quod adhuc « cernitur ante aram majorem basilicæ Prædicato- « riæ ». Legendus & de eo Fontana in Theatro, ubi vult anno MCCCXXVIII ex Torcellana ad sedem Cretensem translatum, quamvis id non habeat epitaphium Ægidii ab ipso relatum. Hæc ejus opera ex Rovetta ad 1340 Vincentium Rivalium testem citante:

De Christi Domini & apostolorum paupertate.

Adversus Begardos & Beguinos.

Summa casuum conscientiæ ad formam sacrorum canonum & juxta S. Thomæ principia.

Quæ præstat in Bibl. nostra Bononien. servari MS.

F. THOMAS WALLEIS.

† 1340.

F. THOMAS WALLEIS seu *Vallensis* ab aliis *Gualois* vel corrupte *Valois*, verius Guallensis a principatu illo Angliæ qui indigenis *Wallia* vel *Guallia* dicitur, sicut videtur nuncupatus: ad quod plures non attendentes hunc Thomam in duos diviserunt, alterum de Walleis vel Wallensem, alterum de Gualois vel Gualensem: sic enim Lusitanus & sequaces & tandem Altamura, qui primum ad 1332 alterum ad 1410 collocat: qui tamen certo unus est & idem Thomas sub pontificatu potissimum Joannis XXII clarus. Hic igitur seu *Walleis* seu *Gualois* appellare placeat, Anglus natione, propteréaque Anglicus aliquando simpliciter dictus, vir fuit dum vixit pietate, eruditione sacra & profana, fidei ardenti studio, & invicta animi constantia conspicuus. Sacræ theologiæ magister Oxoniæ renunciatus, academiam illam suis lectionibus plurimum illustravit, tum & ad aulam Romanam quæ Avenione morabatur se conferens, magnam sub Joanne XXII in fidei defensione animi fortitudinem demonstravit: quæ omnia in ejus operum recensione clarius patebunt. In iis autem referendis sic agere visum est, ut primo ea quæ adhuc supersunt, & quorum certa habetur notitia, indicentur, tum alia quæ ei a variis ascribuntur, subsequentur.

1. *Opus F. Thomæ Walleys de ord. Prædic. super Isaiam, Numeros, Deuteronomium, Josuam, Judices, Ruth, Exodum, Leviticum.*

Laudatur in catal. Angl. T. I P. II n. 994. An ille codex amplior sit quam a me visus Parisiis, docebunt indigenæ. En specimen codicis apud Augustin. ad pont. nov. n. 170 a fol. 74 & deinceps:

Incipiunt moralitates magistri Thomæ Anglici super libros sequentes.

Super Exodum. Pr. *Ecce populus filiorum Israel multus & fortior nobis est. Philosophus libro de animalibus cap. 6 dicit quod apes &c.*

Super Leviticum. Pr. *Masculum immaculatum offeres. Solus Christus immaculatus &c.*

Super librum Numerorum. Pr. *Recensiti sunt filii Israel omnes qui poterant ad bella procedere.*

Super librum Deuteronomii. Pr. *Filiabus fratris vestri dares possessionem debitam patri. Possessio patris nostri D. N. Jhesu Christi est regnum cælorum &c.*

Super librum Josue. Pr. *Transi Jordanem istum. Volentibus terram promissionis ingredi.*

Super librum Judicum. Pr. *Post mortem Josue consuluerunt.*

Super librum Ruth. Pr. *Amaritudine replevit me omnipotens.*

In Ecclesiasticum (sic in MS, sed leg. *in Ecclesiasten.*) *Dixi igitur in corde meo vadam & confluam.*

Super Isaiam. Beatus vir qui custodit verba prophetiæ hujus libri.

Incipit liber Job. Cogor per omnes scripturæ divinæ &c.

Alva Sol. Verit. Rad. 149 col. 1280 de hoc auctore agens sic habet inter plura: *Vidi MS Parisiis hoc titulo: Moralitates magistri Thomæ Anglici super novem libros scripturæ.* Licèt bibliothecam non indicet in qua viderit, ex libris scripturæ & ex principiis librorum ab eo allatis suspicor non alium esse quam codicem hunc Augustin.

2. *Walleys super duos nocturnos psalmorum.*

Extat bis apud nostros Claromontenses in Arvernia. Titulus: *F. Thomas Anglicus ord. Prædic. in Psalmos.* Et codices in fol. & memb. dicuntur scripti anno MCCCXLVI.

Laudatur in catal. Angl. T. I P. II n. 852 & P. III n. 1975. Item apud Sanderum Elenchi codd. MS Belg. P. I p. 156 apud Dunenses.

De hoc opere sic habet Laurentius Pignon n. 107: *F. Thomas Wallois Anglicus magister in theologia scripsit bonam postillam super duos nocturnos primos psalterii.* Hoc est super XXXVII primos psalmos, qui noctu matutinis Dominicæ & feriæ secundæ dicuntur. Hinc vehemens mihi suspicio commentarium a Sixto Lamberto Lucensi sub nomine Thomæ Jorzii Venetiis 1611 fol. editum hujus non esse, qui in primum nocturnum seu in XXV priores psalmos tantum scripsisse fertur; sed Wallensi asserendum, qui duos nocturnos seu XXXVII psalmos dicitur commentariis suis illustrasse. Favent Trithemius & Pitseus, qui Wallensis commentarii hoc esse principium dicunt: *Beatus vir qui custodit &c.* quod idem est commentarii a Sixto Lamberto editi. Sixtus Senensis codicem Venetum laudat hoc eodem principio sub nomine Thomæ Anglici patria Galensis ord. Prædic. Fateor addere esse in XXV psalmos tantum, sed forsan codex ille mutilus. Quid accuratius dabunt otiosiores, ac quibus codices MS expendere licebit.

3. *Thomas Walleys. Sermones de tempore & de SS.* Sic in catal. Angl. T. I P. I n. 847.

4. *Tractatus doctoris Thomæ Walleys de theoria prædicandi.* Catal. Angl. T. I P. II n. 1388: P. III idem n. 1761: T. II P. I n. 9423 *Thomas Walleys de modo componendi & dilatandi sermones cum specialibus aliis documentis.* Non negligendum quod in eodem catal. T. I P. I pag. 259 a n. 17 legitur ex collectaneis Richardi Jamesii *De arte concionandi per F. Thomam Aleys (corrupte ἀντὶ Waleys) de ordine Prædicatorum ad Theobaldum de Ursinis archiepiscorum Panormitanum.* Si enim verum est, quod asserit Rochus Pirrus in Sicil. Sac. Theobaldum Panormi sedisse ab anno MCCCXXXVIII ad MCCCL, Thomam hunc ultra MCCCXXXVIII vixisse necesse est.

Paris. in Victor. cod. 85 ad fol. 25 est *tractatus de arte prædicandi.* Pr. *Oro ut caritas vestra magis ac magis abundet &c.* Finis ad fol. 50 b: *Explicit libellus artis prædicatoriæ editus a quodam Fratre ordinis Prædicatorum.* An sit idem cum Anglicanis citatis, docebunt indigenæ. Codex iste Victor. est chartaceus sub finem seculi XIV vel initia sequentis scriptus.

5. *Thomæ Waleys tractatus de natura bestiarum cum moralizatione.*

Laudatur in catal. Angl. T. I P. II n. 663. Hujus operis auctor ipse meminit in prologo sequentis, ubi sic habet: *Congruum mihi visum est post moralizatas rerum proprietates, postquam ad mores reducta naturæ opera, etiam ad moralizandum fabulas &c.*

6. *Metamorphosis Ovidiana moraliter a magistro Thoma Walleis Anglico de professione Prædicatorum sub SS. Dominico explanata.* Typis prodiit Parisiis, Ascensii 1509 in 4 charact. eleganti. Iterum Thomæ Laisné 1521 in 8. Utraque editio extat apud nostros ad S. Honorati.

Hoc opus Gallice versum jam antea typis prodierat hoc titulo: *Cy commence Ovide de Salmonen son livre intitulé, Metamorphose contenant XV livres particuliers, moralisé par maistre Thomas Waleys docteur en theologie de l'ordre de S. Dominique translate & compilé par Colard Mansion en la noble ville de Bruges*, Brugis typis ipsius Mansion interpretis 1484 fol. mag. charact. grandiori, absque numeris, reclamationibus, signaturis. Extat in Regia *Z* 3290.

In prologo sic loquitur Wallensis: « Non moveat tamen aliquem, quod dicunt aliqui fabulas poetarum aliàs fuisse moralizatas, & ad instantiam Dñæ Joannæ quondam reginæ Franciæ dudum in rhythmum Gallicum fuisse translatas: quia revera opud illud nequaquam me legisse memini, de quo bene doleo, quia ipsum invenire nequivi &c ». Interpres mox laudatus *Mansion* meminit etiam hujus versionis antiquæ rhythmis Gallicis adornatæ, & dicit Rotomagi factam. Ista autem regina tum mortua, cùm hoc opus suscepit Wallensis, vel est Joanna Othenini Burgundiæ comitis filia Philippi V Longi Franciæ regis conjux, quæ obiit anno MCCCXXIX, vel quod potius crediderim Joanna Roberti II Burgundiæ ducis filia Philippi VI Valesii Francorum regis altera uxor, an. MCCCXLVIII mortua litterarum amans, in cujus gratiam plura fuere e Latino Gallice versa, ut Legenda SS. Jacobi de Voragine, Speculum historiale Vincentii Bellovacensis & alia plura, quam si ultimam laudet, ultra MCCCL vixerit. Fateor & fuisse priorem his Joannam filiam regis Navarræ Philippi IV Pulcri sponsam anno MCCCIIII mortuam, de qua Wallensis loqui potuerit, quo posito jam nulla esset de ejus ætate difficultas.

Hujus operis insigne exemplum MS fol. mag. memb. recensetur in Bibl. Gothana hoc titulo: *Moralitates M. Thomæ de Anglia super libros metamorphoseos cum figuris.* Qui codex dicitur ibidem Roma e bibliotheca quadam cardinalitia allatus.

7. *In decem primos libros e XXII de civitate Dei S. Augustini expositio.* Pr. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Fons sapientiæ verbum Dei &c.* Et infra: « Expositionem quamdam super decem libros primos de civitate Dei, in quibus est major obscuritas quam in sequentibus propter historiarum & fabularum multitudinem perpaucis notam composui &c ». Typis prodiit Moguntiæ, Petri Schoeffer 1473 fol. Finivit in lib. X cap. 29. Ad hujus calcem sic legitur: « Finitur opus secundùm Tho-

» nam Valois Anglicum natione. Sequentia sunt summa de expositione F. Nicolai Cerseth (corrupte ἀντὶ Treveth) Anglici ordinis Prædicatorum, ne omissis sequentium librorum expositionibus opus præsens imperfectum videretur. Itaque ambo seorsim quilibet sodalis sui consilii nescius suam expositionem in illos libros susceperunt, Nicolaus in omnes, Wallensis in x primos tantum, illaque unius ad alterum additio opera est sola posterorum, quam neuter prævidit faciendam.

Prodiit iterum Friburgi 1494 fol. charact. Goth. Postea Lugduni ære Jo. Koburger, typis Jac. Sacon. 1520 fol.

Quanto eruditorum plausu acceptum fuerit opus, probant innumera, quæ adhuc supersunt in bibliothecis exempla MS, hæc a me Parisiis visa. In Sorbona unum. In Navarr. codex elegans. In Victor. n. 952. In Augustin. ad pon. nov. n. 202. Eccles. Paris. C. 21. Colbert. n. 1094: omnes fol. memb.

Codices alii laudantur in catal. Angl. T. I P. I n. 1126: P. II nn. 243 & 498. In Patavinis Tomasini p. 47 a. In Elencho Sanderi, pp. 165 & 167. Mitto cæteros.

Quosdam nævos in hanc expositionem irrepsisse fateor, qui merito displicuerunt eruditis: Verum hi ætati auctoris tribuendi, qua veterum Latinorum seu etiam SS. Patrum libri habebantur quidem, sed non ubique & in promtu accurati, imo erratis notariorum scatentes: quod in causa fuit ut scriptores ejus seculi aliquando allucinati sint. Cæterum majoribus nostris hi errores eo facilius condonandi, quod nullius sint momenti, præsertim cùm iis debeamus quod per eos fides steterit inconcussa, sarta tectaque ab iis ad nos pervenerit. Inter hos verò fidei acerrimos pugiles numerandus hic Thomas, ut jam patebit ex sequentibus.

8. *Epistola F. Thomæ Walloys de instantibus & momentis.*

Laudatur in catal. Angl. T. I P. III n. 2359. Ibidem habentur

1. *Sermo ejusdem.* In fine illius sermonis sic habetur: » Et ego F. Thomas Walleys Anglicus prædicavi præmissa publice coram multis, qui in excusationem mei dico sic: Aut opinio quæ dicit animas sanctorum ante resurrectionem non videre Deum facialiter, est error manifestus, periculosus & scandalosus, ut pote de cujus prædicatione tota Ecclesia Dei scandalizatur: aut non. Si sic, videtur quod debeam excusari, quia conscientia me urgente talia prædicavi. Si non, paratus sum omnem pœnam subire a quocunque judice ponendam.

2. *Contra F. Thomam Walleys actum quoddam.*

3. *Aliud contra eumdem.*

4. *Confessio dicti Thomæ coram inquisitoribus.*

5. *Articuli hæreticales dicti Thomæ in libello suo de momentis.*

6. *Responsio ejusdem Thomæ ad articulos sibi objectos.*

7. *Epistola Joannis Lotterell Anglici doctoris de visione faciali.*

8. *De septem quæ opponebantur D. papæ & de responsione illius.*

9. *Epistola magistri Armandi* (nempe *de Bellovisu* O. Prædic. de quo supra ad 1334) *de Dominica visione.*

Quæ omnia illam controversiam tum tanto æstu agitatam de dilatione beatitudinis SS. ad diem judicii accurate & certo nosse volentibus necessario sunt legenda. Et quia de *Sermone* multi scripserunt sed temere & non juxta rei veritatem, ejus placet hîc quædam referre.

Sermo itaque ille dictus fuit de S. Joannis evangelistæ XXVII dec. MCCCXXXI, & principium fuit,

Implebit illum spiritu sapientiæ & intellectus. Eccl. xv. Sæc. XIV.

Aderant multi cardinales, quos ex more ætatis *Reverendos Dominos* vocat, & identidem alloquitur, & innumerus auditorum cœtus, sed non aderat papa, ut quibusdam visum est. Post plura generalia sic propositum agreditur:

» Unde enim procedunt errores modernorum temporum, nisi ex superbia & inani gloria? Quia volebant quidam apparere singularis scientiæ, ut apparet de paupertate Christi, & quod Deus potest homini præcipere quod odiat Deum, & quod homo sine gratia & caritate potest mereri &c «.

Quæ deinde pluribus argumentis confutat. Ad marginem hîc eodem charactere legitur: *Contra Minores.* Quod intelligendum non contra ordinem, sed contra illos qui tantas de paupertate turbas eo seculo excitarunt, quos ordo ipse acrius punivit. Sed potissima pars sermonis est de illo errore cui pontifex favere videbatur *animas SS. Deum facie ad faciem non videre ante resurrectionem & diem judicii*; cujusdam verò Hannibaldi, qui vel scripto vel verbo in prædicatione dictum errorem sustinuerat, octo rationes refellit ac confutat, sicque incipit:

» Sed hîc forsan dicetur: Ergo tu tenes quod animæ SS. ante resurrectionem vident Deum visione faciali. Respondeo pro me & pro meis similibus juxta illud Deuter. 4. *Hæc est nostra sapientia & intellectus coram populis*: & semper prædicabimus & docebimus Domino concedente, sicut prædicaverunt alii sive seculares sive religiosi tam prælati quam alii, & Domino annuente quandiu durabit [mundus] taliter prædicabunt «.

» Sed obiicitur contra nos. *Ad marginem, I ratio Hannibaldi.* Quia sic dicere est contra B. Gregorium, qui dicit quod animæ post mortem nesciunt quæ hîc aguntur, nisi forsan per revelationem specialem. Si autem viderent Verbum, omnia viderent in Verbo. Antequam ego respondeam ad istud præmitto unum. Rogo enim vos quod non reporteris dicta mea, sicut quidam reportaverunt alio die dictum cujusdam Fratris (haud dubie ord. Prædicatorum, siquidem ejus defensionem suscipit) in loco isto prædicantis de B. Lucia. Aptavit enim Frater ille auctoritatem illam Isaiæ: *Erit lux lunæ sicut lux solis*, & dixit sic: *Erit lux lunæ, id est gloria hujus B. Virginis secundùm animam, sicut lux solis, id est gloria Christi.* Et reportatum fuit, & postea publicatum quod ipse debuerat prædicasse, quod gloria B. Luciæ fuit tanta, quanta est gloria Christi: cùm tamen hoc adverbium, *sicut*, dicat similitudinem non æqualitatem. Unde salvator Matt. v: *Estote perfecti sicut pater vester cœlestis perfectus est*, non intendens suadere eis, quod ipsi conarentur habere perfectionem æqualem Deo. Et præterea Frater ille dixerat immediate, quod pro diversitate meritorum erit diversitas præmiorum: ex quo poterat clare haberi, quod non intendebat æquare B. Luciam Christo in præmio. Rogo vos si dicta mea reporteris, quod ea fideliter reportetis: & si quis hæsitet super aliquo, veniat ad me, & ego dicam sibi veritatem. Quia non est verisimile quod illud quod hîc dicam in præsentia tot magnorum, velim occultare. Hoc ergo supposito dico ad dictum B. Gregorii, quod ipse in libro moralium XII super illud Job XIIII, *Sive fuerint filii ejus nobiles sive ignobiles*, dicit de animabus primo sic: *Sicut adhuc qui viventes sunt, mortuorum animas quo loco habeantur, ignorant: sic & mortui vitam in carne viventium post eos qualiter disponatur, nesciunt.* Ibidem subjungit, quod de animabus sanctis sentiendum non est,

SEC. XIV. » quia *qui intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quod foris sit aliquid quod ignorent.* Considerate ergo rationes » domini (sc. *Hannibaldi*) utrum B. Gregorius sit » pro me vel contra me ».

Post explosa istius dñi Hannibaldi octo argumenta, transit ad aliud, quod in margine dicitur, *Ratio D. papa*, eodem charactere, quem tamen in sermone non nominat & sic prosequitur:

» Adhuc arguitur, quia Ecclesia orat pro omnibus sanctis dicens, *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei & dormiunt in somno pacis.* Sed non » oraretur pro eis, si jam essent beati. Ergo. Quantum ad istud argumentum dico, quod si haberem » aliquam causam arduam coram aliquo judice, » quam vellem (f. nollem) judici esse suspectam, » nullo modo producerem testem ita vitiosum, sicut est ista ratio. Quia si interrogarentur illi, qui » faciunt istud argumentum, utrum in missis suis, » cùm venissent ad locum prædictæ orationis, ubi » sacerdos sibi ad memoriam [revocat] animas eorum pro quibus orat, ipsi unquam ex intentione » cogitassent de anima Petri vel cujuscunque sancti. » Diceretis ut credo, quod nunquam audistis de » aliquo, qui diceret sacerdoti, quod diceret unam » missam pro anima cujuscunque sancti. Secundo » quia oratio quam Ecclesia facit pro eis est ista: » *Ipsis & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis & pacis &c.* Ubi sciendum quod » sicut duplex est malum scilicet culpæ & pœnæ, ita » dupliciter impugnamur. Quantum ad primum malum non impugnantur animæ in purgatorio, quia » non habent tentatorem: sed quantum ad secundum, adhuc quodammodo impugnantur. Prima » ergo est quæ supponitur, secunda vero petitur. » Multa autem possent hîc dici, sed transeo. Videte ergo reverendi domini, si ista sint argumenta, pro quibus nos debeamus deserere illam » sanctissimam doctrinam, qua cum ipso lacte matris imbuti sumus, & ab infantia nobiscum crevit, ita ut jam sit in nobis inossata & incorporata «.

» Sed dicunt alii nos habemus auctoritates sanctorum pro nobis, & decem contra unam. Respondeo. Ego legi auctoritates vestras, & revera vidi » multitudinem illarum minime esse formidandam. » Scio enim quod ibi allegantur quædam, quæ tantum sunt ad propositum, quantum illud psalmi » scilicet, *Quare fremuerunt gentes &c.* Aliquæ » vero auctoritates accipiuntur ex dictis S. Thomæ » de quo tamen notum est iis qui legerunt ipsum, » quod ipse non tenuit opinionem præmissam: imo » dicit quod pro hæresi habenda est &c «. Postea prosequitur auctoritates sibi objectas explicando, & alias claras adversus errorem proferendo, quæ brevitatis causa omitto. Qui plura scire voluerit, codicem Colbert. 3545 in fol. chart. adeat, in quo integer habetur a fol. 79 ad 86: eumdem enim esse cum citato ex cod. Anglic. hinc constat, quod ad finem eadem totidem vocibus legatur Wallensis declaratio supra relata.

Propter hunc sermonem & epistolam ei adjunctam de instantibus & momentis Wallensem jussu Joannis XXII in carcerem conjectum narrant omnes, & probant acta contra eum relata in cod. Anglic. cit. Præterea Gobelinus Persona anno MCCCC florens in Cosmodromio seu chronico universali pag. 246 de Joanne XXII loquens sic habet: » Ipse postquam senex effectus est desipuit, prædicans animas separatas a corporibus non videre essentiam divinam visione faciali ante diem judicii. » Contra quem Thomas Walleys de ordine Prædicatorum se exponens periculo propter fidem catholicam publice prædicavit: ita quod propter « hoc papa misit eum in carcerem, & ibidem fame cruciatus est, sed tandem liberatus magno « cum honore. Papa etiam anno xx Ludovici regis « [*Bavari*] in extremis constitutus ad instantiam « amicorum suorum prædictum errorem revocavit. «

Wadingus Annal. T. III ad ann. 1331 n. 5 contendit Wallensem carceri mancipatum, non ob prædicationem veritatis, sed ob irreverentiam prædicatoris, qui præsente pontifice eum non obscure perstrinxerit, divinam maledictionem assertoribus illius sententiæ imprecatus. Verùm ut jam monui, nihil est in toto sermone, quod præsente summo pontifice dictum indicet. Unde nostri qui cum Bzovio Joannem XXII astitisse narrant, sermonem non videntur legisse. Nullibi enim pontificem sed solos Reverendos Dominos, quo nomine intelligo cardinales, alloquitur. Sed rem ut acta est explicatius scire non pigebit.

Quidam ordinis Minorum ante Wallensem concionem habuerat, in qua summo pontifici obsequens opinionem de dilatione visionis Dei pro viribus probare ac defendere conatus erat. Fuerunt & alii præter Hannibaldum citatum concionatores, qui idem Avenione aggressi sunt. In hos itaque non in summum pontificem cadunt, si quæ duriora, sed pro ratione fidei necessaria in suo sermone protulit Wallensis. Id ex his ipsius verbis evincitur: nam hæc præcipue offenderunt:

» Reverendi Domini rogo vos ex corde, quod si « aliquis talium cuicunque vestrum sic dicat, respondeatis, sicut & ego respondebo: Interrogabo « eum qui sic dicit, quæ est auctoritas sancti, quæ « te magis movet ad credendum sic? Respondebis « forsitan Bernardi vel Gregorii aut alius sancti. Et « ego dicam sibi: Salva reverentia tua non dicis verum. *Et postea*: Et ego rogo Deum quod illud « *Fiat Fiat*, id est excommunicatio & maledictio « Dei patris descendat super caput illius, qui sic « motus negat veritatem quam credit, & dicat omnis populus *Fiat Fiat*.

Maledictio illa non in summum pontificem, absit, sed in eos qui contra conscientiam & propter solam obsequentiam in concionibus falsam illam opinionem sustinuerant, intorta est: & propter illud *Fiat Fiat* ex industria iteratum ceu in præfatum Franciscanum, qui in suo sermone istas voces geminando altius inclamarat, pronunciata, accepta est.

Id patet ex sermone quem monachus Cluniacensis B. Mariæ de Caritate nomine Franciscus capellanus cujusdam cardinalis habuit XVII januar. MCCCXXXII in æde sacra ipsa nostra Avenionensi, in quo sermonem Wallensis die S. Joannis evangelistæ præcedenti habitum refellendum sibi proposuit. Arguit enim Wallensem quod Franciscanum *non malignum*, inquit, *sed hominem cordatum re & nomine* vexarit, & addit: » Inepte ut videtur « de Fratris conscientia judicasti, imponens eidem « quod propter *Fiat Fiat* in tam ardua materia tanquam adulator nequam contra veritatem & suam « conscientiam sit locutus. Quando Fratris conscientiam *Fiat Fiat* petentis sic vulnerasti, nunquid patris innocentiam *Fiat Fiat* scribentis linguæ jaculo « sagittasti? Fortè dicit mihi ille David senior illud « iij Reg. viij: Dimitte illi ut maledicat mihi &c. « *& postea*: Inepte ut videtur maledictionem Fratri « intentasti, & ineptius ad hoc populum concitasti, « & ineptissime scripturam sacram ad hoc applicasti, illam scilicet, *& dicet omnis populus Fiat Fiat.*

Ex eodem sermone Cluniacensis discimus concionem Wallensis magna populi acclamatione exceptam fuisse. Sic enim ille: » Rogo quare fremuerunt gentes, quare populi inania meditati? Quare « reges «

» reges adversus Dominum astiterunt, quare principes adversus Christum ejus convenerunt, nisi » quia tumultuasti populum? De Christo loquor, » de quo & ejus similibus dictum est, *Nolite tangere Christos meos &c.*

Ex his jam clarum est concionem Wallensis ita tunc acceptam fuisse, non ut in summum pontificem, sed adversus quosdam in sermonibus suis veræ fidei doctrinæ adversantes pronunciatam: licèt ex ea factum fuerit, ut principes cum rege Franciæ contra opinionem cui favere videbatur Joannes XXII insurrexerint, & ejus condemnationem sint prosecuti. Non omittendum postquam Cluniacensis sermonem, quem ut dictum est, in æde nostra habebat finivit, priorem domus nostræ coram universo cœtu assurrexisse, & alte contestando omnia a concionatore adversus Wallensis doctrinam effutita se denunciare declarasse. Cluniacensis die xxv mensis qui erat conversionis S. Pauli, apud Franciscanos secessit, & ex eorum cœnaculo provocationem misit ad nostros, ut eodem die hora nonæ in dicto cœnaculo comparerent, coram DD. inquisitoribus si quid in ejus concione adversus fidem & bonos mores arguerent, expositurì. Cùm locus nostris non esset tutus, & aliunde illis suspecti essent judices opinioni summi pontificis saltem sic putatæ devoti & adhærentes, nullus comparuit. Hinc Cluniacensis mox ut hora ab eo præscripta sonuit, de his ab inquisitoribus sibi fieri petiit instrumentum & obtinuit: & quia illi objiciebatur, ideo adversus Thomam Anglum prædicasse, quod nationem Anglicam odio haberet, se ipsum origine Anglum declaravit, & S. Thomam martyrem Cantuariensem olim archiepiscopum suum abavunculum dixit. Quæ acta, sermo Cluniacensis, provocatio e Franciscanorum cœnaculo, instrumentum hora dicta confectum extant cod. Colbert. 758 in medio voluminis. Cæterum ille conflictus Wallensi eo gloriosior fuit, quod non solum e carcere victor egressus est, id enim parvi pependisset, sed & ipsos adversarios rejecto errore & amplexa quam defenderat veritate secum fecit victores. Cum his tamen qui veritati soli lito, agnosco sermonem Cluniacensis curiosum esse, hominisque non ineruditi, ac pro ætate non infacundi, causam licèt difficilem & periculosam tum defenderit.

9. Cod. Colbert. cit. 3545 a fol. 1 ad 78 sunt *Excerpta moralia ex philosophis, poetis & SS. Patribus de virtutibus & vitiis.* Horum compilator Thomas hic Wallensis indicatur sed manu recentiori: quod & verisimile fit ex catal. Angl. cit. T. II P. I n. 9423, in quo post ejusdem Thomæ tractatum de modo componendi sermones, similia sequi monentur *de superbia & aliis vitiis & de virtutibus.* Cùm tamen nomen Wallensis prima manu ascriptum non sit, quid certi nolim asserere.

Addo eodem cod. post sermonem Wallensis relatum sequi sermonem F. Philippi de Montecalerio ord. Min. anno MCCCXL clari de SS. Innocentibus, & postea plura moralia, in quibus citatur opus de proprietatibus rerum F. Bartholomæi Anglici Franciscani, quod eum longe antiquiorem evincit, quam faciant Wadingus & alii.

Præter hactenus relata hæc Waldensi a variis adhuc ascribuntur opera:

1. *Quæstiones super multos libros physicorum.* Sic Laurentius Pignon.

2. *Multi tractatus logicales de diversis materiis.* Sic idem Laurentius.

3. *Super IV libros sententiarum scripta.* Sic Leander fol. 137 a, ubi errato typorum dicitur *de Maleis*, pro de Waleis.

4. *In proverbia Salomonis.* Pr. *In absconditis parabolarum.* Sic Trithemius. Hoc opus typis prodiit Parisiis, Francisci Regnault 1510 in 4, sed cum dubio an Wallensis sit an Roberti Holcoth de quo ad 1349 ubi videsis.

5. *In Cantica canticorum.* Sic idem Trithemius.

6. *In Genesim.* Pr. *Philosophus in libro de animalibus.* Sic Pitseus addens haberi Oxoniæ in collegio novo Merton. & Magdalenæ: sed falli censeo ex catal. Angl. T. I, P. II n. 994 qui est colleg. nov. 30, ubi recensetur quidem postilla in Exodum sed non in Genesim. Præterea principium a Pitseo allatum ipsum Exodi est principium supra indicatum.

7. *In Ecclesiasten.* Pr. *Dixi igitur in corde meo.* Sic Pitseus. Sed hæc postilla jam supra indicata est, ubi auctores emendavimus, qui titulum indiderunt *In Ecclesiasticum.*

8. *In XII prophetas minores.* Sic idem Pitseus, qui & sequentia:

9. *Super Matthæum.* Pr. *Tria insinuantur hoc loco.*

10. *In epistolam ad Hebræos.* Pr. *Beatus homo qui sperat in te.*

11. *Lectura sacrorum Bibliorum.*

12. *De statu animarum post mortem.* Pr. *Mementote mirabilium ejus.*

13. *De quatuor prædicabilibus ad omne genus hominum.* Sic idem addens haberi Cantabrigiæ in domo S. Petri. Revera Thomas James Eclog. p. 118 n. 87 ejus domus recenset Wallensis opus hujus tituli, sed an sit Thomæ nostri an Joannis ord. Min. dubium.

14. *Contra Iconoclastas.*

15. *Campus florum juris canonici.* Pr. *Disciplinæ claustrali.*

Ex hactenus dictis quam clarum est Walensem & Gualensem unum & eumdem esse hominem, quem nulla ratione nulloque veteri documento Lusitanus dubius tamen & sequaces & tandem Altamura ad 1332 & 1410 in duos dividunt, (Walensem Angli pronunciant Gualensem:) tam patet eos falli, qui duos scriptores distinctissimos Jorzium & Walensem in unum conflant, cùm Walensis ultra MCCCXXXVIII vixerit, Jorzius anno MCCCX certo mortuus sit, hic cardinalis fuerit, ille nulla dignitate alia quam magistri theologiæ insignitus. In hunc errorem tamen impegerunt Labbeus Dissert. histor. T. II p. 435, Tirinus in indice commentatorum suis in sacram scripturam scholiis subjecto, & Alva *Pleytos de los libros*, *Pleyto* 83, & Sol. Verit. Rad. 149 ubi omnia perturbat. Non negaverim allucinandi occasionem fuisse, quod uterque pro more ætatis aliquando Thomas Anglicus simpliciter dictus sit, unde ut utrique sua distincte opera redderem, antiqui nostri nomenclatores, & veteres codices MS consulendi fuere.

An autem quæ sub nomine S. Thomæ de Aquino typis edita sunt, sed illi falso ascripta, *Commentaria in Genesim, in libros Machabæorum, in Apocalypsim & in Boetium de consolatione philosophiæ, & de disciplina scholarium* Wallensis aut Jorzii partus sint, ut insinuare videtur Sixtus Senensis, & excipiunt Labbeus & Tirinus citati, decernere in me non est, nisi ex inspectione antiquorum codicum MS, quod non sperat animus, lux major affulgeat. Nam aliunde non placet, quæ Sixto Senensi visa est facilis Thomæ Anglici in Thomam Angelicum commutatio, ut ideo quædam Aquinati ascripta fuerint, quæ certo erant vel Jorzii vel Walensis. Hanc Sixti Senensis conjecturam, quam Labbeus, Tirinus & alii ultro amplexi sunt, merito rejicit Lusitanus ceu pure fictitiam: cui addo Thomam de Aquino *doctorem angelicum* dictum nullibi occurrere ante seculum XVI, bene autem *doctorem communem*, quæ non minor est laus: Thomam verò Angelicum simpliciter & sine addito nunquam vo-

Sæc. XIV. catum nimis notum erat apud nostros, ut in eo fallerentur, & Thomæ Anglico inscripta opera Thomæ Angelico asserenda censerent. Itaque si Aquinati quædam data sunt, quæ ejus non erant, id factum vel quia codices MS ejus nomine licèt falso inscriptos invenerunt, vel ob quamdam operis inventi sine nomine auctoris cum veris Aquinatis operibus doctrinæ sibi visam analogiam, vel ob quorumdam pruritum sub claro nomine aliena opera edendi, ut iis auctoritatem concilient. Quot Augustino, quot Ambrosio, quot Hieronymo & aliis hujusmodi supposita sunt? Quantum ad *Expositiones in Isaiam, Hieremiam, & Matthæi evangelium*, de quibus simile judicium ferunt, eas sancto doctori supra ex veteribus monumentis asseruimus, ut & Nicolao Gorrano *Expositiones in septem canonicas.*

Lelandus cap. 345 de Thoma Walleis agens, hanc de eo fert censuram: *Non illa tempora pompam orationis aut eloquentiæ phaleras curioso perquirebant labore: quærebant potius bonarum scientiarum nervos, qui non ori sed animo ornamento essent. Quam rationem & hic noster Thomas in studiis suis secutus est, homo aliás nec lucido dicendi ordine, nec mediocri destitutus facundia.* Addit quas supra laudavimus in vetus testamentum postillas, se in Verodunensi bibliotheca vidisse.

F. HENRICUS DE CALSTRIS.

† 1340. F. Henricus de Calstris Belga Brabantinus ex Calstrensium patritiorum apud Lovanium ortus familia, magna sanctitatis laude fulsit hoc seculo XIV apud nostros Lovanienses, inter quos ordini nomen dederat, & ut probabilius etiam obiit die XVIII octobris; sic enim legitur in ejusdem domus necrologio anno omisso, etsi non desint qui Coloniæ mortuum asserant, sed nullis documentis. Ejus vitam ex Rubeaquensis monasterii canonicorum regularium vetusto codice MS scripsit ejusdem asceterii sodalis Joannes Gillemans, quam & Hyacinthus noster Choquetius Insulensis repræsentat libro a se edito *De SS. Belgii ordinis Prædicatorum*, in qua Henricum hunc Joannis Tauleri symmystæ familiarem fuisse & intimum ferunt: quod & verisimillimum, ut pote in quibus ut & in pluribus aliis ejus ætatis similis erat rerum spiritualium affectus. Hinc plura Henrici operibus Tauleri permista simul prodierunt a Surio Latinitate donata. In his notanda quæ inter Tauleri epistolas est XXIX. Titulus:

De sex quibusdam quæ faciunt hominem immobiliter in divina unione persistere. Pr. *Qui perfecte Dei sui esse voluerit &c.* Henrici esse ad marginem notatur in editione Colonien. Quentell. 1553 fol. & 1613 in 4. & Paris. 1623 in 4. Seorsim edente nostro Andrea Turu S. T. D. Lovaniensi prodiit hoc titulo:

Epistola aurea B. Henrici de Calstris Lovaniensis ordinis FF. Prædicatorum omnem vitæ spiritualis doctrinam continens, Lovanii Everardi de Witte 1647 in 8.

Ejus meminere Valerius Andreas Bibl. Belg. & noster Gilbertus de la Haye Bibl. Belgo Dominic. MS. Non dubito quin ille sit, quem ex Bzovio & Fontana laudat Altamura in Append. ad 1286 B, Henricum Brabantinum appellans, sed cui aliis studiis plane dedito, falso ascribit opera, quæ nostri Guillelmi de Moerbeka Brabantini supra evicimus esse genuina.

F. GUILLELMUS ENCURT.

F. Guillelmus Encurt vel *Dencurt* Anglus sacræ theologiæ magister in academia Oxoniensi, sed & Cantabrigiæ clarus divinarum litterarum interpres, nostris accensetur ex fide Bostoni Buriensis, quem accuratum scriptorum nomenclatorem omnes præstant, & ad MCCCXL pietate, disciplina, doctrina, litterisque divinis & humanis egregie instructum floruisse ferunt. Bostonum excipit Pitseus p. 445. Ejus extat: * 1340.

Commentarius in Ecclesiasten. Recensetur in Catal. Angl. T. I P. II n. 386 *Guillelmus Dencourt super Ecclesiasten:* at T. II P. I n. 6509 *Guillelmus Encurtus in Ecclesiasten.*

Sermones ad populum. Sic Pitseus ex Bostono. Eadem refert Simlerus.

F. GUILLELMUS DE SOUTHAMPTONIA.

F. Guillelmus de Southamptonia non Gallus, ut opinatur Fernandez, & excipit Altamura ad 1340, sed Anglus ut agnomen aperte indicat, quod celebre est emporium *Trisanton* Latine dictum in diœcesi Wintoniensi, ordinem amplexus est in patria si fides Pitseo, ubi proinde domus nobis erecta fuerit post annum MCCCX, vel saltem in Wintoniensi ex antiquioribus ejus insulæ. Laudatur & a Simlero & a Possevino ex fide Balei, quem facile crediderim ex antiquis documentis & hunc auctorem & ejus opera eruisse, licèt ubi nunc serventur, nemo referat. In catalogo magistrorum S. T. post Bernardum Guidonis aucto n. 123 sic legitur: *F. Guillelmus Anglicus in Avinione per papam* scilicet Clementem VI *promotus.* An hic ille sit quem *de Suthampton* nuncupant suspicandi locus esset, cùm tempora conveniant, sed otiosioribus disquirendum satius est permittere. Hæc illi a relatis dantur opera: * 1340.

Postilla in Isaiam. Isaias propheta magnus.

In moralia Gregorii. Abstinentia. Solus in illicitis.

Sermones de sanctis. Sapientiam SS. narrent

Sermones de tempore.

Super IV libros sententiarum. De uti, 1. Quæritur cum sit.

Quæstiones theologicæ.

F. MICHAEL DE FRAGA.

F. Michael de Fraga Aragonus a loco originis Flavia Gallica Latine dicta urbe sic nuncupatus domus Valentinæ alumnus, pro rata provinciæ suæ studens Parisios missus, in gymnasio Sanjacobeo theologiæ operam navabat anno MCCCXII. Pluris ob excellentes animi dotes habebatur apud F. Raymundum de Ponte episcopum Valentinum: unde hic qui episcopus jam a pluribus annis consecratus, nec abdicata dignitate ordinem professus est, ejus meminit in testamento, quod Tarracone XXXI octob. anni præfati condidit, & declaravit primam partem Summæ F. Thomæ de Aquino, quam dictus Michael Parisios detulerat, mutuo ipsi a se traditam, in studiis profuturam: jubetque cùm redierit, ut conventui Sætabiensi detur, ac ut quotannis dicto Michaeli, quandiu Parisiis steterit, certus nummorum ex suis bonis numerus solvatur. Vivebat Michaël etiamnum anno MCCCXL, & scripsit: * 1340.

Librum de beneficiis collatis & aliis donationibus domui nostræ Valentinensi præstitis.

Sic refert Diagus Hist. prov. Arag. Lib. 1 cap 8, ubi se ex eo Michaëlis libro plura mutuari fatetur,

præsertim gesta dicti Raimundi a Ponte episcopi. Laudat etiam Antonius Bibl. Vet. Hisp. lib. 9 c. 2. Notanda illa prima pars Summæ F. Thomæ de Aquino ante MCCCXII scripta, quod Achilleum Launoii argumentum jugulat: eo magis quod eodem testamento Raimundus nostris iisdem Sætabiensibus leget Summam contra gentiles & alios codices.

F. PETRUS ANGLICUS.

* 1340. F. PETRUS ANGLICUS suis ex agnomine accensetur Anglis a Baleo T. II cent. XI n. 22 p. 55 edit. Basil. quem auctorem mutuatur ex F. Philippi Wolfii nostri libro de vitis virorum peritorum, ubi iste Petrum laudat ut philosophiæ sacrarumque litterarum doctorem eximium, vitaque & moribus, & omnigena scientia clarum, ac floruisse ad MCCCXL ac scripsisse

Tabulam notabilem super glossam ordinariam.

Baleum Pitseus excipit ad 1340.

F. GRATIADEI ÆSCULANUS.

† 1341. F. GRATIADEI vel *Gratiadeus* ÆSCULANUS ab *Æsculo* Samnitum Præcutinorum civitate sic nuncupatus, ut habet Leander Albertus in *Descriptione Italiæ Reg. XII Abruzzo*, Ed. Ital. fol. 219 a, etsi a Strabone & aliis non in Samnitibus, sed in Piceno Æsculum illud collocetur, eximius fuit & celebris sua ætate philosophus & theologus. Idem de eo jam dixerat in *Viris Illustr. fol.* 153 *b*, addens hîc ex annalibus eum floruisse ad annum 1341. Ex quo emendes tum Alphonsum Fernandez qui ad 1480, tum Altamuram, qui ad 1314 collocant: tum etiam Kyriandrum in versione Latina *Descript. Italiæ pag.* 404, ubi contra mentem auctoris dicit ordinis Minorum. Scripsit

1. *Commentaria in totam artem veterem Aristotelis* edita Venetiis. Princ. *Quemadmodum Aristoteles dicit in 2 Metaphys.* Ad calcem verò sic habetur: *Expliciunt præclarissima commentaria Gratiadei Æsculani sacri ordinis Prædicatorum in totam artem veterem Aristotelis, nec non in Prædicabilia Porphyrii, ac sex principia Gilberti Porretani, correctioni quam diligentissime tradita per ven. virum F. Theophilum Cremonensem vita regularis ejusdem ordinis professorem. Impressum verò in inclita Venetiarum urbe mandato atque impensa in famosa officina magistri Manfredi de Monteferrato anno &c. supra millesimum & quadringentesimum nonagesimo tertio, die verò primo mensis martii*, fol. char. goth. absque numeris & reclamationibus: signaturis verò trium foll. A ad M inclusive. Extat Parisiis in Bibl. Mazarin. colleg. Anteriorem editionem Venetiis, Boneti de Locatellis Bergomensis 1481 laudant Lusitanus & Altamura.

In Bibl. nostra S. Marci Florentiæ, Armario IV n. 32 opus superius MS memb. habetur hoc titulo: *Lectura Gratiadei ordinis Prædic. super totam artem veterem.* In fine legitur: *Nota quod quando iste Gratiadeus fecit has sententias Fratri Guidoni de Prestano, erat 27 annorum: & in disputationibus semper obsistebat Ægidio ordinis Eremitarum: qui Ægidius per totum orbem disputando ibat, ut augeret suum ordinem. Vixit autem iste Gratiadeus per annos 30 & mortuus est.* Est & alius ibidem codex eadem continens n. 35 memb. In principio sic scriptum est: *Iste liber est conventus S. Marci de Florentia ord. Prædic. quem habuit ex persona Fratris Petri Pauli Domini Poggii de Florentia conventualis & fratris nativi dicti conventus.* Est ibidem codex tertius n. 36 charta. Titulus: *Scriptum F. Gratiadei de Æsculo ord. Præd. super posteriora Aristotelis.* Item Venet. apud SS. Jo. & Paul. P. Sin. Pl. 4 *in artem veterem*, memb. 4, & ibid. inter codd. MS cardin. Hostien. *Logica.* SÆC. XIV.

2. *Quæstiones super octo libros physicorum.* Extant in Bibl. cit. S. Marci, Armar. eodem n. 33 charta. Sunt & Patavii in Bibl. S. Joannis in Viridario ad lævam, ord. XXIII, Donum Joannis Marchanovæ. Sic Tomasinus in Bibl. Patav. pag. 36 b. In catal. codd. MSS Belgii a Sandero adornati pag. 154 partis II in abbatia Tongerloënsi, *Gratiadei de Esculo O. P. Quæstiones philosophicæ*: fortè eædem.

3. *Quæstiones in tres libros de anima.* Sic Leander citatus. Ubi autem serventur nemo aperit. In Bibl. S. Antonii Venetiis, in pluteolis ad parietem Pl. 2 apud Tomasinum laudatur codex fol. memb. *F. Gratiadeus Asculanus in Aristotelem*: at in quos philosophi libros non additur, quod discutiant indigenæ.

4. *Quæstiones theologicæ & metaphysicæ quas disputavit in studio Patavino.* Sic Lusitanus & ex eo Altamura: qui asserunt editas Venetiis 1484, penes quos fides.

5. *Commentaria in parva naturalia Aristotelis.* Sic Lusitanus & Altamura ex Epitome Gesneri.

6. Simlerus in Bibl. Gesneri aucta addit scripsisse, *Supplementum commentariorum S. Thomæ Aquinatis in librum 2 Perihermenias Aristotelis. Item in Sectam Hebraicam, & nominatum etiam Joannem Baptistam Gratiadei.* Penes quem fides, nam horum nulla mihi aliunde memoria: Possevinus enim qui horum meminit, videtur Simlerum solum excepisse. Erit nostrorum Italorum diligentiæ hæc ex veteribus monumentis comprobare, & in rem literariam aperire.

F. PETRUS DE PALUDE.

† 1342. F. PETRUS DE PALUDE vernacule *de la Palu* Gallus, magnum ordinis gentisque suæ & ætatis ornamentum, omnium prope scriptorum commendatione clarus, pluribus tamen qui de illius ortu, præclare gestis & scriptis, ac de illius obitu tam varie scripserunt, non satis pro viri dignitate notus, propterea hîc nobis accuratius repræsentandus est. Patrem habuit Gerardum de Palude dominum *de Varembone, Richemont & Bouligneux*, equitem, virum utique strenuum anno MCCC fatis functum, cui gentilis parma fuit *Herminea crux aream coccineam æque dividens & occupans, quam ornat unicornis argentea pro apice, atlantisque vice gemina item sustinet*: qui Gerardus ex uxore paris cum eo virtutis ac nobilitatis fœmina sustulit liberos Aimonem de Varembone dominum & Joannem equitem ejusdem familiæ propagatores, Joannem alterum ac Percevallum Ecclesiæ Lugdunensis inclitæ canonicos & comites, hunc quidem 2 junii MCCCXLII mortuum, illum verò 15 sept. MCCXCVIII, & apud Prædicatores Lugduni sepultum, & Margaritam Gaudefridi de Granmont uxorem: sextus liberorum fuit Petrus noster, qui Burgundus quibusdam, Insuber aliis audit, quod Sebusiani Segusianique Insubribus finitimi Burgundici regni pars olim fuerint populi. Quo certo Petrus lucem hauserit primam anno, nullus indicat, ex ejus tamen vitæ contextu natum eum conjicere licet inclinato jam XIII Christi seculo, seu ad annum circiter MCCLXXV vel MCCLXXX. Petrum porro nostrum non ita generis splendor avitus, quam præclaræ animi dotes & mores ingenui nobilitarunt, nec dubium quin generi suo quantumvis claro, plus contulerit gloriæ quam acceperit. Ex legibus tum in ordine servatis Lugdunensis conventus alumnum fuisse mihi fere certum est, unde Parisios ad gymnasium Sanjacobeum

SEC. XIV. missus juvenis, sacræ theologiæ lauream in ea consecutus est academia: de quo sic lego apud Bernardum Guidonis in catalogo magistrorum n. 60 cod. Lingon. *F. Petrus de Palude fuit licentiatus die jovis post festum B. Barnabæ A. D.* MCCCXIV: nempe 13 junii, nam erat lit. Dom. F. In actis verò cap. gen. Pampilonæ MCCCXVII: *Item ordinamus & volumus quod Bachalarius qui primus incipiet Parisius, incipiat sub F. Petro de Palude magistro in theologia, & illi dictus F. Petrus in cathedra cedere teneatur.* Alia quam scholæ regiminis apud nos munia habuisse non dicitur, nisi diffinitoris pro provincia Franciæ in capitulo illo generali Pampilonensi, quod erat diffinitorum I, in quo absente magistro ordinis F. Berengario de Landora graviori tum a pontifice præpedito legatione, præses capituli a vocalibus juxta constitutiones electus fuit, qua ratione non verò aliâs magistri ordinis durante illo capitulo vicarium gessit. Sic enim totidem verbis Bernardus Guidonis in cod. Tolos. *A. D.* MCCCXVII *fuit celebratum a diffinitoribus capitulum generale Pampiloniæ in provincia Aragoniæ absente præfato magistro Berengario, quem D. Joannes papa XXII miserat in Franciam tunc legatum, feceruntque diffinitores ex se ipsis vicarium magistri ordinis in ipso duntaxat capitulo juxta tenorem constitutionum F. Petrum de Palude diffinitorem provinciæ Franciæ magistrum in theologia.* Quæ ex cod. præfato refert etiam Baluzius *T. I Pap. Aven. col. 696.* Fallitur verò Malletus noster *Hist. conv. S. Jacob. Paris.* cùm eodem munere in cap. gen. Montepessuli MCCCXVI functum narrat, cùm esset capitulum provincialium, nec in eo jus vocis haberet, ac præterea adesset magister ordinis, ut ex epistola encyclica ab eo hinc data evincitur. Sed qui præfecturas in ordine videtur exemplo S. Thomæ diligentius fugisse, majoribus a summo pontifice pro Ecclesia implicitus est occupatusque negotiis. Cùm enim ex dissidio Flandrorum cum Francorum rege grave suboriri doleret Joannes XXII expeditionis Terræ-sanctæ proposito consilio impedimentum, de iisdem conciliandis & a mutuis armis revocandis serio decrevit, legatumque ad Flandros selegit anno MCCCXVIII Petrum nostrum duobus ex ordine Minorum adjunctis illi collegis. Quam etsi legationem maxima prudentia & integritate obiisset, suspectam tamen illius fidem ipsi pontifici reddere conati sunt æmuli, ipsumque pontifici detulere, quasi non ex ejus voluntate commissam sibi provinciam & infideliter gessisset: eam verò ipse accusationem coram pontifice mira sinceritate modestiaque 2 julii diluit, ac iterum mense septembri se juramento plenissime purgavit, præsentibus F. Guillelmo Petri de Godino cardinali episcopo Sabinensi, ex ordine assumto, & magistro ejusdem ordinis F. Hervæo, non Henrico, ut habet Baluzius apud quem acta illius inquisitionis adversus Petrum nostrum a Joanne XXII institutæ videsis *Miscellan. T. I, a p. 165 ad 195.* Legendus & Rainaldus Annal. Eccles. ad 1318 n. 20. Exinde Parisios reversus quid toto decennio egerit, non produnt auctores, sed quem facile conjicias scribendis in sacram scripturam fusioribus commentariis, tum & concionibus habendis operam impendisse. Anno verò MCCCXXIX Joannes XXII, cujus singularem sibi benevolentiam demeruerat, ad se accitum patriarcham Hierosolymitanum F. Raimundo Bequini Tolosano suffecit. De quo sic Chronicon magnum Sandionysianum MS quod præ manibus habeo: *Anno* MCCCXXIX *post festum SS. Trinitatis Petrus de Palude Prædicatorum ordinis & doctor theologus Avenionem est profectus, quem Hierosolymitanum papa creavit patriarcham.* Licèt enim Fontana ex Ughelli MS schedis mense martio creatum asserat, hæc facili concilientur negotio, si Petrum a pontifice creatum mense martio patriarcham & vocatum ad curiam, post Trinitatem Avenionem advenisse tumque tantùm consecratum dixerimus. Commendatam ei simul Ecclesiam Nimociensem in Cypro, aliâs Lemissensem, ut decessori suo fuerat, sustinendæ dignitatis gratia narrat Raynaldus *Annal. Eccles. ad* 1329 *n. 94*: cui astipulatur noster Laurentius Pignon in catalogo Prælatorum ex ordine, ubi in cod. Victor. dicitur unâ patriarcha Hierosolymitanus & episcopus *Aniciensis*, errato scilicet scriptoris pro *Nimociensis*: neque enim ei locus inter Anicienses. Eodem verò anno ineunte circiter julio, Petro nostro sedem suam Hierosolymitanam invisere meditanti, unaque cum alio episcopo multoque peregrinantium comitatu in Terram-sanctam transfretanti, cura demandata est Mariam Ludovici I ducis Borbonii filiam Guidoni principi Cypri regis Hugonis Lusiniani primogenito & hæredi desponsatam in Cyprum deducendi, quo Massilia solvens annuente summo pontifice profectus est: & in Palæstinam trajiciens Soldanum aggressus est, iram ejus & rabiem in Christianos leniturus, sed frustra. De quo sic Chronicon citatum Sandionysianum Gallicum: *Anno* MCCCXXXI *F. Petrus de Palude patriarcha Hierosolymitanus a Soldano ad quem legatus missus fuerat redux, dirum adversus Christianos Soldani animum, pertinacissimumque propositum exposuit, regisque Francorum* (nempe Philippi VI Valesii tum regnantis) *auleque dynastarum & Baronum animos ita commovit, ut statim de transmarina expeditione Terræque Sanctæ recuperatione suscipienda simul omnes unâ decreverint. Quod ut summus intellexit pontifex, id etiam ipso Rege Franciæ petente, patriarchæ prædicto mandavit & injunxit, prælatisque cæteris omnibus, ut quocumque ditionis suæ loco crucem ipsi promulgarent, promulgarique curarent: cruceque signatos omnes quo se confestim ad iter accingerent, quantociusque transfretandum parati essent, diligenter admonerent.* Quæ tamen consilia initio visa calidissima incassum abiere. Cæterùm magna tum erat Petri nostri apud regem auctoritas & gratia, magnumque illius nomen ob singularem pari cum integritate morum & vitæ innocentia eruditionem: unde & in arduis quæ tum occurrerunt negotiis annis præsertim MCCCXXXI & XXXIII rex ejus usus est opera & consilio, sed quæ rectius mox referentur ubi de ejus operibus. Iter alterum in Cyprum suscepisse postea quidam asserunt, quod mihi non probatur, certum enim habeo ex monumentis posteа referendis ubi de ejus operibus illum relicta Nimociensi Ecclesiam Conseranensem administrandam suscepisse, quo munere fungebatur anno MCCCXXXVII, ut postea dicetur: addunt anno sequenti XXXVIII Avenione adfuisse, & qua valebat apud Benedictum XII gratia, egisse licèt frustra, ne quod ceperat consilium summus pontifex constitutiones nostras immutandi, executioni mandaret, quem nec ejus monita magistri ordinis F. Hugonis de Vauceman instantiis juncta deterruerunt, sed unâ mors a proposito impedivit. Ut ut sit certo non in Cypro, ut post nostrum Stephanum de Lusiniano *Corona Lusignana p.* 53 narrant plures, Nicosiæ sepultum aientes, sed Parisiis diem obiit suum, & in sancti Jacobi templo nostro ad eam partem, ubi nunc sacellum B. V. de Pietate sepultus est, cujus sacelli cùm fundationes foderentur anno MDCXXXI, ossa ejus feretro ligneo inclusa reperta sunt cum parma gentilitia supra laudata, ut refert Malletus noster testis oculatus: hocque nostri ad parietem erexerunt marmoreum epitaphium ex antiquo haud dudie exceptum: *Hic jacet Petrus de Palude ordinis Prædicatorum doctor in theologia, quondam patriarcha Hierosolymitanus, cujus anima per misericor-*

diam Dei requiescat in pace. Obiit autem anno a partu virgineo MCCCXXXXI ultima die januarii, stylo scilicet veteri, novo MCCCXLII. Cui fere consentit Chronicon Sandionysianum citatum, in quo sic lego: *En cet an* (MCCCXLI certo stylo veteri, novo MCCCXLII) *le premier jour de Fevrier mourut Frere Pierre de la Palu docteur en theologie de l'ordre des Freres Precheurs, & patriarche de Jerusalem homme de tres feinte vie, & de tres grant louange.* De eo ejusque operibus sat accurate meminit F. Ludovicus a Valleoleti in sua Tabula anno 1413 Parisiis in gymnasio Sanjacobeo scripta n. 11: *Dominus F. Petrus de Palude magister Parisiensis nationis Burgundiæ patriarcha Hierosolymitanus scripsit copiosissime juxta omnes sensus scripturæ sacræ super totam Bibliam. Item super quatuor libros sententiarum. Item scripsit Quodlibeta. Item librum de potestate papæ. Item sermones de tempore & Sanctis per totum annum. Item librum historiarum, & intitulatur Liber bellorum Domini. Iste doctor requiescit in Ecclesia hujus conventus sub imagine B. Mariæ ad introitum Ecclesiæ: & ejus libri pro majori parte sunt in libraria istius conventus.* Quo testimonio auctoris supparis rursus exploditur eorum sententia, qui volunt Nicosiæ in Cypro sepultum. Sed quantum ad opera diligentius sunt examinanda.

In universa sacra Biblia præfationum liber amplissimus. Pr. *Constituens Bibliothecam &c.* Extabat Lugduni a Possevino visus.

1. *Commentaria in universa Biblia*, non solus Valleoletanus, sed & Petrus de Novimagio & Lusitanus sua ætate apud nostros Sanjacobeos Parisienses adhuc servata testantur, multis voluminibus magnis membraneis contenta, & ab eruditis ut in lucem prodeant, jam diu expectata. Extabant ibidem adhuc ætate Antonii Possevini ab eo visa.

I. *In Genesim.* Prin. *Hic est liber Adam.* Extabat Lugduni apud nostros eidem Possevino visum cod. MS memb. fol.

II. *In Exodum.* Pr. *Deus eduxit eos.* Extabat ibidem teste eodem Possevino cod. MS memb. fol.

III. *In Leviticum.* Pr. *Parabola est temporis instantis, juxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectam facere servitutem.* (Sic. Vulg. *perfectum servientem*) *Hebr.* IX c. *Glossa Rabani. Hieronymus. Singula sacrificia &c.* Extat codex MS fol. mag. memb. seculi XIV molis majoris & quatuor uncias minimum spissus, Parisiis in Bibl. gymnasii vulgo dicti *Magistri Gervasii* a me F. J. E. visus anno 1710 mense julio. Titulus: *Postilla Fratris Petri de Palude ordinis Prædicatorum super Leviticum.* Finis: *Apparentiæ vanitatis vel ejus amore* Cæterùm prologum hujus commentarii a F. Dominico Grenier videtur excepisse, nam ejus plures suis præfixit commentariis.

IV. *In Numeros, Deuteronomium & cæteros sacros libros ad Tobiam inclusive Postilla*, sic enim ipse vocat, nusquam mihi occurrerunt, quas alicubi latentes conjecerim.

In librum Judith. Extat apud nostros Parisienses ad S. Jacobi. Præmittuntur in hoc codice fol. mag. memb. plures præfationes: 1 *Dñi Hugonis cardinalis* scilicet de Sancto Charo, quæ sic incipit, *Mortuo rege Persarum*: 2 *Præfatio cujusdam innominati doctoris* (sic.) Princ. *Lucerna splendens*: 3 *Præfatio Fratris Dominici Apamiensis episcopi*, (is est noster Dominicus Grima Tolosanus, qui jam ante annum MCCCXIII scripturam sacram Tolosæ interpretabatur) incipit, *Tu gloria Jerusalem*: 4 *Præfatio Rabani de tempore Judith*, Princ. *Quæritur quo tempore &c.* Denique ipsius nostri Paludani expositio prologi S. Hieronymi in hunc librum: demum ejusdem Paludani pro more *literalis, allegorica & moralis totius libri expositio.* Pr. *Liber iste qui dicitur Judith eo quod narrat victoriam quam Judith de Holoferne obtinuit, dividitur in tres partes &c.* Ad finem voluminis sic habetur: *Explicit postilla super librum Judith compilata a F. Petro de Palude ordinis FF. Prædic. magistro in theologia patriarcha Jerusalem.*

In Esther & Job postillæ in manus meas non venerunt.

In psalmos fusissima & eruditissima commentaria. Pr. *Implemini Spiritu Sancto.* Joannes de la Baterie abbas insignis monasterii Acquicinctini vulgo *Anchin* dicti in Belgio in insula amnis Scarpæ ad Duacum siti, qui anno MCCCCXXXV Atrebati ad solemnia justaque X octob. pro Elisabetha Bavariæ Caroli VI regis Franciæ vidua, & Caroli VII matre XXX sept. ejus anni defuncta jussu Philippi Boni ducis Burgundiæ persoluta præsens interfuit, horum commentariorum exemplum elegantissimum membranis exscribi suis sumtibus curavit tomis novem in fol. quod adhuc in successoris ejus domini d'Espierre abbatis *d'Anchin* possessione perseverabat anno 1651: uti docet Joannes Collart ordinis Hierosolymitani *pag.* 285 in notis suis ad Diarium initæ pacis inter Carolum VII regem Franciæ, & Philippum ducem Burgundiæ XXI sept. MCCCCXXXV Atrebati per Antonium de la Taverne S. Vedasti Atrebatensis tum monachum & præpositum descriptæ, editæque Gallice Parisiis apud Joan. Billaine 1651 in 12: sed & litteris 10 nov. 1715 datis a duobus ejus monasterii religiosis theologiæ professoribus Georgio Roussel & Gerardo Galland hæc novem volumina ibidem adhuc servari accepi. Extabant Lugduni apud nostros septem voluminibus MS memb. fol. a Possevino visa. Supersunt etiamnum in bibliotheca Parisiensium nostrorum ad S. Jacobi variis voluminibus MS in fol. mag. memb. distincta, quæ recensere visum est.

Cod. 1 habentur *in* XXV *priores psalmos.* Pr. *Incipit compilatio super psalterium edita a Fratre Petro de Palude ordinis Prædicatorum contexta ex glossis ordinariis & dictis aliis sanctorum & doctorum authenticorum. Primo de nominibus libri & partium ejus.*

Cod. 2 *Postilla Fratris Petri de Palude super secundum nocturnum. Ps.* XXVI *Dñus illuminatio mea &c.* At est tantùm ad XXX: ipsius autem psalmi XXXI est tantùm prologus. In margine inferiori hoc legitur monitum: *Deficiunt Beati quorum. Exultate justi. Benedicam. Judica Dñe. Dixit injustus. Noli æmulari. Domine ne in furore.* Sequitur ibibem postilla a psalmo LII ad LXIII, & postea a LXVIII ad LXXIV. Itaque hic codex jam mutilus, cùm præter laudatos desit nocturnum tertium integrum.

Cod. 3 habentur a psalmo LII ad LXXIX. Titulus: *Postilla Fr. Petri de Palude super quartum nocturnum: Dixit insipiens in corde suo, Ps.* 52. *Hebræus victori per chorum eruditio. Dicendum quod in Hebræo ponitur:* Al mahelath, *pro quo hic habemus* per chorum. *Est enim notandum quod* Al *proprie interpretatur* super: mahelath *verò vel est proprium nomen hominis, & secundùm hoc significatur, quod de tali homine factus est psalmus, vel quod ille sit ad cantandum institutus &c.* Ad psalmum 68, *Salvum me fac Deus*, legitur idem qui supra titulus: *Postilla Fr. Petri de Palude super quintum nocturnum psalterii.*

Cætera volumina quibus in cæteros psalmos ab octogesimo ad ultimum expositio habebatur, jam apud Sanjacobeos Parisienses desiderantur.

Desunt etiam in libros sapientiales, in Prophetas majores & minores, in Machabæos, in quatuor evangelia, & actus apostolorum.

Sæc. XIV. *Postilla in omnes Pauli apostoli epistolas.* Has integras etiamnum extare in monasterio Aquicinctinensi cod. MS membr. fol. mag. me monent iidem eruditi ascetæ supra laudati iisdem litteris.

Apud Sanjacobeos Parisienses nostros jam non supersunt, nisi hæ aliarum reliquiæ cod. fol. mag. memb. in sequentes Pauli epistolas.

Primam ad Thessalonicenses. Præfatio : *Cor suum dabit ut consummet linitionem, & vigilia sua emundabit fornacem. Eccl. 38 sub parabola figuli hîc ad literam posita prædicatoris officium &c.*

Alteram ad eosdem. Præfatio : *Doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus. Eccl. 24 g. In quolibet opere concurrunt quatuor causæ &c. Paulus & Sylvanus & Timotheus. Finita prima epistola ad Thessalonicenses in qua confirmat eos in bono tempore prosperitatis, hîc incipit secunda in qua confirmat eos tempore adversitatis &c.*

Sequitur: *Postilla Fratris Petri de Palude super epistolas ad Timotheum.* Præfatio : *Qui docet filium suum in zelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo, Eccl. 30 a.* Post præfationem commentarius sic incipit : *Paulus apostolus Christi Jesu. Finita prima parte epistolarum in qua ponitur instructio pertinens ad utilitatem subditorum, hîc incipit pars secunda in qua ponitur instructio pertinens ad utilitatem prælatorum &c.*

Sequitur *Postilla F. Petri de Palude patriarchæ Jerusalem & magistri in theologia super secundam epistolam ad Timotheum.* Præfatio : *Machabæus primus sumtis armis cæteros exhortatus est simul secum periculum subire, & ferre auxilium fratribus suis, 2 Mach. 11 b. Secundùm philosophum omnes transferentes secundùm similitudinem aliquam transferunt &c.*

Sequitur *Præfatio F. Nicolai de Gorran ordinis Prædicatorum in epistolam ad Titum. Erudit homo filium suum, Deuteron. 8. Scire autem arbitramur unumquodque cùm causas cognoscimus &c.* Post præfationem : *Incipit epistola ad Titum. Paulus servus Dei, apostolus autem Jhesu Christi : Finita parte illa in qua instruxit Timotheum in his quæ pertinent ad pietatem, hîc incipit epistola ad Titum, in qua Apostolus instruit eum in his quæ pertinent ad severitatem contra nimiam remissionem &c.*

Sequitur *Præfatio in epistolam ad Philemonem. In tempore iracundiæ factus est reconciliatio, Eccl. 44. Ista verba ad literam scripta sunt de Noe &c.*

Deest epistolæ ad Hebræos expositio.

Præfationes omnes in has Pauli epistolas accepit Paludanus ex eo commentario, quod jam prostat editum sub nomine nostri Nicolai de Gorran, nec in his quicquam sibi assumit, imo & ex nomine laudat ut videre est in epistola ad Titum : solam igitur sibi vindicat epistolarum explanationem quam compilasse se affirmat.

Non supersunt expositiones in epistolas canonicas nec in Apocalypsim.

Jam monui Nimociensi in Cypro relicta, Ecclesiæ Conseranensis in Aquitania sub Ausciensi administrationem accepisse.

Eo verò munere dum fungeretur, statuta sui olim prædecessoris Augerii sua etiam auctoritate confirmavit, & rata esse voluit. Princ. *Ego Fr. P. ordinis Prædicatorum permissione divina & apostolicæ sedis gratia patriarcha Jerusalem & administrator Conseranensis Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus ab eadem sede specialiter deputatus, omnes & singulas constitutiones contentas in libello synodali prædictæ Ecclesiæ Conseranensis, qui inscribitur bonæ memoriæ Dño Augerio quondam prædecessori nostro, & sic incipit : In honorem &c. Nos Augerius sola Dei patientia episcopus Conseranen. &c. laudamus, approbamus &c. Datum anno Dñi* MCCCXXXVII *die martis post Dñicam in qua cantatur*, Ego sum pastor bonus, *in quo fuit festum S. Joannis ante portam Latinam.* Quæ conveniunt, nam anno MCCCXXXVII erat Ind. V, Cyclus Dionys. 273, Cyclus Solis 2, Num. aur. 8, Lit. Dñic. E, Pascha XX april. ac proinde dies martis post Dñic. *Pastor bonus* VI maii. Hoc ἀνέκδοτον in Ecclesiæ suæ archivo anno MDCCXV reperit illustrissimus D. Isaac Jacobus de Verthamont episcopus Conseranensis, qui & has constitutiones cum selectis notis & observationibus brevi daturus est in lucem: cùm verò in iis Augerius Stephani B. M. quondam prædecessoris sui meminerit, de his R. P. D. Dionysium *de Sainte Marthe* monasterii Parisiensis S. Germani a pratis priorem, qui immenso illi operi Galliæ Christianæ recognoscendo, a mendis purgando, seu potius novo omnino edendo strenue ac feliciter incumbit, litteris suis monuit, ut dictos Stephanum & Petrum de Palude hactenus in catalogo episcoporum Conseranensium omissos restitueret, ac saltem in supplemento tomi sui primi jam editi meminisset : quod idem clarissimus Sammarthanus ob nostrum Petrum de Palude, cujus administratio Ecclesiæ Conseranensis a nostris scriptoribus neglecta est, mihi amice communicatum esse voluit.

Commentaria in I & II sententiarum, quæ nondum typis prodierunt, voll. duobus memb. in fol. MS servantur Venetiis in nostra SS. Joan. & Pauli Bibl. recensita a Tomasino in Bibl. suis Venetis, quorum exemplum MS in papyro extat apud nostros Parisienses ad S. Honoratum, & simile apud nostros Suburbii S. Germani. Primum sic incipit : *Circa prologum sententiarum quæruntur quinque, 1 utrum theologia sit speculativa vel practica?* pagg. charta max. 748. Alterius Pr. *Circa primam distinctionem secundi sententiarum quæruntur quinque. Primo utrum aliqua creatura potuerit esse ab æterno?* charta communi, pp. 459 minutiori charactere. Utraque MS habuit Damianus Zenarius, quæ typis suis promittebat brevi proditura.

In 3 sententiarum typis prodiere editionem accurante F. Petro de Novimagio ord. Prædic. Parisiis, Claudii Chevallon 1517 fol. pp. 283. Editor cod. MS ex Germania allato usum se monet. MS Coloniæ se vidisse testatur F. Petrus Alva Sol. Verit. Rad. 90 col. 1031.

In quartum sententiarum typis prodiere Venetiis, Boneti Locatelli & Octaviani Scoti 1493 fol. pp. 480. Editor noster F. Paulus Soncinas in epistola F. Thomæ Donato patriarchæ Venetiarum ex ordine assumto nuncupatoria exemplis compluribus ex Etruria, Venetia, Insubria comportatis usum se profitetur, operam conferentibus & recognoscentibus per annos tres viris ex ordine clarissimis F. Bartholomæo Charavagino, & F. Thoma Mediolanensi. Laudatur & altera editio Parisiis eodem anno 1493 fol. Ibid. recognoscente ad MS codd. & lacunas resarciente F. Vincentio de Harlem de quo postea, typis Claudii Chevallon 1514: & postea apud Joannem Parvi 1518 fol. Utriusque in III & in IV recensetur editio recentior Paris. 1530 tomis duobus fol. Commentarium hoc in IV sententiarum quoad practicam casuum conscientiæ plurimum laudat, & aliis omnibus præfert S. Antoninus *P. III Tit.* 23 *c.* 11 §. 2. Quod argumento est MS penes se habuisse. Ad Summam S. Thomæ adjectæ sunt *concordantiæ, quibus uterque auctor commode conferri possint*, Salmanticæ, Andreæ Portonarii 1552.

Anno MCCCXXXI circa finem cùm de falsis literis regiis a Roberto III Artesii comite & principe in causa comitatus hujus adversus amitam suam in judicio coram rege productis quæstio capitalis age-

retur gravissima, Robertique prædicti principis confessarius ord. Prædic. ceu falsationis conscius in vinculis interrogatus, sigilli confessionis prætextum obtenderet, notamque falsitatis & industriæ criminis veritatem aperire nollet: vocatus ad consilium Petrus noster dicitur censuisse, *quod ipse poterat istud sine peccato vel periculo revelare, quoniam ut dicebat sola peccata sub sigillo confessionis cadunt, & quia istud non erat peccatum &c. Tunc duxerunt eum* (confessarium) *cum patriarcha prædicto ad capellam episcopi* (Parisiensis) *juxta aulam: & ibi in præsentia eorum, qui ad hoc vocati fuerant, ea quæ de prædictis literis, & earum inventione sciebat plene revelavit. Quid tamen sigillatim dixerit non fuit vulgariter scitum: hoc tamen bene fuit vulgariter scitum, quod facta confessione sua ipse iterum ad carcerem unde exierat reducitur, & de eo postea memoria vel mentio non habetur, & quid de eo factum fuerit penitus a communi populo ignoratur.* Sic refert Continuator chronici Guillelmi de Nangis. Cui fere concinit Chronicon magnum Sandionysianum Gallicum nostrum p. 782: *Item en ce meme temps* (nempe MCCCXXXI circa septembrem) *le confesseur de M. Robert d'Artois, qui etoit prisonnier fut appellé en la presence d'aucuns du conseil du roi, & lui fut demandé quelle chose & quoi il pouvoit savoir des fausses lettres devant dites. Lequel respondit & disoit n'en savoir rien fors en confession, ne il ne povoit bonement reveler sans peril de consience. Mais a l'enortement de maitre Pierre de la Palu patriarche de Jerusalem & autres maistres en theologie, & aucuns secretaires du roi, lesquels se consentoient & disoient qu'il le pouvoit bien reveler selon ce que l'en dit, mais c'est doute grand: & il le revela: lequel fut arriere mis en prison, mais qu'il devint, le commun ne le sut.* Ut ut sit de utraque illa narratione, ei deesse aliquid mihi non dubium, & fictum sacri sigilli confessionis obtentum qua Petrum qua cæteros existimasse: cùm Nangii continuator fateatur *Prædicatores* (id est nostros) potissimum eam sententiam quotidie & totis conatibus propugnasse *quæ dicit, quod ea quæ sub eodem contextu cum peccatis dicuntur, licèt peccata non sint, sub eodem sigillo confessionis cum peccatis habentur.* Præterea Petrus noster in suo scripto IV sententiarum ad *dist.* 21 *Q.* 3 *a* 2 *&* 3 sigillum confessionis a confessario servandum adeo severe exigit, ut nemo magis, quem idcirco non putes tum destruxisse quod tam valide astruxerat. Adde quid dixerit ille confessarius ex ipso Nangiano neminem scivisse, neque ex ab eo revelatis Robertum damnatum, sed ex plurium aliorum testium depositione, quos ipse Nangianus affert. Itaque non erat ut videtur, cur scriptor ille adversus Petrum nostrum adeo excandesceret, & quasi aulicum palpatorem traduceret, quem non legimus a summo pontifice, (quod tamen aliâs iste non neglexisset, præsertim cùm ejus opinioni, ut mox dicemus, tum aperte restiterit Petrus) de hoc facto reprehensum. Videsis Natalem nostrum Alexandrum *Histor. Eccles. ad sec.* XIV *c.* 5 *a.* 4.

Quodlibeta. In Bibl. Basileen. apud Spizelium p. 22 recensentur *Petri de Palude varia.* An in iis sint Quodlibeta examinent indigenæ, & quibus est otium.

Tractatus de causa immediata Ecclesiasticæ potestatis. Pr. *Circa potestatem a Christo collatam prælatis Ecclesiæ sex per ordinem videnda sunt:* 1 *De potestate Petri,* 2. *De potestate apostolorum,* 3. *De potestate discipulorum,* 4. *De potestate papæ,* 5. *De potestate episcoporum,* 6. *De potestate curatorum.* Adjectus est *articulus circa confessos Fratribus de superiorum licentia generali sine licentia curatorum &c.* Prodiit cum aliis ejus argumenti tractatibus Parisiis, Barbier & Petit 1506 in 4, ab A ad H inclusive signaturis duorum foll. Codices MSS passim extant in Bibl. In Vaticana, cod. 4109, p. 216. Patavii in cathedrali apud Tomasinum p. 8. In Catal. Anglic. T. I, P. II, 1426. Parisiis in Colbert. n. 2190 cum aliis ejusdem argumenti. In codice verò Sangermaneo 294 fol. med. memb. idem tractatus habetur sed nostro F. Guillelmo Petri de Godino cardinali episcopo Sabinensi ascriptus. Utrius sit quis arioletur? Vide superius dicta, ubi de hoc cardinali ad 1336.

Hoc opus Altamura absone prorsus in tria multiplicat & dividit.

Sermones de tempore & de sanctis per annum. Quos posteris reliquisse post testimonium nostri Ludovici a Valleoleto extra dubium est: sed an ii sint qui sub hoc titulo *Thesaurus novus* prodierunt non parva est controversia. F. Petrus Alva in suo *Pleytos de los libros, Pleyto primero,* & *Sol. Verit. Rad.* 90 *col.* 1036, pluribus contendit non esse nostri Paludani, 1. Quia non solum in prima editione, sed & in pluribus subsequentibus absque nomine auctoris prodierunt: 2. Quia in recentioribus editionibus, in quibus Petro de Palude ascribuntur, non docetur qua auctoritate, vel quibus documentis id adjectum. 3. Quia in illis sermonibus citantur passim auctores Petro nostro recentiores, Simon de Cassia anno 1348 mortuus, Thomas de Argentina Augustinianus mortuus 1357: Petrus de Candia ord. Min. postea S. P. Alexander V electus 1409: 4. Quia sæpius scriptores ordinis Minorum S. Bonaventuram, Alexandrum de Hales, Joannem Scotum &c. citat auctor quam ordinis Prædicatorum; imo deserto S. Thoma, Scoti sententias amplectitur: sic Dom. I Adv. Serm. 6, seu Enarrat. 6, quæstionem illam tractans *num secluso peccato Christus venisset,* S. Doctorem in sua Summa deserit & falli simpliciter asserit, & S. Bonaventuræ quæ etiam Scoti sententiam amplectitur, & pluribus astruit, nimirum Christum tum venturum in carne impassibili, cujus oppositum, inquit Alva, Paludanus tenet in sententiis. Omitto sermones de conceptione, in quibus auctor opinionem sequitur plane adversam his quæ Paludanus docet in 3 sent. d. 3. Omitto decretum concilii Basileen. quod in I Edit. refertur, potuit enim ab Editore intrudi. Ex his & aliis concludit Alva sermonum horum auctorem non *Dominicanum* fuisse sed *Franciscanum.* Cui & ego lubens assentior, eo magis quod licèt in iis sermonibus laudanda plura habeantur, tot tantaque sunt admixta puerilia simplicitatem auctoris & levitatem redolentia, ut non nisi per injuriam Paludano nostro viro non erudito tantum & facundissimo oratori, sed acris judicii criteriique homini tribuantur. Editiones tamen varias hîc placuit referre, ut de iis sermonibus lector facilius censeat. Itaque

Sermones thesauri novi de tempore doctoris & prædicatoris famosissimi sed incogniti, prodierunt Argentinæ, Martini Flach 1491 fol. pp. 355. *De sanctis* Ibid. 1485 fol. signat 4 foll. a & A ad Q. *Quadragesimale* Ibidem 1493, & Noribergæ 1496 fol. In editionibus sequentibus plures rescissi fuerunt sermones, sublatæ historiæ fabulosæ & pueriles, præcisa fere omnium sermonum capita, sed tamen relicta plura quæ a Paludano abhorrent; sicque prodierunt Parisiis, Francisci Regnault 1572 & 1573 voll. tribus in 8, Anonymi *cujusdam eruditi nec pœnitendæ censuræ theologi* fœtus dicti. Ibid. Hieron. de Marnef 1574 in 8, Anonymo *aut e Dominicana aut e Franciscana familia* inscripti. Lugduni, Guillelmi Rouillii 1575 & 1576 in 8, Tomis tribus sub nomine *Petri de Palude.* Plures alias editiones refert Petrus Alva citatus, quem consulas.

In cod. Victor. Bibl. Parif. n. 681 aliàs 141 fol. par. memb. inter plures fermones magiftrorum Parifienfium ex horum ore exceptos tres funt noftri *Petri de Palude*. I. fol. 134 c: *In Annunciatione B. M.* Pr. *In rore cœli defuper erit benedictio tua, Gen.* 27. II fol. 135 d: *In nativitate B. M.* Pr. *Egredietur virga de radice Jeffe.* III. fol. 145 d: *De pluribus fanctis.* Princ. *Laboraverunt in evangelio cum Clemente.* Scio Petrum Alva *Sol. Verit. Rad.* 189 *col.* 1460 contendere contra fidem cod. MS hos non effe Petri de Palude, quia, inquit, non conveniunt cum editis in *Thefauro Novo*: unde cenfet effe noftri Petri de Palma. Qua certe in cenfura mirum fe prodit: cùm enim *Thefaurum novum* Petro de Palude abjudicet, cur hos fermones in eo reperiret? Petri autem de Palude effe convincitur, quod fermonibus magiftrorum ejufdem ætatis commifti fint Durandi de S. Porciano, Joannis de Palma, Joannis de Neapoli, Jacobi de Laufanna noftrorum, quibus longe pofterior eft Petrus de Palma; tum vix ftudens theologus. Adde in cod. MS eadem manu *F. Petro de Palude* afferi.

Liber Hiftoriarum cui titulus Liber Bellorum Domini. Hunc in conventu Sanjacobeo Parif. non folus vidit Ludovicus a Valleoleti citatus, fed & nofter Stephanus Sampajo qui fic refert in compendio vitæ B. Laurentii Menendii Lufitani ord. Prædic. ad 1300 fanctitate clari his verbis: *civitas verò Antiochena ab infidelibus fuit expugnata A. D.* MCCLXVIII *ut teftatur B. patriarcha Petrus de Palude in libro Bellorum Domini, & fervatur in hoc conventu noftro Parifienfi, quamvis aliqui auctores affirment quod anno* 1290 *hoc evenerit &c.* Vidit etiam F. Stephanus de Lufignan, & citat in libro cui titulus *Les droits &c. que pretendent au roiaume de Jerufalem les princes cy nommez &c.* edito Parifiis 1586 in 4: citat inquam fol. 29, & fol 30 paginam integram mendis quidem fcatentem exfcribit & paffim laudat. Jam verò in ea bibliotheca defideratur, certe a me diligentiffime quæfitum hoc opus non inventum.

Tractatus Fratris P. de Palude de paupertate Chrifti & apoftolorum contra Michaelem de Cezennia. Pr. *Conftitutionem contra contradictorem canonum quidam nituntur multipliciter ut fequitur impugnare &c.* Hujus exemplum extat in Colbert. cod. MS memb. fol. mag. n. 506, a fol. 36 ad 60 inclufive: fed plura funt notarii errata.

Epiftola ad magiftrum ordinis F. Hugonem de Vanceman Campanum data refponfiva ad confulta, quomodo Fratres Prædicatores poffint reditus & anniverfaria retinere. Editam anno 1561 vidit Altamura in Bibl. noftrorum Materani. Quæ videtur fcripta cùm Benedictus XII Conftitutiones noftras immutare decreverat.

Joannis de Poliaco doctoris Parifienfis focii Navarrici fummi pontificis auctoritatem convellentis cenfura feu judicium laudatur ab Eyfengrenio, ut extans in Bibl. Cæfar Vienn. Sed an fit opus diftinctum a tractatu de poteftate ecclefiaftica fupra relato, an idem ut credere pronum eft, doceant indigenæ.

Tabula alphabetica fuper Legendas fanctorum de Voragine in Bibl. Victor. Parif. cod MS memb. n. 874 a Labbeo vifa & laudata T. II Differt. Hift. de Script. Eccl. p. 785 non eft, ut ille putavit, *Petri Paludani*, fed noftri *Nicolai de Hanapis.* Videfis fupra ubi de eo ad 1291

Inter præclare acta noftri Paludani non omittendum celebre illud Facultatis theologicæ Parifienfis judicium doctrinale, cui ille tum patriarcha Hierofolymitanus præfedit, ac præcipuus actor fuit. Rem fic narrat Chronicon magnum Sandionyfianum Gallicanum citatum. Anno fcilicet MCCCXXXI Dom. I. Adventus (I. Dec. nam erat lit. Dom. F.) Joannes XXII Avenione concionem habens fententiam illam afferuiffe dicebatur, juftorum in gratia decedentium animas nonnifi poft extremum univerfalis judicii diem clara Dei vifione fruituras: unde graves oborti funt in Ecclefia catholica tumultus, quæftiones agitatæ, perfecutiones inductæ ipfa etiam in aula pontificia, F. Thomas Gualenfis nofter, quod contrariam non in ipfa ecclefia ut quidam narrant, fed in urbe præfente pontifice fententiam prædicaffet, ipfe vinculis onuftus & in carcerem detrufus. Cùm autem hujufce rei rumor in Gallia percrebuiffet, & ad regis aures perveniffet, fummus pontifex duos ad eum legatos mifit anno MCCCXXXIII circa junium, quorum alter ordinis Minorum eamdem Pontificis de vifione beatifica fententiam in publica concione Parifiis afferuit, magnumque exinde fubfecutum in academia inter doctores fcandalum. Quod cùm altercollegatus ordinis Prædicatorum emollire fedareque poftea publica concione fruftra conatus effet, afferens hanc a Joanne XXII non uti certam omnino & veram habendam, fed ceu privatam & fuam opinionem recitative tantum omnibus propofitam, mox dicta concione reverfus eft Avenionem ad pontificem, eorum quæ gefferat, quæque viderat & audierat fidem facturus. Ille verò ordinis Minorum legatus regis indignationem ob excitatos prædicatione prædicta motus intelligens, apud regem aliqua fe purgare excufatione conatus eft: verùm hunc accitis coram fe præfentibufque decem facræ facultatis magiftris audiri voluit rex & interrogari. Quibus affertam in concione a legato Minorita fententiam unanimiter hæreticam conclamantibus, juffus eft eam revocare, quibus ille tandem coactus & invitus affentire vifus eft. Verba Gallica funt: *Adonc le devant dit Frere Meneur auffi comme par contrainte fi fe y confentit.* Rex autem paulo poft Dom. IV Adventus (19 Dec. nam erat lit Dom. c.) quotquot erant Parifiis, prælatos, epifcopos, abbates ad fe accivit ad fuum manerium de Vicenis, & coram iis fe præfente convocatos etiam facræ facultatis magiftros Petrum noftrum Hierofolymitanum patriarcham ducem & antefignanum habentes juramento præftito juffit, quid de animabus fanctorum in cœlo exiftentium juxta fidem fentiendum palam & clare enunciare. Qui omnes uno ore præftita fummo pontifici debita filiali reverentia, quem dixerunt fe a fide dignis audiviffe non afferendo feu opinando, fed recitando folùm fententiam de qua erat quæftio protuliffe, in eo convenerunt animas fanctorum non in fpe fed in re jam effe beatas, nec expectata refurrectione aut judicio extremo, fed ex nunc vifione Dei facie ad faciem nunquam evacuanda perfrui. Altera fubinde eorumdem congregatio Parifiis habita eft die S. Joannis Evangeliftæ, in qua conclufum eft, quando id exigebat rex, ut deliberatio fuperior Vicenis habita in fcriptis redigeretur: tria exempla confecta, quibus 2 januar. fequentis apud S. Maturinum triginta magiftri qui affuerant finguli more tum confueto figilla fua appofuerunt, primufque Paludanus, & fuo ordine alii quinque ex noftris Petrus de Palma, de quo mox, prior provincialis in Francia, Guillelmus de Caftro Reginaldi, Garinus de Gyaco, Guillelmus Caltot Rotomagenfis & Durandus de Aureliaco, de quibus fuo loco agimus. Horum exemplorum unum ad pontificem mifit rex, ei fcribens fibi magis probari theologorum Parifienfium fententiam quam jurifconfultorum Avenionenfium, feque ab eo pro fummæ dignitatis officio aliter fentientes emendandos fperare ac poftulare. Quæ omnia pro fide & Ecclefia gefta non parum Paludani eruditionem, fapientiam & auctoritatem demonftrant. Cæterùm præ-

fatorum

fatorum exemplorum unum originale in membranis cum sigillis in cera ad chordulas sericeas appensis singulorum magistrorum integrum & sanum etiamnum inter cimelia Bibliothecæ Achillis de Harlay olim senatus Parisiensis primi præsidis servatur a me F. J. Q. 31 Aug. 1673 visum. Typis verò ediderunt plures, Boulæus Hist. Acad. Paris. T. IV. p. 256: Launoius Hist. Gymn. Nav. p. 61: Coeffetæus noster *Reponse au ministere d'iniquité* p. 1040.

Paludani præter citatos cum laude meminerunt quotquot scriptorum nomenclatores, etsi plures non admodum accurate, quos ex superius allatis certis documentis emendes.

F. GERALDUS DE DOMARO.

1342. F. Geraldus de Domaro magister ordinis XVII plurimum in historia nostra commendatur, quod paucis mensibus quibus navis nostræ clavum tenuit, eam a tempestate qua sub decessore jactata fuerat, & naufragium fere passa, servaverit incolumem, & in portum deduxerit tranquillum. Unde vitæ ejus chronologia paucis cognita, aut non accurate relata, visa est ex veteribus & certis monumentis lectori exponenda.

Lemovicensis igitur ille fuit nobilique loco natus filius Dñi locorum de Guardia, quæ parœcia est diœcesis Tutelensis, & de Daumario quod feudum in eadem parœcia situm: hinc *de Domaro* vel *de Daumario* passim in antiquis actis nostris ejus agnomen scriptum legitur, in Clementis VI gestis verò & in cardinalium historia frequentius dicitur de Guardia. Dicti Clementis VI sororis filium asserit Leander fol. 42 a, quem excipiunt Panvinius & alii vulgo, quod Baluzio non placet Pap. Aven. col. 852, tum ob rationes ibi ab eo allatas, tum quod ejusdem fere ætatis cum illo summo pontifice fuerit. Ejus igitur consanguineus fuit, ut legitur & in prima & in quarta Clementis vita apud Baluzium pp. 245 & 301, filius vel avunculi, cujus sorori nupserit pater Clementis, vel amitæ ejusdem quam conjugem duxerit dominus de Guardia Geraldi pater. Adolescens ordini nomen dedit in domo Brivensi, utque erat ingenio ad virtutem & litteras propensissimus, recens a studiis philosophicis in comitiis Tolosanæ Ortesii anno MCCCXVI lector artium Lemovicis assignatus fuit, & anno MCCCXVIII in comitiis ejusdem Brivæ studens in theologia Tolosæ.

Post aliquot annos etiam regiminis scholæ theologicæ de more, Parisios ad proficiendum ut aiebant, studens pro rata provinciæ missus est, & eo titulo in gymnasio Sanjacobeo aderat prima julii MCCCXXVI, qua ut testis affuit testamento cujusdam Haudrici, ut ex chartulario Ecclesiæ Parisiensis refertur in Hist. univer. Paris. T. IV p. 213. Exinde ad suos reversus in actis cap. prov. Lactorati MCCCXXXI datus est Lemovicis primarius theologiæ lector cum F. G. de Sanctoaredio secundario. Eodem munere functus est postea Tolosæ, institutus in actis cap. gen. Claromontii in Arvernia anno MCCCXXXIX. At in comitiis ordinis sequentibus anno MCCCXL Mediolani sic de eo statuitur: *Assignamus quantum nostra interest pro anno sequenti ad legendum sententias Parisius F. Gerardum de Domaro de provincia Tolosana lectorem Tolosanum.* Quod & anno sequenti MCCCXLI Avenione in comitiis ordinis confirmatum fuit: *Assignamus ad legendum sententias Parisius isto anno F. Gerardum de Donmaro de provincia Tolosana.* Legit revera, sed dum licentiam decurreret, ad superiora fuit vocatus, de quo sic in actis:

» Anno Dñi MCCCXLII fuit celebratum capitulum generale in Carcassona, in quo fuit electus F. Geraldus de Domaro in magistrum ordinis, qui præsens non fuit in capitulo, sed erat Parisius legens sententias, quibus finitis de mandato Clementis VI papæ factus est magister in theologia. Fuit autem celebratum prædictum capitulum per provinciales & diffinitores & per F. Petrum de Palma provincialem Franciæ electum in vicarium secundum formam constitutionum. Propter quod quia magister non fuit præsens, nulla littera fuit missa «. Anno dicto erat num. aur. 13, litt. Dom. F, pascha XXXI martii, vigilia pentec. maii XVIII, qua facta electio. Hæc magis explicantur in indice magistrorum ordinis post Bernardum Guidonis aucto ex cod. Lingon.

» XVII Magister ordinis fuit F. Geraldus de Daumaro magister in theologia de provincia Tolosana natione Lemovicensis de conventu Brivensi. Hic actu legebat sententias Parisius, necdum erat formatus baccalarius, quando in vigilia pentecostes electus fuit absens a capitulo generali in primo scrutinio per omnes electores apud Carcassonam anno Dñi MCCCXLII. Dñus autem papa Clemens VI, cujus prædictus F. Geraldus erat consanguineus, audita electione ipsius mandavit immediate per bullam cancellario Parisiensi, ut prædictum F. Geraldum magistrum ordinis licentiaret ad magisterium in theologia, non obstante quod cursum suum nondum terminasset. Et sic ante festum Joannis Baptistæ factus est magister in theologia. Post festum autem Joannis de Parisius apud Avenionem ubi erat papa venit. Hic fuit vir innocens, gratus & humilis, pallidus facie, & totus mortificatus in membris « In alio codice dicitur *vir magnæ devotionis.* Hunc ubi summum pontificem primo invisit, omnium quæ decessor ejus Benedictus XII in constitutionibus nostris innovare statuerat frustra majoribus ordinis reluctantibus, revocationem illico obtinuisse narrant, de quo legendus Leander citatus. At non diu præfuit, nam eodem anno inter purpuratos patres fuit cooptatus, de quo sic in indice cardinalium ex eodem cod. Lingon.

» F. Geraldum de Domaro assumsit de magisterio ordinis in presbyterum cardinalem tit. S. Sabinæ D. P. Clemens VI anno Dñi MCCCXLII *in jejuniis quatuor temporum* ante festum B. Michaelis. Obiit autem in Avenione anno Dñi MCCCXLIII. Fuit autem sepultus & positus in deposito in conventu Avenionensi, inde transferendus ad conventum Brivensem provinciæ Tolosanæ, ubi elegerat simpliciter sepeliri «. Ex quibus eos emendes, qui Tolosæ mortuum & sepultum dicunt. Clar. Baluzius sepulcrum ejus apud Tolosanos nostros se diligentius inquisivisse narrat sed frustra, nec mirum cùm Brivas ex ultima voluntate translatum & in templo nostro sepultum constet.

De die mortis quædam est difficultas. Baluzius laudatus p. 853 ex libro obligationum & ex veteri kalendario præfixo missali Joannis Infrevi episcopi Aniciensis, qui Colbertinæ codex jam est 730 docet mortuum Avenione XXVII sept. seu V kal. octob. MCCCXLIII: nullum de loco & anno dubium, sed quoddam de die; nimirum in antiquo domus Sanjacobeæ kalendario obitibus magistrorum ordinis seorsim scribendis destinato & jam pluries laudato, sic legitur manu æquali: IIII *kal. octobris obiit Dominus Geraldus magister ordinis XVII.* Quod indicat diem XXVIII septemb. sed leve est discrimen: hinc saltem emendandum martyrologium ordinis hodiernum, in quo ejus obitus ad XXVII julii præpostere ascribitur.

Idem Baluzius p. 852 narrat Geraldum anno MCCCXXIII Brivæ priorem egisse, & post tres menses regiminis theologiæ lectorem ibidem institutum,

Sæc. XIV. quibus libens assentior : at quod addit se in veteri membrana reperisse, theologiam anno MCCCXXVII Lutetiæ docuisse, explicatione indiget, ita ut sensus sit lectorem biblicum ut vocabant institutum quosdam sacræ scripturæ libros interpretatum esse : in his enim initiabantur ea ætate & primum exercebantur, sed quantum ad sententiarum lectionem publicam, nonnisi anno MCCCXLI expositum constat ex supra relatis : eo nempe munere in gymnasio Sanjacobeo viri tantum exercitatissimi ea ætate fungebantur. Ex Cortesio hæc illi ascribuntur opera:

Quadam theologica erudita.

Sermones docti & elegantes.

De Geraldo agunt præter Leandrum nostrates Lusitanus in chronico, Fernandez, Pius, Fontana in Theat. & Monum. Altamura ad 1345 : Extrates Panvinius, Ciaconius, Frizonius, Contelorius, Franciscus du Chesne, Possevinus, quos omnes præsertim quoad chronologiam ex dictis hactenus emendes.

Sodalis noster Ludovicus Antonius Boyer in historia Ecclesiæ Tricastinensis, quam nuper scripsit, vult hunc Gerardum ex antiqua & illustri gente *d'Adhemar de la Garde* ortum esse ; sed procul dubio fallitur, gens enim illa in diœcesi Albiensi sedem & titulos habet : Gerardus autem noster non *de Adhemaro & de Garda*, vel *de S. Adomaro*, ut quibusdam placet, dicebatur, sed *de Domaro* vel *Daumario* & *de Guardia*, quæ sunt dominia nobilia in diœcesi Tutelensi. Fucum Boyero fecit vicinitas cognominum *de Adhemaro* & *de Garda* cum illis *de Domaro* & *de Guardia*, sed sunt loca omnino diversa & dissita. Non negaverim inter utramque familiam illustrem affinitates & matrimonia inita fuisse.

F. CONRADUS DE ALBERSTATT.

* 1341. F. CONRADUS DE ALBERSTATT, ab aliis *Conrardus*, sic enim in codicibus MS quibusdam & apud Lusitanum nomen ejus legitur, ut & apud hunc *Halberstadensis*, ipsomet in erratis emendante, quod vitio typorum mendum irrepserat *Hartadensis* nullo sensu, inter viros ætatis suæ celebriores ab omnibus laudatur, licèt de annis quibus floruit non certo nec accurate scribant omnes. Trithemius & eum excipientes Gesnerus & Simlerus nullum annum signant. Leander fol. 147 b. indicat sub Carolo imperatore claruisse. Sixtus Senensis ad 1290 collocat, cui assentitur Lusitanus citans Taegium I. P. Mon. Ord. Hos magno agmine sequuntur Razzius, Pius, Eysengrenius, Fernandez, Altamura & alii. Possevinus utrorumque sententiam unâ conjungit, & sub Adolpho Cæsare circa 1290 claruisse scribens, & opus quoddam Carolo imperatori, quem non alium quam IV conjicere licet, anno MCCCXLVI electum & imperium tandem anno MCCCXLVIII tantum pacifice adeptum nuncupasse. Hæc verò secum pugnare attendens Vossius de Histor. Lat. p. 799 primam sententiam rejicit, ac alteram amplexus sub Carolo IV Conradum de Halberstett floruisse definit. Etsi verò inter tot insignes scriptores pronunciare sit difficile, quid tamen ex certis monimentis, maxime ex actis capitulorum generalium mihi occurrerit, sincere referam. In his igitur duplicem reperio Conradum de Alberstatt, seniorem unum, alterum juniorem dictum.

Primus aderat capit. gener. Florentiæ anno MCCCXXI habito, quod fuit diffinitorum secundum sub magistro ordinis Hervæo Natali, & cum eo aliisque diffinitoribus sodales quosdam Romanæ provinciæ singularis cujusdam spiritualitatis notatos & delatos absolvit ordine ultimus sic signatus *Conradus de Alberstat diffinitor Saxoniæ.* Vide supra ad 1318 Hervæus Natalis, ubi sententiam integram dedimus ex cod. Lingon.

Alter junior laudatur in actis cap. gen. Carcassonæ anno MCCCXLII quod fuit priorum provincialium : in his enim Tit. *Assignationes* sic lego : *Item assignamus lectorem in conventu Magdemburgensi F. Colradum de Alverstat juniorem.* Quæ indicare videntur seniorem Florentiæ diffinitorem adhuc fuisse in vivis, ad cujus discrimen hic dictus fuerit junior. In indice magistrorum theologiæ n. 120 cod. Lingon. inter promotos a Clemente VI post annum MCCCXLV sic lego : *F. Corraldus Saxo in Montepessulano per papam.* Quod de Conrado de Alberstat juniore facile intelligas cùm tempora conveniant. Denique in actis cap. gen. in Montepessulano anno MCCCL habiti quod fuit diffinitorum primum, in quo provincialis Saxoniæ absolutus est ut aiunt, hoc est ab officio amotus, additur : *Ponimus vicarium in provincia Saxoniæ F. Conradum de Alverstat magistrum in theologia, donec prior provincialis electus fuerit & confirmatus, & præsens extiterit in eadem.* Quæ rursus de juniore solum intelligenda veniunt, nam de seniore non legitur ad magisterium in theologia promotum fuisse, qui præterea hoc anno censendus est jam mortuus.

Jam horum duorum quis scriptor, difficile discernas, cùm ambo viri illustres fuerint & eruditi, imo quod verisimilius ambo scriptores, & senior saltem primos annos Caroli IV videre potuerit, nam si ætatis quinquagesimum circiter attigerat anno MCCCXXI, septuagesimum septimum non excessit anno MCCCXLVIII. Forsan inter eos dividenda opera, sed quis in his tenebris hanc divisionem suscipiet ? Itaque id curiosorum maxime indigenarum diligentiæ ex codicibus MS, qui forsan etiamnum in bibliothecis Germaniæ latitant, disquirendum relinquo : opera sub nomine Conradi de Alberstat sive senioris sive junioris sint, sive pars unius sit, & pars alterius enumero tantum, quæ hæc feruntur apud Leandrum:

1. *De vera beatitudine.*
2. *De consolatione mœstorum.*
3. *De visione beatifica.*
4. *De virginitate.*
5. *De senectute.*
6. *De bono mortis.*
7. *De paupertate.*
8. *De viduitate.*
9. *De muliere bona & mala.*
10. *Glossemata super Josue ad Carolum imperatorem.*
11. *De numero duodenario ad eumdem.*
12. *De origine regnorum & de regno Romanorum.*
13. *Quadripartitum morale & nonnulla alia opera.*

A Trithemio qui superiora omnia tacet, hæc tantum laudantur, quæ in suas manus venisse innuit:

Summa studentium. Pr. *Hoc opusculum in tres.*

De trivio. Pr. *In tribus beneplacitum.*

Lectura in Job. Pr. *Usque in tempus sustinui.*

Sermones.

His addit Lusitanus *Commentaria in plures Bibliorum libros.* Sed quæ sic generatim tantum ille indicavit, Altamura extendit sigillatim ad omnes solis exceptis psalmis, duplex etiam super *Job*, & duplex super *Josue* illi ascribit, penes quem fides, quæ mihi non parum nutat sine antiquioribus documentis.

Sed non omittendum visum est quod de hoc auctore habet Trithemius in Annalibus Hirsaugiensibus anno MDCXC tandem impressis, sed quos his ultimis annis tantum comparare ac legere licuit. Sic autem ille ad annum MCCXCV :

» Conradus etiam Saxo dictus de Media civitate vulgariter de Halberstat ordinis Fratrum Prædicatorum, vir undecunque doctissimus, hæc ipsa tempora eruditione simul & lucubrationibus suis plurimum illustravit. Qui cùm esset in divinis scripturis egregie doctus scripsit

Super sententias libb. IV.

Volumen quoque insigne quod Summam studentium prænotavit libb. III.

De trivio lib. I.

Commentarium in librum S. Job opus notabile composuit, quod legendo suis discipulis publice recitavit.

Sermones quoque tam de tempore quam de Sanctis libros II.

Concordantias Biblia novi & veteris testamenti, quas Repertorium haud improprie nuncupamus, ipse primus juxta ordinem alphabeti excogitasse dicitur, ad commodum non modicum quidem eorum, qui vel in cathedra docent, vel in ecclesia sermocinando prædicant.

» Post plures annos hoc ipsum Bibliæ repertorium per multos viros eruditos fuit ampliatum, & maxime tempore concilii Basileensis per Joannem de Ragusio, deinde per Gualterum Scotum, ac postremo per Joannem de Secubia sacræ theologiæ doctorem studiosissimum consummatum est, & in ea forma qua nunc impressum cernitur, perfectum.

In multos denique sacræ scripturæ libros idem Conradus elegantes commentarios scripsit: edidit simul & alia nobis ut ferunt incognita. Quæ scribebat Trithemius circa ann. MDXIII.

In his verò ejus *de Concordantiis* modum loquendi observet lector: eas Conradum primum excogitasse non dicit absolute, sed ita dici se audivisse solum indicat. Videsis igitur supra *Hugonem de Sanctocharo* ad 1262, ubi triplicem Concordantiarum formam distinximus: primam breviorem, cujus primus inventor & auctor dictus Hugo: fusiorem alteram, quam Angli sodales in gymnasio Sanjacobeo Parisiensi susceperunt: tertiam ex illa altera recisa commodiorem & communiorem factam, cujus ultimæ formæ adinventor potuit esse Conradus de Halberstat senior circa MCCC tum annos circiter XXX natus: quæ addit de Joanne de Ragusio & aliis tempore concilii Basileensis, loco citato ita explanata sunt, ut his quicquam amplius adjicere sit omnino importunum.

F. SIMON SALTARELLI.

1342. F. SIMON SALTARELLI Etruscus Florentiæ circa MCCLXII nobili loco natus, ordinem ibidem in S. Mariæ Novellæ anno MCCLXXX adolescens amplexus est, sicque morum integritate, doctrina, in agendis prudentia emicuit, ut ad varia scholæ conventuumque ac inter alios etiam sui nativi regimina admotus, omnibus se probaverit. Anno MCCCXI quo in comitiis ordinis Neapoli habitis provinciæ Romanæ prior amotus, eodem anno ei suffectus fuit provincialis, exinde a magistro ordinis Berengario de Landorra anno MCCCXII electo procurator generalis apud summum pontificem nominatus & institutus. Dum hoc munere sedulus fungeretur, gratiam Joannis XXII ita sibi conciliavit, ut ab eo anno MCCCXVII episcopus Parmensis datus fuerit, exinde VII idus junii MCCCXXIII ad Pisanam Ecclesiam translatus. Hanc cum incredibili Pisanorum, licèt ea ætate Florentinis maxime adversantium, laude administrabat, cùm gravis eum suborta tempestas exulare coëgit. Nempe Ludovicus Bavarus Cæsar anathemate perculsus, Italiam ingressus, Pisas sub finem anni MCCCXXVII qua invitas qua volentes sibi subjecit: hinc Romam progressus ac imperator coronatus, Petrum Corbarium Franciscanum XII maii MCCCXXVIII papam contra Joannem XXII creandum curavit, & idolum suum omnibus venerandum oblaturus per varias Italiæ urbes circumducens, Pisas sub finem septembris rediit, ac sibi rebelles inventas iterum expugnavit. Inter hos Ecclesiæ suæ turbines Saltarellus qui uni vero pontifici Joanni XXII invicta fide adhærebat, se non securum sentiens, Florentiam se recepit, Aleriensemque episcopum Gerardum a Bavaro & Corbario in suam sedem intrusum non sine gemitu patienter tamen tulit. At Corbario mense maio anni MCCCXXX in Joannis XXII potestatem redacto carcerique mancipato, Saltarellus in Ecclesiæ suæ sinum rediit, ac ut cœperat sanctissimis præceptis eam pascere ac ornare perrexit ad mortem usque, quam obiit IX kal. octob. MCCCXLII ætatis LXXX relicta non parva sanctitatis fama. Ut jusserat cadaver ejus in templo nostro Pisano, quod vivens pluribus ornamentis auxerat, sub marmore conditum jacet. De eo legendus Joannes Caroli apud Leandrum fol. 86 b, ad 94, licèt quoad chronologiam non omnino accuratus. Meminerunt etiam Razzius p. 72, Pius, Fontana in Theat. Monum. & Prov. Rom. Altamura ad 1342: Rainaldus in Annal. ad 1330, Ughellus Ital. Sac. T. III. Ejus opera præcipua laudantur:

Acta Pisis in causa Petri Corbarii antipapæ, quem pœnitentem delegatus a Joanne XXII de censuris absolvit. Videsis Rainaldum cit.

Apologias plures pro summo pontifice contra Ludovicum Bavarum ei tribuit Altamura: nec dubium quin iis annis plura scripserit pro re Ecclesiæ in archivis Romanis servata.

F. BERNARDUS DE PARENTINIS.

F. BERNARDUS DE PARENTINIS Bearnus Ortesii natus & ibidem ordinem amplexus, provinciæ Tolosanæ sodalis medio circiter seculo XIV claruit. Ex actis cap. prov. Brageriaci anno MCCCXXXVI infra (hoc est intra) octavas Petri & Pauli habiti, unus fuit e duobus Parisios in studio perficiendis missis. Anno MCCCXXXIX stylo veteri, novo MCCCXL in quadragesima sacras litteras Albigæ in Ecclesia cathedrali publice interpretabatur, eaque fama ut lauream magisterii a Clemente VI obtinuerit, sicque post anni MCCCXLII diem XIX maii, qua creatus hic pontifex. In actis cap. gen. Carcassonæ eodem anno eodemque die festo pentecostes celebrato sic legitur: *Item assignamus lectorem sententiarum in conventu Tolosano F. Bertrandum de Parentinis.* Ex quo Bernardi & Bertrandi nomina tum promiscue unum pro altero usurpata colligas, nisi sit notarii erratum: & ne dubium quis moveat, sic habetur in catalogo magistrorum theologiæ post Bernardum Guidonis aucto n. 139: *F. Bernardus de Parentinis factus in Tolosa per Clementem VI.* Reliqua ejus gesta, ut & diem, annum, locumve obitus, si non omnem memoriam exedit temporum vicissitudo, gentilium suorum erit disquirere & posteris non invidere. Saltem hactenus relata virum exhibent sua ætate principibus & seculi & Ecclesiæ acceptissimum, quove seculo vixerit, quibusve annis floruerit, certo indicant. Ejus nomine inscriptum habetur opus hoc titulo: † 1342.

Bernardi de Parentinis tractatus super missam.

Reverendissimo in C. P. & suo præ cæteris D. speciali D. Pictavino divina providentia episcopo Albiensi, vester humilis famulus F. Bernardus de Parentinis ord. Prædic. & conventus Orthesii &c. Ad finem hujus epistolæ nuncupatoriæ sic habetur: *Datum & completum Tolosæ in vigilia B. Dominici*

 anno Dñi MCCCXLII. Post : *Incipit tractatus utilis super totum officium missæ editus & compilatus per F. Bernardum de Parentinis ord. Prædic. provincia Tolosanæ, & conventus Orthesii de Vasconia, sicut legit in Albia pluribus auditoribus, solemnibus doctoribus, canonicis, religiosis, baccalariis, & clericis aliis anno Dñi* MCCCXXXIX (stylo veteri, novo MCCCXL) *& incepit feria* V *post cineres, accipiendo thema quod sequitur de evangelio illius diei, & continuavit usque ad festum S. Petri martyris in modo & forma qui sequitur.*

Incipit prologus : Quoniam clamitat sapiens &c.

Hi codices MS a nobis visi, in Colbert. n. 3190 fol. med. chartac. In Remensis Ecclesiæ Bib. n. 150 fol. par. memb. Exemplum unum laudat Lambecius in Cæsar. T. II p. 775 n. 33 fol. chart. in isto ultimo auctor corrupte dicitur *Eberhardus*. Recensetur etiam in Catal. Angl. T. I, P. I n. 2627.

Typis prodiit pluries. Vetus editio Coloniæ 1484 fol. charact. Goth. laudatur ab Alva Nod. Indissol. edit. alt. 1663 p. 471 ceu ab eo visa.

Altera editio Parif. Jo. Parvi 1510 in 8 hoc titulo : *Lilium missæ emendatum per Ludovicum Vassorium.* Extat Parif. in Teller. nunc Sangenovef.

Tertia editio Parif. 1517 in 8 laudatur in Bodley. Angl.

Quarta ed. Parif. Jo. Parvi & Ambrof. Girault 1531 in 8 quæ communis. Titulus : *Lilium missæ, in quo omnes difficultates officii missæ sacrique canonis secundùm S. Thomam summopere enodantur.* Postea titulus alter : *Elucidarius omnium difficultatum circa officium missæ occurrentium F. Bernardi de Parentinis*, &c. ut supra, *qui in hoc opere sequitur illustrissimi ac eximii doctoris S. Thomæ de Aquino determinationes & dicta quoad conclusiones, qui aliter Lilium missæ nuncupatur, incipit feliciter: nuperrime per M. Ludovicum Vassorium in artibus & sacra pagina magistrum elimatus, ac ad unguem emendatus. Incipit epistola : R. in C. P. ac dño P. divina providentia episcopo Albiensi.*

Constat autem anno MCCCXLII Albiensem episcopum fuisse Pictavinum de Montesquivo a Clemente VI postea XVII decemb MCCCL cardinalem creatum, cujus præterea nomen expansè legitur scriptum in codd. MS superius relatis: anno verò MCCCCXLII nullus Albiæ sedebat episcopus, cujus nomen a littera P inciperet, sed duo nempe Bernardus de Cassiliaco anno MCCCCXXXV electus & a concilio Basileensi confirmatus & in eodem consecratus, & alter Robertus Delphinus ab Eugenio IV promotus, qui etiam consecratus fuit, ambo inquam illi de episcopatu Albiensi inter se contendebant, quæ lis ante MCCCCLXI finita non est. Ex quibus sequitur erratum esse in editione mox relata, cùm in fine epistolæ nuncupatoriæ sic legitur : *Datum & & completum Tolosæ anno Dñi* MCCCCXLII, additione unius C superflui pro MCCCXLII. Quod in errorem induxit Trithemium & sequaces, Lusitanum, Eysengrenium, Possevinum, Fernandez, Altamuram, qui Bernardum nostrum ad 1442 referunt seculo integro antiquiorem.

Alva citatus mire torquetur ob relatam a Bernardo nostro doctrinæ S. Thomæ ex ore crucifixi approbationem, & in omne latus se vertit, ut eam pessum det, sed incassum, cùm ex hoc scriptore pateat non recens inventam, sed mox a Sancti canonizatione palam prædicatam. Præter opus relatum alia plura scripsit Bernardus, inter quæ

Sermones. Extant in Colbert. cod. cit. 3190 hoc titulo : *Expositiones introituum missæ, epistolarum & evangeliorum Dominicarum a prima Dñica adventus ad Dominicam* Lætare Jerusalem *exclusive.*

Ejus præter citatos meminit Warthonus in Append. ad Caveum ad 1342. Dupinius, sed qui non solum sermones, sed & *Lilium missæ* inter opera perdita recensens, ostendit se quaternam operis hujus editionē non novisse. Poccianitus verò emendandus, cùm Florentinis scriptoribus perperam accenset.

F. DOMINICUS GRENIER.

F. Dominicus Grenier, vel *Grinia* vel etiam *Grima*: his enim omnibus modis ejus agnomen in antiquis monumentis legitur: at & frequentius *de Tolosa* seu *Tolosanus* a patria in Occitania, ut & a professione dictus, primi sua ætate fuit nominis theologus, S. Thomæ doctrinæ mirum addictus, sacris prætérea literis exponendis totus incumbens. Has Tolosæ profitebatur anno MCCCXIII, quo eodem Albiæ comitiis provincialibus affuit in festo Magdalenæ coactis, in iisque sedit diffinitor. Exinde sacræ theologiæ magister renunciatus est non Parisiis, ut habet Fontana in Theatro, sed Avenione licentiatus auctoritate Joannis papæ XXII, ut expressis verbis docet Bernardus Guidonis in catal. n. mihi 76. Ibidem sacri palatii magister ascitus ab eodem pontifice asseritur, his totidem verbis : *F. Dominicus Tolosanus magister sacri palatii fuit licentiatus per eumdem dñum in Avenione.* Art. super. Joannem XXII nominaverat. In hoc munere F. Raimundo Bequini anno MCCCXXIV patriarchæ Hierosolymitano consecrato successit, ac functus est non duobus mensibus tantum ut ait Fontana, sed duobus annis solidis, ad annum scilicet MCCCXXVI tum ab eodem summo pontifice Appamiensis episcopus martii XIII positus & datus. Ecclesiam hanc pluribus annis sanctissimè rexit, nec sui interea conventus Tolosani oblitus, in quo tum hospitibus tum infirmis elegantes sed religiosas extruxit ædes, & iisdem sepeliendis insigne ad peristylium Antonino martyri sacellum, in quo se jussit cum Fratribus post mortem recondi. Epistolas summorum pontificum ad eum scriptas Joannis XXII anno MCCCXXX & Benedicti XII anno MCCCXXXV Tolosæ apud nostros servari ferunt : anno verò MCCCXLII junii XI die S. Barnabæ subscripsit cum Gastone comite Fuxensi confirmationi privilegiorum civitatis Appamiensis : eodem anno in cap. prov. Carcassonæ post generale ibidem feriis pentecostes XIX maii habitum celebrato, cuilibet sacerdoti demandata est *pro F. Dominico Grinia episcopo Appamiensi benefactore nostro una missa.* Quando verò diem obierit nemo certo refert : Annus Dominicanus Gallicus prodit mortuum XVI jan. MCCCXLIII : at alii prolatant ad MCCCXLVII, quod ejus successoris nulla sit ante MCCCXLVIII memoria, quid certius ex ejus Ecclesiæ tabulis expectandum. Ejus meminerunt Leander Albertus fol. 136 b, virum eum vocans literatissimum, Lusitanus, Razzius, Pius P. II lib. 2 col. 159, Fernandez, Altamura hic non accurate in duos dividens, alterum Tolosanum ad 1314, alterum Grenier ad 1347 referens, quos omnes ex supra relatis præsertim quoad chronologiam emendes. Scripsit ac edidit † 1348

Commentaria juxta literalem & mysticum sensum in sacra biblia universa, quorum hæc servantur etiamnum in bibliothecis Colbertina ex Fuxensi, & nostra Tolosana.

1. *In Genesim.* Incipit principium super totam Bibliam : *Hæc omnia liber vitæ, & testamentum altissimi, & agnitio veritatis. Eccl.* 24. In eo tractat auctor de libris sacris generatim. Postea sequitur : *Incipit super Genesim. In principio creavit &c.* Codex est fol. mag. membr. n. 114 Bibl. Colbert.

2. *Incipit principium super Exodum. Deus convertens de Ægypto, cujus fortitudo similis est Rhinocerotis. Num.* 23. In Bib. Colbert. cod. n. 115. fol. mag. memb. cum sequenti.

3. *Incipit principium super Leviticum. Parabola est temporis instantis juxta quam munera & hostia offerantur &c. Hebr. 9 c.*

In Bibl. nostra Tolosana commentarius *in Exodum* constituit volumen singulare, & alterum volumen commentarii *in Leviticum, Numeros & Deuteronomium.* Tertio continetur *in Josue, Judices, Ruth & quatuor libros Regum.* Quarto *in Paralipomenon, Esdra, Tobiæ, Judith, Ester & Machabaorum libros.*

Super proverbia. Prologus: *Jungat epistola &c.* Extat in Colbert. n. 116 fol. mag. membr.

In Ecclesiasticum. Pr. *Sapientia adificavit sibi domum &c.* In Colbert. codd. duobus fol. max. memb. nn. 117 & 118, quorum alter habet a cap. 30 ad finem. Videndus etiam codex 2521.

In Bibl. Paul. Lipsien. extant in *Genesin* & *Exodum*, & recensentur apud Fellerum p. 179 n. 17. Ibid. p. 410 *Liber vitæ seu lectura super Bibliam Dominici ord. Prædic. origine Tolosani.* Nempe ut conjicio, levior quædam pars, cùm codice in folio quidem, sed compluribus aliis immista contineatur.

Similis alicui ex præcedentibus & forsan primo extat Venetiis, quem Tomasinus in suis Bibliothecis Venetis recenset apud S. Francisci a Vinea cœnobium hoc titulo: *Lectura literalis atque mystica super Biblia F. Dominici ord. Prædic.* Idem enim est titulus quem Grenierius suis commentariis voluit esse præfixum, ut patet ex ejus epistola nuncupatoria, quæ sic habet cod. Colbert. 114:

Incipit epistolaris præfatio in totum opus lecturæ super Bibliam.

SS. P. ac D. extra cujus obedientiam in hac valle miseriæ non est salus, D. Joanni digna Dei providentia S. P. XXII suæ sanctitatis servulus F. Dominicus O. Prædicatorum Tolosanus origine, parvus corpore, sed minor mente, ut patebit ex subsequentis operis ruditate, seipsum quantillus est ad devota pedum oscula beatorum.

« Dudum vestræ celsitudinis filius F. Berengarius tunc magister nostri ordinis, nunc autem vestri gratia Compostellanus archiepiscopus mihi per suas literas imposuit, quod ordinarem lecturam super Bibliam literalem pariter & mysticam &c ». *Et post plura in eam rem & in laudem pontificis, prosequitur:* « Sic igitur vestra studiositate semper in vobis cum dignitate crescente merito provocatus, confisus de benedictione Dei & vestra, & de expositorum canonis vos præcedentium adjutorio magis quam de proprio ingenio prædictum opus aggredior, in qualibet lectione continuationem præmittendo, & divisionem in partes notabiles subjungendo, singulas partes ad literam exponendo, contrarietates textuum apparentes ad concordiam reducendo, quæstiones literales pertractando, accentus difficiles determinando, obscura vocabula declarando, figuras etiam interdum & modos loquendi inusitatos assignando, literarum verò diversitates, & varias ejusdem literæ punctuationes ex toto non prætermittam: in fine autem literalis cujuslibet lectionis sensum mysticum ubi differt a litterali & maxime moralem perstringam, & tandem super textum ad minus duas movebo quæstiones, & pro earum determinatione ad aliquod operum DOCTORIS COMMUNIS scilicet F. Thomæ de Aquino nostri ordinis, doctrina cujus a pueritia sum imbutus, lectorem remittam. Nec per hoc quisquam restringitur, quominus motas quæstiones determinare valeat secundùm opinionem propriam, vel illius doctoris, qui magis sibi placuerit in hac parte ». Revera ad finem cujuslibet lectionis indicat quæstiones plures F. Thomæ de Aquino ac plerumque ex ejus Summa theologica, ad hoc caput scripturæ sacræ rationem habentes & agitandas. Ex quibus invictum & novum adversus Launoium exurgit argumentum Summam illam theologicam Aquinatis jam longe ante ipsius canonizationem genuinum ejus fœtum agnitam & vulgo omnium manibus tritam, nam ut mox referemus hæc scripta anno MCCCXIX. Sic verò prosequitur: SEC. XIV.

« Distinguitur autem præsens opus in octo partes, quæ sex communis quantitatis voluminibus capientur, quorum artificiosa distinctio in subjecto generali principio totius operis plenius apparebit. Nec cuiquam videatur otiosum, si canon totus divinæ legis communia volumina sex requirat, cùm etiam lex civilis vix in quinque voluminibus pro majori parte longe majoribus capi possit, ut sic Domina ancillam in uno saltem excedat volumine &c. In fine verò cujuslibet voluminis subscribetur alphabetum omnium vocabulorum, quæ in illo volumine exponentur cum assignatione libri & quotatione capituli &c ». *Datum Tolosæ anno gratiæ MCCCXIX, pontificatus autem sanctitatis vestræ anno tertio.* Ex his colligitur in universum canonem sacrum scripsisse, adeoque quæ inter relatos codices non habentur, ea vel iniquitate temporum periisse, vel alicubi in pulvere dormire neglecta.

Præter relata commentaria extat apud Eremitas Augustinianos Tolosæ codex MS fol. par. membr. cui titulus:

Rituale Ecclesiæ Appamiensis a F. Dominico Grenier ord. Præd. episcopo ordinatum: in quo non tam rubricæ seu ritus ejus Ecclesiæ, quam varii casus ex juris canonici regulis enodantur.

F. JOANNES DE CORS.

F. JOANNES DE CORS Allobrox patria & ut verisimilius professione etiam Gebennensis, unde aliquando *de Gebennis* abjecto familiæ nomine nuncupatus, ex ea scilicet urbe quæ olim catholicæ fidei addictissima, Calvinianæ sectæ facta est seculo XVI arx & propugnaculum, quam Gebennam vel Gebennas posterioribus seculis minus recte dixerunt, rectius alii Genevam vel Genebam dicunt vernacule *Geneve*: Joannes hic, inquam, noster vir fuit seculo XIV pietate ac doctrina conspicuus, magnæ apud suos auctoritatis, rerum agendarum peritus & solers, conventui Gratianopolitano præerat prior cùm anno MCCCXXXIII Humbertus II Delphinus e Neapoli redux mense decembri obventum sibi Guigonis fratris morte principatum capessivit, seu potius tum ad id munus electus est, nam ex quodam computo Joannis de Ponciaco thesaurarii dicti Delphini apparet Joannem nostrum huic principi adhuc Neapoli agenti anno præfato vel etiam antea jam fuisse a sacris confessionibus, ipsumque comitatum quando ivit cum imperatrice sive illa Catharina Valesia sit quæ Philippo Tarentino principi conjugi suo imperatoris Græci titulum in dotem attulit & mortua est 25 nov. MCCCXXXII; sive quod verisimilius, Maria Borbonia Roberti dicti principis Tarentini primogeniti & a morte matris imperatoris C. P. dicti uxor. Tam gratus & acceptus Delphino deinceps fuit Joannes, ut eo curante episcopus titularis Tiniensis in Bosnia sub Spalatensi a Benedicto XII promotus sit, tumque non solum confessarius, sed & consiliarius imo consilii sanctioris præses & cancellarius allectus, ad quæ munera jam evectus erat sub finem anni MCCCXXXIV, nam in computo jam relato, ubi de expensis illius anni sub finem legitur iste articulus: *Item F. Joanni episcopo Tiniensi cancellario & confessori Domini. XL flor.* Et revera in quadam sententia eodem anno a Delphino lata, ut videtur, mense octobri, * 1344.

SEC XIV. alius ab eo legitur prior domus nostræ Gratianopol. scilicet *F. Joannes de Campo*. In alio verò instrumento quo administros omnes palatii sui Delphinus constituit & ex ordine recenset, anno MCCCXXXV, ac cui titulus, *Ordinatio pro hospitio D. Delphini*, sic legitur: *Videlicet primo personæ in nostro hospitio residentes vel nostram comitivam sequentes D. episcopus Tiniensis confessor & consiliarius & cancellarius noster cum uno socio, uno scutifero, uno clerico somelerio & camerario suo, duobus garciferis & quatuor equis.* Et inferius: *Item F. Simon de Vienna & F. Johannes Revelli ordinis Prædicatorum cum duobus equis & uno clerico vel garcifero eorumdem.* Hi duo videntur principis capellani fuisse ut tum dicebant seu sacelli administri, quorum alter Revollius postea episcopus fuit Arausicanus & Delphini ad mortem usque individuus. Et postea: *Consiliarios verò nostros de nostro magno consilio retinendos, quos in eo loco providebimus remansuros, in quo ipsius consortis nostræ* [Dalphinæ] *hospitium residebit, in nostro dum præsentes fuerimus, vel nobis absentibus, in ipsius Dalphinæ consortis nostræ hospitio comedere volumus &c. inter quos consiliarios sit præfatus D. episcopus*, Tiniensis scilicet, non enim alius supra numeratur. In omnibus deinceps actis Delphini alicujus momenti laudatur semper præsens Joannes episcopus Tiniensis. Anno MCCCXXXVI Delphinus in comitatum Burgundiæ pergens cum exercitu ad auxilium comitis Falconii *Fauconey* consortem suam reliquit regentem procuratione data XVI jul. ejus anni, *subjungens expresse quod omnia & singula faciat, gerat, procuret & exerceat de consilio D. episcopi Tiniensis &c.* Eodem anno cùm de quibusdam limitibus lis esset Delphinum inter & Sabaudiæ comitem arbitri ab utroque selecti sunt episcopus Bellicensis a comite, & Tiniensis a Delphino, qui ambo juxta amplissimam sibi datam potestatem dissidium solverunt. Anno MCCCXXXVII kalendis octob. ex Tiniensi ad Tiburtinam in Campania Romana translatus est a Benedicto XII Joannes noster, & tamen apud Delphinum perseveravit iisdem fungens muneribus ad MCCCXLII: nam anno sequenti CCCXXXVIII die XIV martii literis Delphini eo die datis e visitatoribus reformatoribus & vicariis ad terram Fucigniaci missis primus fuit. In plerisque actis sequentibus laudatur præsens: in sententia per Delphinum arbitrum lata inter comitem Valentinum & episcopum ejus civitatis XXV april. ejusd. anni: in confirmatione privilegiorum Cartusiæ Calesii ipse relator X martii CCCXXXIX: in pactis & conventionibus Delphinum inter & abbatem S. Eugendi XXVII julii ejusdem anni: in receptione Delphini in canonicum Aniciensem, Anicii IX octob. ejusdem, & dicitur confessor & cancellarius: in eliminatione fabricarum ferri e finibus Gratianopolis in gratiam studii generalis in ea urbe recens erecti ipse relator & cancellarius X maii MCCCXL. Quod non negligendum, scilicet anno superiore studia generalia a summo pontifice Gratianopoli erigenda curarat Delphinus, nec dubium quin huic consilio plurimum contulerit noster episcopus, gymnasium juris utriusque & professores cum dote constituti, gymnasium etiam artium philosophiæ & theologiæ hoc in ipsa nostra domo, quod ad hæc ultima tempora viguit, & quoad philosophiam & theologiam etiamnum viget, sed sublato universitatis titulo: in *affranchimento* (sic loquuntur) pro subditis Delphinatus a Focagiis I sept. MCCCXLII & in multis aliis quæ brevitatis causa omitto. At cùm tandem Ecclesiam suam Tiburtinam accedere decrevisset, eum & duos alios scilicet Franciscum de Fredulphis de Parma in utroque jure licentiatum & Petrum de Loyes militem procuratores suos constituit Delphinus, qui cum Roberto Jerusalem & Siciliæ rege avunculo suo de negotio magni momenti agerent. Instrumentum datum est in Sancto Spiritu ad Rhodanum anno MCCCXLII die XXVI martii, pontific. Benedicti XII octavo, ind. X præsentibus inter alios nostris FF. Victurino de Bergamo (is est B. Venturinus) Henrico de Montebelliardo & Jacobo de Altacuria. Progressus igitur Joannes noster in regnum Neapolitanum ac negotiis cum rege Siciliæ brevi compositis, Tiburem quamprimum se contulit, sed paucis postea mensibus morte præmatura collectus est, obiit enim mense augusto ejusdem anni, fuitque apud Prædicatores ad cornu epistolæ altaris majoris in capsa lignea sepultus sub tymbo lapideo ejus effigiem exhibente cum hoc ad margines in circuitu cenotaphio:

Hic requiescit vener. P. & D. F. Joannes Gebennensis ord. Præd. provinciæ Franciæ episcopus Tiburtinus confessor Dalphini, qui obiit A. D. MCCCXLII *mense augusti, cujus animæ requiescat in pace. Amen.* Sic referunt Fontana in *Theatro* & Ughellus *Ital. Sac. T. VII in Append.* & abbas Michael Justiniani, *Vescovi di Tivoli*, Romæ 1665 4, qui propriis oculis ita se legisse testatur.

Anno verò MDCLXIII die VI maii quæ fuit Dominica intra octavam ascensionis aperto nescio quo casu, ejus sepulcro visum est corpus ejus integrum mento solo corrupto, vestibus ordinis integris excepta tunica in inferiori parte tantum lacera indutum, & zona coriacea ita salva ut recens apposita videretur, præcinctum, una ex pontificalibus mitra supra caputium ornatum, cujus tamen sola tela superstes erat ornamentis sericeis corruptis. Ad hoc spectaculum venit Marcellus cardinalis Santacrucius ejusdem civitatis episcopus, vidit etiam cum cæteris nostris F. Vincentius Maria Fontana qui hæc refert ut testis oculatus, accurrit & totus populus Tiburtinus mirabundus cadaver post 321 annos incorruptum.

Hunc autem Joannem visum est inter scriptores non omittendum, quod Acta ejus non parum ad historiam ejus seculi conducant, tum ut tanti viri de quo apud auctores nostros præter Fontanam altum est silentium, memoria quodammodo suscitetur & posteris commendetur. Quæ autem de eo hîc referuntur, debemus clarissimo D. de la Valbonnais primo cameræ regiarum rationum Gratianopolitanæ præsidi in accurato & nunquam satis laudando suo opere cui titulus: *Memoires pour servir a l'histoire de Dauphiné*, Parisiis edito 1711 fol. in actis Humberti II Delphini, ejus scilicet qui principatu primogenitis regum Franciæ collato religionem Prædicatorum amplexatus est. Testatur idem Clar. Valbonesius inter acta cameræ Gratianopolitanæ haberi instrumentum Lugduni apud Petram Incisam XII junii MCCCXLIX datum, quo Humbertus tum adhuc Delphinus a canonicis Tiburtinis repetit mitram quamdam & baculum pastoralem, quæ ornamenta F. Joanni de Cors episcopo suo olim cancellario mutuo tantum tradiderat, non donarat.

F. PETRUS DE PALMA.

F. PETRUS DE PALMA sic ab originis suæ loco nuncupatus vernacule *Baume*, quod Latine *Balma*, sed ob consuetam tum pronunciationem *Palma* dicebant, oppidumque est apud Sequanos non procul a Bisuntio situm, adolescens in conventu Bisuntino nomen dedit, indeque Parisios ad gymnasium Sanjacobeum missus ita emicuit, ut in sacra facultate visus fuerit promovendus. De eo sic lego in actis cap. gen. Florentiæ anno 1321: *Quan-* † 1342

tum nostra interest, providemus de F. Petro de Palma de provincia Franciæ, quod legat sententias Parisius anno futuro: quo & munere functus est egregie, recensetur que a Bernardo Guidonis in cod. Lingon. 77 inter magistros his verbis: *F. Petrus de Palma Burgundus.* Hinc post varias scholæ conventuumque regiminis vices, provinciæ suæ Franciæ præfectus assumtus est Divioni in comitiis provincialibus ibidem post generalia anno MCCCXXXIII habitis; & tandem ad ordinis totius clavum gubernandum evectus in comitiis generalibus, Parisiis anno MCCCXLIII celebratis: de quo sic in catalogo magistrorum ordinis aucto post Bernardum Guidonis in cod. cit. Lingon.. *XVIII magister ordinis fuit F. Petrus de Palma magister in theologia de provincia Franciæ natione Burgundus de conventu Bisuntino. Hic pluribus annis præfuit in officio provincialatus. Electus autem fuit concorditer in magistrum ordinis per omnes electores in capitulo generali celebrato Parisius A. D.* MCCCXLIII *excepto F. Parisio tunc provinciali Provinciæ, qui votum direxit in F. Garinum provincialem Franciæ: libere tum & sponte accessit ad alium. Præfuit autem in magisterio anno uno & mensibus decem, quatuordecim diebus minus. Migravit autem Parisius prima die martii A. D.* MCCCXLV, *& ob hoc anno illo non fuit celebratum capitulum generale. Fuerat autem electus sabbato sancto* (vigilia) *pentecostes scilicet idibus maii* XV *die ipsius mensis.* Qua tamen in relatione quædam annotanda & emendanda. Primo cùm dicitur F. Garinus provincialis Franciæ, non ita accipias quasi jam eo munere fungeretur, cùm facta est hæc magistri ordinis electio, sed quod electo Petro in magistrum, ejus loco mox in comitiis provincialibus ei suffectus est Garinus. Petrum enim tum provincialem fuisse cùm electus est, constat ex nostro Laurentio Pignon in chronico provincialium Franciæ, ubi sic habet n. 23: *F. Petrus de Palma magister in theologia natione Burgundus conventus Bisuntinensis electus Divioni anno quo supra* (1333.) *Hic laudabiliter & pacifice rexit provinciam annis decem, & assumtus fuit in cap. gen. Parisius ad magisterium ordinis anno* MCCCXLIII. Et idem in chronico capp. genn. *A. D.* MCCCXLIII *fuit capitulum generale Parisius, ubi electus fuit in magistrum ordinis F. Petrus de Palma provincialis Franciæ. Et capitulum provinciale ibidem, ubi electus est in provincialem Franciæ F. Garinus de Giaco de conventu Autissiodorensi.* Emendandum verò in superiori narratione ex codice post Bernardum Guidonis aucto gravissimum erratum, ubi Petrus dicitur electus magister sabbato vigilia pentecostes XV maii MCCCXLIII. Nam cùm eo anno esset num. aur. 14, lit. Dom. E, pascha fuit XIII april. ac proinde vigilia pentecostes XXXI maii quo die facta electio: quoad diem mortis verò sic etiam habetur in Officio Ecclesiastico antiquo Sanjacobeo, *kalendis martii obiit F. Petrus magister ordinis XVIII, idque manu æquali*: sicque sedit tantum anno uno mensibus novem. De ejus operibus parum accurate hactenus scripserunt nomenclatores, quæ ex codd. MSS diligentius inspectis jam exhibemus.

Postilla in quatuor evangelia.

Et quidem in Matthæum, Lucam, & Joannem habentur in Bibl. Publ. Basileæ duplici codice membraneo, altero in fol. altero in 4 & in utroque ad principium annotatur opus esse *F. Petri de Palma ord. Prædic.*

Postilla in Matthæum cod. in fol. sic incipit: *Matthæus ex Judæa. Præsens prologus dividitur in tres partes: in prima testabitur Hieronymus auctorem, in secunda operis distinctionem, in tertia innuit ejusdem utilitatem.* Aliter habet codex in 4: *Matthæus ex Judæa. Matthæus intelligitur donator consilii, & competit ejus officio. Ratio. Magister discedens a schola consuevit dimittere talem vicarium, qui sciat parvos instruere scholares. Sic paterfamilias recedens a domo dimittit domum in manu talis, qui sciat ipsam prudenter gubernare. Sic Christus fecit &c.* Ad calcem sic legitur: *Expliciunt moralitates secundùm magistrum Petrum de Palma ordinis Prædicatorum super Matthæum.*

Postilla in Lucam cod. in fol. sic incipit: *Lucas natione Syrus. Huic evangelio præmittitur duplex prologus, quorum unus est ignoti translatoris, alius est Lucæ scriptoris sive actoris, qui incipit, Quoniam quidem multi &c. Primus prologus dicitur, Quod posuit ignotus: unde primo ponit actoris multiplicem descriptionem, secundo operis explanationem &c.* Idem est cod. in 4.

Postilla in Joannem, quæ solum habetur cod. in 4 sic incipit: *Hic est Joannes &c. Vide expositionem Dionysii, quæ est Parisius in libraria cum expositionibus aliorum prologorum &c.*

Quam accuratam horum codicum notitiam debeo humanitati clarissimi D. Isselin Basileensis viri eruditi, & qui alia hujus bibliothecæ Basileensis arcana summa benevolentia reseravit.

Hos codices haud dubie viderat noster Joannes de Turrecremata præsens in concilio Basileensi, cùm in tractatu de conceptione B. Virg. p. 6 c. 29 fol. 120, quem edidit tum, & concilio obtulit, citet postillam in Lucam sic: *Item ad idem est ejusdem ordinis magister Petrus de Palma in postilla sua super Lucam, tractans illud Lucæ 1, cui nomen Nazareth, de filio Dei loquens, ita ait &c.* Excepit Vincentius Bandellus in suo de eadem conceptione tractatu cap. 23, ubi tamen errato typorum legitur pro Petro de Palma *Petrus de Polonia*, quod erratum agnoscit Alva Sol. Verit. Rad. 189 col. 1458: & tamen cæcis oculis secuti sunt Lusitanus, a quo dicitur Petrus Polonus, Pius, Fernandez, Altamura, qui ultimus eumdem hominem in duos dividit, alterum Petrum de Palma ad annum 1342 ex nostro Turrecremata, alterum Polonum ad 1465: quæ allucinatio non aliunde orta, quam ex illa falsa lectione *de Polonia* pro *de Palma.*

Earumdem postillarum alia citantur exempla: *F. Petri de Palma ord. Prædic. super Lucam, Joannem & Marcum, aliasque quamplures partes scripturæ expositio seu postilla* extabat MS Ipris apud nostros ineunte seculo XVI, recensetur que a nostro Joanne Bunderio in suo celebri catalogo codd. MSS toties laudato fol. 497, Alva teste oculato sic fatente loc. cit. col. 1460, qui tamen addit jam non reperiri: nec mirum post tantam adversus nostras in Belgio domus exercitam ab hæreticis stragem. Hinc habemus *postillam in Marcum*, quæ deest in MSS Basileeñ. in isto Iprensi extitisse. Sed &

Petri de Palma moralitates in quatuor evangelia extant Turonis in Gallia in Bibl. eccl. metropol. cod. in 8, annorum circiter 300, & recensentur in catalogo n. 216. Qui hunc edidit bibliothecæ præfectus Guillelmus Jouan archidiaconus major non prolixas, sed concinnas satis & eruditas præstat in notis. Addit de auctore sibi aliunde ignoto audivisse a Turonensibus quibusdam magistrum in theologia fuisse, sed quod illi subjecerunt & Turonensem origine, ex nimio patriæ amore conjectum non recte, siquidem Burgundus fuit & Sequanus.

Eadem *Petri de Palma Postilla in* 8 recensetur in catal. codd. MSS Angliæ, T. II P. I n. 1900.

Quid amplius habebat Joan. Jacobus Chiffletius, sic enim loquitur in sua Vesuntione P. II pag. 260: *Scripsit hic Petrus de Palma librum eruditum in*

Sec. XIV. *epistolas & evangelia, quem cum aliis manuscriptis in mea bibliotheca servo.* Unde discimus non solum in evangelia sed & in epistolas Petrum hunc commentatum esse : in quas verò an in Paulinas, an in canonicas, an in utrasque discent forsan aliquando Bisuntini nostri curiosi ex laudati Chiffletii hæredibus, hicque addere nosque docere curabunt.

Extant prætereа *Epistolæ duæ encyclicæ* ab eo ex capp. genn. duobus quæ habuit Parisiis 1343 & Anicii 1344 scriptæ de more. Prima quidem levior ut pote ex fragmentis epistolarum præcedentium magistrorum solum compacta : altera satis gravis, quam Soëgius noster edidit Anni Domin. Gall. T. II julii suppl. martii p. 52 : utramque servo in schedis cum actis capp. genn. ex cod. Lingon. exscriptam.

Non omittendum nostrum hunc Petrum tum jam Franciæ provincialem ex sacræ facultatis Parisiensis magistris unum fuisse, qui anno MCCCXXXIII Dom. 4 adv. 19 dec. a rege Philippo acciti apud castrum Vicennarum affuerunt, & opinionem de beatitudine essentiali sanctorum ad diem judicii prolatanda a Joanne XXII ut particulari doctore & recitative tantum propositam, ex qua tanta in Galliis conturbatio excitata, sibi non placere, sed se aliter omnino sentire declararunt. Quam suam censuram exigente rege in congregatione generali Parisiis apud S. Mathurinum secunda Jan. MCCCXXXIII stylo veteri novo XXXIV in scriptis redactam singuli suis sigillis firmarunt, quo in diplomate octavus numeratur *Petrus de Palma prior provincialis Fratrum ordinis Prædicatorum in Francia.* De quo fusius ubi de F. Petro de Palude supra ad 1342.

Ad horum omnium complementum addo Petrum hunc ab aliquibus quandoque scribi *de Parma* sed corrupte : unde Alva citatus col. 1460 quemdam *Petrum de Parma ord. Cistercien.* a Bandello laudatum in sermone de Nativitate B. V. & de Passione Domini, censet auctorem esse multiplicatum, nec alium a nostro Petro de Palma. Cui & eo lubentius consenserim quod Wischius in Bib. Cisterc. non accuratam hujus Petri de Parma Cisterc. notitiam tradat. Montalvus enim & Maurolycus quos testes profert, ex Bandello acceperunt, quem in Cisterciensibus enumerandis fatendum est non satis diligentem, ut cùm Hannibaldum doctorem Parisiensem iis ascribit, quem verisimilius non alium esse ab Hannibaldo nostro cardinali. Certo allucinatur Rovetta, cùm Petrum hunc de Palma a Turrecremata laudatum suis accenset Lombardis ad 1343, cujus nec opera recte indicat.

Apud Tomasinum in Bibl. Venet. apud S. Antonium Plut. 4 habetur, *Quæstio de recto & reflexo Petri de Parma ord. Prædic.* Cujusnam sit an hujus *de Palma* corrupte scripto *de Parma*, an alterius Itali ac revera Parmensis discutiant codicis possessores, vel gentiles curiosi.

F. MARCHESINUS DE MONOPULI.

1343. F. Marchesinus de Monopuli a patria quæ civitas est episcopalis sub Barensi in Apulia Peucetia sic dictus, provinciæ Regni Siciliæ alumnus, quæsitorem hæreticæ pravitatis in Apulia generalem agebat anno MCCCXLIII, Joanna I tum Neapoli regnante, quæ in confirmationem actorum ab hoc nostro inquisitore adversus Judæos quosdam relapsos dedit diploma regium signatum Neapoli XXIIII novemb. MCCCXLIII indict. XII regni I. Videsis Vallium in compend. p. 105. Scripsit

Opus grande de Cambiis.

Quod Altamura ad hunc annum testatur apud nostros Tarentinos servari & a se lectum.

F. BONJOANNES DE MESTANA.

F. Bonioannes de Mestana laudatur a Lusitano p. 57, qui nec nationem nec ætatem addit. Excipiunt Gozzeus, Pius, Fernandez, & tandem Altamura ad 1343, qui tamen nullam ampliorem ex veteribus monumentis lucem afferunt. Itaque penes eos fides. Scripsisse dicunt * 1343.

Volumen quadripartitum per fabulas figurarum moralium.

F. GUILLELMUS LON.

F. Guillelmus Lon circa seculum XIV medium florebat provinciæ Franciæ ut videtur alumnus, scripsitque opus hoc titulo * 1343.

Commentarius in XXXVII primos psalmos.

Ad calcem sic legitur : *Explicit hoc totum in nomine Dñi nostri Jhesu Christi B. M. & omnium sanctorum per magistrum Fratrem Guillermum Lon anno Dñi millesimo ccc quadragesimo tertio in die B. Marcelli post lectionem meam, dum essem Adeg* (an Andegavis?) *lector in tertio anno.*

Extat Pissiaci apud Patres sanctimonialium nostrarum confessarios a me visus codex fol. med. membr. Quo in opere auctor pluries citat Vincentium in Speculo naturali, sæpius Albertum Magnum, sæpissime SS. Joan. Chrysostomum, Ambrosium, Augustinum, Bedam, sed & Plinium & Senecam.

Huic codici subjicitur alius ejusdem formæ itidem membraneus hoc titulo :

Tabula copiosissima ordine alphabetico super expositionem duorum nocturnorum psalterii, quæ tabula signata est duobus numeris, quorum primus significat quoto psalmo, secundus verò quoto versu psalmi illud quod quæritur pertractatur.

Ad calcem codicis : *Explicit tabula ordinata per F. Gerardum Berelli vicarium Pissiaci super expositionem duorum nocturnorum psalterii.* Intellige vicarium monasterii illius regii.

F. PAULUS GUASTAFERRUS.

F. Paulus Guastaferrus Umber Perusinus patria & professione, vir apostolici pectoris, studio animarum Christo lucrandarum ductus, in Orientem se transtulit circa MCCCXXX, ac Constantinopoli, Peræ, Chalcide in Eubœa vulgo *Nigroponte* verbum Dei non sine fructu seminavit. Exinde in Asiam trajiciens Theodosiam quam Caffa nunc dicunt progressus evangelizavit ubique. Ephesum postea se conferens & inde in Cyprum sermonibus & facundis & ardentibus alterum se vas electionis præbuit. In patriam demum redux, apud suos sodales cursus suos sanctissime finivit circa MCCCXLIIII. Sic Razzius *Istoria de' santi e beati*, & ex eo Pius P. I lib. 2 col. 1320, Bzovius ad 1330 n. 60, Fontana in Monum. ad eumdem annum. Favent non solum annales ordinis, sed & Wadingus, qui anno illo MCCCXXX plures ex utroque ordine Minorum & Prædicatorum in Orientem a Joanne XXII ablegatos narrat. Razzio autem qui Perusiæ diutius commoratus est, & antiqua ejus domus archiva diligentius lustravit, fides videtur potius habenda quam Lusitano, quem tamen plures sequuntur, Pius P. II lib. 1 col. 84, Fernandez, Altamura, Jacobillus, Oldoinus, qui nullo documento innixi revocant ad 1275. Paulus hic reliquisse dicitur * 1344.

Sermones quadragesimales & Dominicales per annum.

F. NICOLAUS

F. NICOLAUS DE SANCTOVICTORE.

† 1344. F. Nicolaus de Sanctovictore a Vallio inter illustres Regni Siciliæ commendatur, ceu qui hæreticæ pravitatis inquisitorem egerit generalem regnante Joanna I, cujus ab eo diploma refertur, quo regina suis omnibus subditis jubet, ut dicto Nicolao ejusque nunciis promte in his quæ ad tribunal fidei pertinent pareant, eumque consiliarii sui titulo ornat, ex actis ejus reginæ annis 1343 & 1344 litt. C. fol. 185. Videsis compendium Vallii p. 111. Toppius etiam in suam intulit bibliothecam Neapolitanam; neuter tamen ulla ejus opera prodit, quæ iste forsan a suis sodalibus speravit diligentius quærenda, aut acta ipsius ut inquisitoris & in archivis Regni Siciliæ servata ceu opera habuit.

F. BORNASIUS.

† 1344. F. Bornasius Siculus inter scriptores nostros laudatur a Lusitano p. 58, qui tamen nec patriam aliter, nec ætatem, nec a quo acceperit refert: quem nihilominus excipiunt Gozzeus, Pius, Fernandez, denique Altamura ad 1344. Ab eo dicitur scripta

Vita S. Dominici ex illis omnibus quæ testes adjurati super illius sanctitate cùm fuit sanctorum ascribendus consortio, de illo testati sunt: in qua multa continentur notabiliora quam in aliis chronicis, quibus de gestis beati tractatur.

Si ita est, nullis curis parcendum esset, ut in lucem ederetur: sed ne relatis plenam fidem adhibeam, obstat quod hujus scriptoris non meminerint Leander, Malvenda, nec Vallius in compendio, nec Toppius Bibl. Neapol. nec Mongitorius Bibl. Sic.

F. GUALVANEUS FLAMMA.

† 1344. F. Gualvaneus Flamma Insuber patria Mediolanensis gente illustri *de la Flama* satus, conventus S. Eustorgii alumnus seculo XIV claruit, licèt de anno dissentiant scriptorum nomenclatores. Leander Albertus fol. 153 b, eum præstans virum ingentis spiritus & doctrinæ, ac primum omnium ex sodalibus, qui philosophiam, ex quo gymnasium (publicum) ibi institutum fuerat, Mediolani docuit, ad 1315 refert: Lusitanus ex prima parte Mon. Ord. ad 1340: hunc excipit Altamura. Idem censet Vossius de Histor. Latin. pag 512: at & ulterius fortè vixerit, & ad annum MCCCLXXI pervenerit, scilicet qui anno MCCXCIX vix a sese qui anno vestem Dominicanam induerat adolescens, ut ipse in sequentibus docebit. Ut ut sit, Lusitanus emendandus, qui in duos dividit, alterum Galvanum Flama ad 1340, alterum Franciscum Galvanum Mediolanensem ad 1262 ascribens, utrique eadem tribuens opera. Ejusdem cum laude meminit in *Athen. Mediol.* Philippus Picinelli *pag.* 231: ubi dicit ortu nobilem, ac ex Puricello in *vita S. Arialdi lib.* 1 *c.* 4 claruisse circa MCCCXXX, eaque eruditionis fama ut ad publicam in universitate Ticinensi lecturam vocatus fuerit, ubi sacros ille canones annis aliquot magno auditorum plausu & concursu docuit. Quibus ille detentus occupatusque laboribus, nihilominus ea fuit ingenii felicitate & feracitate, ut egregia plurimaque scripserit, posteritatique reliquerit, quæ hæc ab eo recensentur:

1. *Chronica extravagans in tres partes distincta.*
2. *Politia novella.*
3. *Azonis vicecomitis gesta.* Quæ tria opera etiamnum in membranis descripta in Ambrosiana bibliotheca servantur codice grandiori; quem laudat Puricellus Dissert. Nazar. cap. 107 pag. 537.
4. *Historia universalis.* Quod ipse Azoni vicecomiti Mediolanensi Duci nuncupavit anno MCCCXXX.
5. *Chronica ordinis Prædicatorum.* Meminit etiam Leander Albertus, & Lusitanus qui asserit in conventu Gratiarum Mediolani haberi. Taegius tamen qui ea usus est, Monum Ord. P. VI fol. 253 pag. 1 dicit se eam vidisse *in conventu Mantuano S. Lucæ satis dilaceratam & dissipatam quæ incipit a nativitate B. Dominici anno Dñi* MCLXX *& terminatur in anno Dñi* MCCCXLIV *tempore magistri Petri de Palma magistri generalis* XVIII. Quæ probant eo anno adhuc in vivis fuisse. Sic refert Puricellus *Dissert. Nazar. cap.* 109 *pag.* 553.
6. *Chronica Imperatorum.* Laudant etiam Lusitanus & Vossius, qui ultimus innuere videtur extare Mediolani apud Franciscum Ellium Patritium cod. MS optimæ notæ, in quo est & opus sequens. Picinellus verò chronicæ imperatorum addit chronicam præsulum, quam, inquit utramque *nuncupavit auctor Joanni II Vicecomiti vulgo Visconti; quæ & MS etiamnum habetur in Bibl. metropolitanæ Mediolanensis Ecclesiæ:* Sed & apud filios Aloysii ab Ecclesia anno MDCLV defuncti MS servabatur Puricello visa.
7. *Chronica civitatis Mediolanensis*: quæ a quibusdam dicitur titulum habere, *Flos Florum.*

In codice Francisci Ellii citati, quem præstant accuratum, refert Vossius teste Laurentio Pignorio viro clarissimo in epistola ad ipsum data sic legi in fine: *scripsi anno* MCCCXXXVI. Quod indicaret Gualvaneum non ultra progressum. In *Bibl. autem Reg. Paris.* duplex est hujus chronicæ exemplar: Primum num. 10113 fol. par. charta. Titulus: *Chronica civitatis Mediolanensis antiquitatum, nuncupata manipulus Florum, Fratris Gualvanei de la Flamma ord. Prædic. S. Eustorgii, falso aliàs ascripta Joanni de Monte ex eo quod hic fortè fuerit illius amanuensis.* Qui titulus secunda manu, at sequens prima & qua totus codex: *Chronica compilata & extracta a quam pluribus libris & historiographis appellata manipulus Florum.* Prologus:

» Si autem fiscellam junco texerem, aut palmarum folia complicarem, nullus morderet, nullus detraheret: nunc autem quia illustris urbis Mediolani longum exordium, ejusque triumphales victorias ac ingenua gesta super omnes coætaneos meos diligentius exquiro, morsibus caninis remuneratur labor, sermonibus veritatis detrahitur, sudori sitis superadditur in præmium. Et licèt ista calamum velociter scribentis ab inceptis sæpius retraxerunt, amor tamen generosæ patriæ incitat acutius. Postposito ergo omnium latrantium strepitu, Christi Jesu fultus juvamine, ad exhibendum hujus opusculi effectum me contuli. Præsertim cùm mos fuerit antiquus, serpentum nodis indulgere, vestibus & armis onustum dilaniare. Nunquid lux doctor Ambrosius hæresum insertione (in) dictis obnubilatur? Nunquid lingua Christi Gregorius ignium voragini in suis libris condemnatur? Nunquid scriba..... Augustinus numerosa librorum traditione fabularum compilator acclamatur? Nunquid cœlorum vox Hieronymus in sua Hebraica veritate falsidicus appellatur? Certe reor quod nec mihi veniam dabitis o filii hominum, quorum dentes sunt arma & sagittæ, & lingua gladius acutus. Discant ergo obtrectatores mei, quorum labia caninis dentibus sunt vallata, prius legere hanc chronicam, quam detrahere. Quid sibi demeruit liber iste? Nullius opprobrium, nec malum exemplum inseritur: Deus in sanctis suis, civitas ista strenuis »

Hic lacuna in codice. F. leg. doctus in regno cœlorum.

SEC. XIV. » commendatur. Igitur jactis verborum ambagibus » narrandi sumamus exordium, illius Spiritus Sancti » invocantes auxilium, qui omnem docet nos ve- » ritatem. Amen. Sed ut materiam detrahendi, » quantum in me est, detraham ab æmulis meis, » libros ex quibus hanc chronicam extraxi enume- » rare curabo.

Numerus chronicarum a quibus opus præsens compilatur in sequenti reperitur capit.

» 1. Nam liber Gotofredi, qui dicitur memoria » seculorum est apud S. Ambrosium.
» 2. Titus Livius apud Joannem de Cermenate.
» 3. Jacobus Januensis & 4 Paulus apud Cresen- » tigum.
» 5. Historia Ecclesiastica, 6. Historia Romana, » 7. Stephanardus ordinis Prædicatorum, 8. Bon- » vesinus apud S. Eustorgium.
» 9. Jacobus Laudensis, & 10. Registrum com- » munitatis apud Joannem de Cermenate.
» 11. Ptholomæus episcopus ordinis Prædicato- » rum apud episcopum de Torcelo.
» 12. Sicardus episcopus Cremonensis apud Pa- » piam.
» 13. Acucipius apud Freiscum de Medicis.
» 14. Martiniana ordinis Prædicatorum, 15. Eu- » tropius, 16. Graphia aureæ urbis, apud Fratrem » Lanzalotum Crotum.
» 17. Dacius & 18. Arnulphus apud S. Nazarium.
» 19. Chronica Paduana apud presbyterum Am- » brosium de Valnexia & Vassalinum Bossium.
» 20. Registrum potestativum Mediolani apud Pa- » nigayrolos.
» 21. Historia Beati Barnabæ .... in ordinaria.
» 22. Historia omnium archiepiscoporum Medio- » lanensium apud S. Eustorgium.

Ex his XXIIII chronicis hanc *chronicam annotavi quam* manipulum Florum appellare placuit.

Ex quibus ultimis verbis patet quædam deesse in enumeratione relata in hoc exemplari, saltem duos auctores aut etiam tres, si *Graphia* seu descriptio (ut interpretor) aureæ urbis sit Eutropii juxta sensum Gualvanei. In hunc auctorem acriter invehitur Petrus Maria Campi canonicus Placentinus in apologia sua Gregorii X pag. 320, eumque maledicentiæ contra S. P. famam accusat. Hæc illi objiciuntur certe dura cod. Reg. fol. 120 : *Isto anno Gregorius Papa celebraturus in Lugduno concilium, de Roma cum tota curia Italiam intrans Othonem archiepiscopum secum adduxit. Tandem papa Mediolanum intravit, & ad petitionem Turrianorum Raimundum episcopum Cumanum fratrem Nappi fecit patriarcham Aquilegiensem. Othonem archiepiscopum Mediolani in Placentia stare mandavit, quousque de concilio rediret, promittens eum tunc infallibiliter in suam sedem collocare. Recedit papa : & Turriani datis magnis pecuniis ipsum Ottonem interfici procuraverunt, sed non potuerunt, quia ad concilium properavit. Attendenda est hic magna verecundia papa, qui ipsum Ottonem sua promissione frustravit.* Et paulo post : *Anno Domini* MCCLXXIV *sub Domino Nappi de Laturre exulante Ottone Guillelmus de Quto Vercellensis fuit* 103 *potestas Mediolani. Isto tempore Gregorius papa rediens de concilio, & intrans Lombardiam Ottonis archiepiscopi comitivam sprevit, & ut in Brigella commoraretur mandavit. Quo audito Brigellam ivit exul & tristis ab omnibus derelictus.* Quæ sane de tam sancto pontifice dicenda non erant : etsi enim promisisset a se Ottonem in sedem restituendum, quis nescit SS. pontifices eo præsertim seculo ab Italarum urbium tyrannis multa ferre coactos fuisse, quæ corrigere ac emendare in ipsis non erat, etsi voluntas non deesset. Fol. 133 b, hæc habet, unde ætatem ejus rimeris : *Anno* MCCXCIX. *Ista Beatrix* (Soror Marchionis Estensis sponsa Galeæ filii Matthæi Vicecomitis) *dum Mediolanum ingrederetur, tanta fuit solemnitas, quod nunquam dici posset. Sed quia ego Frater scribens præsens eram: nam in ordine Prædicatorum eram habens annum unum cum dimidio, quid oculis vidi enarrabo.* Ad marginem hic sic legitur : *Adverte lector quod in alia simili chronica extante penes heredes Aloysii Ecclesia olim hujus civitatis a secretis legitur ita scilicet* : sed quia ego Frater Gualvaneus scribens: *Unde apertè colligitur auctorem hujus chronica non Joannem de Monte, sed Fratrem Gualvaneum de Flamma extitisse : qui binas alias chronicas conscripsit penes me causidicum Joannem Baptistam Blanchinum etiam extantes.* Anno igitur MCCXCIX a sesqui anno tantum ordini nomen dederat ut verisimilius adolescens. Ad annum vero MCCXCII sic habet : *Isto tempore quidam magnus ignis palatium communitatis in quo Mattheus* [Vicecomes] *habitabat combussit, unde emptis ab illis de la Flama pluribus magnis domibus a tergo palatium reedificatur.* Quod indicat gentem de la Flama fuisse Mediolani opulentam & illustrem. Finis : *Anno* MCCCLXXI *Dns Galeas die* XII *novembris terram de Casale obtinuit, quam supra scriptus marchio pluribus annis occupaverat.* Sunt in universum 148 folia. Nihil est quod indicet auctorem finiisse anno MCCCXXXVI quo annorum 50 aut 55 ad summum erat. Omnia ejusdem apparent styli : revera in posterioribus annis pauca refert, ut quasi senex & lassus scribere videatur.

Extat in eadem Regia codex alter n. 10114 fol. par. chart. scriptus Mediolani anno MCCCCXIV ut notatur ad finem, sed prima foliola desunt.

Apparet ubique hunc scriptorem familiæ Vicecomitum addictissimum fuisse, cujus originem & genealogiam describit. Ab eo plura mutuatum exempla Baptistam Fulgosium asserit Gesnerus. Tristanus Calchus in præfatione Historiarum Mediolanensium culpat, quod fabulosa de origine illius civitatis & principatus narret : sed etsi id concedatur, certum pleraque potissimum quæ de Christianis seculis habet, esse commendatione digna, historiamque scribentibus utilissima.

De eo sic Leander loc. cit. *Mediolani in uno anno Aristotelis Ethicam, politicam, œconomicam, rhetoricam, & libellum de sphæra enodavit.* An de his aliquid scriptum reliquerit, quod proclive, mihi tamen ignotum.

Lusitanus Francisco suo Galvano præter chronicam ordinis tribuit *sermones de tempore & de sanctis*, quos huic scriptori proinde asseras. Ex *F. Galvano* id est Fratre, *Franciscum Galvanum* fecisse facile crediderim.

Idem Gualvaneo Flamma ascribit *Summam casuum conscientiæ*, & excipit Possevinus.

In Bibl. SS. Joann. & Pauli Venetiis P. II Pl. I recensetur, *Fratris Galvagni vita S. Dominici. fol. memb.* Sic refert Tomasinus. An sit opus distinctum a chronica ord. Prædicatorum supra n. 5 laudata, doceant ejus domus sodales, nec quasi ferro vinctam in tenebris retineant, sed in lucem exire patiantur.

Puricellus citatus vitæ SS. Arialdi & Herlembaldi lib. 1 cap. 4 sic de eo habet. » Gualvaneus Flam- « ma religiosus fuit ex ordine sacro Prædicatorum, « & in Eustorgiano urbis hujus conventu, flore- « batque anno Dñi MCCCXXX. Mediolanensibus verò « de rebus scripsit multa, quæ tamen typis adhuc « inedita sunt, quæque MS conservantur in biblio- « theca præsertim Ambrosiana, & apud filios viri « clarissimi Aloysii ab Ecclesia urbi nostræ a secretis, « & binos tantum abhinc annos defuncti «. *Hac scribebat Puricellus anno* 1657. *Addit* : » Ingens no- «

» mlnatlm extat volumen, quod ego chronicon ma- » jus appellare soleo, in quo tamen alia quædam » opera nimirum, *Politia Novella*, *Chronica ex- » travagans*, *& Azonis Vicecomitis gesta* continen- » tur. In eo igitur chronico Gualvaneus a cap. 764 » usque ad 785 multa narrat de Arialdo & Herlem- » baldo &c «. *Horum fragmenta refert Puricellus.*

Sub finem hujus capitis p. 19 addit Puricellus apud filios Aloysii ab Ecclesia laudati extare Gualvanei volumen hoc titulo in fronte:

De archiepiscopis & aliis memorabilibus Ecclesiæ Mediolanen. cui operi assutum est aliud opusculum ejusdem hoc titulo:

Infrascripta Sanctorum corpora jacent in civitate Mediolani & comitatu & districtu.

F. ALFINUCIUS.

* 1345. F. Alfinucius nostris nomenclatoribus hactenus incognitus, hîc recensetur ex fide catalogi codd. MS bibliothecæ Paulinæ Lipsieñ. olim nostræ a Fellero editi Lipsiæ 1686 in 12, in quo sic legitur pag. 315 n. 50:

Legenda de S. Antonio, quam Frater Alsinucius ord. Præd. de Arabico transtulit in Latinum anno 1345 excerpta de magna Legenda.

F. JOANNES DE HASELA.

* 1345. F. Joannes de Hasela a patria sic agnominatus, quam Valerius Andreas Bibl. Belg. Hasseletum ditionis Leodiensis oppidum conjicit, ipsum verò ordinis Prædicatorum ex opere inspecto præstat, licèt ætatem deprehendere non potuerit, a Simlero dicitur *Joannes Hasalanus* & ad MCCCXLV floruisse. Scripsit opus hoc titulo: *Quæstiones casuales*, vel ut habet codex MS apud canonicos regulares vallis S. Martini ad Lovanium servatus, & a Valerio visus:

Libellus de quæstionibus casualibus, quæ in Summa S. Raymundi & apparatu ejus vel non continentur, vel minus plane explicantur. Codicem Sanderus recenset Elench. P. II p. 219.

Addit Valerius auctorem in prologo Ulrici de Argentina cum laude meminisse. Ghilbertus noster de la Haye Bibl. Belgo-Dom. vult aliquando Lovanii stetisse, ac sacras literas docuisse.

F. GARINUS DE GIACO.

* 1346. F. Gàrinus vel *Guarinus* de Giaco Gallus magister ordinis XIX, vir sua ætate celeberrimus, ex oppido *Guy l'Eveque* vulgo, Latinè Giaco castro diœcesis & ditionis episcopi Autissiodorensis ortum habuit & agnomen. Ordinem amplexus Autissiodori, studiisque in collegio Parisiensi Sanjacobeo persolutis, ad legendas ibidem sententias assignatus fuit in cap. gen. Tolosæ anno MCCCXXVIII. Laurea jam donatus erat anno MCCCXXXIII, nam e sacræ facultatis magistris unus fuit, qui eo anno Dom. IV adventus a Philippo Valesio Francorum rege apud Vicenas convocati fuere omnes, de sententia Joanni XXII vulgo tributa circa visionem beatificam, judicium suum doctrinale dicturi, ac exigente rege censuram cum iis latam & in scriptis redactam die secunda januarii sequentis viginti trium decimus quartus, & ex ordine sex illi congregationi astantium quartus sigillo suo firmavit. De quo legendi Nicolaus Coeffeteau noster *Response au ministere d'iniquité pag.* 1040, & Egacius Boulæus Hist. Univ. Paris. T. IV pag. 236: apud quos tamen erratum fortè typorum irrepsit, in priori apud quem legitur *de Greco* pro *de Giaco*, in altero verò *Hyacinthus* pro *Garinus*. Frequens ejus exinde mentio in comitiis generalibus ordinis: Brugis MCCCXXXVI cùm F. Peregrinus de Mercatore Tolosanus S. T. M. & regens Parisiensis visus esset ad studium generale Tolosanum regendum avocandus, qui ejus vices interea suppleret in Parisiensi datus est. Benedicto XII multa in cœtibus omnibus religiosis innovante, ac quædam etiam in constitutionibus nostris immutare volente, propereaque anno MCCCXXXVIII F. Hugone de Vaucemain ordinis magistro Avenionem ut se conferret compulso cum primoribus ex ordine, in iis fuit & Garinus noster, qui ibidem restitit quibusdam annis, studii nostri Avenionensis regens etiam institutus a cap. gen. Carcassonensi MCCCXLII. Parisiis verò MCCCXLIII F. Petro de Palma in magistrum ordinis ex Franciæ provinciali assumto, huic in capitulo provinciæ ibidem continenter habito communi omnium voto suffectus est, & prior Franciæ provincialis allectus. Quod fere idem contigit Brivæ in Lemovicibus MCCCXLVI, ubi eidem F. Petro de Palma defuncto in magisterio successit. De quo quid habeat Auctor additionum ad chronicon Bernardi Guidonis referre placet: *Decimus nonus magister ordinis successor magistri Petri de Parma fuit F. Gàrinus de Giaco de provincia Franciæ natione Campanus de conventu Antissiodorensi magister in theologia. Hic erat provincialis Franciæ quando electus fuit in magistrum per viam scrutinii in capitulo celebrato Brivæ in provincia Tolosana A. D.* MCCCXLVI. *Cùm enim essent in numero quadraginta quatuor electores inclusi ut moris est sabbato sancto pentecostes tertio nonas junii, in primo scrutinio viginti quinque electores vota sua direxerunt in eum, & rite ac canonice ipsum in magistrum ordinis elegerunt, omnibus aliis electoribus accedentibus & consentientibus in eum. Hic obiit in conventu sancti Miliani post capitulum generale celebratum Lugduni A. D.* MCCCXLVIII *in provincia Franciæ.* Quod & de loco obitus repetit in serie capp. genn. sic: *Obiit autem magister generalis hoc anno* (MCCCXLVIII) *in conventu sancti Miliani, quo autem mense ac die non refertur in chronico.* Ex quibus Leandrum Alberti & alios emendes, qui Gratianopoli occubuisse narrant. Ne verò putes *sanctum Milianum*, ut legitur in codice Lingonensi manu æquali scripto, quemque hîc excipio, esse sancti Emiliani Fanum in Aquitania ad Burdigalam vulgo *saint Emillon*, ubi conventum habemus ab anno 1265 erectum: sed ut insinuat Pius ex Razzio P. II col. 179 Montem melianum Allobrogum, qui ea ætate sanctus Milianus etiam dictus sit, & ubi a 30 circiter annis extructus fuerat ordinis conventus recens tum post incendium instauratus a comite Sabaudo, cùm ob graviora negotia cum Delphino & Sabaudo tractanda utrique acceptissimus ordinis magister in illis partibus eo anno videatur a comitiis Lugdunensibus detentus. Revera in literis ejusdem Delphini Humberti II apud Quiriacum ad Rhodanum in Delphinatu 26 julii MCCCXLVIII datis, quibus titulus: *Ordinatio Delphini pro reducendo numero monialium Montisfloriti ad LXX, & FF. ord. Præd. pro divinis in dicto monasterio celebrandis ad tredecim*, præsentes & acceptantes leguntur F. Garinus major magister totius ordinis Prædicatorum, & sequentes, » F. Guillelmus de Castroreginaldi prior pro- « vincialis Franciæ, ac F. Guillelmus de Paredo « prior dicti monasterii, & unâ etiam conventus no- « stri Gratianopolitani, fundationem recipiens per « annulum aureum sibi a Delphino traditum, & « continenter homagium ligium præstans inter ma- « nus ejusdem Delphini manibus junctis intervenien- « te oris osculo in signum perpetui fœderis & amoris «

SEC. XIV. » &c«. Hinc colligas intra mensem sequentem Garinum non longius abfuisse. Dies ejus obitus a nemine certo relatus, in martyrologiis nostris etiam antiquioribus 31 julii ascribitur, cui & standum videtur. De eo autem sic legitur in cod. MS Carcasson. *Iste fuit valde gratiosus, magnus clericus, & egregius prædicator.* Extant ejus

1. *Vita B. Margaretæ regis Hungariæ filiæ ordinis Prædicatorum*, quam Surius stylo passim mutato, sed primigenia phrasi Bollandus edidit ex cod. MS collegii Paderbornensis S. J. & inseruit *Actis SS. T. II januar. pag.* 900. Hic titulus: *Legenda subscripta de vita & miraculis B. Margaretæ virginis ordinis Prædicatorum filiæ regis Ungariæ, de rotulis seu diffusis dictis testium juratorum coram prædictis inquisitoribus a sede apostolica super hoc datis, compendiosè, & quasi per puncta extracta est A. D.* MCCCXL *in curia Romana Avenionis per Fratrem Garinum magistrum in theologia, de mandato F. Hugonis magistri XVI ejusdem ordinis.* Hujus operis ratione eum Vossius inter Historicos recensuit *De Histor. Lat. pag.* 512, sed eumdem esse, qui postea magister ordinis, ignoravit, ut Bollandus, & noster Altamura ad 1333. Sed ipsissimum esse constat, tum quod Avenione tunc adesset, tum quod nobis nullus alius sit ea ætate F. Garinus magister in theologia, tum ex Summa ejus cum ordinis magistro Hugone *de Vaucemain* symmysta & ejusdem conventus Autissiodorensis alumno conjunctione.

2. *Epistolæ tres encyclicæ ad universum ordinem e capitulis generalibus, quibus præfuit scriptæ.* Brivæ 1346, Bononiæ 1347 & Lugduni 1348.

3. *Prosa in die S. Vincentii martyris* vel ab eo composita, vel aliunde accepta. Id enim ei a cap. dicto Lugdunensi commissum.

• Ejus cum laude meminerunt at non operum Leander Albertus fol. 43 a, & inter theologos *fol.* 138 b. Castillus *Histor. gener. P. I lib* 2 *c.* 80. Pius P. II col. 176. Fontana in Monum. De eo etiam agit Antonius Mallet noster *Hommes illustres du convent de S. Jacques T. II. pag.* 99, emendandus cùm *du Mans* agnominat, id est de Cænomanis pro *de Giaco*, vel *De Gy l'Eveque*: qui plura in capitulis generalibus ab eo constituta referunt: inter quæ mihi videtur maxime notanda, quam tamen illi neglexerunt, capituli Lugdunensis ordinatio prima, qua jubetur, ut qui deinceps ad ordinem reciperentur, non pro conventu suæ diœcesis ac domicilii, ut hactenus ab initio ordinis constitutum fuerat & servatum, induerentur: sed cujuscumque nationis essent, ejus conventus alumni & filii haberentur & essent, in quo vestem nostram reciperent, exceptis studiis generalibus. En ordinationis contextus: *Cùm bona consistentia nostri ordinis in personis idoneis consistat, & Domino permittente Fratrum nostrorum numerus per communem pestilentiam sit in multis partibus diminutus, rogamus Fratres universos, & eis imponimus, quod in attrahendo bonos & aptos juvenes ad ordinem solicitudinem exhibeant diligentem: & recipiantur ad præsens in quibuscumque conventibus etiamsi sint de terminis alienis, sic tamen quod juvenes sic recepti ad illos conventus perpetuo pertineant, in quibus & pro quibus fuerint recepti. Et hoc * intelligi volumus de Fratribus jam receptis: priores verò provinciales compellant efficaciter priores conventuales & eorum conventus ad satisfaciendum Fratribus, qui expensas fecerunt tam in vestibus quam in aliis pro receptione juvenum prædictorum. Hanc tamen ordinationem extendi nolumus ad conventus generalium studiorum, in quibus recepti novitii pertinent ad conventus pro quibus non in quibus sunt recepti, & provideatur eis de vestibus & necessariis per eosdem.* Quam ordinationem integram placuit referre, quod ad filiationem scriptorum nostrorum tum ante tum post istud capitulum statuendam ac definiendam plurimam lucem afferat.

* Videtur deesse *etiam*.

Duo etiam conventus in eodem capitulo concessi fuerunt extruendi in provincia Terræ-sanctæ, alter Hierosolymis, alter Bethlehem.

Quandoquidem de fundatione monasterii Montisfluriti facta est mentio, non omittendum in ordinatione supra relata, quam videsis apud Clar. Dom. de la Valbonnais in suo opere cui titulus: *Mémoires pour servir à l'histoire de Dauphiné.* Sic legi de vestibus monialium & Fratrum: *Singulis annis singulis personis monasterii fiant & dentur circa festum omnium Sanctorum de sargico tunica & scapulare nova cum duobus pedulriorum paribus, & duobus paribus caligarum, & unum par sotularium in capite quorumlibet trium mensium, pellicee & pelliçeoli novi de triennio in triennium, novi mantelli de bono panno & capa de eodem panno dentur prædictis Fratribus presbyteris.* Vocem *Pedulia* Valbonaisius interpretatur crepidas vel soleas Gallice *mules de chambre* seu *pantoufles*: sed rectius Ducangius *avant pied de chausses* seu *chaussons*; in nostris constitutionibus dicuntur *socci* scilicet lanei solum pedem involventes & a caligis seu tibialibus separati, qui mos seculo XIII ubique etiam apud seculares in usu, in ordine semper commendatus fuit, ut nocte soccis solis depositis cum tibialibus dormirent: unde in actis visitationis monasterii Prulliani per provincialem Tolosanum anno 1340, ubi de sartoria sic habetur de Sororibus: *Quolibet anno habebant, scapularia & tunicas cum caligis & soccis*, & postea idem de Fratribus eis sacra ministrantibus. Sed & additur: *Unus pannus integer Gallice* une piece de drap *datur pro amore Dei & eleemosyna quotannis conventui nostro Tolosæ pro soccis.* In libris rationum seculi XV ad medium XVI conventuum nostrorum Ebroicarum & Catalauni legi sæpius *tantum panni Gallice* drap *pro novis soccis seu pro reparatione soccorum.* In pluribus imaginibus XIII & XIV seculi codd. MSS variarum bibliothecarum exhibentur viri & fœminæ nobiles cum similibus peduliis seu soccis vix supra cavillam pedum, aliquando tamen paulo plus assurgentibus, sed qui certo sunt a tibialibus distincti, & globulis astricti.

In eodem opere Clar. Valbonæsii mox laudato p. 608: *Item die 22 april.* [MCCCXLVII] *in monasterio vestro Montisfleuriti quatuordecim moniales videlicet septem de Poissy & septem de Stavayer, & quatuor conversæ celeberrime cum honorificentia multa per magistrum ordinis* [F. Garinum] *& me, præsentibus D. Gratianopolitano, D. Abbatissa Ayarum & mirabili alia congregatione populi, introducta, quæ bona sunt Domina & honesta & de loco multipliciter consolatæ. Priorissa vocatur soror Cecilia de Monte, celleraria soror Johanna de Ligneriis & est consanguinea vestra & mea, sapiens & elegantissima Domina. Vicarius est valde honestus & bonus homo ac prudens Frater, & non dubitetis, quia bene providebitur eis.* Sic ad Humbertum Delphinum tum in expeditione Turcica agentem scribebat ejus locum tenens in Delphinatu constitutus Henricus de Villariis archiepiscopus Lugdunensis & comes. Ex quibus monasterii Montisfluriti initia a magistro ordinis F. Garino sapienter posita & decreta discimus.

B. M. F. VENTURINUS DE BERGOMO.

B. M. F. VENTURINUS DE BERGOMO a patria Venetæ jam ditionis in Cenomanis sic nuncupatus, ibidemque ad ordinem ascitus, seculo * 1346

xiv sub summis pontificibus Joanne XXII, Benedicto XII, & Clemente VI maxime claruit. Vir fuit apostolici plane pectoris, qui zelo animarum fervens præcipuas Italiæ civitates verbum Dei seminando percurrit, ac innumeros ad meliorem frugem convertit. Plura hominum millia secum aliquando Romam adduxit e Bergomo pœnitentiæ causa, unde Benedicto XII suspectus, cùm ad eum Avenione sedentem accessisset, ab eodem officio prædicationis interdictus est, & Morologium vernacule *Marneges* (urbs est in tractu Gabalensi) relegatus. Exilium octo annis ad mortem scilicet usque pontificis illius patientissime tulit. At Clemente VI mense maio MCCCXLII electo, suis ab eo Venturinus restitutus est muneribus, imo ad prædicandam crucem in expeditionem Hierosolymitanam delegatus. Quod ille mandatum strenue implevit, multa militum millia ad bellum illud sacrum conscripsit, exinde ipse cum exercitus imperatore Humberto Delphino in Eubœam insulam trajecit anno MCCCXLV circa natale Domini: sed cùm princeps ibi moram traheret, donec copiæ convenirent, ille in antecessum cum episcopo Smyrnensi conscensa navi Smyrnam appulit prima martii die, quæ anno MCCCXLVI fuit prima quadragesimæ. Tum verò continuis laboribus fractus ægritudinem contraxit, qua & oppressus sanctissimam efflavit animam XXVIII ejusdem mensis. Miraculis in vita & morte plurimis claruisse ferunt. Vitam ejus eleganter scripsit Jo. Ant. Flaminius, quam suis viris illustribus inseruit Leander Albertus fol. 238. Ejusdem meminit idem Leander *Descritt. d'Italia fol.* 334 *a*. Legendi & de eo alii nostri Hagiographi, præsertim Pius *P. I col.* 347, ubi plura de eo haud parvi momenti ex nostro Hieronymo Borselli, sed & *Cerefoli* a familia agnominatum præstat. Mentio est ejus in Actis SS. T. III martii ad diem 28, inter prætermissos pag. 710 b, ubi sic eruditi editores: *Beati titulo passim eum ornant Seraphinus Razzius, Michael Pius, aliique, & imprimis coævus vitæ scriptor, quam ex Ambrosii Taegii codicibus transcripsimus &c. dignam sane quæ lucem videat: sed huic operi non prius inserendam, quam vel a sede apostolica Beati titulus ei noviter conferatur: vel constet Smyrnæ, ubi hoc anno* MCCCXLVI *hoc die sancte obiit, passagii contra Turcas prædicator & comes, congruum tali appellationi cultum eidem a fidelibus fuisse delatum, dum eam adhuc urbem Latini tenerent.* Ab eo relicta dicuntur sequentia:

1. *Sermones plures*: sed ubi jam habeantur nemo refert.

2. *Epistolæ divino Spiritu plenæ.* Harum quædam servantur Paris. in Navarræa cod. MS in fol. memb. ad calcem scilicet a fol. 259 ad 274. Cùm autem *Morale somnium Pharaonis ad Theobaldum regem Navarræ, Campaniæ ac Vriæ* (*la Brie*) *comitem Palatinum a Joanne Lemovicensi* nuncupatum, quod præcedit dicatur *scriptum per manum Joannis Nicolai de Neulejo anno D.* MCCCLXVIII, & eadem videatur manus quæ Venturini epistolas scripsit, ejusdem etiam ætatis hanc ultimam codicis partem conjicio. Quas epistolas in meum usum transcriptas mense novembri MDCC hîc ex ordine referre visum est, quæque in iis ad ejus vitam spectant breviter annotare. Hic est titulus.

1. *Tractatus F. Venturini de Spiritu Sancto.* » Rogasti me dilecta filia in Christo, ut tibi in » scripto reponerem, & Latino plano & facili, ali» qua quæ dixeram tibi & aliis monialibus de illo » dulci hospite animarum nostrarum scilicet de Spi» ritu Sancto &c «. Videtur scriptus in exilio ad sanctimonialem in Italia existentem, nam dicit ab ea & sodalibus *se recessisse corpore sed non mente.*

2. *Item alia doctrina ejusdem F. Venturini. In psalterio decachordo psallam tibi.* » Mi dilecte sa- « tagemus hoc psalterium decem chordarum, quæ « sequuntur, habere præ manibus &c «. Videtur ad quemdam religiosum missa. Sec. XIV.

3. *Ad F. Egnolfum de Ebenhein.* » Patris & fi- « lii ac pluralis numeri vocabulis hinc & inde omis- « sis, tibi rescribit ille pauperculus Venturinus, « quem charitativa litera prævenire curasti &c «. Hanc literam agnoscit se accepisse *in octavis patris nostri Augustini*, & eadem die se rescribere: licèt autem annum non addat, innuit satis ex loco exilii se responsum dare, cùm meliora sibi promittit a Deo tempora. Ille Egnolfus alicujus nostri in Alsatia conventus erat, quem Venturinus de ratione conversationis, studiorum, ac concionum instruit, optimaque illi tradit documenta. Inter alia hæc scribit: » Recolo ante annos octo me vidisse quam- « dam puellam de qua mihi videbatur omnino, quod « Spiritus Sanctus per os ejus loqueretur, & vide- « batur multa prædicere, ac de modo prædicandi « me informare: cui archangelus Gabriel videba- « tur apparere, dicebatque mihi, quod per certa « indicia cognoscebat ipsum veraciter angelum esse: « cui & quædam ossa tanquam Sanctorum reliquiæ « portabantur, nec non in quadam iconia B. V. la- « pides prætiosi, de quibus hujusmodi videbantur « scaturire: ita quod patrem & matrem, quibus erat « unica, induxit ad vendendum bona sua, faciens « fieri oratorium quoddam in proprio hospitio. « Tanta innocentiæ puritas in ea esse videbatur, « quod non poteram imaginari, quin omnia hujus- « modi essent a spiritu Dei bono. Post duos annos « rediens ad illam civitatem, inveni puellam illam « in alio statu, & cognovi certissime omnia illa ex « illusione diabolica provenisse, qui me per talia « seducere nitebatur, licèt benignus Jesus fecerit « in bonum animæ meæ omnem machinationem dia- « bolicam redundare. Hoc idcirco dixeram, ut non « sis promtus fidem talibus adhibere &c «. *plura præclara in hanc rem consilia.*

4. *Item ad eumdem. Suo illi in Christo, ille homo tepidus quicquid sibi.* Ad tuam literam scrip- « tam circa festum Lucæ, quam recepi in litera il- « lius alterius nostri dilecti Augustini in fine mensis « februarii duxi taliter rescribendum die illo, quo « Salvator Centurionis puerum temporaliter solo « verbo restituit sanitati &c. *Et postea*: Non possum « quin dicat in mentis refulgentia, quod æterna Dei « bonitas maxima mirabilia nostris temporibus de- « creverit operari: Et studiose dico nostris tempori- « bus mei & tui, & eorum qui sunt coætanei vel infe- « riores vel quos spero pro majori parte a Dei spi- « ritu assumendos tempore definito: nam ego qua- « tuor pedibus te præcedo, ut puta XXXVI annum « completurus die nono intrante aprili, jam XVII « annis Christum secutus in fervore voluntariæ « paupertatis, aliis quinque consumtis in fervore « elationis, præsumtionis & cupiditatis. Nam & « ego tunc temporis ambulabam in magnis mirabi- « libus super me, æstimans plus omnibus me vale- « re in scientia & in gratiis gratis datis. Unde & « ex tunc existens juvenis XVIII annorum credebam « me finaliter debere esse de majoribus Fratribus « provinciæ meæ. Sed gratias ago Deo meo, qui « me sua benignitate respexit, mihi inspirans sine « doctore extrinseco, ut sequerer vestigia patris « mei Dominici circa salutem animarum, zelum ca- « ritatis habendo, humilitatem servando, volunta- « riam paupertatem cum omnibus suis appendiciis, « quæ sunt fames, sitis, frigus, contemtus, indigna « & cætera talia possidendo, in hoc triplici fundo « velut a patre Dominico jure hæreditario delegato, « jam XVII annis institi juxta posse &c «. Omitto quod habet de nostro Joanne Taulerio, quia postea

Sec. XIV. refertur, ubi de eo. At si mortuus est, ut ferunt, anno ætatis XLII, hæc litera scripta fuerit die Jovis post cineres anni MCCCXXXVIII, ac proinde ex exilio. Colligo insuper ex calculo ab eo constituto ætatis XIV ordini nomen dedisse. Huic epistolæ adjecit: *Exhortationes S. Thomæ de Aquino ad juvenes benevolos circa studium*. Pr. *Quia quæsisti a me &c.* Opusculum est inter edita 68, quod proinde jam ea ætate genuinum S. Doctoris agnoscebatur. Exhortationibus autem S. Thomæ alias quasdam addit, ut videtur, suas.

5. *Ad Moniales monasterii de Prulliano.* » Omnibus Christi ancillis in monasterio de Pruliano cupientibus toto corde diligere dulcissimum Jesum, Virginis filium, virginum sponsum, pro salute humani generis in ligno crucis clavis confixum, corona spinea coronatum, aceto & felle potatum, lancea vulneratum, talique morte crudelissima condemnatum, Frater Venturinus peccator salutem, Spiritus Paracleti consolationem. Si quodammodo videor præsumtuosus & audax, rogo vos ô electæ & dulcissimæ Christi sponsæ, ut me in cordibus vestris ipsa sincera caritas qua hæc scribo, habeat excusatum. Nec immerito præsumtionem & audaciam dixerim, ut homo peccator ignotus & advena suis scriptis veluti rana loquax ad tam sanctam congregationem accedat, & præcipue non vocatus. Sed fateor, quod etsi præsumtuosus & garrulus, non tamen & malevolus. Quin potius Christi charitas urget me, quia utique omnes existentes in statu perfectionis perfecte vivere concupisco, licèt heu miser in statu perfectionis positus, a perfectione sim valde remotus &c. *Et post plura*: Væ mihi si non evangelizavero: nam etsi ad præsens evangelium nequaquam sit mihi creditum, ut publice prædicem, sed quod erat creditum sit ablatum, non tamen eatenus mihi prohibitum est ne scribam: etsi enim peccatis meis exigentibus Christus Domini ligavit os meum, non tamen æque ligavit & manum &c«. Patet scriptam tempore sui interdicti & e loco exilii: porro excellens est forma vivendi sanctimonialis ordinis ad perfectionem anhelantis.

6. *Ad F. Rodulphum.* (Eum fortè de quo postea in ultima epistola, sed cùm hæc scripta est Parisiis agentem.) » Suo in Christo dilecto F. Rodulpho ordinis Prædicatorum F. Venturinus peccator, salutem, & ad perfectæ perfectas salutis semitas derelictas quotidianis gemitibus, suspiriis & singultibus anhelare. Jam diu est, quod de te desiderabam audire, & jam pluries tibi scripsissem, si me per tuas literas invitasses: sed quemadmodum arreptas perfectionis semitas reliquisti, ita & in hoc quoque tuam negligentiam demonstrasti &c«. plura amice & suavissimè objurgantis. Et postea: » Quæris inter alia mi dilecte de statu meo, utrum spem habeam redeundi Bononiam? O si scires quid altissimus de me statuerit, in cujus manibus me ex toto posui! Non credas quod Christus velit me continue in his montibus habitare«. Iste Rodulphus ut dicitur in eadem epistola, antea Bononiæ studuerat, & ibi Venturinum cognoverat. Sub medium sic habet: » Quæris quomodo sim in his montibus consolatus? Tibi respondeo quod non inveni me toto tempore vitæ meæ sic per Christi gratiam consolatum, sicut modo reperio. Video enim quod mihi voluit Christus istud tempus concedere longo tempore exoptatum, ut aliquantulum possim reficere mea retia, quatenus laxata suo tempore in capturam minime dirumpantur, ut possim vel ad modicum vacare & videre, quomodo suavis est Dominus. Nam hîc per Christi gratiam totum tempus diurnum pariter & nocturnum meum est, ut possim legere, orare & meditari & contemplari: ut potè nulla vel pauca secularium inquietudine stimulatus. Studeo in dictis theologiæ & originalibus Sanctorum. Tu recessisti extra provinciam tuam, ut posses intendere studio, licèt forsitan favoris aura te traxerit: voluit & me Christus transalpinare, ut in utroque jure studerem, non utique canonico vel civili, sed domestico & forensi, dum videlicet spatium habeo intendendi virtutibus acquirendis, & etiam multis scibilibus ad proximorum utilitatem in memoria recondendis. O quæ commoda video mihi & proximo suo tempore ex ista stantia provenire. Multa vidi in partibus transalpinis de moribus & conditionibus personarum, de quibus penitus nihil sciebam, ex quibus potero utilitatem proximi suo tempore efficacius procurare. Quia si in Lombardia permansissem, certe credo quod si fuissem cujuslibet ordinis, in studiis forsitan nunc socium in studio Parisiensi me possideres. Habeant ergo nunc patientiam de absentia mea, qui me in Lombardia diligunt, sicut & tunc eos oportuisset habere«. Et post plura, quibus eum ad meliora revocat, sic versus finem: » Credo quod multos socios habeas de utraque Lombardia & Tuscia, quos si scirem Parisius esse, tibi nominatim exprimerem, ut eos meo nomine salutares, sed tamen salutes eos sigillatim nomine meo, ac si eorum nomina expressissem, quia vere eos diligo, & pro ipsis oro licèt negligens & peccator. Etsi enim omnes Fratres de ordine diligam, specialiter posuit Deus in corde meo quemdam caritatis amorem ad juvenes, & singulariter ad studentes: juvenes dico qui sunt mecum ejusdem ætatis, in ætate scilicet qua Christus mortuus est, vel infra vel supra usque ad XXXV annum vel etiam XL«. Salutat in sequentibus speciatim F. Simonem Neapolitanum, F. Joannem de Antisa & quemdam F. Bremundum de provincia Provinciæ, de quo sic habet: » Diligo eum ex auditu a socio meo, licèt colloquium ejus non habuerim. Scio quidem quod quædam sibi scripta fecerunt eum aliter sentire de me quam prius, sed tempus veniet quo veritas apparebit &c«. Finis: *Scriptum in festo Abrahæ patriarchæ prout in martyrologio recitatur, nono die intrante octobri* MCCCXXXVI. Proinde e loco exilii, ad quem missus est anno MCCCXXXV vel initio sequentis.

7. *Ad monialem Margaretam. Suæ in C. dilectæ & carissimæ filiæ N. dulcissimi crucifixi ancillæ Frater N. peccator &c.* Formam ei tradit vitæ sanctioris. Ex hac epistola discimus literam N. seculo XIV ex antiquo haud dubie more a notariis apponi solitam, pro quocumque proprio nomine, etiamsi ab illa litera non incipiat, ut hîc supponit pro Margareta, & pro Venturino, cujus tamen oppositum astruebat supra Pappebrochius ubi de Thoma Cantimpratano.

8. *Ad moniales monasterii de Comps. Omnibus Christi ancillis sacratis virginibus in monasterio de Comps cupientibus toto corde diligere dulcissimum Jesum Christum &c. F. Venturinus peccator &c.* Sacrum illud gynæceum videtur fuisse in Italia, cùm aliàs sæpius illud invisisse dicat, ab eis verò recessisse, cùm in exilium missus est. Exhortatio est ad officia disciplinæ regularis, & vitæ sanctioris adimplenda. Finis: *Scripta in festo Barnabæ* MCCCXXXVI.

9. *Ad quamdam virginem nomine Martham. Suæ in Christo dilectissimæ filiæ Marthæ Christo Dei ac virginis filio desponsatæ per virginitatis propositum, F. Venturinus peccator &c.* Hanc primogenitam filiam suam dicit in Alvernia & a mundi vanitatibus ad religionem adductam: unde epistola scripta fuerit ex loco exilii. Præscribit ei formam vivendi, inter alia pro matutinis media nocte 25

Pater noster & totidem *Ave Maria*, pro aliis horis septem, pro vesperis decem: unde infero in illo monasterio officium divinum Romanum non fuisse in usu, sed addit plura monita spiritualia.

10. *Ad moniales monasterii de Subtilia in Theutonia.* Est ordinis ad Columbariam magnum & opulentum. » Receptis literis vestris infra octavas pen» tecostes, o sacræ virgines Christi, sponsæ Domi» ni mei Jesu, cor meum interno tripudio exulta» vit, & ut vobis rescriberem intima mentis meæ » viscera divino spiritu afflata persensi, cujus me » regimini jam ex toto commisi. Surgens igitur a » strato ubi me posueram pro quiete somni neces» saria corpori, lumen accendi, & manum ad scri» bendum apposui, ut pote qui etsi voluissem, non » potuissem torpere, spiritu ad caritatis exercitia » vehementius instigato. Nunc igitur ego pauper» culus Venturinus peccator, illius quem patrem » habetis scilicet B. Dominici utinam imitator & » filius, vestris desideriis satisfaciens vobis scribo &c. Exhortatur eas ad paupertatem, obedientiam, orationem, humilitatem, caritatem. De eo quod inordinato timore prophanaverant sacra, propter quod a sacris erant suspensæ consolatur. In fine sic narrat. » Volo autem vos scire, quod per Christi » gratiam a quinque annis citra in Pergamo civita» te mea inceptum est monasterium ad honorem » B. Marthæ, & aliud in Bononia sub mirabilibus » observantiis, sine vino sine carnibus, sine ovis, » sine caseo, sine piscibus, ubi expecto me visu» rum plusquam tria millia virginum: & est meæ » intentionis, quod non cantent illæ sorores Ky» rie eleison, nec Alleluia, nec alia cantica: sed » habebunt lectiones & alia quædam cantica in vul» gari, cum quibusdam modis excogitatis, per quos » eorum mentes poterunt devotionis & non vani» tatis pinguedine saginari. Se denique & suum socium, cujus nomen est *F. Nicolaus* earum precibus commendat. *Scriptum in sabbato post pentecosten.* Annus & locus desunt. Hunc socium Flaminius vocat Nicolaum Faventinum, qui annis XII non modo per Italiam, sed quocunque ivit, & usque in Græciam comitatus est: an vitæ ejus scriptor, quam ex Taegio habent Actorum SS. Editores?

11. Sequitur specialis simul missa *ad priorissam prædicti loci. Saluto te ex intimis cordis mei o Dei electa Catherina &c.* Optima dat illi ad bene regendum monita, & super tribulatione relata consolatur.

12 *Ad F. Dietericum de Columbaria.* » Saluto » te o alter ego affectuosissime in illo dulci Jesu » quem desideramus amare &c. Docet eum de mortificatione corporis per disciplinas moderanda. » Non igitur *inquit inter alia*, æstimo expedire, » quod laceret homo cutem disciplinis, quasi vo» lens acerbitate doloris cum Christo contendere «. Inconvenientia ex hoc sequentia subjicit, & congruentem castigationis hujus voluntariæ usum docet. Sub finem sic habet: *Patrem tuum F. Joannem Tambach, & F. Joannem Arzembach, & tuum filiolum Radulphum recepi in visceribus caritatis.* Non dubium quin primus ille sit noster Joannes de Tambacho de quo postea Taulerii intimus: tertium illum conjicio, ad quem postea Parisiis studentem supra relatam scripsit epistolam, proinde ista ultima antiquior esset, & ut videtur ex Italia ante exilium data. Finis: *Scriptum illa die qua in vesperis cantamus O SAPIENTIA. Servus Christi inutilis F. Venturinus.* Scripta proinde juxta ritum nostrum XVII decemb. Sed annus & locus latent.

In hac eadem epistola meminit duorum tractatuum a se editorum. De primo sic: *Tractatum de religione inceptum non possum tibi mittere, quia non habeo apud me, nec ad præsens possum habere.* SEC. XIV.

De altero verò: *Libellum de humilitate & illius sentimentis tibi mitto.*

Inclusa erat cedula F. Joanni ostendenda: & F. Eglofo inscribenda & danda, an Egnolfo ad quem epistolam tertiam supra relatam scripsit?

Nec plures in hoc codice epistolæ, sed multas ejus alias in Italia haberi innuit Flaminius, & alii laudant.

F. BARTHOLOMÆUS A SANCTO-CONCORDIO.

F. BARTHOLOMÆUS A SANCTOCONCORDIO Etruscus natione, patria professioneque Pisanus ad medium circiter seculi XIV claruit, vir gravissimus, religione & doctrina præstans, juris canonici & civilis in primis peritus, musis ad hæc Latinis & Etruscis excultus, quem anno MCCCXLVII fatis functum asserit sat verisimiliter Altamura. Laudant nostrates omnes Laurentius Pignon *n.* 112: Ludovicus a Valleoleti *n.* 56: Leander Albertus ad 1314 floruisse asserens *fol.* 151 *a*, quem excipit Razzius p. 267: Lusitanus & Pius P. II lib. 2 col. 152: uterque ad 1320: Fernandez & Fontana de prov. Rom. ad 1338, quo certo scribebat, sed & extrates Tritemius, Eyseingrenius, Possevinus, Bellarminus, Labbeus, Caveus & alii, sed in his emendandus Simlerus, qui eumdem censet cum Bartholomæo Pisano ordinis Minorum, quem de Albizis agnominant, & qui libro conformitatum S. Francisci cum Christo Domino anno 1399 a se edito ac vulgato, ut habet Wadingus nomen suum fecit celebre, cùm hic noster longe antea obiisset, cujus hæc recensentur opera: * 1347.

1. *Summa de casibus conscientiæ*, ordine alphabetico. Pr. *Quoniam* ut *ait Gregorius super Ezechielem, nullum omnipotenti Deo tale sacrificium, quale est zelus animarum &c.* Ad calcem tum in codd. MSS tum in impressis sic legitur: *Consummatum fuit hoc opus in civitate Pisa A. D.* MCCCXXXVIII *de mense decembri: tempore SS. P. D. Benedicti papæ XII, per F. Bartholomæum de Pisis ordinis Prædicatorum.* Typis prodiit in incunabulis Typographiæ, dicta *Bartholina & Magistruccia*, fol. charact. Goth. absque majusculis, reclamationibus, numeris, signaturis: desunt & locus, annus & nomen typothetæ. Quæ editio extat Paris. in Navarr. & in sacro gynæceo Sororum ab *Ave Maria* dictarum apud earum confessarios, ubi annotatur jam ab anno 1496 octob. 6 illatam. Beughemius has alias refert editiones Parisiis 1470 & Reutlingæ 1482, vel 1484 fol. Alii has etiam laudant Venetiis 1476 in 4, 1481 & 1483 in 8. Mediolani 1494. Januæ, Mathiæ Novelli fol. absque anno. Lugduni 1519 in 8.

Innumera servantur ubique hujus operis exempla MS. Hæc a me Parisiis visa: In Victor. codex 909 fol. med. memb. scriptus anno MCCCLXX: Iterum codex 940 fol. mag. ejusdem circiter ætatis. In Navarr. codex fol. mag. memb. scriptus anno MCCCCXVII die mercurii ultima junii. (erat eo anno lit. Dom. c.) Ad finem indicis sic legitur: *Explicit tabula ad summam de casibus conscientiæ secundùm compilationem R. P. F. Bartholomæi de Sancto-concordio ord. Frat. Præd.* Est ibidem codex alter fol. memb. in quo Summæ de casibus præmittitur *Tractatulus de instructione confessorum de Summa confessorum extractus, & in præsenti Summa juxta materias coarctatus.* Pr. *Cùm aliquis petit suam confessionem audiri &c.* 13 foliola tantum obtinet. Ejusdem Pisani facile credas, at quem ex nostro Joanne Lectore exceperit. Est & codex tertius pa-

Sæc. XIV. pyraceus fol. par. scriptus VIII februar. hora secunda noctis MCCCXCIX, scilicet stylo veteri novo MCCCC. In Sorbon. codex fol. med. memb. & alius chartaceus fol. uterque circa MCCCC scriptus. In Augustin. ad Pontem novum codex 274 fol. med. membr. liber elegans ante MCCCC scriptus. In Regia codd. 4529 & 5691 hic fol. med. charta. scriptus & finitus XIV febr. MCCCCXLIX. Ille in 4 memb. anno MCCCCLVIII, VI Kal. Feb. In bibl. Eccl. Paris. codex C. 12 fol. par. charta & pergameno circa MCCCC scriptus. In catalogo codd. MSS Eccl. Turon. indicatur n. 341, & dicitur completa anno MCCCXLVII, quæ fortè ætas est codicis.

In Bibl. Italis hi laudantur codices: Florentiæ S. Marci Arm. III nn. 53, 54, 55 & 56, hic ultimus scriptus MCCCCXXIX mense Maio. Ibidem ad Annunciatam nn. 114 & 115. Medicea, Plut. 14 n. 7 fol. memb. Venetiis. Ad S. Anton. in 4 memb. Ad SS. Jo. & Pau. in 4 memb. Patavii, S. Mariæ in Vantio fol. memb.

Belgicis: Tornaci, S. Martini n. D. 17. Dunen. Cisterc. Classe 4 n. B. Lovanii Bibl. Publ. Acad. Trajecti ad Rhen. n. B. fol. duplex. Tungris Canon. Regul. p. 3 n. 8. Lovanii Vall. S. Mart. n. B. Laudatur & in Gothana inter codd. memb. minores n. 36.

Anglicis T. I P. I nn. 860 & 2727: P. II nn. 613, 1849: P. III nn. 1812, 2163 & 2332: T. II, P. I, n. 4012.

Alva Sol. Verit. Rad. 170 col. 1393 ait extare Toleti in S. Joan. Reg. Plut. z. n. 91 memb. in eoque codice non legi de conceptione B. Virg. quæ in aliis omnibus MS & impressis leguntur & citantur a Turrecremata & sequacibus: sed & idem fatetur F. Joannis Ægidii de Zamora Minoritæ codicem ejusdem Bibliothecæ, ubi de eadem conceptione, ex industria corruptum fuisse.

Idem Alva addit Summam hanc Hispanicè translatam prælo prodiisse absque anno & loco, cujus & fragmenta refert.

Monendus autem lector F. Nicolaum Auximanum ord. Minor. Summam hanc auxisse ac interpolasse, cui operi titulum indidit *Supplementum*. Princ. *Quoniam Summa quæ Magistruccia seu Pisanella vulgo nuncupatur propter ejus compendiositatem apud confessores communius inolevit &c.* Additiones tamen distinxit per elementum A in principio & B in fine, quod opus primus edidit Venetiis Vendelinus Spiræus Sixto IV sedente fol. Extat Paris. in Regia D. 397. Item apud nostros Sanjacob. Paris. Item ad *Ave Maria* monasterium laudatum. In Telleriana aliâs nunc Genovefiana. Prodiit ibidem 1481 apud Bartholomæum de Alexandria Andream de Asula, & Mapheum de Salo socios in 4: Quæ editio extat apud nostros Parisienses ad S. Honorati. Iste autem Minorita in fine dicit supplementum se perfecisse ad Mediolanum apud S. Angelum anno MCCCCXLIIII novemb. XXVIII Sabbato proximo ante Adventum hora quasi sexta: proindeque centum & amplius annis post editam a nostro Bartholomæo Pisanellam.

Notandum rursus F. Angelum de Clavasio ordinis etiam Minorum, qui ex Wadingo mortuus est anno 1495, fateri se casus omnes conscientiæ ex Summa nostri Bartholomæi excepisse, & in Summam suam Angelicam dictam derivasse.

2. *R. P. F. Bartholomei de Pisis ord. Prædic. De documentis antiquorum.* Quod opusculum prodiit *solicitudine ac diligentia R. P. F. Alberti Clarii Civitatensis* ejusdem ordinis Aurelio Novalio Tarvisiensis Ecclesiæ canonico nuncupatum Tarvisii, Evangelistæ Dulcini 1601 in 8, pp. 266. Extat Paris. in Reg. D. 2637.

Idem Italice: *Ammaestramenti degli antichi raccolti e volgarizzati per F. Bartolomeo da Sancto-concordio Pisano dell'ordine de' Frati Predicatori. Ridotti alla vera lezione col riscontro di più testi a penna dal Risiorito Accademico della Crusca. Firenze, Alla stella 1662 in 24* pp. 489. Extat Paris. in Reg. D. 2638.

Sex codicibus MSS usum se monet eruditus ac diligens editor, primo emendatiori membr. & ætatis auctoris, qui nunc est Jo. Bapt. Guadagni: quatuor academiæ *della Crusca*, quorum primus chartaceus accuratior: uno tandem S. Mariæ Novellæ.

Extat & duplex exemplum MS. Florentiæ ad S. Marci. Primum Arm. III n. 13 *charta pecora*, hoc titulo: *Ammaestramenti antichi libro ordinato per Frate Bartolome da Pisa e per lui vulgarizzato.* Alterum Arm. IV n. 143 charta. hoc titulo: *Libro degli ammaestramenti degli antichi composto e fatto e volgarezzato per Frate Bartolomeo da Sancto-concordio detto Pisano dell'ordine de' Frati Predicatori.* Mirum Academicum Editorem hos codices latuisse, sed fortè sat illi fuerunt sex ab eo laudati.

Cæterùm hoc opusculum a puritate linguæ Etruscæ plurimum commendant. De eo sic Leonardus Salviati *vol. I de' suoi Auvertimenti della lingua sopra'l Decamerone* lib. 2 cap. 4: *Luoghi e favellari estratti dal libro degli Ammaestramenti degli antichi, ne quali l'efficacia, la brevità, la chiarezza, la bellezza, la vaghezza, la dolcezza, la purità, e la semplice leggiadria si vede espressa della favella della migliore età.* Idem cap. 12: *Gli ammaestramenti degli antichi mostra che sia favella del tempo del Villani, ma la più bella e la più nobile, che si scrivesse in que' tempi, e se fosse gran volume, benaventurosa la lingua nostra.* Sic refert Academicus editor in suo prologo. Sed & de his legendus noster Raphael *delle Columbe* volum. I suarum concionum, Prologi p. 10.

3. *De virtutibus & vitiis.* Sic habet Laurentius Pignon in suo catal. n. 59. Extat Italice ad calcem superioris Florentiæ ad S. Marcum, Arm. IV n. 143 sic indicatus: *E appresso il libro delle IIII virtù cardinali.* Videant etiam gentiles an non idem sit, qui Arm. III n. 107 refertur hoc titulo, *Tractatus de quatuor virtutibus cardinalibus, quibus thronus Ecclesiæ præsidentis tanquam columnis quatuor sustentatur & roboratur.*

4. *L'Arte della memoria artificiale.* Sequitur ad opusculum *degli Ammaestramenti* cod. cit. S. Marci Arm. III n. 13, cum his opusculis S. Bernardi fortè ab eodem lingua Tusca versis, scilicet: *Libro di san Bernardo sopra la contemplazione della passione di Cristo: & Meditazione del medesimo sopra il pianto della vergine Maria gloriosa.* Quod tamen indigenis curiosis accuratius disquirendum permitto.

5. Opusculum quod a superioribus est diversum, servatur Parisiis in Colbert. cod. 2974 fol. med. charta, & ætatis circiter auctoris. Princ. *Incipit compendium moralis philosophiæ. Libellus iste continet quædam, quæ assumta sunt de quodam libro, qui dicitur de regimine principum, magis quidem secundùm sententiam, quam secundùm verba propter prolixitatem vitandam, additis nihilominus quibusdam aliorum dictis, quæ quasi loco glossarum separatim sunt posita,* (scilicet in marginibus.) *Appellatur autem liber iste* Compendium moralis philosophiæ, *& dividitur in decem partes, ut in processu patebit. Pars I est de ista scientia, & de ultimo fine & quibusdam aliis, quomodo aliquod regimen perpetuetur. cap. I. Sententia est politicorum &c.* Foliolis 36 universim constat. Ad calcem: *Explicit compendium moralis philosophiæ compilatum per Fratrem Bartholomæum Pisanum ordinis Prædicatorum.*

6. De

6. *De pronunciatione vocum Latinarum & de Orthographia, Tractatuli duo.* Extant Parisiis in Regia cod. 4506 fol. parv. memb. Sic primus incipit: *De proferendis in prosa dictionibus sociorum instructioni volens intendere &c.* Paginas duas tantum implet. Ad calcem: *Explicit tractatus de dictionibus proferendis secundùm Fratrem Bartholomæum Pisanum ordinis Prædicatorum.* Sequitur: *Incipit Orthographia. Post tractatum de dictionibus restat, ut de scribendis aliqua breviter videamus &c.* Paginas quatuor iste habet & amplius. Finis: *Explicit Orthographia F. Bartholomæi de Sancto-concordio Pisani ordinis FF. Prædicatorum.* An isti tractatuli iidem sint, qui in Bibl. S. Marci laudata Arm. III n. 107 recensentur post tractatum citatum *de IV virtutibus cardinalibus* hoc titulo, *Tractatus de accentibus & de Orthographia*, examinent indigenæ curiosi.

7. *Tabula ad inveniendum Pascha.* Sic noster Pignon citatus n. 59.

8. *In Virgilium & in Senecam Tragœdum* scripsisse dicunt Lusitanus, Fernandez & Altamura.

9. *Sermones quadragesimales* ei ascribuntur a Labbeo in *Dissert. Histor.* ad Bellarmin. & excipit Altamura: Caveus addit typis prodiisse Lugduni 1519 in 8 unâ cum Summa, penes quem fides, cùm hæc editio non mihi occurrerit.

Vide supra F. Menentillum a Spoleto, cujus est epistola ad hunc nostrum Bartholomæum ex Mabar in Indiis Orientalibus data anno MCCCXX.

F. PETRUS GUIDONIS.

* 1347. F. PETRUS GUIDONIS Gallus Lemovicensis patruum habuit nostrum toties laudatum F. Bernardum Guidonis & ex eodem castro ortus in eodem Lemovicensi conventu ordini se addixit, ac deinceps ejus persequi vestigia satagit. Post lectam e superiori loco apud suos annis pluribus præsertim Lemovicis theologiam, ibidem electus fuerat & præfectus prior anno MCCCXXVI, sed anno sequenti in cap. prov. Tolosæ habito post generale ibidem eo munere solutus fuit, & capitulo ecclesiæ S. Stephani cathedralis Tolosanæ concessus, qui canonicis sacras literas interpretaretur. Hinc prior Carcassonensis ascitus hanc domum regebat anno MCCCXXXVI, & sequenti XVIII martii provinciæ Tolosanæ caput & pastor electus, ac a magistro ordinis F. Hugone de Vaucemain Barcinone tum agente cito confirmatus, spartam hanc ad diem XXII julii anni MCCCXLIII diligentissime adornavit. Tum verò adversus hæreticam pravitatem inquisitor generalis Tolosanus institutus, dum hoc munus intrepidus exequitur, Geruntlisani ad Pyrenæos moritur circa MCCCXLVII, unde corpus ejus exigentibus suis Lemovicam delatum est, & ibidem sepultum. Hæc ejus opera:

1. *Vitæ sanctorum a patruo suo F. Bernardo Guidonis editæ*, curis ejus voluminibus duobus elegantibus memb. collectæ & scriptæ.

2. *Vitæ illustrium ordinis virorum ad suam usque ætatem.* Sic enim in actis cap. gen. Brugis MCCCXXXVI celebrati: *Significamus quod F. Petrus Guidonis prior conventus Carcassonensis in provincia Tolosana, ex devotione quam habet ad sanctos & illustres viros ordinis nostri, assumsit sibi studium componendi libellum de miraculis & gestis insignibus prædictorum. Quapropter rogamus Fratres omnes & singulos, quatenus quicumque habent in notitia miracula vel facta memorabilia Sanctorum & Fratrum nostrorum, qui ex hoc seculo transierunt, curent ea solicite mittere, quam cito poterunt prædicto Fratri.* Difficile quis existimet Petrum hoc suum consilium capitulo generali aperuisse, nisi jam plura de his apud se collecta servavisset, ipsumve opus jam inchoasset, utrum autem compleverit, incompertum, certè ubi habeatur, nemo refert.

3. *Acta visitationis monasterii Sororum nostrarum de Pruliano ab eo tanquam Priore provinciali provinciæ Tolosanæ XXV octobr. MCCCXL institutæ.* Servantur etiamnum in archivo Prulliano, quorum & exemplum apud me servo in schedis, ex quibus œconomiam in celeberrimo illo sacro Gynæceo ea ætate observatam, multaque in eodem a S. Dominico instituta perspicere licet.

Omittendum non videtur ejusdem familiæ virum insignem eo seculo, & in eadem provincia Tolosana claruisse. Hic vocabatur *F. Arnaldus Guidonis natione Lemovicensis*, ejusdemque conventus alumnus, *sacræ theologiæ magister promotus in capitulo generali Argentinæ anno* MCCCLVIII *jubente S. P. Innocentio VI.* Sic enim refertur in cod. MS. Lingoniensi, & recensetur 144 inter additos ad catalogum Bernardi Guidonis. Idem in calendario conventus Lemovicensis dicitur *pœnitentiarius D. papæ*, & ejus mors legitur VI Kal. junii omisso anno. Qui addendus Pœnitentiariorum catalogo a Fontana collecto, in quo & plures alii desunt. *Ex actis capp. provinc. Tolos. & capp. genn. & aliis documentis citatis hæc omnia.*

F. JOANNES FERRON.

F. JOANNES FERRON Gallus Parisinus patria & etiam professione, in domo & gymnasio S. Jacobi ad ordinem allectus medio seculo XIV claruit, vir gravis sacro pœnitentiæ tribunali addictus, sed & concionator lingua Gallica pro ea ætate facundus & elegans, quod ex versione conjicitur, quam fecit operis nostri Jacobi de Cessolis *de ludo Scaccorum* cujus hoc principium: † 1349.

A Noble & discret homme Bertrand Aubery escuier de Careston Frere Jehan de l'ordre des Freres Precheurs de Paris son pere & humble chapelain soi tout. La sainte escripture dit que Dieu nous a fait a chacun commandement de pourchacier a tous nos prochains leur sauvement &c. Postquam stirpis dicti Bertrandi nobilitatem laudavit, sic prosequitur: *Pourtant je votre petit chapelain a votre requeste, que je tiens pour commandement, vous ay voulu translater de Latin en François le jeu des eschecs moralisé, que fit un de nos Freres, Frere Jacques de Cessoles maistre en Divinité, si que vous l'entendiez plus legierement &c.* Et infra: *Or prenez donc tres chiers Sire ce petit present commencié le quatrieme jour de mai l'an mil trois cent quarante sept &c.* Extat hujus operæ exemplum MS memb. fol. med. Parisiis in Seguier. olim. nunc Coislin. a me visum. Est etiam in Colbert. n. 3942. Simile recensetur a Sandero in Elencho codd. Belg. T. I p. 289, sed titulus corrupte ab eo sic refertur: *Livre intitulé, l'Eschequié moralizée composé* (leg. *traduit*) *par F. Jehan Ferron de l'ordre des Precheurs de Paris, dedié a noble homme Bertrand Auboy* (pro *Aubery*) *escuier de Tarascum.* Certo in Coislin. legitur *Careston.*

Hoc idem opus iisdem circiter annis Gallice vertit F. Joannes *du Vignay* hospitalarius S. Jacobi de Altopassu, ut supra monuimus ubi de Jacobo de Cessolis: sed ex collatione utriusque versionis clarum est alterum alterius consilii inscium fuisse.

F. ROBERTUS EBORACENSIS.

F. ROBERTUS EBORACENSIS Anglus philosophus & theologus sua ætate nominatus ad MCCCXLVIII vel XLIX clarus laudatur a Simlero tum 1348.

Sec. XIV. & a Lusitano, ceu qui scripserit sequentia his titulis:

Tractatus de magia caeremoniali.

Correctorium alchimya. Pr. *Cùm omnis rerum emendatio.*

De mysteriis secretorum.

Excipit Altamura ad 1348. Jacobus Gaffarellus in praefatione in libros medicinalium Thomae Campanella, quos praelo edendos curavit Lugduni 1635 in 4, plures religionis voto astrictos recenset, qui de re medica scripserunt, & inter alios sic hunc scriptorem laudat: *Robertus Eboracensis Anglus Dominicanus theologus, summaque cum cura abdita secretioris medicinae theoremata ita est perscrutatus, ut doctissimis quibusque medicis admirationem moverit singularem.* Lelandus vir, inquit Pitseus, in scriptis suis ubique modestus & veridicus, scribit Robertum nimis anxium fuisse in omnibus philosophiae penetralibus perscrutandis. Pitseus ipse addit ingenii fuisse admodum curiosi, tam accuratum mathematicarum scientiarum omnisque philosophiae scrutatorem, ut inde cognomen *Perscrutatoris* non immerito consecutus fuerit, quo & eum agnomine illum ipse exhibet ad 1326, praeter superiora haec ei alia tribuens opera

De impressionibus aëris. Pr. *In anno Christi* 1325 *in civitate &c.*

De mirabilibus elementorum tractatus.

Sed haec omnia ubi jam serventur, nemo aperit.

F. NALLUS.

† 1348. F. Nallus Italus provinciae Romanae ut videtur alumnus laudatur a B. Raimundo de Capua in vita S. Agnetis de Montepolitiano ms & primigenia teste nostro Laurentio Surdino in vita ejusdem sanctae, diciturque vir magnae sanctitatis & miraculis clarus, qui proinde vixerit inter MCCCXVII quo illa mortua & annum MCCCL quo circiter Raimundus vitam illam edidit. Scripsit autem Nallus

Miracula quaedam dictae Beatae a morte ejus patrata. Hinc Henschenius *T. II April. p.* 812 *in Annot. ad lit. W* colligit vitam a se datam esse quadantenus mutilam, & supplementum aliquod desiderari, cùm Nalli in ea non fiat mentio.

Hic autem ille videtur idem Nallus Urbevetani conventus alumnus, cujus meminit Pius inter sanctitatis opinione claros *P. I lib.* 2 *col.* 359, & Fontana in *Prov. Rom.* ubi de conventu Urbevetano *p.* 101, quem dicunt Bononiae & Parisiis studuisse, ac insignes inter theologos nomen sibi fecisse, ac tandem anno MCCCXLVIII devixisse. A Vallio verò Compendii p. 47 censetur ille Reginaldus ex illustri gente comitum Montismartii ac Viterbii dominorum satus, quem dicunt anno MCCXCII Titiniani ad Urbemveterem natum, adolescentem Viterbii vel Urbeveteri ordini nomen dedisse, ac post multa doctrinae suae ac pietatis specimina edita, miraculis etiam clarum Priverni anno MCCCXLVIII mense Aprili ad superos abiisse. De quo legendus D. Thadaeus Terzi abbas Camaldulensis SS. Cosmae & Damiani Bononiae libro suo cui titulus: *Vite di tre beati della famiglia de' Montemarti, cioè Guido Camaldolese, Reginaldo dell' ordine de' Predicatori, & Angelina religiosa e fondatrice del Terz' ordine di S. Francesco*, Bononiae, Joannis Bapt. Ferroni 1659 in 4, ubi a p. 89 ad 106 habetur *Elogio brieve del detto B. Reginaldo dal Signor Francesco Gianetti nobile d'Acquapendente.* Libri hîc citati extant Paris. in Regia, Surdini, H. 1709: Thadaei Terzi H. 1249.

F. BONAVENTURA DE TOLOMEIS.

F. Bonaventura de Tolomeis Etruscus Senis natus est die S. Michaeli Archangelo dicata, unde & lustrale Archangeli nomen illi inditum XXIX sept. MCCLXXX. Patrem habuit Franciscum Tolomei, & matrem hujus conjugem comitissam Bononiensem. Porro Tolomea gens antiqua est Senis, nobilissima & patritia, a qua prodiere viri pietate, eruditione, dignitate, & sanctitate insignes plurimi, de quibus historiae Senensis scriptores nostrique Gregorius Lombardellus, & Isidorus Ugurgierius videndi. Ex hac ortus Archangelus vix aetatis quintum attigerat, cùm sodalibus Dominicanis Senensibus traditus est pietate & literis informandus, quod plures ejusdem Tolomeorum familiae in eo conventu jam aliàs vel etiam tum florerent. Duodennis habitum ordinis petiit, & instantissimis obtinuit precibus, Bonaventura tum dictus, & ut acri praeditus erat ingenio ac eleganti, pertinaci addito studio Ecclesiastes evasit inter primos nominatus, Italiamque universam praedicationis suae fulgore illustravit, eo majori animarum fructu, quo sanctioris vitae verba fulciret exemplis ac testimonio. In hujus muneris laboribus quinquaginta circiter annis desudavit, omnibus seu apud suos seu extra oblatis sibi dignitatibus aut praefecturis constantissime semper recusatis. In maxima illa quae universam fere Europam anno MCCCXLVIII demessuit epidemia, ea lue contactorum spirituali se devovit ministerio, in iisque caritatis summae officiis & ipse tandem eodem contagio affectus piissimam coelo reddidit animam ejusdem anni decemb. XXVI. Cujus vitam ut Beati scripsit noster Gregorius *Lombardelli*, quam Hispane versam Lopez Historiae suae intulit P. III lib. 1 pag. 56 ad 93. Plura feruntur ejus ingenii simul ac pietatis monumenta apud suos Senenses forsitan servata ms. † 1348.

Tractatus de contemtu mundi, seu de mundi vanitate.

De gravitate peccati & recidivae damnis.

De cognitione sui ipsius. Item de castitate.

Sermones de adventu, quadragesima, dominicis & sanctis per annum, & plures de defunctis.

Varia pro re nata exercitia spiritualia.

De B. Ambrosii Sansedonii Senensis miraculis.

Ejus praeter citatos meminerunt Fernandez, Altamura ad 1348: Fontana *de Prov. Rom.* & *in Monum.* ad 1340, quo anno vult obiisse contra fidem auctorum superius allatorum, & ut videtur accuratiorum.

F. AENEAS TOLOMEI.

F. Aeneas Tolomei eadem patritia de gente qua superior Senis natus, & eadem aetate florens laudatur apud Ugurgierium *Pompe Sanesi* Tit. XIV n. 13, ceu qui conventum Florentinum S. Mar. Nov. sua eruditione illustraverit. Celebris enim ille per omnem Etruriam habitus est theologus, & utriusque juris maxime canonici peritissimus: cujus & scholae in tota Romana provincia famosiores erant, inquit Ugurgierius ex necrologio conventus Senensis S. Dominici, in quo demum anno MCCCXLVIII mortalitatem explevit. Addit idem Aeneam a Malavolto Senensium antistite fidei quaesitorem apud Senenses institutum ex Gregorii Lombardelli sed parum accurati scriptoris fide in vita ms Bonaventurae Tolomei. Scripsit 1348.

Tractatum de paupertate Christi.

Quem Ugurgierius elegantissimum praestat, plurimaque scripturae sacrae, SS. Patrum & Ecclesiae canonum notitia testimoniisque consertum, & in Bibl. S. Dominici Senis ms asservatum.

F. CONSTANTINUS DE ASCULO.

* 1348. F. Constantinus de Asculo Picenus hîc recensetur ex fide Gozzei, & Pii P. II lib. 2 col. 181, quos excipit Altamura ad 1348 a quibus ei tribuuntur

Varia quæstiones.

Has Rovetta ad eumdem annum distinguit in *Phylosophicas, theologicas & canonicas*: ubi verò serventur saltem MS, altum apud eos silentium: unde quid certius a gentilibus desideratur, præsertim cùm Leander & Lusitanus hujus scriptoris non meminerint.

F. ELIAS DE FERRARIIS.

† 1348. F. Elias de Ferrariis Aquitanus conventus Cadurcensis alumnus suæ provinciæ Tolosanæ prior provincialis electus anno MCCCXXIV in cap. prov. Burdigalis post generale ibidem habito, eo munere functus est ad januar. anni MCCCXXXVI stylo veteri, novo XXXVII, quo munere cessit prior monasterii Pruliani a magistro ordinis Hugone de Vaucemain institutus. Utrumque munus cum summa tranquillitate administravit Fratribus & Sororibus intus & extra æque probatus. Ultimum adhuc agebat anno MCCCXLVIII, quo sic de eo in actis cap. gen. Lugduni legitur: *Facimus vicarium in provincia Tolosana F. Eliam de Ferrariis priorem monasterii Pruliani, donec prior provincialis electus fuerit & confirmatus & præsens fuerit in eadem.* Eodem anno qui dicitur magnæ mortalitatis sortem subiit communem. Quæ omnia ex actis. Scripsit libellum cui titulus:

De doctrina Fratrum.

De quo sic legitur in actis cap. prov. Altovillari habiti anno MCCCXXXV: » Cùm autem R. P. » prior provincialis quemdam libellum de doctrina » Fratrum multa propriæ & proximorum saluti uti» lia continentem per provinciam miserit, & in va» num nisi Fratres proficerent in eodem: volumus » & ordinamus & districte imponimus, quod om» nes Fratres nisi XL annos habeant in ordine, vel » in solemnibus conventibus priores fuerint aut lec» tores, ad prædictum libellum habendum & in » eodem proficiendum arceantur & compellantur. » Statuentes tempus eisdem trium vel quatuor men» sium aut pluris juxta capacitatem ipsorum, intra » quod in eodem libello contenta communiter » mente sciant: inhibentes ne de cætero fiat aliquis » prædicator vel confessarius extraneorum, nisi in » prædicto libello instructus fuerit competenter «. Quod idem renovatum fuit in cap. prov. seq. Brageriaci anno MCCCXXXVI & additum: *Qui jam ipsum nesciverit, si studens fuerit privilegio privamus: si prædicator, ab officio suspendimus, quousque in præfato libro profecerit.*

Eum librum quidam præstant illum esse qui e prælo prodiit Venetiis apud Arrivabenum 1517 in 8 hoc titulo: *Recollectorium rudimentorum sacræ theologiæ prò prædicatoribus & confessoribus per quemdam Fratrem ordinis Prædicatorum editum.* Prologus: *Quia frequenter contingit quod novi prædicatores &c.*

Hæc editio extabat Brugis Flandrorum apud nostros anno 1671 mensis julii 20 a Jacobo Quetif visa, ad calcem confessionalis Hieronymi Savonarolæ, cui a quibusdam asseritur, cùm non sit ejus, sed Eliæ de Ferrariis.

De isto scriptore sic refert Henricus noster de Hervordia Catenæ aureæ P. x Ansa v fol. 58 cod. regii 5792: » Vidi hominem sexagenarium nomi» ne Eliam ordinis Prædicatorum quondam provincialem provinciæ Tolosanæ, & tunc priorem Pru- » Sec. XIV.
» liani, & diffinitorem capituli generalis Mediola- » nensis (anno MCCCXL habiti) qui neglecta solu- » tione cùm constipatus esset, & vomitu cum mo- » lestia provocato mansit constipatus per XII annos, » per quos etiam cibum quem sumsit, post digestio- » nem per os rejecit sicut per anum & fortis man- » sit &c «.

F. GALGANUS DE SENIS.

† 1348. F. Galganus de Senis Etruscus & in domo S. Dominici in patria ad ordinem allectus, postquam in sua provincia Romana pluribus locis & conventibus præfuisset, ejusdem etiam aliquando assumtus est provincialis. Hic cùm eruditione clarus esset & facundia atque Senensibus acceptissimus, quibus verbum Dei sæpissime magnoque populorum confluxu & fructu prædicaverat, ex provinciali Romano tandem anno MCCCXXXII consecratus est episcopus Massensis & Populoniensis in Etruria, quam ille sedem annis sexdecim solidis integerrime administravit, magnoque Senensis magistratus & populi mœrore ex hoc seculo subtractus est XIX martii MCCCXLVIII, & apud suos S. Dominici sodales Senis sepultus. Ejus cum laude meminere Razzius, Ugurgierius *Pompe Sanesi* Tit. VIII n. 92, Fontana in Theat. Monum. & Prov. Rom. Altamura ad 1348 ex Pio & Lucarino. Legendus etiam Ughellus Ital. Sac. T. III col. 796 n. 25. Scripsisse dicunt:

Sermones quadragesimales.

Commentaria in libros XXII S. Augustini de civitate Dei.

F. JOANNES ANDREÆ.

* 1348. F. Joannes Andreæ Bononiensis, famosissimus ille scilicet juris utriusque doctor e nobili stirpe *de Calderinis*, Tuba juris dictus, qui Martinum Solimanum in jure civili & Ægidium Foscherarium in jure canonico præceptores habuit, & clarissimorum virorum ipse per quinquaginta annos Bononiæ, Patavii & Pisis magister fuit, inter quos recensetur Franciscus Petrarcha, sic enim de eo Bumaldus Minerval. Bonon. p. 107, nostris accensetur a Ludovico de Valleoleti n. 71 his verbis: *Famosus doctor in jure Johannes Andreæ, sectator doctrinæ B. Thomæ, in fine vitæ suæ fuit Frater Prædicator in conventu Bononiensi, & ibidem requiescit.* Cùm Joannes Andreæ mortuus fuerit die VII julii MCCCXLVIII, & Valleoletanus hæc scriberet anno MCCCCXIII, ista ante annos sexaginta circiter gesta facile rescire potuit, adeo ut fides ei deneganda non videatur. Qui autem id intelligatur, sive ultimo vitæ anno nomen ordini dederit in æde Bononiensi, sive in ultimo quo mortuus est morbo veste B. Dominici indui petierit & unà professus fuerit, certum habetur sodalem ordinis obiisse, ut & certissimum apud nostros sepultum fuisse. Hunc autem ideo hîc recenseo post Valleoletanum, non ut scriptorum nostrorum numerum augeam, sed ut virum scriptis suis in seculo jam illustriorem Dominicanum effectum. Opera ejus non laudo, & quod extra ordinem composita, & quod jurisperitis sint omnibus notissima & obvia.

F. JOANNES DE MOLENDINIS.

* 1349. F. Joannes de Molendinis vel *de Molinis* ab aliis *de Molendino*, vel *de Molino*, quod idem est, nuncupatus, corrupte verò a quibusdam *Morlandinus*, Gallus Aquitanus in diœcesi Lemo-

SEC. XIV. viecensi primùm lucem vidit circa finem seculi XIII: ex ea verò quæ summa illi fuit cum F. Geraldo de Domaro vel Daumario magistro ordinis XVII & postea cardinali de quo superius, animorum conjunctione, conjicit Baluzius ex eodem fere loco ortum, scilicet ex feudo quodam, quod Molendinariam vocant vulgo *la Molineyrie* a loco de Daumario in eadem parochia Gardiensi non longe sito, indeque agnomen accepisse, quod sane non abhorret a vero. Utut sit, quod parum refert, in eodem conventu Brivatensi & eodem fortè tempore circiter adolescens ordini nomen dedit: tum verò quas acceperat disciplinas seu philosophicas seu theologicas, ut in scholis nostris traderet, videtur maximam vitæ partem applicitus, cùm in iis tantum legam non autem ad regimen conventuum electum. Ex iis etiam qui bini quotannis ex sua Provincia Tolosana Parisiis studentes assignabantur ad proficiendum, quod volunt quidam, libenter concesserim, non tamen in ea facultate sed in Avenionensi laurea magisterii donatum. Sic enim in catalogo inter additos ad indicem Guidonis ex cod. Lingon. n. 101: *Frater Joannes de Molinis factus in Avenione de licentia papæ Clementis VI.* Ad quem gradum proinde promotus fuerit anno MCCCXLII. Certe eo titulo jam fruebatur anno MCCCXLIII julii 22, nam in actis cap. prov. Albiæ in festo Magdalenæ celebrati electus dicitur *Diffinitor sequentis capituli generalis F. Joannes de Molendino magister in theologia*: quod generale capitulum Podii seu Anicii MCCCXLIV habitum fuit. Circiter id temporis inquisitorem Tolosanum egisse & F. Petro Bruni qui hoc munere etiamnum fungebatur anno MCCCXLI successisse verisimilius, at non diu in hoc stetit officio, nam anno MCCCXLV ab eodem summo pontifice allectus est sacri palatii magister: tum exinde in comitiis ordinis Barcinone MCCCXLIX coactis unanimi suffragio absens licèt generalis magister renunciatus, ac tandem anno MCCCL sabbato quatuor temporum adventus XVIII decembris in collegium cardinalium ascitus. Quæ constant omnia ex additis ad Guidonem manu æquali ex cod. Lingon. cit. ubi sic legitur in catal. magistr. ord. *XX magister ordinis fuit F. Joannes de Molendinis magister in theologia de provincia Tolosana natione Lemovicensis, ac magister sacri palatii in curia, electus concorditer ab omnibus electoribus inclusis ut moris est in conclavi sabbato sancto pentecostes per viam scrutinii in capitulo generali Barcinone celebrato in provincia Aragoniæ anno Domini MCCCXLIX penultima die mensis maii. Præfuit autem in officio magisterii anno integro & ultra quantum est a festo pentecostes usque ad festum nativitatis Domini: & tunc in jejuniis quatuor temporum assumtus fuit in Avenione ubi erat curia Romana per D. papam Clementem VI in presbyterum cardinalem tit. S. Sabinæ, & illo anno* (id est MCCCLI) *supersedit ordo a capitulo generali celebrando in conventu Castrensi provinciæ Tolosanæ.* Non omittendum quod quidam referunt, ex Olmeda, in cap. gen. Brivæ MCCCXLVI celebrato plurium vota in eum tum jam sacri palatii magistrum ad regimen ordinis evehendum concurrisse, sed F. Garinum de Giaco Provincialem Franciæ numero vicisse, ad quem alii accesserunt. In catal. verò cardinal. ex eodem cod. Ling. sic legitur n. 15: *F. Joannem de Molendinis magistrum in theologia ac magistrum ordinis assumsit in presbyterum cardinalem D. Clemens papa VI tit. S. Sabinæ A. D. MCCCL, XV kal. januarii in adventu Domini in jejuniis IV temporum.* In codice verò Tolosano additur: *Et ante fuerat lector sacri palatii & inquisitor Tolosanus hæreticæ pravitatis*, sed & *conventus Brivensis* alumnum fuisse ibidem dicitur. Accidit anno MCCCLI Barcinone quod F. Franciscus Bajuli Minorum guardianus feria sexta parasceves in templo sui ordinis prædicans publice asseruerit sanguinem Christi in passione effusum a divinitate fuisse separatum, & proinde non esse in triduo mortis adorandum cultu latriæ: F. verò Nicolaus Roselli noster tum in Aragonia quæsitor generalis, qui postea cardinalis, de re tota Joannem nostrum de Molendinis cùm monuisset, ab eo responsum accepit, summum pontificem die XX julii vivæ vocis oraculo sibi dato jussisse, ut ad palinodiam cogerentur, qui ita prædicaverant, judicatumque opinionem hanc hæreticam omnino censendam. Compacto processu inquisitor his cardinalis nostri literis innixus, in guardianum egit pro munere, atque ut incautius prolata revocaret, in aula & præsentia episcopi Barcinonensis compulit. Ita tum absque ulla difficultate peractum conclusumque negotium. De quo legendus Wadingus ipse ad eum annum n. 13. Quod verò ibidem addit Wadingus Clementem VI avunculum fuisse Joannis nostri, imprudenter ei excidit, nullo enim documento nititur. Quandiu autem postea vixerit noster cardinalis, ut & quo loco mortalitatem exuerit sepultusve fuerit, variant auctores, multis etiam ex nostris asserentibus ad annum MCCCLVIII superstitem fuisse, & Tolosæ sepultum. Verùm Avenione XXIII februar. MCCCLIII diem obiisse verius censet Baluzius ex Contelorio. Tolosæ verò conditum etsi contendat Soegius noster in Diario ad tertiam maii, cùm nulla sit apud Tolosanos nostros memoria, nec agnoscat Percinus in Historia ejus conventus, mihi non probatur. Aliunde verò cùm nec Avenionenses nostri tumulum ejus apud se exhibeant, crediderim potius Geraldi de Domaro cardinalis amici & symmystæ exemplo corporis exuvias Brivam ad suos referri jussisse & sodales superstites ei morem gessisse. Ejus hæc recensentur opera:

1. *Tractatus de reparatione hominis lapsi.*

Parif. in Navar. cod. quodam MS fol. par. pergam. & chart. unâ cum Sermonibus FF. Vincentii de Mareugio & hujus socii Andreæ est quidam *Tractatus de reparatione lapsi* absque nomine auctoris, qui tractatus nihil aliud est quam sermones super evangelia quadragesimæ, quæ omnia ad parabolam adolescentis prodigi adaptantur. Pr. *Circa tractatum de reparatione lapsi tria sunt videnda, & secundùm hæc habebit tres distinctiones.* An verò hic tractatus sit FF. Vincentii aut Andreæ dictorum, an Joannis nostri, quis divinet? Hoc solum annoto ætatem convenire, nam primum opus hoc volumine contentum est *Postilla super epistolam ad Titum* auctore F. Joanne de Hisdinio equite S. Joannis Hierosolymitani, qui dicitur sacræ theologiæ doctor promotus anno MCCCLXII, & immediate sequitur, *De reparatione lapsi.*

2. *Sermones de tempore & de Sanctis.*

Cùm absens fuerit a capitulo Barcinonensi MCCCXLIX in quo electus, nulla fuit litera ad ordinem encyclica: quin tamen ex Avenione ubi degebat, accepto electionis nuncio miserit de more, ut & ex capitulo Montispessulani MCCCL, cui certo præfuit, nullus dubito, licèt illæ vel perierint, vel alicubi neglectæ jaceant. Acta utriusque capituli rarissima habeo in schedis ex cod. Lingon. citato a me transcripta. De eo agunt nostrates omnes & extrates qui de cardinalibus scripserunt, ex supradictis emendandi, inprimis Fontana in Theatro in Elencho sacri palatii magistrorum, ubi eum in duos plane errans dividit, Joannem de Lemoysi alterum ad 1346, alterum Joannem Morlandinum ad 1347 appellans, qui ex ipso Olmeda ab eo laudato luce clarius agnoscere poterat unum & eumdem hominem esse. Quod verò ait Joannem de Le-

moysi Franciæ provincialem & Philippo IV Galliarum regi a confessionibus fuisse ex ipsa serie Franciæ provincialium & Philippi Pulchri IV anno 1314 defuncti confessariorum inter quos nec locum habet nec habere potest, falsissimum evincitur. Legendus Baluzius in notis ad Papas Avenionenses T. I col. 906.

F. ODO DE COLLEALTO.

1349. F. Odo de Collealto sic a patria in Aprutio ulteriori sita nuncupatus, provinciæ regni Siciliæ alumnus inquisitorem adversus hæreticos generalem in eo regno agebat anno MCCCXLIX teste Toppio in Bibl. Napol. qui sic se legisse asserit in Antiquis Ecclesiæ Pennensis tabulis, a Nicolao Joanne Salconio summa diligentia a MLIX ad MCCCCLXXXVI ad ipsa prima diplomata exscriptis, & in unum volumen, quod instar originalis habetur compactis, cujus & penes se exemplum fidum servare addit. Nulla quidem Toppius hujus Odonis laudat opera. Sed eum in sua Bibl. recensendo, videtur vel ejus acta ut inquisitoris pro operibus habuisse, vel ejus sodalium diligentiam, ut si quæ sint illius quærerent, acuere voluisse.

F. ROBERTUS HOLCOTH.

† 1349. F. Robertus Holcoth Anglus Northamptoniæ (quæ Avonia Borealis a Lelando dicitur) natus, ordinemque professus, in universitate Oxoniensi, vel potius Cantabrigiensi, (sic enim in codice Sorbonico legitur infra referendo, etsi Oxonienses sibi vindicent) sacræ theologiæ magister, ac diutius regens, acerrimi vir ingenii, literarum humanarum divinarumque studiosissimus, multique laboris, industriæ incredibilis, tantæque lectionis, ut antiquiores pene omnes melioris notæ theologos perlustraverit, floruit seculo XIV, & in luctuosa illa quæ totum pene orbem invasit, peste eadem ipse ictus interiit anno MCCCXLIX Northamptoniæ apud suos sepultus. Quem laudant omnes scriptorum nomenclatores, qua nostrates, qua exteri, ipsi etiam heterodoxi: Laurentius Pignon in suo catalogo n. 111: Ludovicus a Valleoleti in sua Tabula n. 27: Leander Albertus fol. 136 b, *virum* vocans *præstantissimum & moralissimum*, qui tamen fallitur, cùm ejus exitum refert ad MCCCXIV: Taëgius prima parte Monumentorum ordinis mortuum asserens anno MCCCXLIX: Sixtus Senensis, Lusitanus, & alii deinceps nostri ad Altamuram de eo sat accurate differentem ad 1349 in *Bibl.* & in *Append.* Tritemius *Rupertum* dicens, quod ex varia pronunciatione ortum, at virum præstans *in divinis scripturis eruditissimum, secularium literarum non ignarum, clarum eloquio, declamatorem quoque sermonum egregium, anno* MCCCXLIX *sub Carolo IV imperatore peste extinctum.* Ejusdem cum laude meminerunt Gesnerus, Baleus *Centuria 3 Scrip. Britan.* Lelandus cap. 411 *Haldecotum nuncupans*, Simlerus, Possevinus, Pitseus, Caveus, Dupinius, & alii, ubi de ejus operibus opportunius citandi. Hæc autem sunt, pleraque tanta aviditate undique conquisita, ut eorum innumera sint in Bibliothecis exempla MS, sed ab iis quæ typo etiam edita incipiendum.

1. *Super quatuor libros sententiarum quæstiones.* Pr. *Utrum quilibet viator existens in gratia &c.* Hujus duo sunt exempla MS fol. memb. Parif. in Sorbona manu Henrici Anglici Stationarii & apud eum emta anno 1374 ut ad calcem utriusque legitur. In Victorina cod. 945 fol. med. memb. *Holkot in sententias.* Ad calcem fol. 116 sic legitur: *Finitus fuit iste liber A. D.* MCCCLXXXIX *in vigilia S. Laurentii martyris*, quæ ætas codicis. Extat etiam apud nostros Sanjacobeos Parif. cod. fol. med. memb. sec. XIV. SEC XIV.

2. *Quædam conferentia.* Pr. *Sex sunt articuli, quos in diversis materiis dixi, contra quos quidam socii reverendi institerunt rationabiliter.* Parif. in Navarr. duo sunt exempla scripti in sententias, & in altero etiam isti sex articuli.

3. *De imputabilitate peccati quæstio longa.* Extat etiam in codd. MSS laudatis.

4. *Determinationes quarumdam aliarum quæstionum.* Pr. *Utrum aliquis in casu possit ex præcepto obligari ad aliquid quod est contra conscientiam suam.* Extant in citatis codd. Sorbon.

Quæ simul typis prodierunt Lugduni, Jo. Badii Ascensii, & Jo. Trechel 1497 fol. got. char. sed eleganti. Ibid. 1510. Ibidem Joan. Clein 1518 in 4. Et in catalogo codd. MS Angliæ recensentur *T. I, P. II nn.* 250, 580, 867, 1605: *T. II, P. I*, 7987. Vitio editoris aliquoties dicitur *Thomas Holcoth*, pro *Robertus*. Joannem Picum in Apolog. Q. VIII aientem doctrinam Holcothi esse, quod *ad merendum libertas arbitrii necessaria non sit*, citat Possevinus in *Apparatu*. Cui opinioni ita adversatur Holcothus, ut in toto scripto super sententias nihil habeat solemnius, quam ista principia: primum Augustini 3 de lib. arb. c. 28: *Nullus peccat in eo quod vitare non potest*: alterum *Nullus actus est meritorius vitæ æternæ, nisi sit actus liberi arbitrii, & quod sit in gratia*: ut passim statuit ubique. Vide lib. 2 q. 32, 2 princ. & lib. 1 Q. 1 a 2. Verum est quod lib. 1 q. 1 a. 4 dicit quod *Deus si vellet, posset acceptare ad vitam æternam omnes actus naturales alicujus hominis.* Quis de hoc dubitat? Sed legem hanc a Deo statutam non agnoscit, imo contra. Si quid meo sensu culpandum in Holcotho, illa est nimia subtilitas in quæstionibus de absoluta Dei potentia, Si hoc Deus faceret, si hoc juberet, si hoc revelaret, quod seculi non solum sui, sed etiam nostri pluribus condonandum: quod tamen in quodam clericorum regularium seu Theatinorum theologo Italo severissime damnavit nostra ætate sacra facultas Parisiensis. Fatendum etiam in quæstionibus de scientia Dei & prædestinatione a S. Thomæ placitis videri discivisse, nisi excusetur dicendo has quæstiones ab eo non recognitas, nec ultima manu finitas, quod & initio monetur. Sic enim ibi legitur: *Sequuntur determinationes quarumdam quæstionum ejusdem magistri, quas licèt nonnulla earum semiplenæ sint, prætermissas tamen non oportuit. Non desunt qui eas a discipulis Holkot collectas putent, aut ab ipso inter profitendum in gymnasio publico dictatas, cùm alii etiam scriptas ab eo vellnt, postmodum quod neglexisse videtur recognoscendas & perficiendas.* Cùm omnia sint incerta, ex his adversus antiquam Thomistarum sententiam cordatus nemo arguat.

2. *In librum sapientiæ prælectiones* CCXIII. Opus adeo ab omnibus desideratum, ut pluries typis prodierit. In incunab. typograp. absque anno & loco vidit Alva Coloniæ apud Minores conventuales, Spiræ Petri Drach 1483. Postea hoc titulo: *Opus præclarissimum eximii D. Mag. Roberti Holkot sacræ theologiæ moralissimi & doctissimi professoris ordinis FF. Præd. supra sapientiam Salomonis, quam Philo disertissimus collegit, continens postillam accurate & summa enucleatione elaboratam cum singularibus quæstionibus ad omnem materiam tam scholasticam atque disputabilem, quam ad populum prædicabilem, non modo utilissimis, atque solemnes non modo divinarum literarum, verùm & philosophorum atque famosorum poetarum ad easdem materias congruenter applicatas allegationes: impressum A. Inc. Dom.* MCCCCLXXXI, XXXI *octob. in 4.* Quæ editio extat Parif. in BB. Sangenovef. & Clarissarum *Ave Maria*. Cùm autem locus non

Sæc. XIV· laudetur, fortè ea eſt quæ dicitur facta Reutlingæ 1489. Laudantur altera Hagenoæ 1494: aliæ Venetiis 1483, 1500, 1509, 1515, 1586 fol. aliæ Baſileæ 1489. Poſtea hoc fine: *Opus præclariſſimum Roberti Holkot viri doctiſſimi ord. FF. Præd. in ſapientiæ librum æterni patris ſapientiam elucidantis per Mag. Jacobum de Pforczens Baſileæ elaboratum finit feliciter anno* &c. 1506 fol. par. quæ extat Pariſiis apud dictas Clariſſas *Ave Maria*. Rurſus ibid. curis Jacobi Ryteri ad codicem MS Baſileenſem ſec. XIV, & Reutlingenſem anni 1489 editionem recognitum, typis Sebaſt. Henricpetri 1586 fol. Pariſiis Franciſci Regnault 1511 in 4, quæ apud noſtros Rotomagenſes. Ibid. 1514 & 1518.

Codices MS hi a me viſi Pariſiis, apud Auguſtinianos ad Pontem novum tres: I memb. fol. mag. n. 146: *Incipit poſtilla ſuper librum ſapientiæ edita a F. Roberto Holkot. Dominus Petra &c.* Ad calcem: *Explicit tabula poſtillæ memoratæ, quam ego ſimplex ſine nomine, Dei adjutorio perfeci anno Domini* MCCCL *die mercurii poſt feſtum ſanctæ Trinitatis.* Alter n. 147 fol. mag. memb. charact. quadrato. Idem initium, & idem monitum ad calcem tabulæ. III n. 148 fol. med. memb. eodem initio, eſt & eadem tabula, ſed non monitum. In Sorbona codex fol. med. memb. num. 510: *Incipit poſtilla a ſolemniſſimo magiſtro Roberto Holkot ſuper libris Sapientiæ ordinis FF. Prædic. doctoris Cantabrigiæ de Anglia. Dominus Petra mea &c.* Ad calcem: *Guillermus Lovevan ſcripſit.* Sequitur tabula, & ad finem: *Explicit tabula ſuper poſtillam ſuper librum ſapientiæ Salomonis editam a F. Roberto Holchoth ordinis S. Dominici doctore in ſacra theologia anno Domini* MCCC *quinquageſimo tertio.* Qui annus haud dubie eſt ætatis codicis *pretii 20 florenorum de Florentia. Annò 1360 ex legato M. Joannis Gorre de Pariſius doctoris theologi quondam ſocii hujus domus.* In Victorina cod. 859 fol. 121: *Incipiunt poſtillæ Holkoti ſuper lib. Sapientiæ.* Imperfectus codex & prave ſcriptus. Apud noſtros Sanjacob. Pariſ. extat cod. fol. med. memb. *Holkot ſuper Sapientiam. Dominus petra &c.* Eſt ibidem alter codex fol. mag. memb. ſec. XIV. Titulus: *Incipit poſtilla ſuper librum Sapientiæ a ſolemniſſimo magiſtro Roberto Holkot ord. FF. Præd. doctoris Cantabrigiæ in Anglia. Dominus petra mea &c.* Iſtam poſtillam Sapientiæ dedit communi libraria F. Bartholomæus *Vinemen* de conventu. iſto. Sic in codice.

In catalogo codd. MSS Angliæ hi codd. recenſentur. T. I P. II 386, 579, 628, 629, 653 hic abbreviatus, 1342, 2289: P. III 311, 715, 826, 1924, 1925, 1976: T. II P. I 803, 358, 830, 1875, 8230: Omnes nomen Roberti Holcoth præferentes, uno excepto anonymo. Patavii apud Auguſtin. Erem. recenſitus a Tomaſino p. 75 b: Apud Spizelium p. 299 in Traject. Bibl. *Roberti Holcoth in librum Sapientiæ*: Apud Sanderum in Elencho codd. MSS Flandriæ in monaſt. Corſendonc. lit. R: *Robertus Holcot in librum Sapientiæ*, fol. memb. ſcrip. anno 1472. In monaſt. Alnenſi ord. Ciſterc. cujus codd. MSS elenchum abbas ad Sanderum miſit Claſſe I Decuria VIII: *Robertus Holcot Dominicanus in librum Sapientiæ.*

Quos codices viſum eſt ſigillatim referre, ut qua fide Swertius in *Athen. Belgic.* & Valerius Andreas *in Bibl. Belg.* aſſerant Reginaldo de Alna monacho Ciſterc. Alneñ. in multis codd. MSS tribui commentarium in Sapientiam, qui vulgo Roberto Holcoth vindicatur, videat lector. Certe illi vel unum codicem MS laudare debuiſſent, & non multos generatim non indicatis locis ubi ſerventur: adde nec qua ætate vixerit ille Reginaldus, illos docere. Si alicubi hujus monachi reperienda eſſet memoria, proculdubio in ſuo Alnenſi monaſterio, ubi tamen nulla, imò quod in eo exemplum commentarii in Sapientiam ipſo abbate teſte nomen præfert Holcothi. Reginaldus ille adeo apud ſuos incognitus eſt, ut Carolus Wiſchius in ſua *Bibl. Ciſterc.* nullam ejus habuerit notitiam, quam ex Swertio & Valerio, quos primos hujus dubii nullo documento allato auctores nemo prudens audierit: mirumque tanta facilitate a Labbeo & Caveo, Dupinio, Oleario exceptos. Sed nec tacendus Petrus de Alva, qui certe noſtris non favet, ubi alicujus operis eis eripiendi ſe dat occaſio: ille autem pleroſque codd. MSS ſupra laudatos & alios quos recenſet *Sol. Verit. Rad.* 107 *col.* 1127 *& ſeqq.* diligentiſſime exploravit, omnes ſub nomine Roberti Holcoth, nullum ſub nomine Reginaldi, ſe vidiſſe teſtatur: ex quibus Reginaldum illum vel hominem fictitium, vel ad ſummum libellionem, quales aliâs plerique monachi, qui manum ſuam operi Holcothi exſcribendo commodarit & ad calcem codicis addiderit, *F. Reginaldus de Alna ſcripſit*, ut ſupra in cod. Sorbon. legitur, *Guillermus Lovevan ſcripſit*, recte cenſeas.

Major eſt difficultas de 16 lineis quæ leguntur in editis, ac in editione quidem Baſileen. 1586 p. 532 Lect. 58 inter illa verba: *Et hæc fuit prima ſanctificatio in utero matris ſuæ*: & illa alia p. 533: *Sed ſecunda fuit in conceptione filii.* Nam eæ 16 lineæ abſunt ab omnibus codd. MSS ipſo fatente Alva, qui tamen duos excipit, alterum monaſterii S. Crucis Coloniæ lit. E. n. 3, alterum Cartuſiæ Ruremundenſis lit. B. 47: in quibus eas haberi teſtatur, ſed non addit an in margine an in contextu, an eadem manu totius codicis, quod explorent indigenæ, ut & codd. ætatem, an ante an poſt concilium Baſileenſe ſcripti. Certe non leguntur in antiquis ſeculi XIV codd. Itaque ob decretum illius concilii qui primam Spiræ apud Dracum 1483 editionem curarunt, lineas illas auctori ſuppoſuerunt: quod an recte factum penes ſummum pontificem judicium eſto. Id non permiſerat tamen Index Romanus in auctoribus bulla Sixti IV anterioribus, intactos manere jubens, ſed hæc monuiſſe ſatis.

3. *F. Roberti Holcoth vel ut alii F. Thomæ Walois ordinis Prædic. de Gallia Anglicana explanationes proverbiorum Salomonis.* Pariſiis Franc. Regnault 1510 in 4. Quæ editio apud noſtros Rotomagenſes. Addunt & aliam ibid. 1515 in 4, quæ editio in Bibl. Barber. & noſtra Pariſ. Rurſus Lavingiæ 1591 in 8. Utrius ſint haud facile cenſeas, cùm non occurrant codices MSS ex quibus judicium ferri poſſit. Roberto tamen potius tribuerim, cùm Ludovicus a Valleoleti num. III teſtetur *ſcripſiſſe valde notabiliter ſuper omnes libros ſapientiales* quod non dicit de Wallenſi. Aſtipulatur Leander Albertus *Commentaria elegantiſſima omnique eruditione refertiſſima ſuper ſapientiales libros* Roberto tribuens, quæ ſapientiorum arbitrio libens permitto. Equidem Alva *Sol. Verit. loco cit.* 1133 laudat codicem MS Oxon. qui apud Jameſium pag. 22 n. 32 colleg. Balliol. & in indice univerſali Angl. *T. I P. II n.* 193 *in Parabolas Salomonis*, ſed ille commentarius non Wallenſi ſed Thomæ Ringſtedio noſtro tribuitur. Laudat alium codicem MS in Bibl. Traject. ad Rhenum, qui & apud Spizelium recenſetur p. 305 lit. T ſub nomine Thomæ Anglici, qui vulgo Wallenſis cenſetur: de quo nihil mihi ſuppetit aliud niſi conferendos eſſe codices cum MSS ſub nomine Ringſtedii & editis ſub nomine Holcothi & Vallenſis, ut quid ſit diſcriminis, vel an eadem videatur, quod ſoli præſtare poſſunt codicum poſſeſſores. Litem alteram movet Alva loc. cit. nimirum in *lect.* 140 hujus commentarii in Proverbia citari Alexandrum ſuper pſalmum XXI *Deus Deus meus reſpice in me &c.* ad illum verſiculum

Erue a framea &c. Ex quo jure sib videtur ac recte concludere Alva commentarium in psalmos qui typis prodiit sub nomine Hugonis de S. Caro, esse revera Alexandri Halensis. Bene est, stet in hoc Alva. Omitto quod quem longiorem locum exscribit, manifeste prodit interpolatum ea libertate, quam sibi ob decretum Basileense permiserunt veterum auctorum editores, ut supra notatum: de ipso commentario tantum loquor. Si is quem citavit Holcothus, est Alexander Alensis, proculdubio ille non est auctor commentarii in psalmos, qui sub nomine Hugonis de S. Caro prostat, nam in hoc ne verbulum quidem eorum omnium quæ tam diligenter ex Holcotho Alva excerpsit. An autem sit Halensis quem laudat Holcothus, etsi mea non intersit, valde dubium. Alexandrum vocat, sed non Halensem. Imo Alexandrum Neckamum esse verisimilius, qui ante Minorum & Prædicatorum ordinem neutrius ipse florebat jam, quique egregium super psalmos commentarium edidit, quem Holcothus pluries lectionibus in sapientiam Salomonis a. 2 laudatis citat vel alium Alexandrum. Porro commentarius Holcothi in proverbia sic incipit: *In abscondito parabolarum conversabitur.* Eccl. 39. *Jocundissimus ut ait Polycarpus*, (Altera editio *Polycratus*) *cùm in multis sit literarum fructus &c.*

4. *In Cantica Canticorum.* Prodiit Venetiis 1509 cum sequenti.

5. *In Ecclesiastici capita septem priora.* Prodiit in incunabulis typographiæ fol. par. absque anno & loco & nomine typothetæ, hoc duplici titulo: *Ropertus Holkot super librum Ecclesiastici recognitus, mendisque ac erroribus purgatus quam plurimis, ac pulcherrimis annotationibus ac marginibus ornatus, atque membratim peroptime distinctus.* Titulus alter: *Celeberrimi ac clarissimi viri F. Roberti Holkot Anglici ordinis Prædicatorum sacræ theologiæ professoris in librum Ecclesiastici Jesu filii Sirach expositio subtilissima. Prologus auctoris: Omnis sapientia a Domino Deo est. Magister & Dominus Gundisalvus libro suo de ortu scientiarum &c.* Ad calcem sic legitur: *Clarissimi sacræ theologiæ professoris M. Roberti Holchot Anglici ord. Prædic. viri doctissimi super septem prima capitula Ecclesiastici postilla eruditissima explicit, quam doctor ipse præclarus a Deo vocatus ac morte præventus explere non potuit.* Quæ antiqua editio extat Parisiis in Navarra. Alia laudatur cum expositione in Cantica canticorum Venetiis 1509 fol. Sic referunt Caveus & Lipenius, extatque Romæ in Barber. Extat MS Paris. apud nostros Sanjacobeos cod. MS fol. papyr. falso Gorrano nostro ascripta.

6. *Moralizationes historiarum.* Pr. *Theodosius* &c. Prodierunt cum lectionibus in sapientiam Basileæ 1586. Antea jam editæ fuerant addita *Tabula aurea D. Thomæ super evangelia & epistolas totius anni*, curante & recognoscente F. Matthæo Mantuano ord. Prædic. ac priori S. Dominici Venetiarum F. Marino patritio Veneto nuncupante, Venetiis 1505. Parisiis 1507, 1510 in 12. Iterum Paris. Joannis Parvi 1513. Codices MS laudantur in Bib. August. Reiseri p. 50 n. 4 & p. 53 n. 14. In catal. MSS Angliæ citato T. I P. III 3272. Florentiæ in Bib. Servorum cod. 194.

De origine, definitione & remedio peccatorum. Opusculum editum curis F. Joannis de Monte ord. Minor. Parisiis, Reginaldi Chaudiere 1517 in 8 signat. a. ad e. Extabat Brugis Flandrorum apud nostros anno 1671.

Philobiblon seu de amore librorum & institutione Bibliothecarum tractatus editus sub nomine Ricardi de Bury episcopi Dunelmensis, Spiræ 1483. Paris. 1500 in 4. Postea recognitus a Thoma James appendice addita de MSS Oxoniensibus, Oxoniæ, Josephi Barnesii 1599 in 4 pp. 62. Quæ ultima editio extat Paris. in Regia Q. 197. Quod quidem opus etsi Ricardi de Buri ceu auctoris nomen præferat, nostri tamen Holcothi illius episcopi familiaris & intimi lucubrationem esse hæc innuunt. 1. noster Laurentius Pignon Holcotho suppar hoc opus ei ascribit, sic enim habet n. III cit: *Item dictavit Philobiblum.* Assentitur Lusitanus sic loquens, *Tractatum de amore librorum ad episcopum Dunelmensem inscripsit.* Præterea in catalogo codd. MSS. Angliæ T. I P. II n. 1634 sic legitur: *Ricardi Dunelmensis episcopi Philobiblon cum hac nota præfixa: Quem librum compilavit Robertus Holkot ordinis Prædicatorum sub nomine dicti episcopi. Et hac nota in fine: Explicit Philobiblon D. Ricardi Aungervyle cognominati de Bury quondam episcopi Dunelmensis. Completus est autem tractatus iste in manerio nostro de Aukeland* XXIIII *die januarii A. D.* MCCCXLIIII *ætatis nostræ* LVIII *præcise completo, pontificatus verò nostri anno* XI *finiente in 4. memb.* In opere verò est caput integrum in quo Prædicatorum ordinem miris laudibus effert, sed & simul inducta per illam ætatem vitia non molliter arguit, quæ a *paterna cura librorum & studio subtraxerant* &c. & alio cap. seq. suam ipsius historiam texit, & incensum erga libros studium aperit: tum postea regulares mendicantes pluribus encomiis ornat: sicque prosequitur: » De istis ad statum pontificalem assumti, nonnullos habuimus de « duobus ordinibus Prædicatorum & Minorum nos- « tris assistentes lateribus, nostræque familiæ com- « mensales, viros utique tam moribus quam literis « insignitos, qui diversorum voluminum correctio- « nibus, expositionibus, tabulationibus ac compila- « tionibus indefessis studiis incubabant. Sane quam- « vis omnium religiosorum communicatione multi- « plici plurimorum operum copiam tam novorum « quam veterum assecuti fuerimus, Prædicatores « tamen extollimus merito speciali præconio in hac « parte, quod eos præ cunctis religiosis suorum sine « invidia gratissimæ communicationis invenimus &c. « Holkotum ex nostris unum fuisse Buriensi acceptissimum, & in familiam ascitum haud immerito conjicias: & episcopum quidem sua de re libraria sensa Holcotho aperuisse, quæ hic in ordinem redegerit, ac librum composuerit, quem ab episcopo recognitum ejus nomine evulgarit, ut quæ in eo dicta in regulares inertes, vanos, ignaros duriora sed vera & utilia imo necessaria facilius acciperentur. Quæ tamen sapientiorum censuræ libens permitto. Plura alia recensentur hujus operis exempla in catal. cit. codd. Angl. MSS. T. I P. I, 1748: P. II 1747: P. III 312, 706, 1547: T. II P. I 3224, 8063. Parisiis sunt quædam a me visa in Regia cod. 4107 fol. med. chart. a fol. 169 ad 185 anno circiter 1472 scripto. In Colbert. cod. 2167. Apud Tomasinum in Bibl. Venet. scilicet in nostra SS. Jo. & Pauli: *Philobiblon M. Roberti Holkot Angli ord. Prædic. Quem miror* (inquit Tomasinus) *hîc Gesnerum non observasse.* Quod novum argumentum opus jam sua ætate a Roberto prodiisse existimatum, licèt sub nomine Ricardi Buriensis.

Jam quæ typis non prodierunt & MS solum in Bibliothecis servantur enumeranda.

1. *Quodlibeta.* In catal. codd. MS. Angl. T. I P. II 405: P. III 2036. In Bib. nostra S. Marci Florentiæ, Arm. II n. 162: *Roberti Holcoth ord. Præd. QQ. & quodlibeta super* IV *libros sentent.* memb.

2. *In Ecclesiasten.* In Bibl. S. Pauli Lipsiæ apud Fellerum laudatur p. 340 n. 11.

3. *In* XII *Prophetas minores.* In cat. Angl. cit. T. I. P II 385: T. II P. I 1573. Pitseus hoc dicit esse Pr. *Libri* 12. *Prophetarum &c.*

4. *In quatuor Evangelia.* Et rursus *in Matthæum.*

Sæc. XIV. Sic Lusitanus ex P. I & V Mon. ord. Ambr. Tægii, quem excipit Pitseus. Codd. MS non indicantur.

5. *Allegoriæ utriusque testamenti*, seu *Moralizationes sacræ scripturæ pro evangelizantibus verbum Dei*: Sic Lusitanus cit. In catal. Anglic. T. I, P. II 2209, *Moralitates F. Roberti Holkoth*: P. III 1924, *Allegoriæ historiarum utriusque testamenti*: T. II P. I 3272, *Roberti Fratris Holcot moralitates*. Quod opus idem censeo cum *Exemplis scripturæ* a Pitseo tamen distinctis.

6. *Sermones de tempore, de sanctis & quadragesimales*. Meminit Laurentius Pignon citatus. *Item*, inquit, *sermones de tempore & de sanctis*. Etiam Lusitanus. In catal. Angl. cit. T. I P. I 2501, *Sermones Dominicales quinquaginta tres Holkoti vel Wallensis*: P. III 1769, *Sermones Roberti Holcoth per annum*.

7. *Distinctiones*. In catal. Angl. T. I P. I 2206, *Roberti Holkolt distinctiones alphabeticè*: P. III 424, *Distinctiones Holkot*. Idem fortè opus quod Pitseus vocat *Dictionarium* hoc princ. *Adulator est nutrix diaboli &c.* licèt distinguat.

8. *De prædicatoris officio opusculum*. Pr. juxta Pitseum: *A sacro canone tanquam a fonte &c.*

9. *Concordantiæ Anglicanæ F. Roberti Holcot*. Pr. *Primus liber agit de his &c.* Recensetur a Sandero in Corsendonc. P. II Elenchi codd. MS Belg. p. 50, sed & in Gothana pag. 101 inter codd. MS memb. minores eodem titulo. Porro ex principio a Sandero allato patet hoc opus aliud esse a concordantiis sacrorum bibliorum.

10. *Tractatus de stellis*. In catal. Angl. T. I P. I 3557. Quod idem opus censeo laudatum a Leandro Alberto hoc titulo, *Quæstiones de naturalibus motibus & effectibus stellarum*; & a Lusitano *De umbra, natura, motibus, & effectibus stellarum*.

11. *De serpente*. In cat. Angl. T. I P. I 7637.

Præter hæc laudantur a Lusitano duo tractatus: 1. *De immortalitate animæ*. 2. *De libertate credendi*: a Pitseo: 1 *Lecturæ scholasticæ*. 2 *De præscientia & prædestinatione*. 3 *De fautoribus hæreticorum*. 4 *Super universalia*. Sed ubi serventur neuter indicat.

Sed & aliqua eidem falso tribuuntur:

1. *Tractatus de ludo Scaccorum*. Pr. *Multorum Fratrum ordinis nostri* qui Holcothi non est, ac multo minus cujusdam F. Roberti Carmelitæ Galli, sed nostri *Jacobi de Cessolis*. Videsis supra ubi de eo.

2. *Reductorium morale in Avenione factum & Parisiis correctum & tabulatum A. D. 1342*. Sic in catal. Anglic. T. I P. II 2299 & 2300: sed Petri Berchorii opus esse constat.

3. *Dieta salutis per Robertum Holcott, vel Guillelmum Aquitanicum*. Sic eodem cat. Angl. T. II P. I 6658 & 6644. Pr. *Hæc est via &c.* Editus est tractatus sub nomine S. Bonaventuræ: ut & sequens.

4. Ibidem 7674 *Breviloquium Thomæ Holcot*.

De hoc nostro sic Lelandus: *si non facundiam undecunque luculentam, redundantem, variam, verum saltem comparavit sibi sublimium cognitionem altam, certam, exactam, quæ nisi accedat, quid aliud est eloquentia quam purpureus fucus distorto corpori male conveniens*.

F. STANISLAVS DE CRACOVIA.

† 1350. F. Stanislaus de Cracovia sic a patria & professione nuncupatus inter sodales Polonos medio circiter seculo XIV claruit, & librum scripsit

De vita & miraculis S. Hyacinthi ordinis Prædicatorum. Codex MS eam continens antiquissimus dictus est Romæ in congregationibus pro canonizatione sancti habitis anno MDLXXXIX & seqq. in quibus cardinalibus in hac causa delegatis traditus fuit. Id testatur passim Severinus Cracoviensis sodalis libro de vita, miraculis & actis canonizationis ejusdem anno 1594 Romæ edito, speciatim lib. 4 ubi acta canonizationis refert p. 351 in qua sic lego: *Hæc omnia probantur etiam per supradictum antiquissimum librum ante cc annos a F. Stanislao Cracoviensi ordinis S. Dominici conscriptum, & in thesauro Cracoviensis ecclesiæ diligentissimè asservatum &c.* Superius pag. 348 sic legitur de legatis Romam e Polonia ad istam canonizationem prosequendam: *Inter diversas scripturas duo processus exempla produxerunt, unum &c: alterum e Polonia, unà cum libro vetustissimo vitam & miracula ejusdem Beati continente &c. qui per multos annos maxima cum diligentia in archivio conventus Cracoviensis tanquam verus & fidelis asservatus fuerat*.

Certe vitam illam qualis est & primigenio suo stylo, nec minimum mutatam typis committere necessarium esset, eo magis quod sancti hujus gesta prima & antiqua manu scripta non habemus hactenus. Stanislai meminit Malvenda Annal. ord. lib. I cap. 10 & 11. Altamura etiam ad 1333 sed leviter. Nos ad hunc annum MCCCL referendum duximus ea ratione, quod in actis canonizationis relatis hæc vita dicatur ante cc annos scripta.

F. CONRADVS DE HALBERSTAT III.

F. Conradus de Halberstat III seu junior hîc esset collocandus, sed cùm omnia quæ eum attinent supra retulerim ubi de seniore hujus ejusdem nominis, videsis ad ann. 1342. † 1350.

F. JOANNES COCHINGER.

F. Joannes Cochinger Teuto Brisigavus gente, patria & professione Friburgensis, ille idem qui a Lusitano *Cacheng*, & ab Altamura *Chachengda* ad 1335, ab utroque corrupte nuncupatur, suo vero & certo agnomine hîc donatur ex fide codd. MS duorum, altero Bibl. Prædicatorum Claromontensium in Arvernia, altero Augustinianorum Parisien. ad pontem novum, in quibus extant ejus † 1350.

Lectiones in epistolam ad Romanos.

In cod. Paris. quem licuit evolvere, & est n. 55 in fol. med. memb. post distinctiones seu concordantias F. Bydonis Senensis ordinis dicti Augustin. fol. 69 sic incipiunt:

Accepimus gratiam. *Quod enim possidemus absque meritis ex gratia est. Sed plura sunt quæ possidemus, & ex meritis non habemus, sed ex gratia est. Igitur veraciter dicere possumus, gratiam accepimus*.

Probat sigillatim majorem & minorem: tum accedit ad divisionem lectionis, tria proponens quæ habemus a Deo absque meritis, quam divisionem tota lectione prosequitur: & eam methodum in sequentibus servat, quamque finiens, ut sermones ad populum terminari solent.

Ultima lectio in hoc codice est super illa verba apostoli ad Rom. cap. VI vers. XIX *Servi facti estis*. Post principium brevius hanc proponit divisionem: *Sunt servi ambitiosi, dum ad honores vocantur: pecuniosi, dum opes eorum augmentantur: voluptuosi dum in deliciis delectantur*.

Ad calcem hujus lectionis legitur: *Et sic ad præsens de ista postilla sufficiat. Hanc postillam composuit Joannes Cochinger ordinis Fratrum Prædicatorum*

rum conventus Friburgensis provinciæ Theotoniæ. Deo gratias. Finis fol. 114 charac. minuto.

Hæc proculdubio est *explanatio elegans epistolæ ad Rom.* quam Altamura suo tribuit *Chachendæ*, & commentarium quod Lusitanus suo *Cacheng* ascribit ad 1355. Revera ætas convenit, nam in codice mox laudato post opuscula quædam Lyrani contra Judæos, Breviloquium Joannis Gualensis, & postillam anonymi in partem psalmorum, quæ sequuntur ad Cochingerum, subjicitur, index universalis in totum volumen, ad cujus calcem sic legitur: *Finis tabulæ istius libri* XII *die maii* MCCCXCVII. Ex quibus conjicitur hunc auctorem circa medium seculi XIV claruisse. Cæterum hic scriptor sensui morali potius quam litterali studet. Præter hanc postillam ei tribuuntur

Tractatus de quarta funerali: & alius *de contractibus*.

F. JOANNES GOBII.

† 1350. F. JOANNES GOBII vulgo Junior dictus ad ejus haud dubie discrimen ab alio ejusdem nominis seniore. Revera quemdam invenio antiquiorem Joannem *Gobi* Alestensem patria, id est Alesiæ vernacule *Alais* aut *Alés* in inferiori Occitania natum. Hæc civitas parva olim diœcesis Nemausensis, agente & petente Ludovico XIV rege Christianissimo in episcopalem erecta est anno MDCXCIV. In ea itaque natus iste senior Joannes *Gobi* & ibidem ordinem amplexus, vir fuit apud suos magnæ auctoritatis. Priorem agebat anno MCCCII Avenioni, unde eodem anno assumtus est ad idem munus in Montepessulano gerendum, ibique præerat, cùm anno MCCCIII a delegatis regis Franciæ Philippi Pulcri requisitus est, ut appellationi ad futurum concilium generale contra Bonifacii VIII constitutiones ab omnibus regni ordinibus interjectæ cum suo conventu adhæreret. De quo videsis librum hoc titulo: *Differens de Boniface VIII & de Philippe le Bel.* Ex Montispessulani priore ad S. Maximini cœnobium regendum translatus anno MCCCIIII, prior provincialis Provinciæ electus est in comitiis provincialibus Arausicæ in festo B. Mariæ Magdalenæ MCCCXII coactis, & a magistro ordinis Berengario de Landorra præsente continuo confirmatus, quo in officio tamen non plus annis duobus stetit. Hujus Joannis germani filius fuit Joannes Gobi junior hic laudatus, qui certo post canonizationem S. Thomæ de Aquino claruit & scripsit hoc titulo:

Scala cœli de diversis generibus exemplorum. Pr. *Venerabili ac carissimo in Christo patri Hugoni de Colubreriis sanctæ Aquensis Ecclesiæ præposito F. Joannes Gobii Junior ordinis Fratrum Prædicatorum filius vester humilis &c.*

Extant plures codices MS. Hi mihi cogniti. Claromontii in Arvernia apud nostros in fol. membr. Alter apud Cistercienses monasterii Dunensis in Belgio a Sandero recensitus Elenchi T. I p. 191. Tertius a me visus Paris. in Sorbon. chart. fol. Sed in hoc deest nuncupatoria & nomen auctoris.

Pluries etiam typis prodiit. Lubecæ 1477 fol. sic Beughemius.

Ulmæ 1480: Sic Lusitanus, quem excipit Altamura ad 1481.

Argentinæ, Jacobi Eber 1483 fol. absque numeris, signaturis & majusculis: quæ editio apud nostros Parisien. ad S. Honorati.

Ex annis quibus e prælo prodiit hoc opus, ætatem auctoris metiuntur Lusitanus, Fernandez & Altamura qui ad 1480 aut 1481 referunt, sed plus centum annis antea floruisse certum est. Hanc itaque certius eruas ex annis quibus Hugo de Colubreriis præpositum Aquis Sextiis in ecclesia Metropolitana agebat. Hunc omissum fateor in Gallia Christiana etiam recens recognita: sed mihi non dubium quin hac dignitate ornatus fuerit inter Gaufridum Isnar anno 1320 hoc beneficio potitum, & Guillelmum IV de S. Severino ad 1363 notatum, nepos aut certe ejusdem familiæ cum Guillelmo de Colubreriis qui anno 1296 hoc munus gerebat: unde & ad annum circiter 1350 Joannes hic Gobii Junior visus est collocandus. Opus historiis ex Vincentio Bellovacensi & libro magno de septem donis plerisque desumtis & ad mores aptatis constat, quas simpliciores aliàs cum voluptate & fructu legerint, sed quas non facile sustineant viri acrioris judicii ac criterii.

SEC. XIV.

F. PETRUS DE CARITATE.

* 1350. F. PETRUS DE CARITATE ab insigni illo in ditione Nivernensi municipio, *la Charité* vulgo dicunt, sic nuncupatus, & ut æstimo hinc ortus, in Parisiensi verò Sanjacobea domo ordinem amplexus, medio circiter seculo XIIII claruit, sacræ facultatis Parisiensis magister: de quo in actis cap. gen. Claromontii Arvernorum anno 1339 & Mediolani 1340 sic legitur: *Assignamus ad legendum sententias Parisius isto anno F. Petrum de Caritate provinciæ Franciæ de conventu Parisiensi*: cui consonat catalogus magistrorum post Bernardum Guidonis auctus, in quo recensetur n. 106 in cod. Lingon. Inter scriptores verò numeratur a Ludovico de Valleoleti n. 50 his verbis: *F. Petrus de Caritate fecit*

Chronicam a principio mundi. Quam proinde ille viderit apud Parisienses S. Jacobi.

Teste Alva Sol. Verit. Rad. 232 col. 1583 pluries laudatur apud Nicolaum Eymerici in suo tractatu contra calumniantes præeminentiam Christi: unde quis conjiciat scripsisse ut solemne plerisque magistris

Commentarium in sententias vel *sermones* ab Eymerico laudatos.

F. LAURENTIUS BRACIFORTE.

* 1350. F. LAURENTIUS BRACIFORTE sic vocatus a Petro Maria Campi Hist. Eccl. Placent. P. III Lib. 21 p. 88 b, dictus etiam *Brancofordius*, patria fuit & professione Placentinus, & apud suos theologiam profitebatur ad annum MCCCXLI, quo cùm episcopus Cremonensis ex ordine assumtus F. Ugolinus de S. Marco patria Parmensis a Benedicto XII diploma accepisset, jubens ut varias omnis generis & in diversis Italiæ partibus dispersas personas, excommunicationis vinculo irretitas absolveret, perpendens ille quam sibi difficile foret imo impossibile singulis ut pote innumeris attendere, pro facultate sibi tradita tres selegit, quos ad pium hoc officium delegavit, scilicet, abbatem S. Sabini Placentinum, Jacobum de Fabiano ordinis Minorum patria quidem etiam Placentinum sed Cremonæ apud suos lectorem, & Laurentium hunc Braciforte Placentiæ tum theologiæ lectorem, qui tres mandata sibi data ad amussim & studiose perfecerunt. Hæc ejus recensentur opera:

Commentarius in psalmos.

Sermones varii & collationes de sanctis.

Principia theologica.

Quæ omnia apud suos Placentinos forsan servata MS.

Ex his nomenclatores nostros, & eos excipientem Possevinum emendabis, errantes tum quoad agnomen quod varie efferunt: dicitur enim a Lusitano *Branchofordius* & *Brancfordius*: a Pio P. II

Sec. XIV. Lib. 3 col. 11 *Brancfordius*, at P. III *della progenie*, ubi de conventu Placentino p. 486 a, *Francfordius*: Lusitanum imitantur Fernandez, Altamura ad 1422, & Rovetta ad 1423, qui ex Campio citato agnomen habebat *Bracsforte*: tum quoad chronologiam, cùm ad seculum xv jam adultum prorogant, qui ad medium seculi XIV certo collocandus sit. Sed & Fontanæ hiatum supplebis, qui nullum in Theat. ex nostris episcopum Cremonæ sedentem recenset, cùm eam Ecclesiam a XXI martii MCCCXXVII ad MCCCXLIX sapienter & fortiter administrarit Ugolinus laudatus, qui & tum abdicavit, & apud nostros ibidem secedens paulo post mortuus sepulcrum obtinuit ad partem templi nostri lævam hac brevi epigraphe ornatum: *F. Ugolinus de S. Marco de Parma ord. Prædic. episcopus Cremonensis obiit* MCCCL. Videsis Ughellum Ital. Sac. T. IIII col. 830, ubi Campium emendat, qui hunc Ugolinum nostrum cum altero Ugolino de Ardengheriis patria etiam Parmensi nostri successore qui a MCCCL ad MCCCLXII sedit, confundit.

F. BONIFACIUS DE CREMONA.

* 1350. F. Bonifacius de Cremona Longobardus vel Insuber laudatur a Bandello, eumque excipientibus Deça fol. 42, Petro de Vicentia & Grysaldo: sed & ejusdem meminerunt Taegius P. I Mon. Lusitanus p. 57, Possevinus, Pius ad 1507, Fernandez ad 1350, Altamura ad eumdem annum. Rovetta duplicem distinguit, & ad 1352 alterum, alterum ad 1507 collocat, quæ tamen mera est auctorum multiplicatio, cùm ex ipsis quos citat testibus, unus & idem sit eorumdem operum scriptor. Ante ætatem Bandelli vixisse imo & obiisse certum habendum, nam scriptores vivos ab eo citatos verisimile non est. Quo autem seculo & anno certo claruerit, gentilium & præsertim Symmystarum erit ex veteribus suis monumentis retegere, ut & an ei ascripta opera vel apud eos vel alibi etiamnum serventur. Alvam non moror Sol. Verit. Rad. 240 col. 1594 contendentem scriptorem esse fictitium, eo quod nulla sit ejus apud Bunderium, Sanderum, Tomasinum, Jamesium memoria, quod argumentum futilissimum. Quis enim nescit hos Belgii, Venetiarum, Patavii, Angliæ codd. MS sua ætate extantes solos recensuisse? Quot alibi servati quotidie deteguntur, quorum nulla apud eos mentio? Itaque Bonifacium hunc scripsisse ferunt

Sermones de tempore & de sanctis. Quorum qui purificationis, annunciationis, & nativitatis B. V apud Bandellum citantur.

Quidam *F. Bonifacius de Pinchona* vel *de Pichona* vir insignis & eximius theologus medio circiter seculo XIV florebat: de quo in actis cap. gen. Brivæ anno MCCCXLVI sic legitur: *Quantum nostra interest assignamus Parisius ad legendum sententias pro anno sequenti F. Bonifacium de Pinchona de provincia Romana*. & in actis cap. gen. seq. Bononiæ MCCCXLVII: *Assignamus ad legendum sententias Parisius isto anno F. Bonifacium de Pichona de Romana provincia.* Hujus etiam meminit Leander fol. 139 a, his verbis: *Bonifacius de Picena* (sic corrupte) *Romana provincia optimum ingenium nactus*. Cùm hunc ut pote S. F. P. magistrum scripsisse verisimillimum sit, discutiant gentiles, an non apud Bandellum erratum typorum, & *de Cremona* scriptum pro *de Pichona*. Certe ætas convenit.

F. CHRISTOPHORUS MOLHUSENSIS.

* 1350. F. Christophorus Molhusensis Anglus ex oppido in comitatu *Surrey* ad Molam ubi in Tamesim influit sito (*Molesey* incolæ vulgo dicunt) ortus, a Pitseo Bostonum Buriensem testem proferente ad ann. 1350 clarus collocatur, & excipit Altamura. Ea circiter ætate floruisse certum, cùm ejus meminerit Laurentius Pignon n. 105 his verbis: *F. Christophorus Molhusensis scripsit*

Postillam super quatuor evangelistas.

Super apostolum totum.

Super omnes canonicas.

His Pitseus addit. *In apocalypsin*, *sermones de tempore & de sanctis*, & *in elenchos Aristotelis*.

Ex his Altamura non recenset nisi *sermones varios*.

F. GUILLELMUS BRUNYARDUS.

F. Guillelmus Brunyardus Anglus, a Pitseo ad ann. 1350 clarus laudatur ex fide inquit Bostoni Buriensis. Non levis tamen mihi suspicio hunc non alium a nostro Joanne Bromyardo, cùm utriusque opera maxime conveniant. Ut ut sit hæc huic Guillelmo scripta tribuuntur: * 1350.

Summa theologiæ.

Distinctiones. Scilicet ejus seculi more conceptus concionatoribus utiles.

Determinationes, Quæstionum scholasticarum forsan vel casuum conscientiæ.

F. GOTSTHALTUS TEUTO.

F. Gotsthaltus Teuto Turingus Erphordiensis patria & professione theologus insignis ad medium circiter seculum XIIII claruit, cùm a Leandro fol. 147 b. laudetur ante Conradum de Alberstat Seniorem, qui anno MCCCXXI jam florebat, & anno MCCCXLII adhuc erat in vivis. Huic autem major mihi fides quam Lusitano, Pio, Fernandez ad 1420 revocantibus, aut Altamuræ ad 1390 collocanti. Apud Lusitanum p 92 typis errantibus *Bascalcus* dicitur, sed in erratis monetur legendum *Goschalcus*. Hæc si consuluisset Altamura in similem errorem non impegisset. Affinitas elementorum c & t in codd. MS in causa est, cur alii scribant *Gostaltus*, alii *Goscalchus*: sat nobis est scire eumdem esse hominem, a quo fertur editus * 1350.

Libellus pro sanctimonialibus maxima eruditione refertus.

F. JACOBUS DE TONNERRA.

F. Jacobus de Tonnerra Gallus Burgundus a patria scilicet Ternoduro vel Tornodoro vernacule *Tonnerre* in Burgundiæ ducatu oppido, vini generositate & feracitate clarissimo, comitatus titulo etiam insignito, loco natali nuncupatus conventus Autissiodorensis alumnus, claruit seculo XIV annum scilicet MCCCXXIII post S. Thomam de Aquino SS. albo inscriptum, inter & annum MCCCLXXX. Opus celebre edidit, quod eum præstat in jure præsertim canonico exercitatissimum, cui titulum fecit † 1350.

Quæstionarius super quinque libros decretalium.

I. Pars super tres priores libros extat Parisiis in Bibl. Colbert. ex bibliotheca collegii Fuxensis Tolosani allata & emta: estque codex MS n. 88 fol. max. memb. titulo quidem casu avulso sed intra volumen servato, qui sic habet, *Quæstionarius F. Jacobi de Tonerra* in tres priores libros decretalium. Princ. *Trinitas gloriosa est causa prima omnium rerum* &c. Vidi & expendi XIV julii MDCCX.

II. Pars in Lib 4 & primam partem libri quinti ad Tit. *De clerico venatore* exclusive extat apud nostros Parisienses ad S. Honorati.

III. Pars ab illo titulo *De clerico venatore* ad finem Libri v extat apud eosdem: qui duo codd. MS

fol. med. pergameno partim, partim charta, nobis a viro qua pietate & eruditione, qua muniis & dignitate præstantissimo Francisco Bosquet episcopo Monspeliensi concessi fuerunt & dono dati. Opus sic concludit auctor : *Hic notabis lector, quod ego Frater ordinis Prædicatorum parvus ingenio, confractus senio ab annis multis præteritis insistens arti scribendi atque disputandi . . . . præsentem librum cum magnis & plurimis laboribus nec non cum multis vigiliis, instantiis, studiis & examinationibus compegi, descripsi, & Christo duce ad ejus honorem, simplicium instructionem, prudentum excitationem, in fine debito consummavi.*

Postea manu secunda sed antiqua & XIV seculi vel sequentis ineuntis : *Opus Fratris Jacobi de Tonnerra ordinis Prædicatorum super decretalibus in tribus voluminibus. In quo quidem opere procedit auctor super quolibet capitulo sicut S. Thomas super sententias, vel in libro Summa sua, formando quæstiones super quolibet capitulo tituli decretalium, & arguendo pro & contra, decidendo dubium in corpore quæstionis juxta intentionem & sententiam decretalis, & postmodum respondendo ad contraria juxta veritatem juris.*

Dicti autem libri fuerunt dudum accommodati D. cardinali Pampilonensi per D. Julianum de Dol decretorum doctorem, nunc collectorem apostolicum in provincia Remensi, prout idem collector pluries mihi dixit tam in civitate Meldensi, dum revertebar de Francia nuper, & dum postea ipse venit Avenionem, & ad pontem Sorgiæ, ubi fuit factus collector Remensis, & hoc idem de mutuo dictorum librorum mihi pluries replicavit Albiensis.

Porro duo laudantur cardinales Pampilonenses, primus Martinus de Calba aut Salva decretorum doctor celebris anno MCCCXC a Clemente VII in sua obedientia Avenione sic dicto cardinalis creatus, qui anno MCCCCIII obiit : alter prioris nepos Michael de Salva in sede Pampilonensi successor anno MCCCCIV & a Clementis VII successore Benedicto XIII cardinalis creatus, quique anno MCCCCVI obiit juris canonici doctor item famosissimus. Quæ a nobis referuntur, quod antiquitatem codicum indicent.

Hujus scriptoris meminerunt fere nostri omnes sed in nomine errantes, & agnomen corrupte plerique referentes. Sic de eo Laurentius Pignon in suo catalogo n. 108 : *F. Guillelmus de Tonodoro de Conventu Antissiodorensi scripsit super totum jus lecturam cum quæstionibus secundum ordinem alphabeti. Et est opus sumptuosum, quod habetur ibidem in illo conventu.* Ludovicus de Valleoleti in sua Tabula n. 52 : *F. Guido de Tonodoro scripsit opus valde notabile super quinque libros decretalium modo disputativo & vocatur Quæstionarium.* Lusitanus pag. 94 : *F. Guido de Cenodro &c. scripsit super libros V decretalium modo disputativo opus notabile, quod vocavit Quæstionarium. Claruit circa annum* 1300. Pius P. II lib. 1 col. 115 : *Guido de Cenodro.* Fernandez inter Italos *Guido de Cenodio* : Castillus *de Centodro* : Altamura ad 1299 *Guido de Cenodro*, cætera eadem quos excipit Possevinus, sed omnes ex supra relatis certissimis emendandi.

Præter illud insigne opus addit Lusitanus, quem alii excipiunt, scripsisse ac reliquisse

Sermones per totum annum.

F. RAINERIUS DE PISIS.

F. RAINERIUS DE PISIS a patria celebri Etruriæ civitate ut & a professione sic nuncupatus, vir fuit seculo XIV medio circiter currente clarissimus, vitæ spirituali ac ad perfectionem anhelanti addictus, cum hoc tamen in lectione librorum vigoris indefessi. Obiit non sine fama sanctitatis circa ann. MCCCLI, ut habet Leander fol. 138 a. Opus scripsit ex famosioribus qui ante ipsum vixerant theologis, sacræ scripturæ interpretibus & canonistis concinnatum, & in commodum lectorum ordine alphabetico digestum, cui posteri titulum indiderunt

Pantheologia.

Ita verò utile visum est ut mox ac in lucem prodiit, ejus exempla sibi describi curarint eruditi, & a nata typographia pluries prælum subierit. Codices MS mihi cognitos adhuc extantes postea referam, sed ab editionibus placet incipere.

Antiquiorem a me visam curavit F. Jacobus Florentinus ordinis Minorum, qui fatetur in prologo a se præfixo se quædam subtraxisse, & multa addidisse. In ea non notantur locus editionis, nec annus, nec nomen typothetæ. Est absque numeris, signaturis, reclamationibus, majusculis, & titulo in fronte paginarum, nam qui in iis habetur manu additus est : Initio indicis monetur lector hunc non esse omnibus Pantheologiis accommodatum, sed illis tantum quæ post annum 1459 e Gandavo duxerunt originem. Quibus innititur hanc non esse primam, sed paulo post 1459 priorem Gandavi præcessisse, quam tamen a nemine video laudatam. Porro hæc constans duobus ingentis molis voluminibus charta imperiali extat in Navarr.

Altera editio est Bibl. Sangerman. à pratis duobus item ejusdem molis voluminibus. Ad calcem sic legitur : *Anno* MCCCCLXXIIII, III *non. augusti finita absolutaque est hæc dilucida ac præclara Summa F. Rainerii de Pisis ord. Prædicat. quæ & Pantheologia, per Antonium Coberger civem Nurbergensem, curante F. Jacobo Florentino ordinis Minorum.*

Aliæ ab aliis referuntur editiones. Apud eumdem Coberger. 1477 & 1486.

Coloniæ, Hermanni Lichtenstein 1486.

Postea ex recognitione nostri Lamberti Campestris, Lugduni, Constantini Fradin 1519 fol. Tomis duobus.

Brixiæ 1529 & apud Thomam Buzzolam 1580, Tom. duob.

Venetiis 1585 in 4, Tom. etiam duob In hac prologus uterque & Rainerii auctoris, & Jacobi Franciscani primi editoris omissus, sed quem in prioribus legas.

Ultima prodiit recognoscente & a mendis expurgante nostro Joanne Nicolai fac. facult. Paris. magistro, qui in ea plura sibi permisit, nam in multis ordinem mutavit, & quam plurima addidit. Bis hac nova ratione prodiit Lugduni Petri Rigaud 1655 fol. voll. tribus. Rursus ab eodem aucta ibid Joan. Girin. 1670 fol. voll. trib.

Purum igitur opus & quale ab auctore prodiit, jam haberi non potest nisi ex codd. MS, qui plurimi etiamnum extant ubique Duo a me Parisiis visa exempla memb. tribus voll. in fol. quodque.

Primum in Navarr. alterum apud Augustin. ad pont. nov. sec. XIV utrumque. Item apud nostros Claromontii Arvernorum voll. IV in fol. memb.

Extat Florent. ad S. Marc. Arm. III nn. 61, 62, & 63 scilicet tom. trib. Hoc elegans dicitur, cum effigie auctoris initio erudita manu expressa.

In Catal. Angl. laudantur plura T. I P. II nn. 76, 79 & 80. Deest tertius ab I ad P. Item nn. 81 & 1316 Pars I & IV : P. III nn. 215, 216, 237 & 238 : T. II P. I nn 7991, 7992 & 7993.

Alva Sol. Verit. Rad. 178, col. 1418 hos in Hispania codices laudat, in Eccles. Pampilon. & Toleti ad S. Joannis Regii.

Sæc. XIV. Cùm prologum auctoris ex ultimis editionibus eliminarint, illud visum est hîc lectori offerendum, & ut ingenium auctoris cognoscat & ut certam habeat ejus chronologiam. Talis verò est in codd. Parisien.

A a a Domine Deus ecce nescio loqui quia puer ego sum. Hier. I. » Quoniam tria sunt, quæ studiosos viros retrahunt a studio scripturarum sanctarum, & difficultatem sciendi afferunt ingeniosis addiscentibus, peritis verò & doctoribus grave jugum & accurationem magnam imponunt: quæ quidem tria amicos scientiæ ita reddunt ignorantes & ineptos, ut quilibet per se dicere possit, *A a a Domine Deus &c.* Horum primum est diversitas opinionum: secundum est multitudo librorum: tertium est difficultas inveniendi materiam. Et ratio hujus est, quia diversitas opinionum confundit intellectum humanum: multiplicitas autem librorum facit fastidiosum affectum studentium: difficultas autem inveniendi materiam præcipitem reddit actum & solicitudinem acquirendi. Idcirco quidam illuminatus doctor de ordine Prædicatorum Pisanæ civitatis oriundus, ne videretur cum servo pigro talentum divinæ gratiæ involvere in panno per oblivionem, vel fodere in terram & abscondere per negligentiam operis, proposuit in hoc opere omnibus prædictis remedium imponere, tanquam emplastrum ex multis medicaminibus conficiens.

» Nam primo contra diversitatem opinionum, sequetur in hoc opere opiniones magis communes & magis approbatas per Ecclesiam catholicam, quales S. Thomæ de Aquino, & doctoris antiqui Alexandri de Halis, atque doctoris Seraphici Bonaventuræ & aliorum doctorum multorum catholicorum tam antiquorum quam novorum: & in hoc videtur tanquam implens cum Petro ad jussum Dñi Jhesu rete magnis piscibus, id est opus suum fulciens approbatissimis sententiis.

» Secundo contra multiplicitatem librorum fecit istud parvum volumen, velut enucleans alia vomina, in isto reponens eorum medullas, ita ut quicquid difficultatis, quicquid utilitatis vel ædificationis est ad sciendum vel demonstrandum, credimus hîc posse sufficienter enumerari: & præcipue circa illam materiam, quæ magis convenit moralibus viris ac devotis: ut sic possint sine perturbatione orationis & contemplationis se ipsos multis fulcire sententiis ac veritatibus, ac alios docere secundùm omnes istos modos, quibus solet fieri demonstratio, & dari doctrina prædicationis & lectionis, per rationes, per persuasiones, & per exempla practica, & per auctoritates expositas, ut patet ipsum opus lucide intuentibus. Et hoc dignum est in omni opere exerceri, eo quod ratio confert scientiam, auctoritas firmat credentiam, exempla præbent experientiam: quibus modis datur notitia clara cujuslibet rei. Et secundùm hoc videtur doctor iste cum paupercula suum parvum munus in gazophylacium mittere.

» Tertio contra difficultatem inveniendi materiam, ordinavit iste doctor opus suum secundùm ordinem litterarum alphabeti, ut facilius materia desiderata reperiatur.

» Hoc autem superveniente Dei altissimi gratia per quam omnes hujus doctoris conatus fuerunt excitati, incepit ipse sub anno Dñi millesimo CCCXXXIII: & eadem Dei gratia cooperante per quam omnes ejus conatus fuerunt adjuti, continuavit suam compilationem nocte & die orando & postulando sapientiam a vera sapientia cum Hieremia dicens: *A a a Domine Deus nescio loqui, quia puer ego sum*, ac si diceret: O omnipotens sapientia, o splendor patris, da fervorem in corde, lumen in intelligentia, veritatem in eloquentia: quia aliâs loqui nescio tua secreta mysteria. Et tandem gratia Dei consummante complevit opus suum præstante eodem Jhesu Christo, cui est honor in sæcula sæculorum. Amen «.

Ex his patet mendum typorum forsan apud Leandrum irrepsisse, cùm Rainerium dicit hoc opus inchoasse anno MCCCXIV, quod ipse auctor se anno MCCCXXXIII tantum incepisse tam aperte declarat, sed longe magis falluntur Trithemius & auctor Append. ad Caveum qui ad 1300 vel 1301 jam clarum exhibent, quo vix forsan puer erat: toto autem cœlo a vero aberrant Lusitanus & sequaces, qui ad 1414 prolatant: Altamuram qui ad 1314 collocat, decepit mendum apud Leandrum annotatum. Qua ratione Sopranus & ex eo Oldoinus Rainerium Liguribus accenseant, me latet, qui apud Virgilium aliâs me legisse memini Æn. lib. x vers. 179 *Alphea ab origine Pisa urbs Etrusca solo*, sed iis parva mihi fides aut potius nulla cùm *Summam casuum conscientiæ* ei tribuunt a Pantheologia distinctam.

Cæterùm scriptor pius est æque ac doctus pietatem ubique spirans ac studium salutis animarum verum & secundùm scientiam: modestus, nihil sibi arrogans, sed auctores omnes quos excipit laudans ex nomine: sapiens eorum quos citat delectum habens, nec nisi sanæ doctrinæ viros proferens.

F. SIMON LINGONIENSIS.

F. SIMON LINGONIENSIS Gallus a patria in Campaniæ & Burgundiæ confiniis civitate episcopali de more agnomen sortitus, in eaque ordinem amplexus, vir fuit seculo XIV clarissimus. De eo sic legitur in actis cap. gen. Carcassonæ anno MCCCXLII: *Assignamus ad legendum sententias Parisius anno isto F. Simonem Lingonensem.* Exinde suo ordine in sacra facultate laureatus recensetur inter additos manu æquali ad catalogum Bernardi Guidonis n. 99 in cod. Lingon. his verbis: *F. Simon Lingonensis Burgundus.* Ad munia ordinis deinceps ceu vir in rebus agendis expeditus & solers applicitus est. Anno MCCCL ad regendam provinciam Franciæ assumtus fuit, sic enim in indice priorum provincialium habet Laurentius Pignon ad MCCCL: *F. Simon Lingonensis natione Burgundus magister in theologia electus in capitulo provinciali Aurelianensi anno prædicto in festo Michaelis.* Neque verò hîc stetit homo ad quæque majora natus, nam paulo post ad totius ordinis clavum tenendum est adhibitus: de cujus electione sic habetur in cod. Lingon. cit. » XXI magister ordinis fuit F. Simon Lingonensis Burgundus de provincia Franciæ magister in theologia. Hic erat prior provincialis Franciæ, quando electus fuit in magistrum ordinis in cap. gen. celebrato in conventu Castrensi provinciæ Tolosanæ anno Dñi MCCCLII, octavo kal. junii in vigilia pentecostes scilicet XXV die mensis maii. Cùm enim essent XLIIII electores, in primo scrutinio XL electores vota sua direxerunt in eum, omnibus aliis non accedentibus, nec consentientibus, scilicet F. Francisco de Beluno provinciali Lombardiæ inferioris magistro in theologia, F. Parisio magistro in theologia provinciali provinciæ Provinciæ, & F. Guillelmo Grossi magistro in theologia electore pro provincia Provinciæ «. Nota hîc erratum in die electionis: nam anno MCCCLII erat aur. num. IIII, Lit. Dom. A, G, pascha VIII aprilis, pentecostes XXVII maii, ac proinde vigilia pentecostes fuit VII kal. junii non VIII, seu XXVI maii non XXV. Additur in cod. To- 1352

los. » Hic fuit scientia prædictus, in consilio provi- » dus, papæ & cardinalibus, ac dño imperatori, cæ- » terisque terrarum principibus amabiliter acceptus. » Hic legatus per dñum papam factus pro pace re- » formanda inter dños reges Franciæ & Angliæ, Spi- » ritu Sancto cooperante inter eos pacem restituit. Hic episcopatum Nivernensem per dñum papam » Innocentium VI sibi collatum recipere humilita- » tis causa recusavit. Hic fere totum ordinem visi- » tavit. Hic anno Dñi MCCCLXVI, magisterii vero » sui anno XIIII, hebdomada post octavam paschæ » in conventu Parisiensi magistratui cessit, obediens » factus dño Urbano V, qui eum episcopum Nan- » netensem in Britannia fecit, & ut episcopatum ac- » ceptaret, ei mandavit «. Fontana qui in Theatro conformiter ad relata dixerat ad infulas evectum XVII april. qui dies fuit veneris post quasimodo, idque ex libro provisionum Urbani V, id revocat in Monum. ex Olmedo dicens consecratum Dominica in passione, qua legitur epistola, *Christus assistens pontifex &c.* quæ fuit inquit XVII kal. april. Hæc sane non conveniunt. Nam anno MCCCLXVI erat num. aur. XVIII, lit. Dom. D, pascha V april. ac proinde Dñica in passione XI kal. april. seu XXII martii: aliunde XVII kal. april. seu XVI martii erat dies lunæ non Dominica. Ut igitur vitentur hæc incommoda, standum scriptori Tolosano, scilicet magistratum deposuisse intra hebdomadam *Quasimodo*, quacumque Dominica sequente consecratus fuerit. Eum ceu virum doctum ac sibi carum Urbanus V in epistola scripta IV kal. novemb. anno VII id est Christi MCCCLXIX ad Joannem ducem Britanniæ commendavit, ut habet Clar. Baluzius T. I Pap. Aven. p. 943. Recte monet idem eos falli qui eum scribunt e vita decessisse anno MCCCLXXV. Albertus Legrand noster Armoricus in Historia Gallice scripta episcoporum Armoricæ scribit Simonem Ecclesiam Nannetensem administrasse ad ann. MCCCLXXXII: Baluzius citatus vult e Nannetensi transiisse ad Venetensem annum non indicans quo id factum fuerit, & addit eumdem anno MCCCLXXXIII *ob senium infirmitatem & impotentiam sensus & corporis, quibus notabiliter erat & est notorie prægravatus, adeo ut nulli omnino regimini intendere valeat nec prodesse*, huic sedi Venetensi renunciasse initio mensis augusti in manibus Thomæ de Amanatis archiepiscopi Neapolitani & Clementis VII papæ Avenionensis nuntii in Britannia, qui auctoritate apostolica ex speciali delegatione sibi collata Henricum abbatem de Precibus huic Ecclesiæ præfecit. Quæ acta certa & omni falsi aut suppositionis specie carere præstat Baluzius, ceu ex ipso renunciationis Simonis instrumento producta. Hæc illustrabit haud dubie D. Dionysius *de Sainte-marte* in nova editione Galliæ Christianæ, ubi ad Ecclesiam Turonensem venerit: interim ne remedium diutius expectandum lectorem fatiget, id videtur certius statuendum. Simon noster Nannetensem Ecclesiam tenuit ad MCCCLXXXIII, tum duplex pactum inivit, primum cum Joanne de *Montrelaix* ab anno MCCCLXXII episcopo Venetensi, quîcum permutavit, & ei Nannetensem tradens, Venetensem ab eo accepit: alterum quo infirmitatibus senium comitantibus aggravatum se sentiens & ad Venetensis administrationem impotem agnoscens eam Ecclesiam in manibus Thomæ de Amanatis resignavit. Hoc ultimum pactum constat ex instrumento a Baluzio relato, primum verò ex eo probatur, quod Joannes de Montrelaix qui ei successit in Nannetensi non eam Ecclesiam inivit nisi anno MCCCLXXXIII, & eo usque Venetensem tenuit. Non diu postea vixisse Simonem verisimillimum, quo autem anno menseve aut die e vivis abierit, nulla mihi certa monumenta produnt. Obitus ejus in martyrologiis impressis ad VII junii ascribitur. Tumulum a se electum habuit in Ecclesia nostra Nannetensi ad cornu sinistrum majoris altaris sub tymbo æneo quem incendio quo domus nostra tota consumta est liquatum ferunt. Hæc ejus opera:

Epistolæ encyclicæ ad totum ordinem ex iis quibus affuit & præfuit capitulis generalibus datæ.

Comitia generalia XIV sub eo habita sunt, sed ab horum pluribus abfuit, de quo multæ fuerunt in ordine querimoniæ. Hinc in comitiis Perpiniani anno MCCCLX habitis a magistratu depositus fuit, patribus non attendentibus illo ipso mense a S. P. Innocentio VI legatum missum cum abbate Cluniacensi de liberando rege Franciæ Joanne I quem Anglus ceperat, & de utriusque pace conciliandа Bertiniaci ad Carnutes actu tractare, quæ sane inter causas omni exceptione majores habenda erat, ut a qua salus regni penderet. Quamobrem etiam pontifex hanc depositionem irritam & cassam declaravit, eumque in integrum restituit. Froissartus celebris historiæ Francorum scriptor de eo conventu Bertiniacensi agens Simonem ut virum magnæ prudentiæ laudat. Acta XIV capp. genn. sub eo habitorum utinam quis tandem curiosus retegat, nam omnino periisse non mihi persuaserim.

Acta legationum quas pro summis pontificibus & regibus Franciæ plures egit. Hæc haud dubie in archivis Vaticanis & regiis Galliæ & Angliæ servantur.

Ordinationes pro recto diœcesis Nannetensis regimine in synodis ab eo habitis latæ. Has dicunt in tabulario ejus Ecclesiæ etiamnum servari. Quasdam edidit Clar. D. Edmundus Martene tomo quarto thesauri novi Anecdotorum p. 961 hoc titulo:

Ex statutis Dñi Simonis quondam episcopi Nannetensis. Sunt ad XV capita, & immediate sequuntur statuta Johannis episcopi qui Simoni successit, & quidem prima data in synodo Nannetis habita anno MCCCLXXXV die jovis post festum B. Lucæ. Non omittendum quod iste Johannes habet statuto I p. 973: *Et licèt nonnulli prædecessores nostri episcopi Nannetenses, & maxime felicis recordationis dominus Simon immediatus prædecessor noster &c.* Quod argumento est Simonem jam tum e vivis abiisse.

Sermones & orationes publicæ plures. Facundus sua ætate habitus est orator & Ecclesiastes, qui auditores quo vellet impelleret: adeo ut communi parœmia diceretur, *Piscator hominum.*

F. GUILLELMUS DE LAUDUNO.

F. GUILLELMUS DE LAUDUNO Gallus Occitanus ex illustri dominorum de Lauduno gen- * 1352.
te natus, est autem Laudunum vernacule *Laudun* castrum in diœcesi Uticensi provinciæ Narbonensis quatuor circiter leucis Avenione dissitum, ibidem circa MCCLXX primam lucem vidit, juvenisque acris ingenii optimæque indolis septemdecim aut octodecim annorum nomen ordini dedit in conventu Avenionensi, sicque emicuit inter sodales, ut jam anno MCCCII theologiam in Montepessulano, ubi tum florebat studium generale Parisiensi soli secundum, publice profiteretur, quod constat ex actis cap. prov. Carcassonæ eo anno habiti, cui affuit, & in quo diffinitor sedit. Eamdem anno MCCCV legebat Avenione, quo ex munere in secundum provinciæ Provinciæ recens a Tolosana divisæ præfectum assumtus fuit: de quo sic in catalogo ex cod. Lingon. & alio Regio n. 4506, qui aliâs fuit nostrorum Aquensium. » Prior provincialis secundus » in provincia Provinciæ divisa fuit F. Guillelmus » de Lauduno, qui successit F. Joanni Vigorosi (in » munere mortuo X kal. martii MCCCV) electus in «

 » Nemauso in festo coronæ Domini (VII maii) ad » eligendum electoribus assignato A. D. MCCCV. » Erat autem tunc lector Avinionensis, fuitque con- » firmatus a magistro ordinis F. Aimerico. Provin- » ciam bene rexit annis septem, fuit autem absolu- » tus a provincialatu in cap. gen. Carcassonæ cele- » brato, & ad legendum sententias Parisius assigna- » tus A. D. MCCCXII, scilicet pro anno sequenti, ut legitur in actis: unde in cap. gen. Metis MCCCXIII eadem assignatio renovatur pro præsenti anno. In catalogo verò magistrorum in theologia, sic de eodem habetur n. 64: *F. Guillelmus de Lauduno licentiatus A. D.* MCCCXIV *die jovis post festum B. Barnabæ* (XIII junii nam erat lit. Dom. F.) Illo verò eodem anno iterum sibi eum præfecerunt suæ provinciæ Patres, sic enim in utroque codice citato. « Prior provincialis quartus in provincia Pro- » vinciæ divisa fuit F. Guillelmus de Lauduno, qui » successit F. Joanni Gobi, ante quem fuerat primo » provincialis. Electus autem fuit concorditer per » omnes electores in capitulo provinciali celebrato » apud Massiliam A. D. MCCCXIV in festo assumtionis » B. M. erat autem tunc bachalarius Parisiensis, licen- » tiatus ad magisterium per bullam Clementis V, » propter quod rediit Parisius pro expeditione sua, » nec fuit confirmatus in provincialem usque ad se- » quentem mensem aprilis, quando scilicet fuit quan- » tum ad magisterium in theologia totaliter expedi- » tus, & nihilominus rexit Parisius, postquam fuit » confirmatus usque ad festum Trinitatis (quod eve- » nit XVIII maii.) Præfuit autem ista vice secunda » in officio provincialatus tribus annis completis, » & quartus jam agebatur. Cùm autem celebraret » capitulum provinciale in conventu Arelatensi A. » D. MCCCXVII in festo B. Augustini, D. P. Joan- » nes XXII fecit eum lectorem in schola sacri pa- » latii & auctoritate ipsius D. papæ, D. F. Guillel- » mus Petri (de Godino) cardinalis Sabinensis ab- » solvit eum per literam ab officio provincialatus, » & immediate per viam compromissi factus est » provincialis F. Robertus de Fratissia de terminis » conventus Podiensis «. Eadem fere habet codex Tolosanus quem excipit Baluzius *T. I. PP. Avenion. col.* 866, cum hoc tamen discrimine, quod dicatur *ejus confirmatio dilata usque ad quadragesimam subsequentem, & quod fuit confirmatus in mense februarii in quadragesima A. D. prætaxato* MCCCXIV (nempe stylo veteri Gallico, novo MCCCXV) & tandem quod *fuit prior provincialis hac vice annis duobus cum dimidio &c.* Quæ tamen facile in concordiam revocantur, dicendo forsan confirmatum a magistro ordinis F. Berengario de Landora mense februario, sed literas confirmationis Guillelmo nostro non fuisse lectas & fulminatas nisi mense aprili: præterea codicem Lingonensem & Regium numerare annos provincialatus a die electionis 15 augusti MCCCXIV ad festum S. Augustini MCCCXVII, quo quartus annus jam inceptus erat: codicem verò a Baluzio exceptum numerare tantum a die confirmationis forsan XXVIII febr. MCCCXV ad absolutionem XXVIII aug. MCCCXVII, qui sunt duo anni cum dimidio. At certo mendum est in codice seu potius in apographo codicis Tolosani, quod sibi exscribendum curavit Baluzius, cùm dicit absolutum Guillelmum Tarascone, nam ex duobus codd. Lingon. & Reg. citatis, & in serie provincialium & in serie capp. Provinc. anno MCCCXVII non Tarascone, sed Arelate capitulum provinciale habitum constanter legitur. Rectè verò Fontanam & Altamuram arguit idem Baluzius, quod velint Guillelmum de Lauduno in magisterio sacri palatii Guillelmo Petri de Godino anno MCCCXII ad purpuram evecto immediate suffectum, cùm certissime nonnisi post F. Durandum de Sancto Porciano ad eam dignitatem evectus sit anno MCCCXVII: de quo sic Bernardus Guidonis in catalogo magistrorum in theologia citato: *Postmodum autem magister palatii fuit factus per papam Joannem XXII.* Quibus verbis magis explicatur, quod supra ex eodem retulimus factum fuisse lectorem in schola sacri palatii, nempe id de magistratu intelligendum.

Quatuor circiter annis eo munere cum omnium approbatione functus, ad sedem metropolitanam Viennensem Allobrogum ab eodem Joanne XXII evectus est anno MCCCXXI tum inquiunt ex libro obligationum archivi Vaticani absens, adeo ut XI aprilis per procuratorem jura cameræ apostolicæ pro bullis debita se soluturum promiserit, exinde sub finem anni MCCCXXVII ab eodem pontifice ad sedem Tolosanam Joannis de Convenis ad purpuram promotione vacuam translatus: de quo sic Bernardus Guidonis citatus in catalogo episcoporum Tolosanorum: *Hic successit Joanni de Convenis translatus de sede Viennensi, & factus archiepiscopus Tolosæ per provisionem & ordinationem Joannis papæ XXII in jejuniis quatuor temporum adventus,* ac proinde XVIII dec. ipsa die creationis cardinalium, vel saltem sequenti sabbato. Hanc Ecclesiam octodecim annis prudenter ac strenue rexit, illudque memorabile quod narrat Baluzius citatus col. 612: *Tolosæ anno* MCCCXXVII, quod intelligas stylo veteri Gallico ante pascha MCCCXXVIII *Guillelmus de Escalquencis consul ejusdem urbis exequias suas vivus celebrans in Ecclesia FF. Prædicatorum posuit se in feretro, & mox peractis funeris solemnibus, feretrum cum corpore apportatum fuit tanquam sepulturæ demandandum, & prope majus altare depositum. Et inde cum collegis suis domum repetit, & ibi prandio funebri donati sunt. Aberat tum Guillelmus de Lauduno archiepiscopus Tolosanus. Is verò paulo post redux novitate rei commotus, convocavit synodum suorum suffraganeorum & omnium abbatum suæ provinciæ, ibique decretum est sub pœna excommunicationis, ne quis deinceps talia superstitiosa præsumeret.* Quæ sic refert Guillelmus Bardinus Histor. Chronologica parlamentorum linguæ Occitanæ: » Tandem archiepiscopus « noster jam cæcus effectus, videns se non posse « pontificalia officia exercere, renunciavit Eccle- « siæ suæ in manibus papæ Clementis VI, qui ei « assignavit certam pensionem super proventibus « dictæ Ecclesiæ per ipsum quandiu viveret perci- « piendam, qui etiam post vixit pluribus annis &c «. Sic totidem verbis auctor vitæ primæ Clementis VI apud Baluzium citatum, qui in notis col. 867 hæc accurate commentatur. Docet enim ex litteris ipsius Guillelmi editis in appendice conciliorum Galliæ Narbonensis pag. 180 illum fuisse adhuc archiepiscopum Tolosanum anno MCCCXLV die tertia junii: rursus certum esse ex lib. 4 epist. 437 Clementis VI Raimundum de Canilhaco ejus Tolosæ successorem eodem anno fuisse consecratum: ex quibus evincit Guillelmum nostrum abdicasse eodem anno post tertiam junii, vel ut habet noster Percinus *hist. conv. Tolos.* pag. 74 b, post XIII junii, quo die concessit collegis gymnasii Narbonensis petente Gosberto Arelatensi archiepiscopo facultatem exomologesis faciendæ capellanis ejusdem gymnasii. Quod autem dicitur pluribus annis postea vixisse, quam verum sit docet idem Baluzius, quia superstes adhuc erat & in vivis quinta augusti MCCCLII quo quatuor capellanias in Ecclesia de Lauduno loco suo natali fundavit. Instrumentum fundationis sic incipit: *I. N. D. A. Anno ab incarnatione ejusdem* MCCCLII *indictione* V *& die* V *mensis augusti pontificatus SS. in C. P. & D. Clementis divina providentia papæ Sexti anno* XI. *Noverint universi, &c. quod nos F. Guillermus de Lauduno mise-*

ratione divina episcopus, olim archiepiscopus Tolosæ cultum nominis sanctæ & individuæ Trinitatis, &c. apud Baluzium col. 869 legenda. Non omittenda tamen ista sub finem: *Item quod dicti capellani ponantur & assignentur in dictis capellis seu capellaniis, cùm removendi fuerint, per nos, & post nos præsententur episcopo Uticensi per nobilem virum nepotem nostrum carissimum Dominum Raimundum de Lauduno militem dominum Castri de Lauduno Uticensis diœcesis, & successores suos dominos dicti castri. Cui D. Raimundo nepoti nostro & successoribus suis dominis seu domino dicti Castri de Lauduno damus & concedimus omne jus patronatus dictarum capellaniarum &c.*

Iste Raimundus qui Mariam de Agrifolio anno MCCCXCII absque liberis mortuam & Guillelmi cardinalis de Agrifolio sororem germanã duxerat uxorem, vivebat etiamnum XVII novemb. MCCCXCVII, & filius fuit Guillelmi de Lauduno domicelli, & iste Guillelmus filius Domini de Lauduno fratris nostri archiepiscopi, & Maragdæ de Castronovo ejus conjugis, quæ amita erat Dalphinæ de Castronovo uxoris Nicolai de Judicia nepotis Clementis VI. His quæ ex veteribus instrumentis eruit Baluzius, idem nobilitatem gentis de Lauduno evincit, de qua præterea legendus Joannes Columbi S. J. *de rebus gestis episcoporum Vasionensium lib.* 2 *n.* 20, ubi de Willelmo de Lauduno sedis ejus episcopo.

Post abdicatam dignitatem archiepiscopus noster in conventum suum Avenionensem se recepit, quem magnifico quod etiamnum visitur claustro ut aiunt seu peristylio auxerat, in eodemque octogenario major obiit, fuitque in eodem in tertio ad sinistram intrantibus templi sacello sepultus, ut ex gentilitia ejus tessera ad hæc tempora extante agnoscitur, sepulcro vicissitudine temporum penitus abolito. Quo autem annò post MCCCLII, quove mense ac die e vivis abierit, mirum est nec in ipsis conventus Avenionensis monumentis memoriam superesse. De eo agunt nostri Fontana in *Theatro* & Altamura ad 1348, uterque *Gavantum* nuncupantes, quod agnomen falsum proscribit Baluzius, cujus certe nulla est in antiquis monumentis memoria, sed & ambo ex supra relatis præsertim quoad chronologiam magistrorum sacri palatii prorsus emendandi: F. Joannes Mahuet in *Prædicator. Avenion*, pag. 38 & F. Joannes Jacobus Percin. *Hist. conv. Tolos. pag.* 74 merito legendi ob plura quæ uterque habet scitu digna.

Plura scripsisse Guillelmum non dubitaverim, quem Clemens VI *lib* 4. *epist.* 171 vocat *virum multorum meritorum & eminentis scientiæ*, sed quænam illa sint nemo distincte refert, nam quos ei sermones tribuit Buluzius alioquin accuratissimus ex Elencho codd. MSS Belgii apud Sanderum *par.* 1 *pag.* 181 & 356, & *par.* 2 *pag.* 83, sunt nostri Guillelmi Peraldi de Lugduno seculo integro antiquioris, ut legenti patet. Equidem *pag.* 129 *par.* 1 laudantur *Sermones F. Willelmi de Lauduno de Dominicalibus evangeliis. Pr. Dicite filiæ Sion*: Sed erratum esse typorum vel notarii suspicor & *de Lauduno* scriptum pro *de Lugduno*. Itaque illius nihil mihi certi præter acta plura eaque memoranda.

1. Anno MCCCXVI vel XVIII jam magister sacri palatii unus fuit ex theologis, quorum sententiam rogavit Joannes XXII de controversiis quæ inter Franciscanos magna contentione agitabantur propter vestes curtas & strictas Fratrum spiritualium, & propter res usu consumtibiles. Vide Baluzium *Miscellan. lib.* 1. *p.* 270.

2. Anno MCCCXIX unus fuit ex octo theologis ab eodem pontifice delegatis, qui de postilla super Apocalypsim F. Joannis Olivi Franciscani judicium doctrinale ferrent, quod & litera communi ad pontificem data retulerunt. Vide ibidem *pag.* 213.

3. Anno MCCCXXIII jam archiepiscopus Viennensis ab eodem pontifice nuncius cum F. Dominico Tolosano postea episcopo Appamiensi, de quo supra, missus est in Galliam, ut regi Carolo IV bellum sacrum suaderet, Parisiisque etiamnum aderat initio anni MCCCXXV, quo in convocatione vigintitrium sacræ facultatis magistrorum, baccalaureorumque triginta novem cum decano & capitulo ecclesiæ Parisiensis interfuit, & consilio communi consensu ab iis habito & subscripto sigillum suum etiam apposuit. In eo autem a Stephano de Borreto Parisiorum episcopo postulabatur cujusdam sententiæ anno MCCLXXVII a Stephano Templier item Parisiensi episcopo in quosdam articulos latæ revocatio in quantum S. Thomæ doctrinam lædere videretur, *quem universalis Ecclesia lumen præfulgidum, universitatis Parisiensis speculum clarissimum, vera vita & sancta doctrina vias ingredientibus stellam splendidam & matutinam iter ostendentem ac dirigentem omnes agnoscerent. Cui consilio acquiescens episcopus eodem anno* MCCCXXV *die Jovis ante cineres præfatam prædecessoris sui sententiam revocavit, ac sanctum doctorem nihil unquam sensisse, docuisse seu scripsisse, quod sanæ fidei vel bonis moribus adversetur, compertum declaravit.* Cujus judicii non solum in S. Thomæ sed & in eorum qui tulerunt gloriam non parvam redundantis Guillelmo nostro actori non exigua laudis portio debetur. Vide *Histor. univers. Paris. T. IV. p.* 205.

4. Annò MCCCXXV ab eodem pontifice rursus missus est in Galliam nuncius cum Hugone episcopo Arausicano ad constituendam pacem inter Carolum IV & Eduardum II reges Franciæ & Angliæ, & constituta quidem fuit pax, sed parum duravit. Itaque cùm recruduisset discordia occasione divortii inter Isabellam reginam Angliæ Caroli IV sororem & Eduardum ejus maritum, iidem antistites anno sequenti re cum cardinalibus communicata a Joanne XXII rursus missi sunt in Angliam, qui primo pacem studerent facere inter regem & reginam, & secundarie inter reges, sed exacerbatis nimium animis re infecta redierunt. Sic accuratus Baluzius *Pap. Aven. T I col.* 867 ex Odorico Rainaldo ad annum 1326 n. 21; & ex Walsinghamo ad 1325.

5. Anno MCCCXXIX auctoritate Joannis XXII academiæ Tolosanæ statuta præscripsit in ejus archivis servata & hactenus sedulo custodita. Vidit noster Percinus laudatus, & *opus. de academia pag.* 155, literas Joannis XXII ad nostrum archiepiscopum datas Avenione XII Kal. Aug. Pontif. XIII refert.

6. Præbendarios quatuor propterea S. Dominici dictos in metropolitana ecclesia Tolosana instituit & fundavit X septemb. MCCCXL, ut refert Percinus citatus: fundavit etiam capellam in ecclesia FF. Prædicatorum B. Mariæ de Crolis in diœcesi Aquensi, quæ nunc dicitur S. Maximini, ut habet Baluzius citatus *col.* 868, ex bulla Gregorii XI edita apud Rainaldum ad 1376 n. 24.

7. Quod nostri maxime est instituti, in veteri instrumento conventus Avenionensis sic legitur: *D. F. Guillelmus de Lauduno archiepiscopus Tolosanus ordinis Prædicatorum frater conventus dicti ordinis loci Avinionis donavit dicto conventui donatione inter vivos retento usu ad vitam cunctos libros in instrumento donationis designatos &c.* Sic refert Mahuet citatus *pag.* 42, & habet etiam Baluzius *col.* 869.

Sæc. XIV.

F. FRANCISCUS DE BELUNO.

† 1352. F. Franciscus de Beluno a patria sic nuncupatus, quæ civitas est in Marchia Tarvisina ditionis Venetæ, professione verò conventus Tarvisini alumnus, vir fuit pietate, doctrina, ac disciplina regulari clarissimus, cujus & in actis capp. genn. celebris est mentio. In Londinensi anni MCCCXXXV sic de eo legitur: » Facimus vicarium » generalem in provincia Hungariæ F. Franciscum » de Beluno de provincia Lombardiæ inferioris usque ad sequens capitulum generale: & volumus » & ordinamus, quod Fratres provinciæ Hungariæ » capitulum non celebrent, donec dictus F. Franciscus eorum vicarius in provincia Hungariæ præsens extiterit, & tam de loco quam de tempore provincialis capituli nunc instantis ordinaverit, » prout judicaverit expedire. Quod si secus actum » fuerit, totum capitulum & quicquid in eo fieret, » esse volumus irritum & inane «. Et in sequenti Brugis Flandrorum anno MCCCXXXVI: » Item ordinationes quas F. Franciscus de Beluno vicarius » generalis in provincia Hungariæ per præcedens » capitulum generale Londoniense institutus fecit » in dicta provincia Hungariæ approbamus & confirmamus, & vult magister ordinis de diffinitorum consilio & assensu, quod in suo vigore maneant, donec per ipsum magistrum correctæ fuerint vel mutatæ «. Quæ quantæ jam tum in ordine auctoritatis esset & famæ satis arguunt. Cùm verò eruditione & doctrina emineret, sic in Carcasson. anni MCCCXLII: *Item quantum nostra interest assignamus ad legendum sententias Parisius anno sequenti F. Franciscum de Beluno de provincia Lombardiæ inferioris.* Quod renovatum in sequenti Parisiis anno MCCCXLIII: *Assignamus ad legendum sententias Parisius anno isto F. Franciscum de Beluno de prov. Lombard. infer.* Revera in catalogo magistrorum post Bernardum Guidonis aucto recensetur n. 105 in cod. Lingon. Exinde in Lugdunensi anni MCCCXLVIII datus est in sua Lombardiæ inferioris provincia vicarius generalis, & eodem anno ejusdem electus est prior provincialis, quo titulo comitiis ordinis anno MCCCLII Castris habitis, in quibus electus Simon Lingonensis de quo mox affuit, cui tamen nec votum suum contulit, nec post electionem fere unanimem consentire voluit, ut supra relatum, ubi de *Simone*. Quantum postea vixerit, certi quid non inveni. Altamura refert ad 1375, Rovetta ad 1362: utrumque emendat F. Cherubinus Torni Venetus, quod Forlanum dixerint seu de Forolivio, cùm Belunum sit extra provinciam Forilivii. Hæc ejus scripta:

Commentaria in Genesim, Job & Tobiam.

Quæ MS Bononiæ ad S. Dominici servari, cum variis ejusdem aliis opusculis asserit Rovetta.

F. ALEXANDER DE PADULA.

* 1352. F. Alexander de Padula provinciæ Regni Siciliæ alumnus sub Clemente VI claruit, a quo generalis fidei contra hæreticam pravitatem inquisitor institutus est in regno Neapolitano sub regibus Ludovico & Joanna I anno MCCCLII. Videsis compendium Vallii, ubi habetur diploma dicti regis & reginæ hoc anno in favorem dicti Alexandri datum. Toppius ejus meminit in Bibl. Napol. Nulla tamen ejus profert opera, nisi acta ejusdem ut inquisitoris in operum numero habuerit.

F. BOETIUS DACUS.

F. Boëtius Dacus nempe ex provincia ordinis quæ Dacia in antiquis ordinis monumentis appellatur, & Daniam, Sveciam, Norvegiam complectebatur, laudatur a Leandro fol. 153 & a Lusitano, ab utroque omisso quo claruerit anno, a Pio verò & ab Altamura refertur ad 1353: diciturque scripsisse * 1353.

Super Aristotelis libros de sensu & sensato, de morte & vita, de somno & vigilia.

Item de æternitate mundi.

Quæ ubinam serventur nemo aperit. Mihi Victorinam scrutanti occurrit cod. 723 fol. par. memb. *Summa Boëtii Daci & Petri Daci* nempe rerum logicarum, sed hi non videntur ordinis ullius regularis.

F. MARTINUS DE BITONTO.

F. Martinus de Bitonto Apulus a patria Butonto sic nuncupatus, a Vallio in compend. p. 353 ex solo nomine laudatus, ceu cujus etsi viri illustris gesta ei fuerint incognita, ab Altamura ad 1353 recensetur, ut a quo hæc prodierint opera * 1353.

De peste.

De regni Neapolitani ærumnis ad Ludovicum regem Hungariæ.

Commentaria in logicam, physicam & metaphysicam.

Altamuræ de suo gentili scribenti facile assentiant omnes, unum tamen desideraretur, ut ubi hæc serventur MS vel impressa monuisset, quod utinam hîc addant Symmystæ.

F. HENRICUS DE CERVO.

F. Henricus de Cervo vel *Cervi* Coloniensis primus est e tribus ejusdem nominis Teutonibus, quos unâ simul junxit Lusitanus Bibl. p. 104, & circa 1355 floruisse asserit, hunc sacræ theologiæ magistrum asserens & scripsisse 1355.

Lecturam brevem & pulcram super libros IV sententiarum.

Excipiunt Razzius, Pius, Fernandez, Altamura ad 1352, & Federicus Steil in Ephemer. Domin. ad 20 novemb. p. 180.

F. CONRADUS DE SAXONIA.

F. Conradus de Saxonia hîc recensetur ex fide F. Petri de Alva pluries jam laudati, qui Sol. Verit. Rad. 137 col. 1246 & 1251 testatur a Joan. Bundero nostro numerari in sua Bibl. MS fol. 103 ceu qui scripserit * 1355.

Chronicon ab initio mundi ad Innocentium papam VI

Quo proinde sedente auctor claruerit. Chronicon hoc sua ætate Bunderus indicat fuisse in abbatia S. Jacobi Leodii, & ibidem apud Cruciferos. Apud ultimos se non invenisse ait Alva, sed in Abbatia dicta S. Jacobi se vidisse codicem MS memb. in 4. Pr. *De Summa deductione &c.* Cujus grande fragmentum affert octavi memorabilis, quod anno XVII Octaviani Augusti vel circiter accidit, scilicet *Nativitas B. Virginis*, ubi sententiam S. Thomæ de ejus conceptione auctor dicit tenendam secundùm fidem catholicam, & aliter opinantium objecta diluit. Addit Alva codicem hunc MS præferre quidem nomen F. Conradi de Saxonia ceu

ceu auctoris, sed non subjungi cujus ordinis fuerit, seque ignorare, cur Bunderus nostrum dixerit, nisi quod eam de conceptione Virginis sententiam nostris communem defenderit: quod tamen addiderim ego infirmum argumentum. Præterea ejusdē *Sermones* MS in eadem S. Jacobi abbatia vidit Alva, legitque specialim de purificatione, annunciatione & assumtione B. V.

Hunc verò scriptorem quem ord. Prædic. astruit, diligenter distinguit Alva ab alio F. Conrado de Saxonia ord. Minor. a Turrecremata, Bandello &c. laudato, qui *Holxingarius* nuncupabatur ex cognomine, & composuit sermones de tempore & de sanctis servatos aliâs Basileæ apud Minores, quorum meminit idem Bunderus in Ind. cit. quos & ipse Alva reperit in Hispania in Bibl. Reg. Scorial. Pl. VI E 2. Pr. *Mitte manum tuam de alto. Ecce carissimi &c.* & apud PP. Soc. Jes. Bruxellis, & Augustæ Vindel. in S. Walderici. Hujus Conradi Minoritæ est opusculum super salutatione Angelica inter opera S. Bonaventuræ editum. Hæc Alva hactenus, penes quem fides.

In Bibl. S. Antonii. Patavii Num. XXI Evang. Prædic. Ord. I extant *Sermones F. Corradi de Saxonia* in 4 memb. laudati a Tomasino in Bibl. Patav. p. 60: cujus sint an Prædicatoris an Minoris discutiant gentiles.

Florentiæ ad S. Mar. Annunc. Servit. cod. 29 MS laudantur *F. Corradi ordinis Prædicatorum sermones quadragesimales.* An sint hujus Saxonis, an alterius vel antiquioris vel recentioris doceant curiosi nostri Florentini, & hic addere velint.

F. JOANNES SUILKILFRANS.

1355. F. JOANNES SUILKILFRANS Teuto vir eruditus ad ann. MCCCLV clarus a Lusitano ex fide Alberti Veneti recensetur, quem nostrates omnes excipiunt. Hæc ejus opera:

De practica veritate tractatus juxta ordinem alphabeti ab A ad M.

Postilla super Job & super VII *canonicas.*

Sermones de tempore & de sanctis.

F. GERARDUS A SANCTO LAURENTIO.

1355. F. GERARDUS A SANCTO LAURENTIO Teuto patria & professione Coloniensis ad hunc etiam annum MCCCLV clarus exhibetur a Lusitano ex eodem Alberto Veneto, diciturque vir pietate docta & doctrina pia imbutus. Idem testatur Fridericus Steil in Ephemer. Domin. ad 30 novem. ex Bibl. inquit & Monum. conventus Colonien. Scripsisse dicunt

Sermones de tempore & de sanctis.

F. NICOLAUS DE HARCILECH.

1355. F. NICOLAUS DE HARCILECH Teuto Brisgavus patria & professione Friburgensis, vir gravis & doctrina præstans eodem teste Lusitano circa hunc annum MCCCLV claruit. Hæc ejus opera laudantur

Commentarius super epistolam Judæ.

F. RICOLPHUS COLONIENSIS.

1355. F. RICOLPHUS COLONIENSIS Teuto theologus insignis ad hunc eumdem annum MCCCLV clarus a Lusitano Albertum Venetum excipiente profertur, sed ab Altamura revocatur ad 1334, penes quos fides, nam nulla ejus mihi aliunde notitia. Scripsisse dicunt

Super IV *libros sententiarum.*

F. HERMANNUS AUGUSTANUS.

F. HERMANNUS AUGUSTANUS Teuto a patria & professione sic nuncupatus a Lusitano ad annum MCCCLV claruisse dicitur, quem excipit Possevinus, sed Pio & Altamuræ ad 1356 differre visum est. Scripsisse dicunt 1355.

De cognitione creata sensitivâ & intellectivâ.

Quodlibeta plurima, compluresque quæstiones.

F. HUMBERTUS DELPHINUS II.

F. HUMBERTUS DELPHINUS hujus nominis II, Joannis II Delphinatum principis, & hujus consortis Beatricis ex regia Hungarorum stirpe filius, anno MCCCXII natus, ac anno MCCCXXXIII Guigonis fratris sui primogeniti hæres, unico filio suo Andrea orbatus, prolemque deinceps nullam sperans, ad posterorum memoriam nominis sui propagandi viam certam adinvenit, ditionem suam omnem coronæ Franciæ donatione pura & liberali ea lege conjungendo, ut regum Francorum primogenitus Delphinus appellari teneretur. Ista ut & priora principis hujus præclare gesta, amorem erga subditos quos sanctissimis legibus rexit, pietatem erga Deum, ecclesias, domosque religiosas, plures a fundamentis erigendo regieque dotando, virtutem bellicam adversus christiani nominis hostes, quos exercitus a summo pontifice collecti dux ab eodem & imperator constitutus strenue aggressus est, fusius narrant historici, quos adeat lector curiosus, cùm his immorari diutius nostri non sit instituti. Solam ejus ad ordinem vocationem & exinde ab eo acta referre est animus, præsertim cùm parum accuratos in chronologia saltem plerosque repererim scriptores. Hæreditarium erga familiam nostram Humberto fuisse affectum hinc infero, quod parens ejus Joannes II confessarium ex nostris habuerit F. Pontium de Trefortio, moriensque sub finem februarii anni MCCCXIX stylo novo mille librarum summam ecclesiæ nostræ Gratianopoli exstruendæ ac complendæ legaverit. Ipse Humbertus mortuo anno MCCCXXXIII Guigone fratre, e regno Neapolitano, ubi neptem regis Siciliæ, filiam scilicet ejus sororis, duxerat conjugem, redux mense decembri, mox ut principatum iniit, arbitrum conscientiæ jam habebat priorem domus nostræ Gratianopolitanæ F. Joannem de Cors virum gravissimum juris utriusque doctorem, quem subinde anno MCCCXXXIV ad episcopatum Tiniæ titularem suis curis promotum ab omnibus consiliis & cancellarium habere voluit: eodemque postea a Benedicto XII ad sedem Tiburtinam in Campania Romana translato, & ad sponsam suam sub finem Martii MCCCXLII pergente, in munere confessarii ei suffecit ac sibi delegit domus itidem nostræ Gratianopolitanæ priorem F. Joannem Revolli Auraicensem seu Arausicanum paulo post episcopum. Sacellum principis administrabant duo ex nostris, titulo capellanorum in rationibus ejus familiæ insigniti. Anno MCCCXLII elegans & in amœno loco situm ad Gratianopolim castrum suum Montisfluriti, quodque frequentius incolebat, in monasterium convertit ac erexit, in quo quater viginti filiæ nobiles sub ordinis habitu ac constitutionibus degerent, ad sacra eisdem ministranda sex additis nostris sacerdotibus, quem sanctimonialium numerum ad sexies viginti postea auxit in literis ad portum Massiliæ in insula quadam jam iter aggressus pro expeditione adversus Turcos 2 sept. MCCCXLV datis, & iterum ad centum sexaginta moniales cum tredecim Fratribus sacerdotibus sacra illis ministraturis in testamento a se Rhodi januario MCCCXLVII 1355.

SEC. XIV. confecto, sed tandem ad septuaginta cum decem Sororibus conversis ad earum ministerium deputatis reduxit, & regie dotavit. Devinctissima eidem Delphino fuit cum nostro B. Venturino de Pergamo cujus supra ad ann. 1346 ardentissimum divinæ gloriæ studium expressimus, familiaritas: hic tum jussu Benedicti XII patria & tota Italia exulans & in partibus Occitaniæ detentus, Delphinum XXVI martii MCCCXLII convenit in municipio quod ad Rhodanum Sancti Spiritus dicitur, nec dubium quin tum plurimum excitarit ad expeditionem in Turcos pro Terræ-sanctæ recuperatione suscipiendam, quam tum summus pontifex meditabatur: cùmque tandem anno MCCCXLV Delphinus pro votis suis a Clemente VI exercitus Christiani eo profecturi imperator declaratus est, eidem Venturinus adjunctus est, qui zelo suo ac facundia milites in officio contineret, & concionibus suis apud earum regionum christianos, vel etiam infideles viam pararet. Ea ex expeditione post inducias cum Turcis jussu pontificis pactas reversus Delphinus, aucta XXVI junii MCCCXLVIII monasterii Montisfluriti dote, insuper eodem contractu, ut aiunt J. C. cum magistro ordinis F. Garino de Giaco, præfecto provinciæ Franciæ F. Guillelmo de Castro Reginaldi, & aliis primoribus nostris convenit, ut Gratianopoli in domo nostra semper adessent quadraginta sacerdotes, quorum viginti quatuor theologiæ forent studentes cum lectore, ac præterea decem juvenes Fratres clerici, eorumque sustentationi eleemosynam constituit a monasterio præfato singulis annis recipiendam. Hæc omnia sane maximum ejus erga ordinem affectum demonstrant, præsertim cùm in testamento Rhodi confecto edixisset, si fortè in ea expeditione moreretur, velle se in veste Dominicana sepeliri. His tamen non obstantibus cùm primùm de deserendo seculo deliberavit religioneque amplexanda non nostram cogitasse ferunt sed Cartusianam. Movebat forsan ejus avi Humberti I Delphini exemplum, qui mortua uxore in eremo Cartusiana habitu induto & institutum professus abdiderat sese & mundo valedixerat. Quod monendum fuit, ut non nostrorum persuasionibus, sed ipsius magnæ Cartusiæ præpositi F. Joannis Birel consiliis, ut habent graviores rerum Delphinatus scriptores, ad nos accessisse certum maneat. Res sic exitum habuit.

Jam ab anno MCCCXLIII plura fuerant Philippum VI Valesium inter & Humbertum Delphinum de hujus cessione in regis gratiam pacta conventa, nulla tamen & cassa hactenus fuerant omnia, at tandem anno MCCCXLIX Lugduni in domo nostra convenientibus Joanne Normaniæ duce Philippi dicti primogenito & Carolo principe ejusdem Joannis filio natu majore, Humbertus ibidem præsens XVI julii abdicavit, ac dicto principi Carolo principatum suum dedit, sceptro, annulo, gladio Delphinatus antiquo, & vexillo S. Georgii collatis, tradidit ac firmo, fixo, irrevocabilique pacto cessit, cui solemnissimo actui præter magnates ecclesiasticos & seculares aderant ex nostris F. Joannes Revolli episcopus Arausicensis Humberti confessarius supra laudatus, & F. Simon de Lingonis Sacræ facultatis Parisiensis magister vir Francorum regi acceptissimus, qui anno sequenti MCCCL Franciæ provincialis electus anno MCCCLII ad totius ordinis regimen assumtus est. Prædicta cessione facta Humbertus deinceps Delphinus senior dictus, altera die scilicet XVII julii in eadem domo nostra Lugdunensi habitum ordinis e manibus prioris induit, seque ex ea hora Fratrem Humbertum in omnibus actis signavit. Cùm autem multa illi superessent de rebus suis ordinanda, cœnobii Lugdunensis limitibus non se clausit, sed mox in Delphinatum reversus, ad Castrum Bellivisus quod sibi reservarat, & in conventum ordinis tum erigere meditabatur, cum pluribus nostris se contulit, queis cum juxta legum nostrarum formam sic convivebat, ut rationibus suis expediendis, debitis præsertim solvendis attentus invigilaret. Hæc etiam ibidem ab eo præcipua feruntur acta, primo monasterium Sanctimonalium ordinis Cisterciensis apud sanctum Justum erigendum constitutum literis XXV octob. MCCCXLIX datis, idque in gratiam matris suæ Beatricis, quæ mox ut vidua fuerat hoc institutum amplexa erat, quod monasterium e priori loco translatum nunc in oppido *Romans* dicto existit. Testes in literis laudantur ex ordine Prædicatorum Fratres Hugo de Riaano seu potius de Riomo, ut legitur in sequentibus, Joannes de Remorantio, & Stephanus de Berna, qui videntur ejus fuisse in dicto castro Bellivisus convictores. Secundo, quo erat propagandæ fidei zelo, cum in dicto Castro conveniente magistro ordinis F. Joanne de Molendinis illo ipso anno electo sic cum eo pepigit *Illustrissimus princeps F. Humbertus Dalphinus Viennensis antiquior ejusdem ord. Præd. Frater*, (ita legitur in literis) ut præter septuaginta septem studentes in theologia, qui ordinarie Parisiis in Gymnasio nostro Sanjacobeo ex omnibus provinciis ordinis assignati degebant, quorum triginta sex erant ex provincia Franciæ, ex qualibet verò aliarum provinciarum duo vel tres, centum & viginti superadderentur, in iis non computatis magistris in theologia, baccalaureo ullo vel Biblico, nec disposito, (fortè intelligebat dispositorem studentium, ut vocatur in codice Victorino 762, quo nomine intelligo quem vocant magistrum studentium, qui revera gradus erat & etiamnum est disponentis se ad lectionem sententiarum & ad magisterium) nec aliquo sociorum prædictorum, nec aliquo Fratre conventuali, nec noviitiis, nec conversis. Hos autem sexies viginti supernumerarios ex singulis provinciis addendos studentes sic distinguebat, ut decem essent ex Hungaria, octo ex Polonia, quatuor ex Bohemia, octo ex Dacia, sexdecim ex Græcia & Terra-sancta, octo ex Saxonia, octo ex Teutonia, & totidem ex Hispania, ex Anglia quatuor, ex Scotia duo, ex Aragonia sex, ex Francia sex, ex Tolosana octo, e provincia Provinciæ octo, ex quaque provinciarum reliquarum Lombardiæ superioris, Inferioris, Romana & Regni Siciliæ quatuor, qui simul juncti cum septuaginta septem ibidem ab antiquo assignari solitis, adjectis tribus ex quacunque provincia ad nutum & ex speciali gratia magistri ordinis vel provincialis Franciæ assignandis, numerum studentium in theologia ducentenarium efficerent & complerent, ac tribus annis continuis ibidem in studio morari tenerentur. Volebat autem ut sexdecim ex provinciis Græciæ & Terræ sanctæ assignandi Græce scirent, & ex eis quatuor ita periti essent, ut Græcam linguam alios docere possent: *Si tamen de dictis provinciis non invenirentur semper futuris temporibus tot Fratres ad mittendum Parisius adhoc apti, quod provinciales dictarum provinciarum possent eo tunc Fratres juvenes & pueros recipere & eligere scientes loqui Græcum ad mittendum Parisius usque ad dictum numerum inclusive, & quod dicti juvenes possent studere Parisius sine dicti temporis præsumtione, donec sufficientes in theologia lectores existerent, idonei ad prædicandum in dictis provinciis verbum Dei, & statim post ad prædicandum in dictis suis provinciis remitterentur omni excusatione remota.* Huic autem supra numerum solitum sexies viginti studentium Dalphinalium nuncupandorum accretioni alendæ & sustentandæ *dedit & assignaturum* se promisit *in redditibus seu obventionibus*

tria millia florenorum in regno Franciæ annis singulis dicto conventui persolvenda, & insuper *pro vestiario dictorum studentium Dalphinalium addebat quingentos florenos auri annis singulis in festo omnium Sanctorum solvendos, videlicet cuilibet studenti quatuor, ita ut de viginti florenis qui superarant, fieret solemnis pitantia singulis annis quandiu ille viveret in festo S. Catharinæ, eo autem mortuo in anniversario die.* Et hic quidem contractus initus est in dicto castro Bellivisus 1 decemb. anni dicti MCCCXLIX astantibus cum magistro ordinis viris ejusdem primoribus FF. Joanne Batailhardi, Joanne de Nantuaco, Petro Methini, Helia Raymundi qui postea fuit magister ordinis, Joanne Garnandi de Pontevelæ, Hugone de Riomo. At verò consilium tam sapienter excogitatum tantoque principe dignum præmatura ejus morte incassum abiit.

Licèt Humbertus Lugduni XVI julii dicta principatum abdicasset, id tamen toto eo anno nondum publice ac rite suis subditis in ipso Delphinatu edixerat, quod tamen ad tam grande opus perficiendum plane necessarium erat. Itaque anno sequenti MCCCL Gratianopolim accessit, ibidemque in domo nostra existens prima februarii nobilibus Delphinatibus ea de causa convocatis palam declaravit Delphinatum se & alias terras suas sub certis conditionibus in principem Carolum transtulisse, cui juramentum fidelitatis præstare, ac ceu domino suo unico deinceps obedire tenerentur. Exinde ubi toto illo anno steterit F. Humbertus non notant diaria, sed in castrum suum Bellivisus secessisse verisimilius. Die XVII junii MCCCL Carolo novo Delphino Morasii in Delphinatu agenti nunciatum est Humbertum habitum Prædicatorum ejus mensis XIV dimisisse, at falsus nuntius inventus est, nam ex quo semel induit, de eo exuendo unquam deliberasse nulla est in actis memoria. Sub finem hujus anni rebus suis majori ex parte confectis Delphinatum tandem reliquit nunquam reversurus, Avenionemque intravit mense decembri, ubi religionis votis se astrinxisse narrant. Certum in festo natalis Domini XXV decemb. sacros ordines Clemente VI conferente suscepisse, de quo sic in suis *memorabilibus* per modum Diarii scriptis ejus quandiu rexit notarius Humbertus Pilati: *Item in die Nativitatis Domini D. Humbertus Dalphinus ordinatur in missa media noctis per D. N. P. Clementem VI, celebravit missam primam, paulo post fuit factus patriarcha Alexandrinus, & consecratus per D. N. PP.* Quæ alii sic distinguunt, ut in missa mediæ noctis subdiaconus, in missa auroræ diaconus, & ad majorem missam presbyter ordinatus, tandem die circuncisionis sequenti patriarcha consecratus fuerit. Pergit idem notarius: *Item die XXIII februarii* (MCCCLI) *ipse D. Humbertus consecravit D. Rodulphum de Chissiaco episcopum Gratianopolitanum.* Ubi nisi sit erratum typorum & scriptum XXIII pro XX quæ erat Dominica (nam erat anno MCCCLI lit. Dom. B.) vel pro XXIV festo S. Matthiæ, id factum fuerit extra ordinem & cum dispensatione summi pontificis, cùm dies XXIII esset feria IV, nec ritus ecclesiasticus consecrationes episcoporum extra Dominicam vel festa apostolorum fieri patiatur. Prosequitur idem notarius: *Item subsequenter anno eodem fuit sibi commissum regimen & administratio Ecclesiæ & archiepiscopatus Remensis.* Ex tabulis Ecclesiæ Remensis, & ex inscriptione tumulis archiepiscoporum Remensium, ejus prædecessorum duorum insculpta habetur Joannem de Vienna obiisse XIV junii MCCCLI, hujus successorem Hugonem d'Arcy obiisse XVIII Febr. MCCCLI stylo veteri, novo CCCLII. Itaque Humbertus non potuit ante XIX febr. MCCCLII ad eam administrationem promoveri. Hinc colligo illum Avenione Parisios advenisse anno MCCCLI, & in domo nostra Sanjacobea deinceps potissimam sedem fixisse, amplissima enim tum erat, ac duplo minimum aut etiam triplo major quam nunc sit, pluraque ædificia hortosque spatiosos continebat, quæ paulo post ob bellum Anglorum deductis & erectis per medium claustri muris urbis resecata sunt. Certe apus eos servabantur *omnia ejus jocalia, ornamenta pontificalia, & capellæ, libri, lecti, aliaque omnia & singula bona mobilia*, ut constat ex ejus testamento ultimo, quod frequentiorem & ordinariam apud eos mansionem innuit. Extat instrumentum Parisiis XII sept. MCCCLII actum, quo Petrus dux Borbonii suas in saltu Vicennarum domos ei ad vitam concedit, quod eum tum in ea urbe degisse arguit. Ex quo tamen Remensis Ecclesiæ administrationem suscepit, identidem eo se contulisse probant instrumenta plura. Laudatur charta, qua confratriam S. Agnetis apud Eremitas Augustinianos erectam confirmat, data in castello Portæ Martis Remensi IX maii MCCCLII. Altera scripta ad priores de Monte Dei & de Chancio in eodem castello data XX febr. MCCCLII stylo utique veteri Remis ut supra jam notatum, ut & in his regionibus usu recepto, novo MCCCLIII. Sed nec aliter intelligi potest, cùm enim ejus decessor, ut animadversum supra, Hugo d'Arcy non mortuus sit nisi XVIII febr. MCCCLII, quis credat altero post die seu XX ejusdem mensis & anni Humbertum jam Remis adfuisse administratorem? Tertia exhibetur qua abbati Bonævallis & abbatissæ S. Justi mandat, ut novas assisias dotalitii Beatricis suæ matris & fundationis sacri gynæcei S. Justi, de quibus cum Francorum rege Joanne I convenerat, recipiant. Princ. *Humbertus miseratione divina patriarcha Alexandrinus, administrator perpetuus Ecclesiæ Remensis, Dalphinus Viennen. antiquior &c. Datum Portæ Martis Remensis die X mensis martii* MCCCLII, & hic iterum veteri stylo, id est nunc LIII. Testis huic instrumento aderat *archiepiscopus Nixiensis & Parisiensis*, sed hîc manifeste erratum typorum, legendum enim *Naxiensis & Pariensis*, quæ duæ insulæ Cycladum in Archipelago olim episcopales in unum archiepiscopatum Latinum conflatæ & erectæ seculo XIII, eoque titulo gaudebat Andreas Humberti in spiritualibus vicarius generalis Remis. Charta 4 data ibidem 9 aprilis MCCCLIII, scilicet feria 3 Domin. 2 post pascha, qua indulgentias 46 dierum confratriæ dictæ S. Agnetis concedit. Quinta tandem ibidem data septima januar. MCCCLIII stylo veteri, novo LIV, pro augmento fabricæ Ecclesiæ S. Nicasii.

Cùm solatii causa seu recreationis apud Sandionysianos Remenses divertisset, & jucunde ac grate ab abbate & monachis exceptus fuisset, reversus Parisios chartam indemnitatis eis misit, qua declarat non visitationis aut procurationis, sed solatii tantum causa se eos invisisse, nullumque sibi inde vel successoribus jus novum acquisitum velle, quæ data *Parisius in palatio regio in crastino festi pentecostes anno* MCCCLIII *die XIII maii*: sed hæc prior quinta relata, quod annoto ut non semper & continue Remis hæsisse agnoscatur:

« Cùm propter suæ personæ debilitatem & ægritudinem, laborem ipsum & onus Remensis Ecclesiæ ad ipsius honorem & Ecclesiæ commodum nequiret supportare (sunt ipsius verba) constituit certos procuratores ad resignandum in manibus D. papæ prædictam Ecclesiam Remensem & administrationem ejusdem », cujus in vicem petebat licere sibi permutare cum episcopo Parisiensi, & *ad ejus Ecclesiam transferri, aut ad aliam cui tantus non incumberet labor & onus regiminis &c. Acta*

Sæc. XIV. *fuerunt hac Parisius in domo FF. Prædicatorum &c. anno* MCCCLV *Indict.* VIII *febr.* XXII stylo Romano. Non omittendum in hac procuratione Fratrem se nominare. Huic permutationi & translationi manus dederat Joannes Francorum rex literis XXV januarii præcedenti MCCCLIV stylo Gallico, novo LV datis. Interea dum missi ab eo procuratores Avenione cum Innocentio VI agerent, ipse Claromontem Arvernorum profectus est, ubi apud nostros de more hospitatus brevi in morbum incidit quo tandem obiit XXII maii MCCCLV condito die præcedenti testamento, cujus vi ac præscripto corpus ejus Parisios deductum in ecclesia nostra sancti Jacobi infra gradus altaris majoris ad latus evangelii juxta sepulcrum Clementiæ quondam reginæ Franciæ amitæ suæ tumulatum jacet sub tymbo æneo adhuc extante, hac in circuitu ad margines insculpta epigraphe:

Hic jacet Pater & Dominus amplissimus D. Himbertus primo Viennæ Delphinus, deinde relicto principatu Frater ordinis Prædicatorum in hoc conventu Parisiensi, ac demum patriarcha Alexandrinus, & perpetuus administrator Remensis, & præcipuus benefactor hujus conventus. Obiit autem anno Dñi MCCCLV *die* XXII *maii. Orate pro eo. Pater noster. Ave.*

In medio tymbi exhibetur ejus imago major in habitu ordinis integro scilicet tunica, scapulari tunica breviore, & cappa ipso etiam scapulari breviore ac caputio in scapulas demisso, cum pallio patriarchali, mitra in capite, manibus junctis, intra brachium sinistrum crucem duplicatam suæ dignitatis indicem sustinens. In superiori verò parte in parva imagine repræsentatur in habitu pontificali, astantibus ad latera hinc & inde propius diacono & subdiacono, tum paulo remotius duobus episcopis etiam in pontificalibus baculum pastoralem manu sinistra tenentibus, quos ejus familiares conjicio ac primos testamenti sui ultimi executores constitutos, Joannem episcopum Thuniciensem quem fratrem suum singulariter & pluries nuncupat, de quo quis fuerit nulla aliunde mihi notitia, & F. Joannem Revolli de quo supra suum confessarium & episcopum Arausicanum. Ad utrumque latus depicti sunt sexdecim e nostris, octo superiores clerici in habitu acolytorum quatuor faces, quatuor candelabra cum cereis gestantes, octo inferiores in habitu ordinis Humberti vesti per omnia simili, quorum duo sunt hinc & inde rosaria manu tenentes, quod indicat cultum hunc jam tum apud nos fuisse solemnem, licèt societas hujus nominis nondum instituta esset, nec fuisse materiam concionum ex ullis monumentis arguatur, ut nec de psalterio Davidico aut de breviario dicendo fiunt conciones aut festa, quamvis illa non solum clerici, sed & seculares plures vulgo repetant. In quodam computo expensarum Delphini a 1333 ad 1336 a Joanne de Ponciaco reddito sic lego: *Pro duobus filis de Paternostris de ambro, & duobus filis de Paternostris de corallo & duobus filis de Paternostris de vitro, item in quatuor filis de Paternostris de crystallo.* Quæ empta sunt Romæ dum illac anno MCCCXXXIII transiret Delphinus Gallias repetens. Quod in argumentum antiqui & communis rosariorum usus annotandum visum est.

Cenotaphium hoc pluries a me visum & diligenter in ipso tumulo lectum D. *de la Valbonnais* primus cameræ regiæ rationum Gratianopolitanæ præses me hortante excudendum curavit, & operi suo cui titulus, *Memoires pour servir a l'histoire de Dauphiné*, Parisiis 1711 in fol. edito, quodque præcipue est de actis Humberti nostri Delphini inseruit. Ex quo difflatur illa tum extraneorum plurium, tum etiam post eos nostratium fabula Humbertum priorem nostri conventus S. Jacobi Parisiensis aliquando egisse: quæ aliunde ortum non habuit, quam ex prava lectione epitaphii allati, ubi sic legit Andreas *du Chesne* in sua Delphinorum genealogia: *Frater nostri ordinis prior in hoc conventu Parisiensi:* & corruptius noster Antonius Mallet, *Frater ordinis Prædicatorum in hoc conventu Parisiensi prior:* cùm certissime nihil aliud legatur, quam quod supra exscripsi, *Frater ordinis Prædicatorum in hoc conventu Parisiensi.* Quo indicatur tantùm mox ut patriarcha Alexandrinus prima januar. inauguratus fuit MCCCLI, Parisios venisse, & toto illo anno in dicto conventu religiose vixisse, quo usque sub finem februarii MCCCLII, vel fortè etiam tardius & mense martio commendata illi fuit Ecclesiæ Remensis administratio. Revera post mortem Hugonis *d'Arcy* quæ accidit XVIII februarii ejus anni, capitulum Remense jure suo utens Stephanum *de Courtenay* elegit, ejusque confirmationem Scabini a Clemente VI summis votis petierunt, adeo ut auctoritate regia opus fuerit, ut Humbertus præferretur, quod non tam citam fuisse ejus post mortem Hugonis in ea sede institutionem evincit. Notat vir clarissimus citatus D. *de la Valbonnais* Delphinum nostrum priusquam ad expeditionem Terræ-sanctæ proficisceretur edixisse, ut deinceps nomen suum non *Humbertus* sed *Ymbertus* proferretur & scriberetur, verum usum antiquum prævaluisse: in tumulo tamen, quia sic fortè jusserat, legitur *Himbertus*, licèt in omnibus ejus actis relatis & aliis, in ipso testamento ultimo *Humbertus* constanter legatur.

Recte ac vere Sanjacobeorum nostrorum Parisiensium laudatur ibidem singularis benefactor, quos ad novam Ecclesiam ædificandam excitavit, qua ratione grandiores illis pecuniæ summas legavit, & universa mobilia sua; & notanda illa testamenti verba: *Item volumus quod ipsi Fratres dictam eorum Ecclesiam incipiant ædificare primo a capite ejusdem in parte qua construetur altare principale &c.* quæ docent Ecclesiam antiquam a decano S. Quintini aliàs nostris concessam jam non constare, sed aliam ab eo tempore eodem in loco sed majorem erectam, quæ & seculo XVI rursus amplificata fuit, ut habetur ex actis capp. genn.

In veste ordinis in tymbo representatur ut dictum est, quod esset ei ordinaria & familiaris, quam nunquam dimisit, ut notat clarissimus Valbonaisius citatus, & probant omnia acta, adeo ut voluerit præter episcopos citatos, adhuc testamenti curatores esse magistrum ordinis F. Simonem de Lingonis, præfectum Franciæ provincialem F. Bartholomæum de Plansac sive de Auxiaco conventus Claromontani alumnum, & tertium magistrum in theologia actu Parisiis legentem, unde quod apud Nangii continuatorem *T. XI Spicil. Dacher. pag.* 898 legitur patriarcham Alexandrinum factum habitum Prædicatorum dereliquisse, nullo fundamento innititur, cùm ex canonibus Ecclesiæ Romanæ regulares professi ad infulas vocati ordinis sui habitum semper (& eo præsertim seculo) deferre teneantur.

Ejus meminit noster Laurentius Pignon suppar in catalogo prælatorum ex ordine assumtorum his verbis: *Frater Humbertus quondam Delphinus Viennensis dedit Delphinatum suum regi Franciæ, & intravit ordinem Prædicatorum Parisius, postmodum factus est patriarcha Alexandrinus, & administrator archiepiscopatus Remensis.* Quæ verba, *intravit ordinem Prædicatorum Parisius*, juncta illis quæ leguntur in epitaphio supra relato *relicto principatu Frater ordinis Prædicatorum in hoc conventu Parisiensi*, mihi fere persuaserant Humbertum post abdicationem Lutetiam mox venisse & apud nostros Sanjacobeos vestem ordinis induisse: at

obstat Diarium ab ejus notario Humberto Pilati scriptum, quod sic habet : *Anno D. 1349 die 16 mensis julii D. Humbertus Delphinus cessit & resignavit &c. realiter Dalphinatum in domo Fr. Prædicatorum Lugduni. Item die crastina ordinem & habitum Prædicatorum induit*, Proindeque Lugduni. Possunt omnia componi dicendo Lugduni quidem vestem Dominicanam induisse sed nomine conventus Parisiensis : tum cùm sub finem anni MCCCL Delphinatum exivit prius Parisios venisse, & in conventu Sanjacobeo professionem emisisse, ac ex-inde mense decembri Avenionem se contulisse, ubi aderat die natalis Dñi tum sacris ordinibus initiatus : neque enim ulla ejus in Delphinatu acta referuntur post mensem junium anni MCCCL, quam tamen conjecturam peritioribus permitto.

Non incongrue autem eum inter scriptores recensemus, cujus tot sunt acta ad illustrandam historiam ecclesiasticam & prophanam suæ ætatis utilissima. Hæc clarissimus Valbonæsius pluries laudatus edidit opere cui titulus : *Memoires pour servir a l'histoire de Dauphiné sous les Dauphins de la maison de la Tour du Pin*, Parisiis, Imberti de Bats 1711 fol. pagg. 681. Quod opus fere totum est de gestis & actis nostri Humberti, vixque de eo post Valbonæsium alii legendi. Non omittendi tamen Baluzius de Papis Avenionensibus T. I. Andreas du Chesne *Genealogie des maisons de Bourgogne, des Dauphins de Viennois &c.* Guillelmus Marlot Metropolis Remensis Historia T. II, ubi quædam refert acta singularia supra a nobis laudata, cæterùm hi duo & alii quos citare visum est supervacaneum, ex Valbonæsio emendandi.

Clar. Valbonæsius p. 340 id annotandum duxit ad extractum ex quodam computo :

In abissu. C'est ce quon appelle encore les Abimes pres de Myans en Savoye. Il est fait mention dans le cartulaire de S. Hugues eveque de Grenoble d'une petite ville nommee VILLA S. ANDREÆ *situee au meme endroit, dans laquelle il y avoit un chapitre de chanoines reguliers. Suivant une ancienne tradition cette ville avec son Eglise & plusieurs villages des environs fut abimee par la chute d'un rocher, ce que l'inegalité du terrain semble encore temoigner. Cet evenement est confirmé d'ailleurs par le pouillé de l'eveché de Grenoble fait en 1449 sous Laurens Allemands eveque de la meme ville. L'article qui regarde Notredame de Myans celebre convent de Cordeliers dans la paroisse des Marches s'explique en ces termes :* « Ecclesia S. Mauri» tii de Marchiis &c. Infra dictam parochiam est » venerabilis & devotus conventus Fr. Minorum » de observantia B. Mariæ de Myans, qui subest » provinciali Franciæ S. Bonaventure, & ibi fuit » terminata ruina quæ de anno Dñi MCCXLVIII sep» timo kal. decemb. cecidit de Aspero monte & » quinque parochias destruxit, & signanter villam » ecclesiamque S. Andreæ, quæ erat titulus dicti » decanatus Sabaudiæ « :

Stupendum hoc prodigium clarius & luculentius narrat auctor hujus ætatis noster F. Stephanus de Borbone de Bella villa de quo supra ad 1262 *Tract. de septem donis Spiritus Sancti*, lib. III *de dono scientiæ*, Tit. VII *de oratione*, cap. XI *continuatio de effectibus orationis* cod. Sorbon. fol. 291 col. 3 :

» Anno Dñi MCCXLIX accidit in comitatu Sa» baudiæ quod quidam clericus dicti comitis dictus » Jacobus *Benevais* videns in declivio montis quem» dam prioratum abundantissimum, situm prope » villam suam quæ vocatur Chambariatus, nobile » scilicet castrum dicti comitis, (cujus erat prior » quidam bonus homo ibi cum aliquibus sociis re» gulariter & devote Deo ibi serviens) cogitans » quomodo posset dictos canonicos & priorem in» de expellere, & dictum prioratum obtinere : cùm » esset advocatus & consiliarius dicti comitis foven» tis partem Federici contra papam & Ecclesiam, » (cujus etiam fidelitati commiserat dictus prior » cùm ivisset Parisius ad scholas, custodiam sub » annuo censu quandiu esset Parisius) venit apud » Lugdunum ubi tunc erat curia : tantum procura» vit apud papam, promittens ipsi quod dominum » suum revocaret ab auxilio Federici ad papæ vo» luntatem faciendam, quod obtinuit dictum prio» ratum. Cùm autem expulso dicto priore & cano» nicis ejus venisset dictum prioratum possidere cum » multis amicis suis, & faceret inde magnum festum » in ipsa nocte circa partem primam noctis, audiens » Deus voces & gemitus injuste expulsorum & op» pressorum : mons quidam durans in latum & lon» gum per spatium leucæ translatus de loco suo » cecidit super dictum prioratum opprimens & at» terens circa XVI villas & multas parochias cum » habitatoribus suis, quæ erant per latum & lon» gum circa spatium unius leucæ. Ibi dictus cleri» cus cum suis & prioratu subito attritus est & bre» vem habuit loci possessionem «. Hactenus Stephanus tum Lugduni agens & florens, sua ætate acta narrans.

F. JACOBUS PASSAVANTE.

F. JACOBUS PASSAVANTE Etruscus Florentiæ nobili loco natus & ibidem ad S. Mar. Novel. ordinem amplexatus, circa medium seculi XIV claruit, literis humanis & divinis egregie ornatus, nec minus a facundia commendatus. Obiit apud suos Florentiæ XV junii MCCCLVII, & in basilica S. Mar. Novel. dicta ad majus altare sub sepulcro marmoreo conditus, quod cùm vicissitudine temporum fere destructum esset, sui sodales instaurarunt anno MDLXVI. Ejus cum laude meminerunt Pocciantius inter scriptores Florentinos, Simlerus, Possevinus & alii, nostrates Pius, Fernandez, Fontana de Prov. Rom. Altamura ad 1357 & in App. Hæc ejus scripta : † 1357.

Lo specchio di vera penitenzia. Prodiit typis Florentiæ 1495 in 4, quæ editio in Barber. Ibid. Bartholomæi Sermartelli 1585 in 12 pagg. 385. Venetiis Petri Marinelli 1586 in 8.

Extat MS Florentiæ in Medic. Pl. XXVII cod. 2 chart. in 4 hoc titulo, *Il libro appellato specchio della vera penitenzia composto per Frate Jachopo Passavante Fiorentino.* Ad calcem sic legitur : *Questo libro non è compiuto, peroche seguitavano a dire ancora assai cose e utili delli altri vizii principali : o che il Frate che'l facea morisse in quello tempo, anzi ch'ello compiesse : o che alla morte sua si perdesse quello che manca, non se ne trova più.*

Leonardus Salviati eques Florentinus vir clarissimus qui editionem Florentinam anni 1585 curavit, in epistola nuncupatoria, auctorem mirum extollit ob Etrusci sermonis nitorem, & opus inter elegantissima opera Florentino sermone scripta recenset.

Nostra ætate curante Academia *della Crusca* rursus typis prodiit hoc titulo *Lo Specchio di vera penitenza*, Florentiæ, Vangelisti 1681 in 12 pp. 411. Editor ejus Academiæ sodalis, qui ad codices MS emendatiores recognovit, sic laudat in epist. nuncup. ad Cosmum magnum ducem : *Il tersissimo Specchio di vera penitenza dal Padre Jacopo Passavanti per nascimento gentiluomo Fiorentino, per professione religioso Domenicano, collo stile che a suoi buoni tempi fioria, nell' oro purissimo della più fina eloquenza legato, riporto mai sempre tra per l'importanza della sagra materia che tratta, e la-*

Sæc. XIV. *leggiadria della gentilissima forma onde è composto, applauso non ordinario. E come da molti fù detto, che tale scrittura alle opere tutte de' primi padri e piu dotti della chiesa cristiana andar potessi di pari, così da tutti fù giudicato che a niuno de' componimenti de' più scelti maestri e più facondi della Toscana favella fosse questo secondo &c.*

In hac ultima editione ut & in Veneta anni 1586 adjecta est, *Un' Omelia d'Origene volgarizzata nel miglior secolo della favella.* Forte ejusdem Passavantii.

Additiones ad commentaria F. Thomæ de Wallois in libros S. Augustini de civitate Dei, Londini 1520 fol. Quæ editio extat in Barber.

F. PHILIPPUS DE PERA.

* 1358. F. Philippus de Pera sic a celebri illo suburbio Constantinopolitano *Pera* vulgo dicto nuncupatus, ibidemque ut exinde conjicere est ortus, non ex Græcorum, sed ex Genuensium, quorum ea ætate suburbium illud ditionis erat semine prognatus & in conventu quem a suis ferme initiis ordo Peræ habuit, quique congregationi Peregrinantium inter gentes speciatim addictus fuit, nostris ascitus, vir fuit seculo XIV pietate, eruditione, ardenti fidei catholicæ, Ecclesiæ Romanæ, ac animarum Christo lucrandarum studio clarissimus. Novitius adhuc existens F. Simonem Constantinopolitanum de quo supra jam nonagenarium viderat, eique astiterat morienti, & ex ejus scriptis methodum contra Græcos arguendi & disputandi sibi primum comparavit: quibus armis optime instructus circa MCCCXXX, continuas cum Græcorum primoribus collationes & disputationes habere cœpit & deinceps prosecutus est, nihil omittens ut ad concordiam cum Ecclesia Latina, & ad obedientiam Romani pontificis adduceret. Anno MCCCLVIII jam se a XXV annis solidis huic sancto operi instare ac desudare testatur: reliquum deinceps vitæ eidem qua verbo qua scripto incumbendo insumsisse, eique immortuum verisimillimum, cùm post eum annum adhuc scripserit, & alio commigrasse nulla sit memoria. Ex his tum Lusitanum, qui de *Peira* corrupte agnominat & ad 1310 refert, tum Altamuram qui *de Peira* quidem in *Bibl.* sed *de Pera* in *Append.* rectius, at præpostere ad 1304 ascribit, emendes. Hæc verò sunt ejus opera mihi cognita:

1. *Tractatus de obedientia Ecclesiæ Romanæ debita.* Extat in Bibl. Florent. S. Mariæ Novellæ cod. MS fol. charta. a me visus mense augusto MDCLXXXI. Princ. *Licet multi zelo fidei &c.* & infra eadem præfatione: *Ego autem jam per viginti quinque annos cum præfatis Græcis disputans & tractans, & totum contra eos meum impendens studium & conatum, adverti proculdubio in eorum cordibus apostema latere, unde illa palliata infirmitas totaliter procedebat &c.* Finis hujus prioris tractatus fol. 87 b, his verbis: *Vix est qui corde doleat vel aliquando cogitet.*

2. *Tractatus alius contra Græcos de processione Spiritus Sancti.* In eodem codice Florent. sequitur ad superiorem, & incipit eodem fol. 87 b. Extat etiam Parisiis in Bibl. Navarr. cod MS fol. charta in collectione opusculorum contra Græcos: quem codicem Ægidius Carlerii S. T. M. celebris & socius Navarricus in concilio Basileensi sibi comparaverat, & Parisios reversus suo dicto gymnasio legavit: hunc autem codicem cùm licuerit per otium diligentius expendere, imo & tractatum illum integrum exscribere, quem & in schedis repositum servo, majorem ejus notitiam hîc lectori dare visum est.

Titulus in cod. Navarr. qui deest in Florent. *Tractatus Fratris Philippi de Pera.* Prologus: » Sufficere quidem deberet ad amplissimam pietatis & fidei contestationem sanctissimum & salubre symbolum divinæ gratiæ & obedientia Ecclesiæ Romanæ, de quibus in primo opere feci mentionem diffusius, in quo satis evidenter ostensum est quod talis obedientia est de necessitate salutis. Sed quia contradicenti ex malitia & obstinatione nihil videtur sufficere, ideo omnem machinationem adversus veritatem opponendam ab ipsis volens excludere, hoc opus inchoavi, ubi intendo cum adjutorio Dei clare per dicta sanctorum Orientalium, in quibus ipsi gloriantur, probare quod Spiritus Sanctus quemadmodum procedit a Patre, sic procedit & a Filio &c «. Pluries etiam postea citat tractatum superiorem *de obedientia Ecclesiæ Romanæ.* Ubi autem agit quando facta fuerit additio in symbolo *Filioque*, sic habet: » Sed tamen quod inveni super hoc & in Græco & in Latino dicam. Frater Simon Constantinopolitanus ordinis Prædicatorum, qui satis erat imbutus scientia Græca magis etiam quam Latina, quem vidi jam scm . . . . . . qui multa scripta dimisit contra Græcos, ex cujus scriptis & libris initium habui contra Græcos disputandi, qui mortuus est me existente novitio. Hic in quadam epistola sua contra Græcos &c «. Sic legitur in cod. Florent. fol. 94 b. In cod. verò Navarrico: » Frater Simon C. P. ord. Præd. qui sufficienter erat imbutus scientia tam Græca quam Latina, quem vidi nonagenarium existentem, &c. eadem. Et quibusdam paginis postea discutiens versiculum 8 c. 2 ep. ad Thessalonic. *quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui*: ubi Græci legunt, *quem Dominus interficiet &c.* omittentes *Jesus*: & illum alium Actuum 16. 7 *non permisit eos spiritus Jesu*, ubi Græci legunt tantum, *non permisit eos spiritus*, sic annotat: » Cùm autem anno præterito scilicet MCCCLVIII loquerer cum quodam nobili Græco fideli supra ista auctoritate, qualiter hoc mutatum erat, quia in libris Latinorum habetur (*spiritus Jesu*,) & in libris suis non habebatur (*Jesu*:) me affirmante quod Græci deleverant de libris suis, respondit: hoc non credo, sed magis videtur, quod Latini addiderint hoc nomen Jesu in translatione libri, quia iste liber actuum fuit scriptus a B. Luca in Græco &c. Post paucos autem dies aliud mihi quærenti in libro Thesaurorum B. Cyrilli, occurrit capitulum &c. ubi legit *non permisit spiritus Jesu* &c. Idem Græcus voluit quærere in expositionibus Sanctorum, & invenit quod B. Joannes Chrysostomus qui exposuit epistolam B. Pauli, etiam allegat eam sicut nos habemus, scilicet *quem D. Jesus interficiet spiritu oris sui*: unde ex hoc ipso tenet & tenuit, quod tanta est malitia Græcorum quod non solùm dicta Sanctorum mutaverunt &c. sed etiam de scriptura sacra. Cæterùm hinc evidens est hunc tractatum scriptum ab auctore anno MCCCLIX, unde conjicio superiorem scriptum saltem anno MCCCLVIII: in quo cùm dicat se a 25 annis hanc vineam excolere, augurabar circa MCCCXXX cum Græcis conserendi initium habuisse.

Finis in cod. Navarr. per auctoritatem S. Maximi Monachi. » Spiritus sanctus quemadmodum natura » secundùm substantiam existit Dei & patris, sic & fi» lii secundum substantiam est, sicut substantialiter ex » patre per filium natum ineffabiliter procedens. *Explicit tractatus contra Græcos F. Philippi de Pera ordinis Prædicatorum*, & implet a fol. 47 ad fol. 80. An integer sit in codice Navar. ille tractatus asserere non possum: mihi certum longe plura esse in cod. Florent. in quo folia 86 habet, scilicet a fol 87 b.

ad 173, nisi sit tertius aliquis tractatus contra Græcos, ut fere mihi persuadeo, doletque non parum, quod per tempus amplius explorare & scrutari non licuerit: nam etsi eo literas dederim, hominibus ad alia omnia intentis cecini. Hoc habui saltem ex cod. Navarr. emolumenti, quod nomen auctoris quod deest in Florent. certo deprehenderim, cùm tractatus 2, qui idem est in utroque centies remittat ad priorem. Finis in Florent. his verbis *Extrahitur de carcere.*

3. Venetiis apud SS. Jo. & Paul. Alt. Part. Plut. III extat codex MS fol. chart. Titulus: *Philipus de Pera contra Græcos.* Pr. *Magnitudinis tuæ litterarum &c.* Sic Tomasinus in Bibl. suis Venet.

Sodalium ejus domus ord. Præd. diligentiæ est litteratos docere, an ut principium hujus codicis aliud est a supra relatis, sic etiam tractatus sit Philippi nostri alius a præcedentibus, an unus tantum an plures eo codice habeantur. Auctor est merito legendus. Etsi enim inculta sit pro more seculi dictio, plura de rebus Græcorum refert, quæ historiam ecclesiasticam ejus seculi non parum illustrarent, si typis ederetur. Cùm plura moneat se Græce & Latine proferre, non dubium quin in suo primigenio exemplari sic exhibuerit, quæ notarii Latini utraque lingua repræsentare & exscribere neglexerunt. Sed an integros tractatus Græcè scripserit, ut volunt Lusitanus & Altamura, mihi incompertum.

F. ANONYMUS TOLOSANUS.

* 1358. F. ANONYMUS TOLOSANUS sic a me dictus, quod opus ejus Tolosæ apud nostros servetur, cujas enim fuerit ex nullo capite deprehenditur, quamvis provinciæ & domus Tolosanæ alumnum conjectu pronum sit, florebat medio circiter seculo XIV, & scripsit

Commentarium in librum Job. Pr. *O vos omnes qui transitis per viam attendite & videte si est dolor sicut dolor meus.* » Ita scribitur Thren. 1 cap. Licèt » verbum præallegatum sit vaticinatum & prophe» tatum de Jhesu Christo Salvatore nostro, in quan» tum omnia genera passionum sustinuit, licèt non » in specie, ut ipse S. Thomas in ultima sua parte » declarat & manifestat &c. *Finis:* » Tunc enim » bene valebunt plus pura corda, quam astuta ver» ba, & conscientia pura quam marsupia plena.

Addit verò auctor: » Norint universi, quia ex» plevi expositiones super Job usque ad XXVIII ca» put inclusive, & exemplar quod manu propria » scripsi, ob caritatem Jhesu Christi, & ob devo» tionem S. Petri Martyris, nec non ratione dila» tationis dictorum, misi Mediolanum anno Dñi » MCCCLVIII in capitulo generali quod fuit cele» bratum Argentinæ.

Hinc habetur auctorem ad comitia illa ordinis Argentinensia, vel ut diffinitorem vel ut diffinitoris socium suæ provinciæ, nam fuit Capitulum diffinitorum secundum, accessisse, exindeque commentarii sui αὐτόγραφον Mediolanum ad S. Eustorgium, ubi requiescit corpus S. Petri Martyris misisse. R. P. Daniel Antoninus Mora sacræ theologiæ professor in gymnasio nostro Tolosano, a quo scriptoris hujus notitiam accepi, me monebat jam in codice Tolos. MS pergam. formæ quartæ majoris non superesse nisi usque ad caput XXII Job inclusive. Mediolanenses sodales Eustorgiani majorem de auctore & opere lucem dare possunt, si adhuc apud eos istud auctoris αὐτόγραφον perstet.

F. HENRICUS BICTWEL.

F. HENRICUS BICTWEL, quem ab agnomine Anglum conjicio, ab omnibus nostris nomenclatoribus omissus seculo XIV claruit, & a Rainaldo in Ann. Eccl. plurimum laudatur, ceu qui scripserit * 1358.

Opus egregium adversus ejus seculi novatores, Joannem de Poliaco & Joannem Wicklef potissimum, sed & adversus Ricardum primatem Armachanum. Extat in Vaticana cod. 4109.

Ex eo opere Rainaldus ad annum 1321 n. 20 & seqq. grande excerptum refert x columnas implens, quibus Bictwellus argumenta omnia Joannis de Poliaco solvit, sicque Rainaldus concludit n. 33: *Ex his colligitur non levem hunc Joannis Poliaci errorem fuisse, atque ideo fortiter oppugnatum a doctoribus theologicæ scientiæ florentissimis.*

Et ad ann. 1358 n. 6 ubi de Armachano sic habet: *Exponit nitide hujus controversiæ capita Henricus Bictwel ordinis Prædicatorum theologus, qui de errore Joannis e Poliaco, de quo plura a nobis aliâs dicta sunt* (nempe loco mox citato) *locutus, alium illi affinem ab Armachano confictum ait confutatque, e quo hæc decerpimus.* Hæc sunt verba Bictwelli: *Alius error fuit Armachani qui dictus est Ricardus primas Hiberniæ, contra quem fecit & conclusit magister Guillelmus Jordani de Anglia* (ord. Prædic.) *coram papa*, &c. apud eum legenda.

F. THADDÆUS DINI.

F. THADDÆUS DINI Etruscus Florentiæ natus in S. Mar. Novel. ordini nomen dedit, virque evasit omnigena scientiarum varietate excultus, ac summa religione & pietate insignitus. Obiit apud suos Florentiæ XXII sept. MCCCLIX in communi sodalium sepulcro depositus. Sic de eo Pocciantius, qui & addit scripsisse vel dictasse * 1359.

Multa millia sermonum ad omnem materiam elegantium & eruditorum, qui per ordinem non tantum nostrum, sed & per alios diffusi tanquam gemma pretiosa asservantur. Excipit Altamura ad 1359.

F. ALBERTUS DE LAUDA.

F. ALBERTUS DE LAUDA Insuber a patria sic nuncupatus, a Leandro laudatur fol. 150 b, ultimus illustrium in diversis, addente tamen jam diu antea vita functum, quo innuit pluribus antea nominatis esse antiquiorem. Hinc in anno quo floruit adeo nostri variant, ut ex iis aliquid veri ac certi exculpere impossibile sit. Lusitanus tempus nullum indicat, Altamura refert ad 1326, Rovetta ad 1331, Vincentius Maria Revalius ad 1350. Ego verò nullus dubito, quin ille sit, cujus meminit Laurentius Pignon his verbis n. 103: *F. Albertus Lombardus magister in theologia*, vocat Lombardum, quia erat provinciæ Lombardiæ superioris. Cùm autem Laurentius suum indicem inchoarit anno 1393, hoc anno hunc Albertum antiquiorem esse innuit, unde ad annum MCCCLX vel aliquem sequentium ante 1393 recte referas. Addit Laurentius scripsisse † 1360.

Super totam Bibliam.

Alii citati cum Leandro scripsisse solum *super omnes apostoli Pauli epistolas*, opus inquiunt duobus voluminibus distinctum.

Sec. XIV.

F. HENRICUS HAZER.

1360. F. Henricus Hazer Teuto subtilis philosophus & theologus gravis, tantæque auctoritatis, ut ejus sententia ceu oraculum divinum Coloniæ vulgo haberetur, obiit ibidem circa ann. MCCCLX: sic Federicus *Steill* Ephemer. Dominic. ad XXX nov. ex MS. Colonien. a se visis, hincque Lusitanum, Razzium, Possevinum, Pium, Fernandez, & Altamuram ad 1352 floruisse dicentes a vero non aberrasse docet. Scripsit

In IV libros sententiarum.

Addit Stellius ex iisdem monumentis *Quædam in Aristotelem.*

F. GUILLELMUS ROTHWEL.

1360. F. Guillelmus Rothwel Anglus nobili loco natus, Londini ordinem amplexus, theologus evasit egregius, facundusque Ecclesiastes. Ejus cum laude meminerunt Possevinus & Pitseus, quos excipit Altamura in Append. ad 1360. Hæc ejus opera diu, inquit Pitseus, apud Prædicatores Londinenses servata:

Postilla in libros Judicum, IV Regum, Psalmos, & Ecclesiasticum.

Tum in epistolas Pauli ab epistola ad Romanos ad duas usque ad Thessalonicenses inclusive.

In IV sententiarum libros.

Quæstiones scholastica.

Sermones.

Tum quædam philosophica, nempe *De principiis natura*, *De potentiis sensitivis*, *& De intellectu.*

Eadem laudant Baleus & Simlerus.

F. SIMON DE HEINTUN.

1360. F. Simon de Heintun vel *Hentona* a loco originis vico ad Wintoniam sito nuncupatus, ut habet Pitseus ipse etiam Wintoniæ natus, Wintoniæ ordini nomen dedit, hincque a Taegio P. I Monum. *de Wintonia* a professione dictus, & sic etiam a Lusitano, vir fuit hoc seculo circiter medio pietate, doctrina, facundia clarus, quem celeberrimæ Angliæ provinciæ præfuisse pluribus annis ferunt. Ad ann. 1314 collocant Fernandez & Altamura, sed rectius Pius in Append. col. 412, & Pitseus ad 1360 ascribunt. Hæc ejus opera:

Commentaria in Proverbia, Cantica canticorum, Sapientiam, Ecclesiasticum, & Prophetas IV majores.

In Job. Pr. *Usque ad tempus sustinebit sapiens.*

Item de decem præceptis. Pr. *Non habebis Deos alienos.*

Item de articulis fidei. Pr. *Primus articulus quantum ad divina.*

Sed hæc ubi serventur nullus indicat, quæ fortè in strage domorum ordinis in Anglia perierint. Hæc tantum alii, & Baleus qui refert ad 1358 nonnisi tria ultima recenset. At sequentia illis incognita adhuc perstant in Anglia in catal. codd. MS laudata.

T. I P. II n. 1009, *Moralia F. Simonis de Hentona super prophetas minores.*

P. III n. 736, *Monachi cujusdam Croylandia exceptiones. Id est, Excerpta a variis theologia libris 1. Augustini, 2 Orosii &c. & ultimo a Summa F. Simonis de Heintun de ordine Fratrum Prædicatorum.* Ex quo habemus scripsisse *Summam.*

Pio accidit bis repetere hunc Simonem col. 411 & 412 loc. cit. Hinc Alva gravem ei dicam scribit in suo *Pleytos de los libros*, lite 63, p. 267: Sed quotus quisque est nomenclatorum cui non accidant errata similia, præsertim si editioni suorum operum non præsint, ut suis non præfuit Pius edendis.

F. JACOBUS DE BENEVENTO.

F. Jacobus de Benevento a patria in Samnitibus, & a professione sic nuncupatus inclinante jam seculo XIV floruit. Ejus meminerunt nostrates omnes Turrecremata, Bandellus & sequaces, qui de conceptione B. V. tractatus ediderunt, Lusitanus, Pius, Fernandez, Vallius, Altamura. ad 1350: extranei Possevinus, & Toppius Bib. Napol. omnes Leandrum fol. 147 b. excipientes, ubi sic habet: *Quibus ut vides* (Conradum de Halberstat ut videtur juniorem sub Carolo IV imperatore florentem ultimum laudarat) *nunc nunc se adjungit Jacobus de Benevento ferens* 1360.

Codicem maximum complectentem tractatum de articulis fidei, de virtutibus, de donis, de beatitudinibus, de fructibus, de oratione Dominica, de decem præceptis, de sacramentis, de dotibus,

Cum copiosissimis sermonibus tam de tempore quam de sanctis.

Hîc vitilitigat Alva Sol. Verit. Rad. 246, col. 1600 contendens copiosos hos sermones a nullo alio quam a Turrecremata visos, ea ratione allata, quod eorum non meminerit Bunderus in suo codd. MS indice. Quasi verò codices quos non invenit Bunderus in bibliothecis Belgii, quarum catalogum tantum aggressus est, sequatur in bibliothecis Germaniæ, Italiæ, & Hispaniæ non extitisse. Fatetur tamen Alva ibidem auctorem non esse fictitium, sed vere in humanis fuisse, cui in indice Bunderi citato fol. 333 b tribuuntur

Commentaria in Lucam & Joannem.

Dubitat solùm Alva an auctor fuerit ordinis Prædicatorum, quia id non fert index Bunderi, sed levis conjectura, cùm nostrum asserant antiquiores. Hoc porro Bunderi testimonium aliud mihi dubium ingerit, nimirum a Laurentio Pignon laudatur n. 6 quidam

F. Joannes de Bovenato qui scripsit, inquit

Postillam in Lucam & Joannem.

Dubium inquam mihi est an non iste *Joannes de Bovenato*, cujus nulla est apud alios nomenclatores etiam nostros memoria, sit idem cum *Jacobo de Benevento*, adeo ut sit erratum in codice Victorino, qui revera non accurate scriptus est, & plura similia habet σφάλματα. Norunt in istis antiquis monumentis versati, quam faciles sint hujusmodi nominum mutationes ex notariorum oscitatione. Dubium sat mihi est proposuisse, nam nolim si duo sunt in unum conflare, nec rursus si unus & idem est, ut opus idem videtur arguere, in duos dividere.

F. JOANNES RASIA.

F. Joannes Rasia vel *a Raisa* laudatur hîc ex fide Altamuræ in Append. ad 1360, ubi eum præstat Italum, virum apprime religiosum, & disciplinæ regularis apud suos assertorem, ejus addens meminisse Carolum de Tapia ad Authenticam *Ingressus* P. I cap. 19 n. 13, & nostrum Hyacinthum de Parra in Memor. MS. Romam missis, ac scripsisse tractatum hoc titulo 1360.

De prodigiis.

Opus Caroli de Tapia *De religiosis rebus in Authent. Ingressi. C. de Sacrosancta Ecclesia*, prodiit Neapoli per Stelliolam 1594 in 4.

F. THOMAS

F. THOMAS LYLD.

† 1361. F. Thomas Lyld a Baleo corrupte *Lyle*, a Lusitano & sequacibus corruptius *File* nuncupatus, Anglus adolescens ordinem amplexus in patria, inter primi nominis theologos & divini verbi præcones seculo XIV claruit. Magisterii lauream per omnes scholæ agones in academia Cantabrigiensi adeptus, Avenionem ubi tum aula Romana versabatur, se contulit, aderatque anno MCCCXLIIII cùm Alani de Walsingham electi Eliensis scrutinium Clementi VI allatum est: cujus rejecta electione pontifex Lyldium a præclaris dotibus sibi cognitum ad eam sedem promovit mense julio ejusdem anni. Lyldius Avenione consecratus, mox in sponsæ suæ amplexus festinavit, ac optimis moribus & legibus informandæ studuit. Eam tranquille regebat amantissimi pastoris munia sedule implens, cùm circa MCCCLX regis Angliæ offensionem incurrit, cujus hæc narratur occasio. Robertum *Stretton* electum Lichfeldensem, quem ceu indignum & summus pontifex & archiepiscopus Cantuariensis consecrare renuerant, ad se a rege missum non solùm negavit a se unquam inaugurandum, sed & ipsi regi animo vere episcopali exprobravit, quod hujusmodi hominem inter Ecclesiæ principes extolli tantopere satageret. Hinc rege adversus eum gravius exacerbato, fœmina nobilis Blanchia *Wake* dicta regis affinis, prædia quædam possidens episcopalibus finitima, variis & iniquis modis eum vexare cœpit, de quibus ille apud regem conquestus, non solùm ut de se juxta leges statueretur non obtinuit, sed & ubique lite cecidit. Unde regno exulare coactus Avenionem ad summum pontificem rediit, in ejus sinum querelas suas effusurus. Jam Lyldii persecutores Innocentius VI tum sedens anathemate perculerat, cùm rex minas sibi a papa intentatas veritus, legatos ad eum misit, qui cum Lyldio amice componerent: jamque res ad concordiam spectare videbatur, peneque transactæ erant rationes, cùm Lyldius tot molestiis fatigatus e vivis ereptus est XXIII junii MCCCLXI. Quæ fusius narrat Godwinus de Præsul. Angl. p. 320 merito legendus, ut & monachus Eliensis Hist. episc. Elien. T. I Angl. Sac. ab Henrico *Warthon* editæ Londini 1691 fol. p. 653, ubi inter alia sic de nostro scriptore: *Clemens VIII* (erratum, leg. VI) *ex sua potestatis plenitudine F. Thomam de Lylde de ordine Prædicatorum in episcopum Eliensem præfecit &c.* Rursus p. 655: *qui anno MCCCXLIIII mense julii circa festum S. Jacobi, & in curia Avenionensi fuit consecratus. Egregius prædicator extitit, & per varia loca suæ diœceseos discurrens, velut fidelis dispensator & prudens familiæ Dominicæ mensuram tritici distribuendo verbum Dei in populo sibi commisso ferventi animo disseminavit.* Postea refert monachus persecutiones illi ratione jam allata suscitatas, ob quas inquit, *recessit ab Anglia XIX novemb. per diem sabbati MCCCLVI.* Cætera fere eodem modo narrat, ac supra relata fuit ex Godwino. Tandem inquit, *IX Kal. julii vigilia nativitatis S. Joannis Bapt. in curia obiit Avenionensi anno MCCCLXI. In ecclesia S. Praxedis juxta Avenionem inter Sorores ordinis FF. Prædicatorum solemniter est sepultus.* Ex Baleo & Pitseo hæc ejus opera:

Quæstionum theologicarum volumen.

Sermones de tempore & de sanctis.

Addunt gymnasii S. Petri Cantabrigiæ egregium haberi & insignem benefactorem. Possevinus emendandus, qui in duos dividit; alterum Fyle ad ann. 1380, alterum Lyle ad 1360 claros, qui unus & idem revera est homo perperam divisus & nuncupatus.

F. HENRICUS DE HUMS.

* 1361. F. Henricus de Hums vel *de Humis* vel *de Hunnis* etiam a variis nuncupatus Treviris nobili loco natus, & ibidem ordinem amplexatus, vir evasit moribus & doctrina illustrior. In catalago magistrorum theologiæ inter additos post Bernardum Guidonis manu æquali in cod. Lingon. recensetur n. 118 sic, *F. Henricus de Hums licentiatus in Avinione per papam.* In actis verò cap. gen. in Montepessulano habiti anno MCCCL sic de eo lego statutum: *Item ponimus lectorem in conventu Coloniensi F. Henricum de Humis magistrum in theologia.* Fridericus Steill in Ephemer. Dominic. eum *de Hunnis* nuncupat, & ex monum. Treviren. quæ dicussit & evolvit docet, postquam annis pluribus academiam Coloniensem sua doctrina sensis S. Thomæ Aquinatis omnino conformi illustrasset, in suam nativam domum Trevirensem se recepisse, vitæque reliquum qua docendo qua prædicando clara utrinque fama exegisse, ibique tandem feliciter in Dño dormivisse circa annum MCCCLXI. Sic ex Necrol. Trevir. ipseque laudat ad 29 jun. p. 410 & ad 20 nov. p. 180. Ejus meminerunt Lusitanus & sequaces & tandem Altamura ad 1350, scripsisseque dicunt

In IV libros sententiarum.

Ex hactenus dictis fit satis & abunde Alvæ in suo *Pleytos de los libros*, Pleyto XX pp. 109 & 110 & Pleyto LXXVII p. 537, ubi hunc Henricum seu scriptorem fictitium rejicit.

F. NICOLAUS ROSELL.

† 1362. F. Nicolaus Rosell Aragonis aliis *Rosselli* dictus, (quem antiqua nobilique Rosselliorum Spetialiorumque stirpe satum, & origine Aretina, quæ in Angliam Catalaniamque & Majoricam propagata transiit, Franciscus Baronius ac Marsfeldius asserit *Lib 4 Majest. Panormit.* §. 3 ad familiam Spetialem & Rosellam, quam & pro parma gentilitia Rosas septem in area ordine dispositas non addito colore aut metallo ait deferre) Majoricis Balearium insularum Metropoli tertia novemb. MCCCIIII natus est ipse fratrum patentaque prolis numerosæ postremus & minimus, ceu Benjamin alter præ cæteris a parentibus adamatus. Adolescens vixque ætatis annum agens decimum tertium insciis invitisque parentibus XXI decemb. MCCCXXVI habitum ordinis a conventus Majoricensis priore F. Guillelmo *Clavell* suscepit, & a professione philosophiæ theologiæque applicitus adeo præcelluit, ut abinde in variis iisque præcipuis provinciæ Aragoniæ conventibus lectoris tandem primarii cum laude functus munere fuerit: quod quidem ex assignatione capituli provincialis Ilerdæ anno MCCCXLVIII celebrati Barchinonensi in conventu studioque generali exercebat; cùm Clementis VI auctoritate apostolica literis 2 januar. MCCCXLIX Avenione datis sacræ theologiæ licentiatus renunciatus est. De quo sic in catalogo magistrorum inter additos post Bernardum Guidonis *cod. Lingon. n.* 124, *F. Nicolaus Rosselli de Aragonia in Barchinonia.* (supple *licentiatus.*) Et in Actis cap. gen. eodem anno Barcinone sic legitur: *Item in conventu Barcinonia assignamus lectorem F. Nicolaum Rosselli de provintia Aragonia magistrum in theologia.* Et in Actis cap. gen. sequentis MCCCL in Montepessulano habiti: *Assignamus lectorem in conventu Barcinonensi F. Nicolaum Rosselli magistrum in theologia. Ponimus ibidem ad legendum sententias F. Jacobum Matthæi de eadem provincia*: ut intelligatur Ros-

SEC. XIV. sellius rector studii institutus. Quo tamen munere hac vice non diu est functus, nam in festo S. Joannis Baptistæ immediate sequenti in comitiis provinciæ Pampilonæ habitis communi electorum suffragio sublectus est & canonice assumtus in provincialem : mense verò Augusto proximo Clementis VI auctoritate pontificia super defectum ætatis dispensante (vix XXXVI ætatis attigerat) generalis in toto Aragoniæ regno contra pravitatem hæreticam inquisitor est constitutus. His muneribus implendis diligens & strenuus incumbebat Rosellius, cùm Innocentius VI, qui Clementi VI jam a XVIII decembris MCCCLII suffectus fuerat, sacri collegii purpuratos patres videns plures nupera furente lue sublatos, iisque ruinis reparandis intentus, viros tanto dignos honore undique colligens, in his & Rosellium unâ cum quinque aliis evexit ad purpuram die XXIII dec. MCCCLVI, quæ promotionum ejus secunda fuit. De qua sic in cod. Lingon. cit. manu æquali scriptum lego n. 16 : » F. Nicolaus » Rosselli magister in theologia natione Catalanus » de provincia Aragoniæ de conventu Majoricarum » assumptus fuit in presbyterum cardinalem per D. » P. Innocentium VI tit. S. Sixti ante vigiliam na» talis Domini, quæ fuit sexta feria anno scilicet » D. MCCCLVII. Cùm enim transivissent jejunia qua» tuor temporum, in quibus D. Papa consuevit fa» cere ordinationes cardinalium, quando habet cor» di facere cardinales, nec esset spes per conse» quens, quod pro illo tempore deberent fieri car» dinales, subito pulsata campana consistorii præ» dicta sexta feria, fecit sex cardinales, inter quos » fuit unus prædictus D. F. Nicolaus. Hic erat pro» vincialis provinciæ Aragoniæ, in quo provincia» latu præfuit circa septem annos : cum hocque erat » etiam inquisitor in toto dominio regis Aragoniæ «. In cod. verò Reg. Bibl. Paris. 4506, qui fuit aliâs conventus nostri Aquensis in Saliis *sic* habetur manu etiam ejus ætatis : *F. Nicolaus Roselli magister in theologia, & conventus Majoricensis provincia Aragonia. Hic existens prior provincialis in dicta provincia, & inquisitor generalis in toto dominio Aragonia assumtus fuit in presbyterum cardinalem tit. S. Sixti Feria sexta ante natale Domini A. D. MCCCLVII per D. P. Innocentium VI. Et iste fuit primus cardinalis, qui unquam fuit in Ecclesia sancta Dei de toto dominio & principatu D. regis Aragonia.* Utroque autem in loco annus MCCCLVII referri debet non ad feriam sextam, qua creatus est cardinalis, quæ adhuc erat anni MCCCLVI, sed ad natale Domini a quo in aula Romana Avenione sedente video tum in hoc exemplo tum in aliis postea referendis anni initium fuisse hoc seculo ductum. Vide priores duas vitas Innocentii VI apud Baluzium T. I Papar. Avenion. utraque te docebit hanc promotionem factam fuisse XXIII decemb. anni MCCCLVI. Sed & id satis exprimit locus primus citatus ex cod. Lingon. dicitur enim jam transivisse quatuor tempora adventus cùm facta est promotio : at anno MCCCLVI cùm esset litt. dñic. B & natale acciderit die Dñica, certo XXII dec. jam transierant quatuor tempora, sed anno MCCCLVII cùm esset lit. Dñic. A, XXIII dec. erat sabbatum quatuor temporum.

Cùm autem facta est illa creatio, aderat tum Avenioni apud pontificem D. Bernardus *de Thous* Petri IV Aragonum regis cognomento *ceremoniosi* legatus & orator, cui Innocentius VI literas suas regi & Rosellio directas transmittendas consignavit, quas illico domino suo deferri curavit. Quibus acceptis rex Cæsaraugustæ agens, mox ipse eo majori perfusus gaudio, quod nullum hactenus sui regni gentilem & indigenam sacra noverat purpura donatum, Rosellium cum fratribus suis ad prandium accumbentem in conventu Cæsaraugustano, nihilque simile cogitantem invisit, (erat quippe ille regi familiarissimus vel Curita teste *Annal. Arag. Lib. 9 c. 6*) pontificiumque breve eidem XXI jan. MCCCLVII exhibuit : qui accepto diplomate, quo tantis ab Innocentio supra purpuram efferebatur laudibus, pudore suffusus obstupuit, vixque propriis credens oculis, tantis a pontifice se dignatum honoribus mirabatur. Verùm quo sublimius evectum se vidit, eo de se sentiebat humilius, eo & se demissius egit. Desideraverat quidem rex pileum rubeum ad se transmitti, quem sua manu Rosellio conferret, sed respondit pontifex moris non esse, ut cuiquam nisi pontificia manu detur, seque ea de re cardinales percunctatum, ut regiis votis morem gereret, neque illos ad suam sententiam allicere potuisse. Itaque Rosellius Avenionem quo apostolicis literis honorifice peramanterque invitabatur, continuo perrexit, & ab Innocentio tum pileum tum titulum S. Sixti accepit, quem ad obitum usque retinuit. Mutato verò statu pristinum vitæ genus non mutavit, sed ubique quantum sibi pro negotiis & dignitate integrum esset, cum suis Fratribus velut unus ex illis semper aderat, & Majoricæ contigit, ubi publicæ cuidam supplicationi ibidem quotannis ultima quaque anni die fieri solitæ ac solemnitati cum cæteris ejusdem conventus sodalibus interesse voluit. At non diu vixit piissimus cardinalis, nam anno MCCCLXII in morbum incidit, cujus occasione rebus ad æternitatem, & animæ salutem serio primum excussis & compositis, de bonis sibi a sancta sede concessis postremo disponere statuit, testamentumque condidit XII martii MCCCLXII præsentibus F. Gregorio Marrucensi episcopo ex ordine Prædicatorum assumto, & Arnaldo antistite Urgellensi. Cùm autem quadantenus melius haberet, recuperandæ salutis causa natale solum repetiit, Majoricamque pervenit, ubi gravius decumbens XXIII martii MCCCLXII diem obiit supremum ætatis XLVIII, sepultusque fuit in ecclesia conventus sui Majoricensis ad præcipuum ejusdem ecclesiæ ostium.

De eo agunt præter nostrates Jacobum Dominici Aragonum *De rebus ordinis* MS, Leandrum *fol.* 48 b, Diagum citatum, Pium P. II Lib. 2. col. 200, Castillum *T. II fol.* 87 a & 96 d, Fontanam in Theatro, Altamuram ad 1362, Ciaconium in *vit. cardin.* Eymericum *Direct. Inquis. q.* 10 & 11, & alios, Nomenclator cardinal. seu Rupipozæus, Ludovicus Jacob *Bibl. Pontif.* Oldoinus, Curita citatus, Vincentius Mut. *Histor. Reg. Balear. T. II. Lib.* 8, *c.* 6. & *lib.* 11 *c.* 4 Baltazar Porreño *Elog. Pontif. & cardin. Hispan.* MS. Nicolaus Antonius *Bibl. Hisp. Vet. Lib. 9 c. 6 n.* 286, qui hoc articulo quoties de Roma loquitur, de curia Romana interpretandus, quæ tum Avenioni, non Romæ versabatur. Hæc autem ejus opera :

1. *Acta ejus ut Inquisitoris in Aragonia generalis* : inter quæ recensendus primum venit processus quem instituit adversus F. Franciscum Bajuli ordinis Minorum, qui Barcinone die parasceves XV aprilis non XVII ut habet Wadinghus, (nam anno MCCCLI quo id fatetur evenisse, cùm aureus numerus esset 3, litt. Dom. B, pascha erat XVII) sanguinem Christi in passione effusum prædicaverat a divinitate fuisse separatum, & proinde non esse in triduo mortis adorandum cultu latriæ : de quo Rosellius per suas literas monuit Joannem de Molendino cardinalem ex ordine Prædicatorum assumtum. Qui rescripsit se vivæ vocis oraculo accepisse in mandatis a pontifice Clemente VI die XX julii, ut ad palinodiam cogerentur, qui ita prædicaverant ; judicatumque fuisse omnino hanc opinionem pro hæretica censendam. Compacto processu Nicolaus nos-

ter inquisitor literis cardinalis innixus, severe contra gardianum egit, atque ut revocaret quæ circa quæstionem hanc prædicaverat, in curia & præsentia episcopi Barcinonensis effecit. Ita tum absque tumultu res peracta est. Quæ epistola cardinalis de vivæ vocis oraculo Clementis VI testimonium perhibens cum processu a Rosellio formato centum annis & amplius postea, nimirum anno MCCCCLXIII coram Pio II producta est, cùm causa illa iterum magnis animis inter utrumque ordinem ageretur, imo & jussu Pii II sententia Rosellii cum toto processu fuit ab episcopo Barcinonensi authenticata, ut testimonium rei gestæ esset, nec periret ejus facti notitia. Videsis Wadingum ad annum 1351 n. 13 & 16, eum enim hîc fere totidem verbis excipimus. Nicolaus Eymerici de quo supra *Director. Inquis. P. II Q.* 10 *n.* 1 videtur indicare Clementem VI mandasse *per suas patentes literas* Rosellio, ut id ageret quod & perfecit, sed eo modo loquendi an breve apostolicum, an vivæ vocis oraculum literis cardinalis de Molendinis expressum intelligat, non ita clarum est. Exinde colligitur tantam esse in ordine erga sedem Petri reverentiam, ut vivæ voci eadem ac manui scribenti reddatur obedientia, quam & exhibuit laudatus Barcinonensis gardianus: cùmque dubitari non possit, quin de omnibus tum actis monitus fuerit Clemens VI, & sententiam inquisitoris probasse censendus est.

Laudatur & alius ejusdem Rosellii processus Valentiæ institutus adversus quemdam nomine Jacobum *Just*, qui damnatos quosdam Avenioni hæreticos mortique addictos, defendebat, & veros Christi martyres fuisse asserebat. Item & tertius adversus quemdam Berengarium de Montefalcone, qui dicebat, quod *omnia de genere bonorum quæ fienda sunt, sunt fienda Dei puro amore, & non ex alia causa nec spe mercedis æternæ*: quem unâ cum F. Sancio ordinis Minorum archiepiscopo Tarraconensi condemnavit. Videsis Eymericum citatum *quæst.* XI.

2. *Romanorum pontificum gesta pergrandi volumine.* Hujus exemplum Ciaconius ait se tineis sulcatum Romæ vidisse in Bibl. collegii Capranicensis: duo alia in Vaticana auctor *Nomenclator cardinalium* dictus, id est Rupipozæus, ut & Ludovicus Jacob numerant. Cajetanus in *Comment. ad Gelasii II vitam Pandulphi Pisani pag.* 19 recenset quartum in Bibl. Aniciana.

3. *De quadruplici jurisdictione Romanæ Ecclesiæ in Regnum utriusque Siciliæ.* Ad calcem superioris ait se vidisse Ciaconius.

4. *Commentarii de rebus ordinis Prædicatorum.* Extare MS αὐτόγραφον in archivo nostro Barcinonensi asserunt Vincentius *Mut* citatus & Malvenda *Annal. pag.* 276 *a*: sed cùm Romæ a Nicolao scriptum opus aiunt, intellige de Romana curia, quæ tum Avenione. Eosdem laudat Franciscus Peña seu *Penia* Rotæ auditor in vita S. Raimundi a se edita & notis illustrata Romæ 1601 in 4, & scriptos præstat anno MCCCLVII.

5. *Commentarii in Matthæum.* Sic refert Antonius *in Bib. vet. Hisp.* ex Vincentio *Mut*.

6. *Epistola* merito legenda, quam Clementi VI scripsit e Cæsaraugusta de sua promotione gratias agens, refertur a Diago Hist. prov. Arag. fol. 43 d, sed nec *Testamentum ejus* omittendum videtur, quod servatur apud Sanctimoniales nostras Barcinonenses dictas *de Monte Sion*, quo inter alia conventibus Barcinonensi & Gerundensi suam æquali distributione dividendam reliquit bibliothecam, dictarum vero Sororum monasterio, cujus erigendi primus auctor fuerat, pretiosissimas reliquias, vasa sacelli sui aurea & argentea vestesque sacras omnes: jubet præterea principibus Mariæ & Blanchæ Jacobi II regis Aragoniæ filiabus, quarum conscientiæ arbiter fuerat, & testamenti vindex & curator, in sacello majori ædis sacræ nostræ Barcinonensis, in quo sepultæ erant, sepulcra erigi elegantia, quod juxta ejus vota perfectum. In odeo ejusdem Ecclesiæ ubi sibi tumulum paraverat, se jubebat sepeliri, sed quod Majoricæ obierit, id mutatum est.

7. *De unitate Ecclesiæ & schismate vitando tractatus* eidem ascribitur a Guillelmo Eysengrein ad 1356: sed cùm longe ante schisma mortuus fuerit, censet Nicolaus Antonius, cui & assentior, allucinari Eysengrenium, & Rosellio tribuere quod est Eymerici, qui opusculum hoc titulo scripsit. Videsis postea ubi de eo.

F. PETRUS DE STROZZIS.

F. PETRUS DE STROZZIS Etruscus ex illustri hujus agnominis gente Florentiæ ortus, & S. Mar. Novellæ ibidem alumnus, eruditione non minus quam sanctitate vitæ patriam & ordinem illustravit sec. XIV. Jam in provincia sua Romana scholas theologicas cum laude rexerat, cùm visus est in amplissimum orbis theatrum producendus. Sic enim de illo in actis cap. gen. MCCCXXXIX apud Claromontium Arvernorum habiti legitur: *Assignamus ad legendum sententias Parisius isto anno F. Petrum de Strozzis de provincia Romana.* Revera in catalogo magistrorum theologiæ inter additos ad indicem Bernardi Guidonis in cod. Lingon. recensetur n. 95. Vix triennium suum Parisiis absolverat, cùm in actis cap. gen. Carcassonæ anno MCCCXLII sic de eo statutum est: *Item assignamus lectorem in conventu Florentino magistrum Petrum de Strozzis de provincia Romana.* Sed & huic subinde bis præfuisse priorem provincialem ex monumentis S. Mar. Novel. docet noster Raphaël Badius opusc. de academia Florent. p. 130, ac eam decennium rexisse. Addit a republica Florentina inter alios selectum, qui de erectione ejus mensæ quam Itali *Montem pium* vocant, judicium doctrinale ferret: & ab Innocentio VI curam ei concreditam Fratrum Armenorum sub regula S. Basilii Januæ in congregatione S. Bartholomæi dicta viventium, quibus regularia & saluberrima statuta præscripsit, teste inquit, F. Joanne Carli in vita venerabilis Alexii Strozzæ ejusdem domus S. Mar. Novel. alumni. Denique cum sanctitatis fama mortuum XXII april. MCCCLXII, & inter beatæ memoriæ defunctos a suis haberi testantur Badius citatus ex necrologio dictæ domus, ut & Poccianitus in scriptor. Florent. Eum inter illustres & acri ingenio theologos laudat Leander fol. 139 a, & excipiunt alii nostrates, Pius, Fontana de Prov. Rom. Altamura ad 1362. Quibus assentientes inter scriptores ei locum damus, non tam ob *quædam ad Arithmeticam facientia*, quæ illi laudant, & etiamnum haberi MS. in Bibl. S. Mar. Nov. narrant, quam ob *scripta theologica* quæ reliquit, licèt nunc forte deperdita, *judicium doctrinale de Monte pietatis*: & *statuta Armenis S. Bartholomæi Januæ præscripta.*

SEC. XIV.

* 1362.

F. ANTONIUS SENENSIS.

F. ANTONIUS SENENSIS a patria Etruriæ nota civitate sic nuncupatus, conventus S. Dominici alumnus, vir integritate vitæ litterisque commendatus laudatur ab Uggurgierio *Pompe Sanesi*, Tit. VII p. 145, & ab eodem Lunensibus episcopis annumeratur ex certis inquit, vetustisque monimentis, diciturque anno Dni MCCCLXIII obiisse. Ughellus qui Antonium hunc Ital. Sac. T. VII inter Lunenses omiserat, in Append. ad hunc tomum

* 1363.

SÆC. XIV. p. 1297 eum Lunensibus restituit episcopis ex notis & schedis domus S. Dominici Senensis, quamvis inquit de illo nec vestigium habeatur in actis Vaticanis, nec in ipsius Ecclesiæ Lunensis tabulario. Ut ut sit Antonium hunc Uggurgierius affirmat scripsisse

Commentaria in libros S. Augustini de civitate Dei.

Ubi autem jam serventur cùm omiserit, hîc addere curabunt sui gentiles.

F. RAMANTINUS FLORENTINUS.

* 1363. F. Ramantinus Florentinus sic etiam a patria nominatus, conventus S. Mar. Novel. alumnus sub Urbano V claruit, cui vir mathematicarum peritus nuncupavit

Paschale, opus in quo Kalendarium correxit.

Sic Leander fol. 150 a. Allucinatur autem Lusitanus, & cum eo Altamura ad 1349, cùm eidem tribuunt *commentaria in Senecam*, testem proferentes Leandrum ibidem, qui certo illa commentaria non Ramantino, sed Lucæ Manelli de quo mox asserit. Gravius peccant cùm ad 1349 collocant, quem sub Urbano V XXVIII octob. MCCCLXII electo & XIX decemb. MCCCLXX mortuo floruisse omnes ipsique testantur.

F. LUCAS MANELLI.

† 1363. F. Lucas Manelli Etruscus Florentiæ illustri e Manelliorum stirpe satus, & in S. Mar. Novel. ad ordinem ascitus, clarus fuit seculo XIV philosophus ac theologus, summis pontificibus in paucis acceptus & carus. A Benedicto XII vel saltem a Clemente VI episcopus *Ziconensis*, sic enim legit Ughellus, promotus est primum in partibus ut videtur. Quis autem episcopatus ille, an *Zichnensis* in secunda Macedoniæ sub Philippensi, an Ziganeensis sub Trapezo in provincia Lazica exarchatus Ponti, videant quibus notitias & tabulas aulæ Romanæ commodum est & licitum inspicere. Anno verò MCCCXLV nonis novemb. a Clemente VI ad Ecclesiam Auximanam in Piceno, *Osimo* vernacule dicunt, sedi Romanæ immediate subjectam translatus est, quam annis XV sapientissime administravit: exinde iterum anno MCCCLX ad Fanensem ab Innocentio VI transire compulsus, quam non multo post cum sarcina mortali deposuit anno MCCCLXIII ut habet Ughellus, vel MCCCLXIV ut asserit Raphael Badius de Academ. Florent. ex necrolog. S. Mar. Novel. n. 444. Quod discrimen ex varia forsan anni computandi ratione ortum. In templo ibidem nostro sepultum ferunt. Ejus præter citatos cum laude meminerunt Leander fol. 150 a, Lusitanus, & sequaces, Altamura denique ad 1363: Pocciantius in Script. Florent. & alii. Hæc ejus opera:

Epistolarum Senecæ ejusque moralis philosophiæ scita expositio. Hanc cum quibusdam ejus aliis in Bibl. S. Mar. Novel. MS servari asserit Pocciantius.

Compendium moralis philosophiæ ad Brutium vicecomitem. Pr. Qui alios nobilitate transcendunt &c. Extat Paris. in Regia cod. MS 5385 in fol. ætatis auctoris.

* 1343. *Sermo quem fecit IV Dom. adventus anno Dñi MCCCXLIII in capella D. N. papæ Avenione coram ipso & DD. cardinalibus R. P. D. Lucas episcopus ordinis Prædicatorum familiaris D. cardinalis de Columpna.* Habetur in codice Bibl. Abbat. Cluniac. quo continentur sermones Petri Rogerii qui fuit Clemens papa VI, inter quos & quidam aliorum sunt inserti. Sic autem excepi ex schedis Clar. Baluzii anno 1709 amice communicatis. Ut autem hunc cardinalem de Columpna non alium existimo a Joanne de Columna viro illo insigni cujus eximias virtutes & ingentia merita Petrarcha extollit passim in epistolis familiaribus, quem Joannes XXII cardinalem creavit anno MCCCXXVII, qui vero obiit III julii MCCCXLVIII, sic hunc Lucam nostrum non alium censeo a Manellio, cùm nullum alium hujus nominis ea ætate & anno episcopum in nostris annalibus reperiam. Ex isto autem sermone plures alios reliquisse conjicio, sed in arcanis Bibliothecarum latentes.

F. BARTHOLOMÆUS DE CARBONE.

F. Bartholomæus de Carbone laudatur a Toppio Bibl. Napol. p. 350, diciturque origine Teatinus in Aprutio, & ab Ecclesia Theana ad quam prius evectus fuerat, translatus ab Innocentio VI ad Teatinam anno MCCCLIII. De agnomine & de patria Ughellus adversatur Ital. Sac. * 1365.
T. VI col. 721, ubi Bartholomæum hunc *de Papazzurris* nuncupat & præstat ortu Romanum, genere clarum & eruditione III kal. junii MCCCXLIX a Clemente VI Theanensi Ecclesiæ episcopum datum, exinde vero IX kal. julii MCCCLIII episcopum Teatinum designatum, & tandem ad Patracensem in Peloponeso XII augusti MCCCLXII translatum, ubi & obiit anno MCCCLXV. Ughello favent acta Vaticana, & aliunde Bartholomæi de Carbone Vallius non meminit in Compendio. Cùm Toppius nulla ejus opera recenseat, non video cur inter scriptores numerarit, nisi forsan quia plura in Ecclesiis quas rexit ab eo statuta censuit, quod verisimillimum & discutiant gentiles.

F. THOMAS RINGSTEDE.

F. Thomas Ringstede Anglus vir pietate, doctrina & agendorum peritia sua ætate commendatus, in sacra facultate Cantabrigiensi theologiæ magister laureatus, quem & Oxoniensi postea allectum quidam putant, pœnitentiarium summi pontificis Avenione agebat, cùm vacante Ecclesia Bangorensi in Wallia sub Cantuariensi, ad eam sedem ab Innocentio VI promotus est XVI dec. MCCCLVII. Anno sequenti XXI aug. consecratum narrat Godwinus, quod difficultate non caret: notum enim consecrationes episcoporum non fieri nisi die Dominico, anno autem MCCCLVIII cùm litt. Dom. esset G, augusti XXI erat dies martis: itaque hîc mendum de mense vel die suspicor apud Godwinum. Ut ut sit in Angliam redux sponsæ suæ optimis moribus informandæ, ovibusque verbo Dei pascendis totus incubuit ad annum MCCCLXV, quo januar. VIII Salopiæ apud nostros decumbens mortales exuvias reliquit, & Huntindoniæ apud canonicos regulares ex ultimæ voluntatis tabulis in sepulcro majorum conditus fuit. Ejus testamentum legit Godwinus, in quo centum libras basilicæ Bangorensi reparandæ, XL libras pro emendis ubi decerant apud suæ diœcesis parœcias ornamentis, XX denique academiæ Cantabrigiensi ad montem quemdam pietatis in pauperum scholas frequentantium commodum constituendum legavit. Ordinis Prædicatorum fuisse tacet Godwinus, sed asserunt omnes alii, in primis Laurentius Pignon ei suppar, qui in indice episcoporum ex ordine sic habet: *F. Thomas Renset* (corrupte pro *Ringsted*) *magister in theologia episcopus Bangorensis in Gwallia.* Idem in indice scriptorum n. 106: *F. Thomas Rinxtie* (rursus sic corrupte) *magister in theologia episcopus Bangorensis scripsit* † 1365.

Bonam postillam super proverbia Salomonis.

Recensentur plura exempla MS in catal. Angl. T. I P. II n. 193 *Thomæ Rinstede Anglici postil-*

la fol. memb. super proverbia Salomonis. Jamesius qui in sua Egloga hujus codicis meminit p. 22 b, sic addit: *Fuit is ex ordine Prædicatorum sacræ paginæ professor, & hæc scripsit Londini 1461. Extant postillæ vel lectiones 183, Liber bene scriptus & magnus.* In qua Jamesii glossa manifeste est erratum in anno. Si enim Ringstedius anno solum 1461 scripsisset, qui ejus meminisset Laurentius citatus, qui mortuus est circa 1440, & jam ante 1400 indicem suum scriptorum nostrorum scripserat? Igitur vel ætas est codicis non a Ringstedio centum annis antiquiore, sed ab alio scripti, vel si a Ringstedio scriptus est, legendum non 1461, sed MCCCLXI.

Sed litem dirimit codex MS domus nostræ Claromontanæ in Arvernia cui titulus: *Postilla in proverbia Salomonis per F. Thomam Ringsted Cantibergensem ordinis FF. Prædic.* & dicitur ibidem *scriptus anno* MCCCLXXVII.

Item n. 1348 *Reginstede super proverbia fol. grandi.*

Item n. 1939 *Ringstede postilla in parabolas.*

P. III n. 1921 *Thomas Ringstede senior, perperam vocatus Bingstede episcopus Bangor in parabolas Salomonis.* Ubi nota illud *senior* glossam esse Jamesii in Ecloga p. 126: Sed si quis hujus nominis junior fuit, ut agnoscit Pitseus ad 1440 p. 630, hic non fuit ord. Prædic. sodalis.

T. II P. I n. 8231 *Ringstede super parabolas Salomonis.*

Ex hactenus dictis conjicio idem esse opus qui ejusdem catalogi T. I P. I n. 2720 sic refertur: *Rich. Ringstede super* XXIX *capita parabolarum Salomonis.* Adeo ut sit erratum librarii, qui scripserit *Rich.* pro *Fr. Th.*

Circa hunc auctorem varii varie allucinantur, & primo Lusitanus, qui Hispanus B in V commutans *Vangoriensem* episcopum dicit: hincque delusus Fontana in Theatro, cùm non nosset Ecclesiam Vangoriensem, quæ revera nulla est, legendum putavit *Wigorniensem*, & *Bringstede* Thomam nostrum corrupte nuncupavit, cùm nullus hujus agnominis Wigorniæ sederit. Idem Fontana Fernandem errantem excipiens, quemdam Thomam *Ruvisac* episcopis Baionensibus accenset, a Clemente V inquit, anno 1305 ad eam sedem promotum, cui tamen nullus est in ea Galliæ Ecclesia locus: ac proculdubio alius non est a nostro Thoma Ringstede Bangorensi in Wallia Angliæ episcopo anno MCCCLVII ab Innocentio VI promoto, cui successit e nostris F. Gervasius de Castro Anglus S. T. M. XXVI jan. MCCCLXVI ad eam sedem evectus, qui & testamentum condidit XXIV sept. MCCCLXX, hic etiam a Fontana corrupte dictus *Bungorensis*, nec rectiùs in App. ubi errata corrigit, *Bongirensis*. Ad eamdem sedem Bangorensem anno MCCCLXXII promotus fuit F. Joannes Gilbert Anglus, exinde ad Herefordensem anno MCCCLXXV, & tandem ad Menevensem XIII maii MCCCLXXXIX translatus, ubi vir magnarum partium, pluribus pro rege & regno præclare gestis insignis obiit XXIX julii MCCCXCVII, de quo legendus Godwinus citatus. Hunc Fontana *Cangensis* seu *Gangensis* nescio cujus ecclesiæ, nam nullibi terrarum existit, antistitem scribit corrupte, scilicet pro *Bangorensis*.

Hæc alia Ringstedio nostro a Pitseo asseruntur opera:

Glossæ super psalterium. Quod opus Pitseus a Jamesio videtur excepisse, qui Eclogæ p. 99 inter codd. MS collegii Caii & Gonellii n. 6 recenset *Glossam vel commentarium Rob. Ringsteed in psalmos.* Unde istum Rob. eumdem Pitseus putarit cum Thoma nostro, cui lubens assenserim: sed mirum in catal. Angl. in quo longe accuratior & fusior dicti collegii MSS index, nullam neque hujus operis neque auctoris fieri mentionem.

Lectiones in sacram scripturam. Quænam illæ sint non indicat. SEC. XIV.

Scripta super quatuor libros sententiarum.

Distinctiones theologicæ & Placita theologica.

Sermones solemnes ad clerum & populum.

Hujus scriptoris præter citatos meminerunt Possevinus, Pius ad 1370, Altamura ad 1317 & alii nostrates, quos ex supradictis emendes.

Historiæ universitatis Oxoniensis p. 85 sic legitur: *Thomas Ringsted vel Ringostadius, ut Lelandus habet T. IV p. 269 sui seculi clarus theologus primò in academia Cantabrigiensi, deinde in hac* (scilicet *Oxoniensi*) *operam litteris dedit. Fit episcopus Bangorensis anno* MCCCLVII.

Lelandus cap. 413 sic habet de Thoma Ringostadio: *Scripsit super parabolas Salomonis, quanquam illud opus Isca Devoniorum (Excester) vidi, nisi vitium sit librarii, sub nomine Richardi Ringostadii.* Jam supra idem erratum in Catal Anglic. P. I notatum. Addit Lelandus: *Illud certe satis admirari non possum, quod Leander Albertus, qui diligentissime de illustribus viris Prædicatorii ordinis scripsit, nullam de Ringostadio faciat mentionem.* Verùm illud non ita mirum, cùm & ipsius Lelandi diligentiam plures Angli illustres effugerint. Cæterum Laurentius Pignon integro seculo Leandro antiquior luculenter meminit.

B. M. HENRICUS SUSO.

B. M. HENRICUS SUSO a sanctiori vita magis, piisque ab eo scriptis libris cognitus est, quam a vero nomine, quod diligentius occuluit, adeo studuit ab hominibus ignorari, ut soli Deo notus esset. *Amandus* in pluribus codd. MSS omni alio suppresso singulariter dicitur, quod eo nomine se in fine præcipui sui operis donatum asserat a Sapientia æterna, cujus amore incensus minister ac discipulus audire tantum volebat. A primo dilecti sui operis e Latino in Gallicum interprete Minorita Lotharingo, qui hanc versionem 24 annis tantum a morte auctoris perfecerat, neque ab ejus patria longius distabat, non Henricus, sed *Joannes a Swevia* nuncupatur, sicque in omnibus exemplis MS ejus ætatis vel seculi sequentis legitur: eoque nomine ut certiori illum in hac nostra bibliotheca repræsentare fere statueram. Verùm ne quid novi ac miri viderer consectari, parumque aliunde referat, quo nomine vocentur auctores, modo in homine non sit allucinatio, Henricum Susonem quo jam vulgo notus est, prostantque ejus opera, cum aliis nuncupare visum est satius, lectoremque interea de re tota monere. Swevia igitur illi regio natalis fuit, ab incolis *Schwaben*, a Gallis *Sonabe*, olim *Soubshaube* vel *Sonhaube*, quod pronunciabant *Southasbe* dicta, patria, ut volunt, Constantia Rhenana, parens uterque nobilis, pater quidem ex illustri Montensium, mater ex Susonum stirpe originem ducens, conventus Constantiensis professionis domus, studiorum collegium nostrum Coloniense, prædicationum theatrum Germania fere universa, Swevia in primis & Alsatia. Mens eidem fuit excelsa, animus ad quæque majora par & constans, disciplinæ regularis cultus assiduus, propriæ perfectionis desiderium indefessum, animarum ad vitam spiritualem & interiorem provehendarum zelus ardens, ingenium acre, doctrina ad sacræ scripturæ sanctorumque Patrum amussim castigatior, elocutio facilis, oratio non qualis plurium ejus ætatis, auctorum a se lectorum serva, sed ex fonte fluens, quæ ex operibus ab eo scriptis omnibus patent. Natus est anno circiter MCCC, ætatis decimo tertio nomen ordini dedit, mortuus est anno MCCCLXV forte stylo veteri, novo MCCCLXVI januar. XXV. * 1365.

SÆC. XIV. Præclare ab eo gesta fortiterque perpessa vulgari Germanico scripsit Soror Elizabetha *Staglin* ordinis ejusdem monialis, quæ spiritualis ejus in Christo filia, ea in familiaribus cum eo colloquiis ex ejus ore didicerat, Latine verò vertit Laurentius Surius instante abbate Lætiensi Ludovico Blosio, ac edidit Coloniæ Agrip. 1555, ac iterum ibidem sumptibus Arnoldi Mylii in officina Birckmannica 1588 in 8, suisque Menæis seu SS. Actis Bollandus & Henschenius inseruerunt T. II januarii die 25: quos consulat lector curiosus, nam qui nobis scopus, de ejus operibus tantum hîc agere est animus, quæ hoc ordine a Surio laudato typis prodiere:

Dialogus sapientiæ & ministri ejus sane pulcherrimus.

Conciones aliquot utilissimæ.

Epistolæ complures.

Dialogus de veritate cum appendice.

Libellus optimus de novem rupibus.

Centum meditationes Dominicæ passionis.

De æterna sapientia exercitium amanti animæ revera dulcissimum.

Officium cum missa de æterna sapientia.

Quæ simul cum vita auctoris prodierunt Coloniæ 1555 & 1588 apud Arnoldum Mylium in 8: & rursus ibidem Arnoldi Quentelii 1615 in 8 pagg. 674. Neapoli etiam, Lucæ Antonii Fusci 1658 in 12. Hanc versionem qui accuravit Surius, sinceram se dare testatur ex Germanico quale ab auctore primum prodiit, versionemque antiquam a nescio quo interprete factam pluriesque excusam non parum vituperat, eam prorsus infidelem præstans, aliis additis subtractis aliis, adeo ut sit a Germanica Henrici lucubratione omnino diversa. Quænam sit illa versio, quam tantopere culpat Surius, dicere non possum, qui in eam etsi diligentius quæsitam nondum inciderim; an autem prius Germanice quam Latine saltem *Dialogum sapientiæ & ministri ejus*, cui verus titulus ab auctore inditus est *Horologium sapientiæ æternæ* disputare nolim, at certo Latinè ab auctore scriptum evincitur tum ex codd. MSS ejus ætatis, qui non pauci servantur in bibliothecis, tum ex eo quod opus illud magistro ordinis F. Hugoni de Vaucemain Autissiodorensi nuncupavit, cui sane Teutonicam lucubrationem non misisset ab eo ut petit emendandam, tum denique ex versione Gallica laudata & 24 annis tantum ab auctoris morte suscepta, quæ codd. MSS Latinis ita conformis est, ut ex iis manifeste desumpta videatur. Quam quidem qualis ab auctore Latine prodiit, satius fuisset a Surio dari, etsi enim hujus fortè elegantior, illa tamen non solum sincerior ut pote genuina, sed & plura habet quæ non sunt in Suriana, diversoque plane ordine, vitæque ac spiritui seu ingenio auctoris cognoscendis non parum conducentia. In cujus specimen placet hîc prologum ejus seu epistolam nuncupatoriam quæ deest in editis ex cod. Colbert. 5360 exceptum exhibere.

Incipit prologus in librum, qui intitulatur, Horologium sapientiæ.

Sentite de Domino in bonitate & in simplicitate cordis quærite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum. » Multifarie multisque modis olim in primitiva Ecclesia electis suis divina sapientia apparuit, mentesque eorum suo lumine illustravit, qui spiritu ferventes Domino servientes erant in sanctitate & justitia coram ipso. Miserat tunc namque Deus de excelso ignem in ossibus eorum, & facta sunt corda eorum ardore charitatis æstuantia vehementer: diffundebatur autem flamma exterius lucentium operum & efficacium exemplorum. Siquidem in bonitate & cordis simplicitate Dominum * quærentes, negotiorum secularium nulla erat eis recordatio, sed peccata plangere, divinis intendere, se intra se continere, corpus suum servituti subjicere, solique æternæ sapientiæ jugiter adhærere solicitudo & intentio tota fuit. Sed heu modernis temporibus mundo jam senescente hic amor & fervor divinus in multorum cordibus tantum refriguit, ut pene sit extinctus, & pauci inveniantur qui devotioni studeant, qui novam gratiam se calefacientem quærant, qui imbre lacrymarum austro flante se crebrius profundi gaudeant, qui visitationis divinæ & allocutionis supernæ gratiam quærant: sed studio vanitatis & genealogiis interminatis, ac deliciis corporalibus & promotionibus intendentes lethali quodam sopore ligati tenentur. At verò divina sapientia de salute cunctorum solicita hæc mala electos suos emendare semper cupiens, in præsenti opere principaliter non quidem informare nescientes eo quod jam repleta sit terra scientia Dei, sed reaccendere extinctos, frigidos inflammare, movere tepidos, indevotos ad devotionem provocare, ac somno negligentiæ torpentes ad virtutum vigilantiam excitare dignata est. Unde & præsens opusculum in visione quadam sub cujusdam horologii pulcerrimi figura rotis pretiosissimis decorati, & cymbalorum benesonantium, & suavem ac cœlestem sonum reddentium, cunctorumque corda sursum moventium varietate perornati dignata est ostendere clementia Salvatoris. Obsecro autem devotos lectores ut sermo imperitus atque incultus & inutilis etiamsi barbarum aliquid fortassis sonare videatur, non displiceat. Non multum etenim curo vitia incurrere artium sermocinalium, dummodo vitia animarum eo commodius possim fervida locutione corrigere & emendare. Veritates quidem Patrum, vel ea quæ comperta sunt certissima attestatione rerum secundùm sacræ scripturæ sensum, prout accepi a Domino, simplici stylo posui, extra eas ex proposito nihil dicendo. Verumtamen quoniam eædem materiæ dudum a multis subtiliter & luculenter declaratæ sunt, & pene ex frequenti usu jam plerisque in fastidium vertuntur, ideo non fuit opus ad singula quæque auctoritates adducere: nam ex hoc consonantia motiva hujus voluminis * utique intercepta fuisset. *Notandum quoque quod locutio ista quantum ad interrogationem discipuli & responsionem sapientiæ, vel e converso solum posita est ad ferventiorem modum tradendi. Nec est taliter accipiendum, quod discipulus fuerit ille talis de quo sapientia in persona propria solum intenderit, vel qui sapientiam solus præ cæteris tantum amaverit, vel cui sapientia tot & tanta fecerit, sed revera pro quolibet in commune dictum habeatur. Siquidem per modum doctoris nunc loquitur in persona hominis perfecti, deinde in persona imperfecti, nunc in persona alicujus qui affectuose Christum diligit, & in fide atque dilectione eum sibi desponsat: deinde in persona peccatoris, qui Deum pro suis excessibus flebiliter exorat: & sic diversimode stylum vertit secundùm quod materia nostra congruit. Nunc etiam Dei filium ut devota anima sponsum inducit, postea eumdem tanquam æternam sapientiam viro justo desponsatam introducit. Visiones quoque in sequentibus contenta non sunt omnes accipiendæ secundùm literam, licèt multa ad literam contigerint, sed est figurata locutio,* sicut & in libro Regum legimus de Natan propheta, qui missus a Domino ad regem David parabolice sub figura divitis & peregrini judicium ab eo exegit contra seipsum propter peccatum quod in servum suum commiserat: & de muliere Thecuite sapiente quæ ad regem intrans in

* L. quærentibus.

* V. ubique.

» persona aliena videlicet duorum filiorum animum regis ad clementiam flectebat. Angelus quoque ad Tobiam missus ab eo requisitus quis esset, respondit se Ananiam Azariæ magni filium. Quæ omnia non ad literam sed secundùm sua significata fuerunt vera. Sic & prædicator egregius apostolus Paulus discipulorum suorum personam induerat cùm eos culpando dicebat: *Ego sum quidem Pauli, Ego autem Apollo, nonne homines estis?* Et paulo post. *Hæc*, inquit, *Fratres transfiguravi in me & Apollo propter vos, ut in nobis discatis.* Porro hujus figuratæ locutionis occulta mysteria diligens lector faciliter poterit advertere, si tamen solertem curam studuerit adhibere. Oro autem & supplico bonitatem ejus immensam, qui me hunc laborem suo ex amore subire coegit, de ipsius bonitate confidens, ut qui facultatem meum negotium hoc excedere cognoscit, ipse defectum meum in cordibus piorum hoc legere volentium suppleat hoc modo, ut omnis qui præsens opusculum cum sincera intentione perlegerit vel audierit, haustum alicujus devotionis, vel aliquam novam divinitus collatam sibi gratiam inde reportare mereatur. Ad hoc autem & ex parte legentis requiritur, ut totum istud studiose curet perlegere & non raptim nunc hoc nunc illud cursitando nitatur degustare.

» Sane imperfectum meum tam scientiæ quam vitæ recognoscens vobis Patri filiorum amabili Hugoni magistro ordinis Prædicatorum venerabili hoc opus transmittere curavi, qui & auctoritate cæteros præcellitis & honore magisterii theologicæ scientiæ polletis, & quod his majus est lumine quoque æternæ sapientiæ ac donis spiritualibus præditus estis, ut literæ vestræ exhortatoriæ satis declarant: in quibus filios dilectos admonitione paterna ad pacem & fraternam charitatem, ad disciplinæ rigorem & fervorem devotionis, ad conformitatem Christi Jesu, ac omnium virtutum perfectionem tanta solicitudine excitatis. Nec his contentus, sed de multorum quoque salute solicitus, miseros quoque hujus mundi sectatores, ut hunc mundum fugitivum ac fallacem deserant, & ad veram ac æternam sapientiam veniant invitatis, verbo & exemplo per eosdem procuratis. Vos ergo Pater Reverendissime manum peritam apponite, & gustu interno prout in talibus oportet discernite, si quid plus vel si quid minus: & quod æterna sapientia inspiraverit pro sua gloria & utilitate proximorum faciatis. Mihi quoque omnium filiorum vestrorum Deum amantium vilissimo veniam de defectibus hîc repertis concedatis. Nec præsumptioni factum hoc ascribite, sed Dei æmulationi, imo supernæ inspirationi, quæ ut testis est mihi Deus me die nocteque quiescere non permisit, donec ejus coactioni acquievi, sed utrum bene vos probate, qui unctionem a spiritu sancto habetis.

Inter sapientiam & discipulum.

» Sciendum quod colloquium istud inter sapientiam & discipulum hoc modo initium & occasionem habuit. Nam dum quadam vice post matutinas idem discipulus similitudinem processionis illius amarissimæ, quam Christus condemnatus fecit dum ad locum passionis duceretur, more solito explevisset, & in ambone ante crucifixum staret, animoque dolenti conquerenti crucifixo quod affectum tam fervidum ad suam passionem, prout dignum esset, non haberet, sed nec hactenus habuisset, statim quasi in extasi positus lumine quodam cœlesti illustratur, & *ejus mentalibus oculis centum meditationes seu considerationes suæ passionis ostenduntur: sibique dicitur, quod omni die debeat has centum materias cum centum Veniis devota meditatione transcurrere, & totidem petitiones adjungere, ac se Christo passo spiritualiter quantum possibile est in eisdem transformare. Quas tamen hic causa brevitatis explicitè ponere omisi; sed devotis personis doctis & indoctis in nostro vulgari videlicet Teutonico fideliter communicavi.*

ec ea- ere le- in ne Su- . 27 imo i, sed rius ntur.

» Igitur discipulus qui ante fuerat affectu compassionis durus, cœpit per continuum meditationis ejusdem usum ad tantæ memoriam passionis mollescere, & diversas eo modo prout in sequentibus apparebit illuminationes habere. Dum autem prædicta prout edoctus fuerat, scribere inchoasset, & examinatrix bonorum adversitas eum a cœptis retrahere tentaret, Christus ei in visione astitit in ea forma, quasi jam de columna in qua flagellatus fuit descendens, & sua vulnera recentia ac cruentata eum contrectare permittens adversitatis illius vulnera sanavit, & ad perficiendum inchoata animavit «.

» Notandum quoque quod originale hujus operis certis temporibus, & nonnisi in præsentia magnæ gratiæ conscriptum fuit. Non enim prædictus discipulus, nomine & persona in hoc opere ignotus, videbatur idem habere modum agentis vel dictantis, sed modum quemdam divinà patientis. *Nam cùm omnino nesciret, quid scribere deberet, per revelationes spirituales habuit & quando scribere debuit, & pene singulas materias quas scripsit. Porro extra hoc tempus si quid quasi ex se dictasset vel aliunde collegisset, aut etiam excerpere voluisset, & prædictis apposuisset, tam insipidum reddebatur, & ineptum fiebat, ut si quis sapores aut colores contrarios in unum compingere niteretur. Et cùm ea quæ data erant ad tabulam concepisset, ad se reversus studiosè rimatus est, ut nihil in iis esset, quod a dictis sanctorum Patrum discreparet, sed hoc quod divina tradente sapientia sibi per spiritualem illustrationem infundebatur, auctoritate sacræ scripturæ divinitus sanctis inspiratæ fulciretur, cùm idem in sensu, aut etiam idem in verbis & sensu vel certè simile reperiretur esse.* » Post completum vero hujus operis laborem, dum timore quodam humano teneretur, ne ab æmulis, qui nunc quoque sicut olim invidia stimulante facta quæque licèt bona depravare aut penitus annullare non desistunt, divina charismata appellantes superstitiosa figmenta & sanctas revelationes phantasticas deceptiones, sanctorumque gesta patrum esse dicunt narratorium fabulosum, tanquam homines qui non gustaverunt ea quæ sunt Spiritus sancti: ipsi vero scientias solummodo, & advenientes topicas, vel propositiones dubias sequuntur tanquam demonstrationes certas: & licèt in prædictis diligens cautela sit adhibenda, non tamen spernenda sunt usquequaque. Timens ergo ne istud quoque similiter pium opus eorum dentibus dilaceraretur, cogitavit ipsum occultare aut etiam penitus supprimere. Quod ne fieret divina sapientia per apertissima signa & pulcras revelationes omnino prohibuit: sed Beata virgo cum filio suo cuidam personæ apparens hæc eadem omnibus Deum diligentibus communicari præcepit «.

Ex quo prologo plura colligat lector: primo tempus quo scriptum aut saltem editum opusculum hoc, scilicet dum ad clavum navis nostræ sederet Hugo *de Vaucemain* Gallus Autissiodorensis, qui electus anno MCCCXXXIII ordinem rexit ad MCCCXLI, quo ante festum S. Michaelis obiit, ut supra ubi de eo notatum est: præterea Latine primùm in lucem editum, cùm eumdem ordinis magistrum oret, ut manum peritam apponat, & gustu interno discernat, an quid plus, an quid minus dictum sit. Adde quod lectores obsecret, ne sermo

Sec. XIV. imperitus incultus aut etiam barbarus a legendo absterreat, quia sermocinalium artium vitia parvipendit, dummodo vitia animarum emendet: quod utique nonnisi de dictione Latina facile intelligitur. Hoc etiam opusculum videtur a centum meditationibus distinguere, quas vulgari Teutonico spiritualibus animabus communicavit: quod frustra moneret, si Horologium hoc Teutonice tantum scripsisset.

Secundo qua ratione tum colloquium illud sapientiam divinam inter & discipulum, tum visiones in tractatu relatas velit accipi, nempe non ad literam, sed figuratam esse locutionem, quo magis placerent dicta, suaviusque ac delectabilius animis illaberentur: unde statim a meditatione, quas interius acceperat illustrationes, ad sacræ scripturæ sanctorumque Patrum trutinam examinabat, ne quid ab eorum sensu alienum excideret. Quod idem de pluribus in ejus vita relatis visionibus, imo & de similibus spiritualibus auctoribus sentiendum rectè quis censuerit. Ille enim per figuratam colloquii cum Deo & Christo visionumve locutionem scribendi modus plurimum seculis XIV & XV præsertim apud spirituales invaluit, ut videre est in Thoma Kempensi, Catharina de Senis, Birgitta Sveca, Alano de Rupe, & aliis sanctis viris ac fœminis, quorum revelationes sic dictas in tantum recipit Ecclesia, quantum canoni librorum sacrorum Patrumque doctrinæ conformes inveniuntur.

In codice MS Latino, ut & in veteri versione Gallica Horologium hoc in duas Partes est divisum cujus capita seu materias, ut loquitur, placet hîc referre, ex quibus discrimen editionis Surianæ, sive ea genuina sit auctoris Germanica, sive a Surio ut in hisce antiquis illi mos fuit, interpolata ac inversa, facile intelliget.

Materia 1. *seu cap*. I. *Qualiter quidam electi & divina gratia præventi ad Deum mirabiliter trahuntur, & specialiter quomodo quidam juvenis fuerit tractus.*

II. *Quomodo Christi passio sit præambula ad cognitionem divinitatis, & qualem formam Christus contraxit ex acerbitate suæ passionis.*

III. *De quibusdam Christi passionibus, & qualiter verus amator se eisdem debet conformare, & quare Deus per talem mortem voluit genus humanum redimere.*

IV. *Qualiter anima quæ sponsum per peccatum perdiderat, ipsum sub cruce per fervidam pœnitentiam invenit Christi passione adjuvante.*

V. *Planctus super extincto fervore devotionis in diversis personis utriusque sexus modernis temporibus, quos Christus per suam passionem revocat ad verum amorem.*

Titulus hujus capitis, quod deest in Editione Surii, sic habetur in antiqua versione Gallica: *La est contenue la complainte de religion, qui est moult desolée*, (in altero exemplari recentiori, *La complainte du gouvernement de la religion, en laquelle devotion est moult refroidie pour le temps present) & comment Jesuchrit la rapelle par sa beneiste passion.*

Quod caput valde notandum nec historiæ inutile, cùm in eo sub eleganti quadam parabola provinciæ cujusdam ordinis status describatur, etsi nostri difficile crediderim, cùm in capitulo provinciali quodam prior provincialis dicatur mortuus, quod saltem tempore Hugonis de Vaucemain non videtur in Teutonia evenisse, quantum colligitur ex actis.

VI. *Qualis sit divina sponsa æterna Sapientia, & de qualitate amoris ipsius.*

VII. *Qualiter divina Sapientia amabilis sit & terribilis pariter.*

VIII. *De vicissitudine divinæ visitationis, & qualiter anima sic debet se tunc tenere.*

IX. *Quare divina sapientia suos caros in hoc mundo permittit tam multipliciter tribulari.*

X. *De cruciatibus infernalibus.*

XI. *De gaudiis supercœlestibus.*

XII. *Determinatio quarumdam objectionum, quæ in præcedentibus sunt omissa.*

XIII. *Quam utile sit servo Dei in hoc mundo multas sustinere tribulationes.*

XIV. *Quam utile sit passionem Christi jugiter habere in memoria.*

XV. *Quomodo verus Christi discipulus debet se consignare passionibus ipsius.*

XVI. *Commendatio singularis B. Virginis Mariæ & de dolore ejus inæstimabili, quem habuit in passione Filii.*

Pars hæc seu Liber I incipit ut in editis, *Hanc amavi &c.*

Partis II hæc sunt capita.

I. *De diversitate admiranda doctrinarum atque discipulorum.* Princ. *Sapientiam omnium antiquorum exquirebat quidam avidus sapientiæ discipulus &c.*

II. *De scientia utilissima homini mortali, quæ est scire mori.*

III. *Formula compendiosa vitæ spiritualis.*

IV. *Qualiter Christus in sacramento eucharistiæ sit devote recipiendus.*

V. *Quomodo æterna Sapientia sit ex toto corde & ex tota anima jugiter omni tempore laudanda.*

VI. *Informatio qualiter præmissa sint trahenda ad sermones & collationes.*

VII. *Qualiter multi fideles possint Sapientiam divinam desponsare, & quomodo per quotidiana quædam levia exercitia debent se quotidie sive continue in ejusdem amore reformare.*

VIII. *Fructus multiplex divinæ benedictionis, quem discipuli divinæ Sapientiæ merentur accipere.*

Vix istud opusculum in lucem ediderat noster Sapientiæ Discipulus, cùm ejus exempla undique avide conquiri cœperunt, & distrahi, non secus ac nunc *De imitatione Christi* liber pretiosus, hæcque in bibliothecis etiamnum servata mihi occurerunt MS. In Bibl. conventus majoris Erem. Augustin. Paris. cod. MS 147 fol. mag. memb. sub nomine F. Amandi.

Item in Victor. cod. 139 fol. par. memb. *Incipit prologus in libro qui intitulatur Horologium sapientiæ F. Amandi Theutonici de ordine Prædicatorum. Sentite &c.* Ad calcem: *Explicit horologium F. Amandi de ord. Prædic.* Item in Bib. Eccl. Remen. n. 171.

In Bibliothecis Belgii teste Sandero. In Abbatia S. Vedasti ad Atrebatum n. 40 *Horologium æternæ sapientiæ.* Princ. *Sentite de Domino in bonitate &c.* ut supra. Idem n. 44: *Cum horis de æterna sapientia.*

Dunis apud Cistercienses inter libros spirituales lit. C. Sanderi pag. 190: *Colloquium pulcerrimum sapientiæ divinæ cum discipulo suo ad M. Hugonem S. T. doctorem ordinis Prædicatorum, vulgò inscriptum, Horologium æternæ Sapientiæ, cum Cursu horarum de Sapientia divina.*

In abbatia Camberonensi apud Sanderum pag. 359 lit. H: *Horologium æternæ Sapientiæ. Horæ de æterna Sapientia.*

In abbatia Viridis vallis Can. Reg. in silva Soniæ: Parte 2 pag. 137 Sanderi eodem titulo *Horologium &c.*

Trajecti ad Rhenum pag. 81. ejusdem a p. Sanderi: *Horologium &c.*

Tongris apud Can. Regul. pag. 200 P. II. Sanderi: *Horologium &c. & horæ*, ut supra.

In catalogo

In catalogo codd. MSS Angliæ T. I P. I 2292, *Henrici Susi Horologium æternæ Sapientiæ* : & 1293, *Horologium Sapientiæ per Henricum Swevum* : P. II 1562, *Horologium divinæ Sapientiæ. Ad calcem sic legitur : Hunc composuit Henricus Constantiensis anno Domini 1369. fol.* Quæ nota non dubito quin secunda manu apposita fuerit, cùm sit adeo gravis error in anno : P. III 126, *Codex vetus memb. in 4 bene exaratus, in quo continetur* 1. *Horologium sapientiæ libris duobus.* An in quibus auctor dicitur Henricus Suso vel Swevus vel Constantiensis, sit ita prima manu scriptum non docet catalogus, ac id mihi valde dubium. Quin autem alia alibi extent exempla, nullus ambigo. Recenset Tomassinus in Bibl. Patav. pag. 45 b : *Horologium Sapientiæ*, apud S. Justinam. Addit : *Tale in Bibliotheca Jo. Rodii titulo Fr. Amandi in memb.* MS *in* 4. *Nunquid hoc B. Henrici Susi* ? Et in Venetis apud S. Georgium in Alga inter datos a Maffæo Contareno, *Horologium æternæ Sapientiæ*, ut & apud Minoritas conventuales : *Centum meditationes super passionem Domini pertinentes ad horologium Sapientiæ* &c. In catalogo etiam codd. MSS. Bibl. Lipsien. Felleri pag. 378 n. 825. Idem.

Sed & in incunabulis typographiæ & deinceps pluries prodiit : has editiones laudant : Parisiis 1480 in 4. Recensetur in catalogo codd. MSS. Angliæ T. I P. I 1873, 1. A. 3 : *Horologium æternæ Sapientiæ per Amandum. Liber impressus* : & T. II P. II 79 : *Horologium Sapientiæ per Henricum Constantiensem ord. Prædicat. Liber impressus Parisius* 1480. in 4. Dupinius post Caveum refert editiones Venetas duas 1492 & 1539. Extat Parif. in Regia D. 1134 editio quæ relatis videtur antiquior & in catalogo indicatur anni 1470, licèt in codice desint locus, annus, nomen typothetæ. Stylum auctoris primigenium exhibet hoc exemplum. Ita vero placuit opus illud pium, cùm primum e manibus auctoris elapsum est, ut quæque natio sua voluerit habere lingua. De Germanica non loquar, qua dicunt ab ipsomet auctore editum, Gallica donavit quidam Anonymus Minorita S. T. magister, cujus versiculos saltem quosdam ex carmine ab eo ad calcem operis addito placet referre, quod & nomen auctoris & annum versionis, ut & locum exhibeant. Sic ergo ille:

Ceste doctrine couronnee
Fut premierement ordonnee
Du Saint Esprit & fut dite
A un homme de grand merite
Sage & de grant perfection
Profez en la religion
Du glorieux saint Dominique.
Nez fut de terre Alemanique
Frere Jehan dit de Soubshaube
Qui de pureté eut vestu l'aube.
Apprové fut cest Almant
De Sapience vrai amant
Fondé fut en toute science
Principalment en conscience
En purté de corps & de cuer &c. & post pauca :
De latin en romans donnée
Fut ceste histoire celle annee
Que le milliaire couroit
Qui a proprement compter pouroit
Mil ccc quatre vings & neuf
En la ville du Chatelneufs
A la requeste & a l'instance
D'homme de grant suffisance &c.
Fait fut cet escript & transport
Devot subtil & gratieux
Par un frere religieux
De la nation de Lothrainne
A grant soin & a pou de paine
Fut mis de Latin en François
Et fut de l'ordre saint François
Maistre fut en theologie
Son nom sa genealogie
De fait advisé cele & cuevre
Car ilz n'a pas fait si grant euvre
Dont ilz doit avoir los ne tiltre
Pour soi nommer en cest chapitre &c.
Faite fut la translation
En l'an de l'incarnation
Devant dit le jour XXVIII[e].
Du mois d'avril environ prime &c.

In medio capitis V circiter, hanc notam addidit interpres literis ex minio : *Entant quant ce livre fut translaté en François, ils avoient a Rome un Antipape, qui occupoit la plus grande partie de l'Eglise. & avoit ja regné* XI *ans ou environ.* Quæ indicant & annum versionis jam dictum 1389, nam schisma Avenionense anno 1378 incepit, & Minoritam illum Lotharingum Clementi VII sic in sua obedientia nuncupato adhæsisse.

Hujus versionis plura sunt in bibliothecis exempla MS. In Regia Parif. quatuor imaginibus elegantibus illustrata, omnia membr. 7041 & 7042 prima & secunda pars operis circa 1461 scriptæ : nam initio tessera gentilitia exhibetur cum torque velleris aurei Ludovici a Brugis, qui eo anno a Philippo Bono Burgundo eques ascitus fuit : 7043 elegans quidem sed est pars secunda tantum : 7044 antiquius est, at desunt priora folia ad finem fere capitis primi. Illa tria fol. 7882 forma in 4 chartaceum omnium antiquissimum & integrum. In bibliotheca S. Germani a Pratis 825 fol. par. membr. videtur seculi XIV exeuntis, aut XV ineuntis. In his omnibus hic est titulus :

Cy commence le livre, qui est dit Horloge de Sapience, lequel fit Frere Jean de Soubshaube de l'ordre des Freres Prescheurs.

Hæc eadem omnia leguntur in quatuor Colbertinis ejus versionis 1507 & 2211 fol. med. memb. 3172 & 3188 fol. charta, omnes seculi XV plus minusve alii aliis antiquiores. Versus medium capitis penultimi sic habetur : *Son epousa l'appella Frere Amant & lui dit paroles secretes, sages, subtiles, stables, & moult espirituelles &c.*

In Avenionensi apud Cœlestinos. In Catal. Angl. jam citato codd. MSS. T. II P. I 1577 in quo sic dicitur ad calcem haberi : *Ly fine le livre qui est dit Auloge de Sapience, lequel fit Frere Jean de Souhaube de l'ordre des Freres precheurs. Ecrit l'an mil quatre cent* XXXIII *memb. foliis* 120. Nec dubium quin idem sit scriptum in Belgicis a Sandero citato relatis 428 & 429 Palatii Bruxellensis pag. 9 P. II catalogi.

Quem titulum sic reddas Latinè : *Incipit liber dictus* Horologium Sapientiæ *quem composuit Frater Joannes de Swevia ordinis Fratrum Prædicatorum.* Hæc eadem versio Gallica sed recognita, & ad usum ætatis stylo mollito emendata, regique Christianissimo Carolo VIII a Cartusianis Parisiensibus nuncupata suppresso nomine auctoris & interpretis typis elegantibus prodiit Parisiis apud Antonium Verard 10 martii 1493 stylo veteri novo 1494 fol. med. cujus hoc initium : *Cy commence le livre appellé l'Orloge de Sapience nouvellement translaté de Latin en François.* Etsi autem Editores novam translationem afferant, eamdem Minoritæ citati ex collatione deprehendi licèt ut jam dixi stylo quadantenus mollitam. A capite V Partis I resecuit novus interpres paginas circiter XII quæ leguntur in MSS. Hujus insigne est exemplum in Regia Y 3596 in pellibus vitulinis elegantibus, exquisitis & politissima arte perfectis imaginibus majoribus ad quamque partem, minoribus ad quodlibet caput collucens, ipsumque videtur munus regi oblatum.

Sæc. XIV. Altera editio a Verderio laudatur Bibl. Franç. hoc titulo : *L'Orloge de Sapience mis de Latin en François contenu en deux livres. Le I fait mention de la mort & paſſion de J. C. & de pluſieurs belles choſes, que Sapience enſeigne a ſon diſciple. Et le II apprend comme un bon Chretien ſe doit gouverner en ce monde pour acquerir le roiaume de paradis*, Pariſiis Joan. Longis circa 1530 in 8.

Seculo ultimo elapſo idem Horologium ſeu Colloquium Sapientiæ cum diſcipulo ex editione Suriana Gallice vertit D. *de Vienne* S. Capellæ Vivarienſis in Bria canonicus hoc titulo *Dialogue de la Sageſſe eternelle avec ſon diſciple*, Pariſiis Andreæ Cramoiſy 1684 in 12 pagg. 378, cujus quidem pii interpretis conatum laudes, ſed deſideres accuratiorem, cùm in ipſo primi capitis limine longius abeat a mente auctoris. Compendium ejus vitæ etiam opellæ præmiſit, cui in his quæ de ſtatu ordinis narrat, cùm auctor dialogi noſtrum amplexus eſt inſtitutum, nemo aſſentietur, qui noverit ſub F. Berengario de Landora veriſimiliter profeſſum, ſub ſequentibus ordinis magiſtris Hervæo Natali, Barnaba de Vercellis, Hugone de Vaucemain, Gerardo de Domaro, Petro de Palma, Guarino Gallo, Joanne de Molendinis &c. potiſſimam vitæ partem egiſſe, ſub quibus ubique & in ipſa Germania vigebat diſciplina regularis, ipſa præſertim abſtinentia a carnibus, ut ex ipſius Sapientiæ diſcipuli dictis facile comprobatur : ſed ejus verba alorſum trahit interpres, quæque ille de vita interiori, ſpiritualique per jugem divinorum meditationem perfectione a quibuſdam forte & a ſe in junioribus annis neglecta, ut non omnium eſt illicium illud divinum, nimioque ut forſan illi videbatur, ad ſcientias ſeu philoſophicas ſeu theologicas affectu, quem improbare ſolent viri ſpirituales, dixit, ad conſtitutionum relaxationem detorquet ; quæ certè nonniſi poſt immaniſſimam illam anni 1348 peſtem paulatim inducta eſt. Sed ad opera ipſa redeo.

Horologium Sapientiæ Anglicè verſum MS & typis impreſſum exhibet catalogus codd. MSS ejus inſulæ, T. I P. I 3620, *Horologium Sapientiæ ſeu tractatus de ſeptem gradibus veri amoris & ſapientiæ Anglice redditus per anonymum*. P. III, 1199, 135 : *Seaven points of true Love and everlaſting wiſdom drawn out of a Book that is called Horologium ſapientiæ*. Id eſt : *Septem puncta de vero amore & æterna Sapientia excerpta ex libro cui titulus, Horologium Sapientiæ*. T. II, P. I, 6853 : *A Tretyſe called Orilogium Sapientiæ in manner of a dialogue and tretygh how wee ſhal lerne to dye*, *fol.* 13. Id eſt : *Tractatus dictus Horologium Sapientiæ per modum dialogi, & tractatus qui diſcamus mori*. 9949 : *L'Horologe de Sapience. This is a printed book tho it looks like a MS. it was printed* 1483. Id eſt : *Hic liber impreſſus ex codicibus MS fide ſumma editus eſt*.

Sanderus in Elencho codd. MSS Belgii pag. 229 P. II inter codd. MSS S. Martini Lovanii recenſet verſionem Belgicam hoc titulo, *Het Horologie der eewiger Wiſheiit*, id eſt, *Horologium æternæ Sapientiæ*.

In Bibl. Reg. Par. cod. MSS 4108 fol. par. memb. foliolo 199 ſic legitur :

Incipit prologus venerabilis viri & patris D. Johannis Sconchoriem de Viridi valle ordinis Regulorum, (an Regularium ?) *ſuper centum meditationes Dominicæ paſſionis. Incipiunt centum articuli. Venerabilis ille incarnatæ Sapientiæ diſcipulus melodiſoni illius ſapientialis horologii artificioſiſſimus fabricator centenos articulos ſeu centum meditationes circa paſſionem ejuſdem crucifixæ ſapientiæ meditandas, quarum in prologo ſui Horologii meminit, in ſuo vulgavit Zwenico* (*vel* Zwevico) *Teutonica*, *prout ipſis ut ait vulgaribus edoctus divinitus devotiſſime compilavit, quas ego a devoto quodam ſacerdote devotè rogatus ejuſdem Sapientiæ Spiritu adjuvante in Latinum transfudi ſermonem, eoſdem mentis conceptus penitus non mutatos alterius tantum proprietate idiomatis exprimendo. Præmittit autem prædictus diſcipulus prologulum* ......

I. Teutonice.

Pro quo eſt advertendum ſingulas orationes ſeu collectas totidem pœnitentiales continere quot meditationis articuli præceſſerunt, & plerumque ſingulas ſingulis reſpondere articulis, quo fit, ut ſicut in ipſo prologo dicitur, centum petitiones centum meditationum articulos ſubſequantur.

(Diſcipuli) *Chriſti prologus in centum articulos paſſionis.*

» Amans paſſionis D. N. Jeſu Chriſti memoriam agere, ejuſque multifariis doloribus viciſſitudinaria gratitudine pro ſuo modulo cupiens reſpondere, ſequentes centum meditationum articulos amore mortis ejus veſtigia exprimentes cum ſequentibus centenis petitionibus quotidianis vicibus in ore depromat, & cruciformi & velut dictanti corde revolvat, ſingulis articulis *Ave benigne* &c. ſeu ſalutationem angelicam prout ſignatum viderit ſubjungendo. Sub hac enim forma devotus quidam ordinis Prædicatorum in *Zwelva*, quæ vicina eſt Pruſſiæ, præſentem orationem divinitus eſt doctus. Nam cùm nocte quadam completis matutinis ſtaret coram imagine crucifixi, ſeque pro deſiderio ſuo ad Dominicæ paſſionis ſterilem queruloſis præcordiis deploraret, in tantum deplorando, compatiendi deſiderium deſiderando, ſterilitatis ſuæ dolore meruit, ut in extaſim pavimento tenus laberetur. Et ecce lux eum cœlitus emiſſa circumfulſit, in qua ſibi hoc Dominicæ paſſionis ſpeculum prælucidum, & harum centum meditationum memoriale devotiſſicum eſt oſtenſum : accepitque in mandatis ut omni die hos centum articulos cum totidem * Veniis, totidemque ſubjunctis petitionibus ore corde que devote revolveret, & in hoc ſe Jeſu Domino propter ſe paſſo pro modulo ſuo conformaret. Ab eo ergo die per acceptam hujuſmodi meditationis & orationis exercitio gratiam tanto cœpit devotionis incendio inflammari, & divini amoris unctione perungi, ut in converſationis ſuæ ſinceritate, in librorum ſive ſcriptorum ſuavitate, in orationum inſtantia, & in totius vitæ elegantia, tanquam in expolito ſpeculo facile fuerit acceptam gratiam ſpeculari. Et ſciendum debere ſingulos articulos ſtando dici, atque poſt eos qui Dominicæ paſſionis memoriam continent *Ave benigne Jeſu* &c. poſt exprimentes vero dolorem virginis glorioſæ ſalutationem angelicam debere ſubjungi. Orationes autem ſingulæ geniculando legantur excepta ea quæ LXXV ſequitur articulum, quæ proſtrato corpore devotius eſt dicenda prout ibidem videbitur præſignatum. «

* *Id eſt*, toto corpore ad terram ſe proſternendo.

Hi ſunt autem articuli. Princ. *Intimo cordis affectu veſtigiis pedum tuorum me proſterno Jeſu mi* &c. Finis fol. 210.

Poſt articulos ſequuntur plura aſcetica ex variis collecta quæ forte ſibi congregaverat auctor identidem legenda. Tandem fol. 241 ſequuntur

Centum meditationes cum totidem petitionibus de paſſione D. N. Jeſu Chriſti valde devota & utiles, de quibus ſit mentio in prologo hujus libri. O æterna Sapientia precor te ex intimo corde ſicut tu poſt ultimam cœnam tuam in monte Oliveti ex anguſtia cordis tui fluebas ſudore ſanguineo &c. Collatione facta eædem ſunt iſtæ meditationes, quas Surius ſtylo vertit elegantiori, verùm idem Surius articulos aut omiſit aut non habuit ſupra relatos.

Venetiis inter codd. MSS conventus magnæ domus Ord. Min. convent. apud Tomasinum : *centum meditationes super passionem Domini pertinentes ad horologium sapientiæ B. Henrici Susonis, unà cum salutationibus & benedictionibus ad omnia membra B. Virginis.*

In Victor. Paris. cod. MS 1129 fol. med. chart. & perg. inter alia plura extat fol. 9 *Postulatio discipuli ad æternam sapientiam pro vera scientia, via regia, & perfecta vita summæ veritatis. Pr. Incommutabilis veritas, lumen oculorum meorum æterna sapientia, ego servulus tuus omnino indignus inclinata cervice cordis &c.*

Dialogum veritatis cum discipulo Gallicè reddidit, qui supra jam laudatus est canonicus de Vienne hoc titulo *Dialogue de la verité avec son disciple*, Parisiis, Andreæ Cramoisy 1701 in 12 pagg. 96.

Præter versiones Gallicas citatas Horologii sapientiæ, & Dialogi veritatis, est alia versio operum omnium Gallica ad editionem Surianam facta a Fratre N. le Cerf Gallo Cartusiæ Bonæ Spei ad Gallionium vulgo *Gaillon* in Normania priore, & Catharinæ Borboniæ nostræ Dominæ Suessionum abbatissæ, ab ejus germano fratre cardinale Borbonio nuncupata, & edita Parisiis, Guillelmi Chaudiere 1586 in 8 : Quæ iterum prodiit ab eodem interprete eidem abbatissæ Borboniæ dicata Parisiis apud eumdem.

Sed & eadem versio non eodem tamen tractatuum ordine servato tertium prodiit Parisiis, Roberti Fouet 1614 in 8 pp. 267 & 316.

F. Ignatius del Nente noster Florentinus ex eadem editione Suriana Italice reddidit omnia Susonis dicti opera.

Quæ simul prodierunt, Romæ Nicolai Angeli Tinassi 1663 in 4. Qui Ignatius his tractatibus vitam præmisit Henrici Susonis Italice : in qua eum anno 1299 vult obiisse unàque cum Thoma de Aquino summo pontifici Joanni XXII ab ordine oblatum, qui SS. albo inferretur. Quod & excepit Altamura ad 1299 eum referens, & secutus est Caveus in Historia Litteraria pag. 655 editionis Basileensis ad 1290 : sed puram putam fabellam esse constat, tum ex *Horologio sapientiæ*, quod magistro ordinis Hugoni de Vaucemain anno 1341 mortuo nuncupavit auctor, tum ex tractatu *de novem rupibus*, cujus ad calcem testatur se illum anno 1352 quadragesimali jejunio scribere cœpisse.

De hoc nostro auctore cum laude meminere præter citatos nostrates Leander Albertus foll. 225 b, & 226 b, ad 1365. Lusitanus 1340 claruisse testatus. F. Baltazar Werlinus Colmariensis in Add. II ad Tritemii scriptores Eccles. pag. 460 claruisse dicens circa 1350, & quædam Latinè scripsisse, quædam Germanicè. Bzovius Annal. 1337 n. 15 & 1365 n. 14. Castillus *cent. 2 lib. 2 c.* 18 ejus mortem 25 februar. 1366 ascribens. Pius P. I col. 367 & P. II lib. 2 col. 168. Fernandez pag. 373, qui duo ultimi etsi anno 1365 januar. 25 mortuum fateantur, Joanni XXII anno 1323 cum S. Thoma Aquinate fastis SS. inscribendum oblatum ingenti sane memoriæ lapsu scribere non dubitarunt. Dominicus Gravina in voce Turturis pag. 124 & alii plures. Extrates verò Simlerus sub nomine *Amandi* ex catalogo codd. MSS Germaniæ a Matthæo Dressero concinnato. Bellarminus, & Labbeus, & novissime Dupinius suo seculo XIII.

FF. FRANCISCUS & ARNALDUS DE PRATO, & F. STEPHANUS DE REATE.

FF. FRANCISCUS & ARNALDUS uterque DE PRATO dictus & F. STEPHANUS DE REATE unà veniunt laudandi, quia & eorum opera eodem codice MS contenta in meas manus venerunt, & ipsimet auctores quantum conjici potest, circiter æquales fuerunt. * 1368.

Duo priores *Franciscus* & *Arnaldus* agnomen habent a patria Prato civitate olim episcopali nunc adjuncta Pistoriensi in Etruria inter Florentiam & Lucam, ubi domus ordinis circa finem seculi XIII erecta & in qua seculo sequenti ambo vestem induerint.

Tertius *Stephanus* a patria etiam Reate in Sabinis *Rieti* vernacule ad Velinum fluvium nuncupatus, ibidemque ad ordinem ascitus eadem ætate cum illis floruit. Id conjicio ex cod. MS in fol. Florentiæ in S. Mar. Novel. servato, & a me anno MDCLXXXI mense augusto cùm illac transirem, viso & expenso, in quo trium lucubrationes permistim habentur : sed ordinem codicis placet hîc exhibere.

1. Est opusculum nostri Hervæi Natalis *De verbo humano.* foll. tribus.

2. *Ista sunt quæstiones extracta de libris sententiarum magistri Choti.* foll. V.

3. *Quæstio Aretii disputata.* Quam sequitur altera de qua sic in cod. *Prati disputavi istam quæstionem* : Utrum duo contraria simul possint esse in eodem subjecto ?

4. *Tractatus novus de voce univoca, quem composuit & compilavit F. Franciscus de Prato, dum actu esset lector Florentinus ordinis FF. Prædicatorum.* Implet XIII foliola. Finis : *Tu quicunque leges fundas Deo pro me preces, & Christi matri, ut mihi parcat tuo Fratri.*

Sequuntur *Regulæ consequentiarum* sine nomine auctoris.

5. *Incipit tractatus de universalibus per Fratrem Arnaldum de Prato ord. Prædicatorum Romanæ provinciæ.* Implet IX fol. Finis *Hæc (sic credo) secundùm mentem Peripateticorum de universalis natura tractata sunt : quibus diligenter invigiles, relictis illorum logicorum ineptiis, quibus frequenter inest phantasma pro intelligentia, opinio pro scientia, garrulitas pro facundia, litigium pro doctrina.*

6. *Quædam quæstiones logicæ* absque nomine auctoris, fortè ejusdem Arnaldi.

7. *Tractatus de universalibus secundùm F. Stephanum de Reate ord. Prædic. Romanæ provinciæ.* Duo folia tantum.

8. *Incipit quidam bonus tractatus de universalibus per F. Franciscum de Prato ord. FF. Prædicatorum.* foll. 25. Pauca desunt ad finem.

Ultimo sequuntur *Quæstiones logicæ* absque nomine auctoris, forsan ejusdem Francisci.

Codex est sec. XIV chartaceus charactere minuto, sed eleganti & nitido scriptus. Cæterum ista trium Francisci, Arnaldi & Stephani inter se permistio facit, ut credam eos circiter æquales, Hervæo tamen qui anno MCCCXXIII mortuus est, & cujus est primum codicis opusculum, posteriores. Ante MCCCLXVII tres istos floruisse me convincit ista annotatio initio codicis adjecta : *Anno a nativitate Dñi* MCCCLXVII *fuit eclypsis lunæ* XVI *die januar. in die S. Marcelli papæ & martyris, qui dies fuit dies sabbati, & fuit post completorium quasi hora secunda, & tunc temporis eram ego Aretii, ibidem conventualis existens. Anno verò sequenti*

Sæc. XIV. *videlicet* MCCCLXVIII *fuit etiam luna eclipsis quarta die januar. in vigilia epiphaniæ post completorium, & erat luna* XVI, *& tunc eram Senis*: & immediate sequitur: *Iste liber est Fratris* (nomen erasum) *de Senis ord. Frat. Predic.* Ex his plura discimus: primò annum hîc numerari stylo Senensi, quo revera XVI jan. MCCCLXVII erat sabbatum, nam erat lit. Dñic. C: secundò Senenses diem incepisse a sero præcedenti, siquidem vigiliam epiphaniæ a IV jan. incipit, scilicet ab horis serotinis post completorium diei IV, quod sextam inter & septimam serotinam ad horologium Gallicum canebant. Tertium & præcipuum, cùm hujusmodi annotationes libro non addantur nisi jam antea scripto, hos tres Franciscum, & Arnaldum de Prato dictos, & Stephanum de Reate ante MCCCLXVII floruisse.

Florentiæ ad S. Marci Arm. IV cod. 14 memb. & chart. inter antiquiorum opera ut Hervæi Natalis nostri & Thomæ Britonis ord. Minor. hæc habentur:

Tractatus de reduplicatione F. Francisci de Prato ord. Prædic.

De suppositione ejusdem. An quæ eidem Lusitanus ascribit *De terminis logicalibus & de ente rationis*, sint alia quam hîc recensita, mihi incompertum. Eidem Francisco de Prato Lusitanus tribuit

Quæstiones plures theologicas, metaphysicas & de anima.

Tractatum de connexione accidentis cum substantia.

Quæ audivit Florentiæ haberi pretiosa. Sed procul dubio apud ipsum erratum, cùm dicit hunc Franciscum ad 1577 vixisse, & legendum 1377 seu potius ante 1367. Idem dicendum de Stephano de Reate, quem collocat ad 1262, ego verò recentiorem censeo, & inter Hervæi Natalis mortem ac annum 1367 in vivis fuisse conjicio. Huic Stephano Lusitanus ascribit ex fide Alberti Veneti

Commentaria super veterem artem Aristotelis, & super octo libros physicorum ejusdem.

F. ANONYMUS.

* 1366. ANONYMUS hîc visus est non omittendus, licèt an e sodalitate nostra, an ex altera, an vir in seculo vivens deprehendere non potuerim, certo ante MCCCLXVII vixit. Ejus est in cod. S. Mar. Novel. hactenus laudato & tenet partem primam codicis:

Liber proverbiorum Salomonis Italice versus.

F. STEPHANUS ECCLESIÆ.

* 1366. F. STEPHANUS ECCLESIÆ Gallus Arvernus Claromontii natus & ordinem amplexus sacræ theologiæ magister fuit, & inter additos ad Bernardum Guidonis recensetur 135 in cod. Lingon. ubi dicitur *factus in Avinione per papam*, nempe Clementem VI circa MCCCL. Exinde inquisitor adversus hæreticam pravitatem generalis a provinciali Franciæ Carcassonæ institutus anno MCCCLVII, hoc munus strenue egit ad ann. MCCCLXVI, quo cessit, & in suum nativum conventum se recepit, cui plures codices MS dedit, inter quos unus est hoc titulo:

Expositio super Pater noster. Adventus. Ejus opus facile crediderim. Additur: *Iste liber fuit F. Stephani Ecclesiæ magistri in theologia inquisitoris Carcassonæ. Anima ejus in pace requiescat. Amen. Anno Dñi* MCCCLXXXVII *fuit hoc scriptum.* Sicque videtur ad eum annum pervenisse. Addi possunt

Acta ejus ut inquisitoris in archivo Carcassonensi servata.

F. ELIAS RAIMUNDI.

F. ELIAS RAIMUNDI vulgo *Tolosanus* agnominatus, quod provinciæ Tolosanæ alumnus esset, at revera Aquitanus Petrocoricensis, conventusque Brageriaci professus, vir fuit seculo XIV clarissimus, & qui per omnes gradus ad supremum ordinis clavum admotus egregiis pro religione gestis celebre apud posteros nomen sibi fecit. Ejus prima in comitiis generalibus Monspelii celebratis anno MCCCL memoria, in quibus baccalaureus ad legendas in studio generali Tolosano sententias promovetur. Sic enim in Actis Tit. Assignationes: *Item ponimus lectorem* (nempe, *primarium*) *in conventu Tolosano F. Americum de Magriano. Ponimus ibidem ad legendum sententias F. Eliam Raimundi.* Exinde laurea donatus, ut erat rerum agendarum peritus ac solers, procurator generalis ordinis in aula Romana, Avenioni tunc sedente a magistro ordinis Simone de Lingonis institutus est: quo in munere summo pontifici Urbano V se ita gratum exhibuit, ut ab eodem pœnitentiarius apostolicus assumptus fuerit, tum anno 1365, 21 februarii vicarius ordinis generalis absente dicto Simone de Lingonis, & in Armoricis apud ducem Britanniæ de gravioribus eidem a pontifice commissis negotiis agente. Sed & isto anno sequenti MCCCLXVI ad insulam Nannetensem evecto, vicarius generalis volente pontifice perstitit Elias noster ad annum sequentem, quo in capitulo generali Avenione celebrato communi omnium voto magister ordinis totius salutatus est. Primus instituit ut capitula generalia quæ hactenus quotannis habebantur, biennialia deinceps tantum forent. Sacellum B. Dominico Bononiæ magnificum erigendum curavit, & sancti Thomæ de Aquino corpus apud Cistercienses Fossæ-novæ sepultum ab iis ordini restitui auctoritate summi pontificis anno MCCCLXVIII obtinuit. De eo sic F. Laurentius Pignon suppar in suo chronico: *F. Elias Raimundi de provincia Tolosana præfuit* XIII *annis* (toti ordini) *scilicet ante schisma quod ortum est in Ecclesia de duobus summis pontificibus, quorum temporibus omnes religiones etiam Cartusienses consimilem scissuram habuerunt in se, habentes duos prelatos & duo capitula generalia, & se invicem excommunicantes & persequentes alterutrum. Bene magna scandala sunt secuta in omnibus & singulis ordinibus. F. Raimundus de Capua præfuit tempore schismatis tredecim annis plusquam super duas partes ordinis. Sub magistro Elia adhuc durante schismate remanserunt scilicet Francia, Tolosana, Aragonia, provincia Provinciæ, & Hispania, quæ tantum sibi obedivernunt, sed tamen non integraliter, cùm in qualibet istarum quinque provinciarum aliqui conventus licèt pauci obedierint F. Raimundo. Et per illud schisma magister Elias permansit in officio magisterii super dictas provincias plusquam per undecim annos; & mortuus est anno Domini* MCCCLXXXIX. His addere lubet in gratiam lectoris epistolam encyclicam quam de ejus morte ad universas provincias scripsit provincialis Provinciæ, ex qua diem obitus certo addiscas. Hanc erui ex Bibl. Reg. Parif. cod. 4506 in 4 memb. pluries citato. Sic autem habet fol. 101 b. * 1367.

R. in Christo P. F. Nicolao S. T. venerabili professori, & in provincia regni Siciliæ ordinis Fratrum Prædicatorum priori provinciali, F. Jacobus in provincia Provinciæ ejusdem ordinis humilis prior provincialis salutem & luctus mœrore semoto spiritualibus consolationibus revelari. » Vestræ paternitati gemebundè insinuo pastorem & principem, «

» quem divina providentia in vinea per patrem nostrum B. Dominicum transplantata velut signum super montem erigendo præfecerat, F. scilicet Eliam post plures labores, quos annis viginti quatuor mensibus decem diebus octo tam vicarius generalis ordinis prius, quam etiam post magister universalis ordinis fructuosè pertulerat, gregem sibi creditum in conventibus & fratribus numero & ultra modum solitum augmentando, die ultima decembris * anni a nativitate Domini MCCCXC sexta feria hora nona Salvatoris viam imitatus receptis prius devotius ecclesiasticis sacramentis, & omni beneficio plenariæ indulgentiæ sana mente percepto: post humilem a suis filiis seu Fratribus, quos orphanos relinquebat, sæpius postulatam veniam, eorum orationibus se pluries recommendans, elevata dextera more Jacob patriarchæ super Ephraim, quantum morientis possibilitas sufferebat, cruce signando bina vice eos benedicens dicendo *Benedictio Dei &c.* ipsisque mox coram positis, & quantum lacrymæ patiebantur orantibus debitum nostræ mortalitatis solvendo creatori eliminatum (*vel* elimatum) spiritum reddidisse. Tunc solitæ mortis incursibus flos altæ devotionis conteritur, lucerna super candelabrum elevata deprimitur, norma discretionis infringitur, & zeli gladius in vagina reconditur, dum Elias translatus a filiis & Fratribus separatur. Orbati hinc prophetæ filii dolore spiritus constringuntur, quia alarum protectione exuti, pastorisque vigili tutela deserti furiis hostium relinquuntur. Sed luctus mala præveniendo gravescit amissi patris sapientia præclari, eloquio limpidi, fervidi zelo, religione sereni, excelsi humilitate, ... grati, humani benignitate, in miseratione prompti, & in punitione moderati, ac sui ordinis insuperabilis amatoris . . . . qui tanquam nostrum luminare majus periit «. Et post plura quibus luctum ordinis exprimere satagit sic concludit: » Diri tamen vulneris novitate percussis partim cicatricem obduxit, & lacrymarum decursu perfusis fluenta detersit pii patris transitus devotissimus, & exequiarum solemnis exhibitus cultus. Nempe sepultus fuit in capella celebri juxta claustrum conventus nostri dicti (Avenionensis:) in cujus exequiis affuit præter clerum populi non parva multitudo, prælatorum Ecclesiæ numerosus chorus, XXII videlicet Domini cardinales, duo patriarchæ, & Domini papæ camerarius cum Romanæ curiæ ecclesiasticis officialibus. Sane ne longior narratio epistolaris vobis limites brevitatis excedat, charitatem vestram crebrius imploramus, quatenus ipsius patris animam, licèt ut credimus modicum indigentem, præter a nostris constitutionibus injuncta orationum suffragia, recommendatam specialius habeatis. Consurgite eia Fratres nostri ordinis cuncti, & perfusis lacrymis devotis advocate suffragiis Dei matrem, cujus patrocinium implorabitis, ut per auxilium filii sui, qui preces matris non renuet, de successore perutili provideat in generali capitulo in conventu Cæsaraugustano provinciæ Aragoniæ in festo pentecostes sequentis anni celebrando Sancti Spiritus gratia subinfusa. *Datum Avinioni sub sigillo mei officii die 12 mensis januarii anno quo supra.*

* More Romano quo a nativitate Dñi tum incepit annus novus numerari, quem Galli numerarent 1389, quo ultima decemb. erat feria 6, litt. Dom. C.

Mortuus est igitur Elias noster ultima decemb. MCCCLXXXIX quæ erat feria sexta, nam erat lit. Dominic. C, eaque ratione capitulum generale ejus obedientiæ, quod indictum fuerat Cæsaraugustæ anno MCCCXC habendum, prorogatum fuit ad MCCCXCI: cui suffragatur noster Diagus in Histor. prov. Arag. fol. 58 b. Cur autem ad 20 junii in martyrologio nostro dies ejus obitus annotetur, conjicere non possum, nisi quod Romæ ubi illud impressum est, pleraque in Avenionensi obedientia acta ignorata fuerint. Scriptæ fuerunt ab eo: SÆC. XIV.

1. *Literæ encyclicæ ad universum ordinem* pro more ex capitulis generalibus quibus præfuit Avenione MCCCLXVII. Brugis in Flandria MCCCLXIX. Valentiæ Aragoniæ MCCCLXX. Tolosæ MCCCLXXII. Florentiæ MCCCLXXIV. Bituricis MCCCLXXVI, non Podii ut mendose refert Fontana seu in *Constitut.* seu in *monim.* Carcassonæ MCCCLXXVIII. A schismate verò Lausanæ MCCCLXXX (non MCCCLXXIX, ut iterum mendose idem Fontana ibidem:) Biterris MCCCLXXXI: Valleoleti MCCCLXXXIII. Divioni MCCCLXXXV. Avenione MCCCLXXXVI. Ruthenis MCCCLXXXVIII, quod ultimum celeberrimum fuit & ex gestis & ex eorum qui interfuerunt numero ac merito. Si quando horum capitulorũ acta e tenebris prodeant, & simul R. Magistri nostri epistolæ elucescent.

2. *Data instrumenta plura de reliquiis S. Thomæ in conventu Tolosano repositis, brachii ejusdem sancti conventui Parisiensi concessi, & ossis brachii ad conventum Neapolitanum missi*, quæ in illorum conventuum archivis extant.

Tolosæ apud nostros servantur quatuor diplomata ab Elia nostro obtenta. Primum: *Bulla qua Urbanus V revocat sententiam excommunicationis, suspensionis & interdicti a se latam ad instantiam abbatis & conventus monasterii Fossa-nova contra omnes & singulos, qui corpus B. Thomæ de Aquino de dicto monasterio receperant: & jubet ut dictum corpus in domo nostra Tolosana reponatur. Data apud Montem-flasconem Balneoregensis diœcesis X kal. julii ann.* VI, id est Christi MCCCLXVIII.

Alterum: *Bulla ejusdem qua archiepiscopo, cancellario, & magistris academiæ Tolosanæ injungit, ut dicti B. Thomæ doctrinam tanquam veridicam & catholicam sectentur. Data ibidem* II *kal. sept. an.* VI.

Tertium: *Bulla ejusdem qua prohibet, ne corpus aut caput B. Thomæ aut partem aliquam eorumdem de templo nostro Tolosano extrahere præsumat. Data eodem die.*

Quartum: *Instrumentum quomodo cardinales Morinensis & Viterbiensis corpus & caput B. Thomæ Heliæ Raymundo magistro ord. Prædic. consignarunt Tolosam deportanda. Dat.* IIII *augusti* MCCCLXVIII *ind.* VI *pontif.* VI.

Horum omnium transumtum servo in schedis.

Litteræ F. Heliæ magistri ordinis Prædicatorum ad universum ordinem de miraculis in translatione corporis S. Thomæ & ejus Tolosæ susceptione divina virtute patratis. Extant apud nostros Tolosæ in memb. Edidit Percinus Monum. conv. Tolos. parte altera p. 126 & seq. sed miracula compendio tantum refert. Bollandus T. I martii p. 735 miraculorum historiam integram exhibet, sed litteras Heliæ in MS præfixas omisit.

F. NICOLAUS DE SANCTOMARTINO.

F. NICOLAUS DE SANCTOMARTINO Etruscus natione, patria & professione Pisanus, medio circiter seculo XIV sic præfulsit supra cæteros eruditione & facundia, ceu sol supra stellas in splendore præeminet, inquit Leander Albertus fol. 124 a. Qui postquam totam Italiam doctrinæ sacræ radiis ubique concionando collustrasset, a duabus Ecclesiis Pisana scilicet & Lucana utriusque capituli electione certatim ambitus est antistes, quas ut componeret Clemens VI summus pontifex, neutri concessit, sed Maceratensem episcopum designavit anno MCCCXLIX, XII kal. novemb cui & postea Recanatensem Ecclesiam unâ simul administrandam commendavit Innocentius VI anno 1357 utraque tum diœcesi in unam conflata. His cùm pluribus annis veri pastoris partes omnes implendo * 1367.

præfuisset, ad superos abiit laborum præmia percepturus anno MCCCLXVII inquit Ughellus *T. II Ital. Sac.* vel MCCCLXVIII ut habet Leander citatus, quod fortè discrimen ex varia computandi anni ratione ortum. Ejus præter citatos meminere Taëgius, qui *tempore suo parem non habuisse in orbe terrarum* dicere non dubitavit : Lusitanus allucinatus cùm refert ad 1312, quod & quadantenus ipse emendat in chronico. Razzius *pág.* 85. Fontana in *Theatro*. Altamura ad 1301 & 1368, quasi duplicem proferens, qui revera unus fuit. Hunc præter varia in provincia Romana obita munia ferunt etiam aliquando vicarium ordinis generalem egisse, ac reliquisse

Sermonum de tempore & de Sanctis insigne volumen, quod ubi servetur gentilium diligentiæ est quærere hîcque addere. Hunc enim cum Nicolao de Pisis de quo postea non confundendum evincitur, quod iste conciones suas dicatur conventui Florentino S. Marci dedisse, quem tamen conventum anno tantum 1436 habuit ordo sibi ab Eugenio IV concessum, cùm jam longe antea nempe anno 1368 Nicolaus a S. Martino fatis concessisset.

F. THOMAS DE BOZOLASTO.

* 1367. F. THOMAS DE BOZOLASTO Insuber conventus S. Thomæ Papiensis alumnus seculo XIV vergente claruit. Habetur ejus opera

Vita B. Sibyllinæ Papiensis Sororis de Pœnitentia S. Dominici.

Huic beatæ fuerat a confessionibus. Hanc vitam Taëgius P. III Mon. dist. VIII fol. 193 inseruerat, ex quo descriptam editores Actorum SS. T. III martii ad diem 19 mensis p. 68 repræsentant. Donatus Lagus de Florentiola longe antea e Latino Italice reddiderat & ediderat anno 1599, & eamdem Razzius in partem alteram operis sui de Vitis SS. ordinis intulerat edit. tertiæ anni 1605. Cùm verò hæc beata anno MCCCLXVII martii XIX, fer. VI, ætatis LXXX nondum completo e vivis abierit, Thomam ultra etiam vixisse perspicuum est : quousque autem pervenerit, mihi incompertum, qui nullam aliunde ejus habui notitiam.

F. JACOBUS DOMINICI.

† 1367. F. JACOBUS DOMINICI Ruscino Caucoliberi natus & ordinem amplexus, insigne fuit seculo XIV provinciæ Provinciæ, cui tum addicta erat domus nostra Caucoliberis, lumen. Jam pluribus annis theologiam apud suos e superiori loco docuerat, cùm fidei quæsitor generalis in regno Majoricarum, quod & Ceritanos, Ruscinonem, Occitaniæque partem complectebatur, institutus est, annoque MCCCLVII ad provinciæ Provinciæ regimen electus : de quo sic in catal. Provincial. cod. regio MS membr. 4506, qui aliâs fuit nostrorum Aquensium : *Tricesimus tertius prior provincialis* (personas scilicet numerando, nam si electiones numerentur, dicendus esset XXXVII, eo quod quidam bis ad idem munus assumti fuerunt variis temporibus, sed in hoc catalogo non faciunt numerum) *fuit F. Jacobus Dominici de terminis conventus Coquiliberi. Hic fuit electus unanimiter in cap. prov. Montispessulani anno Dñi* MCCCLVII *in vigilia Nativitatis B. V. & fuit ibidem confirmatus per D. cardinalem de Aragonia durante capitulo & ante lectionem actorum auctoritate D. papæ & etiam magistri ordinis.* Quot annis huic provinciæ præfuerit, monumenta non produnt, sed eo munere jam exemptus erat, cùm anno MCCCLXII auctoritate summi pontificis datus est Aragoniæ prior provincialis, quia duæ electiones in ea provincia factæ eodem anno, prima in festo Nativ. B. V. altera in sequenti festo S. Martini visæ non fuerant confirmandæ. Hanc posteriorem provinciam prudentissime ac felicissime administravit ad annum MCCCLXVII, quo mense septembri per litteras magistri ordinis Eliæ Raimundi, quas summis precibus obtinuerat, ab officio amotus est, & in natalem suam domum se recepit. De quibus legendus Diagus Hist. prov. Arag. lib. I cap. 28 fol. 52. Ejus inquit Diagus lib. I cap. I servatur Caucoliberi apud sodales ordinis volumen αὐτόγραφον, in quo sequentia continentur :

1. *De privilegiis ordini a summis pontificibus concessis.*

2. *De modo celebrandi electiones & capitula ac recipiendi magistri ordinis ac provincialis.*

3. *De judiciorum ordine & modo servando cum Fratribus ordinis.* Quod opus inquit Diagus lib. I cap. 28 F. Simon de Borrascana (*corrupte leg. enim* Boraston) Anglus jam anno MCCCXXXVIII augusto mense scripserat & ediderat. Vide supra *Simon de Burnestona* ad 1338, ubi & hunc Jacobum in Anglia studuisse dictum est.

4. *Chronica capitulorum ordinis generalium.*

5. *Chronica capitulorum provincialium Provinciæ & Aragoniæ.*

6. *Catalogus omnium ordinis provinciarum & domorum tam Fratrum quam Sororum juxta suum antiquitatis ordinem.*

Quoad tria ultima crediderim transumtum tantum esse similis collectionis a Bernardo Guidonis susceptæ, cui ubi finivit, acta deinceps superaddidit Jacobus Dominici, præsertim quæ ad ambas Aragoniæ & Provinciæ provincias spectabant : cæterum primis super extruendo ædificiis.

Hoc codice usus est Malvenda, eumque laudat sæpius uti ad annum 1219 p. 264 & ad ann. 1221 p. 332 b, emendandus tamen cùm *Joannem* vocat, qui certo Jacobus vocabatur. Ejusdem meminit Antonius Bibl. vet. Hisp. lib. IX cap. 6 n. 310, hic etiam corrigendus, cùm dicit Aragoniæ provincialem institutum anno 1360, cùm ad id munus promotus non fuerit nisi anno 1362, sed levis est error.

F. RAIMUNDUS HUGONIS.

F. RAIMUNDUS HUGONIS Gallus Aquitanus domus nostræ Brageriacensis alumnus Eliæ † 1368
Raimundi magistri ordinis de quo supra individuus fuit, a consiliis & secretis fidissimus socius, & in rebus agendis administer, quem in celeberrimo illo laboriosissimoque corporis S. Thomæ de Aquino recuperandi Tolosamque transferendi opere, suis plurimum juvit periculis & ministerio annis MCCCLXVII & LXVIII. Ab eo præterea omnia in hoc negotio acta scripto mandata sunt. Titulus :

Historia translationis corporis S. Thomæ de Aquino.

Extat originale MS apud nostros Tolosanos. Percinus edidit Monum. conv. Tolos. altera parte a p. 211 ad 232, insertis identidem quibusdam, sed quæ a genuinis Hugonis sapienter distinxit. Partem majorem editores Actorum SS. repræsentant T. I martii ad VII mensis p. 725 & seq.

Ejusdem Raimundi opus facile crediderim Legendam alteram aliâs die translationis in choro pro matutinarum lectionibus recitari solitam, & a Percino citato etiam editam : in qua quæ lectione V refertur Raimundi socii Eliæ magistri ordinis visio, de hoc Raimundo videtur intelligenda, & delusum Vallium, qui de altero F. Raimundo Fundensi sibi aliâs incognito interpretatur. Censet Percinus P. I p. 79 a, n. 1 Raimundum hunc anno MCCCLXVIII obiisse, & in hoc citat annum Dominicanum Gallicum mense junio p. 1059, ubi contra tum maxime floruisse dicitur.

Clar. Baluzius T. I. Pap. Aven. duo errata apud Raimundum nostrum annotavit: primum levius proponit col. 1081, nempe in historia relata translationis corporis S. T. Tomo I martii edita p. 728 n. 9 & passim advocatum monachorum Fossæ novæ in curia Romana corrupte vocari *Jacobum de Sena*, qui de Seva cognomen habebat, a loco hujus nominis in Provincia. Sed id erratum editoribus Actorum SS excidit, nam Percinus noster in Monum. Tolos. a se editis non viso Baluzii de papis Avenion. opere, in illa eadem histor. quam ex cod. Tolos. MS in illa Monum. intulit, ubique legit *de Seva*. Dico non vidisse tum opus Baluzii, quia eodem anno Tolosæ opus suum prælo dedit, quo Baluzius suum Parisiis nempe anno 1693.

Alterum gravius est, & est in Relatione miraculorum Tolosæ patratorum postquam corpus S. Thomæ ibidem apud nostros reconditum fuit. p. 737 Mirac. 48 sic legitur: *Item anno ipso quo corpus S. Thomæ de partibus Campaniæ &c. fuit per diligentiam V. P. Heliæ magistri ordinis Tolosam translatum, rex Portugalliæ in strictissimo carcere D. Joannem de Cardaliaco archiepiscopum Bracarensem detinebat, quia noverat manum dedisse fratri suo Henrico in expulsione sua de regno, quæ facta fuerat paulo ante. Nunquam autem prece aut pretio flecti potuit, ut ipsum liberum dimitteret. Quinimo ad hoc ut in languore viveret & misere moreretur, per singulos dies eum crudeliter pœnis variis affectum torquebat.* Libens concesserim quod vult Baluzius p. 1326, Bracarensem a Petro Crudeli dicto rege Castiliæ in carcerem conjectum, etsi difficile videatur, ut id potuerit, nisi ei Bracarensem tradente rege Portugalliæ, cujus ditionis erat illa civitas. Ut ut sit iste rex Castilliæ Petrus obiit VI idus januar. MCCCLXVII stylo veteri, novo LXVIII, tumque corpus S. Thomæ in partibus Campaniæ adhuc detinebatur, neque de eo Tolosam transferendo cogitabatur, cùm nondum magistro ordinis concessum fuisset: at XXVIII jan. MCCCLXVIII stylo veteri novo LXIX in templo nostro Tolosæ illud corpus depositum & collocatum fuit: tum autem Ferdinandus rex Portugalliæ, qui se regni Castiliæ & regis Petri a fratre occisi hæredem legitimum præstabat, & propterea post mortem Petri Henrico Notho bellum indixerat, & acerrimum inferebat, ille erat qui Bracarensem in carcere durissimo tum detinebat. Unde non peccat narratio miraculi, cùm docet Bracarensem a rege Portugalliæ tum in carcere detentum: sed in sequentibus quid omissum a notario videtur, adeo ut legendum sit: *archiepiscopum Bracarensem detinebat [a morte Petri regis Castiliæ,] quia noverat manum dedisse fratri suo Henrico &c.*

F. JOANNES CUZIN.

* 1368. F. JOANNES CUZIN vel *Cussim* ab aliis corrupte *Russim* nuncupatus Teuto, patriaque & professione Luciburgensis, vir fuit seculo XIV nominatissimus, & sacræ theologiæ magister in facultate Parisiensi. Inter additos ad catalogum Guidonis idque manu æquali recensetur n. 156 in cod. Lingon. F. Hugonem de Monteforti Normannum inter, & F. Hervæum de Cauda Parisiensem anno MCCCLXVIII in crastino S. Mauri, quod intelligas stylo veteri novo MCCCLXIX licentiatum, unde Joannem hunc anno MCCCLXVIII licentiatum & post scholæ agones laurea donatum licet inferre. Provinciam Teutoniæ annis pluribus rexisse ferunt. Ejus meminit Lusitanus *Kustin* in indice appellans, quem in Bibl. *Russim* typorum vitio scripserat: Errantem tamen sequuti sunt Fernandez, Gozzeus, Altamura, Swertius, Valerius Andræas: Castillus legit *Cussim*, Razzius *Hussim*, quod juxta Italorum pronunciationem idem sonat ac Cussim: cæterum hi omnes emendandi, cùm ad annum MCCCXI aut MCCCXII hunc scriptorem collocant, qui nonnisi sexaginta circiter annis postea floruit. Hæc ejus opera:

Commentaria in IV libros sententiarum.
Postilla in XV priora capita Matthæi.
Postilla in epistolam ad Titum.
Sermones de tempore, de sanctis & ad clerum.
Directorium confessorum.

Quæ facile credam in bibliothecis Germaniæ alicubi jam jacere neglecta.

F. HERVÆUS DE CAUDA.

* 1369. F. HERVÆUS DE CAUDA Gallus ab originis suæ loco villa diœcesis Parisiensis in decanatu Latiniacensi ad fluviolum *Morbras* vulgo *la Queue* dicta nuncupatus, & in domo Sanjacobea Parisiis ordini cooptatus & professus, in sacra facultate Parisiensi magister fuit, & anno MCCCLXIX licentiatus, sententias publice legebat. Inter additos ad catalogum Bernardi Guidonis in cod. Lingon. recensetur manu æquali n. 157 ubi sic legitur: *F. Herveus de Canda Parisiensis factus Parisius anno Dñi* MCCCLXVIII *in crastino S. Mauri.* Nempe stylo veteri, novo MCCCLXIX die XVI januar. vir fuit studio præsertim operum S. Thomæ addictus, historiæ etiam peritus. Hæc ejus opera a me visa:

Tabula operum S. Thomæ de Aquino. Pr. *Abstractio duplex. P. 1 q.* XL, III *b. c:* id est parte prima summæ, quæst. XL, art. III in corp. & in resp. ad argumenta. Sic enim initio monet a, indicare argumenta, b, corpus articuli, c, responsiones ad argumenta. Finis: *Explicit tabula super libros S. Thomæ edita a F. Herveo de Caudâ magistro in theologia tempore quo erat lector in ordine Prædicatorum, ratione cujus tabulæ fiendæ ipse legit omnes libros dicti doctoris, exceptis quibusdam aliis parvis opusculis. Et est sciendum quod legendo dictam tabulam occurrent multa memoriæ legentis, quæ aliâs non occurrerent. Imo invenientur ibi multa subtilia & fere omnia, quæ tractant alii doctores tam antiqui quam novi.*

Extat Parisiis apud nostros Sanjacobeos cod. MS fol. memb. ætatis auctoris. Nam codex ut in eodem annotatur, fuit aliâs F. Boniti Litelli S. T. M. Parisiensis, qui anno MCCCLXXVII stylo veteri novo LXXVIII ante pascha locum nonum inter licentiatos obtinuit & qui duobus annis antea prior provincialis Franciæ electus agebat.

Extat etiam in Victor. cod. 644 fol. memb. scriptus ut in eodem legitur *anno Dñi* MCCCCXXIIII *die lunæ de sero* XX *mensis novembris pro ecclesia S. Victoris Parisien. curante Fratre Johanne Lamassé priore & scriptore Johanne Perraudi.*

Simile est exemplum in Sorbon. sed chartaceum. In hoc ut & in Victor. ultimo folio eoque unico habentur

Conclusiones in quibus S. Thomas videtur contradicere sibi ipsi: quæ ab auctore quisquis sit sive Hervæus sive alius in concordiam revocantur.

Ex quibus colligat lector, quam fidem mereatur Alva, cùm sic clamitat Nodi indissolubilis p. 703 edit. Lovan. anni 1663: *Tertius testis est quidam antiquus scriptor ordinis Prædicatorum vocatus Herveus de Landa* (sic legit corrupte pro *de Cauda*) *qui composuit magnum librum sub hoc titulo,* Conclusiones in quibus S. Thomas videtur sibi ipsi contradicere, *& extat in monasterio S. Victoris Parisiensis in fol. & charta pellicea n. 476.* Erat aliâs n. codicis, nunc autem est n. 644 ut jam dixi. Eadem totidem verbis repetit Alva Sol. Verit.

Sæc. XIV. Rad. 81 col. 978. Sic insigni illi scriptori verius fabulatori placuit unicum foliolum, nihil enim est amplius, in magnum librum erigere. Quid est, si hoc non est, lectores ludificari? Et si quidem foliolum illud esset initio codicis, forsan excusationi locus esset, & ejus oscitationi ascriberetur, quod cætera eadem esse putaverit: sed codicis ultimum est, additum post opus Hervæi completum & finitum, nec hujus concordiæ auctor indicatur, quæ a me allata quisquis oculis suis experiri potest. Non insto hinc adversus S. Thomæ doctrinam sequi nihil. Quot apparentes sacræ scripturæ ἀντιλογίας in concordiam reducere studuerunt? Imo argumentum est summæ de aliquo auctore existimationis, cùm omnia ejus verba expenduntur, & quæ variis locis ab eo dicta in speciem repugnare videntur, plane consentire ostenduntur. De auctoribus quorum non est usus quotidianus, non tanta est cura.

Hervæus hic opus alterius generis scripsit, quod extat in Colbert. cod. 848 fol. chart. pagg. 188. Titulus:

Croniques des Seigneurs d'Amboise.

A tres noble & tres puissante dame madame Jehanne d'Amboise dame de Revel & de Thiffanges, Frere Hervé de la Queue de l'ordre & convent des Freres Precheurs de Paris sa recommandation humble devant mise, souhaitte grace en ce monde & gloire en l'autre. La noblesse de votre lignage, & la devotion que vous avez a la religion saint Dominique desire, que si par aucun desdits Freres pouvoit estre faite aucune chose qui vous pleust, que celui Frere y obeist devotement. Et pource que j'ay entendu que vous desirez a avoir en François la lignee des Seigneurs d'Amboise, & depuis quel temps, & par quels Seigneurs, & par quels merites ils furent reçus en celle terre, j'ay entrepris ad ceci faire: & ce present livre ay divisé en XVI parties principaux. Quæ sic Latine sonant:

» Stirps dominorum de Ambasia, quando & a » quibus, ac quorum meritis & opera dominium hoc » Ambasianum acquisitum fuerit. Opus a F. Hervæo » de Cauda ordinis conventusque Parisiensis Fratrum Prædicatorum scriptum in gratiam illustrissimæ potentissimæque dominæ Johannæ de Ambasia » dominæ *de Revel & de Thiffanges*, ac in XVI capita divisum.

Plura de ea illustri familia narrat curiosa & scitu digna. Johanna verò cui opus nuncupat, filia fuit Petri de Ambasia, & nupsit primo Galterio domino Tuariensi, istoque mortuo secundis nuptiis Guillelmo Flote Revellensi domino Franciæ cancellario sub Joanne I & Carolo V Francorum regibus. Hujus operis meminit Andreas Quercetanus vulgo *du Chesne* in sua scriptorum historiæ Gallicæ bibliotheca Edit. alt. anni 1627 p. 200.

F. GUILLELMUS ROMANI.

* 1370. F. Guillelmus Romani sic a patre vel a gentilitio familiæ nomine nuncupatus, quales etiamnum in omnibus Galliæ provinciis, semperque fuerunt in seculis nostro superioribus, Gallus fuit, natione Armoricus Parisiis in gymnasio Sanjacobeo litteris divinis & humanis instructus, & tandem omnibus scholæ agonibus perfunctus, in sacra facultate laurea donatus anno circiter MCCCLVII. Ejus egregiis dotibus motus Innocentius VI, eum sacri palatii magistrum allegit anno MCCCLXI, eumque sufficit F. Guillelmo Sudré, quem ex eodem munere eodem anno Massiliensem episcopum promoverat. Hinc cùm Urbanus V anno MCCCLXVII iter Italicum aggressus est, & cum eo ivit Guillelmus noster, & individuus ubique ei astitit, & perstabat adhuc Montephiscone mense augusto MCCCLXVIII. Verisimillimum autem eo munere functum non solum reliquo pontificatu Urbani V, qui obiit XIX decemb. MCCCLXX, sed etiam sub Gregorio XI die XXIX decem. ejusdem anni electo, & perstitisse ad annum MCCCLXXV aut LXXVI, quo vel morte subtractus fuerit, vel valetudine non amplius permittente abdicarit. Hactenus verò dicta his actis comprobantur.

Primo in catal. magistr. inter additos manu æquali post Bernardum Guidonis sic legitur in cod. Lingon. n. 141: *F. Guillelmus Romani Brito de provincia Franciæ factus Parisius.* Notandum verò recenseri medium inter F. Ægidium de Marla Picardum de conventu S. Quintini, qui dicitur factus magister Parisius anno MCCLV feria VI ante *Lætare*, nempe stylo veteri novo MCCCLVI, quo pascha fuit XXIV april. nam erat num. aur. VIII, Litt. Domin. c, b: & F. Bernardum Ermengoldi Catalanum de provincia Aragoniæ factum Parisius anno MCCCLVIII mense decembris. Ex quibus emendandi Altamura, & Prosper Mandozius Bibl. Rom. Cent. III n. 72, qui Romanum dictum putarunt, ceu Roma ejus fuerit patria, quod longe abest a vero, & rursus idem Altamura cùm pro libito & sine teste collocat ad 1254, Lusitanus enim nullum annum indicavit.

Secundò de magisterio sacri palatii hæc sunt acta certa & indubitata. In editione antiqua textus magistri Sententiarum apud Joan. Pyvard 1499 fol. par. ad calcem refertur *copia cedulæ revocationis quorumdam articulorum F. Dionysii Soulechat ordinis FF. Minor. facta per eumdem Parisius & in curia Romana.* In fine autem sic legitur:

Hæc omnia prædicta dictus F. Dionysius iterum omnino in præsentia magistri Guillelmi Romani lectoris sacri palatii apostolici, & aliorum novem magistrorum in theologia Parisius, revocavit & ad sancta Dei evangelia juravit se appellationem quam interposuerat non prosecuturum, ac conclusiones prædictas, & correlaria tanquam falsa & erronea & hæretica abjuravit secundùm tenorem revocationis aliàs per eum factæ Parisius modo & forma superius annotatis. Hæc autem revocatio facta est Avinione in domo præfati magistri Guillermi Romani anno MCCCLXV * *die ultimo mensis januarii, Indict.* III, *pontif. Urbani V anno tertio.* Nomine lectoris sacri palatii intelligendum *magistrum* patet & quod huic cœtui novem magistrorum Parisiensium præsederit, & quod apud eum & in ejus domo cœtus coactus fuerit, & quod in ejus speciatim præsentia revocatio dicatur facta. Hæc eadem acta videsis in Bibl. PP. edit. Colon. & Lugdun.

* Stylo veteri novo LXVI.

Et ne quis adhuc dubitet, sic expresse nominatur in historia translationis corporis S. Thomæ ex Italia Tolosam a F. Raimundo Hugonis scripta cap. 24, ubi sic legitur: *Ipsa corpus scilicet & caput prædicta S. Thomæ Ægidius tit. S. Martini & Marcus tit. S. Praxedis cardinales F. Heliæ magistro ord. Prædic. tradiderunt die IV augusti* MCCCLXVIII *præsentibus dñis archiepiscopo Auxitano camerario D. papæ, & D. Raimundo abbate Fossæ novæ, ac venerabili magistro F. Guillelmo Romani ordinis FF. Prædicatorum sacri palatii magistro &c.* Quæ apud Montem Flasconem ad Viterbium acta. Ex quibus inferes quod identidem in hoc opere monemus, syllabum magistrorum sacri palatii a Fontana editum non esse accuratum, plures ab eo omissos, inter quos & hic *Guillelmus Romani*, plures suo loco non positos, virumque diligentiorem desiderari, qui ex antiquis monumentis hanc telam retexat. Videsis historiam translationis laudatam apud Percinum in Monum. Tolos. P. II p. 221. & in Actis SS. T. I martii p. 734 n. 3.

Hæc

Hæc ei opera a Lusitano ascribuntur, quem cum Possevino excipiunt alii nostrates:

Scripta in IV libros sententiarum.

Sermones de tempore & de sanctis.

Alva Sol. Verit. Rad. 198 col. 1486 contendit auctorem esse fictitium, & eumdem esse cum nostro Romano de Roma, eo quod a Bandello nuncupetur Guillelmus de Roma. Delusum Bandellum in agnomine fateor, quam id sit in ejuscemodi proclive, nôrunt omnes periti: cæterum quam diversi sint & natalibus & patria & ætate ambo, ex allatis monumentis certis & antiquis lectori jam obvium est, quibus & alia quæ ibidem effutit Alva, diffluntur.

F. HENRICUS DE HERVORDIA.

* 1370. F. Henricus de Hervordia, corrupte vero *de Erfordia* a Leandro Alberto, Possevino & sequacibus nuncupatus, illustre fuit sua ætate provinciæ Saxoniæ decus & ornamentum. Is in civitate imperiali comitatus Ravensburgensis diœcesis Mindensis *Herworden* sive *Herwerden* vulgo dicta natus in conventu S. Pauli Mindæ ordinem amplexus est; nec in philosophicis tantum aut sacris literis, sed & in historia celebre sibi fecit nomen. Anno MCCCXL affuit capitulo generali Mediolani celebrato, fortè ut provinciæ suæ Saxoniæ diffinitor, (erat enim diffinitorum primum) & in eodem F. Eliam de Ferrariis olim Tolosanæ provincialem, tum vero diffinitorem & a tribus annis monasterii Prulliani priorem cognovisse se testatur in opere mox citando: quin & variis apud suos aliis functus sit muneribus & præfecturis nullum mihi dubium. De eo sic Anonymus Symmysta in chronico Mindensi T. I Rerum Germanicarum a Meibomio edito pag. 569: *Recolendæ memoriæ Frater Henricus de Hervordia post labores quos in studendo dictandoque desudaverat, anno Domini* MCCCLXX *ipso die B. Dionysii migravit ad Dominum, sepultusque ante ostium chori ambitum versus. Deinde A. D.* MCCCLXXVII *de voluntate ac mandato Caroli Bohemi Romanorum imperatoris exhumatus, & ante altare majus penes candelabrum stannerum denuo sepultus est*; quæ quanta omnibus esset in veneratione probant. Ejus meminerunt cum laude Leander Albertus fol. 152 b, Lusitanus, Possevinus, Pius, Fernandez & Altamura ad 1355, & ante hos omnes Tritemius fol 255 tacens tamen nostrum fuisse. Hæc ejus recensentur opera:

1. *Chronicon pulcerrimum ab orbe condito ad annum Domini* MCCCLV *quatuor voluminibus magnis distinctum.* Sic Leander citatus. Hujus chronici fragmentum affert Meibomius supra citatus T. I pag. 412 sic de auctore loquens: *Henricus de Hervordia monachus Dominicanus ædis Sanpaulinæ in urbe Minda quem Tritemius, & qui eum sequuntur, perperam Erfordiensem nominant, de hac re ita:* sequitur fragmentum excerptum ex chronico Belgico magno pag. 180. Eodem chronico nostri Henrici utitur noster Hermannus *de Lerbeke* in chronico comitum *Schawemburg* eodem T. I Meibomii pag. 515, sic loquens, *ut utar verbis illius magni & doctissimi viri Henrici de Hervordia.* Et ipse Meibomius in notis ad istud chronicon pag. 521 sic ait: *Credo autem tam Lerbecium quam Ertwinum hæc primordia comitatus Schawenburgici referre ex Henrico Hervordiensi monacho Dominicano domus S. Pauli in urbe Minda rerum Saxonicarum scriptore diligentissimo.* Eadem fere repetit Meibomius T. III pag. 57, & pag. 76. Notandum autem genuinum chronici ab ipso auctore titulum inditum hunc esse *Liber rerum memorabiliorum.* Sic ipse citat in *Catena aurea.*

2. *Catena aurea in decem partes distincta*, quarum quælibet per ansas dividitur, & ansa quævis per quæstiones. *Opus est*, inquit Lusitanus, *in quo de quolibet ente more problematum secundùm veram entium cohærentiam disputat. Habebatur hic liber Neapoli in conventus nostri S. Dominici bibliotecha communi manuscriptus characteribus valde antiquis*, dum Lusitanus ipse illac transiret. Ejus extant nona & decima pars in Bibl. Reg. Parif. cod. MS n. 758 aliâs, nunc verò n. 5792 fol. med. memb. cujus lectorem non pigebit notitiam hîc aliqualem accipere. Princ. *Nona pars auree catenæ entium vel problematum Fratris H. de Hervordia. De anima & ejus potentiis, actibus, passionibus, habitibus &c.*

Prolocutio. Nunc secundùm promissum de homine dicendum. Homo igitur dupliciter consideratur. 1. *quantum ad principium sui formale per quod in esse constituitur, quod est anima, de qua in hac nona parte inquiretur.* 2. *quantum ad hominem ipsum in se, de quo in parte decimâ. In hac P.* IX *sunt ansæ septem, & qq.* 408. Finis fol. 28 ubi sic legitur: *Finit pars Catenæ aureæ nona.*

Incipit decima pars Catenæ aureæ entium vel problematum Fratris Henrici de Hervordia ordinis Fratrum Prædicatorum de homine secundùm seipsum, & de omnibus ejus conditionibus. Finis fol. 62. *Et circulatio Catenæ nostræ compleatur quasi a Deo incipiens, & per entia vel per creaturas quaslibet, puta intelligentias, angelos, cœlos, & elementa usque ad infimum simplicium, quod est terra, descendens consequenter & cohærenter & ordinatè protracta: & ab illo regyrando per transmutationes, impressiones, commistiones, & commista omnia puta mineralia, vegetabilia, animalia, hominem & ejus beatificationem percurrat ad & in ipsum, qui est A & Ω, principium & finis, principium unde fluunt, & finis in quo quiescunt omnia: & sic ipsa Catena nostra circulariter sibi reconjuncta finiatur, & reuniatur, ut dixi, finis principio, creatura creatori Deo, qui est fons & clausula omnium quæ sunt, fuerunt, quæque postea futura sunt seculorum seculis. Benedictus in omnia secula seculorum. Amen. Explicit Catena aurea per decem partes principales & per* LII *ansas distincta &c.*

Finitus & completus est liber iste per manus Domini H. Herchof canonici & thesaurarii ecclesiæ S. Martini Mindensis anno Incarn. Domin. millesimo CCC. LXXIIII *in profesto B. V. Margaretæ.*

Nemo non videt hunc canonicum notarium tantum hujus codicis se præstare, non verò auctorem tam expressis verbis initio X P. designatum.

In hoc opere sæpissime quæsitis respondet ex Alberto Magno, ex S. Thoma de Aquino in Summa theologica, cujus tres partes, & in his secundam secundæ pluries laudat, sed & in Aristotelem commentarios: ex nostrorum F. Bernardi de Alvernia quodlibetis adversus Henricum de Gandavo, & Godefridum de Fontibus: & F. Nicolai Trevet item quodlibetis. Parte X fol. 58 dicit se vidisse hominem sexagenarium nomine Eliam ordinis Prædicatorum quondam provincialem provinciæ Tolosanæ & tunc priorem Prulliani, & diffinitorem capituli generalis Mediolanensis &c. quæ videsis supra ubi de isto. Citat etiam frequentius *librum suum rerum memorabiliorum*, per annos a creatione mundi digestum, & plura ubique refert curiosa & ad historiam & ad medicinam corporisque valetudinem tuendam, & ad casus conscientiæ pertinentia.

3. *Tractatus de conceptione Virginis gloriosæ.* Hunc pluries citat P. X *Catenæ aureæ*, ubi cujus fuerit sententiæ videri potest, & an a Turrecremata Bandellove falso citetur. Alios ejusdem Tractatus ex prologo Catenæ aureæ laudat Lusitanus qui legerat Neapoli, nempe

SEC. XIV. 4. *De ornatu clerici*, 5. *De Diis gentium*. 6. *De invectivis in Hebridam metricum*. 7. *Expositio illius : super cathedram*. 8. *De metris & eorum pedibus*. 9. *De proverbiis*. 10. *De principio oratorum & poetarum*. 11. *Orationes pro juniorum instructione & exercitatione*.

Hæc solum retulisse, nugas F. Petri de Alva diflasse est in suo *Pleytos de los libros pag*. 36, & in *Sole veritatis Rad*. 281 *col*. 1978. In hoc ultimo codicem regium supra relatum citans, sic finem refert : *Finitus & compilatus est liber iste per manus D. Henrici Herchof canonici & thesaurarii &c*. ut supra : & addit : *videat ergo ille notitiosus Pater* (sic indicat nostrum F. Joannem Martinez de Prado sacræ theologiæ magistrum celeberrimum, de quo postea) *qui tot ac tanta dixit contra dubitantem auctorem istum fuisse ex ordine Prædicatorum, si Frater aliquis ex conventu Dominicanorum potest esse canonicus & thesaurarius ecclesiæ S. Marci civitatis Mindensis, quia hoc solum contra tot auctores ordinis Prædicatorum proponit Pater Alva*. Bene est. Hoc igitur unicum ille argumentum habet, quo hunc nobis eripiat auctorem. Facilis responsio. Non dicam malitiose corruptum ac relatum ab Alva codicem regium, sed fortè cum ocularium suorum tum oblitus esset, nictante visu male lectum. In eo enim codice scriptum non est, *Finitus & compilatus est per manus D. Henrici Herchof, &c.* sed ut supra retuli : *Finitus & completus per manus Domini H. Herchof &c.* qui loquendi modus non auctorem sed notarium tantum istius codicis indicat. Aliunde cui audita unquam hæc phrasis, ubi de auctore operis agitur ? (*compilatus per manus*) & non potius industria, studio, ingenio ? Adde. Quis Alvam docuit D. Herchof vocatum *Henricum* ? cum H. tam exprimat *Hermannum vel Herboldum* nomina tum apud Teutones frequentata, quam *Henricum*. Denique cur Alva initium P. x fol. 28 ejus codicis non legit ? aut si legit, cur dissimulat ? nam ut supra retuli diserte *Frater Henricus de Hervordia ord. Frat. Prædic*. expanseque per omnia dicitur operis auctor. At non plura, ne cum nugante videar nugari.

F. RADULPHUS STRODUS.

† 1370. F. RADULPHUS STRODUS Scotus domus Deyburgensis in Tevalia alumnus post jam lectas apud suos de more philosophiam & theologiam, Parisios ad gymnasium Sanjacobeum pro rata provinciæ Angliæ missus est. At non Galliam modo sed & Germaniam & Italiam lustrasse dicitur, quin & in Syriam & in Terram-sanctam transfretasse. Unde ad suos reversus, novis in patria erigendis instituendisque domibus præpositus est, uti Dempsterus refert ex Gilberto Bruno gentili Scoto in monasteriorum Scotiæ fundationibus. Vernaculam Scotorum linguam egregie calluit, eaque loquebatur elegantissime. Poëticen etiam vernaculam coluit, eoque scribendi genere sic emicuit, ut inter præcipuos patriæ seculique sui poëtas apud Galfredum Chaucerum annumeretur. Claruit ad annum MCCCLXX. Scripsit Latine & vernacule plura, quæ sic recensentur :

Fabulæ lepidæ versu.

Panegyrici plures versu patrio & vernaculo.

Summulæ logicales, Formulæ consequentiarum & Sophismatum strophæ.

Phantasmata Radulphi.

Itinerarium Terræ-sanctæ.

Positiones & XVIII argumenta contra Johannem Wikleff hæreticum ea ætate in Anglia furentem.

Sic refert Dempsterus, illa autem ubi habeantur saltem MS docebunt, qui catalogo codd. MS Scotiæ edendo dicuntur incumbere. Hujus scriptoris meminerunt Simlerus & Possevinus monachum solum præstantes, nostrum ex fide Dempsteri non exhibere non potuimus. Domus Deyburgensis ex qua fuisse dicitur, illa forsan est quam *Tedburg* vernacule dicunt, & quæ octava ab Alexandro II Scotiæ rege nobis erecta, quam *Jedbourg* Johannes *Spotswode* archiepiscopus Andreæfani vocat in historia reformationis Scotiæ Anglice scripta & edita Londini 1677. fol.

F. ANONYMUS GALLUS.

F. ANONYMUS GALLUS seculo XIV vivens sub rege Francorum Carolo V sapiente dicto, ejus regis jussu librum Petri Crescentiensis Bononiensis civis & Senatoris *de Agricultura sive de commodis ruralibus* Latine seu etiam Italice scriptum Gallice vertit circa MCCCLXX, & eidem Carolo V nuncupavit. Vidi codicem MS elegantibus pellibus vitulinis & nitido charactere fol. mag. ad cujusque libri initium imaginibus tenuiori penicillo eleganter pictis illustratum, quodque ex tegumento prædiviti & ornamentis argenteis insignito munus vere regium apparebat foliis CCCV constans. Imago prima ad epistolam nuncupatoriam exhibebat Fratrem Prædicatorem in suis vestibus coram rege genuflexum, eique librum offerentem. In epistola sic loquebatur interpres : *Ce livre a été traduit selon votre ordre par le votre pauvre orateur &c*. Titulus : 1370.

Rusticain du cultivement & labour champêtre.

Post hanc interpretis epistolam sequebantur duæ auctoris. 1. Fratri Aimerico Placentino ordinis Prædicatorum magistro, cujus hortatu dicebat a se finitum, & cui offerebat ab eo suisque symmystis corrigendum & limandum &c. Altera ad Carolum II D. G. Siciliæ & Jerusalem regem, in qua rursus dicit a dicto Aimerico suisque Fratribus lectum, examinatum, & probatum.

Eadem illa versio sed mollita & ad usum seculi stylo paululum innovata prodiit in typographiæ incunabulis hoc principio :

Cy commence le livre des ruraux prouffits du labour des champs, lequel fut compilé en Latin par Pierre des Crescens bourgeois de Boulogne la Grasse. Et depuis a esté translaté en François a la requeste du roi Charles de France lequint de ce nom. Quæ indicant eamdem esse versionem, Parisiis Johannis Bonhomme 1486 fol. Extat in Regia S. 271. Ab hac editione tres epistolas nuncupatorias resecuerunt. Aliam editionem apud Joannem & Michaelem le Noir laudat Verderius *Bib. Franc*. Sed annum non indicat, circa idem tempus factam conjicio, quod Michael le Noir viveret Parisiis Typotheta 1489 ad 1520.

Petri Crescentiensis opus Latine pluries typis prodiit ex Beughemio hoc titulo : *De agricultura seu Ruralibus commodis* : Augustæ 1471. Lovanii 1474. Argentinæ 1486. Quæ mihi non occurrerunt, sed, recentiorem vidi in Regia S. 620, Basileæ, Henrici Petri 1538, quæ dicitur ad exemplaria MS vetera castigata. Abest epistola Aimerico nostro nuncupatoria, sed est quæ ad Carolum II Jerusalem & Siciliæ regem.

Ibidem in Regia S. 270 extat Italice. Princ. *Al venerabile in Christo padre & signore spirituale huomo di somma religione & sapientia Frate Amerigo di Piacenza del SS. ordine de' Frati Predicatori generale ministro degnissimo, Il suo Piero de Crescentii cittadino di Bologna se medesimo ad ogni suo comandamento & servigio sempre apparecchiato &c*. sequitur altera : *Allo excellentissimo principe Messer Carlo secondo per gratia di Dio Rè illustre di Sicilia & Gierusalem &c*. in seqq. sic habet : *Et*

così veduto, letto, examinato, & aprovato e per lo sapientissimo huomo Frate Amerigho ministro del l'ordine de'Predicatori, è per li prudentissimi Frati suoi &c. Florentiæ typis Nicolai Vratislaviensis 1478 fol.

F. YVO DE BEGAIGNON.

† 1371. F. Yvo aliis *Evenus* DE BEGAIGNON Gallus Armoricus in parochia *Plestin* dicta diœcesis Trecorensis ex illustri familia *Rumen-Begaignon* natus, adolescens in Monterelaxo Gallice *Morlaix* ordini nomen dedit, virque evasit pietate & doctrina conspicuus. Anno MCCCLVII jam erat summi pontificis Innocentii VI pœnitentiarius, ut constat ex litteris ad ejus preces a Carolo Blesensi Britanniæ duce XI decembris ejus anni datis & domino de *Kergournadech* concessis, quas refert *Loubineau Histor. Britan. Gallic. T. II col.* 498. Exinde Trecorensis in Britannia episcopus electus est & consecratus: de quo sic habet Laurentius Pignon ei suppar inter ordinis episcopos: *F. Evenus Begaigne pœnitentiarius papæ episcopus Trecorensis in Britannia.* Sammarthani in Gallia Christ. antiqua, quam excipit Fontana in Theat. anno tantum MCCCLXII novemb. XIX ad eam sedem evectum asserunt ex actis Urbani V: at Albertus Legrand, Frisonius & Oldoinus jam anno MCCCLX, quo Hugo de Monterelaxo ejus decessor ad Briocensem translatus erat, ac proinde ab Innocentio VI promotum volunt. Anno MCCCLXV Joannem IV Britanniæ ducem dictum *Victorem* Trecorium adventantem excepit, sacramentum clientelæ eidem præstitit, pluraque privilegia in gratiam cleri sui ab eodem obtinuit: & sequenti MCCCLXVI sacris vestibus pontificalibus indutus affuit, cùm idem dux ipsa virginis assumtæ die primum lapidem posuit magnificæ frontis basilicæ S. Mariæ Montisfrelaxi, quam Joannes II erexerat & dotarat. Avenionem postea se contulisse ferunt, seu aliis de causis, seu ut quibusdam placet, ab Urbano V vocatum, qui pœnitentiarii majoris munus exerceret. At quæ sors ejus abinde fuerit, non conveniunt auctores: alii cum Galliæ Christ. scriptoribus quos sequitur Fontana eum anno MCCCLXXI Avenione defunctum & apud sodales ibidem sepultum contendunt, quibus favet quod Joannes *Lebrun* itidem Armoricus, & in curia Romana advocatus eo anno vel sequenti Trecorensis episcopus evasit: alii fatentur illo quidem anno sua sede cessisse, at nedum mortuum, quin imo a Gregorio XI creatum cardinalem Prænestinum, cujus testimonium affertur ex antiquo codice MS, in quo sic se legisse asserunt, *Yvo aliàs Evenus Begaignon ordinis Prædicatorum cardinalis episcopus Prænestinus vulgo cardinalis de Morlacia:* profectum postea cum eodem pontifice Romam advenisse, ibidemque anno MCCCLXXVIII obiisse ac ad Minervam sepultum. Sic Albertus Legrand citatus. At ut ut sit de anno obitus, collegio cardinalium nunquam cooptatum demonstrant Frisonius & Oldoinus his rationibus: scilicet nec in vita Gregorii XI ab anonymo scripta inter cardinales ab eo pontifice promotos, quos omnes ex nomine notat, recenseri, nec inter episcopos Prænestinos, quos diligentius Suarezius episcopus Vasionensis & Ughellus collegerunt, ei locum esse, cùm Raimundus de Canilhac, Simon de Langham, & Joannes de Crosso sibi sub eodem pontifice immediate successerint, & ultimus anno MCCCLXXI major pœnitentiarius institutus, Gregorium in itinere Romano secutus ei superstes fuerit. Quibus addo nec a Laurentio Pignon qui Eveno suppar fuit, & qui cardinales ex ordine assumtos ultra modum multiplicat, inter eos numerari: Hugonem de Monterelaxo Trecorensem SÆC. XIV. aliàs episcopum & Eveni decessorem, *cardinalem de Morlacia* vulgo dictum legi, & in hoc etiam fallitur Albertus Legrand, cùm eum episcopum Prænestinum fuisse scribit, cùm Sabinensem dicere debuisset, & aliunde certum sit Joanni de Crosso mortuo XXII novemb. MCCCLXXXIII Guidonem de Malosicco in episcopatu Prænestino suffectum, Hugoni de Monterelaxo diutius supervixisse.

Porro iste Yvo seu Evenus de Begaignon idem mihi videtur, qui a Lusitano pag. 261 & ex eo ab Altamura ad 1340 sic laudatur: *Udo, aliis Hugo de Vitonio qui fuit R. E. cardinalis & scripsit Super psalmum,* Miserere mei Deus.

Ea enim ætate cognomina vulgaria quoquomodo Latina facere solitis *Yvo* in *Udo* vertere seu corrupte legere facile fuit: tum *Begaignon* vel *Begaigne* ut scribit Laurentius ob variam quarumdam nationum pronunciationem *b* ut *u* enunciantium reddere Latine de *Vigonio* vel *Viconio*, unde emerserit tandem *de Vitonio*, quem eadem ratione cardinalem fecerunt, qua Yvonem *Begaignon* nullo ex sinceris actis argumento. Parma gentilitia familiæ *de Begaignon* argentea senis clathris solutis & intertextis coccineis fulget. Evenum theologiæ magistrum in facultate Parisiensi anno 1338 laurea donatum scribit Albertus pluries citatus, sed nulla ejus in catalogo Lingonensi quo ad seculum XIV sat accurato memoria. Fuit revera quidam F. Yvo Evenonius ord. Prædic. S. T. Parisiensis magister, sed hic recentior & in actis facultatis inter licentiatos VI martii MCCCCXXI recensetur octavus. Quædam forsan nominis inter utrumque cognatio Albertum in errorem inducere potuit.

His quid certius affero ex tomo quarto Thesauri novi anecdotorum a Clar. monacho Edmundo Martene editorum, in quo p. 1118 referuntur

Statuta Synodalia F. Eveni episcopi Trecorensis anno Dñi MCCCLXV *edita.* Pr. *In nomine Dñi. Amen. Sancta synodus a nobis Fratre Eveno Dei & sanctæ sedis apostolicæ gratia episcopo Trecorensi, celebrata die jovis post pentecosten anno Dñi* MCCCLXV, *in qua quidem synodo statuta synodalia a nobis & a prædecessoribus nostris laudabiliter statuta & edita approbamus, confirmamus, & innovamus: volentes eadem sub pœnis in eisdem comprehensis, a subditis nostris inviolabiliter observari.*

Sunt ad octo capita, & ex septimo patet statuta alia synodalia ab eo emanasse annis præcedentibus. Licèt autem in his non dicatur *ordinis Prædicatorum* fuisse, id aliunde ita certum est, ut nulla sit ambigendi ratio.

Sequuntur ibidem statuta synodalia anno MCCCLXXI edita sub Johanne episcopo Trecorensi. Hinc constat quod a nobis supra annotatum Evenum vel anno illo cessisse, vel quod verius putamus, jam mortuum fuisse.

F. JOANNES DE TAMBACO.

F. JOANNES DE TAMBACO sic a loco originis oppido scilicet in Alsatia vernacule *Dambach* non longe ab Argentina nuncupatus, vir fuit seculo XIV pietate, doctrina, muneribusque præclare gestis conspicuus. Natus est anno MCCLXXXVIII, & adolescens annorum circiter viginti Argentinæ nomen ordini dedit anno MCCCVIII. Post studia apud suos in nativa domo seu etiam Coloniæ Agrippinæ emensa, ex iis fuit qui ex Germaniæ provincia ut & ab aliis Parisios studentes honoris ultimo perficiendi mittebantur, quod ex grato & propenso quem ad gymnasium Sanjacobeum servavit animo conjicio. Illic tamen non fuit ad gradus pro- † 1372.

Sec. XIV. motus, sed post plures professionis theologicæ annos variis locis, sed præsertim Avenione ibidem tandem laurea donatus est. In catal. magistr. theologiæ inter additos post Bernardum Guidonis recensetur n. 117 in cod. Lingon. sic : *F. Johannes Tambach Teutonicus in Avinione per papam*, nempe vel Benedictum XII vel Clementem VI. Certum autem ante MCCCXLII sacras litteras in Germania docuisse, vel etiam Argentinæ aut Columbariæ priorem præfuisse, quo tempore eum inter & B. M. Venturinum de Bergamo in montibus Provinciæ jussu Benedicti XII exulantem magna fuit familiaritas : sic enim iste de illo ad F. Dietricum de Columbaria scribit : *Patrem tuum F. Joannem Tambach, & F. Joannem Arzembach, & tuum filiolum Rodulphum recepi in visceribus caritatis, intendens habere attentius commendatos.* Ubi cùm Dietrici patrem appellat Joannem Tambach, quamdam hujus indicat supra illum auctoritatem. In fine epistolæ id etiam habet : *Spero firmiter quod F. Johannes Flandini habet te recommendatum, & similiter patrem fratrem Johannem Tambach, & pro nobis orat sine intermissione, nam jam anno elapso ad Christum migravit virtutum varietate vestitus.* Titulus Patris ea ætate non vulgo sicut nunc omnibus, sed iis tantum qui locum in ordine superiorem obtinebant, dabatur : scripta autem est hæc epistola mense decembri MCCCXXXVII.

Erecta circa annum MCCCXLVI a Clemente VI ad petitionem Caroli IV Lucemburgii Cæsaris Bohemiæque regis Pragæ universitate, in comitiis ordinis Bononiæ anno MCCCXLVII habitis, Johannes noster regens, primariusque theologiæ professor institutus est in actis : *Denunciamus Fratribus universis, quod nos ad petitionem serenissimi principis & magnifici Caroli regis Romanorum illustris assignavimus & posuimus studium generale in conventu Pragensi de provincia Bohemiæ : dicto autem conventui Pragensi lectorem assignamus F. Johannem de Tambaco magistrum in theologia de provincia Teutonia.* Fontana Olmedum citans vult anno MCCCLXVI Tambacum ad petitionem ejusdem Caroli IV Cæsaris ab Urbano V magistrum sacri palatii allectum, & Guillelmo Sudré ad purpuram evecto suffectum : sed fallitur Fontana cum Olmedo, nam Sudrio anno MCCCLXI Massiliensi episcopo promoto mox substitutus est in munere magistri sacri palatii Guillelmus Romani Brito sive Armoricus, qui ut antea ad 1370 ex certis monumentis & ejus ætatis evicimus, hoc munus gerebat jam anno MCCCLXV, & egit ad MCCCLXXV circiter : nullus itaque Tambaco locus inter magistros sacri palatii, sed fortè in ea universitate seu gymnasio sacri palatii baccalaureus aliâs fuerit sub pontificatu Benedicti XII, unde a Clemente VI titulum & gradum magistri in theologia reportarit. Demum ille LXIV annis in ordine exactis, ætatis LXXXIV, Christi MCCCLXXII feliciter obdormivit in Dño, ut ex inscriptionibus mox afferendis patebit, quo verò die annales nostri non produnt, licèt Fridericus *Steill* ad diem III januar. p. 23 indicare videatur Friburgi Brisgoiæ defunctum & sepultum.

Ejus cum laude meminerunt licèt minus accuratè domestici & extranei, Trithemius, Simlerus, Eysengrenius ad 1351, Possevinus, Miræus in Auctario cap. 448, Draudius Bibl. Class. p. 471, Caveus Append. ad 1384 perperam referens, Dupinius sec. XIV, Olearius Caveum excipiens : nostrates verò Leander fol. 139 a, virum ingentis spiritus præstans & anno MCCCLXXII mortuum asserens, Lusitanus minus caute in duos dividens, alterum *de Cambico*, p. 134 ad 1295, alterum *de Tambacho* aut *de Zambaco* p. 141 ad 1320, utrumque eorumdem operum auctorem; quem tamen errantem excipiunt Pius P. II coll. 102 & 152, & Altamura ad 1293 & ad 1360. Laudant his omnibus antiquiores Laurentius Pignon n. 113 & Ludovicus a Valleoleti n. 43. Hæc ejus opera :

1. *De consolatione theologiæ.* Opus XV libris distinctum. Prodiit primum in incunabulis typographiæ non solum absque loco, anno, nomine typothetæ, sed & absque signaturis, numeris, reclamationibus, majusculis, fol. charta eleganti. Ad calcem sic legitur : *Explicit liber de consolatione theologiæ per F. Johannem de Tambaco ordinis Prædicatorum provinciæ Teutoniæ sacræ theologiæ professorem consummatus anno Dñi* MCCCLXVI *in die Ambrosii.* Quæ editio apud nostros Parisienses ad S. Honorati, apud nostros etiam Vesuntione, & Romæ in Barber.

Prodiit rursus idem sed in compendium redactum Parisiis, Georgii *Mittelhus* 1493 in 8 signat. ab *A* ad *O*. Extat etiam apud nostros ad S. Honorati.

Laudantur & aliæ editiones Coloniæ 1502. Norimbergæ sub hoc titulo : *Speculum patientiæ cum theologicis consolationibus* 1509. Ilerdæ, sed an hæ sint operis integri an compendii, non explicant qui viderunt.

Antiqua editio compendii absque nomine auctoris, & absque loco & anno in 4 par. extat in Sorbona a me visa.

Codd. MS hi laudantur : in Augustana Plut. VII in fol. Reiseri p. 96. In catal. Angl. T. I P. I n. 1027.

In prologo auctor hanc scribendi occasionem sibi fuisse ait : *Sane sicut olim insignis ille Boetius dum regis Theodorici tyrannidem recusaret, missus est in exilium & in carcerem retrusus, de consolatione philosophiæ librum edidit : sic & ego ab impugnatoribus justitiæ pariter & obedientiæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ a propria mansionis loco ejectus, quamdam exilii speciem sustinens, præfatum opus aggressus, ipsum si legentibus placet de consolatione theologiæ appellandum judicarem.* Cùm anno MCCCLXVI opus hoc se complevisse testetur, annis præcedentibus Argentinæ quædam adversus Romanam Ecclesiam natæ fuerint commotiones, quibus e domo sua ordinis nativa exire compulsus fuerit, & Friburgum forsan se recipere.

2. *De sensibilibus deliciis paradisi.* Extat hujus operis codex insignis MS memb. fol. par. Parisiis apud nostros Sanjacobeos auctoris donum. Pr. *Incipit proœmium in librum de sensibilibus deliciis paradisi, editum a F. Johanne de Tambaco ordinis Prædicatorum provinciæ Teutoniæ sacræ theologiæ professore. In deliciis paradisi fuisti. Sic Ezech.* XXVIII *scribitur, sed si quæritur, cui hoc verbum dicatur, profecto licet hyperbolice videatur dictum ad regem Tyri &c.* Ad finem : *Explicit liber iste de sensibilibus deliciis paradisi in curia Romana* (Avenione) *per venerabilem patrem Fratrem Guillelmum magistrum sacri palatii examinatus, & per Fratrem Johannem de Tambaco ordinis Prædicatorum de provincia Teutonia Ssmo in Christo patri Dño Clementi papæ VI præsentatus anno Dñi mill* CCCL. Nota. Iste Guillelmus agnominabatur *Sudre*, tum magister sacri palatii, & postea cardinalis assumptus, de quo mox ad annum 1373 agetur.

Initio codicis prima pagina pura sic legitur manu ejus ætatis : *Librum istum de sensibilibus deliciis paradisi contulerunt conventui Parisiensi Fratres magister Joannes de Tambacho & Joannes Tantarii de conventu Argentinensi provinciæ Theutoniæ, æternam imprecantes ultionem super omnem, qui eum unquam de prædicti conventus Parisiensis usu & manibus alienaverit.*

Aliquis postea addidit : *Ex quibusdam chronicis ordinis :*

F. Joannes de Tambacho Theutonicus magister in theologia, qui ut B. Venturinus de eo scribit, fuit homo modestus, quietus, tranquillus, maturus, humilis, prudens, sobrius, pudicus, benignus, affabilis, moribus suavis, in conversatione discretus, otiositatis inimicus, cum summo desiderio insistens scripturis divinis, Unde varios libros descripsit, videlicet 1. *Librum de consolatione theologiæ* (supra laudatum:) 2. *De sensibilibus deliciis paradisi.*

3. *De culpa & gratia.* Extat in eadem bibl. San-Jacob. cod. MS fol. par memb. charact. accurato, fortè ejusdem auctoris donum. Plura de ejus actis in operculo interiori scripta sunt, sed multis literis aut etiam vocabulis præ vetustate detritis ea legere accurate haud potui, quod forsan quis me diligentior aut otiosior aliquando præstabit. Pr. *Incipit tractatus de culpa & gratia F. Joannis de Tambaco ord. Præd. sacræ theologiæ professoris.*

» Quoniam circa multos actus culpam concomitantes, vel sequentes, & gratiam recuperantes, vel ad ipsam disponentes, quamplura dubia præsertim ex dictis doctorum solemnium mihi occurrentia intellectum meum occupaverunt pariter & conscientiam his diebus, idcirco a quodam venerabili viro & amicissimo, mihique condubitante instigatus, certificationis gratia amplioris, in hoc tractatu de culpa & gratia appellando, certiora in dictis & scriptis aliorum requirenda relinquens, non de tota materia culpæ & gratiæ, sed tantummodo quantum in XVI subscriptis quæstionibus dubia mea concernit, seu de ipsis actibus culpam & gratiam concernentibus de quibus dubito, illius ob honorem & auxilio qui culpam remittit & dat gratiam tractaturus, primo in qualibet præmemoratarum quæstionum sententiam illam quam magis sentio præmittam: deinde in singulis quæstionibus post sententiam quæ mihi apparet probabilior nonnullas objectiones movebo, quidquid minus bene dixero correctioni sanctæ matris Ecclesiæ submittendo. Quæstiones autem per ordinem in hoc tractatu pertractandæ sunt istæ quæ sequuntur, quarum titulos non casu tanquam in verbis superfluis, sed ex proposito prolixiores quam alias oportuisset judicavi faciendos, ut per hoc ipsi tituli quæstionum titulo tractatus præmisso, ac sibi etiam mutuo, nec non & conclusionibus in singulis quæstionibus ponendis apertius responderent «.

Prima quæstio est, utrum homo mortaliter peccet faciendo aliquid, quod scit de genere suo habere rationem peccati seu culpæ venialis? Ad quam respondet negative nisi propter contemtum.

Secunda est, utrum aliqua operatio hominis facta propter finem alium a Deo, puta quem nec actualiter nec habitualiter ordinat ad Deum, possit esse bona moraliter, & non demeritoria sive mala & culpabilis?

Tertia est, utrum homo fide carens possit in actum bonum moraliter, ita quod non omnis actio infidelium sit mala seu culpabilis?

Quarta est, utrum homo sine adjutorio gratiæ specialis possit in actum bonum moraliter, ita quod non omnis actio viatoris carentis gratia hujusmodi sit mala seu culpabilis? Ad has tres posteriores respondet affirmative, & S. Augustini auctoritates quæ in contrarium objiciuntur, explicare conatur.

Quinta est, utrum Deus cuilibet homini usum liberi arbitrii habenti post culpam qua gratiam amisit, infallibiliter paratus sit per speciale adjutorium cooperari ad actum veræ contritionis? Respondet affirmative.

Sexta est, utrum adjutorium speciale, quo Deus homini post culpam ad actum veræ contritionis, & universaliter ad actum moraliter bonum cooperatur, consistat præcise in causando in homine gratiam aliquam seu donum habituale, vel magis Deus voluntati quodam alio modo concauset actum contritionis, vel alium bonum actum ipsius voluntatis? Respondet non per donum habituale, sed per donum actuale concausare.

Septima est, utrum ad delendam culpam & recuperandam gratiam per contritionem tanquam per dispositionem ad hoc necessariam requiratur, quod peccator secundum ultimum posse suum ex tota virtute eliciat actum contritionis? » Ad septimam dicendum, quod si homo per culpam mortalem amisit gratiam gratum facientem, tunc contritio est dispositio necessaria ad gratiam hujusmodi, ut pote sine qua de potentia Dei ordinata non potest gratia recuperari. *Sic probo*: Quando terminus ad quem non potest haberi in mutatione, nisi terminus a quo desinat esse, tunc illud quod est dispositio necessaria ad desitionem termini a quo etiam est eo ipso dispositio necessaria ad acquisitionem termini ad quem. Sed justificatio impii est mutatio, cujus terminus a quo est culpa, & terminus ad quem est gratia, qui terminus non potest haberi, nisi terminus a quo scilicet culpa mortalis desinat in eodem instanti, quo terminus ad quem scilicet gratia acquiritur, & contritio est dispositio necessaria ad desitionem dicti termini a quo scilicet culpæ mortalis. Ergo etiam est eo ipso dispositio necessaria ad acquisitionem termini ad quem scilicet gratiæ gratum facientis, ut pote sine qua de potentia Dei ordinata non potest hujusmodi gratia recuperari «.

His sic positis quatuor de more statuit conclusiones.

» Quartam conclusionem videlicet quod absolutio sacramentalis, quæ fit post confessionem de peccatis circa remissionem peccatorum aliquid operatur, declaro per diversos modos, quibus datis aut omnibus aut ipsorum aliquo vel aliquibus, sequitur quod postquam in contritione peccata sunt dimissa, sacramentalis absolutio nihilominus aliquid operatur circa remissionem peccatorum. Potest namque primo dici sicut dicunt quidam, quod eum cui in contritione peccata sunt dimissa, ostendit absolutio sacramentalis apud Deum esse absolutum: unde verba sacerdotis absolventis sic exponunt: *Ego te absolvo*, id est, *ego te absolutum ostendo.* Sed quia S. Thomas in tertia parte dicit quod sacramenta efficiunt quod figurant, melius sic exponitur: *Ego te absolvo*, id est, *Ego sacramentum absolutionis tibi impendo.* Sed quia tunc rursum manet quæstio quid sacramentum absolutionis efficiat, ideo potest dici juxta priorem expositionem, quod tunc dicitur res esse, cùm apparet, quemadmodum notatur de pœnitentia dist. 1, *Perfecta pœnitentia*, In glossa super verbum, *Humilitas. Quod res tunc fieri dicitur, quando innotescit.* » Per contritionem autem cùm sit actus interior, & homo solum videt ea quæ parent 1. Reg. XVI, non fit, quod quis appareat absolutus, sed absolutio sacramentalis facit ad absolutionem passivam confitentis sub ratione apparentis: id est facit contritum apparere apud Ecclesiam esse absolutum a peccatis.

Aliter potest dici quod absolutio sacramentalis a peccatis operatur ad minus desobligationem quamdam, tollendo scilicet obligationem quam quis incurrit scilicet ratione peccatorum mortalium, ratione quorum obligatus est ex præcepto reconciliari, non solum in judicio Dei, sed etiam in judicio Ecclesiæ. Unde Petrus de Tarentasia in suo scripto super IIII sent. dist. XVII quæst. XI de contritione artic. V dicit *quod post quantamcunque contritionem confessio est necessaria propter obliga-*

Sec. XIV. *tionem præcepti, etiamsi non propter necessitatem remedii.*

Octava est, utrum ad rationem veræ contritionis, qua recuperatur gratia; ad hoc quod differat ab attritione quæ stat cum culpa, quandoque necessario requiratur, quod habeat perfectiorem gradum intensionis? Respondet affirmative.

Nona est, utrum homo extra gratiam existens, & sciens in generali se esse multis peccatis obnoxium, teneatur de necessitate singula peccata sua mortalia quantum possibile est rememorari, ut sic mediante sufficienti discussione conscientia sua actualiter conteratur de singulis?

Decima est, utrum culpa in contritione dimissa & gratia recuperata, circa remissionem peccatorum aliquid operetur absolutio sacramentalis, quæ fit post confessionem de peccatis?

Undecima est, utrum contritio hominis extra gratiam existentis, & ficte sive absque vera contritione culpas suas confitentis, & sacramentalis absolutio ei impensa in tantum valeant, quod non sint iteranda de necessitate salutis?

XII est, utrum si peccator post gratiam per contritionem recuperatam confiteatur peccata sua, sed non integraliter omnia, semper ex hoc teneatur de necessitate salutis, quod eadem peccata iterum confiteatur in specie, ac denuo absolvatur ab iisdem peccatis?

XIII est, utrum culpa mortalis sive carentia gratiæ gratum facientis impediat viatorem, ne aliquis actus ejus sit satisfactorius saltem pro parte pœnæ temporalis?

XIV est, utrum culpa mortalis sive carentia gratiæ gratum facientis impediat viatorem, ne aliquis ejus actus sit apud Deum meritorius præmii temporalis?

XV est, utrum culpa venialis possit esse circumstantia actus meritorii premii æternalis?

XVI est, utrum gratia post culpam mortalem per pœnitentiam recuperata, homo consequatur post hanc vitam præmium essentiale secundùm quantitatem recuperatæ gratiæ & caritatis?

Quæ quæstiones sigillatim recensendæ visæ sunt, ut de quibus in hoc opere agatur, lectoribus pateat: de iis verò quæ sit sententia auctoris, ipsum opus consulendum est, neque enim per otium transcribere licuit, ac præterea compendio hîc nobis studendum sit.

4. *De amore virtutum.*

5. *De ingrato commodo sacerdotum.*

6. *De quantitate indulgentiarum.*

7. *De proprietate mendicantium.*

8 *De privilegiis exemptorum circa interdictum.*

9. *De moderatione quarta* (scilicet funeralium.) Hunc librum scripsit Tambacus anno MCCCLX. Extabat XIV junii MDCLXXI MS fol in papyro apud nostros Colonienses: hocque exemplum notabatur scriptum anno MCCCCLXXIII in festo coronæ spineæ manu F. Conradi Stelbergier de Constantia Rhenana ordinis Prædicatorum.

10. *De simonia Claustralium.* Scripsit Tambacus anno MCCCLXI feria sexta infra octavam nativitatis Domini. Pr. *Quoniam sicut dicit Innocentius &c.* Finis: *Quod optimum sit valeat judicare, & sic quantum ad secundam partem hujus tractatus.* Extabat ibidem Coloniæ cod. MS fol. papyr. molis duarum unciarum. Laudatur etiam in Bibl. Basilen. publ. & recensetur a Spizelio in Sac. Bibl. Arc. p. 19.

11. *De redemptionibus*, seu *reemptionibus.*

12. *Directorium confessorum.*

13. *De præconiis S. Joannis Evangelistæ.*

Et alia plura opera. Sic in cod. supra n. 2 laudato Parif. ubi & additur: *Obiit anno ætatis suæ LXXXIV, anno Dñi MCCCLXXII, & in ordine vixerat annis LXIIII.*

Eadem opera recenset Leander Albertus citatus, Laurentius Pignon tractatum *de sensibilibus delitiis paradisi* solum singulariter memorat, addens generatim scripsisse *plures quæstiones de materiis theologiæ.* Ludovicus a Valleoleti laudat præterea *librum de culpa & gratia & plura alia.* Lusitanus addit *Sermones varios*, quos Altamura distinguit in sermones *de tempore & de Sanctis.*

F. GUILLELMUS SUDRE.

F. Guillelmus Sudre vel *Sutri* Gallus Aquitanus in oppido Aquina vernaculè *l'Aguene* diœcesis Tutelensis nobili familia etiamnum in Lemovicibus clara oriundus, cujus parma gentilitia in area muricata baltheum argenteum quinque cantheriis pullis distinctum exhibet, adolescens Brivis ordinem amplexus est. Anno MCCCXL in cap. prov. Condomii celebrato ex studentibus Parisios pro ratione suæ provinciæ Tolosanæ viris jam maturis missis unus fuit. Exinde sacræ theologiæ lector in sua provincia, quo munere ut baccalaureus in sacro palatio anno MCCCXLVII & Carcassonæ MCCCXLVIII fungebatur. Quo eodem anno in comitiis ordinis generalibus Lugduni habitis ad legendas Parisiis anno MCCCXLIX sententias destinatus est, idque in comitiis Barcinone anno sequenti habitis confirmatum, etsi prior tum esset provincialis Tolosanæ, electus jam ab octavis SS. Petri & Pauli MCCCXLVIII in capitulo S Gaudentii. Quam tamen lectionem Parisiensem non suscepisse ex eo evincitur, quod in catalogo magistrorum inter additos ad Guidonem n. 113 cod. Lingon. dicatur promotus Avenione de licentia Papæ. Cui suffragatur, quod in serie provincialium Tolosanorum in cod. Carcassonensi de eo sic refertur: *Hic anno* MCCCXLVII *fuerat baccalarius sacri palatii. Iste erat maximus clericus, & in persona multum gratus: paucis annis provinciam rexit, quia D. papa voluit quod esset magister in theologia Avenione, quod & fuit, & post per eumdem D. papam factus fuit magister sacri palatii.* Huic mutationi & promotioni maturatæ ansam dedit electio F. Joannis de Molendinis in magistrum ordinis in capitulo illo Barcinonensi MCCCXLIX, cui in magisterio sacri palatii sufficiendus erat, resque urgeret nec triennii agonum Parisiensium moras pateretur: propterea etiam a provincialatu in cap. gen. sequenti Montepessulani MCCCL amotus fuit, & ut loquimur absolutus, ut legitur in Actis. Et hæc quidem sub Clemente VI, sub sequentibus autem pontificibus ad supremos omnes Ecclesiæ honores gradatim evectus. Nam primo episcopus Massiliensis electus est & institutus, id putavit Clar. Baluzius anno tantum MCCCLXIIII factum, sed Clar. asceta Dionysius Sammarthanus in nova Gallia Christiana eum exhibet jam anno MCCCLXI hac dignitate pollentem, ceu qui die secunda septembris ejus anni officialem suum instituerit Johannem Olerii, & die X ejusdem mensis Guillelmum de Massilia, aliàs *de Rupevaria* ordinis Prædicatorum vicarium suum generalem in spiritualibus & temporalibus declaraverit. Itaque ab Innocentio VI hac infula ornatus fuit. Tum anno MCCCLXVI die XVIII septembris ab Urbano V in sacrum collegium cooptatus est, & presbyter cardinalis tituli SS. Joannis & Pauli creatus. Demum anno MCCCLXVII mense maio episcopus Ostiensis & Veletrensis renunciatus. Vult Fontana etiam cardinalem promotum Ecclesiam Massiliensem retinuisse, sed eam mox ab ejus promotione de more vacasse evincit Sammarthanus citatus, & ab Urbano V

† 1373.

Philippo Cabassolæ patriarchæ Hierosolymitano commendatam ejus administrationem. Cæterum majoribus causis omnibus fidei & morum discutiendis & decernendis a summis pontificibus adhibitus fuit & sæpius præpositus. Quod tamen ait Frizonius in Gallia Purpurata p. 383, & nostrates excipiunt, missum esse legatum in regnum Neapolitanum ad sedandas discordias inter principem Tarentinum & ducem Atriæ, falsum esse probat Baluzius citatus, cùm legatio illa non Guillelmo Sudrio, sed Guillelmo de Agrifolio seniori commissa sit. Vitæ tandem finem sortitus est sub Gregorio XI anno MCCCLXXIII die XXVIII septembris Avenione, ibidem in æde sacra nostra ad majus altare sepultus, his tantum ex præscripto testamenti ad parium lapidem solo æqualem apposito inscriptoque titulo: *Requiescat in pace. Amen.* Scripsisse dicunt opusculum

De mysterio sanctæ crucis &

Epistolas plurimas ad varios de rebus ecclesiasticis.

Et quædam philosophica de subtilitatibus logicæ.

Testamentum ipsius non omittendum vere Christianum, in quo inter alia quæ ad nos spectant, omnes libros quos habebat, conventus sui Brivensis esse agnoscit, exceptis aliquot, de quibus disponit, & quorum Summam S. Thomæ uno volumine integram scriptam legat sodalibus nostris Tolonensibus pro libraria, ea verò lege ut dictum codicem dividi nunquam patiantur. Quam an hactenus servaverint, ipsi videant. Typis prodiit primum editum a F. Thoma Aquinate Carmelita excalceato Aquitano in vita S. Calminii ducis Aquinati Tutelæ 1646 in 12 per Joannem Dalny: altera vice a Francisco *du Chesne* in Documentis ad vitas cardinalium Gallorum pag. 625. Monendus autem hîc lector nos hîc chronologiæ potissimum institisse, quo nostrorum Pii, Antonii *Mallet*, Fontanæ, Altamuræ aliorumque errata emendaremus. Qui plura volet legat Guesnæum in *Ann. Massilien.* tum præsertim Baluzium *de Papis Avenion. col.* 990 *& seqq.* ubi Ciacconii, Oldoini, Thomæ Aquini Carmelitæ, Frizonii, Sammarthanorum in *Gall. Christ.* sphalmata historica refellendo, vitæ cardinalis nostri seriem, Actaque egregia luculenter exponit. Legenda etiam Nova Gallia Christiana Clar. Dionysii Sammarthani citati.

F. RAIMUNDUS DE FONDI.

* 1372. F. RAIMUNDUS DE FONDI nescio quis a Vallio laudatur in compendio p. 121 ceu fuerit alumnus conventus Fundensis provinciæ Regni Siciliæ, sed cùm non aliam ejus Vallius habuerit notitiam quam a Petro de Natalibus agente de translatione S. Thomæ Aquinatis, hic vero de alio non loquatur, quam de Raimundo Hugonis qui magistri ordinis F. Eliæ Tolosani socius fuit, iste Raimundus de Fondi vir habendus omnino fictitius, quod monendum fuit. Vide supra *Raimundus* Hugonis ad 1368.

F. PHILIPPUS THEATINUS.

* 1372. F. PHILIPPUS THEATINUS sic a civitate natali vernacule *Chieti* in Aprutio nuncupatus, ibidemque ordinem professus, literas sacras pluribus annis apud suos interpretatus, provinciæ Regni Siciliæ priorem ac præfectum agebat anno MCCCLXVII, cujus insigne visitur etiamnum monumentum in peristylio conventus Theatini, quod sic habet: *A. D.* MCCCLXVII *v. indict. Hoc opus hujus quartæ partis claustri fieri fecit magnificus vir Dominus Neapolitanus de Ursinis comes Manupelli, tempore provincialatus F. Philippi de Theate sacræ paginæ professoris, per manus magistri Jacobi de Lauro.* Sic refert Toppius in sua *Bibl. Napol.* ubi & addit huic Philippo a Magistro ordinis F. Helia Tolosano S. Thomæ de Aquino os brachii de nodo ad nodum integrum concessum, & e capitulo generali Tolosæ anno MCCCLXXII celebrato per manus F. Francisci de Vigiliis Provinciæ Regni Siciliæ diffinitoris & ejus socii F. Nicolai de Pennis S. T. M. (erat enim capitulum diffinitorum I.) missum, ut in ecclesia ordinis S. Dominici dicta Neapoli exponeret fidelibus honorandum. Sic enim habet diploma in pergameno scriptum & in archivo S. Dominici servatum: *In Dei filio sibi carissimo Fratri Philippo de Theate sacræ theologiæ magistro priori provinciali Regni Siciliæ, cæterisque ejusdem provinciæ ordinis Prædicatorum, F. Helias Fratrum ejusdem ordinis magister salutem & spiritus unitatem. Licet per felicis memoriæ*, &c. ut apud Vallium in compendio p. 119, excepto titulo, quem aliter refert, volens sacrum illud munus Priori S. Dominici Agnello de Aversa destinatum. Quem propterea emendari vellet Toppius, imo Vallii compendium supprimi, & ejus loco Chronicon F. Dionysii de Occillis longe accuratius, quod totum inquit defloravit Vallius, sed & corrupit, substitui & typis edi. Ut ut sit certe non video, cur tantum sit culpandus Vallius; fortè enim duplex diploma misit magister ordinis, alterum provinciali, alterum priori S. Dominici: primum retulit Occillus, secundum Vallius, quod non grande nefas. Utinam tamen opus Occilli etiam haberemus, utinam & opera nostri Philippi si qua sint Toppius addidisset, aut saltem Symmystæ hîc adjiciant. Ejus meminit F. Raimundus Hugonis in Historia Translationis corporis S. Thomæ de Aquino c. 1 & 6, ubi dicitur epistolam scripsisse ad magistrum ordinis F. Simonem Lingoniensem de spe sibi a comite Fundorum facta corporis dicti sancti Ordini a se restituendi.

F. THOMAS STUBBS.

F. THOMAS STUBBS aliàs *Stubs* Anglus Eboracensis patria & professione sacræ theologiæ magister eruditione ecclesiastica clarissimus florebat quam maxime ad ann. MCCCLXXIII, sed & ulterius vitam producere potuit, licèt annum quo obierit, nemo certo referat. Is est quem alii *Stobeum*, Leander Albertus fol. 149 b *Stolbez* corrupte nuncupant, quem exinde laudant omnes seu nostrates & ultimo Altamura ad 1352: seu extranei & tandem Caveus in Append. ad 1360. Hæc ejus opera † 1373.

Chronica pontificum Ecclesiæ Eboraci.

Typis prodiit primum cum historiæ Anglicanæ scriptoribus decem, Londini Jacobi Flesher & Cornelii Bee, 1652 fol. a p. 1685 ad 1734. Rursus edidit Henricus Warton in Anglia sacra Londini, 1691 T. II in fol. a p. 1685.

Codices MS plures laudantur in catal. Angl. T. I P. III nn 1170 & 1448. Initium ducit a prima ejus Ecclesiæ institutione, & per singulos pontifices prosequitur non solum ad Willielmum *la Souche* archiepiscopum XLIII anno MCCCLII mortuum, ut initio promiserat, quo indicabat se ejus ætate jam florentem, sed & successoris Joannis de Thuresby gesta recenset ad ejus mortem quæ accidit x novemb. MCCCLXXIII, quo usque proinde pervenerit, & ultra etiam vixerit.

In Bibl. Cotton. laudantur duo codd. MS: primus p. 123 XIX 41 *Thomas Stubbs de successionibus pontificum Eboracensium a Paulino ad mortem Joannis Thursby anno* XLVII *regis Eduardi III, id est anno Christi* MCCCLXXIII. Qui proinde codex suffragatur impressis. Sed ibidem alius est p. 96 IV 8

SÆC. XIV. *Liber Thomæ Stubbs ordinis Prædicatorum de episcopis Eboracensibus a S. Paulino ad Christophorum Baynebrigg.* Cùm autem iste Christophorus ad annum tantum MDVIII sederit, patet alium vel alios Thomæ nostro succenturiasse.

Ex hoc chronico Thomam ortu Eboracensem deprehendere mihi videor. Sic enim ubi de Thoma juniore archiepiscopo XXVII loquitur de Michaele Glesguensi episcopo: *Hic aliquandiu cum archiepiscopo conversatus, in diœcesi nostra jussu archiepiscopi ecclesias dedicavit, & in ecclesia de Morlonnd ordines fecit &c.* Cur enim diœcesim nostram dicit, nisi quia in ea natus erat. Sed & annotandum quod habet p. 1727 edit. prioris, n. 10 de translatione S. Willielmi quondam Eboracensis archiepiscopi, quæ inquit, *solemniter in ecclesia Eboracensi facta est die Dominico v idus januar.* MCCLXXXIII: *& notandum quod annus iste extitit bissextilis, a Kal. enim januarii usque ad locum bissexti, qui eodem anno contigit, B littera Dominicalis habebatur, post bissextum abjecta B, A littera Dñicalis residuo anni tempore permansit.* Ex quibus colligitur Anglos itidem ut Gallos initium anni duxisse vel a XXV martii, vel a pascha, non autem a prima januarii: alioquin dicendus fuisset annus MCCLXXXIIII, cui novo stylo ista conveniunt.

Leander citatus hujus chronici non meminit, sed laudat prægrande volumen quod vel viderit, vel a nostris Italis tum de more Oxoniam aut Cantabrigiam ad studia illa generalia missis audierit ab eo compositum, in quo hi tractatus

Statutum, (legunt alii & rectius *Scutum*) *contra impugnantes ecclesiastica statuta.*

De stipendiis debitis prædicatoribus verbi Dei.

De perfectione vitæ solitariæ.

De arte moriendi, & alia plura opuscula.

Lelandus cap. 324 Leandrum excipit. Pitseus alia plura addit, penes quem fides, scilicet

Commentarium super Canticum Canticorum.

Sermones de tempore & de sanctis.

De misericordia Dei. Pr. *Misericordia secundum Etymologiam*

Meditationes. Pr. *Justitia & judicium præparatio.*

De pœnis peregrinationis hujus vitæ.

Officium completum, & missa de nomine Jesu, & aliud de B. Anna.

In revelationes S. Birgittæ. Pr. *Beata & venerabilis domina.*

Catalogi Anglic. T. II P. I n. 8438 *Thomæ Stowe lectura* recensentur. An idem sit cum nostro, discutiant indigenæ, quibus adest codex.

F. JOANNES SCADLAND.

† 1373. F. JOANNES SCADLAND seu *Schadland* seu etiam *Schadenland* alio linguæ flexu, corrupte a Fontana ex Bzovio *Gzodlant* agnominatus, natione Germanus conventusque Coloniensis alumnus, sacræ theologiæ laurea ibidem donatus, vir doctrina & pietate conspicuus, legatus pontificius fuit aliquando ac hæreticæ pravitatis inquisitor, fideique adversus insurgentes in Germania Joannis Wiclefi Angli errores vindex acerrimus. Hic Innocentii VI summi pontificis auctoritate provisioneque primum anno MCCCLIX institutus est episcopus Culmensis vulgo *Culm*: urbs est episcopalis ditionis jam Polonicæ in Prussia regali, sub metropoli Gneznensi, verum seculo illo XIV Equitum Livoniæ seu Prussiæ imperio subjecta, & Rigensis suffraganea. Hanc ille cùm annis aliquot administrasset Ecclesiam, ab eodem pontifice translatus est anno MCCCLXII ad Hildesheimensem, quam non plus ille biennio retinuit: Brunswicensiumque incursionibus principum interea divexatus, cùm nec tranquillam sibi gregique suo utilem, studioque literarum, quibus mirum afficiebatur, opportunam obtineret, ultro dimisit, Avenionemque ad summum pontificem secessit. Quo tempore cùm Wormatiensis Ecclesia vacasset ab Urbano V tum in Italia agente, & cui se comitem Joannes noster dederat, constitutus est episcopus Wormatiæ LVI, confossoque sagitta paulo post ac perempto Walthero Augustano episcopo, Augustanus unà Wormatiensisque pontifex assumtus est anno MCCCLXIX. Verum ubi Augustam eodem anno pervenit, excitatis tum inter senatum, clerumque & populum gravissimis tumultibus atque dissidiis, parum ibidem substitit, Wormatiamque concessit: ubi cùm & in eum adhuc excitati tumultus, anno MCCCLXXII Augustanam sponte dimisit Ecclesiam, Wormatiensi retenta, quam etiam non multum postea quietis amans studiorumque avidus abdicavit, Confluentiamque secessit, ubi & paulo post cùm anxie diuque quæsitam vitæ tranquillitatem obtinuisset, æternam ille demum invenit & adeptus est requiem kalendis aprilis MCCCLXXIII, inque Prædicatorum nostrorum æde sacra ad majoris aræ dexteram sepultus est, hac illi inscriptione posita

Hic jacet Dominus Joannes Schadland de Colonia magister theologiæ, inquisitor hæreticorum, episcopus Ecclesiarum Culmensis, Hildesheimensis, Wormatiensis & Augustensis ordinis Prædicatorum, qui obiit anno Domini MCCCLXXIII *Calendis aprilibus.*

Sic refert Georgius *Helwich* Moguntiæ S. Albani extra muros vicarius in *Prodromo Wormatiensium Annalium pag.* 39, *Edit. Mogunt.* 1615 *in* 4. Legendi & de eo Jo. Henricus *Heister* in *suffraganeis Coloniensibus ad Wicboldum* § 68. Pantaleo *Prosopographia sua P. II pag.* 10 *in Episcopis Hildesheim*, qui Frislandum patria & ortu Joannem nostrum censet, quem sequuntur Achilles Gasserus in *Annalibus Augustanis, Episcopo* LI. Henricus Buntingius in *Brunswicensi chronico, Hildesheimensi episcopo* XXVII, quod si verum, de Colonia in epitaphio a professione religiosa dictus fuerit. Caspar Bruschius tamen in *Hildesheim. episcop. num.* 37 e Colonia contendit ortum, sed id parum refert. At Martinum Hanxium in opere suo *de Silesiis indigenis eruditis, Lipsiæ edito Christiani Bauchii typis* 1607 *in* 4. *cap* 17, existimo nimio patriæ studio delusum, cùm Joannem hunc nostrum Silesium vult, & in epitaphio pro de Colonia legendum de Polonia. Cæterum de eo sat accurate ibidem scribit, & non parum laudat, præter citatos hos etiam afferens de eodem agentes Casparem Schultzium in *Rerum Prussicarum Historia, Culmen. Episc. Ind. n.* 10, Christophorum Hartknochium in *veteri & nova Prussia P. II c.* 5 *n.* 9, & in *Prussorum Hist. Eccl. Lib.* 1 *c.* 3, & in *Differt.* XIV *de Prussorum rebus* § 11. Ejusdem cum laude meminerunt nostrates omnes, sed ex superioribus plerique emendandi. Apud Leandrum Albertum errato fortè typorum fol. 124 a *Tulinensis* episcopus dicitur pro *Culmensis*. Fontana in *Theatro pag.* 183 b non solum *Gzolant* corrupte, sed & ad 1280 refert 100 fere annis recentiorem. Altamura ad 1377 prorogat quo certe non pervenit. Cæteros omitto, ne diutius lectorem in his tricis morer. Porro emendandi nostri tum Fontana, tum Joannes Michael Cavalieri in sua *Galeria de' pontefici Domenicani*, qui hunc unicum hominem in duos dividunt, alterum *Grodland* agnominatum, & circa 1280 mortuum, alterum *Schanland* nuncupatum, cujus mortem prorogant ad 1377: quibus nulla suffragantur antiqua monumenta. Hæc ejus laudantur opera:

1. *Tractatus de Trinitate*, 2. *Sermonum volumen, in quo plures de B. V.* At hæc ubi reperiantur nemo indicat. Coloniæ vero Agrippinæ in Bibl. Prædicatorum

Prædicatorum extat codex MS fol. charta uncias duas spissus anno 1671 die 14 junii J. Quetif visus & exploratus hoc titulo:

R. Patris D. D. Joannis episcopi Hildesheimensis ordinis Prædicatorum Tractatus de virtutibus cardinalibus. Princ. *Rex virtutum progressurus ad principatum adversus principes tenebrarum &c.* Verum mihi J. Echard major operis notitia accessit ex cod. Colbert 2089 ætatis auctoris fol. med. membr. foll. 106 constanti, cui titulus ex mente auctoris inscriptus *Culmensis*. In eo verò agit *De statu & officiis S. R. E. cardinalium.* Prologum hîc addere visum est, quod ad notitiam auctoris & operis multum conducat.

» Rex virtutum progressurus ad prælium adversus principes tenebrarum veste nostræ mortalitatis se induit, & commissæ sibi paternæ legationis in regione peccantium exercens officium, discipulos elegit, quorum ministerio errantium corda ad viam reduceret veritatis. In hoc facto vicarium suum instruens, ut ejus exemplo in partem solicitudinis viros fortes bellatores & pugiles eligeret cardinales, quo contra inardescentes spiritus apostatici nequitias, quibus spiritus sancti molimina demolire satagit, consilia præstarent opportuna. *Inter quos felix ille pater ac singulare decus collegii Dominus Petrus* (de Pratis Gallus ex Aquensi archiepiscopo) *præfulsit episcopus Penestrinus* (a Joanne XXII creatus) *qui solicitudinis partem vicarii Christi & Petri successoris in vicecancellariatus officio non modicum est sortitus.* » Verùm cùm meus esset pater singularissimus, & promotor, cujusdam codicelli per me editi seu potius compilati super iis, quæ statum episcoporum & potestatem continere videbantur, accepta notitia, dulci & leni sermone sicuti mos ejus erat loqui, aliquid etiam conscribi jussit, quæ cardinalatus statum describere viderentur. Cujus verba recipiens pro præcepto, cùm jam scribere cogitarem, bella mihi vidi undique præparata: nam cùm declinarem scribere, scrutator cordium, contemplator conceptuum, & donorum spiritualium inspirator ad scribendum non defuit inspirando, & præstolantem monebant verba, ut manum a calamo vacuam non tenerem. Econtra verò difficultas materiæ, veritatis odium retrahebant, ne diffusius manus exararet: pro certo cognoscens, quoniam describens elementorum juncturas, terminorum figuras, colorum picturas, numerorum pluralia, sonorum modulamina, angulorum discrimina, volumina circulorum; quoniam describens cœlestium motorum influentias, mobilium controversias, motuum symphonias, elementorum reciprocationes, vaporum impressiones, mineralium mixtiones, vires herbarum, mores animalium, origines animarum; quoniam describens complexionum distantias, humorum repugnantias, sanitatum harmonias, ægritudinum discrasias, minus æmulationis habet, quam describens varietates actuum, qualitates habituum, extremitates vitiorum, & medietates virtutum, & illa potissime applicans ad certum statum. Sicque cùm inter incitantia & retrahentia animus meus quid eligeret fluctuaret, cepi quasi inspirate inspiratam de pii patris pietate fiduciam, quod non in incertum currerem, non incassum aëra verberarem, nec super spinas detractionis, aut petram obstinationis semen sermonis seminarem, si tamen seminator censeri debeam, & non accommodatius cophinus seminantis. Quapropter digiti mei apprehenderunt non fusum, sed fundentem calamum atramentum, ut statum ipsum sub descriptione quatuor virtutum cardinalium describerem, sicque res se nomini conformaret, & rei proprietas virtutis proprietati responderet. Verumtamen cùm jam quasi secundæ partis operi finem darem, tristis relatio & lugubris auditio percussit aures meas, & præcordiorum intima vulneravit, dum singularis dominus meus & patronus, pater benevolus, fidelis amicus, veritatis amator, justitiæ cultor D. Penestrinus, in quo hæc omnia concurrebant subtractus de medio dicebatur. [obiit revera ex peste mense maio MCCCLXI] Dira mors & dira subtractio, quæ nec relictis famulis, nec orbatis filiis, nec desolatis amicis, imo nec totali pepercit Ecclesiæ! Et licèt communis dolor deflendus esset ab omnibus, a me tamen amplius, & qui mecum sentiunt in idipsum. In ipso enim simul patrem & dominum patronum & amicum amisi. Sic ergo sauciatus doloribus, anxiatus intrinsecus, an opus vellem perficere quod incepi diu ex mœrore manum tenui in suspenso, & tandem in eo spiritum consolationis accepi, qui summus est mœrentium consolator. Rememorans etiam quod magnus ille David filium flevit ægrotum, sed mortuum non ploravit, ne divinæ videretur contrarius voluntati, quare & incepta volens perficere, & perficienda conscribere, in eo pedem fixi, qui mutorum labia reserat, & linguas disertificat indisertas: sicque partes duas adjeci duabus, huic labori finem imponens. Et quia status DD. cardinalium Culmensis dici potest a culmine dignitatis, & virtutes cardinales Culmenses dici possunt a virtutum principatu, & scribens fuit Culmensis episcopus, libellum istum Culmensem vidi non immerito nominandum «.

Conscripturus igitur illa quæ cardinalatui non immerito possunt attribui, de quatuor virtutibus cardinalibus, ut a re nomen accipiant, videtur primordialiter differendum &c.

Opus sane & grave & curiosum, quo omnia cardinalium vel etiam summorum pontificum officia diligenter præscribuntur. Porro ex prologo superiori discimus duas priores partes ab eo confectas dum Ecclesiæ Culmensi præesset, posteriores duas cùm eam abdicasset: quod & innuit codex Coloniensis, cùm ab eo episcopo Hildesheimensi docet confectum. Ex eodem prologo habetur opus aliud ab eo scriptum, seu ut dicit compilatum hoc titulo

De statu & potestate episcoporum. Quod fortè jam alicubi latet.

Hanxius citatus asserit mortuum esse Wormatiæ, indeque Confluentiam translatum: ut ut sit, certo fallitur, cùm Krantzium citat in sua Metropoli pag. 237 sic loquentem: *Hildesheimensi Ecclesiæ per ea tempora insignis vir undecunque natus Joannes, nam nisi aut insigniter doctus aut nobiliter natus ad illum episcopatum pervenire potuit. Præfuit autem solis annis quatuor.* Non enim ibi de nostro Joanne Kranzius ut allucinatur Hanxius, sed de alio agit, ejusdem nominis, qui sub Innocentio IV Hildesheimii præfuit circa 1250: at de nostro Schandlandio tacito nomine agit Kranzius pag. 300, quem & acrius perstringit, & veluti ambitiosum & turbulentum contra scriptorum omnium fidem repræsentat, nam literis addictum, quietis amantem, omne studiis tempus impendentem, turbas fugientem omnes exhibent, ipseque agnoscit Hanxius.

F. GUILLELMUS MILITIS.

F. Guillelmus Militis Gallus Andegavensis patria & professione inter sacræ theologiæ magistros ad catalogum Bernardi Guidonis additos in cod. Lingon. recensetur n. 111, & cùm ibidem 1374.

SAEC. XIV. dicatur per papam Clementem VI, circa MCCCXLVIII promotus, Avenione aut alibi laureatum crediderim, non verò Parisiis, ubi titulo magisterii insignitos scriptor ejus codicis nominatim ab aliis distinguit, qui vel per papam, vel ejus gratia in aliis universitatibus promovebantur. Guillelmus hic inquisitor Carcassonensis a priore provinciali Franciæ institutus est anno MCCCLXVI, exinde ab Urbano V patriarcha Hierosolymitanus x Kal. julii MCCCLXX Pontif. VII electus est & inauguratus, quam tamen dignitatem titularem non diu tenuit mortuus anno MCCCLXXIIII, quo successorem habuit Philippum Alençonium regiæ Gallorum prosapiæ principem a Gregorio XI ad eam sedem ex Rotomagensi translatum, postea eadem relicta die XVIII sept. MCCCLXXVIII ab Urbano VI cujus partibus invicto animo adhæsit purpura decoratum. Quæ sic minutatim referre visum est, quia a Fontana in Theatro præpostere omnia narrantur. Videsis Clar. Baluzium T. I Pap. Aven. col. 1245. Hujus Guillelmi inter patriarchas ex ordine assumtos meminit Laurentius Pignon suppar. Alia ejus opera non novi præter ejus

Acta ut inquisitoris in archivo tribunalis Carcassonensis servata.

F. SALVIUS DE BARIO.

* 1374. F. SALVIUS DE BARIO sic a patria in Apulia & professione nuncupatus, sed *Saulus* a Taegio in Mon. Ord. dictus ob insignes dotes ab Urbano V ad Ecclesiam Salpensem tum nondum Tranensi adjunctam sed sui plane juris & liberam promotus est XXVI dec. MCCCLXIV, eamque sapientissime rexit ad ann. MCCCLXXIIII, quo e vivis abiisse ferunt. Ejus meminerunt Ughellus Ital. Sac. T. VII & Fontana in Theat. Altamura ad 1374 testatur reliquisse

Sermones de tempore & de sanctis & alia plura.

F. JOANNES STOCCUS.

* 1374. F. JOANNES STOCCUS vel *Stokes* Anglus e comitatu Suffolciensi ortus, conventus vero Sudburiensis alumnus, ac in universitate Cantabrigiensi sacræ theologiæ magister renunciatus, vir fuit sua ætate clarus. Ejus meminerunt nostrates Lusitanus, Pius P. II Append. p. 411, Fernandez, Altamura ad 1370: extranei Simlerus, Possevinus, Pitseus ad 1374. Scripsit

Determinationum volumen. Pr. *Non potest ostendi jure aliquo.* Hic liber est de ordinis Prædicatorum dignitate adversus Fratres Carmelitas.

Ad rationes F. Joannis Hornebii seu Cornuti Carmelitæ responsiones. Lelandus de Stocco sic habet cap. 277: *Erat ille Dominicanus & litteratus, sed quia parum candide sentiebat de Carmelitis, Joannes Cornutus aliàs Horneby edito libello illum perstrinxit.* Hanc litem sæpius moverunt Carmelitæ, sed eam Prædicatoribus semper detulerunt Honorius III, Innocentius IV & sequentes pontifices, & eam ex usu Romanæ curiæ facile est definire.

F. GASBERTUS DE ORGOLIO.

* 1376. F. GASBERTUS vel *Gaspertus* DE ORGOLIO sic a patria nuncupatus non in Etruria seu agro Florentino ut putavit Fontana in Monum. sed in Aquitania oppido Caturcensis diœcesis & Caturcis ad ordinem ascitus, pietate, doctrina, rerumque ecclesiasticarum agendarum peritia, solertiaque seculo XIV claruit. In catalogo sacræ theologiæ magistrorum inter additos ad Guidonis indicem manu æquali recensetur 112 in cod. Lingon. his verbis: *Frater Gasbertus vel Galbertus de Orgolio Caturcensis de licentia papæ* (Clementis VI) *in Tolosa*: Scilicet circa MCCCXLVI, nam qui paulo ante præmittitur F. Petrus de Lagis Tolosanus, pro legendis anno 1345 Lutetiæ sententiis legitur assignatus. Exinde vero in actis cap. gen. MCCCXLIX Barcinone in Catalaunia sic de eo statuitur: *Assignamus lectorem in Tolosa Fratrem Petrum de Maricalmo, donec Frater Gaubertus de Orgolio redierit, & officium lectoratus velit & possit ibidem exercere,* quæ & quanta in ordine coleretur reverentia, & negotiis gravioribus tum forte a summo pontifice distentum docent. Revera eodem anno MCCCXLIX Idibus novemb. a Clemente VI ad sedem Cenetensem in Dalmatia evectus est, & unà cum F. Guillelmo ordinis Minorum episcopo Chitericensi ad Joannem Cantacuzenum Orientis imperatorem nuncius missus de Ecclesiæ Græcæ cum Romana conciliatione si potis esset tractaturus, quod negotium cum socio perbelle promovit, de quibus legendi Wadingus Annal. T. III ad 1349 n. 1: Odoricus Rainaldus ad 1350 n. 28: Leo Allatius *De Eccles. Occid. & Orient. perp. consens.* col. 853, a quo tamen ultimo corrupte vocatur *Hugo de Spero*, & æque mendose *Hugo de Spert* ab historiæ Joannis Cantacuzeni interprete Possinio. Quod erratum ex eo natum est, quod uterque codice MS. Græco non usus est, vel saltem interpres non recte legit. Nam in cod. MS. Bibl. olim Seguier. nunc Coislin. Histor. Cantacuzeni lib. 4 cap 9 nomen ejus unico vocabulo sic legitur οὐγασπέρτ, quod fortè ad Latina nomina Græce pronunciandi rationem referas: me tamen monebat doctissimus abbas Renaudotius, cùm hunc ei locum codicis Seguieriani ostenderem, hunc Aquitanorum morem esse, nominibus propriis ut præfigant particulam *ou* dicendo *ou Pierre, ou Jacques, ou Gautier, ou Gadspert*, hincque factum ut Gasberti nostri nomen Græce reddiderit Cantacuzenus οὐγασπέρτ quod unicum vocabulum interpres hominem non noscens in duo divisit vocans *Hugonem de Spert*, qui certissime *Gasbertus* tantum audiebat. Non omittenda autem quæ de duobus illis nunciis eo loci habet Cantacuzenus, qui primus ad Clementem VI legatos miserat: *eos*, inquit, *tandem dimisit* [pontifex] *cum duobus episcopis, quorum unus erat ordinis Minorum Guilielmus nomine, alter ex Prædicatorum familia* οὐγασπέρτ, [Gasbertus] *vocabatur, uterque virtuti deditissimus, & in profanis literis apprime versatus. Quare & in congressu erant festivissimi, & poterat multum eorum ad persuadendum sermo. Quos imperator perbenevole & magno cum honore excepit, quotidieque cum illis jucunde collocutus est: ipsique operæ pretium maximum duxerunt omnia, quæ in dies singulos proposuisset, & super propositis disseruisset toto illo tempore quod apud eum manserunt, literis consignare, ne e memoria laberentur. Quæ in Italiam secum portantes, ibique & papæ & viris sapientibus exhibentes, quantus vir esset* (imperator) *ostendebant &c.* Quod dicit *in Italiam*, intellige *Avenionem*, juxta proverbium, *ubi papa ibi Roma & Italia.* Nec tantum Orientis imperatori acceptissimus fuit Gasbertus noster, sed & Occidentis Carolo IV ob prudentiam & elegantem agendi modum placuit in primis, quìcum pluries de gravissimis rebus congressus est, & a quo plura in Ecclesiæ suæ commodum obtinuit. Quam demum ubi 27 annis sanctissime administrasset, mortalibus exuviis ei relictis ad meliora æternaque transivit anno 1376. Ejus meminerunt Ughellus Ital. Sac. T. V col. 211, & Fontana in *Theatro.* Scripto itaque ab eo consignata est

Relatio legationis suæ ad Joannem Cantacuzenum Clementi VI oblata, tumque forte etiamnum in archivis Romanis servata.

F. DOMINICUS DE PANTHALEONIBUS.

† 1376. F. Dominicus de Panthaleonibus Etruscus patria Florentinus conventus S. Mariæ Novellæ alumnus, vir eruditionis multiplicis acerrimique ingenii, sacræ theologiæ magister floruit seculo xiv, & ex necrologio ejus conventus obiit xxviii augusti mccclxxvi. Hæc ejus opera servantur etiamnum & visuntur in Bibliotheca memorati conventus grandiori volumine in membranis collecta, & a me Jacobo Echard contrectata & explorata mense augusto 1681 illac transeunte. Tractatus nempe quatuor forma in folio hoc ordine hisque titulis:

1. *Incipit tractatus magistri Dominici de Panthaleonibus de Florentia ordinis Prædicatorum super casu de monte contra magistrum Franciscum d'Empoli ordinis Minorum.* Folia 9. Extat etiam in Bibl. nostra S. Marci, Armario III n. 12 ms.

2. *Incipit liber de peccato originali & gratia Beatæ Virginis contra minus bene sentientes & minores in fide editus a magistro Dominico de Panthaleonibus de Florentia ordinis Prædicatorum. Dividiturque in tres partes seu libros per modum Dialogi inter Jacobum & Dominicum interlocutores*: incipitque sic: *Occasione assumpta ob quemdam prædicatorem &c.*

3. *Incipit tractatus contra protervos de peccato originali Beatæ Virginis prædicti doctoris.* Princ. *Postquam scripseram librum contra minus bene sentientes & minores in fide de peccato originali & gratia Beatæ Virginis &c.*

4. *Incipit tractatus de consecratione corporis & sanguinis Christi editus a magistro Dominico de Panthaleonibus de Florentia consequenter de aliis sacramentis ad christianissimum Dominum Jacobum ac reverendissimum patrem & archiepiscopum Hydruntinum.* Ubi emendandus venit Pocciantius *De Florent. Script.* qui pro *Hydruntinum* legit *Florentinum*, nam præterquam quod ita ipsissimis oculis legi in codice ms, & indigenæ ita scriptum esse (scilicet *Hydruntinum*) testari possunt, nullus nomine Jacobus toto seculo xiv Florentinæ præfuit Ecclesiæ: adde & ibidem episcopos tantum non archiepiscopos ante mccccxx sedisse. Jacobus autem ille *de Itro* nuncupabatur, Hydruntinus archiepiscopus constitutus a Gregorio XI anno mccclxiii qui & a Clemente VII papa Avenionensi sic in sua obedientia dicto die xvi dec. mccclxxviii cardinalis tit. S. Priscæ creatus est & patriarcha C. P. sed à legato Urbani VI captus ac in vincula missus purpuram deposuit, obiitque die xxx martii anno mcccxciii uti Contelorius habet Elenchi pag. 180, vel potius anno mccclxxxvii, ut scribit Ciaconius & ex eo Baluzius Pap. Aven. T. I col. 1252. Præter relata opera Pocciantius, quem excipiunt Altamura ad 1376 & Fontana in Histor. Rom. Prov. hæc ei ascribit servarique asserit in eadem Bibliotheca S. M. Novellæ.

5. *De orbis substantia contra Averroem.*

6. *Tractatus super* Miserere, *qui intitulatur Discipulus ad mortales.* Et ex fide Fab. Justiniani in *Indice suo universali*

7. *Commentarium in salutationem angelicam.*

Præter citatos hujus auctoris meminerunt omnes fere scriptorum nomenclatores, sed & omnes emendandi. Antonius Senensis *pag.* 68, Fernandez in *Concertat.* Pius *P. II lib.* 2 & Possevinus ad 1262 referunt nostrum Susatum testem appellantes, qui ex eo redarguuntur, quod non solum eo seculo nondum esset nata illa de conceptione B. V. controversia, sed & quod eo anno nullus Hydrunti fuerit Jacobus archiepiscopus. Turpius errat Wadingus suis nullo auctore accensens Minoribus, qui contra Minores ex professo scripsit, dum interea F. Franciscum de Empoli S. T. M. ac revera suum negligit ac omittit. F. Raphael Badius noster in suo *de Academiæ Florentinæ origine* libello *pag.* 87 Dominicum hunc nostrum ejusdem academiæ magistris annumerat, & ex Necrologio S. M. Novellæ *num.* 478 ætatis 40 augusti 28 supremum obiisse diem refert: sed vel auctoris vel typorum potius erratum est cùm anno mcccclxxvi id accidisse addit, cùm Susatus anno mccccxv scribens Dominici meminerit, ut se antiquioris: itaque mccclxxvi legendum. Allucinantur Petrus Galatinus *Arcanorum Cathol. verit. lib.* 7 *c.* 5, Canisius S. J. *lib.* 1 *c.* 7 *de B. Maria*, Suarez S. J. in 3 *p. D. T. Tom.* 2 *disp.* 3 *Sect.* 5, & alii inter quos Alva, & Maraccius cùm SS. parenti Dominico librum *de corpore Christi* affingunt, quibus erroris occasionem dedit, quod Dominicus de Panthaleonibus librum scripserit *de consecratione corporis & sanguinis Christi*: in quo tamen tantum abest, ut ea legantur, quæ illi referunt de B. Virgine, quin potius ut supra relatum est, Scoti & sequacium ut minorum in fide sententiam pro virili impugnet. Quam allucinationem notavit Malvenda *Annalium c.* 44 *pag.* 376 *ad* 1221: ipse tamen non satis accurate Panthaleonem ad 1262 referens, quod superius eversum est. Cæterum ridendus Alva in *Sole Verit. rad.* 293 *col.* 2016, ubi de hoc nostro auctore agens se ejus opera perquisivisse ait in Bib. S. M. Novellæ nec invenisse, quæ mihi facillime ibi occurrerunt. At non mirum Alvam sæpius minus fuisse oculatum, qui ibidem Possevinum profert quasi Panthaleonem hunc dixerit ordinis Minorum, cùm in Apparatu diserte ordinis Prædicatorum scribat.

F. ANONYMUS.

F. Anonymus hac ætate florens scripsit opus Claromontii in Arvernia apud nostros servatum hoc titulo: * 1376.

In proverbia Salomonis per quemdam ex ordine FF. Prædicatorum anno mccclxxvi.

F. ANDREAS DE TURRE.

F. Andreas de Turre sive *Turrianus* Mediolanensis ex illustri familia *della Torre*, quæ diu primas in ea civitate partes habuit, oriundus, in cœnobio S. Eustorgii ordinem amplexatus est. Bononiensis nostri gymnasii regentem egisse asserit Rovetta. Hinc ab Urbano V in pœnitentiarium ascitus, archiepiscopus demum Januensis ab eodem electus fuit & datus iii kal. martii mccclxviii, ut habet Ughellus ex actis Vaticanis, ubi & iis omnibus illum animi dotibus claruisse præstat, quas in episcopo maxime requirit apostolus. Vita simul & dignitate cessit anno mccclxxvii. De eo præter citatos agunt Pius P. II lib. 2 p. 200, Fontana in Theat. & Monum. Fernandez, & alii. Hæc ejus a Rovetta recensentur opera in Bibl. inquit, nostra Bonon. servata ms † 1377.

Summa casuum conscientiæ.

Quæstiones quodlibetales theologicæ.

Quæstiones variæ philosophicæ.

Ordinationes ab eo præscriptæ in ea quam Januæ habuit synodo xv *maii* mccclxxv.

F. ALPHONSUS HISPANUS.

1378. F. ALPHONSUS HISPANUS cujus verò civitatis fuerit, aut conventus alumnus ignotum, his annis floruit Petri de Luna cardinalis tit. S. Mariæ in Cosmedim confessarius, scripsit

Relationem colloquii sui cum dicto Petro de Luna de electione Urbani VI anno MCCCLXXVIII, quam in fine suo nomine signavit sic: *Et scripsi ego Frater Alfonsus.*

Hujus relationis fragmentum refert Rainaldus ad ann. 1378 n. 29 ut videtur ex tomo II de schismate Aven. Bibl. Vatic. ubi forte ejus alia. Alphonsus hic noster non confundendus cum Alphonso Pecha ex episcopo Giennensi Eremita Hieronymiano ejusdem ætatis, quîcum etiam agit in illo colloquio. Alphonsi hujus meminerunt editores Actorum SS. T. II junii ad x diem, ubi de B. Joanne Dominici in Annotatis p. 408 b. Accuratiorem hujus scriptoris notitiam dabunt forsan Hispani nostri.

F. M. NEAPOLITANUS.

1378. F. M. NEAPOLITANUS Barensis patria & ut videtur professione sub finem seculi XIV clarus pro Urbani VI defensione animo exarsit, & stylum acuit in adversos sacri collegii cardinales. Extat ejus codice Colbertino 815 fol. charta. qui est collectio actorum durante schismate Avenionensi

Littera missa contra cardinales per magistrum M. Neapolitanum Barensem de ordine Prædicatorum super impressiva electione facta in urbe de Bartholomæo. Princ. » Quid agitis o cœlestis ostii car» dinales incliti, o divini palatii nobilissimi patres, » o illustrissimi angelicæ Hierarchiæ principes? » Numquid vestræ gravitatis ignaros, vestræ nobi» litatis oblitos, vestræ dignitatis immemores indi» gnis ac levibus actibus decet vos vestram obfus» care prudentiam, denigrare decentiam, ac excel» lentiam maculare? Estne rationi consonum, ac » consueto ornatui morum vestrorum conveniens, » vel etiam solitæ vestræ maturitati conforme, ut » principalia corporis mystici membra separentur » a capite, sustentantes columnæ semigrentur a » base, & honorabiles ministri a pontifice dividan» tur &c. *Finis*: Quid contenditis contra stimulum » calcitrare, & quæritis Christum Dominum, quod » est impossibile separare. Melius audietis consilium » prophetæ, qui ait, *si revertamini & quiescatis* » *salvi eritis, & tunc in silentio & in spe erit for*» *titudo vestra*, dabitisque Ecclesiæ pacem, anima» bus salutem & gloriam, non vobis, sed Domino » Jesu Christo, cui cum Patre & Spiritu Sancto est » semper omnis honor & gloria per O. S. S. A. Explicit. Implet 16 paginas a fol. CCXXXVIII b, ad CCXLVI a.

Sequitur immediate *Responsiva ad præmissam epistolam facta per B. M. D. Petrum Flandrini sancti Eustachii diaconum cardinalem.* Pr. » Aver» te oculos tuos & statue eos declinare in terram, » qui vana locutus es, & christos Domini gladio » sanguine mendacii cruentato tangere præsumsisti. » Aperuisti os tuum, ut falsa nunciares in populo, » & ut verum esse mendacium affirmares, scripsisti » enim epistolam illam quæ incipit, *Quid agitis* » *&c.* Unde tibi precor tanta auctoritas? &c».

Ex quibus patet hunc nostrum sacræ theologiæ magistrum non parvæ auctoritatis virum fuisse, ejusque literam cardinales ab Urbano VI segreges non leviter pupugisse, cui cardinalis Flandrini e primoribus respondendum ipse susceperit.

F. JOANNES CASTELLANI.

F. JOANNES CASTELLANI an Italus, an Hispanus vel Aragonus, non mihi liquet, licentiam ut aiunt in sacra facultate Parisiensi decurrebat annis MCCCLXXVI & LXXVII, & anno sequenti ante pascha locum inter licentiatos sortitus est decimum tertium. Sic enim in Actis facultatis a me visis & exploratis. Vir fuit sua ætate apud Ecclesiæ principes haud parvæ existimationis & gratiæ, & in luctuoso illo Avenionensi schismate Urbani VI partibus studiosissime adhæsit. Ejus extat in Bibl. Colbert. Paris. cod. MS 811 fol. med. chart. qui codex totus est de actis & scriptis durante illo schismate ad fol. 71, Epistola hoc titulo: 1378.

F. Joannis Castellani magistri in theologia responsum ad Petrum archiepiscopum Toletanum, in quo asserit, quod est articulus fidei credere unam sanctam Ecclesiam catholicam, ac Urbanum VI ejus verum caput. In fine verò sic se signat: *Frater Joannes Castellanus magister in theologia.*

Exinde verò mihi certum non fuisse Gallum, cùm universa Gallia Clementis VII papæ Avenionensis partes secuta fuerit, sed potuit esse vel Italus, vel potius Aragonus, quandiu enim Petrus Aragoniæ rex vixit, ut neutrum paparum electorum agnoscere voluit, sic ejus subjecti præsertim regulares alii Urbano, alii Clementi se addicebant.

F. HENRICUS DANYELL.

F. HENRICUS DANYELL Anglus a Lusitano cæterisque nostratibus omissus, a Pitseo laudatur ad 1379 ceu vir in medicina versatissimus, eaque in facultate priusquam ordini nomen daret, videtur lauream consecutus. Hæc ejus opera: 1379.

Manipulus florum Gualtero Cateneo medicinæ doctori nuncupatus. Pr. *Amantissime sodalis pluries &c.*

De judiciis urinarum utraque lingua Latina & Anglica. Pluries recensetur in catal. Angl.

T. I P. I n. 3605: *Henry Daniell of the Knowledge and judgements of urines translated out of Latine by the author himself*, hoc est: *Instructio circa judicia ex urinis ferenda e Latino Anglice ab ipso auctore reddita.*

Item n. 3617 *Henrici Daniel de judiciis urinarum.* Hic Latine.

Item n. 3763 *Fratris Henrici Daniel tractatus de urinis ad magistrum Walterum de Keten.* memb. 4 anno MCCCCIV: quæ ætas codicis.

Idem videtur qui suppresso auctoris nomine indicatur P. III n. 1171 *De urinarum judiciis partim Anglice partim Latine, & de morborum remediis & de urinis partim Anglice partim Latine.*

T. II P. I n. 9433 *Liber de judiciis urinarum Anglice. Prologus vero Latine sic incipit: Dilecto socio in Christo magistro Waltero de Ketene Frater Henricus Daniel ordinis Fratrum Prædicatorum servulus Jhesu Christi & sanctæ Virginis matris ejus salutem. fol.*

Item n. 9762 *Liber uricrisiarum Fratris Henrici Danyell ordinis Prædicatorum. Being a large treatise of urines in three boocks old English fol.* Hoc est: *Hic latissime tractatur de urinis tribus libris Anglice.*

An alius an idem laudatus T. I P. III n. 968 *De urinis, vel uricrisiarum libri tres Anglico sermone conscripti partim pergameno partim charta per H. W. ordinis Fratrum Prædicatorum.*

Auctoris & operum meminerunt Baleus & Simlerus.

F. PETRUS DE RANCIA.

1379. F. PETRUS DE RANCIA Gallus *de Raisa* corrupte a Lusitano & sequacibus nuncupatus, & ad 1295 aut 1296 non tolerando παραχρονισμῷ collocatus Gallus fuit, in diœcesis Trecensis castro *Rance* vernacule dicto natus, & ab eodem nomen sortitus, Trecis ordini nomen dedit, virque evasit pietate, doctrina, & facundia conspicuus. Ille est qui in Gallia Christiana vocatur *Guillelmus de Rancé* Joannis regis Francorum I confessarius, qui & post infelicem ad Pictavos pugnam eum in Angliam secutus, ipsi stetit individuus. Rege autem libero dimisso cum eodem in Galliam redux electus est episcopus Saiensis vel ut alii scribunt, Sagiensis in Normania, quam Ecclesiam sapienter administravit ab anno MCCCLXV ad MCCCLXXXIX, quo & regere & vivere desiit. Ejus meminere suppares Laurentius Pignon inter episcopos. *F. Guillelmus de Ranso*, inquit, *de conventu Trecensi confessor regis Franciæ episcopus Sagiensis*: Et Ludovicus a Valleoleti inter scriptores n. 76: *F. Petrus de Rancia confessor illustrissimi principis Johannis regis Franciæ episcopus Sagiensis dictavit stylo eleganti* opus quod

Reportatorium scripturæ sacræ appellavit.

Item fecit aliud opus, quod vocavit Soliloquium. Non *Siligolus* ut corrupte legit Lusitanus & eum excipientes.

Item Homilias devotas.

Quæ opera haud dubie a Valleoletano, dum ageret Parisiis, visa.

Quale certo ei fuerit nomen an Guillelmus an Petrus, an utrumque, ex solis tabulis Sagiensibus haberi potest, vel etiam ex testamento Joannis regis, in quo eum nominatum ferunt supremæ voluntatis curatorem, unà cum episcopo Bellovacensi & comite Tancarvillæ, eoque scripto die VI aprilis MCCCLXIV Londini in Anglia, altero ante regis obitum die, qui mortuus est VIII ejusdem mensis. Hæc verò acta videre non licuit hactenus.

F. JOANNES FORBITEUS.

1379. F. JOANNES FORBITEUS vel *Forbitoris* gente Gallus, natione Campanus an Remensis an Catalaunus, certe in ea civitate mihi visi sunt hujus agnominis vernacule *le Fourbisseur*, sed cùm & alibi alii sic nuncupati possint inveniri, nihil certi astruo, cùm nomenclatio sit vulgaris, hac ætate floruit. In sacra facultate Parisiensi lauream obtinuit, & in catalogo magistrorum inter additos ad Bernardum Guidonis in cod. Lingon. n. 151 recensetur his verbis: *F. Johannes Forbiteus Campanus factus Parisius.* Cùm autem inter XII postremos manu eadem æquali scriptos post omnes ab Innocentio VI promotos tertius laudetur, & Hervæus de Cauda qui horum duodecim nonus est dicatur in crastino S. Mauri anno MCCCLXVIII veteri nempe stylo, novo MCCCLXIX licentiatus, Forbiteum merito ad MCCCLXIII recte revoces. In congregatione universitatis Parisiensis occasione schismatis anno MCCCLXXIX die XXII maii habita, in qua deliberabatur utri obediendum esset, an Urbano VI, an Clementi VII, inter magistros theologiæ præsentes hi duo nostri numerantur, F. Joannes *le Fourbisseur*, & F. Joannes *Thome*. Videsis Hist. univ. Par. T. IV p. 569. Ejus etiam cum laude meminit Ludovicus a Valleoleti n. 74 sic: *F. Joannes Forbitoris magister in theologia Parisius, vir magnæ sanctitatis & munditiæ scripsit super sententias & sermones.* Quo loquendi modo indicat vel senem a se visum, si juvenis Parisios ad gymnasium Sanjacobeum pro rata provinciæ Hispaniæ studens missus fuerit, quod & verisimillimum, aut saltem ab his qui viderant & convixerant ita se audivisse. Forbiteus autem etsi XLV circiter annos illi dederis cùm licentiatus est, facile potuit ad MCCCXC & ultra superesse. Ex hactenus dictis Lusitanum & sequaces, Castillum, Pium &c. emendabis, qui agnomen ejus corrupte enunciant *Fribitoris* vel *Fribitoris*, & ad ann. 1290 vel ad 1321 ut Altamura collocant longe recentiorem: sed & Fernandez delusum agnosces, cùm Germanis seu Teutonibus accenset. At quod hîc potissimum, Forbiteus scripsit quæ ætate Valleoletani adhuc extabant

Commentaria in IV libros sententiarum & sermones.

F. JOANNES TAULERUS.

F. JOANNES TAULERUS Germanus provinciæ Teutoniæ alumnus vir non solum seculo quo vixit XIV qua mira sanctioris severiorisque vitæ ratione, qua Christianorum ad meliorem frugem, hominisque interioris cultum perfectiorem adducendorum studio clarissimum se fecit, sed & sequentibus ad hæc nostra tempora præclaris quæ reliquit, nunquamque satis laudandis operibus maximum nomen promeruit apud posteros, adeo ut ab inde jam sublimis & illuminatus theologus audiat, vitæque spiritualis magister etiamnum habeatur. Acta ejus ut aiunt conversionis, scilicet ab inanis in sermonibus auræ ac gloriolæ captatione ad sublimiorem cum Deo conjunctionem sincerumque salutis animarum studium & exinde ad obitum usque, operibus ejus præfixa, & a Surio Latine data, vulgo nunc pro certis circumferuntur, quæ nisi parabolice maximam partem accipiantur, vix mihi constant, nec ad historiæ amussim scripta ullatenus videntur. Equidem in Actis civitas in qua tot mira gesta dicuntur non nominatur, sed eam Coloniam Agrippinam esse Surius in titulo indicat; hinc nostri ibidem conventus alumnum, ibidem in academia laurea magisterii donatum, majorem etiam vitæ partem duxisse, in ea Christi anno MCCCXLVI ætatis circiter quinquagesimo a laico quodam e loco triginta milliaribus dissito accurrente ad perfectiora deductum ac incitatum, reliquos tandem vitæ dies ministeria ordini consueta cum auditorum plausu fructuque majori exercendo transegisse, ac in eadem tandem urbe mortuum sepultumque narrant. Contra autem non Coloniensis, sed Argentinensis seu Strasburgensis conventus alumnum ac professum constat fuisse Taulerum ex inscriptione superius relata codicis ab eo & Joanne de Tambach conventui Sanjacobeo Parisiensi dato, in quo sic diserte legitur: *Librum istum contulere Fratres magister Joannes de Tambacho, & Joannes Taulerii de conventu Argentinensi &c.* Videsis. Ex quo conjicias ambos in gymnasio illo nostro generali pro rata provinciæ suæ missos aliquando studuisse, & in quoddam gratitudinis suæ monimentum prædictum codicem dedisse: civitatemque Parisiensem forte illam esse in qua se 30 ætatis anno superiorum suorum nutu ac jussu studiis incubuisse narrat sermone primo ad populum in vitæ ejus historia relato, non quod tum primum jam triginta annos natus ordini nomen dederit, ut perperam interpretatur Soëgius noster in *Anno Dominic. Gallico T. II julii, in supplem. maii pag.* 160, quem potius adolescentem XVIII aut XX annorum amplexum esse verisimilius est, sed quod eo seculo ad studia generalia Parisiense præsertim profectus causa non mitterentur ex alienis provinciis, nisi jam ætate provectiores, & in provinciæ suæ studiis omnibus disciplinis persuncti, cujus 600 exempla habes in hac bibliotheca: unde jam tum non 1379.

Sec. XIV. solum sacerdos, sed & sacramenti pœnitentiæ minister admittebatur, quod tironi aut recens professo non permisissent. Quod verò in prædicta historia sæpius sacræ theologiæ doctor & magister dicitur, pluresque accipiunt quasi fuerit in academia Coloniensi laurea donatus, non placet: neque enim nomen ejus in catalogo magistrorum ad 1368 sat accurato recensetur, ubi tamen non fuisset omissum, si eo honore insignitus fuisset, ut omissum non est condiscipuli ejus dilectissimi F. Joannis de Tambacho: sed & in inscriptione codicis Sanjacobei Tambachus magister quidem, sed Taulerus Frater tantum appellatur. Magistrum tamen apud suos vulgo audisse facile concedam communiori ratione, vel quod in studio aliquo generali Argentinensi puta primarius theologiæ lector, vel quod prædicator generalis fuerit, vel quod doctrina præ cæteris emineret, id enim non insuetum illa præsertim ætate. In variis Germaniæ civitatibus, Coloniæ etiam aliquando concionibus claruisse non negaverim, sed in ista non diu commoratum ex eo suspicor, quod apud nostros Colonienses nulla sit ejus antiqua notitia. Argentinæ verò potissimam vitæ partem duxisse verisimilius: certe ibi agebat anno 1336 ut constat ex epistola beati nostri Venturini ad F. Egnolfum *de Ehenheim* suum in vita spirituali discipulum Argentinæ degentem, & nostri ibidem conventus ut videtur alumnum, cui post plura cœlestia documenta sic scribit: *His diebus aliqualiter gravatus, & nuncio praeoccupatus qui cras mane recessurus est, nequeo scribere, quia & caput doleo præ gravamine, dum hæc scribo. Unde & te rogo quod dum videbis illum tuum & etiam meum dilectum Joannem Taulerium me apud illum excuses, & roges ut mihi scribat, quia illum suscepi tecum in visceribus charitatis, sperans per illum & per te, & per alios quorum nomina sunt in libro vitæ, nomen Christi in Theotonia dilatari.* Hæc autem epistola scripta est e montibus Provinciæ, ubi tum exulabat Venturinus die jovis proxima post cineres anno MCCCXXXVI: nam in eadem dicit se XXXVI ætatis annum completurum die nono intrante aprili, & in sequenti ad F. Rodolphum de provincia Lombardiæ Parisiis studentem, ubi idem dicit se jam esse XXXVI annorum, addit se eam scribere intrante octobri MCCCXXXVI. Ex quibus amplius patet jam tum anno scilicet MCCCXXXVI Taulerium viæ interiori ac spirituali institisse: nam F. ille Egnolfus ejus familiaris & ab intimis in ea ita profecerat, de eoque B. Venturinus ita certus erat, ut in eadem epistola de quodam F. Joanne ordinis Eremitarum eamdem viam aggresso loquens, *Ei*, inquit, *impono, ut tibi vita mea in omnibus sit obediens, licèt in hoc non confidam de discretione seu virtute tua, ut sibi scias necessaria imperare, sed de merito obedientiæ facere.* Quæ videtur dicere ne vanitatem quamdam ingereret, nam quantum in Egnolfi sapientia fiduciæ poneret, probant quæ addit: *Unde volo quod tibi revelet omnia facta & cogitata sua tam bona quam mala, & consequenter tibi obtemperet in omnibus, quæ dixeris facienda vel omittenda sive laxando sive restringendo. O Deus terribilis in consiliis tuis, quis sum ego qui tam audacter ignotis impero, tanquam qui cathedram magisterii teneam in arce* (vel *arte*) *virtutum &c.* ut hinc pateat non ex visu, sed ex sola per alternas invicem epistolas de rebus spiritualibus communicatione Argentinenses hos B Venturino cognitos & familiares fuisse: nam præter hanc epistolam est & alia prior ad eumdem Egnolfum, & in utraque ad sibi ab eo datas respondere se significat, nec dubito quin plures aliæ sint licèt a me non visæ. Ex his infero rursus Taulero nostro non defuisse summos ex ordine vitæ spiritualis præceptores: nam præter B. Venturinum, quicum illi magna litterarum societas, præter Egnolfum suæ circiter ætatis quatuor annis Venturino, ut hîc scribit, juniorem ad hæc cœlestia totis præcordiis aspirantem, Joannem de Tambach habebat sodalem intimum, habebat F. Dietricum de Columbaria cui scribens B. Venturinus in eo asserit cor suum mirabiliter requiescere, habebat B. Henricum Susonem, ut nunc dicunt sive potius Joannem de Svevia conventus Constantiensis, qui iis annis suum *de sapientia æterna* librum in lucem edidit, hos, inquam, habebat omnes æquales rerum spiritualium excellentissimos magistros, nec dubium quin plures alii fuerint, ut interim taceam de F. Ludolpho, qui post annos triginta in ordine completos Cartusianus factus tum Cartusiæ Argentinensi præerat prior, ut necesse non fuerit laicum hominem a 30 milliaribus ad Taulerum accedere, qui viam spiritus eum quasi rudem & novitium anno MCCCXLVI edoceret decem jam antea annis & amplius iisdem plane instructum. In eadem anno illo si velis, multo magis profecisse non negaverim, ut virorum spiritualium est, quæ retro sunt oblivisci, ad ea verò quæ priora sunt se ipsos quotidie extendere: verum in tota illa historia laici præceptoris quiddam suboleo parabolicum nec ad literam accipiendum, præcipue si ejus auctor est, ut quidam volunt, ipse Taulerus: hujusmodi enim involucris suas ad charismata meliora conversiones ea solebant ætate tegere, ut de se ipso fatetur laudatus Henricus Suso in citati operis prologo genuino legendo potius, quam in versione a Surio interpolata & partim rescissa. Mortem Tauleri historiæ, si ipse auctor est, & mira quæ tum accidisse narrantur, quis addiderit, an verò sit etiam parabola ab eodem quod verisimillimum, ut pote quæ styli ejusdem videatur, ad piorum hominum consolationem scripta, examinent qui Germanice sciunt, & ipsa originalia vel saltem authentica & æqualia possunt consulere monumenta: nobis certum est Taulerum Argentinæ in suo conventu nativo diem obiisse cum fama sanctitatis & in odeo sepultum sub lapide effigiem ejus referente, cui insculpta hæc etiamnum legenda epigraphe: *Anno* MCCCLXXIX *obiit Frater Johannes Taulerus.* Sic enim me monuerunt ex visu quidam nostri viri graves Argentinæ anno 1714 agentes, quæ nostra domus ab ejurata in ea urbe fide catholica in gymnasium publicum ita versa est, ut nihil in odeo templi hactenus sit immutatum, clausus tantum aditus, ceu in quo nullæ habeantur actiones publicæ. Ex quibus Spondanum emendes qui ad annum 1355 n. 17 postquam aliquos retulit ad illum annum Tauleri mortem collocantes, addit sed ex falsis memoriis eam accidisse XVI kal. jun. MCCCLXI, idque ex inscriptione sepulcri ante lectorium publicùm positi constare. Ex dictis colligas, si Taulerus XXX ætatis aut XXXII attigerat, ut Egnolphus, cùm ad eos B. Venturinus scribebat anno MCCCXXXVI, primum ætatis LXXIII circiter aut LXXV obiisse.

Hujus nostri auctoris apud antiquos nomenclatores parca est memoria, quod exinde putem evenisse, quod Germanice scripserit, operaque ejus extra patriam regionemque suam distracta non fuerint; unde non parum Surii diligentiæ debetur, qui ea Latinitate donata in lucem edidit, tantoque thesauro Ecclesiam universam ditavit. Ejus tamen cum laude meminerunt nostri Baltazar Werlinus Addit. 2 ad Tritemium, Sixtus Senensis, Pius P. II lib. 2 col. 183, Fernandez, Altamura ad 1351, extrates verò Simlerus, Possevinus, Miræus, Bellarminus, Labbeus, Cavei Appendicis auctor, Dupinius seculo suo XIV, quorum dicta ex supra relatis aut illustres aut emendes.

Ejus opera simul prodierunt primum Coloniæ, Joannis Quentell 1548 fol. hoc ordine:

1. *Historia & enarratio vitæ sublimis ac illuminati theologi Joannis Tauleri.* Quam ab ipso scriptam plures conjiciunt: In qua nunquam proprio nomine designatur.

2. *Sermones de Dominicis & festis sanctorum per annum.* Seorsim Lugduni, 1558 in 8. Venetiis, 1556 in 8 pp. 1071, quæ extat in Regia D. 3761.

3. *Divinæ institutiones aut doctrinæ recens inventæ, quibus instruimur, uti per spirituales exercitationes, virtutesque ad amabilem Dei unionem pertingatur.* Lectorem monet Surius non eo quo conspiciuntur ordine ab ipso auctore traditas aut conscriptas sed a se ex diversis illius scriptis collectas & consarcinatas, atque sic digestas: quibus nihilominus aliorum æque illustrium virorum quædam hinc inde admista fuere. Hæc vero a Surio distincta fuisse & annotata saltem in margine plures desiderassent. Seorsim Coloniæ 1587.

4. *Epistolæ aliquot, quas ille spiritualibus amicis atque filiis suis scripsit.* 25 est F. Eccardi junioris. 29 nostri F. Henrici de Calstris Lovaniensis. 30 B. Henrici Susonis: cæteræ Tauleri.

5. *Vaticinia quædam sive prophetiæ in vetustis Joannis Tauleri codicibus repertæ.*

6. *Cantica quædam spiritualia animæ Deum impendio amantis.*

7. *De novem statibus sive gradibus salutis ad proficiendum continue, per ueram sui abnegationem sive resignationem in vera atque Christiana vita.*

9. *Speculum lucidissimum & exemplar amabilissimum D. N. Jesu Christi, cum alia brevi institutione.*

10. *Convivium magistri Eckardi* seu ut alii scribunt *Aicardi.* Vide supra F. Aicardus.

11. *Colloquium theologi & mendici.*

12. *Sermo seu exhortatio quædam fidelis, ut nos ad adventum Domini nostri & mortem præparare debeamus, & de diversis judiciis Dei super filios hominum.*

13. *Quatuor notabiles præparationes potissimum ad felicem mortem & quomodo tempus deperditum recuperetur.*

14. *Alia notabilis ad felicem mortem præparatio.*

15 *De decem cæcitatibus, & quatuordecim divini amoris radicibus.*

Altera editio est Parisiis, Societatis minimæ, 1623 in 4, cui quædam adjecta, scilicet Epistola 30 supra laudata, & altera pag. 843, *scripta cuidam in extremis laboranti*, ambæ nostri Henrici Susonis. Laudantur & aliæ editiones Coloniæ, 1572 & 1603 in 4, quæ Romæ in Barber. & 1615. Hæc apud Arnoldum Quentel. in 4, quæ in Regia D. 1541.

16. *De vita & passione salvatoris nostri Jesu Christi piissima exercitia a quibus Taulerus conversionem suam exorsus est ex idiomate Germanico a Surio reddita Latine*, Coloniæ Jo. Quentel, 1548 in 8 pp. 303. Adjecta sunt Nicolai Eschii exercitia. Ibid. 1607 in 12. Lugduni, G. Rouillii, 1572 in 16. Argentinæ 1572 in 12, quæ Parif. in Reg. D. 2914. Antwerpiæ 1565 in 8. Coloniæ apud Sebast. Ketteler 1706 in 12.

Meditazioni Pie & divote sopra la vita & passione di N. S. Giesu Christo del R. P. F. Giovanno Taulero, e di Nic. Eschio tradotte in volgare. Venetiis, 1584 in 12. Interpres Alexander Strozzi episcopus Volaterranus.

Les mêmes en François. Antiqua Editio quæ apud nostros Insulenses.

Les mêmes traduits par le P. Jacques Talon de l'Oratoire, Parisiis, P. Le Petit 1669 in 12.

Institutionum liber variis linguis prodiit. Italice hoc titulo: *Vita & Institutioni tradotte in Toscano da F. Seraphino Razzi dell'ordine de' Predicatori*, Florentiæ, 1568 in 8. SÆC. XIV.

Gallice: *Les institutions divines & salutaires enseignemens du R. P. F. Jean Thaulere, ou il est enseigné comme on peut facilement parvenir a la parfaite union de l'amour de Dieu par le moien des saintes vertus & bons exercices spirituels avec la vie & epitres dudit auteur, le tout traduit par les peres Minimes de l'oratoire Notre Dame de Vie saine*, Atrebati, Ægidii Bauduyn 1614 in 8. pp. 496. Quæ versio videtur ibidem prodiisse jam ab anno 1595. Laudatur altera versio, Paris. 1638.

Altera hoc titulo: *Les divines institutions ou leçons de la perfection, donnees avec eclaircissement par F. Louis Chardon de l'ordre des FF. Prêcheurs du convent du meme ordre rue S. Honoré*, Parisiis, Sebastiani Huré 1650 in 12, pp. 621.

Altera elegans hoc titulo: *Les institutions de Thaulere religieux de l'ordre de S. Dominique*, Parisiis, Caroli Savreux 1665 in 8. pp. 443. Prodiit nomine Fratrum noviciatus generalis Parisiensis a PP. Bernardo la Palisse & Vincentio Baron nostris probata.

Joannes Eckius nimio zelo abreptus Tauleri nostri doctrinam carpsit, quam adversus eumdem Ludovicus Blosius abbas Lætiensis vir piissimus egregie vindicavit: sed & eruditissimus episcopus Meldensis Jacobus Benignus *Bossuet* Libro suo cui titulus *Instruction sur les états d'oraison* pluribus commendat pag. 6: *Taulere est a mon avis un des plus solides & des plus corrects des mystiques.* Legendus & pag. 377 & seqq. ubi plurimum laudat Thauleri sermonem Dom. I Quadrag. At nescio cur Illustrissimus episcopus pag. 380 velit Thaulerum a Joanne Rusbroeck accepisse, nam etsi coætanei fuerint, Rusbrokius vir pius, ut ait Trithemius, & omnes fatentur, sed non litteratus, & ut habet Andreas Valerius Dessélius, sanctitatis majoris quam doctrinæ, nonnisi post annum MCCCLX, quo primus prior Vallis Viridis constitutus est, opus suum de ornatu spiritualium nuptiarum scripsit, teste Joanne de Scoenhovia ejusdem sodalitii canonico in apologia ejusdem operis adversus Gersonum: Taulerus autem anno MCCCLXXIX mortuus quidem, sed sacras litteras ab adolescentia edoctus, & ut minimum anno MCCCXLVI vitæ illius perfectionis exercitiis sedulo incumbens, de ea jam & palam sermones habere & tractatus scribere inceperat.

Optandum esset, ut nova operum Taulerii, qualia ab ipso Germanicè prodierunt editio cuderetur, addita e regione sincera versione Latina. Sic enim quid Tauleri genuinum, quid a Surio insertum agnosceretur.

Plura Tauleri opera spiritualia Germanice variis locis & annis feruntur edita.

B. M. RAIMUNDUS DE VINEIS.

B. M. RAIMUNDUS DE VINEIS a Capua vulgo dictus, quod in ea insigni Regni Neapolitani urbe natus, ex nobili *de Vineis* agnomine nuncupata familia ortum habuit, ordinique nomen dedit in patria, quam ut & ordinem egregiis suis non parum illustravit virtutibus. Scientia eruditioneque clarus, sacras variis in locis studiisque generalibus docuit e superiori loco literas. Pietate verò disciplinæque regularis studio singulariter eminens, presbyter inauguratus, monasterio Sororum ordinis apud Montempolitianum erecto & sanctitate celebri positus est & præfectus prior. Anno MCCCLXVII conventum Romanum ad Minervam regebat, cùm Urbanus V ad Urbem se contulit. Senas exinde missus studii regens, Catharinam Senensem jam tum sanc- † 1399.

timonia fulgentem familiarem habuit, eique cœlitus datus est a confessionibus, & divinorum secretorum conscius: tumque anno circiter MCCCLXXII furente per eam civitatem inguinaria lue, caritate flagrans ægrotis pesteque tactis ministrandis ac inserviendis sese totum dedit: quibus in officiis morbo contracto jamjam moriturus erat, ni Catharina precibus vitæ reddidisset. A Florentinis ad Gregorium XI Avenioni sedentem pro pace obtinenda anno MCCCLXXV missus, accedente postea ad eumdem pontificem Catharina eadem de causa, hujus fuit interpres, postulataque ambo obtinuerant, ni Florentinorum inconstantia pacta interturbasset. Gregorio huic factus deinceps familiaris, eum Romam XVII januar. MCCCLXXVII B. Catharinæ dictæ suasionibus progressum ea scilicet mente, ut urbi sedem Pontificiam restitueret, secutus est, tumque iterum conventus Romani ad Minervam assumtus est præses, quo fungebatur munere, cùm Urbanum VI elegerunt cardinales die IX April. MCCCLXXVIII & XVII ejus mensis coronaverunt. Et ut a Gregorio in maximis Ecclesiæ negotiis præsertim de pace Florentinorum, ceu vir in agendis peritus & solers ascitus fuerat, sic a successore in tantis ex ejus electione, quam coactam & violentam contenderunt cardinales, excitatis turbis, diroque schismate exinde secuto variis occupatus est legationibus. Missus ab eo fuerat in Franciam ad Carolum V regem, ut eum ad obedientiam suam alliceret, & a Clemente VII papa Avenionensi adversum se erecto abalienaret; sed Vintimillium usque progressus, de insidiis sibi in itinere structis monitus, Genuam retrocessit. Interea provinciæ Lombardiæ superioris, ut tum adhuc vocabant, electus & præfectus prior & præses, comitiis ordinis Bononiæ anno MCCCLXXX juxta capituli generalis præcedentis assignationem coactis affuit, tumque ejus ordinis provinciarum partis quæ Urbano VI obediebat, assumtus est magister, dum Elias Raimundi Tolosanus magister ordinis antea generalis provincias secum Clementi VII addictas eodem anno Lausanæ sua comitia generalia agebat, unde natum in ordine non secus ac in Ecclesia schisma nec minus sævum ac diuturnum: quo tamen non obstante uterque & Elias & Raimundus quilibet in sua obedientia disciplinæ regulari asserendæ summo studio incubuisse fertur. Et Raimundus quidem præstantissimos in sua obedientia sui ejusdem consilii viros in hoc opere laudatos nactus, eam in provinciis sibi subjectis totis viribus promovit. Verum est pauca 19 annis quibus rexit capitula generalia coegisse, nempe præter Bononiense electionis 1380, Budæ 1382, Veroræ 1385, Viennæ Austriæ 1388, Ferrariæ 1391, Francofurti 1397, quod ejus negligentiæ in suo capp. genn. chronico ascribit F. Laurentius Pignon, qui in eo non audiendus, ceu qui in schismate sub papis Avenionensibus militabat: sed verisimilius luctuosi illius temporis iniquitati tribueris, ut frequentius illa celebraret non permittentis. Adde quod ab Urbano VI, tum a Bonifacio IX variis fuit ad principes & regna legationibus implicitus, ut eos in sua obedientia contineret, vel ad eam revocaret, quo munere pro altero in Trinacria fungebatur anno 1395, & in iisdem videtur immortuus in Germania, ubi tandem senio laboribusque fractus obiit Nuribergæ anno MCCCXCIX in nostra ibidem ecclesia sepultus, cum non vulgari sanctitatis opinione, unde in nostris annalibus Beati titulo vulgo insignitur: Nuriberga autem corpus ejus Neapolim translatum fuisse asserunt Lusitanus, Pius *P. II lib. 2 col.* 205, Vallius in *compendio ex summario vir. illust. prov. Reg. Sicil.* & alii sequaces, ac ad altare majus conventus S. Dominici reconditum. Ejus cum laude meminerunt alii nostrates omnes ad Altamuram ad 1399: extrates etiam Possevinus, ac præsertim Michael Monachus in suo *Santuario Capuano p.* 374, quos omnes ad superiora ex certis documentis & æqualibus accepta corrigas. Hæc ejus opera:

1. *Legenda B. Agnetis de Montepolitiano virginis ordinis Prædicatorum*, quam scripsit juvenis tum monasterii ab eadem sancta virgine fundati rector circa 1350 aut paulo plus, tum ex ejus monasterii monumentis, tum ex quatuor sororum ejusdem sanctæ anno 1317 mortuæ discipularum adhuc superstitum testimonio. Αὐτόγραφον in memb. etiamnum servatur apud nostros Montepolitianos, qui ibidem Sororibus successerunt, ex quo Ambrosius Taëgius in suam Rerum ordinis collectionem intulit *Lib. 3 Dist. 8, fol. 146.* Ex iis verò Henschenius & Pappebrochius ediderunt T. II April. p. 792. Non omittendum autem quod in ea Legenda refertur cap. 9 n. 78, Agnetis mortuæ sua *Pater noster* filo inserta Sororem quamdam in manus accepisse, & cùm deoscularetur fragrantem ex iis odorem percepisse: quod indicat usum antiquum & constantem in ordine rosarii ad zonam ferendi, cujus & alia exempla supra relata sunt.

2. *Legenda B. Catharinæ admirabilis virginis de Senis sororis de pœnitentia B. Dominici fundatoris ordinis Fratrum Prædicatorum.* Cujus hi codd. MS. a me visi Parisiis

In Victor. cod. 236 fol. charta & pergameno. Ad calcem sic legitur: *Explicit Legenda B. Catharinæ de Senis admirabilis virginis & martyris sororis de pœnitentia B. Dominici, quam composuit bonæ memoriæ F. Raimundus de Capua sacræ theologiæ professor, & totius ordinis Prædicatorum generalis magister circa ann. Dñi* MCCCXCII. *Qui post labores diuturnos feliciter tandem in provincia Teutoniæ in conventu Noringensi ordinis præfati migravit ad Dñum Jhesum anno Dñi* MCCCXCVIII *die* XIII *mensis martii, hora fere* VIII *de sero in domo situata circa domum quæ vulgariter* Hottier, *in qua tunc mirum ducebat.* Ubi annus annotatur stylo veteri, qui nunc diceretur MCCCXCIX: sed & id non caret difficultate, nam si hoc anno mortuus esset die XIII mensis martii, capitulum generale pro electione successoris habitum fuisset anno sequenti MCCCC, quod celebratum non est nisi anno MCCCCI. Circumstantiæ tamen mortis tam diligenter annotatæ faciunt ut dubitem, an non pro MCCCXCVIII legendum sit MCCCXCVIIII stylo veteri, qui stylo novo esset MCCCC, tum enim recta essent omnia. Scriptores annalium nostrorum vulgo dicunt mortuum mense octobri anni MCCCXCIX, & in martyrologiis impressis ejus obitus ad diem V ejus mensis inscribitur: in antiquo martyrologio MS memb. domus nostræ Catalaunensis, quod ad exemplum domus Parisiensis S. Jacobi scribi curavit ante MD magister ordinis postea F. Joannes Clerée, obitus Raimundi ad IIII nonas octobris ponitur, sed leve est discrimen.

Duo sunt codices MS apud nostros Parisienses ad S. Honorati: primus in fol. notatur scriptus anno MCCCCLXIII: alter in 4 scriptus anno MDXXXIII, uterque chartaceus. Tomasinus recenset codicem memb. eleganter scriptum in fol. Venetiis apud SS. Jo. & Paul.

Typis edidit primus Theodoricus Loher a Stratis Cartusianus, Coloniæ, Jaspar. Gennepæi 1555 fol. pp. 170. Eamdem habent Acta SS. T. III april. ad diem XXIX. Quædam ad has editiones annotamus postea ubi de Catharina Senensi.

Ex illa vero & familiæ Raimundi agnomen, & quædam ejus gesta hîc relata excepta sunt. Non omittendum B. Stephani Cartusiani S. Chatarinæ a secretis de Raimundo testimonium, *ortu fuisse nobilem,*

bilem, virginem, scientia magna &c. Videsis Acta SS. citata p. 367.

Huic vitæ adjecti sunt *Dialogi D. Catharinæ Senensis ex Italico in Latinum versi ab eodem Raimundo*, Coloniæ 1553. Alias editiones videsis postea ubi de B. Catharina.

3. *Tractatus super* Magnificat *pulcherrimus atque devotus.* Sic Stephanus Cartusianus citatus, qui legit & addit sua ætate fuisse communem. Laudat non Sixtus Senensis ut legitur in Actis SS. sed Antonius Senensis, quem Lusitanum vulgo dicimus: sed ubi jam servetur nemo prodit.

4. *Officium pro festo visitationis B. Virginis.* Quod festum ab Urbano VI recens institutum fuerat, ut schismatis extinctionem a Deo obtinerent fideles. Officium verò ad calcem librorum choralium tum fuit additum, & in iis adhuc perstat, licèt in usu esse desierit.

5. *Tractatus pro reformatione conservanda.* Prodiit typis Romæ 1580. Postea curis nostri Jacobi de Palude inquisitoris Tolosani Tolosæ, Raimundi Colomerii 1605 in 12. Fontana inter ordinationes capit. genn. inseruit Tit. *de Reformatione* a p. 550 ad 570. Scripsit verò Raimundus Panormi XVI martii MCCCXCV. In eo fatetur se quingentis vicibus tentasse, an non obstantibus infirmitatibus jejunare posset, ita verò ab ipsa juventute stomachi debilitate & capitis doloribus continuo vexatum, ut id a se obtinere non potuerit: quandoque tamen ope B. Virginis impetrasse, ut in ejus festorum vigiliis jejunaret. Unde quod quidam narrant has eum vigilias in pane & aqua solis jejunasse, unde acceperint mihi incompertum.

6. *Epistolæ encyclicæ e capp. genn. ab eo celebratis de more scriptæ.*

Hæ verò cum actis alicubi jam latent, nam Romæ non extare exinde mihi rescriptum. Seriem verò capitulorum generalium sub ejus magistratu habitorum ex Laurentii Pignon æqualis chronico depromsi, ex quo emendandi Pius & Fontana, qui ea perturbate referunt, quæ fuerunt Eliæ Raimundi & ejus successorum in obedientia Avenionensi, cum aliis Raimundi Capuani in obedientia Romana confundentes, & horum quædam omittentes.

7. *Acta ejus legationum pro summis pontificibus Gregorio XI, Urbano VI, & Bonifacio IX, tum & pro Florentinis.* Quæ non dubium quin serventur in archivis Vaticanis.

8. *Ejus testimonium juridicum de iis quæ audivit & vidit vacante sede apostolica post obitum Gregorii papæ XI.* Extat Paris. in Colbert. cod. 811, qui collectio est actorum in schismate sub Urbano VI & Clemente VII sic in sua obedientia dicto anno MCCCLXXVIII. Ex quo codice exscriptum servo inter adversaria. Ad calcem alia se jam antea de eadem causa manu propria scripsisse testatur.

Ejus præter citatos meminerunt Leander fol. 43 b: Vallius in Compendio p. 125, at mirum a Toppio in Bib. Napol. omissum.

F. ALDOBRANDINUS FERRARIENSIS.

1380. F. ALDOBRANDINUS FERRARIENSIS recensetur a Lusitano, qui tamen ejus ætatem vel omisit vel ignoravit, Altamura verò ad 1471 collocat. Seculo contra integro antiquiorem præstat Rovetta revocans ad 1380 & *de Collegariis* nuncupatum asserens ex fide Vincentii Rivalii sui & ex relationibus domus nostræ antiquioris Ferrariensis. Hunc volunt composuisse, quod certo jam seculo XIV canebatur, & in breviariis MS ordinis ejus ætatis MS habetur

Officium translationis S. Thomæ de Aquino Pr. *O quam felix mater Italia*:

Plura addit Rovetta scilicet:

Sermones de tempore & de sanctis.

Opuscula plura moralia Latine & Italice:

Sed ubi serventur non indicat.

F. ALDOBRANDINUS LOMBARDUS.

F. ALDOBRANDINUS LOMBARDUS quidam a Laurentio Pignon n. 97 recensetur, quem scripsisse ait

Libros (leg. forsan *sermones*) *de tempore & de sanctis.*

Item librum qui dicitur Scala fidei.

Alterum hoc opus illud esse conjicio nec immerito, quod in catalogo Bibliothecæ Basileensis publicæ, sed olim nostræ, recensetur in sacris, Bibliothecarum arcanis p. 17 *Aldebrandini Scala de articulis fidei.* Haud dubie enim fallitur Spizelius editor, cùm *Scala* putat agnomen esse *Aldebrandini*, haud incertus enim asseruerim esse titulum operis & legendum *Aldebrandini ordinis Prædicatorum Scala de articulis fidei*, aut brevius *Scala fidei.*

Hic certo sec. XIV vixit, nam circa MCCCC hæc scribebat Laurentius: an autem iste unus sit & idem cum superiori Ferrariensi, quod conjectu proclive, disquirant indigenæ curiosi.

F. HENRICUS PETRI.

F. HENRICUS PETRI, quem Catalanum domusque Ilerdensis alumnum præstat Fernandez, 1380. & ad annum 1380 collocat, cui de domesticis & conterraneis loquenti videtur potius credendum, quam Pio & Altamuræ, qui nullo teste revocant ad 1335. Scripsit

In IV libros sententiarum commentarium.

Qu[illegible]a se visum Lusitanus vel etiam lectum testatur in eadem Ilerdensis conventus bibliotheca, sibique non mediocriter placuisse.

F. JACOBUS CINA A SANCTO ANDREA.

F. JACOBUS CINA A SANCTO ANDREA vulgo dictus Etruscus patria Collensis in agro 1380. Senensi, patre Cino matre Bice natus, nobili Cinarum stirpe his ultimis annis in Julio Cina Alexandri papæ VII intimo cubiculario & Lateranensi canonico adhuc florente oriundus, honestis parentibus licèt fortunæ tenuis, ordinem Senis in S. Dominici claustro ingressus est adolescens, ibique pietati ac litteris adeo incubuit, ut inter provinciæ Romanæ primores eminuerit, diffinitor in comitiis non raro electus & prædicator generalis constitutus. Ecclesiastes vere apostolicus conciones frequenter, ac cum omnium plausu nec infructuose habuit. A capitulo generali theologiæ lector institutus est Florentiæ in S. Maria Novella, dumque eo fungitur munere in comitiis provinciæ XXV januarii MCCCLXIII Fulginii coactis electus est provincialis Romanus, & a F. Matthæo Marani Mantuano provinciæ Lombardiæ inferioris tum priore auctoritate magistri ordinis F. Simonis Lingonensis confirmatus, eodemque anno magisterii laurea in academia Florentina insignitus. Tandem a Gregorio XI anno MCCCLXXVIII ut vult Ugurgierius, seu potius ab Urbano VI, ut auctor est Ughellus, anno MCCCLXXIX episcopus Termulanus sub Beneventano est renunciatus, quam sedem non diu rexit, siquidem anno MCCCLXXXI suffectus ei est ab eodem Urbano F. Dominicus ordinis Servorum. Ejus meminerunt Lusitanus errans tamen cùm revocat ad 1262 seculo plus integro posteriorem: Pius *della progenie* p. 234, Fontana in Theatro & de Prov. Rom. Altamura ad 1379: sed de eo potissimum le-

Sec. XIV. gendi Ugurgierius *Pompe Sanesi* Tit. VII n. 127 p. 184 & Ughellus Ital. Sac. T. VIII p. 532. Hæc ejus opera:

Commentarium in IV libros sententiarum.

Conciones Dominicales, Quadragesimales, Funebres & ad Clerum.

Alphabetum in S. Isidori Hispalensis opera. Extat recensitus in catal. Anglic. T. I P. I n. 1809 hoc titulo: *Alphabetum novum Etymologiarum compilatum ex dictis B. Isidori episcopi Hispalensis per F. Jacobum de S. Andrea ordinis Prædicatorum theologiæ professorem ad papam Gregorium XI. In principio habentur picturæ & papæ & auctoris, ut videntur.*

Cætera opera superius relata ubi habeantur, gentiles sui diligentiores forsan aliquando docebunt & hic addent.

F. THOMAS DE SULMONE.

† 1380. F. Thomas de Sulmone a patria in Aprutio sic nuncupatus theologus eximius, Philippo principi Tarentino, imperatori postea Constantinopolitano a sacris confessionibus & consiliis erat, tumque Castaniæ vulgo *Castellaneta* sub Tarentina metropoli datus est anstites ab Urbano V anno MCCCLXVI, quam Ecclesiam sapientissime rexit, & multis privilegiis SS. pontificum & regum Neapolitanorum auxit. Obiit circa MCCCLXXX. Meminerunt Ughellus Ital. Sac. T. IX, Fontana in Theatro, sed & Toppius Bibl. Napol. quamvis nulla ejus opera proferat, sperans forsan a suis sodalibus addenda, quod & nobis in votis est.

F. ANONYMUS.

* 1380. F. Anonymus sacri palatii magister ad Clementem sic in sua obedientia Avenionensi dictum, ille inquam qui in eo munere F. Nicolao de sancto Saturnino a mense decembri MCCCLXXVIII cardinali creato suffectus est, scripsit hoc titulo

Tractatus magistri palatii responsivus ad rationes quorumdam theologorum contra Dñum Clementem, & pro B. (id est Bartholomæo seu potius Urbano VI) *factas, ordinatus Avinioni de mense maii anno* MCCCLXXX. Extat inter alia plura de schismate Avenionensi scripta cod. MS Colbert. 814 fol. charta.

Mirum Fontanam contendere, eum qui dicto Nicolao de S. Saturnino successit in munere magistri sacri palatii fuisse Joannem de Novocastro postea cardinalem, quem aliàs ordinis Prædicatorum fuisse asserit: at postea ubi de falso ordini Prædicatorum vindicatis, ostendetur istum Joannem non solum ordinis Prædicatorum non fuisse sodalem, sed jam anno MCCCLXXI episcopum fuisse Nivernensem: anno MCCCLXXIIII ad infulas Tullenses in Lotharingia fuisse translatum, & anno demum MCCCLXXXIII purpura cohonestatum. Ex quibus invicte sequitur eum non esse qui anno MCCCLXXVIII vel sequenti Nicolao dicto suffectus fuit in munere magistri sacri palatii, quod nusquam legitur episcopis datum. Quis autem sit ille anonymus auctor tractatus relati, detegent forsan aliquando, qui gesta Clementis hujus Avenionis papæ ejusque litteras diligentius scrutabuntur, quod mihi non licuit. Gallum quemdam ex nostris sacræ theologiæ magistrum, facile suspicor, quales plures tum Avenione morabantur.

F. PHILIPPUS DE RUFINIS.

F. Philippus de Rufinis Romanus illustri sanguine ortus patre Petro Angelo Rufino hujusque conjuge Lucia de Magistris Lucæ, Romæ ordini nomen dedit, virque evasit magnarum partium, nec in scholis tantum sacræ theologiæ magister clarissimus, sed & in celebrioribus Italiæ pulpitis famosissimus Ecclesiastes. Apostolicus primum in Vaticana Basilica pœnitentiarius institutus, exinde a Clemente VI ad Æserniensem sedem sub Capuana evectus est, quam jam certo administrabat anno MCCCXLVIII mense maio, ut constat ex epitaphio matris ejus in ecclesia S. Joannis de Pinea Romæ apposito, quod sic habet: *Hic requiescit corpus nobilis D. Luciæ de Magistris Lucæ uxoris quondam D. Jacobi Petri Angeli Rufini, & matris Philippi Dei gratia episcopi Jerniensis, obiit anno Dñi* MCCCXLVIII *mensis maii die* IIII. Hanc Ecclesiam ubi XX circiter annis piissime rexisset, ad Tiburtinam ab Urbano V translatus est VI novemb. MCCCLXVII. Gregorio XI Romæ XXVII martii MCCCLXXVIII mortuo, Philippus noster ex parte S. P. Q. R. custos conclavis constitutus est, collegas habens itidem custodes Willelmum Massiliensem & Stephanum Tudertinum episcopos, ut ex hujus ultimi testimonio probat Baluzius Pap. Aven. T. I col. 1208. Partes Urbani VI continuo amplexatus est & strenue tutatus. Hinc ab eodem in prima promotione XVIII septemb. sequentis creatus est cardinalis tit. SS. Gabinii & Susannæ, moxque anno sequenti MCCCLXXIX per Italiam pluribus tum partium motibus concussam legatus, primo Pisis, subinde Lucæ, tum etiam Romæ sacro e suggestu peroravit, ac Urbani VI causam multa facundia, sed & eruditione propugnavit & suasit, nutantesque populos in ejus obedientia retinuit & obfirmavit. Eidem unà cum Poncello Ursino cardinale S. Clementis episcopo Aversano potestatem fecit Urbanus nomine sedis apostolicæ & auctoritate, bona Ecclesiarum mobilia & immobilia castris exceptis pro sua defensione vendendi & alienandi bulla III Kal. junii anno III data, hoc est MCCCLXXX. Eodem anno mortuum accuratus abbas Michael Justiniani contendit, & astipulatur Razzius scribens paulo post suam ad purpuram promotionem devixisse, quibus major fides quam Fontanæ qui vitam ejus producit ad MCCCLXXXVIII, aut Oldoino qui indicat mortuum anno MCCCLXXXIV. Ejus cum laude meminerunt S. Antoninus P. III Tit. XXIII c. XI, Panvinius, Contelorius Elenc. P. I p. 116, qui fallitur dicens titulum habuisse S. Sabinæ, cùm Joannes Corfiensis eadem creatione promotus hunc titulum sortitus sit, Ughellus Ital. Sac. T. I, & T. VI p. 501 contendens immerito cognomen *Gezza* ei tribui, cùm fuerit ex gente *Rufina* Romana, cui parmam assignat coccineam aureis tribus annulis sive circulis claram, limboque auro minioque denticulatim distincto circumcinctam, quam proinde Oldoinus assecutus non fuerit, qui aliam omnino exhibet. Abbas Justinianus citatus in suo opere *Vescovi di Tivoli*, Romæ apud Mancinum 1665 in 4 edito, idem sentit cum Ughello de agnomine *Gezza* falso ei dato, sed *de' Rufini* nuncupandum, idque ex actis Capitolii Romani constare. Altamura denique collocat ad 1378. Hæc ejus opera: † 1380.

In octo libros physicorum commentaria.

Constitutiones synodales pro Ecclesia Tiburtina.

Extant MS in tabulario Tiburtino a Justiniano citato visæ & lectæ, ut ipsemet testatur in episcopis Tiburtinis, quod & certo se scire asserit Prosper Mandosius Bibl. Rom. Cent. 2 n. 77.

Acta legationis ejus Italicæ, aut etiam scripta

pro jure Urbani VI tuendo: quæ haud dubie servantur in Vaticana.

F. NICOLAUS A SANCTO SATURNINO.

* 1382. F. Nicolaus a Sancto Saturnino Gallus Arvernus Claromontio ortum, conventui ejus urbis vestem ordinis ac institutionem, gymnasio Sanjacobeo Parisiensi literas humanas & divinas, sacræ facultati regiæ hujus civitatis gradus debet, quibus omnibus cum fœnore vicem rependit vir pietate, ingenio, doctrina, muneribus, dignitatibus clarissimus. Ut familiam, quam ferunt nobilem in Arvernis, & studiorum annos quibus inter sodales semper emicuit omittam, in academia Parisiensi lauream obtinuit magisterii circa MCCCLXIV, recenseturque n. 154 in cod. Lingon. inter additos ad catalogum Bernardi Guidonis, idque manu æquali. Cùmque gravitate, rerumque agendarum peritia non minus quam doctrina polleret, paulo post nempe anno MCCCLXVI junii XXIV provinciæ Franciæ prior electus fuit provincialis. De quo sic F. Laurentius Pignon in chronico provincialium: *F. Nicolaus de Sancto Saturnino magister in theologia natione Burgundus de conventu Claromontensi electus unanimiter in capitulo Carnotensi anno* MCCCLXVI *in festo Joannis Baptistæ, & confirmatus per vicarium ordinis, quia ordo caruit magistro pro tunc.* In chronico verò capitulorum: *A. D.* MCCCLXVI *non fuit capitulum generale, quia magister ordinis* (F. Simon Lingonen.) *factus est episcopus Nannetensis, & mortuus est F. Bartholomaus* (de Auxiaco, qui & de Plansac magister in theologia Parisiensis, & ipse ex conventu Claromontensi) *provincialis Franciæ. Capitulum provinciale fuit in Carnoto ubi est electus in provincialem F. Nicolaus de Sancto Saturnino.* Quo munere annis decem solidis functus est, tanta verò cum laude, ut anno MCCCLXXVI eum Gregorius XI summus pontifex sacri palatii magistrum asciverit. Sic enim in chronico mox laudato: *A. D.* MCCCLXXVI *fuit generale capitulum & provinciale Bituricis, ubi F. Nicolaus de Sancto Saturnino provincialis Franciæ absolutus est, & factus lector sacri palatii.* Ex quo inferas non potuisse ut vult Fontana ex Olmeda F. Joanni de *Tambaco*, quem supra demonstravimus anno 1372 mortuum, immediate suffici: at longe certius F. Guillelmi Romani, quem etiam evicimus & exhibuimus hoc munere fungentem annis MCCCLXV & LXVI & seqq. & verisimillime ad annum MCCCLXXVI in eodem prorogatum, id est ad mortem usque, successorem immediatum fuisse. Hincque rursus in mea sententia confirmor, F. Joanni de Tambacho quando fuerit sacri palatii magister, vix locum inveniri. Eodem anno Gregorium XI Romam abeuntem secutus est Nicolaus, ei quandiu vixit acceptissimus. Urbanus verò VI vix Petri cathedram ascenderat, cùm præclaris ejus dotibus motus purpuram eidem obtulit, sic enim habet auctor vitæ Clementis VII a Bosqueto editæ, idem addens de Leonardo de Giffono ministro generali ordinis Minorum: sed ambo in ea rerum caligine Urbani electionem nullam esse persuasi constanter recusarunt: neque verò id tantum, sed Nicolaus adhærens cardinalibus qui Anagniam secesserant, ab iis XV julii MCCCLXXVIII missus est in Galliam ad Carolum V Francorum regem, qui ei Urbanum non legitime electum ostenderet. Parisios aggressus circa medium augusti, regi cardinalium epistolam mox reddidit, eamdemque die septembris quarta ad parlamentum detulit: exindeque electo Fundis XX septemb. adversus Urbanum Roberto Gebennensi in sua obedientia Clemente VII dicto, ejus videtur partibus in aula Gallica tuendis incubuisse. Ab eodem Clemente XVIII decemb. ejusdem anni cum aliis quinque ad purpuram promotus absens, diploma tertio idus febr. sequentis Fundis datum mox ut recepit cum capello rubeo, in occursum Clementis Avenionem petentis se contulit, eumque Massiliam XXV junii appulsum salutavit, a quo tum titulum S. Martini in Montibus accepit, eumque Avenionem comitatus est, ubi pluribus pro eo perfunctus laboribus obiit tandem XXI januar. MCCCLXXXII, licèt quidam mortuum velint die XXIII, sed primum probabilius est. Avenione apud nostros etiam sepultum narrant Ciaconius & Oldoinus, sed falli utrumque ac eos excipientes certissimum. Nam præterquam quod nulla hujus apud nostros Avenionenses memoria, sepulcrum ejus augustum visitur etiamnùm apud nostros Claromontenses, ad quos corpus suum a morte deferri testamento caverat: idque reipsa effectum constat tum ex monimentis hujus translationis in archivo conventus Claromontani servatis, tum ex hac epigraphe, quæ in tribus minimum codd. MSS ex iis quos eidem conventui legarat, manu æquali scripta legitur, & a F. Paulo *le Marchand* tum priore ad Franciscum du Chesne missa ab isto inter probationes Histor. cardinal. Franc. edita est pag. 487, estque talis:

R. in C. P. ac D. F. Nicolaus de Sancto Saturnino pro conventu isto Claromontano ord. FF. Prædic. ad ordinem receptus, S. T. venerabilis professor post nonum annum provincialatus Franciæ, in quo provinciam pacifice & religiose gubernavit, per D. D. papam Gregorium XI in magistrum sacri palatii assumptus, ubi per triennium laudabiliter & scientifice vixit, postmodum per D. D. papam Clementem VII in presbyterum cardinalem tit. S. Martini in Montibus sublimatus, ubi per tres annos & 34 dies humiliter & devote regnavit, hunc librum & plures alios cum aliquibus vasis argenteis isti conventui Claromontano prædicto dedit, pro ponendo in communi libraria ad utilitatem Fratrum: nec inde deponi debet, sicut nec alii libri quos dedit, nisi pro sola custodia, nec alienari quovis modo juxta dicti Domini devotam ordinationem, quia eo pacto libros dedit. Obiit Avenione dictus R. D. XXI *die mensis januarii in festo B. Agnetis* (erratum irrepsit in editionem dicti du Chesne, ubi legitur *B. Augustini*) *anno D.* MCCCLXXXI (stylo veteri Gallico) *& eodem anno per R. in C. P. ac D. D. Henricum de la Tour episcopum Claromontanum vener. capitulo suo & pluribus abbatibus præsentibus, ac cleri & populi multitudine copiosa* XVII *mensis februarii, quæ fuit dies lunæ post septuagesimam dicti anni in presbyterio ecclesiæ Fratrum istius conventus in sinistra parte majoris altaris, prout in sua suprema voluntate ordinaverat, in habitu sui ordinis de quo assumtus fuerat, fuit honorabiliter tumulatus. Quicunque in isto libro studuerit, pro remedio animæ ejus, devote dicat*: Animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen. *Quæ verba Deo donatus * dominus ultima protulit, dum ad Deum ex hac luce migravit.* * vid. leg. *devotus.*

Parma ejus gentilitia ad sepulcrum ejus affixa, quam ignorare se fatetur Oldoinus, erat *in area cyanea lilium aureum Gallicum cum tribus ejusdem rationis stellulis duabus in capite, tertia in umbilico.* Servantur ejus in archivo conventus Claromontensis:

1. *Literæ obedientiales ei a magistro ordinis F. Helia concessæ*, quibus in perpetuum assignatur Claromontii, datæ Valentiæ Aragoniæ 9 junii 1370, post capitulum generale. Dies pentecostes fuit 2 junii.
2. *Aliæ ejusdem Heliæ literæ*, quibus ei tria ossa concedit S. Thomæ de Aquino, alterum in con-

Sæc. XIV. ventu Claromontano reponendum, alterum per varias domos provinciæ Franciæ distribuendum, tertium sibi servandum, datæ Tolosæ 27 maii 1372, post capitulum generale in festo pentecostes 16 maii celebratum.

3. *Diploma Clementis VII Avenionensis*, quo Nicolaum monet ipsum assumtum in cardinalem, ipsique missum capellum.

4. *Testamentum ipsius Nicolai 10 decemb. 1381 conditum Avenione*: in quo diserte se dicit tit. S. Martini papæ in Montibus, cui propterea inter alios sanctos animam suam commendat, scire se & certissime tenere Bartholomæum Barensem non esse verum papam: & quia jam dudum magisterium in sacra pagina adeptus erat, & legendo, disputando, determinando, scribendo, prædicando plurima dixerat, asseruerat & conscripserat, si in aliquibus reperiatur errasse, revocat. (*Ubi, & quæ sint illa scripta nullibi invenio.*) Præterea se in conventu Claromontano asserit ad ordinem receptum, & ideo jubet corpus suum eo quantocius a morte deduci: plura legata FF. ordinis sociis suis & variis provinciæ Franciæ conventibus relinquit. Parentum non meminit nisi Petri Guillelmi, & Jacobi *Dulaus* fratrum, quos consanguineos suos nuncupat. Tandem conventum Claromontanū instituit hæredem universalem, ac libros omnes eidem donat, quos tamen paucos esse fatetur. Plura omitto apud ipsum legenda.

Hæc autem omnia typis dedit Franciscus *du Chêne* citatus, apud quem errata quædam irrepserunt, quæ ex suprarelatis emendes, ut & quod contrarium his legitur seu in martyrologio ordinis, seu apud Fontanam & alios minus accuratos

5. *Epistola ad universos Christi fideles de electione Urbani VI, & Clementis VII sic in sua obedientia dicti Avenione 8 martii 1379 data* ex septem qui subscripserunt cardinalibus unus fuit. Hanc refert Baluzius pap. Aven. T. II col. 845.

F. LEONARDUS DE NEAPOLI.

* 1382. F. LEONARDUS DE NEAPOLI a patria sic nuncupatus sacræ theologiæ magister clarebat regnante Carolo III in Sicilia cis Pharum, & ab Urbano VI inquisitor generalis in toto illo regno ac in terris citra & ultra Pharum institutus est, ejusque mentio est in actis Caroli III regis ad ann. MCCCLXXXII fol. 115. Huic regi a consiliis & a sacris in familiam ascitum refert Vallius in Compendio p. 137. Ejusdem meminit Toppius in Bibl. Napol. nulla tamen ejus opera recenset, quæ forsan a suis sodalibus speravit addenda.

F. ANONYMUS.

* 1382. F. ANONYMUS vel Gallus ut verisimillimum, vel Italus Etruscus, certo in Italia episcopus & Senis aliquando agens sacræ theologiæ ante episcopatum magister celebris, & a consecratione juris canonici peritia clarissimus, erga Francorum reges optime affectus, partibus nihilominus Urbani VI addictus scripsit circa annum 1381 vel 1382 hoc titulo:

1. *Incipit liber dialogorum Gherarchiæ subcœlestis inter orthodoxum catholicum, & cathecumenum*[A] *Pantascium inquirentem de reformatione Ecclesiæ militantis.*

[A] Sincerum seu omni carentem umbra.

De actoris est intentò quemlibet ecclesiasticum informare de ecclesiastico statu per typum vel figuram cujusdam cathecumeni divisioni sanctæ Ecclesiæ condolentis & baptismum differentis, donec etiam importunè sciret modum Ecclesiam & ecclesiasticos reformandi: & cur dialogus hic non est factus inter magistrum & discipulum, sed inter orthodoxum & cathecumenum, & quid sit eorum singlum, (Sic.) *Cathecumenus primo loquitur dicens:*

Instantia mea quotidiana &c. Prologus septem capitibus constat. Opus verò in quatuor libros dividitur ad imitationem librorum S. Bernardi De consideratione ad Eugenium III S. P.

Liber I de Gerarchia subcœlesti, unde in se ortum habet & auctoritatem.

II. Quomodo per universum extitit dilatata.

III. Qualiter longo tempore in personis & vita fuerit ordinata.

IV. Qualiter nunc sit reformanda vel ad regulam reducenda.

Ad calcem sic legitur in cod. Victor. Paris. 846 in fol. *Explicit quartus liber Gerarchiæ subcœlestis recollectus Senis per quemdam de ordine Prædicatorum episcopum, cujus nomen utinam deleatur de libro viventium temporaliter, ut scribatur finaliter in libro vitæ.*

Recensetur in catalogo codd. MSS Angliæ T. I, P. III, 1, 1 num. 27: & T. II P. I, 9912: & P. II, 545: *Liber dialogorum*, &c. ut supra; *a D. Ward. transcriptus & a D. Bedel correctus.* Ibidem 552: *Liber IV Hierarchiæ subcœlestis recollectus per quemdam de ordine Prædicatorum. Imperfectus in 4.*

Die XIII augusti anni ultimo elapsi MDCCXVII per epistolam ad me scriptam me monuit *D. Lebœuf* canonicus & succentor Ecclesiæ Autissiodorensis exemplum MS tercentum annorum hujus operis Victorino laudato per omnia simile in manus suas Autissiodori venisse, & a me quærebat an mihi cognitum esset nomen auctoris, cui respondi mihi hactenus incompertum.

In codice Victorino citato initio ad marginem manu recenti legitur operis auctorem esse *Petrum Urbevetanum*, nempe Boherium qui ad vitas SS. pontificum, quæ Anastasii Bibliothecarii a quibusdam censentur, notas scripsit. At id falsum evincitur ex ipsomet opere: nam 1. in prologo cap. 1 sic cathecumenus loquitur: *Quomodo igitur magister mi omnes te magistrum nominant famosum theologiæ, & quasi recenter instructus Doctor canonum appellaris?* Quæ probant ante episcopatum theologiæ potissimum imo totum incubuisse, in eaque facultate laurea coronatum, quod apud nos solemne: recentius autem & forsan ab episcopatu juri canonico operam dedisse, nec in eo graduatum, sed a peritia brevissime comparata canonum doctorem appellatum. Contra verò Petrus Boherius nigri ordinis monachus S. Aniani abbas non theologiæ, sed pro more suorum juri utrique præsertim canonico studium omne dederat, in eoque doctor evaserat sua ætate celeberrimus. At quod dubium omnino solvit, jam obierat Petrus Boherius cùm scriptus est hic liber. Sic enim lib. IV cap. 14 loquitur auctor Caroli V sapientis regis Francorum studium pro Ecclesia laudans: *Hoc igitur tali tantoque zelo rex iste postponens totius mundialis altitudinis imperii principatum, interius pro reformatione sanctæ matris Ecclesiæ ardebat, ut Eliæ facula vel Phinees. Mox igitur imposuit tunc præsenti bona memoria Domino Petro Urbevetano episcopo, ut historias Romanorum pontificum B. Damasi papæ ad Sanctum compositas Hieronymum exponendo scriberet & pro posse compleret, ac ut exquireret codicem sacrorum canonum, & expositum daret sibi. Per has enim scripturas & paucas alias sperabat sane posse reformari statum universalis Ecclesiæ vel ad minus Gallicanæ &c.* An bonæ memoriæ Boherium diceret, nisi jam in vivis esse desiisset.

Idem hoc opus extat Parisiis in Bibl. Colbert. cod. 3288 fol. memb. ætatis auctoris circiter, in eoque ubi in aliis *per quemdam de ordine Prædicatorum* loco eraso legitur nunc sed manu secunda & recentiore *Carmelitarum*. Quod vir cl. Baluzius ejus bibliothecæ quondam præfectus in suis notis ad vitas paparum Avenionensium T. I col. 1279 monet, ipseque oculis probavi. Nec dubium, quin cùm

aliàs codex ille Carmelitarum Parisiensium fuerit, ut constat ex hac initio epigraphe : *Orate pro F. Laurentio Burelli Divionensi theologo doctore Parisiensi Christianissimi Francorum regis Ludovici XII confessore, qui hoc volumen & multa alia volumina religari fecit. Ita est F. Burelli provincialis Narbonæ* cum syngrapha. Non dubium, inquam, quin Carmelita quis fraudem hanc fecerit, ut ex suis alicui opus anonymi assereret. Quem revincunt non solum litura manifesta, sed & codices alii omnes prima manu legentes *Prædicatorum*, Victorinus Autissiodorensis, Anglicani, Belgici.

Præterea ubi de ordinum religiosorum propagatione agit lib. 3 cap. 5 sic habet : *Beatos Dominicum & Franciscum conspice, qui paupertatis solido fundamento semper sunt innixi, fere totum tamen mundum suis seminibus repleverunt.* Nullibi autem Carmelitarum meminit, quod certe mirum esset, si ejus fuisset instituti.

Adde sæpius nostros citare auctores, S. Thomam, quem nostrum appellat : Vide *prologi cap. 4 & lib. 1 cap. 15, lib. 2 cap. 5, lib. 3 cap. 3, & 6* ubi sic habet : *Cùm perfectionis statui discrepant, ut noster Thomas differnit in de perfectione tractatû :* Vincentii Bellovacensis Speculum historiale, Historiam Tholomæi (sic) de Luca tripartitam, Chronicam Bernardi Guidonis, Joannis de Janua Catholicon, Joannis de Columna historias, Martinum Polonum pœnitentiarium, F. Gonsalvum S. Petri Romæ Altaranum, fortè altaris curam gerentem. Videsis *prologi cap. 4, lib. 2 c. 17 & cap. 21, lib. 3 cap. 7, 8 & lib. 4 cap. 9, & cap. 12 :* nullum verò Carmelitam, Minoritam aut Augustinianum.

Italum quis conjiciat non solum ex pronunciatione vocabuli *Hierarchia* quod Italice scribit *Gherarchia*, nisi sit vitium libellionis, sed quod maxime partibus Urbani VI adhæserit, sub ejusque steterit semper obedientia. Sic enim lib. 4 c. 9 loquitur cathecumenus de sede Romana Avenionem translata dolens ut multarum in Ecclesia calamitatum principio : » Schisma quoque præsens contra VI » Urbanum dicitur a rege Franciæ Carolo V fuisse » firmatum, licèt per cardinales prius fuerit machi» natum. *Cui respondet orthodoxus* : Ne precor » culpes fili carissime regni Franciæ mores, vel in» clitæ domus Franciæ reges a quibus tanta devinctio » simul & dilatatio christianæ fidei in occiduis par» tibus velut jure hæreditatio traxit ortum &c «. Et post plura de beneficiis Francorum & officiis in Romanam sedem, cathecumeno quasi irrisorie Romanæ Ecclesiæ compatiente : » Credo, *inquit cap. 12*, » ne separetur dictus amor & antiquata conjunctio » (*scilicet paparum & Francorum*) voluerunt pari » consensu prope se circa regnum Franciæ remane» re. *Cui Orthodoxus* : Non est bona compassio » fili, quæ compatienti parit & compasso jugiter » passionem, nec conjunctio quæ æternam causat » separationem a prælatis & subditis, quos Deus » conjunxerat in urbe sua Romana temporaliter, ut » in gloria æternaliter * fungerentur : cùm enim » vellet B. Petrus de Roma recedere metu mortis, » fuit a Domino reprehensus, ut superius tibi dixi » &c. Ex plurium etiam revelationibus personarum » sanctarum nostri temporis novimus esse de Dei » voluntate, quod papa resideat & sit Romæ sanc» tificata civitate &c «. Quibus inter alias S. Catharinam de Senis indicare videtur. Clementem V non parum culpat, quod primus sedem in Franciam transtulerit ante annos circiter LXXX, cujus & elogium cap. 7 superiori struxerat haud gloriosum : ratumque habet auctor *secundùm jus divinum & canonicum clericos Romanos non censeri, qui curam Romanæ Ecclesiæ, cleri & populi deserunt, nec illic in suis titulis solvunt pensum canonicum vel impendunt.* Quod probat ex Caroli Magni capitulariis c. 19. Denique Romanam Ecclesiam ex quo ejus curia fuit regno Franciæ localiter conjuncta, damna innumera & temporaliter & spiritualiter passam, proindeque sanam consultamque Romanæ Ecclesiæ cum domo, rege & regno Franciæ conjunctionem in fide, obedientia & caritate debere esse, non magni status imitatione vel locorum propinquitate, nisi pro imminente alterius vel utriusque ad tempus necessitate.

* f. jungerentur.

SÆC. XIV.

Aliunde Gallum probare videntur multa. Lib. 3 c. 5 sic ait : *Nostrum quoque Bernardum de Burgundia vide, qui se vivente plusquam ducentas ut fertur abbatias Cisterciensis ordinis fundavit &c.* quasi ex eadem se provincia aut saltem regno indicans. Quædam identidem Gallica refert proverbia. Sic lib. 4 c. 4 ubi probat laicos Ecclesiæ chorum ingredi juxta leges antiquas non permitti, nisi propter communionem, vel propter secretam orationem & hoc post officium, addit vulgare metricum Gallicum : *Ite foras laici, non est vester locus ici, sed locus est ici, qui sunt altaris amici.* Et c. 11 de S. Ludovico IX Francorum rege loquens : *Stipes*, inquit, *egregius dictæ domus semel mihi post ejus officium apparuit inter dictos dominos Francos (dicens) esse unum secretum proverbium, quod patres docerent filios vulgari Gallico sic : Mariage est de bon devis, De l'Eglise & des fleurs de lis, Quand l'un de l'autre partira, Chacun d'eux si s'en sentira. Vult dicere, quod Deus conjunxit Romanam Ecclesiam cum regno Franciæ, & per consequens quos Deus conjunxit, homo separare non debet.* Sive sit vera revelatio sive figurata locutio, non erat quod Gallice proferretur, si auctor Italus erat. At præsertim notandus erga reges & regnum Franciæ affectus, hoc velut summorum pontificum asylum describens, illos ob egregia in Ecclesiam universam & summos pontifices officia & præclare gesta ad astra usque extollens, Clodovæum I, Pipinum, Carolum Magnum, Ludovicum Pium, Ludovicos Crassum & Juniorem, & alios : & lib. 4 c. 14 petente cathecumeno, *cur cùm reges Francorum a primo eorum Christiano tam fide quam caritate simul & in obedientia fuerint juncti cum Romana Ecclesia, illustris ille Carolus V, cùm tamen diceretur prudentissimus, a Romana Ecclesia obedientia se divisisse videtur, & ut refertur publice, fuit nimis credulus olim cardinalibus contra VI Urbanum parte altera non audita ?* Respondet orthodoxus : » Omissis pluribus occurrentibus de divisio« ne hac volentibus altercare, quæ hinc inde dicta« scripta factaque fuere, de quibus nec spectat pro« nunc discutere, quia & opusculo alio nisi sumus« differere, noli tu fili credere, quod præfatus rex« tam fidelis & prudens, quem constituit Dominus« super Franciam super omnia regna mundi divinis« cultibus & ecclesiasticis moribus dedicatam, ab obe« dientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ & multominus Ec« clesiæ catholicæ se voluisset, vel ad momentum di« videre: quin imo tam in vita quam in morte in ea stu« duit se unire : & maxime qui quotidie suorum ante« cessorum regum & consanguineorum gesta laudabi« lia relegens de ecclesiastico cultu & Sanctæ-Terræ« succursu a prædecessoribus suis cœpta, perficere co« nabatur &c. Itaque cùm semel coram eo legere« tur in chronicis Ludovicum Pium omnes colle« giatos ad clausuram vel claustrum suarum Eccle« siarum collegialium reduxisse, ut sicut vivebant« de redditibus communibus suæ Ecclesiæ, sic in« communi regerentur & regerentur in utroque ho« mine : suspirans intulit : *Hoc*, inquit, *plus vellem videre, quam me simul imperatorem cum regno Franciæ. O verbum catholicum ! O suspirium ecclesiasticum ! O ignitum eloquium tuum vehemen-*

SÆC. XIV. *ter! O vere verbum regni Davidicum! Eructavit cor meum verbum bonum, summis praeconiis & praecordiis commendandum, cunctis laudibus extollendum, & aeternis memoriis & tabulis cireis* (sic forte » *cypreis* vel *cupreis*) *rescribendum!* o utinam o » utinam quis mihi det ut exarentur sermones hi » in libro stylo ferreo, vel celte scribantur in silice. » Certo digito Dei pro calamo scribae scribendus » erat sermo iste in terra viventium, vel in terra » morientium in lapide pretioso ungue adamantino. Hic forsan licuisset & libuisset inferri Demosthenis alicujus, Ciceronis seu Titi Livii commendationibus color rhetoricus. Sed *&c. plura, quorum aliqua supra relata. Et concludit*: Si » igitur zelator talis ac tantus Ecclesiae ingenuus rex » Francorum religiosissimus & ingeniosissimus visus » est ad tempus parum se dividere ab illis quos » forsan credebat aemulos vel inimicos morum Ec- » clesiae catholicae: si more discreti ducis exercitus » intuentis contrariorum impetum aciemque stipa- » tam ad resistendum, visus est retrocedere ut im- » pingeret fortius &c. *& post plures similes comparationes*, hoc non vitio sed maximae laudi, non » praesumptioni, sed divinae aemulationi potius de- » bet ascribi. In hac parte quod scimus loquimur, » quod audivimus & vidimus hoc testamur memo- » res de tempore, die, hora, loco, personisque » praesentibus, dum haec ponderarentur. & cap. seq. dolet mortem aemulam extemplo supervenientem praeoccupasse affectum Regis & praescindisse effectum, ne Ecclesiae concordiam iniret, schismaque extingueret, filium autem Carolum VI tenerum adhuc & puerum usque nunc talia pertractare non potuisse per aetatem, sed tantum bonum ab eo grandiore sperandum.

Habet & alia de moribus Gallorum, de eorum templis, de Sacello Parisiensi vulgo *la sainte Chapelle*, de oratoriis regis & reginae, quae si non Gallum, certe in Galliis diu versatum arguunt, sed horum penes lectorem arbitrium esto, quem solum invito ad opus haud lectu indignum percurrendum. Quod tamen cùm non sit omnibus obvium sequentia visa sunt non omittenda ex libro 3 c. 8. Postquam statuit clericos omnes olim fuisse regulares, licèt paulatim ab ea lege sese exemerint episcopi, sic quaerit cathecumenus:

Hic posco pater si dormiebant urbis presbyteri cum suis clericis sub eodem tecto seu dormitorio, sicut in uno refectorio comedebant? Orthodoxus: » Utique » sic extitit observatum usque fere tempora Nico- » lai IV, qui concessit presbyteris & diaconis urbis » ut equitando capellis rubeis uterentur, quorum » nondum usus fuerat apud eos, nisi dum mitteban- » tur in Graeciam, sub humili tamen forma qua » Graeci utuntur & colore alio eorum scilicet pres- » byteri sive sacerdotes qui sancti nominantur. Un- » de semper incedunt cum capello, per quem ab » aliis distinguntur. Unde sancti noscuntur sic de- » picti per diadema, quod a dicto capello sancto- » rum presbyterorum de Graecia traxit ortum. Item » dedit praefatus Nicolaus eisdem presbyteris & » diaconis partem emolumentorum patrimonii S. Pe- » tri, de quo superius mentio facta fuit. Ex tunc » autem separatam mensam & cameram a suis cle- » ricis habere coeperunt. Clerici tamen ipsorum ser- » vabant vitam inter se communem, possessionum » verò fructus in communi fideliter veniebant, ut » ex antiquis adhuc registris Romanae Ecclesiae re- » peritur. Recipiebant etiam ex tunc Romani pre- » sbyteri & diacones partem tertiam sive quartam » oblationum & proventuum communium. Sicque » fecerunt circiter usque tempora Coelestini V, & » VIII Bonifacii, quorum temporibus ex toto coe- » perunt partialiter vivere, communes census & » vineas dividere, taliter tamen quod agros & possessiones, quas vocant poderia, usque communiter remanerent indivisa, quae tamen in multis » quasi ad nihilum devenerunt. Haec pene singula » per antiquum quondam vicarium & ejus registrum » Romani pontificis, & per altaranum sancti Petri » Fratrem Gonsalvum ordinis Praedicatorum, ac ex » dictis registris antiquis in meam notitiam deducta » sunt cum intuitu chronicarum «.

2. *Opusculum aliud scripsit de schismate Avenionensi*, ut ipse supra testatur & habet lib. 4 cap. 14. Similia plura habentur anonyma in Bibliothecis regia & Colbert. forte & in Vaticana aliisque urbis & orbis.

F. ADAM FERRARIUS.

F. ADAM FERRARIUS Gallus Aurelianensis ad ann. circiter MCCCLXXXIII clarus laudatur a nostris Gozzeo, Pio, & Altamura, & scripsisse dicitur: 1383.

In IV sententiarum libros.

Quaestiones in Metaphysicam.

In libros Aristotelis de coelo & mundo. Quibus exponendis accuratam astronomiae notitiam comparasse narrant.

Apud Tomasinum in Bibl. Patav. p. 36 sic legitur: *Scriptum Adae super librum de causis physicorum & de anima. fol. Donum J. M.* His ille hanc suam adjicit notam: *Is forsitan est Adam ord. Praedic. provincia Gallus patria Aurelianensis e familia Ferraria, cujus edita leguntur commentaria in IV sententiarum, & QQ. in metaphysicam & de coelo & mundo. Floruit 1380 teste Gozzeo.* Hactenus Tomasinus, penes quem fides, cùm hujus Adae nulla mihi apud aequales aut suppares adsit notitia.

F. GOMBALDUS DE ULUGIA.

F. GOMBALDUS DE ULUGIA Aragonus Catalanus conventus Cervariensis in Catalania professus, vir gravis & eruditus in sacra facultate Parisiensi magister fuit, ac inter decem anno MCCCLXXV id est LXXVI ante pascha licentiatos, quorum septem erant regulares, nempe duo Minores, unus Carmelita, unus Cisterciensis, tres Praedicatores, primum omnium locum obtinuit Gombaldus noster, etiam ante M. Henricum de Hassia Sorbonicum, qui tantum ea aetate claruit, nec nisi secundum sortitus est, duo verò alii nostri licentiati fuerunt F. Raimundus *de Bona* octavus, & F. Simon *Bardel* nonus, quibus addendus F. Petrus de Duroforti Tolosanus, qui dicitur ex gratia eodem anno licentiatus, postea Tolosanae prior provincialis. Haec ex actis. Schismate autem illo pertinaci Urbanum VI inter & Clementem VII Avenionensem exorto anno MCCCLXXVIII, & Petro Aragonum rege neutri pontificum palam favente, regni ejus regulares sese ab invicem diviserunt, aliis cum rege nullum, aliis papam Avenionensem agnoscentibus. Gombaldus autem tum in patriam reversus ab iis qui Clementi adhaerebant, electus est Caesaraugustae anno 1380 prior provincialis, suaque singularia in ea provinciae parte quae ei obediebat, coegit & habuit comitia, Stellae videlicet 1381, Calatajudae 1382, Caesaraugustae, 1383, sequens etiam capitulum ad Castellum Empuriarum jam indixerat, sed morte praeveniente celebrare illi non licuit, quippe qui Caesaraugustae diem ultimum egit VI julii MCCCLXXXIIII. Ejus meminerunt Lusitanus, Possevinus, Altamura perperam ad 1420 referens, Diagus omnino rectè ex actis, & quem hîc excipimus Hist. prov. Arag. P. I cap. 31 fol. 58 a. Haec ejus opera; † 1384.

Scriptum in IV libros sententiarum.

Vita sanctorum Mediolani servata, a Baltazare Sorio de quo nos ad 1557 laudatæ & visæ. Sic Diagus, sed cùm fateatur istarum vitarum scriptorem a Sorio non Gombaldum, sed Petrum dici, non levis mihi suspicio delusum Diagum, & Gombaldo asseruisse opus quod non ejus, sed Petri de Clodio vernacule *de Chiozza*, de quo nos supra ad 1310.

F. BARTHOLOMÆUS DE BOLSENHEIM.

* 1385. F. BARTHOLOMÆUS DE BOLSENHEIM vel *Bolsenech* a patria sic dictus, quod emporium amplum in comitatu Tiroliensi ditionis Austriacæ, (Bolzanum Latine vel Bolcenum dicunt) nostræ ibidem domus alumnus, vir fuit hac ætate celebris. Argentinæ ubi tum florebat studium solemne theologiam profitebatur anno MCCCL, cùm exinde ad legendas Parisiis sententias missus est. Sic enim in actis cap. gen. eo anno apud Montempessulanum habiti: *Assignamus ad legendum sententias Parisius isto anno F. Joannem de Siaco de provincia Franciæ. Item pro anno immediate sequenti quantum nostra interest F. Bartholomæum lectorem Argentinensem de provincia Teutoniæ.* Hunc autem eumdem esse de quo hîc agitur, constat ex serie magistrorum ad catalogum Bernardi Guidonis additorum in cod. Lingon. in quo immediate post F. Joannem de Siaco Campanum Parisiis laureatum sequitur n. 139:

F. Bartholomæus de Bolsenheim Teutonicus factus Parisius. Ex quibus certis nostros emendes quantum ad chronologiam, Lusitanum, Castillum & Razzium, qui ad MCCCXII collocant, tum Fontanam & Altamuram, qui ad MCCCCXIIII referunt. Sacri palatii magistrum egisse volunt, at quo anno & apud quem pontificem non ita certo astruunt. Apud Joannem XXIII anno MCCCCX electum ait Fontana, sed id non verisimile, tum enim nonagesimum ætatis attigisset etiamsi annos XXX tantum illi dederis, cùm ad legendas Parisiis sententias assignatus est. Et sane perturbatissima est apud dictum Fontanam magistrorum sacri palatii series toto tempore schismatis Avenionensis, postquam Nicolaus a sancto Saturnino ad Clementem VII sic in sua obedientia dictum defecit, quam sic rectius statuas:

F. Petrus Yperinus ab anno MCCCLXXVIII ad MCCCLXXIX, quo electus ab Urbano VI episcopus Marsicanus. *Ex ejus epitaphio ad Minervam.*

F. Simon Saltarellus Florentinus pronepos Simonis Saltarelli archiepiscopi Pisani, de quo supra ad 1342 ab anno MCCCLXXIX ad MCCCLXXXV, quo Comaclensis episcopus ab eodem Urbano VI assumtus, etsi Fontana adversetur, sed major fides Ughello id asserenti Ital. Sac. T. II p. 505.

F. Bartholomæus de Bolsenheim hic sicubi collocandus ab anno MCCCLXXXV ad MCCCLXXXXV circiter, annos circiter ætatis LXV agens, cùm ad illud munus vocatus est.

F. Jacobus Arigonius Laudensis ab anno MCCCXCV circiter ad MCCCCVII, quo Laudensis suæ civitatis episcopus a Gregorio XII datus.

F. Hugolinus de Camerino ab anno MCCCCVII ad Gregorii XII abdicationem usque in concilio Constantiensi.

Hanc enim seriem ex actis ætatis singulorum evincimus, ubi de illis agimus. Itaque apud Urbanum VI & Bonifacium IX Bartholomæus hoc munus egerit, si quando egit, nisi quid certius ex actis horum pontificum proferatur. Hæc ejus opera feruntur:

Scriptum in IV libros sententiarum.

Tractatus theologicus hoc titulo: Homo completus.

Videsis postea ad 1465 Henricum Kalteysen, ubi vol. 4 ejus operum laudatur n. 1 *Tractatus de viro completo & perfecto.* Cùm verò non omnia his voll. comprehensa sint Kalteysenii opera, sed & sint aliorum plura, non levis conjectura est hunc tractatum esse hujus Bartholomæi.

F. DOMINICUS DE NARDIS.

F. DOMINICUS DE NARDIS Petri filius Etruscus, patria Florentinus domus S. Mariæ Novellæ alumnus academiæ Florentinæ doctoribus theologis aggregatus obiit anno MCCCLXXXV die XVII Kal. decemb. Sic Badius in suo libello de ea academia ex Necrol. dictæ domus n. 513. Ejusdem meminit cum laude Pocciantius, quem excipiunt Possevinus, Pius, Fernandez, Altamura, Fontana in Prov. Roman. ex Lucarino. Reliquit inquiunt a se composita & ibidem servata MS * 1385.

Tria magna volumina ad conciones per totum annum.

I. *Quadragesimale.* Pr. *Quoniam multorum Fratrum mei ordinis.*

II. *De SS.* Pr. *In festo S. Andreæ. Proposito sibi gaudio.*

III. *Sermones de tempore.*

F. RAPHAEL MAFFEUS.

F. RAPHAEL MAFFEUS Calaber Caulonæ vernacule *Castelvetere* natus provinciæ Regni Siciliæ alumnus, vir inquiunt summæ integritatis & eruditionis non vulgaris, Carolo Parvo Dyrrachino dicto regi ab Urbano VI ipso coronato erat a consiliis & a sacris, vel ut aiunt Capellanus anno MCCCLXXXV, quo jam ille rex in benefactorem Urbanum insurrexerat & durius agebat: eum verò cùm Maffeus Urbano reconciliare tentaret, a rege jussus est in carcerem detrudi. At Carolo qui in Hungariam transierat ejus regni capessendi causa a Blasio Forgacho proditorie occiso & VI febr. MCCCLXXXVI mortuo, Maffeus mox fuit in libertatem restitutus. Sic Fontana in Monum. ad 1385 ex chronico nostri Petri Baiocensis, quem excipit Altamura in Addit. p. 570. His testibus scripsit * 1385.

Opusculum de vera & legitima Urbani VI electione.

Quod Carolo regi oblatum ab auctore, ei fuit causa exitii relati.

F. DOMINICUS DE LAGNE.

F. DOMINICUS DE LAGNE de quo cujas fuerit nemo refert, Gallum autem & Occitanum facile crediderim, a Gregorio XI ad Savonensem Ecclesiam evectus oves suas sanctissime rexit ad annum MCCCLXXXVI, quo diem obiisse fertur. Meminerunt Pius P. II Lib. 2 p. 212: Zuccarellus in Præsul. Savonen. Ughellus Ital. Sac. T. IV. Fontana in Theat. Editæ ab eo laudantur * 1386.

Constitutiones synodales pro bono Ecclesiæ suæ regimine.

F. GUIDO GUETIUS.

F. GUIDO GUETIUS vel *de Guezziis* alias corrupte *de Guenetiis* vel *de Guinitiis* Italus Bononiensis, de cujus ætate dissident inter se nostri nomenclatores, Lusitano Albertum Castellanum testem prodente, quem excipiunt Pius, Fernandez, * 1386.

Sæc. XIV. Altamura eum ad 1314, Leandro contra ad MCCCLXXXVI referentibus. Huic ultimo ceu qui res suæ domus Bononiensis diligentius examinavit, videtur potior habenda fides, præsertim cùm addat hujus Guidonis curis & industria domum Bononiensem multis fuisse codicibus ditatam. Rovetta hinc se expedire facile putavit duos distinguendo Guidones, alterum Ghesium quem ad 1386 cum Leandro, alterum de Guinitiis quem ad 1314 aut 1315 cum aliis ascribit. At merum est Rovettæ παραλήρημα, nam suum Guidonem Lusitanus eumdem esse cum eo de quo Leander tuetur. Scripsit

Commentarium in Aristotelis Eticha.

Archetypum in Bibl. Bonon. auctoris ipsius manu scriptum servabatur adhuc ætate Leandri, & adhuc extare verisimile est. In fine sui commentarii monet auctor se non suo illud ingenio concinnasse, sed Dei auxilio & plurium sanctorum quos ibidem enumerat intercessione, quæ viri pietatem indicant, & opus probant non philosophicum tantum sed & theologicum.

F. JOANNES GAII.

* 1386. F. JOANNES GAII Gallus natione Pictavensis, patria verò & professione Rupellensis sacræ theologiæ magister fuit in facultate Parisiensi, & ex ejusdem actis licentiatus fuit anno MCCCLXXXVI post pascha: nec omittendum duxi quod habent acta, septemdecim fuisse in illa licentia ut loquuntur, quorum tres tantum seculares, reliqui regulares, unus Cluniacensis, unus Cisterciensis, unus Victorinus scilicet abbas, unus Minor, unus Carmelita, duo Augustiniani, septem Prædicatores quorum hæc nomina F. Olivarius *Maillard* primus hujus licentiæ, F. Guillelmus Poserius quintus, F. Joannes Montesson septimus, F. Johannes Gaiius hic noster XIII, F. Nicolaus de Lingonis XIIII, F. Bernardus Pagesius XV, F. Petrus Baucherius vel Boncherius de quo postea XVI. Neque verò id mirum, nam ex actis facultatis ab anno 1373, (acta superiorum temporum perierunt) ad annum 1500, plures in omnibus fere licentiis erant regulares quam seculares, qui juri canonico potius quam theologiæ videntur tum incubuisse. Sed ad auctorem nostrum redeo, qui laudatur a Laurentio Pignon æquali n. 117, ceu qui scripserit

Commentarium in IV libros sententiarum.

Vel jam cum pluribus ejus rationis alicubi jacens & neglectum, vel cùm domum nostram Rupellensem Calviniani sec. XVI solo æquarunt, flammis absumtum.

F. BERNARDUS ERMENGAUDI.

† 1387. F. BERNARDUS ERMENGAUDI Aragonus, patriaque & professione Barcinonensis, vir fuit non eruditione tantum, sed & disciplinæ studio regularis ac fidei, rerumque gerendarum peritia conspicuus. In cap. gen. Pompelone MCCCLV ad legendas Parisiis sententias assignatus eo se contulit, & magisterii lauream tandem in sacra facultate consecutus est, de quo sic in cod. Lingon. n. 142 inter additos ad Bernardum Guidonis manu æquali: *F. Bernardus Ermengoldi Catalanus de provincia Aragoniæ factus Parisius anno Dñi* MCCCLVIII *in mense decembris.* Reversus in patriam, inquisitoris generalis officio donatus est continuo, quo jam anno MCCCLX julii XVII functum esse constat. Anno MCCCLXVIII a magistro ordinis Elia Tolosano vicarius generalis & visitator super provincia Tolosana constitutus, delegationem obire cœperat, sed intercedente & appellante F. Sanctio Ficola provinciali Tolosano, Brugas Flandrorum progressus est ad comitia ordinis ibidem anno MCCCLXIX coacta, provinciæ Aragoniæ diffinitoris titulo missus. Ubi cùm fuisset in diffinitorio propositum ac utrinque agitatum, num esset convenientius & utilius capitula generalia deinceps de biennio in biennium, aut etiam de triennio in triennium protrahi, quam singulis ut in usu antea annis celebrari, quam sententiam variis efficacibusque plurimi rationibus adducti sequebantur, ac super ea quæstione latum in præcedentibus ordinis Avenione anno MCCCLXVII habitis comitiis per viam inchoationis simul & ordinationis medio tempore servandæ statutum approbandum esse sentiebant: Ermengaudum ferunt sic efficaciter orasse, objectasque in contrarium rationes sic solvisse, ut in ejus omnes ierint liberi sententiam, fueritque tum ab hujus novi approbatione decreti supersessum: Sed tandem nihilominus anno sequenti MCCCLXX Valentiæ Aragonum approbatum, confirmatum deinceps, & usu receptum. Reversus ad suam provinciam Ermengaudus eodem anno MCCCLXIX in cap. provinc. Barcinone in natali B. V. delectus est unanimi suffragiorum voto prior provincialis, annisque decem tranquille suo functus est munere. Verùm Gregorio XI Romæ anno MCCCLXXVIII e vivis exempto, diroque & pertinaci schismate scissa in duas partes Ecclesia, non solum ordo schisma etiam passus est in duos divisus præfectos generales, quin & divisæ fuerunt etiam aliquæ ordinis provinciæ prout alteri pontificum obedientiam præstare negareve secularibus libuerat regnorum ditionumque principibus, Petrus verò IV Aragonum rex neutri pontificum dubius adhærebat. Anno autem MCCCLXXX cùm in generali capitulo Lausanæ fuisset ab Elia magistro ordinis partes Clementis VII papæ Avenionensis sequente Ermengaudus a suo munere dejectus, Petro IV rege favente minime paruit, & in eodem perseveravit ad obitum usque, non tamen pacifice. Nam etsi provinciæ partem habuerit sibi adhærentem, in qua sua quotannis de more celebravit comitia, Huescæ, Xativæ, Barcinone, Ilerdæ, Valentiæ, Ilerdæ iterum, & Terragonæ ad annum MCCCLXXXVII: aliunde plures e regnis Aragoniæ, Gothalaniæ, Navarræque conventus ab ejus obedientia recesserunt, & in festo S. Bartholomæi MCCCLXXX Cæsaraugustæ capitulariter coacti F. Gombaldum de Ulugia sacræ theologiæ magistrum Parisiensem virum insignem & eruditum de quo supra, ejus loco provincialem elegerunt, qui etiam sua in parte sibi parente habuit comitia: quæ provinciæ divisio tandem cessavit morte Ermengaudi anno MCCCLXXXVII mense januario stylo novo LXXXVIII, de quibus fusius Diagus Hist. prov. Arag. lib. 1. cap. 30, ubi & addit hæc ejus opera Barcinone forsan servata

Scriptum in IV libros sententiarum.

Sermones aliaque opuscula.

Judicium quod de Raimundi Lulli libro cui titulus, *Philosophia amoris* tulit die sabbati XIX maii MCCCLXXXVI Barcinone, refert Dermitius Thaddæus in suo opere, *Nitela Franciscanæ religionis* p. 482. Quid vero de ea censura sentiendum, quidve ex ea recte concludatur, videsis postea ad 1359 ubi de Nicolao Eymerico. Alia vero ab eo gesta ut inquisitore servantur in Aragoniæ archivis.

F. ROBERTUS GERVASII.

F. ROBERTUS GERVASII Gallus Occitanus Andusiæ diœcesis Nemausensis vernacule † 1387.
Anduse municipio olim munitissimo ad Gabalorum fines ortus; ut videtur, Morologii Gallice *Maruejes* vel *Morojols* ordini nomen dedit circa medium seculi

seculi XIV, eximiusque theologus evasit, laureaque insignitus ac rude donatus Urbano V S. P. ita se probavit, ut anno MCCCLXIX ab eo ad Ecclesiam Senecensem vel ut alii loquuntur *Sanitiensem* Petri morte vacantem promotus fuerit literis datis apud Urbem veterem V Idus octob. anno VII. Quam diutius rexit ad annum circiter MCCCXCVI, cùm ei non legatur successor datus nisi anno MCCCXCVII. Ejus meminit noster Nicolaus de S. Saturnino cardinalis in Testamento suo inter probationes cardinalium Francorum a Francisco *Duchesne* p. 490 relato his verbis: *Item lego D. Episcopo Senecensi novum mantellum meum foliatum de agniellis nigris. Item lego eidem D. episcopo unam de cappis meis, quam habeo novam pro equitando.* Quæ literæ datæ XX decemb. MCCCLXXXI Avenione. Ejusdem meminere in Gallia Christiana Sammarthani, sed ordinis Prædicatorum fuisse aut ignorarunt aut omiserunt. At præ cæteris legendus clar. Baluzius *T. I Pap. Avenion. in notis col.* 1055, qui Andusiæ natum colligit, quod in *literis Arnulphi d'Audenehan* mareschalli Franciæ & locumtenentis regii in partibus Occitanis, quæ datæ apud Villamnovam prope Avenionem XIII octob. MCCCLXIII. Joannes & Bernardus Gervasii fratres Andusiæ cives memorantur. Scriptis pluribus celebrem probant quæ sequuntur ejus opera etiamnum servata:

1. *Speculum morale regium*, seu *De regimine principum.* Princ. *Metuendissimo ac illustrissimo Domino D. Carolo moderno* [nempe VI hujus nominis] *divina providentia regi Francorum, F. Robertus episcopus Senecensis sacræ paginæ professor indignus, in regno Franciæ ortus & nutritus, zelator fervidus honoris domus Franciæ ac vestræ regiæ majestatis, & indignus orator cum omni reverentia & humilitate semetipsum, & ad omnia vestræ regiæ majestatis beneplacita juxta modicam meam facultatem famulatum. Serenissime Domine rex & illustrissime, Divina providentia ab alto prospiciens & cernens Ecclesiam suam quam proprio sanguine acquisivit naufragari inter procellas & turbines mundani pelagi assidue fluctuantis, quamvis ipsam prospiciat de excelsis &c.* in quibus domum Franciæ plurimum extollit ut Ecclesiæ columen & fidei orthodoxæ alumnam.

Ex hoc prologo eruimus, quæ de ejus ortu & loco professionis asserimus. Finis: *Explicit Speculum morale regium utile ad speculandum quomodo princeps sit excellens & famosus & virtuosus ac gloriosus: & ad contemplandum culmen regiminis regiæ majestatis, & utilitatem & præmium ejusdem, factum per F. Robertum episcopum Senecensem magistrum in theologia ordinis Fratrum Prædicatorum, & completum sub anno Domini* MCCCLXXXV *prima die mensis octobris, recollectum ex multis tractatibus.* Extat codex MS memb. fol. par. in Bib. gymnasii Navarræi Paris. integer & sanus eleganterque scriptus. Ad calcem sic legitur: *F. Alanus Kersebu ord. FF. Præd. & de conventu Guingampensi nativus scripsit hunc librum &c. dum erat studens Pictavis in theologia A. D.* MCCCCXXVII. Habetur & in Regia cod. 5372 fol. par. memb. & in Colbert. cod. 5410 fol. par. memb.

2. *Tractatus de schismate adversus Joannem de Linhano & Baldum Perusinum defensores Barthomæi Barensis.* Sic ab eo nominatur Urbanus VI, quia cum tota Gallia Robertus Clementi VII sic in obedientia sua Avenione dicto obediebat. Princ. *Incipit liber seu tractatus vocatus Myrrha electa putredinem schismaticæ pravitatis destruens & annullans, & sublimitatem Ecclesiæ & potestatem manifestans.* Dividitur autem in duos tractatus. Primi initium & finem legendi non fuit otium.

Alter incipit: *Cogitanti mihi rursus quorumdam magistrorum in sacra pagina imperitia, mmagis flere liberet & admirari, quam aliquid contra eos eructare, sed zelus justitiæ & veritatis, & ut reor zelus amoris & caritatis factus est in corde meo tanquam ignis æstuans &c.* Cùm autem in hoc opere meminerit miraculorum B. Petri cardinalis de Lucemburgo secundâ julii MCCCLXXXVII mortui, clarum est postea ab auctore editum, tamen ante MCCCLXXXIX, cùm de Urbano VI ut vivo loquatur, quem & pessime excipit, adeo infelix ea ætate erat Ecclesiæ status. Hæc secunda pars operis extat Parisiis in Bibl. Reg. cod. MS 4206 fol. med. memb. constatque foliis 23. Prima vero pars imo opus integrum in Colbert. cod. MS 2761. SEC. XIV.

Plura alia ejusdem Roberti ferunt reperiri in archivo Ebredunensis Ecclesiæ, & Senecensis, quæ curiosi gentiles discutiant & hîc addant.

F. BERTRAMUS TEUTO.

F. BERTRAMUS vel *Bertrandus* TEUTO a natione vulgo sic agnominatus, quem circa partes Rheni ortum & conventus Confluentini alumnum facile conjicias, vir doctrina, pietate, ac in agendis dexteritate & solertia conspicuus episcopus Tefelicensis (vulgo *Tiflis* in Georgia) titularis fuit, & Theodorici de Poppart e nobili Poppartiorum familia ad Rhenum Metensis episcopi anno MCCCLXIII electi suffraganeus ac vicarius in spiritualibus, eoque titulo anno MCCCLXVI Dom. IV quadragesimæ sacellum quoddam Metis dedicavit anno subinde MCCCLXX Cœlestinis monachis concessum. Diœcesim hanc sapientissime & cum omnium approbatione administrabat, cùm anno MCCCLXXVIII exortum est dirum illud schisma, quod totam Ecclesiam tamdiu devastavit: tum enim uterque pontifex Romanus Urbanus VI, & Avenionensis Clemens VII Metensi clero dominari ambiverunt, habueruntque uterque suos in ea civitate asseclas & fautores, licèt partes Avenionensis prævaluisse videantur. Anno MCCCLXXIX Guillelmus cardinalis de Agrifolio a Clemente VII legatus Metas missus urbem intravit, & a capitulo Ecclesiæ receptus fuit instrumento ea de re XXX junii confecto, tumque Bertramus noster qui Urbano VI adhærebat, locum deserere coactus est, Confluentiamque ad Rhenum archiepiscopo Trevirensi subjectam civitatem recessit. Verùm anno sequenti MCCCLXXX Metas venerunt Urbani VI nomine legati duo apostolici, qui & ipsi secunda maii recepti fuere, cum iisque reversus est Bertramus, tumque videtur deinceps quandiu a parte Clementis non stetit ad mortem usque episcopi Poppartii ministerium suum exercuisse, scilicet ad XV Kal. febr. MCCCLXXXIII, quo Poppartii obitum notant, quodque mihi videtur intelligendum stylo veteri Gallico, novo MCCCLXXXIV. Res hactenus claræ, sed postea apud auctores turbidissimæ, maxime quod de anno non conveniant, quo B. Petrus de Lucemburgo ad purpuram promotus sit. Omnia facile componi videntur, si posito ut supra Poppartii obitu XVIII jan. MCCCLXXXIV stylo novo, Lucemburgius Metensis electus dicatur antistes martio sequenti, & paulo post pascha ejusdem anni (qui dies fuit decimus april.) a Clemente VII cardinalis creatus data ei simul in commendam Ecclesia Metensi. Quæ ut sic astruam his moveor momentis. Primo in vita priori Clementis VII *T. I Pap. Aven. Baluzii* pag. 509 sic lego, post promotionem cardinalium ab eo pontifice factam XXIII dec. MCCCLXXXIII: *Insuper adveniente tempore paschali ad instantiam regis Franciæ & ducis Bituricensis prænominati præfatus Clemens papa promovit in diaconum cardinalem D. Petrum de Lucemborch fratrem comitis S. Pauli tunc electum* † 1387.

SEC. XIV. *Metensem &c. Eodem etiam anno* MCCCLXXXIV *die* XX *mensis septembris &c.* ubi auctor ejus certe ætatis aut non admodum suppar clare testatur Lucemburgium ad purpuram tempore paschali MCCCLXXXIV promotum. Cætera conveniunt, nam apud Franciscum du Chesne, *Histoire des cardinaux François*, inter acta seu probationum instrumenta pag. 616 ex cod. MS episc. Meten. hoc refertur: *S. Petrus de Lucemburgo admissus a capitulo die pentecostes anno* MCCCLXXXIV. (Scilicet XXIX maii: nam erat aureus numerus 17, Lit. Dom. C. B, & pascha 10 april.) Tum autem jam fuisse cardinalem Lucemburgium præter auctoritatem jam relatam ex vita prima Clementis VII, probat instrumentum primum in dicta Historia cardinalium Gallorum pag. 527 relatum ex veteri MS, quo narratur cardinali Lucemburgio episcopatum Metensem 60000 florenorum reditus ad suæ dignitatis adminiculum in commendam a Clemente collatum fuisse: cùm autem hujus diœcesis municipia & castra a Teutonibus papæ (scilicet Clementi VII) rebellibus, sed haud dubie Urbani VI partes sequentibus occuparentur, dictum cardinalem & fratrem suum comitem S. Pauli copiis quibusdam Joannis III ducis Borbonii auxiliariis adjutos, castra illa & municipia expugnasse ac Teutones ejecisse: quæ acta fuerint priusquam Avinionem anno MCCCLXXXVI circa finem aprilis se conferret, & quarta junii ejus anni ingrederetur, nam deinceps Metas non est reversus. Scio Baluzium virum certe accuratum, cui præiverant Onuphrius, Ciacconius & Oldoinus, contendere Lucemburgium nonnisi anno MCCCLXXXVI mense aprili purpura decoratum, ea maxime ratione, quod eo anno XXIIII aprilis Carolus VI Franciæ rex ei dederit duo millia librarum in sumtus itineris Avenionensis: at id probat tantum non prius Avenionem concessisse deinceps moraturum, non quod non jam ante duos annos creatus fuerit cardinalis, ut diserte habet auctor vitæ Clementis allatus. Iter autem Avenionense tandiu distulerit, quousque Metense dominium plene sibi subjectum haberet. Nam aliunde ex parte fautorum Urbani VI æmulus illi erat ab eo papa positus etiam Metensis præsul Titelhanus de Voussy de quo sic legitur in iisdem instrumentis relatis pag. 616: *Venceslaus imperator Metas venit, petiitque a clero, ut Urbano papa Romano faverent, & episcopum agnoscerent Titelhanum Voussy.* Hujus hauddubie jura tuebantur Teutones illi, a quibus, ut dictum, municipia diœcesis occupabantur, & quos cardinalis cum fratre suo debellandos habuit. Quid autem hæc ad nostrum institutum quæret forsan lector, sed est responsio in promptu, scilicet cardinalis episcopi adolescentis vix quindecim annos nati suffraganeum & vicarium in spiritualibus, auctoritate Clementis VII sic in sua obedientia dicti, fuisse ut videtur F. Martinum de Amantia genere nobilem conventus nostri Metensis alumnum, sacræ theologiæ professorem, antea ibidem & in vicinis diœcesibus hæreticorum censorem, episcopum Gabulensem titularem jam ab anno MCCCLXXXII promotum, qui in chronico conventus Metensis XXI octob. MCCCCIX dicitur obiisse, ac in navi templi nostri ante pedes patrum dum cantant *Salve* post completorium sepulturam habuisse: non verò Bertramum nostrum Tefelicensem, licèt ita velit F. Martinus Meurisse ordinis Minorum episcopus Madaurensis suffraganeusque & ipse Metensis in sua Gallica episcoporum Metensium historia, neque enim persuadere nobis possumus Lucemburgium Clementis VII obedientiæ medullitus addictum, auctoritatem suam commisisse viro qualis erat Bertramus Urbani VI partibus devinctissimo. Itaque Bertramus quandiu pars Urbani VI fortior fuerit, suffraganeum egerit forte etiam Titelhani *de Voussy* cùm Teutones dominabantur: cùm prævaluit Clementis VII factio, tum secesserit Confluentiam, ubi tandem apud nostros mortuus & in ecclesia eorum sepultus jacet. Diem obitus produnt omnes XX januar. de anno non ita conveniunt, Labbeus in *Bibl. chronolog.* indicat annum MCCCLXXXI: Ludovicus Jacob in *Bibl. Pontif.* annum MCCCLXXXIII: Meurissius citatus oblitus eorum quæ de eo superius scripserat, parum attente & falso dicit obiisse anno MCCCLXVII, quo nondum schisma exortum, sed erratum typorum vel amanuensis facile crediderim & legendum MCCCLXXXVII, quem etiam annum prodit Tritemius, & excipiunt Lusitanus, Fernandez, Pius, Fontana in *Theatro*, Altamura &c. Inter hos tamen emendandus Fontana, qui non contentus recensuisse & recte inter *Tephelicenses*, iterum inter *Thessalienses*, cujus tituli nulla est in notitiis ecclesiasticis memoria, numerat aut fingit. *Tiflis* autem ut & hoc addamus, non in Creta insula ut putat idem Fontana, sed ut jam monui, civitas est Georgiæ princeps *Tebile Cala* ab indigenis dicta ad fluvium *Kur* sita, sedes jam proregis Persarum, ubi præter episcopum Armenum a seculo XIII Latinus etiam fuit antistes. Ex hactenus dictis hos ex nostris suffraganeos Metis seculo XIV invenio, Bertramum hunc sedente Poppartio, & post eum Titelhano si quid hic juris & auctoritatis habuit quandiu prævaluit pars Urbani VI ad MCCCLXXXVII; quandiu autem post adventum cardinalis de Agrifolio anno MCCCLXXIX alternis ut ita dicam vicibus at plerumque superior fuit pars Clementis VII, primus F. Andreas de Portamosellæ conventus nostri Metensis alumnus *vir illustris, doctus, multisque gratiis dotatus episcopus Gabulensis* titularis, qui obiit anno MCCCLXXXI die octava decembris, & ad dextram majoris altaris templi nostri sepultus fuit. Sic chronicon antiquum MS conventus Metensis, ex quo Meurisseum citatum emendes, qui ejus quidem episcopi meminit pag. 531 etsi incertus an suffraganei vices egerit, sed quem falso anno MCCCXCI mortuum refert: alter F. Martinus de Amantia supra laudatus, qui successit prædicto Andreæ in eodem episcopatu, ut habetur in eodem chronico. Quæ visum est monere, quod diligentiam Fontanæ hi fugerint antistites. Hactenus autem dicta sic proferimus, ut si quis certiora ediderit, ultro & libenter obsequamur. Hæc Bertrami nostri laudantur opera:

1. *Tractatus de schismate Urbani VI, & Clementis VII pseudopontificis, ad Cunonem de Falkestein Trevirensem archiepiscopum.* Pr. *Gloriam sapientes* &c. Sic Tritemius. Hoc vero opus non dubitem quin in illa ingenti rerum schismatis Avenionensis collectione Romæ servata locum habeat.

2. *De illusionibus dæmonum ad eumdem.* Pr. *Reverendissimo in Christo.* Sic idem.

3. *Sermones varii*, inquit idem, *& alia plura.*

Non omittendum hunc auctorem ab aliis aliter vocari Bernardum, Bertramum, Bertrandum, subque hoc triplici nomine a Possevino recenseri qui tamen quoque loco eumdem esse hominem diligenter monet. Emendandus Malletus qui T. II p. 138 hunc Bertramum vel Bernardum ut vocat Tefelicensem episcopum & suffraganeum Metensem eumdem censet cum Bernardo Pagesio sacræ theologiæ magistro Parisiensi, cùm toto cœlo ab invicem discrepent. Id unum discrimen afferre sat est: Pagesius licentiatus fuit anno MCCCLXXXVI ex actis facultatis, & Bertramus jam anno MCCLXXIIII episcopus erat inauguratus, & Metis suffraganeum & vicarium in spiritualibus episcopi agebat. Fridericus Steill a Malleto delusus in eumdem errorem im-

pegit, sed saltem epitaphium nos docet Bertrami tumulo ejus in odeo ecclesiæ nostræ Confluentinæ ad majus altare erecto insculptum, quod sic habet: *Hæc sepultura est Fratris Bertrami episcopi Thefelicensis fratris hujus conventus Confluentini dimissa sepultura sua, quam fieri fecit in conventu Metensi ad sinistram chori. Obiit anno Dñi* MCCCLXXXVII *die* XX *mensis januarii.* Hæc sola inscriptio quam Stellius se legisse in tumulo testatur, argumentum est invictum omnium supra de hoc episcopo relatorum.

F. JOANNES DE MONTESONO.

† 1388. F. JOANNES DE MONTESONO sive *de Monçon* Aragonus a patria haud obscuro ad Cingam fluvium, quo scilicet Aragonia & Catalonia fere dividuntur municipio nuncupatus, Valentiæ ubi forte ordini nomen dederat anno MCCCLXXXIII morabatur præsentati titulo decoratus, ac ecclesiæ majoris, *La seo* vocant, theologus cathedram illam recens anno scilicet MCCCXLV ab episcopo fundatam pro canonicis ac clericis ejusdem ecclesiæ Fratribusque Prædicatoribus perpetuo annexam moderabatur, in eaque sacras literas docebat a quibusdam annis. Hunc eumdem circiter annum MCCCLXXXIII Parisios ad legendas in gymnasio nostro Sanjacobeo sententias missus, magisterii lauream tandem obtinuit, anno MCCCLXXXVI stylo veteri, novo LXXXVII ante pascha inter septemdecim, quorum septem nostri, ordine septimus licentiatus. Verùm cùm in sua *de resumpta* ut aiunt quæstione dogmata quædam adoptatæ ab academia piæ de conceptione B. Virginis sententiæ adversa defendisset, ægerrime id tulerunt theologi academici: tumque ex ejus vesperiis, quas antea non impugnarant, quinque de tractatu incarnationis positiones, & ex resumpta novem, sex nempe circa conceptionem B. V. tres vero de creaturis excerpentes, ac seligentes, has quatuordecim ut revocaret secreto primum tum & publice monuerunt & edixerunt. Acta fere omnia in hac causa refert Cæsar Egassius Boullæus *Histor. univ. Paris. T. IV a pag.* 618 & deinceps: primum tamen instrumentum forte quod in Regestis universitatis non habeatur, omisit, quod in actis sacræ facultatis sic legitur: *In nomine Domini. Amen.* » *Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno ejusdem D.* MCCCLXXXVII *Ind.* X, *mensis Junii die* XIII *Pontif. SS. in C. P. & D. D N. D. Clementis divina providentia papæ VII anno* IX. *In venerabilium & circunspectorum virorum dominorum & magistrorum Joannis de Guignicurte Bacalarii in theologia cancellarii Ecclesiæ Parisiensis, Galerani Dependre, Henrici Heront, Petri de Alliaco, Henrici ordinis Fratrum B. Catharinæ de Valle scholarium, & Christiani ordinis Fratrum Eremitarum deputatorum ex parte facultatis theologiæ ut dicebant ad infrascripta audienda; nec non Fratrum Joannis Thome, Joannis Adam, Joannis Merici* [A], *Bernardi Bosquerelli* [B], *Oliverii de Went* [C] *magistrorum in theologia ordinis Fratrum Prædicatorum; ac mei notarii publici testiumque infrascriptorum ad hæc vocatorum specialiter & rogatorum præsentia, personaliter constitutus venerabilis & religiosus vir F. Joannes de Montesono ordinis prædicti Fratrum Prædicatorum magister actu regens Parisius in facultate theologiæ dixit & exposuit prædictis deputatis, ac etiam requisivit, quod cùm ipsi essent deputati ex parte dictæ facultatis theologiæ ut asserebant ad disputandum cum dicto magistro de Montesono de & super quibusdam conclusionibus & propositionibus dictis & propositis in sua resumpta, quæ ut dicebatur male sonabant, quod dictos magistros superius nominatos de ordine Prædicatorum dicti domini deputati permitterent esse præsentes in dicta disputatione, ut testificari possent de rationibus & responsionibus faciendis; qui magistri promittebant se juraturos nihil dicere in dicta disputatione, nisi solummodo audire. Si verò nollent dictos magistros permittere interesse, saltem permitterent aliquos studentes de suo ordine interesse, qui in dicta disputatione possent modo consimili esse testes. Si vero nec hoc nec illud eis placeret, vellent rationes suas scribere, & dictus magister Joannes de Montesono suas solutiones volebat subscribere, ut de rationibus & solutionibus præfati magistri dictæ facultatis possent melius judicare. Præfatus vero magister Joannes de Montesono tenens in suis manibus quasdam literas signo publici notarii non signatas, sigillo D. Stephani olim Parisiensis episcopi, nec non vidimus ejusdem literæ sigillo D. Guillelmi olim Parisiensis episcopi eorum sigillis sigillatas, ut prima facie apparebat, prædictasque literas præsentavit dictis dominis deputatis; intimavit, & ad eorum notitiam deduxit. Qui quidem magister Galeranus supranominatus nomine sæpe dictæ facultatis petiit lecturam & copiam dictarum literarum, quam sibi obtuli fieri. Voluit etiam & petiit dictus magister Galeranus, quod non arguerent dicti domini deputati contra dictum F. Joannem in præsentia magistrorum sui ordinis nisi prius consulta super hoc facultate. Postmodum verò dictus D. cancellarius dixit quod sibi placebat, quod suis disputationibus totus mundus præsens adesset, & quod semper volebat facere secundùm ordinationem dictæ facultatis. Præfatus vero magister Petrus de Alllaco protestatus fuit; quod de dicto facto se non intromittebat, aut intromittere nec arguere volebat, nec unquam fuerat deputatus ad disputandum contra sæpe dictum F. Joannem de Montesono. Similimodo responderunt M. Henricus Heront, Henricus & Christianus prænominati. De & super quibus omnibus & singulis præfatæ partes petierunt a me notario publico infrascripto sibi fieri & confici publicum instrumentum unum vel plura. Acta fuerunt hæc in capella collegii de Sorbona Parisius sub anno indictione mense die & pontificatu prædictis, præsentibus ad hæc religiosis viris Fratribus Guillelmo de Valton, Joanne de Condoune, Stephano de Moraria, Alphonso Pelagii, Joanne de Maine ordinis Fratrum Prædicatorum, nec non D. Thoma de Gnezenocio & Yvone Guery presbyteris Corisopitensis diœcesis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Et quia ego Joannes Coustelli &c.* Actorum deinceps « chronologiam tantum indico, quod a pluribus perturbate referantur. Sexta julii sequentis sacra facultas positiones XIIII relatas qualificavit ut aiunt, & ab auctore revocandas censuit, ita tamen ut nec eum hæreticum dixerit, nec aliquam suarum propositionum hæreticam nominarit. Aliis deinde trium facultatum suppositis ut sibi adjungerentur denunciata censura, omnes simul episcopum Parisiensem Petrum *d'Orgemont* adeunt, & ut de lite pronunciet requirunt: qui episcopus XXVIII Augusti sequentis positiones illas XIIII condemnat sub pœna excommunicationis cuicunque illas docenti vel defendenti ipso facto incurrendæ. Montesonus extemplo ad Robertum de Gebennis Clementem VII in sua obedientia dictum Avenioni sedentem provocat, apologiamque scribit & pontifici illi cardinalibusque offert. Tum verò XIIII februarii sequentis MCCCLXXXVII more Gallico veteri, novo LXXXVIII ab universitate congregata decretum fertur adversus Montesonum, simulque Petrus de Alliaco cum aliis [D] Avenionem legatus missus co-

[A] Johannes Merici fuit licentiatus octavus anno 1383 stylo veteri, novo 1384 ante pascha.

[B] Bernardus Bosquerelli fuit licentiatus undecimus cum dicto Johanne Merici.

[C] Oliverius de Went patria erat & professione e Brugis Flandrorum & anno 1393 electus fuit provincialis Franciæ.

[D] Hi fuerunt Ægidius de Campis postea Cardinalis, Joannes de Novavilla Cisterciensis, & Petrus de Alainvilla J. C. doctor monachus nigri ordinis.

SEC. XIV. ram pontifice, deinde in consistorio cardinalibus præsentibus duplicem habet adversus Montesonum orationem sive actionem: qui pontifex judices Guidonem Prænestinum episcopum, Leonardum S. Sixti & Amelium S. Eusebii presbyteros cardinales seligit ac instituit, & Montesono sub pœna excommunicationis prohibet, ne a curia usque ad terminationem litis discedat. Ille verò hanc sibi non fore propitiam subodoratus, clam januario mense MCCCLXXXIX aufugit Aquas sextias, ubi Clementis partes deserens & Urbani VI papæ Romani amplexus, postquam aliquantulum est commoratus in Aragoniam secedit. Interea cardinales judices deputati sententiam ferunt die mercurii, XXVII januar. MCCCLXXXIX Ind. XII, Clementis anno undecimo, qua Montesonum Valentinensis diœcesis oriundum ob fugam principaliter excommunicatum *& aggravatum jubent sub pæna excommunicationis ut locorum præpositi, ubi requisiti fuerint, denuncient rectius a suis subditis evitari*: nihilque amplius apparet in aula Avenionensi super eo negotio deinceps actum, cui & consentit Alva in *Sole verit. Rad.* 258 *col.* 1640. Unde quod aiunt Joannes Juvenalis de Ursinis in *Hist. Caroli VI regis Galliæ ad an.* 1388, Spondanus *Annal. Eccles. T. II ad* 1387. *n.* 7, Boulæus *Hist. univ. Paris. T. IV. pag.* 633, a Clemente jussum Montesonum redire Parisios, academiæque subire emendationem, nullo instrumento publico fulcitur, nec alia in actis universitatis extat Avenione lata sententia præter cardinalium supra relatam. Parisiis verò F. Guillelmus de Vallone episcopus Ebroicensis Carolo VI a confessionibus XVII februar. MCCCLXXXIX ab eodem rege instanter petiit, quatenus regi Aragonum scriberet, ut Montesonum captum Parisios remitteret puniendum: quod convenit cum eo quod habet Diagus noster *Histor. prov. Arag. lib.* 1 *cap.* 21 *fol.* 41 *c*, Joannem Aragonum regem ex parte Academiæ Parisiensis, ut ita ageret requisitum fuisse: verùm Montesonum de re monitum causam ita suo exposuisse regi ac probasse, ut sub ejus protectione & tutela securus & quietus deinceps cum omni honore vixerit. Videtur tamen tum ut academicorum Parisiensium invidiam & papæ Avenionensis auctoritatem evitaret, in Trinacriam seu Siciliam insulam, quæ Urbano VI parebat, secessisse, nam Rochus Pirro *Sicilia sacra T. III Notit.* 1 *Catan. Eccl. n.* 36 refert Montesonum a nostro Simone de Puteo episcopo Catanensi spoliorum subcollectorem apostolicum literis Catanæ 17 julii 1393 datis pro Bonifacio IX constitutum fuisse. At hinc quibusdam annis postea in patriam reversus, vivebat adhuc anno MCCCCXII, quo caput fuit legationis ab Alphonso Gandiæ duce coronæ Aragoniæ competitore ad judices selectos missæ, ut jus suum tueretur. Sic enim refert Curita *Annales d'Aragon lib.* XI *cap.* 71 *fol.* 54 *d.* Quæ quanta fuerit apud suos gentiles existimatione & auctoritate non obscure probant. De eo præter citatos agunt nostrates Fernandez leviter, Fontana in *Monum.* ex nostro Petro Bajocen. Antonius Mallet fusius & accuratius *Hommes illustres de S. Jacques de Paris T. II. pag.* 139. Extrates verò auctores vitarum Clementis VII Avenionen. tum & Bosquetus & Baluzius in suis ad eas vitas notis, qui ultimus Baluzius scilicet col. 1375 Spondano assentitur de sententia a Clemente VII adversus Montesonum lata, sed eam referre debuisset, nullibi enim ut jam dictum est occurrit. Nicolaus Antonius *Bibl. Vet. Hisp. lib.* 9 *c.* 7 *n.* 379, qui & de eodem citat Lanuza *Histor. Arag. T. I lib.* 5 *c.* 39. Hæc vero sunt Montesoni opera:

1. *Tractatus brevis de electione papæ quoad materiam schismatis nunc currentis, qui dicitur, Informatorium, editus a F. Joanne de Montesono ordinis Prædicatorum magistro in theologia A. D.* 1389 *Aquis*: sic habet titulus, ex quo colligimus ab eo compositum, cùm primum Avenione Aquas sextias in Provincia aufugit, & Urbani VI obedientiam amplexus est. Princ. *Novissime verò omnium tanquam abortivo visus est & mihi. Corinth.* 15. *Prædicator gentium &c.* Extat Parisiis in Bibl. Colbert. cod. 821 MS. fol. mag. a pag. 671 ad 707. Extabat & aliâs in Bibl. Caroli de Monchal archiep. Tolos. cod. 223, recensеturque a Labbeo in sua Bibl. nov. MSS. pag. 203: est & Romæ in Bibl. Barber. n. 2304, ex quo Rainaldus *T. XVII Annal. ad* 1389. *n.* 15 quædam refert. In eo tractatu hoc argumentum Clementistarum referens: *sed omnes prædicti Domini concorditer dicunt D. Urbanum non esse papam, & dicunt qui se Clementem nominat esse papam. Igitur hoc videtur esse credendum a populo Christiano.* Respondet: *Et hæc ratio aliâs fecit me præcipitare in errorem prædictum. Ad quam respondeo sic &c.*

2. *Correptorium contra epistolam fundamenti schismatis* (nempe cardinalium encyclicam datam Anagniæ anno MCCCLXXVIII augusti IX relatam a Rainaldo cit. ad eum annum n. 48.) *compilatum per Joannem de Montesono sacræ theologiæ professorem.* Pr. *Peccantem coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant. Dicit apostolus* 1 *Tim.* 5. *Licèt enim peccantem in secreto &c.* Extat cod. Colbert. cit. a pag. 707 ad 807 & in aliis codd. cit. ex eoque plura refert Rainaldus laudatus.

3. *Dialogus Joannis de Montesono sacræ theologiæ professoris ad cardinalem B.* (Bartholomæum Mezzavaccam a Bonifacio IX restitutum) *tit. S. Martini in montibus dictum cardinalem Reatinum super schismate Ecclesiæ orto tempore Urbani VI.* Post epistolam nuncupatoriam, & Prologum, Princ. *Ut attestatur B. Gregorius lib. Pastor. c.* 3, *nemo amplius in Ecclesia nocet &c.* Interlocutores *Magister & Discipulus.* Extat in cod. Colbert. cit. primus & obtinet pagg. 610. Extat etiam in aliis codd. cit. Vide Rainaldum Annal. Eccl. ad 1391 n. 24, ubi plura *ex eo* inquit *egregio commentario V libris comprehenso* refert. Quo inter alia infelices quorumdam Europæ regum & principum Clementis Avenionensis partibus adhærentium Caroli Dyrrachii principis, Joannis I regis Castellæ, Ludovici Andegavensium ducis, Joannæ reginæ Neapolis, Bernabonis Mediolani, Leopoldi Austriæ, Rainaldi Ursini obitus divinæ vindictæ ascribit. Opus editum fuit anno 1391.

4. *Opus quod dicitur scopos* 72 *conclusionum ad peragrandam viam Ecclesiæ a devio triviali ad Bonifacium papam IX.* Pr. *Beatissime pater scribit apostolus oportet hæreses esse &c.* Post epistolam verò opusculum incipit: *Dicit apostolus: In novissimis temporibus instabunt tempora periculosa &c.* In cod. Colbert. cit. a p. 807 ad 973. Extat & in aliis codd. cit. Sed & laudatorum tractatuum quosdam saltem haberi in Bibl. Colonæa Hispalen. Ecclesiæ testatur Antonius *Bibl. Hisp. veteri cit.*

5. *Tractatus de Conceptione B. Virginis.* Extabat Tolosæ in Bibl. Fuxen. gymnasii cod. MS membr. fol. a Baluzio dum ibi literis incumberet junior, visus & exploratus, quod mihi ipse asseruit Parisiis die XXI junii MDCLXXXI, addens postea subreptum cum aliis ab homine sibi noto ante annos plus minus XXX fatis functo, a quo & ad alium postea morte sublatum transierat. Tres de ea quæstione ejusdem tractatus numerat Alva *Sol. verit. Rad.* 258 *col.* 1645, sed *Resumptæ* theses habet pro tractatu primo, alii verò duo fortè unus & idem sunt hîc citatus Fux. Bib. Parisiis primum editus tum & Avenione innovatus. Quorum penes curiosos lectores arbitrium.

6. *Sermones plures & varia opuscula vernacula lingua* servabantur Valentiæ apud suos in Bibl. teste nostro Diago cit.

Hîc autem quædam visa sunt annotanda. Primum occasione Montesoni in nostros Parisienses, & totius fere provinciæ Franciæ sodales, (nam de aliis Galliæ provinciis Tolosana & Provinciali nihil simile legitur) gravissimam desævisse persecutionem. Plures enim aufugere seseque occultare coacti sunt, multi innocui nihilque sibi conscii propterea nil veriti in carcerem detrusi, viri graves, quidam quod Montesono favissent, ejusque propositiones pro concione sustinuissent ad palinodiam compulsi, quos inter præcipui fuerunt FF. Joannes Thomæ & Joannes Adæ sacræ facultatis magistri, Joannes Nicolai, & Gaufridus de S. Martino Parisienses, Adamus de Suessione prior Nivernensis, Petrus de Cancheyo Campanus Catalaunensis, Guillelmus de Vallon ipse regi Carolo VI a confessionibus episcopus Ebroicensis. Ea verò fuit tempestas, ut de ea sic scribat F. Laurentius Pignon in suo chronico provinciæ Franciæ: *Anno* 1389 *non fuit (*capitulum*) provinciale Franciæ propter gravem persecutionem quam habuerunt Fratres provinciæ Franciæ propter materiam conceptionis contra scholares Parisienses. Anno* 1390 *fuit capitulum provinciale cum paucis Fratribus Bituricis congregatis.*

2. Annotandum academicos in omnibus suis decretis protestatos semper fuisse, doctrinam S. Thomæ non solùm se non impugnare, sed & summe venerari. Sic enim in instrumento supra relato XIV febr MCCCLXXXVIII loquitur universitas: *His omnibus accedit, quod non sine magna admiratione nuper audivimus majores nempe ordinis S. Dominici (an totus ordo nondum scimus) adjuncti sunt propriæ matris veritatisque contemptori, sub hac tamen protestatione, ne quid de auditis omittamus, quod nonnisi propositiones veras, aut quæ B. Thomæ doctrinam tangere possunt, prosequi intendunt. Nos autem millesies diximus, & ut videmus non sufficit, qualiter S. Thomæ doctrinam in dicta nostra condemnatione nequaquam reprobamus.* Et Petrus de Alliaco in Actione sua secunda dicta in consistorio: 2. *Protestamur quod contra honorem & reverentiam S. Thomæ de Aquino aut doctrinæ ipsius nihil omnino proponemus, sed sicut dicit facultas theologiæ, salva in omnibus reverentia sancti hujus, nec non doctrina sua hanc causam fidei prosequimur.* Quod & postea pluries iterat.

3. Annotandum anno MCCCLXXXVIII in festo pentecostes XVII maii habitum fuisse Rutenis in Tolosana provincia capitulum generale (quod fuit diffinitorum) provinciarum Clementi papæ Avenionensi obedientium, Hispaniæ scilicet, Tolosanæ, Franciæ, Regni Siciliæ, Aragoniæ & Provinciæ simul, & pro more capitulum provinciale Tolosanæ refertissimum: nam præter priores omnes cum sociis affuerunt plures S. T. magistri aliarum etiam provinciarum. Cùm autem non obstante academicorum protestatione relata de reverentia erga S. Thomæ doctrinam, quædam tamen in scriptis suis inseruissent, quæ sancti doctoris auctoritatem nostris videbantur imminuere, ac præterea nostros a suo consortio gradibusque in sacra facultate consequendis exclusissent, communi totius capituli voto a sententia episcopi Parisiensis adversus Montesonum, & pro conservatione privilegiorum & jurium ordinis in facultate Parisiensi appellatum est ad curiam Avenionensem; constitutique decem procuratores S. T. magistri, qui seu conjunctim seu divisim in eo negotio agerent, scilicet FF. Xantius seu Sanctius Mulerii Tolosanus episcopus postea Oloronensis, Joannes Granvet de Podio, Joannes Thomæ, Guillelmus de Gannato, Petrus Coriger prior provincialis Aragoniæ, Antonius de Parisius, Petrus Bononi (A) procurator generalis ordinis apud Clementem dictum VII, unus Anglicus pœnitentiarius dicti pontificis & alii duo. Horum aliqui nominantur in instrumento interrogationis F. Richardi Mariæ Rotomagensis factæ Rotomagi XXVIII april. MCCCLXXXIX, omnes verò in scripta potestate cuilibet illorum data: cujus utriusque exemplar habeo in schedis, primum integrum ex archetypo apud Baluzium extante inscriptum, quod & edidit Alva *Sol. Verit. Rad.* 259 *col.* 1651: alterum etiam archetypum sed mancum & in quibusdam detritum, quod ab interitu vindicavi fortè fortuna mihi oblatum, nempe quo veteri codici MS compingendo bibliopegus usus erat, a quo intacto codice illud abstraxi.

4. Annotandum secretionem hanc nostrorum a sacra facultate de qua mox, majores & sapientiores scholæ Parisiensis ægre tulisse, nec eam illi solum ingemuerunt, sed & Ecclesiæ & regni principes, quorum plerisque nostri erant a confessionibus, & tum a pietate tum ab eruditione plurimi habebantur, præsertim cùm in regiæ urbis Ecclesiis conciones sæpissime deficere, imo & sermones ut aiebant magistrales omitti viderent, quia Sanjacobeos ad divinum hoc opus paratissimos semper & frequentissimos advocari non permittebatur. Audiendus ea de re Cancellarius Parisiensis Joannes Gersonus in altera epistola ad studentes gymnasii Navarræ edit. Antverp. recentis T. I col. 111: *Tertius defectus acriter urget animam, qui noviter subortus non parvo dedecore in universitatis gloria maculam ponit. Pluries itaque relatio fide dignorum mihi tam prope quam remote degenti significavit deesse frequenter sermones in universitate, etiam Dominicales ad clericum, quod nuper aliquid monstro simile & pene intolerabile semel accidisse visum extitisset. Cogor tum ex hoc tum ex aliis quibusdam illam deflere scissuram miserabilem & mutilationem luctuosam partis non modicæ universitatis Parisiensis præsertim a sacra theologiæ facultate, cujus scissuræ causam præbuerunt illius de Montesono erroneæ, temerariæ & impiæ assertiones. Nolo putet aliquis me hoc loco justificationem seu defensionem partis illius quæ depulsa vel avulsa est suscepisse, Fratres Prædicatores loquor &c.* Et post plura: *Cæterum memoriter teneo cur & qualiter primitus ab universitatis consortio via quadam indirecta segregati sunt Fratres prædicti. Statutum enim & conclusum erat, ut omnis gradus & honoris in universitate expers fieret quisquis non juraret tenere condemnationem super erroribus prædictis ab universitate prius, dehinc ab episcopo Parisiensi factam. Distulerunt hoc agere baccalaurei e Fratribus prædictis tunc expediendi, causantes se a superioribus suis licentiam ad hujusmodi præstationem juramenti necdum petiisse vel habuisse. Ex hac origine neque gradus neque cathedram neque sermones posterius adepti sunt. Attenderent o utinam omnes, & benigna recogitatione secum tractarent quanta qualisve jactura spiritualis est & fuit tot hactenus sermones, tot lectiones, tot salubres instructiones in universitate, & alibi exinde cessaße. Quin etiam naturalis pietas exigit, ut mater filio aberranti, & corpus membro ægrotanti compassione moveatur. Deinde considera damnum proprium in sermonibus, in propositionibus & aliis &c.* Et post plura: *Oblatrabunt scio si ad quosdam scripta hæc delata fuerint, ferentes indigne, imo pro scelere vel mutabilitate deputantes quod pacem Jacobitarum videar optaße, aut pro ea verbum scriptumve fecisse, sed libera voce fatebor, nec illud*

A Petrus Bononi vel Borroni fuit licentiatus ordine secundus anno MCCCLXXIIII inter natalem Dñi & festum purificationis sequens.

SEC. XIV. *unquam pudori deputabo, me nunc & prius olim semper, dum modeste volui vel optavi, reconciliationem ipsorum in mediis etiam litibus optavisse. Pereant qui de matris aut mystici corporis fœda mutilatione gloriantur*, &c. plura in idem.

Coaluit tandem pax, de qua sic noster Laurentius Pignon in chronico: *Anno* MCCCCIII *capitulum generale (* nempe provinciarum quæ papæ Avenionensi obediebant *) Palentia in Hispania. Provinciale (* Franciæ *) in festo Magdalenæ in Carnoto: in quo capitulo fuerunt dati commissarii per provinciam ad componendum cum universitate super schismate ordinis & universitatis, quod jam per septemdecim annos duraverat. Commissarii verò taliter laboraverunt potissime F. Martinus Porrée pro tunc confessor Dñi comitis Nivernensis, quod infra mensem post capitulum ordo fuit cum universitate reformatus, & pax totaliter & concorditer facta, nihil penitus immutato de his quæ ordo per prius ante disturbium habuerat.* Huic nostræ in integrum restitutioni jam ab anno MCCCXCIV summo studio laboraverat Petrus de Luna tit. S. Mar. in Cosmedin cardinalis tum Clementis VII in Francia legatus, huicque successor datus XXVI septemb. ejusdem anni sub nomine Benedicti XIII, eamdem urgere non destitit, donec anno MCCCXCVIII subtracta est ei obedientia, qua restituta anno MCCCCIII mox ita instanter requisivit, ut accedentibus Christianissimi regis Caroli VI, sed & aliorum principum præsertim ducum Burgundiæ & Britanniæ literis concordia inita fuerit XXI aug. MCCCCIII. Sic enim habet instrumentum eo de negotio confectum: *Nunc verò quia placuit christianissimo regi nostro & Patri sanctissimo gratiosè scribere nobis suæ filiæ humili & devotæ per literas pace plenas & fide, quatenus Fratres prædictos ad nostrum gremium regredi, humiliter supplicati, reciperemus ad nos, & ad actus scholasticos solitos &c. Scripserunt præterea illustrissimi & potentissimi principes duces Burgundiæ & Borbonii, & suos miserunt legatos. Nos attendentes ista omnia, & rememorantes quanto zelo D. N. papa Benedictus, cui tenemur obnixe, olim dum esset in minoribus constitutus & legatus in Francia ad hanc unionem anhelabat, & similiter plurimi ex principibus &c. attendentes pium maternæ charitatis fœdus erga filios &c. habentes postremo præ oculis doctores præcellentissimos ejusdem ordinis, qui & Ecclesiam universam, & nostram universitatem de fructu operum suorum illustrarunt & illustrabunt, Deo propitio decernimus concordi deliberatione prædictos Fratres ad nostrum consortium de nostra speciali gratia recipere & reintegrare, sicut olim fuerant, priusquam lites moverentur, & de facto recipimus & reintegramus &c.* Sed & Gersonus in sermone habito Massiliæ coram papa Benedicto XIII nona nov. MCCCCIII eumdem papam alloquens: *Quidque concordiam Fratrum Prædicatorum antea fere desperatam commemorans & literis suis inserens zelum grandem, quem pro eadem concordia dudum Parisiis ostenderas, studens in hoc & sperans filia tua tuæ sanctitati non mediocriter complacere.* Videsis Edit. Gerson. recentem *T. II col.* 45, & Boulæum cit. *Hist. Univer. T. IV p.* 885, *de fortuna universitatis seculo* XIV: solùm addo tum apud nostros Parisienses & in provincia Franciæ fuisse primi nominis theologos: quorum plures ad infulas evecti fuere. F. Hugo Scoquerii duci Britanniæ a confessionibus eodem anno pacis nostræ MCCCCIII inter XX licentiatos primum meruit locum ex actis facultatis, & eodem anno ex chronico citato nostri Laurentii Pignon episcopus Trecorensis inauguratus est. F. Joannes Gibrois conventus Pruvinensis alumnus confessarius Ludovici ducis Andegavensis exinde regis Siciliæ electus est eodem anno episcopus Tolonensis eodem teste Laurentio, qui se ait eodem etiam anno factum priorem conventus sui nativi Senonensis, quique a se visa scribit.

FF. JOANNES THOMÆ & JOANNES ADÆ.

F. JOANNES THOMÆ & JOANNES ADÆ unà veniunt laudandi, cùm amborum sors eadem fuerit: ambo fuerunt provinciæ Franciæ alumni, primus quantum ex actis conjicere est, Parisiensis & domus ibidem Sanjacobeæ professus, in qua continuo commoratus est, cùm aliarum domorum sodales mox a persolutis magisterii agonibus ad suos se recipere tenerentur: alter vel indidem vel Rotomagensis: ambo sacræ facultatis magistri, primus anno MCCCLXXIV inter natalem Dñi & festum purificationis sequens septimum inter octo licentiatos locum obtinuit, alter in crastino regum MCCCLXXXII stylo veteri, novo LXXXIII ultimum inter quinque: primus vicarium egit inquisitoris in toto regno Franciæ generalis Parisini dicti, scilicet F. Vitalis ejusdem ordinis sacræ theologiæ magistri, ut constat ex tractatu F. Joannis Vitalis ord. Min. & Joannis Alani Parisiensium etiam theologorum de conceptione B. V. lib. 4 Ancilla 1, & refert Alva Sol. Verit. Rad. 259 col. 1649. Celebris etiam fuit sua ætate, facundusque habitus in regia urbe Ecclesiastes. Ambo unà opus ediderunt hoc titulo: * 1388

Tractatus de conceptione B. Virginis. Pr. *Maledicta dies &c.* Hier. XX.

Hic liber si fides Alvæ loc. cit. vulgari lingua fuit exaratus, sed jam periit, nec de eo jam aliud scitur, quam quod ex eo F. Joannes Vitalis Franciscanus, & Joannes Alanus citati referunt. Videsis supra in Joanne de Montesono quæ iste Joannes Thomæ ab ordine munia habuit. Cæterum isti ambo omnia quæ dixerant aut scripserant in Montesoni defensionem revocare compellente universitate coacti sunt, primus XXI martii MCCCLXXXVIII stylo veteri, novo LXXXIX, alter XX aug. ejusdem anni.

F. GUILLELMUS DE GANNATO.

F. GUILLELMUS DE GANNATO a patria sic nuncupatus oppido in confiniis Borbonesii & Arverniæ sito vulgo *Gannat*, vel ut Arverni pronunciant *Cannat* vel *Canna* elisa litera ultima *t*: ille idem qui a Lusitano corrupte *de Conneo*, a Possevino corruptius *Cuneas* sive *de Cuneo*, a Fernandez typorum fortè errato *Cancus*, ab Altamura dubio *Conneus* vel *Gannacus* seu *Ganneus*, rectius verò ab his omnibus antiquiore & anno 1413 scribente Ludovico nostro a Valleoleti in sua auctorum nostrorum tabula num. 73 *F. Guillelmus de Cannaco*, sed verè *de Gannato* conventus Claromontani alumnus, non anno MCCCXII ut Altamuræ placet, sed sub finem seculi illius XIV claruit sacræ theologiæ magister post annum MCCCLXVIII promotus, neque enim in additis ad catalogum Guidonis recensetur, eo usque tamen pertingentibus: qua verò in facultate an in Parisiensi an in Tolosana ut volunt quidam, incertus sum, cùm Acta Parisiensium licentiarum non supersint nisi a 1373 in quibus non recensetur. Fervente schismate Avenionensi sub Elia Raimundi magistro ordinis in obedientia Clementis VII dicti celebratum fuit an. MCCCLXXXVIII in solemniis pentecostes XVII maii capitulum generale illius obedientiæ, simul & de more provinciale provinciæ Tolosanæ Rutenis in Aquitania, in quo utroque ab universis jure vocis gaudentibus subscriptis per instrumentum publicum constituti sunt decem procuratores S. T. magistri omnes (sic enim * 1388

præstantur), qui appellationem a toto capitulo interjectam ab excommunicationibus & aliis gravaminibus tum ab episcopo Parisiensi, tum a decano & magistris facultatis theologicæ, aut etiam a rectore & universitatis membris, sibi & ordini in Francia ut quidem sibi videbatur illatis, coram dicto in sua obedientia Clemente VII, & ubi necesse foret prosequerentur. Inter hos supra ubi de Montesono nominatos septimus fuit hic noster Guillelmus de Gannato, ex quibus constat, quibus annis floruerit. Hæc autem a Valleoletano citato ejus laudantur opera, quæ eadem alii enumerant:

1. *Commentarium in libros IV sententiarum.*

2. *Multi tractatus speculativi & morales.* In his recensendus, quem F. Joannes Capreolus noster in 3 sentent. dist. 3 q. unica a. 1 ei ascribit hoc titulo:

3. *Tractatus de vera innocentia matris Dei*, in quo XL auctorum testimonia refert pro sententia S. Thomæ circa conceptionem B. V. Mox in eum insurrexit ordinis Minorum quidam doctor eidem reponens per tractatum, qui incipit, *Repercussorium editum contra adversarium innocentiæ Matris Dei.* Quod autem hoc Repercussorium scriptum sit adversus librum Gannatensis constat, nam concl. 8 sic habet: *Præterea in eodem libello adducuntur XL auctoritates, quas ipse compositor invenit in dictis Sanctorum &c.* Certe non poterat nostri auctoris opus clarius indicari. Alva in *Sole veritatis Rad.* 309 *col.* 2056 hoc *Repercussorium* contendit F. Petri Aureoli ord. Min. S. T. M. Parisiensis & archiepiscopi tandem Aquensis fœtum esse, ab eoque anno MCCCXIV Tolosæ editum: Qua ratione Guillelmum de Gannato revocat ad annum MCCCXII. Quod etsi refutare non sit nobis necesse, qui ex instrumento procuratorio relato anno illo MCCCLXXXVIII vixisse florentem adhuc Guillelmum novimus, addo ante Joannem de Montesono nonnisi leves inter nostros & Scoti discipulos de ea quæstione disputationes fuisse, ipso Nicolao de Lyra qui ad annum MCCCXL vixit, sententiam S. Thomæ fatente sua fuisse ætate communiorem: sed exorto in Ecclesia schismate anno MCCCLXXVIII, tunc efferbuere graves illæ contentiones, ex quibus tot promanarunt scandala: hinc ex utraque parte tot opuscula, inter quæ Gannatensis procurator suum protulit, cui Frater Minor reposuit *Repercussorio*, quod Alvæ placet Aureolo supponere secundum de ea quæstione opusculum, cui tamen unicum tantum alioque titulo inscribit Vadingus. Præterea Gannatensis eos profert auctores ut jam antiquos, & magni apud omnes ponderis, ut F. Joannem de Neapoli & F. Petrum de Palude annis tantum MCCCXIV & MCCCXV Parisiis licentiatos, & F. Durandum de S. Portiano anno revera MCCCXII licentiatum, sed qui omnes nondum quicquam juris publici fecerant, nec nisi post plures annos sua in lucem ediderunt opera. Quod de chronologia solum sit mihi cum Alva dissidium, nam de ipsa quæstione nulla mihi cum toto ordine alia, quam quæ summi pontificis & Ecclesiæ catholicæ est fides. Ex ætate hujus nostri Guillelmi eum a Ludovico de Valleoleti & a Joanne Capreolo visum familiariterque cognitum augurari licet.

F. GUILLELMUS JORDANUS.

1319. F. Guillelmus Jordanus provinciæ Angliæ certo fuit alumnus, cujus verò nationis non ita certum, Pitseo Anglum in Northumbria natum, Thoma verò Dempstero Scotum contendentibus: quam litem non facile dirimas cùm duplicem Northumbriam distinguant, alteram ditionis Anglicæ, cujus populi Ottadini dicuntur, & urbes præcipuæ Lindisfana & Dunelmum, alteram juris Scotici, qui Taizali, vel Texali, ubi Devona quæ & *Aberdona* dicitur. Etsi autem ut Dempstero faveam, propendeat animus, satius videtur curiosorum gentilium id arbitrio & criterio permittere. At nullatenus placet quod nostro Altamuræ visum est, qui quod apud Lusitanum in his certè veteribus minus accuratum, legerit illum ad 1262 revocari, a Dempstero vero (ut & a Pitseo) ad 1370 circiter ascribi, duplicem Jordanum distinguit, eumdem hominem in duos dividens, unum ad 1262 in *Appendice* (ubi revocat quod prius scripserat in *Bibliot.* ubi cum Razzio eum ad 1230 contra omnem veri speciem collocaverat) alterum vero ad 1370, diversos constanter asserens, qui certo nobis unus est & idem auctor falso a Razzio ad 1230, a Lusitano eumque excipiente Possevino ad 1262 relatus, verius a Pitseo & Dempstero ad 1370 revocatus, sed & ulterius claruisse & ad 1389 & amplius pervenisse videtur, cùm nempe graves illæ de conceptione B. V. fervecent contentiones. Virum vitæ sanctitate & singulari eruditione conspicuum, sacræque theologiæ magistrum in universitate Oxoniensi promotum & accensum præstat Pitseus, quod & proclive, cùm provinciæ nostræ Angliæ in ea academia studium positum esset generale. Consentit & Baleus, etsi hominem malè habeat, alterum Ismaelem vocans omnibus infestum, at & infestatum pariter ab omnibus. Sed quid aliud a viro expectes, quem oris infruniti ut & styli omnes norunt, quemque ideo Jordanum nostrum existimem ita excepisse, quod Wiclefi errores adeo pestiferos tunc primum insurgentes verbo & scripto acrius infestatus sit, quod gloriæ illi apud catholicos non probro ac dedecori ducendum. Hæc autem Jordani feruntur opera:

1. *Commentarius in epistolam ad Romanos.*
2. *Commentarii in libros IV sententiarum.*
3. *Tractatus de clara visione Dei.*
4. *Tractatus de libera electione ante mortem.*
5. *Determinationes variarum quæstionum.*
6. *Sermones diversi docti & eligantes.*

7. *Apologia Fratrum Mendicantium adversus Utredum Boldum monachum* nigrum Benedictinæ regulæ professorem, quem inter Viclefi asseclas & adjutores numerat auctor Historiæ universitatis Oxoniensis sub finem seculi proxime elapsi editæ ad annum 1377 pag. 186 a. Hicque liber est, quem Lusitanus eum scripsisse ait *contra studium monachum* errore scilicet typorum, quamvis non rectius corrigat in *Erratis*, ubi monet legendum *stridum* & delendum *studium*. Ex quo gravius allucinati tum Pitseus dicens scripsisse *contra studium monachorum*, tum Altamura noster, qui id non sibi persuadens nec intelligens putavit sic invertendum, *adversus stadium monomachum*, ubi simpliciter legendum *adversus Utredum monachum*.

8. *Contra propositiones alias ipsius Wiclefi scripsisse* aiunt non solum Possevinus, Pitseus, sed & auctor Historiæ Oxoniensis citatæ, ubi viros conventus & collegii nostri Oxonien. illustres enumerat.

9. *Tractatus de conceptione B. Virginis.* Cujus inquit Alva in *Sole Verit. Rad.* 261 *col.* 1659 mentio in libro Expositionum evangeliorum & epistolarum Gallice impresso anno 1545 fol. 184 b, in sermone conceptionis, in quo ad marginem sic legitur: *Nota secundùm Jordanum, quod aliis sanctis in utero sanctificatis fuit collatum, quod nunquam peccaverunt mortaliter, Maria autem ultra hoc collatum est quod nunquam peccavit venialiter.* Adversus hanc nostri Jordani lucubrationem quemdam ordinis Minorum nomine F. Joannem Marcheltium

Sæc. XIV. vel Maccheleium insurrexisse, & palam in publicis concertationibus, in scholis, scripto etiam impugnasse referunt Lelandus, Baleus, Pitseus, Wadingus, & Alva aliique. Hunc Jordanum Anglicum illum esse Papæ in sua obedientia Clementis VII dicti pœnitentiarium multa mihi suspicio & non levis conjectura, nempe quem nostri in capitulo generali Rutenensi anno MCCCLXXXVIII cum aliis novem itidem S. T. magistris procuratorem nominarunt in curia papali Avenionensi, de qua causa supra ubi de Joanne a Montesono: præsertim cùm Scotia papæ illi Avenionensi adhæserit, dum Anglia staret pro Romano Urbano VI.

F. NICOLAUS CARACCIOLUS.

† 1389. F. Nicolaus Caracciolus & *Moschinus* e Caracciolorum apud Parthenopæos primariæ nobilitatis familia satus, e Moschina etiam seu paterno seu materno genere duxit originem antiqua quoque illa nobilique Neapolitana stirpe nunc autem extincta. Mischinum, ac Mesquinum eum aliqui nuncupant sed corruptè. Ordinem adolescens amplexus in conventu S. Dominici Neapolitano, ut erat egregiæ indolis, & principum sanguine cretus, vir evasit magnarum partium, præcipuosque brevi consecutus est in sua provincia honores & dignitates. Magisterii laurea decoratus, institutus est etiam in Regno Siciliæ supremus generalisque fidei vindex & inquisitor, quod munus summa vigilantia peragebat, cùm Urbanus Papa VI nuper ad pontificatum evectus, novosque asciscere solicitus sacro purpuratorum patrum Senatui collegas, quorum opera consilioque concussa schismate Romanæ Ecclesiæ fulciretur cymba, qui & eorum etiam qui ab ipso defecerant, & Fundos abierant, numerum repararent ac superarent, inter XXIX seu XXVI ut habet Theodorus a Niem, quos XVIII septemb. MCCCLXXVIII elegit creavitque cardinales, nostrum etiam Nicolaum assumsit, ac titulo S. Cyriaci in Thermis donavit. Commendatum eum aliqui volunt apud Urbanum a SS. Virgine Catharina de Senis, quod firma satis auctoritate conjecturave probatum non video: satisque fuerit Urbano hisce rerum temporumque angustiis, Caracciolum natalium splendore & potentia, agendorumque peritia commendari, ut ad purpuram eveheret, perspectamque viri fidem & observantiam erga sedem apostolicam ea dignitate remuneraret ac assereret. Nec vana fuit Urbani fiducia, qui semper sibi quoad vixit in gravissimis difficillimisque negotiis & eventis fidelem expertus est. De quo legendus S. Antoninus suppar, & rerum ejus ætatis satis conscius & sincerus scriptor *Hist. P. III Tit. XXIII c.* XI §. I. Missum enim ferunt de latere legatum ad Perusinos in Umbriam & Florentinos, quos pontifici Romano conciliavit: tum pro pace sancienda ad Venetos Januensesque mutuo concitatos: cùm etiam Urbanus VI die I junii MCCCLXXXI Carolum III regem Neapolitanum coronasset, cujus inaugurationi cum aliis cardinalibus adfuit & subscripsit Caracciolus, ut ex fide ipsius instrumenti asserit Contelorius *I. P. Elenchi*, anno sequenti MCCCLXXXII die XVI octob. eumdem pontifex ad ipsum Carolum Neapolim misit, unà cum duobus aliis Bartholomæo Mezavacca S. Marcelli, ac Ludovico de Venetiis tit. S. Mariæ Novæ cardinalibus, quo Franciscum Prægnanum summi pontificis nepotem Capuani Molfetanique principatus Carolus, uti sancte juraverat, investitura sublimaret. Quæ legatio cùm optatum non habuerit finem, quorum id culpa contigerat, optime intellexit pontifex: Bartholomæum nempe cardinalem S. Marcelli ut infidum XV octob. MCCCLXXXIII dignitate privavit, Ludovicum verò Venetum conjecit in vincula in castro Luceriæ Christianorum XI januar. MCCCLXXXV ceu proditionis reum, quem dirissimis repetitisque trochleæ tormentis eodem anno labente mense decembri mors indigna vita simul & purpura liberavit. At Nicolaus noster Urbani papæ lateribus quocunque pergeret comes hæsit assiduus, ac ob fidem integram ubique probatam semper gratissimus. Ad Messanensem eum aliqui volunt ex Bonfilio promotum Ecclesiam jam ab anno MCCCLXXX quod Rocho Pirro *T. I Sicil. Sac.* non probatur, cui ex certis liquet illius Ecclesiæ monimentis F. Dionysium de Murrio Augustinianum Messanensem administrasse sedem ab anno MCCCLXIII ad MCCCLXXX saltem usque julii XVIII, cui mox ab Urbano Maffiolus Lampugnanus Mediolanensis suffectus est, ut nullus in ea infula consequenda Nicolao locus esse videatur. Hunc Romæ defunctum nostri cum Onufrio Panvinio dicunt quarto Kal. aug. sive XXIX julii, Contelorius vero quarto Non. seu die secunda augusti MCCCLXXXIX, quod leve discrimen, & ad Minervam Romæ jacere sepultum. Plura volunt eum scripsisse opera, unde eum Toppius scriptoribus ascivit Neapolitanis, sed illa quænam sint non recenset. Hæc ex variis collegimus:

1. *Summa de pœnitentia.* Laudatur a Cortesio, Nomenclatore, Oldoino de SS. PP.

2. *Depositio ejus de vera & canonica electione Urbani VI.* Laudatur a Baluzio *T. I Pap. Aven. col.* 1242.

3. *Acta trium ejus legationum ad Perusinos, Venetos & Carolum III Siciliæ Regni regem.* Quæ haud dubie in archivis Romanæ Ecclesiæ habentur.

4. In tanta multitudine codd. MSS Bibl. Vatic. de schismate Avenionensi, ac præsertim de electione & de rebus gestis Urbani VI, quin *plura sint nostri Caraccioli scripta* nullus dubito, quæ investigare Romanorum nostrorum diligentiæ erit, & hîc addere. Beati titulo insignitum in monumento seu tabella Romæ in templo S. Mariæ ad Minervam appensa refert auctor Additionum copiosarum ad Toppii Bibliothecam.

F. JOANNES BASILEENSIS.

F. Joannes Basileensis patria & professione sub finem seculi XIV claruit, sacræ theologiæ quam pluribus annis docuerat, laurea insignitus, inde verò ad Ecclesiæ Lombariensis in Occitania sub Tolosana metropoli sedem evectus anno MCCCLXXXIX, ex quo eximias viri dotes colligas, qui extraneus & Germanus Gallicanam Ecclesiam regendam obtinuerit. Ita Sammarthani ex actis Vaticanis referunt in Gallia Christiana, silentes a quo pontifice an a Romano Bonifacio IX, an ab Avenionensi Clemente VII sic dicto hanc dignitatem consecutus sit. Hæc illustrabit, qui accurandæ Galliæ Christianæ, & ad incudem revocandæ nunc desudat D. Sammarthanus asceta Maureus, & quandiu rexerit, quæ præclare gesserit, quandove diem obierit reteget. Ejus cum laude meminit Trithemius, sed nostrum fuisse tacet: hæc vero ab eodem ei tribuuntur opera: * 1389.

Scriptum in IV sententiarum libros.

Sermonum diversorum volumen.

Orationes & collationes plures ad Clerum, sed & multa coram papa & collegio cardinalium dicta.

F. THOMAS DE FONTE.

F. Thomas de Fonte vernacule *della Fonte* Etruscus Senensis conventus ibidem S. Dominici alumnus vir gravissimus seculo XIV vergente claruit, cujus laudes plurimas brevi epilogo enarraverim, * 1390.

raverim, dicendo S. V. Catharinæ de Senis ab ipsis pueritiæ annis moderatorem, arcanorum divinorum conscium, in via spirituali ducem ac rectorem, ac conscientiæ arbitrum, quo officio apud illam semper functus est usque quo Romam illa anno 1377 a Gregorio XI vocata Senas reliquit, neque enim ille videtur in Urbem eam secutus. Non nego tamen alios cùm ipse aberat, ejus confessiones excepisse, inter quos numerantur F. Bartholomæus Dominici de Senis, qui postea sacræ theologiæ magister promotus, & anno MCCCXC Romanæ prior provincialis agens, a magistro ordinis F. Raimundo de Capua unà constitutus est ordinis vicarius generalis, ac de quo sic ipse Raimundus in vita Sanctæ: *Intravit ecclesiam F. Bartholomæus Dominici de Senis tunc socius confessoris, de quo in omnibus sicut de confessore suo confidebat, & quem in confessoris sui absentia eligebat in confessorem &c.* Ipse etiam Raimundus tum lector in conventu dicto Senensi circa MCCCLXXIII pluries ejus confessiones audivit præsertim in itinere Avenionensi, fortè & alii, sed ita ut κατ' ἐξοχὴν confessarius F. Thomas de Fonte semper habitus & dictus sit. Ille etiam primus scripsit *Singularia & mira quæ in Beata illa virgine experiebatur, quæ toties quoties ad cellam reversus annotare non omittebat.* Ex ejus scriptis potissimam vitæ hujus sanctæ partem Raimundus scripsit, quod ubique fatetur, unde qui actis SS. edendis operam dant, ea Thomæ scripta si adhuc supersint, se plurimum optare testantur, veriti ne quid omiserit Raimundus.

Quia autem quidam hunc Thomam de Fonte cum F. Thoma Antonii æquali quidem sed juniori, de quo postea confundunt, operæ pretium existimavi ostendere solum primum esse, quem passim laudat Raimundus in vita Sanctæ ut ejus confessarium. Numeros sequor quibus eam distinguunt editores citati T. III April.

Et primo in Analectis n. 8 ubi agitur de pompa solemni, qua Raimundus voluit caput Sanctæ in ecclesiam S. Dominici Senis inferri, sic legitur: *In consilium adhibere decrevit non modo Dominicanos suos sodales, in quibus erat Thomas a Fonte, qui ad multos annos virginis confessiones exceperat, jam inde ab ejus pueritia &c.* Hæc autem capitis illatio videtur facta anno MCCCLXXXV. Quæ lucem dabunt his quæ de eodem Thoma habet Raimundus in vita Sanctæ. N. 140: *Narrat F. Thomas primus confessor ejus.* N. 142: *F. Thoma prædicti, & F. Bartholomæi Dominici de Senis &c. narratio & scriptura.* N. 164: *Cuncta quæ scribo aut mihi confessa est, aut in scriptis F. Thomæ reperi primi confessoris sui.* N. 182: *Unde dicebat F. Thomæ confessori suo.* Idem nn. 188, 189. & seqq. ad 193. N. 200: *F. Thomas confessor ejus.* N. 210: *Legendo scripta F. Thomæ primi confessoris ejus, quæ fecit de verbis & gestis ejus.* N. 217: *F. Thomas dictus de Fonte sæpe superius nominatus, qui assumto secum quodam Fratre qui vocatur F. Thomas Antonii concitus venit* &c. Eo articulo agitur de triduana illa putata morte Sanctæ, unde tamen rediit. Sed hinc evincitur confessarium qui in præcedentibus toties laudatur esse Thomam de Fonte, Thomam autem Antonii juvenem fortè tum sacerdotem assumtum solum in socium, quem præterea nullibi legas hoc functum apud eam officio. Hinc etiam colligas confessorem Thomam qui in seqq. laudatur esse *de Fonte* ut 218 & 224. N. 225: *Fiunt hæc nota F. Thomæ confessori virginis sæpe superius nominato.* N. 230: *Sacerdos hæc juravit F. Thomæ confessori virginis hujus sacræ, sicut in scriptis F. Thomæ inveni.* N. 233 idem. N. 244: *Cætera vero reperi in scriptis F. Thomæ primi confessoris sui sæpe superius nominati, qui recitat hoc miraculum accidisse an.* MCCCLXX *octobri.* N. 259: *F. Thomas confessor erat cum Sancta Pisis.* N. 260 & n. 273: *Hæc omnia percepi a F. Thoma jam dicto.* N. 280: *Confessus est miles* [peccator inveteratus] *F. Thomæ confessori virginis.* N. 281: *F. Thomas confessor virginis unà cum F. Georgio Naddi veniens de Senis ad Montempolitianum ubi* tum Raimundus nostrarum Sanctimonialium præfectum agebat quem invisebant, ex itinere ambo inciderunt in latrones, a quibus jamjam mortem expectabant, precibus tamen virginis Senensis liberi evaserunt. Ut hinc pateat quam falso hæc in Thomam Antonii transferantur, quæ tam clare constat Thomæ de Fonte evenisse. Denique ut finiam n. 204: *F. Thoma redeunte ad civitatem Senensem, invenit sicut ponit in scriptis suis, & ego ab ipsius ore percepi.* Et n. 300: *Fiunt hæc nota F. Thomæ virginis confessori*, quæ ante MCCCLXX evenerunt. Ex quibus constat hunc Thomam a Fonte dictum acta quæcunque vidit diligentius in tabulas retulisse: ex ejus scriptis Raimundum vitam virginis a se scriptam locupletasse: contra vero Thomam Antonii vitam a Raimundo editam in compendium contraxisse, licèt quædam ab aliis, qui virginem propius aliàs noverant, cognita addiderit.

Quandonam obierit F. Thomas de Fonte nemo certo refert, sed ex modo loquendi Raimundi jam e vivis excesserat anno MCCCXC, quo ipse Raimundus vitam Sanctæ publici juris fecit. Non omittendum hunc de Fonte a Pappebrochio in commentario prævio ad vitam S. Catharinæ Sen. April. T. III p. 851 n. 2 Thomam Dominici agnominari, qua de causa me latet, sed id monendum erat, ne quis alterum putet.

F. GIRANDUS RENERIUS.

F. GIRANDUS vel *Girandus* RENERIUS Gallus patria e sancto Joanne ad Rupellam in agro Ulniacensi, professione Rupellensis, quantum conjicere est, seculo XIV ad senium vergente claruit, circa MCCCLXXX aut MCCCXC. Ejus quidem apud nomenclatores nostros antiquos nulla est memoria, sed ex opere ab eo scripto & edito cognitus tandem est, quod noster Jacobus Quetivius ab Alva Parisiis agente anno MDCLXI die XXV novemb. mutuo accepit, & quibusdam diebus tenuit ac lustravit, quod & Alva ipse in *Sole veritatis rad.* 277 *col.* 1946 fusius describit, plura ex eo referens. Codex erat fol. par. membr. foliolis 60 constans Gothico & minuto charactere, scripturæ compendiis consito, perantiquo & ut videbatur ante 1400 scripto. Finis aberat, sed pauca deerant. Hunc unde haberet Quetivio non aperuit Alva, sed in *Sole veritatis loco cit.* dicit vidisse se ac legisse Parisiis in insigni collegio regio Campaniæ vel Navarræ. Ego autem F. J. Echard qui Bibliothecæ illius codices omnes MSS sigillatim visitavi ac examinavi, nunquam in eum incidi, unde ab eo tempore videtur ab ea abstractus, & jam fides est penes Alvam & Quetivium cui ille paucis diebus concessit discutiendum. Titulus minio:

Incipit Tractatus Fratris Girandi Renerii Parisius in sacra theologia magistri de conceptione virginis gloriosæ contra corruptores dictorum sanctorum Ecclesiæ, ac etiam sacræ scripturæ. Dubitat tamen Alva utrum illud sit verum auctoris nomen, eo quod ipsi videatur alteri abraso superscriptum. *Incipit prologus. Quia ex epistola Bernardi ad Clerum Lugdunensem &c.* Tractatus vero sic: *Quæritur utrum gloriosa virgo mater Dei Maria non solum de jure vel de debito verum etiam de facto in peccato originali nativitate intra uterum fuerit nata*

SEC. XIV.

* 1390.

SÆC. XIV. *vel concepta &c.* Patria auctoris colligitur, ex his quæ habet foliolo 15 aut 16: *Somnium*, inquit, *cujusdam Normanni, qui post nimiam potationem forte de vino de patria mea scilicet S. Joannis de Rupella, quod abundanter per mare defertur in Normanniam* &c. Quod fuerit ordinis Prædicatorum probatur ex his ejus verbis foliolum circiter 50: *Quoad prædicta in conclusione responsali dicta, arguit magister Hermandus, quem supra dixi fuisse ordinis Eremitarum, quia sic in illo tractatu, unde sua dicta accepi, inveni: credo tamen quod fuerit ordinis Minorum, quia Parisius vidi quemdam magistrum ordinis Fratrum Minorum, qui vocabatur magister Hermandus. Cujus tamen religionis fuerit, etiamsi ordinis Fratrum Prædicatorum, cujus ordinis ego sum, fuerit non curo.* Et hinc etiam ejus ætas deprehenditur. Nam F. Hermandus ille, qui certo fuit Eremita, & *de Schildis* agnominabatur, Germanus natione, Herbipolensis patria, juxta F. Philippum Elssi in *Encom. August. fol.* 252 claruit ad MCCCL: unde sequitur Girandum qui ei respondet, paucis annis postea floruisse. Sed & ipse auctor suam ætatem clarius indicat, ubi convenientius fore dicit, si festum conceptionis in crastino S. Matthiæ apostoli celebraretur: ubi videtur alludere ad illud statutum capituli nostri generalis Rutenis MCCCLXXXVIII quo ea die apud nos celebrandum dictum est & ordinatum, quamvis paucis annis observatum. Qua ratione ad MCCCXC circiter videtur revocandus. Cui favet, quod refert de *approbatione doctrinæ S. Thomæ de Aquino facta*, inquit, *de novo per sedem apostolicam*: quibus verbis, quicquid in contrarium sentiat Alva, bullam Urbani V ad Tolosanos Academicos de sequenda S. Thomæ doctrina laudat, cujus etiam, ipso teste Alva, plures lineas adducit: illa autem data est secundo Kal. septemb. MCCCLXVIII. Novi equidem Alvam in *Sole verit. col.* 9 censere Girandum scripsisse suum librum circa annum 1470, sed postea *Rad. cit. col.* 1950 id quodammodo revocat, fassus se quo anno certo scripserit, nihil invenire potuisse. Altamura ex F. Vincentio Baronio *Lib. I Apologetico Sect.* 2 *a. ult.* §. 1 *pag.* 213 qui soli ex nostris hujus auctoris meminerunt, eum collocat ad 1471, rectius forsan appellans Gerardum: sed & Quetivius laudatus in schedis putavit ex catalogo doctorum Parisiensium ad eumdem annum ascribendum. Revera in actis facultatis laudatur quidam F. Girardus Rodati præsentatus Prædicatorum, qui inter XXI licentiatos XIX locum obtinuit anno MCCCCLXXI, qui & anno sequenti die martis ante sanctos (sic) de quodlibetis respondit, & die Jovis XXVI novemb. (anno MCCCCLXXII erat lit. Dom. E D) vesperisatus fuit, & tandem cujus aula fuisse dicitur die lunæ XIV decemb. Sed ab isto tractatum laudatum editum fuisse nec verisimile, nam post concilium Basileense nulli nostri in Gallia, præsertim magistri theologiæ Parisienses quæstionem hanc tractarunt, multo minus de ea pugnarunt. Itaque hic auctor ad seculum XIV referendus est, & ad tempora Montesoni, quibus hæc quæstio maximo æstu utrinque agitata. In actis facultatis ad annum MCCCLXXIX recensetur quidam *F. Gerardus Druen* aut *Dnien* Prædicator, qui dicitur non licentiatus, quia jura non solverat. Hujusmodi autem qui agones omnes licentiæ ut aiunt sustinuerant, & defectu pecuniæ licentiari non obtinebant, vel a magistro ordinis vel potius a summo pontifice gradum magistri consequebantur, seque ob agones in sacra facultate exantlatos magistros Parisienses præstabant. Hujus nomen tantam habet cum laudati ab Alva nomine cognationem, quam Gerardi Rodati, cæteræ prætereа circumstantiæ supra allatæ longe magis favent; non propterea tamen operis auctorem certo dixerim, sed vel illum vel alium ejus ætatis. Quæ vero hactenus, de chronologiæ hujus auctoris inquisitione a me dicta tantum velim accipi cum summa cæteroquin decretorum pontificiorum reverentia. Qui plura volet, ipsum Alvam adeat, si libuerit & licuerit.

F. PETRUS BAUCHERIUS.

F. PETRUS BAUCHERIUS Gallus Bituricus patria & professione sacræ theologiæ magister fuit in facultate Parisiensi, & in actis numeratur licentiatus decimus sextus anno MCCCLXXXVI, ut supra relatum ubi de Joanne Gaii. Vir magnarum partium a Clemente VII papa Avenionensi datus est Ecclesiæ Tiniensi episcopus. Cùm autem duplex sit Tinia, altera in prima insularum Cycladum provincia sub Naxia metropoli, altera in Bosnia sub Spalatro, huic posteriori præfectum censet Fontana in Theatro. Ejus plures meminerunt sed agnomen varie referunt: in actis facultatis a me visis legitur *Baucherius*, quibus fere consonat Malletus noster T. II p. 139 a quo dicitur *Baccherius*: a Lusitano dicitur *Boncherius*, sed aliter adhuc ab antiquis nostris Laurentio Pignon & Ludovico de Valleoleti, quod notariorum oscitationi & negligentiæ ascribendum. Sic primus in indice episcoporum: *F. Petrus de Gaucherio* vel *Goncherio*, (nam difficillime legitur) *magister in theologia episcopus Varlentinensis de conventu Bituricensi.* Ubi certo erratum, nam neutrius Valentiæ seu Galliæ seu Hispaniæ præsulem fuisse constat. Valleoletanus sic habet n. 39: *Dñus F. Petrus Gaucher vel Vaucher* (nam iterum difficilis lectio) *provinciæ Franciæ magister in theologia Parisius, episcopus Teniensis scripsit eleganter* 1390.

Super libros sententiarum.

Quæ loquendi ratio indicat opus a Valleoletano visum, quod jam vicissitudine temporum perierit, nisi alicubi lateat cum similibus neglectum. Ex hactenus dictis Lusitanum & sequaces ad Altamuram emendabis, qui hunc scriptorem ad 1295 vel ad 1321 collocant longe recentiorem. Alva *Pleytos de los libros* p. 342 Pio nostro litem movet, quod hunc auctorem bis laudarit quasi duplicem P. II Lib. I. coll. 101 & 102. Sed quotus quisque est, cui in tanto opere similia errata non excidant: imo hîc emendandus ipse Alva, qui Petrum hunc Baucherium vel Boncherium cum Petro Bacherio Flandrensi ducentis annis posteriori confundit.

F. JOANNES BRICY.

F. JOANNES BRICY Gallus, provinciæ Provinciæ quantum conjicere est alumnus, vergente ad finem seculo XIIII florebat, de eo vero solum Alvam a quo majorem hujus scriptoris notitiam accepi placet exscribere. Sic ergo ille Sol. Verit. Rad. 260 col. 1658. » F. Joannes Brizius vel Bricy citatur a Nicolao Eymerico in suo libello contra calumniantes præeminentiam Christi & matris ejus, in quo post Alexandrum de Hales sic prosequitur: Nonus est Joannes Brizii de ordine Prædicatorum, qui de hac materia quæstionem conflavit perutilem & copiosam: ubi positis conclusionibus quatuor dicit sic: « *Conclusio quinta est, quod dictum quo dicitur B. Mariam non esse conceptam in originali peccato &c.* quæ videsis apud Alvam. » Ab Eymerico mutuarunt auctorem istum Bandellus cap. 23 & sequaces. Nulla dubitatio est de auctore neque de auctoritatibus relatis, quia P. Joannes Bunderus in suo codd. MS catalogo fol. 91 dicit se vidisse opus in conventu Prædicatorum sancti Quintini: sed ibi diligenter quæsitum non fuit 1390.

» inventum, extat tamen MS in charta pellicea in » fol. in Bibl. Vatic. sub hoc titulo:

Incipit determinatio F. Johannis Bricy lectoris Montispessulani ordinis Prædicatorum de peccato originis super illo verbo apostoli I Corinth. xv: *Inveniuntur autem falsi testes Dei, quoniam testimonium dixerunt adversus Deum, quod suscitaverit Christum &c.*

» In capite I proponitur quæstio, & declaratur » titulus ejus, & quæstio proponitur sub hac forma:

Utrum defectus culpabilis introductus per humanam originem, sit transfusus in omnes homines, qui a parente primo sunt carnaliter origine propagati &c.

» Cum hac determinatione F. Johannis Bricy » extat ibidem opusculum cujusdam Carmelitæ bac» calaurei Parisiensis, & alterius Fratris Minoritæ, « sicque contra unum duo insurrexerunt &c «. Hactenus Alva, quem adeat qui plura volet.

Circa hos annos vixisse Bricium hinc constat, quod Nicolaus Eymericus citatus in suo tractatu contra emissum in conclavi anno MCCCXCIV per papam Benedictum XIII sic in sua obedientia Avenionensi dictum, & per cardinales promissorium juramentum, tertio prævio hujus Joannis Brissi vel Bricy ord. Prædic. meminit, & magistrum facultatis theologicæ Parisiensis fuisse asserit.

F. MATTHÆUS EBROICENSIS.

† 1390. F. MATTHÆUS EBROICENSIS sic a patria episcopali in Neustria civitate vernacule *Evreux* dicta nuncupatus » profundissimus fuit scripturarum » indagator, vir utique religione plenus ac litteris

Super Pentateuchum, Esaiam, & alios quamplures veteris ac novi testamenti libros egregiam fecit postillam, quæ in libraria communi conventus Ebroicensis cujus alumnus erat, reposita habetur.

» Floruit ut ex quibusdam ejus scriptis apparet » circa tempora Caroli VI Francorum regis (id est » annum MCCCLXXX inter & MCCCCXXII.) Hujus li» bros cùm per quaternos dispersi essent, recollegit » F. Robertus Baigardus ejusdem conventus Ebroi» censis alumnus, theologiæ doctor, & Caroli VII » Francorum regis confessarius, ipsosque in biblio» theca sui conventus dicti reposuit «. Sic totidem verbis auctor Additionis I ad Trithemii scriptores Ecclesiasticos, & ipse regnante Carolo VIII florens sicque dicto Baigardo suppar, qui & ex modo loquendi eum vidisse videtur, quod potuit juvenis.

Ex his colligas verum non esse quod Ludovicus *Tomassin* Oratorianus in suo opere cui titulus *Discipline de l'Eglise* T. II, P. IV lib. I cap. 76 scribit, post F. Guillelmum de Valone ord. Præd. episcopum Ebroicensem Caroli VI confessarium, ob causam F. Joannis de Montesono decretum, ne amplius quis Frater Prædicator ad hoc confessarii munus apud reges Galliæ assumeretur, siquidem Carolus VII ejus filius Baigardum ab arcanis conscientiæ secretis habuerit teste ejus ætatis circiter scriptore. Sed & alios plures nostros sodales hoc munere functos postea laudabimus.

De Matthæo hoc nostro Additionem ad Trithemium laudatam excipit Lusitanus, sed & sequaces & demum Altamura qui tamen incaute in Bibl. & in Append., eum ad 1298 collocat centum circiter annis posteriorem.

F. ROBERTUS HUMBLETON.

F. ROBERTUS HUMBLETON Anglus seculo XIV theologus primi nominis in sacra facultate Oxoniensi baccalaureus jam promotus erat anno MCCCLXXXII, cùm celebris illa habita est synodus provincialis Londini XXII maii Guillelmo de Courtenay archiepiscopo Cantuariensi præside, septem astantibus & considentibus episcopis, Vintoniensi, Dunelmensi, Exoniensi, Sarisburiensi, Rofsensi, F. Johanne Gilbert Herefordiensi, & F. Guillelmo Bottelsham tum Nanatonensi postea Landavensi duobus his ex ordine Prædicatorum, XXIII theologis præsentibus, quorum sex nostri sodales Willelmus Syward prior Londinensis, Joannes Paris & Joannes Langley tres illi theologiæ magistri, Robertus Humbelton, Willelmus Pickweth & Joannes Lyndlowe hi tres tantum baccalaurei. Qui nostri adversus Johannem Wicklyff de quo quæstio habebatur, egregie decertarunt, ejusque decem conclusiones hæreticas, quatuordecim alias seu erroneas proscribi obtinuerunt. De quo legesis Spelmannum T. II conciliorum Angliæ, & concilia generalia edit. Labb. T. XI P. II col. 2054. Hac verò in synodo Robertus noster plurimum claruit, ad magisterium postea Oxoniæ promotus, ut habetur in Historia ejus universitatis p. 65. Laudato Johanni Gilbert episcopo primum Bangorensi, tum verò ad Herefordiensem translato, regnique thesaurario, tandem episcopo Menevensi carum in primis ob eximias dotes Robertum fuisse ferunt, quo verò anno hic e vivis abierit, nemo certo prodit, sed ad annum saltem MCCCXC pervenisse, tumque etiam claruisse vulgo asserunt post Gesnerum Lusitanus & sequaces & ultimo Altamura. Hæc ejus opera laudantur: † 1390.

Summa theologia. Lectiones scholastica, opus adversus Wickliffi errores, & alia plura.

Quorum cùm nulla sit in catal. codd. MS Angliæ memoria, unâ cum domorum in eo regno nostrarum eversione periisse colligas.

F. ROGERUS DYMMOKUS.

F. ROGERUS DYMMOKUS Anglus sacræ theologiæ magister Oxoniæ laureatus claruit circa MCCCXC, vir pietate, honestate morum, solertia, facundia, flagrantique fidei studio commendatus. † 1390. Hinc publico theologorum Oxoniensium decreto & suffragio delectum volunt, qui cum Wickleffistis & Lolhardis solemni disputatione congrederetur, quo in conflictu sic adversus eos pro fide strenue decertavit, ut pugil invictus conceptam de se catholicorum spem non solum non defraudarit, sed & superarit. De quibus & ipse postmodum opus scripsit Ricardo II Anglorum regi nuncupatum hoc titulo:

Contra XII *errores & hereses Lolhardorum.* Extat Paris. in Colbert. cod. 3125 fol. med. memb. & folia LXXI continet.

Pr. *Gloriosissimo & metuendo principi ac Dne nostro D. Ricardo D. G. regi Anglia & Francia, suus humilis & pauperrimus orator & ligius F. Rogerus Dymmokus sacra pagina professor indignus, ordinis Prædicatorum minimus &c.* Opus incipit: *Progenies viperarum, quis demonstrabit vobis fugere a ventura ira? Matt.* III. Agit autem contra libellum famosum a Lolhardis publicatum & allatum, ait, *apud Westmonasterium in ostio aula regalis in pleno parlamento, in conspectu omnium pralatorum, procerum, nobilium, & regni Anglia populi universi.*

Libellum hunc Lolhardorum Anglice scriptum totidem verbis refert, in XII partes principales di-

 vidit, & quamque partem duodecim illorum errores continentem Latine reddit & erudite impugnat.

Sequitur eodem codice opus F. Willelmi Woedeford ord. Minor. adversus similes errores Thomæ Arundelio archiepiscopo Cantuariensi nuncupatum. Sequitur & tertium, sed brevius Anonymi *de necessitate confessionis*. Quæ tria opera lucem mererentur.

Recensetur Rogeri nostri opus in catal. Angl. T. I, P. III n. 2393. De quo codice sic aliàs ad nostrum Franciscum Combefis scribebat Henschenius: *Gratissimæ reverentiæ vestræ atque A. R. P. Jacobi Goar litteræ plurimum nos exhilararunt &c. In gratissimi obsequii testimonium suggerimus nos monitos ex Anglia extare isthic* MS *valde doctum & grande opus adversus Wiclefistas scriptum a Rogerio Dimocko viro certe egregio ordinis Prædicatorum. Lucernam hanc addit noster amicus, magno profecto bono Ecclesiæ totius ponendam super candelabrum. Si V. R. P. desideraret hoc opus per se aut alios illustrare, atque in lucem proferre, conabimur solicitare urgereque amicum nostrum, ut describatur, atque ad vos transmittatur.*

Cùm Ricardus II Angliæ rex mortuus sit anno MCCCXCIX opus relatum ipsi nuncupatum antea scriptum necesse est & circa MCCCXC, sed qua ratione illum Franciæ regem dicat Rogerus, me latet, nisi forsan ex præcepto sed casso Edwardi ejus avi jure.

F. JOANNES DE SPERNEGASSE.

1390. F. Joannes de Spernegasse sic a Laurentio Pignon nuncupatus n. 39, a Leandro vero fol. 136 b, *de Sterngassen* dictus, Teuto fuit, & circa hos annos floruit, certe ante MCCCC, cùm ante hunc annum Laurentius laudatus scribere inceperit. Hæc ejus opera:

Commentaria in IV libros sententiarum. Sic habet Laurentius.

Bunderius laudat in suo indice fol. 399 ut a se visa Lovanii apud nostros & apud Canonicos regulares S Martini, & agnomen scribit ut Leander *Sterngassen*, & Coloniensem præstat, teste Alva Sol. Verit. Rad. 199, col 1494. Itaque constat de auctore & opere. Utrumque citat Turrecremata tract. de concept. B. V. P. VI cap. 29, fol. 120, Bandellus cap. 23, a quo tamen dicitur *Sterlingatius* errato fortè typorum. Hæc alia eidem a Leandro ascribuntur opera:

Scripta in psalmos & sapientiam.

Quæstiones in totam philosophiam naturalem & in librum de bona fortuna.

Sermones de tempore & de Sanctis.

Excipiunt Lusitanus, Pius allucinatus tamen, cùm in duos dividit, alterum P. II lib. 1 col. 121 ad ann. circiter 1300, alterum lib. 3 col. 45 ad ann. 1465 referens, & utrique eadem ascribens opera: Fernandez, & Altamura ad 1465 Pium errantem sequens. Qui *Sterlingatius* ab eodem ad 1360 ex Pio P. II lib. 2 col. 192 recensetur, non alter est ab hoc *Sterngassen*, cujus nomine omisso ex cognomine apud Bandellum corrupte scripto alterum scriptorem finxerunt.

F. HENRICUS DE FRANCHOVAR.

1390. F. Henricus de Franchovar Teuto a Lusitano & sequacibus & demum ab Altamura ad 1390 clarus laudatur, ceu a quo relicti

Sermones de tempore & de Sanctis.

Penes quos fides, nulla enim aliunde mihi hujus scriptoris memoria.

F. THOMASINUS DE FERRARIA.

F. Thomasinus de Ferraria sic a patria & professione agnomen ducens sub finem 1390.
seculi XIV claruit sacræ theologiæ magister, inquit Leander fol. 139 b. Eumdem laudant ex Taegio Mon. Ord. P. I Lusitanus & sequaces, Pius, Fernandez, Altamura, Rovetta ad ann. MCCCXC, virum eruditione, facundia, & muneribus conspicuum sua ætate præstantes. Hæc ejus opera:

Scripta in IV libros sententiarum.

Meminerunt Joannes de Turrecremata, Bandellus, Deza, Petrus de Vincentia, omnes in tract. suo de conceptione B. V. Bernardus de Lutzemburgo in suo hæreticorum catalogo libro secundo, ubi de Manichæis, indicat se vidisse, & quædam ex eo refert. Alva Sol. Verit. Rad. 102 col. 1123 testatur opus se vidisse Tolosæ tum in gymnasio Fuxensi servatum. Cùm autem ea bibliotheca in Colbertinam transierit, codex ibidem jam extat fol. memb. n. 2306 a me visus sub hoc titulo:

Thomasina, ceu compendium librorum I, II, & III S. Thomæ in sententias. Pr. *Cupientes aliquid de penuria ac tenuitate &c. Circa proœmium libri sententiarum quæritur, utrum sacra theologia sit scientia?* In fronte codicis imago est SS. Dominicum, Thomam & Petrum martyrem repræsentans. Ita autem compendium est scripti S. Thomæ in sententias, ut ipsissimis S. Doctoris ubique verbis utatur auctor, plura tamen rescindens, præcipua referens alio tamen quandoque ordine, pauca identidem addens, ubi præsertim novæ quæstiones sua ætate exortæ, ut de conceptione B. V. ad sententiam Sancti dilucidandam & propugnandam. Aliquando etiam quædam in margine adduntur ex Summa, ubi rem clarius & certius tractari indicatur. Codex 102 foliis constat: tria aut quatuor desunt initio tertii sententiarum. Ad calcem sic legitur: *Iste liber est mei Petri cardinalis de Fuxo manu propria.* Nempe qui ex ordine Minorum ætatis XXII cardinalis assumtus anno MCCCCV aut VI, diem obiit anno MCCCCLXII. Codex tamen ex charactere minuto & eleganti videtur sec. XIV.

Sermones quadragesimales. Is est titulus: *Egregius sacræ theologiæ professor, ac hæreticæ pravitatis inquisitor magister Thomasinus de Ferraria ordinis FF. Prædicatorum, in hoc quadragesimali opere, in quolibet sermone duas principales movet materias, unam evangelio, aliam lectioni seu epistolæ correspondentem, quas ut quærenti citius occurreret quod vellet, infra notavi, ac quamlibet suæ feriæ conjunxi.* Pr. *Quia concernit verbum divinum copiosissimam animarum salutem &c.*

Prodierunt typis Coloniæ Agrip. Joan. Koelhof 1474: Quæ editio apud nostros Insulenses. Vidit etiam Alva citatus, & laudant Beughemius & la Caille p. 26, Dupinius qui forsan ex anno editionis auctorem refert ad sec. XV, cùm superiori floruerit.

In indice codd. MS Servorum B. M. Florentiæ cod. 23 laudatur *Quadragesimale Thomæ de Ferraria ord. Predic.* Eumdem & idem opus censeo.

Sermones de tempore & de Sanctis. Laudant Simlerus & citati prope omnes, sed ubi habeantur non docent.

F. JOANNES BROMYARD.

F. Joannes Bromyard Anglus ab originis suæ oppido comitatus Herefordiensis vernacule 1390.
Bromyerde dicto agnominatus, inquit Pitseus, circa ann. MCCCXC floruit prædicator insignis, sacræ theologiæ magister Oxoniensis, tum & utriusque

juris peritissimus, quem & Cantabrigiæ sacras literas publice interpretatum volunt. Joannem Wicxliffum errores suos blande insusurrantem, incautosque plures in suas trahentem partes acerrime insectatus est verbo & scripto, modo e sacro suggestu in templis, modo in scholis e cathedra, pravas ejus opiniones retundens ac evertens. Anno MCCCLXXXII in concilio Londinensi IV in ædibus Prædicatorum sub Guillelmo *de Courtenay* Cantuariensi archiepiscopo coacto suas egregie partes implevisse in damnatione articulorum Wicxlifianorum ait Pitseus, de quo tamen in actis ubi præsentes singuli recensentur, nulla est Bromyardi hujus memoria. Vide supra *Robertus Humbleton*. Ut ut sit, ejus cum laude meminerunt Lusitanus ad ann. 1406 ex supplemento chronicorum ascribens, Castillus in historia ordinis, Fernandez ad ann. 1419 cum Eysengrenio, Altamura ad ann. 1290 revocans, allucinatus insuper dum duplicem eodem anno licèt dubius distinguit: extrates Trithemius circa 1400, Possevinus ad 1290, Dupinius seculo XIV, Simlerus, Baleus, Caveus in Append. ad 1390, Thomas *Fuller* in Histor. Eccles. Britan. Anglice scripta & edita Londini 1656 in fol. T. II de univer. Cantabrig. pp. 30 & 57 & alii. His omnibus antiquior Ludovicus a Valleoleti anno 1413 scribens eum ceu mortuum videtur recensere. Hæc ejus opera:

Summa Prædicantium. Prodiit typis pluries. Est editio antiqua absque loco, anno & nomine typographi, quam vidi Parisiis apud Clarissas dictas vulgo *Ave Maria*. Altera Nurimbergæ, Antonii Koberger. 1485 fol. max. charta imper. quam vidi in Navar. Ibid. 1518 fol. Lugduni 1522 in 4, Venetiis, Dominici Nicolini 1586 in 4. Antverpiæ 1614 fol.

Hi verò codd. MS laudantur in catal. Angl. T. I, P. II n. 862: P. III n. 1909 *pars secunda* a litt. M: n. 1922 *pars prima* a litt. A. T. II, P. I n. 8194. Hi porro codices MS consulendi, quì vocabulo *Maria* referat S. Thomæ partis 3 quæstionis 37 articulum 2, nam nullum mihi dubium quin interpolatus fuerit in editionibus laudatis. Id enim sibi permiserunt præsertim in Germania in incunabulis typographiæ ob decretum concilii Basileensis, ut videre est in Summa S. Raimundi, in Roberti Holkot commentario super librum sapientiæ, & aliis: adeo ut ad antiquos codd. MS recurrendum sit, ut quid scripserit auctor, certo habeatur.

Opus Trivium. Qui titulus ab editore inditus, quia tribus legibus divina, canonica & civili, triplicique distinctione auctor in quolibet vocabulo ordine alphabetico utitur ad mores componendos. Editio 1 fol. par. absque loco, anno, nomine typothetæ, sed & absque majusculis. Titulus: *Incipit opus trivium perutilium materiarum prædicabilium ordine alphabetico e divina, canonica, civilique legibus eleganter contextum per venerabilem F. Philippum de Bromierde ord. Prædic.* Pr. *Ut sacræ veritatis splendor &c. Abbas non potest duobus &c.* Hic titulus Philippum Wolphium nostrum, & eum excipientem Baleum, & Simlerum in errorem induxit, ut putarint auctorem hujus operis *Philippum* dictum sed mendose, alterum esse a Joanne de Bromyard & ad annum circiter editionis hujus circa 1490 florentem exhibuerint: id vero correctum fuit in editionibus sequentibus. Eumdem esse constat ex Ludovico de Valleoleti citato, qui sic habet n. 78: *F. Johannes Bromyardi scripsit librum secundùm ordinem alphabeti moralizando jura canonica & civilia.*

Altera editio prodiit curis nostri Simonis Berthelii recognita & a mendis expurgata, & F. Yvoni Maheuc ord. Prædic. Francorum reginæ Annæ a Britannia confessori nuncupata, Parisiis Johan. Dyamentarii & Engelberti de Marnef 1500 in 4.

Hi codd. MS laudantur in catal. Angl. T. I, P. II n. 1187 *Summa juris*: & P. III n. 2050 *Tractatus juris civilis & canonici ad moralia applicati secundùm ordinem alphabeti F. Joh. de Broomyard de Ord. FF. Prædic.* T. II, P. I n. 1660 *Tractatus juris civilis F. Jo. Bromyard.*

3. Aliud opus recensetur ejusdem catal. T. I, P. I n. 2722: *Johannis Bromyard distinctiones 55. Nempe homiliæ sunt Latinæ diebus Dominicis, quæ Dom. I adventus incipiunt, & SS. festis habendæ. Indicem præfixum accuratum habent fol. 60 codicis.*

4. Ibid. T. I, P. III p. 2388 *Exhortationes F. Johannis de Bromyard de Ord. FF. Prædic.* An sit opus a superiori diversum docebunt indigenæ.

5. Ibid. T. I, P. II n. 785 *Dicta Johannis Bromyarde de Missarum celebratione.* Excerptum forte ex ejusdem Summa Prædicantium vocabulo *Missa*.

His Pitseus plura addit, sed non monet ubi saltem codd. MS habeantur:

Dictionarium theologicum. Pr. *Quod in tractatu sequenti.*

Distinctiones theologicæ & sermones de tempore & de sanctis, Persuasiones & collationes. Sed hæc fortè eadem cum relatis n. 3 & 4.

Summa de B. Virgine. Excerptum forsan ex Summa Prædicantium vocabulo *Maria*.

Tractatus contra Wicklefistas.

Lectura scripturarum.

Registrum.

Summa juris moralis. Pr. *Quod in sequenti opusculo.*

Tabula utriusque juris. Pr. *Ab infantia & teneris annis.*

Alva Sol. Verit. Rad. 81 col. 901 & Rad. 218 col. 1550 de Bromyardo agit sed imperite, nam Gallum præstat & doctorem Parisiensem, quod utrumque falsum.

Lelandus cap. 380 de operibus Bromyardi sic monet: *Neque est quod quisquam calumnietur, quia libri hujusmodi nominibus inscripti, sic ea tulit ætas, quæ doctiores quam eloquentiores tulit.*

Idem postea cap. 419 de Johanne Bromio Eremita Augustiniano agens sic habet: *Nolo hîc affirmare hunc esse Joannem Bromyardum, qui scripsit Summam Prædicantium, & Summam juris moralis, quia a Trithemio pro Dominicano censetur, quamquam Leander Albertus Dominicanorum illustrator, de Bromyardo ne verbum quidem si recte memini unum.* Quibus quadantenus de Bromyardo an noster sit, se dubium indicat. Sed facilis responsio non omnes a Leandro recensitos: at præter Trithemium Leandro antiquiorem, præter codices MS Anglicos & alios omnes Johannis de Bromyard ord. Prædic. nomen diserte exprimentes, non Joannis Bromii Augustiniani, auctoritas Ludovici a Valleoleti anno 1413 scribentis & Bromyardum ceu sodalem nostrum ejusque opera laudantis, omnem expungit difficultatem: cùm Bromius Augustinianus longe recentior sit, & ipsomet Lelando teste oculato sepulcrum habeat Gorloduni (Yarmouth) in quo dicitur mortuus anno tantum 1449. Pitseus ad hunc annum Bromium laudans alia omnino opera ei asserit, nempe *Indices in sua bibliotheca Gorlodunensis volumina, chronicon, & sermones* non plura, sed & hæc tantum recensent Augustiniani nomenclatores.

F. GUILLELMUS BRUNYARDUS quidam noster Anglus a Pitseo laudatur ad ann. 1350 ex fide Bostoni Buriensis, quem accuratum codd. MS Angliæ indagatorem & censorem perhibent. Non

Sæc. XIV. levis tamen mihi suspicio hunc non alium a supra relato Joanne de Bromyard, cùm tituli operum utriusque fere iidem sint. Jam vidimus nomen Bromyardi a quibusdam mutatum in Philippi, ab aliis etiam mutatum fuerit in Guillelmi, quod discutiant curiosi indigenæ. Ut ut sit, hæc a Pitseo dantur Guillelmo opera:

Summa theologiæ.
Distinctiones.
Determinationes.

F. THOMAS DE CLARASCO.

* 1390. F. Thomas de Clarasco a nostris sic fortè ab originis suæ loco *Cherasco*, vel *Querasque* vernacule dicunt, nuncupatus, ab aliis verò ex antiquis monumentis fortè a familia de *Cassato* vel *Casasto* agnominatus, quod Galli quidam interpretantur *Clausse*, ut ut sit, Pedemontanus fuit patria, & conventus Cheriensis alumnus, (Cherium Gallice *Quiers* civitas est quinque tantum milliaribus Turino dissita) cùmque vir esset morum integritate & doctrina, rerum insuper agendarum peritia commendatus adversus hæreticam pravitatem quæsitor in principatu Pedemontano constitutus est, & ut aliqui volunt, etiam prior provincialis suæ provinciæ Lombardiæ superioris tum sic dictæ assumtus, quo munere pluribus annis functum addunt. Amedeo comiti Sabaudiæ & Pedemontium principi a confessionibus erat, cùm exortum est dirum illud schisma, quo adversus Urbanum VI Romæ electum, Robertus Gebennensis Clemens VII in sua obedientia dictus Avenione sedebat, qui ad instantiam dicti comitis Sabaudiæ Thomam nostrum absentem ad purpuram evexit XXX maii MCCCLXXXIII, eique postea XVII nov. ejusdem anni ad curiam venienti titulum S. Sabinæ contulit. Quæ deinceps egerit non narrant auctores, & cùm grandævus jam esset cùm in sacrum collegium est cooptatus, Avenione qui dictum Clementem VII consiliis suis adjuvaret, mansisse facile conjicias, ubi & obiit XVII junii MCCCXC. Ex quibus videas quantum a vero aberrarint Fontana, ipsumque excipientes, qui mortuo inquiunt Joanne de Novocastro SS. Quatuor coronatorum cardinali, ei addunt substitutum a Petro de Luna Benedicto XIII in sua obedientia sic nuncupato Thomam nostrum, cùm hic a Clemente VII prius fuerit promotus, quam ipse Joannes de Novocastro, qui XXIII decemb. ejusdem anni MCCCLXXXIII creatus fuit cardinalis, & Thomæ nostro pluribus annis superstes fuit mortuus tantum mense septemb. MCCCXCVIII. Neque vero Sebastiani de Olmedo narrationem secutus est Fontana: ille enim sic tantum habet, ubi de duobus cardinalibus in obedientia Avenionensi contra Urbanum VI, ac proinde a Clemente VII assumtis, quorum primus fuit F. Nicolaus de S. Saturnino Gallus, *Alter vero*, inquit, *Thomas de Clarasco provinciæ Lombardiæ conventus Cheriensis, confessor comitis Sabaudiæ, provincialis Lombardiæ, nec non inquisitor Pedemontanus.* Nec plura.

Certiora profert auctor anonymus, quem ordinis Prædicatorum quidam suspicantur, in vita Clementis VII quæ prima est T. I Pap. Avenion. apud Baluzium col. 504: *Qui* (Clemens VII) *volens ipsum* (scilicet Ludovicum ducem Andegavensem) *& dictum comitem Sabaudiæ per amplius honorare, ad eorum instantiam & supplicationem die* XXX *dicti mensis* (maii) *in presbyterum cardinalem assumsit Dominum Fratrem Thomam de Cassato ordinis Prædicatorum, prius inquisitorem hæreticæ pravitatis in provincia Lombardiæ, & Pedemontum oriundum, virum utique grandævum, mansuetum, virtuosum, bene literatum, licèt non in theologia magistrum.* Hactenus ille auctor ejusdem ætatis. Quibus has notas adjicit Baluzius: *Thomam de Cassato.* Ita libri nostri. Liber obligat. *de Casasto.* Olmeda apud Fontanam & Altamuram eum vocat *de Claraschо.* Frizonius *Thomam de Clausse. Sed illi nullum vetustum scriptorem laudant, nullas veteres memorias, ex quibus constet hoc cognomen fuisse huic Thomæ.* Et postea: *Erat ille absens quum factus est cardinalis. Postea vero intravit curiam die* XVII *novemb. & accepit titulum S. Sabinæ. Obiit anno* MCCCXC *die* XVII *junii apud Avenionem, ut scribit Panvinius.* Hactenus Baluzius, ex quibus Oldoinum emendes, qui perperam ex abbate electum cardinalem & non rectius archiepiscopum Neapolitanum factum asserit ex Contelorio: ille enim Thomas antistes Neapolitanus *de Pistorio* agnominabatur, vel de Amanatis & anno tantum MCCCLXXXV creatus cardinalis, ut probat ibidem Baluzius. Scripsit autem Thomas hic noster

Sermones perutiles & alia opera, quæ Toleti in conventu nostro S. Petri martyris servabantur, dum illac transiret Antonius noster Senensis, qui testatur se illa omnia vidisse ac legisse cum Summa Alberti Brixiensis colligata eodem codice MS.

Summam casuum conscientiæ addit Rovetta ad 1374, penes quem fides, cùm non addat a quo visa sit aut ubi servetur, nec aliunde sat accurate de hoc auctore agat.

F. GUIDO MARRAMALDUS.

F. Guido Marramaldus gente Siculus nobili Marramaldorum origine satus & familia, plures quæ sago togaque reipublicæ dedit 1395 ac Ecclesiæ insignes viros, purpuraque etiam claros, quatuor Landulphi filiorum ultimus fuit, fratresque habuit Landulphum archiepiscopum Barensem S. R. E. cardinalem, Feulonem Caroli III regis Neapolitani præfectum domus majorem, & Carolum militari gloria clarissimum. Ipse majora, cœlestia nempe ambiens, ordini se addixit in æde S. Dominici Neapoli, ejusque laudes complectitur breve hoc elogium ex archivis ejusdem domus depromtum: *B. Guido Marramaldus Neapolitanus hæreticæ pravitatis in hoc regno generalis inquisitor ac fidei propugnator. Hic nobili prosapia, sed moribus nobilior fuit, disciplinæ regularis observantissimus, vitæ integritate inculpabilis, bonorum operum plenus, & miraculorum gratia gloriosus: in hoc regali conventu habitum religionis suscepit; præstantissimo ingenio præditus, philosophus, theologus celebris, concionator famosus, fundator conventus Ragusini extitit, ibique prædicando tanquam alter apostolus multum profuit. Obiit in hoc conventu circa annum* MCCCXCI. Ita Vallius refert in Compendio p. 85, ubi plura quæ non instituti nostri, qui auctores solum quærimus. Cùm iis Guidonem nostrum accenseat Toppius in Bibl. Napol. non potuimus ejus non meminisse. Nulla tamen ejus opera profert, quæ forsan expectavit a suis symmystis addenda.

F. NICOLAUS DE TROIA.

F. Nicolaus de Troia, qui & *de Aquilone* nuncupabatur, hoc fortè agnomen a patria, * 1396 illud verò a professione sortitus, in regno Neapolitano certo natus est, & provinciæ Regni Siciliæ alumnus fuit. Quo tempore clarebat, exortum est infandum illud Avenionense schisma, nec Ecclesia solum inter duos summos pontifices divisa erat, sed & ordo, quod & aliis familiis religiosis accidit, inter supremos magistros duos, ipsumque Re-

gnum Neapolitanum inter duos reges, aliis Ladislao a Bonifacio IX inaugurato, Ludovico Andegavensi aliis a Clemente VII Avenionensi coronato adherentibus. Ex his fuit Nicolaus noster vir gravissimus, & apud suos magnæ auctoritatis: mortuo XXXI decemb. MCCCLXXXIX magistro ordinis partis obedientiæ Clementis VII F. Helia Tolosano, juxta leges nostras anno MCCCXCI habuerunt vocales hujus obedientiæ suum Cæsaraugustæ in Aragonia capitulum generale, dictumque Nicolaum sabbato vigilia Pentecostes XIII maii communibus votis magistrum ordinis assumserunt, quod & munus illud quantum ea ferebant tempora sapienter & tranquille administravit. Sed non diu permansit in officio, morbo enim correptus circa finem decembris MCCCXCII diem obiit extremum IX januarii sequentis feria V circa nonam, fuitque in sacello SS. Annunciationis ad claustrum conventus Avenionensis, in quo mortuus est, astantibus XX minimum cardinalibus, apud quos ob eximias dotes magno erat in pretio, sepultus. De quo sic in chronico F. Laurentii Pignon: *Anno Domini MCCCXCIII non fuit capitulum generale propter mortem magistri nostri, qui obiit Avenioni in mense januarii.* De eodem antea dixerat: *Anno MCCCXCI fuit capitulum nostrum generale in Cæsaraugusta provinciæ Aragoniæ, ubi fuit electus in magistrum ordinis F. Nicolaus de Troia magister natus de Neapoli.* Intellige, *de Neapolitano regno.* Quo ex auctore coævo Vallium pag. 140 de eo agentem, & Altamuram ad 1393 emendabis. Nobis consentit Diagus in *Hist. prov. Aragon.* Sed ut hæc clariora fiant, epistolam encyclicam de ejus obitu scriptam, licèt styli aliquantulùm durioris visum est hic addere ex cod. Bibl. Reg. Paris. 4506, olim nostrorum in Provincia Aquensium, & ejus ætatis. Fol. 102 a.

Venerabili patri F. N. priori provinciali in provincia N. ordinis FF. Prædicatorum, F. Jacobus in provincia Provinciæ prior provincialis humilis, ejusdemque ordinis vicarius generalis, salutem, & lamentis crebro sudore expletis in cœlesti gloria perenniter collatari. » Gravi sauciatus aculeo, quo » cunctum cœtum Dominicum cerno immaniter » cruentatum, nedum diris astringor singultibus, » impellor suspiriis, verùm & lacrymis cicatricum » amaritudine perfusis huc usque instantibus, dum » ex nostrarum constitutionum tenore vobis calamitatis, quæ his diebus nostro advenit ordini compellor fieri (proh dolor!) nunciator. Præsentis casus » obducta memoria, gemebunda attrita extat species, ut vestri suppetant oculi abundantiam lacrymarum. Porro cujus vel saxeum pectus quod » nunc lacrymæ ad fletum non emolliant, cùm pervigil pastor ille & princeps noster inclitus F. videlicet Nicolaus de Aquilone de Troia sacræ » theologiæ professor eximius, quem sic sanctum flamen gregi Dominico non longo ante tempore speculatorem præfecerat generalem, nobis » orbatis tam repente filiis nunc potissime periclitantibus, attentis hujus miseriæ vallis seculi, quod » nobis suo minatur occasu, remanentibus in occidente, velut alter Jacob celeriter ad orientem » perrexit. Sane cùm Deus ea quæ non fallit providentia, aspectum miserationis diffundens super » nostræ religionis verticem, ipsum quasi signum » salutiferum erexisset in vinea, quam dextera ejus » plantaverat, proficiscens anno videlicet uno mensibus sex diebus sexdecim hac labili vita, quæ » quadam accidentali consideratione ex nihilo proveniens & ad nihilum tendens, procellosis incursibus mox depulsa, tandem hujus mensis januarii » die nona feria quinta & hora quasi nona ecclesiasticis sacramentis & plenariæ indulgentiæ beneficio pie & instanter requisitis ac devote susceptis: nedum cujusquam Beatorum normam transitus sibi pro exemplo ante aspectum apposuit, » quinimo ut verum Christi membrum tanquam » suo capiti insigniter unitum, ut fini suæ quietudinis innixus, quo caritatis vinculo pervenitur, » Dominicum sermonem commemorans, quasi condens paupertatis humilis testamentum, suis filiis » & Fratribus mutuam caritatem & dilectionem » habere injungendo: & quantum morientis vires » suppetunt, manibus ad æthera elevatis eis benedicens carnis exsoluto deposito, salvatoris in manibus se commendans, cœtu Fratrum assistente, » & quantum lacrymæ patiebantur, Dominum deprecante, suum reddidit spiritum omnium creatori. O admirandum spectaculum omni prorsus » stupore repletum, in quo non solum spiritu vehebatur ad Dominum, verùm & quasi carnis ejus » expulso pondere trahi ad cœlestia videbatur! O » quamlibet quantisque singultibus atteri debent » nostra pectora, qui orphanosa tenebrositate pressi » relinquimur tanti patris, quem sibi flebilibus suspiriis plurimi dixerim alienigenæ deplanxerunt! » Quippe dum pius pater, quem nostratim peregrinantem divina bonitas meritis pluribus sublimando dotaverat, hujus liquescentis vitæ decursum terminasset, voluissetque eum qui ex alto » respicit eximiis honoribus pandere gloriosum: affuit mœror & luctus omnium plangentium una » voce. Tuncque præsentibus dominis cardinalibus » numero viginti, & prælatorum ac cleri & populi ingenti multitudine assistente, mensis prædicti » die XI in capella Annunciationis Dominicæ, quæ in » claustro conventus Avinionensis nostri ordinis in honorem virginis Christiferæ matris Dei extat mirifice » consecrata, post missarum celebrata solemnia & solemni sermone expleto, fuit (ad) cornu altaris in » parte sinistra ejus corpusculum traditum sepulturæ. O quantus luctus omnium, quanta proinde » inest gregis Dominici professoribus causa mœroris & planctus, dum nos insolertes utique reliquerit pater devotione sanctus, segnes oratione » fervidus, clarus sapientia hebetatos, balbutientes » eloquio limpidus, inexpertos discretione probatus, tepidos zelo religionis fervide inflammatus, » ac cunctis virtutibus plenissime decoratus! O nefandæ mortis jaculum, quo tam crudeliter & celeriter solaris radius eclypsatur, flos altæ devotionis atteritur, lucerna exaltata super candelabrum tetra caligine denigratur! Hay nunc caulæ » lacertis, gregis Dominici sacræ ædes lupis rapacibus exponuntur: nunc greges pastoris vigili tutela deserti variis concutiuntur terroribus, & pascuis pastæ lugubribus (oves) amaris calicibus epotantur. Nunc monte speculationis abraso, adsunt » jam præ foribus, quibus hostiliter invaditur religio sacrosancta. O vere incomprehensibilis divini judicii statera, cujus miro libramine pro dignis » laboribus dum pius pater noster in cœlum erigitur...... pignora ad terræ usque miseriam deprimuntur. Nos igitur tanti patris clara orbati » præsentia, tali vehitionis scuto privati, tantisque » discriminibus atque damnis præcincti, communi » lamentatione plangentes, religionis nostræ sacratissimæ casum majorem exemplo prosequimur, atque immensi luctus ingruente pondere, lætitiæ » cytharam in fletum convertimus, & pro dulci » harmonia carmen lugubre decantamus. Et quia » vestris oculis lacrymarum fontibus... cætera desunt. «

Utinam nobis adesset tanti viri, quem Toppius in suam Bibl. Neap. intulit

Litera encyclica ex capitulo generali suæ electionis, si affuerit, vel saltem si absens, cùm munus inivit, *ad provincias sibi subjectas de more scripta*,

SEC. XIV.

 quæ fortè alicubi latet, & æque ut mox relata inveniretur, si quis diligens quæreret. Ut dubitem autem an affuerit Cæsaraugustæ cùm electus est, ansam dat tam distincta enumeratio temporis quo præfuit, nempe unius anni sex mensium & dierum sexdecim, quod argumento esset nonnisi XXIII junii MCCCXCI magisterium inivisse, cùm tamen sabbatum pentecostes, quo fieri debuit electio, & factam fuisse certo insinuant Diagus *fol.* 58 *d*, & Laurentius Pignon eo tempore vivens & scribens, XIII maii acciderit. Hinc etiam argues Diagum minus attente dicere F. Petrum de Fonteluporum Aragoniæ provincialem a morte Heliæ vicarium generalem ordinis anno uno paulo minus egisse, cùm fuerit uno anno paulo plus, nempe a XXXI decemb. MCCCLXXXIX ad XIII maii MCCCXCI: sed gravius falluntur Vallius *pag.* 141 & Altamura ad 1393 dicentes F. Nicolaum Eymericum in eo interregno vicarii generalis ejus obedientiæ munere functum fuisse, sed excusandi quod Eymericum Aragoniæ provincialem censuerint, cujus id juris erat, quod tamen munus nunquam gessit.

Hæc ab Altamura ex relatione, inquit, antiquiorum provinciæ Regni Siciliæ patrum, & curiosorum antiquitatis indagatorum relatione recensentur relicta a Nicolao nostro opera:

1. *In dialecticam Petri Hispani, libros* VIII *Physicorum, de cœlo & mundo, Metaphysicorum* XII *commentarii.*

2. *Postillæ in libros Regum* IV.

3. *De libera electione pontificis.*

Fontana in *Monum.* ad an. 1391 pag. 257 b, refert in cap. gen. Cæsaraugustæ 1391 celebrato injunctum fuisse omnibus, ut Bonifacium IX tanquam solum verum pontificem agnoscerent, & prædicarent, Clementem verò VII schismaticum & maledictum denunciarent: sed etsi acta capituli citet, quæ non arbitror vidisse, certo a vero longius aberrat, alioquin capituli illius patres Raymundo Capuano adhæsissent, nec novum elegissent obedientiæ Clementis magistrum generalem Nicolaum de Troja: imo tantum abest ut vel unus Bonifacium agnoverit, quin omnes, quæ erat luctuosa tum Ecclesiæ facies, ceu antipapam execrarentur, & Clementi Avenionensi mordicus adhærerent.

F. JOANNES DOMINICI DE EUGUBIO.

* 1391. F. Joannes Dominici de Eugubio sic a patria vel professione nuncupatus, provinciæ Romanæ cujus erat tum cœnobium Eugubinum alumnus seculo XIV finiente claruit, sacræ theologiæ professor, & apud Bavariæ duces Stephanum, Fridericum & Joannem nuncius apostolicus, ex quo conjicere est, quibus annis hoc munere functus fuerit. Cùm enim iis tribus fratribus sequentem tractatum nuncupet, eum scripsisse existimandus est, cùm unâ & indivisim, summaque voluntatum consensione Boicam administrabant: quod ejus gentis historici ab anno MCCCLXXVII ad MCCCXCII stetisse ferunt, tum enim paternam hæreditatem diviserunt, & ex una usque huc tres dynastias erexerunt. Adde Fridericum pridie nonas decemb. MCCCXCIII, & Joannem die augusti octavo MCCCXCVII obiisse. De quibus legendus Joannes Adlzreitter Annalium Boicæ gentis P. II lib. 6. Unde fortè, Urbani VI, certo Bonifacii IX Joannem nostrum nuncium egisse facilè colligas, nam reliquias de quibus mox anno MCCCLXXXVIII vel sequenti inventas præstat idem auctor loc. mox. cit. Scripsit hoc titulo:

Incipit Epistola & tractatus magistri Joannis de Eugubio ordinis Prædicatorum sacræ theologiæ professoris ad principes Bavariæ de origine & veritate sacramenti mirabilis in monte Andechs inter alias reliquias requiescentis.

» Serenissimis & illustrissimis principibus & dominis, dominis Stephano, Friderico & Joanni germanis comitibus dignissimis Palatinis, clarissimisque ducibus Bavariæ, domus semper nobilis inclitæ & illustris, in qua ab antiquis seculis laudum cesarum præconia & imperialis dignitas majestatis nobilitare atque clarissimis moribus præfulsere, pauperculus Joannes Dominici de Eugubio crucis sanctissimæ prædicator, nuncius apostolicus, sacræ theologiæ humilis professor de ordine Prædicatorum vestris celsitudinibus convenientissimam reverentiam debitam, & obedientiam promtissimam & honorem. Omnipotentis atque permanentis Dei mystica mirabilia sacra olim sacris doctoribus atque sanctissimis pontificibus ostensa divinitus, nunc vestris inclitis pietatibus non casu ut ignorantes affirmant, sed secundùm certum & secretum ordinem sapientiæ suæ cœlestis invexit & porrexit benignitas ut &c. «

Sequitur Appendix præcedentis epistolæ itidem Latina, cujus titulus & principium:

Continuatio præmissorum, qualiter reliquia sacra per apostolicæ sedis legatum novissime temporibus illustris principis ducis Adalberti visa & examinata, sedis ejusdem auctoritate sint approbata.

» Licèt reliquiarum venerandarum veritas post ipsarum de civitate inclita Monacensi, ubi aliquanto tempore necessitate quadam reservatæ, ad locum hunc ubi primo inventæ fuerant, cum omni reverentia reductionem, signis & miraculis stupendis multifariam veraciter sit ostensa &c«.

An hæc appendix seu continuatio sit ejusdem nostri Joannis nolim asserere, cùm ejus nomen non inscribatur, nec nisi ex collatione styli deprehendi possit, quod soli præstare possunt indigenæ. Porro Epistola & Appendix extant in Bibl. Cæsar. cod. MS 274 fol. memb. utraque Latine & Germanice. In prima verò majori litera hujus codicis, & in ornamentis adjectis annus quo scriptus est sic indicatur: *Anno Dñi* MCCCCLVII *scriptum in monte Andechs serenissimo & illustrissimo principi & domino Sigismundo clarissimo duci Austriæ.*

Eædem epistola & appendix Germanice versæ extant rursus cod. MS 275 chart. in 8, teste Lambecio Bibl. Cæsar. lib. II pag. 219 & seqq. Ut autem lectoribus pateat, de quo in epistola ista agatur, rem placet ex annalibus Boiorum auctore Jo. Adlzreitter referre, qui sic habet loc. cit. col. 111:

» Ad annum MCCCLXXXVIII pertinent incrementa Boicæ pietatis, cui inter homines instaurandæ neque musculi ministerium Deus est aspernatus. Latebat in montis Andecensis ædicula nobilissimus sacrorum lipsanorum thesaurus, quem majorum cura ne bello raperetur abdiderat, oblivio posterorum & incuria sic neglexerat, ut vix ulla amplius ejus extaret memoria. Conditorium nulli observatum aræ suberat, a quo mus chartam protraxit, in qua sacra pignora erant descripta. Jacobus Dachaverus Franciscani ordinis ad aram faciebat, cum scheda mure trahente emersit in lucem. Cepit bonum sacerdotem cupido ejus inspiciendæ, inspexit, legit indicem sacrarum opum, quas christiana pietas habet in summo pretio. Quo decentius, atque ad posteritatis fidem celebrius eruerentur, res fuit delata ad Boios duces, qui ipsi voluerunt adesse testes, quando egesta humo eductæ fuerunt in apertum. In his reperta capsella plumbea, quæ ternas victimæ eucharisticæ formas prodigiis celebres complexa, complures alias Divorum reliquias habebat circumfusas. Duces tot læti divini favoris pignoribus Bonifacium IX pontificem qui Urbano VI. anno MCCCLXXXIX Idib. octob.

» octob. defuncto ad IV non. novemb. electus suc-
» cesserat, de tota re per literas edocent. Bonifa-
» cius eorum felicitati gratulatus, quo faceret eam
» communem & publicam, eximiis gratiis promis-
» sisque mortalium studia, qui expiati illa cœli mu-
» nera veneraturi essent accendit. Cùm montis An-
» decensis quem post hæc sanctum dixerunt, ædi-
» cula esset angustior, quam ut confluentis multi-
» tudinis pietatem caperet, sacer iste thesaurus Mo-
» nachium fuit deportatus, donec augustius tem-
» plum, quod in eodem monte parabatur assurge-
» ret. Ne interea piorum affectus tepesceret, anno
» MCCCXCII quot hebdomadibus a jejunio verno ad
» augustum usque divinæ hostiæ cæteraque lipsana
» spectaculo exposita non unius provinciæ incolas
» ad se attraxere. Tantus fuit concursus, ut subinde
» sexaginta hominum millia in censum venerint,
» & sæpe modius unus stipes sacras in ara ab expia-
» tis offerri solitas non ceperit, *&c. ibi legenda.*

Eodem anno mox indicato sacrum istum thesaurum in templum Andeacense jam paratum illatum fuit, cùm noster Joannes qui scribebat ante finem hujus anni, in eo jam mirabile sacramentum inter alias reliquias requiescere asserat. *Andechs* S. Benedicti alumnis frequens monasterium, & Sanctimontis nomenclatura insignitum vulgo Heilgenberg dictum inter præcipua Bavariæ cœnobia etiam hac ætate celebratur. Videsis Bucelinum.

F. DOMINICUS DE STELLEOPARDIS.

* 1391. F. DOMINICUS DE STELLEOPARDIS Siculus loco ad Neapolim sito *Afragola* ab indigenis dicto ortus, in S. Dominici Neapoli ad ordinem ascitus, utraque theologia scholastica & parænetica claruit exeunte seculo XIV. Ab Urbano VI litteris VII idus jan. ann. I Romæ datis Christi MCCCLXXIX prædicator apostolicus per universum regnum Siciliæ institutus est, qui Clementi VII sic in sua obedientia dicto faventes ac adherentes revocaret, & pœnitentibus veniam & absolutionem impenderet. Carolo III Dyrrachino dicto & Ladislao utriusque Siciliæ regibus a sacris domesticis seu capellanus ut vocant familiaris & ordinarius fuit, sed & provinciæ Regni quaqua tunc late patebat, præerat prior provincialis anno MCCCXCI. Ejus cum laude meminerunt Lusitanus, Pius, Fernandez & Altamura ad 1386, sed accuratius & fusius Gravina De Sacro deposito cap. 22 n. 24, & Vallius in Compendio p. 135. Hæc ejus laudantur opera Neapoli in Bib. domus S. Dominici MS servata:

Super tres libros de anima commentaria.
Quæstiones eruditæ variæ.
Tractatus alii plures.

F. SIMON ANGLUS.

* 1391. F. SIMON ANGLUS sic a gente haud dubie dictus, at cujus patria ignoratur, laudatur a Sixto Senensi in sua Bibl. sancta, quem excipiunt Lusitanus, Pius, Fernandez, & a Pitseo in Append. anno quo floruerit non addito, ab Altamura vero ad 1391 collocatus, penes quem fides. Hæc ei ascribuntur:

Postilla super IV prophetas majores.
Super libros Machabæorum.
In proverbia Salomonis.
In præfationes Bibliorum S. Hieronymi.

F. PETRUS BAIOCENSIS.

F. PETRUS BAIOCENSIS Gallus Neustrius, ut agnomen videtur indicare, e civitate episcopali *Baïeux* vernacule ab incolis dicta, qui ea ratione Cadomensis domus alumnus esset, ut ut sit seculo XIV vivebat, & scripsit * 1391.

Chronicon sui temporis ab anno MCCCL *ad annum usque* MCCCXCII, quod curante F. Thaddæo de Argentina prælo datum est & prodiit Basileæ, Joan. Loppardi 1512 in 8.

Hujus auctoris nulla mihi aliunde notitia, quam ex Fontana, a quo citatur primum in Monum. Dominic. ad ann. 1353 & frequentius deinceps ad annum usque 1392 de rebus ordinis, & in eo anno dicitur Chronicon terminari.

F. BARTHOLOMÆUS DE RIPARIA.

F. BARTHOLOMÆUS DE RIPARIA Gallus provinciæ Tolosanæ alumnus, & in universitate Tolosana sacræ theologiæ magister, in eadem doctoris regentis munere fungebatur anno MCCCLXVI, * 1391. ut Percinus noster Monum. Tolos. p. 79 testatur se ex actis universitatis excepisse. Exinde ejusdem Tolosanæ priorem provincialem assumtum narrat Nicolaus Bertrandi in Histor. Tolos. anno 1515 edita, quo anno vero electus fuerit, non annotarunt sodales: sed cùm Sanctius de Ficola ab officio amotus fuerit in comitiis ordinis apud Brugas Flandrorum anno MCCCLXIX habitis, cujus in locum suffectum aiunt Hugonem de Benno, annis sex regiminis huic datis, Bartholomæus quem ei successorem dat diligens noster Soëgius ex actis Tolosanis, circa MCCCLXXV hoc munere functus fuerit. Dum sui officii partes sedulus implere satagit, ad sedem Baionensem anno MCCCLXXXI vacantem eligitur. In ea certo sedebat episcopus anno MCCCLXXXIII, ejusque nomen legitur in tabulis S. Bernardi monialium ad Baionam annis MCCCLXXXVII, LXXXVIII, XC, ut habet D. Sammarthanus in nova Gallia Christiana p. 1317, qui & addit ex schedis D. Edmundi *Martene* consodalis sui qui chartas inspexit, adhuc præfuisse anno MCCCXCII, sic emendans quod olim Sammarthani fratres in antiqua sua Gallia Christiana scripserant, Bartholomæum quem & Riberanum nuncupaverant, jam anno MCCCLXXIII hanc Ecclesiam administrasse. Idem D. Sammarthanus eum *d'Arribaire* vernacule dictum scribit, quod Gallice sonat *de la Riviere* & *de Ribera* Latine vertit, nostrumque fuisse silet: sed id in dubium nemo revocet, qui sciverit ex actis Tolosanis constare, provinciam illum Tolosanam nostram pluribus annis rexisse. Hunc a Fontana in Theatro omissum inter episcopos merito conqueritur Altamura, sed & ipse emendandus, cùm ad 1514 ablegat sesqui seculo ferme antiquiorem. Ejus meminerunt Simlerus & Possevinus Dominicanum agnoscentes & præsulem Baionensem, & qui a se scriptum reliquerit

Commentarium in IV libros sententiarum.

Alvam non moror *Pleytos de los libros p.* 377 negantem hujus Bartholomæi apud Possevinum memoriam esse, quem quisquis legere potest p. 175, sed non hac vice tantum sua Alvæ defecerunt ocularia.

F. NICOLAUS DE VALLEOLETI.

* 1394. F. NICOLAUS DE VALLEOLETI Hispanus, & ut agnomen indicat, patria & professione Pincianus, vir magnarum partium, quem mirum ab Hispanis nostris Ferdinando de Castillo, & Joanne Lopez silentio prætermissum, provinciam Hispaniæ administrabat præfectus diri illius Avenionensis schismatis tempore, quo anno electus tum scietur, si quando prodierit provinciæ illius historia: certo præerat anno MCCCXCIIII, quo comitiis Narbonæ ab ea ordinis parte, quæ Clementem VII Avenionensem venerabatur, generalibus celebratis, communi omnium voto magister ordinis electus est. De quo sic F. Laurentius Pignon in suo chronico: *A. D.* MCCCXCIIII *fuit capitulum generale nostrum apud Narbonam, ubi electus fuit in magistrum ordinis F. Nicolaus de Valleoleti & XXIV magister ordinis.* Ubi non omittendum in eo capitulo etsi in schismate celebrato adeo gravia pro recto regimine statuta fuisse, ut post extinctum schisma a toto ordine acceptata fuerint, & a V. F. Vincentio Bandello nostris constitutionibus inserta, etiamnum laudentur, quod in sapientiam Nicolai præsidis refundendum. Præter hoc capitulum autem aliud iterum celebravit anno MCCCXCVI Claromonti Arvernorum in provincia Franciæ. Sic autem prosequitur idem Laurentius: *Anno Domini* MCCCXCVII. *Nota quod illo anno fuerunt plures Domini nobiles de regno Franciæ, Angliæ, Alemanniæ, Hispaniæ, Hungariæ, contra Turcos, ubi fuit maxima strages christianorum, ita ut de Anglicis, Britonibus, Lothoringis, & omnibus aliis occidentalibus nulli redierint exceptis paucissimis, sicut comite Nivernensi paucis nobilibus sibi adjunctis. Eodem anno fuerunt Remis congregati rex Franciæ & Navarræ cum pluribus nobilioribus totius regni, ducibus scilicet Burgundiæ, Bituriæ, & Borbonii, comite Nivernensi, qui nuper redierat de Hungaria. Ibidem etiam scilicet Remis fuit rex Alemanniæ cum supradictis ad tractandum de Ecclesiæ unione & schismatis sedatione. Illo eodem anno facta est congregatio post pascha prælatorum omnium totius regni super dicta unione facienda per viam cessionis ab universitate electam, quæ universitas* (scilicet Parisiensis) *voluit quod omnino aut papa cederet, aut ab eo obedientia tolleretur,* nempe Benedicto XIII Avenionensi. *Eodem anno* XI *die decembris obiit magister ordinis F. Nicolaus Vallisoleti in maximum detrimentum totius ordinis, ob cujus obitum non fuit celebratum illo anno* (id est in festo pentecostes sequenti MCCCXCVIII) *generale capitulum, quod antea fuerat Lemovicis assignatum.* Ubi quod dicit in maximum ordinis detrimentum sublatum Nicolaum, præclaras ejus dotes & sapientissimum regimen declarat. Cùm autem indicet Punciæ mortuum, fortè ibidem apud nostros habentur tum literæ encyclica de ejus morte, tum acta ejusdem magistri, ac præsertim

Epistolæ duæ ad provincias sibi subditas e duobus quæ habuit capitulis generalibus scriptæ de more, quas utinam quis curiosus requirat, ac in lucem proferat.

Fallitur autem Fontana in *Monum.* ad 1395 pag. 282 a, cùm in congressu theologorum quem dicit eo anno Parisiis habitum de schismate tollendo, F. Guillelmum de Braioto theologum insignem Franciæ provincialem ei adfuisse narrat: neque enim hujus nominis erat tum Franciæ provincialis, sed F. Olivarius Uvent conventus Brugensis in Flandria alumnus vir clarus electus Autissiodori MCCCXCIII & ad sui instantiam destitutus Tulli MCCCXCIX.

F. FEDERICUS DE VENETIA.

F. FEDERICUS DE VENETIA a patria sic agnominatus sive conventus SS. Joannis & Pauli, sive conventus S. Dominici in eadem civitate, ut contendit Rovetta in Bibl. Lombardiæ alumnus theologus eximius, & a linguæ suæ vulgaris puritate commendatus seculo XIV floruit. Ejus meminerunt Leander Albertus *fol.* 136 *b*, Lusitanus *pag.* 78, & ex iis Possevinus seculum quo vixit non indicantes, Altamura verò ad 1348 & Rovetta ad 1349. † 1394. Certum ante annum 1400 vixisse. Apocalypsin e Latino in vulgarem Italicam eleganter inquit Leander, & pro suo seculo purè vertit, cui eadem vulgari ex variis desumpta commentaria subjecit. Extant plura in variis bibliothecis exempla typis expressa hoc titulo:

Prophetia seu Apocalypsis B. Joannis Evangelistæ cum vulgari expositione novissimè impressa, absque loco 1519 fol. par. Extat in Bibl. Barber. ejusdem editio Veneta anni 1515 fol. an altera? Titulus: *Esposizione sopra l'Apocalisse.*

Servantur ejusdem exempla MS plura. 1. In Bibliotheca Medicea Florentiæ Pluteo XXVII num. 17 fol. memb. hoc titulo:

La exposition dell' Apocalipsis per volgar con le ghiose di Maistro Nicolo de Lira translatada per Maistro Federigo da Veniexia del ordine de' Frati Predicatori in MCCCLXXXXIIII. Princ. *Questo libro el qual si appella.* Finis: *Jerusalem sopradita. Amen.* Ad pag. 110 legitur: *Sum de domino Simoni Malerbo a Zara Dalmatiæ.*

2. In Bibl. Colbert. Parif. num. 3355 codex fol. mag. membr. eleganti charactere & melioris notæ. Pr. *Che si appella l'Apocalipsi tratutti i altri libri de la santa scritura se die legere & aldire con grande intendimento &c.* Finis: *De la cità santa Terusalem sopra dita. Amen. Explicit literalis expositio super Apocalypsim B. Johannis apostoli & evangelistæ compilata & ordinata per Fratrem Fredericum de Venetia sacrosanctæ theologiæ doctorem ordinis Prædicatorum. Anno &c. Glossæ ista omnes quæ sunt in isto libro sunt magistri Nicolai de Lyra ord. FF. Minor. & aliorum commentatorum qui commentaverunt Apocalipsim. Hunc librum transcripsi ego Johannes Dono Venetiarum notarius de Candida egregio & sapienti ac nobili viro DD. Cacharia Vituri honorabili consiliario Cretæ domino suo præcordialissimo sub anno Domini* MCCCC *nono mense februarii die nono hora prima diei indictione tertia. Candidæ.*

Qui codex idem antea fuit clar. D. Josephi de Voisin Burdigalensis Senatus purpurati Senatoris, viri linguæ sanctæ peritia conspicui, eruditione scriptisque commendatissimi. Extat etiam Hafniæ inter codices MS quos Bibliothecæ publicæ Academiæ dedit Petrus Joannes Resenius, & in catalogo Hafniæ edito 1685 in 4 recensetur pag. 343. Ex quibus videat lector, quo criterio, ne quid amplius dicam F. Petrus Alva in suo *Pleytos de los libros, Pleyto* 25 hunc nostrum Federicum cum opere suo in fumum abire jubet velut auctorem fictitium, cujus opus & MS & typis editum tot in locis etiamnum servatur.

F. SIMON DE PUTEO.

F. SIMON DE PUTEO Siculus Messanensis patria, ibidemque in conventu S. Dominici ordini cooptatus, vir pietate, doctrina, facundia & * 1399. agendorum peritia conspicuus, qui & in sacra facultate Parisiensi laurea magisterii donatus anno

circiter MCCCLXIV inter additos ad catalogum Guidonis in cod. Lingonen. n. 152 recensitus, ac manu æquali sic inscriptus, *F. Simon de Puteo de provincia Sicilia factus Parisius*, quod idem habet Leander Albertus *fol. 126 b.* Ad suos exinde reversus quæsitor primum ad synagogam Judæorum evertendam ab Urbano V constitutus, tum postea inquisitor per totam insulam generalis, a Gregorio verò XI jurium E. R. collector & nuncius apostolicus anno MCCCLXXV: quas partes dum egregie tutatur, Elia Catanensi episcopo Roberti Gebennensis papæ Avenionen. Clementis VII obedientiam amplexo, eidem suffectus est & ea insula ab Urbano VI decoratus literis Romæ MCCCLXXVIII, XVII kal. januar. anno primo datis. At tempore sui pontificatus variis gravioribusque motibus turbata insula rege Martino modo Romanum modo Avenionensem papam venerante, ut multa præclare gessit pro tuendis Urbani VI partibus, sic & duriora habuit ex parte regis sustinenda, in carcerem etiam conjectus anno MCCCXCIII & aliquandiu maceratus, a quo tandem dimissus anno MCCCXCV circiter, & ex insula ejectus Romam se recepit, ubi sub ejus seculi finem vel initia sequentis obiit cum fama sanctitatis, fuitque ad Minervam sepultus. Quæ fusius narrat Pirrus in *Sicil. Sac.* legendus. Meminit Altamura ad 1491 seculo fere integro recentiorem faciens quam fuerit, quod erratum in tanta rerum quas tractavit multitudine facile condonandum. Ejus opera sunt

Acta sive in inquisitione sive in defensione jurium pontificiorum præsertim Urbani VI, quæ in archivis Siculis & Vaticanis servantur.

F. ANTONIUS CANALS.

T. 1391. F. ANTONIUS CANALS patria Catalanus provinciæ Aragoniæ alumnus sub Clemente VII & Benedicto XIII sedem apostolicam in schismate Avenionensi contra pontifices Romanos contendentibus sub finem seculi XIV floruit. Vernacula Gothalanica lingua e Latino reddidit *Valerii Maximi libros IX de dictis factisque memorabilibus*, quam versionem Jacobo Aragono Petri comitis Pratarum Jacobi regis Aragonum nepotis filio cardinali episcopo Sabinensi a Clemente VII dicto anno MCCCXC creato, unâque Ecclesiæ Valentinæ administratori nuncupavit, proindeque ante annum MCCCXCVI, quo maii XXX die mortuus est princeps ille cardinalis. Extat Parisiis in Colbert. n. 516 hujus versionis exemplum MS chartaceum & membraneum, cujus initia visum est in gratiam lectoris referre, ex quibus habetur Antonium hunc fuisse in theologia licentiatum ut vocant, & Ecclesiæ Valentinæ lectorem ordinarium a dicto cardinali institutum. Sic ergo incipit:

Al molt reverent pare en Christ & Senyor meu, molt alt lo Senyor Jacme por la providencia divinal de la sainta Esglesia Romana cardenal bisbe de Sabina e administrator del bisbat de Valencia Frare Anthoni Canals de l'orde dels Frares Predicators per vostra Altea licentiat en theologia, e fet lector de la Seu de Valencia humil servidor indigne de tan venerable paternitat, de sa pocha sufficientia volent fer alcuna servitud acceptable a tanta dignetat transcendent, donant primer si e la sua singular affectio, la obra present, en la qual esvet ladament ha treballat offir a vostra alta senyoria en molt alt senyor com per experientia maestra evidemment monstra hui en nostres temps les virtuts morals esser exellads della terra, tornant sen al tel, don agren son principi, e commençament &c. Sunt folia 172 per columnas scripta.

Noni libri ac primi tituli adsunt jam tantum decem priora capita; cætera aliâs fuisse ibidem indicatur.

Ex hactenus dictis lux iis afferetur, quæ de hoc auctore ejusque opere confuse incerteque narrat Antonius variis locis Bibl. Hisp. veteris. Sic enim ille lib. 9 c. 7 n. 397: *Antonius de Tanales* (pro Canales vel Canals) *ordinis FF. Prædicatorum dicitur Joannis Castellæ regis I jussu sub finem hujus seculi* (XIV) *vertisse in sermonem Hispanum Valerii Maximi opus de dictis & factis memorabilibus. Quæ versio extat MS fol. anno MCCCXCV confecta in bibliotheca Hispalensis Ecclesiæ a Ferdinando Colono Magni Christophori Indiarum Occidentalium inventoris filio ejusdem capitulo cùm moreretur legata. Cujus habendæ cura impositus hoc tempore D. Joannes de Loaisa hujus portionarius, vir industrius, & probus nos per literas monuit versionem hanc non ex Latino Valerii* (*ruditatem admiramur temporis*) *sed ex antiquiori versione Catalana in Castellanum sermonem commigrasse.* Hactenus Antonius. An Antonius *Canals* noster Catalanam suam versionem in gratiam Jacobi cardinalis Sabinensis susceptam, postea jussu Joannis I Castellæ regis, quem ferunt anno MCCCXC mortuum Castellanam etiam fecerit, nolim asserere, quod ex MS Hispalensi amplius discutiant & rimentur indigenæ: at certum ex MS Colbert. Catalanam ex Latino Valerii Maximi immediate factam., quod si rescivisset Antonius, illi non erat cur miraretur temporis ruditatem.

Idem Antonius eodem cap. 7 n. 347 de Jacobo de Aragonia cardinali agens, *Saltem*, inquit, *pro comperto habemus vertisse eum in Hispanam linguam Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libros: quam interpretationem MS asservari apud Hieronymianos Melioratenses* (Mejorada) *prope Ulmetum Castellæ veteris oppidum Ambrosius Morales in relatione sui itineris annotavit. Vereor tamen ne aliud quicquam denotetur in cod. MS antiqua admodum nota, qui asservatur inter codd. MSS comitis de Villaumbrosa apud ejus viduam cum hoc titulo* (*Valerio Maximo traducido in Castellano de orden del cardinal de Sabina hijo del infante D. Pedro de Aragon, y embiado por el dicho infante a su ciudad de Barcelona.*) Jussu cardinalis episcopi Sabinensis factam hanc translationem Castellanam hinc constat, sed non ab eo factam: a quo autem? an ab Antonio Canals, qui Catalanam jam concinnarat, ut indicari videtur n. 397 mox relato, an ab alio, soli ex codd. MSS expiscari possunt indigenæ.

Idem Antonius inter scriptores incertæ ætatis pag. 261 sic habet: « Anonymus quidam vertit in Hispanicum ex Latino sermone, *El Valerio Maximo de los exemplos memorables*, quem « MS servat marchio Mondexarensis in amplissima « sua bibliotheca cum hac nota: *Este libro de Valerio Maximo escrivio Diego de Lombraña criado de Alfonso Gonzalez de Leon contador del rey por mandato del dicho Alfonso Gonzalez en la muy noble ciudad de Sevilla año del Señor de MCDXXXIV años.* Idem jam dixerat supra lib. 10 c. 5 n. 269 p. 156 b. An Castellana an Catalana versio videant gentiles, nam si Catalana nostri Antonii Canals fœtum esse facile conjecerim, si Castellana idem judicium sit ac de cod. MS Hispalensi supra relato. Cæterum hic auctor a nostris nomenclatoribus omissus fuit aut ignoratus.

Sæc.XIV.

F. DOMINICUS DE AGRAMUND.

1398. F. Dominicus de Agramund Aragonus Catalanus S. Vincentii Ferrerii Tolosæ condiscipulus, & anno MCCCXCVIII prior conventus Valentini laudatur a Diago Hist. Prov. Arag. fol. 41 c, ceu a quo prodiit

Tractatus super Salve regina.

F. PETRUS EMILARII.

* 1398. F. Petrus Emilarii Gallus Occitanus conventus Tolosani alumnus, & in universitate Tolosana sacræ theologiæ magister ac regens publicusque professor, sub finem seculi XIV & sequentis initia florebat, vir gravis & magni apud suos nominis. Fervebat tum dirum illud schisma Avenionense: Galliæ verò rex Carolus VI Ecclesiæ unitatem in integrum restitui totis viribus cupiebat: via cessionis a quibusdam aperiebatur, scilicet, ut Petrus de Luna Benedictus XIII in sua obedientia dictus, vel sponte pontificatum abdicaret, vel si renueret, obedientia ei subtraheretur in Galliis, hanc unam esse ad concordiam veniendi rationem. Plures probabant, non pauci in primis Aquitani, Occitani & Provinciales subtractioni obedientiæ adversabantur. Rex etsi prioribus magis faveret, ne quid tamen ageret inconsulto, congregationem Ecclesiæ Gallicanæ Parisiis habendam jussit mense maio 1398: tumque edictum est, ut ex utraque varie sentientium parte sex eligerentur viri doctissimi suam quisque opinionem coram rege cœtuque universo defensuri: & pro parte negativa selecti sunt Benedicti XIII familiarissimi, archiepiscopus Turonensis Amedeus de Brolio decretorum doctor, episcopus Aniciensis, & episcopus S. Pontii, abbas S. Saturnini Tolosanus, omnes decretorum doctores, F. Petrus Emilarii Jacobita magister in theologia Tolosæ, ac Joannes de Costa legum doctor Tolosanus: pro parte autem altera affirmativa, subtrahendam Benedicto obedientiam, deputati sunt Simon *Cramaut* Carcassonensem episcopatum habens in commendam, Joannes Canardi episcopus Atrebatensis, Petrus Regis abbas S. Michaelis in periculo maris, decretorum doctores; Ægidius de Campis Rotomagensis, Joannes Breviscoxæ, & Petrus Plaoul S. T. magistri Parisienses: tum postea ne fieret confusio si omnes loquerentur, edictum ut ex duodecim tres ex quaque parte Benedictum illi defenderent, isti impugnarent. Itaque die mercurii XXIX maii MCCCXCVIII universo cœtu in palatio regio in aula reformationum supra Sequanam congregato, hi tres pro jure Benedicti tuendo assignati Petrus Ravati episcopus S. Pontii a Benedicto instructus & specialiter missus, F. Petrus Emilarii, & Joannes de Costa, viri eruditissimi ut & facundissimi existimati, ex ordine perorarunt pro Benedicto. Quæ omnia fusius referuntur in codice Victorino 843, in quo horum trium integræ referuntur orationes, seu censoria judicia. Meminit quidem ex eodem codice Egatius Boulay *Hist. univers. Parif. T. IV pag.* 830 *& seqq.* sed compendio.

F. Petri Emilarii orationis hæ duæ fuere partes seu conclusiones: *I. Non est licitum Christiano cogere Papam ad cedendum & resignandum. II. Non licet nec expedit Ecclesiæ Gallicanæ subtrahere obedientiam Domino nostro in his quæ pertinent ad officium cathedræ.* Quatuor circiter paginas in fol. implet hoc votum Emilarii cod. MS cit. a fol. 55. Adversa tamen pars regi visa est potior, & vicit. Hunc Petrum mirum est nostro Joanni Jacobo Persin in sua conventus Tolosani Historia vel omissum vel ignotum.

F. JOANNES DE PODIONUCIS.

F. Joannes de Podionucis Gallus gente patriaque Lemovix ex oppido suæ originis etiamnum ab indigenis *Puinoix* dicto sic agnominatus de more, quem corrupte legentes nostrates quidam ac extranei *de Podiamitis* ac *de Podio* tantum prave diminuteque vocitant, conventus Lemovicensis alumnus fuit, priorisque munere ibidem fungebatur anno MCCCXCIX, cùm a patribus provinciarum, quæ Petro de Luna in sua obedientia Benedicto XIII nuncupato, adhærebant in eodem Lemovicensi conventu pro comitiis generalibus adunatis electus est omnium suffragiis magister ordinis in hac parte, quam in diro illo inveteratoque Ecclesiæ ordinisque schismate sexdecim annis optime pro rerum statu temporumque malitia rexit & administravit. Nam & capitula generalia sedulus habuit biennalia & triennalia præter Lemovicense electionis, in Montepessulano MCCCCI, Palentiæ in Hispania MCCCCIII, Barcinone Aragoniæ MCCCCV, Pictavis in Francia MCCCCVII, Gerundæ MCCCCXI, Perpiniani MCCCCXV, & visitationes per subjectas sibi provincias diligenter obivit. Hispaniam post capitulum Palentinum visitans Hispalim accessit, & magistri ordinis XIII, archiepiscopique postea Compostellani F. Berengarii de Landora ibidem mortui & sepulti ossa, ex hujus ultima voluntate, & F. Joannis de Molendino magistri ordinis XX deinde cardinalis mandato in scriptis relicto secum asportavit XXV april. MCCCCIII, & in conventus nostri Rutenensis templo decentissime condidit XVIII maii MCCCCVI. Videsis supra *Berengarius de Landora.* Ut erat Benedicti XIII papæ Avenionensis fidus administer noster Joannes, ab eodem quem verum & legitimum pontificem credebat, anno MCCCCVIII Liburnum missus est cum tribus aliis a se delectis archiepiscopis & cardinali de Chalento, qui unà cum Gregorii XII papæ Romani legatis de generali ad tollendum schisma convocando quantocius concilio deliberarent. Verùm cùm in ventos abiisset tentata concordia, & Francia obedientiam Benedicto subtraxisset, dum Pisis cardinales utriusque partis anno MCCCCIX concilium haberent, ubi & electus Alexander V, Benedictus XIII suum Perpiniani tenebat concilium, cui semper fidus hujus pontificis assecla Joannes noster affuit, sed jam tum a solis Hispaniæ, & Aragoniæ provinciis, & tribus provinciæ Provinciæ conventibus Aragoni regis ditionis, Perpinianensi, Coquiliberitano, & Podiicerdano ut & quibusdam comitatus Fuxensis & principatus Beharnensis domibus agnitus. Tandem illucescente cœlo suæque Ecclesiæ miserente Christo, coacto anno MCCCCXIIII Constantiæ concilio pactisque Narbonæ XIII decemb. MCCCCXV Sigismundum & legatos synodi dictæ inter & regum qui hactenus Benedicto XIII paruerant legatos concordatis, Joannes cum selecta Fratrum Hispanorum sacræ theologiæ magistrorum corona Constantiam accessit anno MCCCCXVI, ubi quanta in existimatione apud Patres fuerit, argumento est, quod a sessione XXII die jovis XV octobris anni ejusdem habita nihil alicujus momenti deliberatum sit, cujus pars magna non fuerit, magister generalis ordinis Prædicatorum in obedientia Benedicti XIII semper nominatus ad electionem quem usque Martini V XI nov. MCCCCXVII, a quo mox ad sedem Catanensem in Sicilia evectus est, & a sacris sibi confessionibus minister ascitus: sed & jussu ejusdem pontificis jam unici sessione XLV, qua soluta synodus die veneris XXII april. MCCCCXVIII solemnem habuit ad Patres orationem † 1399.

hoc sumpto themate, *Vos nunc tristitiam habetis, iterum autem videbo vos & gaudebit cor vestrum. Jo. 16.* Videtur autem eundem summum pontificem in itinere Italico secutus Florentiam usque, a quo anno MCCCCXX ad suam sponsam accessurus nuntii apostolici in insula Sicilia munere cohonestatus fuit: tum & ab Alphonso rege Aragono cui ut & antea ejusdem patri acceptus erat in paucis, in eadem insula unâ cum Nicolao Castanea Messanensi pro-rex constitutus literis Messanæ XXIIII sept. MCCCCXXII datis in triennium. Vixit pastor vigilantissimus & in Ecclesiam suam beneficentissimus ad annum MCCCCXXXI. De eo legesis *Conc. gener. T. XII, coll.* 221, 258, 1765, 1766, 1828, & alias: *Siciliam Sacram T. III pag.* 54: Bzovium & Spondanum in *Ann. ad* 1416: Pium *P. II Lib.* 3 *col.* 5, ubi & refert S. Vincentii Ferrerii egregiam epistolam ad hunc magistrum ordinis datam Gebennæ XVII decemb. MCCCCIII, qua gestorum ei rationem reddit. Eamdem Hispane reddidit Diagus *Hist. de la Prov. d'Aragon pag.* 81 c. Archetypum vero Catanæ apud nostros servari testatur Rochus Pirro Sic. sac. loco cit. Meminerunt & alii nostrates, Fontana in *Theat. & Monim.* Razzius *pag.* 159 *Vir. Ill.* Altamura ad 1417. Ante hos omnes noster Laurentius Pignon in *Chron. Mag. ord. & capp. genn. Anno* 1399, inquit, *fuit capitulum generale Lemovicis & ibidem electus in magistrum ordinis F. Joannes de Podionucis prior dicti conventus & magister in theologia Tolosanus.* Pauca ejus feruntur opera, at nullus dubito quin ab eo scriptæ sint

Epistola Encyclica ad provincias sibi subjectas e capitulis generalibus qua habuit data, & fortè in Aragonia & Hispania apud nostros servatæ. Laudandus & relatus

Sermo quem habuit pro conclusione concilii Constantiensis.

F. NICOLAUS EYMERICUS.

† 1399. F. NICOLAUS EYMERICUS vir sua ætate celeberrimus Catalanus natione fuit, patriaque Gerundensis, qui circa MCCCXX natus, & ab ineunte ætate sub cura parentum literis deditus & pietati, ordini nomen dedit adolescens Gerundæ sub vesperam quarta augusti pervigilio festi S. Dominici, quod quinta mensis eo seculo celebrabatur, habitumque e manibus F. Petri Carpi prioris accepit anno MCCCXXXIIII. Tyrocinio peracto studiisque semel applicitus, iis ita deinceps ad ultimum usque spiritum incubuit totus, ut seu domi moraretur, seu iter ageret, boni semper aliquid aut meditaretur aut scriberet, verum Dei ministrum sese exhibere satagens in verbo veritatis a dextris & a sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam. Fidei Ecclesiæque zelo succensus, labores illi suos conferebat omnes, cætera nihili habebat. Cùm in ea existimatione esset, F. Nicolao Roselli provinciæ Aragoniæ præfecto & inquisitore in eodem regno generali ad purpuram XXIII dec. MCCCLVI evecto, mox ei datus est ineunte anno MCCCLVII in sacro tribunali successor, suique statim experimentum dedit in quemdam Nicolaum Calabrum phanaticum hominem ac pertinacem hæreticum relapsum animadvertendo, quem brachio seculari tradidit XXX maii ejus anni. Munus autem strenue ac intrepide prosecutus multorum sibi concitavit odium, a quorum liber ut esset conatibus, Guido cardinalis episcopus Portuensis in eo regno legatus, ne a quovis sibi inferiore ab officio moveri posset, decreto cavit. Quo tamen non obstante in comitiis ordinis Perpiniani MCCCLX habitis eum loco moverunt Patres, sedandæ hostium invidiæ, non emendandi studii causa. Quanti enim eum facerent, in comitiis ordinis Ferrariæ MCCCLXII ostenderunt, vicarium illum generalem præficientes in provincia Aragoniæ, qui proximæ provincialis electioni præsideret. Scissa verò tum in duas partes provincia, F. Bernardo Ermengaudi S. T. M. Parisiensi ab iis qui Valentiam die VIII septemb. confluxerant electo, ipso verò Eymerico ab aliis qui eo etiam ad S. Martini convenerunt pariter electo, Urbanus V ad quem res delata fuit, neutrum confirmari voluit, sed auctoritate apostolica tertium nempe F. Jacobum Dominici S. T. M. priorem provincialem præfecit. Interea Eymericus noster concionibus habendis operam dabat, reliquum temporis scribendis libris sedulus incumbens. Quia verò nonnisi ut darent locum iræ, eum a sancto officio removerant, cæteroquin ad id muneris homine vigili ac imperterrito, sacrorumque canonum ut erat perito, opus esse videbant, eumdem in integrum restituerunt paulo post: certo jam inquisitorem agebat anno MCCCLXVI. Quæ præclare postea gessit, quasve ab æmulis præsertim Lullistis passus est persecutiones rectius & commodius referentur, ubi de ejus operibus agemus; singulis edendi occasionem addituri: nunc generatim dicere satis sit munus suum gessisse summis pontificibus acceptissimum, imo cum Petri IV Aragoniæ regis Cæremoniosi dicti quandiu vixit gratia. Avenione aderat anno MCCCLXXVI cùm Gregorius XI Romam adire tandem, & sedem Petri LXX annis Avenione peregrinam nativo suo solo restituere decrevit; huncque summum pontificem in toto hoc itinere comitatus est, ex quo nonnisi post mortem ejus pontificis, electionem Urbani VI, cardinalium ab isto recessum, & alteram ab his Anagniæ factam Clementis VII electionem in Aragoniam rediit sub finem anni MCCCLXXVIII. Exorto vero horrendo illo schismate, quo quis esset verus pontifex plerique etiam doctiores & sanctiores ignorabant, & quisque a suo principe agnitum venerabatur; Clementi VII sic in sua obedientia dicto adhæsit Eymericus, quem ob inquisitionis negotia pluries Avenione convenit, cui & ob egregias dotes non mediocriter carus fuit: Recrudescente autem adversus eum Lullistarum odio, qui & Joannem Petri IV filium Aragoniæ regem ad suas partes traxerant, ab illo rege male tractatus, & regno ejectus aprili MCCCXCIII Avenionem ad Clementem confugit, a quo per benevole acceptus est, ibique deinceps sub illo ejusque successore Benedicto XIII, quem verum putabat pontificem ideoque mire colebat, pacifice egit libris scribendis totus desudans ad annum MCCCXCVII, cujus sub finem senio prægravatus patriam revisit, in suamque domum Gerundensem se recepit, ita tamen ut non alius illi scribendi quam vivendi finis fuerit. Diem verò suum obiit die quarta januarii MCCCXCIX, ut constat ex antiquioris ejus tumuli inscriptione in recentiori ubi legitur XCIII non recte excepta, sed & ex certissimis conventus Gerundensis monumentis. Nec tacendum etsi exulem nunquam tamen inquisitoris munere nisi a morte spoliatum: quod testatur insculpta lapidi sepulcrali epigraphe quæ sic habet: *Hic jacet R. P. F. Nicolaus Eymerici, qui fuit prædicator veridicus, inquisitor intrepidus, & doctor egregius. Nam ultra undecim sacra volumina compilavit, & etiam XL annis pro fide catholica viriliter decertavit.* Hæc autem sunt quæ XI illis voluminibus insunt opera:

1. *Vita beatæ memoriæ F. Dalmatii Moner conventus Gerundensis alumni sanctitate vitæ spectabilis sui olim in tyrocinio religionis magistri anno MCCCXLI septemb. XXIIII defuncti.* Hanc ex veteri cod. MS Eymerici exhibet Diagus Hist. prov. Arag. fol 259, a, ad fol. 265 c.

Sæc. XIV. 2. *Tractatus, tres De logica, De principiis naturalibus, In I librum physicorum Aristotelis, quem ultimum F. Arnaldo de Fedaria ord. Præd. artium magistro nuncupavit.* Hos scripsit anno MCCCLI

3. *Volumen sermonum de tempore.* Quod Priori & FF. conventus Gerundensis nuncupavit jam inquisitor restitutus anno MCCCLXVI.

4. *Tractatus contra dæmonum invocatores.* Extat etiam Parisiis in Colbert. cod. MS 2846 fol. membr. a fol. 100 ad 161. In Navarr. fol. mag. memb. codice eleganti. In Victor cod. 65 in 4 chartac. fol. 228. Pr. *Incipit prologus in tractatum super dæmonum invocatione, an scilicet dæmones invocare sapiat hæresim manifeste, editum & confectum a F. Nicolao Eymerici ord. FF. Prædic. in dominio serenissimi Principis D. regis Aragonum inquisitore hæreticæ pravitatis. Apprehende arma & scutum & exurge in adjutorium mihi &c.* Extat iterum in eadem Victor. cod. 573 fol. memb.

Diagus Hist. prov. Arag. fol. 48 a, occasionem hujus libelli edendi hanc affert. Scilicet Judæum quemdam Barcinonensem nomine Astrucium de Piera dæmones invocantem cùm episcopus & inquisitor apprehendissent, magistratus regius opposuit, ceu delictum juris non esset episcopi nec inquisitoris. In ea contentione Judæus episcopo Ilerdensi tanquam sequestro datus est ; donec de jure summus pontifex pronunciasset. Iste quem Diagus putat Gregorium XI habito cum cardinalibus consilio x aprilis MCCCLXXI Avenione, Barcinonensi episcopo & inquisitori quæstionem adjudicavit, & ultimo in hunc modum rescripsit : *Apprehende arma & scutum* &c. Cùm autem in ea causa multa passus esset Eymericus, sic præfatur ad dictum opusculum : *Ideo ego F. Nicolaus Eymerici ord. FF. Prædic. debilis & fragilis in provincia Aragoniæ inquisitor pro hujusmodi & per hujusmodi passus, sed amplius pro eadem fide pati paratus, cupiens ostendere fore bene dictum per D. N. papam, Apprehende arma &c :* alludens scilicet ad breve pontificis. Accuratum nostrum Diagum tanti facio, ut nolim ejus relationi repugnare, moneo solum in codice Victorino mox citato 573 sic legi ad finem fol. 132 : *Explicit tractatus super dæmonum invocatione, editus & conflatus per F. Nicolaum Eymerici ord. FF. Prædic. in Aragonia inquisitorem hæreticæ pravitatis, perfectus anno Dni* MCCCLIX *&c.* Quæ ostenderent non sub Gregorio XI, sed sub Innocentio VI totum hoc negotium peractum, quod curiosi indigenæ sodales nostri diligentius disquirant.

Franciscus Peña in suis ad Directorium inquisitorum commentariis censet ad quæstionem XXVII b, libellum de invocatione *dæmonum* a quodam Judæo Raymundo de Tarraga dicto Neophyto editum : id tamen non dicit Eymericus, sed isti Raymundo alia ascribit opuscula, in quibus hæretica plura & erronea asserebantur. Neque etiam dicit Eymericus hunc Judæum ordinis Prædicatorum fuisse : quod etsi gratis detur, hinc saltem pateret hunc inquisitorem munus suum sine acceptione personarum egisse, qui nec propriæ matris filio pepercerit, ac proinde in actis adversus Lullii libros invidiæ & odii injuria a quibusdam insimulari.

5. *De Jurisdictione Ecclesiæ, & inquisitorum contra infideles dæmones invocantes.*

6. *De Jurisdictione inquisitorum contra infideles agentes contra nostram sanctam fidem.*

7. *Volumen sermonum de sanctis priori & sodalibus sui conventus Gerundensis dicatum anno* MCCCLXXIII, *in quo se dicit D. papæ Capellanum*, eo nempe titulo a Gregorio XI ornatum jam ab anno MCCCLXXI.

8. *Directorium inquisitorum.* Opus probatissimum, quod inquit Diagus, scripsit Avenione, ubi agebat anno MCCCLXXVI, idque evincit ex fide codicis MS membr. in archivo nostro Gerundensi servato, qui primigenius est auctoris. Non dubium tamen quin antea jam incepisset, & postea etiam auxerit. Extat MS Lipsiæ in Paulina recensitus a Fellero p. 184 n. 34. Prodiit autem typis primum Barcinone 1503. Rursus ad tres codices MS, primum Jacobi cardinalis Sabelli, alterum Joannis Francisci cardinalis de Gambara, tertium inquisitionis Bononiensis recognitum, & a mendis purgatum, ad fidem etiam codicis MS membr. Bibl. Vatic. quem Eymerici aliàs fuisse putant, & ab eo Avenione Romam delatum, recensitum curis Francisci Peña sacræ theologiæ & juris utriusque doctoris, qui ubique scholia & commentaria adjecit, Romæ, Typis Pop. Rom. 1578 fol. Rursus ibidem 1587 & 1597. Tum & Venetiis 1591. Postea apud Marcum Antonium Zalterium 1607 fol. Quisquis hoc opus, ex quo tantum in Ecclesiam utilitatis redundavit, malevolo animo vindictæque cupido asserit primo typis commissum, is prorsus maligno se spiritu angi demonstrat. Videsis postea *F. Guillelmus Caselles.*

9. *Postilla litteralis super evangelium B. Matthæi.* Ad calcem legitur : *Incepta Barcinone, sed consummata Romæ anno* MCCCLXXVII *die* X *aprilis, pontificatus SS. D. N. papæ Gregorii XI anno* VII.

10. *Tractatus de potestate papali seu summi pontificis.* Scripsit Avenione jussu Clementis VII sic in sua obedientia dicti anno MCCCLXXXIII.

11. *Postilla in evangelium Joannis apostoli*, incepta Romæ anno MCCCLXXVII, finita verò Avenione anno MCCCLXXXIII die XXXI maii. An totum hoc evangelium commentatus sit, etsi subindicet Diagus, & verisimile sit, non clare tamen asserit : Duo grandiora Volumina in Colbert. servata MS membr. 387 & 388 non habent nisi sex priora capita. Pr. *SS. ac BB. in C. P. ac D. D. N. D. Clementi digna Dei providentia sacrosanctæ ac universalis Ecclesiæ hujus nominis papæ VII, F. Nicolaus Eymerici ord. FF. Præd. vestræ sanctitatis Capellanus indignus, magister, ac inquisitor in Aragonia hæreticæ pravitatis.* Quæ in suis omnibus muniis a Clemente prorogatum ostendunt.

12. *Tractatus de peccato originali, & de conceptione B. V.* scriptus die XX februarii MCCCLXXXIIII Avenione, & Clementi VII nuncupatus. Articulos XII complectitur.

13. *Commentarius in evangelium Lucæ*, inceptus Avenione anno MCCCLXXXIII die prima maii, & finitus Gerundæ anno MCCCLXXXVII die XII januarii, eidemque Clementi dicatus.

14. *Postilla litteralis super evangelium B. Marci.* Ad calcem legitur : *Incepta Gerundæ, & consummata Avenione* anno MCCCLXXXIX die X februarii. Eidem Clementi nuncupavit.

Hoc volumen in Marcum, & supra n. 9 laudatum in Matthæum Joannes Thomas de Rocaberti archiepiscopus Valentinus, olim magister ordinis Lugdunum miserat anno MDCLXXXVIII typis Anisson & Rigaut sub cura R. P. Jacobi Legal sacræ theologiæ professoris Armorici edendum. Adjecta erat Hyacinthi Libelli sacri palatii apostolici tum magistri facultas imprimendi, & approbatio Dominici a S. Trinitate olim Carmelitarum discalceatorum generalis, tum seminarii S. Pancratii Romæ rectoris. Sic enim nostrum Jacobum Quetif suis litteris monuit S. T. M. Norbertus Delbecques testis oculatus anno illo XVIII augusti Belnæ in Burgundia datis. Quæ duo volumina bibliothecæ nostræ Gerundensis erant, ut constat ex his quæ in fine utriusque scripta erant. Ad calcem prioris in Matthæum sic legebatur : *Prædictam autem postillam scripsit pro communi libraria conventus FF. Prædic. Gerundensis F. Franciscus Bovis ejusdem ordinis & conventus, alumnus dicti magistri* [*Eymerici*] *cujus postilla scripturam*

consummavit dictus F. Franciscus anno Dñi MCCCXCI *die* VI *decembris. Supplico tibi qui in legis, ut Dominum pro dictis magistro reverendo auct e & me scriptore jugiter depreceris.* Ad calcem alterius in Marcum habebatur: *Explicit totum opus expositionis super omnia quatuor evangelia editum a F. Nicolao Eymerici ord. FF. Præd. S. T. M. de natione Catalonia, inceptum Barcinone anno* MCCCLXVII, *& continuatum ibidem Barcinone, Cæsaraugustæ, Valentia, Gerundæ, Avinione, Romæ, Anguine, & consummatum Avinione anno* MCCCLXXXIX *de mense martii, in die scilicet Gregorii doctoris, pontificatus D. N. D. P. Clementis VII.* Deest annus. Quæ annotatio est laudati Francisci Bovis testantis se hoc alterum ut primum manu propria pro libraria cœnobii Gerundensis scripsisse. Sed & eadem nos docet, quod initio monebam, ita litteris addictum Eymericum ut sive in domo sive in itinere ageret, nunquam a libris & studiis cessaret. Porro consilium hujus editionis ob nimios sumtus necessarios incassum abiit.

15. *Tractatus de duplici natura in Christo, & de tribus in Deo personis, seu an sacramentum Eucharistiæ sit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus:* scilicet anno MCCCLXXXIX Petrus Seiplanes Sillæ pastor ad Valentiam, cùm suis paroecis viaticum ministraret, ab eis ita quærebat, *Credis quod hoc est Pater & Filius & Spiritus sanctus? Credis quod in Christo sint tres natura, humana, spiritualis & divina?* Nec nisi ita esse, sicque se credere asserentibus corpus Domini conferebat, quod & alii parochi imitabantur. Cùm autem hinc grave scandalum Valentiæ exortum esset, quodam sacræ theologiæ magistro ita respondere in extremis renuente, sed hostiam sibi propositam verum Christi corpus esse se credere affirmante: aliunde vero Petro de Sesplanes in concione palam edicente ita ut exigebat respondendum, adversus quem quidam auditorum publice insurrexerant: eo accurrens Eymericus Petrum errorem ejurare coëgerat. Sed cùm is postea Avenionem ad Clementem VII confugisset, & querelas adversus inquisitorem pontifici denunciasset, eo etiam anno MCCCLXXXIX accedere coactus est Eymericus, qui facile causam obtinuit ex se clarissimam. Hæc ratio tractatus hujus scribendi, quem cardinalibus in hac quæstione delegatis obtulit. Extat in Colbert. codice 2846 fol. membr. Pr. *In sordibus est, sordescat adhuc. Apocal. ultimo. Dum Samsonis vulpes quærit civitatem Valentiæ perlustrando F. Nicolaus Eymerici hæreticorum qui loquitur inquisitor* &c. a fol. 22 d, ad 38 c. Finis: *Explicit tractatus per F. Nicolaum Eymerici ord. Prædic. Avinione inceptus, & ibidem terminatus ultima die januarii* MCCCXC, *Pontific. SS. D. N. P. Clementis anno* XII.

16. *Tractatus contra doctrinam Raymundi Lull.* Pr. *SS. ac BB. in C. P. & D. D. Clementi digna Dei providentia sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ papæ VII, F. Nicolaus Eymerici ord. FF. Præd. in sacra theologia magister indignus, atque in Aragonia inquisitor hæreticæ pravitatis, pedum crebra ac devota oscula beatorum.*

» Sacræ theologiæ doctorum, & utriusque juris » professorum sententiis & judiciis edocemur &c. » *Et infra:* » Qua intentione ductus ego inquisitor » præfatus XX volumina in vulgari scripta, a quodam Raymundo Lull edita, in mundi partibus » variis divulgata, etiam in Latinum translata, mihi » de fide plurimum quam suspecta, ad S. M. D. » Gregorium XI papam vestræ sanctitatis prædecessorem immediatum reprobanda vel approbanda perduxi. Qui proinde peragens de cardinalis » episcopi Hostiensis, atque viginti & ultra in sacra theologia magistrorum examine prævio diligenti maturo & digesto, consilio unanimi in » consistorio coram Fratribus hæreticalia in ducentis & ultra articulis, totamque doctrinam in libris aliis ejusdem Raymundi contentam de consilio Fratrum, ut suspectam de hæresi vehementer condemnavit, doctrinamque illius Raymundi, » usumque illius librorum per censuram ecclesiasticam de eorumdem consilio cunctis Christi fidelibus interdixit: destinans in & super his prælatis illarum partium suas litteras opportunas, quæ » me inquisitore instigante fuerunt executioni debitæ demandatæ &c. « SÆC. XIV.

Post epistolam nuncupatoriam sic incipit tractatus: *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* Job. 38. *Omnipotens sermo Dei &c.* Post prologum affert integras litteras Gregorii XI datas Avenione VIII Kal. februarii anno sexto, id est Christi MCCCLXXVI, quæ in causa Lulliana vulgo dicuntur rescriptum tertium, ac postea in quinque partes diviso tractatu, in iis ex longe pluribus hæreses 135 errores 38 & multas falsitates notat & arguit. Ad finem sic legitur.

» Iste tractatus fuit per prædictum inquisitorem D. P. Clementi VII ante dicto in consistorio pu- » blico præsentatus, & ibidem per dictum D. pa- » pam D. cardinali S. Angeli est commissum, quod « illum diligenter examinaret, & eidem referret. « Qui dicto tractatu diligenter examinato tandem « retulit dicto D. papæ præsentibus DD. cardina- « libus Pictaviensi, de Agrifolio, Valentino, Cu- « sentino, de Tureyo, Florentino, & multis aliis, « etiam me inquisitore præsente & audiente, & re- « lationem requirente quod dictus tractatus conti- « nebat illius Raymundi Lulli quamplurimas hæ- « reses & errores. Quæ relatio facta est in capella « nova in Camera D. papæ Avinione Romana « intitulata, & hoc anno Dñi MCCCXC die XX janua- « rii pontific. &c. anno XII «. Extat etiam in cod. Colbert. cit. 2846 a fol. 38 ad fol. 72.

17. *Tractatus qui Dialogus contra Lullistas appellatur.* Eidem præfigitur eadem epistola Clementi VII nuncupatoria, quæ in superiori. Pr. *O insensati quis vos fascinavit non obedire veritati? Galat.* 3. Finis: *Explicit dialogus contra Lullistas per F. Nicolaum Eymerici inquisitorem editus, Avinione inceptus, & ibidem terminatus* ultima decembris MCCCLXXXIX Clementis VII anno XII. Extat etiam codicis Colbert. 2846 fol. 73 ad 95.

In hoc Dialogo duo notanda, primum artic. XII Raymundum Lull a suis defensoribus dici de tertia regula S. Francisci fuisse, non ex Cucullatorum & Cœnobitarum numero, sed in seculo viventium & liberorum, qui vitam peregrinando egerit, ac tria Prædicatorum & totidem Minorum ordinis comitia accesserit, ut juvenes utriusque ordinis sua arte imbuendi traderentur, exinde apud infideles ex suis principiis convertendos amandandi: quod consilium utrinque irritum evasit: alterum litteras Gregorii XI supra laudatas seu rescriptum tertium ab Eymerico Lullistis integrum exhibitum & objectum, nec ab illis ut supposititium denegatum tum aut rejectum, sed a summo pontifice, cardinalibus, & sacræ theologiæ magistris circumventis obtentum. Hoc enim est eorum nec aliud responsum.

18. *Tractatus intitulatus, Fascinatio Lullistarum.* Benedicto XIII sic Avenione dicto nuncupatus. Pr. *Obscuratum est insipiens cor eorum, & dicentes se sapientes stulti facti sunt. Sacris eloquiis informamur &c.* Est potissimum contra utramque artem Lullii magnam & brevem, quas fere ubique insipientiæ notat, & aliquando hæresis. Extat codice Colbert. citato fol. 96 ad 100. In hoc tractatu meminit superioris scilicet Dialogi, & alterius cujus initium, *Expurgate vetus fermentum*, Clementi VII dicto etiam nuncupati.

19. *Elucidarius Elucidarii.* Scripsit Urgelli anno

Sæc. XIV. MCCCXCIII & archiepiſcopo Tarraconenſi nuncupavit. Extat codice Colbert. 2847 fol. 95 ad 104. Opus autem quod diſcutit Eymericus, & in quo plures errores annotat, *Elucidarius* eſt inter opera S. Anſelmi editus, ac de quo ſic Eymericus in epiſtola nuncupatoria. » Hic liber qui *Elucidarius* » intitulatur, cujus actor totaliter ignoratur, licèt » falſo a quibuſdam Auguſtino, a quibuſdam Anſel- » mo aſcribatur, tres continet in ſe partes, in qui- » bus per modum dialogi diſcipuli inquirentis & » magiſtri reſpondentis, quæſtiones variæ pertrac- « tantur &c. *Et infra:* » Verùm quia liber prædictus » *Elucidarius* dictus eſt liber multum antiquatus, » liber multum publicatus, liber in librariis com- » munibus poſitus, liber cunctis expoſitus, ea pro- » pter ne ſimplices ſimpliciter, & ignorantes igno- » ranter, ex hujuſmodi libri deciſionibus decipian- » tur, vel ſint aliâs jam decepti, decrevi ſæpe dicti » codicis ad quæſtionum reſponſiones quæ ſunt ad- » mittendæ, & quæ revocandæ elucidare, alium co- » dicem contra illum compaginando &c. Superius autem dixerat illud opus ſibi in civitate Tarraconenſi tempore Gregorii XI moranti a ſacræ theologiæ lectore domus noſtræ oblatum ex bibliotheca communi, ut de eo judicium ferret: ſe autem variis occupationibus & itineribus diſtentum libellum ſecum Avinionem, Romam, Anagniam, Neapolim, & in Hiſpanias tuliſſe, nec tamen antequam Urgellum adiit legere potuiſſe. Quæ probant eum opus iſtud habuiſſe ante MCCCLXX in antiquo codice exaratum, ac proinde ejus auctorem non eſſe Guillelmum Conventrienſem Carmelitam, qui anno MCCCLX florebat, cui tamen aſſerit Theophilus Rainaudus S. I, cujuſcunque tandem ſit ſive Honorii Auguſtodunenſis, ut poſt Trithemium cenſet Labbeus, vel alterius incogniti.

20. *Epiſtola ad cardinales Anagniæ agentes*, qua eis probare nititur electionem Bartholomæi in ſummum pontificem Urbanum VI dictum nullam eſſe, & caſſam, & irritandam. Pr. *Sacroſancta Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ reverendiſſimorum DD. cardinalium ſede vacante collegio ſacroſancto.*

21. *Tractatus contra præfigentes certum terminum finis mundi.* Joanni comiti Ampuriarum nuncupatus & ſcriptus anno MCCCXCV die XXV martii. Pr. *Dies ſeculi quis dinumeravit.* Eccli. 1. Extat codice Colbert. 2847 fol. 64. ad 81.

22. *Tractatus contra calumniantes præeminentiam Chriſti & Virginis matris ejus.* Pr. *SS. ac BB. in C. P. ac D. N. Benedicto digna Dei providentia*, &c. ut ſupra, *hujus nominis papæ XIII; F. Nicolaus Eymerici &c.* qua in epiſtola meminit opuſculi ſupra n. 12 relati ad Clementem VII de eodem argumento directi, ejuſque cenſuræ ſubjecti, ut & hoc poſterius Benedicto ſubmittit. Finis: *Explicit tractatus inceptus & perfectus Avinione per F. Nicolaum &c. anno* MCCCXCV *pontif. Benedicti XIII anno primo, relegationis vero meæ pro fidei defenſione cum Joanne filio Zebedæi anno ſecundo menſe quarto.* Extat cod. laudato Colbert. 2647 fol. 1, ad 12, ſed jam deeſt prima pars, ſeu octo priora folia. Exemplum integrum & ſanum bonæque notæ ætatis auctoris habebat Martinus Perez de Guevara ord. Min. ſocius Petri de Alva fol. pp. 16, qui codex membraneus aliâs fuit monaſterii Ciſtercienſis de Feytero ad Tudelam in regno Navarræ: ex quo illud habuit dictus Martinus, & noſtro Jacobo Quetif dedit legendum anno MDCLXI.

23. *Contra emiſſum in conclavi per papam & cardinales promiſſorium juramentum, & contra epiſtolam Pariſienſium magiſtrorum.* Pr. *SS. ac BB. in C. P. ac DD. N. D. Benedicto &c.* ut ſupra XIII, *F. Nicolaus Eymerici Aragoniæ inquiſitor, devotus propugnator apoſtolicæ dignitatis, ac Zelator eccleſiaſticæ unitatis &c. Tu es Petrus &c.* Poſt epiſtolam ſic incipit: » Incipit in quæſtione tractatus, Utrum D. N. papa modernus Bene- « dictus dictus, ſi pro bono unitatis Eccleſiæ obti- « nendo, & finem præſenti ſchiſmati imponendo, « juravit, quod omnes vias utiles & accommodas « ſervaret, & pro poſſe procuraret uſque ad ceſſio- « nem papatus incluſive, ſi inquam ad ſervandum « juramentum hujuſmodi in foro conſcientiæ obli- « gatur. *Ad calcem:* Explicit quæſtio de &. ſuper « emiſſo in conclavi per papam & cardinales pro- « miſſorio juramento. Et ibi reſponſio ad univer- « ſitatis Pariſienſis epiſtolam tam ineptam contra « & adverſus dignitatem apoſtolicam conflatam ad « quatuor mundi latera deſtinatam. Quæ duo ſunt « compilata per F. Nicolaum &c. Avinione MCCCXCV « pontif. anno 1. Qui tractatus pro tuenda ponti- « ficis Romani dignitate vehemens, ſed in theologos Pariſienſes acrior. Extat codice Colbert. 2847 fol. 27 ad 36.

24. *Contra univerſitatem Pariſienſem Dei Eccleſiam impugnantem reſponſiones ad* XXIX *quæſtiones.* Pr. *Cur tentavit ſatanas cor tuum mentiri Spiritui ſancto &c.* Ad finem: *Expliciunt reſponſiones F. Nicolai Eymerici &c. ad* XXIX *quæſtiones de quibus ſupra, quibus reſpondit de expreſſo mandato D. P. Benedicti XIII vivæ vocis oraculo ſibi facto &c. Avinione anno Dñi* MCCCXCV *pontif.* II *relegationis dicti inquiſitoris &c. anno* II *menſe* VIII. Extat cod. Colbert. cit. 2847 fol. 36 ad 51. Uterque hic & ſuperior ad hiſtoriam ſchiſmatis Avenionenſis plane cognoſcendam merito legendus.

25. *Tractatus contra hæreticaliter aſſerentes B. Joannem evangeliſtam fuiſſe B. Mariæ virginis filium naturalem.* Scriptus ibidem etiam anno MCCCXCV, & F. Bonito Litelli S. T. M. inquiſitori Carcaſſonenſi dicatus. Fallitur enim in nomine hujus inquiſitoris Diagus, cùm ad marginem Bernardum nuncupat, indicans in ſuo codice MS per ſolam primam nominis litteram B deſignatum. Iſte Bonitus anno MCCCLXXVI electus provincialis Franciæ in munere perſeveravit ad MCCCXCIII, quo in comitiis Autiſſiodori habitis ad ſuam petitionem dimiſſus eſt, & continuo inquiſitor Carcaſſonenſis inſtitutus. Sic Laurentius Pignon in ſuo chronico. Tractatus hic Eymerici extat codice Colbert. cit. 2847 fol. 104 ad 107. In hoc opuſculo hæc habet auctor. Iſte articulus quod Joannes vi verborum Chriſti « fuerit effectus matris Chriſti filius naturalis ut « prædicitur hæreticalis, eſt articulus antiquus, & « non noviter adinventus. Fuit enim jam Romæ « præſente D. Urbano V ſanctæ memoriæ papa « per quemdam magiſtrum in theologia ordinis « Minorum prædicatus, & idem prædicans fatiga- « tus ut audivi a D. cardinali Hoſtienſi illius tem- « poris ordinis Prædicatorum [Guillelmo Sudre], « qui multum audire dictum articulum abhorre- « bat, & ipſum fore hæreticalem aſſerebat: Iſte « etiam articulus fuit prædicatus Avenione nuper « per epiſcopum Pergamenſem magiſtrum in theo- « logia etiam ordinis Minorum me præſente, au- « diente, & cum magiſtris aliis reclamante coram « D. P. Clemente. Qui epiſcopus in collatione poſt « prandium fuit per magiſtros ſic durius affron- « tatus, ut fuerit faſſus, quod non poterat defen- « ſare: Sed ibidem per D. papam fortiter repre- « henſus, de ejus mandato coactus eſt revocare, & « creditur & merito abjuraſſe, niſi exortum ſchiſ- « ma noviter in Eccleſia eum adjuviſſet. Quare con- « tra aſſertores articuli ante dicti eſt ſed juſte & « juridice procedendum. «

26. *Tractatus contra aſtrologos imperitos, atque necromanticos de occultis perperam judicantes, Thomæ Vizina ordinis Minorum regis Aragoniæ confeſſario nuncupatus.* Scriptus eodem anno MCCCXCV Avinione pontif. Benedicti XIII anno ſecundo, relegationis Eymerici item ſecundo menſe decimo. In epiſtola ad

dictum

dictum confessarium suam erga Minorum ordinem testatur reverentiam, & antiquam suam cum eodem confessario necessitudinem, ut nonnisi injuria dici possit ex æmulatione adversus Lullum exasperatus. Sic habet versus finem: *Hac sunt Frater amantissime, pater in Christo Jesu carissime, magister utique reverende, Domine confessor, qua de artibus magicis &c. collegi, qua vestra cara amicitia predilecta legenda defero & offero devoto corde & animo meo toto &c.* Extat codice Colbert. cit. 2847 fol. 81 ad 95. Pr. *Nunquid nosti ordinem cœli, & pones rationem ejus in terra?* Job. 38.

27. *Tractatus de admiranda sanctificatione Dei & hominis genitricis.* Martino Aragoniæ regi, & Joannis fratris successori dicatus, scriptus Avinione anno MCCCXCVI. Extat eodem codice Colbert. 2847 fol. 107 ad 120. Pr. *Rex Salomon fecit thronum de ebore &c.* Quæstionibus decem constat opella. Simile exemplum habebat Martinus Perez de Guevara laudatus supra n. 22.

28. *Confessio fidei Christiana.* Pr. *SS. ac BB. in Christo P. ac D. D. N. D. Benedicto digna Dei providentia sacrosancta Romana ac universalis Ecclesia hujus nominis papa XIII. F. Nicolaus Eymerici O. FF. P. magister in theologia indignus ac inquisitor in Aragonia heretica pravitatis pedum crebra ac devota oscula beatorum. Si licuit P. S. Beato Hieronymo &c.* In hac epistola dicit se inter magna & parva ultra XL librorum volumina compilasse, manu propria exarasse magno cum labore, peculio mutuato copiari, & in libraria communi in catena quatenus cunctis paterent Gerundæ poni procurasse &c. Tum relatis quæ adversus hæreticos fortiter gesserat per annos XL & amplius, addit se a Lullistis non quidem philosophis, theologis, aut magnatibus, sed mercatoribus, sutoribus, cerdonibus, sartoribus, fullonibus, & hujus fæcis hominibus, a tota Aragoniæ, Valentiæ & Cataloniæ natali patria relegatum: At ne quis putet ideo ejectum, quod in aliquo fidei articulo aberrarit, suam fidei professionem S. P. exhibere, quæ illi videbuntur corrigenda emendare paratum. Notandus articulus de sacramento pœnitentiæ, quem sic profert: *Testificor coram Deo & Christo Jesu me firmiter credere & simpliciter confiteri, quod sacramentum pænitentia est a Deo institutum in remedium peccati actualis & prasertim peccati mortalis. Est enim secunda tabula post naufragium. Prima tabula est baptisma, secunda est pœnitentia, in isto enim sacramento gratia confertur, & culpa remittitur. Habet tres partes, scilicet contritionem, confessionem & satisfactionem. In contritione gratia infunditur & culpa remittitur, in confessione pœna pro culpa imponitur & gratia augetur, in satisfactione pœna imposita absolvitur. Hoc sacramentum iteratur &c.* Quæ sui temporis doctrinam exhibent communem. Ad calcem: *Explicit tractatus confessio fidei Christiana intitulatus per me F. Nicolaum &c. compilatus Avinione, initiatus, & terminatus anno* MCCCXCVI, *pontif. anno secundo meaque relegationis &c. pro fidei defensione & heresum extirpatione aliquorum Lullistarum hereticorum vehementia & impulsu anno tertio.* Extat cod. Colbert. 2847 fol. 12 ad 26.

29. *Incantatio studii Ilerdensis super* XX *articulis per quemdam Antonium Riera studentem Valentinum, ut defertur inibi seminatis.* Pr. *Honorabilibus, dominis, multum providis, & discretis utriusque juris canonici & civilis doctoribus, utriusque facultatis medicina & artium magistris, licentiatis, baccalariis, & studentibus cunctis Ilerden. F. Nicolaus Eymerici O. FF. Pr. sacra theologia magister indignus, pravitatis heretica inquisitor fervidus a sancta sede apostolica specialiter delegatus in civitate eadem pro extirpanda Lullistica heresis labe, cum Joanne filio Zebedai tubis clangentibus, buccisque crepantibus solemniter relegatus debitam semper reverentiam & honorem. &c.* Antonii Rieræ I articulus, *quod filius Dei potest dimittere humanam naturam quam assumsit, & illam postmodum aternaliter condemnare.* II *Quod tempus aderat juxta SS. Vaticinia prophetarum, in quo omnes Judai debebant interfici, ut nullus Judaus in mundo deinceps remaneret*, & alii similes omnes vel etiam stultiores. Sed notandus XII *quod in doctrina Raimundi Lull non continebatur nisi bonum.* Cui respondens Eymericus opponit integram bullam Gregorii XI datam Avinione VIII Kal. feb. anno VI, id est Christi MCCCLXXVI, cujus exempla dicit missa archiepiscopo Cæsaraugustano ejusque suffraganeis, & archiepiscopis Tolosano & Narbonensi. Quod notandum, quia hoc opusculum scripsit Avinione aprili 1396, relegationis anno 3 mense tertio, ac proinde fere post annum ex quo dictus Riera fertur instrumentum a registratoribus pontificiis obtinuisse, scilicet 10 jul. 1395, bullam illam Gregorii in ejus registro anni 6 non reperiri. Extat hic tractatus cod. Colbert. 2847 a fol. 120 b, ad 127 b.

30. *Tractatus contra Alchimistas*, abbati Rosarum Ampuriarum comitis cancellario dicatus anno MCCCXCVI mense maio, pontif. Benedicti XIII anno secundo, relegationis Eymerici tertio mense secundo. Extat eodem codice Colbert. 2847 fol. 51 ad 56.

31. *Correctorium corruptorii.* Scripsit anno MCCCXCVI mense junio, & archiepiscopo Tarraconensi ejusque suffraganeis nuncupavit ex Avinione. Eodem codice Colbert. 2847 fol. 56 ad 64. In hoc tractatu discutit libellum sibi a viro illustri non tamen theologo exhibitum, cujus titulus erat, *De vilitate conditionis humana*, cujus locutiones plures non ad regulam fidei sat correctas vel emendat, vel ad rectum sensum explicat.

32. *Commentarium fusius in epistolam ad Hebraos*, inceptum Urgelli anno MCCCXCIII, & Avenione finitum XXV novemb. MCCCXCVI, ac Benedicto XIII nuncupatum.

33. *Commentarium in epistolam ad Galatas*: Avenione inceptum, Gerundæ verò quo anno MCCCXCVII reversus est finitum januario MCCCXCVIII, & Joanni episcopo Barcinonensi nuncupatum.

34. *Tractatus super declaratione* XXII *articulorum magistri sententiarum, in quibus communiter non tenetur*: inceptus Gerundæ Kal. octob. MCCCXCVII & XXX nov. ejusdem anni finitus, ac F. Marco de Villalba monasterii Rimpulli ordinis S. Benedicti inscriptus. Extat cod. Colbert. cit. 2847 fol. 127 ad 141. Notandus finis: *Explicit declaratio articulorum* XXII *magistri sententiarum, in quibus articulis a magistris omnibus non tenetur, qua declaratio fuit incepta Gerunda 1 octob. & terminata ibidem ultima novemb. per me F. Nicolaum Eymerici ord. Prad. in S. T. M. & inquisitorem heretica pravitatis A. ab Incarn. D.* MCCCXCVII, *pontif D. N. P. Benedicti XIII anno* IV. Quæ probant ad eum annum semper inquisitoris munere functum.

35. *Commentarium in epistolam ad Romanos* incepit Kal. decemb. MCCCXCVIII sed mors superveniens quarta januar. sequentis opus interrupit.

Hæc autem hactenus recensita opera omnia undecim majoribus voluminibus membraneis comprehensa bis habentur in conventu nativo auctoris Gerundensi, totidem scilicet in archivo, & totidem in libraria communi, teste Diago citato fol. 52 a, ab eo singula visa minutatim & explorata. Tot autem opera ab homine studioso & laboris amante prodiisse non mihi mirum: sed hominem qui tot & tanta scripserit non in occulto posita, sed sum-

Sæc. XIV. mis pontificibus, regibus, principibus, archiepiscopis, episcopis, viris suæ ætatis eruditissimis dicata eorumque judicio exposita, nec æmulis aut adversariis concitatissimis carentem, ita illibatæ fidei visum, ut nemo reprehenderit, erroris in aliquo nemo arguerit, id verò mirum, insigneque sinceritatis ejus ac probitatis testimonium: hincque facile est, quæ illi Lullistæ seu antiquiores, quibuscum solis res illi fuit, seu recentiores nescio quo zelo certe amariori objiciunt, refellere.

Ac primo quidem floccifacienda est, duplex quam quidam fingunt Eymericiani in Lullum livoris causa, antiqua scilicet ut aiunt (sed nobis ignota) utriusque ordinis Prædicatorum & Minorum ad invicem æmulatio: tum diversa Lulli circa B. Virginis conceptionem ab Eymerici senrentia. Primam verò hîc locum non habere exinde evincitur, quod Lullum fuisse ordinis Minorum nec ex ejus vita habetur, nec Petrus Aragoniæ rex hoc titulo ornat, civem Majoricensem appellare contentus, nec sacer ordo Minorum tum ut suum defendit, nec scivit Gregorius XI, alioquin in suis diplomatibus id expressisset. Quandonam autem quove documento Lullum adoptarint Minores ut Tertiarium suum, ipsi viderint, certe nonnisi diutius post ejus mortem & vertente seculo XIV, ea fortè ratione qua Elizabetham Thuringam, Elzearum Salyum, Rochum Monspeliensem, Yvonem Armoricum suis sibi placuerunt inserere Calendariis, in quorum tamen sinceris actis nihil habetur ex quo constet aliter ad Minores attinere, quam pauperioris & sanctioris vitæ simili exercitio, non ulla ejusdem regulæ professione. Adde Lullum itinerantem sæpius ad nostros divertisse a quibus perhumaniter excipiebatur, ut & ipse fatetur Wadingus ad annum 1315 n. 2 & 3, adeo ut nulla fingi possit simultatis & invidiæ causa. Altera verò falso prorsus hîc adducitur, cùm de illa quæstione suis temporibus nondum nata nil scripserit Lullus: nam qui inter ejus opera recensentur tractatus duo 316 & 317 *de conceptu virginali*, de conceptione Christi sunt in virgine: qui autem 318 *De conceptione virginis Mariæ*, lingua vernacula Hispana, non Lulli partus est anno 1315 defuncti, sed Raymundi de Astruch de Cortyelles canonici Vit. (id est Vicensis inquit Antonius) sub cujus nomine invenit Alva MS in Bibl. Reg. Scorial. & probat idem non editum ante MCCCXCV, cui assentitur Nic. Antonius in *Bibl. vet. Hisp.* nequidquam reclamante Zepeda Latino interprete, viro quidem militia claro, sed in hisce antiquis non ita emunctæ naris. Quibus addas Eymericum adversus Lullum nihil unquam de ea quæstione movisse.

Tota igitur de Eymerico difficultas ad hoc unum devolvitur: tria scilicet Gregorii XI adversus Lullum ab eo proferuntur diplomata: I datum apud pontem Sorgiæ non. jun. pontif. 2 Christi 1372, archiepiscopo Tarraconensi, quo mandat ut libros quamplures in vulgari per Raymundum Lullum civem Majoricensem compositos sibi faciat exhiberi, quos si repererit erroneos, comburat & comburi faciat &c. II datum apud Villamnovam 3 kal. octob. anno 4, Christi 1374, Francisco Borele priori S. Eulaliæ, & Petro de S. Amancio officialibus episcopi Barcinonensis, quo mandat ut quemdam librum Raymundi Lulli in vulgari Catalonico scriptum statim ad se mittant: quod vulgo intelligunt de eo cui titulus: *De philosophia amoris.* III datum Avenione 8 kal. feb. anno 6, Christi 1376 archiepiscopo Tarraconensi, cui scribit plusquam 20 volumina diversorum librorum a quodam Raymundo Lullo cive Majoricarum editorum per Petrum episcopum Ostiensem & per quamplures etiam ultra vigenum numerum in theologia magistros examinari fecisse diligenter, per quorum relationem tandem habuit, quod ultra 200 articulos erroneos & hæreticales invenerant in eisdem &c. propterea jubet ut omnes habentes libros quoscumque a præfato Raymundo editos, ipsos infra unius mensis spatium dicto archiepiscopo assignare teneantur &c.

Lulli defensores duo priora diplomata vera & sincera agnoscunt, tertium contendunt nullum, fictitium, & ab Eymerico malitiose fabricatum: quod ut insinuent, audacter asserunt non ante 1390 de eo quidquam in Aragonia auditum fuisse. At recte reponit Diagus noster, imo ipso anno 1376 quo emanavit, eodem in Aragonia publicatum: idque evincit literis Petri IV Aragoniæ regis ad Gregorium XI datis Barcinone septima januar. 1377, quarum hoc est initium: *SS. Pater. Intelleximus relatu quorumdam, quod S. V. ad instigationem F. Nicolai Eymerici inquisitoris miserit ad has partes Barcinonæ & Majoricarum quoddam rescriptum continens, quod quicunque teneat de libris per Raymundum Lull quondam civem Majoricarum factis, intra certum tempus in ipso rescripto contentum, illos teneatur sub excommunicationis pœna ponere in posse vicariorum episcoporum ipsarum civitatum &c.*

Jam censeat quisquis nullo præjudicio præoccupatus, de quonam trium allatorum rescripto in literis regiis agatur. Certe non de primo, in eo siquidem libros tantum in vulgari damnat pontifex, non de secundo in quo quemdam tantum librum vulgari Catalonico scriptum ad se mitti jubet. Rursus non de utroque illo priori, in quibus nullum præfigit temporis spatium, sed jubet, ut statim absque alicujus moræ dispendio mittant. Sed quam belle conveniunt rescripto III pontificio literæ regiæ: *Habentes libros quoscunque a præfato Raymundo editos, ipsos infra unius mensis spatium vobis assignare procurent &c. Contradictores per censuram &c.* Sunt verba rescripti tertii; hæc verò verba regis: *Misit S. V. quoddam rescriptum continens, quod quicunque teneat de libris per Raymundum Lull factis, intra certum tempus in ipso rescripto contentum, illos teneatur sub excommunicationis pœna ponere in posse vicariorum &c.* Quid clarum, si non luce clarius est literas regias soli rescripto tertio respondere?

Neque est quod quis dicat in residuo litteræ regem pro unico opere Raymundi lingua Catalanica scripto deprecari, ac proinde ad secundum rescriptum attendere, in quo de illo unico agitur. Facile enim respondetur revera regem non de illo uno agere, sed de omnibus, at diversa ratione: illud unum petit in Catalania examinari, quia vernacula Catalana scriptum soli Catalani optime intelligere poterant; de Latine scriptis non ita curat ubi examinentur, quia Latine ubique scitur: idque evincunt priores litteræ regiæ lineæ, quæ secundo rescripto adaptari nequeunt, ad amussim autem tertio respondent. Quibus addas cùm secundum 29 septemb. 1374 datum fuerit, nec aliunde valde urgeret, quandoquidem unicum operis in pergamenis & vulgari Catalanico scriptum exemplum sibi mitti statim jubebat pontifex, non videri cur post annos duos & amplius scilicet ad septimam usque januar. 1377 rex qui hactenus siluerat, tum demum motus fuerit ad scribendum, nisi rescripto tertio excitatus fuisset, quo quicumque de libris Raymundi tenerent, intra certum tempus in ipso rescripto contentum, scilicet infra unius mensis spatium tradere cogebantur. Omitto Bzovium ad 1372 n. 27 asserere hoc Gregorii rescriptum tertium in archivis Ecclesiarum Barcinonen. Tarracon. & Valentinen. anno 1376 registratum servari, idque Lulli patronos fateri. Quo semel posito cætera quæ objiciunt Lulli defensores facile evanescunt.

Nam primo quod dicunt anno 1395 julio mense instante Antonio Riera Valentinensis diœcesis coram Leonardo cardinale S. Sixti judice deputato quæsitum Avenione præfatum rescriptum Gregorii XI tertium in registro anni sexti ejusdē pontificis nusquam repertum, de quo instrumentum publicum confectum est a registratoribus, iisdem fortè qui hoc munere sub Gregorio fungebantur: refellunt facile Bzovius & Justinianus asserentes volumina duo litterarum Gregorii ejus anni sexti periisse: quod non mirum in tanta rerum perturbatione, quam invexit schisma Avenionense. Quot Romæ direptiones, prædæ, incendia per annum 1378 quo electus Urbanus VI & annos sequentes, adeo ut etiamsi concedatur Clementem VII adversus Urbanum electum registra quædam Gregorii, quæ hic præsertim anni sexti 1376 haud dubie secum Romam asportaverat, recuperasse originalia & prima, quis credat omnia e manibus Urbani & Romanorum eripuisse? Frustra autem conjicitur eosdem sub Benedicto XIII Avenione anno 1395 registratores fuisse, qui sub Gregorio XI anno 1376. Nam si iidem cur non invenientes illud rescriptum quæsitum, se præterea nunquam a se registratum memoria recolere non addiderunt? Quot pontificum Romanorum registra periere bellis, incendiis, urbis vastationibus? Itaque si qua Ecclesia diploma pontificium proferat, nec in registris Vaticanis inveniatur, illud nullum erit? Addendum quod supra n. 29 indicavimus etiam post annum ab illa Rieræ inquisitione Eymericum Avenione morantem bullam veram sustinuisse. At inquiunt Lullistæ anno 1386 maii 19 F. Bernardus Ermengaudi Prædicatorum in Aragonia provincialis, & amoto Eymerico novus inquisitor librum Raymundi *de philosophia amoris* sibi Barcinone pro tribunali repræsentatum purum omnino & innocuum pronunciavit. Non autem ausus fuisset novus inquisitor judicium sedis apostolicæ reformare, si diploma tertium supra relatum auctoritate Gregorii munitum fuisse constitisset. Sed quam vane hæc omnia, & ex ignorantia temporum & rerum nostrarum profecta. Nam primo Eymericus ab anno 1366 quo inquisitoris officio jam restitutus erat, ab eo nunquam deinceps ejectus est ad mortem usque: imo eo semper in Aragonia functus ad 1393 quo a Joanne rege in exilium actus Avenionem se recepit ad Clementem VII, cui in primis carus erat. Præterea F. Bernardus Ermengaudi non novus tum inquisitor, a quo enim institutus? non a summo pontifice, quem nullum agnoscebat, non a magistris ordinis, quorum neutri in utraque obedientia parebat: inquisitor igitur erat anno 1386, quia jam ab anno 1360 eo munere decoratus deinceps fungi non desierat, cùm tamen idem munus in eodem regno gereret Eymericus, quod usu receptum nec insolens. Illud autem singulare tum contigit, quod Petro IV rege Aragono neutri pontificum nec Urbano Romano, nec Clementi Avenionensi obediente, Ermengaudus regiæ sententiæ adhærens, nullum etiam magistrum ordinis agnosceret. Hinc quamvis in comitiis ordinis sub Elia Tolosano Lausanæ 1380 habitis a provincialatu amotus, provincialem tamen se gessit ad mortem usque, partemque Aragoniæ sibi adhærentem habuit, dum altera pars Clementi adhærens alium sibi provincialem Cæsaraugustæ 1380 præfecit, cui sese adjunxit Eymericus. Esto inquient, at saltem inquisitor rationum officii sui apprime gnarus, judicium sedis apostolicæ reformare aususne esset? Suo se gladio jugulat, quisquis ita ratiocinatur. An nescit inquisitor causam, quam ad suum tribunal summus pontifex voluit devolutam & servatam, ita sibi prohibitum attingere, decidere, ac judicium sanctæ sedis reformare? Constat autem secundo diplomate supra relato Gregorium XI de libro Raymundi *de philosophia amoris* judicium sibi reservasse: quid ergo? an jus pontificium fatebuntur ab Ermengaudo violatum, cùm librum illum recognoscere privata auctoritate aggressus est? nam quod de 2 diplomate dicent, dicemus & de tertio: ut interim omittam Ermengaudo non plus fuisse jurisdictionis in Eymericum & ad ejus acta reformanda, quam episcopo sit in alterum provinciæ suæ episcopum, & ad ejus revocanda mandata. At quod maxime attendas velim, judicium illud Ermengaudi, quod certo certius rescriptum tertium illi cognitum ostendit, evincit etiam a Petro IV Aragono non ignoratum, sed ei manifestum & notum. Nam judicium illud omnino respondet literis Petri regis supra relatis: ut in his rex unicum opus *de philosophia amoris* eximi petebat, & in Catalania examinari; cætera Raymundi opera pontificis arbitrio permittebat: sic Ermengaudus de cæteris libris tacet & erroribus in eis inventis, solum *de philosophia* regi & Catalanis carum purgare & vindicare satagit, eo fortè argumento innixus, quod postulatum a rege, ex quo non responderat Gregorius, nec jam ullus in regno summus pontifex agnosceretur, concessum tacite videri poterat. Addenda sunt hîc ipsa Ermengaudi verba, quæ lucem hactenus dictis afferent: *Narravit* (Ermengaudus) *quomodo tempore SS. in C. P. & D. D. Gregorii sanctæ memoriæ papæ XI, R. P. M. Nicolaus Eymerici O. P. tunc hæreticæ pravitatis inquisitor in provincia Aragoniæ fecerat condemnari aliquos articulos, quos dicebat se invenisse in diversis libris dicti Raymundi Lulli, nominando ipsos libros: inter quos autem articulos erant, ut dixit idem D. inquisitor M. Bernardus, tres quos idem M. Nicolaus dicebat se invenisse in quodam libro facto per dictum Raymundum Lull intitulato de philosophia amoris &c.* Ermengaudus Eymericum dicit tunc inquisitorem, non quod non esset etiamnum, sed quod in schismate non tantum Ecclesiæ, at & provinciæ, illum jam pro tali non agnosceret, ut nec ipse Ermergaudus ab ea parte provinciæ cui adhærebat Eymericus, nec provincialis nec inquisitor habebatur. Addit Eymericum tempore Gregorii *fecisse condemnari aliquos articulos Raymundi in diversis libris contentos*; per quem fecit condemnari, nisi per Gregorium? quo diplomate? non primo nec secundo, in quibus nulli articuli damnantur: igitur per tertium, quod proinde agnoscit tempore Gregorii ab eo emanasse. Cùm autem addit *inter illos articulos tres in libro de philosophia amoris Eymericum dicere a se inventos*, se de centum articulis in *Directorio* relatis loqui clare innuit. Tantum igitur abest, ut judicium Ermengaudi diploma tertium nullitatis arguat & suppositionis, quin potius invictum documentum sit agente Eymerico tempore Gregorii & ab eo prudente & sciente conditum. Nec omittenda illa initio sententiæ posita verba: *R. D. inquisitor dixit & proposuit, quod ad instantiam quorumdam amicorum venerabilis Raymundi Lulli quondam civis Maioricarum ipse pro infrascriptis vocaverat ad consilium omnes dictos magistros & Fratres, & narravit*, &c ut supra: ex quibus sequitur Lullum etiam tum 70 minimum annis ab ejus morte non ordinis Minorum certo agnitum, sed civem Majoricarum tantum habitum: ac de quo sane Franciscani magistri & Fratres non fuissent idonei judices, si jam ut suum fastis suis sacris inscripsissent.

Aliud tamen adhuc in Gregorianum diploma tertium, quo suspicionis falsi, aut saltem subreptionis arguitur, vibratur telum, nempe F. Bernardi ord. Servorum Tiphernatis episcopi a cardinali Alemanno in Aragonia Martini V de latere legato

Sæc. XIV. commissarii deputati sententia, ut aiunt, definitiva, lata Barcinone 24 martii 1419 : quam refert Dermitius citatus *Nitelæ pag.* 480, & de qua legendus Bzovius *ad an.* 1372 *nn.* 26 & 27. In ea autem duo videntur maxime distinguenda, primo præparatoria ad dictum seu conclusionem : ista enim in omnibus sententiis non sunt ejusdem auctoritatis, ac conclusio, & fere a judice relative tantum quasi partium rationes recitantur, quem in modum nisi benigne interpretemur ibi enunciata, non parum nutaret de sapientia episcopi commissarii existimatio. Ibi enim dicitur *clarissime constare dictam bullam* (nempe tertiam Gregorii XI) *esse evidentissime de falsitate suspectam.* Id enim nec evidens est, imo longe clarius esse veram ex testimoniis superius allatis. Deinde quia *doctor Raymundus expresse submittit scripta dicta & edita per ipsum determinationi & correctioni Ecclesiæ sacrosanctæ : ex quo fundatur legitime, scripta sua non deviare a justo tramite catholicæ veritatis.* Quibus nisi granum salis adhibeas, a vero certe longius aberraveris. Quis V. G. Jansenio humilius scripta sua Ecclesiæ correctioni submisit? Quis ex hoc ipsum in scriptis non deviasse a tramite veritatis audeat dicere? Præterea F. Nicolaum Eymerici inauditum, indefensum arguit quasi animo malevolo & odio percito Lullum impugnârit : *ex quo*, inquit, *detegitur sinistra intentio, opinio & persecutio Nicolai prædicti.* Et postea indicat *per fraudem & malitiam veritatem tacendo seu supprimendo, & falsitatem suggerendo vel exprimendo a summo pontifice impetraße rescriptum, quod veridice informatus denegasset* : ex quo concluditur bullam si non falsam saltem subreptitie obtentam. Quæ omnia ruunt ex quo verissima asserta est : cùm enim in ea dicat Gregorius libros Raymundi *per Petrum* (nempe cardinalem de Stagno) *episcopum Ostiensem & per quamplures etiam ultra vigenum numerum in theologia magistros examinari fecisse diligenter*, jam nullus fuit obreptioni seu subreptioni locus. Neque verò is fuit, qualis hîc pingitur Eymericus, sed vir illibatæ fidei, sanæ doctrinæ, intrepidi pro Ecclesia animi, ideoque summis omnibus suæ ætatis pontificibus Innocentio VI, Urbano V, Gregorio XI, Roberto cardinali Gebennensi Clementi VII postea in sua obedientia dicto ut & Benedicto XIII ejus Avenione successori acceptissimus. Istud itaque totum sententiæ ut loqui illis placet, definitivæ præludium, ut ex Lulli defensorum ore & scriptis acceptum & recitatum habeatur. Quantum verò ad dictum sententiæ seu judicatum : *Omnia huc usque adversus Raymundum acta annullat, reducit ipsum & omnia dicta scripta & opera sua &c. ad statum pristinum & primævum ac si in contrarium eorum nil unquam fuisset dictum, scriptum, vel aliàs quomodolibet attentatum* : (nota hæc tam duo priora Gregorii diplomata complecti quam tertium :) *reservat correctionem, determinationem, aut auctorizationem doctrinæ Raymundi sedi apostolicæ.* Quam utique sedem totus ordo Prædicatorum ita veneratur, at semper veneratus est, & Deo dante semper venerabitur, ut non solum de Raymundo ejusque dictis ac scriptis, sed & de hac ipsa Bernardi episcopi sententia visa definitiva, si quod fortè non ab re esset, placeret recognosci, & in omnibus aliis judicium demississimo animo suscepturus sit & amplexurus.

Interim vero donec de Raymundi doctrina summus pontifex pronunciaverit, allubescit maxime censura, quam de ea fert Wadinghus in Annalibus ad 1315 n. 11 : *Tres duntaxat*, inquit, *sunt propositiones, de quibus illi judicium tulerunt* : Loquitur de judicio Ermengaudi & assessorum ab ipso ascitorum, de quo supra, in quo ab iis dictum fuit, *quod dicti articuli ut jacent condemnati, licèt bene fuerint condemnati, tamen non sunt conscripti in dicto libro philosophiæ amoris* : adeo ut tantum quæstio facti fuerit de horum articulorum attributione ad librum & ad sensum Raymundi : quo in genere, præterquam quod exemplum quo illi utebantur corrigi jam potuerat, quam varia sint hominum judicia, adeo ut in eodem libro alii videant, quod alii non perspiciunt, satis notum est. Sed pergit Wadinghus : *Porro ex reliquis quas Eymericus centum exscripsit in Directorio, major & potior pars vere in ejus operibus reperitur, quarum nonnullæ ut verum fatear duriores & crassiores sunt, quam eas communis theologorum schola admittat, aut sine censuris elabi permittat*, &c. gravissimo ejus judicio digna, quem lector curiosus adeat : ut & n. 12 sequenti, ubi adversus eos agens qui doctrinam Raymundi a Deo revelatam sustinent, post plura egregie dicta sic eos urget : *Doctrina a Deo inspirata velut armamentarium est, aut tanquam thesaurus medicamentorum. Sed ex hac* (doctrina Raymundi) *nescio quæ huc usque tercentum & plurium annorum spatio arma depromta sunt contra fidei hostes, nec quæ medicamina adversus vitiorum ægritudines. Credibile autem alicui videbitur scientiam a Deo revelatam ad nihilum inservire, sed inanem prorsus & vacuam per tot secula latere?* Cætera apud ipsum Wadinghum legenda, nam mihi animus non est Lulli doctrinam exagitare, sed Eymericum ab omni suppositionis aut subreptionis suspicione liberare : quod quidem apud cordatum quemque exegisse puto.

Superest tamen epistola regis Joannis Aragoniæ 9 april. 1393 data, qua Eymericus *nequam hominis & pestilentis, suique & subditorum publici inimici at venenosæ viperæ, nec non & fidei orthodoxæ suspecti compellationibus diffamatus in exilium ejicitur.* Hanc epistolam plurimum urget Dermitius citatus pag. 490, sed ut illa Eymericum gravaret, hæc Christi verba prius oportuerat ex evangelio delevisse, Lucæ 6 : *Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm separaverint vos, & exprobaverint, & ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis : secundùm hæc enim faciebant prophetis.* Absit autem ut hujus persecutionis causam in ipsum regem refundam, qui Eymerici æmulis acquiescendo, eorum invidiæ illum subtraxit potius quam punivit hoc exilio : nam si revera majestatis divinæ & humanæ reum, ac fidei orthodoxæ suspectum habuisset, non ejecisset tantum, sed & datis regiis, & obtentis pontificiis a Clemente VII, cui tum obediebat, judicibus graviori supplicio mulctasset. At quodnam crimen læsæ majestatis singulare illi unquam objectum est? cujus in fide erroris specialis delatus est unquam suspectus? in tot libris ab eo scriptis quid minus orthodoxum summis pontificibus denunciatum? non enim sese abscondit, non se oculis hominum subduxit, aperta fronte, erecto capite apud Clementem VII & Benedictum XIII, quibus Aragonia obediebat Avenione conversatus est, libros quotidie novos edens ipsisque nuncupans, quosdam etiam eorum jussu, pro tuendo eorum jure etiam quosdam, nihil magis veritus, quam ne opera sua non omnibus manifesta essent. Quæ utique signa sunt hominis veritatem amantis eique unice litantis. Quam ejus opellam in indicem Romanum aut Hispanum referri obtinuerunt æmuli? Directorium ab eo elaboratum nonne palmam habet in omnibus regnis, ubi tribunal fidei erectum? annon veluti codex est & canon in causis hæreticæ pravitatis? hoc sane stupendum hominem fidei orthodoxæ suspectum, probante, plaudente Ecclesia etiamnum mortuum de hæreticis, de in fide suspec-

tis pronunciare. Lullum suum habeant qui ejus ardent esse discipuli, si permittit Ecclesia: cerebrum suum vigiliis fatigent, ut ejus mentem assequantur, ut scite Wadinghus: scientiam addiscant futuram inutilem, ubi Ecclesiæ hostes aggrediendi, aut vitia extirpanda, ut idem testatur: si quas maculas erroris contraxerit, eas sui cruoris balneo absterserit, ut idem addit: his assentimur, si martyrem declaraverit summus pontifex, si fastis sacris inscripserit, venerabimur: sed Lullum dealbando, Eymericum illibatæ fidei virum ac de Ecclesia deque SS pontificibus optime meritum denigrare tandem desinant & insectari, nisi odium in eum concepisse videri velint, quod ipsi affingunt in Lullum.

Præter opera Eymerici ex Diago & ex codd MSS supra relata, laudatur in indice Bibl. Barberinæ, ejus

De vita & miraculis S. Raymundi (utique de Pennaforti) *liber cum Peña commentario & additione duorum librorum*, Romæ 1601 in 4.

De eo præter citatos agunt Castillus *P. II fol.* 96 *col.* 4: Lopez *P. III*, fusius *capp.* 30 *&* 31, ubi ait mortuum 4 januar. 1399, ætatis 80: Marieta *fol.* 208 *d*, emendandus cùm refert ad 1490, sed erratum censeo typorum: Fernandez, Lusitanus, Leander Albertus *fol.* 148 *b*, ubi *Directorium* laudat veluti *censorum fidei lumen clarissimum*: Pius *P. II Append. col.* 412: Fontana *Monumen.* ad 1356, & *Theat.* pag. 551: Altamura ad 1392 & in *Append.* ubi sat accurate contra adversarios propugnat: Joannes Casalas in suo *Candor Lilii pagg.* 448 *&* 526: Vincentius Baronius *Apolog. T. II pag.* 79 *& seqq.* Extranei vero Spondanus in *Annal.* Odoricus Raynaldus *ad* 1371 *n. ult. & ad* 1372 *n.* 35: Possevinus, Miræus, Caveus, Dupinius *seculo suo* XIV, Nicolaus Antonius in *Bibl. vet. Hisp. lib.* IX *c.* 7 *n.* 383 *& seqq.* ubi de *Directorio* sic loquitur: *Liber quasi prora & puppis est doctrinæ ad sartam tectam præstandam fidei puritatem necessarius: nec nisi insanientis animi œstro percitus scripsit Alva in libello* Respuesta limpia &c. Mancha 18, *falsitatum plusquam litterarum in eo contineri.* Idem Alva de eodem rursus agit *Sol. Verit. Rad.* 269 *col.* 1776 *& seqq.* an rectè? Meminerunt & alii vel a relatis citati, vel recentiores, quorum de Eymerico nostro judicium lector cordatus & a præjudiciis alienus discutiat. Quod quidam objiciunt ab eo de sanguine Christi bullam Clementi V suppositam falsissimum, sed vide supra, ubi de *F. Nicolao Rosell* cardinali, ad quem hæc causa attinet, non ad Eymericum. Nota vitam Raymundi Lulli extare in Victor. cod. 1129 sub finem codicis.

F. GUILLELMUS BOTTLESHAM.

† 1399. F. GUILLELMUS BOTTLESHAM natione Anglus, a patria quæ pagus est milliaribus circiter quinque Cantabrigia dissitus, cognomen de more ducens, Cantabrigiæ ordini nomen dedit, & in ejus universitatis sacra facultate magisterii lauream consecutus est. Godwino teste a S. Pontifice nempe Urbano VI, cui Anglia parebat, episcopus Betlehemitanus primum, tum agente rege Anglo Richardo II anno MCCCLXXXV ad Ecclesiam Landavensem translatus, tum ad Roffensem evectus anno MCCCLXXXIX, quam ultimam sedem annis decem administravit, mortuus circa initium februarii MCCCXCIX stylo veteri, novo MCCCC. At ex T. XI conciliorum editionis Labbeanæ col. 2054 & 2060 eum anno MCCCLXXXII episcopum Nanatensem fuisse habetur, quo titulo affuit concilio provinciali Londini ab archiepiscopo Cantuariensi die XVII maii MCCCLXXXII celebrato & in conventu nostro Londinensi coacto, in quo Joannis Wicleffi errores condemnati, cujus concilii decretis subscripsit cum aliis episcopis *Frater Willielmus Botlesham episcopus Nanatensis magister in theologia de ordine Prædicatorum*, præter quem aderant ex nostris plures qui & subscripserunt. Videsis supra Robertus Humbleton, ubi omnes ex nomine laudantur. Hoc in concilio Joannes Wiclef coactus comparuit, & scripto solemniter palinodiam iterum cecinit, erroresque suos palam abjuravit: sed ejus retractatio fraude ab actis concilii subtracta est a Spelmanno conciliorum Angliæ collectore T. II: Spelmanni autem editionem secutus est, & solam repræsentavit Labbeus. Quæ verò sit Ecclesia Nanatensis, quam Nannatonensem appellat Foxus a Godwino citatus, ad quam nostrum Bottleshamum promotum meminit 25 julii MCCCLXXXII hactenus apud Geographos Ecclesiasticos non reperi. Fortè non alia est quam Bethleemitana sic a nato ibi Christo corrupte dicta. Hunc Thomas Walsinghamus, Baleus, Pitseus, quos sequuntur Possevinus ad 1538 ascribens, Bzovius ad annum 1349, Fontana in *Theatro Tit. Roffenses*, Altamura in *Append. ad* 1338 Joannem vocant, quos ex supra relatis certissimis & quoad nomen, & quoad annos emendabis. Hæc ei opera asseruntur:

1. *Disputationes scholasticæ.*

2. *Sermones coram rege Angliæ habiti*, cujus & conscientiæ arbitrum fuisse refert Pitseus.

In Historia Ecclesiæ Roffensis ab anonymo continuata & edita recens a Wartono in sua Anglia sacra T. I pag. 379 sic legitur: *Rejecto Johanne Barreet, quem monachi elegerunt, Urbanus VI papa episcopatum Roffensem Willelmo de Botlesham ord. Prædic. episcopo Landavensi donavit* XXVII *augusti* MCCCLXXXIX, *istum enim jamdiu carum habuerat. Obiit anno* MCCCC *mense februario.* Ibidem pag. 383 recensetur F. Johannes Hilsey S. T. D. ex academia Cantabrigiensi ordinis Prædicatorum & conventus Londinensis præses, qui martyri Joanni Fishero suffectus est & anno MDXXXVII consecratus, conventum Dominicanorum Londinensium jure commendatario simul rexit, quem regi Henrico VIII, X novemb. MDXXXVIII dicitur tradidisse, sed fortè coactus ut alii plerique. Anno MDXXXIX successorem habuit, unde conjicio tum obiisse. Anonymus iste continuator indicat reformationi Henrici VIII favisse, cui non facile fidem habeo, tum quia id non confirmat Godwinus, qui de eo contemptim loquitur, tum quia ejus successor Nicolaus Heath fidem catholicam strenue tutatus est.

F. ANDREAS DE BOCAGNIS.

F. ANDREAS DE BOCAGNIS seu *de Franchis* Etruscus patriaque & professione Pistoriensis, vir eruditione singulari præditus & concionator eximius magnique nominis sub Urbano VI claruit, a quo patriæ suæ Pistoriensis est antistes electus & institutus, ideoque post diem IX april MCCCLXXVIII per translationem Joannis prædecessoris sui ad Corviensem infulam, in eaque sede perseveravit pastoris vigilantissimi onus fideliter implens ad ann. MCCCC, quo per procuratorem, inquit Ughellus quem hîc excipimus, abdicavit, Matthæo sororis ejus filio Pistoriensi canonico in ejus locum suffecto. Demum ætate gravis & bonis operibus Pistorii decessit die XXVI maii anni ejusdem MCCCC, fuitque ibidem apud Prædicatores sepultus, hoc ei apposito sub marmore rudiori epitaphio: 1400.

Antistes plebem qui rexit Pistoriensem
Andreas vita cunctis exemplar honesta

Sec. XIV. *Et pius & mitis, divino dogmate clarus,*
Hac sub mole jacet, sed mens super astra volavit.
Annus millenus quadringentenus in urbe
Tunc maii bis dena dies & sexta fluebant.

Tesseram illi ascribit Ughellus gentilitiam coccineam palis duobus utrinque dentatis aureis insignem, & apice scutari pariter aureo supereminente. Scripsit eodem teste apud nostros Pistorienses fortè MS servata

Quadragesimale valde proficuum & volumen sermonum de sanctis.

Ex quibus inferas delusos Lusitanum, Castillum, Pium, Maraccium, qui hunc ad 1314 collocant, tum Fernandem qui duos hujus nominis nostros recenset episcopos Pistorienses, alterum ad 1270, alterum ad 1390. Altamura nobis consentit.

F. MANUEL CALECAS.

† 1400. F. MANUEL CALECAS Græcus natione, Constantinopoli clarebat vergente seculo XIV, rhetor & theologus, in sacrorum bibliorum, canonum ecclesiasticorum, SS. Patrum Græcorum & Latinorum, ac utriusque gentis historia versatissimus. Hic cùm magni nominis esset in regia urbe & Ecclesia C. P. suorumque a Romana Ecclesia separationem irrationabilem, & præter Ecclesiasticas leges Patrumque theologiam esse arbitraretur, Latinorumque fidem ritus & ceremonias adversus schismaticos defenderet, ab his ob veri confidentiam & prædicationem contumeliis affectus est pluribus, imo & ex eorum societate ejectus & fugatus. Tum verò ille ad conventum nostrum Peræ ad C. P. fere ab initiis ordinis erectum accedens ordini nomen dedit, & quo erat Græcorum gentilium suorum salutis studio flagrans, adversus eorum errores stylum acuit: ita verò acriter ac nervose illorum argumenta refellit, ac fidei Latinæ Ecclesiæ veritatem tuetur, ut sermonem suum ubique charitate condiat, & nonnisi conversionis eorum cupidum se demonstret & solicitum. Quousque autem vixerit, certo dici non potest, cùm nemo referat: etsi autem ad 1400 circiter pervenisse facile conjiciam, ante concilium Pisanum 1409 celebratum jam e vivis abiisse mihi verisimilius. Ex ejus operibus hæc demonstrantur, quæ sic recensentur:

1. *Contra Græcorum errores libri* IV. Quod opus Græce scriptum ab auctore F. Antonius Massanus ordinis Minorum sacræ theologiæ magister & Martini V summi pontificis ad Emmanuelem Orientis imperatorem, & Joannem ejus filium ac successorem anno MCCCCXXII nuncius C. P. de conciliandа Græcorum cum Latinis concordia missus, vel eo ipso anno, vel sequenti reversus ad pontificem secum MS attulit, ut non indignum sua majestate munus, nec spernendum tum apud quosdam saltem Græcorum vigentis adhuc veræ fidei monumentum. Et ita quidem accepit Martinus Papa, & mox D. F. Ambrosio Camaldulensi abbati viro egregio Græce perito utpote Chrysoloræ Bysantini discipulo commisit, ut Latine redderet, quod & is continuo eleganter perfecit, ipsique summo pontifici nuncupavit. Cujus versionis exempla docti quique ejus ætatis sibi exscribenda curarunt, præsertim qui conciliis Basileensi & Florentino affuere: cùm enim ad utrumque invitarentur Græci, quæcunque ad sopienda utriusque Ecclesiæ dissidia, & ad objecta Græcorum dilucidanda conferre poterant opera eruditi, quique ad congrediendum cum Græcis destinari poterant, sibi comparabant. In his numerandi Joannes Charlerius celebris Joannis de Gersonio cancellarii Parisiensis fratruelis, & noster Joannes de Turrecremata, ambo sacræ facultatis Parisiensis magistri. Exemplum quod sibi exscribendum curavit primus scilicet Charlerius in synodo cui aderat Basileensi, & secum ea absoluta Parisios detulit, etiamnum servatur in Bibliotheca gymnasii Navarrici simul cum aliis ejusdem argumenti nempe contra Græcorum errores tractatibus compactum, sicque incipit Epistola ad Martinum V nuncupatoria:

Parui præceptis tuis Domne beatissime, opusque illud clari & eruditi viri Manuelis Calecæ ordinis Fratrum Prædicatorum contra Græca levitatis errores, quod insignis theologiæ cultor magister Antonius Massanus zelo fidei succensus ex urbe regia secum advexit, commode utinam atque utiliter, promtè certe atque obtemperanter ex Græco converti &c.

Idem principium fuisse in exemplo Joannis de Turrecremata, qui in concilio Basileensi ex deputatis ad examinandos articulos Græcorum unus fuit, ex eo conjicio, quod Calecam nostrum asserat; sic enim ille in *Summa de Ecclesia lib.* 2 *c.* 93: *Unde Emmanuel* (inquit) *Calecas & Græcus vir magnæ sapientiæ Frater ordinis Prædicatorum &c.* Quod Turrecrematæ testimonium evincit, ita eum legisse in suo Calecæ codice MS quem forte ab ipsomet Eugenio IV Martini successore, cùm ab eo circa initia synodi Basileam missus est, accepit: ac proinde etiam sic in ipso Ambrosii Camaldulensis αὐτογράφῳ scriptum fuisse; ex quibus tum Calecam non ante triginta annos, certe paulo plus ad summum defunctum, ordinis Prædicatorum alumnum agnitum fuisse colligas. Quod si id non repræsentat Stevartius in sua editione de qua mox, quia fortè deerat in cod. Bavar. MS quo usus est, nihil testimoniis allatis luce meridiana clarioribus officit. Norunt enim in codd. MS præsertim ejus ætatis versati, notariis proclive fuisse, quæ ad rem non faciebant omittere, ipsa etiam aliquando auctorum nomina: itaque cùm parum referret Calecas ordinis Prædicatorum an fuisset necne, id forsan neglexit notarius codicis Bavarici, nisi Stevartius ipse omiserit. Sic licèt Antonius Massanus fuerit ordinis Minorum, ut videre est apud Rainaldum *Ann. Eccl. ad* 1422 *n.* 5, id tamen non exprimitur in epist. nuncup. allata. At verò Calecas quin fuerit ordinis dubitari nequit post tam luculentum testimonium Turrecrematæ, & codicis Ciarlerii, qui id certo non addidissent, nisi in exemplis quæ exscribi curabant, aut legebant, eodem modo haberetur.

Præterea sic loquitur auctor lib. 4 n. 8: *Prorsus verò & ex nostris* (id est Græcis) *nunquam defuerunt ex his qui aliquid esse videbantur, quin Romanæ Ecclesiæ faverint, suorum quidem separationem irrationabilem & præter ecclesiasticas leges, patrumque theologiam esse arbitrantes, se autem ad illos conferentes, ignominiis quidem affecti, sive etiam fugati ob veri confessionem atque confidentiam, quibus & qui hæc scripsit adjunctus est, gratiasque Deo, quod his dignus habitus est: fortiter autem ferentes omnia propter hujusmodi repositam mercedem &c.* Ex quibus colligebam Calecam non solum Græcum fuisse, quod ex alio loco mox amplius ostendetur, sed & ab eruditione nominatum in Ecclesia C. P. fuisse, verùm quod Romanis faveret, & schisma ex parte Græcorum injustum censeret, ab his contumelia affectum, & e loco dejectum ac fugatum ad nostros se contulisse, institutumque nostrum amplexum Peræ, imo & ibidem jam ordini ascitum hoc opus scripsisse. Cui favet quod Antonius Massanus, qui Peræ in conventu suorum Minorum toto tempore suæ legationis mansit, exinde hujus operis exemplar ad Martinum V attulerit. Andreas noster Collossensis archiepiscopus & ipse Græcus, & in ea Ecclesia etiam magni

nominis simile quid fecit, nam & a schismaticis se sejunxit, & institutum nostrum circa 1400 vel paulo plus amplexus est, & in conciliis Basileensi & Florentino tantum postea claruit.

Sub finem ejusdem lib. 4 tit. *De duobus Romanis pontificibus*, sic loquitur Calecas: *Enimvero qui dissentionibus gaudent, illud quoque criminantur, quod nunc Occidentis Ecclesiam duo agunt pontifices, ambo per gentes & genera divisi, &c.* Quæ maxime notanda, quippe ex his ætas Calecæ manifesto deprehenditur, nempe tempore schismatis dum duo pontifices in Ecclesia Occidentali vigerent vixisse & hoc opus scripsisse. Illud verò intelligi non potest de tempore concilii Basileensis, quo creatus Felix V contra Eugenium IV, siquidem ex dictis opus illud anno 1422 e C. P. jam allatum fuerat a Massano: neque rursus de schismate post concilium Pisanum anni 1409: tum enim non duo tantum, sed tres in Occidente se gerebant ut pontifices, quod ut criminosius & turpius objecissent Græci, & non omisisset Calecas: superest igitur ut tempus illud quod a 1378 ad 1409 fluxit intelligatur, quo duo sedebant in Occidente summi pontifices, alter Romæ ab Italis, Germanis, Polonis, Anglis, Lusitanis &c: alter Avenione a Gallis, Aragonis, Hispanis, Scotis, & pluribus Neapolitanis agnitus. Quibus etiam annis Calecam vixisse, & hoc suum opus scripsisse circa 1390 pro certo habendum contendo, mirumque Allatium id non attendisse, & lib. 2 cap. 18 n. 4 *De perpetua Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis consensione pag.* 855 de ætate Calecæ dubitantem, annorum numerum ut quis eruditior indicet expectare.

Scio Petrum Galesinium Italum protonotarium apostolicum, qui Romæ sub Gregorio XIII floruit ad annum 1590 in vita S. Bonaventuræ cap. 14 sic scribere de concilio Lugdunensi II anno 1274 celebrato: *Græcorum igitur imperator Michael VII Comnenus Palæologus, Josephus patriarcha C. P, archiepiscopi, episcopi & legati Græciæ Lugdunum advenerunt frequenti cum cleri multitudine, in qua viri eruditissimi aderant, quorum Emmanuel Caleca unus, qui luculentis scriptis Ecclesiam catholicam Romanam adjuvit &c.* Sed proculdubio in tota hac narratione longius a vero aberravit Galesinius. Certum enim nec Michaëlem Palæologum nec Josephum Patriarcham ad Lugdunense concilium accessisse, sed legatos suos tantum misisse: ipse verò Calecas se huic concilio non adfuisse clarissime innuit ubi de eo sic lib. 3 n. 18: *Gregorius X in Lugdunensi universali concilio, Religiosa ac fideli voce pronunciamus &c. Ista ab omnibus eo convenientibus firma & rata habita, literisque Græcis & Latinis scripta, & apud eos durant, & C. P. tunc cum legatis missa sunt. Quod si nunc ista scripta non ubique cernuntur, alia ratio est. Quomodo enim servata sunt scripta, quorum opus post modicum eversum est? Tantam tamen ac tam celebrem synodum illam, propter hæc fuisse conflatam, apud plurimos adhuc in memoria est.* Sane si præsens adfuisset illi concilio, se ipsum actorum testem proferret, nec ad memoriam ætate provectorum, a quibus de eo audierat, appellaret. Lib. verò IV n. 7: *Communis synodus Lugduni congregata est, & aperte ante plures annos consummata, ubi aderat quidem Romanus pontifex per seipsum illius convocationis auctor, atque cum eo 400 ferme episcopi. Aderant autem & C. P. Ecclesiæ legati, qui illorum implerent locum.* Et post plura legenda ibidem: *Et qui ex nostris affuerunt concilio legatique & episcopi confessi, fœderati redierunt &c.* Quæ omnia ex *scriptis* illic *commentariis* a se lectis proferre se testatur. Certe si & ille affuisset, se inter præsentes nominaret, cùm verò ante plures annos consummatam synodum scribit, innuit revera centum circiter annis priusquam hoc opus scriberet habitam illam fuisse, præsertim cùm postea addat, quod supra dicebamus sua ætate schisma fuisse duosque simul in Occidente pontifices, quod anno 1378 accidit, non prius.

Denique auctor sic sub finem lib. IV: *Obtestor*, inquit, *& moneo omnes, qui ista lecturi sunt, ne ferant graviter, si ejusdem secum patriæ & generis cùm sim, diversum ab illis iter veritate ostendente pergere voluerim &c.* Quibus verbis omnino se origine & natione Græcum confirmat, nec leviter conjectantur, qui ex eadem stirpe volunt ex qua Joannes ille Calecas sub Andronico Palæologo C. P. sedis patriarcha, [A] commentarii in quatuor Evangelia, quod servari ferunt Viennæ Austriæ in Bibl. Cæsar. auctor, & cujus extat Parisiis in Bib. Seguier. nunc Coislin. opus homiliarum in Dom. totius anni cod. Bombyc. sec. XIV. fol. n. ant. 591 novo, ac seculo IV florens, de quo Leo Allatius De Simeonibus ad Gretzeri notas in Jo. Calecæ orationes. pag. 87.

[A] (Sic ex Memoriali D. Thomæ Blaise canonici Eccles. Parisien. 20 nov. 1662 viso.)

Ut ad ipsum Manuelis opus jam revertamur, Græce habetur si non integrum, saltem majori ex parte Parisiis in Bibl. Reg. cod. 2968 aliâs 901 MS memb.

Venetiis ad SS. Joann. & Paul. inter codices Græcos Plut 2 fol. charta. Sic Tomasinus: & in Bibl. Paris. gymnas. Claromont. S. J. ut & indicat Labbeus *Lect. Antiq. pag.* 87. Plura etiam fragmenta Græca lib. IV refert Allatius *De utriusque Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua in dogmate de purgatorio consensione.* Videsis *pp.* 12, 109, 311 *& aliás.* Quæ forsan ex cod. MS Vaticano, ubi allatum a Massano cod. MS & Martino V oblatum servari conjicio, profert. Unde quin textus Græcus integer haberi possit & in lucem edi nullus dubito. Latinum integrum ex cod. Bavar. primus dedit Petrus Stevartius canonicus Leodiensis, Ingolstadii 1608 in 4, a quo Colonienses in suam intulerunt Patrum Bibliothecam T. XIV, & Lugdunenses in suam T. XXVI a pag. 382 ad 466. Laudatur MS in Bibl. Basileensi Manuelis Calecæ ord. FF. Prædic. opus contra errores Græcorum scriptum in conc. Basileensi jussu F. Joh. de Ragusio A. N. 15. Extat dicti operis exemplum MS accuratum sed Latinè tantum Paris. in Bib. gymnasii Navarrici cum aliis contra errores Græcorum opusculis compactum a me visum & supra laudatum, cujus varias lectiones hîc addere consilium erat, ex quibus plura codicis Bavarici σφάλματα emendarentur & loca dilucidarentur obscura, sed nimio labore, aliunde etiam reddendi codicis necessitate pressus, his abstinere coactus sum, & lectorem ad codicem remittere curiosum. Item Venetiis apud S. Georgium in Alga inter codd. MS a Maffeo Contareno anno 1444 consignatos.

2. Aliud opus nostri Calecæ Περὶ οὐσίας καὶ ἐνεργείας, idest *De essentia & operatione adversus Gregorium Palamam Thessalonicensem episcopum, & gregales Philotheum Metropolitam Heracleensem, & Isidorum patriarcham C. P.* Extat Paris. in Bib. Reg. cod. MS 2967 aliâs 1627 papyr. in 4. Græceque & Latine simul a se versum edidit noster Franciscus Combefisius *Bibl. Græc. PP. Auct. Noviss.* Paris. Ægidii Hotot 1672 fol. Tomo altero a pag. 33 ad 67 cui operi suas notas addidit. Exinde autem novum exurgit argumentum Calecam non XIII seculo, ut quibusdam placet, sed certissime post medium seculum XIV floruisse cùm opus hoc scripserit adversus concilium Palamitarum anno circiter 1350 vel 1354 C. P. in Alexiaco sub Joanne Cantacuzeno imperatore, ejusque collega Palæologo, ac Callixto patriarcha C. P. celebratum, ut in prin-

SÆC. XIV. cipio operis ipſe teſtatur, & adverſus Philotheum citatum circa 1360 florentem patriarcham C. P. Callixti ſucceſſorem.

3. Aliud opus Calecæ Græcum Περὶ πίστεως καὶ περὶ τῶν ἀρχῶν τῆς καθολικῆς πίστεως κατὰ τὴν παράδοσιν τῆς θείας Γραφῆς καὶ τῶν καθολικῶν Διδασκάλων τῆς Ἐκκλησίας &c. *De fide deque principiis catholicæ fidei, ut ex divina ſcriptura, & a catholicis Eccleſiæ magiſtris accepimus &c.* Titulis decem abſolutum, non duobus uti Miræus in *Auctuar. Bibl.* & Philippus Labbe in *recenſita Bellarmini Bibl.* volunt ex cod. MS Bib. Bavar. Sane codices Mediolanenſis monaſterii S. Ambroſii anno VI-M DCCCCX ſeu Chriſti MCCCCII exaratus, & ut videtur ætatis circiter auctoris, ab Allatio viſus & laudatus *De Eccl. Orient. & Occident. perp. conſenſ. pag.* 855 Regius Pariſienſis alias 1627: & tertius Prædicatorum Pariſien noſtrorum ad S. Honoratum decem capita exhibent, ex quo poſtremo ex Hiſpania cum aliis codd. Græcis MSS allato, & a noſtro Combefiſio non levi ære redemto ab eodem Græce & Latine ſua opera verſum prodiit unà cum ſuperiori a pag. 182 ad 286, cui & ſuas addidit annotationes. Hic notanda Appendicis ad Caveum auctoris allucinatio, qui *ſex Orationes theologicas*, ut diverſum Calecæ opus indicari putavit ab Allatio & ſextæ fragmenta duo referri adverſus Creyghtonum pagg. 435 & 436, ubi graviſſime errat, cùm fragmenta illa nihi aliud ſint, quam excerpta ex cap. 6. hujus operis *de fide deque principiis* &c. Græce λόγος ϛ'. περὶ τῶν ἑπτὰ μυστηρίων.

4. Tractatus ejuſdem opulentiſſimus, inquit Allatius, & ab eo viſus Περὶ τῆς ἁγίας τριάδος. Princ. Τῶν παλαιῶν αἱρετικῶν ἦν &c. *De ſancta Trinitate. Antiquorum hæreticorum erat.* Vide Allatium ſupra laudatum eadem pag. 855. Extat etiam in Regia cod. laudato 2968.

5. In catalogo codd. MSS Bibl. Scorial. laudatur ejuſdem Περὶ πίστεως (fortè idem qui ſupra n. 3.) καὶ διαφορῶν μεταξὺ γραικῶν καὶ λατίνων περὶ τε τὴν ἐκπόρευσιν, καί τινα ἄλλα. *De fide & diſputatis Græcos inter & Latinos circa proceſſionem Spiritus ſancti, & quædam alia.* An idem quod a Labbeo laudatur Nov. Bibl. MS p. 85 *Manuelis Calecæ Tractatus de proceſſione Spiritus ſancti* cod. laudato Bibl. Reg. 2968. Et idem p. 86 ait etiam haberi MS in gymnaſio Pariſ. S. I.

6. Ejuſdem *Oratio* Εἰς τὴν Περιτομὴν τοῦ Κυρίου. Princ. Τῷ καιρῷ ἐκείνῳ ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι &c. *In circumciſionem Domini. Poſtquam dies conſummati ſunt.* Laudatur ab Allatio *De Simeonum ſcriptis Diatriba pag.* 112. *lit. T.*

7. Ejuſdem *Oratio* λόγος εἰς τὸν ἅγιον Στέφανον. Princ. Ὥσπερ ὁ ἥλιος πανταχοῦ μὲν τῆς γῆς τὰς ἀκτῖνας τοῦ φωτὸς ἐπιπέμπει &c. *In S. Stephanum. Quemadmodum ſol ubique terrarum lucis radios emittit.* Vide Allatium ibidem *pag.* 115. *lit.* ω.

8. Γραμματικὸν πόνημα Μανουὴλ τοῦ Καλλέκα περὶ ὀνομάτων κλ Princ. Τῶν ὀνομάτων τὰ μὲν &c. *Opus grammaticale Manuelis Calecæ de nominibus. Nominum alia quidem.* Extat Pariſiis in Bib. reg. cod. MS 3508 aliâs 1992 memb. forma in 4 parva foliolis 140. characteribus pædore jam & ſitu ac vetuſtate fugientibus.

9. Μανουὴλ τοῦ Καλλέκα περὶ ἀντωνυμίων. Τί ἐστιν ἀντωνυμία; λέξις ἀντὶ ὀνόματος παραλαμβανομένη &c. *De pronominibus. Quid eſt pronomen? vox quæ pro nomine accipitur.*

Extat Pariſ. in Colbert. cod. MS 5060 charta in 4. foll. 12:

Κυρ Μανουὴλ ὁ Καλλέκα περὶ τῆς θεολογίας, καὶ ἄλλα τινὰ κεφάλαια περὶ τῆς ζωῆς παραδεχομένης ἢ τῆς σοφίας, ἢ τῆς χρηστότητος τοῦ θεοῦ, καὶ περὶ τῆς προόδου τοῦ πνεύματος ἁγίου. *D. Manuel Caleca de theologia, & alia quædam capita de vita ſuſcipienda, de ſapientia, de Dei benignitate, & de proceſſione Spiritus ſancti.* Codicem hæc & alia continentem in Bibl. Vatic. haberi referebat Thomas Blaiſe canonicus Eccleſiæ Pariſienſis 20 nov. 1662. Quem proinde conſulant curioſi & quæ noſtri Calecæ ſint diſtinguant. Hujus auctoris præter citatos meminerunt Poſſevinus ordinis Prædicatorum fuiſſe tacens, ut & Bellarminus, qui tamen rectè ætatem ſtatuit tempore ſchiſmatis Avenionenſis poſt 1378. Labbeus ordinis Prædicatorum agnoſcit quidem, ſed non rectè Bellarminum emendat, cùm probabilius cenſet Calecam ſeculo XIII floruiſſe, in eumdem errorem Altamuram noſtrum ad 1274 inducens: nec tectius laudat quoſdam, qui opus quod in Auctario ad Antiquas lectiones Caniſii a Stevartio vulgato pag. 535 editum eſt hoc titulo: *Tractatus anonymi contra Græcorum errores de proceſſione Spiritus ſancti & animabus defunctorum &c. editus C. P. in ædibus FF. Prædicatorum anno 1252 ex MS cod. Bibl. Bavar.* Calecæ videri cenſent: longius enim illi a ſcopo aberrant, quam qui Alphonſi Salmeronis opus ipſi Labbeo aſſereret. Videſis ſupra *FF. Conſtantinopolitani.* De Caleca rectius agit auctor appendicis ad Caveum, eumque refert ad 1360, quo quidem anno incepiſſe florere libenter concedam, etſi poſtea magis claruerit.

F. BONAVENTURA CAMASSEUS.

F. BONAVENTURA CAMASSEUS Italus 1400
Umber a patria Mevanas appellatus, ibidemque ordinem amplexatus ſeculo XIV decurrente eruditione, vitæque ſanctimonia claruit. Cùm autem anno MCCCLXXXV noſtri ſodales Conradi Trincii Fulginei domini tyrannide oppreſſi armorum vi Mevania ejecti fuiſſent, eorum domo a militibus deprædata, igne conſumtis etiam cum cætera ſupellectili titulis vetuſtioribuſque monumentis, in quibus erat *Proceſſus de vita moribus ſanctitate & miraculis B. Jacobi de Blanconibus Mevenatis anno MCCCI die XXIII aug. defuncti inſtitutus*, anno ſequenti MCCCLXXXVI pulſo Conrado noſtriſque reverſis, Bonaventura inter eos præſtantior inſtaurandis ædibus applicuit animum, proceſſum præſertim dictum ad deperditi ſeu combuſti prioris tenorem & formam, quantum ſuggeſſit memoria, monumentaque certiora undique collecta ſuppeditarunt, reſtituit: cujus αὐτόγραφον etiamnum in æde noſtra Mevanienſi ſervatur ac viſitur, uti refert Jacobillius Bibl. Umbriæ p. 74. Exemplum ejuſdem MS in memb. habuit Malvenda, eoque uſus eſt in Annal. Ord. ad an. 1236 p. 550 ubi agit de hoc beato. Obiit Camaſſeus anno MCCCC die XIIII ſept. fuitque apud ſuos ſepultus, uti habet Fontana de Prov. Rom. p. 141, quem non Bonaventuram ſed Venturam appellat præciſione Italis familiari. Ejus itaque opus eſt

Vita B. Jacobi de Mevania. Hanc tamen quantumcunque accuratam velint, prioris deſiderium apud peritos ſemper excitaturam ingenue fatemur.

F. JOANNES SKELTON.

F. JOANNES SKELTON Anglus cum laude 1400
memoratur in hiſtoria univerſitatis Oxonienſis T. I p. 65 n. 18 ubi ſic de eo: *Denique non eſt prætermittendus Johannes Skelton ſacræ theologiæ profeſſor de ordine Prædicatorum Oxonienſium, quem ex quadam alterius theologi illius contemporanei replicatione in inceptione ſua Oxoniæ ſcripſiſſe conſtat In librum ſententiarum & anno* MCCCC *floruiſſe.*

Citatur codex MS collegii corporis Chriſti Oxoniæ,

ulæ, aliâs Bibl. Eccles. Exoniensis, in quo legitur illa replicatio.

F. PETRUS MAZA.

1400. F. Petrus Maza vel *Maça* Aragonus Oscensis patria & professione apud suos clarebat circa hunc annum MCCCC, & laudatur a Baltazare Sorio, eumque excipiente Diago Hist. prov. Arag. fol. 269 d, & sequuntur Fernandez, Fontana in Monum. Altamura in Append. ad 1400: Antonius Bibl. Hisp. Vet. Lib. X cap. 1, n. 25. Scripsit

Opus eruditum adversus Arnaldi Villanovani errores.

SEQUUNTUR SCRIPTORES qui plerique seculo XIV floruerunt, vel sub initia sequentis XV, quorum tamen annum certum ætatis deprehendere non licuit. Hos ordine alphabetico recensemus.

F. ÆGIDIUS DE AURELIANIS.

* F. Ægidius de Aurelianis Gallus a patria sic dictus laudatur a Laurentio Pignon n. 44, ceu qui scripsit

De eclypsibus solis & Lunæ.

Qui proinde vixerit ante MCCCC, nam ante hunc annum dictus Pignon indicem suum scripserat

F. ASCHEDUNUS.

† F. Aschedunus vel *Achedunus* vernacule *Acton* Anglus a Lelando cap. 491 nostris accensetur scriptoribus, & excipit Pitseus Ætate XV n. 759, diciturque vir studiis theologicis versatissimus, concionator fervidus, & sacrarum litterarum interpres non infimi nominis, ac claruisse circa finem seculi XIV & initia sequentis, cùm Ecclesia diro pertinacissimoque flagrabat schismate, cui extinguendo totis viribus, voce, stylo, privatim, ac publice, continuus allaborabat, eaque de causa scripsisse

De pace Ecclesiæ restituenda tractatum.

Cùm verò Anglia partes Urbani VI tueretur, haud dubium quin hujus pontificis jura propugnarit. Romanorum nostrorum diligentiæ non parum deberetur, si tot collectanea quæ de schismate Avenionensi in Vaticana servantur evolvere vellent, & an hujus Achedunì vel Actoni, ut eum vocat Pitseus, in iis habeatur memoria, litteratos docere & hîc addere. Pitseus addit

Sermones, lectiones & alia quædam.

F. ARNOLDUS LEODIENSIS.

* F. Arnoldus Leodiensis sic a patria & professione dictus a nomenclatoribus nostris & exteris omissus recensetur a Laurentio Pignon n. 84 ceu qui scripserit

Librum qui dicitur Narvaconi. Quod compendio scriptum quis forsan me felicior interpretabitur.

Item librum de mirabilibus mundi:

Hujus posterioris operis meminit Joannes Molinet Historiarum P. II p. 193, & Arnoldo nostro nominato ejus operis titulum sic refert:

Liber demonstrationum juxta seriem alphabeti de mirabilibus mundi.

Iste Joannes Molinet laudatur a Valerio Andrea Bibl. Belg. p. 541, & dicitur scripsisse *Res ætate sua gestas tomis tribus*, ab anno MCCCCLXXIIII ad MDV, quod opus nondum prælo datum, sed MS servatur Bruxellis in bibliotheca principis de Ligne: *Les Chroniques de feu Jean Molinet* tomis duobus, & alibi. Vidit noster Ghilbertus de la Haye & legit supra relata loc. cit. Laudat etiam Sanderus Elenc. codd. MS Belg. T. altero p. 1. Non levis autem mihi suspicio hunc Arnoldum eum esse quem Leander fol. 138 b, vocat Arnulphum Leodiensem & præstat acris ingenii virum, licèt ejus opera non referat, & ex annalibus Hieronymi Albertuccii Bononiensis inter eos recenset, qui ab anno MCCCV ad MCCCXLV floruere, quibus eum veluti ducem seu antiquiorem præmittit. SEC. XIV.

F. ARNOLDUS DE PODIO.

* F. Arnoldus de Podio vulgo *Puig*, sive sit Jugum Cerretanorum, sive aliud, nam plura hujus nominis in Catalaunia & Cerretania, recensetur ab Antonio Bibl. Hisp. Vet. T. II p. 262 a, inter scriptores incertæ ætatis, ex catalogo Bibl. D. Antonii Augustini Tarraconensis præsulis, in quo numeratur codex membraneus sec. XV hoc titulo

Ars prædicandi ad Hugonem Dertusanum episcopum directa & nuncupata.

Ex hujus Hugonis ætate tempus quo scriptor hic floruerit, indigenæ nostri curiosi retegent & hîc addent.

F. AUGUSTINUS DE LUCIO.

* F. Augustinus de Lucio vulgo *Lecci* aut *Lecce* a patria utique sic dictus, quæ Latinis Aletium urbs est Salentinorum Episcopalis sub Hydrunto, primariæ regionis ac totius regni post Neapolim clarissima, inquit Ferrarius, sua ætate etiam clarus ille fuit, ut mirum sit ab omnibus seu nostris seu extraneis nomenclatoribus omissum, quem tamen nosse potuissent ex Philippi Labbe Nova Bibl. codd. MSS pag. 328. Extat itaque hujus auctoris Tractatus in Bib. Reg. Paris. cod. 6236 aliâs 1200 charta in 4, cujus & initium referre visum est, ut majorem ejus notitiam gentiles sui facilius comparare possint. Sic autem se habet:

Incipit prologus in Dialogum inferni editus a Fratre Augustino de Licio sacri ordinis Prædicatorum ad illustrem D. Anglibertum de Bauscio comitem Ogentinum suum Dominum & benefactorem singularissimum

» Domino suo singularissimo D. Angliberto de « Bauscio comiti Ogentino F. Augustinus de Licio « sacri ordinis Prædicatorum post humilem com- « mendationem salutem, & tui status semper pros- « peritatem. Tua me cogit præcordialis utriusque « hominis vehementissima dilectio, ut quasdam in- « ferni dubitationes, de quibus * est (sic) quadra- « gesima, dum in præsentia tua essem, plerumque « a me exigere consueveras, in scriptis ponam. Ad- « huc autem me induxit triplex tuæ excellentiæ con- « sideratio: 1. Ut in his sæpe legendo juventutem « tuam a superfluis mundi curis & vanitatibus coer- « ceas. 2. Ut in his sæpius meditando, tempus & « vitam tuam fructuose Deo offeras. 3. Ut pullu- « lanti tentationi, quæ a carne, mundo & diabolo « hominibus insurgere consuevit, frænum adhibeas. « Ipse namque malignus spiritus cogitationi, locu- « tioni atque operi nostro semper insistit, ut nobis « undique nocere atque adversari possit. Propterea « & Hieronymi sententia extitit dicentis: *Semper* « *aliquid boni facito, ut diabolus te inveniat occu-* « *patum.* Nam omnium peccatorum, & malarum « cogitationum sentina est otium: exercitium verò « secundùm Isidorum est humanæ vitæ conservatio, « caloris lima, senectutis gaudium, juventutis læ- « titia, superfluitatis consumptio: & qui vult sa- « nitate carere, ab exercitio se debet abstinere. « Compilanti verò mihi & in hoc opere insistenti « soror mea podagra affuit, meque fortiter agitan- « do plerumque invasit. Actum est autem, ut quod « de inferno solebamus conferre sermone, in ipsa « sororis podagræ agitatione pœnas inferni in cor- «

* Leg. ista.

Sec. XIV. » pore nostro quasi experirer opere atque ardore. » Et quia sola vexatio dat intellectum, in ipsis meis » pressuris pœnas ipsas inferni acutius cogitare cœpi. » Plura etiam quam solebamus conferre addidi, at» que copiosius cum argumentis & sanctorum dictis » ordine direxi : & in septem considerationibus » hoc opus distinxi. Insuper etiam ipsius mordacis » podagræ dolorem, ut sic tolerabilius sustuli. Un» de & forsan non solum sanis, verum etiam ægro» tis hominibus seu podagricis patientibus consola» torium erit hoc opus legentibus. Suscipe igitur » mi illustris comes opusculum a me tuæ excellen» tiæ directum, & quasi munusculum collectum, » quod in multis theologiæ quæstionibus erat quasi » dispersum. Si qua verò inveneris in eo tuæ R. » grata, Deo tribue Deumque lauda, qui tibi de» dit sic de inferno quærendo incipere, & mihi » tribuit usque ad finem perficere. Si qua verò non » rectè dicta repereris, superiori meo præcipuo » corrigenda relinquo. Septem igitur supradictæ » considerationes hujus præsentis operis sunt hæ :

I. *Consideratio est de inferno.*

II. *De igne inferni.*

III. *De animabus patientibus in igne.*

IV. *De immortalitate animæ.*

V. *De intelligere & cognitione animæ separatæ & de potentiis ejus.*

VI. *De resurrectione Christi, & omnium resurrectione generali.*

VII. *Et ultima præsentis operis consideratio est de universali judicio.*

» Ut quia omnipotens Deus septimo die com» plevit omnia opera sua, in septima & ultima mun» di ætate perducat nos in vitam beatam tum cor» poris & animæ. Amen. Explicit prologus.

Opellæ sunt foliola 120, in qua ubique citatur S. Thomas. Finis : » Et hoc de tertio principali, » (scilicet de morte) de quarto scilicet de gloria » paradisi in sequenti opere videndum est. Deo gra» tias. Amen. Explicit Dialogus inferni.

Quibus verbis alium *De gloria paradisi* tractatum promittebat, utrum autem solverit, indigenis curiosis investigandum relinquo, ut & de ætate auctoris, quem circa finem seculi XIV quo primus noster S. Joannis *d'Aymo* Liciensis conventus erectus est 1389 tempore Bonifacii IX, vel circa initia XV floruisse conjicio, nisi quid certius de ætate istius comitis Ogentini Angliberti de Bauscio proferant gentiles.

F. AUGUSTINUS MARCIAGNINUS.

F. Augustinus Marciagninus Florentinus laudatur a Lusitano, Pio, & Altamura, qui eum pro libito recenset ad 1596; mirum autem est si ea ætate floruit, omissum non solum a Pocciantio & Razzio, sed & a Fontana inter scriptores Prov. Rom. & a nostro Raph. Badio inter eos qui in Academia Florentina floruerunt, præsertim cùm Lusitanus ejus opera Florentiæ plurimi facta referat. Itaque de hoc auctore ejusque scriptis penes Lectorem sit fides, quæ sic referunt

Commentaria in universam Aristotelis Philosophiam.

F. BARTHOLOMÆUS BONONIENSIS.

F. Bartholomæus Bononiensis Lombardus laudatur a Laurentio Pignon n. 64, qui proinde ante MCCCC florebat, dicitur autem scripsisse

Commentaria super veterem logicam & sex principia &c.

Super libros quatuor sententiarum.

F. BARTHOLOMÆUS PARVUS BONONIENSIS.

F. Bartholomæus Parvus Bononiensis alter a celebri in Armenia missionario, in theologia magister laudatur a Lusitano ex prima parte Monum. Ord. Taegii, diciturque scripsisse

Postillam in Matthæum.

Aliam super Lucam Pr. *Facies quatuor circulos :*

Et aliam haud dubie super Lucam iterum. Pr. *Oblatio justi impinguat :*

Aliam super epistolas canonicas. Pr. *Josue VI. Præcepit Dominus.*

Quæ Lusitanus & eum excipiens Altamura ad 1315 in unum scriptorem congerunt, hæc Sixtus Senensis in duos partitur. Alius enim ei est *Bartholomæus Parvus Bononiensis*, cui tribuit postillam super Lucam hoc principio, *Oblatio justi impinguat altare*, nihil amplius, & quam supra ad 1328 *Bartholomæo de Piscialis* asseruimus : alius *Bartholomæus Bononiensis* cui dat postillam in Lucam hoc altero principio, *Facies quatuor circulos*, ut & illam super epistolas canonicas, quæ incipit, *Josue VI. Præcepit Dominus.* Cùm nulla horum major mihi sic notitia, penes lectoris arbitrium esto, vel duos cum Sixto Senensi, vel unum cum Lusitano scriptorem agnoscere.

F. BERNARDUS BARTOLINI.

F. Bernardus Bartolini Etruscus Florentinus non ut auctor, sed ut linguarum Græcæ præsertim & Hebraicæ peritus hîc visus est non omittendus, cùm libros iis linguis compositos accurate scripsisse ante natam typographiam, argumentum sit eruditionis in iis non vulgaris. Sic autem legebam in catalogo codd. MS Bibl. Medic. Florentiæ Pl. V n. 21:

Psalterium Græcum manu F. Bernardi monachi Dominicani filii Bartholomæi Bartolini de Florentia. Codicis hujus characteres notandi sunt, imitantur enim quodammodo Hebraicos.

F. BERTHOLDUS.

F. Bertholdus vel *Bercholdus* Teuto sub finem hujus seculi XIV vel initia sequentis Joannis de Friburgo seu Lectoris vulgo dicti Summam confessorum e Latino Germanice reddidit sed alio ordine nempe alphabetico. Opus laudatum a Lambecio Bibl. Cæsar. T. II p. 814 n. 135 his verbis :

Volumen chartaceum Germanicum in fol. quo continetur Johannis Friburgensis ord. Prædic. Summa confessorum Germanice Die sum der Beichtiger *secundum locos communes ordine alphabetico dispositos, e Latina in Germanicam linguam translata a F. Bercholdo ejusdem ordinis, & descripta manu Conradi rectoris scholarum in Insbruck anno* MCCCCXI.

Impressum autem est hoc opus itidem Germanice Basileæ typis Adami Petri anno 1518 fol. Hactenus Lambecius.

F. BERTHOLDUS TEUTO.

F. Bertholdus Teuto alter vir pius non aliunde mihi cognitus quam ab opusculo ab eo edito, cujus titulus

Horologium devotionis circa vitam Christi, quod pluries typis prodiit.

Prima editio mihi cognita Parisiis Johan. Gourmont in 16 pp. 104 cum figuris ligneis rudioribus charactere Gothico absque anno editionis : sed cùm Joannem Gourmont Parisiis nonnisi anno MDVII

typographiam egisse testetur Joannes de Lacaille Histor. Typogr. Gall. p. 80, circa hunc annum hanc editionem factam conjectu proclive : eo magis quod pag. 77 idem opusculum doceat a Roberto Gourmont Joannis dicti fratre antiquiore prælo editum ; si tamen sit altera & non potius eadem editio.

Altera editio elegantior prodiit Coloniæ, Ludovici Alectorii & Hæred. Jacobi Soteris 1577 in 12. pp. 175. Altamura ex anno hujus editionis solius sibi cognitæ ætatem auctoris mensus est, & ideo ad 1577 collocavit.

Tertia prodiit ibidem, Petri Cholini 1610 in 12, quæ a Draudio Bibl. Class. p. 468 laudatur.

Gallice reddidit Johannes du May & edidit Parisiis, Eustachii Foucault, 1610 in 8 pp. 426 cum figuris æneis.

Germanice etiam ediderunt Oeniponti 1589 in 12.

Eidem Bertholdo Possevinus & ex eo Altamura tribuunt libellum cum superiori impressum eique præpositum in editione anni 1577 relata hoc titulo:

Thesaurus veræ pietatis sive meditationes de vita & beneficiis Salvatoris Jhesu Christi.

Ejusdem revera est rationis, eosdemque spirat pietatis affectus, certoque est viri religionis votis astricti, dubium ingerit, quod ei nomen Bertholdi non inscribatur. Ut ut sit ex prologo horologii conditionem & mores auctoris & ætatem quadantenus qua floruit licet exsculpere. Sic enim præfatur : *Hinc est quod olim ad preces devoti militis, cujus nomen summo Deo notum est felicis recordationis, ego Frater Bertholdus sacerdos ordinis Prædicatorum, qui elongavi fugiens, & mansi in solitudine septem annis, de vita Christi & ejus passione morteque dolorosissima libellum Teutonice composui, quem Horologium devotionis nominavi. Sed quia devota & quam plura alia Teutonica lingua scripta minime sapiunt literatis hominibus, idcirco prædictum libellum Deo bene juvante Latine transferendum curavi &c.* Et postea addit : *ideo picturas fieri pro qualibet materia horarum necessarium ad devotionem ampliorem concitandam judicavi.* Quæ indicant hanc opellam primo MS & nondum nata typographia editam in membr. & imaginibus manu pictis ornatam : unde hunc Bertholdum ad tempora nostrorum Venturini, Taulerii, Joannis de Tambacho, Henrici Susonis ad medium circiter seculi XIV libens collocarem : verùm de his esto lectoris arbitrium.

F. BICELLUS TEUTONICUS.

F. Bicellus Teutonicus nostris nomenclatoribus incognitus laudatur a Laurentio Pignon n. 90, qui proinde vixit ante MCCCC. Scripsit eo teste

Flores grammaticæ.

F. BOMBOLOGNINUS DE GAVIANO.

F. Bombologninus de Gaviano Italus Bononiensis laudatur a Taegio P. I Mon. Ord. Leandro fol. 139 b, Lusitano ad 1320, Altamura ad 1331, Rovetta ad 1332, ceu qui reliquerit

Scriptum super IV libros sententiarum.

Addit Rovetta ex Vincentio Rivalio scripta

In quinque prædicabilia, decem prædicamenta, & sex principia Gilberti Porretani.

Quod si verum, hunc auctorem eumdem existimarem cum Bartholomæo Bononiensi supra a Laurentio Pignon laudato, eadem enim sunt utriusque opera : neque mirum esset Laurentium in nomine delusum, & scripsisse Bartholomæum pro Bombolognino, ejusmodi enim errata haud rara apud scriptores præsertim alterius nationis : hincque facile refelleretur Alva, qui Sol. Verit. Rad. 236, col. 1590 Bombologninum auctorem vult a Bandello fictum, & ab eo primum productum, pateret enim jam a Laurentio sub finem seculi XIV scribente laudatum, quod discutiant gentiles.

F. BOVERUS BERNENSIS.

F. Boverus Bernensis Helvetius a Berna patria sic nuncupatus a Lusitano claruisse dicitur circa initia seculi XIV, a Gozzeo & Fernandez ad MCCCL, a Pio ad MCCCXIV, ab Altamura verò Hibernensis dicitur ad 1316 nullo vade. Non mirum in tanta rerum publicarum & nostrarum eversione & strage, quam intulit hæresis, si nec hujus auctoris nec aliorum plurium accuratior habeatur notitia. Huic ascribunt

Commentaria in libros Aristotelis logicales omnes.

F. CHRISTOPHORUS.

F. Christophorus Lombardus natione scripsit

Postillas super Matthæum, Marcum, & Lucam.

Sic totidem verbis Laurentius Pignon n. 45, quem proinde ante MCCCC claruisse censeas. Nec alia mihi hujus scriptoris aliunde notitia.

F. CONSTANTINUS DE MONTEBUDELLO.

F. Constantinus de Montebudello laudatur a Bandello tract. de concep. B. V. & a sequacibus Deza, Vincentia, Grisaldo, ceu qui scriptos a se reliquerit

Sermones quorum qui de nativitate B. V. ab iis citatur.

Nullam ejus memoriam apud Leandrum, Lusitanum, Altamuram, Rovettam reperio. Non propterea a Bandello auctorem fictum censeas, ut contendit Alva Sol. Verit. Rad. 241 col. 1595. A nata enim typographia innumerorum scriptorum, eorum præsertim qui sermones aut in sententias commentaria reliquerunt, codices MS jacuerunt in bibliothecis neglecti & in oblivionem sensim dati, quos tamen quidam curiosiores revolvunt, & e tenebris eruunt, qui aliis incogniti fuerant. Hujus Constantini sermones repererit ad manum Bandellus & laudarit neque enim ulla ei fingendi necessitas, cui tot alii suppetebant.

F. DIMIUS AMBROSII.

F. Dimius vel *Divinus* Ambrosii Gallus Salyus seu Provincialis seculo XIV vel XV clarus scripsit opus hoc titulo:

Quoddam bonum documentum.

Codex MS in 8 crassioris molis extabat anno MDCLXXXI in Bibl. nostra Massiliæ a me tum visus mense maio & ætatis CCC annorum circiter videbatur.

F. DOMINICUS GUILLELMI.

F. Dominicus Guillelmi Etruscus, de quo sic legebam in catalogo codd. MS Bibl. Annunc. Servitarum Florentiæ n. 136 :

Vita B. Franchi Carmelitæ Senensis ex libro MS antiquo & incerti auctoris a F. Dominico Guilielmo ordinis Prædicatorum descripta.

An quid illi vitæ ex suo contulerit, an solam manum exscribendæ discutiant, & hîc addant gentiles.

Sec. XIV.

F. DOMINICUS DE MONTELUPORUM.

F. Dominicus de Monteluporum a patria sic nuncupatus: oppidulum est ad Arni ripam quinque sexve milliaribus infra Florentiam situm, & apud Etruriæ geographos laudatum, dictum vulgo *Montedilupo* seu *Montedilupi*, ubi & Simon Saltarellus noster Pisarum archiepiscopus XXIII sept. MCCCXLII mortuus sodalibus nostris Florentia Pisas euntibus opportunam stationem hospitiumque sumtibus suis erexit, uti refert Razzius p. 72: iste inquam Dominicus inter scriptores recensetur a Fernandez, Fontana in Prov. Rom. Altamura ad 1348 ex fide Ambrosii Gozzei restantis in Bibl. nostra Raguzina servari ejus

De B. Virginis conceptione opusculum MS.

Alva Sol. Verit. editione priori de isto auctore sic scripserat: *Vidi omnes nomenclaturas, scrutatus sum non paucas bibliothecas, legi quidquid huc usque scriptum est de conceptione, peragravi Europam, sed nunquam mihi occurrit Mons iste luporum &c.* ex quo colligebat hunc Dominicum hominem esse fictitium. Raram arguendi rationem egregiè retudit Vincentius Baronius noster *Manuductionis* P. IV lib. IV sect. 2 a. 2 §. 3 p. 71. Verùm doctior factus Alva quæ tam de loco quam de auctore scripserat emendans in altera editione Sol. Verit. Rad. 292 col. 2016 post illa verba: *Nunquam mihi occurrit Mons iste luporum*, subjungit, *quantum ad scriptorem loquor, nam quantum ad populum in Italia & provincia Marchiæ Anconitanæ Firmanæ diœcesis extat Monsluporum, & alius in statu magni ducis Etruriæ &c.* At qui fidem habet geographis de loco a se non viso, cur denegat Gozzeo Ragusino Dominici opusculum in Bibl. nostra Raguz. extare a se visum asserenti? Raguzium saltem Alva se conferre debebat, scrinia nostra scrutaturus, ac dictorum Gozzei veritatem exploraturus, quo tamen se progressum nullibi docet. Omnia verò de hac quæstione ante ann. MDCLXII scripta a se lecta fuisse, nullumque auctorem eum fugisse cui probabit? Itaque quamvis de auctore & de opere dubitandi locus non sit, quoad ætatem vix crediderim ad ann. 1348 referendam, cùm nondum excitata esset illa quæstio, sed ad finem seculi XIV vel initia sequentis, quo innumera utrinque prodierunt scripta, collocandum Dominicum hunc existimarim.

F. ELPONDUS DE ELRICH.

F. Elpondus de Elrich Teuto nostris nomenclatoribus ignotus, ut & quamplures alii seculi XIII & sequentis, laudatur in catalogo codd. MS Bibl. Paulinæ olim nostræ Lipsiæ a Fellero concinnato & edito Lipsiæ 1686 in 12, in quo p. 425 sic legitur:

F. Elpondi de Elrich lectoris ordinis Prædicatorum tractatus de contractibus.

Hunc & Saxonem & conventus nostri Lipsiensis S. Pauli alumnum & seculo XIV clarum conjectu proclive.

F. G. ADÆ.

F. G. Adæ Antibarensis in Albania archiepiscopus, sola sic prima sui nominis littera designatus, laudatur a Lusitano & in chronico inter pastores p. 115 & in Bibl. inter scriptores, & ad ann. 1270 floruisse dicitur ex Susato: quem excipientes nostri variè interpretantur, alii ut Fernandez Gerardum vel Georgium vocant & Gallum faciunt, alii ut Pius P. II lib. 1 p. 73, Fontana in Theat. & in Monum. p. 117, Altamura ad 1279 Gasparem dicunt. Hæc omnes ei tribuunt opera:

Officium pro festo S. Thomæ de Aquino.

Aliud pro festo sanctificationis B. Virginis.

Aliud pro festo S. Georgii martyris.

Aliud denique pro festo S. Ursulæ & XI millium virginum.

Quæ (nam dissimulari non potest) ἀναχρονισμοῖς scatent & ἀντιλογίαις non ferendis.

Primò S. Thomas de Aquino SS. albo inscriptus anno tantum MCCCXXIII officium proprium non habuit ante annum MCCCXXVIII, quo Tolosæ in comitiis ordinis jussum est, ut ejus memoria per octavam fieret per antiphonas *O Thoma laus & gloria* & *Collaudetur*: cùm verò officium illud & in cantu grave & in dictamine incompactum esse plerique quererentur, anno MCCCXXXIV in comitiis ordinis Lemovicis habitis præceptum est a Fratribus ad hoc aptis reformari.

Secundò festum sanctificationis B. V. in kalendariis & breviariis nostris ignotum ante annum MCCCLXXXVIII, quo in cap. gen. Ruthenis habito jussum est in crastino S. Matthiæ XXV febr. celebrandum. Officium singulare hujus festi nullum usibus nostris aptatum mihi occurrit hactenus ante Sixti IV pontificatum.

Tertiò festum S. Georgii jam simplex erat in Kalendario a B. Humberto V ordinis magistro anno MCCLIV ordinato, nec præter tres lectiones quid habuit apud nos proprium.

Denique festum XI millium virginum apud nos inchoatum tantum in cap. gen. Cistarici anno MCCCXX sub ritu trium lectionum. Sub finem sec. XIV in quibusdam locis ut apud nostras sanctimoniales Pissiacenses cœpit celebrari sub ritu totius duplicis, & in earum officio diurno ejus ætatis officium proprium hujus festi vidi hoc principio: *Antiphona super psalmos vesper. Nova bella virginum Dominus elegit*: aliud etiam mihi occurrit in horario diurno edit. Venet. anni 1513 in Append. cujus principium: *Antiphona super psalmos ad vesperas. Lauda Deum sancta Colonia.* At nullum in editionibus anterioribus.

Ex his patet unum & eumdem horum officiorum auctorem esse non posse, ac si G. Adæ istorum alicujus auctor est, ea non floruisse ætate, quam ex Susato indicat Lusitanus, sed longe recentiorem esse.

Fuit quidam Guillelmus Adæ non Antibariensis, sed Sultaneensis archiepiscopus, de quo supra ad ann. 1318, qui Avenione anno MCCCXXIII aderat. Fortè Susatus delusus est in archiepiscopatu, nam iste officium pro festo S. Thomæ concinnare potuit, præsertim cùm in Occidente quibusdam annis videatur commoratus, sed non alia. Per hactenus dicta Alvæ Sol. Verit. Rad. 290 col. 2013 circa hunc auctorem objectis plene factum satis arbitror.

F. GALLUS TEUTO.

F. Gallus Teuto a cæteris nomenclatoribus extraneis & nostratibus omissus, a Leandro fol. 139 a, inter illustres in nodis theologalibus solvendis accensetur, iisque annumeratur, qui seculo XIV floruerunt. *Quos sequitur, inquit, cum Gallo Teutonico coram ponente*

Commentaria cum scriptis suis super sententiis.

F. GODINUS.

F. Godinus laudatur a Laurentio Pignon n. 41 & dicitur scripsisse,

1. *Super sententias.*

2. *Contra unitatem intellectus.*
3. *Contra æternitatem mundi.*
Qui proinde ante MCCCC scripserit. Idem verò videtur qui a nostro Gilberto de la Haye Bibl. Belgo-Dominic. MS appellatur *Gadinus Trajectensis*, licèt an superioris an inferioris fuerit ignorare se fateatur, & cui eadem fere asserit opera, *Commentaria in libros sententiarum*, *tractatum contra æternitatem mundi & tractatum alium contra Wicliffum.* Cùm ergo Wicleffus suos errores anno MCCCLX seminare inceperit & tandem MCCCLXXXVI aut circiter mortuus sit, eadem circiter ætate hic auctor claruerit. Ghilbertus citat Chronicon Luxemburgicum A 107, quod mihi non est ad manum.

F. GEORGIUS DE PETRA.

F. Georgius de Peyra nostris scriptoribus accensetur a Razzio p. 293, & a Fernandez inter Italos, ab utroque ad ann. 1312 collocatus, a Gozzeo verò & a Pio *Gregorius* dicitur; ab Altamura ad 1301 laudatur, qui tamen indicat a quibusdam ad 1490 revocari. Penes quos fides, cùm ejus opera ubi serventur aut cui visa nullus aperiat. Hæc verò sunt:
Scripta in IV libros sententiarum.
Super logicam Aristotelis.

F. GERARDUS COLONIENSIS.

F. Gerardus Coloniensis Teuto sic a patria nuncupatus a Leandro fol. 147 b, inter eos laudatur, qui seculo XIV ascetica claruerunt, & scripsisse dicitur hoc titulo:
1. *Medulla animæ.* Putant alii legendum *Medela animæ.*
2. *Recreatio animæ.*
Lusitanus testem producens Tægium P. I Mon. ord. collocat ad 1314: sequuntur Pius P. II lib. 1 col. 138, Fernandez, Altamura. Meminit etiam Possevinus. Alva in suo *Pleytos de los libros* p. 127 nostros ridet quod tam multos eadem ætate eademque regione florentes proferant scriptores ejusdem nominis Gerardi: sed quid in eo tam mirum? imo annon commune? Rectius fateor ageretur, si ubi adhuc extant opera, proderetur: sed quot hujusmodi opera incuria posterorum vel alia ratione perierunt? quot latent in bibliothecis neglecta & pulvere obsita, ad quæ tamen nescio quo livore prohibetur aditus? Leandri itaque fidei stabimus, donec clarius quid aliunde elucescat.

F. GERARDUS DE HANCINIS.

F. Gerardus de Hancinis vel *Ancinis* in sacra theologia magister a Lusitano Albertum Venetum proferente testem, laudatur ad 1312 florens: excipiunt Possevinus & nostrates Castillus Cent. 1 lib. 3 cap. 57 & Cent. 2 lib. 2 cap. 31, Razzius p. 293, Pius P. II, lib. 1 col. 138, Altamura ad 1301, qui omnes dicunt scripsisse
Commentaria in IV libros sententiarum.
Hunc Nicolaus le Febvre in suo *Prædicatore Carnuteo* suis asserere nititur Carnutensibus, contendens pro *de Hancinis* legendum *de Hanchiis*, quod oppidulum est non longe a Carnutibus situm, sed cùm de auctore deve opere certiora non proferat documenta hariolanti auscultare non placet. Venetiis apud SS. Joan. & Paul. in parte sinistra Pl. 1 recensetur
Gerardus in libros sententiarum MS fol. memb.
Et in alterâ parte Pl. 4
Fratris Gerardi ordinis Prædicatorum in libros ethicorum commentarius.

An hæc opera sint unius & ejusdem auctoris, & SÆC. XIV. rursus an sint hujus de Hancinis, vel alicujus sequentium, aut supra passim laudatorum discutiant hujus ædis sodales hîcque addant.

F. GERARDUS MINDENSIS.

F. Gerardus Mindensis a patria & professione sic nuncupatus, (Minda vulgo *Minden* civitas est Germaniæ in Saxoniæ & Westphaliæ confiniis ad fluvium Visurgim sita) laudatur a Laurentio Pignon, n. 27, & dicitur *bacchalarius in theologia & scripsisse*
Super Ecclesiasten, &
Super metaphysicam.
Meminit etiam cum laude Lusitanus anno quo floruit non addito. Altamura refert ad 1277 in Bibl. & in Append. notat a Possevino referri ad 1314, quod huic exciderit, quia Lusitanum excipiens, qui unâ de duobus agit isto Mindensi, & superius laudato Coloniensi, annum quem isti Coloniensi nominatim & singulariter affixerat, ad Mindensem etiam extendit. Nobis satis est ex Pignonio habere, hunc Mindensem ante annum MCCCC floruisse.

F. GERARDUS DE SILTEO.

F. Gerardus de Silteo laudatur a Ludovico de Valleoleti n. 57, & dicitur fecisse
Summam de astris, quam in tres partes distinxit.
Hinc certum hunc scriptorem ante MCCCCXIII claruisse. Is verò procul dubio ille est, quem *de Sileto* nuncupat Lusitanus idem opus ei asserens, ut & Altamura, cui visum est pro libito ad ann. 1291 collocare. Ubi jam extet Summa illa de astris mihi incompertum, jacet forsan nunc in Bibliothecæ cujusdam angulo neglecta, sed aliâs erat Parisiis in Sorbonica, nam in catalogo veteri ejus Bibl. seculi XIV etiamnum extante sic legitur: *Bancha V Vol. M. Quædam Summa de astris a Fratre Gerardo.* Pr. *A Domino Jhesu Christo.* Licèt enim non addatur *ordinis Prædicatorum*, quin idem sit de quo loquimur, titulus operis dubitari non sinit.

F. GIROLDUS.

F. Giroldus natione (sic in cod. Victor. Laurentii Pignon n. 74 oscitatione notarii omisso nationis nomine) scripsit
De naturis rerum.
Ex quo saltem habes ante MCCCC vixisse. Hunc auctorem cæteri nostri nomenclatores omnes omiserunt.

F. GREGORIUS TEUTONICUS.

F. Gregorius Teutonicus Viennensis quo ultimo patriæ nomine vulgo nuncupatur a nostratibus Leandro fol. 153 b, Lusitano, Pio, Fernandez, ab Altamura verò perperam ad 1491 collocatus, & insulsius a Guidone Allard Gratianopolitano inter scriptores Delphinatus p. 120 accensus, ab his omnibus antiquiore Laurentio Pignon laudatur n. 96 & dicitur Teutonicus, & scripsisse, quem & illi omnes memorant
Librum de eclypsibus solis & lunæ.
Quem propterea seculo XIV claruisse certum.

F. GRIADON.

F. Griadon Gallus Salyus seculo XIV vivens aut sequenti ineunte scripsit
Sermones super epistolas Dominicales.
Extabat anno MDCLXXXI mense maio apud no-

SEC. XIV. stros Massilienses codex MS memb. forma quarta parva a me tum visus & expensus. Pr.

Dominica I de adventu Dni a Fratre Griadon de ordine Prædicatorum. Nunc propior est nostra salus. Rom. 13. Prope est Dominus invocantibus illum. In Psalm. videmus ad sensum &c.

Gallum assero, quia in his sermonibus plures sunt parœmiæ passim Gallice dictæ, Salyum non alia ratione conjicio, quam quod in Bibl. nostra Massiliensi repererim, ex antiquitate verò codicis qui videtur seculi XIV, auctorem ad idem seculum collocare necesse est.

F. GUALTERUS BUCDENUS.

F. GUALTERUS BUCDENUS Anglus inter scriptores nostros recensetur a Pitseo in Append. p. 846 ex fide Bostoni Buriensis monachi anno 1410 scribentis, quem accuratissimum codd. MS Bibliothecarum Angliæ indicem scripsisse omnes fatentur, & in quo Gualterus hic dicitur sacræ theologiæ magister Oxoniensis & scripsisse

Quæstiones theologicas.

Ex his certum habetur ante MCCCC floruisse. Laudatur hic scriptor etiam a Simlero, & dicitur Gualterus de Boxedene professione Dominicanus.

F. GUIDO ARGENTINENSIS.

F. GUIDO ARGENTINENSIS Teuto a patria sic nuncupatus, Leandro, Lusitano & aliis nomenclatoribus nostris incognitus aut omissus, laudatur a Laurentio Pignon n. 84, & scripsisse dicitur:

Super physicam, ethicam, de anima, politicam & rhetoricam, supple, *Aristotelis*, qui proinde ante MCCCC floruerit.

F. GUIDO JORDANI.

F. GUIDO JORDANI nostris & exteris ut superior incognitus aut omissus recensetur hîc ex fide Tomasini in suis bibliothecis Venetis, ubi apud SS. Joan. & Paul. Parte altera Pl. IV refert servari codicem MS fol. memb. hoc titulo:

F. Guidonis Jordani ordinis Prædicatorum Legiloquium & Summa.

Cujas fuerit, quave ætate vixerit discutiant sodales ejus ædis, hîcque addant, Italum licèt & seculo XIV florentem conjicere sit proclive.

F. GUIDO TOLOSANUS.

F. GUIDO TOLOSANUS ab Altamura in indice recensetur, sed de eo nihil habet in sua bibliotheca: unde cùm homo sit aliis nomenclatoribus plane ignotus, ipsi etiam Percino in Monum. Tolos. erratum esse ejus qui indicem Altamuræ concinnavit, conjectu pronum.

F. GUIDO VIRMANUS.

F. GUIDO VIRMANUS de Avinio quidam laudatur ab Altamura ad 1375, quem excipere se dicit a Gozzeo, & Pio P. II lib. 2 col. 203 & scripsisse asserit

Summam de virtutibus & vitiis.

Qui scriptor non parum mihi dubius est, cùm de illo sileant cæteri tam nostrates quam exteri, nec ubi opus allatum habeatur indicent. Lusitanus in chronico ad decadem 1440, cujusdam F. Guidonis meminit prioris Avenionensis, quem vitæ regularis præstat instauratorem strenuum fuisse, & ideo Joannes Mahuet noster in Prædicatorio Avenionensi p. 112 Lusitanum exceperat, sed emendat postea p. 118 ex actis domus, Guidonem sacræ theologiæ magistrum asserens munus prioris tribus tantum circiter annis egisse ab anno MCCCCXXIII ad CCCCXXVI. Præterea si de hoc Guidone Gozzeus & Altamura loquerentur, non *de Avinio*, sed *de Avinione* vel *de Avignone* nuncuparent. Itaque penes illos fides.

F. GUILLELMUS.

F. GUILLELMUS patria ignotus a nostris laudatur Lusitano, eumque excipientibus Pio, Fernandez, & aliis ceu qui claruerit ad 1295, ab Altamura verò memoratur & ad 1295 & ad 1321. Certum ante MCCCC vixisse, nam ejus meminit Ludovicus a Valleoleti, qui anno MCCCCXIII scribens, sic de eo habet n. 35: *F. Guillelmus fecit*

Notabilem Summam theologiæ de dictis Sanctorum doctorum, quam in decem libros distinxit, ut patet in prologo ejusdem operis, quod vocatur Florigerus theologiæ.

Qui loquendi modus indicat opus a Valleoletano visum apud Sanjacobæos Parisienses, apud quos agebat, cùm hæc scriberet. Latet verò jam in cujusdam bibliothecæ angulo a nata typographia neglectum. Ejus tamen quædam compendia aut excerpta mihi occurrerunt, ni fallor.

Apud Augustinianos Parisienses ad pontem novum n. 240 est opusculum quoddam, cujus hoc initium: *Incipiunt quædam dicta Augustini excerpta de libello qui dicitur Florigerus super vitia & virtutes. Quis est Deus cap. 1 lib. Confess. 1. a D mihi, Domine, scire & intelligere quid sis &c.* Sequuntur mixta ex Chrysostomo, Bernardo, Augustino: sunt tantum folia V.

Aliud compendium extat in Sorbon. cop. 1075 memb. in 8 charactere minutissimo. Prologus sic incipit: *Quorumdam librorum gloriosi & incomparabilis doctoris Augustini tractatus percurrentes &c.* Finis prologi: *Hunc ergo librum Florigerum appellamus.* Caput 1: *Quid est Deus?* &c. ut in Augustin. Istud tamen compendium ex solius Augustini floribus concinnatum.

In elencho codd. MS Belgii parte I p. 141 n. 33 recensetur *Florigerus* cum eodem prologo Sorbon. & T. II p. 111 n. 2 *Liber Florigerus.* Pr. *Da mihi Domine scire & intelligere.*

Ejusdem tituli *Florigerus*, varia exempla recensentur in Catal. Angl. T. I, P. I n. 1846, P. III n. 1757: T. II, P. II n. 371, quæ curiosi expendant.

Fallitur Possevinus cùm hunc Guillelmum eumdem censet cum eo quem Lusitanus nuncupat *de Conneo* vel *Cuneo* corrupte: hunc enim supra ad ann. 1388 *de Gannato* recte dicendum monuimus aliorum operum auctorem, sed non *Florigeri.*

F. GUILLELMUS LOMBARDUS.

F. GUILLELMUS LOMBARDUS an a familia an a natione sic dictus laudatur a Laurentio Pignon n. 42, & scripsisse dicitur

Postillam super Dionysium tom. an totum?

Item super Boetium de consolatione.

Qui proinde ante annum 1400 floruerit, nec alia hujus aliunde mihi notitia.

F. GUILLELMUS A THENIS.

F. GUILLELMUS A THENIS Belga Brabantus a loco suæ originis agnomen sortitus, Brabantiæ ad Lovanium oppido, quod Thiena Latine vel Thenæ, incolis vulgo *Thienen & Thienoven*, Gallis *Tillemont* dicitur ad Getam fluvium, laudatur a Johanne Bunderio in suo catalogo codd. MS

Belgii, quem citant Swertius in Athen. Belg. Valerius Andreas Bibl. Belg. & Ghilbertus de la Haye Bibl. Belgo-Dominic. Scripsit

Commentarium in IV *libros sententiarum.* Vidit Bunderius apud Augustinianos Lovanienses. Hinc seculo XIV vel sequente ineunte claruisse conjectu pronum.

F. HERMANNUS DE TERBBEC.

F. HERMANNUS DE TERBBEC Teutonicus laudatur a Laurentio Pignon n. 69 ceu qui scripserit

Postillam super Cantica.

Nullus dubito quin hic, ille idem sit, quem Leander fol. 137 a, vocat *Hermannum de Terroisit* & inter Teutones numerat. Lusitanus Leandrum emendans, sed in alium errorem impingens nuncupat *de Trivisio*, & ex inde allucinati sequaces, Altamura ad 1406 *Tarvisanum*, Rovetta ad 1396 *de Trevisio*, Possevinus *Tarvisinum* appellant, sicque Italum faciunt, quem Laurentius Teutonicum præstat. Error Leandri non aliunde natus videtur, quam ex difficultate legendi codicem MS sibi propositum, ut quotidie usu venit. In cod. Victor. Laurentii legitur *Cerbbec* vel *Terbbec*, norunt enim periti, quanta sit in MS vicinitas litterarum *c* & *t*. An fortè Hermannus sic dictus a castro illo ad Treviros munitissimo, quod Trarbach nunc dicunt?

F. HERMANNUS TEUTONICUS.

F. HERMANNUS TEUTONICUS alter a Laurentio Pignon recensetur n. 78, & dicitur scripsisse opera sequentia:

Liber de ascensu cordis.

Distinctiones super Cantica.

Tractatus de arte prædicandi.

Hic scriptor ille est, qui a Leandro nomen ejus nesciente dicitur fol. 137 a, N. Teutonicus, & a Lusitano Leandrum non rectè interpretante, Nicolaus Teuto, quem excipiunt Possevinus ad 1355 collocans, & Altamura qui cum Pio prorogat ad 1501 centum certò & amplius annis antiquiorem. Alvam non moror in suo *Pleytos de los libros* p. 178 de allucinatione Lusitani & sequacium ridentem, illosque de conversione elementi N in Nicolaum suggillantem, insulsam enim irrisionem nemo paulo sapiens non judicet. Sed quod boni habet Alva, id non piget accipere. Dicit itaque se Lovanii apud Patres S. I. in volumen Leandri incidisse, ad cujus marginem manu antiqua & Germanica, (hanc putat *Hentenii*, quod ægre crediderim, Hentenius enim nec Germanus fuit, sed Brabantus in Hispania educatus, nec tum antiquus: ut ut sit, sive Hentenii fuerit, sive quod proclive cujusdam Teutonis antiquioris) scriptum legit: *Nomen proprium istius N Theutonici est Hermannus Oorwist.* Quod cum allatis ex Laurentio Pignon manifestè convenit. Quod verò addit ibidem Alva Hermannum hunc *Oorwist* eumdem esse cum Hermanno, quem Leander nuncupat *de Terroisit*, & nos modo supra emendavimus monendo legendum *de Terbbec*, id probari nequit, cùm non solùm Leander, sed & Laurentius Pignon ambos clarissime distinguat.

F. JACOBUS FIRMIANO.

F. JACOBUS FIRMIANO an a patria sic dictus, vel a Firmio seu Firmo vulgo *Permo* urbe Piceni archiepiscopali, vel a Firmanorum castello vernacule *Firmiano* Piceni castro ad Firmium teste Ferraria, aliis nostris nomenclatoribus ignotus laudatur a Laurentio Pignon n. 61 ceu qui scripserit

Tractatum de antepredicamentis.

Item de tempore & de festis sermones.

F. JACOBUS DE HUGO.

F. JACOBUS DE HUGO ordinis Fratrum Prædicatorum scripsit

Sermones de Sanctis.

Codex MS extat apud nostros Claromontanos in Arvernia, & cùm dicatur *ex dono F. Nicolai de Sancto Saturnino cardinalis*, patet scriptorem hunc ante MCCCC vixisse ac claruisse.

F. JACOBUS JANUENSIS.

F. JACOBUS JANUENSIS proindeque Ligur & domus S. Dominici Januæ alumnus, aliis itidem nostris ut & exteris ignotus laudatur ab eodem Laurentio Pignon n. 83 & scripsisse dicitur

Librum de modo sciendi.

F. JACOBUS METENSIS.

F. JACOBUS METENSIS & hic aliis nostratibus ignotus recensetur ab eodem Laurentio Pignon n. 54, & dicitur scripsisse

Lecturam super sententias.

F. JANNIUS DE PISTORIO.

F. JANNIUS vel *Rannius* DE PISTORIO Etruscus & hic nostris & aliis ignotus ab eodem Laurentio n. 68 numeratur, ceu qui scripsit

Super sex principia, super libros de cœlo & mundo, & de unitate formarum.

F. JOANNES DE ANETO.

F. JOANNES DE ANETO Gallus ab origine sic nuncupatus (Anetum vulgo *Anet* modicum est Carnutensis diœcesis oppidum, regia tamen arce ab Henrico II Franciæ rege erecta nobilitatum) ibidem inquam natus Joannes, Carnutis ordini nomen dedit, & circa initia seculi XIV claruit, si fides Nicolao *le Febvre* domus nostræ Carnotensis rerum curioso scrutatori in suo Prædicatore Carnuteo p. 158, ubi asserit in Bibl. ejus domus servari etiamnum codicem MS hujus Joannis hoc titulo:

Concordantiæ. Sunt sermones ab eo concinnati.

In actis cap. gen. anno MCCCCLXV Senis coacti fit mentio cujusdam F. Johannis de Aneto provinciæ Franciæ, qui assignatur ad legendas Parisiis sententias in magnis scholis pro secundo anno intraneis, id est provinciæ Franciæ sodalibus debito, casu quo F. Robertus de Crequy conventus Audomarensis nationis Picardiæ hunc locum implere non possit. An erratum sit apud Nicolaum citatum in anno, & ad seculi XIV initia retulerit qui vergente tantum seculo XV floruerit disquirant gentiles.

Alva Sol. Verit. Rad. 351 col. 2160 citat codicem Bibl. Victor. aliâs n. 582, in quo habentur variorum quæstiones super libros sententiarum, & inter alios cujusdam *F. Joannis de Alneto a Jacobo Parisiensi*, fortè legendum *a S. Jacobo*, cujus & quædam Alva exscribit, quæ habentur codicis fol. 217. Hujus verò non meminit Alva, nisi quia nostrum censuit, & conjectu proclive, sed hunc alium a priori laudato existimaverim: *Alnetum* enim vernacule *Lannoy* ubi abbatia Livriacensis, diœcesis est Parisiensis, sicque erit alter scriptor vergente seculo XIV clarus.

Sec. XIV.

F. JOANNES DE BIBLIA.

F. Joannes de Biblia, vel *Bibbia*, vel etiam *Bublia*, quam varietatem in variam Italorum pronunciationem, vel etiam in notariorum non satis accuratam cognominum orthographiam refundas, Bononiensis fuit patria & professione sacræ theologiæ magister, citatur a Bandello tractatu de concep. B. V. quem excipiunt Leander fol. 139 b, Lusitanus, Pius, Fernandez, Altamura ad 1452, & Rovetta ad 1300 sesquiseculo prius. Scripsisse dicitur

Quodlibeta theologica XXVIII.

Sermones ad clerum.

Collationes breves quas habuit in communionibus Fratrum.

Quod hic Joannes a Bandello dicitur magister Parisiensis, non intelligas quasi fuerit in ea facultate laurea donatus, neque enim ejus nomen in catalogo post Bernardum Guidonis ad ann. MCCCLXVIII aucto, neque in actis facultatis ab anno MCCCLXXIII & deinceps legitur: sed latiori ratione qua plures ab eodem Bandello dicuntur magistri Parisienses, quod pro rata suæ provinciæ Parisios studentes honoris missi, indeque ad suos reversi, primarii lectores & regentes in studiis generalibus ponerentur, sæpiusque a summo pontifice ad magisterium promoverentur. Etsi autem dubitari non possit, quin ejus quodlibeta præ manibus habuerit Bandellus, siquidem ipsissima auctoris verba refert, quæ enim illi fingendi necessitas, cui hoc deficiente innumeri alii in promtu aderant eadem sentientes, diligentiæ tamen suorum gentilium non parum deberetur, si an opera laudata etiamnum vel in bibliotheca Bononiensi, vel alibi habeantur, quærerent nosque docerent. Hinc enim ejus ætas certius statueretur, quam alii tacent ut Leander & Lusitanus, alii varie referunt ut Pius, Altamura & Rovetta, & quæ mihi potius ad annos ante schisma Avenionense revocanda videretur. Sed de his plus jam satis. Alva Sol. verit. Rad. 254 col. 1615 suo more litem de hoc auctore Bandello movet, cujus objectis jam ex parte factum satis. At quod addit nullam esse in indice Bunderii hujus Joannis memoriam, jam passim supra monuimus non omnium Europæ bibliothecarum, sed solius Belgii regionumque adjacentium indicem a Bunderio susceptum.

F. JOANNES DOMINICANUS.

F. Joannes Dominicanus a professione sic nuncupatus a Georgio Colvenerio laudatur Kalendarii sui Mariani T. II ad diem XV augusti n. 24 fol. 119 b, & dicitur scripsisse

Vitam B. Margaritæ contractæ.

Hujus Colvenerius fragmentum scilicet cap. 39 refert, eamque MS integram se vidisse testatur. In Actis SS. T. VII junii in Ephemeridibus in Tomum III martii, ad diem XXII, fit mentio dictæ Beatæ, & ejus vitæ a confessario Dominicano scriptæ.

F. JOANNES EVANGELISTA.

F. Joannes Evangelista Italus vernacule *Zuanne d'Evangelista* inflexione vocis genti solita dictus, cujus patriam, professionis domum ac ætatem hactenus retegere non licuit, docebuntque forsan aliquando gentiles & hîc addent, quem tamen ad seculum XIV aut XV ante natam typographiam collocandum censuerim, hæc posteris reliquit ingenii, pietatis, ac doctrinæ monumenta, Venetiis apud S. Franciscum a Vinea servata MS, & a Tomasino in suis bibliothecis Venetis recensita:

Espositione sopra l'epistola I. di S. Paolo alli Corinthi di Frà Zuanne dell' ordine de' Predicatori.

Opera de' sette peccati mortali di Fra Zuanne d'Evangelista.

F. JOANNES DE FANO.

F. Joannes de Fano Italus a patria quæ civitas est episcopalis in Umbria seu Piceno ad mare Adriaticum sita Fanum Fortunæ ab antiquis dicta nuncupatus, nostri ibidem conventus alumnus, provinciæ tum Lombardiæ inferioris, a Rovetta ad ann. 1279 dicitur claruisse ex fide Hottonovi in suis notis ad vitas illustrium virorum a Michaele Pio laudatorum & ex Vincentii Rivalii schedis. Certo vixit ante annum MCCCC cùm ejus ut juris canonici peritia sua ætate insignis, meminerit Laurentius Pignon n. 77 his totidem verbis: *F. Joannes de Fano Lombardus scripsit*

Summam juris.

Item tabulam super Decretales.

Haud dubie ille idem est, qui a Simlero scribitur *Joannes de Fanno ord. Prædic.* & quem corruptius indicat fortè legendum *de Faucona*, & cui hæc eadem opera asserit ex Matthæo Dressero qui codices MS Germaniæ, Thuringiæ præsertim & Misniæ scrutatus est, ac proinde laudata opera cùm recenseat, alicubi in Germania MS viderit.

F. JOANNES DE GALLICIS.

F. Joannes de Gallicis quidam laudatur a Bandello tract. de conc. B. V. cap. 23, ceu qui scripserit & posteris reliquerit

Sermones de adventu. Quorum primus & secundus ab eo citantur.

An is sit diversus & distinctus a Gallis pluribus hujus nominis *Joannis* hactenus passim laudatis, an idem cum eorum aliquo, dubius hæreo. Idem de sequenti.

F. JOANNES GALLICUS.

F. Joannes Gallicus quidam a Fernandez recensetur ad 1295 clarus, testisque profertur Possevinus, apud quem tamen mihi non occurrit. Hic Joannes, inquit Fernandez, scripsit

Commentarium super IV sententiarum libros.

Opusculum de principio individuationis.

Aliud de unitate formæ.

F. JOANNES SANANTINUS.

F. Joannes Sanantinus Lombardus natione laudatur a Laurentio Pignon n. 38, scripsisseque dicitur

Librum de unitate formarum.

Qui proinde ante MCCCC floruerit. Ejus verò apud alios nomenclatores seu nostrates seu exteros nulla mihi occurrit memoria.

F. JOANNES SOMERETON.

F. Joannes Someretom Anglus domus nostræ Norwicensis alumnus sacræ theologiæ baccalaureus laudatur a Simlero ex catalogo Bibl. Londinen. & ex eo a Possevino, Pitseo & Altamura ad 1555, quem tamen seculis præcedentibus floruisse hic putat. Scriptum a se reliquisse dicunt

Sermonum per annum volumen. aliâs MS apud nostros Londinen. servatum.

F. JOANNES

F. JOANNES TAURINUS.

F. JOANNES TAURINUS vel *de Taurino* hic recensetur ex fide Thomæ James in sua Ecloga codd. MS Angliæ p. 107, ubi refert haberi Cantabrigiæ in gymnasio Caii & Gonelli n. 71 codicem hoc titulo:

Auctoritates Sanctorum collecta per Fratrem Johannem de Taurino de ordine Fratrum Prædicatorum.

In catal. Angl. idem opus recensetur T. I, P. III n. 843 sic: *Auctoritates Sanctorum collecta per Fratrem Johannem Taurinum. Liber continens dicta & sententias Patrum ad certa capita redactorum.*

Cujas fuerit, etsi Pedemontanum & ex Taurino Pedemontii urbe principe suspicer, Italos enim in Angliam ad studia generalia frequenter missos seculis XIV & XV annotavi, satius est alteri otiosiori disquirendum permittere.

F. JULIUS DACUS.

F. JULIUS DACUS sic enim a Laurentio Pignon n. 101 nuncupatur, ille idem est quem Leander fol. 137 a, vocat *Tullium Dacum*, Lusitanus verò *Julium* vel Tullium Dalmatam annum quo claruit non addens, Altamura Lusitanum excipiens ad 1470 amandavit, sed quem ad seculum XIV revocare necesse est, & ante annum MCCCC floruisse constat, siquidem Laurentius Pignon ejus meminerit: & cùm Dacum idem præstet, quo nomine apud nos intelliguntur Dani, Sueci, Norwegi, qui longius a Dalmatia dissident, antiquam ordinis provinciam Daciæ dictam, & ante exortum Lutherum florentissimam insigni suo sodali privare justum non videtur. Scripsit & posteris reliquit teste Laurentio, cui cæteri astipulantur:

Lecturam super XII prophetas minores.
Item tractatum de potentiis animæ.

F. MARTINUS DE SOLETA.

F. MARTINUS DE SOLETA Helvetius sacræ theologiæ magister in facultate Coloniensi promotus hic recensetur ex fide Lucarini apud Fontanam in Monum. Dominic. pag. 224, ubi dicitur ad ann. MCCCLIV floruisse, ac adversus hæreticos sui temporis grande volumen scripsisse

De catholica fidei veritate.

Quapropter a Nicolao V summo pontifice Chrispolitanus episcopus promotus fuerit, & episcopo Basileensi suffraganeus datus. Quorum apud me plurimum nutat fides, tum ob anachronismum intolerandum hic prolatum: Nicolaus enim V non anno citato, sed seculo integro postea sedit, nempe ab anno MCCCCXLVII ad MCCCCLV, tum quia Ecclesia Chrispolitana in notitiis nullibi occurrit. Discutiant igitur quibus ad manum sunt acta pontificia, an hic Martinus ad annum circiter MCCCCL revocandus, & an pro *Chrispolitanus* episcopus, legendum *Christopolitanus* vel *Chrysopolitanus*?

F. MATTHÆUS RIPENSIS.

F. MATTHÆUS RIPENSIS laudatur a Laurentio Pignon n. 102 & scripsisse dicitur

Sermones de tempore & de Sanctis.

Qui proinde ante ann. MCCCC floruerit: cùm autem duplex sit Ripa, altera in Jutlandia regni Daniæ ad fluvium *Nipsaa* vulgo *Ripen*, civitas episcopalis, ubi aliàs domus ordinis: altera in Piceno Ripa Transonia dicta, ubi etiam domus ordinis jam olim provinciæ Lombardiæ inferioris, alterutrius fuerit Matthæus hic alumnus, Danum tamen potius & provinciæ Daciæ sodalem censuerim.

F. MICHAEL DE STELLA.

F. MICHAEL DE STELLA gente mihi ignotus laudatur a Tomasino in suis Bibliothecis Venetis & ordinis Prædicatorum dicitur, ejusque servati

Sermones MS apud SS. Joan. & Paul. Plut. IV.

Ibidem indicatur alium ejusdem nominis floruisse apud Minores conventuales, cujus tamen Wadingus non meminit. Est in regno Navarræ urbs *Stella* dicta indigenis *Estella* Pompelonem inter & Logronium media, ubi antiqua ordinis domus, an exinde ortus hic scriptor?

F. PETRUS DOMINICANUS.

F. PETRUS DOMINICANUS sic dictus in catalogo Bibl. Colbert. non aliunde mihi notus est, quam ex ipso ejus opere quod in ea servatur n. 2934. Codex est fol. mag. memb. tres uncias spissus. Titulus:

Incipit explanatio seu commentum libri totalis Valerii Maximi per Fratrem Petrum ordinis Prædicatorum editum.

Primum caput primi libri de religione. Romani cùm primos Deos colerent &c.

Finis: *Per ipsam namque religio veritatis tuetur, & ipse Deus justo servitio colitur, in cujus cultu sincero æterna vita promittitur in secula seculorum. Amen.*

Explicit explanatio sive commentum super librum totalem Valerii Maximi per Fratrem Petrum ordinis Prædicatorum.

Quæ omnia eadem manu, quæ totum codicem exaravit, & mihi visa est seculi XIV, quo proinde vixerit auctor. Cujas autem fuerit, ex nullo capite deprehendere potui, idque otiosioribus disquirendum permitto.

F. PETRUS GALDINUS.

F. PETRUS GALDINUS Italus Bononiensis patria & professione citatur a Bandello tract. de concep. B. V. ex quo excepit Lusitanus & sequaces ad Altamuram, qui pro libito collocat ad 1466, Rovetta verò cum aliis ad 1465, etsi Lusitanus annum quo floruerit non indicet. Mihi autem antiquior videtur, & ad seculum XIV aut sequentis initia vixisse. Extant Venetiis apud SS. Joan. & Paul. Pl. IV a Tomasino visi & recensiti in Bibl. Venetis

Sermones F. Petri Gandinis ordinis Prædicatorum MS *in 4 memb.*

Iterum F. Petri Galdini sermones MS *in 4 memb.* sed isti cum aliis aliorum inter quos est F. Bonaventura, compacti.

Alva. Sol. Verit. Rad. 156 col. 1618 omnem lapidem movet, ut hunc Petrum auctorem probet a Bandello fictum, ceu cujus, inquit, nulla est apud alios ullibi memoria. At non novum est Alvam negare quæ sunt luce clariora. Ipsemet bibliothecas Tomasini Venetas & Patavinas non raro laudat, si in iis sermones Galdini recensitos non vidit, certo videre noluit.

F. PETRUS HERP.

F. PETRUS HERP Teuto Francofurti ut conjicio natus & ordinem amplexus scripsit

Chronicon Francofurtense.

Vidit Henricus Spelmannus, & ex eo quædam excepit in Glossario suo Archaiologico edito Lon-

Sec. XIV. dini apud Aliciam Warren 1664 in fol. Videsis vocabulo, *Frigdora*. Meminit etiam Hallervordius in suo de Historicis Latinis Spicilegio, edito Jenæ, Joan Nisii 1672 in 8.

F. REIND ANGLUS.

F. Reind Anglus laudatur in catal. Angl. T. II P. I n. 10009 ut cujus extent in Bibl. D. Symonds d'Ewes baronetti

Collectiones theologicæ & morales Reind Fratris ordinis Prædicatorum.

Nec alia mihi hujus scriptoris notitia.

F. ROBERTUS ANGLUS.

F. Robertus Anglus, ille idem qui Rupertus Anglus a Sixto Senensi dicitur, ab aliis *Jorius* sive *Ivorius* nuncupatur, in duos primum ab Altamura perperam divisus, quorum unum ad 1352 in Append. collocat, alterum ad 1453 ascribit; sed errorem ipse suum agnoscit, & eumdem fatetur. Major nobis est difficultas cum F. Petro-Lucio Carmelita, qui suorum auctorum catalogum colligens, Jorium non solum suis vindicat, sed & eum esse contendit, quem Sixtus Senensis *Rupertum Anglum* nuncupat, & ordinis Prædicatorum sed errans inquit Lucius, diserte asserit. Quæ tamen ambages facili negotio solventur. Jorium itaque suum habeant Carmelitæ, quem ad annum 1391 Eyseingrenius, non 1306 ut habet Possevinus errato fortè typorum, ad 1392 verò Pitseus collocant, & operum auctorem his titulis:

Enarrationes in Ecclesiasticum.

Sermones ad populum.

Monumenta suæ provinciæ. Hactenus Eyseingrenius.

Lectura scripturarum. Has addit Possevinus.

Commentarium in Apocalypsim. Sic Pitseus.

De his nulla nobis sit cum Carmelo contentio. At Carmelus viceversa nostrum nobis non invideat Robertum vel Rupertum Anglum sive Jorium sive Ivorium appellare placeat, cujus sunt

Commentarii in Job, Danielem, Matthæum, Lucam & Joannem in bibliotheca nostra Bononiensi MS servati teste Sixto Senensi, & quales Ivorio Carmelitæ nemo tribuit.

F. SIMON.

F. Simon natione (hîc lacuna est in cod. Victor. Laurentii Pignon quem hîc excipio) scripsit

Librum de naturis rerum.

Quem exinde ante annum MCCCC floruisse colligas.

F. STEPHANUS POLONIACI.

F. Stephanus Poloniaci laudatur a Sixto Senensi, qui & Gallum præstat & scripsisse opus a se visum MS apud Lugdunenses nostros scilicet

Commentarium in evangelium Joannis. Pr. *In manibus abscondit lucem.*

Quo anno vixerit non addit Sixtus Senensis, nec Lusitanus eum excipiens: Altamura pro libito ad 1297 collocat, quæ probant incertam ejus ætatem, & ut ad finem seculi XIII sic & ad XIV & initia XV posse referri. Possevinus censet pro *Poloniaci*, legendum *Polacus*, quasi fuerit *Polonus*, cui assentiri non possum, cùm *Gallum*, qui opus vidit Sixtus Senensis asserat: sed si quis conjecturæ locus, *de Poliniaco* potius legendum putarim, ab eleganti illo nimirum comitatus Burgundiæ oppido vernacule *Poligni*, ubi insignis est ordinis domus provinciæ Franciæ anno MCCLXXI ab Alixia Sabaudiæ & Burgundiæ comitissa Palatina erecta, quæ plures illustres ab eo anno ordini viros protulit.

F. THOMAS CLAXTON.

F. Thomas Claxton Anglus, cujus apud nostros nulla memoria, nisi forte ex iis ille sit quos bene multos nobis exhibent vago Thomæ Anglici vel Angli nomine personatos, sacræ theologiæ doctor fuit Oxoniensis, & conventus sancti Botulphi alumnus, & utrobique sacras e superiori loco docuit literas. Scripsit

Commentaria in quatuor libros sententiarum: quorum scriptum in primum recensetur in catalogo codd. MSS Angliæ T. I P. I I n. 793, & apud Thomam James in Eclog. Oxonio Cantabr. pag. 105 scilicet in colleg. Cai. & Gonelli n. 146, cujus titulum sic refert, *scriptum D. Thomæ Claxton ord. Prædic. sacræ theologiæ doctoris in primum librum sententiarum.* Sed opus integrum extabat Florentiæ in Bibliotheca S. Mariæ Novellæ anno 1681 mense augusto a me visum & exploratum voluminibus duobus in fol. mag. membr. In primo ad finem primi scripti sic legitur: *Explicit scriptum Fratris Thomæ Claxton ord. Prædic. sacræ theologiæ professoris super primum sententiarum in Oxoniis inchoatum, & in conventu suo originali Sancti Botulphi consummatum. Laus Deo Patri cum Filio Sanctoque Flamini, qui sua bonitate scriptorem adjuvit ad finem istius produ enao.* Sequitur: *Incipit scriptum prænotati doctoris super secundum librum sententiarum, cujus finem operatur Pater misericordiarum.* Ad calcem hujus 2 scripti: *Laus tibi bone Jesu pro completione præsentis operis.*

Alterum volumen hunc habet titulum: *Incipit scriptum venerabilis magistri Thomæ Claxton ord. Præd. super tertium sententiarum.* Et ad calcem: *Explicit scriptum F. Thomæ Claxton doctoris ordinis Fratrum Prædicatorum super tertium sententiarum.* Et subditur: *Sequitur vero scriptura ejusdem super quartum sententiarum.* Et in fine sic: *Expliciunt quæstiones de sententiis quatuor librorum sententiarum secundum venerabilem magistrum Thomam Claxton ordinis FF. Prædic.* Subjiciuntur nullo prænotato auctoris titulo

Quodlibeta. Quæ cùm habeantur eodem volumine, eademque manu scripta, eodemque prorsus stylo & methodo, videntur & ejusdem esse Thomæ Claxton, cujus sunt præcedentia.

Qua porro vixerit ætate vel obierit, vel quæ in ordine munia vel etiam extra præclare gesserit, quidve præterea scripserit, assequi nondum potuimus: seculo tamen XIV decurrente claruisse in Anglia ex charactere codicum conjicimus. Notandum autem ad caput primi voluminis Florentini sic legi secunda manu & recentiore: *Istum librum posuit in catenis Frater Augustinus Thomæ de mandato magistri Laurentii ejus fratris germani de Gherardinis. Emit autem hoc & quod prope est huic consimile volumen, dum esset in Anglia pretio ducatorum quinquaginta. Quisquis legerit hæc, pro illo fundat preces ad immortalem Deum.* Ex his saltem discimus qua circiter ætate duo isti codices Florentiam allati fuere & in bibliotheca S. Mariæ Novellæ repositi: nam ut habet Badius noster in suis Constitutionibus universitatis Florentinæ pag. 113 F. Laurentius Gherardinus Thomæ filius laudatus, juvenis in Gallia primum tum in Anglia studia exegerat, & anno MCCCCLV die IV idus augusti magister laureatus Avenione, a filia non ut habet Badius sorore Renati Siciliæ regis Margarita Angliæ regina Henrici VI uxore allectus est conscientiæ arbiter: quo in munere multa in obsequium amborum præclare gessit, tumultuante tum adversus regem tota fere Anglia. At victo tandem Henrico VI, & ab Eduardo IV in vincula conjecto, reginam cum filio in Galliam secutus est, sedulamque ei operam præstitit, donec nulla recuperandi regni

spe affulgente ab eadem dimissus, Florentiam ad suos rediit, apud quos jam agebat anno MCCCCLXX quo pridie idus junii collegio doctorum universitatis aggregatus est, & post varia regiminis seu suæ domus seu etiam totius provinciæ Romanæ munia, pie tandem obiit XX augusti MCCCCXCIII ætatis LXXII. Hos itaque codices F. Augustinus Laurentii germanus emerit in Anglia anno circiter MCCCCXLV, quo ambo Oxonii theologiæ operam dedisse videntur, & circa annum ejus seculi LXX in bibliotheca S. Mariæ Novellæ Florentina reposuerit.

F. THOMAS TEUTO.

F. Thomas Teuto hîc recensetur ex fide Lusitani, qui ejus ætatem ignoravit, sed scripsisse testatur.

De corpore Christi in sacramento altaris.

De corpore Christi mortuo.

De generatione lucis, de tempore & de Iride.

Libros multos de origine rerum, quos aliqui inquit Lusitanus, *arbitrantur esse qui de Proprietatibus rerum scribuntur, & sub titulo Bartholomæi Anglici circumferuntur.*

Excipiunt Pius P. II lib. I col. 121, Fernandez, Altamura ad 1303. Certo falluntur, qui opus *de Proprietatibus rerum* hujus Thomæ arbitrantur fœtum esse. Videsis supra seculo XIII inter falso nostris ascriptos, *Bartholomæus Anglicus.* Quantum verò ad hunc scriptorem plus lucis desiderarem, cùm nulla ejus mihi apud nomenclatores Lusitano antiquiores occurrat memoria.

F. THOMAS DE VIRDUNO.

F. Thomas de Virduno sic a patria in finibus Franciæ & Lotaringiæ, vel ab alio celebri oppido ad Ararim in confiniis utriusque Burgundiæ Virduno vel Viroduno etiam dicto nuncupatus, recensetur hîc ex fide Laurentii Pignon, qui de eo sic habet n. 80: *F. Thomas de Virduno patriarcha scripsit*

Postillas super epistolas Pauli, scilicet ad Romanos, ad Corinthios, ad Ephesios, & super insequentes ad Hebræos.

Nec alia mihi hujus aliunde notitia, nec qua ratione patriarcha dicatur, nec qua ætate certo vixerit, nisi quod ante ann. MCCCC floruerit, cùm ante hunc annum scriberet Laurentius. Sodalium Virdunensium vel Divionensium diligentiæ est, an non hujus scriptoris supersit apud eos quoddam monumentum, & hîc addere.

FF. VINCENTIUS DE MARUEGIO & ANDREAS.

FF. Vincentius de Maruegio & Andreas ejus socius unà necessario laudandi, non solùm ob intimam eorum ad se invicem necessitudinem, sed & quod eorum quæ in manus meas venerunt scripta, unà compacta sint, adeo ut de uno loqui non possim, quin simul alterius fiat mentio. Maruegium seu Marologium insigne est oppidum Galliæ in tractu Gabalensi (*Maruegos* aut *Marojols* vel potius *Marogiols* vernacule dicunt,) ubi domus ordinis jam ab anno MCCLXXXI erecta, provinciali Provinciæ ab initiis & etiamnum subjecta: exinde haud dubie natus erat & ibidem professus Vincentius, ideoque sic nuncupatus, sacræ theologiæ magister, & celebris verbi Dei præco, per illas regiones & vicinas discurrens, ut populos ad Christiane pieque vivendum alliceret. Andreas socius ejus fuit ipse etiam theologiæ magister, Vincentio ubique comitem individuum se præstans, & vicissim etiam conciones habens. Ambos sub finem seculi XIIII aut initia sequentis claruisse conjiciebam ex dicendis.

Nempe in Bib. Navarr. duo sunt codices MS: unus fol. par. pergam. & papyr. alter in 4 par. papyr. scriptorum in iis contentorum indicem dare placet. Sæc. XIV.

In priori hæc ex ordine habentur: I. *Postilla supra epistolam ad Titum ordinata a F. Johanne de Hisdinio ordinis hospitalaliorum S. Johannis in Hierusalem & doctoris in sacra theologia, anno Dñi* MCCLXII. Pr. *Erudi filium & refrigerabit te.*

II. *Sermones quadragesimales* sub hoc titulo: *Incipit tractatus de reparatione lapsi. Circa tractatum de reparatione lapsi, tria sunt videnda, & secundùm hoc habebit tres distinctiones &c.* Sermones omnes super evangelia quadragesimæ adaptantur ad parabolam adolescentis prodigi. Auctor non nominatur, sed supra ubi de Johanne de Molendinis magistro ordinis XX ad 1349, opus hujus tituli ei asseri annotavi, an istud sit, etsi probabile, affirmare non ausim.

III *Sermones super* Pater noster. Pr. *Scribuntur Matth.* VI *& sunt verba Christi dicta apostolis quando dixerunt ei*, Domine, doce nos orare: *Dixit eis Christus: Cùm oraveritis dicite* Pater noster. *Omnes enim tam populi quam reges dicunt* Pater noster. *Unde debemus eum vocare patrem propter quatuor*, 1 *ratione creationis*, 2 *ratione redemtionis*, 3 *ratione generalis conservationis*, 4 *ratione nostræ salvationis &c.* Finis: *Et sic completi sunt novem sermones de Pater noster, in quo continentur novem petitiones &c. a quo malo æterno Christus nos defendat, & ad gaudia æterna paradisi nos perducat, qui vivit & regnat &c. Expliciunt sermones super* Pater noster. *prædicati Avinione per reverendum magistrum Andream ordinis Prædicatorum socium magistri Vincentii de Maruegio* (vel *Mareugio.*)

IV. *Sermones de Ave Maria.* Pr. *Ave exaratum originaliter Luc.* I *& recitative in evangelio* Missus est, *verbum est Gabrielis archangeli, & voluit tantum dicere: Dieu te sault Vierge, qui a de grace abondance, car par ta grande humilité, & ta doulce innocence, la benoite Trinité, en toy fait sa demourance &c.* Finis: *Expliciunt sermones novem super* Ave Maria *per R. M. Andream ordinis Prædicatorum socium magistri Vincentii, & hoc in Avinione anno & die supradictis.* Hæc innuunt quid jam in codice deesse, ubi annus & dies aliàs notabantur, nam jam nullibi apparent.

V. *Sermo de vita Christi repræsentata in missa solemni, factus in civitate Mortana per magistrum Vincentium.* Pr. *Quodcunque dixerit vobis, hoc facite. Jo.* II. *Inter omnia bona & utilia & necessaria ad nostram salvationem, quæ possumus facere, maius est obedientia mandatorum Dei &c.* Sermo fusissimus.

In altero codice I est *sermo de vita Christi &c.* totidem verbis *per magistrum Vincentium.*

III. *Sermones super Pater noster & super Ave Maria* laudati totidem verbis, & per eumdem R. M. Andream O. P. socium magistri Vincentii de Maruegio.

III. *Sermones viginti octo* super illa verba, *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, 1 *ad Cor.* XV. *Illud quod est necessarium cuilibet christiano, est fides sine qua nullus potest salvari &c.*

Ad calcem: *Explicit insigne opus Fratrum pro magistro nostro magistro Nicolao de Mara doctore in sacra theologia, scriptum Parisius anno Dñi* MCCCCLVIII. *Deo gratias. Guillermin.*

Ex quo fine patet hos XXVIII sermones esse alterutrius aut Vincentii de Maruegio, aut ejus socii Andreæ.

Similis codex MS, sed in memb. in 8 & absque

 nomine auctoris, extabat anno MDCLXXXI Massiliæ apud nostros mense maio a me visus. Aderant iidem sermones totidem verbis super *Pater noster & Ave Maria*, ac præterea alii quos auctor monebat se Avenione etiam prædicasse, *super Credo*, *de peccatis*, *& de decem præceptis*, *de septem sacramentis*, *de cæremoniis missæ*.

Extant & in alio cod. Navarr. *Tractatus super Pater*, a superius laudato diversus. Pr. *Pater noster qui es in cælis. Sciendum quod in oratione Dominica sunt duo, scilicet oratio & petitio. Oratio est ibi* Pater *usque* in cælis. *Est enim oratio elevatio mentis in Deum, elevatur autem mens cùm dicitur* Pater noster &c. Ad finem: *Explicit* Pater.

Et sequitur *Tractatus de decem præceptis*. Pr. *Non habebis Deos alienos coram me. Originaliter scribuntur verba Exodi* III. *Verba sunt Dei patris omnipotentis, quæ faciunt primum præceptum &c.* Finis: *Expliciunt decem præcepta Dei secundùm magistrum Vincentium ordinis Prædicatorum.*

Hos duos tractatus ejusdem auctoris libenter crederem Vincentii de Maruegio hîc laudati, sed quia secundus de decem præceptis sub nomine S. Vincentii Ferrerii editus est Lugduni 1523 in 4 parvo otiosioribus diligentius exquirendum ex collatione cum aliis codd. MS visum est permittere. Iste tertius codex Navarr. chartaceus est, & notatur scriptus anno MCCCCLX. Primum opusculum hujus codicis est *Tractatus de eruditione principum* sub nomine S. Thomæ de Aquino editus, sed supra sec. XIII ad 1250 F. Guillelmo de Peraldo a nobis assertus.

F. WALDUS DE LUCHA.

* F. WALDUS DE LUCHA Etruscus a patria & professione sic nuncupatus, laudatur a Laurentio Pignon in suo scriptorum nostrorum catalogo n. 115, ceu a quo edita est

Summa quam intitulavit, sententias sententiarum omnium doctorum super sententias quæstiones scribentium.

Sic ille, ex quo ante MCCCC vixisse ac floruisse certum habemus, nam circa hunc annum suum Pignon scribebat catalogum. Hunc verò *Waldum* eumdem censeo cum *Ubaldo Lucensi* a Fontana de Prov. Rom. inter scriptores recensito, sed omissa qua vixerit ætate, & cui hæc ascribit opera:

1. *Collationes sententiarum doctorum sanctorum.* Opus in XII libros distinctum. Idem videtur quod mox Pignon laudabat.

2. *Expositiones quarumdam auctoritatum sacræ scripturæ.*

3. *De civitate Beatorum, & de dotibus corporis & animæ Beatorum.*

4. *De civitate Babylonis, & de septem vitiis capitalibus.*

Quæ omnia uno volumine MS Lucæ apud nostros contineri & servari asserit ex relationibus a Lucensibus sodalibus sibi missis: quæ propterea Pignon forsan sub uno titulo complexus est. Hunc omisit Altamura.

F. WARNERUS DE VERDINIO.

F. WARNERUS DE VERDINIO haud dubie sic a loco originis nuncupatus, an ab oppido illo celebri in finibus utriusque Burgundiæ ad Ararim sito, quod vernacule dicunt *Verdun* vel *Vertun* Latini Virodunum, certe Burgundus indicatur a Laurentio Pignon, a quo laudatur n. 109, & dicitur scripsisse

Summam ad omne propositum secundùm ordinem alphabeti ad reperiendum omnes auctoritates Sanctorum & sacræ scripturæ pro prædicatione, & est inquit, *in eodem conventu.* Articulo autem superiori de conventu Autissiodorensi nostro locutus fuerat, cujus ut videtur iste scriptor alumnus erat & professus, quem saltem ante MCCCC floruisse exinde colligas.

ANONYMI.

F. ANONYMUS Italus & ut ex opere conjicio Florentinus scripsit

Lectiones morales in quatuor libros Regum.

In duos priores libros, ubi jam extent, mihi incompertum, sed in duos posteriores in tertium scilicet & in quartum extant in Colbert. cod. 4519 chart. in 4. Adduntur ad calcem: *Apophtegmata & similitudines variæ undique collecta, & diversis sacrorum bibliorum locis, Saülis præsertim & Davidis historiæ, quin & aliquot capitibus evangeliorum, quæ diebus Dominicis adventus & feriis post pascha in Ecclesia legi solent pie accommodata.*

Duo sunt indices. Primus in tertium & quartum Regum: alter in duos priores Regum libros & in apophthegmata, ex quo constat olim has lectiones in primum & secundùm adfuisse.

Italum esse probant varia proverbia & sententiæ Italica lingua ubique relatæ & sparsæ: ordinis Prædicatorum sodalem innumera exempla domestica, quæ ubique profert. V. G. sic habet: *Soror Margarita ordinis Prædicatorum in parasceve visitata a Christo habebat rosam rubeam super manum dexteram, & ipsa occultans* (leg. *occultabat*:) *semel magister nostri ordinis eam obedientia arctans vidit, & ex devotione abscidit, & asportavit pro reliquia.* Et alibi: *Bonifacius papa* (VIII) *aliquando loquens de patre nostro S. Dominico dicebat, ille sapiens homo sic fecit vel dixit.* Et postea: *Respondit B. Augustinus* (Gazothus) *nostri ordinis episcopus Gabriensis Fratribus &c.* ut supra ubi de illo ad 1323 relatum est. Plura etiam refert de magistro ordinis XIV Herveo Natali, & inter alia de visitatione ab eo facta Florentiæ in domo S. Mariæ Novellæ, & cùm sodalium ejusdem domus plura singularia narret, hinc circa medium seculi XIV in eadem claruisse conjectu pronum.

F. ANONYMUS seculo XIV florens opus scripsit in defensionem doctrinæ S. Thomæ de Aquino, quod servatur Paris. in Victor. cod. 50 MS fol. med. chart. & pergam. a fol. 284 ad 316. Titulus:

De concordantia centum articulorum ad quatuor libros sententiarum pertinentium S. Thomæ de Aquino. Prologus:

Veritatis & sobrietatis verba eloquar. » Verba « sunt doctoris gentium scilicet Pauli apostoli, & « habentur Actuum XXVI; & possunt accipi in per- « sona venerabilis doctoris scilicet F. Thomæ & in « iis potest sua doctrina in quatuor commendari. « Siquidem intellectus creatus & infinitum distans « a perfectione cognitionis divinæ, deficit multipli- « citer in formando verbum. Primo quia non for- « mat verbum consubstantiale sibi, cùm non sit sua « potentia, & sua operatio intelligendi, in Deo « verò & potentia & intellectus & intellectum sunt « realiter ejus simplicissima essentia: ubi enim ope- « ratio intelligendi tale unum & idem, gignitur « verbum perfectissimum, & ideo non solùm ver- « bum apud Deum, sed & Deus est verbum, nec « Verbum distinguitur a Patre nisi secundùm rela- « tionem originis, relatio autem nullam rem addit « super suum fundamentum: unde hæc distinctio « non ponit in Filio aliquam imperfectionem, & « sic intellectus creatus non autem divinus elonga- « tur & distinguitur a se secundùm absoluta, & « realiter verbum format «.

» Secundò quia Deus per essentiam simplicissimam, in qua omnes perfectiones continentur, uno intuitu cognoscit omnia, nec oportet quod plura formet verba, sed intellectus pluribus indigens speciebus & formis, & plura simul intelligere non valens, plura & varia verba format.
» Tertiò quia intellectus divinus est causa & mensura rerum, ideo suum verbum nullo alio debet mensurari, sed potius est omnium regula & mensura. Sed intellectus creatus habet mensurari & terminari per ipsas res, vel secundùm ideas realiter in Deo existentes. Unde verbum divinum est ipsa veritas, sed verbum creatum aliqualiter participat veritatem.
» Quartò quia intellectus multipliciter potest deficere eo ipso quod non est sua regula, & ideo ad suæ cognitionis perfectam rectitudinem oportet, quod attingat ad suam regulam per debitam conjunctionem: nam conjunctio quanto fuerit perfectior, tanto redditur cognitio certior. Propter hoc cognitio beatorum nihil erroris aut opinionis habet admistum, in nobis autem ista dicta conjunctio fit secundùm lumen modicum, unde anima nostra est secundùm lumen intelligibile quasi intelligentia in umbra: & ideo nostra cognitio multum deficit in certitudine, & non modicum abundat in erroris admistione, cujus evidens multiplicatio arguit opinionem.
» In his quatuor consistit perfectio intellectus creati, quod scilicet ea quæ loquitur secundùm esse intelligibile, verba vera sint & sobria: ab hoc autem deficiunt multi.
» Quidam enim fictos conceptus non eloquuntur, sed involvunt multum, habentes conceptus involutos, qui ipsimet non bene intelligunt seipsos, & tamen aliis intelligentibus propter obscuritatem creduntur dicere aliquam magnam subtilitatem.
» Alii sunt qui loquuntur, sed non verba realia, sed potius verborum realium similitudines, eloquii claritatem & non veritatem habentes, sed tantum quibusdam rationibus dialecticis innitentes.
» Alii sunt qui eloquuntur secundùm verbum veritatis tantum, sed inter verba vera aliqua falsa immiscent, & interdum erronea.
» Alii sunt qui eloquuntur verba veritatis, & sobrietatis debitas circunstantias non observant: & hi omnes in quantum a perfectione doctrinæ deficiunt, in tantum laudem doctoris merito perdunt.
» E contrario multum redditur commendabilis secundùm ista quatuor S. Thomas, cujus doctrina est doctrina clara & facilis, quantum difficultas materiæ & prolixitatis resecatio permittit. Est profunda & subtilis omni falsitate carens & errore, carens etiam arrogantia & præsumtione. Unde bene potest dicere, *veritatis & sobrietatis verba eloquor.* Eloquor quoad primum: verba realia, non similitudines verborum realium tantum quoad secundum: veritatis quoad tertium: & sobrietatis quoad quartum. Hoc autem ostendunt opera, si subtiliter & diligenter fuerint inspecta.
» Sed dicere posset aliquis. Si talis est doctrina illa, quare in multis a quibusdam collectis articulis continet repugnantiam, & videtur quasi implicare contradictionem? Huic quæstioni qui voluerit satisfacere, potest prædictos articulos sicut infra ponitur concordare.

Sequuntur centum articuli ex scripto in sententias excerpti, quos auctor ostendit cum aliis ejusdem operibus convenire.

» Finis: » Hæc igitur sunt prout ad præsens occurrebant, de concordantiis centum articulorum ad librum sententiarum pertinentium. Dicta sufficiant adjuvante Deo qui concordiam facit in sublimibus cui honor est & gloria in sec. secul. SAEC. XIV.

Hoc opus forte alicujus est tot sodalium, qui in hac bibliotheca concordantias dictorum S. Thomæ scripsisse dicuntur. Supra Benedictum de Assignano ad 1339 indicavimus, cui competere potest, sed & potest esse alterius.

F. ANONYMUS seculo XIV vivens scripsit *Tractatum de conceptione B. Mariæ virginis.* Extat in Colbert. cod. 3611 memb. fol. par. continet folia XIV. Scriptor est modestus. Incipit: *Beatissimæ ac gloriosissimæ Virginis Mariæ Domini & Salvatoris nostri genitricis cupientes nonnulli &c.*

F. ANONYMUS GALLUS Occitanus provinciæ Provinciæ alumnus ac seculo XIV quantum conjici potest florens scripsit

Sermones de tempore & de sanctis.

Extant Parisiis in Victor. codd. MS duobus fol. par. memb. 1118 & 1116. In priori 1118 sunt ab adventu ad pentecosten. Pr. *Nox præcessit dies autem appropinquavit. Rom. XIII. Sicut clare patet non est aliqua hora totius noctis &c.* En specimen ejus divisionum, ex quibus colligo Provincialem vel Occitanum. Ubi de S. Thoma de Aquino fol. 308 Thema: *Venit in me spiritus sapientiæ.* Divisio:

Lac doctrina de veritat, Lac flor de virginitat, lac gran amor & caritat.

In posteriori 1116 sunt a Trinitate ad adventum. Pr. *Tres unum sunt.* 1 *Joan.* v. *Sicut patet tria sunt necessaria principaliter cuicunque volenti proponere verbum Dei &c.*

In sermone de SS. Sacramento sic habet: *Contigit in conventu Fratrum Prædicatorum, quod ordinem intravit quidam qui fuerat Judæus, & cùm accessit ad communicandum more solito cum aliis Fratribus, hæsitans an in hostia consecrata esset verum corpus Christi, accepta hostia dum in ore habuisset, numquam potuit deglutire interius, nec ab ore emittere exterius, donec aperto ore visibiliter ostendit bolam carnis sanguinolentæ, & lacrymabiliter confessus fuit peccatum suum. Et hoc contigit certitudinaliter in conventu Narbonensi de F. Johanne Christiani de Montepessulo.* Ubi peccatum novitii narrando, refert unà pœnitentiam. Quis tam domestica & interiora nosse potuit, nisi sodalis convictor? Postea refert historiam, quæ Parisiis contigit regnante S. Ludovico,

En sermonis de S. Johanne Baptista divisio.

Lo pod de cel que obrat, la valor de cel que es nat, tot lo mon a alegeat.

Sunt sermones non solùm de S. Thoma de Aquino, sed & de S. Petro martyre & duo de S. Dominico: nullus de S. Francisco, nec de ullo ordinis Minorum.

F. ANONYMUS scripsit sermones in Colbert. cod. MS 5999 servatos hoc titulo inscriptos:

Sermones per annum auctore quodam Fratre ordinis Prædicatorum.

F. ANONYMUS Etruscus & conventus S. Mariæ Novellæ Florentiæ alumnus seculo XIV clarus scripsit opus hoc titulo:

Tractatus de exemplis contra curiosos. Pr. *Meditante me.*

Extat in Bibl. dictæ domus cod. MS in fol. memb. quem ipse vidi anno MDCLXXXI mense augusto. In prima majori littera M, pictus exhibetur sodalis ordinis caput manu læva sustentans, & veluti meditabundus. Cap. 79 sic habet: *Cùm leana adducta fuisset Florentiam, Frater quidam hujus conventus*

SEC. XIV. *vadens ad videndam illam &c.* Si sodales S. Mar. Nov. hujus scriptoris nomen retexerint, & hîc addiderint, beneficii memorem me habebunt.

F. ANONYMUS Ligur Januensis S. Marci præpositus laudatur a Philippo Bergomensi in suppl. chron. ad MCCCVI, & Soprano in Elencho script. Ligur. quos citat Oldoinus in Athen. Ligust. ceu qui scripserit

Tabulam Cosmicam seu relationem orbis terrarum.

F. ANONYMUS Etruscus provinciæ Romanæ alumnus hoc seculo XIV vel sequenti clarus scripsit hoc titulo:

Cronaca del convento di S. Agnesa in Montepulciano.

Hæc MS in dicta domo servatur, eaque usus est F. Laurentius *Sordini* in vita ejusdem B. Agnetis, quam edidit anno 1606.

F. ANONYMUS a Laurentio Pignon laudatus n. 56, ac proinde ante MCCCC clarus scripsit

Super librum Perihermenias.
Item super prædicamenta.
Item super libros priorum analyticorum.
Item super sex principia, sed incomplete.

F. ANONYMUS alter ab eodem Laurentio recensitus n. 63 & similiter ante MCCCC vivens scripsit

Librum de modis sciendi.
Quæstiones super topica Aristotelis.
Librum de cœlo & mundo.
Super libros de generatione & corruptione & de anima.
De somno & vigilia. De sensu & sensato. De memoria & (hîc lacuna in cod. Victor. sed videtur addendum, *de reminiscentia.*)
De longitudine & brevitate vitæ. De morte & vita.

F. ANONYMUS in catal. Anglic. recensitus T. I P. III n. 1994 scripsit:

Arithmetica Boetii exposita a quodam Fratre Prædicatore. Pr. *Inter omnes.*

F. ANONYMUS Hispanus Nicolao Antonio incognitus saltem in ejus Bibl. Hisp. veteri omissus, scripsit opus in Bibl. Ecclesiæ Bellovacensis servatum MS, sicque in catalogo ejus Bibl. a me in Sangerman. a pratis Paris. viso recensitum:

Summa dictaminis per Dominicanum Hispanum secundùm quod notarii exercent.

F. ANONYMUS HISPANUS scripsit

Chronicon in monasterio S. Dominici Matriti servatum.

Eo usus est Ferdinandus de Castillo, ut testatur in procemio Hist. gen. Altamura meminit ad 1303.

F. ANONYMUS alter Hispanus ab eodem Castillo ibidem laudatus scripsit

Historiam rerum ordinis. Servatur MS in cœnobio ordinis Toletano. Sub finem sec. XIV vel initio sequentis claruit.

F. ANONYMUS LUSITANUS ab eodem Castillo ibidem laudatus scripsit

Vitas quorumdam ordinis sanctorum, alias Lusitana lingua, alias Latina. Habentur MS in cœnobio ordinis Scalabitano cod. sec. XIV.

HI ETIAM CODICES ordinem attinentes recensentur in catal. Angl.

T. I P. I n. 2067 *De Fratribus ordinis Prædicatorum.*

Ibid. p. 240 b: *Catalogus librorum apud FF. Prædicatores* n. 20 *Nordowichi.* n. 41 *Londini.* n. 45 *Oxonii.* n. 46 *Saribiriæ.* Et p. 241 n. 75 *Exoniæ.*

T. II P. II n. 15: *Collectanea ex libro cœnobii ord. Prædic. Limerici.*

n. 46: *Collectanea ex libro Fratrum Prædicatorum ibidem.*

n. 54: *Collectanea ex chartis cœnobii Dominicanorum de Kilkarbani.*

n. 58: *Collectanea ex annalibus Fratrum Prædicatorum de Drogheda.*

SCRIPTORES SECULI XIV VISI DUBII an nostrates fuerint, ordine alphabetico recensiti.

F. ADAM.

F. ADAM, cujus agnomen & patria ignorantur, quem tamen Teutonem & hoc seculo XIV vel initio sequentis clarum conjicio, a quibusdam inter nostros accensetur, ratione ut opinor operis ab eo suscepti. Scilicet S. Raymundi de Pennaforti Summam de pœnitentia & de matrimonio in compendium redigere & metrice reddere aggressus est, quod sodalem & symmystam quam externum suscepisse verisimilius. Scripsit itaque hoc titulo seu principio:

Summula de Summa Raimundi prodiit ista.
Dogmata multorum conjunximus huic manifesta.

Ordinem tamen Summæ S. Raimundi non sequitur, sed primo de septem sacramentis agit, postea de peccatis. Prodiit e prælo Coloniæ 1502. Postea cum scholiis curante Joanne Villano Cadomi 1513. Parisiis, apud Franciscum Regnault 1514 in 4. Ibidem cum commentariis Johannis Chappuis, typis Thielmanni Kerver 1516 in 8. Rursus ibid. cum commentariis iisdem 1535 & 1539 in 8.

Initio sic commentator de auctore habet: *Licèt enim Frater Adam* (cùm Fratrem appellat, regularem agnoscit) *hujusce opusculi primus auctor vir & theologiæ & juris pontificum studiosus, forsan ab exordio hanc Summulam a Summa Raimundina extraxerit, tamen qui post eum eamdem Summulam diligenter emendavit, adauxit multipliciter &c.*

Extat MS variis in bibliothecis. Laudat præsertim Sanderus Elenc. codd. MS Belg. T. II apud Cistercien. Laudenses cod. 69 p. 115, qui inquit, *Liber est in fol. in quo inveniuntur primò Summula pauperum metrice & breviter collecta ex Summa Raimundi a quodam Prædicatore nomine Adam:* Ubi nostrum videtur agnoscere. *Secundò expositio dicta Summula per auctorem anonymum cujus principium:* Si est tibi paupertas honesta & læta, dives es.

In aliis Belgii bibliothecis a se visam testatur curiosus noster Ghilbertus de la Haye, at non semper cum iisdem commentariis.

F. ADAM COLONIENSIS.

F. ADAM COLONIENSIS a patria & professione sic dictus, proindeque Teuto, ad annum MCCCLV inquit Lusitanus circiter claruit, & scripsit

In quatuor sententiarum libros.

Excipiunt nostrates Gozzeus, Pius, Altamura ad eumdem annum, Razzius ad ann. 1370 tamen prorogans, omnes nullo adhibito teste æquali vel sup-

pari qui hujus scriptoris meminerit. Itaque iste Adam non parum mihi suspectus est, nisi sodales Colonienses ex veteribus suis monimentis quid certius proferant.

F. ALBERTUS GROGNOLINI.

F. ALBERTUS GROGNOLINI Italus ut indicat agnomen, florebat vel hoc seculo XIV vel sequenti ineunte : ejus habentur Venetiis apud SS. Jo. & Paul. Plut. IV.

Sermones MS *in 4 memb.* cum F. Petri de Galdinis suprà laudati sermonibus ligati : sed cùm in indice Thomasini non addatur Grognolinum nostratem esse, inter dubios visus est collocandus, donec quis indigena curiosior majorem ejus dederit notitiam. Idem censendum de *F. Henrico*, cujus sermones eodem codice continentur, nec cujas fuerit monetur. Wadingus neutrum suis asserit.

ALBERTUS DE SAXONIA.

1316. ALBERTUS DE SAXONIA inter dubios recensendus visus est, quod hujus nominis an unus, duo, tresve fuerint, an regularis secularisve fuerit, quæstio sit non mediocris. Opera quæ sub hujus nominis auctore circumferuntur prius recensenda, ex iis enim quis & qualis fuerit, clarius elucescet. Hæc verò sunt :

1. *Alberti de Saxonia commentarius in posteriora Aristotelis.* Prodiit Mediolani, Jo. Bap. Alvisiani 1497.

2. *Sophismata Alberti de Saxonia.* Pr. *Ob rogatum quorumdam scholarium &c.* Extant in Sorbon. cod. MS 808 fol. med. memb. Ad calcem sic legitur : *Et sic est finis sophismatum, & per consequens omnium sophismatum magistri Alberti de Saxonia, scriptorum & finitorum die mercurii ante festum purificationis B. V.* Sequuntur eodem codice & eadem manu sophismata Clymethonis, quæ dicuntur ibidem scripta & *completa die lunæ post Dom. septuag. anno* MCCCLXXXIX. Ætas est codicis non auctoris.

3. *Super octo libros physicorum.* Prodiit Paris. 1516 fol. Quæ editio a me visa apud Clarissas *Ave Maria* dictas, & in Regia R. 207.

In eadem Regia extat MS cod. 4964 fol. mag. memb. & cod. 5121 fol. med. chart. Ad calcem utriusque sic legitur : *Expliciunt quæstiones totius libri physicorum secundùm Albertum de Saxonia.* Nulla vox quæ ulli ordini regulari ascriptum indicet. Idem opus extat Florentiæ MS in Medic. Plut. LXXXIV n. XXI cod. memb. in 4. Ibid. ad S. Marcum Arm. IV n. 50. In isto si fides catalogo dicitur *ordinis Prædicatorum* : an vero sic in codice & prima manu ? Extat & Lipsiæ in Paulina. Vide Fellerum p. 370.

4. *Alberti de Saxonia super de cœlo & mundo libri sex.* Prodierunt in incun. typogr. 1497 fol. Rursus Parisiis, Badii 1516 fol. quæ editio a me visa apud Clarissas *Ave Maria* dictas. Habentur MS Lipsiæ in Paulina. Vide Fellerum citatum.

5. *Super libros de generatione & corruptione.* Prodiit Paris. cum superiori.

6. *Ejusdem de anima, in parva naturalia, super libros* X *ethicorum.* MS Lipsiæ in ead. Paul. citata.

7. *Secreta Fratris Alberti de Saxonia de herbis, lapidibus & mineralibus.* In catal. Angl. T. I, P. I n. 1748.

8. *Tractatus de quatuor inconvenientibus circa varia proposita de generatione, de alteratione, de quantitate, de motu locali, præsertim de proportionibus ejus velocitatis.* Extat cod. Reg. cit. 5121.

9. *Excellentissimi magistri Alberti de Saxonia tractatus proportionum cum aliis præcipue Augustini Niphi editus* Venetiis ; Octav. Scoti Hæred. 1496 fol. tria tantum folia implet. Pr. *Proportio communiter accepta &c.* Laudatur MS in catal. Angl. T. II, P. I, n. 1367. *Alberti de Saxonia tractatus proportionum.* Sæc. XIV.

Eadem opella typis prodiit sub hoc altero titulo : *De velocitate motuum, F. Alberti de Saxonia ordinis Prædicatorum opus redactum in Epitomen a F. Isidoro de Isolanis Mediolanensi ord. Prædic.* Lugduni, Caroli Pesnot 1580 in 4 pp. 14. Ad calcem nempe compendii Capreoli ab eodem Isidoro adornati.

Jam audiendi quid de eo censeant, ne dicam ariolentur, Elssius in Encom. Augustin. suis asserit Eremitis testibus Thoma de Herrera, & Anastasio Crusio sui ordinis nomenclatoribus, sed recentioribus quam ut fidem faciant, priori etiamnum anno MDCLIV florente quo Elssius suum Encomiasticum edidit, Crusio vero ejusdem seculi scriptore. Elssius inquam præter Quæstiones in libros de physico auditu, de cœlo & mundo, de generatione & corruptione, & de anima, quarum ex supra relatis tantum meminit, ei tribuit præterea

Commentarium super tabulas Alphonsi regis ad judicia astronomiæ. cui Princ. *Tempus est mensura motus.* Exemplar inquit, auctoris manu conscriptum anno Dñi MCCCXXXI asservabatur in Bibl. S. Dominici Bononiæ.

Sed quod notandum Joannes Schiphowerus ejusdem Augustinianorum Eremitarum ordinis Saxo, qui anno MDV suum scripsit chronicum comitum Oldemburgensium in collectione Meibomii T. II recens editum, in quo illustres ordinis sui viros Saxones potissimum diligentius recenset & laudat, in iis Albertum de Saxonia non numerat.

Lusitanus ut omnibus obsequatur, duos distinguit Albertos de Saxonia, alterum quem Augustinianis concedit, & cujus non recenset opera ; alterum ordinis Prædicatorum vindicat, cui quædam super philosophiam opuscula, & tractatum de proportionibus motuum ab Isidoro de Isolanis innovatum & editum ascribit, & excipiunt sequaces Pius, Fernandez, Altamura ad 1330 & alii : sed antiquiores Lusitano omnes nostrates de hoc auctore omnino silent.

Si sensum meum prodere hîc liceat, pensatis omnibus patere puto unum & eumdem esse hominem omnium laudatorum operum scriptorem, non Augustinianum, non Prædicatorem, sed secularem philosophiæ magistrum. Favet Georgius Lokert Scotus artium magister in universitate Parisiensi seculo XVI ineunte, qui in gymnasio Montisacuti philosophiam docebat anno MDXVI, tumque hujus Alberti commentaria citata in octo libros physicorum, in tres de cœlo & mundo, duos de generatione & corruptione ; unâ cum Thimonis in quatuor libros metheororum & tres de anima, & Johannis Buridani in quædam Aristotelis parva naturalia prælo dedit, sicque loquitur in prologo ad juvenes auditores : *Non sine acri judicio & magnorum hominum approbatione, in naturali philosophia trium excellentium virorum, qui in ea quemdam triumviratum ab hinc ducentos ferme annos in præclara Parisiensi schola gesserunt, Alberti de Saxonia, Thimonis, & Johannis Buridani physicas quæstiones & decisiones vobis explanandas impressioni dedimus &c,* quæ docent hosce tres & unâ circa initia seculi XIV claruisse, artium seu philosophiæ magistros in universitate Parisiensi professores, nullum votis religiosis cujusvis ordinis astrictum.

SÆC. XIV.

F. DOMINICUS LEONI.

* 1365.

F. Dominicus Leoni Venetus nostris accensetur scriptoribus a Fernandez, Jacobo Alberici in catalogo illustrium scriptorum Venetorum, Sansovino, Altamura ad 1364, Rovetta ad 1358: aliunde verò Sixtus Senensis, Possevinus, Augustinus Superbi, *Triomfo degl' illustri huomini di Venetia*, ut nulli societati regulari addictum exhibent. Cùm verò ejus opera omnia MS in bibliotheca nostra Bononiensi extare dicantur, nullibi aliàs, mirum esset a Leandro omissum aut ignoratum, si nostras fuisset. Ideo inter dubios visus est numerandus, donec quis sodalis Bononiensis discussis ac examinatis relictis ab eo monimentis, quid certo tenendum nos doceat. Hæc feruntur ejus opera:

In evangelium Lucæ expositio. Pr. *Principiis super ineffabilis.*
Solis Christianorum prima & secunda pars.
De vexillo B. Virginis libri duo.
De lumine supernaturalis majestatis libri duo:
De philosophia sacri throni liber unus.
De sapientiali theologia liber unus.
De mysterio Dominicæ incarnationis.
De matris Domini ortu.
Dilucidationes de luce sancta crucis.
De notitia viæ rectæ dialogus.
De gratia & nobilitate naturæ humanæ dialogus moralis.
De amore Dei.

MARTINUS DACUS.

* 1300.

Martinus Dacus vel *de Dacia*, id est *de Dania*, stylo seculi XIII sub cujus finem claruit, ut & initio sequentis, a Leandro fol. 153 b laudatur inter viros philosophia ac logica illustres, cujus tamen nulla prodit opera. At sub fornicibus peristylii sanctimonialium ordinis Pissiacensium inter varias imagines ad parietem pictas, una est Martinum de Dacia in veste nostra repræsentans, qui in inferiori limbo dicitur scripsisse

Tractatus multos, & speciatim *Tractatum unum de modis significandi.*

Unde id acceperit ille pictor seculi ad summum XVI, mihi incompertum. Verùm his lucem afferet Henricus Woltherus auctor chronicæ Bremensis, qui anno MCCCCLXIII in quo desinit florebat. Sic ergo habet ad Johannem archiepiscopum Bremensem XXIX, sed antea episcopum Lundensem in Dacia (i. Dania) qui regis Daniæ iram fugiens ad Cœlestinum V & hujus successorem Bonifacium VIII præsidium petiturus accesserat: *Henricus rex Daciæ misit ad curiam magistros Parisienses nobiles & sapientissimos, & specialiter unum Parisiensem magistrum cui nomen erat Martinus de Dacia, qui & compilavit Modos significandi, qui dicuntur Modi Martini, & isti modi antiquo tempore communes erant. Huic Martino rex dedit magna munera, prabendas & pralaturas, & cum aliis ivit Romam contra Johannem episcopum: & rex dedit eis clenodia pro curis, & procurarent contra dictum episcopum pro rege, & quod non retinerent pecuniam nec bona, sed quod lucrarentur causam contra Johannem. Quod tamen non obtinuerunt, nam papa Johanni favens regis in eum acta rescidit.* Hanc chronicam Meibomius edidit *Rerum Germanicarum* T. II Helmestadii 1688 in fol. & hîc relata habentur p. 62.

Porro ex hac relatione discimus Martinum de Dacia sacræ theologiæ magistrum Parisiensem auctorem *Modorum significandi* pluribus præbendis a rege Dano auctum circa ann. MCCXCV, quæ cum ordinis Prædicatorum sodali non conveniant, tum saltem nostris nondum accensum constat. Quia tamen postea institutum nostrum amplecti potuit, ut plures alii ea ætate fecerunt, ob auctoritatem Leandri nostrum præstantis, visus est inter dubios annumerandus, donec major lux affulserit.

Venetiis ad S. Petri martyris Muriani, inter codd. MS Pl. XX. *Martinus de Dacia ordinis Prædicatorum de modis significandi. fol. memb.* Pr. *Cùm cujuslibet artificis.* Explicit: *Et hac Dei gratia dicta sufficiant secundùm magistrum Martinum de Dacia regione. Amen.* Gentilium erit diligentiæ videre, an quod præfertur in titulo *ordinis Prædicatorum*, sit eadem manu prima an secunda, præsertim cùm idem non addatur in fine: nosque hîc emendare.

MICHAEL DE UNGARIA.

Michael de Ungaria a natione & origine sic dictus a nullo nostrorum inter scriptores ordinis hactenus laudatus, a Simlero eumque excipiente Possevino ceu nullius ordinis regularis auctor recensitus, in quadam ejus operis editione dicitur ordinis Prædicatorum, aliunde a Davide Czuittingero in sua *Hungaria Literata* Francofurti anno MDCCXI edita in 4 p. 395 dicitur *ordinis Minorum* & conventus Pesthensis sodalis, quamvis ab Wadingo non agnoscatur: propterea nobis visus est inter dubios collocandus, donec quis diligentior & otiosior, quid certius nos doceat. Hæc ejus opera. Primum hoc titulo

Sermones tredecim universales magistri Michaëlis de Hungaria.

Prodierunt Coloniæ, Quentellii 1505 in 8. Parisiis, Joannis Petit 1510 & 1518 in 8. Ibidem Francisci Regnault 1515 in 8. In hac editione plura superaddita sunt quæ non sunt Michaëlis sed aliorum, quæ ideo enumeranda:

Primo modus prædicandi pp. 22.

Secundo applicationes breves sed perutiles materiarum tredecim sermonum Michaëlis de Hungaria ad omnes Dominicas & festivitates per totius anni circulum cum thematibus concordatis atque divisionibus. Quæ hactenus non sunt Michaëlis, sed editoris qui typis invigilavit.

Tertio sermones Michaëlis tredecim super totidem voces selectas, quæ frequentius in epistolis & evangeliis reperiuntur, quas exponendas & illustrandas ille sibi proponit, & sunt hæ:

Sequitur. Humiliat. Dominus. Filius. Voca. Servit. Stans. Moritur. Diligit. Venit. Ambula. Surge. Resurge.

Quarto alii aliorum hoc titulo: *Sequentes sermones per alios adjecti sunt, quia etiam materias generales Christicolis sciendas & prædicandas in se complectuntur.*

1. *Sermo de passione D. N. J. C.* Pr. *Quæ utilitas in sanguine meo?*

2. *Sermo de perfectione hominis in statu innocentiæ. De miserabili ejus casu. Pro quibus hujus exilii incola orare habent.* Pr. *Hugo de Vienna super illo Genes. 1. Faciamus hominem &c.*

3. *De fide ac dilectione Dei ac proximi.* Pr. *Ambulate in dilectione.*

4. *De serto rosario B. M. V.* Pr. *Dic obsecro quod soror mea sis.* Quisquis sit superiorum auctor, hic certo cujusdam sodalis nostri, qui Alanum de Rupe pluries laudat: sed falso huic Michaëli de Hungaria a nostro Jo. Paulo Demora in suo de Rosario libello ascribitur.

5. *Duo sermones de S. Anna.*

Denique *Passio D. N. J. C. ex quatuor evangelistis per nostrum Magdalium Jacobum Gaudanum collecta.* Pr. *Appropinquabat.*

Harum concionum quæ præcellit, est ultima, scilicet Passio C. D. ex solis evangelistarum verbis recte concinnata.

Altera est tredecim Michaëlis sermonum editio recentior hoc titulo: *Penuarium Christianæ vitæ: in quo sermones uberes variis divinæ doctrinæ antidotis*

dotis adversus quosvis animi morbos referti continentur, a R. P. F. Michaele de Ungaria ordinis Fratrum Prædicatorum sacra theologia doctore summa eruditione conscripti, Coloniæ Agrip. Burchardi Kuickii 1611 in 8. In hac editione post Michaëlis XIII sermones, adjecti sunt tantùm tres priores ex laudatis in superiori editione, cæteri omissi.

Recentior adhuc editio laudatur a Davide Czuittingero hoc titulo: *Breviarium concionatorum, seu Sermones universales continentes concionum materias pro singulis Dominicis diebus atque festis totius anni*. Hagenoæ, Henrici Gran 1620 in 8.

Hi codices MS laudantur in catal. Angl. T. I, P. I n. 2585 *Michaëlis de Hungaria sermones* XIII *super totidem locos communes*.

Ibid. *Sermones quatuor super has quatuor dictiones: Sequitur, Gratia, Dominus, Pater.*

P. III, n. IIII *Sermones tredecim magistri Michaëlis de Hungaria.*

T. II P. I n. 6609 *Michaëlis de Hungaria loci communes theologici.*

Ibid. n. 9654 *sermones* XIII &c. ut supra

Et inter libros impressos Johan. Moore n. 56 iidem XIII *sermones* &c. absque loco, anno & nomine typographi.

Aliud opus laudatur a Simlero & Possevino hoc titulo; *Michaëlis de Ungaria sermones prædicabiles brevissimi per totum annum Argentina excusi* anno 1487. Eosdem puto quos David Czuittingerus dicit *Sermones de Sanctis* 120 Biga salutis *inscriptos* typis excusos Argentorati 1494, non in fol. ut ille habet, sed in 4, quæ editio Romæ in Barber. An tamen revera sit aliud opus docebunt qui in eas antiquas editiones inciderint, nam in manus meas non venerunt. Czuittingerus etsi Hungarus alios forsan auctores suæ gentis accuratius novit, sed hunc parum novisse se prodit.

F. SIMON JATUMÆUS.

* 1357 F. SIMON JATUMÆUS vel *Sacumæus*, vel etiam *Tacumæus*, sic enim varie agnomen ejus scriptum legitur, ut & nomen aliquando non *Simon*, sed *Jacobus*, Græcus fuit origine, Cretensis natione ut quidam volunt vel secundùm alios Constantinopolitanus, Gyratii ut quidam scribunt vel ut alii Geratii vernacule *Geracuos*, at rectius Hieracii in secunda Mœsiæ seu in Bulgaria primùm episcopus sub Tornobensi exarcha, exinde Thebarum archiepiscopus, vir fuit medio circiter seculo XIV clarus, non solùm Græca quæ sua erat lingua facundus & elegans, sed & Hebraice Latineque peritus, ut ejus opera demonstrant, de quibus sic noster Sixtus Senensis Bibliot. sanct. *Simon Jatumæus episcopus primùm Gyratii & mox Thebarum archiepiscopus, patria C. P. Græce, Latine & Hebraice doctus, & in divinis scripturis continua lectione exercitatus*

Totius novi instrumenti seriem ex emaculatissimis Græcorum codicibus suprema diligentia in unum redegit, subinde verò & in Hebræum & in Latinum vertit sermonem, verbum de verbo fidelissime interpretatus. Demum has tres editiones in tribus per singulas paginas columnis tanta industria disposuit, ut linea lineæ, & dictio dictioni sibi e regione opposita tam sensu quam verbo aptissime responderet. Claruit A. D. 1400. Sic quidem ille, sed quantum ad ætatem mox videbitur esse antiquiorem.

F. Augustinus Justiniani noster de quo supra, qui integrum novi testamenti opus Græce, Latine, Hebraice, & Arabice per columnas distinctum typis ut sperabat edendum descripserat, quique duobus tomis absolutum civitati suæ Januensi dono contulit, in Prologo referente Gesnero in sua Bibliotheca Hebræos alloquens sic præfatur: *Hebræi Fratres quicunque hunc legitis librum, ne gravemini quasi sermonis incuria. Qui enim eum e Græco sermone in Hebræum traduxit Jacobus Jatomeus, transferre singillatim verba, non etiam sententias voluit, ne corruptum ab eo aliquid ab ullo posset prætendi. Eo pacto effectum est, ut structus verborum duriusculi evaserint, & conformiores Græcæ, quam Hebraicæ ac Latinæ linguæ &c.* Ex quibus certum habemus Jatomeum sive Jacobus sive Simon dictus sit, novum testamentum e Græco Hebraice vertisse, hancque versionem a Justiniano nostro adoptatam suoque operi laudato insertam etiamnum in Bibliotheca publica Januensi servari. An verò quod ait Sixtus Senensis novam versionem Latinam e Græco proprio marte confecerit, licèt Senensi fides non neganda videatur, ceu qui diutius Januæ moratus est, & codices illos MSS curiosus evolvere potuerit, id enim erat ejus studium: quia tamen id quidam in dubium revocant ob silentium Justiniani, qui de Hebraica quidem versione at non de Latina Jatumæi meminit, nil superest nisi ut codices laudatos quis diligentius lustret, & an ex eis hujus versionis Latinæ Jatumæi quoddam documentum haberi queat, scilicet cuja sit Latina illa nova ad verbum tribus linguis Græcæ Hebraicæ & Arabicæ respondens, ut testatur Gesnerus, eruditis indicet: quamvis & fieri possit Jatumæam fortè ut pote ab homine Græco non ita accuratam, a Justiniano suo operi non insertam, quam aliunde Sixtus Senensis ex ipso Jatumæi codice inter Justiniani monumenta relicta viso deprehenderit.

Jam verò Leo Allatius *De perpetua consensione lib. 2 c. 15 n. 11, & de Simeonum scriptis Diatriba p. 202*, ubi agit de F. Simone C. P. ord. Prædic. Is inquit, *fortè non alius fuerit a Sacumao* (in Diatriba *Tacumao*) *episcopo primum Gyratii & mox Thebarum archiepiscopo Græce & Latine & Hebraice docto & in divinis scripturis continua lectione exercitato qui claruit anno* 1400 *ut ex Sixto Senensi tradit Possevinus in Apparatu*. Quem & postea eumdem censet cum F. Simone Cretensi etiam nostro, de quo agit Georgius Trapezuntius, tres homines sic in unum conflans. Jam supra Simonem C. P. a Simone Cretensi distinxi luce clarius, cùm prior tempore concilii Lugdunensis II jam florens mortuus sit circa 1325: posterior autem ætate Trapezuntii licèt eo paulo antiquior vixerit, id est circa initia seculi XV tempore concilii Constantiensis: sed nec Jacumæum difficilius fuerit discernere ab ambobus ex ipsomet Allatio, qui ipsius legisse se asserit carmina in laudem Joannis Cantacuzeni sic inscripta:

Σίμωνος ἀρχιεπισκόπου Θηβῶν.
Ὅπλοις κραταιοῖς ἑλκύσας ζυγοῦ στίφη.
Ἀνενδότους, φεῦ, αὐχένας κάμψας κράτει,
Κατακλύσας δὲ δωτίναις εἶδος ἅπαν
Ἀνδρῶν, γυναικῶν. καὶ τόπων καὶ πραγμάτων
Νῦν ἐν νικῶν εἴργασαι ὦ σκιᾶς λάτρι,
Περσοπιλάτοις χαλινοῖς γνάθης στρέφων,
Εὖ τοῦ παθόντος, τῷ νικηθ λῶαι λόγῳ.
Ἄλλοις χρόνοις ἤκουσε, πολλὰ πολλάσι
Τελοῖεν εὐχαῖς ἀλαλαζόντων ἔτη.
Θρυλλοῖτο νῦν δὲ τοῖς ἀπείροις τῶν χρόνων
Ὁ στρατιώτης, ὁ στρατηγὸς, ὁ βρέμων
Καντακουζηνὸς ὡς ἄναξ Ἰωάννης,
Σεπτοῖς τε συζῶν ἁγίοις Ἰωσάφ.
Τάξει πάσῃ γὰρ ἐξέλαμψεν ἐλλόγως.

Simonis Thebarum archiepiscopi
Qui armis fortibus traxit sub jugum agmina,
Qui cedere nescias cervices (proh Deus) per vim curvavit,
Qui largitionibus inundavit omne genus

SEC. XIV. *Virorum, mulierum, locorum, & ordinum,*
Nunc bene vincens effecit (o latibuli cultor)
Prophetico eloquio cusis franis maxillas flectens,
Ut bene vinceretur verbo illius qui passus est pro nobis.
Alias summis audivit acclamantes
Votis, multi multi tibi anni contingant,
Nunc autem celebretur interminatis annorum spatiis
Miles, imperator, magnumque sonans,
Joannes Cantacuzenus veluti rex
Et idem cum colendis sanctis vivens Joasaph.
In omni quippe ordine eluxit eximiè.

Quod carmen alludens ad victoriam quam anno MCCCXLVII Cantacuzenus reportavit, tum C. P. potitus & salutatus imperator, compositum videtur cùm idem purpura posita anno MCCCLV vel LVII factus est monachus assumto nomine Joasaph: & Simonem Thebarum archiepiscopum horum omnium testem oculatum exhibet. Jam hæc probant illum non esse Simonem nostrum C. P. anno MCCCXXV mortuum, nec etiam Simonem Cretensem Georgio Trapezuntio anno MCCCCXL florenti cognitum & æqualem licèt paulo antiquiorem, quem præterea ab infulis potius quam ab inquisitione Trapezuntius laudasset. Itaque si Jatumæus ille est Simon Thebarum archiepiscopus, ut docet Allatius, tertius proculdubio homo est ab illis distinctus; ac cujus novi testamenti versionem Januenses eo seculo Peræ ad C. P. domini Januam tulerint, adeo ut in nostri Justiniani Januensis manus tandem venerit.

Jam superest dubium an Jatumæus ordinis Prædicatorum fuerit, nam id nec Sixtus Senensis, nec Justinianus asserunt: at nostris accenset Allatius Græcarum rerum apprime peritus, quem alii excipiunt, sed doctioribus diligentius examinandum permitto. Certe non novus esset Græcorum ad nostros transitus: nam præter laudatos Simones C. P. & Cretensem, Manuel Calecas rhetor C. P. circa MCCCLXXX vel XC Dominicanam vestem induit: Andreas Colossensis archiepiscopus & ipse Græcus qui & in conciliis Constantiensi, Basileensi & Florentino adeo claruit, licèt juvenis jam in Ecclesiæ C. P. clero celebris esset, schismatis impatiens nostris cooptari voluit, quod & plures alios fecisse sciretur, si temporum illorum historias haberemus. Saltem ex hactenus dictis id lector habebit commodi, quod clariorem horum trium Simonum C. P. Cretensis, & Jatumæi quoad chronologiam notitiam dederim.

ANONYMI.

* F. ANONYMUS seculo XIV clarus scripsit opusculum sed insignè & luculentum hoc titulo seu principio:

Incipit pharetra fidei contra Judæos super Talmuth.

Acuite sagittas, implete pharetras ad prosternendas vulpeculas quæ demoliuntur vineas nostras &c. Dialogus est perpetuus inter Ecclesiam & Synagogam.

In duas partes dividitur. In I. breviori evertuntur errores in Talmuth contenti & constat capp. XIII quorum hi tituli:

1. *Errores excerpti de Talmuth a Judæo baptizato.*
2. *Quod Deus operetur.*
3. *De blasphemia Judæorum.*
4. *De odio contra Christianos.*
5. *De turpitudine Talmuth.*
6. *Quid sentiunt de angelis.*
7. *Fabula de dæmonibus.*
8. *Sententia eorum de animabus.*
9. *Fabula de angelo mortis*
10. *Contra fabulam de pixide.*
11. *De mutatione sabbati.*
12. *De innovatione legis.*
13. *Epilogus prædictorum.*

Altera pars sic incipit: *Spinis errorum Judaicorum eradicatis, inserenda sunt semina catholicæ veritatis*, & constat capp. 28.

1. *De fide catholica.*
2. *Quod Christus jam venerit.*
3. *Quod Christus de Virgine natus sit.*
4. *De partu virginis.*
5. *Quod puer est Deus & homo.*
6. *Quod Christus sit Deus & homo.*
7. *Quod Christus in Bethleem natus est Deus & homo.*
8. *Quod Christus Deus a Deo unctus est.*
9. *Quod Deus & homo venit pauper.*
10. *Quod Judæi non cognoverunt Deum.*
11. *Quod Christus XXX denariis venditus est.*
12. *Quod propter invidiam occiderunt eum.*
13. *Quod propter nos Christus omnia sustinuit.*
14. Idem.
15. *Quod sponte mortuus est.*
16. *De genere passionis.*
17. *Quod Christus nos salvavit.*
18. *Quod nulla alia justitia satisfecit.*
19. *De sepultura Christi.*
20. *De resurrectione Domini.*
21. *De ascensione Domini.*
22. *De missione Spiritus sancti.*
23. *De baptismo.*
24. *Objectiones Judæorum contra imagines.*
25. *Quod Judæi fuerint desolati per mundum.*
26. *De pœna Judæorum.*
27. *De cruce Christi.*
28. *De Christi præfigurationibus crucis.*

De hoc auctore agit Antonius Bibl. Vet. Hisp. inter scriptores incertæ ætatis T. II p. 261 b, hæcque de eo commentatur:

» Anonymus ut credo Hispanus scripsit olim Latine *Dialogum Ecclesiæ & Synagogæ*, qui incipit *Acuite sagittas.* Hunc in publicum dedit, cùm fortè fortuna in eum nudo auctoris inscriptum nomine incidisset Gundisalvus Garsias a S. Maria Cæsaraugustanus civis & advocatus magni nominis sub Ferdinando rege catholico, nuncupatum Didaco a Mendoza Hispalensi archiepiscopo, ut in ejus elogio in bibliothecæ altera parte, quæ prius edita fuit dicimus. Locum autem editionis ignoramus, quod inde absit, forma certe in 4 est, continetque redargutionem absurditatum Hebraici libri *Talmud* dicti, & fundamenta probationesque fidei Christianæ ex sacris libris ab Ecclesia productis audiente & contradicente Synagoga; quas inter dialogum liber continet. Hispanum suspicari me dixi, eo quod nullum ex sanctis patribus nisi Isidorum Hispalensem semel atque iterum laudet. Sed audiśis de eo verba Gundisalvi Garsiæ: «

Siquidem olim incidi in quoddam opus scriptum haud quidem longum, sed reipsa magnum & admirabile sine scriptione ac nomine auctoris. Quæsivi diu ac diligentissime a quo editum fuit, nusquam reperi, nec ab aliquo lectum, nec ejusdem exempli alterum codicem. » Possidet exemplum hoc quod vidimus Matriti, Joannes Lucas Cortesius noster in primis amicus «. Hactenus Antonius, ad quem has notas subjicimus.

Primo quod ait incertæ ætatis, verum est quoad annos quibus floruit, sed quoad seculum, vivebat certe XIV. Sic enim habet P. I c. 4, loquens de Judæis: *Ex hoc etiam patet, quod Dominus abjecit eos omnino, quia clamaverunt ad Deum plusquam mille trecentis annis, nec liberavit eos de manibus*

Christianorum, cùm tamen priùs sæpe liberavit eos de manibus gentilium. Quæ indicant post annum Christi MCCC paulo plus scripsisse.

Secundo leve est argumentum ex quo suspicatur Hispanum, quia bis scilicet citat Isidorum Hispalensem non alios Ecclesiæ patres. Sciendum enim auctorem cùm agat adversus Judæos, non solùm a citandis Ecclesiæ patribus, sed & a sacris novi testamenti libris cavisse, nullosque illis libros objicere quam veteris testamenti, ceu solos quibus reverentiam habeant & quorum auctoritate moveantur. Itaque P. II cap. 21 de ascensione Christi citat non auctoritatem Isidori, sed variam ejus lectionem locorum duorum scripturæ. Primus est psalmi LXVII: *Psallite Dño, qui ascendit super cælos cælorum ad orientem, quia idem locus est in parte orientis, ubi Christus resurrexit, & unde ad cælos ascendit secundùm Isidorum: vel ad orientem id est ad beatitudinem, in qua æterna claritas semper oritur, sed nunquam occidit.* Et postea Amos IX: *Qui ædificat in cælo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundavit. Hoc intelligitur de Spiritus sancti missione. Sed Isidorus assignat hunc textum: Ædificavit Dominus in cælo ascensum suum, & pollicitationem in terra fundavit.* Id sane leve est, ut exinde arguatur Hispanus, quasi Isidorus non in omnium manibus tunc esset. Est quid clarius quo & Gallum & ordinis Prædicatorum arguas. Sic enim habet P. I cap. IX: *Dicunt etiam* (Judæi) *quod qui deridet Talmuth, turpissima pœna puniatur.* Respondet: *Quare ergo statim non fuit punitus rex Franciæ, qui non solùm derisit, sed & combussit omnes libros Talmuth in regno suo? Et quare non fuerunt puniti Fratres Prædicatores qui hoc procuraverunt?* Certum enim Gregorium IX non solum Franciæ regem, sed omnes alios Hispaniæ, Portugalliæ, Angliæ reges ad librorum illorum combustionem excitasse, nec minus certum Fratres Minores æque ac nostros ut comburerentur institisse. Cur ergo Franciæ regem speciatim memorat, cur Fratres Prædicatores, nisi quia Gallus erat & ordinis Prædicatorum, & a rege Gallo Fratribusque Prædicatoribus gesta ut pote domestica perspectiora illi erant. Locus saltem est dubitandi, & ideo inter dubios reponendus visus est:

Tertio ad id quod dicit Garsias exempli sui alterum codicem etsi diligenter quæsitum se non reperisse, moneo apud nostros Prædicatores Parisienses ad S. Honorati extare codicem MS memb. in 4 & sec. XIV ut ex charactere colligitur, a R. P. Jacobo Quetif anno MDCLXXII emptum.

F. ANONYMUS seculo XIV florens scripsit hoc titulo:

Ars faciendi sermones. Pr. *Hæc est ars brevis & clara faciendi sermones secundùm formam syllogisticam, ad quam omnes alii modi sunt reducendi &c.* Finis: *Et sic est finis. Laus Deo, gloriosæ V. M. & omnibus sanctis ejus anno* MCCCXC *ipsa die veneris post festum B. Ambrosii.*

Cap. 1. docet varios modos descendendi ad *Ave Maria.* Notandum autem ex antiquis sermonariis toto fere seculo XIII a concionatoribus initio sermonis communiter dicta fuisse *Pater noster* & *Ave Maria*, seculo autem XIV morem invaluisse omisso *Pater noster* dicendi tantum *Ave Maria.*

Cujas hic anonymus an noster an aliorum ut deprehenderem in me non fuit: visus tamen non omittendus, ut curiosorum diligentiam acuerem. Plures nostrates similes opellas ea ætate scripserunt. Extat hæc in Victor. cod. 85 chart. in 4 a fol. 12 ad 24.

ANONYMUS GALLUS seculo XIV clarus scripsit hoc titulo:

Vita Clementis VII, ejus scilicet, qui post mortem Gregorii XI, Anagniæ anno MCCCLXXVIII die XX septemb. adversus Urbanum VI papa electus in schismate, sedit Avenione XVI annis, IV diebus minus, & mortuus est die XVI sept. anni MCCCLXXXXIIII.

Hæc vita prima est ex editis a clar. Baluzio T. I Paparum Avenionensium a p. 485 ad 538 quæ antea curis Bosqueti prodierat, sed quam Baluzius ad codd. MS vetustos recognovit, emendavit, & notis uberioribus illustravit. Ut autem hunc scriptorem nostris adjungam & saltem inter dubios referam, facit antiquum monitum p. 522 a Baluzio editum, quod sic incipit: *Dubitans ne auctor hujus chronicæ fuerit de dicto ordine Prædicatorum, in cujus ordinis favorem non plene causam dictæ discordiæ expressit &c.* Cùm hic monitor se Parisiis præsentem fuisse anno MCCCLXXXIX testetur, patet & scriptorem vitæ seculo XIV vixisse.

SCRIPTORES SECULI XIV falso nostris ascripti, & ordine alphabetico recensiti.

F. ADAMUS ANGLICUS sacræ theologiæ magister Parisiensis a Baleo & Pitseo nostris ascri- 1358.
bitur ea solum ratione, quod a Bandello in tract. de conceptione B. V. cap. XXI inter antiquos doctores numeretur, qui S. Thomæ sententiæ suffragati sunt, quæ sane nullius est momenti, alioquin & cæteri eo capite laudati nostris etiam ascribendi essent, quod nemo sanus senserit. Hunc itaque nomenclatoribus nostris omnibus ignotum e numero scriptorum nostrorum eliminare debui.

Ille verò non mihi dubium quin sit F. Adam *Woddeam* vel *Goddham*, aut etiam *Wydekam* dictus ordinis Minorum Oxami discipulus, acerrimus Nominalium sectæ propugnator, quem *Wadingus* & Pitseus in duos dividunt auctores, cùm ex eodem opere unum & eumdem constet esse scriptorem. Scripsit scilicet

Commentarium in IV *libros sententiarum.* Cujus hi in manus meas venerunt codices MS.

Primus in fol. memb. apud nostros Sanjacobeos Parisienses eleganter scriptus. Pr. Scripti primi. *Ista est lex Adam Dñe Deus. II Reg.* VII. *Mirari solent mundi sapientes &c.* Q. I. *Utrum sicut tactum est in collatione, studium sacræ scripturæ sit meritorium vitæ æternæ?*

Pr. Secundi. *Hic est liber generationis Adam. Gen.* V. *Solent inquiri tituli librorum in principiis lectionum &c.*

Pr. Tertii. *In funiculis Adam traham eos. Osee* XI. Idem Pr. IV.

Ad finem: *Explicit lectura reverendi & subtilis bachalarii fratris Adæ Wydekam ordinis Fratrum Minorum.* Altera manu adjicitur: *aliâs Gedam.*

Similis codex est apud Augustinianos ad pon. nov. n. 203. Idem principium. Ad calcem: *Lectura Adæ*, nec additur cognomen.

Duo verò sunt codices in Sorbon. Primus n. 42. Idem princ. *Ista enim est lex Adam &c.* Ad calcem sic legitur: *Explicit lectura sententiarum magistri Adæ de Vodronio abbreviata per magistrum Henricum de Hayta.* Ex quo constat rursus Adamum de Vodronio non alium esse a Wodheamo, quamvis Simlerus a Borstio delusus ceu alterum, illumque Germanum & Carmelitam numeret.

Alter codex Sorbon. n. 513 similis formæ, caret prologo, sed cætera idem est opus. Pr. *Q. I. Utrum*

Sec. XIV. *sicut tactum est in collatione*, &c. eadem. Ad calcem sic legitur: *Explicit lectura fratris Adæ Wozodeani*. In isto codice legitur hæc nota ad finem:

Iste liber est de magna libraria, & fuit extractus in aprili anno MCCCCLXXIII *ante pascha, & fuit tunc traditus in manibus Dni primi præsidentis. Consequenter recuperavimus a dicto primo præsidente, cui traditus fuerat conformiter ad edictum regium. Et quia dum recuperavimus dixit idem præsidens, quod inferraretur, & immobiliter clauderetur, nec aliquis in eo legeret, fuit ordinatum per collegium, quod poneretur in arca thesauri, quæ est in parva libraria, donec aliter fuerit ordinatum circa libros Nominalium. Hoc factum fuit* XXIX *augusti* LXXIIII. Sæva tum orta erat tempestas contra Nominales.

Iste Adam seu Wodham seu Godham seu Wydxam seu de Vodronio appellare placeat, quæ nomina Anglice saltem tria prima idem sonant, nam W idem ac G, & H idem ac K, a Baleo dicitur obiisse anno MCCCLVIII.

F. ANDREAS DE NOVOCASTRO sacræ theologiæ magister, a Baleo, Simlero, Caveo, Dupinio & Oleario nostris accensetur scriptoribus, & Anglis asseritur, sed omnes delusi: fuit enim ille Lotaringus e Novocastro oppido XII milliaribus Gallicis ad Tullum dissito, idem & Franciscanus, suisque ab Wadingo vindicatus, nostrisque nomenclatoribus omnino ignotus. Idem habet Possevinus. Scripsit:

Commentarium in primum sententiarum. Pr. *Circa prologum libri sententiarum quæro, utrum divinum esse nobilissimum omnium aliorum entium, sit aliqua essentia per se una &c.*

Extat MS in Navarr. cod. fol. mag. memb. Ad calcem sic legitur: *Explicit primum super sententias Andreæ de Novocastro*. Simile in Bibl. S. Salvatoris Bononiæ se vidisse testatur Radulphus auctor Seraphicæ histor. scriptorum Conventualium.

Hoc idem scriptum in sententiarum primum typis prodiit Parisiis, Joannis Granjon 1514 fol. Ex his Possevinum & Wadingum emendabis tum cùm dicunt in libros quatuor sententiarum Andreæ hujus commentarium typis editum, cùm nemo unquam viderit nisi in primum, tum cùm typographum corrupte Gratium vel Grantium *pro* *Granjon* vocant. Seculo XIV floruisse omnes asserunt, licèt annum obitus nemo certo indicet.

F. FACINUS ASTENSIS a Leandro fol. 139 b inter nostros laudatur, quod illi aliâs accurato, sed hîc immemori excidit: nam Facinus Eremita fuit Augustinianus seculo XIV clarus & sacræ theologiæ magister Parisiensis, de quo legendi Thomas Gratianus in Anastasi Augustin. fol. 67, Thomas de Herrera Alphab. p. 248, Elssius Encomiast. Augustin. p. 189: qui omnes scripta hujus doctoris in Bibl. S. Marci Mediolan. servari testantur. Alva tamen Sol. Verit. Rad. 213 col. 1523 ibidem diligentissime se quæsivisse asserit, nec reperisse, imo nec ullibi aliâs in manus suas venisse: quod mirum, cùm Parisiis bibliothecam Navarræam lustrasse totam se non uno in loco jactet, ubi mihi hunc certe auctorem non quærenti occurrit:

Facini scriptum in secundum & tertium sententiarum MS.

Codex est in fol. med. memb. Pr. *Quia in prioribus dictum est de Deo quantum ad intrinseca*. Ad calcem sic legitur: *Explicit secundum & tertium sententiarum luculentissimi sacræ theologiæ doctoris F. Facini de Aste magistri universitatis Parisiensis, qui duplicem lecturam super sententias, & super totam philosophiam duplicate scripsit*. Ex hoc codice non falso sed sincere Facinum a Bandello citatum quivis experiri potest.

Hic scriptor seculo XIV floruit, & ante MCCCLXXIII Parisiis licentiatus fuit, nam ab hoc anno & deinceps nomen ejus in indice licentiatorum non comparet.

GODEFRIDUS DE ANSELMIS sic agnominatus a Rovetta ad 1375 & de Pontevico Brixiensis diœcesis ortus, ut ait, ille nempe idem, qui ab Altamura ad eumdem annum *Goffredus*, vel *Gottifredus* incognitus natione, patria & cognomine dicitur, utroque Pium, & Bernardum nostrum de Lucemburgo totius erroris auctorem in suo *hæreticorum catalogo* excipiente, non alius est a Godefrido Viterbiensi presbytero Conradi III, Frederici I, & Henrici VI imperatorum sacellano & amanuensi, quem ferunt anno MCLXXXVI obiisse, quique celebre illud *Chronicon universale* Urbano III papæ nuncupatum edidit, ac ob immensam variarum rerum collectionem *Pantheon* appellavit. Hinc insulsa omnino & prorsus ridenda quæ habet Petrus a Valleclausa in satyrico suo *De immunitate Cyriacorum* libello *Diatriba* 5 *pag.* 10: *Goffridus Viterbiensis*, inquit, *ex Trithemio tantum presbyter fuit, & aula imperialis sacellanus ex Possevino, sed Bernardo de Luxemburgo rem domesticam scribenti proclivius est assensum præstare*: id verò ut dehonestamenta, quibus Goffridum seu jure seu injuria deprimit, in nos resiliant, sed quæ in ventum abeunt, vel potius in ipsum Valclusinum ementitum recidunt, aperte fatendo delusum Bernardum, neque cum Godefrido nobis quicquam præter fidem christianam esse commercii. Nihil verò nisi humanum Bernardo nostro in eo excidit, cùm & similes nomenclatoribus quotidie, ipsi etiam Sotwello S. J. bibliothecario aliquando irrepserint errores. Sic iste Dominicum Lopez libri *de sacræ scripturæ auctoritate* Hispali 1588 ementitum auctorem, qui non alius a Fausto Socino, suis post Possevinum ascivit societatis Ignatianæ scriptoribus, etiam a Valerio Andrea Dessello fraudis hæreticorum monitus, quem sæpius ea de causa suggillat, sed prorsus injuria Ricardus Simon. 1186

F. HAITONUS ARMENUS consanguineus regis Armeniæ ejusque fratris filius, post plura bello præclare gesta militiam secularem abjecit, religiosæque nomen dedit apud Præmonstratenses in insula Cypro circa MCCXC, ut ipsemet narrat in opere suo mox hîc laudando cap. 46. De quo legendus Oudinus ejusdem aliâs instituti, licèt postea infelix ad Calvinianos transfuga Supplementi p. 569. Extat in Colbert. codex insignis MS 3810 hoc titulo: 1307

Flos Historiarum terræ Orientis, quem compilavit Frater Haytonus dominus Curchi consanguineus regis Armeniæ anno MCCCVII *in civitate Pictaviensi regni Franciæ e Gallico in Latinum versus a Nicolao Falconi*.

Typis prodiit pluries hoc opus & varias ejus editiones referunt Oudinus citatus, Caveus, Olearius & alii quos consulas. Non erat quod adeo in Altamuram excandesceret Oudinus, ac peccati mortalis reum ageret, quia ad 1307 Haitonum nostris accensuit scriptoribus, cou qui bona fide, & a Miræo sub dubio an Præmonstratensis an Dominicanus fuerit relictum, ne quem omitteret, referendum putavit. Si quid in eo ex oscitatione peccavit, facile condonandum.

* 1334. F. HENRICUS DE VRIMARIA seu de Frimaria (Germanis litteram V pronuntiantibus ut F) Teuto gente, natione Turingus, patria Vrimaria oppido ad Gotham ortus, professione Eremita Augustinianus, domus Bicurgiensis seu Erphordiensis alumnus, clarebat jam anno MCCXC, & vixit ad annum MCCCXXXIV vel etiam MCCCXL, quo ætatis LXXX ferunt obiisse. De quo legendi Joannes Schiphowerus ejusdem ordinis in chronico Oldenburgensium comitum a Meibomio edito, & Elssius in Encom. Augustin. Plura scripsit & inter alia

Librum de quatuor instinctibus divino, angelico, diabolico & mundano. Pr. *Semen cecidit &c.*

Prodiit typis sub Henrici de Frimaria Erem. Augustin. nomine Venetiis 1498. Ejusdem opusculi codex MS erat apud Matthæum Dresserum virum diligentem, ex quo Simlerus excepit verbo *Henricus* de Vrimaria. Eidem Augustiniano asserit Tritemius p. 241. Nomenclatores ejus familiæ omitto idem uno ore contendentes, & assentitur Bandellus tract. de concep. B. V. cap. 25 in hoc tamen delusus, quod in duos dividat ejusdem ordinis, alterum *de Vrimaria* dictum, alterum *de Vri.*

Allucinandi tamen occasio fuit ille tractatulus: cùm enim ille idem sub nomine *F. Henrici de Firmaria ordinis Prædicatorum* editus etiam fuerit Parisiis apud Joannem Parvi & Jod. Badii 1514 in 12 ad calcem libri de sensibilibus deliciis paradisi sub nomine Bartholomæi Rimbertini ord. Prædic. quæ editio apud nostros Parisienses ad S. Honorati, imo & quædam exempla MS sic inscripta reperiantur, quorum unum mihi est præ manibus, hinc & nostrates plures ordini vindicandum putarunt. Leander primus sic habet fol. 139 a: *Quos sequitur Henricus de Vri* (id est Fri) *homo optima sapientia, & in scripturis valde peritus, nonnulla secum ferens opera quæ edidit Colonia, ubi aliquando theologiam docuerat*: Lusitanus *de Vrimaria* in *de Ferraria* vertens & ad 1390 collocans, quem excipiunt Fernandez, Pius, Altamura & Rovetta ad eumdem annum: Altamura præterea ad 1599 inter eos quorum ætatem sibi ignotam fatetur, alterum nobis profert *Henricum de Firmaria* gente pariter sibi ignotum, cui eumdem *de quatuor instinctibus tractatum* tribuit.

Possevinus utrosque & nostros & alios excipiens, & *Henricum de Ferraria* ord. Præd. ad 1390 florentem tractatus *de quadruplici instinctu* auctorem laudat, & *Henricum de Vrimaria* Augustinianum ejusdem tituli tractatus scriptorem. Et siquidem duplex hujus rationis libellus inveniretur, bene: sed incommode omnino accidit, ut idem a capite ad calcem & Dominicano, & Augustiniano sive in prælo excusis sive in MS asseratur. Itaque fatendum erratum esse apud eos qui nostris accensent, & suis Augustinianis absque contentione deferendum.

* 1386. JOANNES DE BURGO Anglus a quodam recentiore Italo nostris accensendus visus est scriptoribus in suo auctorum moralium ordinis Prædicatorum catalogo, quem in errorem incidit vir cætera eruditus & curiosus, ac in ordinem mirum affectus licèt extraneus ob non visa dicti Joannis opera: fuit ergo iste non regularis, sed in seculo vivens clericus, Cantabrigensis sacræ facultatis theologus, Ecclesiæ Colinghamensis in comitatu Notinghamensi rector, unde ab academia sua Cantabrigiensi aliquando accersitus & electus cancellarius, hoc munere eximie functus fertur. At non diu postea ovium suarum desiderio pellectus Colinghamum reversus est, ubi & diem obiit suum circa annum MCCCLXXXVI. Ejus prodiit opus hoc titulo: *Pupilla oculi compilata anno 1385 per Joannem de Burgo cancellarium Cantabrigensem*, Rotomagi, Petri Olivier 1510 in 4. Quæ editio extat Parisiis in Regia D. 958.

Aliæ laudantur ab aliis editiones. Parisiis, 1510 in 4 vel in 8. Iterum ibidem 1518 in 8: sic Lipenius. Alia etiam hoc titulo: *Pupilla oculi seu liber de septem sacramentorum administratione, de decem præceptis decalogi & reliquis ecclesiasticorum officiis*, Argentorati 1514: sic eruditus Italus citatus penes quos fides. De hoc auctore legendus Pitseus ad annum 1386, ubi opus præfatum ait se vidisse in bibliotheca Benedictinorum Anglorum Delo.

In catalogo codd. MSS Angliæ pluries recensetur hoc opus T. I, P. III nn. 462, 832, 1465, 1629, 2245, ad quem ultimum codicem hanc notam adjiciunt: *Pupilla oculi Joannis de Burgo opus de sacramentis in decem partes divisum, quarum nona tractat de consecratione ecclesiarum, de decimis & vestibus & sepulturis, de feriis & jejuniis observandis. Magnam partem exscripsit collector ex libro, Oculus sacerdotis.*

JOANNES DE MEUN seu *de Mehun* vulgo sic nuncupatus ab originis suæ loco Magduno quarto ab Aurelia lapide ad Ligerim oppido, qui & *Clopinel* agnomine seu gentilitio seu adjectitio communiter dictus est, a poemate vernaculo famoso *Roman de la Rose* notus, a Cruce-Maynio inter scriptores Gallos sublesta satis fide, nulloque teste producto, theologiæ magistris Parisiensibus, nostrisadjungitur Dominicanis. Quem Cruce-Maynium revincunt tum omnia ordinis vetera monumenta, in quibus nulla hujus Joannis memoria, tum speciatim Verderius Cruce-Maynio æqualis in sua auctorum Gallorum bibliotheca, ubi Joannem de Meun non tantùm e numero theologorum Parisiensium expungit, sed & iis exhibet coloribus, qui viro religioso multo minus Dominicano non conveniunt. Refert enim ex libro auctoris Joanni supparis eodemque seculo sub finem viventis, cui titulus est, Somnium prioris Salonii, Gallice *Le Songe du prieur de Saloin*: refert, inquam, ex epistola ad Valentinam Galeatiam Ludovici ducis Aurelianensis conjugem nuncupatoria Joannem de Meun domum & hortos habuisse ad Lutetiam in loco Tornellæ nuncupato, ubi continuo morabatur suaque opera conficiebat, qui in eodem somnio inducitur asserens se dictam domum emisse & ex parte perfecisse, quæ virum secularem suique juris prædia possidentem non religiosum multo minus Dominicanum mendicum demonstrant. Addit Verderius in eodem Somnio Joannem exhiberi veste oblonga pretiosis pellibus variis & alpineis intus assutis ornata indutum, qualem gerebant viri illustres & aulici, nulla ibi religiosi habitus mentio. Merito itaque Joannem hunc a nostris longe abjicimus & amandamus, quos etiam moriens & apud eos sepeliri jubens, eodem teste Verderio ex chronico Aquitanico ejus ætatis, insigni luserit stropha, relicta illis arcâ cærulei lapidis sectilibus laminis conferta, quam tamen ante sepulturam & funeralia peracta non recludi tradive testamento caverat: quæ hominem in ipsis mortis angustiis Sannionem & Scurram, sed a nostris aversissimum evincunt. Vixit dictus Joannes sub regno Philippi Pulcri circa 1300, ad 1310 fortè & ultra. De ejus opere laudato *Roman de la Rose* legendus Gersonus operum T. IV. † 1310.

JOANNES DE NOVOCASTRO ex illustri principum de Novocastro Gallice *de Neufchatel* in Helvetiis oriundus ab Onuphrio Panvinio nostris accensetur Dominicanis, avideque arripiunt Lusitanus in *Chronico*, Fernandez, Pius *P. II lib.* * 1398.

Sæc. XIV. 2 *col.* 200. Fontana in *Theatro.* His omnibus præiverat Leander Albertus fol. 69 b. At ne fidem adhibeam, cogit ipſa ratio qua rem narrant. Volunt nempe a Clemente VII papa Avenionenſi contra Urbanum VI electo anno MCCCLXXVIII Nicolao de S. Saturnino magiſtrum ſacri palatii ſuffectum, & unâ canonicum Æduenſem allectum, exinde quadriennio poſt ac proinde MCCCLXXXII vel ſequenti ad infulas Tullenſes in Lotharingia evectum, demum cardinalem creatum XXIII decemb. MCCCLXXXIII. An canonicus Æduenſis fuerit me latet, ſed anno MCCCLXXI epiſcopum Nivernenſem aſſumtum docent archivi Romani veteres libri, anno MCCCLXXIV ad Eccleſiam Tullenſem tranſlatum produnt ipſæ hujus epiſcopatus tabulæ a R. P. Benedicto de Tullo ordinis Capucinorum in ſua hiſtoria Gallica Tullenſi laudatæ, exinde verò cùm Clementis VII dicti eſſet conſanguineus & cubicularius, ab eo aſcitus eſt cardinalis XXIII decemb. MCCCLXXXIII. Cùm autem tum abſens eſſet a curia, Avenionem advenit IV junii MCCCLXXXIV, ac titulum SS. Quatuor coronatorum ſortitus eſt. Anno MCCCLXXXIX aut circiter ab eodem pontifice delegatus eſt cognitor controverſiæ capitulum Pariſienſe inter & S. Benedicti ejuſdem urbis. Anno MCCCXCII ad epiſcopatum Oſtienſem aſcendit: anno verò MCCCXCIV mortuo XVI ſeptemb. Clemente VII, ipſe tum abſens in Lotharingia magnis itineribus Avenionem contendit, & Petrum de Luna ſub nomine Benedicti XIII jam a XXVIII ſeptemb. electum inveniens, ipſe pro jure dignitatis eumdem XI octobris pontificem conſecravit. At cùm poſtea idem Benedictus viam ceſſionis a ſe juratam, & oblatam ad extinguendum ſchiſma pertinaciter non admitteret, eum deſeruiſſe fertur noſter cardinalis, tumque neſcio quo caſu certe infelici anno MCCCXCVIII in palatio exiſtens fuit combuſtus. De quibus omnibus legeſis clar. Baluzium *T. I Pap Aven. col.* 1315 *&* 1408. Ex his plane evertuntur quæ habet Fontana, conſtat ſaltem magiſtrum ſacri palatii non fuiſſe Nicolao de S. Saturnino ſuffectum anno MCCCLXXVIII Joannem de Novocraſtro, qui jam anno MCCCLXXI Nivernenſi Eccleſiæ præerat epiſcopus & anno MCCCLXXIV vivo tum Gregorio XI ad Tullenſem tranſlatus jam erat. Scio Franciſcum du Cheſne in elogiis cardinalium Gallorum narrare Joannem hunc dignitatum eccleſiaſticarum pertæſum Tullenſem infulam abdicaſſe, veſtemque noſtram induiſſe, tum ad Cartuſianos tranſiiſſe, ſed & hæc ſcio nullis ab eo documentis aſtrui, quæ & facile refelluntur auctoritate ſcriptoris vitæ primæ Clementis VII apud Baluzium pag. 509, ubi agit de ſecunda creatione cardinalium facta XXIII dec. MCCCLXXXIII ſic enim habet: *Dñs Joannes de Novocaſtro Burgundus conſanguineus & cubicularius ſuus tunc epiſcopus Tullenſis*, quæ auctoritas eo magis urget quod hunc ſcriptorem ordinis Prædicatorum fuiſſe vulgo ſentiant. Adde quod referunt Sammarthani in *Gall. Chriſt.* ex actis Vaticanis Joannem in epiſcopatu Tullenſi ſucceſſorem non habuiſſe, niſi cùm Avenionem ingreſſus IV junii MCCCLXXXIV purpuram induit & titulum accepit; tum enim V junii & non antea ſuffectus ei eſt Guarinus. Domnus Buat Cartuſianus cujus teſtimonio utitur Franciſcus du Cheſne ſe in hiſtoria ejus ætatis plane ignarum oſtendit, ceu qui velit hunc Joannem ab Urbano VI ad purpuram evectum. Denique noſter Laurentius Pignon qui jam anno MCCCLXXXIV ſcribebat inter cardinales ex ordine aſſumtos meminit quidem Nicolai de S. Saturnino, ſed non hujus Joannis, nec etiam inter epiſcopos, quem certe aliâs non omiſiſſet. Itaque alius eſt magiſter ſacri palatii Nicolai ann. MCCCLXXIX ſucceſſor, cujus habetur opus anno MCCCLXXX pro defenſione jurium Clementis VII contra Urbanum VI exaratum, in Colbert. n. 814. Vide ſupra ad 1380 Anonymum laudatum.

F. JOANNES DE VINAY Gallus, Delphinas ad S. Joannis *d'Autavean* in ea regione municipium natus e Delphinatum principum ſtirpe partu non legitimo naturalique concubitu genitus, claruit ad annum MCCCXX, Prædicatorumque Fratrum ordinis inſtitutum profeſſus, Vincentii Bellovacenſis Speculum Hiſtoriale, ac Auream Jacobi de Voragine Sanctorum Legendam Gallice reddidit. Sic habet Guillelmus Allard & ipſe Delphinas in ſua Delphinatum ſcriptorum bibliotheca. Sed a vero aberrat quam longiſſime. Nam ut ut ſit de hujus auctoris patria & natalibus, quæ operioſius diſcutere otium non eſt, F. Joannes *du Vignay* non verò *de Vinay* celebris ille ſeculo XIV interpres Gallicus non fuit ordinis Prædicatorum, ſed hoſpitalarius, ut aiebant, ordinis S. Jacobi de Altopaſſu Pariſiis apud ſuos degens quorum Eccleſia etiamnum extat illo eodem nomine vocata: extantque etiam verſionum ab eo ſuſceptarum paſſim in bibliothecis codices MS, quorum aliquos hîc referre ſat erit. † 1348.

1. *La Legende doree traduite en François par le commandement de Jeanne de Bourgogne Reine de France par F. Jehan du Vignay hoſpitalier de l'ordre du Hautpas en* 1348. Codd. Reg. Bibl. Pariſ. 6888, 6889 & 7020. Colbert. 51 fol. memb. At antea Gallice reddiderat.

2. *Cy commence le* 1 *volume du miroir hiſtorial tranſlaté de Latin en François par la main de Jehan de Vignay ſelon lopinion F. Vincent qui en Latin le compoſa a la requeſte de Monſ. ſaint Loys roy de France.* codd. Reg. 6934, 35, 36, 37. Ad calcem quarti ſic legitur: *Cy fine le quart volume du mirouer hiſtorial tranſlaté du Latin en François par F. Jehan de Vignay de l'oſtel S. Jacques du Haut pas.* Sunt & alii plures codices, quos omitto hîc, quia ubi de Vincentio Bellovacenſi omnes a me fuerunt recenſiti.

3. *Les moralitez du livre du jeu des echecs traduit du Latin en François par F. Jehan de Vignay hoſpitalier de l'ordre du Haut pas.* Quam verſionem Joanni duci Normanniæ Philippi VI Valeſii dicti regis Galliæ filio nuncupavit. Cod. Colbert. 1159 fol. memb.

4. *Ci commencent les epitres & les evangiles de tout l'an ſelon l'ordonnance du meſſel a l'uſage de Paris tranſlatées de Latin en François par F. Jehan de Vignay de l'ordre du Haut pas a la requeſte ma dame la roine Jehanne de Bourgogne jadis femme de Phelipe de Valois roi de France ou temps qu'il vivoit. Ce fut l'an de grace mil* CCCXXXVI *ou mois de mai* XII *jour entrant.* Extat codex MS elegans fol. memb. apud noſtros Pariſienſes ad S. Honorati. Videtur hæc prima verſio ab eo ſuſcepta. 2. Speculi hiſtorialis. 3. Legendæ aureæ. 4. Ludi ſcaccorum.

F. MALACHIAS HYBERNUS a Luſitano & ſequacibus & ultimo ab Altamura ad 1308 ex fide Garetii lib. de corpore & ſanguine Chriſti claſſe I noſtris accenſetur ſcriptoribus, & anno MCCCVIII claruiſſe dicitur. At Varæus de ſcriptoribus Hyberniæ p. 65 ordinis Minorum fuiſſe aſſerit, cui aſtipulatur Baleus cent. 14 n. 91. Itaque cum Wadingo nulla nobis de hoc auctore lis erit, ac ſuum vindicanti ultro concedimus, licèt certiora & ætatis & profeſſionis exigere quis ab eo potuiſſet documenta. Ejus opella typis prodiit hoc titulo: †

F. Malachiæ Hibernici ordinis Minorum doctoris theologi, ſtrenui quondam divini verbi illuſtratoris, nec non vitiorum objurgatoris acerrimi

libellus septem peccatorum mortalium venena, eorumque remedia describens, qui dicitur, Venenum Malachie. Parisiis, Henrici Stephani 1518 in 4 pp. 50. Extat in Regia D. 1135.

Conciones etiam reliquisse dicitur.

* F. MARCUS HYBERNUS, ut ex ejus opere conjicere licet, scripsit hoc titulo:

Historia Hybernica pia. Pr. Venerabili ac Deo devota domina G. Dei dono abbatissa, F. Marchus &c.

Hunc scriptorem laudo non quod eum a quoquam viderim nostris ascriptum, sed quia ejus opus mihi occurrit Parisiis in Navarr. cod. MS. fol. med. memb. & eleganti inter alia plura, quorum primum *Vita S. Martini per Severum Sulpitium*, ultimum *Bulla canonizationi S. Dominici* per Gregorium IX. Cum vero Varæus hujus auctoris non meminerit, curiosis Hybernis gratum futurum putavi, si eum illis indicarem, ut cujus ordinis professus fuerit indagent, & litteratos doceant.

* 1376. F. PETRUS AMELIUS DE BRENACO a Philippo Labbe in Indice Bibl. Nov. libb. MS nostris scriptoribus annumeratur, ubi corrupte *de Benaco* legitur, sed vir fuit non accurate ab eo tum cognitus. Fuit enim ille Eremita Augustinianus patria Electensis, Urbani V æditimus & ut aiunt sacrista, Gregorii XI pœnitentiarius & bibliothecarius apostolicus, anno MCCCLXV episcopus Senogalliensis renunciatus, quem ad alias postea Ecclesias translatum volunt, sed quæ majori disquisitione indigent, quam hactenus ab Ughello vel ab aliis præstitum sit. Scripsit

Registrum omnium librorum libraria D. N. papæ distinctum per tabulas compositas juxta serenitatem & aptitudinem intellectus SS. ac BB. D. Rogerii de Belloforti sola Dei clementia Gregorii papæ XI anno Dñi MCCCLXXV *sui pontif. anno* V. Sic Labbeus citatus p. 55 ex cod. Naudeano.

Iter Italicum Gregorii XI anno MCCCLXXVI *mense septembri susceptum.* Præsens & comes aderat, tum adhuc episcopus Senogalliensis. Edidit Papyrius Massonus ex veteri codice qui nunc extat in Colbert. Sic Baluzius Pap. Aven. T. I col. 1196. Ex quibus refellitur Ughellus Ital. Sac. T. II ubi dicit mortuum anno MCCCLXVIII, nec accuratiora sunt, quæ de eo narrantur in Alphab. Augustin.

* F. PHILIPPUS DE PERGAMO, Italus a patria *Bergomo* nunc vernacule dicta, sed quam aliâs Pergamo, & Latine Pergamum pronunciabant, sic nuncupatus, hîc a me recensetur, non quod ab ullo viderim inter nostros numeratum, sed ne ab ejus opere raro, nec ab aliis quos legerim hactenus recensito, si quis in illud incideret, nostrum ut mihi prima specie visum est, cogitet aut suspicetur. Scripsit itaque opus Parisiis in Sorbon. servatum hoc titulo:

Speculum regiminis. Pr. Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine dñi Jhesu Christi, gratias agentes Deo. Ad Coloss. III. In prologo sic de se loquitur. » Unde ego F. Philippus de Pergamo inter primores civitatis Paduæ » minimus, attendens quid orbis terrarum rectoribus maxime expediat, ad hoc ut bene suum regant populum &c. Ideoque ego supra scriptus » hujusmodi regiminis libri speculi speculationem » assumens, illum speculor, qui est speculum sine » macula &c. Insuper etiam noverint universi, quod » ad confirmationem & robur dictorum, doctrinam » venerabilis doctoris sancti Thomæ de Aquino ordinis Fratrum Prædicatorum frequenter non immerito allegare decrevi, qui est revera in morali materia præcipue præcipuus: fuit & propter merita sua bona &c. « Codex est chartaceus fol. n. 1060 tres uncias minimum spissus, & in hoc opere fere omnes theologiæ quæstiones tractantur. SÆC. XIV.

Porro istæ S. Thomæ laudes dubium initio fecerunt, an non esset Dominicanus, præsertim cùm hujusmodi opus apud nomenclatores Bergomatum illustrium non viderem laudatum: tamen quidam Philippus de Pergamo prior monasterii S. Mariæ de Avantia in Padua ordinis S. Benedicti a Trithemio laudatur ad annum 1350 circiter clarus, & dicitur composuisse volumen magnum *super ethica Catonis & sermones*, & alia sed ab eo non visa. An speculum hoc regiminis ejus sit opus discutiant eruditi gentiles.

* SIFFRIDUS MISNENSIS presbyter vulgo dictus seculo XIV floruit & scripsit

Compendium historiarum a creatione mundi usque ad annum MCCCVII.

Georgius Fabricius cum annalibus Misniæ edidit Lipsiæ 1569, sicque ibidem de eo præfatur: » Annalibus Misniæ hunc adjicere auctorem placuit, » & quia Misnensis fuit, & argumentum meo non » valde dissimile tractavit, & quia temporum suorum vir non indiligens. Vixit enim ante annos » ducentos & sexaginta duos. Excerpsi ex illius libris hac epitome, quæ ad nostrum propositum visa » sunt aptissima, & quæ aut in aliis non inveniuntur, aut certe commemorantur brevius vel obscurius. Nam post creationem mundi in suo opere » ea recenset, quæ in libris sacris traduntur, & » historias addit ecclesiasticas sanctorum, quæ apud » scriptores veteres Græcos & Latinos leguntur ornatius & copiosius «.

Altera editio. » Ejusdem Georgii Fabritii Rerum Misnicarum libri VII, qui vitas electorum Saxoniæ & marchionum Misniæ ab ann. circiter M » ad ann. MDLIIII «.

» Misniæ urbis annales ab anno DCCCLXXXVIII « ad MDLXXI, nec non *Siffridi Misnensis presbyteri epitoma ab anno* CCCCLVIII *ad* MCCCVII *complectuntur.*

» Accedit auctarium de Misenorum & Saxonum origine, gestis, mutationibus &c. ex Reneri » Reineccii Germanico Latine versum «.

Hujus collectionis editor Jacobus Fabricius Witebergæ, Grosii 1609 fol.

Tertia editio. Hanc eamdem epitomen Siffridi, ut a Fabricio primum edita fuit in suo, *Illustrium veterum scriptorum, qui rerum a Germanis per multas ætates gestarum historias vel annales posteris reliquerunt*, tomo uno Francofurti impensis Marnii hæredum & sociorum 1613 fol. Pistorius comparere voluit a p. 682 ad 704.

Legendus & de hoc Siffrido Gerardus Johannes Vossius de Hist. Lat. p. 503 ubi sic de eo: *Siffridus presbyter Misnensis chronologus vixit tempore Alberti Austriaci imperatoris. Orditur ab orbe condito, ac progreditur usque ad annum* MCCCVII, *sed Georgius Fabricius resecuit omnia illa, quæ præcedunt annum gratiæ* CCCCLVIII, *atque ex sequentibus quoque plurima præterit. Nempe satis ei visum fuit, si haberemus quæ alii vel neglexissent, vel brevius aut obscurius dixissent.*

Hactenus auctores citati, quorum nullus Siffridum ulli ordini regulari addictum memorat. At Possevinus de eodem agens nostris accenset, & excipit Altamura ad 1307. Non tanta tamen iis mihi fides, ut sine antiquioris scriptoris auctoritate, vel nisi vetera producantur monumenta id testantia, continuo sodalem ordinis Prædicatorum asseram. Interea non omittendus visus est, ut curiosorum diligentiam acuam, moneo solum quod supra lau-

SEC. XIV. dati tacent, regularis ordinis virum exhiberi in catalogo codd. MS Bibl. Paul. Lipsien. a Fellero edito, ubi sic lego p. 314 n. 48:

Siffridi monachi Misenensis compendium historiarum ab initio mundi usque ad Wenceslaum imperatorem. Ibid. *Solemne miraculum de S. Thoma apostolo.* An ejusdem?

Ex hoc codice nisi sit erratum editoris, & Wenceslaus imperator scriptus pro Wenceslao III rege Bohemiæ, appareret Siffridum ad finem usque seculi XIV vixisse, cùm Wenceslaus imperator regnarit ad annum MCCCC, quo ab electoribus exauctoratus est, ac proinde codicem quo usus est Fabricius incompletum fuisse, si non ultra MCCCVII se extendat, vel nisi istud supplementum ab anno MCCCVII ad MCCCC codicis Lipsiensis sit alterius qui Siffrido succenturiaverit: quæ explorent & doceant eruditi bibliothecæ Lipsien. præfecti, ac prætera cujus ordinis monachus fuerit Siffridus.

† 1349. THOMAS BRADWARDINUS a Lusitano eumque excipientibus Fernandez, Pio, Altamura ad 1372, nullo æqualium aut supparium testimonio fultis inter scriptores nostros numeratur, nec felicius ab Oudino ordini Minorum vel invito Wadingo asseritur, quem nullis regularis vitæ aut professionis cœnobiticæ vinculis irretitum certo certius est. Anglus ille fuit Cicestriæ ut quidam volunt natus, Oxoniæ verò litteris humanis ac divinis eximie instructus, qua in academia procuratorum unus anno MCCCXXV electus est, exinde in doctorum collegium allectus ita claruit, ut pro more ejus ætatis profundi laudem & appellationem promeritus sit. Cancellarium ecclesiæ Paulinæ Londinensis egisse vult Goswinus, contra hoc munere functum in academia Oxoniensi contendit Savilius: ut ut sit, ob mores inculpatos eximiamque eruditionem commendante Johanne Strafford archiepiscopo Cantuariensi ab Edwardo III Anglorum rege selectus est a sacris confessionibus minister & arbiter conscientiæ circa MCCCXXXV. In eo verò munere sic se gessit, ut aulæ corruptelarum ne minimus quidem eum halitus afflaverit, sed & regem si quando aberraret a recto, ingenue prudenter tamen argueret, & ad verum, æquumque revocaret. Vacante sede Cantuariensi anno MCCCXLVIII a collegio illius Ecclesiæ rege annuente & probante electus est archiepiscopus, quam electionem non solùm ratam habuisse, sed & priusquam de ea quicquam audivisset, eamdem decrevisse dicitur Clemens VI, adeo fama viri sanctissimi & doctissimi aulam Romanam impleverat, sed gaudium pontificis, regis, & totius regni Angliæ breve fuit. Bradwardinus enim Avenione consecratus, vix in Angliam remearat, & a rege temporalium manumissionem acceperat, cùm morbo correptus intra sex circiter a consecratione septimanas ad superos evolavit anno MCCCXLIX. Plura scripsit, sed præcipuum ejus opus est liber

De causa Dei contra Pelagium, & de virtute causarum ad suos Mertonenses. Prodiit typis edente Savilio Londini per Johannem Billium 1618 fol.

Codices MS hi a me Parisiis visi.

Apud nostros Sanjacobeos Parisienses. Primus antiquior fol. med. memb. *secundam & tertiam partem* tantum habet. Ad calcem sic legitur: *Explicit istud opus de causa Dei contra Pelagincii* (leg. *Pelagium*) *& de virtute causarum virtute Dei causa causarum perscriptum Londoniis anno Domini* MCCCXLIIII.

Aliis duobus codicibus ejusdem formæ & memb. totum opus habetur. In priori initio sic legitur: *Hic incipit Summa venerabilis doctoris Thomæ Bradowardin.* Ad calcem: *Explicit prima pars Summæ magistri Thomæ Bradoardin scripta anno Domini* MCCCLXX *sabbato infra octavas Martini.* In posteriori habentur *secunda & tertia pars* foliis 260. Ad calcem: *Explicit tertia pars summæ mag. Thomæ Bradowardini doctoris eximii scripta & completa anno Dñi* MCCCLXX *quarta die mensis novembris.* Isti duo codices erant ut in priori legitur F. Johannis de Castrotheodorici ord. Prædic. qui ex actis facultatis Paris. anno MCCCLXXIX inter decem licentiatos tertium obtinuit locum. Notandum tres tantum fuisse seculares, cæteros regulares.

In Sorbon. duo sunt codices, primus n. 254 fol. mag. chart. in quo *summa integra.* Alter n. 726 fol. memb. in quo *pars secunda* tantùm, hic dicitur scriptus anno MCCCLVI die XVIII febr. hoc est stylo veteri, novo CCCLVII.

Codices in Angliæ bibliothecis extantes, ut nec alia ejus opera visa sunt recensenda. Videsis Pitseum ea numerantem ad ann. 1350.

F. ADAM BRADVADINUS Anglus Cantuariensis a Pio & Altamura ad 1390 clarus laudatur, quem scripsisse dicunt

Librum contra Pelagianos & fidei hostes.

Sed auctor iste vir est plane suppotititius, nullo nec nostrorum nec externorum testimonio probatus, & ut ex opere quod illi tribuunt arguere quivis facile potest, ex Thoma Bradwardino inscite multiplicatus.

THOMAS DE HYBERNIA a Lusitano & sequacibus imprudenter inter scriptores nostros numeratus, & ab Altamura ad 1465 hoc est ad sesqui seculum integrum postquam claruit relegatus, nec sapientius ab Wadingo eique succenturiantibus ordini Minorum vindicatus, nulli certo familiæ regulari votis mancipatus fuit, sed vergente seculo XIII natus, sociusque exinde Sorbonicus, circa seculi XIV sequentis initia potissimum floruit. 1316. Anno MCCCVI baccalaurei titulo tantum se ornabat nec illum gradum adhuc anno MCCCXVI excesserat, an magisterii lauream unquam adeptus fuerit, & quousque vitam produxerit non inveni, sed moriens libros a se editos Sorbonæ legavit cum pluribus aliis codicibus MS, & summam pecuniæ emendis reditibus pro anniversario suo in perpetuum celebrando. De quo sic legitur in necrologio Sorbonico: *Obiit magister Thomas Hybernicus quondam socius hujus domus, qui compilavit Manipulum florum, & tres parvos tractatus, quos & misit nobis, & multos alios libros legavit, & sex libras pro emendis reditibus pro suo anniversario faciendo.* Videsis Andream Chevillier socium Sorbonicum, ejusdemque gymnasii bibliothecæ olim præfectum in erudita sua dissertatione Gallica *De l'origine de l'imprimerie de Paris p. 62.* Nota solùm titulum magistri nomini præfixum non indicare laurea donatum, nisi iterum subsequatur, is enim erat titulus omnibus ecclesiasticis ea ætate communis. Hæc ejus opera:

1. *Tabula originalium, sive Manipulus florum, secundùm ordinem alphabeti, extracta ex libris* XXXVI *auctorum edita a M. Thoma Hybernico quondam socio domus scholarium de Sorbona Parisiensis civitatis. Prologus: Abiit in agrum & collegit spicas post terga metentium. Ruth ij. Ruth paupercula non habens messem propriam ad colligendum, agrum intravit alienum &c.*

In hoc prologo enumerat auctores XXXVI quos excipit, & in his Alanum magnum *de Maximis theologiæ,* non verò Alanum de Rupe nostrum anno MCCCCLX florentem, ut quibusdam incautis visum est. Extat opus Paris. in Victor. cod. 1050 fol. par. memb. ætatis circiter auctoris, & iterum cod 1177 ejusdem rationis a me visis.

Extat

Extat & in Sorbon. cod. 918 fol. par. memb. Titulus : *Incipit Manipulus florum, sive extractiones originalium, editus a M. Thoma de Hybernia quondam socio de Sorbona* : & iterum cod. 922 fol. med. memb. melioris notæ. Rursus cod. 923 ejusdem rationis. Tit. *M. Thomæ de Hybernia socii Sorbonici Manipulus florum.* In alio codice chartac. in 4, qui collectio est plurium operum theologicorum, dicitur Thomas de Hybernia complevisse Manipulum florum anno MCCCVI.

In Navarra duplex est codex in 4. membr. Apud nostros Sanjacobeos Paris. codex est fol. par. memb. Tit. *Incipit Manipulus florum, sive extractiones originalium a magistro Thoma de Hybernia quondam scholari de Sorbona.* Simile est in Colbert. cod. 4171. Simile in Bibl. Eccl. Remen. Ad calcem : *Hoc opus compilatum est a mag. Thoma de Hybernia quondam socio de Sorbona. Orate pro eo.* Quod indicat post ejus mortem scriptum, & nunquam regularem agnitum. Simile laudatur a Tomasino in Bibl. Patav. p. 59.

Plura exempla recensentur in catal. Angl. T. I, P. II nn. 596, 862, 1379, 2228 : P. III nn. 829, 1741. Iste sic indicatur in catal. *Manipulus florum sive extractiones originalium edita a mag. Thoma de Hybernia quondam socio de Sorbona. Inchoavit Thomas Walleys, absolvit Thomas de Hybernia.* Et sequens 1745 : *Manipulus florum quem inchoavit Johannes Gualensis qui floruit* 1260, *quem ejus morte imperfectum absolvit, & locupletiorem reddidit Thomas de Hybernia qui claruit* 1290. Quæ omnia videntur pura puta glossa Thomæ James, cujus index Bibl. S. Petri Cantabr. exscribitur in catal. Angl. non autem ipsorum codd. MS, tum quia Thomas Walleys & Joannes Gualensis diversissimi fuere homines, hic ordinis Minorum, ille ord. Prædic. supra laudatus, tum quia Joannes Gualensis non anno MCCLX, sed anno MCCLXXXII maxime florebat ut constat ex codice 762 Victor. in quo tum dicitur regens in theologia : tum quia in cod. cit. Sorbon. Thomas de Hybernia dicitur istud opus complevisse anno 1306. Adde illam glossam in omnibus aliis codd. MS non legi, neque verò tanti est ille Manipulus, ut duorum operam expetierit. Recensetur ibidem T. II, P. I nn. 828, 867 & 8129.

Prodiit typis in incun. typog. eleganti charactere Romano Venetiis apud Joan. de Rubeis circa 1492, qua in editione a D. Chevillier laudatâ auctor dicitur ordinis Prædicatorum, & hinc forte natus error eorum qui nostris ascripserunt. Antiquiorem editionem profert Lusitanus Placentiæ 1483 fol. Alias recenset Possevinus : Venetiis 1550, Parisiis 1556, Lugduni 1555 & apud Rouillium 1567 : Antverpiæ Plantin 1568, 1576, 1580 : Coloniæ Ludov. Alectorii 1579. Plures forsan sunt aliæ, & est novissima Lugduni Joan. Certe 1679 in 12. In plerisque posterioribus tomum alterum addiderunt hoc titulo : *Flores bibliorum sive loci communes omnium fere materiarum veteris ac novi testamenti ordine alphabetico digesti*, sub eodem nomine Thomæ Hybernici, quamvis de eo edendo nunquam cogitarit. Quantum ad *Flores doctorum*, quisque novus editor pro libito auxit, ut in ejusmodi operibus facile, adeo ut cùm Thomas XXXVI auctores tantum excerpsisset, jam circa quinquaginta numerentur excerpti.

2. Tria sunt opuscula ejusdem Thomæ in Sorbon. servata, primo cod. 1010 fol. mag. memb. Hi tituli :

1. *Liber de tribus punctis Christianæ religionis, quem compilavit quidam de domo de Sorbona.* Princ. *Incipit liber de regulis omnium Christianorum seu Christianitatis, sive de tribus punctis Christianæ religionis. Continet autem hic tractatus tres punctos essentiales Christianæ religionis, credenda, mandata, prohibitiones. Religio munda & immaculata apud Deum &c.* Ad calcem : *Expliciunt regulæ omnium Christianorum seu Christianitatis, quæ sunt de tribus punctis Christianæ religionis per M. Thomam quondam studentem in domo de Sorbona bacalarium in theologia.*

2. *Commendatio theologiæ ab eodem quæ incipit, Sapientia ædificavit sibi domum &c.* Quæ verba explicat *secundùm triplicem sensum anagogicum, allegoricum & moralem.*

3. *Tractatus ejusdem de tribus hierarchiis tam angelicis quam ecclesiasticis.* Finis hujus : *Et ipsi soli ab illis formaliter absolvere possunt. Explicit.*

Iidem tres tractatus erant aliâs in altero codice 594 fol. par. memb. sed jam deest tertius. Ad calcem autem primi sic legitur : *Ii sunt tres puncti religionis Christianæ collecti per mag. Thomam Hybernicum ann. Dñi* MCCCXVI, *qui opusculum non nimis obscurum, nec nimis prolixum compilare decrevit. Orate pro eo.* Quæ si jungas cum fine superioris, indicant anno illo MCCCXVI fuisse tantum baccalaureum, imo dubium faciunt, an unquam gradum illum superarit. Codices sunt ætatis auctoris, præsertim hic ultimus antiquior.

3. In eadem Sorbon. codex est alius fol. par. memb. Titulus : *Thomas Hybernicus in primum & secundum sententiarum.* Princ. *Circa primam distinctionem quæritur primo utrum sola Trinitate incommutabili sit fruendum &c.* Hos duos primos libros interpretari solebant simplices baccalaurei.

Hæc alia ei opera inscribit Simlerus, *De illusionibus dæmonum & de tentatione diaboli, & de remediis vitiorum*, sed unde hæc exceperit mihi incompertum, nullum horum saltem inter codices MS mihi occurrit.

Lusitanus emendandus cùm hunc auctorem in duos dividit, alterum Joannem de Hybernia p. 152, alterum Thomam de Hybernia dictos, & ambos ejusdem Manipuli florum scriptores, quod ei imprudenti accidit, & facile condonandum.

Undenam aliqui inter quos Wadingus & eum excipiens Varæus Palmerani agnomen acceperint, eique tribuerint, me latet, nulla certe in tot antiquis codicibus hujus cognominis memoria. Adde familiam *Palmer* Anglicam esse non Hybernicam : ex qua fuit *Thomas Palmer* ord. Prædic. a Lelando, Baleo, Pitseo laudatus, sed centum annis isto Thoma de Hybernia posterior, & de quo nos ad 1410.

Historiolam refert Wadingus scilicet Thomam de Hybernia Franciscanum factum pollicem sibi dextrum amputasse, ne ad sacerdotium suscipiendum a superioribus cogeretur : quæ fortè vera est de quodam pio Franciscano hujus ejusdem nominis circa 1270 florente & in Italia in conventu Aquilano mortuo, sed pura puta fabula est de isto socio Sorbonico, quem sua opera indicant oleo sacro presbyterii inunctum, & ut verisimilè beneficio cum cura animarum præditum, præsertim opusculum de tribus hierarchiis. Sui autem plane oblitus est Wadingus, cùm suum Thomam Palmeranum anno 1270 clarum vult magistrum fuisse Jordani de Saxonia Eremitæ Augustiniani quem ad annum 1410 floruisse vult Tritemius, sed etsi Elssius in Encom. Augustin. hunc asserat mortuum anno 1380, certe non potuisset discipulus esse & auditor hominis ad 1270 clari. Jordanus etiam id non dicit, ut putat Wadingus, sed hæc tantum habet libro de Vitis Fratrum 2 cap. 14 : *Magister Thomas Hibernicus olim socius in Sorbona Parisius* : titulum magistri certe nemo

Sæc. XIV. non videt non alia ratione Thomæ dari, quam qua in omnibus codd. MS hactenus laudatis illi datur. Erat enim tum & etiamnum est de baccalaureis agendo, loquendi mos: aliunde Elssius longe alios sui ordinis Jordani præceptores profert.

Finis ſeculi XIV.



SCRIPTORES ORDINIS PRÆDICATORUM RECENSITI, NOTISQUE HISTORICIS ET CRITICIS ILLUSTRATI.

F. THOMAS DE FIRMO.

1401. F. Thomas de Firmo a patria Piceni civitate episcopali tum, nunc metropoli, & a professione sic nuncupatus, vigente diro illo Avenionensi schismate floruit: cùmque iniquis illis temporibus etiam in duas partes scissus esset ordo, mortuo B. M. F. Raimundo Capuano de quo supra qui provinciis pontifici Romano adhærentibus præerat, in comitiis illius obedientiæ generalibus anno MCCCCI Utini celebratis sabbato vigilia pentecostes XXI maii (erat enim num. aur. 15, lit. Dom. B, pascha tertia april.) hic noster Thomas vir magnarum partium eruditione, pietate, ac religione conspicuus magister ordinis electus est & proclamatus. Et quidem asserendæ in provinciis sibi subjectis disciplinæ regulari strenue desudavit, quod & capitulorum generalium sub eo coactorum sex, biennalium trium & totidem triennalium acta comprobant. Qua gratia apud pontifices Romanos Bonifacium IX & Innocentium VII valebat, multa ab eis privilegia obtinuit, inter alia regulæ Fratrum & Sororum de pœnitentia B. Dominici tertii ordinis vulgo dicti confirmationem. Concilio Pisano ratione schismatis extinguendi coacto anno MCCCCIX affuit, ubi ejectis Benedicto XIII sic in sua obedientia Avenionensi dicto, & Gregorio XII pontifice Romano, Petrus de Candia ordinis Minorum cardinalis tit. XII apostolorum summus pontifex electus est Alexander V dictus, cui cum majori parte nostrorum Italorum deinceps adhæsit, idque habuit felicitatis, ut provincias Galliæ quæ dicto Benedicto prius obediebant, eo relicto Alexandro V accedentes sub suum jugum receperit, quæ concordia in comitiis ordinis Bononiæ MCCCCX habitis firmata & stabilita. Aliunde verò pluribus nostrorum Italis iisque primi subsellii viris Gregorio XII Sæc. XV. constanter adhærentibus non levia ab eis habuit incommoda sustinenda: præsertim cùm iis ab hoc se semper pontificem gerente præfectus esset vir egregius ac ejusdem sacri palatii magister F. Hugolinus de Camerino, qui se ejus auctoritate vicarium ordinis generalem præstabat, unde ambo invicem, ut ferebant illa tempora, sese diris devoverunt, nec plena tranquillitas subsecuta est ad concilium usque Constantiense, ad quod tamen non pervenit Thomas, nam postquam nuncius apostolicus utique Joannis XXIII ad Florentinos & Genuenses illos conciliasset anno MCCCCXIII die XXVII aprilis, ut refert Scipio Ammiratus Histor. Florent. T. II, P. I lib. 18 pag. 966 edit. Florent. 1647, certo ante festum S. Michaelis anni MCCCCXIII Genuæ obiit: ejus anniversarius dies in nostris martyrologiis ad diem VII augusti annotatur. Jacet Genuæ in S. Dominici ad altaris majoris dexteram sub tymbo marmoreo cui epitaphium insculptum pedibus conculcantium detritum jam a pluribus annis non legibile. Ejus cum laude meminerunt ordinis Chronica, Leander Albertus, Lusitanus & Pius, qui tamen emendandi cùm ejus obitum prorogant ad MCCCCXIV, cùm certum sit eo anno ei suffectum F. Leonardum de Datis, qui jam magister ordinis agebat, cùm mense novembri ejus anni inchoata est synodus Constantiensis. Assentitur Chronicon parvum ad calcem Constitutionum, sed & Fontana in Monum. & Constitut. Ejus utinam alicubi extent

Sex litteræ encyclicæ e capitulis generalibus quibus præfuit pro more scriptæ. Romæ quidem non habentur, ut nec pleraque acta, sed fortè latent Bononiæ aut Genuæ aut in conventibus Germaniæ, quæ curiosi diligentiam expectant.

Regulam Fratrum & Sororum de pœnitentia B. Dominici a magistro ordinis VII Munione scripta-

Sæc. XV. & ab Innocentio VII confirmatam e Latino Italice reddidit, sic enim refert F. Thomas de Senis in *Tractatu de initio & fundatione dictæ regulæ.* Qui hunc tractatum Thomæ de Firmo tribuunt, ut Lusitanus, Altamura & Rovetta ad 1414 allucinantur.

F. VINCENTIUS DE OLISSIPPONE.

† 1401. F. Vincentius de Olissippone seu *de Lisboa* a patria vulgo nuncupatus, ibidemque ordinem amplexatus, sub Lusitaniæ regibus Alphonso IV, Petro Crudeli dicto, Ferdinando I, & Joanne I claruit, cui ultimo anno MCCCLXXXIII coronæ morte fratris hæredi a concionibus ordinarius, arcanisque consiliis & confessionibus fuit. Sacræ theologiæ jam antea magister in studiis generalibus regens præfuerat, imo ante dirum illud Avenionense schisma anno MCCCLXXVIII exortum provinciæ Hispaniæ quæ & Lusitaniam complectebatur præfectus provincialis, inquisitor unà per totam Hispaniam generalis: nato autem schismate, divisa tum provincia, eaque parte quæ Hispano regi obediebat, cum suo rege Clementi VII papæ Avenionensi adhærente, suumque specialem propterea provincialem eligente, Vincentius in altera parte quæ Lusitanos conventus tantum comprehendebat, & cum rege suo Urbanum VI papam Romanum reverebatur, præfectus perseveravit sub titulo semper prioris provincialis Hispaniæ, unà & inquisitoris, quo utroque ad mortem usque functus videtur. Id enim innuit breve Bonifacii IX Romæ kal. febr. pontif. anno XIII post Vincentii mortem datum, quo postquam dixit se *accepisse quondam F. Vincentium de Ulispona ord. FF. Prad. professum olim in provincia Hispania, inquisitorem hæreticæ pravitatis per sanctam sedem deputatum extra Romanam curiam vita functum*: Statuit & *ordinat, ut ex nunc & de cætero perpetuis futuris temporibus provincialis provinciæ Hispaniæ, qui nunc est & pro tempore fuerit, auctoritate apostolica, quoties sibi videbitur, ab hujusmodi officio amovere, & alium loco sui subrogare, ac etiam inquisitionis officium quoties sibi placuerit tam in præsentia quam in absentia deputati hujusmodi pro tempore exercere possit & debeat &c.* Quibus Hispaniæ provincialem electum & confirmatum simul inquisitorem natum cum facultate subrogandi declarat: cur autem nisi quia Vincentius utrumque in se munus conjungens, utroque summa cum approbatione functus fuerat? vir scilicet erat sermone potens & opere, qui non eruditionis modo sacrarumque luceret laude literarum, sed fidei religionisque ac disciplinæ regularis plurimum æstuaret studio. Hanc enim ut assereret, & saltem apud Lusitanos suos instauraret, conventum *de Bemfica* altero ad Olissiponem lapide, Joanne I rege largiente anno MCCCXCIX erexit, adjunctisque sibi in idem consilium conspirantibus sodalibus pluribus; cum iis primævæ ordinis vitæ magnum edidit exemplum, quod & aliæ brevi Lusitaniæ nostræ domus æmulatæ sunt. Cùm verò is esset Vincentius, cujus solertiæ ac in agendis peritiæ plurimum poneret rex, ab eo Romam anno MCCCC missus est de gravioribus negotiis cum Bonifacio IX acturus: at cùm jam senex esset laboribusque fractus eo in itinere seu eundo seu redeundo diem obiit quinta januarii MCCCCI, non sine sanctitatis opinione vel etiam miraculorum fama. Ex loco ubi decesserat, quem annotare omiserunt scriptores ejus ætatis, corpus Beati viri Bemficam transferri curavit rex Lusitanus, & in ecclesia quam erexerat honorifice recondi. Ejus meminerunt Lopez Hist. Gen. P. III lib. 1 cap. 59 p. 254 & cap. 88 p. 370 & seqq. ubi breve Bonifacii IX supra relatum integrum habet: Sousa Hist. prov. Portug. P. II lib. 2 cap. 1 & seqq. Legendi & alii de SS. ac BB. tractantes qua nostrates qua exteri, inter alios Cardoso *Agiologio Lusitano T. I pag. 47 ad 5 Jan.* Laudat & Altamura ad 1401 & revera in epitaphio antiquo & primo ad tumulum ejus apposito legebatur edidisse.

Varios libros excellentis doctrina tam pro verbi Dei prædicatoribus quam pro scholasticis.

Quos tamen vicissitudine temporum & incuria posterorum periisse queritur Sousa citatus.

Nota. Totius Hispaniæ priorem provincialem diximus, quia sic narrant auctores citati: quia tamen illorum nullus annum indicat quo electus fuerit, id non quasi certum velim a me accipi: fieri enim potuit, ut post exortum schisma in Ecclesia, secuto in Hispaniæ provincia etiam schismate, quæque pars suum habuerit aut jam antea electum, aut a divisione assumtum provincialem, qui tamen uterque totius Hispaniæ se provincialem præstaret, & æmulum ut schismaticum excommunicaret. An autem Vincentius hic revera ante MCCCLXXVIII electus fuerit & toti ac integræ provinciæ imperitarit, an post natum schisma ab ea parte quæ Lusitano regi subjiciebatur, quæque quod Urbano VI obediret saniorem se putabat, electus fuerit, & titulum provincialis Hispaniæ ut sibi debitum absolute vindicarit, nodus est quem haud dubie celebris ille scriptor qui provinciæ Hispaniæ historiam edidit, solverat, sed quam vix spes est unquam a nobis videndam. Sic enim in provincia Franciæ tum temporis duo erant provinciales, & qui pauciores tres aut quatuor Flandriæ Urbano VI addictæ conventus regebat, totius tamen provinciæ prioris titulum affectabat.

F. ANTONIUS PARVUS.

F. Antonius Parvus patria & professione Bononiensis, a quibusdam propterea suppresso agnomine *Parvi* simpliciter Bononiensis dictus, vir fuit, inquit Leander fol. 144 b, scientia, prudentia & elocutione magnus, ac egregius concionator, floruitque circa annum Dñi MCCCCIII, scripsitque, quod seculo sequenti e prælo pluries prodiit ex cod. MS † 1403.

Quadragesimale nuncupatum *Anima fidelis.*

Absque loco 1501 in 8 par. Extat apud nostros Parisien. ad S. Honorati. Venetiis 1505 teste Miræo de Scrip. Eccl. P. II cap. 10. Lugduni, Joan. de Vingle 1506 in 16: Extat Parif. apud Sanctimoniales *Ave Maria* dictas. Parif. 1531 in 8. Erat Insulis venalis anno 1674.

Quæ omnes editiones absque nomine auctoris.

Sermones Dominicales & de Sanctis adduntur a Lusitano, Altamura & Rovetta: & antea Bandellus & sequaces laudarant. Alva Sol. verit. Rad. 235 col. 1588 fatetur Bunderium fol. 35 quadragesimalis Antonii Parvi ord. Prædic. meminisse, at de sermonibus de Sanctis licem nostris scribit, hos contendens a nullo ante Bandellum laudatos. Sed cui probabit Alva catalogos omnes se vidisse? Præterea in plerisque bibliothecis sermonaria MS sunt absque nomine auctoris, nisi forsan in domo cujus erat auctor. Quis neget a Bandello inventos in Bononiensi? Quæ illi fingendi ratio, ubi hoc deficiente innumeri alii occurrebant?

F. BARTHOLOMÆUS FERRARIENSIS.

F. Bartholomæus Ferrariensis a patria sic & professione agnominatus provinciæ Lombardiæ inferioris alumnus inter sacri verbi ora- 1403.

tores illustres laudatur a Leandro fol. 144, dicitürque floruisse ad MCCCCIII cum mox recensito Antonio, nulla tamen ejus opera refert. Lusitanus qui eum collocat ad 1390 de ejus scriptis nihil se assecutum testatur præter

Volumen sermonum.

Qua autem auctoritate eum Altamura ad 1343 & Rovetta ad 1347 collocarint, me latet. Certe Augustinus Superbi in suo *Apparato degli illustri scrittori Ferraresi* eum obiisse asserit anno 1408 ætatis 79. Ut ut sit, hi tres Altamura, inquam, Rovetta & Superbus falluntur, cùm huic Ferrariensi opera supponunt, quæ sunt Bartholomæi Mutinensis de quo nos postea ad 1448.

F. NICOLAUS ANDREAS DE INCONTRIS.

* 1403. F. NICOLAUS ANDREAS DE INCONTRIS Etruscus Senis natus & ordinem amplexus ineunte seculo XV florebat inter verbi divini præcones nominatus, propterea que prædicatoris generalis titulum & honores apud suos consecutus. Hic anno MCCCCIII mense julio scribere incepit

Necrologium cœnobii S. Dominici Senensis etiamnum ibidem servatum MS.

Hic codex laudatur in Actis Sanctorum T. III martii p. 247, & ex eo refertur *Breviculum vitæ B. Ambrosii Sansedonii Senensis ordinis Prædicatorum*: ex quo istud necrologium colligo ad historiam ordinis haud parum commodum & conducens.

F. DAMIANUS ZAVALIA.

† 1404. F. DAMIANUS ZAVALIA Ligur Januensis in sacra theologia magister celebrisque sua ætate verbi divini præco, ab Urbano VI Ecclesiæ Montisregalis apud Insubres a se primum erectæ primus etiam fuit episcopus constitutus anno Dñi MCCCLXXXVIII die VIII junii, quam ubi optimis informasset legibus, nostrosque in suam civitatem induxisset, vocatus a Deo terras reliquit anno MCCCCIV, fuitque in sua cathedrali sepultus. Ejus meminit cum laude Ughellus Ital. sacræ T. IV, Fontana ex eo in Theatro, quibus addit Oldoinus in Athen. Ligust. reliquisse in domo nostra Montisregalis a se erecta servata:

Monumenta litteralia plura.

Decreta a sua diœcesis clericis servanda.

F. HIERONYMUS DE GENUA.

* 1404. F. HIERONYMUS DE GENUA Ligur conventus S. Dominici Januæ alumnus, vir pietate, doctrina, ardenti fidei studio prudentiaque clarissimus, Ecclesiæ Caphensis ad Pontem Euxinum sub metropoli Soltaniensi antistes consecratus circa ann. Dñi MCCCCIV, quo circiter tempore eam civitatem (Theodosiam olim nuncupabant) Genuenses recuperarunt, oves suas sapientissime rexit, quo autem anno diem obierit, nemo indicat. Leander laudat fol. 126 b, Pius, Fernandez & Fontana ad 1404 collocant: Lusitanus in chronico ad decadem 1490 refert, sed ejus locum non esse fatetur, hinc tamen Altamura eum ad 1498, & Rovetta ad 1496 locandi ansam arripuerunt, quibus parca mihi fides, cùm longe antea civitatem illam Genuenses funditus amisissent. Cæterum Rovetta primus hunc inter scriptores numerat, hæcque ei tribuit opera:

Commentaria in libros de cœlo & mundo, de anima & metaphysicorum.

Postillam super septem psalmos pœnitentiales.

Utinam simul ubi hæc serventur, aut cui visa indicasset.

F. PETRUS DE CANALES.

† 1404. F. PETRUS DE CANALES Latine de Canalibus etiam dictus Aragonus sacræ theologiæ magister sub finem seculi XIV & initia sequentis Valentiæ claruit, & theologalem ut aiunt Ecclesiæ Valentinæ cathedram ordini tum addictam rexit, in eaque sacram scripturam interpretatus est ab anno MCCCXCVIII ad MCCCCIV diem XXI octob. ut refert Diagus Hist. prov. Arag. lib. I cap. 21, addens & domus Valentinæ priorem aliquando egisse. Ejusdem meminit Fernandez hisque testibus scripsit

In antiphonam Salve regina *& alia quædam.*

Fuit alter Petrus *de Canales* monachus Benedictinus Tarragonæ natus, & monasterii S. Cucufatis in Catalonia professus, qui jussu Johannis regis Aragoniæ historiam quamdam e Latino in vulgarem sermonem vertit, sed hic nostro longe recentior, quippe quem Antonius Bibl. vet. Hisp. lib. X cap. 12 n. 707 circa MCCCCLX vult claruisse.

F. THEODORICUS DELPHIUS.

* 140.. F. THEODORICUS DELPHIUS a patria Delphis in Batavia cognomen sortitus, Coloniæ Agrippinæ ordini nomen dedit, ubi & evasit sacræ theologiæ magister laureatus studiique regens, eodemque munere functus est Erphordiæ in Turingia. Clarebat anno MCCCCIV Alberti Bavari Hollandiæ & Hannoniæ comitis temporibus, eique fuit acceptissimus, ejusque jussu scripsit idiomate Belgico

Speculum fidei christianæ.

Quod opus MS in fol. vidit vir clarissimus Gisbertus Lappius ab Waveren alterius Gisberti agnominis nepos J. C. Ultrajectinus. Sic totidem fere verbis Ghilbertus de la Haye Bibl. Belgo-Dominic. MS, neque ejus alia mihi aliunde notitia.

F. ANONYMUS.

* 1404. F. ANONYMUS apud Fellerum Bibl. Paul. Lipsien. p. 386 n. 673 laudatus ineunte seculo XV florebat & scribebat hoc titulo:

Liber de notitia orbis, hoc est de sectis carimoniis & novitatibus a Fratre ordinis Prædicatorum anno MCCCCIV. Codex MS.

F. JACOBUS ROMANUS.

* 1406. F. JACOBUS ROMANUS laudatur a Leandro fol. 149 b, quem cùm socium det nostro Dominico *de Peccioli* Pisano, indicat & eodem circiter tempore claruisse, nempe sub finem seculi XIV, & initia sequentis. Leandrum excipiunt Lusitanus, Pius, Fernandez, Fontana in Rom. prov. & Altamura qui collocat ad 1406. Hæc ejus opera:

De victoriis, de persecutionibus, de virtutibus, & de vitiis regum Romanorum liber.

Sermones de tempore & de Sanctis.

Quæ fortè jam alicubi delitescunt neglecta.

F. JOANNES DE NEAPOLI II.

* 1406. F. JOANNES DE NEAPOLI II a supra laudato ad 1330, quem ideo primum diximus, nobis necessario videtur distinguendus, licèt Dominico Gravina, & Vallio eosque excipienti Altamuræ ambos in unum conflare visum fuerit. Alterum enim esse evincit ratio operis ab eo editi, cujus hic titulus:

De quæstionibus status religiosorum.

Sæc. XV. Sæpius citat Joannes Nyderus noster in suo de reformatione religiosorum opere, in quo sic inter alia habet lib. 1 cap. 2 dub. 1: *Hanc quæstionem, an peccet mortaliter inducens aliquem ad ingressum religionis alicujus, aut monasterii regulariter non viventis, movet Joannes de Neapoli ordinis Prædicatorum in utroque jure magnus, libro suo de quæstionibus status religiosorum parte 2 quæst.* 31. Videsis Nyderum pagg. 41, 78, 80, 82 edit. Antverp. 1611 in 8. Auctorem harum quæstionum non esse Joannem de Neapoli primum exinde mihi certum, quod non solum in jure peritum, sed & theologiæ magistrum Parisiensem Nyderus laudasset, præterea quod simile opus ei non ascribant veteres Leander, Lusitanus, Pius, Fernandez: adde ejus ætate de reformatione non actum, disciplina regulari in ordine tum maxime vigenti, & legibus ubique ad unguem observatis. Alterius igitur fœtus est hoc opus & sodalis forsan ac socii Joannis Dominici cardinalis Ragusini reformationis in Italia ineunte seculo XV auctoris & antesignani. Revera nullus ante Nyderum in concilio Basileensi adeo clarum has quæstiones regulares citavit, quod argumentum hunc auctorem ante MCCCCXXX vixisse, nec ullibi certius collocari, quam circa initia hujus seculi XV.

F. MAXIMUS DE SALERNO.

* 1406. F. MAXIMUS DE SALERNO Picentinus provinciæ Regni Siciliæ alumnus, vir pius, & morum integritate conspicuus, florebat anno Dñi MCCCCVI juxta Pium P. II lib. 2 col. 227, ubi citat testem Gregorium Lombardelli, quos excipit Altamura ad 1403, qui tres Maximinum nuncupant, quem tamen Vallius *Maximum* appellat p. 144. Scripsisse dicunt

Vitam B. Catharinæ de Senis in tres libros divisam.

Qua autem lingua vulgari an Latina non explicant, sed nec ubi jam servetur. A quibusdam quos excipit Soëgius Aug. T. II in Suppl. April. p. XCVI dicitur ad instantiam F. Thomæ Naccii, qui idem ac Thomas Antonii Senensis de quo postea ad 1430, in compendium contraxisse vitam ejusdem beatæ a Raimundo de Capua scriptam, cùm hoc tamen compendium ipsi Thomæ Antonii vulgo tribuant omnes. De quibus nulla major nobis notitia.

F. PETRUS DE BRIXIA.

* 1406. F. PETRUS DE BRIXIA Italus a patria in Cenomanis sic nuncupatus & ibidem ad ordinem allectus, vir pius, & sacrarum musarum cultor inter scriptores nostros recensetur ex fide Gregorii Lombardelli in vita S. Catharinæ Senensis, quem Altamura & Rovetta excipientes ad 1406 dicunt scripsisse

Carmen de laudibus dictæ B. Virginis.

F. RAINERIUS PALEARESI.

* 1406. F. RAINERIUS PALEARESI Etruscus Senis nobili loco natus laudatur hîc ex fide Pii P. II lib. 2 col. 226 Gregorium Lombardelli Senensem citantis, quos excipit Altamura ad 1406. Vir summa vitæ innocentia fuisse dicitur, & a quibusdam Beati titulo decoratur. Iis testibus scripsit

Opusculum in laudem B. Catharinæ de Senis.

Quod ubinam servetur, utinam sui prodant aliquando gentiles, & hîc addant. Mirum ab Ugurgierio omissum.

F. ANGELUS DE BARIO.

F. ANGELUS DE BARIO sic a patria Apuliæ Peucetiæ, locoque professionis nuncupatus episcopus Bitectensis fuit, & anno MCCCCVII apud sodales suos Barii agens sublatus est e vivis, & in eorum S. Dominici templo in odeo sepultus, uti tumulo posita etiamnum lectu facilis inscriptio testatur quæ sic habet: † 1407.

Hic jacet D. F. Angelus de Bario episcopus Bitectensis ordinis Fratrum Prædicatorum MCCCCVII.

Sic post Vallium refert Ughellus Ital. Sac. non quidem T. VII ubi agit de episc. Bitect. Sed T. IX in Append. ad T. VII, quam si legisset Fontana, omissum ab illo fuisse non conquereretur in Theatro. At quando & a quo pontifice fuerit Angelus ad hanc sedem evectus difficultas est non mediocris: nam ab anno MCCCXCVII ad XCIX, IV idus maii eam obtinuisse F. Antonium ord. Minor. etsi ab Wadingo non memoratum, docet Ughellus ex lib. obligat. sub Bonifacio IX: huic suffectum fuisse II idus maii ejusdem anni F. Petrum de Aversâ ord. Prædic. & ad ann. MCCCCXXII eam rexisse demonstrat idem ex eodem libro, neque enim ulla fides Fontanæ, qui postquam agnovit hunc Petrum longo annorum decursu hanc Ecclesiam administrasse, mox sui oblitus subdit mortuum anno MCCCCII.

Hunc nodum fortè quis solvat, Angelum de Bario reponendum dicens ante Antonium Franciscanum laudatum, & post Angelum illum alium civem & canonicum Aquilanum ad hanc dignitatem ab Urbano V anno MCCCLXIX, XI kal. decemb. promotum, & cujus nulla post ann. MCCCLXXI memoria, Angelum autem nostrum quocunque anno illi Ecclesiæ datus fuerit episcopus, anno MCCCXCVII abdicasse, cui ansam dederint turbæ ingentes quibus regnum Neapolitanum tum jactabatur, Ludovico duce Andegavensi & Ladislao Caroli Parvi filio de corona illa decertantibus, dum isti Bonifacius IX papa Romanus faveret eumque tueretur, illum verò (nempe Ludovicum) Clemens XII papa Avenionensis, qui eum regem constituerat, sustineret, protegeretque postea Clementis successor Benedictus XIII: hancque abdicationem innuere videtur Angeli nostri in domum ordinis Bariensem receptus, cùm mortuus est: quod ex tabulis Bitectensis Ecclesiæ curiosis disquitendum permittimus.

Monendum hîc apud Vallium grave erratum excidisse p. 152 ubi ait septem annis post mortem hujus episcopi S. Antoninum visitandorum conventuum regni ratione Neapolim venisse, hoc est anno MCCCCXIV: neque enim id habet S. Antoninus, ut putat Vallius, sed ait se anno MCCCCXXIV hoc iter suscepisse, & addit: *Hæc oculis meis vidi, cùm illis diebus ad visitandum conventum Prædicatorum profectus, Neapoli me reperissem*: non ut habet Vallius, *professus Neapolim me recepissem*. Altamura primus Angelum hunc inter scriptores recenset, ut a quo rei litterariæ relicta fuerint hæc opera:

Expositio in epistolas Pauli.

Conciones de tempore & de Sanctis.

Et facile ceu gentili fidem habemus, sed ubinam hæc habeantur saltem MS addere debuisset.

F. HERMANNUS DE LERBEKE.

F. HERMANNUS DE LERBEKE a loco natali vel a familia sic nuncupatus, conventus S. Pauli Mindensis in provincia Saxoniæ professus seculi XV initiis claruit, scripsitque † 1407.

Chronicon comitum Schawemburgensium, quo il-

lustris illius domus genealogiam & gesta ab anno Dñi MXXX *ad* MCCCCIV *prosecutus est.* Pr. *Prologus in chronicam comecia de Schowenberg. Venerabilibus & nobilitate preditis D. Bernhardo Hamborgensi preposito, & D. Ottoni in Schowenborg comiti magnifico suo germano in virginis filio sibi amantissimis, Frater Hermannus de Lerbeke domus S. Pauli in Minda inter Fratres Predicatores minimus, se totum & quidquid peccatores apud altissimum.* Chronicon verò sic incipit: *Anno igitur verbi incarnati* MXXX &c.

Prodiit typis primum curante Henrico Meibomio patre Francofurti, apud Rulandios 1620 in 4. Iterum curis Meibomii filii *Rerum Germanicarum T. I* Helmestadii apud Georgium Wolffgangum Hammium 1688 in fol. a p. 495 ad 520. Plura refert historiam ordinis attinentia & lectu digna. Anno MCCCCVII erat etiamnum in vivis, cùm ad eum annum usque schisma Avenionense adhuc perdurare narret: fortè & ultra vitam produxerit.

Hujus scriptoris meminerunt Vossius de Historicis Latinis p. 545, qui vult Hermannum Chronicon suum produxisse ad MCCCCXIV, Joannes Hallevordius Spicilegio de histor. Latin. Sandius in notis ad Vossium n. 206, Conrigius de finibus imperii Germanici lib. 3 cap. 16, Cyriacus Spangenbergius in Chron. Spangenberg. Petrus Lambecius Rerum Hamburgen. T. II p. 146 partim laudans partim castigans ut alia manu corruptum. De quibus legendus ipse Meibomius junior in prologo T. I cit. p. 491 & in notis pagg. 521, 522, 535, 542 & 547, ubi Germanice versum Lerbecii Chronicon laudat: & T. III in Historia Bardewici pagg. 75 & 76, & in Chronico Riddagshusensi p. 375.

F. HERMANNUS ZITTARDUS.

1408. F. Hermannus Zittardus laudatur a Lusitano eumque excipientibus Pio & Altamura ad 1406, sacræque theologiæ magister dicitur: a Valerio Andrea verò in Bibl. Belg. & Swertio in Athen. Belg. inter scriptores Belgas numeratur, ceu qui ab originis suæ civitate Zitardia vel Sitardia in ducatu Juliacensi agnomen duxerit, Coloniæ autem claruerit anno MCCCCVIII, ac stricta oratione seu metrice scripserit

Manuale confessorum.

F. THOMAS DE ALEXANDRIA.

* 1408. F. Thomas de Alexandria a patria Liguriæ civitate forte & a professione sic nuncupatus, certo provinciæ Lombardiæ alumnus, quod ipse de se testatur, sacræ theologiæ magister, & adversus hæreticam pravitatem Patavii inquisitor generalis seculo xv ineunte claruit. E Latino Hispanice vertit Regulam tertii ordinis seu de pœnitentia B. Dominici, ac bullas apostolicas in ejus gratiam datas a variis summis pontificibus Bonifacio IX, Innocentio VII, Petro de Candia tum Innocentii VII a latere legato, qui postea fuit Alexander V, & Gregorio XII. Extat in Colbert. cod. 5436 chartac. in 4. Titulus:

Regla de los Frayles y Sorores de la orden de penitencia de san Domingo.

Opellam nuncupat Francisco Bembo episcopo Castellano, qui hanc sedem a MCCCCI, VI Kal. aug. ad MCCCCXVI tenuit teste Ughello. Mirum hujus Thomæ Fontanam non meminisse in Theatro saltem inter inquisitores. Sic incipit opella:

Francisco Bembo obispo Castellano Fray Thomas de Alexandria de la provincia de Lombardia maestro de theologia, inquisidor de Padua de la orden de los Predicadores.

F. JACOBUS DE PERUSIO.

F. Jacobus de Perusio a patria sic & professione nuncupatus, vir doctrina, pietate & facundia clarus, ineunte seculo xv floruit, & anno Dñi MCCCCVII ad sedem Narniensem a Gregorio XII evectus est, quam Ecclesiam non diu administravit anno sequenti morte sublatus. Sic referunt Razzius, Pius, Fernandez, Fontana in Theatro, Altamura ad 1407, & Ughellus Ital. Sac. T. I. Hunc Fontana in Provinc. Rom. testatur reliquisse * 1408.

Sermonum volumen.

Revera apud Possevinum in Apparatus Appendice ubi de Bibliotheca Regiensi nostri Eucherii Boneti p. 108 laudantur apud eum extantes

Sermones de sanctis F. Jacobi de Perusio ord. Prædic.

Verùm hic occurrit Oldoinus in Athen. August. dubium ingerens, nam huic Jacobo Perusino episcopo Narniensi non aliud opus tribuit quam

Chronicon Ecclesiæ Narniensis. Ex fide inquit, tabularum Vaticani.

Fuit autem alter *F. Jacobus de Perusio* etiam noster e familia Castelbona seu Raynutia de Alexiis ab Honorio IV dum prior S. Sabinæ Romæ actu ageret ob vitæ sanctitatem præclarasque animi dotes Florentinus episcopus renunciatus anno MCCLXXXVI, sed qui Florentiam ingressus die VIII julii ejusdem anni, & maxima populi lætitia exceptus, quadragesimo post die ingenti civium omnium luctu e vivis ereptus est. Huic vero Oldoinus ascribit

Sermones, qui inquit MS servantur apud nostros Perusiæ & in Foro Cornelii.

Hunc nodum soli solvere possunt gentiles, sermones Perusiæ &c. servatos cum sermonibus Regii Lepidi servatis conferendo, & an iidem sint docendo, hicque addendo: quamvis ambos sermones reliquisse non sit improbabile, imo pro merito cujusque creditu facile obvium & ordinarium.

Alva in suo ludicro *Pleytos de los libros p.* 130 fatetur in indice Bunderii fol. 343 recenseri sermones F. Jacobi de Perusio ord. Prædic. sua ætate Trajecti ad Mosam extantes, sed Lusitano litem movet, quod duos hujus nominis laudet, alterum ad 1261 clarum, alterum episcopum Perusinum ad 1295, quamvis ejus civitatis nullus noster hujus nominis fuerit unquam antistes. Sed notandum Lusitanum laudare quidem Jacobum Perusinum eumque episcopum, sed non addere cujus civitatis fuerit episcopus, quam vel omisit vel ignoravit. Si quid ergo peccavit Lusitanus, non quod duos distinxerit, & unum ex iis episcopum, sed quod non ambos dixerit episcopos, & quod eos non sua sede collocarit, cùm unus ad 1286 episcopus Florentinus, alter ad 1408 episcopus Narniensis ascribendi fuissent, ambo sermonum scriptores. Et per hæc vitiligationibus Alvæ Sol. Verit. Rad. 248 col. 1606 iteratis plene factum satis videtur.

F. GREGORIUS MALESARDUS.

F. Gregorius Malesardus Italus patriaque & professione Cæsenas ab Innocentio VII ad Cæsenatensem sedem evectus anno MCCCCV * 1409. die 11 decemb. gregem suum pacifice gubernavit ad ann. MCCCCIX quo obdormivit in Domino. Ejus inter episcopos meminere Ughellus Ital. Sac. T. II, Pius P. II lib. 2. Fontana in Theatro, at Rovetta primus inter scriptores provinciæ Lombardiæ numerat ad 1409 testatus scripsisse, quod apud nostros Cæsenates servari audivit

Commentarium in evangelium Matthæi.

Sec. XV.

F. BARTHOLOMÆUS BISCIA.

† 1409. F. Bartholomæus Biscia seu *delle Biscie* Italus patria Bononiensis a Joanne Antonio Bumaldo *Minerval. Bononien.* laudatur ceu qui sacri palatii magister fuerit, exinde episcopus Astensis assumtus, quique teste Nicolao Pascalino & Alidosio reliquerit

Commentaria seu Postillas super Evangelia Matthæi & Lucæ & super epistolas canonicas.

His ex parte assentiuntur Ughellus & Fontana inter antistites non quidem Astenses, quorum nullus hujus nominis noster fuit, sed Bononienses numerantes F. Bartholomæum *Biscia* seu *delle Biscie* ortu etiam & professione Bononiensem sacræ theologiæ magistrum, non vero sacri palatii, episcopum tandem Bononiensem & anno MCCCCIX augusti penultima mortuum, & Astæ Pompeiæ apud nostros sepultum: sed a quo pontifice quove anno eam sedem obtinuerit, non indicant. Quibus ut lux detur & certa discernantur ab incertis, nam ista omnia valde involuta sunt & intricata:

Verum est anno MCCCLXXVIII diro exorto schismate Avenionensi, ac mortuo eodem anno Bernardo Lemovicensi Gregorii XI consanguineo Bononiensi episcopo, ei suffectum fuisse a Clemente papa in sua obedientia Avenionensi septimo dicto quemdam F. Bartholomæum ordinis Prædicatorum, & antistitem Bononiensem consecratum. Hic autem cùm Bononiam se contulisset possessionem initurus, rejectus est a clero ejus Ecclesiæ, a quo scilicet electus fuerat ex adverso Philippus Carrapha Neapolitanus Bononiensis antea archidiaconus, ab Urbano VI papa Romano confirmatus episcopus, & in tota diœcesi agnitus: huic Philippo successit anno MCCCLXXXVI Cosmatus Melioratus Sulmonensis ab eodem Urbano VI acceptus & institutus, ad Petri solium postea evectus & Innocentius VII nuncupatus: huic Meliorato suffectus est anno MCCCCXCII Bartholomæus de Raymundis Bononiensis ordinis S. Benedicti mortuus XVIII Kal. julii MCCCCVI: cui demum Gregorius XII papa Romanus Antonium Coriarium Philippi fratris sui filium substituit. Dum hi in obedientia Romana sedem Bononiensem pacifice tenerent, Bartholomæus noster exulare coactus, in partibus Avenionensi papæ subjectis erravit cum titulo Bononiensis episcopi nudo, & demum in conventu nostro Astensi XXX augusti MCCCCIX diem ultimum obiit: quæ fortè Bumaldo & Alidosio allucinandi causa fuerit, eumque episcopum Astensem dicendi, quos revincit insigne hujus sepulcrum in templo nostro Astensi etiamnum visendum, cui ex uno latere insculpta hæc leguntur: *Hic jacet Reverendissimus in C.P. F. Bartholomæus quondam Bononiensis episcopus sacræ theologiæ doctor egregius de ordine Prædicatorum, qui obiit* MCCCCIX *die penultima augusti, cujus anima &c.* In altero verò latere ejusdem tumuli: *Hoc opus fecit F. Proclius de Duracio ejusdem ordinis.* Eidem apposita est tessera gentilitia ejusdem episcopi, *balteis sex argenteis cyaneisque alternatim distincta, apice scutario superante coccineo, leunculis aureis in pedes invicem adversa fronte erectis, & Bysantinum orbem seu nummum ejusdem luminis aurei cruce signatum anticis pedibus præferentibus illustrato.* Eam enim sic refert Ughellus. Ex qua cujus hic episcopus fuerit gente certe illustri, curiosi & feciales detegent nosque docebunt: certe simillima illi quam Frangipanæ genti Romanæ ascribit Silvester a Petra sancta S.I. videtur, sed sapientioris judicium satius est expectare.

Monendus autem lector Ughellum hunc Bartholomæum in duos distinguere, alterum quem Bernardo Lemovicensi anno 1378 sufficit Clemens VII, de quo nos hactenus, quem fatetur a clero populoque Bononiensi rejectum, alterum Bartholomæo de Raymundis monacho nigri ordinis supra laudato & anno 1406 mortuo suffectum quem vocat *delle Biscie* & quem inquit, fortè Benedictus XIII papa Avinionensis creaverit contra Antonium Coriarium a Gregorio XII substitutum. Sed gratis hæc ficta: cùm enim Benedictus ille XIII dictus institutos a papis Romanis non haberet pro veris episcopis, si Bartholomæus a Clemente VII institutus ante 1406 mortuus fuisset, alterum ei continuo non expectata morte episcopi a papa Romano positi substituisset. Itaque cùm nulla sit ratio hos homines multiplicandi, eumdem censemus Bartholomæum a Clemente VII episcopum Bononiensem consecratum & Astæ Pompeiæ anno 1409 mortuum & sepultum. Cur autem hunc Ughellus & ex illo Fontana & Bumaldus *Biscia vel delle Biscie* agnominent & Bononiensem ortu astruant, me latet, nulla enim horum in epitaphio relato memoria: imo potius extratem & sola dignitate episcopali Bononiensem facile censuerim. Utrum autem opera a Bumaldo relata episcopi illius sint fœtus penes ipsum & suum Alidosium sit fides: sed saltem occasio fuit seriem hanc episcoporum Bononiensium dilucidius explicandi.

F. REINHARDUS DE FRONTHOVEN.

F. Reinhardus de Fronthoven Teuto domus nostræ Confluentinæ alumnus, theologus & Ecclesiastes insignis, quem jam a Trithemio laudatum sine anno Eisengrenius refert ad MCCCCX, & ad eumdem annum excipit Altamura, reliquit a se scriptos * 1410.

Sermones de tempore & de sanctis.

F. Bernardus de Franchoven Teuto quidam laudatur a Lusitano ad 1290 florens, sed nullo veteri allato teste *sermonum quam plurimorum auctor*, & excipiunt Possevinus, Fernandez, Altamura ad 1292. Si quis conjecturæ locus, ambos & Reinhardum & Bernardum unum & eumdem hominem esse vehemens mihi suspicio, a Trithemio & Eisengrenio recte Reinhardum nuncupatum, a Lusitano vero non satis attento Bernardum dictum, præsertim cum Reinhardum non laudet, ut nec Trithemius nec Eisengrenius Bernardum. Quæ tamen lectoris arbitrio permitto.

F. JOANNES SCHOOVENDIICHE.

F. Joannes Schoovendiiche Belga domus Brugensis alumnus, cui in spiritualibus & temporalibus non parum utilem fuisse perhibent ejusdem domus acta a Ghilberto *de la Haye* diligentius excussa, clarebat ad annum circiter MCCCCX, ut idem Ghilbertus habet in sua Bibl. Belgo-Dominic. MS, & scripsit † 1410.

Chronicon Flandriæ.

Istud tamen opus fatetur idem etsi diligentius a se quæsitum nusquam sibi occurrisse, nisi forsan inquit alterutrum sit duorum apud PP. S.I. Brugis servatorum, alterum Belgice, Latine alterum scriptum, utrumque anonymum sub hoc titulo: *Chronica principum Flandriæ* ad annum usque MCCCCXXIII.

F. JULIANUS DE MILETO.

F. Julianus de Mileto, quem sic dictum a patria Calabriæ civitate contendit Pius P. II lib. 2 col. 176, Siciliæ verò insulæ indigenam asserit * 1410.

rit & vindicat Rochus Pirrus Sic. Sac. T. III p. 446, vir fuit doctrina illustris, theologiæ magister, & apud suos variis functus muneribus. Fidei inquisitor generalis in dicta insula positus fuit a Bonifacio IX sub annum MCCCXCII, & provinciæ Siciliæ seu Trinacriæ, quæ in schismate ea tempestate flagrante a provincia Regni se abstraxerat, electus prior provincialis anno MCCCXCIII, a rege Martino ceu legato apostolico nato legitur confirmatus XXX april. per litteras Reg. cancellar. fol. 263 insertas, sed & ab eodem rege Sanctimonialium nostrarum S. Catharinæ virginis & martyris ad Panormum prior institutus per litteras anno MCCCXCVII die VIII decemb. datas & Cancellariæ fol. 103 registratas. Cùm autem præsulem Cephalæditanum idem rex ob perduellionem proscripsisset ac e sede ejecisset, Julianum tum provincialem ei suffecit, donec inquit in litteris Catanæ I julii MCCCXCVIII indict. VI datis a sede apostolica fuerit provisum. Bonifacium autem IX assensisse ex eo conjicitur, quod etsi plures ex parte capituli difficultates expertus sit initio, eam tamen Ecclesiam administrarit ad mortem usque, quam ad annum MCCCCX refert Pirrus citatus ex lib. Cancell. fol. 148, simul annotans a Pio cit. falso Joannem apellari, cui non aliud nomen fuerit quam Juliani, ut a Razzio pag. 91 & Leandro fol. 126 b, etiam nominatur. De eodem agit Vallius p. 112 sed non accurate & ex dictis emendandus. Mitto Altamuram qui & Joannem perperam & ineptius ad 1491 amandat.

F. BARTHOLOMÆUS MONTUCCIUS.

1410. F. BARTHOLOMÆUS MONTUCCIUS Etruscus patria Senensis laudatur a Pio P. II lib. 2 ad 1410 inter scriptores ordinis ex Gregorii Lombardelli fide, quem & beatis vulgo accenseri addit. A sacris etiam confessionibus B. Catharinæ de Senis fuisse asserit Altamura, ejus tamen non meminit Ugurgierius *Pompe Sanesi*, nullaque in vita beatæ a Raimundo Capuano scripta ejus memoria. Scripsisse dicunt opus hoc titulo

Itinera Senensium &c. in quo opere plurima dictæ B. Catharinæ habet encomia. Supererat ut docerent ubinam habeatur vel impressum vel MS.

F. THOMAS DE CASSANO.

* 1410. F. THOMAS DE CASSANO sic a patria nuncupatus (Cassanum oppidum haud ignobile in ducatu Mediolanensi ad Adduam fluvium situm indicat Leander in descript. Italiæ) vir ineunte seculo XV doctrina illustris & Ecclesiastes facundus, licèt nostris nomenclatoribus ignotus aut omissus, debetur diligentiæ Petri de Alva, qui Sol. Verit. Rad. 314 col. 2066 testatur se in Bibl. Barber. Romæ vidisse n. 91 codicem memb. in fol. hujus Thomæ continentem

Sermones. Pr. *Reverendissimo in Christo patri Fratri Thomæ de Firmo sanctæ theologiæ doctori profundissimo, ac totius ordinis Prædicatorum magistro generali dignissimo, F. Thomas de Cassano ejusdem ordinis sanctæ theologiæ professor &c.* Neque enim plura ex hac epistola nuncupatoria refert Alva, sed addit fragmentum sermonis de purificatione B. V. cujus thema: *Statim veniet ad templum &c.*

Ex quibus constat, primo erratum forsan typorum apud Alvam, cùm in titulo hujus Radii sic scribit: *De Simone de Cassano ord. Prædic.* siquidem ipso teste in cod. MS legitur non *F. Simon* sed *F. Thomas de Cassano.* Secundò cùm Thomas de Firmo clavum ordinis rexerit ab anno Dñi MCCCCI ad MCCCCXIII, his annis & hunc Thomam de Cassano claruisse. Nostrorum verò Romanorum diligentiæ erit, majorem ex codice ipso Barberino hujus scriptoris notitiam expiscari, hîcque addere, nosque emendare.

F. THOMAS PALMER.

* 1410. F. THOMAS PALMER Anglus nostris accensetur ex fide Lelandi apud Pitseum, quem sacræ theologiæ magistrum multiplici eruditione conspicuum, studioque fidei & pacis Ecclesiæ non mediocri accensum præstant, ac ineunte seculo XV dum schisma Avenionense ferveret, & impii Wiclefi hæresis in Anglia grassaretur, circa MCCCCX claruisse. Addunt & cum Wiclefitis pluries conseruisse, ac semper vicisse, & pro sarcienda Ecclesiæ concordia non parum laborasse, ideoque cùm Londini nostris præesset prior, Ricardo Clifford ejus regiæ urbis antistiti, qui sedit ab anno MCCCCVII ad MCCCCXXI acceptissimum fuisse, & in primis familiarem. Hæc ejus opera testibus Lelando & Pitseo:

Tractatus de unione facienda, sive de tollendo schismate.

De veneratione imaginum. Sic Lelandus. Pr. *Nunquid Dñi nostri crucifixi.* Recensetur in catal. Angl. T. I, P. II n. 535, & apud Thomam James Eclog. Oxon. in colleg. Merton. n. 143, ubi legitur, *Palmer de adoratione imaginum.* A Jamesio citato in catalogo libr. Theolog. p. 49 dicitur Jo. quo indicat nomen ejus *Joannis* fuisse, sed major fides Lelando, Baleo, Simlero & Pitseo, a quibus dicitur *Thomas & ord. Prædic.*

De originali peccato. Sic Pitseus, ex quo & sequentia. Extat eodem cod. cum superiori. Pr. *Ego cùm sim pulvis & cinis*

De veneratione sanctorum. Pr. *Tractatum de SS. veneratione*

De peregrinatione. Pr. *In materia peregrinationum*

De indulgentiis & alia hujusmodi non pauca.

Ex hactenus dictis videas, quantum allucinentur illi qui hunc scriptorem cum Thoma de Hybernia socio Sorbonico seculo integro antiquiore confundunt, & de quo nos supra inter falso & nostris & Franciscanis ascriptos. Videsis ibidem dicta.

F. PETRUS DE FONTELUPORUM.

† 1412. F. PETRUS DE FONTELUPORUM Catalanus domus Tarraconensis alumnus ineunte seculo XV claruit, in Aragonia tum generalis adversus hæreticam pravitatem inquisitor, eaque apud omnes habebatur existimatione, ut post generalia Barcinone in solemniis pentecostes VII junii MCCCCV comitia ordinis celebrata, in provincialibus ibidem continenter habitis XVI junii communibus votis electus fuerit Aragoniæ prior provincialis, & a magistro ordinis F. Joanne de Podionucis præsente die mercurii sequente XVII mensis confirmatus: quod munus summa omnium approbatione gessit ad annum MCCCCXII, quo Calatajudæ morbo correptus die XIX novemb. e vivis ablatus est. De quo legendus Diagus Hist. prov. Arag. fol. 59 a. Scripsit

Tractatum de modo & ratione celebrandi capituli provincialis. Quem a se visum testatur idem Diagus & laudat ut accuratum, addens Petrum in eo se titulo inquisitoris totius regni Aragoniæ insignire. Ejus meminit Antonius Bibl. Hisp. Vet. lib. X cap. I n. 44.

Sæc. XV.

F. JOANNES POLETI.

† 1414. F. Joannes Poleti Gallus Austrasius conventus Metensis alumnus, sacræ theologiæ magister etsi non facultatis Parisiensis, sub finem seculi xiv & initia sequentis floruit sua tempestate vir doctrina & facundia clarissimus. Inquisitor fuit adversus hæreticam pravitatem in regno Franciæ generalis, eoque munere Parisius diutius functus est. In celebri illa novem assertionum Johannis Parvi theologi Parisiensis in defensionem cædis ducis Aurelianensis jussu ducis Burgundiæ perpetratæ denunciatione per Johannem Gersonum ecclesiæ Parisiensis cancellarium anno MCCCCXIII facta, cum Gerardo episcopo Parisiensi sedit judex in concilio fidei ut aiebant ea de causa habito, & auditis a die xxx novembris anni dicti doctorum omnium seu theologorum seu jurisperitorum censuris, post maturam deliberationem tandem Gerardus episcopus & Johannes Poleti inquisitor judices sententiam tulerunt, & publice in aula episcopali pronunciarunt die XXIII februarii ejusdem anni stylo veteri, novo sequentis MCCCCXIV, qua libellus Johannis Parvi rogo addictus fuit: quod Dominica sequenti prima quadragesimæ xxv ejusdem mensis in atrio majoris basilicæ præsentibus ipsis judicibus, simul & qui deliberaverant theologiæ magistris & juris doctoribus, ac innumera ordinum omnium multitudine, manu carnificis præstitum fuit. Alterâ sententiâ eodem die lata novem assertiones prædictæ damnatæ fuere sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ cuicunque illas de cætero asserere aut defendere auso. Obiit autem præfatus Johannes Poleti Rotomagi, quo ob causas sui muneris se contulerat anno MCCCCXVI, fuitque ibidem apud nostros in aula capitulari sepultus, addita ad parietem insculpta hac epigraphe:

Cy devant gist Frere Jehan Pollet mestre en divinité, qui trepassa l'an MCCCC..... *& fut inquisiteur de la foy au roiaume de France*, deletis scilicet temporum injuria posterioribus numeris, quibus annus XVI post MCCCC signabatur.

Ejusdem mentio habetur in chronico MS domus nostræ Metensis sub XXVII priore F. Nicolao Malivicini ad annum MCCCLXXVII his verbis: *Magister Johannes Poleti inquisitor hereticæ pravitatis, doctor excellens, magnusque concionator.*

Hic virtute potens cunctis sacra verba ferebat
Proposito stabilis, religione sacer.

Qui e vita migravit anno MCCCCIV, sed hîc erratum in anno, nam certum anno MCCCCXIV concilio dicto fidei præfuisse. Extant

Acta concilii fidei Parisiis habiti super propositione Johannis Parvi, quam appellat justificationem ducis Burgundiæ de cæde ducis Aurelianensis ab eo perpetrata. Pr. » Universis tenorem subsequentis » nostri processus inspecturis, G. miseratione divina » episcopus Parisiensis, & Frater Johannes Poleti » sacræ theologiæ professor, inquisitor hæreticæ » pravitatis in regno Franciæ auctoritate apostolica » deputatus, salutem in Dño, & pro veritate ca- » tholica decertare. Quoniam inter causas tempo- » ribus nostris ventilatas & discussas causa fidei ad- » versus errores plurimos, qui post septennium » hactenus invalescebant, & si non occursum fuis- » set, fortè prævaluissent in perniciem non medio- » crem totius Christianitatis, non dubitamus fuisse » magnam tam utilitate quam arduitate & solem- » nitate totius regni præsertim quoad errores, qui » in propositione defuncti magistri Johannis Parvi, » quam appellat justificationem ducis Burgundiæ, » reperti sunt, & post examen diligentissimum condemnati. Propterea dignum duximus processum « omnem causæ hujusmodi fideli & authentica re- « latione scriptis demandare, & per notarios nostros « consignare, ne vel oblivione depereat, vel ca- « lumniam sustineat eorum qui fortassis in posterum « satagerent adversari «.

Extant hæc acta Paris. in Colbert. archetypa a notariis ipsis episcopi & inquisitoris Guillelmo Lemieu & Daniele Mothe ad singulas paginas subscripta cod. 264 fol. mag. membr. foliis 140 constante. Ex quo codice hæc acta exscripta in novam editionem operum Gersoni illata fuerunt typis ementitis Antverpiæ 1706 fol. nempe T. V, P. II a col. 49 ad 324.

Non omittendum hîc visum est, quis fuerit ille magister *Johannes Parvi*, cujus propositio seu justificatio ducis Burgundiæ tantas tum turbas excitavit. Id verò tam clare patet ex actis, ut mirum sit viros eximios seculi ultimo elapsi vel etiam præsentis XVIII in eo allucinatos fuisse & quotidie allucinari. Nimirum Normannus fuit sacræ theologiæ magister in facultate Parisiensi, non cujuscunque cœtus regularis sodalis, sed vir sui plane juris, in gymnasio Thesaurariorum ad Sorbonam domicilium habens, cui erat famulus secularis dictus magister *Joannes Joannis* vel *Janis servitor & clericus ejus spiritualis*, & moriens hæredes habuit bonorum suorum propinquos & agnatos. Hæc probant acta concilii fidei citata. Videsis T. V operum Gersoni edit. cit. Antverp. col. 208 & 212 & seqq. Videsis etiam Histor. Univers. Paris. T. V p. 133 ubi referuntur duæ conciones factæ in conventu cleri Gallicani mense novembri anni MCCCCVI, prima a magistro *Petro ad Boves Franciscano*, altera a *M. Joanne Parvi doctore theologo* de subtrahenda Petro de Luna seu Benedicto XIII obedientia: & p. 146 ubi Joannes Parvi dicitur doctor theologus, magni nominis vir, & eloquens sed ventosus. Brevi in his omnibus actis nuspiam invenies titulum *Fratris* nomini Joannis Parvi præfixum, quamvis omnibus cujuscumque cœtus regularis magistris præfigatur: ut mirum sit Boulæum in catalogo illustr. Academ. hujus tomi ad finem, eum Minoritam dicere. Fuit revera quidam Johannes Parvi ordinis Minorum licentiatus anno MCCCC, sed eum alium esse a dicto Joanne Parvi doctore theologo gymnasii thesaurariorum socio acta omnia relata demonstrant. Videantur etiam codices Colbertini 2403, 6225, 6278 in quibus *Justification du duc de Bourgogne sur la mort du duc d'Orleans*, in his omnibus ea ætate scriptis, Johannes Petit doctor theologiæ dicitur, nulla additur nota quæ Fratrem seu Minoritam indicet.

F. PETRUS FLORE.

F. Petrus Flore vel *Flua* Gallus provinciæ Franciæ alumnus, cujus verò domus an Audomarensis, an Divionensis, certo alterutrius professus, in sacra facultate Parisiensi præsentatus Prædicatorum licentiam ut aiunt decurrebat annis MCCCCXII & XIII, ac inter sexdecim licentiatos januario sequenti quem ea ætate MCCCCXIII adhuc dicebant novo stylo CCCCXIV tertium locum ac regularium primum obtinuit. Jam verò anno MCCCCXIII Johannis Poleti de quo artic. sup. inquisitoris generalis Franciæ vicarium agebat, eoque titulo in fidei concilio laudato Parisiis a die xxx novemb. ad xxv febr. sequentis, circa novem assertiones Johannis Parvi a Gersono delatas habito, congregationibus ea de causa frequentibus coactis, cùm aberat inquisitor pluries præfuit cùm Johanne Tuderti licentiato in jure Gerardi episcopi Parisiensis officiali, vota magistrorum excepit, votum etiam 1414.

ipse suum tulit die martis xix decemb. & cùm die lunæ VIII januar. deliberatum fuisset solemnem virum ad ducem Burgundiæ mittendum, qui & modum agendi in concilio exponeret, ne dux de actis conquereretur, communi calculo selectus est *venerabilis vir & religiosus Frater Petrus Floure* (sic enim varie scribitur ejus agnomen) *licentiatus in theologia ordinis Fratrum Prædicatorum*, cui & data in scriptis instructio Burgundo referendorum, qua legatione cum omnium approbatione functus est. Quæ acta videsis T. V operum Gersoni edit. art. super. laudatæ : in qua erratum typorum initio, ubi *Petrus Florendinis* dicitur col. 52, cùm legendum sit *Flore ordinis &c.*

Duci Burgundiæ Joanni, & ejus filio ac hæredi Philippo deinceps adhæsit, eosque sequebatur modo in Belgium modo in Burgundiam : anno MCCCCXIX stylo veteri, novo XX mense januario erat Audomarisani inquisitoris generalis Franciæ munere fungens, & vicarius unâ substitutus prioris provincialis Franciæ pro Picardiæ domibus, tumque litteras Salvæ-gardiæ ut aiunt, seu tutelare diploma a Philippo Bono duce dicto obtinuit die XVII ejus mensis datum pro domo nostra Audomarensi, & in archivis hactenus servatum. Eodem anno erat Divioni, & ejus in domo Prædicatorum ad instantiam ejusdem ducis necem Joannis patris sui a Carolo Delphino occisi vindicare volentis plura instrumenta scripsit. Quandiu postea vixerit & ubi obierit mihi incompertum.

De hoc doctore agit Malletus inter illustres viros S. Jacobi Paris. T. II p. 155, sed non accurate & ex hactenus dictis emendandus.

F. JOANNES MICHELIS.

† 1414. F. JOANNES MICHELIS vel *Michaelis*, & aliquando *Richelis* dictus Gallus Arvernus conventus Claromontensis alumnus vir fuit apud suos ineunte seculo XV clarissimus. Anno MCCCCIII in comitiis provinciæ Franciæ Carnuti habitis electus fuit prior provincialis, de quo sic Chronicon Laurentii Pignon : *Anno Dñi* MCCCCIII *in festo Magdalenæ fuit capitulum provinciale in Carnoto provinciæ Franciæ, in quo capitulo fuit magister Bonitus absolutus a provincialatu, & fuerunt duo electi in provincialem, scilicet magister Clemens Bolengerii de conventu Rotomagensi, qui habuit sexaginta tres voces, & F. Johannes Richelis de conventu Claromontensi, qui habuit sexaginta quatuor, & obtinuit confirmationem.* Pacificum tamen ejus regimen initio non fuisse constat ex sequentibus, sic enim addit idem Laurentius : *Anno Dñi* MCCCCIV *fuit capitulum provinciale in Sancto Audomaro assignatum, sed non potuit ibidem propter pericula guerrarum celebrari, nam villa S. Audomari fuit notabiliter damnificata ab Anglicis circa festum pentecostes, ex quo oportuit capitulum alibi assignari. Fuit autem Lingonis assignatum sed non celebratum, quia major (pars) provinciæ non fuit ibidem propter controversiam electionis præcedentis, quibusdam adhærentibus uni & quibusdam alteri. Quapropter papa* (Benedictus XIII) *tandem declaravit F. Johannem Richelis provincialem Franciæ & fuit capitulum secundo Lingonis assignatum ad festum S. Martini, & fuit tunc capitulum pacifice & concorditer celebratum. Eo munere functus est continenter ad annum* MCCCCXII ex eodem chronico, interea sententias legebat Parisiis in gymnasio Sanjacobeo, completisque agonibus academicis ; licentiæ suæ quartum locum & primum regularium obtinuit anno MCCCCVIII post festum S. Remigii. Concilio fidei articulis superioribus laudato, Parisiis annis MCCCCXIII & XIV habito affuit, & cùm in actis dicatur tantum regens Prædicatorum, signum est jam tum provincialatu cessisse. In iisdem actis habetur ejus SÆC. XV.

Censura de novem assertionibus Johannis Parvi. Adde & unum ex delegatis fuisse ad excipienda cæterorum doctorum vota.

F. LEONARDUS DE DATIS.

F. LEONARDUS DE DATIS Etruscus Florentiæ nobili loco natus est e Datorum antiqua † 1414.
progenie Statio patre, unde & *Statii* cognomentum id ei fuit apud aliquos, quem tamen gentilitio cognomine *de Datis*, plerumque vocant scriptores Florentini. Ordinem in patria in Sanctæ Mariæ Novellæ professus adolescens, is evasit morum gravitate, doctrina, dicendique gratia ac facundia, ut clariores Etruriæ suæ totiusque Italiæ magna nominis sui fama cathedras impleverit, & ad varia superioraque ordinis munia, tum & ad Ecclesiæ patriæque suæ graviora negotia vocatus assumptusque fuerit. Primo enim conventus sui nativi prior electus, Bononiensis postea institutus est fidei generalis inquisitor anno MCCCCVIII, quo titulo insignitur in actis concilii Pisani anno MCCCCIX coacti & ab utriusque obedientiæ Gregorii XII Benedictique XIII unâ coeuntibus cardinalibus celebrati, cui cum ordinis magistro F. Thoma de Firmo affuit, & prima sessione XXV martii publice peroravit. Tum verò si jam non erat, provinciæ Romanæ assumptum priorem provincialem pro ea parte quæ Alexandro V Pisis electo adhæsit, libens censerem, nam certum in ea provincia maximam eo tempore divisionem fuisse, aliis Gregorii XII partes constanter retinentibus, aliis Pisanæ synodi decreta sequentibus, adeo ut in eodem conventu duo sese priores gererent, alter pro Gregorio, alter pro Alexandro & deinde pro hujus successore Joanne XXIII pugnantes, ut speciatim de conventu Mariæ Novellæ tradit noster Joannes Caroli in vita B. Joannis cardinalis Ragusini. Cùm tamen numerosior esset portio quæ Pisano concilio adhærebat, in quo & provinciæ Galliæ aliâs Benedicto XIII addictæ, hoc derelicto ad Alexandrum V & Joannem XXIII accesserant, & F. Thomam de Firmo dictum magistrum ordinis agnoverant, hoc Januæ mortuo anno MCCCCXIII Leonardus ordinis agnitus est vicarius generalis, seu a Joanne XXIII institutus, seu jure quod prior esset provincialis Romanæ, in qua indictum erat capitulum generale in S. Mariæ Novellæ Florentiæ celebrandum. Interea cùm oratores & legatos eodem anno mense junio respublica Florentina mitteret ad Sigismundum imperatorem Tridenti agentem, Leonardum qua erat apud S. P. Q. F. existimatione unum ex eis esse voluit, sed quominus ad Cæsarem perveniret, morbus ei ex itinere superveniens Venetiis intercepit ac retinuit. Anno MCCCCXIV sabbato vig. pentec. XXVI maii in comitiis ordinis Florentiæ coactis ad supremum ordinis regimen evectus est a provinciis Joannis XXIII obedientiæ adhærentibus, moxque ad concilium generale Constantiæ indictum se contulit ac primæ sessioni XVI nov. MCCCCXIV celebratæ affuit. Quanti verò in ea synodo a Patribus habitus sit ex eo perpendas, quod ad graviora quæque negotia, quæ sane plurima fuerunt ab iis admotus fuerit & applicitus, ut constat ex actis curioso lectori adeundis. Cursim tantum dico jam ab ipsis initiis scilicet XXVIII novemb. vel ut aliis placet sabbato I decemb. MCCCCXIV cum cardinalibus Petro de Alliaco Cameracensi, S. Marci de Brancacciis, & Florentino, adjectis F. Antonio de Pareto ord. Min. ministro generali, & sex aliis doctissimis viris hæresiarchæ Joannis Hussi examini dele-

Sæc. XV. gatum fuiſſe : tum VIII martii MCCCCXVI Dom. I quadr. coram tota ſynodo peroraſſe. Demum e triginta viris ex quinque nationibus aſſumptis, qui unâ cum cardinalibus ſummum pontificem deinceps certum & unicum eligerent unum fuiſſe pro natione Italica, qui & cum aliis in Ottonem cardinalem de Columna votum ſuum contulit. Hic verò Martinus V nuncupatus, cùm perſpectas Leonardi dotes egregias haberet, quas in utraque ſynodo Piſana & Conſtantienſi palam fecerat, eumdem cum Petro archiepiſcopo Spaletano & Petro abbate de Roſacco ſelegit, qui ſuo nomine Papiæ primum, quo proximum antea fuerat indictum concilium, tum & Senis quo graſſante lue poſtea tranſlatum fuit & coactum anno MCCCCXXIII præeſſet nuncius apoſtolicus, quo & egregie functus eſt munere a XXII junii anni dicti ad XXVI febr. MCCCCXXIV, uti & acta ipſa teſtantur. Exinde inquiſitorem generalem & commiſſarium apoſtolicum contra Fraticellos ſeu Fratres de opinione nuncupatos inſtitutum in Italiæ partibus volunt quidam inter quos Contelorius, ſed & in mente habuiſſe ſummum pontificem ipſum ut de Eccleſia tot annis optime meritum in proxima creatione purpura decorare communis erat fama : verùm morte præventum ſplendidiorem meritorum coronam a Chriſto accepiſſe. Quam in ſententiam redit tandem Fontana in *Monum.* revocans quæ in *Theatro* nimis leviter Ughello confiſus dixerat reipſa creatum cardinalem anno MCCCCXXVI die XXIV maii, ſed priuſquam nuncius ad eum perveniret, diem obiiſſe. Cenſet enim Fontana quod & certius videtur, mortuum XVII kal. april. ſeu XVII martii MCCCCXXV, nec enim dubium, quin ii fallantur, qui ad anni ſequentis eumdem diem obitum ejus prorogant, cùm ex noſtris monumentis conſtet comitia generalia pro ſucceſſoris ejus electione coacta fuiſſe Bononiæ MCCCCXXVI ſabb. vigil. pent. XVIII maii, in quibus electus F. Bartholomæus Texerii, quod ſane non licuiſſet, ſi duobus tantum antea menſibus Leonardus e vivis abiiſſet. Ejus cum laude meminerunt Pocciantius, Contelorius citatus in Martino V, Ciaconius, Oldoinus, Spondanus, Poſſevinus, noſtrates verò Leander, Luſitanus, Pius, Fernandez, Fontana in *Theatro*, *Monum.* & *Prov. Rom.* Altamura ad 1425 & alii. Videnda potiſſimum Acta Con. Gener. citatorum, præſertim Conſtantienſis V tomis ab Hermanno Vonder Hardt Francofurti 1697 edita. Hæc ejus recenſentur opera :

1. *Sermones duo ſynodales.* Primus in concilio Piſano XXV martii MCCCCIX : alter in Conſtantienſi Dom. prima Quadr. MCCCCXV ad patres & principes dicti. In actis a *Vonder Hardt* indicantur quidem, ſed non unâ prodierunt ; at apud ſuos Florentinos ad S. Mar. Novel. ſervari MS teſtatur Badius noſter in ſua univer. Florent. pag. 116.

2. *Quadrageſimale de petitionibus animæ.* Pr. *Faciem tuam lava &c.* Extat MS in Bibl. S. M. Nov. laudata : tum in Auguſtana, & recenſetur a Reiſero p. 55 ; in Gothana etiam inter codd. MS chartaceos in fol. n. XIX hoc titulo : *Quadrageſimale de petitionibus intitulatum per R. M. Leonardum Statii de Florentia generalem ordinis Prædicatorum ſubtiliter collectum.*

Ex titulo autem & principio hoc opus illud idem eſſe conjicio, quod typis prodiit ſub nomine F. Leonardi de Utino, & ſic incipit : *Sermones quadrageſimales de petitionibus M. Leonardi de Utino* (ad calcem additur *de Florentia*) *ordinis FF. Prædic. &c. nuſquam haſtenus impreſſi, vigilanter viſitati per F. Petrum de Tardito ejuſdem ordinis & conventus Camberiaci*, Lugduni, Joan. Marion 1518 in 8 pp. 245 : Quæ editio apud noſtros Pariſien. ad S. Honorati. Ubi iſta cognominum repugnantia *De Utino & de Florentia*, Tarditum editorem allucinatum demonſtrat, & reipſa in ſuo codice legiſſe *de Florentia* : cùm verò aliunde cognoſceret *Leonardum de Utino* celebrem ſua ætate concionatorem, huic quadrageſimale hoc *de petitionibus* credidit aſcribendum, quod tamen erat alterius *Leonardi Statii de Florentia*, ſed quem ille non noverat auctorem. In hunc eumdem ſcopulum impegit idem Tarditus in ſequenti.

3. *Sermones quadrageſimales de flagellis peccatorum feſtinanter converti nolentium.* Sub nomine *F. Leonardi de Utino* (ad calcem *de Florentia*, ut in ſuperiori) edidit idem Tarditus, Lugduni, Ant. du Ry 1518 in 8, pp. 279. De quo ſit idem judicium ac de ſuperiori. Badius citatus utrumque quadrageſimale MS apud S. Mar. Novel. ſub nomine Leonardi Statii de Datis de Florentia aſſervari aſſerit, cui proinde utrumque reſtituendum. Stylus præterea & methodus cum genuinis Leonardi de Utino non conveniunt.

4. *Sermones de tempore & de ſanctis.* Habentur MS Florentiæ ad S. Mar. Novel. teſte Badio citato : tum & Romæ in Barberina n. 89 tomis duobus ab Alva viſis & laudatis Sol. Verit. Rad. 81 col. 918 & Rad. 142 col. 1266. Quos conſulant ſcire aventes, an de his Alva ſincere loquatur. Regii fuiſſe apud noſtrum Eucherium Bonettum teſtatur Poſſevinus in Append. Idem Alva Rad. 225 col. 1568 aſſerit Joannem Bunderium noſtrum in ſuo celebri codd. MS catalogo fuſe loqui de hoc noſtro Leonardo & de ejus operibus.

5. *Commentarii ſuper libros metheororum Ariſtotelis*, quos apud S. Mar. Novel. MS ſervari teſtatur Badius citatus.

6. *Litteræ encyclicæ ad univerſum ordinem e capitulis generalibus quinque quibus præfuit de more ſcriptæ.* Has cum actis integris alicubi extare nullus dubito, quæ utinam quis rerum ordinis curioſus aliquando retegat, nam Romæ nonniſi acta trium ſcilicet Argentin. MCCCCXVII, Meten. MCCCCXXI & Papien. MCCCCXXIII, eaque mutila jam haberi mihi reſcriptum eſt, quorum & apographum mihi miſſum : ea forſan quis ſi non ſint apud noſtros Bononiæ, in aliqua bibliothecarum Germaniæ, vel Argentinæ vel Auguſtæ vel Lipſiæ aut aliâs diligenter codd. MS evolvens reperiret.

7. In indice Bibl. Mediceæ Pl. LIII cod. I MS papyr. in 4 mag. inter alia habentur primo loco *Leonardi Dati epiſtolæ* XXXII, quarum prima ad Nicolaum Lunam, ultima ad Antonium novum Florentiæ archiepiſcopum anno MCCCCXLVI. Si hæc ultima ad Antoninum jam promotum ad infulas data eſt, hæ profecto epiſtolæ alterius a noſtro anno MCCCCXXV jam mortuo Leonardi ſunt, quod expendant indigenæ : nam aliunde quin plures ad eumdem Antoninum ab anno MCCCCXVIII ad XXV in ordine florentem & variis præfecturæ muneribus fungentem epiſtolas dederit Leonardus noſter non eſt dubium.

Sacri palatii magiſtrum a Gregorio XII anno MCCCCVII aſſumtum Leonardum, & noſtro Jacobo Arigonio epiſcopo Laudenſi tum promoto ſuffectum vult Fontana in Theatro p. 436 : ſed hunc auctorem falli poſtea oſtendetur ubi de Hugolino Camerinenſi, quem in hoc magiſterio dicto Jacobo ſucceſſiſſe apud Gregorium XII ex certis monimentis demonſtrabitur. Itaque ſi magiſterio hoc functus eſt Leonardus, id forſan geſſerit apud Alexandrum V & Joannem XXIII ab anno MCCCCIX ad XIV quo magiſter ordinis renunciatus. Certo in concilio Piſano alio titulo non ornatur quam inquiſitoris Bononienſis : ſi autem illo ſacri palatii magiſterio jam decoratus fuiſſet, id non tacerent acta, ut non ſilent de Jacobo & de Hugolino : &

antiqua documenta Fontana proferre debuisset, ut hoc ei munus sub Alexandro V & Joanne XXIII vindicaret. Imo quidam volunt sub istis pontificibus procuratorem ordinis generalem egisse, quod munus a magisterio sacri palatii semper fuit discretum & alteri commissum: sed & hujus sui dicti antiqua proferre debebant argumenta. Mihi certum tres pontifices in sua quemque obedientia totidem apud se sacri palatii magistros & procuratores generales totidem constituisse & habuisse, superest ut ii certo indicentur. Hugolinus ab anno MCCCCVII ad XV quo abdicavit Gregorius XII, apud hunc sacri palatii magistrum egit: Sanctius a Porta circa MCCCCIV hoc munere fungebatur apud Benedictum XIII: quis ei successerit nemo refert, ut nec qui fuerint apud hos pontifices post concilium Pisanum ordinis procuratores. F. Antonius Coste Delphinas Gratianopolitanus in actis concilii Constantiensis dicitur procurator ordinis generalis, quo proinde munere apud Joannem XXIII jam antea fungebatur. Ista omnia ex actis ejus ætatis facile dilucidarentur, quæ in Vaticano servari pro certo habeo: sed Italis & merito adeo sunt exosa luctuosi illius schismatis Avenionensis tempora, ut quid iis actum sit vix inspicere audeant aut sibi permittant: quod patet in Wadingo qui annales ordinis Minorum toto illo tempore & leviter & breviter perstringit. Plures tamen iique sapientes viri contra agendum putarent, & e re Ecclesiæ ipsiusque summi pontificis esse, ut acta omnia infelicium illorum temporum in lucem ederentur, cùm in quaque obedientia seu vera & legitima seu schismaticis verum ob tenebras tum prævalentes legitimis habitis, viri floruerint illustres, quorum memoriam oblivione deleri sempiterna non decet.

F. ANONYMUS quidam a Diago laudatur Histor. prov. Aragon. fol. 278 a, ex fide Bernardi Sorii circa 1500 scribentis, diciturque Aragonus domus ordinis in oppido S. Matthæi regni Valentini erectæ alumnus & facundus verbi Dei præco, ceu qui scripserit

Sermones quadragesimales de flagellis ingenii auctoris elegantis testes.

Sed non levis mihi conjectura allucinatum Sorium & eum excipientem Diagum: scilicet Sorius invenit codicem sermonum quadragesimalium MS & *de flagellis* inscriptum absque nomine auctoris; & quia illum in domo ordinis apud S. Matthæum reperit, continuo putavit esse sodalis hujus conventus, quod sane levissimum argumentum. Ex titulo verò dubitaverim ego an non sit idem quadragesimale de flagellis Leonardi nostri de Datis supra laudatum. Quod collatione utriusque discutiant sodales ejus domus nosque doceant vel saltem emendent.

CONSTANTIENSI concilio anno MCCCCXIV mense novemb. inchoato & anno tandem MCCCCXVIII mense aprili absoluto plures e nostris cum ambobus magistris ordinis Leonardo de Datis in obedientia Joannis XXIII, & Johanne de Podionucis in obedientia Benedicti XIII affuerunt. Hi recensentur in actis circa damnationem novem propositionum Joannis Parvi.

F. *JOANNES DOMINICI cardinalis Ragusinus.*

F. . . . . *Archiepiscopus Ravennensis.*

F. *AMBROSIUS DE ABIATE Longobardus archiepiscopus Mitylenensis.*

F. *DOMINICUS DE FLORENTIA archiepiscopus Tolosanus.*

F. *MARTINUS PORREE episcopus Atrebatensis.*

F. *JACOBUS ARIGONIUS episcopus Laudensis.* SÆC. XV.

F. *FEDERICUS FREZZIUS episcopus Fulginensis.*

F. . . . . *episcopus Guirnensis.*

F. *LUDOVICUS DE CENSINA provincialis Lombardiæ.*

F. *ANTONIUS COSTE Gallus procurator generalis ordinis.*

F. *HUGOLINUS DE CAMERINO magister sacri palatii apud Gregorium XII.*

F. *THEOBALDUS DE SAXONIA pœnitentiarius.*

F. *HENRICUS DE RIMALDIA.*

F. *ANGELUS DE CAMERINO.*

F. *PETRUS DE MORAVIA.*

F. *ODINUS DE CLAROMONTE.*

F. *HERINANDUS DE SAXONIA.*

F. *HENRICUS DE BASILEA.*

F. *PAULUS bachalarius sacri palatii.*

De horum pluribus speciatim agemus in annis sequentibus, hîc de Ludovico de Censina & sequentibus sacræ theologiæ magistris aut baccalaureis generatim solum dicendum, singulos votum suum seu judicium doctrinale de novem propositionibus ex libro Joannis Parvi excerptis verbo & scripto tulisse: quæ vota T. V operum Gersoni edit. Antverp. anni 1706 edita sunt ex cod. MS Colbert. 264 authentico, & curis ac expensis dicti Gersoni in ipso concilio Constantiensi a notariis publicis scripto. At quia singulis votis nomen deliberantis præfixum non est, quale fuerit nostrorum, jam dici non potest.

ARCHIEPISCOPUS RAVENNENSIS seu potius Ravennas in indice superiori laudatus, cujus nomen tacetur, sed ordinis Prædicatorum præstatur, videtur a Gregorio XII electus, & suffectus Joanni Meliorato Innocentii VII nepoti cardinali S. Crucis in Hierusalem, dum iste a Gregorio XII defecit anno MCCCCVIII & deinceps concilio Pisano & Alexandro V ibidem electo adhæsit: notum enim est Gregorium cardinales qui se deseruerant exauctorasse licèt bruto fulmine, aliosque in eorum locum creasse, ut & in sedibus quarum administrationem gerebant, novos præsules instituisse. Verisimile tamen hunc nostrum sodalem solo titulo gavisum nec fruitum beneficio, cùm omnia tum essent Gregorio adversa, quæ ratio forsan est, cur nec a nostris, nec ab Ughello inter Ravennates numeretur.

EPISCOPUS GUIRNENSIS hîc laudatus mihi æque ignotus ac hujus nominis sedes, nisi sit corrupte scripta a notario, & pro *Guirnensis* legendum sit *Cauriensis*, quæ Hispana est in Extremadura sita sub Compostellana metropoli. Revera F. Garcias de Castronuño Hispanus conventus nostri Taurensis collega Joannis II regis Hispaniæ, & reginæ matris Catharinæ confessarius ad sedem Cauriensem circa annum Dñi MCCCC promotus, ad concilium Constantiense venisse dicitur a Fontana, & anno MCCCCXVIII mortuus ac in Ecclesia nostra Taurensi sepultus. De quo legendus Gil Gonçalez Davila *Teatro de las Españas*, & Lopez P. III p. 306.

F. AMBROSIUS DE ABIATE Longobardus archiepiscopus Mitylenensis anno MCCCCII a Bonifacio IX promotus fuit, & seu a Joanne XXIII, seu quod verius credam, a Gregorio XII ad concilium Constantiense missus est. Est autem hæc Ecclesia metropolitana & archiepiscopalis in insula Lesbo & caput secundæ Cycladum provinciæ, quod mirum a Fontana ignoratum fuisse, adeo ut Mitylenensem Ecclesiam inter episcopales numerarit.

F. FEDERICUS FREZZIUS.

† 1416. F. Federicus Frezzius Umber patriaque & professione Fulginas sacræ theologiæ magister, ac provinciæ Romanæ prior aliquando provincialis seculo XV ineunte claruit, vir doctus & facundus, qui & anno MCCCCIII die XVII octobris a Bonifacio IX datus est Fulginiæ patriæ suæ episcopus, ut habet Ughellus Ital. Sac. Tom. I p. 757. Inter præsules ex ordine qui concilio Constantiensi affuerunt, numeratur T. V operum Gersoni col. 1011 supra cit. & addit Ughellus sessionis XX decretis die XXX januar. seu potius die martis quarta februar. MCCCCXVI subscripsisse, eodemque anno Constantiæ diem obiisse ultimum. Poëticam habuit in deliciis Frezzius, Dantisque ad exemplar scripsit poema hoc titulo:

Quatriregio del decurso della vita humana di Messer Federico Frate dello ordine di San Domenico, eximio maëstro in sacra theologia, e già Vescovo della città di Fuligno, diviso in quatro libri partiali secondo quatro regni.

Nel primo si tratta dello regno dello Dio Cupido.
Nel secondo del regno di Satan.
Nel terzo del regno delli vitii.
E nel quarto & ultimo del regno della Minerva e della virtù &c.

Ex cod. MS centum circiter a morte auctoris annis typis prodiit Venetiis, 1511 in fol. signat. ab a ad m, optimo charactere. Quæ editio Paris. in Colbert. Pr.

La Dea che il tierzo ciel volgendo muove.
Finis: *Sere Dio mio & di che al tonitru.*

Meminit Leander fol. 127, Lusitanus & Possevinus uterque emendandus cùm ad 1515 clarum exhibent, ex ætate editionis, auctoris ætatem forte metientes, Jacobillus in Bibl. Umbriæ, sed allucinatus cùm ejus opus a se non visum putavit ex titulo commentarium esse in quatuor libros Regum.

Ex his videat lector quam insulse Alva in ementito suo *Pleytos de los libros* p. 123 litem Lusitano intendat, quod duos Federicos astruat inter nostros scriptores, alterum Venetum supra ad ann. 1394 laudatum, alterum hunc Fulginatem, cùm amborum diversa omnino scripta e prælo prodierint.

F. SANCTIUS MULIERII.

† 1416. F. Sanctius Mulierii Gallus Occitanus conventus Tolosani alumnus, vir eruditus & gravis magnæque apud proceres & populos auctoritatis, claruit sub finem seculi XIV & initia sequentis. Jam anno MCCCLXXXVIII Tolosæ florebat ejus universitatis sacræ theologiæ magister, & scholæ S. Stephani regens, illoque eodem anno in comitiis ordinis generalibus simul & provincialibus Tolosanæ Ruthenis habitis, quibus aderat, primus fuit decem sacræ theologiæ magistrorum in actores & procuratores electorum & delegatorum pro sustinenda & prosequenda appellatione ab actis in universitate Parisiensi in causa Johannis de Montesono, in quantum tangebant, aut tangere videbantur doctrinam S. Thomæ. Ineunte seculo XV electus fuit episcopus Oloronensis in Bearnia, certè hanc Ecclesiam administrabat anno MCCCVI stylo veteri, novo MCCCCVII kalendis martii, ut constat ex litteris eo die datis, quibus ejus vicarius generalis Ecclesiam S. Martini cuidam Johanni de Borda commendabat. Videsis novam Galliam Christianam T. I col. 1274. Anno MCCCCXVI cùm comes de Fuxo obedientiam a se Benedicto XIII hactenus redditam subtrahere, seque concilio Constantiensi adunare decrevisset, coactis dominiorum suorum tribus statibus, ut aiunt, die XVIII augusti in monasterio de Fuxo tres selegit legatos ad concilium mittendos, hique fuerunt Petrus cardinalis de Fuxo, R. in C. P. Frater Xantius episcopus Olorensis, & Bernardus episcopus Adurensis, qui Constantiam exinde progressi, in sessione XXV die lunæ XIV decemb. ejusdem anni habita comparuerunt, synodo se adhærere protestati sunt, & a Patribus summa cum gratulatione recepti fuere. Sanctius post lectum suum & aliorum procuratorium ex ambone sermonem ad Patres habuit assumto themate, *Congregavit bonos & malos, Matth.* XXII: finito sermone pro collegis loqui pergens, convocationem concilii iterari petiit, qua ab archiepiscopo Mediolanensi facta, & ipse nomine comitis de Fuxo triumque statuum dominiorum suorum concilium convocavit, adhæsionem & adunationem cum patribus promisit, & schedulam confirmationis capitulorum Narbonæ inter legatos concilii & legatos comitis Fuxensis initorum ex ambone publice legit. Constantiæ ad finem usque concilii, hoc est ad diem XXII aprilis anni MCCCCXVIII, quo habita ultima sessio perstitisse facile crediderim, neque enim verisimile Oleronem antea rediisse, ubi tamen eum mortuum asserit Percinus in Mon. Tolos. p. 94, unde corpus ejus ait Tolosam deductum & in nostra S. Thomæ basilica ad altare majus sub tymbo marmoreo sepultum. Ad annum autem MCCCCXX & ultra vixisse probabile, cùm successor ei datus non legatur ante annum MCCCCXXVI ex nova Gallia Christiana. Scripserat

In quatuor libros sententiarum commentaria fusiora.

Horum jam non extat Tolosæ nisi scriptum in primum, in quo codice MS leguntur hæc in nova Gallia Christiana relata:

Iste auctor fuit ordinis Prædicatorum, regens hujus conventus, antecessor in academia Tolosana, nuncius dñi comitis Fuxensis in concilio Constantiensi, & tandem episcopus Oloronensis. Obiit in suo munere pastorali anno Dñi MCCCCXIIII: Sed vel imprudens & recentior hæc scripsit, cùm ex actis constet nonnisi anno MCCCCXVI mense decembri Constantiam advenisse, quo proinde adhuc vegetus erat & florens, vel unum X deesse & pro MCCCCXIV legendum MCCCCXXIV.

De eo legendi Emmanuel a Schelstrate Tract. de Constantiensis concilii decretis in compend. chronol. p. LV, Alva Sol. Verit. Rad. 259 col. 1651: Rerum conc. Constant. Tomus IV a col. 997 ad 1014. Jam supra monui instrumentum procurationis ei & novem aliis ministris in cap. gen. Rutenensi datæ in manus meas venisse, licèt mutilum.

F. THEODORUS POLONUS.

F. Theodorus Polonus ut conjicio visus est hic non omittendus, vicarius enim erat generalis celebris congregationis Peregrinantium pro Christo seu Missionariorum pro fide apud infideles propaganda in Lituania & Græcia & ad Constantinopolim usque, ac a Ladislao Polonorum rege ad concilium Constantiense nuncius missus fuit, qui Patres informaret de incursionibus & gravaminibus intolerandis per equites Livonos Lituaniæ continuò illatis, quæ regionem illam & vicinas ab amplectenda religione Christiana deterrebant, quod & pluribus prolatis instrumentis coram synodo probavit. Videsis Acta concilii Constantiensis curante Hermano Vonder Hardt edita Francofurti & Lipsiæ, 1697 in fol. Tomo IV col. 548. † 1416.

SÆC. XV.

FF. HUGOLINUS & ANGELUS DE CAMERINO.

† 1417. FF. Hugolinus & Angelus de Camerino ambo dicti ab eadem patria Umbriæ civitate episcopali, affines ambo & æquales & ejusdem domus ordinis sodales, viri graves ambo, ambo denique iisdem partibus Gregorii XII ita addicti eique sic fideles, ut quamdiu se summum pontificem gessit, ei indivulse adhæserint, etiam post concilium Pisanum & electionem Alexandri V, nec nisi eo mittente ad concilium Constantiense accesserint. Primus Hugolinus, inquit Leander fol. 139 b *sacrarum litterarum interpres, virque doctissimus fuit, qui anno Dñi* MCCCCIV *florens de sua doctrina periculum fecit, quapropter sacri palatii magister factus est, quo in officio sic se habuit tum docendo tum disputando, ut omnes visa tanti viri doctrina, memoria tenacitate & eloquentia in dicendo, in summam admirationem ducerentur. Diu enim fuit in Romana curia & ab omnibus dilectus & observatus.* Quod Leandri testimonium non leviter pensandum est, cùm enim doceat Hugolinum doctrinæ suæ periculum primum anno MCCCCIV in aula Romana fecisse, & exinde sacri palatii magistrum allectum, hinc certo evincitur Jacobo Arigono ex illo magisterio ad Laudensem Ecclesiam anno MCCCCVII die XXVI febr. promoto, tum ei a Gregorio XII suffectum, eoque munere apud eum functum ad annum usque MCCCCXIV, quo unà cum Joanne Dominici cardinali Ragusino ad concilium Constantiense missus est. Quod præterea probat index supra relatus sodalium ordinis Prædicatorum qui huic concilio affuerunt ad finem operum Gersoni nempe T. V p 1011 Edit. ultimæ Antverp. legendus, & ex cod. Colbert. 264 authentico exceptus, in quo diserte dicitur *Hugolinus de Camerino sacri palatii magister in obedientia dudum Gregorii XII.* Priusquam verò eo accederet, quam fidus Gregorio fuerit hinc patet, quod cùm magister ordinis Thomas de Firmo ad concilium Pisanum anno MCCCCIX se contulisset, & Alexandrum V in eo electum summum pontificem agnovisset, quem secutæ sunt provinciæ ordinis non solum Galliæ, sed & pleræque Italiæ, Hugolinus Gregorio indivulsus adhæsit, nec ut eum desereret aut minis aut pœnis persuaderi potuit: proptereaque ab eo pontifice vicarius generalis ordinis in sua obedientia institutus est, nec paucos nec indoctos, imo primi subsellii viros & in ordine spectatissimos, inter alios Angelum de Camerino sacræ theologiæ etiam magistrum habuit sibi adærentes. Hinc qui mos tum erat in diri ejus schismatis plusquam Cimmeriis tenebris, ut unius obedientiæ sectatores alteri obedientiæ addictos pœnis gravioribus vel etiam excommunicatione casso tamen fulmine ferirent, magister ordinis Thomas de Firmo de Hugolino ejusque asseclis sic statuendum censuit in comitiis ordinis anno MCCCCX Bononiæ celebratis. *Tit.* Pœnitentiæ: *In primis quia F. Hugolinus de Camerino sacræ theologiæ magister provinciæ S. Dominici divisiones & turbationes nisus est & nititur suscitare & fovere, ac se vicarium generalem ordinis ex parte Angeli de Corrario per generale concilium Pisanum depositi & damnati nominare præsumsit, nec non & reverendissimum magistrum ordinis per suas litteras ad diversas provincias missas ex ignorantia vel malitia infamavit, quod submisisset ordinem nostrum Fratribus Minoribus, & alia plura in derogationem officii magistratus, atque fomentum perniciosi schismatis temerarie & scribere & facere præsumsit, ipsum fore schismaticum & excommunicatum denunciamus, carcerique per sex annos condemnamus, bonisque omnibus sibi ad usum concessis privamus, eidem provinciæ S. Dominici applicantes: easdemque pœnas incurrere volumus complices infrascriptos, videlicet Fratres Angelum de Camerino sibi affinem sacræ theologiæ magistrum, Jacobum de Lignaco* (Liniaco) *conventus Paduani ejusdem provinciæ, qui ex sua pravitate sathanas nominatur, per hoc confirmantes sententiam contra eos latam in capitulo provinciali immediate præcedenti ejusdem provinciæ, & Natalem de Venetiis: item Fratres Stephanum sacræ theologiæ magistrum, & Antonium Francisci ambos de Florentia, per hoc approbantes sententiam contra eos latam per capitulum provinciale Romanæ provinciæ immediate præcedens.* Sic in invicem durante schismate furebant variarum obedientiarum sectatores seseque mutuo diris devovebant: cæterum hæc sententia ratione tantum schismatis lata, Hugolini & Angeli & sociorum meritis nihil plus offecit, quam sententiæ Gregorii XII in Alexandrum V & Benedictum XIII eorumque asseclas fulminatæ ipsis nocuere. Imo quantæ auctoritatis quantæque existimationis in Gregorii XII partibus haberentur ostendit, cujus rationem certiorem arbitrabantur, & doctissimi sanctissimique viri etiam post concilium Pisanum defenderunt, usquequo ipse libere abdicans concilio Constantiensi acquievit. Quo in concilio revera Hugolinus & Angelus cum honore excepti & habiti suas partes tenuerunt, & de controversiis in eo propositis, præsertim de novem propositionibus Joannis Parvi a Gersono denunciatis itidem ut alii theologi judicium suum doctrinale verbo & scripto tulerunt, quod non dubito quin editum sit in edit. laudata operum Gersonii tomo quinto sub finem, sed quale fuerit, jam deprehendi nequit ob rationem jam allatam, nempe quod cuique nomen deliberantis non sit affixum. Quandiu postea vixerit Hugolinus ut & Angelus, non produnt annales nostri, sed tantum Hugolinum reliquisse

Sermones quadragesimales & Dominicales ut & de sanctis per annum.

Ejus meminerunt Altamura ad 1384 & Rovetta ad 1379, uterque præpostere. Sed hîc potissimum emendandus Fontana, qui duos Hugolinos distinguit, unum magistrum sacri palatii ab anno 1385 ad 1395, alterum vicarium generalem ordinis a Gregorio XII institutum, quem inquit solum perculit sententia Bononiæ anno 1410 lata, non primum. Sed eum falli & testimonium Leandri & alia monumenta ejus ætatis allata, unicumque & eumdem esse Hugolinum sacri palatii magistrum & vicarium generalem anno 1409 declaratum invicte demonstrant. Unde etsi Fontanæ diligentiæ multum debeatur, quod magistrorum sacri palatii syllabum seu catalogum adornarit, fatendum tamen est in ejus indice & quoad chronologiam, & quoad viros eo munere insignitos, & quoad eorum inter se ordinem plura emendanda & addenda superesse. Aliud Altamuræ erratum notandum, qui præter hunc Hugolinum de Camerino, alterum ejusdem nominis collocat ad 1500 sermonum etiam scriptorem, sed cùm non alium afferat testem quam Fernandem, apud quem nonnisi unicus laudatur, multiplicationem esse ejusdem hominis certum habeo.

F. MATTHÆUS GRABEEN.

F. Matthæus Grabeen Saxo in diœcesi Mersoburgensi natus domus verò Wismariensis tum provinciæ Saxoniæ alumnus, theologus nominatus, initio seculi XV lectorem agebat Groningæ apud nostros, tumque nimio status regularis ardens studio, in quosdam errores prolapsus est. Cùm enim plures utriusque sexus videret cœtus † 1418.

Sæc. XV. novos congregantes, novæ religionis habitum sed non approbatum assumentes, statuentes sibi ipsis superiores pro libitu voluntatis, sub simulata devotione populum attrahentes, & multa contra veritatem sacræ scripturæ ac sacros canones attentantes, ut quidem ipsi videbatur (nam nuda ejus verba in suo ad Martinum V libello supplici refero) & de eleemosynis Christi fidelium domos sumptuosas ad modum monasteriorum regularium ædificantes, & se in eis includentes cum observatione quorumdam rituum minime per Ecclesiam approbatorum, scripsit hoc titulo opusculum:

F. Matthæi Grabeen conclusiones contra devotarias extra congregationem approbatam viventes. Laudatur in Elencho Sanderi P. II p. 194. Pr. *Suppono me primo quod non intendo infrascripta neque quomodolibet alia pertinaciter defendere &c.*

Qui libellus de hæresi postulatus & denuntiatus in concilio Constantiensi, a Martino V tredecim theologis primi nominis traditus est examinandus, judice constituto Angelo Barbarico Veneto cardinali Veronensi. Cùm autem Petrus cardinalis de Alliaco & Johannes Gersonus cancellarius Parisiensis XVII conclusiones seu assertiones ex eo libello excerptas, alias hæreticas, erroneas alias, & alias scandalosas definivissent, quibus & alii censores assenserunt, & decretum conforme emanasset: sententiæ acquievit Matthæus præsens in concilio, seque corde & ore puris professus est eamdem fidem & doctrinam tenere in omnibus, quam sancta mater Ecclesia tradidit & firmavit. De quibus videsis opera Gersoni T. I Edit. Parif. 1606 p. 624, & Edit. Antverp 1706 T. I pp. 467 & 470, & Acta concil. Constant. Edit. Vonder Hardt 1698 T. III p. 107. Si eadem reverentia Theophilus Rainaudus decreta summorum pontificum suscepisset, nec suam de immunitate Cyriacorum a censura satyram scripsisset, nec in ea Matthæum Grabon Romanæ Ecclesiæ adeo devotum & obsequentem verbis tam contumeliosis dehonestasset.

F. ANONYMUS.

* 1418. F. ANONYMUS tempore concilii Constantiensis vivens & in ipso præsens scripsit hoc titulo:

Narratio de forma & modo electionis facta de Domino nostro papa Martino V in concilio Constantiensi.

Hanc edidit clar. Baluzius T. VII Miscell. Parif. apud Societatem 1715 in 8. a p. 90 ad 96: illamque eruit ex cod. MS. Bibl. Reg. 4252, cui titulus *Acta concilii Constantiensis & Basileensis.* Narrationis hujus scriptorem sodalem nostrum fuisse constat ex his, quæ sic habet p. 93: *Inter hæc Martinus pontifex ad litteram dominus Frater Martinus ordinis nostri Atrabatensis episcopus, qui die illa hujus celebritatis officium faciebat, aliorum pontificum & prælatorum vallatus veneranda caterva, conclavis accedit ad ostium,* &c. merito legenda. Hic autem Atrebatensis episcopus erat F. Martinus de la Porée domus nostræ Senonensis alumnus & ducis Burgundiæ consiliarius & legatus, de quo mox ad ann. 1426.

F. JOHANNES DE FALKABERGA.

* 1418. F. JOHANNES DE FALKABERGA vel *Falckenberch* a patria sic nuncupatus, quod insigne est in Pomerania ad Druwæ amnis fontem & originem castrum & oppidum diœcesis Caminensis sub Gnesnensi metropoli, ordini nomen dedit sub finem seculi XIV in cœnobio Caminensi provinciæ Poloniæ, dum dirissimum illud schisma vigeret in Ecclesia, & una pars pontifici quem colebat addicta, alteram a se dissentientem & adversam anathemate percelleret, ac diris devoveret. Quod multo magis auctum post concilium Pisanum & electionem Alexandri V & Joannis XXIII. Sicissa enim tum in tres summos pontifices se gerentes Ecclesia, ordines regulares similem apud se scissionem experti sunt, & apud quemque pontificum diversum caput habuerunt, quibusdam sodalibus uni, aliis alteri adhærentibus. In his fuit hic Johannes sacræ theologiæ magister Gregorio XII ad finem usque addictus, qui præsens in concilio Constantiensi magistrum ordinis Leonardum de Datis agnoscere recusavit, & modis quibus potuit vexavit ante electionem Martini V. His accedit quod notandum, bellum fere internecinum quibusdam aliquando induciis interruptum, sed paulo post renovatum viguisse tum equites cruciferos Livoniæ & Prussiæ inter & Wladislaum Poloniæ regem & ducem Litwaniæ: unde Falxabergius ceu qui ortu ditionis equitum erat, acerrimo Polonos odio prosequebatur. His ad sequentium notitiam præstitutis, hæc fuere Falxabergii opera:

1. *Tres tractatuli dati judicialiter in concilio Constantiensi circa novem assertiones Johannis Parvi magistri sacræ facultatis Parisiensis a Johanne Gersono cancellario Ecclesiæ Parisiensis denunciatas.*

In his libellis Falxembergius ceu unus ex sacræ theologiæ magistris, quorum vota in synodo Constantiensi requisita fuerunt de novem illis propositionibus, eas non censet ut hæreticas damnandas. Editi autem fuerunt ad calcem T. V operum Gersoni Edit. noviss. Antverpiæ 1706 fol. a col. 1013 ad 1032, ex fide codicis MS. Bibl. Colbert. 2511 fol. 360 & seqq. qui codex scriptus fuit in ipsa synodo ejusque notariorum syngrapha ad quamlibet paginam munitus. Quos libellos si solos scripsisset Falxembergius, nihil illi mali accidisset, etsi enim has Parvi assertiones fere magistri omnes reprobas habuerint, quamplures tamen ab hæresis nota censuerunt eximendas. Verum pestem ac ultimam perniciem ipsi creavit

Libellus in gratiam dominorum suorum equitum Cruciferorum editus, sed multo pipere seu potius totus felle conditus adversus Wladislaum sive Jagellonem, qui ex duce Litwaniæ tum infideli & idololatra, electus rex Poloniæ Christianam religionem amplexus erat, & cum suis Polonis ac Litwanis equites dictos Cruciferos multis cladibus affecerat, ac pene profligarat. Sic autem incipiebat: *Universis regibus & principibus cæterisque prælatis sive ecclesiasticis sive secularibus, & generaliter omnibus, qui Christiani nominis meruerunt insigniri titulo &c.* Et sic finiebat: *Quatenus pro exterminio Polonorum & eorum regis Jagyel valeant vitam capessere æternam.* Eumdem libellum existimo, qui apud Fellerum de Bibl. Paul. Lipsien. p. 132 n. 45 recensetur hoc titulo: *Tractatus doctoris cujusdam de Prutenis contra Polonos & paganos de potestate papæ & imperatoris respectu infidelium.*

Scilicet cùm Sigismundus Cæsar ex sententia concilii Constantiensis Lutetiam progressus est cum rege Carolo VI de schismate extinguendo collaturus, Nicolaus Gnesnensis archiepiscopus comes ei adjunctus, qua erat magnificentia doctores omnes academiæ Parisiensis splendido convivio excepit XVII jan. MCCCCXVII, & inter prandendum libellus hic ipsi fuit ab uno e magistris oblatus, de quo nihil antea audierat. Hinc gravissime offensus, ubi Constantiam rediit, cum legatis Polonis ad Patres pluribus conquestus est de Falkabergio diebus VIII, IX & X februarii sequentis, obtinuitque ut ille in carcerem detruderetur. Diebus XI, XII & XIII ejusdem mensis congregatæ frequenter nationes cum cardinalibus commissarios delegarunt, qui libellum & auctorem examinarent, & ad synodum referrent. Interea habita sunt comitia ordinis generalia Argentinæ feriis pentecostes a XXX maii ad VI junii MCCCCXVII sub magistro ordinis F. Leonardo

nardo de Datis, sicque legitur in actis *titulo* Pœnitentiæ: *In primis quia F. Joannes Valchemburg sacra theologiæ professor provinciæ Poloniæ a pluribus annis notabiliter ordinem nostrum scandalizavit, magistrum quondam ordinis M. Thomam de Firmo, ac provincialem Saxoniæ plurimosque iritando, & maxime in concilio Constantiensi etiam præsentem magistrum ordinis* (F. Leonardum dictum quem non agnoscebat ut magistrum) *& prædictum M. Thomam, ordinemque multipliciter infamando & iritando, mala malis addendo diabolico spiritu instigatus, libellum quemdam scandalosum & erroneum in moribus & doctrina contra serenissimum regem Poloniæ, ejusdemque regimen ac regnicolas composuit & publicavit, unde ordinem nostrum posuit ad extremum & ruinam, tanquam incorrigibilem secundùm nostrarum constitutionum tenorem ipsum perpetuo carceri adjudicamus.* Adversus nocentissimum hominem nil amplius poterat ordo decernere, unde tum omnibus satisfecit. Verùm cùm jam causam retractare licitum sit, hæc videntur pensanda. Primo quod Thomam de Firmo & postea Leonardnm de Datis seu scripto seu verbo infamaverit, hoc ei crimen commune cum his qui post concilium Pisanum Gregorio XII adhæserunt constantes ad electionem Martini V. Vide supra ubi de Hugolino de Camerino: eadem enim utriusque ratio. Jam vero quoad libellum adversus nomen Polonum, nemo excusaverit, nisi habeatur ratio defensionem esse ordinis equitum Prussorum & Livonorum dominorum suorum, quos Poloni bello acerrimo pene attriverant adductis adversus eos omnibus Litvanis plerisque adhuc infidelibus; & pluribus millibus Tartarorum Mahumetanorum. Dlugossus contendit bellum fuisse justum ex parte regis Poloniæ, & libens concesserim: sed idem non sentiebant equites Cruciferi, nec eorum subditi qualis Falkabergius. Quid autem inter capitales hostes scriptores unius partis adversus aliam non sibi permittunt?

Quis fuerit Falxabergii finis non ita liquet apud auctores ejus ætatis. Commissariis a synodo Constantiensi delegatis morem gessisse patet ex sententia adversus eum lata, quæ sic habet: *Sacrosancta generalis synodus Constantiensis in spiritu sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans ad perpetuam rei memoriam. Nuper oblato coram commissariis nostris in causis fidei quodam tractatulo seu libello a F. Joanne Falkemberg ordinis Prædicatorum composito &c.* Finis: *Committens commissariis prædictis quatenus dicto F. Joanni dicti tractatuli seu libelli ut præmittitur compositori, tanquam humiliter se subjicienti eisdem, ut cum eodem propter humilem subjectionem præmissam misericorditer agentes, pœnitentiam salutarem imponant, prout secundùm Deum, juxta delicti qualitatem, attentis etiam his quæ secundùm sacram scripturam & sacros canones in hujusmodi negotio attendenda viderint, & censuram ipsam in toto expediant sine ulteriori relatione ad ipsum concilium amplius facienda. Provideantque in præmissis, ut salvetur debita reverentia catholicæ fidei, & honor regis & regni Poloniæ, quod constat esse nobile membrum Ecclesiæ militantis, prout secundùm Deum viderint expedire. Datum Constantiæ anno incarn. Domin.* MCCCCXVII *secundo nonas junii.* Adeo ut sententia hæc in concilio lata sit eodem tempore, quo Argentinæ in comitiis ordinis alia in eumdem longe acerbior ferebatur.

Quam pœnitentiam commissarii concilii Falkembergio imposuerint, in actis non refertur: at cùm ultima sessio habita est die veneris XXII aprilis MCCCCXVIII, legati Poloni vehementius instarunt, ut libellus jam per judices delegatos prædamnatus, totius concilii & ipsius summi pontificis sententia damnaretur tanquam doctrinam hæreticam, erroneam in fide & moribus, seditiosam & captiosam continens. Tum autem statim surrexerunt DD. Joannes patriarcha C. P. & Joannes patriarcha Antiochenus de natione Anglicana, & unus Frater de ordine Prædicatorum de natione Hispanica asserentes quod *hujusmodi libellus in eorum natione per omnes non esset condemnatus tanquam hæreticus, vel similis in effectu.* Tandem Martinus V silentio omnibus imposito dixit quod omnia per concilium in materiis fidei decreta & conciliariter facta approbabat, & non aliter nec alio modo. Protestati quidem sunt Poloni, & ad futurum concilium appellare se significarunt, sed eis summus pontifex rursus silentium indixit, & absoluta est synodus. Addunt aliqui Martinum V auctoritate Patrum adductum, ut Polonis quodammodo faceret satis, Falxabergium secum in Italiam duxisse, & quibusdam annis in carcere apud se vinctum tenuisse. SÆC. XV.

Dlugossus Hist. Pol. lib. XI p. 390 narrat Wladislaum regem Polonum anno illo MCCCCXVIII circa festum corporis Christi, quod celebrabatur XXVI maii conventum procerum regni Gnesnæ tenuisse, in quorum audientia rex libellum Falxembergii satyricum in vulgari Polonico legi mandavit, ut ejus continentia audita consulerent, si quid pro honore regis & regni ultra ea quæ regii legati Constantiæ effecerant, instaurari expediret. Consultum autem fuit, ut scripturam falsam, mendosam & erroneam rex leviter & perfunctorie ferret, neque de illa velut ab homine levi & contemptibili edita gravem faceret æstimationem, præsertim cùm libellus præfatus auctoritate universalis Ecclesiæ & apostolicæ fuisset damnatus, & auctor suus digna mulcta punitus. Quibus facile fidem habeas, at non ita his quæ habet de fine Falxembergii, cùm sint inter se pugnantia.

Nam p. 392 vult in conventu procerum habito Lanciciæ Dominica die vigilia S. Jacobi ejusdem anni regem iterum de libello egisse & summo pontifici scripsisse rogando ut auctor igne combureretur. Antea dixerat scilicet p. 387 pontificem Falxembergium Romæ in carcere multis annis tenuisse, at postmodum de regis beneplacito, quod languidus & extenuatus esset, liberum dimisisse. Rursus antea p. 377, dixerat, cùm carcerem favore Martini V papæ evasisset, tum utique non languidum ad magistrum ordinis Cruciferorum Paulum de Rusdorff accessisse, verùm quatuor tantum pro præmio libelli oblatis ab eo marcis Pruthenicis ira percitum pecuniam ante oculos magistri projecisse, & contra ordinem Cruciferorum satyram scripsisse multo ea fœdiorem quam contra Poloniæ regem scripserat. Hanc verò cùm ad concilium Basileense ferret, circa Argentinam ab amicis Cruciferorum spoliatus est, & tandem e concilio Basileensi in Silesiam reversus, Legniczæ Wratislaviensis diœcesis diem obiit. Quæ non sibi constant, nec ab aliis Historiæ Poloniæ scriptoribus in primis a Martino Cromero lib. XVIII de rebus Polonorum circa medium de Falxabergio agente referuntur, & videntur in hujus scriptoris & equitum Cruciferorum odium & invidiam conficta & a Dlugosso ex falso rumore facilius excepta. Adde si satyram adversus equites Cruciferos scripsisset, etiam si ea spoliatus fuisset, dum per Alsatiam iter haberet, Basileæ ubi adfuisse durante concilio volunt, facile instaurasset, ac integram restitutam Patribus obtulisset, quorum tamen nulla memoria. Itaque si quis in his conjecturæ locus Falxembergium crediderim a Martino V ut Polonos pacaret quibusdam annis carceri mancipatum, tum vero ætate gravem liberum dimissum deinceps tacuisse, & vel in Italia vel in Germania vitam finiisse.

Hujus scriptoris meminerunt nostrates Lusitanus ad annum 1438 & eum excipientes Pius, Fernandez & Altamura, omnes minus accurate, quos ex supradictis emendes.

F. SIMON DE TOMASIS.

* 1418. F. Simon de Tomasis ortu & professione Brixiensis post varia scholarum & cœnobiorum regiminis exercita munera, dum priorem Januæ in S. Dominici ageret, a Joanne XXIII anno MCCCCXII die VII idus april. ad sedem Brugnatensem sub Januensi metropoli evectus est, quam sex annis sapienter administravit, & reliquit moriens anno MCCCCXVIII. Ejus meminerunt Taëgius in Monum. Ughellus Ital. Sac. T. IV, Fontana in Theat. ubi eum inter eos recenset, qui concilio Constantiensi affuerunt. Rovetta verò ad hunc annum hæc ab eo edita præstat:

De regularium privilegiis.

Contra impugnantes religiones ab apostolica sede approbatas.

Quæ tamen ubi jam extent, ignorari fatetur. Itaque penes illum fides.

F. JOANNES HEROLT.

† 1418. F. Joannes Herolt Teuto ut plerique censent, non aliunde fere nobis notus est quam ex ejus operibus, quæ virum pium, modestum, doctum simul & animarum salutis avidum præstant. Claruit adolescente seculo XV, ejusque meminerunt cum laude nostrates Lusitanus ad 1470 referens & Berolis corrupte nuncupans, quem excipit Pius P. II Lib. 3 col. 51, Fernandez, Altamura ad 1400 & in Append. Extrates verò Eiseingrenius ad 1514, Possevinus in duos dividens alterum *Berolis*, alterum *Herold* agnominans, utrique tamen idem opus asserens, Auctor Append. ad Hist. Litterar. Cavei ad 1470, Basileensem conjiciens, & alii. Hæc ejus opera, quæ nomine proprio suppresso sub *Discipuli* nomine ab eo scripta typis prodierunt:

1. *Sermones Discipuli de tempore, quadragesima & de sanctis.*

Promtuarium exemplorum secundùm ordinem alphabeti.

Promtuarium de miraculis B. Mariæ Virginis.

Hæc edita refert Beughemius in incunab. Typog. Norībergæ 1480: Spiræ 1483: Daventriæ 1485 fol. Alia editio a me visa ad cujus calcem sic legitur: *Finit opus perutile simplicibus curam animarum gerentibus per Ven. & devotum Joannem Herolt S. Dominici sectatorem professum de tempore & de SS. cum promptuario exemplorum atque tabulis suis collectum* Discipulus *nuncupatum. Impressum Nurnbergæ anno a Christi natali nonagesimo secundo supra millesimum quater centesimum.* Sunt & aliæ deinceps editiones: Noribergæ Koburger 1514: Coloniæ 1518: Paris. 1519 in 4: Lugduni, Jo. Hughetan 1520 in 4: quæ editio extat Paris. apud Clarissas *Ave Maria* dictas. Venetiis, Joan. Antonii Bertani 1598 & 1599 in 4 Tomis duobus. Notanda quæ habet auctor serm. 85 de tempore super evangelio Dom. 2 post festum Trinitatis ad illa verba, *Uxorem duxi & ideo non possum venire*, sub finem: *Ab Abraham usque ad Christum transacti sunt duo millia sexcenti septuaginta sex anni: a Christo autem transacti sunt mille quadringenti decem & octo anni &c.* Exinde enim certo colligas quo anno floruerit Heroldus & scripserit hoc opus nempe anno 1418, licèt ulterius vixisse & alia deinceps ad concilii Basileensis tempora scripsisse verisimilius, at non ad 1470 pervenisse, ut quidam volunt.

2. *Discipuli sermones super epistolas Dominicales collecti e sermonibus Willelmi Lugdunensis, & ex dictis S. Thomæ, Joannis Nyderi & aliorum*, 1488 fol. Extant Parisiis in Bib. Genovefiana, & in Bibl. Augustæ Vindel. & recensetur apud Reiserum Plut. x p. 132 n. 3. Quæ probant ex scriptis Nyderi nostri sui æqualis illum plura mutuatum.

3. *Discipuli de eruditione fidelium Christi: seu Loci communes in quibus continetur explicatio decalogi, orationis Dominicæ, angelicæ salutationis, symboli apostolorum, septem sacramentorum, totidem donorum spiritus sancti cum tabula pro sermonibus de tempore ex hoc libro colligendis per totius anni circulum*, Argentinæ 1490 fol. Extat in eadem Bibl. Aug. Vindel. Plut. 7 p. 95 n. 26. Fertur alia editio hoc titulo: *Discipuli eruditorium vitæ* fol. absque anno, loco & nomine Typothetæ Goth.

Omnia autem opera superius relata unà prodierunt Moguntiæ, 1612 in 4, voll. III: quæ editio apud nostros Audomari.

Scripsisse præterea *De bello Albigensium* narrat Altamura ex Castillo in præfat. Chronic. De quo silent alii, nec mihi fit hactenus verisimile. Unde autem & quis eum qui sub Discipuli nomine latuerat, Joannis Herolt vere nuncupatum fuisse primus aperuerit, incertum habeo, nisi fortè cuidam suo MS codici vel ab eo vel ab iis qui viventi convixerant inscriptum repertum fuerit. Institutum vero nostrum professum fuisse aperte ostendunt, & quod habet initio 1. Sermonis de adventu, ubi sic loquitur initio *Egregius doctor noster S. Thomas de Aquino:* tum in procemio promptuarii exemplorum. *Legimus*, inquit, *patrem nostrum Dominicum ordinis Prædicatorum fundatorem hoc fecisse:* præterea sermones habet de S. Dominico & de S. Petro martyre, nullos S. Francisci nec aliorum ordinum. Cæterum etsi doctrinam sanam semper proponat, quia fere ubique SS. patres & S. Thomam de Aquino adducit iisque adhæret, ita sæpe ad historiolas digreditur ineptas & insulsas, ut risum seu stomachum potius excitent, quam moveant ad pietatem. Excusari tamen potest, quod eas non adinvenerit, sed ex Cæsario similibusque auctoribus depromtas seculi sui ruditati sese accommodans referat.

F. SIMON CRETENSIS.

F. Simon Cretensis a patria sic nuncupatus, quod in Creta insula natus sit, ibidemque Matii vulgo *Candia* urbe insulæ primaria fortè ordinem amplexus, certo nostræ provinciæ Græciæ alumnus insignis, ab Historicis ordinis omissus laudatur a Georgio Trapezuntio epistola ad monachos Cretenses de processione spiritus sancti, cujus sic verba refert Leo Allatius de *Perpet. Consens.* Lib. II c. XV n. XI & Diatriba de Simeonum scriptis p. 202: * 1412.
Σίμων ἱερομόναχος τῆς τῶν κηρύκων τάξεως, ζηλωτὴς ὢν τῶν θείων δογμάτων ἦλθεν εἰς ῥώμην, ἵν' ὅσον δυνηθείη ἐν κυρίῳ τοὺς κρῆτας ὅθεν ἐστὶ καὶ αὐτὸς, ὠφελήσειεν. καὶ πρῶτον μὲν τὴν ἐξέτασιν καὶ κρίσιν τῶν ἐν ἑλλάδι αἱρετικῶν ἔλαβε παρὰ τοῦ ἄκρου ἀρχιερέως. ἔπειτα δὲ καὶ γράμματα ἐδόθη αὐτῷ παρὰ τοῦ αὐτοῦ ἀρχιερέως διαλαμβάνοντα δεῖν πάντας τοὺς γραικοὺς ἀρχιερεῖς τε καὶ ἱερεῖς μνήμην ποιεῖσθαι τοῦ πάπα ἐν ταῖς θείαις λειτουργίαις. καὶ τὸ ἅγιον σύμβολον ἀκολούθως τῇ ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἐκφωνεῖν οὕτω· καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ ἐκπορευόμενον. ἐγὼ οὖν κρὴς ὢν καὶ αὐτὸς &c. *Simon monachus sacerdos ex ordine Prædicatorum zelo divinorum dogmatum exardescens, Romam se contulit, ut pro viribus in Domino Cretenses Cretensis ipse adjuvaret. Et primum quidem inquisitionem & judicium hæreticorum, qui in Græcia sunt, a summo pontifice obtinuit. Accepit deinde literas ab eodem summo pontifice, quibus jubebatur, ut Græci omnes antistites & presbyteri commemorationem papæ facerent inter missarum solemnia: & sacrum symbolum juxta usum Romanæ Ecclesiæ sic canerent: Et in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Ego itaque*

Cretensis & ipse diligo vos &c. Ex quibus perspicuum est Simonem hunc Cretensem ætate circiter Georgii Trapezuntii qui sub Eugenio IV S. P. claruit, paulo tamen antiquiorem vixisse, puta circa finem concilii Constantiensis, & Martini V initia, magnæque auctoritatis apud Cretenses fuisse; neque enim illis hominem alterius seculi ac cujus apud illos extincta jam esset memoria, aut parvi apud eos pretii objecisset, cujus exemplo se tueretur, imo virum sibi cognitum & visum ex modo loquendi satis innuit. Hincque ab Allatio locis citatis non recte eumdem cum Simone C. P. de quo supra centum minimum annis antiquiore existimatum colligo. Porro Cretensem hunc Simonem virum gravem zelo pro domo Dei accensum, ac inquisitorem in Græcia generalem plura scripsisse præsertim de controversiis Græcos inter & Latinos facile conjicitur, sed quæ aut temporum vicissitudine ac iniquitate deperdita, aut alicubi latent neglecta. Neque enim rursus eumdem esse cum Simone Tacumæo de quo supra ad finem sec. XIV inter dubios, licet id suspicetur Allatius, nobis probatur.

S. VINCENTIUS FERRERIUS.

* 1419. S. VINCENTIUS FERRERIUS vir apostolici plane pectoris, alter Angelus, ac suæ ætatis Thaumaturgus, Valentiæ Aragonum honesto loco natus, Veneti Armoricæ in Galliis provinciæ urbe die quinta aprilis, quæ feria quarta post dominicam in passione fuit, anno MCCCCXIX denatus ac XXIX junii MCCCCLV a Calixto III sanctorum albo inscriptus, Ecclesiam catholicam Romanam seculo XIIII ad finem vergente, & sequenti XV ineunte mirum illustravit. Præclara ejus per Europam fere totam acta, nam non Hispanias solùm sed Italiam, sed Galliam, sed Belgium, sed Magnam Britanniam, verbum Dei seminando, stupenda ubique miracula operando, peccatores innumeros ad frugem reducendo, Mahumetanos, Judæos, hæreticos ad fidem per millia convertendo peragravit, acta inqnam, ejus tot & tanti scripserunt historici, ut ea hîc excipere supervacaneum esset, præsertim cùm alias id nostri non sit instituti, qui non sanctos, ut jam pluries monuimus, sed scriptores solum venamur. Itaque qui vitam ejus resque ab eo gestas singulatim cognoscere avent, hagiographos consulant, apud quos messem plenam invenient. Solam vitæ chronologiam hîc statuere ad nos spectat; neque enim ita clara est, ut non plurimum patiatur difficultatis.

Eruditi Actorum Sanctorum editores T. I aprilis commentario prævio in vitam Sancti a nostro Petro Ranzano scriptam quam exhibent, hanc chronologiam explicare aggressi sunt: & quidem §§ III & IIII prædicationis ejus seriem, loca ab eo sua missione illustrata, tempora quibus quæque acta ab anno MCCCXCVIII ad quintam aprilis MCCCCXIX ita luculenter evolvunt ac dividunt, ut nihil desideres accuratius. De prioribus annis sola est difficultas, ex eo pendens, quoto vitæ suæ anno sanctus mortem oppetierit, in eo enim nec illi cum cæteris, nec inter se cæteri conveniunt, idque jam nobis est enodandum.

Eruditi editores, Ranzani ut illis videtur auctoritate freti, ætatis LXII sanctum mortuum autumant, non LXX ut vulgò fertur, & in codice suo MS Ranzani ipsimet legi fatentur, sed censent erratum esse notarii. Quod sic se putant evincere: scilicet Vincentium ætatis XVIII à XXIII januarii inchoato habitum ordinis Valentiæ induisse die dominico nonis seu quinta februarii festo S. Agathæ diserte asserit Ranzanus. Quærendus igitur illis annus fuit post MCCCLX, quo festum S. Agathæ die dominico evenerit, qui cùm alius eis non occurrerit, quam MCCCLXXIIII, dicendus ille est felicis Vincentii ad ordinem accessus, ac proinde ætatis ejus XVII completus, & XVIII a XXIII januarii inchoatus: unde sequitur anno ejus seculi LVII die XXIII januarii natum, mortuum vero quinta aprilis MCCCCXIX ætatis LXII completo duobus insuper mensibus, diebus XIII. Idque amplius se confirmare putant ex anno, quo ab eodem Ranzano dicitur laurea magisterii ornatus, scilicet ætatis XXVIII, honorem hunc ei conferente Petro cardinali de Luna tum Clementis VII papæ Avenionensis apud regem Aragoniæ legato. Cùm enim hic toto anno MCCCLXXVIII in Italia egerit, partim Romæ, ceu qui Gregorii XI morti & electioni Urbani VI præsens fuerit, partim Anagniæ, ubi in Clementis VII contra Urbanum VI electione votum tulit cum aliis, nec nisi ultima decembris ejus anni dicti Clementis legatus electus fuerit, & in Aragoniam missus, quo proinde non pervenit nisi anno MCCCLXXIX: cùm præterea non subito ut legatus acceptus fuerit, Petro IV rege Aragono inter utrumque pontificem Romanum & Avenionensem suspenso, & neutrum diutius agnoscente, non potuit tam cito legationis jura exercere, & ad summum anno MCCCLXXXIIII aut LXXXV Vincentio pileum doctoralem imposuerit, quo hic annum ætatis juxta calculum positum agebat XXVIII. Quæ viris eruditis ita videntur quadrare, ut rem se existiment evicisse.

Contra diligentissimus historiæ provinciæ nostræ Aragoniæ scriptor Franciscus Diago ea profert antiqua monumenta, quæ rem aliter omnino se habere invicte probant, ex quibus nempe constat Vincentium jam anno MCCCLXVIII professum: quippe qui illo eodem annô in actis capituli Tarraconensis Barcinonem ad audiendam logicam: anno MCCCLXX in actis capituli Valentini ad eamdem Ilerdæ docendam, anno MCCCLXXII in capitulo Cæsaraugustano ad audiendam Barcinone sacrorum bibliorum lectionem: anno MCCCLXXV in capitulo Athanatagiensi vulgo *Manresa* ad legendam Barcinone physicam, anno MCCCLXXVI in Bilbilitano seu *Calatayub* ad studium generale Tolosanum de more ad audiendam theologiam missus fuerit, & ut loquimur assignatus: quæ acta integra etiamnum servata, & a Diago lecta & excepta, ejus certe sunt auctoritatis, ut nihil adversum reponi possit, invicteque demonstrant Vincentium jam ante MCCCLXVIII ordini nomen dedisse, vestemque induisse. Nec negligendum quod idem Diagus refert ex processu originali a se viso in archivo capituli Valentini, anno MCCCLVII Kal. septemb. patrem S. Vincentii contendisse præbendam S. Gregorii in ecclesia Valentina ex vi litterarum erectionis dicto filio suo Vincentio tonsura jam clericali initiato deberi. Hinc Diagus rem ita statuit, Vincentium anno MCCCL januarii XXIII natum, anno MCCCLXVII februarii quinta ordini ascitum, anno MCCCLXXVIII annorum tum XXVIII laurea magisterii ornatum, sicque ætatis LXX circiter defunctum. Nec curat quod Ranzanus asserit, dominicam fuisse cùm vestem Prædicatorum induit, ubi anno MCCCLXVII quinta februarii dies veneris fuerit, cùm esset litt. Dom. C, imo istam circunstantiam susque deque habere videtur.

Joannes de Marieta aliam omnino viam ingreditur. Vult enim Vincentium anno circiter MCCCXL paulo plus vel minus natum, anno MCCCLVII nonis februarii festo S. Agathæ, quod tum accidit die dominico, cùm esset litt. Dominic. A ordini ascriptum: anno MCCCLXVIII ætatis tum XXVIII annorum sacræ theologiæ magistrum promotum, non

Sæc. XV. a Petro de Luna nonnisi diutius postea ad purpuram evecto, sed a regente studii Ilerdensis, suoque præceptore F. Thoma Carnicero, sicque ætatis LXXVIII defunctum. Idem habet F. Vincentius Justinianus Antist, nisi quod vult a Petro cardinali de Luna laurea donatum. Idem sustinet F. Andreas Ferrer de Valdecebro contendens anno ætatis LXXIX mortuum. Quam chronologiam pene ridet Diagus videns magistrum in theologia promotum dici anno MCCCLXVIII, quem illo eodem anno acta comitiorum provinciæ assignant ad studium logicale.

Seraphinus Thomas Miguel vir etiamnum florens, in vita quam scripsit nostri Vincentii, in pluribus Diago consentit, & sic chronologiam statuit. Anno MCCCL natus est Vincentius. Anno MCCCLXI capellam S. Annæ in basilica S. Thomæ consecutus est. Anno MCCCLXVII die veneris quinta februarii vestem ordinis induit. Mox a professione artes legit Valentiæ ad annum usque MCCCLXX, quo Ilerdam missus easdem legere perrexit annis duobus. Anno MCCCLXXII Barcinone scripturam sacram audivit annis tribus. Anno MCCCLXXV physicæ lector institutus docuit ibidem per annum. Anno MCCCLXXVI studens ut aiunt formalis Tolosæ assignatur, & eodem titulo Parisiis anno sequenti LXXVII. Sub finem anni Valentiam reversus, & theologiæ lector institutus, eo munere functus est ad annum MCCCLXXXIIII. Anno sequenti basilicæ Valentinæ datus est theologus, quam spartam ornavit ad MCCCXCI. Anno MCCCLXXXVII die XXII decembris ex decreto magistratus Valentini Ilerdam missus est laurea magisterii donandus anno sequenti. Anno MCCCLXXXIX in quadam sententia arbitratus jure lata se signat magistrum. Anno MCCCXC a Petro de Luna cardinali legato in Hispania in familiam allegitur & itinerum comes. Anno MCCCXCI a regina confessarius asciscitur, & Joanni I regi fit a consiliis & eleemosynis. Anno MCCCXCVI Avenione agebat apud Petrum de Luna tum Benedictum XIII dictum magister sacri palatii. Anno MCCCXCVIII missionem suam per Europam aggressus est, & persecutus ad mortem usque. Ejus itinera videtur accuratius narrare, quam Actorum SS. editores. Hujus chronologiæ documenta antiqua se daturum promittit initio operis, sed hæc ad meas manus non pervenerunt.

Sane inter tantos viros, & qui rem propius examinarunt, difficile est litem dirimere. Si tamen & criterium nostrum afferre licet, sic censeo in omnibus aliquid laudandum, aliquid etiam in omnibus reprehendendum. Et quidem chronologia in Actis SS. ab eruditis editoribus proposita sustineri nequit, non solum ob allata antiqua monumenta, sed & ob alia mox afferenda, ex quibus Vincentium constabit jam anno MCCCLXXX virum fuisse & in theologia & in jure exercitatissimum, quod juveni tum ad summum XXIIII annorum juxta illorum sententiam non convenit. Aliunde non videtur contemnendum cum Diago, quod habet Ranzanus, & excipit Flaminius apud Leandrum fol. 158 b, sed & Antistius, diem dominicum fuisse, cùm vestem ordinis induit Vincentius.

Omnia videntur concordari, si sic res statuatur, nimirum Vincentium natum anno MCCCXLVI die XXIII januarii: ætatis XII jam clericum anno MCCCLVII Kal. sept. ad præbendam S. Gregorii a patre oblatum, quem tamen tum lite cecidisse narrant, sed aliam S. Annæ in basilica S. Thomæ consecutum addentes. Habitum ordinis induisse anno MCCCLXIII nonis februarii die S. Agathæ, qui fuit eo anno dies dominicus (nempe litt. dominic. A, cyclus solaris 28, num. aur. 15, pascha secundo aprilis): sacræ theologiæ magistrum non ætatis XXVIII, si quod enim apud Ranzanum in numeris erratum, illud est: neque enim vero tum ex usu ordinis, ipsiusque provinciæ Aragoniæ erat tam juvenes promovere, nec cum eo quadrat, quod ipse Ranzanus, & cum eo Diagus & Antistius habent, a Petro cardinali de Luna Clementis VII in Aragonia legato hoc honore insignitum, bulla ipsa canonizationis, quæ tam distincte ait, *cùm jam suæ ætatis* XVIII *attingeret, religionis habitum recepisse, magisterii insignia postea consecutum* addit, sed quoto vitæ anno silet, itaque ad summum ætatis XXXVIII, Christi MCCCLXXXIIII aut LXXXV inauguratum probabilius est, tandem ætatis LXXIII paulo plus, quantum scilicet effluxit a XXIII januarii ad V aprilis defunctum. Cui favet bulla canonizationis, quæ sic habet: *Tandem septuagesimum ejusdem ætatis annum transcendens, prædicationis & vitæ cursum devotissime consummavit.* Quibus refellitur sententia Diagi statuentis natum anno MCCCL, & proinde mortuum ætatis LXX vix inchoato. Flaminius laudatus vult mortuum ætatis LXXV, nos non tantum damus.

His optime conveniunt, quæ habet Diagus, cathedram sacræ scripturæ in ecclesia Valentina Vincentio anno tantum MCCCLXXXIIII collatam fuisse, quæ tamen ei dicitur, mox ut magisterii insignia recepit, attributa, quam sex annis solidis cum ingenti auditorum plausu & fructu rexit scilicet ad annum MCCCXC, quo eum Petrus de Luna theologum sibi ascivit, ac secum Clementis VII tum legatus per Hispaniam duxit, sed cùm postea vellet etiam secum Avenionem proficisci, & Gallias exinde peragrare, reluctantem dimittere coactus est.

Unum tantum video quod objici possit, nimirum Ranzanum insinuare vitæ cap. 2 n. 8, Vincentium priusquam ordini nomen daret, theologiæ incubuisse, & clarum jam in ea facultate sibi nomen fecisse. Verum hîc manifeste agnoscendum ὕστερον πρότερον hagiologis haud infrequens: Unde addit, *antequam secundum & vicesimum ætatis attingeret*, id accidisse, quod proinde ad annos a professione religiosa sequentes referendum, scilicet ad quatuor illos annos, quibus jam professus Valentiæ stetisse ac studuisse videtur, priusquam anno MCCCLXVIII Barcinonem mitteretur: ad quod non attendentes Flaminius & alii verba Ranzani immutarunt, quasi nondum octodecim annorum fuerit egregius theologus, quod nec verisimile. Quod vero anno MCCCLXVIII in actis capituli provincialis referente Diago Barcinonem juxta nostrum computum XXII ætatis agens missus fuerit logicam auditurus, nemo miretur: is enim erat ejus seculi mos, diu etiam postea, ut & antea servatus, tirones pluribus annis in studiis privatis, quale tum erat Valentinum exercere, unde postea ad studia generalia, quale erat in provincia Aragoniæ Barcinonense, qui spem sui magnam fecerant, lectoresque prævidebantur futuri, mittebantur perficiendi, & ultima manu poliendi, quod & aliis exemplis probari potest. Serafinus Thomas *Miguel* laudatus aliter nodum solvit, scilicet a capitulo ad audiendam Barcinone logicam destinatum quidem, sed patribus Valentinis jam ea mirum excultum monentibus assignationem a priore provinciali mutatam, & ad eam Valentiæ docendam retentum, quod fecerit a MCCCLXVIII ad LXX.

Urget Diagus instrumentum publicum manu notarii firmatum & mense augusto MCCCLXVIII actum, in quo domus Valentinæ professi omnes recensentur, quorum ultimus est F. Vincentius Ferrerius, indeque colligit recens & eodem anno professum: nam inquit, si jam annis superioribus fuisset professus, nullum eo posterius professum incredibile videtur. Non placet quod eruditi Actorum SS. editores respondent, se hujusmodi instrumento-

rum relationi parum fidere, quod longa experientia didicerint sæpius diplomata magna cum annorum mutatione transcribi. Etsi enim id forte verum de aliis, certe ab iis excipiendus Diagus vir diligens, & in veteribus membranis examinandis & exscribendis accuratus, cui utinam similem quæque ordinis provincia habuisset. Cæterum quod in illo instrumento Vincentius ultimus numeretur, argumentum non est ultimum fuisse professum: plures enim potuerunt esse rationes, cur posteriorum non fiat mentio: forte non aderant cùm actum est, neque enim hujusmodi actis omnes semper adesse tenentur, & qui adsunt, postquam pulsatum est ad capitulum, totum conventum censentur repræsentare. Adde notarios in ejusmodi actis non ad amussim antiquitatem professionis scribendo nomina servare, ut sæpius usu venit. Quid certius protulisset Diagus, si ipsum professionum codicem MS invenisset, sed ut videtur jam diu antea perierat.

Ex hactenus dictis patet totos illos XX annos qui fluxerunt a MCCCLXIIII, quem statuimus Vincentii professionis ad MCCCLXXXIIII, quo magisterii laurea insignitus fuit, sanctum in gymnasiis qua discendo qua docendo disciplinas humanas & divinas, Valentiæ, Barcinone, Ilerdæ, Tolosæ, si vis etiam Parisiis, iterum Ilerdæ sententias legendo insumsisse, quod ejusmodi viris egregiis non insolens. Sic quod verentur eruditi Actorum SS. editores laudati, annos ab omni actione vacuos non cogimur accipere, quoad reliquum vitæ illis & libenter & gratanter astipulamur, nisi quod libro quarto cap. I n. 2, ubi de morte sancti sic legunt: *Agebat eo tempore vir Dei suæ ætatis sexagesimum annum.* Nam auctoritate propria illis non licebat immutare, quod in codice suo MS ipsi legi fatentur, *ætatis septuagesimum*, nec illis verendum fuit, ne quis incurrens deciperetur, cùm eum annum excessisse verissimum sit.

Jam ut lectori qui vitam sancti scripserint, uno conspectu exhibeamus, hi speciatim ediderunt, Petrus Ranzanus, Vincentius Justinianus Antist, Vincentius Gomez, Bernardus Guyard, Joannes Giffre de Rechac a S. Maria dictus, Franciscus Gabalda, Andreas Ferrer de Valdecebro, & novissime Seraphinus Thomas Miguel nostri, de quibus agimus sigillatim suo loco: tum extrates Franciscus Castilionensis presbyter sacræ theologiæ doctor, litteris Græcis & Latinis vir eruditissimus, canonicus S. Laurentii Florentiæ anno MCCCCLXX agens, & usus relationibus Bartholomæi presbyteri Florentini, qui sancti discipulus fuerat, & pluribus annis per varias provincias comitatus, qui & morienti affuit, quæ vita Florentiæ extat ad S. Marci, ac recens Vincentius Victoria Valentinus e sancti familia per fœminas ortus, vir academicus hoc titulo: *Vita e miracoli dell' apostolo Valenziano San Vincenzo Ferreri dell' ordine de' Predicatori, dedicata alla madre suor Maria Grazia di san Clemente nipote di nostro Signore Clemente XI*, quæ scilicet ordinem Carmeli Romæ professa est, Romæ Zenobi 1705 in 8 pp. 182. Extat Parisiis a me visa in Regia H 2813. 3. Hic scriptor canonicus Sætabensis ecclesiæ, & inter academicos, qui *Arcadi* vocitantur, dictus *Erisono Langiano* sequitur chronologiam Diagi, & Vincentium anno MCCCL natum statuit. Quædam alia ex suo habet non accurata, ut cùm dicit sanctum in suis concionibus de Rosario prædicasse. Cum aliis verò Surius in suis Menæis ad V aprilis ex Petri Ranzani codice MS, cui quædam deerant, sed pro more stylo innovato: ex Surio nostri Antonius Senensis, inter vitas sanctorum ordinis, & Bzovius in Annal. ad 1418. Eamdem vero sed Ranzani stylo primigenio Acta SS. ad V aprilis exhibent ex codice MS Ultrajectino, in quo tamen liber quartus videtur incompletus, & liber quintus seu acta pro canonizatione etiam non integer. Ambrosius Taegius in Mon. ord. S. Antoninus Hist. P. III Tit. XXIII, cap. VIII. Joannes Antonius Flaminius apud Leandrum lib V. Ipse Leander inter Vitas SS. ordinis a se editas anno 1519, ut docet Henschenius in Actis SS. citatis commentario prævio. Joannes de Marieta *Hist. Eccl. de los SS. de España* lib. XI. Truxillus Thesauri concion. lib. 2. Diagus Hist. prov. Arag. lib. 2. Illephonsus Giron Concion. T. I. Alphonsus del Castillo Solorzano, *Vidas de Santos de Valencia.* Pius P. I, & II. Joannes Nyder, qui Sancto vivente jam clarebat Formicarii lib. 2 cap. I sub finem. Robertus de Licio ord. Minorum, qui plura se ex ore Calixti III audivisse asserit, denique Legendarii omnes. Non omittenda epistola Nicolai de Clemangiis ad R. *de Fontaine*, in qua plura ei refert de modo vitæ & prædicationum fructu magistri Vincentii ord. Prædic. tum viventis, extat autem illa Parisiis in Victor. cod. 654, fol. 236. SEC. XV.

Ipsos originales processus de vita & miraculis Avenione, Veneti, Tolosæ, & Neapoli auctoritate apostolica confectos, quos Pius II in bulla canonizationis mandat in Ecclesia S. Mariæ super Minervam de Urbe dicti ordinis ad perpetuam memoriam custodiri, & illorum copiam volentibus exhiberi, nancisci optant Actorum SS. editores eos libenter daturi in supplemento operis, quibus ut fiat satis, cùm cedat in decus ordinis, nulla esset omittenda diligentia. Quoad lectiones primas mox a canonizatione in officio divino usurpatas, quas etiam illi eruditi editores optant, eæ habentur Pissiaci in regio Sanctimonialium nostrarum asceterio in patrum confessariorum scrinio cod. MS fol. par. foliolis 12 pergamenis ad calcem vitæ S. Thomæ de Aquino a Bernardo Guidonis scriptæ assutis. Illæ autem lectiones novem extra tempus paschale, & tres ab illis diversæ pro tempore paschali sunt manu seculi XV circiter medii, charactere Gothico quidem, sed eleganti & grandiori absque abbreviationibus, ut ad usum monialium videantur scriptæ, nam & singulis vocabulis quantitas per accentus est inscripta, virgulæ etiam, mediationes, & puncta in cantu observanda diligenter annotata. In his verò lect. IV sic legitur: *Postea verò cœlesti rore perfusus decimum octavum agens annum, vivere atque mori elegit sub regula & institutis Fratrum ordinis Prædicatorum.* Nec dies annusve Christi additur. Lectio vero tertia tempore paschali dicenda sic incipit: *Demum post annos septuaginta octo in Occidentali Britannia, quæ Armorica pridem dicecebatur, circa vita occasum continue per biennium commoratus est &c.* Et sub finem lectionis longioris: *Ab hac luce migravit ad Christum nonas videlicet aprilis hora vesperarum anno Domini* MCCCCXVIII *&c.* scilicet stylo veteri, novo MCCCCXIX. In breviario MS memb. forma 8 olim domus nostræ Aurelianensis, nunc Parisiensis ad S. Honorati sunt tantum novem lectiones ex illis duodecim fere totidem verbis, sed compendiosiores conflatæ & exscriptæ, nam quod in illis lectione quarta, in istis lectione tertia habetur. Lectio verò nona sic incipit: *Agens autem ætatis suæ annum septuagesimum octavum, licèt senio confractus &c.* Finis: *Nonis aprilis hora vesperarum anno Domini* MCCCCXVIII *feliciter obdormivit in Domino.* Estque ista lectio mediam partem brevior, quam tertia paschalis supra laudata. Breviarium antiquissimæ editionis Venetæ apud Franciscum de Hailbrun & Petrum de Bartua in 12 absque anno, numeris, reclamationibus, majusculis, quæ manu additæ, cyaneoque & minio distinctæ, eædem lectiones novem quæ in breviario MS de quo mox, exhibentur: at in editione Veneta anni MCCCCXCII eædem quidem sunt lectiones, sed me-

dia cujuslibet posteriori parte rescissa, excepta nona, quæ integra eadem. Licèt autem quoad ætatem sancti istæ lectiones sententiæ nostri Joannis de Marieta videantur favere, non tamen putaverim a chronologia superius a nobis statuta, sanctum scilicet ætatis LXXIV inchoato devixisse, quæ omnia tam facile concordat, recedendum. In breviariis posteriorum editionum, quæ mihi fere sunt omnes præ manibus lectio illa nona laudata rescissa est, quod argumento est illam ætatis sancti cùm obiit designationem non visam Patribus ordinis accuratam. Hæc ejus opera:

De suppositionibus logicis tractatus, quem edidisse fertur 24 annos natus. Princ. *Quoniam propositio &c.* sic Marieta.

a. Bibl. Colbert. cod. 815 fol. med. papyro inter plura schisma Avenione attinentia fol. 255, sic legitur:

Incipit tractatus de moderno Ecclesiæ schismate compilatus per F. Vincentium Ferrarii ordinis Prædicatorum ad christianissimum principem D. Petrum regem Aragonum anno Domini MCCCLXXX. » Vestræ » regiæ majestati serenissime princeps se totum com» mendat indignus, sed fidelis servus F. Vincentius » Ferrarii peccator cum debitis reverentia & hono» re. Excellens vestræ benignitatis dignatio &c». Hujus tractatus tres sunt partes, in quibus acerrime sustinet causam Clementis VII papæ Avenionensis; & P. II cap. 3 rat. 7 cùm dixisset in dubio quis ex duobus electis esset verus papa, standum esse judicio & sententiæ DD. cardinalium, addit standum quoque esse *decreto RR. P. D. archiepiscopi Arelatensis S. R. E. camerarii & judicis ordinarii, qui omnes indubitanter verbo & scripto authentice asserunt D. N. Clementem VII esse verum papam, & Bartholomæum esse apostaticum & intrusum.* Finis est operis fol. 270. Porro hic tractatus Vincentium probat jam tum magnæ auctoritatis, theologiæ jurisque canonici peritum, & saltem eo anno MCCCLXXX annorum XXXIV ut supra contendebamus, non juvenem vix XXIII annorum ut exhibent Actorum SS. editores, dum anno tantum MCCCLVII natum esse volunt. Hujus tractatus meminit etiam Baluzius in suis *Papis Avenioñ. col.* 1238 & 1306 ex cod. Colbert. quem & ipse diligentius lustravi. Ea de causa Vincentium postea laurea coronatum a Petro de Luna non dubitaverim, allectum etiam in familiam cùm legatus a Clemente in Gallias missus est, & tandem cùm ipse Petrus a cardinalibus Avenionensibus papa electus est contra Romanum dictus Benedictus XIII, ascitum sacri palatii magistrum anno MCCCXCIV, quo in munere perseveravit, usque dum divina revelatione monitus regna christiana verbum Dei prædicando percurrenda ut alter apostolus suscepit, sive id acciderit anno MCCCXCVI, sive ut quidam & fortè rectius volunt MCCCXCVIII, cui proinde successit in eo officio F. Sanctius de Porta de quo postea, non præivit ut habet Fontana in Theatro.

Scio Ranzanum lib. 2 vitæ Sancti n. 8 sic loqui: *Quamvis juventutis suæ tempore multis in locis verbum Dei evangelizaverit, tamen dum ageret quadragesimum annum cœpit peregrinationis ejus tempus.* Quibus verbis rursus confirmantur Actorum SS. editores in sua sententia anno solum ejus seculi LVII natum Vincentium: verùm cùm in eo ipse sibi non stet Ranzanus, qui anno ætatis LXX astruit mortuum, sed & obstet canonizationis bulla in qua diserte habetur LXX ætatis transcendisse, non ad unguem accipienda sunt verba Ranzani, sed late, ut sensus sit XL ætatis excessisse, qui revera quinquagesimum attigerat, aut etiam superarat.

3. Alia Sancti opuscula sunt:

Tractatus vitæ spiritualis. Pluries prodiit unà cum B. Augustini & B. Bernardi meditationibus Latine (editionem Venetam anni 1500 laudat Lusitanus) Hispane autem semel curis Francisci Ximenes cardinalis ex ordine Minorum.

Tractatus valde utilis & consolatorius in tentationibus circa fidem. Hoc titulo MS cod. servabatur in Cartusia Tarraconensi *Scala Dei* dicta.

De fine mundi & tempore Antichristi. Epistola est ad Benedictum XIII papam Avenione sedentem, *scripta ex villa Alcanizii die* XXVII *julii* MCCCCXII. Alcanizium oppidum amplum *Ergavica* a quibusdam teste Ferrario dictum, situm est in Hispania Tarraconensi. Editam autem in 4 se vidisse Neapoli in bibliotheca S. Severini asserit Lusitanus. Extat MS in codice Victor. 285 fol. par. memb. a fol 57 ad 63.

Epistola Rmo. in Christo P. F. Joanni de Podionucis generali magistro ordinis Prædicatorum (scilicet in obedientia Avenionensi) *subscripta finaliter in civitate Gebennensi* XVII *decemb.* MCCCCIII. In qua magistro gestorum postquam ut ipse dicit ultimo ab eo discesserat, Romanis in Delphinatu, ubi cum eo convenerat (mense martio MCCCCII ut dicunt quidam) rationem reddit accuratam. Quin plures alias eidem dederit vix dubium est, sed periisse luctuosum.

Fragmentum epistolæ ad fratrem suum Bonifacium priorem magnæ domus Cartusiæ ad Gratianopolim, *scripta* XVII *septemb. in loco de Malon.* Annus deest.

Fragmentum epistolæ ad Joannem Gersonum cancellarium Parisiensem scripta tempore concilii Constantiensis.

Epistola ad Infantem Martinum: Prima scripta Valentiæ die S. Sebastiani. Altera die S. Matthiæ, qua ut ab eo invitatus erat, ad quadragesimam coram eo prædicandam se feria 2 sequenti iter arrepturum promittit. Annus in utraque deest, sed ante MCCCXC utraque scripta fuerit lingua Valentina, & Latine vertit F. Vincentius Justinianus Antist.

Epistola ad Ferdinandum I Aragoniæ regem scripta in villa de Tamarit die XVI maii. Annus etiam deest, sed anno MCCCCXIV scriptam docet Diagus fol. 197 d, cùm responsum sit ad regis epistolam datam XI maii ejus anni.

Suffragium in electione Ferdinandi regis Aragonum.

Sententia quam novem viri pro Infante Ferdinando tulere anno MCCCCX.

Piæ ejusdem preces.

Quæ omnia eo recensemus ordine quo prodierunt curante & notis illustrante Antistio hoc titulo: *S. P. N. Vincentii Ferrarii Valentini ordinis Prædicatorum opuscula a F. Vincentio Justiniano Antistio S. T. D. collecta & scholiis explicata*, Valentiæ, Petri Patricii 1591 in 8 pp. 144. Quæ editio Parisiis in Regia D. 3753.

Horum primum scilicet *tractatus de vita spirituali* rursus prodiit Lugduni 1585 in 16. Coloniæ 1616 in 16. Tolosæ, Joan. Boude 1655 in 12.

Idem Italice versum editum fuit hoc titulo: *Trattato della vita spirituale dalla lingua Latina nuovamente nella volgare Italiana trasportato*, Ticini, Ardizzoni & Rossi 1613 in 16 pp. 179. F. Innocentio Granello da Fiorenzola S. T. M. ord. Præd. nuncupat interpres Paulus Antonius de Piacentini sacerdos Papiensis. Extat in Regia D 2923.

Gallice etiam prodiit hoc titulo: *Traité de la vie spirituelle par S. Vincent Ferrier &c. traduit de Latin en François avec des remarques & annotations sur chaque chapitre par Sœur Juliane Morell religieuse a S. Praxede en Avignon de l'ordre de S. Dominique*, Parisiis, Dionysii Moreau 1619 in 12. Extat apud nostros ad S. Honorati.

Rursus elegantius Parisiis, Claudii Cellier, 1704,

in 12 pp. 173, qui interpres recentior addidit : *Exercices de pieté pour passer chretiennement la journee. L'esprit dont les chrestiens doivent être animez dans toute la conduite de leur vie, & ce qu'ils doivent observer pour se sanctifier dans leur travail en remplissant d'une maniere chretienne les principaux devoirs de la vie civile*, pp. 137. Et tandem : *Traduction des prieres que l'Eglise fait dans la ceremonie d'une profession dans l'ordre des chanoinesses regulieres de S. Augustin*, pp. 24. Quæ addo quia licèt interpres tractatus nomen suum occultum esse voluerit, ferunt tamen certo esse Sororem Ludovicam *de Maisons* ex illustri familia *de Maisons* in senatu Parisiensi præsidum, Pissiacensis monasterii regii ordinis nostri Sanctimonialem etiamnum vivam & ob infirmitates cum licentia magistri ordinis in monasterio canonicarum regularium *de la Villette* ad Parisios diversantem, cujus pietati ac religioni & versi Vincentii libelli & alterius *Exercices de pieté &c.* ab ea compositi ac sequentium laus sua a nobis reddenda fuit.

Præter superius relata opuscula quædam alia laudantur a nostro Seraphino Thoma Miguel hoc titulo:

Recognitio hominis interioris, Latine.

De las ceremonias de la Missa., Lingua Lemovicina verius Valentina : illud forsan de quo postea Latine inter distinctiones editum.

Quasdam etiam epistolas ad Martinum Aragonsæ principem & postea regem eodem sermone Lemovicino datas refert noster Andreas Ferrer de Valdecebro in præfata collectione Justiniani non contentas cum pluribus aliis seu a Ferdinando IV Aragonum rege seu a viris principibus ad eum datis, quas apud eum videsis.

4. Quantum *ad sermones* horum volumen unum lingua Valentina nuncuparat Martino regi dicto, ac miserat, cujus & ipse meminit in quadam epistola ad eum regem data & apud Valdecebrum legenda; sed hoc volumen periisse affirmat Miguel citatus. Præterea monet Diagus fol. 184 d, a se visum volumen ipsius sancti manu scriptum, quod & secum in itineribus deferebat, in quo sermones a se habendos, & loca ubi a se habendi erant annotabat, simul & quæque sibi quoto die iter agenti accidebant, adeo ut sit veluti Diarium ejus vitæ ac itineris per civitates & oppida aliaque loca Castellæ & Bæticæ a Dominica sexagesimæ xv febr. MCCCCXI, quo num. aur. 6, lit. Dom. D, pascha XII apr. ad annum MCCCCXIV mense julio : cùm enim tum Morellæ convenissent Benedictus XIII & Ferdinandus I Aragoniæ rex de pace Ecclesiæ & schismate sedando acturi, eo etiam ab iis vocatus se contulit Vincentius, cujus consiliis in tanto negotio uti volebant : at transactis in ea collatione absque fructu quinquaginta diebus, tres ab invicem discesserunt : recedens verò Vincentius apud hospitem suum dictum volumen sermonum reliquit, quod per variorum manus ad Joannem de Ribera patriarcham Anthiochenum & archiepiscopum Valentinum pervenit, apud quem anno MDXCIX ut pretiosissimum cimelium servabatur. Ex eo autem Diagus gesta Sancti hoc toto fere quadriennio edidit a fol. 185 ad 198 d. Utinam & sermones eo volumine contentos cum editis contulisset, & quid habeant inter se convenientiæ aperuisset, quod forsan aliquando curiosus quis symmysta præstabit & hîc addet. Interea ejus sermonum editiones hæ nobis sunt cognitæ :

1. Tomis IV. Tomus I : *Sermones quadragesimales*. Pr. *Cùm jejunas, unge caput tuum &c.* Coloniæ, Joan. Guldem 1482 fol.. Huic tomo præfigitur *Ars prædicandi Alberti*, sed quis ille *Albertus* non additur. T. II & III : *Sermones de tempore* 1487 fol. T. IV *Sermones de SS. per annum*, Ibid. fol. Hæ aliæ laudantur antiquæ *de tempore*, Argentinæ 1485 & 1503 fol. *De SS.* Ulmæ 1475 fol. Argentinæ 1494 fol. Gallice translati Lugduni 1477 fol. Ibidem Latine 1493 in 4, & 1499 fol. SEC. XV.

11. Editiones aliæ in 8, Tomis tribus, Lugduni 1509, 1521, 1525. Ibidem per F. Simonem Berthetium ord. Præd. recogniti 1530. Ibid. Matthiæ Bonhome 1539. Ibid Hæred. Jacobi Giuntæ 1550. Postea per F. Damianum Diaz Lusitanum ord. Præd. recogniti Antverpiæ 1570. Dolet autem quod primi editores codices MSS quibus usi sunt, non indicarint. Cæterum de his sermonibus sic censet Sixtus Senensis : *Vincentius Valentinus ex ord. Præd. declamator suo tempore omnium celeberrimus, scripsit in lectiones evangelicas, quæ per singulos anni dies in Ecclesia leguntur, sermonum tomos tres, qui inter sermonarios scholasticos primas habent.*

Hos verò omnes non manu Vincentii, sed auditorum qui ex ore dicentis reportaverunt scriptos asserit Seraphinus Thomas Miguel Valentinus in vita Sancti novissime edita.

Venetiis apud SS. Jo. & Paul. Pl. 6 extant MS *Sermones S. Vincentii de tempore* chart. in 4.

5. Prodierunt etiam hoc titulo : *Distinctiones B. Vincentii. Divini verbi præconis & prædicatoris, ac sacrarum literarum interpretis, & professoris subtilissimi S. Vincentii confessoris de Valentia ordinis Fratrum Prædicatorum aurei sermones fructuosissimi, & omni tempore prædicabiles, cunctis divinæ legis declamatoribus plurimum necessarii per distinctiones & literas alphabeticas ordinati nusquam hactenus impressi : præ cæteris jam impressis pulcherrimi, diligenterque revisi per F. Petrum de Tardito sacræ theologiæ professorem ejusdem ordinis & conventus Chamberiaci &c.* Lugduni, Dionysii de Harsi, & Simonis Vincentii 1523 in 8 pp. 622. Subjicitur : *Perutilis expositio decem præceptorum legis per modum sermonum a B. Vincentio S. T. P. ad omnium sacerdotum utilitatem & instructionem edita, & nusquam hactenus impressa. Additus est tractatus in fine, in quo continetur alia expositio decem præceptorum.* Sed hæc altera expositio cujus sit non indicatur, certe Vincentio non tribuitur : sed & de priori an Vincentii sit mihi dubium.

Hanc editionem F. Petrus de Tardito F. Valentino Lievin Ebroicensi S. T. M. congregationis Gallicanæ generali vicario, & totius regni Franciæ adversus hæreticam pravitatem inquisitori, nuncupat e Lugduno XI julii 1523; dicitque hoc opus e bibliothecarum angulis in quibus latitabat, in lucem se prodere : aliudque se habere præ manibus opus panegyricum de Sanctis ejusdem S. Vincentii nusquam impressum, quod curaturus erat imprimendum : quod proinde alterum esse debuit a superius indicato tot vicibus ante 1523 etiam Lugduni Latine & Gallice edito. An autem promissis steterit, hactenus mihi incompertum.

Non omittendum inter has distinctiones, CCIX hunc titulum habere : *De Christi vita quæ in Missa repræsentatur per 30 principaliora opera, quæ Jesus in hoc mundo fecit.* Pr. *Christi vita repræsentata est &c.* Subdubitabam primo an non esset idem sermo, quem postea sub nomine F. Vincentii de Maruegio in Navarræa a me repertum refero, sed collatione facta vidi non convenire.

Venetiis inter codd. MSS Alexandri Zilioli apud Tomasinum recensetur codex hoc titulo : *Prophetiæ plurium SS. hominum ex antiquissimis codd. fideliter transcripta* in 4. In his *Pronosticon B. Vincentii, & opusculum B. Vincentii.* An hæc diversa ab editis monebunt gentiles.

Sec. XV.

B. JOANNES DOMINICI.

† 1419. B. Joannes Dominici vitæ vir integritate, dignitatum, præclareque gestorum gloria celeberrimus, celeberrimos etiam nactus est laudum suarum præcones, alterum S. Antoninum suum in religione alumnum Florentinum exinde antistitem, alterum F. Joannem Caroli symmystam & supparem, virum ætatis suæ eloquentissimum. Primus elogium ejus scripsit Histor. suæ P. III Tit. 22 c. 5: secundus vitam stylo eleganti, quam Leander Albertus suo de Viris illust. Lib. III fol. 70 inseruit, sed plenius & accuratius ex cod MS ipsius Caroli in Bibl. S. Mar. Novel. Florentiæ servato Actorum SS. Editores T. II Junii ad x ejus mensis pag. 399 repræsentant: ex quibus ea solum pro nostro instituto hîc proferemus, quæ ad chronologiam ab eo gestorum spectant, hagiologis cætera fusius narranda relinquentes. Florentiæ natus est Joannes noster ad annum circiter MCCCLVI juxta S Antoninum, plebeiis quidem parentibus, & victum sibi ab arte comparantibus, sed honestis & piis, quique filium a puero optimis instituerunt moribus, etsi ob rei domesticæ penuriam in literis humanioribus promovere non potuerint. At ille ingenio puer acri & vivido, ad altiora se quam ad artem quam profitebatur pater mechanicam natum sentiens, ecclesiam nostram frequentans, ubi decimum octavum ætatis attigit, literarum quamvis rudis, nostris ut accenseretur ausus tamen est postulare. Repellendum plerique judicabant, ceu ordini futurum inutilem, at sapientiores nescio quid superioris in animo luminis ex oculorum acie perspicientes, quod fausta omnia ex eo portenderet, admittendum senserunt, nec spes fefellit. Habitu enim indutus ad annum circiter MCCCLXXIIII, brevi tantus ac talis evasit, ut nec in philosophia vel theologia, mathematicis etiam & jure canonico, dicendique gratia & efficacia ullus alius potior haberetur. Nec minus integritate morum & gravitate, vitæque studio regularis claruit, cibi somnique vir parcissimi studio semper intentus, acerrimo judicio tenacissimaque præditus memoria, quæ legebat intime penetrans, semel lecta perpetuo retinebat. Accedebant ad hæc corporis præstantia, majestas oris, sermonis dignitas & elegantia, vox ad modum tubæ sonora, animos intime percellens, ac quocunque vellet facillime inflectens, tanta vero ex eruditione orationis copia & ubertas, ut per quadragesimam quoto die bis prædicare mane librum aliquem veteris testamenti aut evangelia, sero epistolas Pauli explicando solitum illi esset & commune. Ministerio verbi annis circiter XXV in præcipuis Italiæ civitatibus incubuit, ubique cum plausu, fructu majori auditus, pluribus interea functus in ordine muneribus, Romanæ etiam provinciæ suæ præfectus, in qua disciplinam regularem non parum a diro quo tum ut norunt omnes Ecclesia vexabatur schismate detrimenti passam, sed & in aliis Italiæ ordinis provinciis asseruit, Florentiæ, Pisis, Lucæ, Cortonii, Fabriani, Venetiis in conventu S. Dominici MCCCXCI, Lector tum ibidem publicus ut vocant Itali, hoc est concionator ordinarius, ubi & monasterium Sororum ordinis *Corpus Christi* nuncupatum a fundamentis erexit sanctitate in primis celebre, senatoriarumque mox familiarum filiabus impletum, Fesulis etiam ad Florentiam, ubi solum conferente F. Jacobo de Altovitis episcopo ex ordine assumpto, domum ordinis construxit anno MCCCCVI, & eodem anno S. Antoninum habitu induit postea suo seculo Ecclesiæ lumen præfulgidum. Pestilentissimum de quo mox schisma, quod non solum regna, sed & ubique & in Italia ipsa civitates, imo & in iisdem religiosis domibus sodales inter se dividebat totis exhorrens medullis Joannes noster, qua valebat apud omnes auctoritate atque facundia extinguere conabatur. Hinc defuncto Romæ Innocentio VII die VI nov. MCCCCVI, ad patres hujus obedientiæ purpuratos & ad pontificem ab iis eligendum reipublicæ Florentinæ visus est orator mittendus, qui eos ad pacem Ecclesiæ restituendam hortaretur, nec ad eam rem illis magis idoneus occurrit quam Joannes noster, qua erat apud eos existimatione: quod egregie præstitit summum pontificem XXIII novemb. electum Gregorium inquam XII, coram ejus cardinalium collegio publica & gravi oratione alloquendo, quem omnes & libenter audierunt & gratissimum habuerunt, atque in primis ipse pontifex electus, cui jam olim in minoribus apud Venetias agenti notissimus erat, quique viri solertiam & vitæ sanctitatem atque animi præstantiam admiratus, eum apud se retinere eoque uti decrevit nec Florentiam redire voluit, Ragusinumque creavit antistitem quarto Kal. aug. inquit Fontana, ac proinde non MCCCCVI ut ille habet sed MCCCCVII Pontif. ann. I, quæ promotio Florentinorum ab eo injuste alienavit animos: at multo magis cùm mox anno MCCCCVIII maii XII ab eodem creatus est seu potius antea jam creatus, declaratus est cardinalis tit. S. Sixti, ab episcopatu tamen vulgo dictus cardinalis Ragusinus, cum aliis tribus Antonio Corrario Gregorii nepote episcopo Bononiensi, Gabriele Condulmerio Veneto episcopo Senensi, & Jacobo Utinensi protonotario. Tum enim non solum Florentini, sed & hujus obedientiæ cardinales antiqui ea creatione novorum exacerbati, quod eis contra juramentum facta videretur a pontifice in sua electione datum, de non creandis donec Ecclesiæ concordia restitueretur, nec novos istos promotos agnoverunt, & a pontifice desciverunt, Pisasque secesserunt, ubi quod omnes norunt, cum cardinalibus obedientiæ Benedicti XIII plurimisque aliis utriusque ordinis ecclesiasticis congregati concilio habito exactis Benedicto & Gregorio novum pontificem Petrum de Candia ordinis Minorum Alexandrum V dictum tandem XXVI jun. MCCCCIX elegerunt, qua tamen electione non extinctum, ut autumabant, sed auctum potius schisma, cùm enim prius duo tantum, tres deinceps de summo pontificatu contendebant. Interea enim dum hæc Pisis agerentur Gregorius partes suas pro virili tutabatur, Joannesque noster ei adhærens, ut cujus sibi jus clarius videbatur, & a consiliis intimus, ab eodem datis literis Arimini VI Id. jan. pontif. tertio, Christi MCCCCIX legatus de latere ad Sigismundum, & Wladislaum Hungariæ & Poloniæ reges cum potestatis plenitudine in partibus Hungariæ & Poloniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Lodomeriæ, Rassiæ, Serviæ, Bulgariæ, Sclavoniæ, & Russiæ missus est, qui hos reges eorumque regna in obedientia sua contineret, cum iisque maxime cum Sigismundo de schismatis extirpandi vero modo tractaret. Quo mox ille se contulit plebeio amictu transfiguratus, ne in via ab hostibus interciperetur, Budæque erat adhuc XXII martii, ac jussis sapientissime perfectis adeo ut Sigismundus Pisano tum saltem non assenserit concilio, ad Gregorium reversus eum in civitate Austriæ diœcesis Aquilejensis concilium suum habentem comitatus est, & inde ad paratas sibi insidias vitandas in regnum Neapolitanum Cajetamque fugientem non solum sectatus est, sed & deficiente ab eo anno MCCCCXII Ladislao Siciliæ rege pene ab omnibus derelictum sua prudentia ac agendi solertia sustentavit aulamque ejus universam. Licet autem Gregorio totus sic addictus esset,

esset, eumque verbo & scripto tueretur, eumdem tamen monere non cessabat, ut paci Ecclesiæ omnia cederet etiam summi pontificatus abdicatione. Quod & tandem obtinuit. Indicta enim Sigismundi Hungariæ regis tum etiam imperatoris solicitudine synodo Constantiæ ad mensem novembrem MCCCCXIIII celebranda, legatos suos eo destinavit Gregorius Joannem nostrum Dominici cardinalem & Joannem Constantinopolitanum patriarcham electum cum plena potestate ea omnia agendi, quæ ad Ecclesiæ concordiam consequendam ipsis viderentur necessaria. Literæ datæ sunt Arimini, secundo idus octob. anno VIII, scilicet Christi MCCCCXIIII. His annexæ erant aliæ, quas Sigismundo scribebat idem pontifex, ut illis suis legatis plenam fidem haberet ibidem datæ XVI Kal. nov. Non longe a Constantia jam XVIII novemb. pervenerat Joannes noster, & Gregorii insignia ante fores palatii sibi parati cùm erigenda curasset, id permissum non est, quod ejus obedientiæ civitas illa non esset. (A.) Quiescendum itaque illi fuit, donec sessione XII die mercurii XXIX maii MCCCCXV depositus est a pontificatu Joannes XXIII, ipsomet latæ in se patrum sententiæ consentiente XXXI maii sequentis: tum enim Joannes noster cardinalis Ragusinus vigore literarum Gregorii Arimini tertio Idus martii anno IX Christi MCCCCXV datarum sessione XIV die jovis quarta julii facta prius brevi sed erudita & eleganti ad patres collatione concilium generale convocavit, & omnia per ipsum agenda autorizavit & confirmavit, tumque ad osculum pacis a cardinalibus admissus inter Franciscum Venetum & Antonium Aquilejensem cardinales sedit. Deinde verò cùm Carolus de Malatestis Gregorii in hac causa procurator nomine ejusdem pontificis papatui renunciasset, Joannes noster sede relicta subjunxit: *Ego quoque qui legatus illius hîc assisto, cùm meo jam functus sim officio, & pileo & dignitati ab eo mihi collata sponte ac ultro resigno*, moxque se ad inferiorem præsulum ordinem contulerat, sed & Patres & imperator sui gradus retinere locum & jura maximo ei præstito honore voluerunt, cum quibus deinceps omnia in concilio acta perfecit, ob vitæ sanctitatem mira eruditione, modestia & prudentia conditam ab omnibus magni habitus: qui demum cum cæteris ibidem præsentibus S. R. E. cardinalibus, delectisque aliis ex quinque nationibus Italica, Gallicana, Germanica, Hispana & Anglica XXX electoribus die jovis XI novemb. MCCCCXVII Oddonem de Columna S. Georgii ad Velabrum diaconum cardinalem in summum pontificem elegit Martinum V dictum, cui ut & imperatori ab inde fuit carissimus, & ob præclaras dotes magno in pretio. Hinc absoluto die veneris XXII aprilis MCCCCXVIII sessione XLV & ultima concilio, ab eodem Martino V ad Sigismundi imperatoris petitionem legatus de latere in Hungariam missus est adversus hæreses Boëmorum ibi fructificantes & pullulantes literis datis Genevæ V Id. julii an. I, Christi MCCCCXVIII. Illuc vero profectus gentem in hæresi obduratam videns, quæ nec monitionibus obtemperaret, nec cederet argumentis, non parum ingemuit, consiliaque dedit imperatori salubria & expedita, si iis uti voluisset: interea ille morbo correptus Budæ tandem migravit ad superos, fuitque ex ultima voluntate in monasterio Fratrum S. Pauli primi eremitæ suburbano cum maximo cleri utriusque & populi concursu sepultus cum sanctitatis opinione, quam & crebra ad ejus sepulcrum patrata miracula confirmarunt, adeo ut cultus ei ut sancto redditus fuerit ad annum MDXLI, quo Buda a Turcis per dolum expugnata, sacra quoque omnia conculcata fuerunt & prophanata. De die & anno mortis non conveniunt auctores. S. Antoninus ait MCCCCXVIII, nisi fortè sit in editis typorum erratum: Joannes Caroli indicat annum MCCCCXX, at Seraphinus Razzius cui potiorem fidem habeo *Vir. Illust. pag.* 54 dicit mortuum X junii MCCCCXIX, quod & secuti sunt Actorum SS. Editores citati. Ætatis LXIII obiisse cùm testetur S. Antoninus & tum ille tum Joannes Caroli octodecim annos natum ordinem induisse constanter asserant, ideo anno MCCCLXXIV, id evenisse supra indicabam, quamvis non uno in loco dictus Joannes Caroli annum LXXVIII designet, quod fortè non ita scrupulose discussit, aliter nostro Joanni vitæ anni quatuor rescindendi essent. Præter citatos de eo legendi Odoricus Raynaldus in Annal. Eccl. ab anno 1406 ad 1419, Concil. General. Tomus XII, & nostrates omnes. Eum Joannes Caroli numquam archiepiscopum Ragusinum consecratum fuisse innuit, cui haud facile assentiar, cùm Razzius citatus conventus Ragusini prior aliquando & in illis partibus vicarius generalis, quique monumenta vetera ejus civitatis discussit ac antistitum Ragusinorum vitas scripsit, id non dicat: sed addat tantum per annum circiter hanc Ecclesiam servasse, quod in ea residere a Gregorio XII retentus non posset, cæterum carissimam semper ei fuisse, adeo ut moriens & vasa argentea & cardinalitium capellum ei legarit, qui Razzii ætate ibidem suspensus etiamnum visebatur. Ecclesiam Tropeensem etiam ei commendatam a Gregorio XVI maii MCCCCX narrat Ughellus Ital. Sac. T. IX col. 655, quam ob eamdem fortè non residendi necessitatem inter manus collatoris brevi resignarit. In chronico parvo ad calcem constitutionum anno 1504 Venetiis edito hæc tantum de eo habentur: *Hic* (Gregorius) *fecit cardinalem F. Joannem Dominici de Florentia, & misit eum legatum ad imperatorem Sigismundum pro unione Ecclesiæ procuranda, qui tandem obiit legatus in Hungaria tempore Martini V.* Hinc fusius illud elogium ab auctore annotationum ad Acta SS. T. II junii pag. 395 n. 6 F relatum, a F. Felice de Castelfranco additum colligas, ut qui constitutionum editioni 1566 præfuit, quæ a me non visa: sed si in ea legatur, iterum in compendium redegerunt ultimi editores, emendandi isti cùm dicunt in conventu nostro S. Pauli primi eremitæ conditum: non enim apud nostros etsi duplicem haberet ordo inibi conventum Budæ & Pesti in altera parte Danubii, sed apud Fratres Eremitas S. Pauli, qua de causa ignoratur, primo sepultus est, ex quo ad majorem ecclesiam translatum aiunt. Agnomen *Dominici* a patris nomine qui *Dominicus* vocabatur ei adhæsit, quod tum vulgare non solum in Italia, sed & in Galliis. Hæc ejus opera a S. Antonino recensita:

1. *Super Ecclesiasten per modum lectionum, quas Venetiis lector existens publice civibus legit*, MS: a se visum in conventu nostro Fesularum testatur noster Ambrosius Catarinus in suo tractatu *De conceptione B. V.* Princ. *Omnia parata sunt, venite ad nuptias.*

2. *Super canticum canticorum, quorum 1 & 2 capitulum per modum lectionum exposuit.* Meditationes egregias vocat Joannes Caroli vitæ n. 35. Extat MS in Bib. Barber. Romæ hoc titulo: *Jo. Dominici de Florentia Or. Præd. contemplatio in cantica canticorum.* Sic Alva. Leander fol. 252 a, testatur quod dum anno 1398 pridie non. novemb. in cœnobio S. Dominici Venetiarum legeret illud canticorum 1. v. 6, *Indica mihi quem diligit anima mea* in frequenti auditorum numero, longo sermone laudes F. Nicolai Ravennatis viri sanctitate prædicaret.

(A) Videndus de his Schelstrateus, & Acta conc. Constant. T. IV, pagg. 20, 21, 34, & 37, ubi dicitur die martis XXII januar. solemniter Constantiam ingressus.

Sec. XV. celsi, quem aliâs ad ordinem adoptarat, complexus sit. Ex quo discimus has lectiones ab eo Venetiis anno illo prædicatas.

3. *Diffusum commentarium super Matthaeum ad caput* XIX *usque.*

4. *Commentarium super* Magnificat *copiosum. B. V. laudes multa devotione conspicuas in eo contineri testatur* Joannes Caroli, qui proinde apud suos vidit MS. Hoc titulo opusculum MS extare in Bibl. S. Mar. Nov. Florentiæ anno 1482 exaratum testatur noster Badius, sed an istud sit Joannis Dominici dubitat, censetque potius esse Joannis Caroli. Sic auctor annotationum ad Acta SS. citatus pag. 397 F. f. Floreffiæ apud Præmonstratenses ad Namurcum extat in collectione tractatuum a nostris editorum MS, *Explicatio super* Magnificat. Pr. *Beata virgo Maria facit mentionem de tribus &c.* quam alicujus nostrum censet Alva, & eamdem quam sub nomine Jo. Dominici citat Bandellus.

5. *Itinerarium devotionis.*

6. *In psalmos & cantica canticorum, in quo satis devoti sunt sermones.*

7. *Lucula noctis. In quo libello Christicolas contra invehitur de divino cultu neglecto, & studio immodico literarum gentilium, ita ut pene contemnant divina oracula & ecclesiasticos libros.* Lucubratio est, inquit Joannes Caroli, adversus Coluccium insignem poetam, qui de fortuna vel fato carmen scripserat, in quo poetica forsan licentia ductus, non satis probe de fide sentire videbatur. Extat MS apud nostros S. Mar. Novellæ.

8. *Tractatus de amore Charitatis.* Vulgari sed eleganti stylo super illud Apostoli: *Si linguis hominum loquar & angelorum*, 1 *Cor.* 13, *per modum sermonum* 44. Ad Sanctimoniales nostras Venetas Corporis Christi. Cujus duplicatum exemplum MS extat Florentiæ ad S. Mar. Nov. memb. sed absque nomine auctoris a me anno 1681 visum, & ad S. Marci Arm. III cod. 68. MS memb. Prodiit etiam typis Venetiis 1555. Iterum hoc titulo *Trattato de la carità di nuovo ristampato*, Florentiæ, Philippi Giunti 1595 in 8 pp. 579.

9. *Quadragesimale unum recollectum, in quo cum themate occurrenti proponit versus psalmorum unum vel duos a* I *Beatus vir ad* IX *Confitebor tibi Domine; simul evangelii expositionem includens.*

10. *Quadragesimale alterum eodem tamen anno de sero prædicatum & aliqualiter recollectum* in Epistolam Pauli ad Romanos. Utrumque a S. Antonino visum. *Horum lectione* inquit Joannes Caroli de utroque Quadragesimali loquens, *nil dulcius nec quidquam est eorum eruditione præstantius.*

11. *Sermones de SS. & aliis anni festivitatibus.*

12. *Epistolæ multa doctrina & pietate refertæ.*

13. *Tractatus de conceptione B. Virginis.* Pr. *Resecandæ sunt putridæ carnes.* Citant Bandellus & sequaces, ut & Bergomensis in Suppl. chronic. Recensetur etiam a nostro Bundero in suo codd. MSS Belgii catalogo pag. 365 ut a se visus apud nostros Buscoducenses, qui perierit, inquit Alva, Sol. Verit. Rad. 194 col. 1471 & seqq. legendus, modo enim codex ille non reperitur.

14. *Vita B. F. Marcolini Foroliviensis*, qui scilicet S. Petrum Martyrem occidit, quique abinde conversus ordinem amplexus est, & in eo sanctissime vixit & obiit, quam Actorum SS. Editores dandam a se promittunt in supplemento januarii die 24.

15. *Regula vivendi.* Pr. *Timor filialis ut ego quidem censeo.* Extabat apud Clar. Magliabeccum Bibl. Magni Ducis Florentiæ præfectum MS membran. lingua Etrusca vernacula: sic auctor annotat. ad Acta SS citatus pag. 398 A, i. Tractatum hunc eumdem existimo, cum eo qui servatur Florentiæ ad S. Marci, Arm. II n. 154 hoc titulo: *La solenne ammonizione dell'anima, del corpo e della robba, e de' figlivoli composta per Frà Giovanni Domenici cardinale.* Pr. *Uno timore figliale.* Ad calcem legitur: *A di 29 d'Agosto* 1505: Quibus ætas codicis videtur indicari.

16. *De possessionibus.* Sic Pocciantius.

17. *Cardinalis S. Xysti ordinis Prædicatorum opus de corpore Christi* recensetur in catalogo codd. MSS. servorum B. Mar. Florentinorum n. 120, opusculis quibusdam S. Antonini adjunctum. An sit nostri Joannis, ut verisimile, videant gentiles.

Alva *Sol. Ver. col.* 1471 ait in Indice Bibl. Vatic. extare notitiam cujusdam cod. MS sic: *Joannis Dominici (imo diabolici) archiepiscopi Ragusini Abusiones cum glossis in* 4, 192, 157. Eodem vol. hæc alia: *Quæstio an Papa &c. & alia contra eumdem papam* 1192, 159. *Allegationes ad ostendendum quod Papa Gregorius XII non stetit.* Quæ quid significent, hæret Alva: sed facile conjicias tractatus esse quorumdam vel Alexandro V vel Joanni XXIII aut etiam Benedicto XIII in sua quoque obedientia sic dictis adhærentium, qui scripta pro Gregorii XII defensione a Joanne nostro juris momenta impugnarint, ejusque rationes *Abusiones* irrisorie vocarint & quo erant in utrumque œstro perciti ut patrem-familias ipsum inquam summum illum pontificem *Beelzebut*, ut ita loquar, sic & fautorum ejus antesignanum nostrum, inquam, Joannem *diabolicum* nominare, & contumeliosis his verbis dehonestare veriti non sint. Is enim erat tum miserrimus Ecclesiæ status, ut ex quo alicui ex tribus pontifici se quis addixisset, aliorum sectatores atrocius morderet, in eoque se Deo etiam obsequium præstare arbitraretur. Sic & Poggius in suo de Hypocritis suæ ætatis dialogo anno 1538 typis Henrici Petri edito, his Joannem nostrum accensere non erubuit, quem aliâs priusquam a suis Florentinis legatus ad Gregorium mitteretur, multis laudibus exornarat. Quæ omnia sive ex Actis ab eo præclare in concilio Constantiensi, sive ex vita eodem tenore tum durante schismate tum eo finito, ut ab initio sanctissime ducta abunde refelluntur. Ex his saltem conjicimus Joannem in gratiam Gregorii XII multa scripsisse, quæ scriptores partis Alexandri vel Joannis XXIII impugnarint. De quibus videnda & discutienda essent tot de schismate volumina in archivis Vaticanis servata.

18. *Per quadragesimam quamdam Florentiæ in basilica cathedrali omnes regulas juris quæ habentur in sexto bis dietim prædicavit, cum magno auditorum concursu, unam de mane, alteram de sero proponendo cum themate evangelii vel epistolæ cunctis admirantibus.* Sic S. Antoninus, sed an hoc quadragesimale scripto servatum fuerit non addit.

19. *Littera quibus legatus prima vice apostolicus ad Sigismundum Hungariæ regem indulgentias* CL *dierum concessit ecclesiam B. Mariæ V. de insula Danubii Vesprimiensis diœcesis visitantibus data Budæ XI Kal. April. Gregorii XII anno iij*, hoc est Christi MCCCCIX. Has habet Sigismundus Ferrarius Hist. prov. Hung. P. II p. 340, qui & de Joanne Dominici legendus p. 156 & seqq. Porro ecclesia hîc laudata ea est ubi B. Margaritæ Hungaræ virginis sanctimonialis ordinis corpus tum requiescebat.

20. *Tractatus de proprio.* Hujus meminit Raphael de Pornaxio de quo postea in ejusdem argumenti opusculo *de communi & proprio* cap. I ubi sic habet: *Ex quo patet quod Joannes Dominici nimis stricte incedit in suo tractatu, quem de consimili materia fecit, quod superior est Deus, Ecclesia, regula, & B. Dominicus, & quod istis inferiores non possunt dispensare.*

De hoc scriptore agit Altamura ad 1420, quem ex hactenus dictis emendes.

F. SANCTIUS BESARAN.

† 1419. F. SANCTIUS BESARAN Aragonus conventus Oscensis alumnus, fidei censor generalis in regno Aragoniæ fuit institutus anno MCCCCXIII die X martii promovente F. Joanne Guerra tum provinciæ Aragoniæ priore provinciali: electus etiam postea fuit ejusdem provinciæ prior provincialis anno MCCCCXIX die VIII septemb. Sed non confirmatus a magistro ordinis Leonardo Statio de Datis, accedente ad hanc electionem irritandam auctoritate apostolica: de quo legendus Diagus Histor. ejus prov. lib. 1 cap. 34, & lib. 2 cap. 92. Ejusdem meminit Antonius Bibl. Vet. Hisp. T. II Lib. X cap. 3. n. 115, ubi eum refert ad ann. MCCCCXXX, & citat de eo agentem Vincentium Blasco Hist. Arag. lib. 5 cap. 41. Laudat Altamura ad 1418. Scripsit

Contra errores Arnaldi de Villanova medici.

F. HENRICUS DE PLANO.

* 1420. F. HENRICUS DE PLANO Insuber Astensis patria & professione laudatur a Lusitano ad 1420 clarus, ab Altamura & Rovetta ad 1435, qui & *de Palatio* agnomen habuisse testantur. Scripsit

Quadragesimale, & alia in re parænetica, quæ MS apud Bononienses nostros servari ait Rovetta.

Ejusdem meminit Franciscus Augustinus *della Chiesa* in Script. Insub. sed cùm refert ad 1550 parca ei mihi fides, siquidem tum florebat Lusitanus, qui longe antiquiorem censuit.

F. BENEDICTUS CRINIGANDUS.

* 1420. F. BENEDICTUS CRINIGANDUS Aragonus sacræ theologiæ magister in facultate Parisiensi laureatus florebat circa MCCCCXX. Sic habent Lusitanus, Joannes Marieta, Fernandez, Possevinus, quos excipit Antonius Bibl. Vet. Hisp. Lib. X cap. 2, n. 90. Unde mirum quî Altamuræ placuerit eum ad 1316 revocare, præsertim cùm ipse Lusitano standum astruat. Ei tribuitur

Scriptum in IV libros sententiarum.

FF. BENEDICTUS & LAURENTIUS DE VERONA.

* 1420. FF. BENEDICTUS & LAURENTIUS DE VERONA ambo dicti, unà veniunt laudandi, ne si duo sint, confundantur, aut si unus & idem homo dividatur. Benedictum solum laudat Lusitanus & clarum exhibet ad 1420 verbi Dei præconem. Utriusque meminit Altamura Laurentii ad 1418 Benedicti ad 1420, sed unicum & eumdem esse scriptorem se arbitrari monens. Rovetta contra ex variis testimoniis a se dum Veronæ moraretur habitis contendit diversos esse, & Benedictum ad 1420, Laurentium ad 1422 collocat, qui si utriusque opera vidisse se ac lustrasse, & omnino diversa esse addidisset, omne dubium expunxisset. Interea hæc illis ejusdem tituli tribuuntur opera:

Sermones de tempore & de sanctis per annum, alii in symbolum apostolorum, in decalogum, & in orationem Dominicam.

F. DOMINICUS DE PECCIOLI.

F. DOMINICUS DE PECCIOLI Pisanus, vulgo a patria simpliciter absque agnomine relato apud nostros nuncupatus, clarebat exeunte seculo XIV & XV ineunte sacræ theologiæ magister, vir pietate & eruditione conspicuus. Ejus cum laude meminerunt Leander fol. 149 b, Lusitanus & sequaces, & tandem Altamura ad 1348. Hic ad eumdem annum quemdam refert *Dominicum Aianum* ceu alterum, cui cùm idem opus ascribat, eumdem censeo hominem & auctorem. Fontanâ quem ille citat in Prov. Rom. legit revera *Aianum*, sed erratum esse typorum hinc constat, quod citet Fernandez, apud quem nullus *Aianus* sed *Pisanus* tantum laudatur. Scripsit itaque Dominicus hic opus quod illi omnes laudant, licèt ubi servetur non indicent, sed quod in meas manus venit * 1420.

Commentarium in epistolas Senecæ ad Lucilium.

Extat MS Paris. in Regia cod. 5815 fol. chart. foll. 123 per columnas scriptis constante. Pr. *Incipit prologus apologeticus super lecturam epistolarum Senecæ editam a Fratre Dominico de Peccioli ordinis Prædicatorum sacræ theologiæ doctore. Fortis materia forte requirit ingenium &c.*

Finis: *Vel quia contradices mihi, si plura dixero, quasi non omnia sint vera. Quæ ad præsens declarata sufficiant. Expliciunt epistolæ supradictæ ab exemplari non bene correcto & taliter qualiter scripta.*

In actis SS. T. II april. in vita B. Claræ Gambacurta mentio fit F. Dominici de Pecciolis Pisani viri clarissimi, qui ex iis videtur, qui cum Joanne Dominici cardinali Ragusino severiori ordinis disciplinæ in Italia restituendæ allaborarunt: qui & dictæ B. Claræ non parvo adjumento fuit in sanctiori suo monasterio Pisis erigendo. De eo sic legitur p. 511 n. 65: *Ordinabat vero omnia magister Dominicus de Pecciolis sacræ theologiæ doctor & concionator insignis, qui & quamdiu vixit monasterii confessarius fuit.* Hæc ad ann. 1382. Vivebat autem adhuc anno MCCCCXIX fer. ij paschæ XVII april. secundùm æram vulgarem, at MCCCCXX secundùm æram Pisis tum usitatam, quo mortua Clara, & in regimine domus ei suffecta soror Philippa, cujus & quædam gesta scripsit eodem tomo april. pag. 518 & 519 relata: sicque de eo legitur dictum sorori Philippæ in visione: *Facias quod F. Dominicus de Peccioli cui a majoribus vestris fuit cura commissa, faciat de hac re memoriam per scripturam, & de hujus* (gloriæ) *visione.* Hunc eumdem cum auctore Commentarii in Senecam censeo, cùm & nomen & ætas conveniant. Qui proinde scripsit adhuc

Chronicam monasterii S. Dominici Pisani.

Hujus fragmentum membraneum in eodem monasterio servatum exscripsit Franciscus Maria Cesfinus eques, ac editoribus Actorum SS. misit suis Menæis inserendum, ubi videsis. Ex iisdem actis B. Claræ conjicitur Dominicum hunc plura alia scripsisse.

F. JACOBUS ZINEDOLUS.

F. JACOBUS ZINEDOLUS Longobardus patria & professione Placentinus, ad annum 1420 a Lusitano clarus laudatur. Excipiunt ad eumdem annum Pius, Altamura qui Joannem vocat, sed in indice corrigit & vocat Jacobum, Rovetta vel Joannem vel Jacobum indiscriminatim nominari asserens. Dicitur reliquisse * 1420.

Sermones & collationes de tempore & de sanctis. Voll. duo.

Sec. XV.

F. JOANNES FONTANA.

* 1420. F. Joannes Fontana Longobardus patria professioneque Placentinus ab Alberto Veneto laudatur ad eumdem annum 1420 clarus, & excipiunt Lusitanus, Fernandez & Altamura, sed Rovettæ placet ad 1421 prorogare. Scripsisse ferunt

Opus in quo multa moralia complexus est, estque ad instar Speculi Historialis Vincentii Bellovacensis. Ubi autem servetur nemo refert. Indigenarum diligentiæ esset id requirere & monere.

F. SILVESTER MEDIOLANENSIS.

1420. F. Silvester Mediolanensis domus S. Eustorgii sodalis a Lusitano ex Alberto Veneto claruisse dicitur anno 1420. Excipiunt Pius, Fernandez, Altamura verò ad 1422, & Rovetta ad 1426. Meminerunt & Possevinus, & Picinellus Athen. Mediolan. Hæc illi tribuuntur opera:

Tractatus de ente & essentia.

Quæstiones variæ de multis argumentis.

Quæ ms Mediolani ad S. Mariæ Gratiarum servari asserit Rovetta.

F. ARNALDUS.

* 1421. F. Arnaldus quidam absque agnomine recensetur in Bibl. Venet. Tomasini, de quo sic legitur apud SS. Joan. & Paulum Pl. IV:

Sermones historiales Fratris Arnaldi ord. Prædic. anno 1421 *in* 4 memb. scilicet *de vita S. Lucæ, de B. Virgine* &c. Codex erat aliàs Petri Contareni.

Cujas fuerit hic Arnaldus, ut & an ætas hîc laudata sit non solum codicis sed & scriptoris seu auctoris disquirant & doceant indigenæ.

Hos sermones esse Arnaldi Bernardi Caturcensis, de quo nos supra ad 1334 censet Percinus in Mon. Tolos. Obstat annus 1421 hîc notatus, nisi dicatur ætatem esse codicis non auctoris, quod discutiant sodales Veneti. Nam nec scriptores multiplicandi mihi est consilium, ubi unus est, nec iterum in unum confundendi, si diversi sint.

F. DOMINICUS DE FLORENTIA.

* 1421. F. Dominicus de Florentia vir & doctrina & dignitatibus quas gessit amplissimis, & agendorum solertia clarissimus, ab aliis Italus, Gallus ab aliis asseritur, quam contentionem difficile dirimas. Etruscum & Florentiæ ortum vult Joannes Caroli in vita B. Joannis Dominici cardinalis Ragusei de quo nos paulo ante, ejusque auctoritas non videtur spernenda cùm eodem seculo vixerit, licet junior: contra vero Sammarthani in Gall. Christ. Gallum & Salyum autumant, quibus assentitur Percinus in Monum. Tolosanis P. I, p. 96 b, ubi & conjicit conventus S. Maximini fuisse alumnum, quod in eum fuerit beneficus, leve tamen argumentum. Ut ut sit potissimam vitæ partem in Galliis egisse certissimum, ac præsertim Avenione, quo junior venerit, cùm aula Romana illic sedem haberet. Ullis in ordine muneribus functum non produnt annales nostri, falluntur que clari editores actorum SS T. II junii in annotatis ad vitam B. Joannis Dominici p. 415 E d, cùm Aquitaniæ provincialem fuisse narrant, nam hoc officium nunquam gessisse certo certius est ex serie quam habemus provincialium. Roberto cardinali de Gebennis minister fuit primum a sacris confessionibus, tum eodem adversus Urbanum VI Fundis anno MCCCLXXVIII die XX septemb. in summum pontificem sub nomine Clementis VII electo, ei adhæsit, & cum eo e Fundis Avenionem regressus est. Anno sequenti MCCCLXXIX ab eodem datus est Ecclesiæ Albiensi episcopus & anno MCCCLXXXII ad Ecclesiam S. Pontii Tomeriarum translatus, eam administravit ad ann. MCCCXCVII, quo ad Albiensem rediit, & eo titulo concilio Pisano anno MCCCCIX affuit. Anno sequenti a Joanne XXIII ad Ecclesiam Tolosanam translatus est per bullam datam idibus septemb. anno I, hoc est Christi MCCCCX. Æque falluntur & qui negant affuisse concilio Constantiensi, in eo enim sedisse invicte probat index supra relatus ex T. V operum Gersoni in ipso concilio scriptus eorum qui ex nostris in eo aderant; & qui volunt unum fuisse ex XXX electoribus a concilio collegio cardinalium additis, qui summum pontificem deinceps indubium Ecclesiæ darent, neque enim inter eos in actis numeratur. Gregem suum pacifice regebat, veri pastoris partes omnes implens, cùm nova ei accessit dignitas. Scilicet Carolus Delphinus tum patre ægrotante regni regens, senatum sive ut aiunt parlamentum Tolosæ instituere aggressus, quo res sapientius & suavius succederet, eumdem judicavit sacrorum antistitem, & juris dicendi supremum instituendum principem. Itaque Dominicum jam archiepiscopum & primum creavit gravissimi hujus senatus præsidem, cum plenissima senatores quos elegerat authorandi facultate, quod & solemni pompa factum anno MCCCCXX die XXIX maii. Verùm cùm die XIV junii sequentis judicio cujusdam blasphemi præsedisset, ac senatusconsultum quo reus capite damnabatur pronunciasset, id sibi licitum arbitratus, clerus ejus omnis in eum insurrexit, & ceu irregularem ac jurisdictione spirituali privatum habuit. Id Dominica sequenti XVI mensis in publica concione purgare conatus est, se nihilominus ordinationi summi pontificis obsecuturum protestatus. Delegatus a Martino V episcopus Aniciensis Guillelmus de Chalenson, qui de hoc negotio gravi & intricato inquireret, eum absolvit ad cautelam per interim, donec a sancta sede causa terminaretur. Finis vero is fuisse videtur, scilicet Dominicum magistratum abdicasse, sed archiepiscopum perseverasse ab mortem, quæ anno sequenti MCCCCXXI vel ut alii volunt anno MCCCCXXII die XXXI decem. evenit: apud nostros Tolosæ sepultum docet Guillelmus Catel de eo legendus in historia præsulum Tolosanorum. De eo etiam honorifice loquitur *La-faille* in Annal. Tolos. Gallice scriptis: consulenda & nova Gallia Christiana quæ nunc sub prælo sudat, & ex nostris Percinus citatus. Ejus extant acta plura

Statuta pro instauratione majoris ædis Tolosanæ & pro canonicorum reformatione.

Institutio gymnasiorum Mirapicensis & Magalonensis in universitate Tolosana.

Decretum de solemniori celebratione festi S. Thomæ Tolosæ datis indulgentiis.

Testamentum ejus quo inter alia grandem pecuniæ summam cœnobio S. Maximini legat, & plures codices MS.

F. YVO EVENONIUS.

F. Yvo aliis *Evenus* Evenonius Armoricus his annis florebat in gymnasio Sanjacobeo Parisiensi, & ex actis sacræ facultatis inter octo die VI martii MCCCCXXI veteri stylo novo XXII licentiatos, quorum duo tantum seculares, sex alii variorum ordinum regulares, ultimum locum obtinuit. Collega ei fuit quidam F. Jacobus Mercerii dictus consodalis qui tertium locum sortitus est, & F. Albertus Fabri etiam Prædicator, sed hic die XV decembris ejusdem anni tantum licentiatus. An Evenonius quædam scripserit, mihi hactenus incompertum, quod sui gentiles hîc addent, sed id monendum visum est, ne quis a Malleto nostro fallatur, qui T. II illust. S. Jacobi virorum p. 156 hunc Yvonem Guidoni Ebroicensi conjungit longe antea mortuo, ceu qui anno MCCXC florebat. * 1421.

* 1422. F. BARTHOLOMÆUS DOMINICI.

F. Bartholomæus Dominici Etruscus Senis ortus & conventus S. Dominici ibidem alumnus sacræ theologiæ magister sub finem seculi XIIII & initia sequentis claruit. Anno MCCCXCV provinciæ Romanæ præerat prior, tumque unâ Vicarius generalis ordinis in obedientia Bonifacii IX a Raimundo de Capua absente & in Sicilia insula illius pontificis legatum agente institutus: ad quem idem Raimundus eodem anno mense martio epistolam suam de reformatione direxit, ut eam ad provincias sibi subditas mittendam, curaret. Provincia Romana septem annis administrata, procuratorem generalem ordinis apud Bonifacium IX & sequentes pontifices a Raimundo institutum testatur Fontana. Episcopum Coronensem in Peloponneso aliquando assumtum asserit, non Sixtus Senensis, ut mendose habent Actorum SS. editores T. III april. p. 968 in annotatis, sed Antonius Senensis in Bibl. sed hic non sibi constans, ceu qui in chronico ad decadem 1400 hunc Coronensem episcopum non Senensem sed Florentinum dixerat, cui licèt faciliores crediderint Pius, Fernandez, Ugurgierius, Fontana, & Altamura ad 1417, parca mihi fides, tum quia Leander fol. 150a, ubi de eo agit, episcopum eum non agnoscit, tum quia obstant mox dicenda. Scripsit unâ cum Thoma Antonii itidem Senensi

De initio & fundatione regulæ seu forma vel modi vivendi Fratrum & Sororum de militia Jesu Christi de pœnitentia B. Dominici. Princ. *Pateat universis fidelibus, qualiter ego F. Thomas de Senis unâ cum R. P. & magistro F. Bartholomæo de Senis ambo de ordine Prædicatorum anno Domini* MCCCCXXII *in Venetiis existentes, & quantum valuimus diligentius inquirentes de regula sive statu &c. invenimus &c.*

Ex quibus inferas falli tum Ugurgierium, qui obiisse dicit anno 1414 die 27 decemb. ætatis 57, tum Fontanam qui mortuum vult anno 1417 die 3 julii ætatis 72 Arimini, quem vivum habemus & Venetiis agentem & scribentem anno 1422. Sic enim legitur in prima constitutionum nostrarum editione a magistro ordinis Vincentio Bandello curata Mediolani anno 1505, & in omnibus aliis quæ deinceps secutæ sunt. Inferas præterea anno 1422 nondum fuisse episcopum, quod non tacuisset Thomas de Senis, denique decem circiter annos vitæ ab Ugurgierio & Fontana illi detrahi.

Cæterum tractatus ille de initio regulæ de pœnitentia &c manifeste fuit auctus tum in editione Mediolanensi citata tum in seqq. additione plurium, inter alia bullarum Eugenii IV & pontificum sequentium.

Alia etiam scripsisse Bartholomæum hunc constat præsertim *de vita B. Catharinæ de Senis*, cujus confessiones Romæ exceperat, Eorum quæ de illa scripsit, fragmentum refert Thomas Antonii citatus in vita sanctæ a se scripta. Videsis acta SS. T. III april. p. 968 n. 3 & p. 970 n. 15, ubi Bartholomæus dicitur litteris B. Stephani Cartusiani ad B. Catharinæ canonizationem promovendam excitatus. Anonymus auctor vitæ ejusdem sanctæ Italice & compendio scriptæ & editæ in capite libri *de la divina providentia* Venetiis 1517 & 1540 plura quæ refert dicit reperiri *nelle attestationi di maestro Bartolameo da Siena confessore di S. Catarina.*

F. PETRUS DE AVERSA.

F. Petrus de Aversa sic a patria in terra Laboris regni Siciliæ civitate nuncupatus theologus primi nominis, ob eximias dotes a Bonifacio IX ad Bitectensem sub Barensi Ecclesiam promotus est anno MCCCXCIX, pridie idus maii, & ibidem obiit circa annum MCCCCXXII. De quo Videsis Ughellum Ital. Sac. T. VII & Fontanam in Theatro. Ejusdem meminit Toppius Bibl. Napol. ejus tamen nulla opera recenset, quæ forsan speravit a suis symmistis addenda, quod utinam hîc saltem exequantur. * 1422.

F. PETRUS DE RIPA TRANSONA.

F. Petrus de Ripa Transona a patria Piceni oppido sic nuncupatus, in Firmano cœnobio ad ordinem allectus, theologus eximius & Ecclesiastes facundus, & a Joanne Garzo in suo *de Rebus Ripanis* opere laudatus ceu maximus morum censor, partes pontificum Romanorum adversus Avenioni in schismate sedentes acerrime & verbo & scripto sustinuisse dicitur, quapropter ab illis archiepiscopus Corinthiensis promotus & consecratus, in concilio Constantiensi etiam sedisse asseritur a Fontana. Vivebat etiamnum anno MCCCCXXII, quo XXIV maii permittente episcopo Firmano altare majus ædis nostræ consecravit, & indulgentias eam certis diebus visitantibus concessit, cujus diploma in eodem cœnobio integrum & sanum adhuc servatur. Ejus meminere Pius parte 2 lib. 3 col. 4, Ughellus Ital. Sac. T. II, ubi de episc. Firm. col. 787 ad Petrum de Meliorati, Fontana in Theatro, Rovetta ad 1422, a quo hæc ei opera tribuuntur: * 1422.

Tractatus de schismate pro defensione pontificum Romanorum Urbani VI & seqq.

Sermones de tempore, de sanctis & quadragesimales.

Utinam ubi hæc serventur addidisset.

F. JACOBUS.

F. Jacobus absque agnomine, quem Branda Castillioneus dictus cardinalis Placentinus Martini V ad partes Austriæ & Germaniæ legatus theologum sibi allegit, cæteris nomenclatoribus nostris aut omissus aut ignotus, nunc primum e tenebris eruitur ex opere ab eo confecto, quod ms in monasterio Aquiscinctino vernacule *Anchin* ad Scarpam in Flandria sito etiamnum servatur, & ad cujus finem sic legitur: * 1423.

Explicit tractatus contra articulos principales Hussitarum collectus in universitate Viennensi quæ sita est in ducatu Austriæ, & ad instantiam reverendissimi in Christo patris D. Placentini presbyteri cardinalis S. R. E. & apostolicæ sedis legati per egregios sacræ theologiæ professores ac magistros Jacobum ordinis Prædicatorum doctorem ejusdem cardinalis, Petrum Pallia, & Bartholomæum de Ebraco ordinis Cisterciensis anno Dñi MCCCCXXIII. Vidit noster Ghilbertus de la Haye pluries in hoc opere citatus.

De isto cardinali Placentino legendi Ciaconius & Oldoinus T. II col. 801. Licet autem ex opere laudato cujas fuerit iste Jacobus agnosci non possit, eum esse censeo qui a Nydero Formicarii lib. 3 cap. 10 dicitur F. Jacobus de Clavaro (*Chiavare* Latine Claverium ex Leandro in descript. Italiæ castrum est in Liguria ditionis Genuensium) quem

Sæc. XV. Nyderus narrat conversioni cujusdam pervicacissimi hæretici in Hungaria agentis ita feliciter laborasse, ut eum a perfidia revocaverit, & institutum Fratrum S. Pauli in eo regno a disciplina regulari præ cæteris commendatum amplectentem lætus viderit. Sic enim habet Nyderus: *Quo tempore in universitate Viennensi legi Bibliam vel Sententias, non longe in Hungaria repertus est quidam baccalaureus & presbyter talis hæreticus de quo tu rimaris &c.* Et postea: *Supervenit interea legatus totius Germaniæ dominus Placentinus cardinalis cum tribus tam theologiæ quam juris canonici devotis, prudentibus, & litteratissimis professoribus, qui dictum reum* (hæreticum) *ad carceres ut salvaretur anima visitarunt*, &c. plura. Et postea: *Verùm ut ubique clavum clavo retunderent, artibus videlicet & philosophia, quibus præfati viri tritissimi erant, operam dederunt, ut exinde jacula reciperent, præsertim F. Jacobus de Clavaro nostri ordinis &c.* Quæ ab eodem Jacobo Nyderus testatur omnia se audivisse. Hinc verò nullum mihi dubium quin iste Jacobus de Clavaro a cardinali Placentino in sua legatione theologus adductus, sit idem Jacobus tractatus contra Hussitas laudati auctor. Sigismundus Ferrarius Hist. prov. Hungar. p. 490 hujus Jacobi meminit ex Nydero, sed tractatum a nobis laudatum non novit aut omisit.

F. JACOBUS DE SUSATO.

† 1423. F. Jacobus de Susato sic ab originis suæ loco vulgo Soez vel Zoet in Westphalia urbe non obscura Monasterium inter & Martisburgum 15 leucas a Colonia distante nuncupatus, sacræ theologiæ magister Coloniensis & in Germania hæreticæ pravitatis inquisitor, ineunte seculo XV claruit, vir magni nominis pietate, doctrina, eruditione, rerumque agendarum peritia commendatus. Ejus cum laude meminerunt Leander fol. 136 b, Lusitanus, Pius, Fernandez, Altamura ad 1420, extrates Possevinus, Vossius Hist. Latin. Edit. II pag. 801 & alii. Hæc ejus opera:

1. *Commentaria in Matthæum, in librum Sapientiæ, in epistolam ad Hebræos D. Pauli.*

2. *In Matthæum tria volumina fusissima.* Quorum primum a nostro Jacobo Quetif visum & expensum in Bibliotheca conventus nostri Coloniensis anno 1671 mense junio, estque codex MS fol. papyraceus & membranaceus tres uncias spissus, continetque *Lecturam super Matthæum ad caput usque septimum.* Princ. *Notum vobis facio evangelium &c.* Ad calcem sic legitur: *Et sic terminatur prima pars lecturæ super Matthæum, scilicet super septem capitula magistri Jacobi de Susato ordinis Fratrum Prædicatorum sacræ theologiæ professoris, ac hæreticæ pravitatis per provinciam Coloniensem inquisitoris, legentis Coloniæ in domo capitulari majoris Ecclesiæ. A. D.* MCCCCXV *feria secunda post Oculi, quæ fuit dies 4 mensis martii finita est ista pars. Continet* 119 *lectiones.* Ex quibus discimus Jacobum nostrum celeberrimi capituli Coloniensis theologum fuisse & lectorem. Anno MCCCCXV more Romano erat. num. aur. 10, litt. Dom. F, Dom. tertia quadr. sive *Oculi* martii 3, pascha 31 martii.

3. *In epistolam Pauli ad Titum volumina duo ingentia.*

4. *Super Missam volumen unum.*

5. *In quatuor libros sententiarum.*

6. *Tractatus de veritate conceptionis B. Mariæ Virginis.* De hoc opusculo dubitat Alva in Sole veritatis Rad. 291 col. 2015: fatetur tamen se invenisse sex tractatus anonymos de conceptione ab auctoribus ordinis Prædicatorum elaboratos inter 1400 & 1500, & *horum aliquem esse posse Jacobi de Susato.*

Hunc autem esse cenjicio, qui Venetiis apud nostros SS. Jo. & Pauli habetur MS in P. Sin. Pl. 2 fol. chart. hôc eodem titulo, & errato typorum apud Tomasinum dicitur *Jacobi de Bosato*, *seu de Susato*, vel *Sosato.*

7. *Tractatus de hora mortis Christi.* Teste Alva loc. cit. recensetur a nostro Joanne Bunderio in suo catalogo codd. MSS a se in bibliothecis Germaniæ visorum fol. 346. Laudatur & in catalogo codd. MSS Bib. publ. Basileen. apud Spizelium p. 37 & dicitur codex in 4.

8. *De auctoritate & origine Ecclesiæ.*

9. *Chronica una & Mappa mundi.*

10. *Chronica brevis rerum gestarum ordinis nostri ab initio ad annum* 1415 aut circiter. Quod opus idem censeo quod noster Bunderius citatus eodem loco recenset teste Alva, & cujus titulum sic refert, *De viris illustribus ordinis Prædicatorum*, cujus & exemplar idem Alva refert a se visum in Rubeavalle ad Bruxellas, & aliud in Corsendonck monasterio. Ex ea Susati chronica desumpta est illa, quæ a nata Typographia constitutionibus nostris fere subjicitur. Sic enim in 1 editione Venetiis, Lazari de Soardis, 1504 in 8 fol. 151 b: *Quas si quis videre desiderat ad longum, legat chronicam præfati magistri Jacobi de Susato, hic autem brevitatis causa omissæ sunt:* & fol. 152 b, legitur: *Hæc omnia habentur in chronica præfati R. P. F. Jacobi de Susato ordinis Prædicatorum:* & fol. 157 a, ubi de Jacobo nostro agitur ex professo, inter opera ab eo edita additur scripsisse *Chronicam brevem ordinis ex qua pro majori parte ista excerpta est.* Primus autem qui chronicam Susati contraxit, interpolavit, auxit a 1415 aut 1420 circiter ad 1504 videtur fuisse noster Albertus Castellanus. Produxit postea F. Felix de Castelfranco ad 1566, videsis postea ubi de utroque. Quibus deinceps alii successeriaverunt, detractis & omissis pluribus, aliis additis ac immutatis, & ad 1680 circiter in ultima constitutionum editione Romana, Tinassii 1690 protraxerunt, fœdis ut verum fatear, allucinationibus ad antiquas & primævas additis, seu typorum seu scriptorum interpolatorumve vel amanuensium errore, quæ nos e re nata vel occasione identidem subnotamus, vel alius ex professo rem tractaturus, aut ordinis historiam aggressurus deleat, emendet ac restituat. Titulus in editione Veneta laudata hic est: *Brevis & compendiosa chronica de magistris generalibus & viris illustribus ordinis Prædicatorum ex diversis chronicis ordinis, maximeque magistri Jacobi de Susato sacræ theologiæ professoris excerpta.*

11. *Privilegia etiam ordinis collegit, ordinavit, & eorum defensionem adjecit.* Quo Susati labore fortè usus est noster Albertus Castellanus in sua privilegiorum eorumdem compilatione. Sed & alii eo in genere Susato præiverant.

12. *Collationes breves & sermones Latinè.*

13. *Distinctiones breviores & longiores pro arte colligendi.* An prædicandi?

Anno 1422 a Martino pontifice consulti universitatum doctores primarii an liceret census & reditus alienare & vendere, responderunt licere. Et Martinus V protinus condidit extravagantem, *Regimini.* Consultationi inter alios Coloniensis academiæ theologos & I. U. peritos respondit & votum suum tulit scriptor hic noster, quod a Boulæo Hist. Acad. Parif. T. V p. 362 sic refertur:

Et ego Jacobus de Susato ordinis Prædicatorum sacræ paginæ professor, ac hæreticæ pravitatis inquisitor assentio doctoribus supradictis, maxime cùm D. Innocentius super C. In civitate, *Extra:* De usuris, *Super verbo,* Ex forma, *Dicat, quod quando in perpetuum emuntur reditus, nunquam potest*

esse contractus illicitus, nec gratia data venditori præjudicat contractui, imo fortificat, & facit illum plus justum.

Ex quibus evidens est anno illo MCCCCXXII Jacobum nostrum non solum superstitem adhuc, sed sanum & vegetum scholas Colonienses etiam tum rexisse ac inquisitorem egisse: solviturque dubium, quod movent editores Actorum SS. in Annotatis ad T. II junii p. 396 A, an hic Jacobus B. Joanni Dominici cardinali anno MCCCCXIX die X junii mortuo superfuerit.

F. FRANCISCUS DE RETZA.

† 1425. F. FRANCISCUS DE RETZA Teuto insignis certe pietatis vir fuit literis, disciplinæ regularis zelo, summæque atque tenerrimæ in Deum & SS. ejus matrem affectu devotionis clarus. » Juventutis suæ tempora (*inquit Joannes Nyder noster æqualis in Formicario lib. 4 cap. 7*) non levitatibus, sed sapientiæ dedit, quam tandem meruit possidere gradu & magisterio. Quo in tempore cœpit tam fervidè B. Virgini obsequi, ut secundum in nostra non videatur habuisse ætate. Qui in præclara universitate Viennensi rexit per triginta sex annos circiter stipendiumque quod de lectura a duce Austriæ habuit pingue, totum in ædificatione, reformatione & devota decoratione conventuum pauperculorum ob reverentiam Virginis Dei expendit. *Et post plura similia:* Usque ad ultimum vitæ suæ terminum, qui fuit circa octogesimum quartum annum, abstinentiis & jejuniis operam dedit. Nunquam in lecto, sed in maceratio dormivit in conventu. Lanea ad carnem portavit, & silentio tam deditus fuit, ut nunquam vel rarissimè visus sit cum aliquo conversari loquendo, nisi occupatus esset in vicariatus sui ordinis officio (*nempe generalis conventuum Teutoniæ reformatorum*) aut tempore mensæ extra refectorium. Sed pro tunc virtute Eutrapeliæ, ultra quam credi potest gratiosus omnibus fuit. Tandem autem, *prosequitur idem Nyderus*, super illo passu Proverb. 8 *Per me principes imperant*, digressum faciens ob reverentiam Virginis, hanc antiphonam quam ordo solemniter canere solet, scilicet *Salve regina*, exponere cœpit ad stuporem omnium hæc audientium, & *in voluminibus tribus, quorum quodlibet quasi semibibliam continet* totum perfecit. Quod opus dum in crastino assumptionis Dei genitricis corrigeret, febre modica tactus ad horam a labore stupidus cessavit, quousque paroxismus transiit. Quæ infirmitas dum ingravesceret dietim, quadam die dixit ad socium: Satis miror quid sibi hoc velit Virgo B. quod infra suam octavam celeberrimam, & in suo occupatum opere, ita me alterari permittit. Appropinquante igitur die nativitatis B. V. in cella mihi devote confessus est sacramentaliter, & statim ad Eucharistiæ sacramentum ipse peditando ad capellam S. Martini se disposuit, missam ibi audivit & communicavit: finitaque missa sacrum oleum petiit, & devote suscepit. Deinde ad cellam iterum ambulans, in antea ambulare nequit, sed proxima die in ipso videlicet nativitatis festo virginis integro aspectu atque auditu, ratione utens clara & spe optima agonizare cœpit. Agonizationes autem præsentiens in salutationes angelicas more soluto prorupit. . . . & ita finem vitæ fecit tam gratiose, ut nullum signum horroris in viro jam mortuo videremus, qui præsentes fuimus, sed potius vultus hilaritas & gestus devotionis gaudium in omnibus qui astabant generabat «. Hactenus Nyderus, qui annum obitus annotare omisit. At verò cùm facultas theologica in Academia Viennensi Austriaca nonnisi ab Urbano VI anno 1384 februar. 20, pontif. 6, instituta fuerit, ejusdemque anni 5 octobris ejus leges ab Alberto Austriæ duce confirmatæ, & Retza noster triginta sex annis in ea theologiam professus fuerit, sequitur ad annum 1420 saltem pervenisse. Imo in ea clarebat adhuc anno 1421, sic enim de eo legitur in cap. gen. Metis 1421 celebrati actis: *Item volumus & ordinamus nihilominus in virtute Spiritus Sancti & sanctæ obedientiæ præcipientes, ne magister Franciscus de Retza aut prior qui pro tempore fuerit in conventu Viennensi provinciæ Teutoniæ studentes ibidem assignatos per provincialem aut magistrum ordinis directe vel indirecte impedire audeant, ne ad scholas naturalium vel theologiæ extra conventum minus libere adire possint temporibus lectionum & exercitii, neque a conventu ipsos licentient: aliàs dictus magister a vicariatu & regentia & prior a suo officio sint ipso facto absoluti.* Eo anno igitur regens adhuc unà & vicarius generalis conventuum suæ provinciæ reformatorum erat. Quibusdam autem annis postea vixisse ex eo conjicio quod ultra ætatis 80 legere perrexisse, aut eo usque etiam legisse non sit verisimile: itaque circa 1425 obiisse rectè colligas. Hæc ejus opera:

1. *Comestorium vitiorum.* Princ. *Voluntas sive superbia assimilatur pluribus rebus &c.* Editum fuit Nurimbergæ 1470 fol. mag. charact. goth. opus grandioris molis. Extat apud nostros Insulis Flandrorum. Et Parisiis: In monasterio S. Claræ *Ave Maria* dicto in biblioth. PP. confessariorum ord. Min. & laudatur in *Incunab. Typog. Beughem.* Meminit etiam Joannes la Caille, *Histoire de l'Imprimerie pag. 27.*

2. *Super antiphonam* Salve Regina, tria volumina spissiora a Nydero supra relata MS.

3. *Statuta facultatis theologicæ studii Viennensis* ad instar statutorum facultatis theologicæ Parisiensis simul cum Henrico de Oytta, Leonardo de Carinthia Eremita Augustiniano, Conrado de Ebraco Cisterciensi monacho, Henrico Langestein de Hassia vulgo dicto, Gerardo de Kalkar, Frederico de Nuremberga Carmelita condidit anno MCCCLXXXIV & seqq. sic habet Lambecius Bib. Cæsar. Tom. II pagg. 125 & 126, ea addens confirmata anno MCCCLXXXIX.

Hujus auctoris cum laude meminerunt præter citatos Leander fol. 150 a, Lusitanus, Pius, Fernandez, Altamura ad 1415 & alii. Joannes Nyder præter jam ex eo relata sic de eo habet: *Senem talem ut spero virum habere meruimus per magistrum ordinis nostri quemdam jam longo tempore in recolendæ memoriæ magistro Francisco de Rethza sacra pagina professore, qui in præclara universitate Viennensi rexit nuper per triginta sex annos circiter.* Si magistrum ordinis intelligit sub quo adolescens XVIII annorum circiter Franciscus iste vestem ordinis induit & professus est, ille fuerit Simon Lingoniensis. F. Franciscus Rota a Possevino laudatus non alius est ab isto, cujus agnomen corrupte ab eo refertur.

F. ANTONIUS COSTE.

F. ANTONIUS COSTE Gallus Delphinas conventus Gratianopolitani alumnus, sacræ theologiæ magister, vir magnatum partium, procuratorem generalem ordinis agebat apud Joannem XXIII, & eodem titulo concilio Constantiensi affuit, ubi unà Aymonis de Chissé episcopi Gratianopolitani vices egit procurator ab eo constitutus: sic enim habent acta hujus concilii. Videsis editionem a Von * 1415.

Hardt curatam & editam Francofurti 1699 T. V p. 595, & novam editionem operum Gersoni jam pluries laudatam T. V p. 1011. Exinde electus circa MCCCCXX prior provincialis Franciæ, eo munere certo fungebatur anno MCCCCXXIV, & agnoscit Fontana in Monum. ad eum annum, ubi refert amotum ab eo inquisitorem quemdam Bisuntinum, & alterum ejus auctoritate institutum, quod Martinus V approbavit litteris XV kal. aprilis anno VII datis. Quandiu postea hoc munere functus sit, quando & ubi obierit, mihi incompertum, nisi quod apud accuratum Ghilbertum de la Haye nostrum legi non ante ann. MCCCCXXXII successorem ei datum. Hinc emendandi Sigismundus Ferrarius Histor. prov. Hung. P. II, lib. I cap. 45 & ab eo delusus Fontana in Theatro ubi de nostris qui conciliis affuerunt p. 374, qui agnomen ejus corrupte enunciant vocantes Antonium A Costa, & hinc Lusitanum facientes, quos revincunt acta hactenus citata. Ejus haud dubie habetur

Judicium doctrinale de novem propositionibus Johannis Parvi a Gersono in concilio Constantiensi denunciatis:

Inter tot alia ad finem operum Gersoni edit. cit. relata, sed quod ob rationem jam supra dictam discerni nequit.

F. BARTHOLOMÆUS TEXERIUS.

1426. F. BARTHOLOMÆUS TEXERIUS Gallus Provincialis Dracena vulgo *Draguignan* ortus, fortè & ibidem ordini ascriptus provinciæ Provinciæ certo alumnus in sacra facultate Parisiensi lauream consecutus dicitur in parvo chronico ad calcem constitutionum, quod facile crediderim, licèt nomen ejus in actis facultatis a me visis non habeatur, cùm acta illa jam non habeantur ab anno 1413 ad 1421, quibus promoveri potuit. Exinde provinciam suam Provinciæ præfectus prior septem annis rexerat, ut narrat chronicon mox citatum editionis Venetæ 1504, cùm anno MCCCCXXVI sabb. vigil. pentec. XVIII maii, nam pascha fuerat XXXI martii, congregatis Bononiæ ad magistri electionem patribus, votisque F. Thomam de Regno vicarium ordinis generalem a Martino V institutum inter, & F. Ludovicum de Valleoleti vicarium & præsidem electionis a capitulo assumtum divisis, facta in ipsos electos duos a vocalibus compromissione, ab iis Bartholomæus absens, & in Provincia agens, ad clavum ordinis regendum electus fuit, communique omnium plausu acceptus. Disciplinæ regulari sarciendæ, studioque promovendo verbo & exemplo impigre ac strenue desudavit, quod & testantur acta comitiorum generalium, quæ ad votum legum biennalia & triennalia sedulo celebravit, Coloniæ 1428 : Lugduni 1431 : Columbariæ 1434 : Venetiis 1437 : Saviliani 1439 : Avenione 1442 : Divione 1444 : Podii 1447 : etsi non omnibus affuerit negotiis urgentioribus distentus. Concilio Basileensi astitit cum viris ex ordine primoribus & in Ecclesia nominatissimis, aderatque anno MCCCCXXXV aprilis 2, qua cum trium aliorum ordinum mendicantium præpositis generalibus de quibusdam in mutuam conservationem ac defensionem articulis pactus est, de quibus infra. Synodo etiam generali Florentinæ præsentem fuisse, ac decreto unionis subscripsisse cum aliis mendicantium generalibus putavit Fontana, sicque habet in Monum. ad MCCCCXXXIX pag. 335 b, sed fallitur : nam istorum duo tantum scilicet F. Guillelmus de Casali ordinis Minorum minister generalis, & F. Gerardus de Arimino prior generalis Augustiniensium subscripserunt, non autem Carmelitarum generalis, nec noster Texerius, cujus causam dixeris, quod illi utpote Itali a suis principibus Ferrariam & Florentiam ire permissi sunt, vel etiam missi, at Carmelita quem Teutonem fuisse conjicio & Texerius Gallus ne eo pergerent a suis regibus fuere prohibiti, ut nec ullus Gallicanæ Ecclesiæ antistes eo se conferre permissus est. In actis concilii Ferrariensis refertur instrumentum confectum *de Avisamentis super stabilimento concilii publicatis die veneris X januar.* MCCCCXXXVIII. Inter præsentes autem recensetur *F. Jacobus de Venetiis generalis ordinis Prædicatorum* : sic enim *T. XIII concil. col.* 881, & *col.* 890 nominatur *F. Jacobus de Arimino procurator generalis ordinis Prædicatorum.* An illi duo iis titulis decorati & ab Eugenio IV instituti, quod Texerius mandato pontificis ut concilium Basileense desereretur, non obedivisset ? Ut ut sit quod Romani nostri diligentius inquirant, nam horum Jacobi de Venetiis generalis, & Jacobi de Arimino procuratoris nulla mihi deinceps alibi notitia occurrit, Texerius cum christianissimo rege Carolo VII semper sentiens, Eugenio IV ut vero summo pontifici constanter adhæsit cum provinciis Franciæ, Italiæ, Hispaniæ &c. (nam de Teutonica sola mihi ad Felicis V sic Basileæ dicti abdicationem usque incertum.) Demum ætate gravis & laboribus in visitatione ordinis continuis fractus Lugduni mortales exuvias reliquit, ibidem in odeo ante majus altare reconditas sub lapide laminis cupreis olim ornato, sed quas hæreticus furor abstulit sub finem seculi XVI, & unâ epigraphen iis insculptam. Hinc non ita certus annus & dies obitus. Probabilius tamen obiisse anno MCCCCXLIX nono kal. aug. seu 24 julii : sic enim habet vetus martyrologium MS in memb. conventus Parisien. S. Jacobi, & ex eo alterum item in memb. exscriptum curis magistri ordinis F. Joannis Clerée & Catalauni apud nostros servatum : idem habet Fontana in *Monum.* ex Olmedo. Certo verò certius falluntur qui cum Razzio & Pio dicunt mortuum anno MCCCCL, quo Lugduni datus est ei successor F. Petrus Rochim de quo postea. Novi in martyrologio edito anno MDLXXIX & Venetiis MDLXXXII mortem Texerii notari ad 15 octob. quod exceptum est in editionibus seqq. quod si verum esset, jam anno MDXLVIII dicendus foret mortuus, cùm constans sit apud nos lex post festum S. Michaelis mortuo magistro, nunquam anno immediate sequenti pro nova electione celebrari comitia. Itaque non annis 24 magistratum gesserit, ut ferunt sed 22 & quinque circiter mensibus tantum, juxta recens martyrologium, aut juxta antiquum cui major fides 23 annis & duobus circiter mensibus. Hæc ab eo relicta :

1. *Epistola ad ordinem encyclica ex iis quibus præfuit capitulis generalibus data*, quas vel tempus absumsit, vel ut censeo alicubi latentes curiosus quis inveniet, ut Bononiæ, vel in Germania, vel in Hispania, vel etiam in Gallia ut Parisiis & Divioni seu etiam Lugduni. Extat ad F. Jacobum Ægidii S. T. P. in Aragonia vicarium, & postea palatii apostolici magistrum data Januæ 25 febr. 1440, & a Diago edita *Hist. prov. Aragon. fol. 66 a*, forte & alibi plures, ut non dubium in magistratu diuturniori.

2. *Perpetua inter ordines mendicantes benevolentia fœdus a reverendissimis superioribus generalibus Basileæ sancitum anno Domini 1435 die 2 mensis aprilis* : §§. 10 continetur. Sigillis suis confirmarunt, & propria manu subscripserunt *F. Bartholomæus Texerii S. T. P. ord. Prædic. generalis magister, F. Guillelmus de Casali M. S. T. ord. Minorum generalis minister, F. Gerardus de Arimino S. T. magister generalis ord. FF. Eremitarum S. Augustini, F. Petrus de Novaecclesia prior provin-*

cialis

cialis Alemaniæ inferioris, ordinis Carmelitarum vices gerens & jussu F. Joannis Phacii prioris generalis ejusdem ordinis. Ex exemplo in archivo magni conventus Parisini Eremitarum dictorum edidit Parisiis Robertus Sara 1635 folio maximo patenti, & mihi servatur in schedis.

De eo legendus F. Joannes Nyder æqualis in suo Formic. variis locis, ex lib. I cap. 8 : *Scio*, inquit, *unum ordinem inter mendicantium ordines, cui Deus, jam ante decennium providit de duobus bonis & benevolentissimis capitibus, quorum unus generalis magister est totius sui ordinis, alius vero provinciam unam grandem habet regere : uterque zelator est reformationis tam validus, ut se pro suo grege non semel ad resistentes sibi seculares mortis periculis subjecerit &c.* Quæ de Texerio anno MCCCCXXVI electo magistro ordinis & de priore provinciali Teutoniæ dicta scribebat Nyder anno MCCCCXXXVII. Et lib. 3 cap. XII : *Sunt vix novem anni transacti quod monasterium Sororum nostri ordinis ad S. Catharinam in Nuremberga reformari debuit per magistrum ordinis ejusdem, qui pro tunc moram ibi traxit in nostro conventu*, &c. legenda, quæ post capit. gen. Coloniæ MCCCCXXVIII habitum videntur acta. Et lib. IV c. 6 : *Vidi ego presentari ad videndum in oppido Forchem dicta diœcesis* (Bambergensis) *ejusdem pomi pomellum magistro ordinis nostri generali Bartholomao Texerii*, nimirum cujusdam arboris, quæ nocte nativitatis Domini quotannis fructus edebat.

F. THOMAS DE REGNO.

1416. F. THOMAS DE REGNO nempe Siciliæ sive Neapolitano art. super. laudatus, vir fuit inquit Leander fol. 248 a, magnæ observantiæ & doctrinæ, sacri verbi orator insignis, & unus ex primis instauratoribus vitæ regularis cum B. P. Joanne Dominici postea cardinale. Id omittendum non visum est, quandoquidem ejus mentio facta est, licèt nulla ab eo opera relicta memorentur. Qui plura volet, Vallium adeat in Compendio p. 156.

F. MARTINUS PORE'E.

1416. F. MARTINUS PORE'E, sic enim a nostro Laurentio Pignon ejus symmysta & æquali agnomen ejus scribitur, quod ab aliis *Poré* vel *Poiré* & Latinè *Poreus* legitur, Gallus Burgundus Senonis vergente seculo XIV natus ordini nomen dedit in patria, studiisque in Gymnasio Parisiensi Sanjacobeo peractis lauream in sacra facultate obtinuit post MCCCLXVIII, neque enim in catalogo ad eum usque annum nomen ejus habetur, sed sane ante MCCCLXXXIX, quo nostri ab universitate rescissi fuere : theologus & Ecclesiastes primi nominis sua ætate habitus, magnæque apud omnes auctoritatis. Hinc a Philippo duce Burgundiæ selectus est qui primogenito suo Joanni tum comiti Nivernensi esset a confessionibus concionibusque ordinarius, quo munere jam fungebatur anno MCCCCIII, quo eo mediatore, qua valebat apud optimates universitatis Parisiensis existimatione & gratia, pax eos inter & nostros Sanjacobeos inita est, omniaque in integrum restituta. De quibus sic noster Laurentius Pignon in Chronico : *Eodem anno* MCCCCIII *in festo Magdalenæ fuit capitulum provinciale in Carnoto provinciæ Franciæ &c. In eodem capitulo fuerunt dati commissarii per provinciam ad componendum cum universitate super schismate ordinis & universitatis quod jam per septemdecim annos duraverat : commissarii vero taliter laboraverunt, potissime F. Martinus Porée pro tunc confessor D. comitis Nivernensis, quod infra mensem post capitulum ordo fuit cum universitate reformatus, & pax totaliter & concorditer facta, nihil penitus immutato de his quæ ordo per prius ante disturbium habuerat.* Anno vero MCCCCIV duce Burgundiæ mortuo, eique succedente Joanne dicto, apud istum Poreus in eodem confessarii & Ecclesiastis ministerio perseveravit, eoque titulo 120 librarum donario quotannis fruitum esse habetur ex rationibus cameræ computorum Divionensis anni MCCCCVI. Neque vero id solum sed ut vir erat solers & industrius, suoque duci in primis fidelis & carus ad majora quæ tum sese obtulerunt negotia est adhibitus. Propterea eodem agente anno MCCCCVII stylo Gallico ante pascha CCCCVIII electus est episcopus Atrebatensis, acceptisque a Gregorio XII literis apostolicis, quibus comparandis a Joanne de Pressy ducis rationario & quæstore scuta centum receperat, anno MCCCCVIII consecratus, ad concilium Pisanum jubente suo duce se contulit sequenti quadragesima inchoatum, in eoque numerosissimo patrum, si quis unquam fuit conventu, sese prudentia & consiliis spectabilem omnibus præstitit, ac sess. XI, die Jovis XXIII maii MCCCCIX missam coram synodo solemniter celebravit. Vix inde redux orator & legatus a suo duce missus est anno MCCCCXI in Angliam pro grandioribus cum rege componendis rebus, quibus feliciter peractis ab eodem duce centum coronatos recepit in sumtus & honorarium. Tandem posteà ejusdem ducis orator cum sex aliis missus ad concilium Constantiense anno MCCCCXV ad graviores causas omnes adhibitus fuit : nam & a Patribus ad Joannem XXIII ut pontificatu cederet monendum & persuadendum delegatus est, & sententiam adversus eum tergiversantem, & pacis consilia eludere conantem latam ipse ex ambone recitavit & promulgavit sess. XII maii XXIX ejusdem anni : & a synodo ad regem Angliæ deputatus est cum præposito S. Donatiani Brugensis de rebus concilii acturus. Verum quidem est acriores tum ei fuisse cum cancellario Parisiensi Joanne Gersonio viro certe omni exceptione majori concertationes, at æque certum est præscriptas sibi a duce Burgundiæ metas non excessisse : quis verò ægre ferat subditum & legatum Domini sui mandata & jura fortiter & sapienter implentem & tuentem ? unde nihil propterea minus & toti synodo gratus, & Martino V in ea electo acceptus fuit : imo quod Gersonius gravissimè conquestus est, id in gratiam sui principis obtinuit, & ut sententia a Gerardo episcopo Parisiensi assidente nostro Joanne Poleti inquisitore adversus Joannem Parvi XXIII febr. MCCCCXIV lata a cardinalibus per synodum commissis circumscriberetur, & ut novem Parvi assertiones a Gersonio denunciatæ non omnes damnarentur, sed prima tantum, eaque non in terminis quibus a Gersonio delata fuerat sic : *Licitum unicuique subdito absque quocunque mandato vel precepto secundùm leges naturalem, moralem & divinam occidere vel occidi facere quemlibet tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, vel malum ingenium machinatur contra salutem corporalem regis sui & supremi domini, pro auferendo sibi suam nobilissimam & altissimam dominationem : & nedum licitum, sed honorabile & meritorium : & maxime quando est tante potentia, quod justitia non potest bono modo fieri per supremum* ; sed hisce aliis innovata : *Quilibet tyrannus potest & debet licite & meritorie occidi per quemcunque vasallum suum vel subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias vel adulationes, non obstante quocunque prastito juramento, seu confœderatione factis cum eo, non expectatis sententia vel mandato judicis cujuscunque.* Quæ his verbis concepta declarata est erronea in fide & mo-

Sæc. XV. ribus, sess. xv, die sabbati vi julii MCCCCXV. Jam ab anno MCCCCXI F. Joannes Marchant sive Mercatoris episcopus Bethlehemitanus ejusdem conventus Senonensis alumnus Martino nostro in munere confessarii ducis Burgundiæ successerat, quod hic consiliis status eaque ratione longioribus propter varias legationes itineribus nimium implicatus esset. Absoluto vero concilio Constantiensi in suam sedem se recepisse videtur, in qua tandem obiit, fuitque in sua basilica majori sepultus cum hoc cenotaphio: *Hic jacet Martinus Poré de conventu Senonensi ordinis Fratrum Prædicatorum olim confessor illustrissimi principis Joannis ducis Burgundiæ, Flandriæ, Artesiæ, & Burgundiæ comitis, & deinde Atrebatensis episcopus, qui obiit A. D.* MCCCCXXVI *die* VI *septemb.* De quo Spondanus Annal. ad 1413: Gallia Christ. Fontana in Theat. Excerpta D. Perard magistri computorum seu curiæ rationum Burgundiæ ex *libris & registris computorum Burgundiæ ad annos citatos, & memorialia conventus Divionensis nostri M. S. mihi servata*: Acta Conciliorum generalium Pisani & Constantiensis. Extant ejus

Actiones plures in concilio Constantiensi habitæ. Videsis hujus concilii editionem ab Hermanno Vonder Hardt curatam T. IV pagg. 280, 720 & 726 & alibi passim: & T. II p. 128: & editionem novam operum Gersoni anni 1706 pp. 358, 386, 394, 439, 472, 475, 483, 486, 521, 529, 537, 550, 565, 574, 600, 636, & alias: quæ sunt acta in concilio Constantiensi de IX assertionibus Joannis Parvi a Gersono delatis, & ex codd. MS Colbert. 2537 & 2538, & ex codd. MS Cœlestin. Avenion. potissimum edita. Ubi notandum in codd. Colbert. plures esse Martini nostri manu adjectas ad marginem annotationes teste clar. Baluzio ejus Bibl. olim præfecto.

Quidam volunt non solum Joannem Parvi, sed & Martinum nostrum apologiam cædis ducis Aurelianensis jussu ducis Burgundi perpetratæ scripsisse, ratione cujus factus fuerit episcopus Atrebatensis: sed falluntur, nam certo nihil dum scripserat Martinus cùm ad infulas vocatus est, alioquin si quis fuisset similis ejus libellus, æque a Gersono delatus fuisset episcopo Parisiensi & inquisitori, ac libellus Johannis Parvi. Non alius igitur est ille libellus Martini, quem in Bibl. Navar. dicunt servari, quam is quem scripsit in concil. Constant. jam ab octo annis episcopus, & cui tum cardinalis Alliacus & Gersonus responderunt, quod ex collatione cum edito T. V operum Gersoni quisque deprehendet. In catal. Angl. T. I, P. II n. 1125 recensetur inter alia plura, *Tractatus compositus per episcopum Atrebatensem pro parte ducis Burgundiæ, quod licite facit occidi ducem Aurelianensem.* Jam ergo erat episcopus cùm illum scripsit, neque ob eum tractatum, sed ob eximias dotes a collegio Ecclesiæ Atrebatensis electus est. Quæ a me historice tantum relata velim accipi, non autem quod omnia a Martino in hac causa dicta & acta a me probentur, neque enim id mei instituti.

Liber pontificalis seu Missale ejusdem Martini sumtibus exaratus codex membranis elegantibus, characteribus auro minioque accuratissime distinctis in fol. in eadem Colbert. Extabat aliâs Ecclesiæ Autissiodorensis datus forsan a Laurentio Pignon Martini symmysta & episcopo Autissiodorensi.

Inter Statuta synodalia diœcesis Atrebatensis per Franciscum Richardot episcopum collecta & edita Antverpiæ 1588 in 4, extant pag. 101 quædam Martini nostri *Constitutiones* publicatæ in synodo feria 3 post festum B. Dionysii anno MCCCCX.

Non omittendum quod cùm nostri ab universitate Parisiensi rescissi fuissent anno MCCCLXXXIX, sicque plures viri emeriti laurea caruissent ad ann. MCCCCIII, Martinus noster ab Alexandro V diploma obtinuit, quo illi dabatur facultas tres ex sodalibus magistros creandi. Bulla sic habet:

Alexander &c. Ven. Fratri Martino episcopo Atrebatensi salutem. » Personam tuam nobis & « apostolicæ sedi devotam suis exigentibus meritis « paterna benevolentia prosequentes, illa tibi li- « benter concedimus, per quæ te aliis possis red- « dere gratiosum. Exhibita siquidem nobis nuper « pro parte tua petitio continebat, quod aliâs in- « ter dilectos filios Fratres ordinis Prædicatorum « cujus professor existis, & universitatem studii « Parisiensis quædam disturbia exorta fuerunt, pro- « pter quæ Fratres dicti ordinis in eodem studio jam « decem & octo annis elapsis gradum magisterii in « facultate theologica nequaquam recipere potue- « runt: quare pro parte tua nobis fuit humiliter « supplicatum, ut tibi per te vel alium tribus Fra- « tribus dicti ordinis idoneis, de quibus tibi vide- « bitur in capitulo provinciali Franciæ vel alibi gra- « dum hujusmodi concedendi licentiam concedere « de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur « hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati « tuæ qui ut asseris per dilectum filium nobilem vi- « rum Joannem ducem Burgundiæ ad generale con- « cilium nuper in civitate Pisana Ambassiator desti- « natus extitisti, per te vel alium magistrum dictæ « facultatis in dicto capitulo vel alibi, ubi & quan- « do tibi videbitur, tribus Fratribus dicti ordinis « provinciæ Franciæ, quos ad hoc per tuam & duo- « rum vel trium aliorum in sacra pagina magistro- « rum diligentem examinationem idoneos & suffi- « cientes esse repereris, super quo tuam conscien- « tiam oneramus, honorem magistralem & docen- « di licentiam, servatis constitutionibus Viennensis « concilii, & aliis solemnitatibus in talibus serva- « ri consuetis, & quod ipsi Fratres & eorumdem « singuli, postquam honorem hujusmodi suscepe- « rint, infra dictum ordinem & extra, quibuscun- « que gratiis, privilegiis, immunitatibus libertati- « bus & indulgentiis tam a sede apostolica quam a « dicto ordine Fratribus ejusdem ordinis Parisiis in « dicta facultate magistratis, concessis perinde uti « & gaudere possint & valeant, ac si in Parisiensi « studio magisterium hujusmodi recepissent auctori- « tate apostolica concedendi, non obstantibus qui- « buscunque privilegiis statutis & consuetudinibus « studii & ordinis prædictorum contrariis, jura- « mento, confirmatione apostolica vel quacunque « firmitate alia roboratis, etiamsi de illis & totis « eorum tenoribus specialis & expressa, ac de ver- « bo ad verbum esset in præsentibus mentio facien- « da, quæ aliâs in suo robore volumus permanere, « plenam & liberam concedimus tenore præsen- « tium facultatem «. *Datum Pisis* VIII *Id. Aug. anno* I.

Qua ex bulla liquet magistrum fuisse facultatis Parisiensis, quo tendunt illæ voces, *per te vel alium magistrum dictæ facultatis*, nempe *Parisiensis* paulo ante laudatæ: sicque indicat noster Laurentius Pignon in Catalogo episcoporum, ubi sic de eo: *F. Martinus Porée de conventu Senonensi magister in theologia episcopus Atrebatensis.* Et in Chronico ad 1407 nempe ante pascha 1408: *Eodem anno fuit D. Martinus Porée in episcopum Atrebatensem assumtus, qui erat Frater ordinis conventus Senonensis.*

F. NICOLAUS DE TENDA.

1417. F. Nicolaus de Tenda Ligur natione patria Savonensis sacræ theologiæ magister anno MCCCCXVII die XIII kal. januar. a Martino V episcopus Famagustanus promotus est. Vir erat & eruditus & rerum gerendarum peritus, unde & a Sigismundo Cæsare Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ & Croatiæ rege, & a Jano Hierusalem Cypri & Armeniæ etiam rege variis est implicatus legationibus, & a consiliis status allectus. Laudatur a Pio P. II lib. 3 p. 9, & a Fontana in Theatro, qui ambo lapidem proferunt antiquum in conventu Savonensi servatum in quo hæc omnia leguntur insculpta: ac præterea ob insignia suo dicto conventui præstita beneficia, ei a nostris promittitur specialis in omnibus sacris ibidem celebrandis memoria die XV januar. anno MCCCCXVII. Ejus etiam meminerunt Sopranus in Elench. Scrip Lig. & Oldoinus in Athenæo Ligustico, ut a quo hæc relicta sunt opera

In symbolum apostolorum explanationes.

Sermones lingua vulgari Italica eruditi.

F. JOANNES BATERLEY.

1417. F. Joannes Baterley Anglus vir doctrina & eloquentia insignis theologiam apud suos annis pluribus publice docuit, tum & frequentibus ad populum & ad regni proceres concionibus magnam sibi peperit famam. Hinc archiepiscopus Tuamensis in Hybernia electus, & a Martino V confirmatus anno MCCCCXXVII, Ecclesiam suam sapientissime administravit. Quandonam obierit nemo certo refert, sed ejus sepulcrum etiamnum in templo nostro Athenriæ ad altare majus ad cornu evangelii parieti affixum superimposita hujus præsulis pallio ornati statua prostare visendum asserunt. Ejus cum laude meminerunt Philippus Wolffius in Vireto Dominicano, Johannes Baleus, Pitseus in Append. Vareus lib. 2 cap. 4, Fontana in Theat. ex schedis Ughelli, a quo tamen ejus nomen corrupte scribitur *Barley*, quod variæ nationum pronunciationi tribuendum.

Opera plura reliquisse asserunt, sed quæ rerum vicissitudine maxime verò fidei catholicæ in illis regnis eversione periisse autumant.

F. SANCTIUS PORTA.

† 1419. F. Sanctius Porta gente Aragonus conventusque Cæsaraugustani alumnus, vir fuit exeunte seculo XIV & sequente XV literis ac morum gravitate conspicuus. Clarere cœpit apud suos, cùm dirum illud quod omnes norunt, ferveret in Ecclesia schisma papas Romanos inter & Avenionenses Clementem VII & Benedictum XIII sic in sua obedientia dictos. Anno MCCCLXXXV artium professorem agebat in suo dicto conventu Cæsaraugustano, theologiam verò quin exinde annis pluribus legerit, ac concionibus nomen sibi fecerit, dubitari non potest, certo ejusdem sui conventus præfectus erat prior anno MCCCCIII: tum verò fortè eodem anno vel sequenti CCCCIIII a Petro de Luna papa Avenionensi Benedicto XIII, cui aliàs in Aragonia legato in optimis notus erat, accersitus, sacri palatii magister constituitur, addito annuo ducentorum florenorum aureorum censu ex reditu archidiaconatus Matritensis in Ecclesia Toletana recipiendo. Diploma pontificium in archivo domus Cæsaraugustanæ nostræ servatum vidit Diagus legendus in *Hist. prov. Aragon. fol.* 145 *c*, ac testatur in eo Sanctium a Benedicto tum multis ornari laudibus, tum magistrum scholarum sacri palatii ac commensalem suum dici. Qui Diagus rectius fecisset, si diem & annum diplomati ascriptum retulisset, idque ut hîc suppleant Cæsaraugustani nostri expectamus. SEC. XV.

Sanctius, inquit Fontana in *Theatro* ubi de pseudo pontificum, sic enim loquitur, sacri palatii magistris, Benedictum ad Ecclesiæ pacem pro qua valebat apud ipsum gratia ferventius hortabatur, cùmque pro more & officii debito die ipso pentecostes coram eo sermonem haberet, Spiritus Sancti igne succensus, pluribus efficacissimisque verbis & argumentis Benedictum urgere cœpit de schismate quacunque meliori via tollendo & extinguendo: quibus pontifex dictis ita perstrictus est & exacerbatus, ut Sanctium in vincula confestim & carcerem miserit, ubi inquit toto misere afflictus biennio detentus est. Inde tamen amicorum ope cùm liber evasisset, ad Innocentium VII confugit, a quo peramanter susceptus capellanus & pœnitentiarius factus est apostolicus, uti ex fide Caroli Cartarii custodis archivi apostolici ita se legisse in monumentis dicti archivi asserentis, refert Fontana citatus *Theatri p.* 474, qui ambo rursus annum & diem ascriptum omiserunt. Quæ si vera, vel non diu sacri palatii magisterium Sanctius gessit, vel quod potius crediderim non tam longa fuit ejus in carceribus detentio, fortèque post pentecosten MCCCCVI inclusus quæ XXX maii accidit, inde post paucos menses elapsus, ad Innocentium VII paulo ante ejus mortem, quæ contigit sexta novemb. ejus anni, accesserit. Quæ omnia Romanis nostris diligentius expendenda ex archivis pontificiis permitto, cùm horum nihil Diagus in provinciæ Aragoniæ monumentis invenerit.

Cæterum emendandus Fontana citatus cùm S. Vincentium Ferrerium in munere magistri sacri palatii Sanctio postponit, cùm certo ei præiverit a Benedicto XIII institutus anno MCCCXCIV circiter, qui deinde abdicato officio anno MCCCXCVIII missionem apostolicam per varia regna aggressus est, ut supra dictum est: cùm Sanctius ante MCCCCIII quo juxta Diagum ex monumentis provinciæ suæ certis priorem agebat Cæsaraugustæ, ad magisterium sacri palatii promoveri non potuerit: præsertim cùm eum Fontana post duos annos carceris ad Innocentium VII 17 octob. MCCCCIV tantum electum confugisse narret. Errat etiam Fontana in anno mortis ejusdem Sanctii, quam ad annum MCCCCXIX ascribit, qui ex Diago decem annis supervixit, mortuus in suo conventu Cæsaraugustano, ibidemque sepultus cum sequenti inscriptione posita:

Hic jacet R. magister Sancius Porta magister sacri palatii & predicator egregius. Obiit anno Domini MCCCCXXIX *die* XIX *mensis novembris.* His addo nullum dubium esse quin magistros sacri palatii habuerint ex ordine pontifices omnes ejus seculi seu legitimi seu schismatici, quamvis certam eorum seriem præsertim Avenione sedentes post nostrum Nicolaum de S. Saturnino nemo hactenus retulerit, nec quis deprehendere possit, nisi qui acta pontificia tempore nefandi illius schismatis pleraque Romæ servata diligentius evolverit.

De Sanctio præter citatos meminerunt Lusitanus, Sixtus Senensis, Pius, Fernandez, Altamura ad 1429 Fontanam excipiens, extranei verò Guillelmus Eiseingrein ad 1514 non recte, Simlerus, Possevinus, Nicol. Antonius Bibl. Vet. Hisp. lib. 10 c. 3 n. 108. Andreas Schottus Bibl. Hisp. Olearius, F. Didacus de Murillo ord. Min. *Fundationis sacelli N. D. del Pilar Tract.* 2 *c.* 34 *p.* 286, & alii. Typis ejus nomine prodierunt:

1. *Divinum ac proinde inæstimabile sed & om-*

SÆC. XV. *nium quæ hucusque de Christifera virgine scripta sunt, preclarissimum Mariale &c. recognitum ac typis mandatum opera & studio R. P. F. Alphonsi de Castro ejusdem ordinis Prædicatorum*, Lugduni, Joan. Cleyn Alemanni 1515 & 1517 in 4, signaturis duorum foliorum a ad y, pagg. 352.

Eodem volumine *Introductiones sermocinales* seu Exordia concionum. Signat. 2 foll. Aa, Bb.

Quod opus antea prodierat Valentiæ sub hoc simplici titulo *Sermones festivitatum annualium B. V. Mariæ*, typis Joan. Goffredi 1512 fol. par.

2. *Sermones de tempore Dominicales ab adventu ad pascha*, Lugduni, Cleyn 1517 in 4, sign. 2 foll. a ad z.

3. *Sermones Dominicales de tempore a Pascha ad adventum*. Ibid. & eodem anno in 4, signat. duo foll. aa ad zz & amplius.

4. *Item sermones de Sanctis*. Ibidem apud eumdem 1517 in 4, signat. 2 fol. A ad P.

Qui quatuor codices Parisiis in Bibl. PP. Cœlestinorum servabantur a me visi die 21 aug. 1660. Anterior altera a me etiam visa est editio, Hagenoæ typis d'Oringaw 1515 fol. par. Et anterior Lovanii, Jo. Rymman 1514 fol. Quæ editio prostabat in auctione Bibliothecæ D. d'Aiguebonne Parif. 5 junii 1710.

Alva Sol. Verit. initio, ubi *de libris falsificatis* agit, de hoc auctore loquens hanc quæstionem movet. In editione, inquit, Lugdunensi extat sermo de conceptione B. V. hoc themate: *Erunt signa in sole &c.* qui sermo abest ab anteriori editione Valentina. *Interrogo*, inquit, *quis abstulit sermonem istum?* Responsio facilis. Nimirum in illis typographiæ primordiis, ubi auctor edendus piæ de conceptione sententiæ non favebat, aut etiam adversabatur, illud subtrahere ac supprimere editores sibi permittebant. Omitto aliam, quam huic scriptori litem intentat Petrus a Valleclausa *De immunitate Cyriacorum pag.* 112 ob vocabula vernacula Latinis inserta, & ineptam, ut illi videtur orationis figurandæ rationem, dum in quarumdam vocum ut *Ave* & *Dominus* litteris pueriliter ludit. His enim plene fecit satis Baronius noster Apolog. lib. 4 sect. 1 art. 2 §. 2 pag. 12 merito legendus, ceu qui præterea præclara ibidem concionatoribus tradat præcepta. Addo solum viros sapientes & eruditos cum scriptores ejus ætatis legunt, in his minutiis non morari, sed auctoris doctrinam an sana sit, an ad mores utilis expendere, omnia probare, quod bonum est tenere, quod minus comptum minusve elegans vel seculi ruditati, vel auctoris incommodo, vel editorum negligentiæ aut nimiæ festinantiæ indulgere. Sixtus Senensis sic de nostro Sanctio censet: *Rudi ac simplici sermone conciones edidit, pia tamen moralitate refertas.*

F. EVERHARDUS NUREMBERGENSIS.

1430. F. EVERHARDUS NUREMBERGENSIS a patria sic & professione nuncupatus, ac ibidem aliquando prior, a Joanne Nyder ejusdem domus postea priore miris laudibus celebratur Formicarii lib. 4 cap. 12, ceu qui scripserit

Plura concionatoribus utilia.

Nam, inquit Nyderus, etsi esset Nurembergius impeditioris linguæ, non tamen imperitus litteris, id quod prædicando voce tenus facere non valuit, exhortando scriptis & privatis monitis fideliter supplevit, qui tandem ex fletu & scripturis utroque oculo orbatus est &c. Tandem nocte post matutinas in alto transitu tabularum ambulans, quibus fovea cellarii tegebatur, pede non bene fixo deorsum ruit, & statim confracto cerebro vita functus est. Hic primum sacerdos secularis extitit, & ordinem intravit, jejunia regularia quæ per dimidium fere annum durant, stricte servavit. Vir fuit multum maturus & prudentia præditus &c. plura, quæ videsis locis citatis, ex quibus inter scriptores circa MCCCCXXX florentes locus ei merito debetur. Ejusdem meminit inter viros pietate claros Leander fol. 248 a.

F. HENRICUS DE HACHEMBURGO.

F. HENRICUS DE HACHEMBURGO Teuto Confluentini ad Mosam Trevirensis diœcesis conventus alumnus, a Trithemio inter scriptores seculi xv recensetur, cui ut suppari fides facile habenda. Excipiunt Gesnerus, Simlerus, Lusitanus, Possevinus & sequaces Pius, Fernandez, Altamura ad 1430, & tandem Federicus Steill Ephemer. Dominic. ad 2. sept. p. 362 ex tabul. inquit Trevir. Scripsit * 1430.

Sermones de tempore & de Sanctis per annum & & quadragesimales.

F. THOMAS ANTONII DE SENIS.

F. THOMAS ANTONII DE SENIS a patre Antonio, & a patria vulgo nuncupatus, *Nacci* vero apud Ugurgierium *Pompe Sanesi Tit.* XV *n.* 8 ab avo suo Naccio Caffarino cognomen hoc mutuatus, vir fuit vitæ sanctimonia sub finem seculi XIV & initia sequentis clarissimus, Seraphicæ virgini Senensi Catharinæ singulari spiritualique necessitudine conjunctus, & a morte etiam ipse Beatis accensus, non canonica quidem Ecclesiæ censura & auctoritate, sed communi populorum æstimatione. In S. Dominici de Camporegio Senis ad ordinem ascitus circa MCCCLX, ut pietate, morumque innocentia, sic & eruditione conspicuum se fecit, disciplinæque regulari sub magistro ordinis B. M. Raimundo de Vineis Capuano cum aliis magnæ religionis hominibus, Joanne Dominici Florentino præsertim qui postea cardinalis fuit, asserendæ omnem operam impendit. De quo videndi rerum nostrarum ad hæc tempora scriptores, Fontana Constit. ord. Tit. *de reformatione* & alii. Potens & fuit Thomas opere & sermone, facundissimusque verbi Dei præco atque efficacissimus, magnusque revera animarum, quas a terrenis ad cœlestia revocare plurimum ardebat, œconomus. Magnam ille vitæ partem Venetiis egit, quo concessisse videtur circa MCCCLXXXV, ubi & præfuit ad S. Dominici diutius, ut ait Pius, & ad SS. Joannis & Pauli aliquando prior, certo in hoc posteriori degebat anno MCCCCXI. Ardore divino succensus, & quæ Christus Dominus sua morte sanctificavit loca intueri cupidus, accepta facultate Hierosolymitanam aggressus est peregrinationem ætate provecta, quinquagenarium tum fuisse ait Pius, a qua redux Venetias feliciter appulit, ubi deinceps ad mortem usque commoratus est. Quo autem mense & anno diem obierit non omnes plane conveniunt. Pius P. I col. 396 quem excipit Fontana in Monum. annum MCCCCXV indicat: *P. II Append.* col. 412, ex Taegio prorogat ad MCCCCXX. Alii inter quos Fernandez mortuum asserunt anno MCCCCXX ad XX decemb. alii vitam ejus ad XII feb. MCCCCXXXIV usque producunt ex fide Fastorum Senensium una, quibus Intronatorum academia ejus memoriam prosecuta est, sequiturque Altamura. Decrepitam ad ætatem usque pervenisse nihilque amplius citatus asserit Ugurgierius. A morte ita miraculorum gloria emicuit, ut ejus corporis exuvias in Basilica SS. Joan. & Pauli ubi sepultus primum fuit, e terra sublevari Veneti voluerint, & in decentiori loco arcaque gemmis & auro cælata repositas † 1430.

cum aliis SS. reliquiis asservari & venerationi fidelium exponi. Epitaphia ei inscripta seu Venetiis seu Senis omitto, quod sanctitatem quidem prædicent, sed nihil de chronologia doceant. Ejus meminerunt Leander Albertus fol. 150 a, Lusitanus, & quotquot abinde nostrates. Insignis ejus mentio in vita S. virginis Catharinæ Senensis a magistro ordinis Raimundo Capuano scripta, scilicet in Actis SS. april. T. III num. 217, ubi F. Thomas de Fonte Senensis Catharinam, cujus a pueritia confessarius erat, creditam mortuam monitus, accurrit assumto secum socio F. Thoma Antonii conventus Senensis, cui si tum 25 annos dederis, cùm esset circiter annus 1370, octogesimum quintum ætatis attigerat anno 1430: quæ tamen amplius discutiant curiosi Senenses & Veneti. Hæc ejus opera:

1. *Vita B. Catharinæ de Senis virginis ordinis de pœnitentia Sancti Dominici*, contracta ex ampliori Ven. Mem. Raimundi de Vineis Capuani magistri ordinis XXIII, & aliunde pluribus ejusdem Beatæ gestis aucta. Hanc Joninus Mombritius inter alias SS. vitas ordine suo repræsentavit: in Actis verò SS. citatis Pappebrochius per partes exhibet in Annotatis, ubi quid habet noster Thomas quam Raimundus vel fusius vel clarius narratum, vel etiam a Raimundo omissum aut ignoratum. Ejusdem etiam dat quædam singularia in Analectis ad vitam Sanctæ cap. 1 p. 967. Scripsisse etiam dicitur Thomas *Librum de attestatione sanctitatis & miraculis S. Catharinæ* in ordine ad canonizationem, quem nancisci optant Actorum SS. editores citati T. III men. apr. p. 962 a, censent verò esse processum, qui apud S. Dominicum & apud SS. Jo. & Paulum adhuc extare fertur.

Adeo rerum sanctæ virginis curiosus fuit noster Thomas, ut ne quid sibi excideret, ad Stephanum ejus Sanctæ quondam amanuensem atque discipulum & in Christo filium tum verò ordinis Cartusiensis priorem scripserit, ut ea quæ sibi de ejus mirandis innotuerant scripto referret, quod & Stephanus præstitit, cujus extat epistola in Actis SS. citatis edita hoc titulo p. 961:

Reverendo, religioso sibique peramabili corde sincero, F. Thomæ Antonii de Senis ord. Prædic. in conventu SS. Jo. & Pauli Venetiis immoranti F. Stephanus de Senis prior licèt indignus domus S. Mariæ de Gratia Cartusiensis &c. Data est XXVI octob. MCCCCXI.

Ejusdem Thomæ mentio est in Analectis citatis n. 15, ubi agitur de actis a dicto Cartusiensi Stephano ad obtinendam a Bonifacio IX ejusdem Sanctæ canonizationem: *Placuit &c. perscriptis litteris non ad optimum solum virum Thomam Firmanum generalem Dominicanæ familiæ magistrum, ut unà cum Bartholomæo Dominici ac Thoma Naccio Senensibus ejusdemque familiæ sodalibus universi ejus ordinis nomine tam gloriosum inceptum in Romana aula piis studiis urgerent &c.* Et n. 19: *Quamquam auctorem habeo certum ac gravem Thomam Naccium e Dominicana familia hujus temporis æqualem, singularique cum Stephano consuetudine devinctum &c.* Ex quibus evincitur non solùm Thomam *Antonii*, sed & aliquando Thomam *Naccium* dictum, nam quin sit idem, illa cum Stephano Cartusiano familiaritas, ut dubitem non sinit.

In Appar. Possevini Append. pag. 108 inter codd. MSS nostri Eucherii Bonetti Regii Lepidi recensetur, *F. Thomæ Antonii Senensis ord. Prædic. de veritate stigmatum S. Catherinæ Senensis tertii ord. Prædic.* Qui codex a morte Eucherii apud suos symmystas fortè adhuc servatur.

2. *Epistolarum ejusdem S. V. Catharinæ Senensis collectio.* Has scilicet quantum in ipso fuit, undique summa diligentia conquisivit, & acervavit, at cùm plures eum effugissent, in ea opera ei succenturiavit F. Bartholomæus de Alzano Bergomensis de quo postea ad 1500. Vide etiam *opera B. V. Catharinæ de Senis*. SÆC. XV.

3. *Vita di San Domenico patriarca dell' ordine de' Predicatori.* Quam laudat Castillus in prologo Histor. Gen. ord.

4. *Vita B. Mariæ Storionæ Venetæ*, quæ virgo florentis ætatis formaque venustissima, deliciis abundans & opibus, præstantique clara stemmate, ad ignitos Thomæ nostri sermones ita fuit animo commota, ut spretis abdicatisque quibus implicita erat immersaque hujus seculi illecebris, in consortium Sororum de pœnitentia S. Dominici recipi postulaverit & obtinuerit, ubi tanta vitæ austeritate & puritate sub Thomæ spirituali regimine reliquum ætatis duxit, ut inter Beatas a morte meruerit annumerari. Vitam hanc nancisci optant qui Actis SS. edendis tam utilem operam dant, ac desiderium exprimunt T. III april. p. 962 Annot. a, quorum votum ut non frustretur, Italorum nostrorum diligentiæ erit. Ejus mentio fit in prologo Regulæ tertii ordinis sic: *B. Maria de Venetiis, quæ pluribus virtutibus ornata extitit, de qua Legenda compilata fuit.* In Actis SS. hîc citatis p. 873 Pappebrochius Annot. o, sic refert ex Taegio: *In civitate Venetiarum inter personas istius status & habitus fuit quædam Soror Maria vitæ continentis, quæ singulari sanctitate refulsit in tantum, ut per F. Thomam Senensem de dictæ sororis vita progressu & transitu quædam compendiosa composita sit Legenda.*

5. *Vitæ quarumdam aliarum Sororum de pœnitentia ejusdem tertii ordinis*, quas & requirant nostri, nisi fortè sint quæ Venetiis apud SS. Jo. & Paul. Part. alt. Pl. I servantur hoc titulo: *Vita virginum B. Joannæ Sororis de Pœnitentia B. Dominici, B. Margaritæ de Castello, & B. Catharinæ de Senis.*

6. *Tractatus de merito vitæ regularis.* Sic Lusitanus, sed qua lingua non indicat, nec ubi servetur.

7. *Tractatus de principiis & confirmatione tertii ordinis S. Dominici.* Hujus memoria est in constitutionibus nostris in Tractatu prævio ad regulam tertii ordinis his verbis: *Item invenitur quidam liber in quo est regula secundùm quam vivebant tempore militiæ actualis contra hæreticos, qui liber est in conventu Ferrariensi & Veneto ordinis Prædicatorum & est talis: Pateat universis fidelibus, qualiter ego F. Thomas de Senis unà cum R. P. & magistro F. Bartholomæo de Senis ambo de ordine Prædicatorum A. D. MCCCCXII in Venetiis existentes, & quantum valuimus diligentius inquirentes de regula sive statu Fratrum & Sororum de militia Jesu Christi de pœnitentia B. Dominici, invenimus quantum ad initium regulæ taliter se habere sicut patet in Legenda B. Catharinæ de Senis &c.*

Jam supra ubi de Bartholomæo Dominici ad 1422 monuimus hunc tractatum in editione prima constitutionum nostrarum anni 1505 fuisse auctum, sed genuinum amborum Thomæ & Bartholomæi suspicor eum esse qui servatur Venetiis ad SS. Joan. & Paul. Parte altera Pl. I hoc titulo: *Tractatus super informatione origine & processu plenariæ approbationis Fratrum & Sororum S. Dominici.* fol. memb.

Caveat autem lector ne hunc Thomam Antonii cum Thoma de Fonte de quo supra ad 1389 confundat, quem in errorem impegerunt Marchesius in suo *Diario Domenicano*, & Joannes Bapt. *Feuillet Année Dominicaine*, uterque ad XIII febr. quæ sunt Thomæ de Fonte primi & perpetui B. Catha-

Sæc. XV. rinæ de Senis confessarii ad Thomam Antonii referentes, quem quidem aliquando illius socium cùm sanctam invisebat lego, sed nusquam in tota sanctæ vita a Raimundo scripta confessarium ejus dici invenio, qui & tum juvenis sacerdos videtur fuisse. Cavesis etiam ab errore Altamuræ qui hunc Thomam Antonii in duos dividit, alterum ad 1434 collocans, alterum incertus tamen ad 1556, qui revera unicus est, & nobis astipulatur Ugurgierius T. I pagg. 391 & 626.

F. JOHANNES GRAVERAN.

* 1431. F. Johannes Graveran Gallus Neustrius sacræ theologiæ magister Parisiensis clarebat jam anno MCCCCXIII, & affuit concilio fidei ut aiebant Parisiis habito de novem propositionibus ex libello Johannis Parvi a Gersono excerptis & denunciatis, votumque suum de illis pluries & verbo & scripto tulit. Videsis editionem recentem anni 1706 pluries jam laudatam T. V, ubi agnomen ejus corrupte legitur, sic col. 67 Granoram, col 77 Graverant: col: 177 ad 180 extat ejus *votum*, quod dicitur traditum & lectum die sabbati XXX decemb. anni MCCCCXIII, sed infeliciter innumeris mendis maculatum, quæ quantum memini saltem plura absunt a codice Colbert. ex quo editio facta. Vivebat etiamnum anno MCCCCXXXI, quo fidei inquisitor generalis agebat, sicque se signabat in litteris: *Ego F. Johannes Graverant* vel *Graveran ordinis Prædicatorum in sacra theologia professor, inquisitor fidei & hereticæ pravitatis in toto regno Franciæ auctoritate apostolica deputatus &c.* Quædam similes formulæ exhibentur in actis processus ut aiunt adversus Johannam puellam Aurelianensem vulgo dictam, a qua tamen causa ille semper absuit tùm Parisiis sedens, at in variis urbibus ut Rotomagi suos habens Vicarios & commissarios seu delegatos.

F. JOHANNES MAGISTRI.

* 1431. F. Johannes Magistri Gallus Neustrius patria & professione Rotomagensis sacræ theologiæ professor, inquisitoris generalis Franciæ vices agebat in diœcesi Rotomagensi ea luctuosa tempestate, qua diutius ægrotante Carolo VI, & anno MCCCCXXII demum mortuo, Francia sub Anglorum jugo gemebat. In Johannam de Arcu puellam Aurelianensem vulgo dictam coactus, ut inquireret ac animadverteret, constanter restitit, opponens Compendii captam juris sui non esse, ac præterea Caucionium (Gallice *Cauchon*) episcopum Bellovacensem electum judicii præsidem nulla auctoritate Rotomagi gaudere, eique se in ea causa assidere non posse. Verùm Parisiensibus tumultuantibus ac frementibus ni ea fœmina, quam magam putabant, supplicio afficeretur, nescio quo fatali sidere fidelissima urbe tum in deterius abrepta, imo & toto tum fere regno in suam perniciem cæco furore acto, peculiari ab inquisitore generali Johanne *Graveran* de quo supra delegatione ad hunc effectum, instantibus quorum intererat, & ni daretur extrema minitantibus obtenta, jussus ut de Johanna cognosceret, præside dicto episcopo, numerosiorique virorum utriusque fori spectatissimorum cœtu coacto, eam in aula majori archiepiscopali pluribus diebus interrogavit, & acta omnia ad universitatem Parisiensem examinanda misit. Hac verò pluries de more in concilium fidei ut aiebant congregata, res ad facultates theologorum & juris utriusque doctorum delata est, ut de puellæ responsionibus censuram ferrent, qui in eamdem sententiam convenerunt, easque perniciosas, temerarias, in fide erroneas, schismaticas, blasphemas in Deum, de idololatria suspectas censuere. Quod judicium universitas tota probavit, suumque esse declaravit, instrumento publico ea de causa confecto authentico XIIII maii MCCCCXXXI dato, ac Rotomagum ad judices misit. Nihil non egit Johannes noster, ut virginem morti eriperet, jamque ei persuaserat, ut revelationes suas Ecclesiæ catholicæ judicio subjiceret, vesteque virili deposita fœmineam indueret, imo & ad pœnitentiæ eucharistiæque Sacramenta rite suscipienda adduxerat, quæ ei sodalis noster quidam administravit. Verùm cùm paucos post dies iterum sagum induisset, suasque revelationes denuo ostentaret, Johannes noster non tam suam quam episcopi dicti & aliorum judicum dixit sententiam, qua ut relapsa brachio seculari deserebatur XXX maii ejusdem anni. Si quid in ea re peccavit hic vice inquisitor invitus judex assumtus, præterquam quod populorum potius est crimen quam suum, temporum iniquitati donandum, quo Gallia sui compos non erat: id totum alius ejusdem ordinis & provinciæ Johannes Brehal generalis in Francia inquisitor, legitimo tum rege Carolo VII ut ad judicium reverterentur jubente, accedente summi pontificis auctoritate, omni meliori modo emendavit.

Acta omnia in hac causa authentica extant Parisiis pluribus in bibliothecis, Regia cod. 9675, Colbert. 1316, Victor. 891 fol. charta, & ex parte edita in Hist. univers. Paris. T. V p. 394 & seqq. Hoc est principium:

Universis præsentes litteras seu præsens publicum instrumentum inspecturis, Petrus miseratione divina Belvacensis episcopus, & F. Johannes Magistri ordinis Fratrum Prædicatorum a magna religionis atque circumspectionis viro magistro Johanne Graverent in sacra pagina professore eximio ejusdem ordinis inquisitore fidei & hereticæ pravitatis in toto regno Franciæ auctoritate apostolica deputato, in diœcesi Rotomagensi, & specialiter quantum ad præsentem processum per eumdem dominum inquisitorem deputatus & commissus salutem, &c.

Ad finem actorum adjicitur sententia lata adversus quemdam monachum, cujus ordo tacetur, qui contra judicium & judices oblocutus fuerat, & qui in pœnam ad carcerem tenendum in cœnobio Prædicatorum Rotomagensi damnatur ab octava augusti MCCCCXXXI ad diem paschæ futurum: & humilis ejusdem monachi dictorum revocatio.

F. NICOLAUS ALEXANDRINUS.

F. Nicolaus Alexandrinus a patria Ligures inter & Insubres sita Statiellorumque dicta sic nuncupatus hîc recensetur ex fide Gozzei, quem excipiunt Pius parte 2 lib. 3. col. 25, Altamura & Rovetta ad 1433, quem sacræ theologiæ magistrum præstant & scripsisse * 1433.

In IV libros sententiarum.

Quidam Nicolaus de Alexandria ord. Prædic. laudatur a Badio in sua Univers. Florent. ceu ejusdem baccalaureus ad ann. 1433, quem facile eumdem censeas.

F. ANTONIUS DE CONTI D'ELCI.

F. Antonius de Conti d'Elci Etruscus Senis de gente Pannochiesca duxit originem, † 1433. ubi postquam adolevisset, abdicatis ultro seculi illecebris in conventu S. Dominici nostrum amplexus est institutum. Moribus ille sanctissimis eruditioneque conspicuus fuit, nec minori prudentia clarus, & suis & extraneis acceptissimus: unde &

pluribus provinciæ suæ Romanæ præfuit ille conventibus, generalis etiam capituli diffinitor, Vicariæ denique Romanæ præfectus Vicarius generalis. Vir utique singularis ingenii plurimarumque dotum, magno salutis animarum ac disciplinæ studio regularis æstuans, verbo potens & opere, qui dicendo quo vellet auditorum animos facile flecteret, & ad pœnitentiam commoveret, prædicatoris adeo generalis in ordine titulo decoratus. Conscientiarum enodandis solvendisque vinculis atque difficultatibus ita peritus habebatur, ut ad ejus omnes consilia recurrerent, & ad illius dicta conquiescerent. Minervitani conventus urbis aliquando prior (inquit Isidorus noster Ugurgierius Azzolini Tit. 7. n. 26. *Pompe Sanesi*) ad Minorensem evectus est infulam, vivereque desiit anno MCCCCXXXIII, sed deceptum hîc nos facile concedimus Ugurgierum, aut a quo incautius habuit Gregorium Lombardellum, cùm nullus in ea sede relinquatur huic Antonio nostro Elcio apud Ughellum T. VII Ital. sac. inter Minorenses episcopos locus, nec ulla præsulatus Minorensis hujus Antonii apud auctores ejus seculi scriptoresque probatos vestigia reperiantur. Eum tamen Ugurgierius & Lombardellus scripsisse referunt

1 *Decisiones Casuum conscientiæ.*

2 *Conciones Quadragesimales.*

Sed hæc an & ubi edita, cui vel quando visa servataque extent, omnino silent.

3. Laudatur *Epistola F. Antonii de Elcis, qui conventui Romano ad Minervam prior præsidebat, cùm exequiæ virginis* (S. Catharinæ Senensis) *celebrarentur scripta ad F. Raimundum* (de Capua) *absentem, qua significat, ea quæ virgine inter homines agente latuerant vulnera, apparuisse conspicua in corpore demortuæ, non tantum sibi sed omnibus quotquot ad sacri depositi conspectum venerationemque accessere propius.* Sic Lombardellus relatus in Actis SS. T. III april. pag. 972 n. 27: sed Henschenius & Papebrochius, an vere epistola illa scripta fuerit, dubitant, quam sane integram referre & edere debuisset Lombardellus. Sed & difficile videtur, qui potuerit tum esse anno scilicet 1380 Minervæ prior, cui si 80 annos cùm 1433 mortuus est dederis, annum ætatis 17 vix attigerat, cùm obiit virgo sanctissima, nisi dicas ad 90 pervenisse, quod sane non impossibile nec novum, sed cum episcopatu Minorensi, quem illi tribuunt, minus adhuc convenit, de quo suorum gentilium esto judicium.

F. HENRICUS BALASENSIS.

† 1434. F. HENRICUS BALASENSIS, quem cujus originis & patriæ fuerit me nescire ingenue fateor, cujus & nulla apud nostros memoria, in ordine tamen claruit adulto jam seculo XV, ejusque servantur inter codices MS monasterii Bonæ-spei in Belgio recensita in Elenc. Sanderi T. I p. 309

Henrici Balasensis ord. Prædic. opera egregia contra hæreticos composita ac scripta anno 1434.

Si quis sodalis noster curiosus evolvere, & diligentiùs inspicere voluerit, majorem forsan & auctoris & operum horum notitiam dabit.

F. HUMBERTUS DE ALBITIIS.

† 1434. F. HUMBERTUS vel *Hubertinus* DE ALBITIIS illustri in Etruria & Senatoria apud Florentinos ortus familia Bartholomæi filius ordinem in patria professus est in S. Mariæ Novellæ, ubi sic eruditione morumque probitate claruit, ut Florentinorum sibi facile conciliaverit admirationem, adeo ut præsulem elegerint & postulaverint instantissime. Quas tamen preces Romanus pontifex alium huic sedi præficiendum cogitans non audivit, sed tandem Martinus V ad Pistoriensem Ecclesiam evexit anno MCCCCXXVI die VIII junii, postquam Fesulanis episcopis vicariam diu præstitisset in spiritualibus operam, inquit Ughellus Ital. Sac. T. III col. 375, qui & eum addit anno demum MCCCCXXXIIII Pistorii obiisse & in basilica sua cathedrali sepultum ac scripsisse

Commentaria in Aristotelis metaphysica. Quæ etiam laudantur a Pocciantio, & Archangelo Giano in Script. Florent.

Cùm autem more Italis familiari non Humbertus, sed Ubertinus sæpius nominaretur, hinc quidam in duos dividendi ansam arripuerunt: inter quos Lusitanus ejus sub nomine *Humberti Florentini* primum, tum postea sub Ubertini etiam Florentini quasi alterius meminit. Lusitanum errantem excipiunt Pius, Fernandez, denique Altamura ad 1333 fassus unà se qua ætate floruerit ignorare, tum postea iterum ad 1434. Quos ex eo facile revincas, quod non solum idem utrique ascribant opus, sed & quod utrumque Pistoriensem asserant episcopum, cùm certo certius sit unicum ejus nominis in ea sede nobis episcopum fuisse.

F. HERMANNUS CORNERUS.

† 1435. F. HERMANNUS CORNERUS patria & professione Lubecensis & provinciæ Saxoniæ alumnus clarebat anno MCCCCXXXV vir historiæ præsertim Germanicæ peritus & scripsit

Chronicon rerum Saxonicarum.

De quo sic habet Henricus Meibomius junior Rerum Germanicarum T. III in Vindic. Bisillingan. pp. 38 & 39: *F. Hermannus Cornerus Lubecensis familia Dominicana monachus rerum Saxonicarum scriptor, cujus opus historicum etiam ad superiores Germanos pervasisse colligas ex Francisci Irenici exegesi lib. 3 capp. 59, 62, 63, & 105. Hodie MS extat in bibliotheca amplissimi senatus Luneburgensis. Is igitur Cornerus fol. 255 de Hermanno Billingo sic loquitur.* (Sequitur fragmentum chronici Corneri.) Prosequitur Meibomius: *Hucusque Cornerus, qui historiam suam Hieronyma Kenningesio affirmante produxit ad ann. Christi XXXV post mille & quadringentos. Corneri verba interpretatus est Dominicus Dreverus Goslariensis, inseruitque genealogiis suis MS, quas Henrici junioris ducis Brunswicensis & Luneburgensis antiquitatis patriæ lectione in senectute viridi sese oblectantis jussu concinnavit. Dreveri verba sunt &c.* Scilicet Germanica chronici Corneri translatio. Ejusdem meminit Meibomius p. 41, & in historia Bardewici p. 60. Krantzius antea inter eos numeraverat, quibus usus est in sua Metropoli, dicens hunc Hermannum chronicon magnum scripsisse a Christo ad 1438, sed *Corneri* agnomen tacens.

F. JACOBUS ARIGONIUS.

† 1435. F. JACOBUS ARIGONIUS qui & *de Balardis* a nostratibus aliisque vulgo scriptoribus in hujusmodi cognominum ratione facile vacillantibus nuncupatur, a patria nobis & eruditione, præsulatusque dignitate certo est laudandus. Laudæ Pompeiæ in Insubribus, *Lodi* vernacule dicunt ad Aduam fluvium ortus est obscuris inquiunt parentibus, sed cùm adolescens esset ingenua liberalique forma, quæ magnam sui spem portenderet, ad ordinem facile allectus est, ubi etsi litterarum antea expers, labore assiduo studioque indefesso, ac bonorum librorum lectione, vir evasit insignis nullique suæ ætatis seu doctrina seu facundia secundus. Per omnes scholæ agones lauream tandem

SÆC. XV magisterii obtinuit, & sacras litteras in studio generali Bononiensi publice interpretatus est. Sed nec minorem sibi a concionibus æque Christianis ac elegantibus sibi peperit famam, adeo ut omnibus admirationi esset. Qua audita viri præstantia Bonifacius IX anno circiter MCCCXCV eum sacri palatii magistrum allegit, quo in munere majus in dies sibi nomen apud omnes fecit. Exinde vero a Gregorio XII patriæ suæ Laudæ constitutus est anno MCCCCVII die XXVI februarii episcopus, uti Ughellus habet Ital. Sac. T. IV col. 928. Ecclesiæ suæ regendæ ac pascendæ instabat diligentius, cùm anno MCCCCIX coactum est concilium Pisanum, ad quod se conferre necesse illi fuit, & in eo revera inter Patres sedit, habitaque est tum ab eo

Concio in ade Prædicatorum die S. Petri martyris XXIX aprilis præsente Patrum omnium cœtu numerosissimo.

Sic enim notant Acta curis Hermanni *Vonder Hardt* excusa supra laudata: utinam & illa cum actis impressa fuisset, sed saltem nullus dubito, quin cum actis alicubi habeatur. Certo in illis subscriptio ejus legitur, *Episcopus Laudensis*. In concilio postea Constantiensi de dirimendo tricipiti Ecclesiæ schismate anno MCCCCXIIII celebrato non parum inclaruit, ut ex ejusdem actis habetur, in eoque pluries peroravit. Habentur etiamnum quinque orationes ab eo tum pronunciatæ, quæ & legi merentur.

Primæ titulus est: *Solemnis oratio in supplicium Johannis Huss coram Cæsare Sigismundo ac toto concilio in publica sessione anno Dñi* MCCCCXV *sabbato die* VI *julii habita. De immenso damno ex trium pontificum dissidiis in Ecclesia suborto.* Pr. *In nomine &c.*

Divini ac summi præsidii supplici invocatione confisus, serenissime princeps, Christianissimeque Auguste, præstantissimi quoque Patres & Domini, reverendi præsules & prælati, egregii doctores & magistri, illustrissimi etiam duces, excelsi comites, magnifici proceres & barones, cæterique viri & domini merito memorandi, ut mea mentis conceptum eloquium tam sacro cœtui clarius innotescat, dicendorum occurrit principio proponendum illud, quòd legitur in epistola proximioris Dominicæ, videlicet, Destruatur corpus peccati; *Scribitur* ad Rom. VI c, *& habetur in epistola Dominicali.*

Extat integra in actis conc. Constant. T. III p. 1 ad 5. Tota est de damnis per schisma Ecclesiæ illatis, quæ & nervose & eleganter describit. Ad finem sic habetur:

Explicit collatio facta per magistrum Jacobum episcopum Laudensem & magistrum sacri palatii in condemnatione Johannis Hus hæretici coram &c. ut supra.

Sessione XX die jovis XXI novemb. anni MCCCCXV propositis concordatorum articulis, unà cum cæteris patribus subscripsit die martis IV febr. anni MCCCCXVI.

Altera ejus oratio habita est sessione XXI die sabbati XXX maii anni MCCCCXVI. Titulus:

Fratris Jacobi episcopi Laudensis publica oratio in supplicium Hieronymi Pragensis absente cæsare in Constant. conc. In Nomine &c. suprema Trinitatis nomine invocato pro præsenti proposito occurrit mihi thema merito proponendum videlicet, Exprobravit incredulitatem illorum & duritiam cordis. Marci ult. c, & in evangelio currentis octavæ.

Reverendissimi Patres & Orthodoxi Domini, cæteri quoque fideles & catholici. Quoniam teste Aurelio Augustino perversis & obstinatis hominibus non levia verba, sed magis aspera objicienda sunt, quoniam sæpius contingit, ut ubi lenis correptio spernitur, acris & acerba prolata majori attentione suscipiatur &c.

Extat & hæc integra in actis citatis T. III p. 54, & antea eam Johannes Cochleus in suam intulerat Hussitarum historiam lib. 3 p. 132. Ad finem sic legitur:

Collatio facta per M. Jacobum Laudensem episcopum & apostolici palatii magistrum super condemnatione &c.

Tertia dicta est in congregatione generali in templo cathedrali Constantiæ die jovis XXX & ultima april. feria V post *Quasimodo* anni MCCCCXVI, dum exequiæ regis Aragoniæ a concilio celebrarentur. Sic enim habetur in actis:

Ferdinando regi Aragonia parentatum per Jacobum episcopum Laudensem. In qua quidem congregatione de mandato & voluntate ipsius congregationis synodum Constantiensem repræsentantis ascendit ambonem, super quo edicta & decreta publicantur & terminantur, R. P. & D. D. Jacobus episcopus Laudensis de ordine Fratrum Prædicatorum, & fecit quemdam sermonem de morte serenissimi principis D. Ferdinandi Aragonum regis, & de assumtione per regnicolas D. Alphonsi ejus filii in regem Aragonensem, commendando clara memoria eumdem D. Ferdinandum de gestis tempore vitæ suæ per eum erga unionem Ecclesiæ Dei habitis, & approbatione capitulorum per D. Alphonsum nunc susceptum in regem facta, initorum per ipsum regem Aragonum ex una, & serenissimum principem Sigismundum Romanorum & Hungariæ regem, ac ambassiatores & nuncios hujus sacri concilii in Perpiniano parte ex altera. Sic T. IV p. 714, sed hæc oratio funebris non edita.

Quarta Oratio ab eo habita est in exequiis cardinalis Barensis in conc. Constant. anno MCCCCXVI fer. V Dom. IV quadrag. & tota est moralis de honesta ecclesiasticorum vita, qua se ad mortem recte præparent. Titulus:

Sermo bonus episcopi Laudensis, quem fecit in exequiis cardinalis Barensis.

Dispone domui tuæ quia morieris tu & non vives. Scribitur Esa. XXXVIII, *& Reg.* IV, XX, *& in epistola præsentis diei, quæ de dicto capitulo Esaiæ est extracta.* Extat integra T. IV p. 204.

Quinta ejus oratio habita est sessione XLI die lunæ VIII novemb. anni MCCCCXVII de novi pontificis electione. Hanc ad finem hujus articuli dare integram visum est, ut meritum viri & quantus fuerit orator, agnoscant, quibus præsto non sunt acta conc. Constant.

Cùm suam Jacobus Patribus ac Martino V tum electo probasset eruditionem & industriam, ex Laudensi translatus est ab eodem summo pontifice ad Tergestinam in Istria sedem anno MCCCCXVII, IV Kal. januar. Demum & ab illa Ecclesia eodem volente pontifice transiit ad Urbinatem anno MCCCCXXIV die III idus decemb. Ex actis consistor. De quo legendus Ughellus T. II Ital. Sac. col. 869. Urbini decessit anno MCCCCXXXV die XII septemb. & apud suos Prædicatores in ecclesia S. Dominici sepultus fuit.

Ejus meminerunt Altamura ad 1414, & Rovetta ad 1412, qui & ei tribuit *commentaria in primam partem S. Thomæ*, & *in primam secundæ* vel etiam *in tertiam*, non addens ubi hæc serventur, sed utraque solemnes ejus & elegantes orationes supra laudatas omisit, unde & videntur non agnovisse. Hæ verò mihi argumentum sunt multo plures ab eo relictas easque absolutas & æque doctas ac elegantes dictas seu cum magisterio sacri palatii fungeretur, seu cùm episcopus clerum ac populum suum doceret, quæ auro pretiosius servari debuerunt.

In actis cap. gener. Norimbergæ anno MCCCCV celebrati sic legitur: *Conventui Bononiensi pro forma studii Parisiensis & gradu magisterii assignamus in regentem F. Jacobum de Lauda sacræ theologiæ magistrum.* An idem sit ac noster Arigonius, dubitare quis potest, & alterum facile crediderim; sed si idem est, magisterium sacri palatii quo a decem annis

annis fungebatur, non obstiterit, quin simul Bononiense gymnasium regeret. Quod discutiant gentiles.

Eum eximie laudat Leander fol. 124 b, eumque dicit virum scientia clarum, & opinione apud omnes sua tempestate & fama fulgentissimum: sed de historiola quam ibidem narrat, de modo quo in virum egregium evasit Jacobus, penes illum fides, mihi sane fabella ab otiosis inventa apparet. En quam promisimus ejus oratio quinta.

F. JACOBI LAUDENSIS EPISCOPI incomparabilis & solennissima oratio ante ingressum electorum in conclave A. D. MCCCCXVII die VIII nov. in publico œcumenici concilii theatro in cathedrali ecclesia Constantiensi, Sigismundo imperatore præsente ad splendidissimum electorum novi pontificis collegium habita, qua sistitur Idea melioris summi pontificis in Constantiensi concilio eligendi, ex antiquissimis codicibus MSS Cæsareo Vindobonensi, & ducali Brunsvicensi.

In Christi Jesu nomine: *Eligite meliorem.*

Tam ruinam universalem oportunitas relevandi occurrens, quam etiam lacessitam Sacrosanctam Ecclesiam instans resarciendi necessitas, vobis Dominis qui perenni opitulante præsidio summum estis electuri pastorem me sane coegit, ut proponerem, *Eligite meliorem.* Itaque eligite meliorem scribitur 4. Reg. 10. Virginem illam eximiam maximeque peroptimam, quam elegit ante secula & prælegit altissimus, in nostri precabimur sermonis exordio, ut tota clemens pro nobis interveniat, utique & propitia. Eam primo salutabimus dicentes cum angelo, Ave Maria gratia &c. *Eligite meliorem* lib. & cap. ut supra.

Celeberrimi patres orthodoxique Domini. Quantum verba ista vestris reverentiis congrua, quantumque opportune conveniant plurimum intelligentibus liquet. Quoniam etsi nil aliud fari instituerem, satis est eruditissimis viris dixisse *Eligite meliorem.* Nempe uti ad graviora perferenda onera requiritur fortior, ad alta discutienda consilia vocatur doctior, ad ardua pericula bellica exponitur promtior, ad ingentes impensas poscitur ditior: sic sane congruit, ut ad ea quæ sunt maximæ sanctitatis officia eligatur & melior. Et si super naturam videatur, quod quis sine crimine sit, ideo nedum optimum aut meliorem, sed bonum sit difficile comperire: propter tamen urgentem jacturam penitus semovendam non qualemcunque sed meliorem debetis præferre. Nam ut eligatis hoc vestro sacro convenit cœtui, sed ut eligatis meliorem, jam nedum Ecclesiæ, sed toti expedit orbi.

Et quoniam quæ ante oculos habuistis dispendia, est facile intueri, ideo cladem pestiferam, qua nonnulli nostri Pharisæi & summi pontifices jam pene octo lustris ovile Dominicum laniarunt, si cupitis de medio Ecclesiæ submovere, considerate attentius quales hi fuerint: & non utique talem, sed omnino eligite meliorem.

Tam enim comparatione eorum, qui in tanto apice præcesserunt, quam illorum quoque qui subsequi possent, ne præteritorum pontificum, quem diluere intenditis, videamini velle renovare errorem, ideo non illis similem, sed utique eligite meliorem. Siquidem ut Dist. XXIII c. 2, clare colligitur, quod is qui aliis præficitur in pastorem, debet esse natura prudens, docilis, temperatus in omnibus, vita castus, victu sobrius, semper sui cavens ingenii, humilis, benignus, pius, justus, & misericors, in lege instructus Domini, scripturarum sensibus cautus, & sacris exercitatus dogmatibus. Quanto igitur magis & multo amplius, qui cunctis debet præesse pastoribus, qui caput debet esse fidelium, qui esse debet auriga Ecclesiæ, præsul principum, sacerdos altissimi, pater pontificum, propugnaculum fidei, & princeps apostolorum, omni debet ornari titulo probitatis? SEC. XV.

Quanquam autem singulas, quibus summum oportet insigniri antistitem, virtutes exprimere nemo sufficiat, tribus tamen debet præcipue esse præ omnibus redimitus. Non enim tam celebre culmen cuilibet convenit. Cùm itaque tantus apex regiminis animarum ars sit artium, ideo summus eligatur antistes, qui sit bonus & doctus & aptus. Bonus quoad vitam, doctus ad sapientiam & doctrinam, & aptus ad regimen & curam. Eligatur qui niteat puritate & sanctimonia, & sit vitæ bonitate præcipuus: qui fulgeat claritate & sapientia, & sit doctrinæ veritate perlucidus, & qui emineat probitate & experientia, & sit regimini & dignitati aptissimus.

Et quoniam omnium bonorum humanorum pura & innocens vita fundamentum est, ideo dixi primo, eligatur qui niteat puritate & sanctimonia, ut sit vitæ probitate præcipuus. Illum quippe honores & dignitates glorificant, quem virtutes probique mores extollunt, celebris quoque commendat & vita. Talem ideo eligite, cujus possitis magis opera & merita admirari quam verba. Eligite eum, qui se in cunctis emergentibus astringat limitibus rationis, ut illa duce sibi cætera subjicere possit. Summa quippe cunctis Christicolis erit felicitas, si inter nos major esse non poterit nisi qui melior. I. PARS.

Quamobrem labem perferens criminis memorandi, rediminiri non debet præsulis dignitate. Quonam modo delictorum laqueis irretitus poterit Ecclesiæ profectibus inservire? O quam perniciosum quamque ærumnosum est, Ecclesiis præficere malos! quoniam & Ecclesiarum exterminium provenit, & præsulum pravos imitari mores & vitia, velut quoddam gratum genus obsequii judicatur. Profecto tamen eorum animas subditorum præsul interimit, quos suæ malæ vitæ exemplo in perniciem trahit. Eapropter sic est a præsule quolibet in domo Domini conversandum, ne ab eo possint occasionem aut excusationem laici sumere delinquendi. Oportet quippe pontificem nedum sine crimine, sed irreprehensibilem esse: adeo ut illius conscientia nullius possit delicti aculeis stimulari. Qualiter namque spiritualis valebit medicus animarum mederi langoribus, si ipse morbo graviori oppressus sit? Qualiter pontifex poterit alios monitione salutari arguere, qui conscius ipse sibi se intelligit perpetrasse pejora?

Propterea pontifex quisque debet vita nitere & moribus, ut cunctis sit jubar & virtutum speculum, qui est universis ad sanctitatis exemplar expositus imitandum. Unde sacer antistes Gregorius, (& ponuntur Dist. XL c. *oportet*) sic ait: *Quibus conveniat ornari pontificem audiamus. Ornamenta quidem pontificis sunt virtutes, quæ promittuntur a Domino, cùm dicitur, sacerdotes ejus induam salutare. Unde in prisco testamento intelliguntur ornari, quod multis modis debet vita splendere pontificis, ut gradui ex vita decorem conferat. Quem supple decorem non ab eo gradu accepit, quia non dignitates vel loca sanctum faciunt sacerdotem. Quapropter ex suscepto officio non licentiam peccandi, sed bene vivendi necessitatem se intelligant accepisse. Non igitur phalera aurea, non tersa calcaria, non altisoni pedes, non suaves gradarii, non arridentes clientuli, non fulgentes in manibus annulli, non lauta convivia, non vasa multimode pretiosa, non delicatissima vestes, non quoque alia pompatissima ornamenta, sed virtutes & vita reddunt antistitem gloriosum.*

SEC. XV. Sic quoque in suo pastorali sacer sentit Ambrosius, ubi ait: *Sicut senatorem clavis ornat, sicut agricultura rusticum, sicut barbarum arma, sicut nautam navigationis peritia, & uniuscujusque operis qualitas suos dinumerat actores, sic episcopum nonnisi operatio episcopalis designat.*

Studeatis igitur ut plus bono opere, quam quod professione noscatur, & magis vitæ merito, quam quod nomine episcopus vocitetur. Hæc est enim divini principatus auctoritas, quæ nec carni, nec sanguini; non divitiis, non principatui, non amicitiis, non alteri perituræ rei, sed solis meritis debetur & vitæ. Et ideo Moses filios suos noluit principatus relinquere successores, neque posteris suam legare voluit dignitatem, sed alium de tribu alia elegit, ut sciremus principatum Domini esse solis virtutibus deferendum. Vita itaque celebris & sincera requiritur in eligendo pastore. Quia pontifex debet radiis splendere virtutum, ut cunctos queat populos ad imitanda sanctitatis exempla facto & opere provocare.

Vos igitur Domini, qui estis in sancto tamque sacro negotio electores electi, considerate quod non hominum; sed Dei opus præ manibus habetis. Propterea vos oportet, si quod intra vos est, viperinum omne venenum evomere, nocuas affectiones exuere, & cupiditatem & cunctam ambitionem a vobis longius relegare. Vestros placeat animos diligentissime perscrutari, ne pravæ practicæ, fœda fœdera, illicitæ ligæ, conductæ conventiones, & indebita vos circumveniant juramenta: Deum autem vestrorum cordium inspectorem & judicem placeat intueri.

Quid quæso tantum noster serenissimus imperator, & invictissimus rex semper augustus tanto tempore laborasset? Quid opus fuisset tot laboribus, tot sudoribus, tot impensis, tot dispendiis, aut tot periculis vos committere, si velletis errorem priore renovare pejorem? Consultius fuisset non incipere, quam desistere ab inceptis. Propterea si bonum elegeritis, inter bonos & optimos poteritis computari. Sed si quod Deus avertat, malum vel reprobum, sane non nisi iniqui & pessimi judicabimini.

Nonnulli ad hanc sacram synodum se venisse professi sunt, qui utinam ad concilium non ad mercatum adiissent. Quoniam non de communi bono aut republica, sed de proprio commodo & privata re totis nisibus conantur insistere. Sed non sic vos Domini mei, non sic: sed puri, liberi, sinceri, devoti, atque confessi intrare contendite: attendentes quod vestris pendet in manibus mundi totius salus, aut postremus interitus: ad vos orbis respicit universus. Considerate itaque, quod Deo & hominibus secundum quod egeritis, estis pro nobis omnibus rationem reddituri.

Et quoniam electionem rectam facit virtus, ut VI Ethic. vult philosophus, ideo maxime proprium virtutis videtur electio. Omne enim bonum & laudabile per se eligibile est. Virum ideo eligite bonum, sincerum, integrum, memorem, pium, gratum, justum, benevolum, alieni abstinentem, sui non tenacem, non voluptati deditum, non iracundum, non cupidum, non elatum. Eligite pastorem, cujus diligentia sit credita oves pascere non vorare, dirigere non interimere, conservare non perdere. Oportet summum antistitem non tam dignitatis culmine, quam sanctitate & vita sibi subditos anteire. Propterea nimium absonum est, ut præsulatum assumat, qui se nescivit claris moribus erudire. Si itaque ad lacessitam domum sanctum zelum geritis & amorem, eligite vita & moribus meliorem. Eligite eum, qui sit vere sacerdos & pontifex, non secundùm legem mandati carnalis, sed secundùm virtutem vitæ, ut scribitur Hebr. 7. cap.

Sed esto quod celebris sit præsul vita, sint probi denique mores, quid quæso proderit subditis sine doctrina? Ardebit forsan sed non lucebit, & devoto teste Bernardo, nedum ardere, sed etiam lucere oportet antistitem. Quare secundo subjunxeram fore optimum, quod pontifex fulgeat claritate & sapientia, ut sit doctrinæ veritate perlucidus. Pontificis quippe debitum est & annexum officio ut sit doctus & doceat: doctus quidem nedum ab hominibus sed & a Deo, & doceat quæ didicerit dirigente Spiritu Sancto. II. P.

Ideo a pontifice summo studio omnis vitanda est ignorantia, quæ licèt omnibus, tamen potissimum est periculosa pastoribus, cùm hi debeant alios erudire nedum in lege Domini, sed etiam in sanctorum operum disciplina. Tales itaque sunt ad præsulatus assumendi officium, qui possint sibi subditas dirigere oves, & salutaribus pascere documentis. Unde ad culmen regiminis ratio non acceptat, quem sapientiæ claritas non illustrat. Summum enim bonum & optimum mentium humanarum sapientia perlustrari, qui nostrarum omnium animarum director existit.

Sic igitur pontifex in scientia polleat, ut non solum sibi creditum populum sufficienter instruat, sed etiam cunctarum hæresum inventores a catholica Ecclesia repellere queat: ne sua imperitia cæteri corruant imperiti, & hujusmodi casu pervento illi contingat, quod scribitur, *Si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt. Qui vero sapientem*, ut diximus, *se esse non intelligit, præsulatum minime ambiat, nec dignioris locum usurpare præsumat, præsertim illius, qui suo fulgore sapientia populo potest corda hominum perlustrare.* Verba sunt sanctissimi Ambrosii in suo pastorali. Quamobrem VIII. q. 1. c. 15. dicitur & sunt verba Hieronymi. Præsuli nil sapientiæ, nil scientiæ, nil quoque desit industriæ, sed adsit sensuum omnium plenitudo, & scripturarum sacrarum cognitio, ut quid sit pontifex, quid sit unctio, & quid ejus indumenta significent, intra sacrarium cordis clara possit mente advertere. Audire nempe præsulem oportet attentius, & ab ipso monita fidei & documenta suscipere veritatis.

Quantam igitur summus pontifex debeat scripturarum habere peritiam, & omni scientia eminere, testamenti utriusque plurimis docemur exemplis. Et primò quia summus sacerdos rationale gestabat in pectore, ubi manifestatio scribebatur & veritas, in pectore summi pontificis manifesta, clara & plena debet esse cognitio veritatis. Sic quoque annulis, quibus arca Domini ferebatur erant vectes inserti, ut cum arca portanda esset, de immittendis vectibus nulla fieret mora. Vectes quippe sunt pontifices, per quos arca in Ecclesia sustentatur & vehitur. Hi debent annulis esse id est sacris literis semper intenti, ne tunc discere quærant, cùm eos convenit alios edocere. Nonne Joseph a Domino prius fuit veritatis visione edoctus, antequam Ægypti susciperet principatum? Et Moses ante Dominum vidit in rubo & pariter audivit, dein dux factus est Israel. Et David populum Domini directurus, antequam regni susciperet gubernacula, Spiritus Sancti gratia dono sapientiæ est repletus. Sic Salomon ut esset pacifice regnaturus, non divitias, non longa hujus mortalitatis curricula, sed sapientiam a Domino quam petiit impetravit. Et Dominus prius verba sua sancta in ore Jeremiæ apposuit, deinde super gentes regnaque constituit. Et Salvator noster Dominus Jesus Christus in medio doctorum sedit, illos audiens & interrogans & demum postea prædicavit. Sic etiam suos prius erudivit discipulos, postea ad docendum alios desti-

navit. Cùm enim turbas pascere decrevisset, panes fregit, discipulis tradidit, & per eos turbis apponi mandavit. Quia legis & prophetarum sacramenta discernendo exposuit, discipulis scientiam infudit, & tantum illorum [opera] mysterium fidelibus dispensavit. Sic post resurrectionem sensum scripturarum aperuit, apostolis potestatem contulit & in orbem universum transmisit. Multis aliis liquet clarissimis documentis, quod pontifici sola bona non sufficit vita, ut morum honestate præfulgeat, nisi quoque sapientia & doctrina, cùm is debeat cunctos erudire, & nullius esse indigens documentis.

Itaque si virtuosum, doctum elegeritis, vere nedum beatum, sed beatissimum poteritis nuncupare. Sed si quod absit, ignavum, desidem, stolidum, ineptum aut aliis vitiis deditum, quo quæso poterit beatitudinis titulo decorari. Poteſtne major esse abusio, quam quod hominem moribus perditum, scelestum, infandum, criminibus obrutum, cogamur uti sanctissimum venerari, Aurelio inquiente in quadam epistola: *Nemo amplius in Ecclesia nocet, quam qui perverse agens nomen vel ordinem sanctitatis habet.* Namque hunc redarguere nullus præsumit: & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Et ideo si cupitis eum eligere, qui apostolo debet Petro in sede succedere, talem eligite qui vere Petrus sit tam doctrina quam vita. Ea propter tota discretione cavendum est, ne vices Petri committatis Gehasi, aut Judæ, aut Simoni, nisi decreveritis Christum revendi, aut Romæ iterum crucifigi.

Omni enim & summa diligentia tam sublime negotium consummandum est, venerabili Leone in quodam sermone dicente: Si in omnibus Ecclesiæ gradibus prudenter sapienterque curandum est, ut in Domo Domini nihil præposterum aut inordinatum eveniat, quanto magis elaborandum est in electione illius, qui super omnes constituitur? Nam totius familiæ Dominicæ ordo pervertitur, si quod requiritur in corpore, non invenitur in capite. Si igitur vultis desolatæ Ecclesiæ restaurare priorem pulchritudinem vel decorem, tam scientia quam vita eligite meliorem. Quia sapientiam debent pontificis labia custodire, quia *de ore illius lex exquiritur Dei, quia angelus Domini exercituum est* ut scribitur Malachiæ 2.

III P. Quamquam autem vita celebri eligendus & clara sapientia sit redemitus, sane parum est neque sufficit, nisi fuerit regimini aptus expertusque, & singulari prudentia prædotatus.

Multos quidem conspeximus scientia præclaros & præclaros moribus, qui tamen quia inexperti in regimine, non minimum defecere. Quare dixi quod convenit tertio ut is emineat probitate & experientia, ut sit regimini & dignitati aptissimus. Experientia nempe regiminis scit virtutes extollere, & audaciam præbet crimina coercendi. Quæ licèt in cunctis sit rerum magistra, præcipue tamen in tanto gubernationis apice non modo opportuna, sed permaxime necessaria est. Si navis perito rectori committitur, non facile tempestatibus sive procellis aut ventorum turbine conquassatur. Ne mirum itaque si obruitur fluctibus, quando qui de remo non noverat, ad gubernaculum collocatur. Securius equidem celsa conscendit, qui se in paulo minoribus comprobavit, & certo procedit vestigio, qui expertus solio potitur accepto.

Propterea Aristoteles 6 Eth. c. ult. inquit, quod experti circa singula opera bene dijudicabunt, quia per quæ qualiterque perficiant, intelligunt. Experientia enim ex plurium actuum singularium humanorum collectione fit, in memoria retentorum: Id est propria homini ad vim cognoscitivam pertinens, quæ particularis ratio nominatur. Et sicut scientia universalia colligit, sic experientia circa particularia negotiatur. Et ideo ad recte regimen peragendum scientia sola non sufficit: quia licèt universale cognoscat, sine experientia autem particulare ignoret, in regimen plurimum deficiendo peccabit. Quoniam recte agere, bene regere, sane consulere, sancteque disponere magis in particulari, quam in universali contingit. Et licèt homines communi ratione cognoscant, tanquam per id quod in eis principale consistit: tamen per experientiam de singulari agibili rationem suscipiunt singularem practicam ad id quod est actualiter peragendum. SÆC. XV.

Experientia quidem, ut diximus, ex pluribus actibus & longa memoria oritur, qua promptus aptusque fit homo plurima operari: & ideo facultatem recte agendi experientia præbet, cum scientia aut prudentia sine arte videtur quodammodo convenire. Quare experientia facit artem, inexperientia verò casum. Experti enim in agendo magis proficiunt, ut Aristoteles 1 Metaph. inquiebat, Expertos magis proficere videmus quam inexpertos, scientiam & etiam artem habentes. Ideo scientifici ubi fuerint inexperti, in regimine multum delinquunt. Unde præsulem quemque prudentem, solertem, expertum, bene sensatum & circumspectum oportet esse. Propterea, inquit Augustinus in quodam sermone, *Ad præsulatem dignitatem eligi non debuit, qui expertus minora officia gubernare non didicit, & quia ex noto fit ignoti optima conjectura.*

Quare Patres optimi qui reipublicæ totius Ecclesiæ debetis recte saneque consulere, præterita placeat dispendia intueri, & sic præsentia disponere, ut in futurum virum eligendo probatum toti possitis orbi salubriter providere. Cum Deo potius quam cum hominibus tantum factum velitis tractare, & ante factum discutere. Quoniam post factum sera tractatio est, tarda retractatio est. Quid turpius quam quod sapientes quasi insipientes pœniteat sic fecisse. Nimirum indecens est quod doleant sic fecisse, quorum judicium periclitari non decet. Nullus error aut major aut damnabilior esse potest, quam eorum quibus nil prodest errasse cognoscere.

Virum igitur non probandum, sed probatum eligite: quia teste devoto Bernardo in quadam epistola, *bonos Romana curia facilius recipere consuevit quam facere.* Et si dignum aut idoneum non sit facile comperire, eum tamen apprehendite, cujus sit conscientia pura, intentio recta, probitas maturitasque discreta.

O quot periculis status Ecclesiæ ponitur? O quot dispendia Petri navicula patitur, quando præficitur in pastorem, qui præesse non debuit: quando imperat qui revereri non didicit: quando ad gubernaculum residet, qui de portu non noverat: quando ducatum suscipit, qui quo pergit ignorat: quando pastoris fert baculum, qui nescit inter oves discernere, dispersas colligere, aut errantes reducere ad ovile. O quantus quamque acerbus dolor infigitur animis clericorum scientia & dignitate pollentium, quando tam sublimis dignitas ineptum suscipit, vel celebris sedes collocavit ignarum. O quam juste ignis zeli accenditur, ubi videntibus cæcus præponitur, & æger ad propria impotens aliis immittitur ad medendum. Hinc enim provenit ovium & pastoris damnatio, cùm sumuntur exempla malitiæ, unde debuerunt spectacula relucere virtutum, & inde vitiorum sentina protenditur, unde caterva debuit pullulare salutis. Valdo absurdum & nimium præposterum, ut imperiti magistris, novi antiquis, & rudes præferantur immeritis, inquit Leo in quodam sermone.

Advertite quæso, piissimi Domini, scissa navi-

 gamus puppi, lacero velo, amissa anchora, comminutoque malo: quam perito igitur nobis opus est remige? Ægritudine laboramus pestifera, quam probato animarum indigemus & medico? Erramus quasi oves a caulis, nobiscum simul erravere pastores, imo verius nos post illos: quam sancto ergo & optimo præsule est necesse? Luget clerus, mœret sacerdotium, squallet sors Domini, affligitur religio, & tota lacrymatur Ecclesia: quis igitur eo cujus instat electio, consideratior, quis diligentior, quis rectior, quis prudentior, quis fidelior, aut quis attentior esse debet aut melior?

Eligite ideo virum animo sincerum, quem nulla propria extollat ambitio: eligite liberum, quem nulla suffocet violenta cupido: eligite ingenuum quem nulla deturpet maculata affectio: eligite rectum, quem nulla obliquet sinistra suspicio: eligite pervigilem & attentum, quem nulla a spe deducat curiosa detractio: eligite firmum, quem nulla concutiat repentina turbatio: eligite invictum, quem nulla insiliens fatiget tribulatio: eligite probatum, quem nulla decipiat furtiva intentio: eligite eum qui sit positus ad mores, probatus ad sanctimoniam, mansuetus ad patientiam, rigidus ad censuram, catholicus ad fidem, fidelis ad commissionem, concors ad pacem, conformis ad unitatem: qui sit in consilio rectus, in judicio providus, in præcipiendo discretus, in disponendo industrius, in agendo manificus, in loquendo modestus: qui sit in adversitate securus, in prosperitate devotus, in zelo sobrius, & in misericordia non remissus: eligite qui se regibus Joannem exhibeat, Ægyptiis Mosen, fornicantibus Phineas, Eliam idololatris, Elisæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus & negotiantibus Christum: qui vulgus non spernat sed doceat, divites non palpet sed terreat, pauperes non gravet sed foveat, minas tyrannorum non paveat sed contemnat, desolatum clerum non spoliet sed reformet, marsupia non exhauriat sed corda reficiat & crimina corrigat, famæ provideat suæ non invideat alienæ, orandi studium gerat, usum habeat, & plus orationi confidat, quam propriæ industriæ vel labori: eligite eum cujus sit sermo ædificatio, vita justitia, præsentia gratia: qui se benignum & amabilem non verbo sed opere præbeat, qui modestiam non vultu sed actu exhibeat, qui sit humilis cum humilibus, innocens cum innocentibus, pravos dure redarguat, malignantes coerceat, & reddat retributionem superbis, devotissimo inquiente Bernardo ad Eugenium summum pontificem.

Oportet formam esse justitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, veritatis testem, fidei defensorem, doctorem gentium, christianorum ducem, pastorem plebium, refugium oppressorum, miserorum spem, pupillorum tutorem, viduarum judicem, cæcorum oculum, baculum senum, regum patrem, cleri ordinatorem, moderatorem legum, dispensatorem canonum, ultorem scelerum, pravorum metum, proborum gloriam, virgam potentum, malleum tyrannorum, salem terræ, orbis lumen, sacerdotem Altissimi, vicarium Christi, Petri successorem, Christum Domini & Deum Pharaonis.

O si talem videre, o si talem in Dei Ecclesia habere mereremur! O nos felicissimos, si Christi sponsam cerneremus tantæ sanctitati commissam, aut tam celebri creditam probitati! Quid namque quæso jucundius, quid delectabilius, quid securius, quid opportunius, quid beatius, aut quid melius contingere nobis possit, quam habere præsulem pastorem & patrem, cujus devotio atque fides ad quæque sancta, ad quæque honesta nos alliceret, inflammaret & traheret?

Quando quidem igitur imminens necessitas requirit & exigit, quemadmodum inquit Aristoteles 3 Eth. ut de meliori fieri debeat electio: ideo necesse est eligere virtuosum, doctum & aptiorem si vultis eligere meliorem: considerate, quæso, qualiter summus pontifex debet intrare, vivere & regere. Debet intrare legitime & canonice, ideo dicitur, *Eligite:* debet vivere sancte, & regere juste, ideo ad animarum salutem & Dei laudem & honorem dicitur: *Eligite meliorem.* Actus magnæ prudentiæ plenam habens libertatem est eligere: sed fructus veræ justitiæ cunctam tenens bonitatem, est eligere meliorem. Eligite ergo meliorem. Et cùm talis decet, ut nobis sit pontifex innocens, immaculatus, doctus, probatus & segregatus a peccatoribus, ut dicitur ad Hebr. *6:* ideo eligite qui sit velut Melchisedech verus sacerdos antiquissimi, qui a dextris sedeat Domini, & amicus Ecclesiæ, tyrannos schismaticos & hæreticos ponat scabellum pedum suorum, ut habetur in Psal. 109. Eligite eum qui possit sublevare Ecclesiam desolatam, destitutum reformare clerum, dissentientes vocare principes, & totum consociare populum christianum. Quod nobis concedat iste pastor optimus, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit Deus per infinita secula seculorum. Amen.

Solemnissima, sed & ponderosissima hæc oratio a [Fratre] Jacobo episcopo Laudensi [ex ordine Prædicatorum assumpto] in œcumenico concilio Constantiæ Germanorum congregato, in splendidissima totius concilii confluentis corona sessione publica synodica, in Ecclesia cathedrali, in throno sedente Sigismundo imperatore imperiali veste ac pompa cincto, administrantibus Cæsari Friderico electore Brandenburgensi cum sceptro regali, Ludovico comite de Ottinga cum pomo sive mundo, Wilhelmo comite de Henneberg cum corona, Ulrico comite de Ottinga cum ense, astantibus Angelo Laudensi & Petro Hispano cardinalibus, assidente reliquo cardinalium collegio, inque illo Oddone de Columna imminentis sibi gloriæ adhuc inscio summo pontifice mox futuro, spectantibus episcopis, magnatibus, doctoribus innumeris anno MCCCCXVII die VIII nov. die lunæ paulo ante ingressum in conclave ad eligendum novum pontificem cum concilii plausu habita, qua idea melioris summi pontificis jam jam in concilio sub cœlo Germanico in imperiali urbe ex totius orbis voto eligendi luculentissime exposita: nunc ad resarcienda concilii Constantiensis acta ad Germaniæ decus, ecclesiasticæ historiæ lucem, antiquitatis memoriam, posteritatis emolumentum, ex antiquissimis codd. MSS Cæsareo Vindobonensi & ducali Brunsvicensi anno 1697 die 12 martii in academia Julia in lucem edita, auspiciis serenissimi Brunsvicensium ducis Rudolphi Augusti sub augustissimo imperio Leopoldi Cæsaris invictissimi.

Diserta hujus præclaræ orationis fit mentio in actis concilii impressis æque ac MSS. In MS Brunsvicensi oratio hæc commendatur his verbis:

Officio missæ peracto R. P. D. Jacobus episcopus Laudensis fecit sermonem ad synodum cum themate: Eligite meliorem. *In quo sermone exhortabatur concilium, ut meliorem eligerent Deo & hominibus acceptum & gratum, reducens ad memoriam labores habitos tempus & pericula, quæ occurrebant propter malos pastores, & gaudium Angelis in cœlo & hominibus in terra per electionem boni viri.*

In MS Lipsiensi hoc laudatæ orationis habetur

encomium : *Missa finita R. P. D. Jacobus episcopus Laudensis ambonem solitum ascendens solennissimum sermonem ad synodum sanctam fecit. Pro introductione sermonis accepit pro themate* : Eligite meliorem 4 Reg. 10. *Quod electores Romani pontificis eligerent bonum papam & meliorem pulcherrime persuadendo.* Quæ oratio exscripta est ex Actis concilii Constantiensis curante Hermanno Von-der Hardt editis Francofurti & Lipsiæ in officina Christiani Genschii, Helmestadii, typis Salomonis Schnorrii 1697 fol. nempe ex T. I a pag. 930 ad 947.

F. LUDOVICUS DE VALLEOLETI.

† 1436. F. LUDOVICUS DE VALLEOLETI a patria vulgo *Valladolid* aut certe professionis suæ loco Castellæ veteris civitate præclara cognomen sortitus, ut ad literas & pietatem optime erat comparatus, Parisios ad gymnasium Sanjacobeum pro rata provinciæ suæ Hispaniæ studiorum causa missus fuit a prælatis circa seculi XV initia, egregiamque in ea potuit academia scholas frequentando operam : adeo ut ad gradus promoveri meruerit. Sententias legebat ac interpretabatur publice annis MCCCCXII & XIII F. Joannis Capreoli Tolosani in magnis scholis successor, laureaque suo ordine insignitus, ac ad suos reversus, a Joanne II Castellæ rege ascitus est, selectusque in arbitrum & moderatorem suæ conscientiæ : tantæque apud illum & Catharinam reginam matrem fuit auctoritatis & gratiæ, ut legatus & orator regius ad Patres concilii Constantiensis missus fuerit literis regiis Vallisoleti XXIV octob. anno MCCCCXVI datis, eoque titulo cum adjunctis sibi legationis sociis & ambassiatoribus in concilio solemni ritu receptus a Patribus die veneris XVIII junii MCCCCXVII. Quantum verò in ea œcumenica & celeberrima synodo claruerit, acta ipsa demonstrant legenda *T. XII concil. edit. Paris.* 1672 *sess.* 35 *coll.* 225, 290, & in *Append. col.* 1755, & explicatius in *Actis ejusdem concilii ab Hermanno Vonder Hardt Francofurti* 1700 *editis T. IV pag.* 1336, 1338, 1341, 1343, 1349 *&* 1351 *:* quibus in locis refertur, quî habita prius ad patres oratione sive collatione solemni, procuratorio regis Castellæ nomine legit schedulas convocationis concilii ex parte nationis Hispanæ, adunationis ad synodum, approbationis capitulorum Narbonæ per oratores Castellanos concordatorum, confirmationis subtractionis obedientiæ per Ferdinandum Aragoniæ regem papæ Benedicto XIII factæ &c. brevi nulla alicujus momenti deinceps in synodo gesta ; quorum ipse pars magna non fuerit. Soluto concilio anno MCCCCXVIII, paceque Ecclesiæ a diuturno diroque schismate reddita, Ludovicus in Hispaniam regressus ad suæ provinciæ fertur assumtus regimen, eoque titulo post mortem magistri ordinis F. Leonardi de Datis Statii ad comitia generalia Bononiam MCCCCXXVI accessisse : inque partes adversas cùm studia votaque eligentium abirent, aliis in F. Thomam de Regno vicarium generalem Martini V auctoritate constitutum, virum utique gravem & insignem, aliis in Ludovicum nostrum consentientibus, vocalibus de jure huic majori numero, at vocalibus ex privilegio summi pontificis (quod in ea electione novum nec unquam aliàs factum) pluribus illi faventibus : subito afflante divini spiritus aura & gratia conciliatis dissentientium animis, omnes compromisisse dicunt in utrumque ex propositis, ut quem ambo simul concordes in magistrum ordinis eligerent, seu præsens adesset seu abesset a capitulo, legitimus ille ab omnibus ordinis magister haberetur.

Conditione accepta Thomas laudatus & Ludovicus noster compromissarii spretis omnino juribus suis & studiis, uniusque Dei intenti gloriæ, F. Bartholomæum Texerium absentem, Avenionique ubi tum provinciæ Provinciæ præfectum agebat, commorantem elegerunt, electioneque ab omnibus probata, ex decreto capituli ambo Avenionem ad Bartholomæum accesserunt, eumque ut votis ordinis annueret, humerosque oneri supponeret, licèt invitum compulere. Porro etsi F. Thomas de Regno a morte Leonardi de Datis a summo pontifice datus fuisset vicarius generalis ad sequentem electionem usque novi magistri, F. Ludovicum tamen capitulo ipsi Bononiensi ab electione facta præsedisse constat, haud dubie juxta constitutiones a vocalibus electum præsidem, quandoquidem plures gratias in eo concessit, quæ in sequenti capitulo Coloniensi MCCCCXXVIII revocatæ fuerunt, ut patet in Actis. Ille verò demum Avenione in Hispaniam redux strenuam regi & ordini semper impendit operam, nam anno MCCCCXXXIII novam ille domum erexit in ipsa quæ tum regia erat, inclita civitate de *Tordesillas* regiis sumptibus, regiaque Joannis II magnificentia dignissimam, voto jussuque regis sub S. Thomæ de Aquino invocatione Deo sacram : cujus in possessionem anno sequenti MCCCCXXXIV die VII martii Dominica IV quadragesimæ magno apparatu regioque mandato sodales nostri Hispani missi sunt, & ipse Ludovicus imposterum volente rege perpetuus ad vitam institutus superior & prælatus. Eodem anno ad comitia ordinis Columbariæ in Alsatia coacta se contulit, ut novum hunc conventum accipi obtineret, qui & in comitiis provinciæ Hispaniæ paulo post eodem anno celebratis sub F. Lupo Delgado tum priore provinciali cæteris aggregatus est. Quandiu postea vixerit Ludovicus de ordine & Ecclesia optime meritus, non referunt nostri Hispani, sed ad annum MCCCCXXXVI pervenisse certum est, siquidem eo anno XXV novemb. Ecclesiam nostram de Tordesillas a Joanne de Sancto Paulo Bonævallis episcopo ex ordine assumto dedicari curavit, sed & quibusdam annis postea superstes esse potuit. Ejus meminit Altamura ad 1280 in *Bibl.* & in *App.* sed præpostere, nec accuratius ad 1414 : Sed de eo legendus Jo. Lopez *P. III lib.* 2 *cap.* 29 *pag.* 90, *& cap.* 35 *pag.* 110. Scripsit autem de rebus ordinis ac potissimum de viris illustribus scripto claris opusculum hoc titulo : Sæc. XV.

Tabula quorumdam Doctorum ordinis Prædicatorum. Extat duplex exemplum Parisiis in Bibl. Victor. I. cod. MS membr. 616 ad calcem commentarii in Annalytica priora Alberti magni a fol. 183 b, ad fol. 192 b : sed in eo codice non est nisi media pars opusculi. II est chartaceum in 4, n. 178, & in hoc est integrum a fol. 53 ad 77 : utrumque ætatis circiter auctoris, & a me anno 1700 exscriptum totum, cujus quia nostros nomenclatores latet, visum est procemium hic addendum. Sic autem incipit :

De hujus scriptura causa & ejus materia.

» Quoniam attestante incarnata sapientia, relucens lucerna non est in abscondito ponenda, nec sub modio latitanda, sed super candelabrum ut luceat, collocanda : sic nec splendida facta antiquorum veluti sub pigra taciturnitate sepulta reticenda sunt, sed modernorum auribus præsentanda, ut virtutis & exercitii scientifici januam aperiant, & quasi vitæ imaginem oculis præsentium digna commemoratione [*insigant vel subjiciant.*] Ne ergo viri sanctissimi & doctores celeberrimi ordinis Prædicatorum, per quorum vitam & doctrinam divina providentia suam illuminavit Ecclesiam, sub taciturnitatis tenebra lateant, ne famæ gloriam quam meruerunt amittant, ne præsumtuosa rapina codicibus ab ipsis «

Sæc. XV. » compositis titulus insigatur alienus, præsertim cùm » multi eorum nomina propria ex humilitate suis » non inscripserint libris: quædam memorabilia » opera & facta aliquorum doctorum prædicti or- » dinis Prædicatorum illorum, & quorum nomina » ad ista scribi facientis notitiam pervenerunt in » præsenti Tabula conscribentur: ut si quis ipsorum » operum amator ab illis intelligentiam & scien- » tiam habere optaverit, per hanc inscriptionem » citius ignota inveniat, & de quæsitis securior » fiat. Licet enim famæ gloriam spreverint, & fa- » vorabiles hujus vitæ laudes vanas fugerint, no- » minaque sua noluerint dilatare: fructus tamen » operum suorum per secula redolentes ipsorum » probitatem & scientiam enunciant & declarant. » Ii enim carnis passionibus ac desideriis mortifi- » catis, solum spiritualibus innitentes, cunctis mor- » talibus præsentibus & futuris cupientes prodesse, » innumerabilia admirandaque opera ediderunt. Ho- » rum doctrinam qui sequitur, in tenebris non » ambulat, a via recta non deviat, a sacra doctri- » na non errat, vitat laqueos, confundit devios, » instruit dubios, & in philosophiæ ac theologiæ » splendoribus veritates [*hic lacuna: f. l.* fidei] » irrefragabiles elucidans, amota concussione fal- » laci, stabilem cæteris transeuntibus pedem figit.

Sequuntur præcipui operis tituli:

1. *Brevis historia de vita & doctrina Alberti magni.* Ubi fuse de ejus operibus.

2. *Sequitur de B. Thoma de Aquino.* Scilicet Breviculum vitæ, & fusius de ejus operibus.

3. *Nomina Fratrum primo legentium sententias Parisius de ordine Prædicatorum.* Qui catalogus quantum ad ordinem non accuratus.

4. *Qualiter brachium B. Thomæ fuit in isto conventu* (S. Jacobi Parisiensi, in quo scribebat auctor) *translatum.*

Ad finem hujus capitis sic legitur: *Quæ in hac* Tabula *scripta sunt, repertavit, compilavit, & scribi fecit F. Ludovicus de Valleoleti regni Castellæ provinciæ Hispaniæ ordinis Prædicatorum ad laudem ejusdem ordinis, honorem istius conventus Parisiensis, & præconium B. Thomæ de Aquino, nec non ad excitationem & ædificationem omnium præscripta legentium A. D.* MCCCCXIII *quo idem F. Ludovicus legit sententias in isto conventu, super quibus omnibus sit Deus in secula seculorum benedictus. Amen.*

5. Sequuntur *nomina virorum illustrium ordinis*, ut in imaginibus depicti erant in dicto Parisiensi conventu.

6. Plura *de B. Virgine ejusque erga ordinem beneficiis, & quædam de B. Dominico.*

7. Plura *de ordine Prædicatorum* ex vitis Fratrum pleraque accepta.

8. *De fundatione conventus Parisiensis & quibusdam ejus insigniis.*

9. *Sequitur de aliquibus aliis doctoribus ordinis Prædicatorum.* Quæ præcipua pars operis, quam in tota hac bibliotheca sparsim exhibemus, ubi se dat occasio, & quam sic concludit auctor.

» Ii sunt prædicatores lucidissimi ac doctores ce- » leberrimi & præclarissimi ordinis Prædicatorum, » quem ex horto delicioso Ecclesiæ Sacrosanctæ » ineffabilis providentia conditoris ac reparatoris » omnium quasi lignum vitæ produxit: quod sum- » mi regis benedictione perfusum, sic a suis pri- » mordiis laudabilibus incrementis successive profe- » cit, ut sublimitate sua cœlos pertingeret, & ad » fines orbis terræ suos palmites extenderet fæcun- » dos. Isti sunt electi Christi ministri conspicua re- » ligione fulgentes & honestate vitæ clarissimi, » quos in lucem gentium divina sapientia dedisse » dignoscitur velut splendentia sydera in Ecclesiæ firmamento, & tanquam lucernas ardentes in do- » mo Dei suis linguis cœlitus eruditis & spiritua- » libus radiis divinæ sapientiæ ostendentes morta- » libus viam vitæ. Isti sunt egregii bellatores qui » inimicos sanctæ matris Ecclesiæ & hostes animæ » per fidei scutum & spiritus gladium armaque justitiæ » debellare conati sunt, ut universis catholi- » cis virtutum augmentum proveniat: viaque salu- » tis peccatoribus pateat, & hæreticæ pravitatis in- » sania destruatur «.

10. *Speculatio summa philosophiæ ad quam philosophantes debent attendere.* Est veluti monitum ad studentes & discipulos, cui subjicit *Orationem ad B. Virginem pro hora exitus.* Ad calcem sic legitur in cod. 278: *Compilatum est hoc opus per F. Ludovicum de Valleoleti regni Castellæ provinciæ Hispaniæ. Et scripsit hoc Frater Petrus Gerardi Flamingus.*

F. ANDREAS DORIA.

F. Andreas Doria Ligur origine patria & professione Januensis a Fontana in Theatro recensetur inter antistites insulæ *Andros* in Archipelago sitæ, in qua a seculo XIII sederunt episcopi duo, unus Græcus sub Atheniensi metropoli, alter ritus Latini sub Naxiensi. Præsentem adfuisse concilio Basileensi ac inter Patres sedisse asserit idem Fontana penes quem fides, nam in actis nulla ejus memoria. Addit idem obiisse anno MCCCCXXXVI, eique eodem anno IV Kal. decemb. ex actis Eugenii IV suffectum quemdam F. Lambertum de Solis, ab aliis Leonardum dictum ordinis etiam Prædicatorum. A Rovetta verò ad 1434 hæc ei inscribuntur opera, quæ tamen ubi serventur fatetur se ignorare: 1436

Sermones varii & tractatus brevis de censuris.

FF. ANONYMI.

FF. Anonymi quatuor laudantur ab Alva Sol. Verit. Rad. 366, qui hac ætate floruerunt, & concilio Basileensi affuerunt, suaque scripta de conceptione B. Virginis præsidi vel præsidibus obtulerunt, a synodo vel approbanda vel reprobanda ultro subjicientes. 1436

Primus ab Alva laudatur col. 2230, ejusque codex ab eo visus est in Bibl. Mazar. nunc Regia ligatus cum Wigando, Petro de Vincentia, & aliis, & constat tantum foliis quatuor. Pr. *Incipiunt auctoritates sanctorum ad confirmationem &c.*

Alter ab eo laudatur eadem col. cujus codicem ipse habebat præ manibus cum codice Joannis de Turrecremata ligatum. Incipit: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis &c. Hic est libellus seu brevis compilatio ex diversis scripturæ sacræ, canonum, SS. Patrum, & doctorum, ac divinorum officiorum sanctæ matris Ecclesiæ, & nonnullorum aliorum in sacra pagina professorum scriptis &c.* Finis prologi: *Quam hujusmodi compilator SS. D. N. papæ, itemque Sacrosancto concilio congregato tradendam ac approbandam, seu reprobandam, aut abolendam humillime & instanter postulat, supplicat, & requirit.*

Tertius ibidem laudatur, & ejus codicem cum codice Turrecrematæ ligatum habebat Alva. Incipit: *Reverendissime pater ista sunt quæ collecta sunt ex aliquibus libris sanctorum &c.*

Quartus laudatur col. 2231, & ejus codicem originalem Alva præ manibus se habere asserit licèt incompletum. Pr. *Reverendissime in Christo pater & domine singularissime consideravi &c.*

De quibus omnibus penes Alvam fides.

F. JOANNES A CASANOVA.

† 1436. F. JOANNES A CASANOVA Catalanus Barcinone natus ætate jam maturus VIII julii MCCCCIII ordini nomen dedit in patria, brevique theologus insignis effectus sacras disciplinas ea fama publice professus est, ut a Martino V mox a sua in pontificem maximum electione anno MCCCCXVIII magister sacri palatii selectus fuerit, & institutus. Eo verò in munere præclaras animi sui dotes ita explicuit, ut iis delinitus summus pontifex episcopum Bosanum in Sardinia anno MCCCCXXIIII promoverit, tum ad Elenensem in Ruscinone sub Tarraconensi anno MCCCCXXIX transtulerit, demum & S. R. E. cardinalem v. Idus novemb. MCCCCXXX creaverit. At cùm morte præventus Martinus V. XX Febr. MCCCCXXXI eam creationem non publicasset, Eugenius IV martii sequentis quarta electus in consistorio cardinalium publice declaravit, addita insuper episcopatui Elenensi perpetua Ecclesiæ Gerundensis administratione. Anno MCCCCXXXVI mortuum omnes conveniunt, at non ita de die, aliis XXIIII februarii, aliis martii primam assignantibus: multo verò major est difficultas de loco, nam Panvinius, Ciaconius, Contelorius, Leander fol. 81, cæterique fere omnes, quos excipit Fontana noster in *Theatro* Florentiæ mortales exuvias reliquisse volunt, & in ecclesia S. Mariæ Novellæ sepultum ex necrologio ejusdem: contra Franciscus Diago in *Hist. prov. Arag. lib. 2 cap. 31 fol. 140 b*, & in *Hist. comitum Barcinon. lib. 3 cap. 22 fol. 308 b*, acriter contendit Barcinone diem obiisse & in ecclesia nostra ibidem sepultum, quod probare conatur ex actis capituli provincialis Aragoniæ anno eodem Singuessæ celebrati, quibus inter defunctos Barcinone Fratres denuntiatur, ejusque conjicit esse, quod ibidem visitur, sepulcrum quoddam marmoreum: litem dirimit quodammodo Oldoinus *Hist. Pont. & Cardin. T. II* aiens certum se habere non solùm ex archivis nostris Florentinis, sed & ex Vaticanis Florentiæ defunctum & in S. Mariæ Novellæ conditum, at non diu ibi stetisse, verum paulo post ad suos Barcinonenses translatum, quæ curiosioribus discutienda relinquimus. Certe Eugenio IV non tantum semper adhæsisse, sed & apud eum stetisse videntur indicare quæ ei ascribuntur opera:

1. *Tractatus de potestate Papæ super concilium* & 2. *Tractatus contra schismaticos Basileenses*, si tamen sint distincti, fortè in Bibl. Vaticana servati.

Ejus meminere præter citatos S. Antoninus *P. III Hist. Tit.* 23: Pius P. II lib. 3. Fernandez, Altamura ad 1436, Nomenclator cardinal. & alii. Fontana in *Monum.* ad 1420 pag 310 refert Martini V Breve Romæ 16 Kal. Dec. 1420 datum quo nostro Joanni tum minori pœnitentiario apostolico, & sacri palatii scholarum magistro dat in commendam prioratum S. Mariæ de Bisulduno Gerundensis diœcesis ord. S. Aug. 500 auri florenorum reditus annui.

F. JOANNES DE RICCIO.

* 1436. F. JOANNES DE RICCIO Siculus nostris nomenclatoribus aut ignotus aut omissus circa hos annos florebat, nam scripsit

Commentarium in libros ethicorum Aristotelis ad D. cardinalem diaconum Julianum S. Angeli. Pr. *Reverendissimo &c. Volans fama per Galliam &c.* sic recensetur in indice Bibl. Medic. Florent. PL. LXXVII cod. XIX ms papyr. in 8.

F. BERNARDUS MAJA.

F. BERNARDUS MAJA Panormitanus nostris hactenus nomenclatoribus aut ignotus aut omissus, e tenebris erutus est ab Antonino Mongitore Bibl. Sic. T. II, Append. ad T. I p. 10, quem totidem verbis hîc excipio. Nobili loco, inquit, natus ille est, & fratrem habuit germanum Joannem Villaraut militem regium. Panormi ad ordinem ascitus, vir evasit doctrina, morum integritate, ac virtutibus laudatissimus; sacras litteras diutius apud suos professus, sacræ theologiæ magisterium adeptus est. Cùm inter Siciliæ viros illustriores clareret, ab Alphonso Siciliæ utriusque rege confessarius allectus est & a concionibus ordinarius; tum anno MCCCCXXII pontificio diplomate abbas commendatarius S. Mariæ Fossænovæ ordinis Cisterciensis in regno Neapolitano cum annexis monasteriis S. Stephani de Nemore in Calabria, S. Mariæ Castri ad mare, & S. Christophori Palatii Adriani in insula Sicilia: de quo legendus Rochus Pirro in Sic. Sac. Notitia Ecclesiæ Agrigentinensis p. 375. Episcopum Dolensem in Britannia Gallica sive in Armorica promotum antea fuisse scribit idem Pirrus & excipit Mongitorius: verùm inter Dolenses antistites nullus ei locus in Gallia Christiana, in qua satis accurate recensentur. Anno MCCCCXXXVIII mortuus fertur; cùm ei tum suffectus fuerit in beneficiis successor. Ejus præter citatos Auctor Orationis cui titulus *Hercules Athlanticus* p. 20, & Franciscus Ambrosius Maja in *Defensione S. Catharinæ Senensis* p. 411 meminere. Hoc ultimo teste scripsit * 1438.

Conciones &

de Rosario SS. virginis Deiparæ opusculum. Hoc se præ manibus habere idem Franciscus Maja asserebat, ac typis tradere meditabatur. Sic Mongitorius citatus, nulla mihi aliunde notitia.

F. ANONYMUS.

F. ANONYMUS Gallus Avenione agebat tempore concilii Basileensis vir expeditus & solers, nam ad istud concilium legatus a republica Avenionensi missus est anno MCCCCXXXVIII. Extat Florentiæ in Medic. citata Plut. XIIII cod. XIII * 1438.

Ambassiata ex parte Avenionensium per unum Fratrem S. Dominici.

F. JOANNES DE ESSENDIA.

F. JOANNES DE ESSENDIA Teuto conventus Wesaliensis alumnus sacræ theologiæ professor his annis florebat: Habetur tractatus hoc titulo: * 1438.

Declaratio quorumdam dubitabilium circa acta seu dicta per spiritum in Meyerick, quæ decidit F. Joannes de Essendia ord. Prædic. &c. ut supra. *Qui spiritus apparuit anno* MCCCCXXXVII *in ducatu Clivensi.*

Hic tractatus extat vol. VI operum Henrici Kalteysen n. 7, & dicitur curiosus & eruditus. Videsis postea ad ann. 1465.

F. JOANNES DE PUTEOBONELLO.

F. JOANNES DE PUTEOBONELLO Italus theologus præstantissimus scientia & concionibus clarus, & sic clarus, ut verbum ab eo prolatum in medium pro maxima poneretur ab auditoribus, auctoritate, floruit circa MCCCCXXXIX. Sic totidem verbis Leander fol. 144 b. Meminerunt * 1439.

Sæc. XV. Altamura ad 1443, Rovetta ad 1442, qui ultimus Ligurem præstat & Savonæ natum, eique hæc opera ascribit:

Chronicon ordinis, & sermones de tempore & de sanctis.

F. JOANNES NYDER.

† 1440. F. JOANNES NYDER natione Teuto, patria Svevus vel Alsatius, circa finem seculi XIV
Nat. ex Formicario. honestis piisque parentibus natus, & a puero literis deditus, ordinem adolescens circa MCCCC amplexus
Lib. 4. c. 3. est in conventu Columbariensi sub sanctissimo viro F. Conrado de Prussia, quem de Grossis agnominant, & anno MCCCCXXVI obiisse dicunt, sed qui jam ab anno MCCCLXXXIX disciplinam regularem & severiorem legum nostrarum praxim ibidem asseruerat. Exinde a professione a nativo suo conventu
Lib. 1. c. 6. fuisque, ut ipse ait, patribus, scilicet Teutoniæ provinciali prioreque Columbariensi (non a parentibus ut interpretatur perperam Colvenerius) Wormatiam usque ab ejus urbis episcopo, is erat Eccardus a Dersch electus anno MCCCLXXVII qui & quarta maii MCCCCV e vivis abiit, vir omni labe simoniæ purus, confirmationis & ordinis, quatuor scilicet minorum, ut autumo, sacramenta suscepturus mittebatur: tum postea Viennam Austriæ artibus seu philosophia & sacris literis erudiendus, ubi theologiæ magistros F. Franciscum de Rethsa de quo supra, & F. Henricum Rottstock publicos in ea academia professores viros eximios nactus est
Lib. 2. c. 6. præceptores. Ad suos inde reversus, matremque viduam non vulgaris sanctitatis fœminam conso-
Lib. 1. c. 3. latus, Coloniam mox ad studium generale de more,
Lib. 4. c. 2. ut firmiores in doctrina sacra radices poneret adi-
Lib. 5. c. 11. re jubebatur, ubi jam sacerdos & confessionibus audiendis & habendis concionibus admoveri cœpit.
Lib. 1. c. 7. Constantiensi concilio anno MCCCCXIIII inchoato
Lib. 3. c. 2. affuit tum juvenis adhuc ut ipse loquitur, & nondum satis expertus prædicator, sed quæ videbat omnia ad amussim probans, seque lætatum testatur, quod in ea synodo de reformatione Patres multum tractarent, Viennam postea iterum mis-
Lib. 3. c. 10. sus est & sacra biblia & magistrum sententiarum
Lib. 4. c. 6. interpretaturus, sententiasque legebat, cùm illuc venit Petrus Portugalliæ princeps Conimbricæ dux cum exercitu non exiguo, iter in terram sanctam arrepturus, cum quo & familiaria illi colloquia fuerunt, quod circa MCCCCXX accidit: tumque etiam evenisse puto, quod ipse refert de magistri olim sui F. Francisci de Rethza morte circa MCCCCXXIIII
Lib. 1. c. 1. vel XXV, cujus ultimam confessionem audivit. Prior
Lib. 4. c. 12. inde Nuremburgensis conventus electus eidem pluribus annis præfuit, eoque munere fungebatur anno MCCCCXXVIII quo magister ordinis Bartholomæus Texerii e capitulo generali Coloniensi egres-
Lib. 1. c. 8. sus, & provinciam Teutoniæ visitans eo se contu-
Lib. 3. c. 3. lit, monasterium Sororum nostrarum ad severiorem disciplinam reducturus, eaque de causa aliquandiu hæsit, eratque per adventum, quo Joannes noster quotidianas in ea urbe conciones habebat, sed & eumdem ordinis magistrum ad plures Germaniæ civitates videtur comitatus, ut Babem-
Lib. 4. c. 6. bergam, Locoritum vulgo *Forcheim* & alias. Comi-
Lib. 5. c. 3. tiis etiam ordinis Lugduni MCCCCXXXI coactis facile crediderim affuisse, cùm quædam ab uno e nostris hæreticæ pravitatis inquisitore in diœcesi Æduensi viro eximio conventusque Lugdunensis reformatore sibi dicta referat. Eodem anno commodum electus fuit prior conventus Basileensis, nam incepto ibidem mense augusto concilio generali, Patribus ab eruditione agendique solertia acceptissimus fuit, cujus & opera illi in gravissimis causis usi sunt maxime in negotio Bohemorum. Statim enim Kalendis novemb. qui hos ad pacem *Lib. 3. c. 3.*
invitarent, & ad eam ineundam Basileam adducerent, hi sex a synodo legati fuere, Henricus abbas S. Ægidii in Nuremberga, F. Joannes Nyder S.T. professor & prior domus FF. Prædic. Basileensium, Henricus canonicus Magdeburgensis, Fredericus de Parsperch decanus Ratisponensis, Albertus plebanus S. Sebaldi in Nuremberga, & F. Joannes Gelhusius de Musenbrun Cisterciensis. Horum duo Monachium primum accesserunt scilicet Nyderus noster & Gelhusius monachus Willelmum Bavariæ Ducem tutelæ concilii præfectum electum aliosque principes, ut illuc quantocius se conferrent monituri: tum ad alios Nurembergæ agentes reversi, *Lib. 4. c. 9.*
diutius hæserunt cum Bohemis per nuntios agentes: ubi etiam sacri imperii electorum habita ce- *Lib. 5. c. 1.*
lebri dieta, cui & affuerunt episcopi plures, Herbipolensis, Augustanus, Babembergensis & alii, ad rem Bohemorum accelerandam suis consiliis Nyderus non parum profuit. Cùm autem visum esset, ut fines Bohemiæ propius accederent sex præfati concilii oratores, Egram illi una iverunt, sicque tum epistolis tum colloquiis cum Hussitarum deputatis egerunt, ut segregum capita tandem ad synodum adduxerint anno MCCCCXXXIII. Altera *Lib. 3. c. 7.*
etiam vice eodem anno cum Joanne de Polomar archidiacono Barcinonensi ad eosdem Bohemos a synodo missus est, tumque Ratisponam primum, ubi fœminam pervicacem hæreticam a Polomario ex industria durius vexatam ad sanam mentem revocavit, deinde Pragam usque progressus est, ibique Bohemorum mollivit erga Ecclesiam animos, ab iisque didicit quanta fortitudine conventus nostri Franestennensis supprior vir pius & disciplinæ regularis per totam vitam apprime tenax, rogum ad quem eum damnarant subierat, & pro fide catholica vivicomburium sustinuerat. Porro dolet ille *Lib. 1. c. 7.*
quod cùm synodus pene in omnibus bullis suis reformationis titulum præferret, nostrique quot diebus ut effectum sortiretur, psalmum *Deus venerunt gentes* solemniter cantarent, essetque deputatio specialis Patrum ea de causa instituta, quæ dicebatur *Reformatorii*, crebræque habitæ fuissent disputationes, post sex annos tamen, nondum quicquam promotum videretur. Ad quem annum pervenerit ille quove anno obierit, nondum exploratum habeo. Quod enim ait Molanus Nurembergæ anno MCCCCXXXVIII in legatione ex parte concilii mortuum, verum non est, cùm Nyderus ipse se scribere testetur tribus annis a morte Wladislai Polo- *Lib. 4. c. 9.*
norum regis, quem anno MCCCCXXXVII mortuum refert Bonfinius *Rer. Hungar. Dec. 3. lib. 2*: itaque ultra MCCCCXL vitam produxisse facile crediderim. Fuit ille non solum sacræ theologiæ magister insignis Viennæ laureatus, sed & celebris sua ætate & in interiori Germania & in Alpibus apud Hel- *Lib. 4. c. 5.*
vetios divini verbi concionator, inter hæc regulæ legumque nostrarum æmulator ferventissimus, qua de causa viros disciplinæ regularis tenaces ubique observabat, & colebat impensius, miraque de iis narrat, ut de quodam B. Paulo Urbevetano priore *Lib. 1. c. 5.*
Clugiensi quem viderat, cùm juvenis fortè a concilio Constantiensi Venetias usque ivit, sanctam Fratrum a Joanne nostro Dominici institutorum conversationem propriis oculis percepturus. Sigismundus Ferrarius Hist. prov. Hungar. pag. 585. ex cod. MS conventus Viennen. hæc de eo refert: *Anno 1434 die SS. martyrum Kyliani & sociorum ejus* (8 julii) *reformatus est iste conventus* (Viennensis) *per Fratres conventus Nurembergensis: institutor verò regularis vitæ fuit eximius sacræ theologiæ magister Joannes Nyder conventus Columbariensis &c.* quod si verum est nullusque in anno error, inductam jam a 50 annis sub

F. Francisco

F. Franciſco de Rethſa ſeveriorem diſciplinam, ſed ab hujus morte fortè aliquantiſper relaxatam reſtituerit ac firmius ſtabilierit, idque in tranſcurſu, utpote qui concilium Baſileenſe niſi ab eodem miſſus non deſeruerit. De eo videſis Joannem Cochleum Hiſt. Huſſit. Lib. 6 ad 1432 pag. 245: Faſciculum rerum expetendarum fol. 155: Acta conc. Baſil. T. XII Edit. Pariſ. 1671, ubi col. 817 refertur poteſtas ei & aliis quinque ſcripto data die veneris 28 martii 1432, ut vel ſex unà vel duo ſolum tranſigant cum Huſſitis de horum ſalvo conductu: Paulum Langium Chron. Citezen. ad 1449: Colvenerium in notis ad Formicarium, qui & ejuſdem vitam eidem operi præfixit. Ejuſdem meminerunt noſtrates Jacobus Sprenger & Henricus Inſtitor *Mallei maleficarum*, *P. 2 q. 1 c. 2*: Leander Albertus fol. 148 a: Luſitanus in chron. ad 1430, & in Bibl. horumque ſequaces: denique Altamura ad 1435, & Fontana in Monum. ad 1431 & 1432: ſed & extrates nomenclatores Tritenius, Eiſengrenius ad 1423, Poſſevinus, Cavei Append. auctor ad 1431, Dupinius ſeculo xv, & alii paſſim. Hæc ejus opera:

1. *Præceptorium divinæ legis*: Id eſt, *Tractatus de decem præceptis*. Prodiit Argentinæ, typis æneis Leorii Huſner 1476. Tum Pariſiis, Udalrici Gering 1482 in 4, ſignaturis duorum foliorum a & A ad P, eleganti charactere Romano: extat Pariſ. apud noſtros ad S. Honor. Noribergæ 1496. fol. ex fide Beughemii. Pariſ. 1507 in 4, pagg. 391 char. Goth. Ibid. 1515. Duaci, Joannis Bogardi 1612 in 8 pp. 727, editionem curante Richardo Gibbono S. J. Extat MS fol. charta. apud noſtros Antwerpienſes.

2. *Manuale confeſſorum ad inſtructionem ſpiritualium paſtorum*. Pariſiis Gering 1473 fol. par. charact. Rom. elegantiſſimo. Ibid. Joan. Bonhomme 1489 in 4, char. Goth. Ibid. Nicolai Deſprez. 1513 in 8. Antwerpiæ apud noſtros MS memb. fol. & in catal. Angl. T. I, P. I n. 1157.

3. *Tractatus de lepra morali*. Pariſiis, Gering 1473 fol. par. char. Rom. elegantiſſimo: Extat in Sorbon. & in Genovef. Lovanii, Joann. de Weſtphalia circa 1475 in 4. Item Pariſiis, Bonhomme 1489 in 4. Ibid. Petri le Dru 1495, in 12: In Regia D. 1830. Ibid. Jo. Petit 1514 in 8, char. Goth. In catalogo codicum MSS Angliæ T. II recenſetur vetus editio inter libros antiquæ editionis n. 63.

4. *Conſolatorium timoratæ conſcientiæ*. Pariſiis, Gering 1478 in 4, ſign. duor. foll. ab a. ad p, char. Rom. & charta elegantiſſimis. Ed. altera Pariſiis, M. J. Mœrart, & Petri le Dru 1494 in 8, char. Goth. Romæ, Stephani Paulini 1604 in 8. In catal. Angl. T. II, P. II, 611. Extat etiam apud noſtros Divione cod. MS papyr. in fol.

5. *De contractibus mercatorum*. Pariſiis, Jo. Petit 1514 in 8. In collectione tractatuum Juris, Venetiis 1584 T. VI pag. 279. Inter ſimilia opuſcula Lugduni 1593 p. 615. Extabat MS memb. Coloniæ Agrip. apud Cartuſienſes anno 1671 a noſtro Jacobo *Quetif* viſum. Vænebat Dordraci 20 octob. 1701 in auctione Bibl. Jo. de Witt inter codd. MS in 4, pag. 61 n. 55.

6. *Epiſtolæ duæ ad Bohemos ſcriptæ anno 1432: Prima 5 januar. Altera Febr. 12. Nurembergæ. III eſt ad Patres concilii Baſileenſis data ibidem 16 febr.* 1432. Editæ T. XII Concil. priores col. 848, poſterior. col. 979. Nec dubito quin plures aliæ ſint non editæ in collectione Actorum hujus concilii penes clar. Baluzium.

In Bib. Pub. Baſileen. extat *Joannis Nyder liber contra theſin Huſſitarum in Bohemia degentium*. cod. MS apud Spizel. p. 39.

7. *Sermones de tempore, quadrageſimales & de SS.* Vetus editio Goth. abſque loco, Typotheta & anno fol. Iterum Pariſiis, Jo. Petit circa 1500 in 8. Sæc. XV.

8. *Sermones in epiſtolas Dominicarum per annum*. Argentinæ 1489 fol. apud noſtros Inſulenſes.

9. *Formicarium in quinque libros diviſum, quibus Chriſtianus quilibet tum admirabili formicarum exemplo, tum hiſtoriis pro re accommodatis, & ad parandam ſibi ſapientiam, & ad vitam honeſte pieque inſtituendam efficaciſſimè eruditur.* Editum bis in Incun. Typogr. fol. abſque loco, Typographo, & anno: Extat Pariſ. in Navar. Tertia hoc titulo: *Formicarius Joannis Nyder theologi profundiſſimi. Pulcherrimus dialogus ad vitam Chriſtianam exemplo conditionum formicæ incitativus, hiſtoriiſque Germaniæ refertiſſimus, mentionem paſſim faciens de principibus, epiſcopis, prælatis, ſacerdotibus, monachis, monialibus, beguinis & beghardis, rebus publicis, civibus, conjugatis, viduis, virginibus, maleficis, necromanticis, incubis & ſuccubis, mania, ac cæteris lectu dulcibus & utilibus.* Argentinæ, Joan. Scoti 1517 in 4. Poſtea Pariſiis, Engleberti & Joannis de Marnef 1519 in 4. Quatuor his editionibus uſus eſt Colvenerius ut quintam emendatiorem traderet, quam & egregiis notis illuſtravit, Duaci, Balt. Belleri 1602 in 8, pp. 431. Hoc opus pluribus annis horis ſubciſivis adornavit auctor, nam alia 1437, alia citius & etiam ſerius ſcripſit, ad quod attendat lector, ne fallatur. Ex illo potiſſimum vitæ auctoris chronologiam accepi. Nota Librum V Formicarii editum prætera fuiſſe ſeorſim a IV primis in Malleo maleficarum T. I hoc titulo: *F. Joannis Nyder Suevi ord. Præd. Sac. Theol. profeſſ. & hæreticæ peſtis inquiſitoris, liber inſignis de maleficis & eorum deceptionibus &c.* ubi quod dicitur *Inquiſitor*, quibus documentis innitatur, hactenus deprehendere non potui, nec ſe inveniſſe fatetur Colvenerius: imo cùm in *Formicario* acta ſua diligentius narret, & de pluribus Germaniæ inquiſitoribus tractet, nec ſe in horum numerum referat, aut quicquam a ſe hoc titulo confectum doceat, neque hoc miniſterio functum verius videtur. Iſtud Formicarium MS memb. habetur Baſileæ in Bib. Publ. recenſitum apud Spizelium p. 20.

10. *Alphabetum divini amoris de elevatione mentis in Deum*. Extat editum inter Gerſonis opera Edit. Pariſ. 1606, T. III pag. 1126: Edit. Antverp. 1705 T. III. col. 770, Gerſonis non eſſe certum ex proœmio in quo Gerſon ipſe laudatur. Editio quædam antiqua a quodam ordinis Minorum curata opellam illam Cartuſiano cuidam anonymo aſcribit. Sed Ciſtercienſis monachus eam Nydero vindicavit altera editione Pariſiis, Nicolai de la Barre 1516 in 8, idque ex fide Joannis Mauburni Bruxellenſis canonici regularis Nydero ſupparis, qui & jam ejus ætate vivebat, ſic teſtantis in ſuo *Roſeto ſpiritualium exercitiorum, & ſacrarum meditationum*, in quo *Tit.* v. *Directorium ſolvendarum horarum*, ſic habet: *Scripſit & religioſiſſimus Nyder plurima pro attentione adjumenta in ſuo aureo Alphabeto amoris, formans & manum quamdam cum aliis practicis multis.* Hoc Roſetum prodiit Pariſiis apud Badium 1510 fol. Videſis cardinalem Bona *De pſallente Eccleſia*, in criterio & catalogo ſcriptorum a ſe citatorum huic operi præfixo.

11. *De reformatione religioſorum libri tres*. Typis prodierunt Pariſiis, Jo. Petit 1512 in 8, quæ extat in Regia: ſed ex tribus exemplaribus MS emendavit noſter Jacobus Buyens, de quo poſtea, recognovit F. Joannes Bouquetius & elegantem ad religioſos præfationem præfixit, tandem prælo ſubjecit F. Joannes Nys Antverpiæ, Offic. Plantin. 1611 in 8, pp. 391. Extabat & MS Coloniæ apud Joannem Freylinck noſtrum a Jacobo Quetif lau-

Sæc. XV. dato visum: sed & Lovanii apud PP. Soc. & apud nostros Divioni cod. MS papyr. in fol. Laudatur & inter codd. MSS. Bib. Publ. Basileen. scriptus anno 1438 fol. B III. 15: istud exemplum forte ipsius Nyderi autographum.

Sequentes tractatus prælum non subierunt, sed extabant MS Colon. Agrip. apud nostrum Joannem Freylincx S. T. M. cod. MS fol. charta. cum Libris V Formicarii etiam MS anno 1671 a J. Q. viso & expenso, ex quo Altamuram titulos corrupte referentem emendes.

1. *De secularium religionibus.* Laudatur & in Bib. Pub. Basil. ubi mendose scribitur *de scholarum religionibus & statu canonisatorum* (pro *canonicorum*) *secularium.* Sic inter chartaceos. p. 39 apud Spizelium, sed rectius p. 20 inter membraneos, ubi & sequens.

2. *De paupertate perfecta secularium.*

3. *Dispositorium moriendi.*

4. *Sermo de visitatione B. Mariæ Virginis.*

5. *De vigore consuetudinis & dispensatione canonica.* Habetur etiam Basileæ loco jam cit. memb.

6. *De abstinentia esus carnium.* foll. 15. Extat etiam apud nostros Divioni cod. MS papyr. in fol. cum aliis ejusdem: & Basileæ in Bib. pub. cod. MS memb. recensitum apud Spizelium p. 20.

Scripsit etiam 7. *Commentarium in IV libros sententiarum.* De quo sic legitur in Monito ad lectorem sermonibus præfixo: *Quanta excellentia fuerit* (Nyderus) *in facultate theologica, ejus scripta super sententias, aliaque luculenter ostendunt.* Quæ probant tum commentarium illud omnibus obvium fuisse saltem in Germania, sed jam a nata typographia in bibliothecis illius nationis latens & neglectum.

8. *Compendium theologiæ.*

F. JOANNES LEO.

† 1440. F. JOANNES LEO Romanus patria & ut videtur etiam professione vir insignis sacræ theologiæ magister, canonumque peritia illustris, claruit sub Eugenio IV, cujus & contra Basileenses partibus infracte adhæsit. Interfuisse Florentino concilio ab eodem Eugenio vocatum facile mihi suaserim, etsi nomen ejus inter eos qui actis e Latina subscripserunt Ecclesia desideretur, quod scilicet ille non inter sacri concilii federit Patres, sed agitandis proponendisque difficultatibus, propugnandisque contra Græcos fidei articulis accitus, rem Ecclesiæ qua valebat sacrorum canonum & theologiæ scientia feliciter promoverit. Vix peracta synodo, ac consensionis utriusque Ecclesiæ Græcæ Romanæque firmato decreto, Joannem Eugenius de se & Ecclesia benemeritum ad Alarinensem sive Larinensem (*Larina*) sedem Beneventanæ suffraganeam in regno Siciliæ citra Pharum promovit anno MCCCCXL die XVII augusti, ut ex actis consistorialibus notavit Ughellus Ital. Sac. T. VIII, quam diu sapientissime rexit, certe non legitur successor ei datus ante ann. MCCCCLXXXVIII. De eo cum laude agunt Ludovicus Jacob in Bibl. Pontif: Prosper Mandozius in Romana; nostrates Fontana in Theat. & Prov. Rom. & Altamura ad 1450. Hæc ejus opera:

Tractatus de synodo & ecclesiastica potestate. Pr. *Rerum divinarum omnes admodum tractatores &c.* Libris quinque ad Eugenium papam IV. Extat MS in Vaticana teste Ughello, sed & in Bibl. cardinalis Bisciæ seu *Bichi* Romæ in capite plurium aliorum tractatuum de eodem argumento, eodem codice perantiquo & optimæ notæ, ut refert Tomasinus ex relatione Allatii in Bibl. Patav. p. 12.

De gestis concilii Ferrariensis & Florentini. Eodem codice Bisciano & ejusdem auctoris præstat Ludovicus Jacob qui vidit.

F. JOANNES TIGART.

F. JOANNES TIGART a nullo vel domestico vel extraneo nomenclatore hactenus laudatus, a me primum e tenebris eruitur ex fide operis ab eo scripti, cujus insigne exemplar servatur Parisiis in Bibl. Sorbon. memb. forma quarta a me visum & expensum mense novembri 1700 & iterum anno 1710, cùm catalogo codd. MSS insignis illius domus concinnando clarissimo viro Petro Berte S. T. M. & socio Sorbonico bibliothecæ præfecto adessem. Codex est quatuor fere uncias spissus. En titulum & prologum: † 1440.

Bellum spirituale de conflictu vitiorum & virtutum.

» Si pretiosum a vili separaveris, quasi os meum « eris, ait Dominus Jer. 52. Quæ verba tangere & « exponere vult Augustinus in Lib. de Doct. Christ. « c. 2 versus finem. Dicit enim quod si philosophi « & poetæ &c. *& postea:* Ideoque & ego sacræ « doctrinæ minimus alumnus in hujus opusculi compilatione pro utilitate omnium in ea legentium « inserui dicta philosophorum, poëtarum exempla, « & dicta SS. patrum non solum Eremitarum, sed « etiam & SS. doctorum, nec non & leges imperiales & jura canonica. Quem quidem librum depinxi imaginibus aliquorum philosophorum, & « imaginibus poëtarum aliquorum, & imaginibus « virorum doctorum, sicut Fulgentii & Lucani & « Juvenalis, nec non imaginibus aliorum, qui multa de virtutibus & vitiis disputantes separaverunt « pretiosa virtutum a vilitate vitiorum. Et ut melius hoc facere possem in processu, in isto opere « posui materiam per modum militum pugnantium; « & milites regis Babylonis qui est diabolus, contra milites regis Israel qui est Dominus: & septem vitia capitalia quibus iste rex Babylonis regnat super omnes filios superbiæ, contra septem « virtutes quibus pugnant Christi milites & eis eos « vincunt. Ideo hunc librum decrevi nominare. « *Bellum spirituale de conflictu vitiorum & virtutum*, quem divisi in XV tractatus: & ne legenti « tædium fiat, etiam quemlibet tractatum divisi per « capitula, secundùm quod se offerunt materiæ « mille centum & octo. Et hæc ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, in cujus nomine ad omne opus bonum congruenter progreditur ex canone Dist. 23, « *In nomine*, cùm ipse sit omnium gratiarum mirabilis elargitor. Insuper ad honorem B. Virginis « Mariæ, quæ est vera inventrix gratiæ, quia plena gratia. Luc. 1, & B. Dominici patris nostri: « & sic incipit «.

Ad calcem operis sic legitur: *Explicit bellum spirituale vitiorum & virtutum editum a R. P. Fratre Joanne Tigart ordinis Fratrum Prædicatorum.* Sequitur:

Anno Christi milleno junctis sibi quadringentis
Et quinquaginta cum quinto, augusti tertia mensis
Diœcesis Macloviensis Johannis Poisson patravit
Manus hoc opus dicentis Osanna filio David &c.

Quæ indicant annum 1455 quo scriptum hoc exemplum & notarii nomen. Non omittendum initio codicis sic legi: *Ego Ursinus Tibout volo quod liber iste detur post decessum meum collegio Sorbonæ, tali pacto quod incatenabitur in magna libraria. Signatum, Ursinus.* Hic autem Ursinus socius Sorbonicus florebat tempore concilii Basileen. ex monumentis Sorbonæ: qua etiam ætate circiter existimen hunc nostrum Joannem claruisse

& scripsisse : Gallumque facile suspicor & in Gymnasio nostro Sanjacobeo Parisiensi saltem educatum si non ad ordinem ascitum.

F. THOMAS SCARAVELLI.

* 1440. F. THOMAS SCARAVELLI Insuber Vercellensis ortu, professione Saluciensis in concilio Basileensi agebat eo infelici tempore, quo Patres adversus Eugenium IV sese erigentes, Amedeum Sabaudum sub nomine Felicis V papam elegerunt, cui cum aliis suis Pedemontanis adhæsit, & ab eodem visitator generalis ordinis institutus est, sed levi & admodum arctata auctoritate, ceu quæ ultra per paucas provincias isti Felici obedientes non se extendit, dum cætera regna potissimum Gallia Eugenio IV legitimo pontifici integra fide semper adhæserint : quam hominis cæteroquin docti & sapientis aberrationem iniquitati temporum, & tot præstantium virorum in ea synodo coactorum consilio recte ascribas. Ejus meminerunt Augustinus *Dellachiesa* & Rovetta ad 1440, qui addunt scripsisse

Volumen sermonum MS, quod jam habetur Toleti ad S. Marci ligatum cum Summa Alberti Bessani.

F. JOANNES DE FRANCOVORDIA.

* 1441. F. JOANNES DE FRANCOVORDIA Teutosic a patria & professione nuncupatus in concilio Constantiensi claruit, & adversus Hieronymum Pragensem verbo & scripto decertavit. Ejus meminerunt Leander fol. 144 b, virum in sacris scripturis peritum præstans; Taegius P. I Mon. ord. Lusitanus, Sixtus Senensis & sequaces, & tandem Altamura ad 1441. Ejus hæc opera laudantur:

Commentarius super librum Job. Pr. *O vos omnes qui transitis per viam.* Extabat Lugduni apud nostros.

Sic testatur Sixtus Senensis, qui cùm aliquando Lugduni versatus fuerit, ejusque præcipuum studium in hoc fuerit ut sacræ scripturæ expositores venaretur, nullum dubium quin ex visu loquatur. An autem adhuc supersit, hæreo, præsertim cùm Possevinus sic testetur : *Nos Lugduni tunc interfuimus, cùm bibliothecas familiarum religiosarum haretici aut combusserunt, aut cum sacrarum adium ornamentis sunt depopulati.* Itaque si jam non est istud opus, cum aliis furore Calvinianorum periérit.

Sermones de tempore & de Sanctis.

Hæc solum numerant nostrates, sed in Bibl. Basileen. inter codd. MS extat A VIII 24 :

Joannis de Francofordia propositio contra Hieronymum Pragensem.

Sic me docuit D. Inselin ejus bibliothecæ præfectus. Laudavit etiam Spizelius in indice, sed omisit typographus p. 37 ad quam remittit. Id verò unum abunde est ad omnes Alvæ vitilitigationes Sol. Verit. Rad. 253 col. 1613 retundendas. Quî enim ut ille contendit auctor a Bandello fictus dici potest, cujus etiamnum servatur tam insignis lucubratio ?

F. JOANNES MARCUS.

* 1441. F. JOANNES MARCUS Vicentinus patria & professione, quem claris natalibus ortum ferunt, vir fuit pietate, doctrina & facundia clarus, & laudatur a Gozzeo, Pio, Altamura ad 1449, Rovetta ad 1451 Vincentium Rivalium testem ad 1441 tamen revocantem adducente, qui omnes asserunt reliquisse

Sermones de tempore & de Sanctis per annum. Sæc. XV.

Opusculum de laudibus B. Virginis.

F. ALBERTUS GALINGANUS.

F. ALBERTUS GALINGANUS *de Regio* plerumque simpliciter dictus, ceu Regii Lepidi in Gallia Togata natus, ibidemque ad ordinem allectus, is videtur de quo in actis capituli generalis Avenione celebrati anno MCCCCXLII tit. *Denunciationes* sic lego : *Item Denunciamus F. Albertum de Regio magistrum provincie S. Dominici de conventu Regino ad conventum Trivisanum esse translatum, & pro filio nativo deputatum.* Provinciam S. Dominici hoc seculo XV sic dictam jam alibi monitum eam esse, quæ toto seculo XIV provincia Lombardiæ inferioris dicebatur. Hujus scriptoris habentur in Bibl. nostra Patavina S. Augustini a Tomasino p. 52 recensitæ * 1441.

Adaptiones sacra scriptura tam veteris quam novi testamenti F. Alberti de Galinganis de Regio sacra theologia magistri ordinis Predicatorum. fol.

Scio hunc a Rovetta ex fide sui Vincentii Rivalii ad ann. 1360 revocari, sed his nomenclatoribus quoad chronologiam parca mihi fides, qui secum pugnantia dicunt : volunt enim hunc Albertum a senatu Veneto publico stipendio conductum Patavii sacras litteras docuisse, at certum ex Tomasino & aliis historicis Venetos nonnisi anno MCCCCIV Patavio potitos esse & suæ adjunxisse ditioni, cùm antea Carrarienses in ea urbe seculo solido dominarentur. De quo legendus Leander in Descript. Ital. fol. 386 & seqq. Rovetta non meminit operis a Tomasino laudati, sed hæc alia huic scriptori tribuit, nempe

Scriptum in quatuor libros sententiarum.

Quæstiones theologicas varias.

F. ANTONIUS MACCUS.

F. ANTONIUS MACCUS vel *Macho* Faventiæ in Gallia Togata natus & ordinem amplexus, inter illustres sacri verbi oratores laudatur ad ann. MCCCCXLIV a Leandro fol. 145 a, & dicitur edidisse * 1444.

Sermones quadragesimales.

Excipiunt Lusitanus & sequaces, & addunt

Sermones de tempore & de Sanctis.

F. JOANNES CAPREOLUS.

F. JOANNES CAPREOLUS Gallus Occitanus in domo Ruthenensi ad ordinem allectus, etsi Tolosanus plerumque præsertim ab exteris nuncupetur, a provincia scilicet Tolosana cujus sodalis erat, sacræ theologiæ magister in facultate Parisiensi fuit, in qua sententias legebat jam anno MCCCCIX & duobus annis sequentibus licentiam ut aiunt decurrit, nam an. MCCCCXI decimus pro Sorbonica præsentatus Prædicatorum dicitur respondisse, ac sequenti ante pascha, qui stylo ejus ætatis adhuc XI numerabatur, novo XII diceretur, locum XII & primum mendicantium inter XXV licentiatos obtinuit, exinde laurea donatus. Studium postea generale Tolosanum rexisse narrant nostri Tolosates, sed anno MCCCCXXVI jam in suam Ruthenensem domum se receperat, egregiis illis in IV sententiarum libros commentariis scribendis ac perficiendis totus incumbens, quos anno tandem MCCCCXXXIII finivit. Conciliis Constantiensi & Basileensi assuisse volunt quidam, quod etsi creditu proclive, ex actis probari desiderarem. Ruthenis certo agebat an- † 1444.

Sæc. XV. no MCCCCXLIII, & sequenti ibidem obiit die VI april. fuitque ad sacrarium sepultus. Seculo circiter XVII inchoante appensa fuit ad parietem tabella cum hac inscriptione, sed ab homine incauto & parum accurato :

Nunquam marcescet memoria gravissimorum patrum Joannis Capreoli & Silvestri Ferrariensis, quorum corpora hic sub eodem recunduntur marmore. Ille scientia insignis, & morum honestate conspicuus, relictis posteritati super libros sententiarum clarissimis commentariis extremum diem clausit anno Dñi MCCCCXLIV *sexta die aprilis. Iste clavum ordinis &c.*

Epitaphium istud quoad Capreolum verissimum est, sed quoad Silvestrum falsissimum, nam non Ruthenis, sed Rhedonis in Armorica diem obiisse & sepultum postea demonstrabitur ubi de eo. Opus Capreoli nunquam satis laudandum, *Scriptum* ejus est *in* IV *libros sententiarum*, in eo enim adeo S. Thomæ sensa attigit, & doctrinam ejus sic illustravit, ut merito deinceps audierit Thomistarum princeps, & scholæ nostræ assertor & vindex, quam revera adversus Warronem, Scotum, Aureolum, Nominales, cæterosque ejus impugnatores acerrime clarissimeque defendit. Prodiit primum ab exemplari auctoris, quod sodales Ruthenenses Venetias miserunt editionem curante F. Thoma de Sanctogermano ejusdem ordinis sacræ theologiæ magistro Brixiano, qui Oliverio Caraffa episcopo Albanensi ordinis protectori nuncupavit Venetiis apud Octav. Scotum 1483 fol.

Ad calcem T. I sic legitur : *Liber primus defensionum theologiæ Divi doctoris Thomæ de Aquino in primo sententiarum editus per eximium veritatis scholæ professorem F. Joannem Capreoli Tolosanum ord. Prædic. anno Dñi* MCCCCIX *quo legit sententias Parisius feliciter explicit.*

Ad finem T. II : *Liber secundus defensionum*, &c. ut supra, *finitus Ruthenæ septemb. die* XIIII *quæ erat sabbatum anno* MCCCCXXVI *die* VII *novemb. sub pontificatu Martini V.*

Ad calcem T. III : *Complevi hoc anno Dñi* MCCCCXXVIII *die* VII *novemb. post prandium hora quasi secunda post meridiem.*

Ad calcem. T. IIII : *Completa fuerunt anno Dñi* MCCCCXXXIII *die* XVIII *febr. Ruthenæ pontificatus Eugenii IIII primo.*

Quæ prior editio licèt Gothica est elegantissima, seu chartam nitidissimam, seu characteres æneos purissimos, seu atramentum nigerrimum spectes. Extat Paris. in Regia D. 115 & in Navarr. sed utrobique deest volumen secundum : integra verò habetur apud nostros Divionenses. Prodiit postea ibidem 1514, tertio 1519, quarto sub hoc titulo :

In libros sententiarum amplissimæ quæstiones pro tutela doctrinæ D. Thomæ ad scholasticum certamen egregie disputatæ. Nuper castigatæ & corroboratæ auctoritatibus sacræ scripturæ, conciliorum & SS. Patrum : atque illustratæ quamplurimis aliis opinionibus theologorum tum antiquorum tum neotericorum, auctore harum additionum F. Matthia Aquario Dominicano regio atque publico metaphysico in almo studio Neapolitano, Venetiis, Hæred. Hieronymi Scoti 1589 fol. voll. IV.

Ante ultimam hanc editionem Paulus Soncinas, Isidorus de Isolanis, & Silvester Prierias vastum illud opus in compendium redigere tentaverant, ut suis locis dicetur, sed hîc non omittendum ἀνέκδοτον insigne, quod dictus de Isolanis refert in sua præfatione, ubi ait : *Capreolum non minori veneratione excipiendum quam S. Thomam, in quem spiritum angelicum transmisisse videtur Spiritus Sanctus, cordialissimo prudentissimoque munere christianissimæ simplicitatis ab alto donatum, qui ante imaginem B. Mariæ peculiari studio longas quotidianasque moras orans trahere consueverat.* Tum subdit : *Interea quatuor hæc in sententias perfecta volumina, dum in sua scrinio cellulæ servaret, opera ut creditur hostis antiqui, eadem cellula sævis exarsit ignibus, ac nisi conversus Frater, qui eidem Joanni Capreolo tristis senectæ annos jam ingresso deserviebat, lacrymis motus tanti patris ejulantis labores innumeros unius horæ spatio sævas consumere flammas, in ardentem locum prosiliisset, ex quo hæc scripta abstulit, omnis Capreoli doctrina cælestis deperiisset. Libuit hac præfatiuncula* (subdit idem) *talia enarrasse, quæ a P. F. Garsia Hispani Prædicatorii ordinis nunc generalis magistri ore pendens ingenti oblectatione suscepi.*

Præter quatuor volumina MS Ruthenis Venetias missa prælo committenda, nulla alia laudantur, nisi volumen primum quod MS extat Florentiæ ad S. Marci Arm. III n. 37, cujus codicis initio legitur hæc nota : *Joannes Capreolus Tolosanus & doctor Parisiensis ord. Prædic. super primum sententiarum membr. quem pro conventu S. Marci de Florentia emit, & sibi donavit magnificus vir Laurentius Petri Cosmæ de Medicis civis clarissimus Florentinus anno Dñi* MCCCCLXXVII. Is codex forsan ille est de quo sic scribebat laudatus Thomas de Sanctogermano in epist. nuncup. edit. 1483 : *Quoniam in tota hac Italia præter primum nullum eorum voluminum habebatur* : & de quatuor voluminibus Ruthenensibus Venetias missis ibidem loquens, hæc inquit *ad Octavianum Scotum missa tum primum lares nostri focique viderunt.*

Fidem postea suam in edendo opere sic commendat : *Neque quicquam arbitratu meo commentari ausus sum, ne quod in his menda reperiri contingeret, ad meam referretur invidiam. Singulis tantum voluminibus quæstionum capita, & conclusionum quæ cuique insunt præmisi, eisque doctorum qui contra ratiocinantur nomina subdidi, quo facilius sciretur, quæ doctoris nostri sententia esset, quique contra disputarent.*

Hujus operis cum laude meminit Leander fol. 139 præstans nobile, egregium, doctissimum, laboriosissimum, & utile prorsus ac admirandum. Excipiunt Lusitanus & sequaces, demum & Altamura ad 1418. De eo etiam legendus Percinus in Monum. Tolos. p. 94. Extrates verò Tritemius, Eysengrenius ad 1415 a quo Capreolus dicitur theologorum seculi sui princeps, Possevinus, Bellarminus, Labbeus, Spondanus Annal. ad 1443, Dupinius & alii.

Petrus a Valleclausa Diatriba IV in Cyriacos & Capreolum mordere tentavit, sed vere sus ad Minervam. Capreolum ipsum adeas, ad hunc solem evanescunt umbræ illæ Valclusinæ, ut notarunt Joannes Casalas in *Candore lilii* p. 281, & Baronius Apolog. lib. 2 p. 400.

Sermones varii, quædam super metaphysica & alia ei a Lusitano & ab Altamura tribuuntur, sed quæ vel igne vel vicissitudine temporum perierint.

F. MATTHÆUS DE BONIPARTIS.

F. MATTHÆUS DE BONIPARTIS, ut scribit Leander fol. 126 a, vel *Bonimpertus* ut 1444
legunt Ughellus & Fontana, qui *de Bompartis* ab Altamura ad 1443, & *Bomportus* a Rovetta ad 1441 nuncupatur, patria fuit & professione Novariensis, vir gravis & scientia facundiaque clarus, variis in provincia inferioris Lombardiæ tum S. Dominici dicta regiminis functus muneribus, qui priorem agens vel Brixiæ vel Paravii B. Conradinum anno MCCCCXIX veste ordinis induit : ita autem ob eximias dotes Martino V se probavit, ut ab eo summo

pontifice ad sedem Mantuanam anno MCCCCXXVIII promotus fuerit, quam Ecclesiam sexdecim annis sapientissime administravit ad ann. MCCCCXLIV tum mortuus, ut habet Ughellus, a quo non multum discrepat Leander, qui circa annum MCCCCXLVIII obitum ejus collocat, fol. etiam 125 a, de eo legendus, ubi eum virum integerrimum, & ex primis in Italia vitæ regularis instauratoribus unum commendat, & rursus laudat fol. 249 a. Hujus viri præter citatos meminerunt Lusitanus in chronico ad 1440, Razzius p. 48, Pius P. II lib. 3 col. 23, Rovetta ad 1441, a quo ultimo silentibus aliis hæc ei dantur opera:

Sermones de tempore, de Sanctis, quadragesimales & de B. Virgine.

Summa adversus hæreses.

Quæ inquit cum aliis ejusdem MS servantur in Bibl. Mantuana.

F. MATTHÆUS DE FINARIO.

1444. F. MATTHÆUS DE FINARIO Ligur a patria vernacule *Finale*, Latine Pollupice a Ferratio dicta sic nuncupatus, in cap. gener. Divione 1444, vel ut aliis placet Avenione anno 1442 lector sacræ scripturæ in palatio apostolico assignatus, scripsit

Commentaria in plures sacrorum bibliorum partes.

Item in libros sententiarum.

Sic Oldoinus in Athen. Ligust. qui utinam hæc unde acceperit, indicasset: nam quæ Romæ acta cap. gen. Avenionen. 1442 mutila sunt, nec in iis id legitur, acta verò cap. gen. Divion. 1444 desunt.

F. THOMAS DE TRENTAQUATRIS.

1444. F. THOMAS DE TRENTAQUATRIS nobili familia Bononiæ natus, ibidemque ordinem professus, optimus sacri verbi orator, elegans & facundus claruit seculo XV circiter medio, quem pro quadragesimalibus diebus Neapoli concionantem Alphonsus Senior dictus Aragoniæ rex audiens, sic ejus sermonibus delectatus est, ut ingentem pecuniæ vim construendæ a fundamentis bibliothecæ nostræ Bononiensi donarit, pollicitus quantam postularet opus se deinceps subministraturum. Etsi autem ædificio insigni & plane regio vix incepto rex defecerit, animum non despondit Thomas, sed ex ære hinc inde collecto, ad eam magnificentiam erexit, ut par sua ætate non haberet. De quo legendus Leander fol. 145 a, ubi & addit Thomam diem obiisse Romæ anno MCCCCXLIV & in S. Mariæ super Minervam sepultum. Ejus meminerunt Altamura in Append. & Rovetta ad 1444, qui ultimus asserit ejusdem servari Bononiæ MS

Sermones de tempore, de Sanctis & quadragesimales.

Monendum bibliothecam quam ædificavit, eam priorem esse, cui circa ann. MCCCCXCVIII addita est altera impensis Ludovici Bolognini ac ejus consortis Joannæ Ludovisiæ, opus etiam magnificum.

F. JOANNES DE RAGUSIO.

1444. F. JOANNES DE RAGUSIO vulgo dictus a patria, qui *Stoicus* apud Leandrum Albertum fol. 139 b, & Sigismundum Ferrarium de provincia nostra Hungariæ pag. 445 gentilitio cognomine dicitur, Raguseus Epidaurensisve & Dalmata origine fuit, clara etiamnum apud Illyricos Stoicorum e stirpe satus, uti in *Exercitat. ad Chreygtoni præfationem concilii Florentini Exercit.* 6 refert ex Achridori cujusdam episcopi rerum Illyricarum peritissimi fide Leo Allatius. Adolescens ordini nomen dedit in patria, ubi tum severior vigebat disciplina regularis F. Joannis Dominici Florentini de quo supra opera & sollicitudine restituta, a quo & sacram induisse vestem aliqui Ragusinum nostrum putant, ut ut sit, ipsis certe seculi XV primordiis, Parisios studiorum causa missus, supremos in ea promeruit gradus honores theologiæque lauream est consecutus. Quæ exinde primum munia gesserit, non produnt monumenta, sed maximi habitum in ordine ex eo conjicio, quod a magistro ordinis F. Bartholomæo Texerio constitutus sit apud Martinum V ordinis procurator generalis: quo certe positus loco, quam se præclare gesserit, quantumque in aula se pontificia præstiterit, ex iis quibus admotus est delectusque postea gerendis negotiis optime conjectari licet. Cùm enim a Martino V anno Christi MCCCCXXXI generali indicto convocatoque Basileæ concilio id confirmante postea Eugenio IV Julianus Cæsarinus tit. S. Angeli cardinalis apostolicus eo missus fuisset legatus & præses, ipseque tum legatione detentus Bohemica, sedandis Bohemorum animis & conciliandis intentus esset, Joannem nostrum de Ragusio sacræ theologiæ doctorem Parisiensem, ac totius ordinis Prædicatorum procuratorem generalem, (sic totidem verbis habent acta) Joannemque Polemar Aragonum Barcinonensem canonicum summi pontificis Capellanum, sacrique palatii apostolici auditorem delegavit Basileensis futuri concilii præsides: qui reapse convocatis in capitulo majoris ecclesiæ die Lunæ XXIII julii MCCCCXXXI qui tum ibi aderant undequaque ecclesiasticis, ejusdem auctoritate Juliani cardinalis concilium solemniter inchoarunt, ac orationem ad PP. habuit Joannes noster in illud Malachiæ 3: *Venit Angelus testamenti quem vos vultis*, ad Julianum alludens S. Angeli cardinalem mox affuturum præsidem. Qui paulo post Basileam appulsus primam sessionem habuit VII decemb. ejusdem anni, quæque a Polemare & Raguseo nostro gesta fuerant approbavit & rata habuit. Anno verò sequenti cùm ab Eugenio pontifice jam desciscerent Basileenses, ejusque contumaciam accusarent, ac solemni citatione dicam ei scribere ausi essent concilii promotores, purpuratique senatus omnes Eugenio adhærentes ab iisdem de contumacia proclamarentur, Joannes noster unà cum Simone de Valle Antonium Corarium cardinalem Ostiensem & archiepiscopum Bononiensem Gregorii XII fratris filium accusatum & proclamatum die VI septemb. MCCCCXXXII ab imposita vindicandum apud Patres excusandumque suscepit contumacia, ut in actis habes T. XII conc. Gen. col. 406. Bohemis autem invitatis ad concilium die IV jan. MCCCCXXXIII Basileam appulsis, & a Juliano cardinali legato præsideque IX mensis ejusdem honorifice susceptis, postquam Joannes Rokizana horum concionator & oratorum primus die XVI jan. usque in tertium diem horis antemeridianis de communione sub utraque specie coram synodo perorasset, subindeque tres alii de tribus aliis Bohemorum articulis, tum Ragusinus noster assentiente synodo, gravissima per dies octo solidos antemeridianis horis actione Rockizanam orationem confutavit, ac pro catholica veritate publice nervoseque disseruit. Cùmque hic inter arguendum & respondendum Bohemorum articulis, hæreseos eos aliquando nec infrequenter insimularet, graviter id ferens Procopius Rasus sive magnus Taboritarum dux exercitus, adversus Raguzinum insurrexit, iræque impatiens apud synodum de convicio illataque genti contumelia Joannem accusavit & conquestus est his verbis: *Conterraneus iste noster in-*

Sæc. XV. *juria nos afficit ; hæreticos nos subinde vocans.* Ad quæ Ragusinus : *Quia* inquit *conterraneus vester sum lingua & natione, propterea tam avide cupio vos ad matrem Ecclesiam redire.* Dalmatas enim in Bohemiam irrumpentes occupata regione constat accepisse nomen. Parum abfuit tamen quin ob eam offensionem, inquit Cochleus Hist. Huss. lib. 6 pag. 250 Basilea Bohemi abirent, vixque placari poterant : *Quidam etiam ex Bohemis nolebant ad finem usque disputantem audire Ragusinum. Et quamvis nostri accurate respondissent, Bohemi nihilominus articulos adhuc suos pertinacissime defendebant, præsertim hunc primum de communione sub utraque specie : adeo ut Rockizana responsiones Ragusini sex diebus fortiter impugnarit :* Sic Cochleus cit. Cùm autem is hujus maxime fuerit concilii scopus & finis Orientalis Ecclesiæ cum Romana consensio, Græcorumque & Bohemorum qui adversus eam insurrexerant acriterque pugnabant reconciliatio: qui vocandis ad concilium Bohemis Joannis Nyderi nostri usi jam utiliter opera fuerant, & vocandis invitandisque ad eamdem synodum œcumenicam Græcis Joannnem Ragusinum suum ad C. P. imperatorem & patriarcham oratorem cum Henrico Menger canonico Constantiensi & Simone Freiron canonico Aurelianensi anno MCCCCXXXV destinarunt Patres, qui cum Græcis eorum nomine tractarent & convenirent : Hi Constantinopolim profecti cum imperatore ac Ecclesiæ suæ primoribus pacta quædam inierunt ac subscripserunt in monasterio S. Georgii XXV novem. MCCCCXXXV. Græco autem imperatore & patriarcha realem Eugenii IV in ipso concilio requirentibus præsentiam non repræsentativam, & ut aliqua maritima, quo facile appellere possent, concilium œcumenicum indiceretur civitate, sequenti die XXVI novembris legatorum alterum Henricum Menger ad Patres Basileenses in id remiserunt nuntium, Ragusino nostro & Simone Freiron C. P. per annos fere duos hærentibus, & apud Græcos interea ut eorum allicerent animos, agentibus. Exinde anno MCCCCXXXVII ante mensem julium reversus erat & Patribus gestorum rationem reddiderat, nam XV ejusdem mensis Bononiæ astabat eorumdem Patrum ad Eugenium IV orator, a qua autem eorum parte missus non ita liquet. Notum enim est tum Basileenses divisos inter se fuisse, & sess. XXV nonis maii habita duplex ab iis decretum emanasse, alterum a minori quidem parte, sed merito dignitate judicioque potiore, cujus caput erat Julianus cardinalis Cæsarinus, quo suo decreto Florentia, Utinum, vel alia Italiæ civitas habendo cum Græcis concilio assignabatur, selectique oratores Petrus de Vercellis Diniensis, Antonius Portugalensis episcopi, & Nicolaus de Cusa præpositus Wotobergensis, qui postquam Eugenium Bononiæ convenissent C. P. transfretaturi erant, id imperatori & Patriarchæ significaturi : alterum a majori duplo parte sed summo pontifici adversa, quam fovebat cardinalis Arelatensis, a quibus delecti Ludovicus Visensis, Joannes Lubicensis, Delphinus Parmensis, & Ludovicus de Palude Lausanensis episcopi, concilii legati C. P. profecturi, ac Græcis Basileam, Avenionem, vel Sabaudiam pro loco concilii oblaturi. Cum prioribus quidem Eugenium Bononiæ convenit noster Ragusinus, sed ut videtur ab altera majori parte missus, qui ut pote pontifici ab olim cognitus, illius animum ad ipsis obsequendum & morem gerendum flectere conaretur. Ut ita censeam id me cogit, quod certum sit non in triremibus Eugenii sed cum legatis majoris partis Basileensium ipsis a concilio adjunctum C. P. hac altera vice trajecisse. Nam ex sessionis XXXII Basileensium die XXV martii MCCCCXXXVIII celebratæ decreto contra Eugenium IV & concilii translationem dato, eos conquestos constat, Ragusinum oratorem suum in domo sua C. P. agentem a Balistariis violenter impetitum fuisse, quod Eugenianæ legationis partibus tribuere videntur : *Domus quoque præfati Joannis de Ragusio oratoris nostri* (inquiunt Basileenses loc. cit.) *in Constantinopoli invasione Balistariorum fuit impetita, aliaque ibidem facta sunt, quæ non est necessarium referre per singula.* Præterea ex hac legatione redux non ad Eugenium, sed ad Basileenses accessit, quibus & deinceps semper adhæsit, ut & pontifici Amedeo Sabaudo Felici V dicto XVII novemb. MCCCCXXXIX ab iis electo, a quo & Argensis in Peloponeso primum episcopus, tum postea ad purpuram vocatus creatusque cardinalis, non VI april. MCCCCXLVI uti Ciaconius habet & Contelorius P. II. Elenchi cardinal. pag. 26, & exiis Oldoinus, sed IV Idus octob. MCCCCXL, ut refert Augustinus Patritius Hist. concil. Basil. T. XIII conc. Gen. col. 1587. Oldoinus præterea emendandus Auberium errantem cespitantemque male secutus, qui Joannem nostrum Ragusinum cum Joanne de Segobia homine Hispano simul ab eodem Felice cardinali creato confundit, unumque & eumdem somniat. Addit autem S. Antoninus æqualis & rerum testis P. III, Tit. 22, cap. 10, §. 4, non multum ab adepta cardinalatus dignitate præreptum ex hac luce Joannem nostrum diem obiisse. *Felix V*, inquit loc. cit. *inthronizatus non in sede Petri, sed Luciferi, aliquos cardinales instituit, & inter eos magistrum Joannem sacræ theologiæ professorem ordinis Prædicatorum* (de Ragusio scilicet, non de Segobia, in quo Auberius & Oldoinus errarunt, nam hic Segobiensis non regularis sed archidiaconus de Villavitiosa fuit) *qui multum laboraverat in sermonibus & disputationibus in fovendo conciliabulo* (Basileensi) *sed cito morte subtractus est &c.* Idem testatur Ortwinus Gratius & ipse æqualis in Narrat. de Bohemis initio. *Joannem de Ragusio*, inquit, *theologiæ professorem ordinis Prædicatorum tum procuratorem generalem, qui postea Argensis episcopus factus, etiam in cardinalium numerum meruit recipi; titulum S. Sixti indeptus.* T. XIII conc. Gener. jam citato col. 1611 Joannes noster indicatur jam mortuus anno MCCCCXLIII, cui facile assentimur, cùm ejus abinde nulla sit in actis scriptoribusque memoria : Sed & Basileæ apud nostros sepultus videtur, quibus bibliothecam suam Græcorum codicum MSS quos C. P. comparaverat, & secum ex ea legatione redux attulerat refertissimam ex testamento moriens reliquit, quibus usum se profitetur noster Joannes Cono epistola Thomæ Truchses nuncupatoria. Virum eum insignem & quæ tam multa præclarè gessit, quæque tam eruditè scripsit omnino probant posterisque commendatum, unâ pertinacis Basileensibus adhæsionis reum : quod in tanta rerum caligine commune fuit aliis etiam pietate & eruditione conspicuis, ipsi etiam Æneæ Sylvio Picolomineo postea tamen summo pontifici Pio II dicto, dolendum erratum, humanæque donandum infirmitati. Extant

1. *Promissiones factæ imperatori Græco & patriarchæ C. P. per ambassiatores sacri concilii Basileensis, quorum primus Joannes de Ragusio 25 nov. 1435. Copia promissionis eorumdem ambassiatorum. Propositio ambassiatorum concilii Basileensis facta Constantinopoli coram serenissimo imperatore Græcorum, cujus prima pars est nostri Joannis. Articuli ambassiatorum concilii Basileensis.* Quæ Videsis T. XII conc. gen. a col. 851 ad 858.

2. *Litera quatuor magistri Joannis de Ragusio & Simonis Fretz* (Sic, sed videtur idem ac *Freron* de quo supra) *ambassiatorum sacræ synodi* Constantinopoli ad ipsam synodum. Recensentur in catalogo codd. MSS Bibl. Mediceæ Flor. Plut. XVI cod. 13 fol. charta.

3. *Ad Patres concilii Basileensis de iis quæ C. P. in sua*

legationis peregerat Relatio. Apud Leonem Allatium extabat lib. 8 suorum συμμικτων edenda, ut legitur in horum catalogo edito Romæ, Mascardi 1668 in 4. Pr. *Reverendissimi in Christo Patres & Domini.*

4. *Concordantiæ vocum indeclinabilium sacrorum bibliorum* ab eo Constantinopoli ex parte collectæ, ut quot modis voces *ex* & *per* in sacra scriptura sumantur, in promptu haberet ad refellendum Græcos de processione spiritus sancti. Quæ jam ab eo inchoatæ fuerant Basileæ, ut vera notio vocis *nisi* haberetur adversus Bohemos de communione sub utraque specie litigantes. Videsis superius dicta in Hugone de sancto Charo de auctore concordantiarum.

5. *Oratio qua respondit per octo dies in concilio Basileensi ad articulum primum Bohemorum de communione sub utraque specie propositum a Joanne Rogkysana* 16 jan. 1433. Hanc Henricus Canisius primus edidit T. III lectionum antiquarum, quam Binius postea in sua editione concil. general. ad Basileense concilium adjecit, sed & Labbeus in sua conc. gener. Paris. Edit. 1672 T. XII repræsentavit a col. 1013 ad 1158. Plura fortè habebuntur, si quando acta concilii Basileensis universa a Baluzio diligentissime collecta in lucem edantur quatuor minimum voluminibus in folio preditura. Interea mihi indicatus est.

6. *Fr. Joannis de Ragusio ordinis FF. Prædicatorum sermo in festo S. Benedicti, habitus apud sanctos Apostolos Romæ in præsentia cardinalium A. D.* MCCCCXXX indict. VIII. Princ. *Egredere de terra tua &c. ejusque benedictus. Scribuntur hæc verba originaliter Gen.* 12, *& pro præsenti assumuntur ad laudem & excellentiam gloriosissimi patriarchæ monachorum Benedicti declarandam &c.* Extat MS in Bibl. Cassinensis monasterii cod. 92: ex quo integrum exscripsit clarissimus Mabillonius, & inter hujus adversaria servatur Parisiis in monasterio Sangermaneo a pratis, ut me amice monuit D. Renatus Massuet asceta ejusdem S. Irenæi operibus recens editis orbi Christiano notissimus.

De hoc nostro Joanne præter loca citata T. XII conc gen. videsis coll. 442, 445, 446, 456, 567, 570, 572, 574, 615, & T. XIII col. 850. Meminerunt etiam præter citatos sed leviter Leander Albertus fol. 139 b, Lusitanus, Pius, Fernandez, Altamura ad 1438, Sigismundus Ferrarius jam citatus accurate de Prov. Hungar. lib. 2 p. 3 c. 3 & 5: & lib. 3 P. 3 c. 2: Sed plane emendandus Fontana seu in Theatro cùm Argentinensem episcopum Joannem hunc nostrum ab Eugenio IV promotum ait, quem ab eo pontifice descivisse fatendum est, & Argensem (non Argentinensem) episcopum, ut & postea cardinalem tit. S. Sixti a Felice V creatum, ut supra dictum est: seu in Monum. ad annum 1437 pag. 331 b, ubi asserit omnes Prædicatores a concilio Basileensi post ejus Ferrariam translationem discessisse, multaque passos sodales nostros Basileenses ob servatam vero pontifici fidem, quos contra videtur communibus tenebris involutos parti Eugenio adversæ bona fide adhæsisse: imo ille Felix V dictus ubi Basileæ præ foribus templi cathedralis coronatus fuit IX Kal. aug. MCCCCXL hinc ad nostram ecclesiam solemni pompa deductus est, quam videsis descriptam conc. Gen. T. XIII col, 1585, nec dicuntur nostri obstitisse. Unde postea non solus Raguzinus, sed & plures synodi patres ea tandem XVI maii MCCCCXLII finita discedentes multos & magni pretii codices MS Græcos & Latinos bibliothecæ nostræ ibidem donarunt, quibus in incunabulis typographiæ & deinceps cum summo Ecclesiæ fructu usi sunt viri doctissimi ad usque ejuratam in ea civitate fidem catholicam: tum enim nostris expulsis, codices illi etiamnum nón parum laudati in publicam bibliothecam translati ibidem adhuc servantur teste Pantaleone ubi de nostro *Joanne Cono.* Non omittendum hic apud Fontanam de Romana provincia p. 147 referri breve Eugenii IV datum Florentiæ XII kal. jul. MCCCCXXXV pro monasterii Sororum de Montepolitiano commutatione in Fratrum conventum ad instantiam F. Jacobi de Regno procuratoris generalis ordinis Prædicatorum in curia Romana, & in Actis concilii Ferrariensis in congregatione habita die martis XI februarii MCCCCXXXVIII inter præsentes numerari F. Jacobum de Arimino procuratorem generalem ordinis Prædicatorum: quod signum est Ragusino suam ob Basileensibus adhæsionem eo munere spoliato prædictum utrumque Jacobum ei vicissim suffectum, quorum ultimum tamen omisit Fontana in sua procuratorum generalium serie. Videsis T. XIII conc. gen. col. 890. Quam verò fuerit in Joanne Ragusino deceptus Leo Allatius eum cum Joanne de Montenigro provinciali Lombardiæ in conciliis Ferrariensi & Florentino claro confundens, & patet ex hactenus dictis de priori, & videsis etiam art. seq. dicta de posteriori. SÆC. XV.

F. JOANNES DE MONTENIGRO.

F. JOANNES DE MONTENIGRO Italus vel a familia sic dictus, vel juxta morem ætatis a patria, quod de Montenigro in Etruria in ora maris Tyrrheni non longe a Pisis & Liguino fuerit ortus, de quo Leander Albertus *Descrizz. d'Ital.* fol. 25 a, vir fuit magnarum partium, philosophus subtilis, profundus theologus, Græcæ linguæ peritus in paucis, in disputationibus acer suique compos. Provinciam Lombardiæ superioris, diu rexit præfectus, jam enim ei præerat anno MCCCCXXXII, eoque munere fungebatur etiamnum anno MCCCCXLIII uti noster habet Hubertus Locatus de Placentinæ urbis origine pag. 145: unde in conciliis generalibus iis annis coactis quibus jussu summi pontificis affuit, nec parum inclaruit, sæpius *F. Joannes Provincialis* sine addito dicitur. Ac primum quidem ad synodum Basileensem missus est ab Eugenio IV, ubi & egregia dedit sapientiæ suæ specimina, tum in propugnandis fidei catholicæ articulis & S. Thomæ sensis, tum in tuendis summi pontificis juribus. Hinc desciscentibus ab Eugenio patribus, continuo se ab iis segregavit, & in Italiam ad pontificem reversus est. Synodo verò e Basilea Ferrariam translata per bullam Bononiæ datam prima jan. MCCCCXXXVII inter alios affuit ille, cùm Nicolaus Albergati cardinalis S. Crucis in Hierusalem legatus apostolicus VIII jan. MCCCCXXXVIII concilium aperuit in basilica majori Ferrariensi; nam inter præsentes post præsules & generales ordinis S. Augustini & Servorum B. M. proprio nomine & cognomine dignitateque recensetur & legitur in instrumento de re gesta tum confecto *Joannes de Montenigro provincialis Fratrum S. Dominici.* Nona autem octobris ut publicæ disputationes fierent, cùm inter Græcos & Latinos conventum esset, e sex præstantibus animi vigore ac elegantia viris, inquit Andreas Actorum scriptor, ad intellectuale hoc certamen ex parte Latinorum selectis duo ex nostris fuerunt, F. Andreas archiepiscopus Colossensis de quo postea, & hic noster Joannes: & Ferrariæ quidem, ubi potissimum actum est de additione symbolo facta *Filioque*, Colossensis præsertim congressus est cum Græcis, licèt identidem quædam protulerit noster provincialis. Florentiæ verò, quo translata est synodus initio anni MCCCCXXXIX in collationibus habitis de ipso dogmate *An scilicet Spiritus Sanctus & ex Filio procedat*, præcipuas partes egit provincialis, licèt nec defuerit sæpiusque etiam sua addiderit Colossensis, ut ex actis perspicuum est. Quam egregie autem dogma Latinorum seu potius Eccle-

† 1444.

 siæ Catholicæ tutatus sit noster Joannes, nolim ex nostrorum testimonio hîc referre, sed ex Josepho Methonensi Marci Ephesii libello de actis in synodo respondente fortè quædam non pigebit hîc legere. Sic autem ille col. 698 Edit. Labb. *Primus de dogmate Joannes ille in re theologica summi vir ingenii, atque in instituto S. Dominici præfecti dignitate ornatus* ἔπαρχος *disputationem instituit.* Et postea col. 702 : *Verum est quod ais* (Marce) *fuisse te spe destitutum, quia contra validos Fratris Joannis syllogismos dicere non valebas.* Et infra : *Cæterum adversus vim & robur argumentorum Joannis cùm stare non posses fugam parasti, disputationis congressu perterritus.* Et col. 710 : *Cùm verò jam disceptaretis & dictum dicto objiceretis, & syllogismus subsequeretur compendiose & egregie a Fratre Joanne formatus, tum sane tu coarctatus, quid responderes non habebas* &c. *legenda.* Et col. 711 : *In hac sessione synodus misso nuncio te ad disputationem vocabat, quoniam is qui tecum disputabat F. Joannes dicebat : Adducite huc Ephesium, ut responsiones audiat ad ea quæ dixit. Tu verò rationes tuas redargui cùm ferre non posses, venire noluisti, sed morbum simulasti. Quocirca magister Joannes omissa tuorum confutatione sermonum protulit doctorum suorum sententias &c.* Et col. 715 : *Quocirca F. Joannes rursus, vellem aiebat Ephesius adesset, & nobiscum sessioni huic interesset. Verùm devictus despondisse animum videtur. Itaque ad vos responsionis verba faciam, & afferens in medium dicta Orientalium doctorum, quæ a nobis etiam supra exposita sunt, nec non alia plurima, nos enim protulimus pauca, egregie sole ipso clarius demonstravit Spiritum Sanctum a Filio quoque procedere, & quæ prius a te dicta fuerant strenue demolitus est, atque humi prostravit ut falsa & perversa, penitusque a theologia & mente Sanctorum abhorrentia. . . . te relinquens ubi constravit deridendo lapsu jacentem, unde te erigere penitus non valuisti.* Hæc & plura alia Josephus Græcus adversus Græcum Ephesium, ex quibus colligas non solum nostros, sed & sapientiores Orientalis Ecclesiæ devictum a Joanne Provinciali Marcum vique argumentorum ad silentium & ad incitas ut aiunt redactum fateri. Oblatas exinde etiam superiores infulas constanter respuisse testatur Fontana ex Lucarino : annis verò MCCCCXLIII & XLIV severiorem inductam in conventum S. Joannis de Canali Placentinum disciplinam Fratresque ut aiunt reformatos principis literis accersitos & constitutos auctoritate qua pollebat ut provincialis adversus resistentes solemni sententia asseruisse narrat noster Hubertus Locatus supracitatus : quandiu verò postea in eo officio perseveraverit, quando vel ubi diem obierit, hactenus mihi incompertum, quod gentilium diligentiæ merito perquirendum ac scrutandum relinquo. Hæc ejus opera :

1. *Tractatus de conceptione B. Virginis* in concilio Basileensi scriptus anno 1435 vel 1436 & Patribus exhibitus. Titulus : *Relatio sive Allegationes de conceptione B. V.* Hujus tractatus meminit noster Joannes de Turrecremata in suo de eadem quæstione libro P. I cap. 1, ubi sic habet : *Quod cùm apud omnem catholicum doctorem indubitatum esse debeat, sequitur suppositio prima, quæ collega meus venerabilis scilicet magister Joannes de Montenigro provincialis Lombardiæ in sua Relatione posuit, videlicet quod sacrum concilium in discussione præsentis materiæ fidei, magis inniti debeat auctoritatibus quam rationibus &c.* Præcipua verò hujus Relationis capita referri aiunt in opere dicto nostri de Turrecremata, & in Avisamentis Joannis de Segobia, qui eam ex professo impugnavit in eodem concilio anno 1436. De quibus Alva in Sole Verit. Rad. 270 col. 1786. In indice codd. MSS. Bibl. Basileen. *Joannis de Montenigro Disputatio an B. Virgo in peccato originis fuerit concepta habita in concil. Basileen. vel relatio facta ad concil. Basil. de hac materia.* Vide Sac. Bibliot. arcana pag. 39.

2. *Collationes ejus cum Græcis in conciliis Ferrariensi & Florentino* habentur in Actis Sess. IV Ed. Labb. col. 62, Sess. XVIII col. 235, XIX col. 258, XX col. 279, XXI col. 303, XXII col. 323, XXIII col. 347. Post sessionem hanc imperatori petenti confessionem suam scilicet Patrem & Filium unicum esse principium spiritus sancti scriptam misit : Sess. XXIV col. 378, & XXV col. 382. Præter has collationes de dogmate processionis Spiritus Sancti, est & alia de primatu summi pontificis relata ab Horatio Justiniano col. 1136 : alia rursus col. 1146. Posteà ex sex electis ex parte occidentalis Ecclesiæ ad concinnandam actorum conclusionem seu concilii definitionem hi fuerunt ex nostris Joannes provincialis Lombardiæ, Joannes de Turrecremata, & Joannes de Ferraria. Col. 1158.

3. *Reverendissimi sanctissimi & doctissimi viri F. Joannis magistri provincialis de divina operatione & de fermentato & infermentato pane, & quod Christus in cœna infermentatum discipulis dederit, prætereaque de processione Spiritus Sancti, Quomodo idem Spiritus Sanctus ex Patre Filioque procedat, & quisquis non confiteatur* ex Patre Filioque *eum procedere, in via perditionis sit.*

4. *Ejusdem F. Joannis magistri provincialis ad sanctam & œcumenicam octavam synodum, sive etiam ad imperatorem Joannem Palæologum, & ad beatissimum Eugenium papam, & ad sanctam synodum, nimirum ad archiepiscopos, & omnes quotquot inveniuntur in ipsa octava synodo.* Extat uterque Tractatus hic & præcedens Græcè C. P. & recensetur in catalogo librorum principis Manuelis Eugenici. Videsis librum cui titulus, *Bibliotheca sive Antiquitates Constantinopolitana*, n. 9, sed & apud Possevinum *Append. pag.* 49.

Aliud opus ei asseritur, quod in concilio Basileensi fertur edidisse hoc titulo : *Tractatus contra impugnantes privilegia ordinis Prædicatorum.* Extat MS variis in bibliothecis. In catalogo codd. MS Bibl. Paul. Lipsien a Fellero edito p. 194 sic legitur n. 12 : *Joannis de Montenigro contra impugnantes privilegia.* Nota bibliothecam illam olim nostram fuisse. Extabat anno 1671 Coloniæ Agripp. apud Cartusianos inter codd. MS in 4 a nostro Jacobo Quetif visus, sed agnomine paululum mutato sic : *F. Johannis de Nigromonte ordinis Prædicatorum opusculum contra impugnantes privilegia ordinis Prædicatorum.* Huic codici signum suum apposuit noster Johannes Nyder, ut annotavit dictus Quetivius. In catalogo bibliothecæ Johannis de With Hollandiæ consiliarii & syndici auctioni expositæ anno 1701 die 20 octob. Indic. 5 inter codd. MSS in 4 p. 61 n. 55 recensebatur hoc eodem titulo, & dicebatur *liber rarissimus.* Meminit ejusdem Nyderus laudatus ad calcem sui tractatus *de contractibus mercatorum*, ubi sic habet : *sciendum quod magister Johannes de Nigromonte ordinis Prædicatorum in tractatu ab eo edito contra impugnantes privilegia ordinis nostri, infrascriptos ponit articulos, quos probat esse veros & catholicos, unâ cum correlariis eis annexis. Prima propositio primi articuli : primus articulus est de audiendis missis &c.* Quod a Nydero excerptum sex implet paginas. Ista inversio agnominis in quibusdam codicibus *de Nigromonte*, & non *de Montenigro* fere mihi persuaserat auctorem alium esse : sed cùm in quibusdam etiam codicibus ut in Lipsiensi legatur *de Montenigro*, ejusdem nostri Johannis Basileæ & Florentiæ clari fœtum esse

non

non dubitavi, usquequo quis certiora producat.

Hujus nostri Joannis meminere cum laude nostrates omnes S. Antoninus testis oculatus Hist. P. III Tit. XXII: Leander fol. 150, a: Bandellus Tractatu de concept. B. V, & sequaces Lusitanus, Pius P. II Lib. 3 col. 25, Fernandez, Altamura ad 1436. Extrates verò, Leo Allatius Exercit. VI contra Chreygthoni præfationem ad Sguropuli Hist. conc. Ferrar. ubi dum in Joanne Ragusino Stoico dicto de quo supra procuratore ordinis generali delusum Chreigthonum optime arguit, quem ibi cum Joanne Dominici cardinali Ragusino Gregorii XII in synodo Constantiensi legato, & cum Joanne de Turrecremata sacri palatii magistro, tres distinctissimos homines in unum conflans, imperite confundit, ipsemet Allatius vir cæteroqui doctissimus similem impingit in scopulum, Joannem nostrum provincialem cum Joanne Stoico Ragusino conjungens & unicum faciens, qui tamen & variis muneribus functi, & ex dissitis regionibus orti, iste Dalmata Epidaurensis ille Italus & Etruscus, & contrarias partes secuti, De Montenigro Eugenii IV, Stoicus Basileensium. Vide supra ubi de eo. Eumdem in errorem lapsus est Didacus de Colmenares Histor. de Segovia pag. 699 Edit. 2 Matriti 1640. Toppius in Bibl. Napol. vult Siculum fuisse & in Aprutia natum, ideoque inter scripores Neapolitanos recenset, sed sine teste, & falsum censeo.

F. ANDREAS RHODIUS.

1445. F. ANDREAS RHODIUS vel *Colossensis*, vulgo sic nuncupatus ab hujus Ecclesiæ, cui præfuit archiepiscopus, titulo & dignitate, seculo XV floruit. Ubi primum emendandus venit Fontana, qui non attendens duos ea ætate Rhodi antistites sedisse, Græci ritus alterum, alterum etiam Latini, ex quo ejectis anno MCCCIX Saracenis, eam insulam equites S. Joannis in Jerusalem occuparunt, qui ultimus Colossensis a Latinis vulgo dicebatur, quod & ipsa Rhodus Colossus ex illo celebri Colosso aliâs ibidem erecto, ut & Rhodii Colossenses vocarentur, ista inquam, non attendens Fontana, duplicem titulum distinguit archiepiscoporum ex nostris, Rhodiorum unum, alium Colossensium, cùm eidem Ecclesiæ, sive Rhodus sive Colossus nominetur præfuerint omnes: præter quam alia est civitas in Phrygia magna seu Pacatiana sita, ad quam scripta est S. Pauli epistola, quæ dicitur ad Colossenses: quod ex ipsis concilii Florentini actis clarum est, in quibus Andreas noster Rhodius in exemplari Græco, Colossensis in Latino archiepiscopus appellatur. Græcus fuit ille non gente solum, sed & parentibus schismaticis ortus, litteris humanis & divinis, Græcaque theologia apprime eruditus, ac ut acerrimi erat ingenii, Latinam linguam sibi egregie comparaverat. Hinc Patribus utriusque Ecclesiæ sedulo lectis, veritateque agnita, afflante numine, schisma brevi ejuravit, amplexaque fide catholica, ordinem etiam Prædicatorum ingressus est & professus. Tum verò ad sedem Rhodiorum seu Colossensem promotus affuit concilio Constantiensi, aderatque Sessioni XX, in qua tum nomine suo, tum pro rege Romanorum Sigismundo die martis quarta februarii MCCCCXVI subscripsit concordatis pactisque Narbonæ inter legatos concilii, & ambassiatores regum obedientiæ aliâs Benedicti XIII seu Petri de Luna die XIII decembris MCCCCXV initis. Intererat etiam anno MCCCCXVII Martini V inaugurationi die XI novembris electi, eumque pontificem Italiam repetentem comitatus est, cui & adhæsit deinceps eidem carus in primis & acceptus.

Quare cùm Eudæmon-Joannes a Manuele & ejus filio Joanne Orientis imperatoribus ad summum illum pontificem adhuc Constantiæ hærentem legatus accessit de Orientalis Ecclesiæ cum Latina sarcienda concordia acturus, Andreas noster huic legato jam ab antiquo familiaris, propterea eaque & socius ascitus, egregiam illi navavit operam. Nam & ei summi pontificis conciliavit gratiam, & pro urgendo negotio plurimum allaboravit. Post plures autem ultro citroque legationes, in quibus plures fluxerunt anni, tandem circa annum MCCCCXXX ipse Andreas Constantinopolim missus est Martini V legatus, qui negotium reconciliationis urgeret, quod & promovit plurimum, & ad optatum finem adduxerat, nisi mors intervenisset pontificis. Sed præstat hæc Sylvestrum Sguropulum audire narrantem Hist. conc. Florent. sect. 2 cap. 5: « Quin & collegam sibi ac socium ascivit Eudæmon-Joannes Andream Latinum Rhodi episcopum: nam & is fortè fortuna solemni papæ inaugurationi interfuit. Andreas confestim luculenta oratione papam ad unionem inter Ecclesias procurandam excitavit: qui cùm noster esset origine, nostraque litteratura ac eruditione plenissime instructus, nescio quo œstro percitus (*Sic loquitur schismaticus*) a nobis ad Latinos transfugit, eorumque doctrinam ac mores amplexus, & ab illis ad dignitatem episcopalem evectus, omnem in posterum operam ac industriam conferebat, ut alios ad eamdem sententiam pertraheret, quam ipse intimè imbiberat, maximamque sibi felicitatem reputabat, si omnes æque ac se dociles suique sequaces reperiret. Quare permultis sæpe admissionibus ad papam plurimum adjuvit Eudæmonem Andreas, sed & ipse ob hæc papa Eudæmonem blando semper vultu aspexit, & de unione dicentem libenter audivit, & singulis postulatis annuit &c. *Et cap.* 14: Solvunt igitur ab Italia nostri, & reduces cuncta exponunt Imperatori ac patriarchæ: quos unâ comitabatur munere Legati a Papa functus Andreas Rhodi episcopus, cujus antea meminimus Eudæmonem-Joannem adjuvantis, cùm is primo in causa unionis Romæ (*id est* in Romana curia) negotiari inchoaret: & eadem quæ nostri nunciavit, & obnixè incubuit, ut eadem principia constitueret rebus ad synodum spectantibus. Etenim professus est se sat ampla donatum potestate, negotium hîc ab umbilico pertractandi, quo synodales illuc cœtus transvehantur: Tuncque ut in Italia synodus condiceretur, ipse Imperator propensissimum se præbuit, ita ut velle se demonstraret huic conventui jam initia præparari. Quod resciens Andreas voluptate perfusus expectabat haud dubie imo certo agendum illud omne quod ad profectionem Italicam conduceret. Verùm cùm postea refriguisset Imperator, quædam protulit ad Andream prioribus haud consentanea. Unde cùm is responsum peteret mandatis, quæ huc a summo Pontifice attulerat, abnuit Imperator ipsi committere, sed promisit se per nuncium proprium papæ facturum satis. Quod ægrè tulit Andreas, dicebat enim, nunquid non ego Græcus sum, huic patriæ meæ devinctissimus, ejusque amantissimus gloriæ? Quid ergo non mihi sensa sua credit Imperator, quæ Papæ mandanda habet, ut ipse perpendam, & siquidem conducant fieri, adjuvem ipse: sin autem ipse impediam, ne legationis hujus fructus perdatur omnis. Nemo enim accuratius me novit, quî ad hoc negotium affectus sit Papa, quidve ab eo obtinendum, quid non «. Et hæc quidem Sguropulus. Ipse verò Andreas de ea legatione clariora refert in oratione ad Basileenses, de qua mox. » Hi er- Sæc. XV.

Sæc. XV. » go, *inquit*, quos memoro, Græci ad unionem Ecclesiæ venire contendunt, non eo pacto, quo quidam eos fallendi gratia dicunt accedere, sed apertè & absque aliqua simulatione. Pontifex siquidem maximus Martinus felicis memoriæ Papa V, sic sua sapientia atque humanitate Græcos ad opus unionis attraxit, ut de tanta opinionum & postulationum diversitate ad unam & solam differentiam concesserint, quis scilicet locus ille sit, qui pro convocanda synodo utriusque generis patres apte suscipere posset. Habeo hujus rei testes gravissimos, qui huic vestræ clarissimæ spectationi adsunt, & quæ dico in præsenti audiunt: nec audita vobis patres pronuncio, sed quæ vidi, & quæ præcepto ejusdem præsulis ipse contrectavi, & publica stipulatione concluseram. « *Et post plura in eam rem:* » Cùm superiori tempore nullus indubitatus Pontifex haberetur, neminem Græcorum aliquis audivit, qui de unione Ecclesiæ tractaret: at ubi omnium dissidentium vota ad unum pastorem convenerant, mox legati Græcorum Pontificem adierunt, & coram gloriosissimo ac invictissimo rege D. Sigismundo semper Augusto pro unionis negotio, imperatoris & patriarchæ Constantinopolitani voluntatem & vota triginta sex articulis patefecerunt. Scio quod verum loquor, & quod hæ manus literas illas obsignatas explicuerunt, & quæ illic continebantur ex Græcis Latina fecerunt: « Quanta verò apud omnes in existimatione esset pro gerendo præsertim difficillimo hoc negotio, ipsi Patres Basileenses declararunt in sua ad eum responsione: *Græcos autem*, inquiunt, *maximè nobis cordi est sicut & alios Ecclesiæ reconciliare &c. Et ut omnibus nostra sincera innotescat intentio, te venerabilem archiepiscopum Colossensem, qui aliàs hoc negotium pertractasti, deprecamur, ut nomine nostro hanc legationem una cum collegis tibi per hanc sacram generalem synodum adjungendis ad illos velis suscipere, oblaturus eis pro parte nostra quicquid pro ipsis convertendis offerendum videtur: tibi autem pro viagio tuo condignas expensas dare offerimus, &c.* Itaque ex legatione Constantinopolitana paulo ante mortem Martini V reversus Andreas, dum consilium illud pacis Orientalis maturesceret, substitit tum apud illum tum apud ejus successorem, neque synodo Basileensi affuit ratione dignitatis episcopalis, ut indicare videtur Fontana. At obortis Basileenses inter & Eugenium IV gravioribus dissidiis, ab isto eo missus fuit nuncius & orator cum Archiepiscopo Tarentino aliisque duobus, qui si fieri posset, illos ad sensa summi Pontificis emolliret & adduceret: eaque de re *gravem & elegantem* ad eos habuit *orationem* XXII aug. MCCCCXXXII, postquem oravit & Tarentinus, verùm responso a Basileensibus septemb. tertia accepto, cùm VI ejusdem mensis in sessione sexta præsentem se synodo exhibuisset cum sociis nomine dicto nunciorum & oratorum Apostolicorum, repulsam ab illis passus ad Eugenium rediit. Omnibus tandem cum Imperatore & Patriarcha Constantinopolitanis, Ecclesiæque Orientalis præsulibus compositis, iisque in Italiam advectis, Ferrariæque adstantibus, quibusdam synodo prolusum est Græcos inter & Latinos velitationibus, quibus semper affuit & symbolum suum contulit noster Andreas: demum sexto non. octob. MCCCCXXXVIII indicto ibidem concilio generali e sex Latinis qui totidem Græcis (quorum principes erant Marcus Ephesius & Bessarion Nicænus) objecta sua proponentibus responsuri erant cum iisque congressuri, secundus a Juliano Cardinali selectus est ille, quod & munus egregiè exsecutus est. Nam in collatione secunda post elegantem Græcè dictam a Bessarione ad Eugenium IV universamque synodum orationem, similem & noster Latinam habuit, incepitque cum Ephesio congredi. Collat. tertia cum isto aliquantulum contendit, quod suas respondendi partes esse putaret, ut & ipsi injunctum fuerat, cessit tamen, ut Græcos alliceret. Collat. 5 & 6 quæ VI & VII in Græco octob. XX & XXV ad ea luculentissimè respondit, quæ coll. 4 tota objecerat Ephesius: hæcque quatuor ostendit de voce *Filioque* a Latinis in symbolo Nicæno posita, 1. Non esse additionem sed explanationem: 2. Explanationem apponi non esse interdictum: 3. Utilem & necessariam fuisse & esse veram: 4. Veritatem ab omni Christiano amplectendam: ea præsumpta ab initio cautione, etsi Latinè locuturum pro forma servanda, sibi tamen quæ Græcè explicare voluerit non adimere facultatem. Coll. 8, novemb. quarta Bessarioni, qui 7 integram occupaverat, & hujus 8 bonam partem, respondit. Novi Græcum interpretem Andream arguere, quasi extra chorum saltaverit, nec de re proposita dixerit: at aliter refert Andreas a S. Cruce præsens in concilio, qui & ejusdem historiam seu Diarium concinnavit, nec plenam Græco scriptori, vel ejus corruptori adhibendam fidem notat Horatius Justinianus, de quibus cùm omnia scripta sint, peritorum sit judicium. Affuit Colossensis & cæteris collationibus seu sessionibus tum Ferrariæ tum Florentiæ habitis, in quibus etsi alii cum Græcis disputaverint, suas partes egit & aliquando locutus est, ut coll. XVIII Græca, quæ Latinæ 15 respondet, & XIX Græca, quæ 16 Latinæ, in qua quia interpres Græcus non rectè Joannis nostri de Montenigro dicta vertebat, ea Græcè reddidit & protulit Colossensis, & ambiguitatem, qua in disputatione laborabatur sustulit: & martii X coll. 18 Lat. quæ XXI Græcæ, & alias, præsertim ubi quid fuit Græcè dicendum aut legendum. Voluit etiam aliquando cum Græcis de celebri ea ætate apud eos quæstione congredi *de substantia & operatione Dei*, sed illi constanter renuerunt: unde illa de quæstione tractatum postea edidit de quo mox. Subscripsit Florentinæ synodo Archiepiscopus quartus.

Perstitit autem Florentiæ usquequo Armeni & Jacobitæ subjectæque ipsis Orientis Ecclesiæ & ipsæ ad concordiam cum Ecclesia Romana rediere, fidemque catholicam integram amplexæ sunt: tum verò a summo pontifice in Cyprum insulam missus est, qui rem perficeret, & devios adhuc & dissidentes ad frugem revocaret, quod strenue & egregie persecutus est & confecit. Apud Rainaldum ad 1441 n. 6 refertur breve Eugenii IV Florentiæ V novemb. anno XI datum *Archiepiscopo Collossensi*: cui mandat ut habita ratione decreti unionis in concilio promulgati, & in insula Cypri accepti, ne deinceps in ea insula Latini a communione Græcorum abstineant, omni cura & diligentia procuret. Sed præclare ab eo gesta fusius narrat ipse Eugenius luculentiori alio diplomate ad perpetuam rei memoriam, dato Romæ anno MCCCCXLV, VII non. Aug. pontif. XV, ubi sic habet: » Sane post celebratam in œcumenico concilio Florentino Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali unionem, post Armenorum Jacobitarumque & Mesopotamiæ populorum reductionem, venerabilem fratrem nostrum Andream archiepiscopum Colossensem ad partes Orientis & Cypri insulam destinavimus, ut & Græcos & Armenos & Jacobitas ibidem degentes prædicationibus suis, & decretorum pro eorum unione & reductione editorum expositionibus & declarationibus in suscepta fide confirmaret: & quos ex aliis sectis a vera doctrina alienos tam Nestorii quam Macarii sectatores inveniret, monitionibus & exhortationibus nostris ad fidei veritatem reducere conaretur. Quod pro sua sapien-

» tia aliisque virtutibus, quibus eum largitor gratiarum Dominus insignivit, diligentissime prosecutus, post diversas multiplicesque disputationes, post varios tractatus, eliminata tandem ex eorum cordibus primum omnium Nestorii impietate &c. deinde Macarii Anthiocheni impiissimi &c. Timotheum metropolitanum Chaldæorum, quos ad hæc usque tempora Nestorianos in Cypro vocaverunt, & Eliam episcopum Maronitarum cum sua natione Macarii dogmatibus in eodem regno infectum cum omnium multitudine populorum & clericorum in insula Cypri ei subjecta ad veritatem fidei orthodoxæ, divino sibi assistente numine convertit &c. quamque præfati præsules in publica & magna congregatione diversarum nationum in eodem regno existentium in metropolitana Ecclesia S. Sophiæ habita summa cum veneratione susceperunt &c «. Quæ legesis apud Rainaldum ad 1445 n. 21, & in actis conc. Florent. Hæc porro probant tum Andream nostrum huic synodo Nicosiensi auctoritate summi pontificis præfuisse, tum anno illo adhuc in vivis fuisse, alioquin Eugenius aliquid, quo defunctus & bonæ memoriæ indicaretur, addidisset. Quandiu autem postea vixerit nemo refert, at in regionibus illis Orientalibus reliquum vitæ exegisse concordiæ stabiliendæ desudantem conjectu proclive. Græci hujus fortissimi ardentissimique Romanæ Ecclesiæ pugilis gesta visum est sic fusius & enucleatius enarrare, quod apud plerosque etiam nostrates confuse omnino referantur. De eo legenda acta conciliorum Constantien. Basileen. ubi agnominatur F. Andreas de Petra, (an Petra in Macedonia ad oram maris Jonii ad Dyrrachium?) Florentini, ubi ab Andrea de S. Cruce dicitur *D. A. Colossensis ordinis Prædicatorum*. Ejusdem meminere S. Antoninus testis oculatus *Histor. P. III*, *Tit.* XXII, *cap.* XI, a quo dicitur *Episcopus Colossensis ordinis Prædicatorum in theologia doctor egregius & utriusque idiomatis peritissimus.* Leander Albertus fol. 104 b, Spondanus ad 1438 n. 30 b, qui tacet nostrum fuisse, quod superiores æquales diserte testantur: Fontana in Theatro in multis tamen castigandus ex supra relatis, tum etiam cùm dicit circa 1430 archiepiscopum Colossensem promotum, qui jam ea dignitate fulgebat in concilio Constantiensi: quem tamen errorem quadantenus emendat in *Monum.* Mitto Bzovium ad 1438 & 1439, Altamuram, & Fernandem in aliud extremum delapsum cùm ad 1380 infulatum scribit, quod incredibile nisi Nestoreos illi annos concesserit.

Præter actiones in conciliis relatis habitas, & in actis editas extant quædam ejus opuscula Græce scripta, & Romæ in Vaticana servata:

1. Ἀνδρέου ἀρχιεπισκόπου Ῥόδου ἀπολογία ἀποδεικτικὴ ἀπὸ τῶν συγγραμμάτων τοῦ μακαρίτου Θωμᾶ πρὸς τὸν μητροπολίτην Νικαίας Βισαρίωνα περὶ τῆς θείας οὐσίας καὶ ἐνεργείας. Sic legitur in indice codd. MSS Græcorum Vaticanæ, cujus indicis exemplum est Paris. in Regia n. 2421. Meminit & Possevinus: *Andreæ Rhodi archiepiscopi apologia demonstrativa de divina essentia & operatione ex sancti Thomæ commentariis ad Bessarionem Nicææ archiepiscopum.*

2. Ἀνδρέου Ῥόδου καὶ Μάρκου Ἐφεσίου διάλογος. *Andreæ Rhodi & Marci Ephesii dialogus.* Horatius Justinianus in notis ad collat. I conc. Florent. testatur in eadem Vaticana extare inter codd. MSS Heidelberga Romam deportatos. Hujus meminit Allatius *de Eccl. Occid. & Orient. perp. consens. lib.* 3 *cap.* 3 *p.* 935, occasionem dicens fuisse Marci Ephesii *Epistolam ad Georgium Scholarium contra ritus & sacrificia Romanæ Ecclesiæ*, cujus principium: τὴν γραφήν σου λαβόμενος, *Accepta tua literâ. Ad hanc epistolam*, inquit Allatius, *satis fusam responsionem Andreæ archiepiscopi Colossensis ad cives Methonenses per modum dialogi beneficio Ferdinandi Ughelli etiam per otium legi.* SÆC. XV.

F. ANTONIUS CORRARIUS.

F. ANTONIUS CORRARIUS Venetus Gregorii XII fratruelis seu fratris filius, domus SS. Jo. & Pauli Venetæ alumnus Æmoniensis primum ab Innocentio VII assumtus episcopus anno MCCCCVI die XXIV maii, tum a patruo ad Cenetensem Ecclesiam translatus anno MCCCCIX, dicitur patruo relicto conciliis Pisano tum & Constantiensi affuisse, ac diem tandem obiisse anno MCCCCXLV. In templo domus suæ SS. Jo. & Pauli quam consecraverat ferunt sepultum. De eo legendus Ughellus Ital. Sac. T. V. Hunc scriptoribus primus annumerat Rovetta ad 1416, ceu a quo relicta hæc ingenii sui monumenta: * 1445.

Sermones de tempore & de Sanctis.

Summula de casibus conscientiæ.

Ubi autem hæc serventur aut a quo visa, cùm non addat, penes illum fides.

F. JACOBUS DELL' AQUA DELLA MELA.

F. JACOBUS DELL' AQUA DELLA MELA Latine de *Aqua malorum* ab originis suæ loco agnomen accepit. Ejus meminit Leander Ital. descript. Reg. VI Campaniæ in Piceno, ubi sic habet: » In fine tum hujus amœnæ vallis Sanseverinæ, Castellum Aquæ malorum est ita dictum ab eruditis. Prope id amnis a fonte milliaribus aliquot decursis terra se condens, ita per abditos meatus spatio passuum centum emenso, rursus eadem qua deperiit copia claritateque prorumpit, quod & oculis vidi, & Blondus Raffanusque perscripserunt: oppidum hoc Jacobus ordinis Prædicatorum Latine Græceque eruditissimus ortu illustravit, qui temporibus Eugenii IV pontificis in concilio Florentino summæ doctrinæ fiducia cum Græcis dimicavit «. Sic vertit Kyriander Leandrum ex Italico fol. 159 b, quem excipit Vallius p. 155 suos inter provinciæ Regni viros insignes merito commendans. Mirum verò a Fontana, ubi de his qui generalibus Ecclesiæ interfuere conciliis in Theatro prætermissum, ut & in Monum. Scripsisse Jacobum hunc addit Vallius † 1446.

Plura opera etsi hactenus ignota.

Quod & de tanto viro pronum est conjectari.

F. JOANNES BRASIATOR.

F. JOANNES BRASIATOR a Fontana in *Theatro* inter inquisitores Poloniæ ad 1429 ex Bzovio recensitus, sed inter scriptores a nostris hactenus omissus, nisi is sit ut & eumdem censeo, qui a Fontana in *Monum.* ad 1449 pag. 344 b, & ab Altamura ad 1548 BRESLAER agnominatur, vir fuit præclaris ingenii animique dotibus instructus, ac seculo XV clarissimus, de quo quæ habet Martinus Hankius *de Silesiis indigenis eruditis cap.* 26 *ad annum* 1446 visum est totidem literis referre. » Joannes Brasiator, *inquit*, ob patriam in ducatu Munsterbegico Franckensteinium oppidum ad amnem Steinam quibusdam nominatur Joannes Franckensteinius. Ex patriæ scholis ad peregrina lycea progressus, tandem novam eamque clarissimam literis & humanis & divinis academiam Lipsiensem in eruditionis quam sibi comparaverat, supplementum adhibebat. Ibi studiis jam pro seculi genio satis excultus, omnium primus « * 1446.

SEC. XV. » theologiæ doctor anno MCCCCX creabatur. Post » hæc ordinis Prædicatorum monachus ad potiores » dignitates ecclesiasticas evehebatur: Wratislaviam » pro sede consecutus in S. Adalberti monasterio » vicarium & reformatorem agebat. Cùm Wicle- » fitarum & Hussitarum doctrina per Bohemiam in » Silesiam propagata nonnullos passim asseclas in- » venisset, a Romano pontifice constituebatur hæ- » reticæ pravitatis per diœcesin Wratislaviensem in- » quisitor. Denique pluribus industriæ scientiæque » documentis conspicuus Poloniæ prior provincia- » lis declarabatur.

» Post mortem has nactus est in memoriam in- » scriptiones: & quidem in Wratislaviensi nostro » S. Adalberti conventu sic:

Frater Joannes de Franckestein primus doctor theologiæ universitatis Lipsiensis vicarius & reformator hujus Wratislaviensis conventus, hæreticæ pravitatis inquisitor per diœcesin Wratislaviensem, prior ac provincialis Poloniæ scripsit:

1. *Super Pentateuchum.* 2. *Super sententias.*

3. *Sermones magistrales ad clerum*, 4 *de tempore*, 5 *& Sanctis per totum annum cum pluribus aliis.*

6. *Tractatum de officio inquisitionis.*

7 *De imitatione Christi, & alia multa.*

Obiit anno MCCCCXLVI.

» In Suidnicensium cœnobiali templo S. Crucis » ad Brasiatoris effigiem:

Frater Joannes Brasiator de conventu Franckensteinensi magister in theologia, vicarius & reformator conventus Wratislaviensis hæreticæ pravitatis per diœcesin Wratislaviensem inquisitor ac prior provincialis Poloniæ scripsit Librum de imitatione Christi & alia plurima. Obiit anno MCCCCXLVI.

Hactenus Hanckius, qui hisce septem operibus octavum adjungit:

De hæreticorum erroribus.

Quæ satis conveniunt cum his quæ de *F. Joanne Breslaër* referunt Fontana in *Monum.* ad 1449, & Altamura (in hoc tamen allucinatus, cùm revocat ad 1548) quem dicunt scripsisse

Librum contra errores duodecim Altemburgi in Misnia tunc excitatos: & instante episcopo Numbergensi evulgasse.

Discrimen est quod Breslaërium Fontana velit Germanum & Coloniensis conventus alumnum, fortè quod ibi studuerit, priusquam Lipsiam se conferret. Magna enim mihi suspicio Hanckium errare cùm prius doctorem renunciatum narrat, quam institutum nostrum amplecteretur, cùm inscriptiones ab eo relatæ indicent contra prius Franckestenii ordinem professum, tum postea literis operam dedisse: unde prima theologiæ rudimenta Coloniæ ponere potuerit, exinde verò ad recentem Lipsiæ academiam se transferre, & tandem in natale solum reversum Wratislaviæ sedem statuisse. Quæ omnia peritiorum arbitrio lubens permitto. Ejus meminit Starovolscius in EKATONTA Elogio 75, quod est nostri Bernardi Paxilli.

F. LAURENTIUS PIGNON.

* 1446. F. LAURENTIUS PIGNON sic enim ejus agnomen scribitur in cod. MS citando, licèt ab aliis scribatur PINON, sed parvum est discrimen, Gallus Burgundus honesto loco natus, patria & professione Senonensis, jam seculo XIV florere inceperat, & ad medium fere sequentis pervenit. Studiis Parisiis in Gymnasio Sanjacobeo peractis, ut conjicere est, sacræ theologiæ lector datus est in conventu Remensi: quo ex munere assumtus est anno MCCCCIII sui conventus Senonensis prior. Divisa tum non solum diro schismate Ecclesia, sed & Gallia per diversas principum factiones sub rege ægrotante Carolo VI lacerata, partibus ducis Burgundi Domini sui adhæsit, ita tamen ut ex iis fuerit, qui Clementi VII papæ Avenionensi obedierunt, quoad verò ejus successorem Benedictum XIII Ecclesiæ Gallicanæ ut & Caroli VI sententiam & decreta pro tempore lata varia secutus est. Exinde a Philippo Bono Burgundiæ duce a sacris confessionibus & consiliis allectus circa MCCCCXXI eodem curante electus est primum episcopus Bethleemitanus & F. Joanni Mercatoris ejusdem conventus Senonensis alumno anno 1424 defuncto suffectus, ut constat ex actis MS conventus Divionensis: tum postea Autissiodorensis, cujus Ecclesiæ possessionem inivisse dicitur quarta martii MCCCCXXXIV stylo veteri, novo XXXV. Cùm autem ducis Burgundi lateri ratione muneris adhærere teneretur, Insulis & Brugis quibusdam annis commoratum esse monumenta nostrarum ibidem ædium produnt. Ejus mentio est in libro computorum Insulensi annis MCCCCXXXIV, XXXV ter & XXXVI, & XIII januarii MCCCCXXXVII stylo veteri, novo XXXVIII inhabitabat in claustro S. Petri Insulensi, uti ex pactis concordatis canonicos S. Petri inter & nostros constat, quæ in monumentorum conventus libro MS pag. 221 habentur. Annis verò MCCCCXXXVI & XXXVII erat Brugis, eumque illuc ut privilegiorum nostrorum conservatorem adiit F. Catho Dionysii lector Insulensis pro nova quæ canonicos duos S. Petri inter & nostros insurrexerat difficultate. Exinde nulla ejus in archivo Insulensi memoria. Anno MCCCCXL comitia provinciæ Franciæ Autissiodori coacta sub F. Jacobo Mercerii sacræ theologiæ magistro Parisiensi ab anno MCCCCXXI veteri stylo, novo XXII martii VI, licentiato priore provinciali sua præsentia cohonestavit, ac beneficiis ornavit: anno MCCCCXLI ut nostrorum privilegiorum conservator literas Remis dedit in archivo nostro ibidem servatas. Anno MCCCCXLV junii XVIII concordiam iniit cum comite Nivernensi, & sequenti MCCCCXLVI spiritum Deo reddidit, corpus templo nostro Autissidorensi, ubi in odeo sepultum. Quæ omnia ex actis conventuum laudatorum, & quædam ex *Gallia Christiana*, in qua tamen quædam sibi non constant, cùm anno 1438 consecratum dicit, quem mox 1434 possessionem asserit iniisse. Mire fuit erga ordinem suum affectus, quod & testatur scriptum ab eo

Chronicon ordinis Prædicatorum. Parisiis extat in Bibl. S. Victoris cod. MS charta. fol. med. n. 650. Titulus: *Catalogus Fratrum spectabilium ordinis Fratrum Prædicatorum.* Prologus:

» Ut presentibus & futuris Patribus ordinis « Prædicatorum innotescat quales & quantos viros « genuerit prædictus ordo & produxerit, quasi stel- « las lucentes in firmamento triumphantis ac mili- « tantis Ecclesiæ, & quasi palmites veræ viti im- « manentes, quos cœlestis agricola in vinea Domi- « ni Sabaoth plantaverat: a quibus cœleste pocu- « lum populo fideli emanavit: & per quos vinum « luce & discretione emungentibus savia (*fortè* sa- « piens) manus vulneribus effudit sauciorum: di- « gnum fuit eorum nomina meritis præclaris reful- « gentia brevi catalogo depingi postremis ejusdem « ordinis: quatenus ipsis exemplis tantorum patrum « prædecessorum suorum, quorum laus diffusa est « per omnes Ecclesias excitati ac inflammati stu- « deant se exhibere sectatores bonorum operum, « & bonos operatores Christi, sicut illi extiterunt: « quorum fama laude digna late delata est ad plu- « res provincias a nobis . . . . Monuisse enim « necesse est, quod quantum gloriæ & laudis ex « prædecessorum suorum meritis sequaces sibi ac- « cumulant, tanto eis magis pudendum, si torpen- « tes ignavia, & ignorantia tenebrescentes, lucer- «

» nam prædictorum patrum suorum morum & literarum extinguant, quos tam ingenuos tanquam filii degeneres parvipendant imitari. Satagendum igitur totis conatibus eorum vestigiis hærere, ut adhuc multiplicentur in senecta uberi tales filii, qui bene patientes sint, ut annuncient opera patrum in exultatione. Ut autem in prædicto catalogo ordo servetur:

» 1. Ponentur Fratres quorum sanctitas major fuit.

» 2. In quibus status vel morum dignitas amplior fuit, sicut apparuit primo de illis qui extra ordinem sunt assumti, & postea de illis qui prædicto ordini generaliter præfuerunt: & 3, de illis in quibus doctrinæ refulsit claritas. Continget autem quandoque, quod idem Frater in pluribus locis annotabitur, secundùm quod diversis vel pluribus gradibus honorum fuerit sublimatus, sicut gradus & status diversitatis declaraverit. Laudemus igitur viros gloriosos & parentes nostros, quorum omnium primus parens fuit idem B. Dominicus, qui omnes Fratres tanquam filios genuit & parturivit in Christo per obedientiam ejus in quo solide a principio suæ vocationis steterunt & stabunt usque in finem opitulante eis gratia redemptoris, cui laus &c. Amen «. Explicit:

1. *Catalogus Sanctorum* quos 41 numerat. Ubi notandum ab eo non recenseri S. Gundisalvum, quamvis Lusitanos numeret plures & Hispanos, SS. Laurentium, Petrum Gonsalvi, Garsiam martyrem, Guillelmum Hispanum martyrem, Dominicum cum igne pingendum, Pelagium, Raimundum de Pennaforti, Bartholomæum Thomæ de Ilerda, Ægidium de Portugallia. An quod Gundisalvi memoria tum nondum Galliam penetrarat, an quod ut putat Castellanus in suo martyrologio Gallico paulo ante 1400 mortuus.

2. *Catalogus Sanctarum*, quæ 5 recensentur Margarita Hungariæ, Gertrudis, Agnes de Monte Politiano, Margarita de Castello, & Catharina de Senis.

3. *Catalogus promotorum ad dignitates extra ordinem*, non ita accuratus. Ubi de F. Philippo Frumenti electo Nivernensi episcopo anno 1394, addit: anno illo fuit scriptus præsens rotulus.

4. *Catalogus magistrorum ordinis*, quibus a F. Helia Tolosano eos solum accenset, qui Clementis VII & Benedicti XIII obedientiæ adhæserunt, & desinit in F. Thoma de Firmo a provinciis Galliæ tandem agnito anno 1410.

5. *Catalogus priorum provincialium Franciæ*, ad F. Joannem Michaelis vel Richelis electum anno 1403.

6. *Catalogus Fratrum qui claruerunt doctrina*, id est scriptis illustrium. Finis: *Plures alii Fratres tam magistri quam baccalarii plura scripserunt, & miranda operati sunt, scribunt omni die, & scribent Deo duce. Multorum autem nomina hic non habentur.* Hunc catalogum in hoc opere ubi se dat occasio, exscribimus.

7. *Chronica compendiosa de capitulis generalibus ordinis* a principio, & *provincialibus Franciæ* a 1254 ad 1411.

Ad annum 1403 sic legitur: *Hoc anno F. Laurentius Pignon lector Remensis assumtus est circa festum omnium Sanctorum prior sui conventus. Hic est hujus Chronicæ scriptor.* In ea autem rerum sui temporis plura referuntur curiosa, & singularia, præsertim de statu Galliæ.

In monumentis conventus Autissiodorensis mihi communicatis dicitur *Rituale & Pontificale pro sua diœcesi composuisse.*

Anno 1696 D. de Voquier Senonis oriundus, regii Quæstorum ærariorum Parisiensis collegii decanus ætatis tum 85, hunc Laurentium suum esse ex matre avunculum mihi scripsit.

Cùm autem ex actis MS citatis conventus Divionensis constet eum episcopum Bethleemitanum fuisse circa 1424 certo ante 1430, & priusquam ad sedem Autissiodorensem eveheretur anno 1435 stylo novo, nullum dubium quin ejus sit opus sequens, quod circa 1430 videtur editum: eo enim circiter anno post discordiarum & bellorum triennium Jacobam Bavaram Bataviæ, Zelandiæ, Frisiæ & Hanoniæ principem Dominam & comitissam inter & Philippum Burgundiæ ducem fœdus initum est, quo hic ditionum omnium Jacobæ *Manbour*, gubernator & hæres declaratus est & in possessionem missus, ut docent historiæ & chronica Belgii. En titulus operis, cui epistolam nuncupatoriam subjicio. SÆC. XV.

Le traité du commencement des Seigneuries & diversité des états. Tres noble & puissant prince Phelipe duc de Bourgogne conte de Flandres d'Artois & de Bourgogne, palatin Seigneur de Salins & de Malines, & de present Mambour gouverneur & heritier de Hollande, Zelande, Frise & Hainaut, son chapelain devot & humble serviteur & confesseur, Evêque de Bethleam recommendation en J. C. nôtre createur, & justement user des Seigneuries dessusdites, autorité & puissance a vous attribuee & autre telle qui pourroit être ajoutée avec le salut de vôtre ame, & icelle être conduite au port de felicité, & joie perdurable.

Vous traveillant en ce pays effondré & de mer environné avec votre chevallerie puis trois ans en ça ai pensé que se puet être de la Seigneurie & puissance mondaine & transitoire par laquelle vous & autres avez fait, & journellement faites si hautes dangereuses & perilleuses entreprises, & dont premierement procede telle maniere de faire & de acquerir grandes Seigneuries & jurisdictions. Et avec ce ay été a ce meu, parce que depuis peu de temps est mis sus erreur grand procedant & naissant de la partie de Boëme & de Prague au regard de la puissance & jurisdiction ecclesiastique, laquelle est par les Boëmes & Pragans fort foulée, & mement la sainte foi catholique & union de sainte Eglise piteusement navrée, & par heresie presque tout au neant menée, & tellement que plusieurs tant en secret que en public ont deja les ceurs & courages & entendemens tellement affoiblis, que d'icelle puissance ecclesiastique & foi catholique donnée a S. Pierre vicaire de J. C. vrai Dieu & homme sans moien, & d'icelui vicaire aux autres prelats de sainte Eglise, estre l'eveque de Rome vrai vicaire de J. C. & chef pasteur & souverain de tous autres, & generalement de la sainte chrétienneté font doutes grandes, & presque tint (f. tous) chéent en erreur, se par la bonté de Dieu qui est souverain seigneur & prince, roi & empereur sur toute puisance terrienne, & par sa sainte grace & bonne doctrine iceulx ne relieve & remet en etat ferme de vraie foi & sainte creance: pour laquelle chose ai empris a l'aide de N. S. J. C. de translater un petit livret que fit jadis un notable religieux prelat de sainte Eglise evêque de Meaux nommé F. Durand de saint Poursain docteur en theologie par l'université de Paris, lequel est intitulé: Du commencement des Seigneuries jurisdictions & puissances, & outre ce a l'aide de Dieu a consterre (i. *construere*) *ung petit De la cause de la diversité des états, & de tout faire un petit livret, qui se nommera*

Le Traictié du commencement de Seigneurie, & de diversité d'états, &c. plura quæ præfatur, quæque omitto. Sic autem incipit Tractatus 1: *Pour entendement de la matiere appartenant a ce present traitié, & pour avoir connoissance dont premierement procede Seigneurie & jurisdiction entre les hom-*

Sæc. XV. *mes, par laquelle un est sur plusieurs, & a puissance & autorité sur eux, je presupose trois questions brieves, & icelles declairées sera la fin de la I. P. de ce livre & du I. Traictié. La I. question a savoir se la puissance & Seigneurie temporelle & seculiere par laquelle le peuple est gouverné quant a la temporalité est de Dieu premierement instituée & ordonnée &c.* Finis : *Car en cas d'heresie ou de dilapidation de la chose publique par complainte faite devant le pape de tous rois, la chose étant prouvée & notore, le pape le peut declairier non digne de regner, & au surplus proceder (selon) l'exigence des cas & des matieres.*

Ante tractatum sequentem præmittitur imago, in qua subjecto cuique lemmate exhibentur

Pontifex summus	Imperator	Agricola
Je prie pour ces deux	*Je defends ces deux*	*Je gouverne ces deus.*

Postea : *Aprez ce que j'ai translaté & composé le traitié de la matiere de la distinction des jurisdictions & Seigneuries ; reste proceder a ung traictié par lequel pourra aucun appareir la cause & commencement de la distinction des états, & dou vient ce que toute communité est communement divisée en trois estats, cest a savoir clergié, chevalerie & peuple.* &c.

Duplex hujus operis a me visum est exemplum MS alterum ætatis auctoris fol. memb. eleganter scriptum Bibl. olim Seguieranæ, nunc Coislinianæ : Alterum fol. charta. seculi ad summum XVI Bibl. Paris. San-Genovefianæ cod. Y. 3. pagg. 214.

F. GREGORIUS BUCCATELLUS.

1446. F. Gregorius Buccatellus Etruscus domus Viterbiensis S. Mariæ de'Gradi alumnus, theologiam variis in provinciæ Romanæ locis & in ipsa Urbe professus est. Anno MCCCCXLVI supremum obiit diem, ut refert Fontana Hist. prov. Rom. ex monum. Viterb. Excipit Altamura ad eumdem annum. Opus ei tribuunt quod apud sodales Viterbii MS servari dicunt hoc titulo

Summa de virtutibus & de vitiis.

F. NICOLAUS AUGUSTA.

* 1446. F. Nicolaus Augusta Venetus vir pietate, eruditione, & rerum peritia clarus, domus SS. Joannis & Pauli alumnus, provinciam Lombardiæ inferioris tum S. Dominici dictam rexerat, cùm ob præclaras dotes ab Eugenio IV episcopus Tricaricensis sub metropolita Acheruntino assumtus est anno MCCCCXXXVIII die XXIV octob. qui cùm oves suas octo annis veri pastoris instar verbo & opere rexisset, ad superos transiit anno MCCCCXLVI, ut habet Ughellus Ital. Sac. T. VII. Altamura meminit ad eumdem annum & Pium emendat quod ad 1486 relegarit, & addit multa scripsisse, quæ didicit apud SS. Jo. & Paulum MS servari. Rovetta eumdem laudat ad 1486 non recte referens, nempe ad quadragesimum post mortem annum, & quæ generatim indicaverat Altamura, ille speciatim enumerare nititur Nicolai opera : hæc scilicet,

Postilla super sacra biblia fere omnia.

Plura de theologia scholastica.

Commentaria in libros logicos Aristotelis, & concordantia antilogiarum hujus philosophi.

Scrupulus unus subest hæc a Tomasino in Bibl. Venetis non recenseri, sodalium SS. Joan. & Pauli erit hunc scrupulum levare.

F. THOMAS TOMASSINUS.

F. Thomas Tomassinus ortu Venetus sed stirpe Tusca ex Tomasa scilicet gente, quæ pridem cum aliis nobilibus familiis anno MCCCIX Florentia pulsa, Venetias sese recepisse fertur, oriundus, egregia præditus indole adolescens, litteris amœnioribus apprime instructus, ordinem amplexatus est. Sacris autem deinceps sic incubuit disciplinis, & apud suos ita claruit morum integritate & prudentia, ut annis pluribus sodales & exteros docuerit sacræ theologiæ professor & magister, variisque etiam suæ provinciæ inferioris Lombardiæ sua ætate S. Dominici dictæ prior præfuerit cum laude locis & conventibus. Ejus fama domesticos extra lares pervagata, electus est a Gregorio XII anno MCCCCX episcopus Æmoniensis (*città nova* vernacule dicunt) in Istria, huicque pontifici ita fidus extitit, ut nec post concilium Pisanum eum deseruerit. Constantiensi exinde sedit in concilio, & Martino V ibidem electo sic fuit acceptus, ut ab eo ad Polensem itidem in Istria translatus fuerit Ecclesiam anno MCCCCXX, III Kal. martii, iterumque ab eodem anno MCCCCXXIII die XVIII octob. ad Urbinatensem in Umbria, quam cum per annum administrasset, ad Traguriensem anno MCCCCXXIV eodem volente transiit, cui & undecim annis præfuit : deinde ad Maceratensem & Recanatensem anno MCCCCXXXV, tandem ad Feltrensem & Belunensem adunatas utrasque Ecclesias anno MCCCCXL die XV octob. ab Eugenio IV translatus est, in qua ultima decessit anno MCCCCXLVII. Legesis Ughellum T. V Ital. Sac. col. 193 de episc. Belunen. Revera sibi parum constans T. II col. 869 & col. 816 mortuum scribit anno MCCCCXLV, sed hæc levior imprudentia, seu typorum operarumque lapsus. Plura ferunt posteritati reliquisse ingenii sui monumenta, quorum tamen hoc unum notant : 1447.

De divinissimo corporis Christi sacramento carmen Heroicum. Quod occasione reparatæ per eum ecclesiæ sanctimonialium ordinis, cui *Corporis Christi* nomen erat, putatur scripsisse.

Sermones de sanctis elegantes laudant alii.

Sed hæc ubi serventur impressa vel MS nemo refert. Ejus elogium scripsit gentilis ejus, in Æmoniaque Ecclesia successor vir eruditus & elegans Jacobus Philippus Tomasinus inter illustrium virorum elogia iconibus exornata T. I Patavii edito ann. 1630 in 4. Ejusdem meminere nostrates plerique Pius, Fernandez, Altamura ad 1423 & Rovetta ad 1434 : sed & extrates Sansovinus in sua Venetiarum historia, Albericus de scriptoribus Venetis & alii.

F. BARTHOLOMÆUS MUTINENSIS.

F. Bartholomæus Mutinensis insignis sua ætate theologus & Ecclesiastes inquisitorem diutius egit Ferrariæ, unde & *de Ferraria* sæpius audiebat. Hinc quidam allucinati duplicem hominem finxerunt, inter quos Altamura, alterum Ferrariensem ad 1390, alterum Mutinensem ad 1448 collocans, & utrique eadem opera tribuens, quod tamen errore deprehenso emendat in Append. ad 1448. Unus igitur nobis est Bartholomæus Mutinæ natus & ordinem professus, exinde Ferrariæ fidei censor, ubi & obiit anno MCCCCXLVIII, & fuit apud sodales in medio odei sepultus hoc adjecto epitaphio : † 1448.

Progenite antiquis Mutina sub mœnibus alta
Marmoreo hoc tumulo Bartholomæe jaces.
Divini interpres juris, quæsitor & hujus,

Relligionis eras, philosophusque gravis.
Non valet hoc animi virtutem abolere sepulcrum,
Quamvis defunctum corpus & ossa tegat.

Sic refert Leander fol. 149 b, ubi hunc scriptorem non vulgari laude ornat. Excipiunt Lusitanus, Razzius, Rovetta & alii. Emendandus Augustinus Superbi in suis viris illustr. Ferrar. qui Ferrariensem ortu vult, Mutinæ vero inquisitorem, cùm contra sit, & anno MCCCCIX ætatis LXXIX obiisse narrat sed præpostere. Hæc ejus opera, quæ teste Leandro Ferrariæ in cœnobio S. Dominici MS habentur, & quædam typis postea prodierunt:

Tractatus de Christo Jesu abscondito in solemnitate corporis Christi libris sex distinctus, curante Francisco Vicedomino Ferrariensi ord. Minor. editus, Venetiis, Comini de Tridino 1555 in 8 pp. 838. Quæ editio apud nostros Parisien. ad S. Honorati. Extat etiam in Bibl. Eccles. Rotomag.

Tractatus moralis prædicandus in civitate pestilentiata. Præter codicem Ferrarien. extat alius Florentiæ apud Annunc. Servitarum n. 49, in hoc codice MS auctor dicitur *F. Bartholomæus de Ferraria*, ob rationem jam dictam, quia in ea civitate morabatur.

Opuscula per modum prædicationum scripta. Sic Leander. Hæc verò Superbus citatus distinguit in sermones de tempore, & de sanctis & quadragesimales.

Commentarius in regulam S. Augustini. Sic Lusitanus.

Concio de veritate stigmatum B. Catharinæ de Senis extabat Regii Lepidi apud nostrum Eucherium Bonettum teste Possevino in Append. p. 108: auctor quidem dicitur *F. Bartholomæus Ferrariensis ord. Prædic.* Sed jam monuimus, qua ratione hoc ei cognomen adhæserit.

F. GUIDO MARGUETATI.

† 1449. F. GUIDO MARGUETATI Gallus medio circiter seculo XV claruit, & in actis facultatis theologicæ Parisiensis ad annum MCCCCXLIX inter quatuordecim die XV decemb. licentiatos locum XII obtinuit, cùm F. Petrus Poleti octavum, & F. Johannes Gaufridi decimum, ambo itidem sodales nostri sortiti essent. Hunc eumdem esse conjectu pronum, quem Guidonem Gallicum Lusitanus nuncupat, ac præstat magistrum in theologia Parisiensem, virum fama spectabilem, doctrina celebrem, & in concionibus ad populum facundiæ perraræ, & circa annum 1440 floruisse ex Taegio scriptore suppari: nullus enim alius hujus nominis his annis in actis dictæ facultatis indicatur. Leander Taegio æqualis Guidonem hunc Gallicum etiam laudat circa idem tempus fol. 144 b, virum moralem inquit in sermonibus condendis: assentitur & Malletus T. II Viror. Illust. S. Jacobi p. 177 eumdem hominem agnoscens. Qua autem ex Galliæ provincia fuerit, dictu non ita facile. Nyderus Formicarii lib. I cap. 10 sic habet: *A relatione fide digna dilecti magistri Guidonis sacræ theologiæ professoris prioris Zamberati* (Colvenerius notat legendum *Chamberaci*, id est Gallice *Chambéri*, aut juxta pronunciationem Italorum *Ciamberi* in Allobrogibus) *& ejus supprioris, & scripto prioris in Assiaco* (leg. *Annessiaco Annesi* etiam in Sabaudia) *provinciæ Franciæ nostri ordinis reformatoris, religione, litteris & fama approbatorum &c.* Guidonem hunc a Nydero laudatum Colvenerius vult eum esse, quem *Guidonem Gallicum* vocat Lusitanus, sed si idem sit & idem Marguetatus, cœnobium suum Camberiacense prius rexerit prior, quam licentiam Parisiis decurrerit, quod & nunc non rarum, sed satius est id ejus domus sodalibus permittere discutiendum. Hæc ei tribuuntur opera: SEC. XV.

Sermones in epistolas & evangelia de tempore & de sanctis.

Summa naturalis philosophiæ compendiosa.

F. JOANNES A WYNINGHEN.

† 1449. F. JOANNES A WYNINGHEN Teuto Coloniæ Agrippinæ natus & ordini ascitus, jam ibidem sacræ facultatis magister ac publicus professor agebat, cùm erecta recens ab Eugenio IV ad Philippi Boni ducis Burgundiæ instantiam universitate Lovaniensi eo vocatus est, qui primus scholam theologicam aperiret, publicumque sacras litteras interpretandi onus subiret, ea lege ut in proximis ordinis comitiis hujus academiæ privilegia probari satageret & admitti, studiumque ordinis generale Lovanii non secus ac Coloniæ constitui. Quæ cùm juratus promisisset, in consilium octovirûm admissus est, & matriculatus ut aiunt anno MCCCCXXXIII die XXI decemb. & anno sequenti professorem cœpit agere academicum, quod munus persecutus est annos prope sexdecim. Anno tandem MCCCCXLVII pridie Kal. augusti domus ordinis Lovaniensis in studium generale erecta universitati aggregata fuit solemnibus pactis rectorem inter & priorem ac sodales conventis & firmatis. Joannes verò noster anno MCCCCXLIX nono Kal. junii & vivere & docere desiit. Hæc ejus opera:

Lectura in epistolam ad Romanos. Aliàs apud Lovanienses nostros servata.

Dialogus pro inclusione canonicorum regularium, scilicet in gremium universitatis. Hunc ad preces F. Ægidii Boucherol ascetæ Bethlehemitani ad Lovanium scripsit, ut testis est Petrus Impens in Chron. suo Bethlemit. lib. 3 art. 2 §. 8.

Videsis Dessellium in Fastis Acad. p. 82: Guillelmum nostrum Seguier Laur. Belg. P. I p. 9.

F. PETRUS ROCHIM.

† 1450. F. PETRUS ROCHIM Gallus e provincia Narbonensi sacræ theologiæ magister vir magnarum partium & disciplinæ regularis severioris, provinciam Provinciæ regebat anno MCCCCL, cùm habita sunt Lugduni generalia ordinis comitia, in quibus ob eximias dotes ad summum ordinis regimen est assumtus, & Bartholomæo Texerio anno superiori defuncto suffectus: at dum felicia & optima quæque ab eo sperarentur, præmatura morte sublatus est intra primum ab electione mensem. Chronicon parvum ad calcem Constitutionum XV tantum dies in magistratu vixisse asserit, quod intelligas post capitulum absolutum: eo enim anno erat Num. Aur. 7, Litt. Dom. d, pascha V april. vigilia pentec. qua facta electio XXIII maii, Pius autem mortuum narrat XVI junii, & ibidem in odeo sepultum. Vicarium ordinis generalem egisse a morte decessoris Texerii volunt quidam, penes quos fides, quæ certe non parum mihi nutat, cùm hoc jus esset prioris provincialis Franciæ. Cæterum ejus nihil aliud mihi laudandum occurrit, quam

Epistola encyclica e capitulo electionis ad ordinem scripta.

Quæ fortè Bononiæ cum actis a Pio citatis, ac ut auguror visis.

F. DAMIANUS A FINARIO.

* 1450. F. Damianus a Finario Ligur vir mira caritate præditus, ac ſacri verbi concionator vehemens & aſſiduus Regii Lepidi vita functus eſt anno MCCCCL, ubi miraculis fulget, & præcipua colitur veneratione. Sic de eo Leander fol. 248 nec plura. Rovetta verò ad 1446 eum primus inter ſcriptores numerat, hæc ei tribuens opera Genuæ inquit in Bibl. S. Dominici ſervata:

Sermones de tempore & de ſanctis.

Piæ meditationes & alia plura.

F. MARIANUS BITUNTINUS

* 1450. F. Marianus Bituntinus Apulus Buxunti, vernacule *Bitonto* natus & ordinem profeſſus, circa medium ſeculum xv claruit, ſacræ theologiæ magiſter, ac collegio theologorum in univerſitate Neapolitana aggregatus, magnarum vir partium inquit Vallius, quem excipio p. 180, addens vixiſſe ſub Ferdinando rege Siciliæ & Iſabella de Claromontio ejus conjuge, ac ſcripſiſſe

Tractatus varios in vario ſcientiarum genere. Sed quæ poſterorum incuria perierint.

Non parva laus ejus eſt Franciſci de Neritono de quo poſtea magiſtrum fuiſſe, ſi ex meritis diſcipuli valor penſandus eſt inſtitutoris.

F. JACOBUS BUTI.

* 1450. F. Jacobus Buti Etruſcus natione, patria Senenſis, conventuſque S. Dominici alumnus, vir egregius moribuſque facillimis omnibus acceptiſſimus. Majoribus erudiendus diſciplinis, in Gallias ex aſſenſu & miſſione ſuperiorum profectus eſt, & Toloſæ ac in Montepeſſulano theologiæ operam dedit. Sacra doctrina abunde inſtructus, pro ſui ordinis inſtituto ſalutis animarum cupidiſſimus fuit, quam ille ſingulari qua valebat dicendi facundia & gratia, totis promovere ſtudebat viribus: unde & concionibus in Gallia habitis plurimorum ſibi conciliavit animos & benevolentiam. Reverſus in patriam conventui ſuo Senenſi præfuit iteratis vicibus prior, pluries & diffinitoris munus in comitiis ſuæ provinciæ obtinuit & in generalibus, Vicarii nationalis etiam in Tuſcia functus officio. Variis ille celeberrimiſque Italiæ locis & civitatibus frequentes ad populos conciones habuit, magna certe nominis ſui fama, majori auditorum fructu. Migravit e vita Senis anno MCCCCL, ut habet Ugurgierius *Pompe Saneſi* Tit. XV n. 9 p. 3[illegible] & ſcripſit

Conciones. Sed an & ubi extent ſaltem MS, ſiluit Ugurgierius, unus qui nobis hunc indicavit, cujus & hæc tibi fide reddimus.

F. THOMAS UGOLINI.

* 1450. F. Thomas Ugolini Umber Iguvii vernacule *Eugubio* natus, ibidemque ut veriſimilius ordinem profeſſus ſacræ theologiæ magiſter, ac inter verbi Dei præcones ſua ætate celebris, ad partes ſeptentrionales & orientales inquiſitor a Nicolao V anno MCCCCXLVII delegatus fuit, exindeque digitum S. Catharinæ V. & M. fertur ſibi dono datum reportaſſe, quo ſacrarium ſui cœnobii Eugubini ditavit anno MCCCCL. Sic habet Jacobillus in Umbriæ bibliotheca, qui & addit eum ſcripſiſſe opus hoc titulo

De ſolitudine monaſtica.

Mirum hunc inquiſitorem & delegatum apoſtolicum a Fontana & aliis noſtratibus omiſſum.

F. GUIDO FLAMOCHETTI.

F. Guido Flamochetti Gallus provinciæ Franciæ certo alumnus, vir ut habet chronicon parvum ordinis, ſingulari prudentia, ſolertia, morum etiam elegantia ornatus, harum doctum ſpecimen primum dedit ſub magiſtro ordinis † 1451. Bartholomæo Texerio, a quo in ſolicitudinis laborisque partem vocatus ſociuſque aſcitus, non parum eidem inſervivit in inſtauranda, promovenda, firmandaque ordinis diſciplina. Ab eodem circa ann. MCCCCXLIX procurator generalis ordinis in aula Romana conſtitutus eſt, eoque in munere S. P. Nicolao V ita ſe probavit, ut mortuo anno MCCCCL magiſtro ordinis Petro Rochim, ab eodem pontifice datus fuerit Vicarius generalis ad uſque futuram electionem. Horum omnium teſtem habemus ſcriptorem ejus ætatis Raphaëlem de Pornaxio de quo poſtea. Hic enim in ſuo tractatu de communi & proprio art. XXII ſic loquitur: *Sed audivi R. M. Guidonem Flamochetti, qui magno tempore fuit ſocius magiſtri ordinis, & nunc eſt procurator ordinis, & Vicarius Italiæ dicentem &c.* Tandem anno MCCCCLI coactis Romæ generalibus comitiis, die XII junii vigilia pentecoſtes, Guido noſter ad ſupremum ordinis regendum clavum aſſumtus eſt & magiſter XXVIII ſalutatus. At non diu ſtetit in hac ſpecula, vix enim viſitationes inchoaverat, cùm intra ſextum menſem eum nobis immatura mors eripuit Neapoli, ubi in æde S. Dominici ad majus altare ſepultus, inſcriptum hoc habet lapidi epitaphium:

Hic ſitus eſt Frater Guido de provincia Franciæ ſacra theologia profeſſor, ac magiſter ordinis Fratrum Prædicatorum, qui obiit anno MCCCCLI die XIX novembris, vixit autem in magiſterio menſibus quinque diebus ſeptem.

Sic refert Cæſar Dengenius Caracciolus in ſua *Napoli ſacra* p. 285 edit. Neapol. 1674. Ex quo ſolvitur dubium Michaelis Pio, qui anceps eſt an anno 1451 an 1452 electus fuerit. Patet enim electum anno 1451 quo paſcha fuit XXV aprilis, & vigilia pentecoſtes XII junii, quo poſito conſtant quinque menſes & dies ſeptem in epitaphio notati, quibus in magiſterio vixiſſe dicitur. Anno verò 1452 quo paſcha fuit IX april. & vigilia pentec. XXVII maii ſupra quinque menſes fuiſſent XXIII dies. Emendatur etiam Leander, quem multi tamen excipiunt, dum eum vult Narbonenſem fuiſſe. Qui enim epitaphium ſcripſit haud dubiè unus ex ſociis, diſcrimen provinciarum ordinis utique noverat, & ſi fuiſſet Narbonenſis, de provincia Provinciæ eum dixiſſet: cùm ergo de provincia Franciæ eum aſſerat, ex ea fuiſſe manifeſtum relinquitur, Gratianopolitanum forſan vel Camberiacenſem. Scripſit teſte Simlero, quem Poſſevinus, Voſſius & Altamura excipiunt

Chronicon, ſed cujus illud generis, vel ubi ſervetur, nullus aperit.

Non dubitaverim, quin ex capitulo electionis *Litteram encyclicam* ſcripſerit de more ad univerſum ordinem, quæ alicubi latet cum actis.

F. DOMINICUS DE CATHALONIA.

F. Dominicus de Cathalonia ex iis fuit provinciæ Aragoniæ ſodalibus, qui odore * 1451 virtutum & diſciplinæ regularis in provincia Lombardiæ inferioris florentis & ad unguem ſervatæ allecti ad eam ſe hoc ſeculo contulerunt. Plures iſti numerantur viri graves, inter alios Gabriel de Barchinona qui fuit prior & regens ſtudii Bononienſis, & inquiſitorem ibidem pluribus annis egit, cui Pius II anno MCCCCLXI die IV decemb. breve

breve scripsit a Fontana in Theatro p. 687 relatum, quo ei facultatem dat vicarium in officio inquisitionis sibi substituendi, quandiu Romæ quo vocabatur a majoribus ad studium Minervæ regendum substiterit: Nicolaus etiam Carbonelli a Leandro fol. 144 b laudatus, vir inquit doctrina præclarus & religione conspicuus, insignis verbi sacri orator, ex Valentia Cathaloniæ oriundus, qui cœnobium Bononiense aliquanto tempore in rigore religionis rexit circa ann. Dñi MCCCCXL; horum socius fuit Dominicus hic, quem Fontana loco mox citato inquisitorem egisse Bononiæ anno MCCCCLI præstat ex Monum. archivi Bonon. Eumdem laudat Leander fol. 248 a his verbis: *Dominicus Cathalanus vir optima enitens religione & sanctimonia clarus diem suum sanctissime obiit.* Cùmque hunc recenseat inter Damianum de Finario quem mortuum præstat anno MCCCCL, & Georgium Vercellensem quem ait ad MCCCCLXXX floruisse, intra hos annos e vivis abiisse fatis indicat. Fortè & idem est Dominicus Cathelonius, qui B. Jacobo Sextio socius adjunctus est circa MCCCCLXX plus minus, ad novam Mediolani domum S. Mariæ Gratiarum erigendam, ut habet idem Leander fol. 255 b. Ut ut sit, iste Dominicus de Cathalonia singulari fuit cum S. Antonino his annis florente & archiepiscopo Florentino familiaritate conjunctus, cui & aliquando ad LXIX quæstiones de variis rebus, seu circa casus conscientiæ, seu circa rubricas & constitutiones nostras proposuit: & quibus sanctus respondit opusculo, cujus initium referre placet, cùm rarum sit. Titulus:

Incipiunt aliqua conclusiones & decisiones in foro conscientiæ per Reverendiss. F. Antoninum ord. Frat. Predic. archiepiscopum Florentinum ad instantiam F. Dominici de Cathalonia.

» Reverende pater post recommendationem in » C. I. D. N. Recepi litteras vestras a diu cum plu» ribus inquisitionibus de diversis materiis numero » LXIX, sed infirmitate longa fatigatus gravi ac » multiplici occupatione non valui respondere. Sed » & multitudo tanta quæstionum tædium pigritiæ » meæ non parvum administravit, vix videndo » quando finem attingerem. Non minus vero igno» rantia mea non mihi usque quaque ignota me re» traxit. In balneis verò constitutus cùm mihi ali» quod tempus vacaret, curavi folium istud imple» re, ut satisfaciam desiderio vestro. Et quia in his » nulla est auctoritas dicentis, illis adhærete ad quæ » ratio prudentiæ vestræ inclinat, alia quæ non pla» cent, dimittite «.

Ordine autem retrogrado ad quæstiones respondet, primo ad ultimam, tum ad penultimam & sic deinceps ad primam usque, cui ultimo satisfacit. Quod Antonini opusculum cum quæstionibus Dominici prodiit Lugduni typis Joan. de Wingle 1502 in 8. par. charact. Goth. minuto ad calcem confessionalis ejusdem archiepiscopi, & extat Parif. in Regia D. 2632. Quæ editio nunc rarissima. Hic vero Dominicus a Bandello qui eum viderat eique Bononiæ convixerat, ultimus est eorum quos ex ordine laudat in suo tractatu *de singulari puritate &c.* ceu qui scripserit

Tractatum de conceptione B. V.

Bandellum excipiunt nostri, Lusitanus sat rectè ætatem non notans ceu quam ignoravit, alii verò nullo quoad ætatem criterio, variam pro libito assignantes, Pius P. II Lib. 2 col. 181 ad 1348, Fernandez & Altamura ad 1314. Antonius meminit quidem Bibl. Vet. Hisp. T. II p. 262, sed leviter, nec mirum, quia hominis Hispani notitiam putavit ex Hispania arcessendam, in qua tamen fere ignotus fuit cùm juvenis patriam reliquerit, & vitam in Italia Bononiæ præsertim deinceps totam duxerit. Cæterum ex hactenus dictis plane satisfactum puto vi- SEC. XV. tilitigationibus Alvæ, qui Sol. Verit. Rad. 195 col. 1476 & seqq. contendit istum Dominicum de Cathalonia scriptorem esse fictitium vel saltem solo agnomine mutato ex aliis multiplicatum: manifestum enim jam est virum clarum sua ætate fuisse, singulari pietate & doctrina fulgentem, S. Antonino familiarem, cujus nullus ante Bandellum meminisse potuit, cùm unà vixerint, licèt Bandellus junior.

F. BARTHOLOMÆUS SENENSIS.

F. BARTHOLOMÆUS SENENSIS patria & professione exactis Bononiæ studiis, Perusii sententias legit, & rude donatus, laureaque ornatus Senas redux, theologiæ lector publicus a republica Senensi in sua universitate conductus est, quò munere dum fungitur, diem tandem obiit suum XXIV augusti anni MCCCCLI. Sic Ugurgierius ex necrolog. S. Domin. Senen. *Pompe Sanesi* Tit. XIV p. 340: hinc emendandi Lusitanus qui prolatat ad 1465, Pius qui ad 1464 & Altamura qui ad 1463. Fernandez Forolíviensem censet non Senensem, sed deceptum existimo, cùm Pius quem solum habet auctorem, diserte Senensem pronunciet. Rovetta ad 1464 Forolíviensibus suis Lombardis acriter vindicat. Ut ut sit quod diligentius disquirant gentiles, necrologio Senensi interim stamus. Hæc ejus opera ab omnibus laudata: † 1451.

Tractatus de septem liberalibus artibus.

Summa casuum conscientiæ.

F. BENEVENUTUS MARCHESINI.

F. BENEVENUTUS MARCHESINI Italus Bononiensis a Rovetta recensetur ad hunc annum 1451 clarus adductis testibus Pio, apud quem nusquam mihi occurrit, Prælormitano in Chronico MS, & Rivalso, Catalogo filiorum domus Bononiensis, & aliis monumentis. Scripsisse dicit * 1451.

In IV sententiarum libros.

De usura & mutuo.

F. JOHANNES VINETI.

F. JOHANNES VINETI Gallus provinciæ Franciæ alumnus his annis florebat sacræ facultatis Parisiensis magister. Ex hujus actis anno MCCCCXXXV die XXIII decemb. inter XVI licentiatos quorum septem tantum erant seculares & novem regulares, quintum & primum regularium locum obtinuerat, F. Nicolaus Lossoye undecimum, & F. Guillelmus Scutiferi decimum quartum, ambo etiam sodales nostri. Anno verò MCCCCL Johannes noster inquisitor Carcassonensis a priore provinciali Franciæ de more institutus fuit, quod munus diutius gessit, neque enim ante MCCCCLXXV legitur ei successor datus. Vir fuit doctrina & prudentia clarus, extatque opus ab eo compositum hoc titulo: † 1452.

Tractatus contra dæmonum invocatores compilatus per sacræ theologiæ professorem F. Johannem Vineti ordinis Prædicatorum inquisitorem apostolicum Carcassonæ. Pr. Frequens instantia quorumdam fidei catholicæ zelatorum &c. Prodiit in incunabulis typographiæ in 4, pp. 80 Goth. char. qui cùm sit idem character ac alterius cum eo ligati hoc titulo *Tractatus de magicis artibus & magorum maleficiis* per *Bernardum Basin canonicum Cæsaraugustanum compilatus*, ambos unà prodiisse facile crediderim Parisiis 1483. Habetur hæc editio Parif. in Regia E 2265. Extat etiam apud nostros Lingonis

Sic. XV. & Insulis. Meminit ejusdem Labbeus Bibl. Nov. codd. MS p. 227, ubi monet hunc tractatum MS a se visum in Naudæana.

F. CHRISTIANUS DE OPITER.

† 1452. F. CHRISTIANUS DE OPITER Belga Mosæ Trajecti ad ordinem ascitus, suis etiam hactenus ignotus gentilibus, vel saltem omissus, medio claruit decurrente Christi seculo XV. Hujus extabant anno MDCLXXI in Bibl. cœnobii nostri Mosæ Trajectensis opuscula sequentia manu ipsius ut conjicere licuit in papyro scripta, & cum *Alphabeto exemplorum* impresso in 4 unâ compacta, videlicet:

Expositio ceremoniarum missæ spiritualis & mystica. Pr. *Dedit in celebrationibus decus. Istud dicitur de David &c.* pp. 15.

Tractatus de materia ecclesiastici interdicti. Pr. *Ad honorem Dei & gloriosæ matris suæ. Extra: De usu pallii. Ad honorem. Incipit summula brevis editionis, quid tempore interdicti prohibetur vel conceditur &c.* Ad finem: *Explicit materia ecclesiastici interdicti brevis & utilis per me Fratrem Christianum de Opiter ordinis Prædicatorum apud Trajectum anno Dñi* MCCCCLI *ipso die ad vincula Petri. Orate pro eo.* pp. 19.

Tractatus de materia eucharistiæ. Pr. *Materia eucharistiæ est panis de puro tritico &c.* pp. 16.

Historia seu miraculum Guidonis de Corvo in civitate Alestensi, quæ Baiona jam dicitur, & XXX leucis distat a curia Romana, qui die XII decemb. anno MCCCXXIV *per octo dies jam sepultus & mortuus, apparuit uxori suæ: & delato Christi corpore a priore dictæ civitatis conventus Fratrum Prædicatorum F. Johanne Grabi, & lectore philosophiæ ejusdem conventus fuit adjuratus.* Pr. *Augustinus libro ad Petrum. Miraculum quicquid mirum &c.* Ad finem: *Explicit miraculum Guidonis per me scriptum F. Christianum de Oputer ord. Frat. Prædic. apud Trajectum anno Dñi* MCCCCLII, *& fuit completum in die inventionis S. Crucis. Orate pro eo pro amore Dei.* pp. 28. Sic ex ipso codice exscripsit Jacobus Quetif noster anno MDCLXXI Mosæ Trajecto transiens.

Monendum visum est hoc idem miraculum laudari apud Sanderum in Elench. codd. MS Belg. P. I pag. 132 n. 15 codd. MSS S. Martini Tornac. ubi legitur: *Miraculum istud factum est A. D. 1324, 16 die mensis decemb. in civitate Alesti, quæ jam Bayonia vocatur, quæ distat a curia Romana per* XXX *leucas*. Ejusdem miraculi meminit S. Antoninus Histor. P. III cap. 5 §. 8. Alestum (Alés Gallice, quæ & Alesia) XXX circiter milliaribus distat ab Avenione, ubi tum curia Romana residebat.

B. PETRUS HIEREMIAS.

† 1452. B. PETRUS HIEREMIAS Siculus Panormi nobili loco natus est anno MCCCLXXXI patre Arduino I. U. doctore, qui & Alphonsi Aragoniæ Siciliæque regis fisci patronus fuit, matre ex illustri Nigrorum Januensium stirpe oriunda. Annos duodeviginti adeptus Bononiam missus est juri utrique daturus operam. Jam eminebat inter sodales, & doctoratus insignia quamprimum accepturus erat, cùm repente divinitus mutatus, priorem domus nostræ Bononiensis adit, & habitum ordinis enixissime petiit, quo concesso vota nuncupavit anno MCCCCI. Theologiæ stadium emensus, concionibusque applicatus, Ecclesiastes evasit facundus, sed & vere apostolicus, adeo ut S. Vincentius Ferrerius anno MCCCCXVI (sic enim ferunt) Bononiam accedens, eumque intuitus amarit continuo, arcteque complexus, ad munus evangelicum prosequendum ardentet excitarit. Quod ille ceu monitum divinum accipiens, Italiæ urbes prædicando pervasit ingenti ubique concursu, maximo fructu animarum. Anno MCCCCXXVII a magistro ordinis Bartholomæo Texerio Panormum remissus est, ubi commodum reperit insignes ordinis ex provincia Aragoniæ sodales, qui alteram S. Zitæ erigebant domum tironibus in regulari disciplina educandis futuram utilissimam. His se adjunxit, multoque adjumento fuit, exindeque alia insulæ cœnobia ut Catanense, at non Mamertinum, Alcamense, Caccabense, ut Gaietano de SS. Siciliæ visum est, longe postea & ab ejus morte erecta, ad meliorem vivendi formam adduxit. Ad concilium Ferrariense paulo post in Florentinum mutatum ab Eugenio IV vocatum dicunt, nec parum ad urgendam Ecclesiæ Græcæ cum Latina concordiam sapientia sua & eloquentia contulisse. Exinde rejectis quibus eum ornare voluit summus pontifex honoribus & infulis, cum titulo generalis auctoritate apostolica visitatoris in suam insulam reversus, reliquum vitæ saluti animarum qua concionando in plateis, cùm templa ampliora auditores non caperent, qua confessiones excipiendo impendit. His noctu diuque instando laborum finem accepit die III martii anno MCCCCLII ætatis LXXI, ita per vitam & post mortem miraculis clarus, ut ceu beatus a Siculis colatur, & ad sepulcrum marmoreum in quod ejus corpus translatum est in ecclesia S. Zitæ situm perpetuus sit populorum concursus. Ejus cum laude meminerunt Leander fol. 145 a, Lusitanus, Fazellus Hist. Sicil. lib. 2. Pius, Fernandez, Altamura ad 1434, Rovetta ad 1452, omnes denique Hagiographi.

Hæc B. Petri Hieremiæ opera ex Antonino Mongitore altera parte Bibl. Sic.

1. *Doctissimi ac vere divini verbi prædicatoris F. Petri Hieremiæ ordinis Prædicatorum sermones quam maxime utiles*, Brixiæ, Jacobi Britannici 1502. in 8. Quo libro continentur *Sermones de adventu Domini. De peccatis. Dominicales per totum annum. Alii de decem præceptis, & de quadruplici lege. Tractatus de legibus.*

2. *Sermones de agenda pœnitentia prædicabiles per totam quadragesimam consummatissimi viri & doctoris egregii F. Petri Hieremiæ O. P.* Brixiæ Jacobi Britannici 1502 in 8. Est & in hoc libro, *sermo de laude scientiarum*. Iterum Haganoæ, Henrici Gran. 1551 in 8. Extant MS. Patavii in fol. memb. apud Augustin.

3. *Sermones* XXV *de oratione, sive de expositione orationis Dominicæ*. Brixiæ, apud eumdem 1502 in 8.

4. *Tractatus de fide, sive de duodecim articulis fidei sermones* XXVI. Brixiæ apud eumdem 1502 in 8. Prodiere etiam *sermones de tempore per annum, de pœnitentia, de passione Domini, de expositione orationis Dominicæ, de decem præceptis, & de fide.* Haganoæ, Henrici Gran 1551 in 8. Et antea ibidem 1514 in 8.

5. *Sanctuarium.* Brixiæ, Jacobi Britannici 1502 in 8. Tum & Haganoæ, Henrici Gran 1551 in 8. In eo habentur præter sermones de sanctis, *sermones de septem doloribus B. Virginis, & de ejus festivitatibus.*

Hæc vero omnia simul prodierunt Lugduni Joan. de Wingle & Simonis Vincentii 1512 in 4.

6. *Dictionarium Morale.* Citatur ab ipso B. Petro in suis sermonibus, ut a se scriptum.

Panormi in cœnobio S. Citæ servantur hæc alia MSS his titulis:

Quarta pars B. Petri Hieremiæ. Quinta pars B. Petri Hieremiæ. In his multa theologica contineri dicunt.

Volumen quod multa de rebus moralibus complectitur.

Volumen sermonum, quorum nonnulli jam editi sunt.

Sermones quadragesimales a quarta dominica quadragesima usque ad feriam tertiam paschæ. In hoc volumine habentur etiam

Sermones duo de proditione Judæ. Duo de Eucharistia, unus in evangelium: Videns Jesus civitatem flevit super illam. *Luc.* 19.

Silva rerum legalium, canonicarum & theologicarum. Hæc citari videtur a Josepho Cumia *de feudis* in cap. *Si aliquem*, in præludiis n. 231 ubi sic habet: *F. Petrus de Hieremia ord. Prædic. quem in sacra pagina, & in utroque jure emicuisse fertur, in quadam apostilla ad dictum cap.* Volentes, *inventa in quodam libro in modum repertorii confecto, in bibliotheca S. Citæ urbis Panormi, in verbo*, Feudum.

In quædam etiam loca scripturæ sacræ scripsisse conjiciunt, quia sermone XIII de peccatis se ipsum citat: *Vide quæ scripsi super illo textu Exodi* 32.

Alva Sol. Verit. Rad. 121 col. 1187 queritur abscissos duos de conceptione B. V. sermones ad quos tamen auctor sæpius remittit; sed eum consolari facile est, nimirum exacti sunt, quia piæ opinioni adversabantur, sic enim ob decretum concilii Basileensis, quæ cum illo pugnabant, typographi ab operibus auctorum resciderunt.

F. MARTIALIS AURIBELLI.

† 1453. F. Martialis Auribelli ordinis magister XXIX vir insigni animi fortitudine, prudentia & eruditione clarus, ac de ordine optime meritus, Avenione claro genere natus est ineunte seculo circiter XV, ibique ordini nomen dedit anno circiter MCCCCXXIV. Ut ingenio erat felicissimo tenacique memoria, brevi magnos in philosophia sacrisque litteris proventus fecit, supremosque in Avenionensi academia laureæ consecutus est honores anno MCCCCXXXVII. Vix biennio post conventus sui prior eligitur anno MCCCCXXXIX, quo dum fungitur munere anno MCCCCXLII, comitia ordinis ibidem habentur generalia sub magistro Bartholomæo Texerio præsente. Exinde Auribellus provinciæ suæ Provinciæ eligitur provincialis circa annum MCCCCXLV, certo eo fungebatur officio anno MCCCCXLIX, eodemque etiam insignitum munere vult Olmeda a Fontana relatus in Theatro, cùm anno MCCCCLIII habita sunt comitia ordinis generalia Nannetis in Armorica, in quibus die sabbati XIX maii vigilia pentecostes communibus omnium electorum votis concordibusque suffragiis ad supremum ordinis evectus est regimen. Quo autem impensiori erga virum apostolicum Vincentium Ferrerium ferebatur animi affectu, totis ille mox ut ordinis clavum accepit, apud sedem apostolicam egit viribus, ut ab ea solemni ritu fastis ascriberetur Ecclesiæ: eoque plurimum urgente, & Petro duce Britanniæ instante, demum anno MCCCCLV a Calixto III feliciter impletum est. Sancti ejusdem sacræ exuviæ anno sequenti MCCCCLV cùm summi ejusdem auctoritate jussuque pontificis e priori loco ad decentiorem magna celebritate transferentur ab ipso de latere legato Alano de Coitivi cardinali Avenionensi antistite, non modo Petrus ipse Armoricorum dux, ducissa Francisca, cunctique ingerfuerunt solemnitati proceres, sed & archiepiscopi quatuor, episcopi decem, abbates plurimi, Martialis noster centum ordinis sodalium turma comitatus cum innumerabili confluxu populorum sua cohonestavere præsentia & devotione. Quæ & sequentis capituli generalis actis anno MCCCCLVI apud Montempessulanum celebrati curavit inseri & per ordinem publicari. Noviomagi Gueldrorum in provincia Saxoniæ comitia generalia exinde habuerat anno MCCCCLIX, disciplinæque regulari studiisque promovendis sedulus incumbebat, cùm Pius II ab ignotis quibusdam susurronibus & æmulis præventus Martialem auctoritate sua removit ab officio, aliumque ad comitia ordinis Senis indicta magistrum ejus loco deligendum eadem auctoritate voluit. Infracto tamen id honori suo vulnus inflictum tulit Martialis animo, priorique cellæ suæ redditus, Avenione tranquillus vixit: verùm anno MCCCCLXIV Pio II extincto, Paulus II ei suffectus Martialem cujus probe perspectam probatamque virtutem habebat & innocentiam, sic affectum injuria diutius non sustinuit. Quapropter volente pontifice coactis Novariæ anno MCCCCLXV, quæ Mediolani primum indicta fuerant comitiis, una omnium electorum voce priori loco restituitur, qui ordini deinceps efficacius incubuit illustrandò & promovendo. Avenioni tandem laborum ac vitæ finem adeptus est anno MCCCCLXXIII die XXI sept. ætatis circiter LXX, sepultus ibidem in odeo maximo suorum luctu & apparatu. Hæc ejus pauca laudantur:

Officium pro festo S. Vincentii Ferrarii, quo ordo etiamnum utitur.

Id ut testatum faceret posteris, strophas hymni vesperarum quamque littera sui nominis inchoavit *Martialis*, adeo ut sit ceu quoddam ἀκρόστιχον. Idem de antiphonis matutinarum novem, quarum litteræ initiales formant ejus agnomen Auribelli: ubi enim in octava nunc legitur *Honores*, in antiquo codice MS domus aliàs Pruvinensis legebatur *Labores omnes renuit*: quod cùm sensu careret, & correctio esset facilis legendo, *Labores nullos renuit*, sic mutare maluerunt, *Honores omnes renuit*. Quæ tandem litteræ antiphonas laudum inchoant, simul junctæ formant verbum, *Fecit*: adeo ut de auctore nullus sit dubitandi locus.

Epistola encyclica e capitulis generalibus sex quæ habuit, & quibus affuit scripta. Quam misit e capitulo Novariensi ubi in integrum restitutus fuit, habeo in schedis cum actis, eaque acrior est & paulo commotior. Aliæ alibi forsan etiam cum actis habentur, & utinam saltem indicent penes quos sunt.

F. BERTHOLDUS DE MAISBERCH.

F. Bertholdus de Maisberch a patria haud dubie sic agnominatus, cujus verò nationis cùm nemo aperiat, nec ego asseram, licèt Teutonem conjiciam, hoc medio seculo XV clarebat, licèt Lusitanus ad medium seculi superioris revocet, quem cæteri pro more excipiunt Pius, Fernandez, Altamura ad 1355, Possevinus etiam ad 1310 collocans. Cur ab his dissideam, sequentia probabunt. Hæc igitur ejus opera ab omnibus recensita: * 1454

1. *Commentarium super librum elementorum Procli.*
2. *Commentaria fusiora in Platonis philosophiam.*
3. *De polo Iridis sive arcus cœlestis, ubi exponit tres libros Meteororum Aristotelis.*
4. *Summa theologiæ.*

Quæ ubi serventur saltem MS aut cui visa nemo aperit. Thomas verò James in Ecloga inter codd. MS collegii Balliolensis Oxoniæ n. 104 sic habet:

Expositio F. Bercaldi ord. Prædic. super elementatione theologiæ Procli. Pr. *Invisibilia Dei. Compilata & scripta anno Dñi* MCCCCLIV. Nota. *Compilata*, igitur eo anno ab auctore confecta. In no-

Sæc. XV. mihe vero *Bercaldi* erratum a Jamesio, & legendum *Bertholdi* docet catalogus Anglicus T. I, P. II n. 201, ubi idem codex sic indicatur *Bertholdus super elementationem Procli fol. memb.* Primum opus indicasse, mihi satis est, alia quis me felicior forsan inveniet.

P. HIERONYMUS JOANNIS

† 1454. F. HIERONYMUS JOANNIS Etruscus patriaque Florentinus ac ibidem in S. Mariæ Novellæ ordinem amplexatus, Bononiæ per omnes scholæ agones lauream magisterii adeptus est, exinde in academia Florentina collegio doctorum anno MCCCCXIX aggregatus. Qui celeberrimus rhetor & summus philosophus antea habebatur, divini verbi facundus & eloquens Ecclesiastes & orator evasit, ac in Florentino concilio sæpius ad Patres oravit, incredibili astantium utriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ voluptate auditus. Hinc ob eximias virtutes provinciæ Græciæ prior provincialis, tum in Romana curia generalis ordinis procurator institutus teste Fontana in prov. Rom. licèt omiserit in Theatro. Florentiæ demum vivere desiit XXX augusti anno MCCCCLIV ætatis LXVII, uti Badius noster ex necrologio S. Mar. Novel. n. 645 refert, vel LXXVII ut habet Pocciantius, & in communi suorum sepulcro ibidem sepultus. Quæ verò supersunt, & servari dicuntur in Bibl. ejusdem suæ domus hæc sunt duntaxat ejus opera:

Duo quadragesimalia.

De litteris humanioribus quædam.

Antiphonarum volumen.

Quoad orationes quas sedente Florentiæ synodo habuisse dicitur, harum quidem non meminit Horatius Justinianus in actis concilii, quod hujusmodi actiones ad ornatum & solemnitatem tantum pertinerent, & plures hujus rationis habitas indicat ipse Sguropulus in historia Græca hujus concilii, licèt oratorum nomina non addat.

Florentiæ ad Annunciat. Servitarum cod. MS 125 habentur

Quadragesimale F. Hieronymi de Florentia, item ejusdem Summula confessionis. Item casus episcopo reservati & quædam alia. Quis sit iste Hieronymus an Servita, an alius & cujus ordinis discutiant gentiles.

F. MARTINUS FRANCISCI.

† 1454. F. MARTINUS FRANCISCI studiis in gymnasio Parisiensi Sanjacobeo absolutis ad gradus promoveri meruit, licentiamque ut aiunt decurrebat annis MCCCCLII & LIII ac sequenti LIV april. XXIX quartum inter XV licentiatos locum obtinuit ex actis facultatis. Scripsit

Sermones de tempore & de Sanctis & quadragesimale.

Hoc citat passim Guillelmus Pepin noster, speciatim *Sermonem de S. Sebastiano* in suo opere cui titulus *De imitatione Sanctorum.*

Hunc auctorem laudant etiam Lusitanus; Gozzeus hic delusus cùm opus citatum *de imitatione SS.* Martino nostro ascribit, quem propterea rectè emendat Pius P. II, lib. 3 col. 75: Antonius Mallet *Hommes illustres du convent de S. Jacques* P. II pag. 180: Altamura ad 1486, ad quem annum pervenire potuit. Cujus verò gentis aut provinciæ ordinis fuerit alumnus nemo prodit, Gallum tamen facile censuerim.

Cum eodem Martino duo alii nostri licentiati referuntur in actis facultatis, F. Guillelmus Postelli Armoricus decimus tertius Dinanensis postea, & ipsius Parisiensis cœnobiorum præfectus; & F. Joannes Patin decimus quintus & ultimus, qui anno MCCCCLXXI actu regentem dicti gymnasii Sanjacobei agens, quæstioni de futuris contingentibus tum magno æstu in variis academiis agitatæ XVI maii subscripsit.

At quandoquidem quæstionis illius injecta est mentio, cui plures ex nostris illustres viri cum sapientioribus sacræ facultatis Parisiensis magistris se immiscuerunt, & de qua judicio suo doctrinali censuram tulerunt, lectori forsan haud ingratum erit, de quibus tum agebatur hic paucis cognoscere. Lis scilicet a sesqui circiter seculo eaque acerrima inter philosophos vigebat, Reales alios dictos, Nominales alios. Hi sic dicebantur quod universam philosophiam in accurata vocum diversarum notione ponerent, quibus propterea dilucidandis toti incumbebant: illi verò de vocibus non admodum curantes res ipsas consectabantur: & eatenus quidem Reales (ii erant Thomatistæ & Scotistæ id est S. Thomæ & Scoti sectatores) Nominalibus superiores evaserant, imo eos ad silentium redegerant adjecta identidem auctoritate publica ipsaque regia. Tum autem circa MCCCCLXXI erigere sese & adversus Reales prævalere Nominales tentabant, occasione duplicis ab universitate Lovaniensi emanati statuti: quorum primo quæstiones de potentia, præscientia, aliisque attributis divinis philosophis disputandæ prohibebantur, ceu theologis solis relinquendæ: altero tractatus cujusdam Petri de Rivo approbabatur, qui de propositionibus de futuro contingenti aliter ac de propositionibus de præsenti ac de præterito differendum contendebat, has esse determinate veras aut falsas, illas non ita: & id quidem habito solum ad præscientiam intellectûs creati respectu, nam aliud esse de futuris contingentibus in sacro canone revelatis, & universim de præscientia divina, cui omnia futura sunt præsentia, verùm hæc non philosophorum esse, sed ad theologos spectare. Non acquiescentibus Nominalibus; disceptatione ad sacram facultatem Parisiensem devoluta, statuta Lovaniensia probaverunt iisque subscripserunt XVI maii anni relati theologi viginti quatuor, nempe seculares sexdecim inter quos laudandi veniunt Petrus de Vaucellis ab anno MCCCCXLII theologiæ magister & Guillelmus de Castroforti XV decembris MCCCCXLIX rector universitatis & eo die licentiatus, ambo viri sua ætate nominatissimi: octo verò ex nostris Parisiis tum agentes & celebres, quorum hæc nomina:

F. Rolandus le Cozic Armoricus conventus Montisrelaxi alumnus anno MCCCCXLVI sextus licentiatus, circa annum MCCCCLX Franciæ provincialis assumtus, illo verò anno LXXI generalis contra pestem hæreticam in toto regno Franciæ inquisitor.

F. Joannes Canuti Carnuteus XXIX januarii MCCCCXLVII stylo veteri, novo XLVIII octavus licentiatus.

F. Joannes Patin jam supra relatus, qui & Parisiis obiit anno MCCCCLXXV.

F. Joannes Watat Catalaunensis XXII april. MCCCCLX licentiatus quartus.

F. Dionysius Pitas XIX decemb. MCCCCLXV decimus licentiatus.

Et tres alii VI febr. MCCCCLXIX stylo veteri, novo LXX licentiati; scilicet:

F. Joannes Munerii nonus XVIII junii crastino S. Trinitatis laureatus.

F. Joannes Pilory undecimus die lunæ XV octobris laureatus actu regens in gymnasio Sanjacobeo & ejusdem prior, &

F. Joannes Cossart decimus tertius V novemb. laureatus & ejusdem gymnasii actu regens.

Quæ omnia videsis Miscellan. clar. Baluzii T. IV p. 546, cætera ex actis facultatis Parisien.

F. LAURENTIUS GIACOMINI.

*1455. F. LAURENTIUS GIACOMINI Etruscus Ferentini vulgo *Castelfiorentino* anno circiter MCCCLXIX honesto loco natus, patre scilicet Petro *Giacomini*, vel *Jacomini*, vel *Jacopini*, his enim variis modis ejus agnomen in veteribus monumentis legitur, viro sensato & litterato, etsi mercaturam pannorum exercente, matre vero Anna e stirpe *de' Francesi da Staggia* Florentiæ & in tota Etruria nominata, pietate ac litteris a puero egregie instructus, anno MCCCLXXXIII vix XIV ætatis adeptus, etsi fratrum natu major, ordini nomen dedit Florentiæ in S. Mariæ Novellæ, ubi plures illi erant consanguinei, ac inter alios ex patre F. Leonardus *di Ser Giunta*, ex matre F. Donatus *di Ser Michele*, ambo theologi magni nominis & insignes verbi divini præcones, quorum exemplo ita emicuit in studiis, ut eximius ipse etiam evaserit Ecclesiastes. Hinc a Joanne de Bertholdis episcopo Fanensi ex ordine assumto ascitus vicarius generalis, & ut vulgo aiunt commensalis, anno MCCCCVII in basilica Fanensi conciones quadragesimales habuit. At eo præsule eodem anno e vivis exempto, varia gessit apud suos munia, donec a Martino V Florentiæ circa annum MCCCCXXI agente, ad episcopatum Achaiæ (civitatem dicunt inter Patras & Corinthum sitam) promotus est. Eo titulo anno MCCCCXXII die IX julii basilicæ S. Laurentii Florentiæ majus altare consecravit, & XL dierum indulgentias concessit. Ad suam sedem a Turcis tum detentam ne accederet prohibitus, Florentiæ pluribus annis hæsit, munia identidem pontificalia pro episcopo agens, scribendis etiam libris operam dans, in domum suam S. Mariæ Novellæ semper beneficus, quam ornamentis pro Ecclesia pretiosis & pluribus codicibus MS ditavit. Circa finem vitæ Mugellum se recepit, ubi annis gravis vivere tandem desiit anno MCCCCLV die XV junii, ætatis LXXXVI, ibidemque sepultus creditur. Ejus meminit Modestus Biliotti sodalis S. Mariæ Novellæ chronici ejusdem domus cap. 23 fol. 24. Ejus inter alia est opus, quod ex antiquis monumentis ejus nomine insignitum, & in quo suum nomen, patriam, familiam, gesta ipse prodit, his ultimis annis excusum est hoc titulo:

Vita della gloriosa vergine B. Verdiana da Castel Fiorentino scritta piu di due secoli sono in Latino, e di poi Toscanamente dal venerabile e reverendissimo monsignore P. F. Lorenzo Giacomini Domenicano Vescovo d'Acaia compatriotto di essa: colla giunta di ciò che alla stessa vita apartiene da D. Lorenzo Poltri Vallombrosano monaco, Florentiæ, Vincentii Vangelisti 1692 in 8 pp. 346. Extat Paris. in Regia K 1406. Notat Poltrius editor vitam hanc pluries prodiisse sub nomine B. Attonis Vallisumbrosæ abbatis episcopi Pistoriensis, ut Viterbii typis Augustini Colaldi 1565, & apud Silvanum Razzium in vitis SS. Etruscorum, & apud Ferrarium de SS. Italiæ: sed suppositionem continuo senserunt Henschenius & Pappebrochius T. V maii ad vitam B. Attonis XXII mensis p. 196, & Castellanus in notis ad Martyrolog. suum Gallic. ad primam diem febr. & alii. Etenim B. Atto mortuus anno MCLV scribere non potuit vitam B. Viridianæ anno MCCXXII vel MCCXLII defunctæ. At primus Poltrius vir accuratus sua in eruendis veteribus membranis diligentia verum vitæ auctorem detexit Laurentium nostrum, cujus acta in sua præfatione ex antiquis etiam monumentis eruit & studiose prosequitur, quem hic excipimus. Addit idem Poltrius vitam Latinam etsi diligentius a se quæsitam, nusquam in suas manus venisse, sed solam quam prodit Italicam. SÆC. XV.

F. LUPUS DE BARRIENTOS.

F. LUPUS DE BARRIENTOS Hispanus Legionensis Methymnæ vulgo *Medina del Campo* clara & antiqua stirpe natus anno MCCCLXXXII, patrem habuit Petrum Gutierrez de Barrientos, a quo liberaliter educatus Salmanticensem ad universitatem missus est, ubi humanioribus postquam instructus egregie fuisset disciplinis, adolescens in conventu Methymnensi ordini nomen dedit, professusque & studiis applicitus, non solum gravitate morum & disciplinæ regularis studio commendatum se fecit, sed & inter insigniores provinciæ Hispaniæ theologos celebris habitus est. Cujus argumentum non parvum est, quod cùm eatenus nulla in Salmanticensi academia theologiæ professoribus stipendia publica constituta fuissent, fundata anno MCCCCXVI primaria cathedra certaminique exposita, hanc primus Lupus noster reportavit, eamque rexit ingenti laude ad MCCCCXXXVI. Discipulis docendis sedulus instabat, cùm anno MCCCCXXXIII a rege Castellæ Joanne II vocatus ad aulam, in arcanæ conscientiæ consiliarium & arbitrum delectus est, & Henrici principis regis filii magister & præceptor institutus, quo in munere non modicum desudavit, ut filium pravis aulicorum consiliis, & juvenili levitate abreptum cum rege patre suo conciliaret. Interea Lupus Segobiensis episcopus ac regni cancellarius designatus a rege, eo præsente reginaque & principe cum aula Comestabuloque regni sibi intime devincto in villa *de Roa* consecrationis munus anno MCCCCXXXVIII suscepit, Segobiam tamen nunquam ingressus est ob Joannis Pacheco viri præpotentis principisque Henrici secretioris consiliarii simultates cum Alvaro de Luna Comestabulo dicto, Tureganique semper hæsit, nisi cùm eum ad regem accedere tenebatur ex officio. Quare ne principi Segobiæ commoranti, aulæque ejus præcipuis adversus Comestabulum nimium exulceratis gravis esset sua in diœcesi præsentia, cum Abulensi episcopo Joanne Cervantes postea cardinali permutavit anno MCCCCXLII, Compostellanamque Ecclesiam sibi paulo post a rege oblatam constanter recusavit, Conchensem tamen anno MCCCCXLV cum generalis in Castella fidei inquisitoris dignitate rege volente suscepit administrandam. Tandem Joanne II Hispaniæ rege, cujus præcipuus minister fuerat, anno MCCCCLIV mortuo, regnique habenas Henrico ejus hærede adepto & moderante, in sponsæ suæ sinum gremiumque secessit Lupus: verique pastoris officiis intentus, gregisque sui ac propriæ saluti totus invigilans, ad futuram æternæ felicitatis vitam se continua mortis meditatione composuit, quam lætus demum aspexit in eadem sua Conchensi civitate die martis XXI maii MCCCCLXIX ætatis LXXXVII, honorifice primum in cathedrali sua depositus, ac subinde Methymnam delatus, uti supremæ voluntatis suæ tabulis Methymnæ XVII nov. MCCCCLIV coram notario apostolico D. Velasco Sanctio Segoviensis Ecclesiæ canonico receptis, superadditoque iisdem anno MCCCCLVI codicillo constituerat sepultus in hospitali ab ipso sub titulo nostræ Dominæ de Compassione magnifice constructo, atque opulente dotato, ubi jacet, ejusqte extat in archivo hæc inscriptio Hispana lingua, quam hic Latine reddimus: † 1456.

Archivum scripturarum & privilegiorum antiqui generis de Barrientos unius ex septem hujus urbis, cujus fundator fuit Illustr. & Rev. D. Don

SEC. XV. *Fray Lope de Barrientos oriundus ex illa, qui fuit episcopus Segoviæ, Abulæ, Cuença, electusque archiepiscopus Compostellanus, cancellarius magnus Castellæ, & ejusdem inquisitor generalis, confessarius D. regis Joannis II & preceptor regis D. Henrici IV, primus cathedraticus Primæ in universitate Salmantina ordinis S. Dominici, fundator & dotator hujus Hospitalis, & alterius Cuençæ eorumque patronatuum & majoratuum, conventuumque nostra Domina de la Peña de Francia, & S. Petri de las Dueñas, reparator Ecclesiæ S. Andreæ regii ordinis Prædicatorum. Sepultus est in hoc sacello, quod anno* MCCCCXLIV *fundatum est. Vixit postea plures annos, in quibus omnibus singularis exhibuit virtutis exempla.*

Hæc de eo breviter inscriptio. Multa præterea testamento suo, quod singulari summorum pontificum Eugenii IV anno MCCCCXLVI decemb. x & Nicolai V XVIII apr. MCCCCXLVII facultate accepta condidit, pluribus ordinis sui patriæque Ecclesiis locisque piis atque pauperibus contulit bona, nec suos vivus aut mortuus exaltare ditareve consanguineos gentilesque curavit. Synodum habuit suæ diœcesis Segobiensis in villa sua *de Torvegano* ubi habitabat die III maii MCCCCXL in Ecclesia loci illius S. Michaelis dicta, cujus & censum auxit. Conventui suo Methymnensi beneficia plurima vivens moriensque contulit. Hæc ejus opera ex Ægidio Gundisalvo Davila *Teatro de las Españas, T. I pag.* 81 : Didaco de Colmenares *Hist. de Segob. cap.* 29 : Nic. Antonio *Bibl. Vet. Hisp. lib.* x *cap.* XI *p.* 193 :

1. *Tractatus de Sacramentis.* Servatur MS in Bib. Eccl. Abulen. teste Davila.

2. *Tratado del caso y fortuna compilado por mandamiento del christianissimo rey D. Juan el II de Castilla y Leon por la su humilde fechura inutil obispo de Cuença su confessor y maestro del serenissimo principe D. Henrique su amado hijo.* Princ. *Rey christianissimo principe de gran poder &c.*

3. *Tratado del dormir y despertar y del soñar y delas adivinanças, y agueros, y profecias compilado*, &c. ut supra. Hujus auctor meminit in sequenti his verbis : *Por quanto en el Tratado de los sueños que para tu Alteza compilè, se haçe mencion de la adivinança, y no se pusieron en el las especies de adevinar &c.*

4. *Tratado del adevinar y de sus especies, y del arte magica.* Eodem principio.

Qui tres tractatus Hispane scripti, in Bibliotheca Didaci Colmenaris citati aliàs extantes, nunc sunt D. Christophori de Zambrana & Villalobos Calatravensis equitis Matriti : sunt & in Bibl. Olivariensi. Sic Antonius citatus :

5. *Opusculum super intellectu quorumdam verborum cujusdam decreti contenti in volumine decretorum*, ubi Gratianus tractans de materia sacrilegii XVII, q. IIII ait : *Sacrilegii quoque reatum incurrit, qui Judæis publica officia committit.* Princ. *Quæsitum a Domino &c.* Finis : *Hæc sunt disertissime baccalauree, quæ breviter sentimus circa tui quæsiti probationem &c.* Hoc opusculum MS habet Matriti D. Joannes Lucas Cortesius civis meus, inquit Antonius citatus : atque idem & alii tres tractatus supra memorati hodie sunt antiquissime MS in Bibl. quæ comitis Villumbrosani Castellæ præsidis olim fuit, nunc autem est excellentissimæ conjugis, quæ studia hæc & libros amat. Sic Antonius.

6. *Instruccion synodal.* Quam asservari in archivo Segobiensis Ecclesiæ, cui quidem facta fuit occasione forsan synodi Torvegani habitæ de qua supra, Colmenarius asserit, addens eruditam esse & expeditam, præcipuaque moralis & scholasticæ theologiæ capita complecti ad clerum suum instituendum.

6. *Llave de la sabiduria* sive *Clavis sapientiæ.* Latinus an vulgaris dubitat Antonius, quia non explicat Colmenarius.

8. *Index Latinus ad S. Antonini archiepiscopi Florentini Summam theologicam.* Extat in tabulario Segobiensis Ecclesiæ, ait idem Colmenarius.

Ut virorum egregiorum gesta non omnibus æque placent, Lupus noster etsi plerisque probatus, a quibusdam improbatur ob quædam Henrici de Aragonia Marchionis de Villena volumina incendio adjudicata. Varia de hoc facto judicia refert Antonius Bibl. Vet. Hisp. lib. 10 c. 3 p. 145. Sic enim n. 154 :

« Librariam supellectilem quia divite & electa (marchio Villenus) vivus fuit usus, ab ejus morte regis præcepto vir doctus quidem atque regi valde carus Lupus Barrientus Dominicanus Henrici principis præceptor lustrandam suscepit, ex eaque plusquam centum volumina, quasi damnatæ lectionis essent, Vulcano tradidit publice, ut aiunt, comburenda. Quod quidem judicium approbantes Ferdinandus Perez de Gusman in Historia Joannis II regis cap. 248, & in Elogio, Lupumque ipsum adducens Ferdinandus Pincianus mox citandus, alii improbantes, ut Petrus Carillo historicus quo utitur Surita lib. 14 c. 22, alii ex æqualibus varie referunt.

N. 155. « Ferdinandus certe quidam Gomesius Joannis regis medicus in quadam ad Joannem Menam clarissimum poëtam & historicum data epistola facete admodum rem totam, uti facta fuit enarrat, quem piaculum esset alio quam suo sermone loquentem hoc loco sistere » : *No le bastò a D. Henrique de Villena su saber para no morirse, ni tampoco le bastò ser tio del rey para no ser llamado por encantador. Ha venido al rey el tanto de su muerte, e la conclusion que os puedo dar, es que asaz D. Henrique era sabio de lo que alos otros cumplia, e nada supo en lo que le cumplia a el. Dos carretas son cargadas de los libros que dexo, que al rey le han traido. E porque diz que son magicos e de artes no cumplideras de leer, el rey mandò que a la posada de Fray Lope de Barrientos fuessen llevados. E Fray Lope que mas se cura de andar del principe, cà de ser revisor de nigromancias, fizo quemar mas de cien libros, cà no los vio el mas que el rey de Marruecos, ni mas los entiende ca el dean de cidad Rodrigo. Cà son muchos los que en este tiempo se fan dottos faciendo à otros insipientes e magos : e peor es, cà se fazan beatos faciendo à otros nigromantos. Tan solo este denuesto no havia gustado del hado este bueno e manifico señor. Muchos otros libros de valia quedaron a Fray Lope, cà no seran quemados ni tornados. Si vuestra merced me manda una epistola para mostrar al rey, para que yo pida a su señoria algunos libros de los de D. Henrique para vos, sacaremos de peccado la anima de Fray Lope, e la anima de D. Henrique haurà gloria : ca no sea su heredero, cà le ha metido en fama de bruxo e nigromante. Nuestro señor &c.* Et jocose quidem, ut aulicorum est etiam in gravioribus Ferdinandus Gomes, sed serio & pro rei gravitate sapientius Mariana lib. 21 c. 7 Hist. Hisp. ab Antonio citatus.

« Barrientus, inquit, librum Fasiel sic inscriptum ab angeli nomine, qui Adami cuidam filio eum dictavit, invocationes bonorum angelorum ad benefaciendum, malorumque ad malefaciendum continentem se regis jussu igni cum aliis tradidisse ipsi regi scribit in tractatu *Del adevinar y del arte magica*, & quidem invitum : quippe qui existimaret Lupus ipse hujusmodi libros

» servari oporrere apud fidos quosque, quibus aliquando usi ad religionem tuendam & idololatras » ac necromantas redarguendos æquum & expediens foret «. Sic refert Antonius.

Lupi nostri præter citatos meminerunt Fernandez, Lopez P. III passim, at præsertim *lib.* II *cap.* 46, 47, 48. Fontana in *Theatro & Monum.* Altamura ad 1469., sed non accurate: Olmedam quidem citat, sed haud parum lectori gratum fecisset, si ipsummet loquentem adduxisset, quod fortè præstabunt aliquando nostri Romani vel Hispani.

F. JACOBUS A SANCTO JOANNE.

1456. F. JACOBUS A SANCTO JOANNE Catalanus domus Barcinonensis alumnus medio seculo XV claruit, primusque fuit diœcesis Barcinonensis generalis inquisitor, ex quo anno circiter MCCCCL sacrum illius tribunal a reliquæ Cataloniæ inquisitoris auctoritate jubente Nicolao V. S. P. divulsum fuit. Eo munere fungebatur etiamnum anno MCCCCLVI, sed paulo post obiisse ex eo conjicitur, quod anno MCCCCLIX successor ei datus legatur. De quo legendus Diagus Hist. prov. Arag. lib. I cap. 38 fol. 67 c, & lib. II cap. 17 fol. 125 a, ubi a Jacobo isto scripta refertur:

Relatio insignis Balearica transfretationis miraculosa S. Raimundi de Pennaforti.

Hanc ille tum juniorem dicebat se a F. Stephano Michaele antiquiore patre & emerito audivisse, propriaque manu in codice membraneo ad calcem antiquæ vitæ dicti S. Raimundi addidit die VIII julii anni MCCCCLVI, præsente F. Petro Queralt Aragoniæ priore provinciali XXV. E Latino Hispane versam Diagus loc. cit. refert. Ejusdem Jacobi meminit Antonius Bibl. Vet. Hisp. lib. X cap. 8 nn. 428 & 429, ubi a Diago dissentiens illum ait in oppido *Cervera* natum, ibidemque ordini nomen dedisse. Quis amborum scopum attigerit, gentilibus disquirendum ultro permittimus.

F. GASPAR A SANCTO JOANNE.

1457. F. GASPAR A SANCTO JOANNE a patria sic nuncupatus quod oppidum est in Persiceto territorii Bononiensis seculo XV in Italia claruit. » Qui antequam nostræ religionis vestimenta assumeret, omnium consensu inter primos philosophos connumerabatur. Postquam autem multo » tempore philosophiam docuerat in academia Bononiensi, perpendens mundi volubilitatem, ad » conventum S. Dominici ibidem advolavit, in quo » & ordini votis nuncupatis se addixit. Tandem » postquam pluribus annis sacras litteras professus » est, post censuram ab se actam contra homines » hæreseos labe inquinatos in civitate Bononiensi, » per Nicolaum V. P. M. cujus familiaritate dum » in minoribus constitutus esset, fuerat delectatus, » Foro-Corneliensis antistes declaratus est XX maii » MCCCCL. Qui ad gregem suum mox pergens, » ædes episcopii in melius reformavit, ac optime » instauravit. Verùm dum moram Ferrariæ pro quibusdam negotiis haud parvi momenti expediendis protraheret, in conventu S. Mariæ ab Angelis vita excessit anno MCCCCLVII circa septembrem, & in aula capitulari cum Fratribus suis » prout vivens ipse mandaverat sepultus «. Hactenus de eo Leander fol. 125 a, a quo & postea fol. 139 b, inter illustres theologos recensetur. Ughellus verò Ital. Sac. T. II p. 690 addit *suam sedem integro septennio tanta probitate & vigilantia ac pietate occupasse, ut eum cum fama sanctitatis defunctum pia quadam reverentia cives & indigenæ pro Sancto colentes & habentes in Beatorum numero habuerint.* Ejus cum laude meminerunt Vespasianus Florentinus in viris illustribus, Morandus in oratione de B. L: Bombacius *De' Bolognesi illustri par santità*, Achilles in Viridario, Bumaldus Minerval. Bonon. quo teste scripsit

In philosophia quadam acutissima & longe suspicienda.

Quibus addit Rovetta

Summam adversus hæreses, & alteram casuum conscientiæ.

Commentaria in IV libros sententiarum, & alia in VIII libros physicorum.

Qui utinam ubi hæc serventur nos prodidissent.

F. JOHANNES BREHALLI.

F. JOHANNES BREHALLI qui & vulgo *Brehal* Gallus Neustrius domus Ebroicensis alumnus sacræ theologiæ magister, licèt alibi promotus, non in facultate Parisiensi, vir fuit seculo XV pietate, doctrina & auctoritate celebris. Anno MCCCCLV priorem agebat Parisiis in gymnasio Sanjacobeo, unà & inquisitorem fidei generalem in regno Franciæ. Ea ratione cùm Johanne Juvenali de Ursinis archiepiscopo Remensi, Guillelmo Chartier Parisiensi & Ricardo Constantiensi episcopis ut jam antea anno MCCCCLII a Nicolao V, tum a Calixto III, mox ab adepto pontificatu delegatus fuit, qui processum damnationis & mortis Johannæ d'Arc puellæ Aurelianensis vulgo dictæ Rotomagi anno MCCCCXXXI rogo damnatæ, recognosceret instante Carolo VII Franciæ rege. Post innumeros auditos ea de re testes, post inquisitiones solemnes in ejus fœminæ natalium & habitationis locis variis peractas, eam tandem fide puram & moribus integram comprobatam declaravit, ac sententiam mortis in eam latam & inflictam, iniquam, injuriam, & violentam pronunciavit Rotomagi anno MCCCCLVI die VII julii. Subortâ verò jam ab anni hujus exordiis in universitate Parisiensi adversus quatuor mendicantium ordines graviori turbatione, adeo ut hi ab illa extorres facti sint, & ab ejus gremio resecati decreto ab ea die XXIV maii emanato: occasio erat bulla a Nicolao V paulo ante ejus mortem data & a Carmelitis episcopo Parisiensi oblata, qua nova quædam regularibus concedi videbantur privilegia, nullum officii genus prætermisit Brehallus, ut exacerbatos academicorum animos deliniret, revivisceretque concordia: quæ & brevi coaluit agente Arturo a Britannia principe Richemontii duce, Franciæ comite stabuli. Hic enim peramanter regulares secum assumens, ad academicos in S. Bernardi congregatos deduxit die XVI febr. an. MCCCCLVI stylo veteri, novo MCCCCLVII, nec prius abiit, donec mater amantissima filios observantissimos in sinum reciperet, & restitueret in integrum. Quæ ut princeps aggrederetur, non parum egit Brehallus, qui & in hac causa ita morem gessit academicis, ut & utramque quam sustinebat dignitatem, egregie tutatus sit. Quandiu postea vixerit, hactenus a me non repertum. Ejus leviter meminere Fernandez ad 1292 & Altamura rectius ad 1466, quem annum attingere potuit. Videsis Historiam Acad. Paris. T. V p. 601 & seqq. ubi tamen auctor Brehallum paulò habet iniquius. Vide & *Histoire de Charles VII* a Dionysio *Godefroy* editam typis regiis 1661 fol. p. 901, ubi honorarium Brehallo puellæ Aurelianensis processum recognoscenti e thesauro regio constitutum anno MCCCCLII refert. Hæc ejus opera:

De libera auctoritate audiendi confessiones religiosis mendicantibus concessa Tractatus per F. Johannem Brehalli conventus Ebroicensis ord. FF. Prædic. doctorem theologum, ac hæretica pravitatis

SEC. XV. † 1457.

 inquisitorem. Pluries typis prodiit. Apud nostros Parisienses editio est absque loco, anno & nomine typographi in 8. par. charact. Goth. cum Engelberti Cultificis defensorio privilegiorum mendicantium, ab adit. Altera editio absque loco apud Andream *Boule* 1479 in 8 paulo majori.

Procez de la justification de la pucelle d'Orleans. Parif. extat in Regia inter codd. MS dictos *de Brienne* n. 181. & Latine in Victor. cod. 891. Sententia sic incipit: *Nos Johannes Remensis, Guillelmus Parisiensis, Richardus Constantiensis, archiepiscopus & episcopi, ac F. Johannes Brehal de ord. FF. Predic. sacra theologia professor, haretica pravitatis in regno Francia alter inquisitor, judices a SS. D. N. papa moderno specialiter delegati &c.* Finis: *Acta fuerunt hac in palatio archiepiscopali Rotomagensi anno Dñi* MCCCCLVI *die* VII *julii*. Inter testes auditos duo sunt ex ordine, primus F. Seguinus Seguini S. T. P. decanus sacræ facultatis Pictaviensis ætatis LXX annorum, qui jam alias Pictavis eamdem Johannam examinaverat, cùm primum ad regem Carolum VII accessit. Alter F. Martinus *Laurent* domus Rotomagensis annorum LVI. Centum & duorum testium in eo processu nominatorum plures tribus annis antea auditi fuerant coram cardinali de Tuttavilla archiepiscopo Rotomagensi & F. Cardino Petri ord. Prædic. Videndi & Dionysius Godefroy supra laudatus, & duo libelli, primus Latine & Gallice editus hoc titulo: *Johanna Darcia obsidionis Aurelianensis liberatricis res gesta, imago & judicium*. Aureliæ, Eligii Gibier 1583 in 8. Alter a Massono editus hoc titulo: *Histoire de la pucelle d'Orleans extraite des interrogatoires & responses a iceux contenus au procez de sa condannation, & des depositions de 102 temoins oüis pour sa justification en vertu des bulles du pape Calixte III & l'an* MCCCCLV. Parif. Petri Chevalier 1612 in 8.

Jacobus Malbrancq T. II de Morinis & Morinorum rebus Tornaci anno 1647 edito in 4. p. 808 sic habet. » Incidi in vetustum codicem ex Watenensibus » uti verisimile est, in Jacobi Blasæi episcopi Au» domarensis bibliothecam translatum (Audomaræo » enim præsuli Watenensis illa præpositura addicta » est) ubi eorum quæ scripturi sumus, hæc præ» mittitur probatio: *Descriptio situs montis Watinensis cum origine antiqui monasterii B. M. Watinensis ex codice* MS. *Hanc supradicti montis descriptionem & ejus monasterii originem ego A. D. L. A. de verbo ad verbum excerpsi ex quodam libro* MS *in fol. & membrana exarato & dicato Roberto de Magdalena ejusdem monasterii praposito, cui* MS *titulus est*. C. Epithoma Montium, *& ex epistola dedicatoria manifeste colligitur librum hunc* MS *compositum fuisse per F. Johannem Brehalli ord. Pradic. S. T. P. & per regnum Francia inquisitorem. Ita ille codex*. Hactenus ex Malbrancquio. Ex quibus habetur Brehallum opus scripsisse hoc titulo:

Epithoma montium, in quo descriptio erat Montis Watenensis quem perjucundum prædicant in Morinis, & monasterii celebris olim super eum exstructi nunc vero bellorum infelicitate eversi.

F. LEONARDUS DE VALLE BRIXINENSI.

1457 F. LEONARDUS DE VALLE BRIXINENSI vulgo *Brixen* in Norico comitatus Tyrolensis a patria sic nuncupatus Viennæ Austriæ professorem academicum agebat & primatum in ea gerebat anno 1454, quo Pannoniæ rege volente Ladislao IV, legato tum in iis partibus apostolico Dionysio Zecho cardinali S. Cyriaci in Thermis Strigoniensi archiepiscopo jubente, magistri ordinis F. Martialis Auribelli auctoritate munitus, civium Cassoviensium invitatus precibus, Cassoviam vernacule *Caschau* Hungariæ superioris caput Vienna profectus est instaurandæ ibidem causa regularis disciplinæ, quod & egregiè perfecit. Sed & plures alios conventus ab eodem Leonardo ad severioris vitæ normam fuisse revocatos ab anno 1454 ad 1457, quibus generalis titulo vicarii fuit præfectus ex P. Jacobi Riech Basileensis ejusdem Hungariæ provinciæ conventuum reformatorum Vicarii generalis ac in officio successoris literis ad Umbertum Cassoviensem lectorem Budæ datis 17 julii 1457 colligitur. De quibus omnibus videsis nostrum Sigismundum Ferrarium *Hist. Prov. Hung. pag.* 589 & seqq. Scriptus ab eo liber est hoc titulo:

Tractatus adversus Hussitas de Corpore Christi & de communione laicali. Hunc asservari testatur citatus Ferrarius apud nostros Viennæ Austriæ, seque codicem MS non semel evolvisse: hancque epistolam propria manu tractatui præfixisse auctorem:

Spectabilis mi Domine magister civium civitatis Viennensis miles perstrenue. De beneplacito gloriosissimi D. N. regis, nec non & R. D. cardinalis legati archiepiscopi Strigoniensis, atque ex rogatu DD. civium Cassoviensium, ex commissione quoque R. P. generalis magistri ordinis nostri, jam cum Fratribus aliquot iter facio ad reformationem conventus nostri Cassoviensis. Rem itaque quam Domination vestra petivit mitto (nempe *Tractatum* laudatum) *qua utinam alicui prodesse possit ad efficaciam salutarem. Plura intendebam scribere, sed transitu illo obsistente, expectare cogor meliorem opportunitatem. Feliciter valeat Dominus & fautor meus semper venerandus in Domino Jesu. Datum Buda die 7 junii A. D. 1454. F. Leonardus de valle Brixinensi ord. Prad. conventus Viennensis regens inutilis in facultate theologica universitatis Viennensis.*

F. ANTONIUS DELLA CHIESA.

F. ANTONIUS DELLA CHIESA, qui & *ab Ecclesia* Latine dicitur, quod illustris est apud 1458 Insubres & Salutios familiæ cognomen, & ipse Insuber, cujus apud gentilem suum Augustinum *della Chiesa* inter scriptores Insubrum occurrit memoria. Hic Antonium nostrum e Sancto Germano dicit ortum, virum eruditione vitæque sanctimonia conspicuum, & Comi sive Novocomi Mediolanensis ducatus sanctissimo fine quievisse anno MCCCCLVIII, dum ibidem prioris officio fungeretur. Addit ejus interventu plures a Domino votorum finem optatum se assecutos existimasse. Scripsit eodem teste Augustino

Opera theologica jurisque canonici varia & plurima. Quorum pars aliqua lucem aspexit publicam, altera vero servatur adhuc inedita apud Eremitas S. Augustini ejusdem suæ civitatis.

F. LEONARDUS CHIENSIS.

F. LEONARDUS CHIENSIS sic a patria dictus est, quod in Ægæi maris insula Chio natus 1458 sit humili quidem, ut nostri observant gentilesque sui, loco, sed qui vitæ morumque integritate, dignitatis, eruditionis, ac præclare gestorum laude, ipsa demum & pro commissis ovibus ac Christi fide vita constanter posita gentem suam, patriamque longe nobilitavit. Ordinem ingressus est & professus in patria, tum exinde in Italiam missus Patavii apud nostros studuit, quæque didicerat variis in provinciæ Lombardiæ utriusque docere jussus est: nam & Januæ in conventu S. Dominici, & Patavii sacras est literas interpretatus: demum in insulam suam reversus, Maria Justiniana Chiensi

Chiensi principe, cui fuit ab intimis conscientiæ consiliis agente & instante archiepiscopus Mitylenensis in insula Lesbo Egæi maris Chiensi vicina promotus est ab Eugenio IV post obitum Dorothei ad annum circiter 1446, missusque ab eodem pontifice ad Græcorum imperatorem Constantinum Palæologum unâ cum Isidoro Rutheno cardinali episcopo Sabinensi sancitæ in concilio Florentino nuper Ecclesiæ Orientalis cum Latina restituendæ firmandæque concordiæ causa Constantinopolim apostolico de latere legato, datusque adminifter & comes. Eugenio IV anno MCCCCXLVII febr. XXIII defuncto, ac Nicolao V sexta martii sequentis eidem suffecto ambo semper C. P. hærebant unionis decretum ut susciperetur urgentes, sed & fere incassum, contradicentibus scilicet Georgio Scholario *Patriarcha C. P.* Isidoro quodam & nescio quo Neophyto aliisque doctoribus Græcis. Tandem tamen cardinalis Sabinensis dictus & Leonardus noster industria sua effecerunt, ut sancta unio assentiente imperatore Senatuque (si non ficta fuit) firmaretur celebrareturque pridie Idus decemb. MCCCCLII. Verùm serius quàm suis rebus conveniebat, ad frugem redierunt Græci, neglecto interea Occidentalium principum auxilio, nam anno sequenti capta vi demum est, & ad deditionem obsidione bimestri a Machomete II adacta Constantinopolis misereque vastata, cæsis aut in servitutem abductis cum imperatore Constantino Palæologo principibus promiscuique sexus hominibus. Ex horrenda tamen strage tum a Turcis perpetrata, divino prope miraculo evaserunt & cardinalis & Leonardus noster: & ille quidem Romam reversus est, hîc verò Chium suam repetiit, unde summum pontificem de omnibus in miserando infandoque hoc casu gestis monuit XVI aug. MCCCCLIII. Ecclesiam suam deinceps administrasse videtur quousque Lesbum insulam anno MCCCCLVIII ut Bosius scribit, aut anno MCCCCLXII ut passim alii, Machometes idem armis subegit & devastavit, omnibus Latini ritus incolis fere internecione deletis, principibus viris, inter quos fortè Leonardus noster, palo suffixis, aliis Constantinopolim in captivitatem transmissis. Vitam Leonardi scripsit vir de patria sua & de gente, deque literis benemeritus abbas Michael Justiniani, ediditque Avellini, apud Camillum Cavalli 1657 a quo nostri hauserunt, Fontana in *Theatro* & Altamura ad 1462. Hæc ejus habentur:

Allatius *de consens.* col. 927 & 961 **contendit non fuisse patriarcham, sed monachum tantum.**

1. *Tractatus apologeticus adversus Carolum Poggium Florentinum Eugenii IV secretarium.* Princ. *Cùm coram præstanti viro Luchino Galuxio mihi admodum amantissimo &c.* Ad calcem sic desinit: *Ex Lesbo pridie Kal. januar.* Finit: *Jesu Christo rerum omnium opifici honos & gloria. Ab archipontifice Lesbi Leonardo editus* MCCCCXLVI, XXVII *decemb. in Mytilena.* Ex veteribus monumentis eruit & edidit abbas Justiniani citatus cum vita ejusdem Leonardi, & Caroli Poggi *Tractatu de Nobilitate*, quibus annotationes suas addidit, Avellini, 1657 ut jam dictum.

2. *Relatio fusissima excidii Constantinopoleos urbis ad Nicolaum V summum pontificem.* Princ. *Flere mihi magis licet B. P. & fortè dum gladio impetebar a Teucris, salubrior mors mihi fuisset quam vita &c.* Finis: *Datum Chii* XVI *die augusti* MCCCCLIII. Ex cod. MS Bibl. Vaticanæ n. 4137 in lucem edidit Bzovius noster in *Annal. Eccl. ad 1453 n. 6*, impletque a pag. 84 a, ad 90 b. Et quod mirum Leonardum ordinis Prædic. fuisse aut ignoravit Bzovius aut omisit. Hæc Narratio *de capta C. P.* typis antea prodierat speciatim edita, extatque Romæ in Bibl. Barber. Prodiit Noribergæ, Jo. Montani 1544 in 4. Iterum Basileæ 1556: tum Francofurti ad Mænum 1578 in fol. scilicet *Chronic. Turcic. collect.* a Phil. Lonicero T. II p. 84. Meminit Allatius *de consens.* pag. 956 & 962. Sæc. XV.

3. *Sermo magistri Leonardi Chiensis jam archiepiscopi Mitylenensis, dum esset lector Januensis conventus Prædicatorum.* Princ. *Gen. 49. Non auferetur sceptrum de Juda & dux de femore ejus &c. Cicero Romanæ eloquentiæ amnis, cùm opportunam quinque partium oratoris distinctionem fecisset, pronunciationem ultimo loco disposuit &c.* In eo sermone probare nititur: *quod annihilatio Judaicæ potestatis ex redemptoris incarnatione: 2 quod ex gentium conversione Christianæ veritatis amplificatio consequitur.* Finis: *Cùm ex gratia Salvatoris habitum sit, si obsequentes ejus mandatis fuerimus, nullum dubium quod præstabit & gloriam sempiternam ad quam* &c. Implet concio fusior coll. 14, fol. mag. minuto. sed eleganti charactere: extatque apud nostros Parisienses ad S. Honoratum ad calcem egregii codicis MS memb. fol. mag. in quo epistolæ D. Hieronymi eleganti manu scriptæ. Qui codex aliâs fuit bibliothecæ monasterii in Hamersleve ord. canon. Regul. ei a magistro Gerhardo Wirstroy vicario ecclesiæ Halberstadensis ex testamento datus anno 1479. Ex titulo autem sermonis nostri Leonardi patet ipso tum adhuc vivo scriptum, & huic codici insertum.

Nullus dubito, quin hujus eruditi viri plura extent in bibliothecis delitescentia præsertim in Vaticana, quæque lucem mererentur.

Quibus documentis Leonardum hunc ex Justinianorum familia illustri asserat Rovetta ad 1461, quem cæteri ipseque abbas Michael Justiniani ab eo citatus humili loco natum testantur, me latet.

F. PETRUS DE MASTRETTIS.

F. PETRUS DD MASTRETTIS Neapoli natus, & in regia S. Petri martyris domo ordinem amplexus his annis clarebat, Isabellæ Claromontanæ Ferdinandi I Aragoni Siciliæ regis conjugis a consiliis sacrisque conscientiæ arcanis, & in eodem regno adversus hæreses censor, quo munere fungebatur ad ann. MCCCCLVIII. Ejus meminere cum laude Gravina *Pro sacro deposito* cap. 2 n. 28: Vallius in Comp. p. 177, ubi fusiorem relationem habet de quodam Isabellæ laudatæ itinere ad patruum suum principem Tarentinum mitigandum & regi suo sponso conciliandum, quod iter Petrus noster qui eam comitatus est, videtur scripto reliquisse. Legendus & Cæsar Engenius *Napoli sacra* pp. 458 & 523. 1458.

S. ANTONINUS.

S. ANTONINUS lustrali nomine *Antonius*, quo & se signabat, & vivens audiebat apud omnes, quod & in suis operibus non MS solum, sed & in quibusdam editis exhibetur: at isto jam quasi oblivioni tradito, priori veluti consecrato communi usu jam *Antoninus* dictus Etruscus fuit. Florentiæ nobili loco natus est, patre Nicolao de' Forciglioni, avo Pierrozzo suæ reipublicæ quater proconsule, quæ tum erat dignitas insignis & magnæ auctoritatis, matre Thomassina ejusdem nobilitatis fœmina. Anno MCCCLXXXIX lucem primam vidit, & ex quo per ætatem licuit literis applicitus, juri canonico postea totum se dedit. Anno MCCCCVI habitum ordinis in conventu Fesulano e manibus F. Joannis Dominici archiepiscopi postea Raguzini & cardinalis viri sua ætate celeberrimi (de quo nos supra) induit, & tirocinium in cœnobio Cortoniensi exegit sub cura F. Jacobi de Ripafracta novitiorum † 1459.

Sec. XV. magistri, cujus non exigua laus est talem informasse religiosis moribus tironem. Anno revoluto professus, sacra studia totis viribus est amplexus, & exinde variis in locis regiminis conventuum functus est muneribus. Non Romanæ, ut quidam rerum nostrarum imperiti allucinantur, nec Regni Siciliæ prior provincialis fuit, sed unitorum ut vocabant ex Romana & Regni provinciis subtractorum conventuum, qui severiorem disciplinam servabant, sub nomine congregationis Tusciæ Vicarius generalis. Eo munere fungebatur, cùm ad sedem Florentinam ab Eugenio IV evectus est x febr. MCCCCXLVI, cujus Ecclesiæ possessionem inivit solemnem Dom. secunda quadragesimæ sequenti martii XIII. Quæ in ea specula constitutus egerit præsul primitivis apostolicorum temporum episcopis jure comparandus, nostrum non est hîc enarrare, qui non antistitem non sanctum celebramus sed scriptorem, & quis ille fuerit, cujas, quando floruerit, quidve rei literariæ contulerit inquirimus tantum & exhibemus. Anno MCCCCLIX maii secunda vigilia ascensionis sanctissime devixit, & octavo tantum a morte die in templo nostro S. Marci, uti vivens ipse elegerat, fuit sepultus præsente & funus cohonestante pontifice Pio II, qui & pompam ipse ordinabat, & omnia præscribebat. Vitam sancti scripserunt plures, in primis Franciscus Castillioneus canonicus S. Laurentii Florentinus, Antonini familiaris, qui & apud eum domi octo ultimis ejus vitæ annis solidis commoratus est, omnium ejus arcanorum conscius. Hanc habes apud Leandrum Albertum editam, cui copiosas additiones adjecit F. Leonardus Ser-Huberti Florentinus intra decimum ab exitu sancti annum. Nominandi etiam veniunt collector actorum in processu canonizationis, & F. Vincentius Mainardus San-Geminianensis procurator generalis ordinis, qui Clementi VII nuncupavit. Carmine etiam heroico cecinit Ugolinus Verinus poeta insignis anno MCCCCXC florens, quæ apud nostros S. Marci Florentiæ servatur Arm. III cod. 74 memb. hoc titulo: *Carmen in laudem B. Antonini episcopi Florentini ad Fratres & conventum S. Marci ord. Prædic.* Pr. *Antonî dum gesta volo pastoris Etrusci, scribere consueta desunt in carmina vires.* Elogium ejusdem scripsit ipse Pius II lib. 2 Commentariorum, & legendum & æternitate dignum: sanctorum albo inscripsit Adrianus VI summus pontifex XXXI maii MDXXIII, & anno eodem XXVI novemb. bullam promulgavit Clemens VII. Denique noster Thomas *Buoninsegni* Senensis historiam sive relationem ejusdem S. præsulis corporis translationis anno MDLXXXIX magna solemnitate peractæ descripsit, cui & præmisit disquisitionem de illius progenie & origine, quam ex Piscina ad Morelli montem quinto a Florentia lapide dicit ortum habuisse, unde tripliciter a tribus divisa est fratribus, *Nannozzo* scilicet qui Circinæ ad Piscinam hæsit, Laurentio qui sedem in S. Silvestri municipio habuit quinto a Florentia milliario, demum & *Cenni d'e Forciglioni* qui Florentiam venit & habitavit, & Pierrozzum supra laudatum genuit. Ex his exceperunt hagiologi omnes inter quos legendi præsertim Henschenius & Pappebrochius in actis SS. T. I maii, ubi vitam primam Francisci Castillionei cum additionibus F. Leonardi ad cod. MS S. Marci castigatam & recognitam ediderunt ac notis uberioribus illustrarunt, quibus & quicquid in aliis singulare visum addidere. Legendus & noster Dominicus Maccarani qui recens sancti vitam ex variis auctoribus collectam typis edidit Italice. Ejusdem cum laude meminerunt scriptorum ecclesiasticorum nomenclatores omnes, etiam Caveus, seu potius qui ei succenturiavit Warthonus, nostros interim suggillans, quod sancti viri miracula sine fronte congerant: at hanc in heterodoxo frontem nemo catholicus mirabitur. Emendandus autem ille & eum excipiens Olearius, qui & alios in eumdem errorem induxerunt, cùm Antoninum Neapolitanum archiepiscopum pro Florentino dixere. Jo. Bapt. de Luca I. U. celeberrimus Romæ seculo XVII doctor tot editis voluminibus clarus, ac tandem anno MDCLXXXI cardinalis allectus, Theatri veritatis & justitiæ Tomo XV, P. II D. XXXII de tribunali Rotæ n. 3, ubi de his qui in hoc collegium cooptati sunt, suaque sapientia ornarunt, inter eos S. Antoninum numerat, idque Maccaranus citatus in vita sancti Lib. IV cap. III evenisse censet, cùm Romæ Antoninus Minervæi cœnobii priorem ageret.

OPERA.

Summa theologiæ moralis partibus IV distincta. In I agit de anima ejusque potentiis intellectu & voluntate, tum de peccatis in genere, & de legibus universim. In II agit de septem vitiis capitalibus eorumque sobole portentosa, tum de Simonia & usura, de restitutionibus, de peccatis linguæ, de votis, denique de infidelitate. P. III: Agit de variis Ecclesiæ statibus, conjugatorum, continentium, dominorum, militum, advocatorum, medicorum, mercatorum, judicum secularium & ecclesiasticorum, hospitalariorum, tum de Ecclesiis & earum patronis, de clericis & divinis officiis, de septem sacramentis, de beneficiis, de religiosis, de confessariis, prædicatoribus, prælatis, episcopis, cardinalibus, summo pontifice, de conciliis, denique de censuris ecclesiasticis, de Deo, beatis, & purgatorio. P. IV: Agit de virtutibus cardinalibus & theologicis. De gratia, donis Spiritus Sancti sigillatim. Ubi nota & de gratia fere totidem verbis unum S. Thomam exscribere, & tit. fusiori de septem donis Spiritus Sanctis quam multa ex magno libro de septem donis nostri Stephani de Borbone excipere, & librum quidem non vero nomen auctoris citare.

Auctoris αὐτόγραφον Florentiæ apud S. Marcum habetur & servatur in sacrario. Ejusdem exemplum MS memb. extat in Bibl. Arm. III nn. 49 & 50. In Medic. Pars tertia Pl. 26 cod. 7. memb. Typis prodiit pluries. Hæ precipuæ editiones: Venetiis, Nicolai Jenson Galli 1477 & 1479 fol. tum Leonardi Guild de Ratisbona 1480 & 1481 fol. voll. IV, quæ laudatur in Bibl. August. & extat Paris. apud Clarissas *Ave Maria*. Rursus ibidem 1487 fol. & 1571 in 4, quæ in Barb.

Adhuc hoc titulo, *Juris pontificii & Cæsarei summa nunc demum ad veterum exemplariorum fidem diligentissime recognita: decisionibus etiam Sacrosancti concilii Tridentini ad matrimonii sacramentum pertinentibus, nec non Evaristi papæ decretis & novis annotationibus nuper aucta & locupletata:* Editionem curante F. Ludovico Rubeo Veneto SS. Joan. & Pauli alumno qui opus Vincentio Justiniani cardinali S. Sabinæ olim ordinis magistro nuncupat, Venetiis apud Juntas 1582 voll. quatuor in 4, quæ editio elegantissima, cui præfiguntur quinque indices dicti emendatissimi, & habetur Paris. in Regia D. 1026 & Romæ in Imperiali. Postea Ibid. 1591 fol. par. voll. IV eleganti papyro & charactere. Spiræ, Petri Drach 1477 fol. voll. IV. Noribergæ Koberger 1478, & iterum 1486 fol. max. chart. imper. voll. V, quorum ultimum Tabula: extat Paris. in Navarr. Argentinæ. Jo. Groeninghen 1496 fol. voll. III: extat in Bodley. Lugduni 1516 voll. duob. extat Paris. in Sangenov. Iterum Jo. Cleyn 1520 & 1521 fol. Rursus Jacobi Marechal & Vinc. de Portonariis 1529 fol. Rursus ibidem 1542 fol. In hac summa, inquit Poccianitus, quicquid ad nobilissimarum virtutum acquisitionem, quicquid ad bene beateque vivendum pertinere videtur, dilu-

cide sapienterque conscriptum est : nihil ibi prætermissum, nihil obscure, nihil concise mutilateque dictum reperitur, sed ut singula innotescant, distincte omnia in ea pertractata a lectoribus annotabuntur.

Summa confessionalis. In tres partes dividitur. I. De potestate confessoris, cui additur tractatus de excommunicationibus. II. De modo interrogandi de x præceptis decalogi, de VII vitiis capitalibus, ac denique secundum diversos status confitentium. III. Tractatus est brevis de restitutionibus. Pr. *Defecerunt scrutantes scrutinio.*

Extat MS Florentiæ ad S. Marc. Arm. II cod. 32 papyr. *Summula brevis de confessione, quæ etiam interrogatorium nuncupatur manu F. Leonardi Ser-Uberti* supra laudati. Ibid. cod. 161 memb. Rursus Arm. III cod, 5 & 51 memb. Paris. in Victor. cod. 1125 chart. & cod. 1129. Item in Reg. cod. 4660.

Prodiit typis in incunabulis typographiæ in fol. par. absque anno, loco, nomine typothetæ, absque numeris & majusculis charact. Goth. eleganti. Quæ editio extat Parisiis in Reg. D. 396. Sunt & aliæ plures editiones.

Romæ Georgii Laver 1472 in 4. Item absque num. signat. reclam. majusc. sed charactere fere Romano in Regia D. 944.

Venetiis Jo. Colon. & Jo. Manthen Gheretzen. 1480 in 4.

Quæ editio Paris. apud Clarissas *Ave Maria*. Iterum Anton. de Strata 1483 in 4. Postea 1572 in 16. Memmingæ 1484. Argentinæ 1490 in 4 quæ extat apud nostros Insulenses. Rursus 1492 & 1499 in 4. Parisiis 1516.

Est & editio quam raram censeo, ceu quam Parisiis in sola Regia viderim D. 2632, hoc titulo : *Confessorum refugium atque in naufragio portus tutissimus. Defecerunt Rmi archiepiscopi Florentini cum nonnullis additionibus novis simul ac quibusdam quæstionibus curiosis. Tres sunt partes. I, de interrogationibus. II, de restitutionibus. III, Responsiones ad LXIX quæsita F. Dominici de Cathalonia ord. Præd.* de quo videsis supra. Lugduni, Joan. de Wingle 1502 in 8 par. char. Goth. Postea rursus,

Lugduni 1555 in 12 & 1564 Bened. Boyerii in 16.

Eadem ab eo scripta Italice hoc titulo *Il' confessionario d'Antonino arcivescovo di Fiorenza*. Pr. Omnis mortalium cura &c. *Dice Severino en el libro che fece de la filosofica consolazione &c.* Extat MS Florentiæ in Medic. Pl. 27 cod. 15 chart. Paris. in Reg. cod. 8285.

Prodiit typis Neapoli, Johan. Adam, & Jac. de Luciferis 1478 in 4 pagg. 236 eleganti charactere Romano. Extat Paris. in Regia D. 945. Altera editio laudatur 1496. Rursus Venetiis 1616 in 8 quæ in Bib. Barber.

Non opus distinctum quod recensetur in Bibl. August. Reiseri p. 112 n. 21 hoc titulo, *De eruditione confessorum*, & dicitur editum Memmingæ 1483 & MS memb. habetur Florentiæ ad S. Marc. Arm. 3 n. 51, *Tractatus de confessore editus a ven. viro religioso F. Antonino ser-Nicola de Florentia ord. Prædic.* Bibl. Barber. Italice. *Istruttione de' Sacerdoti*, Venet. 1542 in 8. Hispanice, Hispali 1492 in 4, quæ extat apud nostros Rothomagenses.

Tractatus notabilis de excommunicationibus, suspensionibus, interdictis, irregularitatibus & pœnis F. Antonini archiepiscopi Florentini &c. Pr. *Excommunicatio dicitur exclusio a communione.* Sequitur eodem volumine : *Incipit titulus de sponsalibus & matrimonio extractus de tertia parte Summa ven. P. F. Antonini &c.* Pr. *Beatus es & bene tibi erit &c.* Venetiis, Jo. de Colonia Agrippin. ac Joan Manthen 1474, in 4. Extat Paris. in Navarr. Quod hîc de posteriori monetur, idem putes de priori. Simlerus laudat alteram editionem Lugdunen. SÆC. XV.

De virtutibus. Noribergæ 1472 in fol. Nimirum quarta pars Summæ theologicæ, quam Antonius Koberger tum seorsim edidit.

Tractatus duo, alter de præceptis & peccatis, alter pro instructione parochorum. Sed non aliud videntur a secunda parte *confessionalis.*

Trialogus de discipulis Emmaunticis cum vita ejusdem Antonini. In incun. Typog. Extat duplex in August. Reiseri pp. 104 & 112. Pr. *Incipiens a Moyse.* Sic Pocciantius.

Sermones de laudibus B. Virginis. Ex P. IV Summæ Tit. VIII de dono pietatis excerptos F. Petrus Alva seorsim excudi curavit, ac in Tomum alterum Bibliotheeæ suæ Marianæ intulit ac edidit Matriti, e Typ. Reg. 1648 fol. Nec aliud est commentarium Antonini in cap. 1 Luc. a Sixto Senensi laudatum, quam horum sermonum pars hoc principio : *Missus est &c.*

Tractatus de viduitate ad uxorem Laurentii de Medicis Cosmi magni fratris.

Archiepiscopi Florentini quæstio de ornatu mulierum, & ejusdem quidam tractatulus. Extat MS cod. 120 Florentiæ apud Annunc. Servitarum.

D. Antonini arch. Flor. tractatus varii de casibus conscientiæ. Ibid. cod. MS 123.

Capitula theologica S. Antonini arch. Flor. quorum primum de triplici militia scilicet clericali, spirituali & laicali. Florent. ad S. Marc. Arm. 3 cod. MS 15 papyr.

Chronica partibus tribus distincta ab initio mundi ad MCCCCLIX Christi. Extat αὐτόγραφον Florentiæ ad S. Marc. servatum in sacrario. Item ibid. in Bibl. Arm. 3 cod. MS 37 membr. fol. elegantissime descriptum exemplum.

Typis prodiit hoc opus Venetiis 1480 in fol. voll. tribus. Item Noribergæ Jac. Koberger 1484 in fol. extat Paris. apud Sangenovef. Basileæ Hier. & Jo. Frobenii 1491 in fol. extat Paris. apud Clarissas *Ave Maria*. Ad calcem legitur, typis Nicol. Resler, Lugduni. Jo. Clein 1517 fol. apud nostros Rotomagen. Ibid. 1525 fol. apud nostros Insulen. Ibid. Juntæ 1585 & 1586 fol. cum scholiis P. Maturi S. I. quæ editio communis.

Annotationes de donatione Constantini, Coloniæ 1535. Laudantur in Bib. Bodley. Difficile tamen existimaverim opus esse integrum Antonini, nam quæ de ea donatione habet Summæ theologicæ P. II Tit. XXII cap. V §. XVI, ex F. Augustini de Ancona Erem. August. tractatu de potestate S. P. omnia excipit : & chronici P. I Tit. 8 cap. 2 §. 8 incertam habet hanc donationem, quod & miratur annotator Petrus Maturus, qui vult indubitatam.

Flos florum opus quadragesimalium sermonum, in 8 absque anno, loco & nomine typographi. Extat in Barber. sub nomine S. Antonini : at opus plane spurium, Antonino indignum, qui & ipsemet in his sermonibus citatur, ac proinde auctoris recentioris fœtus. Idem opus postea prodiit sub nomine nostri Gabrielis Barleta, de quo videsis postea, ut hinc inferas hujus quadragesimalis auctorem admodum incertum esse. *Sermones de B. Virgine pro sabbatis quadragesimæ* ex hoc opere excerptos F. Petrus Alva in Bibliothecam suam Marianam intulit, ac Tomo 2 edidit.

Sermones de tempore & de Sanctis ei ascribuntur a Simlero & Pocciantio. Pr. *Convertimini ad me.* Penes quos fides, nam nulla horum aliunde mihi notitia.

Sæc. XV.

F. SIFFRIDUS TEUTO.

† 1459. F. Siffridus Teuto natione provinciæque Teutoniæ alumnus, vir inter eruditos suæ ætatis nominatus, divinarum scripturarum non Latine solum, sed & Hebraice peritissimus, theologus & Ecclesiastes in utroque genere seu in schola disserendum, seu ex pulpito perorandum æque promtus ac eminens, moribus integerrimis, quas ob eximias dotes eum Theodoricus Pincerna Moguntinus archiepiscopus & elector, qui ab anno MCCCCXXXVI ad MCCCCLIX in ea cathedra sedit, episcopum Cyrensem in partibus inaugurari obtinuit, sibique suffraganeum, pastoralisque suæ curæ vicarium ascivit, laudatur a Tritemio suppari, Lusitano, Simlero, Eyseingrenio, Pio, Fontana, Altamura, omnibus ad 1470 referentibus, quem annum attigisse haud negaverim, licet antea sedente scilicet Theodorico Moguntino citato potissimum claruisse certissimum sit. Falluntur tamen Tritemius & alii ejus sequaces cùm *Cyrenensem* episcopum dicunt, qui certo fuit *Cyrensis* vel ut quidam scribunt *Cyrrensis*. Est autem *Cyrus* vel *Cyrrus* civitas episcopalis sub Hierapoli metropoli in provincia Euphratæа patriarchatus Antiocheni, inter Alepum & Euphratem circiter media sita, quam Galli nostri *Quars* vocant. Scripsit autem ac edidit hoc titulo:

1. *Fratris Siffridi episcopi Cirensis sacra theologia professoris ordinis Prædicatorum determinationes duæ ad archipræsulem Moguntinum D. Theodoricum. I. An princeps catholicus possit protegere vel permittere usuram Judæis exercere? II. An possit inhibere matrimonium liberum suis subjectis ad bonum principatus?* Opusculum editum in ipsis typographiæ incunabulis absque anno loco & nomine typothetæ, Gothico charact. in 4 foliolis 24 seu pagg. 48 Theodorico laudato Moguntino archiepiscopo nuncupavit auctor.

2. *F. Siffridi episcopi Cirensis &c.* ut supra. *Responsiones ad quatuor quæstiones: I. An possit absolvi catholicus Judæo usuram exercenti domum locans? II. An contractus venditionis frumenti fraudem sapiat, & sint absolvendi? III. An absolvendi vendentes reditus cum pacto de revendendo? IV. An res raptæ possint in pios usus vel suos tuta conscientia converti a fure vel restituendæ?* Opus exile ejusdem editionis ac formæ, ut præcedens in 4 foll. 8 seu pp. 16.

Hæ editiones quæ Beughemium effugerunt in suis typographiæ incunabulis, extabant Coloniæ in Bibl. nostra, & apud S. T. M. F. Henricum Hilden ejusdem conventus alumnum & publicum in academia Coloniensi professorem theologum, a R. P. Jacobo Quetif visæ anno 1671.

3. *Sermones & collationes* reliquisse dicitur, sed mihi non occurrerunt, quæ forsan alicubi latent neglecta.

F. ANTONIUS DE CARLENIS.

* 1460. F. Antonius de Carlenis Neapoli loco nobili natus, ibidemque ordinem amplexus, vir eruditus a Martino V episcopus in partibus ut aiunt, & coadjutor Andreæ archiepiscopi Amalphitani cum futura successione electus est & institutus. Andrea verò absente Ecclesiam Amalphitanam annis pluribus rexit, & tandem sub Nicolao V S. P. proprio nomine inivit anno MCCCCXLIX tertio idus augusti, & administravit ad ann. MCCCCLX quo mortalitatem explevit, & in sua Metropoli in sacello quod sub nomine S. Thomæ de Aquino ipse erexerat, sepultus fuit. Ejus cum laude meminerunt Vallius in Compendio pag. 153 & iterum p. 184: Ughellus Ital. Sac. T. VII: Fontana in Theatro, Altamura ad 1460. Hæc ejus opera laudantur servata, sic enim aiunt, MS in Bibl. S. Dominici Neapoli:

Commentaria super Metaphysica. Extant etiam Florentiæ MS ad S. Marci, Arm. IV n. 62 charta.

Super IV libros sententiarum, in quorum primo dist. 1 q. 1 citat nostrum Joannem de Neapoli. Sic Gravina in vita hujus Jo. de Neapoli ejus quæstionibus editis præfixa.

Super Magnificat volumen unum.

Hunc scriptorem in duos dividit Toppius, alterum *de Neapoli*, alterum *de Carlenis* agnominatum, utrumque Amalphitanum præsulem præstans, & utrique eadem opera ascribens. Quæ unum & eumdem hominem & scriptorem probant, præsertim cùm aliunde certum sit, unicum nobis fuisse hujus nominis archiepiscopum dictæ sedis.

F. ANTONIUS DE RISPOLIS.

F. Antonius de Rispolis Pedemontanus seu Insuber Florentiæ in S. Marci ordini nomen dedit, & e S. Antonini tum priorem agentis manibus habitum induit. Hic postea cùm ex insula Sicilia in quam se contulerat, Neapolim trajiceret, a piratis captus, Tunetumque ductus, in carcerem detrusus est. Inde tamen quadantenus solutus ac per urbem incedere permissus, sic egit menses circiter quinque non sine plurimis ærumnis & difficultatibus. Quibus tandem fractus anno MCCCCLIX, octavo idus april. feria VI post Quasimodo, quæ etiam fuit sexta mensis, fidem Christi ejuravit, & Machumetanum se professus est ducta etiam conjuge, ac menses quatuor apostata perseveravit. Audita tum patris sui Antonini archiepiscopi Florentini de quo supra morte sanctissima, ceu de gravi veterno expergefactus in se reversus est, & Deo miserante resipuit: longiusque pulsa uxore & profano Saracenorum ritu, cultum suum regularem induit, & pœnitentiæ resumsit exercitia, Cùm tyrannus Agarenus tum abesset, ejus præstolatus est reditum, quo solemnius Machumeticam abjiceret insaniam, & christianam publice profiteretur religionem: idque strenue perfecit summo fidelium gaudio Saracenorumque propudio, qui virum omni minarum pollicitationumque arte tentarunt, donec ipsa tandem die jovis in cœna Dñi quarta idus aprilis seu mensis X saxorum impetitus & obrutus grandine, invictum Deo spiritum reddidit. Corpus rogo impositum illæsum nec pilis aut barba tactis in cloacam ejectum a christianis redemtum pretio, miro cœlestique fragrans odore Tuneti in Ecclesia Januensium sub imagine crucifixi conditum est. Hujus martyrii relationem ad totum ordinem scripsit testis oculatus F. Constantius Cyprius, de quo postea inter extraneos & falso nostris ascriptos, quam a Francisco Castilionensi innovatam Leander viris suis illustribus inseruit fol 59. † 1460.

Alcoranum ab eo Italice redditum indicat Leander, verùm F Constantius citatus dicit solum eum curasse, ut sibi Italice a quodam Arabice perito vulgari lingua Itala redderetur.

F. BENEDICTUS MICHELI.

F. Benedictus Micheli Aprutinus e regione *de Loreto* vulgo dicta ortus sacræ theologiæ magister, vir pietate & eruditione celebris claruit circa ann. MCCCCLX, eratque Ferdinando Neapolitano regi hujus nominis primo a sacris confessionibus. Ejus cum laude meminerunt Vallius in 1460.

Compend. p. 158, & Toppius *Bibl. Napol.* Vallium emendans, & addens in actis Alphonsi I anno MCCCCXLIII fol. 66 in regio prætorio servatis jam ejus fieri mentionem. Nulla tamen uterque huic Benedicto ascribit opera, quem scriptoribus forte accensuit Toppius, ut symmystarum diligentiam acueret, qui quærant an non vir eximius rei litterariæ aliquam lucubrationem legarit.

F. JACOBUS FERRER.

1460. F. JACOBUS FERRER Aragonus natione patriaque & professione Sætabitanus vulgo *Xativa* laudatur a Diago Hist. prov. Arag. lib. 2 cap. 94, ejus tamen ætatem silente, quam Fernandez refert ad 1460. Reliquisse dicunt:

Sermones de Sanctis.

Mirum a Nicol. Antonio omissum Bibl. Vet. Hisp.

F. JOANNES KUNED.

* 1460. F. JOANNES KUNED Saxo Lipsiæ ordini nomen dedit, & Academiæ in ea urbe erectæ circa ann. MCCCCXL sacræ theologiæ magister annis pluribus sacras publice interpretatus est litteras, magnumque sibi fecit nomen, ac de quo illud observatur, dum Germania fere tota in Felicis V papæ Basileensis partes abriperetur, ipsum in Saxonia Eugenio IV imperterritum semper adhæsisse. Floruit ad ann. MCCCCLX usque, scripsitque plura, quorum hæc suo tempore servata fuisse testatur Anonymus scriptorum ejus universitatis nomenclator & suppar, a Joachimo Jo. Madero typis anno 1660 editus, scilicet:

Quæstiones disputata.

Sermones de tempore & collationes & alia.

F. JOANNES DE NEAPOLI.

† 1460. F. JOANNES DE NEAPOLI tertius hujus nominis laudatur a Leandro fol. 145 b, a quo dicitur vir per totam Italiam concionibus notissimus, & circa MCCCCLX clarus laudibus præsertim B. Catharinæ de Senis a Pio II anno MCCCCLXI albo SS. inscriptæ fusissime ubique prædicatis, qui tandem apud Montempessulanum diem suum obiit, sed annus non notatur. Ejusdem meminit Lusitanus p. 152, Altamura in duos diviserat, alterum ad 1406, ad 1461 alterum collocans, utrumque laudum B. Catharinæ præconem, sed seipsum emendat in Append. unumque & eumdem agnoscit circa hæc tempora celebrem, & sane non verisimile ante hujus sanctæ virginis canonizationem in ejus præconia ita se effudisse. At tertius nobis est, & necessario distinguendus ab eo de quo ad 1406 egimus, qui de quæstionibus regularibus scripsit, quem certum est ut ibidem probatum ante 1430 opus suum edidisse & ut videtur mortuum. Hic verò tertius non alia reliquit quam

Sermonum volumen & B. Catharina de Senis praconia.

F. PHILIPPUS MARCI.

* 1461. F. PHILIPPUS MARCI Ligur Savonensis vir pius & eruditus & ad MCCCCLXI clarus laudatur hîc ex fide Oldoini in Athen. Ligust. ubi testes profert Joan. Vincentium Vercellinum in memoriis Savonen. & Sopranum in script. Ligur. qui dicunt scripsisse

La vita della Beata Suor Caterina da Siena.

Hujus scriptoris cùm hactenus non meminerint nostri, in votis esset, ut certiorem ejus notitiam sodales indigenæ dare vellent & hîc addere. SEC. XV.

F. CONRADUS ASTENSIS.

F. CONRADUS ASTENSIS a patria in Insubribus sic nuncupatus a Leandro laudatur in Descrip. Ital. Reg XV Lombard. Cispad. in Monteferrato, ubi de eo sic habet: *Conradum sodalitatis Prædicatorum magistrum non modo prudentia singulari, verum etiam insigni theologia scientia pollentem edidit Asta, uti libris conscriptis est testatus, qui in Dominicana hujus urbis bibliotheca servantur, & nobis sunt visi. Commemoramus de eo abunde in primo libro Vir. Illust.* ubi scilicet fol. 45 ejus meminit inter magistros ordinis. † 1462.

Horum enim fuit ordine trigesimus ex procuratore in curia Romana generali in comitiis Senis anno MCCCCLXII præter solitum in festo assumptionis B. Virginis volente pontifice coactis electus in locum Martialis Auribelli, quem Pius II ab officio removerat. Ordinem rexit annis fere tribus integritate summa, summo & disciplinæ regularis studio, provincias visitavit, & anno MCCCCLXIV ipso pentecostes die XIII kal. junii Coloniæ Agrippinæ aderat, & conventum ad priora Patrum statuta restituit Fratribus sponte assentientibus, plaudente tota civitate: *Ex actis ejus domus.* At e vivis erepto Pio II, Paulus II anno jam dicto V kal. sept. ei suffectus, Conradum ab officio suspendit, Julianum Naldi procuratorem ordinis generalem, & Romanæ provincialem vicarium instituit, & comitia ordinis Novariæ anno MCCCCLXV indixit ad solemnia pentecostes habenda, in quibus Conradus sponte abdicavit, & quod erat pontificis votum, Martialis communi omnium suffragio priori dignitati restitutus. Exinde Conradus hæc non æquo solùm, sed & læto animo ferens Astam se recepit, & totum se litteris dedens post plura egregia ingenii sui monumenta edita podagra correptus ex hac luce migravit anno hujus seculi MCCCCLXX, ejusque obitus in martyrologiis ad XV decemb. annotatur. Hæc ejus scripta:

Opus praclarum & laboriosum, quo dicta B. Thomæ de Aquino per materias ordinavit. Sic Leander codicem MS Astæ se vidisse testatus.

Liber decisionum casuum conscientiæ MS ibidem. Sic Augustinus *della Chiesa* inter scriptores Insubres.

Commentaria in jus canonicum. Sic Rovetta ad 1460.

Epistola encyclica ad universum ordinem ex capitulo suæ electionis haud dubie scripta, quæ cum actis alicubi in Italia invenietur, nam in actis apud nostros Insulenses servatis non extat, quæ aliunde non sunt integra. Legenda & de eo acta capituli Novariensis laudata.

F. GUILLELMUS DE MALLIACO.

F. GUILLELMUS DE MALLIACO alter Burgundus Castro vernacule *Mailli le Chateau* leucis quatuor circiter ab Autissiodoro dissito ortus conventus hujus civitatis alumnus, pater, ut aiunt, jubilatus ibidem obiit anno MCCCCLXII die VII martii, fuitque in Ecclesia ante altare S. Thomæ de Aquino sepultus. Monumenta ejus domus MS in memb. mihi communicata docent plura sua ætate acta scripsisse, inter alia notasse sodales LVIII ejusdem domus Autissiodorensis professos ex quo ad ordinem admissus fuerat, ad diem qua scribere finierat obiisse. Addebatur & scripsisse * 1462.

Tabulare S. Thomæ quod incipit Felix Thomas

Sæc. XV. &c. In dicta domo servatur MS. Eadem monumenta vidit Soegius, & meminit anni sui Dominic. T. II maii in supplem. martii pag. 146, sed erratum subrepsit ubi de isto de Malliaco quem *Joannem* vocat, cùm in dicto quaternione membraneo diserte scribatur *Guillelmus*.

F. NICOLAUS D'AYMO.

* 1462. F. Nicolaus d'Aymo Siculus Aletii vulgo Lecce in Salentinis ortus, & ordinem amplexus, circa seculi XV medium florebat, vir agendarum rerum peritus & solers, cujus opera ideo Ferdinandus Siciliæ rex in variis legationibus usus est, & cui propterea honorarium quolibet mense solvendum legitur constitutum in archivis regiæ cameræ Execut. 25 anni MCCCCLXII fol. 154. Sic habet Toppius Bibl. Napol. nulla tamen ejus addens opera, quæ forte a sodalibus suis expectavit subjicienda, aut forte talia censuit:

Acta legationum ab hoc insigni viro susceptarum, modo in iisdem archivis habeantur.

FF. GABRIEL CASSAFAGES, JACOBUS DE BRIXIA & VERCELLINUS DE VERCELLIS.

† 1463. FF. Gabriel Cassafages, Jacobus de Brixia & Vercellinus de Vercellis theologi primi nominis simul florebant hoc anno MCCCCLXIII unàque visi sunt laudandi, cùm tres ex ordine selecti fuerint, qui cum totidem Franciscanis congrederentur in illa celebri concertatione coram Pio II Romæ in natalitiis Dñi anno citato habita de illa quæstione, *Utrum sanguis Christi effusus in cruce permanserit personæ Verbi adunatus, ut corpus ejus in sepulcro eidem personæ hypostatice conjunctum permansit.*

Gabriel Catalanus erat, & Barcinonensis patria & professione ut docet Diagus, cui major fides, quam Rovettæ, qui de eo agens ad 1453 vult Bononiæ vestem ordinis induisse. Patria verò relicta in Italiam juvenem se contulisse conjicimus, & ex iis Catalanis fuisse, qui plures ea ætate reformationis Bononiæ tum florentis odore allecti, eo se contulerunt, illique sustinendæ ac propagandæ non exiguam dederunt operam. Certum ibidem priorem præfuisse & regentem egisse studii. Tum circa annum MCCCCLX generalis ejusdem urbis positus inquisitor, ita se omnibus probavit, ut cùm exinde Romam anno MCCCCLXI ad scholam S. Mariæ super Minervam regendam a magistro ordinis acciretur, eum Pius II noluerit officium deserere, sed brevi quarta decembris ejus anni dato facultatem ei contulerit vicarium sibi Bononiæ substituendi, donec regentis Romani munere completo, ad solita sacri tribunalis exercitia ei redire liceret. Quæ videsis apud Fontanam Theatri p. 687, ubi & Pii II breve legendum.

Jacobus de Brixia a patria sic & professione dictus inquisitor in patria generalis anno MCCCCL positus, vir & ipse strenuus, & fidei tuendæ incumbens impiger, concertationis laudatæ primus auctor fuit hac occasione. Jacobus de Marchia ordinis Minorum S. Bernardini aliàs socius tum senex, Brixiæ conciones habens feriis paschalibus, publice prædicavit fusum in cruce Christi Domini sanguinem triduo mortis divinitati non mansisse conjunctum, nec triduo illo fuisse adorandum. Jacobus noster inquisitor Brixiæ de re monitus eodem die jussit eam propositionem ceu erroneam, imo & hæreticam ab uno e suis sodalibus e pulpito accusari & impugnari, simulque Jacobo de Marchia mandavit, ut errorem revocaret, nisi quam primum pareret, diem coram suo tribunali de fide responsuro dixit. Inde magna non solum inter utrumque ordinem, sed & in populo nata discordia, parte Marchiano & Franciscanis favente, parte altera inquisitori suisque sodalibus adhærente, ita concitatis in se invicem animis, ut alii alios tanquam hæreticos proclamarent. Has turbas ut sedaret Pius II, quæstionem ad suum tribunal & judicium evocavit, diemque solemni habendæ coram se disputationi Romæ ad festum natalis Domini anno MCCCCLXIII constituit. Convenere ex utroque ordine viri sapientissimi, & cùm in majori numero essent, jussit pontifex ut ex utraque parte tres seligerentur unà congressuri: ex parte Prædicatorum duo jam laudati Gabriel & Jacobus dati fuerunt, iisque additus tertius *Vercellinus de Vercellis* a patria ille & professione sic agnominatus theologus magnæ tum famæ hæreticorum & ipse itidem ut & duo sodales censor: ex parte Minorum comparuerunt Franciscus de Savona postea cardinalis *de la Roüere* a familia sic dictus & tandem sub nomine Sixti IV ad summum pontificatum evectus, secundi nomen tacetur, tertius Guillelmus Vaurilongus ab Wadingo cognominatus Gallus Armoricus Dinanensis sacræ facultatis Parisiensis magister: hic in actis facultatis dicitur Guillelmus Vallerovillonis anno MCCCCXLVIII die XXIX januarii licentiatus, & inter novem ejusdem licentiæ secundum locum sortitus. » Hunc « inquit Gobelinus, quem hîc excipio, sui omnia « supra verum extollentes in doctrina theologica « monarcham, & omnium doctorum doctorem ap- « pellabant, ac veluti quoddam numen admiraban- « tur, cui theologi Italici generis comparati, vix « nomen discipulorum merebantur. Ea res virum « contemptibilem reddidit, cùm nihil diceret au- « ditu dignum. Galliam & Italiam penetravit Guil- « lelmus gloriosus, Romæque nonnullos deterruit « opinione doctrinæ, tanquam ea dicturus, quæ ne- « mo auderet confutare: sed cessit repente doctis « curiæ viris, & cristæ cecidere superbo «. Non vixit paulo post certamen Guillelmus, ex morbo enim correptus obiit Romæ anno sequenti MCCCCLXIV, uti Wadingus habet. Ad congressum redeo, quem sic describit Gobelinus. » Pulchrum & delectabile « fuit audire doctissimorum virorum præclara inge- « nia inter se contendere verbis, & nunc istum, « nunc illum superiorem cernere. Certavere ut de- « cuit coram tanta majestate non sine modestia ac « trepidatione viri religiosi. Disputatio tribus die- « bus in palatio coram pontifice, ac sacro senatu « cardinalium & reliquorum prælatorum conventu « agitata est. Adeo verò durum & acre certamen « habuere, ut media hieme, cùm rigerent omnia « gelu, in sudorem resolverentur, tantus erat vin- « cendi ardor. Audiebant attentissime consedentes, « nec loquentem interturbare quisquam præsumsit. « Prædicator primus auditus est, deinde Minor, suc- « cedebantque sibi invicem tres viri, & alacres de- « ficientium partes assumebant. Cùm satis dixisse « visi sunt Minores & Prædicatores, facta est po- « testas reliquis theologis, quæ vellent dicere. Tum « quoque prælium nobile visum, cùm Prædicato- « rum alii, Minorum alii partes tuerentur. Præci- « pua verò contentio inter duos episcopos fuit, » Dominicum de Dominicis Torcellanum, & Lau- « rentium Proverella Ferrariensem « (hic magister Parisiensis erat anno MCCCCLIV die XXIX aprilis primus inter quindecim licentiatus) » theologicæ « sapientiæ peritissimos. Torcellanus qui olim cum « Minoribus senserat, mutato proposito ad Prædi- « catores defecerat: Ferrariensis Minoribus adstipu- « labatur, & summo conatu sensum impugnabat Præ- « dicatorum «. Exitum disputationis sic tandem narrat Gobelinus.

» Pontifex auditorium dissolvit deinde cum cardinalibus plerisque diebus rem tractavit. Major pars sententiam Prædicatorum approbavit; pauci cum Minoribus sensere: Pius quoque cum majori parte fuit, sed non est visum eo tempore decretum fieri declarationis, ne multitudo Minorum, cujus erat contra Turcas prædicatio necessaria offenderetur, in aliud tempus decisionem differre placuit «. Hæc Gobelinus lib. XI commentariorum testis præsens & quæ viderat & audierat narrans Pio II ipse a secretis & epistolis, qui tamen in quibusdam circumstantiis erravit: Nam Minorem primum, Prædicatorem secundum auditos patebit ex sequentibus.

Horum trium sodalium nostrorum meminerunt nostrates omnes post Leandrum, qui fol. 140 a sic habet de primo: *Gabriel Barchinonensis ille optimus disceptator, qui aliquando coram Pio II pont. max. circa annum Dñi* MCCCCLXX (erratum in anno pro MCCCCLXIII) *in frequenti prælatorum & doctissimorum virorum cœtu cum maximis viris disceptaverat de materia sanguinis Christi, an videlicet divinitas fuerit separata a sanguine Christi in cruce effuso & victoriam reportaverat.* De duobus aliis sic habet fol. 149 a: *Ecce Jacobum de Petris Brixiensem sacræ theologiæ interpretem hæreticorum limam severissimam, & Vercellinum Vercellensem virum doctum & eruditum, florentes circa annum Dñi* MCCCCLXX. Addo ego & jam pluribus annis antea. De eadem celebri disputatione superius narrata agunt etiam Leonardus de Utino sermone in parasceve, Silvester de Prierio Rosæ aureæ tract. 3 quæst. 30 in evangelia, Lopez P. III lib. 3 cap. 2, & alii ut Fernandez & Altamura ad 1462. Mirabar vero inter hos nomenclatores nullum esse, qui tribus egregiis athletis hîc recensitis ullum de controversia memorata opusculum vel tractatum tribueret: quamvis dubitare non possem, quin plura in ea causa scripserint. Tandem in manus meas venit insignis codex bibliothecæ illustrissimi dñi Joannis d'Estrées archiepiscopi Cameracensis a rege Christianissimo designati & papæ Clementi XI oblati. Qui codex in fol. collectio est tractatuum in causa sanguinis Christi editorum, & horum quidam impressi, quidam tantum MS.

Ejus codicis laudandæ primo veniunt orationes duæ coram Pio II pronunciatæ, prima Franciscani, altera Dominicani. Ambarum exordia hîc legere haud pigebit. Titulus:

In Dei nomine Pii secundi pontificis maximi de contentione divini sanguinis inter Minores & Prædicatores coram se habita: & primo Minoribus liber hic incipit.

MINOR.

» Cogor de pretioso sanguine Jhesu quod sentio dicere, ita jubes sanctissime pontifex maxime. Rem multitudini odiosam aggredior, dicturus effuso sanguini in triduo passionis divinitatem non fuisse conjunctam, neque debitum latriæ cultum. Non audiar ubique placatis auribus, allatrabunt omnes mihi qui contra sentiunt, meque velut ethnicum & hæreticum devitandum existimabunt, & odiis prosequentur acerbis. Sunt enim multi mortalium, qui dominico sanguini contumeliam irrogari putant, si vel ad breve tempus divinitatis [consortio] privetur, & non semper divinos mereatur honores. Sub pietatis obtentu pietatem ipsam extenuant, non advertentes tanto in nos Domini misericordiam & pietatem fuisse majorem, quanto sese magis exinanivit, & suum sanguinem passus est fieri abjectiorem. Sed non ego imperitæ multitudini loquor, cujus velati oculi occulta & mirabilia de lege Dei nec considerare possunt nec intueri. Non est vulgus idoneus divinorum auditor arcanorum. Coram te habeo sermonem, cui revelata sunt secreta cœlestia. Coram mundi luminibus loquor S. R. E. cardinalibus, episcopis, cæterisque prælatis, divinæ & humanæ legis doctoribus. Tu quasi Sol in apostolico throno resides: hi tanquam sidera solium tuum ambiunt, nihil huc non tersum, non emendatum afferendum est: neque mentiri licet in hoc loco nec nugari. Non enim cito verbum enunciabo quin me circum stantes intelligent: non tantum exprimet orator, quantum capiet auditor. Ad verum in hoc auditorio non ad opinionem sunt verba formanda. Non ergo quid sentiant homines, sed quid sentire debeant quæro, nec mihi plus arrogo, quam par est. Homo sum, labi, errare, falli, decipi possum. Ideo cuncta quæ sum dicturus, more christiano Pie pontifex, tuo judicio submitto, ea tantum pro veritate asserturus, quæ tua sedes vera esse declarabit, cujus castam & infallibilem esse censuram non ambigo. Tu bellum hoc finies, tu me a latrantium morsibus liberabis, tu mihi si male dixero, si bene, parti adversæ silentium impones. Ego a tuo judicio nunquam discedam. Audi ergo benigne quæ dicam, & cum me audis ordinem ipsum divi Francisci, cujus jussibus pareo, loquentem existimate. Pro Fratribus omnibus unus loquar, atque in primis articulum quæstionis proferam [de] quo cum Prædicatoribus decertamus «. *De sanguine Salvatoris in passione fuso contendimus, an separatus a corpore Verbi retinuerit unionem, an amiserit, nos amissam dicimus, Prædicatores retentam.*

Hæc oratio Minoritæ quatuor folia implet per columnas distincta, quam integram libens dedissem, nisi operarum sumtibus parcendum esset. Cæterum in hoc exordio solo animadvertere potest lector, quantum suæ causæ timeret Minor, quia sentiebat hanc menti populi christiani insitam esse communiter sententiam, sanguinem Christi pro nobis in cruce effusum redemtionis nostræ fuisse pretium, ac proinde valoris infiniti, qui a divinitate conjuncta prodire solum poterat. Titulus alterius orationis hic est:

In Dei nomine hic incipit pro Prædicatooibus.

PRÆDICATOR.

» Quod Minores negant, Piissime pontifex, de sanguine Jhesu, nos filii tui audacter affirmamus, certumque esse putamus, pretiosum sanguinem, quem Dominus & Salvator noster in cruce fudit, & post diem tertiam ad glorificatum corpus resumsit, semper fuisse divinitati conjunctum, nec vel parvo mortis tempore ab ipsa Verbi hypostatica unione potuisse divelli. Nec veremur populi voces aut maledicere aut adversari: quin sententiam nostram christianam hic omnes complectuntur & laudant, quod maximum est nostræ veritatis judicium, quia nunquam omnino falsum est, quod populi multi dictitant: nec rursus peritorum judicia formidamus, quorum pars maxima nobiscum sentit. Res deinde adeo per se patet, vivisque adeo rationibus insinuatur, ut doctis & perspicatibus ingeniis nullo pacto queat videri dubia. Audisti benigne, maxime pontifex, quæ dicta sunt adversus pium Christi cruorem, audies non dubitamus benignius quæ pro ipso cruore dicentur. In eo qui dicendo præcessit, Minores audivisti: cum me audies Prædicatores audies. In illo Divum Franciscum Seraphicum, ejusque sacram religionem honorasti, in me hodie gloriosum Dominicum, præclarum Ecclesiæ sidus meumque non contemnendum ordinem decorabis: nec minus attentas nobis aures exhibebis pretiosi sanguinis Domini laudes pro meritis extollentibus, quam illis indigne comminuentibus. «

Sec. XV. » Accepisti titulum quæstionis de sanguine Salvatoris in passione fuso, eodemque ad glorificatum corpus resumto, hunc Minores in triduo passionis divinitate nudatum tradunt, nos unitum semper fuisse dicimus: rationes audivisti Minorum, nostras nunc accipe. Pro magnitudine rei brevior ero «.

Hæc actio Prædicatoris duodecim fere folia itidem ut superior per columnas distincta solidissima est & vivacissima, auctoritatibus sacræ scripturæ & sanctorum patrum doctorumque scholasticorum ad amussim expensis refertissima, in qua & singula adversariorum objecta referuntur & conteruntur, quæ propterea & hic edi mereretur, a quo tamen propter rationem allatam abstineo, solum finem adjicio:

» Manet certa exploratque sententia nullo unquam tempore preciosum Christi sanguinem divinum consortium amisisse. His qui secus asserunt, beati apostoli formidanda sententia est apud Hebræos in hunc modum scripta «: *Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* » Gravissima mereri supplicia Paulus dicit, qui pollutum Domini sanguinem affirmaverit: pro *polluto* Græci *communem* dixere. Communem Domini sanguinem dicunt, qui divinitate privatum asserunt, consulant ergo sibi, judiciumque vereantur. Nos sententiam nostram notam fecimus, quæ non erit nostra, nisi tuo fuerit approbata judicio. Tuum modo est auditis partibus sententiam promulgare, quam de tuo tribunali non possumus nisi justam sanctamque præstolari «.

Explicit de sanguine Christi inter Minores & Prædicatores contentio coram papa Pio facta.

Etsi autem hanc orationem unus tantum ex tribus sodalibus hîc laudatis coram summo pontifice videatur pronunciasse, quin tres illi conficiendæ suam operam contulerint, nullum dubium.

Post actiones relatas sic legitur:

» Hæc scripsi Romæ ego Frater Mathurinus Espiardi sacræ theologiæ humilis magister, socius reverendissimi magistri Martialis Auribelli de Avinione præfatæ facultatis eximii professoris, ac totius ordinis Prædicatorum generalis magistri dignissimi, raptim quia occupatus pro defensione honoris & libertatum ordinis non potui melius ea, & copiam difficulter habere potuerim. Romæ die XVI mensis julii anno Dñi MCCCCLXVIII «.

De isto Mathurino viro diligenti & curioso agimus postea. Vide ad 1500.

Eodem codice MS. laudato est alius tractatus horum trium sodalium de eodem argumento concinnatus, cujus hoc est principium.

» Ex mandato sanctitatis vestræ beatissime papa, nos tres Frater Jacobus de Brixia, Frater Gabriel de Barchinona, Fr. Vercellinus de Vercellis, omnes minimi theologiæ professores & ordinis Prædicatorum missi per generalem ordinis nostri ad sanctitatem vestram pro causa benedicti sanguinis Salvatoris nostri effusi in parasceve, redigimus in his scriptis auctoritates & rationes, quas in præsentia sanctitatis vestræ superioribus diebus verbo protulimus «.

» Antequam aliquid ex nobis scribamus, protestamur primo, quod nihil intendimus dicere, quod sit contra sacram doctrinam, sed omnia per nos scribenda subjicimus correctioni & determinationi S. V. cui semper adhærere intendimus.

» Secundo protestamur, quod non intendimus scribere aliquid de totalitate sanguinis Christi effusi in die passionis, hoc est, utrum totum sanguinem effusum in die passionis Christus resumserit in die resurrectionis vel non totum, nec de sanguine circuncisionis, vel de aqua lateris Christi & similibus. Sed solummodo intendimus loqui de sanguine fuso in die passionis & reassumto in die resurrectionis, utrum scilicet tali sanguini in triduo mortis Christi divinitas Verbi fuerit unita personaliter, vel ab eo separata &c «.

» Pro fundamento omnium per nos dicendorum, accipimus hanc regulam generalem, quod in * determinatis nunc hujus dubitationis & similium ad fidem pertinentium, non debemus uti nisi testibus sacrarum litterarum, aut auctoritatibus sacrorum doctorum, aut rationibus sumtis ex sacris litteris. Hæc regula habetur ex beato Dionysio de divinis nominibus cap. 1, ubi loquens de theologia discreta & unita, & respondens cuidam tacitæ objectioni tandem infert: » *Accipientes tanquam regulam formosissimam Christianitatis in eloquiis posita custodiri non multiplicata, non minorata, & inconversibilia.* » Ubi glossæ Linconiensis & S. Thomæ dicunt, « *non minorata id est nihil detrahentes, S. inconversibilia, id est non perverse exponentes.* » Et Levitici ultimo dicitur: *Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur.* Glossa: *Omnis diffinitio sanctis fiat ponderibus*; scilicet ex sacra scriptura venientibus: exteriora enim pondera & philosophorum, quibus vitas hominum pensant nec justa nec sancta sunt. «

* f. determinationis

» Istis ita prælibatis tres partes faciemus in hoc nostro opusculo «

» In prima ponemus positionem nostram, & eam probabimus «.

» In secunda ponemus positionem alterius partis, & eam refellemus «.

» In tertia ponemus responsiones alterius partis ad auctoritates & rationes positionis nostræ, & eas refellemus «.

Has singulas partes erudite & nervose prosequuntur. Continet opusculum septem folia per columnas distincta. Titulus in superiori margine alio charactere & fere deletus hic est:

Tractatus de sanguine Christi editus a F. Gabriele de Barchinona inquisitore generali Bononiensi, & Jacobo de Brixia inquisitore Brixiensi ordinis Prædicatorum deputatis cum eorum collega Vercellino de Vercellis a magistro Conraldo Astensi generali ejusdem ordinis coram Pio papa secundo.

At quandoquidem rarus est iste codex, in gratiam eruditorum visum est omnium tractatuum in eo contentorum indicem hîc addere.

Primus, isque typis expressus hunc habet titulum: *De Dei potentia incipit tractatus ad Paulum papam II, compilatus per F. cardinalem S. Petri ad vincula.* Hic erat Franciscus *de la Ruere* ordinis Minorum.

In hoc tractatu sic habet sub finem: *secundo modo considerando Deum, tunc per suam absolutam potentiam potest Deus præcipere seu acceptare odium sui ipsius, & odiens eum stante tali præcepto mereretur, quia divinam legem observaret.* Mirum viro erudito, & qui postea ad sedem Petri evectus est talem opinionem excidisse. Quasi vero Deus summum bonum possit præcipere summum malum, quale est odium sui, quod non minus repugnat quam Deum seipsum negare, aut mentiri.

Alter etiam impressus est ejusdem Francisci cardinalis dicatus eidem Paulo II de sanguine Christi, & in eo defenditur sententia Minorum effusum nempe sanguinem in cruce divinitati non mansisse conjunctum. Hic fusissimus est, & ad id tandem devolvitur, ut a pontifice utrique parti adversam suam sententiam ceu probabilem affirmare & sustinere

tare permittatur. Hanc utramque Francisci operam Jacobus Philippus de Lignamine Messanensis doctor medicus Romæ in propriis ædibus in quibus officinam typographicam sibi comparaverat, ut docebitur postea ad 1490 ubi de Philippo de Barberiis, typis Romanis grandiori charactere, quem S. Augustini vocant, impressit, & posteriorem ipsi suo auctori tum summo pontifici Xisto IV dicato nuncupavit.

Tertius tractatus de sanguine Christi, isque MS. est sacræ theologiæ magistri Dominici episcopi Brixiensis, qui eum composuit cùm antea Torcellanus erat antistes & dñi papæ referendarius, & in dissensione orta inter Prædicatores & Minores requisitus a papa Pio II in congregatione generali cardinalium & aliorum prælatorum curiæ & doctorum, ut votum suum daret, post multa quæ super hac materia pro voto suo dixit, hunc tractatum pontifici in ipsa congregatione obtulit anno a nat. Dñi MCCCCLXIII mense januarii circa principium: sic habet titulus. Tractatus autem continet 30 folia per columnas scripta, in quo sententiam Prædicatorum certiorem & sacræ scripturæ sanctorumque patrum auctoritatibus magis consentaneam probat.

Quartus tractatus hunc habet titulum: *Quæstio de relationibus & necessitate fundamenti earum magistri Dominici episcopi Torcellani contra magistrum Guillelmum Varallon Britonem dictum Aquilam ordinis Minorum anno Dñi* MCCCCLXII. Sequitur:

» Ista quæstio mota est propter hoc, quod quidam antiquus magister, & qui multos annos cathedram rexerat, in sermone suo ad populum prædicavit, quod illa verba dicta a Domino in cruce, scilicet *Ecce filius tuus*, fuerunt tantæ efficaciæ & virtutis, quod per illa Johannes potuit esse factus filius naturalis beatæ Virginis: sicut illa verba sacramentalia, *Hoc est corpus meum*, sunt tantæ efficaciæ, quod per illa panis efficitur corpus Christi. Quod cùm esset ad Romanam curiam delatum tanquam esset propositio scandalosa erronea & impia, & idem magister ex doctrina aliquorum & specialiter Francisci de Maronis eam defenderet: invitatus ut in corona aliquid dicerem, adduxi contra eum aliqua argumenta & alia etiam post superaddidi, quæ nunc describam ad veritatis investigationem, semper subjiciendo ea quæ dixero judicio melius sentientium «. Continet undecim folia ut supra.

Quintus continet duas actiones supra relatas Minoris & Prædicatoris. Sextus est Bartholomæi Lapaccii quondam Coronensis episcopi ord. Prædic. de divinitate sanguinis Christi libellus, de quo nos postea ad 1466. Continet tredecim folia longis lineis scripta.

Septimus est tractatus trium nostrorum sodalium supra laudatus.

Octavus est tractatus brevis contra quosdam nullam propositionum de futuris contengentibus fore veram tenentes, per D. Franciscum sacræ theologiæ professorem ordinisque Minorum cardinalem S. Petri ad vincula editus ad Henricum Zoëmeren scriptus. Continet tria circiter folia minutiori charactere.

Nono. Quæstio quodlibetica disputata anno LXV id est 1465. An in potestate Petri fuerit Christum non negare, postquam Christus ei dixerat, *Ter me negabis*. Tria folia longis lineis minutiori charactere.

Decimo plura de veritate propositionum de futuro contingenti.

Undecimo sequuntur conclusiones sentionaliter continentes ea, quæ ego Petrus de Rivo dixi in materia de futuris contingentibus, quantum possum meminisse.

Additur censura theologorum Parisiensium de hîc relatis scriptis Petri de Rivo de veritate propositionum de futuro contingenti, quam clar. vir Baluzius edidit in suis Miscellaneis. SÆC. XV.

Sequuntur tandem censuræ similes theologorum Coloniensium inter quos nullus nostras, & Lovaniensium quorum hi laudantur nostrates Johannes de Bomalia, Johannes Haërbelle aliâs de Namurco, & Johannes de Rupe in dicta facultate theologiæ professores, ultimus actu legens & regens: anno MCCCCLXX mense octobri.

Pro coronide subjicitur statutum facultatis theologicæ Lovaniensis de hac quæstione & similibus, cum brevi Sixti papæ IV, quo Petrus de Rivo insons declaratur. Datum die IX aprilis anno MCCCCLXXIII pontif. II, & lectum ac significatum Lovanii in congregatione generali facultatis apud Prædicatores ultima maii ejusdem anni.

Jam ad nostros sodales redeo de quibus hoc articulo agimus, Gabrieli Cassafages Rovetta ad 1453 hæc ascribit opera:

Tractatum adversus hæreses sui temporis.

Praxim procedendi in causis fidei.

Summam S. Thomæ contra gentiles in compendium redactam sed ubi hæc saltem MS serventur, aut a quo visa, silet pro more; itaque penes eum fides.

Quantum ad Vercellinum de Vercellis, duplicem distinguit Altamura, alterum quem collocat ad 1301, alterum quem refert ad 1360, cui ne fidem habeam, prohibet quod cæteri omnes unum tantum agnoscunt, Leander, Lusitanus, Fernandez, Rovetta, imo & Chronicon parvum ad calcem constitutionum ab editione prima Veneta anni 1504 ad ultimam anni 1694, in quibus Vercellinus sub Pio II & in laudata supra concertatione celebris memoratur. Hinc exerratio est apud Lusitanum, quales apud eum plures, cùm eum collocat ad 1312, & apud Rovettam qui refert ad 1309, quos docere poterant Leander eum constituens ad 1470, & Fernandez qui ex ipso, quem citat Lusitanus, Alberto Veneto Vercellinum refert ad 1460. Hæc verò sunt quæ illi speciatim tribuunt opera:

Postilla super evangelia Dominicalia.

Sermones quamplurimi per annum.

Hymni & sequentiæ de Sanctis.

Summa logica, cui titulum indidit, Tetralogus.

Quæstiones in totam physicam & theologiam.

Logica contra Ocham, quam inscripsit, Anti-Ocham.

Ubi verò hæc serventur sive typis edita sive MS., nullus docet: utinam Vercellini sodales, si apud eos sint, doceant, & hîc addant.

F. CHRISTOPHORUS DE MEDIOLANO.

F. CHRISTOPHORUS DE MEDIOLANO domus S. Eustorgii ibidem alumnus, insignis fuit dicendi facundia Ecclesiastes, sed & pietate, vitæque sanctitate ac abstinentia severiori vel etiam miraculorum gloria non minus claruit. Primum domus ordinis Tabiensis promotorem & erectorem fuisse volunt, & cùm ea anno demum MCCCCLXVIII in comitiis Romanis in conventum acceptata fuerit, primo priore F. Baptista *de Carredo* constituto in actis, circa hæc tempora Christophorum floruisse necesse est. Pius ex Taegio P. I Monum. Ord. obiisse dicit anno 1464, idem confirmat Rovetta ex relationibus domus dictæ Tabiensis, & in ea mortuum & sepultum. Ejusdem meminerunt Leander fol. 145, b, Razzius p. 280 n. 22 inter claros verbi Dei præcones, Picinellus in Athen. Mediol. & Carrisius in sacro theatro, quibus testibus scripsit † 1464.

Sermones de tempore & de sanctis, & apparatum ad

SÆC. XV. *conciones ex variis SS. Patrum auctoritatibus confectum.* Quæ omnia quatuor voluminibus membraneis comprehensa apud nostros Tabienses asservantur.

F. JOANNES LOPEZ.

† 1464. F. JOANNES LOPEZ vel *Lupus* aut etiam *Lupi* Latine dictus, seniorque nobis hîc appellandus, patria fuit vel saltem professione Salmantinus provinciæ Hispaniæ alumnus, vir ætate sua morum probitate prudentia & eruditione conspicuus. Sacræ theologiæ magister jam erat anno MCCCCLXII, quo in comitiis ordinis generalibus Senis celebratis sic in actis de eo legitur, *Conventui Salmantino provinciæ Hispaniæ damus in regentem F. Joannem Lupi Magistrum.* Cùm autem apud omnes optimates etiam non communi haberetur in pretio & existimatione, ab Eleonora Alphonsi Roderici Pimentelli comitis de Benavente filia, Alvari verò *de Zuñiga* vel ut alii scribunt, *d'Estuñiga* Placentiæ comitis Hispaniæ magnatis uxore secunda delectus est conscientiæ arbiter & moderator, cujus illa consiliis quem unum illa viro suo genuerat masculum Joannem *de Zuñiga* postea S. R. E. cardinalem cum duodennem adhuc puerum amisisset infirmitate gravi sublatum, votum pro ejus suscitatione ad Deum sub intercessione S. Vincentii Ferrerii ante paucos annos nimirum MCCCCLV in album SS. relati nuncupavit, vivum recepit, votique rea Placentinum cum viro a fundamentis erexit cœnobium sub invocatione ejusdem sancti summo vitæ arbitro ac numini dicatum, quod non ædificiorum modo majestate, sed & quos abinde tulit egregios, filiorum sanctitate fulget. Hinc suum jure colunt & habent Hispani nostri hujus domus auctorem Joannem hunc Lupi: eam verò erectionem seu fundationem Tamajo in martyrologio Hispano T. IV refert ad ann. MCCCCLXIV. Quo demum anno decubuerit & ubi, nullus certo profert, Lopez tamen junior de quo mox Histor. gener P. III lib 3 *cap. 5 pag. 193 a*, mortuum indicat Placentiæ in domo quam nostri inhabitabant, interea dum quæ modo extat ædificaretur, & in ecclesia dicta *S. Domingo el viejo*, quæ nobis tum usui erat jamque etiam ad nostros spectat, sepultum: unde colligas ante MCCCCLXXXVI obiisse, cùm eo anno ad novam domum transierint nostri. Ejus cum laude meminerunt Lusitanus, Pius *P. II Lib. 3 col.* 11 *ad* 1412. Fernandez rectius ad 1470. Altamura ad 1422 & etiam in Appendice ex relatis emendandus. Hæc ei opera tribuuntur a Lopez juniore citato cap. 1:

1. *La vida de san Vicente Ferrer a instancia de la duquesa de Placencia y Vejar D. Leonor Pimentel &c.* Hujus meminit F. Vincentius Justinianus Antist Aragonus in sua ejusdem sancti vita; Joannes Marieta, & Vossius de Hist. Lat. pag. 554.

2. *La vida de nuestro padre santo Domingo y otras historias de la orden.* Fernandez addit libros esse quinque vitarum primorum ordinis Patrum & Beatorum.

3. *Un volumen de sermones y otras cosas.*

4. *Opus eruditum contra superstitiones Judæorum.* Sic Fernandez sermones & controversias adversus Judæos vocat Lopez Junior *P. III*, *Lib.* 1 *c.* 42 §. 2 & autographa servari asserit in Bibl. Eccl. Gathedr. Salmanticæ.

5. Altamura in *Append.* addit sed sine teste *Compendium SS. Rosarii*, cui in hoc parca mihi fides. Huic enim seniori censeo Altamuram asserere, quod est junioris.

Præter citatos videsis Ægidium Gundisalvum Abulensem *Teatro de las Eccl. de España T. II*, ad Joannem de Zuñiga cardinalem Archiepiscopum Hispalensem. Sed præ cæteris legendus Nicolaus Antonius *Bibl. Hisp. Vet. Lib.* x *cap.* XIV *pag.* 216 *n.* 792, ubi hæc habet:

» Joannes quidam Lopez Dominicanus vulgari lingua Castellæ reddidit «

Los evangelios desde Aviento hasta la Dominica in passione.

» Ducissæ Arevali (Eleonoræ nempe supra laudatæ) rogatu, quæ Zamoræ edita anno 1490 in fol. vidit D. Thomas Tamajus de Vargas. Nescio an alius sit Joannes Lopez de Salamanca, quem Dominicanum ad ordinem receptum in cœnobio S. Stephani ejusdem urbis scripsisse *Controversias contra Judæos* Ægidius ait Gundisalvi de Avila in *Salmantina historia*, atque item Joannes Lopez Salmantinus, quem laudat Antonius Senensis in *Bibl. Domin.* quem ait ad preces D. Eleonoræ Pimentelliæ comitissæ Placentinæ scripsisse *B. Vincentii Ferrerii vitam.* Sed quod ex Vinc. Justin. Antistio in ejusdem argumenti commentario adjungit æqualem eum vixisse eidem B. Vincentio qui anno 1418 aut sequenti ad superos abiit, falsum est, cùm Eleonora Pimentellia uxor secunda fuerit Alvari Stunicæ secundi comitis Placentiæ & primi ducis de Arevalho ac de Bejar catholicorum regum tempore «. Hactenus Antonius. At cùm jam certam habeamus ætatem nostri Joannis Lopez ex capit. gen. Senensi 1462 & ex fundatione conventus Placentini, jam nullum dubium, quin idem sit etiam hujus versionis Evangeliorum Hispanæ auctor, qui saltem puer erat aut adolescens cùm mortuus est S. Vincentius.

F. NICOLAUS DE DACIA.

F. NICOLAUS DE DACIA ab omnibus nostris nomenclatoribus omissus, vir tamen seculo XV insignis, sacræ theologiæ magister, ac philosophus præsertim in astronomia eruditus, solers & curiosus vivebat etiamnum anno MCCCCLVI, quo scripsit opus hoc titulo: * 1464.

Incipit prologus in primum librum Anaglypharum editus per magistrum Nicolaum de Dacia in theologia magistrum, & factum fuit (suppl. *opus*) *in villa Mariologii in conventu Prædicatorum, cujus erat Frater de natione Ungria* (sic) *anno Domini nostri Jhesu Christi 1456: quod opus est magnæ resolutionis in astronomia.*

Quo ex titulo discimus Hungarum fuisse, & agnomen *de Dacia* ab ejus regni regione quæ apud veteres *Dacia* dicebatur sive sit Transilvania sive alia accepisse, non autem a provincia in historiis nostris *Dacia* nuncupata, quæ Daniam Sveciam & Norvegiam complectebatur: Quodnam autem illud oppidum *Mariologium*, in quo conventus ordinis de natione Hungariæ, mihi incompertum.

Hujus operis sic habet prologus:

» *Florensis* (sic) quondam vetustatis traditio numerosa, ejusdemque rei in diversis locis iteratio tædiosa librorum, nunc vero quorumdam frequens inopia modernorum diligentiis circa scientias mathematicas generasse videtur offensam; eaque de re nonnulli imo quamplurimi quasi prædictorum obstaculis retenti passim (vel *passionem*) motivam, quam ad horam se posuerant, ab hujus veritatis infallibili sapientia penitus retraxerunt. Aliud equidem ingressandi (*sic*) virus abhorrendum memoratæ sapientiæ præstitivum est connexio, aliqualisque convenientia, ac prope hærentia quorumdam librorum nigromanticorum qui chlamyde facultatis astrologicæ circumamicti, velut pseudo simplicium intelligentiam in errorum propellere præcipitium elaborant: sicque illarum superstitiosarum falsitatum prætextu inviolatæ, sinceræ, imo necessariæ astrologicæ veritates desertæ totaliter deseruntur, perduntur, nec non

» insciorum detractorum latratibus corroduntur in contrarium nemine renitente. Hos redarguens flos & decor ille venerabilis Albertus magnus in libro suo, qui speculum intitulatur in procemio ubi sic dixit : quod occasione quorumdam librorum, apud quos non est radix scientiæ, qui cùm sint veræ sapientiæ inimici, id est Domini nostri Jhesu Christi, qui est imago Patris & sapientia, per quem facta sunt secula, catholicæ fidei amatoribus merito sunt suspecti. Placuit quibusdam igitur magnis viris, ut libros quosdam alios & forsan innocuos accusarent, in quibus quidem nobilis & occulta veritatis doctrina, apud bonos & graves abominabiles reddiderunt : sicque duæ illæ magnæ sapientiæ, quæ astronomiæ censentur nomine, tam sapientibus quam ignorantibus in nauseam sunt conversæ. Hæc ille. Placuit igitur aliquorum venerabilium instantiis nobis devictis, de utilioribus quæ astronomiæ astrologiæque libris, (deest *continentur*) quorum doctrina orthodoxæ fidei secundùm sententiam venerabilis doctoris jam præallegati minime noscitur derogare, ad utilitatem audientium, scientiæ commendationem, conversationemque, nec non & evitationem prolixitatum eorum quæ in antiquorum codicibus diffusius enarrantur, cuidam compendiosæ compilationi obnixius insudare.

» Cujus titulum *Congeriem anaglypharum astronomica facultatis* libuit nuncupari. Congeriem dicimus, quare diversorum actorum (sic aliâs *actores* vocabant, quos nunc dicimus *auctores*) dicta in unum recolligendo abbreviamus : *anaglypharum* quod sonat eminentiam picturarum, quare utiliora & magis proficua depingendo cum superfluorum resecatione præsens opusculum decuit exornare : eaque de re hoc ipsum in quatuor partiales libros dignum duximus distinguendum.

» Quoniam igitur omnium vere philosophantium in hoc sententia noscitur concordare, quod in superiorum tam syderum quam orbium consideratione primo speculandæ occurrunt corporum ipsorum substantiæ, quæ sui motus varietate diversam in protelato temporum processu inculcationem hujus artis inexpertorum intellectibus soleant instigare : idcirco *primus noster hujus operis partialis liber* erit de motibus corporum super cœlestium & suarum partium, nec non passionibus sibi & suis partibus ex eorum motu contingentibus secundum quod astronomica facultas ad ea se extendit.

» Secunda verò facie quare prædictorum superiorum corporum generales ad inferiora se offerunt influentiæ intuendæ, eaproter post motuum diversitatis declarationem, ipsarum influentiarum, quæ secundùm motus prædictorum corporum, planetarum scilicet, nec non & stellarum fixarum orbiumque diversitatem, accessum & recessum, stationem, directionem, retrogradationem teste philosopho diversimode variantur, generaliter tradere satagemus.

» In tertio autem libro quædam notabilia per quæ solers medicorum peritia urinæ multiloquio, pulsu venarum vario quandoque non attento, status ægrotantium morbique causam cognoscere poterit, breviter perstringemus.

» In quarto verò & ultimo, ordine licèt præpostero, quasdam delectabiles jocundasque geometriæ dimensiones arithmeticas, nec non admirandas proportiones sine quibus astronomica proportio censetur sterilis claudere concupimus.

» Legentium insuper in his quæ sequuntur expertorum tamen reverentiam quoad possumus deprecamur, quatenus utile si quid compendiosum repererint, grates referant omnium instructori. Ubi verò emerserint aliqua quæ crudo sermone contexta vel illepidi faminis intricatione congesta, & occasionem offerant detrahendi, revolvant antiquos, quorum nomina juxta eorum auctoritatem ponemus, videant tabularum discordantiam, diversorum pariter & opinionem. Parcant equidem novellæ compilationi, quæ quia primitus jam orditur ante conceptus completionem, petimus astantem non succindi «. Sæc. XV.

Incipiunt rubrica libri anaglypharum astronomiæ in duos libros divisi. Primus liber dividitur in tres differentias, quarum prima est de motu & habitudine trium sphararum altiorum & continet quinque capitula. Secunda est de motibus septem planetarum & eclypsibus luminarium, & continet octo capitula. Tertia est de cosmometria, geometria sive mensuratione universi, & continet quinque capp.

Secundus liber anaglypharum continet Summas septem, quarum prima est de scientia introductoria in magisterium judiciorum astrorum, & continet 17 *capp. Secunda est de* 120 *conjunctionibus planetarum, & continet* 8 *capp. Tertia est de revolutionibus annorum mundi, & continet quinque differentias, quarum prima est de scientia cognoscendi generaliter accidentia contingentia vulgo, & continet* 4 *capp.*

Secunda differentia est de significatione planetarum secundùm eorum latitudinem, directionem & habitudinem ad solem in anni exordio. Tria capp. Tertia differentia est de speciali planetarum operatione in revolutione anni. 8 *capp. Quarta differentia est de scientia durabilitatis regnantis.* 5 *capp. Quinta differentia est de descriptione orbis universi, & convenientia planetarum & signorum ad ipsum.* 4 *capp.*

Hujus operis liber primus extat Parisiis in Regia cod. MS 5874 qui collectio est similium de astronomia tractatuum, ætatis auctoris chartaceo a fol. 306 ad 329, & ex quo hactenus relata excepi.

Liber secundus extat in Colbert. cod. MS 1912 fol. chart. huncque titulum habet præfixum : *Secundus liber anaglypharum continet septem Summas quarum prima est introductoria, continens* XVII *capp. &c.* Summæ secundæ cap. IV refert conjunctiones celebres factas & faciendas ab initio mundi ad annum MDC. Inter alias sic habet : *Quarta erit anno Christi* MCCCCLXIII *completo* CCLX *diebus*, XVII *horis*, XIV *minutis &* XLI *secundis in piscibus &c.* Dolendum opus esse imperfectum & superesse tantum XVII folia.

Ibidem tamen est, sed etiam imperfectus *liber tertius anaglypharum, qui est de industriis astrologicis circa scientiam medicina.*

Teste Tomasino in suis bibliothecis Venetis inter codd. MSS Alexandri Zilioli extat *Nicolai de Dacia opus anaglypharum fol.* Ex quo si sit integrum, majorem hujus auctoris notitiam dabunt forsan indigenæ.

Postquam autem his nostris temporibus diligentia & experimentis ac observationibus recentiorum scientia astronomica eo perfectionis evecta est, ut accuratior esse non possit, non ideo hunc auctorem nostrum laudo, quasi putem jam magni faciendum : sed fortè curiosum non pœniteret scire quî seculo XV de rebus cœlestibus ratiocinarentur, vel etiam plura quæ illis temporibus acciderunt, quæque noster Nicolaus refert, cognoscere.

F. SALVATOR COTETE.

F. SALVATOR COTETE Neapoli ortus ibidemque ordinem amplexus, theologus insignis 1464. a Ferdinando I Neapolitano rege summo pontifici, ut ad sedem Massalubrensem promoveretur, fuit

SÆC. XV. commendatus per diploma in *Communi* I, 1464 *fol.* 15 *a T registro* in monasterio Montis Oliveti Neapoli servato aliâs archivi regii. Sic habet Toppius Bib. Napol. Ejus tamen nulla prodit opera, sperans forsan a suis sodalibus addenda.

F. SIMON DE FLORENTIA.

* 1464. F. Simon de Florentia Etruscus a patria sic dictus ac in eadem ad S. Marci ordinem professus his annis florebat. Extat in ejusdem S. Marci bibliotheca inter codices MS Arm. III n. 75 *Legenda pro prædicatoribus singulariter abbreviata B. Catharinæ de Senis Sororis de pœnitentia S. Dominici ord. Prædic. cum effigie ejusdem Beatæ in principio.* Ad calcem sic legitur : *Hanc Legendam cum bulla canonizationis fecit scribi F. Simon de Florentia in conventu Panormitano insulæ Siciliæ anno Dñi* MCCCCLXIIII *ex eleemosynis sibi collatis a diversis personis.*

Non hunc Simonem hîc laudo ceu compendii hujus auctorem, sed ut sub ejus nomine Anonymi auctoris servetur memoria.

Sequitur eodem codice membraneo, *Historia seu vita S. Thomæ de Aquino cum ejus oratione in fine.*

Quæ sit illa vita an a Guillelmo de Tocco, an a Bernardo Guidonis, an ab alio scripta, si hîc addant codicis possessores, haud ingrato operam dabunt.

F. BARTHOLOMÆUS PENADES.

* 1465. F. Bartholomæus Penades Aragonus seu Catalanus natione in domo Valaqueriensi ad ordinem admissus, sed in Ilerdensem postea translatus vir fuit seculo XV medio religione & eruditione conspicuus. Ad legendas in sacro palatio sententias baccalaureus assignatus fuit in comitiis ordinis vel Avenione 1442 vel Divione 1444 coactis. Ad suos redux variis functus est in sua provincia muniis, & tandem in cap. provinc. Perpiniani anno 1461 compromittentibus electoribus in magistrum ordinis Martialem Auribelli præsentem, ut quem vellet iis præficeret, ab isto Bartholomæus iis datus est provincialis, summaque ab omnibus approbatione acceptus. Sic refert Diagus Hist. prov. Arag. lib. I cap. 40, additque post administratam summa prudentia & vigilantia provinciam, in comitiis ordinis Novariæ anno MCCCCLXV habitis, precibus urgentissimis ab eodem Martiali litteras missionis ab officio obtinuisse, quas eodem anno die nativitatis B. V. in cap. provinc. Podii Cerdani fulminavit, liberque studiis se reddidit. Ejus meminit Fontana in Monum. ad 1444, & addit eum scripsisse

Volumen de hæresibus hæreticisque suorum temporum. Testes adducit Lopez P. V, & Lucarinum de scriptoribus ordinis.

F. HENRICUS KALT-EYSEN.

† 1465. F. Henricus Kalt-eysen ita vernacula lingua cognominatus, quod Latine interpretantur *de frigido ferro*, *Kalt* enim Germanis *frigidum*, *Eysen* verò *ferrum* sonat, sua vir fuit ætate clarissimus, Teuto natione, patriaque Confluentinus, in arce principis Trevirensis, quam *Ehren-breitstein* vulgo dicunt nobili loco natus, adolescensque ibidem ordini aggregatus. Ut felicissimo erat ingenio, semper deinceps seipso major evasit. Post exacta Viennæ Austriæ, tum & Coloniæ Ubiorum studia in hujus posterioris civitatis academia sacras litteras e superiori loco publice interpretatus est, sic scholæ & discipulis addictus, ut non secus verbo Dei ad populos habendo instaret, ac in utroque genere ingentem jam tum sibi peperit famam. Lauream magisterii in illa sacra facultate adeptus, sanctæ fidei per Germaniam generalis inquisitor institutus est, quo munere Moguntiæ fungebatur ad annum MCCCCXXIV, interea & in illa civitate & in vicinis, Confluentiæ etiam in patria conciones assiduè habebat. Coacto verò anno MCCCCXXXI concilio Basileensi eo vocatus se transtulit, ac plurimum emicuit : nam cùm anno MCCCCXXXIII advenissent Bohemorum orphanorum (sic se nuncupabant sectæ illius homines) legati, & eorum articulos Udalricus presbyter e legatis unus proposuisset, ad tertium *de libera verbi Dei prædicatione* oratione prolixa per tres dies continuos respondit noster Henricus, & hereticorum argumenta omnia sapientissime confutavit ac revicit cum summa totius synodi approbatione. Ex his verò fuisse videtur, qui anno MCCCCXXXVII insurgente adversus summum pontificem synodo Basileam reliquere & Ferrariam ac exinde Florentiam se contulere : nam Eugenio IV acceptus fuit in primis, adeo ut evecto anno MCCCCXLIII ad Ecclesiæ Argolicensis infulas nostro Bartholomæo Lapatio sacri palatii magistro, mox ei a pontifice suffectus fit Henricus ad idem munus magisterii, quod annis decem circiter cum summa laude gessit. Hoc dum fungitur officio, Nicolaus V eum ad Lovaniensem academiam legatum suum mittit apostolicum III nonas julii MCCCCXLVIII mandata de generali Ecclesiæ reformatione apud se constituta laturum. Quem honorifice tota recepit & audivit universitas, rectorisque sui Henrici de Campo lingua gratias ei maximas egit atque SS. pontifici, quod dignatus fuerit suæ devotæ filiæ inter mille solicitudines recordari, & tam celebrem negotiorum promotorem suæque sanctitatis oratorem mittere, uti in Fastis academicis Lovaniensibus cap. 14 n. 30 p. 333 refert Valerius Andreas. Ad archiepiscopatum exinde Nidrosiensem in Norvegia (vernacule *Trontheim*) simul & Cæsareensem promotus est ab eodem pontifice III kal martii MCCCCLII, ut probant ex libro *Provisionum*, quam Ecclesiam cùm annis circiter tredecim rexisset pastor meritissimus, apud suos sodales Confluentinos se recepit, apud quos carnis argastulo liber ad Deum evolavit, fuitque ibidem in Ecclesia sepultus sub tumulo, cui insculpta hæc epigraphe etiamnum legitur :

Anno MCCCCLXV *secunda octobris obiit reverendissimus in Christo pater & dominus D. Henricus Kaltysen ordinis Prædicatorum sacræ theologiæ professor, egregius quondam lector sacri palatii, hæreticæ pravitatis inquisitor, & sanctæ Crucis prædicator, archiepiscopus Ecclesiarum Nydrosiensis & Cæsariensis, filius hujus conventus.*

Idem epitaphium in alia parte ejusdem sepulcri iterum paucioribus verbis reperitur hoc modo :

Anno MCCCCLXV *secunda octobris obiit R. D. Henricus a Kaltysen ord. Prædic. SS. Palatii magister, archiepiscopus Nidrosien. & Cæsarien. filius hujus conventus.*

Ejus cum laude meminerunt plures, sed & plerique emendandi : Lusitanus qui pro *Nidrosiensi* corrupte *Medroscensem*, Valerius Andreas in Fastis acad. Lovan. citatis qui *Calyser* pro *Kalteysen* scripsere : noster Vincentius Baron lib. V Apolog. sect. I a. 2 §. I p. 247 Anglum dicens pro Germano : Altamura qui in duos dividit, alterum Henricum Cæsareensem archiepiscopum ad 1365, alterum Kalteysen Nidrosien. simul & Cæsareen. ad 1465 referens : Fontana in Theatro, ubi ad 26 septemb. mortuum asserit. Legendi potissimum Æneas Sylvius Piccolomineus *De vocatione Bohemorum ad*

concilium Basileense in historia sua Bohemiæ, quam Ortwinus Gratius edidit in *Fasciculo rerum expetendarum* anno 1535 Col. Agrip. p. 155. Joannes Cochlæus *Hist. Hussit.* lib. 6. ad 1433 p. 250, ubi sic habet: *Respondit ad tertium articulum Henricus cognomento Frigidumferrum theologus ordinis Prædicatorum dies tres &c.* Tritemius de Script. Eccl. p. 326. Eysengrenius ad 1463, ubi *virum disertissimum* scribit, *non minus vita quam eloquentia spectatum, theologorum sua ætatis principem*, inter Germanos scilicet: Joannes Nyder æqualis Formicarii lib. 3 c. 1 ubi eum dicit, *sacra pagina professorem & inquisitorem*: & cap. 3 Henricum de Confluentia nuncupat Moguntiæ tum morantem: & lib. 5 c. 8 plura ab eo audita ubique narrans: Henricus Pantaleo Prosopograp. P. II ad 1457, qui licèt alienus a religione catholica virum candide & egregie commendat: Bellarminus, Labbeus, Miræus, Sixtus Senensis, Sebastianus de Olmedo, ac denique Federicus Steill Ephemer. Dominic. ad 2 octob. p. 513 & seqq. ex quo ceu oculato teste epitaphia duo supra relata excepi, & ex eodem seriem operum in conventus Confluentini bibliotheca etiamnum servatorum hîc adjicio. Octo igitur anno 1688 ibi adhuc habebantur volumina Mss seu totidem Kalteysenii collectiones:

VOL. I.

1. *Quadragesimale a feria IV cinerum usque ad Dominicam in albis.*
2. *Sermo in Parasceve de septem verbis Domini in Cruce.*
3. *Sermones in festis pentecostes & SS. Trinitatis.*

VOL. II.

1. *Tractatus contra lusores alearum.*
2. *Resolutio P. Joannis Schadland an liceat Ecclesiæ gerere bellum?* Hic erat ex ordine & centum circiter annis ante Henricum obiit. Videsis supra ubi de eo ad 1373.
3. *Quæstio an liceat libros divinos in vulgare transferre?*
4. *Tractatus de philosophia & partibus ejus.*
5. *Miscellanea spiritualia de religione.*
6. *De reddenda ratione Prælati ex B. Humberto.* Nempe magistro ordinis V.
7. *Dialogus de statu religioso inter patrem & filium ex Malogranato abbatis aulæ regiæ.*
8. *De remediis utriusque fortunæ ex Francisco Petrarcha.*
9. *Epistola Petri Blesensis ad Theodorum monachum ad episcopatum assumtum.*
10. *Homiliæ variæ. De militia spirituali. De militia christiana. De filiis prodigo & provido. De turture.*
11. *Epistola S. Joannis* (nempe Chrysostomi) *episcopi in exilio constituti, quod nemo possit lædi nisi a semetipso.*
12. *Tractatus contra articulos Hussitarum.*
13. *Tractatus contra Fratrem Nicolaum ordinis S. Wilhelmi.*
14. *Tractatus contra detrahentes prælatis in sermonibus.*
15. *Tractatus de universalibus juxta mentem S. Thomæ.*

Monet hic Federicus Steill aliàs hîc fuisse tractatum crassitudinis unius digiti, qui manu plagiaria abscissus fuit & surreptus.

16. *Modus examinandi hæreticos.*
17. *Examen Beghardorum inquisitoribus deserviens.*
18. *Tractatus de confessionum audientia.*
19. *Tractatus de incarnatione filii Dei.*

VOL. III.

1. *Querimonia studiorum ac librorum contra bella.*
2. *Tractatus de discipulorum instructione.*
3. *Tractatus de religiosorum reformatione duo*, quorum primus incipit: *Amputa opprobrium quod suspicatus sum*: Alter in medio voluminis: *Aufer opprobrium meum &c.*
4. *Sermo de laudibus beatæ Virginis.* Pr. *In ea natum est.*
5. *Sermo consolatorius mœrentium.*
6. *Sermones varii habiti Moguntiæ in Ecclesia Metropolitana cum variis synodalibus orationibus.*
7. *Panegyris amplissima in laudem S. Thomæ Aquinatis.*
8. *Actus promotionis licentiatorum juris Coloniæ a P. Kaltysen habitus.*

VOL. IV.

1. *Tractatus de viro completo & perfecto.*

Hunc verò tractatum Bartholomæi de Bolsenhein fœtum esse conjicio Vide supra ad ann. 1385 ubi de eo.

2. *Tractatus de SS. nomine Jhesu.*
3. *Tractatus de nomine B. V. Mariæ.*
4. *Epistolæ Petri Blesensis*, post quas aliquid excisum ad crassitiem medii digiti. Sic monet dictus Stellius.
5. *Bernardus de præcepto & dispensatione.*
6. *Index capitulorum libri S. Augustini de libero arbitrio.*
7. *Aureum memoriale confessorum & sacerdotum in pergameno nitide scriptum.*
8. *Speculum devotionis Rhythmicum cum aurea fabrica & gaudiis B. Virginis.* Hoc integrum edidit Stellius citatus a pag. 524 ad 546. In quo piissimos scriptoris erga B. Virginem affectus sentias: in ejuscemodi enim amor filialis & tener quæritur, non elegantia.
9. *Prophetia seu conjectura Joachimi abbatis super statu & processu cleri.*
10. *Tractatus quomodo qui præsunt se debeant habere cum mala exorta perseverant, ubi multa de Ecclesiæ regimine contra Schismaticos ad Conradum episcopum Moguntinum.* Hic Joanni Massavien. anno MCCCCXIX mortuo suffectus est, & obiit anno MCCCCXXXIV juxta Bucelinum.
11. *Conjectura quod finis mundi prope sit.*
12. *Sermones varii de adventu. De omnibus Sanctis. De S. Maria Magdalena. De translatione S. Thomæ de Aquino &c. De XI millibus virginum.*
13. *Tractatus de arte sermocinandi. Alius de laudibus S. Thomæ.*
14. *Sermones capitulares Viennæ habiti ab auctore ibidem studente anno* MCCCCXIV.
15. *Ad archiepiscopum Conradum Ryngraff Moguntinum recommendatio episcopi & ordinis pro præsentatione Fratris.*
16. *Sermones adventuales & in Cœna Domini.*
17. *Tractatus de oratoria institutione applicatus ad B. V. Mariam.*
18. *Tractatus de modis decipiendi antichristi.*
19. *Sermones aliqui habiti in Cartusia & summa æde Moguntina anno* MCCCCXXIV *& Confluentiæ &c.*
20. *Sermo in festo S. Dominici Coloniæ anno* MCCCCXXVI, *& alius in assumptione B. Virginis.*

VOL. V.

1. *Passiones Christi prædicabiles.*
2. *Item sermones de corpore Christi.*

VOL. VI.

1. *Tractatus de tentationibus.*
2. *Tractatus de morali Babylonia, & ejus per vitia constructione.*

Sæc. XV.

3. *Tractatus de septem psalmis pœnitentialibus, & modo orandi.*

4. *Epistola magistri Samuelis ad Rabbi Isaac probans Christum incarnatum fuisse.* Haud dubie quam noster Alphonsus Bonihominis ex Arabico Latine vertit. Ad calcem, inquit Stellius citatus sic legitur: *Iste Sexternus pertinet honorabili viro & discreto magistro Henrico Kaltysen sacra pagina doctori eximio, nec non hæretica pravitatis inquisitori ordinis Prædicatorum in Basilea priori cum recommendatione F. Conradi Coci ejusdem ordinis.* Hinc discimus & Basileæ aliquando priorem egisse.

5. *Tractatus contra Judæos, & Moralizatio de templo Salomonis.*

6. *Tractatus de regibus qualiter regnare debeant. Appendix chronica de Norwegia, Dacia & Suecia.*

7. *Declaratio quorumdam dubitalium circa acta seu dicta per spiritum in Meyerick, quæ decidit F. Joannes de Essendia ord. Prædic conventus Wesaliensis sacræ theologiæ professor. Qui spiritus apparuit anno* MCCCCXXXVII *in ducatu Clivensi.* Tractatus est pulcherrimus inquit Stellius citatus.

8. *Responsio ad quæstionem, an conceptio B. V. sit celebranda ratione conceptionis. Item sermones de S. Joanne Baptista.*

9. *Tractatus de concilio congregando tempore schismatis. De Ecclesia in sua essentia. De sacerdotio & papa. De unica cathedra. De conciliis. De votis ibi conclusis.*

10. *Tractatus de potestate ecclesiastica, & de origine jurium ac legum Constantiæ tempore concilii generalis editus.* Difficile mihi persuaserim hoc opus esse Kalteysenii, qui supra vol. IV n. 14 nobis exhibetur adhuc Viennæ studens anno MCCCCXIV.

Sequebatur hîc aliâs tractatus mediam unciam spissus, sed manu plagiaria avulsus. Sic monet Stellius citatus.

11. *Sermones a diversis in concilio Basileensi habiti.*

Sermo in festo S. Hieronymi. Ibid.
Sermo magistri Joannis Polmar. Ibid.
Sermo de S. Thoma Aquinate. Ibid.
Sermo in die pascha. Ibid.

In festo SS. Simonis & Judæ sermo habitus a P. Kaltysen Basileæ anno MCCCCXXXIV *per modum epistolæ a Christo concilio transmissæ ad emolliendα Patrum corda.* Hunc Stellius citatus edidit a p. 516 ad p. 523. Exhibet Christum Dominum acriter invehentem, quod ab annis tribus ad reformationem Ecclesiæ in capite & in membris coacti Patres de hac materie tractare fugiant aut fugere videantur, cùm nondum cœperint: dissolutam & effrænatam potissimum utriusque cleri secularis & regularis vivendi rationem non dissimulat: sed quæ vitia in iis carpit, non solum non correcta sunt, sed perseverarunt deinceps, & utinam ad finem usque mundi non perseverent.

Ultimus hujus voluminis *Sermo panegyricus est S. Thomæ Aquinati Coloniæ ab auctore dictus.*

VOL. VII.

1. *Sermones elegantes & varii tam de tempore quam de sanctis, partim F. Joannis Valender Montispessulani, partim nostri Henrici Kalteysen.* Quis ille Joannes & cujus ordinis utinam quis ex ex ipso codice doceat.

2. *Ad moniales tractatus.* Pr. *Filiæ Sion exultent in rege suo. Sequuntur plurimi sermones ipsius Kalteysen.*

3. *Tractatus de metallis, herbis, floribus. Item astrologica &c.*

4. *Summa privilegiorum ordinis FF. Prædic. secundùm seriem alphabeti.*

5. *Miscellanea de B. Virgine & ordine Prædic.*

6. *Ecloga Theoduli episcopi Atheniensis de SS. Trinitate.*

7. *Speculum mundi Rhythmice de morte.*

8. *Tractatus de officio sacerdotis maxime parochi.*

9. *Determinatio magistri Henrici de Wittfeld ord. Prædic. de audientia confessionum scriptus a F. Simone de Hoesselt ejusdem ordinis.* An idem cum supra laudato vol. II n. 18.

VOL. VIII.

1. *Quadragesimale a feria* IV *cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusive.*

2. *Quadragesimale alterum in principio & fine manu plagiaria mutilatum.* Hactenus Stellius citatus.

Quivis lector probe intelligit non omnia his voluminibus complexa Kalteysenii opera esse, sed saltem pleraque, quibus alterius auctoris nomen non adjicitur: cætera verò ejus diligentiam probant in colligendis virorum sui temporis vel etiam antiquiorum tractatibus MS ea ætate qua nondum nata typographia. At cùm in hactenus relatis multorum quæ a variis ipsi tribuuntur operum mentio non fiat, notandum plura quam hîc laudentur, aliâs in dicta bibliotheca ejus servata fuisse volumina, Sic enim in Annal. Treviren. a Browero & Masenio S. I. editis Leodii 1670 lego ad 1465: *Huc usque præclaris ingenii atque doctrinæ argumentis, sed clarioribus in vita, pro Ecclesiæ ac rei Christianæ incolumitate laboribus exantlatis, famam vitæque spatium extendit Henricus Kalteysenus Cæsariensis archiepiscopus, quem Confluentia eadem quæ in lucem susceperat patria, mortuum excepit, ac suo velut in gremio fovit. Est vir hic ob eximiam divinæ scientiæ pari conjunctam vitæ probitate claritudinem, qui litteris atque annalium monumentis cantetur dignissimus. Duodecim vario argumento volumina, quæ Confluentibus asservantur, ingenio finxisse ac propria manu scripsisse traditur &c.* Itaque præter octo volumina a Stellio relata & visa quatuor olim adhuc erant alia jam deperdita, & simili manu quæ extantia mutilavit, plagio subrepta: in quibus & quæ a nomenclatoribus ipsi ascribuntur, & multo plura esse potuerunt. In his recensentur:

1. *De libera verbi Dei prædicatione dissertatio vel oratio per triduum in concilio Basileensi contra Bohemos habita.* Hanc primus edidit Henricus Canisius T. IV lect. antiq. & ex eo Binius Conc. gener. T. IV Coloniæ 1606, tum Labbeus conc. gen. T. XII pag. 1249 ad 1364. MS recensetur in Catal. codd. MSS Angliæ T. I P. II n. 1102 hoc titulo: *Disputatio solemnis contra tres articulos* (forte leg. *contra tertium articulum*) *Hussitarum scripta a F. Henrico Kalthusero* (Kalteysen) *ord. Prædic. anno Dñi* MCCCCXXXIII. Habetur etiam MS Basileæ in Bibl. Publ. teste Spizelio pag. 35. Fortè etiam ille est tractatus vol. 2 n. 12 supra laudatus.

2. *Henrici Kalteysen hæreticæ pravitatis inquisitoris Moguntini sermo magistralis in festo apostolorum Petri & Pauli Basileæ habitus in concilio anno* MCCCCXXXV. Extat MS in fol. Basileæ in Bibl. Publ. Vide Spizelium pag. 36.

In canticum Magnificat *expositiones doctissimæ.* Sic Eysengrenius.

Nec dubium quin etiamnum apud litteratos & in scriniis aut pluteis alia hujus auctoris lateant inedita & ignota, in quibus vir clarissimus Stephanus Baluzius quædam penes se habere ad concilii Basileensis historiam spectantia nobis testatus est, quæ lucem aliquando publicam ut spes est obtinebunt.

F. JACOBUS GIL.

† 1465.

F. JACOBUS GIL Latine Ægidius a quibusdam dictus Aragonus seu Valentinus natione, patria verò Sætabus vulgo *Xativa* ibidem ordinem amplexus, inter eos numeratur, qui seculo XV columnæ nostræ sodalitatis fuerunt. Sacras litteras pluribus annis jam apud suos docuerat, cùm anno MCCCCXXXVI Ecclesiæ cathedralis Dertusensis theologiæ lector institutus est a capitulo provinciali Sanguessæ in Navarra habito, quo munere novem solidis annis functus est. Interea disciplinæ regulari instaurandæ pluribus in domibus egregiam navavit operam: qua ratione earum domorum a Bartholomæo Texerio ordinis magistro constitutus est vicarius generalis litteris Januæ anno MCCCCXL die XXV febr. datis. Prior exinde provincialis Aragoniæ in comitiis Podiicerdani anno MCCCCXLV coactis electus fuit, quo titulo in comitiis generalibus Anicii in Velaunis anno MCCCCXLVII, tum Lugduni MCCCCL ac Romæ MCCCCLI sedit. Ex eo munere quod novem circiter annis gessit, a Nicolao V accersitus, Romam adiit anno MCCCCLIII circiter & magister sacri palatii declaratus, egit ad annum MCCCCLXV quo obiisse dicunt. Hæc ejus opera:

Epistola per modum tractatus ad Alphonsum Aragoniæ regem de conceptione B. Virginis data Romæ XXVI augusti MCCCCLIIII. Extabat MS aliàs in Bibl. Altempſ. nunc autem servatur in archivo ordinis Romano. Sic Alva Sol. Verit. Rad. 195 col. 1478, ex fide, inquit, Anonymi Dominicani, qui de ea quæstione scribebat Romæ anno MDCLXVI.

Laudatur etiam a Bandello in priori editione anonyma, & dicitur *Jacobus Catalanus magister sacri palatii*: in posteriori anni 1481 dicitur *Jacobus Ægidius de Barchinonia sacri palatii magister*: Ex quibus evincitur unum & eumdem esse hominem a Bandello diverso agnomine designatum, cùm unicus nobis sit hujus nominis Jacobi & ejus nationis sacri palatii magister. Hinc emendandi Lusitanus & sequaces, qui ob varium a Bandello agnomen in duplici editione ascriptum in duos dividunt. Fatendum etiam Bandellum errasse cùm Barcinonensem & Catalanum putavit, qui revera Valentinus fuit & Sætabus ejusdem tamen Aragoniæ provinciæ.

Officium transfigurationis D. N. J. C. jussu Calixti III, qui hoc festum instituit ob insignem de Turcis anno MCCCCLVI die VI augusti reportatam victoriam.

Hoc officium illud idem est exceptis hymnis quod per Ecclesiam Romanam etiamnum recitatur, ac de quo sic legitur in actis cap. gen. Novariæ anno MCCCCLXV habiti: *Item de festo transfigurationis Dñi fiat totum duplex per totum ordinem in crastino festivitatis B. Dominici.* Hæc tum celebrabatur die V augusti. *De quo festo a venerando magistro F. Jacobo Ægidii sacri palatii magistro jubente summo pontifice qui hujusmodi festum per universum orbem celebrari constituit, officium compositum tenore præsentium approbamus, mandantes universis & singulis nostri ordinis provinciarum & conventuum præsidentibus, ut tale officium transcribi, quamprimum poterit fieri, procurent, & uniformiter ab omnibus tam publice quam privatim dici faciant.* Quæ ordinatio ibidem dicitur jam in duobus generalibus capitulis constituta.

Extat in archivo Virdunensi nostro sententia ab hoc Jacobo ut judice delegato in cap. gen. Anicii anno MCCCCXLVII lata, qua litem de quibusdam terminis Virdunenses inter & Luciburgenses nostros exortam dirimit, quæ a R. P. Jacobo Quetif visa & lecta anno 1671.

Legendus potissimum de hoc scriptore Diagus Hist. prov. Arag. lib. 1 cap. 37, emendandus Altamura qui ut Lusitanus in duos dividit Catalanum ad 1460, & Ægidii alterum dictum in Append. ad 1465. Concilio illum Florentino affuisse narrat Fontana in Monum. ad 1451, nec repugnaverim, sed ab Alphonso Aragoniæ rege ut vult missum subdubitaverim, cùm historici ejus ætatis prodant, adeo illum regem his annis in Eugenium exarsisse, ut ei pararit insidias, ne Ferrariam accederet, neque cum pontifice reconciliatum nisi anno 1443 concilio tum dimisso. SÆC. XV.

F. RAPHAEL DE PORNASIO.

† 1465.

F. RAPHAEL DE PORNASIO vel *de Pornaxio* a natali loco in Liguria, tractus Januensis municipio sic nuncupatus ordini nomen dedit Januæ in conventu S. Dominici: qui cùm eruditione, facundia, morumque gravitate splenderet, sacræ theologiæ magister promotus est, & adversus fidei temeratores in tota Januensi ditione Marchiaque generalis datus inquisitor, idque officium strenue gessit per annos 20 ab anno scilicet 1430 mense septembri ad augustum 1450. Vixit enim hac ætate sub Eugenio IV ac tempore concilii Basileensis, eaque doctrinæ fama clarebat, ut ad eum F. Joannes de Casanova cardinalis S. Xysti nuncupatus & ex ordine assumtus pro gravioribus Ecclesiæ difficultatibus pluries accesserit, aliique passim optimatum, principum & antistitum præcipui de variis sive moralis theologiæ vel positivæ scripturæque quæstionibus interrogarent & consulerent. Quam in theologicis apprime versatus esset philosophicisque disciplinis, quamque sacram ille prophanamque teneret historiam, ac in jure peritus etiam esset, quæ supersunt ejus indicant opuscula, quæ nos hîc longe distinctius aliis accuratiusque subjicimus ex fide cod. MS memb. optimæ fidei & notæ bibliothecæ Parisiensium nostrorum ad S. Honorati fol. par. cujus ætas fere auctori æqualis constat ex ipso cod. in quo sic legitur p. 95: *Expletum fuit præsens opus & ante scripta opuscula per me F. Gabrielem de Placentia ordinis Prædicatorum Biblicum formatum ad requisitionem R. M. Mathurini* [Espiard] *socii RR. Magistri Martialis* [Auribelli] *generalis ordinis Prædicatorum anno* MCCCCLXX *pridie Kal. Martii, promtissimum me offerens ad potiora pro eodem imposterum.* Qui codex antea erat bibliothecæ Andreæ du Saussay episcopi Tullensis, nobisque datus fuit a nepte ejusdem præsulis ac hærede D. de Lépi ordinis tertiaria fœmina piissima. Sunt autem hæc opuscula Raphaëlis sive tractatus ac epistolæ hoc ordine:

1. *De potestate concilii liber ad D. Joannem de Casanova cardinalem S. Xysti.* Pr. *Transmissum per vos dubium Reverendissime P. & D. continebat* &c. Finis. *Quæ autem dicta sunt omnia S. R. E. & vestræ correctioni dimitto.* a p. 1 ad 25.

2. *Responsio ad rationes Basileensis concilii ad eumdem cardinalem.* Pr. *Detulit ad me Rever. P. & D. nuncius vester copiam* XII *sessionis instantis Basileensis synodi &c.* Finis: *Et per consequens dicta constitutio nullius est roboris vel momenti donec a sede apostolica roboretur.*

3. *Responsio ejusdem ad eumdem. Quæ sit illa Ecclesia, cui omnes fideles obedire tenentur?* Pr. *Excellentia vestra transmissum dubium continebat, utrum Papa cum cardinalibus, aut ipse cum universitate prælatorum in generali synodo congregata, aut ipsa sola synodus sine Papa, vel Papa cum universa multitudine fidelium sit illa sancta catholica & apostolica Ecclesia, sponsa Christi virgo sine ruga & macula, & mater cunctorum fidelium, cui om-

Sæc. XV. *nes & singuli Christiani obedire tenentur &c.* Quam quæstionem positis variis Ecclesiæ distinctionibus & appellationibus decem absolvit resolvitque conclusionibus, sicque concludit: *Ex quibus omnibus patet quod non omnia quæ includuntur in articulo quæstionis, possunt uni Ecclesiæ, sive Ecclesiæ uno modo dictæ convenire. In quibus si quid minus recte dictum est V. R. Paternitas corrigat & emendet* a p. 29 ad 40.

4. *De Communi & proprio ad Fratrem Dominicum Comitem Ord. Præd.* Pr. *Cedulam tuam nepos & Frater carissime, dubia quædam statum religionis nostræ concernentia suscepi & gavisus sum te de conscientia munda esse solicitum, & non adeo studio literarum intentum, ut studium agendorum (quod multorum studia facit inania) prætermittas. Primo namque declarandum postulas, nunquid Fratres moderni dici debeant proprietarii, pro eo quod libros & indumenta & peculium aliquod in particulari habent & tenent &c.* Hæc 1. pars opusculi edita fuit Venetiis, Lazari de Soardis 1503 in 8: & Taurini, Cavalleriorum absque anno editionis in 8. At altera pars, in qua ad 35 alia ejusdem nepotis sui circa regularem disciplinam dubia respondet, non fuit edita, sed habetur in hoc codice nostro. Ex hoc opusculo quod tenet a p. 41 ad 56 colligo auctorem in capp. nostris genn. versatissimum fuisse, ac præ manibus habuisse, plura etiam quæ Romæ jam non extare dicunt, ut Tolosanum 1372, Carcassonense 1378, Januense 1413, Florentinum 1414, Columbariense 1434, Venetum 1437, Divionense 1444, Aniciense seu Podiense 1447, & alia quorum decreta & ordinationes refert, adeo ut persuasum habeam, si vetera Januensis conventus monumenta evolverentur, hæc acta in iis forsan inventa iri, quæ sane ad historiam ordinis recte conficiendam non parum conferrent, ac sine queis vix saltem hujus seculi, in quo tamen plurimi primi nominis viri floruerunt, certa & accurata sperari potest notitia. Tractatum autem hunc censeo ab auctore primum editum circa 1449 vel 1450, cùm in eo dicat F. Guidonem Flammochetti tum procuratorem ordinis agere qui anno 1451 magister ordinis electus eodem anno mortuus est: verum ab auctore postea pluribus additionibus auctum, cùm in eo citet acta capitulorum provincialis suæ provinciæ Lombardiæ superioris Saviliani 1455 & generalis in Montepessulano 1456.

5. *Defensionis Evangelicæ liber R. M. Raphaelis de Pornaxio Januen. ad F. Joannem Mutium Papiæ studentem.* Quo docet historiam evangelicam longe prophana Romanaque scriptorum historicorumve consensione probatiorem & credibiliorem. Pr. *Literis tuis insinuare curasti fore nonnullos in Papiensi studio, qui de humanarum literarum notitia sese jactant, insultantque tibi plerumque, qui divinis intendis* &c. Finis: *Quicquid enim ille de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquam suis manibus imperavit.* a p. 57 ad 59.

6. *Declaratio & solutio quarumdam quæstionum notabilium.* Quo tractatu quæstiones 20 theologicas excutit ac solvit, de Christi Domini passione & morte, de anima rationali &c. Pr. *Cedulam tuam illustrissime princeps, quædam dubia continentem super quibus petebas per me responderi, quid de illis tenendum esset, cùm frequenter contingat in communibus hominum colloquiis talia & hujusmodi dubia in medium adduci: quibus si tardius respondi indulgeat J. D. V. paschalibus diebus, quibus fui multipliciter occupatus &c.* Finis: *Sic sub dominio infidelium puniuntur mali & coronantur boni, si patienter & constanter & perseveranter tolerant usque in finem* a p. 60 ad 68.

7. *Liber de arte magica valde notabilis.* Pr. *Contingit interdum invenire nonnullos adeo sensibus inhærentes, ut nihil credendum ducant, quod sensibus non percipiant, attestante Augustino* XI *de civit. Quorumdam, inquit, tota ratio, ut quod experti non sunt, nequaquam esse posse arbitrentur &c.* Finis: *Hæc autem in tantum dicta sint, ut fiat manifestum, quod ea quæ communiter dicuntur esse & fieri per artem magicam, non omnino falsa sunt & impossibilia, sed ut plurimum vera existunt. Quorum qui contraria sentit, non clam sed palam loquatur & scribat, ut veritas magis ac magis concussa splendescat.* a p. 69 ad 95. Tractatus plurima eruditione refertus.

8. *Incipit tractatus de prærogativis D. N. Jhesu Christi.* Pr. *Religiosissimis venerandissimisque in Christo patribus universis sacræ Cartusiæ ordinis F. Raphael de Pornaxio sacræ paginæ humilis professor ord. Prædic. cum humilitate se totum. Quosdam indiscreta quadam humilitate tacentes redarguit Dominus per prophetam suum Ezechielem dicens, non ascendistis ex adverso, nec posuistis vos murum pro domo Israel &c.* Ibi utrumque ordinem apud vulgus erroris infamari refert ab adversariis, quod *vos*, inquit, scilicet Cartusiani *festum conceptionis non celebratis, nos vero quod nec quidem agimus, & doctores nostri concorditer conceptionis sanctitatem soli attribuunt Salvatori &c.* Finis: *Facit & ad confirmationem prædictorum rescriptum D. Urbani V Romani pontificis, de quo in historia translationis B. Thomæ sic habetur: Scripsit præterea Romanus pontifex literas apostolicas universitati studii Tolosani S. Doctoris extollens gloriam, & approbans apostolica auctoritate doctrinam. Cujus rescripti copia nondum ad manus meas pervenit.* a p. 97 ad 141.

9. *De statu animæ Salomonis.* Epistola ad amicum forensem J. C. sive Tractatus quo Sanctorum Patrum breviter expensis auctoritatibus in impœnitentia mortuum eum cum Augustino concludit. Pr. *Cùm prout plurimum soletis, uno dierum festorum intermissis causarum strepitibus pro spiritualibus colloquiis, quæ animæ voluptatem sine tristitiæ mixtura afferunt, ad cellulam meam declinassetis &c.* Finis: *Unde Augustinus 22 contra Faustum inquit: Jam quid de Salomone dicam, quem vehementer arguit sacra scriptura atque condemnat, nihilque de pœnitentia ejus vel in eum indulgentia Dei omnino commemorat.* a p. 143 ad 146.

10. *Regula ad intelligentiam sacræ scripturæ ad nepotem suum ord. Prædic. theologiæ studentem.* Pr. *Significasti dilecte Frater ac nepos, quod transcursis his qui dicuntur philosophiæ libris, ad eos qui theologiæ dicuntur animum applicare disponis: & quia totius theologiæ studium ex sacra scriptura, quam Bibliam dicimus sicut ex fonte manare non immerito judicas, petisti, ut tibi compendiose aliquas regulas traderem &c.* Finis: *Hujus ergo cœli superiora Dominus tegit, quia alta sacri eloquii, id est ea quæ de divinitatis natura vel de ejus gaudiis narrat, nobis adhuc nescientibus solis angelis in secreto sunt cognita.* a p. 147 ad 157.

11. *Tractatus seu epistola ad Joannem de Casanova ex ord. Prædic. cardinalem & episcopum. De retentione annuali sive de jure annatarum & origine.* Pr. *RR. in C. P. ac D. D. Joanni Sacrosanctæ R. E. episcopo cardinali F. Raphael de Pornaxio ord. Prædic. cum humilitate seipsum. Excellentiæ vestræ susceptis literis duo vidi in illis dubia contineri, quibus mandabat vestra sufficientia mea ignorantia respondere. Primum nunquid consuetudo de annatis seu fructibus primi anni dignitatum seu beneficiorum ecclesiasticorum Romanæ Ecclesiæ persolvendis a diu obtenta sit rationabilis & justa. Pro cujus intellectu dicendum videtur &c.* ubi probat hunc

annatarum

annatarum usum legitimum : convenientius autem a pontifice Romano si ejus curiæ sumtibus aliunde provideri posset abjiciendum. Dein aliud movet dubium sibi ab eodem propositum : *An is annatarum usus summo pontifici possit ab aliquo interdici ?* & negative concludit, quod nullius auctoritati subditus sit Pontifex maximus, sitque concilio superior. Finis: *Attendendum est quod dominus papa* [Eugenius IV concilio Basileensi se submittens] *in hujusmodi submissionibus non potuit præjudicare dignitati apostolicæ sedis, quam non submittendam, sed potius sublevandam, non deprimendam sed erigendam, non confringendam sed tuendam & defensandam ac conservandam accepit. Valeat vestra excellentissima Dominatio, cujus correctioni jam dicta committo.* a p. 159 ad 161.

12. *Epistola brevis de voti simplicis commutatione.* Pr. *Reverendissime pater & domine mihi transmissam cedulam vestram suscepi quadam ut sequitur continentem: Juvenis quidam annorum 18 credens se morbo pestifero sauciatum vovit Deo quod si non decederet de illo morbo religionem Cartusiensium ingrederetur* &c. Finis : *Ex quibus patet theologos intellectos in hac parte non discrepare a vestris doctoribus canonistis.* p. 161.

13. *Epistola ad priorem quemdam, De ordinato a Simoniaco.* Pr. *Venerande pater prior. Pridem vestras suscepi literas, quibus petebatis ad quadam vobis dubia responderi &c.* Ibi porro docet annatas a summo pontifice, & ab episcopo conferente beneficium aliquid exigi posse, si id ex jure acquisito vel ex consuetudine vel ex necessitate exigat, non ex cupiditate habendi : nec ideo simoniacum esse putandum episcopum aliquid pro ordinatione exigentem : 3 demum sepulcri venditionem in qua fidelis jacet esse simoniacam, vendentisque lucra vel ementis ad Ecclesiam spectare. Finis : *Super quibus tamen omnibus potestis exquirere consilium doctorum.* p. 162.

14. *Epistola ad quemdam Patrem de plenaria absolutionis efficacia.* Pr. *Vestras honorande pater suscepi literas dubia continentes &c.* nempe de privilegio *accepto absolvendi plenarie a peccatis distinguendo a potestate absolvendi a censuris : 2. juxta rationem eleemosyna quemque lucrari indulgentias.* Finis : *Et hac sunt qua ad proposita dubia sentio, salvo semper saniori judicio præsertim sedis apostolicæ, ad quam proprie talium dubiorum, quæ ex tuis literis oriuntur pertinet declaratio : cujus interpretationi semper cedendum esset.* p. 163 & 164.

15. *Epistola ad civem Papiensem amicum de venditione ad tempus.* Pr. *Cùm nuper privatum colloquium haberemus vir egregie, in dubium vertebatis, nunquid vobis liceret vendere ad tempus merces vestras pro cariori foro, quam si fieret solutio de præsenti &c.* Finis, ubi dicit (S. Antoninus scilicet tum adhuc in vivis) *quod qui vendit ad credentiam, si non vult ei ita bonum forum facere, sicut illi qui solvit de pecunia numerata, non est usura.* Quod Pornaxius explicat damni emergentis intuitu. p. 164 ad 166.

16. *Epistola ad quemdam de transitu ad observantialem statum.* Princ. *Didici ex tuis de communi statu & jam antiquato modo vivendi ad eum qui de novo inventus est & observantialis dicitur fore translatum &c.* Finis : *Hæc quidem Augustinus super Psal. 90, licèt ibi diffusius atque plenius : ideo illuc pergo, legas & legendo doctus fias. Vale.* p. 166. Epistola merito legenda historicis nostris, ut cognoscant discrimen reformatorum hujus ætatis ab iis qui vitæ communis dicebantur, quod non tanti fuit.

17. *Epistola ad quemdam de his qui cum Christo surrexerunt.* Pr. *Optare vos pridie dixistis nosse quid tenendum vobis esset de resurrectione eorum qui cum Christo surrexisse leguntur* &c. Finis : *Si autem objiciatur, quod si sic sunt iterum mortui, fuit illis præjudicium propter dolorem secundæ mortis : dicendum quod leve fuit illi potentiæ, cujus virtute surrexerunt, eos præservare ne dolorem mortis sentirent.* p. 167. SÆC. XV.

18. *Epistola de jure funerali.* Pr. *Casus per vos transmissus talis erat. Quidam civis habens domicilium in civitate se transfert in villam salubrioris aeris causa, in qua tamen non habet domum propriam, sed habitat in aliena, in qua diem suum clausit extremum, & eligit sepeliri in ecclesia religiosa & exemta.* &c. Respondet villæ plebano non deberi funeralia, sed parocho cujus erat ille civitatis, ad episcopi arbitrium moderanda. p. 168.

19. *Epistola ad Avenionensem præsulem & clerum ejus de conceptione B. M. V.* Pr. *Id egistis patres ac domini alias omni cultu ac veneratione dignissimi, ut in Dei Ecclesia, cujus vos columnas esse professi estis, jam nihil sit solidum, nihil stabile, nihil certum &c.* Finis : *quod quæstio de fide unum est & præcipuum ex his quæ adeo ad solam sedem apostolicam pertinent, quod in generali mandato aut quantumcunque ampla & plena legati authoritate non veniunt. Valete.* Opusculum eruditum. p. 169 ad 172.

20. *Epistola ad quemdam in ordine superiorem, De præcepto & prohibitione.* Pr. *Inter cætera venerabilis pater, quæ humilitas vestra pridie declarari petebat &c.* Finis : *Ut districte & sub pœna tali, vel tali, quæ in ordinationibus apponi solent ad majorem arctitudinem exprimendam. Valete.* p. 172.

21. *Epistola de mutuo.* Pr. *Quoniam ut ait poeta Terentius, omnes passim deteriores simus licentia &c.* Finis : *Mutuum date nihil inde sperantes.* Nihil extra sortem accipi posse docet ex mutuo nisi ex lucri cessantis emergentisque damni causa. p. 172 ad 174.

22. *Epistola de venditione ad tempus.* Pr. *In venditione & emptione ad tempus sive ad credentiam occurrit alius casus &c.* Finis : *Sic etiam expectatio 14 quæst. 3 c. si quis clericus.* Licitum ait mercatori ob dilatam solutionem emtori concessam pro ratione damni emergentis carius vendere ; usurarios vero censet mercatores, qui lucri causa nonnisi creditas vendere merces emtori statuunt ; vel qui emtori sic arctum solutionis tempus concedunt, ut termino elapso tot mensibus singulis pro dilatione in libras singulas adjiciant ultra sortem. p. 174 ad 176.

23. *De cambiis.* Pr. *In materia vero cambiorum occurrunt aliqui casus liciti &c.* Finis : *quia tunc (campsor) usurarius est censendus, prout dicit D. Franciscus Tarvisinus in sua quæstione de cambiis, & ideo caveant sibi tales, ne sub nomine cambii mutuum præstent.* Campsori licitum docet aliquid accipere ad sumtus cambii sustinendos, ob monetarum immutationem, ob privatam sui necessitatem. p. 176 ad 177.

24. *De decimis.* Pr. *Ex literis vestris cognovi, quod cùm inter vos & nobiles Pornaxii innovata esset quæstio de decimarum solutione &c. ad hoc concorditer devenistis, ut super hac controversia meum judicium teneretis &c.* Finis : *Ex quibus sequitur quod tales nobiles de bonis suis decimas solvere non tenentur : cui enim licet quod plus est, licet utique quod est minus. De regulis juris lib. 6. plus autem esse constat alienis decimis gaudere, quam proprias præstare.* p. 177 ad 178. Qua ex epistola sequitur Pornaxium municipium fuisse in Liguria & Raphaelis nostri solum natale.

25. *Tractatus notabilis de flagellis Christianorum ad Fratres orientales.* Pr. *Advenientium relatu percepi*

Sæc. XV. *animum vestrum anxium fore ex iis flagellis, quæ modernis temporibus videntur supra dorsum populi Christiani a nefariis infidelibus a providentia divina fabricari permitti, cum facile posset eorum impietati resistere, & non permittere ut Christiani imperii sedes Constantinopolis a perfidis ac spurcissimis Turcis cum Christianitatis totius dedecore caperetur. Viderurque caritas vestra a me exposcere, ut super hoc flebili casu aliqua consolationis epistola mitteretur &c.* Finis: *Itaque Fratres carissimi non cito moveamini a sensu vestro, sed state in fide stabiles gratias agentes Domino, qui cùm multo pejores simus patribus nostris, ipsis tamen ab ipso mitius flagellamur.* p. 179 ad 191. Scriptus est post excidium C. P. anno 1453 ad nostros congregationis Peregrinantium in Oriente.

26. *De divina Trinitate* Pr. *Cùm in festo sanctæ Trinitatis ad cellulam meam declinassetis, quæsivistis nunquid ultra fidem adhiberi possint quædam rationes per quas ad aliquam notitiam hujusmodi sanctæ Trinitatis pervenire posset humanus intellectus &c.* 192 & 193.

27. *Epistola de nominibus Jhesu.* Pr. *Significasti te optare per me doceri, quomodo tibi scribendum esset nomen Xristi, cùm videas alios scribere per C ut Christus, alios per X ut Xps &c.* Finis: *neque enim aliter primi compilatores scripsisse censendi sunt, quam ut in originalibus manu præfatorum doctorum scriptum invenerunt.* p. 193 & 194. Censet scribendum. *Jhesus Xps.*

28. *Epistola de emtione jurium.* Pr. *Quoniam tam scribendo quam nobiscum conferendo tenui, quod jus quod quis habet supra redditum pecunialem, ut sunt paga quæ de locorum possessione proveniunt, vendi & emi licite poterant* &c. Finis: *Ideo juxta præmissam regulam id jus rite in alterum transferri potest.* p. 194.

29. *De hæreticis post Christum ad quemdam religiosum.* Pr. *Placuit R. P. V. edoceri a me, qui potius a vobis edoceri debuissem, qui in Ecclesia hæretici fuerint, quæ quoque eorum hæreses &c.* Has per series temporum recenset ad Joannem XXII. Finis: *94 F. Michael de Cesena minister in ordine Minorum hic fuit caput Fratricellorum dicentium, quod Christus cum collegio suo nihil habuit in mundo proprium nec in communi nec in particulari. Qui error licèt esset per Joannem XXII condemnatus, tamen in sua opinione obstinati statuerunt inter se papam singularem Petrum de Corraria, qui per diversas mundi partes præfecit episcopos: & in tantum error ille prævaluit, ut etiam Ludovicus Bavarus huic antipapæ adhæserit. Qui tandem antipapa captus & Avenionem deductus abjuravit hæresim perpetuo carceri mancipatus* p. 195 ad 202.

30. *Epistola ad Nobilem quemdam de electione divina.* In ea statuit sine divino auxilio quod est donum gratuitum, nullum esse motum voluntatis ad bonum: quia Deus est primum movens sine quo non movetur omnis creatura rationalis sive ad intelligendum verum, sive ad volendum bonum, ut docet S. Thomas 1 p. q. 109 a. 1 & 2. Sicque Deum aliquos elegisse, quos gratiæ suæ consensuros prævidit, ut tamen ab eo ejusque dono & quod consensum præberent, primum habuerint. Pr. *Cùm pridie nobilitas vestra humilitatem meam visitare dignata esset, meque libro incumbentem comperisset, quæsivit quis liber quæve lectio foret. Librum esse satis intuitu dignum dixi, qui Clementis Itinerarium vocaretur &c.* Finis: *Nostrum vero est ut quotidie attrahentem nos gratiam Dei humilitate subsequamur, vel certe dura cervice resistentes, per Hieremiam mereamur audire: Induraverunt cervices suas, noluerunt reverti.* p. 203 ad 205.

Quæ opuscula an totidem plurave vel pauciora sint in codice Januensis nostræ domus aut alibi servatis Mss a Lusitano, Altamura, Possevino memoratis, qui in eos inciderint, explorent ac doceant. Quo tandem anno dieque vivere Raphael desierit, certi nihil adhuc nobis compertum est. Leander Albertus fol. 140 a florentem præstat circa 1457, & quidem annum 1456 excessisse patet ex opusculo *de proprio*, in quo laudat acta capitulorum provincialis Lombardiæ superioris Saviliani 1455, & generalis Montispessulani 1456. Altamura refert ad 1466, quem excipit Rovetta; Lusitanus ex *I. P. Monum. ord.* Ambrosii Taegii ad 1465, quem annum attigisse facile crediderim, & in suo S. Dominici conventu Januæ sepultum.

F. BARTHOLOMÆUS LAPACCIUS.

F. Bartholomæus Lapaccius Ecclesiæ seculo xv columen ac præclarum ordinis & ævi sui sydus, vel a nostris tamen non satis attente exploratus, adeo de eo dicentes allucinati sunt, in duos tresve plerique unum hunc multiplicantes, nec ipsa ejus accurate recensentes opera, propterea que hîc est a nobis clarius lectori exhibendus. † 1466. Etruscus ille fuit gente, Florentiæque nobili loco natus est seculi Christi xiv nonagesimo nono, adolescens vero literis humanioribus Græcis & Latinis egregie instructus, in patria ad S. Mariæ Novellæ ordini nomen dedit, sicque studiis philosophicis & theologicis applicitus brevi profecit, ut anno mccccxxvi gradum baccalaurei in universitate Florentina promeruerit, & in eadem anno sequenti Kal. Januar. ætatis xxviii magistrorum albo fuerit inscriptus. Sic enim *ex actis* refert Badius noster in sua illius universitatis historia, vel ætatis xxxi juxta Pocciantium qui vult anno mcccxcvi natum & mccccxiv ordini ascitum. Quid sequentibus decem annis egerit, non produnt, sed scholas rexisse, & SS. Patrum qua Græcorum qua Latinorum lectioni ut Ecclesiæ tum non parum laboranti ob exortum Eugenium IV inter & Basileenses dissidium pro virili succurreret, strenue incubuisse, quas deinde in concilio Florentino habuit, partes haud obscure probant. Equidem ex sex viris ex parte Latinorum selectis, qui cum totidem Græcis de quæstionibus inter utramque Ecclesiam controversis publice disputarent, nec in actionibus Ferrariæ, nec in prioribus Florentiæ habitis numeratur, in eoque delusus est Bzovius ad annum 1439 n. 39: ex nostris enim tum Ferrariæ F. Andreas Colossensis archiepiscopus, Florentiæ F. Joannes de Montenigro Lombardiæ provincialis soli disputarunt. At tandem cùm publicis illis disputationibus nihil aut parum promoveretur, Eugenium IV inter & imperatorem Joannem Palæologum convenit, ut decem ex quaque parte Græcorum & Latinorum selecti collationibus inter se habitis unionis & concordiæ modum formarent ac proponerent, quos inter Bartholomæum nostrum ex præcipuis unum fuisse ferunt, & quin ex iis unus fuerit, attentis ejus de quibus mox operibus vix locus est dubitandi. Finito concilio Græcisque ad sua reversis, Joannem de Turrecremata sacri palatii magistrum in utraque synodo Basileensi & Florentina de Ecclesia Romana optime meritum Eugenius IV ad purpuram inter alios plures evexit xviii decemb. mccccxxxix, & in ejus locum (sic habet Fontana) mox Bartholomæum nostrum magistrum sacri palatii suffecit, quod & attenta viri eruditione creditu proclive, licèt id ex actis Vaticani confirmare haud absre fuisset, præsertim cùm de sequentibus ejus gestis non sat accurate plures loquantur. Paramus *De orig. inquis. Lib. 2. Tit. 1. cap. 5*, relatus a Fernandez *concert. Prædic.* ad an-

num 1442, vult eo anno Lapacium Coronensem tum episcopum in Poloniam Pannoniamque utramque ab Eugenio missum contra hæreticam sectam *animi simplicis* nomine designatam. Sed manifeste fallitur, nam Coronensis episcopus eo anno in Poloniam & Hungariam missus nuncius vocabatur Christophorus, qui eo titulo decreto concilii Florentini subscripserat, ac de quo sic Eugenius IV in literis Florentiæ anno Christi MCCCCXLII kal. jan. pontif. XII datis: *Verùm ad hanc tam necessariæ pacis compositionem nostrumque pium desiderium consequendum inter cætera remedia transmisimus dilectum filium nostrum Julianum tit. S. Sabinæ presbyterum cardinalem S. Angeli vulgariter nuncupatum apostolicæ sedis legatum de latere ad perpetuam pacem, sive temporalem inter principes Hungariæ & Poloniæ, & aliarum partium finitimarum componendam, nec non venerabilem fratrem Christophorum episcopum Coronensem ad nonnullos in confinibus Hungariæ, Moldaviæ, Lituaniæ, Walachiæ, Albaniæque principes & communitates, ut compositis rebus illarum partium facilius cætera confici possint.* Quas literas videsis apud Raynaldum ad 1443 n. 16. Eumdem Christophorum Coronensem episcopum jam antea Constantinopolim miserat Eugenius oratoris sui titulo, qui unionem Florentiæ decretam in illis partibus firmaret, ut testatur in aliis literis Florentiæ MCCCCXLI, XI kal. maii pontif. XI datis, quas videsis apud Rainaldum ad eum annum n. 5. Ughellus & ipse quantumvis accuratus & hîc egregiè allucinatur *Ital. Sac. T. I*, ubi de Cortoniensibus episcopis pag. 669, hos tres episcopos Matthæum, Christophorum & Bartholomæum nostrum sic recenset. Matthæum ordinis Servorum anno MCCCCXXVI promotum vult ab Eugenio IV depositum IX septemb. MCCCCXXXIX, quod ab eo deficiens synodo Basileensi adhæsisset: Christophorum ei mox ab Eugenio suffectum, sed in ipso concilio Florentino obiisse: Bartholomæum demum Lapatium XIV jan. MCCCCXL ad eamdem Ecclesiam evectum illam decem annis administrasse, quæ omnia ab eo sine teste allata se ipsis ruunt. Nam primo Matthæus tantum abest ut Basileensibus adhæserit, quin potius synodo Florentinæ adfuit, ac decreto unionis subscripsit, & ad MCCCCLV suam dictam Ecclesiam rexit. Christophorus non Cortonensis, sed Coronensis episcopus eidem Florentinæ synodo subscripsit, nec tum mortuus est, qui postea & C. P. & in Hungaria tam egregie de Ecclesia catholica meritus est, sed forte in funesta illa clade Warnensi a Turcis illata X novemb. MCCCCXLIV cum Juliano cardinali S. Angeli perierit. Legesis Rainaldum ad eum annum n. 9 & seqq. Bartholomæum tandem nostrum ad sedem Cortonensem nunquam promotum satis ex eo probatur, quod laudatum Matthæum virum insignem ab Eugenio nunquam desciviſſe constat, illamque Ecclesiam sponsam suam ad MCCCCLV administrasse. Verisimilior itaque videtur eorum narratio, qui Lapaccium Francisco cardinali Condolmerio Eugenii IV fratrueli Ecclesiæ Romanæ vicecancellario, & classis pontificiæ in auxilium Joannis Palæologi imperatoris C. P. missæ archithalasso designato & præfecto socium ab Eugenio datum ferunt, tumque Argolicensem in Peloponeso episcopum consecratum, quod actum fuerit anno MCCCCXLIII: nam eodem anno tertio idus jun. pontif. XIII Eugenius Senis ad dictum imperatorem sic scribebat: *Hodie a nobis hinc recessit dilectus filius noster Franciscus tit. S. Clementis presbyter cardinalis S. R. E. vicecancellarius, quem ob hanc duntaxat causam* (scilicet *ad apparatum classis pro expeditione adversus Teucros*) *ad partes Græciæ legatum nostrum & apostolicæ sedis transmittimus, a quo cùm eamdem serenitatem ipsum convenire continget, eris de occurrentibus singulis plene informatus.* Videsis Rainaldum ad eum annum n. 22. Quæ classis pontificia cum altera classe ducis Burgundi etiamnum anno MCCCCXLV circa septembrem in Ponto Euxino versabatur, ut refert idem Rainaldus ad eum annum n. 14 & 15. Interea videtur Eugenius Christophori episcopi Coronensis mortem rescivisse, eique Bartholomæum nostrum suffecisse.

Certe S. Antoninus æqualis jam eo titulo illum ornat ad dictum annum. Sic enim habet P. III Tit. XXII cap. XI initio: *Ille tamen* [Marcus [*Ephesinus acerrimus disputator permanens in perfidia sua, cum aliis ad veritatem fidei reverti noluit. Verùm ad patriam rediens cùm cardinalis Venetus destinatus legatus in regionem illam, Constantinopoli moram traheret, & in ejus societate esset venerabilis episcopus Coronensis D. Bartholomæus de Florentia sacræ theologiæ professor egregius & Græci idiomatis non ignarus, placuit eidem imperatori Græcorum* [Joanni Palæologo] *& proceribus ejus, ut fieret publica concertatio inter episcopum Ephesinum præfatum & Coronensem episcopum jam fama ibi celebrem. Quo facto Ephesinus præfatus iterum ab eo superatus & confusus est, & tanta ab eo absorptus est tristitia, ut intra paucos dies expiraverit cum sua perfidia.* Quæ etiam ad annum 1445 n. 17 refert Raynaldus, nec revera citius fieri potuerunt, cùm illo anno adhuc in vivis esset dictus Marcus Ephesinus, nec nisi post eum annum sed ante 1448 obierit. Quandiu Ecclesiam Coronensem præsens administraverit, ad quam scilicet ab Eugenio promotus fuerat, ut in Peloponeso commoratus Græcos in unione a concilio Florentino pacta retineret, vel etiam adhuc renitentes ad eam sua eruditione & facundia adduceret, non omnino constat. Ferunt Joanne Palæologo imperatore C. P. mortuo sub finem anni MCCCCXLIX Constantinum ejus fratrem natu majorem ei successisse, ac fratribus suis natu minoribus Thomæ & Demetrio Peloponesum divisisse, sed his inter se dissidentibus Mahometum II ab horum altero vocatum utrumque suo principatu spoliasse, quod paulo post captam C. P. an. MCCCCLIII vel circiter evenerit. Tum autem Corone cum aliis Peloponesi urbibus sub Turcarum imperio redacta, Bartholomæum in Italiam ad summum pontificem reversum probabilius est. Certum ultimos vitæ suæ annos Florentiæ apud suos S. Mariæ Novellæ egisse, Ecclesiæ S. Romuli in eadem civitate sibi commendatæ suscepto censu & titulo: quo etiam tempore Pio II anno MCCCCLVIII electo fuit acceptissimus, ab eoque aliquandiu Florentiæ diversante sæpius & cum voluptate pro concione auditus. Obiit ibidem anno MCCCCLXVI, at de die fateor me in ambiguo versari: presbyter qui ejus opera exscripsit ac de quo mox, qui se ejus morti ac funeri præsentem fuisse asserit, dicit mortuum XXI junii hora nona in ortu solis, sepultum verò XXV ejusdem mensis, quod testimonium oculatum videtur omni exceptione majus: aliunde Badius noster supra citatus necrologium S. M. Novellæ citans n. 663 XXIV maii defunctum refert. Non accurate tamen a Badio necrologium referri suspicor, nam Pocciantius qui antea vidit excepto mense convenit cum presbytero laudato dicens mortuum XXI maii hora IX, & XXV mensis sepultum cum hoc epitaphio in Ecclesia adhuc visendo:

Bartholomæo Lapaccio Coronen. episcopo armis omnibus Ecclesiæ militi invictissimo pietas curavit.

Necessarium videretur, ut quis totidem vocibus necrologium exciperet, & an in eo *maii* diserte legatur doceret: fieri enim potuit, ut quodam Fratre mense maio mortuo & in necrologium illato, qui addidit mortem Lapaccii, oblitus fuerit in capite titulum apponere mensis junii, & continentes

Sec. XV. ad superiora scripserit, *Die* 21 *hujus mensis obiit F. Bartholomæus &c.* adeo ut quod de mense junii scriptum fuerit, jam mense maio accidisse videatur : quod ejus cœnobii curiosiores explicent utinam & hîc addant, nam mihi creditu difficile est presbyterum laudatum allucinatum fuisse.

In Sancta Maria Novella extat insignis codex MS in fol. charta optima, eleganter scriptus manu æquali à me F. I. E. anno MDCLXXXI mense augusto visus, quo hæc opera hoc ordine & his titulis continentur:

1. *Rdmi in C. P. & D. D. Bartholomæi de Lapacciis Prædicatorum ordinis Coronensis dignissimi episcopi & theologiæ monarchæ, nec non Hebraicis, Græcisque litteris peritissimi, ac etiam civis Florentini &c. Tractatus de sanguinis preciosissimi crucifixi Divinitate ad SS. papam Pium* (hujus nominis secundum.) *Et primo namque proœmialis epistola ad eumdem.* Ad calcem sic legitur : *Scripsit presbyter Andreas de Jeronymis Senensis civis artium professor pridie kalendas maii* MCCCCLXVI *ab exemplari proprii auctoris eo etiam vivente &c.*

Extabat ejusdem tractatus exemplum Parisiis in bibliotheca illustrissimi Dñi d'Estrées archiepiscopi Cameracensis designati, & habetur codice MS in fol. qui collectio est tractatuum similis argumenti, continetque decem folia.

2. Eodem cod. MS & continenter *Tractatus de Incarnatione.* Quo præsertim agit ac probat *non venturum in carne verbum Adamo non peccante, & de valore satisfactionis Christi contra Scotum.* Ad calcem: *Scripsit idem presbyter Andreas artium professor ab eodem exemplari, non ita correcto tamen & ejusdem auctoris &c.*

3. Eodem cod. *Ejusdem Rdmi in C. P. & D. D. Bartholomæi episcopi antedicti ad D. Bessarionem episcopum Tusculanum Græcum. De Spiritus Sancti distinctione a Filio. Et primo quæ sit in hoc opere auctoris intentio.*

4. *Sermones Rdmi in C. P. & D. D. Bartholomæi de Lapacciis ordinis Prædicatorum Coronen. dignissimi episcopi &c. hinc inde diebus variis, variisque locis habiti: & primo in Cœna Domini Florentiæ in monasterio Muratarum.* Plerique autem notantur dicti coram summo pontifice Pio II, suntque omni eruditione referti, monetque presbyter Andreas amanuensis se vacuam ibi fecisse paginam, ubi SS. Patrum Græcorum extabant allata ab auctore & Græce recitata testimonia, quod ea in αὐτογράφῳ auctoris legere nequiverit. Inter has conciones habetur inserta auctoris *Epistola consolatoria ad Cosmum Medicem de morte filii*, eaque in primis elegans.

Ad calcem codicis sic legitur : *Hæc omnia scripsi ego presbyter Andreas Senensis artium professor ex familia de Geronimis ab exemplari obfucatissimo & quasi inlegibili ob ineptas literas, ut moris est famosissimorum hominum. Et hoc dum in vita maneret mihi id præstitit, sed non recorrexi apud eum ut putabam, quia mortuus est ipse proprius auctor V. Rdmus D. Bartholomæus Lapaccius episcopus Coronensis, cujus propria manu extabat exemplar die* XXI *mensis junii* MCCCCLXVI *hora nona in ortu solis* (nempe more Italico, quæ Gallis, Hispanis, Germanis est circiter quinta matutina) *me astante in S. Maria Novella Florentiæ, & ibidem cum magna & solemni pompa & funerali celebratione* XXV *die ejusdem mensis in Ecclesia tumulatus est.* Qui tam distincte supra in primo opusculo narrat diem quo illud exscribere finiit, putas lapsum in hoc ultimo & mensem junium indicasse pro maio, ubi se testem oculatum præstat, & circunstantias singulas tam diligenter refert ?

Quoad pompam funeris refert Badius citatus ex necrologio adfuisse archiepiscopum Florentinum cum proceribus civitatis, populosque catervatim confluxisse, ut qui mirum sanctitatis odorem reliquerat, præsentes quoque fuisse antistitem Volaterranum, & præpositum Pratensem, ac orationem funebrem ab episcopo Cortonensi Mariano ord. Servorum Matthæi de quo supra successore pronunciatam.

Præter opera hactenus laudata Tomasinus in suis Bibliothecis Venetis MS in Indice librorum cardinalis Bessarionis hunc recenset :

Bartholomæi Rambertini Coronensis episcopi de Divinis Personis ad cardinalem Bessarionem memb. An opus sit idem an alterum a supra n. 3 laudato *De Spiritu Sancti distinctione a Filio* docebunt gentiles.

In catalogo codd. MSS Bibliothecæ Florentinæ S. Marci Plut. seu Arm. I n. 9 inter alia sic legitur :

Tractatus de glorificatione sensuum in paradiso magistri Bartholomæi Lapaccii de Florentia ordinis Prædicatorum episcopi Coronensis. Quod opusculum typis prodiit hoc titulo : *Liber de sensibilibus deliciis paradisi respectu omnium exteriorum sensuum corporis humani in patria : extractus ex tractatu F. Joannis de Tambaco ordinis Prædicatorum sacræ theologiæ professoris per Rdmum in C. P. & D. D. Bartholomæum Rimbertinum de Florentia ejusdem ord. Prædic. sacræ theologiæ professorem, & Dei miseratione episcopum Coronensem, dum in partibus Germaniæ apostolicæ sedis legationis fungeretur officio. Edente F. Donato de Brixia, diligenti cura typos corrigente F. Ambrosio de Alemania ambobus ejusdem ordinis*, Venetiis 1498 in 8. Quæ editio in Bib. Barber. Tum curante F. Guillelmo Parvo ord. Prædic. Ludovico XII Francorum regi a confessionibus, Parisiis, Jodoci Badii Ascensii 1514 in 8 a ad g. Princ. *Duas esse vitas æternas &c.* In Bibliot. Patav. Tomasini apud S. Joannem in Viridario ad lævam ord. 2 recensetur Tractatus hoc titulo : *Conclusiones de sensibilibus deliciis paradisi* : quem eumdem suspicor.

Ex his duo colligo. 1. Bartholomæum nostrum vulgo modo *Lapaccium*, modo *Rambertinum* vel *Rimbertinum*, vel etiam *Ubertinum*, ut a Badio nostro, quæ forte ejusdem familiæ stirpes variæ fuerint, vel tandem simpliciter *de Florentia* a patria nuncupatum. Alterum præter legationem Orientalem supra narratam, & alia in Germania functum fuisse forte occasione concilii Basileensis, ut vel imperatorem, vel alium imperii principem ab eo distraheret, quocumque tandem anno id acciderit.

Laudatur a Pocciantio quidam *F. Dominicus Lapaccius Dominicani instituti professor, sacræ theologiæ doctor præcipuus, verbi divini orator insignis, & Argoliensis, deinde Coronensis Ecclesiæ episcopus venerabilis. Edidit opus insigne super* Miserere, *quod elegantissime concionatus est coram rege Bohemiæ. Humanis cessit Florentiæ die* 20 *julii anno* 1446. Sic ille, sed manifestum hunc non alium esse a Bartholomæo, cui ista omnia conveniunt, nisi quod errore forte typorum dicitur *mortuus* 20 *julii* 1446, cùm legendum esset 21 *junii* 1466 Certe Badius citatus monet in *Historia Familiarum Florentinarum* MS *& in Bibl. Medicea asservata* cujus auctor est Monaldus, *Bartholomæi* nostri sub nomine *Dominici* fieri mentionem : quem proinde actis sui cœnobii diligenter inspectis eumdem agnovit. Igitur & inter Bartholomæi opera recensenda

Enarratio super psalmum 50 Miserere. MS inquit Pocciantius in *Bibl. S. Mar. Novel.*

Eximiis porro laudibus nostrum hunc scriptorem ornat idem Pocciantius. *Orator evangelicus*, inquit, *& episcopus Argoletensis & deinde Coronensis, cùm Latinam, Græcam & Hebraicam linguam imbibis-*

sit, *& Rhetoricam*, *Dialecticam*, *Geometriam*, *& Musicam novisset*, *ita omnem philosophiam*, *scientiarum asserta*, *opiniones*, *dogmata*, *ac denique universam theologiam complexus est*, *ut homines gravissimos laudatores habuerit. Quod profecto non modo testati sunt Græci*, *& quidem peritissimi in concilio Florentino*, *qui processionem Spiritus Sancti ab utroque procedere eo arguente sunt convicti*: *sed & ipsemet P. S. Eugenius IV qui verbi ducem ac tubam celebrem nominandum duxit.* Meminere Leander Albertus fol. 74 b, ubi vult sub Joannis Dominici cardinalis nostri disciplina in religione educatum, quod vix crediderim nisi puerulus ordinem ingressus fuerit, sed forte intelligendus sub magistris a dicto cardinali institutis : fol. verò 125 b, dicit : *Bartholomæus Florentinus antistes Coronensis magnus theologus*, *valde accuratus vir*, *& artificiosus in sermonibus condendis*, *qui floruit circa* MCCCCLX. *In descrizz. d'Ital. fol. 39 b*, etiam legendus. Lusitanus in chron. ad 1400, sed delusus cùm alium censet ab eo quem ibidem dicit claruisse ad 1460, & in Bibl. refert ad 1438 : Razzius inter episcopos ad 1460 pag. 89, & inter magistros sacri palatii pag. 213, ubi eum ordine XXXIV numerat : Altamura sed multipliciter lapsus, primo ad 1466, ubi eum cum Ughello & Fontana Cortonensem episcopum facit, quam sedem nunquam occupavit, & cum Paramo generalem in Hungaria, Polonia, Pannonia, fidei censorem, quorum nulla extat ejus ætatis memoria : rursus ad 1514 quo anno eum florentem indicat nuncupans Rimbertinum Florentinum episcopum Ceronensem : tertio ad 1599, quæ tamen errata viro rerum ordinis studioso ob inopiam veterum monimentorum excidisse non mirum. Hos & alios ex suprapositis certis emendes.

F. NICOLAUS DE NERITONO.

1466. F. NICOLAUS DE NERITONO a patria vernacule *Nardò* civitate episcopali & eleganti provinciæ Hydruntinæ sic nuncupatus his annis vivebat. Aliunde ille mihi notus non est, quam ex duobus codicibus Bibl. Regiæ 6898 & 6899 in fol. membr. eleganter scriptis, quibus pars sacrorum Bibliorum Italice continetur :

Primò. *I libri di Esdra*, *Neemia*, *e tutti li sequenti fin' Ezechiele*, *scritti dalla mano di Frà Nicolo da Nardò dell' ordine de' Predicatori l'anno* MCCCCLXVI.

Secundò. *I libri di Daniele*, *degli dodici minori profete*, *de' Macabei*, *gli quatro evangelii &c. fin all' apocalisse*, *scritti dal medesimo l'anno* MCCCCXXXI.

Majorem ejus notitiam dabunt sodales Neapolitani, & hîc addent.

F. JOANNES DE MONTE.

1467. F. JOANNES DE MONTE Insuber Mediolanensis, orator verbi divini præstantissimus, idemque eloquentissimus laudatur a Leandro fol. 145 b, & dicitur cum Christophoro Mediolanensi de quo supra ad 1464 erigendæ domui ordinis Tabiensi operam dedisse. Ejusdem meminit Razzius p. 280 n. 25, eumque testatur B. Catharinæ de Senis anno MCCCCLXI a Pio II Sanctorum albo inscriptæ vitam, gesta, virtutes per Italiam in suis concionibus mirum prædicasse. Rovetta ad 1463 relictos ab eo dicit

Sermones de tempore, *de Sanctis & quadragesimales.*

Sed ubi serventur non addit.

F. JOANNES DE TURRECREMATA.

F. JOANNES DE TURRECREMATA vernacule *de Torquemada* gentis ordinisque sui decus, Ecclesiæque universæ splendididissimum lumen & columen, Hispanus natione fuit, patria Pincianus, avita nobilique & christiana de stirpe oriundus. Majores quippe habuit loci Palentinæ diœcesis haud ignobilis *Torquemada* vulgo dicti ex parte dominos, indeque agnomen trahentes : proavum Lupum Alphonsum de Torquemada, quem Brugis tum primum coronatus rex Alphonsus XI equitem creavit, ut in hujus historia legitur cap. 105 : avum Petrum Ferdinandum circa MCCCLXXVI mortuum, & in S. Eulaliæ Turriscrematæ sepultum, aviam verò Joannam de Tovar Pinciæ apud Franciscanos humi conditam in sacello a filio suo natu majore Alvaro Ferdinando a fundamentis erecto, in quo & hic a morte recondi voluit cum conjuge. Is Alvarus filios habuit Petrum Ferdinandum, & nostrum Joannem, cujus etiam meminit in suo testamento : propterea que cùm Joannes Pinciæ ordinem amplexus esset & professus adolescens circa annum MCCCC tum sexdecim annos natus, bonis quæ ipsi hæreditario jure ex Alvari successione competebant, instrumento publico renunciavit conventus. Sed his ad feciales, & genealogiarum curiosos remissis, Joannes veste ordinis indutus pietati studiisque philosophiæ & theologiæ apud suos egregiam navavit operam, sicque eminuit inter æquales, ut Ludovicus a Valleoleti vir insignis de quo supra ad 1436 legatus a Joanne II Castellæ rege anno MCCCCXVII ad concilium Constantiense missus, eum tum XXIX circiter annos natum socium sibi asciverit, qui ceu jam Ecclesiæ studio ardens, quæ in concilio gerebantur, ut & modum agendi privatim in schedis annotabat sibi aliquando usui futura. Exinde a superioribus Lutetiam ad gymnasium Sanjacobeum missus, ita inclaruit, ut ad gradus promotus licentiæ suæ, ut aiunt, præsentatus fuerit, & quintum inter licentiatos, primumque regularium locum obtinuerit die XV martii anni MCCCCXXIII stylo veteri, novo XXIV. Ex actis facultatis. In Hispaniam reversus maximam fecit omnibus æstimationem sui, quem sodales non palæstricis modo scholæ tricis & ambagibus enodandis exercitatissimum, sed summa prudentia, religione, morum animique facilitate præditum experti, mox conventus Pinciani priorem elegerunt, tum & postea Toletani : Anno MCCCCXXXI jam Romæ aderat, eumque mox Eugenius IV ejus anni die quarto martii papa electus sacri magistrum palatii selegit ac constituit, ac paulo post Basileam ad generale ibidem congregatum concilium theologum suum misit. Quo anno illuc accesserit non referunt annales, sed anno MCCCCXXXV jam & utique non recens advenerat, quo tum magister sacri palatii F. Augustini de Roma propositionibus examinandis, tum & B. Birgittæ revelationibus recognoscendis ac probandis, a Patribus qua erat apud eos auctoritate & fama admotus fuit, cujus & censuram laudarunt illi ac rectam habuerunt. Sed & in omnibus de fide negotiis seu de Bohemis ad gremium Ecclesiæ revocandis seu de Græcis ad concordiam reducendis, seu etiam de reformatione, quæ in ea synodo potissimum agebantur capita, non parum claruit, & pro sedis apostolicæ dignitate strenue laboravit, Eugenium constanter adversus quorumdem impetus & conamina propugnando, quod dissertationes plures in synodo ab eo editæ palam faciunt. Hinc Eugenius non solum quo fungebatur munus palatii apostolici magistri novis honoribus & privilegiis au- † 1468.

 xit diplomate dato Romæ anno VII tertio kal. nov. MCCCCXXXVI quo Joannis nostri *scientiam, virtutes, ac probitates sibi, sedi apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ plurimum fructuosas per hæc tempora* fuisse agnoscit. (Videsis Fontanæ *Theatrum pagg.* 410 a.) Sed & deinceps quasi Solii D. Petri hominem habuit & defensorem, ac in difficillimis legationibus expertus est actorem solertissimum. Nam soluto kal. jan. MCCCCXXXVIII concilio Basileensi, ac per bullam suam Ferrariam translato, nuncium eum suum cum cardinali S. Crucis Nurembergam misit pontifex ad coacta ibidem sub ejus anni finem imperii comitia, ut Germaniæ prælatos ac principes a Basileensibus abstraheret, quos saltem in obedientia Eugenii continuit: quod & idem in sequentibus paulo post habitis scilicet mense martio MCCCCXXXIX Moguntiæ comitiis ejusdem pontificis orator impetravit. Exinde Florentiam ubi tum concilium agebatur e Ferraria translatum celeriter reversus, ultimis sessionibus affuit, oratorem concilii Basileensis erudita coram Eugenio IV synodique Patribus pronunciata responsione seu actione confutavit, fidem Ecclesiæ Romanæ & catholicæ de materia formaque sacramenti Eucharistiæ Græcis luculenter exposuit, quam & hi se amplecti professi sunt, sed & e sex vel decem, variant enim in numero, Latinis unus cum F. Joanne de Montenigro provinciali selectus fuit, qui cum totidem Græcis solemne illud unionis, ut vocant, decretum conficeret ab universa synodo subscribendum. Tum verò XX octob. ejusdem anni MCCCCXXXIX cum archiepiscopo Spalatensi & aliis duobus a pontifice missus est orator, qui pacem inter Galliæ Angliæque reges componeret, ut refert Rainaldus ad eum annum n. 39: eaque de causa Andegavis agebat apud nostros, cùm nuncium accepit se XVIII decemb. ab Eugenio IV inter cardinales cooptatum fuisse ac purpura donatum, cujus dignitatis galerum & insignia ibidem induit, ut constat ex fide antiquissimi martyrologii domus nostræ Andegavensis MS in membrana, cujus in margine manu æquali sic scriptum legitur. Extabat certe etiamnum anno MDCXLVI. An inde Italiam repetierit non produnt annales, at certum missæ ad comitia Galliæ antistitum anno sequenti MCCCCXL Bituricis coacta legationis caput & principem fuisse, in quibus sic Joannis de Segobia Felicis V dicti cardinalis & Basileensium oratoris explosit argutias, ac Eugenii IV causæ æquitatem tutatus est, ut Francorum rex Carolus VII etsi a Basileensi concilio se recedere non posse, tamen Eugenio ut legitimo pontifici adhæsisse se hactenus, adhæsurumque semper publice secunda septembris declaraverit. Ad pontificem Florentiæ adhuc agentem ex hoc conventu Gallico reversus, indiuiduus deinceps illi & successoribus astitit, majoribus Ecclesiæ negotiis admotus, quidquid inde supererat temporis in literis agens ac nusquam otiosus. Anno MCCCCXLIII Eugenio IV Senis aderat, cùm mense junio stupor ille mundi Alphonsus Tostatus paradoxa sua publice sustinuit, cujus quasdam Joannes noster propositiones impugnavit, ac ut explicaret coëgit. Anno MCCCCLIX Pium II ad dietam Mantuanam comitatus est, cùmque cæteri cardinales pontifici ut Romam subito rediret suaderent, quod principes aut eorum legati rari eo se contulissent, mollesque ad inferendum Turco regnis christianis imminenti bellum, qua de causa conventus indictus fuerat se præberent, ipse cum Bessarione cardinali Niceno Græco meliori consilio institit, ne re infecta discederet, principesque christianos gravioribus literis ad congressum iterum urgeret, quod & effectu non caruit. Anno MCCCCLXI cùm Bosniæ rex tres regni sui magnates Manichæorum sordibus infectos Romam misisset de fide catholica instituendos, hos pontifex ad Joannem nostrum remisit, qui eos sic veritatem docuit, ut errorem imbibitum in basilica Vaticana IX maii ejurarint. Quæ ordini sibi semper carissimo contulit beneficia eaque magnificentissima omitto, sui conventus Pinciani Ecclesiam in augustiorem formam, qua nunc visitur, a fundamentis erectam, opulentum sustentando Fratrum ibidem studentium numeroso collegio reditum adjunctum, templo nostro ad Minervam Romano testudinem impositam, adjacens eidem elegans impluvium seu claustrum ab integro extructum, & imaginibus excellentissimi ea ætate pictoris manu decoratum, magnam pecuniæ vim ex annuo reditu recipiendam & in egenas virgines Romanas quotannis matrimonio collocandas distribuendam, sodalitatem Annunciationis deinceps & usque modo magis ac magis efflorescentem ideo ab eo institutam, cujus ipsi summi pontifices collegæ & dotum diribitores esse voluerunt, aliaque plura, quæ videsis apud historicos: paratum semper seu dicendum esset ex tempore, seu pro explicandis fidei mysteriis ex improviso & ad nutum pontificum scribendum hominem, ex quo vero sibi dabatur, libris continuo applicitum, novisque in dies condendis operibus sedulo incumbentem solum laudare est animus, quem in eo pro Ecclesia zelum ita probarunt & experti sunt summi pontifices, ut ab Eugenio IV & Pio II universalis fidei defensor appellari meruerit, ut testantur suppares Vincentius Bandellus & Leander Albertus nostri, astipulaturque Ughellus in *Ital. Sac.* quos cæteri excipiunt. Titulum S. Sixti absens ab Eugenio IV VIII jan. MCCCCXL indeptus erat, quem in S. Mariæ trans Tyberim postea commutavit, a Calixto III exinde episcopus Albanus, tandem a Pio II Sabinus promotus est. In Hispania præter abbatias Pincianam, & Burgensem Fonceanam, Mindoniensem, tum & Auriensem sub Compostellana infulas obtinuit: sed & ita in eum etsi absentem affectum fuisse Joannem II Hispaniæ regem ferunt, ut Ferdinandus Gomez ejus medicus in quadam epistola ad Gomezium Benavidez directa tum scripserit regem quidem Guterio Tolosano Hispalensem Ecclesiam contulisse in quorumdam aulicorum gratiam, quam ex animi sui sententia Turrecrematæ nostro libentius dedisset, ut quem apud eum sapientia & religio plus quam aliorum nobilitas digniorem commendabat. Obiit Romæ in conventu Minervæo vir immortali apud literatos omnes præsertim ecclesiasticos memoria dignissimus, ibidemque sepultus fuit in sacello quod a fundamentis erexerat, SS. Annunciationis dicto sub lapide marmoreo, cui hæc inscripta epigraphe: *Hic quiescit D. Joannes de Turrecremata natione Hispanus episcopus Sabinus S. R. E. cardinalis S. Sixti, qui obiit* XXVI *sept. A. D.* MCCCCLXVIII. *Requiescat in pace.* Magnificentius postea eidem erexerunt, epitaphium ita conceptum: *F. Joanni Hispano Vallisoletano, ex vetere pura nobilique familia de Turrecremata ordinis Prædicatorum S. R. E. cardinali episcopo Sabinensi, pietate ac doctrina clarissimo, multis legationibus egregie functo: B. Virginis annunciatæ sodalitas auctori suo posuit. Obiit Romæ* VI *kal. octob. anno Domini* MCCCCLXVIII *ætatis verò suæ* LXXX. Cum eruditis suæ ætatis primi nominis viris Bessarione cardinali, Jo. Antonio Campano, Nicolao Perotto, Blondo historiographo & aliis magna ei fuit animorum studiorumque conjunctio, quorum & plures impense laudarunt. A Sguropulo rerum Florentinæ synodi Græco scriptore *Philosophus Latinorum & dialectica peritissimus* dicitur. Jacobus Amannatus cardinalis Papiensis vir eloquens *Commentariorum de rebus sui temporis lib.* 2 sic de eo habet inter Pauli II electores: *Ab eadem* (His-

panis) *natione*, inquit, *Joannes Turrecremata Sabinorum episcopus. Hujus umbratilis gloria precedentium non cessit laboribus, primas inter theologos sui temporis tenens &c.* Sed ne diutius lectorem morer, videantur Onuphrius Panvinius, Ciaconius, Oldoinus, Ughellus *Ital. Sac. T. I.* Baltazar Porteño *Elogios de los cardinales de España* nondum excusi, Joannes de Turrecremata huic nostro cognominis in epistola summæ de Ecclesia mox referendæ præfixa in edit. Salmantic. Joannes Pontanus *Conveniencia de Monarquias lib.* 1 *c.* 13 §. 3. Nostri Ferdinandus de Castillo *Cent. lib.* 3 *c.* 42 *& Lopez P. III lib.* 3 *c.* 14, ut interim omittam Tritemium, Possevinum, Miræum, Bellarminum, Labbeum & alios & domesticos Lusitanum & cæteros sequaces ad Altamuram anno 1468. Sed caveas a Ferdinando Pulgari qui & alia multa de eo nescivit & erravit & Lucio Marinæo etsi æqualibus, qui Joannem nostrum patria Burgensem, & Judæa de gente satum præstant, quibus assentitur noster Joannes de Cruce in commentariis suis ordinis, sed quos egregie revincit ex monumentis conventus Pinciani, & ex familiæ tabulis ac documentis citatus Castillus. Præ omnibus videndus, quem in pluribus excipimus Nicolaus Antonius in *Bibl. Vet. Hisp. lib.* 10 *c.* 10 *n.* 515 *& seqq. pag.* 187.

OPERA TYPIS EDITA.

1. *Commentarii in Decretum Gratiani. Partes* V. I. In *Distinctiones*, vol. unum. II. *In causas*, voll. duo. III. In *de pœnitentia*. vol. unum. IV. In *de consecratione* vol. unum. Prodierunt typis per Nicolaum Boherium senatus Burdegalensis præsidem recogniti, & notis suis aucti Lugduni, Joannis de Jonvelle dicti Piston 1519 charta imper. seu fol. max. Tomis sex. Ad finem primi voluminis dicitur opus finitum Romæ IV jun. MCCCCLVII. Editum Romæ 1555 in fol. Postea Venetiis, Hieronymi Schotti 1578 in fol. voll. IV.

Extat opus MS Romæ in Bibl. Barber, hoc titulo: *Compilatio nova Decreti Turris aurea decretorum nominata, Nicolao V pontifici summo dicata.* Pr. *Cupienti mihi opus, quod auxiliante Deo inchoavimus in* V *libros juxta* V *libros Decretalium &c.* Finitum est opus Romæ 10 jan. 1451. Habetur etiam Patavii in Bibl. Eccl. Maj. teste Tomassino p. 4.

In hoc opere T. I, Dist. 17 q. 4 Edit. Lugdun. 1519. fol. 68 c, sic loquitur: *Sicut practicatum vidimus tam in concilio Constantiensi quam Basileensi quibus interfuimus.* Ex quibus Constantiensi synodo adfuisse palam est, de quo dubitare videbatur Nic. Antonius.

2. *Summa de Ecclesia.* Romæ, Eucherii Silber aut Franck 1489 fol. mag. Lugduni, Jo. Trechsel & Jodoci Badii 1496 fol. pp. 512. Postea curante cardinali Vitellotio, Venetiis, Michael Tramezini 1561 in 4 pp. 823. Hanc auctor Nicolao V nuncupavit. Lib. 1 *Agit de universali Ecclesia.* Lib. 2. *De Ecclesia Romana & pontificis ejus primatu.* 3. *De universalibus conciliis.* 4. *De schismaticis & hæreticis.* Edita fuit etiam Salmanticæ, Jo. Mar. Terranova 1560 fol. II vero & III P. prodiere in Bibliotheca maxima pontificia nostri Jo. Th. de Roccaberti, Romæ, Buagni 1697 fol. T. XIII. Extat MS in Bibl. Vatic. codd. 2577, 2578 & 2701.

In Bibl. Olivatiensi extat *tractatus de potestate papæ & imperatoris* MS fol. quem haud diversum ab hac summa existimat Nic. Antonius. In hoc opere sic habet Lib. 3 c. 14: *Sed etiam in diebus nostris tam in concilio Constantiensi quam Basileensi vidimus practicatum, quibus interfuimus.*

3. *Apparatus super decreto unionis Græcorum in Sacrosancto œcumenico concilio Florentiæ celebrato ab Eugenio IV papa promulgato*, Venetiis, Tramezini 1561 in 4, unâ cum Summa de Ecclesia, pp. 85. Extat MS Romæ in Vatic. cod. 4165, & Patavii apud Bened. Silvaticum teste Tomasino p. 84 a. Sæc. XV.

4. *Tractatus de aqua benedicta.* Prodiit primum in Inc. Typog. absque loco, anno & nomine typothetæ hoc titulo: *Tractatus de efficacia aquæ benedictæ contra Petrum Anglicum in Bohemia*, in 4. Quæ editio extat in Bib. Augustana, & laudatur apud Reiserum Plut. V p. 72 n. 38. Meminit ejusdem Cinellus *Bib. volante Scanzia* VII *p.* 78. Altera est editio Romæ, Stephani Guillireti 1524 in 8, cui accedit *Tractatus de defectibus in missa adversus Petrum Anglicum ejusdem Jo. de Turrecremata*, quæ editio extat in Bib. Teller. nunc Genovef. Tertia editio Romæ, Ant. Bladi 1559 in 8, ad calcem libri Joan Burcardi, cui titulus *Ordo Missæ.* Extat Parif. apud nostros ad S. Honorati. Opella autem servatur MS Venetiis apud nostros SS Jo. & Pauli teste Tomasino. Item Basileæ in Bib. Publ. & recensetur a Spizelio p. 20 scripta memb. anno 1441. Unde mirum Alphonsum de Castro in fine libri 2 adversus hæreses dicere, licèt a se diligenter quæsitam nunquam tamen a se inveniri potuisse. Cinellus loco cit. monebat Badio nostro Florentino in animo esse hunc tractatum a se recognitum & multis additionibus ad eamdem causam spectantibus locupletatum denuo prælo committere, quod an opere compleverit mihi hactenus incompertum.

5. *Meditationes in vitam Christi.* Coloniæ Agrippinæ, Bernardi Gualfeoin 1607 in 12. Iterum præfixa a Francisco Swertio auctoris vita, Antverpiæ 1607 in 12: quæ posterior editio Romæ in Barber.

6. *Expositio brevis & utilis super toto psalterio.* Quod opus Pio II auctor nuncupavit pluries postea editum Romæ, Udalrici Galli vulgo *le Coq* 1470 fol. par. signaturis 5 foll. 20. Moguntiæ, Petri Schoeffer de Gernzheim 1474 fol. par. Laudatur alia editio typis Joan. Schussler civis Augustani absque loco & anno in Bibl. August. Reiseri p. 111. Romæ iterum, Francisci Lupi Galli 1476: Extabat apud nostros Cajetæ, ubi a Nic. Antonio visa. Moguntiæ 1476 fol. Burgi 1480 fol. Extabat Romæ in Bibl. Sapientiæ eodem teste. Cæsaraugustæ 1482 fol. Venetiis 1485 fol. Ibid. Lazari de Soardis 1513 in 8, & Stephani de Sabio 1524 in 8, hæc in Bibl. Barber. Argentinæ 1485. fol. Exempla duo Bibl. Gymnasii Parif. S. J. laudat Labbeus De script. Eccl. absque loco & anno editionis in Inc. Typogr. Est & apud nostros ad S. Honoratum Parisienses editio in 8 char. Goth. sed an laudatarum aliqua, an alia, cùm desit primum & ultimum foliolum, dici non potest. Joannes de la Caille in suo tractatu *Histoire de l'Imprimerie p.* 39, refert editionem Parisiensem apud Jo. Parvi typis Petri Olivier & Jacobi le Forestier in 8 absque anno: Item p. 49 aliam Lingonis 1482. Beughemius in *Incun.* aliam Augustæ 1472 fol. an superius relatam ex Reisero? Alia in Bibl. Teller. nunc Genovef. Parif. Marnef. fol.

7. *Quæstiones spiritualis convivii delicias præferentes super evangeliis tam de tempore quam de sanctis.* In Incun. Typog. absque loco & anno. Noribergæ Frederici Creuszner 1478 fol. Quæ editio apud nostros Rotomagi. Brixiæ 1498 in 4, quam editionem habet Ecclesia Hispalensis inter Colonæos libros. Lugduni 1500 in 8. Ibidem, Stephani Gueynard 1508 in 8, ex recognitione F. Guillelmi Totani nostri. Ibid. Joan. de Vingle 1509 in 4. Parisiis, Joan. Barbier & Franc. Regnault 1510 in 8, pp. 418. Princ. *Sacro & solendissimo* &c. Sequitur ritum ordinis Prædicatorum rationabiliorem sibi visum. Extat MS in Bibl. Vatic. n. 975 cum titulo: *Collationes pro DD. cardinalibus pro collocutionibus post mensam:* Sic Nic. Antonius. Est etiam MS Parif. in Colbert. cod. 624 ad calcem.

 8. *Excellens opus D. Jo. de Turrecremata &c. quæstionum dignissimarum cum solutionibus earumdem circa textum epistolarum atque evangeliorum tam de tempore quam de sanctis & festorum emergentium totius anni; cum introductionibus thematum præclarissimis de quacunque materia prædicare volentibus applicabilium, quod apud fidei cultores dignissimos S. T. professores propter sui excellentiam Flos theologiæ meruit nominari.* Basileæ, Eberardi Fromolt 1481 fol. char. Goth. eleganti: Extat apud nostros Divioni. Alteram editionem laudat Beughemius absque loco 1484. in fol. Tritemius meminit, quem excipiunt nostri Lusitanus & Altamura, sed & Possevinus. Recensetur sub titulo præfato scilicet *Flos theologiæ* in Indice Bibl. August. inter codd. veter. edit. pag. 111 Reiseri Plut. 2 p. 132 n. 11. Idem videtur qui ibidem pag. 98 Plut. 6 p. 90 n. 41 sic indicatur *Flos theologiæ, & Quæstiones de tempore & de SS.* Annus & locus editionis tacentur.

9. *Tractatus contra principales errores perfidi Machometis & Turcorum sive Saracenorum festinanter copulatus per RR. D. Joannem de Turrecremata R. E. tit. S. Mariæ trans Tiberim presbyterum cardinalem S. Sixti vulgariter nuncupatum anno 1459. In procinctu Dietæ tunc celebrandæ in civitate Mantuana per SS. D. Papam Pium II prælatis & principibus convocatis ad obviandum incursibus immanissimi hostis Christianorum Machometis Turcorum imperatoris.* Parisiis 1465 in 8. Sic in Append. Cavei, ex fide Beughemii hic mihi sublesta: sed certo Ibid. Guillelmi Eustace absque anno in 4 pp. 112: Quæ editio apud nostros Parisienses ad S. Honorati & in Regia D. 1556. Romæ, Guillelmi Faciotti 1606 in 8. Editio alia est in Sapientia Romana a Nic. Antonio visa & relata absque loci nota, quam hic principem censet. Extat autem opus MS in Vatic. codd. 974 & 1043. Hunc tractatum dicat auctor Pio papæ II, cujus jussu ad Dietam Mantuanam pergebat ipse cum summo pontifice, ut refert in epist. nuncup. in qua & dicit se non historiam & originem Turcarum scribere velle, sed tantum demonstrare, quod Machometus fuerit pseudopropheta, seductor suæ gentis, lexque ejus non a Deo, sed a diabolo impietatis suggestore processerit, sitque secta illius quasi ex omnium hæreticorum erroribus quædam cloaca congregata. Est etiam Alva teste MS in Bibl. univer. Complut.

10. *Flores sententiarum D. Thomæ Aquinatis de auctoritate summi pontificis collecti in concilio Basileensi anno 1437 jussu cardinalis Juliani*, cui tractatum hunc 73 qq. auctor nuncupavit. Pr. *Mandasti Reverendissime pater & Domine præstantissime Juliane &c.* Augustæ 1496, sic Beughem in Inc. Typ. Lugduni, Joan. Trechsel 1496, ad calcem Summæ ejusdem de Ecclesia fol. pp. 15. Iterum curis nostri Remigii Florentini in collectione similis argumenti tractatuum, Venetiis 1562 in 4. Extat vero opella MS Romæ in Bibl. Vatic. cod. 4117 & in Bibl. card. Bisci. Item teste Tomasino Patavii, in Eccles. Cathedr. & apud S. Joannem in viridario: Item Parisiis in Bibl. gymnasii Navarrici a me J. E. visa.

11. *Tractatus notabilis de potestate papæ & concilii generalis auctoritate*: Scilicet ad Basileensem Oratorem responsio coram Eugenio IV in concilio Florentino exhibita. Prodiit teste Joanne *de la Caille, Hist. de l'Imprim.* p. 26 Coloniæ, Henrici Quentel 1480 fol. Iterum hoc titulo: *De pontificis maximi conciliique generalis auctoritate ad Basileensium oratorem responsio coram SS. D. Eugenio papa IV, sacro cardinalium senatu, cæterisque Romanæ curiæ proceribus in concilio Florentino viva voce exhibita, nunc primum in lucem edita. Accesserunt rerum insignium summa cum indice locupletissimo opera Camilli Campegii.* Venetiis, Jordani Ziletti 1563 in 4, pp. 124. Ad calcem addidit Campegius decreta sess. IV & V concil. Constantien. & sess. II & XXIII concil. Basileen. in lectoris commodum. Editio elegans Herculi cardinali Gonzagæ nuncupata, sed fallitur typographus cum primam asserit. Est & alia recens editio hoc titulo: *Apologia Eugenii papæ IV; sive de summi pontificis & generalis concilii potestate ad Basileensium oratorem in Florentina synodo responsio viva voce exhibita per Joannem a Turrecremata S. Palatii apost. magistrum &c. ad modernas controversias dirimendas opportuna.* Lovanii, Ægid. Denique, 1683 in 4, pp. 59. Sed & repræsentat Editio conciliorum Parisiensis 1672, T. XIII col. 1661 ad 1719. Tum & Bibliotheca maxima pontificia jussu & sumptibus F. Jo. Th. de Roccaberti olim magistri ordinis Prædicatorum, tum archiepiscopi Valentini, Romæ, Buagni 1697 fol. T. XIII. Extat MS recensitus in catalogo codd. MSS Angliæ T. I, P. III 1613, & eodem codice MS hæc alia recensentur: *Responsio Jo. de Turrecremata cardinalis ad quosdam errores Basileensium.* Præterea: *Alius tractatus prædicti cardinalis de Turrecremata, in quo patent aliquæ responsiones ejusdem & responsiones Basileensium.*

12. *De pontificatu S. Petri.* Refert Ludovicus Jacob in Bibl. Pontif. p. 376 ut diversum ex Molano *Bib. Materiarum*, at editionis non meminit.

13. *Concio Dominica 2 Adventus anno 1432, ad Patres concilii Basileensis habita in Evangelium, Erunt signa in sole & luna & stellis &c.* Extat in cod. MS collectionum concilii Basileen. ætatis auctoris, qui codex est in Bibl. Stephani Baluzii Tutelensis Paris. & speratur cum Actis omnibus hujus concili edenda. A nostro Jacobo Quetif visa est anno 1678 die 5 januarii.

14. *Tractatus de corpore Christi adversus Bohemos.* Prodiit typis (si fides Alvæ in Sol. Verit. Rad. 271 col. 1788.) Basileæ & Delphis in Batavia in 4: & Lugduni 1578 in 24. Extat eodem teste MS in Bibl. univers. Complutensis. Habetur etiam apud nostros Remenses MS in 4. ex cod. MS Calcariensi exscriptus, & a Jacobo Quetif laudato anno 1683 visus, ubi etiam dicitur ab auctore Basileæ anno 1436 compositus. Pr. *Prologus. Quarumdam religiosarum personarum ordinis nostri crebris & devotis precibus me pulsantibus &c.* Divisus est in 15 capita.

15. *Tractatus in quo ponuntur impugnationes quarumdam propositionum, quas magister in theologia Alphonsus de Madrigal Tostatus vulgo dictus posuit & asseruit in disputatione publica in Romana curia 21 Junii 1443.* Meminit Salmeron T. I Prolegomenon 38, & ex eo Emmanuel Schelstrate in chronologia vitæ Christi ad annum 32. Editionis nullus meminit, sed Nic. Antonius MS a se visum testatur in Vatic. cod. 5606.

16. *Tractatus 50 veritatum contra 50 errores Manichæorum jussu Pii II papæ.* Editionis non meminerunt. Titulum sic refert Nicolaus Antonius: *Symbolum veritatum fidei Romanæ Ecclesiæ pro informatione Manichæorum*: & addit a se visum in Vatic. cod. 974. Princ. *Beatissime pater.* In fine dicitur *factus Romæ in ecclesia S. Petri 9 maii 1461.* Miserat, inquit Antonius, Bosniæ rex ad papam viros sui regni tres Manichæorum errore obcæcatos, ut Romæ catechizarentur, quos & ad fidem adduxit, sed duobus in agnita veritate perseverantibus, tertius reversus est ad vomitum. Videsis Ciaconium in *Eugenio IV & hoc nostro cardinali.* Extat MS in Bibl. univ. Complut. teste Alva.

17. *Regula S. Benedicti cum doctissimis & piissimis commentariis Joannis de Turrecremata S. R. E. cardinalis ad Arsenium monachum* cujusdam monasterii

nasterii Florentini, quod cardinalis in commendis habebat, ut ait Tritemius, opus magnum & accuratum. Prodiit Coloniæ Agrippinæ, Gervini Calenii & hæredum Quentel 1575 fol. pp. a 35 ad 290: simul edita est Expositio Smaragdi super eamdem regulam sed & plura alia. Antiquiores editiones laudat Beughemius in Inc. Typog. 1491 fol. Paris. 1494: Extat & Rotomagi, Joan. Richardi 1510 in 4, quæ apud nostros Bisuntii.

18. *Tractatus de reformatione: seu Decisiones in regulam S. Benedicti pro conscientia prælatorum & subditorum.* Edidit noster Bernardinus Gauslinus cum aliis ejusdem generis tractatulis & actis, Venetiis 1618 in 8 pp. ad summum tres.

19. *Meditationes positæ & depictæ de ipsius mandato in Ecclesiæ ambitu S. Mariæ de Minerva Romæ.* Impressum opusculum Romæ, Stephani Planck de Patavia 1498 in 4, signaturis foll. duorum in 4 ab a ad d, seu pp. 64, Princ. *O admiranda & laudanda &c.* Alias editiones refert Beughemius in Inc. Typog. Romæ 1467, & 1473 fol.

20. *De salute animæ.* Princ. *Docet nos divina scriptura.* Sic Tritemius, quem Bellarminus, Possevinus & nostri Alphonsus Venero, Marieta, Lusitanus, Altamura excipiunt, qui omnes de editione tacent, nec ubi MS servetur indicant. In Cavei Appendice Titulus sic refertur: *Salus animæ, seu stabilimentum fidei catholicæ*, Londini 1509.

21. *Revelationes B. Birgittæ ex mandato concilii Basileensis anno 1435 in ipsa synodo ab eo tum magistro sacri palatii recognitæ & probatæ, & Epistola illarum apologetica ad instantiam magni monasterii de Warzsteno in Svecia confessoris & Olavi Petri ejusdem monasterii conventualis ab eo scripta data Romæ 29 martii 1446 ipsis revelationibus præfixa.* Prodierunt Romæ 1557 fol. & Coloniæ, Antonii Boetzeri 1628 fol. Monachii 1680 fol.

22. *Expositio regulæ B. Birgittæ laudatur* a Lusitano, quam in Gymnasio nostro Pinciano MS servari testatur se a magistro F. Hieronymo Almonazir didicisse: sed dubitat Nic. Antonius, an ea quid aliud sit a Revelationibus ab ipso probatis aut apologia mox recensita, quod discutiant Pinciani nostri. In Appendice Cavei laudatur ut distincta & edita Coloniæ 1628.

23. *Tractatus de veritate conceptionis Beatissimæ Virginis pro facienda relatione coram Patribus concilii Basileensis anno Domini 1437 mense julio de mandato sedis apostolicæ legatorum ejusdem sacro concilio præsidentium compilatus per R. P. F. Joannem de Turrecremata sacræ theologiæ professorem ordinis Prædicatorum tunc sacri apostolici palatii magistrum postea S. R. E. cardinalem episcopum Sabinensem.* Prodiit primum Romæ, Antonii Bladi Asculani 1547 in 4 pp. 560 absque præfationibus & indicibus. Extat hic liber Parisiis in Bibl. Mazarin. eleganti charactere Italico excusus. F. Albertus Duimius noster hanc editionem curavit sub oculis F. Bartholomæi Spinæ sacri palatii magistri senio jam confecti & huic editioni intenti & addicti, & ab hujus morte quæ anno 1546 accidit, absolvit. Divisiones capitum paulo immutavit, menda quæ amanuensium vitio irrepserant pene innumera detersit, & præfationem veritatis amatoribus præfixit, in qua quid a se in hac editione præstitum & cur, candide refert. Volente autem Paulo papa III liber editus fuit, sumtus conferente F. Joanne de Toledo presbytero cardinali tit. S. Clementis.

» Quia autem Alva in Sole veritatis Rad. 271 » col. 1788 majorem hujus operis partem non Tur- » recrematæ sed Bartholomæi Spinæ, aut magis Al- » berti Duimii esse contendit, prolixiorem quam res » ac præscriptum sibi referendi non disputandi genus » petebat, tempusque permisisse videtur, commentarium causatus; sic respondet Nicolaus Antonius, quem totidem verbis excipio: imo non « minoris Joannis nostri esse molis debuisse opus, « quo majori adhuc Joannis Segobiensis Allegatio- « num & Avisamentorum operi jam Patribus exhi- « bito ex munere sibi imposito respondere debuit. « Et quidem statim potuit ab edicto Patrum anni « 1435 junio mense publicato expediri negotium col- « ligendi ex omnibus bibliothecis & archivis mo- « numenta omnia, quæ de hac quæstione concepta « reperirentur & ex his omnibus thesauroque suæ « memoriæ & proprio studio potuit etiam Joannes « cardinalis colligere auctorum testimonia in hoc « libro extantia, quæ tantum cogitabat tum exhi- « bere sacro concilio, postmodum vero auditis « Joannis de Montenigro, cujus primæ in hac re « partes fuere allegationibus, hasque secutis Joan- « nis Segobiensis aliis fusissimis præcedentium Al- « legationum refutatoriis opus suum ampliare ad « 1437, & ex breviore justum & integrum reddere, « ne tertius jam disputator in arenam decendens, « aridior & imbecillior decessoribus suis appare- « ret, quod esset veluti causam adversariis tradere. « Et hoc sane argumento validissime quatiuntur & « corruunt omnia, quæ pro abjudicando Turrecre- « matæ libro isto pervicaciter enixeque Petrus Al- « va, & si qui ante eum alii contenderunt: quo- « rum cogitata expendenda iis relinquimus, qui non « ullo præjudicio sed veritatis amore ducti in hunc « locum inciderint «. Hactenus Antonius, qui & addit quod cùm hanc relationem seu tractatum concilio jam exhibiturus erat, quo minus id facere posset impeditus fuit, schismatis illius causa, quod per eos dies ortum habere cœpit: cùm legati Eugenii papæ recedere inde, & cum eis Joannes noster in mandatis habuere, ut ipse ait in cap. *Firmissime. De consecratione dist. 4 n. 11.* Unde colligas etiam si fortè operis hujus omnino perficiendi Basileæ tempus non habuisset, quod tamen non concesserim, saltem illud postea Ferrariæ Florentiæve aut Romæ recognoscere maturius ac complere potuisse. Extat MS Basileæ recensitus a Spizelio pag. 39 hoc titulo: *De veritate conceptionis B. Mariæ Virg. conscriptus pro concilio Basileensi 1437.*

24. *Expositio omnium S. Pauli epistolarum.* Basileæ 1495. Laudatur a Beughem. in Inc. Typ. & fortè ex eo in Appendice Cavei ad 1439: penes quos fides, cùm alii sileant.

25. *Quodlibetica* cum sermonibus & tractatibus Petri de Alliaco cardinalis, Argentinæ 1490: Sic apud Beughemium citatum & in Cavei Appendice cit.

26. *Orationes seu dissertationes duæ in concilio Florentino.* Prima Collatione XXII cum Græcis mense junio 1439, in qua *demonstravit confici Eucharistiæ sacramentum sive in azymo sive in fermentato, affirmans verius esse Cristum Dominum consecrasse in azymo. Item verbis Salvatoris tanquam forma, & non aliis fieri transubstantiationem.* Vide T. XIII conc. gener. col. 1141. Altera die 20 junii sequenti, in qua *demonstravit veritatem formæ transubstantiationis.* Ibidem col. 1153.

27. Gravissimam habuit Joannes noster disputationem Mantuæ mense septemb. anno 1459 jussu & coram Pio II præsente cum F. Francisco de Savona sive Rouere, qui postea fuit Sixtus papa IV, de veritate & adoratione sanguinis Christi, qui Mantuæ in ecclesia S. Andreæ servatur, uti refertur a F. Hippolyto Donesmondi Minorita *Hist. Eccl. Mantuana P. II Lib. 6 pag.* 12. Tractatum suum de ea re scripsisse Franciscum de Savona dictum ait ibidem Donesmondus, sed an Turrecremata disputationem suam scripto mandarit, non addit. Cæterum penes Donesmondum sit hujus disputationis

Sæc. XV. fides, cujus nulla in annalibus ecclesiasticis nec etiam Minorum apud Wadingum memoria.

Opera nostri Joannis prodiisse typis Augustæ 1471 vel 1472 tomis octo asserunt Beughemius in Inc. Typ. & auctor Appendicis ad Caveum, penes quos fides.

SEQUUNTUR OPERA ejus nondum typis edita, sed MS servata prout a Nicolao Antonio in Bibl. veteri Hispana referuntur, neque enim quis alius diligentius quæsivit, aut accuratius refert. Hæc autem a se visa testatur haberi in Bibl. Vatic. Romæ:

1. *Libellus compositus & editus contra certos hæreticos noviter impugnantes paupertatem Christi & suorum apostolorum.* cod. MS 974 fol. 55.

2. *Libellus quidam pro defensione Romani imperii.* Ibid. fol. 65.

3. *Libellus de nuptiis spiritualibus.* Ibid. fol. 68.

4. *Tractatus contra concilium Basileense.* Incipit: *Notastis, teneo, superiori die pro vestra sapientia & humanitate, Reverendissimi Patres, sanctissimam & religiosam intentionem sanctissimi Domini nostri &c.* In fine: *Explicit oratio facta per magistrum Joannem de Turrecremata sacri & apostolici palatii magistrum anno incarnationis* 1439. Justo volumine habetur cod. 2579. Idem est qui supra inter editos. n. 11.

5. *De eodem concilio Basileensi* aliqua ejus sunt in cod. 4136.

6. Codice 5606 ubi est censura in Tostati propositiones, habentur & sequentia: *Tractatus de decreto irritante factus in concilio Basileensi in responsione ad hoc quæsitum: An in omni lege licita ad obviandum abusibus curiæ Romanæ multiplicibus possit per generale concilium simpliciter & indistincte poni decretum irritans summis pontificibus?* Et respondet negative. Citatur hic tractatus a nostro Francisco de Victoria Relect. T. I, Relect. 3. De potestate concilii pag. 236 Edit. Lugdun. 1557 in 8.

6. *Quæstio quædam facta per Reverendissimum D. cardinalem S. Xysti, dum erat magister sacri palatii coram Eugenio papa IV ac Reverendissimis Dominis cardinalibus & prælatis curiæ Romanæ.* Princ. *Notastis teneo superiori die &c.* Scilicet circa propositionem factam in Basileensi concilio, quod veritas de potestate concilii generalis universalem Ecclesiam representantis supra papam & quemlibet alterum declarata per Constantiense & Basileense generalia concilia est veritas fidei catholicæ. In fine notatur factam fuisse hanc quæstionem sive orationem anno 1439: sed videtur hoc opus idem esse cum paulo ante num. 4 relato contra concilium Basileense, nam idem est utriusque principium. Quod proinde bis habetur in Bibl. Vatic. Scilicet in hoc cod. 5606, & superius relato 2579. Sic censet Nic. Antonius.

7. *Responsio in blasphemam & sacrilegam invectivam ad sanctissimum canonem justissimæ condemnationis damnatissimæ congregationis Basileensium.* Princ. *Dissimulare non possumus.* In fine monetur eam factam fuisse per Turrecrematam cardinalem S. Xysti, dum esset Bituricis apud illustrissimum regem Franciæ orator Eugenii papæ. Extat eodem cod. 5606.

8. *Responsiones quædam breves triginta octo articulorum, qui dicuntur esse Hussitarum, qui sunt in regno Bohemiæ factæ per eximium virum magistrum F. Joannem de Turrecremata, qui postmodum fuerat cardinalis S. Xysti.* Princ. *Primus articulus.* Finis: *Expliciunt reprobationes* XXXVIII *articulorum Bohemorum, qui sunt in Moldavia* (an in Moravia) *ita perfunctorie & celeriter factæ ad mandatum SS. D. N. Eugenii papæ IV, Florentiæ anno Domini* 1442 *die* 28 *julii per studium Domini cardinalis S. Xysti.* Eod. cod. 5606.

9. *Collecta per D. cardinalem S. Xysti tempore SS. D. papæ Eugenii IV super petitione D. regis Franciæ, ut aliud tertium celebraretur generale concilium.* Princ. *Quod autem convenientissimum esset.* Eod. cod. 5606.

10. *Tractatus factus contra Avisamentum quoddam Basileensium, quod non liceat appellare a concilio ad papam.* Princ. *Circa hoc avisamentum &c.* Factus fuit tractatus in eodem concilio Basileensi, ut patet ex his ad finem: *Explicit votum magistri Joannis de Turrecremata in materia appellationum in deputatione reformatorii* IX *martii anno Domini* 1436. Eod. cod. 5606.

11. *Votum* (aliud ejusdem) *super avisamento, quod papa debeat jurare servare decreta de conciliis generalibus continuandis & electionibus confirmandis, aliâs cadat a jure papatus.* Princ. *Circa avisamentum &c.* Responderque non licere papam ad id ligari per concilium. Factum est in eadem deputatione reformatorii. Eod. cod. 5606.

12. *Repetitiones quædam ejusdem cardinalis, cùm esset in minoribus constitutus Basileæ super quibusdam propositionibus Augustini de Roma.* Pr. *Reverendissimi reverendique patres.* Finis: *Explicit votum magistri Joannis de Turrecremata apostolici palatii magistri relatum coram judice fidei & aliorum reverendissimorum reverendorumque patrum & eximiorum utriusque juris doctorum multitudine copiosa in domo Fratrum Minorum ita compilatum & in scriptum redactum ad mandatum inclitæ nationis Italiæ anno Domini* 1435 *mense julio.* Eod. cod. 5606.

13. *Propositio ejusdem, cùm esset orator ad dietam Moguntinam ex parte SS. D. N. Eugenii super justitia translationis concilii de Basilea in Ferrariam & tandem de Ferraria in Florentiam.* Eod. cod. 5606.

14. *Tractatus quidam contra Madianitas & Ismaelitas adversarios & detrectatores illorum qui de populo Israelitico originem traxerunt.* Princ. *Turris fortitudinis a facie inimici.* Invehitur contra eos malos Christianos & perversos homines (ut ille ait) *qui omni Dei timore postposito malitiæ spiritu inflati, fideles Christi de populo Israelitico descendentes, quantumcunque fide virtute ac donis divinæ gratiæ resplendeant, odio mortali injuriis opprobriis, damnisque molestant & persequuntur.* Occasionem huic scripto datam refert dicens *quod libellos infamatorios sub nomine processuum ad varias orbis partes demandatos viderit, & præcipue processum legerit per quemdam* (vid. leg. *Toleti*) *Spoleti factum per quosdam impios homines Domino & regi suo naturali rebelles, qui capita factionum & iniquitatum Toleti commissarum fuere: quem scilicet Domino nostro Nicolao papæ V per quemdam eorum collegam cum certis literis ad curiam Romanam demandarunt. Qui processus a nobis diligenter lectus & examinatus visus est nobis ex multiplici capite impius & iniquus ac plurimum scandalosus, ac multis erroribus plenus &c.* In fine ait, *finitum esse Romæ anno* 1450 *tempore Jubilei.* Eod. cod. 5606.

Hoc ipsum est magnum opus contra statuta aliquot Ecclesiarum, quibus arcentur ab earum collegiis, qui ex stirpe Judaica descendunt. Quod quidem contra Ismaelitas nostri temporis inscriptum Antonius Senensis ait servari manu exaratum in collegio FF. Prædicatorum Pinciano: optimo jure admonens non ab argumento propugnato isto colligi debere nostrum Joannem ex eadem stirpe fuisse ortum. Plane de hujusmodi legibus plures doctissimi, iidemque nobilissimo & puro sanguine viri similiter censuere. Sic sapientissime omnino Nic. Antonius.

Addit præterea idem Nic. Antonius suo num. 562, sed neque hujus nostri auctoris omnia hactenus inedita codex hic 5606 continet: *Nam ut index* MS *librorum præ se fert, quem totum legimus, codices tamen omnes in eo notatos manibus contrectare haud potuimus.*

Codices 1130, 2267 & sequentes usque ad 2273: & codex 2566, sequentesque usque ad 2580 Turrecrematæ opera jam dicta vel alia continent.

Codex 1043 fol. 265, *Quæstiones de præceptis juris naturalis.*

Codex 4223 fol. 166 *super tractatum de pœnitentia*, de quo monet etiam Ciaconius, qui & *de pœnitentia* addidit, sed hæ partes sunt postillæ decretorum typis editæ.

Quæstiones de Deo & Angelis. In Bibl. Veneta SS. Joannis & Pauli Plut. 2 eodem cod. MS in quo *Tractatus ejusdem de aqua benedicta* fol. charta: Sic refert Tomassinus in Bibl. Venet. & excipit Spizelius pag. 326.

Falsum, ne quid dissimulemus (inquit idem Nic. Antonius) venditari nobis existimamus in titulo quodam libri Bibliothecæ Olivariensis, qui *Torquemada lecturarum super institutiones Justiniani* conceptus est in ejus indice seu catalogo.

Odoricus Rainaldus in Ann. ad 1437 n. 21 laudat ejus *egregium de Eucharistiæ sacramento commentarium*, quem ad suorum Fratrum Prædicatorum provinciæ Bohemiæ instantiam scripsit tum Basileæ adhuc existens, ut haberent illi unde hæreticorum Bohemorum vana argumenta refellerent, hujusque tractatus caput 9 refert integrum: an sit lucubratio a tractatu de corpore Christi inter opera impressa supra n. 4 relato de corpore Christi, videant penes quos est, nam mihi uterque nondum occurrit.

F. LEONARDUS WIENNÆ.

1469. F. LEONARDUS WIENNÆ in Austria lectorem agebat anno MCCCCLXIX, & eo anno imperatori Friderico III vulgo dicto at V dicendo, ut contendit Lambecius, varios tractatus partim a se compositos, partim collectos nuncupavit. Hos recenset idem Lambecius Bibl. Cæsar. lib. 2 pag. 802, quos dicit eodem cod. MS CXI sect. 2 cap. 8 chartac. in 4 haberi:

1. *De modo mitigandi iratos.*
2. *De septem conditionibus viæ salutis in patriam regni cœlestis.*
3. *De infidelibus orationibus, & de virtute devotæ orationis.*
4. *De inductione potentum ad libenter cogitandum de sua morte occasione Alexandri Magni.*
5. *De imperatoris Vespasiani patientia ex Johannis Sarisberiensis Polycratico.*
6. *De præsulum ecclesiasticorum Germaniæ conversatione seculari exemplo Samuelis defensa ex Jordani chronica.*
7. *De indulgentiis.*
8. *De igne purgatorio in homiliam S. Augustini, quæ incipit:* In lectione apostolica, quæ nobis &c.
9. *De indulgentiis inquisitiones* XXV *super tractatum venerabilis Antonini archiepiscopi Florentini.*
10. *De fide uxoria, & insigni atque admirabili obedientia auctore Francisco Petrarcha.* Sunt & nonnulla minoris momenti alia.

F. PAULUS MATUGLIANI.

F. PAULUS MATUGLIANI ab aliis Bononiensis simpliciter a patria agnominatus & professione, seculo XV claruit philosophus excellens, theologus accuratus, facundissimus Ecclesiastes: cujus oratio dulcis fuit & referta maximis Sanctorum sententiis, ita ut alter Gregorius putaretur. Sic utrumque testamentum familiare habebat, ut eo semper dicta sua confirmaret, quo omnes admiratione capiebantur, animadvertentes ad singula, quam belle sanctam scripturam accommodaret. Fuit vir modestissimus in omnibus operibus suis, ut norma quædam aliorum videretur. Obiit anno MCCCCLXIX. Præfuerat gymnasio nostro Bononiensi omnium cum ingenti laude, ubi epistolas Pauli apostoli in frequenti auditorum numero excellentissime enodavit. Sic fere totidem verbis Leander fol. 145 b, Hieronymum Albertuccium Bononiensem Pauli aliquando socium & collegam in suis Annalibus testem proferens. Meminerunt Lusitanus, Pius, Fernandez, Altamura ad 1470, Rovetta ad 1469, sed & extrates Buttius in Bonon. Illustr. Achilleus in Viridario p. 191, Alidosius inter doctores Bononien. Bumaldus in Minerval. Bonon. Scripsit itaque 1469.

In epistolas B. Pauli omnes commentaria.

Quæ aliquando impressa inquit Bumaldus, vel saltem MS Bononiæ apud sodales servata, ut & sequentia quæ addit Rovetta:

Sermones de tempore, de Sanctis per annum & quadragesimales

F. PETRUS WELLENS.

F. PETRUS WELLENS Belga Brabantus natione, professione Antwerpiensis, in gymnasio nostro Lovaniensi regens, ac primus e nostris, qui lauream in academia Lovanii recens erecta consecutus est anno MCCCCXXX ut in Fastis Lovan. refert 1469. Dessellius, exinde provinciæ Teutoniæ anno circiter MCCCCXLV electus prior provincialis; eam XX solidis annis administravit, dumque ei præesset affuit comitiis generalibus anno MCCCCLIX Noviomagi sub Martiali Auribelli magistro celebratis, tum postea Conradum Astensem magistrum Teutoniam visitantem Coloniæ clero senatuque præsente & plaudente excepit anno MCCCCLXIV in festo pentecostes XV kal. junii, ut in tabulis ejus conventus memoriæ proditum est. Demum senio jam gravis, officio functus, receptui canere cogitavit, utque sibi jam uni vacaret, ac in pace deduceret canos suos, in monasterium sanctimonialium Vallisducissæ altero ad Bruxellam lapide situm in silva Sonia *de Anderghen* dictum se condidit, ibique non multum postea dies suos in pace complevit anno MCCCCLXIX idibus julii, sepultus ibidem sub sarcophago, quo ab hæreticis eraso novum eidem erexit epitaphium F. Johannes Nys domus ejusdem Antwerpiensis alumnus, & in eodem monasterio anno MDCXVII confessarius, a Dessellio in sua Bibl. Belg. relatum, quod cùm eadem jam narrata exhibeat, non visum hîc repetendum. Scripserat ut asserunt Dessellius citatus, Seguier Laur. Belg. P. I p. 12 & de la Haye Bibl. Belgo-Dom. MS

Lecturam in Cantica Canticorum, Ecclesiasticum, Psalmos aliquot, Epistolas ad Colossenses & ad Hebræos.

Sed hanc temporum vicissitudine & Calvinianorum furore periisse conjectamur.

F. GABRIEL BARLETTA.

1470. F. Gabriel Barletta qui & ab aliis Barulus & de Barulo dicitur, ſatis non ſuo tantum, ſed & his ſequioribus ſeculis apud Eccleſiaſtas notus eſt, atque notatus a concionibus ſtylo ſimpliciore ſcriptis, ſi tamen ipſius ſint, ut editæ prodierunt variis huc uſque formis & locis. Nam ab amanuenſibus ex ore dicentis, ut fere fit, & in aliis virorum illuſtrium S. Vincentii Ferrerii, Johannis Clerec, & aliorum editis contigit concionibus, ex tempore exceptæque qualitercumque, ab ineptis poſtea interpolatæ, vitiatæ, & adulteratæ feruntur, quod ab aliis etiam olim eſt notatum. Sic enim de eo concionibuſque ſub ejus nomine editis æqualis ei aut ſaltem ſuppar Leander in Deſcript. Ital. Reg. X Apulia Peucetia, de Barulo oppido Edit. Italæ fol. 200, Latinæ Kyriandri p. 370: *Nomen hujus oppidi per univerſam Italiam Gabriel ord. Prædic. eruditus atque diſertus homo valde illuſtravit, qui noſtris temporibus diu cum immenſo animarum fructu ſacra docuit. Edita ſunt typis conciones aliquot illi inſcriptæ, quibus eo viro certe nihil eſſe poteſt indignius: nam ab imperito quodam mihi tum juveni noto fabricatæ ſunt, qui ut decorem operi ineptiſſimo quæreret, falſum Gabrielis nomen prætexuit. Sunt in iis multa, quæ longe honeſtius omitti quam ſcribi debebant, ut qui leget, optime cognoſcere poterit. Hæc recentiorum concionatorum gratia commemorare volui, quo non ſine judicio verſandum in iis intelligant, ne quas continet ineptias & offendicula ipſi præferentes indocti ac rudes habeantur.* Hæc Leander comperta ſibi certaque referens, quæ ſi Rainaudus ſub Petri a Valleclauſa nomine latens, eique ſimiles attendiſſent, Gabrielem noſtrum non ita forte dehoneſtaſſent. Barlettæ cognomen a Barulo vernacule *Barletta*, quod inde ortus eſſet, habuiſſe plurimi voluerunt, non probat tamen Vallius in compendio, qui contra hoc illi gentilitium & a familia ſortitum contendit: *Vogliono alcuni, che queſto Frà Gabriele Barletta fuſſe della cità di Barletta, e non avertino che quel Barletta è caſata e non patria, della quale fù anche Frà Domenico Burletta Napolitano, figlio del regal convento di San Domenico di Napoli, che l'anno 1644 paſſò a miglior vita. Egli fù d'Aquino &c.* Aquinatem etiam indicat Franciſcus de Serris qui ſermones ejus Pariſiis edendos curavit. Quæ indigenarum diligentiæ diſquirenda permittimus, fidem interea Leandro ceu proximiori potius habendam arbitrati. Ejus meminere ſcriptores noſtri prope omnes Luſitanus & ſequaces ac demum Altamura ad 1470: extrates Simlerus, Poſſevinus, Caveus, Dupinius. Ejus nomine inſcripti prodierunt

Sermones a ſeptuageſima ad feriam tertiam poſt paſcha. Item Sermones XXVIII *de Sanctis. Item ſermones tres de paucitate ſalvandorum, de ira Dei & de choreis. & quatuor pro Dominicis adventus.* Hæ verò præcipuæ editiones:

Recogniti per Benedictum Brixianum, Lugduni 1505. Ibid. typis Sebaſtiani Guinard 1507.

Rotomagi, Guillelmi Benard 1515 in 8: Extat in Regia D 3774.

Pariſiis 1518 & 1521. Ibid. Johan. Parvi 1527 in 8: Quæ ultima in Regia D 3775. Rurſus ibid. Franciſci Regnault 1531 in 8, editionem curante laudato Franciſco de Serris ord. Prædic. qui Raimundo Goſino inquiſitori Toloſano nuncupavit. Extat hæc apud noſtros Pariſien. ad S. Honorati.

Lugduni, Antonii Vincentii 1536 in 8: Extat in Regia D 3776.

Venetiis 1571, 1573, & apud Camillum Franciſchinum 1577 in 8 voll. duobus charactere eleganti. Rurſus typis Valerii Bonelli 1585 in 8.

Laudatur & editio Haganoæ 1518 in 8.

Quidam inter quos Caveus in Append. editionem veterem anni 1470 laudant, quod nobis improbabile, tum quod nemo prodat a ſe viſam, tum quod in iis ſermonibus expeditionis Turcorum Hydruntinæ fiat mentio, illa autem facta eſt tantum anno 1480: tum denique quod Bandellus hunc auctorem non citet in ſuo tractatu de conceptione B. V. Imo hinc conjicio quiſquis ſit horum ſermonum auctor, non ſcripſiſſe niſi poſt Bandellum, atque ex iſto accepiſſe quos in ſermone de conceptione B. V. laudat auctores.

Alva Sol. Verit. Rad. 278 col. 1952 eos etiam editos dicit ſub nomine S. Antonini, licèt nec locum nec annum notet. Sed ut ut ſit, falſo illi inſcriptos recte monet, cùm in iis ipſe Antoninus ſæpe laudetur, & Sixti IV in eiſdem fiat mentio, qui diutius a morte ſancti præſulis ad ſedem S. Petri aſcendit.

Altamura a vero aberrat cùm Barlettam in duos dividit, unum ad 1470, alterum ad 1486 referens; nec recte Vallium carpit aut emendare tentat Unde & Caveum in Append. Altamuræ ſequacem corrigas. Legendus & Pius P. II lib. 3 col. 61 ad 1475.

F. JACOBUS FERRARIENSIS.

F. Jacobus Ferrariensis ſic a patria nuncupatus inter hæreticæ pravitatis inquiſitores 1470.
ad annum circiter MCCCCLXX recenſetur a Leandro fol. 149 a. Excipit Razzius Vir Illuſt. p. 312. Rovetta primus ex Relat. Lombardiæ, hunc inter ſcriptores numerat revocatque ad 1341. Nos Leandro ſuppari, & res ſuæ fere ætatis narranti ſtandum putamus. Mirum a Fontana omiſſum in Theatro. Hæc ejus opera a Rovetta relata, & apud ſodales Ferrarienſes, inquit, ſervata MS:

Commentaria in libros de cœlo & mundo, de generatione & corruptione, de parvis naturalibus, & de anima.

Tractatus de ſcientia Dei atque præſcientia, de voluntate, de prædeſtinatione atque reprobatione, de gratia, de vitiis & virtutibus, de Romani pontificis poteſtate.

Summa contra hæreſes.

F. JACOBUS DE PETRIS.

F. Jacobus de Petris vel *Petri* Brixienſis ſacræ theologiæ interpres, inquit Leander 1470.
fol. 149 a, hæreticorumque lima ſeveriſſima, floruit circa 1470 cum Vercellino Vercellenſi. Rovetta & ipſe Brixienſis prodit a Paulo II ad illud munus evectum anno 1464. Altamura emendandus cùm eum ad 1530 collocat. Hæc ejus juxta Rovettam opera:

Tractatus adverſus hæreſes ſui temporis.

Alius de præcipuis catholicis veritatibus.

Sermones de tempore & de Sanctis per annum.

Penes quem fides. Leander citatus in *Deſcrit. di tutta Italia* duplicem hujus nominis illuſtrem virum prodit, hunc de Petri fidei cenſorem, & alterum Jacobum Brixienſem ſimpliciter dictum, ejuſdem ordinis virum clariſſimum, qui canonicos regulares diœceſis Luchenſis ad ſanctiorem diſciplinam reduxit.

Hic ſcriptor forte non alius ab eo de quo ſupra p. 822, ſaltem alia ejus habes hic recenſita opera.

F. JOANNES PEDRO.

1470. F. JOANNES PEDRO Aragonus patria vel saltem professione Sætabiensis inter illustres ejus conventus alumnos laudatur a Diago Hist. prov. Arag. lib. 2 p. 274, ubi tamen ejus ætatem silet: at Fernandez ad ann. 1479 claruisse testatur. Ambo dicunt scripsisse

Commentaria in Ecclesiasticum, prophetas XII minores, & epistolas canonicas.

Sermones etiam plurimos.

F. LEONARDUS MATTHÆI.

† 1470. F. LEONARDUS MATTHÆI vulgo *de Utino* primus & senior ad discrimen alterius recentioris, de quo postea ad 1549, senior igitur hic Utini, quæ civitas est perantiqua ditionis Venetæ in ducatu Forojuliensi, & ab anno MCCXXII patriarchæ Aquileiensis sedes, natus est & ibidem ordini nomen dedit, virque evasit eruditione conspicuus. De eo sic habetur in actis cap. gen. Coloniæ anno MCCCCXXVIII celebrati: *In primis conventui Bononiensi provincia S. Dominici damus in regentem F. Leonardum de Utino sacra theologia professorem, cujus lecturam approbamus.* Insignis etiam fuit concionator totaque celebris Italia, qui & Florentiæ coram Eugenio IV plurimas habuit anno MCCCCXXXV & coram aula Romana conciones: Venetiis quoque & Utini pluribus annis magno populorum fructu & plausu prædicavit: S. Thomæ doctrinæ mirum affectus, cujus scita sermonibus suis omnibus ut fundamenta ponit, iis superstruens & æque intellectum docens ac movens affectum. Ad varia etiam in ordine munera applicitum ferunt; inter alia Bononiæ priorem & exinde Lombardiæ inferioris tum S. Dominici dictæ provincialem egisse cum laude. Ad Pii II tempora pervenisse imo & ea prætergressum patebit ex dicendis, quo tamen anno vivere certo desierit, nobis adhuc incompertum, licèt Utini apud suos mortuum sepultumque circa ann. MCCCCLXX conjectari liceat, donec quid certius sui proferant sodales, a quibus id exspectamus. Ejus meminerunt Leander fol. 144 b, ubi virum dicit excellentissimæ doctrinæ & ornatissimæ vitæ ac circa MCCCCLVIII florentem: Lusitanus, Razzius p. 278, Pius, Fernandez, Altamura non recte in duos dividens, alterum ad 1437 de Utino, alterum ad 1444 Belunensem, errorem tamen agnoscens in Append. in eum se inductum fassus a Possevino, qui duplicem etiam laudat: quicum tamen Rovetta errare maluit, Belunensem ad 1449, Utinensem ad 1453 collocans, quam cum Altamura resipiscere, cùm eadem opera utrique ascripta, eumdem & unicum scriptorem evincant. Hæc ejus opera:

1. *Sermones aurei de Sanctis F. Leonardi de Utino sacra theologia doctoris ordinis Prædicatorum.* Pr. *Divinorum interpres mysteriorum &c.* Typis prodierunt pluries. Utini 1466, quam editionem laudat Beughemius.

Alia absque loco anno 1473 fol. olim nostrorum Parisien. ad S. Honorati, nunc nostris Ambianen. concessa.

Tertia hoc titulo: *Sermones aurei de Sanctis per totum annum, quos compilavit magister Leonardus de Utino S. T. D. ord. Prædic. ad instantiam & complacentiam magnifica communitatis Utinensis, ac nobilium virorum ejusdem anno 1446 in vigilia B. P. N. Dominici confessoris &c.* Venetiis, Johan. de Colonia, sociique ejus Johan. de Gerethzem, qui ejusdem laboratoribus in expensis providerunt 1475 in 4, typis Gothicis limpidis. Extat in Regia *D* 1413.

Ulmæ, Johan. Zeiner 1475. Quæ editio laudatur in Bibl. August. Indicis Reiseri p. 98.

Nuribergæ, Koburger 1478 fol. Quæ Paris. apud Clarissas *Ave Maria*.

Lugduni, Joh. Trechsel 1495 in 4 signat. duorum foll. a & A ad D.

Suspicor autem Olearium in Abaco Patrolog. p. 291 a Beughemio citatum dicentem se horum sermonum exemplum vidisse anno 1446 impressum in Bibl. Hallensi, delusum, & annum quo Leonardus indicat se hos sermones MS juris publici fecisse, pro anno quo primum excusi sunt & e prælo prodierunt accepisse, neque enim antiquiorem quam anni 1466 alii produnt editionem. Videsis *L'Origine de l'imprimerie de Paris*, seu Dissertationem Historicam Andreæ Chevillier socii Sorbon. pp. 11 & 12.

Hi de Sanctis sermones extant MS memb. in 4 Venetiis ad SS. Jo. & Paulum Pl. IV teste Tomasino. Item Trajecti ad Rhenum teste Alva.

2. *Sermones floridi de Dominicis & quibusdam festis F. Leonardi de Utino S. T. D. ord. Præd. quos prædicavit Florentia anno Dñi* MCCCCXXXV. Pr. *Dom. I adventus. Osanna filio David.* Ad calcem: *Habes itaque lector optime sermones floridos, quos composuit ac prædicavit R. M. Leonardus de Utino, quorum plurimos prædicavit Florentia coram tota curia Romana ibidem tunc temporis residente tempore SS. D. Eugenii papa IIII: nonnullos autem Venetiis, ut ipse alibi profitetur. Neque verò uno, sed diversis annis declamavit &c.* Lugduni, Johan. Trechsel, sumtibus Jodoci Badii 1496 in 4 signat. duorum foll. a & A ad M. Quæ editio ex exemplo nostri Mathurini Espiardi de quo postea ei a Joanne de Genas sodali tum baccalaureo Parisiensi sublecto. An autem exemplum illud Espiardi MS fuerit, quod verisimilius, an excusum, Badius qui hæc refert non addit. Ut ut sit, certum hos sermones antea editos.

Ulmæ, Johan. Zeiner de Reutlinghen 1478. Quæ editio extat in Bib. August. a Reisero laudata p. 98.

Vincentiæ 1479 laudata a Beughemio.

Rursus absque loco editionis 1494 in 4: quæ apud nostros Ambianos.

3. *Sermones quadragesimales de legibus anima fidelis, simplicis & devota.* Parisiis, Martini Udalrici & Michaelis anno XVII regni Ludovici XI regis Francorum, id est Christi 1477 in fol. max. quæ editio Paris. in Navarr.

Ulmæ, Joh. Zeiner jam laudati 1478: quæ in August. recensita a Reisero p. 98.

Lugduni, Badii & Trechsel 1496 in 4, & iterum Joh. Clein 1501 in 4. signat. duor. foll. a & A & AA ad EE.

Venetiis, Francisci de Hailbrun & Nicolai de Francfordia 1473: quæ editio laudatur a Lusitano & Altamura.

Omnia verò supra relata simul Nuribergæ, Koberger 1478 fol. mag. & iterum Petri Droch 1479 teste Alva Sol. Verit. Rad. 120 col. 1186.

4. *Tractatus mirabilis de sanguine Christi in triduo mortis effuso, an fuerit divinitati unitus, auctore R. P. M. F. Leonardo Matthæi de Utino ord. Præd. conventusque S. Petri martyris de Utino provincia S. Dominici noviter impressus, correctus & illustratus opera & studio R. P. F. Marci Antonii Seraphini Veneti magistri in conventu SS. Joh. & Pauli Venetiarum ejusdem ordinis & provincia.* Venetiis, Ambrosii Dei 1617 in 4 p. 105.

Hoc opusculum in epilogo Leonardus se suscepisse ait ad petitionem optimatum magistratus & nobilium civitatis Utinensis, seque in eo S. Thomæ doctrinam in hac quæstione superioribus, in-

Sæc. XV. quit, annis acriter agitatam, scilicet anno MCCCCLXIII, Piique papæ II auctoritate silentio partibus imposito suspensam, declarasse : adeoque se tractatum hunc iisdem civibus nuncupare. Sic autem ad calcem ex fide codicis MS, quem editor censuit autographum legitur :

De sacratissimo sanguine D. N. J. C. in triduo mortis ejus effuso investigatorium veritatis per F. Leonardum Matthæi de Utino S. T. D. ord. Præd. ad instantiam præclarissimæ communitatis Utinensis compilatum feliciter finit. Extat apud nostros Parisien. ad S. Honorati.

Hujus tractatus nostros nomenclatores non meminisse mirum. Meminit Theophilus Rainaudus Tract. de Christo sect. 3, ubi de partibus a verbo assumtis. Porro ex hoc tractatu agnomen Matthæi illi fuisse a patre forsan, quamvis *de Utino* a patria sæpius dictus sit, ac præterea illum Pio II supervixisse agnoscimus, cùm concertationis sub hoc pontifice in natalitiis Christi Dñi Romæ anno MCCCCLXIII de hac quæstione tanto animorum æstu habitæ, ut superioribus annis jam actæ meminerit. Quod in causa fuit, ut ad 1470 prorogaverimus.

5. *Tractatus ad locos communes concionatorum.* Ulmæ, Zeiner 1478. Sic Simlerus, Beughemius in Incun. Typ. Oudinus Suppl. p. 706.

6. *De inchoatione formarum tractatus famosissimi M. Leonardi de Utino ord. Prædic.* Recensetur in catalogo Bibl. S. Marci Florentiæ Arm. IV cod. MS 103.

7. *Opuscula plura tam in philosophia quam in logica in suo cœnobio Utinensi servata*, laudantur a Leandro citato, quem excipiunt Lusitanus, Altamura & Rovetta.

Præter hactenus laudata, alia adhuc opera ei tribuuntur, sed quædam incerto, quædam etiam falso.

1. Apud Tomasinum de Bibl. Ven. ad S. Jo. & Paul. Plut. VI sic legitur :

F. Leonardi Summa de virtutibus & vitiis, ubi agitur de materia & utilitate (f. l. *vilitate*) *conditionis humanæ.* Codex MS.

Item speculum humanæ salvationis codex in 4 memb.

In indice auctorum dubitat Tomasinus an sint opera hujus Leonardi de Utino, an Leonardi de Mansuetis Perusini magistri ordinis de quo mox agendum.

2. Est *Quadragesimale sertum fidei* in titulo dictum, *auctore F. Leonardo Italico ord. Præd.* in incun. Typog. excusum absque loco, anno & nomine typographi. Huic *de Utino* asserunt Beughemius & Alva. Videsis postea *Leonardus Italicus* inter auctores hujus seculi, sed incertæ ætatis, ubi rationes cur alterius ab hoc *de Utino* censeamus, afferuntur.

3. Duplex quadragesimale typis prodiit sub nomine hujus *de Utino*, alterum *de petitionibus animæ*, alterum *de flagellis* titulum habens, sed utrumque supra Leonardo de Datis Florentino magistro ordinis XXV ceu vero auctori vindicatum. Videsis ad 1414.

F. MAURITIUS GAUFRIDI.

* 1470. F. MAURITIUS GAUFRIDI Gallus Armoricus sacræ theologiæ professor & insignis sua ætate Ecclesiastes claruit vergente seculo XV : cumque pluries per quadragesimam in Ecclesia Trecorensi conciones habuisset, ad instantiam capituli ejusdem Ecclesiæ scripsit :

1. *Vitam S. Yvonis presbyteri ejusdem Ecclesiæ alterius patroni.* Princ. *R. in C. P. ac D. D. Christophoro Div. miser. & S. S. A. gratia episcopo Trecorensi, præstantissimisque ejusdem Ecclesiæ presbyteris & Dominis de capitulo, totique venerabili collegio, F. Mauritius Gaufridi in sacra pagina humilis professor, ac in ordine Prædicatorum meritis postremus &c.* Ex quibus ætatem hujus auctoris colligere licet, nempe post annum 1464 vitam hanc ab eo exaratam, cùm Christophorus ex *Gallia Christiana* sederit a 1464 ad 1491.

2. Huic vitæ addidit antiquum quidem S. Yvonis officium, sed *novas lectiones novem satis prolixas a se ordinatas, & alias sex lectiones in festo translationis, ut videtur recitandas de Sancti virtutibus ad animarum regimen pertinentibus, quæ veluti prosecutio sunt præcedentium* : quæ certe ex vita ab ipso scripta desumtæ sunt.

Vitam hanc ex membraneo codice MS quem ab Ecclesia Trecorensi habuerat Jacobus Dinet S. J. Franciæ aliàs provincialis, Daniel Papebrochius edidit in *Actis SS. T. IV maii ad diem 19 a p. 581 b, ad 608 b*, quem hîc excipimus, & cui hujus nostri auctoris notitiam acceptam referimus, gratiamque etsi non ad merita rependimus. Sapienter notat eruditus editor nihil esse in hac vita unde probetur B. Yvonem fuisse tertii ordinis S. Francisci, imo tunica alba semper indutum processisse, cùmque iter ageret apud nostros hospitari solitum.

F. PETRUS PAULUS CIANCIANUS.

F. PETRUS PAULUS CIANCIANUS Etruscus e Clusio vulgo *Chiusi* civitate parva, sed episcopali, aut saltem ex diœcesi ortus, ac Senis in S. Dominici inter sodales allectus, vir pius & eruditus, ac concionator apostolicus sua ætate celebris, laudatur a Gregorio Lombardelli etiam inter beatæ memoriæ viros, diciturque claruisse ad MCCCCLXX, ac rei litterariæ reliquisse * 1470.

Quadragesimale & alia plura opuscula.

Excipiunt Fontana in prov. Romana & Altamura ad 1470. Scrupulus subest, scilicet Ugurgierius *Pompe Sanesi* ejus non meminit, qui tamen suos symmystas accuratius recenset & laudat : hujus silentii causam disquirant gentiles.

F. THOMAS TOLETANUS.

F. THOMAS TOLETANUS Hispanus a patria & professione sic nuncupatus, sacræ theologiæ magister vir studio deditus, & juvandæ posteritatis cupidus, quem ad hunc annum floruisse volunt Fernandez, Altamura & Antonius Bibl. vet. Hisp. lib. X cap. XII p. 199 n. 643, laudant etiam Lusitanus, & Marieta. Scripsit * 1470.

Mariale de laudibus portæ paradisi scilicet B. Virginis.

Præterea Indices permultos ea ætate utilissimos per Alphabetum :

Super quodlibeta S. Thomæ de Aquino.

Super totam ejus Summam theologicam.

Super sermones Jacobi de Voragine.

Super sermones Joannis a S. Geminiano.

In librum de ludo scaccorum Jacobi de Cessolis.

Super Nicolaum de Lira & super tractatum ejusdem de differentia Bibliorum Latinorum & Hebraicorum.

Super Summam de vitiis & virtutibus Alani de Insulis.

Super opus Innocentii III papæ in septem psalmos pœnitentiales.

Super Summam de officio sacerdotis F. Alberti de Brixia.

Super tractatum F. Augustini de Ancona in Magnificat & evangelium Missus est.

In opus F. Nicolai de Hanapis cui titulus exempla sacræ scripturæ.

Super Decretum.

Hæc omnia, inquit Lusitanus, ipse de se refert in tractatu quodam ab eodem Lusitano viso in Bibl. S. Petri martyris Toleti cum Summa F. Alberti de Brixia ligato & MS.

F. THADDÆUS DE URBEVETERI.

* 1470. F. THADDÆUS DE URBEVETERI a patria in Etruria ditionis pontificiæ civitate sic nuncupatus laudatur a Lusitano ad ann. MCCCCLXX clarus. Excipiunt sequaces & demum Altamura. Scripsit, inquiunt

Commentarium in S. Augustini libros de civitate Dei.

In Bibliotheca S. Dominici Venetiis servatum adhuc sua ætate Lusitanus præstat, sed an extet adhuc dubium facit, quod Tomasinus non recenseat in suis Bibll. Venetis.

F. THEOPHILUS CREMONENSIS.

1471. F. THEOPHILUS CREMONENSIS a patria clara in Cenomanis civitate sic nuncupatus, quem e familia Ferraria Cremonæ haud obscura ortum ait Revalius a Rovetta citatus, vir eruditus, & erga S. Thomæ doctrinam mirum effectus, seculo XV. vergente florebat. Ad annum 1487 refert Altamura, Rovetta ad 1477: certo vivebat anno 1471, quo primus prælo subjecit.

Commentaria S. Thomæ de Aquino a se diligentius ad varios codices MS recognita & a notariorum mendis expurgata in Aristotelis libros octo physicorum, de cœlo & mundo, de generatione & corruptione, metheororum, de anima, de sensu & sensato, de memoria & reminiscentia, decem metaphysicorum, de causis, decem ethicorum, politicorum &c. Venetiis apud Bonetum Locatellum 1471 fol.. De quibus & censuram suam profert in prologo a se præfixo. Videsis supra *S. Thomas de Aquino*, ubi hanc editionem expendimus.

Scripsit etiam Theophilus opus hoc titulo:

Propositiones ex omnibus Aristotelis operibus collecta. Quod opus sodalis Benedictus Soncinas a se recognitum & auctum ut ait typis subjecit Venetiis 1493 in 4, quo proinde anno Theophilus e vivis jam excesserat.

F. ALBERTUS DE ALBOLAPIDE.

* 1472. F. ALBERTUS DE ALBOLAPIDE Helvetius patria & professione Thuricensis sacræ theologiæ magister Romam ut aiunt adiit anno MCCCCXL, ac conciones ibidem plurimas habuit. Vivebat atiamnum sub summo pontifice Sixto IV anno MCCCCLXXI electo, tumque scripsit librum hoc titulo:

Laus, commendatio & exhortatio de punctis notabilibus circa indulgentias, gratias, & facultates Ecclesiis Thuricensibus Constantiensis diœceseos a SS. D. D. Sixto papa IV moderno concessas cum quibusdam aliis annexis occasione dictarum indulgentiarum. Capita hæc sunt:

1. *De descriptione prædicta indulgentiæ.*
2. *De punctis indulgentiarum populo & Ecclesiis Thuricensibus concessarum.*
3. *De anno jubilæo & privilegiis ipsius.*
4. *Hæ indulgentiæ valde acceptabiles & utiles sunt.*
5. *De laudibus civitatis Thuricensis, cui dictæ indulgentiæ datæ sunt.*
6. *De laudibus SS. martyrum Felicis, Regulæ & Exuperantii patronorum nostrorum.* SEC. XV.
7. *De fonte salutari exorto ibidem.*

Sic totidem verbis habent Nova litteraria Helvetica collecta a Joh. Jacobo Scheuchero medico doctore edita Tiguri apud Davidem Gesnerum pro anno 1705 in 8 pag. 37. Meminit etiam hujus operis Hottingerus Bibl. Tigurinæ p. 66. Badius noster in sua univers. Florent. p. 164 hunc Albertum in sacra facultate Florentina laureatum anno 1458 refert ex archivis facultatis.

F. BAPTISTA DE FABRIANO.

F. BAPTISTA DE FABRIANO a patria quæ urbs in Piceno ampla & a professione sic nuncupatus, laudatur a Leandro in Descrip. Ital. ubi de Marca Tarvisina, egregiusque sua ætate theologus audiisse dicitur, & sacras litteras Patavii stipendio publico diutius interpretatus. Ex quo ante ann. MD ibi meruisse colligitur, cùm ejus non meminerit Tomasinus in Gymn. Patav. ubi professores omnes post eum annum diligenter recenset. Fernandez eum ad 1472 refert cum Pio: Altamura & Rovetta ad 1488. Hæc ejus laudantur opera: * 1471.

Explicatio celebris hujus distinctionis sensus compositi & divisi.

Quæstiones logicæ & metaphysicæ.

F. NICOLAUS JACQUERIUS.

F. NICOLAUS JACQUERIUS vernacule *Jacquier* gente Gallus, natione Burgundus, patria Divionensis, ibidemque ineunte seculo XV natus, ordinem etiam amplexus est adolescens, magnarumque vir partium evasit. Concilio Constantiensi affuisse scribit Valerius Andreas in *Bibl. Belgica*, cui non assentior, quod adhuc per ætatem non liceret, ut qui vix tum in religione tiro fuerit, sed concilio Basileensi adesse potuit. In diurno pacis Galliæ regem Carolum VII inter & Philippum Bonum Burgundiæ ducem Atrebati anno 1435 initæ, mentio fit cujusdam F. Nicolai de Divione ordinis Prædicatorum, quem cardinales S. Crucis & de Cypro Eugenii IV & concilii Basileensis legati & sequestri ad regem Angliæ in fœdus consentire recusantem miserunt, qui pectus regium emolliret. Æneas Sylvius postea papa Pius II in historia concilii Basileensis meminit etiam cujusdam F. Nicolai Burgundionis itidem ex ordine, de quo sic scribit. Hæc in Eugenium scilicet lis mota *circa medium mensis Aprilis* (MCCCCXXXIX) *initium suscepit industria quidem ac solertia cujusdam Nicolai Burgundionis ex ordine Prædicatorum viri acuti, & longe majoris animi quam corporis, quem si quis videat, nunquam tanti æstimet.* An ille pacis apud Anglum conciliator, aut litis in Eugenium motor Jacquerius noster fuerit, qui & Nicolaus & Burgundus & ex Divione revera erat, eaque ætate florens, ut affirmare non ausim, ita nec negare: sed si ille fuit, ac si quid in Eugenium IV peccavit, communi quo ipse Æneas Sylvius turbine abreptus, etsi Casalas & Baronius nostri viri eruditi ac omni exceptione majores ingeniose omnino dealbaverint, in ea causa Basileensi summi pontificis non adversarium imo patronum interpretati; sed si quid inquam, prout tempora ferebant, peccavit, id totum postea pace Ecclesiæ reddita abunde eluit, cùm nullus pro fide catholica sedeque Romana deinceps pugnarit unquam ardentius. En ipsius gesta ex certis monumentis depromta. Ut provinciæ Franciæ alumnus erat, Ebroicis aliquandiu hæsit, exinde circa 1450 inquisitor fidei insti- * 1471.

Sæc. XV. tutus, hæreticos & fascinarios insequendo, varias Galliæ urbes pervagatus est, ac tandem anno 1464 primum Insulas Flandrorum accessit, utque disciplinæ regularis erat admodum amans, ibidem in congregatione Hollandiæ recens nata a convocatione Harlemi anno MCCCCLXV habita assignari obtinuit. Licèt enim in actis dicatur Jacobus Jacquerii, erratum esse amanuensis constat ex monumentis Insulensibus, in quibus nulla ejus ante illos annos mentio, sed deinceps frequentior. Anno MCCCCLXIV veteri stylo, novo LXV Tornaci quadragesimam prædicavit, ibidemque initio julii in synodo diœcesana orationem Latinam habuit, ut & Insulis in S. Petri capitulo die professo omnium sanctorum. Sic autem facundus Ecclesiastes concionibus assidue vacabat, ut æque vigilans fidei censor ab hæreticorum insectatione non cessaret. Sex enim homines ex ea secta, quos *Turlupinos* vocabant, Alphonsi cujusdam Lusitani anno MCCCCLIX a senatu Insulensi rogo addicti discipulos apprehendi jussit, ac coram suo tribunali productos, ut errores deponerent, graviter adhortatus, pertinacem ex eis unum brachio seculari tradidit. Exinde in Bohemiam anno MCCCCLXVI missus adversus Hussitas, & verbo & scriptis hos ad bonam frugem per annum & amplius revocare studuit. Insulas jam redierat anno MCCCCLXVIII, quo Tornaci quadragesimales conciones iterum habuit, & sequenti LXIX Gandavum adiit pœnitentium confessiones excepturus cum amplissima sibi a D. Luca Pauli papæ II nuntio facta potestate, & a quo tum omnibus eo adventantibus largiores fuerant indulgentiæ concessæ. Brugas quoque tum ad aulam Burgundam accessisse legitur, haud dubie propter majoris momenti negotia vocatus. Eum tandem anno MCCCCLXXI cum decano Brugensi Guillelmus *de Filastre* episcopus Tornacensis delegavit, qui de B. Coletæ Virginis Clarissæ sanctimonialis anno MCCCCXLVII defunctæ miraculis Gandavi ubi sepulta jacet, juridice in ordine ad beatificationem inquireret, cui sancto negotio dum sedulus attendit, & omnem dat operam, morbo correptus ad superos ipse abiit, Deo, ut credere fas est, æternum cum Beata illa anima fruiturus. Ad annum MCCCCLXXII mortem ejus referunt tabulæ conventus Gandavensis, ubi tumulum habuit. Ejus meminerunt nostrates Fontana in Theatro pag. 375, de eo citans Lucarinum in chronol. Ord. & Nicolaum *le Febvre* in *Manual. Histor.* sed & Altamura ad 1424, omnes ex supra relatis quæ ex archivis conventus Insulensis & aliorum Belgii eruit diligentissimus Ghilbertus de la Haie, & ex ipsius Jacquerii operibus, quemque hîc ex ipsius *Bibl. Belgo-Domin.* ubi de eo fusius, excipimus, emendandi & cum his Swertius in *Ath. Belg.* & Valer. Andreas in *Bibl. Belg.* Videsis etiam Acta SS. *T. I Martii ad vitam B. Coletæ p.* 591, ubi dicitur doctor theologus. Hæc ejus opera.

1. *Tractatus de calcatione dæmonum.* Princ. *Duo magna incommoda inter cætera incurrit genus humanum.* Asservatur in Abbatia Parcensi in Belgio ac Lovanii ad S. Martinum anno MCCCCLII scriptus in charta. fol. utrobique visus a dicto F. Ghilberto, & recensetur apud Sanderum pagg. 173 & 221 Partis II sui Elenchi. Habetur & Audomarisani in Bibl. San-Bertin. hoc titulo *De calcatione malignorum spirituum.*

2. *Dialogus de sacra communione contra Hussitas.* Pr. *Eucharistiæ salutiferæ divina tractaturus mysteria vas electionis &c.* Ibidem utrobique cum superiori compactus & a Sandero recensitus, & a F. Ghilberto dicto visus, qui testatur ibidem addi fuisse primum editum Tornaci anno 1466 dum se ad Bohemicum iter accingeret, nomen suum tum his duobus solis elementis designans *N. I.* Hujus operis meminit Simlerus. Extat hæc editio apud nostros Carnutenses. Recensetur in catal. codd. MSS Bibl. Paul. Lipsien. apud Fellerum pag. 399 hoc titulo: *Dialogus F. Nicolai Jacqueri O. Præd. in Burgundia inter eum & Joannem Rabizanum de communione unius sacramenti altaris.*

3. *Flagellum hæreticorum fascinariorum.* Extat MS Lovanii ad S. Martinum a F. Ghilberto dicto visum, & in abbatia Parcensi duplex recensitum a Sandero ubi supra pp. 172 & 173. Prodiit typis curante F. Joanne Myntzenberg Carmelitarum ordinis, qui in suo Francofordiensi ad Mænum conventu quasi divinitus, inquit, repererat, Francofurti, Nicolai Bassei 1581 in 8. Habebat hanc editionem idem Ghilbertus, quæ nunc sui conventus Insulensis. Extat etiam Par. in Regia E 2879. In hoc libro pag. 167 meminit auctor superioris operis *de calcatione dæmonum.* Recenset etiam Simlerus.

4. *Excerpta quædam ex Tractatibus quorumdam editis Basileæ tempore generalis concilii adversus sectam Bohemorum asserentium communionem sub utraque specie esse etiam laicis necessariam ad salutem.*

Subjungit etiam excerptum ex Tractatu R. D. & Magistri Joannis de Turrecremata cadinalis S. Sixti, quem super eamdem materiam edidit. Recensentur apud Sanderum citatum compacta cum *Flagello* dicto. Vide p. 172.

Citant aliqui *Tractatum de heresi Waldensium*, sed non alius est a *Flagello* &c.

F. ANONYMUS.

F. ANONYMUS his annis vivens prælo dedit volumen hoc titulo: 1471

Tabula in opera S. Thomæ doctoris sancti ex omnibus partibus & dictis suis secundùm ordinem alphabeti.

Ad calcem sic legitur: *Explicit tabula auctoritatum veteris ac novi testamenti, quas exponit doctor sanctus B. Thomas in summis suis. Impressum est totum opus & finitum per me Arnoldum ter Hoernen anno Dñi* MCCCCLXXIII *Dominica Reminiscere.* Extat hæc editio Parif. in Navarr. a me visa.

F. LEONARDUS MANSUETUS.

F. LEONARDUS MANSUETUS Italus Perusii in Etruria natus, adolescens ordinem amplexus est in patria, sicque emicuit inter æquales, ut per omnes scholæ agones lauream tandem obtinuerit magisterii. Florentiæ anno MCCCCXXXVIII baccalaureum aggregatum narrat Badius. Ad superiora deinceps ordinis munia evectus, postquam provinciam Romanam præfectus provincialis rexisset, sacri palatii magister institutus est a Paulo II anno MCCCCLXV. Comitiis ordinis Romæ anno MCCCCLXVIII habitis præfuit absente magistro Martiale Auribelli, verum quia juxta constitutiones a diffinitoribus præses electus non fuerat, nec etiam eligi potuerat, cùm non esset de corpore capituli, nec ex numero vocalium, acta omnia licèt praeclare gesta rescissa fuere ut conventus acephali & vigore carentis. Verum in sequentibus comitiis Avenione MCCCCLXX habitis Martiali tum præsente innovata pleraque fuere, ac denuo sancita & firmata. Mortuo vero Martiali Leonardus in comitiis Romæ anno MCCCCLXXIV coactis successor ei datus est & magister ordinis XXXI communibus suffragiis electus, Sixto IV cui acceptus erat in primis applaudente. Comitia alia habita sunt sub eo Perusii anno MCCCCLXXVIII, a quibus eum abfuisse narrat 1474

tat Fontana in Monum. quod difficile tamen mihi persuadeo, cùm ad finem actorum sic patres loquantur: *Imposuimus reverendissimo magistro generali, ut ad pedes sanctitatis suæ referat nonnulla, per nos sibi credita, quibus clementissimæ sanctitati suæ plenius satisfaciat.* Quæ præsentem videntur indicare. Cætera ejus gesta videsis apud Pium, & apud citatum Fontanam. Romæ commune debitum solvit anno MCCCCLXXX septimo Kal. aug. seu XXVI julii, ut habet Leander, fuitque in templo S. Mariæ super Minervam in medio Odeo sepultus. Unde emendandi Jacobillus in Bibl. Umbriæ & Oldoinus in Athen. Aug. qui mortuum asserunt XXV junii MCCCCLXXXI, cùm jam hoc anno in feriis pentecostes datus esset ei successor Salvus Cassetta de quo postea. Hæc ejus opera:

Scripta plura theologica Perusii apud sodales inquiunt servata.

Litteræ encyclicæ e capitulis duobus generalibus sub eo habitis datæ. Quæ forte Romæ, si sint acta integra. Certo ibi est registrum ejus epistolarum. Unam refert Vallius p. 190 scriptam F. Gasparro de Suessa conventuum in provincia Regni Siciliæ reformatorum vicario generali.

Sermones de tempore & de sanctis & inter alios de Nativitate B. V. laudantur a Grisaldo, quem tamen delusum contendit Alva Sol. Verit. Rad. 225 col. 1568, & *Mansuetum* laudasse pro *Leonardo de Datis* de quo supra: quod discutiant gentiles.

F. Leonardi summa de virtutibus & vitiis, ubi agitur de materia & utilitate (forte *vilitate*) *conditionis humanæ.*

Speculum humanæ salvationis.

Hi duo codices MS extant Venetiis ad SS. Jo. & Paul. Tomasinus in indice auctorum dubitat an sint opera hujus Perusini, an Utinensis de quo nos supra ad 1470. Id discutiant codicum possessores & libenter hîc addant.

F. PAULUS.

† 1474. F. PAULUS Hungarus patria & professione Vaciensis artium magister & sacræ theologiæ lector vergente seculo XV claruit, & e Latino Hungarice transtulit

Regulam & constitutiones Sororum ordinis Prædicatorum.

Ita verò de verbo ad verbum, ut linguæ illius leporem & gratiam eleganter servaverit. In exemplo authentico quod Sigismundus Ferrarius consecutus est, addidit auctor se versionem hanc complevisse in conventu Sigethiensi anno MCCCCLXXIV die S. Remigii, id est prima octobris, eamque pro sanctimonialibus ordinis monasterii S. Mariæ in insula Leporum ad Budam suscepisse. Videsis Historiam provinciæ Hungariæ a dicto Ferrario scriptam pp. 449 & 529.

De isto monasterio insulæ Leporum, sic statutum fuerat in actis cap. gen. Romæ anno MCCCCLXVIII: *Item committimus R. patri provinciali Hungariæ, ut sorores nostri ordinis in insula Leporum prope Budam existentes admoneat & requirat, ut si dictæ moniales & priorissa ibidem se obedientiæ ordinis subjicere voluerint, gratiisque & privilegiis apostolicis sibi concessis resignare, eisdem de Fratribus necessariis provideat: quod si ordini obedire contempserint, ex tunc eidem concedimus liberam facultatem per præsentes dictum monasterium & sorores ibidem commorantes a nostro ordine penitus rescindendi & abscecandi tanquam inobedientes & indignas filias religionis, ammonentes eas in Dño Jhesu Christo, cui sincerum debent exhibere famulatum, ut ad obedientiam quam ordini professæ sunt, redire debeant & teneantur.*

Ex quibus habemus hoc sacrum gynæceum a Bela IV Hungariæ rege pro B. Margarita sua filia erectum tot annis in severiori disciplina conservatum, vicissitudine temporum & bellorum iniquitate tum a primæva institutione deflexisse: sed & ex illa pro eodem monasterio regulæ & constitutionum Pauli nostri versione mutatas in melius sanctimoniales, offensionem ordinis timuisse, ac intentatas minas religiosa vivendi ratione prævenisse.

F. ANONYMUS SAXO.

F. ANONYMUS SAXO domus S. Pauli Mindensis alumnus & professus circa hos annos claruit & scripsit * 1474.

Chronicon Mindense complectens res ejus Ecclesiæ gestas ab anno Dñi DCCLXXX ad ann. MCCCCLXXIV.

E codicibus MSS primus eruit Henricus Meibomius pater ac edidit Francofurti 1620 in 4. Iterum Meibomius filius edidit T. I Rerum Germanicarum, Helmestadii, Georgii Wolfgangi Hammii 1688 in fol. a pag. 549 ad 573.

In hoc chronico plura sunt singularia de rebus ordinis Prædicatorum ac præsertim de domo nostra Mindensi, ejusdemque illustribus viris. P. 564 narrat anno MCCXXXVI in die conversionis S. Pauli apostoli nostros primum Mindam advenisse.

P. 655 Agit de F. Ottone de Hoia ex sodali nostro assumto episcopo XXXIV Mindensi. Ibidem de dedicatione ecclesiæ nostræ Mindensis ab Widekindo episcopo Mindensi unà cum germano suo Gerhardo episcopo Verdensi, & F. Henrico ord. Prædic. primo episcopo Osiliensi facta anno MCCLX.

P. 566 De F. Borchardo Hiddinct domus nostræ Mindensis alumno, miraculis etiam in vita claro, & anno MCCLXXX mortuo: & de Harberto de Mandeslo ecclesiæ majoris decano, in jure canonico licentiato, qui ordinem Prædicatorum in conventu Mindensi amplexus est, & eumdem prior electus XV annis solidis rexit.

P. 569 De F. Johanne de Barckusen domus Mindensis alumno, qui anno MCCCLXIX a provincia Saxoniæ missus ad capitulum generale, socius ut videtur sui provincialis, nam erat capitulum provincialium, Brugis Flandrorum ubi habebatur, mortuus est & sepultus.

De FF. Johanne Loe julii XX Tremoniæ & Henrico de Hervordia insigni scriptore de quo supra IX octob. Mindæ anno MCCCLXX defunctis & sepultis.

De B. M. venerabili patre F. Johanne de Ovenstede monasterii nostri in Lemego priore anno MCCCLXXIII cum sanctitatis fama die prima octobris defuncto, ingentique populi concursu Mindæ apud nostros ante ostium aulæ capitularis sepulto.

Sed & plura alia tum de dicto sanctimonialium monasterio, primum in Lothen, deinde in Lemego translato & erecto, tum de comitiis provinciæ Saxoniæ nostræ Mindæ celebratis, tum de gratiis & privilegiis ab episcopis conventui nostro Mindensi concessis: Ædes vero nostras adeo amplas fuisse narrat, ut Carolus IV imperator Mindam prima vice veniens, in iis hospitari voluerit. Opus sane ad historiam ordinis in Germania omnino legendum.

B. M. ALANUS DE RUPE.

B. M. ALANUS DE RUPE celebris ille B. Virginis per Rosarium cultus præco & promotor, * 1475. indefessus, adeo apud omnes pietatis ac sanctitatis fama inclaruit, ut cùm plura passim seu scriptorum nomenclatoribus, seu historicis de eo exciderint

Sæc. XV. veritati non consona, vitæ ejus seriem chronologicam dare ex certis monumentis visum fuerit apprime necessarium. Eam autem depromo ex actis capitulorum generalium & convocationum congregationis Hollandiæ, tum ex actis cœnobii Insulensis a nostro Ghilberto de la Haye diligentius excussis, & tandem ex scriptoribus æqualibus & convictoribus.

Alanus de Rupe Gallice *de la Roche*, non Teuto aut Batavus, sed Gallus in Armorica, ut testatur Cornelius de Snexis ejus discipulus in sermonibus de Rosario, natus est anno seculi XV circiter XXVIII; adolescentem vero apud se Dinanenses nostri habitum ordinis induisse contendunt. Parisios exinde missus est, in gymnasio Sanjacobeo disciplinis philosophicis & theologicis imbuendus.

Anno MCCCCLIX in actis cap. gen. Neomagi habiti ad legendas Parisiis sententias in parvis scholis pro secundo anno, hoc est pro anno MCCCCLXI legitur assignatus.

Interea anno MCCCCLX in cœnobio Insulensi a quibusdam annis ad severiorem ordinis disciplinam revocato, & ut aiunt reformato commoratus est. *Ex actis ejus domus.*

Anno MCCCCLXI ex munere sibi imposito Parisiis legit sententias.

Anno MCCCCLXII Insulas rediit, adductis secum sodalibus Pagano Dolon tum baccalaureo Parisiensi postea magistro, & quodam Marco, hique tres conventui Insulensi aggregati tum obtinuerunt aprilis XXVIII. *Ex actis iisdem.*

Eodem anno lector theologiæ ibidem institutus, in vigilia omnium sanctorum orationem Latinam studiorum auspicatoriam in templo S. Petri habuit astante canonicorum collegio, suoque munere functus est annis duobus. *Ex iisdem actis.*

Anno MCCCCLXIV Conradus Astensis ordinis magister Insulis præsens priores conventuum reformatorum congregavit ibidem, eosque in novam congregationem Hollandiæ dictam adunavit, quod actum die IX octobris: tum vero Alanus Duacum lector missus est, ubi docuit ad vacationes anni sequentis.

Quid egerit ac ubi fuerit annis sequentibus non invenit Ghilbertus de la Haye, sed conjicit cultui B. Virginis per rosarium promovendo per Belgii provincias institisse. Zwollas ivisse quidam putant, inter quos Rosweidus, & sat verisimile, Engelberto Cultificis novam in ea urbe domum ordinis erigenti de quo postea adjunctum operam suam impendisse, & rosarii prædicatione opus promovisse.

Anno MCCCCLXVIII Gandavi primarius lector institutus est in actis convocationis Roterodami eo anno habitæ, ibique annis duobus hoc munere functus est.

Anno MCCCCLXX Rostochii in ducatu Megalopolitano, ubi universitas florebat, assignatus est ut legat & disputet, sic in actis convocationis Duaci habitæ, tumque legit primum & secundum sententiarum.

Anno MCCCCLXXI die IV septemb. ibidem orationem habuit auspicatoriam pro sua ad baccalaureatum formatum, ut aiunt, promotione, & legit tertium & quartum sententiarum. Hinc erratum est in editione Neapolitana *Alani Redivivi*, ubi illa oratio dicitur habita anno 1470, ex eadem enim constat eum jam primum & secundum sententiarum interpretatum esse, quod tamen non incepit nisi anno 1470.

Anno MCCCCLXXIII in convocatione Zwollis habita die IX maii dicitur licentiatus, & instituitur lector principalis Rostochii, ubi & laurea magisterii eodem anno initiatus fuerit. Non omittendum quod narrat Cornelius de Snexis ejus tum auditor, cùm Alanus esset Gallus nec Teutonice sciret, tumque tamen ad populum prædicaret, Palmam Carboin priorem conventus Rostochiensis ejus sermones continuo Teutonice explicasse. Vide Cornelii sermonem X de rosario.

Anno MCCCCLXXV convocationi Insulis die XVI aprilis habitæ jure magisterii interfuit, tumque menses duos integros ibidem mansit, per quos apologeticam pro rosario epistolam ad Ferricum *de Clugni* Tornacensem episcopum scripsit, & sub finem junii Tornacum ipse detulit. *Ex actis domus Insulensis.*

Exinde Cartusianos Herinenses, quibus cum præsertim cum eorum priore Laurentio Musgheselio sancta illi erat ab olim & singularis familiaritas invisit; hinc Gandavum amicos salutaturus ivit, & per Hollandiam Zwollas rediit, ibi enim jam ab anno MCCCCLXXIV sub finem assignatus fuerat, ut Ghilbertus de la Haye testatur ex monumentis congregationis Hollandiæ a se visis.

In festo assumptionis B. Virginis ejusdem anni lethali morbo correptus, in festo nativitatis ejusdem Virginis diem obiit ultimum, ætatis XLVII, & in ea parte sepultus est, in qua postea odeum templi nondum perfecti extructum fuit.

Ne quæ scripserat perirent, certum enim quandiu vixit nihil ab ipso typis commissum fuisse, in convocatione Harlemi habita anno MCCCCLXXVI die XII maii sic statutum lego: *Mandatur omnibus prioribus, ut faciant diligentem inquisitionem de libris & tractatibus seu compilatis piæ memoriæ magistri Alani, & quicquid de iis repertum fuerit tam in originalibus, quam in transumptis & excopiatis reverendo vicario generali quantotius transmittatur.* Quod præceptum cùm brevi adimpletum fuisset, in convocatione Roterodami habita anno MCCCCLXXVIII die VIII septemb. revocatum fuit.

Hæc porro ejus opera manuscripta solum, & parvo numero multiplicata quædam diutius permanserunt, primusque Joannes Andreas Coppenstein a se recognita, ad ævique sui salivam ut ait apparata, rescissis quibusdam, aliis explicatis, mollito aliquantulum stylo typis commisit, eamdem rationem secutus, quam Surius in edendis sanctorum vitis & Tauleri, Henricique Susonis operibus: quod pluribus jam non placet rei litterariæ præsertim peritis, apud quos opera hujusmodi interpolata non parum primariæ auctoritatis perdunt. At quandoquidem res acta est, ea fuerunt hoc titulo ordineque edita:

Beatus Alanus de Rupe Redivivus, de psalterio seu rosario Christi & Mariæ tractatus in quinque partes distributus.

1. *Apologia seu responsio ad Ferricum episcopum Tornacensem super pluribus quæstionibus ab ipso factis de rosario.* Pr. *Laudate Dominum Jesum Christum.*

2. *Relationes, revelationes, & visiones de rosario.* Pr. *Deus canticum novum cantabo tibi.*

3. *Sermones S. Dominici Alano revelati.* Notandum sermonem quartum qui sic incipit, *Cantate Domino canticum novum*, in ipso initio indicari dictum, *in hodierna SS corporis Christi solemnitate*, quæ scilicet ab Urbano IV primum instituta. Cujus sit erratum an auctoris an editoris, examinent quibus otium est, certo hinc patet concionem nunquam a S. Dominico dictam.

4. *Sermones & tractatuli Alani.* Primus is est quem supra monebamus eum habuisse Rostochii anno MCCCCLXXI die quarta septembris, cùm formandus esset baccalaureus. Pr. *Qui convertit petram in stagna aquarum & rupem in fontes &c.* Idemque tractatus est, quem Tritemius, Swertius

& Valerius Andreas laudant hoc titulo : *De* XV *laudibus psalterii B. Mariæ secundùm* XV *lapides in rupe altissima angelicæ salutationis repertos*, & quem MS servari in Bibl. Publ. Ultrajecti asserunt. Initio hanc notam apposuit Coppensteinius : *Lector hunc sermonem accuratiore cura conscriptum a B. Alano reddimus ad verbum, cæteros tolerabiliore stylo contraxi, nisi quod exempla subjecta explicatius enarravi.*

5. *Exempla seu miracula rosarii.* Pr. *Adrianus genere nobilis.* Laudant Tritemius, Swertius & Valerius Andreas citati MS cum prologo cujus principium : *Quamvis pretiosa laus*, quem prologum Coppensteinius omisit.

Hi quinque tractatus unâ prodierunt Friburgi 1619 in 4, Coloniæ, Petri Henningi 1624 in 8, & postea curis Andreæ Rovetta nostri Neapoli, Secondini Roncalioli 1630 in 8.

Laudantur & alii Alani fœtus isti :

La confrairie du psautier de notre Dame, Paris. Joannis Jeannot 15 . . in 16. Vidit Ghilbertus de la Haye, qui & testatur MS extare in variis Belgii bibliothecis, & a se visum exemplum Tornaci in Basilica majori a Sandero laudatum T. I pag. 219, ad cujus finem extant litteræ Joannis Excuria vicarii generalis congregationis Hollandiæ societatem rosarii probantis, quas ubi de isto dabimus ad 1489.

Expositio in regulam S. Augustini. Pr. *In psalterio decem chordarum psallite illi.* Cujus hoc est artificium. Alanus pro more omnia ad rosarium referens, regulam in XV capita dividit, quodque caput in decem articulos : quemque articulum in modum orationis vertit alternatim ad Jhesum & Mariam, petens talis regulæ servandæ gratiam, addito semper loco seu conceptu ex SS. Patribus vel ex S. Thoma, & tandem cuilibet articulo subjicitur *Ave Maria.* Quæ opella omnibus aliis Alani tractatibus mihi gravior videtur, & piis sub regula S. Augustini militantibus utilior. Codex est MS chartaceus in 8 pp. 155 olim sanctimonialium ordinis Metensium, nunc Parisiensium nostrorum ad S. Honorati.

Speculum peccatricis animæ. Edidit Ludovicus *Loumans*, de quo videsis ad ann. 1639. Hîc tantum moneo historiam Benedictæ Florentinæ in ea opella relatam, desumtam esse ex parte quinta Alani Redivivi cap. 27.

Monasticæ vitæ excellentia XXX. Cum Dionysii Rikel Cartusiani opusculis de vita spirituali editæ sunt, sed illæ non opus distinctum, at partis quartæ Alani Redivivi caput octavum.

Sermones varii a Swertio & Valerio Andrea Alano tribuuntur, at Ghilbertus de la Haye post diligentissimam in omnibus Belgii bibliothecis inquisitionem alios fatetur in manus suas non venisse, quam qui in Alano Redivivo habentur.

Commentarium in Cantica Canticorum, in quo singula Salomonis verba ad Christum & B. Virginem inter se colloquentes accommodantur, Alano huic asseritur a Lusitano & Altamura, sed ejus non esse certo certius est : opus enim est Alani Magni de Insulis doctoris universalissimi dicti anno MCCII defuncti, & id evincunt codices MS sec. XII & XIII.

Leander bis Alanum laudat, primò fol. 138 b ex solo nomine vocans Alanum Gallum, secundò fol. 150 a, ubi Alanum Britonem vocat, & revelationis de rosario prædicando illi factæ meminit. Quod moneo, ne quis duplicem hominem putet.

Quædam autem hîc de isto scriptore addenda, primo revelationes ejus & visiones, sermones S. Dominici ipsi revelatos, exempla & miracula Rosarii, ista, inquam, omnia non habenda quasi revera extiterint, sed meditationes tantum esse viri pii, qui in hunc modum cogitationes suas efformabat, ut auditorum animis facilius illaberentur. Sæc. XV.
Tale enim fuit ejus seculi ingenium, & tale etiamnum in quibusdam Europæ provinciis, ut auditores ejusmodi historiolis & exemplis magis delectentur, ea facilius memoria retineant, iis potentius & acrius & a vitiis deterreantur & ad bonum moveantur, quam ab accurata & solida doctrina, quæ mox ex eorum cordibus evanescit. Ea verò quæ de S. Dominico narrat, ita cum veris ejus gestis pugnant, ejus historiæ adeo sunt dissona & contraria, ut nulli cordato placere possint, nec ab historico veritatis amico & cultore adoptari. Sic historia quam de Sancto rosarium Tolosæ prædicante, & de stupendis prodigiis quæ tum acciderunt, refert P. II cap. 3, si vera fuissent, quis putet in inquisitione de ejus gestis anno MCCXXXIII tam diligenter facta, ubi tot testes qui ipsum viventem viderant auditi, a nemine fuisse memorata ? Quis credat Jordanum ejus successorem, Petrum Ferdinandi Hispanum, Constantinum, Humbertum de Romanis, Stephanum de Borbone, Vincentium Bellovacensem, Stephanum de Salanhaco, Theodoricum de Appoldia omnes ejus ætatis scriptores Dominici gestorum apprime cupidos, & qui mira ejus omni solicitudine & diligentia quæsierunt, effugisse ? Idem dicas de Conrado cardinali, quem vult in juventute Oxomi studiorum Dominici sodalem ab eo ad frugi revocatum, inde Cisterciensem, cùm certò cardinalis ille in Hispaniis juvenis moratus non sit nec studuerit, sed in Germania. Idem de Dominici captione a piratis, a quibus conversis in portum Armoricæ deductus sit, quam provinciam nunquam Dominicus vidit ; idem de Dominici itinere Parisios per Germaniam P. III cap. 3, & de castro ad Rhenum aut Danubium, in quo dæmones sub specie puellarum formosissimarum rectorem & satellites deludebant, quam viam sanctus nunquam arripuit, qui nec Parisios venit, nisi semel ex Hispania. Idem brevi de omnibus quæ de sancto narrat. Omitto eum P. V cap. 38 Dominicum exhibere in æde S. Mariæ super Minervam habitantem, quod illum arguit in historia ordinis omnino peregrinum, qui hanc ædem nescierit sub Gregorio X tantum anno scilicet MCCLXXV nostris Romanis concessam. Ingenium Alani ut cognoscas, confer historiam Benedictæ Florentinæ, quam habet P. V cap. 38 cum num. 35 vitæ Dominici per Constantinum, qui ex ore ipsius Benedictæ rem gestam audivit & simpliciter narrat. Heu quantum discrimen ? Quicquid Alanus habet ultra, id totum amplificatio ejus est, visio si velis, meditatio, compositio, & quis addet forsan quædam esse fidei rectæ non consona, si ad litteram sumantur, ut cùm B. Virginem in altari exhibet cum B. Dominico celebrante sacrificium dividentem, partemque hostiæ & calicis sumentem & bibentem, & postea ad vestes sacras deponendas adjuvantem : quæ nisi modo quodam spirituali meam fateor mentem excedente explicentur, nescio quis theologus ferat. Sunt alia plura hujus rationis, ut cùm Dominicum sponsum B. Virginis vocat, quo titulo nec sanctus se, nec illum vitæ ejus scriptores laudati ornarunt, vel cùm Alanus ipse se a B. Virgine in sponsum acceptum & torque in collo annuloque in digito, utroque ex crinibus ipsius virginis concinne facto ab ipsa donatum, imo & ipsa ubera virginea sugere sibi permissum, quod egerit avidius, quæ nisi spiritualiter intelligantur vix concipias aut patiaris. *Joannes de Monte & Thomas de Templo* quos socios B. Dominici & ejus rerum scriptores laudat, ejusdem sunt fabricæ ac ejus revelationes, homines primis nostris scriptoribus Gallis, Italis, Hispanis, Germanis, Anglis plane in-

Sæc. XV. cogniti. Si codices eorum MS perstabant adhuc ætate Alani, utique non solus ille legisset, at nullus alius eos se vidisse unquam asseruit, non Michaël Francisci Insulensis ejus discipulus, non Cornelius de Snekis alter ejus auditor, ambo de rosario scripserunt, non Jacobus Sprenger qui primus societatem rosarii Coloniæ erexit: verbo hos auctores nemo unquam legit nisi apud Alanum. Hæc itaque esto nostra conclusio vir fuit piissimus Alanus, cultui B. Virginis per rosarium addictissimus, Ecclesiastes salutis animarum sitientissimus: ejus visiones, revelationes seu verius parabolæ ex ea qua illas in concionibus depromebat ratione, miros fructus ediderunt, sed neu in historiam trahito, hoc solum volo. Sic B. Elisabeth Schonaugiensis miras habuit revelationes de circunstantiis passionis Christi, de B. Virgine nonnisi quadragesimo a morte die id est XXIII sept. suscitata & in cœlum assumta, de historia XI millium virginum, has tamen viri emunctioris naris in historiam non trahendas sanxerunt. Videsis quid de istis sentiant editores actorum SS. T. III junii p. 635 in Annotatis, & T. VI maii p. 246 παρέργῳ. Ex his tamen seu adversus Elisabeth sanctitatem, seu contra Alani pietatem nihil concludas.

Neque etiam exinde putes cultui Christi & B. Virginis per rosarium, aut antiquo ejus apud nostros usui quid detrahi. Hic enim vero cultus seipso constat, sibi ipsi fidem facit. Præcipua ejus oratio nonne illa est quam Christus nos docuit? Altera ad B. Virginem nonne ex ipsis evangelii verbis structa est? At ante Alanum de rosario non prædicabant: sed neque etiam de breviario, utrumque tamen dicebant, & dicendum monebant. De rosario non prædicabant. Erras si rosarium prædicare nihil aliud esse censes, quam rosarium semper in ore habere. Hæreses ex libris sacris, ex conciliis, ex SS. Patribus debellare, vitiis christianorum averruncandis & verbo & scripto incumbere, neophytos & ignorantes articulos fidei docere, veritates evangelicas ex pulpito declamare, ad omne opus bonum fideles excitare, hoc est rosarium prædicare. His Dominicus desudabat, Albigensium impia dogmata ex verbo Dei confutabat, evangelium Matthæi seu in domo seu in itinere sub manu semper habebat, epistolas Pauli in ipsa aula pontificis exponebat, sodales ut idem facerent continuo adhortabatur: illi dociles ad nutum obediebant. Videsis eorum scripta hucusque laudata, quot in scripturam sacram commentaria, quot opera theologica, quot sermonum volumina, quot de laudibus B. Virginis libri singulares? Vocabulum *Rosarium*, vel simile idem exprimens non puto in iis legendum, formula erat precandi omnibus nota, rem satis eloquebantur, cùm ad cultum Christi & B. Virginis populos opportune & importune etiam excitabant.

Jam quoad usum apud nos hujus precandi formulæ (quod in hac re præcipuum est) antiquum esse nihil certius. Videsis supra ad 1288 *F. Petrus Dacus*, ubi laudatur quidam Nicolaus ejus socius cùm Parisios venit in gymnasio Sanjacobeo theologiæ operam daturus anno 1269, & qui anno sequenti cum eodem rediens Colonia transiit, & B. Christinæ Stumbelensi dedit suum *Pater noster*, quod personaliter quatuor annis portaverat, nimirum ad zonam appensum, ut nobis nunc moris est: quod signum sodalibus nostris aliis omnibus id tum solemne fuisse. Nam quæ rosaria nunc dicimus eo seculo XIII & sequentibus *Pater noster* vocabant. Sic in opere quod paucis ab hinc annis D. de la Valbonnaie prælo edidit, cui titulus *Memoires pour l'histoire du Dauphiné* p. 286 in quodam computo ab anno 1333 ad 1336 reddito sic legitur: *Pro duobus filis de Paternostris de ambro, & duobus filis de Paternostris de corallo, & duobus filis de Paternostris de vitro: item in quatuor filis de Paternostris de crystallo &c.* quæ impensa Romæ facta pro Humberto Delphino per eam urbem transeunte signum est hujusmodi rosaria apud mercatores prostasse. Idem Humbertus relicto principatu ordinem Prædicatorum amplexus est, & in Ecclesia nostra Parisiis sepultus: super tymbo autem ejus æneo sodales plures ordinis ad latera sculpti rosaria manu præferunt, quod aliud signum ad zonam appensa in promptu habuisse. In Actis SS. T. III aprilis in vita S. Catharinæ de Senis n. 383, ad corpus ejus sua *Pater noster* id est rosaria fœminæ devotæ admovebant, quæ postea cuidam puellæ ægrotæ apposita suo tactu sanitatem reddiderunt. B. Clara de Gambacurtis nata anno 1366, & adolescens desponsata sæpe cogebat cœtus juvencularum, quas nunc Dei laudes cantare secum jubebat, nunc flexis genibus rosarium dicere. Illa confessarium ex nostris habebat, & mortuo sponso ordinem ipsa anno 1385 amplexa est Pisis in monasterio a suo patre erecto, in quo & obiit anno 1419, ut dicetur postea. Hæc nimium probant seculo XIII & sequentibus hunc orandi modum & in ordine & extra ordinem communem, familiarem, vulgatum fuisse. Verum est nostros de rosario singulariter sermones non instituisse, quibus argumentum sane jejunum videbatur de sola orandi formula conciones integras struere. Primus Alanus religionis mysteria quindecim rosarii decadibus alligandi rationem excogitavit, quibus suas visiones suaque exempla vel miracula, ut volueris, adjungendo magnam sibi dicendi materiam præparavit. Bene est, ubi hæc facile audiuntur, sed non omnibus allubescit hæc ratio, qua vis omnis & vehementia orationis frangitur, & cujus demum hæc unica semper conclusio, quam solam reportant auditores, ergo rosarium dicite. Quapropter sacris oratoribus & saluti animarum incumbentibus antiqua nostrorum prædicandi methodus relata longe utilior videtur, qua in veritates evangelicas exspatiari licet: in his, inquiunt, latissimus eloquentiæ campus apertus est, his vehementes in animis auditorum motus excitantur, denique fructus est vitæ ad normam christianam instituendæ propositum. Memini me Florentiæ sodalem nostrum qui prædicatoris rosarii munere fungebatur audivisse hac methodo utentem, & qui a me interrogatus respondit existimare se hac ratione felicius & utilius rosarium rosario nequidem memorato prædicare.

F. JOANNES GOUDEMONT.

F. JOANNES GOUDEMONT Gallus Carnuteus patria & professione sacræ theologiæ baccalaureus claruit ad annum 1475, ut habet Nicolaus *le Febvre* in suo Prædicatore Carnuteo p. 178, ubi & testatur ejusdem servari in bibliotheca dictæ domus 1475.

Concionum volumen MS in 8.

F. LUDOVICUS LONGO.

F. LUDOVICUS LONGO Venetus episcopus Methonensis (Μεθώνη enim Græce dicitur illa civitas in Peloponeso sita & clara ad oram sinus Messeniaci sub metropoli Patracensi) ad eam sedem promotus a Paulo II anno MCCCCLXVI pridie nonas novemb. sapientissime novem annis administratam reliquit moriens anno MCCCCLXXV. Sic Fontana in Theatro ex lib. provis. Ejusdem meminit Leander fol. 126 b: Lusitanus etiam in chronico ad 1490, quem excipit Rovetta, qui & inter scriptores laudat, ut a quo prodierint 1475.

Commentaria super primam partem S. Thomæ.
Summa de septem Ecclesiæ sacramentis.
Commentaria in VIII *libros physicorum.*

Sed hæc ubi habeantur saltem MS pro more silet.

F. BLASIUS RAGUSINUS.

1476. F. BLASIUS RAGUSINUS Dalmata domus Ragusinæ alumnus duplex a Razzio pp. 95 & 97 distinguitur, primus Constantinus agnominatus, studii Bononiensis aliquando regens, qui ad Ragusini senatus instantiam a Sixto IV Tribuniensi Mercanensique simul junctis præfectus fuit Ecclesiis. De isto ferunt ab eodem senatu ad abbatialem *di Melida* dignitatem ditissimam antea fuisse præsentatum, ea tamen conditione ut abjecto ordinis sui habitu, Benedictinum indueret, & monachorum nigrorum profiteretur instituta. Qui inter datas optandi inducias, in somnis acriter a B. Dominico sibi visus est objurgari, quod relicto signo miles ignavus ad aliena castra transire cogitaret: quo viso sic deterritus est, ut expergefactus ad priorem accurrerit propositi pœnitens, & constantissime se in ordine Prædicatorum permansurum moriturumque promiserit. Ut ut sit, hujus episcopi fit mentio in actis magistri ordinis Leonardi Mansueti, quæ de eo sic habent fol. 215: *Reverendissimus dñus F. Blasius de Ragusio ord. Præd. episcopus Mercanensis potest unum Fratrem tenere in socium, quem nullus inferior possit molestare. Datum Romæ anno* MCCCCLXXVI *die* XI *febr.* Sepultus fuit in æde ordinis Ragusina.

Huic alterum ejusdem nominis Dalmatiæ aliquando provincialem, & in eadem Tribuniensi & Mercanensi Ecclesia suffectum successorem laudat idem Razzius ex Gosseo, quos excipiunt Fernandez, Pius, Sigismundus, Ferrarius & alii, quorum apud me plurimum nutat fides, nam nec Gozzeus aperte loquitur, & quæ ex quadam ejus epistola refert Razzius, de primo facile intelliguntur: nec Fontana utriusque tempora clare distinguit, imo contraria & pugnantia prodit, nam ubi in Mercanensibus primum a Sixto IV datum episcopum dixerat, & anno 1476 adhuc florentem, secundum vero rejecerat ad ann. 1477, sui postea oblitus ubi de Tribuniensibus, primum jam ab anno 1460 infulatum, secundum vero anno 1475 jam ei successisse statuit. Quæ cùm parum firma sint, unum & eumdem libenter crediderim hominem in duos ab illis divisum, præsertim cùm de secundo nulla proferant ex actis pontificiis aut ordinis testimonia. Horum alterum tantum inter scriptores numerant, quem reliquisse aiunt

Concionum de tempore & de Sanctis volumina duo.

Notanda altera Fontanæ aberratio, nam ubi de episcopis Motonensibus (rectius *Methonensibus*) eumdem Blasium de Ragusio jam non Mercanensem, sed Motonensem episcopum dicit a Sixto IV creatum, eademque acta magistri ordinis Leonardi Mansueti ad hunc Motonensem refert, lapsu certe memoriæ, quem emendare Rovetta ad 1481, non imprudenter sequi debuisset.

F. JOHANNES BATHALIER.

† 1476. F. JOHANNES BATHALIER Latine Batilardi Gallus patriaque & professione Lugdunensis, theologicos agones omnes sustinuit in facultate Parisiensi, nam de quodlibetis respondit XIV aprilis anni MCCCCLXXII, de Sorbonica sextus anno MCCCCLXXIII, de parva ordinaria sub Antonio Ursi die veneris tertia decembris ejusdem anni, tum & XVI febr. sequenti inter XX licentiatos locum XVI sortitus est: vesperias suas habuit die jovis post octavas S. Martini anno MCCCCLXXIV id est XXIV novemb. nam erat lit. Dom. b, tandemque lauream accepit in aula episcopali die lunæ in vigilia S. Nicolai quinta decemb. Hæc ex actis facultatis. Vir fuit pietate, doctrina & eloquentia clarus. Unà cum Juliano Eremita Augustiniano S. T. M. vitis SS. Gallice jam redditis recognoscendis ac stylo molliendis non parvam contulit operam, quæ & prælis Lugdunensibus prodierunt cum pluribus eorum cura additis hoc titulo:

Legende des Saints nouveaux revue par F. Julien de l'ordre de Saint Augustin, & F. Jean Bathalier de l'ordre des Prêcheurs. Ad calcem sic legitur: *Cy finit la Legende doree dite la vie des Saints en Francois, vue & diligemment corrigée auprez du Latin, & second le vrai sens de la lettre par notable & religieux docteur maistre Jehan Batallier docteur en la sainte theologie à Paris de l'ordre des Prêcheurs de la ville de Lion sur le Rhosne, & imprimee en ladite ville de Lion par Barthelemi Buyer citoyen dudit Lion le* 18 *avril* 1476. Codex fol. max. & gravioris molis charactere Gothico majori. Extat Paris. apud Clarissas *Ave Maria* dictas.

Quæ ab illis adjectæ sunt Legendæ ad olim editas a Jacobo de Voragine, seorsim etiam prodierunt iisdem typis 1477 fol. par. charact. Goth. hoc titulo:

Cy apres s'ensuivent les histoires de la vie des SS. nouvelles nagueres translatees de Latin en François de la Legende doree l'an de notre Seigneur 1401, *& ces histoires ont été translatées par un maistre en theologie de l'ordre de notre Dame du Carme.* Ad calcem sic legitur: *Cy finit ce present livre intitulé, Legende des SS. nouveaux, qui ont esté pris & colligez de Vincent historial en divers lieux, lesquels Saints ne sont point inserez dedans la grande Legende, revues par F. Julian de l'ordre de S. Augustin, & F. Jehan Bathalier de l'ordre de S. Dominique docteur en theologie.* Extat Paris. in Regia H 337.

F. ANONYMUS GALLUS.

* 1476. F. ANONYMUS GALLUS, & quantum ex ejus opere conjicio Neustrius vel Ebroicensis vel Cadomensis, nam de his regionibus plura se præsente acta narrat, vixit regnantibus in Gallia Carolo VII & ejus filio ac successore Ludovico XI, id est ab anno MCCCCXXX circiter ad MCCCCLXXX. Studia sua Parisiis exegit in gymnasio Sanjacobeo, virque fuit eruditus, eloquens pro ratione temporis, ordinum religiosorum sanctitatis apprime studiosus: hinc ut statum religiosum maxime commendat, sic & professionis suæ immemores severissime carpit, & abusus in claustra sua ætate inductos luctuose describit, & deplorat. Sed & hominum cujusque conditionis vitia, cleri, populi, principum in utroque genere, militum, civium mores perversos enarrat & arguit acerbius. Ejus itaque extant

Loci communes pro prædicatoribus alphabetico ordine digesti.

Quorum hîc elenchus. 1. Accuso. 2. Adoratio. 3. De adventu Domini quinque sermones. 8. In adventu episcopi officiosa salutatio. 9. Alligatio peccatoris. 10. Ad armatos seu milites. 11. De S. Benedicto. 12. Benignitas Dei erga pœnitentes. 13. Chananæa. 14. Confessio. 15. Ad conjugatos. 16. SS. Cosmæ & Damiani bis. 18. Consolatoria in adversitatibus. 19. De temporalium amissione. 20. De exilio. 21. De incarceratione bis. 23. De separatio-

SÆC. XV. ne ab amicis. De eorum morte ac afflictione ter. 26. De falsa accusatione. 27. De læsione famæ. 28. De insultatione perversorum. 29. De ingratitudine humana. 30. De dejectione ab honoribus. 31. De facultate bonorum operum ademta. 32. Grave est hostibus tradi. 33. De negatione defensionis. 34. De infirmitate. 35. De tentatione dæmonum. 36. De senectute. 37. De periculo mortis. 38. De solicitudine suorum. 39. Consolatoria contra desperationem. 40. De cruce Christi bis. 42. Detractio, ejusque remedia bis. 44. Duo discipuli quibus Christus apparuit. 45. Duodecim cophini. 46. Errores reprobati in evangelio de vinea. 47. De S. Eustachio. 48. De S. Fiacrio. 49. Gloria æterna. 50. Honor seculi. 51. Jejunium. 52. Invenire Deum. 53. Joannes Baptista. 54. De S. Katharina bis. 56. Lacrymæ in die cinerum. 57. De S. Leodegario. 58. Loqui in confessione. 59. De S. Ludovico. 60. De B. Magdalena quater. 64. Manet Deus in multis. 65. Maria Dei mater, de ejus festis octo sermones. 73. Merces. 74. S. Michael bis. 76. Misericordia Dei bis. 78. Mors Christi. 79. Ejus Nativitas. 80. De S. Nicolao bis. 82. Nuptiæ. 84. De omnibus SS. quinquies. 89. Operarius in vinea. 90. Pœnitentiæ impedimenta. 91. De S. Petro bis. 93. De S. Petro martyre ter. 96. Instructio prædicantium. 97. Ad principes. 98. Quærere Deum. 99. Regnum Dei. 100. Ad Religiosos. 101. Resurrectio Christi bis. 103. De sacramento corporis Christi quater. 107. Sanguis Christi. 108. Scripturæ sacræ laudes fusissime. 109. Ad scholares. 110. De S. Sebastiano. 111. Synodus. 112. Spes de necessariis vitæ. 113. Spiritus sanctus. 114. Tentatio Christi bis. 116. De S. Thoma de Aquino. 117. Verbum Dei. 118. Veritatis adversarii. 119. Ad virgines sacras. 120. De S. Xstophoro.

N. 8 De Adventu episcopi sic loquitur : *Ante ætatem nostram tempore non magno Carolum V fuisse legimus non corporis robore, nec ut frequentius valetudine prospera suffultum, sua tamen sapientia regnum hoc victoriis celeberrimis & solida potentia floruit.*

N. 14 *Confessio*, sic habet : *Nuper contigit apud civitatem Cenomanensem de quadam nefandissima meretrice, quæ episcopum illius civitatis virum utique doctum & honestum atque ætate provectum per abusum confessionis & aliorum sacrorum in tantum seduxit, ut eam sanctam crederet, & de ea ubique quasi in hoc regno ad prælatos & principes atque congregationes scriberet in ejus maximam admirationem & laudem. Et veritate comperta remansit maxime confusus, & quasi coactus episcopatum alteri resignare.*

N. 15 *Ad conjugatos*, multa refert quæ in diœcesi Ebroicensi se teste dicit accidisse.

N. 45 *XII Cophini : In quadam parte Galliæ quæ Lingua Occitana vocatur, sunt arbuscula quædam ferentes fructum modicæ quantitatis, de quo tinctores colorem faciunt pretiosum Squarletum dictum vulgariter : & quia arbuscula illa in locis communibus crescunt, fructus talis communis est populo, ut inde sumat qui voluerit. Principes autem aliquando voluerunt tributum ex illis exigere, & tunc cessavit omnino fructus illius copia, aut si quid fuit, omnino inutile extitit, donec cessatum est ab omni exactione.* Et postea :

Diebus nostris in his Galliis principem habuimus, quem Deus post multas tribulationes ab hostibus liberavit, & ejus terram pacatam reddidit, nec sic tamen exactiones importabiles in populo facere omisit nulla urgente necessitate : sicque pauperes maxime fame afflixit, qui victui suo necessaria vendere cogebantur propter hujusmodi exactiones. Tandem in vanum & tantum intoxicationis timorem incidit & sine causa, quod nullis persuasionibus induci potuit ad comedendum. Sic qui innumeros fame affixerat, fame mortuus est, nec aliud medici invenire potuerunt, cùm etiam ejus corpus mortuum apertum fuerit. De morte Caroli VII manifeste loquitur.

Postea hæc habet : *Fuit his diebus in hoc Franciæ regno comes quidam ingenio perspicax, sermone disertus, viribus pollens, corpore pulcerrimus, in bello strenuus, generis nobilitate sublimis, fama præclarus, conjuge & liberis ornatus, nam sororem reginæ Franciæ in uxorem habebat. Erat regibus & principibus acceptus & desideratissimus, maxima armatorum comitiva circumseptus, officio quippe Conestabularii, quod apud nos supremum est, fungebatur : oppida & castra inexpugnabilia possidebat, innumeris divitiis & thesauris abundabat, semper honorabilior apud homines, semper ditior, semper potentior excrescebat : nulla unquam molestia hæc felicitas interrupta est : non infirmitatibus vexabatur, non rerum damno affligebatur, non hominum persecutionibus urgebatur : ita ut omnia quæcunque fortuna sigillatim in alios dispersérat, in hunc unum tanquam in suum alumnum præ cunctis amantissimum coacervasse videretur. Et secundùm statum suum nullus tempore nostro tam felix visus aut auditus est in his terrenis, in quibus in tantum confidebat, ut nullum prorsus mortalium se timere confirmaret. Sed hujus supremæ felicitatis, quantum spectat ad præsentia, miserabilis nimis & inopinatus finis fuit. Postquam enim diu valde talium fruitione gavisus est, subito captus, & consequenter paucissimis elapsis diebus Parisius publice & ignominiosissime decollatus est.* Quæ omnes facile intelligunt dici de Ludovico Lucemburgio comite S. Pauli Franciæ comitestabuli : idque elogium ab homine ejus ætatis compositum visum est non omittendum. Hæc porro acciderunt anno MCCCCLXXV.

Num. 50 *Honor seculi* sic habet : *Nuper in Galliis dux quidam tot latas regiones tot civitates & oppida maxima ac opulentissima possidebat, tot castra inexpugnabilia tenebat, tantis armatorum copiis fultus erat, tantis divitiarum cumulis abundabat, quod nullum mortalem timebat, ac imperatoribus regibusque potentissimis, atque cunctis vicinis nationibus, bella inferre non cessabat. Tandem a quodam juvenculo pauperrimo & exule comitis filio, quem a propria hæreditate expulerat, bello turpissime superatus, & vilissime occisus est.* Hic agit de morte Caroli Pugnacis ducis Burgundiæ, quæ accidit anno MCCCCLXXVI.

N. 90 *Pœnitentiæ impedimenta* sic habet : *Parisius habui socium ordinis nostri videlicet Prædicatorum in theologia magistrum &c.*

N. 118 *Veritatis adversarii* sic habet iterum : *Fuit quidam qui primo nostrum ordinem videlicet Prædicatorum ingressus est ; a quo egressus Cœlestinorum statum expetiit, quem derelinquens rursus ad ordinem Prædicatorum rediit : a quo iterum fugiens Fratrum B. Mariæ de Carmelo habitum suscepit, & inde post exiens Cartusiensis effectus est, sed diu in illo vivendi modo non persistens, ad monachos nigros S. Benedicti convolavit, & etiam cùm in aliquo illorum statuum esset, crebro de uno conventu ad alium transibat, & de una regione ad aliam, & finaliter tantis varietatibus & novitatum desideriis agitatus est, ut in maximos errores & nefanda sacrilegia laberetur, videlicet in damnatissimam Valdensium sectam. Cùm tamen maximam prædicationis famam obtineret, & pro doctore theologiæ haberetur, per processum hujus viri repertum est quod desiderium videndi nova potissime ad hoc ipsum duxit : audierat enim de congregationibus Valdensium, idcirco volebat videre quid ibidem ageretur. Tandem in civitate Ebroicensi errores ejus in pu-*

blica prædicatione declarati sunt, & ejus sacrilegia propalata eo præsente, & coram multitudine populi confitente: sic enim per justitiam condemnatus est, & carceri perpetuo traditus, in quo mortuus est.

Quæ probant auctorem & ordinis Prædicatorum, & Ebroicis saltem aliquandiu vixisse. Codex hic MS memb. fol. par. tres uncias & amplius spissus ab ætate auctoris apud nostros Cadomi servabatur, nunc autem ex librorum permutatione nostrorum est Parisiensium ad S. Honorati. Opus est viri gravis, sermones non resecati aut decurtati, ut in plerisque antiquis, sed fuse & copiose & quales ab auctore dicti, forteque ipsum ejus curis scriptum exemplum. Plura præter relata habet ad historiam sui seculi seu regni Galliæ, seu morum religiosorum spectantia curiosa.

FF. DOMINICUS DE PISTORIO & PETRUS DE PISIS.

1477. FF. DOMINICUS DE PISTORIO & PETRUS DE PISIS ambo hujus ætatis insignes typographi, & in alterutra domorum nostrarum Florentinarum, licèt S. Marci potius crediderim, artem exercentes, non aliunde mihi noti sunt, quam ex opere quod ex eorum officina prodiit, & Parisiis anno 1711 mense maio in auctione bibliothecæ clarissimi viri Caroli *Bulteau* secretariorum regiorum decani, væniit ducentis quinquaginta libris Turonensibus. Titulus:

Legenda della B. Caterina da Siena. Firenze, Nel monasterio de' Frati Predicatori per mano di due religiosi Domenico da Pistoia & Pietro da Pisa 1477 in 4. Recensetur in catal. Bibl. Bultel. Paris. apud Gabriel. Martin n. 5388.

Quam Legendam non aliam censuerim quam Raimundi de Vineis Capuani, eam enim constat lingua Toscana versam ante ann. 1477, quæ MS apud nostros Senenses etiamnum servatur. Hinc eos falli constat qui typographiam volunt anno tantum 1482 Florentiæ usu receptam.

F. MARINUS VENETUS.

1477. F. MARINUS VENETUS a patria sic & professione nuncupatus sacræ theologiæ professor his annis florebat, & versioni sacrorum bibliorum Italicæ, quam Nicolaus Malherbi vel Malermi Camaldulensis abbas S. Michaelis in Lemo ediderat, iterato imprimendæ invigilavit, & summaria capitum, seu ut tum loquebantur, rubricas adjecit, quod ad calcem operis sic exprimitur:

Finita è la Biblia vulgare a laude del omnipotente, e della sua madre vergine Maria, e a consolatione de legenti, rubricata per me Frate Marino da Venetia dell'ordine de' Predicatori de la sacra pagina humile professore, sequendo la expositione di Nicolo de Lyra e de li altri dottori, dichiarando summarie quello che contengono li capituli, quanto la brevità de rubriche patiscono. Venetiis typis Antonii Bononiensis, Regnante Sixto IV P. M. ac Andrea Vendromino inclito principe imperante 1477 in fol. voll. duob.

F. PETRUS TEUTO.

1477. F. PETRUS TEUTO his annis clarus non aliunde mihi notus est, quam ex opere quod scripsit & edidit hoc titulo:

Bruder Peters Prediger ordens tractat Wider die Inden, Eslingæ 1477: Id est, *Fratris Petri ordinis Prædicatorum tractatus contra Indos.*

F. JOANNES DE BOMALIA.

F. JOANNES DE BOMALIA Brabantus a *Bomale* Gallo-Brabantiæ non procul a Geldenaco vico ortus, agnomenque sortitus, non a Bommelia Geldriæ oppido ad sinistram Vahalis ripam sito, ut incautis quibusdam excidit, Lovanii ordinem amplexatus est & professus, ubi & aliquando priorem egit. Vir fuit pietate, disciplina regulari, eruditione, facundia clarissimus. Sub universitatis Lovaniensis incunabula ejusdem ad consilium, quod strictum vocant ascitus fuit anno MCCCCXXIV, & ad cathedram professoris theologiæ publici a senatu Lovaniensi promotus anno MCCCCL in vicem F. Joannis a Wininghen de quo supra, ea lege ut intra annum doctoris insignia susciperet, quod & fecit. Erecta vero tum congregatione Hollandiæ circa MCCCCLX eidem plurimum favit Fratrum fervore delinitus, imo & ad ejus conventus identidem declinabat Insulensem præsertim & Bruxellensem recens fundatum, eidemque tum insertum, visitatoris etiam in ea munere functus anno MCCCCLXV. A Paulo II aut Sixto IV institutus fuit per Belgium adversus hæreticam pravitatem inquisitor generalis, eoque titulo ab universitate Lovaniensi acceptus & admissus VII Idus novemb. MCCCCLXXI. Sedit & in capitulo generali Basileæ provinciæ suæ Teutoniæ diffinitor anno MCCCCLXXIII. Reliquum vero vitæ Lovanii exegit lectionibus sedulo incumbens, ubi & obiit XXV Decemb. MCCCCLXXVII. Ejus cum laude meminit Valerius Andreas *Bibl. Belg.* ex superioribus emendandus, quæ ex accuratiori nostri Ghilberti *De la Haye Bibl. Belgo-Dom.* MS excepimus. Hæc ejus extant opera:

1. *Planctus religionis super defectibus religiosorum cujusvis ordinis.* Opella F. Joanni Excuria sive *Utenhove* congregationis Hollandiæ vicario generali primo nuncupata, in qua sub persona Jeremiæ Lamentationum ejus ad id prioribus alphabetis duobus & quarto adaptatis religio ipsa suorum lapsum plangens introducitur. Extabat MS Lovanii apud regulares S. Martini teste Valerio Andrea, sed cùm non recenseatur in catalogo ad Sanderum misso & ab eo edito, vel furto sublatus fuerit, vel catalogus non sat accuratus.

2. *Tractatus contra monachos proprietarios.* Editus in collectione similium Opusculorum hoc titulo: *Contra monachos proprietarios egregiorum virorum tractatus*, ordine secundus. Pr. *Sequitur tractatatulus quæstionis M. Joannis de Bomelia S. T. D. ord. Præd. utrum prælatus alicujus religionis vel monasterii sive conventus possit cum suis subditis dispensare super his quæ concernunt regularem observantiam suæ religionis?* Parisiis, Gilberti & Gaufridi Marnef in 8 pp. 25 absque anno edit. char. Goth. minutiori, circa 1500 ut videtur. Extat Paris. in Bib. Reg. D. 2503. Habetur etiam Tornaci apud S. Martinum. Asservabatur vero MS aliàs apud Præmonstratenses Parcenses ad Lovanium, & in Viridivalle ad Bruxellas ex catalogo Bunderii nostri, licèt apud Sanderum non referatur ob causas jam allatas.

3. *In proverbia, Ecclesiasten, Apocalypsin, IV sententiarum libros commentaria & de sacramento Eucharistiæ deque virtutibus theologicis tractatus* servabantur aliàs apud nostros Bruxellenses teste eodem Bunderio. At post bibliothecarum & domorum ordinis ab hæreticis direptarum desolationem, ubi delitescant modo, vel an perierint ignoratur.

F. JOHANNES FABER DE CARVINIO.

† 1477. F. JOHANNES FABER DE CARVINIO dictus non aliunde nobis notus est, quam ex ejus opere hîc relato. Carvinium unde ille ortus municipium esse conjicit Ghilbertus de la Haye in finibus Artesiæ situm versus Insulas vulgo dictum *Carvin-Epinoy*, cujus dominus princeps *Epinoy*. Hic Johannes a Maximiliano I imperatore in familiam ascitus est, cùm in Belgium venit anno MCCCCLXXVII nuptias cum Maria Burgunda Caroli Audacis filia unica & hærede initurus. Opus verò scripsit ac edidit hoc titulo:

Compendiosa ex variis libris exhortatio ad omnes Christi fidelium status, collectio excellentis patris dñi Johannis Fabri de Carvinio divi Prædicatorum ordinis sacræ paginæ professoris, Maximiliani Cæsaris domestici capellani. Quo libro omnes omnium ordinum propriis quosque orationibus adhortatur, summum pontificem, cardinales, episcopos, imperatorem, reges singulos, principes &c. Postea theologice agit

1. *An signa in cœlo apparentia sint timenda?*

2. *De signis & portentis excidium Hierosolymitanum præcedentibus.*

3. *De Dominicæ crucis laudibus humanas vires excedentibus.*

4. *Ejusdem doctoris de Carvino in psalmum* LXXVIII Deus venerunt gentes.

Sequuntur diversæ Christi fidelium nationes, quæ dudum & priscis temporibus Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientissimæ extiterunt.

6. *Oratio Hugonis de Sancto-Victore.* Quomodo peccator debeat orare.

Liber impressus in 4 absque loco, anno & nomine typographi, sed regnante Maximiliano I unciam unam circiter spissus. Præfixa est operi imago sodalem ordinis coram imperatore concionantem exhibens. Extabat Lovanii apud nostros anno 1680 a Ghilberto de la Haye laudato visus, & Coloniæ Agrippinæ, & Wesaliæ ab eodem visi, item & Leodii, sed hic ultimus periit, cùm anno 1682 hæc urbs tormentis bellicis a Gallis vastata.

F. JACOBUS CAMPHARO.

† 1478. F. JACOBUS CAMPHARO vel *Campora* ligur patria Genuensis, & ibidem ad S. Dominici ordini ascitus, emensis in Anglia in universitate Oxoniensi studiis, in eadem post omnes scholæ agones licentiati gradum obtinuit. Clarebat his annis, quibus scripsit, ac prælo commisit opus hoc titulo:

De immortalitate animæ in modum dialogi vulgariter. Pr. *Incipit prologus feliciter. Al venerable e discreto suo maggiore Johanni de Marchanova citadino de la felice cità di Vinetia Frate Jacobo Campharo di Genoa dell'ordine de'Frati Predicatori in sacra theologia licentiato in la universtità di Oxonfordi cum recommendatione &c.* Cusantiæ, Octaviani Salomonii 1478 in 4. Constat opusculum capp. 26 foliis in 4 quatuor, nullis lemmatum seu reclamationum, numerorum, signaturarumve notis, nullis etiam majusculis. Cap. 1: *Molte volte ho audito che grande philosophi &c.* Extat Parif. in Regia R. 1063, & Romæ *nella Sapienza.*

Laudantur & varii codices MS Parif. in Regia n. 8286. Aliâs in Fouquet. memb. sed mutilus. In Claromont. S. J. quem Labbeus ex Caroli Moræi medici bibliothecæ auctione habuit, & cujus meminit in Bib. Nov. codd. MS p. 216. Venetiis ad SS. Jo. & Paul. chartac. Titulus in his codd. MS:

Trattato dell'anima composto da Fra Giacomo Campora da Zenoa dell'ordine de' Predicatori a richiesta di Gio. di Marcanova mercante in Londra.

Præter citatos meminerunt Sopranus, Abbas Justiniani, Oldoinus ad 1478, & nostri Altamura & Rovetta ad 1473.

F. ALEXANDER BONONIENSIS.

F. ALEXANDER BONONIENSIS vir inquit Leander fol. 145 b peritissimus & in concionibus suis Origeni valde simillimus Romæ vita functus est circa MCCCCLXXIX. Ad eum Augustinus † 1479.
Datus Senensis Epistoll. lib. 2 epist. 2 sic scribebat: *Certe cùm concionaris proponis nobis ante oculos in præcipiendo Paulum magistrum gentium, in instituendo Thomam Aquinatem christianæ religionis decus, in monendo vim Demosthenis, in docendo Ciceronis ubertatem, in delectando suavitatem Isocratis, ut nihil pene nec dici nec excogitari possit aut utilius aut jucundius tuis præclarissimis & optimis institutis.* Hinc Rovettæ facile assentiar, licèt alii taceant, ab hoc Alexandro relictos

Sermones de tempore, de sanctis & quadragesimales.

Idem addit *Scripta in IV sententiarum libros, & opuscula theologica alia.* Qui si ubi ista omnia saltem MS habeantur monuisset, rem planam fecisset.

Notandum a Rovetta hunc scriptorem in duos dividi alterum *de Azoguidis* ad 1460, alterum *de Bologninis* ad 1478 nuncupatos: at cùm utrobique testem proferat Leandrum apud quem nonnisi unicum invenio, eumdem hominem in duos multiplicatum censeo.

F. JOANNES AQUILANUS & DANIEL DE VICENTIA.

F. JOANNES AQUILANUS & DANIEL DE VICENTIA ut vita & operibus ambo † 1479.
conjunctissimi fuerunt, sic unà veniunt laudandi. Joannis egregiam memoriam habet Leander Descript. Italiæ p. 399 versionis Kyriandri sic de eo scribens: *Nostris temporibus Aquila non parum claruit Joanne cognominato Aquilano ex Prædicatorum sodalitio insigni theologo, facundissimoque doctore, quemadmodum ejus conciones testantur.* Sed & Vir. Illust. fol. 145 b sic rursus de eo: *Num cernis Joannem Aquilanum alterum Paulum in proclamationibus, limam vitiorum optimam, mortuum Ferrariæ anno* MCCCCLXXIX. Regularis disciplinæ studiosissimus fuit, ceu in congregatione provinciæ Regni Siciliæ a F. Paulo Mileto Calabro viro sanctitatis eximiæ erecta educatus, uti docet Vallius Compend. p. 163. Ex Joanne quis & qualis fuerit Daniel colligas, ambo enim socii fuerunt individui, verbi Dei præcones per Italiam indefessi, & salutis animarum sitientissimi, unàque simul scripserunt, qui & unà prodierunt hoc titulo:

Incipiunt sermones aurei quadragesimales compilati per venerabiles patres Joannem Aquilanum, & Danielem Vicentinum divini verbi declamatores fructuosos sacri ordinis Prædicatorum a septuagesima ad feriam tertiam paschæ cum sermone annunciationis. Venetiis 1499; sic Lusitanus: postea Lugduni; Fradin 1501 in 8, quæ editio apud nostros Parisien. ad S. Honorati. Rursus hoc titulo: *Lima vitiorum, sive sermones in ferias & festa quadragesimæ singula.* Parif. Francisci Regnaud 1508 in 8 charact. Gothico.

Addunt quidam *Sermones de tempore & de sanctis per annum*: Sed ubi typis prodierint vel MS serventur nemo prodit. Joannis ad 1460, Danielis ad 1499 meminit Altamura.

F. JOANNES A SANCTO MINIATO.

* 1479. F. Joannes a Sancto Miniato Etruscus a patria medio fere Pisas inter & Florentiam itinere sita, forsan & a professione sic nuncupatus, his annis claruit, orator exactissimus, ingenio memoriaque præstans felicissima, vir unâ sanctioris vitæ morumque puriorum, qui plures ordini domos, & inter alias Casalensem erexit. Sic de eo Leander fol. 145 b, ubi & eum ad ann. MCCCCLXXIX circiter refert, additque ejus

Opuscula nonnulla ex dictis sanctorum contexta

Se in domo ordinis Casalensi aliquando vidisse. Meminit Altamura sed delusus cùm ad 1547 revocat, quem Leander ad 1516 scribens mortuum præstat ante ann. 1500.

F. PETRUS DE OCANA.

* 1479. F. Petrus de Ocana Hispanus studii Toletani regens inter eos numeratur, qui anno MCCCCLXXIX Salmanticam coacti censores, de libro Petri Oxomensis judicium tulerunt, & ut propositionibus falsis, hæreticis, scandalosis malesonantibus & erroneis scatentem declararunt. De quibus legendus Fernandez in Concert. ad 1479 p. 223, ubi & addit Petrum postea inquisitorem adversus hæreticam pravitatem institutum. Ejus Altamura meminit ad 1478 judicium de doctrina Oxomensis & alia ut inquisitoris acta forsan scriptorum loco habens.

F. FRANCISCUS NARDUS.

† 1480. F. Franciscus Nardus a patria Nerito Italice *Nardo* sic agnominatus, vir ætate sua clarissimus fuit, sed auctorum de eo testimonia propriis ipsorum verbis juvat audire. Sic itaque Leander fol. 140 a: *Franciscus Naritonensis Apulus maximus in re litteraria disceptator florebat circa ann.* MCCCCLXXX. Sed elegantius commendat in Descr. Ital. Reg. IX in Salentinis ad finem. » Nardum. inquit, civitas antiquissima Ptolomæo Neritum dicta, populo frequens & lauta &c. Nomen » ejus memoria nostra Franciscus cognomento a » patria Nardus ex ordine Prædicatorum philosophus » ac summus theologus, uti Scriptorum ejus monumenta testantur, præcipueque commentaria in » metaphysicen Aristotelis, plurimum illustravit: qui » Patavii diu publico Venetorum salario litteras » professus anno post Christum natum MCCCCLXXX » de vita decessit «.

Leandro concinit Toppius Bibl. Napol. p. 94 & p. 343 *in Addiz.* » Erectam Francisco ait » in academia Patavina, in qua docuerat, statuam » ob eximiam ingenii præcellentiam, eruditionisque & sapientiæ profunditatem. Quibus subjungit ex additione ad Antonium Sabellum anno
* » MCCCCLXXXIV: Claruit pater sapientissimus & » doctissimus vir Franciscus Securus de Neritono, » qui multos insignes discipulos dereliquit, præsertim Dominicum Grimanum, Thomam de Vio » Gaetanum, & Gasparem Contarenum cardinales, » viros omnium doctrinarum genere eruditissimos, » Antonium Pizzimanum Feltrensem episcopum, » F. Hieronymum de Hippolyto Monopolitanum » archiepiscopum Tarentinum, & alios archiepiscopos, episcopos, & doctores plurimos, viros » omnes doctissimos, omniumque virtutum splendore clarissimos «.

Eumdem commendant Possevinus, Lusitanus, Gozzeus, Vallius p. 201, Chronicon ad calcem constitutionum, Fernandez, tandem Altamura ad 1480, qui ultimus prudenter monet, si fuit Thomas de Vio Cajetani anno tandem MCCCCLXX tantum nati in metaphysicis præceptor, ut volunt plures, non ad annum MCCCCLXXX mortem ejus ponendam sed ulterius prorogandam, ad annum puta circiter MCCCCXC. Addit vero eum nobili genere oriundum, e stirpe baronum de Sancto Blasio in Salentinis, ætateque juvenem ordinem ingressum, Bituntina in domo ob disciplinam regularem conspicua probationis explevisse tempus, atque sub F. Mariano Bituntino viro eximio de quo supra ad 1450 ita studiis incubuisse, ut vix annum ætatis vicesimum assecutus, magnam sui per Apuliam Lucaniam, & Salentinos, spem fecerit & nomen, summaque laude docuerit Venutiis, Fogiis & Luceriæ, Patavium que demum accersitus annos plurimos publico meruerit stipendio. Quibus & hoc addendum anno MCCCCLXII in comitiis ordinis Senis ad festum assumptionis B. Virginis extra morem celebratis adfuisse, & sedisse provinciæ suæ Regni Siciliæ diffinitorem, jam tum titulo magistri ornatum. *Ex actis.* Patavii obiisse dicunt & sepultum. Plura scripsisse omnino constat, ejusque inter alia laudantur

Quæstiones doctissimæ super libros XII *metaphysica:*

Sed an & ubi impressæ, vel ubi serventur MS, nemo aperit.

F. LEONARDUS RAGUSINUS.

F. Leonardus Ragusinus a patria & professione sic nuncupatus, a Sigismundo Ferrario Hist. prov. Hung. p. 449 laudatur ceu qui ad annum MCCCCLXXX floruerit, cui meo quidem judicio plus fidei habeas, quam Lusitano ad 1540 vel Altamuræ ad 1541 revocantibus; præsertim cùm velint publici theologiæ professoris onus & munus in academia Patavina obiisse, & eo titulo sumtibus & honorario reipublicæ Venetæ meruisse, qui tamen in ejus fastis & historia, ubi recensentur omnes qui post ann. MD professi sunt, non numeratur a Tomasino. Si ergo Patavii docuit, id fuerit ante ann. MD, nam hos non attigit Tomasinus. Rovetta ad 1541 conventus S. Dominici Veneti & provinciæ Lombardiæ alumnum fuisse contendit, verùm id ei fuerat ex veteribus monumentis accuratius docendum. Ut ut sit scripsisse fertur † 1480.

Scholia seu commentaria in S. Thomæ summam theologicam universam, & alia ejus generis opuscula, apud suos Ragusinos inquit Lusitanus, in bibliotheca etiam S. Dominici Veneta ait Rovetta MS servata.

F. STEPHANUS CAJETANUS.

F. Stephanus Caietanus a patria sic clara Regni Siciliæ civitate nuncupatus, sub Ferdinando I Siciliæ rege floruit ad ann. MCCCCLXXX teste Gravina in vita Joannis de Neapoli I nostri hujus quæstionibus variis præfixa, scripsitque ut idem Gravina habet * 1481.

Tractatum de sacramentis, in quo ejusdem Joannis de Neapoli auctoritate utitur § 6. *Veniam ad materiam sacramenti Eucharistiæ* n. 66: *Habetur ille tractatus inter repetentes in jure canonico.* Stephani meminit Vallius p. 236, & ex eo Altamura ad 1481.

F. TANCREDUS DE TANCREDIS.

F. Tancredus de Tancredis Senensis quidam a Gregorio Lombardelli laudatur circa hos annos clarus, beati etiam titulo ab eodem or- * 1481.

Sec. XV. natus, quem & addit scripsisse ac edidisse

Orazione in lode di S. Caterina Sanese.

Ejusdem meminit Pius sed dubius, P. II Lib. 2 col. 228, sed omisit Ugurgierius in *Pompe Sanesi*, quod signum ejus in monumentis Senensibus memoriam non invenisse.

F. JOANNES BARBETA.

1480. F. JOANNES BARBETA natione Dalmata vel Pannonius a Gozzeo ejus gentili & Ferrario Hist. prov. Hung. p. 449 viris eruditione scriptisque claris accensetur, & ad ann. MCCCCLXXX, quo nondum Dalmatia ab Hungaria fuerat avulsa floruisse dicitur ac scripsisse

Historiam Dalmatiæ, vel *de laudibus Dalmatiæ*.

Meminerunt Pius P. II Lib. 3 col. 63, Fernandez p. 394, Altamura ad 1481 Sicensem patria dicentes, sed quam ultimus non recte collocat in Creta insula quasi fuerit ortus ex Sittia, quem potius e Siscia vulgo *Sisseg* vel *Siceg* in Pannonia natum censeas. Si enim Cretensis & e provincia Græciæ, quis putet Dalmatiæ historiam ac laudes suscepisse?

F. PETRUS KYRSZLACKEN.

1480. F. PETRUS KYRSZLACKEN Teuto domus Nurembergensis lector, ac ut conjectu pronum etiam alumnus his annis florebat, & a magistro ordinis Leonardo de Mansuetis vicarius generalis institutus fuit super conventibus Sueviæ & Bavariæ ad severiorem ordinis disciplinam servandam ultro conspirantibus, uti Fontana refert P. II Constit. ubi de provincia Teutoniæ p. 95. Ejusdem meminerunt Gesnerus, Simlerus, Possevinus, Altamura in Append. ad 1488, qui omnes aiunt scripsisse

De passione Domini.

Ubi autem opus illud servetur impressum seu MS nullus aperit, quod velim ab indigenis hîc addi.

F. GERALDUS DE ELTEN.

1480. F. GERALDUS DE ELTEN Teuto natione, patria & professione Coloniensis, religione, doctrina & zelo fidei claruit seculo XV. Jam sacræ theologiæ magistrum ejusdemque a pluribus annis in gymnasio Coloniensi professorem ac ætate provectum ad ordinem Prædicatorum accessisse vestemque induisse refert Trithemius æqualis, quod ante A. D. MCCCCLXVIII factum fuerit, nam in comitiis ordinis Romæ eo anno habitis, sic de eo legitur: *Conventui Coloniensi provinciæ Teutoniæ damus in regentem usque ad sequens capitulum generale R. P. Geraldum de Elten magistrum.* Quid autem in sequenti cap. gen. Avenioni MCCCCLXX de eo statutum fuerit ignoro, cùm Acta non habeam integra, ut nec capp. gen. Basileensis MCCCCLXXIII nec Romani LXXIV: Sed in cap. gen. Perusino MCCCCLXXVIII iterum sic de eo lego: *Conventui Coloniensi damus in regentem ... pro tertio anno*, (id est pro MCCCCLXXX) *F. Gerardum Elthen.* Inquisitor hæreticæ pravitatis per Germaniam generalis a Sixto IV institutus, eo munere summa cum vigilantia, nec minori zelo functus est, quod anno MCCCCLXXX etiamnum exercebat. Ejus cum laude meminit Guilielmus Eysengrein in *Catalogo Test. Verit. fol.* 175 *a*, ubi sic de eo ad MCCCCLXXIII: *Gerardus de Elten sacræ paginæ doctor atque professor gymnasii Coloniensis Ord. Præd. hæreticæ pravitatis inquisitor, vir admiratione omnium dignissimus, dicendi artifex & orator eloquens, philosophus celeberrimus, tum prætereà sacrarum literarum scientia nemini secundus,*

1. *Quæstionum sententiarum volumen edidit.*

2. *Sermones plures & doctè & eleganter compositos quorum infinitus pene est numerus, absolvit.* His addit Trithemius

3. *Quæstiones disputatas* & 4. *Varia in philosophia & alia complura.* Eadem recensent Simlerus, Possevinus, Dupinius, sed tacent auctorem nostrum fuisse. Ejus meminerunt & nostri Razzius & Altamura ad 1375 uterque corrigendus, Fernandez ad 1470. In Bibl. August. Ind. Reiseri pag. 106. Plut. 9 p. 108 n. 25 recensetur liber editus hoc titulo:

Joannis de Wesalia concionatoris Wormatiensis paradoxa per M. Gerardum Elten de Colonia & M. Jacobum Sprenger damnata 1479. *Moguntiæ*; cujus etiam meminit Beughemius in Incun. Typ. sed & iterum editus fuit in *Fasciculo rerum expetendarum* &c. Coloniæ 1535 fol. & in altera Editione dicti *Fasciculi* Londini 1690 fol. in qua sic legitur pag. 325: *Paradoxa D. Joannis de Wesalia sacrarum literarum doctoris ac concionatoris Wormatiensis, quæ feruntur a quibusdam Thomistis ex illius concionantis ore fuisse excepta, mox damnata per magistros nostros hæreticæ pravitatis inquisitores de ordine Prædicatorum M. N. Gerhardum Elten de Colonia & M. N. Jacobum Sprenger anno* MCCCCLXXIX. *Moguntiæ.* Pag. 327: *Examen magistrale ac theologicale doctoris Jo. de Wesalia præsidentibus magistris nostris hær. prav. inquisitoribus M. N. Gerhardo Elten, & Jacobo Sprenger de ordine Prædicatorum. A. D.* MCCCCLXXIX *fer.* VI *proxima post purificationem consederunt primo de hac re inquisitor primo loco, deinde 2. loco D. Moguntinus.*

P. 332: *Hujus doctoris Joannis de Wesalia examini & inquisitioni interfui ego ipse qui hæc scribo in Moguntiaco sub archiepiscopo D. Diethero de Isemburgo qui ad se vocaverat theologos Heidelbergenses, & venerunt D. doctor Nicolaus de Wachenheim solus de via, ut dicunt, modernorum, D. doctor Hervicus de Amsterdamis, D. Doctor Jacobus de Calbe. Ex Agrippina vocati fuerunt & venerunt M. N. Henricus,* (leg. *Gerardus*) *de Elten ordinis Prædicatorum inquisitor hæreticæ pravitatis: M. N. Jacobus Sprenger Ord. Præd. & quidam alius ejusdem ordinis.*

Pag. 484 Orthwinus Gratius hujus editionis curator sic de hoc negotio loquitur: *Quid tandem de Joanne Wesaliensi theologo dicemus? Humana certè creatura, & inveteratus silicernius. Itaque quas putidas ille protulit vomicas condemnatæ sunt. γηροντικῶς enim in omnibus loquitur, senecionem sese delirum, ac vetulum indicans insensatum. Cujus etiam verba Germanicè ab eodem prolata, si justa lance ponderavimus, temerarium fuisse hominem nemo non cognoscet. Quapropter in sempiternum illorum dedecus, & in bonorum omnium ædificationem convictæ ac condemnatæ eorum hæreses in medium proferuntur.*

F. CONSTANTIUS DE FABRIANO.

F. CONSTANTIUS DE FABRIANO Picenus a patria & professione agnomen de more sortitus, vir miræ sanctitatis inquit Leander fol. 254 a, miræque integritatis & sobrietatis anno salutis MCCCCLXXXI Esculi apud sodales scientia, sanctitate, ac miraculis clarus sexto Kal. martii vita functus est, & sepultus in ecclesia nostra ad dexteram. Idem Leander ejusdem iterum meminit Descrip. Ital. ubi de Piceno, & beatum vocat. Laudat & Lusitanus in Chronico dec. 1470 & in Bibl. Altamura ad 1466. Scripta ab eo fertur 1481

Vita B. Conradini Brixiensis ordinis Prædicatorum, sub cujus disciplina in religione creverat. Certe Nicolaus Baguatorius qui anno circiter 1516

vitam hujus Conradini ſcripſit, Conſtantium plurium teſtem profert, unde plura de ejus geſtis MS reliquiſſe evidens eſt.

Vita aliorum ordinis beatorum, & ſermones de tempore & de Sanctis ab eo relicti laudantur a Rovetta ad 1468.

F. DOMINICUS CREMENSIS.

1482. F. DOMINICUS CREMENSIS Italus a patria ſic & profeſſione nuncupatus, ab Altamura inter eos laudatur qui ad ann. 1498 florebant, ſed quorum nulla affert opera, at a Rovetta ad 1479 collocatus, dicitur non ſolum in ſtudio generali Bononienſi baccalaureum egiſſe ex actis ejuſdem ſtudii, ſed & exinde lauream magiſterii conſecutum, & rei litterariæ reliquiſſe

Opuſcula varia philoſophica & theologica.

Sermones Dominicales & de Sanctis per annum, & quadrageſimales: Quorum inquit, ſaltem magna pars ſervatur inter codices MS Bibl. noſtræ Bonon. licèt eorum quædam conſumſerit tempus edax. Penes eum fides.

F. LEONARDUS SER-UBERTI.

1481. F. LEONARDUS SER-UBERTI Etruſcus Florentiæ honeſto loco natus, pragmaticam primò exercuit in patria eaque fide, ut magna apud omnes in exiſtimatione haberetur: poſtea autem perfectiora & meliora numine inſpirante æmulatus, & exemplari Fratrum S. Marci converſatione motus, in eorum ſocietatem aſcribi obtinuit, eaque apud eos vitæ innocentia, morum integritate, ac diſciplinæ regularis obſervatione claruit, ut ad varia in ordine munia promotus fuerit. Priorem agebat Fabriani anno MCCCCLXVII, poſtque alia munera, quibus apud ſuos egregie functus eſt, a magiſtro ordinis F. Leonardo de Manſuetis Peruſino anno MCCCCLXXIV electo a ſecretis allectus eſt & ſocius aſcitus, nec ab ejus morte quæ XXVI julii MCCCCLXXX accidit, diu ſtetit in vivis, & ipſe mortuus Romæ anno ſequenti MCCCCLXXXI maii XXV. Sic enim legitur initio codicis ab eo ſcripti & in S. Marci bibliotheca ſervati Arm. I n. 9 jam recenſendi. Cùm Franciſcus Caſtellionenſis canonicus S. Laurentii in Florentia vitam S. Antonini ord. Præd. jam ſcripſiſſet, adjectæ ſunt a Leonardo noſtro

Additiones quædam de vita & miraculis B. Antonii de Florentia ord. Frat. Præd. archiepiſcopi Florentini intra annum 10 *a Sancti obitu ſcripta.* Extant MS in Bibl. laudata S. Marci, ſed & in lucem editæ in actis SS. T. I maii a pag. 326 ad 335. Hæc autem ſcripſit ex voto quo ſe Fabrianenſis conventus prior anno MCCCCLXVII obligarat, pro impetranda F. Mariani conventus noſtri Firmani alumni, Fabriani tum apud ſe hoſpitantis ſanitate: ut ipſe refert Add. n. 37, & annotarunt Henſchenius & Papebrochius in commentario prævio ad vitam ſancti pag. 331 n. 3, ubi egregia teſtimonia de vita noſtri Leonardi moribus, doctrina, ſincera fide, regularis diſciplinæ ſtudio, ſecretarii magiſtri ordinis officio &c. a viris omni exceptione majoribus & juratis lata referunt: quæ curioſus adeat lector.

Plures ſunt in Bib. laudata S. Marci codices manu noſtri Leonardi exarati, inter quos hi a me notati. I. Eſt Arm. I n. 9 chartaceus. Initio ſic ſcriptum: *Hic liber eſt conventus S. Marci de Florentia ordinis FF. Præd. quem ſcripſit F. Leonardus Ser-Uberti de Florentia ejuſdem conventus filius, qui obiit Romæ die* 25 *maii* 1481. In eo verò hæc continentur, quæ viri diligentiam & ſtudium probant:

1. *Quædam opuſcula & epiſtolæ B. Bernardi, plura etiam Ambroſii, Auguſtini, Hugonis de S. Victore, Iſidori, Bedæ &c.* SÆC. XV.

2. *Tractatus de glorificatione ſenſuum in paradiſo magiſtri Bartholomæi Lapaccii de Florentia ord. Præd. epiſcopi Coronenſis.* Ex fuſiori ſcilicet noſtri Joannis de Tambaco contractus.

3. *Hiſtoria de excidio Conſtantinopoleos facto a Teucris, ſcripta ex Chio* XIII *die Aug.* MCCCCLIII. Eſt noſtri Leonardi Chienſis licèt abſit nomen in indice hujus Bibl. a me viſo.

4. *Sermo in Cœna Domini habitus ad Fratres & populum in capitulo conventus S. Marci de Florentia ordinis Prædic.* An ſit Leonardi quem ex n. 38 ſuarum Additionum conjiciat quis priorem ibidem aliquando egiſſe, an alterius, diſcutiant penes quos eſt codex.

5. *Legenda S. Roberti epiſcopi Bormacenſis.* Sic. Hujus ſancti non meminit Caſtellanus in ſuo martyrologio Gallico. An autem a Leonardo compoſita, an tantum exſcripta videant ſui gentiles & ſymmyſtæ.

Armar. II n. 32 codex papyr. a Leonardo ſcriptus: *Summula de confeſſione B. F. Antonii arch. Flor. noſtri.*

Arm. III n. 125 codex papyr. in quo hæc ex ordine:

1. *Opuſcula S. Thomæ de Aquino O. P.*

2. *Tractatus de ſacramento corporis Chriſti ſecundùm ordinem* X *prædicamentorum editus ut dicitur a S. Thoma de Aquino.*

3. *Oratio quæ vocatur il Pater noſter di ſanto Juliano, ſive Pater noſter S. Juliani pro itinerantibus.*

4. *De conceptione B. M. V. qualiter videlicet concepta fuit in peccato originali per multas auctoritates Auguſtini, Ambroſii, Anſelmi, Bernardi & Gloſſæ ſuper Decretum. Item magiſtri ſententiarum, & inſuper Bonaventuræ cardinalis, Nicolai de Lyra, & F. Jacobi de Tuderto, qui vocatur Fra Jacopone de Todi, qui tres ultimi fuerunt de ordine Minorum.*

In principio cod. ſic legitur: *Iſte liber eſt conventus S. Marci de Florentia O. FF. PP. ad uſum F. Leonardi Ser Uberti de Florentia qui eum ſcripſit.*

F. SALVUS CASSETTA.

F. SALVUS CASSETTA Siculus Panormi natus, ibidemque in S. Dominici ad ordinem adoleſcens cooptatus, is evaſit, ut per illuſtriora ordinis munia ad ſupremum tandem aſcenderit. 1481. Florentiæ primos honores conſecutus eſt, in ejus urbis univerſitate anno MCCCCXLV pridie kal. martii baccalaureus promotus, tum anno MCCCCXLVIII ſacræ theologiæ magiſter & collega accenſus. Sic refert Badius ex actis. Hinc variis in ſua Trinacriæ provincia ſcholæ & conventuum regiminis functus muneribus, pro eadem in comitiis ordinis apud Senas anno MCCCCLXII in feſto aſſumtionis B. V. contra morem habitis ſedit diffinitor, & in actis dicitur præterea procurator ordinis generalis, ſeu in eo officio jam antea a reverendiſſimo Martiali Auribelli poſitus, ſeu tum primum a Conrado Aſtenſi in Martialis a Pio II depoſiti locum ſuffecto inſtitutus. Non diu tamen nec ultra Pii II pontificatum hoc munus obiiſſe videtur, ſed a Paulo II anno MCCCCLXIV kal. ſept. electo datus eſt in Sicilia inſula ſeu Trinacria fidei cenſor generalis, quod & toti ordini viſum eſt denunciandum in actis cap. gen. Romæ anno MCCCCLXVIII habiti, in quibus ſic habetur Denunc. V: *Item denunciamus magiſtrum F. Salvum Caſſettam de Panormo provinciæ Trinacriæ diffinitorem præſentis capituli* (ſcilicet vice ſui provincialis abſentis, nam erat capitulum

SEC. XV. provincialium) *institutum fore per SS. Dominum nostrum inquisitorem hæreticæ pravitatis per totum regnum Siciliæ ultra Pharum.* Quo munere dum fortiter & strenue fungeretur, a Sixto IV selectus est anno MCCCCLXXIV sacri apostolici palatii magister, huicque pontifici ita acceptus fuit, ut nemo familiaris magis. Tandem magistro ordinis Leonardo de Mansuetis anno MCCCCLXXX mortuo ut supra dictum est, in comitiis anno sequenti Romæ sabbato vigilia pentecostes IX junii habitis, non per scrutinium, sed ut in actis habetur, *per communem inspirationem unanimiter & concorditer* ac pacifice Salvus ad clavum ordinis regendum assumtus fuit. Anno MCCCCLXXXII a Sixto IV ad Fredericum III Cæsarem principesque Germaniæ legatus missus de arduis Ecclesiæ negotiis, Coloniæ Agrippinæ aderat initio anni MCCCCLXXXIII, quo tertio idus januarii B. Alberti Magni sepulcrum aperiri jussit, ejusque corpore in decentiorem locum translato, brachium alterum secum Romam detulit, summoque pontifici munus gratissimum dedit. Pro rebus feliciter in legatione gestis sperabatur proxima promotione collegio cardinalium cooptandus, cùm infirmitate correptus intra paucos dies e vivis ereptus est die XV septemb. ejusdem anni MCCCCLXXXIII ingenti relicto omnibus suisque potissimum desiderio. In templo S. Mariæ super Minervam sepelierunt sodales, ac epitaphium erexerunt hactenus narrata succinctè exprimens, quod videsis apud Pium P. II lib. 3 col. 64 & apud Altamuram ad 1483. Legendus & de eo Leander fol. 46 a, qui *virum acris ingenii, eruditum, & in disceptationibus litterariis infractum* fuisse testatur.

Vita S. Vincentii Ferrerii confessoris ab eo scripta fertur.

Epistolas ejus ad diversos exhortatorias & doctas laudant Lusitanus & Altamura, sed ubinam serventur, uterque silet. Littera encyclica ad totum ordinem e capitulo ejus electionis data extat in capite actorum, quorum exemplum servo ex cod. MS Insulensi ejus ætatis a me exscriptum.

Acta ejus ut inquisitoris generalis, ut & *Acta legationis ejus Germanicæ* forsan servantur adhuc, hæc Romæ in Vaticano, illa in archivis Siciliæ.

Nihil plus habet Antoninus Mongitore Tomo altero Bibl. suæ Siculæ.

De eo Fontana agit in Theatro inter inquisitores & magistros sacri palatii, sed omittit inter procuratores ordinis generales, qui & aliâs his annis in iis recensendis non parum aberrat. Itaque non extra rem erit illorum seriem accuratiorem hîc dare ex actis.

Anno MCCCCLIX F. Christianus Boulee non Germanus ut habet Fontana, sed Gallus domus Tullensis alumnus sacræ theologiæ magister Parisiensis hoc munere fungebatur. Sic enim in actis cap. gen. eo anno Noviomagi habiti Denunc. 9: *Item denunciamus universis & singulis Fratribus magistrum ordinis Martialem Auribelli magna cum diligentia & ordinis utilitate posuisse in procuratorem ordinis F. Christianum Boulee magistrum provinciæ Franciæ.* Verùm amoto a magistratu Martiali anno MCCCCLXII, & Christianum officio cedere oportuit.

Anno MCCCCLXII F. Salvus Cassetta hîc laudatus in actis cap. gen. Senis habiti dicitur procurator ordinis.

Anno MCCCCLXV F. Julianus Naldi Florentinus S. T. M. & provincialis Romanæ in actis cap. gen. Novariæ eo anno habiti dicitur unâ & vicarius ordinis & ejus procurator in curia Romana. Sic enim titulo, *Approbationes: In primis approbamus omnia & singula, quæ R. M. Julianus Naldi provincialis Romanus, procurator & vicarius ordinis temporibus superioribus egit tanquam vicarius & procurator, non solum quoad ordinationes si quas alicubi fecit, sed etiam quoad gratias quibuscumque Fratribus concessas &c. & breviter quicquid suorum prædictorum officiorum auctoritate quomodolibet fecit, confirmamus, ratificamus & approbamus.* Anno MCCCCLXVIII in cap. gen. Romano depositus fuit, sed quod capitulum esset acephalum, sententiæ non acquievit, at tandem in cap. gen. anno MCCCCLXX Avenione habito sententia destitutionis confirmata obedivit.

Anno eodem MCCCCLXX in actis cap. gen. Avenione habiti F. Johannes de Curte S. T. M. & diffinitor dicitur unâ procurator ordinis, qui proinde de Juliano Naldi successerit. Hic a Fontana omissus, sed Jacobo de Brixia ab eo laudato prævertendus. Cujas hic fuerit Johannes *de Curte* non produnt acta. Hæc saltem ex sinceris actis desumta annalium ordinis scriptoribus non erunt inutilia.

F. RICARDUS WINCHELSEY.

F. RICARDUS WINCHELSEY Anglus a loco natali sic nuncupatus, ut eximius sua ætate dialecticus & theologus laudatur a Baleo, Simlero, Possevino, Pitseo in Append. Pius P. II lib. 3 col. 6 corrupte vocat Ricardum Wicherlei, & corruptius episcopum Ollonensem a Sixto IV promotum, sed ex parte emendat Fontana ex actis consistorialibus ejusdem Sixti, dicens anno MCCCCLXXIX ab eo pontifice datum episcopum Ossoriensem in Lagenia sub Dublinensi (quæ Ecclesia vernacule *Kilkenni* & Latine etiam Cella S. Kanici appellatur) & successorem Davidis Hocket. Licèt autem a Waræo in numero episcoporum hujus Ecclesiæ non recenseatur, quin revera ad eam promotus fuerit dubitari non potest, siquidem sub hoc titulo a Salvo Cassetta anno MCCCCLXXXI ad ordinis beneficia & gratias in vita & morte acceptatus est, ex ejusdem magistri actis Romæ servatis. Ab eo rei litterariæ relictus est 1481

Liber quæstionum opinabilium seu problematum.

Lelandus eumdem Ricardum refert inter scriptores seculi XV, sicque de eo habet cap. 539: *Ricardus Vinchelegus ut colligo Dominicanus ex ea scriptorum secta fuit, qui res philosophicas & theologicas subtilius quam fidelius discutiunt. Extat ejus volumen quæstionum ut vocat opinabilium.* Quod proinde ille viderit. Ex dictis emendandus Altamura, qui collocat ad 1330.

F. ROLANDUS SCOTUS.

F. ROLANDUS SCOTUS a natione sic dictus a Dempstero lib. XVI inter scriptores nostros accensetur n. 1051, quem virum ait fuisse pium & moderatum, nedum secularibus apprime scientiis eruditum, sed theologicis maxime divinisque litteris instructissimum floruisse ad annum MCCCCLXXXI. † 1481 Addit Glascuensis eum olim Ecclesiæ subdecanum fuisse, at statum mutasse & ordini Prædicatorum dato nomine vota nuncupasse. Quo quidem anno ex cœnobiis Scotiæ nostris ab Angliæ domibus sejunctis nova erecta est Scotiæ provincia dicta, ut constat ex actis cap. gen. Romæ eo anno celebrati, ubi Denunc. ultima sic habetur: *Item denunciamus quod ad instantiam & preces serenissimi regis Scotiæ, de conventibus terrarum quæ suæ majestati subduntur maximis & rationabilibus causis in præsenti diffinitorio allegatis, de unanimi voto omnium reverendorum provincialium & diffinitorum præsentis capituli, provinciam fecimus, quam per se volumus a provincia Angliæ distinctam appellari & separatam esse: & eamdem provinciam Scotiæ cum suis conventibus privilegiis, gratiis & libertatibus ordinis, quemadmodum cæteræ provinciæ deinceps*

posse gaudere, & locum inter priores provinciales & priorem Scotiæ in nostris generalibus capitulis ut moris est obtinere. Et ne prædicta provincia idoneo capite careat pro tempore, reverendissimus magister ordinis Fratrem MULE *sacræ theologiæ baccalarium formatum in priorem provincialem provinciæ Scotiæ instituit & creavit, dando ei auctoritatem super dictam provinciam in temporalibus & spiritualibus & super Fratres ejusdem provinciæ, ac omnia & singula quæ cæteris provincialibus in ordine conceduntur* Quæ ex actis capituli ea ætate scriptis, & apud nostros Insulenses servatis a me exscripta sunt & edenda visa, eo quod Fontana in Constit. ubi de provincia Scotiæ, ejus institutionem in actis quæ Romæ habentur asserat non haberi. Ut verò ad Rolandum redeam, idem Dempsterus hæc ei tribuit opera:

De dilatatione ordinis S. Dominici.

Quæstiones arduæ & Resolutorium sententiarum.

F. PETRUS NIGER.

† 1481. F. PETRUS NIGER nomine quidem ita nuncupatus, candidis vir omninò moribus fuit, ob idque & præclaras animi dotes regibus etiam & principibus acceptissimus, suoque ævo celeberrimus. Natione fuisse Germanum omnes asserunt, sed cujus ille patriæ, quave Teutonum ortus regione & civitate, vel cujus etiam provinciæ conventusque professus fuerit & alumnus, adhuc aperuit nullus. Fuit ille certe omni ferme genere disciplinarum instructissimus, nec philosophiæ tantum aut theologiæ peritia singularis habebatur, sed dicendi gratia & facundia, linguarumque cognitione rarus. Varias ille lustravit & illustravit, variarumque gentium academias, Montispessulanam in Galliis, Salmanticensem apud Iberos, Friburgensem in Brisgoia, & Ingolstadiensem in Bavaria, sacræ ibidem theologiæ baccalaureus, ut aiunt, formatus, ubique semper discendi avidus, laborisque patientissimus. Hebraicam sibi linguam in Hispaniis cum parvulis Judæorum in latibulis degens, & Rabinos audiens comparavit, Judæorumque legem & libros tam sedulus excussit & evolvit, ut ex ipsis eos palam & publice, justaque cum illis indicta concertatione publica Ratisponæ post pascha per conciones disputationesve septem, quamlibet horarum trium spatio, Thalmudicaque illorum deliria confuderit, & Christianam asseruerit veritatem. Quod quidem in causa fuit, ut instante episcopo Ratisponensi Henrico III de Absperg * librum ediderit, cujus prologum saltem, cùm rarus sit, lectorem haud pigebit hic videre:

* Hic anno 1465 electus a capitulo rexit annis 26, M. 8, D. 7, & obiit 1492, 7 kal. aug. ætat. 82.

Ad Reverendissimum in Christo patrem ac Dominum sanctæ Ecclesiæ Ratisponensis episcopum, Præfatio F. Petri Nigri ordinis Prædicatorum in Tractatum contra perfidos Judæos de conditionibus veri Messiæ, id est Christi vel Uncti ex textibus Hebraicis Latinorum elementis utcunque figuratis confectum feliciter incipit.

» Ea quæ ad honorem Sanctissimæ Trinitatis ac » individuæ unitatis gloriosæque genitricis D. N. » Jesu Christi veri Messiæ, ac in Judaicæ perfidiæ » execrationem in inclita tuæ diœcesis civitate Ratisponensi RR. tua paternitate assistente cum clarissimo prælatorum cœtu, prudentissimis ejusdem » civitatis consulibus, innumerabilique utriusque » sexus fidelissimo populo, nominatissimis denique » totius Alamanniæ Judæorum Rabinis, ac copiosa » ejusdem sectæ omnis status & sexus multitudine, » ex Judæorum voluminibus, Hebraica, Latina, » Teutonicaque linguis tempore paschali sub divo » in ambone clare pronunciaveram, ut calamo pingerem perpetuæ memoriæ reservanda, instanter postulasti optime præsul. Tam-etsi tam salubri petitioni tuæ minime contraire mihi liceat, minus « tamen copiose in hac lingua obscurissima æquivocationibus plena eruditum, non modicum a desiderati operis inceptione retrahi rationabile opineris oportet. Quamvis enim ea quæ in Hispaniis cum parvulis Judæorum in latibulis degens, « ab ejusdem linguæ doctis audieram, tenaciter « memoriæ recondita habeam, nimia tamen paupertate pressus, huic occupationi saluberrimæ « pluribus annis dare operam quivi minime. Qua « ex re non mirum, si ad hanc quam postulas rem « minus quam velim promtus mihi videar. Licet « etiam non paucum dentes mordentium vereri debeam, magis tamen hoc meo labore dilectioni « tuæ astringi, quam linguis cedere volui detractorum. Opusculum igitur hoc aggredior tuis obtemperans mandatis. «

Ut autē omni scrupulo semoto certiorem lectorē « reddiderim, singulis dictionibus Hebraicis nostris « literis utcunque exaratis, propriæ Latinas superposui dictiones, ne aliquam dictionem mea fictione adjectam suspiceris. Nec enim hoc cum quovis Hebræo contendenti parum proderit, si nihil « superflui de nostro, nihilque necessarii omittatur « de suo. Hoc quoque servato, ordinem dictionum « translationis D. Hieronymi nonnunquam omittere, pluresque & præter necessitatem conjunctiones & gerundiá ambiguitatem sensuum relinquentia ponere necesse erit. Si quæ etiam reperiantur Latinorum incongruitates mystica intelligentia plenæ, quibus lingua Hebraica undequaque respersa est, ne mireris. Non enim primam « sanctamque linguam ac per infusionem Adæ datam Romanorum regulis deformari oportet. Stridoribus denique, ac sibillationibus, mussitationibus, diphtongisque variis omissis, quæ Latinis literis figurari nequeunt, essentiales solùm dictionum Hebraicarum voces signatas lector inveniet. « Litera H aspirationem denotans, quoties signata « reperietur, pronunciari habebit. I quoque cùm « duplatum inveniri continget, dura reflexione exprimi debet. Si etiam I capitale in medio dictionis notari videatur, sequentis syllabæ caput esse « considera. Iis igitur quibus excellentissimam tuam « industriam avisatam esse volui signatis, ad thema, quod psalmo Hebraice dicto repetitis vicibus declarandum assumebam, divino primum implorato auxilio procedam «.

Operis argumentum sumptum est ex psalmo 117 v. 21: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Probat autem:

1. *Christum advenisse pauperem, non regia clarum majestate.*
2. *Hunc esse verum Deum & Verbum caro factum, alteramque Divinæ Triadis hypostasim.*
3. *Jam olim advenisse tempus, quo deberet hominem assumere.*
4. *Judæorum gentem incredulam reprobandam iri, paucosque ex iis fore salvandos.*
5. *Abrogata veteri novam ab eo condendam iri legem.*
6. *Denique Messiam regem e virgine nasciturum ex veteris testamenti verbis esse prænunciatum.*

Finis: Cùm tam evidentissimas probationes ad « nostræ fidei evidentiam ex propriis lingua ac voluminibus rationabiliter senserint adductas, fiatque, ut etsi non omnium, tamen intellectus capaciores reddantur aliquorum. Quod tunc levius « fieri poterit, si auctoritates in lingua Hebraica « positæ a doctis nostris, quorum solum est Judæos « pungere, diligenter perlectæ, clare ad sensum ac « sonum verborum interpretatæ, efficaciterque con- «

Sæc. XV. tra eosdem deductæ fuerint. Quod si aliquem ex Hebræis aliquam dictionem a nobis interpretatam, qui in omnibus vestigia D. Hieronymi sequimur, negare contigerit: alius in absentia sua interrogetur Hebræus, sicque eorum discordia vera nos posuisse præsenties. Nihil enim scire nostro ambigui reliquimus in significationibus harum, quæ propositæ nostræ intentioni deservire visæ sunt, dictionum.

» Habes igitur RR. P. clarissimas in se nostræ fidei veritates debili licèt ingenio, evidentius tamen divina assistente gratia probatas, quibus mentem tuam temporalium curis rerum foris deductam paulisper retrahere possis, sicque contemplationi summi boni intimius vacare. Ut autem opusculum hoc quod manu propria scriptum RR. P. tuæ corrigendum approbandumque obtuleram, pluribus prodesse ac latius divulgari possit, diligentissime correctum arte impressoria in præsentia mea figurari feci, ut in sono ignotarum dictionum certiores redderemus quoslibet linguæ Hebraicæ non peritos. Nulli itaque impressorum opusculum hoc imprimere liceat, nisi in linguis Hebraica Latinaque correctorem habeat competenter instructum. Quod si peregrina ex causa quempiam tractatum hunc in confusionem orthodoxæ fidei ac auctoris, vitiose aut incorrecte imprimere contingat quod absit, de tanto crimine coram diœcesano proprio se conveniri dubitet minime, quia margaritas resplendentiæ fidei avaritia ductus fœdare non dubitavit «.

Probatos igitur articulos cùm in præsentia prænominatorum in septem sermonibus quolibet tempus trium horarum spatii occupante non minus luculenter deduxissem, prænominatæ Ecclesiæ prælatorum persuasus suggestionibus, publicam aut privatam ac in scriptis redigibilem doctissimis Judæorum Rabinis omni securitate ac protectione per brachium seculare munitis indixi disputationem quatuor aut sex mensibus aut etiam integro anno duraturam, in præsentia doctorum virorum, qui veritatis cognoscendæ capaces essent etiam numerum Judæorum non excedentium. Dum itaque labentis anni revoluto circulo contra se propositis minime respondere nossent, eos tanquam a veritatis fidei probationibus victos, sicque falsitati erroris sui proterve adhærentes publico sermone depinxi. Acta autem sunt hæc in inclita civitate Ratisponensi A. D. MCCCCLXXIV *tempore paschali.*

Explicit tractatus ad Judæorum perfidiam extirpandam confectus per F. Petrum Nigri ordinis Prædicatorum universitatum Montispessulani in Francia, Salamantinæ in Hispania, Friburgensis ac Ingelstetensis in Alamannia situatarum baccalarium in theologia formatum, in lingua Hebraica proficientem. Qui & ipso corrigente impressus est per discretum ac industrium virum Conradum Fiiner de Gerbuseren in Eslingen imperiali villa, ac completus anno ab incarnatione Domini MCCCCLXXV *die sexta julii.*

Sequuntur *Principia librorum veteris testamenti secundùm Hebræos.*

2. *Rudimentum linguæ Hebraicæ & figuræ literarum Hebraicarum.*

3. *Decem præcepta legis Latine & Hebraice*, at elementis Latinis.

4. *Responsio ad quædam Judæorum objecta.*

Codex est fol. par. Extat Parisiis in Bib. Reg. B. 240. Viennæ Austriæ apud nostros.

Extat verò hic tractatus MS in Colbert. n. 2128 sub hoc titulo *De conditionibus veri Messiæ*: quo titulo etiam alteram editionem laudat Beughemius in *Incunab.* Noribergæ 1477: & Germanice, Esslingæ 1477.

Petri nostri fama propriis patriæ finibus arctari non debuit nec potuit, diffusaque per orbem ad Matthiam Corvinum Hungarorum regem piissimum ac strenuissimum pervenit. Erat tum regi illi domesticus a sacris, regiæque majestatis sacellanus F. Antonius a patria Jaderensis seu Jadriatinus vulgo cognominatus ordinis & ipse Prædicatorum vir ætate, prudentia, religione ac eruditione conspicuus, reginæque Beatrici Matthiæ conjugi ab arcanis confessionibus atque consiliis, Petro nostro plurima literarum animorumque consuetudine conjunctus. Hujus ergo rex opera Petrum Herbipoli lectionibus desudantem & concionibus, Budam accersivit, qui novæ quam moliebatur ibidem apud nostros instituere seu extinctam reparare, literarum academiæ caput esset & moderator. Quo ille mox progressus librum continuo edidit hoc titulo:

Clypeus Thomistarum adversus omnes doctrinæ doctoris angelici obtrectatores Matthiæ ipsi regi nuncupatus, Venetiis, Rainaldi Noviomagi 1481: & postea ibid. Simonis de Luca & Jordani Ladislaensis 1504 fol. pp. 272, in 50 QQ. distinctus. Princ. *Circa initium veteris atrii priusquam &c.* Ex quo opere quam ille erga S. Thomæ doctrinam esset optimè affectus, quamque ille valeret ingenii acumine & eruditione dicendique energia & efficacia theologiæ studiosi studiosius experiantur. Extabat apud nostros Lovanii, & Bruxellis utrobique a Jacobo Quetif visus anno 1671, scilicet Edit. 2. Prima verò laudatur in catalogo Bibl. August. Indic. Reiseri p. 116.

Sic autem Matthiam regem alloquitur: » Audenter dixerim te unam esse omnium Christianorum spem, te solum oppressis ab truculento Turca præsidium, te periclitanti apostoli Petri naviculæ unicum portum existere. Nec tantum armis & viribus populum tuum, celeberrime princeps, splendidum reddere tutumque ac tranquillum servare desudas, sed industria & censu magnopere curas cum bonis artibus & literis adornare. Instituisti namque hac civitate Buda florentissima regni tui sede apud Prædicatorum ordinis Fratres universale gymnasium, ubi cuncti generis disciplinæ, philosophiæ, theologiæ, sanctæque scripturæ ubertim possit quod quisque cupit haurire. Operi verò tam pio, tamque mortalibus profuturo non solum originis & fundamenti unicus auctor existis, sed gratiæ quoque & auctoritatis, conservationis atque proventus benignus es semper indultor. Præceptores namque & qui regendo studio præsidentes habentur, aurum quotannis abs tua majestate affluenter excipiunt: scholaribus verò ipsis conservis meis cibos, vestimenta, lectos, & quæ hominibus per diem ac noctem opportuna sunt abunde largiris. Præ se ferunt namque hæc in omnes beneficia tua, te regem clementiæ & bonitatis esse demonstrant, sapientiam, humanitatem ostendunt, magnificentiamque declarant. Ad cujus dignissimi studii ineunda principia ex Herbipoli Germaniæ civitate evocatus sum per venerabilem virum F. Antonium Jadriaticum in ordine meo doctrina atque religione præstantem, quem antea & tuæ majestatis regiæ capellanum & illustrissimæ reginæ Beatricis ornatissimæ amantissimæque consortis tuæ spiritualem patrem & confessorem cognoveram, nunc verò electum tuæ clementiæ gratia in Modrusiensem antistitem perjucunde cognosco. Jam data sunt rei exordia sua, & summo opitulante Deo dulces literarum fructus carpuntur in dies: ut nimirum queas, & quidem pulcre cum SS. apostolo dicere: Ego plantavi, rigarunt præceptores, Deus verò incrementum dedit. «

Et postea: » Ego qui tanti gymnasii quamvis

» indigne ago regentem & caput nuncupor atque » magister, dicabo tibi mentem animumque meum, » quo præstantius habeo nihil, adjiciamque omnes » operas meas, industrias, atque labores. Librum » igitur quemdam ab me noviter editum tibi dedi» co, cui conficiendo plurimum contuli studii atque » vigiliarum. Inscribo codicem *Clypeum Thomistarum*, ea potissimum ratione, quod D. Thomæ » Aquinatis singularem incomparabilemque doctri» nam adversus impugnantes quosque defendo «.

Quo tandem obierit Petrus noster anno & loco, nullus qui referat, huc usque occurrit. Budæ tamen reliquo vitæ decursu tanti Mecænatis optimique Matthiæ principis autoritate fultum & gratia substitisse & perseverasse in hujusce regii gymnasii regimine pronum est colligere: quamvis de ejus obitu nihil in actis & registris (quæ & plura in clade Budana perierunt) invenisse se confiteatur ipse qui diligenter reliquias perscrutatus est noster Sigismundus Ferrarius Viennæ tum academiæ nationis Austriacæ procurator. Qui de summa Matthiæ Corvini regis erga viros eruditos remque litterariam affectu studioque narrans, testem adducit Bonfinium Rer. Hungar. lib. 7 dec. 4 sic dicentem: *Ex Italia grammaticos, poëtas, rethores invitavit, Pannoniam alteram Italiam reddere conatus: viros quaque arte præstantissimos undequaque disquisivit, conduxit astronomos, medicos, mathematicos, jurisque consultos dilexit, nullam artem contempsit unquam: bibliothecam statuit mira Græca & Latina fœcunditate completam; cultusque librorum luxuriosissimus.*

Atque utinam diu Pannoniæ Budæque suæ stetisset hoc gymnasium, quod anno demum Christi 1541 Buda nova belli arte astuque quam vi Turcarum ad tyrannidem adducta, misere collapsum interiit: summo certe religionis dispendio & luctu, quæ regia Hungarorum cadente infidelium patuit incursibus, & protestantium vertigine conculcata languescit, quæ sub Matthia floruerat, qui vitam cum regno posuit anno 1490 Uladislao II Hungariæ sceptra colligente, uti tradunt historici.

Plura longe scripsisse Petrum facile colligimus ex iis quæ tamdiu tamque strenue gessit in Germania Pannoniaque muneribus, sed quæ vel temporum injuria edacitateque periisse, vel in scriniis alicubi forte latere dolendum. Conradus Pellicanus apostata apud Melchiorem Adamum in vitis Germanorum Theologorum p. 267, testatur se vidisse in Bibl. Rubeaquen. opus sic inscriptum *Stella Messiæ*: quod an unum idemque sit cum eo quod supra retulimus, videant penes quos sunt codices.

Petri nostri meminerunt Lusitanus & ab eo deinceps nostrates ad Altamuram ad 1472: sed accuratius Sigismundus noster Ferrarius de prov. Hungar. p. 449 & seqq. Extranei vero Simlerus, Possevinus, Caveus ad 1475, Olearius, & alii.

F. ANONYMUS TEUTO.

† 1482. F. ANONYMUS TEUTO seculo XV vivens, & ut videtur sororum nostrarum in monasterio *Adelhausen* ad Friburgum Brisgoiæ confessarius, scripsit commentarium de rebus ordinis Germanicè, cujus hæc mihi notitia.

Prologus sic incipit: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Ad finem prologi hoc opus se scripsisse ait anno Christi MCCCCLXXXII. *Adelhausen*, postquam in ordine annis quinquaginta vixerat. Opus vero in quinque partes dividitur.

Prima. Describit vitam B. Jordani, S. Raimundi de Pennaforti, ven. Joannis de Wildeshusen, ven. Humberti de Romanis, & ven. Joannis de Vercellis. Qui quinque consequenter post B. Dominicum ordinem magistri rexerunt.

Secunda. Agit primo de sanctitate Fratrum qui in Germania vixerunt, nominatim in Alsatia & Svevia sub dictis magistris ordinis. 2. Generatim de aliarum provinciarum Fratribus. 3. De gratiis a Deo novitiis collatis. 4. De quorumdam Fratrum conversorum vita sanctiore. 5. Quorumdam perversitatem & scripta gestaque inordinata & insolentia subjungit.

Tertia. Gratias a B. Virgine ordini obtentas exhibet, quæ fusius prosequitur, simul addens Fratrum ab initio erga B. Virginem cultum & pietatem.

Quarta. Gratias a Deo Fratribus misericorditer & effuse datas ample narrat, in quibus pœnas quibusdam ob eorum peccata in hoc mundo inflictas etiam recenset.

Quinta. Agit de quibusdam utilibus Fratrum operibus, de morte eorum pretiosa, de gratiis ipsis dum morerentur a Deo collatis, de præclaris eorum gestis, de quibusdam in purgatorio existentibus, & de suffragiis ipsis debitis non prorogandis: ac tandem occasionem scribendi hujus libri profert.

Quibus omnibus Chronicon parvum addit de SS. pontificibus & imperatoribus, qui a MCXC ad sua tempora floruerunt.

Extat hic codex MS in laudato monasterio *Adelhusen*, ejusque notitiam a R. P. F. Antonino Massoullé de quo postea anno MDCLXXXVII super domos nostras Alsatiæ & Brisgoiæ a magistro ordinis commissario & visitatore delegato, ejusque socio F. Francisco Dominico *de Sechamps* (Italice *Seciamps*) Teutonice perito accepi. Initio codicis sic legitur: *Anno D. MCCXXXIV fundatum est monasterium sororum in Adelheusen ord. Prædic.*

F. PETRUS BERGOMENSIS.

F. PETRUS BERGOMENSIS vulgo sic a patria dictus, qui *Almaduranus* agnomine dicitur a Leandro Alberto *Descrittion. d'Ital. Reg. 16*, ubi de Bergomo civitate Lombardiæ Transpadanæ scribit, ordini se addixit Bergomi, virque evasit non eruditione minus quam innocentia vitæ clarissimus, variisque apud suos maxima cum laude functus est muneribus, quæ præsertim rem spectant literariam. Nam Bononiæ studentium magister, tum baccalaureus, annisque sex solidis a MCCCCLXXI ad MCCCCLXXVI cathedraticus, e superiori loco docuit, discipulosque habuit viros pietate, doctrina, dignitate, titulisque præstantissimos: in quibus accensentur ordinis magistri duo F. Bartholomæus Comatius & F. Vincentius Bandellus, Burgensis etiam antistes F. Paschalis *de la Fuensanta*, F. Ambrosius Alemannus, F. Paulus Soncinas, F. Dominicus de Flandria & alii theologi primi nominis. Qui cum ita clareret, una fuit disciplinæ regularis studiosissimus, paupertatis amans, conversatione suavis & facilis, sermone gravis & sobrius, omnibus intus & extra ob eximiam innocentiam carissimus atque in pretio habitus. Meritis demum annisque gravis Placentiæ apud nostros decubuit XV octob. MCCCCLXXXII, uti habet Leander citatus in Descriptione Italiæ, emendans quod in libro De viris Illust. antea dixerat mortuum anno 1480, quem & addit sanctitate doctrinaque conspicuum miraculis claruisse, atque etiamnum cum scriberet clarere. In sacello S. Thomæ de Aquino, in quem ille dum viveret miro ferebatur devotionis affectu tumulatus fuit, cui postmodum aucto in eum populorum ardore, civitas ipsa Placentina communibus votis & sumptibus nobiliorem erexit tumulum populorum ipsorum devotione & confluxu commendatum, anathematum, iconumque sive statuarum in ejus honorem erectarum appensione clarum. Postea tamen XIV maii † 1482.

Sæc. XV. MDLXXXV translata sunt ejus ossa solemnique ritu sub altari principe, majorique ejusdem ecclesiæ, crypta singulari condita. Ejus meminerunt Lusitanus emendandus tamen cùm in duos dividit unum *de la Maldura*, alterum *Bergomensem* dictum: Pius P. II, Lib. 4 col. 413, sed præsertim P. III *Della progenie* Lib. 2 c. 7 p. 267, ubi fusius de eo agit, Fernandez, Altamura ad 1477, Rovetta ad 1471, & alii. Opus ejus est:

Index universalis in omnia opera D. Thomæ de Aquino. Cui ab eodem adjectæ sunt

Concordantiæ locorum doctoris angelici, quæ sibi invicem adversari videntur. Prodiit primum Bononiæ, Baltazar Azogidi 1475 fol. par.

Postea Basileæ, Bernard. Richel 1478 fol. præfixo operum S. Thomæ indice, & litteris Urbani V & universitatis Parisiensis. Extat apud nostros Bisuntii.

Tertio hoc titulo: *Tabula in libros opuscula & commentaria S. Thomæ, cum additionibus conclusionum, concordantiis dictorum ejus, & sanctæ scripturæ auctoritatibus, unà cum catalogo librorum,* Venetiis, 1497 fol. Extat in Bibl. Augustana a Reisero recensita. Quam editionem videtur curasse, recognovisse, & locupletasse Petri discipulus Ambrosius Alemannus laudatus.

Quarto hoc titulo: *Index atque compendium & epilogus omnium sententiarum D. Thomæ Aquinatis per conclusiones resolutas, quæ in omnibus libris vel commentariis ejusdem diffusius continentur atque tractantur, prout dudum a R. P. Petro Bergomensi sacræ theologiæ professore clarissimo, cæterisque similiter optimis theologiæ professoribus coactum fuerat opus & auctum. Nunc vero jam tertio* (Scilicet in Italia) *etiam plurimis accessionibus, ut passim in libro per asteriscos ostenditur, omnium usibus exhibetur, additis emendatisque ac completis, & ad verum sensum deductis iis, quæ in aliis perperam haberentur. Additis etiam locis in quibus sibi ipsi sanctus doctor contradicere videtur, cum mirabili illorum consensu,* Romæ 1535 in 4.

Prodiit tandem cum omnibus S. Thomæ operibus hoc titulo: *Tabula aurea eximii doctoris F. Petri de Bergomo sacri ordinis Prædicatorum congregationis vitæ regularis utriusque Lombardiæ sacræ theologiæ professoris, in civitate Placentiæ cum maxima populi devotione sub devoto deposito sepulti anno sal. hum. 1484, in omnes libros opuscula & commentaria D. Thomæ Aquinatis ejusdem ordinis, cum præclarissimis additionibus conclusionum, & suis concordantiis, atque divinæ scripturæ auctoritatibus per eumdem D. Thomam juxta fidei catholicæ veritatem evidentissime expositis: nuper a vitiis innumeris expurgata, atque quamplurimis propositionibus & allegationibus aucta,* Romæ, Antonii Bladi 1570 fol. Huic editioni similes sunt Veneta 1593, Antwerpiana 1612, & si quæ sunt aliæ.

Ubi notandum editionis Romanæ curatorem F. Petrum Manriquez, cùm dicit Bergomensem mortuum anno 1484, delusum fuisse ab iconis ejus inscriptione Placentiæ ad ejus tumulum biennio tantum ab ejus morte apposita, nam certo Petrus mortuus est anno 1482 ut dictum est supra.

F. JOANNES PRESLAWIZ.

1482. F. JOANNES PRESLAWIZ natione Prutenus, patria Elbingus, disciplina Lipzensis, collegii » principis inibi collegiatus, vir in omni disciplina- » rum genere cumulatissime versatus, eloquio di- » sertus, ingenio perspicax, in omne paratus sive » scholastica palæstra decertandum, sive ad vulgus » concionandum foret. Quippe qui cùm post capes- » sita artium magisterii insignia paucis suæ ætatis fecundus esset, artes philosophiamque percipiendo » erudiendoque summo cum Lipzensis adolescentiæ » proventu laudem maximam dignam factis emeruit. » Demumque ad theologiam applicans suis sermo- » nibus acutisque disputationibus clero populoque » accommodatissimus habitus est. At multis ultro » citroque ingeniose lectis scriptisque, susceptis ma- » gisterii in theologia insigniis, zelo uberioris vi- » tæ, ad Divi Prædicatorum ordinis conventum Lip- » zensem subiit, ubi multo quam antehac scholasti- » cis concionalibusque operibus perfectis diem clau- » sit extremum. Ejus autem quibus nomen suum » cum gloria immortalitatis ad posteros transfudit » opuscula subnexa referuntur & extant revera ho- » die apud multos »:

1. *Commentaria in octo libros Physicorum, & tres de anima.*

2. *Super veteri arte & super nova logica libri duo.*

3. *Super Donatu puerorum, & parvulo logica lib. duo.*

4. *Preceptiones Rhetoricæ.*

5. *Contra Waldenses tractatus.*

6. *Commentarius in canonicam Petri & canonicam Joannis.*

7. *Orationes ad clerum & sermones ad vulgus innumeri, quo genere potissimum valuit, quæ hodie apud plerosque non modico pretio tenentur. Claruit rector studii* 1482.

Sic totidem verbis auctor ejus ætatis, cujus centuriam scriptorum qui in Academiis Lipsiensi Wittembergensi & Francofordiensi ad Oderam a fundatione ad 1515 floruerunt e MSS erutam Joachimus Joannes Maderus Hannoveranus edidit Helmestadii 1660 in 4.

F. DOMINICUS JOANNIS.

F. DOMINICUS JOANNIS Etruscus patria Clusinas Florentiæ in S. Mariæ Novellæ ad ordinem allectus, vir ingenio pietate atque pruden- † 148
dentia conspicuus, omni literarum genere præditus, orator, poeta, theologus in academia Florentina doctorum collegio aggregatus anno MCCCCXXXIV, XV Kal. augusti, variis provinciæ Romanæ conventibus præfuit prior, ipsique provinciæ universæ provincialis, demum & per menses duodeviginti toti ordini Vicarius generalis. Tandem meritis & honoribus cumulatus abiit ad superos Florentiæ anno MCCCCLXXXIII die XXVII octobris, sepultus apud suos S. Mariæ Novellæ cum omnium luctu cui etiam ipsa suis sumtibus Florentina respublica solemnibus exequiis parentavit. Ut autem humanioribus litteris erat optime instructus, earum etiam quandoque deliciabatur amoenitatibus, adeoque inter ea quæ scripsit ediditque opera, hæc etiamnum servantur & celebrantur:

ΘΕΟΤΟΚΟΝ. *De laudibus B. Mariæ Virginis libri quatuor.*

Princ. *Inclita divinæ præconia promere matris*
Finis.... *unà cum sancto flamine regnat.*

Lib. I. Agit de vita & obitu B. M. V.

Lib. II. De ejusdem immortali gloria.

Lib. III & IV. De templis in ejus honorem Romæ, per Etruriam & orbem universum erectis.

Præmittitur argumentum operis ad Petrum Medicem illustrem civem Florentinum. Et epigramma Cypriani Nomaii ad Nicolaum Michelocium secretarium magnifici Laurentii de Medicis.

Extat Florentiæ in Medic. Pl. XXXIII cod. MS 35 memb. in 8. Lusitanus se vidisse asserit Mediolani apud sodales Gratiarum MS memb. Pocciantius laudat codicem Bibl. Gaddianæ Florentinæ. Alva Sol. Verit. Rad. 194, col. 1475 vidit ibidem in Bibl. omnium SS. ordinis Minorum ipsis datum anno MCCCCLXXV.

MCCCCLXXV die IV octob. & ad calcem legit dici finitum opus anno MCCCCLXVIII. Sed idem Alva graviſſime allucinatur, cùm hunc Dominicum Joannis eumdem cenſet ac noſtrum Joannem Dominici cardinalem de quo nos ſupra ad 1419 quo mortuus eſt.

Florentina hiſtoria vel de geſtis Florentinorum Carmen heroicum ad multa verſuum millia. Quod opus auctor inſcripſit & obtulit magiſtratui Florentino. Vidit Pocciantius.

Laudes S. Vincentii Ferrerii & S. Catharinæ de Senis carmine heroico.

Dantis cantica ab ipſo enarrata. Hunc poëtam publice Florentiæ interpretatus eſt.

Hujus ſcriptoris præter laudatos meminerunt Fernandez, Fontana Hiſt. prov. Rom. Altamura ad 1483, Badius inter Acad. Florent. magiſtros.

F. LAURENTIUS GERVASII.

* 1483. F. LAURENTIUS GERVASII Gallice *Gervais* Gallus Neuſtrius Lexovii in patria ordinem amplexus, ſacræ facultatis Pariſienſis magiſter, in qua die jovis IV martii anno MCCCCLV (intellige ſtylo veteri novo LVI, quo litt. Dom. d c, & IV martii dies jovis) inter XV licentiatos ſeptimum locum obtinuit & ſecundum regularium, ſcientia famatiſſimus ea ætate claruit, in doctrina S. Thomæ ita verſatus, ut ejus emporium vulgo appellaretur. Qui & propterea ad reformandum Colonienſe ſtudium miſſus, cùm ibidem ſupra modum profeciſſet, exinde rediens Divione in Burgundia morbo correptus apud ſodales mortuus eſt & ſepultus. Rei litterariæ reliquit

Utilia valde opera, quæ Copulata M. Laurentii Gervaſii dicuntur ſuper totam ſummam theologiæ S. Thomæ.

Hæc ex actis ſacræ facultatis & ex Auctore additionis I ad Tritemium, ex quibus Altamuram emendes, qui illum revocat ad 1463, quem Luſitanus, Fernandez & Poſſevinus attentiorem reddere debuiſſent, ſed & Malletum in viris illuſtribus S. Jacobi Henrico Gervaſii anno 1535 florenti tribuentem quæ ſunt Laurentii antiquioris. Erratum typorum excidit apud Pium Append. col. 409 ubi legitur iſtum Laurentium vixiſſe regnante Ludovico II cùm legendum ſit XI.

F. DOMINICUS RICARDUS.

* 1483. F. DOMINICUS RICHARDUS Neapolitanus Florentiæ gradus theologicos aſcendit, & laurea inſignitus fuit anno MCCCCLXXXIII idib. maii, & exinde XIV Kal. junii in univerſitate conſcriptus. Sic todidem verbis Badius p. 89 addens totius ordinis vicarium generalem obiiſſe eodem anno

Multis relictis admirandis ſua doctrinæ monumentis.

Mirum hunc ſcriptorem Vallii & Toppii diligentiam effugiſſe. Si quid clarius habuerint ſui gentiles, ut hîc addant exoro.

F. THOMAS DE CAPITANEIS.

1483. F. THOMAS DE CAPITANEIS quidam ſcriptoribus noſtris accenſetur a Ludovico Jacob Carmelita Bibl. Pontif. p. 446 ex fide Bzovii Pontif. Roman. cap. 6, quem volunt etiam regis Francorum vel Ludovici XI vel Caroli VIII oratorem ad aulam Romanam delegatum fuiſſe, cujus alterutrius nomine ab eo habita fuerit

Oratio ad Sixtum IV Romæ anno MCCCCLXXXIII

Nulla mihi hujus viri aliunde notitia.

F. THOMAS DE UTINO.

F. THOMAS DE UTINO ſic a patria & profeſſione nuncupatus, a noſtris Gozzeo & Pio P. II lib. 3 col. 68 laudatur, ceu qui theologiæ magiſter renunciatus eam pluribus annis publice profeſſus eſt, & circa annum MCCCCLXXXIII floruerit ac ſcripſerit * 1483.

Summam de caſibus conſcientiæ, ſeu de dubiis per totam quadrageſimam. Sic illi.

Excipiunt Altamura ad 1483 & Rovetta ad 1482, qui ultimus hanc ſummam MS aſſerit ſervari Ferrariæ in domo noſtra S. Mariæ de Angelis.

F. CHRISTOPHORUS DE GALVEZ.

F. CHRISTOPHORUS DE GALVEZ Catalanus Ilerdæ natus & ordinem amplexus, fuit ſacræ theologiæ profeſſor, & in toto Aragoniæ regno fidei quæſitor generalis, commiſſariuſque apoſtolicus anno Chriſti MCCCCLXXXIII: quo titulo eo anno menſe julio congregatis Valentiæ plurimis tam regularibus omnium ordinum quam ſecularibus theologis, propoſitiones octo Lulliſtarum damnavit ceu hæreticas: contra, ortodoxos aſſeruit rhythmicos hos verſus ad aram in eccleſia Prædicatorum Valentiæ inſcriptos (*peccatores non abhorres, ſine quibus nunquam fores tanto digna filio*) qui a prædictis Lulliſtis accuſabantur. Quæ ſententia eodem anno die XI ſeptemb. ſatagente Guillelmo Caſelles ord. Præd. in regno Majoricarum inquiſitore generali a Sixto IV decreto ſolemni Romæ fuit confirmata, ſelectis in id & allegatis ſpecialiter ſuper negotia ad catholicam fidem pertinentia præfectis cardinalibus Oliverio Caraffa Sabinenſi epiſcopo, Joanne Arcimboldo tit. S. Praxedis, Georgio a Coſta tit. SS. Marcellini & Petri archiepiſcopo Oliſſipponenſi, & Gabriele Rangoni ord. Minor. tit. SS. Sergii & Bacchi epiſcopo Agrienſi: quod decretum ex integro refert Diagus Hiſt. prov. Arag. lib. 1 cap. 33 fol. 60 b, qui & ibidem & fol. 151 Chriſtophori noſtri cum laude meminit, & præſtat eum verbi Dei præconem extitiſſe facundum & famoſum ac MS reliquiſſe 1483.

De concionatoriis titulis & materiis quadraginta.

Concionum quadrageſimalium volumina IV. Totidem de ſanctis.

Conciones Dominicales quamplures.

Opuſculum de Mauro mago ad archiepiſcopum Tarraconen. & patriarcham Alexandrinum: & alia plura.

Ejus meminere Thomas Tamajo in indice eorum qui Hiſpana lingua ſcripſerunt, Romæ in Barber. MS ſervato, & Antonius in Bibl. Hiſp.

F. ANDREAS CARNIFICIS.

F. ANDREAS CARNIFICIS vernacule *Boucher* Arteſius vel Flander Duaci ordinem profeſſus, & ſacræ theologiæ profeſſor Martialis Auribelli magiſtri ordinis aliquandiu ſocius, & ab eodem Belgium tum viſitante anno MCCCCLVII primus Duaci a reformatione prior inſtitutus, vir fuit legum ordinis obſervantiſſimus, rerum agendarum peritus, optimi conſilii, congregationis Hollandiæ ac reformationis in eam inductæ propugnator invictus. Hinc a Joanne Excuria primo ejuſdem Vicario generali ad Burgundiæ ducem Belgarumque unà principem Carolum Abbatiſvillæ tum agentem anno MCCCCLXX legatus fuit cum ſocio Pagano *Dolon* ſacræ theologiæ magiſtro Pariſienſi, qui nomine congregationis ſuper pluribus de reformatione quæſtionibus ac difficultatibus illi principi faceret ſatis, * 1483.

Sec. XV. libellumque ea de causa communi patrum insigniorum consilio scriptum offerret. Sese etiam in scriptis cum Michaele de Insulis priore Valencenensi de quo postea acerrime opposuit, ne quam aliqui moliebantur domorum congregationis cum provincia Saxoniæ conjunctio sortiretur effectum, sapientissimis rationibus demonstrans eam futuram totius reformationis ruinam & perniciem. Quod oppositionis instrumentum datum est mense martio anni MCCCCLXXXII stylo veteri, novo LXXXIII, ad quem proinde annum saltem vixit. Scripsit

Rationes contra transsubstantiationem corporis S. Joannis evangelistæ in corpus Christi, quam Bovetus & Franciscus Maroius (Sic enim legendum non *Maironis* ut habet Sanderus) *factam volebant per verba Christi in cruce pendentis*, Mulier ecce filius tuus. Extat MS in 4 Cameraci in Bibl. ecclesi. Metropol. Vidit noster Ghilbertus de la Haye.

Libellis & instrumentis citatis de statu regulari de observantia ac reformatione, quin operam suam contulerit haud dubium.

F. JOHANNES ANGLUS.

* 1483. F. JOHANNES ANGLUS inter scriptores nostros laudatur a Pio P. II lib. 3 col. 67, & ab Altamura ad 1483 ex Gozzei fide, diciturque sacræ theologiæ magister, ac scripsisse hoc titulo

Dialogi in libros physicorum, de cœlo & mundo, de anima & parva naturalia.

Penes quos fides cùm majorem ejus scriptoris notitiam non tradant, neque ubi hæc opera serventur, aut à quo visa retegant. Verum est nobis non deesse hujus nominis Anglos plures ea ætate florentes. Sic in cap. gen. Senis anno 1462 coacto F. Johannes Valiton ad sententias Oxoniæ legendas assignatur pro gradu & forma, & F. Johannes Eye baccalaureus ibidem instituitur magister studentium, ut & F. Johannes Mores lector biblicus: Cantabrigiæ verò F. Johannes Owini sacræ theologiæ magister gymnasii regens designatur, nec dubium quin fuerint alii plures & annis sequentibus, sed quis horum dialogos laudatos scripserit, nemo arioletur, nisi gentiles prodant, quorum diligentiæ id relinquendum.

F. LAURENTIUS FEUS.

* 1483. F. LAURENTIUS FEUS Ligur a Dominico Maria Curione ord. Prædic. laudatur in opere cui titulus *Trionfo della religione Gerosolymitana de'Cavalieri di san Giovanni &c.* & dicitur scripsisse

La vita di S. Hugone dell'ordine di san Giovanni di Gerusalemme commendatore della commenda di Genova per santità e per Italia molto chiaro. Addit idem Curionius p. 45: *delli cui* (Hugonis) *miracoli ne scrisse parimente il M. R. P. F. Lorenzo Feo maestro di sacra theologia dell' ordine de' Predicatori l'anno 1483 poco meno di ducento e cinquanta anni dopo la sua morte, la quale successe l'anno del 1233.*

Meminerunt Augustinus Schiaffinus in Histor. Eccles. Sopranus, & Oldoinus.

F. PETRUS DE PRUSSIA.

1483. F. PETRUS DE PRUSSIA Teuto sicque cognominatus ab origine, ut opinor, quod in Prussia seu Borussia natus: quæ cùm olim ordinis Teutonici juris esset, hodie bifariam dividitur, Ducalis altera, quæ Brandeburgico paret electori & marchioni, ab Alberto Teutonici ordinis ultimo generali magistro anno MDXXV vindicata, regisque Poloniæ clientelæ commissa, cujus caput est Regiomontanum incolis *Conigcberg*: regiaque altera, quæ juris est Poloniæ regni, regique Poloniæ subest, cujus & caput est civitas Gedanum, vernacule *Dantzic*. Cujus porro civitatis Prussiæ locive Petrus oriundus ignoramus, conventus verò Coloniensis alumnum ex eo conjicimus, quod de eo plura in opere mox laudando referat, saltem in eo diutius vixisse scripsisseque probat circa MCCCCLXXXIII, aderatque præsens eo anno, cùm magister ordinis F. Salvus Cassetta in Germaniam legatus a S. P. Sixto IV missus tertio Idus Januarii sepulcrum B. Alberti magni aperiri jussit, ejusque corpus in decentiorem locum transtulit. Quando autem Petrus hic noster obierit, nobis hactenus est incompertum, ut de quo sileant nomenclatores omnes seu coævi seu suppares vel etiam recentiores Leander Albertus, Lusitanus, Pius, Fernandez, ipseque Altamura licèt opus ab eo scriptum non omiserit, ubi de iis qui B. Alberti Magni meminerunt, agit. Itaque ab eo edita est, typisque commissa

Vita B. Alberti Magni ordinis Prædicatorum episcopi Ratisponensis. Prodiit typis in Germania circa 1490.

Ex illa verò priori editione prodiit rursus cum ejusdem Alberti tractatu ascetico *De adhærendo Deo*, Antverpiæ, Baltaz. Moreti 1621 in 8 pagg. 341. Pr. *Administrante per orbem Rempublicam Frederico hujus nominis II*: continetque capp. 59. Hanc verò vitam ex sinceris coævisque scriptoribus excepisse se testatur, nimirum

1. *Ex libro de Apibus F. Thomæ Cantimpratani.*
2. *Ex F. Ulrico Engelberti de Argentina ord. Præd. Alberti discipulo.*
3. *Ex F. Bernardo in Castris S. Vincentii*, sic dicti quod ibi prior extiterit, sed qui non alius est a nostro Bernardo Guidonis.
4. *Ex compilatore legendæ B. Thomæ de Aquino.*
5. *Ex Vitis Fratrum, ex legenda S. Cordulæ V. & M. ex ipsius Alberti scriptis, ex provincia sua Teutoniæ capitulorum provincialium actis vetustisque aliis monumentis*, ac ne quid sine teste addatur aut rejiciatur, muteturve hortatur & admonet in prologo.

Sic autem loquitur c. 20: *Ante summum altare chori Fratrum* (conventus Coloniensis) *sepulcrum ipsius* (B. Alberti) *est, in quo cum corpore nuper Anno Domini* MCCCCLXXXIII *tertio Id. Jan. idest altera Pauli I. eremitæ, Christi passionis & crucis signa, dum exhumaretur reperta sunt.*

F. BARTHOLOMÆUS COMAZZIUS.

F. BARTOLOMÆUS COMAZZIUS Lombardus Bononiæ nobili loco natus anno Christi MCCCCXXXIX ibidem sexdecim annorum adolescens ordini nomen dedit, virque evasit pietate & eruditione conspicuus. Nondum XL ætatis annum attigerat, cùm magisterii laurea donatus est, suo exinde conventui præfuit prior & congregationi Lombardiæ Vicarius generalis. Mortuo Salvo Cassetta curante & agente Olivario cardinali Caraffa protectore datus est a Sixto IV Vicarius ordinis generalis. Cùm verò electores Romæ convenissent sabbato pentecostes die V junii anni MCCCCLXXXIV, eisque unicus in magistrum ordinis eligendus proponeretur ex parte pontificis Comazzius, liberos illi se non sentientes, re infecta ad sua quique redierunt. Verùm paulo post Sixto IV mortuo, Innocentioque VIII ei suffecto, Romam eodem anno reversi, sabbato ante Dominicam secundam octobris seu mensis nona die S. Dionysii plures licèt non omnes Comazzium magistrum ordinis XXXIII · * 1484.

elegerunt. At non diu magistratum gessit, jam in regno Siciliæ visitationes obiverat, & per Etruriam in Lombardiam progrediebatur, cùm Perusium ingressus peste ibi grassante afflatur, & e vivis eripitur anno MCCCCLXXXV quarto nonas augusti hora secunda noctis, ætatis XLVI nondum completo. Multis eum laudibus extollunt Leander fol. 46 a, Pius, Lopez, Fontana in Monum. ex Olmedo, Rovetta ad 1485, qui hæc ei asserit opera in Bibl. nostra, inquit, Bonon. MS servata:

Commentaria in IV sententiarum libros.

Tractatus de Sacramentis in genere.

Epistolæ ejus encyclicæ plures, etiam veniunt laudandæ, prima e capitulo electionis, quæ haud dubie cum actis. Altera de indulgentia plenaria ab Innocentio VIII vivæ vocis oraculo sodalibus rosarii semel in vita & semel in mortis articulo concessa, scripta Romæ anno 1484 die 15 octob. refertur apud Fernandez *Istoria del rosario fol.* 277 *b*. Tertia data Florentiæ anno 1485 die 16 maii habetur in libello cui titulus, *Privilegia & gratiæ SS. pontificum & magistrorum generalium congregationi Lombardiæ & Franciæ concessa.*

De electione Comazzii sic legitur in Chronico parvo ordinis ab Alberto Castellano typis edito Venetiis anno 1504: *Anno Dñi* MCCCCLXXXIIII *electus est in magistrum ordinis XXXIIII cum magna ordinis altercatione & violentia F. Bartholomæus Comacius Bononiensis magister theologiæ, & novem mensibus ordinem rexit.* Vocat magistrum XXXIV, quia Martialem Auribelli bis electum pro duobus computat.

F. BAPTISTA DE' GIUDICI.

1484. F. BAPTISTA DE' GIUDICI seu *de Judicibus* patria Finariensis apud Ligures clara *de' Giudici* ortus familia ordinem in congregatione utriusque Lombardiæ tum maxime florente professus est, in eaque sic morum innocentia, virtutisque studio, prudentia, eruditione & eloquentia claruit, ut ad infulas Ecclesiæ Vintimiliensis in Liguribus à Paulo II summo pontifice promoveri meruerit anno MCCCCLXIX die XXII aprilis, quam ille vigilantissimi pastoris onus implendo sanctissime rexit ad annum usque MCCCCLXXXIII, quo aprilis XXIII ad Amalphitanam evectus translatusque est metropolim in Picentinis. Hanc tamen ille paucis retinuit mensibus ad Vintimiliensem & abdicatam reversus iterum sponsam assumpto titulo Patracensis in Peloponeso archiepiscopi anno MCCCCLXXXIV, quo non multum postea gavisus est, Romæ fato functus, & ad Minervam Prædicatorum honorifice tumulatus, quo die & anno non omnino compertum, hac a Juliano S. R. E. cardinali postmodum inscriptione laudatus ad tumulum posita:

Baptistæ de Judicibus humana divinaque doctrina professori, pontifici Intermiliensi, post Patracensi, qui vixit annos LV *Julianus cardinalis S. Petri ad vincula familiari Opt. & B. M.*

Baptistam hunc Alphonsus Fernandez è Finariensium dominis & judicibus autumavit, judicis hoc nomen officii dignitatisque putans, quod gentilitium agnomen est familiæ apud Finarienses insignis & perantiquæ, quæ vulgo dicitur *De' Giudici*, quæ clarissimos bello paceque viros patriæ tulit. Baptistæ nostri meminit Leander fol. 125 b, laudatque ut virum eloquentem, & in dolandis verbis artificem optimum. Videndi & de eo Fontana in Theatro, & Ughellus *Ital. Sac. T. IV col.* 437, *& T. VII col.* 331, ubi quem Baptistam nude T. IV scripserat, Joannem Baptistam appellat. Vulgo tamen nostrum hunc de Judicibus Baptistæ tantum audiisse nomine proprio cæteri testantur auctores, Lusitanus, Pius, Lopez, Abbas Michael Justiniani *Scrittori Liguri*, Oldoinus *Athen. Ligust.* Altamura ad 1484. Quæ verò ille sui posteritati reliquerit ingenii monimenta, hæc circunferuntur:

Commentaria super evangelia aliaque doctissima probatissimaque opera.

Dialogus super evangelium de discipulis euntibus in Emmaus doctus, festivus, & eloquentia apprime redolens solus laudatur a Leandro, qui proinde viderit ac legerit. In descriptione verò Italiæ, ubi de Liguria, meminit illius *celebrem ac notum Dialogum de religione*, quo loquendi modo innuere videtur eumdem esse cum priore. Indicat tamen & alia eum edidisse opera. Rovetta ad 1487 pro more hæc omnia minutatim distinguens addit &

Commentaria in libros IV sententiarum.

Illa verò ubi extent impressa vel MS cùm nullus aperiat, gentilium aut aliorum qui res ipsi manibus & oculis tractare possunt, excutiat diligentia.

F. JOANNES GATTUS.

F. JOANNES GATTUS vel ut alii scribunt *Gactus* Messanæ nobili genere natus anno, ut Fasellus & ab eo alii aiunt, MCCCCXL, Gerlandum Gattum virum illustrem Agrigentinum, sed qui patria relicta Messanam commigrarat, parentem habuit, nec ab avita generis nobilitate unquam deflexit. Optimis scilicet a puero moribus, amœnioribusque litteris diligenter excultus, ordini Messanæ in cœnobio S. Dominici nomen dedit, ac professus est adolescens, in quo seu regularis disciplinæ laude, seu ingenii feracitate, gravitate morum, & eruditione plurimum emicuit. Linguarum erat Hebraicæ, Græcæ, Latinæque peritissimus, dicendique copia & venustate pollebat. Nec philosophus modo theologusque fuit ævo suo clarissimus, sed & in Astronomia cæterisque mathematicis scientiis versatus, jure etiam canonico ac cæsareo perquam instructus. Florentiæ, Ferrariæ, Bononiæque publico docuit ære ac meruit, felicis adeo tenacisque memoriæ, ut quæ semel iterumque legerat, nunquam oblivisceretur, & expeditissime recitaret. Plura præclaraque omnino de eo habent Maurolycus *Hist. Sicil. lib.* 5 *fol.* 168, Fazellus *Hist. Sicil. Dec.* 1 *lib.* 2 *cap.* 2, Michael Pius P. II, lib. 5, Pirrus *Sic. Sac. Notit.* 5, *pag.* 460, a quo & illud singulare ex Maurolyco citato refertur Gattum sub Nicolao papa V in comitiis ordinis generalibus Romæ coactis eruditissime strenuissimeque disputantem, ab eodem pontifice præsente, tantarumque ejus partium teste rogatum interpellatumque coram, num ante hac laurea magisterii decoratus fuisset, cui cùm huc usque se non eam assecutum respondisset, mox summus pontifex imposito illi apice doctorem & magistrum publice pronunciavit. Quæ si ad certos veritatis chronologicæ annos revocaveris, non sibi facile constent neque cohæreant. Nec enim alia sub Nicolao V coacta Romæ ordinis comitia quam anno MCCCCLI, quo nonnisi undecimum ætatis suæ annum Gattus attigerat, tantæ famæ vel eruditioni certe non idoneum, nec magisterii gravitati opportunum: nisi Maurolycus, Fazellus, & ab iis accipientes Gattum non anno MCCCCXL, sed MCCCCXX circiter natum consentiant, quod verisimilius, & innuere videtur Pirrus, qui de Gerlando Gatto patre ascito cive Messanensi loquens, in id citat Registrum cancellariæ anni MCCCCXXI fol. 72, quo & Joannem nostrum circiter primam lucem vidisse veritati propius æstimaverim, ut & quæ illum toto vitæ decursu præclara gessisse referunt & obiisse munera fidem inveniant. Nec enim uno ille studiorum, rerumve, & negotiorum genere vixit, sed varia & multiplici jacta- † 1484.

SÆC. XV. tus est onetum ac fortunæ vicissitudine prospera ut plurimum optime usus, nec fractus adversa. Bessarioni cardinali Niceno omnino fuit morum integritate, litterarumque necessitudine conjunctissimus: cujus & auspicio monasteriorum SS. Petri & Pauli Alyensis sive *de Itala*, ac simul SS. Petri & Pauli *de Agrò* ordinis S. Basilii in Sicilia factus est abbas commendatarius, quod ad annum Christi MCCCCLXIX contigisse Pirrus Sicil. Sac. lib. 4 Not. 14 & 15 pagg. 106 & 113 non satis attente refert, si ut asserit hæc Sixti IV facta auctoritate, qui biennio postea duntaxat Christique MCCCCLXXI die IX augusti Petri sedem ascendit. Variis exinde Gattus gravissimisque functus est implicitusque negotiis. Ad Sixtum IV Ferdinandi II Siciliæ regis nomine missus est orator anno MCCCCLXXIV Messanensis archiepiscopi Petri de Luna electionem regiam adversus Jacobum quemdam ordinis Minorum a pontifice nominatum propugnaturus, jam tum Cephaledensis Ecclesiæ præsul erat Ferdinando ipso rege instante kal. junii MCCCCLXXII a Sixto promotus. Anno verò sequenti MCCCCLXXV procerum regni nomine gravibusque de causis ad eumdem Sixtum orator legatus est litteris a prorege acceptis, Catanæque XXVI aprilis indict. 8 datis. Quo dum munere fungitur Gattus, contigit ut & Catanensis Ecclesia Francisco de Campulo e vivis sublato vacaverit, ad quam Sixtus ipse Gattum apud eum agentem mox transtulit. Quod rex Ferdinandus acerbissime tulit, ceu juri suo patronatus omnino adversum, Gattumque non ab ea modo quam a pontifice obtinuerat arcuit, repulitque Cataniensi, sed ad eam etiam quam prius eodem rege volente possederat, prohibuit ne accederet Cephaledensem, neve regni fines ingrederetur: unde coactus est interim extra patriam exulare, Romæque tranquillus harum tempestatum exitum, regisque clementiam expectare & promereri. Affulsere tandem meliora tempora, iraque regis in eum concepta deferbuit, ipseque rediit in gratiam, & prioris Ecclesiæ sponsæque Cephaledensis amplexus repetiit, quam ille tenere dilexit, paterneque ac vigilantissime deinceps administravit. Iterum ad pontificem missus est a Ferdinando II orator anno MCCCCLXXIX, adeo regi probata, perspectaque erat ejus in rebus arduis industria. Tum & olim avulsum Ecclesiæ suæ feudum *de Femino* dictum a detentore Jacobo Sardo restitui, porticum suæ cathedralis eleganti opere construi, terrâ denique Rogerii regis jussu quondam Hierosolymis illuc ære multo & sumtibus asportata, commune polyandrium cœmeteriumve compleri curavit & complanari, tantæ scilicet edacitatis ac virtutis ut inlata in eam cadavera consumtis omnino carnibus ac nervis σκελετοὶ tertio post die reperiantur. Dies tandem in bona senectute Gattus implevit suos, suisque carus ovibus. Affecta tamen ætate & valetudine, sibique & Deo vivere cupidus, suam se demum in Messanensem recepit domum, in qua pridem voverat, bonisque moribus ac litteris fuerat eruditus: ubi febris ardoribus consumtus, inter sodalium suorum amplexus, civitatisque totius luctus obdormivit in Domino anno MCCCCLXXXIV, in basilica majori urbis Messanæ ut vivens ipse optarat & constituerat, sub marmore sepultus.

Antoninus Mongitore nostri Joannis Andreæ Gatti, sic enim eum appellat, meminit in sua Bibl. Sic. & quoad ejus ortum in eumdem anachronismum impegit, ac alii supra relati, statuens & anno MCCCCXL natum, & tamen a Nicolao V laurea magisterii insignitum, & tandem senio confectum anno MCCCCLXXXIV obiisse, qui tum ætatis XLIV ad summum attigerat, si stet ea chronologia, quæ saltem ad eam qua supra observatum est rationem emendanda, ut omnia relata sibi cohæreant. Cæterum Mongitorio accuratiorem debemus de scriptis hujus auctoris notitiam. Docet enim in bibliotheca S. Dominici Panormi codicem MS in 4 servari a se visum, in quo hæc ejus sunt:

1. *Oratio coram Paulo II pontifice Romano in festo annunciationis Dominicæ dicta.*

2. *Oratio coram eodem in Dominica Passionis pronunciata.*

3. *Oratio coram Sixto IIII P. M. dicta, quando oratores regis Aragoniæ obedientiam exhibuerunt anno* MCCCCLXXIX.

4. *Oratio in funere Latini cardinalis dicta in æde S. Salvatoris.* Hic obiit anno MCCCCLXXVII die XI augusti juxta Ciaconium, at juxta Stephanum Infessura ab Oldoino laudatum anno MCCCCLXXII die XXI augusti.

5. *Oratio in funere Alani cardinalis in æde S. Praxedis dicta.* Hic obiit anno MCCCCLXXIV die XXII julii juxta Ciaconium, juxta Oldoinum die III maii.

Aliæ ejus forsan alibi servantur. Ejus præter citatos meminerunt Fontana in *Theatro* & *Monumentis*, Lusitanus, Fernandez, Lopez P. V pag. 369, & alii nostrates, denique Altamura ad 1484. Extrates verò omnes qui de rebus Siciliæ scripserunt Benedictus de Passaflumine in *Originibus Ecclesiæ Cephaledensis*, Leonardus Orlandinus de *Laudibus Siciliæ*, Stephanus Maurus, & Josephus Bonfilius uterque in sua *Messana*, & alii longo ordine a Mongitorio citati.

F. GUILLELMUS DE PARISIUS.

F. GUILLELMUS DE PARISIUS alter ab urbe natali vel etiam professione sic nuncupatus 1485
scripsit ac edidit librum hoc titulo:

Postilla super evangelia Dominicalia secundùm sensum litteralem juxta concordias evangelistarum. Sequitur *postilla super evangelia de Sanctis.*

Eodem volumine extat *Postilla in epistolas de tempore & de Sanctis.* Pr. *Vitam bonam & exitum beatum. Ego Frater Guillermus sacræ theologiæ professor minimus Parisius educatus &c.*

Ordinis Prædicatorum fuisse patet ex postilla super evangelium Dominicæ XV post octavas pentecostes, ubi sic habet: *Similiter Dominicus pater noster, qui a pueritia sua Domino nostro servire studuit &c.*

Ætas verò certo cognoscitur ex postilla in evangelium de communi virginum scilicet de decem virginibus, in qua sic habet: *Mora ista est decursus temporis ab ascensione Christi usque ad diem judicii, quod tempus propter longitudinem vocatur mora. Jam enim duravit per mille quadringentos &* LXXXV *annos, & residuum est nobis incertum.* Præterea passim citat sermones S. Vincentii Ferrerii. Ex quibus evidens est alterum esse a F. Guillelmo de Parisius de quo nos supra ad annum 1312 regnante Philippo Pulcro florenti, nec cum eo confundendum, ut excidit Dupinio suo seculo XIII & XIV.

Prodiit hæc postilla typis pluries, primo in 4 absque loco, anno & nomine typographi, quæ extat apud nostros Parisienses ad S. Honorati; quam tamen editionem eamdem existimarim, cum ea quam laudant Ulmæ 1486. Altera est Parisiis 1509, tertia Argentinæ 1513 & ibidem 1521. Scriptor est solidus, gravis & sensum litteralem perpetuo consectatur.

F. STEPHANUS DE TARENTO.

1485. F. STEPHANUS DE TARENTO sic a patria in Regno Siciliæ & a professione dictus celebris fuit vergente seculo XV verbi Dei præco, vir, inquiunt, doctissimus, declamator una egregius, ubi ciendi erant affectus ita vehemens & efficax, ut quo vellet auditores impelleret, qui & ingentem animarum messem Christo reportavit. Sic Lusitanus ex Alberto Veneto ad MCCCCLXXXV claruisse asserens. Excipiunt Gozzeus, Pius, Vallius, Altamura, laudant etiam Possevinus & Toppius *Bibl. Napol.* hic ex antiquis domus Tarentinæ monumentis. Præter plures tractatus quos MS reliquit, in lucem edidit

Un Sermonario quadragesimale.

Quod omnium manibus tritum asserit Vallius, sed cùm nec ille nec Toppius locum & annum editionis prodant, hic addent gentiles. Meminit ejusdem Badius inter illustres theologos universitatis Florentinæ, in qua ex actis dicitur laureatus anno MCCCCL quinto idus julii.

F. EUSTACHIUS ALAUDÆ.

1485. F. EUSTACHIUS ALAUDA vernacule *Leeuwerch* Flander Ipris ordinem amplexus & professus, at Brugas postea translatus seculo hoc XV claruit, sacræ theologiæ magister, Brugensis cœnobii aliquando prior, & adversus hæreticam pravitatem inquisitor generalis. Vir fuit gravis magnæque apud suos & apud magnates auctoritatis: ac pro Brugensibus civibus ad Mariam Caroli Burgundi filiam & heredem & ejus sponsum Maximilianum Belgii principes orator non semel legatus, offensos iis dominorum animos conciliavit. Tandem multis pro asserenda fide exantlatis laboribus, ac quodam impio non sacerdote sacerdotem tamen se præstante ac agente brachio seculari tradito Brugis obiit anno MCCCCLXXXV. Extat ab eo scripta & apud sodales Brugenses servata

Relatio canonica probationis ligni sanctæ Crucis, quod canonici Brugenses servant in donario, historice & theologice narrata & expensa.

Nempe a Ferrico de Clugni episcopo Tornacensi postea cardinali delegatus fuerat, ut hoc Crucis fragmentum igne probaret: quod accitis viris omnium ordinum gravissimis executus est. Isto fragmento per mediam horam inter prunas ardentes relicto, ut ferrum canduit, sed integrum & illæsum evasit. Hujus experimenti quidam Petrus du Fay de quo postea S. T. M. suo inseruit tractatui *de pretioso sanguine Christi Brugis asservato*, Brugis edito anno 1633 in 4. Hæc omnia Ghilberti de la Haye diligentiæ in sua Bibl. Belgo-Dominic. MS debemus.

F. BARNABAS SAXONUS.

1486. F. BARNABAS SAXONUS vernacule *Saffone* Neapoli in ea urbis regione, quam sedem Porticæ novæ dicunt, nobili loco natus, ex fide tabularum Cœnobii S. Dominici Neapolitani *accepit habitum nostræ religionis in conventu Cajetano a S. Antonino tunc priore dicti conventus in vicaria regulari provinciæ Regni: & elapso anno fecit professionem in manibus Fratris Petri Hieremiæ.* Sic a duobus sanctis ad ordinem allectus. Vir fuit eximiis dotibus ornatus, & ad summa quæque veluti a natura formatus, hinc ad omnia ordinis munia gradatim evectus. Sacras litteras annis pluribus apud suos, & tandem in studio generali Bononiensi professus est. Vicariam suam dictam rexit præfectus, præfuit etiam prior conventibus SS. Joannis & Pauli Veneto & S. Dominici Neapolitano aliisque majoribus: tum a magistro ordinis Leonardo de Mansuetis procurator generalis institutus, hoc munus egit ad annum usque MCCCCLXXXI, quo ei suffectus Ludovicus de Ferraria vir etiam magnarum partium, qui ordinem regente Salvo Cassetta eo officio functus est ad electionem usque Bartholomæi Comazzii, qui mox ut magistratum capessivit, Saxonum etiam ad pristinum munus revocavit, cui demum ipse suffectus est magister ordinis electus Venetiis anno MCCCCLXXXVI non sabbato vigilia pentecostes de more, sed qua ratione non produnt annales, quarto kal. julii. Senex tum erat Barnabas & ut aiunt decrepitus, hinc brevi magistratum cum vita deposuit intra mensem mortuus XXIX julii sequentis, & in æde SS. Joannis & Pauli sepultus. Ejus cum laude meminerunt Leander, Pius, Razzius, & alii qui de magistris ordinis scripserunt. Ejus operum aliud mihi non notum est quam

Epistola encyclica e capitulo electionis ad omnes provincias scripta: quæ cum actis haud dubie habetur Venetiis & alias.

F. RICARDUS DE RIVO.

F. RICARDUS DE RIVO Brabantus e primis domus Bruxellensis alumnis anno MCCCCLXXII professus, Coloniæ studia exegit ac in theologia F. Michaelem Francisci Insulensem magistrum audivit, cui postea ipse in eadem schola successit, lauream que magisterii in universitate Coloniensi adeptus est anno MCCCCLXXXIV die XXII augusti, subindeque prior nativæ suæ domus electus est anno MCCCCLXXXVI. Hæc Ghilbertus de la Haye Bibl. Belgo Dominic. MS ex actis Bruxellensis domus, in qua & a se visa testatur MS 1486.

Scripta in IV libros sententiarum. Initio sic legitur: *Ista est lectura sententiarum quam legit F. Ricardus de Rivo Colonia pro forma ad magisterium anno MCCCCLXXXI filius nativus conventus Bruxellensis ordinis FF. Prædicatorum.*

Hunc codicem MS se vidisse ac legisse testatur Alva Sol. Verit. Rad. 313. col. 1666 fassus simul auctorem fidum esse S. Thomæ discipulum. Alvam ipsum si licuerit, adeat lector curiosus, sed ejus caveat erratum forte typorum, cùm Ricardum promotum dicit Bononiæ, legendum enim Coloniæ.

F. JOACHIMUS TURRIANUS.

F. JOACHIMUS TURRIANUS seu *de Turre* vernacule *de la Torre* Venetus nobili loco natus ordini nomen dedit in patria apud SS. Joan. & Paulum, ut asserit Pius *della progenie p. 354 a*, 1487. cui potius assentiendum videtur, quam vel Fontanæ vel Rovettæ ad 1484 S. Dominici Venetiarum alumnum contendentibus, cùm in congregatione utriusque Lombardiæ cujus erat domus S. Dominici, nulla obiisse munera referatur, sed tantum in antiqua S. Dominici provincia aliàs Lombardiæ inferioris dicta quam pluribus annis rexit bis ejusdem electus prior provincialis, prima vice circa MCCCCLX 1423. F. Leonardo de Utino de quo supra suffectus, quo titulo comitiis ordinis anno MCCCCLXII Senis coactis affuit, sed paulopost eo munere solutus, substituto ei Thoma de Ferraria, qui eo fungens officio sedit in comitiis generalibus Novariæ MCCCCLXV, Romæ MCCCCLXVIII, & Avenione MCCCCLXX: ad idem tamen munus iterum assumtus fuit Joachimus, eoque fungebatur anno MCCCCLXXXVII, quo in comitiis apud Venetias in æde SS. Joan. & Pauli rursus ha-

Sec. XV. bitis, communi omnium electorum suffragio totius ordinis regimen apprehendit, & ex omnium sententia sapientissime administravit annis XIII & amplius, quibus & provincias visitavit, Franciam in primis, ubi capitulum generale coegit Cenomanis anno MCCCCXCI; celebravit & duo alia in Italia Ferrariæ anno MCCCCXCIV, & iterum ibidem MCCCCXCVIII. Non parvam ejus gloriæ maculam aspersit Hieronymi Savonarolæ sanctissimi viri duorumque ejusdem sociorum supplicium, cui visus est assentiri, nisi excusatum velis, quod sententiam ipse non tulerit, sed ab Alexandro VI pronunciatam, Romaque a Romulino delegatorum altero sibi adjuncto allatam audire coactus est, & invitus tolerare. De quo videsis vitam ejusdem Hieronymi a Joanne Francisco Pico Mirandulæ principe scriptam, notisque R. P. Jacobi Quetif illustratam, ac editam Parisiis in 12 anno 1674. Non diu postea vixit Joachimus Romæ mortuus anno MD kal. augusti ætatis circiter LXXXIV, eousque valetudine optima, intellectu integro usus, & in æde S. Mariæ super Minervam ad gradus majoris altaris sepultus. Vir fuit eruditione conspicuus, Græce ut Latine doctus, imo ut fert epigraphe tumulo ejus insculpta linguarum quinque peritissimus. Pluribus annis Patavii apud sodales primarius regens, sed & in academia ejus urbis publicus metaphysices professor egit, pauca tamen laudantur ejus opera, sed quod rem nostram attinet

Codices MS Græcos & Latinos plurimos magni & exquisiti pretii bibliothecæ suæ domus nativæ acquisivisse & dedisse perhibet Chronicon parvum ad calcem constitutionum, quod non facile intelligas nisi de cœnobio SS. Jo. & Pauli ejusmodi codicibus affluente.

Registrum ejus litterarum laudandum etiam venit, quæ magno numero, præsertim encyclicæ ex capitulis quibus præfuit datæ. Ambiani apud nostros extat una qua confraternitatem, ut aiunt, assumptionis B. V. in Ecclesia nostra erectam, ac cujus cives primores ambiunt esse sodales, approbat & ad omnia ordinis beneficia aggregat. Data est Cenomanis post capitulum generale anno MCCCCXCI die XXIX maii.

Ejus Rovetta recenset *Tractatum de transcendentibus*, quem Venetiis ad S. Dominici se vidisse ait, & *Scriptum in* VIII *libros physicorum*.

Ejus cum laude meminerunt Leander se sub eo ordini nomen dedisse testatus fol. 47 a, Pius, Razzius, Fontana, Altamura ad 1500 & Rovetta ad 1484: extrates Sansovinus fol. 252 b, Albericus in Illust. Venet. & Augustinus Superbi lib. 3 p. 3.

F. JOANNES DE TURRE Venetus quidam laudatur ab Altamura in Append. ad 1486 & a Rovetta ad 1489, ceu scriptor singularis, sed is certo non alius a magistro ordinis Joachino Turriano, nec de alio Sansovinus ab iis allatus testis loquitur.

F. JOANNES EXCURIA.

1489. F. JOANNES EXCURIA Gallice *De la Cour* vernaculo Belgico *Wtenhove* Flander patriaque Gandavensis illustris seculo XV disciplinæ regularis assertor habitum induit in patria circa MCCCCXXX clavum ordinis regente tum magistro ejusdem XXVI F. Bartholomæo Texerio: cùmque conventus suus nativus tum esset provinciæ Franciæ insertus, Parisios ad collegium nostrum Sanjacobeum missus est studiis operam daturus, ubi adeo emicuit inter sodales, ut gradus omnes academicos per consuetos agones ascenderit, & licentiæ suæ, ut aiunt, in sacra facultate inter tredecim quintum locum & primum regularium sortitus sit quarta januarii MCCCCLI stylo veteri, novo LII. Laurea tamen magisterii sibi debita coronari non curavit vir religiosus, quod a suis Gandavensibus electus prior & præfectus, disciplinæ regulari in quibusdam ejus regionis conventibus reflorescenti in suo etiam stabiliendæ & in vicinis, qua erat existimatione & auctoritate, promovendæ totus deinceps incubuerit. Ferunt siquidem quosdam ex nostris Hollandiæ conventibus Fratres in Italiam progressos studiorum causa, in illis quas B. F. Joannes Dominici de quo supra ad 1410, ejusque coadjutores & discipuli inter quos S. Antoninus ad perfectam ordinis formam reduxerant, domibus degisse, indeque in patriam reduces, ut eumdem vivendi modum tenerent, Roterodami novum a fundamentis conventum anno MCCCCXLIV erexisse. Horum autem conversationis suavi odore allecti viciniores Hagenses, Harlemenses, Leevardienses nostri sese illis adjunxerunt, nec ultimi fuerunt Gandavenses agente eorum priore Joanne Excuria anno circiter MCCCCLVI. Majus autem initia tam felicia incrementum acceperunt, cùm anno MCCCCLVII Belgium visitavit magister ordinis Martialis Auribelli: tum enim quarta octobris is existens in conventu Insulensi hunc ad communem Fratrum ejusdem petitionem severiori legum nostrarum observationi restituit, ac Joannem Excuria Gandavo accitum vicarium suum generalem super conventus Franciæ illarum partium & Saxoniæ reformatos instituit præsentibus F. Simone de Laude episcopo Salubriensi ducis Burgundiæ Philippi Boni confessario, & F. Joanne Operatoris S. T. M. Franciæ priore provinciali, Ambarrorumque vulgo *Charollois* comitis conscientiæ arbitro. Eo munere functus est Joannes quandiu stetit in magisterio Martialis, at isto auctoritate Pii II ita jubentis ac volentis ab officio remoto, eique anno MCCCCLXII Conrado Astensi substituto in comitiis generalibus Senis celebratis, Joannes qui iis aderat cum priore Hagensi, videtur etiam tum abdicatus, cùm deinceps in Actis eo titulo non donetur, imo non ad eum, sed ad Andream Carnificis S. T. M. priorem Duacensem & provincialis Franciæ in illis partibus vicarium scrutinium electionis prioris Insulensis anno MCCCCLXIII factæ missum fuerit confirmandum. At anno sequenti præfatus Conradus Belgium ex officio lustrans sabbato XI augusti Insulis existens & per octo dies commoratus convocationem patrum eorum conventuum, qui severiorem disciplinam amplexi erant in proximo S. Hieronymi festo Insulis se præsente habendam indixit: illisque ex novem conventibus Gandavensi, Harlemensi, Roterodamensi, Calcariensi, Bruxellensi, Duacensi, Zutphaniensi, Hagensi cum Insulensi ad præceptum convenientibus, congregationem Hollandiæ dictam tum primum erexit, & Joannem Excuria, quem à XIII aprilis præcedente vicarium suum iis præfecerat, vicarium generalem congregationis Hollandiæ dictum instituit primum. Hæcque sunt celeberrimæ hujus congregationis cunabula, quæ privilegiis & a magistris ordinis & a summis pontificibus pluribus ditata, quotannis deinde ex adjunctis sibi conventibus provinciarum Franciæ, Teutoniæ, Saxoniæ, Daciæ, Poloniæ, ad eam amplitudinem crevit, ut anno MDXIV, quo extincta est & in varias congregationes divisa, 59 conventus numeraret. Ei verò Joannes noster præfuit continenter ab anno MCCCCLXIV ad MCCCCLXXVII & sapientissime rexit & formam dedit, & conventibus auxit, & rectissimis ordinationibus in disciplina regulari confirmavit. Tum autem a graviori totius congregationis administrandæ onere solutus, vicarius tamen nationalis substitutus datus est super conventus Flandriæ, sicque de eo provisum legi-

tur in actis convocationis Roterodamensis anno MCCCCLXXVIII: *Et quoniam R. P. M. F. Joannes Excuria multis annis laudabiliter præfuit almæ nostræ congregationi, quæ & crevit sub eodem atque profecit tam in conventibus quam in suppositis, idcirco in signum qualiscunque gratitudinis super omnes magistros in theologia quandiu vixerit, ei locum damus.* Annos vitæ reliquos exegit Gandavi, ubi tandem annis & meritis gravis abiit ad superos anno MCCCCLXXXIX. De quo in sequentis convocationis Valencenis habitæ MCCCCXC actis sic jusserunt Patres: *Quia piæ memoriæ magister F. Joannes Excuria multis annis laudabiliter nostram rexit congregationem, & multos labores & tribulationes propter illam pertulit dum viveret, injungimus nostræ congregationis Fratribus omnibus & Sororibus ut quæcunque pro eo faciant, quæ facere tenentur pro defuncto Fratre sui conventus, nisi ea jam pridem fecissent.* Extat ejus

Tractatus de Reformatione ad Carolum ducem Burgundiæ scriptus Gandavi 12 octobris 1471. Operam eidem contulerunt F. Andreas Carnificis prior Duacensis, & F. Paganus Dollo lector Insulensis ambo hi S. T. magistri, qui & ejusdem ad ducem fuerunt latores. Servatur MS Latine & Gallice cod. in 8 apud nostros Insulenses. Prodiit etiam typis curis nostri Jacobi de Palude, Tolosæ, Colomesii 1605 in 12 cum aliis ejusdem rationis sed cum mendis innumeris.

Quæ hactenus ex actis S. Facult. Paris. convocat. congr. Holl. conv. Insul. Schedis nostri Ghilberti De la Haye. Ejus meminerunt Sanderus *Rer. Gandav. Lib.* 5 *c.* 7, Swertius *Ath. Belg.* Fontana in suis *Constit. P. II. De prov. Franc.* Seguier *Insulæ Belg. P. I pag.* 18, quos omnes ex dictis emendabis.

Cùm ejus ætate noster Alanus de Rupe cultum SS. Rosarii seu Psalterii B. Virginis ardenter prædicaret in Flandria, erecta est quædam hujus tituli societas Duaci, in cujus promotionem has literas dedit noster hic Joannes, quas hîc inserere visum est, quod primæ sint in favorem pii hujus exercitii collatæ.

» Cum operibus pacis concordiæ & caritatis nullus debeat obesse, sed viribus cunctis misericordiæ » operibus insistere: hinc est quod ego Frater Joannes Excuria licentiatus in sacra pagina vicarius » totius congregationis Hollandiæ generalis immeritus ordinis Fratrum Prædicatorum, agnoscens » fidem & devotionem Fratrum & Sororum *confratriæ Virginis Mariæ & D. Dominici ordinis Fratrum Prædicatorum*: quæ confratria Duaci est fundata in communicatione omnium meritorum spirituali, & oratione psalterii Virginis Mariæ, sine » obligatione tamen ad quamcunque culpam, sive » mortalem sive venialem, sed tantum ad pœnam » non participandi meritis tantorum psalteriorum » aliorum confratrum, quoties quis psalterium ipsum Virginis Mariæ dicendo consequitur: caritatis fraternitate motus recipio ipsos participes & » præsentes & futuros in cunctis bonis prædicationum, jejuniorum, vigiliarum, studiorum, & laborum cæterorum præsentium & futurorum, universorum Fratrum congregationis nostræ Hollandiæ, ut etiam & nos omnes simus participes uniformiter cunctorum meritorum fratrum & sororum » hujus sanctæ confratriæ in sempiternum. In cujus » rei testimonium sigillum, quo in vicariatus mei » officio utor, duxi præsentibus apponendum». *Datum Duaci anno millesf. quadringentesimo septuagesimo, Decima sexta martii.*

Has exscripsit noster Ghilbertus De la Haie ex cod. MS in Bibliotheca Ecclesiæ Tornacensis servato, cui titulus, *L'Ordonnance de la confrairie du Psautier de Nôtre Dame ecrite l'an* MCCCCLXXVI. SEC. XV.
Hancque primam lego pii hujus cultus eo seculo congregationem, seu ut aiunt confraternitatem. Quo anno & mense datæ literæ, Duaci agebat F. Alanus de Rupe præfatus, earum ut videtur impulsor, qui in convocatione congreg. Holl. ibidem habita maii 13 Rosarum vulgo *Rostoch* missus fuit, ut supra de eo dictum.

F. RADULPHUS DE NOVIOMAGO.

F. RADULPHUS DE NOVIOMAGO Gelder a patria sic nuncupatus, Coloniæ Agrippinæ ordini nomen dedit, ibique florebat ad occasum vergente seculo XV, tumque ab eo edita est † 1489.

Legenda B. Alberti magni episcopi Ratisponensis ordinis Prædicatorum in tres partes distributa, Coloniæ, Johan. Koelhoff in 4, absque anno typis Goth.

Hanc prius nempe anno MCCCCLXXXVIII patribus provinciæ Teutoniæ Pfortzemii capitulariter congregatis obtulerat, & tum ab illis, tum a F. Jacobo de Basilea inquisitore, & ex priore Coloniensi provinciali & præfecto Germaniæ in iisdem comitiis electo probatam ut prælo daret, facultatem obtinuit. Extabat hæc editio apud nostros Colonienses anno MDCLXXI die XII junii: cui adjuncta erat & alterius Anonymi ejusdem ordinis

Legenda carminibus hexametris ejusdem B. Alberti Magni.

Hujus auctoris & operis meminerunt Beughemius in Incun. Typog. & Ghilbertus de la Haye Bib. Belgo-Dominic. MS. Ab isto dicitur *Rodulphus.*

F. FELIX FABRI.

F. FELIX FABRI vulgo *Schmid* natione Teutto patria Tigurinus, nobili genere & apud Tigurinos claro ex Schmidiorum pervetusta & illustri oriundus familia, patrem pro patria & domo Austriaca contra Switios seu Helvetios pugnantem puerulus adhuc amisit, patruique sub cura & potestate subinde vitam peregit, qui tum comitatui Kyburgensi præfectus erat: Hic Felicem liberaliter educavit & aluit, ac ætate exigente Ulmam bonis litteris informandum apud nostros misit: tumque aspirante numine ordini adolescens dedit nomen, religiosamque ac omnibus probatam duxit vitam. Variis functus est in sua Teutoniæ provincia muniis & honoribus, bisque ad comitia generalia Venetiis coacta, primo anno MCCCCLXXXVI die XXVIII junii contra morem, altera vice anno MCCCCLXXXVII vigilia pentecostes die secunda junii de more, cum priore suo provinciali F. Jacobo de Stambach accessit magistrorum ordinis in utroque elector & forsan diffinitor. Sic enim testatur ipse Histor. Svevorum lib. 1 p. 170: ubi postquam dixit Jacobum de Stambach laudatum capitulo generali anni MCCCCLXXXVI præfuisse, & ne ipsemet in magistrum eligeretur, totis viribus obstitisse: addit *& in pœnam quod dimisimus virum dignum & ordini utilem, elegimus virum decrepitum & inutilem* (Scilicet Barnabam de Sassone de quo mox agebamus) *qui XXX die post electionem obiit Venetiis, & omnis labor Fratrum, & expensæ perdita erant, & anno sequenti in eumdem locum convenimus &c.* Ex quibus inferas Fontanam delusum cùm scripsit Jacobum *de Stambach* in capitulo generali anni MCCCCLXXXVI ante electionem Saxoni mortuum, alioquin Felix perperam quereretur, quod Jacobum ordini utilem electores dimisissent, eique Barnabam prætulissent: imo innuit non solum vivum ex eo capitulo rediisse, sed & anno sequenti Venetias rursum venisse seque cum eo ad electionem Joachimi Turriani † 1489.

Sec. XV. Iter Hierosolymitanum pro ejus seculi more bis aggressus est, & alterum anno MCCCCLXXX confecit. Sic enim ipse narrat Histor. cit. lib. 2 cap. 12: *Obiit autem dicta domina* (Elisabetha Krelin abbatissa in Hegbach) anno Dñi MCCCCLXXX *me existente in Dominico sepulcro in Hierusalem, cujus decessum cùm audivissem, non modica tristitia & mœrore affectus fui, quia fuerat mihi in Domino familiarissima, ut pote spiritualis mater, & in Christo filia &c.* Ad annum MCCCCLXXXIX adhuc clarebat & scribebat, fortè & hujus seculi fines attigit. Ejus cum laude meminit Martinus Crusius in Annal. Suevic. P. III lib. 2 cap. 8: *Fuit*, inquit *illo tempore* (nempe anno 1489) *F. Felix Fabri in Prædicatorum apud Ulmenses monasterio, vir eruditione & una atque altera Hierosolymam peregrinatione celebris & in rebus suæ professionis gerendis industrius.* Plura scripsit Latine & Germanice, quorum hæc etiamnum habentur:

1. *Historia Suevorum.* Prodiit curis Melchioris Haiminsfeldii Goldasti cum aliis ejusdem argumenti historicis, Francofurti, Wolfgangi Richteri & Conradi Nebenii 1605 in 4 a pag. 46 ad 317: Quæ editio apud nostros Parisien. ad S. Honorati. In hac historia notandum quod habet lib. 2 cap. 9 de monasterio *Rogaburg*: *Manet autem tribulatio illa usque in præsentem annum, qui est a nativitate Dñi* MCCCCLXXXIX: ex quo annum quo scribebat colligas.

2. *Hodœporicon, seu Iter Hierosolymitanum Teutonice.* Hoc Jacobus Eysengrein Studgardianus Svevus Ferdinando I Romanorum regi a secretis multis vigiliis maximisque laboribus descripsit & edidit, Wilhelmo Wernhero Baroni de Zimmern mendis purgatum & elimatum præfixa præliminari epistola pentametro versu dicavit circa 1560. Sic narrat Guillelmus Eysengrenius Jacobi dicti filius Catalog. Testium Verit. ad ann. 1560 fol. 206 b. Hanc editionem laudat Crusius citatus de peregrinatione bina Felicis loquens: *harum* inquit, *unam lingua Germanica ab eo descriptam & typis editam habemus.*

3. *Peregrinatio altera ipsius Felicis manu exarata* apud Heinzelium Patritium Augustanum servabatur anno 1605, ut testatur Goldastus sibi a Gaspare Wasero professore Tigurino significatum. Hæc typis non prodiit hactenus.

4. *De Offenhusano monasterio satis multa, qua edita non sunt, populari lingua scripsit anno* 1489: *quarum sanctimonialium confessarius fuerat.* Sic Crusius citatus & ex eo Goldastus.

Paucos nactus est Felix Fabri laudatores sed exscriptores plurimos, inquit Goldastus in præfatione suæ editionis legendus: *Nam & Johannes Boemus Aubanus, cujus Suevia cum Felicis historia apposita est, multa ex eo tacito auctoris nomine verbatim libavit, plura Munsterus in Cosmographia, Bruschius in monasteriis, Stumpfius in chronicis, & de Franco scribit Crusius P. II, lib. 10, cap. 4 illum res Ulmenses fere ex* MS *libro Felicis Fabri sumsisse.* Exemplum quo in edendo usus est Goldastus erat Achillis Gassari, e cujus bibliotheca sibi a Frehero communicatum mutuo acceperat. Altamura laudat sed leviter ad 1514 & in Append. ad 1483.

F. BARTHOLOMÆUS SIBYLLA.

† 1490. F. Bartholomæus Sibylla Apulus Monopoli, quæ & Ignatia nova dicitur, civitate episcopali ortus, ibidem ordinem amplexatus, sub finem seculi XV claruit, summus sua ætate philosophus, ac primi etiam nominis theologus habitus, inquit æqualis aut suppar Leander Descrip. Ital. versionis Kyriandri p. 367. Quod & probat opus ab eo editum hoc titulo:

Speculum peregrinarum quæstionum.

Index capitum peregrinarum petitionum ac quæstiuncularum trium decadum hujus operis F. Bartholomæi Sibyllæ Monopolitani theologiæ professoris de animabus rationalibus in conjuncto & separatis, deque angelis bonis & malis, multisque aliis scitu dignissimis, ex vastis & vivacissimis theologorum, juris pontificum, philosophorum, ac astrologorum campis & floribus collecti & exornati. Quod studiosis quibuscunque, & animarum curam agentibus non minus utile quam necessarium, illustri principi Alphonso de Aragonia invictissimo duci Calabriæ dedicatum est.

Initio cujuslibet decadis Alphonsum alloquitur; ut & in fine totius operis. Prodiit Romæ 1493, Parisiis 1497, sic Beughemius. Tum Argentinæ, Joan. Gruninger 1499 in 4, pp. 508: quæ editio apud nostros Parisienses ad S. Honorati.

Sunt & aliæ plures: Venetiis 1509 in 8. Ibidem ex recognitione Cypriani Guidi 1571. Tum multis mendis castigatum & variis additionibus F. Raphaelis Maffei Servitæ illustratum typis Joan. Anton. Bertani 1575, & iterum 1582 quæ olim in Bibl. Jo. Philemonis Breda. 1587, quæ Romæ in Barber. 1609. Lugduni, Jacobi Myt 1516, quæ apud nostros mox laudatos. Rursus 1521, rursus typis Scipionis de Gabiano 1534, quæ in Regia D. 1845.

Postea prodiit in collectione similium operum hoc titulo:

Otium theologicum tripartitum accurante & collectore D. Leandro de S. Martino Benedictino regio linguæ sanctæ professore Duacensi & congregationis Anglicanæ præside, qui tres unâ complexus est auctores, F. Bartholomæi Sibyllæ decades tres, Johannis Trithemii quæstiones octo illi a Maximiliano imperatore propositas, de fidei Christianæ necessitate, de sacræ scripturæ obscuritate, de providentia divina, & de maleficis: denique Alphonsi Tostati pentas ænigmatum sacrorum, seu paradoxa quinque. Duaci, Belleri 1621 in 8.

Ejus meminerunt Lusitanus, Pius, Fernandez, Vallius & Altamura ad 1486. Possevinus asserens in vivis adhuc fuisse anno 1534, sed unde id acceperit non profert, & vix mihi verisimile: Angelus Rocca in sua Bibl. Apost. Vaticana theologum vocat non ignobilem, qui in suis peregrinis quæstionibus multa curiose tractavit. Toppius laudat in sua Bibl. Napol. Denique Leonardus Nicodemus *Addiz. copiose* p. 45 & 46 Delrium Disq. Mag. lib. 1 cap. 3 q. 1 & lib. 4 c. 1 q. 4 § 4, sed & Ambrosium Catharinum in vita S. Catharinæ Senensis cap. 3 utrumque Sibyllam de revelationibus sanctarum mulierum suggillantes, non servati modi arguit.

F. VINCENTIUS MERLINUS.

F. Vincentius Merlinus Venetus hoc tempore florebat præclaræ scientiæ vir, & annis pluribus in universitate Patavina summa cum laude metapysicam publicus professor docuit. Sic totidem verbis Chronicon parvum ordinis Venetiis editum apud Lazarum de Soardis 1504. Laudat etiam Leander inter illustres philosophos fol. 154 a. * 1491.

De metaphysicis scripsisse ait Altamura ad 1491.

F. PETRUS ANTRAVANENSIS.

F. Petrus Antravanensis Gallus Tolosanus patria & professione seculo XV claruit ad senium vergente, virque fuit pius & eruditus, theologiæ professor, sed qui cum sacris amœniores etiam † 1491.

etiam musas coleret, & utrasque conciliare noverat. Quod probat opusculum ab eo editum, cui præses typorum hunc indidit titulum:

Aurea summa de fuga vitiorum nuncupata, mediocri quidem stylo conscripta, verum summis doctrinis, pulcerrimis comparationibus, aptissimis quoque ad mores translationibus refertissima cum omnibus quidem vitiorum osoribus perquam utilis, tum sacris concionatoribus supra quam dici posset, ob variam eruditionem ac eruditissimam varietatem maxime necessaria. Carmine elegiaco.

Hanc MS Philippo Aquensium antistiti nuncupavit, cujus proinde ætate vixerit. Hunc autem Philippum alium ariolari non possumus, quam Aquarum Sextiarum metropolitam cognomine *Hebert d'Aussonvilliers*, qui anno MCCCCLXXXIV ad hanc Ecclesiam promotus, anno MCCCCXCVIII circiter mortuus est, ut habet Gallia Christiana: neque enim intelligere possumus episcopum Aquarum Tarbellicarum vernacule *Aqs* vel *Dax* sub metropolita Auscensi, cùm nullus in ea Ecclesia hujus nominis Philippi episcopus seculo XIV aut XV sederit.

Typis prodiit hæc Summa a morte auctoris ex codice MS bibliothecæ Tolosanorum nostrorum editionem accurante F. Johanne Viguerio S. T. M. ejusdem conventus alumno, qui Johanni *de Basilhac* electo episcopo Carcassonensi nuncupavit, Tolosæ, Antonii Maurin & Gaston *Recolene* 1520. & Parisiis, Johan. a Prato 1521. in 8 pp. 176. Extat hæc ultima Paris. in Regia D 2631. Est & apud sodales Rotomagen. Cadomen. Aurelianen. Insulen. &c.

Hujus scriptoris meminit Verderius Bibl. Gall. in addendis ad Simlerum, & excipiunt Possevinus, Fernandez, Altamura ad 1530 ætatem se nescire professus.

F. JOANNES FLAMENG.

* 1490. F. JOANNES FLAMENG Flander Insulensis patria & professione, concionator facundus & fervidus Metis ubi supprioren agebat, diem obiit suum anno MCCCCXC octobris XI ætate adhuc florente. Reliquit

Sermons pour tous les jours du Careme.

Qui MS eleganti charactere Insulis adhuc habebantur seculo XVII: Sic Ghilbertus de la Haye Bibl. Belgo-Dominic. MS.

F. PHILIPPUS DE BARBERIIS.

* 1490. F. PHILIPPUS DE BARBERIIS Siculus, ille scilicet qui a Simlero Siculus simpliciter & Joannis Philippi de Lignamine equitis Siculi affinis, a Lusitano Trinacer Syracusanus, ab Altamura ad 1475 Syracusanus, ab omnibus absque agnomine gentilitio, vergente ad senium seculo XV apud suos claruit artium & sacræ theologiæ magister doctrina, eruditione, facundia commendatus, ac in primis S. Thomæ dogmatum sectator addictissimus & invictissimus assertor. Plura scripsit, quorum hæc mihi cognita:

1. *Tractatus de discordia inter Eusebium Hieronymum, & Aurelium Augustinum.*

2. *Approbatus Sibyllarum & prophetarum dictis omniumque gentilium philosophorum & veterum poetarum, qui de Christo vaticinati sunt atque aliqua prædixerunt.*

3. *Deinde commentarii super symbolum Athanasii, orationem Dominicam, & salutationem angelicam.*

4. *Explanatio super Te Deum laudamus & Gloria in excelsis Deo.*

5. *Demum Donatus theologus, quo theologicæ quæstiones grammatica arte solvuntur.*

Quæ opuscula unà prodierunt Romæ in ædibus jam laudati Joannis Philippi de Lignamine 1481. die prima mensis decemb. in 4 par. foliolis 68 absque numeris signaturis & reclamationibus. Hic verò Joannes editor, cùm esset Sixti IV medicus, ista eidem pontifici nuncupavit, in epistola autem de se & de auctore sic habet: *Semper ego a parvulo studui Beatissime Pater, ut cum claris & illustribus viris consuescerem, ne scilicet a majoribus meis, quos verius possum quam jactantius inter magnificos & insignes connumerare, degenerarem*, &c. plura in quibus tum se tum avos & familiam suam pluribus extollit: deinde sic prosequitur: *Converti me modo ad sacra, quæ nemo manu linguave violare nisi sacrilegus potest. Decrevi characteribus perpetuis imprimere celeberrima opuscula, quæ clarissimus artium & theologiæ interpres magister Philippus ex ordine Prædicatorum conterraneus & affinis meus edidit &c.* Cùm iste medicus editor Messanensis fuerit, an & noster Philippus Messanam item patriam habuerit, locus esset dubitandi: quia tamen Taegius ei æqualis Syracusanum asserit teste Lusitano, rem in medio relinquere visum est, speroque quid certius ab Antonino Mongitore altera parte Bib. suæ Siculæ proferendum. Hujus editionis meminit Gesnerus T. II Bibl. Pandect. lib. XX Tit. I De theol. Christ. Fol. 7 b. Draudius pag. 449. Fatendum tamen etsi characteres sint Romani & pro illa typographiæ infantia sat accurati, ob absentiam forte auctoris multa sphalmata irrepsisse, quæ sensum aliquando obscurant. Extat Paris. in Regia D. 763. Princ. *Duo luminaria magna quæ Deus fecit, id est duos Sacrosanctæ Ecclesiæ doctores Eusebium videlicet Hieronymum & Aurelium Augustinum &c.*

Alterum ejusdem opus longe excellentius hunc habet titulum:

Ad illustrem virum Honoratum Gaitanum militem ac Fundorum comitem magistri Philippi de Barberiis Siculi ordinis Prædicatorii artium & theologiæ clarissimi interpretis libellus de animorum immortalitate feliciter incipit. Præfatio:

» Jam plures anni elapsi sunt, quibus de animorum immortalitate codicem edideram, sed « quia teste Hieronymo homo ætate fit doctior, « usu instructior, processu temporis sapientior, & « veterum studiorum dulcissimos fructus metit: eam « ob rem librum diligenti inquisitione revidi, aliqua resecavi, plurima addidi, nonnulla mutavi, « & præsertim dicendi ordinem, & decrevi tandem « characteribus æternis imprimere. Et quandoquidem hoc opus tuo nomine cœptum est, volui insuper ut tuo immortali titulo ornaretur. Nam « quamvis plures essent viri profecto dignissimi, qui « a me enixissime postularent, ut codicem hunc « eorum nomine obsignarem, id ego efficere noluì, quoniam quem te magis præferam, habeo « neminem. Quasdam prius quæstiones absolvere « nisus sum philosophiam atque theologiam redolentes, & ad hujus opusculi notitiam capescendam apprime necessarias. Nulla sane libellum hunc « obliterabit antiquitas, & nomen tuum indelebile « permanebit. Accipe igitur munusculum hoc ex « diversis librorum voluminibus excerptum: credas « equidem quicquid de hac re humano ingenio investigari possit, & ab antiquis novisque sapientibus dictum sit, in hoc opere limatum atque expeditum invenies, vale igitur felix, ac diutius incolumis vivas, ut hujus regni templa tuis impensis « resarcire atque restaurare possis & feliciter. Amen. «

Lucubratio revera docta, erudita, merito legenda: foliolis in 4 parvo constat 41. S. Thomas sæpius ab eo citatus, ab eo dicitur *noster auriga nosterque septentrio.*

Sæc. XV. *Ad illustrissimum virum Hieronymum de sancto Severino principem Bisiniani & ducem S. Marci, magistri Philippi de Barberiis Siculi ordinis Prædicatorum artium & theologiæ eruditissimi interpretis libellus de divina providentia, mundi gubernatione, hominum prædestinatione atque reprobatione feliciter incipit.* Post epistolam nuncupatoriam sic incipit:

De animorum immortalitate longo studio invigilatum nudius tertius opusculum expedivi, cui profecto operi aliquas ante posui ad illius materiæ percipiendam notitiam plurimum necessarias. Nunc ut torporem atque segnitiem effugerem, & otio incumberem litterato, decrevi negotium satis arduum perscrutari, & de mundi gubernatione quæstionem difficilem aggredi, perinde partes ipsius providentiæ divinæ potiores grandi desiderio a cunctis & sapientibus & vulgaribus hominibus exquisitas paucis absolvere. Harum enim una prædestinatio, altera verò reprobatio nuncupatur &c. fol. 33 in 4. Rem propositam exequitur, sed ita docte, ita ad mentem S. Thomæ, ut nihil desideres sapientius. Prædestinationem statuit ante prævisa merita, ejus infallibilitatis & efficaciæ prævenientis cum libertate concordiam declarat, celebrem illam sensus compositi & divisi distinctionem eadem ratione qua Bannes, Alvarez & alii recentiores Thomistæ, explicat, adeo ut ex illa opella perpetuitatem ejusdem doctrinæ in schola Thomistica ante seculum XVI demonstrare facillimum sit. Optandum esset ut typis recuderetur.

Sequitur alia ejusdem lucubratio, quæ sic incipit:

Sequens hoc opusculum Romæ impressum est, quod reverendissimo cardinali Neapolitano dicavi, sed quia impressorum vitio & negligentia plures mendositates commissæ sunt, eamobrem dedi operam, ut iterum imprimeretur, & per virum doctum qui materiam intelligeret.

Duo luminaria magna quæ Deus fecit, id est duos Sacrosanctæ Ecclesiæ doctores egregios, Eusebium videlicet Hieronymum & Aurelium Augustinum &c. Altera est editio ejus opusculi, quod a nobis supra laudatum, & ab ejus affini Joanne Philippo de Lignamine Romæ anno 1481 prælo datum. Novem circiter habet foliola. Ad calcem hujus editionis sic legitur: *Finit libellus de animorum immortalitate, divina providentia, mundi gubernatione & prædestinatione atque reprobatione, cui adjungitur opusculum de his in quibus Augustinus & Hieronymus dissentire videntur in divinis literis.* Editio hæc Gothica sed typis nitidis & elegantibus, & quod mirum absque abbreviationibus. Adde absque numeris signaturis & reclamationibus, absque anno loco & nomine typographi, sed certo ante 1500. Extat in Regia laudata R. 1063.

Hæc jamjam prælum subitura erant, cùm in manus meas venit altera pars Bibliothecæ Siculæ Antonini Mongitore, a quo circa opera a me laudata, & eorum editiones a me visas, sed quas non videtur ei occurrisse, non plus lucis accepi, nisi quod prioris anteriorem editionem memorat absque loco, anno & typographi nomine. At tertium opus indicat a se visum, in quod non incideram, cujus titulus:

F. Philippi de Barberiis Syracusii, Siculique ord. Prædicatorum, artium & theologiæ interpretis ad venerandum virum Joannem Alphonsum divorum canonum bachalarium, virorum illustrium Chronica, 1475 in 4 absque loci & typographi nomine. In fine sic legitur: *Finit Chronica per me magistrum Philippum Siciliensem confecta, directaque ad ven. virum ac dominum meum percolendum Joannem Alphonsum Ecclesiæ Hispalensis canonicum, & bacalarium Locroniensem, in cujus sane hospitio hunc librum plurimis vigiliis edidi.* Ibidem addit hæc alia a se scripta & edita, nempe *De immortalitate animorum libros tres*: tum *De Divina providentia, & hominum prædestinatione libros duos*, scilicet supra jam recensitos, ac præterea *De Inventoribus scientiarum & artium mechanicarum libros tres.*

Sermonum quadragesimalium volumen pergrande.

Dominicarum ac sanctorum prædicationes volumine egregio.

Opus sui itinerarii.

Cœterum Mongitorius Philippum nostrum Syracusanum agnoscit, & a Ferdinando Siciliæ rege inquisitorem seu censorem fidei in insulis Sicilia, Melita, Gaudisio, Pantellaria anno 1481 constitutum. Legendus & de eo Fontana in Theatro & Monumentis.

F. JOHANNES CARNIFICIS.

F. JOHANNES CARNIFICIS Belgice *Beenhaker* Flander patriaque & professione Gandavensis, congregationis Hollandiæ insignis alumnus, variisque in ea muniis & honoribus functus, anno MCCCCLXXXIX Gandavi priorem agebat, & unà in natione Franciæ vicarium ut aiebant substitutum: cùm enim congregatio latissime protenderetur, in nationes dividebatur, quibus singulis præficiebatur vicarius, & dicebatur substitutus, quia rationem actorum in sua cœnobiorum portione Vicario generali totius congregationis reddere tenebatur. Hoc officium gerebat etiamnum anno MCCCCXC ex actis, sed ultra nulla amplius ejus memoria, unde non diu postea vixisse conjicitur. Extant in cœnobio Insulensi † 1490.

Ordinationes ab eo in visitatione hujus domus factæ XXII junii anni MCCCCLXXXIX, quæ superiorem eum probant disciplinæ regularis studiosissimum. Harum exemplum a me exscriptum servo in schedis.

Hunc Swertius in Athen. Belg. & Sanderus in Claris Gandaven. eum esse volunt, qui percurrendo Belgium & vicinas regiones indicem illum adeo celebratum codd. MS ab eo in bibliothecis visorum accuravit: sed agnomen illos delusit. Curiosus enim ille bibliothecarum explorator non est iste Johannes, sed *Guillelmus Carnificis* de quo nos postea ad annum 1525 quo mortuus est, sicque asserunt Valerius Andreas, Miræus, & Alva, qui indicem viderunt, & quamplurima ex eo excerpserunt, suasque lucubrationes ditarunt.

F. BARTHOLOMÆUS DE SCALIS.

F. BARTHOLOMÆUS DE SCALIS Siculus Aprutinus Sulmone civitate episcopali ortus, unde & *de Sulmona* vulgo pro more ætatis & regionis dictus, ordinem amplexus in patria, vir fuit qui ob eminentes dotes a Pio II ad eamdem sedem Sulmonensem, cui ante seculum VIII adjuncta & Valvensis promotus est anno MCCCCLXIII, quam integerrime rexit ad ann. MCCCCXCI tum a Deo vocatus ad superos. Sepulcrum quod sibi vivens posuerat in sua cathedrali ingressus est XXIX junii. Erratum autem apud Ughellum irrepserit necesse est, dum in ejus epitaphio scriptum referens annis XXVII hanc Ecclesiam administrasse, addit mortuum anno MCCCCLXXXI: cùm enim anno MCCCCLXIII tantum & non ante certo consecratus fuerit, vel XVII annis solum rexit, si mortuus est anno MCCCCLXXXI; vel si annis XXVII præfuit, mors ejus ad ann. MCCCCLXXXXI proroganda, quo revera anno & non antea successor ei datus ex ipso Ughello, quem videsis Ital. Sac. T. I. Vallius in Compend. p. 187 ad hunc etiam posteriorem circiter annum mortem † 1491

ejus refert, sed & ipse delusus est, cùm duos nobis Bartholomæos Sulmonenses episcopos laudat ex Pio, apud quem unus tantum ex Taegio recensetur ad 1465 clarus. Quin plura autem tot annorum spatio in cleri gregisque sui commodum statuerit, quæ operum loco habenda sint, vix ambigi potest: quæ tamen cùm nullus referat, non videbatur in hoc opere recensendus, nisi Toppius eum Bibl. suæ Neapol. inseruisset.

F. SIMON DE BERTIS.

† 1491. F. SIMON DE BERTIS sive *Bertius* Etruscus patriaque Florentinus, & ibidem in S. Mariæ Novellæ ordinem professus, Romæ anno MCCCCLXXXII declaratus magister nonis julii, & anno MCCCCLXXXIV septimo kal. novemb. patrio collegio cooptatus vir multæ virtutis & vitæ laudabilis, plurimis honestatus honoribus, inter quos fuit præfectura Romani ad Minervam cœnobii & patrii, ac Tusciæ vicariatus: prædicator gratissimus & admirandæ facundiæ ubique, sed præcipue Florentiæ, in cujus majori sacra æde cum maximo populi concursu declamavit, & in S. Mariæ Novellæ templo, cubiculo gratitudinis ergo ob id ab illius operariis ei in cœnobio constructo: Romæ, Bononiæ, aliisque Italiæ præcipuis urbibus idipsum laudatissime præstitit, & demum Lucæ infirmatus devixit XVII kal. octob. MCCCCXCI. Sic totidem verbis Badius p. 139 Necrologium S. Mar. Novel. excipiens n. 709, & addit volumen MS reliquisse hoc titulo:

Diversorium concionatorum, quo integrum quadragesimale & sermones præterea sexaginta continentur.

Meminit etiam Poccianthus, quem excipit Altamura ad 1491. Emendandus Fontana in Prov. Rom. ubi errato fortè typorum Bertius dicitur mortuus anno 1591 pro 1491. Ubi verò servetur opus ab eis laudatum nullus aperit, quod tamen apud sodales S. Mar. Novell. haberi conjectu pronum: certo extat exemplum ad S. Marci Arm. III n. 24 hoc titulo: *Diversorium M. Simonis de Bertis Florentini ord. Prædic. seu sermones varii: a F. Roberto Ubaldino de Galliano Florentino codex habitus pro libraria anno MDVII memb.*

F. GASPAR FAYOL.

* 1491. F. GASPAR FAYOL Catalanus patria & professione Ilerdensis, pietate, disciplina regulari & doctrina claruit sub finem hujus seculi XV. In comitiis provinciæ Aragoniæ Ilerdæ anno MCCCCLXXXV habitis primus fuit cœnobii S. Onuphrii ad Valentiam recens erecti prior institutus. Paucis ab hinc annis congregationis in ea provincia erectæ electus est vicarius generalis, quo munere fungebatur anno MCCCCXCI, uti habet Diagus lib. I cap. 44 ex Sorio in suo de Viris Illustr. prov. Arag. opere. Hæc verò ab illis Gaspari opera tribuuntur:

Documenta superiorum.

De progressu religionum tractatus utilissimus.

Tractatus contra Judæos, & alter contra Mauros.

De articulis fidei, de sacramentis Ecclesiæ, ac de vitiis & virtutibus.

Meminit Altamura in Append. ad 1495.

F. MICHAEL CRETENSIS.

* 1491. F. MICHAEL CRETENSIS episcopus laudatur ab Altamura ad 1491, sed nulla ejus scripta prodit, nec ulla ejus mihi aliunde memoria. Michael revera quidam Græcus sacræ theologiæ magister episcopus Caneæ in Creta recensetur a Pio Taegium testem adducente, sed hic dicitur Veronæ Sæc. XV. mortuus anno 1479, & excipit Fontana in Theatro, neque hujus posterioris ulla laudantur opera.

F. ENGELBERTUS CULTIFICIS.

F. ENGELBERTUS CULTIFICIS Belgicè *Messmaker* Gelder patriaque & professione Noviomagensis magistrum in theologicis audivit Andream Comitis, quem in actis cap. gen. Senis anno MCCCCLXII habiti legimus regentem in studio generali Erfordiensi assignatum. Noviomagensi domo interea e provincia Saxoniæ in congregationem Hollandiæ translata, Engelbertus in convocatione Harlemensi anno MCCCCLXV datus est Zutphaniæ lector, & eodem anno ipse novam ordini domum Zwollis erigendam obtinuit a civibus, & ejusdem primus constitutus est prior. Obiit circa annum MCCCCXCI, nam in actis convocationis Calcarensis eo anno in festo assumtionis B. V. habitæ, titulo *Suffragia pro defunctis* sic legitur: *Pro animabus quondam RR. PP. ac magistrorum F. Pagani Dolo & F. Engleberti Cultificis, qui fuit fundator & primus prior conventus Zwollensis, quilibet sacerdos unam missam.* Hæc ejus opera: † 1491.

Defensorium & declaratio privilegiorum Fratrum mendicantium in caput, omnis utriusque sexus. Pr. *Epistola declaratoria jurium & privilegiorum Fratrum ordinis mendicantium contra quosdam articulos erroneos quorumdam magistrorum & curatorum Ecclesiarum parochialium condemnatos. Prologus. R. in C. P. S. T. P. eximio M. Andreæ Comitis per provinciam Saxoniæ O. P. priori provinciali benemerito præceptori suo carissimo &c.* Prodiit pluries opella, ac primo Noviomagi, Johan. de Westphalia 1479 in 4, quæ editio apud nostros Insulenses & Trajectenses ad Mosam. Quæ editio elegans etsi charactere Gothico. Tum eodem anno apud Andream Boule absque loco in 8, quæ apud nostros Parisien. ad S. Honorati. Postea Coloniæ, Hermanni Bungart de Kellwic 1497. Parisiis Joh. Parvi 1507. Delphis, Henrici Petri Lettersnider 1508, in 8 hæ omnes: ultima apud nostros Parisien. mox laudatos.

Epistola brevis ac perutilis de simonia vitanda in receptione novitiorum & novitiarum ad religionem ad N. priorem canonicorum regularium in Novimagio. Iisdem typis cum superiori.

Carmen de moribus mensæ, & aliud *De pane in modum dialogi interlocutoribus pistore & uxore.* A morte auctoris prodierunt unà cum elegia Petri de Rivo S. T. D. Lovaniensis, *Quomodo omnia in meliorem partem sint interpretanda*, Lugduni Batavorum, Joh. Severini in 4: vidit noster Ghilbertus de la Haye.

In indice Bundetii hæc ejusdem laudantur visa Zwollis, Calcariæ, Noviomagi, & Hagæ comitis:

1. *Speculum veræ religionis.* At ejus non est, sed antiqui scriptoris & sub nomine S. Bernardi editum fuit cum supra laudatis.

2. *De audientia confessionum ad canonicos Clivenses.*

3. *De tribus votis.* 4. *In regulam B. Augustini.*

5. *In Joannem.*

6. *Idioma juris & alia.*

Hunc scriptorem aut ignorarunt aut omiserunt nostri nomenclatores: sed meminerunt Swertius & Valerius Andreas, & fusius Ghilbertus de la Haye. Stylus auctoris vivus & efficax, sed simplex & impolitus, ut ferebant tempora, plusque rationum pondere, quam dicendi lepore commendandus.

Emendandus Fontana in Monum. ubi duos distinguit Engelbertos, unum ad 1479 de quo hactenus,

SÆC. XV. alterum ad 1357 qui contra Armachanum scripserit: cùm contra unus & idem sit, qui anno 1479 florens, argumenta seculo solido & amplius antea ab Armachano proposita sibi solvenda suscepit, ut ex ejus tractatu lector percipiet.

F. SIMON DE ANGELIS.

† 1492. F. Simon de Angelis Etruscus inter viros Senensis S. Dominici cœnobii claros ex ejusdem domus monumentis recensetur a Fontana, floruisseque dicitur sub finem sec. xv. Videsis Prov. Rom. pp. 93 & 376. Excipit Altamura ad 1492. Scripta ab eo laudatur

Vita venerabilis Sororis Catharinæ de Lenziis, quæ vulgo Catharina de Senis altera dicitur ejusdem ordinis de pœnitentia S. Dominici. Hæc virgo eximiæ virtutis & miraculis clara Senis in æde S. Dominici sepulta est xxvii novemb. anno MCCCCXCII stylo Senensi, communi xci ætatis xxviii: cujus animam ad cœlum raptam vidit B. Columba Reatina ejusdem ordinis, ut in hujus vita refert Sebastianus de Perusio. Vide Acta SS. ad diem xx maii n. 141 vitæ dictæ B. Columbæ.

Hujus alterius Catharinæ de Senis Simon hic confessarius fuit, & spiritualium secretorum conscius. Vitam hanc a Simone scriptam gesta & miracula virginis continentem se vidisse Fontana testatur: eam verò ad se mitti optant Actorum SS. Antverpiani editores suo die mense novembri inserendam, qua jam usum Sebastianum Caccinum de quo ad 1651 facile conjicio.

F. PETRUS RANSANUS.

† 1492. F. Petrus Ransanus vernacule *Razzano* Siculus patria Panormitanus vir ævo suo & posteris eruditione, pietate, titulis, rebusque præclare gestis insignis circa MCCCCXX plus minusve natus ordinem Panormi professus est in conventu S. Zitæ dicto anno MCCCCXXVIII, ut habet Pius, erecto. Liberalibus prope omnibus claruit disciplinis: orator enim erat & rhetor eximius atque poëta, historiæ peritia & sacræ doctrina theologiæ præstantissimus, cujus eruditionis fama Ferdinandus Neapolis rex excitatus, eum ad se accersivit circa MCCCCLXXV & filiorum suorum Alphonsi primogeniti postea hæredis, tum & Joannis deinde cardinalis præceptorem esse voluit, quem & postmodum jam a Sixto papa IV sexto kal. nov. MCCCCLXXVIII Lucerinum antistitem promotum idem rex anno MCCCCLXXXVI in Pannoniam ad Matthiam Corvinum Hungarorum regem invictissimum oratorem suum & legatum misit. Hanc ille legationem integro gessit implevitque fideliter & felicissime triennio, de qua sic Antonius Bonfinius Dec. 4 L. 8 p. 647: *Superiori anno* (1486 scilicet) *Petrus Siculus episcopus Lucerinus historicus & orator optimus a Ferdinando missus erat:* addit p. 652 Petrum nostrum interfuisse regis ejusdem Matthiæ funeri cum legato apostolico & aliis oratoribus apud Albam Regiam. *Legatus*, inquit, *apostolicus, ac omnes qui aderant oratores eodem concessere, imprimisque Ferdinandi regis orator Petrus eloquentia doctrinaque non mediocri*, moxque subdit idem pag. seq. 653: *Inter sacrificandum Petro episcopo Lucerino viro doctissimo & oratori Neapolitano datum laudandi regis est negotium. Is de laudibus & gestis ejus sat ornatam & copiosam habuit orationem, & multis (annuente senatu cunctisque pontificibus) jam rationibus ostendit Matthiam regem christianæ reipublicæ assertorem, principem invictissimum & de Romana semper optime meritum Ecclesia, jure inter Divos esse referendum: quod ab universa concione acclamatum est, & gravissimum super eo senatus consultum factum.* Ex quo colligi datur Petrum nostrum adhuc in Hungaria Ferdinandi legatum gessisse anno MCCCCXC, quo Matthias Corvinus die martis VI aprilis Viennæ obiit, unde corpus ejus Albam Regiam translatum & conditum: proindeque legationem ejus ultra triennium fuisse protractam. Quam ubi Petrus implevit, in patriam reversus, rege salutato, statim Lucerinam se contulit ad Ecclesiam sponsam suam, quam eximie ornarat jam antea, multis affecerat, ditaratque pretiosis ornamentis sacrisque vestibus, organis atque donariis, cleri gregisque mores ad sacrorum canonum regulam induxerat, egenorum sublevaverat inopiam, omnibusque curæ suæ subjectis pastor & pater amantissimus carissimusque ad usque obitum fuit: qui & summo omnium mœrore & desiderio meritis & ætate gravis ibidem ex hac mortali luce ad æternam piissime convolavit anno MCCCCXCII in Ecclesia sua cathedrali humi sepultus ad aram majorem omnium lacrymis atque presentia tam cleri quam populi cohonestato illius funere.

De Ranzano nostri omnes qui de viris illustribus qua præsulibus egerunt, qua scriptoribus, passimque & exteri ubi de rebus Siculis vel Hungaricis. Leander Albertus in Descrip. Ital. Reg. XI Apuliæ Dauniæ in Capitanata versionis Kyland. p. 383 Edit. Ital. Venet. 1551 in 4 p. 207, ubi de Lucerina civitate, hæc habet: *Ita scribit Petrus Ranzanus ordinis Prædicatorum vir doctus prudensque & sanctus nostra memoria hujus civitatis episcopus, quam diu sapientissime rexit, & ædificiis etiam auxit plurimis. Post multa laudatissime facta, clericis ad vitæ instituta religiosissima deductis, & Ecclesia sua plurima veste sacra insuper & organis exornata, consuetudineque divina officia more sodalium Prædicatorum celebrandi introducta, quæ illic etiamnum* (anno scilicet 1551) *viget, tandem anno a Chr. nato MCCCCXCII senectute confectus magno apud omnes relicto sui desiderio animam edidit, positusque ante summam templi aram est cum totius civitatis luctu. Multa posteris scriptorum monumenta reliquit, uti in Panormo dicemus, unde origo illi patria fuit. Plurimum nos huic eximio viro tenemur, quod uti persæpe dictum est, magnum ab eo lumen in aliquarum regionum descriptione perceperimus.* Idem Albertus Reg. V Campaniæ Felicis sive Terræ Laboris p. 239, *doctum eum hominem & curiosum laudat.* Meminit & Ranzani Thomas Fazellus noster *Sicilia Rerum Dec.* 1 L. 8, & Franciscus Baronius de Manfredis *Majest. Panormit. L. 3 c. 6 p. 123*, de philosophis illius civitatis & theologis agens, ubi & Ranzanum generalem fidei quæsitorem in Sicilia egisse narrat, quo dum adhuc munere fungeretur ab impio quodam ac nefario percussa est sacra B. V. Mariæ puerique Jesu imago Panormi in templo S. Agathæ anno 1482: vide *p. 163 lib. 1.* Legendus etiam Theodorus Vallius noster in *Compend. p. 153.* Hæc sunt ejus opera:

1. *Commentarius de Rebus Hungaricis* Matthiæ Corvino Hungariæ regi nuncupatus, dum apud eum regis Siciliæ Ferdinandi legationem obiret. Ex auctoris cod. MS typis prodiit cum aliis Rerum Hungaricarum scriptoribus Joannis Sambuci Tirnaviensis viri eruditissimi curis & studio Viennæ Austriæ 1558 fol. Tum postea curante Joanne Bungarsio Francofurti ad Mœnum Vechelii 1600 fol. Quod opus Sambucus epistola ad Maximilianum regem prolixa sic commendat: *Hic vere auctor Ranzanus per indices quosdam regum a Beatrice sibi Vienna datos ex iisdem unde Bonfinius sua descripserat,*

ita deduxit, ut qui de Rebus Hungaricis aliquid prodiderunt, nulla ex parte sit postponendus. Etenim hac brevitate cuncta eleganter est complexus, ac nihil quod in historia requiritur, uspiam omisit. Atque hoc nomine hic scriptor vel præcipue cognoscendus, quod aliqua in Bonfinio vel interrupta vel mendosa librariorum incuria cùm sint, hinc omnium admoneri & non parum ad sinceram & integram veritatis cognitionem juvari queamus. Non idcirco tamen Bonfinius ipse negligendus, qui amplissime res quoque externas prosecutus est, sed ob brevitatem hic etiam commendabilis, & in quibusdam omnino præferendus. Qui cùm diu latuisset (uti adhuc reliqua ejus desiderantur, quippe qui annales omnium temporum alios LX *&* hunc LXI *& ultimum reliquerit) a me opera quorumdam amicorum denique lucem aspicit, dignus qui ante Bonfinii natalem apparuisset.* Quæ ex Sambuco refert noster Sigismundus Ferrarius *Hist. prov. Hung. p.* 454. Non omittendum etsi ex iisdem fontibus tam Ranzanus, quam Bonfinius suos ediderint commentarios, neutrum ab altero accepisse, siquidem æquales erant, licèt Ranzanus paulo senior mortuus anno 1492, cùm Bonfinium ad 1495 pervenisse narrent. Indice XXVII Ranzanus ait se Romæ adfuisse, cùm jussu Nicolai V a purpurato cardinalium senatu solemniter & magnifice Joanni Huniadi parentatum est anno 1456. Hos vero indices XXXVI, nam cæteri sunt Sambuci, scribere se testatur anno 1488.

2. *Volumina* IV *grandiora de omnibus scientiis tam practicis quam speculativis, de Geographia etiam & Historia stylo suavi & comto*, quæ *vidi ego Panormi cùm essem*, inquit Leander Albertus. Sic ex eo refert Vallius *p.* 154 citans ejus opus *Descritione dell' Isole apertinenti all' Italia*, ubi de Panormo. Quam descriptionem MS viderit Vallius, cùm typis non prodierit. Ejus geographiam citat Cæsar Ripa in Iconologia pag. 284, ubi de imagine Calabriæ.

Vita S. Vincentii Ferrerii confessoris ordinis Prædicatorum libris V. Hanc Surius stylo innovatam de more & interpolatam suis Menæis inseruit, sed Henschenius & Pappebrochius in Actis SS. T. I april. ad diem V qualem Ranzanus edidit, & servato primigenio stylo repræsentant ex cod. MS Ultrajectino membraneo antiquo, monentes tamen integrum non esse, cùm liber IV qui prolixissimus esse deberet, brevissimus sit, quinti verò libri solum adsit initium. In Ebracensi celebri inter Bambergam & Herbipolim monasterio cent. 2 n. 100 olim aliud ab ipsis visum fuerat ejusdem vitæ exemplum, sed post annos 12 cùm sibi deficientia ex eo mitti postulassent, quacunque adhibita diligentia non est inventus designatus codex. Diligentiæ nostrorum vel Romanorum vel Panormitanorum est, quæ huic operi desunt, si apud se habeant supplere. Hanc vitam scripsit anno 1455. Lusitanus quidem edidit in collectione vitarum SS. ordinis, sed qualem in Surio reperit.

Item *Carmen Heroicum* 123 *versuum in laudem S. Vincentii dicti.* MS Florentiæ in nostra S. Marci Bibliotheca viderunt præfati Henschenius & Pappebrochius, & laudant loc. cit. p. 478 n. 2.

Officium ejusdem sancti canonicum, quod in nostris Breviariis habetur, Ranzani opus existimavit Vallius citatus p. 154, sed manifeste fallitur, cùm sit nostri Martialis Auribelli magistri ordinis XXIX. Videsis supra ubi de eo.

4. *Vita S. Barbaræ V. & M.* teste Hyacintho Montalto in Historia Sicula ordinis Prædicatorum MS. Sic refert Antoninus Mongitore.

5. *Commentarius de antiquitate primordiis & progressu urbis Panormi.* Quod opus a Francisco Baronio a Manfredis citatur in suo libro *Majestas Panormitana* inscripto *p.* 9, & a Rocho Pirro frequenter in *Sicilia sacra*; ejusque exemplar MS apud D. Abbatem *Lafarina* virum eruditum Panormi se vidisse testatur *T. I p.* 55 *&* 218 servatum. Aliud ejusdem operis exemplum extare in bibliotheca monachorum Cassinensium S. Martini de Scalis ad Panormum testatur Antoninus Mongitore. Rursus aliud item MS in 4 Latine & Italice ab auctore editum apud Vincentium Auria Panormitanum servatum. Sæc. XV.

6. *De laudibus Lucerinæ civitatis commentarius* laudatur ab Ughello *Ital. Sac. T. VIII p.* 462. Meminerunt etiam Leander Albertus, Altamura & Paciuchellus nostrates.

7. *Oratio in funere regis Hungariæ Matthiæ Corvini sub finem aprilis* 1492 *recitata apud Albam Regiam.* Servata forsan inter plures ejusdem *Orationes*, quas MSS in celebri Sambuci laudati Bibliotheca haberi testatur Simlerus in sua Gesneri Bibliotheca aucta, sed & plures ejusdem scriptoris orationes.

8. *Triumphus carmine elegiaco ad Antonium Panormitanum.* Laudat idem Antonius in suis epistolis editis cum epistolis Ferdinandi regis pag. 354. Meminit ipse Ranzanus operis mox recensendi tomo VIII lib. XLI, ubi plures hujus carminis versus refert. Addit Mongitorius Ranzanum poëtica claruisse gloria, & aliquot ejus elegias identidem inter ejus Annales mox laudandos occurrere, ac etiam in commentario supra n. 5 indicato de origine Panormi, quædam etiam ejus carmina haberi apud Pirrum Notit. Eccl. Panorm. & apud Vincentium Littaram de Rebus Nettinis pag. 34.

9. *Opus grande Annalium omnium temporum.* Opus, inquit Mongitorius, egregium & multa eruditione refertum in octo permagna volumina MSS in fol. distributum. Continet libros sexaginta & unum, in quibus nationum omnium ac temporum historiæ describuntur. Ex his suas multi scriptores historias locupletarunt, huicque auctori multum se debere agnoscit Leander Albertus, plurimumque luminis in descriptione regionum Italiæ & vicinarum accepisse, quem adeas in *Puglia piana fra terra Apuglia Daunia nella Capitinata.* De his Annalibus sic censet Thomas Fazellus noster Hist. Sicil. Dec. 1 lib. VIII circa finem: *Scripsit Ranzanus Annales omnium temporum, quod opus morte præventus non complevit, quod his ejus verbis in libro* XL *constat.* » Gerborum, inquit, insulam pons quidam lapide « structus, turribus altis munitus continenter con- « jungebat. Fuisse verò eum pontem structum a Si- « culis constat, quo tempore eorum illi incliti reges « a Normandorum sanguine ducti, Tunisienses re- « ges variis cladibus afficiebant, Aphricæque par- « tem possidebant «. *Et paulo post:* » In Aragonia, « inquit, & in Sicilia atque in cæteris regnis, quo- « rum sum mentionem facturus «. *Hæc ille, & cùm in decem aliis, quos postea tantum scripsit, libris, neque Hispanorum neque Siculorum regum, nec earum provinciarum meminerit, opus eum non perfecisse constantissimum est. Scripsit etiam de ædificatione Panormi opusculum quod extat.* Hactenus Fazellus, qui in opere Ranzani quinquaginta tantum libros agnovisse videtur. Verùm hæc a Fazello nimis præcipiti judicio prolata contendit Mongitorius, qui octo grandiora Ranzani volumina in bibliotheca cœnobii S. Dominici Panormi servata pluries vidit & evolvit, & in iis non quinquaginta libros tantum, sed sexaginta & unum contineri asserit, auctoremque historiam reverà ad umbilicum perduxisse: quam scilicet in primo volumine ab origine mundi exorditur, & in sequentibus ad octavum usque continuata annorum serie ad annum MCCCCXLVIII deducit, in quo opus complevit. Ex quibus Caveum

SÆC. XV in Hiſt. Litter. & eum excipientem Olearium in Bibl. Script. Eccleſ. emendabis, qui ſex libris opus Ranzani coarctari putarunt.

Non omittendi *Libri chorales officii divini juxta ritum ordinis Prædicatorum elegantiſſimi*, quos in uſum Eccleſiæ ſuæ Lucerinæ ſcribi juſſerat, cùm ſuis clericis ut ritum noſtrum ſequerentur, perſuaſiſſet: hos verò cùm juxta concilii Tridentini decreta ritum Romanum aſſumſit illa Eccleſia, a capitulo Lucerino emerunt noſtri Venuſini, quibus & etiamnum utuntur teſte Altamura ad 1492 ubi de Ranzano. De eo præter citatos agit etiam Toppius in Bibl. Neapol. contendens etſi Panormo oriundum, natum tamen Neapoli: at reluctatur non ſolum Leander Albertus ſuppar diſerte aſſerens Panormi primam lucem vidiſſe, ſed & Antoninus Mongitore in Bibl. Sic. faſſus tantum adoleſcentem Neapolim miſſum, ubi in arte rhetorica Thomam Pontanum magiſtrum audivit, ut ipſe Ranzanus teſtatur Annalium T. VIII lib. XLI, ubi ſic habet: *Thomas Pontanus per idem tempus in eadem urbe publico conductus ſalario, in magna frequentia magnopere omnium favore rhetoricam docuit, a quo biennio ipſe inſtitutus ſum.*

F. BENEDICTUS SONCINAS.

* 1493. F. Benedictus Soncinas a patria diœceſis Cremonenſis in Inſubria ſic nuncupatus claruit his annis & edidit librum hoc titulo:

Propoſitiones ex omnibus Ariſtotelis operibus collecta. Venetiis 1493 in 4.

Opus, inquit Luſitanus, dicavit Antonio Pizamano patritio Veneto, & in epiſtola nuncupatoria opus hoc agnoſcit a Theophilo Cremonenſi de quo ſupra ad 1471 prius concinnatum, ſed a ſe recognitum & emaculatum ac etiam maxime auctum contendit. Ejus meminerunt Pius, Fernandez, Altamura ad 1487, Rovetta ad 1478 & Beughemius in Incun. typogr.

F. DOMINICUS CHAVALCHA DE VICO.

† 1493. F. Dominicus Chavalcha de Vico Etruſcus, profeſſione Piſanus, his etiam annis claruit, mira vir vitæ ſanctitate conſpicuus, ac prædicator apoſtolicus, litteriſque ſacris optime inſtitutus & humanis, quod & ſcripta ab eo opera & edita facile demonſtrant, quorum hæc nobis nota:

1. *Tractato dicto Pongie lingua.* Typis pluries prodiit. Editio I quæ videtur omnibus antiquior Florentiæ per Nicolaum in fol. abſque anno. Extat Romæ in bibl. cardinalis Imperiali.

Altera Romæ 1472 fol. quam eleganti charactere Romano in ſuis ædibus curavit Joannes Philippus de Lignamine Siculus Meſſanenſis Sixti IV medicus vir eruditus, qui ſic ad Matthæum de Marcho S. Placidi abbatem præfatur: *Igitur jam ſecundus annus quo me Roma ut juſſit fortuna, vel ut magis divina voluit providentia & habet & poſſidet. Ubi pro mea & veteri & honeſta conſuetudine, dum otioſus ut ſcis eſſe nullo modo poſſum, librorum varia volumina imprimi juſſi.* Extat hæc editio Pariſ. in Regia D 526.

Tertia hoc principio: *In nomine Patris &c. Incommincia il belliſſimo & utile tractato contro el peccato della lingua. Prologo ſopra detta opera compilata & facta per Frate Domenico Chavalcha da Vico Piſano Frate Predicatore.* Finis: *Impreſſo in Firenze appreſſo a S. Maria maggiore per Ser-Lorenzo Morgiani & Giovanni di Piero Tedeſco da Maganza a di quatro di ſettiembre* MCCCCLXXXXIII fol. par. Hanc ego F. J. E. vidi Florentiæ apud ſodales S. Mar. Novel. dum illac tranſirem anno 1681 menſe auguſto,

Recentior laudatur hoc titulo: *Pungi lingua, Frutti della lingua, e trattato della patienza. Venezia, Alla ſperanza*, 1563 in 8, Tomi tres eod. vol. Extat Romæ in bibl. laudata cardinal. Imperiali.

Hoc opus elegans & eruditum non memorant noſtri nomenclatores.

2. *Specchio della croce &c. nella quale opera ſi contiene tutti li miſterii della croce, compilato da Frate Domenico Cavalcha da Vico dell' ordine di S. Domenico huomo di ſancta vita. Vinegia per maeſtro Manfrino Bon di* Monferra 1515 in 4 ſignat. A ad Q. Hæc editio quæ altera videtur, extat apud Pariſienſes Sanjacobeos.

Prodiit iterum ibidem 1543 in 16, quæ editio Romæ in Barber. Rurſus ibid. Franciſci Lorenzini 1562 in 16, quæ editio Romæ in *Imperiali.* Eſt & recentior recognita ac notis illuſtrata a Franciſco Tarviſino Carmelita Venetiis apud Gabriel. *Giolito de' Ferraria* 1568 in 12 pp. 302. Quæ apud noſtros Pariſien. ad S. Honorati.

MS extat Florentiæ in Medic. Pl. LXI cod chartac. 28.

3. *Eſpoſitione del R. P. F. Domenico Cavalcha da Vico Piſano &c. Sopra il Credo overo dodeci articoli della fede. Libri due.* Typis prodiit ante 1500, tum ex antiqua illa editione Venetiis, ad inſigne ſpei 1550 in 8, ſignat. A & Aa ad Ss. Quæ extat apud noſtros Pariſien. ad S. Honorati. Nec hujus operis meminerunt nomenclatores noſtrates, ſed laudat Poſſevinus.

4. *Diſciplina delli ſpirituali.* Ex antiqua priori editione prodiit Florentiæ Joan. Sermartelli 1569 in 8: quæ Romæ in citata Imperiali. Hunc tractatum ignorarunt aut omiſerunt quotquot nomenclatores noſtrates & extrates.

5. *Sermones de Dominicis & de SS. per annum & quadrageſimales.* Sic præſtant mox nominandi, ſed ubi ſerventur MS aut typis excuſi tacent omnes.

Hujus ſcriptoris meminerunt omnes noſtri & extranei, ſed mirum quantum a vero aberrarint. Nam primo errant & in cognomine, quod plerique *Cattalca*, *Cataleum*, *de Cataleis* efferunt, ſic Luſitanus, Gozzeus, Fernandez, Altamura, Poſſevinus: & in perſona quam duplicem diſtinguunt, & in ætate quam variam notant. Luſitanus duplicem diſtinguit, primum p. 68 *de Vico Piſano abſque anno auctorem libri de variis argumentis lingua materna*, alterum *Cattalca de Vicho ex congregatione Labruſcia auctorem ſpeculi crucis ad* 1566. Pius etiam duos, unum de Vico Piſanum ad 1301, alterum Cattalca Apulum ad 1565. Poſſevinus duos, Catalium e Vico Brixienſem ad 1566, & Cavalia Piſanum ad 1550. Altamura duos, a Vico Piſano unum ad 1394, alterum Cattalca ſeu Catalium Brixienſem de Vico ad 1565. Rovettam omitto aliorum errata excipientem. Illi autem omnes non aliunde ita graviter allucinati, quam quod hujus ſcriptoris opera aut MS aut typis excuſa non viderint nec ſcrutandi laborem ſibi ſumſerint, quos omnes ex ſupradictis certis emendabis.

F. NICOLAUS MIRABILIS.

F. Nicolaus Mirabilis natione Hungarus, 1495 patria Coloſvarienſis ſeu Coluſvarienſis, quæ civitas eſt Daciæ, comitatuſque Colocenſis in Tranſylvania caput, ad amnem *Klein Samos*, ſeu parvum Samum ſita, *Koloſvar* indigenis, Germanis *Klauſemburg* dicta, Latinis verò Claudiopolis, ab

ejus conditore Claudio pridem nuncupata, sacræ theologiæ magister, apostolicusque concionator fuit, ac per universum Hungariæ regnum hæreticæ pravitatis inquisitor generalis anno MCCCCXCIII regnante Wladislao Hungarorum rege. Scripsit autem teste Sigismundo nostro Ferrario *P. III, Lib. 2 c. 5 p. 428 sui de rebus Hungaricæ Provinciæ FF. Prædic. commentarii*

1. *Opus de Prædestinatione.* Princ. *F. Nicolaus ex Mirabilibus natus Colosvariensis ordinis Prædicatorum divinæ theologiæ professor, ac per universum dominium serenissimi regis Hungariæ hæreticæ pravitatis inquisitor & apostolicus prædicator, magnifico domino Joanni Schellenbergh regio cancellario se commendat. Magnifice Domine, Etsi pro exhibita mihi humanitate &c.* Datum literæ hujus nuncupatoriæ est 12 Kal. septemb. 1493. Hujus scribendi operis occasionem dedit, quam paulo antea coram ipso Wladislao rege Hungariæ ea de re nuper habuerat in Joannis Baptistæ natali die concio. Ipsum auctoris cancellario regio dicto munus missum in membranis erudita manu descriptum, auroque distinctum, in bibliotheca regia Budæ servatum, obtinuisse testatur supracitatus Ferrarius, Joannem Fabrum episcopum Viennensem, ceu monile sibi gratissimum, quod ipse postea Viennensis collegii S. Nicolai anno Christi MDXL bibliothecæ donavit: ipse verò Ferrarius a PP. societatis Jesu, quorum fidei diligentiæque cura illius hodie commissa est, describendum obtinuisse se profitetur, ac exscriptum sibi servare.

2. *De vera felicitate tractatus.* Hujus meminit auctor (ut antea a se scripti, & eidem regi Wladislao nuncupati) ad calcem operis superioris, uti idem Ferrarius *lib. cit. p.* 437 notavit, sed ubi extet modo non indicat. Altamura vero ad 1493 meminit hujus auctoris, & prioris operis, non vero hujus secundi.

F. JOANNES PISTORIENSIS.

* 1493. F. JOANNES PISTORIENSIS vir religione, sanctitate morum, ac verbi Dei prædicatione seculo XV tota Italia clarissimus, obscurissimis ille Pisciæ Lucam inter & Pistorium natus parentibus & ita egenis, ut porcis pascendis septennis addictus fuerit, a transeuntibus militibus Urbem veterem deductus, cùm in oculis præclari latentis ingenii signa ederet, a nostris ibidem ad ordinem ascitus est. Salerni tyrocinio exacto votisque religiosis Deo nuncupatis Perusium missus ita studiis incubuit, ut emineret inter sodales, & qua memoria valebat acerrima, sacra biblia integra vigesimum ætatis annum vix adeptus, animo comprehensa teneret, & totidem verbis recitaret. Hinc celeberrimus evasit præsertim ab anno MCCCCLX per totam Italiam Ecclesiastes, tantoque successu, ut in plerisque locis, cùm templa auditores non caperent, per plateas ipsum concionari oporteret, tantæ vero humilitatis, ut honores omnes fugerit. Nam & magisterii lauream & episcopatum Aquilanum sibi oblatum constanter recusavit, & semel monitus rempublicam Ragusinam ei obviam advenire, alia progressus via, populum sancte fallens urbem incognitus intravit. Cathari grassante peste, conciones pro foribus civitatis sub dio habebat, ubi supplicationes in triduum cùm jussisset, iis expletis mox pestis evanuit. Vitam gesta miracula S. Vincentii Ferrerii nuper albo sanctorum inscripti prædicare delectabatur, quo factum ut fere ubique in templis aræ Deo sub hujus sancti invocatione erectæ fuerint. Hæc & alia plura Leander Albertus ipsi æqualis fol. 145 b, & 255 a, ubi addit eum tandem Lucæ maximo & Fratrum & totius urbis mœrore extinctum XXI martii MCCCCXCIII hora noctis sexta, & in ecclesia nostra S. Romani ad lævam aræ majoris sepultum. Ejus cum laude meminere Lusitanus ex Alberto Veneto, Razzius pag. 280, Pius, Altamura ad 1442 & ad 1493 veritus ne sint duo, quo metu eum solvo ac præstò unicum. Hujus ut ferunt, servantur SÆC. XV.

Sermones docti & elegantes, qui ab Altamura distribuuntur in *de tempore*, *de sanctis*, *& per quadragesimam.*

In Bibl. nostra SS. Joannis & Pauli Veneta Plut. IV sunt *F. Jo. Jordani de Pistorio ord. Prædicatorum sermones* cod. MS in 4 memb. Sic refert Tomasinus. An idem sit cum hoc nostro Joanne videant & doceant penes quos est codex.

F. AQUINUS SUEVUS.

F. AQUINUS SUEVUS Germanus e Suevia ortus, unde illi agnomen, cum divinarum literarum studio musas etiam coluit amœniores, ingenio præstans, Latinam orationem pure & ornate loquens, philosophia in primis excellens artiumque mathematicarum peritia. Florebat anno MCCCCXCIV Othoni Bavariæ duci apud quem agebat acceptissimus, regnante tum Maximiliano. Sic de eo Trithemius æqualis, qui addit tum plura edidisse his titulis: * 1494.

De numerorum & sonorum proportionibus opus commendatissimum.

Epistola quædam & alia

Altamura addit *Sermones de tempore & de sanctis*, penes quem fides.

F. PAULUS BARBUS.

F. PAULUS BARBUS qui vulgo *Soncinas* a patria cognominatur, omisso gentili paucis noto ejus agnomine, quo Leander Albertus eum laudat in *Descrip. Italiæ pag.* 617 versionis Kyriandri. *Ornavere Soncinum*, inquit, *Paulus Barbus ex ordine Prædicatorum homo doctissimus, uti editis scriptis comprobavit, præcipue vero Quæstionibus ad Aristotelis metaphysica, & in Epitome operum Capreoli in D. Thomam.* Soncinas ergo Paulus seu de Soncino Cisalpinæ Galliæ oppido, ubi natus est, sic nuncupatus (uti scribit gentilis ejus & suppar F. Isidorus de Isolanis) *clara ortus familia jam vix adolescens factus, ordinem Prædicatorum est ingressus, ubi studio semper & moribus intentus, preclarissimo fulsit ingenio, facili dicendi gratia, scribendique puritate. Mores pratulit humaniores, humanam divinamque philosophiam annis pluribus Mediolani professus est, Ferrariaque deinde & Bononiæ: Post assumtam doctoratus lauream prior conventus S. Dominici Cremonensis est institutus, paucisque mensibus* (rexit): *atque in festivitate S. P. N. Dominici* (anno MCCCCXCIV) *animam transmisit ad superos. In extremis laborantem devotissimam ad Deum ac B. Virginem edidisse orationem accepi fide dignis narrantibus. Periere multa illius scripta, nescio cujus crimine. Hujus Pauli extant tantum* † 1494.

1. *Quæstiones super divina sapientia Aristotelis.* Prodierunt primum sub oculis auctoris. Postea illustratæ Lugduni 1579 in fol. quæ editio Paris. in Regia P. 344. Venetiis 1580. Ursellis in arch. Mogunt. Hierati 1622 in 4 pp. 917.

2. *In libros prædicabilium & prædicamentorum expositio.*

3. *Et hic denique liber*, nempe qui prodiit hoc titulo: *Clarissimi S. T. D. F. Pauli Soncinatis vita regularis O. P. Divinum Epitoma Quæstionum in IV libros sententiarum a principe Thomistarum Joanne Capreolo Tolosano disputatarum.* Pluries typis prodiit: Papiæ 1522 in 8 regali, curis dicti Isidori de Isolanis, Lugdu-

 ni Joan. Crispini 1528 in 8 quæ Parisiis in Regia: & ibidem Caroli Pesnot 1580 in 4. Salmanticæ 1580 in 4.

Cæteris (sic prosequitur Isidorus) *utilior ac præstantior, quanto a consummatiori Paulo fuit editus. Sunt apud me multa ejus fragmenta, quæ auctorem omnino suum appetunt, aut scrinia doctorum minime egredi. Indigna enim sunt publica lectione.* Hæc de Soncinate Isidorus citatus epistola ad Franciscum I Francorum regem nuncupatoria Papiæ 1521 quam præfixit huic editioni.

Sic autem de Paulo nostro in Chronico parvo ad calcem Constitutionum: *Hoc tempore* (circa 1484 *claruit M. Petrus de Bergomo vir inter omnes doctissimus... & multos præclaros discipulos reliquit &c. Sub eo etiam studuit M. Paulus de Soncino, qui quæstiones acutissimas in libros metaphysic. composuit, & plura alia eleganter dictavit.* De illius morte Leander Albertus fol. 153. b, eum refert immatura sublatum Cremonæ anno MCCCCXCIV. Idem testatur Razzius pag. 309 & qui sequuntur ad Altamuram usque. Addit Rovetta scripsisse etiam præter relata

4. *In* VIII *libros physicorum, & super artem veterem Aristotelis*, sed cui post testimonium Isidori citati parca fides.

Binæ leguntur Joan. Franc. Pici Mirandulæ principis ad nostrum Paulum datæ epistolæ. Prima sic ei gratias agit: *Literas tuas & quæstiones in* XII *metaphysicæ* (sunt quas Isidorus de divina sapientia Aristotelis vocat) *& libenti animo suscepi, & voluptuose perlegi: in quibus duo præsertim videor agnoscere, & tuam illam ingenii acrimoniam & summam veritatis inveniendæ sitim: nihil enim illis, (liceat Paule scribere quod sentio) non acuti, nihil non ampli, nihil non vegetis ac excussi reperi. Si elucubrationes tuæ reliquæ cum his pari filo convenient, opinor eas ab omnibus extollendas, cum præsertim ita argutæ sint, ut nulla fugiendi superfit latebra, ita defensæ ut arguendi relicta vitilitigatoribus non videatur facultas. Omnia denique se bene habuissent, si in campolum consectaria transmisisses*, Altera sic orat: *Abs te impensissime peto, ut quas in Joannis Capreoli opus elucubrationes perfecisti, ad me mittas: nam D. Thomæ doctrina plurimum afficior, sedulus commentationum ejus cultor, atque ob id quoscunque amplector, qui doctrinam ipsius a calumnia vindicant.*

F. PETRUS DE VINCENTIA.

† 1494. F. Petrus de Vincentia Italus a patria Vicentia civitate celebri sic agnominatus, etsi a doctis viris aliquando dubitatum sit, an ementitum sit nomen, verus auctor asseritur a Rovetta ad 1479 ex vetustis monimentis conventus Vicentini, qui & claruit ad finem seculi XV. Consentit Alva *Sol. Verit. Rad.* 266 *col.* 1750. Scripsit ac edidit hoc titulo:

1. *Opus aureum angelici doctoris sacri ordinis Fratrum Prædicatorum super evangelia Dominicalia & ferialia &c.* Post quem titulum alius immediate subjungitur: *Catena* (aliqua exempla *Catenula*) *aurea angelici divinique doctoris S. Thomæ de Aquino sacri ordinis Prædicatorum nuper redacta super omnia evangelia Dominicalia & ferialia, nec non & quædam de sanctis per religiosum P. F. Petrum de Vincentia sacri Prædicatorum ordinis &c. In alma civitate Venetiarum Benedicti a Fonte impensis. Anno Dominicæ salutis* MCCCCLXXXXIV, XXVIII *april.* in 4, charact. Goth. Incipit a Dom. Sexagesimæ: *Simile est regnum cœlorum &c.* In prooemio sic loquitur auctor: *Mihi quoque F. Petro de Vicentia Prædicatorum ordinis minimo apud summum judicem sedulis orationibus veniam peccatorum impetres.* Ad calcem sic legitur: *Vir in hac parte imprimendi singularis Joannes Rubeus Vercellensis miro modo & admirabili ingenio his nostris temporibus, uti quoddam singulare munus cœlitus, nobis impressam in alma Venetiarum civitate, Benedicti a Fonte impensis dedit*, &c ut supra. Extat hæc editio apud nostros Rotomagi. Dolet Alva, quod bis aut ter auctor repetat nempe initio, in medio, & ad calcem operis, approbationem doctrinæ S. Thomæ ex Innocentii VI sermone *Ecce plusquam Salomon hic*, excerptam: *ita ut nunquam qui eum tenuit, inveniatur a tramite veritatis deviasse, & qui eum impugnavit, semper fuerit de veritate suspectus.* Perpendit Alva duplex illud *eum*, non vero, *eam*: addens dictum pontificis referri *ad S. Thomæ personam præcise, non ad doctrinam.* De quo subtili commento judicent eruditi: certe *eam*, non *eum* ubique legitur, nec aliter syntaxis constare potest, si ad præcedentia attendatur, in quibus de doctrina agitur, cujus singulares & eximias dotes extollit pontifex, adeo ut characterem Gothicum corrupte legisse Alva convincatur.

2. *De Beata Virginis conceptione ducentorum & sexdecim sanctæ matris Ecclesiæ Doctorum vera tuta & tenenda sententia*, Venetiis, typis iisdem 1494 in 4. Alias editiones laudat Alva citatus: Tolosæ absque loco anno & nomine typothetæ, sed in 12. pagg. 120, quam editionem damnavit rector academiæ 9 aug. 1649. Postea Panormi, sed quæ mox a sacro inquisitionis tribunali prohibita. Demum inquit Venetiis 1660 in 8 par. sub ementitis typis Antonii Bladi 1554. De quibus editionibus penes illum fides, Quod autem F. Antonium Reginaldum nostrum sacræ theologiæ magistrum & regium in universitate Tolosana professorem editionis suppositæ Tolosanæ reum traducit, egregie purgat noster Vincentius Baronius *Apologia T. I p.* 319. Hoc unum contendo, cùm certissimum sit istud opus sub nomine Petri de Vincentia jam ab anno 1494 editum fuisse, Reginaldum injuria a quibusdam censeri unicum & verum auctorem, ac decretorum pontificiorum violationis falso ab illis insimulatum & in invidiam vocatum.

3. *Plura alia opuscula ejusdem Petri* MS in Bibl. nostra Vicentina servari testatur Rovetta.

F. JACOBUS SPRENGER.

F. Jacobus Sprenger Germanus conventus Coloniensis alumnus, in ejusdem urbis † 1494
academia jam florebat anno MCCCCLXVIII, quo in comitiis ordinis Romæ celebratis *Tit. Assignationes studiorum*, pro conventu Coloniensi, sic statuitur: *Ad legendum sententias pro forma & gradu magisterii F. Jacobum Sprenger.* Qui paucis ab hinc annis rude donatus & magisterio insignitus sui ejusdem conventus prior electus fuit ac præpositus, eoque munere anno MCCCCLXXV fungebatur: sed & provinciam suam Teutoniæ postea ut ferunt, administravit universam. Id etiam circiter temporis Generalis per Germaniam saltem in diœcesibus Coloniensi, Moguntina &c. fidei quæsitor a Sixto IV institutus unà cum F. Gerardo de Elten sacræ theologiæ magistro Coloniensi, hocque e vivis exempto, in eodem officio confirmatus ab Innocentio VIII, adjuncto sibi F. Henrico Institoris, zelum pro avita religione intrepidum, vigilantiamque ac animi fortitudinem adversus subinde nascentes errores ubique monstravit. Vivebat etiamnum anno MCCCCXCIV Coloniæ degens, ut refert Tritemius, ibidemque apud suos mortuum sepultumque verisimillimum. Hæc ejus recensentur acta & opera:

1. *Joannis de Wesalia concionatoris Wormatiensis paradoxa per M. Gerardum Elten de Colonia & M. Jacobum Sprenger damnata Moguntiæ* 1479. Videsis supra *F. Geraldus de Elten.*

2. *Malleus maleficarum maleficas & earum hæresim, ut framea*

framea potentissima conterens per F. Henricum Institoris & Jacobum Sprengerum ord. Prædic. inquisitores pluries editus. Videsis supra *F. Henricus Institoris.* Gallice redditus prodiit hoc titulo : *Le Maillet des sorcieres*, Lugduni, Stephani Gueynard in 4. Sic *Bibliotequé Françoise Du Verdier.*

3. *De institutione & approbatione societatis seu confraternitatis SS. Rosarii Coloniæ anno* 1475 *septemb.* 8 *primum erectæ, adjectis miraculis & indulgentiis eidem concessis.* Quem librum qua lingua Latina Teutonicave scripserit ac ediderit, adhuc me latet, quod doceant gentiles. Cæterum erectionis hujus eam fuisse tradunt occasionem. Nussio seu Novesio a Carolo Burgundiæ duce anno MCCCCLXXV cum ingenti exercitu obsesso, fereque jam ad deditionem coacto, magistratus & majores Colonienses urbi suæ periculum imminens metuentes, Jacobum nostrum tum priorem adeunt, rogantque ut si quid in eo est ad avertendam hanc tempestatem consilii, illud eis aperiat : re cum primoribus conventus patribus communicata ex horum sententia respondet Jacobus nullum præsentius remedium videri, quam ut ad B. Virginis opem confugiant universi, idque tum egregie facturos, si cultum SS. Deiparæ per rosarium jam a pluribus annis a nostro Alano de Rupe innovatum non solum amplectantur, sed & societatem & confraternitatem instituant, cui sese inscribendum quisque curet cum proposito ritus ejus sacri solemniter deinceps peragendi. Placuit consilium. Dies Nativitati B. V. sacer auspicandæ societati deligitur, processio solemnis instituitur, nomen suum dant omnes, eo cultu se exsolvunt ardentius & frequentius, fructus sequitur optatus pace Burgundum inter & imperatorem composita : quo factum, ut societatem hanc Alexander Nanni de Malatestis episcopus Forolivienfis Sixti IV de latere legatus Coloniæ tum agens confirmarit ac indulgentiis ditarit x martii anni sequentis MCCCCLXXVI. Hæcque prima est confraternitas ut vocant rosarii auctoritate apostolica roborata & approbata, quæ brevi ubique certatim allecta, novisque in dies privilegiis aucta Ecclesiam fere implevit universam. Non omittendum eodem illo die quo Coloniæ instituta est, Beatæ memoriæ Alanum de Rupe cultus hujus insignem promotorem Rostochii ad superos evolasse, hujusque dilectum discipulum de quo postea F. Michaelem Francisci de Insulis sacræ theologiæ magistrum Coloniensem nostro Sprengerio in eo negotio non parum subserviisse. Hujus auctoris præter Tritemium cum laude meminerunt Leander Albertus *fol.* 150 *a*, Lusitanus, Pius, Fernandez in *Concert. & Istor. del Rosar. lib.* 4 *cap.* 1 *fol.* 127 : Fontana in *Theatro & Monum.* Altamura ad 1481 : extrates Possevinus, Miræus, Ægidius Gelenius *De admiranda Colonia Agrippina urbis Ubiorum Augusta magnitudine sacra & civili, Colonia* 1645 *in* 4 *pag.* 450. Dupinius & alii.

F. FELICIANUS.

1495. F. FELICIANUS absque agnomine & ab omnibus scriptorum nomenclatoribus omissus his annis claruit, cujas verò fuerit Italus, an Hispanus, Teutove, ut & quis Jacobus episcopus Beatinus cui opellam suam nuncupat, deprehendere hactenus non licuit, sed forsan id retegent otiosiores & geographiæ ecclesiasticæ peritiores. Scripsit hic Felicianus opellam hoc titulo :

De divina prædestinatione.

Initio exhibetur in imagine rudiori Christus Dominus sedens intra sinum hominem nudum complexus. Ad hujus latera sic legitur : *Liberum arbitrium*, ad dextrum, *bonum tendens ad præmium*: ad sinistrum, *malum tendens ad supplicium.* SEC. XV.

Pag. 2 Quædam sunt sententiæ per columnas oppositæ *De bonis & malis.* Prima : *Bonorum enim laborum fructus gloriosus &c.* Postea :

Incipit tractatus Fratris Feliciani ordinis Prædicatorum doctoris eximii de divina prædestinatione intitulatus. Prologus. Venerabili in C. Patri D. D. Jacobo æterni regis gratia episcopo Beatino F. Felicianus de ordine Prædicatorum petita responsionis exenium (sic pro *xenium*) *& devota recommendationis affectum.*

» Deo propitio, qui de supernæ suæ majestatis « throno æternaliter cuncta prospiciens, prout cui- « que convenire novit accommodat, juxta vestræ « paternitatis mandatum de prædestinatione divina « opusculum de libris utriusque testamenti, de ori- « ginalibus libris sanctorum & doctorum obscuri- « tatibus omissis, & restrictis superfluitatibus in « decem & septem distinctum capitula compilavi, « paternitatem ipsam suppliciter obsecrans, qua- « tenus illud tam exiguum munus a paupere di- « gnemini suscipere gratiose «. *Quid significet nomen prædestinationis. Cap. I. Quia omnis disputatio &c.*

Licet autem S. Thomam de Aquino ex nomine non laudet, tamen non solum ejus sequitur doctrinam, sed & totidem verbis ea refert & exscribit, quæ sanctus doctor habet prima parte Summæ Q. XXIII de prædestinatione, ea statuens ut doctrinam certam & indubitatam, & pauca alia in ejus confirmationem addit. Ad calcem sic legitur :

Explicit tractatulus F. Feliciani ordinis Prædicatorum de divina prædestinatione intitulatus, feliciter impressus anno salutis nostræ MCCCCXCV in 4 foll. 15. Abest locus editionis & nomen typographi. Extat apud nostros Parisienses ad S. Honorati & in Regia D. 789. Laudatur & in Bibl. August. Reiserii pag. 95. Hæc editio recensetur etiam a Beughemio in Inc. Typog.

MS. etiam recensetur codex duplex in dicta August. indicis Reiseri pag. 48 & pag. 55 in fol. utroque & cum aliis compactus.

Ejusdem crediderim opus, quod prodiit hoc titulo : *F. Feliciani defensio providentiæ divinæ*, Burdigalæ 1657 in 4. Prostabat in Bibl. Oiseliana auctioni exposita Lugd. Batav. 1688.

F. THOMAS DE ARGENTINA.

F. THOMAS DE ARGENTINA a patria in Alsatia sic & a professione nuncupatus ex fide Simleri ad annum MCCCCXCV clarebat, quo & scripsit 1495.

Sermones, qui a Trithemio dicuntur reliquis hujus generis omnibus præferri. Sic Simlerus.

Librum etiam unum meditationum, epistolas & quæstiones.

Hunc cum ejusdem nominis Eremita Augustiniano anno 1357 mortuo confundit Possevinus, quem excipiunt Bellarminus, Miræus, Patrologus, & Elssius, cui tamen Trithemius non sermones, sed scriptum in libros IV sententiarum, & aliud in constitutiones sui ordinis tantum tribuit : quod & animadvertit Labbeus in Dissert. Histor.

F. JOANNES MARTIN.

F. JOANNES MARTIN Hanno patria & professione Valencenensis, vir a pietate commendatus, Duaci aliquando theologiam docuit lector primatius, suis etiam præfuit Valencenensibus prior, quo munere fungebatur anno 1495 MCCCCLXXIX ex tabulis ejus domus, & ex iisdem obiit anno MCCCCXCV Kal. maii. Scripsit Gallice stylo ingrato, obscuro & duriori, sed ejus ætatis & nationis homini facile donando

SÆC. XV. *La legende de Monseigneur S. Dominique pere & premier fondateur de l'ordre des Freres Prêcheurs, translaté du Latin en François par venerable religieux & prêcheur excellent Frere Jehan Martin dudit ordre, & du convent de Valenchenes. Imprimé nouvellement a Paris par Jehan Trepperel libraire & imprimeur demeurant a Paris en la rue neuve notre dame a l'enseigne de l'escu de France*, in 4 par. seu 8 mag. Abest annus, sed ex opere cui titulus, *Histoire de l'imprimerie* pag. 67 discimus Johannem Trepperel ex iis esse qui anno 1495 plura opera Gallice excuderunt.

Scripta est hæc legenda per modum dialogi inter confessarium seu conscientiæ moderatorem, & devotam pœnitentem. Eam vero auctor ex B. Jordano, Constantino, Humberto, & Theodorico de Appoldia se collegisse asserit, sed plura etiam adjecit ex revelationibus nostri Alani de Rupe, quæ in historiam inferri numquam debuerunt.

F. THOMAS SCHIFALDUS.

* 1495. F. THOMAS SCHIFALDUS vernacule *Schifaldo* Lilibæi in Siciliæ insula seculo XV nobili sanguine natus, ibidemque ordinem professus, in omni scientiarum genere excelluit, inquit Pius *della progenie di San Domenico lib.* I *pag.* 115, orator facundus, poeta laureatus, theologus præstantissimus, ac virtutibus simul ornatissimus. Hunc quem inter scriptores nomenclatores nostri omiserant, iis restituit Antoninus Mongitore in sua Bibl. Sic. quem hic excipio. Itaque ex Joanne Jacobo Adria in libro MS *de Valle Mazariæ*, tradit Schifaldum amœnioribus litteris plane instructissimum claruisse: his autem eruditum fuisse a Francisco Patritio seniore, eo scilicet qui anno MCCCCLX Cajetanus episcopus renunciatus est, ut habet Ughellus *Ital. Sac. T. I pag.* 587. Tum vero Schifaldus quas apprime callebat, politiores litteras multos docuit, inter quos Adria seipsum numerat: qui & addit Schifaldi operâ linguæ Latinæ nitorem in Sicilia multum effloruisse, omnesque illius ætatis rhetores ac poëtas ab ipso humaniores litteras didicisse, ex ejusque schola elegantissimos prodiisse. Cùm autem anno MCCCCXCIV Alphonsus Neapolis rex Mazariam accessisset, & ibi Schifaldum docentem invenisset, ejus consuetudine plurimum delectatus est, & cùm Albinum quemdam poëtam suum secum adduxisset, uterque Albinus & Schifaldus honesta æmulatione alter alteri carmina Latina scribentes, non parum poëtica studia foverunt. Vixit Schifaldus usque ad annum MCCCCXCV, at ubi quove anno obierit, Mongitorius non assecutus est. Hæc ejus opera:

Vita B. Petri Hieremiæ Panormitani ordinis Prædicatorum de quo supra ad 1452. Hanc primus typis edidit Octavius Cajetanus S. I. in vitis SS. Siculorum T. II pag. 254, unde Bollandus intulit in Acta SS. T. I Martii p. 294, uterque ab auctore Anonymo sed synchrono scriptam professi, at quam a Schifaldo editam testatur noster Joannes Baptista de Franchis in indice auctorum quibus usus est in vita sua ejusdem B. Petri. Idem asserit Hieronymus Ragusa in Elogiis Siculorum pag. 290, & in Siciliæ Bibl. Veteri pag. 275: stylum vero auctoris a se immutatum monet dictus Octavius Cajetanus, cui in suo codice MS exscribendo erratum exciderit. Initio enim dicitur Petrus anno MCCCLXXXI natus, postea anno MCCCCI vestem ordinis induisse, deinde anno MCCCCXXVIII à magistro ordinis Panormum missum, hæc sibi constant. At sub finem dicitur idem Petrus mortuus anno MCCCCLII ætatis LX, quod certe non convenit, & legendum ætatis LXXI, vel in omnibus præcedentibus annis error esset, quod non verisimile.

De viris illustribus ordinis Prædicatorum. Opus MS in 4 servatur in Bibl. ordinis Panorm. nempe apud S. Dominicum. Simile vel alterius operis exemplum habebat Andreas Hortolanus juris peritus hoc titulo: *Chronicon provinciæ Siculæ de illustribus S. Dominici viris* teste Francisco Baronio de Majest. Panorm. pag. 146. Vidit etiam Pirrus, & meminit Sicil. Sac. T. III Notit. Eccl. Mazar. pag. 562. Hujus vero operis fragmenta quædam refert Joan. Bapt. de Franchis citatus in vita B. Petri Hieremiæ pagg. 75, 76, 150, 151, 179, 185 & 206.

Commentaria in psalmos.

Quæ hactenus seria & theologica, plura vero ejusdem ab Adria laudantur ad musas amœniores spectantia.

Bucolica in plures eclogas distributa.

De adventu Caroli VIII regis Francorum Neapolim, ex qua regem Alphonsum expulit.

Ars poëtica de ratione carmina cujuscunque generis ac metri condendi.

Epigrammata in Albinum regis Alphonsi poëtam.

Elegia.

In Juvenalem poëtam commentaria.

In Persium Satyricorum principem commentarii ad Joannem Thomam Montecatinum regium adolescentem anno Dñi MCCCCLXI, cujus operis epistolam nuncupatoriam Sebastianus Bagolinus exscripsit in libro a se composito, & MS servato, cui titulus, *Il Moncada*: servatur autem Schifaldi opus MS Alcami, ut Mongitorius ex relatione sibi transmissa habuit, in cujus fine sic legitur: MCCCCLXXII *mensis julii II Indict.* V *anno a nativitate Dñi Alcami hoc opus transcripsit Jacobus Adragna terra Alcami.* Et Bagolini manu additum est, Schifaldum etiam elucubrasse

Commentum in Horatium.

F. LUDOVICUS DE FERRARIA.

F. LUDOVICUS DE FERRARIA a patria sic & professione dictus, quem non solum ætate maturum, sed & jurisconsultum jam in seculo celebrem, & apud suos clarissimum, ordini nomen dedisse aiunt: a magistro ordinis Salvo Cassetta procurator generalis in aula Romana institutus fuit anno MCCCCLXXXI, quo munere functus est ad annum MCCCCLXXXIV: tum enim Bartholomæus Comatius Salvi successor Ludovicum dimisit, & Barnabam Sassonum ei suffecit. Innuere tamen videtur Leander de eo agens fol. 153 b, eidem muneri postea restitutum a Joachimo Turriano, & in officio defunctum, sic enim habet: *Ludovicus Ferrariensis ille vir ingentis litteraturæ, qui agens ordinis Prædicatorum in Romana curia causas, vulgo dictus procurator, Viterbii interiit anno Dñi* MCCCCXCVI, *relinquens post se,* † 1496

Commentaria in Aristotelis ethicam.

Ejusdem meminit Lusitanus addens multa alia scripsisse, sed a se non visa. Idem habent Razzius p. 309, Pius, Fernandez, Fontana in Theatro, Altamura ad 1497. Rovetta negotium hîc nobis facessit. Duplicem enim distinguit, alterum *de Valentia Ferrariensem* dictum & conventus Bononiensis alumnum ad 1496, alterum *Ferrariensem* simpliciter nuncupatum ad 1505, utrumque procuratorem ordinis generalem, utrumque operis a Leandro laudati scriptorem. Sed delusum hinc constat, quod unicus nobis fuerit hujus nominis procurator generalis, unicum laudent scriptores ab eo utrobique testes adducti, Lusitanus, Pius, Fernandez, idem præterea opus utrique ascriptum. Fateor & alia suo de Valentia Ferrariensi opera tribuere, hæc nempe

Commentaria in VIII Physicorum libros, & in librum de causis.

Tractatus theologicos de gratia, de incarnatione, & de sacramentis.

Bene est, igitur Ludovici a Leandro laudati ad 1496, proinde suus Ludovicus ad 1505 locatus, reipsa nullus, cui alia a primo nulla concedit.

Non videtur omittendum quod de isto Ludovico de Ferraria Timotheus Perusinus narrat, illum scilicet Florentiam ab Alexandro VI missum ad Hieronymum Savonarolam, qui ei purpuram offerret, modo se non amplius prædicaturum polliceretur, quam dignitatem & conditionem vir Dei constanter repudiavit. Eo vero loci Timotheus Ludovicum sacri palatii magistrum appellat, quo munere forsan functus fuerit non ex officio, sed ceu vices gerens Pauli de Moneglia tum absentis, quem Fontana ait anno 1494 ab Alexandro VI inquisitorem generalem Genuam missum ob majoris momenti negotia.

„ Floruit circa hæc eadem tempora quidam ordinis Prædicatorum F. Ludovicus dictus, qui stipendio publico cathedram philosophiæ ordinariam in gymnasio Ferrariensi regebat. Cùm autem anno MCCCCXC senatus Venetus cathedram theologicam in via S. Thomæ in universitate Patavina erigendam duxisset, Ludovicum illum elegit, qui primus eam obtineret. Sic habet senatus consultum a Tomasino relatum gymnasii Patavini p. 281, cujus hæc tantum refero: *Vadit pars quod præstans D. magister Ludovicus ordinis Prædicatorum, qui in præsentiarum legit ordinariam philosophia in gymnasio Ferrariensi, conducatur ad legendum theologiam juxta doctrinam S. Thomæ cum eodemmet salario modis & conditionibus, cum quibus legit supradictus magister Gratia, quod quidem salarium est florenorum* XX *in anno. Datum in nostro ducali palatio die* VI *novemb. indict* IX MCCCCXC. M. Gratia hîc laudatus erat ord. Min. & cathedram regebat in via Scoti. Cujas verò fuerit iste Ludovicus primus cathedræ Thomisticæ Patavii erectæ moderator, non reperio, etsi enim a gymnasio Ferrariensi vocatus, non sequitur indidem fuisse. Decem annis hanc spartam ornavit ad annum MD, quo datus ei successor. Id porro monendum visum est, ne idem putetur cum superius laudato ordinis procuratore generali, cùm utriusque munia diversa omnino fuerint, nec simul cohærentia. Si verò is est quem alterum Ferrariensem Rovetta indicare voluerit, hoc incommodi accidit, quod nulla ejus scripta prodantur, licèt post tot annos regiminis scholæ, quædam non reliquisse difficile videatur.

F. HIERONYMUS ALBERTUCCIUS DE BORSELLIS.

1497. F. HIERONYMUS ALBERTUCCIUS DE BORSELLIS Italus Bononiensis patria & professione, vir rarissimus inquit Leander fol. 146 a, & in prædicando disertissimus, sed & in historia maxime deliciatus, mortem obiit ex pleuritide anno MCCCCXCVII die XXV novemb. Ejus vitam idem Leander fusius scripsit, quæ Bononiæ apud [illegible] servatur. Hæc sunt autem Hieronymi opera eodem Leandro recensente fol. 153 a:

1. *Annales ordinis Prædicatorum ingeniose & accurate compositi.*
2. *Chronicon seu epitome gestorum ab orbe condito ad ann.* 1497.
3. *Annales cœnobii Bononien. ab instauratione vitæ regularis ad suam usque ætatem.*
4. *Tabula de generalibus magistris ordinis Prædicatorum.*
5. *Tabula altera de doctoribus asseverantibus beatissimam matrem originali peccato aliquando fuisse obnoxiam.*

6. *Tabula de Viris Illustribus ordinis Prædicatorum.* SEC. XVI.
7. *Historia pontificum Romanorum a S. Petro ad Alexandrum VI.* Sic Leander in *Descrizz. d'Italia* p. 274, ubi addit & sequentia:
8. *Chronicon seu descriptio plurium Italiæ civitatum.*
9. *Chronicon civitatis Bononiensis.*
10. *Sermones.*

Hæc MS Bononiæ servari testatur idem Leander, quem excipiunt Lusitanus, Pius, Fernandez, Altamura ad 1489, Rovetta ad 1494, Bumaldus in Minerval. Bonon.

F. GEORGIUS ORTER.

F. GEORGIUS ORTER natione Franco, patria Fricxenhausensis, professione prædicator « 1497. & disciplina Lipsensis, perspicacis vir ingenii, eloquio paratissimo. Hic ubi in studio coaluisset haustis philosophiæ fimbriis, ut erat natura religiosus ad divum S. Dominici ordinem in *Lipzæ* confugit, ubi cùm in scholasticis D. Thomæ partes repetendo, & alia pleraque legendo non parum laboravisset, in vulgus declamando quamplurimos annos quam fidelissime absumpsit. At ubi in diversa ordinis negotia præcipuus mitteretur, frequentia sermonum, ut putabatur, morbo correptus interiit. Extant ejus non negligenda opuscula, quibus nomen suum nostris memorandum reliquit, de quibus subnexa feruntur «

1. *In conceptionem Deiparæ Virginis libri tres.*
2. *Quadragesimale.*
3. *Sermones de tempore, per adventum & de Sanctis libri tres.*

Claruit autem anno Domini MCCCCXCVII. Sic totidem verbis legitur: *Scriptorum insignium, qui in celeberrimis Lipsiensi, Vittenbergensi, Francofordiana ad Oderam Academiis a fundatione ipsarum usque ad annum Christi* 1515 *floruerunt centuria ab auctore ejus temporis anonymo concinnata, nunc verò in lucem edita a Joachimo Joanne Madero Hannoverano, Helmestadii* 1660 *in* 4, *num.* XXX. Quibus placet addere, quæ de hoc auctore ejusque de conceptione opusculis narrat Alva Sol. Verit. Rad. 263 col. 1671. » Inter alios, inquit, qui scripserunt contra Sebastianum Titium Brant J. C. Cæsareum & cathedraticum Lipsiensem, fuit quidam doctor ordinis Prædicatorum vocatus Georgius de Frickenhausen, cujus nulla memoria apud nomenclatores Dominicanos, vel ullum alium scriptorem ecclesiasticum, & certe immerito, quandoquidem tria opuscula ediderit diversa de conceptione contra piam sententiam, vestigia non sequens Wigandi & aliorum, sed scripsit sensate ac modeste satis pro sua opinione relinquendo scommata atque convicia. Istius opuscula duo (*leg.* tria) & tria (*leg.* duo) Sebastiani Brant cum tractatu Petri Aureoli Franciscani pro pia opinione recepi mutuo a P. Antonio Moreto S. J. Wratislavia compacta simul in 4, & impressa in florentissimo studio Lipsicensi die martis post festum S. Luciæ virginis A. D. 1489. Primusque titulus sic se habet «:

Repetitio disputationis de immaculata conceptione gloriosæ in florentissimo studio Lipsiensi &c. cum responsionibus & replicis, in qua fundatis juribus & theologicis rationibus evidentissime ostenditur, quid dicta disputatio veritatis in se contineat cum bulla apostolica.

» Occasio hujus disputationis primæ & reliquarum subsequentium fuit hæc. Pervenit ad Germaniam bulla Sixti IV, *Grave nimis &c.* silentium indicens de materia conceptionis. Sebastianus «

Sæc. XV. » Brant propter illius declarationem fecit in studio » Lipsiensi disputationem brevissimam de immacu- » lata conceptione, cujus principium: *Cùm ista* » *altercatio &c.*

I opusc. F. Georgii. » Contra istam relectionem surrexit ex abrupto » relatus Georgius de Frickenhausen cum repeti- » tione quæ incipit: *Tota disputatio istius Dñi docto-* » *ris sub iis comprehenditur articulis. I articulus est* » *in quo D. doctor, qui præsentem materiam juri-* » *dice se determinasse asserit, nititur ostendere,* » *quod salvum sit unicuique tenere quam velit* » *partem, & quod sub pœna excommunicationis la-* » *tæ sententiæ una pars aliam tanquam heresim* » *condemnare non debeat & probat hoc ex aucto-* » *ritate bullæ Sixti IV &c.*

» Conatur igitur ostendere F. Georgius dictus » etiam post expeditam bullam non esse salvum » unicuique tenere quam velit partem, quia dicere » Virginem esse conceptam sine peccato originali » est hæresis formaliter & intrinsece, & tamen » Sixtus solum declaravit sustinentes prædictam » sententiam non esse hæreticos formaliter. Hæc » enim duo bene stant simul, ut patet in exemplo » Joachimi abbatis, qui sustinuit hæreses, & tamen » non fuit hæreticus.

» Concludit verò opusculum suum sic: *Et ideo dicit S. Bonaventura ubi supra, quod magis congruit pietati fidei dicere B. Virginem esse in peccato conceptam. Unde apparet quod plures sub apparentia pietatis plura volunt excusare, cùm tamen magis censenda sit impietas quam pietas &c.*

» Opusculum II contra doctorem Brant proposuit » sic: *In primis quidem dicit idem dominus doctor &c.* & statim incipit F. Georgius ostendendo summam in Ecclesia D. Thomæ doctrinæ auctoritatem summorum pontificum bullis & diplomatibus confirmatam. Prosequitur ostendendo ei favere scripturam sacram & sanctos Patres, quæ fusius refert Alva, & egregia ejus verba fatetur & laudat. Finis opusculi: *Non video quomodo absque errore,* (qui inde sequi posset) *& temeritate, homo doctus valeat ab eorum concordi sententia recedere id est sanctorum Patrum. Fateor tamen quod simplices, qui ignorant scripturas & sententias sanctorum doctorum licite possint contrarium opinari, & credo quod propter tales Sixtus dederit bullam. Quod autem papa & cardinales hanc opinionem contra dicta sanctorum sustinent, & cur non obvient erroribus, non est mei discutere, absit ut os meum in cœlum ponam. Scio multa oportere in Ecclesia Dei tolerare papam & cœtum sacerrimum dominorum cardinalium, quæ si in judicium ducerentur, venirent maxima animadversione plectenda. Non tamen ideo approbantur quia tolerantur, ut dicit B. Augustinus ad Vincentium Donatistam & in cap. I, XXI q. VII.*

Opusculum III scriptum tamen ante præcedens II, cùm in eo citetur, sic refert Alva:

» Nescio an Sebastianus Brant, vel aliquis Fra- » ter Minor ediderit opusculum jam a nobis typis » mandatum in antiquis Monumentis immaculatæ » conceptionis sub hoc titulo: *Clypeus contra jacula adversus sacram & immaculatam Virginis Mariæ conceptionem volitantia per modum trium sermonum cum quadam quæstione theologica ac disputatione juridica in scholis juristarum almæ universitatis Lipsiensis facta sub anno D. I.* 1489, cujus » initium *Tota pulcra es &c.* » Contra hunc surre- » xit P. Frickenhausen cum III opusculo sub hoc » titulo: *Repetitio fabulosæ narrationis, quæ aliâs ab auctore suo intitulatur, Clypeus contra jacula &c. comportata per P. Georgium de Frickenhausen ordinis Prædicatorum sacræ theologiæ professorem, in qua repetitione evidentissimè ostenditur, quid præfatus Clypeus ac dicta disputationis invalida determinatio, & sophistica corroboratio in se contineant veritatis.*

I articulus continet quandam fabulosam narrationem, qua sancti doctores & orthodoxæ fidei fundatissimi restauratores turpissimè dehonestantur.

II articulus continet quamdam ruinosam instaurationem, qua execrabiles errores, ac ecclesiasticæ fidei impudentissimi subversores luculentissimè explorantur (sic) *fortè*, exploduntur.

III A. continet quamdam infructuosam evasionem, qua scripturarum veri expositores, ac regulata fidei imitatores incautissimè postergantur.

» In I nititur probare concordem SS. omnium » PP. sententiam favere D. Thomæ. »

In II negat librum S. Dominici *de corpore Christi contra Albigenses*. Negat tractatulum Richar- » di a S. Victore pro immaculata conceptione. Af- » firmat auctoritatem Holkot ei objectam fuisse » falsificatam. »

Denique (de III) concludit suum opusculum » proponendo qualiter omnes fideles debent acquie- » scere interpretationi sacræ scripturæ factæ per » doctores, quorum vita & doctrina est per Eccle- » siam approbata ».

Hæc Alva & multo plura, quæ historicè tantum velim lector accipiat a me relata, & ut qualemcumque hujus auctoris a nostris hactenus omissi dem notitiam, cùm & rei literariæ intersit alias acta rescire: cæterum quantum ad quæstionem juris hæc omnia dicta sint cum summa constitutionum apostolicarum veneratione.

In catal. codd. MSS Bibl. Lipsien. seu Paulinæ apud Fellerum p. 211 recensentur n. 32 *Tractatus pro immaculata conceptione Virginis ad triplicationem Georgii Frickenhusii.* Duplex. Tum *Apologia adversus invectivam & injuriosam triplicationem a quodam Jurista studii Lipsiensis super scriptum Georgii Frickenhusen SS. theologiæ professoris editum.*

F. GEORGIUS ANTONIUS VESPUCCIUS.

F. GEORGIUS ANTONIUS VESPUCCIUS Etruscus conventus S. Marci Florentiæ alumnus 1497. Græce in paucis peritus, a Savonarola de quo mox priusquam in carcerem detruderetur, & dum liber sodales suos regeret, mandatum acceperat, ut Latine redderet

Sexti philosophi monumenta Græca, quæ in bibliotheca dicti conventus servabantur, in quibus universæ doctrinæ humanitus inventæ contineri ferebantur. Sic habet Picus Mirandulanus in vita Savonarolæ cap. 2.

Vespuccium non obtemperasse difficile mihi persuadeo, sed si quid egerit, MS mansisse nec prælo commissum certius est.

HIERONYMUS SAVONAROLA.

HIERONYMUS SAVONAROLA, sic 1498 enim laudatur in imaginibus Romæ in ære insculptis, & ibidem anno MDC venalibus, & merito quidem, cùm hunc saltem ei titulum pepererint, tum vita inculpate & integerrime ad ultimum usque spiritum acta, tum zelus quo pro domo Dei exarsit, & quo ferventissimis concionibus pietatem Christianam auditoribus instillare & ad amorem Dei omniumque virtutum praxim accendere studuit. Revera ingratus populus Florentinus tot præclara egregii viri in se merita pessime compensavit, eum tandem in crucem agendo, & corpus ejus flammis tradendo: at tantum abest ut hoc ignominiosæ mortis genus quid ejus famæ labis in-

verſerit, quin illuſtrarit potius, adeo ut non ſolum quæ vivens bonis omnibus acceptus edidit opera, ſed & quæ ultimis vitæ diebus in carcere & inter carnificum manus meditatus eſt & ſcripſit aut tantum elocutus eſt, ſumma diligentia collecta ſint, piorumque manibus etiamnum verſentur, & cum non pœnitendo guſtu & fructu legantur. Joannes Franciſcus Picus Mirandulæ dominus & Concordiæ comes, princeps ea ætate eruditione & pietate clariſſimus, Hieronymo perquam familiaris, & ſumma animorum conſenſione devinctus, eo adhuc vivente, ſed tum ab adverſariis inique oppugnato, apologiam ejus ſcripſerat, & Florentiæ apud Laurentium de Morgianis anno 1497 in 4 typis ediderat, eo verò mortuo vitam ejuſdem apprime & ex uſu quotidiano ſibi cognitam ſcripſit, & e Mirandula edidit anno 1530, quo in utroque opere omnia Hieronymo ab æmulis objecta ſapientiſſime diluit. Utrumque notis uberioribus illuſtratum, & additionibus ex æqualium qui omnium teſtes fuerant in hac tragœdia actorum ſeu noſtrorum, ſeu præſtantiſſimorum ordinis Franciſcani doctorum in defenſionem Hieronymi opuſculis auctam iterum edidit R. P. Jacobus *Quetif* hujus bibliothecæ præcipuus auctor, & Pariſiis e prælo Ludovici Bilaine anno 1674 in lucem emiſit tomis duobus in 12, quos proinde adeat lector ſingula Hieronymi acta fuſius ſciendi avidus, cùm in iſtis longius evagandi non permittat hujus operis ratio. Illud ſolum moneo, anatomiam ut ita dicam, illic viſurum lectorem confeſſionis Hieronymi ab adverſariis illi ſuppoſitæ, & anno 1498 ſtatim ab ejus morte Florentiæ editæ, ſed ita imprudenter fabrefactæ, ut etiamſi vera eſſent omnia in ea narrata, ex ea tamen nullum exſculpi poſſit crimen judicio ſeu civili ſeu eccleſiaſtico morte dignum. Puerilia in ea ſunt multa, ſtulta quoque plura, quæ hominem elleboro potius curandum exhibent, quam ſupplicio afficiendum. Unde illa confeſſio ceu ab æmulis confiɑta ſemper habita eſt, at quæ ab homine gravi, ſui ſemper compote, & ad ultimum uſque vitæ halitum nonniſi ſolida, pia, Dei & Chriſti amorem ſpirantia ſcribente aut dicente nunquam prodire potuit. Ceu hæreticum Hieronymum ſic vage damnarunt judices Florentini, ſed nullam ab eo, quod tamen debuerant, ſi vera eſſet accuſatio, ullius hæreſeos vel articuli erronei revocationem exegerunt, imo ſacramentis pœnitentiæ & Euchariſtiæ quæ cum magna humilitate, nec minori devotione excepit, ut imbueretur permiſerunt, quibus & Alexander VI indulgentiam plenariam addidit. Unde juſti rerum æſtimatores Hieronymi mortem non ob hæreſim, quod ſe prophetam falſo jactarit, ſed ſolius politicæ ratione illi inflictam cenſent. Nimirum immutandæ reipublicæ Florentinæ, quam ſartam tectam, & ad Venetæ formam ſtabiliendam conſervare & in dies perficere ſatagebat Hieronymus, quibuſdam conſilium erat; in ea dominandi cupidis, quibus ille cùm obſiſteret de medio tollendus fuit. Quantum ad vitæ chronologiam natus is eſt nobili loco Ferrariæ XXI ſeptembris anni MCCCCLII, apud parentes a pueritia chriſtiane & liberaliter educatus: iiſdem jam ætate maturus ætatis jam annorum XXIII, pie deluſis Bononiam ſe contulit, & veſtem ordinis induit die XXV aprilis anni MCCCCLXXV, tandem poſt exactos in continuo prædicationis munere omnes vitæ ſuæ annos in crucem actus eſt die XXIII maii anni MCCCCXCVIII ætatis XLVI inchoato non completo. Qualis & quantus fuerit docent ejus ſcripta, pietatem, eruditionem, amorem Dei, ſtudium ſalutis animarum flagrantiſſimum, vitæ regularis ſeverioris affectum ſpirantia omnia. Hæc ex tomo altero ejus vitæ a R. P. Jacobo Quetif laudato editæ hîc dantur in quatuor claſſes ut ibidem diſtincta.

CLASSIS PRIMA.

Aſcetica.

1. *Tractatus de ſimplicitate vitæ chriſtianæ* in libros quinque diſtributus, & ab auctore Latine ſcriptus contra morſus impiorum & obtrectatorum, firmandiſque in pietate diſcipulorum animis & fidelium, quibus illum nuncupat, uti narrat ipſe Hieronymus in præfixa operi epiſtola. Opus eruditum & pium, quo morum & fidei dogmata dilucide nervoſeque conſtituit. Incipit: *Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum &c.* Prodiit hic tractatus primum Florentiæ 1496 in 4.

Tum Pariſiis typis Aſcenſianis 1511 in 8. Coloniæ Agrippinæ, Henrici Mameranni 1550 in 16. Poſtea curante viro eruditiſſimo Joanne *Baleſdens* Lugduni Batavorum, Joan. *Maire* 1633 in 12. Denique ſtudio ſodalis Stephani *Meney* Gratianopoli 1667 in 12.

Eumdem tractatum Etruſce reddidit Hieronymus Benivenius vivo adhuc Savonarola, ut Latine neſcientibus quibus inſcripſerat, prodeſſet etiam diſcipulis. Prodiit in lucem Florentiæ, Laurentii Morgiani 1496 in 4. Rurſus ibidem, Hæredum Philippi Junctæ 1529 in 4. Tum & Venetiis 1547 in 8. Gallice reddidit vir ſincere pius Philippus *Chahut* S. I. & edidit Pariſiis, Sebaſtiani Mabre-Cramoiſy 1672 in 12.

2. *Triumphus Crucis.* Opus accuratum, & ab omnibus eruditis probatum, quod eo maxime conſilio Hieronymus edendum ſuſcepit, ut palam omnibus faceret, quo eſſet in catholicam fidem & ſedem apoſtolicam affectus animo, atque ut ab adverſariis ſibi inique objectam ſchiſmatis & hæreſeos dilueret, convelleretque ſuſpicionem atque calumniam. Incipit: *Glorioſum Crucis triumphum contra hujus ſeculi ſapientes garruloſque ſophiſtas &c.* Dividitur in libros quatuor, quorum primo Dei aſtruit exiſtentiam, naturam, & providentiam, hominiſque probat immortalitatem & finem. Altero fidei chriſtianæ veritatem & rationem variis exhibet argumentis. Tertio fidei chriſtianæ myſteria præcipua nihil a ratione vel poſſibilitate probat habere alienum. Quarto veram eſſe Chriſti religionem excuſſis philoſophorum, aſtrologorum, idololatrarum, Judæorum, Mahumetis, & hæreticorum deliramentis. Hoc opus ſcripſit Latine Hieronymus, cùm hæreticum eum adverſarii dicerent, typiſque commiſit Florentiæ 1497 in 4.

Prodiit iterum ibidem 1524 in 4. Poſtea Pariſiis, typis Aſcenſii 1524 in 8. Tum & Baſileæ, Henric-Petri 1540 in fol. Accuratius exinde ſtudio Joannis *Baleſdens* laudati, Lugduni Batav. Joan. *Maire* 1633 in 12. Exinde Romæ ex legato cardinalis S. Onufrii Antonii Barberini Urbani VIII fratris germani typis Propagandæ, abſque anno in 12. Denique Gratianopoli 1666 in 12 curis jam laudati ſodalis Stephani Meney.

At cùm hujus operis deſiderio plurimi tenerentur Hieronymo addicti, Latinæque linguæ qua ſcriptum expertes: eorum & votis paruit Hieronymus, Etruſceque reddidit, non quidem ut præfixa lectorem monet epiſtola, de verbo ad verbum, nec ſententia ſententiam, ſed ſenſum & materiem per capita ſingula reddens, & ut lectori commodum fore putavit & opportunius, aliqua minuens & addens: quod conſulto ſe feciſſe dicit, ne male tandem ab alio redderetur imperito vel malevolo, typiſque tum edi curavit Florentiæ 1497 in 4, cui editioni præfixum a Dominico Benivenio patritio Florentino theologo & canonico S. Laurentii in eadem urbe viro præſtantiſſimo prooemium in auctoris laudem & defenſionem. Quæ verſio iterum prodiit Venetiis, Bernardini de' Bindoni 1531 in 8,

Sæc. XV. ac iterum 1547 in 8. Notandum libri quarti editionis Latinæ caput septimum suo loco avulsum invectum fuisse a Theodoro Bibliandro in collectionem suam operum adversus Machumeticam insaniam parte altera editionis in fol. Basileæ 1543 & 1550 sub hoc titulo: *Commentatiuncula Savonarolæ Machumeticam sectam omni ratione carere ostendens.*

3. *Dialogus spiritus & animæ interlocutorum*, cui titulus: *Solatium itineris mei.* Incipit: *Cogitante me a facie oculorum Dei projecto &c.* quem libris septem distinxit, quorum primo de Deo, altero de fidei veritate tractat. Tertio Messiam Ebræis venisse probat. Quarto fidem adversus philosophos astruit christianam. Quinto rationes ejus probabiles affert. Sexto vitam fore futuram. Septimo denique viam qua ad illam itur ostendit. Primus e tenebris eruit & edidit Paulus Franchus Parthenopæus Genuæ typis Antonii Belloni Taurinensis 1536 in 8 par. pp. 60 Gothico charactere: nuncupavitque Franchus Marco Cataneo antistiti Rhodiensi & proarchiepiscopo Genuensi epistola eleganti, qua Hieronymi sanctitatem atque doctrinam mire commendat, ac illius mortem maximo fuisse dicit Ecclesiæ dispendio procuratam. Prodiit rursus Venetiis eodem anno 1536 apud Bernardinum Stagninum in 24, tum agente laudato Joanne Balesdens Lugduni Batav. Joan. Maire 1633 in 12. Tandem & Gratianopoli 1668 in 12, curis laudati Stephani *Meney*.

Fuit & Etrusce redditus & impressus Venetiis 1547 in 8.

4. *Dialogus alter rationis & sensus interlocutorum*, cui titulus idem: *Solatium itineris mei.* Tres duntaxat libros complectitur, quod imperfectus, nec ab auctore completus, quorum primus agit de Deo & incipit: *Fili mi attende sapientiam.* Alter de veritate fidei christianæ, & incipit *Fili mi si sapientiam invocaveris.* Tertius contra Ebræos agit, incipitque: *Fili mi sicut Moyses.* Prodiit Venetiis in officina S. Bernardini 1537 in 16. Nec ejus alia a me visa hactenus editio vel interpretatio.

5. *Expositio orationis Dominicæ quadruplex*, sive in eam Lectio, Meditatio, Oratio, & Contemplatio. Incipit: *Religio est virtus &c.* ab eo scripta Latine instante Philippo Valorio & edita Florentiæ absque anno. Tum Parisiis, typis Ascensii 1517 in 12. Postea Venetiis 1537 in 16. Lugduni Batav. curante Joanne *Balesdens* laudato typis Joan. Maire 1633 in 12. Denique instante Stephano *Meney* Gratianopoli apud R. *Philippe* 1669 in 12.

Fuit & Etrusce reddita vivo adhuc auctore ab uno ex ejus discipulis, & edita Florentiæ absque anno. Deinde & Venetiis 1547 in 8. Gallice vertit laudatus supra Philippus Chahut S. I. & edidit cum supra laudata versione librorum de *simplicitate*.

Altera etiam ejusdem *orationis Dominicæ expositio* cum aliis Hieronymi tractatibus edita est Parisiis apud Ambrosium Girault 1538 in 16. Incipit: *Cùm oraveris, non eris quemadmodum hypocritæ* &c. *Hæc oratio omnes orationis species &c.* Subjectis ad singulas petitiones orationibus singulis: ac perbrevis etiam alia *expositio sive oratio sub compendio septem orationis Dominicæ petitiones complectens.* Incipit: *Omnipotens sempiterne Deus, qui te &c.* Sub nomine Hieronymi edidit laudatus Stephanus *Meney* Gratianopoli typis R. Philippes 1669 in 12. Sed an Hieronymi nostri partus ille legitimus, cùm nec stylus aperte probet, nec alia vetustior editio a me visa sit, quam Parisiensis anni 1538, nec auctor alius fide dignus illi ascribat, hæreo, nec ausim Hieronymo certo asserere.

6. *Espositione sopra la oratione della Vergine gloriosa, Ave Maria.* Hanc Etrusca lingua scripsit ad instantiam piarum quarumdam sororum tertiariæ agentium. Incipit: *Ave Maria gratia plena. Questa devotissima & angelica salutatione* &c. Prodiit primum Florentiæ in 4 absque anno. Deinde Venetiis ad insigne S. Bernardini 1538 in 8, tum eadem forma ibidem ad insigne Spei 1547.

7. *Trattato dell' humilità.* Incipit: *Grande & intolerabile presumtione mi pare &c.* Scripsit a instantiam cujusdam ejus spiritualis in Christo filiæ, quod in procemio prioris editionis, nam non nihil in posterioribus editionibus adulteratum fuit, licet animadvertere. Prodiit vivo tum auctore Florentiæ in 4 absque anno. Postea Venetiis ad signum S. Bernardini 1538 in 8. Ibidem eadem forma 1547. Parisiis apud viduam Claudii *de Monstreuil* 1617 in 12. Latine redditum non vidi hactenus hoc opusculum certe nec inutile nec injucundum.

8. *Trattato dell' amore di Giesù Christo.* Opella utilissima septem capitibus distincta, primo neminem nisi per Christum salvari posse ostendit. Altero Christum amare suavissimum. Tertio amantem grande manere præmium. Quarto quo comparandus hic amor modo. Quinto quo & jam adeptus retineatur. Sexto quanta sequatur non amantem pœna. Ultimo tandem incentivas addit ad Christi amorem excitandum novem circiter contemplationes. Incipit: *Manete in dilectione mea. Joan.* 15. *Il nostro Salvatore Christo Giesu essendo alla morte &c.* Prodiit vivo Hieronymo instantibus ejus discipulis, in quorum gratiam scripserat, Florentiæ a S. Maria maggiore 1496 in 4. Tum ibidem apud hæred. Philippi Junctæ 1529 in 4. Venetiis ad signum S. Bernardini 1538 in 8. Postea ibidem ad insigne Spei 1547 in 8. Demum & Parisiis, apud viduam Caroli *de Monstreuil* 1617 in 12. Latine redditum hactenus non vidi.

9. *Trattato della vita vedovile.* Scripsit piarum nonnullarum viduarum excitatus precibus, & tribus distinxit libris. Primo proposito Annæ prophetissæ Phanuelis filiæ exemplo, quæ & qualis verè vidua dicenda capitibus tribus ostendit. Altero totidem capitibus qualis illa solitudine, jejunio, vel oratione sit, & esse debeat. Tertio demum totidem adhuc capitibus qualis ad proximum esse debeat exemplo, lingua, & prudentia. Incipit prooemium: *Avenga che mi senta insufficiente.* Tractatus verò sic: *In quel tempo che nacque Christo, era una vedova &c.* Prodiit cum superiori Florentiæ 1496 in 4 eleganti charactere. Postea Venetiis 1537, & 1547 in 8 cum superiori. Tum & Parisiis ut supra.

10. *Trattato dell' oratione.* Incipit: *Populus hic labiis me honorat. Avenga che sia noto e manifesto a ciascuno &c.* Hac opella probat & laicis & clericis omnibus mentalem omnino necesseque colenlendam esse orationem. Prodiit Florentiæ typis Antonii Miscomini 1495 in 4. Postea cum superioribus Venetiis 1538 & 1547 in 8. Tandem Parisiis 1517 in 12 ut supra. Nondum Latine redditum vidi.

11. *Altro trattato dell' oratione.* Tribus distinctus partibus. Prima probat orationis necessitatem, altera diuturnitatem, tertia modum & fructus. Incipit: *Oportet semper orare. Luc.* XVIII. *Avenga che la providentia di Dio sia ineffabile &c.* Typis prodiit cum superioribus Florentiæ in 4. Similiter cum iisdem Venetiis in 8.

12. *Dieci regole convenienti da orare nel tempo della tribolatione.* Prodiit cum superioribus Florentiæ in 4, & in 8 Venetiis. Princ. *Queste son dieci regole.*

13. *Regole del ben vivere christiano a i suoi discepoli.* Princ. *Sopra ogni cosa amate Dio &c.* Prodiit cum superioribus Florentiæ in 4, & in 8 Venetiis.

14. *Regole del viver Christianamente.* Has scripsit in carcere anno 1498 ad instantiam ergastularii & Desmophilacis qui curam ejus agebat. Pr. *Tutto il ben vivere Christiano procede dalla gratia &c.* Prodiit statim a morte auctoris Florentiæ 1498 in 4.

15. *Operetta molto divota sopra i dieci commandamenti.* Ad instantiam abbatissæ & sanctimonialium, quæ Florentiæ *Murate* dicebantur, scripta eisque ab auctore nuncupata: Pr: *La carità di Christo mi stringe dilectissime mie &c.* Prodiit typis Florentiæ 1495 in 4. Tum ibidem 1508 in 4. Postea Venetiis cum superioribus 1537, 1538 & 1547 in 8.

16. *Trattato de misteri della messa.* Pr. *La prima cosa maravigliosa, che si truova nel sacramento dell'altare &c.* Prodiit Florentiæ & Venetiis cum superioribus, & Parisiis apud viduam *de Monstreuil* laudatam 1617 in 12.

17. *Epistola della frequente communione.* Ad mulierem quamdam Bononiensem. Pr. *Dilettissima, voi dimandate ch'io v'informi* &c. Prodiit Florentiæ 1496 in 4, & Venetiis 1547 in 8.

18. *Tractatus de vita spiritualis perfectione ad septem illius gradus a S. Bonaventura distinctos.* Scripsit auctor anno 1497 ad instantiam Agamemnonis *Marscotti de' Calvi* equitis & patritii Bononiensis. Pr. *Graduum doctissimi ac religiosissimi viri sancti Bonaventuræ &c.* Prodiit Florentiæ 1497 in 4, tum & Venetiis 1537 in 16. Postea Philippus Cionius civis & notarius Florentinus ad instantiam sanctimonialium S. Luciæ dictarum Florentiæ ordinis S. Dominici reddidit Etrusce, sicque typis prodiit Venetiis 1538 & 1547 in 8.

19. *Tractatus de mysterio crucis, & officium ejusdem.* Prodiit Venetiis 1537 in 16. Postea Italice versus ibidem 1547 in 8. Princ. *La sapientia e scuto delli Christiani è la croce di Christo &c.*

20. *De beneficiis Christi in christianos collatis per Crucis mysterium & signaculum.* Princ. *Sacra scriptura &c.* Gallice redditus prodiit Parisiis Joannis Miraut 1610 in 24.

21. *Alcune lettere a Frati suoi di San Marco, e regola del ben vivere.* Harum una scripta e Bononia 1492. Incipit: *Fra Girolamo servo di Giesù Christo, Alli suoi diletti figliuoli &c.* Prodierunt in 4 absque anno & loco sed haud dubie primum Florentiæ. Postea Venetiis 1538 & 1547 in 8.

22. *Epistola al padre suo Nicolo scritta nel 25 d'Aprile 1476, quando ricevè l'habito dell'ordine.* Princ. *Io non dubito punto, che vi duole &c.* Prodiit Venetiis 1547 præfixa concionibus ejus in Job habitis anno 1494.

23. *A Madalena contessa della Mirandola, sorella del conte Gio. Pico, della perfezzione del stato religioso.* Ea nimirum in monasterium sanctæ Claræ se recipere, & religiosum statum amplecti profiterique meditabatur, quæ occasio fuit, ut hanc ei epistolam Hieronymus scriberet. Prodiit tum Florentiæ 1495 in 4, & iterum 1508 in 4, tum & Venetiis 1538 & 1547 in 8. Princ. *Havendo inteso dilettissima in Christo Giesù.*

24. *Sette regole utilissime a tutti religiosi.* Princ. *Il principal studio del religioso &c.* Prodiit primum Florentiæ in 4 absque anno, tum Venetiis 1538 & 1547 in 8. Venetiis etiam Latine 1537 in 16.

25. *Regole del discreto & ordinato modo di viver nella religione.* Exhortatio est ad sodales suos S. Marci habita die XIV septemb. MCCCCXCVI. Princ. *La sollicitudine circa la sanità del corpo &c.* Prodiit tum in 4 absque loco & anno, sed haud dubie Florentiæ. Tum Venetiis 1538 & 1547 in 8.

26. *Della perfezzione & delle tentationi.* Epistola est ad sodales suos S. Dominici de Fesulis. Prodiit tum in 4 haud dubie Florentiæ. Tum Venetiis 1538 & 1547 in 8. Princ. *La fede è aprovata & si cognosce nella adversità.* SEC. XV.

27. *Del modo di resistere alle tentationi & di pervenire alla perfezzione.* Epistola est ad sodales suos congregationis S. Marci universos, scripta vigilia assumptionis B. V. anno 1497. Pr. *Havendo conosciuto per le presenti persecutioni &c.* Prodiit tum in 4 haud dubie Florentiæ. Postea Venetiis 1537, 1538, & 1547, in 8.

28. *Del discreto & conveniente modo di far orazione.* Epistola est etiam ad sodales suos. Princ. *Havendo io sollicitudine dilettissimi non solo della salute.* Prodiit tum in 4 ut superiores: postea Venetiis 1538 & 1547 in 8.

29. *Del adoperarsi in charità secondo la divina dispositione.* Epistola est ad sodales suos S. Marci. Pr. *Dilettissimi in Christo Frati. Benche con lettere non vi habbia gia gran tempo salutati &c.* Prodiit tum in 4 ut superiores: postea Venetiis 1538 & 1547 in 8.

30. *Della lezzione spirituale.* Epistola est ad sorores tertii ordinis S. Dominici *de sancta Lena* Florentiæ dictas. Pr. *Dilectissime in Christo. Essendo mi esposto dal vostro padre confessore &c.* Prodiit tum in 4 ut superiores: postea Venetiis 1538 & 1547 in 8.

31. *Della peste spirituale.* Epistola est ad sodales suos S. Marci scripta die XV julii MCCCCXCVII. Pr. *Benche non si debbino sprezzare i remedii corporali contro la peste &c.* Edita tum Florentiæ in 4, postea Venetiis 1537, 1538 & 1547 in 8.

32. *Della morte che si deve sprezzar & non temer o fuggir.* Epistola est ad F. Petrum Paulum de Beccuto congregationis suæ S. Marci presbyterum & sodalem, data Florentiæ tempore epidemiæ die VIII augusti MCCCCXCVII. Pr. *Diletto padre mio. Io vorrei fare ogni cosa, perche i padri scampassino da questa &c.* Edita tum in 4 ut superiores, postea Venetiis 1538 & 1547 in 8.

33. *Oratio ad Deum devotissima* rhythmica: sive Psalmus *Diligam te, Domine* &c. Latine centonis in modum rhythmici ex variis sacræ scripturæ, piisque aliis & affectu plenis vocibus concinnatus. Prodiit Venetiis 1537 in 16.

34. *Expositio in psalmum 79 Qui regis Israel intende.* Latine scripta ad sodalem suum N. Pr. *Quia te Domine cognoscimus.* Edita Mutinæ, Dominici Roncaccioli in 4. Postea cum sequentibus, sed in his editionibus desunt quæ in prima habentur, epistola nuncupatoria ad F. N. Pr. *F. Hieronymus F. N. conservo suo salutem. Salvet te Dominus Jesus &c.* & Expositio tituli psalmi hujus 79, quæ incipit *Natura quæ a Deo in sua opere semper dirigitur &c.* Prodiit etiam Italice vivo auctore Florentiæ *a S. Maria maggiore* 1496 in 4. Quæ editio Romæ extat in Imperiali. Prodiit rursus Italice Venetiis 1548 in 8.

35. *Expositio in psalmum 50 Miserere mei Deus.* Scripsit auctor Latine in vinculis & morti proximus. Pr. *Infelix ego omnium auxilio destitutus.* Sæpissime typis prodiit, etiam Italice reddita hoc titulo: *Espositione sopra el salmo* 50 Miserere mei Deus, *quando era in prigione nel mese di maggio 1498 tradotta di Latino in volgare ad instanza di certe devote donne* in 4. Abest locus editionis, sed Cinellus apud quem extabat, censet Florentiæ prodiisse. Vide *Bibl. volante, Scanzia V. p.* 57.

36. *Expositio in psalmum 30 In te Domine speravi.* Scripsit auctor in carcere & nequivit absolvere morte præoccupatus, & ad versiculum 3 tantum perduxit, *Esto mihi in Deum protectorem.* Typis sæpissime prodiit, Italice etiam versa. Pr. *Tristitia obsedit me.*

Hæ tres in psalmos expositiones Latine una pro-

Sæc. XV. dierunt Venetiis, Cæsaris *Arrivabeni* 1517 in 8. Tum Parisiis, Ascensii 1517 in 8. Postea cum Triumpho crucis Basileæ, Joannis Oporini 1540 in fol. Etrusce vero versæ Venetiis ad insigne spei 1548 in 8.

37. *Oratio quam Hieronymus morti jam addictus habuit ad sacrum Christi corpus die* XXIII *maii* MCCCCXCVIII *ad communionem accedens.* Pr. *Signore io so che tu sei quel vero Dio creatore del mondo &c.* Prodiit tum typis in 4.

38. *Arte del ben morir.* A quibusdam numeratur, ut singularis Hieronymi tractatus, sed falluntur, nihil enim aliud est quam concio ejus ordine XXVIII tomi tertii concionum, quam habuit secunda die novembris MCCCCXCVI Florentiæ, tum separatim cusa in 4. & tractatus etiam titulo edita.

Epistolas omnes in hac prima classe recensitas edidit Italice & Latine vel a se vel ab aliis versas Jacobus Quetif vitæ Hieronymi T. II quasdam, alias T. III.

CLASSIS ALTERA.

Parenetica & prophetica,

Tomus primus concionum XXX, quas per annum habuit Hieronymus festivis dominicisque diebus ad S. Mariæ *del Fiore* templum Florentiæ, a die VI mensis januarii & Epiphaniæ Domini anni exeuntis stylo Florentino MCCCCXCIV, ineuntis vero stylo Romano MCCCCXCV, ad diem usque XXV octobris ejusdem anni in Psalmos, Joël, Job, & Evangelia &c. quarum prima incipit *Exaudi Deus orationem meam.* Editus primum sub Hieronymi tempora Florentiæ in fol. nitido & eleganti charactere.

Dein Venetiis, Lazari de Soardis 1517 in 4.

Rursus ibidem, Cæsaris Arrivabeni qui superiorem accusat editionem ut minus accuratam, 1520 in 4. Tum ibid. Bernardini Bindoni 1539 in 8. Ibid. Joannis Antonii Volpini 1539 in 8. Ibid. Bernardini de Viano 1543 in 8.

Fuerunt hæ conciones a Laurentio de' Violi notario Florentino veloci calamo ex ore Hieronymi pronunciantis exceptæ, & a sodali Luca Bettini Florentino prælo paratæ.

Hujus voluminis concio tertia die XIII januar. sive in octava epiphaniæ habita MCCCCXCV in illud, *Ecce gladius Domini super terram cito & velociter*, quæ incipit, *La intentione nostra questa mattina &c.* qua de renovatione Ecclesiæ pluribus agit, Indice Romano vetatur.

Tomus II concionum XLVIII per quadragesimam integram anni bissextilis stylo Florentino MCCCCXCV, stylo vero Romano MCCCCXCVI diebus singulis habitarum in prophetas Amos & Zachariam &c. a die cinerum XVII febr. ad Dominicam Quasimodo X april. quarum prima incipit, *Dixi custodiam vias meas &c.* Ps. 52. *Volendo l'omnipotente Dio dilettissimi.* Prodiit hoc titulo: *Prediche raccolte per Ser Lorenzo Violi da la viva voce del R. P. Frate Hieronymo da Ferrara giorno per giorno mentre che predicava il primo dì di quaresima a dì* XVII *di febbraio* MCCCCXCV. Finis: *Impresso nella cipta di Firenze ad instantia di Ser Lorenzo Vivoli l'anno 1496 a dì octo di febbraio*, fol. signat. 4 foll. A & Aa ad Ii typis limpidissimis. Extat hæc editio Florentiæ in S. Mar. Novel. & Paris. in Regia D. 563.

Tum & Venetiis, Laz. de Soardis 1514 in 4.

Ibid. Arrivabeni priorem de Soardis accusantis 1519 in 4.

Ibid. Octav. Scoti 1539 in 8, & Venturini Rossinelli 1543 in 8.

Hujus tomi relata est in indicem Romanum expurganda concio XII cujus Pr. Amos. 4. v. 1: *Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ. L'universo mondo &c.* qua Romanæ corruptelas aulæ, & ecclesiasticorum sordes acriter arguit.

Tomus III concionum XXIX in librum Ruth & Michæam &c. quas a die VIII maii MCCCCXCVI dominica ante ascensionem Domini habuit ad diem novemb. XXVII ejusdem anni, cùm Liburno frustra obsesso Mediolanum imperator se recepit re infecta, Florentinis ab ejus adventus & exercitus timore, sicut eis prædictum ab Hieronymo fuerat liberatis. Prodiit anno sequenti hoc titulo: *Prediche del R. P. F. Hieronymo da Ferrara facte l'anno del* MCCCCXCVI *ne giorni delle feste finito che hebbe la quaresima, & prima riposatosi circa uno mese ricominciò el dì di sancto Michele a dì* VIII *di maggio.* Pr. *Credite in Domino Deo vestro & securi eritis, credite prophetis ejus, & cuncta evenient prospera*, 2 Paralip. 20. *Raccolte per Ser Lorenzo Violi dalla viva voce del predicante*, Florentiæ fol. signat. 4 foll. a ad x, typis elegantibus. Extat hæc editio in cit. S. Mar. Nov. & in Reg. D. 564. Postea Venetiis, Laz. de Soardis 1513 in 4.

Ibid. Arrivabeni, qui Soardi editionem accusat a mendis & mutilatione 1520 in 4. Additur huic editioni ceu Mantissa contra eos qui miracula volebant testandæ Hieronymi doctrinæ veritati.

Ibid. Jo. Antonii de' Volpini 1540 in 8, quam editionem Antonius *Brucciolì* Hieronymo Arsago Niciensi episcopo patritio Mediolanensi, & reginæ Franciæ ab eleemosynis nuncupavit.

Fuit hic tomus Latine redditus a F. Alphonso Muñoz Tevar nostro & typis datus Salmanticæ 1556 in 4, cum præfatione in Hieronymi commendationem, omissis tamen tribus ultimis ejus tomi concionibus, ac quatuor aliis ad susceptam Micheæ expositionem non spectantibus in aliud volumen edendum rejectis.

Hujus tomi concionem septimam XXIV maii feria tertia pentecostes habitam in illud Ruth. 3: *Et ecce nocte jam media expavit homo &c.* Pr. *Il lume naturale della ragione &c.* qua de renovatione Ecclesiæ futura, deque corruptis christianorum moribus agit, expurgandis addixit index Romanus.

Tomus IV concionum XLIX in Ezechielem quas habuit ad S. Mariæ *del Fiore* Florentiæ diebus Dominicis & festivis adventus anni MCCCCXCVI scilicet a XXVII novemb. ad diem XX martii sequentis, quæ fuit feria secunda post Dom. in Ramis anni MCCCCXCVI stylo Florentino, at Romano MCCCCXCVII, quas ab ore dicentis collegit idem Laurentius Violi, incipiuntque: *Et factum est in tricesimo anno in quarto mense in quinta mensis &c. Quanto sia necessaria la propositione alla salute &c.* Prodiit eodem anno Florentiæ in fol. Adjecta est concio 50 quam sequenti die ascensionis, quæ IV maii fuit, ab ore dicentis per Hieronymum Cinozzi collecta. Pr. *Domine Deus meus in te speravi salvum &c. Ps. 7. Quanto sia grande la potentia della fede &c.* Extat hæc editio in cit. S. Mar. Nov.

Postea Venetiis, Laz. de Soardis 1517 in 4. Quam editionem mutilam mendisque refertam monet altera sequens ibidem apud Arrivabenum 1520 in 4. Demum ibid. Jo. Ant. Volpini 1541 in 8. Hæc editio extat in Regia D. 3786.

Plures hujus Tomi conciones confixæ sunt in Ind. Rom. I. quæ feria 3 post Domin. XL, estque ordine XXI. Pr. *Ezech. 9. Et dixit illis Dominus, audite me. Il sermone precedente dilettissimi &c.* qua de futuris præsagit Italiæ calamitatibus.

Altera quæ est ordine 32 habita sabbato post 3 Dom. XL. Pr. *Ezech. 16: Et post abominationes tuas & fornicationes &c. Alcuni si maravigliano &c.* In ea durius ministrorum Ecclesiæ sordes exagitat.

III. Quæ est ordine 40 Dom. quintæ xl. Pr. *Ezech. 18. Et factus est sermo Domini ad me dicens, quid est quod inter vos parabolam vertitis &c. Considerando li intelletti delli huomini &c.* qua sub lenæ symbolo pravos Ecclesiæ procerum mores cum antiquis compositos arguit.

Tomus V concionum xxii in Exodum & Psalmos. Prodiit hoc titulo: *Prediche raccolte per Ser Lorenzo Violi parte in S. Maria del Fiore, e parte nella chiesa di sancto Marco di Firenze dalla viva voce del R. P. F. Hieronymo da Ferrara mentre che predicava, & prima in S. Maria del Fiore a di xi° di febraio* MCCCCXCVII *secondo lo uso Fiorentino* (Romano MCCCCXCVIII) *e fù la Dom. della Septuagesima, le quali furono le ultime sue prediche: nel quale di ricominciò ad predicare el dicto F. Hieronymo, che era molti mesi, che non haveva predicato per rispecto della excommunica, ma attesso ad justificarsi col pontefice: & fatto uno libretto delle justificationi sue, & mandato lo fuori: & di poi dicto di rientrato in pergamo cominciò così: Domine quid multiplicati sunt &c.* fol. signat. 4 foll. aa ad oo, iisdem typis elegantibus quibus superiores. Quæ editio extat in cit. S. Mar. Nov. & Paris. in Regia D. 564.

Postea Venetiis, Laz. de Soardis 1517 in 4. Quam editionem adulterinam, mutilam mendosissimamque arguit Arrivabenus editione altera quam accuravit ibidem 1520 in 4. Cui subjecta est adhortatio F. Hieronymi, quam habuit ad populum die sabbati ante Ramos Palmarum VII aprilis MCCCCXCVIII ad S. Marci, cùm ad forum prætorianum ignis periculi causa, quod F. Dominicus de Pescia ord. Prædic. Fesulanus prior pro F. Hieronymo, & Julianus Rondinelli laicus Minorita pro F. Francisco Apulo facturi erant probandæ Hieronymi doctrinæ, sese accingerent. Pr. *Havendo a fare oltre a quelle che sono facte sta mane molte orationi &c.*

Ibid. Jo. Ant. Volpini 1540 in 8. Qua in editione additæ sunt conciones aliæ tres de figura Gedeonis in illud *Deus cujus ira nemo resistere potest &c.* quas habuit Hieronymus anno MCCCCXCV diebus XXIX, XXX, & XXXI Martii, sive Dom. IV quadragesimæ & duobus diebus sequentibus, quæ & T. I. concionum in Job habentur suo loco insertæ XXVI, XXVII, XXVIII editionis Venetæ 1545 in 8. Extant in Regia D 3781 & 3782.

Plures hujus tomi V conciones in Indice Romano vetantur, quod in eis pluribus adversarios exagitet circa censuras ab Alexandro VI S. P. latas, inque sui suæque doctrinæ defensionem vehementius efferat aulæ Romanæ corruptelas, pravosque procerum mores ac sordes aperte suggillet, & inde Italiæ Romæque vindicem Dei iram minitetur. Confixæ sunt, inquam, ne pusillis scandalo forent incautioribus, & malignis imperite cavillandi præberetur occasio. Sunt autem hæ:

Concio I die Dom. Septuag. Pr. *Domine quid multiplicati &c. Signor mio io polvere e cenere &c.* Ad S. Mariæ *del Fiore.*

Concio II. Dom. Sexag. contra latam in se excommunicationis sententiam. Pr. *Essendo noi dal signore posti &c.* Ad S. Liberatæ.

Concio III. Dom. quinquag. Pr. *In exitu Israel de Ægypto, Ps. 113. Perche noi siamo in campo &c.* Ad S. Mariæ del Fiore.

Concio VI. Fer. sexta post cineres. Pr. *Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur. Exod. 1. Diffiniscono questi naturali &c.* Ad S. Marci.

Concio X. Ibid. fer. 3. post Dom. 1 Quadr. Pr. *Clamor ergo filiorum Israel venit ad me. Exod. 3. Nel precedente sermone. &c.*

Concio XII. Ibid. Fer. 5 seq. Pr. *Respondens Moyses ait non credent mihi, Ex. 5. Non e dubbio &c.* s.1. XV.

Concio XX. Ibid. Fer. 6 post Dom. 2 Quadr. Pr. *Palpebræ ejus interrogant filios hominum. Ps. 10. In il sermone precedente &c.*

Denique & Exhortatio ad populum citata, cujus Pr. *Havendosi a fare*

Præter hos autem tomos quinque concionum, editæ sunt aliæ ejusdem conciones, quas & ante & alibi fortè quam Florentiæ habuit, pro ratione temporis quo dictæ sunt hîc recensendæ.

1. *Conciones* XIX *in epistolam S. Joannis & alia sacra scripturæ loca* ad excitandum Christi amorem incentivæ. Ex Latina lingua prodierunt Etrusce redditæ Venetiis, Bernardi de Stagnino 1536 in 8. Tum ibid. ad insigne spei 1547 in 8. Pr. *Della pace della superna città.* His omnino ferventer & spiritualiter agit de verbo Dei & vita beata, de missa ejusque mysteriis, de B. Virginis gaudiis, nominis Jesu suavitate & virtute &c. Quæ conciones per adventum aliquando habitæ videntur: queis nihil quod notaretur inventum. Quæ editiones extant Parisiis in Regia prima D 3789, altera D 3790.

2. *Conciones* XXV in Ps. 72. *Quam bonus Israel Deus:* quas uti notat F. *Gianotti* ad Bartholomæum *Gualterotti*, non ad S. Laurentii, sed ad S. Reparatæ templum Florentiæ habuit per adventum anni MCCCCXCIII. Pr. *Perche gli e naturalissimo all'huomo &c.* quas humili plane stylo cursimque Latine redegerat, sed ab eo reddidit Etrusce discipulus ejus F. Hieronymus *Gianotti* Pistoriensis ord. Prædic. ad instantiam F. Hieronymi *Armenini* Faventini inquisitoris generalis Lombardiæ. Prodierunt Venetiis, Augustini Zanni 1528 in 4, dicto Bartholomæo Gualterotti Florentino patritio apud Venetos R. P. Florentinæ tum oratori erga Savonarolam plurimum affecto a dicto Gianotti nuncupatæ. Rursus ibid. Bernardini *de Viano* 1543 in 8. Postea ibid. Bernardini de Bindoni 1544 in 8. Et in his concionibus nihil quod animadverteretur, occurrit. Extat hæc editio in Regia laudata D 3784.

3. *Conciones* XIII *per adventum & aliæ* XLVI *per quadragesimam super Archam Noe.* Pr. *Cœnacula tristega facies.* Gen. 6. Latine prodierunt Venetiis, Bernardini Stagnini 1536 in 8. His præfigitur præfatio, qua Editor has Hieronymi esse contendit, quod tamen non undequaque conficit. Conciones quidem super arcam Noë Florentiæ ad S. Reparatæ ab anno MCCCCXCI ad MCCCCXCIV habuisse Hieronymus ipsemet in *Compendio revelationum* aperte testatur, sed an istæ sint nec ne, locus est dubitandi, quod hæ stylum ejus parum oleant etsi non ineruditæ, nisi quid eis ab exceptore vel interprete editoreve detritum aut immutatum.

4. *Conciones* XXIII *super Aggeum prophetam & Psalmos.* Pr. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Essendo dilettissimi constituto da Dio l'huomo &c.* Has habuit Hieronymus anno MCCCCXCIV a die 1 novemb. ad 3 decemb. quas ab ejus ore discipulus ejus F. Stephanus da Co de Pontecalamo excepit, editæque fuerunt Etrusce, Venetiis, Bern. de Bindoni 1544 in 8. Et hic tomus Romani indicis nota liber & eximius totus. Extat in Regia D 3784.

5. *Conciones* XLVII *in Job.* Pr. *Anno sexcentesimo vita Noe mense secundo. Gen. 7. Distingono i theologi &c.* Has per quadragesimam anni MCCCCXCV habuit Hieronymus, & ex ore dicentis calamo excepit quidam ejus discipulus ord. Prædic. Prodierunt Venetiis, Nicolai Bascarini 1545, in 8. His præmittitur epistola Hieronymi ad patrem suum Nicolaum de suo in religionem ingressu lingua Italica vernacula, data XXV April MCCCCLXXVI.

Ex his verò notatur expurganda in Ind. Rom.

Sæc. XV. concio XIV habita Fer. 2 post Dom. 2 Quadr. in illud Job 5 : *Beatus vir qui corripitur a Domino. Eliphas amico di Job &c.* Extat in Regia D 3785.

6. *Concio in vigilia nativitatis Domini.* Pr. *Anima ingrata, inobediente, peccatrice io ti ho essaltata dal sterco &c.* Prodiit Italice Venetiis ad S. Bernardini signum 1538 in 8, & ibid. ad signum Spei 1548 in 8 : Latine per Bartholomæum Mutilianensem Italum presbyterum reddita, ac DD. Joanni Jonst & Stephano Dowce S. T. doctoribus Anglis nuncupata ex Londino 8 octob. 1509. Tum Parisiis, Ascensii 1517 in 8. Lugduni Batavorum, Joan. le Maire 1633 in 12, ac nuper cura F. Stephani Meney cum aliis Savonarolæ opusculis, Gratianopoli, R. Philippes 1669 in 12.

7. *Concio altera de nativitate Domini.* Pr. *Gloria in altissimis Deo. Madre mie & suore dilette, la gran bontà d'Iddio &c.* Altera cujus Pr. *Maria adunque essendo nel presepio, e conferendo questo nel corde suo* &c. Item aliæ lingua eadem Italica, quæ non tam conciones, quam commentatiunculæ & corrasa in sacræ scripturæ expositionibus fragmenta, vel ab alio excerpta, vel ab Hieronymo sibi breviter subnotata, quibus agit in illud *Absorpta est mors in victoria*, de destructa per Christum morte : & in illud *Quasi sol refulgens, Eccl.* 50, de S. Thomæ de Aquino laudibus, cujus Pr. *Quasi stella matutina*; & rursus alia cujus Pr. 2 Reg. 14 *Non vult Deus animam perire. Quanto sia vivace l'amore della verità.* Alia *de immortalitate anima*, & Expositio in illud Threnorum 3 *Cecidit corona capitis nostri. Se io vedessi vergine gloriosa &c.* Et in illud Job. 31 *Recordare paupertatis mea. Quanto più mi excita à lacrimare la passione* &c. Quæ unà prodierunt lingua vulgari, Venetiis 1548 in 8.

8. *Concio de amore divino* in passionem Domini anno MCCCCXCVII ad S. Mariæ *del Fiore* habita, quæ cæteris in Ezechielem adjungenda Tomo IV defuerat, a F. Stephano da Co jam laudato Latine collecta, & ab ejusdem ordinis F. Christophoro Peraccini Italice reddita. Pr. Thren. 3 *Ego vir videns paupertatem meam. Di quanta virtù sia l'amore &c.* Prodiit Senis 1543 in 8. Extat in Regia D 3791.

9. Aliæ typis prodiere sub Hieronymi nomine conciones Venetiis ad insigne Spei 1556 in 8 Italice editæ. 1. *In Cantica & alia scriptura loca* ad Dom. Septuag. Pr. *Fili præbe mihi cor tuum. Prov.* 23. *Misero mortale fragile, caduco, ignorante, vago, instabile inquietissimo huomo &c.* Quibus in altera editione ibidem facta interseruntur aliquæ commentatiunculæ Latinæ. 2. Aliæ conciones octo super *lamentationes Hieremia*, quarum prima mutila in principio sic incipit ... *cavi, ipsi autem spreverunt me*, cum concionis nonæ extrema sui parte mutilæ exordio, cujus Pr. *Plorans ploravit in nocte &c.* Cui subnectitur 3. Brevis expositio *in librum Esther.* Pr. *Noctem illam duxit rex insomnem. Dominus noster non solum vult exaltari servos suos quantum ad gratiam &c.* Sed hæc in Cantica, Threnos, & Esther potius schediasmata cursim ab Hieronymo notata, vel ab alio ex ejus operibus passim excerpta, quam conciones aut tractatus integri Savonarolæ.

Ad hanc classem revocandus ejusdem *De veritate prophetica Dialogus*, quo libris sive capitibus novem septem peregrini, qui septem dona sunt Spiritus sancti sub assumtis nominibus de prophetico dono deque veritate prophetiarum ab Hieronymo ante annos VII seu ab anno MCCCCXC assertarum pluribus argumentis utrinque cum ipsomet disputant & tandem consolantur. Prodiit ab eo Latine scriptus Florentiæ ut conjicio 1497 fol. typis elegantibus, & iisdem quibus conciones. Quæ editio Paris. extat in Regia D. 564, & iterum D. 566. Italice ab eodem scriptus dicitur eodem anno eademque forma ut & typis iisdem editus. Postea Venetiis ad insigne Spei 1548 in 8. Confixus est & prohibitus in indice Romano.

Huc etiam referendus liber qui *Compendium revelationum* inscribitur ab ipso Latine scriptus & Etrusce, atque publicæ luci traditus Florentiæ primum Etrusce per Franciscum Bonacorsi 1495 in 4. Pr. *Vedendo l'omnipotente Dio &c.* Mox & Latine ibidem & Parisiis 1496 in 4, apud Guidonem Mercatoris retro gymnasium Navarræ ad collegium Atrebatense. Pr. *Etsi multo tempore diversimode &c.* ipsius Hieronymi proœmio addito, quo cur hunc tractatum edat, & utraque lingua rationem affert : ac præfixa Hieronymi Benivieni civis Florentini ad librum epistola quæ incipit : I *liber intrepide ad ludibria, ad sibila, & ad vipereos te præparans morsus &c.* Prodiit iterum Etrusce præcisa Benivieni ad librum epistola Venetiis, Bernard. Stagnini 1536 in 8. Pr. *Benche lungo tempo in molti modi per inspiratione divina &c.* Huic editioni subjicitur concio XXVIII tomi primi in illud, *Lætetur Israel Deus in eo qui fecit eum*, habita Florentiæ die 10 octob. 1495. Editio Parisiensis extat in Regia D. 1462.

Cum hoc tractatu conferenda concio XXIX ex his quæ sunt in Job supracitatæ, quam habuit Florentiæ die mercurii post Dom. IV quadrag. prima die aprilis MCCCCXCV, ubi de hoc compendio revelationum agitur, in quo Index Romanus nihil invenit improbandum.

Huc denique referendus tractatus hoc titulo : *Oracolo della rinovazion della Chiesa.* Prodiit Venetiis, Petri Niccolini 1536 in 16. Ibid. *Della rivelazione e riformazione della Chiesa*, Apud Bernardinum Stagninum 1536 in 8.

TERTIA CLASIS.

Dogmatica.

1. *Compendium logices libris decem.* Quæ ad logicæ summulas, ut vocant & quæ ad dialecticam spectant, universa in his tractat, & exponit eadem qua naturalem moralemque philosophiam methodo.

2. *Compendium totius philosophia tam naturalis quam moralis.* Ad Aristotelis & S. Thomæ mentem stylo prorsus jucundo, utili, & acuto libris quindecim absolvit. Hoc præclarum opus & eruditum prodiit cum superiori Venetiis apud Juntas typis elegantissimis 1542 in 8. Recusum fuit postea Francofurti in 8, & Wittembergæ cura Joannis Jetsenii 1596 in 8.

3. *Liber de disciplinis sive de divisione, ordine & utilitate omnium scientiarum* libris quatuor. Ugolino Verino Florentino nuncupatus præfixa ad illum epistola. Primus liber sic incipit : *De scientiarum omnium divisione.* Secundus liber de singularum ordine & dignitate scientiarum tractat. Tertius de earum religioni Christianæ utilitate. Quartus demum de poëticæ artis ratione, utilitate & damno Christianorum animis, ubi sic figmenta damnat poëtica, ut spiritualis metri, quo deliciabatur & ipse, non respuat rejiciatve rationem. Quem librum separatim aliqui parum accurati operum Hieronymi censores ceu opus distinctum de re poëtica numerant. Prodiit cum superioribus, & ad caput commentariorum S. Thomæ de Aquino in libros de cœlo & mundo, Venetiis 1522 in 4.

4. *Eruditorium Confessorum.* Tractatus in duas partes divisus. Prima de confessoris auctoritate, censuris, & reservatis : altera de ejus officio & pœnitentium examine agit. Pr. *Ponite hac verba mea in cordibus, & in auribus, & suspendite &c.* Prodiit Parisiis apud Ascensium 1517 in 8. Venetiis 1543 in 8. Ibidem 1590 cum Martini Havanæ de cambiis, usuris, simonia, defensione proximi, & de furto,

Taurini 1577 episcopo Ticinensi curante, ut habet Serafinus Razzius p. 168. Brixiæ, Petri Mariæ Marchetti 1581 in 8. Tandem Lugduni Batavorum curante Joanne Balesdens presbytero anno 1674 adhuc superstite, viro omni disciplinarum genere cultissimo, larvatis Monasterii officinæ Joannis Costii ac mentitis typis 1640 in 12. Demum instante nostro Antonio *Duprat de Chassagny* Lugduni, Francisci Barbier 1677 in 12.

5. *Recollectorium rudimentorum theologiæ.* Sub Hieronymi nomine prodiit Venetiis 1542 in 8, sed ei falso ascriptum. Vide supra ad 1348 *Eliam de Ferrariis*, cui hanc lucubrationem asserimus.

6. *Processo spirituale.*

7. *Confession della Chiesa.*

Duos hos libellos MS haberi legitur *Libraria del Doni trattato secundo*, Venetiis 1557 in 8 edito p. 227.

8. *Del reggimento e governo di Firenze*, in 4 absque loco & anno, sed haud dubie Florentiæ. Extat Romæ in Imperiali.

CLASSIS QUARTA.

Polemica atque Apologetica.

1. *Contro all' astrologia divinatrice.* Pr. *Considerando io molte volte, quanto sia perniciosa a la religione Christiana la vanità dell' astrologia divinatrice &c.* Hunc tractatum scripsit Hieronymus, ceu complementum egregii de eodem argumento tractatus ab ejus familiari & sectatore devinctissimo Joanne Pico Mirandulæ principe erudite scripti, paulo quam e vivis abiret, hoc est ad MCCCCXCIV, nec integre ab illo absoluti & recogniti, atque in ejusdem Pici operis commendationem & confirmationem. Hic verò Hieronymi tractatus typis prodiit Florentiæ 1495 in 4. Tum & Venetiis, Lazari de Soardiis 1513 in 8. Postea ibidem Bernardini de Stagnino 1536 in 8. Latine interpretatus est Thomas *Buoninsegni* noster de quo postea ad 1608, & edidit Florentiæ, Georgii Marescotti 1582 in 8. Opus tripartitum. Parte prima Astrologiam judiciariam scripturæ sacræ contrariam probat. Altera philosophiæ naturali. Tertia denique mendacem esse & vanam.

Commentatiuncula, omni ratione carere sectam Machumeticam, a quibusdam numeratur, ut opus speciale Hieronymi, sed illi delusi a Theodoro Bibliandro, qui caput septimum libri IV de triumpho crucis suo loco avulsum in collectione sua sectæ Machumeticæ Tiguri edidit 1540 & 1543 in fol., ut jam supra monuimus.

2. *Apologia de' Frati della congregazione di San Marco in 4*, absque loco & anno. Extat Romæ in Imperiali. Idem opus Latine hoc titulo: *Apologeticum Fratrum congregationis S. Marci.* Princ. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, sed quia in divinum contemptum &c.* Hoc opus anno MCCCCXCVII edidisse facile conjicere est, ex eo quod ad impositam sibi duplicem ab adversariis calumniam respondet, nempe primo pontifici restitisse adunationem congregationis S. Marci cum aliis Tusciæ domibus imperanti, tum perversum hæreticumque dogma disseminasse, nec citatum Romam venisse, quod hoc ipso anno contigisse certissimum est. Prodiit & Latine eodem anno Florentiæ in 4. Postea Tolosæ, Colomesii 1605 in 12 cum aliis ejusdem argumenti.

3. *Epistola ad Alexandrum papam VI Florentiæ die* XX *maii* MCCCCXCVII *data.* Princ. *Quam ob causam Dominus meus irascitur servo suo &c.* Ea se apud illum excusat, & ab injectis adversariorum calumniis vindicat. Ediderunt Bzovius, & Odoricus Rainaldus in Annalibus uterque ad 1497.

4. *Altera ad eumdem Alexandrum VI epistola Florentiæ die* XXIX *octobris ejusdem anni data*: sive responsio ad Brevia Alexandri VI Romæ die XVI ejusdem mensis ad priorem sodalesque S. Marci contra se data, se verò apud summum pontificem a calumniis adversariorum vindicat, incipitque: *Exhibitæ fuerunt pridie litteræ sanctitatis vestræ conventui nostro in forma brevis &c.* Ediderunt Bzovius & Raynaldus laudati ubi supra. Sæc. XV.

5. *Epistola a tutti li eletti di Dio e fedeli christiani data a dì* VIII *dì maggio* MCCCCXCVII. Pr. *Volendo noi dilettissimi imitar il nostro Salvatore &c.* qua de illatis sibi persecutionibus agit, & cur a concionibus supersedeat certiores eos facit, hortaturque ne ob id a veritate deficiant. Prodiit Florentiæ 1497 in 4. Tum Venetiis 1537 & 1548 in 8.

6. *Epistola a certe persone devote perseguitate per la verità da lui predicata.* Pr. *Non vi dovete perturbare dilettissimi in Christo Giesù, ne maravigliare &c.* De veritate a se prædictorum, & contradicentium agit iniquitate. Prodiit tum Florentiæ in 4. Postea Venetiis cum superiori 1537 & 1548 in 8.

7. *Epistola a tutti li christiani e diletti di Dio scrive in charità e desidera salute &c. scritta il dì* XIX *di Giugno* MCCCCXCVII. Pr. *Sia adunque sempre ringratiata la sua bontà &c.* In ea censuræ pontificiæ in se latæ nullitatem ex falso sibi suppositis hæreseos & inobedientiæ criminibus ostendit. Prodiit tum typis Florentiæ in 4.

8. *Epistola ad quamdam ordinis sodalem.* Pr. *Queris a me Frater carissime, an ejusmodi excommunicatio, quam proximis his diebus injustam esse monstravimus, saltem in publico observari debeat &c.* Eam verò ex Paludano Gersono & aliis jurisconsultis & theologis ostendit invalidam. Scripta est tum & edita Florentiæ 1497 in 4, quam mox Etrusca lingua reddidit ediditque Philippus Cionius notarius Florentinus iisdem typis & forma in 4.

9. *Epistola ad un suo amico mà vacillante per le persecutioni &c.* Pr. *Dilettissimo in Christo Giesù. Io misono assai maravigliato &c.* Prodiit eodem anno Florentiæ in 4. In ea diluit omnes sibi impositas ab adversariis calumnias, hæreseos, inobedientiæ, schismatis, pseudoprophetiæ, vanitatis, secularium & politici regiminis ambitus.

10 *Epistola ad Alexandrum papam VI Florentiæ die* XIII *maii* MCCCCXCVIII *data*, qua apud illum queritur invaluisse sibi malevolos, & præoccupatum ab illis infensiorem sibi obduruisse. Pr. *Beatissime pater, officii mei partes esse putabam &c.* Edidit Bzovius ad 1497.

Apologias & epistolas hactenus recensitas a n. 2 ad 10 edidit Jacobus Quetif utraque lingua Etrusca & Latina vel a se vel ab aliis versas vitæ Hieronymi T. II & III.

11. *Lamentatio sponsæ Christi adversus tepidos, & exhortatio ad fideles Christi, ut precentur Dominum pro renovatione Ecclesiæ.* Pr. *Quos alloquar, aut quo me vertam &c.* Prodiit Venetiis 1537 in 8.

Metro præterea lusisse Hieronymum Picus ipse auctor est in vita ejus. Rhythmice nonnulla scripsisse, quæ ad pietatem alendam, excitandumque in Dei amorem animum facerent, in confesso est: quorum nonnulla variis in editionibus passim aliis ejusdem tractatulis adjuncta prodierunt edita, odæ, hymni, laudes &c. quæ quod leviora, hîc omittimus.

Plura etiam ab aliis & a Pico ipso memorantur Hieronymi opera, quæ superiori indice haud a nobis notata reperies, quod in ea nondum inciderimus cusa aut MS., quorum idcirco rationem & notitiam exhibere nequivimus. In quibus hæc quæ sequuntur, a Pico recensentur:

Monitorium ad sacerdotes & clericos.

Conclusiones perbreves pontificiorum decretorum.

Sec. XV. *Quæstiones philosophiæ & theologiæ.*

Commentationes in Genesim, Levitici partem, Davidis psalterium, Hieremiæ Threnos & Evangelia.

Nisi fortè eædem sint hæ commentationes cum concionibus in ea sacræ scripturæ loca habitis, & jam supra notatis, uti quæ Fontana in Hist. prov. Rom. ei tribuit vernacule scripta,

De cambiis, de usuris, de simonia, de proximi defensione, de furto notabili, & aliis hujus generis.

Quæ fortè eadem sunt cum iis, quæ habet in tractatu super decalogum classe I n. 15 recensito. Atque hinc in errorem inductos putarim, eorum aliquos qui Hieronymi vitam edidere, operumque ejus elenchum attexere susceperunt, plurima ei quidem tribuentes opuscula, quæ concionum vere partes sunt, ut bis eadem diversis repetant titulis minus accurati, primo quidem commentationum, dein & concionum titulo. Sic Joannes a S. Maria noster plura illi tribuit, quæ si scrupulosius excutiantur, ipsa reperiantur, quæ jam supra nos recensuimus vel alio titulo donata, vel ab eis excerpta. Nos indubitata tantum & omnino certa proferimus, nec bis eadem mutato mentivove titulo repetimus. Haud omnia tamen exacte sic recensuisse Hieronymi opera profitemur, ut aliis curiosius feliciusve perscrutantibus nihil ejus operum præter a nobis laudata occurrere posse negemus, sed hæc sunt duntaxat, quæ huc usque certo deprehendimus.

F. ANTONIUS DE BRIXIA.

* 1498. F. Antonius de Brixia a patria sic & professione dictus hæreticæ pravitatis ibidem censor, inquit Leander Synchronus fol. 146 a, & in concionando insignis, vir magnæ prudentiæ, heu dum ædificium lustrare cupit, pede lapsus interiit anno Dñi MCCCCXCVIII. Præstantiam viri declarant

Sermones ab eo editi.

Ejusdem meminerunt Razzius p. 281, Lusitanus, Fernandez, Altamura ad 1492 testatus hos sermones *de tempore, de Sanctis, quadragesimales* prodiisse Brixiæ, Angeli Britannici 1503. Rovetta laudat ad 1498, & ex Vincentii Rivalii fide hæc adhuc alia illi ascribit opera:

Summam casuum conscientiæ.

Tractatum adversus hæreses sui temporis.

F. ERASMUS FRISNER.

* 1498. F. Erasmus Frisner natione Noricus patria Weusidelensis, disciplina Lipzensis, ingenio perspicax, alloquio comis, in interpretando succinctus gratiosusque. Hic ubi uno super viginti nondumque completo anno in philosophia abunde eruditus magisterium suscepisset, & continuo Aristotelicæ gravitati quam solertissime incumbens, non sine maximo auditorum proventu omnes Aristotelis libros interpretatus esset, ubi multa in philosophia perspicaciter & ingeniose lucubrasset, ad uberioris vitæ frugem aspirans Divi Prædicatorum ordinis conventum Lipzensem subiit, ubi litteris indulgentissimus vix annos natus septem supra viginti, salubri instituto humanis excessit. Extant clari ingenii sui liquidissima monumenta commentariorum in Aristotelem, quibus nomen suum & suæ regioni & studio Lipzensi quam memorabile reliquit, de quibus extant

In veterem artem volumen unum.

In novam logicam volumen unum.

In physicorum libros octo, de cœlo libros quatuor, de anima librum unum, metaphysicorum libros duodecim commentaria.

Claruit anno Dñi MCCCCXCVIII sub Maximiliano Cæsare.

Sic totidem verbis auctor anonymus libri cui titulus: *Scriptorum insignium qui in Lipsiensi, Wittembergensi, Francofordiana ad Oderam academiis a fundatione ipsarum usque ad annum Christi 1515 floruerunt centuria ab auctore ejus temporis concinnata, nunc verò in lucem edita a Madero Hanneverano Helmestadii* 1660 in 4.

F. GUILLELMUS BETHUS.

F. Guillelmus Bethus Anglus & provinciæ Angliæ aliquando moderator laudatur a Lusitano ex fide epitomes Gesneri ceu ad ann. MCCCCXCVIII clarus, quem excipiunt Pius, Fernandez, Altamura, Possevinus etiam & Pitseus. Hæc ei tribuuntur opera: * 1498.

Scriptum in libros quatuor sententiarum.

Quæstiones theologicæ scholasticæ.

Tractatus de unitate formarum.

F. THOMAS DE TORQUEMADA.

F. Thomas de Torquemada Petri Ferdinandi fratris germani nostri Joannis cardinalis de Turrecremata de quo supra filius, Pinciæ ordini nomen dedit, eaque vitæ puritate, regularisque disciplinæ studio emicuit, ut omnibus admirationi esset ac exemplo. Sacris interea disciplinis applicitus, iis adeo strenue incubuit, ut non solum præsentari titulum brevi obtinuerit, sed & supremi scholæ honores ei non semel a præfectis ordinis delati fuerint, quos modeste semper admittere detrectavit. Conventus Segobiensis electus prior, XXII annis solidis ei præfuit cum omnium approbatione, unde & illi reliquo vitæ decursu prioris Segobiensis titulus passim adhæserit. Neque verò tantum apud suos clarum Thomæ nomen erat, verum ad eam apud omnes, ipsosque catholicos reges Ferdinandum & Isabellam existimationem pervenit, ut nulli ex altioribus Ecclesiæ Hispaniæ honoribus non par videretur, a sacris confessionibus præsertim & a consiliis status a dictis regibus allectus. Omnes tamen & in his Hispalensis Ecclesiæ infulas constanter recusavit, unum tribunalis sancti officii quod erigendum curaverat, inquisitoris per universa coronæ regna generalis munus ad petitionem eorumdem regum a Sixto IV anno MCCCCLXXXIII sibi collatum admisit, ac invicto pectore tutatus est. Innumeros Judæos aut christianos Judaicis ritibus infectos ad ovile Christi reduxit: ut in cæcitate pervicaces, quorum numero tota infestabatur Hispania, & obruebatur fides, e regno expellerentur auctor fuit, & ut edictum proscriptionis regium effectum obtineret, nequicquam obstantibus aulæ magnatibus, quibus ingens auri pondus ab Hebræis oblatum non detrectandum videbatur, evicit. Leges in sacro tribunali servandas constituit, speciales per varias regni provincias inquisitores pro collata sibi facultate posuit, nihil denique quod ad sartam tectamque deinceps fidem tuendam opus esset omisit. In sancto hoc opere consenuit vir pro domo Dei studio exæstuans, seseque tandem in cœnobium Abulense, quod a fundamentis erexerat recipiens, ibidem animam Deo reddidit anno MCCCCXCVIII, XVI kal. octob. De eo legendi nostrates Jacobus Bleda *Chronica de los Moros* lib. 8 cap. 3 pag. 877, Castillus Histor. gen. P. I lib. 3 cap. 41, Lopez P. III lib. 3 cap. 74, Fernandez, Fontana, Altamura in Append. ad 1490, extrates Paramus, Zurita, Garibaius, Antonius Bibl. Vet. Hisp. lib. X p. 222 ubi miris illum effert laudibus. Scripsit varias ordina- † 1498.

tiones & statuta circa modum procedendi inquisitorum fidei contra hæreticos.

Primo XXVIII *capitula seu statuta in congregatione generali Hispali anno* 1484 *die* 29 *novemb. Item alia ibidem anno* 1485.

Item alia XV *statuta in altera congregatione generali Pinciæ anno* 1488 *die* 27 *octob.*

Item alia XVI *Abulæ anno* 1498.

Quæ omnia typis prodiere collecta simul cum aliis ejusdem generis jussu Alphonsi cardinalis Manrique archiepiscopi Hispalensis, ac generalis Hispaniarum inquisitoris hoc titulo:

Copilacion de las instruciones del officio de la santa inquisicion hechas por el muy reverendo señor Fray Thomas de Torquemada prior del monasterio de sancta Cruz de Segovia primero inquisitor general de los reynos y señorios de España: y por los otros reverendissimos señores inquisitores generales que despues succedierin, cerca de la orden que se ha de tener en el exercicio del santo officio, Matriti, Alphonsi Gomez 1576 fol.

F. ANONYMUS TEUTO.

1498. F. ANONIMUS TEUTO sub finem seculi XV clarus, ac in cœnobio Coloniensi confessionibus excipiendis applicitus scripsit

Manuale confessorum metrice ordine alphabetico. Pr. *Abbas jure suis tonsuram datque minores*, Coloniæ 1498 in 4 pp. 364.

Item Mare magnum privilegiorum ord. Prædic. de quibus agit in Manuali, verbo, *Interdictum.*

Conclusiones & responsiones, seu defensorium privilegiorum quatuor ordinum mendicantium pro audientia confessionum.

Elucidatio ordinis affinitatis & consanguinitatis secundùm canones. Quæ tria posteriora simul typis prodierunt Coloniæ Hermanni Hunguert de Werwich 1499 in 4. Vidit R. P. Jacobus Quetif anno 1671 apud nostros Coloniæ & Trajecti ad Mosam.

F. UGO DE PRATO.

1499. F. UGO DE PRATO ordinis Prædicatorum laudatur a Tomasino in Bibliothecis Patavinis p. 52, ceu cujus extent apud sodales nostros ad S. Augustini

Sermones itinerarii dicti anno 1499 *die tertia julii.*

Dubios nos facit annus notatus, si sit ætas auctoris, vir singularis fuerit hoc tempore clarus, si ætas solummodo codicis, exurget dubium an ille alter ab Hugone de Prato florido vulgo dicto, de quo supra ad 1322 actum, cui tamen sermones hujus tituli nemo tribuit. Nodum soli solvere possunt sodales ejus domus.

F. MATTHÆUS MARINETTI.

1499. F. MATTHÆUS MARINETTI Etruscus conventus S. Mariæ ad Quercum non longe a Viterbio alumnus his annis vivebat, & laudatur a Fontana in Prov. Rom. p. 369 & ab Altamura ad 1499 ceu qui scripserit

Esposizione sopra il psalmo L, Miserere mei Deus.

F. JOANNES MARQUET

1499. F. JOANNES MARQUET, aliis *Marques* Aragonus conventus Valentini alumnus e nobilissima illius Raimundi Marquet Barcinonensis clarissimi navarchæ, classisque & triremium ducis sub Petro I rege familia progenitus, ob eximiam eruditionem, & cum pari vitæ ac morum integritate & gravitate miram concionando facundiam & efficaciam a Ferdinando II rege Aragonum ascitus est & electus, qui sibi esset a confessionibus, arcanisque consiliis, & concionator regius epistola ad eum Tudelæ anno MCCCCLXXVI mense aprili data. Hunc cùm aliquando in die S. Stephani magna contentione concionantem rex audivisset, quam sibi grata fuisset ea concio, publice testatus est; nam accersitum blande excipiens, levique manu demulcens, astantibus aulicis dixit, *Buenas pedradas nos ha tirado oy el padre*, alludens scilicet & festo & sermoni. Abinde a rege designatus Pactensis Ecclesiæ in Sicilia præsul litteris Segobiæ anno MCCCCXCIV die XV julii scriptis, & ab Alexandro VI confirmatus, hanc sedem sapientissime rexit ad ann. MCCCCXCIX, quo mense aprili vitam hanc reliquit mortalem. Scripsit teste Baltazare Sorio ejusdem ordinis & provinciæ

Concionum eruditarum volumen.

De eo legendi Lopez P. III lib. 3 cap. 35, Diagus fol. 220, & Rochus Pirro Sic. Sac. lib. 3 p. 411, quos hîc excipimus.

F. AUGUSTINUS DE VERONA.

1500. F. AUGUSTINUS DE VERONA inter illustres sub finem sec. XV verbi Dei præcones laudatur a Leandro fol. 146 a, & a Razzio p. 281 n. 31. Hæc verò a Rovetta ei ad 1500 ascribuntur opera:

Enchiridion doctrina chistiana.

Postilla super psalmum L, Miserere mei Deus.

F. BARTHOLOMÆUS DE ALZANO.

1500. F. BARTHOLOMÆUS DE ALZANO Italus patria & professione Bergomensis maximo labore summaque diligentia per omnes Italiæ civitates spatio viginti annorum epistolas a B. virgine Catharina de Senis perquisivit, & in unum collectas celebri typographo Aldo Manutio tradidit cudendas, apud quem prodierunt in folio charactere Romano & charta elegantissimis anno 1500 die 15 septembris. Sic enim legitur in titulo:

Sappia ciascuno ne le cui mane verranno queste epistole, che essendo state adunate insemi con grandissima diligentia, & faticha per spatio di circa vinti anni per il venerabile servo di Dio Frate Bartholomeo da Alzano da Bergamo del ordine de la observantia de li Frati Predicatori, & essendo stampate diligentissimamente & con grande spesa &c. Extat hæc editio Paris. in Regia, D. 525.

F. BENEDICTUS BRITANNICUS.

1500. F. BENEDICTUS BRITANNICUS Italus patria & professione Brixiensis clarebat quantum conjicere est circa annum MD. Scripsit & typis edidit opus hoc titulo:

F. Benedicti Britanniti Brixiani ord. Prædic. pro impetrando funericios in sermones aditu: novitiis declamatoribus quam aptissime dedicata.

Sunt sermones LIII. Primus sic incipit: *Sermo primus optimus, in quo ostenditur triplici ratione nostrorum funeralia nullo pacto esse negligenda. Consolamini invicem. I Thessal. Fuit usus &c.*

Post sermones sequuntur exordia decem. His subjunguntur sententiæ ex Cicerone & Seneca excerptæ. Opus arguit auctorem in scripturæ, & SS. Patrum, sed & philosophorum & poëtarum lectione versatum. Hæc me monebat celebris Antonius Massoulié magistri ordinis socius ex libro ipso auctoris typis edito a se viso epistola data Romæ an-

Sec. XV. no 1703 die 19 junii. Abest locus, annus, & nomen typographi, sed est in 8.

Hujus auctoris meminit Lusitanus, sed sub nomine *Gregorii Britannici*, dicitque opus ejus editum Venetiis 1516, quæ fortè altera editio. Excipiunt Possevinus & Fernandez qui refert inter Gallos, sed perperam, cùm non solum titulus præstet Brixiensem, sed & plures parœmiæ Italicæ passim sparsæ Italum asserant.

Altamura ad 1495 vocat etiam Gregorium, & addit illum opus suum recognovisse, ac auctum typis iterum commisisse Venetiis, apud Petrum a Rabanis 1533 in 8.

Rovetta in duos dividit, alterum *Benedictum Britannicum*, quem collocat ad 1455, & cui præter sermones funebres alios tribuit

De tempore & de Sanctis & quadragesimales.

Alterum Gregorium Britannicum, quem refert ad 1495 & cui etiam *Sermones funebres & nuptiales* ut Lusitanus, sed & *de tempore & de Sanctis & quadragesimales*, adeo ut manifeste videatur unicus scriptor in duos multiplicatus.

F. BENEDICTUS DE MANTUA.

1500. F. Benedictus de Mantua Italus a patria & professione sic nuncupatus sub finem seculi XV & initia sequentis in monasterio sanctimonialium ordinis ad S. Sixti Romæ confessarium agebat, earumque negotia curabat, hincque scripsit

Un libro delle risposte delle vigne, poderi &c. del detto monasterio. Qui MS apud illas Sanctimoniales servatur.

Hoc libro usus est Franciscus Maria Torrigius in suo opere cui titulus: *Historia della veneranda immagine di Maria vergine posta nella chiesa delle monache de' Santi Sisto & Domenico di Roma.* Hanc edidit Romæ apud Manelfium 1641 in 4.

F. BENEDICTUS PAULI.

1500. F. Benedictus Pauli Etruscus Florentinus sub Hieronymi Savonarola disciplina educatus, eximius evasit theologus, & rei litterariæ sequentia reliquit opuscula, quorum archetypum in Bibl. Gaddiana servatum se vidisse testatur Pocciantius, & quorum hi tituli:

Fons vitæ. Pr. *Fons vitæ apud te Domine.* Opus in tres libellos dividitur.

Fasciculus mirrhæ. Carmen est in quo agit de virtutibus, donis & beatitudinibus: ex quo elegantem poëtam fuisse colligit Pocciantius.

Cedrus Libani. Pr *Udite o cieli il mio parlare.* Carmen est de sua ipsius ad Deum conversione, ac de laudibus dicti venerabilis Hieronymi Savonarola.

Chronicon ordinis Prædicatorum. Pr. *Sicut ex diversis chronicis.* Breve quidem illud, sed accuratum.

Pocciantium excipiunt Possevinus, Fontana in Prov. Rom. Altamura in Bibl. & Append. ad 1500.

F. DOMINICUS DE FLANDRIA.

† 1500. F. Dominicus de Flandria a patria sic nuncupatus, at in Italia in congregatione utriusque Lombardiæ ordinem amplexus, philosophus ac theologus magni nominis sub finem seculi XV claruit. Pluribus annis studium generale Bononiense rexisse ferunt, laudemque & famam ex eo sibi fecisse in Italia maximam: narrantque eum aliquando cum Argyropulo Græco viro celeberrimo litterario congressum certamine, centumque argumenta ab Argyropulo sibi objecta ita solvisse, ut auditorum judicio palmam reportarit. Ejus cum laude meminerunt omnes fere nomenclatores, auctor additionis I ad Trithemium, qui dicit mortuum sub Alexandro VI: Gaddius de scriptoribus non ecclesiasticis P. I pp. 191 & 192, ubi Paulum Borghesium virum doctum & probum de eo citat agentem: Swertius, Valerius Andreas; nostrates verò Leander fol. 153 b, Lusitanus, Pius, Fernandez, Altamura ad 1477, Rovetta, ad 1464 Bononiæ apud nostros sepultum asserens. Hæc ejus opera:

In XII libros metaphysicæ Aristotelis secundum expositionem angelici doctoris lucidissimæ atque utilissimæ quæstiones, Venetiis 1496 fol. Hanc editionem laudat Beughemius. Alii indicant annum 1499.

Altera editio Coloniæ, Arnoldi Kempensis 1621 fol. Hanc accuravit Cosmas Morelles de auctore legendus in epist. nuncup. & prologo.

Editio III Venetiis 1637 fol. Hæc recensetur in Bibl. Sluzian. p. 298.

Extant MS bis in memb. & chart. Venetiis ad SS. Joan. & Pauli.

Quæstiones XLIX in librum primum posteriorum: XX in secundum: XXIII in elenchos sive in opusculum S. Thomæ de fallaciis. Prodierunt Venetiis 1496, & iterum apud Junctas 1565.

Quæstiones & annotationes in tres libros de anima. Prodierunt cum *commentariis S. Thomæ in eosdem*, Venetiis, Octaviani Scoti 1503 fol. Tum accurante & ad amussim recognoscente Bartholomæo de Spina Pisano ejusdem ordinis, Venetiis Luc. Ant. de' Giunta 1518 fol. charact. Goth.

Quæstiones quodlibetales, Venetiis 1500.

Commentaria in librum de causis Procli, in VIII libros physicorum, quatuor de cœlo & mundo, duos de generatione & corruptione, & in parva naturalia, passim auctor citat in metaphysicis ut a se edita, sed jam magnam partem videntur periisse.

Summulæ MS servantur Florentiæ ad S. Mar. Novel. Ad calcem sic legitur: *Expliciunt Summulæ clarissimi doctoris magistri Dominici de Flandria ord. Prædic. super Petrum Hispanum, quas ego F. Michael Miniati conventus S. Mariæ Novellæ de Florentia scripsi & finivi anno MCCCCLXXVIII die IX decemb. in eodem conventu.* Sic refert Gaddius citatus.

Eodem cod. MS: *Incipiunt suppositiones M. Dominici de Flandria* &c. ut supra. Ibid. *Opus de Fallaciis* MS supra laudatum.

Tractatus brevis de ordine divinarum personarum. MS extat in bibliotheca nostra Tremoniensi provinciæ Germaniæ. Vidit noster Ghilbertus de la Haye.

F. MARCUS PETRI DE SUCCHIELLIS.

F. Marcus Petri de Succhiellis Etruscus Florentinus patria & conventus S. Mariæ Novellæ filius, sacræ theologiæ magister exeunte Christi seculo XV eruditione claruit dicendique facundia, celebris apud suos verbi Dei concionator & acceptus, quo tempore Hieronymus Savonarola etiam apud Florentinos inclarescebat, cujus & proinde forsan æmulus cum Joanne Carlio & pluribus ejusdem familiæ & cœnobii viris, uti Joannes Picus Mirandulanus in ejusdem Hieronymi vita observavit cap. 9 æmulationis etiam causis adductis: sed & Timotheus Botoni Perusinus cap. 36 vitæ ejusdem Hieronymi in additionibus ad ejus vitam T. II p. 490 a Jacobo Quetif relatus. Marcum nostrum in cœnobio S. Mariæ Novellæ decubuisse, jacereque scribunt Pocciantius, Pius, Altamura ad 1490. Scripsit manu propria 1500.

Tomos duos sermonum prædicabilium ad S. Marci servatos. Primus incipit: *Ductus est Jesus in*

desertum. Alter: *Paradisus terrestris, ut Moyses scribit.*

F. MARTINUS DE JANUA.

1500. F. MARTINUS DE JANUA Ligur alterutrius conventuum Januensium aut S. Dominici aut S. Mariæ ad Castellum alumnus a Leandro fol 154 a, laudatur optimus philosophus & theologus, & ex iis qui hoc anno MD florebant. Idem indicat Razzius p. 310 medium eum collocans inter Sebastianum Perusinum & Georgium Mediolanensem hoc eodem anno jam claros, quos tres sacræ theologiæ magistros dicit, variis in studiis generalibus regentes, ac singulos *de logica & philosophia* quædam posteris ingenii sui monumenta reliquisse testatus. Hinc Rovetta non recte ad 1312 Martinum revocat, sed recte inter scriptores recenset licèt a Lusitano & sequacibus omissum.

F. SILVESTER DE MARRADIO.

1500. F. SILVESTER DE MARRADIO quem & Etruscum & Florentinum & circa hunc annum claruisse conjicere est, scripsit quod Florentiæ ad S. Marci servatur Arm. 11 n. 195 MS

Speculum veri & humilis prædicatoris revelatum, opusculum F. Silvestri de Marradio ordinis Prædicatorum.

Nulla mihi pii hujus sodalis aliunde notitia, majorem fortè dabunt symmystæ, & hic addent ut optamus.

F. STEPHANUS DE GARESIO.

1500. F. STEPHANUS DE GARESIO Insuber a Francisco Augustino *della* Chiesa laudatur, ceu qui ad hunc annum theologus & Ecclesiastes floruerit, & a quo typis edita sit

Catena argentea in universam logicam.

Ad eumdem annum excipit Rovetta, nec majorem lucem affert.

F. STEPHANUS DE PIOPERA.

1500. F. STEPHANUS DE PIOPERA Mediolani natus & in cœnobio Gratiarum ordinem amplexus hoc eodem anno florebat, & ab Alberto Brandano in suo Roseto Mariano recensetur ceu qui scripserit

De rosario B. Virginis.

Ex modo loquendi Brandani videtur opera alia a Quodlibeto de Rosario Michaelis Francisci de Insulis, quod iste Stephanus Bononiæ imprimendum curavit anno MD, de quo postea.

F. THOMAS DE VIGLEBANO.

1500. F. THOMAS DE VIGLEBANO vernacule *Vigevano* a patria Insubrum civitate agnomen sortitus, vir gravis & doctus inquit Leander fol. 146 a, florebat sub finem seculi XV, certè non ita pridem mortuus erat, cùm Leander scriberet anno MDXVI: Sic enim de eo ibidem: *Reliquit a se scriptos Sermones qui adhuc delitescunt in manibus Jacobi fratris* haud dubie germani ejusdem ordinis.

Meminerunt Lusitanus & sequaces & tandem Altamura ad 1513: Rovetta verò nullo allato certo documento in duos distinguit, alterum ad 1482, alterum ad 1517 collocans. At ex testibus quos utrobique profert, unicum esse convincimur, cui prætérea tribuit

Compendium juris canonici.

Summam de contractibus confessariis utilem.

F. ALBERTUS PORLESIENSIS.

1500. F. ALBERTUS PORLESIENSIS Polonus a Lusitano laudatur ad ann. MD clarus, & ad eumdem annum excipit Altamura. Ejus sunt quæ in quatuor partibus Summæ moralis S. Antonini ad principium cujusque in auctoris & operis commendationem leguntur

Epistola & carmina.

Quædam prætereà fertur edidisse, sed quænam illa sint, ac ubi serventur, nullus indicat.

F. JOANNES MILLENSIS.

1500. F. JOANNES MILLENSIS episcopus nostris accensetur scriptoribus ab Altamura ad 1500, ceu qui scripserit

Pro fraternitate rosarii B. Virginis & alia.

Testem Altamura profert Coppensteinium de ea fraternitate lib. 3 cap. 9 p. 374, ubi episcopum illum ait quidem indulgentiam XL dierum huic societati contulisse at nihil amplius: quæ verò sit illa civitas seu sedes Millensis, ariolari non vacat, nam nec in Notitiis occurrit, nec ejus Fontana meminit in Theatro.

F. MATHURINUS ESPIARDI.

1500. F. MATHURINUS ESPIARDI Gallus Burgundus domus Divionensis alumnus sacræ theologiæ magister seculo XV claruit. Magistri ordinis Martialis Auribelli socius allectus & titulo provincialis Terræ sanctæ donatus, eo nomine in comitiis generalibus Avenione anno MCCCCLXX sedit ac diffinivit. An sub sequentibus Leonardo de Mansuetis, Salvo Cassetta, Bartholomæo Comatio & Barnaba Saxono idem munus gesserit, etsi verisimile, non mihi certum: sed comitiis generalibus anno MCCCCLXXXVII Venetiis affuisse constat ex actis domus Insulensis, in quibus dicitur a diffinitorio judex datus cum Gabriele Dominici de Florentia & Nicolao de Neapoli magistris etiam theologiæ, qui litem de quibusdam terminis ut aiunt, seu locis Insulenses sodales inter & Audomarenses motam dirimeret. Ex iisdem actis habetur adhuc februario sequente cum magistro ordinis Joachimo Turriano Romæ fuisse. Exinde in Franciam redux in domum Belnensem quam ipse anno MCCCCLXXVII erexerat, se recepit, & in ea mortuus dicitur anno MD Kal. augusti, & ibidem sepultus ad ambonis sacelli ostium. Provinciæ Franciæ aliquando præfuisse quidam volunt, & anno MCCCCLIX in comitiis provincialibus Trecis habitis electum, sed brevi isto munere functus fuerit, nam anno MCCCCLXII Rolandus le Cozic Armoricus ceu prior Franciæ provincialis comitiis ordinis Senensibus affuit. Porro etsi nulla ab eo opera edita sciam, visus tamen est non omittendus, eo quod litterarum maximus cultor fuerit, codices quamplures MS undique collegerit, & multorum auctorum opera ab interitu vindicarit. Ex ejus museo prodierunt *Sermones de tempore Leonardi de Utino* de quo supra, Lugduni, Joan. Trechsel 1496 in 8, de qua editione sic Jodocus Badius Ascensius ad Johannem de Genas Lugdunensem ordinis Prædicatorum scribebat:

» His diebus ab amicissimo & longe venerando « viro magistro Mathurino Espiardi sacræ theologiæ « professore præstantissimo pretiosam sane suppel- « lectilem sublegisti. *Et postea:* Credere non possem « dictum patrem Mathurinum virum tam anxie re- « ligiosum, & tam religiose laudabilem in ea re se «

Sæc. XV. » læsum conquestum ire. Cùm enim de sanctis literis unus mortalium quam optime meritus sit, » quippe qui plurima lucubratione, magno impendio, incredibilique studiositate rarissima quæque » volumina illius temporis negligentia fere situ victa » in lucem prodiderit, ac ne pereant conservarit: » non verisimile est se illis solum oblectari constituisse. *Et postea*: Quocirca non inique nec ab re » sperem jam sæpe memoratum, sæpius tamen memorandum patrem Mathurinum ultro suapteque » sponte quos adhuc abditos atque secretos habet, » qui plurimi sunt libros, ad Johannem suum Trechsel imprimendos transmissurum «.

Ex hac Badii præfatione discimus antiquorum codicum MS curiosissimum fuisse Espiardum, innumerosque in suum Museum collegisse, quorum utinam indicem haberemus. Id solum scio apud sodales Divionenses extare etiamnum codicem MS chartaceum in fol. quo continentur plura nostri Johannis Nyder opuscula supra ubi de eo relata, eodem verò codice habetur opus rarum & hactenus a nemine laudatum, scilicet

Liber de contemplatione editus per R. D. Dominicum episcopum olim Torcellanum nunc Brixiensem summi pontificis in urbe generalem Vicarium finitus anno Dñi MCCCCLXXII *mensis februarii* XXVI *die in conventu ordinis FF. Prædicatorum S. Mariæ super Minervam de Urbe, pro R. magistro Mathurino Espiardi socio Rdmi magistri Martialis generalis totius ordinis Prædicatorum.* Datum hic notatum ætas est codicis, quem ex exemplo auctoris aut alio simili in suum usum exscribi curavit Espiardus. Auctor vero est Dominicus de Dominicis vir sub Pio II clarissimus, illique pontifici & ejus successori Paulo II acceptissimus, cujus quidem plura alia opuscula laudant Simlerus & Possevinus, sed hujus non meminerunt, quod forte unicum jam superest.

Collectionem item omnium opusculorum nostri Raphaelis de Pornaxio supra relatam ad 1465 ubi de eo, ejusdem Espiardi diligentiæ debemus, ut & orationum in gravissima illa disputatione de sanguine Christi in cruce effuso coram Pio II Romæ anno MCCCCLXIII habita ex utraque parte Minorum & Prædicatorum pronunciatarum, & aliorum in hac eadem causa opusculorum.

F. I. RAPHAEL.

† 1500. F. I. RAPHAEL Gallus Salyus provinciæ Provinciæ alumnus, cujus verò cœnobii sodalis mihi incompertum, clarebat vergente hoc seculo XV & sub initia sequentis. In ministerio Renati regis Hierusalem & Siciliæ Provinciæque comitis anno MCCCCLXXX mortui se fuisse pluribus annis ipse testatur in opere mox laudando, sed & Ludovico XII qui anno MCCCCXCVIII regnum Franciæ capessivit gratum & acceptum, ac cui opellam sequentem nuncupavit hoc titulo:

S'ensuit la vie de monseigneur saint Aulzias (Latini Elzearum dicunt) *de Sabran comte d'Arian glorieux confesseur & vierge extraite par R. maistre I. Raphael de l'ordre de S. Dominique du païs de Provence*, Parisiis, Johan. Trepperel in 4 pp. 88. Deest annus, sed iste Trepperellus jam anno 1495 typographum agebat. Extat hæc editio Parif. in Regia H1223.

Vitam hanc auctor ad preces Petri de Sabran domini *de Beaudigner* sancto consanguinitate conjuncti scripsisse, & ex actis inquisitionis in ordine ad canonizationem institutæ, tum ex chronicis, & ex antiquis documentis concinnasse asserit. Nullibi Aulziam S. Francisci tertiarium ut aiunt ordinem amplexum dicit, licèt Minoritam Johannem Juliani confessarium habuerit, at post mortem ut in veste Franciscana sepeliretur & in hujus ordinis sacello jussisse.

F. PETRUS EBERARDINUS.

F. PETRUS EBERARDINUS Gallus itidem Salyus sacræ theologiæ magister & sanctæ fidei inquisitor, eodem cum superiori tempore claruit, 1504 ac edidit libellum hoc titulo:

S'ensuit la vie de la benoite Daulphine de Puimichel contesse d'Arian femme & epouse de saint Aulzias faite par maistre Pierre Eberardin inquisiteur de la foi. Prodiit iisdem typis ad calcem superioris pp. 20. Hunc Petrum Possevinus *Eberardum*, Altamura ad 1554 sed ætatem ignorare se fassus Ebardum corrupte agnominant.

F. HENRICUS INSTITORIS.

F. HENRICUS INSTITORIS Germanus natione, Teutonicæque provinciæ alumnus, vir sua 1500. ætate clarissimus, sacræ theologiæ magister & professor, etsi cujus ille fuerit academiæ, vel cujus in Germania civitatis, conventusve ordinis professus compertum non habeamus, magno præsertim exarsit fidei religionisque zelo, quam stylo verboque fortiter & constantissime propugnavit. Quare cùm ea tempestate varii per Germaniam contra fidem errores irrepsissent, sagarumque strigum & maleficarum nefanda sacrilegaque commercia pullularent, Henricum nostrum Jacobumque Sprengerum sacræ theologiæ professores generales instituit per universas diœceses ecclesiarum metropolitanarum quinque Germaniæ, Moguntinensis scilicet, Coloniensis, Trevirensis, Salisburgensis atque Bremensis inquisitores Innocentius papa VIII datis Romæ apud S. Petrum literis anno MCCCCLXXXIV pontificatus primo. Qui manum admoventes operi in sagas præsertim inquirunt, & ex jure agunt. Quin & Maximilianus Romanorum rex Henricum nostrum collegamque suum Sprengerum datis Bruxellis anno MCCCCLXXXVI die VI novemb. literis in officio dictæ inquisitionis auctoravit, utque in omni ditione sua cuncti parerent inquisitoribus his, faverentque in omnibus imperavit. Salisburgensis ecclesiæ lectoris officium Henricus noster annis obivit pluribus, quo dum fungeretur, vocatus est a magistro ordinis F. Joachimo Turriano Venetias ad annum MCCCCXCV, qui publicas haberet de sacro cultu & adoratione eucharistiæ concertationes. Erant enim circa hæc tempora, qui nonnisi sub conditione saltem implicita & subintellecta, si rite duntaxat consecrata fuisset, adorandam esse docerent eucharistiam, in quos publicè coram patriarcha Veneto disputavit, & conciones plures habuit. Hæc autem nata est contentio ex nupero, qui tum acciderat in agro Patavienſi casu. Rusticus in vicino nemore quidam ligna cum foliis colligens, sub vepribus decisisque & arefactis arborum ramis invenit obvolutas pixides duas, seu vasa sacramenti Dominici corporis ante annos tres e vicini cujusdam pagi æde sacra subrepta, alterum scilicet quo infirmis SS. deferebatur sacramentum, alterum quo in die Corporis Christi proponitur adorandum: quod statim ecclesiæ vicinæ custodi & provisori nunciavit. Qui mox eo profectus, remque ut audierat ita se habere deprehendens, omnia scrutatus est diligentius, invenitque in vase altero species eucharisticas: tum lapidem consecratum pro viatico deferri solitum cum linteolo sive corporali vasi supposuit, ligneum quoddam ædificiolum circum struxit, custodes reliquit, qui ne ibi quid committeretur illiciti, prohiberent. Interea divulgata fama concursus fit populorum

lotum ad nemoris locum, cerei accenduntur, Christus ibidem adesse conclamatur, adoratur: crescente rumore ad Pataviensem episcopum res delata est, qui missis illuc ministris cuncta rimatur, corruptasque duntaxat in altero vase nonnullas sacramenti species atque reliquias invenit populo præsente & spectante, destructo proinde ædificiolo, succisisque quibus circumdabantur vasa vepribus ac cereis extinctis, ab episcopo clerici missi secum auferunt: subque censuris & excommunicationis pœna prohibetur, ne locus iste deinceps quacunque ratione coleretur aut visitaretur. Qua quidem occasione quidam sacerdotes in eo populum idololatrasse prædicabant, & adorasse rubiginem, arbores, vepres & diabolum asserebant. Unde non levis orta tum contentio in clero & populo, num scilicet hic peccasset populus Christi corpus, quod ibidem esse credebat, nec vere tamen ibi erat adorans; tum vero maxime num sub conditione adorandum, cùm in missæ sacrificio proponitur & elevatur, vel ad infirmos defertur sacramentum; hac scilicet, si vere sit consecrata hostia, cùm quis nihil illuminatus a Deo est, nec interius certior factus. Fuit & Henrico nostro per ea tempora gravis alia contentio ex cujusdam publica concione & temeritate, qui Augustæ Vindelicorum ausus est asserere, certi nihil esse in Ecclesia catholica de cruenta sive humana in Eucharistiæ sacramento apparitione, num ibi Christus vere adsit, & ibi sit adorandus a populo, remque divino totam aiebat committendam arbitrio, quod nec ab Ecclesia ipsa nec apud SS. Patres aut doctores super eo certi quicquam aut definitum habeatur: in quem Henricus fidei zelum pariter & officii sui auctoritatem probavit, prædictas concionatoris assertiones damnando, subque excommunicationis pœna prohibendo ne ab ullo docerentur. De quibus omnibus singularia scripsit opuscula, quæ & tum typis prodiere:

1. *Malleus maleficarum maleficas & earum hæresim, ut framea potentissima conterens per F. Henricum Institorem & Jacobum Sprengerum ord. Præd. Inquisitores*, Lugduni, Juntarum 1484. Quam editionem laudat Fontana in Monimentis ad hunc annum penes quem fides. Parisiis, Joan. Parvi in 8. Colon. Agripp. Jo. Gymnici 1520 in 8. Francofurti, Nic. Bassæi 1580 & 1582 in 8. Quæ tres posteriores editiones extant in Bib. Reg. E. 2882, 2883 & 2884. Has editiones etiam laudat Dupinius, Venetiis 1576, & Lugduni 1620. Extat & recentior Lugduni, Claudii Bourgeat 1669 in 4 pagg. 301. Quem librum ab auctoribus S. Facultati Colonien. oblatum probaverunt Doctores anno 1487 maii 9.

2. *Tractatus varii cum sermonibus plurimis contra quatuor errores novissimè exortus adversus divinissimum Eucharistiæ sacramentum, collecti a lectore Ecclesiæ Saltzburgensis sacra pagina professore; ac hæreticæ pravitatis inquisitore Fratre Heinrico Institoris ordinis Prædicatorum*, Nurimbergæ, Antonii Koberger 1496, in 4. Quod opus in tres partes dividitur.

I. P. Exibentur *Tractatus erroneus* ejus qui Christum nonnisi sub conditione in Eucharistia adorandum prædicaverat: *Replica in eumdem*, & *sermones XI de eadem Eucharistia*.

II. P. Sunt *sermones XIX de Eucharistia*.

III. P. 1. *Sex sermones* item de Eucharistia. 2. *Avisamenta pro clericis*. 3. *Opusculum de sacramento miraculoso sub specie sanguinis a 300 annis jam tum Augustæ Vindelic. asservato, sive Impugnatio erroris asserentis sacramentum miraculosum Eucharistiæ, dum apparet in hostia forma cruoris carnis aut imaginis non esse verum sacramentum; cum fulminatione excommunicationis contra sic opinantes*. Extat Parisiis apud nostros ad S. Honorati,

Cùm autem eodem tempore latam a Tarvisino præsule sedis apostolicæ legato de latere & patriarcha Venetiarum adversus Antonium de Rosellis Aretinum & librum ejus *De Monarchia sive de potestate imperatoris* censuram improbarent aliqui, nec jure fuisse processum in ea damnatione & censura dicerent, rogatus est Henricus a nobili Veneto D. Antonio Pisamannis S. T. D. contra dictum Rosellí tractatum ut scriberet, quod & præstitit opere cui titulus: sæc. XVI.

3. *Tractatulus adversus errores D. Antonii Roselli Patavini J. U. C. de plenaria potestate pontificis ac monarchia incipit*. Ad finem sic legitur: *Explicit replica inquisitoris Germaniæ F. Heinrici Institoris adversus dogmata perversa Roselli impressa Venetiis typis Jacobi de Leucho expensis Petri Liechtenstein* 1499 julii 27 fol.

4. *Clypeus sanctæ Romanæ Ecclesiæ defensionis contra Pikardos & Waldenses*. Editus cùm sub Alexandro VI fidei censor ageret in Bohemia & Moldavia. Laudatur a nostro Natali Alexandre in suo *seculo XV*, *Dissertat. I*, *num. XIII*, ubi & ejusdem operis fragmentum refertur. Recenset Beughemius in Incunabulis Typographiæ inter editiones, quarum annus incognitus in fol. Meminit etiam Simlerus. Citatur etiam a Rainaldo ad annum 1500. Quos *sermones* laudant Lusitanus & Altamura ad 1496, ut & Possevinus *adversus errores maleficarum* nusquam vidi, nec istud operis aliud censeo a *Malleo maleficarum* ipsi cum Sprengero communi, de quo supra.

Quo demum Henricus noster vivere desierit anno & loco, certi nihil habetur, sed ad annum salutem 1500 pervenisse verisimile videtur.

F. JOANNES POLYCARPUS SEVERETANUS.

F. JOANNES POLYCARPUS SEVERETANUS Dalmata Sebenici natus, & Vicentiæ ad ordinem allectus, sacræ theologiæ magister, vir amœnioribus litteris excultus, ceu qui Patavii clarissimos præceptores audierat, Palladium Tuscum, Marcum Antonium Coccium Sabellicum, Pomponium Lætum, ac Joannem Sulpitium Patavinum; (sic enim de eo Rovetta): quæ si vera sint, cùm clarissimi isti bonarum litterarum restitutores circa finem seculi XV & initia sequentis floruerint, Sabellicus inter alios anno MCCCCXCIV claruerit, profecto allucinatur Rovetta cùm hunc Joannem Polycarpum ad 1384 collocat, quem rectius ad 1506 revocasset, licèt & ultra vivere potuerit. Ut ut sit, quod suis gentilibus curiosis disquirendum ultro permittimus, scripsit * 1506

Republica Eugubina historiam; quam inquit idem Rovetta, laudat Antonius Conciolus Cantianensis protonotarius apostolicus in *Tractatu de statutis civitatis Eugubinæ*, Maceratæ edito typis Josephi Piccini 1678 in fol. ac præsertim in ejus brevi ac honorifica descriptione.

Tractatus alios plures, quorum omnium penes Rovettam fides.

F. FRANCISCUS PRÆDICATOR.

F. FRANCISCUS PRÆDICATOR ex veteri Roma absque alio agnomine sic nuncupatus; vel quod Romæ natus esset, vel quod potius crediderim, quod Ecclesiæ Romanæ missionarius in Græcia versaretur, contra errores Græcorum Græce scripsit plura, quorum hæc etiamnum extare feruntur: † 1500.

1. In antiquitatibus sive Bibliotheca urbis Constantinopolitanæ Argentorati 1578 edita in 4 in ea

Sæc. XV. talogo librorum principis D. Manuelis Eugenici num. 9 sub finem

Fratris Francisci prædicatoris magnæ urbis Romæ ad Manuelem Corinthium magnæ Ecclesiæ orientalis Constantinopolitanæ magnum Rhetorem Epistola I. Quod Christus infermentatum panem dederit discipulis & non fermentatum.

II. *Epistola quod Christus dixerit, βαπτίζω ἐγὼ, & nequaquam βαπτίζεται.*

III. *Epistola de divina operatione, & de creato & increato, & de divino lumine, quod in monte Thabor apparuit, de eoque quod transformatus sit Christus, de tribus discipulis suis, & quod splenduerit facies ejus ut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut lumen.*

IV. *Epistola. De purgatorio igne, quod sit ignis purgatorius animarum.*

Sed & ibidem recensentur quatuor apologiæ sive defensiones, atque epistolæ ipsius Manuelis magni rhetoris ad eumdem F. Franciscum Prædicatorium monachum. I. *Quod fermentatum panem dederit Christus discipulis suis, & non infermentatum.* II. *Quod acceperimus ab apostolis & a Patribus dicendum esse βαπτίζεται ὁ δοῦλος, & non βαπτίζω.* III. *De divina operatione & transfiguratione quomodo Patres locuti sint.* IV. *Quod non sit purgatorius ignis animarum, quemadmodum Latini sentiunt.* Verùm pluries tum de illis quæstionibus, tum de aliis gravioribus, scripto & literis mutuo datis ambo decertarunt. Nam in catalogo codd. MSS Angliæ T. I num. 294, 115, 3 inter codd. Cromwel. sic legitur: *F. Francisci ex ordine Prædicatorum conclusiones theologicæ & orthodoxæ decem, quas per literas misit ad Manuelem magnum Rhethorem magnæ ecclesiæ cum responso ejusdem Manuelis.* Hujus transumptum exemplar R. P. Michaeli Lequien sodali conjunctissimo ex Anglia missum fuit, ac perhumaniter mihi communicatum, cujus in gratiam eruditorum placet hîc initium referre.

Γράμματα καὶ λόγοι τοῦ φρὰ φραζίσκου, καθὼς ἐκεῖνος ἔγραψε πρὸς τὸν μέγαν ῥήτορα.

Ταῦτα τὰ κεφάλαια καὶ δόγματα τῆς εὐσεβείας κρατῶ, καὶ παρὰ σοῦ, μέγα ῥήτορ καὶ διδάσκαλε, τοῦ σφαλῶ διδαχθῆναι ἐπιζητέον.

Συμπεράσματα θεολογικὰ καὶ ὀρθόδοξα τοῦ φρὰ φραζίσκου πρεδικατόρου.

α. Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ ἐκπορεύεται.

β. Εὐλόγως τὴν ἀνάπτυξιν τῶν ῥημάτων, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ, προστεθῆναι χρή.

γ. Ἐν ἀζύμῳ καὶ ἐν ζύμῳ ἄρτῳ τὸ σῶμα τοῦ χριστοῦ τελεῖται.

δ. Καθαρτικὸν πῦρ πρὸ τῆς κρίσεως πιστωτέον.

ε. Τῶν ἁγίων αἱ ψυχαὶ εἰς τὸν οὐρανὸν εὐθὺς προσλαμβάνεσθαι καὶ καθαρῶς τὸν θεὸν θεωρεῖν δεῖ.

ς. Πρῶτός ἐστι τῆς ἱερωσύνης θρόνος ὁ πάπας τῆς Ῥώμης.

ζ. Ἓν βάπτισμα φραγγῶν καὶ γραικῶν.

η. Ὁ ἀπολύσας τὴν γυναῖκα αὐτοῦ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, ἢ γαμήσει ἄλλην, καὶ μετὰ λόγου πορνείας ἀπὸ τῆς πρώτης ἀποστὰς μοιχᾶται.

θ. Ὁ χριστὸς ἄρτον ἄζυμον ἔδωκεν ἐν τῷ δείπνῳ.

ι. Μόνος ὁ λόγος τοῦ χριστοῦ, λάβετε φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τέλειον σῶμα ποιεῖ. καὶ οὐδαμῶς τοῦ χρυσοστόμου ἡ εὐχὴ, καὶ ποίησον τὸν ἄρτον τοῦτον.

Hæc capita & religionis dogmata credo & profiteor, & quæro a te Rhetor magne, ut ubi me errare contigerit docere non dedigneris

Conclusiones theologicæ & orthodoxæ Fratris Francisci Prædicatoris.

1. *Spiritus sanctus a Patre & Filio procedit.* 2. *Rectè voces istæ* Et ex filio, *addi debuerunt*, Nempe, symbolo. 3. *In azymo & in fermentato pane triticeo conficitur corpus Christi.* 4. *Ignis purgatorius credendus & admittendus ante ultimum judicium.* 5. *Animæ sanctorum rectà tendunt in cœlum, & in cœlum receptæ Deum clare vident.* 6. *Primus hierarchiæ thronus est papa Romanus.* 7. *Baptisma Latinorum & Græcorum est unum & idem.* 8. *Qui uxorem repudiat propter aliam causam quam propter fornicationem, vel qui repudiata uxore propter fornicationem, aliam sibi matrimonio jungit, ille mœchatur.* 9. *Christus in cœna dedit panem azymum seu sine fermento.* 10. *Sola verba Christi* Accipite comedite hoc est corpus meum, *conficiunt corpus Christi: nusquam verò, oratio Chrysostomi in Liturgia sua*: Et fac hunc panem.

His subjicitur Responsio Rethoris, cujus hoc initium: Ἀπολογία καὶ ἀνατροπὴ τῶν κεφαλαίων τοῦ φρὰ φραζίσκου. Μανουὴλ ὁ μέγας ῥήτωρ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας φραγκίσκῳ τῷ πρεδικατόρῳ ἐκ παλαιᾶς Ῥώμης χαίρειν, &c. Hoc est: *Refutatio articulorum seu capitum Fratris Francisci. Manuel magnæ Ecclesiæ Rhetor F. Francisco antiquæ Romæ Prædicatori. Salutem.*

T. I. Cujusdam collectionis, cui titulus: *Varia sacra seu sylloge variorum opusculorum Græcorum ad rem ecclesiasticam spectantium cura & studio Stephani Le Moyne theologi Leidensis, Ed. Lugd. Bat. apud. Cornel. Boutesteyn, & Trajecti ad Rhenum 1694 in 4 pag.* 268. Exhibetur superius opusculum licèt mutilum in fine, nempe de statu animarum post mortem. Titulus: Ἐρωτήματα τοῦ φρὰ φραγκίσκου καθὼς ἐκεῖνος ἔγραψε πρὸς τὸν μέγαν ῥήτορα. *Fratris Francisci quæsita per epistolam ad magnum Rhetorem.* Est autem integrum in codice Anglicano citato. Nullus autem dubito, quin Franciscus noster scriptum Manuelis ex adverso confutarit, & articulos suos singulos egregiè propugnarit: sed horum dolendum nihil superesse jam aut saltem hactenus detectum nihil præter quatuor epistolas supra laudatas, quæ utinam ederentur, ne tandem pereant. Scio Manuelem initio suæ responsionis Francisco grammaticæ græcæ imperitiam objicere, & multiplicem in dictionibus literis & accentibus errorem: nec mirum rhetorem eximium Græcum in viro Latino non adeo accuratam linguæ Græcæ notitiam animadvertisse. At non de grammatica sed de recta fide agebatur. De isto Manuele sic scribit Leo Allatius de Ecclesiæ utriusque perpetua consensione col. 983: *Anno* M. D. *Manuel Peloponesius magnæ ecclesiæ Constantinopolitanæ Rhetor doctissimus & theologus præstantissimus, ut ait Manuel Malaxus in Hist. Eccl. scripsit contra Latinos* 1. *ad F. Franciscum ordinis Prædicatorum de processione spiritus sancti, de azymo, de purgatorio, de primatu papæ, de visione beatifica justorum statim post hanc vitam.* & postea addit Allatius: *Quicquid asserat Malaxus conterraneo favens, auctor hic* (Manuel) *insciens atque imprudens dicit ac facit omnia, & sus Minervam.* Ex his colligimus Franciscum circa 1500 claruisse, cùm ad eum annum Manuelem Allatius ascribat. Ejus meminit Possevinus ord. Præd. fuisse silens, at omisit Altamura.

F. JOANNES CAROLI.

F. JOANNES CAROLI vel *Carlo* aut etiam *Carlius* per syncopen Italis usitatam nuncupatus Etruscus, magnum ordinis sui patriæque decus & ornamentum, Florentiæ natus est anno circiter MCCCCXXV: cujus verò gentis & familiæ fuerit oriundus equestris vel plebeiæ, nihil apud auctores habemus, ipseque sat ingenita virtute posteritati clarus, ut a majoribus ullam ei necesse sit accipere mutuarique claritatem pative vituperium. Liberalibus tamen cùm egregie fuerit sub cura parentum educatus literis, non infimæ sortis eos, sed honestæ saltem extitisse & locupletes facile colligitur. Fuit enim in humanioribus disciplinis magni illius Christophori Landini præstantissimorum ingeniorum ea tempestate Florentiæ præceptoris † 1503

discipulus, quo eum ipse in quibusdam eidem inscriptis operibus titulo compellat. Erat autem Joannes non felici tantum ingenio, sed egregia etiam indole præditus, unde & Deo vocante institutum nostrum elegit, & in conventu S. Mariæ Novellæ adolescens ingenuus professus est. Mirum verò in religione quantum moribus, quantum & observantia virtutumque omnium studio claruerit, non minus pietati quam literis addictus. Otio bellum indixit perpetuum, orationi lectionive semper intentus aut scriptioni. Pluries domesticis suorum præfectus est studiis & moderator, & in academia Florentina magisterii lauream theologicæ facultatis accipere promeruit anno MCCCCLVII die XVIII septembris, quem annis postea XII caput sibi decanumque delegit atque præposuit eadem sacra facultas Florentina universa anno MCCCCLXIX. Ea fulgebat omnium laude virtutum, ut semel & iterum sibi præsidem elegerint symmystæ sui, quos singulari prudentia rexit, pluraque illis & conventui suo bona contulit, qua valebat apud insignes auctoritate dignitateque viros æstimatione & gratia. Æque enim ille ob probitatem & vitæ innocentiam apud viros pietate claros, quam ob singularem eruditionem, omnigenamque divinarum humanarumque literarum peritiam apud eruditos in pretio fuit, a S. Antonino Florentinorum antistite plurimum adhuc ætate florente dilectus, & Dominico cardinali Capranica præsuli Firmano, Angeloque ejus germano carissimus atque familiarissimus. Per ea tempora vir ille toto orbe celeberrimus ingeniorumque Phœnix dictus Joannes Picus Mirandulanus princeps nongentas proposuit de omni scibili publiceque a se propugnandas conclusiones cuilibet ad arbitrium impugnandas. Cum tanti nominis eruditionisque viro insigniores etiam philosophi ac theologi manum vix ausi sunt conserere ac disputationis aleam experiri. In certamen cum illo tamen Joannes noster & arenam descendit, & earum aliquas non inglorie nec infeliciter expugnavit. Demum in suo S. Mariæ Novellæ conventu jam ætate gravis moriebatur kal. februarii anni MDIII, vel juxta Badium ex Necrologio S. Mariæ Novellæ n. 739 anno MD die XV maii, ætatis LXXV. Plurima reliquit ingenii sui monimenta, quorum alia typis prodierunt, alia etiamnum servantur apud suos S. Mariæ Novellæ MS, nonnulla Etrusca lingua, alia verò Latina stylo eleganti facili & erudito.

1. *Vita B. F. Joannis Dominici Florentini S. R. E. cardinalis.* Edita apud Leandrum *fol.* 70 *a*, & in *Actis SS.* T. II junii ad diem X accuratius, nempe in quibus integra exhibetur, cùm apud Leandrum plura sint rescissa, & inter alia proœmium, seu epistola ad fratrem suum germanum Franciscum Barlingherium nuncupatoria, ex qua vitam hanc non solum ante 1484 ut scripsit Badius noster ad auctorem Annotationum ad Acta dicta SS. sed & ante 1465 scriptam conjicio, cùm in ea n. 6 fratrem dicat non solum uxorem nondum duxisse, sed & adhuc illi facultatem esse in Christo nubendi seu religionem ingrediendi, quod & ei conatur persuadere. Cùm autem anno 1465 jam 40 ætatis attigisset Joannes Caroli, etiamsi 10 tantum annis ponas fratrem ejus juniorem, jam 30 ætatis attigerat, ultra quem non solent homines ad vitam regularem excitari.

2. *Vita F. Simonis Saltarelli Florentini archiepiscopi Pisani.* Ibid. fol. 86.

3. *Vita F. Aldobrandini Cavalcantis Florentini episcopi Urbevetani.* Ibid. fol. 116 b.

4. *Vita F. Angeli Acciaioli Florentini patriæ suæ episcopi.* Fol. 121.

5. *Vita F. Joannis Salernitani S. P. Dominici socii*, conventus Florentini primi erectoris & primi prioris. Ibid. fol. 198 b. Sæc. XV.

6. *Vità F. Alexii Strozzi, & vita F. Guidonis Regionali* ejusdem conventus alumnorum. Sic refert Pocciantius, qui vitas has septem volumine uno MS contineri ab auctore ordinatas præfixa ipsis conventus S. Mariæ Novellæ notitia, & in ejus bibliotheca servari asserit.

7. *Vita B. Villana de Florentia.* Extat in Bibl. cit. ad calcem concionum F. Jordani ord. Prædic. *Sopra il genesis* in fol. med. foliolis 4 pergamenis constans. Et in fine sic legitur: *Explicit vita B. Villana de Florentia scripta per F. Joannem Caroli de Florentia ord. Prædic. A. D.* MCCCCLII, *completa die* IX *augusti feliciter.* Ipsis vidi oculis ego F. J. E. anno 1681 Florentia transiens rediensque in Franciam. Miror non editam, Beata enim illa apud nostros S. Mariæ Novellæ condita celebris est, & ad ejus tumulum continuo lampas ardebat. Ullius fuisse tertiariam ordinis non memini me legisse, at cujusdam ni fallor nostrorum ejusdem conventus matrem.

8. *Orationes quas ille diversis locis atque temporibus habuit*, quarum exordium est proœmii: *Proposueram quosdam &c.*

9. *Varii tractatus ascetici & spirituales*, quorum primus Bernardo Gondio nuncupatus ab auctore *super psalmos Pœnitentiales* Etruscè sic incipit: *Cosa certa & manifesta è o Bernardo &c.*

10. *Tractatus varii generis*, quorum primus est *de senectute*, incipitque *Marcum Tullium Ciceronem &c.*

Volumina tria hæc ultima recensentur a Pocciantio sic generatim, quæ alius sigillatim amplius declarabit.

11. *Quadragesimale & sanctorale.* Sic Badius noster.

12. *Expositio in psalmos graduales, in psalmum 113 In exitu Israel, & officium defunctorum.* Denique *in psal.* 83 *Quam dilecta tabernacula*, quam ultimam jam morti proximus scripsit. Sic Badius.

Codex MS memb. fol. in eadem Bibl. a me F. Jacobo Echard visus & lustratus. Pr. *Incipit liber de exemplis sacræ scripturæ, in quo de virtutibus & vitiis multa dicuntur, & etiam de moribus bonorum & malorum, quæ in utroque testamento memorantur, & de eorum finibus scriptus anno Domini* MCCCCLXXIIII *F. J. K. scripsit. Caput I. Abstinentia. Præcepit Dominus Adæ dicens &c. Cap.* 134 *& ultimum. De zelo contra peccatores.* Ad libri calcem: *Explicit liber de exemplis sacræ scripturæ scriptus per me Fratrem Joannem Caroli ordinis Prædicatorum completus die* XXVI *octob.* MCCCCLXXIIII. *Qui verò legerint, Deum pro me orent. Explicit. Deo gratias. Amen.*

Prodiit autem illud opus typis Parisiensibus in sole aureo anno 1477, die penultima januarii hoc est stylo novo 1478 in fol. sed suppresso nomine auctoris. Titulus: *Incipiunt exempla sacræ scripturæ ex utroque testamento secundùm ordinem literarum collecta. Et* 1 *De abstinentia. Præcepit &c.* ut in MS. Hanc editionem ego idem F. J. E. eodem anno vidi in bibliotheca nostrorum Aquis Sextiis.

Hujus ut videtur compendium extat apud nostros Parisienses ad S. Honoratum eodem titulo iisdemque capitibus suppresso etiam nomine auctoris, editum *Parisius in suburbiis S. Germani de Pratis per Petrum Levet.* Annus non indicatur, in S. Joannes *de la Caille Histoire de l'Imprimerie pag.* 64 refert hanc editionem ad 1487.

Extat in laudata S. Mar. Novel. Bibl. opusculum MS exaratum anno MCCCCLXXXII, cui titulus, *Commentarium* seu *Lectiones super Magnificat:* Hoc quidam B. Joannis Dominici cardinalis Ragu-

Sec. XV. fini censuerunt, quod similem lucubrationem feratur edidisse, sed Badius notat opusculum alio ordine ac spiritu procedere, quam verum Joannis Dominici opus, nec hujus, sed Joannis Caroli videri, qui vitam illius scripsit. Sic enim Badium ad se scripsisse monet auctor Annotationum ad Acta SS. T. II junii p. 397 F f.

Ejus cum laude meminerunt Leander fol. 152 b, Lusitanus, Razzius p. 326, Pius P. II lib. 3 col. 99, Fernandez, Altamura, ad 1503 & in Append. Fontana de Prov. Rom. Badius citatus de Florent. Univers. p. 105, ubi narrat Joannem Caroli prius Cisterciensium habitum induisse, consilio verò cardinalis de Capranica Firmani ad ordinem Prædicatorum transiisse, & a S. Antonino presbyterum ordinatum: exteri verò Pocciantius citatus, Possevinus, Ghilini Theat. Litterat. P. II.

F. THOMAS VESACH.

1560. F. Thomas Vesach Hispanus natione Valentinus, professione domus S. Onuphrii altero ad Valentiam lapide alumnus, vir pius circa finem seculi xv claruit teste Diago Hist. prov. Arag. fol. 283 b, quem excipiunt Fernandez ad 1500 referens, & alii sequaces ut & Altamura & Antonius Bib. Hisp. quibus testibus scripsit ac edidit in cunis typographiæ

La vida de santa Caterina de Sena en lengua Valenciana.

SEQUUNTUR SCRIPTORES

seculi xv *quorum ætatem certo deprehendere nequivimus, quos pro more ordine alphabetico exhibemus.*

F. ÆGIDIUS VALENTINUS.

* F. Ægidius Valentinus a patria & professione nuncupatus provinciæ Aragoniæ alumnus a nostris & exteris omissus, recensetur ex fide Diagi Hist. prov. Arag. fol. 252 a, ubi ætatem ejus silens testatur scripsisse

Un librito de devocion MS apud sodales Valentinos servatum.

F. ANDREAS BONCIRUS.

* F. Andreas Boncirus Trajecti ad Mosam natus & ordinem amplexus a Lusitano ex quorumdam relatu laudatur ut vir eruditus, & qui scripserit

Opus regale quæstiones theologicas complectens MS apud suos ibidem servatum.

Quod tamen jam perierit, nam Ghilbertus de la Haye qui diligentissime angulos omnes ejus bibliothecæ scrutatus est, nec invenit opus, nec de auctore quicqam e monumentis ejus expiscari potuit. Altamura pro libito refert ad 1335, Fernandez ad 1560, medium nos sequimur, & ad hoc seculum collocamus nihil tamen asserentes.

F. BALTAZAR A SANCTO DOMINICO.

* F. Baltazar a Sancto Dominico inter Lusitaniæ scriptores recensetur ab Emmanuele de Faria de Sousa in Indiculo. Sic habet Joannes Suarez de Brito in Theat. Lusit. Litter. MS, qui tamen addit & auctorem & ejus opera sibi incognita. Itaque penes Emmanuelem fides esto, quem Antonius in Bibl. Hisp. scriptorem præstat & accuratum & diligentem.

F. CLEMENS FERRER.

F. Clemens Ferrer Aragonus alumnus fuit conventus ordinis in oppido S. Matthæi regni Valentini: sic Diagus Hist. prov. Arag. fol. 278 a, eum adjiciens scripsisse

Sermones de tempore & de Sanctis.

Testem affert Baltazarem Sorium in Histor. ejusdem provinciæ, sed neuter ætatem auctoris meminit. At cùm Sorius adulto seculo XVI floruerit, Clemens seculo superiori saltem collocandus est.

F. DOMINICUS BUGELLA.

F. Dominicus Bugella Ligur laudatur a Lusitano & ab Altamura ad 1500, ceu a quo concinnati fuerint & editi

Indices quinque in utramque Summam theologicam & historicam S. Antonini archiepiscopi Florentini commode digesti.

Primus moralis Summæ præcipuas exhibens lectori sententias.

Alter similis eas quæ in Summa historica continentur complectens.

Tertius quæ ad B. Virginem spectant.

Quartus loca scripturæ sacræ in ea citata.

Quintus demum exhibet loca epistolarum & evangeliorum totius anni tam de tempore quàm de Sanctis in eadem exposita. Prodierunt in editione Summæ dicti S. Antonini Venetiis, Lazari de Soardis 1503 in 4.

Emendandus hîc Rovetta, qui ex relationibus, ut ei visum antiquissimis, hunc scriptorem collocandum contendit ad 1409, non attendens S. Antoninum natum anno 1389 vix vigesimum ætatis attigisse anno illo 1409: a morte igitur S. Antonini anno 1459 defuncti hos indices Bugellam confecisse verisimilius.

F. GEORGIUS EPPIUS.

F. Georgius Eppius Wimpinensis, (Wimpina autem Germanice *Wimpfen* urbecula est imperialis ad Necarum fluvium sita, altero ab Hailbruno in Boream lapide, & ab Heidelberga in ortum quinto) seculo xv claruit sacræ theologiæ lector, scripsitque opus hoc titulo:

De illustribus viris ac sanctimonialibus sacri ordinis Prædicatorum.

Hoc opere usus est Sigismundus Ferrarius in historia provinciæ Hungariæ, & recenset p. 121, ubi de auctoribus vitæ B. Margaritæ Hungariæ regis filiæ, & p. 384 ubi de B. Elisabetha Andreæ III Hungariæ etiam regis filia, & alibi passim. Extat exemplum MS apud sodales nostros Ratisponæ, quod prior provincialis Teutoniæ patribus societatis Jesu amice communicavit, ut Matthæus Raderus ejusdem societatis refert in sua Bavaria sancta T. II p. 290.

F. GEORGIUS HEPBURNUS.

F. Georgius Hepburnus clara apud Scotos & avita satus familia Hepburnorum, quæ Georgium alterum agnominem *Halis* baronis filium dedit decanum Dunkeldensem nostri Johannis Adæ provinciæ Scotiæ anno MDXVIII prioris provincialis intimum, ac Johannem etiam Hepburnum domus nostræ Andreopolitanæ priorem eodem tempore civilium sacrarumque rerum tractatione conspicuum, patria fuit Deidonensis, acris judicii, tenacissimæ memoriæ, vir summæ litteraturæ, nec minore zelo præditus, præfuitque suæ Scotiæ pro- †

vinciæ prior aliquando provincialis, in qua & disciplinam regularem exemplo potius quam præcepto restituit. Scripsit

De reformatione ad Fratres suos.

Collectiones theologicas.

Sic referunt Hector Boëtius Scot. Histor. lib. 16, & ab eo Dempsterus Histor. seu script. Scot. n. 646, ubi tamen plura uterque addunt emendanda. Nam Gregorium hunc volunt ad MCCCXXIV claruisse, quod cum eo stare non potest quod habent, Scotiæ provincialem fuisse, siquidem ut supra jam annotatum, Scotia anno tantum MCCCCLXXXI in provinciam ab Anglia divisam erecta est. Præterea de reformatione in ordine nulla in actis mentio ante tempora magistri ordinis Raimundi de Capua circa ann. MCCCLXXX: hinc Hepburnum hunc ad seculum XV revocandum censuerim, & si fuerit provincialis Scotiæ etiam post annum MCCCCLXXXI. Omitto verum non esse, quod ibidem asserit Hector Boëtius, domum nostram Aberdonensem a laudato decano Dunkeldensi primitus erectam, cùm ex chronico MS. & antiquissimo bibliothecæ gymnasii Edimburgensis quinta numeretur ex octo ab Alexandro II. rege Scotiæ fundatis ante ann. MCCL.

F. GEORGIUS DE PEYRA.

F. Georgius de Peyra inter scriptores nostros recensetur a Razzio p. 293, & Fernandez inter Italos, ab utroque ad ann. 1312, a Gozzeo & Pio col. 414 Gregorius dicitur, ab Altamura laudatur ad 1301, qui tamen indicat a quibusdam ad 1490 prolatari. Hæc ei ascribunt:

Commentaria in libros IV sententiarum.

Et super logicam Aristotelis.

F. GEORGIUS DE UNGARIA.

F. Georgius de Ungaria sic a natione & ordinis provincia nuncupatus, laudatur a Bernardo de Luzemburgo Catalogi hæreticorum lib. 2 ubi de Mahometo, ceu qui scripserit

Librum de ritibus Turcorum capita XXIII continentem.

Quem idem Bernardus Romæ haberi in cœnobio S. Mariæ super Minervam asserit.

F. GRIFFINUS CAMBRIUS.

F. Griffinus Cambrius Anglus in provincia Cambria, quæ nunc Wallia dicitur, natus indeque agnomen ducens, ibidemque ordinem professus laudatur a Pitseo in Append. p. 845 fatente tamen quo floruerit seculo sibi incompertum; nec quid plus lucis afferunt Baleus, Simlerus, Possevinus, & Altamura, qui ultimus eum recenset ad 1515. Hæc illi dantur opera:

Scriptum in libros sententiarum IV.

Quæstiones disputata.

F. HENRICUS DE WITTFELD.

F. Henricus de Wittfeld an Germanus, an Anglus fuerit, quis me felicior aliquando forsan inveniet. Teutonem tamen conjiciam, sacræ theologiæ magister hoc seculo claruit Henrico Kalteysen de quo supra ad 1465 ut videtur antiquior. Ejus extat Confluentiæ apud Prædicatores tractatus cum operibus dicti Kalteysenii ligatus vol. VII n. 9 hoc titulo:

Determinatio de audientia confessionum.

F. HUMBERTUS CORDEYRO.

F. Humbertus Cordeyro Lusitanus domusque regiæ Helvensis in diœcesi Eboracensi professus sacræ theologiæ magister, laudatur a Ludovico Sousa Hist. prov. Portug. T. I fol. 221 a, ubi tamen se ejus ætatem assequi non potuisse ingenue fatetur, nec aliunde sibi cognitum, quam ex opere singularem ejus eruditionem, ingenii felicitatem, ac animi pietatem testante, ab ipso scripto & posteris relicto, cui titulus:

Do amor de Deos & do proximo MS.

Meminit Altamura ad 1514 fassus simul ætatem sibi incompertam, laudat & Antonius Bibl. Hisp.

F. JACOBUS A BYDGOSCA.

F. Jacobus a Bydgosca Polonus ex illustri Zaremboriorum sanguine ortus, insignis theologus, & acerrimus hæreticorum oppugnator, laudatur ab Altamura ad 1478 fatente tamen ejus ætatem sibi certo non cognitam, ut & quæ illius sint opera, quæ tamen plura ab eo prodiisse asserit. Nulla verò mihi hujus scriptoris aliunde notitia.

F. JACOBUS GRASSUS.

F. Jacobus Grassus a quibusdam, *Crassus* verò ab Ant. Mongitore in Bibl. Sic. dictus & ab eodem ordini Prædicatorum assertus, Siculus fuit Panormi natus & institutum amplexus, quibus verò annis claruerit, nullus refert. Scripsit

Collectanea de laudibus Panormi.

Opus MS aliâs fuit apud Antonium Agraz abbatem, teste Vincentio Auria in Historia proregum Siciliæ p. 238, nunc servari in bibliotheca marchionis *del Carpio* in Hispania, qui dicti abbatis mortui libros omnes comparavit, conjicit Mongitor citatus. Hoc opere usus est Franciscus Baronius in *Majestate Panormitana*, ubi sæpius hunc scriptorem citat, tacens tamen ex nostris sodalibus fuisse, sed id non mirum, cùm nec Leandrum, nec Thomam Fazellum, nec Petrum Ranzanum ordinis Prædicatorum dicat, quamvis passim iis utatur.

F. JACOBUS RHEDA.

F. Jacobus Rheda Siculus Drepani ortus & in patria ordinem professus sacræ theologiæ magister, vir doctrina clarus, & ad annum MCCCCLXXVIII sancti officii in Sicilia insula vicarius, laudatur a Rocho Pirro in *Not. Eccl. Mazar. pag.* 546, *& ab Hieronymo Ragusa in Sicil. Bibl. vet. p.* 143, ubi ait ab eo relicta

Volumina duo contra hereticos.

Volumina unum in Job.

Verùm Antoninus Mongitore in *Append. ad Bibl. Sic. p.* 55 re maturius expensa, nullam in narratione Ragusæ circa Jacobi nostri opera fidem invenit, quapropter Siculis scriptoribus accensere noluit.

F. JACOBUS DE SANCTO JOANNE.

F. Jacobus de Sancto Joanne alter ab eo de quo supra ad 1456, Aragonus conventus Cæsar-Augustani alumnus insignis sua ætate concionator, at qui diutius in Italia vixit, fortè & in ea ultimum diem obiit, laudatur a nostro Diago *Hist. Prov. Arag. lib.* 2 *cap.* 35 *fol.* 145 c, & ex eo a Vincentio Blasco de Lanuza *Hist. Arag. To. I lib.* 5 c. 39, & Nic. Antonio *Bibl. Hisp.* cujus tamen leviorem haberi notitiam ob longiorem illam a patria absentiam fatentur omnes. Scripsisse dicitur ac reliquisse

Sæc. XV. *Sermonum volumina quædam & opuscula plura gravioris momenti*, quæ cùm in Italia composuerit ibidem aut latent aut perierunt.

Meminit & noster Altamura pro libito referens ad 1579, cùm supracitati auctores seculum quo vixerit ignorare se fateantur, & longe antiquiorem esse certissime statuendum sit.

F. JOACHIMUS COSTEN.

F. JOACHIMUS COSTEN hîc recensetur ex fide Ghilberti de la Haye in Bibl. Belgo-Dominic. MS, fatentis tamen se nec patriam, nec ætatem retegere potuisse, nec sibi aliunde cognitum, quam ex ejus grandiori opere Trajecti ad Mosam apud sodales servato antiquitatem auctoris & eruditionem testante codice MS, cui titulus:

In epistolas Pauli commentaria.

F. JOANNES DE ALNETO.

F. JOANNES DE ALNETO a Jacobo Parisiensi, (sic sed fortè legendum *a S. Jacobo*) jam supra pag. 727 b indicatus, sed nunc accuratius recensendus laudatur ab Alva Sol. Verit. Rad. 351 col. 2160, ceu cujus viderit Parisiis in Victor. codice MS aliàs 582:

Quæstiones super libros sententiarum.

Cujus scriptoris quædam refert Alva, quæ, inquit, habentur codicis laudati. fol. 217. *Quæritur tertio quando fuerit sanctificata virgo. Videtur quod ab utero fuerit sanctificata. Inquit enim auctor*, (Petrus Lombardus) *Dominus mundavit eam in tabernaculo, id est in utero matris &c.*

Hunc nostris accenset Alva, nec abnuerim, cùm nullum aliud sit Parisiis gymnasium Jacobeum dictum quam nostrum. Alnetum vernacule *Lannoy* oppidum est ad Parisios, ubi insignis abbatia Livriacensis dicta, unde & hunc Joannem domus Sanjacobeæ professum facile crediderim.

F. JOANNES DE CALVISANO.

F. JOANNES DE CALVISANO seu *Calvisianus* Italus a loco originis in diœcesi Brixiensi, & a professione ibidem in cœnobio S. Mariæ *della Rosa* vulgo dicto nuncupatus, vir pius neque ineruditus, inquit Lusitanus, scripsit codicem Neapoli apud sodales S. Catharinæ de Formello servatum. Titulus:

Liber precum piarum ex SS. Patribus, & aliis quorum usus est in Ecclesia collectarum.

Vidit Lusitanus & ætatem auctoris non indicat, addit solùm ex charactere antiquum se deprehendisse. Altamura refert ad 1491, Rovetta verò ad 1498, a quo alius eidem scriptori tribuitur libellus hoc titulo:

Nobilitatis animæ christianæ scrutinium. Sic inquit Vincentius Rivalius.

Idem Rovetta ad 1573 alterum *Joannem de Calvisano* laudat, sed cùm eadem ei omnino tribuat opera, palam est ejusdem auctoris esse multiplicationem.

F. JOANNES CORISBENUS.

F. JOANNES CORISBENUS cujus nulla hactenus apud nomenclatores nostros memoria, recensetur hîc ex fide Tomasini in Bibl. Patav. p. 32 testantis apud S. Joannem in Viridario Repos. XVI ad lævam haberi codicem MS in fol. Titulus:

Physica & metaphysica Joannis Corisbeni ordinis Prædicatorum.

Cujas fuerit, & qua ætate vixerit disquirant curiosi, quibus codicem inspicere licet.

F. JOANNES FAVENTINUS.

F. JOANNES FAVENTINUS Æmilius a Lusitano laudatur absque nota anni aut seculi quo claruerit, a Pio ad medium circiter seculi XV, a Fernandez ad 1310, ab Altamura ad 1458, a Rovetta in duos dividitur, alterum quem ad ann. 1310, alterum quem ad ann. 1458 collocat, quod ab eo gratis fictum videtur, cùm cæteri nonnisi unicum agnoscant, etiam Rivalius ex relationibus conventus Faventini. Interim dum certiorem ætatis hujus scriptoris notitiam sodales aut gentiles dederint, opera ipsi tributa tantum referre licet, quæ hæc sunt:

De præscientia & providentia Dei, & nonnulla alia opera.

Rovetta addit: *Tractatus de peccato originali, de divina gratia & de pœnitentia*, istaque omnia MS apud nostros Faventinos servari asserit.

F. JOANNES LINCONIENSIS.

F. JOANNES LINCONIENSIS Aragonus apud Diagum fol. 151 a, Ilerdensis cœnobii & academiæ professoribus & illustribus viris accensetur, quem vergente seculo XV innuit claruisse, & scripsisse

Commentaria in IV libros sententiarum.

De logica & philosophia, & quædam alia opuscula.

F. JOANNES PORTALEGRENSIS.

F. JOANNES PORTALEGRENSIS Lusitanus a patria sic dictus, quæ urbs est episcopalis in ea regione quam Alentejo dicunt sita, seculo XV vixit, & laudatur inter scriptores Lusitanos a Faria, Joanne Suarez de Brito in *Theat. Lusitan. Literar.* MS, & Nic. Antonio *Bibl. Hisp. veter.* ante 1500 *Lib.* 8 *c.* 3 *n.* 118 *pag.* 46 *a*, ut qui scripserit hoc titulo:

De conversione B. Ægidii Lusitani, illius scilicet ex primis nostris patribus, de quo in *Vitis Fratrum lib.* 4 *c.* 16, & alibi pluries & nos supra. At non solum ubi servetur hoc opus MS vel typis excusum silent, sed & annum quo iste Joannes floruit ac vixit.

F. JOANNES MARIA A VALLE.

F. JOANNES MARIA A VALLE Parthenopæus nobili loco natus ex illustri scilicet dominorum *della Valle & di Franco* stirpe satus ordini nomen dedit in patria in S. Petri martyris cœnobio, virque evasit pietate & doctrina clarus, & pluribus annis in gymnasio publico Neapolitano theologiam professus est. Laudat Vallius p. 194, ubi tamen annos quibus floruit aut omisit aut ignoravit; Altamura collocat ad 1492.

De diversis materiis plura scripsisse aiunt, nec major ejus nobis notitia.

F. LEONARDUS ITALICUS.

F. LEONARDUS ITALICUS seculo XV clarus eximius verbi Dei præco, & scripsit opus, quod e prælo prodiit hoc titulo:

Incipit notabilissimum quadragesimale, & in toto suo processu trimembre, editum a quodam sacræ paginæ professore ordinis Prædicatorum Leonardo Italico, quod a suo auctore sertum fidei intitulatur &c. Pr. *Parce Domine parce populo tuo.* In ipsis incu-

nabulis typographiæ, id est circa ann. 1460 editum est absque loco, nomine typothetæ, anno editionis, absque numeris, absque reclamationibus, sed in fol. Extat apud nostros Insulenses.

Alva etiam a se alicubi visum testatur Sol. Verit. Rad. 120 col. 1186, auctoremque eumdem censet cum Leonardo Matthæi de Utino, de quo nos supra ad 1470. Idem censet Beughemius in Incun. p. 179. Ne assentiar, hæc me prohibent. Primo quod cùm opera Leonardi de Utino pluries typis prodierint, nullus inter ea hoc *Sertum fidei* recensuerit, nec prælo iterum commiserit. Præterea divisio illa perpetuo trimembris stylum non redolet Utinensis, qui quadruplicem vel ampliorem ubique consectatur. Itaque alius fuerit iste Italicus, cujus patriam gentilis curiosus forsan aliquando reteget.

Alva loco allato censet post concilium Basileense vixisse ex his quæ sermone feriæ 4 post Domin. 4, qui est de baptismo lit. D leguntur: *Hujus opinionis* (Scilicet B. Virginem contraxisse peccatum originale) *contrarium est verum, quia determinatum est in concilio Basileensi per solemnes doctores purissimam Virginem Mariam sine labe originalis criminis esse conceptam.* Sed leve est argumentum, hæc enim verba non sunt auctoris, ut patet ex præcedentibus & consequentibus, sed additio ejus qui typis præfuit. Itaque de ætate hujus scriptoris nil certi habemus, quam quod ante MCCCCLX floruerit seu ante seu post concilium Basileense.

F. LUCAS RULLO.

F. Lucas Rullo Aprutinus Balneoli (*Bagnuolo* Itali dicunt) natus & ordinem professus, sacræ theologiæ magister, inter illustres sui cœnobii viros recensetur in ejusdem monumentis, in quibus sic legitur: *Magister Lucas Rullus Ferdinandi Sanseverini Salernitanorum principis a sacris confessionibus, deinde S. Joannis Laterani de Urbe pœnitentiarius.* Hæc Vallius p. 228, sed nulla ejus opera laudat, neque hîc recensendum ducebam, nisi Toppius in Bibl. Neapol. intulisset.

F. MARCUS ADIGHIERI.

F. Marcus Adighieri Etruscus conventus S. Marci Florentini alumnus, hoc seculo vel sub initia sequentis claruit. Extant in Bibl. dicti conventus Arm. II cod. 165

Concetti in penna di Frà Marco Adighieri di san Marco.

F. MARTINUS LEVVES.

F. Martinus Leuves vel *Leewes* vel *Leuvensis*, sic fortè dictus a castro situ munitissimo in finibus Brabantiæ Belgice *Soutleuwe* versus Trajectum ad Mosam, scripsit in cœnobio Mosæ-Trajectensi, cujus erat alumnus, servatum, inquit Lusitanus

Opusculum quo mulieres ab improperiis, quibus solent communiter affici defendit, & earum preclara gesta in unum colligit ac recenset.

Excipiunt Gozzeus & Swertius in Athen. Belg. & collocant ad 1485, & subscribit Altamura. At Ghilbertus de la Haye post adhibitam omnem diligentiam, nullam nec scriptoris nec operis Mosæ-Trajecti notitiam adeptus est.

F. MICHAEL DE MADAIS.

F. Michael de Madais Insuber, & ut conjectu pronum patria professioneque Salutiensis vir curiosus & diligens scripsit hoc titulo:

Genealogia marchionum Salutiarum.

MS vidit ac excipit D. *de la Valbonnaie* primus in camera rationum regiarum Delphinatus præses in suo opere cui titulus, *Memoires pour servir a l'histoire de Dauphiné* Parisiis edito in fol. 1711, laudatque pp. 513 & 514 ut ea quam dederunt Andreas du Chesne & Guichenonius accuratiorem, & ex ea ubi de Thoma II marchione Salutiensi, cujus conjux fuit Ricarda *Visconti* Galeatii domini Mediolanensis soror, & qui tandem XXXI octob. anni MCCCXLIII supremum suum dominum agnovit Humbertum Dalphinum Viennensem, hæc refert: *Exclusus* (Thomas II) *tumulo qui apud Predicatores existit, a quo si quis de hoc sanguine excludatur, hoc fit justo Dei judicio.* Notat ibidem Valbonnaius a Guichenonio omissum *Georgium de Saluttiis*, cujus tamen fit mentio in pactis conventis inter Humbertum Dalphinum & Thomam II Saluciensem, ac de quo sic Michael noster: *Hic Georgius patruus patris dicti domini marchionis fuit clericus in Anglia, & multis beneficiis a rege donatus, sepultus in Londonis, quæ est Londres.*

F. NICOLAUS DE PISIS.

F. Nicolaus de Pisis Etruscus, quem mirum ab omnibus seu nostratibus seu extraneis omissum, vir enim gravis fuit, verbi Dei præco sua ætate clarissimus, ac quem hoc seculo XV vixisse vel sub initia sequentis conjicio. Ejus servantur Florentiæ ad S. Marci Arm. III hi codices MS:

N. 112: *Expositio orationis Dominicæ per sermones predicabiles, & alii sermones Fratris Nicolai Pisani ordinis FF. Predicatorum relicti ab eodem, qui eos composuit, conventui S. Marci de Florentia ord. Predic.* papyr.

N. 113: *Sermones de quibusdam sanctis scripti a F. Nicolao Pisano patre venerabili*, papyr.

N. 114: *Sermones Dominicales & de sanctis.* Initio sic legitur: *Hic liber est conventus S. Marci de Florentia ord. Predic. Scriptus manu F. Nicolai de Pisis*, papyr.

N. 115: *Sermonarium F. Nicolci Pisani ord. Predic.* papyr.

N. 116: *Expositio super* Miserere mei Deus, *& super sermonem Dominicum, edita & scripta a venerabili Fratre Nicolao Pisano ord. Predic.*

Sodalium Florentinorum vel Pisanorum diligentiæ est, quid accuratius de hujus eximii viri vita ætate & gestis e suis monumentis eruere, hicque addere.

F. NICOLAUS TERRANOVA.

F. Nicolaus Terranova Drepani in Sicilia insula ortus, & in patria ordinem amplexatus & professus, medio circiter hoc seculo XV claruit, vir morum integritate conspicuus, nec minus doctrina, & eruditione commendatus. Panormi in studio generali S. Dominici regentis munere annis pluribus functus est, sed & dicendi facundia & gratia plurimum valuit, Ecclesiastesque habitus est disertissimus cum plausu & fructu auditus. Hinc crebrescente ejus fama, & ad aulam usque pervadente, Alphonsus utriusque Siciliæ rex a confessionibus sibi allegit, & carum in primis ac intimum habuit, morteque immatura sublatum acriter doluit, ac funere magnificentia plane regia parato sepeliendum curavit. Sic refert Antoninus Mongitore in sua Bibl. Sic. ubi ait Nicolaum ad annum MCCCCXLV floruisse, ad quem proinde a nobis laudandus erat, sed cùm annus ille jam prælum subiisset, cùm hæc ejus bibliothecæ pars in manus meas venit, hîc saltem ejus memoria inserenda visa est, ne cum aliis

SEC. XV. nostris nomenclatoribus inter scriptores omitteremus. Mongitorius citatus cui Annales mundi a Petro Ranzano nostro Siculo & episcopo Lucerino de quo supra ad 1492 conditos & manu scriptos Panormi servatos legere licuit, ab eo sic laudari testatur T. VIII lib. 42: *Nec praetermittendus est mihi Nicolaus Siculus Drepanitanus cognomento Terranova ordinis Praedicatorum, vir peracuto ingenio, & memoria singulari, unusque theologorum hujus temporis eruditissimus. Nemo in disputando vel vehementior, vel copiosior, & acutior eo existimatus est. Eam ob rem Alphonsus rex miro est ipsum honore prosecutus, mirificeque dilexit: Cùm autem ageret cum Eugenio pontifice, ut Capuanae praeficeret Ecclesiae, immatura morte correptus decessit. Perhibent nonnulli viri gravissimi Paulum Venetum, de quo dictum est* (hunc paulo ante laudarat) *nonnisi Nicolai hujus praesentiam reformidasse, quoties ei esset de gravi aliqua re publice disputandum.* Hactenus Ranzanus. Multis etiam laudibus efferunt Leonardus Orlandinus in *Descript. Drepani pag.* 53: Leander Albertus in *Descript. Sicil. fol.* 52: Rochus Pirrus *Not. Eccl. Mazar. pag.* 546: Christophorus Scannellus in *Chronic. Sicil.* Joannes Lopez *Hist. General. P. V lib.* 2 *cap.* 60 §. 1, & Vincentius Nobilis in *Thesauro abscondito de Virgine Deipara Drepanitana*, qui Nicolaum teste Ranzano scripsisse ait

De immunitate ecclesiastica tractatum unum.

Et alterum *De potestate summi pontificis.*

Hieronymus Ragusa in *Elogiis Siculorum pag.* 193, & iterum in *Bibl. Sicil. Veter. pag.* 193 addit ex Orlandino scripsisse praeterea

In epistolas S. Pauli tomos duos.

Sermonum volumen unum.

Sic habet Mongitorius citatus, qui tamen addit nihil horum haberi apud Orlandinum, & ab alio cujus non meminerit, haec Ragusam excepisse.

F. PAULUS RIPPERUS.

F. PAULUS RIPPERUS Saxo & si conjicere licet conventus Lipsiensis alumnus a nostris nomenclatoribus omissus, recensetur hîc ex fide indicis codicum MS Bib. Paul. olim nostrae, nunc academiae Lipsiensis a Fellero concinnati p. 169 n. 43 ubi sic lego:

Fratris Pauli Ripperi ordinis Praedicatorum sermones. Codex est in 8. Cod. eodem sequuntur

Tractatus de vita perfectionis.

Expositio super Exurgens Maria *&* Missus est.

An sint ejusdem auctoris discutient & hîc addent eruditi Lipsienses. Hunc Ripperum laudat Simlerus, eique sermones tantum ascribit, sed ordinis Praedicatorum fuisse silet.

F. PAULUS ROMANUS.

F. PAULUS ROMANUS inter beatos a Gregorio Lombardelli recensitus, ab eodem dicitur scripsisse

Sermones in laudem B. Catharinae de Senis & quaedam alia.

Excipiunt Fontana in Prov. Rom. & Altamura ad 1406, sed & antea Pius P. II Lib. 2 col. 227, qui sapienter monet mendum apud Lombardellum irrepsisse, cùm ait Paulum hunc a sacris conscientiae secretis fuisse Bonifacio VIII, & fortè legendum IX: sed nec id sua caret difficultate, si sermones scripsisse dicatur, cùm nonnisi longe postea B. Catharina sanctorum fastis ascripta sit, unde Fontana non sermones sed librum de beata scripsisse dicere maluit. Haec ampliori & accuratiori Romanorum sodalium discussione indigent.

F. PHILIPPUS WOLPHIUS.

F. PHILIPPUS WOLPHIUS Teuto vernacule *Wolff*, quod lingua Germanica *Lupum* interpreteris, scripsit opus

De vitiis virorum illustrium ordinis Praedicatorum, cui titulum indidit, *Viretum Dominicanum*.

Habebat Baleus, & eo frequenter utitur in suo scriptorum Anglorum catalogo, & ex Baleo saepius citat Pitseus in scriptoribus Anglis, at cum neuter suis Anglis asserat, ex agnomine Germanis accensendus visus est. Utinam & quis gentilis curiosus praelo committat.

F. RAPHAEL SONCINAS.

F. RAPHAEL SONCINAS a patria in Insubribus urbe clara sic & a professione nuncupatus, a Leandro laudatur inter viros illustres in diversis, quem videsis fol. 150 b, ubi eum exibet manu bajulantem,

Nonnulla opuscula ab eo edita multa doctrina referta.

Leandrum excipiunt Lusitanus, Pius in Append. uterque aetatis anno non addito, Altamura ad 1487 pro libito, Rovetta ad 1476 falsus tamen a Vincentio Rivalio ad 1472 ascribi. Antiquiorem verò ego conjecerim, & circa initia seculi hujus XV clarum cùm eum Leander jungat Alberto Laudensi, qui circa finem seculi XIV florebat. Opuscula a Leandro in globo laudata a Rovetta sic distinguntur:

Tractatus de usuris, alter de interdicto, tertius de ecclesiastica immunitate, quartus de voto, & alii plures, quos praestat MS in bibliotheca nostra Bononiensi servari.

F. ROGERUS DE SABRUGERA.

F. ROGERUS DE SABRUGERA Catalanus natione ab Antonio in Bib. Hisp. laudatur, ceu a quo prodierit

Biblia en Catalan en copla, y el psalterio traducido en Catalan por Fray Romero Sabrugera de la orden de santo Domengo. Codex MS est in Bibl. Scoriolanensi regia membr. nec antiqua characterum forma scriptus, quod ipso librorum annotatur catalogo. Hujus versionis non meminit eruditus vir Jacobus Lelong Oratorianus in sua *Bibliot. sacra.*

Cujus coenobii sodalis fuerit iste Romerus Catalanorum ordinis permitto diligentiae proferendum. Altamura meminit ad 1567, sed nullo documento, antiquiorem censeo.

F. SERVATIUS FRANKELL.

F. SERVATIUS FRANKELL Teuto sacrae theologiae magister conventum Coloniensem recens ad severiorem ordinis disciplinam revocatum annis XX solidis & continuis prudentissime prior administravit, de religione vir optime meritus, pietate juxta & eruditione clarus: quem ardens fidei studium perduellibus haereticis accerrimum exhibuit per tractum Rheni Coloniaeque vindicem & quaesitorem. Quo tandem ille vivere desierit anno & loco mihi non liquet, quamvis vergente XV Christi seculo vixisse devixisseque nullus dubitem. Scripsit volumen quod chartaceum in 4 tres uncias spissum charactere minutiori apud sodales Colonienses servatum a R. P. Jacobo Quetif visum est anno MDCLXXI die VII junii. Titulus:

Sermones notabiles omnium solemnitatum principalium totius anni per religiosum, devotum, & zelosum

zelosum & sacrarum litterarum professorem eximium, hæreticæ pravitatis inquisitorem vigilantissimum F. Servatium Frankell hujus conventus Coloniensis sacri ordinis Prædicatorum in reformatione viginti continuis annis priorem fructuosissimum. Pr. *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph &c.* Sunt conciones de adventu, de nativitate Domini, de quadragesima, paschate, rogationibus, ascensione, pentecoste, Trinitate, corporis Christi solemnitate, Dominicis III & VII post Trinitatem, & de SS. Andrea &c.

In Necrologio domus Coloniensis ad ann. MDVIII sic legitur: *Obiit Coloniæ F. Servatius Sancti sacra theologiæ magister & sanctæ fidei inquisitor.* Sed hunc alium agnomen diversum innuit. Hujus scriptoris meminit Federicus *Steil* in Ephemer. Dominic. ad 17 maii p. 126, sed majorem ætatis notitiam non prodit.

F. SIMON GALLUS.

F. Simon Gallus non aliunde mihi cognitus est, quam ex catalogo codd. MS S. Marci Florentiæ, in quo hæc recensentur ejus opera Arm. III n. 107:

Abstractiones epistolarum sive sermones Dominicales Fratris Simonis Galli.

Ejusdem Speculum Ecclesiæ pro rudibus sacerdotibus.

F. SIXTUS ILLUMINATUS.

F. Sixtus Illuminatus Ligur vir pius ac musices peritus in sodalium commodum scripsit teste Soprano quem excipit Oldoinus in Athen. Ligust.

Librum de Musica.

Neuter ætatem auctoris indicat, nec ubi opus seu impressum seu saltem MS habeatur, neque hujus nobis ulla aliunde notitia.

F. THOMAS AIMO BONJOANNIS.

F. Thomas Aimo Bonioannis Insuber cœnobii ut conjicio Albensis professus seculo XV vergente certo post MCCCCLXIV florebat adhuc, & scripsit

Vitam B. Margaritæ de Sabaudia Theodori marchionis Montisferrati sponsæ, quæ vidua monasterium sanctimonialium ordinis S. Dominici in civitate Alba erexit, & in eodem institutum ipsa amplexa est. Hanc MS vidit & laudat Hyacinthus Barezanus noster de quo postea ad 1638, eaque usus est in concinnanda vita ejusdem beatæ quam Italice scripsit.

F. VALERIUS ARAGONUS.

F. Valerius Aragonus in oppido S. Matthæi regni Valentini ordinem amplexus, concionator egregius a Diago laudatur Hist. prov. Arag. fol. 278, ceu qui scripserit & reliquerit

Volumen sermonum.

Qua ætate vixerit, cùm non addat Diagus, nec quem excipit Sorius, nil certi proferre possumus, verùm ante annum MD vixisse ex eo conjicere licet, quod medio seculo XVI quo circiter Sorius scribebat, vetus jam erat Valerii memoria.

F. VINCENTIUS LECTOR.

F. Vincentius Lector in provincia Franciæ ordinis Prædicatorum laudatur apud Tomasinum in Bibl. Patav. p. 95, ceu cujus in Corradina servatur opus ab eo compositum. Titulus: Sæc. XV.

Gnomologia Alphabetica. MS in 4 membr.

Ætatem non addit, sed ante MD vixisse conjectu pronum.

F. ZENOBIUS DE GUASCONI.

F. Zenobius de Guasconi Etruscus, & ut conjicio Florentinus, non aliunde mihi notus est, quam ex catalogo codd. MS Bibl. Medic. in qua Pl. LXI n. XXVI cod. chart. in fol. inter alia plura extat

Omelia de Origene sopra il vangielo di S. Giovanni, quando la Madalena andò la Domenicha mattina della resurressione di Christo al monimento per ungniere il corpo di Yesù, e non trovandovelo stava ivi di fuori, e piangnieva. Pr. *Dovendo parlare &c.* Finis: *Questa Omelia volgarizò il venerabile maestro Zanobi de Guasconi dell'ordine de' Frati Predichatori.* Stylus & ortographia indicant auctorem ante MD florentem.

ANONYMI.

F. Anonymus sub finem seculi XV edidit libellum hoc titulo:

Le livre & ordonnance de la devote confrairie du psaultier de la glorieuse Vierge Marie tres digne mere de notre Sauveur Jesuchrist, Paris. Michaelis le Noir in 4 foll. 16: deest annus, sed circa 1500 videtur prælo excusus, nam hic Michael typographiam exercebat Parisiis ab anno 1489 ad 1515. Extat hic liber Paris. in Regia D 1187.

Liber fere totus historiis constat ex Alano de Rupe & quibusdam ex Thoma Cantimpratano excerptis, de quibus penes lectores arbitrium. Notanda autem potissimum ex hoc tractatu qualis tunc erat hujus piæ societatis institutio. Nullæ tum missæ Rosarianæ nuncupatæ, nullæ processiones, non expositio divini sacramenti causa Rosarii: Rosarium erat præcise quod est, scilicet recitatio XV decadum salutationum Angelicarum oratione Dominica ad quamlibet decadem præmissa. Hoc psalterium B. V. qui quotidie vel una vice totum, vel tribus vicibus seu horis diversis quinquagenam qualibet recitaverat, modo nomen suum in libro societatis inscripsisset, officium suum plane impleverat.

F. Anonymus seculo XV circiter vivens laudatur apud Fellerum de Bibl. Paul. Lipsien. p. 403 ceu qui scripserit hoc titulo:

Articuli quos Fratres ordinis Prædicatorum oppidi Lipzensis habent adversus canonicos regulares ad S. Thomam præfati oppidi. Extat codex in laudata Bibl.

F. Anonymus scripsit hoc titulo:

Conciones Dominicales per annum. Pr. *Sicut in die honeste ambulemus. Vulgo dicitur quod curialitas est perdita.* Prodiit in incun. typogr. absque anno loco & nomine typographi in 8 foll 230 Goth. charact. Auctorem esse ordinis Prædicatorum constat ex sermone vigiliæ pentecostes, in quo id de se testatur.

F. Anonymus Italus scripsit hoc titulo:

Origine del monastero del corpo di Christo in Venetia. Pr. *Richiedi da me instantamente &c.* Extat codex MS in 4 Venetiis in Bibl. Alexandri Zilioli a Tomasino recensitus. Istud monasterium est Sororum ordinis S. Dominici, & sub finem seculi XIV circa MCCCXCIV erectum, a regulari disciplina severius servata & sacratum virginum sanctiori vita eximie claruit.

SEC. XV. F. Antonius Flander Brugensis domus alumnus scripsit
Chronicon dicti sui conventus Brugensis a prima erectione anno MCCXXXIII ad sua usque tempora, cui alii postea succenturiarunt. Laudat Jacobus Malbrancq. S. I. Histor. de Morinis T. III p. 542 ut a se visum & apud nostros Brugenses servatum.

ADDENDA & EMENDANDA in hoc Tomo I.

Pag. 475 ante LANFRANCHINUM DE JANUA adde

F. LAMBERTUS DE AUTISSIODORO.

F. Lambertus de Autissiodoro Gallus Burgundus laudatur a nostro Laurentio Pignon in suo Scriptorum ordinis catalogo n. 92, diciturque scripsisse
Summam logicalem, quæ etiam dicitur Summa Lamberti.
Qui loquendi modus sua ætate celebrem fuisse indicat. In monumentis domus nostræ Autissiodorensis mihi commodatis idem habetur, & additur hunc ex primis & antiquioribus ejus domus sodalibus fuisse, qui proinde seculo XIII floruerit, cùm anno MCCXL ea domus erecta fuerit. Quo casu mihi suo ordine exciderit nescio, cùm in schedis paratum haberem.

Pag. 614 b, ante PETRUM DE PALMA adde

F. THOMAS BONJOANNES.

1341. F. Thomas Bonioannes Panormitanus philosophus ac theologus insignis claruit ad annum MCCCXLII, scripsitque teste Bernardo de Lucemburgo
De rerum proprietate librum.
Sic Antoninus Mongitore Bib. Sic. T. II p. 255 b, penes quem fides, nam hujus scriptoris nulla mihi aliunde memoria.

Pag. 689 a, lin. penultima, ubi legitur : Primi initium & finem legendi non fuit otium, *hæc dele & lege :*
Primus incipit : *Sanctissimo in Christo patri ac domino D. Clementi divina providente clementia VII sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo & unico pontifici, F. Robertus ordinis Fratrum Prædicatorum sacra pagina indignus professor, Dei & apostolicæ sedis gratia Senecensis episcopus, humilis minister vester & orator, seipsum ad devota pedum oscula cum obsequio debita servitutis. Beatissime pater, quia vetus lucifer &c.*
Post epistolam nuncupatoriam sic incipit primus tractatus :
Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium, Prov. VIII. *Sapiens Salomon detestatus &c.*
In hoc primo agit potissimum contra doctores juris canonici & civilis stantes pro parte Urbani VI, & eorum rationes reprobat : in sequenti verò impugnat maxime magistros in theologia & philosophos stantes pro eodem, quem Bartholomæum solùm nominat, & antipapam.

Col. sequenti b, lin. 14 in Colbert. cod. MS 2761, *adde*, fol. med. membr. foliolis 145 constante.

Pag. 705 b, ante PETRUM BAJOCENSEM adde

F. BERNARDUS DE JUDICE.

F. Bernardus de Judice Panormitanus sacræ theologiæ magister doctrina instructissimus claruit anno MCCCXCII. Scripsit 1392.
In quatuor libros sententiarum.
Sic habet Antoninus Mongitore Bib. Sic. T. II Append. ad T. I pag. 10.

SCRIPTORES SECULI XV VISI DUBII an nostrates fuerint, ordine alphabetico recensiti.

F. BERNARDINUS DE ROMA.

F. Bernardinus de Roma concionator insignis florebat anno MCCCCLXVI, ejusque extat Florentiæ in Medic. Pl. LXXVI cod. 52 MS papyr. in 8 1466.
Sommario d'una predica della divina misericordia di Frate Bernardino da Roma predicatore preclarissimo senza il fine.
Wadingus non meminit, ideoque inter dubios visus est recensendus, ut cujus familiæ fuerit, diligentius explorent gentiles, & an aliis an nostris annumerandus.

F. GUIDOTTUS DE BONONIA.

F. Guidottus de Bononia a nemine quod sciam hactenus laudatus, quantum conjicere est ante MD florebat, ejusque habetur Florentiæ apud S. Mariam Annunc. Servitarum n. 264
Rettorica di Cicerone volgarizata da Frà Guidotto da Bologna.
Cujus familiæ legibus fuerit astrictus disquirant indigenæ & hìc addant.

F. JOANNES GENISII QUATE DE PARMA.

F. Joannes Genisii Quate de Parma Italus a patria sic aut a professione nuncupatus, illustris sua ætate verbi Dei præco, inter dubios a nobis recensetur, quia varia sunt de ordine in quo professus est, in antiquis monumentis testimonia.
Florentiæ in Medic. Pl. XX cod. XXX MS sic legitur : *F. Joannis Genisii Quaye de Parma sacra theologia magistri ordinis Prædicatorum liber de civitate Christi per eum ordinatus & compositus ad strenuissimum militem dominum Benedictum*, in 8 charta. Pr. *Fundamenta ejus in montibus.*
Ejusdem Joannis &c. ord. Prædic. sed Pl. XIX n. XXIX *Rosarium sectionibus quatuor.* Pr. *Factus est homo*, charta. Quod opus inter plura alia compactum.
Contra apud Tomasinum de Bibl. Patav. apud S. Antonium p. 58 sic lego : *Glossarium F. Joannis Genesii Quare de Parma sacra theologia professoris præstantissimi ordinis Fr. Minorum*, fol. charta. Idem p. 75.
Simlerus hæc tantum habet : *Joannis Genesii monachi Parmensis liber de civitate Christi editus in Italia anno* 1500. Quæ nihil definiunt.
Scio Gonzagam quem Possevinus & Wadingus excipiunt suis annumerare Minoritis, & laudare opus *de civitate Christi* editum Rhegii typis Ugonis Rogerii 1501, tum Romæ apud Jacobum Mazochium 1523. Verùm auctorem sibi parum cognitum ostendit Wadingus, cum eumdem esse contendit cum Joanne de Parma ante S. Bonaventuram ordinis Minorum ministro, huic enim ante Wadingum nec simile agnomen, nec ejus rationis opera

ullus dedit aut asseruit. Nobis etiam non defuerunt Joannes plures Parmenses dicti, inter alios *Joannes de Parma Lombardus Parisiis anno* MCCCXIII *licentiatus*, & a Bernardo Guidonis in indice magistrorum in theologia n. 63 totidem verbis recensitus. Quin fuerint & plures alii seu seculo XIV seu XV, quo hunc Joannem Genesii floruisse censeo, nullum mihi dubium. Eo igitur tota devolvitur quæstio, utris potius habenda fides, an codicibus Mediceis, an Patavinis? Quam eruditis gentilibus ultro permitto disquirendam: neque enim ullum alterius familiæ nostris vindicare est animus.

F. STEPHANUS APULUS.

F. STEPHANUS APULUS quidam episcopus Lucerinus ab Altamura laudatur ad 1491 clarus, cui tamen nullus apud Ughellum locus: unde licèt Altamuræ præiverint Lusitanus in Chronico ad decadem 1470, Razzius annum tacens, & Pius circa 1490, cùm nulla prodant acta, eorum plurimum apud me nutat fides, quam nec habuit Fontana.

ANONYMI.

ANONYMUS seculo XV clarus scripsit opus hoc titulo:

Cordiale sive de quatuor novissimis cum multis exemplis pulcherrimis.

Extabat MS Regii apud nostrum Eucherium Bonettum cum additione auctorem fuisse ordinis Prædicatorum. Sic habet Possevinus Append. p. 108. Alia exempla MS vidi Parisiis, in Genovef. & in Navarr. chartacea in 4, sed in his nihil de auctore quis fuerit, aut cujus familiæ. Recensetur etiam apud Sanderum in Elencho MS Belgii P. II p. 150, sed nulla major notitia. Inter auctores in hoc opere citatos, præcipuus est *liber magnus de septem donis Spiritus Sancti*, cujus auctor licèt non nominetur, est noster Stephanus de Borbone seu de Bellavilla, quem anonymo valde familiarem fuisse hinc evincitur. Hæc anonymum nostrum fuisse qualiscumque esset notitia: sed rem malim sub dubio relinquere, donec major lux afferatur. Pluries typis prodiit, hasque editiones laudat Beughemius:

Absque loco 1478. Daventriæ 1489, 1494 & 1496 in 4. Coloniæ 1492. Est & recentior Daventriæ, Richardi Patraet 1502 in 4, quæ apud nostros Parisien. ad S. Honorati. Est & alia ejus circiter ætatis Parif. Johan. Parvi in 8 quæ in Regia D. 2503.

ANONYMUS alter, quem aut Batavum aut Teutonem suspicor, hoc seculo XV florens, scripsit opus hoc titulo:

Speculum exemplorum. Pluries typis prodiit in Incun. Typog. Daventriæ 1481, Coloniæ 1485, Argentinæ 1487 fol. Hæc ultima editio extat Paris. in Navarr. & apud Clarissas *Ave Maria*. Addunt Argentinæ iterum prodiisse anno 1490.

Hunc auctorem non recenseo, quod nostrum asseram, qualis enim fuerit otiosioribus disquirendum relinquo, sed quod ex nostrorum operibus potissima hujus speculi pars convasata sit: nam in referendis exemplis ordinem librorum sequitur, ex quibus ea selegit, sicque indicat in margine superiori. I P. ex dialogis Gregorii. II P. ex Vincentio Bellvacensi. III ex Vitis Fratrum ordinis Prædicatorum. IV ex libro Cantimpratani de Apibus. V ex libro magno de septem donis Spiritus Sancti. VI ex vitis FF. Augustinianorum.

Hoc opus Joannes Major S. J. sub nova forma & auctius edidit hoc titulo: *Speculum magnum exemplorum*, Duaci 1608 in 4, non ordinem librorum ut antiquus editor, sed ordinem alphabeticum juxta materiem servans, adeo ut quæ exempla verbi gratia ad abstinentiam spectant, ex quocumque auctore sint desumta in unum congerat, ad finem tamen exempli ex quo illud acceptum est, monet. Porro ille delusus est, cùm librum magnum de septem donis ab antiquo auctore citatum Nicolao Dunckelspiel theologo in concilio Constantiensi claro asseruit, liber enim ille opus est ut jam dictum nostri Stephani de Borbone qui circa MCCLX mortuus est, apud quem exempla a primo speculi scriptore allata totidem verbis leguntur. Quæ monere operæ pretium fuit. SEC. XV.

SCRIPTORES CERTO EXTERNI hoc seculo XV florentes & falsò nostris ascripti.

F. AMBROSIUS CORIOLANUS nostris ac- *
censetur scriptoribus a Miræo Auctarii cap. 523, 1485
quem excipit Altamura ad 1485, in eo sane non excusandus, cùm primo intuitu Miræi errorem deprehendere illi facile fuerit. Miræus enim Coriolanum ordinis Prædicatorum magistrum generalem vult fuisse, cujus nominis nullum apud nos eo functum munere Altamura apprime noverat. Fuit ergo Coriolanus Eremita Augustinianus vir insignis suæque familiæ prior generalis Romæ anno MCCCCLXXVII electus, & ejusdem seculi LXXXV mortuus est in officio. Hæc ei dantur opera:

Vita S. Augustini.

Vita Christinæ Virginis Spoletanæ.

F. BERNARDINUS DE BUSCO Insuber pa- *
tria Mediolanensis nostris a Lusitano annume- 1498
ratur scriptoribus, quem excipiunt Pius, Fernandez, & Altamura ad 1498, sed hic Bernardum Buscum nuncupans, Paulus Morigia *Nobilità di Milano* lib. 3 cap. 23, Picinellus inter scriptores Insubres, sed omnes allucinantur, ille enim est F. Bernardinus de Busto vel de Bustis ordinis Minorum, qui Annuale edidit hoc titulo:

Rosarium sermonum prædicabilium Bernardino cardinali S. Crucis in Hierusalem nuncupatum, ac editum primò Mediolani 1494, tum Venetiis 1498, in 4, alibi postea pluries. Videsis Wadingum.

Vocabulo *Rosarium* delusi nostri videntur, eo quod apud nos celebris sit B. Virginis per *Rosarium* cultus.

F. CONSTANTIUS a quibusdam nostris accen- *
setur, non alia ratione quam quod martyrium 1460
nostri Antonii de Ripolis, de quo supra ad 1460 scripserit, vel etiam quod a Francisco Castilionensi apud Leandrum fol. 60 idem martyrium narrante citetur ut testis præsens & oculatus, quamvis ibidem *Frater* tantum dicatur, nec cujus familiæ fuerit addatur. Sed sodalitatem suam ipse prodit in titulo libelli ab eo scripti, qui talis est:

Tractatus de martyrio cujusdam R. P. F. Antonii ordinis Prædicatorum editus per F. Constantium Eremitarum S. Hieronymi de monasterio S. Raphaelis de Venetiis.

Universis & singulis Christi fidelibus, & potissime omnibus & quibuscunque reverendissimis magistris, baccalariis, lectoribus, cæterisque Fratribus ordinis Prædicatorum, F. Constantius de Insula Cap (an Capri, id est Caprea in mari Tyrrheno, id enim indicat nota super littera p. addita) *de Eremitarum societate Fratris Petri de Pisis, ad præsens captivus regis Tunisæ in Domino salutem.*

Ex his quis fuerit, unde ortus, ubi professus, & cujus familiæ, nempe Hieronymitanæ a B. Petro de Pisis in Italia erectæ, cujus vitam videsis in Actis SS. ad XVII junii. Porro libellus Constantii

Sæc. XV. curiosus est, extatque Parif. in Regia inter codd. MS n. 6196 in charta & in 4.

1416. F. Dominicus Carpane de Neapoli, si fides Alvæ olim sodalis Prædicatorum, ad familiam Franciscanam transiit, alteramque hanc vestem gerens scripsit

De conceptione B. Virginis juxta piam sententiam anno MCCCCLXXXVI.

Videsis Solem veritatis dicti Alvæ Radiis 264, 275, & 279. Hujus tamen scriptoris non meminerunt nec Wadingus, nec Toppius Bibl. Neapol. Nomenclatoribus nostris plane est incognitus, nec mirum: nam dato quod habet Alva sodalem aliquando fuisse nostrum, eodem teste certum est quandiu vestem Prædicatorum induit, nihil edidisse.

1480. Gerardus de Monte Coloniensis ab Alva Nodi indissol. p. 705, tum & Sol. Verit. Rad. 81 col. 978 *de Montibus* nuncupatus, deinde etiam ab Altamura ad 1540 nostris accensetur scriptoribus, sed uterque delusus. Fuit enim ille *de Monte* non *de Montibus* dictus artium & theologiæ magister in universitate Coloniensi laureatus, vir sui plane juris, nulliusque regularium ordinis votis astrictus, insignis Coloniæ gymnasii *de Monte* primus erector & præpositus, doctrinæ S. Thomæ & B. Alberti Magni mirum affectus, qui anno MCCCCLXXX mortuus est, nec apud nostros aut alios regulares, sed in basilica Andreana sepultus. Quæ omnia non solum ex Eysengrenio, sed & ex ipsius Gerardi operibus addiscere potuissent, ea enim Coloniæ circa annum 1480 absque typographi nomine prodierunt in folio his titulis:

Commentarium in opusculum S. Thomæ de ente & essentia. Ad calcem sic legitur: *Commentatio venerabilis viri artium magistri, nec non sacræ theologiæ professoris eximii D. Gerhardi de Monte, a quo famosissimum gymnasium, quod Bursam montis appellant, suam primavam assumsit denominationem, mira verborum claritate & sententiarum sublimitate compilata, circa compendium, quod edidit S. Thomas de Aquino insignis Peripateticæ veritatis interpres de essentiis & quidditatibus rerum secundùm tres gradus entium.*

Tractatus Gerhardi de Monte &c. ut supra, *ad favorabilem dirigens concordiam quædam problemata inter S. Thomam, & venerabilem Albertum Magnum, ex quorum contentiosa disputatione nonnullis olim dabatur fomentum odii, aliis verò occasio detrahendi utrique doctori. Pr. Nolite plures magistri fieri.* Sunt tantum decem folia.

Apologia Gerhardi de Monte &c. In ea refert anno MCCCCXXVIII hanc controversiam de S. Thomæ & Alberti Magni sententiis contrariis & in se invicem pugnantibus quibusdam visis quoad philosophiam in academia Coloniensi incepisse, seque anno MCCCCLVI opusculum mox relatum de concordantia dictorum utriusque scripsisse, & plura de hoc dissidio refert singularia & merito legenda. Ad finem hujus apologiæ sic habet: *Quod quidem responsorium cum duobus tractatibus concordiarum offero examini nunc instantis capituli generalis insignis ordinis Prædicatorum, cujus tam S. Thomas quam venerabilis Albertus fuerunt filii &c.* Capitulum generale instans ab eo laudatum forsan intelligit, quod Noviomagi non longe a Colonia indictum erat habendum anno MCCCCLIX, & reipsa habitum est. Additur tandem:

Epitaphion M. Gerhardi de Monte artium ac sacrarum litterarum professoris eximii gymnasiarchæ Bursæ Montis academiæ Coloniensis, quam primùm tam nobili tamque præcelso insignivit honoris titulo. Cujus anima carnis habitaculum egressa est anno Dñi MCCCCLXXX *mensis novembris die* IX, *corpus insuper humus insignis Ecclesiæ S. Andreæ apostoli intra muros Colonienses quamquam solemni, lugubri tamen gressu suscepit.* Sequitur epitaphium versibus elegiacis octo.

Porro notandum tractatum alterum, quem monet Gerhardus se de concordia dictorum S. Thomæ & Alberti scripsisse, non haberi cum superioribus editum, sed ejus principium sic ipse refert initio apologiæ: *Verba prudentium statera ponderabuntur.* Ejusdem Gerhardi videntur, licet nomen ejus non ascribatur, quæ initio voluminis & ante superius relata editæ sunt:

Expositiones textuales dubiorum atque luculentissima explanationes in libros de cœlo & mundo, generatione & corruptione, metheorologicorum, ac parvorum naturalium Aristotelis, variis ex ingeniis, primum tamen & potissime ex probatissimis commentariis A. D. Thomæ Aquinatis compendiario sermone transumpta, ad profectum studentium ingenuarum artium famosissimi gymnasii Coloniensis, quod vulgo Bursa Montis dicitur. Quibus facile dilucideque intelligens reparativo processu irrefragabilem ac invictissimam tanti doctoris sancti viam.

Ex quibus Alva loco citato refellitur, non enim ut putavit, in opusculis laudatis de sententiarum S. Thomæ inter se pugnantium concordia agitur, sed de S. Thomæ dictorum cum dictis B. Alberti, quæ quibusdam inter se pugnantia videbantur, concordia.

Porro etsi Gerhardum de Monte vestis nostræ ac regulæ professorem veritate cogente non agnoscamus, scholæ tamen nostræ sodalem & acerrimum vindicem totis ulnis amplectimur.

Parif. in Victor. cod. MS 68 fol. 165 est *Sermo a Gerhardo de Monte in theologia professore dictus in domo capitulari Ecclesiæ Coloniensis anno* MCCCCXXXVIII. Pr. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos &c.* Finis fol. 171. Notarius se ei sermoni affuisse testatur, tumque pestem fere generalem ubique grassatam fuisse & caristiam magnam valde (sic.)

F. Joannes de Blesis vulgo *de Blois* Gallus ex eleganti scilicet illo & regio ad Ligerim in Gallia Celtica castro ortus, sacræ theologiæ magister Parisiensis anno MCCCCLXXXVI post pascha inter licentiatos XVII, quorum septem erant ordinis Prædicatorum, duodecimum sortitus est locum, & in actis facultatis dicitur Eremita Augustinianus. 1415. Id etiam evincit exemplum insigne ejus ætatis bibliothecæ olim Segnieranæ, nunc Coislinianæ: Sacra scilicet sunt Biblia a Guiarto *Desmoulins* Gallice reddita, ac duobus voluminibus membraneis in fol. comprehensa. Ad caput verò psalmorum sic legitur:

Cy commence un nouvel prologue, & ce par frere Jean de Blois de l'ordre des Augustins maistre en sainte theologie a Paris sur les pseaumes, & sur les causes pourquoy les pseaumes du psaultier furent faits & composez. Et postea in eodem prologo: *Pour ce frere Jehan de Blois Augustin a la requeste & priere de aucunes devotes personnes ay extrait selon les docteurs, & mis cy par maniere de cas brief la cause & le motif, pourquoy chacun pseaume fut fait. Et pourceque d'icelles causes plusieurs docteurs ont devisez differens opinions, je dessus nommé ay esleu comme la plus seure & la plus ferme opinion du seur & ferme docteur mon seigneur & maistre la lumiere des docteurs S. Augustin &c.* Versio Gallica psalmorum ipsissima est *Guiarti des Moulins*: argumenta sola psalmo cuilibet præfixa addidit Johannes.

Notandum autem in Colbert. cod. 3090 memb.

fol. eamdem esse versionem psalmorum Guiarti *Desmoulins*, præfixis cuilibet psalmo argumentis Johannis Blesensis. In fronte codicis imago est elegans S. Augustinum exhibens Eremitarum veste indutum, sic in dextra, ad lævam verò partem sodalem ordinis Prædicatorum, sub quo legitur; *F. Jehan de l'ordre des Prêcheurs.* Præterea in prologo qui idem est ac in codice *Coislin.* sic legitur: *Pour ce frere Jehan de l'ordre des Freres Prêcheurs a la requeste* &c. ut supra. Hæc fere primo me deluserant, ut & præfectum bibliothecæ deluserunt, qui in indice codd. MS sodalem Prædicatorum scripsit, & alios postea in eumdem errorem induxit. Dubius tamen hæsi, cùm ad calcem canticorum Gallice versorum legerem: *Cy finent les cantiques translatés par F. Jehan de Blois Augustin.* Veritatem tandem aperuerunt tum codex Coislinianus laudatus, tum acta facultatis. Itaque hæc psalmorum argumenta Eremitæ Augustiniano asserenda. Sequuntur eodem codice Colbert. ut jam indicatum

Cantica quæ per hebdomadam leguntur in officio ecclesiastico cum symbolo Athanasii dicto, *Te Deum laudamus &c.* Gallice versa, proprio ut videtur marte ipsius Johannis Blesensis.

Officium parvum B. Virginis, quod sequitur ad psalterium, ab eodem Gallice versum ex eo conjicio, quod alia sit psalmorum versio, quam Guiarti Desmoulins. Sic enim iste primum psalmi versiculum reddit: *Beneoit est l'omme qui n'ala pas en conseil des felons, & qui ne esta pas en la voie des pescheurs, & qui ne sist pas en la chaiere de pestilence.* In officio verò B. Virginis ad Primam: *Beneure est l'omme, qui ne s'en ala pas en la voie des mauvais, & n'arreta pas en la voie des pecheurs, & ne s'assit pas en la chaiere de pestilence.* Discrimen adhuc majus est in sequentibus, in versione officii defunctorum, & septem psalmorum pœnitentialium. Horum verò omnium interpretem esse Blesensem colligo, quod in versione canticorum, quæ ipsi ascribitur, ad latus cantici, *Ego dixi in dimidio &c*, sic legitur: *Require ès vigiles des morts ès laudes.* Ad latus: *Te Deum laudamus: Require ès heures notre dame.* Sic & ad *Magnificat* & *Nunc dimittis.*

Sequuntur *hymni in officio ecclesiastico vulgo decantati rhythmis Gallicis redditi.* Poëta in prologo dicit se ad varias Alberici *Aubery Bernay dit l'enfant du tonnere* filii tonitrui nuncupati instantias Gallice sic se cecinisse. An & Joannes Blesensis hic poëta, quærat otiosior, addo solùm aliam hic esse hymnorum B. Virginis versionem, quam quæ hymnorum eorumdem in officio parvo B. Virginis.

Codex iste ut ad finem legitur scriptus fuit anno MCCCCXCV & finitus die XII septemb. sumptibus Gerardi Morel rectoris parœciæ Montisfnantolii in diœcesi Laudunensi.

* 1430. F. JOANNES GRITSCH Basileensis ab Alphonso Fernandez p. 391 b, & a Fontana in Monum. ad 1452 ordini Prædicatorum asseritur, sed allucinatum utrumque constat, cùm Trithemius, quem testem ambo adducunt, non nostris, sed Franciscanis ascribat, ac suis vindicet Wadingus Minoritis. Eum & Simlerum & alios consulas. Vivebat circa 1430.

* 1410. F. JOHANNES DE SCOENHOVIA Belga vir ineunte seculo XV pietate & eruditione clarus non aliunde mihi quam ex ejus scriptis cognitus est. Scilicet Johannes Rusbroxius monasterii Viridis vallis in silva Zonia canonicorum regularium primus prior a vita spirituali & contemplativa, librisque de eo orationis genere editis sub finem seculi XIV celebris, librum in lucem protulerat hoc titulo: *De ornatu spiritualium nuptiarum*: tertiam hujus operis partem impugnavit Johannes Gerson cancellarius Parisiensis epistola ad Cartusianum data, quædam in ea esse contendens non sobria, id est non ad amussim fidei & theologiæ dicta. Huic Gersoni epistolæ salva caritate reposuit hic Belga tractatu seu epistola Rusbroxii doctrinæ apologetica, quæ MS Parisiis habetur in Victor. cod. 106 memb. fol. a me visa mense julio anni MDCCIV. Titulus:

Epistola Johannis de Scoenhovia magistri in theologia ordinis Prædicatorum responsiva ad præcedentem epistolam dicti de Gersono incipit. Quoniam quidam doctor eximius Parisiensis artis theologicæ quædam dicta F. Joannis de Rusbroeck in libro qui intitulatur de ornatu spiritualium nuptiarum, *minus juste ut opinor calumniatur &c.* a fol. 102 codicis ad 114.

Ad hanc epistolam respondit Gersonus epistola altera ad eumdem Cartusianum ad quem primam direxerat. Pr. *Gratia tibi & pax vir exemplo Job simplex & rectus & timens Deum. Oblata est mihi nuper sicut nosti, grandis epistola &c.*

Hæc omnia simul typis prodierunt inter opera Gersoni in utraque editione, Parisiis 1606 T. I p. 465, ultima Antwerpiæ 1706 T. I p. 63. In his verò editionibus non solùm omittitur quod in codice Victor. habetur Johannem hunc fuisse magistrum in theologia & ordinis Prædicatorum, sed & ejusdem cum Rusbroxio congregationis canonicorum regularium innuitur: quapropter illis ultro desero eo magis quod iis Trithemius ascribat. Plura alia illi tribuit Sanderus in Elencho P. II p. 219 quem consulas.

NICOLAUS DE CUSA Teuto a patria diœcesis Trevirensis ad ripam Mosellæ vico sic nuncupatus, vir celebris, decanus S. Florini Constantiæ & archidiaconus Leodiensis, in concilio Basileensi claruit, Eugenio IV primum adversarius, * 1464.
tum anno circiter MCCCCXXXVII ejusdem partes amplexus. Post varias pro eo legationes & pro ejus successore Nicolao V in Germania feliciter gestas, ab isto ad purpuram evectus est cum titulo S. Petri ad vincula anno MCCCCXLVIII die XX decemb. Commendata etiam eidem non multum abinde Brixinensis in Tirolio sub metropoli Juvavia seu Salisburgo Ecclesia, cujus tamen in consecutione sedis non parvas a Sigismundo duce Austriæ, qui cardinales commendatos in ditione sua obtinere episcopatus non ferebat, sustinendas habuit molestias. Unde tandem exulare coactus in Italiam secessit, obiitque Tuderti in Umbria anno MCCCCLXIV die XI augusti, ætatis LXIII. Hunc nostris Lusitanus accenset ex fide appendicis ad Speculum historiale Vincentii Bellovacensis, quem excipiunt nostrates Gozzeus, Pius hic tamen dubius, Fernandez, Altamura ad 1464: aliunde verò reclamant Panvinius, & Pennocus, qui Canonicis regularibus annumerant, qua auctoritate ipsi viderint. Certò noster non fuit, nec agnoscit Trithemius, nec Sixtus Senensis, qui tamen multis laudibus efferunt, sed nec Ciaconius, nec Fontana inter cardinales ex ordine assumtos referendum judicarunt. Litem mordacem de hoc scriptore Lusitano ejusque sequacibus intendit Alva in suo ludicro *Pleytos de los libros p. 35*, quem nec responsione dignum arbitror: quotusquisque enim est vel accuratissimus scriptorum nomenclator, cui similia errata non irrepant? Sed ipse se lectoribus ridendum propinat eadem lite p. 35, cùm Nicolaorum nostrorum purpura insignitorum catenam jungens, de Tarvisio, de Prato, de Freauvilla, Roselli, Caracciolo, de Sancto Saturnino, Sciombergio, judicem suum in scenam producit sic riden-

SEC. XV. tem: *No he visto tal Nicoleria de cardinales en mi vida*: Quid enim hoc dicterio sibi vult? an non omnes ea dignitate ornati, an non suæ ætatis lumina omnes? an Nicolai nomen quod tot sancti gestarunt, probrosum? sed sibi deserendus frigidus nugator. Ab hujus Nicolai operibus recensendis cùm noster non sit, abstineo: videsis Labbeum, Caveum & alios longa serie illa numerantes.

1470. F. PACIFICUS NOVARIENSIS a quibusdam incautis nostris accensetur scriptoribus, sed profecto illi gravissime delusi, cùm insignis fuerit ordinis Minorum theologus, anno circiter MCCCCLXX clarus, ut post Possevinum & Wadinghum habet noster Natalis Alexandre seculo XV Hist. suæ Eccles. Scripsit

Summam casuum conscientiæ, quæ & ab illo vulgo dicta est *Summa Pacifica*. Prodiit typis pluries.

F. PAULUS DE MORA Ligur quidam ex fide Soprani ab Oldoino in *Athen. Ligust.* nostris accensetur scriptoribus, diciturque F. Salvo Cassetta in magisterio sacri palatii suffectus a Sixto IV anno 1481, eoque munere functus ad annum 1489, quo ad quamdam Ecclesiam promotus est, inquit, ab Innocentio VIII. Verùm Sopranum & eum excipientem Oldoinum allucinari evidens est ex dicendis postea de Paulo de Moneglia, ex quibus constat F. Salvo suffectum in magisterio sacri palatii F. Marcum Maronum, vel ut legit Ughellus & post eum Fontana in *Theatro* inter archiepiscopos, Maroldum Neapolitanum etsi origine Florentinum e gente *della Bella*, anno 1489 aut sequenti ad sedem archiepiscopalem Regiensem in Calabria evectum ab Innocentio VIII, a quo in magisterio palatii datus est ei successor F. Paulus de Moneglia Ligur, cujus & ipse Oldoinus laudes ibidem celebrat. Sed ex opere quod isti Paulo de Mora tribuit Oldoinus, evincitur eum unicum hominem in duos dividere, nam superius F. Joanni Paulo Demora del Maro Liguri medio seculo XVII florenti ascripsit librum hoc titulo:

Gioiello del Rosario.

Qui Joannes Paulus non fuit magister sacri palatii, nec episcopus, & eamdem appellam postea Paulo de Mora viro fictitio vindicat. Hic itaque e numero scriptorum nostrorum expungendus.

* 1429. F. PAULUS DE VENETIIS quidam ceu nostras a Tomasino laudatur in suis Bibl. Patav. apud quem ubi de Augustinianorum bibliotheca sic lego p. 77:

Summa naturalium reverendi artium & sacræ theologiæ doctoris magistri Pauli de Venetiis ordinis Fratrum Prædicatorum anno MCCCCXXXV *mense martii, cujus frontispicium cum miniaturis elegantissimis spectatur.*

Scriptum Pauli de Venetiis in libros posteriorum Aristotelis. fol. memb.

Summa naturalium ejusdem. fol. memb.

Logica ejusdem. fol. charta.

Ejusdem in libros de generatione commentarium. Miniatum elegantissime. fol. memb.

Ista notitia ex bibliotheca Augustiniana accepta nostrum hunc scriptorem fere evinceret, nisi aliunde sciretur hunc Paulum de Venetiis reipsa Eremitam Augustinianum fuisse. Sic habent Trithemius, Simlerus, Possevinus qui dicit mortuum anno 1429, unde erratum est vel codicis Veneti vel Tomasini, cùm ordinis Prædicatorum dicitur.

PETRUS SUBERTI Gallice *Soybert*, Occitanus, Uticensis patria juris utriusque professor, electus episcopus Papulisani anno MCCCCXXVIII & anno MCCCCLIV mortuus, inter alia scripsit opus egregium, cujus titulus: 1454.

Liber dñi Petri Suberti decretorum doctoris egregii, ac episcopi S. Papuli provinciæ Tolosanæ de visitatione.

Pr. *Ite & vos in vineam meam.* Matt. cap. XX. *Dicit Spiritus Sanctus per organum Isaiæ prophetæ &c.* Et post multas episcopalis ministerii laudes, sic loquitur fol. 4: *His præsuppositis pro directione fructus episcopalium visitationum, ego Petrus sola Dei clementia sancti Papuli episcopus considerans, quod propter multitudinem occurrentium negotiorum tempore visitationum, episcopi & prælati visitantes, non possunt in singulis Ecclesiis ut decet cum honore episcopalis cathedræ sic cum themate & solemnitate prædicare &c.*

Opus in octo partes dividitur, septem priores sunt Suberti: pro octava subjiciuntur duo opuscula Petri de Pennis ordinis Prædicatorum, alterum contra Judæos, cui titulus: *Thalamoth*, alterum contra Alcoranum & Mahumetanos, de quibus nos supra ad 1330. Extat MS memb. Tolosæ apud nostros integrum, est & Paris. in Colbert. cod. 978 fol. par. chart. sed in isto ex duobus opusculis Petri de Pennis est tantum primum.

Prodiit etiam typis in Incun. Typogr. in 4 char. Goth. absque nota anni, loci, ac nominis typographi, quæ editio etiam in Colbert. sed in ea resscissa est pars octava integra. Rursus prodiit recognoscente D. Chappuys Paris. 1508.

Quidam Petrum hunc Suberti ordinis Prædicatorum fuisse sibi finxerunt, ob titulum codici Tolosano laudato exterius appositum, qui sic habet,

Tractatus de visitatione, cujus auctor est D. Petrus episcopus S. Papuli ordinis Fratrum Prædicatorum. Sed hic titulus hominis recentioris est & imperiti, qui codicem non lustravit, & merito delendus, ne incautos deinceps decipiat: certo enim certius est Subertum nullius unquam regularis familiæ vinculis irretitum fuisse.

F. THOMAS WIGENHALUS Anglus ab Altamura ad ann. 1570 nostris accensetur ex fide inquit Hyacinthi de Parra Hispani sodalis viri certe accurati, sed qui si ita sensit, manifeste delusus est & quoad ætatem & quoad professionem. Fuit enim hic Thomas non ordinis Prædicatorum, sed Præmonstratensis cœnobii Dieramensis in comitatu Norfolcensi, vixitque ad ann. MCCCCLXX ab academiarum strepitu alienus, choro juxta ordinis sui leges unice addictus, privatim legendis aut etiam scribendis historiis deditus. Sic Lelandus, Simlerus & Pitseus. Scripsit * 1470.

Historiam cœnobii Dieramensis, & miracula B. Virginis ibidem patrata.

ACTA CONCILII
PRIMO APUD NICÆAM TUM APUD NYMPHAM HABITI,
a nobis promiſſa pag. 103 hujus tomi primi :

Ex codice MS 250 & amplius annorum in gymnaſio Navarræo ſervato.

ANNO Domini milleſimo ducenteſimo triceſimo tertio menſe januario * Nos de ordine Fratrum Prædicatorum Frater Hugo & Frater Petrus : de ordine Fratrum Minorum Fr. Aymo & Fr. Rodulphus nuncii domini papæ miſſi ad imperatorem & patriarcham Græcorum intravimus ſub cœna, Dominica prima poſt octavam Epiphaniæ hora quaſi veſpertina : ſed antequam civitatem intraremus, plures nuncii imperatoris ab ipſo tranſmiſſi nobis frequenter occurrerunt ex parte dicti imperatoris nos ſalutantes, & lætitiam cordis ejus de adventu noſtro nobis notificantes : ſed & nuncii ipſius patriarchæ plures nobis honorificè occurrerunt : & tandem ipſi canonici eccleſiæ majoris nobis longè a civitate occurrentes cum gaudio ſuſceperunt, & unanimiter omnes cum honore & reverentia in civitatem introduxerunt. Et cùm peteremus nos duci ad majorem eccleſiam cauſa orationis, duxerunt nos ad aliam eccleſiam, ubi primum celebratum fuit concilium, oſtendentes nobis Sanctos Patres, qui eidem concilio interfuerunt in parietibus depictos. Deinde poſt multum civitatis circuitum ad hoſpitium, quod dominus imperator nobis honorifice præparari fecerat, comitantibus clericis, & multitudine populoſa deduxerunt. In quo hoſpitio quaſi homines fatigati ſolita neceſſitatibus corporalibus præparata invenimus. Secunda autem feria proxima ſequenti vocavit nos dominus patriarcha, qui comparentes coram ipſo & clero ſuo congregato, primo ipſum patriarcham ex parte domini papæ ſalutavimus, deinde ex parte noſtra. Enumeratis poſtmodum more noſtro cauſis, & pro honoribus, & beneficiis nobis ab ipſo collatis gratiarum actionibus exhibitis, literas domini papæ eidem porreximus, qui receptis literis bullam oſculatus eſt, & reſpiciens in clerum ſuum adjecit πέτρος παῦλος. Conſequenter talem nobis fecit quæſtionem, utrum eſſemus legati domini papæ, & honorem legatis debitum vellemus recipere ? Ad quam reſpondimus proteſtantes nos ſimplices nuncios eſſe, & honorem legatorum nolle recipere. Conſiderantes autem tantam cleri multitudinem, volentes vitare eorum aſtutias conſuetas & fallacias, iterum cum proteſtatione diximus nos non ad concilium, ſed ipſum patriarcham eſſe deſtinatos. Nobis autem renuentibus oblatum honorem, magnam reverentiam & honorem etiam minimo nuncio domini papæ exhibendum eſſe proteſtatus eſt. Dum autem plurima verba ex utraque parte proferrentur, in medio tandem valedicto ei ad ſupradictum hoſpitium noſtrum honorificè a clero ſuo ſumus reducti. Tertia autem feria hora competenti & congrua nuncios imperiales recepimus, ut coram dicto imperatore compareremus. Nobis igitur coram eo comparentibus, ut decebat, eum ſalutavimus, & exhibitis gratiarum actionibus pro beneficiis & honoribus nobis collatis amicabiliter fuimus recepti, & invento ibidem patriarcha cum clero ſuo expoſuimus cauſam adventus noſtri & negotium, addentes patriarcham literas recepiſſe iſta plenius continentes. Deinde propoſita eſt quæſtio de poteſtate noſtra, ad quam ſic reſpondimus, *poteſtatem noſtram tenor literarum domini papæ vobis ſatis notificavit, & hoc addimus quod quicquid ſuper iſto negotio benefecerimus, ratum habebit & gratum Eccleſia Romana.* Dixerunt, *Igitur procedamus in negotio.* Et cùm multæ propoſitæ fuiſſent rationes hinc inde, utrum ipſi vel nos inciperemus quæſtionem, diximus : *Non miſſi ſumus ad diſputandum vobiſcum ſuper aliquo articulo fidei, de quo ambigat Eccleſia Romana vel nos, ſed ut vobiſcum amicabilem collationem habeamus ſuper dubitabilibus veſtris. Igitur veſtrum erit illa oſtendere.* Ad quod ita reſponderunt, *vos dicatis quæ ſunt illa ?* Conſiderantes itaque quod tempus moliebantur redimere, reſpondimus : *Licèt noſtrum non ſit veſtras quæſtiones proponere in medium, tamen ne tempus inutiliter conſumamus, hoc eſt de quo ſupra modum miratur Eccleſia Romana, cùm verum ſit & omnibus conſtet Eccleſiam Græcorum ſicut cæteræ nationes Chriſtianorum per univerſum mundum longè lateque diffuſæ, aliquando fuiſſe ſubjectam, quæ fuit ratio vel quæ cauſa, quare ſe ſubtraxit obedientiæ Eccleſiæ Romanæ ?* Nec ad iſtam voluerunt reſpondere, ſed ut nos cauſam oſtenderemus, rogabant. Nos verò videntes ſuas cavillationes, quoniam Græci ſimilitudinibus applaudunt, tale exemplum in medio propoſuimus : *Ecce creditor & debitor, qui ſubtrahit debitum creditori : quis horum redditurus eſt rationem alii, quare debitum non eſt ſolutum ?* Hac tandem ſimilitudine confuſi habito conſilio tale dederunt reſponſum : *Dicimus quod duæ ſunt cauſæ : una eſt de proceſſione Spiritus Sancti, alia de ſacramento altaris.* Ad hoc reſpondimus ſic : *Si iſtæ ſunt cauſæ & non aliæ, quare vos ſubtraxiſtis ab obedientia Eccleſiæ Romanæ, videamus ſi ea ſunt vel debeant eſſe ſufficientes cauſæ tantæ inobedientiæ.* Et addidimus : *Quoniam ardua eſt iſta materia, & ad illam non poterit noſtra parvitas, niſi ſua inclinetur majeſtas, craſtina die vacabimus orationibus & miſſarum ſolemniis invocantes Spiritum Sanctum, ut ſeipſum per gratiam mentibus noſtris infundat, & ſuæ proceſſionis veritatem nobis manifeſtet. Sed quia locum & oratorium vel eccleſiam non habemus, rogamus dominum patriarcham, ut nobis aſſignet oratorium.* Et aſſignavit nobis eccleſiam ſatis aptam juxta domum noſtram. Mane autem facto, cùm in dicta eccleſia celebraremus divina, convenerunt Latini, Francigenæ, Anglici, & diverſæ nationes, ut divina audirent myſteria. Finita autem miſſa, & divinis rite peractis advenit ad nos quidam Latinus ejulans & flens, dicens papatem ſuum eum ſuppoſuiſſe ſententiæ, quia miſſæ noſtræ interfuiſſet. Quo

* Stylo veteri, novo MCCXXXIII.

audito doluimus. Inito consilio duos de Fratribus nostris ad patriarcham transmisimus illud tam abominabile factum in injuriam Dei & totius Ecclesiæ Dei illatum ostendentes. Quod audiens patriarcha dissimulare magis voluit, quam reprehendere. Attamen videns quod pro multa injuria illud reputaremus factum, cum cæteris papatibus illum papatem ad nos transmisit, qui dictum papatem indumentis suis sacerdotalibus ipsum spoliaverunt, & ita spoliatum per villam usque ad domum patriarchæ iterum deduxerunt. Et quia confessi fuerunt alii ex simplicitate non ex malitia hoc illum fecisse, ne immisericordes videremur in principio, rogavimus ipsum patriarcham, ut hac pœna contentus dicti papatis parceret simplicitati. Hujus rei causa quinta feria cum in palatio imperiali convenitemus ad disputandum, voluimus primo agere de sacramento altaris, ut sciremus quid sentirent de nostro sacramento. At illi nolentes pertinaciter institerunt, ut prius ageremus de processione Spiritus Sancti. Sic inchoata est collatio. Illis quærentibus *utrum velimus opponere an respondere.* Diximus: *Vestrum erat ambiguitates vestras circa hunc articulum proponere, nostrum erit ad ambigua respondere.* Ad hæc patriarcha: *Et vos audietis.* Surgens igitur Chartophylax eorum in medio, qui ecclesiæ patriarchalis dictus erat thesaurarius, & mandato tam patriarchæ quam imperatoris ita loqui exorsus est: *Creditis unum Deum esse in tribus personis?* Respondimus: *Credimus.* Et subjunxit: *Creditis patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum Sanctum ex Patre procedentem?* Respondimus: *Credimus & dicitis vos ita.* Ad hæc ille, sicut videbatur miræ simplicitatis, elevatis manibus ad cœlum cœpit grandi voce Deum benedicere, & cùm secundo ac tertio eadem verba replicasset, nobis idem responsum iterantibus adjunxit: *Hic nullam inter vos & nos invenimus controversiam, super omnia Benedictus Deus.* Ad hoc cœpimus hoc modo respondere: *Si in isto articulo non invenitis discordiam inter Ecclesiam Romanam & Græcam, & per gratiam Dei in sacramento altaris non credimus invenire discordiam: & alia causa non fuerunt schismatis ut ista: igitur sine causa facta est schismatica, & injustè & sine causa se subtraxit obedientiæ Ecclesiæ Romanæ Ecclesia Græcorum.* Post hæc verba habito consilio sapientium dixit imperator: *Audivimus quod vos dicitis sicut nos, sed quærit dominus patriarcha, si vos plus aliquid dicitis, quia audivimus quod vos addidistis aliquid symbolo composito a sanctis patribus in concilio: & prohibuerunt sub anathemate quod nemo auderet aliquid addere vel mutare vel literam vel syllabam vel dictionem.* Ad quod nos: *Ostendat nobis dominus patriarcha illud scriptum.* Tunc respondit patriarcha & dixit: *Rogo charitatem vestram, ut hodie amodo parcatis mihi, quia fatigatus sum & infirmus: cras Deo volente convalescam & ostendam vobis illud quod promisi:* & sic ab invicem recessimus. Sexta feria hora quasi matura missa celebrata, & eis quæ ad horas spectabant rite peractis, accessimus ad disputandum. In cujus principio petivimus ut patriarcha suum solveret promissum. Qui præcepit cuidam de sapientibus suis, ut Cyrilli epistolam ad Joannem Antiochenum patriarcham legeret, cujus initium est: *Lætentur cœli & exultet terra,* & circa medium epistolæ incepit legere. Tenor vero lectionis talis erat: *De Dei genitrice Virgine qualiter & sapimus & dicimus, modoque* [A] *a natione unigeniti filii Dei necessario non* [B] *in adjectantis parte sed in certitudinis specie, ut superius ex divinis scripturis ex traditioneque sanctorum patrum accipientes habuimus, breviter dicemus, nihil omnino addentes sanctorum patrum, quæ in Nicæna synodo edita fidei: sicut enim prædiximus ad omnes sufficere, & pietatis cognitionem, & omnis hæretica malæ opinionis reprobationem. Hic dicitur quod non est addendum symbolo sanctorum Patrum edito Nicææ. Quare ergo addidistis?* Ad quod respondimus hoc modo: *Non dicit hic Cyrillus quod nemo addat, sed dicit: Breviter dicemus nihil fidei patrum edita* (in) *synodo Nicææ addentes. Neque per istam auctoritatem habemus quod nobis non licuit addere, nec patriarcha persolvit quod promisit.* His dictis institerunt acrius ad probandum propositum, & revolventes in ea epistola post non multa cœperunt legere, cujus lectionis talis fuit sententia: *Nullo autem modo moveri ab aliquibus definitam fidem id est fidei symbolum, quod a Sanctis nostris Patribus, qui in Nicæa convenerunt pro tempore, nequidem permittimus nobismet vel aliis vel dictionem mutare eorum quæ ibi sunt posita, vel unam transgredi syllabam, memores illius qui dixit: Ne transgrederis terminos sempiternos, quos constituerunt patres tui. Non enim erant episcopi qui loquebantur, sed Spiritus Dei & Patris, qui procedit olim ex ipso. Est autem non alienus a Filio secundùm essentiæ rationem. Ecce dicit quod nec sibi nec alicui licuit mutare vel transgredi dictionem vel syllabam de his quæ in Nicæno ponebantur symbolo.* Ad quod tale dedimus responsum: *De illa fide nihil mutamus, nec transgressi sumus, nec syllabam nec iota unum. Ista auctoritas pro nobis est, & contra vos, qui dicitis quod Spiritus Sanctus non procedit a Filio; quod nusquam dictum a sanctis vestris vel quoquam invenitis. Item nec aliquid addere symbolo Nicæno prohibuit.* Videntes igitur quod non poterant suum ostendere propositum, talem nobis fecerunt quæstionem: *Quærimus si vos aliquid addidistis symbolo.* Diximus nos: *Legatur symbolum & scietis.* Et cœpit quidam legere symbolum Constantinopolitanum, quod erat factum in secundo concilio. Nos verò cogitantes rationem nostræ adjectionis de suo ore extrahere, diximus: *Prius erat editum symbolum Nicænum, & illi dixistis nihil esse addendum, & beatus Cyrillus non fuit ausus addere, & prohibuit ut nullus dictionem vel syllabam mutaret, aut transgrederetur. Igitur volumus illud prius audire.* Ipsis autem renitentibus quantum poterant, ad nostram instantiam tandem lectum est primo illud Nicænum, in quo totum symbolum plenariè continebatur usque ad hunc locum: *Credo in Spiritum Sanctum,* & de sequentibus videlicet ut in illo continetur. Quo perlecto legitur Constantinopolitanum in quo fuerunt superaddita, quæ defuerunt primo symbolo. Nos agnoscentes secundam synodum addidisse Nicæno symbolo talem fecimus quæstionem: *Si verum est quod verum dicitis, quod sancti vestri prohibuerunt quod nullus adderet symbolo Nicæno nec mutaret vel transgrederetur aliquid, quis addidit aut ausus fuit addere ea quæ sunt apposita symbolo Nicæno in symbolo Constantinopolitano.* Ipsi verò timentes respondere ad istam quæstionem, nitebantur ad alia divertere. Et nos tanto magis institimus quæstioni. Unde tandem post multa consilia & subterfugia propulsi responderunt, *quod non fuerat illud additio, sed veritatis expressio.* Deinde interrogantibus nobis, *utrum aliud esset symbolum a primo propter illam expressionem?* Responderunt *quod inde fuit symbolum non mutatum, quia veritatis expressio non facit aliud symbolum neque mutat, neque facit additionem symbolo.* Ex jam dictis habuimus nostram conclusionem ad nostrum negotium & dictum confirmandum, quia illa appositio quam dicunt nos fecisse scilicet *Filioque* non est additio aliqua nec mutatio symboli, nec facit aliud aliquod symbolum, hoc probato tantum quod esset verum quod appositum est. Institerunt igitur

quid

to. 3. Conc. p 1107.

Ibid. p. 111.

A *Leg.* incarnationis.

B Non quasi aliquid adjicientes sed ex plenæ persuasionis evidentia, ut ab initio.

quid addidissemus symbolo? Et licèt potuissemus respondisse bene & verè, *nihil addidimus* secundùm rationem quam nobis dederant; ad cautelam tamen respondimus hoc modo: *Quærimus an licitum sit nobis credere, quod est de necessitate fidei?* Responderunt: *Licet. Et quod licitum est nobis credere, numquid licitum est nobis scribere? Licet*, responderunt. *Item quod licitum est credere & scribere nonne licitum est cantare, & prædicare?* Responderunt: *Licitum est. Sed Spiritum Sanctum procedere a Filio est de veritate fidei, ergo nobis licet illud credere, scribere, cantare, & prædicare. Propterea nos credimus, & cantamus in symbolo, qui a Patre filioque procedit, & ideo prædicamus.* Ad hoc responderunt: *Probate quod sit verum.* Respondimus: *Sancti vestri istud probent. Audiamus B. Cyrillum in primo sermone de latria, ubi ita dicit: Spiritus sanctus nullo modo mutabilis est: quod si mutabile, quod infirmitatis est, ipsa macula in divinam redundaret naturam, cùm sit Dei Patris & utique Filii, qui substantialiter ex ambobus profunditur.* Idem in epistola ad Nestorium, quæ sic incipit: *Salvatore nostro dicente* &c. *Etsi est in hypostasi Spiritus propria, & intelligitur per se secundùm quod Spiritus est & non Filius, non est tamen alienus ab eo. Spiritus enim veritatis nominatus est, & est Christus veritas, & profunditur ab eo quemadmodum a Deo patre.* Ad istas auctoritates responderunt quod profundi non est procedere. Sed B. Cyrillus ipsos redarguit, dicens *Quid autem sit profundi.* Nam idem Cyrillus in expositione symboli Nicæni: *Transeuntes de Christo sermonem ter beati Patres Sancti Spiritus memoriam faciunt. Credere enim dixerunt tanquam in Deum Patrem & Filium, consubstantialis est enim ei & profunditur.* Id est, procedit. Item Athanasius in editione fidei cujus initium est *Credo in unum ingenitum Deum*, in fine sic ait: *Spiritus autem Sanctus processura ens Patris & ferentis Filii per quem implevit omnia.* His autem auctoritatibus manifestè dicitur quod Spiritus Sanctus sit a Filio sicut a Patre, & sic terminata est collatio sexta feria. Sabbato distulerunt disputationem usque post prandium, quia sabbatizant more Judæorum: unde postquam comederant & biberant, missis ad nos nunciis imperialibus convocaverunt nos ad disputationem. Et cogitantes quod sexta feria multas habuimus auctoritates sanctorum, & copiosam multitudinem librorum Græcorum, quam nobiscum de Constantinopoli detuleramus, machinati sunt quomodo possent nos paucis quæstionibus confundere aut verbis capere. Non enim curabant multum niti ad satisfactionem veritatis. Unde congregatis partibus utrisque, surrexit quidam magnus philosophus facto magno prologo prolixo, tandem ad id quod intenderat perveniens in hæc verba prorupit: *Vos venerabiles apocrisarii sanctissimi papæ veteris Romæ, scimus quod viri sancti & literati estis, & pacem & veritatem diligitis, & non pudet catholicum quempiam confiteri fidem suam. Dicite nobis, Quis apposuit, & quando, & ubi, & qua de causa fuit appositum quod vos dicitis in symbolo scilicet* (Filioque.) Et nos cognoscentes astutiam eorum, cùm crederent nos ad has quæstiones nec scire nec posse respondere, cogitabant coram omni multitudine nos confundere, & sic pateret omnibus eos vicisse. Quæstionem quam fecerant, retorsimus super eos hoc modo: *Dixistis & bene, quod catholicum non decet fidem abscondere, sed palam confiteri quod credit. Ergo si creditis, quod non a Filio procedat Spiritus, tenemini nobis quærentibus confiteri. Quærimus igitur si creditis & dicitis quod non a Filio?* Responderunt: *Non credimus quod a Filio.* Et nos *hoc non quærimus, sed si creditis & dicitis quod non a Filio?* Et cùm hoc nollent manifestè confiteri, erant de verbo suo redarguti, quia quod credebant non erant ausi confiteri. Institerunt ergo quæstioni suæ, ut responderemus. Nos videntes quod nox erat, tantam quæstionem inchoare credebamus non esse bonum. Proposuimus dissimulare, & non tunc respondere. At ipsi institerunt accendentes cereos & lucernas per palatium, nitebantur noctem in diem convertere. Nos igitur videntes omnium communem instantiam, tale dedimus responsum: *Ut sciatis quod fides Ecclesia Romana non quærit subterfugium, nec per altercationem pudeat nos fidem nostram confiteri, hoc modo ad vestras quæstiones respondemus. Prima quæstio vestra fuit, quis apposuit & dixit primo, Dicimus quod Christus. Ubi? In evangelio quando ait, cùm venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Quare? Propter instructionem piorum & confusionem hæreticorum, qui hunc articulum negaturi erant, & quicunque istam fidem non habent, in via perditionis sunt. Et quod hoc sit verum quod diximus, probamus per evangelium, per epistolas Pauli, per Hagiographa sanctorum vestrorum, per nostros, si illos admittere velletis, ut Augustinum, Gregorium, Hieronymum, Ambrosium, Hilarium & plures alios.* His dictis obstupuerunt omnes. Et omnibus tacentibus dixit imperator Græce καλῶς. Et adjunxit post consilium longum habitum cum suis sapientibus: *Ostendite nobis ubi in evangelio dicitur illud, quod Spiritus Sanctus scilicet procedit à Filio:* & revolvens biblia, unus cœpit legere illud Joannis: *Cùm venerit Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Et adjecit, *cùm dixit Spiritus veritatis, dixit quod Spiritus Sanctus à veritate procedit, & hoc voluimus probare.* Introduxerunt ibi quemdam philosophum causa respondendi, ut nostras impediret rationes. Et cœpimus opponere hoc modo: *Spiritus prout in hoc loco sumitur, pro quo spiritu supponitur?* Respondit: *Pro Spiritu Sancto.* Item veritatis prout hìc sumitur, *pro qua veritate, vel pro Christo vel non?* Respondit: *Multiplex est veritas, alia complexorum alia incomplexorum* &c. Et vos dicitis *quod veritas prout hoc loco sumitur, dicitur multiplex. Vel est multiplex, vel non?* Et tunc respondit: *Non.* At nos: *Vel supponit Christum vel non?* Respondit: *Non.* Et nos contra: *Vel veritas prout hìc ponitur, supponit veritatem creatam vel increatam?* At ille: *Creatam.* Et nos diximus: *Ergo creatura est.* Et adjecimus: *Ex hoc sequitur hæresis Macedonii damnata in secundo concilio.* Et territus cœpit concedere veritatem, dicens *Spiritus veritatis, id est Spiritus sanctus, qui est Spiritus Christi.* Et nos: *Spiritus Sanctus est & dicitur Spiritus Christi Filii Dei, ut vos profitemini, quærimus qua de causa?* At consilio habito responderunt, *quia ejusdem substantia est cum Filio.* Ad hoc diximus: *Si hæc sufficiens ratio & recta quod Spiritus Sanctus dicatur Spiritus Filii, quia consubstantialis ei: sed Pater est consubstantialis Filio. Est ergo Pater, & etiam debet dici Spiritus Filii, quod falsum est. Ergo primum, unde illud sequitur, scilicet quod hæc est causa quod dicitur Spiritus Filii, quia consubstantialis.* Et his dictis ab invicem discessimus. Jam credimus quod venerat fere secunda vigilia noctis. Vacantibus nobis officio Dominica, secunda feria secundæ hebdomadæ mane accessimus ad disputationem ad palatium imperatoris; & incipientes disputationem contra philosophos suos, corripuit imperator dicens: *Vestrum est simpliciter sine philosophia monstrare veritatem quæstionis, nec vestrum est syllogisticè procedere. Ex tali enim disputatione oriuntur contentiones & lites, melius est ut simpliciter procedatis.* Cui taliter respondimus: *Quando ut dixit apostolus, servum Dei non oportet litigare, nobis plus placet veritatem simpliciter monstrare, quam ad li-*

De ador. in Sp. & verit. Lib. 1. p. 9. E.

To. 3. Conc. p. 405. D.

Ibid. p. 1263. A.

*tes vel obviationes * contemnere : & dicere possumus cum apostolo : Stulti facti sumus, vos coëgistis nos, quoniam respondentes non simplices sed multiplices & sophisticos dedistis. Sed ex quo vestra deposcit intentio, ut simpliciter veritatem cognoscatis, omnibus facillimè & breviter quasi demonstrando manifestabimus.* Et respondit imperator Græce καλῶς, quod interpretatur, *bonum est. Quæsivimus nos heri a vestris philosophis, quare Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filii ab æterno? Ad quam quæstionem tres tantum videntur causæ posse assignari, vel quia ejusdem substantiæ, ut ipse vester sapiens respondit, vel quia mittit Filius Spiritum in creaturas, vel quia procedit ab eo. Quod non sit Spiritus Filii ab æterno, quia consubstantialis videtur, quia simili ratione esset Pater spiritus Filii, quoniam est ei consubstantialis. Item nec quia mittit eum in creaturas, quoniam Spiritus Sanctus erat Filii ab æterno : sed ab æterno non misit Filius Spiritum in creaturas. Restat igitur tertia ratio quod procedit a Filio. Ideo dicitur vere Spiritus Filii.* Quam rationem cùm audiissent, petierunt ut copia hujus rationis in scriptis daretur, quam primo datam in Latino, in Græco petierunt sibi transferri, & factum est ita. Petierunt postmodum inducias deliberandi super hac ratione, & habuerunt hac & tertia feria inducias. Circa horam vespertinam tertiæ feriæ missum est pro nobis, ut iremus ad domum patriarchæ, & accessimus. At ubi venissemus clero suo adunato, præcepit adduci scriptum magnum, & prolixum, in quo dixit contineri tenorem suæ responsionis ad nostram opinionem. Nos verò cognoscentes, quia simplicem rationem communiter loquentes proposueramus, & quod contra nos scriberent, sed quod non simpliciter veritati agnitæ acquiescerent : ex quo cognovimus illos malitiose procedere, voluimus rescriptum suum audire, in quo multas causas audivimus & falsa & mendacia, & multa puerilia, quæ sine admiratione audire non poteramus, quia plus erant ridiculosa quam vera. Habito ergo consilio inter nos, utrum illud tam ridiculosum scriptum reciperemus, vel sine consilio scripti in crastino ad suum scriptum prout decuit responderemus, quia etiam tunc eramus ad ea quæ coram nobis recitaverant parati respondere, tunc potius ad confusionem (ipsorum) quam ad nostrum solatium, quia nobis suum scriptum obtulerant, proposuimus accipere. At illi considerantes, quod eorum scripturam parvipenderamus, dixerunt : *Recedatis cum gratia Dei, & mittemus incontinenti scriptum post vos.* Nobis itaque recedentibus inierunt consilium, ut scriptum novum componerent, & mutatis pro majori parte his quæ erant in primo scripto, nova & alia a recitatis paulo ante consilio suorum sapientum scripserunt, & tantam moram protraxerunt in scripturæ mutatione, ut quando debuimus lectos ingredi scriptum nobis transmiserunt, & (quia) tempus noctis transierat, translationi supersedimus usque in crastinum. Quarta verò feria missa celebrata, & officio nostro ritè peracto, curam dedimus, ut litteræ de Græco in Latinum transferrentur. Interim misit ad nos patriarcha, ut parceremus ei, quia multum distemperatus erat, nec poterat illa die accedere ad disputationem. Deinde excusavit se imperator nuntiis transmissis, quod non miserat pro nobis, quia patriarcha non poterat interesse. Sed postquam comederant, misit ad nos imperator, ut ad domum patriarchæ causa disputationis accederemus. Convenientibus itaque nobis ad domum patriarchæ, fuit quæstio prima, *an rescriptum suum vidissemus?* & coram omnibus dolum quem moliti fuerant circa illud scriptum recitavimus, nec dum scriptam translationem asseruimus, ut verum fuit. Tamen diximus, quia noluimus tempus circa illud scriptum consumere, *Legatur scriptum coram nobis, & responsum dabimus.* Surgens unus philosophorum suorum cœpit legere, cujus principium tale erat, quod continebat falsum. Deinde aliud falsum adjunxit. Tertio hæresim induxit, quod Christus non fuit ab æterno, nisi quod dictus est rex ab æterno. 4. De ratione quam posueramus ad probandum Spiritum esse a filio, finxerunt falsum syllogismum illum, cùm tamen non fuit nostræ intentionis dare syllogicè, ut ipsum scriptum satis probavit, quod eis dedimus, licèt possemus si esset nostra voluntas, bonum formasse syllogismum de illa ratione. Sed intendebamus simplicem & laicalem rationem componere. Tenor scripti talis erat :

* Fortè contendere.

» Probleuma nobis, honorabiles legati sanctissimi papæ, vos proposuistis habens ita in dictionibus : Propter quid Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Christi ab æterno. Tres tantum dici possunt causæ. Prima quidem quod consubstantialis est Christo. Secunda quia mittitur ab ipso in creaturas. Tertio quia procedit ab ipso. Quod autem prima causa non sit sufficiens patet, quoniam ex ipsa sequitur Patrem Spiritum Filii esse, quia consubstantialis est Filio. Quod autem secunda causa non est vera, manifestum, quia Spiritus Sanctus est Spiritus Christi ab æterno : non fuit missus autem ab æterno in creaturas : ergo hæc non est causa quod dicitur Spiritus Christi Restat ergo quod tertia causa causa est quod dicitur Spiritus Christi, quia procedit ex ipso. Ad quod ita respondemus :

Scriptum Græcorum

» Omne principium sive theologicum sive philosophicum, sive mathematicum, sive cujuscunque scientiæ vel artis non eget demonstratione. Commune enim verbum est & universale, quod indemonstrabilia principia. Principii enim principium quærens, finem non inveniet. Principium enim orthodoxorum Christianorum fidei, & maximè quantum attinet circa veritatem theologicam, a Deo dicta sunt verba Christi, ex quibus docti sumus credere in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum : & de Filio quidem, qui habet esse a Patre, & nomen filiationis testatur. De Spiritu autem, quod non est dictio habitudinalis, docuit nos Christus sine syllogismo unde habet existentiam dicens, *Spiritus veritatis qui a Patre procedit.* Dixit Christus *Spiritus Veritatis*, & recipio sine syllogismo, quod est Spiritus Sanctus veritatis, scilicet Christi. Dixit quod *Spiritus ex Patre procedit :* & recipio sine syllogismo, quod a Patre habet existentiam. Prædiximus enim quod principia indemonstrabilia sunt. Hoc dogma & apostolus, & omnes sanctæ synodi sine transgressione conservaverunt usque ad finem, & nos in baptismo taliter credere promisimus Christo, & hanc confessionem ante tribunal Christi exquirimur, si sine transgressione servavimus.

» Ad vestræ autem sapientiæ probleuma sic obviavimus. Dedistis hanc causam, quod Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Christi ab æterno. Dicimus ergo in primis : Qualis Scriptura nominavit Spiritum Sanctum Spiritum Christi ab æterno? Spiritum enim Christi novimus divinam scripturam dicentem, sed non cum additione sicut vos dixistis, *Spiritus Christi ab æterno :* neque enim Christus secundùm quod Christus comprincipatum habet Patri & Spiritui, sed secundùm solam Deitatem. Spiritus quidem ante secula, unctio vero recens, sicut Christus in semetipso recipiens illud Isaiæ dixit, *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me.* Esto autem ad gratiam vestram, & hoc vocari Spiritum Sanctum ab æterno. Verumtamen etsi hoc dicatur, sic dici potest sicut

intelligitur rex ante secula nondum super quæ regnaret introductis, & conditor ante secula nondum quæ condita sunt factis, & benefactor nondum quibus benefaceret existentibus. Sic dicatur & Spiritus Christi propter antiquum consilium & antesecculare ejus quæ in carne dispensationis, secundùm quam Emmanuel unctus est Spiritu. Dixistis quod tamen tres possunt dici causæ. Prima quidem quia consubstantialis est Christo: & dejicientes ut videbatur, destruxistis dicentes hoc, quod hæc causa non est sufficiens: quoniam ex hoc sequitur Patrem esse Spiritum Filii, quia consubstantialis est Filio, & causa ista sive ratio quod Spiritus dicitur Filii pro eo quod est consubstantialis ei, non est verbum nostrum, sed sanctorum & Deum portantium Patrum. Magnus enim Basilius in VIII capitulo ejus qui ad Amphilochium ipsius est sermonis, dicit sic: *Spiritus Christi dicitur sicut appropriatus seu familiaris secundùm naturam ei.* Beatus Cyrillus in expositione evangelii secundùm Joannem dicit: *Quomodo ergo qui ex Patre procedit, Spiritus veritatis existit? propter similitudinem & substantiæ identitatem ita ut veritas sit & vocetur ipse, inceptionem habens erit.* Et sanctus idem in expositione evangelii dicti, *Cùm venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem: Spiritum quidem veritatis vocat paracletum, hoc est sui: ipse enim veritas, ut cognoscamus quod non alienus ab unigeniti substantia Sanctus est Spiritus, nec alter ab ipso secundùm eam quæ est in substantialitate rationem.* S. Basilius ex ea quæ ad Gregorium fratrem epistola dicit: *Qui Spiritum solùm dixit, comprehendit in hac confessione & illud cujus est Spiritus, Christi enim, & eum ex quo, ex Deo enim: secundùm quod dicit apostolus, videte quomodo in Filio tantum est.* Ex quo multis quidem & aliis abundantes ad hoc testimoniis incontradicibilibus propter brevitatem ipsa pertransimus. Hæc quidem respondimus theologicè sanctorum patrum testimoniis magis omni usi syllogistica demonstratione, non egentibus multa disquisitione, verba enim hæc scissim consistunt.

Sensus testimoniis usi potius quàm ulla demonstratione syllogistica, ut pote quæ non egeant.

Dicamus autem & secundùm methodum quæ evacuatur spiritu, quam quidam promittentes circa fidem naufragaverunt sicut dicit apostolus. Dixistis quod ex dicendo propter hoc dicitur Spiritus Christi Spiritus Sanctus propter consubstantiale, sequitur esse Patrem Spiritum Filii, quoniam consubstantialis est Filio, sic syllogizantes: *Spiritus est Filii Spiritus propter consubstantiale: Pater est Filio consubstantialis: Pater ergo est Spiritus Filii propter consubstantiale:* Siquidem habet quid apparentis syllogismi. Audiatis autem & qualiter habet naturam iste syllogismus, si penitus iste syllogismus convenit vocari eum. Primum quidem figurastis vestrum hunc syllogismum in secunda figura, ex similis figuræ propositionibus, & in nullo quidem modo hujus figuræ debent habere propositiones similem figuram: sed ex necessitate una propositio seu præmissa affirmativa debet esse, altera autem negativa in secunda figura. Deinde discerpsistis prædicatum in majori propositione: dicentes enim Spiritus Filii Spiritus & consubstantialis in majori propositione,* primum terminum dimittentes prædicati, hoc est, Spiritus, reliquum accepistis: Hæc quidem in propositionibus fallacia. In conclusione verò quod ex necessitate ex positis propositionibus colligitur inconveniens dimittitis, sed Spiritus Pater est, prædicatum totum conclusionem fecistis. Itaque qui videtur syllogismus, non solum non est in veritate syllogismus, sed neque secundum quid similis est syllogismo. Item si non dicimus hoc esse syllogismum, sed solùm conversionem: dicimus quod falsa est conversio & logicis methodis inconveniens. Neque enim si Spiritus consubstantialis Filio, & quod consubstantiale Filio erit Spiritus ejus. Hæc enim conversio in æquipollentibus solis & principiis potest fieri. In quibus autem hoc quidem generalius, hoc autem proprium nequaquam. Et Spiritus quidem non idem significat consubstantiali secundùm numerum, neque proprium est spiritui consubstantiale, ut & converti possit: hoc enim rem significat, hoc est essentiæ identitatem, hoc verò personam & hypostasim. Et quidem est commune trium, hoc autem proprium unius trium. Dicitur enim & Pater consubstantialis Filio & Spiritui, & Filius Patri & Spiritui: & Spiritus iterum consubstantialis Patri & Filio: & quidem habitudinem denotat consubstantialem, hoc verò absolute dicitur: & hoc quidem antecedentis ordinem habet, hoc verò consequentis. Si enim Spiritus Christi & consubstantialis ei, non quidem si consubstantialis & Spiritus. Didicimus autem de eis quæ sic dicuntur, quod si antecedens & consequens omnino, non quidem si consequens & antecedens. Si enim homo & animal, non autem si animal jam & homo. Itaque si falsa ratio ista redarguitur, manifestum quod vera est quæ dicit, quod Spiritus Christi est ut consubstantialis ei.

* In minori propositione.

Sed videamus & causam propter quam dicit sapientia vestra Spiritum Sanctum vocari Spiritum Christi, quæ autem hoc prætendit, videlicet Spiritum ex Filio. Audite igitur si propter hoc Spiritus Sanctus Spiritus Christi nominatur, quia procedit ex ipso. Si omne quod spiritus alicujus dicitur, procedit ex ipso, erunt secundùm hanc rationem prophetarum spiritus ex ipsis prophetis existentiam habentes. Item & hoc dicimus quod non solùm propter consubstantiale dicitur Spiritus Filii, sicut etiam patres docuerunt, sed & propter administrationem spiritualium charismatum, quam administrationem homo factus unigenitus effudit in omnes fideles, sicut primus apostolorum Petrus ait de Christo dicens: *Dextra igitur Dei sublimatus, promissionemque Sancti Spiritus accipiens a Patre, effudit ipsum quem vos videtis & auditis.* Concordat huic & apex apostolorum Paulus scribens ad Titum discipulum suum: *Salvavit nos Deus per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Dominum nostrum.* Dicitur & iterum Spiritus Christi unctio. Unxit enim eum Pater Spiritu Sancto secundùm carnem. Dicitur & iterum Spiritus Christi, quia coërat semper Christo, non ut ἀνέργητ id est inoperans, sed ut cohonorabili testimonium reddens secundùm theologicam vocem. In veteri enim tota divinitus inspirata scriptura non invenitur Spiritus Sanctus nominatus Spiritus Christi. Cùm autem homo factus est unigenitus unctus Spiritu Sancto: & quando hunc effudit ad fideles tunc est Spiritus vocatus Christi. Adhuc dicimus, quod si Spiritus Sanctus Spiritus Christi dictus est, eo quod procedere ex ipso intelligatur dici, multa accedunt inconvenientia manifestè hinc. Oportet autem præaccipere quædam propter explanationem. * Dignitas est, communis & confessio apud theologos, quod in sancta & superessentiali Trinitate, aliæ quidem sunt naturales proprietates, aliæ verò hypostaticæ & personales: & naturales quidem communiter insunt, & ex æquo tribus hypostasibus, & nullam secundùm istas habent differentiam vel divisionem. Hypostaticæ verò propriè & separatim unicuique, secundùm quas & discernuntur hypostases & in numerum & in di-

* Axioma.

» visionem veniunt : & quia processio modus est » existentiæ, manifestum est hinc quod proprietas » hypostatica est processio. Si enim naturalis, com» munis est trium hypostaseon, & erunt omnes » processibiles : sed hoc inconveniens, & theolo» gicis cum conceptis repugnans : non ergo natura» lis proprietas procedere. Hypostatica igitur & » unius trium. Constat ergo quod Spiritus. Hinc » etenim theologica eruditio separat procedere. » Quoniam ergo processio habitudo est inter pro» cedentem & ex quo procedit, considerata sicut & » generatio inter generatum & generantem: si pro» cedere uni, manifestum quod & mittere uni erit. » Est autem procedere unius solius Spiritus : ma» nifestum quod & mittere unius, & vel Patris erit » hoc vel Filii, & non duorum. Sed a sacris evangeliis » a Patre eum procedere docemur. Ex hoc ergo » solo processionem habet Spiritus. Si autem & ex » Filio, communicatur proprietas, & non jam hy» postatica potest esse, sed in naturalem transfertur » & communem : & manifestum quod conveniet » & tribus, quod impossibile ostensum est. Et adhuc » si ex Patre Spiritus & Filio, Pater simul & Filius » in unam reducentur personam : vel ipse Spiritus » non unus numero, sed in dualitatem dividetur » personarum. Si enim unus & simplex, ex uno : » si autem non ex uno, non unus & simplex : sed » unus quidem & simplex Spiritus Sanctus : ex uno » igitur numero. Item si altera ab invicem emit» tentia & differentia secundùm hypostaticas pro» prietates, altera etiam omnino emittetur nume» ro differentia, & duo erunt Spiritus: hic quidem » ex patre : hic verò ex Filio proveniens. *Iterum*

Axioma. » *hæc theologisarunt.* * Dignitas est quod sancta Tri» nitas unitas est simul & Trinitas : & non prius » quidem unitas, deinde dualitas, & post hæc Tri» nitas. Dicente igitur vestra honorificentia duo » principia Patrem & Filium consubstantialis eis » Spiritus Sancti, alterius egebunt alicujus ante ip» sa principii duo congregantis in unum. Omnem » enim dualitatem unitas de necessitate præcedit, » & quatuor erunt secundùm vestram theologiam » condeitas. Sicut enim nos Græci dicimus, Prin» cipium primum Pater, & duorum consubstantia» lium principium existens, & unitas existens, ejus » quæ ex ipsa dualitas unitiva, & non eget alicu» jus alterius, eo quod non quæratur unitatis ini» tialius. Sic autem vos dicitis duale ponentes prin» cipium, necesse est ante ipsum alterum aliquid » præcedere singulare. Item naturâ unitas ante dua» litatem, dualitatem verò præcedere unitatem, & » hoc simplicem, contra naturam & impossibile : » & si hoc quod secundùm naturam bonum, om» nino & ubique quod contra naturam similiter ma» lum.

Imperator verò ex quo audivit ipsos non posse scripta sua defendere, volens illorum protegere turpitudinem, inquit : *Dimittatur illud scriptum, quia non generat nisi contentionem. Procedamus in quæstione vestra, & ostendatis per sanctorum scripta hæc esse vera quæ vos dicitis.* Et continuo unus de Fratribus nostris, cui Dominus dederat gratiam in litteratura Græcorum, revolvit librum B. Cyrilli de IX anathematismo, & incepit Græce legere. Cujus lectionis talis erat series : *Dicit B. Cyrillus.* » [A] Si quis dicit unum Dominum Jesum Chri» stum clarificari a Spiritu tanquam aliena virtute, » quasi ipso utentem & ab ipso accipientem ope» rari posse contra spiritus immundos, & implere in homines divina signa, & non magis proprium « Spiritum ejus dicit, per quem operatus est divi« na signa, anathema sit. Idem consequenter hæc « verba apertius exponens ait : [B] Homo factus uni« genitum Dei verbum remansit, & sic Deus, om« nia existens quæcunque Pater, excepto solo esse « Patris, & proprium habens, qui ex ipso (est) & « essentialiter in natura ei Spiritum Sanctum, ope« rabatur divina miracula. *In hac auctoritate Cyril« li dicitur Spiritum Sanctum proprium Spiritum « Filii, quod est ex Filio substantialiter : sed non « potest esse Spiritus a Filio substantialiter nisi na« scendo vel procedendo, quia non sunt plures mo« di in Trinitate essendi unam personam ex altera. « Sed non potest esse ex eo per generationem, quia « tunc essent duo Patres & duo Filii in Trinitate. « Restat igitur quod sit ex eo per processionem. Et di« cit Cyrillus quod qui hoc non credunt sunt anathe« mata.* Confusi ergo ex hac auctoritate, non habentes quid hic reprehenderent, dixerunt, *Lege consequenter. Audietis quid sanctus objicit ei* : » Et « introduxerunt quemdam hæreticum Theodoritum « nomine, qui damnatus fuerat in V concilio, qui « contradicebat quasi hæreticus viro sancto di« cens. Cyrillus qui dicit Spiritum Sanctum pro« prium Spiritum Filii, non tantum homines, sed « ipsa Seraphim & ipsum Deum blasphemavit. Ad « cujus verba Beatus Cyrillus respondet dicens : « Ecce qualiter locutus est, qui nihil nisi accusare « novit. Et iterum quid prius dixerat, replicavit. « Et cùm non haberent quod possent de jure contradicere, cœpit eos excusare imperator dicens, *Ibi locutus est Cyrillus contra hæreticum, & ideo locutus est largius, quam jus erat.* Ad quod respondimus : *Nunquam propter hæreticum mentitus est B. Cyrillus.* Respondit, *Non.* Ergo *Spiritus Sanctus procedit a Filio, ut ipse dicit, & qui hoc non credit, anathema est.* Et his dictis ab invicem recessimus.

Quinta feria illis nitentibus palliare suam confusionem & excusationem molientes in peccatis, respondimus nos amodo cum eis nolle super hoc articulo disputare, quia rationes manifestas & sanctorum ostendimus auctoritates, in quibus sufficienter manifestatur veritas hujus quæstionis : *Et si veritati manifestæ non velitis acquiescere, quid ultra poterimus vobis ostendere, cui fidem velitis adhibere? Et Dominus imperator in crastino est de civitate ista recessurus, volumus coram præsentia sua agere de secunda causa, quam dedistis inobedientia.* Tandem licèt inviti quodammodo consenserunt ut ageremus de sacramento altaris. Et dixerunt : *Dicatis vos.* Quibus nos ita respondimus : *Ex quo vobis placet, quod nos opponamus, dicemus* « *incipientes hoc modo : Audivimus a vobis quod vobis videtur valde tædiosum disputare syllogistice vel philosophice : nec mirum quia multoties generat scrupulosas conscientias. Censuimus igitur in tanto sacramento simpliciter, tamen veraciter & fideliter veritatem discutere. Ideo in principio parvulam quæstionem faciemus vobis, in qua confestim veritas apparebit, si bene responderitis.* Et responderunt : *Valde placet nobis modus ille. Dicatis.* Sed volentes nos ad alias quæstiones de azymo & fermentato transferre, in nugis & truffis tempus usque ad horam prandii deduxerunt. Tandem dixit patriarcha : *Ostendite nobis quomodo & in qua materia vos facitis, & respondebimus vobis.* Nobis igitur modum & materiam ostendentibus, petiit inducias

A Εἴ τις φησὶ, τὸν ἕνα κύριον Ἰησοῦν χριστὸν δεδοξάσθαι παρὰ τοῦ πνεύματος ὡς ἀλλοτρίᾳ δυνάμει τῇ δι' αὐτοῦ χρώμενον, καὶ παρ' αὐτοῦ λαβόντα τὸ ἐνεργεῖν δύνασθαι κατὰ πνευμάτων ἀκαθάρτων καὶ τὸ πληροῦν εἰς ἀνθρώπους τὰς θεοσημείας, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον ἴδιον αὐτοῦ τὸ πνεῦμα, φησὶ, δι' οὗ καὶ ἐνήργηκε τὰς θεοσημείας, ἀνάθεμα ἔστω.

B Ἄνθρωπος γεγονὼς ὁ μονογενὴς τοῦ Θεοῦ λόγος ἀπομεμένηκε καὶ οὕτω Θεὸς, πάντα ὑπάρχων ὅσα καὶ ὁ πατὴρ, δίχα μόνου τοῦ εἶναι πατὴρ καὶ ἴδιον ἔχων τὸ ἐξ αὐτοῦ, καὶ οὐσιωδῶς ἐμπεφυκὸς αὐτῷ πνεῦμα ἅγιον, εἰργάζετο τὰς θεοσημείας.

Cyrillus declaratione anathematismi IX.

usque post prandium. Convenientibus iterum nobis ad disputationem post prandium, respondit dicens: *Ardua sunt ista quæstiones. Habemus fratres nostros patriarcham Hierosolymitanum, Alexandrinum, Anthiochenum, sine quorum consilio non est nobis fas ad ista respondere. Convocabimus concilium usque ad medium martii. Rogamus vos ut intersitis illi concilio, & audietis quid respondebitur vobis super his quæ nobis proposuistis.* Ad hæc respondimus hoc modo: *Satis vobis notificavimus quod ad nullum concilium vel patriarcham alium a vobis misit nos dominus papa, cujus sanctitatis nos servi sumus. Ideo nec audemus, nec volumus nos ad aliqua supra mandatum suum extendere, quæ sint in præjudicium sanctitatis suæ vel Romanæ Ecclesiæ. Hoc tamen consulimus vobis, ut convocatis fratribus vestris bonum & efficax, & maturum habeatis consilium de pace & reformatione Ecclesiæ. Et ideo nobis Constantinopolim scribetis: ibidem nos credimus commorari ad petitionem vestram usque ad medium martium, & expectabimus vestrum responsum, ut sciamus quid certum possimus de isto negotio illi qui nos misit renunciare: & talia det nobis renunciandа Deus, quod sit ad gloriam sui nominis, & communem lætitiam utriusque Ecclesiæ, & sit in omnibus & per omnia benedictus Deus.* Et sic recessimus ab invicem. Sexta autem feria celebrata missa accessimus ad curiam, ut licentiam acciperemus ab imperatore, quoniam mane erat recessurus, & inventis simul imperatore & patriarcha: cœpit imperator conferre nobiscum, *sub qua forma posset patriarcha & Ecclesia Græcorum reconciliari Ecclesiæ Romanæ?* Ad quod tale dedimus responsum: *Hoc modo posset reconciliari, si crederet hoc quod credit Ecclesia Romana & prædicaret. Utrum cantaret vel non, non faceret magnam vim, credimus, Ecclesia Romana, & obediret ei eodem modo, & in illis in quibus obedivit ante schisma.* Et adjecit imperator: *Si dominus patriarcha velit obedire Ecclesiæ Romanæ restituet ei dominus papa jus suum?* Ad hoc respondimus hoc modo: *Si patriarcha obedientiam & ea quæ matri suæ debet, solvat: credimus quod misericordiam majorem inveniet, quam credit, coram domino papa & tota Ecclesia Romana.* Et assumta licentia recessimus a Nicæa, & venimus Constantinopolim.

Circa medium verò martii misit nobis patriarcha nuncium unum cum literis suis rogans, ut accederemus ad Lescharam quamdam Vatacii: ibi enim promisit coadunare prælatos & patritios, & convocare concilium. Et quasi in memoria conventionis factæ inter nos inesse omnimodo supposuit in literis suis, quod illuc eramus venturi. Nos itaque admirantes de tali mandato, rescripsimus quod super hoc admirati sumus quamplurimum, cùm in hoc tempore suum expectavimus responsum, & modo dicit se post vocaturum prælatos ad concilium, & nos roget ad suum concilium venire. Verumtamen ne labor noster fiat infructuosus, & quia charitas Dei compellit nos, quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, & communem utilitatem præponit propriæ, præter nostrum commodum usque ad exitum martii iterum expectabimus. Ipsum igitur quantum potuimus rogavimus, ut quam citius posset, faceret quæ facturus erat. In exitu martii rescripsit nobis dicens quod literas receperat, sed præ dolore cordis vix eas audire poterat, quia cor ejus tenor earum tristitia repleverat. Et quia Nicææ solus erat nil poterat nobis respondere: quia compositio pacis, reformatio, & fidei nostræ discussio ad omnes universaliter spectat, sed nunc credebam cum illis unàque vobiscum ista omnia tractare. Quod si ita recesseritis, videbitur nobis quod non venistis pro pace, sed ut tentaretis nos. Scripsit etiam Fratribus nostris scilicet Fratri Benedicto ministro Romano, & Fratri Jacobo de Russano, qui tunc aderant Constantinopoli, ut nobis omnino suggererent; quod intendebat, promittens quod si veniremus ad concilium, cum magna lætitia rediremus ad curiam. Insuper & ab imperatore literas accepimus, qui petiit, ut modis omnibus accederemus ad eum apud Lescharam, quia navem paraverat pro nobis, & omnia necessaria ad transitum nostrum & nunciorum suorum, quos destinaturus erat ad præsentiam Dñi papæ. Præterea terra Constantinopolis quasi destituta fuit omni præsidio. Dñus Joannes imperator pauper erat. Milites stipendiarii omnes recesserunt. Naves Venetorum, Pisanorum, Anconitarum, & aliarum nationum paratæ fuerunt ad recedendum, & quædam verò jam recesserant. Considerantes ergo terram desolatam timuimus periculum, quia in medio inimicorum terra illa sita est. Arsanus rex Bachtrorum ab Aquilone: Vatacius ab Oriente & Meridie: Suanuel circundat eam ab Occidente: & ideo proposuimus tractare de treughis inter imperatorem Constantinopolitanum & Vatacium usque ad annum. His causis compulsi, redire ad terram Vatacii fuit omnibus voluntas. Verumtamen ne talia nostra tantum attentare videremur voluntate, capitulum Sanctæ Sophiæ, prælatos terræ, nec non & ipsum imperatorem super hoc consuluimus negotio, qui omnes unanimiter id nobis consuluerunt. Igitur tertia Dominica in quadragesima scilicet ultima Dominica martii arripuimus iter versus *Leschara*, & post transitum maris venimus feria secunda in locum *Chalongorum* super mare situm: a quo loco duo paria literarum per diversos nuncios Nicæam ad patriarcham destinavimus, rogantes ut accelerarет ad locum supradictum, quia ibidem paratos nos inveniret, sicut literis suis nobis supplicaverat. Profecti inde præmisimus nuntium cum literis nostris ad imperatorem, significantes ei adventum nostrum. Itaque Dominica *Lætare Hierusalem* fuimus apud *Lupadium*: & recedentes inde feria secunda venimus λεοχεραν: & quia locus ille fuit assignatus nobis tam ab imperatore quam a patriarcha, fecimus ibidem moram. Sed cùm annunciatum fuerat imperatori de adventu nostro, festinanter misit ad nos nuncium suum, qui venit ad nos quinta feria ad vesperam, deferens nobis literas imperatoris deprecatorias, ut apud *Nympham* veniremus quia ibi nos * expectavit. Sed quia nullos certos rumores de patriarcha vel aliis prælatis audiveramus, respondimus quod super hoc ei respondere non poteramus, priusquam nuncium patriarchæ reciperemus. Sabbato sequenti venit pater cum literis ipsius, in quibus nobis significavit suum adventum, & supplicavit, ut præcederemus eum apud *Nympham*, & ipse expediret se, & statim sequeretur nos. Profecti igitur a λεοχερα Dominica in passione quarta feria venimus *Nympham*: ibi reperto imperatore expectavimus adventum patriarchæ, qui quinta feria intravit *Nympham* circa horam vespertinam. Sexta feria post prandium accessimus ad eum, rogantes quod quam citò posset expediret negotium nostrum. Qui respondit: *Parati sunt & ecce prælati, qui convenerunt, similiter desiderant expediri, ut in diebus istis solemnibus possint in Ecclesiis suis esse.* Et nos quasi pro rato habentes verbum tanti viri, læti ad nostrum redivimus hospitium. Secunda feria post Dominicam palmarum expectavimus, ut mitteretur pro nobis. Sed cùm non mitteretur pro nobis, transmisimus duos Fratres nostros ad patriarcham, cognoscere volentes, quare non misisset pro nobis. Qui respondit eis, quod nondum convenerant prælati sui. Fratres considerantes quod protrahere intendebat negotium, acrius instabant

Ex his constat fuisse annum 1233 stylo veteri, novo 1234: nam anno 1234 aur. num. 19 Lit. Dom. A. Pascha 23 april. sic Dom 3 quadrag. erat ultima Dom. martii.

* expectabit.

ut expediret nos. Quamobrem motus contra Fratres, ait: *Miramur de Fratribus, cùm triginta capitula habeamus contra vos, & vos vultis in momento expediri, & subjunxit: veniant Fratres si voluerint, & habebunt disputationem.* Quod postquam audissemus, accessimus ad imperatorem narrando ei singula per ordinem, credentes ut illos compelleret solvere promissum suum. Qui cœpit a principio excusare prælatos, quia non convenerant, quia a remotis quidam venturi erant, & patriarcha Anthiochenus nondum venerat: *Præterea tempus est orationis & magnæ afflictionis, non debetis mirari, si tædeat eos in hoc tempore interesse disputationi.* Et post multa dixit: *Rogo vos ut sustineatis usque post festum pascha. Interim congregabuntur prælati & patriarcha. Itaque secunda feria vobis respondebunt*, & sic obtinuit a nobis inducias. Transactis illis diebus secunda feria post pascha congregati sunt prælati post prandium in hospitio patriarchæ, & missis ad nos nunciis suis convocaverunt nos. At ubi inter eos convenissemus, ait patriarcha: *Notum est nobis, quod Nicææ habuimus disputationem de Spiritu Sancto, sed tunc solus eram. Prælati nostri qui jam præsentes sunt, libenter audirent, quomodo fuit processum in quæstione illa.* Ex cujus verbis cognovimus quod dissimulavit respondere ad quæstionem nostram, volens nos iterum ad quæstionem de Spiritu Sancto reducere. Tunc cœpimus narrare causam viæ nostræ: & quomodo Nicææ fuit disputatum, & quomodo promiserat patriarcha se missurum nobis circa medium martii responsum de quæstione facta eidem de nostro sacramento, & quoties mutavit conditiones nostras: & tunc coram illis comparere voluimus nulla promissione compellente, vel præcepto superiorum, sed sola gratia & amore pacis & concordiæ voluimus, & promissionis patriarchæ, qui literis suis nobis significavit, quod si veniremus, lætos ad eum qui nos misit, faceret redire. Spe igitur tanti boni & charitate fraterna devicti, non maris pericula, non laborem corporum, non tædium longæ viæ curabamus, nec temporis jacturam, sed per multas carnis molestias potius voluimus vestræ obtemperare voluntati, quam nostræ satisfacere utilitati: *Accessimus ut audiamus vestram responsionem.* Et dixerunt: *De qua quæstione? De quæstione de qua promisit patriarcha consulere vos.* Et dixerunt: *Non interfuimus quæstioni. Non audivimus.* Et respondimus: *Hæc fuit quæstio, & eamdem quærimus a vobis: utrum possimus conficere corpus Christi in azymo, vel non?* Qui responderunt: *Super duobus erat quæstio inter nos & vos. Scilicet de processione Spiritus Sancti, & de corpore Christi. Primo igitur tractemus coram toto concilio de processione Spiritus Sancti, quia quæstio illa præcessit aliam, & sic respondebimus vobis ad utramque quæstionem.* Ad quod respondimus: *Vos ad quæstionem de processione Spiritus Sancti respondistis, & quomodo processum sit in illa quæstione, nos bene novimus: sed de corpore Christi fuit quæsitum, & fuit nondum ad hoc responsum. Ideo nunc a toto concilio responsionem quærimus.* At ipsi subterfugia quærentes, ne ad prædictam quæstionem responderent, dixerunt sic: *Confunderetur ordo theologiæ, nisi prius tractaretur de illo quod altioris est negotii.* Et respondimus: *Ordinem quem vos quæritis, tenuimus in disputatione quæ facta est Nicææ, quando oportuit de utraque causa disputare, sed modo responsum tantum de causa secunda audire venimus: unde rationem vestram quam dicitis de ordine causarum non curamus.* Cùm igitur eamdem rationem pluries replicassent, accessit quidam philosophorum suorum habitu Calogerus & dixit: *Deus sine principio & ab æterno fuit, unus in essentia, trinus in personis: caro Christi incœpit a tempore, & habuit principium. Et quod sine principio est prius est, & quod a tempore posterius. Prius igitur debet venire in quæstionem de Spiritu Sancto qui est æternus, quam de corpore Christi, qui fuit ex tempore. Ordo enim iste naturalis est. Et si hunc ordinem non servabimus, in ordine peccabimus.* Ad quod respondimus: *Quod in corpore Christi de quo loquimur, est ipsa Deitas. Est enim ibi vera Deitas & vera humanitas. Unde agendo de corpore Christi Domini sicut nos quærimus, de utroque agimus ita. Item talis est ordo in evangelio; quia Matthæus incipit ab incarnatione Christi: & in fine sui evangelii agit de Trinitate dicens. Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Et iste est ordo quem nos quærimus.* Et his dictis tacuit ille philosophus, & ultra non comparuit. Demum locutus est patriarcha dicens: *Ex quo compellitis nos, scribemus responsionem nostram ad utramque quæstionem, & dabimus vobis.* Nos igitur attendentes quod ad quæstionem nolunt respondere, sed dissimulando præterire, & scripto suo palliare, Respondimus: *Non curamus de scripto vestro, ex quo præsentes sumus. Viva voce respondeatis. Scriptura enim fit pro absentibus & non præsentibus. Cùm igitur præsentes sumus quasi præsentibus respondeatis.* Ad quod patriarcha: *Si volueritis ordinem & seriem totius disputationis, quæ facta fuit Nicææ coram omni concilio recitare, item respondebimus vobis ad quæstionem vestram.* Cui ita respondimus: *respondebitis nobis ad quæstionem hanc, Utrum possimus conficere corpus Christi in azymis vel non? Et satisfacto nobis super hac quæstione, processum & seriem quæstionis de Spiritu Sancto recitabimus vobis, & respondebimus ad omnia dubitabilia, quæ veniunt in quæstione.* Et surgens patriarcha cum aliis prælatis secessit in locum unum, ut haberent consilium. Et inde reversi responderunt: *Petimus inducias usque ad quartam feriam, & tunc respondebimus vobis sicut promisimus.* Et quia sæpe inveneramus eos mendaces, ne deciperent nos, diximus: *Ne verba ista & conventionem in ventum proferamus, ecce conditionem nostram repetimus*, & repetitam iterum confirmaverunt, & sic ab invicem recessimus.

Quarta feria circa horam primam accessimus ad dominum patriarcham ubi concilium convenerat: & cùm essemus in medio concilii: Archiepiscopus de Samastria in Phlagonia ita exorsus est loqui: *leg. Paphlagonia.* *Notum est nobis*, venerabiles apocrisarii D. papæ, *quomodo literas dictus SS. papa per vos transmisit D. patriarchæ, quarum tenore audito non modicum mirati sumus de quodam verbo quod ponit in fine literarum. Ex quo verbo videtur nobis quod velit innuere sacramentum nostrum in fermentato, & sacramentum vestrum in azymo duo esse sacramenta. Dicit enim sacramentum nostrum & vestrum significari per duos discipulos currentes simul ad monumentum: dicens:* » Græcus ad fidem cum discipulo juniore præcurrens, & tantæ gratiæ non ingratus illi dignationi, qua Deus naturæ compassus humanæ, homo voluit esse passibilis, eligens quotidie reminisci, hostiam offerre constituit fermentatam. Latinus verò qui cum Petro seniore secutus literæ monumentum, de qua procedit spiritualis sensus, prior introivit, & linteamina posita quæ sacrosanctum corpus, quod Ecclesia signat, involverant, separatumque sudarium, quod fuerat super caput aspexit, sacramentum glorificati corporis celebrare mirificentius in azymis sinceritatis elegit «. *Ex his verbis videtur nobis quod D. papa velit innuere duas traditiones. Quærimus igitur a vobis, si hæc est fides vestra, quod in illis discipulis significentur duæ traditiones in sacramen-*

te Græcorum & Latinorum. Nos verò perpendentes eorum versutiam, quod proposuerant quoquo modo subterfugere responsionem, & ita occasione literarum mittere nos ad alias quæstiones, breviter respondemus: *Verum est quod literas D. Papæ tulimus, & quæ in dictis literis scripta sunt dubitationem quæstionis vestræ, si diligenter illis scriptis velitis intendere, eleganter dissolvunt. Sed quia scriptum est in jure*, Ejus est interpretari, cujus est condere, *literas D. papæ non est nostrum interpretari. Sed si aliquid ambiguum vobis sit in literis D. Papæ, scribatis & ipse vobis interpretabitur.* Et ipsi responderunt: *Imo vos qui nuncii estis, debetis interpretari.* Cœperunt igitur gravius insistere, & multociens eamdem quæstionem replicare: & nos eamdem responsionem reiterare. Tempore igitur consumpto in istis nugis & trufis usque ad horam sextam, tædio affecti sumus, & præ cordis angustia non valentes eorum sustinere malitiam, respondimus eis: *Videmus quod tempus redimitis & subterfugere quæstionem nostram nitimini, & fidem vestram confiteri non audetis. Amodo aperto ore cor nostrum patebit ad vos, & notificabimus vobis quicquid sentimus de vobis. Jam perpendimus quod male sentitis de sacramento nostro in azymo, primo per scripta vestra quæ plena sunt hac hæresi. 2. Quia ad quæstionem factam de sacramento non audetis respondere, ne pateat hæresis vestra. 3. Quia facta vestra illud probant. Abluitis enim altaria vestra, postquam celebravit Latinus in eis. 4. Quia Latinos venientes ad sacramenta vestra compellitis apostatare & abjurare sacramenta Ecclesiæ Romanæ. 5. Quia D. papam ejecistis de diptychis vestris. Sed scimus quod nullum ejicitis nisi excommunicatum vel hæreticum. Ergo habetis eum excommunicatum vel hæreticum. 6. Quia semel in anno excommunicatis eum, ut nobis retulerunt quidam qui audierunt.* Surrexit igitur Chartophylax in medio concilio & ait: *Quod dicitis quod D. papam excommunicamus, dicimus quod falsum est: & quicunque dicit istud, exeat aut mala patiatur. De aliis quæ facimus non miremini: quia Latini vestri cùm cepissent Constantinopolim, fregerunt Ecclesias, diruerunt altaria, auro & argento sublato reliquias sanctorum projecerunt in mare, iiconas sanctas conculcaverunt, & de Ecclesiis stabula jumentorum fecerunt: ita ut impletum videtur illud, Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt &c.* Et his dictis ait patriarcha: *Si miramini quod papam ejicimus de dypticbis nostris: quæro quare me ejecit de suis diptychis?* Et incipientes respondere ad ultimo objectum, diximus: *D. papam nunquam te ejecit de suis diptychis, quia tu nunquam eras. Sed si de prædecessoribus vestris quæratis, vos legatis, utrum papa vos, prius quam vos eum, ejecerit.* Nec ad hoc aliquid responderunt. *Ad alia quæ imponitis Ecclesiæ Romanæ; nihil imponitis, quia non fuerunt hæc facta consensu vel præcepto Ecclesiæ Romanæ. Sed hæc si fuerunt facta, fecerunt viri laici, peccatores, excommunicati, propria auctoritate talia præsumentes: nec imputandum est toti Ecclesiæ, quod a quibusdam iniquis est præsumtum. Sed quæ dicimus de vobis vera sunt, & hæc verbo & opere testificamur. Et ista faciunt primo vestri patriarchæ & archiepiscopi, episcopi, & cæteri vestræ Ecclesiæ prælati. Hæc facitis, & hoc dicetis fieri. Nunc jam excusationem non habetis in peccatis vestris. Et quia tot abominabilia invenimus apud vos, nec aliquam voluntatem emendandi, quod hactenus erratum est: ecce nos revertimur ad eum qui nos misit*; & sic recessimus a concilio. Eadem die post prandium accessimus ad imperatorem, referentes ei omnia secundùm ordinem quæ facta sunt prævia veritate. Quibus relatis postulavimus, ut conductum extra Terram suam nobis concederet. Tunc imperator velut eloquens homo, astutus, & providus in agendis, modestus in verbis, cœpit suos mirabiliter excusare, & emendationem promittere: addens, quo si coram eo fuisset disputatio, non fuisset ventum ad verba contumeliæ: *Nec volo quod ita discordes recedatis. Volo audire vos, & illos super quæstione vestra: & peracto negotio cum pace & amore revertimini. Et ecce galeæ meæ paratæ sunt ut ducant vos in Apuliam cum nunciis meis, quos missurus sum vobiscum ad sanctissimum papam. Intendo enim ut decet D. papam quam plurimum venerari nunciis, muneribus, & obsequiis: quia volo quod habeat me amicum, & familiarem, & filium sanctitatis suæ.* Ad hoc respondimus: *Domine nolumus amodo vobis celare veritatem. Scriptum est: Respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus: primo inquit ad Abel, deinde ad munera. Quia Dominus non acceptat homines propter munera, sed munera propter homines. Item scimus quod D. papa non acceptabit vos propter munera, sed cùm acceptus eritis per unitatem fidei, tunc accepta erunt & vestra munera. Non credatis D. papam vos recipere velle in amicum & filium, nisi prius fuerit pax in fide & unitas. Si enim totum aurum vestrum & argentum dareitis, non vos reciperet in filium vel amicum, quamdiu estis contrarius fidei Ecclesiæ Romanæ. Quomodo ergo possemus nos nuncios vestros ad curiam ducere, cùm non auderemus eos D. papæ præsentare. Imo fortè si venirent, oporteret nos stare contra eos coram Domino nostro.* Tunc imperator mæstitiam vultu prætendens sic ait: *Vidi quod Emmanuel imperator, Theodorus, & plures alii imperatores amicitiam habebant cum ipso durante schismate. Verumtamen si vos prohibeatis quod non mittam nuncios meos, non mittam.* Ad hæc respondimus: *Nec prohibemus nec monemus. Sed hoc scitote, quod nuncios vestros nisi sub spe pacis non ducemus.* Et rursum imperator: *Si non vultis ducere nolo mittere, quia nolo homines meos nec naves nec res exponere inimicis.* Et adjunxit: *Duravit schisma jam fere* CCC *annis, & quod diu duravit non poterit in tam brevi tempore dissolvi. Expectate. Cras loquar prælatis, & rogabo eos ut respondeant vobis ad quæstionem vestram.* Et recessimus ab eo. Feria quinta post horam vespertinam misit imperator nuncium suum ad nos rogans, ut in crastino scilicet sexta feria essemus coram eo, & assensimus. Recedente nuncio imperatoris, venit nuncius patriarchæ rogans ut in crastino essemus coram eo in palatio imperatoris. Et respondimus: *Cras erimus coram imperatore. Si venerit, illic nos inveniet.* Feria sexta mane accessimus ad palatium imperatoris, ubi concilium convenerat. Et primo exorsus est loqui imperator dicens quod si promisissent nobis prælati respondere, non tamen fuit mirum, si ambiguitates quas habebant super literas domini papæ prius vellent sibi dilucidari. Ad quod respondimus: *Diximus & adhuc dicimus quod postquam satisfecerint nobis de quæstione nostra, non solum ad illam ambiguitatem, sed ad omnia alia ambigua quæ in quæstionem veniunt parati sumus respondere.* Habito ergo consilio cum imperatore & cæteris prælatis, respondit patriarcha primo: *Et nos respondebimus vobis.* Deinde archiepiscopus Samastriæ hoc modo cœpit loqui: *Vos quæritis si corpus Christi potest confici in azymo. Et nos respondemus quod hoc est impossibile.* Volentes igitur perfecte suam intentionem audire, Quæsivimus: *Si istud diceret, non posse fieri, id est quia de jure non potest, vel quia nullo modo posset fieri.* Et responderunt: *Imo quia nullo modo potest fieri. Quia scimus quod Dominus fecit in fermentato, & ita tradidit apostolis.*

Unde apostolus ad Corinth. I. xi : Ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit ἄρτον &c. *Petrus & cæteri apostoli sicut acceperunt a Domino, & in eadem forma quatuor ecclesiis patriarchalibus tradiderunt. Unde Petrus ita tradidit Ecclesiæ Antiochenæ. Joannes Evangelista Ecclesiis, quæ fuerunt in Asia : Andreas Ecclesiis quæ fuerunt in Achaia : Jacobus autem Hierosolymitanis : & ita B. Petrus tradidit B. Clementi, & ita fuit primo celebratum in Ecclesia Romana, ut credimus. Propter hoc dicimus, quod non potest fieri in alio pane, hoc est in pane alterius qualitatis, quam in illo in quo tradidit Jesus, hoc est in fermentato.* Nos audientes hanc hæresim, quæsivimus sigillatim ab unoquoque : primo a patriarcha Nicææ : 2. ab Antiocheno : deinde a singulis prælatis, si hæc esset fides ? & istud crederent ? & responderunt sigillatim : *Hæc est fides nostra, & hoc credimus.* Deinde adjunximus : *Istam fidem vestram petimus ut scribatis, & in scripto nobis tradatis.* Respondit patriarcha Nicææ : *Et vos scribatis nobis quod Spiritus Sanctus procedit a Filio, & qui discredit hoc in via perditionis est.* Et concessimus. Datæ igitur fuerunt induciæ usque in crastinum, ut illa die scriberentur chartæ ex utraque parte, & sic recessimus. Sabbato post prandium convocati fuimus ad concilium, & oblatæ sunt chartæ ex utraque parte. Obtulerunt ergo nobis chartam suam primo cujus tenor talis erat :

Charta Græcorum oblata apocrisariis Domini Papæ

» Quæsiverunt a nobis honorabilissimi apocrisarii sanctissimi papæ antiquioris Romæ, si possunt conficere ἀναίμακτον hoc est sacrificium corporis Christi in azymis ? Et respondimus impossibile esse hoc hominibus volentibus sequi novam gratiam, propter eam quæ a principio traditionem salvatoris. Tradidit enim sanctis suis discipulis & apostolis per fermentatum panem secundùm tenorem evangeliorum. Tradiderunt autem & ipsi hujusmodi mysterium, quale & ipsum acceperunt secundùm sermonem magni Pauli scribentis ad Corinthios sic : *Fratres, ego accepi a Domino quod & tradidi vobis, quia Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit ἄρτον, & gratias agens fregit & dixit Accipite & comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit dicens : Hic calix novum testamentum est in sanguine meo : hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Quotiescumque comederitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* » Quia ergo sic & nos accepimus a bonæ famæ apostolis, sicut & ipsi acceperunt a Christo, & sic tenent quatuor evangelicæ diœceses orbis usque nunc, æstimamus autem quod & diœcesis antiquioris Romæ & sic accepit, & tenebit. Propter hoc dicimus quod non potest consummari sacrificium per azyma, ut azymo parte existente ejus, quia typus cessavit legalis servitutis. Et hæc quidem scripsimus quasi in compendio secundùm apocrisariorum voluntatem, non patientium audire latius. Si autem quærantur a nobis auctoritates & probationes sermonis nostri, tunc dilatabimus, & a veteri & a novo testamento. Mense aprili. indict. VII «. *Chartophylax sanctissimæ magnæ Dei ecclesiæ Constantinopolis, ex præcepto sanctissimorum patriarcharum universalis Constatinopolitanæ, magnæ Antiochenæ & eorum qui cum eis aderant præsulum subscripsi.*

Et statim in pleno concilio perlectam chartam tradiderunt nobis in testimonium fidei suæ. Deinde protulimus chartam nostram, & fecimus legi in pleno concilio cujus chartæ teno talis erat ?

Charta apocrisariorum D. Papæ.

In nomine Domini Amen.

» Pater est plenus Deus in se : Filius plenus Deus ex Patre genitus, Spiritus Sanctus Deus a Patre Filioque procedens, & Spiritus Sanctus procedit a Filio immediate, a Patre vero mediante Filio. Quod enim Spiritus Sanctus procedit a Filio, hoc habet Filius a Patre. Ideo qui credit quod Spiritus Sanctus non procedit a Filio in via perditionis est. Unde S. Athanasius cùm in partibus occidentalibus exularet in editione fidei, quam Latinis verbis expressit, sic ait : *Pater a nullo est nec factus nec creatus nec genitus. Filius a Patre solo est nec factus nec creatus sed genitus. Spiritus Sanctus a Patre & Filio non factus nec creatus nec genitus sed procedens.* Et ipse idem S. Athanasius in editione fidei, quam verbis Græcis expressit, dicit : *Spiritus autem Sanctus ens processura patris & ferentis Filii per quem implevit omnia.* Unde & B. Gregorius qui merito θαυματουργὸς dicitur Neocæsareæ episcopus in editione suæ fidei, quam per revelationem a B. Joanne Evangelista Dei genitrice mediante habuit, sic apertè proclamans ait « : *Unus Deus Pater verbi viventis, & sapientia subsistentis & virtutis & characteris æterni, perfectus perfecti genitor Pater filii unigeniti.* De Filio deinde sic dicit : *Unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo character & imago Divinitatis*, sermo efficax. » Hic de Filio loquens dicit : solus ex solo, non ergo Spiritus Sanctus ex solo. Igitur ex Patre & alio, cùm sit ab aliquo. Cùm autem dicitur a Patre & Filio, non dicitur ex alio secundùm essentiam, sed secundùm hypostasim. Quod autem Spiritus Sanctus ex Filio sit immediatè, a Patre autem mediante Filio testatur Gregorius Nyssenæ civitatis episcopus sic dicens « : *Incommutabile natura confitentes, eam quæ secundùm causativum & causatum differentiam non negamus, in quo solo discerni alterum ab altero comprehendimus : hoc quidem causativum credere esse : hoc vero ex causativo, & ejus quod ex causa est.* » Rursus aliam differentiam intelligimus. Hoc quidem proxime est ex primo, hoc autem per eum qui proximè est. Ex primo igitur, si ejus, quod est causa, est differentia, quod hoc quidem proximè de primo, hoc autem per eum qui proximè de primo. Cùm illud quo aliqua differunt impossibile sit utrique convenire : proximè esse ex primo vel tantum Filio, vel tantum Spiritui sancto convenire necesse est. Dicunt autem sancti, quod inter Patrem & Filium nihil est medium. Solus ergo Filius a Patre proxime est. Ergo Spiritus Sanctus a Patre non est proximè. Est autem communis animi conceptio, quod quicquid est ab aliquo, ab alio est propriè proximè. Cùm ergo Spiritus Sanctus sit ab aliquo, ab aliquo est proximè : sed non est a Patre proximè, ut jam ostensum est. Igitur a Filio est proximè. Istos igitur SS. Patres, nec non & B. Ambrosium Mediolanensem archiepiscopum, & B. Augustinum Hipponensis civitatis episcopum, sanctum quoque Hieronymum fortissimum hæreticæ pravitatis impugnatorem sequens B. Cyrillus, & cum ipso tota sancta & universalis synodus scriptum vobis reliquit evidentissime Spiritum esse a Filio. Unde catholicus non est, sed a fide deviat, qui verbis ejus repugnat. Dicit enim evidentissime in suo ad imperatorem Theodosium de recta fide prosphonitico, Spiritum esse a Filio per hæc verba « : *Et quidem unum dicens nondum adfuturum & videndum, ipsum ait, baptizare in igne & Spiritu Sancto, non alienum baptizatis immittentem Spiritum ad modum servi & ministrative, sed ut dictum secundùm naturam cum*

potestate

potestate summa, qui ex ipso est, & proprius ejus. » Quid hoc testimonio manifestius? Hîc enim manifestè de Filio dicit quod Spiritum Sanctum immittit baptizatis qui ex ipso est & proprius ejus. Et hoc idem & per eadem verba Hermiæ scribit idem B. Cyrillus in sermone ad eumdem Hermiam, cujus titulus est, *De humanatione unigeniti, & quod Christus unus Deus & Dominus secundùm scripturas.* ». Et ipse idem Cyrillus in expositione IX anathematismi, hoc idem dicit. In nono ejus anathematismo, proprium esse Filii Spiritum dicens, cùm eumdem anathematismum exponeret, quo sensu esse proprium Spiritum ejus dixerat, aperuit dicens «: *Homo factus unigenitum Dei verbum mansit, & sic Deus omnia existens quæcumque & Pater, excepto solo esse Patris, & proprium habens qui ex ipso & essentialiter in natura ei Spiritum Sanctum &c.* » Hîc iterum Spiritum Sanctum ex Filio esse dicit sanctus pater. Non debet autem alicui esse dubium, quin sensum illum hîc aperuerit sanctus, quem habebat cùm anathematismo addidit. Anathematismum istum cum omnibus aliis anathematismis recepit tertia sancta & universalis synodus eo sensu quo sanctus ediderat. Constat autem Sanctos Patres in sancta prædicta synodo congregatos totam tertiam prædicti Patris epistolam ad impium Nestorium Constantinopolitanæ civitatis episcopum sine aliquo hæsitationis scrupulo recepisse. Nulli autem dubium, quin prædictæ epistolæ extrema pars contineat prædictos anathematismos XII. Si quis autem allegare conetur Theodoriti Cyri episcopi verba impiissima, quæ contra prædicta Beati Patris XII capitula oblatrator effudit impudentissimus, sciat quintam sanctam & universalem synodum anathematizasse prædicti Theodoriti latratus, qui juxta B. Cyrilli verba quibus dicto Theodorito respondit, *Tantum novit accusare.* Dicit enim quinta sancta & universalis synodus Gesto octavo sic «: *Condemnamus & anathematizamus cum omnibus aliis hereticis condemnatis & anathematizatis a dictis quatuor synodis, & a sancta catholica ecclesia Theodorum qui fuit Mopsuestiæ episcopus & impia ejus scripta, & quæ impiè scripta sunt a Theodorito contra rectam fidem & XII capitula ejus quæ in Sancti Cyrilli & eam quæ in Ephesso primam factam synodum, & quæcumque pro defensione Theodoriti & Nestorii ab ipso scripta sunt.* » Ex his patet quod ea quæ Theodoritus contra XII capitula Cyrilli scripsit nefaria sunt & impietate plena, & qui ea ut vera allegaverit, fidei est inimicus. Scribit enim B. Cyrillus ad Acacium Melitensem episcopum post unionem Ecclesiarum sic dicens «, *Quæ autem scripsimus rectè contra Nestorii blasphemias nullus nos persuadebit sermo, quod non bene facta sint, dicere.* » Et ad Donatum ministrum suum scribit sic dicens «: *Scripsimus enim rectè quæ scripsimus, rectè immaculatæ advocantes fidei, & nihil omnino priorum negamus. Non enim dictum est quicquam, quemadmodum aiunt, insciè, sed rectitudinem habentia ubique omnia, ubique omnia, & veritatis virtuti convenientia.* » Ex his evidentissimum est B. Cyrillum nihil negasse eorum quæ dixerat, sed eodem sensu quo ea dixerat sine correctionis nota credidisse. Nec quidem solus corrigere potuisset, etiamsi voluisset, quod absit a sancto, quod sancta synodus sine omni ambiguitatis scrupulo confidentissimè recepit. Recepit autem ut dictum est, eo sensu quo ipse edidit. Unde justè in anathematismum cadit, qui nonum sancti Patris capitulum eo sensu quo ipse edidit, cum sancta synodo recipere renuerit. Hanc enim sanctam synodum omnes sancti Patres, qui in subsequentibus synodis fuerunt, venerati sunt, & eadem crediderunt, quæ & ipsa. Sed & SS. Patres, qui eam præcesserunt eadem quæ & ipsa sapuerunt «. *

Vide supra textum græcum.

Sic in ms.

Perlecto scripto tradimus patriarchæ Nicææ, & omnibus audientibus diximus: *Dedistis nobis scriptum vestrum, quod continet hæresim, & hoc scitote, quod quicunque credit hoc quod scriptum est in charta vestra, pro heretico habet talem Ecclesia Romana. Verumtamen quia defensio hæresis facit hereticum, volumus scire, quare ita dicitis. Duæ enim possunt esse causæ quia ista dicatis, ignorantia vel malitia. Ideo parati sumus ostendere veritatem vobis, ostendentes vos fabricatores mendacii, ut visa veritate cesset hæresis quam dicitis, & revocetur: vel si non, sciamus hoc jam dictum esse ex malitia, & vos esse hereticos. Sed quia judices non habemus, producantur libri, & judicent inter nos & vos, scilicet vetus testamentum & novum, & scripta sanctorum.* Et quod mirabile est dictu, cùm libri quærerentur inter omnes unum vetus testamentum & novum non poterat inveniri. Volentes igitur eos ostendere fuisse in omnibus mentitos, quæsivimus, *quare dicerent Dominum corpus suum fecisse in fermentato?* Et responderunt: *Quia habemus in Evangelio, quod accepit Dominus ἄρτον, fregit &c. & addimus ἄρτον quod dicit, dicit panem perfectum, panem levatum, panem fermentatum.* Et quæsivimus, *si ubicunque ἄρτον supponit pro fermentato,* Et responderunt *non. Quia quandoque ponitur ἄρτον per se, quandoque ponitur cum adjuncto. Quandocunque per se ponitur supponit fermentum. Quando cum adjuncto ut Levitici 7. ἄρτον azymum, & est quasi oppositio in adjuncto, ut cùm dicitur homo mortuus.* Et nos iterùm quæsivimus: *Si ἄρτον per se positum semper supponat fermentatum?* Responderunt quod *non. Nam quandoque per se positio tenetur propriè, & tunc semper tenetur pro fermentato. Quandoque impropriè, & tunc supponit pro azymo.* Tunc diximus: *Ergo ἄρτον per se positum communiter tenetur, nec semper pro fermentato, nec semper pro azymo, sed quandoque pro hoc, quandoque pro hoc. Ergo ἄρτον per se positum panem supponit nec specificat. Ergo de evangelio quod dicitur, tantum tenetur pro nobis, quam pro vobis. Et hoc est quod nostra evangelia dicunt panem ubi vos habetis ἄρτον. Item invenimus in Levitico 7, ubi agitur de lege hostiæ pacificorum ἄρτον azymum & ἄρτον fermentatum secundùm litteram Græcorum. Cùm ergo azymum & fermentatum sint differentiæ specificæ hujus dictionis ἄρτον per se positum utrique convenit communiter & æque proprie utrique. Non enim genus magis vel minus proprie prædicatur de prima sua specie, quam de alia. Ergo vestra distinctio quam fecistis de propriè & impropriè nulla fuit. Igitur in Evangelio ubi dicitur,* Accepit Jesus *ἄρτον, pro pane supponit, nullum panem specificando. Item improbata ratione vestra, quam putabatis habere pro hac dictione ἄρτον, probamus per Evangelium, quod Dominus corpus suum fecit in azymo, & non in fermentato. Legitur in Evangelio Matthæi:* Prima die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere pascha? *Quæsivimus ergo ab eis: Quæ fuit prima dies azymorum de qua ibi loquitur.* Et dixerunt expositionem Joannis Chrysostomi: *Id est, Prima dies ante azyma.* Et nos illis: *Dicit ibi Joannes Chrysostomus:* Priori die ante azyma venerunt discipuli ad Jesum, in cujus vespera immolabatur pascha. *Ergo in illa vespera erat pascha azymorum Judæorum. Et fuit prohibitum Judæis ut fermentum vel fermentatum non esset in domibus illorum vel in omnibus terminis. Ita enim legitur in Exodi* XII: Septem diebus azyma comedetis. A prima die non erit fermentum in domibus vestris. Quicunque comederit fermentatum peribit anima illa de Israel a prima die usque ad septimam diem. *Ergo Christus*

* Deest hîc subscriptio nunciorum, quæ refertur ab Wadingho & in conciliis generalibus.

pascha suum fecit in azymo, quia legem observavit usque ad ultimum vitæ suæ, ut dicit Chrysostomus & Epiphanius. Fecit ergo corpus suum de illo pane quem habuit. Et non habuit nisi azymum. Ergo fecit corpus suum de azymo. Si igitur vestra ratio est vera quam scripsistis, quod non potest confici corpus Christi nisi in illo pane, in quo Dominus fecit, & Dominus fecit in azymo secundùm quod probatum est. Ergo non potestis facere de fermentato. Et tamen hoc non dicimus. Ut autem cognoscatis veritatem, quam hactenus nosse dissimulastis, hoc quod dicimus, aperte in scriptis sanctorum vestrorum ostendimus. Sed quia libros præsentes non habuimus, auctoritates manifestas audire renuerunt. Auctoritates autem probantes hoc quod dicimus erant istæ. Joannes Chrysostomus super Matthæum homilia LXXXI tractans hæc verba, *Prima die azymorum venerunt discipuli ad Jesum &c.* In principio homiliæ sic ait : » Primam azymorum » eam quæ ante azyma dicunt. Consueverunt enim » semper a vespera numerare diem, & eam com- » memorat, in cujus vespera pascha erat immolan- » dum. Quinta enim sabbati accesserunt. Et hanc » quidem hîc eam quæ ante azyma erat vocat ipse » dicens, in qua accesserunt. Ille vero sic ait : *Venit dies azymorum in quo oportebat immolari pascha.* » Venit, hoc (est) in januis erat vesperum. » Constat commemorans illam, a vespere enim in- » cipiebant. Propter quod unus quisque addit : » *Quando immolabatur pascha.* Item quod Jesus observavit legem in cœna & ritum Judæorum probat idem Chrysostomus consequenter in eadem homilia dicens : » Propter quod autem pascha con- » firmabat per omnia ostendens usque ad ultimum » diem quod non est contrarius legi «. Item idem Chrysostomus super Matthæum LXXXII homilia sic ait : » Quod autem tempus paschæ mysterium con- » summabat istud, ut discas undique & veteris tes- » tamenti ipsum esse legislatorem, & quæ in illo » propter hæc figurata. Propter hoc ubi figura, ve- » ritatem imponit. Vespera autem impletionis tem- » pus argumentum erat, & quæ ad ipsum de cætero » veniunt, finem respiciunt «. Item B. Epiphanius Cypri in libro qui πανάρια vocatur, ubi loquitur contra Ebionitas, ultra medium sermonis

Hæres. 30. n. 22. » sic ait : Quomodo carnium comestione non sta- » tim eorum dementia redarguetur ? Primo Do- » mino comedente pascha Judæorum. Pascha au- » tem Judæorum erat ovis & azyma. Carnes » ovis assæ. Igitur comestæ. Sic discipuli sui ei di- » cunt : *Ubi vis paremus tibi comedere pas- » cha* « ? Idem in eodem contra Marcionitas, In redargutione LXI de litera Evangelii. Quæ redargutio sic incipit : *Nubem sagittarum contra te &c.* sic dicit : » Contra te o Marcio induxistis multis » modis redargutionem. Magis autem ab ipsa veri- » tate coactus. Pascha enim antiquum nihil aliud » erat, quam ovis immolatio, & carnium comestio, » animatorumque perceptio cum azymis «. Et post pauca : » Quam enim tu detestaris carnium comes- » tionem, Dominus Jesus cum suis discipulis co- » medit, faciens pascha quod secundum legem. Et » non dicit quod facturus erat mysterium hoc præ- » nominatum dicens : Volo vobiscum comedere pas- » cha. Ut enim per communem modum confundat » te veritas, non in principio facit mysterium ut non » neges, sed ait postquam cœnassent, accipiens » hæc & hæc, dixit hoc est & hoc & hoc : & non » reliquit locum malignitati. Ostendit enim quod » postquam comedit pascha Judæorum, & postquam » cœnavit, venit ad mysterium «. Renuentibus illis audire auctoritates sanctorum, cæperunt nobis opponere de evangelio Joannis : *Non intraverunt prætorium Judæi ne contaminarentur, sed manducarent pascha.* Quibus respondimus, quod non est credendum Joannem dixisse contrarium aliis evangelistis. Ad quorum quæstionem ita respondimus : ut comederent pascha, id est cibos paschales. Sic enim legimus in veteri testamento pascha fuisse vocatum, & hoc erat dictum Luna XV. Et quia jam magna pars noctis transierat, de voluntate imperatoris recessimus ab invicem. Cessavimus ergo Dominica & secunda feria & tertia & quarta a disputatione, mirantes quod expectarent, misimus ad imperatorem, ut impetraremus licentiam recedendi. Ipse verò per nuncium transmissum cœpit nos tentare, *si aliqua compositione mediante posset fieri pax inter Ecclesiam Romanam & Græcorum.* Nuncio verò ad nos transmisso ita respondimus : *Cùm fuerimus coram imperatore, & de istis nobis locutus fuerit, scimus quid respondebimus ei.* Accersitis nobis in crastino ad palatium imperatoris, dixit imperator : *Consuetudo regum & principum est, cùm discordia fuerit inter eos super castris aut provinciis, ut quilibet de eo quod dixit jus suum, aliquid dimittat, ut sic pervenire possit per medium ad pacem. Sic mihi videtur quod debebat fieri inter vestram Ecclesiam & nostram. Duo enim sunt inter nos & vos. Primum de processione Spiritus Sancti. Secundum de corpore Christi. Si igitur velitis pacem : vos dimittatis unum de duobus his. Nos venerabimur & gratum habebimus sanctum sacramentum vestrum. Vos autem dimittatis symbolum vestrum nobis, & dicatis nobiscum, sicut nos dicimus, sicut constitutum habemus a sanctis patribus in conciliis suis : & hoc quod vos superaddidistis non dicatis ulterius, quod scandalum est nobis.* Et nos ad hoc respondimus : *Hoc scitote quod Dominus papa & Ecclesia Romana non dimittent unum iota de fide sua, nec aliquid de hoc quod dicitur in symbolo nostro.* Et ait imperator : *Quomodo ergo poterimus facere pacem ?* Et respondimus : *Si modum vultis scire, breviter dicimus vobis. De corpore Christi ita dicimus, quod oportebit vos firmiter credere, & aliis prædicare quod corpus Christi confici potest ita in azymo sicut in fermentato : & omnes libri quos vestri scripserunt contra fidem, damnentur & comburantur. De Spiritu Sancto ita dicimus, quod oportebit vos credere Spiritum Sanctum procedere a Filio sicut a Patre. Et istud necesse est, quod prædicetur in populo. Quod autem cantetur istud in symbolo vestro, nisi volueritis, non compellet vos D. papa, condemnatis & combustis omnibus libris, qui huic capitulo sunt contrarii.* Quod audiens imperator graviter tulit & ait : *Jam non audio formam pacis :* & ideo convocatis prælatis annunciavit eis, quæ audivit a nobis. Quod cùm audissent indignati sunt & conversi in seditionem contra nos ut credimus, cogitaverunt quomodo nos dolo confunderent. Et mittentes ad nos feria quarta hora quasi vespertina rogaverunt nos diligenter, ut quinta feria mane accederemus ad concilium : & sic salutato concilio & soluto cum pace & amore recederemus ab invicem. Mane autem facto accessimus ad concilium, & invenimus omnes ibidem congregatos, & cum eis multitudinem copiosam plebis, & apertis januis sedit concilium in atrio patriarchæ. Nobis autem residentibus inter cæteros dixit Patriarcha : *Dum spes fuerat pacis, pacifice locuti fuimus, sed ex quo cognoscimus, quod frustrati sumus spe nostra, rogamus vos quod pacifice audiatis nos, & ista sola dieta consummabit negotium.* Deinde subjunxit : *Dedistis nobis in scriptis fidem Romanæ Ecclesiæ, & inspeximus, & illam voluimus per provincias nostras & gentes & nationes promulgare, & quia ignota est nobis, voluimus quod omnes audiant, & cognoscant fidem Romanæ Ecclesiæ. Placet ne vobis hoc ?* Et respondimus : *Placet. Hæc enim voluntas nostra quod vos & omnes quotquot sunt in Ecclesia orientali*

sciant & cognoscant, & fideliter teneant fidem Romanæ Ecclesiæ, quam vobis scripto tradidimus. Et his dictis obmutuit. Surrexit ergo unus in medio concilii habens chartam magnam, & incepit legere chartam, cujus principium tale erat : » Dederunt » nobis in scriptis venerabiles apocrisarii sanctissimi » papæ veteris Romæ, quod Pater est plenus Deus » in se : Filius plenus Deus a Patre genitus, Spiritus » Sanctus a Patre Filioque procedens &c. ut in præcedenti scripto continetur : » Et qui istud non cre» dit, in via perditionis est. Ad hoc respondimus, quod falsum est. Et lecto scripto nostro inventum est nos scripsisse : *Qui credit Spiritum Sanctum non procedere a Filio, in via perditionis est.* Nec fuit inter eos, qui dictamen verborum istorum intelligeret. Deinde introduxerunt auctoritates pro confirmatione suæ fidei, quarum una fere fuit summa quod Spiritus Sanctus procedit a Patre. Inter multas tamen introduxerunt auctoritatem Damasi papæ qui dicebat : *Quicunque non credit Spiritum Sanctum esse proprie a Patre, anathema sit.* Ad quod respondimus : *Nos credimus Spiritum Sanctum esse a Patre propriè, & qui hoc non credit anathematizetur. Dicimus etiam Spiritum Sanctum esse a Filio propriè, sicut dicit B. Cyrillus : & qui istud non credit, similiter anathematizetur.* Item introduxerunt aliam auctoritatem, quæ si bene recolo, fuit B. Basilii, cujus summa talis erat, *quod Spiritus Sanctus fluit à Patre & non aliunde.* Ad quod respondimus : *Quod hoc est veritas quod Spiritus Sanctus a Patre est & non aliunde. Hoc est non de alia substantia, quam de substantia Patris.* Introduxerunt & multas alias : sed istæ plus videbantur esse contra nos. Considerantes igitur quod nihil profecerant, patriarcha manu & verbo silentium indicens, quia rumor magnus erat in populo, cogitaverat, ut credimus nos, facto silentio commovere contra nos populum. Nos ideo caventes nobis, fraudem suam gratia Dei in capita sua retorsimus. Nam facto silentio & attendente diligenter universo populo diximus : *Creditis Spiritum Sanctum procedere a Filio vel non?* Respóndit patriarcha : *Nos credimus quod non procedit a Filio.* Et subjunximus : *Sed B. Cyrillus qui præfuit tertio concilio anathematizavit omnes illos, qui hoc non credunt. Ergo vos estis anathematizati. Item vos creditis & dicitis quod corpus Christi non potest confici in azymo. Et hoc est hæreticum. Ergo vos estis hæretici. Quia invenimus vos hæreticos & excommunicatos, pro hæreticis & excommunicatis vos relinquimus.* Et his dictis recessimus a concilio, ipsis exclamantibus post nos : *Imo vos estis hæretici.* Condiximus igitur inter nos, nos non comesturos illa die priusquam licentiam haberemus ab imperatore recedendi. Et obtinuimus : vultum tamen turbatum & commotum ostendit nobis imperator, quasi contristatus fuisset, quod discordes recesseramus ab invicem. Factum est autem ut licentia accepta ab ipso imperatore mane sabbati recessimus a Nympha, & continuantibus nobis dietas nostras venimus Dominica usque ad villam quæ dicitur *Calamus.* Et cùm esset hora completorii venit nuncius imperatoris Vatacii, venit & alius nuncius ex parte concilii : & salutatis nobis, ait nuncius imperatoris : *Salutat vos dominus meus & familiariter nobis conqueritur de vobis, quod insalutato patriarcha & concilio, ita subito recessistis, & quod non declinastis ad dominum patriarcham & cæteros prælatos ut accepta licentia & benedictione ab eis cum gratia omnium & bona voluntate recessissetis.* Et ad hoc respondimus : *Dominus salvet & custodiat ad bonum Ecclesiæ suæ dominum imperatorem : nec oportuit eum mirari, nec conqueri de nobis. Nam satis fecimus cum eo, & cum ejus licentia & gratia recessimus. De licentia & benedictione patriarchæ vel concilii non curamus : ipse enim novit causas. Unde non credimus nos aliquid contra Deum vel hominem in hoc deliquisse.* Deinde locutus nuncius concilii, & replicans eadem verba, quæ dixerat alter, subjunxit : *Ecce scriptum vestrum, quod dedistis concilio, remittit vobis dominus meus patriarcha cum toto concilio, rogans vos & deprecans scriptum quod dedit vobis dominus meus patriarcha de azymo remittatis ei. Præterea mittit vobis literas suas quas rogat, ut deferatis sanctissimo papæ. Mittit etiam vobis totum concilium fidem quam tenet & credit & prædicat de processione Spiritus Sancti, & hanc fidem referatis ad præsentiam domini papæ.* Ad hoc respondimus : *Chartam quam concilio obtulimus, ideo dedimus ut haberent omnes speculum fidei Romanæ Ecclesiæ, ut his quæ ibidem scripta sunt diligenter inspectis corde credant & ore profiteantur & aliis prædicent, & idem dicamus omnes, & non sint in nobis schismata, & ideo istud scriptum recipere nolumus, sed pro speculo illis relinquimus. Similiter scriptum quod nobis dederunt, nostrum est, & speculum vel potius scandalum fidei suæ, & ideo reddere vobis nolumus, sed domino papæ & Ecclesiæ illud offeremus in testimonium fidei, imo potius perfidiæ Ecclesiæ Græcorum, nisi sicut supra dictum est, illud revocaveritis assensu totius concilii.* Omissa igitur contentione nocte illa recesserunt a nobis. Et mane iterum accesserunt, & dicta verba iterum replicantes, minati sunt, quod nisi gratis daremus, afferre nobis de terra non permitterent. Et in talibus detinuerunt nos usque ad horam tertiam diei. Tandem post longa certamina & contentiones multas ita respondimus : *In terra vestra sumus : auferre nobis poteritis, quod petistis : gratis autem habere non poteritis.* Et his dictis recesserunt. Tempus erat prandendi. Prandentibus igitur illis & nobis, habuimus consilium quid faceremus. Et convocato illo milite qui venerat ex parte imperatoris, quæsivimus ab eo, *Si ex præcepto imperatoris habuisset iter nostrum impedire aut non?* Et respondit : *Absit hoc a me vel a domino meo, imo potius veni iter vestrum expedire* Et nos audientes hoc convocatis nunciis, quos nobiscum miserat Vatacius, præcepimus eis, ut equitaturas præpararent, quia recessuri eramus. Qui præparaverunt. Quod cùm audisset Chartophylax, qui venerat ex parte concilii, accessit & præposita amonitione de charta reddenda, sententiam excommunicationis tulit in nuncios nostros, si nobis ulterius in aliquo deservirent. Quod audientes nuncii oneribus librorum nostrorum depositis, cessaverunt ministrare nobis. Accepimus ergo libros nostros portabiles, & commissis aliis libris dicto militi imperatoris in custodiam recessimus pedes soli. Erat autem deserta & invia, & distabat a mari Constantinopolis fere per sex dietas. De Dei autem gratia confisi, processimus viam nostram imperterriti. Inde verò miserunt nuncios post nos, denunciantes nobis difficultatem & impossibilitatem itinerum, & corporum pericula, juramento asserentes, quod scilicet in montanis & in nemoribus erant nobis insidiantes rustici, qui nos occiderent, si sine ductore ulterius procederemus. Verumtamen nec inde conterriti destitimus ab incepto itinere. Transivimus ergo vel sex vel septem milliaria, sed mox subsecutus est dictus miles imperatoris. Et cùm venisset ad nos descendens de equo humiliavit se ante pedes nostros deprecans & exorans, ut ad casale, de quo veneramus, reverteremur, & sententiam latam faceret revocari, & quæcumque essent dicta vel facta contra nos, faceret emendari. Ex omni ergo nostrum voluntate, divertimus ad quoddam casale ibi propinquum, & remisimus Fratres pro libris, qui cùm venissent ad casale, ubi libri dimissi fuerant, accessit Chartophylax, & perscrutatus est omnes libros, & omnes sarcinas nostras, nec non & ipsos Fratres apprehendit, & seorsum duxit eos in ca-

meram, & chordis laxatis tandem invenit chartam & accipiens eam dixit : *Habeo quod quæsivi.* Interpretationem tamen illius chartæ prius facta translatione nobis reservavimus.

HÆC EST EPISTOLA PATRIARCHÆ Nicæni Græcorum missa ad summum pontificem Dñum Gregorium IX.

Extat apud Wadinghum integra, ex quo totidem verbis refertur in conciliis generalibus T. XI pag. 466. Placet autem hîc dare ex codice Navarræo additis ad marginem lateralem Wadinghi varietatibus, in margine verò paginæ inferiori glossis, quæ ex margine in textum apud Wadinghum irrepserunt. Visa sunt etiam quædam SS. Patrum Græcorum loca ipsis eorum verbis referenda, eo quod eorum versio Latina in hac fidei professione allata durior sit, & aliquando vix intelligibilis.

Varietates editionis Wadinghi & conciliorum generalium.

CREDIMUS in unam Deitatem, quæ in Patre & Filio & Spiritu Sancto adoratur & glorificatur ab omni creatura : imprincipiatam, quantum ad temporale initium, increatam, creaturarum omnium factricem, omnipotentem, super omnia potestatem habentem & sine fine. Confitemur principium naturale Patrem Filii & Spiritus Sancti : a quo Patre ante omnia secula impassibiliter & influxibiliter * fluxerunt Filius & Spiritus Sanctus, non hoc prius, & illud posterius, sed simul Pater, simul Filius & simul Spiritus Sanctus, æquali honore Filio & Spiritu * Sancto a Patre procedentibus, Filio quidem nascendo, Spiritu autem Sancto procedendo. Neque enim sunt in Trinitate duo fontes aut duæ radices, aut duo principia, ne & duos Deos confiteamur. * Quoniam verò propter hoc nobis unus Deus est, * quem adoramus : quia solus Pater est principium & fons & radix Filii & Spiritus * Sancti, testes omni exceptione majores sunt duo magna luminaria, * scilicet Gregorius Thaumaturgus, & Gregorius Theologus. Quod autem solus Pater principium & radix & fons Filii & Spiritus sit, testes absque exceptione sunt prædicti Sancti ac magnus Athanasius, & totum Nicænum generale primum concilium, & Joannes Chrysostomus, & maxime præ his omnibus, qui revelationes cœlestes vidit magnus Dionysius, qui os Pauli factus est, quemadmodum Paulus Christi : quorum testimonia ita se habent. Sancti Dionysii ex epistola super divinis nominibus edita : (a) *Est autem & discretio in supersubstantialibus theologiis non sola quam dixi, quod secundùm ipsam unionem inconjuncte conjuncta est & inconfuse una quaque thearchicarum* (A) *hypostaseon* (B) *: sed quod in ea quæ in supersubstantiali theogonia* (C) *sunt, non convertuntur ad invicem. Solus autem fons supersubstantialis Deitatis Pater est, non quod Filius Pater sit, nec Pater Filius, unaquaque divina substantia vocabulum suæ proprietatis convenienter servans.* Item in sermone illo ubi de divinitate conjuncta &

* illuxerunt.
* omittit Sancto.
* Quod.
* quicquid adoratur..
* omittit Sancti.
* Sanctus.
Dion. de Div. nom. cap. 2.

abscondita tractat sic dicit (b) *Quod quidem fons Deitatis Pater est, Filius autem & Spiritus theogonicæ Deitatis sunt, si sic dici decet, rami theophyti* (D), *aut velut flores &* * *supersubstantialia lumina ex sacris scripturis accepimus. Qualiter autem hæc sunt, neque dicere, neque intelligere possibile est.* Item in epistola in qua de mystyca theologia tractat sic dicit : (c) *In exemplis quidem Divinitatis principales proprietates laudavimus, qualiter divina & bona natura singularis dicitur, qualiter ternalis, quæ sit quæ in ea dicitur Paternitas & Filiatio, & quid velit significare theologia Spiritus : qualiter ex immateriali & individuali bono præcordialia bonitatis lumina prodierunt, & ab ea quæ in seipso & in seipsis, & in adinvicem coæterna pulullatione sola permanserunt impertita.* Hæc quidem tertius decimus apostolus Dionysius, qui solum fontem * supersubstantialis Deitatis Patrem dixit, & quod ea quæ in supersubstantiali theogonia sunt, non convertuntur ad invicem, ita quod & Filius & Spiritus Sanctus theogoniam, id est originem Deitatis habeant, sed in solo eam Patre esse suspiciendam, & ipsum fontem & radicem esse Filii & Spiritus, & luminum emissorem sibi coæternorum & præcordialium luminum videlicet Filii & Spiritus.

Ibid.
* Substantialia.
* supersubstantialem.

Item Gregorius Thaumaturgus : *Si quæratur quomodo unus Deus est, si ex Deo Filius, dicemus quod juxta principii vocabulum, secundùm quod unum principium est Pater.* Et post pauca iterum dicit : *Si dixerint impii, quomodo non sunt tres Dii tres personæ, & si * unam habeant Deitatem? dicemus quod Deus principium & Pater est Filii, & ipse Filius imago est & genimen Patris non frater ejus, & Spiritus similiter Spiritus Dei est. Et jampridem per prophetam David*, Verbo Domini cœlos dicitur firmavisse, & spiritu oris ejus omnem virtutem eorum. Et iterum dicit : *Et propter hoc unus Deus est, quia principium Pater est.* Qui autem duo principia in Deitate dicit, duos Deos necesse est * etiam ut fateatur. | Et iterum idem dicit : *Perfectus autem est Spiritus Sanctus, ex Deo per Filium datus his qui adoptionis Filii sunt.* Hæc ex sermone, quem de fide edidit idem S. Gregorius dicta sunt. Didicit autem iste sanctus hujusmodi theologiam per sanctum evangelistam Joannem ad exhortationem beatæ virginis, ut dicit sanctus Gregorius Nyssenus, qui vitam ipsius refert. Doctrinæ autem ipsius verba sunt talia : (d) *Unus Deus Pater verbi vivi, sapientiæ subsistentis & virtutis & characteris æterni, perfectus perfecti genitor, Pater unigeniti * filii, unus Dominus, solus a solo, Deus de Deo, character & imago Deitatis, verbum sine principio, sapientia per quam universa consistunt, omnia comprehendens, & virtus totius creaturæ creatrix. Filius verus veri Patris, invisibilis ex invisibili, incorruptibilis ex incorruptibili ac immortalis ex immortali, æternus æterni. Unus Spiritus Sanctus qui ex Deo existentiam habet & per Filium manifestatus hominibus innotescit, imago Filii perfecta perfecti.* Hæc sunt de revelatione. Quidam verò non intelligentes quid dicunt, vel de quo affirmant, illud quod dicitur, *Solus ex solo*, sic calumniantur, quod solus Filius a solo Patre, tanquam si Spiritus non ex Patre solo sit. Ve-

In exposit. ampliori fidei.
* non unam.
Psal. 32.
* esse.
* Filius.

Quæ hîc subjiciuntur glossæ tantum sunt, quæ ex margine in textum irrepserunt apud Wadinghum, & ex eo in Acta Conc. Gen.

(A) (A theos & archi, quod est principium, vel archos quod est princeps.)

(B) (Id est unaquæque Deitatis substantia.)

(C) (Id est a theos quod est Deus, & gonos quod est semen, id est divinum semen.

(D) (Id est a Deo plantati.)

(a) De divinis nominibus cap. 2. ἔστι δὲ καὶ διάκρισις ἐν ταῖς ὑπερουσίοις θεολογίαις οὐχ ἣν ἔφην μόνον, ὅτι καθ᾽ αὐτὴν τὴν ἕνωσιν ἀμιγῶς καὶ ἀσυγχύτως ἑκάστη τῶν ἐναρχικῶν ὑποστάσεων ἀλλ᾽ ὅτι καὶ τὰ τῆς ὑπερουσίου θεογονίας οὐκ ἀντιστρέφει πρὸς ἄλληλα. μόνη δὲ πηγὴ τῆς ὑπερουσίου θεότητος ὁ πατὴρ, οὐκ ὄντος υἱοῦ τοῦ πατρὸς, οὐδὲ πατρὸς τοῦ υἱοῦ, φυλαττόντων δὲ τὰ οἰκεῖα τῶν ὕμνων εὐαγῶς ἑκάστῃ τῶν θεαρχικῶν ὑποστάσεων.

(b) *Ibidem paulo post* πάλιν ὅτι μὲν ἐστι πηγαία θεότης ὁ πατὴρ, ὁ δὲ Ἰησοῦς καὶ τὸ πνεῦμα τῆς θεογόνου θεότητος, εἰ οὕτω χρὴ φάναι, βλαστοὶ θεόφυτοι, καὶ οἷα ἄνθη καὶ ὑπερούσια φῶτα πρὸς τῶν ἱερῶν λογίων παρειλήφαμεν. ὅπως δὲ ταῦτά ἐστιν, οὔτε εἰπεῖν οὔτε ἐννοῆσαι δυνατόν.

(c) *Idem de mystica theologia cap. 3.* ἐν μὲν οὖν ταῖς θεολογικαῖς ὑποτυπώσεσι τὰ κυριώτατα τῆς καταφατικῆς θεολογίας ὑμνήσαμεν, πῶς ἡ θεία καὶ ἀγαθὴ φύσις ἑνικὴ λέγεται, πῶς τριαδική. Τίς ἡ κατ᾽ αὐτὴν λεγομένη πατρότης τε καὶ υἱότης. τί βούλεται δηλοῦν ἡ τοῦ πνεύματος θεολογία πῶς ἐκ τοῦ ἀΰλου καὶ ἀμεροῦς ἀγαθοῦ τὰ ἐγκάρδια τῆς ἀγαθότητος ἐξέφυ φῶτα, καὶ τῆς ἐν αὐτῷ, καὶ ἐν ἑαυτοῖς, καὶ ἐν ἀλλήλοις συναϊδίου τῇ ἀναβλαστήσει μονῆς ἀπομεμενήκεν ἀνεκφοίτητα.

(d) *S. Gregorius Thaumaturgus in expositione fidei quam per revelationem habuit.* εἷς θεὸς πατὴρ λόγου ζῶντος, σοφίας ὑφεστώσης, καὶ δυνάμεως, καὶ χαρακτῆρος ἀϊδίου, τέλειος τελείου γεννήτωρ, πατὴρ υἱοῦ μονογενοῦς. εἷς κύριος, μόνος ἐκ μόνου, Θεὸς ἐκ Θεοῦ. χαρακτὴρ καὶ εἰκὼν τῆς θεότητος, λόγος ἐνεργὸς, σοφία τῆς τῶν ὅλων συστάσεως περιεκτικὴ καὶ δύναμις τῆς ὅλης κτίσεως ποιητική. υἱὸς ἀληθινὸς ἀληθινοῦ πατρὸς, ἀόρατος τοῦ ἀοράτου, καὶ ἄφθαρτος ἀφθάρτου, καὶ ἀθάνατος ἀθανάτου, καὶ ἀΐδιος ἀϊδίου. καὶ ἓν πνεῦμα ἅγιον, ἐκ Θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον. καὶ διὰ υἱοῦ πεφηνὸς δηλαδὴ τοῖς ἀνθρώποις. εἰκὼν τοῦ υἱοῦ, τελείου τελεία,

ritas autem aliter ſe habet, ſolus enim Filius Dei a ſolo Patre eſt, omnes autem hominum filii non a ſolo patre ſumus, ſed a matre. Singulare * enim in Deitate intelligendum eſt * immateriale, id eſt quod non ex aliqua materia conſiſtit *, & ſimplex & individuum divinæ naturæ. Duale autem materiale eſt, & de his quæ materiei ſubjecta ſunt. Solus enim Pater eſt genitor & προβολεὺς *Provoleus* (E) & ſolus Filius genimen Patris, & ſolus Spiritus (F) ἐκπόρευμα * Patris. Qui autem dicunt a Patre & Filio Spiritum eſſe, dualitatem ſingularitatis genitricem dicunt, quod neque in numero verum reperitur, neque ſimplicis & incompoſitæ naturæ proprium eſt, ſed compoſitæ & materialis. Iſte autem ſanctus ſicut de Spiritu Sancto ab evangeliſta Joanne didicit, ſic & docuit, & ea idem evangeliſta * ſanctum Gregorium docuit, quæ ipſe in evangelio ſcripſerat. Scripſit ille in evangelio quod *Spiritus Sanctus ex Patre procedit*: ſcripſit ipſe etiam ut dicatur, *Spiritus veritatis*, ac ſicut ipſe ſcripſerat, ſic ſancto Gregorio revelavit.

* *rejicit* enim.
* *omittit* immateriale.
* *adjicit hic* propter immateriale.
* & pneuma *corrupte*.
* ſecundùm.

Sermo autem de Spiritu Sancto, ſic ſe habet: *Unus Spiritus Sanctus ex Deo exiſtentiam habens, & per Filium manifeſtatus hominibus innoteſcit.* Vides quare dicitur Spiritus eſſe Filii, pro eo quod per Filium * extitit manifeſtatus hominibus. Et deinde ſequitur: *Imago Filii perfecta perfecti.* Imago autem Patris Filius eſt, & propter incommutabilitatem vel incommutabile ſubſtantiæ, & pro eo quod Patrem mundo manifeſtavit. Dicit in evangelio: *Qui vidit me, vidit & Patrem.* Et iterum: *Manifeſtavi hominibus nomen tuum.* Et iterum: *Ego clarificavi te ſuper terram.* Simili autem modo Spiritus eſt imago Filii, Spiritus enim Sanctus ſuperveniens ad diſcipulos ejus, & implens eos miraculorum gratia, clarificavit Filium in mundo, & innotuit omnibus, quod Deus verus eſſet. Scriptum eſt enim, quod *ipſe me clarificabit, quia de meo accipiet.* * Sicut enim mundanus rex qui non poteſt in regno ſuo ſemper præſentialiter adeſſe, & videri, mittit multoties imagines ſuas: homines autem loco illius ipſas videntes imagines, ſicut ipſum venerantur eaſdem, & ad ipſum honorem transferunt: ſic & Pater cùm Filium in mundum miſit, notus factus eſt omnibus hominibus Pater eſſe & Deus ſine principio: & Filius veniens cum carne in mundum, & illuſiones & paſſiones ſuſtinens, ſepultus fuit, & reſurrexit, & aſcendit in cœlum, & miſit Spiritum Sanctum diſcipulis ſuis: ac miraculorum virtute innotuit, quod qui crucifixus & ſepultus extitit & reſurrexit, vere fuit Dei Filius & verus Deus. Hoc autem quod dicit, *miſit*, nullum perturbet: bonam voluntatem enim pro miſſione poſuit ſeu notavit. Nam in libro Iſaiæ prophetæ invenitur ipſe dicens: *Dominus miſit me & Spiritus ejus.* Et hoc qui diligenter legit, intelliget. Uſus eſt autem hujuſmodi teſtimonio magnus Baſilius, ubi contra Eunomium tractat: ac propter hoc & Sanctus Gregorius de Spiritu dixit quod haberet exiſtentiam ex Deo Patre, manifeſtatus autem fuiſſet hominibus per Filium, ac ad certitudinem manifeſtationis hujuſmodi ſubjunxit: ſicut & Spiritus imago Filii eſt.

* exiſtit.
Joan. 14.
Idem 17.
Idem ibid.
Id. c. 8.
* Sic.
Iſai. 48.
Lib. 2.

Item de geſtis primi concilii. Dixerunt ſancti Patres per Leontium ad philoſophum: *(e) Accipe unam Deitatem Patris, qui genuit Filium ineffabiliter, & Filii qui ex eo natus eſt, & Spiritus Sancti qui procedit ex ipſo Patre.* Item de eiſdem capitulum ſexageſimum ſecundum. Addentes ſancti Patres dixerunt ad philoſophum de fonte, flumine & aqua per Leontium epiſcopum: *(f) Illud autem intelligendum eſt o amice de cætero veritatis philoſophe, quod fontem intelligimus qui fluvium aqua generat, omnis enim fluvius ſicut noſti fontem habet genitricem: deinde provenit quidem fluvius de fonte aqua, ſed nullus vocat fluvium fontem, aut fontem fluvium: ſed fons quidem fons nominatur, & fluvius fluvius nominatur, & uterque eadem aqua. Cùm autem quis de flumine aut de fonte aquam haurire voluerit, mutat nomen. Non enim dicit, vade & hauri, & defer mihi fontem aut fluvium, ſed aquam: & una quidem natura eſt, tres tamen perſona nominanda fons, fluvius, aqua.*

Gelaz. Cyſic. cap. 20. *T. II conc. gen. p.* 211.

His quoque ſimilia Chryſoſtomus ſcribit in ſermone illo: *Dominus regnavit*, qui ſic incipit: *Iterum nobis beati David ſpiritualis cithara &c.* Et exemplum hujuſmodi apertius oſtendit proponens unum eſſe fontem & non duos. Magnus verò Gregorius theologus apertius exemplum hujuſmodi declaravit. Dicit enim in ſermone illo ad Evagrium de Deitate, *(g) Sicut ſolaris luminis radii individui, qui habentes naturaliter ad invicem in ſeipſos quamdam habitudinem, neque a lumine ſeparantur, neque ad invicem dividuntur, & uſque ad nos gratiam luminis dirigunt ſive mittunt: eodem modo Filius & Spiritus Sanctus, duplex Patris radius, & uſque ad nos lumen veritatis adminiſtrant, & Patri uniti ſunt. Ac quemadmodum ab aliquo aquarum fonte duo fluvii manant, & poſitione quidem dividuntur fluenta ad invicem, humoris * autem qualitatem unam & eamdem habent, licèt ſpecialiter uterque per ſe fluat: eodem modo prima cauſa Pater, fons vitæ duplicem quamdam Filii & Spiritus Sancti gratiam nobis mittens, non * aliquam in uſia ſuſtinuit paſſionem, neque aliquam diminutionem ſuſtinuit per * illorum ad nos acceſſum: hi uſque ad nos acceſſerunt, & a Patre nihilo minus permanſerunt inſeparabiles.*

In pſal. 92.
Orat. 45.
* omittit *autem*.
* *aliquando.*
* *aliorum.*

Quia igitur de primo concilio mentionem fecimus, producendus eſt etiam magnus Athanaſius, qui in primo enicuit concilio, de ſermone æternæ eſſentiæ Filii & Spiritus contra Sabellianos edito qui incipit (G) Judaiſmus oppoſitus eſt * Elliniſmo. *(h) Hoc videntes exemplum etiam nunc alienati ſumus ab his qui * Ellinizant ſub nomine Chriſtianiſmi, qui opus Dei audent theologizare, id eſt Deum vocare & adorare. Separamur autem ab his qui Judaizant, & qui Chriſtianiſmum in Judaiſmo corrumpunt, qui * Deum ex Deo negantes, unum Deum juxta Judæos dicunt, non ideo quod ſolus non natus, ſed ſolus fons Deitatis eſt: propterea dicentes ipſum eſſe ſolum Deum, ſed tanquam ca-*

* Ethnicismo.
* *Ethnicizant.*
* addit *deinde.*

(E) Id eſt a quo procedit Spiritus Sanctus vel prolator.)

(F) Id eſt a Patre procedens vel proceſſura.

(G) Fides Judæorum contraria eſt fidei gentilium. Judæi unum Deum colunt, gentiles plures.

(e) Cap. 20. δέχου μίαν θεότητα τοῦ πατρὸς τοῦ γεννήσαντος τὸν υἱὸν ἀνεκφράστως, καὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ γεγεννημένου ἐξ αὐτοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος τοῦ ἐκπορευομένου ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρός.

(f) Ibidem cap. 22. κἀκεῖνο δὲ νοητέον ὦ φίλε λοιπὸν τῆς ἀληθείας φιλόσοφε. πηγὴν νοήσωμεν γεννῶσαν ποταμὸν ὕδατος. πᾶς γὰρ ποταμὸς, ὡς οἶσθα, πηγὴν ἔχει γεννήτειραν εἶτα προέρχεται μὲν ὁ ποταμὸς τοῦ ὕδατος. ἀλλ' οὐδεὶς καλεῖ τὸν ποταμὸν πηγὴν, ἢ τὴν πηγὴν ποταμὸν, ἀλλ' ἡ πηγὴ πηγὴ καλεῖται, καὶ ὁ ποταμὸς ποταμὸς, καὶ ἀμφότερα ἓν ὕδωρ. ἐπὰν δέ τις ἐθέλοι ἀρύσασθαι ἐκ τοῦ ποταμοῦ ἢ τῆς πηγῆς ὕδωρ, μεταβάλλει τὴν προσηγορίαν. οὐκ ἐρεῖ γὰρ, ἄπελθε, πορευθεὶς ἄντλησον, καὶ φέρε μοι τὴν πηγὴν ἢ τὸν ποταμὸν, ἀλλ' ὕδωρ. καὶ μία μὲν ἡ φύσις, τρία δὲ πρόσωπα λεκτέα, πηγὴ, ποταμὸς, ὕδωρ.

(g) Gregorius Nazianzenus Orat. 45. ὥσπερ γὰρ αἱ τοῦ φωτὸς ἀκτῖνες ἀμέριστον ἔχουσαι κατὰ φύσιν τὴν πρὸς ἄλληλα σχέσιν, οὔτε τοῦ φωτὸς χωρίζονται, οὔτε ἀλλήλων ἀποτέμνονται, καὶ μέχρις ἡμῶν τὴν χάριν τοῦ φωτὸς ἀποστέλλουσι, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ὁ σωτὴρ ὁ ἡμέτερος, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἡ δίδυμος τοῦ πατρὸς ἀκτὶς, καὶ μέχρις ἡμῶν διακονεῖται τῆς ἀληθείας τὸ φῶς, καὶ τῷ πατρὶ συνήνωται. ὃν τρόπον δὲ κἀπό τινος ὑδάτων πηγῆς νεκταριῶδες ἀθρόως προϊεμένης ὕδωρ, συμβαίνει ῥεύματι παμπληθὲς, καὶ ῥεῖθρον ἀκατάσχετον εἰς ποταμοὺς δύο τῷ ῥεύματι τέμνεσθαι, μίαν ἐξ ἑνὸς ὀφθαλμοῦ τῆς πηγῆς, τὴν ῥοὴν ἐξ ἀρχῆς ἐσχηκὸς διῤῥύτως δὲ τῶν ποταμῶν χεῦμα τιθέντων τοῖς εἴδεσι, βλαβὴν δὲ ὅμως οὐδὲν εἰς τὴν οὐσίαν ἐκ τῆς διαιρέσεως &c. & poſt pauca παραπλησίως οὖν καὶ ὁ τῶν ἀγαθῶν ἁπάντων Θεὸς, ὁ τῆς ἀληθείας πρύτανις, καὶ τοῦ σωτῆρος πατὴρ, τὸ πρῶτον αἴτιον τῆς ζωῆς, καὶ τὸ ἀθανασίας φυτὸν, ἡ τῆς ἀειζωίας πηγὴ, διῤῥυτόν τινα τοῦτο υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος τὴν νοητὴν εἰς ἡμᾶς ἀποστείλας χάριν, οὔτ' αὐτός τι πέπονθεν εἰς τὴν οὐσίαν βλαβεὶς, οὐ γὰρ μείωσιν ὑπέστη τινὰ διὰ τὴν εἰς ἡμᾶς ἐκείνων ἄφιξιν, καὶ μέχρις ἡμῶν προσεχώρησαν, καὶ τοῦ πατρὸς οὐδὲν ἧττον ἀχώριστοι καθεστήκασιν.

(h) S. Athanaſius contra Sabellianos T. II. inter dubia p. 37. *edit. ult. n.* 2. τοῦτο ὁρῶντες τὸ παράδειγμα, καὶ νῦν ἀπαλλοτριώθημεν τῶν ἑλληνιζόντων ἐπ' ὀνόματι χριστιανισμοῦ τὸν ἔργον θεοῦ τολμώντων θεολογεῖν τε καὶ προσκυνεῖν. χωριζόμεθα δὲ καὶ τῶν Ἰουδαϊζόντων καὶ τὸν χριστιανισμὸν ἐν Ἰουδαϊσμῷ παραφθειρόντων, οἱ τὸν ἐκ τοῦ θεοῦ θεὸν ἀρνούμενοι, θεὸν ἕνα παραπλησίως ἰουδαίοις λέγουσιν. οὐχ ὅτι μόνος ἀγέννητος, καὶ μόνος πηγὴ θεότητος διὰ τοῦτο φάσκοντες αὐτὸν εἶναι μόνον θεὸν ἀλλ' ὡς ἄγονον υἱοῦ καὶ ἄκαρπον ζῶντος λόγου καὶ σοφίας ἀληθινῆς.

rentem Filio, & sine fructu existentem vivi verbi & sapientia vera. Vide & in hoc loco quod solus Pater fons Deitatis est, & quod propterea unum Deum dicimus, quia unus fons Deitatis Pater est. Si autem & Filius fons est, sicut quidam dicunt, duo utique dii. Item de disputatione facta cum Macedonio : (a) *Si ponatur ejusdem esse natura & Deitatis Patris & Filii & Spiritus* * πνεῦμα, *qui ex ipso patre per Filium effusus est*, προσκυνητὸν καὶ λατρευτὸν ἀποδειχθήσεται, *id est adorabilis, & cui latria exhibenda est demonstrabitur.* Item de eodem sermone : (b) *Sicut enim Filius qui in natura omnia habens Patris sicut Filius, dicit de seipso*, quod nihil facio a me ipso, *ut bonorum principium ad Patrem reducat : sic & de Spiritu audi ipsum dicentem, quod cùm omnia in natura Deitatis sicut Spiritus Dei haberet ad causativum tamen ipsum reducit dicens :* Non loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annunciabit vobis. *Et quod :* ille de meo accipiet, *scilicet de Patre.* Item de eodem disputationis sermone. Dixit Macedonius : (c) *Tria ergo ingenerata dicis?* Respondit idem Sanctus dicens : *Sed non incausata, nec etiam sine Patre. Etenim ingeneratus est Spiritus, sed non incausatus : habet enim causativum Deum cujus spiritus est. Licèt si ingeneratus Filius, sed non est sine Patre, habet enim Patrem Deum a quo & natus est. Pater autem & ingeneratus est & sine causa & sine Patre. Idem de eodem. Credimus in unum ingenitum Deum, Patrem omnipotentem. Spiritus autem Sanctus* ἐκπόρευμα *existens Patris, semper est in manibus mittentis Patris & ferentis Filii.* Idem de eodem capitulo XLVIII de testimoniis scripturarum de communione secundùm naturam Patris & Filii & Spiritus Sancti. (d) *Quid est Deus? principium omnium sicut ait apostolus*, unus Deus Pater a quo omnia : *Etenim verbum ex eo generative, & Spiritus ab eo processive.* Item idem ex epistola ad Serapionem missa de Spiritu Sancto. (e) *Nonne male sentientes de Spiritu Sancto, neque de Filio sentiunt bene : si enim recte de verbo sentirent, sentirent etiam sane de Spiritu Sancto, qui ex Patre procedit, & Filii existens proprius, & ab eo datur discipulis, & omnibus qui credunt in eum.* Audiant qui bene de Spiritu Sancto non sentiunt, qualiter neque de Filio bene sentiunt. Sanum namque intellectum de ipso sanctus iste docet sic esse, scilicet quod ex Patre quidem procedit, proprius autem Filii est, tanquam qui ab eo discipulis datus est, ac omnibus fidelibus datur. Sunt etiam & aliæ multæ auctoritates ipsius sancti, quæ pro nostro dogmate faciunt, sed eas propter sermonis prolixitatem prætermittimus. Item de sermone sancti Gregorii theologi, ubi tractat de dogmatibus & institutione episcoporum. (f) *Servet quidem sermo meus, quod unus nempe est Deus,* * *vel ad incausatum Filio & Spiritui* * *sine causa & Filio & Spiritui præferendis, non quod compositi sunt vel divisi.* Ergo si propter hoc nobis unus Deus est qui adoratur, quia sine causa vel ad * incausatum est Filio & Spiritui * præferendis : qui duas causas dicis in Trinitate, necessitas tibi incumbit duos etiam glorificare Deos. Cùm autem Spiritus non sit causa alicujus consubstantialis hypostaseos, nec Deus etiam est quod blasphemum est : *Qui autem in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non dimittetur ei neque in præsenti, neque in futuro.*

** omittit πνεῦμα*

Joan. 8.

Joan. 14.

Iterum & pneuma corrupte.

Orat. 29.

** vel ad jus causatum filio &c.*

** Secundum causa & Filio & Spiritui præferentis.*

** Jus causatum.*

** præferentis.*

Luc. 12.

Item in sermone illo, ubi tractat de Spiritu. (g) *Nobis unus Deus est, quia una est Deitas, & ad unum ea quæ ex eo sunt respectum habent, licèt tria dicantur : ac nec hoc magis Deus, & illud minus Deus, neque hoc prius & illud posterius, neque de voluntate dividuntur, neque virtute separantur.* Item de eodem : (h) *Quando quidem ad Deitatem respectum habemus, & ad primam causam, & ad monarchiam,* (H) *unum est nobis quod imaginamur. Cùm autem ad ea in quibus est Deitas, & ad ea quæ ex prima causa sine tempore, similique gloria ibidem sunt, tria sunt quæ adorantur &c.* Ubi sunt qui male interpretantur mediatum & immediatum? Sanctus enim doctor iste simili gloria ex prima causa dixit, a Patre videlicet Filium & Spiritum Sanctum illuxisse. Item de eodem ex sermone ad Heronem philosophum. (i) *Vere Filium dico Filium, quia solitarie * & solius & solus & tantum (neque enim & Pater est) & in totum Filius & totius & ab initio.* Nota quod Filius tantum Filius * est, & totum Filius, sed non etiam προβολεύς : id est quod ex eo processio sit, vel prolator. Item in sermone de his qui navigio ex Ægypto accesserunt. (k) *Si autem omnia quæ habet Pater Filii sunt præter causam, omnia vero quæ sunt Filii sunt & Spiritus præter filiationem, & præter illa quæ* * *corporaliter de ipso dicta sunt propter meum hominem * & propter meam salutem.* Nota saltem hæc, quomodo sicut dixit quod Filius omnia habet quæ Patris sunt præter causam, non dixit quod eodem modo Spiritus omnia habet quæ Filii sunt præter causam, sed dixit præter filiationem. Si enim sciret quod Filius quoque causa esset Spiritus, non utique tacuisset. Item de eodem : (l) *Si enim Filii & Spiritus dignitatem fatentes, ipsos esse sine principio ponere debemus, aut ad aliud ipsos referre principium : necesse utique foret, * ut honorabilis inhonoraretur Deus, aut illud quod contra Deum est apud nos periclitaretur. Si autem quantumcunque extuleris Filium sive Spiritum, non supra Patrem pones, neque a causa alienaveris : sed illud ad Patrem, scilicet bonum genimen, & mirabilem processionem referes seu reduces : quæram a te o Philagennite & Philanarcha, id est o amice ingenerati & imprincipiati, utrum injuriatus Deo magis ille, qui istorum ponit prin-*

Orat. 37.

Orat. 21.

** omittit & solius.*

** omittit est.*

Or. 24.

** temporaliter.*

** addit meum humanum.*

Orat. 13.

** ut ita honoraretur vel inhonoraretur.*

(H) Id est unum principatum.

(a) *Dialogo I contra Macedonum T. II. edit. Bened. inter spuria. p. 544. n. 5.* ἐὰν οὖν δειχθῇ τῆς αὐτῆς φύσεως καὶ θεότητος τῷ υἱῷ καὶ τῷ πατρὶ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ ἐκχυθὲν, καὶ προσκυνητὸν, καὶ λατρευτὸν ἀποδειχθήσεται.

(b) *Ibid. n. 16.* ὥσπερ οὖν ὁ υἱὸς πάντα ἔχων ἐν τῇ φύσει, ὡς υἱὸς λέγει. οὐδὲν ποιῶ ἀπ' ἐμαυτοῦ, ἵνα τῶν ἀγαθῶν τὴν ἀρχὴν ἐπὶ τὸν πατέρα ἀναγάγῃ, οὕτως καὶ περὶ τοῦ πατρὸς ἄκουε αὐτοῦ λέγοντος. πάντα γὰρ ἔχοντος ἐν τῇ αὐτοῦ φύσει ὡς πνεύματος θεοῦ, ἐπὶ τὸν αἴτιον ἀνάγει λέγων, οὐ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἀκούσῃ, λαλήσει, καὶ τὰ ἐρχόμενα εὐαγγελεῖ ὑμῖν. καὶ τὸ ἐκεῖνος ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, δηλονότι ἐκ τοῦ πατρός.

(c) *Ibid n. 20.* Μακ. τρία οὖν ἀγέννητα λέγεις. Ορθ. ἀλλ' οὐκ ἀναίτια, οὔτε μὴ ἀπάτορα καὶ γὰρ εἰ ἀγέννητον τὸ πνεῦμα, ἀλλ' οὐκ ἀναίτιον. ἔχει γὰρ αἴτιον τὸν θεὸν, οὗ πνεῦμά ἐστι. κἂν ἀγέννητος ὁ υἱὸς, ἀλλ' οὐκ ἀπάτωρ. ἔχει γὰρ πατέρα τὸν θεὸν, ἐξ οὗ καὶ γεγέννηται. ὁ δὲ πατὴρ καὶ ἀγέννητος καὶ ἀναίτιος καὶ ἀπάτωρ.

(d) Edit. Bened. T. II. inter dubia cap. 48. p. 24. τί ἐστὶ θεός; ἡ πάντων ἀρχὴ κατὰ τὸν ἀπόστολον λέγοντα. εἷς θεὸς ὁ πατὴρ ἐξ οὗ τὰ πάντα. καὶ γὰρ ὁ λόγος ἐξ αὐτοῦ γεννητῶς καὶ τὸ πνεῦμα ἐξ αὐτοῦ ἐκπορευτῶς.

(e) *Idem epistola I. ad Serapionem T. I. edit. Bened. p. 649 D.* οὐκ οὖν κακῶς φρονοῦντες περὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, οὐδὲ περὶ τοῦ υἱοῦ καλῶς φρονοῦσιν, εἰ γὰρ ἐφρόνουν ὀρθῶς περὶ τοῦ λόγου, ἐφρόνουν ὑγιῶς καὶ περὶ τοῦ πνεύματος, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, καὶ τοῦ υἱοῦ ἴδιον ὂν, παρ' αὐτοῦ δίδοται τοῖς μαθηταῖς, καὶ πᾶσι τοῖς πιστεύουσιν.

(f Versio corruptissima, sed corruptior, quæ apud VVadingum & ex eo in conc. gener. sic autem Græce legitur : τηροίτο, δ' ἂν, ὡς ὁ ἐμὸς λόγος. εἷς μὲν θεὸς, εἰς ἓν αἴτιον καὶ υἱοῦ καὶ πνεύματος ἀναφερομένων, οὐ συντιθεμένων, οὐδὲ συναλειφομένων. Quæ sic reddas *servetur* ut censeo *unus quidem Deus, Filio & spiritu ad unam causam relatis, non unà compositis aut confusis.*

[g] *Gregorius Nazianzenus orat. 37.* ἡμῖν εἷς θεὸς, ὅτι μία θεότης, καὶ πρὸς ἓν τὰ ἐξ αὐτοῦ τὴν ἀναφορὰν ἔχει. κἂν τρία πιστεύηται. οὐ γὰρ τὸ μὲν μᾶλλον, τὸ δὲ ἧττον θεός. οὐδὲ τὸ μὲν πρότερον τὸ δὲ ὕστερον. οὐδὲ βουλήσει τέμνεται, οὐδὲ δυνάμει μερίζεται.

[h] *Ibid.* ὅταν μὲν οὖν πρὸς τὴν θεότητα βλέψωμεν, καὶ τὴν πρώτην αἰτίαν, καὶ τὴν μοναρχίαν, ἓν ἡμῖν τὸ φανταζόμενον, ὅταν δὲ πρὸς τὰ ἐν οἷς ἡ θεότης, καὶ τὰ ἐκ τῆς πρώτης αἰτίας ἀχρόνως ἐκεῖθεν ὄντα, καὶ ὁμοδόξως, τρία τὰ προσκυνούμενα.

[i] *Idem orat. 21.* ἀληθῶς υἱὸν τὸν υἱόν. ὅτι μόνος, καὶ μόνου, καὶ μόνως, καὶ μόνον. οὐ γὰρ καὶ πατήρ. καὶ ὅλον υἱὸς, καὶ ὅλου, καὶ ἀπ' ἀρχῆς.

[k] *Idem orat. 24.* εἰ δὲ πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ τοῦ υἱοῦ ἐστι πλὴν τῆς αἰτίας, πάντα δὲ ὅσα τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος πλὴν τῆς υἱότητος, καὶ τῶν ὅσα σωματικῶς περὶ αὐτοῦ λέγεται διὰ τὸν ἐμὸν ἄνθρωπον, καὶ τὴν ἐμὴν σωτηρίαν.

[l] *Idem orat. 13.* εἰ μὲν γὰρ ἐμέλλομεν υἱοῦ καὶ πνεύματος τὴν ἀξίαν ὁμολογοῦντες, ἢ ἄναρχα ταῦτα εἰσάγειν, ἢ εἰς ἑτέραν ἀρχὴν ἀνάγειν, δέος ἂν ἦν ὄντως μὴ ἀτιμασθῇ θεὸς, ἢ κινδυνεύσῃ παρ' ἡμῶν τὸ ἀντίθεον. εἰ δ' ὅσον ἂν ἐξαίρῃς τὸν υἱὸν ἢ τὸ πνεῦμα, οὐχ ὑπὲρ τὸν πατέρα θήσεις, οὐδὲ τῆς αἰτίας ἀποξενώσεις. ἀλλ' ἐκεῖσε ἀνάγεις [vel ἀνοίσεις] τὸ καλὸν γέννημα, καὶ τὴν θαυμασίαν πρόοδον. προσερήσομαί σε ὀλίγον φιλαγέννητε σὺ καὶ φιλάναρχε πότερος θεὸν ἀτιμάζει μᾶλλον, ὁ τοιούτων τιθεὶς ἀρχὴν, οἵων αὐτὸς εἰσάγεις, ἢ ὁ μὴ τοιούτων, ἀλλ' ὁμοίων τὴν φύσει καὶ ὁμοδόξων, καὶ οἵων ὁ ἡμέτερος βούλεται λόγος.

cipium, quorum ipse inducit, vel ille * *qui non istorum scilicet Filii & Spiritus, sed natura similium similique gloria existentium, & qualium noster* * *vult sermo.* Et post pauca item dixit: *Ego Deitatis principium introducens sine tempore & sine divisione, & sine termino, & principium, & ea qua ex principio sunt, aequaliter veneror. Hoc quidem quia istorum principium, ista quia sic & talia ex tali neque loco, neque natura, neque bonitate distantia.*

** qui parit, istorum.*

* omittit *vult sermo* & quod in margine in textum inserit: *id est sermo noster intendit.*

Lib. 5 initio. p. 109. Item de tractatu B. Basilii contra Eunomium: (*m*) *Ea qua Patri & Filio communia sunt, ea etiam communia sunt Spiritui.* Si igitur commune est Patri & Filio processio Spiritus, erit etiam commune Spiritui, ac procedet ab isto alius Spiritus. Item: *Lib. 5. p. 122.* (*n*) *Generat Deus non ut homo, generat autem vere & genimen a semetipso est: profert verbum non humano modo* * (*profert autem verbum a semetipso: mittit Spiritum per os non humano modo*) *nam nec os in Deo corporaliter est: ex ipso eodem autem & Spiritus est & non aliunde.* Hoc autem quod dixit *non aliunde*, quid aliud notat, nisi quod Spiritus non sit ex alia aliqua hypostasi, nisi tantum ex hypostasi Patris. Item idem in sermone illo quem edidit contra Eunomium, *Lib. 5. p. 110.* exponens: *Manus tua fecerunt me & plasmaverunt me*, dicit: duas manus esse Patris Filium & Spiritum. Item Athanasius contra Arianos & Sabellianos in sermone illo qui sic incipit. Repugnat Judaismus Ethnicismo. *Spiritualiter Filius ex Deo est, & Spiritus ex Deo est: natura Filius a Patre exivit, & Spiritus a Patre procedit: sed Filius quidem a Patre nascendo, Spiritus autem ineffabiliter ex Deo.* Item Basilius in epistola missa Gregorio fratri suo, in qua tractat de differentia usiæ & hypostaseos. *Epist. 43.* (*o*) *Quia igitur Spiritus Sanctus, a quo omnium bonorum distributio super terram abundat, a Filio nempe pendet, cum quo indistanter comprehenditur, a causa autem Patris exiens habet esse, a quo & procedit.*

Omittit has lineas quas ideo nos intra parenthesin.

Deficit residuum. Sic in MS.

[*m*] *S. Basilius contra Eunom. lib. 5. initio p. 109.* ὅτι τὰ κοινὰ τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ, ταῦτα κοινὰ τῷ πνεύματι.

[*n*] *Ibid. p. 122.* γεννᾷ θεὸς οὐχ ὡς ἄνθρωπος. γεννᾷ δὲ ἀληθινῶς, καὶ τὸ γέννημα ἐξ αὐτοῦ ἐκφαίνει λόγον οὐχ ἀνθρώπινον. ἐκφαίνει δὲ λόγον ἀληθῶς ἐξ ἑαυτοῦ, καὶ ἐκπέμπει πνεῦμα διὰ στόματος, οὐχ ὄντα ἀνθρώπινος, ἐπεὶ μηδὲ στόμα θεοῦ σωματικόν. ἐξ αὐτοῦγε τὸ πνεῦμα, καὶ οὐχ ἑτέρωθεν.

[*o*] *Idem p. 808.* ἐπειδὴ τοίνυν τὸ ἅγιον πνεῦμα, ἀφ᾽ οὗ πᾶσα ἐπὶ τὴν κτίσιν ἡ τῶν ἀγαθῶν χορηγία πηγάζει, τοῦ υἱοῦ μὲν ἤρτηται, ᾧ ἀδιαστάτως συγκαταλαμβάνεται, τῆς δὲ τοῦ πατρὸς αἰτίας ἐξημμένον ἔχει τὸ εἶναι ὅθεν καὶ ἐκπορεύεται.

Finis Tomi primi.

Errata, quæ hoc in volumine exciderunt.

Pag.	Col.	Lin	Errata.	Legenda.
5	b	18 *ante fin.*	concilium	conſilium
11	a	45	*conedo*	*concedo*
14	a	52 & 53	gynecæum	gynæceum
32	b	39	medecina	medicina
36	a	6 *ante fin.*	*paupertaits*	*paupertatis*
46	b	12 *ante fin.*	Lucheſis	Luchenſis
65	b	32	proſus	prorſus
77	a	2 & 23	*corda*	*chorda*
81	b	33	ſtorearum	ſtorearum
84	b	51	Salermitanum	Salernitanum
88	b	40	effudendum	effundendum
90	b	36	quob	quod
		47	anales	annales
102	b	47	cum ambo	ambo cum
129	b	42	*apoſtolo*	*apoſtolos*
137	b	12	fæditate	fœditate
138	a	14 *ante fin.*	Ecſiæ	Eccleſiæ
142	a	14 *ante fin.*	conſtritari	contriſtari
177	b	10	tamem	tamen
200	a	33	recenſetur	recenſentur
207	b	37	incunabilis,	incunabulis
222	b	7	effectus	effectu
225	a	9 *ante fin.*	*motivo*	*motiva*
227	a	37	corræſam	corraſam
228	b	14 *ante fin.*	abornaſſe	adornaſſe
230	b	8 *ante fin.*	quam	quem
232	b	34	*Sapientia*	*Sapientiæ*
234	b	34	codides	codices
235	b	19	ille	illæ
237	b	30	proſtrante	proſtante
240	b	16	oppella	opella
256	a	37	ille qui	*dele* qui
	b	20	exibent	exhibent
259	a	5 *ante fin.*	prioris	*adde* veſtem
262	a	11 *ante fin.*	lautorum	laudatorum
264	b	4 *ante fin.*	dato	data
270	b	12	proſtremam	poſtremam
		15	ultima ejus	*dele* ejus
		27	cujas	cujus
284	a	49	complectuurum	completurum
		50	ad Alvernia	ab Alvernia
294	a	12 *ante fin.*	porductus	productus
315	a	4 *ante fin.*	*pro*	*per*
317	b	24	qui	quis
320	a	45	idonæum	idoneum
321	a	28	proxilam	prolixam
		32	falcitatis	falſitatis
338	a	18 *ante fin.*	cripto	ſcripto
345	b	50	obſtruſerunt	obtruſerunt
353	b	54	ſuſcipiciat	ſuſcipiat
401	a	44	tyrocinii	tirocinii
425	a	47		*dele* παρέργον
481	a	7	obedientientia	obedientia
489	b	6 *ante fin.*	apu	apud
493	a	52	3275	3725
504	b	13 *ante fin.*	l iqua	aliqua
515	a	11 *ante fin.*	præcicipuam	præcipuam
519	b	50	neto	Veneto
552	b	15 *ante fin.*	ſervata	ſervato
598	a	*ante penult.*	*archiepiſcoporum*	*archiepiſcopum*
655	a	18	meum	meam
671	a	32	Aquinati	Aquitani
688	b	9 *ante fin.*	1339	1399
759	b	11	prociæ	provinciæ
813	b	38	cùm eum	*dele* eum
823	b	13 *ante fin.*	perſpicatibus	perſpicacibus
834	a	48	*Corraria*	*Corvaria*
886	b	8	a	ad

Cætera leviora alicujus litteræ defectu facile emendabit Lector.

INDEX ALPHABETICUS

Scriptorum in hoc Tomo primo laudatorum per Nomina.

Numerus Arabicus paginam, littera a columnam primam, b alteram indicat.

A

B

Guillelmus

JI

JI

Nicolaus

N

O

P

Finis Tabulæ Scriptorum Tomi primi per Nomina.

INDEX ALPHABETICUS

Scriptorum in hoc Tomo primo laudatorum per Cognomina.

A

Bacalarius

B

B

C

C

D

E

F

F

G

Hachemburgo

H

IJ

K

L

L

M

M

N

O

P

P

Q

R

R

S

S

T

VU

W

Y

Z

ANONYMORUM INDEX

Juxta Argumenta.

APPROBATIO

APPROBATIO CENSORIS REGII.

OPUS, cui titulus est *Scriptores ordinis Prædicatorum recensiti, notisque historicis & criticis illustrati* a R. P. F. Jacobo Quetif S. T. P. conventus SS. Annunciationis Parisiensis ejusdem ordinis sodali inchoatum, & a R. P. F. Jacobo Echard ejusdem familiæ finitum, Ego infrascriptus sacræ facultatis theologiæ Parisiensis doctor, ac librorum censor regius legi ex mandato illustrissimi sigilli regii Custodis, lectumque probavi. Opus quidem summa diligentia elaboratum, in quo si subjectæ materiæ partes omnes ordine apto collectæ spectentur, mirari liceat, quantum omni eruditionis genere eminuerit semper, emineatque religiosa S. Dominici familia, & quanto studio profuerit Ecclesiæ propagandæ, ac Religioni propugnandæ: si labor collectorum attendatur, ingens profecto ille est, demonstratque luculenter, quam ampla & quam varia ipsis insit historiæ, chronologiæ, criticæ scientia, quam erudita limataque judicii sagacitas. Prodeat igitur in lucem publicam, & pro dignitate laudem sortiatur. Datum Parisiis anno 1719 die quinto Aprilis. PH. ANQUETIL.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre, à nos amez & feaux Conseillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de nôtre Hôtel, Grand Conseil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Justiciers qu'il appartiendra: Salut. Nôtre bien-amé NICOLAS SIMART, Libraire à Paris, Nous ayant fait remontrer qu'il souhaitteroit faire imprimer & donner au Public un ouvrage qui a pour Titre, *Scriptores ordinis Prædicatorum recensiti notisque historicis & criticis illustrati; a P. Jacobo Echard, ejusdem ordinis;* s'il nous plaisoit lui accorder nos Letteres de Privilege sur ce necessaires: A CES CAUSES voulant favorablement traiter l'Exposant, Nous lui avons permis & permettons par ces presentes, de faire imprimer ledit Ouvrage, en tels volume, forme, marge, caractere, conjointement, ou séparement, & autant de fois que bon lui semblera; & de les vendre, faire vendre & debiter par tout nôtre Roïaume, pendant le temps de cinq années consecutives; à compter du jour de la datte desdites presentes. Faisons défenses à toutes sortes de personnes de quelques qualité & condition qu'elles soient, d'en introduire d'impression étrangere, dans aucun lieu de nôtre obeïssance; comme aussi à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer, ou faire imprimer, vendre, faire vendre, & debiter, ni contrefaire ledit ouvrage cy-dessus specifié en tout, ou en partie, ni d'en faire aucuns Extraits, sous quelque pretexte que ce soit, d'augmentation, correction, changement de Titre, ni même de Traduction, en langue Grecque, langue Hebreux ou autrement, sans la permission expresse & par écrit dudit Exposant, ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Exposant, & de tous dépens, dommages & intérêts: A la charge que ces presentes seront enregistrées tout au long, sur le Registre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, & ce dans trois mois de la datte d'icelles; que l'impression dudit Ouvrage sera faite dans nôtre Royaume, & non ailleurs, en bon papier, & en beaux caracteres, conformément aux Reglemens de la Librairie; & qu'avant que de l'exposer en vente, le manuscrit ou imprimé qui aura servi de copie à l'impression dudit Ouvrage, sera remis dans le même état où l'Approbation y aura été donnée, ez mains de nôtre tres-cher & feal Chevalier, le Sieur de Voyer de Paulmy, Marquis D'Argenson, Garde des Sceaux de France, Chancelier & Garde des Sceaux de nôtre Ordre Militaire de S. Louis, & qu'il en sera ensuite remis deux Exemplaires dans nôtre Bibliotheque publique, un dans celle de nôtre Château du Louvre, & un dans celle de nôtredit tres-cher & feal Chevalier le Sieur de Voyer de Paulmy, Marquis D'Argenson, Garde des Sceaux de France, Chancelier & Garde des Sceaux de nôtre ordre Militaire de S. Louis; le tout à peine de nullité des presentes. Du contenu desquelles vous mandons & enjoignons, de faire joüir l'Exposant, ou ses Aïans cause, pleinement & paisiblement sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchemens. Voulons que la copie desdites presentes, qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Ouvrage, soit tenuë pour dûëment signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires, foy soit ajoûtée comme à l'Original. Commandons au premier nôtre Huissier ou Sergent, de faire pour l'execution d'icelles, tous Actes requis & necessaires, sans demander autre permission, & nonobstant clameur de Haro, charte Normande, & Lettres à ce contraires; Car tel est nôtre plaisir. Donné à Paris le dix-neuviéme jour du mois de Juillet, l'An de grace mil sept cent dix-neuf, & de nôtre Regne le quatriéme.

Registré sur le Registre IVe. de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, page 506. N°. 542. *conformément aux Reglemens, & Notamment à l'Arrest du Conseil du* 13. *Aoust.* 1703. *A Paris le* 24. *Juillet* 1719. DE LAULNE, Syndic.

Le Sieur J-B-CHRISTOPHE BALLARD, seul Imprimeur du Roy, &c. qui a fait l'Impression de ce premier Volume & qui continuë le Second, a moitié dans le present Privilege.

FACULTAS REVERENDISSIMI MAGISTRI GENERALIS ORDINIS.

NOS F. Antoninus Cloche sacræ theologiæ professor ac totius ordinis Fratrum Prædicatorum humilis magister generalis & servus. Salutem:

Tenore præsentium, nostrique autoritate officii licentiam facimus tibi R. A. P. F. Jacobo Echard provinciæ nostræ S. Ludovici Regis typis edendi Opus, cui titulus est, *Scriptores ordinis Prædicatorum recensiti, notisque historicis & criticis illustrati*, dummodo prius approbatum fuerit a RR. PP. Michaele Lequien & Dionysio D'Albizi, cæteraque de jure servanda serventur. In Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c. Datum Romæ in conventu nostro Sanctæ Mariæ super Minervam. Die XIII januarii MDCCXIV. Signatum. *F. Antoninus Cloche Magister ordinis.* Et inferius. Registrata fol. 217. *F. Bern. Darcet Magister & socius.* Sigillatum in azymo sigillo magistri ordinis.

APPROBATIO THEOLOGORUM ORDINIS.

NOS infrascripti, de mandato Reverendissimi Patris Antonini Cloche ordinis FF. Prædicatorum generalis magistri, Legimus Opus cui titulus est, *Scriptores ordinis Prædicatorum recensiti, notisque historicis & criticis illustrati*, olim a R. P. F. Jacobo Quetif ordinis ejusdem & domus SS. Annunciationis Parisiensis alumno inceptum, recens vero a R. P. F. Jacobo Echard ejusdem instituti ac conventus professore ad finem feliciter perductum. Quod quidem dum omni animi attentione excuteremus, demirati sumus indefessam utriusque viri in evolvendis infinitis propemodum seu manuscriptis, seu prælo editis codicibus diligentiam. Quantum vero in hoc opere concinnando vigiliarum & improbi laboris impensum est, tantum reipublicæ litterariæ utilitatis allatum, fidenter asserimus. Offertur viris studiosis accuratus Scriptorum catalogus, qui ex quo viguit, & ad ornamentum Ecclesiæ instituta est Dominicana familia omnigenæ eruditionis & doctrinæ laude floruerunt: eorum vero potissimum, qui catholicam veritatem strenue contra errores omnes, & emergentes hinc inde hæreses propugnarunt. Sui cuique proprii fœtus asseruntur, spurii notantur, vindicantur legitimi, dubii magno animi candore recensentur, fabulæ quævis eliminantur, nihil ut desiderari possit ad fidem historiæ, & rigidioris criticæ regulas. Habebunt qui domestica historia delectantur, in hoc ceu promptuario unde hauriant, quæcunque ad majorum suorum præclare gesta spectare possunt: eoque vel uno titulo multum se viris laudatissimis debere profitebuntur, quotquot institutum suum vere amant, quod nullis sudoribus vigiliis nullis pepercerint, ut insignia facinora e tenebris, in quibus diu multumque jacuerant, eruerent, & luci publicæ restituerent. Nec deerunt iis quibus arridet historiæ ecclesiasticæ notitia, propria oblectamenta. Exhibetur enim in hoc volumine Ecclesiæ facies, qualis a decimo tertio seculo ad hanc nostram ætatem conformata est, multaque enarrantur de summis pontificibus, de hæresibus, de sacris in Orientem expeditionibus, de fidei catholicæ in omnes late regiones propagatione, ac denique de conciliis sive œcumenicis sive provincialibus, quorum bene favente Deo, pars magna fuit Ordo Prædicatorum. Nihil demum in immensa lucubratione comperimus, quod vel ab orthodoxa fide, vel a bonis moribus abhorreat. Sic censuimus Parisiis die 4 mensis julii anno reparatæ salutis 1719.

F. MICHAEL LEQUIEN sacræ theologiæ professor.

F. ANTONIUS DIONYSIUS-SIMON DE ALBIZIIS sacræ theologiæ doctor.